Digitized by Google

Opus rarum Bauer 1. Supp. p. 162

ADMIRANDA ORBIS CHRISTIANI

QVÆ,

Ad Christi fidem firmandam, Christianam pietatem fouendam, obstinatamque perfidiam destruendam

Ad Conuentum [illegible] EN

ΤΩ ΜΑΚΡΩ ΚΑΙ ΤΩ ΜΙΚΡΩ ΚΟΣΜΩ

Hoc est

IN MAGNO INQVE PARVO MVNDO

Aut præteritis extitere sæculis,

Aut adhùc vigent, vel illorum adhùc apparent Indicia.

EA

Ex Historia sacra selectioribus Monumentis, Fastorum Ecclesiasticorum Tabulis, Religiosarum Familiarum Chronicis, nec non ex singularium Euentuum, Signorum, Miraculorumue quacumque Narratione, Et ex nonnullis Congestis ab ALOYSIO NOVARINO.

IO: BONIFACIVS BAGATTA VERONENSIS

Clericus Regularis Theatinus

Collegit, selegit, in vnumque redacta, in lucem edidit.

TOMVS PRIMVS

In Quo

De Admirandis ΕΝ ΤΩ ΜΑΚΡΩ ΚΟΣΜΩ.

VENETIIS, Apud Io: Franciscum Valuasensem. M.DC.LXXX.

SVPERIORVM PERMISSV.

ET PRIVILEGIO.

Ex dono fris [illegible] Augustiniani 1681

SERENISSIMO PRINCIPI

D. D.

RANVCCIO FARNESIO

D V C I

PARMÆ, PLACENTIÆ, &c.

Domino meo Clementissimo.

Dmiraberis, me non latet, SERENISSIME PRINCEPS, ignotum hominem Tuæ prouolutum Celsitudini, Admirandorum selectum congestum, venerabundum offerre; admiraberis, ad tantam maiestatem, quam Principes, Magnatesq. humilibus adorant ceruicibus, humilem accedere ausum. Noui; Ast ne mireris INCLYTE PRINCEPS, Quę etenim ex Sabęis regionibus, pręexcelsæ Salomonis Sapientiæ, atq. Prudentiæ vndiq. diuulgata fama admirabundas arcanis nodis traxit Reginas, ea, ad Tuam venerandam Celsitudinem, singularibus omnigenæ Virtutis, atq. Prudentiæ rutilantem splendoribus, me, licet tanta maiestate indignum, exciuit.

a 2 Puta-

Putarunt quot quot, vel in purpura nati, vel ad purpuram euecti, sceptra, atq. fasces, Sapientiæ disciplinis inclinandos; Stagiritam ideò veneratus est Macedo, Anthenodorum Augustus, Plutarcum Traianus, Philosophos omnes Antiquitas. Plùs vltrà excelsus animus Tuus, SERENISSIME PRINCEPS, præteruolauit; Sapientiam enim, vt illi nedùm amasti, sed & Christianam, Christianam quoq. Prudentiam, atq. Pietatem Tuo in amplissimo gremio semper fouisti; vndè penitùs oblitera.to antiquo illo Adagio: *exeat aula, qui volet esse pius*: ad Tuam Serenissimam Aulam, ceù ad Pietatis Palæstram illi aduolandum, qui vult esse pius, vndique omnium ora proclamant. Effulsere semper, neminem non latet, Farnesiano in Cælo splendidissima Lumina, obq. Supremos Christiani Orbis Fasces, primi nominis Purpuras, amplissimas Dominationes, Victoriarum cumulos, acquisitas bellica virtute Laureas, Palmas, atq. Triumphos, per vniuersos terrarum anfractus lucem effudere copiosam: At hæc omnia solùm clarescunt in sidera, Tuoq. Soli exposita, lumine deficiunt, & in eclipsi laborant; Tuæ etenim Celsitudinis pręclarissima Virtus, Prudentia, animiq. Dotes, veluti Luminare maius, auitas glorias obumbrant, atq. splendores. Testantur hoc, pijssimus animus Tuus, totius licet regiminis addictus curis, ad Pietatis opera obeunda, atq. exercenda propensus; Flagrantissimus zelus, quo Tuum vellicatur pectus, ad summam Dei gloriam, atq. cultum propagandum; Iustitia intemerata, æquissima lance cuiuscumque merita apprimè præponderans. Testantur, augustissima Munificentia,

qua

qua quidquid est Serenissimi ærarij Tui promere studes, atq. profundere in vsus subditorum; Comitas humanissima, ad beneficia procliuis; Candida Affabilitas, à tuis Serenissimis ædibus monstra illa duo aulæ laruata, adulationem nempè, & simulationem, propellens, atque propulsans. Testantur deniq. perenne Tuum studium, innata propẽsio ad augendas, ampliandasq Litterarum Academias, quæ sub Celsitudinis Tuæ auspicatissimo tutamine sic florent, vt gratiores vmbras oleis suis non reperiat Pallas, atq. Farnesianis coronata Lilijs, illustrior appareat. Tantæ igitur Pietati haùd indigna duxi, vt offerantur HÆC ORBIS CHRISTIANI ADMIRANDA, in quibus, non Alcinoi, vel Hesperidum, sed Diuorum, & Cælitum omni Virtutum genere exculta Viridaria se se exhibent spectanda, vt qui curis, negotijsque quandòque lassatus animus Tuus otiari desiderat, per amœnissimos hosce Pietatis secessus habeat vbi spatietur, oblecteturq. Addo; si ad centrum grauia, ad polum magnes, ad succinum paleæ, & ad Celsitudinem Tuam Opus hoc magnetica quadam vi, arcanisq. attrahitur vinculis; si etenim quidquid Admirandi innumera in se ipsis exhibẽt Volumina, hoc ipsum suo fœcundo complectitur in gremio, non nisi ad Celsitudinis tuæ pedes procumbere opus erat; si quidem cùm ad omnium scientiarum anhelans metas, totiusq sapientiæ eruendi, atq. meditandi arcana studiosissimus, vbiq. terrarum depromptis innumeris, insignibusq. Voluminibus, instructissimam efformas Bibliothecam, Sysianæ, Alexandrinæ, Byzantinæ, Attalicæ, cęterisq. tùm antiqui, tùm laben-

tis

tis æui non absimilem futuram, ideò vt ad centrum, in quod omnia pondera decumbunt, & hę meę, licet exiles lucubrationes, ad Tuam Celsitudinem iure meritò deuoluuntur, vt quidquid multis in Libris curiosa indagine perquirit excelsus animus Tuus, hìc in vnum comperiat conglomeratum. Excipe igitur benigno vultu SERENISS. PRINCEPS, Librum hunc meum, obsequentissimi animi præseferentem characteres. Complectere serena fronte, & ea, quæ ad stuporem adornat Tuum pectus, magnanimitate, munusculum hoc leue, quod Tuæ addictissimus Celsitudini humiliter offert, Tuoq. benignissimo obtutu illud dignare, Augustissimi enim animi est, non quod ipse promeretur, sed quod deuicti possunt, attendere; exiles victimas benigno lumine excipiunt & Numina, dùm deficiunt hecatombæ; *Dijs etenim*, vt aiebat Appion Grammaticus *lacte rustici, multæque Gentes supplicant, & mola tantùm salsa litant, qui non habent thura*. Interim dùm omnium vota, omniumque plausus in Tuæ Celsitudinis, totiusq. FARNESIANÆ DOMVS fælicitatem, atq. gloriam conspirant, vt Te, Christianorum Principum Sidus, Æui nostri Ornamentum, Virtutis, atque Pietatis Asylum, diutissimè sospitem faciat, D. O. M. enixissime rogat

SERENISSIMÆ CELSITVDINIS TVÆ

Humillimus, & Obsequentiss.[mus] *Seruus*
D. Io: Bonifacius Bagatta Cl. Reg.

A P.

PROTESTATIO AVCTORIS.



Vm Sanctiss. D. N. Vrbanus Papa VIII. die 13. Martij anno 1625. in Sac. Cong. S. R. & vniuersalis Inquisitionis, Decretum ediderit, idemque confirmauerit die 5. Iulij anno 1634. quo inhibuit imprimi libros hominum, qui sanctitate, seu martyrij fama celebres, è vita migrauerunt, gesta, miracula, vel reuelationes, seù quacumque beneficia, tanquam eorum intercessionibus à Deo accepta, continentes, sine recognitione, atque approbatione Ordinarij, & quæ hactenùs sine ea impressa sunt, nullo modo vult censeri approbata. Idem autem Sanctissimus die 5. Iulij anno 1631. ita explicauerit, vt nimirùm non admittantur elogia Sancti, vel Beati absolutè, quæ cadunt super personam, benè tamen ea, quæ cadunt supra mores, & opinionem, cùm protestatione in principio, quòd ijs nulla adsit auctoritas ab Ecclesia Romana, sed fides tantùm sit penès auctorem. Huic Decreto, eiusque confirmationi, & declarationi, obseruantia, & reuerentia, qua par est, insistendo, profiteor me, ea omnia, quæ in meis Admirandis, sanctitatem quibusdam videntur adscribere, vt potè vires humanas superantia, miracula censeri possunt, præsagia futurorum, arcanorum manifestationes, illustrationes, in miseros mortales collata eorum intercessione beneficia apparent, sanctimonia etiam appellationem præseferunt; profiteor inquam, me haùd alio sensu accipere, aut accipi ab vllo velle, quàm quo ea solent, quæ humana duntaxat auctoritate, non autem diuina Catholica Romana Ecclesia, aut Sanctæ Sedis Apostolicæ nituntur (quæ propterea, non MIRACVLA, sed solùm ADMIRANDA voco) ijs tantumodò exceptis, quæ eadem Sancta Sedes, Sanctorum Beatorum, aut Martyrum catalogo adscripsit; quæque vt vera miracula diuinitùs operata proponit.

APPROBATIONES OPERIS.

ADmiranda Orbis Christiani, Opus R. P. D. Io. Bonifacij Bagatta ex nostra Congregatione Cler. Regularium, ex commissione Reu.^mi P. D. Placidi Vicecomitis Præp. Generalis eiusdem nostræ Congregationis, diligenti scrutinio examinauimus; Nihilque in eo Orthodoxæ Fidei, Bonisque moribus dissonum reperimus. Quinimmò omnia omni prorsùs stupore vsque ad miraculum plena, quæ mundum vniuersum in sui Admirationem pertrahant, si tanta, tàmq; eximia miracula, quæ Diuina potentia ad Fidei Sacramentum firmandum patrauit, in lucem prodeant; quæ vt & prodire valeant, nostra hìc vota propensiùs adnectimus. Datum Veronæ in Ædibus S. Mariæ de Glarea 2. Iannur. 1679.

D. Io. Chrysostomus Philippinus C. R. S. T. P. Librorum Cens. & S. Off. Cons.
D. Ioannes Cominus C. R. Sac. Th. Professor.

D. PLACIDVS VICECOMES

Præpositus General. Congreg. Cler. Regul.

HOc Opus, inscriptum *Admiranda Orbis Christiani &c.* à P. D. Io. Bonifacio Bagatta, nostræ Congregationis Theologo, compositum, & iuxta assertionem Patrum, quibus id commisimus, approbatum, vt Typis mandetur, quoad nos spectat, facultatem concedimus. In quorum fidem, præsentes litteras manu propria subscriptas, solito nostro sigillo firmauimus.

Datum Romæ die 4. Feb. 1679.

D. Placidus Vicecomes Præp. Generalis Cler. Reg.

Locus ✠ Sigilli.

D. Franciscus Maria Casnedi Sec. Cl. Reg.

EGo subscriptus Ordinis Minimorum S. T. P. iussu Reu. P. F. Ioannis Thomæ Rouettæ, Venetiarum Generalis Inquisitoris, Librum, cui titulus, *Admiranda Orbis Christiani &c.* à R. P. D. Io. Bonifacio Bagatta C. R. Theatino, S. T. P. compositum, & in duos distributum Tomos, accuratè, & diligenter perlegi, in quo nihil, quod hæreseos sapiat, aut bonos mores deprauet, inueni. Quinimmò omnia ad Dei cultum, ac timorem, Sanctorumque honorem, & reuerentiam in Fidelium animis excitandam, & promouendam, quàm maximè tendere animaduerti. Quare Librum hunc censeo dignissimum, non solùm, vt in lucem emandetur, verùm etiam vt ab omnibus deuotè perlegatur, ad glorificandum Deum, qui per tot mirabilia, nos ad sui cultum, & amorem quandòque conducit, ac excitat. In quorum fidem &c.

Datum Venetijs, in nostro S. Bartholomæi collegio. V. Id Maij 1679.

F. Anastasius Parenti, Ord. Minimor. S. T. P.

IMPRIMATVR.

Fr. Ioannes Thomas Rouetta Inquisitor Generalis Venetiarum.

NOI REFORMATORI dello Studio di Padoua.

HAuendo veduto per fede del Padre Inquisitore, nel Libro intitolato. *Admiranda Orbis Christiani*, non esser cosa alcuna contro la Santa Fede Cattolica, come parimente per attestato del Segretario nostro, niente contro Prencipi, ò buoni costumi, concediamo licenza al Valuasense di poterlo stampare, osseruando gl'ordini &c. Data dal Magistrato, li 16. Maggio 1679.

(*Aluise Priuli Procurator, Reformator.*
(
(*Siluestro Valier K. Proc. Reformator.*

Lodouico Franceschi Seg.

V I.



VITA
R. P. D.
ALOYSII NOVARINI
CLERICI REGVLARIS
VERONENSIS.

Vm ALOYSIVS NOVARINVS, ad meliora antequam euolaret, Opus meditaretur hoc, illudque se editurum, ea qua pollebat fretus ingenij velocitate, vt dum alias calamo, alias mente moliretur elucubrationes, mundo promisisset; ideò quàmuis in eius mente vix embrionis induerit formam, tamen ab illo huius iam concepti, in lucemque iam editi fœtus, si non partus, Πρωτότυπον, *emanasse potest dici: Eà propter, quantus fuerit hic Vir, quantaque virtutis opera pretium duxi breuibus delineare caracteribus.*

Aloysius igitur Verona ex Illustrissima Nouarinorum Familia anno exacti Sæculi 1594. natus, sacro fonte initiatus, appellatus fuit Hieronymus. Statim à prima ætate, futura illius vita primordia potissimùm apparuere. Morum grauitate, ac modestia, obsequio in parentes, ac cætera indole spectatus; procul nugis, infantilibusque ætatis lusibus, vacare pietati obseruatus est: ad studia (si quidem & adolescens viuido ingenio efflorescebat) euocatus, gymnasia frequentabat, ea tamen lege, vt expoliendis moribus, ac Religioni priùs incumberet. Frequentare Templa, Sacris interesse, Sodalitijs adscribi, Religiosos viros adire, eorumque consortio magnopere gaudere, litterarum deniq; ac pietatis studia coniungere, illi summopere in animo, Verùm cùm in Nobilissimo Adolescente virtutum omnium præclara germina iam erumperent, mundum, quē nec agnouerat, abhorrere, regularisq; instituti mens acriter pectus eius vellicare cœpit; & quia Ecclesiam, Dumumq; Nostram S. Mariæ de Glarea frequentiùs pijssimus adibat Iuuenis, ad institutum nostrum Clericorum Regularium capessendum, à Nostratum exacta disciplina, studijs, Ecclesiasticarum Cæremoniarum obseruantia, egregia inter ipsos charitate,

b tate,

tate, sacrarum precum, nocturna, diurnaque recitatione excitatus, nostro Ordini nomen dare statuit. Præpositum tùnc agebat in eadem Domo Sanctæ Mariæ de Glarea, Pater D.Paulus Aresius Mediolanensis, quà prudentia, animique moribus, quà doctrina, in scribendoque eruditione toti mundo percelebris; qui postea Episcopus Derthonensis creatus fuit, Nouarinoque iam adulto amicissimus; hunc adijt Nouarinus, eique, ad religiosum institutum internos stimulos aperit, ac precibus supplicibus admitti in Sodalitatem petit. Nec difficilem apud illum, cæterosque Patres reperit aditum, quippe qui singularis eius pietatis, flagrantissimi spiritus, eximij ingenij non semel experti fuerant indolem, propensionemque; Igitur omnium suffragijs ordini adoptatus, die vigesima quinta Septembris anni 1612. Theatinum habitum induit, mutatoque Nomine, vt moris est, Hieronymus in Aloysium euasit. Statimque Venetias, vt regularis disciplinæ, virtutisque tyrocinium poneret, est amandatus. Hoc tempore, quæ iam feracissimo Nouarini adhùc pueri pectori adhæserant virtutum semina, vberem in frugem erumpere visa sunt, etenim vitæ innocentia, humilitatis vsu, precum studio, cæterarumque virtutum incremento, ad sublimioris perfectionis metas aduolare Nouarinum admirabantur omnes. Ea propter expleto iam tyrocinij cursu, ad Sacram Professionem communi omnium plausu admissus, vota solemnia nuncupauit Venetijs in Nostra Sancti Nicolai Tolentinatis Ecclesia, die vigesima sexta Ianuarij, anni 1614. Et quia illi à puero ingenium ad miraculum volucre, statim studijs admotus, ea omnium admiratione, Philosophica, ac Theologica, nec non linguarum notitiam tàm perfectè arripuit, vt studiorum curriculo emenso, inter Magistros iure sit adoptatus, quæque abundè hauserat, diffluere permissus. Interim inferioribus præmissis ordinibus, ætate adulta, sacerdotio initiatus in Patriarchali Venetiarum Ecclesia ab Illustrissimo Ioanne Tiepolo tunc temporis Patriarcha, die 6. Martij Sabbato post cineres ann. 1621. dignum se eo gradu reddidit, morum cultu, vsuque virtutum. Sacerdotisque munere, quod est populum docere, apprimè fungere percupiens, sacrorum voluminum studijs operam quàm accuratissimam nauare cœpit, è sublimiori loco insigni populorum, quà plausu, quà fructu declamare, confessionibus aures dare, adque veram pietatem capescendam aberrantes instruere. Hocque eo pietatis ardore, feruentissimaque charitatis vi, vt & in exteriori forma, quod intùs ardebat diuini amoris incendium, appareret; persæpè etenim, præcipuèq; cùm è sublimi diceret, adque pietatem in Deum populos excitaret, profluentes lacrymæ ex eius oculis, sic vestes, superpelliceumque madefaciebant, vt rorifluo cælo diù exposita fuisse apparerent; Quod sæpissimè se vidisse testatus mihi est religiosissimus P.D.Hieremias Brugnolus Veron. in domo S.Mariæ de Glarea, vbi Nouarinus, tunc tyrocinium agens. Illud autem in Nouarino admirandum; Virum alioqui occupatissimum, etiam munera Nostræ Religionis administrare potuisse; Si quidem aliquandò ad Comitia Generalia

neralia missus, non semel, licet ex obedientia coactus, in Nostris Veronensibus Domibus Præpositum egit, summa prudentiæ laude, legum obseruantiæ, seuerioris zeli, ac beneuolentiæ, charitatisque temperamento. Verùm de cæteris Nouarini virtutibus, animique dotibus, audiatur Noster Sylos. Hæc autem de Nouarino habet ipse Ioseph Sylos in 3. parte Historiarum Cleric. Regul. lib. 11. an. 1650.

Quàm integer vitæ fuerit Nouarinus, ac leuissimæ cuiusq; noxæ immunis, coniectari ab eo facilè poterit, quod Benedictus noster Salernus, vir probus, atq; à sacris eius confessionibus, persanctè testatur: nempè votum emisisse Nouarinum, nulli vnquam fore veniali culpæ obnoxium, ex ijs nempè, quæ integra animi deliberatione admittuntur: Abstinentissimus deindè, atq; adeò tenui vtebatur victu, vt mirarentur pleriq; omnes, refici, ac sustentari tàm breui alimonia opes corporis posse: & Medici quidem, quoties curari affectam eius valetudinem contingeret, de victus ratione ambigerent, ignorarentq; penitùs, quid de quotidiana eius parsimonia adraderent. Tolerabat præterea, celebrandis Tutelaribus suis præter ordinem ieiunia: neq; pauca ea quidem; nempè bis interdùm, ac ter in hebdomada. Contingebat verò persæpè, vt, cùm is priuata sua abstinentia Oeconomum minimè moneret, atque aliud esset in communi mensa eduliorum genus, vti obuio, atque fortuito cibo, pomis scilicet, atque huiusmodi leuiori obsonio vesci oporteret. Hinc facilis illi, ac breuior somnus: & die quidem perrarò, aut nunquam quiescere: nocte verò paucas somno, reliquas precibus, ac studijs horas dabat. Enimuerò vir alioqui in lucubrando occupatissimus, vti mox dicemus, ita orationi vacabat, velut id vnum nauandum sibi esset. Communes instituti preces, & commentandi horas, tantùm abest, vt litterarij abrumperent, aut minuerent labores, vt priuatìm etiam diuina meditaretur; putabatque addi studijs suis, quidquid orandi causa ijs detraheret, ac nunquam felicius exerceri, illustrari, erudiri mentem, quàm tranquillissimo hoc mentis otio.

Iam, puritas, & candor mentis in externa ipsa oris specie elucebat, vt intuentibus occurreret statim virgineus quidam in vultu pudor. Hinc peculiaris illi in Beatissimam Dei Matrem, ac Puritatis Virginem obseruantia, in cuius honorem aureum illud, ac spissum opus composuit, cui nomen, Vmbra Virginea: *quæ quidem vmbra non exiguam ingenijs, sacræque eloquentiæ lucem fecit. Ab eadem hac in Deiparam pietate nouenos ante Marianum puerperium dies, qui celebrari in plerisq; Italiæ Vrbibus à nostris solent, Veronæ instituit; in quibus perorare ipse ad populum, atque incredibili ardore spiritus excitare in diuina ea cunabula mortalium affectus, amoresque solitus erat. Ad hæc, auctor fuit, vt in nostra D. Mariæ à Glarea Ecclesia, Lauretana Ædes, illi omninò similis extrueretur, quæ tanta cùm Christiani Orbis religione colitur in Piceno. Id quod fauste cecidit, eoque cùm Veronensium plausu, ac fructu, vt certatim ad illam, celebrando natali Augustæ Virginis tecto conueniant: addiditque mox Nouarinus perutile pietatis opus, excitato sub eiusdem Lauretanæ Virgi-*

 nis

nis auspicijs sodalitio, quod à benè moriendo appellauit: nempè, vt vitæ cultu simul discerent mortales benè mori; simul Cœli sibi Reginam in tàm difficili palæstra propitiarent.

Mirari plerique in eo, quæ pugnare inter se videbantur. Nam, qui in contemplatricis animæ studijs totus erat, vitamque inter preces, ac litteras, secessus amantissimus, agitabat; actuosissimus nihilominus, ad genium videlicet charitatis, videri poterat. Aderat quippè quà consilio, quà opera adeuntium postulatis, ac necessitatibus, & domi quidem solidum interdùm diem dare exterorùm negotijs aures, oportebat: foris verò, pomeridianis præsertim horis, excurrere, quò ægrotantium morbi, aliæque miserabilium personarum ærumnæ euocabant: solari pro modo, consulere, iuuare. Illud etiam mortalium generi difficillimum, in summo nominis, famæque splendore humilitas. Adhæret facilè à celebritate, ac præcipuè ab ingenij laude nescio quid fastus; qui quàm fuerit à Nouarino alienus, ipse in plerisque è suis epistolis candidè testatur. Aut Deo tribuere eruditionem suam, aut illam ipsemet stylo suo deterere solitus erat, & quandò sua non improbare litteratorum consensum, aduerteret; nihil eiusmodi iudicia addere Viro modestissimo videbantur, nisi humilitatis materiam, aut ad currendum alacriore spiritu stimulos: In agendo deindè nihil eo demissius. Summos, infimos æquè humaniter accipere: nil oderat magis, quàm primos accubitus: de se perquàm ieiunè loqui, aut nihil: alios, virtute, aut ingenio valerent, liberaliùs efferre.

At enim qui disciplina, qui moribus, ac religione præstabat; præclara quadam vi mentis, stylique potissimùm facultate, atque eruditionis præsidijs, visus diuino munere excelluisse. Linguas, Hebraicam, Græcam, Syriacam, præclarè nouerat: Latinam, præterquàm quòd ea, non secus, ac Italica, ac patria expeditè vteretur, tùm immixta elegantiæ facilitas, ac suauitas præcipuè commendabat; vti videre est in eius operum monumentis, in quibus nescio quid D. Bernardi facundiæ, ac mellis defluit. Scriptores penè omnes, quod de Hieronymo dixit Augustinus, legerat: idque non perfunctoriè; sed attentè, & stricto ad excerpendum calamo: Vndè ditescere ipse, atque adornare multiplices adeò vigilias potuit. Valuit præsertim in lucubrando celeritate, quæ alia, ex alijs enitebatur felicissimè monumenta: vt de se aliquandò affirmauerit, ac litteris etiam consignauerit; non adeò immorari elimandis scriptis suis potuisse; vt qui ab ignea quadam, volucrique, cùm styli, tùm ingenij vi, ac velutì impatientia, absoluto vno opere, ad aliud confestim raperetur: & quantùm alij temporis in expoliendos labores suos impenderent; tantùmdem ipse in formando, atque effundendo nouo fœtu, sterilis nunquam puerpera, insumeret: Hinc tot ab eo volumina, pauca, magna, quæ cursim mòx referam, ex quibus subijt plerosque omnes admiratio, qui vir vnus, cursu quidem ætatis, quæ senectutem nondùm attigerat, tantùm scriptionis ediderit, vt bibliothecam penè confecerit: præsertim quòd in externis etiam curis occupatissimus videri posset. Siquidem, vti paulò ante innuimus, impertire se se aduentantium, cum

secu-

sæcularium, tùm religiosorum hominum officijs, ac dubijs oportebat: assiduam etiam sacris confessionibus operam dare; dicere non rarò è superiore loco; ægrotantes inuisere; Sacræ Inquisitionis negotijs Consultor adesse; epistolis cùm ab Italis, cùm ab exteris, quæ penè innumeræ, plerumque Latinè respondere; typorum correctioni, quæ non modicum sanè temporis spatium deposcebat, vacare: curis item alijs distineri, quæ totum sanè hominem occupassent; inter hæc autem negotiorum auocamenta, ea quotidie excrescere scriptorum seges videbatur, vt tres simul, interdùm quatuor amanuenses defatigaret. Id quod nullus quidem confecerit, nisi qui, aut magnam noctis partem quieti detraheret, aut mirabili, vti Nouarinus, celeritate, ardoreque ingenij valeret.

Hæc Sylos de Nouarini moribus, inclyta virtute, doctrina, ac per omne æuum laudabili vita. Cuius periodum quomodò tandem clauserit, morboq; lethali correptus, ad meliores transierit, Veronæ in Domo S. Mariæ à Glarea, vbi per plures annos sub B. Virginis auspicijs commoratus fuerat, idem Sylos enarrat, epistolam rescribens, qua Præpositus tunc temporis eiusdem Domus, P. D. Ioannes Chrysostomus Philippinus Veronensis (qui ab eodem Nouarino ad Religionem admissus fuerat, sæpèque in eadem, alijsque in Domibus honorificentiora Congregationis munia subijt) cæteras Ordinis Domos, vt moris nostri est, eius obitus monuit; quæ sic se habet.

Eo quidem sensu doloris, qui communi nostræ Congregationis iacturæ par fuerit, vobis, Patres, Aloysij Nouarini Veronensis, obitum significamus; cuius nomen, prolixum ex se quidem elogium, & compendium Laudis. Dixit is ad populum consueto ardore dictionis nouendialibus ijs ferijs, quas nascẽtis Dei cunabula excipiunt: Singulas post actiones, qui cellam euestigiò petere, atq; interquiescere, vt assolet, debebat; perstabat in pulpito, recitabatque ad sermonis corollarium vnà cùm auditoribus suis preces: tùm sacrã ipse Eucharistiam, populo benè precatus, reponebat. Id quod, etsi annis superioribus nullo cùm sui corporis incommodo contigit; hoc anno vehementem capitis intemperiem ita contraxit, vt labefactato primùm pectore, in costulas deindè fluxio peruaserit: abijtq; in pleuritidem, continenti, diraq; febri, quæ dies illum omninò duos, & viginti deuexauit, confecitque. In ægritudine, edidit vt cùm maximè, documenta virtutum: admirabilis præsertim patientiæ, quã nunquam auditus conqueri; aut testari, vel leui suspirio, dolorem, hilari fronte, ac tranquillo semper vultu; vt qui occurreret morti insigni fiducia, quam, & à Dei misericordia, & à vita, morumque innocentia concipiebat. Studium verò, quo se se ad id periculosæ aleæ comparauit, ingens planè fuit. Praxim benè moriendi, quam ipsemet composuerat, iussit sibi identidem legi, cùm interim affectu, sensuq; deuotionis inardesceret incredibili. Vitale Christi Domini Corpus, quod manantibus lachrymis efflagitabat, non semel sumpsit: Demùm superiore nocte, munitus supremis sacris, tranquillissimè, veluti quiesceret, spiritum exhalauit, ætatis anno sexto circiter, & quinquagesimo. Spectati adeò Viri, Ciuis sui funus excepere communi mæstitia Veronenses: responditque mæror existimationi, honorique, quo Superstitem

ſunt proſequuti. Viri graues non pauci, leniendo peracri deſiderio, aliquid efflagitarunt, quod eius vſui fuiſſet. Exteri quidam Concionatores præclaro cùm elogio virtutum, ac doctrinarum, illum è ſuperiore loco piorum precibus commendarunt. Celebrata exequiarum iuſta populorum concurſu, neque ſat ijs manus exoſculari; ſed ſuis etiam precarijs globulis tangere exanime corpus voluere. Quæſita item incidendo ad commune ſolatium vultui, eius effigies. Mittimus alia: & quamquàm frui iam piam animam, præmio, quod illos manet, qui faciunt, & docent, ſperamus; nihilo tamen minùs, vt veſtris illam ſuffragijs iuuetis, etiam, atque etiam rogamus: ijſdemque veſtris precibus commendatam noſtram hanc Domum volumus, cui tanti viri æquè pretioſa memoria eſt, & triſtior iactura. Valete. Veronæ è Mariana Domo à Glarea, die Iannurij 14. anni 1650.

Hucùſque de Nouarini deplorabili exitu Epiſtola Veronenſium Patrum; ſatiſque quæ de illius vita, morumque integritate, ac laudabili ſupra omnem inuidiam doctrina, paucis innui; ſiquidem quæ in ſecreto eius pectore eminebant virtutes, præſtantiſſimæque pietatis characteres, ſolus, qui inſculpſit, nouit Deus, contentus etenim, Deo, & Angelis teſtibus, humilitate, quadamque ſolertia, ſua occultabat, cùmque eſſe, quàm videri potiùs mallet, oculis intuentium, quæ haud occultari poterant, vix apparebant.

At ne ingenij illius monſtruoſam fæcunditatem, qua nouos in dies litterarios partus enitere conabatur, ſilentio præteream, licet ijdem omnia per ora diſſeminati, ſui Auctoris celebrent encomia, hìc tamen eorumdem ſyllabum attexam, Eſt autem, quam ipſemet exarauit ad Petrum noſtrùm Auitabilem, & Gabrielem Naudæum ſcribens, illamque ſic recenſet Sylos lib. 12. 3. Partis, in Catalogo Scriptorum Clericorum Regularium.

Tomus 1. Electorum Sacrorum, In quo quà ex Latino, Græco, Hebraico, & Chaldaico fonte; quà ex antiquis Hebræorum, Perſarum, Græcorum, Romanorum, aliarumque gentium ritibus, quædam diuinæ Scripturæ loca nouiter explicantur, & illuſtrantur.

Tomus 2. Electorum Sacrorum. In quo ſub Vmbræ Virgineæ titulo fusè in Virginis laudibus excurritur.

Tomus 3. Sacrorum Electorum. In quo ſub titulo Agni Euchariſtici, de Auguſtiſſimo, Deoque ipſo diuite Euchariſtiæ Sacramento, eius inſtitutione, excellentia, laudibus, delicijs, myſterijs, figuris, ritibus ſatiatè diſſeritur.

Tomus 4. Sacrorum Electorum. In quo ſub Nuptialibus Aquis ita de aquarum, & nuptiarum nexu agitur, vt de nuptijs varia, varia de aquis varijs dentur, multaque moribus irrigandis apta.

Tomus 5. Sacrorum Electorum. In quo ſub titulis hac forma conceptis.
1. *Medicus Chirurgus.*
2. *Columna Sepulchralis.*

3. *Fu-*

3. *Fumus Bellicus.*
4. *Terra Fides.*
5. *Initio Sacro-prophana.*
6. *Tessella litteraria. Qui singuli libris singulis continentur; multa sacrarum litterarum loca ex antiquis ritibus, ex linguarum fontibus explicantur, & illustrantur; sacra, & prophana eruditionis opes augentur, &c.*

Tomus 6. hoc titulo insignitur. Schediasmata Sacro-prophana: hoc est Obseruationes, antiquis Christianorum, Hebræorum, aliarumque gentium ritibus in lucem eruendis, aliquot Sacræ scripturæ, SS. Patrum, aliorumque scriptorum locis illustrandis.

Tomus 7. hunc affert Titulum. Adagia ex Sanctorum Patrum, Ecclesiasticorumque scriptorum monumentis prompta.

Tomus 8. Est secundus adagiorum, quæ ex sanctis Patribus, Ecclesiasticisque scriptoribus collecta explicantur, adiectis Ethologicis Excursibus.

Tomus 9. hoc titulo gaudet: Matthæus, & Marcus Expensi, notis, monitisq; sacris, quà ex linguarum fontibus, quà ex variarum lectionum collatione, quà ex Sanctorum Patrum, aliorumque Auctorum obseruationibus, quæ ad mores informandos præcipuè spectant, illustrati.

Tomus 10. hunc habet titulum. Lucas Expensus, notis, monitisque Sacris &c. illustratus.

Tomus 11. hunc habet titulum: Ioannes expensus, notis, monitisque sacris &c. illustratus.

Tomus 12. sic inscribitur: Paulus expensus, notis monitisque Sacris &c. illustratus.

Tomus 13. Est Omnium Scientiarum Anima: Hoc est Axiomata Physiotheologica, ex probæ notæ Auctoribus editis, aut ineditis prompta.

Tomus 14. continet eiusdem operis volumen secundum.

Tomus 15. est eiusdem operis volumen tertium.

Tomus 16. hac inscriptione donatur: Variorum opusculorum Tomus vnus, in quo varia variæ eruditionis exhibentur.

Tomus 17. est secundus variorum Opusculorum.

Tomus 18. est tertius variorum Opusculorum.

Tomus 19. sic inscribitur: Moses Expensus, notis, monitisque Sacris &c. illustratus.

Tomus 20. continet secundam partem Mosis expensi, eo ordine, quo prima.

Libri seorsim primùm excusi, posteà magnis voluminibus inserti fuere hi.

1. *Risus sardonicus; hoc est de ficta mundi lætitia.*
2. *Delitiæ diuini amoris; hoc est Tractatio de occultis Dei beneficijs, Dei amori excitando, & fouendo.*
3. *Sanctitatis Characteres; hoc est Elogia in B. Caietani Thienæi laudem.*
4. *Anotomia spiritualis, in qua homo incruentè in partes diductus homini obijcitur.*
5. *Encyclopædia Epistolaris, in qua varia eruditio, & passim monita.*

6. *En-*

6. *Encyclopædia Epistolaris pars altera.*

Opuscula verò lingua Italica conscripta, & in lucem edita fuere hæc

7. *Martyrologium spirituale, colendæ peculiori cultu Diuorum memoriæ cum additione Sacræ Onomatologiæ.*
8. *Horologium Spirituale, moderandis, regendisque diei actibus.*
9. *Magnes cordium; hoc est Iesu Vita in ventre Mariæ.*
10. *Chrysopæia spiritualis, in qua ars edocetur, nostris operibus ad sublimem meritorum gradum euehendis.*
11. *Vita Cordis; hoc est exercitium indipiscendo, exaugendoque Diuino Amori excogitatum.*
12. *Cibus diuini Amoris; hoc est, delicatiores quædam de diuinis beneficijs cogitationes.*
13. *Sigillum cordis; in quo docemur, quid cordi imprimendum vt dignè Deo offeratur.*
14. *Centrum Diuini Amoris; hoc est de Deo, eiusque perfectionibus altissimæ, ac suauissimæ Commentationes.*
15 *Tributum Deo soluendum varijs virtutum actibus.*
16. *Vita Mariæ in Ventre Diuæ Annæ.*
17. *Triumphus Diuini Amoris; hoc est, deuotissimæ de Christi cruciatibus, & Morte, Meditationes.*
18. *Remedia spiritualia contra popularem luem.*
19. *Scrutinium spirituale sacræ confessioni rectè obeundæ.*
20. *Deuotionis Anima; hoc est, Exercitia pro diuini corporis communione.*
21. *Aurifodina inexhausta auri Cælestis.*
22. *Praxis benè moriendi.*
23. *Dux ad æternitatem, hoc est, præparatio ad benè moriendum.*
24. *Vita Sanctæ Tuscanæ.*
25. *Anni spiritualis partes quatuor.*
26. *Exercitia pro sacra solitudine.*
27. *Holocaustum Spirituale; in quo vnico versu comprehenditur quicquid fieri pro Deo potest.*
28. *Sensus veræ pietatis.*
29. *Martyrium Spirituale; in quo mirabilis quædam ratio, ac modus explicatur, quo singulis momentis Deo nos, tanquam hostias offeramus.*
30. *Paradisi Echo; hoc est, Exercitium benedicendi, & laudandi Deum per singulos anni Dies.*
31. *Paradisus Bethlemicus; hoc est, Vita Christi in præsepio.*
32. *Vita Iesu in Deserto.*
33. *Schola Vulgi; hoc est, pulcherrimarum Sententiarum ex varijs linguis delectus.*
34. *Vinculum Spirituale cordis cum suo Iesu.*

Nonnulla alia meditabatur, in ijsq; dum Vitam exuit, insudabat, præcipuè autem nouam sacrorum librorum ex varijs linguis editionem, in reliquos sacræ scripturæ libros Expensiones, Admirandaq; Orbis Christiani;

quorum omnium, quia solùm Titulũ, Inscriptiones, paucasq; elucubrationes reliquit, fatusq; in fecundissimo Nouarini ingenio, qui nondùm vno opere absoluto, aliud meditabatur, vix concepti, aut solùm inter embriones enumerari possunt, haùd recensere catalogum arbitror necessarium. Quæ iam edidit, omnigenam eius eruditionem, feracissimum ingenium, celerrimam in scribendo, commentandoque velocitatem satis commendare valent.

Quia autem ex his quæ moliebatur, maximè illi in animo fuerunt Admiranda Orbis Christiani, quod tùm ex titulo eorum typis demandato, tùm ex litteris vndique, & post eius mortem acceptis, in quibus quæ vbique terrarum insignia Admiranda sunt, ad illum, operi inserenda trasmittebatur, tùm ex paucis quibusdam, quæ iam collegerat, tùm denique ex illius morti proximi ingenua attestatione, compertum est, ideò operæ pretium duxi, illiusq; felici animæ, quæ è superis, vt piè credendum est, nostra intuetur, gratissimum, si hoc admirandorum operi, quod in Animarum salutem adhùc viuens animo voluebat, manum darem, ad vmbilicumq. perducerem; quod licet eius ingenio impar, Deo tamen dante effeci; alia tamen methodo, & ordine, quàm ipse Nouarinus, siquidem is, Alphabetico ordine, vt ex eius quodam indiculo apparet, ea dare meditabatur.

Quàm autem Nouarini nomen adhùc viuentis, tùm ob insignem eius sanctimonia, pietatisque famam, tùm ob omnigenam illius eruditionem, vbique fuerit celebratissimum, quantaque existimationis apud cuiusque generis, Infulatos, Principes, præcipuæque famæ doctissimos viros, testantur ijdem, tùm in ad eum datis Epistolis, tùm alibi exaratæ commendationes, laudes, encomia; quorum quædam ad tanti Viri ab Omnibus veneratam virtutem, doctrinamque demonstrandam attexam.

Vrbanus VIII. Pontifex Maximus, nostræ Relig. amantissimus, *Nouarinum magno habuit in pretio, cùm enim hic ad Capitulum Generale amandatus an. 1639. ad sanctissimos illius deosculandos pedes deuolutus, librum, cui titulus,* Schediasmata Sacro-prophana, *eidemque Summo Pontifici inscriptum, obtulisset, perbenignè eum accepit, eiusque in Ecclesiæ, fideliumque vtilitatem, commendatissimis verbis dilaudauit lucubrationes, donisque spiritualibus cumulatum dimisit.*

Raynaldus Princeps Mutinæ Cardinalisque, Estensis, *datis ad Nouarinum littèris, magnoperè laudat eius in scribendo pietatem, vtque suis in precibus, se, totamque Estensem familiam commendatam apud Deum habeat, enixè expostulat.*

Fridericus Cardinalis Borromæus *quanta in existimatione ob illius commendatissimos mores habuerit Nouarinum, ex hoc maximè patet, quòd ad ipsum scribens, eodem modo, quo ad cæteros Infulatos, se tanquam Fratrem humanissimè subscribit.*

Iulius Cardinalis Mazarinus, mundi totius arbiter, nostris Gallicis fundationibus, præcipuèq. Parisiensi, studiosissimus fautor, vtpotè Theatinæ Religioni addictissimus, cui viuus conscientiam, ærariaque sua aperuit, moriens verò cor donauit, *cùm illi Nouarinus, tertium Opusculorum Volumen*

men

men inscripsisset , summam eius admiratus est in scribendo felicitatem , dùmque de Nouarino loqueretur , eum tùm antiqui , tùm nostri aui celebrioribus Scriptoribus comparandum asserebat.

Robertus Fontana Mutinensis Episcopus , *cui quintum Volumen Sacrorum Electorum inscripsit , addictissimus Nouarino fuit , eumque ceù omnigenæ eruditionis fontem , omnium plausu , communique famâ conclamatum deprædicabat.*

Io:Baptista Sfondratus Episcopus Papiensis , *Nouarini opera , præcipuèquè Matthæum , & Marcum expensos , sibique inscriptos , tàm ingenti animi , mentisque suauitate perlegebat , vt apud tàm doctum Virum , omnisque disciplinæ perstudiosum , inter illius æui commendatissimos scriptores , summam laudem sit promeritus.*

Raynaldus Episcopus Labacensis , *incredibili studio Nouarinum prosequebatur , captusque mellifluo eius scribendi charactere , iteratis ad eum Epistolis , acumen ingenij , styli fœlicitatem , perspicuitatem in explicando , in commentando facilitatem , in omnibusque præinsignem eius pietatem dilaudare haud cessabat.*

Vincentius Iustinianus Brixiæ Episcopus, *Nouarinum quà scientijs, quà virtutum insignibus cùm primis ornatissimum ita iudicabat , vt eum multis retrò ab hinc annis in diuinarum scripturarum palæstra nulli secundum incorrupto planè iudicio censuerit.*

Angelus Rocca Apostolici Sacrarij Præfectus, & Episcopus Tagasti, eruditissimus vir , *summoperè admiratus est Nouarini accuratissimum quà sacræ , quà prophanæ eruditionis studium ; ingenuèque testatus est , suas , quas edidit lucubrationes , tùnc honorari se credere , cũ à Nouarino perlegerentur.*

Angelus Cæsius S.D.N. Referendarius , Episcopus Ariminensis , & Venetijs Nuncius Apostolicus , *in Nouarini elucubrationibus perlegendis , tanta animi voluptate perfruebatur , vt cæteris posthabitis , illis solis nauaret ; quippè qui diceret , quidquid in alijs sparsim , hoc ex solis Nouarini Voluminibus se exhaurire.*

Paulus Aresius Derthonensis Episcopus , disertissimusque Scriptor nostræ Congregationis , *tanti fecit Nouarinum , vt inter cætera , quæ de eruditissimo viro , pluribus ad eum datis Epistolis , protulit encomia , eum alterum Varronem , qui reliquos Romanos in dicendo , scribendoque excelluit , ingenuè appellauerit , affirmarique posse scripserit :* Cedite Romani Scriptores, cedite Graij: Nescio quid maius nascitur Iliade . *Et audacter confessus est , manum eius à scriptione retrahi , euulgareque suas vigilias erubescere , opera Nouarini perlegens.*

Franciscus Surgentius, item ex Nostris, Brundusinæ Ecclesiæ primùm Archiepiscopus, deindè Monopolitanæ Antistes, *tantùm in Nouarini operum lectione proficere experiebatur , vt neque copiosiùs , neque aptiùs ab eruditissimo , disertissimoque scriptore euulgari aliud posse affirmaret ; eaq; propter omnia Nouarini opera apud se habere diligenter curauerit , ceù instructissimum quoddam Musæum , & absolutissimam Bibliothecam.*

Maria

Maria Gonzaga Mantuæ Dux *quam de Nouarini pietate, precumque apud Deum efficacia opinionem conceperat, non semel demonstrauit, cum se, totamque Gonzagam Serenissimam Familiam, eius fidei, ac patrocinio, persapè litteris commendaret.*

Margarita Aldobrandina, Parmæque Ducis coniux, *studiosissima Nouarini fuit, quoque illum loco habuerit, testantur permulta ad eum data Epistola, quibus se, suosque eius iuuari orationibus postulabat.*

Maria Princeps Sabaudiæ, quæ abdicato mundi fastu, in sæculo Religiosissimam peregit vitam, *monita salutis à Nouarino persapè litteris exquirebat, eaque per quàm auidè haurire, atque in animum altiùs demittere satagebat: se suasque moniales illius precibus commendabat.*

Insignes Europæ Academiæ, Salmaticensis nempè, Parisiensis, & Patauina, *perhonorifica de Nouarini elucubrationibus iudicia dedere; compositisque disertè ad eum litteris, gratulata illi sunt, luculenterque eius vigilias dilaudarunt, & quas præcipuè sub titulo Omnium Scientiarum Anima, illis nuncupauit.*

Leo Allatius vir ab omni laudum generè spectatissimus, Vaticanæ Bibliothecæ custos, scriptis, prælоq; celebertimus, *cùm ad Nouarinum scriberet, eum omnigena eruditionis virum appellare consueuerat; suoque de viris illustribus libro Nouarinum inserens, refert qua de eo Franciscus Boluitus Neapolitanus in Scriptorum Clericorum Regularium Nomenclatura: Aloysius Nouarinus Veronensis, Graci, Hebraici, & Caldaici Idiomatis peritissimus, scripturientis ingenij impetus ferre non sustinens, in ipso adolescentia flore, Electorum sacrorum librum euulgauit, in quo omnium scientiarum satellitio aduocato, plura Sacra Scriptura loca explanat breui, & aliosquoque acuti, & feruidi ingenij sui fatus editurus.*

Abbas Hieronymus Ghilinus, *in Theatro virorum litteratorum & Nouarinum enumerat, eumque quà Morum probitate, quà ingenij, & disciplinarum laude magnoperè exaltat.*

Siluester PetraSancta è Societate Iesu insignis Auctor. *in to.3. Thaumasia, cùm multa miracula perpetrata adnumerasset, postea subiungit: Haud potui tamen omnia hoc volumine complecti, sed supersunt sine dubio multa, eaquè vti spero prodibunt propèdiem, à Viro edita locupletioris eruditionis, ac litteratura cumulatioris, nempè Aloysius Nouarinus Veronensis Clericus Regularis, ordinisque sui Religiosissimi, atque adeò aui huius nostri magnum lumen, quod auum illustrauit lucubrationibus, vt numero, ita prastantia ferè vltra hominis vnius atatem.*

Balthasar Corderius, item Soc. Iesu eximius Scriptor, *magno in pretio habuit Nouarinum, vt testatur in suo Commentario in Iobum, sicque in quadam ad ipsum data Epistola ait: Non mediocriter me doctissimis tuis Electis in Commentario in Iobum, quem ad pralum adorno, adiutum fuisse agnosco, cum honorifica, vti par est, nominis sui commemoratione.*

Ioannes Bollandus eiusdem Societatis in Actis Sanctorum versatissimus vir, *summè habuit Nouarinum, eique de datis ad se litteris gratias agens, sic ait:*

ſic ait: Vrbanitatem, & beneuolentiam tuam æquare non poſſum, cùm tu quidem editis in lucem libris, iiſque ſanè quàm fructuoſis, toti Orbi clariſsimus, vltrò noſtra complecti, meque appellare, ac fauſtis comprecationibus proſequi dignatus es.

Petrus Halloix, item Societatis Ieſu Omnigenæ eruditionis, *tanti fecit Nouarinum, vt teſtatus ſit, cùm primùm eius Electa Sacra perlegit, ea plurimum feciſſe, vt potè electa ex millibus, & legenda à plùs mille, & mille, & mille millibus.*

Franciſcus Amicus celeberrimus eiuſdem Societatis Theologus *amiciſsimus Nouarini fuit, eoque eum habuit loco, vt de eruditiſsimis, quas in Vniuerſam Theologiam edidit lucubrationibus, Nouarini Iudicium expoſtularet, & Sententiam.*

Carolus Kuglman famoſiſſimus Eccleſiaſtes eiuſdem Ordinis, *compoſitis ad Nouarinum litteris, illum maximè collaudat, doctiſsimiſque, & eruditiſsimis illius ſcriptis, & libris, velut noua face ſtudijs ſuis illuceſcente, non modicum luminis concionibus ſuis illuxiſſe, ingenuè fatetur.*

Ioannes Baptiſta Maſculus tandèm ex eadem Societate in texendis illuſtrium virorum encomijs ad inuidiam laudatiſſimus, *hæc ad Nouarinum diffusè habet. Nuper peruenerunt Neapolim quædam vltimò à te typis mandata. Inſcripſiſti Opuſcula, in quibus tamen operoſiſsimus es. Auidè perlegi; admiratus ſum eruditionem, atque doctrinam; & vnde tibi tanta fæcunditas in edendis libris? in quo, cùm cætera ſint in te conſentanea, illud vnum minùs congruum videtur, quòd typis æneis, dicta committis aurea, &c.*

Lucas Vadingus Franciſcanæ Religionis Hiſtoricus percelebris, *ſequentia ad Nouarinum diſertè habet. Quò doctiſsima opera tua non peruenerunt? Et quidem in omnem terram exiuit ſonus eorum, atque vniuerſis terræ angulis tuum nomen glorioſiſsimè inuexerunt. Et quid mirum ſi te omnes cognoſcunt, ſi ex plenitudine tua omnes acceperunt, eruditi doctrinam, aſcetici lumen, inferioris notæ pietatem? Ego certè diligenter, tot, ac tanta conſideraui opera tua, & expaui. Nemo eſt, qui tibi non debeat, nec eſt qui ſe abſcondat à calore beneficæ virtutis. Chriſtiani nominis ordines vniuerſos tot impretiabilibus donis, quot editis libris deuinxiſti, &c.*

Ludouicus Caualli Minorita eruditiſſimus vir, *Scriptorum illius æui decus Nouarinum appellat, de illiuſque libris ſic habet: O quantas animo meo delicias illæ tuæ* Deliciæ Diuini amoris *contulerunt!* Riſus quoque Sardonicus *mihi maximè arridet;* Sub Vmbra Virginea *maxima cum voluptate ſedeo.* Agno Euchariſtico *dulcitèr paſcor.* Aquæ Nuptiales *abundè ſitim meam explent.* Electa Sacra *mihi deligo ſacris plurimis ediſcendis.* Adagia Sanctorum Patrum, *atque* Schediaſmata *mihi maximè frugifera ſunt, &c.*

Franciſcus Quareſmius item Minorita, quà pietate, quà Scripturis inſignis, *quotiès ad Nouarinum litteras dare oportuiſſet, eius opera, eruditionem,*

tionem, doctrinam, frugiferasque elucubrationes dilaudare non cessabat.

Matthæus Ferchius, Publicus Theologiæ Professor in Vniuersitate Patauina, *summis laudibus ornauit semper Nouarinum, illumque nulli secundum inter sui æui scriptores, quà voce, quà scriptis prædicabat.*

Ferdinandus Vghellus Abbas Cisterciensis, obque Italiam Sacram editam, ne dùm Italiæ, sed toti mundo celeberrimus, *de Nouarino loquens ait: Aloysius Nouarinus, Italiæ gentis hoc tempore princeps alumnus, ac doctissimi huius sæculi lumen, & decus, cuius Diuinum ingenium tot studiosis scientiarum volumina protulit, quot vix satis mirari hæc nostra ætas, ac lectitare posse videatur. Hic ad inuidiam posteritatis in monumentis ad publicam vtilitatem prodendis, columnas Herculeas humanæ audaciæ timidè comminantes, fausta studiorum acclamatione contempsisse videtur.*

Scipio Cataneus à Diaceto, Abbas Castelli-Villani, in curia Romana præstantissimus, *cui Nouarinus, Ioannem expensum nuncupauit, vbique eum encomijs celebrabat, quantique eius virtutem coleret, verbis, factisque omnibus patefaciebat.*

Simeon Starouolscius Eques Polonus, *Venetijs cùm Nouarinum cognouisset, allocutusque esset, illius pietate, doctrinaque captus, tùm verbis, tùm scriptis vbique eum dilaudabat, ad amicumque scribens, ait: Virtutes, & cœlestia dona, quæ in Nouarino miratus sum, cùm Venetijs essem, etiam nunc absens veneror ex corde, humilitatem nimirum, candorem, doctrinam, religionem, pietatem, ac super omnia paruam sui ipsius æstimationem.*

Albertus Greglicius item Polonus eruditissimus, triumque linguarum peritissimus vir, *adeò Nouarini amiciciam appetebat, vt persæpè eum litteris prouocaret, summèque de illius humanissimis, modestissimis, sapientissimisque responsionibus delectaretur: ex illis nàmque, vt in quadam ad eum epistola ait, tanquam ex vngue Leonem, vt fertur vulgò, quantus sis cognosco.*

Alonsus del Rio, Mediolanensis Senator, inclytusque vir, *cui primum opusculorum Tomum nuncupauit Nouarinus, tàm magni illius opera faciebat, vt licèt tanta negotiorum mole oppressus, quanta Senatorij est muneris, summo animi otio sæpissimè Nouarini perlegendis lucubrationibus, vacaret.*

Iacobus Merlo Horstis Ecclesiæ B. Mariæ Virginis in Pasculo Pastor, Coloniæ splendor eximius, *ita addictissimus Nouarino, eiusque operibus fuit, vt confessus sit: Miras eius ingenij dotes, eruditionis exquisitæ opes, & omnis scientiæ pulchram supellectilem se spectasse, interque Italiæ, immò Europæ lumina, velut exortum nouum sydus, Nouarinum conspexisse, quàm primùm tanti ingenij, & tàm raræ eruditionis radijs oculos suos perstringi sensit.*

Magister Ioannes Duzan Regens percelebris Hispalensis Collegij Car-

melitani, *de Electis Sacris Nouarini iudicium proferens, ait: opus sanè pulchrum, validum. sublime, varium, elegans visum est mihi; nec modò mihi, sed & Hispalensibus alijs eruditis, Et vt corpora sana (Quintiliano asserente) ex integri Sanguinis, & exercitatione firmata, ex ijsdem speciem accipiunt, ex quibus & vires: sic pulchritudinem, ex robusto sententiarum pondere, Sanctorum placitis, atque humanæ eruditionis assertis in absolutissimo hoc opere consurgentem intueor, & in eo sapientiam ijs auspicijs militasse, vt vix vnquam felicioribus; quippè in explicandis nodis, & veritate è quacumque difficultatum nocte in lucem eruenda, non tàm arcana magnetis rapacitate ferrum trahi videtur, quàm tacito veritatis ductu latentia mysteria referantur; &c.*

Et ne longiorem de Nouarinum Collaudantibus, eum, eiusque opera summa reuerentia habentibus, protraham sermonem, de his sit satis, deque illius per omnia sæcula laudatissima vita. Ad maiorem Dei gloriam, Iesu Christi, Sanctissimæ Mariæ Virginis, & Sancti Patris Nostri Caietani.

I N

INDEX
Librorum, Capitum, & Paragraphorum
TOMI PRIMI.

Prolegomena.

LIBER PRIMUS

De Admirandis circa Cœlum.

LIBER SECVNDVS

De Admirandis circa Elementa.

LIBER

LIBER TERTIVS

De Admirandis circa Meteora.

LIBER QVARTVS

De Admirandis circa Mixta.

§.8. *San-*

LIBER QVINTVS

De Admirandis circa mixta Inanimata.

§.2. *Mu-*

LIBER SEXTVS

De Admirandis circa Mixta Animata.

& primò

Circa Vegetatiua.

LIBER SEPTIMVS

De Admirandis circa Animata Sensitiua.

§.9. De

PRÆ-

PRÆFATIO

T quid in hæc Admiranda, admirantes oculos conijcitis admirabundi Lectores? Admiramini, me non latet, immensam me suscepisse peragrandam prouinciam, dum Orbis Christiani interminata spatia, nec non secretiora latibula excurrere, quid quidque in illis Admirandum reperitur, hic in vnum exhibere, præsumere videor: nec lynceus Euangelista, quæ ab Admirandorum Auctore, breui, quo inter mortales degit tempore, perpetrata fuere, Euangelico stylo ausus est exarare, nam, si scribantur per singula, ait ille, nec ipsum arbitror mundum capere posse eos, qui scribendi sunt, libros; Ioan.cap.21. *quæ igitur in toto Orbe Christiano, per tot sæculorum curricula, admirabilis Christi virtus per omnes diramescens Sanctos, innumerabiliter operata est, breuibus, & circumscriptis quomodo coarctabuntur in lineis? At sistite, sistite qui admiramini; quæ in molitione huius operis mea fuerit mens, antequam in cynicos morsus erumpatis, vestrum est dignoscere, meum aperire, ne quod exhibere non præsumpsi, id expectetis, aut plura, aut aliter, quàm ego cogitauerim. Moliebatur hoc opus Pater noster Aloysius Nouarinus, clarissimum nostri æui, mundique litterarij iubar, qui innumeris, præstantibusque lucubrationibus, quas omnium admiratione ediderat, coronidem imponere hisce Orbis Christiani Admirandis cogitabat; at fato concedere coactus, alijs quod parauerat perficiendum reliquit. Hæc igitur mea mens. Non omnia, quæ in omnibus terræ partibus miranda, aut adhuc extantia, aut in præteritis extitere sæculis, labor hic complectetur meus (neque enim omnia ad manus meas venere, quin in his, quæ iam comparaui, certus sum, longè maiora silentio præteriri) Historias selectiores, Fasta, Chronicasque sacras, quas potui euolui, quæque admiranda reperi, libaui; è monumentis, quæ datis vbique litteris, à fide dignis acceperat idem Pater noster Aloysius Nouarinus, plurima collegi, multa oculis ipsis ego vsurpaui, omniaque in vnum collecta, veluti tela catholicæ semperq; perennantis fidei contra vniuersos Christiani nominis hostes, Sectariosue præcipuè, qui hoc illi decus rabidè remordent, conijcienda paraui. Succlamant impij Eterodoxi, immò potiùs Athei, vel cum vaferrimo Molinæo, inter Caluinistas mordaciori, in Vate lib.5. cap.14. falsorum Doctorum figmenta, esse miracula, illudque, quod S. Augustinus lib.3. cont. Iulian. cap.3. dicebat, obijciunt Catholicis:* Mira sunt quæ dicitis, noua sunt quæ dicitis, falsa sunt quæ dicitis; *vel cum cæteris Sectarijs, ad confirmandam Fidem, à Christo, Apostolisque operata fuisse prodigia, deinceps verò vtpotè inutilia, cessasse miracula, Admiranda defecisse, mordaciter latrant: Ad cynicos igitur hos latratus compescendos, rerum omnium in vniuersa natura, naturam omnem exsuperantium, quas à Christo nato Christiana operata est pietas, nostroque adhuc æuo superstites, infida, velit nolit, stupet impietas, syllabum hic in vnum collegi. Enimuerò hæc legentes, vel quidquid à Sanctis Patribus insigni sanctitate conspicuis, ab Historiographis omnibus, præeccellenti nota dignis, à Scriptoribus Ecclesiasticis, toti terrarum Orbi celebribus, litteris exaratum est, ab albo veritatis expungent, quidquidque oculis ipsis proprijs vsurpant, contrectant manibus, negare audebunt, solùm paucorum Caluinistarum, Lutheranorumue cõmenticijs figmentis adhærentes, suisq; oculis falsitatem imponentes; vel certè dabunt manus, & quod cæcutientes in tantis errorũ caliginibus impiè negarunt, à tot Admirandorũ coruscantibus splẽdoribus collustrati, lucem Veritatis agnoscentes confitebuntur.*

Plurima reperientur in opere, quæ fidem omnem (Fateor) superare videbuntur, Ego fidei neque adiungam, neque detraham, tantùm asseram ab auctoribus fide dignis deprompta, eaque in hoc opere Lectoribus offeram; si quæ autem fidem non astruent; recolant pij Lectores, nihil adeo magnum, quod non facile factu sit, diuinæ Omnipotentiæ respectu; præterea alia semel facta, quæ fidem iam meruerunt, similia quoque iterum fieri posse, apertè loquuntur; Quare verbis ipsis Ioannis Tritbemij lib.1. cap.1. cum de miraculis B. Mariæ Virginis propè Dittelbach factis, loquar lectoribus meis. Multos futuros non dubito, qui signis atque miraculis nouis fidem non citò contribuant, sed ea potiùs veluti somniorum deliramenta contemnant; Horum mihi videtur non satis pia consideratio: qui dùm sequi contendunt scripturarum doctrinam solidam, necessariam, & vtilem, simplicibus non

nunquam auferunt credulitatem, sed quid si nouis contradicant miraculis contemptores Christianæ simplicitatis? Egonè propterea non scribam Omnipotentis Dei beneficia, quæ non possum ignorare manifesta? absit à me vt qualibet occasione seductus manus meas à Dei laudibus retraham, & manifesta eius miracula, quæ mortalibus in beneficium meis præstitit temporibus, abscondam, & quamuis non sum laudator per omnia idoneus, cupio tamen, & Deo, & eius intactæ Genitrici semper esse deuotus. Quapropter nec obloquentium detractiones in hac parte vllatenùs metuo, nec temeraria hominum superborum iudicia pertimesco: Scribam igitur confidenter quæ mihi à fide dignis sunt oblata fideliter. *Ideo si quis in aliqua nimiùm stupenda, admirandaq; inijcit oculos, illum maiori qua possum instantia rogo (vt verbis Trithemij prosequar) ibid. cap. 2.* quatenùs liuore semoto, causas meritorum simul, & signorum, de quibus fit narratio, diligenter examinet, nec ante cognitionem causæ, temerarium se iudicem intromittat.

Inscripsi autem hoc opus ADMIRANDA ORBIS CHRISTIANI, neque enim mirabilia Mundi, intrà Naturæ limites, seù ex prophanis ruderibus desumpta, meus hic exarabit calamus, de his enim disertè Aristotiles, Plinius, Solinus, Geruasius, Berchorius, Maiolus, & alij; Prodigia etiam, & ostenta, quæ & à causis naturalibus, licet ignotis, euenire potuere, de quibus, & in alijs Scriptoribus, & in Theatro Vitæ humanæ, hic omittam. Admiranda solùm, quæ in Orbe Christiano, hoc est in mundo, mundanisque rebus, pro vt substant Christianam fidem profitentibus, mirabiliter supra naturam, vel olim admirati sunt, vel adhùc admirantur mortales, hic interseram; & quia præter mundum maximum, & naturalem, quem Μακρὸν Κόσμον *appellant Græci, alium paruum scilicet* Μικρὸν Κόσμον *seù Hominem teste Solino cap. 5. de mirabil. antiqui cognouere, appellauereque Philosophi, ideo, & quæ in* Μακρῷ Κόσμῳ, *eiusque partibus Admiranda extitere, aut adhùc existant, & quæ in Homine seù* Μικρῷ Κόσμῳ *in ijsque ad ipsum, tùm naturaliter, tùm spiritualiter spectantibus, mira, atque stupenda, vel sunt, vel fuere, omnia hic duobus Tomis præcludam; in primò scilicet, quæ ad* Μακρὸν Κόσμον, *quæ ad* Μικρὸν Κόσμον *in secundo. Magnum est opus, fateor, at Maximus qui præest operi Deus: Ad cuius maiorem Gloriam, eiusque fidem firmandam, Christianam pietatem fouendam, hæreticorumque perfidiam destruendam hæc lucem vsurpabunt volumina.* Magnum videor polliceri, *loquar verbis Lactantij cap. 21. de Opificio Dei*, sed cælesti opus est munere, vt nobis facultas, ac tempus ad proposita persequenda tribuatur. Quod si vita est optanda Sapienti, profectò nullam aliam ob causam viuere optauerim, quàm vt aliquid efficiam, quod vita dignum sit, & quod vtilitatem legentibus, & si non ad eloquentiam, quia tenuis in nobis facundiæ riuus est, ad viuendum tamen afferat, quod est maxime necessarium. Quo perfecto, satis me vixisse arbitrabor, & officium hominis implesse, si labor meus aliquos homines ab erroribus liberatos, ad iter cæleste direxerit.

Quia autem Admiranda, vt potè non ordinario fœtu naturæ progenita, præter ipsam naturam producuntur, eiusque facultatem, & ordinem excedunt, ex hocque nostram admirationem promerentur; ideo vt ordinata methodo fiat processus, primò in Prolegomenis, quæ viam operi sternent, Quæ sit natura in Mundo, eiusque ordo, Quid sit esse præter naturam, & Admirandum, Quæque sint partes constituentes Naturam, elucidabo; in singulisque partibus dein, quid Admirandum vtrinque accepi, litteris consignabo.

Stylus hic minimè cultus, non elaboratus, aut pumice expolitus, res, non verborum lenocinia lectoribus meis exhibere volui; quin, vt quæ narrauero, fidem maiorem astruant, eàdem, qua antiqui Scriptores exararunt simplicitate, & ego vt plurimùm dabo. Cum præcipuè Hoc opus (*vt verbis Vincentij Bellouacensis in Tom. 1. cap. 4. Speculi Maior. loquar*) meum simpliciter non sit, sed illorum potius, ex quorum dictis ferè totum contexui, nam ex meo ingenio pauca, & quasi nulla addidi.

Interim Lectores meos, Seueri Sulpicij verbis alloquar, in prologo Vitæ S. Martini, & eandem mentem, eodem sermone ad illos transmittam; Obsecro autem eos, qui lecturi sunt, vt fidem dictis adhibeant, neque me quicquam nisi compertum & probatum scripsisse arbitrentur, alioquin tacere, quàm falsa dicere maluissem.

A D-

ADMIRANDA ORBIS CHRISTIANI

De Admirandis ΕΝΤΩΜΑΡΚΩΚΟΣΜΩ præter Naturam mirabiliter perpetratis.

PROLEGOMENON. I.

Quid sit Natura in Mundo, eiusque Ordo.



Licet multiplici modo à Philosophis desumatur Naturæ nomen, vt in Cursu meo Philosophico notaui disput. 1. in 2. lib. phy. sec. 1. Attamen hic solùm, cæteris relictis acceptionibus, intelligimus nomine naturæ, Vniuersitatem Rerum, Causarum, seù Agentium naturalium, quæ in mundo vniuerso reperiuntur, quo pacto aliquid dicitur esse in rerum natura, opus miraculosum esse præter naturam. Hæc autem collectio Rerum, Causarum, seù Agentium naturalium, ita à Summo Opifice Deo (Natura naturante ideo appellato à bonis Philosophis, licet non bonæ latinitatis auctoribus) ordinata, dispositaque fuit, vt insita quibuscumque propria vi, & virtute, in ordine ad Statutos à se fines, qui præteriri haud possunt, inuariabili, & continua operatione in eosdem perpetuò dirigantur, & cuilibet à præscriptis tramitibus aberrare tentanti, validissimis contraobuersentur nixibus; Hinc communia orta axiomata; Natnram nihil frustra moliri; facere optimum quod potest; odisse superfluum; non denegare necessaria; non pati aliquid torpere, aut feriari; abhorrere à vacuo; positis omnibus requisitis, necessariò semper operari, & similia, ordinatos motus demonstrantia, quibus iuxta præscriptum Naturæ, vt cum Aug. lib. 15. de Trinitate cap. 1. & Seneca 4. de Officijs, loquar, Creata Natura inuiolabili lege progreditur, nec vnquam, nisi violenter, declinat. Vnde factum est, vt à solis operationibus ordinatæ Naturæ (qua duce nemo errare potest, iuxta illud Iuuenalis Sat. 14. *Nunquam aliud natura, aliud sapientia dicit*) manuducti Philosophi, ad perfectæ sapientiæ peruenerint apices; Vnde etiam ad moderatam componendam vitam, ordinatas, inuariabilesque creaturarum naturalium operationes ante mortalium oculos proponit patientissimus Iob cap. 12. *Nimirum interroga iumenta, & docebunt te, & volatilia cæli, & indicabunt tibi: loquere terræ, & respondebit tibi: & narrabunt pisces maris.* & Spiritus Sanctus in Prouerbijs cap. 6. Sapientiam à naturalibus formicæ motibus ediscere nos iubet; *Vade ad formicam ò piger, & considera vias eius, & disce sapientiam.* quo in loco aduertit Eminentissimus Vgo, quòd nullus excusatur per ignorantiam, quia tot Doctores habet, quot creaturas videt; in quibus dupliciter instruitur; considerans qualitates, & actus, siue officia earum, quæ sine errore, & intermissione faciunt. Hi igitur ordinati motus, quibus naturali instinctu à Summo Deo insito, quæque inalterabiliter operatur Causa, Agens, creataque res, quæ omnia in mundo Naturam esse dicimus, Ordo eiusdemmet naturæ appellatur, quælibetque operatio ab Agentibus, & Causis iuxta prædictum ordinem, insitamque exigentiam promanans, Naturalis, à cōmuni Philosophorum Theologorumque consensu nuncupatur, ad differentiam illius, quæ contrà, aut præter ordinem præscriptum habetur, de qua in sequenti Prolegomeno.

PROLEGOMENON. II.

Quid sit esse præter ordinem Naturæ, & Admirandum.

CVm cuicumq; Naturæ creatæ à Summo Deo Creante, vt supra dixi, insita sit facultas, & virtus, qua in fines, à suprema Causarum causa præordinatos, pro temporum diuersitate, suos ordinatos producit effectus; inde euenit, vt quicumque secundùm insitam virtutem, & ordinariam legem in dies promanant à Creata Natura effectus; hi iuxta exigentiam, & ordinem ipsius, vt supra dixi, appellentur; Quia verò quandoque supra vires, exigentiam, & inclinationem naturalem, & præter præscriptum naturaliter ordinem, Natura in inusitatos videtur prodire euentus, ideo tunc præter ordinem operari Natura, communi tùm Philosophorum, tùm Theologorum consensu dicitur. Et quia huiusmodi effectus ignorantibus causam, maximum progignunt stuporem & admirationem, ideo Admiranda, seu

Miracula, & θαῦμα, vt apud Græcos, communiter appellantur. Huiusmodi autem non sunt, quæ materiato cuius, atque indocto admirationem causant, cum enim ignoret causas naturales, facilè de earum miris effectibus obstupescit; sic Defectum Solis mirabitur Rusticus, secùs verò Astrologus; motus præternaturales corporum ad impediendum Vacuum, in admirationem trahunt indoctos, quos tamen Philosophi naturales cognoscunt; magnetis inuariabilis ad Polum conuersio, ferrique arcanis nodis complexus, stuporem causabunt rudibus, non doctis. Admirandum igitur, & miraculum est id, quod omnibus maximam inducit admirationem, vt potè quia eius causa non vni, vel paucis, sed omnibus debet esse ignota; cum enim miraculum, & Admirandum propriè dicatur, vt notat Angelicus Doctor, p.part. quæst. 110. art. 4. cum aliquid fit præter ordinem naturæ, non particularis solùm, quia ita proiectio lapidis sursùm esset miraculum, sed præter ordinem totius naturæ creatæ, ideo & Doctos, & Philosophos in admirationem inducere debet; vnde ex testimonio Valer. Maximi, ex prolog. vltim. cap. 1. *Miraculum est res, quæ vnde manauerit, aut qua ratione constiterit, dignoscere est arduum*, & rectiùs S. Augustinus de Vtil. creden. cap. 16. *miraculum voco quidquid arduum, aut insolitum supra spem, aut facultatem mirantis apparet.* Dicitur autem apparere tale miranti, quia tale non est, neque dicitur Admirandum, neque miraculum, si referatur ad Deum, vt optimè aduertit D. Thomas 1. part. quæst. 105. art. 8. & quæst. 110. art. 4. cum enim ipse solus sit auctor miraculorum, in rebus enim mirabiliter factis, vt dicebat D. Aug. in epist. ad Volusianum, tota ratio facti est potentia facientis, ideo quia nullum opus est, quod excedat potentiam suam, sed quidquid fit, etiam si ab ipso fiat, quasi nihil est coram eo, secundùm illud Isaiæ 40. *ecce gentes quasi stilla situlæ, & quasi momentum stateræ reputatæ sunt*; & sicuti homini bibere, & comedere non est miraculum, quia est illi naturale, ita respectù Dei quæcumque operatio, licet promanans ex infinita illius virtute, nullo pacto miraculosa potest dici, quia non est præter eius naturam, naturale est quippe Deo ita operari, & agere. Est autem miraculum, & Admirandum solùm quidquid procedit hoc modo ab infinita virtute Dei in natura, præter ordinem, & facultatem totius naturæ creatæ, si ad eius vires, & facultatem comparetur, quo pacto admirationem & stuporem causat. Et ex hac causa à ratione miraculi excluduntur quædam miræ operationes, quæ à bonis malisque Genijs aliquando perpetrantur, admirationemque causant; hæ enim operationes, cum fiant ex propria vi, & facultate ipsorum, erunt semper, non præter, sed iuxta ordinem naturæ creatæ, & ideo non miraculosæ; sic v.g. miraculum non fuit, vt notat D. Augustinus, lib. 20. de Ciuit. Dei, ad imperium magorum Regis Pharaonis veros serpentes apparuisse sibilantes, ranas visas esse coaxantes, Nauem simulacrum matris Phrygiæ deportantem, Zona vnius mulierculæ trahi potuisse, Virginem Vestalem cribro aquam de Tiberi extulisse, & similia; si quidem hæc omnia poterant fieri à Dæmonibus secundùm naturalissimam propriam virtutem; de illisque idem affirmari potest, quod de miraculis Hæreticorum asserebat D. Augustinus lib. de Vnit. Eccles. esse scilicet *aut figmenta mendacium hominum, aut portenta fallacium Spirituum*; Miraculum igitur debet esse præter ordinem totius naturæ creatæ, supraque virtutem, & facultatem eiusdem, & à solo Deo mirabilium auctore effectum. Quia autem facultas & virtus creatæ naturæ in Admirandis præter ipsius naturalem ordinem perpetrandis, tribus modis excedi potest, ideo tres gradus, seu species miraculorum, & Admirandorum assignat loco citato D. Thomas, quem ferè sequuntur omnes. Primus gradus est, quando miraculum superat vires totius creaturæ, secundùm substantiam eius quod fit, ita vt natura nullo modo possit illud facere, nec in illo subiecto, nec in alio, & nec illo modo faciendi, nec alio, vt si Sol staret, aut retrocederet, in cælo, vt ad preces Iosuè enarrat Scriptura factum, Iosue cap. 10. si duo corpora simùl ponerentur in eodem loco, vt euenit quando ranæ in Ægypto ad lectos Regios per parietes penetrarunt, quomodo secundùm traditiones Hebræorum accipiendum est illud Psal. 104. edidit terra eorum ranas in penetralibus eorum; vel quando Christus Iesus prodijt ex clauso matris vtero, aut sepulchro, ad discipulos ianuis clausis intrauit, & quotidie in Sacramento altaris stat simùl corpus eius quantitatiuum cum quantitate panis. Secundus gradus est, quando miraculum excedit vires creaturæ, non secundùm substantiam eius quod fit, sed quia à creatura, ex tali materia, vel in tali subiecto produci non potest; huiusmodi esset suscitatio mortui, illuminatio cæci; natura enim potest vitam dare, & visionem, vt facit in fœtu, cui & vitam & visum impertitur, hoc autem secundùm proprias vires præstare non potest in tali subiecto, scilicet in cadauere, aut oculis priuato. Tertius denique gradus est, quando miraculum est præter facultatem naturæ, non secundùm substantiam, neque respectù subiecti, & materiæ, sed secundùm modum, & ordinem producendi, ita vt illud natura potuisset proprijs viribus producere, sed non tali modo, & ordine. Huiusmodi est, Virginem concipere, & parere; in instanti ad loca remota transire; subitò ægritudines incurabiles absque medicamentis curare, & similia, quòd enim Virgo concipiat, & pariat, cognita à viro, quòd fiat transitus ad remotiora loca successione temporis, & quòd medicaminibus remedium præstetur infirmitatibus, hoc facit quotidie natura; At quòd Virgo, permanens Virgo, concipiat & pariat, quòd in instanti transeat quis ad remotissima loca, & subitò curentur mortiferæ infirmitates, hic modus, & ordo excedit vires creatæ naturæ, atque ideo hæ operationes miracula, & Admiranda vocantur. Ad huncque tertium gradum plures species miraculorum reducuntur, quàm ad duos primos, estque minimus, & vltimus gradus miraculorum, cum ad ea producenda quoad substantiam, & subiectum, non sit incapax natura, sed solùm respectù modi, & ordinis, secundùm quem Deus solus ea potest facere. Licet autem secundùm communiorem sensum, Miraculum, & Admirandum sortiantur idem significatum, eademque potiantur essentia; quia

quia

quia tamen, rigorosè loquendo, nomen Admirandi latiorem admittit significationem, quàm miraculi nomen, hoc enim ad trutinam positum, nihil ab æquilibrio deficere debet, ideò ad euitandos cynicos obaduersantium morsus, Momique venenatos aculeos, sepofito miraculi nomine, Admiranda inscripsimus hæc, quæ præter ordinem naturæ in nostro opere perpetrata collegimus; si quis enim ex miraculorum albo ea expungere iudicabit, expungat; vt Admiranda tamen, & cuiuscumque promerentia Admirationem, si Catholicus est, quid inquam? si & Hæreticus, haud poterit non admirari, & obstupescere.

PROLEGOMENON. III.

Quanam sint partes constituentes Naturam, earumque enumeratio.

CVm nomine Naturæ supra dixerim, me hic intelligere Vniuersitatem Rerum, Causarum, & Agentium naturalium, quæ in mundo reperiuntur, ideò partes naturæ enumerare, idem erit, ac partes constituentes mundum singillatim recensere. Et vt primùm de partibus componentibus Μακρόκοσμον loquar. Hæ sunt Corpora, alia simplicia, alia verò Composita, & mixta: Inter simplicia, primum locum obtinet Cælum, Sol, Luna, Stellæ, cæteraque ætherea, vt potè etiam incorruptibilia. Sequuntur in ordine quattuor Elementa, Ignis, Aer, Aqua, Terra (cum communi antiquorum Philosophorum) quæ licet corpora simplicia, corruptionem tamen in se ipsis patiuntur, ratione cuius corruptionis, mixta, & composita generantur; quorum quædam sunt imperfecta, vt sunt Meteora, quæ circa quatuor Elementa progignuntur; quædam verò perfecta, suntque cætera Composita in Mundo existentia; Ex quibus Compositis, alia sunt animata, alia verò anima carent; Quæ anima sunt dotata, in triplici versantur differentia; nonnulla anima vegetatiua potiuntur, vt Arbores, Plantæ, & Flores, alia à vegetatiua, & sensitiua informantur, vt irrationabilia queque sensibilia; cætera denique anima rationali nobilitantur, huiusmodi est Homo, Qui quia Μικρόκοσμος, mundusque paruus est, à Μακροκόσμῳ seorsùm considerandus est, eiusque partes, tùm physicæ tùm morales singillatim suo loco recensendæ. Quæ igitur circa enumeratas Naturæ partes Admiranda, aut semel euenere, aut in vestigijs, vel in se ipsis mirabiliter adhùc perennant, vel perennabant, dùm à quibus desumpsi, ea describere, hoc in opere diligentissimè, Deo dante, exarabuntur; in primo quidem Tomo, quæ ad Μακρόκοσμον quæ verò ad Μικρόκοσμον, in secundo.

LIBER PRIMVS.

De Admirandis circa Cœlum.

COElos enarrare gloriam Dei, Regius cecinit Vates; non immeritò igitur Admirandorum enarrationem linguis ipsis cælorum, altibus vocibus magnalia Dei patefacientibus, exordiar, ceù enim vocibus incantantium sapienter, non sicut aspidis surdæ obturantis aures suas, sed veluti prudentis serpentis, quæcumque fidelium, etiam sopitæ, ad Dei mirabilia percipienda, aperientur aures. Voces igitur mirabiles, quæ à cælestibus regionibus, mortalibus quandoque insonuere, hìc primò referam, ex his etenim, ceù idiomate cælesti, Admiranda Dei cunctis patefient hominibus.

CAPVT PRIMVM

De Admirandis vocibus è Cœlo auditis. §. 1.

DOminus dedit vocem suam, & mota est terra, legitur in Psalm., loquente enim Domino, vocibus de Cœlo mirabiliter insonantibus, meritò totus admiratione mouetur Orbis; Quasdam igitur ex his vocibus, quæ aliquando è Cœlo emissæ, Admirandæ extitere, hic primò adducam.

1. *In Hist. Euangelica*. Baptizato Domino, vox de Cœlo audita est dicens: Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui. Eodem etiam transfigurato in monte Thabor, vox de Celo insonuit: hic est filius meus carissimus: audite illum. *In Actis Apostolorum cap. 9.* Cum B. Paulus Damascum iter faceret, vt Christi fideles persequeretur, circumfulsit eum lux de Cælo, & cadens in terram audiuit vocem dicentem sibi: Saule Saule quid me persequeris?

2. *Cæsarius l. 8. Miracul. c. 13. de quodam Religioso*. Quadam vice, cùm ministraturus Domino Carolo, Abbati quondam Vilariensi, confessionem dixisset, & absolutionem de more deuotiùs acciperet, audiuit vocem de Cælo dicentem sibi: Dimissa sunt omnia peccata tua.

3. *Vinc. Belu. l. 12. Spec. hist. c. 89. de Virg. Christina*. Iratus Iulianus Iudex, linguam eius abscindi præcepit, Quod illa audiens Deo gratias egit, & vt citiùs vitam finiret orauit, & vox de Cælo intonuit: Christina immaculata, aperti sunt tibi Cæli, & Regnum Cælorum repositum est tibi, omnis Chorus Sanctorum benedicit Deum propter te, quia in infantula tanta sustinuisti propter me. Et vox iterum facta est: Veni Christina coronam æternam accipe, & brauium confessionis tuæ.

4. *Idem ibidem lib. 12. cap. 94. de S. Theodoro Martyre*. Cùm iussu Iudicis igni traditus fuisset, omnis Ciuitas Amaseorum, Circumstantes quoque Cælum super eum apertum viderunt, & factam ad eum de Cælo vocem hanc audierunt: Veni Theodore amice mi, ingredere in gaudium Domini tui, quia fideliter cursum certaminis tui consumasti; Tunc ille gaudens tradidit Spiritum.

6. *Idem lib. 12. cap. 99. de ss. Cyriaco, Sisinnio, Approniano, & socijs m.m.* Cùm Apponianus commentariensis Sisinium educeret de carcere, subitò lux de cælo venit, & de luce vox exiuit. Venite benedicti patris mei &c. Tunc Approniamus tremefactus, ad pedes Sisinij cecidit, & ab ipso baptizatus est.

6. *Idem ibidem l. 25. cap. 50. de Fratribus ordinis Grandimontensis sub SanctoStephano instituto re*. Pio patre orbati fratres, vnum de Conuentu suo, Petrum, sc. Lemouicensem in Priorem sibi elegerunt, Deo, & hominibus amabilem, sub cuius regimine cum fratres proficerent, Monachi Sancti Augustini locum Mureti, in quo Deo seruiebat, cæperunt calumniari, quare litem vt euitarent, locum alium perquirebant, vbi caput religionis suæ constituerent, nulloque idoneo reperto, tandem consilium inierunt, vt Prior humiliter, & deuotè missam celebraret, & cum fratibus vniuersis Deo supplicaret, vt quod postulabant, indicare non differret. Quod cum faceret, & Agnus Dei ter cantatum fuisset, vox cælestis audita est, dicens. In Grandimonte, in Grandimonte, in Grandimonte, quam Prior, & nonnulli de fratribus audierunt; Finita igitur Missa, pergentes ad locum sibi reuelatum, satis Mureto vicinum, Ecclesiam, & domos fecerunt ad habitandum, quibus vtrinque vili scemate peractis, redierunt Muretum, & accipientes Sanctum corpus, in Grandimonte transtulerunt. Paucisque scientibus subtùs presbyterium ante Altare recondiderunt.

7. *In Chron. Carthusianorum lib. 6. cap. 22. in vita B. Roberti*. Quadam die cum Otho Geldriæ Dux insigni pietate refulgens, locum construendæ Domus Carthusiensis Ordinis aptum inquireret, occurrit illi pauper quidam vir Deo deuotus ætateque grandeuus, qui sciens principis sui vota, supplex ei dixit; Ego hoc in agro (Serenissime Princeps) à retrò annis celebres audiui Angelorum concentus. Vidi namque hic solemnia festa pomposis carminibus duci, & ardentia luminaria multo fulgore resplendere conspexi. Credo idcircò hoc in loco, Dei hæc prouidentia actitata esse, quo locum hunc dignum ostenderet, in quo tua vota compleres. Dignum profectò, vt vbi Angeli cecinerunt, Angelici quoq; viri commorentur, & Angelicis laudibus Domino famulentur. Audiens autem B. Robertus, qui ducem comitabatur, quæ à Sancto paupere dicebantur, confestim ex equo prosilijt, & in genua demissus, ad diuinam opem compellendam supplex confugit. Illo itaque orante, talis de cælo vox insonuit; Hunc ego locum Deus elegi. Porrò Dux ad tanta signa plurimùm stupefactus simul, & confortatus atque inflammatus, ibidem Carthusianorum construxit Cœnobium, quod Arnhemiense vulgò, Monachorum Domus nuncupatum est.

8. *Eusebius Cæsariensis lib. 4. cap. 15. Hist. Eccles.* Dum S. Polycarpus Martyr pergeret ad stadium iussu tyranni; tumultus ingens in stadio ex ingressu eius fuit exortus: voxque de cælo elapsa est: Fortis esto ò Polycarpe, & viriliter age.

9. *Chrysostomus Henriquez de S. Roberto Abbate. 7. Iunij*. Quodam tempore solito attentiùs orans, & lacrymis vbertim faciem rigans, animam suam coram Deo effundebat, petens, vt gratum ipsi esset seruitium suum, & fratrum suorum, & vt nomina eorum in libro vitæ scriberentur. Tùm verò cælitùs lapsa vox est huiusmodi: Confortare fili, exauditæ sunt preces tuæ, & nomina filiorum tuorum, pro quibus rogasti, in cælis scripta sunt: non nisi, duo ex ijs scripti sunt in terra; nec multò post, duo Conuersi, excusso Religionis iugo, vitam in Sæculo miserè finierunt.

10. *In Actis S. S. apud Io. Bollandum. 24. Ianuarij de S. Cadoce Episcopo*; Cum hic Sanctus Episcopus, lancea confossus, extremum vitæ ageret, oculis in Cælum erectis, pro suis persecutoribus orabat. Nec mora, vox de nube lucida facta est, dicens, Cadoce famule mi ascende ad Regnum Patris mei, & quæ postulasti faciam tibi, & non contristabo te, quoniam in mortem, mei memor es tu. Quicumque in tribulatione magna memor nominis tui, inuocauerit me, amen dico tibi, quia à tribulatione sua placabilis, & propitius liberabo eum. His auditis IX. Kalendas Februarij in manus Domini spiritum emisit.

11. *Chrysostomus Henriq. 28. Aprilis*. Cum numerosa multitudo Religiosorum in templo congregata, vigilijs matutinis interesset, audita fuit vox e cælo elapsa, dicens: quotquot hìc sunt, mei sunt; Sic ille verus, & summus Pontifex Christus seruos suos, plenaria sua potestate, Sanctorum numero adscripsit. Quod expresè habetur in libro de Claris luminaribus Villariensis Cœnobij cap. 36.

12. *Nic. Iansenius in comment. ad Vitam S. Dominici*. In Conuentu Samorrensi miranda quædam varijs temporibus contigere. Semel dùm Fratres ibidem horas Canonicas recitarent, vox è Cælo admonuit, vt mox abscederent. Vix obtemperatum erat, & tota moles dissoluta, immani fragore concidit. Perierant, nisi Deus suos Clientes à ruina seruasset.

13. *Antonius Senensis in Chronico Ordinis Prædicatorum anno 1370*. Bononiæ in Sacello D. Dominici cantantibus Fratribus: Ora pro nobis Pater Dominice, vox Cœlestis insonuit: nec ego Pater, nec vos filij. Quod quidem, existimandum, non tantùm propter illum Conueutum accidisse, sed propter vniuersos, qui in Patrum virtutibus gloriantur, & nihil virtutis illorum imitantur.

14. *In actis S. S. Feb. tom. 3. in Contin. Bollandi*. Maximam compassionem habuit Sanctus Bonifacius Episcopus Lausanensis in Belgio, & multùm condoluit de perditione Aristotelis, & sæpè orauit, si posset fieri, vt Deus dignaretur misereri animæ suæ. Tunc venit vox de Cœlo dicens ei: Cessa cessa, iam noli orare pro anima eius; quia non

non fundauit Ecclesiam meam, sicut Petrus, & Paulus, nec legem meam docuit.

15. *S. Pet. Damianus opus. 19. c. 7.* B. Nonus Martyr, qui & Hippolytus, memoriæ nostræ non prætereundus occurrit. Qui nimirùm postquam triginta millia Saracenorum ad Christi fidem efficacissima prædicatione conuertit, postquam Beatam quoque Pelagiam de lupanaribus ad Ecclesiæ pudiciciam prouocauit, postquam denique nonnullos Sanctarum expositionum libros luculenter explicuit, tandem Episcopatum deseruit, de Antiochenis partibus, vnde erat oriundus, abscessit, Romanos fines appetijt; Cumque B. Aurea apud Ostiam Ciuitatem saxo ceruicibus alligato, in marinis fluctibus martyrium consummasset, B. Nonus sanctum Cadauer pia deuotione collegit, & cum omni diligentia tumulauit. Quem mox idem persecutor, qui dicebatur Vlpius, iuxta Tyberis alueum in foueam aquis plenam mergi præcepit, cuius postmodum corpus consummato triumphali martyrio, in Ciuitate, quæ Portus dicitur, Christiana deuotio sepeliuit: Illicò audita est vox velut infantium, per vnam ferè horam clamantium, Deo gratias. Qui ergo talem vitæ meruit clausulam, liquidò patuit, quia Episcopatum deserens, coram Deo non incurrit offensam.

16. *Ioan. Gerbrandus l. 9. Chron. Belg. c. 9.* Cum Hollandensis, & Frisanicus populus in vnum concurrerent, & in campestri bello pro victoriali laude contenderent. Ecce vox quædam ab hemisphério æthereo horribiliter intonuit: fugite fugite; Et confestim Hollandensis populus ex formidine terrisonæ vocis defugiens permagna parte cæsus est.

17. *Bonfinius lib. 3. Dec. 1.* Vox nocturna, Caue tibi Italia, Atilæ Hunnorum Regis in Italiam aduentum prædixit.

18. *Vincentius Beluac. lib. 24. cap. 76.* Eldredo Angliæ Rege decumbente, Dunstanus Cantuariensis Archiepiscopus ad eum accersitur. Qui cum properè ad aulam contenderet, è cælo vocem audiuit: Ecce Rex Eldredus obdormiuit in Domino. Qua voce equus, quo vehebatur Dunstanus, concidit.

19. *Ioseph lib. 17. de Bello Iudaico cap. 2.* In templo Hierosolymitano antequam vastaretur audita est vox: Migremus hinc; nuncia excidij Vrbis.

20. *Baronius ann. 757.* Alphonsus cognomento Catholicus Gallæciæ Rex nutantis Ecclesiæ columen, & Saracenorum gloriosus Domitor, terris viuere desijt, & Cœlo cæpit, ne auuersam fortunæ faciem aspiceret. In eius obitu his vocibus totus æther resonare dicitur. Ecce quomodo tollitur Iustus à facie iniquitatis, & erit in pace memoria eius.

21. *In actis S. Alexandri Papæ & Martyris.* Cū iussu impij Aureliani, diris cruciatibus torqueretur cum alijs, fidelibus S. Martyr, audita est vox de Cælo dicens: Aureliane, istis quibus insultas, cæli aperti sunt, vt illùc ascendant, tibi autem tartarus apertus est, vt illùc descendas. Ad hæc expauit Aurelianus, & tantus eum tremor, & pauor arripuit, vt seruorum manibus ad Palatium portaretur, paulòque post inuentus est in doloribus nimijs linguam suam masticans, & protinùs expirans.

22. *Crantius lib. 4. Saxon. cap. 35.* Cunegundis post aliquot annos tumulata est cum Marito Henrico II. Imperatore, Bambergæ, Virgo cum Virgine & vox audita. Cede Virgini virgo locum.

23. *Ferrarius in Catal. S. S.* Tuscana Iebeti (pago Veronensi) nata, ad superas sedes euolatura, Angelica visitatione, & locutione dignata est, vocemque cœlitùs factam audiuit: Veni Sponsa Christi Tuscana; accipe coronam, quam tibi Dominus præparauit in æternum, & ita expirauit anno Domini, 1343.

24. *In actis B. Magaritæ Hungaricæ.* Colloquebatur cum ea de rebus ad religiosæ virtutis perfectionem pertinentibus Prædicator quidam, vir admodùm pius, qui inter cætera dixit, diù se Deo supplicasse, vt qua via modoque antiqui Patres tantam eius gratiam, totque cælestia dona impetrassent, doceretur; dormienti ergo nocte quadam, dixit, appositum coram se fuisse librum aureis litteris exaratum: Simulque vocem missam, qua experrectus fuit, ab eaque iussus surrexit, & legit pauca hæc verba, sed planè diuina. Ista veterum patrum perfectio fuit, Amare Deum, despicere se ipsum, neminem contemnere, aut iudicare.

25. Huiusmodi Admirandæ voces auditæ fuere in martyrio SS. Mamentis, Victoris, Luciæ, Geminiani, Erasmi, Gregorij, Blasij, Theodoræ, Euphemiæ, Cucufatis, Ionij, Basilissæ, Iuliani, Luciani, Quintini, Antoninæ, & plurimorum aliorum, quorum numerus solùm legi potest in libro vitæ. Alia notabuntur, cum de Angelis cap. 2.

De Admirandis splendoribus emissis è cælo §. 2.

IGnitis coruscantibusque linguis, teste D. Leone ser. 2. de Epiph. loquuntur quandoque cæli; Admirabiles igitur splendores è cælis ad varias mortalium vtilitates aliquando mirabiliter emissos, adque magnalia Dei patefacienda, litteris dabo; hi etenim veluti faces ad faciliùs cætera Admiranda Dei intuenda, cæcutientibus mortalibus viam illustrabunt. De his igitur.

1. *In Euangelica Hist.* Transfigurato Domino in monte Thabor coram tribus discipulis eius, apparuit nubes lucida, quæ eos obumbrauit.

2. *In actibus Apostolorum cap 9.* Cum iter faceret Saulus, contigit, vt appropinquaret Damasco: & subitò circumfulsit eum lux de cælo; & cadens in terram, audiuit vocem dicentem sibi: Saule Saule, quid me persequeris? *Ibidem cap. 12.* Cum in carcere esset S. Petrus vinctus catenis duabus: Ecce Angelus Domini astitit, & lumen refulsit in habitaculo &c.

3. *D. Bonauentura in vita S. Francisci, c. 5.* Quodam tempore viro Dei prædicationis causa inter Lombardiam, & Marchiam Treuisanàm iter agente cum socio iuxta Padum, tenebrosa noctis superuenit obscuritas; cumque via esset exposita periculis magnis, & multis propter tenebras, fluuium, & paludes, dixit Socius ad S. virum: ora pater, vt de instantibus periculis liberemur; cui vir Dei cum fiducia respondit, potens est Deus, si sibi placet, tenebrarum effugata caligine, beneficium lucis impendere; vix sermonem compleuerat, tanta lux cæpit circa eos radiare virtute, vt nocte alijs existente obscura,

obscura, ipsi luce clara viderent, non solùm viam, verùm & plurima circumquaque, cuius lucis ducatu corporaliter erecti, & spiritualiter confortati, vsque ad locum hospitij per non modicum viæ spatium cum diuinis hymnis, & laudibus incolumes peruenerunt.

4. *Stephanus Pepe non absimile refert de S. P. N. Caietano in eius vita lib. 3. cap. 4.* Cùm enim semel Auersa Neapolim nocturno tempore iter ageret, vt sequenti mane matutinis solemnitatibus Ascensionis Domini cum cæteris fratribus interesset, à cælesti lumine illustratam viam, faciliter breui temporis spatio dimensus est, diuinasque laudes tempore statuto, sicuti optauerat, vnà cum cæteris summo Deo decantauit.

5. *Lucas VVaddingus in annalibus Minorum de Beato Francisco Ticinensi.* Eum accersiuerat pijssima fœmina Andræola Nicolai V. & Philippi Calandrini Cardinalis Bononiensis genitrix, quæ tunc in arce Spoletana, cum Catharina filia morabatur. Expeditis, quæ volebat, negotijs, sub horam vigesimam ad suum cœnobiolum X. M. P. remotum redire parauit. Socius Andreas Assisias dissuasit, nimis serò adeò longum iter iniri. Abeamus, inquit, pius senex, & si nox superuenerit, Dominus erit nobiscum. Tacitus secùm comes obmurmurabat; iterum ab itinere retrahere cupiens, viam dicit inter montana asperam nimis, noctemque obscuram multa pariturам incommoda. At ille animosiùs pergebat. Sed IV. M. P. dimensi erant, quando sub obscuræ noctis velo omnia latebant. Validè præeuntem languidè sequebatur socius obmurmurans: videbimus, aiebat, quid hic capitosus senex inter densas noctis tenebras faciet, in saxa impinget, in arbores offendet, opportebit subdiò pernoctare. Ita dicens, videt splendidissimum radium super senis caput descendere, qui obscuræ noctis vmbram in clarissimum diei lumen conuertit. Stupefactus Andreas, Lunæ fulgorem esse cogitauit, cæpitque secùm obortæ illo mense Lunæ dies computare. Innanes cogitatus rimatus vir Dei, interrogauit: Etquot, Frater mi, luna tua habet dies? Deprehensum se videns, & modicæ fidei tacitè redargui, in silentio, & verecundia præeuntem, & prælucentem sequebatur. Vbi ad cænobioli limites accesserunt, lux illa magno fragore disparuit. Ingenti sonitu, & repentinis tenebris territus Andreas, in terram cecidit semiuiuus. Animum addens vir Dei, & è terra erigens, manu duxit vsque ad atrium, vbi facto campanulæ signo, occurrerunt fratres stupentes ea hora potuisse adeo indefessum Franciscum, & Andream Socium semianimem accedere. Rem totam hic narrauit, & indignæ incredulitatis semet incusauit.

6. *In vita B. Dominici Anadoni.* Cum aliquando iter haberet, noxque viro superuenisset in medio itinère, vt nesciret quò esset pergendum; orationi se dedit, statimque Dei affuit auxilium, nam misit statim Deus lucem, quæ illius baculo incubuit, quæ viam mostraret, donec ad tutum se locum reciperet; additurque, lucem illam ita baculo insedisse, vt nullo baculi motu inde amoueretur.

7. *Chrysost. Enriquez 16. Octobris.* Celeberrimũ est Cenobium S. S. Crucium Monachorum Cistertientium in Principatu Cataloniæ, quod Petrus Aragoniæ Rex construxit, in expiationem grauissimi delicti, quod commisit occidendo, vel, vt alij dicunt, eruendo Archiepiscopo Taraconensi linguam, non aliam ob causam, quàm quòd sibi tamquam Primati crucem præferri vellet; Nomen autem huic Cœnobio ideo positum, quia eo in loco, vbi fundatum fuit, diuini splẽdores de nocte videbantur; & vbi apparebant, cruces figebantur, vt memoriæ posteritatis seruiret. Et quia sæpiùs lumen istud diuersis locis se videndum præbebat, etiam crucium numerus auctus est, à quibus nomen sumpsit Cœnobium.

8. *Vmbertus in lib. 1. de vitis fratrum Prædicatorum c. 3.* Retulit frater Ioannes Bononiensis, quòd antequam Fratres Prædicatores venissent Bononiam, venitores viderunt in loco, in quo sunt modò Fratres, luminaria, & multos splendores.

9. *Greg. Tur. de glor. Martyr. lib. 1. c. 5. De Cruce, & Reliquijs Pictauiensis Monasterij.* Sexta feria ante Sanctum Pascha, cum in Vigilijs sine lumine pernoctarent ante sacras Reliquias, circa horam tertiam noctis apparuit ante Altare lumen paruulum in modum scintillæ: Deinde ampliatum hùc illùcque comas fulgoris spargens, cœpit in altum conscendere; effectaque pharus magna, obscuræ nocti, vigilantique plebeculæ lumen præbuit supplicanti: Illucescente quoque cælo paulatim deficiens, data terris luce, ab oculis mirantium euanuit.

10. *Idem lib. 1. de mirac. S. Martini c. 14.* Idem Fortunatus his verbis retulit; in cacumine Castelli regionis Italiæ, quod dicitur Tertium, Oratorium beati Martini fundatum esse, ibique turri vicinæ, quoties incursione barbarorum per fraudem hostis accederet nocturnis insidijs, quisquis de vigilantibus habuisset in turre lanceam, aut spatam, vel cultellum, seù graphium protulisset ex theca, ferè per horæ spatium tale lumen reddebatur ex vniuerso gladio, tãquam si illud ferrum verteretur in cereum. Et mox ex ipso signo custodes admoniti, magis intenti vigilijs, hostes latebrantes, lapidibus exturbabant. Quod opi Sancti Martini recto iudicio reputatur, qui vicinitate sua sibi deuotis populis sedulam exhibuit, præsentemque custodiam.

11. *In actis S. Maxentij Ab. Pictauiensis.* Sæpius visitabatur ab Angelis adeo vt splendor Cellulæ, in qua psalens iugiter habitabat, velut micantium globus astrorum videntibus ministris vel Monachis relluceret.

12. *Bollandus in actis S. Feliciani Episcopi Fulgin. & mart. 24. Ian.* Peracta concione, prosequitur Missam Pontifex: at cum prima præfationis, quæ dicitur, verba, Per omnia sæcula sæculorum, pronuntiasset, ac populus omnis magno sensu pietatis respondisset, Amen; subitò ingens è cælo lumen refulsit, quo tota collustrata est Ecclesia, populi verò ita eo perstricti animo sunt, vt humi se se vniuersi prosternerent. At Præsul benignis verbis animatos assurgere iubet. Simul verò quotquot ex ea omni multitudine vlla conflictabantur ægritudine, ipso temporis puncto curati sunt.

13. *Idem in vita S. VValburgis.* Cum quadam nocte quidam Ecclesiasticus, qui debitè ordinandis, ac luminaribus accendendis Ecclesiæ præerat, Con-

Conuentui tempore cœnæ lumen subtraxisset; S. VValburgis, quæ tunc ibi erat, cæleste lumen impetrauit, cum enim orationi incumberet, mox mirum in modum lux cælitùs demissa ad instar fulguris coruscantis, omnem locum, in quo S. VValburgis & sorores eius erant, repleuit, & vsque ad ortum solis ab eis non recessit.

14. *S. Petrus Damianus in vita S. Odilonis.* Quo tempore viuebat S. Odilo Abbas, quadam vice intempestæ noctis silentio vis venti vehementior irruit, & lucernam, quæ in dormientium cubiculo dependebat extinxit. Expergefactus autem cubicularius, cum lumen agnouisset extinctum, ad abigendam noctis tenebrosæ caliginem, diuini luminis infulgere meritis serui sui Odilonis, postulauit claritatem: & ecce confestim de Cœlo coruscæ lucis splendor emicuit, & totam domum superni splendoris claritas illustrauit.

15. *Cardinalis Baronius in annalibus Ecclesiasticis an. 499. n. 28.* Cum quadam vice simul esset in Ecclesia S. Remigius, Clodouæus, & Crotilda Galliarum Reges, qui à Sancto Episcopo monitis salutaribus, & Euangelicis disciplinis inbuebantur. Repente lux copiosa totam repleuit Ecclesiam, vt claritatem Solis euinceret, & cum luce vox pariter audita: Pax vobis, ego sum, nolite timere; manete in dilectione mea. Et post hæc verba, lux quæ aduenerat recessit, & incredibilis suauitatis odor in eadem domo remansit, vt patenter ostenderetur illùc auctorem lucis, & pacis atque suauitatis venisse.

16. *Idem an. 749. ex Lugderio Episcopo Monasteriensi de Pipino.* Fiduciam firmam habens in Deum, recordatusque miraculorum Sanctissimi Suuiberti, descendens de Caballo suo, postratus in terram flexis genibus Sanctum Suuibertum deuota mente inuocans, & auxilium, & patrocinium implorans, vouit Deo, & ipsi Sancto Suuiberto, quòd si is pro honore nominis Christiani, à Christo sibi, & exercitui suo, suis meritis, & precibus victoriam contra paganos impetraret, & Christianum populum protegeret, vt sanum inde reduceret: ipsum in Vuerda cum suis primatibus suppliciter peregrè visitaret. Quo emisso voto, statim lux immensa super exercitum Christianorum splendens, non solùm paganos exterruit, sed & ferè excæcauit, pauorque ingens eos inuasit. Quòd cernentes pagani, timore valido perculsi, formidantes manum Omnipotentis Dei Christianorum super eos sæuire, Cœlumque super eos ruere, consilio celeriter inito, miserunt duos Satrapas ad Pipinum, petentes quæ sunt pacis; eique se subdentes, ac referentes constanti animo quæ viderant, & eis contigerant. Pipinus verò cum hoc audisset, intelligens hoc meritis Sancti Suuiberti accidisse, lætus in terram cum suis proceribus prostratus, Deum adorans, & gratias deuotè referens, receptis à paganis pacis obsidibus, Vuerdem cum suo exercitu humiliter intrauit, discalceatusque cum suis inclytis primoribus, & benedixit Deum, & S. Suuibertum, qui absque effusione sanguinis humani victoriam sibi contra perfidos præstitisset; & deinceps Sanctum Suuibertum in suum protectorem, & patronum, ac specialem elegit Aduocatum.

17. *Procopius de bello Persico lib. 2. ap. Baron. an. 540.* Post hæc Cosrhoes cum exercitu Apameam venit, vbi pars Crucis Dominicæ magnitudine cubitali visitur, ab homine Syro hùc clàm delata, quam oppidani magnam eius loci tutelam esse existimant, ac venerantur; theca ei condita lignea, quam auro multo ac gemmis tectam Sacerdotibus tribus custodiendam tradiderunt, insuper quotannis certa die adorant. Tunc itaquè Apamensis populus videns Persarum exercitum ad se venientem, in magna trepidatione fuere, Cosrhoemque audientes, vt minimè promissis maneret, Thomam vrbis Episcopum adeuntes, rogauerunt, Crucis lignum eis ostendi; vt eo viso, feliciter morerentur. Ille verò cum eis morem gessisset, spectaculum fieri contigit sermone ac fide maius. Præsule enim id tenente, ignis iubar supra ferebatur: vnde in templi tholo splendor præter solitum apparens, illum continuò circumeuntem sequebatur.

18. *In vita S. Maurelij Episcopi, & martyris.* Cum S. Maurelius Episcopus, & Martyr Ciuitatisque Ferrariæ Protector pontificalibus vestibus indutus, Ferrariensi populo solemniter benedicere vellet, à miraculosa manu in aere apparente rutilantibusque splendoribus radiante, prius ipse cælestem benedictionem accepit, futuræque gloriæ sibi paratæ à cælica voce mirabiliter certus factus est.

19. *Beda de locis Sanctis cap. 7.* In die Ascensionis Dominicæ in monte Olïueti per annos singulos missa peracta, validi flamminis procella desursùm venire consueuit, & omnes qui in Ecclesia fuerint, terræ prosternere. Tota in illa nocte lucernæ ardent, vt non illustrari tantùm, sed & ardere mons, & supposita loca videantur.

20. *Felix Astulphus in Hist. Vniuer. S. S. Imag. B. V. lib. 9.* Postquam Lauretum translata fuit ministerio Angelorum Sacra Domus B. Virginis, obseruatum fuit quotannis vsque ad tempora Pontificis Pauli III. in Festo Natiuitatis eiusdem Virginis splendidum iubar, quasi cometam super ipsam de cœlo descendere, totumque aerem illuminare, de quo prodigio cecinit Nouidius Poeta.

Neue sequens ætas mendacia credat, Olympi;
Hac in nocte illam lambit ab axe iubar.

Hoc prodigium aliàs obseruatum fuisse supra eandem sacram ædem refert Tursellinus in Hist. Lauretanæ Domus.

21. *Antonius Brena.* Anno 1627. Supra Monasterium Capuccinorum S. Remi in Ianuensi Prouincia ferè tribus mẽsibus lumina prodigiosa in obscura nocte, nedum ab ipsis fratribus, sed & à vicinis populis conspecta sunt; quæ lumina aliquando in Ecclesiam ingredi, totamque illuminare visa sunt.

22. *Bzouius in an. Eccl. ann. 1241. num. 16.* Cum aliquando S. Petrus Martyr Rauennam ingressus, manè sequenti esset coram populo prædicaturus; nocte antecedenti ingens fanale in vertice Turris campanariæ miraculosè accensum est; quodque magis miraculi rationem adauxit, neque niuibus abundè cadentibus vnquam extinctum fuit.

Alia huiusmodi cum de impressionibus ignitis; & etiam

& etiam cum de splendoribus irradiantibus vultus, corporaque Sanctorum.

Splendores in Natiuitate, seù morte Iustorum. §. 3.

ADmirabiles etiam inusitatosque splendores, vel ad infantium futuram sanctitatem demonstrandam, vel ad defunctorum consumatam virtutem mortalibus patefaciendam, in eorum, vel natiuitate, vel obitu emiserunt mirabiliter quandoque cœli. De quibus.

1. *In Euangelica Historia.* Nato Domino, Angelus Domini apparuit pastoribus vigilantibus, & custodientibus vigilias noctis super gregem suam, & claritas Dei circumfulsit illos.

2. *Marcellus Presbyter in vita S. Suuiberti Episcopi VVerdensis cap. 1.* Adueniente hora, qua benedictus Puer Suuibertus à clarissima genitrice nasceretur, subitò totam regalem cameram, in qua felix Berta pareret, fulgor nimius repleuit, stupentibus, & mirantibus cunctis: Mansitque irreuerberatis radijs protensus, donec peperit filium suum; quo nato, paulatim claritas recessit. Matronæ verò illìc cum obstetricibus congregatæ, glorificantes Deum, vbique promulgarunt magnalia claritatis piæ Comitissæ.

3. *Rubertus in vita B. Hereberti Archiep. Colon. cap. 1.* Cum noctu materno funderetur ex vtero, lux immensa cælitùs in loco effulsit; significans, quòd copiosiùs illuminaret illum lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.

4. *Euodius in vita Epiphanij Ticinensis Episcopi,* Cum nuper natus esset, cunæ superno lumine fulserunt.

5. *In actis S. S. 31. Ianuarij apud Bollandum. De S. Maedoco Episcopo Fernensi in Hibernia.* S. Infans Maedog natus est in Insula quæ dicitur Inis Breagai; & Spiritus Sanctus statim in eo insignis, & mirabilis apparuit: loco enim, in quo natus est, lux per multum tempus non defuit.

6. *In vita S. VVilfridi Epis. Eboracensis.* Cum Beatus puer intempestæ noctis silentio, matris prodiret ab aluo, columna ignis supra domum, in qua nascebatur cælitùs emissa, omnes circumfusæ noctis tenebras radio suæ lucis abstersit.

7. *In vita S. Materniani Epis. Remensis.* Octauo die natiuitatis suæ, cum in interiori cubiculo soporatus quiesceret paruulus, medio noctis silentio, splendore sidereo circumdante loculum, vis diuina claruit, & sic cunctis cernentibus per spatium trium horarum vndique refulgens, quasi globus igneus receptus in cælestibus mirabiliter se sustulit.

8. *In vita S. Guthlaci Anachoretæ.* Quando natus est S. Guthlacus; ecce humana manus, croceo rubri nitoris splendore fulgens ab æthereis olympi nubibus ad patibulum cuiusdam Crucis ante ostium Domus, in qua sancta puerpera futuræ indolis infantulum enixa est, porrecta videbatur. Cumque insolito stupore omnes ad prospiciendum miraculum concurrere certabant, en subitò, signato prædictæ domus ostio, æthereas in auras manus reducta abscessit.

9. *In uita S. Francisci de Paula.* Splendores admirabiles apparuerunt in natiuitate S. Francisci de Paula, qualiter suis virtutibus totum mundum esset illuminaturus, demonstrantes.

10. *Ernestus Collinus in vita S. Caroli Borromai;* Quo tempore nascebatur, apparuit supra cubile matris insolens quidam fulgor, radio solis similis latitudine quidem cubitorum sex, longitudine verò non minore, quàm glande sclopetaria traijceres, quem palàm contemplati sunt præsidiarij milites, & custodes loci, alijque plurimi.

11. *Siluanus Razzius in vita B. Agnetis Politiana.* Quo tempore eius mater filiam peperit, in eodem cubiculo faces ab inuisibili igne accensæ apparuerunt, quæ inde paulò post, & inuisibiliter disparuere.

12. *Io: Bonifacius Bagatta in vita Vener. M. Vrsulæ Benincasæ.* Mater, natæ vultum intuita est coruscantem, cubiculumque vidit flagrare vndique.

13. *In actis S. Andreæ Apostoli,* Biduo pendens in Cruce docebat populum circumdatus magno lumine, absedente postmodùm lumine, emisit spiritum.

14. *In vita S. Patritij, cap. 193.* Signum magnum & mirum apparuit in obitu S. Patritij, quod ab initio temporis nunquam visum fuit. Per totam enim regionem illam duodecim dies, absque noctis vlliùs interpolatione, lux continuauit, quia nox sicut dies resplenduit, illuminata. Qua in re patenter datur intelligi, quia mortis tenebræ non obscurabant filium vitæ, inhabitatorem lucis æternæ, Patritium, dum nox illi illuminatio in delicijs suis fuit, & ipse ad lucem sine defectu, diem sine nocte, solem sine Eclypsi clarus ascendit.

15. *Zacharias Lippelous in vitis S. S. 11. Septembris.* Post mortem S. Guidonis Confessoris, proximæ diei Dominicæ nocte ante corporis eius dissolutionem, cunctis qui aderant spectantibus, lumen cælitùs fusum, columbæ instar, super seruum Dei descendit; simulque vox omnium auribus clarè insonuit. Veniat dilectus noster ad percipiendam æternæ iucunditatis coronam, quia fidem seruauit.

16. *In Marty. Gallic. 13. Ian. de S. Hilario Episcopo.* Expirantis faciem immensus fulgor inuasit: quibus indicijs, & bonorum operum fragrantia, & doctrinæ cælestis candor, quo orbem vniuersum impleuit illustrauitque, diuinitùs propalatus est.

17. *Pet. de Natal. lib. 6. c. 160. de S. Fantino Confessore,* Super Fantinum morientem cælica lux descendit.

18. *Chrysost. Henriquez in fasciculo lib. 1. dist. 1. de B. Roberto Abbate.* Et quia dum viueret, lucis se esse filium iustis operibus declarauit; quanti apud ipsum esset meriti, Deus in eius obitu ostendit. Nam supra domicilium illud, in quo eius corpus exanime iacebat, primo noctis crepusculo duæ lucidissimæ, eæque diuersi coloris, irides apparuerunt, quæ ad amplitudinem magnæ plateæ se dilatantes, in quatuor partes terræ extendi videbantur. Et altera quidem ab Aquilone ad Austrum, altera verò à Septentrione ad Orientem sese protulit. In summitate autem, vbi pariter iungebantur, clara

clara lux instar luminaris circuli refulgebat, eaque in altum se se protendens, tenebras noctis à loco illo penitùs exclusit. Porrò in hac luce crux rutilans videbatur, primò quidem exigua, sed paulatim excrescens magna euasit. Circùm eam innumerabiles varij coloris erant circuli, in quibus singulis, singulę ortæ sunt paruæ cruces, eæque rutilantes, & cum suis circulis increscentes. Cumque se vsquequaque in firmamento intendissent, totum Molismensem locum mirabiliter illustrabant, vt signis euidentibus nosceretur, beatum virum, qui eo in loco cum pietate dormitionem acceperat, filium lucis esse.

19. *Idem eodem loco lib. 2. dist. 26. c. 1. de B. Stephano Abb.* Decima quarta Aprilis, qua die festiuitas Sanctorum Martyrum Tiburtij, & Valeriani ab Ecclesia recolitur, horam migrationis suę instare cognouit B. Stephanus, & magna animi exultatione, & signis gloriæ, ad quam iam tendebat, felicissimum illum spiritum reddidit creatori. Et statim ac ex hac vita discessit, cella ipsius tali, ac tanta claritate repleta est, vt longo temporis spatio, corpus ipsius non appareret, nec erat qui sciret vbi nam venerandæ reliquiæ iacerent. Omnes enim admiratione repleti sunt, non modò diuinum cernentes fulgorem, sed & suauissimum quemdam odorem percipientes.

20. *Idem 17. Iunij de B. Theresa Regina.* Cœlestis splendor super ipsam in eius morte multis cernentibus apparuit.

21. *Iacobus Cauacius lib. 3. hist. cænob. S. Iustinæ de B. Arnaldo Abb. S. Iustinæ.* Qua nocte decessit, visa sunt in Cœlo bina lumina instar facularum prælucere in multam noctem super turrim, qua idem detinebatur. Ea plurimi oppidanorum & multi ex instituto Sancti Francisci Fratres conspicati sunt, qui proximum templum curabant. Euulgato cælestium facularum ostento, manè ad carceres frequenter itum est, vbi cum extinctum Arnaldum comperissent, vniuersi diuinas faces, illius sanctitatis indicium, atque Dei ipsius erga reliquias Abbatis beneuolentiam existimarunt.

22. *In Offic. S. Ludgeri Episcopi.* In hora exitus illius, Carolus Magnus, & alij multi in varijs locis existentes, lucem ingentem è terris in Cœlum conscendere viderunt.

23. *In Offic. S. Guarini Episcopi.* Hic senio confectus, cùm diuinitùs præsciret, appropinquare sibi depositionem sui tabernaculi, & conuocatis Clericis monita salutis eis dedisset, oculis, & manibus in cœlum erectis, ad Dominum migrauit, nocte sequente diem sextum Februarij: qua nocte maximus splendor, velut Meridies eluxit.

24. *In Parad. Carmelit. de S. Franco Grotti.* Cum adstantes, qui penè innumeri erant, ad pænitentiam, & Dei hortatus esset amorem, salutis anno 1292. sub Summo Ecclesiæ Christi Arbitro Nicolao IV. & Imperatore Occidentis Adolpho Nassauuico, octogenario maior, immaculatum Christo tradidit spiritum: monstrante Cœlo lætitiam tanti illustrissimi Ciuis nouiter, suscepti, miro per totum Cœnobium splendore diffuso, qui illicò conglomeratus, & in cellula morientis inclusus, speciosissimam animam concomitans in Cœlos, suauissimo odore diffuso, totus ab oculis adstantium, & videntium euanuit.

25. *In Martyrologio Carmelitano de S. Andrea Episcopo Fesulano.* In eius glorioso transitu cubile immenso circumfunditur splendore.

26. *In actis S. Clari Abb. cap. 6. ap. Boll. 1. Ian.* Appropinquante hora exitus sui, psalterium decantare cæpit. Vt ergo fratres, finitis psalmis, dixerunt: Omnis spiritus laudet Dominum; cum luce odor ineffabilis totam cellam, vbi Sanctus Dei iacebat, repleuit: sicque beata anima carne soluta, migrauit ad Dominum. Mansit autem idem odor vsque ad locum sepulchri.

27. *Ibidem de S. Tito Cretæ Apostolo 4. Ian.* Dum Beatus Titus morti appropinquaret, vidit Angelos ad se missos: & resplenduit facies eius sicut Sol; qui spiritum suum, & plebem sibi commissam Domino commendans, in pace quieuit.

28. *Ibidem in actis S. Bernardi Episcopi Viennensis 23. Ian.* Nocte antecedenti eius mortem, psalmodiam primus cum suis incæpit, sicque in diuinis laudibus pernoctantibus, tanta claritate illa cellula perfusa est, vt ij, qui præsentes aderant, terræ velut in estasi prosternerentur. Expletis autem Matutinarum horis, ecce repentè suauissimus odor cum claritate superuenit; illucescente verò die Beatus ille spiritus carne solutus, liber cum illa claritate ad Dominum migrauit: Odor verò remansit quousque corpus fuit traditum sepulturæ.

29. *Ibidem in actis S. Eusebiæ Virg. 24. Ian.* Omnibus egressis, conclusit se ipsam solam in Oratorio, duæ verò eius sodales solæ extrinsecus ante fores obseruabant: videntque illam positis humi genibus orantem; cumque multis horis ita iacuisset, subitò effulsit lux in Oratorio, tamquàm fulgur, odorque suauissimus, & copiosus inde adspirari cæpit. Hæ igitur continuò ingressæ, inuenerunt eam obdormisse die Sabbati hora sexta.

30. *Ibidem in vita S. Bathildis Reginæ 26. Ian.* Consignans se confidenter, & pios oculos ac sanctas manus erectas, sancta illa anima à corporis vinculo in pace soluta est. Statimque diuinus splendor in ipso cubiculo clarissimè coruscauit.

28. *Ibidem 30. Ian. de S. Aldegunda Virgine.* Ante tertiam noctem sublationis suæ à corpore; fulgor ingens nimia claritate refulgens apparuit super Domum, in qua Virgo Christi sponsa Agni Domini sui præstolabatur intrepida aduentum.

31. *In actis S. Medardi Suessionensis.* In eius transitu vidit VVillacharius presbyter cœlos apertos prosùs, & ante corpus sancti diuina micare lumina, videntibus cunctis qui aderant per tres horas.

32. *In actis S. Seuerini Abb. Agauensis.* In eius obitu instar stellæ totus locus, in quo defunctus est, illuminatus est.

33. Non absimiles admirandi splendores apparuerunt in morte ob fidem catholicam S.S. Martyrum Victoris, Sebastiani, Erasmi, Cyriaci, Basilissæ, Vincentij, Iusti, Margharitæ, aliorumque innumerorum, vt ex Martyrologijs est videre.

34. Ar-

34. *Arnoldus Raysius in auct. ad nat. S.S. Belgij 1 Martij de quodam Anonymo Carthusiano*. Quodam tempore post meridem reuersus e refectorio, dum solitæ contemplationis æstuaret ardoribus, tam flagrans eum diuini amoris ignis apprehendit, vt hunc lutei vasculi haùd ferret infirmitas, sed anima sitiens Deum viuum, in Cœlum, visibili cum comitante gloria euolarit. Duo fortè mercatores eadem hora claustrum pertranseuntes sursùm flammam lucidam viderunt ascendere; qui ignorantes esse gloriam migrantis animæ, ad claustri properantes ianuam, monasterium flammis fatiscere denunciant. Accurritur, cella perfringitur, nullum incendij reperere indicium; sed exanime in horti angulo, flexis genibus, iunctis eleuatisque manibus inuenere corpusculum, igneamque super defunctum columnam.

35. *Franciscus à S. Maria in Hist. Carmel. tom. 2. lib. 8. c. 49.* Antequam vltimum Spiritum ageret B. Ioannes à Cruce ex Carmelitis discalceatis, splendidissima luce tamquam igneo globo totus circumfusus fuit, sicque feliciter sanctam animam expirauit.

36. *Hieronymus Faber in Sac. Mem. Rauennæ de Ecclesia Boni Iesu*. Beata Gentilis ex Thoma Iusto Veronensi Aurifice orta Rauennæ, proxima morti à mirabili luce super caput eius effulgente, imminentis finis certior facta est.

37. *In vita Castrensis Episcopi Capuæ*. Castrensis Capuæ Episcopus obitum suum sibi imminere cognoscens, conuocatis fratribus, monita tradidit salutaria; eisque omnibus osculatis annunciauit, se post tres dies à Christo Domino gaudium æternæ hæreditatis percepturum. Quo temporis spatio sanctam Dei plebem iugiter docuit, & de suo mærentem discessu est consolatus, dicens: Nolite filij mei ad hoc mentes vestras tristando deducere, vt vos viduatos post discessum meum ab æterno Domino credatis. Ego enim de Dei misericordia securus, hoc vobis solatium spondeo, quia nunquam absens ero spiritu ab huius loci defensione. Quibus dictis, ita se lætum, atque iucundum exhibuit, ac si epulaturus ad conuiuium proficisceretur. Illucescente tandem die tertia, conuocatis omnibus, lætus & gaudens diuina celebrauit Mysteria. In qua celebratione, dum secretæ inchoaret principia, diuinitùs tanto lumine facies eius, & corpus irradiatum est, vt nullus esset è circumstantibus, qui eum perspicuè conspicere valeret. Splendor autem non abscessit, donec expleta Missa, coram adstantibus cunctis sese in sepulchro collocauit; vbi Sanctum Deo reddidit spiritum.

38. *Ioseph Sylos in 1. Par. Hist. Cleric. Regul. lib. 14.* Quo tempore ad cœlum euolauit anima Ven. nostri Pauli Aretij Cardinalis, & Archiepiscopi Neapolitani, visa est ingens de cœlo lux Archiepiscopalem domum circumfundens; licuitque ab eo prodigio coniectari pijssimi Antistitis sanctimoniam, cui Cœlum parentaret sua luce.

39. *In Chron. Minimorum in appendice prim. de Ve. Didaco Ortiz*. A morte splendor, quo cubiculum refertum est, vultus nitor, & gratia, quibus resplendebat, non dubium beatæ immortalitatis argumentum facere visa sunt.

40. *In Menolog. Cisterciensi 15. Feb. de Ven. Io: Baptista Monacho Fuliensi*. Eius merita diuinus splendor, qui dum vltimum spiritum ageret, totum illum montem circumdedit, indicauit.

41. *Dominicus Maria Marchesius in vita Ven. Sor. Mariæ Villanæ ex ordine Prædicatorum*. Antequam ad meliores euolaret Ven. Sor. Mariæ Villanæ spiritus, cælestis lux supra ipsam apparuit, ceù ad cælestem patriam tam sanctam animam euocatura.

Alia notabuntur cum de impressionibus ignitis, & de Stellis.

Splendores, vultus, corporaque Iustorum irradiantes. §. 4.

Prædictis admirandis luminibus è cælo demissis ad illustrandam pretiosam Dei seruorum mortem, adnectam, & splendescentes radios, quibus eorum capita, facies, & corpora, & dum viuerent, irradiata mirabiliter quãdoq; apparuere; eos etenim non fabulosus Prometheus è Solis rota vsurpauit, sed cæli ipsi Sanctis viris veluti condignum famulatum exhibuere.

1. *D. Hieronymus in cap. 9. Matth.* Fulgor & maiestas diuinitatis occultæ etiam in humana facie Christi Domini relucebat. &

2. *In Euangel. His.* Cum Christus Dominus transfiguratus est in monte Thabor, facies eius instar lucidissimi Solis apparuit, adeò vt perterrefacti discipuli humi se abiecerint.

3. *Thom. Boz. l. 15. de signis c. 5.* Regina Aragoniæ cum multis alijs est testata, à se visum Vincentium Ferrerium illustrissima luce circumfulgentem: idem contigit Iacobo Alamanno. Antoninus Archiepiscopus Florentinus, dum Deum precaretur, cælesti quodam lumine visus est totum cubiculum perfundere. Helena Hũgara in Sacello quodam die sacro Catharinæ Martyri diuina contemplabatur, & tantus continuò splendor vndique emicuit, vt vrbs tota Vespinij id contueretur, neque verò id semel contigit. Tectum domus, in qua morabatur Ioanna virgo Vrbeuetana, de nocte videbatur sæpè maximum lumen emittere, dum precibus operam daret; Cæcilia virgo, quæ vixit in Monasterio S. Catharinæ Martyris Ferrariæ, interdum conspecta est maximum ex se lumen emittere; quæ Raphael Razzius in earum vitis scribit. Supra domum, & caput Catharinæ è Raconisio oriundæ, sępiùs apparuit insignis splendor. Margarita Rauennas tanto interdum fulgore in facie resplendebat, vt aduersùm colloquentes intueri eam non possent.

5. *Baronius an. 944. de Photio Patricio*, Dùm apud diuinum Patrem Paulum primum Eremitam versaretur, curæ fuit, externa etiam hæc obseruare, qualis eius facies esset, quales oculi, vox, gressus, & alia, tum in primis, quales oculi, & aspectus. Etenim hoc etiam illi in mandatis dederat Constantinus Imperator: conatus itaque est iussa exequi, sed nulla ratione potuit. Discedens enim deducenti se Symeoni arcanum prodens, fassus est: Conatus, persæpe in eius faciem oculos defigere, nunquam potui.

potui. Nam ex ea tamquam radius qui dã solis emissus, oculos meos perstringebat, & claudere cogebat.

5. *Thomas Bozius de signi vbi supra*. Blasio Episcopo Sebasteno resplenduit aliquando facies instar Solis. Cum sacris operaretur Euthymius Monachus, lux cælitùs in modum columnæ effulgens eum circumdedit. Gregorius Episcopus Agrigentinus in precibus immensa luce sæpiùs est visus clarescere. Sallustius Episcopus Hierosolymorum voluit ingredi domunculam, qua inclusus erat Barsanuphius; cumque eam persodi iussisset, ignis inde maximus erumpens perterritos cunctos in fugam coniecit. Romula Virgo sanctissima multis annis ægrota in lecto iacuit, nocte verò quadam cælitùs dimissus maximus splendor, totam eius domum repleuit, cunctis qui aderant territis. Popponem iter facientem, lux ab eo diuinitùs emissa circumdedit, ac tota nocte in medijs tenebris est comitata. Anselmus est visus aliquando in precibus ingenti flammæ splendentis globo circumcinctus. Symeone Salo preces faciente, visi sunt ignei globi ex ipso in Cœlum ascendentes; & circa eum apparuit veluti ardens in orbe clibanus. Bononius Abbas cum se recepisset aliquando ex itinere in diuersorium, maxima vndique luce est circumdatus in ipsa nocte; quo circa vicini existimantes locum conflagrare incendio, adcurrere, vt illud extinguerent, accedentesque viderunt vt res erat. S. Franciscus aliquando igenti vndique luce circumfulgens visus est. Venturino è familia Prædicatorum sæpiùs hoc accidit, vt in re diuina facienda, & sacris concionibus habendis, facies eius radios emitteret. S. Philippus Nerius sæpè alijs ore splendens apparuit.

6. *In actis S. Cæsarij martyris apud Cæsarem Franciottum de sanctis Lucensibus*. Dum Sanctus hic orandi tempus obtinuisset, ecce è celo lux magna descendit, quæ sanctum ambiens, adstantium admirationem vertit in stuporem; factumque est, vt Leontius Cõsularis id videns, veritatis lumine perfunderetur, & à Gentilismo ad Christianismum transiret.

7. *Alcuinus in vita S. Martini*. Deus prouidit aliquando, vt Martino Pontifici pio & eximiè perfecto ad Altare sacris operanti, globus igneus è capite ipsius fulgeret.

8. *In offic. S. Trudonis Presbyteri*. Quo tempore Metis in patriam redibat, à nonnullis fidelibus in pago quodam hospitio exceptus, dum in lecto quiesceret, lux clarissima tota nocte super illum manere visa est.

9. *Ioan. Moschus in prat. spirit. cap. 104. de Abb. Nonno*. Quidam de senibus narrauit nobis de Abbate Nonno, dicens: Nocte quadam priusquam pulsaret signum, egressus de cellula mea, ibam ad Ecclesiam: Et aspicio senem ante Ecclesiam stantem, & extensis in Cœlum manibus orantem: lucebant autem manus eius quasi lampades ignis. Quare metu perterritus recessi.

10. *Henriquez in Fasc. de Ven. Ludouico de Estrada*. Tanto amore Dei spiritus eius accendebatur, vt exteriùs eius signa daret, nàm sæpiùs tanto splendore, & claritate diuina, cingi visus est, vt facilè appareret amoris vis, qui taliter animam leuat, & extollit.

11. *Ordericus Vitalis lib. 2. Eccl. Hist. de S. Martiali*. Sanctis in theatro prædicantibus, Sacerdotes idolorum indignati sunt, eosque flagellis grauiter cæciderunt, & in carcerem miserunt. Sanctus verò Martialis cum socijs, illata sibi patienter pertulit, Deoque gratias egit. Circa horam sequentis diei tertiam Martialis orauit, & continuò lux magna velut splendor Solis in carcere refulsit. Cunctorum catenæ confractæ sunt, & ostia aperta sunt, & omnes qui aderant, baptizari rogauerunt.

12. *In vita Sancti Petri de Alcantara cap. 26.* Cum quadam die S. Petrus de Alcantara antè Crucem oraret, in estasim raptus est, apparuitque super caput eius nebula splendidissima, ex illiusque oculis radij veluti solares rutilantes exibant, in Crucemque directè tendebant.

13. *In Martyr. Gallic. Kal. Octobr. in append.* Hoc ipso die perrexit ad Dominum Vlricus Presbyter & Monachus Villariensis, vir Angelicæ puritatis. Super cuius caput dum diuinam Hostiam immolaret, igneus globus visus est, index castæ & feruentis animæ, quam demùm exitus sui præscius, lætus ad cœlum transmisit: signisque, vt in vita claruerat, sic post mortem refulsit.

14. *In eodem martyrol. Gall. 18. Feb.* Claræ vallis Sancti Siluani Monachi, B. Bernardi discipuli, qui puritate animi cælitùs dotatus, adeò magnam perfectionem acquisiuit, vt plurimas reuelationes, & beneficia à Beatissima Dei Genitrice Virgine reciperet: cuius & facies, dum sacris communicaret mysterijs, solis instar fulgida, vestes verò niue candidiores apparuerunt.

15. *Marchantius de S. Carolo Borromæo*. Sanctus Carolus frequenter visus est à S. Philippo Nerio celesti luce circumdatus, dum de diuinis rebus cum illo ageret; zelo scilicet, & lumine interiori, exteriùs promanante, facies eius instar Angeli promicabat, & fulgorem aliorum animis, ardoremque communicabat.

16. *Lippellous in vita S. Vuernberi 19. Aprilis*. Claritas nocturno tempore super eum visa est, illum mirabiliter illuminans.

17. *In Annal. min. an. 1316. n. 21. de B. Elzeario*. Surgens, in cubiculo se orationi dedit, mansitque illic tota nocte in precibns, & contemplatione diuina. Sub aurora vocauit sponsam; eaque mox cum lumine accedens, inuenit eum totum inflammatum, cernebatque ab eius vultu quandam proficisci claritatem, candelæ luce splendidiorem, atque pulchriorem. Ea claritas & faciem eius, & locum illum speciosum, & luculentum reddebat. Opportuno inde tempore exposuit ille sponsæ suæ, se tota illa nocte vidisse & persensisse ineffabilem illam Dei benignitatem, & præmia vitæ æternæ, quæ Deus præparauit diligentibus se, atque idcircò ab omni alio amore se prorsùs abhorrere.

18. *Ibidem an. 1406. de B. Coleta*. Visa est plerumquè facies eius luculenta, & splendida, ita vt non rarò sororum oculi sic perstringerentur eo splendore, vt in eam intendere non possent.

19. *Ibidem an. 1423. de S. Bernardino*. Dum in Ecclesia S. Martini cõcionaretur, maximæ hominum multitudini, visa est flamma ignis, instar radij solaris, cubitalis longitudinis, frequentibus respersa

fauillis ex ore illius procedere, & toto concionis tempore perseuerare.

20. *Ibidem de B. Ioann. Capis. in Germaniam missο ann.*1451. Accepta benedictione Apostolica, & Commissarij Pontificij, generalisque Inquisitoris potestate, vt susceptum onus faciliùs subiret, & feliciùs perageret, Assisium abijt, sanctissimæ Virginis opem eo loco imploraturus, in quo ipsius institutor Franciscus eiusdem Deiparæ meritis concepit, ac peperit Spiritum Euangelicæ veritatis. Supplicatione peracta, postquam è loco paululùm progressus est, à summo Cœlo egressio eius ad insignem, magnamque hanc missionem probari visa est; luce namque mirifica circumfusus, vsque ad medium milliare totus radijs coruscans processit: ita præmonstrante Deo lucem Euangelicam ad longinquas illas nationes doctrinæ virtute, & vitæ sanctimonia copiose delaturum.

21. *In Chronicis Vuinderemens.lib.2. cap.28. de Fratre Gerardo.* Tanti feruoris diuini amoris, & ardoris extitit in Missis, vt quidam noster laicus ipsius tunc minister sæpè nobis referret, quòd ipso in altari Sanctæ Crucis Ecclesiæ nostræ celebrante, ingentem globum igneum claritate perlucidum contra caput eius in aere super altare oculis corporalibus apertè conspexit; Vnde vehementer attonitus subsistens, cum timore, quidnam id protenderet valdè mirabatur, & in se reuersus, Dei, & Angelorum Sanctorum præsentiam tali signo visibili adesse sentiebat.

22. *S.Anton.* 1.*p.Chron.tit.*7.*cap.*6.§.17.*de S. Martina.* Sequenti mane missus Eumenius cognatus Imperatoris, vt eam adduceret, suauissimo odore repletus est. Aperiensque carcerem, vidit eam immenso lumine circumfusam, & præ timore in terram cadens, indequè vix resurgens, vidit eam sede gloriosa residentem, & circa eam multitudinem virorum albatorum. Ipsaq; in manu tenebat tabulam æream, in qua scriptum erat; Quam magnificata sunt opera tua Domine, omnia in sapientia fecisti.

23. *Surius in vita S.Euortij.* Cum Sanctus Euortius Aurelianensis Episcopus rem sacram aliquando faceret, ecce ipsa hora confractionis panis cælestis, cum ex more sacerdotali hostiam eleuatis manibus tertiò Deo benedicendam offerret, tamquam nubes splendida apparuit super caput eius, & manus porrectis digitis tertiò oblatam benedicens.

24. *Carolus Augustus Salesius in vita S.Francisci Salesij lib.*8. Octauo Kalendas Aprilis, quo die Incarnationis Dominicæ stupendum Mysterium sub Annunciationis Beatissimę Virginis nomine Ecclesia celebrat, è concione in Ecclesia Collegiali habita redux, sub vesperam recitandi rosarij causa solus in cubiculo relinqui voluit, cùmque recitasset, circa tantum Mysterium, ad cubitale suum precatorium ante Crucifixi effigiem, meditabundus ingenua procubuit, & ecce post aliquot momenta decidit in eum sub visibili specie Spiritus Sanctus, Igneus, scilicet globus, in multas flammulas mox diffisus, quibus hinc & inde, sursùmque & deorsùm opertus, circumtectus salubri viuicomburio, & innoxijs ignibus exagitatus est: vt autem cecidit glans illa igniaria, statim ipse exiguo pauore apprehensum se sensit, quem tamen mox deposuit, & tantùm cælestis amoris dulcedine est imbutus, vt desint verba humano ori, quibus exprimi possit.

25. *Idem lib.*9. Per hæc tempora, quæ Paschalia erant, diebus Dominicis Magnus Antistes Aniciensi populo suo præcepta Decalogi explicabat è pulpito in sua Cathedrali Ecclesia, & aliquando cum de primo præcepto mirabiliter disseruisset, tandem concionem claudens, & ad Deum Patrem verba sua conuertens, visus est ab vniuerso populo tota radiare facie, tantoq; splendore vndiquè circumfusus, vt vix prænimio lumine videri distinctè posset. Eximij autē eius rei testes sunt quot quot tunc aderant.

26. *In actis S.Columbæ Scoti Confes.* Quodam tēpore quatuor ad sanctum visitandum Columbam monasteriorum Sancti fundatores de Scotia transmeantes, in Hymba eum inuenerunt insula, quorum illustria vocabula, Congellus, Cachinechus, Brendenus, Cormacus, hi vno eodemq; consensu elegerunt, vt S.Columba coram ipsis in Ecclesia sacra Eucharistiæ consecraret mysteria; qui eorum obsecundans iussioni simul cum eis die dominica ex more post Euangelij lectionem Ecclesiam ingreditur, ibidemq; dum missarum solemnia celebrarentur, S.Brendenus sicut post Congello, & Cachinecho intimauit, quendam criniosum igneum globum, & valde luminosum de vertice S.Columbę ante altare stantis, & Sacram oblationem consecrantis tàm diu ardentem, & instar alicuius columnæ sursùm ascendentem vidit, donec eadem perficerentur Sacrosancta mysteria.

27. *Bzouius in ann.Eccl.an.*1319.*n.*14. Sacerdotio initiatus B.Io: Tornerius Carthusianus cum primam missam sacrificaturus ad tinnitum campanulæ non occurrisset, & Æditiuus ad cubiculum illius, vt eum vocaret, accurrisset, aperto ostio, totam cellam splendore igneo coruscantem, multoq; lumine ad instar meridiani Solis refulgentem aspexit; insolita irradiatione perculsus, Torneriū tamen ad sacra obeūda postulauit, iste verò, cum facie vt flamma ardente, & lucis de se radios emittente, conspicuus exiuit.

28. *Tho.Cantiprat.l.*2.*Apum c.*54. Audiui quiddam relatione dignissimum ab ore beatæ memoriæ Berthæ nobilissimæ mulieris Abbatissæ Monasterij ordinis Cisterciensis, quòd iuxta insulam in Flandria, Reclinatorium nuncupatur. Hæc cum adhùc esset in Aquiria monialis, contigit vt sanctissimam quandam ex sociabus pro negotio quæreret, & in contemplatione diuini vultus raptam, in angulo Ecclesiæ solitariam inueniret. Quæ vbi à facie illius velum incircumspectè dimouit, vultus eius omni flamma radiantiùs coruscauit: cuius fulgore, subitò contuentis temeritas repercussa, ferè exanimis cecidit resupina.

29. *Thom.à kempis in vita B.Liduuinæ Virg.p.*2. *c.*3. Tanta sæpiùs die ac nocte, claritate diuina, cùm ab Angelo visitaretur, vel à supernorum contemplatione reuerteretur, reperta est à condomesticis suis circumlustrari, quòd visa claritate, prænimio timore perculsi, non audebant eidem appropinquare. Ipsa verò, quamuis in tenebris semper iaceret, & materiale lumen oculis eius intolerabile foret; diuinum tamen lumen multum ei amabile erat, quo sæpiùs cella eius nocturno tempore tam excellenter perfun-

fundebatur, quòd cella ipsa aspicientibus, plena materialibus luminibus vel incendijs crederetur.

30. *Rubertus de Beato Herberto Archiepiscopo Colon. cap. 22.* Inter ipsas noctis tenebras, de lectulo, in quo Beatus Pontifex peruigil orabat, expansis manibus, lux immensa refulsit. Nec verò illa tantùm vice, sed & multotiès, cum post matutinales hymnos, psalmorumque continuas decantationes lumen materiale alicubi reconderetur, lumen spirituale Pontificem Sanctum secretiùs orantem ita circumfulsit, vt putaretur adesse præsentia Solis meridiani.

31. *Io: Colg. in vita S. Finniani 23. Februarij.* Alia autem nocte, cum in illa schola Sanctus Columba solus esset, & libros, quos non audiuit, iuxta lucernas legeret, defecerunt ei lucernæ ante tempus optatum. Tum Sanctus Dei eleuans manum suam dexteram, digiti eius vt lucernæ ardebant.

32. *In vita S. kentigerni Episcopi 13. Ianuarij apud Bollandum.* Crebrò dum sacris astaret mysterijs, nubes lucida obumbrauit caput eius. Aliquoties non ipse stare videbatur, sed columna ignea, cuius fulgore intuentium intuitus obtusi sunt. Dum vice quadam Sacra mysteria celebraret, nebula quædam odorifera totam Ecclesiam impleuit, ineffabilique suauitate omnes perfudit, & varijs incommodis laborantes perfectæ sanitati restituit.

33. *Ibidem in actis S. Euthymij Abbatis 20. Ianuarij.* Cum idm esset concinendum Trisagium, Terebonque Saracenus, & Chrysippi frater Gabrielius, alter quidem propè, alter verò stans inter aram (ò magnam Christe tuam in Euthymium gratiam) vident ignem, veluti in quodam diffusum linteo, desuper descendentem; quin etiam ipsum magnum Euthymium, & cum eo Domitianum intùs complexum sic circa ipsos permansisse ab initio trisagij vsque ad completum Sacrum ministerium.

34. *In actis S.S. Feb. tom. 2. in Cont. Bollandi.* Dum quodam die S. Gulielmus Presbyter Eremita officium diuinum persolueret: ecce subitò lux de cœlo in modum ignis circumcinxit eum, diùque inuoluit, ita vt à circumstantibus minimè videretur. Immò cælestis splendor ab eius ore exire, & in illud iterùm intrare, videbatur.

35. *In vita S. Elisabethæ Hungariæ Regis filiæ.* Dum sanctissima fœmina die quadam infra Canonem plicatis sub chlamyde manibus intetiùs orans, feruido in Christum moueretur affectu, lux eam cælica circumfulsit; astitit autem tunc Sacerdos quidam bonus, sanctæ conuersationis opinione & deuotione laudabilis, cuius aperuit Deus oculos, & in hora consecrationis corporis dominici vidit faciem eius claritate diuinitùs illustratam, vt mirabilis circa mentem illustrationis, mira circa corpus illustratio testis esset; stupuit nimis homo ille, glorificans Deum suum; tandem hoc, quod viderat, ad laudem eius, qui facit mirabilia, enarrauit.

36. *Surius in vita S. Hedwigis Ducissæ Poloniæ cap. 5. 15. Octobris.* Accidit quandoque, vt illa sic separatim orante in quodam domicilio, minister eius Boguslaus Sanonius, cui illa culinam pauperum commendarat peculiariùs curandam, ollam, in qua aqua pro ipsa coqueretur, quam pro consuetudine biberet, ex eadem domo vellet auferre. Cùmque appropinquaret ad locum, vidit eam orantem, tantaque luce circumfusam, vt territus, multoque pauore compulsus, indè se ocyùs proriperet, neque rursùs ausus esset eò accedere, immò verò subducere potiùs se festinaret. Sed ab illa reuocatus, accepto vase, tremebundus abijt, vt ex illa luce visibili, & timore, quo vir ille correptus fuit, perspicuè liceret animaduerti, eam mente tunc proximam fuisse illi, qui lucem habitat inaccessibilem, eiusque lumine, qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, specialiter fuisse illustratam.

37. *Idem 25. Decembris.* Eugenia Virgo Romana, Valeriano, & Gallieno Imperatoribus ob cultum Christi supplicio vltimo est affecta; sed antè detrusa in tenebricosum carcerem, decem dies in eo permansit, quo temporis spatio locus ille, alioquin obscurissimus, perpetua luce semper diù noctuque coruscauit.

38. *Idem 21. Ianuarij.* Agnes Virgo Romana, cum fuisset in carcerem coniecta, filiusque Præfecti malo animo, vt eã stupraret, eò furens esset ingressus, vidit illam clarissimo lumine circumfusam.

39. *S. Basilius.* Dùm quadraginta milites à Rege Licinio, & Agricolao Præfecto apud Sebastem Armeniæ vrbem in Stagnum gelidissimum vinculis constricti, fuerunt immissi; cæteris custodibus somno deditis, solus vigilabat ianitor, qui stupore correptus, vidit illos orantes Deum maximo splendore fulgere, cælitùsque delapsos Angelos distribuere coronas; quo viso, ille Christi numen agnouit.

40. *Chrysostomus Henriquez de Sanctis Cisterciensis Ordinis.* Meminit Cæsarius in suis Dialogis, Beatum VVillelmum, eiusdem Ordinis Sacerdotem, Diuinum vidisse splendorem è capite B. Ioan. Monachi Cisterciẽsis egredientem, & sursùm ascendentem, dum in Choro canticum Zachariæ cum conuentu caneret; idq; Sigero Priori indicauit: qui accersito Ioanne; Quid, inquit, cogitasti in laudibus, quando inchoatum est Canticum, Benedictus Dominus Deus Israel, &c. cui ille: credite mihi, Domine, ego cogitaui, si esses in Cœlis, vox tua nunquam raucesceret, & semper Deum laudares cum Angelis. & Prior: Quid habuisti in corde infra istum versiculum, Et tù puer Propheta Altissimi vocaberis? Ad quod iterùm respondit: Ita accensum est cor meum in illa hora ad memoriam B. Io: Baptistæ, quem valdè diligo, vt vix me capere possem præ gaudio. Et cognouit Prior, quòd flamma eadem signum esset vehementissimi amoris de corde adolescentis in cœlum ascendentis.

41. *B. Ida de Niuella hæc de se ipsa, (vt habetur in notis Menologij Cisterc. 11. Decembris) postquam mirabilem visionem, qua Christus eam visitauerat, retulit, addit.* Tanta dulcedine, & cognitione Diuina illustrata est interiùs anima mea, quòd à die illa, & deinceps quantùm mihi concessum est B. Trinitatis agnitionem consecuta sum. Ea etenim hora tanta lucis copia de inexhausto superni luminis fontè procedens, meque interiùs mirabiliter replens, in tantũ

lucidam interiùs exteriusque effecit, vt deinceps, vbicumque essem, in tenebrosa noctis caligine, absque alieni luminis mutuatione, corporeis oculis viderem, mihique in libro legere, vel aliud quid agere perspicuum erat, præsertim cùm manus meæ, & facies mea tamquam Solis radij refulgentes, mihi ad videndum tamquam luminare magnum deseruirent.

42. *In annal. Cistercienfibus ann. 1127. cap. 3. de Hymno Te Deum, de quodam fratre spirituali*. Huic videre concessum est, dum idem Hymnus inciperetur, quòd ab ore incipientis flamma magni splendoris erumpebat, & sursùm ascendebat.

43. *In Menol. Cisterc. 4. Augusti*. In Hibernia obitus Beatæ memoriæ Thomæ Lombardi, qui Ordini Cisterciensi in Monasterio Superatensi apud Hispanos se dedit, vbi ad tantam perfectionem peruenit, vt sæpe inter celebrandum è facie splendidissimos radios emittere visus fuerit.

44. *In Menol. Cisterc. 8. Iulij de B. Eugenio Papa*. Super eius caput, dùm hostiam immaculatam offerret, Diuinus fulgor, & duæ candidissimæ columbæ apparuerunt.

45. *Cæsarius lib. 12. mirac. cap. 54.* Magister quidam Parisiensis infirmatus, cum de glorificatione corporum cogitaret, & hæsitans in corde suo diceret: Quomodò poterit esse, vt corpora fictilia, & putrida, lucere possint in futuro, sicut Sol, ad pedes suos, quos de operimento erexerat, respexit: & ecce tantus splendor de illis exiuit, vt oculi eius reuerberati, eos intueri nequiret.

46. *Isidorus de Isolanis in vita Beat. Veronicæ lib. 2. cap. 3.* Meditanti in loco secretiori Veronicæ passionem Saluatoris, ac pro suis criminibus lachymas vberes fundenti, Diuina lux media noctis caligine apparuit, & claritas Dei circumfulsit eam; Cumque tertia nocte id luminis conspexisset, verita est nè à Dæmone sibi pararentur insidiæ, nam humillima talibus indignam se autumnans excruciabatur, orabatque ne quando super ea lætaretur inimicus. Interea Matris imperio Mediolano recedens, Rosatum oppidum non procul ab vrbe concessit, eleemosynas petitura. Cui oranti rursùm lux illa cœlestis super effulsit, Aiebat Virgo, ea luce se primùm terreri; Deindè inenarrabilibus affici gaudijs, & in Saluatoris nouos amores erumpere.

47. *In Chronicis Seruorum B. Virg.* In Choro, super caput S. Ioachim ordinis Seruorum splendor quidam coruscare sæpè visus est.

48. *In vita S. Patritij cap. 157.* Nocte quadam, quam pernox Patritius in Diuinis laudibus duxit, campi latitudinem, in quo ipse constitutus erat, densissima caligo obduxit. Auriga Sancti Pontificis, equos currui subiungendos, quos in campum ad pascendum emiserat, diutiùs quærebat. Sed præ caligine inuenire non valens, multo fletu ora rigabat. Quod cum Almus Antistes agnouisset, compassus lachrymis aurigæ, animo anxiati, dexteram de manica eduxit, digitosque dimissos sursùm erexit. Res mira, & à sæculis inaudita: Continuò illius quinque digiti, velut quinque radij Solis lucidissimi effulserunt, miro nouoque modo, totam prouinciam illuminantes, tenebras in lucem, & noctem in diem conuerterunt. Huius itaque claritatis mirificæ subsidio, auriga iugales inuenit, inuentos admirans & exultans ad patrem adduxit, adductosque currui supposuit.

49. *Chrysostomus Henriquez in fascicul. S. S. Ord. Cister. lib. 1. dis. 26.* Digiti manus Ven. Conradi Bauariæ Ducis, postea Monachi, & Abbatis Villariensis, & Cardinalis, & Episcopi Portuensis, quos in consecrationem corporis Christi extendebat, ad studium, & inspectationem litterarum, vel librorum nocte instar candelarum in tenebris relucebant.

50. *Matthæus Raderus in Bauaria sacra*. Quadam nocte dùm B. Marianus Scotos Abbas Ordinis S. Benedicti, nescio quod Diuinum volumen cum luminibus, sicut erat solitus, scriberet, contigit, negligente custode eiusdem Ecclesiæ, lumina sibi non præberi; ipse tamen sine omni luce materiali scribere non hæsitauit. Quoniam Diuina misericordia tres digitos manus suæ sinistræ adinstar trium lampadarum splendescere faciebat, vt inceptum opus in tali lumine cælesti incessanter perageret.

51. *In vita B. Aegidij discipuli S. Francisci*. Hic cùm nocte quadam Perusij de rebus cælestibus verba faceret, tantum radiorum eiaculatus est; vt Luna, quæ tunc fortè plena erat, tanto splendore inferior esse videretur.

52. *Petrus Maffeus de S. Ignatio Loyola lib. 5. cap. 14.* Recenti conuersione, Hierosolymam petens, dum Barcinone transmissionem expectat, interea Diuinam rem, sacras conciones, & alia religionis officia quàm accuratissimè obire non destitit. Accidit autem aliquando, vt cum in templo verbum audiret Dei; conspicata hominem fœmina princeps, peregrini habitu fæci plebis immistum, videre sibi visa sit eius caput, ac faciem eximio quodam fulgore splendentem, idque tanta sua cum animi voluptate, vt quaquam inuita ac repugnans modestiæ causa, tamen ab eo aspectu oculos nulla ratione posset auertere. Igitur concione dimissa, nihil ei fuit antiquius, quàm vt mariti permissu, peregrinum per idoneos homines oppidò conquisitum hospitio acciperet; qui domum ingressus, percunctantibus illis, quis, aut cuius esset; peregrinari se Hierosolymam dixit, neque de se ipso verbum vltra addidit. Hoc splendidissimum iubar in eiusdem vultu, etiam S. Philippus Nerius testatus est se vidisse.

53. *In actis S. Lutgardis*. Cum illa crebrò vigilias continuaret, quadam nocte super eam viderunt moniales non breui spatio quoddam luminis iubar, quod ipsum quoque Solis splendorem vinceret: quod quidem lumen intrò diffusum, non solum in illa, sed in alijs quoque, quæ illud viderant, vitæ gratiam augmentauit.

54. *Bzouius in an. Eccl. an. 1507. in vita S. Francisci de Paula lib. 1. cap. 10.* S. Franciscus de Paula dùm feruentissima charitate ad Deum oraret, sæpè sæpiùs clarissima luce, & rutilantibus ignibus circumfusus videbatur.

55. *In Mart. Gallic. 1. Maij. De S. Africano Episcopo Lugdunensi*. Eo tremenda mysteria in Sancti Sa-

Saturnini Ecclesia à se consecrata celebrante, eo temporis articulo, quo Sacrosanctam sumebat Eucharistiam, igneus circulus super caput eius effulsit in modum coronæ, quam qui Sanctissimæ Synaxis digni erant, indigni haùd, aspectabilem, conspexerunt.

56. *In actis Theophili Pœnitentis*. Suscepit communionem, statimque resplenduit facies eius sicut Sol.

57. *Petrus de Natal. lib. 5. cap. 21. de S. Iuone Presb.* Missam diebus singulis celebrabat: cui aliquando, dùm corpus Dominicum eleuaret, globus igneus super caput eius, cunctis videntibus & stupentibus, apparuit.

58. *Idem lib. 4. cap. 162. de S. Seruatio Episcopo.* Apud Metensem vrbem celebrans, facies eius, Solis claritate refulsit.

59. *Philip. Ferrar. Mense Apr. die 30. de B. Francisco Senensi ord. Seruorum*. Concionaturus magis orationi, quàm studio vacabat; sic autem acer, & grauis erat in reprehendendo, vt multos à vitijs deterreret, præsertim quòd interprædicandum igneus globus super caput eius à Virginibus visus fuisset.

60. *Idem Mense Iul. die 5. de S. Ioanne Rauello Episcopo Ferrariensi Ord. Iesuatorum*. Cum Sacra mysteria perficeret, igneus radius super caput eius ab astantibus omnibus visus est.

61. *In vita S. Sampsonis Episcopi c. 13.* Celebrante illo Missarum solemnia eo die, quo in Episcopum consecratus est, coram omnibus visus est Dubritio Episcopo, & alijs duobus Monachis, ignis de ore, ac manibus ipsius emanare.

62. *Seraphinus Bertolinus in vita S. Rosæ Peruanæ cap. 22.* Ex vultu S. Rosæ de S. Maria ex 3. Ordine S. Dominici multoties splendidissimi radij, præcipuè dum S. Eucharistiam sumeret, mirabiliter rutilantes obseruati sunt.

63. *Vading. an. 1464. de B. Amadeo Lusitano*. In Bressanorij Ecclesia pernoctabat in oratione Dei, & transeuntes ante auroram quidam operarij, conspexerunt flammis operiri tectum, & aera suauissimo cantu repleri. Admoniti Fratres igniti tecti, in templum accurrerunt, solùmquè viderunt Amadeum orantem, ex cuius pectoris fornace tot flammæ prodibant.

64. *Arturus in nat. ad marty. Francisca. 2. Ian. De B. Cæcilia à Coppoli Virg.* Sic Sanctæ orationis exercitio addicta erat; maximè Christi passionem meditando; quòd nonnunquam lumina micarent super locum, cui deuotioni incumbebat.

65. *Auctor in vita Ven. M. Vrsulæ Benincasæ*. Pluries cum oraret Ven. Vrsula Benincasa, cælesti lumine circumdata visa est.

66. *Zachar. Bouer. in annal. Capuccin. 1580. de F. Leone Catanensi*. Orabat aliquandò Vir Sanctus in Ecclesia ante auroram, dùm in Conuentu Tyracensi moras trahit: quo tempore Frater Chrispinus Nouitius, ad eum accedens, Leonem magno splendore emicantem, sex è terra cubitis elatum conspicit: quo aspectu is adeò exterrefactus fuit, vt ferè exanimis in Cellam rediret; remque ad Magistrum referret. At neque id Leoni nouum, aut insolitum erat: Etenim cùm in eodem Conuentu, vnà cum Fratre Andrea Catanensi Laico, haùd sanè minoris Sanctitatis Viro noctu oraret: quidam Agricola, cuius domus haùd longè à Conuentu aberat; sæpe noctu splendidissimum quendam lucis globum, velut Solis iubar, sese ex Ecclesiæ culmine efferentem conspiciebat: quod cum factum admiraretur, propiùs aliquando ad Conuentum accedens, duo clarissima lumina, sese ex Ecclesia in Cœlum vsque attollentia cernit: Rem adhùc magis admirans, Conuentus tintinnabulum pulsat: hora erat antelucana: cùm is, vt Fratribus notus, ac familiaris erat, nulla nocturni illius gemini splendoris mentione Ianitori facta, iter cum Ianitore ad Ecclesiam carpit. Vix autem Ecclesiam ingressi, Leonem, & Andream ante Sacrosanctæ Eucharistiæ Altare orantes, mente in Deum absorptos, ac corpore in sublime elatos intuentur: ac tunc primùm is, quid duo illa lumina in Cœlum sese efferentia præseferrent, eo aspectu didicit.

67. *Idem ibidem 1574. de F. Geruasio Hyrminiensi*. Nihil viro Dei iucundius erat, quàm in aliorum sese vtilitatem effundere: cunctisquè verbo, aut opere prodesse. Quapropter die quadam cum Socio iter faciens, cùm in virum quendam Patrem familias incidisset; qui cùm ob summam anni illius sterilitatem, quo familiam aleret, non haberet, è domo aufugiens, quò tenderet, ignorabat. Hunc Vir Dei verbis consolari, atque illi suadere cæpit, vt suam in Deo spem collocaret, qui cum aues Cæli pascat, nullum in se sperantem vnquam reijcit. Dùm hæc illi Dei seruus persuadet, Vir ille facem ardentem, ex Geruasij ore prodeuntem intuebatur; qua ipsius mentem accenderet.

68. *In Chron. B. Mariæ de Mercede an. 1574. de Sorore Magdalena de Conceptione*. Quadam die Moniales in Chorum introeuntes, faciem eius eleuatam, & ad Crucifixi Imaginem conuersam (ex qua claritas magna, & splendor solaribus radijs similis procedebat) non sine stupore, & admiratione respexerunt; præsertim quia capite eius inclinato, & in se reuersa, splendor, & claritas abierunt, & ipsius facies, quæ à natura fusca erat, tranquilla, & suo naturali colore remansit.

69. *Rhò in Hist. Virtutum lib. 7. cap. 1. de Roberto Bellarmino Cardinali*. Idem Capuæ Antistes, ad Seminarij Alumnos, cùm de Magni Gregorij laudibus, atque imitatione dissereret, in eum ingressus est sermonem, vt in se Magni Pontificis aliquam se agnoscere diceret similitudinem, ac reliqua inter, se item integræ vt illum, esse virginitatis. Aderat Alumnos inter Seminarij Rector, vir prudens, cui nimius hominis candor ineptusque cum videretur, admota, quasi erubesceret, ori manu, faciem, vt moris est, conuelauit. Verùm vt oculis ea remota diem reddidit, Bellarmini faciem radijs vndique circummicantem vidit, damnauitque ipse iudicium suum, & magnitudinem virtutis, quæ in ipsum Antistitis os redundaret, attonitus suspicere exinde cæpit, & post eius excessum legitimè interrogatus, rem omnem publica fide voluit esse testatam.

70. *Io: Andreas Rota in vita Sor. Pudentianæ Zagnoniæ lib. 1. cap. 4.* E vultu Sororis Pudentianæ

Zagnoniæ Virginis Bononiensis, sæpè viuacissimi splendores erumpere, dum oraret, obseruatum est, ita vt aliquando flammis extrinsecis concremari fuerit iudicatum.

71. *Franciscus à S. Maria in Historia Carmelitarum tom.2.lib.7.cap.23.* Ven. Catharina à Iesu ex discalceatis S. Teresiæ, dùm adhuc viueret magnum exhalabat odorem, sæpè maximo circumfusa splendore est obseruata.

72. *Idem tom.2. lib.7. varijs capitibus.* B. Ioannes à Cruce ex discalceatis S. Teresiæ multotiès à Monialibus splendidissima circumfusus luce obseruatus fuit.

73. *Ferrantes Meltius in Vita Ven. Mariæ Victoriæ Genuensis fundatricis SS. Annunciatæ lib. 2.cap. 14.* Lux ex eiusdem corpore sæpè cum dormiret visa est egredi.

74. *In His.Cle.Reg.Ministrantium infirmis, an. 1604. n.26.* Dum Ven. Camillus de Lellis Romæ die Sacratissimo Pentecostes de charitatis virtute sermonem coram suis Patribus haberet, ex vultu ipsius quasi splendoris radius exiuisse visus est. Ita pariter in S. Spiritus Hospitali dum eandem egregiam commendaret virtutem, veluti Solem fulgere os eius intuiti sunt. Idem in SS. Annunciatæ Nosocomio de ipsamet virtute inter loquendum Camillo contigit.

75. *De B. Beatrice à Nazareth.* Aliud quoddam valde mirabile eisdem diebus contingit: ex Charitatis enim incendio, quo cremabatur intrinsecùs, etiam ad corporales oculos ignis Spiritualis ascendit, quia ex vtroque radium miræ claritatis ad conspectum omnium Monialium foràs emisit: ita vt humilem Beatricem electo Dei famulo Moysi, cui locutus est Dominus facie ad faciem, præ claritate vultus sui cornutam faciem habenti, aptissimè quo ad hoc possimus comparare. Sed & ipsi Beatę fœminæ per totum illum diem vix aliquid oculis corporalibus discernere licuit, tam illa cælesti claritate, tam visibilia, quàm inuisibilia, tam corporalia, quàm Spiritualia mirabiliter penetrauit.

76. *Sylos in Hist. Cler. Reg. Par.1.lib. 6.de Ven. Ioanne Marinonio.* Sunt qui vidisse se dicerent, volucrem quendam ignem, radiosque in eius vultu, fulgurare, cùm disertè ad populum detonabat, ingentis planè ardoris index, qui in pectore eius æstuabat, ea fax oris, ac vibrantes radij erant.

77. *Dominicus Maria Marchesius in vita Ven. Sor. Mariæ Villanæ Ord. Prædicatorum.* Amoris flamma, qua in Deum, Ven. Mariæ Villanæ cor flagrantissimè ardebat, & in externo corpore emicabat; si quidem quandoque admirabilibus, lucidisque splendoribus, caput eius, vel pectus rutilare obseruatum fuit.

78. *Bozius de signis lib. 12. cap. 21.* Franciscum Sotum Franciscanum, aliquando viderunt Indi, dum concionaretur, ingenti luce circumfulgentem.

Splendores, Reliquias, seù honorantes, seù manifestantes. §. 5.

HIc addam pro complemento huius capitis Admirabiles splendores, quos sæpè sæ piùs, vel venerabundi cœli, ad sacras Reliquias debito honore prosequendas, vel ad easdem in obscuris latebris latentes, mortalibus patefaciendas, mirabiliter emiserunt. De quibus.

1. *Saluator Vitalis in Theatr. Mediolanensis Vrbis.* Quidam referunt, sanctissimum Domini Clauum, qui in maiori Mediolanensi Ecclesia colitur, à D. Ambrosio Romæ per Diuinam reuelationem, in officina cuiusdam fabriferrarij Paulini, rutila stellula super ipsum Clauum existente, indice, repertum fuisse.

2. *Hippolytus Donesmundus in Hist. Eccl. Mantua lib.3.* Quo tempore sanctissimus Domini sanguis, qui in Ecclesia S. Andreæ asseruatur, & colitur, diuinitùs inuentus est, immensa lux in aere apparuit super locum, in quo absconditus erat, durauitque per integram horam.

3. *S. Melito Episcopus Sardensis de transitu Virginis cap.12.* Et ecce nouum factum est miraculum. Apparuit enim corona nubis super feretrum magna valde, sicut apparere solet magnus circulus iuxta splendorem Lunæ. Et Angelorum exercitus erat in nubibus, canticum suauitatis emittentium, & resonabat terra sonitu dulcedinis magnæ. Tunc egressus de Ciuitate populus ferè quindecim millia hominum, mirabantur, dicentes: Quis est sonitus tantæ suauitatis? Tunc stetit vnus, qui diceret illis: MARIA MATER IESV exijt modo de corpore, & discipuli Iesu circa eam laudes dicunt. Et respicientes, viderunt coronatum feretri lectulum magna gloria, & Apostolos cantantes voce magna. Et ecce vnus ex illis, qui erat princeps Sacerdotum Iudæorum in ordine suo repletus est furore & ira, & dixit ad reliquos: Ecce tabernaculum illius, qui nos turbauit & omne genus nostrum, qualem gloriam nunc accipit? Et accedens voluit euertere feretrum, & Corpus ad terram deijcere. Et statim aruerunt manus eius à cubitis, & adhæserunt lectulo. Et eleuantibus Apostolis feretrum, pars eius pendebat, & pars hærebat ad feretri lectulum, & torquebatur supplicio vehementi, ambulantibus Apostolis, & psallentibus Domino: Angeli verò, qui erant in nube percusserunt populum cæcitate.

4. *Ioannes Moschus in prat. spirit. cap.87.* Venimus in quemdam vicum sex milliaribus à Rosa distantem, & duo senes sæculares hospitio nos susceperunt in Ecclesia fundi sui. Vicus autem ad radices montis erat. In Ecclesia igitur ipsa ostenderunt nobis marmoream tabulam, dicentes: Christiani, magnus in hoc monumento anachoreta iacet. Diximus autem eis: Hoc vnde nostis? Et dixerunt nobis: Ante annos septem aspiciebamus nos vici huius habitatores per noctem in vertice montis lucem quasi ignem, nos ergo putabamus, quòd ignem aliquis illic accendisset. Cumque per dies plurimos istud aspiceremus, ascendimus die quadam, & nulla ignis indicia vidimus; neque igem, neque aliquid

quid

quid in Silua igne adustum. Rursum sequenti nocte vidimus eadem lumina. Tribus igitur continuis mensibus ignem hunc vidimus. Nocte verò quadam assumentes quosdam ex vico cum armis propter feras, ascendimus in montem ad lucem, quæ apparuerat, mansimusque vbi lux erat vsque in diem sequentem. Manè verò facto, aspicimus modicam speluncam in eo loco, vbi lumina videramus. Ingressi autem inuenimus anachoretam defunctum. Erat autem indutus cilicio & pallio, tenebatque in manibus argenteam Crucem. Inuenimus etiam chartam ita scriptam: Defunctus sum ego Ioannes Humilis, Indictione quintadecima. Computatis ergo annis, inuenimus eum ante septem annos defunctum esse; ita verò erat integer, ac si die eadem obijsset. Sublatum ergo in Ecclesia cum honore sepeliuimus.

5. *In vitis P.P. lib. 1. de S.S. Epiteto, & Astione.* Dùm Christiani, qui eorum martyrio adfuerant, darent Deo gloriam & honorem, ecce subitò corpora Sanctorum Martyrum in modum niuis visa sunt candida: atque præ nimietate splendoris, quasi solis radij esse videbantur. Omnes qui à quacumque infirmitate detenti esse videbantur, statim vt cadauera ipsorum ex fide contingebant, seù cum veneratione deosculabantur, continuò vniuersa anxietas, seù dolor ab eis fugabatur.

6. *S. Damianus in vita S. Romualdi.* Cum Slaui occidissent Ioannem, & Benedictum Monachos in solitudine, ad eorum corpora etiam nocte tenebrosa lumen assiduè effulsit. Quo factum est, vt plurimi id videntes, Christo nomen dederint.

7. *Surius 29. Octobris.* Corpus S. Ermelindis Virginis iacebat ignoto loco: acciditque, vt quidam eò faciens iter, longiùs progredi haùd posset. Subsistens itaque & media nocte experrectus, vidit immensum inde lumen prodire: vbi illuxit, perrexit ad id conficiendum, cuius causa, viæ se dederat, deindè ad obseruandum redit, & à Domino de corpore Beatæ Virginis est certior factus.

8. *Philip. Abb. Bonæ spei in lib. miraculorum S. Amandi cap. 4.* Cum circa tertiam horam ante sacratissimum corpus inciperent missam celebrare, (mirabile dictu) vt cunctis euidenter appareret cuius meritis hæc signa fiebant; Sereno puroque sine crassitudine nubium aere; visus est in Cœlo circulus candidi coloris supra corpus Sancti resplendere: tamque diù permansit, donec Sacerdos missam expleuit. Aderat non modica populorum frequentia, res insolita mirantium oculos perstringebat: in superioribus aeris partibus cunctis apparens, occultari minimè poterat.

9. *Vsuardus in Martyrol. 3. Octobr.* Apud antiquos Saxones, Sanctorum Martyrum duorum Eualdorum; qui cum essent presbyteri, & prædicare ibi Christum cæpissent, comprehensi sunt à Paganis, & occisi. Ad quorum corpora noctu, multa diù lux apparens, & vbi essent, & cuius essent meriti, declarauit.

10. *Aluarus in actis S. Eulogij Martyris.* Nec silendum est miraculum, quod ad laudem sui nominis Christus est super corpus Martyris operatus. Etenim vnus Astigitanæ ciuitatis incola, dum inter cæteros palatinum mansiònis seruitium ageret, ibique cursum suum vigilijs expediret, nocte aquam potare desiderans, surrexit, & ad prominentem canalis ductum, qui supra illa loca producitur, peruenit. Ibi vidit desuper corpus eius, quod deorsum iacebat, Sacerdotes miro candore niuentes, luminaria coruscantia retinentes, & psallentium more, Psalmos grauiter recitantes. Qua visione perterritus, ad mansionis locum magis fugiens, quàm radiens, repedauit, & socio omnia renuntians, cum eo iterùm ad locum reuertere voluit, sed iam secundò cernere illud non valuit.

11. *Aimonius lib. 1. Translationis S. Vincentij cap. 5.* Fulgor magnus in habitaculo, ad quod corpus S. Vincentij translatum fuerat, conspectus est; ita vt incendio illud conflagrare putaretur.

12. *Hugo Menard, lib. 2. obseru. mens. Aug. de S. Etheldritha Virg.* Cum eius corpus lauaretur, ex quibusdam eius membris radij instar solis exilierunt.

13. *De B. Ioanne Salsaguntino Ord. Eremitarum.* Cum ad beatorum sedes animus innocens, atque purus euolasset, facies iacentis resplenduit ad intuentium stuporem. Eo factum est, vt à pictoribus radiante vultu exprimatur.

14. *In actis B. Alani Britanni.* Cum totam Franciam prædicando circuisset, & ad dicendum deuotè psalterium B. Virginis multos edocuisset, Aurelianis sanctissimè obijt. Sepelieruntque eum ex causa singularissima coram altare Virginis Mariæ, ibidem in Conuentu eiusdem ordinis. Cuius os & ambæ manus propter Virginis Mariæ Psalterium, nimio splendore, & candore post eius mortem ad modum Chrystalli claruerunt.

15. *S. Anton. 1. p. Chron. tit. 6. c. 26. §. 3.* Sanctum Lucianum egressum de ciuitate cum duobus pueris Maximiano & Iuliano ad montem distantem à Belouaco per tria milliaria, ministri sceleris prosecuti, pueris illis occisis, post contumelias, capite truncatum occiderunt. Luxque immensa super corpus exanime emicuit; & vox de Cœlo audita est, euge famule bone Luciane, qui pro me sanguinem effudisti, veni ad preparatam tibi mansionem in Cœlis.

16. *S. Ioannes Chrysostomus in sermone de S.S. Iuuentio & Maximo.* Vultus eorum corporum ita splendere cæperunt post mortem, vt non posset in eos intendi sine honore quodam.

17. *Bernardinus Scardeon. de Antiquit. Patau lib. 2. class. 6. de inuentione corporum S. S. Maximi Episcopi & aliorum.* Anno Domini, 1053. admonitus diuinitùs Episcopus Patauinus, quæsiuit in Ecclesia S. Iustinæ inter altare S. Mariæ Virginis & S. Prosdocimi, Reliquias S.S. quæ ibi dudùm sepultæ fuerant; cum igitur terram fodere cæpissent, mira quædam odoris suauitas spirare cæpit, & subinde splendor exortus est, quo splendore singulis astantium admirabilis stupor inuasit; statimque adinuenta fuit arca marmorea ferreis laminis circumcincta, & tabula lapidea, his litteris insculpta: Maximus Episcopus Patauinus secundus, Iulianus Patricius vir nobilis, qui Sanctos hos Innocentes Hierosolymis hùc apportauit, & Fælicitas Deo consecrata.

18. *Vin-*

18. *Vincemala de mirat. B.Virg. lib. 1. num. 17.* Scriptum reliquit Gregorius beatus vir, & Episcopus Turonum, adseruari in Aruernorum ditione quasdam reliquias rerum, quæ Virginis fuerant, easque ibi summo in honore, & maximo in cultu haberi, vt res tanta dignitate præstantes habere, par, & æquum est. Cum aduenisset igitur festus Assumptionis dies, Gregorius in templum se contulit, in quo illæ reliquiæ custodiebantur, quodque Assumptioni erat dicatum; Statuerat enim propter aduenientis diei expectationem, & religionem de more ibi laudibus, & hymnis celebrare excubias. Quare atra in nocte, quo tempore omnia obscura, & vmbrarum plena erant, propiùs illùc accedens è templi speculis vidit omnia intus diei plena esse, ac lucis, omniaque luminibus collucere, quibus quilibet splendor exsuperabatur, existimans illùc maximam facum, & funalium copiam fuisse allatam à pijs aliquibus, qui conuenissent ad excubias, & ipse ut ingrederetur, rectà properabat ad Ianuam, quæ clausa fuit reperta, illam verò cum pulsasset, statim patuit, nullo aperiente ianitore. Sed vbi templum ingressus est, alma illa lux effugit, quòd fortè mortales oculi cælestem, ac diuinum splendorem minimè ferrè poterant. Neque aliud se potuisse conijcere, dicit, Gregorius, quàm lucidum illud lumen è Virginis sacra luce prouenisse, cuius reliquiæ ibi à pijs Christianis maxima pietate seruabantur.

19. *Venerabilis Beda lib. 1. Hist. Ecclesiasticæ.* Cum Ven. Abbas Petrus, dum legatus in Galliam proficisceretur, ab impijs demersus fuisset in sinum maris, qui vocatur Ampleat, ab incolis inuentum eius corpus, ignobili traditum fuit sepulturæ; sed omnipotens DEVS, vt qualis meriti vir fuerit demonstraret, omni nocte supra sepulchrum eius lux cælestis apparuit, donec animaduertentes vicini, qui videbant, Sanctum fuisse virum, qui ibi esset sepultus, & inuestigantes vnde, & qui esset, abstulerunt corpus, & Bononiæ iuxta honorem tanto viro congruum in Ecclesia posuerunt.

20. *In actis Sanctorum Februarij apud Bollandum tom. 2.* Super tumulum B.Isaiæ Boneri ordinis S.Augustini lux sæpiùs descendens, suis illustrabat radijs, quam non rarò noctu, & matutino tempore deuoti Fratres conspiciebant.

21. *Gregorius Turonensis de Gl. Confess. cap. 104. de Pelagia genitrice B.Aredij Abbatis.* Nocte verò globus ignis magnus apparuit, qui ab Oriente consurgens, ac per Cœli circulum currens, super Ecclesiam stetit, in qua corpus defunctæ iacebat. Ex hoc enim ita cunctam ædem subitus splendor obtexit, vt putarent se diem medium contemplari.

22. *Petrus de Natalibus lib. 8. cap. 71. de S.Bona Virg.* Post eius obitum, corpus eius lux clara de cœlo circumdedit, & ex ipso odor mirabilis refragrauit, donec officio completo, sepulturæ traditum est.

23. *Idem lib. 1. cap. 69. de S.S.Nicasio, & Eutropia mart.* Sanctorum occisorum corpora relicta sunt in expugnata ciuitate, supra quæ noctibus cœlestia luminaria refulgebant, donèc reuelatione Diuina, post Vuandalorum abscessum, à ciuibus, qui remanserant, corpora Sanctorum fragrantia, digno honore locis congruentibus tumulata sunt.

24. *Idem lib. 5. cap. 113. de S. Peregrino Episcopo, & Martyre.* Corpus Martyris, gubernantibus Angelis, per fluuium in mare descendit, & vnà cum lapide ad littus Iardenensis ciuitatis à fluctibus erectum est: Quod, cùm piscator quidam in littore reperisset, Episcopo nunciare curauit, qui vnà cum eius Clericis ad locum accessit, corpus quidem Martyris propter lapidem arbitrans, ipsum tamen vt martyris quasi dubius venerari non audens, in littore sepeliuit: & quia nomen eius ignorabatur, Peregrinum nominauit, Diuinamque voluntatem superindè expectare cæpit. Cùm autem piscatores noctibus singulis ad caput fossæ lumen cæleste conspexissent, & hæc in Ciuitate relata fuissent, cæcus quidam à natiuitate, à patre ad fossam deducitur, & oratione fusa, lumen ei oculorum infunditur. Quo viso miraculo, corpus Martyris proculdubiò fore noscitur, & ab Episcopo nomine Sancti Martyris, & Episcopi Peregrini milliario iuxta Iardenensem ciuitatem in Ecclesia sepelitur.

25. *Idem lib. 9. cap. 126. de S. Quintino Martyr.* Post decursum annorum CCCXX. dùm corpus Sancti Martyris iterum esset incognitum, Sancto Eligio Nouionìensi Episcopo reuelatur: qui post ieiunium triduanum, dùm locum sibi ostensum, vbi latebat, effoderet, nocte lux de cœlo tanta circumfulsit, vt dies orta à pluribus crederetur: odoris quoque suauissimi fragrantia erupit.

26. *Aimonius de translatione, & miraculis S. Germani.* Cum ad fluuium Sequanæ sua quæque ad naues ferentes, quidam prima ipsius noctis vigilia perrexissent fratres, indeque ad Monasterium iam remearent, apparuit eis, secumque etiam comitantibus famulis, tam immensus claritatis splendor super eam Ecclesiæ partem, in qua eiusdem Sanctissimi viri corpus positum erat, vt claritate æquaretur diei, eademque Ecclesia velut igne supposito videretur cremari. Qui cum intra se nimiùm mirarentur, & eorum corda eiusmodi consideratione stupefacta hærerent, visio paulatim deficiens disparuit. Peruenientesque ad Monasterium sciscitati sunt, si aliquis fratrum ea hora cum lumine super ipsam fuisset Ecclesiam: nemine tamen, qui fuerat, reperto, cognouerunt visionem Angelicam diuina virtute meritis Sancti paratam, qui sua migratura ossa, piosque cineres talis sibi claritatis concessa gratia, inuisere curauisset.

27. *Mosandus in vita S. Epiphanij Ticinensis Episcopi 22. Ian.* Illud silentio præterire non debeo, quòd eius sanctæ reliquiæ vsque in diem tertium, quo cum summa veneratione reconditæ dinoscuntur, tanto lumine ac decore vestitæ cunctorum visæ sunt oculis, vt splendorem vitæ vultus signaret defuncti, & depositam gloriam iam tunc percepisse gloriosum vas crederetur, inquo verè fuit thesaurus magni Regis inclusus.

28. *Sedulius in actis sex Martyrum Alemariensium cap. 19.* Veræ martyrij gloriæ adduntur miracula, lumina, scilicet illis in locis per plures noctes ap-

apparuerunt, præsertim cum æstu fluctibus plùs solito excrescentibus, denudata corpora fœdo iacere conspicerentur modo, quæ postmodum loco minimè cognito sepulta fuisse dicuntur.

29. *Idem ad vitam S. Ludouici Episcopi cap.* 29. Sacrum funus Sancti Ludouici, dum ex arce Brincola, Massiliam portaretur ad sepulturam, visi sunt de cælo radij instar lancearum ad S. Corpus descendere.

30. *In menologio Cisterciensi* 13. *Decembris de B. Mencia Priorissa*. Horam obitus sui diuina reuelatione cognouit, quam, Ecclesię Sacramentis munita, auidè expectauit, & inter cælestes spiritus, qui eius migrationi visibiliter interfuerunt, animam reddidit Creatori. Super cuius tumulum per moltos dies miræ claritatis splendores apparuerunt, & multis alijs signis eius gloria omnibus innotuit.

31. *Robertus de monte in supplem. ad Chron. Sigiberti an.* 1146. Apud Noruicum Angliæ Ciuitatem Iudæi crucifixerunt puerum quemdam Christianum nomine Vuillelmum, quem etiam foras ciuitatem ab eis sepultum, Diuina lux (vt ferunt) super eum emicans declarauit, sicque à fidelibus inuentus, honorabiliter est in Ecclesia positus.

32. *In vita S. Geroldi Martyris*. Cum pagum Cremonæ vicinum transiret, latrones duo, quò in insidias pertraherent Geroldum, litem ex composito adsimularunt. Hic, quò digladiantes dirimeret, illicò accurrit. At illi iam dudum in mortem innocentis amici, caduceatorem suum multis plagis confecerunt, interque syluas abdiderunt. Sed exciuit vrbem, vrbisque Pontificem æs campanum sua sponte sonans, & vt Martyr faciliùs reperiretur, prodigiosa lumina cælum accendit.

33. *In martyrio B. Nicolai Rusca cap.* 13. Illud quàm plurimis mirabile visum, & prodigio non absimile; corpus eius, exanime, insolito quodam fulgure è tenebrosa, in qua iacebat, spelunca, radiare, quinimmò videre complures, supra ipsam Carceris domum, stupenda quædam lumina de nocte coruscare, & quasdam velut fulgentissimas columnas, in Cælum erigi, ac denique disparere.

34. *Frodoardus in His. Rhemensi lib.* 2. *cap.* 14. *de S. Rigoberto Episcopo*. In Basilica, in qua sepultum fuit eius venerandum corpus, lux tantæ claritatis medijs inibi noctibus emicuit, vt solis fulgorem vicisse videretur; quæ magno etiam quodam iubare, Sacerdotis contiguam penetrauit ædiculam. Quo viso, tantus timor inuasit presbyterum, vt abinde maiorem huic loco reuerentiam exhibuerit, quàm antea solitus fuerit.

34. *S. Anton.* 1. *p. Chr. tit.* 8. *c.* 1. *§.* 47. *de* 40. *Mart.* Hi omnes combusti sunt, quorum cineres iactati sunt in amnem. Sed in loco præcipiti & nodoso restiterunt, & congregatæ sunt eorum reliquiæ, & nihil earum imminuit fluuius. Post tres dies reuelatæ sunt Episcopo Ciuitatis ab ipsis Sanctis, Qui accipiens Clerum, & Populum perrexerunt illùc, & viderunt reliquias in aqua fulgentes tamquam luminaria, super quas aqua decurrebat, illarum nihil secum trahens, & si quid alicubi relictum fuerat, à splendore demonstrabatur.

36. *Greg. Turon. l.* 1. *de mirac. S. Martini cap.* 10. Quidam de Cameracensi Ecclesia reliquias beati Martini expetijt. Quibus iam vespere acceptis, cum psallendo proficisceretur, dumque Ligerim fluuium transit, sero factum est, & subitò contenebratum est Cęlum, & ecce fulgura magna ac tonitrua descendebant. Dum hæc agerentur, duę puerorum lanceæ, emissa flamma, lumen euntibus præbuerunt. Ibantque fulgurantes hastæ, non minùs miraculi, quàm beneficij præuiantibus præferentes, virtutemque Antistitis ostendentes.

37. *Surius* 17. *Ianuarij de Translatione S. S. Mart. Diodori, Mariani, & aliorum*. Nocturno tempore Cryptam, in qua erant corpora S. S. Martyrum, tantus splendor illustrabat, vt nullus auderet nocturno tempore accedere.

38. *Idem* 25. *Augusti de Cadauere S. Hunegundis*. Cum diù Sacrum Corpus eius sub terra conditum iacuisset, quædam Sanctimonialis, Berta nomine, miræ abstinentię, multę patientię, paupertatis valde studiosa, eximiæ humilitatis, misericordiæ operibus dedita, ieiunijs, & vigilijs & precibus intenta, ex Diuina reuelatione locum sepulturæ eius cognouit, anno salutis nonagentesimo quadragesimo sexto, Ludouico regnante. Cumque immenso gaudio tantum thesaurum subirò eleuare vellet, Venerandus Presbyter Gito sanctorum pignorum Quintini & Victorici Martyrum custos, casu superueniens eam obiurgauit, dicens, fas non esse sine auctoritate Episcopi Sacrum corpus leuari. Ita ad dies triginta duos intactus mansit Sarcophagus iam apertus, apud quem diù noctuque sacris vigilijs incumbentes, Episcopi aduentum sustinebant. Quo spatio multa illic diuinitùs sunt declarata miracula, atque ingens splendor perpetuò ad sacrum corpus permansit, ita vt à pectore virginis & sursum, pro sordibus pulueris, nitentia relucerent fragmina margaritarum, & quibusdam clarissimis erumpentibus scintillis, aspicientium reuerberarentur obtutus. Inter cætera autem miracula ipso die eleuationis Sanctissimæ Virginis, cum sæuissimus morbus totum illum pagum adeò occuparet, vt vix esset domus, in qua non iaceret ægrotus, omnes illi cum eleuato sacro corpore simul è suis lectulis sani surrexere. Tandem accersito Rodulpho Nouiomensis Ecclesiæ Archidiacono, postea eiusdem vrbis religioso Episcopo, & ex Collegio beatissimi Martyris Quintini accitis Patribus, Gitone, Roberto, alijsque pluribus magnæ pietatis viris, peractis Missarum solemnis, itum est ad tumulum, ibidem etiam nùm circa caput & pectus Sanctæ Virginis, illo, quod diximus, cælesti lumine adeò coruscante, vt nemo posset ad plenum intueri.

39. *Idem in vita S. Remacli* 3. *Septembris*. Fiscus Ledernaus nostro monasterio addictus est. In eo Ecclesia est, Sancti Simetrij, & aliorum virtutibus illustris. Digressi nos à Castello Longia, quod æquè nostræ ditionis est, ad eum Fiscum diuertimus. Habebamus apud nos pretiosum corpus patroni nostri, quod in S. Simetrij Ecclesia ea nocte voluimus conseruari: Vigilabat tum illic frater quidam, isque ante gallorum cantum vidit è cælo lucem descendere & per fenestras templi penetrantem, feretro, quo Sacrum corpus vehebatur incumbere: simulque

que tenebras dispelli omnes, feretrum commoueri. Campanas cælesti vi impulsas sonum edere. Fratres & vicini expergiscuntur, re insolita obstupescunt, licèt molestum esset præter morem surgere, attamen surgunt ad nocturnas persoluendas preces. Vbi ad Ecclesiam ventum est, & compertum quid accidisset, animaduertunt Sancto Corpori non deesse Diuina officia atque ministeria. Itaque laudibus celebrant Christum, qui tam mirabilis est in Sanctis suis.

40. *Idem de eodem*. Carolo tertio Imperatore, anno salutis octingentesimo octogesimo tertio inuisa gens Danorum, magna instructa classe, in Gallias de improuisò irrupit, ijsque peruagatis, cædibus, incendijs, & direptione omnia vastauit. Indè transmisso Mosæ flumine, Arduennam Syluam mirè populantur, euertunt Villas, incendunt oppida, regias arces & monasteria destruunt. Ventum est etiam ad nostrum Cœnobium, cuius situm clàm noctu explorantes, ita nos includere constituunt, vt nemo possit euadere, Sed Diuino nutu & patroni nostri meritis, eorum consilia nobis quidam fuga elapsus patefecit. Nos metu perculsi, sublatis Beati Remacli reliquijs, licet serò, fugæ nos mandamus. Nocte intempesta montem ascendimus,& illic respirandi causa subsistimus. Tum verò immensum lumen igneæ columnæ effigie, videmus descendere in loculum, sacra ossa retinentem. Lux illa longè fuit lunari splendore illustrior. Erat tum frigus ingens; at nos ità sua vi quodam calore afficiebamur, vt vernum tempus agi videretur. Interim nos inuicem respectantes, stamus attoniti, nihil loquentes, & tantæ rei finem expectantes: cùm post vnius fermè horæ spatium lux illa cælos repetijt. Nos ergo ire pergimus, atque ità illæsi à patrono illo nostro in tam præsenti hostilis persecutionis periculo conseruati sumus, vt nullus ferè Barbarorum ense iugulatus sit.

41. *Idem in vita S. Corbiniani. 8. Septembris*. Post sepulturam, tertia nocte media magni luminis cerei ardentes visi sunt in eadem Ecclesia, ita vt diei vincerent fulgorem, & candorem superarent niuis.

42. *Idem in vita S. Lamberti Episcopi 17. Septembris*. Leodij, vbi Sanctus Episcopus occisus est, in cubiculo illo, vbi sanguinem fudit, sæpiùs visa sunt luminaria diuinitùs accensa, ita vt tota domus tanto compleretur splendore, vix vt oculis in eum possent intendere.

43. *Idem in vita S.Galli Abb. 16. Octobris lib. 2. cap. 11*. Victor Curiensis Rhetiæ Comes, cum innumerabiles apud tumulum S. Galli per merita ipsius virtutes ostendi creberrimè didicisset, inuidia perurgente, tanta nouarum generositate virtutum, nostram gentem insigniri perdoluit: & vt tunc fama vulgauerat, latenter voluit per abdita eremi superuenire, & pretiosi thesaurum corporis, siquo pacto potuisset, auferre. Qua malitiosi raptoris intentione comperta, hi qui in circuitu Cellæ viri commanebant, custodibus vicissim per turmas deputatis, eundem locum ab hostili incursione, nè videlicet tam chari fulgore margariti carerent, omni sagacitate defensare studebant. Igitur cùm quadam nocte custodes in summitate montis, qui monasterio superimminet, ad suspectos incursus armati residerent præcauendos, casu lucem cœlo venire, ac totius Ecclesiæ præfundere mœnia conspexerunt. Immensitatem itaque luminis admirati, ad Ecclesiam citiùs excurrerunt, & dùm trepidi stupentesque ibidèm constituti, eundem intuerentur splendorem, paulatim se lux submissa recolligens, astris inseritur. At illi viso miraculo, agentes Domino gratias, securi ad propria remearunt, credentes corpus viri Domini per vim ab eo loco minimè auferri posse, quem illi Dominus ante sæcula prænidit, & suæ illustrationis honore temporibus istis decorauit. Vnde datur intelligi quanti apud Deum meriti vir iste fuerit, cuius sepulturæ locum cælitùs contigit illustrari; vt videlicet, lumen, quo eius anima perfectè fruebatur in cœlis, etiam mortuo corpori non deesset in terris.

44. *In vita S. Eligij Episcopi Nouiomensis c. 54.* Cum Beatus Eligius apud Turones adhùc laicus S. Martini thecam fabricaret, cuiusdam matronæ hospitio vtebatur. Ea cernens virum Sanctum iugiter eximijs operibus intentum (vt erat reuera promptus ad omne opus bonum, creber in precibus, largissimus erga pauperes) non temerè sibi persuasit, eum esse Dei seruum. Cùmque aliquandò tonderentur pili capitis & barbæ eius, illa pannum lineum, quo exceperat pilos, & quicquid ex pilis ipsis colligere potuit, linteo inuolutum in arca reposuit. Per multis indè labentibus annis fœmina eius rei penitùs oblita fuit. Post obitum autem Beati Eligij sæpè noctibus audiebat in cubiculo suo suauissimam psalmorum melodiam. Curiosè itaque explorare volens, quid agatur, videt per foramina quædam miram radiare lucem. Cùmque id crebrò fieret, admodùm perterrita, non audebat noctibus manere in ædibus suis; nec tamen recordabatur pilorum, quos illic olìm ex fide condiderat. Accito autem ad se Agerico, Ecclesiæ S.Martini Abbate, rem ei exponit; dicit lachrymabunda, se non posse securam cubare in domo sua. Ille sciscitatur ex ea, an nè aliquis seruus Dei illìc quandòque manserit, vel num quod à Sanctis viris munusculum acceperit, aut certè, an non ipsa aliquandò quasdam sanctorum reliquias abstulerit. Tum illa veluti per somnium, pilorum Beati Eligij reminiscens, pectus crebrò verberat, indicatque Abbati se olim pilorum S.Eligij segmina collegisse, & fideliter illìc reposuisse. Mox igitur ad locum accedentes, inueniunt pilos illos admodùm suaueolentes, prorsusque incorruptos. Indè ergò colligi potuit, & quanti apud Deum meriti esset Beatus Eligius, & quàm grata fuisset Deo fides mulieris, cùm post tot annorum curricula eo in loco diuinitùs tam admiranda fierent.

45. *In vita S.Patritij Episcopi cap. 87*. Transiuit quadam vice Sanctus Patritius, cum suo sacro comitatu quendam amnem, Dabhall nomine, & quia aduesperascebat dies, & inclinata iam erat, secùs ripam pernoctaturus, fixit tentorium infra perpulchram prati planitiem. Accedens Antistes ad aquam, manus & os lauit, ac lauando gingiuas, & dentes digitis dignissimis fricauit, fricando vnum

vnum dentium præ senio, vel infirmitate motum, cùm sputo fortuitò, vel potiùs nutu diuino in aquam proiecit, quo cõperto, discipuli eius dentem in aqua diligenter quæsierunt, sed diù quæsitum, inuenire nequiuerunt. Noctis verò subsequentis sub obscuro, dens in amne iacens, velut sydus lucidissimum emicuit, fulgor omnes secùs se hospitantes, ad sui spectaculum ac inuentionem adduxit. Dens itaque tam miraculoso euentu inuentus ad patrem defertur, abipso, & à cunctis Omnipotenti Deo gratiarum actio, pro re quæ contigit, offertur, Sanctus autem in eodem loco, Ecclesiam ædificauit, dentemque præfatum infra altare posuit. Qui profectò locus multis claruit miraculis, & vsque in præsens vocatur Cluayn-Fiacal, idest, Ecclesia dentis.

46. *In vita S. Finniani Abb. apud Colganum.* Postquam vir Dei septem annos compleuit apud Magnith, volens cultum Dei amplificare, profectus est ad locum, qui collis dentis dicitur: qui ideò dicitur collis dentis, quia ibi cecidit dens S. Finniani, quem ibi in medio campi abscondit sub rubo. Venerunt autem quidam viri ad eum, volentes habere de suis reliquijs secum, vt sic tuti possent inter hostes manere, quibus vir Dei respondit: Ite ad rubum in medio campi, & quærite diligenter, & inuenietis dentem de dentibus meis ibi. Euntibus autem apparuit radius ingens de rubo, vbi erat dens, & inuenerunt, sicut Sanctus dixerat eis, & ideò vocatur locus ille Achadh-fiacla, hoc est collis dentis.

47. *Idem in vita S. Hymelini.* Post eius mortem vbi ad locum vbi obierant ventum est: ecce tibi, corpus demortui miro splendore coruscans, suauissimo odore fragrans, viuo, quàm mortuo similius inueniunt.

48. *In vita B. Vualteri Abb. ord. Præmostratensis.* Die decima quinta Martij Anno Domini 1229. animam meritis plenam Cælo reddidit. Sacrum eius corpus dùm ad Sepulchrum efferretur, tanto cælesti luminis fulgore resplenduit, vt perterriti omnes qui aderant, subsistere vix valerent.

49. *In Martyrolog. Galicano 22. Octobris de S. Lupentio Abb.* Porrò impij percussores, vt scelus iniquæ illius necis lateret: clàm insutum culeo cùm lapidibus sacrum caput, amnis fluctibus, vt sorberetur immerserunt: Cadauer item saxo alligatum, vinctum adhùc vt erat, iniecerunt gurgiti. Emersit tamen diuino iudicio truncum illud corpus, & quibusdam pastoribus indicatum, ab ijs extractum è flumine, mandatum est sepulturæ. Porrò dùm necessitates funeris pararentur, aquila culeũ e fundo amnis extulit, & ponè corpus deposuit. Stupentes qui aderant, culeum aperiunt, repertum venerandum caput reliquis artubus coniungunt, eodemque reponunt tumulo. Quem diuinum lumen postea circumfulsit, supernaque virtus Martyris merita propalauit. Addit Gregorius Turonensis. Lumen per aliquot annos ibi apparuisse, & si infirmi ad illum tumulum fideliter deprecati fuissent, accepta sospitate, recedebant.

50. *Bonfinius in His. Vngarica lib. 1. Dec. 2.* Adelberti Pragensis Episcopi in Liuonia ob Christum occisi digitum, quo inter prædicandum vsus sæpè fuerat, in Vandalum amnem proiecerunt Carnifices. Proiectum piscis absorbuit. Absortus in facis specimen, in ventre piscis illuxit. Piscatores hoc edocti portento, mira industria ceperunt piscem, & in exenterati ventre, Adelberti digitum, facis more lucentem inuenere.

51. *In vita S. Eligij Episcopi Nouiomensis c. 53.* Leprosus quidam ad Sepulchrum Beati Viri mirabili modo sanatus est, radio quodam inde exeunte, & in eius horrida vulnera se infundente; Quem secutus est multus hominis sudor, & cum sudore omni putredine abeunte, relicta est cutis mundissima, atquè adeò restitutus est homo, vt nulla lepræ vestigia in eo cernerentur.

52. *Anoldus Raissius in auct. ad. natales Sanctorum Belgij 16. Ian. de translatione Sanctorum Martyrum Candidi, & Victoris.* In qua depositione feretrique apertione hoc mirum contigit: quod Abbati primùm templum ingresso, & in extasim rapto, lumen ingens per vnius horæ spatium appareurit.

53. *In actis S. Gregorij Episcopi Lingoniensis.* Post hæc Beatus Confessor sepultus, multis emicuit virtutibus. Aiebat enim quidam Religiosus, cœlos se apertos in die sepulturæ eius vidisse; nec enim ambigitur, quòd post actus cælicos, sidereis sit cætibus aggregatus.

54. *In actis S. Martialis Episcopi.* Cum ad sepeliendum corpus illius deferretur, in hora egressionis à basilica S. Stephani, cœli aperti sunt, viamque omnibus apertione ostenderunt, qua Sancta membra ipsius tumulanda deferri debuissent, semper illis pergentibus, cœli aperiebantur vsque ad locum sepulturæ.

55. *In m. S. S.* Postquàm Brixiæ ob fidem catholicam capite obtruncatus fuit S. Alexander M. quatuor funeralia in aere accensa, ceù sacro cadaueri exequias celebrando, mirabiliter omnibus cernentibus apparuere.

56. *Vincentius in Speculo Hist. lib. 10. cap. 23. & 26.* Cum S. Ionio caput ob fidem catholicam truncatum fuisset; videntibus militibus, lux de cœlo super sanctum corpus emissa est, & vox pariter cum luce venit eum ad gloriam euocans.

57. *Matth. Rader. ex m. SS. cod. de S. Noitburga.* Porrò ipsum etiam exanime corpus cohonestauit Deus insigni miraculo, duobus luminaribus, altero ad caput, altero ad pedes eius diuinitùs ardentibus.

58. *Nic. Iansenius in comm. ad vitam S. Dominici de B. Iordano.* Nauigans cum socijs duobus in Terrã Sanctam, oborta ab Ptolomaidem tempestate, & naui elisa, ex his mundi fluctibus ad cælestem portum euasit anno M.CC.XXXVI. cùm supra demortui corpus quædam è cœlo lampades noctu apparerent, hoc indicio Anconam deniq; relatum est, atq; ibi sepultum. Enimuerò ne hæc repentina mors sinistris interpretationibus daret locum, meritis viri Sanctissimi complura contigere miracula.

59. *Bzouius in ann. Eccl. an. 1471. n. 30. De Antonio Stronconio ord. Min.* In consuetudinem duxerat, millies singulis diebus genua in terram, in ora-

oratione ponere, omnia alia quæuis exercitia, diuinis officijs postponere, sacrosanctoque Missæ sacrificio plurima lumina accendere. Vnde aliquando Christus illi apparens dixit: Missam suam illuminatam multùm sibi placere: Quod cum is audisset, tantò plures candelas accensas sacris altaribus imponebat, præsertim verò diebus solemnioribus Christi, ac Diuæ Deiparentis, quantò id esse placitum authori luminis certò certiùs cognosceret; meruit, vt post mortem super sepulturam suam lux cælestis apparuerit, quam dum nouennis puer Liberator, ignarus, ecqua esset, extinguere conaretur, quò magis nitebatur, eò ampliùs amplificabatur.

60. *Vadingus in actis B. Petri Thomæ*. Circa quartam vigiliam visa est lux magna de cœlo super corpus illius descendisse.

61. *In Annal. Min. an.* 1300. *num.* 10. *de B. Bartolo Presbytero*. Suauissimus odor ex corpore emanauit, & mira claritas super illud è cœlo descendit.

62. *Odericus in Ann. Eccl. an.* 1250. Confudit diuinum numen Iudæorum perfidiam ingentibus miraculis, quæ in illustrando Martyre suo Dominico puero septenni, quem Cæsaraugustæ Iudæi ex immenso, quo flagrant in Christum odio, parieti clauis confixerant, latusque hasta crudelissimè transfoderant, explicuit: cum enim ad tegendum scelus, sacrum corpus in littore sepeliendum curassent, noctu clarissimo fulgore locus radiauit. Quo prodigio commoti Christiani, eò accurrere; indeque erutas sacras reliquias magna religiosa pompa in princeps templum extulere: vbi plura miracula patrata sunt. Quibus visis Iudæus Moses Albayhuactus, qui innocentem puerum rapuerat, Christo nomen dedit.

63. *Lipom. tom.* 6. Præstrictus splendore miraculorum Leo Isauricus, clàm sustulit S. Euphemiæ Martyris reliquias, & earum loco ossa arida imposuit; veras autem reliquias cum loculo in maris vndas proiecit. Incidere nautæ quidam in loculum, rei ignari, & putantes thesaurum aliquem in eo repositum, suscepere, & aperuere, mirificè, qui inde exhalabat odore perfusi, cognouere sacras esse reliquias, cumque hærerent ignari cuiusnam forent, eadem nocte videre lumina, & cereos, virosque mirè candidantes, Deumque laudantes. Cumque appulissent Leuinum, & somno se dedissent, viderunt in quiete Martyrem occurrere Euphemiæ Virgini, amplecti illam, & exosculari, & aduentum gratulari; ex eo cognouerunt, cuius essent illæ reliquiæ; ter inde soluentes, ter ventis resistentibus eodem reiecti sunt. Denique Euphemia adstitit illis in somnis, & quæ foret, edocuit, ac se ibi velle subsistere edixit, ex quo fuerat ab impio Leone in mare proiecta.

64. *Philippus Ferrarius die* 12. *Iunij de S. Guidone Confess. ord. Minorum*; Cum Aretinis Cortonam inuadentibus, & diripientibus, sacrista caput B. Guidonis linteo inuolutum, in puteum occultandi gratia demisisset, triennio post cum ciuitas, & Ecclesiæ ab Aretinis vastatæ, reficerentur, ingens è puteo illo splendor egrediebatur, quod cum triduò perdurasset, Clerum, & populum ad inquirendum quid hoc esset impulit. Quare indicta solemni processione ad puteum accedentes, aquamque haurientes, cum illa caput Guidonis inuolutum, minimè madefactum, cum scripto sui nominis extrahunt.

65. *In vita S. Philippi Benicij*. Post eius mortem, ex iacentis Sancti Patris facie tanta vis cælestis lucis emicuit, vt quidquid circa eum esset, à clarissimo iubare coruscaret.

66. *Cromerus lib.* 4. *de Rebus Polonorum*. Postquam occisus est S. Stanislaus, lucernæ permultæ in aere super eum locum, vbi disiectum erat corpus eius nocte proxima, quæ cædem consequuta est, ardere à nonnullis visæ commemorantur.

67. *Ioannes Eusebius lib.* 1. *de mir. nat. cap.* 72. *de Sanctis Vrganouensibus nuperrimè repertis*. Circa ann. 1629. Arionæ duabus leucis ad Andusar ciuitate Bæticæ sæpiùs noctu supra turrim templi cuiusdam in aere apparuere ingentes luces & stellæ, & processio triginta Sanctorum; missus eò Vicarius Episcopi cum alijs, vt se informarent, qui suis etiam oculis, rem ita esse compererunt, iudicarunt esse fodiendum locum vicinum, nam fortè istic sepultæ essent Sanctorum reliquiæ, quæ sanè repertæ sunt triginta corporum, & varijs miraculis probatum est, ea esse Sanctorum.

68. *Fridericus Fornerus, de corpore S. Iacobi Apostoli*. Eius corpus, vt nonnulli referunt, ad Iriam Flauiam in extrema Gallæcia diuinitùs delatum, & obliuione diù obrutum, tandem hunc fermè in modum inuentum fuit; luminibus, inter densissimas noctis tenebras lucentibus in vicino nemore, vbi Sacrum Apostoli corpus erat defossum, loci Antistes, alijque ludibria ne fiut, oculis exploraturi, ad syluam veniunt, dumquè cura omnia scrutantur, terramquè fodiunt, domunculam marmoream reperiunt, in qua Beati cineres, & ossa Apostoli asseruabantur. Deus tantum nolebat diutiùs occultatum esse thesaurum.

69. *In vita S. S. octo fratrum Polonorum Eremitarum Camaldulensium à prædonibus interfectorum*. Locus, vbi Sanctorum iacebant corpora, clarissima luce collustratus, dulcissimis Angelorum vocibus resonabat.

70. *Ferdinandus Vghellus in vita S. Margaritæ Martyris*, Cum transferendæ essent Reliquiæ S. Margaritæ nuper inuentæ, & nocte superueniente, tenebrisquè factis, via nullo modo inueniri posset, senes, & pueri, fœminæ, valetudinarij, omnis denique Populus, qui illùc confluxerat, obscura, & improuisa nocte perterriti, desperato redditu, valdè timebant. Vnde emissis votis ad sacras reliquias clamabant omnes: adiuua nos Beata Margarita, illicò cælesti, & clara luce via resplenduit, ac si meridiano sole clarescerct, & ea luce præuia peruenerunt ad montem Faliscum vsquè ad domum Benincasæ Bonæ filiæ iuxta domum Sigismundi, vbi & lux euanuit, & Sanctæ reliquiæ ita fixæ ibi permansere, vt nulla vi ibi amoueri potuerint, splendor autem, per quem, supra diximus, tenebras fugatas, vt aperta cerneretur via, à quamplurimis in remotis, & longinquis regionibus visus esse refertur,

tur, vt nonnulli de Ciuitate Lucana, qui splendorem ipsum perspexisse retulerunt, venerunt ad reliquias adorandas cum muneribus.

71. *In actis B. Rochi, qui in carcere obierat.* Tùm verò, qui ad carcerem conuenerunt, lucernas ingentes intùs per quasdam rimulas lucescere inspiciunt, id ad carceris custodem deferunt, qui confestim reclusis foribus, B. Corpus solo prostatum, & ad caput, & pedes lucernas ardere comperit, ad latus verò tabella his literis inscripta inuenta est: Peste laborantes ad Rochi patrocinium confugientes, contagionem illam truculentissimam euasuros, quod vbi ad principem delatum est, magnitudine rei commotus, S. Corpus summa pompa ad templum deferri iubet, quam & ipse præsentia sua exornauit.

72. *Ioan. Gerbrandus Aeleydis in Chronicis Belgicis de B. Cunera Virg. & Mart. quæ fuerat occisa, & in Stabulo sepulta iussu Reginæ.* Postquam hoc enorme, aut inhumanum scelus perpetratum est, se nunquam illud alicui reuelaturas, quæ occiderant firmiter promiserunt. Rege autem post pusillum temporis à venatione redeunte, Regina gestu placido alacriter occurrens, ipsum iucundo vultu salutauit; Perpendens denique Rex Reginam cum familia sua obuiantem, & Cuneram non videns, vbi nam esset quæsiuit. Cui Regina maleficium satagens abscondere, præcogitato mendacio respondit, dicens: In absentia vestræ Dominationis, mi Rex, parentes Cuneræ venerunt ad nostram mansionem, & eam cum festinatione nimia reduxerunt ad patriam suam. Interea equi Regis ad stabulum ducti, in quo Sancta Cunera sepulta fuit, nequaquam verberibus aut stimulis compelli potuerunt, vt intrarent. Quamobrem ducti ad aliud stabulum faciliter introibant. Discumbente autem Rege de vespere, stabularius in illo loco stabuli, in quo Sancta Cunera tumulata fuit, candelas ardentes ad instar crucis, videns, Regi celeriter indicauit; quo audito, Rex grandi stupore perplexus, iussit veritatem diligentiùs experiri. Currentes igitur famuli ad stabulum, candelas ardentes de longe viderunt, sed dum appropinquabant, ab oculis eorum penitùs euanuerunt. Cumque ingressi fuissent stabulum, videntes recenter terram nouiter commotam, effoderunt eam, corpusque Cuneræ, vna cum manutergio, quo strangulata fuerat, inuenientes, de fouea leuauerunt. Videns autem Rex Cuneram, quam maximè dilexerat, eam enormiter interfectam, repetit Reginam ex præsuntione violentæ necis fuisse actricem; accensus ergo ingenti furore, Reginam sine misericordia puniuit, in tantùm, quòd rationis expers euagabatur per totam regionem insana per triduum, crinesque suos extrahens, vestimentaque sua lanians, effecta est penitùs furiosa: Tandem post trium dierum insaniam se ipsam de quodam cacumine præcipitauit.

73. *Metellus Tegerceensis, de luce in Ecclesia B. Quirini noctu diuinitùs ostensa cum suaui concentu.*

Fœmina religiosa Dominum
    Venerans memoratur,
Expetijsse locum sanctum,
    In quo Martyr habetur.
Hæc sero requietura,
    Ad templum prius ibat,
A longè que, prospiciens
    Claras luce fenestras,
Fulgureo splendore domum
    Plenam cernit ab intùs.
Præterea resonans audit
    Suaui carmine voces.
Ecclesiæ portas adijt,
    Offenditque seratas.
Pluribus ostendens eadem,
    Cunctis mira videbat.
Vndique circumijt templum
    Dum sit ianua clausa:
Et quasi sol foret inclusus
    Lux extra radiabat.
Nec splendor defecit ibi,
    Neque concetus amænus,
Donec post modicum sonuit
    Solito fusile signum.

74. *In actis S. Aloysij Beltrandi.* Tanto, tamque admirando splendore Beati Viri cadauer coruscauit, vt circumstantes haud secùs, ac in limpidissimo speculo proprias effigies in lucentibus eiusdē carnibus intuerentur, & non mediocri animorum lætitia perfusi, gratias Creatori in Sanctis suis mirabili haberent.

75. *In actis S.S. 3. Ianuarij apud Bollandum de Translatione Reliq. S. Iacobi Apost.* Eustachius Abbas S. Vindiciani de Monte S. Eligij, vir potens in scripturis, & arte medicinæ, ex die, qua receptum est Sanctuarium, inuitatus ad nos veniebat: & iuxta aquas de Anpanio agens iter, super Ecclesiam S. Michaelis miræ claritatis lucem radiare intuens, suis Canonicis ostendit. Quod cum nobis retulisset, ipsam horam fuisse comperimus, qua nostri Seniores Abbati in Ecclesiam S. Michaelis venerant obniam, & Sanctas reliquias ad nos delaturi, de eadem Ecclesia reuerentur emiserant. Mirati sunt super hoc vniuersi; maximè cum Sol suum iubar adeò mortalibus inuiderit, vt tota die illa nebulis caligantibus sepulta, nullum radiorum eius in aere apparuerit vestigium.

76. *Greg. Turon. de Glor. Conf. cap. 21.* in Malliacensi Monasterio, (quod in agro Turonico quondam conditum fuerat) cùm crypta S. Solennis adhùc haberetur occulta, & nulli Christianorum locus ille esset reuelatus, per singulas Dominicarum solemnitatum noctes ab habitatoribus lumen cernebatur accensum; sed nullus sciebat, quid sibi hoc vellet illud mysterium; tantùm suspicio retinebat homines, aliquid ibidem retineri diuinum. Intereà aduenerunt duo Energumeni ex Basilica S. Martini, qui collisis in se palmis clamare cæperunt dicentes: Hic requiescit Solennis beatissimus in crypta abdita: Referate igitur sepulchrum amici Dei, quod cùm repereritis, velis tegite, lumen accendite, cultumque debitum ei exhibete, erit regioni huic salubre, si quæ loquimur, adimpleueritis. Et hæc dicentes cum clamore magno, effodere tellurem vngulis nitebantur. Tunc videntes incolæ quæ gerebantur, accepto sarculo effodientes aperuerunt cryptam, in qua per seriem graduum descenden-

tes, repererunt sepulchrum magnum, de quo testabantur illi adhuc mente infirmi hoc esse sepulchrum Solénis beatissimi, qui mox sensu discesserût recepto.

77. *In vita B. Iosephi Ord. Pramonstrat.* Hoc magnificum silentio præterire non debeo, nec possum, quòd, cum Hermannus custos S. Cuniberti in Colonia portiunculam de vestimentis nostri Ioseph accepisset, & illam minus dignè in cistam propriam proiecisset, nocte, cum se sopori dedisset, quendam strepitum inconsuetum, in eadem cista commotum, audiuit: cumque expergefactus tumultu, etiam oculos aperire cæpisset, vidit super eundem locum Custos lumen claritatis ardere. Quòd ibidem credens à seruis suis incautè fuisse relictum, pro illo extinguendo surrexit, & eo appropinquante, confestim euanuit. Discutiẽs ergò apud se, quid hæc visio portendere posset, recordatus vestis sacratæ, quam illic inhonestè posuerat, ipsam eadem hora sustulit, & in Capellam suam cum cæteris reliquijs, deuotione debita collocauit; ad laudem, & gloriam CHRISTI IESV DOMINI nostri.

78. *In vita S. Melori Marty. in Anglia.* Quidam iniquitatis filij nocte Ecclesiam, in qua sepultum erat corpus S. Melori M. ingressi, scrinium sancti eiusdem secum auferunt, & laminis auri, & argenti abrasis, capsam cum reliquijs in quadam specu proijciunt. Sacerdos autem quidam diluculò surgens, vidit radiosam lucis columnam de cælo super specum descendentem, & accedens ad locum, scrinium inuenit, & ad Ecclesiam detulit. Luce etiam cælesti adinuentum fuit corpus S. Engelmari Eremitæ, & Martyr. in Bauaria, cùm enim vilis ædicula sepulchrum venerabilis viri protegeret, quidam fortè noctu pertranseuntes, prospexerunt ibi numerosa luminaria diuinitùs accensa, mirabili claritate radiantia, quibus indicijs venerabile corpus adinuentum fuit.

79. *Idem Buzelinus l. 3. de S. Arnulpho ad arborem suspenso.* Quãtam apud Deum gratiam eo facto Arnulphus sibi conciliauerit, argumento fuerunt apparentia illic diuinitùs, & ardentia multo tempore lumina. Exindè scil. tanta populum cæpit sanctum hominem venerandi cupido, vt sensim eam quoque arborem in frustra vicini conciderint, domumque partes eius ad tutelam, & cultum deportauerint.

80. *Idem li. 5.* Attrebatensis Pontifex Aluisus sacra D. Mauronti ossa in nouam transtulit capsam Duaci. Inter eos, qui frequẽtissimi eius rei videndæ causa S. Amati ædem celebrabant, emicuerunt Aquicinctensis Abbas Gosuinus, & Casæ Dei Archimandrita. Miro tunc temporis ostenta, vel patefacta S. Mauronti gloria, vel approbata obsequentium eius honori pietas. Quippè visus est palam ab omnibus insignis variusq; circulus tamdiù coronæ modo cunctos obire, qui sancta manibus ossa tractabant, vsque adeò donec ea thecæ imposuerint.

81. *In vita S. Sigifridi Archiepisc. Vexionensis*; Cum à proceribus sacrilegis tres S. Sigifridi Nepotes, quibus S. Episcopus Ecclesiam custodiendam commiserat, impiè trucidati fuissent, & eorum capita in vasculo imposita, illique grandi saxo alligato, in proximum Stagnum demersa fuissent; indicium trium luminum, quæ supra aquas vidit S. Episcopus, quæque vasculo, vbi erant innocentium capita insidebant, diuinitùs adinuenta fuere.

82. *Cæsar Franciottus in Hist. de vultu Sancto.* Cum inaudisset Rugerus Lucensis Episc. in imagine vultus Sãcti, pretiosissimas latere reliqu. incessit eum cupido id experiendi; vocatisq; stata hora in sui consortium Lamberto Archipresbytero, & Blancardo Archidiacono, alijsq; pijs viris, ad imaginem accessit, & cum exiguam reliquiarum partem extulisset, pergeretque, statim splendor quidam repentinus apparuit magnusque eum tremor inuasit. Quare extracta lipsana, statim in pristinum locum remisit.

83. *Iacob. Pintus de CHRISTO CRVCIFIXO l. 3. tit. 4. l. 12. dig. de inuentis Martyribus Sardiniæ, & præcipuè Turritanis.* Visi sunt in templo non semel nocte splendores fulgentissimi.

84. *In vita S. VVilfridi Episcopi Eboracensis.* A die depositionis eius anno transacto, cum turba plurima ad eius venerandum corpus conuenisset, ecce lux celitùs ab Oriente demissa, totum locum famuli Dei miro splendore irradiauit, omnéq; noctis, & tenebrarum caliginem sua præsentia effugauit.

85. *In vita S. S. Mariæ Aegyptiacæ, & Zosimi.* Dum B. Eleutherius à Romano Pontifice Hormisda acceptas reliquias S. Mariæ Ægyptiacæ & S. Stephani Protomartyris Tornacum deportaret, dumque Neruiam portam intraret occurrentibus Clericis, & populis, conscendens montem qui dicebatur mons Thesauri-absconditi, nunc autem dicitur mons S. Andreæ, ostendit populo Reliquias. Subitò autem circa Reliquias capitis S. Mariȩ quædam claritas de cælo adueniens apparuit, quæ etiam ab omnibus visa est, donec intraret Ecclesiam Dei Genitricis: supra humerum verò B. Stephani lucidior claritas in modum circuli quasi argentei visa est.

86. *In actis S. Philareti Monachi.* Post duorum annorũ spatium à morte S. Philareti Monachi in Calabria vlteriore, lux quædã è cælo, diuino eius tumulo effulgẽs, præclarissimũ orbis terrarũ solem sub terra adhuc latentem nunciauit; neque semel, aut iterùm, sed sæpè nocte intempesta supernè illabens visa est.

87. *In vita Beati Idesbaldi Abbatis Dunensis.* Super tumulum eius non semel radij lucis aerem illuminantes à plurimis sunt conspecti.

88. *In vita Sancti Contardi Bronensi Eremitæ.* Pluribus replicatis diebus post mortem S. Eremitæ, super eius tumulum quatuor luminaria miro modo lucentia, visa sunt pluribus.

89. *Petrus Malpæus in Palma fidei Fr. Præd. de Fr. Andrea Cattrano.* Exuuiæ eius protinùs immenso cælestis luminis fulgore perfusæ, à Christianis magna cum veneratione in tumulum illatæ sunt.

90. *Daniel Bartolus in secunda parte Iaponis lib. tert.* Ob defensionem susceptæ fidei Catholicæ à Barbaris in Ciuitate Cocinotzù in Iaponia Insula viginti quinque Christiani crudeliter necati fuerant; cùm nocturnis in vigilijs è cælo mirabiles splendores descendentes supra locum, in quo sepulti fuerunt, ab omnibus obseruati sunt, omniumque opinio fuit, cęlum illis rutilantibus facibus inuictis fidei militibus singulari prodigio parentasse.

91. Venerabilis Pater Marcellus Franciscus Mastrilius radios vidit ex reliquijs S. Francisci Xauerij diui-

diuinitùs emitti, & nullo monente cognouit eius esse reliquias, quæ illi ostendebantur.

92. *Philippus Alegambe de mortibus illustribus Patrum Societ. Iesu.* Cum in odium fidei an. 1627. combustione occisus fuisset in Iaponia, Nangasachi P. Thomas Tzugi è Societ. Iesu: illud à morte admirandum habuit, quòd illi pectus vitrò à morte distractum dissilierit; & è pectore sic hiante rubens illicò flammula promicuerit, stupentibus ob prodigium ijs, qui aderant Lusitanis, atque Iaponibus.

93. *Franciscus à S. Maria in Chron. Carmelit.* Anno Domini 1577. cum PP. Carmelitæ Discalceati reædificarent Conuentum Pegnuelæ, vt decentiori humarent in loco, è vetustis loculis eruerunt ossa suorum Venerabilium Patrum, olim ibi defunctorum, quo autem tempore inhumata fuerunt, maximum lucidissimumque splendorem a se emittere in obscurissima nocte fuerunt obseruata. Hyeme postea subsequenti per totum mensem Septembris, suauissimus odor florum meli medici, & rosarum in toto inoluit loco; Admirationem autem adauxit, eo quia nec tunc temporis eo in loco rosæ efflorescere solebant, nec ea in regione malus medica inueniebatur.

94. *Sylos in Hist. Cler. Reg. P. 2. lib. 3.* In Ecclesia nostra S. Antonij Arimini piè asseruatur corpus, cuiusdam Ven. Episcopi Gregorij nuncupati, cuius fama est, è Germania Romā ad Apostolorum limina adeuntem, à proprijs seruis interfectum propè Ariminum, in altissimum, qui propè aderat puteum, coniectum esse. Hoc scelere patefacto, & ex improuiso omnium campanarum spontaneo sonitu, & ex quadam flamma è puteo visa impetu euolare, & cælum lambere, adinuentum est simul cum vna lanceæ cuspide, qua fuerat confossus, decentique loco pro tunc collocatus.

Alia huiusmodi notantur, cum de impressionibus ignitis lib. 3. cap. 1. §. 1. & cum de stellis cap. 3.

De Admirandis quibusdam donis cælitùs missis. §. 6.

VT in cælestis Patriæ amorem raperentur mortales, dona quædam, æternorum bonorum ceu arrha, cælitùs illis fuere demissa. Huiusmodi autem sunt.

1. *Melito Episcopus Sardensis apud Carthagenam tom. 3. lib. 13. hom. 3.* Secundo & vigesimo anno postquam Christus, deuicta morte, Cœlum conscenderat, dum die quadam desiderio Christi, succensa B. Virgo Maria sola intra domus suę penetralia lacrymaretur: Ecce Angelus magni luminis habitu resplendens, ante eam adstitit, & salutationis verba persoluens, ait: ecce Ramum palmæ de Paradiso Dei attuli tibi, quem portare facies ante feretrum tuum, cum in die tertia assumpta fueris de corpore: ecce enim te expectat filius tuus cum Thronis, & Angelis, & vniuersis cęli virtutibus. De huiusmodi Palma loquens Diuus Cosmas cognomento Vestitor, ait: Folia ipsius vt stella matutina fulgebant, & ego fateor me vidisse apud quendam Comitem Regium, particulam quandam, quæ dicebatur esse de illa Palma, & pro certo erat fulgidissima ad modum micantis stellæ, quasi coloris argentei fulgidissimi, cuius intuitus deuotionem ingerebat contuentibus.

2. *In actis S. S. Feb. tom. 1. in Contin. Bollandi.* Quodam tempore, cum S. Heluceus, & Brigida apud Currach Liphæ essent, dixit ei Brigida: Vinum non habeo pro sacrificio Altaris. Cui Heluceus ait: Affer mihi vasculum, vt vinum accipias. Respondit Brigida: Vas vbi illud reponere valeam non habeo. Tunc vas vitreum vino plenum de cęlo missum est in S. Heluei sinum: hoc vas cum vino dedit ipse Brigidæ.

3. *In vita S. Patritij cap. 149.* Quadam die, cum Beatus Patritius, & vir vitæ venerabilis, Vinnocus vocabulo, in vnum consedissent, de Domino, & de ijs, quæ Dei sunt contulerunt adinuicem, vestibusque suis in vsus pauperum erogatis, misericordiæ opera ore, opereque commendarunt; & ecce de cœlo diuinitùs destinatū descendit inter eos quoddam pallium, tamquam muneris diuini præsens eulogium, & remunerationis futuræ argumentum. Exultant ergo Sancti illi in Domino, atque hoc quod accidit, alter alterius ascribebat merito: Patritius namque asseruit hoc missum Vinnoco, qui omnia quæ sunt mundi perfectè dimisit pro Domino. E contra Vinnocus allegat, illud collatum Sancto Patritio, qui tamquam omnia possidens, nihil habuit, inopes, & nudos innumeros vestiens, se ipsum nudum reliquit pro Domino. Illis autem tam amicabiliter vtrimque altercantibus, pallium in Cœlo sublatum subitò disparuit, eisque Dominus, pro vno pallio, duo pallia, vtrique videlicet suum, ne vlteriùs, vel etiam charitatiuè contenderent, Angelo gestante subrogauit.

4. *Greg. Tur. lib. 1. de glor. Martyr. cap. 13.* Tempore, quo Vasatensis Ciuitas diuturna obsidione vallabatur à Chunis, quidam Sacerdos conuocatis ciuibus, vigilias celebrat, & missarum agit festa pro liberatione populi sui. Dum autem hæc ageret, respiciens sursùm, vidit super altare quasi de camera templi, cadere tres guttas, æquales magnitudine, claritate, candore crystallum vincentes. Cumque omnes cum admiratione, & stupore vehementi intenderent, easque nullus auderet attingere, Petrus, quidam presbyter, qui vt res ipsa adserit, magni meriti erat, exhibita argentea patena, guttas colligere nititur, quæ dum per altare vago cursu rotantur, defluentes in ipsam patenam, statim in se coniunctæ, quasi vnam gemmam pulcherrimam effecerunt: patuitque euidenti ratione contra iniquam & Deo odibilem Arianam hæresim, quæ eo tempore pullulabat, hæc acta: agnitumque est, Sanctam Trinitatem in vna omnipotentiæ æqualitate connexam, nullis garrulationibus posse disiungi. Tunc gauisus populus, & intelligens munus sibi indultum fuisse diuinitùs, conferens aurum gemmasque pretiosas, crucem fecit, in qua hanc gemmam statuit. Sed protinùs omnes reliquæ gemmæ, hac accedente ceciderunt. Tunc Pontifex intelligens non esse consortium cœlestibus cum terrenis, fabricata cruce ex auro purissimo, eam gemmam media intercape-

dine locat, & populo adorandam præbet. Nec mora, fugato, vt diximus hoste, ciuitas liberata est. Iam ex hoc multi infirmi hausto vino vel aqua, in qua gemma abluitur, protinùs sanitati redduntur. Denique cum adorata fuerit, si à peccato est homo immunis, & ipsa apparet clara, cæterùm, si vt plerumque adsolet, humanæ fragilitati aliquid detulerit criminis, tota ei videtur obscura: miramque præbet discretionem inter innocentem, & noxium, cum vni atra, alteri monstretur splendida.

5. *Antonius Spinellus ex Petro de Natalibus*. Fertur Beatū Nicolaum iam senem Nicæno Concilio interfuisse, & quendam Arianum zelo fidei in maxillam percussisse, obidque à Concilio Mitra, & pallio priuatum extitisse, propter quod vt plurimum sine Mitra depingitur. Sed dùm aliquando missam Beatæ Virginis, cuius erat deuotus, in pontificalibus celebraret, & priuationem Mitræ, & pallij defleret, quasi zelo nimiæ fidei ablata, ecce cunctis videntibus duo Angeli extiterunt, quorum vnus mitram, alius pallium sibi diuinitùs restituerunt, & ex tunc insignia reasumpsit sibi cælitùs restituta.

6. *In Martyr. Gallic. 9. Februar. in appendice*. In Santonensi pontificali Ecclesia, Octaua Purificationis Sanctæ Mariæ, propter miraculum, quod illic sic contigisse produnt sacra ipsius Ecclesiæ monumenta. Est in illa præcipua æde altare Dei Genitricis, antiqua religione sacrum: Statua antiquior, quam ob mira frequentis opitulationis insignia, Beatam Mariam de miraculis iampridem ciues appellitant. Accidit verò dudum medio intempestæ noctis silentio, cum alta quies vrbem totam occuparet, repentè, nemine mouente, ærea maioris ædis cymbala mira concentus suauitate resonarunt; Quo insolito tinnitu expergefacti sacri æditui, mox è strato surgentes, templum vndequaque luminibus coruscum conspiciunt, numerosumque hominum conuentum, augusta lustratione ac prece, suauissimisque Hymnis, Virginem suppliciter venerantem. Ad quem timido gressu propiùs accedentes, eum qui tam celebris pompæ postremum ducebat ordinem rogarunt, vt cerei ardentis reliquum, quod pijs gestabat manibus, tantæ rei testimonium daret. Quod ille lubens præstitit, Cumque ea res primo diluculo Ecclesiæ primoribus, non tantùm per custodes, sed etiam per multos ciues, qui eam rem per ostiorum translucentes rimas viderant, innotuisset; cereum inter sacras reliquias religiosè seruandum mandarunt: atque ob tam nouum prodigium, hunc diem toti posteritati memorandum indixerunt.

7. *Henriquez in Menologio Cisterciensi 28. Septembris*. Anno Domini millesimo ducentesimo sexagesimo primo, quidam Do. Laurentius, Religiosus pius, & deuotus, deuotissimè orationi insistens, tempore quo alij fratres reficiebantur, decadem Rosarij ab Angelo suo Custode sibi oblatum accepit; obijt paucis mensibus postea in Dunis.

8. *Ibidem 19. Aug.* Igniaci depositio Beati Guerrici Abbatis, qui ex Canonico Tornacensi, vt totum spiritualibus exercitijs se manciparet, disciplinæ monasticæ, sub Sancti Bernardi clientela se se addixit. Quanta verò fuerit eius pietas, ac vitæ innocentia, Angelicæ puritati coniuncta, vel hoc satis confirmat, quòd aliquando visus sit veste candidissima, & splendidissima ab Angelo donari, dum in choro lectionem de more perlegeret.

9. *In vita S. Elisabethæ Hungariæ Regis filia*. Tempore quodam in festiuitate magna cum in VVarberch ad Principem multitudo Nobilium conuenisset, & in cænaculo grandi congregati ad cōuiuium filiæ Regis coniugis Principis præsentiam expectarent, ipsam taliter contigit retardari, procedentem enim ad palatium, sub gradu iacens mendicus, vt sui misereretur, importunis clamoribus inuocauit; tunc respiciens ad pauperem, nec tempus inquit, nec munus iam habeo, at ille magis clamabat, vt aliquid acciperet, tunc illa, pretiosum mantellum exuens, tribuit clamanti, quod ille mira celeritate complicans abscessit. Dapifer autem in conspectu Nobilium astans Principi dixit; iudicet nunc Dominus meus, si rationi sit consonum, quòd coniux eius prædilecta Domina mea hac vice protrahit conuiuium, vestiuit enim nunc pauperem; tunc mitissimus Princeps subridens dulciter cum cœtu nobilium, coniugem aduocaturus discessit, quam in conclaui inueniens, dixit ei, venies ne ad prandendum nobiscum dilecta! cui illa, parata sum inquit, vt vis frater charissime, at ille ait, vbi est pallium tuum, & illa, ecce in pertica est, currens autem ancillula, mantellum, quod pauperi tribuerat, in pertica reperit cælitùs reportatum, quo induta ad conuiuium processit. Sic pater cælestis suum lilium Elisabeth vestiuit, quo nec Salomon in omni gloria sua potuit operiri.

10. *In Bibliotheca Cluniacensi ap. Cononum in Chron. Deipara an.* 1109. Quadam nocte Sancto Alberico, eiusque Monachis Matutinas horas deuotè canentibus, adfuit Deipara Virgo, cælestium Spirituum stipata phalange, præferens manibus candidam, & nitidissimam cucullam (ante enim nigris vtebantur) quam stupentis Alberici capiti imposuit. Sed ecce miraculum miraculo excipitur, simulatque enim habitus ille albus Alberico impositus est, Monachorum in Choro psallentium Cucullæ colorem mutarunt, & quę anteà nigri erant coloris, repentè candidissimæ instar niuis colore sunt tinctæ: & statim ex oculis seruorum Virgo Beata euanuit.

11. *In actis S. S. apud Bollandum in vita Sanctæ Genouefæ cap. 1. 3. Ianuarij*. Huic Sanctus Germanus nummum æreum, Dei nutu allatum habentem signum Crucis, à tellure colligens pro magno munere dedit, inquiens ad eam: Hunc transforatum pro memoria mei à collo suspensum semper habeto; nulliusque metalli, neque auri, neque argenti, seu cuiuslibet margaritæ ornamento collum saltem digitosque tuos ornari, patiaris. In memoriam huius rei, Canonicis Re-

Regularibus S.Genouefæ, in eius festo dari solebat panis benedictus insignitus figura huius numismatis.

12. *Marraccius in Antif. Marianis cap. 7. §.8.* S.Gebhardus Episcopus Constantiensis pro sua deuotione erga B. Virginem, obtinuit vt Imago Sacrosanctæ Dei Genetricis insculpta tabulæ, quæ in Constantiensi Ecclesia reperiebatur, sibi in somnis apparens, Virgam præberet Pastoralem, sibique præciperet, vt Dominicum gregem pasceret.

13. *Idem Marraccius*. In argumentum specialis dilectionis, qua Sanctissima Virgo erga Heliæ filios æstuabat, Beato Simoni Stock Anglo, Carmelitarum Priori Generali, Angelicis stipata cateruis apparens, liberali manu singulare scapularis Donum largita est, sic illum allocuta: Accipe dilectissime fili, hoc tui ordinis scapulare, meæque Confraternitatis signum, tibi, & cunctis Carmelitis priuilegium, in quo moriens, æternum non patietur incendium. Ecce signum salutis, salus in periculis, fœdus pacis, & pacti sempiterni. Sic illa.

14. *Hyacinthus Choquetius lib. de Visceribus maternis B.Virginis, erga Ordinem Prædicatorum cap.7.* Amato antistiti Senonensi, erga B. Virginem studiosissimo, ab eadem, sua in eundem amoris tessera, casula fuit donata.

15. *Augustinus VVichmans in Apotheca Spir. cap.54.* B. Ioanna à Cruce rogata à Sororibus, vt aliquas rosarijs granisque cælitùs benedictiones impetraret, annuit votis earum, & Deum orauit, exorauitque; nam eius iussu Angelus Tutelaris, rosaria sororum omnia, aliaque complura in cœlos detulit, eademque à Deo ipso benedicta multisque gratijs aucta restituit.

16. *De ijsdem*. Hoc quoque refertur inter mira referendum: Anna Montoya, cum summo desiderio teneretur habendi vnum ex hisce granis, quæ Deus B.Ioannæ in cœlo benedixit, accidit, cum esset sub dio, vt statim vnum ab alto deorsùm caderet, postulantisque frontem percuteret; res alijs etiam præsentibus contigit, hoc dono sacra mulier cumulata, gaudio singulari fuit perfusa.

17. *Felix Astulphus in Hist. Imag. B.Virg. lib.9.* B.Agneti Politianæ semel apparens B.Virgo, tres gemmas donauit, eidem imponens, vt eas seruaret ad ornatum cuiusdam templi, quod construendum erat.

18. *Thomas à Kempis in vita S.Liduuinæ Virg. part.2. cap.5.* Habuit hæc Virgo, infirmitatis suæ tempore, quandam virgulam de stipula canapi, pro remouenda, vel attrahenda cortina lectuli: cum qua etiam in necessitate pulsare solebat, & aliquem de familia aduocare. Contigit ergo occasione incendij ciuitatis, vt multa circa lectulum eius, propter pericula imminentia agitarentur; sicque per exportationem & reportationem rerum, etiam virgula ista perdita est; sed vbi manserit, Virgo nesciebat. Postea verò in nocte S. Apollinaris Episcopi & Martyr. cum virgo præ æstu caloris, anhelitum vix trahere valeret, virgulam quæsiuit, vt velum remoueret, nec inuenit. Multùm ergo ex hoc anxiata doluit, quia nec sibi ipsi subuenire potuit: & qui aliunde succurreret, non adfuit. Statim igitur Angelus Domini assistens, contristatam consolatur, spondens alterius & melioris virgæ restitutionem. Nec mora, post paululùm cessantibus doloribus frebrium, Angelus, ipsa sentiente, quoddam lignum ad mensuram vlnæ ferè longum, super pectus eius leuiter posuit, & recessit. Quod manu extensa apprehendens, quodammodo vilipendit; eo quòd visu tortuosum, & spissitudine ponderosum, à leuitate perditæ virgæ longè distaret; nec benè sibi portabile, & dirigibile foret. Mussitans ergo de isto intra se ipsam tacitè dicebat; Num ego iam benè pacata sum? Quid tamen ageret, quæ adhùc virtutem ligni ignorabat? Rogat proinde Dominum Io: Confessorem suum, vt ad carpentarium transeat, peteretque lignum istud, ad normam vlnæ dolabro formari. Ingreditur itaque Sacerdos ad domum cuiusdam cuprificis, qui vix vnum dolabrum ex multis instrumentis aptum huic operi habuit, cæteris in incendio ciuitatis priùs combustis. Cumque lignum leuigare cœpisset, & satis fortiter dolabrum infixisset, tantus odor suauitatis ex eo euaporauit, & tam decoro intùs colore ad modum ceræ enituit; vt quamuis à foris deforme appareret, indubitanter tamen cypressinum esse affirmaret. Super quo pariter admirati, cùm Sacerdos carpentario nequiret dicere, cuius generis lignum esset, vel vnde Virgini prouenisset, certatim hastulas, & reliquias abscissas rapiebant. Tunc suadente carpentario, ad alium meliorem operarium Sacerdos cum ligno impolito accessit, quatenùs decentiùs illud ad lineam conquadraret; Sed vbi similia inter se, præ admiratione odoris, & coloris incogniti ligni conspicerent, atque pro reuerentia & nouitate decisas reliquias raptitarent, Sacerdos stupefactus, non sustinens ampliùs lignum imminui, ad Virginem quantociùs reportabat. Quam cùm interrogasset, vnde ei hoc aduenisset, & cuius generis esset? illa quidditatem eius se nescire fatebatur, modum tamen acquisitionis eius Sacerdoti indicauit. Cum rumor huius odoriferi ligni vulgari cœpisset, & multi illud videre, & tangere optarent, eiusque causa frequentes visitationes Virgo pudica pateretur; accidit, quòd propter cuiusdam hominis attactum, fragrantiam suauissimi odoris lignum prædictum amitteret. Ideòque ipsa Virgo doluit, quia hoc alteri ostensum fuerat, propter cuius contactum odor cælestis expirauit. Solita autem erat dicere, quòd per hoc lignum diabolus castigandus esset, sicut ab Angelo Sancto didicerat.

19. *Colganus in vita S. Finniani Ab.* Vt ferunt periti, Altare de Cœlo missum fuit in campum, super quod Sanctus Finnianus hostiam salutarem obtulit Deo Omnipotenti.

20. *Syluanus Razzius lib.3. mir. c.14.* Tempore quo Antiph. Salue Regina cœpta est publicari, Nobilis quædam mulier audiẽs moniales in Completorio canticum ipsum suauiter cantantes, vehementer angitur desiderio, Antiphonam illam apud se retinendi ad recitandum. Anxiè orat; & en anicula schedam canticum ipsum aureis notis signatum continentem ore defert, & ei offert, atque auolat. Cælico lætatur munere & deinceps quotidiana eius oblectatur recitatione.

21. *In officio S. Beregisi Abb.* Cum aulæ inquietudinem pertæsus, ad Monasterij quietem inhiaret, contigit vt Plectrudis, cum qua per saltum Arduensem iter agebat, dum in amæno quodam prato consederet, videret chartam à cælo dilabi, quam sumens, marito detulit, ille verò Sancto Beregiso legendam tradidit. In ea scriptum erat: esse illum locum à Deo electum, vt ibi Monasterium in honorem Principis Apostolorum ædificaretur.

22. *Vading. in annal. Min. an.* 1406. *de B. Coleta.* Quàm verò grata fuerit Deo Coletana reformatio, quàmque eius Sectatoribus salutaris, quodam ille signo ostendit ancillæ suæ. Cum enim aliquando conferret cum quodam è Confessarijs suis de ijs rebus, quæ huic reformationi accommodę, opportunæ, & necessariæ videbantur, cernente Patre illo, cælitùs in eius brachia delapsus est funiculus quidam, miro confectus artificio, instar niuis candidus. Quem illa reuerenter excipiens, explicauit, nihil tamen neque verbo, neque signo cuiquam indicans. Post autem intellexit, per illum funiculum accipi statum illum reformatorum, funiculis se cingentium; per candorem, munditiam corporis, & animæ, atque conscientiæ, quam debent esse præditi: per id quod cælitus lapsum est, gratum esse Deo hunc statum, eiusque professores, in primis verò ipsius reformatricem.

23. *Felix Astulphus in Hist. Imag. B. Virg. lib.* 7. S. Thomas Cantuariensis tam ardenti in Beatam Virginem flagrabat amore, vt ab eadem meruerit purpuream vestem cælitùs demissam accipere.

24. *Idem ibidem lib.* 8. Franca Virgo Placentina, dum Sacrum velamen ab Abbatissa accepisset, id inuisibiliter ab eius capite sublatum est, alioque cælitùs demisso, velata

25. *Idem ibidem lib.* 10. Quædam Monialis nomine Ioanna, epistolam cælitùs demissam à B. Virgine accepit, in ea cœlestes inscripti erant caracteres, quibus ad recitandum Rosarium B. Virginis, adque à terrenis rebus auertendum cor, incitabatur.

26. *In vita B. Aldegundis.* Vestem pretiosissimam cælestis eius Sponsus per Angelum, semel de Paradiso ei misit. Alia vice Palmam è viridario cęlesti Angelus illi detulit.

27. *In vita B. Claræ Indæ ex ordine S. Dominici.* Vestem gemmis insertam illi dono dedit Christus Dominus, illaque eam induit.

28. *Augustinus VVichmans in Apotheca Spirit. cap.* 21. Tempore, quo à S. Remigio baptizatus fuit Clodoueus Francorum Rex; Tria aurea lilia in nitido colore saphyri, aureis stellulis consperso, miro splendore micantia è superis transmissa fuere, quæ antiqui Francorum historici testantur in ea Franciæ parte, vbi nunc regia palatia sunt S. Germani in Laya, & Montioye ad septimum ab vrbe Parisiorum milliare eo loco vbi hodie Abbatia est Canonicorum Ordinis Præmonstratensis vulgò *Ioye en val*, Gaudij vallis nuncupata, primùm à cælestibus Omnipotentis Dei nuntijs aligeris delata, & conspecta esse, eademque in arma gentilitia à Franciæ Regibus assumpta esse, cùm priùs non lilijs, sed tribus aureis bufonibus, vel secundùm Paulum Æmilium, & alios nonnullos, tribus aureis coronis pro insignibus vterentur. Hodie sanè illius miraculi argumentum conseruat loci illius Archimandrita, scutum illud tribus ornatum lilijs; & primi Cœnobij nostri Tungerlœnsis Religiosi, quos ex Archicœnobio Præmostrato in Francia Giselbertus Tungerlœnsis ruricola aduocauerat, ad Cœnobium nostrum detulerunt campum sparsum siue plenum ijsdem aureis lilijs, quæ pro insignijs gestat Archicœnobium nostrum Præmostratense, cuius filia est Abbatia dicta Gaudij vallis, & nostra Tungerlœnsis, ijsdemque insignijs, ceù pretiosissimis gemmis, & è cœlo acceptis, sacram Diuæ Virginis Tungerlœnsis exornarunt Iconem, vti in eadem adhùc hodie cernere licet, nempè innumera aurea lilia in veste cærulea, quibus illa venerandæ antiquitatis statua pio Superiorum studio anno millesimo sexcentesimo vigesimo quinto, denuò ad pristinum decorem ornata est, & publicè venerationi in excelsiori loco exposita ipso Virginis natalitio festo, quo tunc die maxima pro opportunitate templi Parochialis Tungerloæ sacra dedicatio agebatur, ita vt tunc recens nobis nota, & consecrata videretur.

29. *Guagninus apud Corderium.* Traditum est, pannum sericeum, rubrum instar signi militaris quadratum, miro fulgore splendentem diuinitùs esse exceptum: quo in expeditionibus contra fidei Christianæ hostes pro signo Franci Reges vterentur: huicquè vexillo nomen Auri flammam hactenùs permansisse, diùque à Dionysianis Cœnobitis asseruatum esse: sed abutentibus signo aduersùs Christicolas Regibus, illud euanuisse: alterum tamen non dissimili forma instauratum esse, quod ab Episcopis, & loci Abbate consecratum inter sacra asseruatur.

30. *In actis S. Agnetis Politianæ.* Humiliter Deum exorauit S. Virgo, quatenùs aliquid de terra illa, & rebus, quas sua maiestas contigerat, sibi concedere dignaretur. Quam petitionem dulcissimus sponsus ei denegare nolens; dùm ipsa semel oraret, subitò diuinitùs inuenit manum suam puluere plenam terreo congelato, & duro, ac in lapidis modum redacto. Quæ cùm admiraretur quamplurimùm, cogitans, quid hoc esset; fuit ei à Domino per Angelum reuelatum, hanc terram inde fuisse acceptam, vbi Saluator mundi in Cruce positus pro iniquitatibus nostris terram illam suo sanguine madefecit. Attulit etiam ei Angelus præfatus ad maiorem illius consolationem quamdam illius peluis particulam, in qua Saluator noster in tenera ætate constitutus paruulorum more balneatus extitit. Alia vice, cùm Romæ in Ecclesia S.S. Apostolorum Petri & Pauli oraret, sanctosque Apostolos enixè precaretur quatenùs aliquid de eorum Reliquijs concedere dignarentur; subitò inuentæ sunt in eius gremio duæ vestimentorum particulæ, quarum altera erat præcisa diuinitùs de Veste principalis Vicarij Iesu Christi, altera de Doctoris gentium indumento, sicut ei fuit à Domino reuelatum.

31. *Sylos in Hist. Cler. Reg. Par.* 3. *lib.* 10. Cum è Magnano oppido, Neapolim, à quo circiter viginti milliaribus distat, quidam vir pius ad S. Caietani tumu-

tumulum religionis ergo profectus esset;in digressu, ampullulam olei, quod antè eius imaginem consumitur, impetrauit, quam filio ferendam dedit. Accidit verò, vbi domum peruenere, vt ea è pueri manu deciderit; abijtque fuso oleo, in frustra. Quod nihil viro pio molestius. At neque diù tenuit mæror; Nocte siquidem intempesta, dum dormit, repentè excitatus, audit nescio quid in lectum ab alto decidisse: quòd primò quidem formidini fuit; veritus quippe est, ne noxia aliqua è trabibus bestiola deciderit. Surgit, inquirit, ingentique cum sui admiratione vitream ampullulam illi omninò similem, quæ fracta pridiè erat, inuenit. Agnouit Serui Dei munus gratesque intimè habuit.

32. *Pepe in mirabilibus S.Caietani m.49.* Pestilentiali febri afflictus Iannuarius Paganus Neapolitanus, ad vltimum vitæ deuenerat: cùm inuocato Diuo Caietano, noctu apparuit eidem Beatus, spemque futuræ sanitatis, nouem donatis oleis, quas matri daret, cælitùs attulit. Expergefactus è somno Iannuarius, visionem matri exposuit,donum cæleste tribuit, quæ mysterium intelligens, nouies orationem Dominicam, & salutationem Angelicam recitans,sanitatem filio impetrauit.

33. *In vita Ven. Francisci Olympij Cler. Regularis.* In Apostolici Nuncij manibus vota professionis voluit renouare, cumque licentia à Superiore impetrata, vnum ex sericeis flosculis pridiè sibi donatis vellet ipsi elargiri, & constaret cunctos illos fuisse iam distributos, institit, vt iterum in loco vbi fuerant repositi perquireretur, ac tunc contra perquirentium opinionem, qui sedulò omnes loci illius rimulas perscrutati fuerant, alius flosculus inuentus est, quam aqua benedicta adspersum, & benedictum,Nuncio tradidit.

Alia mirabilia dona cælitùs delata exarabuntur in Titulis de multiplicatione, & augumento rerum; de Imaginibus, & Crucibus, de Annulis, de Angelis, & alibi, quæ ideò hic omitto, ne eadem bis enarrentur.

APPENDIX I. AD CAPVT PRIMVM.

Quædam Dona à cælicolis diuinitùs hominibus donata, quæ adhùc mirabiliter conseruantur.

Modò de donis cælitus nobis transmissis, adeòque inter eos consistentibus. Sunt autem.

1. *In Actis S.S. Martij tom.3. in conti. Bollandi.* Dùm S. Endeus Abbas Arannensis in Monasterio Insulæ Arann moraretur, quadam die apparuit ei Angelus Domini, portans sibi dona duo à Deo sibi missa, videlicet librum quatuor Euangeliorum, & Casulam Sacerdotalem. Codex ille Euangelicus nunc cum magna reuerentia in Ecclesia S.Endei habetur; similiter, & casula auro, & argento exornata inter Ecclesiastica munera quondam habebatur, sed nunc solo metallo æris vestitur: nihilominùs tamen cum magno honore tenetur.

2. *Aimoinus lib.1. de Gestis Francorum cap.16.* Cum baptizandus esset Clodoueus Francorum Rex, cumque qui Chrisma ferebat, interclusus à populo deesset, ecce subitò non alius quàm Sanctus apparuit Spiritus, in columbæ visibili figuratus specie: Qui rutilanti rostro Sanctum deferens Chrisma, inter manus deposuit Sacerdotis, vndas fontis sanctificantis. Adhùc huiusmodi cæleste oleum in Gallijs conseruatur, eoque inaugurantur Galliarum Reges.

3. *Thomas VValsingamus in Henrico IV.* Die translationis S.Eduuardi Regis & Confessoris, coronatus est Rex Henricus IV. apud VVestmonast. per manus Domini Thomæ Archiepiscopi Cantuariensis, ipso videlicet die, quo fuerat in exilium relegatus anno reuoluto, non sine diuino miraculo (vt putatur); & in auspicium vberioris gratiæ sibi futuræ (pro vt creditur) vnctus est illo cælesti vnguento, quod olim Beata Maria Mater Dei commisit Beato Thomæ Martyri Archiepiscopo Cantuar. dùm esset in exilio, conseruandum, prædicens eidem, quod Reges Anglorum, qui vngerentur hoc vnguento, pugiles essent Ecclesiæ, & benigni. Hoc vnguentum in aquila aurea, & ampulla lapidea conseruatum latuit per multa tempora,sed tandem miraculosè manifestatum, dùm Dominus Henricus Primus Dux Lancastriæ bella gereret Regis sui in partibus transmarinis, ipsi nempe tradita fuit prædicta aquila per quendam Sanctum virum, qui illam inuenerat reuelatione diuina. Qui dedit eam nobilissimo Principi Eduuardo (primogenito Eduuardi illustris Regis Angliæ) vt in ea vnctione post mortem patris vngeretur in Regem. Qui posuit in turri Londoniarum vnguentum præfatum, recludens in cista multis firmata seris, latuitque ibi per obliuionem, vel per negligentiam vsque ad tempus Richardi Regis filij principis memorati. Anno Domini prædicto millesimo trecentesimo nonagesimo nono, prædictus Rex Richardus curiosè perscrutatus res à progenitoribus sibi relictas, inopinatò reperit aquilam, & ampullam, & scripturam siue prophetiam B.Thomæ Martyris. Et cum didicisset virtutem talem vnctionis, rogauit Dominum Thomam Cantuar. Archipræsulem, vt eum denuò vngeret hoc vnguento, qui hoc facere omninò recusauit, dicens, sibi sufficere,quòd semel per manus suas sacram suscepit in coronatione pristina vnctionem, quæ habere non debuit iterationem. Hanc aquilam cum ampulla Richardus portauit in Hiberniam profecturus, & denuò rediens in hanc terram. Quam petenti Archiepiscopo apud Cestriam tradidit, dicens se iam patenter clarescere, quòd non fuit voluntatis diuinæ, vt vngeretur illo vnguento,sed alteri deberi tam nobile sacramentum; Archiepiscopus verò reseruans tanta iocalia sub veneranda custodia, ea tenuit vsque ad tempus coronationis Regis moderni, qui primus Regum Angliæ vnctus est tam pretioso liquore.

4. *Vincentius in Spec.Hist.lib.7.cap.97.de S.Bonito Episcopo Aluernensi.* Cum quadam vice S.Bonitus in Ecclesia S.Michaelis noctem in oratione duceret, admirabilem vidit visionem, in qua coram Deipara, & filio eius, visus est sibi sacra facere,

qui-

quibus peractis, Beata Virgo vale faciens dilecto suo, pro munere, cælestem vestem ei dedit, quam ipse deuotè conseruauit; & vsque hodie in ciuitate Aluerniæ monstratur populo vestimentum illud cæleste, cuius materies, & contexturæ modus à nullo homine dignosci potest, & est eximij candoris miræque leuitatis.

5. *In vita S. Nortberti Archiepiscopi 6. Iun.* In vita Beati Seruatij legimus, quòd defuncto eodem præsule sanctissimo, sericum quoddam populo spectante, multùmque admirante, angelicis allatum manibus, super illius venerabile corpus positum est. Quapropter idem sericum in Traiectensi Ecclesia summa honoratur reuerentia, præcipuaque conseruatur, & obseruatur diligentia. Cum ergo S. Nortbertus Traiectum deuenisset, petijt hoc sibi sericum demonstrari. At illi cæperunt simul omnes excusare, præsertim cum vel ipsum scrinium, in quo repositum erat, introspicere nullus auderet. Sed quid multa? Tandem viri Dei obtinuit petitio. Cùmque in eius præsentia sacrum aperuissent repositorium, subitò ecce sericum illud (mira dicturus sum) mirabili & Diuino quodam impulsu subuectum euolauit, ipsamque basilicam aliquanto spatio circumuolans, tandem se ad summa templi propè laquearia displicatum continuit, & illic quodam quasi remigio alarum librabatur. Quo viso alijs stupendo exclamantibus, alijs penitùs sibi subtrahendum cum luctu formidantibus, vir Dei rem tacitus considerans, Missarum adorsus est solemnia. Quæ dum ageret, ecce sericum se recomplicans, super expansa Sacerdotis lentè se dimisit brachia. Quòd ipse venerabiliter suscipiens loco suo restituit. In hoc igitur facto, & meriti gloriam in præsule Seruatio, & fidem atque orationis virtutem in suo famulo Deum declarasse non dubito.

6. *Simeon Vagner.* Amadeus Lausannensis Antistes, amabiles suas de Virgine Homilias nunquam prompsisset, nisi eius soror, virgo religiosa (intellecto, quid frater suus pertinaciter premeret) laneam Chirothecam, mirabiliter sibi, à Gloriosa Dei matre dono datam, hac rigida omninò conditione Fratri transmisisset, vt quas Deiparæ laudes, delicijs plenas clanculùm scripserat, in vsum publicum daret. Asseruatur hæc Chirotheca, hodieque Lausannæ, in Reliquiario sacrosanctæ Virginis Mariæ, vt refert Gibbonus.

7. *Mariana de reb. Hispanis lib. 6. cap.* 10. Ex Gallia Gotthica Pelagius quidam, & Helladius profecti, veteris Heluidij insaniæ scintillas in Hispania exsuscitare cæperant, Mariam Virginem negantes perpetuò virginitatem retinuisse; horum furorem, ne patientia confirmaretur audacia, aut mora cresceret malum, sibi Ildelfonsus impugnandum sumpsit, cominùs disputãdo, eminùs libro euulgato, in quo perpetuæ virginitatis Mariæ patrocinium suscepit. Ea diligentia erroris semina dissipata, compressique nefarij eorum impostorum conatus. Operæ nauatæ merces vestis de cœlo allata fuit. Cum enim ad nocturnas preces persoluendas contenderet mense Decembri, ipsa nocte, quæ festum Annunciationis diem nuper à Patribus institutum, præcedebat: templum maximum visum est maiori fulgore micare, quàm vt oculi mortales ferrent; tunc cæteris aliò atque aliò dilapsis præ terrore, ad aram ipse progressus, cum nixus de more genibus preces funderet, in cathedra vnde is ad populum concionari erat solitus, astantem Beatam Virginem in augustiori quàm pro humano habitu specie vidit, his eum verbis compellantem: Cultæ in tuo corpore virginitatis, cum mentis puritate, fideique ardore coniunctæ, nostræque virginitatis defensæ præmium, erit ex cælesti thesauro munus allatum. Inter hæc verba, vestem suis manibus capiti inseruit, hac inquiens, filij mei, meaque, quæ toto anno recurrunt festa celebrato.

8. *Addit Eusebius lib. 1. de miraculis nat. cap.* 18. Sunt qui putant, illa eadem veste, quam è cælo mater Dei detulit S. Ildelfonso Archiepiscopo Toletano, & Oueti seruatur, Christum Dominum conuiuali ritu indutum, instituisse, sui corporis, & sanguinis Sacramentum.

9. *Aloysius Torrellus in His. Ord. S. Augustini an. Christi* 438. Panormi in Ecclesia PP. Eremitarum S. Augustini piè asseruatur, cingulum, quo B. Virgo paraliticæ fæminæ apparens, illoque eam cingens, illicò ab infirmitate liberauit. Cumque illi præcepisset, vt tale cingulum in eam Ecclesiam deportaret, in qua imaginem sibi omninò similem inuenisset. Pia fæmina, cum imaginem in eadem Ecclesia existentem similiorem omnibus reperijsset, ibidem cingulum reliquit, quod vsque adeò innumera efficit prodigia, mirabileque ad sedandos acerbissimos dolores partus continuò apparet.

10. *Isidorus de Isolanis lib. 2. cap. 17. in vita B. Veronicæ.* Cum laboraret ancipiti ægritudine Soror Thadea: obsecranti Veronicæ assiduè pro illius salute, cælorum Regina palmulam ab alto demisit: quæ vitæ longioris à Domino eidem concessæ signum foret; id quidem muneris Dominica in ramis accepit Veronica: quod sibi transmittendum antea dignouerat. Est palmula illa argentea ad instar oliuæ arboris, vario ornata colore, pro muneribus diuersis menti Thadeæ à Deo collatis, vt Virgine Beatissima reuelante Veronica edidicit. Habet tabellam veluti trunco affixam, cui diuina nomina inscripta fuere: Iesus Maria. Seruatur adhùc palmula eadem præcipua veneratione Diuæ Matris, & Virginis imperio in cænobio Diuæ Marthæ: quam nosquoque vidimus, & manibus contrectauimus.

11. *Idem ibidem l. 2. c. 26.* Aureo calamo Angelo afferente accepto, librum Veronica conscripsit: quem iuxta palmulam sorores cænobij Diuæ Marthæ peculiari veneratione custodiunt. Vidimus nos ipsi calamum: angelica ministeria, Veronicæque Sanctitudinem ea in re magis magisque demirati.

12. *In m.m.* S. S. Brixiæ in Monasterio S. Crucis Monialium ordinis S. Augustini deuotè asseruantur quædam folia oliuarum, olim miraculosè à Christo Domino præstita Ven. M. sorori Luciæ Paratici eiusdem Conuentus moniali, dùm ab obedientia impedita in Dominica Palmarum, ea à Confessario non recepisse, doleret. Reperitur, & in eodem Monastetio

rio zona aurea, quam B. Virgo eidem Ven. Sorori Luciæ, dum eam pingeret acu, sustulit imperfectam, reddiditque deinde perfectè phrygiatam; quædam etiam coralia, & acus, quas ab eadem B. Virgine mirabiliter recepit.

13. *In m.m. S.S.* Dortusæ in Catalaunia pie colitur in Cathedrali Ecclesia cingulum sericum reticulatum, quod circa annum Domini, 1178. Beata Virgo Maria cuidam Venerabili Sacerdoti in eadem Ecclesia, Splendoribus, Angelis, Sanctisque circumdata apparens, donauit, abipsaque dum in terris degeret elaboratum fuisse creditur: Huiusmodi cingulum mulieribus prægnantibus delatum, ad faciliter explodendos partus mirabiliter prodest.

14. *Arnoldus Rayssius Hierogazoph. Belgico, loquens de reliquijs, quæ extant in cœnobio Anduini in Arduenna Ordinis Sancti Benedicti, ait*: Habent huius cœnobij Ascetæ stolam sacram, Diuo Huberto per Angelum, ex parte Deiparæ V. M. cælitùs allatam. Includitur capsula seù scriniolo argenteo, ambabus Angeli vnius itidem argentei manibus comprehenso. Est autem ex bysso candida, & auro Angelicis manibus contexta. At Byssus quidem (vt declarat Ioannes Roberti in quæstionibus Hubertinis quæstione, 5. folio 366.) perpetuo ductu, ab extremo ad extremum pertinet, in longum, latumque tum porrecta, tum intertexta: sed sic, vt auro iucundè illusa, alternis illud spatijs, pectinatim insitum exhibeat. Nam post duorum digitorum merum candorem, sequitur mox, & excipit candori maritatum fuluum metallum, pari ferè longitudine. Est præterea eiusdem auri, vtrimque in longum procurrens linea, proximè oram, quæ altrinsecùs stolæ latitudinem claudit, ipsa tamen ora alternis candida, aut intertexto aureo filo renidente.

15. *Idem ibidem loquens de reliqu. quæ in S. Seruatij collegiata Ecclesia Traiecti ad Mosam adseruantur, ait*: Habent scyphum, siue vas ex lapide seù marmore vermiculato, quem Angelus eidem porrexit, cum ex limpidissimo fonte laticis haustum bibere desiderasset: ex quo etiam ordinariè aduenientes peregrini aliquid ebibunt.

16. *Ferreolus. Anno M. CV.* Atrebati in Cathedrali templo asseruatur cereus ille per orbem Belgicum memoratissimus, duobus histrionibus, seu citharedis (ioculatores Iperius vocat) Iterio Paulinati, & Normano Brabantino, ab ipsa Deipara cœlitùs delatus, ardenti igni extinguendo promptissimum, & singulare remedium. Ex quo quidem cereo nihil hactenùs imminuto, quin licèt sæpè ardeat, mirificè aucto, multi alij cerei conflati fuerunt: velut Brugensis, Bergensis, Bononiensis, Nigelanus, & alij.

De his multa alia describentur, cum de Crucibus, & Imaginibus, cum de Annulis, & alibi.

APPENDIX II. AD CAP. PRIMVM.

De Admirandis splendoribus à emissis cœlo adhùc perennantibus.

QVos olim, admirabilia Dei cęcutientibus mortalibus aperienda, emisere cœli admirabiles splendores, iam quosdam, non omnes, recensui; Nunc illos retexam, quibus obcæcatas hæreticorum pupillas perennantibus radijs illustrare adhùc nituntur cæli, semper splendescentibus linguis Admiranda Dei enarrantes. De quibus.

1. *Lucius Marineus Siculus l. 5. rerum Hisp. & Io: Eusebius Nierimberg. de miracul. Nat. lib. 1. cap. 38.* Apud Oppidum Olianam, quod est in ripa Sicoris, & distat ab Ilerda passuum millia circiter quadraginta, domus est Mariæ Virginis Castiluedrensis in alto loco posita, ad quam domum singulis annis in Martio mense, diebus Veneris, ex Insula fluminis tria lumina cærulei coloris ascendunt, & Ecclesiam per fenestras ingressa, lampades accendunt, & subindè descendunt ad eundem locum vnde venerant, ibique ab inspicientium oculis euanescunt. Quæ res admirabilis à populis illius regionis, & viris fide dignis affirmatur.

2. *Io: Baptista de Sectis in libello de vita & Translatione S. Thomæ Apostoli.* Dum irruentibus tempestatibus in Ortonensi Ciuitate, Ciues, populusque grandinum fulgorumq; vastationem timent, ad Ecclesiam cathedralem, supplices ante aram S. Thomæ Apostoli ibidem quiescentis confugiunt, dunque humiles fundunt preces, sæpè sæpiùs in summitate Turris Ecclesiæ mirabiles faces, splendescentiaque apparent lumina, ceù S. Apostolum ibidem ad euertendas ærumnas descensum. Quod prodigium cuncto populo apparet; Dumq; de illo dubitaret quidam Nobilis vir, Andreas Gonzaga nomine, qui eadem in ciuitate hospitabatur anno 1633. cum quadam nocte simul cum populo ad Ecclesiam confugisset, fulgur de cœlo descendens, super caput eius transiens, mirabili timore incredulitatem ab eius corde abstulit.

3. *Ferrandus.* Omni admiratione maius est, quod ad S. Felicis Nolani exuuias perpetuum quoddam huiusce generis radiorum profluuium, & medicæ lucis portentum emicuisse, nostris ex infulatis vatibus non vltimus, Paulinus cecinit, in hanc modum.

Illicò sed positis ex ossibus ecce micat lux.
Quæ medicis opibus merita dare signa potentis
Hactenus ex illo non vmquam tempore parcit.

CAPVT II.

De Admirandis circa Cælicolas, seù Angelos Cælum inhabitantes. Angelorum auditi armoniaci concentus. §. 1.

ADmiranda cœlestia sunt, quæ circa cælicolas, Angelosque cœlum inhabitantes, euenere; De his ergo hic. Primòque armoniaci Angelorum concentus, qui aliquando adhùc in terra degentibus mirabiliter insonuere, cæteris circa Angelos Admirandis viam sternent. Sunt autem.

1. *S. Lucas capite 2.* Nato Domino, Angelus Domini stetit iuxta Pastores, & facta est cum An-

Angelo multitudo militiæ cælestis excercitus, laudantium Deum, & dicentium, Gloria in altissimis Deo &c.

2. *Surius de S. Bonito Episcopo 15. Iannuarij*. Sanctus Aruernorum Antistes Bonitus, cum se totum contulisset ad perfectè amandum Christum, & eius Sanctissimam Genitricem, quodam tempore cum turbis ingressus templum Sancti Michaelis, in angulum se abdidit, peractis mysterijs, alijs abscedentibus, ille in suo permansit latibulo. Et custodes quidem more suo circumspexerunt, num quis adesset, sed nutu Dei factum est, vt ad eius latebram non pertingerent. Obseratis inde foribus, Sanctus vir tanto liberiùs, quantò secretiùs, coram Domino effudit animam suam, talisque ei prolixè oranti visio oblata est. Repentè è cælo insonuit vox tamquā suauis melodiæ, & micantibus luminaribus vir sanctus quasi multitudinē quādam conspexit eò aduentantium. Ingressa autem in templum est Virgo Mater Maria cum candidissimo Angelorū, & Sanctorū hominum cætu, tāquam Regina circumstante exercitu. Cantabant autem omnes illi laudes Christo, & Matri eius, atque ipsa etiam Sanctissima Virgo in laudibus filij sui vocem execerbat suam.

3. *Idem in vita S. Corbiniani Epis. 8. Sept.* Cum quadam die in Episcopio Frisingæ sederet, molestia corporis correptus, more solito in vicinum montem ad Oratorium Beati Stephani Martyris venire nequiuit ad matutinas Deo persoluendas laudes. Clerum itaque excitans, illùc ire præcepit. Illisque ascendentibus, vox psallentium in Ecclesia obuiàm illis venit: tantaque concordia modulaminis magis ac magis in aures audientium se intulit, quantò ad Ecclesiam propinquiùs accedebant. Ex fenestris quoque, & tecto tanta vis clari luminis radiabat per latera eiusdem montis, vt claritatem diei superaret. Illis ergò festinantibus, & Ecclesiæ ianuam ingressis, tātus claritatis fulgor euanuit: odor tamen incredibili suauitate ibi triduò permansit. Clerici quoque nimio timore perterriti, & velut mortui corruerunt in terram, alij ante fores, alij limina Ecclesiæ ingressi.

4. *Idem 13. Octobris*. Cum B. Venantius Abbas de Basilicis Sanctorum die Dominica, expleta oratione, reuerteretur, super bacilum sustentatus, erectis auribus, oculisq; ad cælum diutissimè attentis, stetit immobilis: Deinde motus à loco, cæpit dare gemitus, ac suspiria longa producere: interrogatusque à suis, quid hoc esset, aut si aliquid diuinum fuisset intuitus, respondit: Væh nobis inertibus, & pigris; Ecce iam in cælo missarum solemnia expediuntur, & nos segnes, nec inchoare cæpimus huius mysterij Sacramentum. Verè, inquit, dico vobis, quod ego audiui voces Angelorum in cælis, SANCTVS in laudem Domini proclamantes.

5. *Idem in vita S. Spiridonis 12. Decembris*. Ingressus erat vir Dei aliquando quoddam templum suæ Ciuitatis, de more vespertina peracturus cantica. Ita autem contingerat, vt populus non esset in templo. Cum ergo nullus alius esset, nisi Æditui tantùm, & Ministri, iubet solito plura accendi lumina; & ipse quidem lætus stabat ex aduerso aræ pacem acclamans consuetam, Cùm autem non esset, vt solebat, populus responsurus, auditur de super vox quædam multorum myriadum acclamantium, & cum Spiritu tuo. Erat verò vox quædam modulata, & numerosa, & quæ erat præstantior quàm vt humana esse conijceretur. Postquam autem preces peregit, Diaconus, timore correptus, rursùs audiuit (ò miraculum) Kyrie eleison, diuinæ acclamatum, & quoniam hæc vox se manifestam reddebat ijs etiam qui erant foris, concurrebant omnes simul admirantes.

6. *In actis S. Audoeni*. S. Audoenus Rothomagensis Episcopus ad cōfessionem B. Petri orans, dum inciperet: exultabunt sancti in gloria; diuinitùs responsum est: lætabuntur in cubilibus suis an. 672. Huius miraculi memoria adhùc in præsenti, inscriptione seruatur in Ecclesia S. Petri Romæ.

7. *In vita B. Francisci Fabrianensis Ord. Minorum*. Cum aliquando missam pro defunctis celebraret affectuosiùs, vehementerque compateretur animabus dura tormenta patientibus, & in fine sacrum Mysterium clauderet illa deprecatiuncula, Requiescant in pace; multorum exaudita est vox dicentium, Amen: quos vel Angelos ministrantes sacrificanti, vel animas ad preces sancti viri à purgatorij ergastulo liberatas, iudicare licebit.

8. *In actis S. S. Feb. tom. 1. in Cont. Bollandi*. S. Ignatius Antiochiæ in Syria tertius à Petro Apostolo Episcopus, qui & cum Apostolis multùm conuersatus est, visionem vidit Angelorum, Sanctam Trinitatem hymnis alterna voce decantatis, collaudantium; Et formam canendi in ea visione expressam Ecclesiæ Antiochenæ tradidit. Vnde & hæc ipsa traditio ab omnibus Ecclesijs recepta est.

9. *In vita S. Petri de Morono*. Audiebantur in loco, in quo habitabat S. Petrus sæpiùs dulcissimæ voces, suauissimique concentus Angelorum, quandoque in cella vna, quandoque in Oratorio fratrum, ipsis Diuinum officium cantantibus, quandoque verò cessantibus ipsis, atque pausantibus, quasi eis ferentes auxilium, fortiùs resonabant.

10. *Ibid. de eodem*. Dicentibus quodam tempore in Oratorio pratribus cum ipso Diuinum Officium, subitò resonuit in eorum auribus suauissimarum, earumque magnarum, & multarum campanarum tinnitus; mirantur omnes, præcipuè cum Oratorium illud procùl ab omni hominum habitatione ita esset remotum, vt nullus eò campanarum sonus deferri posset: nec semel modo hoc euenit, sed sæpè numero noctu diùque, precipuè horis Diuino officio decretis, & quidem diebus solemnioribus pulsus maior edebatur; sonum verò illum fuisse cælestem, & Diuina virtute excitatum, illud probat, quòd aliqui audito hoc sono à varijs animi, ac corporis infirmitatibus, & dæmonis infestationibus fuerint liberati.

11. *Petrus de Natalibus lib. 8. cap. 51*. Quidam Sanctus vir contemplationi sedulè vacans, singulis annis VI. Idus Septembris iucundissimos Angelorum cantus audiens, Dominum instanter orauit, vt sibi reuelare, cur ea die tantùm, & non alia, hoc audiret; diuinum responsum accepit, quòd VIRGO MARIA, VI. Idus Septembris nata fuit, de cuius natiuitate cælesti curia solemnitatem facit,

sit, mandauitque vt filijs Ecclesiæ manifestaret, vt concordes fierent in tali festo cælesti curiæ; qui cum hæc Summo Pontifici, & alijs intimasset, illi scripturis, & antiquitatum testimonijs insistentes, & eum esse virum sanctum, & magnæ auctoritatis vera loqui credentes, Natiuitatem Virginis ipsa die celebrandam vniuersaliter statuerunt.

12. *Pennotus in Hist. Trip. lib. 1. cap. 23.* Quodam tempore, cum interdicta esset Ciuitas Suessionensis in Gallia, nec perconsequens Diuina officia publicè celebrari possent: Prior Canonicorum Regularium S. Ioannis in Vineis, adueniente festo Assumptionis B. Virginis, volens tantum festum solemniter celebrare, assumptis secum tribus fratribus, in montem proximum Ciuitati in loco, vbi quondam Eremita stabat, recessit, ibique tempore matutino surgentes, Sacras laudes Deo decantabant, At vbi ante laudes Prior nonam lectionem ex more finiuit, subitò concentus mirabilis insonuit Angelorum, & Responsorium, Fælix namque es &c. altissimis vocibus cantauerunt; quo peracto, tantùm quatuor ex illa multitudine, Versus, & Gloria singulariter decantauerunt, multitudine semper respondente. Finito autem Responsorio, factum est silentium Angelorum.

13. *Iacobus Pintus de Christo Crucifixo lib. 3. tit. 4. loc. 12.* Propè Tempium prouinciæ Gallurensis in Sardinia nobile Oppidum, quædam audita fuit cælestis harmonia, splendoresquæ visi versùs eam cæli partem.

14. *In Chronicis Cassinensibus lib. 4. c. 32.* Ioannes quidam in mansiuncula, quæ turri B. Patris Benedicti contigua est, cum nocturno tempore sopori membra dedisset, euigilans audiuit dulcisonum melos ante nocturnam synaxim in Beati Patris ædicula ab Angelis cani. Ad quod ille stupefactus, Sebastianum, qui iuxta quiescebat, interrogat, an fratres adhuc ad nocturnale officium resurrexissent, qui cum nondum primam noctis vigiliam præterijsse dixisset, iam dictus Ioannes exurgens, accessit ad turrim, quam immensi splendoris, & inauditi odoris replebat fragrantia. Dictæ verò cantilenæ suauitas, odorisque fragrantia ac lucis immensitas ab antiquis viris in iam dicta turri præcipuis festiuitatibus visa, & audita narrantur, sed præcipuè tamen annis singulis adueniente die depositionis Beati Patris Benedicti audiri, & videri solent.

15. *Ioannes Seueranus in monumentis septem Ecclesiarum Romæ.* Dum semel D. Gregorius Papa missam solemnem in Ecclesia S. Mariæ Maioris celebraret, illaque verba proferret; Pax Domini sit semper vobiscum: Angeli suauissimo cantu responderunt: & cum spiritu tuo. In memoriam autem tanti miraculi, vsque adhùc, dum Pontifices in eadem Ecclesia solemniter celebrant, ad eadem verba: Pax Domini: Chorus non respondet, & cum spiritu tuo; tale munus Angelicis Choris relinquendo.

16. *Idem ibidem.* Cum S. Gregorius Papa, imaginem B. Virginis, quæ reperitur in Ecclesia S. Mariæ Maioris in Vrbe, solemni ritu ad Diuinam iustitiam placandam, ad Ecclesiam S. Petri deferri iussisset; vbi ad molem Adrianam peruenit processio, auditæ fuerunt voces Angelorum, Virginem his verbis obsequentes. Regina cæli lætare, alleluia, quia quem meruisti portare, alleluia, resurrexit alleluia; quibus D. Gregorius Diuino impulsus spiritu, addidit: ora pro nobis Deum, alleluia. In memoriam autem tanti miraculi, vsque adhùc quoties Canonici S. Mariæ Maioris processionaliter ante eandem molem transeunt, eandem antiphonam piè religioseque recitant.

17. *In m. S. S.* Cum antequam Brixiæ crudeli, interficeretur martyrio S. Alexander eiusdem Vrbis Ciuis, Diuinam Eucharistiam à S. Maximino Episcopo sacrum faciente, deuote susciperet, Angeli è cælo descendentes, sacrumque circundantes altare, suaui concentu psalmum, Laudate Dominum de cælis, auditi sunt canere.

18. *In annal. min. an. 1225. de S. Francisco.* Accessit tamdem Franciscus ad Ciuitatem Reatinam honorificentiùs, quàm vellet, receptus à Pontificijs, hospitium admisit in domo cuiusdam deuoti ciuis dicti Thebaldi Saraceni, in qua dolorum varijs oppressus molestijs, languidulus iacebat, desiderabatque ad iucunditatem spiritus excitandam alicuius musici instrumenti melos audire. Dum verò honestatis decentia id fieri per ministerium non pateretur humanum, affuit Angelorum obsequium ad viri Sancti placitum adimplendum. Nocte etenim quadam vigilante ipso, & meditante de Domino, repente insonuit cithara quædam harmoniæ mirabilis, & suauissimæ melodiæ. Non videbatur aliquis, sed transitum, & reditum citharedi, ipsa hinc inde auditus volubilitas innuebat. Spiritu in Deum directo tanta fuit in illo dulcisono carmine suauitate perfusus, vt aliud se putaret Sæculum commutasse. Hoc, & fratres sibi familiares non latuit, qui per certa frequenter conspiciebant indicia, eum tam excessiuis, & crebris consolationibus à Domino visitari, vt nec ipsas omninò occultare valeret.

19. *In vita B. Coletæ.* Cum Coleta aggrederetur ordinem Sanctæ Claræ in pristinum nitorem restituere, animi pendebat, qua ratione, & modo diuinum persoluendum esset officium. Continebat enim regula, à Sororibus non cantando, sed legendo id peragi debere. Consuluit igitur ea de re Confessarium suum, cum quo cum diù multa contulisset, communi consilio statuerunt ad orationem recurrendum. Illis igitur deprecantibus subitò audita est in medio Symphonia quædam modulatissima, & auribus gratissima, vt & videbatur, Angelica. Qua modulatione percepta modum constituerunt, quo sorores tractim, & suauiter in Diuino ministerio vterentur.

20. *Bzouius in ann. Eccl. an. 1507. in vita S. Francisci de Paula lib. 1. cap. 10.* Dum Franciscus de Paula in summa contemplatione inter cubiculum clausus, semel oraret, Angelica melodia ibidem exaudita est, ipseque clarissima luce circumfusus.

21. *Ignatius de Nente in Vita Ven. Sor. Dominicæ de Paradiso lib. 2. cap. 36.* Sæpè suauissimos An-

Angelorum concentus meruit audiræ Dominica; aliquando Angelus custos ei apparens, musica instrumenta cælesti arte pulsando, dulcissimam in eius anima excitabat suauitatem.

22. *In Chronicis Carthusianorum lib. 6. cap. 22. In Vita B. Roberti;* Quo in loco Otho Dux Geldriæ celebre B. Roberto eiusque socijs construxit Monasterium, aliquibus retrò annis dulcissimi, suauissimique auditi sunt Angelorum concentus.

23. *Vmbertus lib. 1. de Vitis Frat. Dominica. cap. 9.* Frater alius Clarinus Latinus testatus est, quòd cum esset puer, & cum patre suo, qui bonus, & fidelis erat iuxta locum illum, quem modò Fratres habent Bononiæ, quadam die transiret, dixit illi pater suus; fili, in loco isto auditi sunt frequenter cantus Angelorum, quod est magnum prognosticon futurorum. Cui cum dixisset, puer forte sunt voces hominum, & ille, aliæ sunt voces hominum, & aliæ Angelorum, & multùm differentes. Quæ verba nunquam ab eius memoria exciderunt.

24. *Ferdinandus Castellus de B. Henrico Susone.* Quotidianæ lucis aduentum, gallo præcinente, Henricus, Deiparam nostram Auroram, humi stratus adorabat, hymnisque prosequebatur, & laudibus: quam ad rem animum opportuno illius temporis cantu, solebat excitari; audito salutationis Angelicæ signo, & sono matutino, singularem quamdam, ex Gabrielis, & Elisabethæ verbis dulcedinem sentiebat. Quadam autem die, dùm illa ipsa hora, Christi veri solis auroram Mariam, voce canit, animo contemplatur, concinentem Angelorum Chorum audiuit, numeros & verba; cum attendisset hymnis Angelicis, primùm versum tenuit (Stella Maria Maris, hodie processit ad ortum) quem versum cum ipsis modulatus est Angelis, rei dulcedine, & animum, & vocem rapiente. Quo absoluto cantu, cæleste Sydus manè, vt solitus erat, salutauit. Pridie illius diei, in quo Cineralia celebrantur, in oratione processit, ad lucem, tantisper quiescere incipientem, dum salutandæ suo more, Virginis, matutinum tempus accederet, Angelicus cantus occupauit; Surge illuminare Hierusalem; quæ harmonia, Henrici, & aures & animum, voluptate compleuit. Et cum dulcedinem tantam capere mens ipsa non posset, lachrymis infudantes oculi, suauissimi ponderis parte aliqua ebullientem animum, releuarunt.

25. *In vita S. Francisci de Paula.* Nascente S. Francisco in oppidulo Paula, hymnodiam personuisse Angelicam, sicut Christo nato, memoriæ proditum est.

26. *Franciscus à S. Maria in Hist. Carmelit. tom. 1. lib. 5. cap. 5.* Cum Ven. M. Anna à S. Augustino ex Carmelitis Discalceatis, iam compleſſet fabricam Ecclesiæ, quam D. Annæ in Ciuitate Villanouæ erexerat, cuperetque ad honorem eiusdem Diuæ inscriptionem aliquam in eadem Ecclesia insculpere; dum hæc cogitat, Angelos cælesti suauitate huiusmodi antiphonam canentes audiuit: O Beata Anna, quæ semper regnas cum Angelis; illùc nostri sic memor esto, vt tuo mereamur sociari Collegio: ex quo intellexit, huiusmodi in Ecclesia sculpendam inscriptionem sancitum esse in cęlis, quod & fecit.

27. *Idem ibidem tom. 2. lib. 7. cap. 24.* **Ven. Catharina** à Iesu ex Carmelitis discalceatis, cum quadam nocte ante aram SS. Sacramenti, deuotas profundens preces, maximè doleret, tam diuinum Numen ab hominibus ita solum relinqui: ecce illicò magna luce tota resplenduit Ecclesia, cælestemque concentum adstantium Angelorum tota nocte meruit audire, diuinamque illam humanitatem, à cælestibus ciuibus nunquam præsentia, veneratione deseri intellexit.

28. *Ex annuis litteris Societatis Iesu an. 1569.* In annuis litteris Societ. nostræ anno 1569. refertur, Clericos desides aliquando fuisse in vesperis Gloriosissimæ Virginis Mariæ decantandis, quæ in Assumptione eius solemni Officio cogebantur dicere in ciuitate Indorum Bazain, pluresque Angelorum Turmas descendisse de cælo, & cecinisse vesperas illas in Choris separatis cælesti musica, ita vt multi transeuntes per forum, viderentur aspicere fores apertas templi, cum verè clausæ essent, & intùs tripudiantem turbam Angelorum, de quibus claritas effulgebat, & consonantia Musicorum incredibilis astabat; de quo Clerici à transeuntibus admoniti, accurrentes, & videntes, effusi sunt in stuporem, quamobrem sequenti die magno ciuitatis concursu celebrata est solemnitas illa in gratiarum actionem Virginis, & Sanctorum Angelorum.

Ijdem *Angelorum cantus in morte Iustorum.* §. 2.

Concinium suorum fælicem ad Paradisum transitum, festiuis cantibus quandoque etiam Sancti Angeli sunt prosecuti. De quibus.

1. *Surius in Maio.* Angeli, Sancti Dunstani Archiepiscopi Cantuariensis, lectum, in quo iacebat moriturus, cum adstaret Clerus eius vniuersus, ter eleuarunt placidissimè vsque ad laquearia domus, leuiterque demiserunt: quemadmodum etiam cęlesti concentu eum prosecuti sunt morientem.

2. *In vita D. Heruæi Eremitæ.* Audite sunt voces Angelorum laudantium, & glorificantium Dominum, quando Sancta eius anima à corpore separata, ab eis in cælum est delata.

3. *In vita S. Henrici Eremitæ apud Bollandum 16. Iannuarij.* Cum eius mortis hora appropinquaret, harmoniam miræ dulcedinis vocum, Te Deum laudamus, alternantium, vir quidam in aere audiuit, donec hymni series penitùs compleretur.

4. *In vitis P.P.* Angeli Sancti visi, & auditi sunt hymnis canticisquè suauissimis in cælum animas deportare Amonis Monachi, Anuph, Pauli primi Eremitæ, Siluani, Simeonis Stylitæ, & aliorum Monachorum, & Sanctorum, vt in ijsdem vitis Patruum.

5. *In vita S. Danielis Episcopi.* Dum extremum vitæ peragerct S. Episcopus, Angelorum concentu, & miri odoris fragantia tota ciuitas adimpletur. Sanctus autem Pater erecta ad cælum tàm mente, quàm facie, exclamauit, dicens: Domine accipe Spiritum meum, Ad quem Angelus au-

audientibus fratribus ait: Prepara te ad Kalendas Martij, quia tunc Rex mundi Iesus Christus tibi occurret, & cum eo multa Angelorum millia.

6. *In Menol. Cisterc. 28. Decembris de Beata Violantia Conuersa.* Erga Venerabile Sacramentum miro ferebatur deuotionis affectu, in cuius præsentia, dum orationi insisteret, & ipsum humillimè salutasset, inclinato capite emisit spiritum. In cuius fæliciſſimo transitu, cælestium spirituum concentus, & diuersorum instrumentorum musica audita est.

7. *Ibidem 9. Kalend. Martij.* In Germania Beata Agnes Virgo ordinis Cisterciensis, cuius animam in cælum magna cum gloria, & suauissima Angelorum musica deferri, Beata eius soror Hildegundis conspexit.

8. *Ibidem 3. Aprilis de Beata Giomaria.* Dum iam morti proxima lecto decumberet, cælestium spirituum concentus, suauissimè canentium: Te Deum laudamus; ab omnibus Monialibus auditus est.

9. *Herrera in Alphabeto Augustiniano de Beata Iustina Mediolanensi.* Iustinæ exitu appropinquante, concentus Sanctorum Angelorum in sublime sorores clarissimè audierunt. Nesciebant Iustinæ obitum instare, demirabanturque harmonias cælestes, quas puerorum voces primùm arbitratæ sunt. At campanulæ signo facto pro moriente Iustina, accurrunt sorores, satagebantque vltimum spiritum exhalantem intueri. Enimuerò circa Iustinæ cellam concentus superorum frequentior audiebatur, altaque cælorum paulatim petens, deficiente Iustina, defecit.

10. *Pet. de natal. libr. 8. cap. 71. de Sancta Bona Virgine.* Audita est vox Angeli de cælis ipsam ad patriam euocantis: Quæ continuè in choro sororum posita, omnibus circumpsallentibus & flentibus, emisit spiritum pridie idus Septembris.

11. *In vita Sancti Nicolai Tolentinatis.* Diuus Nicolaus Tolentinas sex ante obitum mensibus singulis noctibus Angelorum concentum audiuit.

12. *Andreas Saussaius ad mart. Gallic. 26. Iulij.* Lyræ ad Neram fluuium moritur hodie, vt æternum viuat, piæ memoriæ Anna conuersa Nazareth cœnobij virginei monialis, fœmina admirandæ sanctitatis; ad cuius transitum auditus est gratissimus Angelorum concentus.

13. *Bzouius in ann. Eccl. an. 1270. num. 16. de B. Helena Virgine.* Cælestes Angelorum melodiæ circum illam personantes, nec non Sanctorum plurimi illi colloquentes audiebantur.

14. *Marulus lib. 6. cap. 16.* Martini Episcopi Turonensis vultus, cum obijsset, splendidus apparuit; Angelici præterea cantus circa ipsum auditi sunt.

15. *Villielmus Malmesburiensis lib. 3. de gestis Pontificum Anglorum de VVilfrido.* Ea, qua efflauit hora, cantus suauis auium, & plausus alarum in cœlum reuolantium auditus, nec visus. Id cum sæpè in illa funeris pompa fieret, periti, qui aderant, voluerunt intelligi, quòd esset Angelorum concio, quæ ad defunctum venisset.

16. *Ioannes Vasæus in Chron. Hisp. ad an. 920.* Hoc anno mortuus est Sisnandus quartus Compostellanus Episcopus, in eiusque obitu voces auditæ sunt Angelorum canentium: Veni electe Dei, intra in gaudium Domini tui.

17. *In Chronicis Minorum.* Paulò antequam Ven. Fr. Petrus Nicolaus Fattorus è vita migraret, suauissimus Angelorum cantus in eius cella à multis auditus est; qui & in Ecclesia nocturno tempore, dum ibidem eius corpus moraretur, iterum insonuit.

18. *Gonzaga 3. part. de origine Seraph. Religionis in Prouincia Conceptionis, Conuen. 3.* In obitu Catharinæ Manriquiæ Religiosæ deuotissimæ, Hymnus, Te Deum laudamus, vsque ad versum, Te ergo quæsumus famulis tuis subueni &c. ab Angelis, sororibus ferè omnibus id audientibus, decantatus fuit.

19. *Idem Gonzaga in Monasterio Beatæ Paulæ Mantuæ.* Dùm Beata Paula expiraret, cælestis musica audita fuit. In morte quoque Beatæ Elisabethæ Picinardæ sororis tertij ordinis Seruorum Beatæ Mariæ in Monasterio S. Barnabæ Mantuæ, auditi sunt Angeli itidem suauissimè cantantes.

20. *In Chronicis Minor. par. 1. lib. 9. cap. 23.* In obitu Comitissæ Delphinæ, Sanct. Eleazari vxoris, cum quo Virginitatem in matrimonio conseruauit, auditi sunt Angelorum concentus, eius beatam animam ad cœlum euocantium.

21. *Bozius de signis Eccles. lib. 12. cap. 21.* In obitu Ven. P. Andreæ ex Olmo, qui in Indijs Occidentalibus quadraginta tres totos annos in prædicanda catholica fide consumpsit, auditi sunt diuini concentus.

22. *Marulus lib. 6. cap. 10.* In obitu Agili Resbacensis Abbatis, Ado Monachus lætantium Angelorum cantus audiuit.

23. *Idem lib. 5. cap. 10.* Dum moreretur Romula religiosa fœmina Romæ, præ foribus cellulæ eius auditi sunt psallentium Chori, & illa corporis vinculis expedita, cum ijsdem cœlum petijt.

24. *In vita Sancti Genulphi Episcopi apud Bituriges in Gallia.* Sub ipso articulo exitus sui à corpore, auditæ sunt voces in sublimi Angelico Choro reboantes cantica, adeò vt omnes, qui intererant tali ac tanto funeri, deprimerentur sopore somni præ melodia dulci.

25. *In Chron. S. Augustini.* Quo tempore ad cœlos euolauit anima Sanctæ Monicæ, Sancti Augustini matris, Angelorum cantus, illam sanctam animam ad patriam concomitantium, mirabiliter auditi sunt.

26. *In vita Beati Laurentij Iustiniani Patriarchæ Venetiarum cap. 12.* Inter cœlestes voces Angelorum, & cantus, fælicissimus spiritus B. Laurentij, velut igniculus in cœlum emicuit.

27. *Marulus lib. 6. cap. 16.* Seruulus paralyticus moriens, homines circa se psallentes silere iussit, quoniam Angelos audire cœpit.

28. *Idem ibid.* Paphnutij, Stephani, Egidij, Spei Abbatum: Tiburtij, Valeriani, Maximi, Marcel-

lini, Petri, Iustini, Pastoris, Quintini, Seueri Martyrum: Amatoris Antisiodorensis Episcopi, Germani Capuani Episcopi, Onuphrij Eremitæ in Ægypto, Speciosi in monte Cassino Monachi, compluriumque aliorum, quos enumerare longum esset, fælices animæ, quo die corpora sua reliquerunt, eo ad cœlum tolli visæ sunt, & dum tollerentur, melos interdum lætantium Angelorum auditum.

29. *Franciscus à S. Maria in Chron. Carmelitanis Tom. 1. lib. 2. cap. 13.* In Conuentu Malagonensi Discalceatarum Sanctæ Teresiæ, cum moniales officium defunctorum recitarent pro sorore Catharina à Iesu Maria defuncta, dum proferrent Antiphonam, Requiem æternam dona eis Domine; quædam sorores audierunt Angelos suauissima voce repetentes, alleluia, alleluia.

30. *Sylos in Hist. Cler. Reg. Par. 2. lib. 11.* Ioseph Mignia spectatissimæ virtutis inter nostros, dum Panormi summa charitate peste infectis deseruiret, lue contracta, tandem supremo & ipse ægrotauit, qua in vltima periodo vitæ, quadam nocte suauissimo Angelorum concentu, ceu ipsum ad cælestem patriam euocantium, maximè recreatus est.

31. *Ignatius de Nente in Vita Ven. Sor. Dominicæ de Paradiso lib. 3. cap. 49.* Suauissimus Angelorum cantus in toto Monasterio S. Crucis à Monialibus auditus est, eo tempore, quo Venerab. Dominica animam Deo reddidit, qui multis horis perdurauit.

Angeli funeralia quibusdam Iustis, suauissimis cantibus celebrantes. §. 3.

ETiam post mortem quorumdam Iustorum, armoniaci Angelorum concentus, ceù ipsis funeralia lætis vocibus celebrarent, sunt auditi. De quibus.

1. *S. Melito Episcopus Sardensis de transitu B. Mariæ Virginis cap. 12.* Super feretrum B. Virginis post eius obitum Angelorum exercitus auditus est in nubibus, canticum suauitatis emittentium, & resonabat terra sonitu dulcedinis magnæ.

2. *In actis Sanctorum apud Bollandum in vita Sancti Genulphi 17. Ianuarij.* Mox postquam anima eius exiuit è corpore, auditæ sunt voces in sublimi Angelico choro reboantes cantica, adeò vt omnes, qui intererant tali ac tanto funeri, deprimerentur sopore somni præ melodia dulci.

3. *In actis Sanctorum Febr. tom. secund. in contin. Bollandi.* Statim ac spiritum emisit Sanctus VValfridus Abbas montis viridis in Hetruria, tanta eadem hora Angelica psalmodia psallentium audita est, vt non solùm à Fratribus, verùm etiam à pastoribus ipsius Monasterij, animantia foris pascentibus audiretur: sed & nobiles homines non minùs longiùs à monasterio positi, quàm penè triginta milliaria, se has laudes audisse testati sunt; & tandiù illa psalmodia personuit, donec penitùs corpus Sancti hominis sepulturæ traderetur.

4. *Ibidem tom. 3.* Ipsa nocte, qua ad cælestes nuptias transijt Sancta Earcongotha Regia Virgo Angla, multi de Fratribus Monasterij, qui alijs erant in ædibus, iam manifestè se concentus Angelorum psallentium audisse, referebant, & sonitum quasi plurimæ multitudinis monasterium ingredientis; Vnde mox egressi dignoscere quid esset, viderunt lucem cælitùs emissam fuisse permaximam, quæ Sanctam illam animam carnis vinculis absolutam, ad æterna patriæ cælestis gaudia ducebat.

5. *Ibidem in Mart. tom. 2.* Nocte secuta post mortem Sancti Patritij Apostoli Hiberniæ, lucisluus Chorus Angelorum circa corpus cælestes excubias exhibuit, locum, & omnes existentes in eo, claritate circumfulgens, odore oblectans, psalmodiæ melifluæ modulamine mulcens, spirituali iucunditate cuncta perfudit.

6. *Flodoardus in Hist. Rhemensi lib. 2. cap. 14. de Sancto Rigoberto Episcopo.* In ea Basilica, in qua conditum fuerat Sancti Episcopi corpus, voces tantæ dulcedinis post eius sepulturam sæpiùs auditæ narrantur, vt non nisi Angelorum comprobentur.

7. *Petrus de Natalibus libr. prim. cap. 69. de S. S. Nicasio, & Eutropia M. M.* Supra corpora horum S. S. Martyrum noctu Angelica cantica resonabant.

8. *Idem libr. secund. capit. 13. de Sancto Thoma Martyr. Episcopo Cantuariensi.* Dum Clerici corpus in pheretro posuissent, & pro eo missam defunctorum inciperent, Angelorum Chori astantes, voces cantantium interrumpunt, & officium Martyris: Lætabitur iustus, inchoant; & cæteri persequuntur: & sic Martyrum honore venerandus, Martyris reuerentia honorificè tumulatur.

9. *In actis S. Lamberti Episcopi.* Post eius mortem, Angeli Dei monumento eius incessanter assistentes, & sua illum laude celebrantes, ad instar vocis ipsius B. Martyris modulatione dulcissima resonabant.

10. *Ferrarius in Catalog. S. S. 29. Ianuarij.* Cum sanctus Constantius Episcopus, & Martyr Perusinus post crudele martyrium inhumatus ab hostibus relictus fuisset, Fulginas ciuis, Lenianus nomine, Diuino monitu perquisitum, & Choris Angelorum circumseptum repertum, Perusiam deferri curauit.

11. *Idem ibidem, 1. Maij.* Post biennium, à quo defunctus fuerat Sanctus Aldrebandus Episcopus Foro-Semproniensis, æditruus Ecclesiæ, in qua sacrum corpus tumulatum erat, ad horas matutinas pulsandas surgens, lumina super illius sepulchrum vidit, & Angelicum cantum audiuit, vna cum Archipresbytero, & Canonico ab ipso vocatis.

12. *Idem ibidem 7. Augusti.* Cum defunctus esset S. Albertus Confessor ordinis Carmelitarum, clero, populoque altercantibus, quo officio, mortuorum ne, an Sanctorum Confessorum tumulandus esset, mox Angelos in Ecclesia canentes; Os iusti meditabitur sapientiam, auditos, contentionem sedasse, memoriæ proditum est.

13. *In*

13. *In vita S. Landoaldi Archipresbyteri & sociorum*. In sepulchris horum sanctorum quandoque cælestis cantilenæ murmur auditus est, Angelorum scilicet congratulantium.

14. *Surius 17. Ianuarij. De Translatione S.S.M.M. Diodori, Mariani, & aliorum*. Nocturno tempore Angelicę voces in eorum crypta audiebantur, & psalmodiæ.

15. *Baronius ann. 886. numer. 36.* Suauissimi Angelorum cantus in crypta viæ Salariæ Romæ super corpora Sanctorum Martyrum auditi sunt, quibus cælestes spiritus suorum concinium gloriosum de tyrannis triumphum exaltabant.

16. *In Chronicis Cassinensib. libr. 3. capit.* 38. Nocte quadam cum frater Gregorius Mansionarius in stratu suo quiescens, vigilaret, audiuit duos pueros in Ecclesia mira suauitate, ac dulci modulamine laudes Deo referre. Sciens itaque pro certo neminem Monachorum esse in Monasterio, qui puerilem vocem haberet, confestim surgens, Ecclesiam ingreditur, nullumque ibi reperiens, & quod in re erat aduertens, facto mane, quod audierat fratribus per ordinem pandit: hinc Angelorum frequentiam apud Beati Patris Benedicti exuuias, hanc fuisse dixerunt.

17. *In m. S. S.* Cum S. S. Faustinus, & Iouita, antequam Martyrij palmam consequerentur, religiosè sepelirent corpora Sanctorum Comitum, Gherardi, Valerij, & Sigismundi, Brixiæ in persecutione Adriani ob fidem Catholicam interfectorum; Angeli è cœlo descendentes visi sunt, qui faculis accensis sacras Reliquias vsque ad sepulchrum sunt prosecuti, indeque ad cœlum ascenderunt, tam splendescentem lucem in terris relinquentes, vt per biduum, Brixiæ vllum inter diem, & noctem haud appareret discrimen.

18. *In Menologio Cistercienfi 3. Iulij*. In Germania pia obdormitio triginta quinque Monachorum Hemmenrodensium, quibus breui temporis spatio ex hac vita feliciter substractis, admirandis præcedentibus, & subsequentibus visionibus, eorum gloria omnibus innotuit, atque Angelorum suauissimè canentium voces, dum eorum sacra corpora terræ mandarentur, auditæ fuerunt.

19. *Io: Golg. de Beato Amnuchado 30. Iannuarij*. Anno 1043. Amnuchadus Scotus inclusus, obijt 3. Kalend. Febr. in Monasterio Fuldensi; super eius sepulchrum visa sunt lumina, & psalmodia audita.

20. *In Vita S. Bernuuardi Episcopi*. Neque hoc reticendum videtur, quia plures Deo deuoti tam viri, quàm fœminæ nocturno quietis tempore ad sepulchrum Beati præsulis, psalmodiæ cantus se audiuisse, & luminaria diuinitùs accensa vidisse, & miri odoris fragrantiam sensisse, testati sunt.

21. *In vita S. S. octo fratrum Polonorum Eremitarum Camaldulensium à prædonibus occisorum*. Super locum, in quo iacebant sancta cadauera, dulcissimæ Angelorum voces resonare auditæ sunt.

22. *In vita Sancti Philippi Benicij*. Cum spiritum emisisset, illicò Angeli, psallentibus ad sacrum funus Fratribus, suauissimo concentu derepentè Nænias interpellarunt; cuius hoc argumentum fuit: Euge serue bone, & fidelis, quia Virgine super familiam suam fuisti constitutus, intra in gaudium Domini tui.

23. *In vita Sancti Aloysij Beltrandi Ordinis Prædicatorum*. Post eius obitum accessit suauissima cælestis armonia, quæ dum Beltrandi corpus in Ecclesia, vt assolet, inhumatum paulisper asseruaretur, à compluribus tam in Ecclesia, quàm in Monasterio ei contiguo existentibus mira animorum oblectatione audita est.

24. *Ribadeneira in vita Sancti Ignatij*. Anno CIƆDLXIX. pridie Kalend. August. qui dies est Beati Patris Natalis, quo primùm corpus eius translatum est, quidam Dei seruus in eius sepulchro duorum dierum spatio suauissimum concentum, & symphoniam concinentes audiuit.

25. *Chrysostomus Henriquez in fasciculo lib. secund. distinct. 26. capit. 1. de Beato Stephano Abbate*. Post illius obitum cum corpus sancti viri in templo, debito in honore collocaretur, & Monachi circà illud vigilando, & orando sederent, auditæ sunt in ipsa Ecclesia suauissimæ voces Angelorum, qui Sancti Abbatis triumphum sonoro & læto cantu celebrabant. Et visa est super templum pulcherrima crux, ex quinque splendidissimis stellis composita.

26. *In annalibus Minorum Parte secunda libr. nono capit.* 29. Cum à Triballis ob fidem Catholicam Martyrio afficerentur quinque Fratres Minorum, eodem tempore, suauissimus Angelorum concentus in aere auditus est.

27. *In vita Beatæ Coletæ Virginis cap.* 83. Ea hora, qua migrauit, in quibusdam Monasterijs, quæ ea speciali erat amore prosecuta, propter maius sanctæ paupertatis studium, auditæ sunt voces longè suauissimæ cantantium Angelorum.

28. *Iacob. Pintus de Christo Crucifixo libr. 3. tit. 4. lib. 12. digress. de inuentis Martyribus. & præcipuè Turritanis*. In eo templo, in quo S.S. Martyrum corpora adinuenta colebantur, auditus est interdùm harmoniacus, suauisque Angelorum concentus, & fragrantissimus, ac suauissimus odor perceptus.

29. *Petrus Malpæus in Palma fidei de Fratre Thaclauareth martyrio in Aethiopia insignito*. Adfuere Angeli, qui stillantem è corpore sanguinem vasculo excipientes, Martyri sepulturam præparauere, cælestibus concentibus omnia exhilarantes.

30. *Franciscus à Sancta Maria in Historia Carmelit. tom. secund. libr. 7. cap. 33.* In morte Venerab. Catharinæ à Iesu ex discalceatis Sanctæ Teresiæ, suauissimus Angelorum concentus auditus est, totumque illius cubiculum, cæteraque quæ illi viuenti infirmæque inseruierant maximam emiserunt odorem.

31. *Baronius an. 757.* Cum mortuus esset anno 757. pijssimus Alphonsus I. Asturiæ Rex, dum in Ecclesia illius cadauer expositum esset, auditus est suauissimus Angelorum concentus in huiusmodi verba prorumpens: Iustus perijt, & nemo recogitat, ablatus est à facie iniquitatis, & erit in pace memoria eius.

Angeli exuuias seruorum Dei sepulturæ dantes. §. 4.

FVneralibus à Sanctis Angelis viris iustis exhibitis, adnectenda sunt eorumdem pia ministeria in sepeliendis ipsorum cadaueribus, quæ aliquando exercuere: De quibus.

1. *In actis decem millium Martyrum in monte Ararath.* In eorum obitu, ingens terræmotus factus est, cuius vehementia totus mons Ararath concussus fuit, vt SS. Martyrum corpora de crucis patibulis, quibus affixa pendebant soluerentur, atque non violenter, sed reuerenter ministerio Angelico in terram ponerentur; sepeliunturque in dicto monte S. S. Militum Christi corpora, manibus non quidem hominum, sed Angelorum spirituum multa cum diligentia, nec in communi fouea, sed singulariter singulis ipsorum tenentibus sepulchrum proprium, auditæque sunt super S. S. Corpora cælicæ melodiæ in officium funerum, quod virtutes cælestes expleuerunt ingenti cum lætitia, quia congratulabatur S.S. Martyribus de eorum triumpho tota supernorum ciuium militia.

2. *Lippellous in vita S. Simeonis Salo. 1. Iulij* Cum defunctus esset sub fasce sarmentorum Sanctus Simeon cognomento Salus, cumque amici eius paucis post diebus extinctum inuenissent corpus, multo cum honore in cæmeterium peregrinorum intulerunt, & ecce ipso in itinere cælestis harmonia suauissimè insonuit, quam cum quidam Hebræus paulò ante ab ipso ad fidem conuersus in officina latens audisset, foràs erumpens, splendorem immensum vidit; suisque manibus Venerandum Sali corpus sepeliuit; quod cum quidam deuotus Diaconus paulò post transferre vellet, & in decentiori loco collocare; aperto tumulo, corpus minimè inuenit. Creditumque fuit, Angelorum manibus inde sublatum esse, alioque in loco sepultum.

3. *Aloysius Torellus in Hist. Augustiniana ann. Christi 652.* Corpus Sanctæ Irenis Monialis Sancti Augustini, quæ ob castitatem seruandam à crudelibus enecata fuit, mirabiliter ab Angelis in medio Flumine Tago propè ciuitatem, quæ nunc à nomine prædictæ Sanctæ nuncupatur in Lusitaniæ Regno, sub aquis in sepulchro ibidem ædificato conditum fuit: ad quod sepulchrum cum Deo reuelante quidam Abbas, simul cum Religiosis & Christianis accessissent, illicò aquæ ad ripam accedentes, & sepulchrum Martyris manifestum fecerunt, & iter accedentibus præstitere; sed cum S. Abbas nobilem thesaurum inde transferre vellet, mirabiliter tantum pondus illi Deus tribuit, vt qualibet vi haùd moueri potuerit.

4. *In Martyrolog. Gallic. Kal. Octobris de Sancto Remigio.* Propter frequentem populi concursum, ampliata illa Ecclesia, facta est ibidem crypta retrò Altare, in quam, cùm nullo humano conatu potuisset transferri sacrum Remigij corpus, manibus, vt creditur, Angelicis illatum est, suauissimo, è feretro eiusdem promanante odore.

5. *In actis Sanctæ Catharinæ Virginis, & Martyris.* Sanctæ Martyri pararunt tumulum in iugo montis Sinai cælestes Genij, qui eò illam deportauerunt.

6. *In vita S. Dimpnæ Virginis & Martyris filiæ Regis Hiberniæ.* S. Angeli in parij marmoris loculo sepulturam fecerunt S. Martyri Dimpnæ.

7. *S. Anton. 1. p. Chron. tit. 7. c. 9. de S. S. Cæsario, & Iuliano m. m.* Luxurius (qui contra eos sententiam dederat) vidit oculis suis Angelos psallentes, & cum honore digno corpora etiam per vndas deferrentes.

8. *Petr. de Natalibus lib. 8. cap. 65. de S. Venerio Abb.* Reuersus ad locum pristinum, quieuit in pace, manibusque Angelicis sepultus est.

9. *Idem lib. 8. cap. 85. de S. S. Lucia, & Geminiano.* Christiana quædam, corpora sanctorum Martyrum ex odore ingenti cognoscens, in sepulchris marmoreis ibidem ab Angelis præparatis ea sepeliuit, atque ibidem Ecclesiam eorum nominibus fabricauit.

10. *In Menologio Cisterciensi 27. Decembris.* Dianci in India Orientali passio Ioannis Religiosi Cisterciensis de Christo, & sex aliorum, qui intrepidè pro fide Christiana decertantes, dum viuificæ Crucis signum extollere, & Mahumetis vexillum deijcere conantur, à Turcis barbara sæuitia interempti, palmam Martyrij obtinuerunt; quorum Sacra cadauera, Angelico Ministerio, ad Christianorum arcem deducta sunt in Lusitaniam.

11. *Petrus Malpæus in Palma fidei de Fr. Andrea Martyre in Aethiopia.* Referunt, Angelos sacrum cruorem collegisse & corpus vnguentis pretiosissimis delibutum sepeliuisse.

12. *Surius in vita S. Arnulphi Metensis Episc. 16. Aug.* Cum deferretur eius sacrum corpus & ventum esset ad quendam riuum, cuius ripæ, scissa tellure, euntibus lubricum præbebãt transitum: posteriores feretri portitores casu corruunt: sed, vt reor, Angeli statim eum casum excipiunt. Priores enim sine vllo gradiendi impedimento, feretro in aerem sublato, pergunt liberè & expeditè: surgentesque illi, qui lapsi fuerant, cùm ea loca humiliora euasissent, ad collegas se se adiungunt.

13. *In actis S. Bertoldi Abb. Castrensis.* Ducebatur funus S. Abbatis, vehebantq; viri primarij feretrum eius; cum hoc repente sustolli visum est, & sequi nihilominùs pompam, succollantibus procùl dubio Genijs sydereis, non sine ingenti omnium, qui aderant, admiratione, quandoquidem supra humeros in aere incedere, ac spontè progredi cernebatur.

14. *Michael Pius lib. 1. de viris illust. ord. Præd. de B. Roberto Auenionensi ord. Præd.* Viuens, & vita functus Beatus Robertus miraculis fulsit; inter quæ illud non postremum esse referunt, quòd feretrum, in quo ad sepulturam ferebatur à succol-

col-

collantium humeris in altum fuerit elatum, ad eumque modum vsque ad tumuli locum virtute inuisibili, Angelorum haud dubiè, delatum.

15. *In Annal. Min. 1321. num. 4. de F. Petro, qui Martyrium subijt.* Crudeliter ad vltimum vsque spiritum verberatum, laqueo ex arbore suspenderunt. Pependit per integrum biduum absque vlla pæna, aut damno, Deum glorificans, & accedentes ad fidem Christi exhortans, quod dum Mellichus audiret, iussit eum deponi, ac in Campum eductum decollari. Ita factum est die Sabbati ante ramos palmarum sub hora vesperarum. Sequenti die, dum Nestoriani aliquot, qui è latebris prodierunt, eius corpus perquirerent, non inuenerunt, neque vllum apparuit in terra sanguinis vestigium. Quod dum omnes obstupefaceret, & quid de hac re dicerent, ignorarent, illùc paulò post perueniens quidam vir pius, reuelatum sibi narrauit, deportatum, & sepultum per Angelos S. Martyris corpus, tempore opportuno detegendum; & collectum ab eisdem eius sanguinem ob Martyris reuerentiam.

16. *S. Petr. Dam. serm. 11. de Translat. S. Hilarij Episcopi Pictauiensis.* Constituto igitur die, in quo sancta membra transferrent, præcedente nocte, dum Episcopus simul, & Abbas in vigilijs, & orationibus iugiter pernoctarent, repentè conspiciunt, quòd Beati Angeli de tumulo, qui iam tenebratus fuerat, Sanctum Corpus educunt, & in locum, qui sibi præparatus erat, proprijs manibus transferunt.

17. *Lippellous in vita S. Ruperti Episcopi Salisburgensis.* Cum defunctus esset S. Rupertus Salisburgensis Episcopus; eiusque sacratissimum corpus ad sepulchrum deferretur, visi sunt viri splendidissimi, candidissimis amicti stolis, qui peractis ijs, quæ ad funeris curam pertinent, disparuerunt; quos quidem nemo dubitauit Angelos fuisse, atque idcircò apparuisse, vt omnes intelligerēt, qua ille beatitudine frueretur in cœlo, ad cuius sepulturam etiam Angeli non dedignarentur adesse.

18. *Vghellus in Ital. Sac. Tropeienses Episcopi.* S. Dominica in Diæcesi Tropeiensi nata, sub Diocletiano Imperatore martyrij palmam accepit in Campania, eius tamen corpus ad natale solum ab Angelis mirabiliter delatum, ibi summa veneratione colitur.

19. *Surius in vita S. Ermelendis 29. Octobris.* Cum defuncta esset S. Ermelendis Virgo, ad eius exequias, non homines, sed Angeli CHRISTO cecinerunt gloriam, & quia CHRISTO fuit dilecta, ab ipsis est officiosissimè sepulta.

20. *In actis S. S. Martij tom. 3. in Contin. Bollandi.* Postquam ab impio Carnifice amputatum fuit caput S. Secundo Martyri Astensi, factus est sonitus multorum psallentium, sed & lumina magna videbantur. Cùm autem populus Paganorum videret tanta mirabilia fieri in eo loco, vbi B. Secundus fuerat decollatus, volebant illùc omnes ire, & videre, sed non poterant propter Angelos Dei, vsquequo sepelierunt Secundum, & ascenderunt in cœlos.

21. *Petrus Cameracensis in vita S. Digna Virg. & Martyr.* Post eius mortem, corpus collocatum fuit in marmorea tumba ab Angelis fabricata.

22. *Raysius in Auc. ad Molanum 29. Iulij de B. Beatricis Priorissæ de Nazareth translatione.* Fuit iussu Dominæ Abbatissæ Gertudis de Greue, anno sexcentesimo decimo sexto supra millesimum, quæsitum huius Beatricis corpus, nihil tamen reliquiarum inuentum fuit, præter quasdam partes asserum & ferramenta capulum ipsum sustinentia, cùm tamen sepulchri locus esset ex lateribus concameratus, & omni ex parte clausus, excepto paruo foramine fieri iusso ante centum annos, videndi, contemplandique corporis causa, ex quo odor gratissimus emanauit; Creditur firmiter, ab Angelis aliò translatum fuisse (sed in quem locum, omnes latet) nam circa initium tumultuum Belgicorum, cùm Virgines, relicto Monasterio, Liram se se recepissent, plurimi fide dignissimi attestati sunt, noctu inter vndecimam, & duodecimam horas se se cantiones audiuisse Angelicas longè suauissimas, vidisseque Ecclesiam multa luce coruscantem. Vnde sanè credibile est, tunc prædictam corporis translationem ab Angelis factam, ne ab impijs & sacrilegis hominibus profanaretur.

23. *Fridericus Fornerus in Pal. Triumph. de Ven. Martino de Valentia.* Post mortem, corpus eius Vrnæ inclusum, & sepultum, cum anno millesimo quingentesimo sexagesimo septimo, Apostolicæ sedis iussu, & authoritate, recludi theca, & sacræ eius reliquiæ solemniori honore afferri iuberentur; sigilla quidem tumbæ, omnia integra, & illæsa comparuere, at sacrum corpus, non est repertum, neque quod inde clàm fuerit adsportatum, vbi summa diligentia à Magistratu inquisitum, suspicioni locus est relictus. Credidere cordati omnes, sacrum hoc pignus, aut diuinitùs translatum, aut resurrectionis gloria singulari priuilegio, ante communem carnis humanæ viuificationem dotatum.

24. *In Annal. Minor. An. 1250. num. 7. de Beato Guidone de Cortona.* Audita eius morte, Cortonenses communi Magistratus, & populi decreto, ne ex casu aliquo tantus eis thesaurus subtraheretur, eumdem intra mænia sepelire decernunt, in Ecclesia plebis erecto sepulchro. Pulsatis igitur campanis festiuè cum ramis arborum, ordinata processione ad locum cellarum progrediuntur, & assumptis sancti viri exuuijs ad ciuitatem regressi, & inuenta miraculosè capsa marmorea, diuinitùs oblata, eundem super altare religiosè condunt, vbi multis post mortem signis claruit.

25. *Vghellus in Ital. Sac. Parentini Episcopi.* In Rubiniana Collegiata Parentinæ Diœcesis honorificè asseruatur corpus S. Euphemiæ Virginis, & M. in prægrandi arca marmorea, per manus Angelorum à Calcedonia illùc delatum.

26. *Herrera in Alph. Augus. de Gundisaluo Ruitz de Toleto.* Cadauer eius in Parochia S. Thomæ solemniter humatum, & à Cælitibus insueto honoris genere honestatum est. Cum enim Gundisalui exuuiæ in sepulchrum essent inferendæ, adstante populo, videntibus vniuersis, è Cœlo missi Stephanus, & Augustinus, ille Templi Augustinianorum

rum Patronus, hic Eremitarum Pater, sancti viri corpus proprijs manibus tumulo intulerunt, hæc addentes: Qui Deo, & Sanctis seruit, sic à Deo honoratur.

Angeli seruis Dei inseruientes. §. 5.

AD hominum custodiam Sanctos Angelos à Diuina prouidentia destinatos, speciali famulatu eisdem quandoque inseruire, compertum est. De his

1. *In actis Sancti Arnulphi Episcopi Turonensis*. Dum quadam nocte inciperet ad vigilias: Domine labia mea aperies, & Clerici obdormirent, & nemo esset, qui responderet; Angelus subiunxit, & os meum annunciabit laudem tuam.

2. *Surius de S. Gudualo Archiepiscopo 6. Iunij*. Aliquando per mare, & preces in naui Deo persoluturus, laudesq; & gratiarum actiones oblaturus, cum dixisset more Ecclesiastico, Deus in adiutorium meum intende: Angeli subiunxerunt: Domine ad adiuuandum me festina; & ita totum officium alternis vicibus cum viro Dei expleuere.

3. *In actis S.S. Febr. tom. 2. in Contin. Bollandi*. Quodam tempore S. Sabinus Episcopus Canusinus in Apulia sub mediam noctem more suo, diuinas laudes, & psalmos decantare aggreditur; Probata cælesti indicio pietas. Affuere enim Angelorum Chori, qui alternis cum eo psallerent. Auditus ille per ædes Pontificias intempesta nocte concentus, domesticos excitauit, Conclaue aperitur, immensa circumfusus luce inuentus fuit.

4. *Isidor. de Isol. in vita B. Veronicæ ordinis S. Augustini lib. 2. cap. 23*. Mense Februario anni ab ortu Christi Maximi millesimi quadringentesimi nonagesimi quarti, qui secundus annus fuit, quo Angelico pane Veronicam Deus aluit: Angelus Domini magna luce coruscus adueniens, octo dierum spatio omne Romanæ curiæ officium Virginem edocuit, ac varios mores religiosorum, qui Romanam sequuntur curiam in diuinis laudibus persoluendis. Dixit autem Thadea huius rei conscia sororibus: Ego ab Virgine intelligens Angelum eam diuina edoctum, breuiarium mihi concessum eidem tradidi: at singulis diebus librum repetens, cordulas folia signantes comperiebam, in quibus dierum illorum officia scripta continebantur.

5. *Idem ibidem lib. 2. cap. 24*. Virgini Veronicæ diuina officia plenissimè ab Angelo edocte, idè nonnumquam præsto affuit in persoluendis eisdem. Psalmos alternis Angelus, & Virgo semper genuflexo dicebant, responsoriaque & antiphonas. At sexta lux mensis Martij prima fuit, qua Angelo suffragante, psalmos Veronica concinuit. Voluebat Angelus voluminis folia, Virginem instruens, quonam modo integrè singula persolueret. Post hæc, psalmos plurimos alternis pariter dicebant: quibus peractis, Angelus Domini aiebat: Tu sola reliquum perficito. Tum superum regna petens reuertebatur ad Deum, qui miserat illum.

6. *Idem ibidem cap. 26*. Composuit Beata Virgo Veronica opus præclarissimum Angelo dictante; aureo autem calamo, Angelo afferente, accepto, præfatum librum conscripsit.

7. *In vita Sancti VVilhelmi ord. Præmonstrat*. Per singularem, & altissimam corporis animique integritatem, nec non reliquas perraras ei ætati virtutes, in tantam cum Angelicis mentibus familiaritatem ac consuetudinem venerat, vt ægritudinis suæ tempore, cum status Ecclesiæ, iuxtà ordinis sui ritum, preces (quas horas canonicas appellamus) Domino suo solus psalleret, quod deuotissima semper seruentissimaque mente præstare solebat, Angeli ad eum è cælo delapsi, alterna cum eo voce eas percurrerent, ac gratissimum Chorum constituerent, quod mira ipse simplicitate Magistro suo fassus, dicebat, eos (Angelos intelligebat) ad se venire, precesque horarias secùm recitare, ac subinde se, subinde verò ipsos citiùs tardiusq; versus absoluere, vt ita alteri alteros, vsquedum & ipsi absoluerint, præstolari necesse haberent.

8. *Marchantius ex m. m. S. S. Corbeie*. In Monasterio Corbeiensi Ordinis S. Benedicti in VVestphalia multis sæculis perdurante Religiosi instituti sanctitate, quoties quis Religiosus infirmitate detentus, chorum non poterat frequentare, supplebat Angelus perceptiliter eius vicem, eiusque in choro vocem. Testantur Annales illius cænobij Illustrissimo Nuncio Apostolico Petro Aloysio Carafæ nouissimè in eius visitatione exhibiti, ex cuius ore id percepi.

9. *Sylos in Hist. Cler. Reg. par. 2. lib. 4*. Semel recitare nocte intempesta matutinas preces cæperat Vincentia de Oda religiosissima fœmina Neapolitana, vixque auspicata erat ijs verbis: Domine labia mea aperies; cum elata quidem voce, ac disertè pronunciari audiuit: Deus in adiutorum meum intende: cognouitque interiore quadam luce, Angelum fuisse, qui, ceù vellet alternis cum ea psallere, inchoatas à se laudes exceperat suo cantu; quam quidem Angelorum, aliorumque cælitum familiaritatem, non semel experta est.

10. *Ioannes Eusebius lib. 2. de Ad. cap. 9*. Seruus Dei deuotus Societatis Iesu, Ioannes Fernandius cum Angelo Dei sæpè recitabat horas canonicas speciali cœli fauore.

11. *In vitis P.P.* Refertur vidisse S. Macarium, quasi diuinam lucem penetrare cellam, in qua duo Anachoretæ noctu precabantur expansis manibus, & vnum quidem instar muscarum circumuolitabant Dæmones, & ab Angelo abigebantur, ad alium verò propiùs accedere non audebant. Cum autem mane vna Psalmos 12. concinerent, vidit idem Sanctus Macharius ex ore minoris, ad quemque versum, faculam accensam erumpere, & sursùm ferri, cum verò maior ad psallendum labia diduceret, funiculus flammeus, ex ore eius abscedebat, qui in cœlum vsque tendebat.

12. Tradit B. Dorotheus doctr. 11. de sanctiss. viro Dioratico, quòd nocte viderit in principio psalmodiæ è Sacrario Ecclesiam ingredientem Angelum veste splendida, qui omnes religiosos præsentes obambulando signaret, subsellia item eorum, qui necessitate aliqua impediti, vel imperio antistitis aberant; aliorum verò, qui torpore, & negligentia obdormierant, pertransisse.

13. In

13. *In vita B. Hermanni*. Scribitur in rebus, & gestis Beatæ memoriæ Hermanni, quòd ipse sub canticum Zachariæ in matutinis laudibus, quotidie incredibilem percipiebat odorem, cum non nisi quater in anno in Ecclesia eius thus circumferretur; solebat idem de se tamquam de alio commemorare, eodem tempore, quo mirifico hoc fruebatur odore, vidisse se duos Angelos ab vtraque templi parte fratribus thus ministrantes, & quibusdam quidem iucundè id officij præstare, & reuerenter illis se inclinare, quosdam verò præterire negligenter, à nonnullis etiam non sine horrore quodam resilire. E quibus primi, vt ex illorum moribus colligi facilè potuit, quorum & Hermannus nomina exprimebat, eos significabant, qui Deum & animo, & voce laudarent; Secundi verò illos, qui vel non canerent, vel minùs præsenti animo essent ad id quod canebant; Tertij verò eos, quorum vita mors erat.

14. *Habet liber M. S. Monasterij S. Bernardi iuxta Scbaldim, qui inscribitur de initio ordinis Cisterciensis hoc ostentum*. Seniores Patres Claræ vallis crebris vsurpabant sermonibus, S. Bernardum vidisse aliquando, dum nocturnis vigilijs adesset, Angelum turibulo cælesti thymiamate referto vtrũque chorum lustrantem, & eorum, quos summa cura psalmodiæ inuigilantes inuenisset, gratissimum suffitum præcordijs aspirantem, quo fastidium omne remouebat, & feruorem incredibilem exacuebat; quos verò somnolentos, & resides cernebat, quasi cum stomaco prætereuntem, vt potè quos diuino thymiamate indignos iudicabat.

15. *Gaufridus in vita S. Bernardi lib. 7. cap. 4.* Celebrabantur aliquando solemnes vigiliæ, & Vir Domini cum cæteris Fratribus aderat; cumque hymnus, Te Deum laudamus cantaretur, vidit sanctos Angelos multa claritate fulgentes, mira etiam vultus alacritate deuotos, qui vtrumque chorum percurrentes, modò hunc, modò illum excitabant; cantantibus aderant, & quasi congratulantes astabant, & vt Diuinus ille hymnus cùm deuotione percantaretur, modis omnibus elaborare satagebant. Intellexit ergo Vir sanctus, hymnum illum verè esse familiarem ipsis, quos tanta instantia videbat, operam dare, quatenùs à fratribus ad honorem Dei cum feruore deuotionis cantaretur. Cuidam etiam fratri spirituali videre concessum est, dum idem hymnus inciperetur, quòd ab ore incipientis flamma magni splendoris erumpebat, & sursùm conscendebat.

16. *In eadem vita S. Bernardi apud Henriquez cap. 32.* Sanctus Bernardus cum aliquando psalmodiæ modulatio vigilias protelaret, vidit singulos Angelos iuxta singulos Monachos stantes, & quod quisque eorum psallebat, in schedulis more Notariorum tam diligenter excipientes, vt ne minimam syllabam quamcumque negligenter prolatam omitterent; scribebant verò diuerso modo, nam quidam eorum scribebant auro, alij argento, nonnulli atramento, aliqui etiam aqua, quidam verò penitus nihil scribebant: quæ rationes scribendi, modos etiam cantantium indicabant: & qui nihil scribebant, futiles & inanes esse cantus indicabant canentium.

17. *In actis S. S. Feb. tom. 1. in Contin. Bollandi*. Familiari cõsuetudine Angelus Dei apparebat Sanctæ Brigidæ Kildariensi Abbatissæ, eamque in necessitatibus suis adiuuabat; sonos cælestium carminum, & spirituales cantus organorum quotidie vt audiret efficiebat, sanctorum quoque Missis, quæ procùl celebrabantur, quasi propè esset, quando volebat, per ipsum assistebat. Semel cum esset paruula, altareque lapideum ludo puellari fecisset, venit Angelus Domini, & perforauit lapidem in quatuor angulis, & subposuit quatuor pedes ligneos.

18. *Ibidem in Martio tom. 2.* Angelus Domini ter in hebdomada qualibet Sancto Patritio Hiberniæ Apostolo consueuit apparere, suique colloquij, collatione, & consolatione refouere.

19. *Io: Colg. in vita S. Finniani 23. Februarij*. Scripsit quoque Finnianus epistolam, per manum Angeli ad discipulum suum deferendam, vt sine mora ad eum festinaret. Accipiens quoque Epistolam porrexit ad Columbam, vbi erat in Insula cælestia contemplans, ac proximis beneficium diuinæ miserationis implorans. Perlecta verò Epistola, manu Angelico delata, gratias DEO Omnipotenti egit pro causa innenarrabili, dono scilicet, quod per Spiritum Angelicum dignatus est destinare ad eum.

20. *Thomas à Kempis in vita S. Liduuinæ Virg.* Hæc tota vita cum acerbissimis morbis conflictata fuit, omnibus ægris patientiæ symbolum, & speculum. Interim in medijs afflictionibus hoc solatij à Deo habuit, quod visibiliter cum Angelo aliquando loquebatur, & fruebatur suaui eius societate, & obsequijs pijs. Nominabat illa distinctè plures spiritus Angelicos, & sciebat quibus deputati forent personis: priuabatur verò aliquando visione sui Angeli, & consortio, ob frequentiam visitantium eam. Vnde si aliquando ex colloquio Mundanorum hominum aliquam labeculam contraxisset, statim satagebat confessione alluere, ne Angeli visitatione, & familiaritate destitueretur. In diebus cinerum solebat de manu Sacerdotis cineres sacros accipere; si nimium tardabatur, supplebat Angelus. Vnde cùm semel eius Confessarius accederet, vt signaret eam: Respondit illa, iam id præstitum ab Angelo: quod cùm miraretur, tangens frontem eius, sensit cineres, quibus & ipse frontem signauit. Docuerat autem Angelus eam magna cum reuerentia sacros illos cineres suscipere, & ad idem faciendum alios adhortari.

21. *S. Antoninus 2. par. Hist. tit. 10. cap. 1. §. 2.* Cum baptizaretur S. Eusebius, qui postea fuit Vercellensis Episcopus; manus Angelicæ visæ sunt, quæ eum de sacro fonte leuauerunt.

22. *In Menologio Græcorum*. Quo tempore à S. Athanasio baptizatus fuit B. Martyr Anthusa, duo Angeli in specie militum apparuerunt, albas vestes illi deferentes.

23. *Vading. an. 1464. de Beato Amadeo Lusitano*. Auctores, qui Beati huius vitam conscripserunt, narrant, Amadeum ad sacrum fontem appellatum monitu Angeli in pauperis peregrini habitu apparentis.

24. *Pet.*

24. *Pet. de Natal. lib. 6. cap. 127. de S. Vandegisillo Abb.* Cum Rex, sanctum, licet pro posse renitentem, de Monasterio eductum violenter ad curiam traheret; intrans palatium, pauperem cum vehiculo offendit, & in lutum proiecit: quem, cùm alij prætereunt, Vandegisillus de equo descendens, pauperem è cœno subtraxit; statimque Angelus inopi viro astitit, & vestem deturpatam emundans, candidiorem, quàm antea fuerat, reddidit. Quo miraculo conspecto, Rex illum ad Monasterium redire permisit.

25. *Ruffinus in vitis P.P. lib. 2. de Anuph Monacho.* Angelorum ministerio sæpè Anuph Dominus cibum suppeditabat; semper etiam assistebat illi Angelus Domini, illum edocens de singuli virtutibus.

26. *In vitis P. P. lib. 5. de quodam Hortulano.* Contigit Hortulanum infirmari, & putrefieri pedem eius, ita vt Medici incidendum iudicauerint, ne totum putresceret corpus. Nocte autem ante diem pro incisione constitutum, cum ipse confugisset ad Dominum, stetit ante eum Angelus Domini, & tetigit pedem eius, & sanatus est statim.

27. *In vitis P. P. libr. 5.* Ægrotauit aliquando senex quidam, qui solitarius habitabat, & quia non habebat, qui ei seruiret, surgebat, & quodcumque inuenisset in cella sua manducabat; & cum aliquot diebus ita fuisset, nemo veniebat ad visitationem eius. Transactis autem triginta diebus, & nullo veniente ad eum, misit Dominus Angelum suum, qui ministraret ei.

28. *In vitis P. P.* Sanctus Pachumius regulam vtrique generi Monachorum, Angelo dictante, scripsit.

29. *Chrysostomus Henriquez de B. Lutgarde 16. Iunij.* In quodam omnium Sanctorum festo ingens sanctorum multitudo Christi famulæ apparuit, reuelauitque ei Spiritus, quòd omni gratia plena esset. Euntem ad altare, vt communicaret, duo Angeli tenebant, & deducebant.

30. *Idem 25. Aprilis de Beata Francha Virgine.* Moribus, & litteris imbuta, habitum Benedictinum assumpsit: vbi cum sacrum capitis eius velamen imponeret Episcopus, Angelus alio eiusdem caput tegere visus est.

31. *Ferrarius in Catalog. S.S. 24. Octobris.* Cum semel in morbum incidisset B. Io: Angelus Ordinis Seruorum, & sanguis per venæ sectionem extrahendus esset; accidit, vt adueniente eo qui sanguinem mitteret, nullus, qui ei seruiret ex fratribus, omnibus in processionem per vrbem profectis, adesset; cumque is, aliquem, qui lumen, vas, & alia ministraret, perquireret, continuò duo adolescentuli egregia forma, quos ille Nouitios ex habitu arbitrabatur, adfuere, illique ministrarunt, peractaque phlobotomia disparuerunt.

32. *Matthaus Lauretus in adnotat. cap. 1. lib. 1. Chron. Cassinensi.* Dùm S. Benedictus diuinitùs monitus Sublaco relicto, Cassinum properaret, dumque per sibi ignota loca incederet, vbicumque biuium occurrebat, duo protinùs iuuenes videbantur adsistere, qui sibi quò gressus dirigere deberet, indicabant: qui nimirum iuuenes non alij sunt crediti, nisi Angelici Spiritus ad Sancti viri custodiam deputati.

33. *In actis S.S. Martij tom. 1. in Contin. Bollandi.* Dum S. Eudocia Martyr Heliopoli in Phœnicia Libani à satellitibus ad martyrium traheretur, secum in sinu particulam corporis Christi deportabat: Iter autem ipsis per illunem noctem facientibus, præibat Eudociæ Ephebus candidatus, facem ferens; nec puerum, nec lucem videntibus satellitibus.

34. *Colganus in vita S. Abbani.* Quadam die Sanctus senior Abbanus ad Monasterium suum cum 150. viris reuersus est, sed in die ad Monasterium peruenire non potuerunt, quia spatio longo ab eo nox eccidit; & erat illa nox tenebrosa, frigida, ac densa nebulis. Illi verò non potentes præ tenebrositate ambulare viam, sedere cœperunt. Iuniores siquidem senes suos frigore opprimi timebant, quia nox pluere minabat. Tunc apparuit Angelus Domini de Cælo habens candelam, ardentem, & lucidam candore auri, & obtulit eam in manu S. Abbani. Sanctus verò tenuit eam, & cum eo omnes viam suam ambulanerunt: & candela ardens in manu viri Sancti, non solùm illam viam illuminabat: sed magnum spatium in circuitu illorum satis lucidum fecit, & ita cum claro lumine ad Ciuitatem peruenerunt. Cùm autem peruenissent in propinqua Ciuitate, vir Sanctus nuntium misit, vt templum sibi aperiretur, volens illam candelam super altare Dei ponere. Stans verò Sanctus in Choro ante altare, & orans, iterum Angelus candelam de manu eius accepit. Tunc Sanctus Senior, & omnes, qui ibi erant, gratias pro suo dono Deo egerunt, dulciter eum laudantes.

35. *Nicolus Iansenius in vita S. Dominici lib. 1. c. 10.* Fauentiam aliquando rediens S. Dominicus, ab eiusdem vrbis Episcopo perhumaniter exceptus est: & locus illi in palatio assignatus: vbi cum socio pluribus diebus mansit. Cum autem vti consueuerat, nocte ad matutinas recitandas surgeret; visi sunt aliquoties duo speciosissimi Angeli, in ipsa hora funalibus accensis ad cubiculi ostium accedere, & ianuis penitùs obseratis, foràs comitari, ac post tẽporis aliquod spatium reducere. Eam rem arbiter aliquis Episcopo nunciauit, qui attonitus rei nouitate, vt certior fieret, voluit ipse inter alios nobilissimum miraculum arbitrari. Vidit postera nocte quod fama cognouerat, factoque mane virum Dei sic fertur allocutus: Dilectissime Pater, scio te optimè nosce quod scriptum est; Quoniam sacramentum Regis abscondere bonum est, opera autem Dei reuelare, & confiteri honorificum; Quapropter rogo quæsoque, mihi insinues, quinam sint adolescentes isti, qui te noctu hinc abducunt, & reducunt. Ad hæc Sanctus: Heù, Reuerende Domine, de quibus adolescentibus quæris? Cui Pręsul: Vidi, inquit, iuuenes duos, qui ardentibus cereis te hinc abducerent, & reducerent. In nomine ergo Iesu Christi precor, vti indices qui sunt, & quò adire soleatis. Ea obtestatione commotus Dominicus, magna animi submissione, Domine,

mine, ait, rem quam explicaturus sum, tibi commendatissimam habeas rogo. Quo annuente: Noueris, inquit, Reuerende Præsul, à me omnes vitæ meæ labores, tum pro salute proximorum, tum pro Ordinis mei dilatatione, maxima solicitudine impendi: quam ob rem continuò anxius Hispaniam, Gallias, Italiam, & omnes penè regiones occiduas percurro, vt Fratres in hoc nouo Ordine, atque hi iterum varijs locis multiplicentur. Hic verò aliquantulum commoratus, si fortè mihi indicio aliquo innotesceret, vtrum Fratribus meis in hac vrbe habitatio destinata sit; diuino oraculo admonitus sum id fore propediem. Et hinc Angelos comites sequor ad Ædem S.Andreæ: vnde persolutis horis, & Deo adorato, rursùs in palatium tuum deducor, quod tibi exploratum esse debuit, vt faciliùs eumdem locum Fratribus meis obtinerem: & hoc vt facias patrocinio tuo, etiam atque etiam obtestor. Quibus auditis ille B. Dominicum complexus, Rectores ciuitatis mox euocauit: habito consilio, & in hoc tota re exposita, omnium suffragijs Ecclesia S. Andreæ, & area pro extruendo conuentu, B. Dominico eiusque Fratribus adsignata est. In eius rei perpetuum monumentum extat Fauentiæ Cathedra, quam tunc temporis idem Præsul, vt in via publica concionem haberet vir Dei, erexit: ciues porrò viam illam, quæ ab ædibus Episcopi ad S. Andreæ conducebat, viam Angelorum nuncupauere.

36. *Surius in vita S.Dominici*. Cum S. Dominicus aliquando ad S. Sabinam profecturus esset, vt consolaretur filios suos. Priorissa, & Sorores loci, vnde abibat, nitebantur eum retinere, quòd iam ferè media nox esset, nec consultum videretur vt inde abiret; sed ille non acquieuit, dicens: Dominum plenè velle, vt iret ad Fratres, eumque missurum cum eis Angelum suum. Itaque assumpto Fratre Tancredo, qui erat Prior, siue Prefectus Fratrum, abscessit: ecce ad portas iuuenis elegantissimus adest, manu virgam tenens, tamquam ad iter accinctus, illosque antecedit, comitatusque est in itinere. Hic autem, vt ipse dixit Fr. Tancredo, erat Angelus Dei.

37. *Stephanus Pepe in vita S. Caietani lib.3. cap.* 5. Capua Neapolim proficiscebatur nocturno tempore S. Pater, vt matutinis precibus in solemnitate Ascensionis Domini cum cæteris fratribus interesset, tenebræ autem noctis Angelo præeunte fugabantur, ne quid in via, obscuro aere, molestiæ pateretur.

38. *Thomas Cantipratan. lib.2. Apum cap.54.p.* 10. Elisabeth de Grauio apud Niuellam in Brabantia Virgo deuotissima semel cum socia deuota & bona, de Niuella in Leulos ad duo ferè milliaria properabat, & contigit eis in via, quod de via sunt secutæ. Pauefactæ ergo propter Syluam proximam, flere cæperunt. Quibus flentibus vehementer, subitò iuuenis apparuit coram eis, salutatisq; illis, ab eis quò pergerent, inquisiuit. Respondentibus verò illis: In Leulos ire vellemus: Si viam sciret, inquiunt; & ille: Scio inquit, me sequimini. Illo igitur cum silentio præcedente, ductæ sunt ad villam, subitoque in ictu oculi ductorem perdiderunt.

39. *Franciscus à S.Maria in Hist.Carmelit.To.1.lib.3.cap.20.* Cum Sancta Mater Teresia à Iesu anno Domini 1573. Salmanticam proficisceretur, vt Conuentum monialium ibi erigeret, nocturnis in tenebris à recta deflexit via: sed statim adfuere Angeli, qui duo lumina præferentes, & directum iter ostenderunt, tenebrasque dissiparunt.

40. *in vita S.Isidori*. S.Isidorus Matritanus insimulatus aliquando apud herum est, quod tardiùs ad arandam terram iret, audiendis sacris intentus: quod experiri volens herus, multo mane ad agrum iuit, certo volens experiri, an ita esset, eumque arantem inuenit, & labori operam dantem; cumque accusatores affirmarent illum non esse Isidorum sed alium, Isidorum verò in Ecclesia esse otio indulgentem. Re tandem perquisita, inuentum est, illum, qui arabat, custodem esse Angelum Isidori, illius vicem supplentem (vt Isidorus interim sacris incumberet) quo viri Sancti pietas mirum in modum excreuit.

41. *In vita S.Homoboni*. Quandoq; dùm orationi incumberet, Angeli illius officijs fungebantur; cum enim ille sutoris artem exerceret, vestes, aliaque consuebant.

42. *Arnoldus Rayssius in Hierogazophilatio Belgico de Ven.Guidone*. Contigit aliquando, vt dum Ven.Guido relicto aratro ad opera pietatis exercenda aliò se transferret, interim Angeli eius vicem supplentes, aratoris officio fungebantur.

43. *In Hist.Camaldulensi lib.3.cap.14. Part.2.* Legitur de B. Siluestro Conuerso in Monasterio Angelorum Florentiæ, qui annos tres, & triginta coquum egit, quòd adeò deditus erat orationi, vt sæpè propterea increparetur à fratribus, veritis, nè cibi cocti non essent in tempore. Sed cum omnia edulia semper cocta, & parata præscriptis horis, omnia vasa eluta, & tersa inuenirentur, creditum est, sanctorum Angelorum ministerio ipsius orantis vices fuisse suppletas.

44. *Arturus in annot. Marty. Franc. 5. Febr. de B.Michaele Magotto Confr. laico*. Quadam die Dominica, dùm solito fusiùs in Ecclesia moraretur, oblitus est officij coquinarij, ita vt prandij hora, haùd quicquam paratum esset fratribus ad manducandum: mox cùm rumore accersitus, ipse in silentio pro culpa ad coquinam accessit: sed virtute Diuina, cuncta manibus Angelorum reperit opportunè disposita: quæ citò fratribus dedit ad sustentationem.

45. *Idem ibidem 27.Iun. de B.Benuenuto Eugubino*. Orationi, & contemplationi sic fuit deditus, vt vsque ad horam tertiam in publicum nullatenùs exiret, ne occupatione aliqua perfectas delitias minui pateretur, aut mutari. Cumque culinæ officium exerceret, tamdiù semel in Ecclesia perstitit, vt nil pro Fratrum prandio paratum haberet: sed coquinam ingressus, cernit omnia Angelico famulatu esse parata.

46. *Gonzaga in Prouincia Portugallia de Conuentu S.Francisci Olysipponis*. Hoc in loco diem clausit extremum sepultusque est deuotissimus ille Frater Martinus Martini laicus professus, cuius Franciscanorum Chronicorum author in suis libris me-

meminit. Is deuotus frater, cum sibi culinæ ministerium incumberet, atque quadam die sæculares aliquot nobiliores cum fratribus comesturi essent, nihil minus ab ijs, quæ paranda erant, mente reuoluens, se assuetæ contemplationi dedit. Cumque pater Guardianus sæcularium scandalum pertimescens, sibi irasceretur, proboq; daret, quòd hora prandij instante, nec ignem struxisset, nec aliquid præparasset, ille clauso post se officinæ ostio, iterum orationi incubuit. Et ecce dum minus cogitat, vehementissimus ignis se ipso accenditur, & quæ disponenda fuerant, Angelorum ministerio disponuntur. Quibus tum à Sæcularibus conuiuis, tùm quoque à patre Guardiano reliquisque fratribus cognitis, maximas Deo grates dederunt.

47. *In ann. Cleric. Regul. ministrantium infirmis, an.* 1610. Romæ quadam vice duo vocati Patres fuere, vt cuidam mulieri in vltimo agone opitularentur; sed ij in alijs per Vrbem exercitijs occupati, ad eam accedere haud potuere ante eius mortem; post quam, cum illam adiere, matronæ, quæ morientis in cubiculo steterant, grates non exiguas Patribus retulerunt pro laboribus ac vigilijs, quæ in adiuuando illius animam consumpserant; ipsi autem, scientes neminem ex illorum Congregatione mortuæ fæminæ adstitisse, opinabantur mulieres loqui ironicè; At cum illæ affirmarent binos Patres moribundæ transitum comitantes adfuisse, nec eam, quandoque ex hac vita profecta esset, deseruisse, ac tanta efficacia, tantaque cælesti doctrina, & gratia verba prodidisse, vt nunquam hominem talia promentem verba prudentiæ audierint, prudenter arbitrati sunt, illos fuisse Angelos, qui officium commendationis animæ illi exhibuerant, dum interim alijs charitatis officijs Patres incumbebant.

48. *In actis S. Maedhog. 31. Ian. apud Bollandum*. Quodam die OEconomus S. Mochuæ Lothræ venit ad Sacrum Senem Maedhog, dicens: Nos Ecclesiam ædificamus, & ligna abscissa sunt in sylua, & non habemus sufficienter viros vel boues, qui illa ad nos efferant. Cui Sanctus Episcopus ait: Ite vos ad cellam vestram, & quidquid in illa nocte audieritis, nolite aspicere. In illa autem nocte sonitum magnum audiuerunt de Sylua ad cellam; & nemo ausus est videre: Sed cum quidam stultus Conuersus ex eis contra præceptum Sancti Maedhog per foramen clauis prospexit, & vidit multitudinem iuuenum pulcherrimarum formarum, comis aureis vsque ad scapulas, ligna deferentes; Tunc audita est vox dicens Angelis: Cessate ab hoc opere: & nisi vir ille prospexisset, totam Ecclesiam ædificarent Angeli. Postea autem Gobbanus Artifex illam Ecclesiam ædificauit.

49. *In actis S. S. Martij tom. 3. in Contin. Bollandi*. Cum S. Cuthbertus Episcopus Lindisfarnensis in Insula Farne murum ædificaret, eum non sectis lapidibus, vel lateribus, & cæmento, sed impolitis prorsùs lapidibus, & cespite, quem de medio loci fodiendo tulerat, composuit: è quibus quidam erant tantæ granditatis, vt vix à quatuor viris viderentur potuisse leuari, quos tamen ille Angelico adiutus auxilio, illùc attulisse aliunde, & muro imposuisse repertus est.

50. *Franc. Victo. In vita S. Francisci de Paula lib. 2. c. 1.* Passim sine vlla mortalium, quod deprætensum sit, opera, traducta fuerunt ad ædificium, cæmenta, lapides, tabulata, vt Angelorum ministerio sæpius vsum fuisse coniectent plerique, quod sanè omnium comprobatum est calculis, cum octodecim trabes ad Ecclesiæ vsum inuectæ, vna nocte expolitæ fuissent.

51. *S. Pet. Dam. l. 8. epist. 5. de Bella Sanctimoniali*. Dum nocturno silentio ex more maturiùs surgeret, & orationibus crebris insistens, Sacrosancta Altaria cum odore succensi thymiamatis circuiret, quadam nocte thuribulum, sicut solebat, arripuit; ad locum, vbi thus reponebatur, accessit: sed casu quodam, siue collapsam, siue sublatam hanc, sicut sperauerat, speciem non inuenit. Huc accesit, quia vis ventorum, quæ tunc inclementiùs inhorruerat, radiantis lucernæ lumen extinxit. Cumque solicito spiritu religiosa mulier hùc, illùcque discurreret, & odoramentum, quod thuribulo superponeret, nullatenùs inueniret: repentè quidam inter ipsas tenebras venit, & in manum eius thymiama, quod quærebat, immisit. Quod nimirum, per Angelum potuisse fieri, non incongruè possum opinari.

52. *In actis S. Offe ap. Sanctuari. Capua*. Quadam vice, cum inter nocturnam psalmodiam (vt monasterij, & temporum ferebat consuetudo) incensum circa altare deferre vellet, cecidit in terram nauicula, & dispersum fuit incensum; sed ecce presto fuit Angelus, qui in thuribulum aliud incensum immisit, vnde super omnia aromata fragrauit odor.

53. *Seraphinus Bertolinus in vita S. Rosæ Peruanæ cap. 16.* Frequenti Angeli custodis conuersatione fruebatur S. Rosa de S. Maria ex tertio ordine S. Dominici, ab illoque modò illi clausæ, & obsignatæ ianuæ aperiebantur, modò nocturno tempore associabatur, modò, qui illi necessaria medicamina opportuno tempore subministrarent, vt fidelis seruus diligenter inquirebat.

54. *Ignatius de Nente in vita Ven. Sor. Dominicæ de Paradiso lib. 1. cap. 22.* Dùm semel Ven. Sor. Dominica cælestibus contemplationibus dedita, tota nocte in agro morata fuisset, eius Angelus interim illius formam assumens, domi vicem eius gerebat, domesticisque rebus incumbebat.

55. *Idem ibidem cap. 43.* Fodiente quondam in agro Ven. Dominica, apparuit ei cælestis Sponsus, dumque illius castis colloquijs frueretur, interim Angelus eius, sumpto ligone terram surculabat.

56. *Idem ibidem cap. 47.* Alia vice inscijs domesticis eius fugit in desertum, ibique diù Angelicam vitam duxit: interim autem Angelus formam Dominicæ assumens, domesticis rebus, quæ eius curæ erant demandatæ, vacabat, quoad vsque iussu cælestis Sponsi ab Angelo inuisibiliter in propriam domum est delata, nemine ex domesticis, & familiaribus hoc prodigium aduertente, quod ipsa postea suo Confessorio manifestauit.

57. *Idem*

57. *Idem ibidem capit.* 52. Hoc idem præstitit Angelus eius custos duobus annis in peruigilio omnium solemnitatum, cum Ven. Dominica, ad Ecclesiam propriæ expiandæ conscientiæ causa, pergeret; nè enim mater id ægrè ferret, Angelus, eius formam assumens, domesticis curis incumbebat, dum deuota Virgo, Deo inspirante, in Ecclesia morabatur.

58. *Idem ibidem lib.* 2. *cap.* 21. Semel vomitu sanguinis laborabat Ven. Dominica; cum apparens ei B. Virgo, iussit, vt consilio Confessarij, venam cephalicam in dextro brachio, scalpello incideret, quod fecit, apparente eius Angelo, illique venam cephalicam demonstrante, quo facto, subitò sanata est.

59. *Idem ibidem lib.* 2. *cap.* 67. Alia vice in die solemnitatis omnium Sanctorum ab Angelo deportata fuit Dominica, dulcissima in estasi, ad videndam gloriam Beatorum. Interimque dum tempus aduenisset, moniales ad matutinas preces excitandi, quod Dominicæ munus erat, ne tam suaui priuaretur visione, Angelus eius vices supplens, moniales ad matutinum excitauit.

60. *Theophilus Raynaudus in opusculo nuncupato S. Benedictus Pastor, & Pontifex.* Asserit se cognouisse monialem ex discalceatis S. Teresiæ, quę cum puerula septem annorum à genitoribus ad euellendas herbas mitteretur, ipsaque ad orationem in remot rem speluncam recederet, interim Angeli herbas euellebant, colligebantque,

61. *Auctor in vita Ven. Vrsulæ Benincasæ.* Dum Ven. Vrsula Benincasa adhùc adolescentula paternę domus curam suscepisset, multoties Angelorum adiuta fuit ministerio.

62. *In His. Camaldulensi lib.* 3. *cap.* 13. Quidam Cyprianus senior brumali tempore ob niuium copiosarum rigiditatem, & altitudinem aquæ in cellam influentis, vsibus diutiùs, quàm necessitas humana patiebatur, tacitus in Eremo caruerat; qui denique necessitate compulsus, è cella prodiens, consueti riuuli vndam excitandi gratia, callidi serpentis astu, vt verisimile est, qui vbique seruis Dei insidias molitur, in profundam niuium vastitatem præceps dilapsus est, vnde ex se ipso consurgere, ac resilire nullatenùs posset. Itaque & casus improuiso terrore, & ingenti algore, & niuium vi resultante, Dei Seruus in aperto vitæ discrimine semianimis versabatur. Quando Misericors, & Miseratur Dominus, qui dexteram labenti Petro in mari porrexit ne mergeretur, redemptionem summa in calamitate ei cælitùs misit. Innenarrabili siquidem modo vir venerabilis Angelicis manibus è fouea educitur, in cellam sublimis reportatur, ignis subsidio confouetur; & ad extremum super stratum solita gausapina coopertus commodissimè locatur.

63. *Augustinus Mannus in select. c.* 324. *de S. Philippo Nerio.* Nocte quadam, cum panem viro cuidam Nobili, sed pauperrimo deferret, diaboli opera factum est, vt intentus Philippus, quo pacto currum præcipiti cursu se ferentem declinaret, in altissimam foueam casu delapsus sit: sed Domino opem ferente, ab Angelo confestim inter cadendum capillo capitis mirabiliter retinetur; indeque nulla læsus parte, ab eodem incolumis eripitur, vt is, qui ad aliorum vitam sustentandam ambularet, is à benigno Domino vitæ beneficium reciperet.

64. *In actis S. S. Feb. tom.* 1. *in Contin. Bollandi.* Contigit vt Cella, in qua manebat S. Vodalus Benedictus Suessione in Gallia, subito igne cremari crederetur; sed eum statim Angelus Domini in cincinno verticis apprehendit, & transportauit in Insulam Axonæ fluminis, incendiumque restinxit.

65. *In vita S. Arnulphi; de translatione eius corporis.* In illo itinere, cum ventum esset ad quendam riuum, cuius ripæ, scissa tellure, euntibus lubricum præbebant transitum, posteriores feretri portitores casu corruunt; sed, vt reor, Angeli statim eum casum excipiunt. Priores enim sine vllo gradiendi impedimento, feretro in aere sublato, pergunt libere, & expedite. Surgentesque illi, qui lapsi fuerant, cùm ea loca humiliora euasissent ad collegas se se adiungunt.

66. *Ferrarius in Catalog. S. S.* 15. *Feb.* Cum S. Anthilia Virgo, & Martyr ob fidei confessionem crudeliter cæsa fuisset, carcerique inclusa; noctu ab Angelo à plagis curata est, adque Martyrium incensa.

67. *Idem ibidem* 10. *Maij.* S. Christina Virgo, & Martyr Panormitana à Carnificibus afflicta diris tormētis, plagisq; innumeris dilaniata, ab illis Angelica ope mirabiliter curata est; cumque postea in mare præcipitata fuisset, ab Angelis incolumis ad littus deducta est.

68. *Idem ibidem* 6. *Iunij.* Cum S. Vincentius Episcopus Meuaniensis in mare iussu Tyranni præcipitatus fuisset, ab Angelis mirabiliter ereptus est.

69. *In vita S. Theodori Martyris.* Dùm sæuissimè S. Martyr iussu Salustij Præfecti excruciaretur, adfuit de cælo aliquis, qui extergeret linteo sudores & ardores gelida restingueret.

70. *Baronius ad an. Christi* 362. *n.* 160. Apollonius Monachus cum eius socijs in persecutione Iuliani in carcerem missus, per Angelum è carcere cum eiusdem socijs liberatus est.

71. *In Martyrolog. Adonis* 9. *Kal. Augusti.* Sancta Christiana in Deum credens, Deosque aureos Vrbani Patris sui conterens, ab eo in carcerem post dira tormenta coniecta, Angelo visitante sanata est à vulneribus. Deinde cum magno saxi pondere in lacum Vulsinum iactata, Angelico præsidio liberata est.

72. *Surius* 29. *Ian. in vita B. Cōstantini Perusinæ Ciu. Episcopi.* A militibus Marci Imperatoris varijs tormentis vulneribusque malè affectus S. Episcopus, ab Angelo qui ei apparuit recreatus est, omnique plaga curatus.

73. *Idem in Martio de S. Suuitberto.* Angelus Domini apparens S. Episcopo in carcere vincto, videntibus, & stupentibus custodibus, eum è custodia liberauit.

74. *In ann. Min. an.* 1231. *n.* 24. *de S. Antonio.* Post Quadragesimam perfunctus magnis laboribus in confessionibus excipiendis, & sermonibus habitis.

bitis ad populum, voluit paulisper recedere ad solitarium locum, vt quieti mentis vacaret. Exarauit litteras ministro destinandas, vt abeundi peteret licentiam. Dum verò in Guardiani cellam iret, vt cum eo de transmittendis ageret litterulis, ad suam regressus, quas in mensa reliquit, non inuenit. Hinc suspicatus fortassis Deo non placere vt recederet, nullam amplius adhibuit curam, donec elapsis ijs diebus, quibus ire posset & reuerti tabellarius si mitteretur, accepit à ministro responsum, & abeundi licentiam. Qui rem referunt, Angeli ministerio tribuunt euentum.

75. *Ibid. an. 1289. n. 35. de B. Petro Pectinario.* E vinea sua regrediens & benè compactos racemos portans, desiderauit, vt Romanus quidam amicus eos haberet. Relictos super sudem domi, Angelus in Vrbem detulit, & aliquo post tempore prædictus amicus gratias reddidit ob amoris affectum, quo Senis Romam optimas vuas transmisit. Nihil minus cogitans Petrus ad sudem respexit, vidensque, Deum suum desiderium compleuisse, ei gratias reddi iussit, qui seruorum suorum voluntates exaudit.

76. *Vading. an. 1448. num. 43.* Soror Perpetua visa est sæpè in extasim rapi, & aliquando ab Angelo floribus coronari.

77. *In Paradiso Carmelitano, de Ven. Dominico Ruzola an. 1630.* A puero multis iam à Deo fauoribus signatus, Angelum inter alia, Magistrum orationis suæ, vel in pueritia accipere meruit, qui cum toto vitæ tempore vsque ad mortem ad orationem nocte singula vigilem faceret.

78. *Franciscus à S. Maria in Hist. Carmelitana tom. 1. lib. 2. cap. 48.* Soror Eugenia à Sacramento ex Discalceatis S. Teresiæ, excitabatur à suo Angelo custode tempore orationis, ab eodemque sæpè quid ab ipsa esset agendum admonebatur. Talem fauorem etiam aliæ sorores eiusdem Religionis sunt assecutæ.

79. *Idem ibidem Tom. 2. lib. 7. cap. 59.* Frater Benedictus à Virgine, cum cæteros fratres ad matutinas preces excitare soleret, aliquando ex prolixa oratione, statuto tempore somno correptus, ab Angelo custode, apprehenso brachio, excitabatur.

80. *Bartolus de los rios de Mariana Hierarchia lib. 5. cap. vlt.* Historiæ indicæ produnt miram fœminæ Ethnicæ superstitionem, quæ centies, & quadragies millies Amidæ Idoli nomen quotidiè pronunciare consueuerat; ne ve dormiendo tempus huic cultui destinatum amitteret, quotidie à diabolo excitabatur; hæc deinde fide nostra imbuta, cùm, versa in pietatem superstitione, Mariæ Sacrosanctum nomen toties pronunciare cæpisset, Angelorum ministerio, ne officio deesset, quotidie fuit expergefacta; satis aperto indicio, non ingratam Reginæ cælorum fuisse, tam crebram nominis sui inuocationem.

81. *Paulus Barry.* Deuota Anna Sanctonica è sodalitate Vrsulinarum, eam gratiam à Deo obtinuerat, vt ab Angelo suo semper his verbis: ANNA SVRGE, excitaretur. Vix Angeli vocem audiebat, quin statim, & admirabili diligentia se proriperet è lectulo; verùm euenit aliquando, vt paululùm tergiuersaretur, & sensim iterum indormiret, cum rediijt quidem Angelus, sed voce solito acerbiore, DOMINA, inquit, NON PLACET SVRGERE? suffecit ea monitio, vt illicò obtemperaret, culpamque agnoscens & pœnitens, statueret, imposterùm non tergiuersari.

82. *In ann. Societatis Iesu, de Ioanne Carrera.* Castissimus iuuenis inflammato semper studio erga tutelarem Angelum ferebatur. Cum hoc tanto erat, tamque familiari coniunctus vsu, vt velut intimo cum amico sua consilia sermonesque conferret, sæpè ad eum de rebus suis dubijs arduisque referret, sæpè interrogaret, exquireretque consilium; denique in eam Sancti Angeli familiaritatem venerat, vt quotidie ab eo horis antelucanis ad orationem excitaretur è somno; quamquam hanc aliquando consuetudinem Angelus intermisit, quòd excitatus à se, languore victus, non è cubili protinùs surrexisset, sed si hæc culpa fuit, certè per dies plurimos occultante se Angelo pœnas dedit. Cuius præsentiæ desiderio multis ad Deum placandum precibus ac ieiunijs adhibitis, tandem aliquando quod amiserat recuperauit. Receptum in pristinam familiaritatem Angelus monuit, idcircò suam se occultasse præsentiam, quòd ad orationem se suscitantem, non protinùs audisset, Deumque ab eo pœnas repetere, vt documentum ei esset imposterum, ne surgendo moras necteret.

83. *Ioseph Sylos in vita Ven. Francisci Olympij lib. 1. cap. 14.* Cum Ven. Franciscus Olympius ex nostris, nocte litare Deo consuesceret, tempore præscripto aderant peruigiles excubiatores Angeli, qui ostium pulsabant, excitabantque ad Orationem Olympium; cum autem aliquando à graui erysipelate laboraret ipse, tum quo tempore decumbebat, abstinebant eo munere cælites.

84. *In vita S. Patritij cap. 116.* Beatus Patritius Sancto Fiecho, quendam currum duxit destinandum, eo quòd infirmitate grauatus, itinerare pedester non potuit, Diæcesim suam visitare, atque Pontificis officium exercere. Attenuatus enim erat abstinentia nimia, insuper & in coxa fistulæ laborabat molestia. Cernens hoc S. Secundinus, humanum quid passus, ægrè tulit, currumq; sibi iustiùs, quàm illi dandum asseruit. Pater pius molestatum illum intelligens, illi satisfacere sategit potiùs signo, quàm sermone, dicens: Non graueris, frater charissime, super munusculo confratri, & Coepiscopo nostro dando, ne detur occasio nos sugillandi Diabolo, quia plus frater ille, quàm quilibet nostrum indiget vehiculo. Sed nostro ne videamur errasse iudicio, huius rei discussio examini relinquatur Angelico. Angelus enim apparens vtrique ad precem Sancti Patritij, suppositis equis currum iungi, & absque auriga dimitti iussit, & apud quemcumque substitissent, ac mansissent equi veredarij, currum ei conferrendum censuit. Factum est enim vt Angelus imperauit, currumque Sanctus iungi fecit; equi verò, nemine regente, per loca inuia, & itinera distorta, primò ad habitaculum ipsius Secundini vespere deuenerunt, disiunctique ad pascua admissi fuerunt. Facto autem mane, nemine iungente,

curruì subiugati sunt, similique modo ad alterius Sancti mansionem pertingentes, ibidem pernoctauerunt; tertio tandem die versùs Sanctum Fiechum appropinquauerunt, & steterunt, & quod ad ipsum destinati fuerant, euidenter intelligi dederunt. Non tamen Sanctus ille voluit currum illum ascendere, antequam Angelus ipsum certificaret de misso sibi munere. Alia vice hoc itidem miraculum eodem modo est iteratum de duobus equis à Sancto Patritio ipsi Sancto Fiecho destinatis, curruique ipsius subiugandis.

85. *Gretserus de Cruce libr. secund. capit.* 19. Maximilianus primus Imperator, dum semel per præruptas rupes Oenipontanas iuuenili ardore rupicapras, & ibices insequeretur, eo loci euasit, vnde nec referre pedem, nec vlteriùs progredi posset, nisi in præcipitium. Quo in loco cum iam noctes atque dies integros duos in tam afflicto statu permansisset, apparente ei iuuene ignoto, habitu rustico, qui Angelus Domini iudicatus fuit, ab eo præcipitio fuit liberatus.

86. *Nicephorus libr. septimo Historiæ Eccles. capit.* 50. Sanctus Michael Argonautis Græcorum aduersùs Amycum pugnantibus opitulatus est, victoriamque obtinuit.

87. *Cromerus libr.* 10. *Historiæ Polonorum*. Lescus Polonorum Princeps, parato numero militum, ope S. Michaelis Archangeli, multos Lituanos profligauit.

88. *Baronius an.* 601. Hoc anno, qui numeratur quintus Regum Francorum Theodoberti, atque Theodorici fratrum, conflatum est ciuile bellum inter eos, atque Clotharium filium Regis Chilparici, hæredem verò Guntherami; magnaque facta vtrinque cæde, cessit tandem victoria Theodoberto, atque Theodorico, fugiente Clothario. In qua pugna Angelus Domini astans euaginatum visus est tenuisse gladium.

89. *Osorius lib. tert. Historiarum*. Anno Domini 1484. Alphonsus Congensium Rex ope Angelorum victoriam obtinuit contra fratrem pro Regno pugnantem; Dux etenim hostilis exercitus captus, palàm confessus est, se magnam militum copiam in equis insidentem, & Crucibus insignitam, tantaque luce splendentem, vt oculos omnium perstringeret, in prælio conspexisse, eiusque metu perterritum, cum suis se fugæ commisisse.

90. *Frid. Fornerus libr.* 1. *Palmæ triumph. de S. VVenceslao*. Ad monomachiæ certamen, à Radislao Gurimensium Principe, prouocatus Vuenceslaus, cum in palæstram descendisset, Radislaus, Angelum, radianti vultu, pro Vuenceslao, contra se stare, conspexit: cuius minaci vultu perterritus, sine intuitu ingentis, quem ad manum habebat, exercitus, ad Sancti viri pedes protinùs accidens, dicto se se audientem fore, promisit.

91. *In vita Sancti Henrici Imperatoris*. Is Sanctus Imperator sæpè numero ante aciem ex cælestibus Genijs aliquem, sicut & sanctos Martyres, patronos ac Tutelares suos, præire signa vidit, ac victoriæ omen prænunciare.

92. *Cerda de Angelis cap.* 20. *de Antolino Hispano*. Cum Antolinus pius generosusque Christi miles, paulisper in Ecclesia propè Germatium posita moraretur, vt precibus suis victoriam de Arabibus hostibus, quam materialibus armis se consequi posse diffidebat, à diuina miseratione posset impetrare, ignominiæ illi ab æmulis tributum est, quòd numerosi formidolosique exercitus hostilis aspectu perterritus, Ecclesiam seruandæ vitæ causa pro latibulo quæsiuisset. At Deus euidentibus signis ostendere dignatus est, fide pietateque ducum potiùs, quàm armatorum fortium multitudine parari victorias: quoniam sub eius specie visus est Angelus ante alios fortiter præliari, hostes sternere, in fugam vertere, adeò vt victoria ipsi tributa fuerit, cuius & arma consperssa sanguine cernerentur, cum tamen ipse non tam iaculis, quàm precibus hostes in veritate superasse crederetur.

93. *In vita Beati Ioannis Safaguntini Ordinis Eremitarum*. Aluæ de Tormes concionem habuerat Ioannes, cumque Præfectus Vrbis ex eius increpationibus maximè excanduisset, misit qui eum in itinere prosequerentur, interficerentque. At dum illi appropinquarent, viderunt circa illum milites armis instructos, & ad conferendam manum armatos, administratores scilicet Spiritus, quos ad B. Ioannis tutelam Altissimus ordinauerat. Quibus perterriti, haùd accedere sunt ausi.

94. *Bartholomæus de Rogatis in Historia Granatensi part.* 4. *libr.* 3. Dum Alphonsus 8. Castellæ Rex contra Mauros bellum inniret, mirabiliter ab Angelo rusticano habitu per inaccessam incognitamque viam ductus est ante inimicum, quo perterritus ipse euentu, fugatus, deuictusque est ab exercitu Christiano.

95. *Paulus Carpenterius in vita Beati Bernardi Ptolamei, Congregationis Oliuetanæ fundatoris libr. secund. cap.* 10. Angelorum ministerio redditę sunt cicures pluriès ipsæ feręæ & sine toxico venenati serpentes; interdum ab ijs adiuuatur in fluminum discriminibus, aliquando errabundus in viam reducitur seruus Dei Bernardus.

96. *In vita Ven. Iosephi Archietæ Soc. Iesu*. Cum Iosephus Archieta per Ioamniam (regio est in Brasilia) cum fratre vno comite proficisceretur, & Lusitano puero Damiano à Costa, cognomento Fabella, & iam octo circiter leucas confecissent; petit Pater Iosephus à fratre Comite breuiarium ad horarias preces percurrendas, at ille fatetur se illud Sancti Vincentij (oppido est nomen) reliquisse, Hoc loco Fabella se redditurum ad illud afferendum profitetur. Pater certus sua in Deum fiducia, eius sibi auxilium non defuturum, puerum redire non permisit, compendio suæ spei, tantum redimens incommodum; confecto itinere Ecclesiam ingressi persolutaque de more pia numinis, & Sanctorum cælitum salutatione, Patrem vident ex Altari breuiarium accipere, ex eoque debitas exsoluere precationes. Quibus absolutis, breuiarium comiti red didit, addicto monito: Post hac ne sis oblio-

uiosus. Quod acceptum frater, agnouit illud ipsum esse, quod ipse Sancti Vincentij reliquisset.

97. *Philip. Alegambe in Bibl. scrip. Societat. Iesu de P. Paulo Iosepho Amanga Hispano*. Angelum suum tutelarem singulari studio coluit, & inuocatum certa præsentem ope est expertus: Inuectus semel in deuexam rupem, vnde nec se posset retrò recipere, nec porrò vrgeri, admonuit familiariter Angelum suum id esse temporis, quo amico sibi sit opus: Vix dixerat, cum lapsa in præceps mula, ipse sospes in rupe collocatus est. Flumen, quod aquis inflatum non audebat transmittere, inuocato eodem Angelo traiecisse repentè se comperit: Petasum vento abreptum, idem illi Angelus ad manum porrexit: Densum per imbrem incessit aliquando siccus, & inter rura natantia sicco calle.

98. *Sylos in Hist. Ven. Francisci Olympij Cler. Reg. lib. 1. cap.* 8. Dum vir quidam Nobilis Surrentum Neapoli se transtulisset, vt quædam animi momenta cum Dei seruo Francisco Olympio ex nostris communicaret, post multa ad Spiritus profectum accepta monita, dum in superiore Choro, eius iussu orat, musicum organum (quod ibi reperiebatur) modulatè ac concinnè admodum canere ex opinatò audit. Vertitur: & qui pulsaret vidit neminem; nisi quod Olympius seriò atque accuratè folles tractaret. Defixus admiratione vir nobilis adesse è cælesti Odæo Angelum quendam, sibi persuasit, qui armonicas eas fistulas temperaret. Quod & aliàs eidem Ven. accidit.

99. *Ven. Beda in vita viri Dei Cuthberti cap.* 7. Famulus Domini Cuthbertus suscipiendorum officio præpositus hospitum, probandæ suæ gratia deuotionis, Angelum Domini suo suscepisse fertur hospitio. Exiens enim primo mane de interioribus Monasterij ædibus ad hospitum cellulam, inuenit inibi quendam sedentem iuuenem, quem hominem æstimans, solito mox humanitatis more suscepit. Nam lauandis manibus aquam dedit, pedes ipse abluit, linteo extersit, fouendos humiliter manibus suo in sinu composuit, atque vt horam diei tertiam etiam cibo reficiendus expectaret, rogauit, ne si ieiunus iret, fame pariter & frigore lassaretur hyberno. Putabat namque hominem nocturno itinere simul, & flatibus defessum niueis, illò requiescendi gratia diluculò diuertisse. Negauit ille, & se citò iturum, quia longiùs esset mansio, ad quam properaret, respondit. At Cuthbertus diu multumque rogans, tandem adiuratione addita diuini nominis, ad manendum coegit: statimque vt expletis horæ tertiæ precibus vescendi tempus aderat, apposuit mensam, sumendas obtulit escas, & obsecro te, inquit, frater reficias, dum rediens panem calidum affero; Spero enim, quia iam cocti sint. At vbi redijt, non inuenit hospitem, quem edentem reliquerat. Explorat vestigia per quæ iret, sed nulla vspiam inuenit. Recens autem nix terram texerat, quæ facillimè viantis iter proderet, & quò declinaret monstraret.

100. *Ioannes Diaconus in vita S. Gregorij Magni*. Cum peregrinos duodecim ad mensam quotidiè adhiberet, quadam vice inter eos, Angelum Domini meruit habere; qui & ei vaticinio præclaro Pontificatum prænunciauit, addiditque destinatum se à Deo adiutorem, & custodem ipsius, in Ecclesiæ regimine, ac principatu.

101. *S. Paulinus in vita S. Ambrosij*. Euenit semel, vt quidam vir de hæresi Arianorum, acerrimus nimium disputator, & durus, atque inconuertibilis ad fidem catholicam, ad basilicam se conferret. Is constitutus in Ecclesia, tractante Ambrosio, vidit (vt ipse postmodum loquebatur) Angelum ad aures Episcopi tractantis loquentem, vt verba Angeli populo Episcopus renunciare videretur. Quo viso, conuersus, fidem quam expugnabat, cœpit ipse defendere.

102. *Torellus in Hist. Augustiniana an. Christi* 706. S. Gutlacus Eremita, Angelus cum Angelo quotidiè familiari consuetudine loquebatur, à quo contra infernales phalanges adiuuabatur.

103. *In Martyr. Gallic. 26. Iunij de S. Maxentio incluso*. Feruorem in Dei cultu reuerentes Angeli, sæpè cum dùm preces funderet, visitabant, tanto cum lumine, vt cellula, in qua psallens iugiter habitabat, velut micantium astrorum globis irradiata videntibus ministris reluceret.

104. *In actis S. S. Martij tom. 3. in Contin. Bollandi*. Dum Ven. Maria de Mailliaco opera charitatis exercens, pauperes & peregrinos reciperet, Angelum inter ipsos meruit admittere.

105. *Hugo Menard in obseruat. Septemb. lib. 2. de S. Rodingo*. Angelum custodem sibi familiarem habebat, qui se in eius conspectum dare solebat, eumque sedulò admonebat de omni re, quæ ipsi ex munere incumbebat.

106. *In vita B. Asceline cap. 6*. Cum aliquando puerili leuitate ducta, acum, vel frusta casei modica, vel quid simile furtiuè subtraxisset, per vestem sensibiliter trahebatur, & dicebatur ipsi; Quare hoc agis? cessa, nequaquam expedit tibi. Manum quidem trahentis sentiens, & vocem loquentis audiens; neminem videbat. Angelus enim, qui animæ, cuius custodiæ deputatur, pedisequus est, & indiuiduus comes, non modo eam assiduis suggestionibus ad omne opus pium mouebat, sed & quodam modo sensibiliter, vt diximus, compellebat, & à minimis etiam defectibus immunem conseruari curabat.

107. *Sozomenus lib. 6. cap. 29*. Piammon Monachus, cum sacra administraret, vidit Angelum ad mensam adstare, & eos, qui ex Monachis adessent, in librum annotare, absentes verò expungere.

108. *Chry. Henriq. in fasc.* Conuersus quidam in Hemmenrode cuiusdam eiusdem domus Grangiæ Magister erat, vir bonus, ac disciplinatus. Iuxta hunc, cùm exiret ad opera manuum, siue ad negotia domus suæ, alius quidam simplex Conuersus, Angelum Domini ambulantem frequenter vidit, quod cùm retulisset, B. Hermano Abbati suo, referenti respondit. Quia visionem retulisti, nunquam Angelum de cætero videbis. Quod ita factum est, vt beatus homo prædixit, & licet sibi diuinitùs reuelata, Abbati proprio

manu-

manifestans, non videtur deliquisse, quia tamen non sine aliqua cordis iactantia visionem eamdem recitauit, eam amplius non vidit; quod Abbas diuinitùs illustratus vidit, & quod futurum erat etiam prædixit.

109. *Antonius Dazza in vita B. Ioannæ à Cruce cap. 6.* B. Ioannæ à Cruce ex Seraphico ordine, sæpè Angelus illius custos apparebat, modò spiritualibus gaudijs animam illius replens, modò à diris flagellis, cruciatibusque, quibus proprium afficiebat corpus, remouens.

110. *In vita S. Francisca Romana.* Angeli sui familiari consuetudine fruebatur, cuius præsidio de tenebrarum principe gloriosum triumphum sæpè reportabat.

111. *In actis Sanctæ Helienæ Virginis Laurinensis in Italia.* Cum Sancta Heliena à parentibus fatua æstimata, ludibrijs, & verberibus afficeretur, secessum deserti appetebat, quò liberiùs Deo inseruiret, Deumque super hoc maximè rogabat. Descendit igitur Angelus Domini de cœlo, & vocauit eam: Heliena ancilla Dei. Et illa respondens ait: Domine quis es tu? & ille respondit: Ego sum Angelus Dei, missus ad refocillandum te in operibus tuis, & præparandum iter tuum; Veni, sequere me. Et ipsa cum maxima auiditate sequebatur vestigia eius, & duxit illam ad cryptam, quæ vocatur specus, iuxta horreum veteris Rostrani, vbi mansit incognita per vnius mensis spatium.

112. *Sylos in Historia Cleric. Regular. Part. secund. libr.* 10. Admiranda, atque incredibilis fuit familiaritas, quam tutelaris Angeli habuit Isabella Barilij, fœmina perfectissimæ virtutis, quæ Neapoli Theatinum institutum professionemque in sæculo tenuit. Enimuerò loquentem disertè illum suismet auribus, ac si mortalis quispiam loqueretur, persæpè audiebat. Tangi se præterea ab eo identidem sentiebat, veluti moneret quid agendum, quid fugiendum pro tempore ac loco foret.

113. *Dominicus Maria Marchesius in vita Venerab. Sor. Mariæ Villanæ Ordinis Prædicatorum.* Suauissima Angelorum fruebatur familiaritate Venerab. Soror Maria Villana; administratorij siquidem hi spiritus, sponsæ Diuini amoris frequentissimè assistebant, in afflictionibus solabantur, necessaria suppeditabant, multa scribenda dictabant, eamque cælesti melodia quandoque recreabant; sæpè sacra amuleta efformanti operam dabant. In ijsque eius Angelus custos singulari ministerio excellebat.

Angeli in sacrificio Missæ celebrantibus administrantes. §. 6.

ADministratorios Spiritus, incruento Sacrificio, ne dùm summa deuotione adstantes, Agnum immolatum adorare compertum est, sed quandoque etiam sacrificantibus humili inseruijsse reuerentia. De quibus.

1. *In actis Sancti Sansonis Episcopi.* Celebrante illo quodam die missarum solemnia coram omnibus, visum est Dubritio Episcopo, & alijs duobus Monachis, ignem de ore ac naribus ipsius emanare, atque, quod est mirabilius, ex illo eodemque die vsque ad fælicem finem vitæ suæ, quando missarum solemnia agebat, Angeli Dei ministri ei semper adstabant, atque illo solo vidente sacrificium cum ipso manibus suis frangebant; sed hoc miraculum videns, alicui reuelare nolebat, nisi fidelissimis suis secretè, contestans eis, ne in tota vita sua alicui hominum reuelarent.

2. *In actis S. S. Feb. tom. 3. in Contin. Bollandi.* Semel cantabat missam Beatus Bonifacius Episcopus Lausanensis, & quædam Religiosa vidit duos Angelos, vnus eorum stetit à dextris illius, & alter ad sinistram eius, & leuauerunt manus suas, quas ipse præ nimia corporis fragilitate, & debilitate extendere, aut eleuare non valebat, & similiter deposuerunt, & ministrabant ei, & valdè amicabiliter inclinauerunt capita sua ad eum.

3. *Ibidem.* Cum quadam vice Sanctus Osualdus Archiepiscopus Eboracensis missam celebraret, & à quadam visione perterrefactus minister discessisset, Sacerdosque Sanctus: Per omnia sæcula sæculorum, & alia diceret, audiuit Angelum Dei ad singula respondentem, & obsequium ei deferentem.

4. *Genebrard. in Chronol. anno* 1188. Imra Æthioporum Rex, inter eorum Sanctos relatus, Presbyter consecratur. Rex magnæ abstinentiæ & virtutis, adeò vt sacrificium incruentum peragens, ministerio Angelorum, panem, & vinum in corpus, & sanguinem Domini consecrandum reciperet.

5. *In vitis PP. de Piammone Presbytero.* Hic quodam tempore à Dæmonibus ita verberatus est, vt stare, aut moueri omninò loco non posset. Et cum dies adesset Dominica, & res posceret offerri sacrificium, iussit se fratrum manibus ad Altare portari; Vbi cum in oratione iacuisset, astantem continuò vidit Angelum Domini, qui astare solebat Altari, & porrigentem sibi manum, atque eleuantem se de terra, & statim dolor omnis ab eo discessit, vt solito sanior redderetur,

6. *Ibidem lib.* 10. Narrauit quidam Patrum, quòd senex quidam mundus, & Sanctus existens, cum offerret sacramentum, videbat Angelos sibi dextra, læuaque assistentes.

7. *Petrus Episcopus Aquilinus in catalogo S. S. cap.* 15. Cum aliquando S. Proculus Episcopus, & Martyr rem sacram faceret præsente Valentino Episcopo Interamensi, Angelus Domini acceptum de Altari calicem, in aere videntibus omnibus subleuauit, ac deinde in Altare reposuit sanguine consecrato. Sanctus autem Pontifex de mandato Angeli sanguinem consecratum libauit.

8. *In vita S. Basilij Cæsareæ Cappadociæ Archiepiscopi.* Sacrificanti Sancto Episcopo, Angeli clarissimo lumine astabant.

9. *Arnoldus Rayssius in Hierogazoph. Belg. de Villariensi cœnobio.* Floruit in hoc cœnobio anno 1240. Monachus quidam, cuius corpus, dum Mis-

sam celebraret, lucidari cœpit, & sacræ vestes, quibus indutus erat, miro decorari candore, cumque sacram Hostiam eleuaret, duo Angeli hinc inde adsistentes brachia ipsius sustentabant.

10. *In vita S.Petri Cælestini lib. 2. cap. 5.* Cum Romæ esset Petrus Moronus, qui postea Cælestinus est dictus, & deberet coram Pontifice Gregorio celebrare missam, videns paratas vestes sericas, auroque ornatas; vestes eas induere desiderauit, quibus cum esset in Eremo vtebatur, mundas illas quidem, sed viles, pauperesque; mirum! serui sui voto satisfecit Deus, statim Angelorum ministerio illæ vestes deferuntur, quas in Eremo sacræ rei faciendæ adhibebat.

11. *VValt. VViringus cap. 43. de triplici cana, in cana 3.* Astrogisilus Episcopus Bituricensis, cùm in semidiruta Ecclesia Territorij Gebennensis loco planè deserto oraret, vbi & sacrarium obseratum, & Minister nullus ad manum erat; iussit, vt lector eius paululùm aquæ abluendis illius manibus, & miscendo calici perquireret. Quo nequidquam eunte, ecce dùm ad Virum Sanctum reuertitur, videt eum coram se habentem duos crateres, alterum vino, alterum aqua plenum: Obstupuit ille, nec vnde allati essent perquirit, cæloque delatos, aut saltem miraculo Angelorum ministerio impletos suspicari obuium fuit.

12. *In offic. Sancti Eusebij Vercellensis Episcopi.* Factus presbyter, tanta emicuit sanctitate, vt missam celebranti, sæpiùs Angeli visi fuerint ministrare.

13. *In Chron. Sancti Francisci libr. 1. capit. 57.* Memoria dignus est Ioannes de Parma Generalis Ordinis Franciscani, qui amore contemplationis Generalatu se abdicauit, vt in solitudine, dicta Græcio, totus Deo vacaret. Cùm autèm pius quidam Religiosus ei adiunctus fuisset, qui certa hora accedebat, vt sacrificio ministraret, & ille quadam die sopore oppressus, non aduenisset, ea hora nihilominùs Vir Sanctus sacris se accinxit, spe ministri proximè aduenturi. Et ecce adfuit mox Angelus vultu, & veste referens Religiosum; sacrificio peracto, visus est Religiosus audire vocem patris se accersentis; accurrit, & interrogat an placeat sacrificium offerre? Tunc cognouit vir Dei, Angelum, non Religiosum ministrasse.

14. *Ibidem an. 1270. num. 32. de Fratre Stephano Coruo.* Summo mane sacra peragens mysteria, obdormiuit iuuenculus acolythus, & videntibus heroinis Maria, & Eluira eidem viro Dei familiaribus, adstiterunt duo Angeli in vestibus albis cereos accensos in manibus gestantes, sacrificanti ministrantes, donec facta eleuatione Corporis Christi disparuerunt.

15. *Petrus Malpeus in palma fidei de Fratre Andrea Doctore, & Martyre in Aethiopia.* Trigesimo ætatis anno presbyteratus ordine insignitus, inter sacrificandum sæpè numero visus est attolli in aera, circumdantibus eum Angelorum agminibus, quorum vnus Subdiaconi fungens ministerio, panem celebraturo consecrandum quotidie subministrabat.

16. *In m. S. S. De Simeone presbytero Valentia in Hispania nato, ac nostro sæculo è viuis erepto an. 1612.* Contigit, vt aliquando Diuina operante eo ad sacras aras (quòd deuotioni suæ satisfacturus, moras traheret longiores) populus dilaberetur, & templo cum Sacerdote relictis, domos suas repeterent fastidiosi Numinis cultores. Sed vix pedem supra limen extulerant, cum ecce tibi, pulchro ordine succedunt Angeli, & velut correcturi abeuntium querelas, suaue melos substituunt. Sic ingressi sacram ædem circumfusi iuxta Simeonem venerabundi Genij expectarunt, donec Sacerdos (ipse alter in virginea carne Angelus) cum sacra benedictione missionem daret, siue socijs suis, siue fratribus.

17. *Sylos in vita Venerab. Francisci Olympij Cler. Reg. lib. 1. cap. 14.* Quædam religiosissima fœmina semel dum Ven. Franciscus Olympius ex nostris ad aram faceret, aderat, & quo tempore abluendæ manus essent, ad ea verba, Lauabo &c. abrepta à sensibus, visa sibi Angelum videre oris gratia, ac luce quadam longè pulcherrimum, qui velut aulicus quidam puer, composito ad obsequium vultu, aquam illi funderet, cum linteum abstergendo porrigeret.

18. *In Nat. Sanctorum Ordinis Premonstr.* Beatus Daniel Grimbergensis Cœnobij Prior, Angelorum ministerio, Deo sacrum offerens Missæ Sacrificium, meruit decorari.

Cibo, & potu ab Angelis diuinitùs recreati. §. 7.

Huiusmodi Admiranda videantur in lib. 4. cap. 1. cum de Pane, Vino, alijsque edulijs diuinitùs datis.

Sacra Eucharistia ab Angelis pasti. §. 8.

Hæc notabuntur in tom. 2. lib. 3. cap. 3. §. 4.

CAPVT III.

De Admirandis circa Stellas de nouo apparentes. §. 1.

STellæ & ipsæ Admiranda Dei quandoque miris testatæ sunt modis; vel enim ipso lucente Sole, splendidiores apparentes, vel caliginosis rutilantes in tenebris, superque capita, corporaue Sanctorum insidentes, fulgentibus notis magnalia Dei indigitarunt. De quibus.

1. *Ex Euang.* Nato Domino, stella immensi splendoris apparuit, quæ Magos ab Oriente ad adorandum Dominum arcanis traxit modis.

2. *Gabriel Pennotus Hist. Tripar. Canonic. Reg. l. 3. c. 9.* Quo tẽpore duodecim Canonici Lateranenses ad pauperem vitam Apostolicam, & disciplinam priscorum illorum Canonicorum Apostolicorum reno-

renouandam, in cenobio pauperrimo S.Mariæ Frigdionario diuino afflante spiritu, se ipsos collegerunt, visas per noctes singulas ab indigenis, & alijs illac transeũtibus stellas duodecim lucidissimas supra monasterium in modũ coronę locum ambientes, vetus & constans incolarum Frigdionariæ adiacentium est traditio, quam testantur duodecim Canonicorum imagines in pariete tribunæ Ecclesiæ depictæ, duodecim stellas super capita habentes.

3. *Ex m.S.S.* Dùm anno Domini, 1638. horribilibus terręmotibus quassata fuit Calabria, multaque oppida diruta. Pagus Soriani ob intercessionem S.Dominici, cuius ibi miraculosa colitur imago, ab imminenti periculo liberatus est: cumque ad illius Ecclesiam totus confugeret supplex populus, omnibus cernentibus, rutillantes stellæ sacram Imaginem circumdantes per multos dies obseruatæ fuerunt.

4. *Petrus Diaconus in Chron. Cassinensi. libr.4. cap.81.* Anno Domini 1122. nonis Aprilis quarta noctis vigilia, cum Fratres (Cassinenses) nocturnam synaxim canerent, stellæ de cœlo innumerabiles cadere, & quasi pluere visæ sunt toto orbe terrarum.

5. *Ioan. Moschus in Prato spirit. cap. 6.* Abbas Polychronius presbyter hoc narrauit, quòd cum esset in monasterio Abbatis Constantini Antistitis Monasterij S. Mariæ Genitricis, quæ Noua dicitur, audiuit quemdam fratrum in Xenodochio Ierichuntino requieuisse, quem cum accepissent fratres, vt ferrent ad monasterium Turrium, & sepelirent, ex quo iter agere cum corpore cæperunt, stella supra defuncti caput, quasi comes itineris apparere non destitit, donec ipsum sepulturæ traderent.

6. *Sophronius in prat. spirit. cap.104.* Theodosius Episcopus Capituliadis nocte è fenestra in Ecclesiam conspiciens, vidit Nonnum Abbatem procumbentem genibus suis, & stellam lucidissimam super caput, vnde didicit quantus vir ille Nonnus senex esset.

7. *In vita B. Ambrosij Sansedonij.* Quodam tempore Angeli circumstantes, in aera eleuatum tenuere; aliàs super caput illius, stella fulgentissima radiauit.

8. *Henricus Sedulius in vita B.Ioannis à Capistrano cap.9.* Cum S.Bernardinus Senensis biennio ante mortem in platea S.Mariæ Collis Aquilæ concionaretur de laudibus B. Virginis, sub meridiem visa fuit publicè Stella Sole splendidior cælitùs demissa super caput eiusdem, atque tum ex aduerso faciem eius mirandum in modum irradiasse. Simile & accidit B.Ioanni à Capistrano eiusdem Ordinis, cum eodem in loco laudes B. Virginis prædicaret.

9. *In vita B.Angelæ de Fulginio.* Referebat socia huius B.Matris, quòd dum quadam vice ipsa iaceret in excessu mentis, in latere suo, ipsa vidit quasi stellam vnam iucundissimam, & innumeræ varietatis, & colorum innumerabilium resplendentium, & procedebant ex ea radij grossi, & subtiles miræ pulchritudinis; & post quam processerant de corpore ipsius iacentis in latere, plicabant se in latere ipsius, & postmodùm ascendebant sursùm versùs cœlum: & istud vigilandò hora quasi tertia: & stella erat, vt dicebat, non multùm magna.

10. *Raderus in Virid. de S.Menigno mart.* Illustre sidus super Martyris verticem apparuit semel.

11. *Petrus de Natalibus lib. 1. cap.36. de S. Ambrosio Episcopo.* Plurimi stellam supra corpus eius vidisse testati sunt.

12. *Idem lib.5. cap.40. de S. Niceto mart.* Cùm quidam nomine Marianus de ciuitate Maseupstia, olim Sancto Martyri amicicia speciali coniunctus, corpus eius requireret, & furorem Gothorum Gentilium formidaret, nocte consurgens ad corpus perquirendum accessit: verùm, cum locum ignoraret, stella sibi apparente, & vt olim Magis, viam ostendente, ad locum perducitur: qua supra corpus martyris quiescente, sacræ sibi reliquiæ reuelantur, & ab eodem collectæ, in domum suam honorificè collocantur, multaque sanitatum miracula, earum virtute, demonstrantur.

13. *Idem lib.5. cap. 110. de inuentione Corporis S.Antonij Abbatis.* Cum iussu Constantis Imperat. in Alexandriam profecti fuissent quidam ad requirendum corpus Sancti Antonij Abbatis, & ad locum, qui dicitur Ephesos apud Nilum fluuium peruenissent, vbi erat monasterium sanctorum Monachorum, petierunt à Priore, vbi nam esset sepultum corpus venerandum S. Abbatis; tunc respondit Prior, locum ignotum fore cunctis hominibus, in quo Sanctus fuisset sepultus, eò quòd duo solummodo discipuli eum tumulauerant, qui ab eo audiurati, locum ipsum nunquàm alicui reuelare voluerant: Quapropter, contristatis omnibus orationem tota nocte in Ecclesia vigiles ad Deum fuderunt. Die verò sequenti, cùm Episcopus missam celebraret, apparuit iuxta Altare Gabriel Angelus, qui cedulam apposuit, per quam Episcopum de via tenenda & modo reperiendi corporis in omnibus informauit: qua lecta, resumpto itinere per aspera montium, prærupta rupium, & inculta asperrima desertorum, stella eos, vti olim Magos, Diuina fauente gratia, præeunte, inter serpentes & feras, & animalia ferocissima, & inuisa, omninò illæsi, post dies 40. in campum amœnum dulcissimis repletum fructibus peruenerunt; vbi, dum stella staret immobilis, vox cælitùs lapsa est, vt in ipso loco foderent, & thesaurum optatum inuenirent. Et, dùm fodere cæpissent, duo leopardi subitò aduenerunt, eosque ad cauandum iuuare cæperunt. Inuento denique corpore B. Antonij palmarum folijs operto, ipsum indè leuantes, cum gaudio & reuerentia maxima in loculo recondiderunt, & per omnia loca, vnde venerant, eadem stella præuia, multis euasis periculis, redierunt.

14. *Idem l.6.c.14. de S.Maxentio Abb.* Sæpiùs visitabatur ab Angelis; adeò vt in cella ipsius, in modum stellarum, splendor frequentiùs videretur.

15. *In actis S.Praiecti Aruernensis Episcopi, & Mart.* Post eius martyrium, quidam, qui morti eius consenserant de propè stantes, viderunt tres stellas subitò supra domum illam splendentes, in qua

Sanctus ille occisus cum duobus iacebat.

16. *Arturus in Mart. Franc. 26. Maij de B. Vincentio à Venaco Confess.* Satim post fęlicem illius transitum, fulgentissima quædam stella, cuius radijs, atque splendore vniuersus locus collustabatur, in eius cubiculi fenestrella ab omnibus ferè Venzolascanis visa fuit. Qua visione territi, ad Fratrum Conuentum protinùs concurrerunt, euentusque causam diligentiùs inuestigantes, præfati Beati Patris animam cœlos in micantis stellæ modum petiuisse inuenerunt.

17. *Chry. Henriq. in fasc. de Ven. Angelo de Victoria.* Dum ad versiculum illum, in quo tot Sancti obierunt, peruenisset: In manus tuas Domine commendo Spiritum meum &c. animam Seruatori suo reddidit. Statim cubiculum, in quo decumbebat, cœlestis claritatis, & splendoris lumine repletum est. Quod satis longo tempore durauit. Quod sanè indicium, & signum fuit gloriæ, qua beata illa anima iam iam fruitura erat. Eodem tempore fulsit supra domum, vbi Sanctus Monachus erat, stella quædam pulcherrima, & splendidissima, quæ plurimos de se radios spargebat, donec Sancta illa anima iam discessisset. Post cuius discessum apparere desijt, fuitque visa à quibusdam fratribus Augustinianis in vicino Monasterio habitantibus.

18. *Idem de B. Vualtero.* Cum moreretur, stella lucida media die super locum migrationis eius apparuit, ita vt in tota illa Prouincia videretur.

19. *Idem in menologio, 13. Aprilis de B. Ida Louaniensi.* Cùm septem tantùm esset annorum, & Missæ Sacrificio interesset, Stellam lucidissimam, splendidissimos radios circum quaque emittentem, è cælo descendere, & locum Sacrificij mirabiliter illuminare conspexit.

20. *Ibidem 17. Aprilis de Sancto Stephano Abbate.* Post huius transitum, diuino splendore & suauissimo odore cubiculum repletum fuit, & Angelorum voces dulcissimè canentium ab omnibus sunt auditæ, atque super templum, in quo sacrum corpus iacebat, pulcherrima Crux ex quinque splendidissimis stellis composita apparuit.

21. *In actis S.S. Martij tom. 3. in Con. Bollandi.* Sanctitatem S. Catharinæ Suecicæ statim post mortem cælum ipsum ostendere curauit. Nam Stella visa est stare supra domum, in qua iacebat corpus exanime per dies, & noctes, vsque dum corpus fuisset traditum sepulturæ. Corpore verò ad sepeliendum delato, stella videbatur moueri de loco suo, quasi obsequium funeri eius præstitura: & funere posito in Ecclesia inter Missarum solemnia, stella manebat quasi pendula super feretrum corporis extincti; sed humato eius corpore, stellæ illius cessauit officium.

22. *In actis S.S. Martij tom. 2. in Con.. Bollandi* Cum transferretur ad Monasterium Eliense in Anglia Corpus S. Virginis VVitburgæ, per totam ferè noctem Stella splendidissima super illud cominùs rutilabat, & claros radios effundens iugiter comes ibat, vel præcedebat.

23. *Ibidem tom. 3.* Demoriente B. Ambrosio Senensi, visa fuit in aere nubes lucidissima, in cuius medio, stella splendidissima consistebat.

24. *Sigonius lib. 3. apud Raynaldum.* An. 1383. XII. Kal. Martij Bononiæ Fratres Prædicatores caput S. Dominici ex arca, Philippo Episcopo, Magistratibusque præsentibus, extraxerunt, & ad vsum Ecclesiæ, nobili loculo argenteo condiderunt. Mirum verò illud oculis mortalium accidit, quòd interim dùm arca patuit, stella supra Ecclesiam clarissimè fulsit, quæ res animaduersa, ciuitatis religionem erga Sanctum Confessorem, accendit.

25. *Surius 25. Iannuarij de S. Eusebia Hospita.* Deus volens desuper ostendere, cuiusmodi lux celabatur in occasu huius vitæ, maximo signo eam honorat post mortem. Cum enim eam reliquisset anima meridiè, essetque aer serenus, & Sol resplenderet clarissimè, in cælo apparet veluti quædam corona, quæ stellis circulum circumscribebat; in medio autem coronæ cernitur crux, quæ ipsa quoque erat stellis lucidis figurata. Cum ergo miraculum sic euasisset manifestum omnibus, Episcopus Paulus, qui in Leuce vico adhùc agebat, cum hoc præter spem spectaculum suis acciperet oculis, diuino Spiritu motus, ijs qui congregati erant, dixit, Domina hospita dormijt, & hoc est eius signum coronæ, & Crucis.

26. *In actis S. Tharachi, & Soc.* Post eorum martyrium mox tres facellę veluti stellę apparuerunt suprà ipsorum corpora, quę furtim subtraximus & abiuimus, præcedentibus nos cælestibus illis lucernis, quas nos sequentes, duxerunt in aduersam partem montis, & sic recesserunt: ibi ea in caua petra illic reperta posuimus, & aditum magna diligentia clausimus, ne ab inquirente Maximo inuenirentur.

27. *Surius de S. Anastasio Persa Martyre. 22. Ian.* Duos ex ijs, qui erant in custodia, licuit audire, hæc inter se narrantes. Dicebat enim vnus alteri, Vidisti quemadmodum canes, qui heri venerunt, reliquis quidem corporibus se cupidè impleuerunt, abstinuerunt autem à solo corpore illius Monachi: Et quemadmodum postquam se alijs exsatiassent, propè illud sedentes, visi sunt potiùs esse custodes horis deinceps duabus neque recedentes, neque corpus tangentes. Alter autem rursùs excipiens orationem. Ego verò, inquit, cum vespere ex specula in domum reuerterer, videbar mihi videre stellam quandam terram tangentem, iucundum quendam, & perspicuum splendorem emittentem; spectaculi itaque nouitate obstupefactus, quòd scilicet non sicut aliæ, sed humiliùs & terræ viciniùs resplenderet, vado vt videam quidnam sit illud quod apparuerat. Cum autem fui propè illum locum, illam quidem stellam videre non poteram, sed solùm corpus Monachi, quod iacebat super terram.

28. *In vita S. Guthlaci Presbyteri, & Anachor.* Eadem nocte, qua ad S. Guthlaci sepulchrum fiebant excubiæ, aer nubilus cælum nubibus obduxerat, & tetra caligine terras obtexerat. Cum sidus eximium, quasi globus ignis roseo nitore coruscans, sicut sol mane oriens, ignitos quadrifariè spargens radios, ad instar fulguris omnem penetrans intuitum

cum

cum apparuit. Quod recto Orientis tramite ab euexo poli climate deorsùm inclinans, ad S.Guthlaci sepulchrum vsque protenditur; sicque fit, vt detersa omni nube, lætus dies solito clarior terras illustraret.

29. *Cæsar Franciottus in vita B.Zitæ.* Post Beatæ Zitæ obitum, in illius Sanctitatis indicium pulcherrima stella super Lucæ vrbem emicuit tanti splendoris, vt Solis lux eam non posset obfuscare.

30. *In Ann. Min. an. 1268. n.5. de B. Salomea.* Eadem hora, qua transitura erat ex hoc mundo, deuotas exercebat vigilias Agnes Abbatissa cum alijs sororibus moribundæ circumstans, & in emissione vltimi halitus viderunt omnes quasi stellam paruam ex ore eius progredientem in cælum.

31. *Ibidem ann.1455.de Antonio Gauaccio Laudensi.* Obijt die duodecima Ianuarij, cuius transitum, Deum stella præfulgida in fronte apparente, Angelis concinentibus, & funus deducentibus, honorasse scripsit Fr. Aloysius Brixiensis Vicarius Prouinciæ Mediolanensis ex testimonio Guardiani Laudensis, Fr. Martij Socij, & Ambrosij Infirmarij, qui morienti adstiterunt.

32. *In officio S. Theotonij Confess.* Pridie quam migraret, stellarum globus è cœlo in medium claustri Monasterij visus est descendere.

33. *Nicolaus Trigautius de Christianis triumphis ap. Iapones; de Michaele Coray.* Quotidie horis antelucanis, ne quid labori detraheret, leucam vnam per montium solitudines vagatus, in locum pium ad orationem, Missæque sacrificium secedebat. Satis constat, etiam ipso teste, stellam ipsi sæpiùs ducem cælitùs affulsisse: aliquoties etiam fertur, Dei parentem, Angelos, aliaque visa sua vitæ innocentia, à Domino impetrasse, quæ omnia non temerè de tanti viri simplicitate, quam glorioso fine coronauit, credi posse arbitrandum est.

34. *Bzouius an. 1471. n. 36. de Fr. Anastasio Mediolanensi ord. Min.* Die integro, quo in cælos emigratus erat, supra cœnobium, stella lucidissima radios innumerabiles iaculans instar Solis fulgentissimi luxit, donec Angeli animam de terrenis ad cælestia efferrent.

35. *Idem anno, 1485.n.23. de B. Franceschina Ord. Minor.* Beata Franceschina mortua, Stella lucidissima supra Monasterium, & sepulturam apparuit; quando illa moriens, sororibus inquirentibus, num illas aliquando reuisura esset, promisisset, se illam in specie stellæ visuras,

36. *Marraccius de Beatrice à Syluа Fundatrice Ordin. Immaculatæ Conceptionis.* Varijs claruit miraculis tàm Sancti ordinis Fundatrix, & tandem Beata Virgine præmonente, euolauit ad fælicitatem æternam, anno Domini 1490. ætatis 66. & exanimis fronti stella aurea insoliti fulgoris insedit.

37. *Thom.Boz.l.5. c. 2. de signis.* Contigit, vt quidam Christianus in Iapone adoraret crucem quamdam, quam sibi in charta atramento depinxerat; quod cùm sæpiùs egisset, apparuit ibi stella tanti splendoris, crucis imaginem circumiens, vt totam domum illustraret. Obstupefactus ille, vicinos aduocauit, & plurimi ad miraculum confluentes, rem deinde tantam cunctis enarrabant.

38. *Andreas Sauss.in coroll. 16. Augusti de Sorore Margarita à Sancta Geltrude.* Post eius mortem, corpus eius Parisios delatum est ad Monasterium Vallis gratiæ suburbanum, cuius mater extiterat. Vbi quædam Sanctimonialis ex senioribus, speciosam vidit stellam fulgentem in eo loco, vbi Beata illa Virgo, post demissionem Abbatialis dignitatis, sedere solebat.

39. *Auctor in vita Ven. M. Vrsulæ Benincasæ cap.33.* Post aliquot menses ab eius obitu, visa est præclarissima stella, directè radios suos supra monasterium ab eadem Virgine fundatum, mirabiliter emittens. Hocque sæpè obseruatum fuit à Ven. nostro Francisco Olympio, à Ven. Catharina Palmeri, Ven. Matris Nepte, ab alijsque Congregationis Virginibus.

APPENDIX AD CAP. TERTIVM.

De Admirandis perennibus circa Stellas.

DVo Admiranda circa stellas hic adnectam, quæ pluribus annis perennasse constans est fama; & primò

1. *Gregorius Turonensis lib.1. de Glor. Martyr. cap.1.* Est in Bethleem puteus magnus, de quo Maria gloriosa aquam fertur hausisse: vbi sæpiùs aspicientibus miraculum illustre monstratur; id est, stella ibi mundis corde, quæ apparuit Magis, ostenditur: Venientibus deuotis ac recumbentibus super os putei, operiuntur linteo capita eorum. Tunc ille cuius meritum obtinuerit, videt stellam à pariete putei super aquas transmigrari ad alium, in illo modo quo solent super celorum circulo stellæ transferri. Et cum multi aspiciunt, ab illis tantùm videtur, quibus est mens sanior. Nonnullos vidi qui eam adserebant se vidisse. Nuper autem Diaconus noster retulit, quod cum quinque viris aspexit, sed duobus tantùm apparuit.

2. *Euagrius lib.1.Ecclesiast.hist. cap.14. & Nicephorus Calistus lib.14.Hist.Eccles.cap.51. de stella apparente circa columnam Simeonis Stylitæ.* Ad læuam columnæ in vno cancellorum, ipse equidem cum tota agricolarum circa columnam incedentium multitudine ibi in vnum coacta, vidi stellam inusitata magnitudine, discurrentem per totam rimam, iubarque fundentem: neque id quidem semel bisue aut ter, sed sæpiùs, eandemque crebrò euanescentem, & ex improuiso apparentem denuò: quæ solùm in istius sanctissimi viri die festo cernitur. Sunt qui memorant (ac miraculo sanè, tum propter fidem eorum, qui idem ipsum narrant, tum propter alia, quæ ipsi sumus conspicati, credendum est) veram personæ illius effigiem hùc illùcque volitantem se vidisse, barba demissa, & capite, vt solet, tiara operto. Viris, qui ad eum locum veniunt, liber & facilis patet introitus: hique cum iumentis suis columnam sæpè circumeunt. Fit autem custodia accuratissima, ne mulier (qua de causa haud equidem habeo dicere) aliquando in templum ingre-

ingrediatur: sed si quæ accedunt, extra limen consistunt, miraculum admiratæ. Nam è regione stellæ fulgentis vna ex portis sita est.

CAPVT IV.

De Admirandis circa Solis varias apparitiones. §.1.

CVm ordinati motus, periodi, circulationesque, quibus Sol totius vniuersi splendidissimum iubar per æthereas graditur vias, quotidie prospicientibus mortalibus admirationem haud causent, admirabundos efficiunt, præter ordinem circumuolutiones, retrogradi motus, apparitionesque, & insolitæ obscurationes. De quibus.

1. *Simeon Maiolus in meteor. lib.*1. Referunt Historici, præcipuè Eutropius lib.7. qua die Christus Dominus è Virgine Matre natus est, tres Soles fuisse conspectos; postea verò statim in vnicum rediisse, vt Bergomensis Historicus testatur in Octauiano.

2. *Idem in meteor. lib.*1. Lucas Tui scribit in Christi natiuitate, media nocte nubem tantæ luciditatis Hispaniam collustrasse, vt meridies esse putaretur: Quod etiam scripsit Petrus Hispal. in Sylua par.2.cap.30. sed & Licinij tempore, apud Sebastem, cum quadraginta martyres, in lacum præfrigidum missi forent, magnoque frigore algerent, oratione præmissa magno Dei miraculo circiter tertiam noctis horam, Sol omnes circumfulsit ita calidus, vt est in æstate, frigusque dissoluit, & aquam calidam reddidit, vt habet Metaphrastes 9. Martij, Lippom. tom.7.

3. *Surius de rebus sui temporis.* Anno Domini 1514. in finibus VVitebergæ visi sũt tres Soles, quibus singulis cruentus inerat gladius; atque ita iudicatum, non impressionem fuisse meteorologicã, sed etiam miraculum. Refert quoque idem Surius eodem lib. sub anno Domini 1528. Tiguri visos tres Soles, qui famem prænunciare existimati sunt, quæ fuit postea incredibilis.

4. *Petrus Malpæus in Palma fidei de F. Bartholomæo Ceruerio.* Post eius mortem subsecuta prodigia, ipsa namque illa hora, qua cæsus fuit, occidente Sole, Ceruerium versùs alius Sabilianensibus Sol oriri visus fuit.

5. *In Historia Vngarica de B. Margarita.* Quadam die cum adhùc non nisi decem esset annorum, inueniens iuuenculas virgines ludentes in valetudinario, & propter obscuritatem tenebrosi temporis, parum, aut nihil videntes, dixit eis: Vultis, vt faciam vobis apparere Solem? illis desiderantibus, sed impossibile putantibus, indicauit locum quemdam digito, satis propinquum, & dixit eis: ibo vsque ad locum illum, & antequam reuertar ad vos, videbitis Solem clarè lucentem. Iuit, & orauit, & statim Sol apparens, & clarè lucens, totam domum illuminauit.

6. *Ibidem de eadem.* Alio tempore, Cum circa mediam noctem esset in ambulacro, quod est ante dormitorum sororum, & de cælestibus cogitaret, apparuerunt ei Sol, & Luna, lucentes in medio Cœli.

7. *Bonauentura de Meuania in vita B. Iacobi de Meuania Ordinis Prædicatorum.* Ea die, qua in lucem editus est B. Iacobus, matutino tempore visi sunt oriri quasi tres Soles, pueros quosdam niueis vestibus indutos figurantes.

Insitata tenebræ circa Solem. §.2.

NOn minoris Admirationis causa fuere, quæ in meridie, splendidissimum Solis vultum obtexere tenebræ. De quibus.

1. *In Hist. Euangelica.* In morte Saluatoris nostri tenebræ factæ sunt super vniuersam terram, obscuratusque Sol admirabili modo ab hora sexta, vsque ad horam nonam.

2. *In actis Decem millium martyrum in monte Ararat.* Sexta hora diei, insignia Sacrosanctæ passionis Christus in honorem Sanctorum suorum crucifixorum militum secundùm quarundam historiarum continentiam renouando, fecit vt Sol suos radios ad tempus subtraheret, terra moueretur, & petræ scinderentur.

3. *In vita S. Godefridi Episcopi Aurelianensis lib.2. cap.27.* Quodam tempore regionem illam iugis nebula densaque adeò obsedit, vt Sol à cœlo migrasse videri posset. Totis enim viginti, & eò ampliùs diebus, nullus eius splendor apparuerat. Metuebant omnes, ea re dira, ac tristia portendi. Vbi aduenit Omnium Sanctorum solemnitas, ad Beati Firmini ædem mane aduolant: adest & Godefridus Episcopus, capsam, in quam paulò antè transtulerat Beati martyris reliquias, iubet in terram deponi, , vestibusque Pontificalibus indutus, nudis pedibus, & lachrymabundus, ad eam reuerenter accedit (in eiusmodi enim rebus admodùm religiosus & pius cernebatur) sacras reliquias in pannum purpureum effundit, stansque loco editiori, vbi ab omnibus videri posset: En inquit, dilectissimi, hæc sunt Firmini Martyris, & protectoris nostri sacra ossa. Quod cùm ille dixisset, mox basilicam omnem serenissima Solis lux perfudit, cùm iam penè mensem vnum, vt diximus, radios suos omnes prorsùs retraxisset. Ad tam euidens miraculum, vnà omnes prorumpunt in laudem Præpotentis Dei: porrò Episcopum Godefridum rogant, vt dexteram Martyris separatim ponat, vt eam opportuno tempore & intueri & exosculari faciliùs possint. Nec id eis vir pius negare voluit. Tandem omnes domum eunt.

4. *Tritbemius in Chronicis an.935.* Multa hoc anno mortem Imperatoris Henrici miracula præcesserunt. Sol sereno cælo obscuratur, per fenestras domorum radios immittens sanguineos. Mons, in quo Henricus postea fuit sepultus, flammas in multis locis euomuit &c.

5. *Bosquierus.* Cum Donewaldus quidam Centurio vrbis, arcisque Foriensis in Scotia in Mouraica prouincia, Regem suum Duffum in cubiculo arcis eiusdem, iratus illi, trucidasset, ac deinde & ipsos sceleris sui socios; ac denique dissimu-

mulando sceleri, in multos inquireret, sæuiretque, ab ipso tàm nefarij parricidij die, ad sex continuos menses, dum Doneualdus ipse facti auctor cognitus pœnas dedit, nullus in Scotia, neque Solis, neque Lunæ radius visus fuit.

6. *Bozius lib. 5. de signis Eccl. cap. 2.* Circa an. 1553. in Molucho nonnulli à Christo desciuerant, & in reliquos Christianos arma sumpserant. Lusitani opem daturi aduenerant; sed præ multitudine inimicorum paucissimi. Vbi in conspectum sedere, hostes Christi, continuò tremere cæperunt, loco haud posse consistere, arma vix manibus tenere, terra magnis insolitisque motibus concuti; Sol in ipso meridie obscurari, vt alter alterum non intueretur &c.

Admiranda Solis Stationis. §. 3.

Eclipses non refero, quæ, licet Admirandæ quandoque apparuere, quia tamen non præter, sed secundùm ordinem naturæ euenere, hic locum non habent. Solùm recensenda remanent prodigia, quæ iterùm voci hominum obtemperando, vt olim Iosuè, mirabiliter stando edidit Sol; vel eodem die longiori tractu, longioribusque horis Orizontem collustrando, vel antelucano tempore cursum suum præcipitando. De quibus.

1. *Io: Colg. in vita S. Fechini 20. Iannuarij.* Quodam tempore, cùm vir Sanctus vnà cum suis Monachis, pro quibusdam negotijs de Monasterio exirent, & peracto negotio, ad Monasterium, Sole versùs occasum tendentes, diem sufficere non credebant (erant.n. Viri Dei prolixitate itineris, & debilitate corporis fatigati) ad Monasterium venire ante noctem dubitabant. Quid plura? is, cui omnis creatura obedit, vt ipse voluntati suorum per omnia pareret, Solem in gradu suo fixit, quousque Viri Dei Angelico ducatu comitati ad suum Monasterium sine grauamine peruenerunt.

2. *In vitis Patrum lib. 6. de Abbate Besarione.* Euntibus nobis ad alium Senem, venit Sol ad Occasum; & orauit Besarion dicens: Obsecro, Domine, stet Sol, donec perueniam ad seruum tuum. Et factum est sic. Hoc prodigium & accidit precibus alterius Senis Scithensis.

3. *Maiolus lib. 1. Meteor.* Mutius Eremita in Thebaidis deserto ex impijssimo latrone Ethnico, factus Christianus, per Dei visionem cum ægrotantem ex fratribus longè absentem nouisset, se se itineri dedit, ægrum inuisurus in Eremi ipsius interioribus partibus: cum autem eò non peruenire posset, iam Sole ad Occasum vergente, qua hora etiam ægroti mors instabat; vt dies itineri sufficeret, iussit Mutius Soli in nomine Domini nostri Iesu Christi, vt staret, donec eò perueniret, admirantibus omnibus circumquaq; eius Eremi incolis, Sole eodem climate tandiù perseuerante; quin, & non parui audito miraculo, ad Mutij disciplinam conuersi sunt.

4. *Balthassar Sorionius in lib. Virorum illustr. ord. Prædica. Prouinciæ Aragoniæ.* Cum Episcopus, Clerusque, & vniuersa Ciuitas Vrgellensis, in castrum Bonum perrexissent, vt inde Vrgellum Corpus Sancti Martyris Pontij ordinis Prædicatorum recens interfecti, quò debito sepulturæ honore afficeretur, deportarent, mirabile quoddam, & stupendum tunc prodigium contigisse referunt: nam cum Sol iam occumbens versùs vesperum vergeret, nouo miraculo sex horarum integro spatio immotus substitit, quousque exequiæ omnes, & iusta funebria Viro Sancto persoluerentur: quibus expletis, cum duodecim horæ à meridiè prostarent, qui terminus mediæ noctis esse solet, subitò Sol occubuit, densæque tenebræ, vt in nocte media ruentes, cœlum occupauere.

5. *VVadingus tom. 8. an. S. Francisci an. 1509.* Quo tempore ab Hispanis Orani Ciuitas Mauris capta fuit an. 1509. Solem quatuor & amplius horas cursum suum continuisse fertur, vt Christiani victoriam consequi possent. Quod cum nonnulli Mauri animaduertissent, rei nouitate perculsi, sacrum susceperunt baptisma.

6. *Idem in add. ad tom. 2. n. 11.* Aliquando leprosos deducentem B. Iuttam viduam Turingensem, nox densa inuenit in itinere; verùm oratione facta Solem relucentem reuocauit, atque per duo milliaria (tantum .n. restabat de itinere) & sibi & comitibus effulsit, nec priùs in Occasum abijt, quàm familia Dei in hospitium descendit.

7. *Iocelinus in vita S. Patritij cap. 47. & 48.* Tenebras quandoque à veneficis, seu magis inductas, fugauit, Sole euocato ex Oriente.

8. *Idem cap. 139.* Hiberniam peragrans S. Patritius causa Euangelij proseminandi, duodecim diebus absque noctis tenebris toto eo spatio continuauit; quod miraculum non conferri modò videtur, sed anteferri etiam posse miraculo Iosue.

9. *In vita B. Coletæ Virg. c. 73.* Cum sæuissima in Gallijs bella feruerent, ita vt nemo ex oppidis aut castris egredi auderet, illa intrepida per vtriusque partis regiones proficiscebatur, visitatura monasteria sua; cum interim, malo instigante dæmone, ab vtraque parte suspicaretur, eam stare ab hostibus suis: tametsi illa pro vtrisque multas lachrymas, & innumeras Deo preces offerret, & in suis Monasterijs offerendas curaret. Accidit autem, vt cum in pagum quendam veniret, ab alterius partis exercitu occupatum, & benè munitum, in quo erat Monasterium Virginum suarum, illicò ortum ibi murmur fuit, eam fauere aduersarijs. Eam suspitionem periculosissimè auxit casus improuisus. Custos enim Monasterij per errorem pulsauit campanam nocte, inter nonam, & decimam, cum deberet media nocte pulsare. Id audientes excubitores autumabant, eo intempestiuo signo, hostibus prodi pagum. Itaq; inter se conspirant de trucidandis sororibus Monasterij illius: iamque armati eò properant; sed ecce ob Coletæ matris merita res euenit sanè stupenda. Non solùm enim horologium ipsum Monasterij primam horam clarissimè, & gnomone, & sono indicauit, & expressit, cùm tamen deberet decimam; sed etiam noctis spatia contracta sunt, & Sol ante tempus oriri visus est. Audientes, autem milites primæ horæ signum, accurrunt ad Monasterium, fatentur facinus animo conceptum, reprehendunt se se, aiunt se temerè malum suspicatos

de

de fororibus Deo humiliter seruientibus, earumque precibus, se munitiores esse, quàm suis vigilijs, & armis.

10. *In actis B. Oringa Virg. qua, & Christiana, ap. Boll. 10. Ian.* Deiparæ in cælos Assumptæ festum diem ornaturæ Monachæ, magnam præcedentis noctis partem laborando consumpserant. Iam oppidò defatigatas tam profundus sopor alligauerat, vt non in aurem tantùm, sed vtrumque simul oculum dormire viderentur. Spissiori nocte discussa, plenum diem, facturo Soli rubens aurora aliquamdiù præcurrere cœperat, priusquam somnum Virgines excussissent. Pudore ergo non minùs propter magnum vndique aduenarum concursum, quàm dolore afflictæ propter Festi reuerentiam, quid agant omnino nesciunt. Christiana licet cum morbo difficili (qui lethalis ei fuit) conflictaretur, protinùs accurrit, easque ab omni animi molestia liberas esse iubens; date, inquit filiolæ meæ, solemne æris campani signum, & matutinas preces celebri, tantaque festiuitate digno cantu peragite: neque enim se quoquam motabit aurora, atque vti nunc semel exorta est, donec vos officio finito quieueritis. Dictum bona fide à Christiana: factum eadem à Virginibus. Scin' quomodo? Iosue olim (orbis miratus est) Solem ab occubitum properantem edicto suo stitit: Virgo hæc nostra (orbis quoq; noster stupeat) surgere vltra auroram vetuit, donec ei, quæ Lunam sub pedibus habet, debitum obsequium sorores persoluissent,

De solaribus Radijs mirabilia. §. 4.

Remanent addenda, quæ Sol ipse Radiorum suorum ministerio perticæ ad instar, vtensilia Iustorum, ne in terram illaberentur, sustentas, mirabiliter effecit, hoc tam reuerenti famulitio, illis, qui soli Deo seruiunt, honorificam exhibens reuerentiam. De quibus.

1. *In vitis P. P. Occidentalium lib. 3. de B. Deicola Abbate.* Cum ad ædes Bertildis accessisset, præ nimio æstu vestem posuit, eam serui accipere volebant, ille hoc officium recusans, transuersam eam super Solis radium per fenestram domus posuit, ibique, quoad voluit, remansit, non sine stupendo miraculo.

2. *Maiolus in Metеor. coll. 1.* Amabilis presbyter, & Confessor, cum aliquando Romam visitandorum liminum Apostolorum causa proficisceretur, pallium Solis radijs appensum, subleuandi oneris gratia, posuit, quo miraculo, cum illi onus sustentassent, orbi viri Sanctitas perspicua facta est.

3. *In vita S. Dauid Abbatis in Viti Aquil.* Cum partim præ senio, partim ex frequentibus lachrymis in oratione profundi solitis, oculi eius caligarent, radium Solis per fenestram instrantem fortè conspicatus, & paxillum esse ratus, in eo chirothecas, appendit, quas postea seruus, indigenti vt afferret, missus, in radio Solis vt erant, inuenit pendentes.

4. *Ioannes Colganus in vita S. Cadroe Abbatis.* Loci commissi causa exigebat, vt Comitatum adiret, ac Fredericum tunc Ducem alloqui deberet: qui cum à Viro Dei in designato loco quæsitus, & inuentus esset, venienti cum omni humilitate exurgens, vt seruo Dei, occurrit. Viro autem Sancto se officiosissimè resalutante, cum in mutuis amplexibus ruerent, putans homo Dei, se aliquem suorum sequi, baculum, quem manu gerebat retrò porrexit: At cum nullus esset, qui susciperet, radius solis, qui per fenestram, vt solet contingere in cubiculum ingrediebatur, ruentem baculum, velut elementum aliquod solidum suscepit, & sustinuit, vt videres elementa ipsa illi velle famulari.

5. *Torellus in Hist. Sancti Augustini anno Domini 699.* Cum Sanctus Florentius Episcopus Argentoratensis, quodam die Dagobertum Francorum Regem alloqueretur, pallium, quo erat indutus, deficiente seruo, super radium Solis collocauit, quod ibidem, admirante Rege, quoadusque sermonem protraxit, in aere suspensum permansit.

6. *Surius in vita Sancti Aichardi Abbatis.* Quodam tempore, cum hic Vir Sanctus in remotiorem locum diuertisset, vt orationi vacaret; dùm genua flectere inciperet, chriothecas, quas manibus portabat, post tergum reiecit: ecce mira res. Cum orbita solaris tota sub nube vmbrosa tegeretur, repentè se è nube radius erumpens, tamquàm ad obsequium missus, chirotecas excepit, & tandiù officiosus sustinuit, quamdiù vir Sanctus oratione incubuit.

7. *Idem 25. Maij tom. 3.* Cum S. Anthelmus Episcopus Shireburnensis in Anglia, Romam profectus, quodam die missam celebrasset in Ecclesia Lateranensi, post illam completam, dum sacras vestes deponeret, planetamque Clerico, qui iam abierat, porrigere putabat, radius Solis è proxima fenestra ingrediens, officium Clerici perfunctus est, planetamque sustinuit quoad vsque inde auferretur. In memoriam autem tanti miraculi eadem planeta multo tempore conseruata fuit in Ecclesia Meldolensi.

8. *Idem in vita S. Goaris Presbyteri 4. Iul.* Præsente Clero Ecclesiæ, venerabilis Sacerdos domum, in qua cum suis Rusticus Episcopus consederat, ingressus est, cæpitque prospicere, quam in partem vel discipulus, quo comite venerat, considere, vel ipse cucullam suam posset appendere: cum ecce videt in angulo domus tamquàm vectem ligneum parieti hærentem. Erat autem Solis radius per modicam fenestram ingrediens: ad quem accedens, quoniam, vt dictum est, vectem putabat, in eo cappam suam appendit, iuxtaque discipulum stare præcepit. Neque mirandum est, Solis radium ad obsequium viri Sancti, ligni duritiem præbuisse, cùm qui creatori deuotè famulatur, ei fit etiam creatura ex Creatoris voluntate subiecta.

9. *In vita S. Milburga.* Cum nocte quadam S. Milburga Virgo diutiùs solitò orationibus, & contemplationi vacasset, fatigata sopori membra dedit, & orto Sole percussa solis radio, de somno subitò expergefacta, redditur attonita. Cumque matu-

maturiùs solitò attonita procederet, de capite suo velum quasi nescia proiecit. Nec mora, Solis radius diuino nutu, antequam terram tangeret, illud suscepit, & donec ad se reuersa esset, pendulum in aere coram ipsa mansit: & cæleste miraculum cognoscens, cælitùs se visitatam intellexit: Deo gratias inde libauit, benedixit, & magnificauit.

10. *In actis S.S. Feb. tom. 2. in Contin. Bollandi.* S.Cuthmanus more consueto quotidie ministrans Operarijs Ecclesiæ, quam ædificabat, crebrò consueuit indumenta manualia, quæ chirothecas appellamus, radijs solaribus appendere.

11. *Ibidem in Martio de S. Brigida.* Quadam die pluuiali venit S. Brigida Kildariensis Abbatissa ad domum suam, & cum cessasset pluuia, radius Solis venit in domum per parietem, & posuit Brigida vestimentum suum super illum radium, putans quod funis esset; radius autem ille super quem posuit Brigida vestimentum suum, vsque ad dimidiam noctem permansit, dum vsque ad id tempus orationi sanctisque operibus S. Virgo vacasset; visus autem fuit Solis radius ab externis illustrare totum vicinum campum.

12. *In vita S. Sauini in m.S.* Cum S.Sauinus Episcopus Placentinus Romam iuisset, adque pedes Pontificis deosculandos procubuisset; Pontifex, vt illius Sanctitatis experimentum faceret, ad eum conuersus, dixit: Tu ne es ille albo paries conspersus ab extra, qui tegis ingenium sub ouina pelle lupinum? cui, pro verbo hoc non turbatus Sauinus, cum multa humilitate & pace respondit. Falsa si membra (sancte Pater) hac veste teguntur, sint procùl à nobis falsæ velamina vestis; & hoc dicens, exutam à se proiecit vestem, quam radius Solis, qui per fenestrã in cubiculum, vbi sedentes erant, intrabat, forte super se cadentem, à solo eleuatam (mirabile visu) sustinuit. Tunc timor, & stupor cecidit super omnes; vt potè quibus Christus Dominus Sol iustitiæ de innocentia serui sui Sauini testimonium perhibuisset per Solem hunc visibilem.

13. *Io: Buzelinus lib. 2. Annal. Gallo-Flandr. de S. Amato.* Semel Cameracum aduenit; Solusque orandi causa in D. Virginis templum Amatus se se abdidit, ac leuando corpori (fessum enim id erat itineris labore) cucullam, vel cappam, & manicas in Solis radium, perticam esse ratus, oculos fallentibus loci tenebris, deposuit, isque radius ligni vice, vestes sustinendo, functus est.

14. *Rad. in Bauaria S. de S. Lucano.* Romam vsque progressus, cùm pallium ad Solis radios siccandum suspenderet, pependit illud non ab vllo paxillo, vel clauo, perinde quasi tela Solis armata hamis sustinerent vestem. Quod cum Pontifex Cęlestinus ipse spectator admiraretur, indeque de Sanctitate antistitis coniecturam faceret, non solùm ab omni crimine habuit excusatum (vt cuius innocentiæ etiam cælum suffragaretur) sed etiam multis cultum beneficijs ad suam Sedem remisit.

15. *Ferrarius in Catalog. S. S. 22. Iulij.* Cum aliquando ad Regem vocatus S.Hieronymus Episcopo Papiensis, festinus iuisset, æstuque ex itinere vexatus, pallium exuisset, illud radio Solis (qui sibi pertica videbatur) impositum, in aere (mirares) subsistere visum est.

16. *Idem 8. Maij.* Cum S. Amatus Saludecij, quod est Oppidum Ariminensis Diæcesis, apud Præfectum, incestus falsò accusatus fuisset, per Nuncium citatur, sed dum Nuncius illum domi expectat, (erat enim in agro) mirandum planè contigit. Nam Amatus domum reuersus, vestem sibi detrahens, illam de more super abacum iecit, quæ mirabiliter in radijs solaribus per fenestram super abacum ingressis, subsedit. Quod cum Nuntius Præfecto retulisset, ille Amatum, qui ad iudicium venerat, non ausus interogare, dimisit.

17. *Idem 28. Maij de S. Nicephoro Episcopo.* Accusatus, vbi ad Patriarcham peruenit, pallium exutus, illud Solis radio quasi perticæ imposuit: Quod cum in aere substitisset, mirantibus, qui ad rei nouitatem concurrerant; Patriarcha illum vti Sanctissimum virum perhumaniter excepit, honorificentissimeque dimisit.

18. *Petrus de Natalibus in Catal. S.S. l.5. c.49.* Cum S.Hildeuntus Episcopus Meldensis, Ecclesiam Dei Genitricis septimo ab vrbe milliario à se constructam, consecraret, chirothecæ ipsius de manibus eius hora consecrationis extractæ, tribus horis in Solis appensæ radio, quasi in pertica pependerunt.

19. *In actis S. Chunegundis Imperatricis.* Cum post lectionem Euangelij suo solemni more ad altare quidpiam oblatura accederet, dexteræ manus suæ chirothecam detrahens, cum nullus qui reciperet adesset, à se reiecit, quam radius Solis per fenestræ rimulas intrans suscepit, & tamdiu quasi famulando sustinuit, donec illa post sacrificium rediens, eam reciperet.

20. *In vita S. Roberti Abb. Casæ Dei.* Auenione in loco, eo sermonem ad populum faciente, cum eius chirothecas duo clericelli in Ecclesia inuentas ludendo inuicem in Ecclesiam, proijcerent, in Solis radio visæ sunt remanere pendendo; quo miraculo omnes attoniti fuere.

21. *Zacharias Bouerius in an. Capuc. an. 1552. de Fratre Matthæo à Bascio.* Communis quoque fama fuit, hoc tempore Matthæum pallium suum imbre madidum, cum ignis beneficio careret, neque aptus ipsi locus suppeteret, quo Soli exsiccandum exponeret, super ipsum solarem radium, qui per fenestram in hospitium ingrediebatur, expandisse, radiumque perinde ac si solidus murus esset, pallium sustentasse.

 

CAP.

CAPVT V.

De Admirandis circa Lunam.

A Luminari maiori, ad Luminare minus, quod vt nocti præesset creatum fuit, transibo, ipsum etiam, licet in obscuris tenebris, Admiranda Dei quandoque clarissimis notis pate fecit. Eius eclipses, à naturalibusque causis prouenientes effectus, licet quandoque prodigiosos, hic non recensebo, sed quos solùm præter ordinem naturæ, suprema causa dirigente, admiratus est Mundus. De quibus.

1. *Parisius in Hist. Angl. ann.* 1200. Paulò ante natiuitatem Dominicam apparuerunt de nocte quinque Lunæ in cælo circa primam vigiliam noctis: prima apparuit in Aquilone, secunda in Meridie, tertia in Occidente, quarta in Oriente, quinta apparuit in medio illarum quatuor Lunarum, habens secùm stellas multas, quæ cum stellis suis circuibat quinquies, vel amplius præfatas quatuor lunas. Hæc autem apparitio multis videntibus, & admirantibus quasi per spatium vnius horæ facta est.

2. *Sabel. lib. 1. cap.* 4. Anno Domini 1300. quartodecimo Kal. Martij Luna visa est habens & referens in se ipsa Crucem luminosam; quod portentum vniuersis videntibus maximum incussit timorem.

3. *Bzouius tom. 13. an. 1264. n. 14.* In ortu trium præclarissimorum Ordinis Prædicatorum luminarium, B. Thomæ Aquinatis, Iacobi Meuaniensis, & B. Ambrosij Sansedonij, Lunæ mirabiles in cælo visæ fuerunt.

4. *Auctor in vita Ven. M. Vrsulæ Benincasæ* Ven. Virgo Vrsula vix lucem vsurpauerat, cum igneus globus ad instar splendidissimæ Lunæ, cubiculum, in quo reposita erat, collustrare visus est, qui post diuersas in aere circuitiones, tandem tempora infantulæ veluti cæleste diadema circumdedit, pauloque postea euanuit.

5. *Baronius de S. Felice Episcopo Africano, martyrio affecto an.* 302. Quo tempore S. Felix detrusus est in carcerem, ac necatus, attonitis mortalibus, Luna sanguinis colorem induit.

6. *In actis S.S. Aprilis tom. 1. in Cont. Bollandi.* Cum ob Christi fidem in India occisi fuissent B.B. Thomas de Tolentino, Iacobus de Padua, Petrus de Senis, & Demetrius Laicus ord. S. Francisci nox illuminata est, & aer priùs caliginosus resplenduit maxima claritate; Similiter & Luna ostendit lumen insolitum & splendorem.

Finis Libri Primi.



LIBER SECVNDVS.

De Admirandis circa Elementa.

Cælo, ad Elementa in materiali mundo est descensus; hunc, & in Orbis Christiani recensendis Admirandis prosequar ordinem; quæque præter naturales vires in Elementis varijs euenere temporibus, referam; & quia iuxta antiquos Philosophos, quos & non pauci sequuntur recentiores, in concauo Lunæ primam sedem supra cætera elementa sibi vendicat ignis; primò de Admirandis circa Ignem sermonem faciam.

CAPVT PRIMVM.

De Admirandis circa Ignem Seruos Dei non comburentem. §. 1.

Am acriter omnia destruit voracissimus Ignis, vt & Spiritus Sanctus Prouerb. 6. pronunciauerit: Nunquid potest homo abscondere ignem in sinu suo, vt vestimenta illius non ardeant? aut ambulare super prunas, vt non comburantur plantæ eius? Admirandum igitur fuit, quoties naturales vires coercens ignis, veluti mansuescere visus fuit, omnemque deponere voracitatem. Quod cùm varijs de causis aduenerit, primo loco adducam, quam erga S.S. Martyres ab impijs Tyrannis crudelissimis flammis addictos, ceù venerabundus, vt in Babylonica fornace, compescuit ignis voracitatem. De quibus.

1. *In actis S. Pantaleonis.* Apponentes ignem ad Sanctum corpus, diuisus est ignis in duas partes; & illæsum remansit.

2. *In actis S.S. Martyr. Firmi & Rustici.* Iussit Anolinus, ignem copiosum accendi, & iactari eos in mediam flammam; Sanctis verò Martyribus, Dei facto signaculo, non est exustus capillus capitis.

3. *In actis S. S.* Ex igne S. Prisca Virgo nobilis Romana, & puella annorum tredecim, incolumis euasit. Item & S.S. Agnes & Glyceria Virgines Romanæ & Martyres.

4. *In actis S.S. tergeminorum Speusippi, Eleusippi, Meleusippi.* Ligatis manibus, & pedibus in medio ignis iactati sunt. Flamma verò in modum arcus exaltabatur ad nubes; famulos verò Dei in nullo penitùs contingebat incendium.

5. *Ex antiquissimo Breuiario Siciliæ lect. 8. pr. Noctur.* Cùm ex Imperio Tyranni galea ferrea ignita imposita fuisset super caput S. Veneræ martyris, statim adeò frigida est effecta, vt nullus capillus de capite eius fuerit exustus.

6. *Surius in Feb.* S.S. Faustinus, & Iouita nobiles Brixiani ignis rogum mirabiliter superarunt. Item S.S. Cosma & Damianus Arabes.

7. *Metaphrastes de S.S. Eulampio & Eulampia.* In ardentissimam Fornacem ignis iussu Tyranni immissi sunt; flamma verò recedens, illosque veluti in iucundissimo thalamo circumiens, diuinas laudes concinentes custodiuit.

8. *In menol. Græc. 28. Iulij de Sancto Acatio Martyre.* Cum fornacem ardentem introisset, illæsus permansit, sed cum zelicinthius quidam, frigidam esse fornacem opinatus accessisset, vt sciret quonam modo res se haberet, statim combustus, in cineremque redactus est.

9. *Ambrosius Righettus de mirac. Nom. Iesu.* S. Bassus Episcopus in ignem ab infidelibus coniectus, Diuina gratia post multum temporis ab illo illæsus exiuit.

10. *Surius in Iulio.* S. Cyrillus Gortinæ in Insula Cretensi Episcopus, de medio flammarum, absque vlla molestia orabat ad Dominum.

11. *Idem in Maio.* S. Pontius Martyr à flammis, in quas iniectus fuit, nil læsus exiuit.

12. *Idem in Maio, & Augusto de S. S. Mamante, & Victore.* Triduò in fornace ardentissimi ignis illæsi manserunt prædicti inclyti Martyres.

13. *In actis S. S. 28. Ianuarij apud Bollandum de S.S. Tyrso & Soc. Mart.* Leuauerunt vas plumbo bulliente, & fuderunt ab scapulis eius per totum dorsum vsquè ad interiora; statim autem vt fusum est super eum, exiliens per circuitum ab eo, per capita eorum & facies, qui fuderant, dissiluit, ita vt nullum ex astantibus immunem relinqueret; sed sicut turbo validus Dei nutu in omnibus incredulis cauterium sui feruoris inflixit. Vnde factum est, vt emittentes teterrimum vlulatum, alij ad mortem vsque fatigarentur; alij prostrati in terram, & Cæsarem & Deos eius blasphemarent.

14. *Mombritius in actis S. Reparatæ.* Perfusa est Sancta Martyr feruenti plumbo; quod statim obstupuit, & frigidum factum est, & nihil eam læsit.

15. *S. Anton. 1. p. Chr. tit. 7. cap. 9. §. 1. de S. Sauino.* Aurelianus Imperator cum inuenisset eum in fide constantissimum, iussit eum in carcerem trudi, & à quadraginta octo militibus custodiri, quos cum conuertisset ad Christum, Aurelianus decapitari mandauit; Sauinum verò manus & pedes ligari, & ad vectes ferreos cædi, & in capite eius cassidem ignitam mitti, & postea in ignem proijci; Ex quibus læsus est nihil.

16. *Idem 1. par. Chron. tit. 8. cap. 1. §. 6. de S. Eras-*

Erasmo. Tunc Imperator iubet sartaginem igniri, plumbumque, resinam, picem, ceram, oleumque in eam pariter liquari, & Christi athletam in eam mergi. In eam ergo immissus, ait: Hæc olla mihi refrigerium præstat in nomine Domini Iesu Christi, Illæsusque in ea diù perstitit, sed exiliens quædam ex ondosa sartagine scintillatio, Maximianum cominùs stantem petit, & ita afflixit, vt vociferaretur dicens: Ardeo Ardeo, virorum optime Erasme ora pro me.

17. *Idem 1.p.Chron.tit. 8.cap.1.§.17.de S.Christina*. Quidam, Iulianus nomine, fornacem succendi fecit, & in eam Christinam iactari, vbi per quinque dies cum Angelis in ea deambulans,& cantans illæsa permansit.

18. S. *Gregorius libr. 3. moral. cap.* 18. Anno Christi 538.in campania Italiæ, Benedictum iuniorē Rex Totila pro Christo persequens, cum eum, & cellam eius comburere vellet, nec valuisset, eum in clibanum ardentem proiecit. Qui inde die altera illæsus, illæsisque vestibus exiuit.

19. *Scardeo. lib.2.class.6. de Sancto Iacobo Martyre Patauino*, Iacobus Martyr, qua familia Patauij ortus sit nemo verè dixerit. Constat autem eum de plebe fuisse, qui iunctis sibi tribus alijs socijs, incredibili quodam Christi amore succensus, statuit Saracenis verbum Dei, & veritatem Euangelicam enunciare: quibus cum per interpretem, qui sibi adhærebat, suadere cæpisset, vt deposito Mahometi errore, & aliorum Idolorum impia superstitione, Christianæ fidei veritatem susciperent; cumque sæpè admonitus vt à cæpta prædicatione desisteret, nullatenùs parere iussis voluisset, ignis enim, quem in pectore gestabat, nullis monitis, nullo metu nullis minis, nulla vi extingui poterat. Quo circa in Vrbe Sarai, seù, vt alij dicunt, in Isco Medicæ Regionis agro depræhensus, illicò (vt erat vestitus) in ardentes flammas rapitur: vbi combustis vestimentis, ipse inuiolatus permansit; retractusque nudus à flammis, oleo linitur, quo faciliùs arderet, rursùs in ardentissimum ignem reijcitur. Dictu mirabile, neque flammæ voracitas, neque ardoris immensitas eius corpori aliqua ex parte nocere valuit.Itaque postquam nulla flamma vri, aut superari potuit, capite obtruncatus est: atque ita vnà cum tribus socijs, & cum ipso interprete, feliciter ad vitam veram è morte ista migrauit.

20. *Lippellous in vita Sancti Georgij 23. Aprilis*, Diocletianus maxima rabie agitatus S.Georgium martyrem vinctum in foueam calcariam præcipitem dari iussit, ibidemque in diem tertium omni humano auxilio destitutum asseruari. Expleto autem die tertio, Imperator, ne quid reliquiarum ab eo extaret, rursùs mandat suis, vt ossa, si quæ superessent (nam certò certiùs martyrem iam extinctum credebat) calci profundiùs defoderent, sempiternaque obliuione cuncta sepelirent; Abierunt ad imperium famuli magna populi sequente caterua, eumque, quem plenè calcis virtute consumptum credebant, mirabili splendore fulgentem, viuum ac incolumen repererunt.

21. *In actis S. Theodori Mart.* Cum prædictus Martyr in ardentem rogum iniectus fuisset, flamma in modum velaminis, quando à vento inflatur, super corpus Martyris est curuata.

22. *In actis Sancti Polycarpi Episcopi*. Cum S. Martyr in ardentem rogum iniectus fuisset; mirum dictu; flamma cameræ ad modum curuata, specie quasi velum nauis vento sinuatum supra corpus Martyris stetit; quod in medio positum non erat vt caro ardens, sed tamquam argentum, aut aurum in fornace candesceret.

23. *Victor. de persecut. VVandalica in Append.ad libr.tertium*. Cum Hunnerius VVandalorum Rex Arianus, septem Monachos Cartaginenses ob fidei catholicæ defensionem inter alia supplicia igne ardentissimo concremari iussisset, ab eodem nullatenùs exusti sunt.

24. Similem ab igne reuerentiam experti sunt S. S. M. M. Andochius, Bonifacius, Antoninius, Leontius, Euprepius, Fides, Spes, Charitas, Lucia, Cosinas, Damianus, Agona, Chionia, Vitus, Modestus, Euphemia, Cucufates; Iulianus, Celsus, Cyprianus, Iustina, Macra, Christophorus, Marinus, Tatiana, Neophitis, Philoterus, Helconides, Hermias, Thespesius, Paula, Lycarius, Zosimus, Cyrillus, Iustus, innumerique alij, quorum, qui catalogum describere vellet, integrum volumen compleret.

25. *In Historia Catanensi*. Magum quemdam vinctum stola Sacerdotali, pertraxerat secum Sanctus Leo Episcopus Catanensis in ardentem rogum: ex quo ipse cum stola illæsus exiuit: cum ibidem ille penitùs conflagrasset.

26. *Philipp. Ferrar.mense Octobris die 23. de B. Ioanne à Capistrano*. Adhùc Nouitius à Magistro pannum ex lebete ebulliente extrahere iussus, illum, manibus in lebetem immissis, absque omni læsione extraxit.

27. *VVillielmus Malmesburiensis. libr. 2. de gestis Pontificum Anglorum de Elstano fratre*. Erat in congregatione quidam frater Elstanus nomine, simplex & magnæ obedientiæ vir, quem Abbas iussit prouidere cibaria artificum Monasterij: cui seruitio deuotissimè se subdens, coxit ipse carnes quotidie, & operarijs sedulus attendebat, aquam apportans, & vasa denuò emundans: existimante Abbate illum, hoc cum solatio, & iuuamine alterius Ministri facere. Accidit namque quadam die, cum Abbas more solito peragraret Monasterium, offendit inopinatè fratrem illum iuxta feruentem lebetem stantem, viditque omnia vasa munda & pauimentum scopatum. Delectatus ergo facto, dixit ad eum, frater Elstane, hanc obedientiam mihi furatus es; Sed si talis miles es, qualem te ostendis, mitte manum tuam in bullientem aquam, & frustum de imis mihi impiger attrahe. Paruit ille, cessitque feruor indomitus audaci fidei, nihilque est læsus Monachus. Eundem fratrem postea Abbatem vidimus, qui etiam deinde Pontificali honore sublimatus sancto fine quieuit in Domino.

28. *Cæsarius libr. 10. cap. 31.* In Episcopatu Colo-

Coloniensi, Oppido Imperiali, quod Dousburg dicitur, Vidua quædam ceruisiam braxare, ac vendere solebat; Die quadam, cum ciuitas casu fuisset incensa, ipsumque incendium domui eius appropinquasset, illa iam non habens spem in auxilio humano, ad Diuinum confugit. Nam omnia sua vasa, quibus ceruisiam emptoribus mensurare solebat, ad ostium domus contra flammas ponens, in multa cordis sui simplicitate, sic orauit dicens; Domine Deus iustus, & misericors, si vmquam aliquem hominum his mensuris decepi, volo vt domus hæc comburatur; si autem feci quod rectum est in oculis tuis, precor iustitiam tuam, vt in hac hora misericorditer respicias necessitatem meam, & mihi, meæque suppellectili parcere digneris. Mira fides fœminæ, mira Dei humilitas: is qui dixit; Qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis, ac si oratione fidelis Viduæ conclusus fuisset, flammas, omnia in circuitu deuorantes, à domo eius compescuit, cunctis stupentibus, quòd ignis furens, materiam cremabilem lamberet, nec incenderet.

29. *Idem lib. 10. cap. 33.* Matrona quædam crucem susceptam pomo circumligauit, sicque super asserem iuxtà pyropum, in quo ignis ardebat, vtrumque simul ponens abscessit. Casu, immò quod verius est, Dei nutu, pomum cum cruce in carbones lapsum est. Post modicum fœmina reuersa, cum repositum quæreret, nec inueniret, tristis de cruce, ignem perscrutata est. Et ecce pomum vidit in carbonem redactum, zonam verò leuauit intactam. Quod pro magno miraculo reputans, enarrauit.

30. *In vita S. Patritij cap. 20.* Barbari, cuidam de vicinis vendiderunt Sanct. Patritium pro quodam cacabo, exiguo satis pro tanta re commercio. Emptum autem pro pretio tali vasculum, dum aqua repletum, ob coquenda cibaria more solito superponeretur foco, nullum ignis calorem admisit, immò quò copiosiùs ignis succenderetur, eò ampliùs friguit; sæuiebat vndique flamma fomentis adhibitis exteriùs, sed sentiebatur aqua congelata interiùs, ac si pro igne glacies subtùs poneretur. Diutiùs ergo circa huiusmodi, sed frustrà desudatum est, verbumque istud circumquaque diuulgatum est: æstimans emptor quod accidit, alicuius fascinatione factum esse, cacabum ipsius venditori restituit, & Patritium in sua ditione denuò recepit. Vas ergo memoratum suscepto calore, naturaliter ministerium exhibuit consuetum, cunctisque claruit, causa Patritij iniustè vexati, illud contigisse miraculum, statimque qui illum ceperant, dimiserunt liberum.

31. *Gregorius Turonensis de Gloria Confess. cap. 98.* Fertur è ligno vas, confectum cacabi vicem præstitisse homini cuidam pio in Augustidunensi agro, ignique superpositum quotidianos cibos concoxisse, & non aliter, atque ænea reliqua vasa, incorruptum semper multos in annos extitisse.

32. *Philipp. Ferrar. mense Maio die 28. de Sancta Vbaldesca Virgine.* Pisas profecta, à fœminarum Abbatissa recipitur, panisque ab ea in furno relictus, non combustus, at probè coctus, à parentibus domum reuersis inuenitur.

33. *Pet. de Natal. lib. 10. cap. 68. de Sancto Edmundo Archiepiscopo Cantuariensi.* Nocte quadam ad studium dormiuit, & candela accensa super Bibliam cecidit: qui post horam excitatus, fauillam exsufflauit, & librum omninò intactum inuenit. Aliàs etiam, dùm ad lumen studeret, eodem soporato, ventus lumen extinxit: sed ille excitatus, nomen B. Virginis inuocauit, statimque lucerna accensa est.

34. *In vita S. Heduuigis Ducissæ Poloniæ cap. 14.* Quadam nocte B. Heduuigis vigilijs & precibus defatigata, somno oppressa est, & lumen accensum, quod vigilans manu tenuerat, in librum, vndè legebat, decidit, & ecce rem admiratione dignissimam, adhæret libro candela, & tota comburitur, nec quidquam tamen læditur codex.

35. *Gregor. Turonensis libr. 3. mirac. Sancti Martini capit. 42.* Monachus maioris Monasterij ex iussu Abbatis ad cellulam aliam, quasi aliquid operaturus accessit, ac pro salute animæ, ac vitæ correctione, librum vitæ S. Antistis Martini detulit secùm. Adueniente verò nocte, in lectulo se diuturno oppleto stramine collocat, librum ad caput locans. Cui dormienti apparuit vir per somnum dicens: Noli dormire in his paleis, sanguine enim aspersæ sunt. Facilis autem prima visio viro fuit: nec secunda commonitio valuit. Tertia igitur terribiliter Monachum quatit. At ille surgens, & ad operam diluculò progrediens, puero iubet, vt paleas à lectulo detractas, igni consumeret, nihil de libro commemorans; Puer ignarus inter paleas apprehensum librum foràs eiecit, & ignem accendit: Quibus in fauillam redactis, cum nihil aliud nisi cineres remansissent, apparuit liber illæsus, de quo non littera, non vnum, veritas habet, folium est consumptum. Ita virtus diuina custodire dignata est alumni quodammodo proprij laudes, vt librum eius flamma non vreret, quem aculeus concupiscentiæ in hoc sæculo non adussit. Sed ne cui incredibile videatur index ipse nobiscum vsque hodie retinetur.

36. *S. Petr. Dam. lib. 2. Epist. 12.* Pridie certè, dùm iam Sol ad occasum vergeret, frater quidam, Ioannes nomine, ad me venit, & miraculum celebri memoria dignum sibi dudum contigisse narrauit. Cùm, inquit, in Classense Monasterio degerem, & commissam mihi sacrorum exedram custodirem, quadam die post Completorium libros Ecclesiæ in archiuo congessi, deinde clauem imprimens, vt quotidie consueueram, obseraui, sed vt post liquidò patuit, de cereo, quem ferebam, nesciente me, vapor emicuit; & linteum, quo liber operiebatur, afflauit. Mane autem facto, cùm arcam aperirem, vt libros tollerem, repentè mihi in vultum fumus, & igneus vapor occurrit. Stupefactus illicò, atque perterritus, si fortè de libris adhùc aliquid superesset, cœpi curiosè perquirere: sed; ò incomprehensibilis diuinæ virtutis effectus! cum omnes lintei viginti circiter exusti essent, in cineremque redacti, quibus nimirum codices fuerant inuoluti, ipsi codices omninò seruabantur illæsi. Porrò arcam ignis pe-

netrauerat, & largum combustionis orbem in eius fundo reliquerat. Hoc itaque comperto, fratres diuinam laudauere potentiam, quoniam qui in Chaldaico camino Hebræos custodierat pueros, nunc in arcæ flagrantis incendio, suos etiam seruauerat libros.

37. *Surius in vita S. Eucherij Episcopi Aurelianensis cap.* 8. 20. *Feb.* Sanctimonialis quædam, quam vir Sanctus ob vitæ illius castimoniam familiariter dilexerat, pro facultate sua ad caput ipsius Sancti candelam, humani corporis staturam æquantem, apposuit, accensamque reliquit. Vespere autem transacto, custodes Ecclesiæ, vt moris est, foribus obseratis, ardentem illic dimiserunt. Ad declaranda ergo Beati viri merita, cum intempesta nocte, omnes sopore tenerentur, super tumulum illius, qui pallio opertus erat, cecidit, & vsque ad extremam sui partem combusta est. At custodes expergefacti, vt viderunt cinerem in pallio, & stupore & admiratione attoniti, formidabant, ne quid eius ignis absumpsisset, excussoquè cinere diligenter scrutantes, ità ipsum pallium illæsum compererunt, vt nec tenuis maculæ vestigium in eo appareret.

38. *In vita S. Bernardi Abb. Tironiensis*. Dum quadam nocte lectioni sacræ scripturæ operam daret Sanctus Abbas, sopore deprimitur, & quam satis ad hoc opus grandem parauerat candelam, ex eius dormientis manu super librum labitur. Dormit ille, ardet illa iacens super paginam, donec tota consummatur, nec tamen codex vritur.

39. *Surius in vita S. Godefridi Episcopi Ambianensis lib.* 1. *cap.* 9. 8. *Nouembris*: Ea nocte media, qua præsepij angustia Christum è matre Virgine nascentem olim excepit, Monachus quidam, Richardus nomine, vir imprimis reuerendus, qui vitam monasticam annis ampliùs quinquaginta egisse ferebatur, sacrificium in Oratorio B. Ægidij offerre voluit. Cumque expansis linteis, calicem, & alia ad sacrificium adhiberi solita imposuisset, incautè ardentem ibi reliquit cereum, & in chorum fratrum psallentium abscessit. Vbi cùm sextam lectionem à præceptore ipsi assignatam recitaret, recordatur cerei, sicque anxius, quòd non posset intermissa lectione eò properare, nec cuiquam indicare, quid ipsum malè haberet. Absoluta lectione propè exanimis eò festinat: cumque omnia iam in cineres & fauillam redacta putaret, videt cereum cecidisse in lintea, flammarum comas latè diffundi, & tamen illæsa omnia, & quod credi vix possit, ita comparata omnia, vt ignis non in stramina aut pannos lineos, sed in marmoris, aut ferri, vel alterius metalli massas incidisse videretur. Ea re obstupefactus, multos aduocat, qui sint tanti miraculi testes oculati: qui cùm omnia curiosè inspexissent, nec vestigium quidem adustionis vllum reperire potuerunt.

40. *Vading. in Chron. Minor. an.* 1464. *de B. Amadeo Lusitano*. Armario ligneo candelam affixit incensam, multisque occupatus diuerticulis, dùm regredi moratur, videt vndique flammas erumpere, & omnia incendijs patere. Nolens Monachos altæ noctis silentio perturbare, & flammis coercendis impotens, Virginis Deiparæ implorauit auxilium. Clausis Ostijs adesse vidit duos iuuenes, qui aquam copiosè infundentes, incendium cohibuerunt, omnia mundarunt, & ex oculis eius disparentes, nullum depascentis ignis vestigium reliquerunt.

41. *Surius in vita S. Marcelli Episcopi Parisiensis*, 1. *Nouembris*. Quadam vice accessit ad officinam fabrilem: qui despectus ab artifice, cogitur, vt extractam ferri de ardenti camino massam candentem, manu sua attolleret, & quanti esset ponderis enarraret. Tunc vir Beatissimus, non ignarus totum de Christo præsumere, & quantæ virtutis causa sit in rebus non turpibus obedire, mox supposita manu ferrum altiùs eleuauit, dicens, de calore calet, sed nouem pondera habet. Quod posteà tantùm adstateram inuentum est, quantum eius vox librata prædixerat. Sic in vna specie duplex miraculum propagauit, nè eum foci calor exureret, nec ferri pondera fefellissent.

42. *Bzouius in an.* 1471. *numer.* 30. *de Fratre Anastasio Ordinis Minorum*. Anastasius Mediolanensis Dæmonio in varias figuras se transformanti, seque tentanti, & aliquando in specie fœminæ ignem ad portam cœnobij postulantis sibi apparenti, prunas ardentes in vola manus nuda, citra noxam detulit, inque faciem coniecit dicens: Accipe dæmon infernalis.

43. *In vitis Patrum lib. secund. auctore Ruffino cap.* 15. *de Appellen Presbytero*. Vidimus & alium presbyterum in vicina regione nomine Appellen, virum iustum. Hic faber erat ferri, & quæ necessaria erant fratribus operabatur. Quodam autem tempore, cùm ad fabrilia opera vigilaret in silentio noctis, conuersus diabolus in formam mulieris speciosæ, venit ad eum, tamquam aliquod operis ei deferens. Tum ille arreptum manu nuda de fornace ferrum candens, in faciem eius iniecit. At illa clamans & vlulans aufugit, ita vt omnes fratres, qui in circuitu commanebant, vlulatum eius fugientis audirent, & ex eo iam vir ille in vsu habuit, ferrum candens manu nuda tenere, nec lædi.

44. *Vadingus in add. ad tom.* 2. *num.* 11. Intenta orationi B. Iutta Vidua Turingensis, ferrum ignitum rapuit ex foco, & in suo loco collocauit àbsque vlla manus læsione.

45. *Desid. Abb. in Chron. Cassinensi*. Venerabilis vir Iannuarius ferrum ex incude cecidisse conspiciens, inclinans se se, ferrum nuda manu tenuit, ac super incudem ponens, malleatorem vt quantociùs id percuteret hortatus est; at illi qui aderant viso tanto miraculo, nimio pauore perterriti, pedibus eius prouoluunt, veniam ex irrisione, quam in eum exercuerant, humiliter deprecati sunt.

46. *Arturus in an. ad mar. Franc.* 11. *August. de B. Simeone ab Assisio*. Sæpè in extasim rapiebatur, & totus ad exteriora insensibilis reddebatur. Nam

Nam cùm carbo ignitus semel tunc positus esset à quodam Fratre super illius pedem: nec sensit calorem, & si illic steterit donec extinctus fuerit, nec carbo pedi aliquam intulit læsionem.

47. *Constantius Lodi in vita Beati Ioannis Boni lib.* 10. *capit.6.* Semel, vt adolescentem, ad Religiosum habitum dimittendum, à Dæmone tentatum, à proposito dimoueret, super accensas prunas pedibus nudis illæsus incessit.

48. *In vita S. Chunegundis Imperatricis.* Cum post orationis frequentiam inter lectionis lassitudinem ancilla Christi in lecto non plumis extructo, sed cilicio strato, membra sopore grauata remisisset, puella sacrata, quæ de more illi assidebat, sacros codices legens, cum ferè ad medium noctis lectionem extenderet, caligantes oculos clausit, lumenque è manibus illius prolapsum, paleas corripiens, sui fragore circumiacentes sorores excitauit. Clamore ex concursu facto, Virgo Christi de somno excussa, dum collustrantes inter se, & concrepantes flammas circa se aspexit, ad orationis arma se conuertit, & signo Crucis adustionem illam absque omni suarum læsione vestium auertit.

49. *Surius in vita S. Catharinæ Senensis* 29. *Aprilis.* Accidit illam quandoque sedere ad multas prunas, & veru cum carnibus assandis, versare. Interim cogitabat illa de Sponso Christo, cuius amore intùs ardebat, & extasim passa, nihil ampliùs se mouit. Vidit hoc Lysa, vxor fratris eius, & intelligens quid pateretur, cæpit ipsa versare veru, ac deinde omnia alia eius officia exequi. Durauit autem & extasis valdè diù, donec iam omnes iuissent cubitum. Lysa autem constituit vigilare, vt videret eius finem. Egressaque post longam moram, vt exploraret, nùm sibi esset reddita, vidit toto corpore eam in prunas corruisse, exclamauit ergo eiulans. Heù Catharina planè est combusta, accurrensque velociter, & ab igne eam extrahens, inuenit neque corpus, neque vestes vlla ex parte læsas ab igne, immò nec odorem ignis in illis, nec cineres vllos ijs adhæsisse, cùm tamen etiam aliquot horis in illo igne iacuisse crederetur. Orabat alio tempore sancta Virgo Senis in templo Dominicanorum. Decidit autem cereus ardens in velum ipsius orantis, nec desijt ardere, donec cera omnis absumpta est, velo prorsùs nullum ignis vestigium retinente. Solebat verò tartareus dæmon nimis acerbè ferens lucra animarum, quæ per eam in diuersis regionibus crebrò fiebant, sæpè eam multis adspectantibus, Deoque permittente toto corpore iactare in ignem. Cunctis autem eiulantibus, illa subridens, prorsùs illæsa exibat ab igne, dicens: Nolite timere, mala tascha hoc fecit. Sic enim appellabat diabolum.

50. *In vita S. Rodani Abb. Lothrensis.* Quadam die, cum vas illud, in quo ignis portatur, propè non esset; S. Rodanus carbones ignis in sinum pueri misit, vt frigidis hospitibus citò portaret; & non solùm vestimenta illius combusta non sunt, sed nec color eorum mutatus.

51. *Carolus à Basilica Petri in vita Sancti Caroli Borromæi lib.* 2. Feria quarta VII. Kalend. Nouemb. anno M.D.LXIX. dimidia circiter hora post noctis initium, genibus flexis orabat Carolus, quatuor, quinque cubitis longè ab ostio sepimenti; ad pietatem excitandam, frequentiamque exterorum inuitandam, aliquid musici cantus adhiberi solebat: Tunc autem canebatur illud Euangelij; tempus est vt reuertar ad eum qui me misit: Cumque ad ea verba Cantores venissent, non turbetur cor vestrum, neque formidet, sacrilegus ab eodem ostio, quod apertum erat, tormenti rotam laxat: ignea vis pilam, pilulasque plumbeas plures in Carolum conijcit. Flamma, sonitus ingens improuisus omnes perterrefacit. Carolus verberatum se in dorsi spina sentiens, locum manu premit: dolorem, quamuis minimè sentiat, se tamen grauiter sauciatum putat, existimans recenti adhuc vulnere cruciamentum non effici: in facto adeò terribili, nihil corpore motus, parùm etiam animo videtur, sed suis, præsentibusque alijs, qui consurrexerant omnes & accurrerant, significauit, vt sacrum opus perficerent, neque abscederet quisquam: paruerunt omnes, finemque orandi quietè fecerunt, vt commodè percussor exire, per scalas descendere, atque abire potuerit: pila ne vestimenta quidem traiecit, sed in linea tantummodo exteriori veste (rochetum appellant) impresso vestigio, & labe quadam effecta, post Carolum super panno humistrato cecidit; pilulæ ab ore tormenti dilatatæ varia loca petierunt, alia eadem veste, tunicaq; inani ictu transiecta, & exusta, itidem in pannum decidit: alia parieti adhæsit, qui contra ostium, Carolo medio, erat, reliquarum plura signa in eodem pariete apparebant.

52. *In vita S. Didaci Confess. ordinis Minorum.* Quodam tempore Hispali puer ob timorem matris in furnum se abdiderat, cui cum inscia mater die sequenti ignem admouisset, filium, inuita, crudelibus damnauit flammis. At hoc aduertens, ad S. Didacum cucurrit, eius auxilium imploratura; cuius precibus puer ab omni ignis molestia prorsùsque illæsus à furno exiuit.

53. *Tandem pro coronide huius paragraphi (neque enim omnes Christi Martyres, aut Confessores ab igne illæsos hic possibile est retexere) addam quæ in annalibus Minorum an.* 1334. *n.* 15. *De Stephano de Hungaria Saracenis tradito, referuntur hoc modo.* Accessit Cadi cum ministris, flammas sequenti die minitans, nisi votis consentiret: respondit Stephanus, minas tuas non timeo, perfice quod iniquè concepisti: studeo complacere voluntati Domini mei Iesu Christi. Hæc audiens Cadi præcepit eum intrudi in fornacem, eo fine accensam, & os eius à foris obturari. Ita factum est, illo cum Ministris ad custodiam spectantibus, donec iam consumptum penitùs putarent; deinde quasi re peracta discesserunt. Sed Christi Martyri fornax illa in templum conuersa est, & ignis in balneum tepefactum, totamque noctem in Christi laudes transegit orans, & psallens. Mane autem illucescente, vocatis Ministris Cadi præcepit, vt fornacem aperirent, & si quæ ossa illius desertoris, aut cineres superessent, diligentiùs scrutarentur, colligerent, & absconderent, ne suis in cultum superessent. Accedunt illi, fornacem aperiunt, &

quem pridem in cineres conuersum existimarunt, inueniunt in oratione vigilantem, & leuiter quasi in balneo sudantem. His auditis stupefactus Cadi expauit: miraculum Dei, inquit est: ille mori non debet.

Ignis extinguitur, aut arcetur ad Imperium Seruorum Dei. §. 2.

PAuca hic solùm referam admiranda, quæ ad imperium Sanctorum operatus est ignis, neque enim in omnibus recensendis integrum sufficeret volumen. Sint igitur.

1. *Ambrosius Righettus in m. Nom. Iesu.* S. Andreas Apostolus inuocato nomine Iesu, voracissimum extinxit ignem.

2. *Greg. Tur. de gl. Mart. lib. 1. cap. 23. de S. Gallo Episcopo.* Cum Aruernensis ciuitas maximo incendio cremaretur, & hoc Sanctus comperisset, ingressus Ecclesiam, diutissimè Dominum ante sanctum altare cum lachrymis exorauit; surgensque Euangelijs comprehensis, apertisque obuiam se igni obtulit: quo obtemperante, protinùs ad aspectum eius ita omne incendium est extinctum, vt nec fauillæ quidem in eo igne remansissent.

3. *S. Pet. Damianus in vita S. Romualdi cap. 21.* Alio tempore in Insula, quæ Pereum dicitur habitauit: quæ videlicet Insula à Rauenna Vrbe duodecim ferè millibus distat. Ibi verò dum in cella cum quodam Venerabili viro, suo nimirum discipulo, Guilielmo nomine, moraretur, angusti parietes habitaculi repentè flamma corripuit, deinde ad alta conscendens, dominari per tecta liberis iam viribus cœpit. Protinùs Vir Sanctus ad solitæ defensionis argumenta confugiens, non quæ ibi erant reposita foràs extrahere, non vt mos est, tecti scindulas dissipare, non aquarum abundantiam spargere, non vllis impulsus est ad extinguendos ignes nixibus anhelare, solummodo orationem fudit, & confestim stridentes ignium globos diuina virtus extinxit.

4. *S. Petrus Damianus serm. 8. in vigilia S. Benedicti.* Cum maximum incendium iuxta Cassini Montis cœnobium accensum esset; Cumque ad id peruentum esset, vt quælibet adiacentia Monasterio iam pænè ignis lingua prolamberet, & non iam dubius loco sancto interitus immineret; subitò in aeris vastitate nubecula breuis valdè, & exilis apparuit: moxquè paulatim in ampliora se porrigens, supra totum se vndique Monasterij circuitum dilatauit. Quid verba diutiùs protraham? O innenarrabilis supernæ virtutis potentia, ô numquam deficiens super electos suos diuina custodia. Protinùs sese nubes in largissima imbriferæ inundationis fluenta resoluit: adeò vt non modò voracis incendij flammas extingueret, sed & omnem sancti loci circuitum profluentium procellarum copiosis inundationibus irrigaret. Et, vt nequis ambigat, nubem illam meritis B. Benedicti fuisse prolatam, atque ad solam Sancti loci eius processisse custodiam; cum tota cœli sphæra continuò vndique serenitate claresceret, sic se ad Monasterij mensuram nubes illa cohibuit; vt vbertim quidem Sanctis ædificijs adiacentia quæque perfunderet, ad finitima verò, & continua quælibet loca penitùs non stillaret. Nam & hi, qui de vicinioribus locis ad protegendum monasterium, vndique confluebant, mirabantur se subitò madefieri: cum catenùs fuerint non aquis, sed sudoribus tabefacti.

5. *Vinc. Belu. lib. 23. Spec. hist. cap. 77. de B. Arnulpho Episc.* Casu contigit, vt promptuarium Regis ignis vorax vexaret, atquè eructans excellentissima flamma, domos circumquaque affines minaciter lamberet. Repentè exurgens omnis ciuitas videns sui exitum, in eiulatum atque clamorem est conuersa. Quo audito, nos veloci gressu ad domum viri sancti peruenimus, & reperimus eundem sicut illius ingiter mos erat, psalmodiæ melos personantem, statimque apprehensa manu illius, ait Romaricus. Egredere, ne quod absit, te in hac vrbe ignis iste consummat. Adhæc ille inquit. Nequaquam dilectissime, sed deducite me illùc, & ponite me vicinum illius, & si ita vult Deus vt ardeam, ecce in manu eius sum. Tunc nos tenentes sanctas manus eius ad larem peruenimus, & mox iubente illo in oratione prostrati, capitulo dicto, surreximus omnes, tunc ille eleuans manum contra ingentes flammas, vexillum crucis iniecit, & mox miro in modo tamquam cælitùs percussus, nil alibi nocens, infra parietes in semetipsum totus retrorsus ignis interijt.

6. *Faber ex Petro Venerabili.* Moniales Marciniacenses clausuræ suæ adeò tenaces fuerunt, vt cum semel in vicinis ædibus circumcirca grassaretur incendium, & Hugo Archiepiscopus Lincolniensis suaderet, immò præciperet eis fugam è monasterio, ne perirent, fugere noluerint: Vna enim nomine Guissa (quam sæpiùs se vidisse ait Petrus Ven.) nomine omnium respondit. Nos, pater, timor Dei, & præceptum Abbatis nostri, vt ignem æternum euadere possimus, intra hos, quos cernis limites vsque ad mortem permansuras, includit. Vnde nullo pacto fieri potest, vt aliqua necessitate, præfixos nobis pœnitentiæ terminos, saltem pedis passu transgrediamur; nisi ab illo, qui in nomine Domini in hoc nos inclusit loco soluamur. Noli ergò Domine, si placet, hoc iniungere, quod nobis agere non licet: sed sicut nos ignem præcipis fugere, ità magis igni, vt à nobis fugiat, virtute Domini nostri armatus iniunge. Ad quam mulieris fidem stupefactus Archiepiscopus, ac subitò ipse fide repletus, foràs exijt, & flammas intuens, ac lachrymis ora perfusus, ait: In nomine Domini, & per meritum fidei huius, quæ nunc locuta est mulieris, recede ignis pestifer ab ancillarum Dei habitaculis, nec damna aliqua vltrà inferre præsumas. His à Pontifice verbis prolatis, repentè immensitas flammarum inuisibili virtute repressa, velut ferreo muro obstante, vltra procedere non potuit.

7. *S. Greg. lib. 1. Dial. cap. 6.* Anconitanæ antistes Ecclesiæ vir vitæ venerabilis Marcellinus fuit, cuius gressum dolore nimio podagra contraxerat, cumque familiares sui sic vbi necesse erat in manibus ferebant. Quadam verò die per culpam incuriæ eadem ciuitas Anconitana succensa est. Cumque vehementer arderet, concurrerunt omnes, vt ignem

ignem extinguerent. Sed illis aquam certatim proijcientibus, ita crescebat flamma, vt iam totius Vrbis interitum minari videretur. Cumque propinquiora sibi loca quæque ignis inuaderet, iamque vrbis partem non modicam consumpsisset, & obsistere nullus valeret, deductus in manibus venit Episcopus, & tanta periculi necessitate compulsus, familiaribus suis se portantibus præcepit dicens: Contra ignem me ponite. Quod ita factum est, atque in eo loco est positus, vbi tota vis flammæ videbatur incumbere. Cœpit autem miro modo in semetipsum incendium retorqueri, ac si reflexionis suæ impetu exclamaret, se Episcopum transire non posse. Sicquè factum est, vt flamma incendij illo termino refrenata, in semetipsa refrigesceret, & contigere vlterius quicquam ædificij non auderet.

8. *In actis S.S.Martij tom.1.in Conti.Bollandi.* Noctu per incuriam Vrbs Londinensis incendebatur, & maxima iam in parte consumpta, quod superat victrix flamma lambebat. A sene igitur rogatur S. Cadroe Abbas Metis in Lotharingia vt orando pereunti Vrbi succurreret, qui confisus in Domino, inter ignem, & quod residuum erat, currens, conuersus ad Dominum, dixit: Tibi Domine omne, quod est famulatur: iube ergo terrores æstuantium cessare flammarum. Hæc breuiter dixit, eleuataque manu retrò abire iussit incendium. Videres flammam veluti vi venti retortam, paulatim deficiendo emori.

9. *Sigonius lib.16. Imperij Occidentalis.* Cæsarius Arelatensis Episcopus à Rege Alarico indicta causa Brudegalam relegatus, cùm nocte quadam ingens fortè conflatum incendium esset, precibus ciuium fatigatus, ignem tum, cùm maximè sæuiebat, precatione ad Deum facta, restinxit: ex quo ingentibus ab omnibus cumulatus est laudibus.

10. *In actis S. Lupi Episcopi Cabilonensis apud Bollandum 27. Ian.* Dum quadam post longas orationum excubias nocte membra quieti dedisset, negligentia, vt assolet, vrbs, ab occidentali sui parte graui exardescente incendio cremabatur: cumque iam vltra medium ciuitatis cuncta depopulans ignis veniret, alijs aquam certatim iacientibus, alijs ad sedandos flammarum globos diuersa molientibus, sed nihil preficientibus, imminente iam iamque totius vrbis interitu, territi ciues, præsidium sui expetunt Sacerdotis. Qui protinùs surgens orationi parumper incumbit, de hinc flammis vltrò obuius pergit. Mirabile dictu: mox eo palmas ad cælum tendente, signumque crucis opponente, diuisæ sunt flammæ, ignis dissiluit, ac veluti imbre vehementissimo cælitùs emisso cuncta sæuientis incendij molimina destruuntur: Sicque per virtutem Christi ignium repressit minas, qui iam pro eius amore cunctas in se vitiorum extinxerat flammas.

11. *Colg.in vita S.Fintani 17.Februarij.* Quadam die S. Patre Fintano, cum suis fratribus comedentibus, ignis de cacumine refectorij fortissimè exarsit. Tunc terrore perterriti fratres, nesciebant quid agerent, putantes totum Monasterium igne consummi. Pater autem Fintanus tumultum fratrum prohibens, sobriè eleuata manu benedixit signo Sancto ignem, & illicò flamma extincta est. Mirum iam dictu! ædificium integrum inuentum est.

12. *Marulus lib.3. cap. 3.* Elphegus Cantuariensis Archiepiscopus cum Ausoniæ omnibus bonis exutus, & vrbe eiectus fuisset, repentino tecta incendio conflagare cæpere; Quare reuocatus fuit, suaque oratione incendium restinxit.

13. *Idem lib. 1. cap. 10.* Dùm S. Martinus Turonensis Episcopus in medio incendio reperiretur; facta oratione, mox flammæ vis omnis extincta est, illæsusque permansit.

14. *Ex Chronico Cassinensi lib.4.cap.74.* Temporibus Callisti Papæ Capuana vrbs conflagauit incendio: cumque ferè consumpta vrbe, Monasterio ignis iam iam imminere videretur, Monachi sumpto corporali calicis, incendio illud obiecerunt; mirum in modum coercitus ignis vltrà progredi ausus non est. Ciuibus quoque visum est ignem, manu quadam à Monasterio propelli. Corporale illud ab ignis iniuria prorsùs mansit illæsum.

15. *Petrus de Natalibus lib.3.cap.205.de S.Gertrude.* Post annos decem ab eius obitu, ignis vehemens Monasterium Sanctæ consummere videbatur; Sed tunc Sancta supra tectum apparuit, & velum suum flammis obijciens, ignem excussit; statimque extinctus focus, Monasterium omnino indemne reliquit.

16. *Thom. Cantip.lib. 2. apum c.13. §.4.* Tanta vis est continentis linguæ, vt ignem etiam externum extinguere valeat; docuit id exemplum Benedictini Monachi, cui nomen Rodulphus; Tacens in Affligemiensi Brabantiæ monasterio hic, cum nec verbulum quidem per annos sexdecim protulisset, & orto incendio, quod extingui non poterat, laxata lingua dixisset; stes ignis hac hora, flamma penitùs conquiescat, illicò totus ignis extinctus est.

17. *In vita S.Sylustri Abb.ordinis Syluestrinorum fundatoris.* Cum Fabriani versaretur, per imprudentiam ancillæ cuiusdem factum, vt sub multam noctem in ædibus filiorum Rainaldi Rigubij viri primarij ignis ingens accenderetur, qui paulatim serpens, alimenta largiùs sumebat impellente vento vehementioni, deinde tantùm auctum est incendium, vt flamma altissimæ turris eiusdem domus fastigia exæquare, & oppido vniuerso vastitatem minari videretur, conclamatum illicò est ad ignem ære campano lamentationibus edictis quòd communis propemodum res ageretur, & omnium salus, & fortunæ in discrimine adducerentur, maximi concursus facti, frustra adhibiti conatus; cum Syluester rumore excitus, ac suspicatus id, quod erat, misericordia commotus, illicò prodit; ecce autem obuium habuit nuncium à Bertoldo, Corradoq; Rainaldi filijs, Syluestrique amicis, qui Syluestro rem ex ordine narraret, opem etiam peteret, in eo positam esse spem oppidi totius; his precibus magis incensus Syluester, eò se contulit, ac benedictū à se panem in flammam aduersam in Dei nomine coniecit; ne quid ampliùs præter panem liceret absumere; paruit ignis, & in exiguos redactus cineres, nihil præter coniectum panem absumpsit,

psit, reliqua enim, vt Syluester insserat, intacta reliquit. Non absimile eidem accidit in Cœnobio non procùl ab oppido (Rus S. Quirici appellatur) vbi contra ingentem ignem Crucis signum opposuit, qui illicò ac si fluuius ingens in eum irrumperet, retrò agi cæpit; mox etiam penitùs euanuit.

18. *In actis S. Laufredi Abbatis*. Quadam nocte cum ignis immensus accensus esset, omniaque Monasterij loca inuasisset, S. Abbas facta oratione imperauit igni, ne amplius officeret; tantoque imperio ignis impetum coercuit, vt nihil vlteriùs contingere potuerit.

19. *In actis S. Lannomari Cornotensis*. Cum Monachi de viminibus facta machina, superposuissent quod messuerant, ignis accensus, paulatim vires capiens, subitò, & fruges, & domum inuasit Quod vbi vir Dei comperit, signum crucis faciendo, ignis exstinctus est.

20. *In actis S. Euortij Aurelianensis Episcopi*. Transacta ordinationis eius anniuersaria die, ciuitate igne casuali flagrante, ciues concurrerunt ad eum clamantes, vt vrbi succurreret; illoque orante, extincta est flammæ voracitas.

21. *Chry. Henriqu. in fasc. de B. Bernardo Caluonio Abb.* Aliquo tempore ignis immensus Monasterij horreis inuectus est, ex quo incendium grauissimum fuit exortum: & illicò Monachus quidam Abbatem Bernardum istius infortunij admonuit, qui statim ad flammam accessit, flexisque genibus summa cum reuerentia reliquiam Dominicæ Crucis accepit, cumque iam ignis vlteriùs magis, ac magis semper cresceret, ita vt ad Sacrarium vsque progrederetur, iuit ad locum, vbi maiori violentia domus ardebat, & misericordia, ac bonitate Dei confidens, particulam ligni Crucis Saluatoris nostri in ignem proiecit. Et subitò flamma extincta est, & horrea intacta, & illæsa manserunt. Viso autem Dei miraculo, venerabilis Abbas ipse, & cæteri Monachi, crucem Domini, summo cum honore, & reuerentia amplexi fuere, canentesque Te Deum laudamus, aliosque psalmos in gratiarum actionem, Crucem illam in maiori Ecclesiæ Altari collocarunt.

22. *In vita B. Nicolai de Rupè 2. par. cap. 15.* Ad incendium semel accessit vir Dei, manuque sublata crucis signum contra ignem per aerem duxit, quo facto, flammarum globi confestim minui, in se redire, ac non multò post prorsùs desinere cæperunt.

23. *Colganus de S. Cera Virg.* In Regione Muscraighe Thire in Prouincia Momoniæ ignis exortus est è terra, fœtorem habens pessimum; Cæperuntque homines ignem extinguere aquis: Sed nullo modo potuerunt. Vidensque Sanctus Brendanus veniendo illùc, terram ardere ascendentibus altè flammis, ait hominibus: O miseri homines, ignem infernalem videtis è terra? Rogantibus eum hominibus, ait, eis: trium dierum ieiunium agite, & rogabo Deum pro vobis: Et post ieiunium ait illis. Ite ad Sanctam Dei Virginem Ceram: sibi enim dedit Deus hanc virtutem, vt extinguat illum ignem per orationem suam. Et orans Sanctissima Virgo Cera ad Deum contra illum ignem, illicò ignis extinctus est radicitùs, & nunquam ibi iterùm apparuit.

24. *Goduinus Monachus in vita B. Ascelinæ Virg.* Aliquando sumpta Cruce in manibus magno incendio occurrit, & ad ipsius aduentum ignis est extinctus.

25. *Baronius an. 303.* Diocletiano, & Maximiano sæuientibus aduersùs Christianos, quæsiti publicè Sacri Codices, vt cremarentur, in Alutinensi Africæ vrbe, coniecti quidem sunt in rogum, sed pro eis cælum dimicauit; nam repentè imber effusus, ignem extinxit.

26. *Idem an. 397.* Ingens miraculum contigit ex particula ligni Crucis, quam Melania S. Paulino dederat. Cum enim incendio flagrante fœno referta casa, in Paulini ipsius hospitium conuersa flamma, cuncta impetu violento depasceret, oblato ab ipso globis igneis eodem ligno Crucis, incendium protinùs, atque penitùs extinctum fuit.

27. *Idem an. 847. n. 41. de S. Leone Papa IV.* Saxonum vicum validus ignis inuasit, qui flammarum violentia cuncta comburere cæpit validiùs; vbi populorum multa congregata sunt agmina, quæ huius incendij flammas volebant extinguere: sed ventorum flatibus altiùs extendebatur ignis in aere, cuncta comburens, atque comminuens, ita vt propriùs ad B. Petri Apostolorum Principis positas peruenirent Saxonum, & Longobardorum domos, porticum concremans. Quo audito, ipse Beatissimus Pontifex anxiùs illùc celeri cursu profectus est, & vt ob huius tanti ignis impetum se præpararet, Dominum deprecari cæpit, vt huius incendij flammas extingueret, & vbi Crucis propè frequentauit signacula digitis, ampliùs ignis extendere flammas non potuit; & Beati virtutem ferre non valens Pontificis, extinctas flammas redegit in cinerem.

28. *Sanctius in cap. 9. Ezechielis de Cruce, quæ Albelata in Toletana Diœcesi colitur.* Referunt Oppidani, cæpisse aliquando vicinam Oppido Syluam conflagrare, & increbrescente vento, qui flammam Oppidum versùs inuehebat, eas vires incendium assumpsisse, vt non Syluæ tantùm, sed sibi etiam, ac domibus Oppidani timuerint, quos iam ab incendio calor, & fumus afflabat. Consurgunt ergo ad illud perfugium, quod in eo rerum articulo putabatur extremum: opponunt flammæ salutare signum, quod è suo sacrario religiosè produxerunt: cuius virtutem ignis statim, ac ventus agnouère; repentè enim repressus est ignis, & ventus, qui ab aduersa regione vehementer spirabat, subitò consedit.

29. *Pepe in mirabilibus S. Caietani m. 13.* Cum in Oppido Casertæ Neapolitani Regni in Officina tormentarij pulueris, ignis fortuitò accensus esset, tota conflagrauit domus, à fundamentisque diruta est: sub lapidibus autem, euersisque laquearibus mirabiliter intercessione S. Caietani coniux Artificis præseruata fuit, in signumque miraculi, ipsa illæsa, eius vestes omninò ab igne consumptæ fuere.

30. *Idem ibidem. m. 241.* Panormi globus igneus è tor-

à tormento bellico emissus, militem quemdam per inhabitata loca equitantem, procùl dubio vna cum iumento interfecisset; at periculum animaduertens ille, Diuum inuocauit Caietanum; & ecce globus, vt eius tetigit vestes, ceù in durissimum impingens montem, resilijt in terram, deuotum D. Caietani haùd offendere audens.

31. *Idem ibidem, m.182.* Chirographum deperdiderat mulier quædam, quo Licij proprijs in domibus panem coquendi, facultas tradebatur: cum ab exploratoribus coquens panes deprehensa, & vbinam esset facultas quæsita, vbique Chirographum, illud inquirens, haùd inuenire potuit; tunc pœnas luere cogebatur; at ipsa D. Caietanum innocauit, interimque panes è clibano extrahebat; tunc ab vno pane exiliens vidit Chirographum, quod medijs in flammis intercedente Diuo Tutelari haùd absumi potuit, ab angustiaque est liberata.

32. *Ignatius de Nente in vita Ven. Sor. Dominicæ de Paradiso lib. 2. cap. 57.* Incendium maximum, quod in eius Monasterio excitatum fuerat, signo Crucis, quod ex imperio B. Virginis, iussit sororibus, vt incendio opponerent, subitò mirabiliter extintum est.

Ignis admirabiles productiones. §. 3.

Qui à proprijs non progignuntur causis, admirabiles meritò denominantur effectus, dùm enim ab ignota veluti epullulant radice, ideo eorum causas ignorantibus admirationem pariunt: Huiusmodi sunt prodigiosæ ignis productiones, Cereorumque diuinitùs accensiones, quæ quandoque euenere. De quibus.

1. *In actis S. S. Martij tom. 2. in Cont. Bollandi.* Quadam die bruma cuncta congelante, puerorum coętaneorum suorum ludentium retibus immixtus Patritius puer, glacierum fragmina plurima in gremio collegit, eaque domum deportans in aeram proiecit. Nutrix verò illius hoc videns, dicebat, commodiùs ipsi fore ligna ad focum construendum congerere, quam glacialibus frustulis ludere. Respondet puer lingua senili; facile fore Domino conditori, lege naturarum mutata, de huiusmodi vsibus, suis focum facere, atque eius nutu, si fides non desit, ignem in aquam præualere: Et vt scias, inquit, omnia possibilia credenti, probabis oculata fide, quæ dico tibi. Congessit ergo ad instar titionum struem glacierum, & orauit, factoque Crucis signaculo insufflauit, statimque ignis egressus, glaciem accendens, flammarum comam longiùs produxit; nam non solum focus ille accedentibus exhibuit beneficium calefactionis, verùm etiam materiam ministrauit magnæ admirationis.

2. *Auctor Fast. Mar. de S. Sebaldo Confess.* Romam Sebaldus abierat. In reditu autem apud Ratisponenses, foco cùm ligna deessent, glaciem inseruit, quæ ignem concepit flammasque emisit.

3. *Io. Colg. in vita S. Berachi 14. Februarij.* Cum vir Sanctus sic positus propè portam staret, & massam ibi de niuibus confectam inspiceret, inuocato Dei nomine, niuem insufflauit, & mox congeries illa niuea instar lignorum aridorum flamma vehementi exuritur, ita vt ædes vicinæ portæ inciperent comburi.

4. *Idem in vita S. Sezini Episcopi 6. Martij.* Quadam die cum extinctæ in templo lampades omnes essent, precibus ignem à Deo impetrauit; suisque ipse manibus ardentes carbones illæsus portauit. Erat ea ætate Sanctus Eremita Rhodonus, qui cum ad Sanctum Episcopum inuisendum acri hyemis tempore venisset, ab eo in hospitium deductus fuit. Congesta erant in focum ligna, sed ignis deerat. Vix preces fundere Sanctus cæperat, cum ignem, & flammam ligna concipiunt.

5. *Idem in Vita Sancti Kierani Episcopi, 14. Octobris.* Quodam tempore vnus de fratribus nomine Baytenus ignem incautè extinxit mane: & multùm inde dolens petiuit indulgentiam. Illo iam die Sanctus Ruadhanus Abbas Lothræ ad Sanctum Kieranum visendum venit: sed in monasterio Sayghir ignis non erat, quo calefacerent se hospites, aut quo conuiuium eis pararetur. Hoc sciens Sanctus Kieranus Episcopus benedixit quendam lapidem sibi præsentem, & illicò flammis igneis lapis ardebat, & vir Dei lapidem accepit ardentem in manibus, & ita portauit vsque ad Sanctum Ruadhanum. Hoc Ruadhanus cum suis videns, multum in Deo ædificati gauisi sunt.

6. *Rader. in virid. de S. Theodosio Cœnobiarcha.* Carbones nullo subiecto igne, vbi monasterium erat, iàm diuinitùs accendit.

7. *In vita S. Francisci de Paula.* Titiones extintos semel in sufflans S. Franciscus, illos statim accendit.

8. *Arturus de B. Martino à Martinis 26. Feb. in Martyr. Franciscano.* Is cum sibi culinæ ministerium incumberet, atque quadam die Sæculares aliquot nobiliores cum Fratribus comesturi essent, nihil minùs abijs, quæ paranda erant, mente reuoluens, se assuetæ contemplationi dedit. Cumque P. Guardianus Sæcularium scandalum pertimescens, sibi irasceretur, probroque daret, quòd hora plandij instante, nec ignem struxisset, nec aliquid præparasset: ille clauso post se officinæ ostio, iterùm orationi incubuit. Et ecce dum minùs cogitat, vehementissimus ignis se ipso accenditur; & quæ disponenda fuerant, Angelorum ministerio parantur. Quibus tum à sæcularibus conuiuis, tùm quoque à Patre Guardiano, reliquisque Fratribus, cognitis, maximæ Deo grates obuenerunt. Hæc autem acciderunt apud Conuentum Sancti Francisci Vlysipponensis: vbi ipse diem clausit extremum: & honorificentissimè iacet sepultus.

9. *Fransiscus à S. Maria in Hist. Discalceat. tom. 1. lib. 1. c. 25.* In Conuentu Toletano Discalceatarum S. Teresiæ, cum ignis omnino extinctus esset, præcepit quæ præ erat cuidam sorori, vt aqua benedicta aspergeret extinctos carbones: & ecce statim ignem conceperunt. Quod & sæpè alijs in monasterijs accidisse asserit.

10. *Idem ibidem tom. 1. lib. 2. cap. 36.* Cum Magister

ster Nouitiorum in Conuentu Paterniano S. Teresiæ iussisset cuidam Nouitio, vocato Alonso de Angelis, vt insufflaret in quamdam lignorum struem ad eam incendendam, fecit obedientissimus filius, solùmque insufflando absque alio igne, ignem accendit.

11. *In actis S.S. Februarij tom. 1. in Cont. Bollandi*. Semel factum est, vt suspensis lampadibus ante sepulchrum S.Guerini Cardinalis, & Episcopi Prænestini, confestim sine ignis appositione cernentibus omnibus luminaria accenderentur.

12. *In vita S.Othmari Abb.l.1.c.11.16. Nouembris*. Presbyter quidam nomine Tanco, dùm in Ecclesia, in qua erat corpus S. Othmari custodis officium gereret, nocturnæ quietis tempore pro reficiendis luminaribus basilicam solitus introire, tribus vicibus penè omnia reperit extincta. Ad sancti autem viri sepulchrum perueniens, ardentem cereum iuxta illud inuenit. Sciensque luminis illius cælitùs administrari splendorem, extinguere non presumpsit; vt verò discessit, lux, quæ per se venerat, per se etiam subtracta est. Vbi etiam, ad maioris indicium miraculi, ignis quidem in candela solitò rutilabat, ceræ verò nihil per hunc ardorem minui videbatur. Hæc idem venerabilis presbyter sæpiùs sua relatione confirmans, omne dubitationis argumentum ab hoc facto veritatis narratione depellit.

13. *Raderus in Bauaria S. de S. Vuinibaldo*. Cereus ad eius tumbam sua sponte nulla admissa face, accensus est.

14. *Cæsarius lib.7. miracul.cap.47.* In Ecclesia cœnobij Iesse iuxta Gruningem in introitu Frisiæ quadam die cum custos candelam, quæ ante imaginem B.Virginis ardebat, dicta Missa, extinxisset, duo carpentarij oratorium propter opus suum intrantes, illam reaccensam diuinitùs inuenerunt. Quo prodigo relato Priori, iussit ille ne deinceps extingueretur, scire volens quid portenderet. Tota igitur illa die, & sequenti nocte coram imagine prædicta arsit candela, & in manè vix ad longitudinem dimidij articuli manus fuerat consumpta.

15. *Idem lib.8.mirac.cap.13.de quodam Religioso*. Hic quodam tempore cum Sacristæ Missam celebraturo ipse astaret, & lampas extincta fuisset, lumen aliunde afferre volens, sed angustia temporis præoccupatus, non valens, flatu lampadem reaccendit.

16. *Pet.de Natal.l.9.c.12. de transl. S. Germani Episcopi Antisiodorensis*. Cùm Beatus Germanus per ciuitatem Vercellensem transiens, Eusebio Episcopo promisisset, quòd in reditu eius Rauennam pergentis, Ecclesiam, quam ille fundauerat, dedicaret; Audiens Eusebius, quòd Germanus defunctus esset, Ecclesiam consecraturus, cereos accendi fecit: sed quantò plùs accendebantur, eò ampliùs extinguebantur: quod videns Eusebius, intellexit, Ecclesiam alio tempore dedicandam. Cùm ergo corpus Sancti Germani, quod apud Gallias transferebatur, Vercellas delatum esset, mox vt in Ecclesiam ipsam inducitur, cerei omnes diuinitùs inflammantur.

17. *In vita S. Vualpurgis Virginis apud Canisium tom.4.* Adalbertus Alamanniæ Comes illustris B.VValpurgæ deuotus aduenit, cereum non modicum quantitate, & pretiosum munere, pro vt poscebat eius munificentia, attulit, & Altari pronus imposuit, ac pro se, suorumque salute suppliciter Dominum ac Virginem sæpedictam exorans, benedictione petita, ad propria remeauit. Suscipiens autem eandem candelam Abbatissa Neubila, quia præfato Comiti sancta familiaritate fuit charissima, candelabro erexit, & inaccensam tunc reliquit. Quarto verò die lumen cælitùs accepit, & tribus diebus ac noctibus eo lumine perdurante, quarto die nemine extinguente, extincta est.

18. *Vinc.Belu.l.20.Spec.Hist. cap.46. de Sancta Genouefa*. Quadam nocte Sabbati circa galli cantum egressa est ad basilicam Sancti Dionysij, cereus verò, qui ante ferebatur, extinctus est. Quo turbatis Virginibus, quæ cum ea erant, præ horrore noctis, sibi dari præcepit. Quem vt tenuit, statim illuminatus est. Similiter eodem tempore cum in Ecclesia diù prostrata in oratione surgeret, cereus nondum igne contactus, diuino nutu accensus est in manu eius, de quo, & plures infirmi paululum in fide auferentes sanati sunt.

19. *Idem lib.30.cap.119.de S.Dominico.* Matrona quædàm de villa Pinar, votiuam Missam ad honorem Beati Dominici disponens facere celebrari, tres candelas ad hoc idoneas præparauit, sed hora debita Sacerdotem qui Missam celebrare debuit, non inuenit. Quapropter candelas ipsas in vase quodam reposuit, manutergio mundo pariter inuolutas. Cum autem aliquantulùm diuertisset, post horam rediens, candelas flammis patentibus ardere vidit. Stupefacta igitur, forâs exiuit, vicinas vndique conuocauit. Concurrunt omnes ad mirandum spectaculum, tamquàm ibidem trementes pariter & orantes steterunt; donec prædictæ candelæ ipsis videntibus penitùs arserunt. Sic autem vsque ad extremum paulatim ardendo, consumptæ sunt, quæ manutergium vel aliquid, quod in vase fuerat, non læserunt.

20. *Lippellous in vita S. Petri Martyris Ord. Præd.29.Apr.* Ad sepulchrum S.Petri Martyris ordinis Prædicatorum in Ecclesia B.Eustorgij lampades pendentes absque omni humano studio, & opere diuinitùs accensæ sunt.

21. *In vita B.Vuiborada Virginis & Martyris.* Ad eius tumbam lucerna posita erat, quatenùs quando Missarum solemnia, seù vespertinalis oratio, seù matutinæ laudes celebrarentur, lumen adesset. Quadam verò die post officiorum expletionem æditüus eam extinguens, altera die ingressus reperit ardentem, quam secundò extinctam, secundò inuenit incensam, atque extinxit, similiter tertiò ingressus, reperit ardentem, sed minimè extinxit, cupiens priùs indagare quis ei officium suum ita dimidiaret. Cumque ab interrogatis non solùm nihil certi posset exarare, verùm etiam eius inquisitio omnium admirationi fuisset, itur in commune ad lucernam; Posses mirari, fluentem ceram à facie ignis, tunc eius calore nihil esse imminutam, atque idipsum lumen paulatim se subtrahere visibus

bus humanis, vt facilè in hoc miraculo animaduerteres, beatam Virginem ornata lampade ad nuptias cœlesti Sponsi intromissam, cum illo habitare lumen inaccessibile.

22. *Bzou. an.* 1278. *n.* 26. *de B. Sita.* Quodam tempore cùm ad templum S. Mariæ Magdalenæ apud Corbaias accessisset, illudque clausum inuenisset, & pluuia ingens superuenisset, post orationem, quam in limine templi clausi orauerat, & indidem pluuio cælo aliquantum obdormiuerat, reperta est summo mane intra templum, candelam diuinitùs accensam manu tenens.

23. *In actis S. Romani Abb.* Fortè lumen extinctum fuerat, quod in lanterna positum ardebat ante feretrum eius, omnes clamore stupidi lumen requirunt pauidi, vt clarescеret oculis, quod contigerat hospiti; vnus minister affuit, extintum lumen baiulat, vt ante Sanctum præferat scintillam clari luminis, quod casu fortè defuit, sed dum pergit velociùs, pars quædam, quam reliquerat, candelæ, lumen occupat; succensaque diuinitùs lumen præbet fidelibus;

24. *In actis S. Balderici Abb. apud Flodoardum lib.* 4. *Hist. Rem. cap.* 43. Postquam à præfato loco huius B. viri ad suum Monasterium sunt ossa relata, multa feruntur ostensa miracula; illic pauper candelam deferens in circulo deuolutam paulò ante horam vespertinam supra loculum Sanctorum ossium posuit, qui facta oratione recedens, subitò candela supero accensa igni ardet; quæ donec custos ad vespertinalia pulsando signa venit, pallio, cui iniecta erat, illæso flagrauit.

25. *In actis B. Aleydis.* Cum hæc dilectissima sponsa Christi tantùm esset nouem annorum, & quadam die hora completorij cæteris psallentibus iungeretur, accidit candelam, per quam videbant, casu de candelabro labi, & extingui, qua assumpta dicta puerula, sicut semper præcinctam, & ad omnia paratam se exhibuit, vt eam accenderet, iter arripuit, sed Dei dispositione, qui ipsam suæ claritatis lumine fuerat accensurus, dilectæ suæ volens parcere teneritati, dum adhuc laboraret in itinere, reperit in manu sua candelam igne rutilare.

26. *In actis Vuilhelmi Rothensis ordin. Præmost.* Cum obitus hora iam adesse festinaret; subitò VVilhelmus, oculis suauiter in dexteram directis, in diuturnam rapitur extasim, in qua Deiparam, D.D. Catharina, & Barbara latera stipantibus, vidisse dicebatur, & satis etiam notari, ac deprehendi potuit. Sed is totus dulcedine animi liquefactus, ad se reuersus vix dùm fuerat, cùm subitò candelæ pro more ad mortis horam accensæ, in oculis coram adstantium extinguuntur: post aliquantum verò temporis, VVilhelmo in mortis agonem ingresso, vltrò iterùm accensæ lucere cœperunt, quod Angelicis factum manibus, sicut, & priùs diabolica inuidia, nequaquam ambigimus.

27. *Hyppolitus Donesmundus in Hist. Mantuana par.* 1. *lib.* 4. Cum ad Sepulchrum B. Ioannis Boni tota ciuitas Mantuana deuotè confugeret, vt intercessione eiusdem Sancti gratias à Deo impetraret; in solemnitate Pentecostes mirum accidit, dùm ad id munus præstandum processionaliter tota Parochia S. Nicolai pergeret; cum enim insufflante vehementi vento omnes candelæ per viam extinctæ fuissent, inuisibiliter in ingressu Ecclesiæ accensæ apparuere.

28. *S. Greg. Turonen. lib.* 1. *de glor. Martyr. cap.* 57. *de S. Amarando.* Cum cereos frequenter deuotio Christiana deferret ad eius Sepulchrum, quadam die contigit, vt quidam præ longinquitate itineris incrementum ignis, quo accenderetur cereus, non exhiberet. Arreptamque silicem ferro verberat, quasi ignem eliciturus; quod dùm ageret, & crebris ictibus lapidem quatiens, nihil foci posset excutere, cœlesti lampade cereus, qui iam beato sepulchro adfixus erat, illuminatur; sicque factum est, vt quæ humanæ non expleuerant industriæ, peragerentur diuini numinis maiestate. Cessante humano studio cœlestia officia ministrantur, luminisque noui fulgore cereus clarificetur accensus. Quod cum populis manifestatum fuisset, incrementum foci vlteriùs ad accendendum lumen nullus exhibere præsumpsit. Postquam verò locus ille inhabitari ab hominibus assiduè cœpit, atque ibi domus, in quibus ignis accenderetur, adessent, hoc miraculum non est vltra præstitum plebi, cum alijs miraculis frequentiùs illustretur.

29. *Idem de glor. Confessor. cap.* 69. Ad Sancti Marcellini sepulchrum lychnus assiduè lumen præbet: sed accensus semel, multis noctibus sine vllo additamento perdurat, & plerumque contigit, vt extinctus à vento, diuinitùs iterùm accendatur. Ex quo oleo plerumque infirmi medicamenta suscipiunt.

30. *Idem ibidem. cap.* 104. *de Pelagia B. Aredij matre.* Succedente Dominica die postquam sepulta est, posuerunt cereum ad caput eius, dicentes: Parum nobis est ceræ, & iam nox prolixior habetur, cum ad matutinum consurgimus, tunc accendatur cereus iste, & clauso ostio abierunt. Expleto autem somno, ingressi basilicam, inuenerunt cereum ardentem, quem extinctum reliquerant:

31. *Ioannes à Bosco in Bibliot. Floriacensi de S. Machute Episcopo cap.* 4. Erat præterea mos, vt vnus puerorum sua in hebdomada ferret cum lumine lanternam ante Magistrum adeuntem Basilicam noctu, causa matutinalis officij; Adueniente verò septimana felicis pueri S. Machutis, alij sui compares extinxerunt focum, quò accensum iri debebatur lucerna; Et hoc agebant instigante se inuidia, cupientes sacrum puerum ob hoc à magistro perpeti verbera. Quidnam faceret puer Machutes ambigens, cucurrit ad officinam, vbi sicera fiebat, petens à confectore huiusmodi ignem sibi præberi. Illo autem nolente, immò pigritante lumen accendere; tandem anxianti puero, imposuit carbones gremio illius, à quibus illæsum est vestimentum eius. Reuersusque ad Magistrum, reperit candelam ab Angelo diuinitùs illuminatam.

32. *Odericus an.* 1199. *de S. Parisio Martyre.* Edidit Deus ad Martyris sui in luce collocandam gloriam plura prodigia, vt cùm præsentibus interdum tribus, vel quatuor hominum millibus, qui ex varijs locis confluxerant, in gentilitio Martyris scuto

in

in Ecclesia appenso, diuinitùs noua fulgere lumina visebantur; interdum extinctæ faces subitò spectante maxima populi multitudine accendebantur.

33. *Flodoardus in hist. Eccl. Rem. l. 4. cap. 52. de Sanctis Rufino, & Valerio Martyr.* Post celebrata missarum solemnia leuantur à Sacerdotibus sacrata Christo Corpora, atque cum magna populorum referunt comitante caterua. Contigit autem diem illam, quæ Dominica scilicet habebatur, ventorum flatu fuisse nimbosam, ita vt omnes candelæ, quæ ad obsequium sanctorum ferebantur, vi turbinis extinguerentur; Cumque carpentes iter partem fluminis fuissent ingressi, cereus, qui ante Sanctorum pignora ferebatur extinctus, repentè cælitùs accensus omnibus mirum exhibuit spetaculum. Sicque inter commixtos grandine nimbos, & ventorum flactus ad quatuor millia durauit ex miraculo flamma. Disposuit denique postea presbyter cereum ipsum in meliorem formam de eadem reficere cera. Cumque id à Sacerdotibus sibi subiectis efficeretur, mirùm dictu, inter manus eorum mollis cæpit crescere cera, & in magnam grandescere quantitatem.

34. *In actis S. Edmundi Cantuariensis Archiepiscopi.* Cum quadam vice studeret ad lumen, vigilijs grauatus, somno sucubit, & ecce mus intrans in crucibulum, lumen dum hùc, atque illùc discurreret, extinxit. Et euigilans, cum reperijsset se sine lumine, suspirans & gemens inclamauit nomen Virginis Mariæ, subitòque lumen in crucibulo reperit, & de reddito sibi cælitùs lumine lætus fuit.

35. *S. Gregorius Papa 3. Dialog. cap. 30.* Cum in Romana vrbe Ecclesia S. Agathæ ab Arianis profanata, Ecclesiasticis ritibus mundata esset, & consecrata, quadam die, cum in ea lampades sine lumine dependerent, emisso diuinitùs lumine sunt accensæ. Iterumque post paucos dies cùm expletis missarum solemnijs extinctis lampadibus, custos ex eadem Ecclesia egressus fuisset, post paululùm intrauit, & lampades, quas extinctas reliquerat, ardentes inuenit.

36. *In actis S. Hartuuici Archiepiscopi Salisburgensis.* Cum quadam die populus in Capella Sanctæ Dei Genitricis deuotus astaret; cereus in Altari extinguitur, sed vt accendatur à quodam iuuene quantotiùs accurritur. Cereum festinus arripuit, & ad tumbam Beati Hartvvici accensurus accedit, sed cum iam tumbæ appropiat, iam cereum Sancti virtus inflammat. Mirum in modum, per se luminare succenditur, vt lucernam Ecclesiæ fuisse beatum Hartvvicum approbetur.

37. *In actis S. Godebertæ Virg.* Quadam die aniuersaria S. Godebertæ, facto solemni Missarum officio, post multiplices Deo & Virgini redditas actiones gratiarum, custodes, vniuersis ad propria reuersis, Ecclesiæ ostia clauserunt, omnibus ferè luminaribus extinctis. Post refectionem verò quamplurimis ad Ecclesiam reuersis, vt ianuas ostiarij aperuerunt, lampades cum cereis, quas in conspectu omnium extinxerant, omnes diuinitùs inflammatas reperiunt.

38. *In vita S. Richardi Episc. Cicest. in Anglia.* Cum semel S. Presul in die Purificationis B. Virginis officium solemne celebraret, & processionis ministeria ob memoriam Christo obuiam procedentium agerentur; cereus, quem manu gestabat Episcopus, nec non & cerei omnium die ipso de more cereos accensos gestantium, auræ flatu grauioris extincti sunt. Cumque aliquandiù sic extinctis cereis processissent, subitò, mirantibus cæteris, ipsius Episcopi cereus lumine diuinitùs est reaccensus.

39. *In vita S. Hugonis Monachi Aeduensis.* Quadam vice in solemitate S. Hugonis mane celebratis de more diuinis officijs, extinctis lampadibus, Ecclesiæq; ianuis clausis; cum post refectionem reuersi essent ad Ecclesiam, vniuersa luminaria diuinitùs accensa inuenerunt.

40. *In vita S. Franchæ Virg. Ordin. Cisterciensis.* Cum anno Domini 1306. quadam die propter suam solicitudinem Sacrista Conuentu præsente lampadem extinxisset, quæ coram altari S. Franchæ solet ardere, pariter ibidem consistens cum socijbus pluribus, viderunt eamdem lampadem per se ipsam reaccensam. Quod quidem factum non tantùm tunc, & semel, sed multoties accidisse clamatur per Conuentum. Propter quod statutum est, vt nunquam extinguatur, & sic ardet quotidie diebus noctibusque mirantibus plurimis, quia in ea vix oleum consummatur.

41. *Baronius an. 828. n. 23. de translatione S. S. Martyrum Marcellini, & Petri.* Quodam die dum Traiecti ad Mosam Sacra missarum solemnia celebrarentur, fœmina nomine Adallinda, duos cereos ad lumen in Ecclesia collocandum detulit, quorum unum dextera manu cuidam è custodibus, vt accenderetur porrexit, alium manu sinistra retinuit. Sed mirum in modum, dùm custos sibi porrectum accendit, etiam alius, qui in manu fœminæ remanserat, sponte lumen accepit, cunctisque cernentibus accensus est.

42. *In vita B. Margaritæ Abb. ap. Hug. Menard. in Auctuario.* Quædam Sanctimonialis Vallis gratiæ mirabatur, quòd nulla meritis D. Margaritæ fierent miracula, & iam de illius Sanctimonia dubitabat: sed statim eam miraculo experta est. Cum enim lychni sui oleum consumptum esset: tum non valens legere librum clausit: sed lychnus diuinitus accensus est ardens sine oleo, & rursùs aperto libro legere cæpit, & pudore suffusa vbique beatæ matris sanctimoniam prædicauit.

43. *Aimonius in historia de transl. & miraculis Sancti Germani.* Dum post mortem S. Germani, Sanctum eius corpus mouendum esset, dumque in effossione ipsius, quomodo portari deberet, vnanimes intenti essent, cereis pro reuerentia accensis, casu accidit, vt vnus, quem puer incautè tenebat, è manibus ipsius labens rueret, totoque priuatus extingueretur lumine. Quem cum à solo idem puer omni velocitate leuasset, lumen amissum ab altero mutuari cupiens, meritis tanti Patroni actum est, vt statim in manibus eius cereus extinctus illuminaretur.

44. *Raderus in Bauaria sacra de S. Tozzone;* Magnus, & Theodorus iter inituri, Deum precantur, vti sibi Ducem aliquem viæ submitteret,

quo

quo ad ignota illa loca tutiùs, & citiùs aspirarent. Mirum dictu, sub meridiem adest S. Tozzo, seu Toxo presbyter, postea antistes Ecclesiæ Augustanæ creatus; Is manu cereum gestabat, qui sub noctem sua sponte accendebatur, vt viam Toxoni luceret; vbi Sol astra extinguebat, cereus quoque occæcabatur, donec Sol occumberet, quo tempore cerei quoque lux cum sideribus iterum renascebatur. Nec interim cera deficiebat aut decrescebat.

45. *Ferrarius in Catalogo S.S. 19. Iulij de S. Petro de Fuligno.* In vltima nocte, qua migrauit ad Dominum, circa matutinas, transitus sui horam instare cognoscens, rogauit virum quendam, secum ibi commorantem, vt de Ecclesia lumen ad eum deferret; sed is cum renunciaret, se lampades extinctas inuenisse, denuò redire iussus, eas accensas reperit. Orauerat enim magna fiducia Dominum, vt qui esset vera lux, aliquantulùm sibi in illa hora concederet luminis; dixeratque viro illi, vt ante Imaginem iret Gloriosæ Virginis, eique diceret, quòd toties lampades suas ipse accenderat, & lumen ante ipsam posuerat, ideò placeret sibi aliquantulùm luminis concedere. Viso igitur lumine, gratias egit: astantem dæmonem aspexit, & despexit, inquiens cum Sancto Martino: Quid astas cruenta Bestia? & accepta demum Crucifixi Imagine, eamque sæpiùs amplexatus, Deo animam reddidit.

46. *Idem de S.S. Demetrio & Iuliano m.m. Parentij 23. Nouembris.* Cum Lampas ante Sanctorum corpora lucens extincta fortè fuisset, vltrò absque alicuius ministerio accendi rursùs visa est.

47. *In vita S. Ioannis Gualberti cap. 84.* Quidam Presbyter, nomine Zenobius, fuerat, qui Plebem Brozensem, per quadraginta annos, & eo ampliùs rexit. Qui dùm vna die Sole vergente ad Occasum accelerarct se vespertinam celebrare sinaxim, lampadem Ecclesiæ festinabat accendere. Et cùm in ea minimè liquorem olei reperisset, nec aliùs haberet, vnde eam reficere posset, sæpiùs replicando ipsam igniuit. Sed aqua, quæ in ea erat, absque mora lucentem velociter extinguebat. Tunc animo furibundus, fideliter tamen orans, ait: si vera sunt quæ de Ioanne Gualberto vidi, & audiui proprijs oculis. In ipsius nomine præcipio tibi, vt celeriter accensa, inextincta permaneas. Quæ sub tanta velocitate, subitò est accensa, ac si diuinitùs imperatum ei fuisset.

48. *In vita Sancti Henrici Eremitæ capit. 3. apud Bollandum 16. Ianuarij.* Cum solus in propria cella mortuus esset S. Henricus, & in extremo vitæ tintinnabulo signum dedisset, interim illi assistens Monachus audito sonitu tintinnabuli accurrens, funiculum eum tenentem, & super lapidem residentem inuenit, & candelam, quam ipse expers ignis ante mortem diuinitùs accenderat, ardentem vidit.

49. *Ibidem in actis S. Praiecti Episcopi, & Martyr. 25. Ianuarij.* Erat quodam loco scamnum, vbi consuetudo fuerat sedendi Praiecto: quod cùm ioculares viri ad suum artificium deportassent, agnoscentes tanta miracula per Sanctum Dei ostendi, timore perterriti, ipsum scamnum in basilica S. Symphoriani studuerunt reportare. Audiens igitur Dei seruus Venerianus, quòd per præfatum scamnum virtutes multas ostenderet Dominus, ipse ad hoc videndum perrexit quantociùs, & orto iam Sole Ecclesiam ingressus, in oratione prostratus, cùm subitò surrexit, omnes illius Ecclesiæ lampades diuinitùs accensas lucere conspexit.

50. *Ibidem in actis S. Launomari Abb. 19. Ianuarij.* Quadam nocte, cum in maturitate surrexisset ad orationem, inter sacras vigilias, inuidia diaboli inquietare eum tentauit, nam qui à luce cælesti cecidit, ter lampadis lumen inimicus extinxit. Sed sensit militem Christi sibi præualuisse. Quoties enim humani generis hostis lucem ab habitaculo illo subduxit, non destitit seruus Dei ab officio suo, quin potiùs precem coram Domino effundens, per verum æternumque lumen Christum, lucernæ radios reparauit.

51. *Ibidem in actis S. Boniti Episcopi Claromontani 15. Ianuarij.* Cùm quadam nocte ad vigilias surrexisset, lumen lampadis in eadem basilica, vbi more solito sanctas peragebat excubias, deficiendo, extinctum est. Cumque eius minister ignem requirens, vnde eamdem iterùm accenderet, non reperisset, Sacerdos Dei ad lampadem accedens, quasi signaculo suo illustrauit spiritu: & ita cuncti, qui cum eo erant, gauisi peregerunt diuinitatis obsequium.

52. *Ibidem in actis S. Marij Abb. 27. Iannuarij:* Illud prætermittere etiam nequaquàm debemus, quòd quadam vice quidam vir religiosus eiusdem viri Dei basilicæ custos, cùm circa medium noctis ad Ecclesiam veniret, vt lumen lampadi daret, extinctum inuenit: O, inquit Pater mi, da consilium seruo tuo: nox atra omnia possidet: omnes dormiunt: vbi ignis reperiatur, nescio: viæ semitam pes ignorat. Quid ergo faciam? Cum igitur anima anxiaretur in illo, & ad quam partem se verteret ignoraret; subitò non sine eius ineffabili gaudio, candela, quam tenebat in manibus, accensa apparuit.

53. *Ibidem in actis S. Aldegundis Virg. 30. Iann.* Cum quadam nocte Dei famula Aldegundis, & eius germana VValdetrudis de amore Christi, & conuersatione regulari, ac salute sororum à Christo sibi creditarum, sollicitè meditarentur, candela coram eis posita, subitò cadens extinguitur. Cumque præstolarentur, vt aliquis veniens reaccenderet eam Dominus Iesus Christus, qui persemetipsum suis dixit discipulis, ego sum lux mundi, non est passus famulas in suo congregatas nomine vel momentaneas perpeti tenebras. Porrigens si quidem manum, Virgo beata accepit lucernam, quæ mox cælitùs accensa est. Quod videntes famulæ Dei, immensas Iesu gratias retulerunt, qui dat lucem se ipsum in tenebris, & tenebræ eam non comprehenderunt.

54. *In actis S.S. Feb. tom. 3. in Contin. Bollandi.* Lumen lucernæ S. Vlrici Eremitæ bis extinctum, diuinitùs accensum est.

55. *Ibidem in Martio to. 3.* Extinctæ lucernæ non semel ante sepulchrum S. Lugderi Episcopi Mimigar-

gardefordensis in VVestphalia Saxonum Apostoli, diuinitùs accensæ fuere.

56. *In Martyr. Gall.8. Ian.de S. Gudila Virg.* Crebrò cum frequentaret etiam de nocte, oratorium Saluatoris, Diabolus huic deuotioni insidians, lucernam extinxit, quam pedissequa ferebat. Sed Beata Virgo orationis efficacia, & fidei virtute lumen extinctum reparauit.

57. *Ibidem 21. Ian.de S.Meinhardo Eremita & martyre.* Dirè à duobus latronibus, quos benignè in cellula exceperat, occisus, dùm animam agebat, totum cellulæ locum suauissimus odor compleuit. Candela verò ad caput interempti diuinitùs accensa colluxit.

58. *Ibidem 25.Ian.* Virduni Sanctæ Adunaluccæ Viduæ, & beati Popponis sui filij hortatu, monialis, in Parthenona Virdunensi: deinde reclusa in Monasterio Sancti Vitoni eiusdem Vrbis. Hæc antequam sacrum velamen susciperet, adhùc in sæculo degens, tanta deuotione flagrauit, vt extinctam lucernam sua prece accenderet: tantaque enituit puritate postquam vitæ perfectiori se addixit, vt cùm cælitibus, qui sæpè inter orandum ei apparebant, colloquia misceret.

59. *Ibidem 8.Kal.Aprilis de S.Hermelando Abb.* Miraculis maximis emicuit, nam signo Crucis extinctum lumen accendit.

60. *Ibidem 9.Octob. de S.Sabino Confessore.* Cerei extinctam reparauit flammam ipse totus ignis: quamquam enim nudus tanto in frigore, quod saxa non illæsa ferebant, cinctus niuibus degeret: diuino tamen amore intùs æstuabat, ita extrinsecùs feruebat, vt si rogo propè astans, diù incaluisset.

61. *Vualafridus in vita S.Galli.l.2.c.45.* Quadam tempore dum festiuitas octauarum Epiphaniæ annuo celebraretur officio, cunctis tempore Sacrificij ad Ecclesiam conuenientibus, luminaria, & candelæ incendebantur ex more. Vna autem candela sine lumine inter cæteras ardentes dimissa, inter sacra Missæ solemnia principalis, primò cæpit paulatim fumo tenui vaporare, deinde videntibus non paucis, flammam concipiens, & cæteris clariùs rutilans, figni effectum, splendoris singularitate commendauit.

62. *Philipp. Abb.Bonæ spei, de vita S. Amandi cap.11.* Dies, qui eius corporis eleuationem ordine temporis præcedebat, terminata synaxi Vespertinæ celebritatis, non ita pleno vt dignum erat apparatu luminis, neque etiam festiuo conuentu, vt decebat turbæ popularis: nox propinquabat. Completorijsque peractis, tenebrarum horror iam lucernis ægebat, ac quoniam quiescendi tempus iam venerat, monachorum singuli lecti sternia petierunt, custodibus in aula basilicæ relictis. A quibus more sibi solito, lucernis, nocturnis horis ardere suetis, accensis, atque vniuersis per tota ædis spatia cereis extinctis, dùm vnus eorum post minimi intercapedinem temporis diligentiam templi obseruans, redijsset, cereum ad sancti vestigia ardere solitum, ac paulò ante extinctum, fuso cælitùs ignis candore, reperit radiantem, quem dùm ab alijs æstimat illuminatum, iteratò credidit extinguendum, sic à singulis vicissim sibi succedentibus tertiò extinctus, tertiò nihilominùs apparuit cælesti igne coruscus; Qua de re quod supererat in vnum conuenientes ac singuli se eundem extinxisse memorantes, & quis ipsum reaccenderit conquirentes, ita eundem denuò extinguendum putauerunt, vt etiam carbonem, qui ex filo remanserat emunctorij digitis adimerent, probare volentes, vtrùm rursùs repetito luminis candore radiatilis appareret; Nec dum quippe rem tanti miraculi pleniter agnoscebant, quandam tamen animo sollicitudinem de hoc facto iam omni modo capiebant: qua de re dum ipsum cereum quartò accensum conspicerent, stupefacti, immò perterriti, quod quasi temerario, vt ita dixerim, ausu eidem prodigio obuiare extinguendo tentauissent, ipsum toties euindicatum à lumine ipsi concesserunt. Quid multis? Permissus est eius esse iuris, cuius virtutis maiestate tantis vicibus apparuit inuincibilis. Diù itaque super hac repentini nouitate miraculi gaudio summo attoniti, tandemque dormitum euntes, stupidos oculos soporiferæ tradidere quieti.

63. *In actis S.Emmerammi Episcopi & mart.* Cum post eius martyrium, venerandæ illius reliquiæ deductæ fuissent ad Villam Ascheim, subitò coorta ventorum procella est, & dissolutus in pluuias aer continuis quadraginta diebus, diuinaque reuelatione declaratum est, deberi illas reliquias festinatò ad vrbem Ratisbonam deferri; Quod factum: mirumque fuit, quòd candelæ iuxta sacrum illius corpus accensæ, tempestatum flamina, atque imbrium flumina jugi sereno despexerunt, lumenque conseruarunt vsque ad prædictam vrbem, quò cum peruenissent, statim cessauere pluuiæ, & tempestates.

64. *In vita S. Maioli Abb. Cluniacensis cap. 17.* Lucerna, quam ante eum vnus portabat fratrum, subitò est extincta non cogente tamen vlla ventorum, vel turbinum violentia, sed cæpti itineris viam idem Vir Domini non interrumpens, dùm ad portam Ecclesiæ secretos orationum replicat modulos assiduè, priùs extincta candela, diuinitùs reaccenditur, quod eos, qui cum eo aderant, mirabile factum lætificauit, & ardentiores in seruitio Iesu Domini sui reddidit.

65. *In lib.de miraculis B.Maioli Abb. Clun.n.7.* Paucis elapsis diebus postquam beatus pater Maiolus ad cœli curiam transijt, lætus quidam frater Odo ad B. Viri tumulum, inter alios, seruitutis obsequium adhibebat. Dum autem vno dierum candela, quæ ante S.Viri tumulum ardebat, fuisset extincta, expauit negligentiam, & pro inertia sui, veritus est aliorum fratrum, & circumadstantis populi verecũdiam; sic extinctam arripiens candelam, & ad eam accendendam alicubi portans, in medio itineris resumpsit candela lumen claritatis. Sicq; admirans prædictus frater lumen cælitùs datum, reuertitur lætus ad B. Maioli nobile Mausoleum, & laudibus Deum intonat pro viso miraculo, aliosque fratres pariter non modico lætificauit gaudio.

66. *Einhardus apud Baronium an.828.n.10. de Albrico cæco, cui Angelus Gabriel apparuerat, multaque enarranda reuelauerat, quique ab Angelo certitu-*

certitudinem reuelatorum exquirens, sic eum allocutum esse, dixit. Tum ego, nemo est, inquam, qui mihi credat, quòd Angelus mecum locutus sit, aut me ista nunciare mandauit; cui Angelus, non erit, inquit, ita; sed dabo signum, quod facias coram eis, quo viso, nullam vltrò dubitationem habebunt de his, quæ ad eos mea iussione pertuleris. Proinde volo dicas Ratleico, vt exhibeat tibi duos cereos nouos, qui nondum accensi fuissent, & vnum ex eis dextera, alterum sinistra tenens, sta coram altari; & cum omnia, quæ tibi præcepi, narrando compleueris, dic eis, qui hæc audiunt, vt in hoc credant vera, & ab Angelo Dei esse mandata, quæ dixisti, si hi cerei in manibus tuis, sine adhibitione ignis visibilis, fuerint videntibus illis illuminati. Quo facto, scriptus est libellus, mihique allatus, & per me Regi oblatus ab illoque acceptus, atque perlectus est. Idcirco visum est mihi inter cætera miracula libelli huius facere mentionem, quia per occasionem, qua ille scribi iubebatur, contigit illa mirabilis & inusitata cereorum accensio, quam per merita B.B.M.M. Marcellini, & Petri fieri debere ipse qui eos illuminauit Angelus prænunciauit.

67. *Vuillielmus Malmesburiensis lib. 1. de gestis Pontificum Anglorum de S. Dunstano*. Sanctitatis eius futuræ præsagus idem qui author Deus, iucundo prodigio natiuitatem eius præcurrit. Si quidem cum mater eius fertilis in aluum, maturoque iam in partum fœtu, in Purificatione Sanctæ Mariæ frequenti ciuium collegio templo assisteret, omnium repentè luminaria, seu casus, seu Dei nutus extinxit. Omnibus stupefactis, matronæ cereus lucem accepit cælitùs, communicatoque cæteris igne, timorem dispulit, securitatem induxit.

68. *In actis S. Seuerini Noricorum Apostoli*. Iuxta oppidum, quod Iuba appellatur, cum quadam die intrantes basilicam, æstatis tempore, solemnitatem vespere redditurі, ad accendenda luminaria ignem minimè reperijssent, flammam concussis ex more lapidibus elicere nequiuerunt, in tantum alterutra ferri, ac petræ collisione tardantes, vt tempus vespertinæ solemnitatis efflueret: at vir Dei genibus humi fixis orabat attentiùs, mox igitur in conspectu trium spiritualium, qui aderant tunc virorum, cereus, quem Seuerinus Sanctus manu tenebat, accensus est, quo lucente, sacrificio vespertini temporis ex more suppleto, gratiæ Deo referunt in omnibus.

69. *In tract. de miraculis S. Columbani*. Post illius obitum, arca in Ecclesia ante altare posita, candelabris cum cereis accensis ad caput pedesque appositis, & deputatis fratribus, qui illic Psalmos cantarent, reliquis qui adhoc officium erant deputati, quæ necessaria erant fratribus præparantibus, subitò ventus irrupit, & candelas omnes extinxit, turbatique illi, qui ad almum corpus excubabant, per vicinas domos ignem quærere aggressi sunt, vt possent exinde candelas accendere, denique reuertentes, inueniunt candelas diuino nutu accensas, lætioresque effecti, gratias egerunt Deo, Sanctoque Columbano.

70. *Petrus Equilinus de B. Eadmundo*. Cum nullam studiorum immunem noctem abire pateretur; quadam vice in noctem protractis studijs laboreque fessus, obdormiuit; extincta interim, emortuaque lucerna: cum igitur excusso somno euigilasset, non tam de tenebris, quibus inuoluebatur, quàm de temporis iactura mæstior, consilij quid caperet ignarus, toto pectore melleum Mariæ nomen inclamauit, quo velut ignem, & flammas emittente, lucerna subitò accensa est.

71. *In actis S. Marcelli Papæ & Martyr. cap. 5.* Cum custodes pernoctarent ante Sanctum, ardente lucerna lãguidiùs, VVillebertus Presbyter cuidam puero imperat, vt emuncto lychno, candelam illustraret clariùs. Paruit ille, sed malè cauendo, asportauit flammam lucernæ. Iratus Presbyter, vt mos est talibus, colaphum minatur impingere, nisi candelam accendat velociùs. At ille offendendo descendens de gradibus, nescio quò ire, lachrymabiliter inclamat: Deus scit, & S. Marcellus. Dixit, & compatiente Sancto, lucerna in manibus eius accensa totam Ecclesiam illustrauit; & exclamans cum gaudio, ait ad Presbyterum: Deo, & S. Marcello gratias ago, per quem mihi frustatur comminati colaphi inuectio.

72. *Aimoinus Floriacensis lib. 2. de mirac. Sancti Benedicti, c. 3.* Abbatis Richardi temporibus, cuidam Monacho Benedicto, cui Niger prænomen fuit, ab eodem Abbate cum aliquantis alijs ex cœtu fratrum, tuendæ sacræ ædis mandata sollicitudo fuit, illius sanè, quæ Sanctæ Dei genitricis Mariæ, sub honore Deo dicata, cælestis thesauri, corporis dico Sanctissimi Patris Benedicti, mirabile cunctis in se retinet Margaritam. Vna itaque dierum, dùm ei in ordine vicis suæ, propensioris curæ immineret diligens cautela: accidit lucernam ante Altare perpetuæ Virginis Mariæ, venerationis gratia accensam, extingui. Mos verò à primis institutus Patribus obseruari solitus erat, quòd nos quoque in nostra perspeximus fieri pueritia, vt tam diebus, quàm noctibus, trium lucernarum lumine, memorata illustraretur Ecclesia. Extinctam ergo prædictus frater candelam, ad aliam, quæ sepulchro Beati Confessoris prelucere consueuerat, vt accenderet deferens, ipsam quoq; defecisse reperit. Tertiam etiam quæ oratoria cryptæ illustrare solita erat, dum inuisisset, & ipsam emortuam offendit. Turbatus igitur animo, dum concito gradu se effert, vt lumen Basilicæ restitueret: regressus perspexit vnum è cereis eminentioribus, qui penès Altare Reginæ Virginum poni solent, & in festiuitatibus tantùm accendi, diuinitùs illuminatum, flammis rutilare coruscis. Quam rem valdè admirans, gratias Deo reddidit, intelligens extinctionem luminum, non casu, sed diuina accidisse Prouidentia, ad ostendendum mortalibus; huic sacrato loco, supernam nequaquam abesse visitationem.

73. *Idem ibidem lib. 3. cap. 5.* Solmaricense prædium, iam Patriciacensi Cœnobio subditum, quidam peruersæ mentis homines, inuadere moliebantur. Quorum malitiæ, Rotbertus Monachus, illi loco tunc præpositus, obsistere cupiens, instante vindemiæ tempore, cum Sanctorum pignoribus ad locum properat. Cumque iter agendo, Sanctarum vectores reliquiarum Cluniacum Cœno-

nobium deuenissent: inibi nocte quieuerunt. In crastinum verò cœpti itineris callem carpturi, à fratribus eiusdem cœnobij, cum magno processionis apparatu ducebantur. Et ecce, in ipso Basilicæ Sancti Benedicti egressu, orta cum vento pluuia, cereos ad honorem Dei, ac Sanctorum eius accensos, funditùs extinxit. Sed antequam portam castri ipsius Monasterij egrederentur, & serenitas redijt, & cerei diuinitùs reaccensi, inspicientibus cunctis, per aliquod viæ spatium, nullis ventorum flatibus, extingui potuerunt. Simili modo, dum peractis pro quibus ierant, sanctas reliquias à tabernaculo, sub quo manserant, extulissent, lucernæ extinctæ, diuinaque virtute illuminatæ, nullo aurarum spiramine lumen amiserunt, donec à terra Sancti Benedicti, sanctorum progrederentur pignora. Erant autem quæ ferebantur cum patrocinio Sancti Patris nostri Benedicti, pretiosæ reliquię Beatissimorum Confessorum Eucherij, & Verani, nec non Cypriani, Sperati, ac Pantaleonis Martyrum.

74. *Paulus Diaconus in Chron. Cassinensibus libr. quart. capit. 53.* Quadam die Mansionarius ingressus est Ecclesiam Sanctæ Mariæ, in qua sepultum fuerat corpus Azonis Monachi Cassinensis, & eiusdem Monasterij Decani, in captiuitateque Saracenorum defuncti; lampadem, quæ supra sepulchrum eius pendebat, ardentem inuenit. Iratur: puerum, qui ei iugiter in Ecclesia seruiebat, cur lampadem accendisset sciscitatus: ille cum Ecclesiam clauderet, lumina se omnia extinxisse professus est. Vir autem ille diligenter examinans, extincta lampade Ecclesiam clausit. Sed alio die ingressus Ecclesiam, claro lumine rutilantem lampadem vidit. Quod cum sæpiùs fieret, nunciatum est Saracenorum Regi, qui rem inusitatam admiratus, putansque à Christianis ista confingi, Saracenus iubet sublato oleo extingui lampadem. Quod vbi fecerunt, die altera ingressi Ecclesiam, ardentem lampadem, atque pro oleo aquam offendunt. Rex ne suis quidem ista narrantibus accommodans fidem, extingui lampadem, Ecclesiæque obserari aditum, vt antea præcepit, surgensque adijt Pontificis domum, quæ adiacebat Ecclesiæ. Cumque iam nocturnum tempus adesset, eleuans in cælum oculos, stellam supra Ecclesiæ fulgere lampadem, eamque radio suo accendere vidit. Moxque Saracenis missis, ardere lampadem didicit.

75. *Iacob. Cauac. lib. 3. hist. cœnob. S. Iust. de inuentione reliq. in puteo S. Iust. Patauij iacentium, & muliere, cui diuinitùs indicata.* In templi medio circulus erat tessellati operis, id putei signum. Mulier eo comperto, ad ostium redijt, & ab æditituo duodecim candelas accepit, quas ad circulum affixit, mox cum lachrymis in orationem procubuit. Vix deprecari cæperat, cùm diuinus ignis repentè duodecim candelas accendit, & de Sacra Turri æra, nullo trahente, insonuerunt. Monachus, qui templi curam agebat, sono excitus, aduolat, & vbi aspexit, æra nullius ministerio, sed vltrò ad sonum impelli, ad Abbatem & Monachos rem defert, eosque in templum trahit. Hi ardentes in orbem cereos, ac mulierem cum lachrymis orantem admirati, ab astanti populo totam rei gestæ seriem accipiunt. Sonus è turri secutus est quoad vniuersa candelarum frusta consumpta sunt. Locus in memoriam Sanctorum Martyrum, & diuinæ reuelationis coli cæptus, multis etiam miraculis claruit.

76. *Surius in vita S. Sulpitij Bituricensis 17. Ian.* Contigit quandoque vespertino tempore, quod sine admiratione, neque dici, neque audiri potest, vt Clero in Ecclesia diuinæ laudis cantica depromente, subitus quidam tamquam fulminis ictus lampadis ellychnium percutiens, cunctis cernentibus, miro quodam modo illud accenderet, nec vnquam deinceps lumen illud extinctum est, quamdiù fomenta ministrorum opera adhibentur.

77. *Idem de S. Anthelmo Episcopo Bellicensi 26. Januarij.* Cum Anthelmi venerabiles celebrarentur exequiæ, & sacrum corpus monumento conderetur; eo loco vbi humatum est tres lampades erant, quæ non interdiù, sed noctibus accendi solebant, præterquam in præcipuis solemnitatibus. Erat igitur etiam hæc solemnitas præclara, non funeris, sed triumphi. Ecce enim dum cuncti ad sacrum funus intenti sunt, vident in vna ex ijs lampadibus ignem, immenso lumine coruscare. Admirantibus, & stupentibus, etiam aliæ duæ diuinitùs accenduntur, simulque omnes illustrius de se lumen spargunt.

78. *Idem in vita S. Goaris Presbyteri 6. Iul.* Anno præterito in die Sanctissimo Paschæ, cum Præpositus Hechebaldus sub ipso lucis exortu Missas agere vellet, itemque hoc eodem anno, quo ista conscripsimus, cum idem in Quadragesima Missas ageret, & lumen Ecclesiæ deesse quereretur, custosque deposita lampade, ac sine igne reperta, pro eo deferendo festinaret, subitò cernentibus multis, sponte in lampade lumen accensum enituit. Quod ibi crebrò factum, plures viri fideles, qui interfuere, testantur.

79. *Idem in vita S. Remacli Episcopi, 3. Septemb.* Per idem tempus à Capræ montis Castello, quò nos vt conferremus, Normannica rabies compulerat, ad monasterium propter imminentem patroni nostri solemnitatem redire properabamus. Vbi paululùm extra pagum Solomanniam processimus, multa nos hominum turba prosequente, cerei, qui ante loculum, quo Beati Remacli corpus, asseruabatur, ferebantur, paulò ante vi ventorum extincti, rursùs accensi sunt diuinitùs. Nolebat id credere agrestis turba, sed nunquam extinctos cereos affirmabat. Nos rei indignitate commoti, cereos exstingui iubemus, Beatoque Remaclo supplices preces offerimus. Mox adest manus præpotentis Dei, vt cælitùs lapso lumine, denuò cerei accenduntur. Adeò verò lux illa totum illustrabat locum, vt nemo posset ambigere, cælestem eam esse. Tunc omnes pariter prorumpimus in laudes Dei, immittunt nuntij ad Ecclesiam, qui nobis interim psallentibus pulsent signa: Et ecce totum Oratorium vident illi diuinis completum splen-

ſplendoribus, qui nobis abeuntibus pariter diſparuere.

80. *Idem in vita S.Audomari Epiſcopi Morinenſis 9.Sept.* Lampas apud eius ſepulchrum ſuſpenſa, cælitùs accenſa eſt, & benedictio Chriſti oleum illi ſuppeditauit, quo longo arſit tempore.

81. *Idem 31.Octob.* Noitburga Virgo in Monaſterio degens, cum accepiſſet, ſe à ſuis Cognatis, nuptui eſſe tradẽdam, abnuit prorsùs; mortaleſq; ſponſos omnes faſtidiens, totam ſe ad deprecandum Dominum contulit, vt ipſam priùs è vita tolleret, quàm fineret vim à cognatis perpeti. Nec defuit Chriſtus deprecanti, eius enim Sanctiſſimam animam ad ſe euocauit; ipſumque exanime corpus inſigni miraculo cohoneſtauit: duobus nempe luminaribus, altero ad caput, altero ad pedes eius diuinitùs ardentibus.

82. *Ioan.Buzelinus libr. 5. annal. Gallo-Fland.* Res interim mirabilis accidit Sailliaci obnoxio Martianenſibus Monachis vico, cum illic etiam num D.Ionati corpus contra hoſtium incurſiones ſeruaretur. Lætabundi tanto ruſtici hoſpite, vmbraculum ei propter ſanctam ædem varijs arborum ramis obtenderant. Illic poſita Diui oſſa frequenti lumine cantuque venerabantur. Sed fortè quodam die accidit, vt plurimis Sancti thæcam circumſtantibus, perflans aura cereos omnes extingueret, ac nuſquam in vicinia ijs rursùs accendendis vlla ignis eſſet copia. Igitur magno id dolori omnibus fuit: ac nequid ideò mali portenderetur, admodum timuere. Verùm diuina voluntate fulgor quidam ramos inter extemplò apparuit, qui celeriter in pueri cuiuſdam cereum emicans, eum accendit tantò mirabiliùs, quantò vim maiorem in puerum retorſit. Is enim cum luminis radium in facem ſuam ferri aſpiceret, attonito ſimilis, & abalienata mente reſupinus in terram cecidit, Interim magnæ voluptati fuit cæteris omnibus è pueri cereo lumen alijs ſuppeditare. Et cum ſerperet huius miraculi fama, in Diuum Ionatum creuit admodum veneratio: eiuſque colendi, ac in opem deuocandi ergo varijs è partibus plurimi conuolauere mortales.

83. *In vita S. Kierani apud Colg.* Duo carnales fratres de terra Muſcrygiæ Thire, volebant peregrini eſſe in alia prouincia, ideſt in regione Connachtorum iuxta Tulach-maidh. Illi iam nominabantur Medranus, & Odhranus: villa autem eorum Lettir vocabatur. Et cum veniſſent ad Saygir, ſcilicet ad Sanctum Kieranum, voluit Medhranus ibi manere. Cui frater ſuus Odhranus dixit: Non hoc mihi promiſiſti frater. Et ait ad Sanctum Kieranum; noli Pater fratrem meum retinere hic. Reſpondit ei Sanctus Kieranus: Deus Omnipotens iudicet inter vos, ſi debet ipſe hic manere, vel tecum ire: teneat ipſe in indicium lucernam modò in manu ſua, & ſi ipſa fuerit accenſa flato oris ſui, hic debet manere: ſin autem, vadat tecum. Et ille ſtatim accendit lucernam flatu ſuo, manſitque ibi apud Sanctum Kieranum, vſque ad obitum ſuum in magna ſanctitate.

84. *Ioan. Molan. in natal. S.S. Belgij de S. Vuiuina Bigardienſis Monaſterij fundatrice 17. Decembris.* Hanc Virginem, & Virginum matrem, cum eſſet annorum ſexaginta, & ſeptem, morientem chorus ſuſcepit Angelicus. Poſt mortem autem anno 7. Alardus Cameracenſis Epiſcopus Bigardenſem Eccleſiam dedicauit. In qua dedicatione candelæ ob feſtiuitatem accenſæ in proceſſione, extinguebantur: facta autem proceſſione ante corpus Virginis, candela, quam Ingelbertus presbyter geſtabat, eſt reaccenſa. Qua de cauſa candelam geſtans depingitur.

85. *In vita S.Vincentij Ferrerij Ordin. Prædic.* Ioannes de Luquelic oppidi Dinantienſis, cereos duos, quibus inter ſacrificandum vſus S. Vincentius in Grandi-campo fuerat, domum ſuam religionis ergo detulit, eoſdemque vxor eius ſibi traditos armario ad lectum proximo aſſeruandos incluſit. Superuenit interea Purificationis feſtum, quando cereos ſuos proferre ex armario mulier volens, ipſum quidem firmiter clauſum reperit, cereos tamen, quos neque alteri dediſse, neque prorsùs loco mouiſſe certa erat, fruſtrà requiſiuit. Obſtupuit ob inopinatam iacturam mulier & doluit: ſed dolor hic diuturnus non fuit. Moritur enim proximo Aprili Sanctus, ipſoque mortis momento experrectus ſubitò Ioannes, cereos ante hæc deſideratos ſuper ipſo armario lucere ardentes conſpicit, & vxorem ad eius nouitatis cõmunicandam viſionem expergefacit. Quid verò ea denotaretur, non priùs cognouere, quàm tempus, & horam, qua ad æternam lucem Sanctus abijt, alijs referentibus, intellexere.

86. *In vita S.Erconuualdi Epiſcopi Londinenſis.* Cerei, qui in translatione ſacri eius corporis fuerant extincti, paulò poſt abſque omni humano ſtudio cælitùs fuerunt accenſi.

87. *In vita S.Leonis Papæ IX.* In Letania maiore, ad tumulum S. Leonis lampas diuino igne accenſa eſt. Nec hoc ſemel actum, ſed bis, & ter, & hoc vidit quæ illa die fluxit ad Eccleſiam D. Petri omnis Romana multitudo.

88. *Beatus Audoenus Epiſcopus Rothomagenſis narrat.* Garifreſo Comite Veromanduorum intrante Baſilicam S. Eligij Epiſcopi Nouiomenſis, extinctam illicò lampadem tumuli eius, & mox ipſo exeunte, iterùm accenſam. Cum verò id Comes aduertiſſet, & regreſſus eſſet, vt experiretur, fortuitò, an diuinitùs hoc accidiſſet, reſtingui denuò vidit. Quo circa prodigio admonitus eſt, conſcientiæ ſuæ labes exploraret: & conſcius admiſſæ culpæ in Sanctum Eligium, dum ille viueret ac ſpiraret, non tam citò facti pænitens veniam perrogauit; cum ſtatim lychnus deintegrò colluxit.

89. *Ioannes Burgeſius in libro de patrocinio B. Virginis.* Editum fuit à Paulo V. diploma 31. Auguſti anno 1617. ſui pontificatus anno 13. quo ſententiam illam aſſerentem, quòd Beata Virgo fuerit concepta in peccato originali, deinceps in publicum efferri vetuit, ſiue in ſcholis, ſiue in templis, concionibus, lectionibus, concluſionibus, aliiſque quibuſcumque publicis actibus. Igitur quo die Madritum curſor Regius Pontificium diploma detulit, vbi deſcendiſſet ex equo, lampas nocturnis, tantùm horis coram Imagine puriſſimæ Virginis ſolita accendi media platea, clara die, eo ipſo cum

cursor appelleret momento, cunctis obstupescentibus, sponte ardere cœpit, consumptoque exiguo quod à præterita nocte supererat oleo, perdurauit flamma, ipsa quæ suppposita erat aqua, ignis fomentum suppeditante. Ad quod exciti spectaculum proxima nocte innumeri propè mortales conuenere, vigiliasque stupore defixi produxere.

90. *Vghellus in Ital. Sac. tom. 7. Potentiani Episcopi.* Supra sepulchrum S. Gerardi Episcopi Potentiani sæpè sæpiùs lampades extinctæ, nullo humano auxilio diuinitùs accensæ sunt.

91. *D. Gregorius apud Surium in vita S. Ioan. Euang.* Ante reliquias tunicarum B. Io: Euangelistæ, lampades diuinitùs succensæ mirabiliter, absque olei diminutione arserunt.

92. *Arturus in martyr. Franc. 31. Octob. de B. Christophoro Confess.* Missam quotidie cum lachrymis, ac deuotione singulari celebrare solitus erat: quam sibi verè acceptam Dominus signis euidentibus ostendit. Dum enim semel, eo celebrante lumen deesset, cereum, vt moris est, accendendum, ignis cælitùs missus inflammauit.

93. *In Chron. Min. part. 3.* Cum deferretur ad sepeliendum corpus Ven. Fr. Ioannis Nauarreti, candela, quæ à vento extincta fuerat, vltrò iterùm accensa est.

94. *Zachar. Bouer. in Annal. Capuccin. 1575. de F. Francisco Saccensi.* Cum aliquando Bocherij, quod est Siracusanæ Prouinciæ oppidum, Dei verbum prædicaret: Duo sibi demonstranda præscripserat: Primum; Quanta illi animæ lux & pulchritudo inesset, quæ Deum inhabitantem haberet; Alterum, quanta è conuerso Animæ illius deformitas, ac turpitudo sit, quum primùm à Dei gratia deseritur. Cumque id varijs rationibus explicaret; inter alias hac similitudine vsus est. Pendebat in medio Ecclesiæ, magna quædam lampas ardens, quæ ante omnium oculos posita, à toto populo conspici poterat. In hanc cum Franciscus oculos defixisset, ait: Discite, charissimi, quænam sint animæ tenebre; quamque miser hominis status, cum Dei gratia destituitur: haùd sanè ab eo dissimilis est, qui huius lampadis esse contingeret, si à lumine mox desereretur; in qua præterquam tenebræ, ac fœtens odor, nihil spectaretur. Vix hæc dixerat; cum lampas in omnium oculis extincta, nihil præter fumum, ac tetrum odorem exhalare cœpit; qui mox per totam Ecclesiam diuina virtute ita diffunditur, vt vix à populo audiente tolerari posset. Dein verò alteram partem exagitans. Discite iterùm (inquit) quid homo per contritionem, & pœnitentiæ sacramentum acquirat; id planè, quod hæc lampas sibi vendicaret: si extinctum lumen reciperet. Statimque lampas Angelico ministerio accensa, solito lucentiùs ardere, ac radios per cuncta Ecclesiæ loca fulgurare conspicitur. Id populus cùm prodigij perterritus aspectasset; tam ardenter ad pœnitentiam commoueri cœpit; vt cuncti ad sacramenta properarent: Quo spirituales tenebras depellere, ac cælestem animæ splendorem consequi valerent.

95. *Ibidem tom. 2. an. 1583. de F. Francisco Mediolanensi.* In Conuentu Placentiæ, cùm ante matutinas horas, semel extincta lampade, quæ ante Sacræ Eucharistiæ Altare ardere solet, sulphuratis omnibus consumptis, nullus excitandi ignis modus, aut spes fratribus relicta esset; Franciscus ad lampadem accedens, vix ellychnium manu contigit, cum statim è lampade lumen emersit: quod illius orationis virtuti mox ab omnibus, citra vllam dubitationem tributum fuit.

96. *Pepe in mirab. S. Caietani m. 229.* Anno 1653. Neapoli in solemnitate D. Caietani mercator quidam nomine Flaminius, multis luminibus exornauerat suà in officina Imaginem D. Caietani; cum transactis horis quatuor noctis, oleo ferè toto in lucernis consumpto, omnibusq; ad proprias redeuntibus domos, ipse luminaria omnia diligentissimè extinxit, ne scintilla aliqua nocturno tempore officeret mercibus, clausaque summo studio officina, somno se dedit; mane facto, dum officinam ingreditur, lumen diuinitùs accensum animaduertit ante Imaginem D. Caietani, maiorique admiratione obstupuit, dum obseruat, adhùc oleum in lampade superesse, cum impositum, solùm quatuor, aut quinque horis suffecturum pro alimento ignis, optimè sciret. Tunc igitur intellexit, illum, qui lumen ante eius imaginem diuinitùs accenderat, & oleum multiplicasse, vt diutiùs arderet.

Ignis parcit Seruorum Dei exuuijs.
§. 4.

QVi Sanctorum viuentia corpora minimè ausus est tangere voracissimus ignis, & eorumdem relictis exuuijs admirabilibus pepercit modis, easque reuerenti lambens obsequio, veluti veneratus est. De quibus.

1. *Beda lib. de locis sanctis cap. 5. scribit.* Sudarium, quod fuit super caput Iesu, (ita enim Sanctam Sindonem nominat) sua ætate à Maiuuia Saracenorum Rege in accensam grandem pyram fuisse iniectum, nec tamen combustum; sed veluti raptum in sublime euolasse, & in summo aere diutissimè, quasi lusitans, detentum; tandem cunctis inspicientibus leuiter in cuiusdam Christiani sinum deuolasse, & ideò totum populum Christianum summa veneratione illud salutasse, & osculatum fuisse.

2. *Gregorius Turonensis lib. 1. miraculorum cap. 11.* Cum quadam vice Gregorius Turonensis iter faciens, cerneret domum pauperis cuiusdam à flammis vndique correptam; Extractam à pectore Crucem reliquijs plenam, eleuauit contra ignem; moxque in aspectu S. S. Reliquiarum, ita cunctus ignis obstupuit, ac si non fuisset accensus.

3. *Idem ibidem cap. 19.* Vidi hominem Ioannem nomine, qui à Gallia leprosus abierat, & in ipso loco, quo Dominus fuerat baptizatus, aiebat, se per annum integrum commoratum fuisse. Hic recuperata tandem sanitate, Reliquias B. Mariæ ab Hierosolymis accipiens, reuertebatur in Patriam; sed priùs Romam abire disposuit. Verùm vbi altas Italiæ solitudines est ingressus, incidit in latrones. Nec mora, spoliatur indumentis, & ipsa quoque capsa, in qua beata gestabat pignora, capitur.

Exi-

Existimantes enim inimici, auri ibidem sextertias aggregatas, effracta claue, omnia rimantur intentè. Sed cum nihil in ea pecuniæ reperijssent, extracta pignora in ignem proijciunt, cæsoque homine discesserunt; tunc ille semiuiuus exurgens, vt vel cineres colligeret exustorum pignorum, inuenit super carbones accensos illæsas iacere reliquias, ipsumque linteum, quo inuolutæ erant, ita admiratur integrum, vt non putaretur prunis iniectum: sed aquis absconditum. Collegitque cuncta cum gaudio, & viam, quam pergebat, ingressus, vsque ad Gallias peruenit incolumis.

4. *Idem de Glor. Confess. lib. 1. cap. 3. de S. Eusebio*. Huius Sancti reliquias mater mea in oratorio domus suæ locauit. Factum est autem quadam die per hyemem, dum collocutione hilari pro longitudine noctis diutiùs ante focum, qui multa lignorum strue compositus fuerat, residet: familia iam dormitante, surrexit, & se lectulo haud procul ab ipso igne locauit. Dormientibus autem cunctis, scintillæ flammarum ad trabes vsque conscendunt, de quibus adpræhensa vna earum validè, cæpit flammas spargere: sed credo virtute Sancti illius, cuius reliquiæ propinquæ erant, flamma contra naturam de sursùm incuruata retorquetur, nec ad tectum, vt mos est, extenditur, sed deorsum fluit, vt putares non flammam, sed vellera lanæ de trabe pendere: nec exurebat trabem, nisi tantùm ardens per ipsam vagabatur: donec expergefacta mater familias vocatis seruientibus, aqua superposita, restinxit incendium, quo facile omnis domus, cunctis dormientibus, exuri potuisset, si virtus beati defuisset.

5. *Idem de Glor. Martyrum cap. 31*. Tempore, quo interfecto Clodomiro Rege Francorum, se exercitus reparans, Burgundiam deuastabat: in quadam basilica reliquiæ S. Andreę Apostoli cum Saturnini Martyris tenebantur. Accensaque basilica, cum iam tignorum moles dirueret, pauperes, ac senes, quos barbaries reliquerat, flebant, dicentes: Væ nobis, qui tantorum pignorum hodie caremus auxilio: nec nobis vltra spes præsentis vitæ manebit, si hæc deperierint. His ita flentibus, nutu Dei adueniens Turonicus homo, condolens his lamentis, & discens virtutem Martyrum, non minùs fide, quàm parma protectus, per medias ingreditur flammas; apprehensasque ab Altari sanctas reliquias, nihil ab igne nocitus, extulit foràs; sed continuò ita constrictus est, vt gressum in antea agere non valeret. Tunc indignum se iudicans, qui ea ferret, vnam puellam paruulam impollutamque elegit è præda, cui capsulam ad collum posuit, & sic in patriam prosperè accessit.

6. *Idem de miraculis S. Martini lib. 4. cap. 32*. Quodam tempore in Pictauensi Vrbe, domus adiuncta Ecclesiasticæ domui incendio maximo cremabatur, ac scintillæ cum carbonibus supra domum Ecclesiæ, impellente vento, cadebant. Sed Placidus eiusdem Vrbis Episcopus de puluere sepulchri Sancti Martini secum habens, eleuato Chrismario contra ignem, exortus subitò ventus, vento illi contrarius, flammas à tecto Ecclesiastico auertens, aliam pepulit in partem, & sic domus Ecclesiæ ab igne liberata est.

7. *Idem lib. 8. Hist. Francor. cap. 15. de S. Vuolfo Eremita*. Consumpta à flammis Ecclesia, in qua eius veneranda ossa asseruabantur, eadem intacta, & absque vlla vstione inuenta fuere.

8. *In vitis P.P. lib. 3. cap. 29. de Eulalio Monacho*. Conuocauit omnes fratres Abbas, dixitque eis: Credite mihi, fratres, quia magis opto mattulam fratris Eulalij cum humilitate, & patientia, quàm omnia opera eorum dumtaxat, qui murmurantes in cordibus suis, operantur in Monasterio. Vt autem ostendat vobis Dominus, quale meritum habet ipse idem frater apud Deum, præcipio vobis vt deferantur mihi mattulæ omnium fratrum, quas cùm detulissent, iussit vt accenderent ignem, & misit in eum omnium fratrum mattulas, quæ statim combustæ sunt, præter mattulam fratris Eulalij, quæ integra reperta est, & non est combusta.

9. *Geruasius Archiepiscopus Remensis in actis S. Melanij Episcopi apud Bollandum 6. Iannuarij*. Cum quadam die felicis memoriæ Rorans auia mea in Cenomanensi pago, in villa quadam sui dotalitij, & Argentrada nomine, moraretur, prædicta pars villæ maximo fortè incendio conflagrauit. Ignis verò validus postquàm eò productus est, vt horrei sui iuxta Ecclesiam positi fastigium crepitantibus lamberet flammis; illa Reliquiarum S. Melanij, quas secùm asportauerat, reminiscens, mox sibi afferri præcepit: quibus eleuatis, & è regione contra ignem positis, quasi cælitùs imbre demisso, subitò admiranterque noxius ille ignis extinctus est.

10. *Ibidem in actis S. Saluij Episcopi Ambianensis 11. Ian.* Factum est, vt per aliquot dies vi febrium teneretur: qua ingrauescente, tota penè ciuitas dæmonum instinctu igne cremabatur; hac de re populi ad eum confluebant, orantes se iuuari, qui tribuens eis Sudarium suum, iussit igni opponi, ad cuius præceptum, ignis confestim extinguitur, ciuitas saluatur, nociua dæmonum potestas effugatur.

11. *Ibidem in actis S. Deicoli Abb. Lutrensis 18. Ian.* Ad sepulchrum Sancti Deicoli dum furibundi accedere conarentur, ita sunt Diuino timore perculsi, vt æstimarent, se sub celeritate periclitari. Tandem egredientes, concremare tanti Patris pausatorium studentes, superna eis repugnante potentia, ne vnam quidem tegulam præurere valuerunt. Tunc insaniæ naturali furorem adijcientes, oratorium stramine ad summum vsque repleuerunt, & focum perualidum supposuerunt, vt voluntatem suam malignam satiarent. Mira virtus! Quantò magis conati sunt, tantò stramina focum magis spreuerunt. Quod videntes homines iniqui, pauefacti foràs fugerunt, & ad alia loca deuastanda tetenderunt.

12. *Ibidem in actis S. Vrbani Episcopi Lingon. 23. Ian.* Quadam die ex incuria vorax flamma domos secùs atrium Ecclesiæ S. Vrbani Diuioni positas vehementer cæpit lambere; iamque consumpta parte habitaculorum quorumdam, nulla spes supererat. Tunc quidam de virtutibus viri Dei fideliter præsumentes, capsam reliquiarum eius inter medios ignes posuerunt. & non tantùm ipsa quæ

San-

Sancti continebant thesaurum, verum etiam quæ circa iacebant lignorum cremia, omninò inusta reperta sunt.

13. *In actis S.S. Feb. tom. 2. in contin. Bollandi*. Cum anno 1573. occupata à Caluinistis Lodeua in Gallia, in ignem iniecissent corpus S. Fulcrani Episcopi eiusdem ciuitatis, quod integrum incorruptumque inuenerant; ignis velut suam ijs exprobraret immanitatem, sacris exuuijs pepercit. Nihil tamen moti eo miraculo feri homines, per compita illud bacchico furore raptarunt, dein in frusta dissecuerunt.

14. *Ibidem*. Pannus, quo reliquiæ S. Stephani Fundatoris ordinis Grandimontensis inuolutæ fuerant, à Sacerdote, qui decentiori pannos eas inuoluerat, semel, & iterùm, atque iterùm proiectus in ignem, comburi non potuit. Inuocato itidem deuotè prædicto Sancto, ingentia incendia, eius intercessione mirificè subextincta sunt.

15. *Ibidem in Feb. tom. 3.* Voraci incendio vrbem VVigorniæ vice quadam conflagante, mox vt ad feretrum S. Osuualdi Archiepiscopi Eboracensis flamma accessit, ignis elanguit, nec vlteriùs aliquid assumpturus in se, defecit.

16. *Metaphrastes de corpore S. Euphemiæ Calcedone posito*. Cum impij Parsæ, locum, in quo erat corpus S. Euphemiæ occupassent in diebus Heraclij Imp. moti inuidia diaboli, quem colebant, cum paleæ & lignorum magnum aceruum circa arcam congessissent, eam statuerunt comburere cum venerabilibus, quæ in ipsa erant reliquijs. Sed nihil valuit eorum barbaricum & dæmoniacum incæptum: cum Deus (pro vt scriptum est) seruet omnia ossa eorum, qui propter ipsum decertarunt. Ossa ergo eius ignis omninò non tetigit.

17. *In vita S. Margaritæ mart. apud Vghellum*. In vico Diui Bartholomæi ignis validus accensus est, & mulier quædam, Ioletta nomine, interijt, cum nulla aquarum multitudine, nulla vi extingui posset. Vgo Sacerdos diuæ Margaritæ caput exhibuit, & ad ignem pertulit, quo ostenso, flammæ illius sedatæ sunt, & omnis ignis ita extinctus est, vt ne scintilla ignea inueniri posset.

18. *Vghellus in Ital Sacr. tom. 6. in Ortonensibus Episcopis*. An. 1566. die prima Augusti Ortona hostium direptioni cessit, templumque Cathedralis à Turcis fuit combustum vnà cum arca, in qua Apostoli Thomæ reliquiæ asseruabantur, illis tamen diuina virtute, intactis integrisque manentibus.

19. *Idem tom. 1. de Marcellino Episcopo Anconitano*. Post eius excessum, cum Traianum vicum, vt vocant, ignis corripuisset, appareretque vsque ad excidium loci ignem edacissimè progressurum, eius in Episcopatum successor Thomas, sublato libro, quem Marcellinus tenere manu solebat, editoque cum libro contra ignem salutifero signo crucis, repentè ita flamma elanguit, ac si pro signo frigida fuisset inspersa.

20. *Vuillielmus Malmesburiensis lib. 4. Pontificum Anglorum de Vulstano*. Post non paucos annos eius decessus, ignis ab vrbe per incuriam veniens, Ecclesiæ tectum omninò consumpsit plumbo liquefacto, asseres regnante incendio in carbonem mutati, trabes perinde grandes vt integræ arbores ambustæ deciderunt ad solum. Quod ignem intra Ecclesiam effugere potuit, tantæ molis ruina dissiluit, & crepuit. Sepulchrum intra hæc Sancti, non solùm à furore flammæ immune, sed nec fuligine tinctum, nec fauilla opertum fuit. Et vt augeretur miraculum, natta qua accubitare solebant orantes ante mausoleum, incolumis reperta; lignum & quod supernè prominere dixi, quantùm extra lapides extabat, inuentum integrum, quod petra incluserat ipsa corrupta in cineres solutum.

21. *In vita S. S. Fratrum Polonorum Eremit. Camaldul.* Latrones quidam, qui erant milites Regis ex familia Slaboszoms Kie, cupiditate pecuniæ intenti, Rege deducto in ciuitatem Konin, secretò reuersi noctu ad Sanctos Eremitas, quoniam cognouerant munificè à Rege donatos, auri sacra fame incitati, Sanctos viros in oratione nocturna occupatos, comprehendunt, minis, plagis, vinculis, & vario cruciatu, igne, ferro excarnificatos contrucidant; atq; vt tanti sceleris immanitas lateret, ignem injciunt, & sacellum ac sex cassas, tùm suppellectilem omnem pauperem, & quinque corpora Sanctorum flammis dant, vt his perijsse crederentur. Verùm vt ignis ille Babylonicus tribus pueris minimè nocuit; ita nec horum tuguriola, corpora, aut vestes adussit. O quam mirabilis Deus in Sanctis suis.

22. *Petrus Malpæus in Palma fidei de Fr. Ioanne à S. Dominico*. Eius corpus cum nec abdi nec in loco adeo petroso humari posset, vna manuum sibi retenta, concaptiui Patres paganis cessere, qui pro ingenita sua feritate istud in ardentem rogum iniecerunt, vt cineres in mare dispergerent, ne quid Sacrarum reliquiarum superesset; verùm cum superpositis XXX. lignorum plaustris à flammis exuri non posset, à furentibus carnificibus in frusta dissectum atque in altum mare, ne à Christianis reuerenter haberetur, præcipitatum est.

23. *Thomas Maluenda in annalibus Prædicatorum, an.* 1218. In Ciuitate Segouiæ magnum incendium inualuit in domo cuiusdam piæ fœminæ, à quo cum cuncta incensa fuisset, Arca, in qua vestem S. Dominici Confessoris deuotè conseruabat, mirabiliter præseruata fuit.

24. *In vita S. Philippi Benicij lib. 4. cap. 6.* Lectulum, in quo vir Dei, dum viueret, breue somnum capere solebat, ceù, pretiosam Reliquiam seruabat vir quidam Tudertinus, nomine Iacobus; huius domus dùm ab ingenti incendio consumpta, concremataque fuisset, dolebat vir pius, tam sibi caram deperdidisse reliquiam; at mirum dictu; paulò post inter cineres, incolumis incombustusque repertus fuit lectulus viri Dei, cui flamma haùd nocere ausa est.

25. *Ibidem*. Cum anno, 1597. Senis magnum incendium totum deuastasset, concremassetque Sacellum, in quo in arca marmorea à lignea circundata, asseruabatur corpus B. Ioachini Senensis ordinis Seruorum; Arca ne dum marmorea, sed nec lignea, vllam ab igne passa est læsionem.

26. *Ibidem*. *in An. Seruorum cen. 1. lib. 5.* Vir qui-

quidam pius dictus Benedictus, Beati Philippi familiaris, ab eodem dum vixerat par vnum crepidarum, simplici opere è Iuncis fluuialibus textorum munere acceperat, quod ille non vulgari religione asseruabat. Itaque orto domi eius incendio, iunceas crepidas iam benè siccas, magna cum certi præsidij spe, & fiducia in Muneratorem suum, furentibus flammarum vorticibus iniecit; quibus flamma citiùs cessit, quàm fluuio, vnde iunci erant oriundi, cessum videbatur.

27. *In iisdem Annal. Cen. 2. lib. 3. cap. 1.* Caput B. Helisabet Senensis sororis Tertiariæ Ordinis Seruorum, cum longè post mortem in ignem coniectum fuisset (siue id casu accidisset, siue vt aliqua de eo probatio fieret) incombustum, & illæsum, vt antea, cunctis admirantibus, & venerantibus, remansit.

28. *Petrus de Natalibus libr. 5. cap. 129. de S.S. Ioan. & Benedicto Mart.* A quibusdam in cella sunt iugulati; & thesauro requisito, nihil ab eis inuentum est. Tunc illi, facinus palliare volentes, cellam incenderunt, vt combustis corporibus, ipsi innoxij crederentur: sed Dei virtute, cella combusta, corpora omninò intacta permanserunt: Ipsi verò fugere volentes, se indè mouere nullatenùs potuerunt. Vbi verò sanctorum iacebant cadauera, nocte apparebat lux immensa, & Angelorum audiebatur cantilena.

29. *Arnoldus Rayssius in Hierogazophylacio Belgico.* Maximè floruit B. Chrodobaldus Marchianensis cœnobij Præpositus, vir multis, & præclaris virtutibus insignis: cuius tapetum eius sarcophago suppositum, cum cœnobij templum absumeretur flammis, non sine cum ingenti miraculo, omninò permansit illæsum.

30. *Bzouius in an. Eccl. an.* 1248. Cilicium S. Edmundi Cantuariensis Episcopi vetustate consumptum, & igni iniectum, mansit incombustum.

31. *Surius in vita S. Modoaldi 12. Maij, lib. 3. cap. 9.* Cum semel maximum incendium deuastasset Ecclesiam, in qua sacra Modoaldi pignora custodiebantur; res mira accidit, nàm remota, quæ omnem superficiem contexerat, incendiorum congerie, cuncta, præter spem, quæ sancti erant, integra reperta sunt, ipsiusque sepulchrum totius expers iniuriæ.

32. *Idem 12. Iun.* Scipioni suo Sanctus Odulphus, cui senex innitebatur, affixerat in suprema parte ceream tabellam: in qua scribere nomina suorum consueuerat, vt pro eis Numini supplicaret, donec scriberentur in libro vitæ characteribus æternis. Fortè aliquando accidit, vt cella eius exureretur, dum in Templo ipse oraret; sed cum incendio alia omnia fuerint redacta in cinerem, baculus mansit illæsus inter flammas, sicut & cerea tabella, qua instar pugillarium vtebatur; adeò vt ne apex quidem vnus litterarum, aut nominum in ea fuerit abolitus.

33. *Idem in vita S. Adalberti Confess. 25. Iunij.* Oratorium Beati viri custodum incuria bis flamma vorax absumpsit, & cum nihil ignis reliquum fecisset ex ijs, quæ in Oratorio illo habebantur, solum pallium, quo erat sacrum sancti Confessoris corpus obuolutum, nihil ab igne detrimenti accepit.

34. *Idem in vita S. Galli Abb. libr. 2. cap. 6. 16. Octob.* Vir quidam pauperculus in pago quodam ex summa deuotione cum vxore sua ad cellam B. Galli causa orationis properare disposuit. Cuius intentione deuotionis, dùm mulier pallulam, quam in loco sancto oblatura erat, contextam parauisset, inuoluit eam formella ceræ, quam simul oblatum ire cogitabat, & in arca sua inter alia vestimenta reposuit. Contigit autem, dùm ire pararent, domum illorum cum omnibus, quæ intra illam erant, rebus, igne cremari. Cumque consumptis omnibus, flamma cessante, sopitum fuisset incendium, cœperunt inter fauillarum cumulos, ferramentorum reliquias quæritare. Et ecce inueniunt, mirum dictu, ceram pallula inuolutam inter cineres, & carbones, nihilque in eis læsionis apparuit: Cum ipsam arcam, & quicquid aliud in illa repositum erat penitùs consumpsisset incendium. Viso igitur tantæ virtutis miraculo, benedixerunt Deo, & iter quod disposuerant, peregerunt. Et narrantes fratribus: quæ gesta fuerant, obtulerunt donarium, quod huic voto consecratum, in supremis non poterat perire periculis. Seruatæ sunt autem ibi eædem res in testimonium post futuris, vsque ad tempora Othmari Abbatis.

35. *Idem ibidem cap. 4.* Diaconus quidam nomine Stephanus, dum in S. Galli Ecclesia custodis officio fungeretur, quadam vespera incensam Oratorio inferens candelam posuit supra candelabrum iuxta B. viri sepulchrum. Quæ à rectitudine status vergens in partem, ardens cecidit super arcam sepulchri. Cuius ardoris violentia vnam comprehendens pallam, vsque ad medietatem exarsit, & ita restincta est, nihil lecto, nihil baculo, qui in eo pendebat, vel alijs linteaminibus super sepulchrum expansis, inferens læsionis.

36. *Idem in vita S. Amabilis Presbyteri, 1. Nouembris.* Reliquiæ, quas ab Angelo diuinitùs acceperat S. Amabilis, quasque in Ecclesia S. Benigni Martyris apud Aruernos collocauerat, crebrò flammis oppositæ ab incolis loci illius, aut alijs vicinis, incendium omne, quod iam vastabat domos, extinxerunt.

37. *Bozius de signis Eccles. lib. 15. cap. 7.* Mainardi cadauer, cum stramentis impositum fuisset, ijs accensis, cum flamma ad corpus Sancti peruenit, substitit, nec illi nocuit quidquid.

38. *Idem ibidem.* In Oppido Harlebacensi asseruabantur S. Bortulphi Abbatis reliquiæ: igne iniecto; accidit, vt totum conflagaret vnà cum ipsius Sancti Æde. Quam cum flammæ absumerent, ossa à medio in altum sese attolentia prosilierunt in obiectum vestimentum Sacerdotis, quod è conspectu incendij humi expansum iacebat.

39. *Vincentius Belu. lib. 23. cap. 28. de B. Sulpitio.* Quædam mulier illustris spicis segetum repleuerat horreum magnum. Intempesta nocte scelestus ingrediens, ignem coniecit, & flamma serpente, tumultus increpuit; vir Dei reperta causa, currens cum canticis spiritualibus, rogum circumit, & miris modis cum baculo terminum defigit, quem

igneus

gneus collis trangredi nequeat; flammæ itaque ex omni parte vicinas domos dum trangerent, ad se reuersæ chaos fugiunt, quod trangredi non audent.

40. *Hugo Menard, lib. 1. obser. April. de S. Ereberto.* Cum aliquando patriam, & propinquos inuiseret, venit ad locum Visiocortem, quem germanus eius, Gamardus nomine, possidebat. Cum illic moraretur, repentinus ignis eãdem villam inuasit. Tunc Christi Sacerdos in basilica, quam ipse in honorem S. Saturnini Martyris atque Pontificis ædificauerat, orabat, qui populi ob tantum incendium perturbati clamorem audiens, statim ex Ecclesia egressus est: & tanto casu perculsus, baculum pastoralem flammis opposuit, & humi prostratus, Deum obnixè deprecatus est. Ad baculum perueniens flamma, velut impetu facto, restitit, & in se reflexa vim furoris amisit, & tandem sopita conquieuit,

41. *In Marty. Gallic. 10. Iun. de S. Landerico Episcopo Paris.* Eius sacrosancta spolia digna veneratione conseruat suo in sacrario Clerus Regiæ, collegiatæque Ecclesiæ Sancti Germani cognomine Antissiodorensis, vnde allatum pridem eiusdem beati Antistitis sudarium, furentis ignis sæuitiam sua appositione repressit.

42. *Ibidem 3. Kal. Augusti.* Antissiodori depositio sancti Vrsi Episcopi, & Confessoris. Hic iuxta sancti Amatoris basilicam reclusus, eo loco Anachoreticam vitam duxit, vbi postea Oratorium, eius sub nomine dedicatum est. Cuius Sanctitatis euidens hoc fuit testimonium, quòd cum quadam die ciuitas subito incendio conflagraret: ipse populi clamore promotus, scipionem, quo seniles artus fulciebat, illùc deferendum tradidit, quo inter minaces flammarum globos collocato, omne incendium dicto citiùs euanuit.

43. *In actis S. Rimberti cap. 26.* Suspensa est super sepulchrum eius lampas lignea, vt lumen continuum in ea ibidem haberetur: subtùs ipsam verò in superficie sepulchri velamen iacebat expansum, in quo fertur præclarum contigisse miraculum, quod in quantùm ex relatione narrantium, vel memoria, vel intellectu retinemus, ita gestum esse constat. Contigit quadam nocte conflagrasse eandem lampadem, ac primò crebros carbones decidisse ex illa super velum memoratum, atque illicò subsequi etiam casum totiùs lampadis ipsamque supra idem velum totam comburi, absque vlla lesione ipsius veli. Quod nulli dubium esse debet, ad declaranda merita Serui sui Christum fecisse.

44. *In actis S. Vuillehadi cap. 2.* Non est occultandum silentio, quod ad gloriam Beati viri diuinitùs patefactum hactenùs in Bremensi conseruatum manet Ecclesia. Si quidem baculus hominis Sancti, quem Episcopali more ipse gestare consueuerat, post obitum eius, fidelium deuotione in quadam fuerat arca repositus. Contigit autem, Domum, in qua hæc eadem arca degebat, subitaneo flagrare incendio, & cùm domo pariter etiam arca, cum omnibus, quæ intùs recondita fuerant, penitùs est consummata; sed baculum ipsum in nullo funditùs ignis attingere potuit; verùm in medio ignis ita est repertus incolumis, vt nec signum quidem ardoris in eo vllum apparuerit. Item Calicem eius, cum quo sacrificium Domino offerre continuè solebat, in quodam loco reconditum, Discipulorum eius fidissima conseruabat affectio: Vbi etiam cùm ingestus ignis cuncta consumeret, ac si quid fortè metalli fuerat opere fabricatum, calore liquefactum deflueret, ipse cùm esset argenteus, omninò integer est repertus.

45. *Ferrarius in Catal. S.S. 3. Iulij.* Cum ciuitas Setia incendio conflagrasset, ignisque Ecclesiam, in qua corpus S. Lingdani Abbatis iacet, peruasisset, illud tamen cum capsa, cæteris combustis, inuiolatum permansit.

46. *Io: Buzelinus in annal. Gallo-Fland. de S. Amando.* Suggerunt monumenta Martianensis Abbatiæ præclarum eius Sanctitatis argumentum post mortem præbitum. Nam quo tempore cœnobij templum incendio conflagraret, impositum eius Sarcophago tapetem referunt prunis ardentibus coopertum fuisse, & maximis vndique septum flammis; eum tamen illæsum integrumque mansisse; idque propter in sacrarijs inter res sacras, tamquam miraculis testem, repositum.

47. *Aimoinus Floriacensis l. 2. de mirac. S. Benedicti. cap. 3.* Inusitatum antea sæculis, ostensum à Domino est signum: quod non ambigitur meritis gloriosæ Virginis Mariæ, Sanctissimique Confessoris Christi Benedicti fuisse obtentum, ad mœstorum solamen Monachorum. Tripoda erat exigua ad vsus reficiendorum, qui fortè aduenissent peregrinorum, præparata. Hæc casu sub turri, è qua signa dependebant, elata: decidentibus ambustis circumuallatur trabibus. Tunc renouante Deo antiqua miracula, qui sub Moyse rubum medijs in flammis seruauit incombustum: mensa lignea vaporem non sensit igneum. Videbatur ergo non ardens, ardere tripes, nec iuncta caloris materies alimenta dabat: vt apertè claresceret, ipsum aliquando super hanc discubuisse mensam, qui sibi tribui fatetur, quod egenis ac mendicis confertur, Fit concursus ingens ad hoc spectaculum, videruntque quibus est videri datum, quasi turbinem à prædicta mensa exurgentem, congeriem carbonum hùc, illùcque dispergentem. Videre erat dudùm lugubres pro imminenti calamitate multorum vultus, repentè huius prodigij alacritate permutatos. Consumptis igitur omnibus, hæc remansit inusta.

48. *Ex m. s.* Cum an. Domini 1245. Brixiæ igne accenso in Sacello Cathedralis Ecclesiæ, in quo piè colitur cum alijs reliquijs particula Dominicæ Crucis, omnia combusta fuissent, simulque arca lignea, & ferrata, in qua sacra pignora conseruabantur, ea solùm ab igne illæsa remanserunt, sicut & baculus pastoralis ligneus S. Filastri Episcopi Brixiani, qui ibidem reperiebatur.

49. *In actis S. Martialis Episcopi.* Replicemus aliud miraculum per Dominum à B. Martiale in ciuitate Burdegala operatum, cum exigentibus hominum insolentijs denominata ciuitas ignis incendio iam consumenda cremaretur, ac penè sui interi-

interitum arsura minari videretur; accipiens Religiosa Benedicta baculum ad incolumitatem viri sui restituendam à S. Apostolo accommodatum, contra ignem opposuit, & dixit: Deus Christianorum quem prædicat B. Martialis erue nos ab imminenti periculo, & ostende tuam super nos clementiam, qui omnibus te credentibus, antequam inuocareris, promisisti te adfuturum. Ad hanc vocem Virginis merito Benedictæ ita sopitum est incendium, vt vestigia ignis nullo modo apparerunt.

50. *In actis S. Vldarici Episcopi Augustani*. Cum cereus ardens ante eius sepulchrum, cecidisset super tapetium eidem sepulchro superpositum totus ibidem consumptus est, tapetij verò nec vnus pilus in superficie exustus est.

51. *S. Anton. 1. p. Chr. tit. 7. cap. 9. §. 3. de S. Symphoriano*. Cum quidam Christianus tres capillos de loco, vbi decollatus est S. Symphorianus cum sanguine eius collegisset, & in quadam capsa argentea in Ecclesia cuiusdam Castri (quod Thigernum dicitur) collocasset, Castro illo cum Ecclesia ipsa igne consumptis tempore Theodorici Regis Francorum, capsa illa argentea illæsa reperta est.

52. *Michael Studita discipulus Theodori Studitæ in eius vita*. Narrabat diuino Sophronio mulier quędam genere nobilis miraculum, quod sibi acciderat in hunc modum. Inuaserat (inquit) domum meā, quæ in Rhabdo est, incendium, quam circum totam serpēte igne, propiùs nihil erat, quàm vt omnes meas facultates flammis absumi viderem. Nec iniecta vis aquæ, nec machinæ vllæ ad restinguendum aptæ, domare flammas poterant, tanto impetu cuncta comprehenderant. In hoc rerum articulo subijt animum, Patris epistolam, quam ad me nuper miserat, è pera tollere, atque in ignem inijcere, si forte illam reueritus, vehementem illum impetum aliquo modo repelleret Vt ergo ad rem veni, & venerandas litteras flammæ inieci, hoc simul inclamans: Sancte Theodore adiuua periclitantem famulam tuam: videre mox fuit, atrocem illam vim ignis restinctam subito languere, ac cinerem solùm, fumumque post se relinquere.

53. *Pepe in mirabilibus S. Caietani. m. 23.* Ianuę quodam in Monasterio fortuitò in ignem decidit parum gossypij oleo lampadis S. Caietani illiti; at ignis ardorem compescens, ceuque venerandas reliquias obuenerans, minimè tangere ausus est, illæsumque & intactum custodiuit.

54. *Ioseph Sylos in Hist. Cler. Reg. par. 2. lib. 5.* Castronouo, quæ B. nostri Andreæ patria fuit, excitatum incendium, restingui nulla vi poterat: crescebatque vehementiùs, postquam quatuor iam, & viginti omnino horas perdurauerat conflagratio. Tandem sensere à populari suo opem ciues, proiecto siquidem in ignem numismate, quod viuens gestauerat idem B. Andreas, visa grassata diù flamma momentò in cineres descedisse: idque mox ingenti admirationi fuit, quòd neque numisma ipsum, neque sericam, qua illigauerant, tæniam, vlla penitùs ex parte ignis læserat.

55. *Boluitus in vita B. Andreæ Auellini Cl. Reg. lib. 3. cap. 33.* Hieronyma Homodei nobilis Virgo Panormitana dum aliquando ad focum assideret, pagellam explicauit, quæ capillum B. Andreæ contegebat, & mæsta vidit illum abesse. Vestigat solerter, & plusculum temporis quæsitioni donat: sed minutulus quantacumque cura inueniri non poterat, idque ipsa iam desperans, religione tacta, chartam, ceù sacram quandam capilli theculam igni addicit, & flammæ. Combusta pagina, insperatò prodidit se se capillus: Nam fœminæ auidentia, cum ipsa igni traditus fuerat; sed indè subsilierat, quod non ipsa: & signum proiectionis ostendebat, alteram sui extremitatem tostam.

56. *Zachar. Bouerius in Annal. Capuc. 1554.* Mulier quæ à F. Tobia Mediolanensi Crucem ex ligno S. Francisci compactam, acceperat: cùm eam ligneæ Coronæ B. Virginis, quam secùm deferebat, alligasset: casu accidit, vt Corona simul cum Cruce, illi imprudenter in ignem prolaberetur. Cumque Corona, quæ lignea erat, igne combusta, ac consumpta esset: sola Crux integra, atque ab igne illæsa permansit; quam Felis quædam domestica, vngula ex igne erutam, atque ore apprehensam, ad heram detulit: vt luculentiùs cunctis prodigium pateret.

57. *Ibidem, an. 1587. de B. Felice*. Nonnulli huius B. Viri capilli papyro occlusi, cum a Camilla Peretta imprudenter in ignem proiecti fuissent; in eo incombusti permanent, atque à flamma illæsi inde eruuntur.

58. *In relatione Iaponis.* Quodam in loco Omuræ, Christianus quidam habebat vnum granum benedictum: cuius vilis domuncula igne tota absumpta est. Bonus homo hoc infelici casu angebatur plurimùm, ac imprimis, quòd cum omni supellectile sua, etiam grani illius iacturam fecisset. Extincto igitur igne, tanto desiderio tenebatur, recuperandi grani, vt totum diem in cineribus cribro incernendis consumpserit, vt illud inuenire posset. Breuiter visum est Domino illum solari, in eodem domus loco tandem inuenit tam integrum, ac si ignis nunquam illud attigisset. Idem accidit in domo cuiusdam pauperculæ mulieris, quam cùm flamma corripuisset, & illa conaretur quicquid posset ex igne eripere, oblita tamen est coronæ, quæ cum duabus Sphærulis benedictis in quadam conflagrantis domus parte suspensa erat. Incendio restincto, mulier memor coronæ vehementer doluit, ac si magnum aliquod flagitium commisisset, quòd illius, maximè autem duarum Sacrarum Sphærularum, memoriam deposuisset. Et ecce cum omnia redacta essent in cineres, diù multùmque quæsitam, intactam & saluam inuenit, cum magna ipsius & reliquorum Christianorum consolatione; nec parùm hoc miro euentu in sua erga grana benedicta religione confirmata fuit.

De his etiam alia notabuntur, cum de probatione & experimento Sac. Raliquiarum per ignem. §. 9.

Ignis

Ignis Imagines sacras reueretur.
§. 5.

NOn minori admiratione voraces flãmæ Venerandas sanctorum Imagines deuoto reuereri obsequio, quandoque obseruatæ sunt, ceù enim in ipsis archetypa, à quibus sunt venerantes, eos iniurioso incendio fœdare haùd sunt ausæ. De quibus.

1. *Cæsarius lib. 10. mirac. cap. 32.* Cum in ciuitate Susatiæ Diœcesis Coloniensis ignis accensus in domo cuiusdam ciuis, omnia in cinerem redegisset intactam reliquit imaginem Crucis, qua signata erat vestis, cum qua contra infideles in bello Sacro decertauerat.

2. *In Chronico Belgico.* Anno 1548. incendio maximo Ciuitas Traiectensis flagrauit. Est autem ibi capella in honorem S. Crucis consecrata, quam incendium cum omnibus, quæ intùs continebantur consumpsit, excepta Imagine Sancti Saluatoris, in qua hoc miraculum contigit, quòd patibulum consumptum est, & claui, & imago tota sine læsione permansit: quam Clerici cum populo magna suscipientes deuotionis reuerentia, ad templum de capella detulerunt, & ex hoc eam in summa veneratione habuerunt.

3. *Tilmanus Brendebachius Coll. lib. 3. cap. 24.* Anno 1533. Oppidum Delphense in comitatu Hollandiæ incendio conflagrauit: erant autem eo tempore ibi tres imagines Deiparæ Virginis: grassante ergo incendio, omnia circumquaque flammis vastata, eaque in cineres redacta fuerunt: tres verò istæ Deiparæ Virginis Imagines, quæ multis inde ab annis pietatis, & religionis ergo istis in locis erectæ erant, inuiolatæ & illæsæ penitùs permanserunt.

4. *Idem ibidem libr. 3. cap.* 28. Cum Hermannus Modet, seditiosorum fax apud Hasselense oppidum Hasbaniæ Leodiensis diœcesis ann. 1566. bis ter in templum venisset, vt S.S. Imagines confringeret, fuit lucernarum lumen bis ter extinctum: Denique cum rogum immanem excitasset, vt iniectas in eum S. S. Imagines exureret, fuit ille rogus iniectis venerandis Imaginibus haùd aliter subitò extinctus, quàm si copiosissimo fuisset imbre perfusus.

5. *Ioan. Ant. Gabutius in vita B. Pij V. lib. 6. cap.* 18. Romæ in templo S. Saluatoris ad laurum, mense Septembri ann. 1591. orto incendio, Sanctissimæ Virginis Dei Matris imaginem in tela pictam, rebus omnibus circumfusis, sæuiente vndique igne, pariter exustis, integram, & immaculatam diuinitùs conseruatam fuisse vidimus: tantique miraculi summa cum admiratione testis est populus Romanus, eiusdem Beatissimæ Deiparæ Virginis cultor singularis.

6. *Idem ibidem.* Neapoli cum in Æde S. Catharinæ de Formello nuncupata, anno salutis 1587. nocte festi S. Barnabæ Apostoli, lapso igne, Ecclesiastica supellex deflagrasset, inter aliaque pallium ex albo serico totum exarsisset, S. Catharinæ Senensis effigies in eo medio depicta, prorsùs illæsa remansit, Neapolitana ciuitate obstupescente.

7. *In m. s.* Neapoli in Ecclesia P. P. Congregationis Beati Petri de Pisis pia colitur imago Saluatoris mundi, quæ in voracissimo incendio Vesuuij, cum inter ignem cineresque diù stetisset, nil læsa mirabiliter adinuenta fuit.

8. *In libello mirabilium Romæ.* Sub Pontificatu Honorij III. Romæ à voracissimo igne cùm cremata fuisset Ecclesia S. Mariæ Nouæ, imago B. Virginis à Diuo Luca depicta, quæ ibi reperiebatur, ab igne illæsa remansit, eamque vsque hodie in eadem Ecclesia fideles pia colunt veneratione.

9. *Spinellus.* Item Romæ in Ecclesia S. Mariæ ad campum Martium est imago Deiparæ Virginis à S. Luca depicta, quæ aliquando in maximo incendio, illæsa remansit, & ad quendam puteum in aere suspensa inuenta est.

10. *Beatillus in vita S. Nicolai Myrensis lib.* 4. Dùm an. 1579. Barij in Apulia totum ferè deuastatum fuisset ab igne monasterium Monialium S. Scolasticæ, inter cæteras & consumpta fuit imago B. Virginis ab Angelo salutatæ, verba autem salutationis, scilicet AVE MARIA, quæ ibidem erant inscripta, haùd flamma tangere ausit; Eamque vsque adeò conseruant eædem Moniales.

11. *Bened. Cononus in Chronico Deiparæ.* Anno Domini 1594. cum Turcæ Rhegium Italiæ occupassent, & vastassent, Ecclesias profanassent, & incendissent, quandam pulcherrimam imaginem B. Virginis in tabella depictam in Ecclesia Carmelitarum inuenientes, in ardentissimum, & copiosissimum ignem proiecerunt: Sed nullo modo comburi potuit. Deinde eam rapientes, proiecerunt in puteum, quem etiam immunditijs ad summum vsque repleuerunt. Post quorum abscessum, tandem indè extracta à Carmelitis fuit, & inuenta absque vlla omnino sorde, & macula, quam in quodam Sacello reposuerunt, vbi nunc magno populi concursu visitatur, & colitur, miraculisque refulget.

12. *Idem ibidem.* An. 1622. Vesontione in Gallia istud accidit miraculum. Extat in Claustro S. Mariæ Magdalenæ vetus imago B. Virginis, quæ vocatur B. Virgo Claustri, vel Pietatis, quia tenet filium de cruce descensum in gremio suo. Cum autem anno 1622. Claustrum prædictum omninò conflagrasset, imago B. Virginis intacta remansit, neque velum, quod erat super caput eius, ignis omninò tetigit, licet in cineres redegerit Cunabulum, vbi reposita fuerat.

13. *Rhò in Sabbatis B. Virginis mir. 46.* In Ciuitate Emiliæ, Forum-Liuij vocata, an. Domini 1420. dum à voracissimo incendio, domus cuiusdam ludi Magistri (Bernardinus Bruscius appellabatur) combureretur ecce super flammas, veluti per leuissimum aerem superuolare conspicitur in papyro depicta imago B. Virginis, quæ in eadem domo cuidam parieti priùs affixa erat. Miraculum tota ciuitas, Eminentissimusque Pontificis à Latere

tere Legatus, qui tunc erat Dominicus Capranica, & venerati, & admirati sunt; Sacramque imaginem à flammis illæsam solemni ritu in cathedralem Ecclesiam deportarunt; quæ vsque adeò insignibus coruscat miraculis, præcipueque illam admirabilem continnò experiuntur populi, & in fugandis importunis pluuijs, & in illis ob siccitatem necessarijs impetrandis.

14. *Balinghem in Calendario Virg. 6. Aprilis.* Duaci anno 1553. arsit Monasterium Franciscanorum cum templo, in quo incendio id mirabile præter cætera accidit. Altarium tabellis omnibus concrematis, sola tabula sacelli Conceptionis remansit intacta, quæ adhùc hodie ob singularem picturæ excellentiam ab omnibus auidè conspicitur.

15. *Idem ibidem 28. Maij.* Amsberga ciuitas Vuestphaliæ, horribili incendio intra paucas horas tota conflagrauit, ita vt ipsi murorum lapides passim in calcem verterentur. Erat ibidem in aditu curiæ statua B. Virginis Mariæ ad murum posita, cancellisque ferreis præmunita. Cumque paulò ante in festis Pentecostes habita fuisset processio, relicta est ea statua in ornatu, quem tunc habuit, scilicet noua veste ex rubro serico, appositis candelis tum cereis, tum sebaceis, insuper & ramusculis. Mirum est dictu, & visu; Tota curia in cineres, ferrum in scoriam vertitur. Statua cum supradicto ornatu, ne fumum quidem sensit, neque candelæ liquefactæ, nec ramusculi læsi. Res maximè nota, & quæ loco catholico facta, ad eum ex omnibus vicinis partibus homines spectandi causa exciuit.

16. *Bzou. an.* 1495. Ex Neapolitano Regno cum reliquias Gallorum Ferdinandus Rex eijcere tentaret, & Fragnellum non ignobile oppidum oppugnaret. Diua Virgo Deipara, quantùm curæ de imaginibus suis sacris haberet, indicio euidenti ostendit. eius enim oppidi exusto sacello, ligneum eiusdem Virginis simulacrum inuentum est ab igne minimè corruptum, quod summa veneratione, ac diligenti custodia Neapolim trasmissum est, & supplicatio in vnum diem populo indicta.

17. *Felix Astulphus in Hist. Imag. B. Virg. libr.* 12. Taruisij in Ecclesia Beatæ Virginis, cum quodam tempore, incendio maximo ferè tota Ecclesia combusta fuisset, ad Imaginem Beatæ Virginis, quæ ibidem colitur, accedentes flammæ, eam minimè tangere auserunt, sed intactam reliquerunt.

18. *Idem, libr.* 13. Fauentiæ alia prodigiosa imago Beatæ Virginis in tabula depicta colitur, quę olim in medijs flammis, immunis illæsaque permansit.

19. *Gulielmus Cumppenberg in Atlante Mariano lib.* 2. Cum Constantinus Capronimus omnes sacras imagines in foro Constantinopolitano collectas, igni tradidisset; vna ex ipsis, diuina virtute, è media flamma, quæ iam totam quanta erat, struem inuoluerat, saltu mirabili in altum prosiliens, facto benè grandi hemicyclo, decidit in fœminæ orthodoxæ gremium. Hæc sibi, tabulæque consultura, populo se subtraxit. At domum vbi venit, tabulæque materia simul ac pictura examinata à pijs est, tabula reperta est è ligno integra, quadrata, nec vltra mediocritatem magna. Pictura illæsa, colores viui, manus Artificis præ alijs bona. Huiusmodi imago diù Constantinopoli conseruata est, postmodum Paduam delata à Beato Vrio Sacerdote, nunc in Ecclesia S. Iustinæ ibidem summa veneratione colitur.

20. *Idem ibidem, de Imagine B. Virginis VVartensi in Boemia.* Arsisse templum, in quo huiusmodi statua colebatur incensoribus Hussitis, tradunt Historiæ, quin & in cineres redactum; Virginea tamen statua, licet incendium non euaserit, inter ignes tamen permansit illæsa.

21. *Stephanus Pepe in Hist. B. Virg. de Aetinga in Bauaria.* Cum anno 609. ab Hungaris Ætinga deuastata, igneque consumpta fuisset, Imago B. Virginis, licet lignea, mirabiliter ab igne illæsa permansit.

22. *Ioan. Ant. Gabutius in vita B. Pij V. lib. 6. cap.* 18. Agabræ, quod oppidum est in Hispania, haùd longe à Corduba, domestico in Sacello clarissimi viri Antonij Cardonæ, & Cordubæ, Ducis Sessæ, res contigit ad B. Pij sanctitatem indicandam valdè memorabilis. Nitebat idem sacellum pulchris aulæis, ac varijs, quà insignium Sanctorum, quà Romanorum Pontificum tabulis in tela affabrè pictis vndique ornatum, pieque instructum. Inter alia verò B. Pij V. quem Dux ipse, vnà cum religiosissima fœmina Ioanna Aragonia coniuge sua mirificè colebat, binæ pendebant imagines: altera in tela ad altare; ex charta verò altera ad sacelli ianuam appensa. Accidit quodam die, qui dies Sancto Apostolo Thomæ sacer erat, anno 1586. vt sacrosancto Missæ sacrificio, precibusque ritè peractis, extinctis luminibus, & vniuersis, qui aderant egressis, sacellum de more clausum, intùs totum conflagrarit: modica videlicet scintilla, vt coniectura est, ex ardentibus cereis occultè decidente, incendiumque sensim excitante. Quod cum postera die tantùm compertum esset, re audita, coniuges Principes ad locum comite familia properant, incendij fœditatem dolentes intuentur. Sed illicò dolorem vicit admiratio. Dùm enim, & aulæa, & signa cuncta, & Altaris ornamenta, denique omnia, quæ cremari potuerant, igne vel absumpta, vel deformata mærentes inspiciunt, ecce ipsas B. Pij V. ambas imagines, mirabile dictu, in medijs flammis, non modò non exustas, sed nè minimùm quidem læsas demirantur: idque non nisi diuina virtute fieri potuisse, omnes edicunt. Auxit admirationem intuentibus, vim incendij tantam fuisse, vt fornicati sacelli crusta vndique diffracta, geminis amplioris formæ argenteis imaginibus, & alijs, quæ pariter ex argento erant, conflatis, sacro altaris lapide in pumicem redacto, Pij tamen imagines spectare esset, alteram quidem, qua ipsam contingebat, alterius Pontificis effigie cum lignea coronice combusta, super tapete, quo altaris subsellia sternebantur, cecidisse, ibique prorsùs illæsam iacere: ipsumq; tapete vndique ardens concremari cæpisse, sed qua Pij

obtegebatur figura, nihil offensum: alteram vero ex charta, peristromatis, & cæteris, quibus cingebatur, signis, vt diximus, exustis, loco suo integram, fumoque tantùm leuiter offuscatam remansisse. Hanc deinde sacræ Virgines Dominicani Ordinis in cœnobio, cui à Sancta Maria Dei Matre cognomen est, in Hispaniæ Oppido Vaena pro sua in hunc Pontificem pietate precibus obtentam, singulari religione conseruant. Alteram verò ligneis suis, vt erat, instructam ornamentis, prorsùs immaculatam, tapeteque ipsum ambustum, ac resectum, ijdem Duces nobis Romæ, dum hæc scriberemus, ostenderunt: remque omnem, quam, vt ipsimet locupletissimi, & occulati testes nobis retulerunt, explicatam, eis recognoscendam tradidimus, suo rursùs testimonio comprobarunt anno M.DC.III.

23. *Nicolaus Trigautius in Christianis ap. Iapones triumphis*. Neque omitti debet magnum in quadam incendiosa strage prodigium, quod in fidei nostræ commendationem, vnà cùm ignibus illis toti Iaponiæ illuxit; nàm cùm milites in fauillis quærerent ea, quibus ignes parcunt, repertæ sunt aliquot imagines nostræ, in sola charta expressæ, quæ sub alto cinere sepultæ, nihil ab igne pertulerant, nisi quantùm ad faciendam fidem erat satis; nàm extremi solùm margines ambusti ad fidem miraculi videbantur; has imagines ethnici repererant, tantaque fuit ex admiratione reuerentia, vt eas neophytis tradere nec pretio vellent, aliquot nihilominùs in potestatem venerunt, è quibus qui hoc scribit, tres se vidisse profitetur, vnam pueri Iesu tormentorum suorum arma intra sportulam gestantis, alteram Sancti Ignatij, tertiam S.Xauerij effigiem nominauit.

24. *Ioan.Eusebius*. Anno 1627. in Parian delapsus è cœlo ignis, innumeras domos absumpsit, & quindecim millia hominum combussit. Sapiens ille ignis transaltabat ad aliqua prætoria, quærens securos sceleratiores: nam hausta vna domo, in aliam magno interuallo disiunctam transcurrebat; visus est multis contestantibus è Cœlo defluxisse. Ipsi se Ethnici fatebantur ob scelera recentia id promeritos. Patres Dominicani, qui in ea vrbe erant, timentes cladem, produxerunt imaginem B. V.M. quam vocant *del Rosario* extra domum: at licet septies transcurreret illàc incendium, integra superfuit, cum magna Ethnicorum admiratione, & nostræ fidei opinione. Dixerant enim; nunc videbimus an Castellanorum Deus possit suos iuuare. Hæsit aliquoties flamma parietibus domus: sed miraculosè extincta, coniectis in ignes placentulis, quas vocant S.Nicolai.

25. *Ex annuis litteris Iaponensibus*. In Insula Sichi accidit incendi domum cuiusdam antiqui Christiani, qui in Oratorio suo affixam habebat imaginem Beatiss. Virg. cum puero IESV, &, vt erat domus lignea, cooperta straminibus, de nocte ab inimico inflammata, tanta ignis vehementia conflagrauit, vt vix homines flammam euaserint, cumque omnia redacta essent in cineres, dum Dominus domus locum accommodat ad nouam domum excitandam, ecce in medio cinerum inuenit tabulam integram cum omnibus suis ornamentis, & fumo tantùm aliquantulùm tinctam. Quo casu tanta consolatione ille affectus est, vt statim cum Imagine dederit se in viam ad quærendum Patrem Soc.Iesu, qui tunc ibi erat, & corroboratus in fide plùs beneficio huius miraculi, lucratus est, quàm amiserat domus conflagratione.

26. *Franciscus Pola hanc inscriptionem reliquit de Imagine Beatæ Mariæ Virginis Vincentiæ ab igne illæsa*.

QVANTAM religionem, Quantam venerationem
Sancta hæc Deiparæ Virginis Imago
Habeat
Audito, hospes, audito.
Flamma
Improuisò excitata casu.
Tert.idus Decembr.MDCVI.
Populabatur,
Omniaque iàm iàm erat haustura.
Quùm
Diuæ numen sentiens,
Repentè circa eam resedit,
Sopita sua sponte, & extincta.
Effigies
Illibata prorsùs integraque
Inter incendium inter ruinam
Miraculo stetit cœlesti.
Municipes Vincentini
Restaurarunt.
MDCVII.
Flaminio Nigro curante.

27. *In Chronicis Ordinis B.Mariæ de Mercede*. Cum in Ciuitate S.Iacobi Guatemalæ semel Vulcanus euomeret cineres & ignes; in hac tribulatione, in Ecclesia nostra populo plena, Missas fratres nostri coram gloriosissima Virgine Maria de Mercede decantabant, & sacrosancta pænitentiæ, Eucharistiæque Sacramenta summa charitate, & deuotione ministrabant. Interim ferè omnes Religiones cum suis Imaginibus, reliquijs, & sanctis ad maiorem Ecclesiam processionaliter conueniebant. Sed quia Vulcanus non cessabat, hùc illucque cum lapidibus cineres proijcere, & latè diffundere, Superiores Ciuitatis pro vnico remedio, Commendatorem nostri Monasterij, vt nostros etiam fratres, Imaginem de Mercede deferentes ad maiorem Ecclesiam processionaliter conuenire iuberet, rogarunt. Quod cōmēdator de fratrum suorum consilio gratanter executioni demandari voluit. Sed in processione miraculū visum est pèrmagnum. Fratres enim, & seculares personas, (dum sunt in via) ingens cinerum, lapidumqúe quantitas, cadens ab alto percutiebat, & cooperiebat, itá vt vix incedere possent. At verò Vulcani vomitio, & huiusmodi materia, imaginem nostram de Mercede, vestimenta eius, feretrum, seù Altare portatile, quo gestabatur, & fratres nostros, eam portantes, minimè tangere ausa est. Tunc plaga illa, cineres, & lapides cessare cœperunt; & Vulcano crudele os suum obturante, & claudente, omnis populus Christianus aperuit os suum, benedicens Deum, qui per

per Imaginem suæ gloriosissimæ Matris grande, & inauditum miraculum fecerat, atque ab incendio, & ea oppressione omnes liberauerat, populumque Indiarum recenter ad fidem conuersum in eadem fidei confessione solidauerat.

28. *Pepe in mirabili. Sancti Caietani m.238.* Licij cuidam Felici Antonio, dùm noctu ardenti astaret igni, casu in accensas prunas decidit habitulus, cui impressa imago D. Caietani; casum non aduertens, quieti se dedit; at postera die in medio igne adhùc ardente pretiosum habitulum illæsum à combustione mirabiliter inuenit.

Ecclesia ab igne illæsa. §.6.

QVam reuerentiam exhibuit olim voracissimus ignis Mosayco rubo, Ecclesiarum typo, qui comburebatur neque consumebatur, hanc eamdem eisdem Ecclesijs non rarò præstitere ardentissimæ flammæ, easdem illæsas inconsumptasque validissimis licet in incendijs, relinquentes. De quibus.

1. *In libello de rebus memorabilibus Romæ.* Romæ Lateranensis Tholus (Tribunam appellant alij) in qua Saluatoris imago, quæ Romano populo apparuit, adhæsit, septies ab incendij exarsione, qua reliquum Ecclesiæ corpus conflagrauit, immunis seruata fuit.

2. *Aimoinus de Gestis Francorum libr.5.capit.* 15. Qua tempestate Vuerinus Comes cum pluribus socijs Castrum Cabillonum post diram obsidionem inuasit; tota ciuitas voraci depasta est incendio, præter vnam Basilicam paruam, quæ stupendo miraculo cum hinc inde cincta fuerit sæuientibus, & lambentibus flammis, tamen non potuit aduri. Fuit autem consecrata Deo, in honorem B. Georgij Martyris.

3. *Idem de translatione & mirac. S. Germani.* In cella proxima Ecclesijs Apostoli Petri, almique Germani, ignem ter, quaterque supponere barbari nitentes, cum defecissent, eas incendere amborum meritis non valentes, claustra eiusdem cellæ tandem egressi, horreum quod ibi erat iuxta positum intrauerunt, ex quo tantus flammarum globus, aeris alta petens, ascendit, quòd quasdam arbores vltra etiam dictam cellam virentes, incenderet, ipsas verò Ecclesias intactas integrasque, vt erant, relinqueret.

4. *In Martyr. Gallicano de S. Macra Virgine, & Mart. 6. Ian.* Cum Hunni cęco furorę Ecclesiam prędictæ Martyri dicatam succendere niterentur: Martyris præsidio, flammæ, & si tectum ædis sacræ lambentes, structuræ nihil penitùs incenderunt: sed sine ardore micantes, potiùs ædificium vallarunt, quàm deturparunt.

5. *In actis B. Aleydis cap. 16.* Domuncula, in qua dilecta Christi Aleydis habitabat, vsque adhuc conseruatur, & Monasterio bellicis tumultibus diruto, ipsa semper intacta mansit, & quod magis est, cum cœnobium combureretur, & ignis circumquaque insurgeret, ita vt consumeret lapidea ædificia; domus verò Aleydis ex humili materia esset condita, & nihil pro tegumento, nisi fœnum, & paleas haberet, nullo modo violentiam ignis sensit, & dùm contigua ædificia perirent, locus iste, vt Deus ancillæ suæ merita ostenderet; flammæ læsionem euasit, quod non immeritò ab omnibus tamquam miraculum frequenter refertur.

6. *Vuillielmus Malmesburiensis libr. 3. Pontificum Anglorum de Vuilfrido.* Ædem, in qua obierat, cum quidam incendere fuissent ingressi, ignis expauit: quin & visus iuuenis speciosus, qui flammam semoueret.

7. *In Chronico Belgico.* Anno 1148. incendio maximo ciuitas Traiectensis flagrauit, & Templum venustissimum S. Martini ab Adeboldo Episcopo constructum consumptum est cum alijs tribus congregationibus, scilicet S. Pauli, S. Ioannis Baptistæ, & S. Petri; Templum autem S. Saluatoris, quod & Templum S. Bonifacij dicitur, gratia Saluatoris conseruatam est.

8. *Marchantius.* Illud memorandum est, quod cùm Hermannum Comitem, Comes Lantbertus insequeretur multo stipatus milite, & Hermannus se Florinas recepisset, velut in refugium, Lantbertus furore quodam adductus, contra Florinenses, omnia incendio vastare aggressus est, nec quidem Sancti Gengulphi Ecclesiæ parcens. Nam omnia tecta atrij muris propinqua, & cohærentia flammis dedit. Sed res mira, Ecclesia in medio stetit flammæ furentis intacta, & immunis (licet plumbum fenestrarum, & cera, quæ intra Ecclesiam erat, nimio calore liquesceret) stupentibus hostibus, qui tam nefarium opus incendij moliebantur, Cœlo renitente, & Sancto Gengulpho suum domicilium tutante.

9. *Frodoardus ap. Baron. an.* 937. Cœli pars ardere visa est, & Vngarorum persecutio ab eadem parte per Franciam insecuta est, qua villæ, & agri depopulati, domus, basilicæque conflagratæ, captiuorum educta multitudo, nonnullas tamen Ecclesias, ignibus applicitis, non valuere succendere. Ecclesiam S. Mariæ apud Rhemos, duabus etiam segetum metis, quæ parietibus penè ipsis inhærebant, exustis, incendere nequiuerunt.

10. *Odor. Raynaldus an. 1210. ex Pet. Val. Hist. Albigensi.* Cum recederet Comes Montfortius à Castro Minerbæ, pedites exercitus, mansiunculis, quas fecerant peregrini de ramis, & frondibus, ignem miserunt: Cellulæ autem, quæ erant siccissimæ, ita statim accensæ sunt, & tanta in altum per totam vallem flamma erupit, ac si aliqua ciuitas maxima combureretur: erat autem quædam cellula de frondibus similiter, in qua Sacerdos quidam tempore obsidionis celebrauerat, alijs mansiunculis circumclusa, quæ ita miraculosè ab igne est illæsa seruata, vt nec etiam aliquod in ea adustionis indicium appareret, sicut à venerabilibus personis, quæ præsentes erant, audiui. Statim currẽtes nostri ad mirabilẽ visionem, inuenerunt quòd cellulæ, quæ cõbustę sunt, illi cellulę, quę incombusta mãsit, vndiq; à dimidij pedis spatio iungebantur. O virtus immensa!

11. *In vita S. Ottonis Episcopi Bambergensis de Ecclesia S. Adelberti.* Ludis, & saltationibus paganico more omni populo occupato, subitò ignis

Dei cecidit è cœlo super Apostatricem ciuitatem, tantaque violentia tota vrbe conflagrante, vt nemo quippiam de suis rebus eripere valeret, sed animas tantùm suas saluare cupientes, fuga pernici sæuiens incendium vix euaderent; tandem verò vrbe sua ignis atrocitate deleta reuersi, inuenerunt Ecclesiam S. Adelberti per Apostolum suum Ottonem illic in meditullio propter raritatem lapidum, firmo lignorum tabulato constructam, ex media parte flammarum vaporibus abruptam, sed mirum in modum Sanctuarium, quod viliori schemate, idest arundineto contectum fuerat, subter habens pannum lineum appensum propter vermiculos ab altari arcendos, omninò ab ignibus intactum remanserat; quo ingenti viso miraculo, tota plebs in laudem Dei summa clamoris exultatione personabat, asserens procul dubio, verum hunc esse Deũ, qui in tanta ignis violentia, quæ etiam lapides comminuerat, arundinetum suo altari oppansum, reseruare potuerit illæsum, sicque aduocatis Sacerdotibus Christianis, publicam egere pœnitentiam, & abiuratis penitùs idolis, vrbeque sua, prout poterant, reedificata, iugo Christi ceruices suas alacri deuotione submiserunt.

12. *Socrates lib. 7. cap. 39.* In maximo incendio Vrbis Constantinopolitanæ, cum ad templum Osij, Nouatianorum plurimis magnificentissimis ædificijs absumptis, ignis pertingisset, Paulus Episcopus insilies ad Altare, sola oratione irrumpentibus per fenestras & ianuas omnes, flammis, magna vi, templum seruauit illæsum.

13. *In vita S. Erconuualdi Episcopi Londinensis.* Quodam anno in festo Translationis S. Erconuualdi in Ciuitate Londinensi ignis maximus, & horribilis suscitatus est, qui vndique diffusus, magnam partem illius Ciuitatis combussit, appropinquante autem flamma ad Ecclesiam S. Pauli, visus fuit sensibiliter à multis ciuibus S. Præsul Erconuualdus Pontificalibus indutus, & vexillum in manibus tenens, super dictam Ecclesiam stans, & eam ex omni parte à periculo omnipotenter defendens.

14. *Petra Sancta in mirac. Perpet. in allocut. ad Lector.* VIII. Quodam in incendio Vrbis Constantinopolitanæ, Marcianus vir insignitè pius, Templum maximum præseruauit à flamma explicato Euangeliorum codice.

Sacra Eucharistia in medio ignis conseruatur. §. 7.

IGnis, qui Sanctorum exuuias, Imagines, illisque dicatas Ecclesias mirabiliter sepè sæpiùs non ausus est tangere voracissimo incendio; Idem Creatorẽ suum sub Eucharisticis accidentibus licet latentem dignoscens, admirantibus incredulis, ab adustione vel minima, non rarò abstinuit, eumque debito veneratus est obsequio. Quod comprobant.

1. *Ioannes Molanus in natal. S. S. Belgij 16. Martij.* Amsterodami an. 1345. die 16. Martij ab ægro quodam cum phlegmatibus eiectum est Sanctissimum Corpus Christi, quod tunc receperat, & in ignem missum, nec candorem amisit, nec vllam læsionem à flammis accepit, vnde prodigio stupefacti, Sacram hostiam in parochiam Diui Nicolai detulerunt; inde in eodem loco Sacellum ædificantes, & in foco, in quem iniecta fuerat, magnificum erigentes tabernaculum, illò sacram hostiam deportauerunt, annisque plurimis in summa fuit veneratione. Ipsi autem cineres sacri, licet ad varia genera morborum profliganda subinde auferentur, vix tamen imminuti, suauemque olentes odorem, per multos annos sunt visi: Cæterum an. 1452. cum magna oppidi portione conflagrauit etiam sacri loci sacellum, sed liquefactis circumquaque metallis, hostia glorioso prodigio est conseruata, cum arcula, qua continebatur, & syndone byssina, qua contra pulueres decidentes muniebatur.

2. *Odoricus Raynaldus in Annal. Ecclesiasticis.* In Gallia an. 1386. cum in quodam pago ad fluuium Matronam sito, fulmen cælitùs lapsum, Ecclesiam percussisset, ac sacra vasa, nec non pixidem, qua continebatur hostia, consumpsisset, Sacramentales diuinæ victimæ species nullam vim labemue sensere.

3. *Tilm. Brend. l. 1. collat. sac. cap. 49. ex Chronicis Traiectensibus an. 1337.* Calamitosa gens Hebræorum in Oppido Bonariæ nomine DerKendorff sito in litore Danubij, Maiestatem Iesu Christi in Sacramento mirum in modum contempsit, & Religionem nostram illusit; id post varias punctiones in fornace posuerunt, illæsum tamen ab igne mansit; in incude quoque malleis percusserunt. Qua re (diuino nutu) cognita, Præfectus Oppidi Hartmannus de Degenperg cum viribus Oppidi, Iudæorum domus inuaserunt, non sexui, non ætati parcentes; veritate cognita debitis pœnis afflixerunt. Sacramentum obseruatum in Ecclesia Sepulchri Christi miraculis varijs in eo Oppido honoratur.

4. *Idem ibidem lib. 7. cap. 60.* Anno Domini 1591. Presburgi in Hungaria, cum sacrilegi Iudæi Sacrosanctas hostias cultro transfixissent, diuersisque contumelijs affecissent, ob tam abominandum, & horribile facinus, Deus grauissimè offensus, domum, in qua flagitium commissum, fulmine de cœlo tetigit, ipsamque vnà cum hospite, ipsius vxore, duobus liberis, omnibusq; cæteris Iudæis, tribus tantùm effugientibus, vindice igne ita exussit; vt tamen neque mensa, neque hostiæ vlla incendij indicia darent.

5. *Krantius Vuand. lib. 9. cap. 11.* Anno 1384. erant nonnulli in Vuandalia habitantes, vel hostes, vel latrunculi, qui incensa Villa Vuilsenaco, Ecclesiam pariter in cineres redegerunt. Tum Sacerdos cum ad proximam villam confugisset, essetque nocte in stratu, audisse fertur vocem: Surge præpara te sacris ministerijs dicturus missam in altari nuper exustæ Ecclesiæ. Primam vocem arbitratus ludificationem, contempsit; Repetita secundò, & tertiò, nec potuit negligere ita firmatam denunciationem. Surgit & ex more soluto labiorum penso, ad Ecclesiæ locum proficiscitur. Stabat Altare post incendium: duo ibi cerei ex latere vtroque, in medio mun-

mundam vidit Sindonem, in ea trinam hostiam, quæ videbatur in vnam coaluisse, eamque cruentam. Stupefactus rei nouitate, vnde hostiæ cruentæ post incendium, reuerenter inclinans, & componens quomodo poterat, subitò petit loci antistitem Hauelbergensem, quid audierit, & deinde quid viderit enarrat. Omnes illùc abierunt, sacramque hostiam venerantes, mirabilia Dei omnibus prouincijs, & Regnis enarrarunt.

6. *Marchantius*. Accidit in Comitatu Burgundiæ in Ecclesia Abbatiali Dominę nostræ de Fauerney anno 1608. 25. Maij, quod sequitur. Celebris est ad eam Ecclesiam concursus in festis Pentecostes ob Indulgentiam plenariam à Sede Apost. concessam. Ob deuotionem igitur plebis numerosæ erectum fuit (iuxta morem) altare quoddam ligneum ad cancellos chori, cum debitis solemnitati ornamentis, tabernaculo, cortinis; vt ibidem exponeretur Venerabile Sacramentum loco eminenti. Contigit autem dicta ornamenta igne corripi, ita vt mappa, cortinæ, tabernaculum, & Altaris mensa omnia sustentans, in cinerem redacta conciderent. Inter has verò flammas, sacramentum cum Ciborio argenteo, in quo expositum erat populis adorandum, illæsum mansit in aere suspensum, in eadem, qua priùs altitudine, nulli rei subnixum, sola virtute diuina, & à casu, & ab ignis læsione, illud protegente: Sic mansit triginta trium horarum spatio, populis ad id miraculi vndique confluentibus cum stupore. Die autem martis, qui est tertius dies Pentecostes, accessit Pastor quidam vicinus cum toto populo suo, processione celebri ad locum illum indicta, & ibidem in supremo Altari Missam celebrauit. In ea porrò sacrificij hora, Cereus, qui coram miraculoso hoc sacramento accensus fuerat, tertiò extinctus est, nullo vel vento flante, aut alia extinctionis causa apparente. Et instanti eleuationis hostiæ consecratæ, quam dictus Sacerdos in suo offerebat sacrificio, altera Hostia, quæ miraculo suspensa hærebat, cum suo Ciborio loco emota est. Cumque Sacerdos reposuisset in corporali hostiam suam post eleuationem solitam fieri statim à consecratione; statim & altera suaui motu cum suo vase (nemine manum adhibente) super altero Corporali descendit, quod quidem Corporale infra locum vbi suspensum Sacramentum in aere hærebat, dispositum aptè fuerat, vt si diuina dignatione se se demitteret, cum reuerentia reciperetur.

7. *Aegydius Gelenius in Colonia Agrip. de Templo P.P. Carmelitanorum discalceatorum*. Dùm Monasterium surgeret, & Conclaue pro templo, teguriola pro cellis Religiosi Patres incolerent, inuidia diaboli, ignis stramineum tectum corripuit Anno Christi 1622. 15. Maij, vt Religiosorum vicinorumque ciuium habitacula, supellectilem, Bibliothecam, omnemque apparatum, quem in Monasterium effuderat liberalium manuum pietas, paucarum horarum spatio deuoraret, vbi miraculosè euenit: vt inter ardentes cineres, & prunas, cæteris rebus omnibus in fauillas redactis, argentea vascula Venerabilis sacramenti, & sacri olei, illæsa, neque viuifico pane, & sacris hostijs quicquam detrimenti passis, eruerentur, locum designantibus sub fauilla, suauissimi fumi virgulis exhalatis, & ascendentibus ex deusti sacelli busto.

8. *Bzou. ann. 1306. n. 8. ex Chronicis Belgicis*. Mulier quædam Parisiensis necessitate compulsa vnam, quam solam tenuerat, pretiosam vestem, Iudæo illi fœneratori in pignus dedit. Die verò sanctæ Resurrectionis appropinquante, mulier non habens vnde vestem suam redimere posset, multis blanditijs circumuenire fœneratorem tentauit, iurans illi & promittens, vt si suam illi in die Sancto Paschatis vsui præstaret vestem, in crastinum eam superaddito fœnore restitueret. Vnde proditor afflictionem mulieris considerans, quamquam lucri cupidus foret, mente tamen concipiens facinus, renuit assentiri pollicitationi mulieris, sed decipere illam cupiens, in hæc verba prorupit. Scio te tua in lege mulierem honestam, & abundantem à tuis vicinis reputari, scio etiam te multas habere æmulas, quæ si in die festo te tua veste adornatam non viderint, excipient te risu, & cachinnis. Porrò si consilijs meis acquiesces, vestem tuam reddam, & pecunias duplicatas dabo. Poscente illa quid à se vellet; Hebræus ait: si mihi iures, illum, quem adorans pro Deo tuo, & quem in Paschate è manu Sacerdotis percipies, ad me allaturum, tuam tibi vestem restituam, & pecunias duplicabo. Detrectauit primò mulier; atque tandem post multa acquieuit tam nefando crimini, vestemque reportauit: pactam pecuniam expectatura. Aduenit Sacrum Pascha, mulier sacram hostiam in os assumptam, non deglutiuit, sed sudariolo inuolutam Iudæo repræsentauit, pecuniamque ex pacto recepit. Iudæus verò flammam ingentem domi in camino accendit, & vrnam aquæ non modicam igni admouit: mox Eucharistia correpta, & es nè tu Deus Christianorum, quem illi adorant? Tunc ille, quem de Virgine natum stulta credulitas iactat? Ecquid ne potes te de manibus meis eripere? Agedum: si te Maiores mei Cruci affixerunt, ego tuam potentiam ignibus examinabo. Hæc & alia scelerato ore vomens: Corpus Domini nostri Iesu Christi in medium bullientis aquæ iactauit: vbi confestim speciosus forma præ filijs hominum puer apparuit, perambulans super aquas bullientes. Quem videns Iudæus, non tamen tanti signi, & miraculi nouitate ad Dominum conuersus, sed Iudaica obstinatione pertinax, puerum instar Solis rutilantem, cum eo instrumento ferreo, quod in manibus gestabat, iteratis vicibus in vrnam bullientem demergere tentauit, nec quicquam verò efficere potuit, puero ab ea parte, qua Iudæus ferrum vibrabat, in alteram declinante. Viderunt fortè istud pueri Hebræi, & quid pater faceret, matri renunciarunt. Cumque illa ad spectaculum accurrisset, illi in plateam euadentes, crudelitatem paternam populo diuulgarunt. Accurrentes multi ex Christianis, Iudæum cum puero colluctantem aspexerunt, atque Episcopo Parisiensi facinus retulerunt. Aduenit ille cum vniuerso Clero, & in medio aquæ bullientis hostiam mundissimam illæsam, & integram reperit, inque Ecclesiam S. Ioannis de Grauia, summa cum veneratione portauit. Pueri cum matre, ab eo spe-

ſpectaculo fidem Chriſti complexi ſunt. Iudæus in ſua obſtinatione manens, flammis addictus fuit. Ad quas cum duceretur, librum Thalmudi ſe penès habere deſiderauit, futurum dicens, ab eius geſtatione, ne flammis vreretur. Allatus ei Codex, quem optauerat: nihil tamen effecit; igne in librum, & perfidum magis potente.

9. *Rupertus Tuicienſis libr. de incendio oppidi Tuicienſis cap.3.* Dùm voraciſſimo incendio Oppidum conflagraret, quidam raptum è ſacrario ferens Corporale Dominicum longo haſtili ſupremè illigatum, flammis obuius ſtetit, ſperans quòd tam ſacræ ſupellectili ceſſurus foret ignis; cumque tali modo non cederet ignis, ille perſiſtens fide non ficta, ipſum haſtile cum corporali medijs flammis fortiter intruſit, aliquandiù agitans quaſi ſæuientem confoderet ignem, donec vſque ad ipſum prorupit flamma rebellis. Tunc demùm abſiſtens, & haſtile, quod tenebat, partim ambuſtum, Corporale autem illæſum, mirum dictu, & incontaminatum ignibus abſtrahens, quantociùs abſoluit, & conuolutum, flammis, quò potuit altiùs iniecit, optans, & ſperans, quòd ex immiſſione eius, Domino volente, opprimeretur, & deficeret, quaſi ſtrangulatus ignis. At ille magnus, & à Deo permiſſus ignis mirò modo Corporale integrum occulta, & incognita vi de medio ſui reiecit, & longiùs repulit in eam villæ partem, quæ ſibi conceſſa non fuerat, & vbi, ſicut manifeſtum eſt, nociturus non erat. Denique corporale iam dictum ſic integrum & illæſum relatum eſt, ſignum habens non indecorum, videlicet lineam ſubruſam, cum eſſet ipſum, vt priùs, totum candidum.

10. *Idem ibidem cap.4.& 5.* Circa an. Domini 1288. Renerus S. Laurentij libro de viris illuſtribus ſui Monaſterij tradit, eueniſſe, vt circumpoſitas Tuicienſi cœnobio graue incendium officinas corriperet, atque abſumeret. Vndique ſæuiebant immaniter flammæ, vt ipſum iam cœnobium ſubſiſteret periculo, niſi diuina adfuiſſet miſeratio. Parochiam verò Eccleſiam depaſta ſunt incendia: ſed ibi nihilominùs Chriſti glorioſè magnificata eſt dextera. Cum fuerit namque tanta conflagratio, vt etiam campanas liqueſecerit eiuſdem Eccleſiæ, armariolum tamen ligneum, quo in pixide clauſum corpus Dominicum habebatur, corrumpi aduſtione non potuit, ſacroſanctum ſcilicet ſuum ſeruante Sancto Sanctorum, cuius caro requieſcit in ſpe.

11. *Euagrius lib. 4. cap. 36.* Menæ temporibus miraculum editum fuit plane memorabile. Vetus fuit conſuetudo Conſtantinopoli, vt ſi quando multæ admodùm particulæ puri, & immaculati corporis Chriſti Dei noſtri ſupereſſent, pueri impuberes, qui ſcholas frequentabant, accerſerentur, eaſque manducarent. Quod cum factum fuit, filius cuiuſdam hominis, Hebræi quidem opinione, arte autem vitriarij, vnà cum pueris verſatus eſt: qui quidem parentibus percunctantibus ab eo cauſam moræ, reſpondit, vti res ſe habuit, ſeque cum alijs pueris pariter comediſſe. Hebræus bis è furore, & iracundia inflammatus, in clibanum ardentem, in quo vitrum formare ſolebat, puerum conijcit. Poſtquam verò mater puerum queritans, reperire non potuit, paſſim per totam vrbem ibat, Deum cum gemitu obteſtans, & flebilibus lamentis ſe dedens. Triduò autem poſt ad oſtium officinæ viri ſui conſiſtens, luctu miſerabiliter diuexata, nomine puerum compellat. Puer matris vocem vt agnouit, è clibano reſponſum dat. Mater eſtractis foribus, intrò irrumpit, videtq; puerum in medijs carbonibus candentibus conſiſtentem illæſum ab ignis incendio. Qui cum rogaretur, quo pacto illæſus manſerit. Mulier, inquit, veſte amicta purpurea crebrò ad me venit, porrexit aquam, qua carbonum flammas corpus ambientes extinguerem, cibum denique dedit quoties eſuriebam. Qua re ad Iuſtinianum perlata, puerum cum matre lauacro regenerationis tingendos decreuit; patrem autem pueri, qui recuſauit in numerum Chriſtianorum aſcribi, in Sycis Cruci ſuffigendum curauit.

12. *Michael Monachus in Sanctuario Capuano de Eccleſ. S.Benedicti.* Circa ann. 1120. Capuana Ciuitas conflagrauit, & igne tota ferè conſumpta eſt: Tunc etiam S.Benedicti Monaſterio ignis vndique minabatur. Fratres autem humanis rebus diffidentes, & in ſolo Dei adiutorio ſperantes, Corporale Calicis ſumentes, extra Monaſterium in medio ignis poſuerunt: mirum in modum reuerſus ignis, vltrà propiùs accedere non audebat: Ciuibus etiam omnibus quædam manus, ignem à Monaſterio propellens, viſa eſt: Corporale verò prorsùs ab ignis iniuria illæſum manſit, præter quod cauſa teſtimonij, eius in medio foramen paruum factum eſt.

Igne comprobatur veritas Catholicæ fidei. §.8.

Veritatem ſæpè ſæpiùs ex ſplendidiſſimis igneis flammis magis illuceſcere, & veluti aurum in fornace examinari, ſacræ vbique teſtantur litteræ. Hæc præcipuè in comprobanda contra eterodoxos catholica fidei à flammigero Elemento nitidior apparuit, admirandiſque modis enituit. De quibus.

1. *Albertus Krantius lib.3. Metrop.cap.42. de S.Poppone.* Sanctus Dei pro ſubmouendo Danorum paganiſmo, aliud æquè magnum oſtendit miraculum: Tunicam ſcilicet indutus ceratam, cum ſtaret in medio populi circo, in nomine Domini præcepit ignem incendi. Ipſe verò, oculis ac manibus in cælum tenſis, liquentes flammas tam patienter ſuſtinuit, vt veſte prorsùs ambuſta, & in fauillam redacta, hilari & iucundo vultu, nec fumum quidem incendij ſenſiſſe teſtatus ſit. Cuius nouitate miraculi, & tunc multa millia per eum crediderunt, & vſque hodie per populos & Eccleſias Danorum celebre Popponis nomen effertur.

2. *Saxo in hiſt. Danorum lib. 10.* Poppo, cùm verba Danis perſuadendis, vt Chriſtianitatem exciperent, non ſatis habere virium videret, ad res venit; percontatuſque eſt. Quid, ſi ad candentis

ferri

ferri tactum manus eius cernerent intactas, essentne consensuri, credituríque? cunctis succlamantibus, Velle: in Chirothecæ formam iussit ferrum cudi idque ignitum adferri. Rubebat igne ferrum, ille tamen intrepidus manum immisit ad cubitum, deportauitque ad locum constitutum. Ibi cùm ad pedes Regis Suenonis proiecisset, victas manus dedit concio, sponte subiens lauacrum regenerationis.

3. *Baronius an.* 1028. *n.6.* Cum Russorum Rex à S. Bonifacio ad Catholicam fidem inuitatus, renueret se Euangelio subijcere, tandem baptismum se recepturum promisit, si per magnam lignorum struem accensam ingrediens vir Sanctus, illæsus euasisset. Cumque hoc fœdus non solùm Bonifacio, sed & cunctis qui aderant placuisset; Bonifacius ita vestitus, vt missarum solemnia celebraturus, priùs cum sanctificata aqua, & incenso thure vndique perlustrans ignem, deinde stridentes flammarum globos ingressus, ita exiuit illæsus, vt nec minimus capitis eius capillus videretur exustus. Tunc Rex, & cæteri, qui huic spectaculo interfuerant, baptismum susceperunt.

4. *Petrus de Natalibus in Catal. S.S. lib.* 11. *cap.* 43. Dum quendam Manichæum, populum seducentem excludere non posset S. Copres presbyter, fecit ignem accendi, eo pacto, vt quisquis eorum flammas ingressus, inexustus exiret, eius fides approbata esset. Ipseque primum ignem intrans, illæsus exiuit. Dum autem hæreticus intrare nollet, à populo in flammas violenter iniectus est.

5. *Vincentius in spec. Hist. lib.* 10. *cap.* 115. Cum in Ciuitate Heliopolis controuersia orta esset inter B. Helenum Episcopum, & quendam Magum, nomine Zareas, quis ipsorum veram sequeretur fidem, à Deoque esset missus; Statutum est, vt igne probaretur veritas. Tunc S. Episcopus præmissa oratione, seque consignans, ingentes flammas intrauit intrepidus, stetitque in medio ignis dimidia ferè hora, neque capillis, neque vestimentis ex aliqua parte adustis; quod cum & facere Zareas cogeretur, ille reluctari cœpit, & fugere.

6. *Thom. Boz. lib.* 15. *cap.* 5. An. 1532. Andreas Spoletinus ex Ordine Franciscanorum, Rege Fessæ in Mauritania, & Principibus multis præsentibus, vt palàm faceret, esse veram Christi doctrinam, quam prædicabat, vndique flammis est circumdatus, & illæsus in ijs diù permansit. Quocirca Mahometani lapidibus in eum coniectis, furentissimè illi mortem attulerunt, populo, qui eò confluxerat ex omni parte, rem spectante.

7. *Nicephorus Callistus lib.* 15. *cap.* 23. Anno Domini 471. quo Acacius Orphanotrophus, seù pupillorum curator, Episcopus Constantinopolitanus creatus est, euenit, vt duo philosophi, quorum alter Arij rabie infectus, dicendi ac disputandi arte instructissimus, alter virtute, religione, & recta fide ornatissimus erat, de doctrina contenderent. Porrò Orthodoxo, & rectè sentienti visum est, verborum contentione relicta, ad rem ipsam descendere, ac veritatem explorare; videlicet, vt rogo ingenti accenso, se se in ignem conijcerent. Quod vbi Arianus detrectauit, Ortodoxus igni se contulit, atque inde cum impio sermonem conferens, disputauit, saluusque, etiam vestibus intactis, permansit.

8. *Gregorius Turonensis de Glor. Confess. cap.* 14. Memoriæ occurrit factum Catholici Hispani, Arianum Gothum tempore Leouigildi ad probationem ignis prouocantis: cum enim verbis, & rationibus nihil proficeret. Est, inquit, digito meo annulus aureus: ego eum in ignem iacto, tu candentem collige. Proiectumque inter prunas annulum ita igniri permisit, vt eis similis cerneretur; Conuersusque ad hæreticum ait: si vera est prosecutio tua, sume eum ab igne; illo autem resistente, ait, immensa Trinitas Deus, si quid indignum te credo, ostende: certè si recta est fides mea, nihil mihi præualebunt hæc incendia sæua. Et ablatum ab igne annulum, diutissimè palma sustinuit, & nihil est nocitus.

9. *In vita S. Seuerini.* Sanctus Seuerinus Noricorum Apostolus aliquando in Castello, cui erat Cucullis vocabulum, vbi accolæ loci, partim Christiani Orthodoxi erant, partim se adhùc idololatria inquinabant, in Templo adesse promiscuè omnes iussit, & cereos singulos ferre. Cum verò tridui ieiunium Clero antea indixisset, post hymnos, & solemnes preces, quoniam instaret iam hora Sacrificij, Deum rogauit: dignaretur lumen suæ cognitionis ostendere, ad sacrilegos discernendos. Et ecce statim pars ea cereorum, quos attulerunt Christiani, diuinitùs est accensa; manseruntque sine luce cerei aliorum, qui erant idololatræ.

10. *Ribadeneira in vita S. Dominici.* Cum D. Dominicus contra Albigenses ob fidem decertaret; vnanimi statutum est consensu, vt tam ipse, quàm hæretici, quam profitebantur fidem, describerent in charta, ipsamque in accensum rogum coram populo deijcerent: quod factum est: & ecce, in fauillas redactis Hæreticorum scriptis, charta, veram continens fidem, exilijt ab igne, in proximamque trabem se collocauit, hocque non semel, sed tribus vicibus, omnibus admirantibus, hoc mirabile ostensum est portentum.

11. *Baronius an.* 886. Leo Imperatoris Basilij filius Archipræsulem ad Russos miserat, instruendos in Religione Catholica. Hi verò, si vera sunt inquiunt miracula, quæ referunt Sacri Codices, in vtraque Moysis, & Christi lege, in rogo id experiamur, credemus vtique, si flamma eis minimè nocuerit. Admittitur conditio, & in accensa fornace aliquandiù sacra volumina sine vllo damno manserunt, admirante multitudine Barbarorum, qui cum Principe suo Christianis mysterijs ideo initiati fuere.

12. *Ioan. Moschus in Prato Spirit. cap.* 36. *de Ephræm.* Narrauit nobis quidam Patrum de Sancto Ephræm Antiocheno Patriarcha, quòd valdè zelans fuerit, & feruens circa fidem. Cum enim audisset de Stylite illo, qui erat in partibus Hierapolis, quòd Seuerianæ esset hæreseos, abijt ad illum, vt impietatem disuaderet illi. Cœpit ergo diuus Ephræm corripere Stylitem, & orare, vt acce-

cederet ad Sanctum Apostolicum thronum, & communicaret Sanctæ, & Apostolicæ Ecclesiæ, Respondens verò Stylites ait: Ego Synodo prorsùs non communico. Dicit ad eum Sanctus Ephræm: Et quomodo vis vt curem te, & satisfaciam pro gratia Domini nostri Iesu Christi? Sancta Ecclesia libera est ab omni sorde prauitatis hæreticæ. Dixit ad eum Stylites: Accendamus ignem, Domine Patriarcha, & ingrediamur simùl, & quem flamma non læserit, ille orthodoxus erit, illumque sequi debemus. Hoc autem dixit, vt terreret Patriarcham. Respondit Sanctus Ephræm Stylitæ: Opportebat quidem te, fili mi, tamquam patri obtemperare, nihilque à nobis ampliùs quærere. Quoniam verò rem postulasti excedentem quidem vires infelicitatis meæ, confido tamen in miserationibus Filij Dei, quia tuæ salutis causa, & hoc faciam. Tunc ait diuus Ephræm astantibus omnibus: Benedictus Dominus; afferte hùc ligna. Cum verò allata essent ligna, succendit illa Patriarcha ante columnam, dixitque Stylitæ: Descende nunc, vt iuxta decretum tuum ingrediamur ambo, stupefactus ille ad Patriarchæ constantiam, descendere noluit. Tunc dixit ad eum Patriarcha: Nonnè tu hoc fieri petijsti? & quomodo id nunc facere non vis? Tunc exuens se qua indutus erat stola Patriarcha, cum accessisset propè ignem, orauit dicens: Domine Iesu Christe noster, qui propter nos dignatus es de sancta Domina nostra Dei Genitrice semperque Virgine Maria incarnari, & nasci, ostende nobis veritatem. Et completa oratione, iactauit stolam suam in medijs ignibus. Cùm autem ignis quasi per tres horas durasset, lignaque iam igne consumpta essent, tulerunt inde stolam integram, ita vt nulla ignis indicia in ea deprehendi possent. Tunc Stylites videns quod factum fuerat, certior de veritate factus, anathematizauit Seuerum, & eius hæresim, accedensque ad Sanctam Catholicam Ecclesiam, de manibus Sancti Ephræm communicauit, & glorificauit Deum.

13. *Colganus in vita S. Abbani*. Ait Episcopus ad Regem: Si nos fecerimus signa in nomine Dei nostri, tu credes in eum? Promittente Rege credere, iussit ei Episcopus, vt peteret signum. Et Rex dixit: vnus ex vobis sine igne, sed sua anhela candelā accendat, vt ante me ardeat. In illa vero hora S. Abbanus lassus à via dormiebat. Accipiente ergo Sancto Episcopo candelam, & non valente eam accendere, appropinquanti sibi de suis dedit, & ipse non valens, simili modo alter ab altero vsque ad extremum accipiebat, & candelam non accenderunt. Videntes autem lictores, quòd non potuissent accendere, euaginare gladios cœperunt, iubente Rege, volentes eos percutere. Tunc dixit eis Episcopus: expectate paulisper, quia non nobis hoc donum Deus donauit: sed illi dormienti; quoniam nobis nauigantibus ipse suis pedibus super mare ambulauit, & nostra nauis eum in medio maris expectauit. Steterunt autem illi audientes hoc verbum. Expergefactus ergò Abbanus de somno, signans se signaculo sanctæ Crucis, antè omnes sua anhela accendit. Flamma verò eius lucidissima erat. Mirum dictu; nullo modò passa est extingui, quousque consumpta erat tota. Pagani iam videntes talia miracula tremefacti sunt in semetipsis: Christiani verò gratias Deo suo dederunt.

14. *Odoricus Raynaldus an.* 1209. A Cruce signatis, obtenta Vrbe, cui Castro nomen, insigne miraculum obtigit: duobus enim hæreticis, quorum alter peruicax, alter pœnitens erat, sed de cuius conuersione, an ficta esset dubitabatur, flammis iniectis, obstinato statim exusto, alter illæsus ex flammis emersit.

15. *In Annal. Min. an.* 1252. *num.* 8. *de Beata Rosa Virg. Viterbiensi*. Magnum rogum ob veram fidem asserendam ingressa, atque in eo per tres horas iucundè remanens, & intacta, fregit cuiusdam vetulæ hæreticæ contumaciam, quam antea nullis precibus, nullo beneficio, nulla arte potuerat ad veram fidem reducere; ministram quippe hanc assumpsit Satan, quæ Rosæ detraheret, & insignibus mendaciis eius famam minueret.

16. *Surius in Coment. de Ioanne Trauersio Theologo in Hibernia an.* 1535. Porrò Trauersius scriptis quibusdam Romani Pontificis primariam authoritatem cum defendisset, eo nomine accusatus est, & raptus ad Tribunal, non negauit; sed extensis digitis: His ait, ea conscripsi, nec me eius facti vnquā vel pœnituit, vel Deo benè propitio pœnitebit. Igitur dictata in eum mortis sententia est, grauiaque de more supplicia sumpta. Accidit ibi res admiratione digna, quam narrarunt illi, qui præsentes huic spectaculo interfuerunt. Cum Carnifex manum illam amputasset & spectante populo in ignem coniecisset, reliqua parte exucta, pollicem cum proximis duobus digitis, quibus solemus litteras pingere, nulla ratione ignis licet identidem inflammatus absumere potuit. Quo insigni miraculo Deus, martyrem suum, causam bonam tuendam suscepisse, declarare voluit.

17. *Lucas Tudensis lib.* 3. *cap.* 16. In partibus Tolosanis quidam Senex ob contumacem hæresim flammis à Iudicibus est adiudicatus; quod intelligens filius, vitam patri, à quo acceperat, reddere volens, morti pro genitore se exposuit; dùm autem igni eum tradere volebant Ministri, quidam de Minoribus Fratribus, qui ibi aderant, vehementer redarguebant Iudices, dicentes, non debere Catholicum filium taliter pro hæretico patre mori, & detinebant adolescentem, ne mitteretur in ignem. Cum hæc agerentur, subitò de ipsa flamma videntibus cunctis, qui aderant, quasi ignea sagitta prosilijt, & vsque ad lectum hæretici senis peruenit, & execrabilis senis carnes adurendo, visibilis flamma consumpsit. Insonuit clamor cunctorum concurrentium, & simul cum Iudicibus glorificabant Dominum Iesum Christum, qui tam euidenti miraculo liberauit adolescentem Catholicum, et digna pœna percussit senem nefandissimum.

18. *Baronius an.* 1063. *n.* 45. Quidam Monachus nomine Petrus vt ostenderet Episcopum Florentinum eam sedem occupasse mediante pecunia soluta labe Simoniaca, quod ipse negabat, eiusque fautores;

tores; post Missam celebratam depositaque casula, cum cæteris Sacerdotalibus indumentis, in maximum ignem est ingressus, per illumque lento passu deambulauit, à flammis minimè læsus, quippe quæ, & propriam naturam mutantes, ad instar auræ leuis, albam byssinam intrantes, & implentes, inflabant; quo miraculo manifestata fuit veritas, & propter quod miraculum prædictus Monachus exinde Petrus igneus fuit vocatus, paulòque post Cardinalis Episcopusque Albanensis creatus.

19. *Zachar. Bouer. in Annal. Capuc.* 1578. *de F. Vrbano à Manfredonia.* In eius morte Satan, qui ab eo toties in vita profligatus, extremo illius calcaneo insidias parabat, iras euomens, ac furias in Virum Dei despumans, noua illi in hoc vitæ exitu bella instaurat, ac tentationes parat, quibus illum (si fieri possit) deijciat: Quapropter iam morituro objicit: eum, neque vera, neque catholica vnquam populis prædicasse: Acris illa tentationis vis, morbique acerbitas, Virum Dei pleno mentis imperio, haùd frui sinebant: quamobrem hac Satanæ tentatione maximè commotus, iubet omnia suarum prædicationum scripta ad se adferri, tædamque accendi: tum lachrymis perfusus, Deum ita tota præsente familia precatur: Deus vniuersorum cognitor, ac cordium scrutator, cuius oculis omnia nuda, & aperta sunt: quisnam mearum Prædicationum finis, ac scopus extiterit, quid vè populis prædicauerim, solus nosti. Nosti, inquam, me præter Nominis tui gloriam, Fidem, præcepta, consilia, iuxta S. Romanæ Ecclesiæ doctrinam, nihil vnquam mihi prædicandum præstituisse: iam verò si in hisce meis sermonibus, quicquam aduersus S. R. E. Fidem, Conciliorum decreta, ac Pontificum placita, me ignorante, irrepsit, ardeat, obsecro, comburatur, atque in fauillas euolet; illiusque cineres ventus rapiat, ac dispergat. Neque enim fas est, sospes, ac incolume superesse, quod à vera, ac catholica Fide dissentaneum est: Cui me, meaque omnia semper subiecta esse volui. His dictis, facem scriptis admoueri, diùque illis suppositam permanere iubet: at illa cùm folia lamberet, haùd tamen, vi comburendi sibi penitùs à Dei virtute sublata, ea inflammat. Bis, ter, Vir Dei idipsum repeti imperat: at integra semper scripta ab igne redeunt; quod cùm ille obortis lachrymis conspexisset, Deo gratias agens, extremum quoque hunc de Satana triumphum refert; tum paulò post lætus hinc ad Coronam euolat: Cuius corpus post tertium sepulturæ annum integrum, ac incorruptum cernitur.

20. *In Hist. Camaldul. lib. 2. cap.* 74. Frater Thomas tertij Ordinis, cum olim concionaretur apud Camerinum, & palam Principem redargueret, Princeps indignatus, eum igne absumere decreuit. Quod cum viro Dei diuinitùs reseratum fuisset arcanum, continuò arreptis prunis ardentibus, hisque in manica tunicæ depositis, Principem lætabundus adijt, & huiusmodi intulit verba: Ecce Princeps quàm parùm formidant ignem Serui Dei, scelera increpantes: quorum omnium ego minimus, ardentes prunas illæsa tunica ad te defero.

21. *Ex Inscriptione in Basilica Vaticana.* Felicis Archiepiscopi Rauennæ Fidei professionem per vim factam, Constantinus Papa, in Confessione B. Petri posuit, quæ non post multos dies tetra, & penè combusta reperta est. Cuius miraculi adhùc inscriptione conseruatur memoria in Basilica Vaticana.

22. *In Hist. Collegij Auenionensis.* Vnus ex sodalitio B. Virginis per sacrorum ordinum gradus peruenerat ad Sacerdotium, iuit in patriam, vt inter suos sacrificandi faceret initium. Iam sacra erat amictus veste, iam eum aliqui in templo præstolabantur. Magno interea impetu conatuque irruunt hæretici, qui ad hoc se comparauerant, omnibusque digressis formidine, Sacerdotem circumstant, Rosarium, quod rumore excitus in manum acceperat, euellunt, in ignemque conijciunt. Tum quærunt, cui se dederat. Respondit: Ego me iam diù Christo Iesu, eiusque Matri Sanctissimæ dedi, quæ cum dixisset, magno animo ita vti erat sacra veste indutus, mirificè ex eorum manibus elapsus, abdidit se quendam in locum; vbi per decem horarum spatium delituit, repertus à nemine, quæsitus à cunctis, quasi obsusis vndique tenebris oculi tenerentur. Postridie quietus sacrificauit, & quo nihil deesset ad sinceram lætitiam, integrum Rosarium repertum in igne.

23. *Ioannes Mariana lib. 9. cap. 18. de rebus Hispanicis.* Communi consensu de Gotthica precum ratione antiquanda actum. Tentatum id quidem aliquoties erat, neque tamen successerat, & post nonnulla visum est controuersiam ignis iudicio permittere: sic eius sæculi mores erant rudes, & agrestes, neque satis experti ad Christianæ pietatis regulam. Rogo in platea accenso, liber vterque Romanus, & Gotthicus in ignem proiecti. Et Romanus quidem continuò ex igne prosilijt, id populus victoriam interpretabatur: nam liber alter sub flammis, & igne diù permanens illæsus inuentus est. Rege arbitro, nihilominùs populo persuasum, vtramque prædicandi rationem superis placere: quando vterque liber ex incendio euasisset incolumis.

Igne fit experimentum de sacris Reliquijs.
§. 9.

CVm sacra lipsana semper ab origine Ecclesiæ sint venerati orthodoxi, de illarumq; integritate dubium quandoque ortum fuerit; Igni, ceù integerrimo Iudici, causa adiudicata fuit; nec frustrà, Admirandis enim prodigijs, illarum veritas ab igne patefacta fuit. De quibus.

1. *Paulus de Espinosa in Hist. Hispalensi lib. 6. cap. 1.* Cùm Archiepisc. Hispalensi Domino Alonso de Fonseca dono data fuisset à Regibus Hispaniæ particula, quæ dicebatur Sacratissimi ligni Crucis Dominicæ; eam ipse, vt ipsius veritas comprobaretur, dum pontificalem Missam celebraret, in accensum ignem inijci iussit; quo tempore suauissimus odor, ceù arabicorum aromatum, etiam extra Ecclesiam sentiebatur. Terminatis autem solemnijs, ab igne integra, & illæ-

sa

sa in testimonium veritatis extracta fuit.

2. *Aegydius Gelenius in Colonia Agrip. de reliquijs Collegij Mariani*. Hierotheca continet frustum Dominicæ Crucis, cuius veritatem Sanctus Anno igne ter miraculosè comprobauit.

3. *In actis S. S. Feb. tom 2. in Contin. Bollandi*. Quondam in Ecclesia Dordracensi in Hollandia, pars pergrandis Salutiferæ Crucis reperiebatur. Hanc Suerus Episcopus Vltraiectinus an. 1431. coram multis testibus in ignem coniecit, probare cupiens vtrùm Dominicæ Crucis lignum esset, planeque integrum atque intaminatum mansit, An. 1457. cum pars magna Vrbis, ipsaque basilica absumpta incendio esset, sacrum illud lignum omnino illæsum repertum est.

4. *Leo Marsicanus lib. 2. Ch. Cassin. c. 34*. His diebus Monachi quidam ab Hierosolymis venientes, particulam lintei, cum quo pedes discipulorum Saluator extersit, secùm detulerunt, & ob reuerentiam Sancti huius loci (Cassinensis) hic deuotissimè obtulerunt. Verùm cùm plurimi fidem derogarent, illi fide præditi, particulam ipsam ardentibus imponunt prunis, quæ mox in colorem ignis versa est: amotis tamen carbonibus, ad pristinam speciem mirabiliter rediit.

5. *Gulielmus Tyrius lib. 7. cap. 18*. Inuenta sacrosancta Lancea, quæ Christo in passione pectus aperuerat, cum quidam de illius veritate ambigerent, Petrus (id erat nomen illius, cui voce cælitùs emissa, tale pignus fuerat manifestatum) facturus rei per ignem experimentum, accenso ingenti rogo, ipsa feria sexta maioris hebdomadæ coram vniuersis legionibus, manu perferens sacram eam lanceam, aliquandiù in igne fuit, atque ex pyra illæsus euasit.

6. *Ex m. s.* Cum ad emulationem Sanctissimæ spinæ, quæ de Corona Domini, Firmi in Ecclesia S. Augustini asseruatur, aliæ Spinæ ad venerationem expositæ fuissent; Episcopus, vt controuersiam ortam de illarum veritate sedaret, iussit omnes in ignem agi, singulis signo apposito; & vix hæc supradicta tetigit ignem, cum ab illo mirabiliter exilijt, & in aerem suspensa visa est.

7. *Ven. Beda de locis Sanctis cap. 5*. Sudarium capitis Domini post resurrectionem eius, mox Christianissimus quidam Iudæus furatus, vsque ad obitum, diuitijs sibi affluentibus, habuit. Qui moriturus, interrogat filios, qui Domini Sudarium, qui cæteras patris velit accipere diuitias. Maior, thesauros rerum, minor elegit Sudarium. Et mox illi decrescunt opes vsque ad paupertatem: fratri autem cum fide crescunt & opes, quoad vsque ad quintam generationem fideles tenuere. Hinc ad impios perueniens, diuitias tantùm auxit & Iudæis, & hoc multo tempore, donec post longa litigia, quibus Christiani Iudæi, se Christi, infideles verò se patrum suorum affirmabant hæredes, Mahuuias Saracenorum Rex, qui nostra ætate fuit, Iudex postulatur. Qui accensa grandi pyra, Christum Iudicem precatur, qui hoc pro suorum salute super caput habere dignatus est. Missum ergo in ignem Sudarium, veloci raptu effugiens, euolat & in summo aere diutissimè quasi ludendo volucritans: ad vltimum cunctis vtrimque intuentibus, se se leuiter in cuiusdam de Christiana plebe sinum deposuit, quod mane mox totus populus summa veneratione salutabat, & osculabatur. Habebat autem longitudinis pedes octo.

8. *Vghellus in Ital. Sac. tom. 8. Frequentini Episcopi*. Cùm sub Innocentio II. inuentæ fuissent in veteri Ciuitate iamdiù solo æquata, Quintadecima antiquitùs nuncupata, nunc Aqua putrida Frequentinæ Diæcesis, reliquiæ S. Prisci Confessoris; probationem ipsarum volentes facere, Archipresbyter copiosum ignem fecit accendere, & quandam particulam capitis B. Prisci cum litanijs & sanctis precibus in eodē igne misit coram multis, sed res valdè mira in ea actione secuta est, ignis enim, qui valitudine sua, vt ita fatear, cuncta comburere solet, tùnc extinctus funditùs fuit; quod iterùm, validiùs accenso igne, factum, iterum accidit.

9. *In actis S. Deicoli apud Bolland. 17. Ian.* Hildegardis Comitissa cùm Reliquias S. Deicoli haùd habere potuisset, ad Sepulchrum B. Columbini, S. Deicoli discipuli audacter scrutatura accessit, vt vel discipuli aliquid carperet, cui diuinitùs Magister fuit negatus. O mira Dei iudicia! cum paucis accessit, facilè tumbam aperuit, vnumque tantummodò dentem magna cum festinantia sibi arripuit; iterumque tumulum clausit. Et postquàm dentem dispexit, more fœmineo dubitare cœpit, an pro reliquijs venerari debuisset, quòd tam facilè, & sine resistentia promeruisset: & vt fidem illi aliqua virtus daret, prunas ardentes in Oratorio cumulari iussit, dentemque in medium proiecit; quid plura? dictu citiùs dens crepitum maximum dedit; saltum, quousque materia obstitisset, victor & innocens fecit. Tandem credula effecta pretiosum pignus recolligere studuit, magnaque diligentia secùm collocauit. Ex illa hora, & quamdiù superis conuixit, dolor dentium ab ea vel ad horam non recessit. Tunc sera pœnitentia ducta, dentem tumulo restituit; dolor tamen immobilis illi remansit.

10. *In actis S. S. Feb. tom. 2. in Conti. Bollandi*. Cum inter ruinas Troiæ in Apulia inuentæ fuissent reliquiæ S. Secundini quondam eiusdem Ciuitatis Episcopi, ad probandam illarum veritatem, accipiens Episcopus vnum ex his ossibus, proprijs manibus diuisit, & alteram partem manu tenens, alteram in ignem iniecit; statimque adfuit diuina virtus; nam sic dissiluit ista pars foràs ac si manu hominis fuisset eiecta; & sic coniuncta est alteri parti, quam Episcopus manu tenebat, ac si nunquam diuisa fuisset.

11. *In actis S. S. Martij tom. 3. in Contin. Bollandi*. Solebat quidam deuotus S. Cuthberti Episcopi Lindisfarnensis, ad demonstrandam virtutem Sancti, impleto prunis ardentibus thuribulo, capillum ipsius, quem penes se habebat, imponere: qui inibi diutiùs nequaquam consumi poterat, sed candescere, ac veluti aurum in igne rutilare videbatur, indeque post longas moras sublatus, in propriam formam paulatim redire.

12. *Florentinius in Martirologio vetustiori. IV. Non.*

Non.Iulij. Lucæ in Ecclesia Cathedrali D. Martino dicata, reperitur os vnum D. Martini, iussu Regio è Gallia translatum, & priùs igne probatum, ad confirmandam perduellium rabiem, & Cleri Turonensis pietatem.

13. *Ex inscriptione, quæ reperitur in Sacrario Conuentus Patrum Carmelitarum Cremonæ*. Cum in eadem Ecclesia piè coleretur maxilla inferior Sanctæ Virginis, & Martyris Appolloniæ, aliaque consimilis inferior maxilla sub eodem titulo deuotè asseruaretur à Patribus Humiliatis in templo S. Abundij: Hanc ambiguitatem, vt eximeret Venturinus de Marnis, qui tunc eiusdem ciuitatis Episcopum agebat, præcepit ambas maxillas solemni pompa, & populi concursu, in accensum rogum proijci, ignisque experimento, veram à falsa dignosci. Factum fuit, in cineresque redacta, quæ erat in Ecclesia S. Abundij, maxilla, altera protinùs ex igne prosilijt, vtque vera adorata fuit. Hoc contigit an. Domini 1458.

14. *Franciscus Ballarinus par. 3. Compend. Chronologici Ciuitatis Nouocomensis. de B. Antonio de S. Germano Confess.* Quædam particulæ illius Vestis in ignem proiectæ à Fratribus Augustinianis, vt experimentum illius sanctitatis facerent, integræ illæsæque à flamma in eo perstiterunt.

Per ignem innocentia in calumnijs illucescit.
§. 10.

IRrogatas quandoque falsas calumnias, mirabiliter detexit ignis, velutiq; in fornace, Electorum probari innocentiam disposuit Altissimus, vt sicut aurum, nitidior, candidiorque appareret. De quibus.

1. *Baronius in An. Ecclesi. an. 531. n. 15.* Montanus Episcopus Toletanus ad explosionem infamiæ, tandiù prunas tenuit vestimentis ardentes, donec coram Sedis suæ altari sacro, totius missæ celebritatem per semetipsum expleret. Peractis autem solemnibus, nec prunæ ignem, nec vestis inuenta est amisisse decorem.

2. *In actis S. Hilarij Pictauiensis Episcopi, apud Bollandum 13. Iannuarij*. Quidam Clericus furti cuiusdam libelli sepulchro S. Hilarij oblati, falsò accusatus, iussus est in feruentem aquam manus immittere, à qua nil læsus, à suspicione furti absolutus fuit.

3. *Ibidem*. Sacellanus quidam falsò crimine arguebatur, vt qui vnam è sacris Ecclesiæ trabeis, quas cappas vocant, esset furatus. Inficiari ille crimen, paratus etiam igne refellere. Vsitatum ea ætate apud Pictauos genus probationis, à Gotthis olim acceptum. In ipsa basilica ingens extruitur rogus. Ille fusis ad Deum, sanctumque Hilarium precibus, fide plenus, ac Diuinæ opis fiducia, per medias graditur flammas, ne libatis quidem minimo ignis ardore vestibus. Et continuò alius qui flagitium designarat, deprehensus, vestisque recuperata est.

4. *Marulus lib. 1. cap. 4.* Eulalius Monachus criminis olim suspectus, vt innocentiam probaret, iubente Abbate, fiscellam, quam de palmeis folijs ipse texuerat, igni imposuit: atque vbi à flammis eam lædi non posse animaduersum est, non solùm omni suspicione fuit absolutus, verùm etiam ob miraculum, venerationi haberi à fratribus cœpit.

5. *Nicolaus Trigautius de Christianis triumphis apud Iaponios*. In Regno Suuò, cui præest Moridynasta, neophytus falsi criminis delatus, cùm aliter non posset innocentiam probare, cogitur more Iaponensi ferrum candens manu tractare, quod bis fecit illæsus, priùs inuocato Deo innocentiæ suæ teste, quam vt hac ratione probaret, non sua voluntate, sed aliena facere cogebatur. Idem circumstantes neophyti Deum rogabant. Ethnici verò præsens Dei numen in Christianorum causa sua sunt admiratione venerati.

6. *Leontius in vita Sancti Ioannis Eleemosynarij*. Porphyria priùs fornicaria, cum à quodam Abbate conuersa, & quasi in quodam salutis asylo cohabitaret, incidit in suspicionem temerariæ plebi, quasi ab Abbate filium genuisset, quem nec ipsa genuerat, sed abiectum collegerat. Coram igitur centum & eo amplius testibus, is Abbas in suæ, ac mulieris castitatis testimonium adferri prunas iussit: euoluit autem eas in proprium vestimentum, quod nulla prorsùs parte ambustum est, omnibus id admirantibus.

7. *Gregorius Turonensis de glor. Confess. cap. 76. de S. Simplicio Episcopo Augustudunensi*. Viuebat in eadam domo, & eodem cubiculo cum coniuge, quam ante Episcopatum habebat, tamquam cum sua sorore. Cumque populus inciperet murmurare, omnibus impossibile existimantibus, vt ita simul manentes, castitatem seruarent, & igne in sinu abscondito, vestimenta non arderent: Sancta mulier, suæ & S. Episcopi puritatis benè conscia, sed anxia valdè ob ea, quæ spargi audiebat, cùm esset quadam die in Ecclesia, in præsentia totius populi, accepit ex prunario, quod propter frigus ibi ardebat, aliquot accensas prunas nuda manu, in qua per integram horam illas illæsa retinuit, & statim accessit ad ipsum Episcopum, dicens: accipe Domine ignem hunc mollem, in signum, quòd luxuriæ ignis in nobis est extinctus. Quo facto, omnes obstupuerunt illud prodigium; & crediderunt puritatem, quam per illud Deus aperuerat.

8. *In actis S. Innocentij Episcopi Derthonensis*. Cum de hoc Sancto Pontifice murmur apud populum fieret, eo quòd à deuota vidua religiosa, obsequia eidem præstabantur, cogitans S. Pontifex huius rei detractionem, tacendo magis confirmari, voluit veritatem prodigio patefacere. Quadam verò die dominica, dum resedisset Pontifex in Ecclesia Sanctæ Mariæ coram populo, innuit ipsi Dei famulæ, vt sibi ad pedes calefaciendum prunas deferret: Quæ velociùs iuit, & ardentes prunas vestimento detulit illæso: & ante Pontificem ad calefaciendum obtulit. At ille porrectis pedibus ad prunas, per horam vnam vestimento permanebat illæso: quo viso, omnis Clerus & populus vniuersus mirabantur valdè.

9. *Bzouius in Ann. Eccl. an. 1260. nu. 21. de B. Iutta*.

Iutta. Cum quotidie ad Ecclesiam deuotionis causa iret, grauiter hoc ferebat maritus, grauique suspicione de Religiosis illius Ecclesiæ angebatur, à qua insigni miraculo eum liberauit Dominus; Cum enim die quadam tardiùs ab Ecclesia domum reuersa fuisset, ab eo, quòd prandium non citò pararetur, verbis contumeliæ, minarumque plenis, affecta, magna cum humilitate, iniuriam sibi illatam sustinens, tripodem ferreum ignitum, cum piscibus, quos in eundem paulò antè coniecerat, nudis manibus ex igne illæsa recepit, & pisces nondum coctos, mariti mensæ apposuit, quibus ille gustatis, cum optimè coctos, & conditos aduertisset, rei nouitate, euidentique miraculo attonitus, supplex veniam suspicionis illius falsæ, iniuriæque verbis illatæ, ab vxore postulauit.

10. *Greg. Turonensis lib. 2. Hist. cap. 1.* S. Bricium D. Martini in Turonensi Sede Successorem, populus reum peragebat stupri cum muliere religiosæ professionis commissi, quæ linteamina Episcopo lauare solita, ex aliquo improbo pepererat. Sanctus Episcopus volens innocentiam suam manifestare, ad sepulchrum Sancti Martini accedit, prunas ardentes in vestimento suo ferens, quibus ante Sancti tumulum proiectis, inustaque apparente veste: turbis id intulit: Sicut vestimentum istud ab his ignibus illæsum videtis, sic & corpus meum à mulieris est tactu impollutum.

11. *Saxo Danus lib. 14. Hist. Danorum*. Matrona quædam in Rugia per iniuriam à Coniuge adulterij insimulata, cum purgandæ infamiæ gratia, manum admouisset cadenti laminæ: subitò ferrum, quod erat exceptura, perinde atque innoxiæ manus contactum fugiens, negleto pondere, sublime se extulit, penduloque motu gradientis fœminæ incessum comitans, cum ante aram iactandum esset, inter religiosam adstantium admirationem, proprio impulsu humi decidit.

12. *Auent. lib. 4. Ann. Boior.* Richarda Augusta Caroli III. Imperatoris vxor, adulterii falsò infamata, candenti ferro crimen adulterij obiectum diluit.

13. *Sigonius lib. 7. Regni Italiæ*. Maria Augusta Othonis III. Imperatoris vxor, Comitem Mutinensem in amorem pellicere sui conata, postquam libidini reluctari suæ vidit, ita furens, se ab illo de stupro tentatam apud Othonem insimulauit; obque eam causam capite iussu Imperatoris damnatus fuit. Post multos dies Comitis vxor, innocentiæ mariti conscia, Imperatorem accersijt, innocentiamque eius testata est; cui Imperator, quonam pacto, inquit, viri tui, quam iactas innocentiam, comprobabis? cui illa, candenti lamina, inquit; atque mox inspectantibus omnibus ferrum ignitum iussu Othonis allatum sine offensione prehendidit. Patefacta deinde Augustæ malitia, eam igne cremari iussit.

14. *Baronius Ann. Eccle. an. 1024. n. 9.* Ad probandam castitatem, quam, licet calumniatam, inuiolata seruauerat S. Chunegundis Imperatrix, ignitos vomeres, non secùs ac flores, illæsis manibus contrectauit.

15. *Cæsarius lib. 10. miracul. cap. 36.* Quidam pessimus hypocrita benignè semel ab hospita habitus, ædes incendio absumpserat. Bis exceptus, bis pro gratia incendium immisit. Territus Dominus, multos detulit, de quibus suspicabatur, qui omnes expertes culpæ, candenti ferro illæsi se expurgauerunt. Domo tertiò ædificata, ferrum in quendam domus angulum abiectum iacebat. Venit post aliquod tempus pseudouiator, ille tertiò humanè excipitur, videt ferrum, rogat cui vsui? audit ab hospite quid illo actum; quin, inquit, illo deinceps ab alios vsus vteris, ne iaceat otiosum. Simul manu comprehendit, sed illud repentè incanduit, & manum validè adussit, ille cum eiulatu abijcit. Hospes admiratione perculsus, suspicatur hunc bis exustatum ædium reum; ergo comprehensum sistit Iudici, Iudex eculeo, fassus omnia incendiarius in rotam agitur; tam admiranda sunt iudicia Dei.

16. *Albertus Krantius lib. 8. VVandaliæ cap. 31. an. 1351.* Per eam ætatem in Oppido VVitemburgo ferunt contigisse incendium ædium furtim procuratum, imponebaturque in eo oppido innocenti. Ille quàm sanctè iurans eius se culpæ non esse affinem, purgationem afferebat vulgarem de ignito ferro, quam iuribus interdictam, aut ignorauere, aut contempsere qui iudicio præerant laici: Ferrum ergo ignitum ille deportat itinere non paruo: tum manibus excutiens, nihil læsionis præferebat. Euanuit ferrum ex oculis mirantium omnium.

17. *Iacobus Bosius in vita B. Garziæ Martinez*. Fabro ferrario suspecta vxoris castitas erat, sed illa vt suspicionem auerteret, se B. Garziæ Martinez commendauit, & summa fide plena, dum vir artem suam exercebat, coram eo aratri vomerem ignitum nudis apprehendit manibus, quemusq; ad dicti B. sepulchrum illæsa detulit; obstupuit vir, suspicionemque omnem hoc miraculo doctus, posuit.

Obedientibus etiam ignis paret. §. 11.

QVi Deo, eiusque vicemgerentibus humiles promptasq; obediendo submittunt ceruices, iuremeritò & obedientiam ab insesatis creaturis promerentur. Hanc persæpè admirandis modis exhibuit ignis viris Sanctis, eis dum in obedientiæ ministerijs exercerentur, nihil nocendo. De quibus.

1. *Franc. Victor. in actis S. Francisci à Paula lib. 2. cap. 1.* Fornax calcaria supra modum accensa corruebat: id vt aduerterunt operarij, S. Virum acciuere, vti diuina, qua pollebat ope, damnum resarciret; ille verò pergens ad fornacem, ait illis, nihil esse formidandum; sciebat enim qua ratione ruinæ forent reparandæ. Circumstabat fortè perterritus iunior quidam frater: huic ergo imperauit ad obedientiæ sanctæ experimentum, fili per charitatem, calcariam fornacem ingredere figeque istum, quem porrigo baculum, vt eo testudo sustineatur, obediuit alacriter ille iunior, & è medijs flammis illæsus egressus est, sustentato per baculum ligneum, eo, qui ex erumpentibus flammis corruebat, fornice calcariæ fornacis. Præclarum

clarum sanè, & nullis vnquam sæculis reticendum obedientiæ promptissimæ, & numeris omnibus absolutæ miraculum, & experimentum.

2. *Io:Colg. in vita Sancti Fechini 20. Iannuarij.* Probauit Erlomhan vtramque sibi rationem competere: nam ad viri Sancti mandatum extemplò in fornacem insilijt, & in signum raræ sanctitatis, & innocentiæ, illæsus, & intactus redijt, & postea habitu sancto apud Sanctum Fechinum suscepto, Deo, & Magistro singulariter dilectus, vitam sanctissimè instituit, & conclusit.

3. *In Vitis Patrum.* Vir quidam Monasterium ingressus fuerat, tribus filijs in sæculo relictis. Post tres annos cum licentia Abbatis abijt in ciuitatem, vt eos adduceret ad Monasterium, & inuenit duos ex eis iam esse defunctos: vnum verò solummodò remansisse. Quem assumens, adduxit eum ad Abbatem, qui tunc erat in pistrino. Abbas infantem complexus, dixit patri eius: Amas eum? & ille dixit: etiam. Rursùm dixit ei: omninò diligis eum? & respondit: etiam. Hæc audiens Abbas, dixit ei. Tolle ergo, si amas eum, & mitte in furnum, qui modò ardet; & tenens pater filium suum, iactauit eum in furnum ardentem. Statim autem factus est furnus, velut ros. Ex qua re acquisiuit gloriam in tempore illo, quemadmodum Abraham Patriarcha.

4. *Raderus.* Iuuenis quidam Anonymus, tanto feruore se Deo in religione consecrare voluit, vt à proposito nec hoc sequenti quidem terribili præcepto absterreri potuerit. Furnus pinsendo farri accensus, vndantibus ardebat flammis: Hunc Nouitium Christi militem, eodem, quo venerat die, eademque hora ingredi iubet Cœnobiarcha: paret extemplò tyro, & in medios se flammarum globos promptissimè, velut in plumas immittit: horret ipse qui iusserat spectator Pater, non minùs ac Porsena Mutij dexteram, aut tres Hebræos Imperator Chaldæorum. Nec ignis fuit ausus tantam virtutem attingere, sed velut à sacrosancto capite refugit, illæsumque abire permisit, ostenditque aduenam vno temporis propè momento ad tantum virtutis culmen, per expeditum obsequendi studium enissum, ad quantum alij plerique toto anno nunquam enituntur.

5. *Bernardus Scardeon. libr. secund. class. 6. Hist. Patauinæ.* Cum anno 1412. Præpositus D. Augustini Patauij post epulas, Præposito Iesuatorum obiecisset, quòd trium votorum professionem parùm legitimè viderentur exercere: is statim ad Marcum, vnum ex suis, qui mensæ ministrabat, conuersus: Quando ergo de obedientia quæstio est, te ego, Marce, manibus nudis prunas hùc inferre iubeo, vt boni isti viri se se calefaciant. Nihil ille cunctatus, quod iussus erat, stupentibus illis attulit.

6. *Vading. in ann. 1447. de B. Thoma Florentino.* Ioannes Capistranensis in itinere Hierosolymitano, præter Hieronymum de Piagale, aliosque Socios, Beatum Thomam etiam conuocauit. In Cypro hospitio excepti à locuplete Mercatore Veneto, Ioanne de Martinis, Fratrum Hierosolymas transeuntium Procuratore, Thomæ curam demandarunt, cibos multos, & varios ab hospite sibi, alijsque conuiuis, ministratos præparandi. Ille vel ex inscitia, vel ad sui consodalis, Fratris Iuniperi exemplum, omnia in vnum conglomerauit lebetem, & aqua pura absque vllis condimentis decoxit. Mercator sub prandij horam reuersus, quod factum erat, perspiciens, ægerrimè tulit, & Capistranum insimulauit erroris, quod homini insipienti, vel rei cibariæ prorsùs ignaro hoc munus iniunxerit. Indignatus ad hæc Capistranus, socium acriter reprehensum, iussit, ineptis manibus, in pœnam errati, ardentes afferre carbones. Nihil ille moratus, in conspectum omnium redijt, vtraque manu accensas prunas asportans. Genuflexus coram præceptore veniam exorauit, reliquis intercedentibus, & collachrymantibus. Neque verò statim dimissus est, denuò culpam vrgente Capistrano, tandemque iubente, ne carbones excuteret, sed in culinam, quo tulit modo, referret, lotisque manibus rediret; fecit, redijt, manus expandit, signum nullius læsionis apparuit, cibos deinde conuiuis hilariter ministrauit, qui nunquam se lautiùs, aut delectabiliùs epulatos asseruerunt, rebus singulis iuxta propriam qualitatem optimè conditis.

7. *Idem an. 1377. n. 12. de B. Thomasucio.* Mira fuit conuersio cuiusdam pistoris Senensis, à quo cùm Thomas prunas peteret ardentes, & in pallio absque vlla læsione portaret in forum, relictis omnibus secutus est eum, & pio fine in Eremo quieuit. Aliàs ad populi terrorem, & denunciatæ veritatis testimonium lychnos aliquot accensos, ore, & summis labijs inoffensus portauit.

8. *Surius in Nouembri in vita S. Gregorij Agrigentini.* S. Gregorius Agrigenti Episcopus prunas accensas in pallio tulit, quæ thus iniectum resoluerunt in odoriferum vaporem, pallium tamen haùd læserunt.

9. *Simeon Metaphrastes.* Sanctus Simeon Abbas, cognomento Salò, ignem in manu gestauit, absque sui detrimento.

10. *Vincentius in spec. Hist. lib. 10. cap. 115.* B. Helenus Episcopus, tantæ fuit sanctitatis, vt dum adolescentulus in Monasterio cresceret, si quando missus esset, ignem è vicino petere, prunas ardentes vestimento deferret illæso.

11. *Ferrarius in Catal. S.S. 23. Iannuarij.* S. Martyrius Confessor, cum ad ignem asportandum vas non haberet, illum vestimento proprio acceptum, vsque ad montem, in quo fratres erant, absque vlla læsione vestium detulit.

12. *In actis S. Cadoci Episcopi Beneuentani ap. Bollandum 24. Ian.* Quodam die extincto igne, præcepit Magister puero Cathinail, idest Cadoco, ignem ad coquendam escam deferre: & rusticus quidam ignem illi dare renuit, nisi carbones ardentes in gremio deportaret. At ille viuos in chlamide carbones suscepit, & inusta veste ad Magistrum suum detulit.

13. *In Actis B. Margaritæ Hungaricæ Virg. ap. Bolland. 28. Ian.* Ollam ardentem, & tripodem ferreum candentem de medio ignis nuda manu sine læsione manus extraxit.

14. *In actis S.S. Feb. tom. 1. in Contin. Bollandi.* S. Anatolius Episcopus, & Confessor, in Oppido Salinarum in Burgundia quiescens, quondam carbones, vbi fit sal, in gremio illæso portauit.

15. *In Actis S.S. Martij tom. 3. in Contin. Bollandi.* Cum quodam tempote vsui necessario ignis deesse videretur, ascitus à S. Landoaldo Archipresbytero puer, ignem inferre iubetur, qui cum vas non haberet, quo ignis imponeretur, vt statim viri Sancti iussis obtemperaret, gremium prunis ardentibus laxat, easque nihil cunctatus infrà collocat, & ita veste illæsa ad patrem vsque deportat.

16. *Ioan. Molan. in natal. S. S. Belg. de S. Aldetrude Abbatissa 25. Feb.* Aldetrudi aliquando Beata Virgo Aldegundis præceperat, vt fragmenta ceræ coaceruaret in vnum, solicita, ne vel minima rerum Monasterij deperirent. Illa dicto citiùs paruit, dispersa ceræ fragmenta collegit, ignem accendit, vas æneum cera plenum super imponit; sed cùm strues lignorum combusta decideret, & sartago feruens in alteram partem inclinaret, virguncula fide armata, de medio flammarum lutem bullientem manibus nudis sine vlla læsione in pauimentum deposuit, Tantum apud Deum, & meritum iubentis, & virtus obedientis promeruit.

17. *Ioan. Euseb. lib. 5. doctrinarum asceticarum doct. 8. cap. 52.* Sanctus Guillelmus Aquitaniæ quondam & Prouinciæ Dux, postea verò humilis Monachus, iussus aliquando panes coquere, cum iam tempus cœnæ instaret, confestim succendit fornacem, rutabulo ignem circumuertit, sed scopam, qua prunas euerreret, locumque ponendis panibus aptaret, non habuit; insiliens ergo in fornacem, melote pro scopa est vsus. Tum demum coctos panes, fratribus nihilo tardiùs, quàm res poscebat, attulit, nulla corporis, aut indumentorum parte læsa, vt propensæ obedientiæ alacritatem intelligas, & inter pericula securam, & inter infima nobilem.

18. *Ioannes Molanus in Nat. S.S. Belgij. 13. Nouemb.* Admirandum non absimile refert de S. Kiliano Episcopo. *Petrus de Natalibus lib. 9. cap. 22.* idem scribit de S. Aurea Virgine. *Philippus Ferrarius in Catal. S.S. 2. Maij.* hoc idem habet de S. Syluestro Monacho. *Ioannes Moschus in prato Spirituali, cap. 92.* de Gregorio Cappadoce Monacho. *Paulus Regius*, de S. Donato Monacho Ordinis Montis Virginis. *In actis S.S. Feb. tom. 2. in Continuatione Bollandi*, de S. Austrebertha Virgine in Belgio, & de Sancto Paulo Episcopo Virdunensi.

Ignis vindex Iustitiæ Diuinæ. §. 12.

IGnem inter Ministros Diuinæ Iustitiæ enumerant Sacræ Scripturæ, factæque ab eo, imperante Deo, vindictæ, eiusdem comprobant ministerium. De his

1. *Baron. an. 325.* Valentiniano dedignante assurgere S. Martino Episcopo, è sella egressus est ignis, qui eum non assurgere modò compulit, & viro occurrere, atque manibus eius caput submittere, sed & ad genua accidere, coegitque prosterni vestigijs. De quo Venantius Fortunatus hisce carminibus præclare admodum.

Hinc celer exilijt rapiens se Cæsar, & ardens
Martini genua amplectens, pedibusque volutans;
Sicque superbum hominem se agnoscere pœna coegit,
Vilia regna probans, & celsa cacumina curuans,
Imperiale caput Sancti ad vestigia subdens.

2. *Ferrarius in Catal. S.S. 11. Iunij*, Post mortem S. Parisij Monachi Camaldulensis, antequam eius corpus sepulturæ traderetur, cum multi illius manus tamquam Sancti exosçularentur, quidam Hæreticus dixit: si hic Sanctus est, ardeat vt candela hæc manus mea: Vix finierat (mirandum) cùm repente ignis manum eius inuasit. Sed cùm pœnitens, veniam prostratus deprecatus esset, cunctis pro eo orantibus, liberatus est.

3. *Ioannes Moschus in prato Spirituali cap. 183.* Dicebat Abbas Theodorus Cilix: Cum adhùc morarer in Scithi, erat illic Senex Ægyptius, nomine Dauid, qui die quadam ad metendum profectus est. Habent enim consuetudinem Scithiotæ, vt abeant ad villas, & metant. Ascendit ergo Senex in villam, & sub mercede operabatur. Conduxit autem illum agricola quidam, Cùm itaque meteret senex die quadam circa horam septimam, æstus magnus factus est, & abijt Senex in quoddam tugurium, & sedit. Veniens autem agricola, & videns sedentem Senem dicit ei cùm iracundia: Cur non metis, Senex? nescis quia mercedem tibi reddo. Dixit ei: Ita sanè; sed quia æstus magnus est, & grana tritici de spicis decidunt, idcircò paululùm expecto, donec transeat æstus, neque damnum patiaris, Dixit ad eum agricola: Surge, labora, & ardeant omnia. Cui respondit senes: Et vis, vt ardeant? dixit ille cum iracundia; Ita planè. Tunc surrexit Senex, & ecce continuò ardere cæpit ager. Currens autem agricola, venit ad alios Senes, qui in alia parte agri operabantur, & orabat eos, vt venirent, & deprecarentur Senem, vt oraret, & ignem extingueret. Venientes autem Senes, prostrauerunt se humi: ille autem dixi eis: Dixit ipse vt arderet; exoratus tamen ab eis, abijt, & stans medius inter ea quæ arserant, & ea quæ non arserant, orauit, & continuò extinctus est ignis, & saluata est pars reliqua ruris.

4. *Petr. de Natal. lib. 8. cap. 29. de S. S. Euphemia, Dorothea, Thecla, & Erasma Martyr.* Cum illæ fuissent Præsidi præsentatæ, videns Seuastus ipsas ùt Solem facie splendentes, atque deos omnes Gentilium confutantes, iussit illas capite truncari: quas pater, ac patruus earum

Valen-

Valentius arreptas, ad summitatem turris, quam fecerat, traxit; & manibus etiam proprijs decollauit: corporaque illarum cum capitibus ex alto flumine proiecit, & subitò, facto nimio terræmotu, ignis de cœlo veniens, ipsum cum omnibus, qui secum erant, & ipsam turrim vsque ad fundamenta consumpsit.

5. *Baronius an.* 199. Tres viri scelesti cum Sanctum Narcisum Hierosolymorum Antistitem calumnijs affecissent, & iureiurando calumniam confirmaturi, genus mortis singuli diuersum sibimet fuissent imprecati; eadem morte sunt puniti. Primus enim cum familia incendio perijt, ex modica scintilla ædibus fortuitò deustis, Postremus sanie vlceribusque contabuit; ille verò qui supererat, quique sibi cæcitatem imprecatus fuerat, fassus suam & sociorum calumniam, sponte propriam expleuit pœnam, neque enim à lachrymis deinceps temperauit vnquam, atque ita oculos ex fletu amisit.

6. *Iocelinus in vita Sancti Patritij capit.* 48. Casulam Sancti Patritij ausus fuerat Magus quidam induere: Sed illicò sacrilegij pœnas luit: nam circumfusus igne, in vaporem, & cinerem est dilapsus, nec vllatenùs tamen casula exarsit.

7. *Idem ibidem cap.* 125. Magus quidam suis præstigijs impedire ausus est Sanctum Patritium à prædicatione Euangelij, at statim fulmine prostratus, incendio sublatus est in omnium conspectu. Aliàs Sancto Patritio concionanti obniti contrà Magi numero nouem palàm cæperunt; sed precibus ipse ignem de cœlo eruit, qui omnes illicò absumpsit.

8. *In vita Beati Ioannis Salsaguntini Ordinis Eremitarum.* Fuit Madrigali quædam Catharina Romana, quæ linguam strinxit in Ioannem, affirmans falsa esse quæ de eiusdem sanctitate, & miraculis dicebantur. At ecce tibi non multò post virulentæ suæ detractionis pœnas dedit; Etenim die sequenti cum esset ad coquendos panes, succenso furno, vehemens flamma prosiliuit, & in summum caminum, adstantium terrore, erupit, ac statim nullo detrimento se recepit: paulò post rursùs impetu euadens, ad cellam eiusdem Catharinæ se se extulit; ipsa metu exalbescere, ac credere fatalem horam adesse, At flamma denuò innoxia retrò vndè eruperat abscessit. Exiguo post, relata fuit vi tanta, vt nullæ ignis reliquiæ superessent, ac per vniuersum Monasterium longè lateque eadem se sparsit, omnesque Monachas ad modum vaporis in vnum coacta, circumdedit. Hoc vbi Catharina intellexit, inuocato nomine Iesu, in existimationem Ioannis se debacchatam fuisse exclamauit, Deumque à se propter hanc iniuriam pœnas exposcere. Ibi cum iratum Numen ignoscere sibi rogaret, & deinceps se nihil simile facturam coram omnibus promisisset; flamma quasi mansuefacta, clementer, & absque vllius hominis aut rei damno, in furnum se recepit.

9. *In vita Sancti Arnulphi Metensis Episcopi* 16. *Augusti.* Noddo quidam, homo scelestus, cibo benè fartus, & vino æstuans, cum complicibus suis non verebatur obtrectare Sancto Episcopo, dicens, illum non Dei esse cultorem, sed hominem potiùs voluptati addictum, ad cuius lectum non solum Rex, sed etiam Regina tamquam consilium captantes, nocturnis horis properarent. Cùm ergo cubitum iuisset cum socio detractore, iubente Domino, omnia illorum vestimenta flamma corripuit, Itaque exiliens, magnis vocibus aquam expetit. Sed aqua iniecta, flammam diuinitùs immissam non extinxit. Ardebant acriter circa nates, & verenda interulæ illorum, nec poterant ardentes vestes exuere. Quid multa? cum non possent aliud, foràs exiliunt, & instar porcorum in luto se se vociferantes volutant: sed magis magisque in eorum membra genitalia ignis sæuit. Impletum est in illis, vt reor, quod in Psalmo habetur: Detrahente occultè proximo suo, hunc persequebar. Iusto igitur Dei iudicio illis in locis pœnas luerunt, de quibus illi Sanctum virum sua obtrectatione infamare voluere. Nec diù post Noddo ille in eiusmodi flagitijs deprahensus est, vt Regia animaduersione iure illi vita adempta sit; & nè solus moreretur, filius eius mox eadem sententia punitus est.

10. *Bzouius in Annal. Eccles. ann.* 1285. *numer.* 18. Quodam tempore apud Lauinum amnem, inter Bononiam, & Mutinam, sub arboris vmbra, Sole ardentissimo, diuersatus in itinere Sanctus Philippus Benicius, nonnullis blasphemantibus diuinam vltionem prædixit, quæ illos, statim vt ab eis recessit, secuta est. Nam ignis de cœlo in modum turbinis descendens, arborem cum illis prorsùs absumpsit.

11. *In Monum. Ecclesiæ Rauennæ.* Quo tempore Astorgius Manfredus, Ecclesiæ Rauennæ loca infesta reddebat, ann. 1376. accidit vt quidam miles Imaginem Diui Antonij nefaria manu impiè tractauerit. Nec impunè. Namque statim ignibus, quos Sancti Antonij vocant, correptus, quamquam in mare se se deiecisset, tandiù vstulatus est à cælesti vindicta, donec carnibus vsque ad ossa consumptis, exalauit animam.

12. *Guillelmus Lindanus.* Busciduni, quidam ex impijs iconoclastis, cùm sacram Sancti Antonij Imaginem gladijs, ascia, & bipennibus, vt eam in via publica incendio disperderent, concidissent, repentè sacro igne per totum corpus instar granorum piperis ebuliente correpti, postridiè animam efflarunt.

13. *Ex m. s.* Cum Anno Domini 1513. quidam miles Hispanus exercitus Prosperi Columnæ, tunc Brixiam oppugnantis, illusisset cuidam Imagini Sancti Antonij Abbatis, in suburbio Sancti Iacobi depictæ, illicò interno igne ita aduri cœpit, vt ex ore, naribusque fumus & cinis exhalarent, indeque miserabiliter consumptus est.

14. *Bozius libr. 15. de signis Eccles. capit. 12.* Anno 1576. die 21. Iunij, dum Dux Alansonius frater Regis Franciæ esset in Vrbe Castillon, & excubiæ pedestrium copiarum in Villa, quæ dicitur Soulei, à dicta ciuitate vno plùs minùs milliario distante, agerentur; tres milites malesferiati deprehenderunt, præ foribus templi Imaginem Beati Antonij in petra erectam, in eamque multa ludibria, dicteria, & sacrilegia exercuere. Sed ecce illicò vindicta Dei; duo enim ab inuisibili igne continuò consumpti, miseram exhalarunt animam; tertius facti pœnitens, diuinam consecutus est misericordiam.

15. *In Annal. Societ. Iesu Colleg. Burdegal.* Virgo quædam in ciuitate Burdegallensi Anno Domini 1596. ad mendacium suum confirmandum, ignem Sancti Antonij sibi imprecata peierauerat. Statim dicto incendio omnia illius vri membra cœpta sunt, facies sacro illo igne incensa foedabatur. Hæc properè ad templum adducta, confessione expiata, aquæ benedictæ haustu restricto incendio, pristinæ incolumitati restituta est.

16. *Matthæus Magnanus de tribus Deiparæ miraculis.* Pinnæ Billorum in Ecclesia Sancti Christophori, piè ac deuotè asseruatur Imago Beatæ Virginis, quæ olim die 17. Februarij anno 1517. dum ab hostibus dirè oppugnarentur ciues, ex se ignitos radios in hostium oculos immittens, mirabiliter ab illorum incursione liberauit obsessos.

17. *Baronius Annal. Eccles. ann. 993. numer. 4.* Quidam homo iuxta Danubium, cum cunctus populus sua sponte natalitium Sancti Vdalrici solemniter celebraret, fœnum cum restellis congregauit in cumulos, diem Sanctum spernendo, qui cum altera die cum plaustris venisset, vt hoc in fœnarium suum duceret, exteriùs formosum inuenit, cum autem bidenti ligneo interiùs tangeret, totum in fauillas immutatum inuenit, & diem Sanctum, quem ante celebrare non voluit, postea præ timore contemnere non ausit.

18. *Cranzius libr. octauo Vuandaliæ capit. 31.* In Saxoniæ Oppido VVittenburgo, excitati publici incendij crimen, impactum fuit cuidam, ille & iure iurando, & iudicio se innocentem probauit; cum enim longo itinere ferrum candens manu tulisset, illudque illæsus in terram deiecisset; ecce tibi ferrum ex omnium oculis fugit; sed eo fermè anno exacto, cum quidam alius, qui incendij conscius erat, silicibus viam publicam in oppido pauiret, ferrum in arena abditum prodit, manumque valdè amburit. Mirantur omnes, & vomerem illum recognoscunt, & reum ad Iudicem abripiunt; qui quæstione admota, verum exculpsit, & cruribus fractis noxium rotæ imposuit.

19. *Marchantius ex Gregorio Turonensi.* Sub Vrbis Turonicæ territorio, apud vicum Languiensem, mulier quædam ex incolis, conspersa dominica die farina, panem formauit, quem sagregatis prunis, cinere feruenti contexit decoquendum. Quod cum fecisset, protinùs eius dextera diuino igne succensa, cœpit exuri. At illa vociferans, & plangens, Basilicam illius vici, in qua reliquiæ Sancti Ioannis Baptistæ continentur, adijt. Et oratione fusa, vouit in hac die diuino nomini consecrata, nullam operam exercere, nisi tantùm oratione vacare. Nocte verò sequenti facit cereum in altitudine status sui. Tunc in oratione pernoctans, tento tota nocte manu propria cereo, extinctis ardoribus incolumis est egressa.

20. *In vita Sancti Othonis libr. tertio cap. 29.* In die Sancti Laurentij Bocceus presbyter Beati Viri ad Villam pergebat: homines autem terræ illius nondum consueuerant dies feriatos agere. In ipsa ergo die, transeunte presbytero, rustici segetem metebant. Ille autem de obseruantia festi alloquens, merita Martyris prædicabat, atque vt ab opere cessarent, sub contestatione, ac reuerentia Beati Laurentij admonebat. Sed scriptum est; stultus verbis non corrigitur. Vnde homo, qui Magister operis erat, spreta Sacerdotis admonitione, operarios suos magis, & magis vrgebat. Contristatus ergo super illorum temeritate presbyter, cum abiret, imprecatus est Dominum, vt digna vltione contemptum Martyris sui vindicaret. Nec mora; ex improuiso ignis venit, & stantem segetem, & eam, quæ iam messa fuerat, vndique afflauit, tantaque vis ardentis stipulæ fuit, vt ipsi rustici de campo fugerent. Factumque est, vt qui saluis frugibus ab opere sponte cessare noluerant, perditis omnibus, cessarent inuiti.

21. *In vita Sancti Francisci Xauerij.* Cum Franciscus Xauerius in Molucas Insulas penetrasset, & primus illas gentes ad Christum adduxisset, vrbs Tolus, in qua ad viginti quinque hominum millia baptizauerat, suasu cuiusdam Tyranni, fidem Christi deseruerat, ciuesque Ecclesia destructa, cruces, & sacras Sanctorum imagines per ludibrium fregerant; quam rem egerrimè ferens Franciscus, dolensque de iniuria Deo illata, & de pernicie illarum animarum, postquam irritas suas preces vidit, quibus rebellium animos ad resipiscendum quoad potuit pertentauit, Christianos milites ad vindicandam Dei iniuriam promissione victoriæ excitauit. Viginti igitur Lusitani cum aliquibus Molucarum indigenis, qui omnes numerum quadringentorum explebant, expeditionem aduersùs Tolum susceperunt, Francisco suadente, & comite, ac felicem belli esitum promittente. Erat Arx Toli in edito loco posita, non minùs armis, quàm situ munita, accesserat hostium fraus, nam ea parte editæ rupis, qua sola adiri poterat, stimulos ferreos supposuerant, in quos se se induerent, qui propè arcem conarentur accedere. Vix Christiani ad Tolum accesserant, cum Francisco ad Deum preces fundente, ex vicini montis vertice cum horrendo mugitu, & fragore magnum erupit incendium, & ingens cineris, ac pu-

pumicum vis eiecta, quod nunquam in ijs partibus euenisse constat, non modò stimulos ferreos cooperuit, sed etiam arcis fastigium æquauit. Vnde arx, oppidum, totaque regio sine vllo certamine subacta est.

22. *In actis S. Cadoci Episcopi ap. Boll. 24. Ian.* Filius cuiusdam Regis cum multitudine copiosa ad diripiendas possessiones Australium Britonum, & terram penitùs depopulandam venit. Cuius equites cùm ignem in horreum S. Cadoci misissent, & tantùm fumari posset; fumus instar lignei postis recto tramite vsque ad papilionem filij Regis tetendit, & lumen oculorum omnium obcæcauit. Orante autem S. Cadocum cum humili supplicatione filio Regis, & veniam petente, pristinam luminum aciem cum suis recepit.

23. *Ibidem in actis S. Tyrsi M. 28. Iannuarij.* Siluano, & Combricio impijs Iudicibus, qui Sãctum Tyrsum variè excruciauerant, membris confractis, acerbissimisque doloribus, diuino iudicio defunctis; condiunt ex more eorum membra ministri, celabant ex parte fœtores corporum, odoramenta vnguentorum. Traduntur humo magna medij comitante caterua. Subitò locus ipse sepulchri, igne è terra scatente, sulphuratos in cœlum pulueres iactat, & cum ingenti fragore mox corpora sibi tradita reuomit. Totus per circuitum locus scintillis per aera vibrantibus sulphurabat; & quid ministri agerent, ignorabant: quaqua versùs humare corpora vellent, similis pœna patebat. Quem saluum ab incendio putauerant locum, mox vt fossorum tetigerat manus, ignibus crepitabat.

24. *In actis S.S. Feb. tom. 1. in Contin. Bollandi.* Cum quidam die festo S.S. Martyrum Iannuarij, & Magni solemniter celebrato in quadam villa, quæ à Schlauis Christianis habitabatur, messes colligere voluisset; subitò orta est tempestas, factumq; grande miraculum: Omnes enim aceruі frugum; quos miser ille ea die messos congesserat, cælesti igne consumpti sunt, cæteris, quos vel ipse, vel conciues eius pridiè messuerant, illæsis permanentibus.

25. *Ibidem.* Cum quodam tempore in Frisia in pago Ostergao in die Dominica prædicaret populo S. Ascarius Archiepiscopus Hamburgensis, & inter alia prohiberet, ne quis in die festo opus seruile exerceret; quidam illorum, vt sunt contumaces, & stolidi, domum reuersi, quia serenus erat aer, in pratum euntes, collecto fœno, aceruos fecerunt. Quibus factis, aduesperascente die, omnes illi aceruі, qui eadem die facti fuerant, diuinitùs igne consumpti sunt, illæsis illis permanentibus, qui in anterioribus diebus in medio præparati constabant.

26. *Ioan. Euseb. lib. 2. de mirac. nat. cap. 16.* In Media apud Fouenam est Molendinum, quod S. Fechinus in latere cuiusdam saxi, miraculosè nimis manibus suis exsculpsit, Hoc, sicut & Ecclesiam Sancti istius mulieres non intrant, nec in minori reuerentia Molendinum illud ab indigenis, quàm vna Ecclesiarum Sancti eiusdem haberi solet. Contigit autem, Hugone de Lacy exercitum per locum illum ducente, Sagittarium quendam, muliérculam violenter attractam, in ipso Molendino libidinosè violasse, qui repentina vltione igne infernali in membro percussus, vsque in ipsum corpus statim exarsit & nocte eadem expirauit.

27. *Orlandinus in Annal. Soc. Iesu. part. 1. lib. 1. num. 59.* Homo nobilis graui cum stomacho, elata voce, & multis audientibus; Malo ego incendio peream, inquit, nisi iste (Ignatium demonstrabat) meretur incendium. Dictum, factum. Nuncius eodem die perfertur, natum Carolo Quinto Cæsari filium (is fuit Philippus postea Rex Hispaniarum, appellatione ea, Secundus) cuius natalem dum tota Hispania, pro seque priuatim, ac publicè Complutenses de more festis ignibus gratulantur; ille, quem dixi, nobilis, ædium suarum Turri conscensa, ibique illapsa fortè scintilla in pyreum puluerem, quem ad illam celebritatem multum subuexerat, miserrimo incendio conflagrauit, conditionem fideliter implens, quam sibi tulerat, si mentiretur: eodemque se, & mentitum igne demonstrans, & temerarij mendacij pœnas exoluens. Illachrymauit ad funestum casum Ignatius. Et certè, inquit, me enimuerò perinuito, hunc sibi exitum ipse optauit, ac cecinit.

28. *S. Greg. lib. 4. Dial. cap. 32.* Terribile quiddam in Valeriæ prouincia contigisse, vir vitæ venerabilis Maximianus Syracusanus Episcopus, qui diù in hac vrbe meo Monasterio præfuit, narrare consueuit: Quidam curialis illic sacratissimo Paschali Sabbato iuuenculam cuiusdam filiam in baptismate suscepit. Qui post ieiunium, domum reuersus, multoque vino inebriatus, eandem filiam suam secùm manere petijt, eamque nocte illa, quod dictu nefas est, perdidit. Cumque mane facto surrexisset reus, cogitare cœpit, vt ad balneum pergeret, ac si aqua balnei lauaret maculam peccati. Perrexit igitur, lauit, cæpitque trepidatè Ecclesiam ingredi. Sed si tanto die non iret ad Ecclesiam, erubescebat homines: si verò iret, pertimescebat iudicium Dei. Vicit itaque humana verecundia, perrexit ad Ecclesiam: sed tremebundus ac pauens stare cœpit, atque per singula momenta suspectus, qua hora immundo spiritu traderetur, & coram omni populo vexaretur. Cumque vehementer timeret, ei in illa Missarum celebritate quasi aduersi nihil contigit. Qui lætus exijt, & die altero Ecclesiam iam securus intrauit. Factumque est, vt per sex continuos dies lætus, at securus procederet, æstimans quòd eius scelus Dominus, aut non vidisset, aut visum misericorditer auertisset. Die autem septimo, subita morte defunctus est. Cumque sepulturæ traditus fuisset, per longum tempus cunctis videntibus de sepulchro illius flamma exijt, & tam diù ossa eius concremauit, quousque omne sepulchrum consumeret, & terra, quæ in tumulum collecta fuerat, defossa videretur. Quod videlicet Omnipotens Deus faciens, obstendit quid eius anima in occulto pertulit, cuius etiam corpus ante humanos oculos consumpsit.

29. *Raynaldus in Annal. Eccles.* An. 1474. accidit in Polonico exercitu, vt casuali exorto incendio, quod ventus augebat vehemens, multi mortales, equi plurimi, & currus cum victualibus quingenti, tanto exercitu opem non ferente, absumpti sint,

sint, repertique fuerunt in semiustis quadrigis, pixides diuinissimum Eucharistiæ sacramentum continentes, & intellectum est, conflagrationem ignis, plagam fuisse Dei.

30. *Petrus de Natalibus lib.2.cap.1.ex Hieronymo*. Ea nocte, qua natus est Christus, ignis per totum mundum cunctos sodomitico vitio laborantes extinxit.

31. *Nicephorus lib.10. Hist. Eccl. cap.32.* Quo tempore Iudæi permissu Iuliani Imperatoris Apostatæ, templum Hierosolymitanum iam dirutum, à fundamentis reædificare volebant, ignis ex ipsis fundamentis exiliens, & alius item de cœlo immissus, plures consumpsit; igneque illo cælitùs demisso mallei, scalptra, seræ, secures, asciæ, & quæcumque ad ædificationem commoda operarij comportauerant, celeriter in cinerem sunt redacta, quod incendium die toto grassatum est.

32. *In actis S.S.Martyr tom.1.in Cont.Bollandi.* Dùm lictores B. Martyrem Eudociam, quod ad imperatam suspensionem erat necessarium, cingulo tenùs nudassent, excidit ex eius sinu, particula S. Eucharistiæ, quam antequam illùc adduceretur susceperat in sinum, Hanc è terra sublatam, nescientes quid esset, diaboli ministri deferunt ad Præsidem, qui cum manum extenderet ad capiendum quod offerebatur, repentè sacrum pignus in ignem conuersum, dilatantibus se per gyrum flammis, apparitores præsidis incendit; ipsius verò læsum humerum corripuit; cumque dolore correptus exclamaret, se citò vindicaturum tale delictum, illicò globus flammæ ardentior quasi fulgur insiliens, & corpus eius totum comprehendens, momentò exanimauit, iacuitque statim combustum cadauer.

33. *Tilmanus Brend.ap.March.de Sacrif. Missæ Tr.1.p.1.cap.28.* In Parisiensi Vrbe accidit prodigium in Ecclesia Sanctæ Mariæ, in qua, cùm quidam non Sacerdos sacrilego ausu sacrum celebrare tentasset, in ipso accessu ad Altare, sordidas, & impuras eius manus, nullo sacro Chrismate delibutas, flammæ de cælo cadentes absumpserunt.

34. *In Menologio Græco.* Cum S.Acatius M. in ardentem fornacem iniectus, illæsus permansisset; Zelicinthius quidam frigidam esse fornacem opinatus, accessit, vt sciret quonam modo res se haberet, & statim combustus in cinerem redactus est.

35. *Vincentius in spec. Hist. lib. 21. cap.3.* Tempore Anastasij Imperatoris, in Africa Olympius quidam, dum in balneis Sanctam Trinitatem blasphemaret, ignito iaculo cælitùs veniente, visibiliter combustus est.

36. *In actis S.S.Crispini, & Crispiniani Martyr.* Cum iussi fuissent in plumbo liquefacto immergi, illis orantibus in plumbo, exiliens gutta plumbi feruentis in oculum impij Iudicis, graui illum dolore excrucians, excæcauit.

37. *In actis S. Cucufatis Mart.* Cum prædictus Martyr iussu Tyranni in ignem coniectus fuisset, ignis Sancto parcens, ministros impietatis combussit.

38. *In actis S. Erasmi Episcopi Antiocheni, & Martyris.* Cum iussu Maximiani in sartaginem plumbo, pice, & resina, ebullientibus, immissus fuisset, ibique illæsus perseueraret, exiliens ex vndosa sartagine quædam torrens scintilla, Maximianum cominùs stantem petit, eique adeò validè infligitur, vt cum eiulatu terribili vociferaretur, dicens: Ardeo, ardeo, virorum optime Erasme ora pro me.

39. *In actis S.Barbaræ Virg.& Mart.* Cum prædicta Sancta à proprio patre, ob fidem catholicam constanter prædicandam, capite amputata fuisset, & post de monte descenderet Pater, cecidit ignis de cœlo super eum, & consumpsit illum, ita vt nec puluis de eo remaneret.

40. *In actis S. Georgij Mart.* Dum ante Idola constitutus esset S.Georgius, orauit Dominum, vt ea destrueret: & ecce subitò ignis de cœlo descendens, totumque templum cum Dijs, & Sacerdotibus, & multis gentibus concremauit, terra verò deiscens omnes eorum reliquias deglutiuit. Postque cum iussu Daciani decollatus fuisset, & Dacianus ad palatium suum properaret, cum Ministris suis igne cælesti consumptus fuit.

41. *Ianus Nicius.* Quòd omnis luxuries, sed ea imprimis, quæ naturæ ipsi aduersatur atque repugnat, ignis supplicio coercenda sit, anno M.D.LXXXIII. in duobus adolescentulis Deus ostendit; qui cum vetito commercio vnà corpus, animumque contaminarent, subito horribilique igne, qui ex eorum corporibus obscurus ac teter afflabat, arrepti, ita vt erant iuncti, catenùs exarserunt, quoad in cinerem sunt redacti, itaque in duobus impuris adolescentibus, longo interuallo, renouatum est illud, in Sodomam, & Gomorrham, diuinæ animaduersionis exemplum.

42. *Franciscus à S. M. in Hist. Carmelit. tom. 1. lib.2.cap.13.* Cum quædam Soror in Conuentu Malagonensi Discalceatarum Sanctæ Teresiæ, nimia vanitate in adaptandis velis capiti, insisteret; ter accidit, vt improuisò ipsa vela, dum actu ornarent caput monialis, igne correpto, comburerentur, quod cælitùs factum agnoscens Monialis, propriam emendauit vanitatem.

Ignis, Aqua, cæterisque rebus Benedictis extinctus. §. 13.

De his in Titulo de Benedictionibus.

APPENDIX I. AD CAPVT I.

De Admirandis circa Ignem, quorum adhuc apparent indicia.

Admirandorum, quæ circa ignem præteritis euenere sæculis, ad fidem incredulis astruendam, aliqua reliquit Deus euidentissima signa. Hęc retexam, vt nihil, quod circa Ignem quondam mirandum apparuit, relinquam.

1. *Bzouius ann. Eccl. an. 1220. num. 12.* Cum Corpora S. S. quinque Martyrum Ordinis Minorum à Miramolino Marochij in Africa propter fidem

dem occisorum, in pyram accensam coniecta fuissent. Mirum visu: Reliquiæ flammis traditæ, nulla omnino iniuria affectæ, immò ex capitibus vnum iteratò in pyram iniectum, ita integrum exiluit, vt suo etiamnum capillitio ornatum demonstretur.

2. *Philibertus Pingonius*. Chamberiaci, die Decembris S. Barbaræ sacro, ann. 1532. nocte media vix illabente, illud Arcis Sacellum, in quo Syndon Christi Domini asseruabatur, flammis incognitis exarsit. Accurrebant omnes, sed omnium diligentissimè Philibertus Lambertus, qui Duci erat à Clauibus, & Consilijs, ascito secum ferrario fabro Guilielmo Pussodo, & Franciscanis duobus. Hi impertertito animo per medios ignes gradiuntur, Cancellos ignitos Aræ maximæ affixos, serasque effringunt, Syndonem, liquefacta iam capsa argentea, extrahunt, & integram, cedente circum flamma, reportant, Nec multò post, Syndon publicè reperta est integerrima, nisi quòd (extra sacræ Iconis partes) in complicatis, exiguæ quædam ambustionis notæ, velut miraculi testes remanserunt; quæ & hodiè videntur.

3. *Arnold. Rayss. in auct. ad natal. S.S. Belgij 28. Aprilis*. In Parochiali Ecclesia haùd multum ab Henniacensi Monasterio seiuncta, etiamnum mandibulam beati Ausberti Cameracensis Antistis videre est: quæ, vt habetur in eius vita manu scripta, capite nono, cùm in Ecclesiam flammarum voracitas irrupisset, visa fuit ab adsistentibus per fenestram intrare columba, seù Angelus in Columbæ specie, quæ capsulam, in qua recondita hæc mandibula erat, rostro blandiùs applicato, reuerenter excipiens, extra Ecclesiam ad quoddam vicinum pomerium deportauit, ac ibidem ad arborem quamdam suspendit: quæ, sedata flammarum voragine, à fidelibus ad Ecclesiam, vnde sublata fuerat, relata est.

4. *In actis S.S. Martij tom. 3. in Conti. Bollandi*. Dum in Germaniam transferrentur reliquiæ S. Quirini Martyris, vectores Sacrorum pignorum, cùm contra prohibitionē, ne sigillum frangerent, aut aliquid aperirent, partim curiositate, partim ebrietate plùs aliquid pleramque audenter illecti, se forsam delusos existimantes, corpus Sanctum inspicere, ac velamen thecæ de spatulis palmarum contextæ, nixibus temerariis remouere attentassent; sigillo adhùc intacto, dignas temeritatis suæ pœnas dependerunt, erumpentibus è feretro flammis absumpti. Extat in rei memoriam adhùc sacellum D. Quirino dicatum in Athesi iuxta riuum Dalfer dictum in Comitatu Tirolensi.

5. *In actis S. Eugendi Abb. cap. 11. ap. Boll. 1. Ian.* Vice quadam, imminente vespera, omne illius Condatense Monasterium in Burgundia, quia erat ex lignis fabrefactum antiquitùs, & non solùm contignatis, indiscretisque cellulis, verùm etiam pulchrè fuerat cænaculis geminatum, ita subitò redactum est in fauillam, vt manè non solùm nihil resideret ex ædificijs, verùm etiam celeritate arentis pabuli, ignis ipse penè totus redderetur extinctus. Cumque fratres illi, pro vt quisque sarculum, securimuè posuerat, ferrum re vera, quod solùm exuri nequiuerat, prunis ventilatis inquirerent, ecce Antidiolus sanctus Presbyter prospexit ampullam cum oleo Beati Martini, quæ salutis gratia, ad lectuli sui capitium, dependebat, plenam, clausamque, vt fuerat, post vasta incendia, postque cænaculorum desuper ruentium, ardentiumque ruinas, ita integram ac stabilitam inter fumantes ignium residere fauillas; vt tres quondam pueros roscidis refrigerijs legimus in camino Persico claruisse. Quæ etiam ampulla cum oleo ipso ad virtutum testimonium vsque hodie in eodem monasterio reseruatur.

6. *Surius in vita S. Meinulphi Diac. 5. Octobris*. Quædam ex Monialibus Monasterij Budicensis ad domum Monasterio vicinam accessit, hyemis frigus arcere cupiens. Quæ cùm ad ignem se admouisset, & nudato capite, pectere se vellet, capitis velum incautè deponit, idque mox à flammis correptum, conflagare cernit. Sed extensa manu retrahere conatur, nec tamen nisi extremas partes recipit, toto ferè velo in fauillas redacto. Tùm illa in lachrymas prorumpente, quòd nullum haberet aliud, quo se tegeret, vir Sanctus, non casu, sed Diuina id agente prouidentia, in domum illam ingreditur: vidensque puellam gementem, & plorantem, eam verbis primùm, deinde facto admirabili consolatur. Vultu enim in manus deposito, orauit obnixè Dominum, collectisque reliquijs adusti veli, illud integrum restituit lachrymanti: ijs verò, quæ illic aderant, præcepit, ne cuiquam id indicarent. Pannus ille vsque in hodiernam diem inter reliquias Sancti Meinulphi asseruatur: & licet ille sanus, & integer sit, tamen in tanti miraculi testimonium, ignis vestigia repræsentat.

APPENDIX II. AD CAPVT I.

De Admirandis perennibus circa Ignem.

PRo complemento huius capitis, remanent recensenda Admiranda, quæ circa ignem multis perennarunt annis, vel etiam adhùc, stupentibus cunctis, mirabiliter perennant. De quibus.

1. *Greg. Tur. lib. 1. de gl. Mart. cap. 32.* Thomas Apostolus secundùm passionis eius historiam in India passus esse declaratur. Cuius beatum corpus post multum tempus adsumtum in ciuitate, quam Syriæ Dissam vocant, transactum est, ibique sepultum. Ergo in loco regionis Indiæ, quo priùs quieuit, Monasterium habetur, & templum miræ magnitudinis, diligenterque exornatum, atque compositum. In hac igitur æde magnum miraculum Deus ostendit. Lychnus etenim inibi positus atque illuminatus ante locum sepulturæ ipsius, perpetualiter die noctuque, diuino nutu resplendet à nullo fomentum olei, scirpique accipiens: neq; vento extinguitur, neque casu dilabitur, neque ardendo minuitur: habetque incrementum per Apostoli virtutem, quod nescitur ab homine, cognitum tantum habetur diuinæ potentiæ. Hoc Theodorus, qui ad ipsum locum accessit, nobis exposuit.

2. *Vuillielmus Malmesburiensis apud Gretserum*

rum de Cruce tom.3. lib.2.cap.11. Olim quotannis Hierosolymis in templo Dominici sepulchri pridie Paschæ, lampades lumine de cælo misso, diuinitùs accendebantur.

3. *Ambrosius Righettus in mirac. Nominis Iesu.* Cum Antiochiæ in persecutione Diocletiani, & Maximiani, S. Iulianus Martyr in templum Iouis ductus esset, vt ei sacrificium offerret, inuocato nomine Iesu, nedum prophana Statua, sed totum templum corruit, vnde præter innumerorum hominum multitudinem, mille idolorum Sacerdotes mortui sunt; exinde autem in memoriam miraculi, magnus ignis ex illis templi ruinis ascendere per multos annos obseruatus est.

4. *Ioannes Eusebius de mirac. Nat. cap.37.* Apud Kildariam Lageniæ, quam teste Girald. cap. 34. gloriosa Brigida reddidit illustrem, digna memoratu sunt miracula multa; inter quæ primum occurrit, Ignis Brigidæ, quem inextinguibilem dicunt, non quòd extingui non possit; sed quia tam solicitè, tam accuratè Moniales & Sanctæ mulieres ignem, suppetentes materiam, fouent, & nutriunt, vt à tempore Virginis, per tot annorum curricula, semper manserit inextinctus. Virgea quadam, & orbiculari sepe ignis ille circuitur, intra quam mas non intrat: & si fortè intrare præsumpserit (quod à temerarijs quibusdam nonnunquam attentatum) diuinam vltionem non euadit. Item mulieribus solùm, & his non oris flatu, sed follibus tantùm, & ventilabris, ignem licet exsufflare.

5. *Idem de mirac. Nat. Terræ Prom. cap.35.* Non procùl Bethlemio adhùc viret Terebinthus, quem appellant B. Virginis, quoniam cum puerulo Iesu recreari eius vmbra nonnunquam insueuerat, vt propterea sit ei honor ab adeuntibus Palestinis, & Europæis; sed & visa est aliquoties arbor eadem die Sabbati ardere incombusta, quemadmodum olim rubus Moysis.

6. *In Hist. Bauarica par.1. lib.5. num.24.* Cum S. Florianus ob Christi confessionem crudeli martyrio necatus fuisset, in flumenque præcipitatus; Lictor, qui Martyrem deiecit in flumen, illicò videndi vsum amisit. Corpus ductu mirabili in prominens saxum enatauit, vbi tandiù ab alite defensum, hæsit, quoad Valeriana pia Matrona cælitùs admonita, inde elatum, tumulo mandauit. Eum in modum miles Christi fortissimus per ignem, & aquam ad suauissimum Regis sui complexum euolauit, à quo id beneficij consecutus est rebus mortalium, vt inuocatus, grassantes in tecta flammas compescat.

7. *Vghellus in Ital. Sac. tom.6. Episcopi Teatini.* Brachium S. Iustini Episcopi Teatini theca argentea inclusum, honorificè ac religiosè in ea Ecclesia seruatur, cuius aspectu sæpè ipsa vrbs ab incendijs mirabili virtute liberata legitur.

8. *In actis S.S. Feb. tom.1. in Contin. Bollandi.* Quodam die cum Monasterij muro adhærens coquina, valido igne arderet, & Sorores valdè perterritæ, quò se verterent ignorarent, vna ex illis, quæ familiariùs Sancto Vodalo Benedicto, Suessione in Gallia, adhærebat, veniens dixit illi, Benedicte Vodale veni, nosque de præsenti incendio tua eripe pijssima prece. Ille tollens pallium suum, quod vulgò Cappa vocatur, & super eam proijciens, iussit, vt illam contra ignem poneret; statimque vt contra ignem posita est, flammarum globi in semet reflexi sunt, incendiumque protinùs est exstinctum. Quod etiam vsque hodie per baculum eius frequenter effici conspicimus: Dum in ista Ciuitate sicubi fortè incendium contingerit, illeque baculus contra allatus fuerit, continuò ignis, sua virtute amissa, extinguitur.

9. *Thom. Boz. lib.15. ca.11.* Velum Sanctæ Agathæ Catanenses educere solent aduersùs incendia montis Ætnæ latè profluentia, quibus cùm fuerit illud obiectum, protinùs consistunt, ac retrò mirabiliter feruntur, neque, quod olim sæpè contingebat, in subiectos campos, villasque procedunt; recenset multa tempora singillatim Fazelus, quibus tantum miraculum contigit: & res est Siculis omnibus id expertis notissima.

10. *Petra Sancta in miraculis perpetuis cap.12.* Ciues Catanenses muniunt fines agrorum suorum gossipio proposito super infixas humi arundines, postquam eo tetigerint reliquias B. Agathæ. Non enim grassari flammas in limites ita custoditos, vnquam obseruatum fuit.

11. *Pellegrinus Merulla in Sanctuario Cremonæ.* Cremonæ in Ecclesia S. Agathæ conseruatur Tabula lapidea, quæ postquam Sancta Martyr ob fidei defensionem Catanæ ab infidelibus occisa fuit, per Angeli ministerium eius capiti in tumulo visibiliter supposita fuit, Cremonamque delata an. Domini 568. in eaque sunt sculpta infrascripta verba: Mentem Sanctam spontaneam, Deo honorem, & Patriæ liberationem. Virtutem autem habet ex meritis B. Agathæ extinguendi ignem domos comburentem; si contra ipsum opposita, delataque fuerit, vt crebra, & continua experimenta testantur.

12. *In m.s.* Laridum, quod Neapoli in die festo S. Antonij Abbatis quotannis benedicitur in eiusdem Ecclesia, distributum vstis ab igne, perenni & mirabili euentu, eisdem sanitatem impertitur.

CAPVT II.

De Admirandis perennibus circa Cineres.
§. *vnicum.*

CVm ab igne Cineres, non incongruum erit, quæ circa cineres admiratione digna adhùc obseruantur, hic colligere. Hæc autem sunt.

1. *In Hist. Benedictinorum c.4. ad an.94.* Est in Hispania Asceterium ordinis S. Benedicti, sacrum Virgini Deiparæ, ibi Religiosus simplex, sed insignitè pius, qui culinæ ministerijs operam dabat, vti erat eiusdem Deiparæ Virg. studiosissimus, pertæsus aliquando laboris exportandi cineres ex foco, in quo magna lignorum vis quotidie absu-

absumebatur, rogauit id beneficij sibi Deipara conferret, ne cineres deinceps ibi redundarent: sed suppeteret quantùm satis, quantùm opus esset, vt in diem posterum ignis tegeretur, & hactenùs ita semper fuit.

2. *Io:Briz.Martinez in Hist. Benedictina*. In Regni Aragonensis Asceterio perantiquo Ordinis S.Benedicti, quod vocatur Sancti Ioannis à Saxo, iuxta Iauam vrbem pro vsu hospitum est culina, in qua ad cibos parandos exuruntur ligna absque cinerum reliquijs, etsi aliæ illius domicilij culinæ cineribus abundent.

3. *In actis S.S.Feb.tom.1. in Contin. Bollandi*. Apud Kildariam Lageniæ in Monasterio extructo à S.Brigida Virgine Scota, licet ignis perpetuus ab obitu Virginis post tot annorum curricula semper arserit, inextinctusque permanserit, & tanta lignorum strues tanto tempore sit consumpta, nunquam tamen cinis excreuit.

CAPVT III.

De Admirandis circa Aerem, grauia Sustentantem. §. 1.

AErem, quem inter Elementa post ignem enumerant Philosophi, Admirandorum Dei subiectum persæpè fuisse, sacri vbique testantur Annales. In ipso veluti in amplissimo theatro Admirabilia Dei cunctis sæculis stupentes admirati sunt mortales. Ex his igitur selectiora exarabo. Et quia huiusmodi elementum, vtpotè natura leuissimum, & leuia solùm naturaliter in se ipso æquilibrata sustentat; præter naturam, Admirandumque fuit, cum iubente Deo, & grauia ponderosioraque, miris, sed arcanis modis, proprio amplecti sinu visum fuit. De his igitur primò.

1. *Ferrarius in catalogo S. S. 10. Iulij*. Cum Columna ingens marmorea sursùm eleuata, diruptis funibus casura esset, facto signo Crucis à S. Petro Abbate Perusino, substitit in aere.

2. *Baronius an.327*. Christiana ancilla apud inferiores Iberos iuxta Caucasum ad mare Caspium induxerat Regem, & Reginam, vt Christum colerent, spreta auita superstitione; dum autem ab ijs Christiano more templum ædificaretur, columna ingens in basi erat collocanda, cui machinæ suppares ponderi deerant. Remedium fuit, vt ancilla Christiana admoueret suæmet pietatis machinam; noctu itaque in oratione perstat: & manè columna reperta est supra basim in aere librata, descenditque dum Rex ac plurimi adessent, ac prorsùs ex arte imposita est basi.

3. *Vualafridus in vita S.Galli c.35*. Quodam tempore frater quidam, qui in Ecclesia S. Galli custodis fungebatur officio, cum farum, quæ ante Altare S. Galli pendebat, pro incendendis luminaribus ad inferiora deponere debuisset, incautè funem, quo ipsa farus dependebat, retraxit, qui statim è manu dilapsus, paxillum, cui insertus erat, de pariete extraxit. Cumque eadem farus sub nimia celeritate solo appropiasset, repentè substitit, & absque vllo humanæ retinaculo artis in aere suspensa remansit. Custos igitur miraculi stupore perculsus, allato igne, lampades omnes accendit, & plurimis hoc factum cernentibus, absque pinguedinis effusione, seu diminutione lucernarum, altiùs ipsam farum, quàm pendere solebat, retraxit.

4. *Desiderius Abbas in Chronicis, de miraculis cœnobij Cassinensis l.3. cap.38*. Quodam tempore, cum Gregorius venerabilis Monachus, lampadem ante Imaginem Saluatoris, quæ supra fores Ecclesiæ depicta erat, vellet reficere, inuenit eam extensis vncinulis ita in aere dependere, vt nulla prorsùs materie sustentaretur.

5. *Gabriel Pennotus lib. 2. Hist. Canonic. Reg. cap. 61. de venerab. Anselmo S. Crucis Canonico*. Hic quadam die dum ad Altare B.Theotonij humi prostratus sub lampade, quæ ante illud ardebat, oraret, lampas funiculo soluto, descendens, miraculo in aere sine fractione, vel olei effusione, ad illius sanctitatem comprobandam, stetit.

6. *Philipp.Ferrar. mense Apr. die 16. de B. Ioachino Senensi Ord. Seruorum*. Aretij in festo Assumptionis Beatæ Mariæ Virginis ministrans celebranti, morbo comitiali correptus corruit; cereus tamen, quem ille ad eleuationem Sanctissime Eucharistiæ manu tenebat, stupentibus, qui aderant, in aere suspensus diuinitùs mansit.

7. *Nicol. Iansenius in vita S. Dominici lib. 2. cap. 10*. Viro Dei concionante apud Sorores, satanicus hostis passerculi forma circumuolitans, turbare sermonem tentauit, & audientes in se conuertere, pipiendo, titissando. Sanctus vir, fraude percepta, sorori Maximillæ, Surge, inquit & apprehensum mihi trade. Illa facile arreptum, obtulit per fenestram: Cùm is, conuellere, & spoliare pennis, identidem ingeminans, Inimice, Inimice. Nudatum denique hominis instar Platonici cunctis subridentibus abijcere, Vade, inquiens, vola nunc si possis: Strepitum quidem facies, sed obesse non poteris; ille per fenestrellam subsultando, subijt lychnum æneum, qui ante Deiparentis aram lucebat, ex catena pendulus: quem magno impetu concussit, & euertit. Lampas verò, in qua ellychnium, haùd sine miraculo non excidit, nec læsa est, aut extincta: sed versa pependit ore in terram, tergo sursùm. Eo strepitu cunctis suspicientibus videtur lampas sine adminiculo pendula, plena olei, cuius ne quidem gutta distillauerat, surfure, qui infra erat ad excipiendum, plane integro. Dominico porrò iubente, lychnus loco suo redditus est, & passer malè acceptus disparuit.

8. *Surius in Augusto de S. Stephano Hungariæ Rege*. Accidit aliquando, vt dum more castrorum, explicata, & disposita essent in loco campestri tentoria comitum eius, ipse in medio exercitu intra suum Augustale, pro consuetudine ingenua prouolutus, supplices manus ad Deum sustolleret. Et tùm è terra sublatum est regium eius

eius conopæum, hæsitque in aere libratum: quamdiù lachrymis perfusus, & liquida animi voluptate, Rex in oratione perseuerauit.

9. *Idem in vita S. Dunstani Archiepiscopi Cantuar. 19. Maij.* Percantata missa, Dunstanus ab Altari digreditur, Ministris autem eius pro signo, quod acciderat, his & illis innuentibus, & alios ex fratribus ministerio Pontificis affuturos suspicantibus, ipsi se in diuersa tollunt, ac virum, immensis adhùc ex præsentia gratiæ Dei lachrymarum imbribus madentem, solum relinquunt. Et ecce dùm casulam, qua inter sacra vestiebatur, deponeret, nec vllus adesset, qui eam susciperet, disponente Deo, suspensa pependit in aere, ne cadens in terram, Seruum Dei à sua turbaret intentione.

10. *In vita Sancti Petri Cælestini cap. 23.* Non est silentio prætereundum, quod semel circa Sanctum patrem dignatus est Dominus ostendere miraculum. Nam cum iubente Summo Pontifice, missam coram eo celebraturus, cucullam exuisset, Sacris induendus vestimentis, remansit cuculla eius diuinitùs in aere suspensa.

11. *In vita B. Vuiboradæ Virg. & Mart.* Huius Beatæ Virginis pecten miraculose repertus est, sine adminiculo in aere sustentatus, quem Abbas argento inclusum, ad tumbam Virginis appendi præcepit.

12. *Krantius lib. 6. metrop. cap. 28.* Cum aliquando S. Euermodus Episcopus Raceburgensis in VVandalia, in Pontificalibus quippiam operis nudis manibus esset facturus, chirothecas pontificales deposuit, vt ipsi videbatur, in locum paratum: festinans autem ad id quod erat gerendum, non attendit vbi posuerit. Inuentæ sunt autem in aere pendere sine adminiculo, quod stuporem videntibus incussit.

13. *In actis S.S. 8. Iannuarij apud Bolland. de S. Gudula.* Eius quandoque chirothecæ in terra delapsæ, eam non attigerunt, sed in aere, ac si hærentes pependerunt.

14. *Vincentius in Spec. Hist. lib. 24. cap. 5.* Cum Carolus Magnus à Hierosolymitano Episcopo aliquas Spinas Dominicæ coronæ, & flores, ab ipsis diuinitùs enatos, dono accepisset; de floribus impleuit vuantum suum dextrum; Deinde alium vuantum ad suscipiendas spinas præparans, tradidit illum cum floribus Ebroino Archiepiscopo, cumque vtriusque oculi præ lachrymis impediti essent, ille putans se accepisse, & ille dedisse, vterque vuantum dereliquit, qui ferè vnius horæ spatio pependit in aere.

15. *In Martyr. Gallicano, in append. 8. Kal. Iunij.* Fauernaci in Burgundia miraculum Sacræ Eucharistiæ, quæ inclusa in graui pixide metallica, per spatium triginta trium horarum in aere mansit pendula, innumerabili hominum multitudine spectante, & admirante.

16. *Felix Astulphus in Hist. Imag. B. Virg. lib. 1. cap. 22.* Fratres cuiusdam Societatis, quæ Sancti Ioannis dicitur, extatque Venetijs, cùm in die huic Sancto sacro, Crucem, qua vt thesauro gaudent, in processione deferrent, casu accidit, vt in aqua caderet; sed mirum, aquas non tetigit, sed in sublime hùc illùc volitabat; plerique in in aquam se proijcere, vt Crucem arriperent, sed ab omnium manibus illa fugiebat, donec ille qui illius corporis erat primus (Guardianum vocant) Andreas Vendramenus, in aquam se dimisit, & natanti Crux obuiam venit; quod omnium mentes summa admiratione, gaudio summo affecit.

17. *Bzouius an. Eccl. 1270. num. 16. de B. Helena Virgine.* Post 17. annum ab eius morte, cum corpus eius in alium locum transferendum esset, sepulchro effosso, terra per aliquot palmos in aere suspensa supra eius cadauer reperta est, ne scilicet illud obrueret.

18. *Pet. de Natal. lib. 4. cap. 145. de translatione S. Hieronymi.* Concurrente populi multitudine ex vrbibus conuicinis, terram, vbi iacebat corpus, effodiunt, & euacuata fouea, illud in aere pendere conspiciunt, ita quòd, nulla sui parte humum contingens, integrum, & incorruptum omninò reperiunt; odorisque fragrantiam mirum cuncti senserunt.

19. *Pepe in mirab. S Caietani. n. 272.* Mediolani cùm tabulatum cuiusdam domus, in qua morabatur mulier D. Caietani deuota, ex improuisa ruina decidisset; mulier inuocato D. Tutelari multis horis in aere suspensa remansit, quoadusque multis confluentibus miraculumque spectantibus, ab ipsis in terram fuit deposita. Item Neapoli Carolum Rubeum, in profundum delapsum puteum, D. Caietanus ab ipso inuocatus, in aere suspendit, ne in aquis demergeretur.

In Aerem corpora Orantium eleuantur.

§. 2.

Spiritus, qui cælestia contemplantes, in Cælum euehuntur, & corpora secùm trahere quandoque visi sunt; quæ nundum Beatitudinis dotibus ornata, cum Spiritum associare nequeant, in aera suspensa, præter grauium naturam, mirabiliter permanere videntur, intuentiumque supercilia admiratione pariter suspendunt. De quibus.

1. *Chry. Henriqu. in fasc. de S. Bernardo.* Narrabat de hoc viro Dei Gerardus Abbas quondam Longipontis, & Sancti Patris discipulus, quòd B. Bernardus, dum in quodam Monachorum Capitulo verbum Dei prædicaret, visus est in subsellio in aere suspensus, & quasi mensura vnius pedis à terra subleuatus.

2. *In vita S. Mariæ Magdalenæ.* Magdalena in vasta altissimi montis spelunca, vbi triginta annos vixit ab omni hominum consuetudine disiuncta, quotidie per id tempus ad audiendas cælestium laudes, in altum ab Angelis eleuabatur.

3. *In vita S. Lutgardis.* In Sacratissima Pentecoste, Monialibus in Choro cantantibus: Veni creator Spiritus; ij qui in Choro erant, perspicuè viderunt Lutgardem ad duos cubitos in aere sublatam; fælicem illam, quæ tali miraculo meruit declarari, & corpore subleuari à terra, quæ iam anima exultans in Domino, in cælum sustollebatur.

4. *Thom:*

4. *Thom. Bez. lib. 15. de signis cap. 5.* Sanctus Franciscus Assisias, cùm totus esset aliquando in diuinarum rerum contemplatione, visus est ignem spirare, accitumque socium Masseum, complexus, sublimem secum rapuit in aera vi diuini afflatus; quin aliquando in solis locis adeò in altum ferebatur, vt obtutus humanus assequi eum non posset.

5. *Idem lib. 12. cap. 23. de Signis.* Felix è Barbarano, quod est agri Romani Oppidum, virgo singularis sanctitudinis, humilitatis, & charitatis, tàm vehementer ad contemplanda supera interdùm ferebatur, vt corpus destituens ab omni sensuum officio, cœlo se se insereret, ac cæli incolis se adiungeret; quin aliquando illud in sublimia rapiebat, & in aere supra terram, nulli rei nisi diuino Spiritui innixa, consistebat.

6. Idem sæpè accidebat S. Francisco Paulano, Agneti Assisinati, S. Dominico, Venturinoque ex eius familia. Coradinus quidam cùm fuisset in vincula coniectus à Bononiensibus, quòd eos in Pontificem contumaces sæpiùs obiurgaret, ac totum se precibus dedisset, in carcere raptus est in sublime, quod à cunctis custodibus obseruatum, & à pluribus conspectum, fuit in causa, vt è carcere educeretur. Sanctus Antoninus Archiepiscopus Florentinus bis est visus inter alia in altum à Spiritu sustolli. Idem contingit Ioannæ Vrbeuetanæ, Agneti è monte Politiano, Margharitæ Tifernati, Raconisiæ, & Luchinæ Soncinati, Petro à Guarda, Sanctoque Didaco Hispano, & B. Helenæ Virgini. Laurentius item è Rapariegos Franciscanus aliquando visus est orans in altum à Spiritu Diuino supra terram totus ferri. Hoc itidem accidit Liberato à Ciuitella, & Petro ex vrbe Penna Aprutinis. Idem & Ioanni Ataidio Lusitano, & Baptistæ Florentino ex eodem ordine.

7. *Surius in vita S. Dominici libr. 1. capit. 11.* Egressus ab Episcopi palatio, ad quoddam venit Monasterium, quod Castris vocabatur: vbi ab Abbate inuitatus ad sumendum cibum intrauit; sed cùm hora edendi protraheretur, pro sua consuetudine vir Sanctus in Ecclesiam se, oraturus, contulit, cumque attentiùs Deo preces funderet, spiritu in Deum sublato, corpus pariter à terra eleuatum est. Vbi cibi capiendi aduenit hora, perquirebatur vbinam esset, qui fuerat inuitatus: & cùm diuersis in locis quæsitus, non inueniretur, vnus ex Clericis, qui Abbati adstabant, illum quæsiturus exijt, & casu in Ecclesiam veniens, vidit Sanctum virum inter cælum, & terram mirabiliter eleuatum. Valdè igitur stupefactus, stabat admirans, & expectans quem exitum esset res tam insolita habitura. Tandem cœpit paulatim corpus se demittere, & ad sensus externos, spiritus à supernis ad se rediens, se se accommodare.

8. *In vita S. Catharinæ Senensis cap. 45.* Quemadmodum fertur Beata Magdalena septies die quolibet cum corpore sublata in aere, ita etiam hæc Sancta Virgo, sæpè vi Spiritus etiam corpore sursùm rapiebatur, quemadmodum multi suis oculis conspexere.

9. *In vita S. Philippi Nerij.* Quo tempore salutarem attollebat hostiam, ita mens eius rapiebatur in Deum, vt non modò manus (sublimè erectas) deponere non posset; sed & toto corpore à terra eleuatus aliquando à circumstantibus visus fuerit; luceque admirabili circumfusus.

10. *Daniel Bartolus in vita S. Ignatij lib. 1.* Dum S. Ignatius Loyola in feruentissima oratione à sensibus sæpè raperetur, è terra in aerem mirabiliter eleuari multotiès obseruatus est.

11. *In vita S. Teresiæ Virginis.* S. Mater Teresia pluries obseruata est, dùm in extasim raperetur, eleuari à terra.

12. *In vita S. Francisci Xauerij.* Dum Xauerius Teuanapatano in Portu oræ Coromandellis, & alijs etiam in locis Indiæ Orientalis Missæ sacrificium celebraret, visus est ab vniuerso Populo, qui aderat Missæ, altiùs cubito sustineri diuina vi sublimis à terra. Quam rem omnes habuerunt pro miraculo, & dono particulari Xauerio concesso, eumque deinceps, vt virum sanctum venerati sunt, crediderûtque famæ, quæ de illius sanctitate, & miraculis vulgabatur. Item cum proprium Francisci esset, si commodè fieri posset S. Eucharistiam submissis genibus ministrare populo, auentus docuit id Deo cordi fuisse. Cosmus quidem Saraina Medicus, alijque viri honesti liquidò affirmarunt, Xauerium in Goano templo positis genibus S. Corpus Christi præbentem populo, sæpè ab se esse conspectum, cùm ampliùs cubito sustineretur Diuina vi sublimius à terra.

13. *In Menolog. Carmel. de S. Alberto.* Is præter diuini officij pensum, cuilibet Sacerdoti demandatum, omni quidem nocte, totum legebat Psalterium, ante Crucifixi Christi piam Imaginem flexis genibus, & tanta fulgebat deuotione, tantoque spiritu rapiebatur, vt trium cubitorum altitudine à terra, Angelico concursu, eleuaretur, & tam diù in illa sistebat dulcedinis extasi, quamdiù psallebat Domino. Oratione autem terminata, in terram suauiter dimittebatur.

14. *In Parad. Carmelit. de Ven. Sorore Catharina Texada.* Sæpè contigit, quòd dùm diuinis orationibus, & contemplationibus vacaret (assidua enim fuit in orando, adeò, vt plurimas insomnes noctes peruolaret) fictis clangoribus buccineis, tabularum strepitibus, eam ab orationis quiete, & silentio Diabolus auertere conaretur; at Virgo Deo gratissima, immobilis adstans, ad tanti spiritus, & interioris pacis arcem fuit euecta, vt diuina patiens, sæpè visa fuerit corpore, & spiritu, præcipuè in quadam Resurrectionis Dominicæ die, à terra notabiliter eleuata, quasi volatu ad Cœlos conscendere gestiens.

15. *Bonfinius lib. 1. Dec. 2.* D. Stephanus Vngarorum Rex cum nocte intempesta in diuinitatis contemplationem abreptus esset, corpus euectum in aere, mentem subsequutum dicitur.

16. *In Annalibus Seruorum de B. Ioanne Angelo Mediolanensi.* Apud Cauacurtam Laudensis Diæcesis pagum, vbi eius interula parturientibus opem ferens asseruatur, illum aliquando orantem à terris eleuatum visum ferunt.

17. *In Menol. Cisterciensi 17. Iunij.* B. Teresa Regina Castellæ, quæ in Monasterio Loruanij habi-

tum

tum Cistercienſem deuotè induit, ſæpè inter orandum è terra eleuata à Monialibus conſpecta fuit.

18. *In Actis S.S. Martij tom. 1. in contin. Bollandi*. Hærebat B. Agnes de Chatillon Sanctimonialis Bellopratenſis Cœnobii inter preces ſublimis omnino à terra, atque tres ampliùs, aut quatuor dodrantes ab humo elata, in aere ferebatur, neque iam pro more ſola facies coruſcabat, ſe ipſum inſuper conclaue plenum lumine ex circumfuſa nube fulgida habebatur.

19. *Vading. in Annal. an.* 1406. *de B. Coleta*. Sæpè in precibus feruentiſſimis ſpiritu in Deum ſubleuato, viſa eſt à Sororibus etiam corpore tam ſublimiter euecta in aera, vt penitùs videre eam non poſſent. Sed & ipſa certas ob cauſas compulſa à Deo, fatebatur, ſe non rarò ſub precibus in tantùm fuiſse corpore ſublatam, vt ſibi videretur cœlum poſſe tangere, ſi manus extendere voluiſſet.

20. *Idem an.* 1472. *de B. Antonia Florentina*. Vidit Aquilana ſuper caput eius in Eccleſia noctu orantis globum igneum, qui totam illuminauit Eccleſiam. Aliàs viderunt aliæ ſorores à terra toto corpore eleuatam, quaſi terrenam hanc mollem, Spiritus, in cæleſtis Sponſi raperet complexus.

21. *Idem an.* 1454. *de Frat. Antonio à S. Regina*. Orationi totum, quod horto excolendo ſupererat, tempus, erogabat, eoque feruore, vt extra ſe rapi, & ſuper proceras arbores eleuari aliquando contingeret. Ciues Groſſetani ad Cœnobium S. Benedicti de Naue, vbi habitabat, venientes, viderunt in via, quæ Batignanum ducit, in aere hærentum coram arbore quadam, cuius trunco Crux magna erat infixa. In eodem cœnobio Benedictus Senenſis Guardianus, cui ſummo mane celebranti ſolebat quotidiè Antonius inſeruire, quodam die tardiùs accedentem iuſſit vocari. Inuenerunt è terra ſubtractum, capite laquearia attingentem, miro ſplendore circumfuſum. Vocatus Guardianus, & reliqui conſodales diù conſpexerunt, nihil ſentientem

22. *Ibidem an.* 1287. *nu.* 8. *de F. Aegydio laico*. In Conuentu Strigonienſi vixit Fr. Ægydius laicus, modò cocum, modò agens oſtiarium. Carnes nunquam edit, nec vinum bibit, viſuſque eſt frequenter extra ſe raptus, & à terra eleuatus. Hora prandij dùm Guardianus nihil videret paratum, perquiſiuit vbique Ægydium tunc architriclinum, inuenitque in cella promptuària extra ſe factum in aere hærentem immobilem, atque à terra adeò remotum, vt neque ſummis digitis cum poſſet attingere.

23. *Ibidem*. Ven. F. Petrus Nicolaus Fattorus tanto in Deum feruebat amore, vt ſæpè ſæpiùs in extaſim raperetur, & ita abſtractus à terra eleuaretur.

24. *Ibidem an.* 1270. *num.* 33. In Monaſterio Salmantino noctu feruenter orantibus duobus Fratribus laicis à pietate commendatis, apparuerunt ſuper Eccleſiam, & Sacellum maius ingentes flammæ igneæ. Accurrerunt quidam fratribus auxiliaturi, vt ignem extinguerent, quos dùm magno ſtrepitu, & feſtinatione expergefacerent, in Eccleſiam admiſſi, inuenerunt medio in aere hærentes viros ſanctiſſimos, atque ex eorundem pectoribus flammas illas tectum penetrantes prorupiſſe. In huius rei memoriam ſæpiùs mihi dixerunt ſeniores, appoſitam ſuper ſacelli tectum Minoritæ ſtatuam lapideam, quæ in hunc diem perdurat.

25. *Arturus in annot. ad Martyr. Franc.* 10. *Feb. de B. Gaſpare à Florentia*. Orationi ita conſtanter, ac feruidè inſtabat, vt ſæpè viſus ſit in aerem ſubleuari à terra.

26. *Idem ibidem* 20. *Aprilis de B. Matthia Becbero*. Hic Dei ſeruus, pius atque deuotus inter Miſſarum ſolemnia, contemplandis myſteriis intentus, vno atque altero cubito à terra ſubleuari ſolebat.

27. *Idem ibidem de B. Maria Gomez Virg.* 12. *Maij*. Tanto ferebatur impetu orationis in Deum, vt videntibus plurimis ampliùs vno cubito de terra ſublimata, immobilis in aere, & longo quidem tempore ſuſtineretur.

28. *Idem ibidem* 18. *Octob. de S. Petro de Alcantara*. Feruentiſſima, aſſiduaque erat eius oratio: ſæpè in ea pernoctabat, & nonnumquam raptus in extaſim, tanto ſpiritus feruore agitabatur, vt à terra in altum ſubleuatus cerneretur.

29. *Lead. Alb. lib.* 5. *de viris illuſt. Ord. Præd. de B. Ambroſio Senenſi*. Cum prædicaret, totus ita ſpiritu Sancto erat repletus, vt bis omnes in aere eleuatum viderent. Quo conſpecto, ſtatim flexis genibus magna cum lachrymarum effuſione, Ieſus Ieſus Dominus noſter, ſæpiùs inclamarunt.

30. *In vita S. Vincentij Ferrerij*. Quadam nocte nonnulli aſpicientes per rimas quaſdam cellulæ, vbi quieſcebat S. Vincentius, viderunt cellam ipſam mirabili claritate reſplendentem, & in medio virum Dei à terra penitùs eleuatum, oculos ad cęlum & manus iunctas tenentem; & deuotioni ardentiſſima orantem.

31. *Frid. Fornerus in Palma triumph. de Martino de Valentia*. Viſus eſt aliquando, cum in Salmaticenſi, Fratrum minorum Monaſterio degeret, orans, extenſis in modum Crucis bracchiis, in aere ſubleuatus.

32. *In vita Ven. Camilli de Lellis lib.* 3. *cap.* 14. Euenit inter hæc tempora Neapoli (an. 1606.) dùm ſubminiſter, manè dato ſigno campanæ ſurgendi à ſomno, per cubilia Patrum diuerteret; Patr. Camillum de Lellis tunc Generalem, non in cubili iacentem, verùm genuflexum propè quandam ſanctiſſimi Crucifixi imaginem ſupra ſolum ad duos vel tres vſque palmos eleuatum inuenit, manibus oculiſque ad cælum intentis, menteque in extaſim rapta; itidemque obſeruauit eius vultum miro ſplendore clareſcere.

33. *S. Pet. Dam. li.* 8. *epiſt.* 5. *de Bella Sanctimoniali*. Prædicta mater, dum in eo, quo paulò poſt obijt, depreſſa languore decumberet, cernentibus his omnibus, qui coram lectulo propiùs aſſiſtebant; mirabile viſu; repentè toto corpore, eſt in aerem ſubleuata, ibique diù librata perſtitit, donec cœptæ orationis vota perſoluit.

34 *Franciſcus à S. M. in Hiſ. Carmel. lib.* 6. *cap.* 9. Dum ſimùl de Myſterio S.S. Trinitatis alloque-

querentur S. M. Teresia, & B. Ioannes à Cruce, vi amoris, ambo in extasim rapti, à terra in sublime eleuati à Monialibus fuerunt obseruati.

35. *In Martyr. Gallic. 4. Idus Septembr.* Apud Cluniacum purissimum Spiritum efflauit Sanctæ recordationis Guillelmus Presbyter, & Monachus, qui Diabolo ita formidabilis erat, vt eius orationem hostis ille hominum ferre non posset. Sæpè dum orationi instaret vir ille Sanctus, eleuatus à terra quasi cubitis duobus visus est, diuinoque spiramine multa prænunciauit.

36. *Nicolaus Godignus in vita Gonzali Sylueras Soc. Iesu lib. 3. cap. 1.* Domum professam Olisipponensem incolebat Gonzalus. Erat tunc ibi Sacrarij custos Petrus Marchius, Conimbricensis postea Collegij ministerio notus. Is negotij causa ad Gonzalum adiens, & cubiculi ostium aperiens, hominem videt è terra sublatum pendere in aere. Visu attonitus, accurrit subitò ad Gonzalum Vasium de Mello magnæ virum prudentiæ, & pietatis, qui tunc in eadem domo concionatoris fungebatur officio, prouinciam postea magna laude administrauit. Huic Petrus vix animum ex lassitudine colligens, quid viderit, exponit. Vterque alios vocat. Multi simul ad cubiculum properant, apertis foribus Syluerам aspiciunt eleuante Spiritu sarcinam corporis, à terra sublimem; miraculi magnitudine perculsi, se se mutuò contuentur, vim diuinam, simul, & viri sanctitatem facilè prædicantes. Tùm diligenter cuncta obseruant, statum, formam, eleuati corporis circumscriptionem. Hisque notatis, & clauso cubiculi ostio, non stupefacti minùs, quàm recreati, discedunt.

37. *In vita Patris Bernardini Realini Societ. Iesu. capit. quart.* Alta quadam diuinorum beneficiorum contemplatione defixus hærebat illius animus, cum ecce tibi, visa illi est nubes quædam lucida, in eaque nescio quis humano maior, qui humaniter illi porrecta manu, distincta, ac sensibili voce eum inuitabat, dicens: Veni amice, veni: insusitato hocce rei miraculo attonitus Bernardinus, tacitus omnia contemplabatur, cumque mouere se de loco suo non nihil attentaret, sensit se se subitò, quomodo id fieret ignarus, eleuatum à terra sursùm, locoque, in quo consederat. Exinde altioris animi ardor pectus illius inuasit, cœpitque quodammodo respondere amori illius, qui tam euidentibus beneuolentiæ signis illum prouocabat.

38. *In vita Beatæ Angelæ Brixiensis.* Missæ assistebat Beata Angela Brixiensis, in Ecclesia Sancti Barnabæ ad Altare Sancti Nicolai Tolentinatis, visaque est à multis à terra eleuata in aere pendere, tanto affectu in cælestia rapiebatur, vt corpus mentem sequeretur.

39. *Ignatius de Nente in vita Venerab. Sor. Dominicæ de Paradiso.* Dùm in extasim eleuabatur Vener. Dominica, quandoque & corpus animam sequebatur, à terra enim eleuatum, in aere consistere sæpè mirabiliter obseruatum est.

40. *Ioseph Sylos in Vita Vener. Francisci Olympij, libr. secund. capit. octauo.* Vener. Franciscus Olympius ex nostris, aliquando in cælestium rerum contemplatione, eo excessu, ac volatu mentis rapiebatur, vt corpus etiam abeuntem animum sequeretur; ac non minimùm quidem, sed quatuor omninò palmos è terra sublatum penderet.

41. *Idem in Hist. Cleric. Reg. Par. 1. libr. 6.* Cum semel de Christo Domino in cœlum abeunte verba faceret ad quasdam Moniales Vener. Ioannes Marinonius C. R. vix ea grandi voce, sensuque pronunciauit: Viri Galilæi quid statis aspicientes in cœlum? cum visus sensim efferri, diùque suspenso in aere corpore, perculsis admiratione Virginibus, quæ spectabant, perdurauit.

42. *Auctor in vita Ven. Vrsulæ Benincasæ.* Adeo frequentes erant in Vener. Vrsula Benincasa extases, & Spiritus supra sensum eleuationes, vt eius conuersatio semper in cœlis extitisse, eiusque vita ferè continua extasis dici potuerit; Præsertim quo die sacratissimam Eucharistiam suscipiebat, vsque ad noctem ab extasi detinebatur, quibus in mentis excessibus, & corpus in aerem subleuatum, spiritum sequebatur.

43. *Io: Andreas Rota in vita Ven. Sor. Pudentianæ Zagnoniæ.* Soror Pudentiana Zagnonia Virgo Bononiensis, ardentissimo in Deum flagrans amore, sæpè sæpiùs in extasim rapta, & corpus ad se trahere, eleuareque à terra obseruatum est.

44. *Zachar. Bouerius in Annal. Capuc. 1552. de Fr. Matthæo à Bascio.* Incruentum Missæ Sacrificium quotidie tanto mentis ardore Deo offerebat, vt in eo nonnumquam sensibus excederet. In Oppido Fori Sarzinij, dum semel sacra Mysteria celebraret, in mentis excessum raptus, paulatim è terra ad duorum cubitorum altitudinem efferri visus est.

45. *Idem Auctor.* Similia Admiranda refert an. 1575. de Fr. Ruffino à S. Vrso; an. 1568. de F. Francisco Maceratensi; an. 1587. de F. Leone Catanensi, alijsque plurimis.

46. *Dominicus Maria Marchesius in vita Ven. Sor. Mariæ Villanæ ord. Prædicatorum.* Tam rapido volatu spiritus Ven. Sor. Mariæ Villanæ ad cælestia rapiebatur, vt quandoque, & corpus secùm traheret, in aeremque subleuaret.

Corpora in Aere inuisibilia latent.

§. 3.

CVm minutissimæ atomi visum ferè fugientes, in pellucido nihilominùs elemento circumuolitantes, semper appareant, quodlibetque corpus sui speciem immittat in oculos inspicientium, nisi aeris nimia crassitudo obsistat, aliudue corpus intermedium; mirum, admirandumque fuit, cùm solidissima corpora in medio aere, ab eodem circumdata, ceù expanso velo, inuisibilia latuere. De quibus.

1. *Moschus in Prato spirituali cap. 122.* Cum se-

K

semel feria quinta in Cœna Domini esset Abb. Stephanus Cappadox in Rathu in Ecclesia, vbi consumabatur sacra oblatio; ingressi sunt Ecclesiam duo Monachi nudi, accesseruntque ad sacram communionem, à nullo autem, præter quàm ab Abb. Stephano, visi fuerunt, cæteris adstantibus inuisibiles. Post communionem, secutus est eos Sanctus Abbas, rogauitque, vt & illum in illorum societatem acciperent, quod renuerunt. Vidente autem illo super aquas Rubri maris pedibus ingressi, trans mare abierunt.

2. *In vita Sanctæ Lyduuinæ Virginis parte prima capit. sexto.* Duo viri in Ciuitate, inter se animo concitati, litigare cæperunt; & vnus alterum euaginato gladio persequebatur, vt eum percutiendo vulneraret, aut necaret. Alter igitur eorum perterritus, fugere cœpit in domum & cellulam huius Virginis; vt ibi latendo, manus se persequentis euaderet. Quem alius mox insequutus, quærebat à matre eius Petronilla, vtrùm domum suam intrasset. Cui illa, volens saluare mendacio suo fugientem, & à sanguine prohibere persequentem, respondit, eum non intrasse. At ille incredulus verbis matris, intrauit ad abdita Virginis ægrotantis. Et cum interrogasset, an cellam eius intrasset, respondit confidenter sacra Virgo in Deo spem habens, quòd sic. Super quo responso mater commota, dedit alapam filiæ, tamquàm proditionem malitiæ, suæ miseriæ ex incauta locutione superaddidisset. Tunc filia constanter matri respondit; Ego propterea veritatem dixi, quia sperabam, quòd veritas occultaret ad se fugientem. Quod & factum est, Deo prouidente. Nam is, qui ad interitum quærebatur, ante oculos persequentis stabat, & penitùs non videbatur. Recessit ergo omittens persequi fugientem, ignorans ibi affuisse Dei virtutem. Quo viso mater eius fidem filiæ suæ, longè magnificentiùs suæ fidei, immò diffidentiæ, prætulit: & de cæterò ampliori dilectione ad eam afficiebatur, atque benigniùs infirmitates eius cœpit tolerare.

3. *Ioan. Colganus in vita Sanctæ Ita 15. Iannuarij.* Quodam festo, ac sancto die rogauit Beata Ita Deum, vt manu digni Sacerdotis corpus & Sanguinem Christi illo die acciperet; gratia autem Dei duxit ancillam suam per longa terrarum spatia ad Ciuitatem Clua; & accepit de manu Sacerdotis digni Corpus, & sanguinem Domini, sicut ipsa voluit; sed nemo vidit eam ibi venientem, vel redeuntem: & statim ipso die inuenta est in suo loco.

4. *In actis Sancti Luciani Mart. apud Bollandum 7. Iannuar.* Tantò homine fuit sublimior, vt cùm vrbem perambularet, à quibus vellet, videretur, à quibus nollet, non cerneretur. Qua de re edoctus Maximianus & veritus vultum illius coram inspicere, intra tapetem latens cum illo est collocutus.

5. *Surius in vita Sancti Columbani Abbatis, capit. 22. 21. Nouembris.* Veniunt milites cum Tribuno, peruagantur per monasterium, virum Dei perquirunt. Residebat tum ille in atrio Ecclesiæ, & in codice quodam legebat. Et illi quidem crebrò eò veniunt, propè eum transeunt, ita vt in eius pedes nonnumquam impingerent, & vestimentis suis eum attingerent, nec tamen occæcatis luminibus vident eum. Erat id sanè spectaculum pulcherrimum. Ille lætabundus cernebat se quærentes, nec tamen ab illis cernebatur. Videbantur illi ab eo coram ipsis posito, nec videbant tamen. Porrò Tribunus per fenestram respiciens, vidit virum Dei coram ipsis lætum residere, & legere. Itaque exclamauit: Quid tàm curiosè per atria Ecclesiæ discurritis, nec tamen quicquam reperitis? Non iam vos diutiùs insaniæ error occupet. Non poteritis inuenire eum, quem virtus Diuina regit. Cessate iam, & Regi ocyùs renunciemus, vos eum minimè reperisse. Vndè satis potest intelligi, Tribunum illum non sua sponte venisse ad irrogandam viro Dei iniuriam, & idcircò potuisse eum videre illum.

6. *In vita Sancti Francisci de Paula.* Rex Neapolis sexaginta milites misit, qui virum Dei caperent, & vinctum ad se adducerent. Cum autem vir Dei à fratribus, & amicis rogaretur, vt se ipsum occultaret, noluit, dicens: Per charitatem, si est voluntas Dei, capient me: aliàs nolite timere, quia nullus mihi nocere poterit. His dictis, ingressus est Ecclesiam, prostratusque ante maius Altare, cæpit rogare Deum; cum interim milites per totum Monasterium ipsum quærerent, venientesque in Ecclesiam, & ante maius Altare circa eum transirent, eum tangerent, & in eum impingerent, Deo illum inuisibilem inimicis præbente, non viderunt.

7. *Sanctus Gregorius libr. primo Dialogo. capit. secund. de Libertino Præposito.* Eodem tempore in Campaniæ partibus Bucellinus cum Francis venit. De Monasterio verò præfati viri famuli Dei rumor exierat, quòd pecunias multas haberet. Ingressi oratorium Franci, cœperunt sæuientes Libertinum quærere, Libertinum clamare, vbi in oratione ille prostratus iacebat. Mira valde res, quærentes, sæuientesque Franci, ingredientes in ipso impingebant, & ipsum videre non poterant, sicque sua cæcitate frustrati, à Monasterio sunt vacui reuersi.

8. *In actis Sancti Ambrosij Episcopi Mediolanensis.* Temporibus Gratiani Beatus Ambrosius cum ad Prætorium Macedonij tunc magistri officiorum, pro quodam intercessurus perrexisset, & præcepto illius fores clausas inuenisset, ne ingrediendi copiam habere posset; ait: Et tu quidem ad Ecclesiam veniens apertis ianuis, neque ingressum inuenies. Quod factum est mortuo Gratiano, confugiens enim ad Ecclesiam, patentibus ianuis, aditum reperire non potuit.

9. *Baronius an. 825.* Dum S. Ioannicius ad inuisendos, & consolandos in carcere positos, media via, vbi erant custodes, intercederet, ab ipsis non est visus.

10. *Sanctus Gregorius Nyssenus in vita Sancti Gregorij Thaumaturgi*. Cum persequentes S. Episcopum, in montem accessissent, in quo ipse reperiebatur, & per omnem partem scrutati essent, licet ipse vnà cum Diacono suo, fixis oculis in cœlum, extensis manibus, & magna in Deum fiducia ibi oraret, à quærentibus minimè visus est, testatique sunt se duas Arbores à se inuicem parùm distantes, solùm conspexisse:

11. *In Annal. Minorum an.* 1321. *num.* 11. Dùm Polumbo Zaitonem transferendæ essent reliquiæ Beati Petri Martyris, & aliorum; nauigaturi magnam conscenderunt nauim, in qua ex omni hominum genere mercatorum, nautarum, transfretantium, erant viri septingenti, & maxima horum pars erat gentis idololatræ. Fuit qui superstitiosè admoneret, infælicem hanc fore nauigationem, dum in naui recondebantur ossa mortuorum. Idololatræ cœperunt quærere, inuestigare, vndique scrutari vbi essent, aut quis ea deferret; & tandem defecerunt scrutantes scrutinio, nec capsas in patulo expositas videre, aut attrectare poterant, Deo suorum seruorum exuuias ab iniuria defendente. Vt appulerunt Zaitonem, Christiani, & Fratres Minores, qui duo ibidem habebant monasteria, honorificè exceperunt Martyrum reliquias, & pulchro condiderunt sepulchro.

12. *Rauzanus in vita Sancti Vincentij Ferrerij libr. secund. capit.* 9. Violantes Aragoniæ Regina, Ioannis Vxor, quadam fœminea cupiditate permota, affectabat ingredi viri Dei cellulam, vt videlicet videre posset, qualis esset locus, in quo orabat, qualis lectulus, vbi quiescebat. Cumque hoc à Beato Viro impetrare non posset (nefas namque ei videbatur, vt fœminæ seruorum Dei cellas ingrederentur) illa indignans, cellulæ ostium violenter aperiri iussit. Moxque ingrediens, loca quæ cupiebat, vidit quidem, sed Virum Dei, qui intùs erat, nec ipsa nec illi, qui eam comitabantur, videre potuerunt; illa igitur à fratribus, quos in cella reperit, sciscitatur, vbi nam Vincentius esset. Respondent illi, quòd ante oculos haberet, ac dicunt se plurimùm admirari, quòd eum non videret, cum ipse in loco patulo esset, vnde ab omnibus videri posset. Postquam hæc Reginæ dixerunt, ad Virum Dei Vincentium conuersi, quid causæ est, inquiunt, Pater optime, quòd Reginæ ad te venienti non assurgis, nec eam alloqueris? at ille: nescitis, inquit, Filij mei, nunquam fuisse à nobis permissum, vt fœminæ in cellas nostras introducerentur? Et quamuis hæc Regina sit: tamen eam ingredi non permisi, nè fiam personarum acceptor. Et quoniam violentiam hanc fecit, vt me inuito ingredi ausa sit, ideò quamdiù hoc in loco commorabitur, Diuino miraculo fiet, quòd eius oculi tenebuntur, vt quamuis coràm habeat me, nunquam tamen videre possit. Hæc audiens Regina statim egreditur. Vincentius autem secutus est eam. Quem illa videns, ante eum mirum in modum humiliata est, ac pro commisso veniam petijt. Cui dixit Beatus Vincentius: nisi per muliebrem ignorantiam peccauisses, certè non impunè tantam violentiam mihi fecisses, vltor enim est Deus iniuriarum, quæ seruis eius inferuntur: Amodò igitur caue, ne quid eiusmodi committas in seruos Dei. Post multos verò inter se sermones, Regina decessit.

13. *Beatus Iordanus libr.* 2. *de com. spirit. cap.* 20. Quidam Frater cum vidisset latrones se insequentes, se inter segetes abscondit, erat enim tempus messis, qui se Virgini commendauit illis verbis, monstra te esse matrem, & quæ sequuntur; quærebant autem illum in segetibus vndique, & licet loco, in quo ille iacebat, approximarent, ipsum tamen videre minime potuerunt.

14. *Bencius in Histor. Colleg. Auenionensis*. Quidam ex sodalitio Beatæ Virginis, cum iter faceret, incumbente nocte recepit se in diuersorium, quod postea intellexit à latronibus obsideri. It cubitum, Deum orat ex consuetudine, Matremque adhibet Aduocatam, vt se volens propitiusque tueatur. Nec vana precatio, nocte enim adulta, quamquam irrumpere conati sunt homines malefici in cubiculum, nunquam aditum inuenire potuerunt.

15. *Felix Astulphus in Histor. Imaginum Beatæ Virginis libr.* 11. Nicolaus, & Iacobus Auxanenses mercatores à pyratis capti, diù captiuam duxere vitam; Inuocato igitur auxilio Beatæ Virginis, vouentesque, si à captiuitate liberarentur, se delaturos catenas ad Altare Beatæ Virginis Annunciatæ Florentiæ, mirabiliter liberati sunt; licet enim per magnam Turcarum multitudinem, dum fugerent, pertransirent, illis inuisibiles, fugam tentatam adimpleuere.

16. *Idem ibidem libr.* 12. Hoc idem accidit Antonio Ruedos Toletano; fugiens enim è Constantinopolitana Ciuitate, ab insequentibus nunquam visus fuit, anteque eorum oculos, ceù inuisibilis fuit.

17. *In libr. miraculorum Imaginis Sancti Dominici de Soriano*. Quidam facinorosus, quem grauia ab flagitia multatum, Neocastrensis patria è suis sedibus eiecerat; viarum aggressor effectus, in mille prolapsus est scelera; quocirca, vt delictorum conuenientes lueret pœnas, à satellitibus, vbique quæsitus, tandem vbi eorum manus effugere haud poterat, ab eisdem circumdatus est. Tunc ille Sancti Dominici patrocinium deprecatus est, sincerissimæque pœnitentiæ voto, ad gratiam se præparauit. Audiuit Sanctus preces supplicantis, ipsumque inuisibilem reddidit, ita vt, licet vndique circa eum starent Satellites, diligenterque eundem inquirerent, minimè videre, aut tenere potuerint.

18. *Stephanus Pepe in Hist. Beatæ Virginis de Aetinga in Bauaria*. A validissimo exercitu obsessa Augusta, eò transmittere decreuit Cæsar Geraldum Ertelmannum, vt obsessos in fide con-

confirmaret, illisque ocyssimum promitteret subsidium. Annuit Geraldus, inuocatoque Diuæ Virginis dè Ætinga patrocinio, Augustam tendit, perque tot hostilis exercitus phalanges pertransiens, à nullo, ceù inuisibilis, obseruatus est, ad Ciuitatem peruenit, ingressus est, Cæsarisque iussa adimpleuit.

19. *Idem in mirabil. Sancti Caietani. m. 136.* Gismundum Scaleram vespere quadam, expectabant quindecim armati, dùm domum reuerteretur, vt morte crudelissima interimerent; proditores non aduertens Gismundus, securus ambulabat; cùm periculum è domus fenestra animaduertens eius socrus, generum D. Caietano commendauit: qui statim assistens, in medio inimicorum inuisibilem reddidit illum, licetque per medium ipsorum transiret, eum haùd videre potuerunt.

20. *Idem ibidem. m. 146.* Insequebatur turba plurima Franciscum Calenzum, vt eum armis confoderent, de medioque tollerent, tunc ille Ecclesiam ingressus, periculum euadere tentauit, sed frustrà, insequentibus illum & in templum aggressoribus; tunc ipse D. inuocauit Caietanum, qui illicò apparens, vt sub eius veste occultaretur, imperauit; & ecce mirum: licet vbique à cunctis exploraretur, exquireretur, qui in medio erat ipsorum, haùd inueniri potuit, quippe qui sub velamine Diuus Tutelaris occultabatur, seu inuisibilis efficiebatur.

21. *Ioannes Torres libr. tertio Directorij Principis capit. octauo.* Quidam Iuuenis Abulensis, nomine Franciscus Aluarez, à Mauris captus in ciuitate Almeriæ, fortissima in turri deuinctus est, à qua cum effugisset, eum Mauri insecuti sunt, vt iterùm in captiuitatem redigerent, fugæque perpetratæ pœnas luere sæuissimè cogerent. Tum miser, Deum inuocare cœpit, Crucisque sacro signo se muniuit, & ecce mirum; tantæ fuit virtutis firma eius in Crucem fides, vt per virtutem illius inuisibilis quærentibus eum euaserit; licetque ipse omnes videret, ab illis minimè videbatur, vnde liberè ad Christianorum terras fugere potuit.

22. *In vita Beati Iosephi Monachi Pramonstratensis.* Sæpè dùm orationi vacaret, sanctæque lectioni, aut scriptioni incumberet, à fratribus diligenter perquisitus, licet propè ipsum incederent, & quasi tangerent, ab his minimè videbatur, oculis quippe eorum inuisibilis reddebatur.

23. *Bozius libr. 15. de signis capit. quarto.* Sub Theodosio seniore Theotimum gubernasse Ecclesiam Tomitanam inter Scythas trans Istrum scribunt. Contigitque aliquando, vt vnà cum multis iter faceret: occurrerentque ei plurimi è barbaris. Quo circa qui eum comitabantur, timore trepidare cœperunt, quasi continuò interficiendi: Ipse autem descendens ex equo, precibus se dedit. At Barbari neque eum, neque qui eum sequebatur, neque equos, è quibus descendissent, vllo modo videntes, abierunt.

24. *Idem eodem loco.* Petrus Archiepiscopus Tarontasij inuocatus à tribus, qui in vinculis erant, mirabiliter adstitit, & quamuis adessent custodes, compedes tamen fregit, vincula comminuit, portas aperuit, neque totam hanc rem ex adstantibus ullus potuit videre.

25. *In vita Sancti Bennonis capit. 25.* Bennoni Roma abeunti, Papa in signum veræ dilectionis, non vulgares donauit Sanctorum reliquias: quas ille toto tempore vitæ suæ religiosè coluit, & tamquam cælestem quendam thesaurum veneratus est. Extat ex eisdem reliquijs circa tumbam ipsius in hodiernum vsque diem, mirabile quoddam dictu; vt scilicet inclusæ argento, seù pacificali (vt vocant) peciunculæ, alijs quidem osculantibus appareant, alijs verò minimè. Quin his etiam, quibus videre eas contingit, non semper se ostentant: sed modò præsentes adsunt, modò veluti præstigio quodam cernentium oculos eludunt.

CAPVT IV.

De Admirandis circa Aquam, non madefacientem. §. I.

AQuam singulari prærogatiua supra cætera Elementa decoratam fuisse in orbe Christiano, nulli dubium est; eam quippe eleuauit Dominus ad delendas spirituales maculas in Baptismate, eam in Sacrificio nouæ legis vino admisceri præcepit CHRISTVS; eamque benedictam ad fugandos Dæmones, tempestates, multaque alia hominibus infesta, ab eisdem adhiberi, ex institutione Apostolica præcepit Ecclesia; Non igitur mirum, si Admiranda Dei in ipso fluido Elemento tàm mirabiliter continuò apparuere. Huiusmodi Admiranda primò se se offerunt, quæ in aqua præter propriam & essentialem naturam non madefaciente, Admirandis euenere modis. De quibus.

1. *Simeon Metaphrastes in vita Sancti Clementis Martyris.* Accidit vt in die festi eiusdem Sancti, quo mare retrocedit, quidam puer ibidem à parentibus sit relictus; Cum ergo tempus processisset, & memoriæ Sancti Martyris dies venissent, hæc inter se dicebant, recordati sui filij: Agèdum proficiscamur ad Sanctum, vt si vllæ reliquiæ, quod fieri non potest, remanserint nostri filij, eas accipiamus, & cum Sancto, iudicio contendamus: vt, si fieri possit, illic moriamur, mortis societatem ineuntes cum filio. Cùm hæc ergo dixissent, nondum ijs, quæ dicebantur, finem imposuerant, & cæperunt iter ingredi. Cùm verò accessissent, & ad locum peruenissent, & mare retrocessisset,

Deo

Deo hic quoque honorante Martyrem, filij sui desiderio stimulati, primi profundum insilierunt, eosque sequens vadebat multitudo. Cum autem peruenissent ad in primis venerandum templum Martyris, (ò miraculum) vident suum filium viuum lætum & exilientem. Cum sic autem à miraculis in miraculum incidissent, reque insigni, & admirabili essent obstupefacti, primùm quidem Deum laudarunt: Deinde Martyri quoque egerunt gratias. Deinceps verò adolescentem interrogarunt, quomodò esset seruatus, quonam viuificante, quonam seruante, & quonam nutriente? Puer autem vna quidem manu tenens arcam, altera autem manu digito indicans eum, qui intùs iacebat, respondit interrogantibus: Hic post Deum meus custos, & vita, & alimentum fuit, & propulsator beluarum marinarum. Hic me quotidiè alebat splendidissimè.

2. *In actis S.Vdalrici Episcopi Augustani.* Quadam die cum pro aliqua vtilitatis causa super fluuium, Vindicem nominatum, caballicare debuisset, & ipse illuuie eleuatus fuisset, & comites Episcopi vniuersi vadum rectitudinis deuitarent, & alia vada aptiora quærerent, & idem ipse prænominatus Hereuigus solus cum eo remaneret, ipse vadum, quod alij omiserunt, sine trepidatione transcendit soccis de sago factis indutus propter frigus, quia hyems erat; præfatus verò Hereuigus flumine transgresso, ex cingulo deorsum, quamuis super altiorem caballũ sederet, quàm Episcopus, vdus effectus est, & prospiciens in vestimenta Episcopi, si qua aqua infunderentur, sed nec in soccis vnum pilum humidum conspexit, & ad Episcopum dixit: ego vditate perfusus sum, & tuæ celsitudini pilus in soccis non est madefactus; cui dixit Episcopus, hæc quæ vidisti, me viuente nemini dicere præsumas.

3. *In actis S.Berchary Abbatis.* Cum transferentur eius Venerandæ reliquiæ, portitores collo feretrum apponentes, transierunt per amnem, cumque in fluuium vsque ad nates essent ingressi, absque impedimento regressi sunt, & sicci reperti.

4. *In Annalibus Prædicatorum libr. 1. capit. 13.* Iter agente S.Dominico Tolosam, superque flumen, vulgò Aregia, transeunte, casu in profundum amnis Breuiarium eius; vnà cum quibusdam aliis scriptis decidit: sed ecce paulò post à piscatore in rete deprehensum, siccum, incolumeque mirabiliter repertum fuit.

5. *In Chronicis Sancti Francisci par.* 4. Biblia, quam secum ferebat B.Martinus Valentinus, in flumen delapsa, ab aquis minimè madefacta extracta fuit.

6. *S.Petrus Dam. de vita S.Odilonis.* Alio tempore de monasterio, quod est in Iurensi territorio constitutum, Vir Sanctus exierat, & ad Gebennensem vrbem cœpto itinere contendebat. Cum autem ad quemdam concauæ profunditatis fluuium deuenisset, accidit, vt mulus, qui hominis Dei supellectilem, libros scilicet, ac lectulum, deferebat, à publico vado procùl aberrans, in profundiorem aluei voraginem caderet, sicque raptatus à gurgite, nullo membrorum, nisi solo capite, fluctibus emineret. Qui tandem è naufragio protractus educitur, ad perscrutandum vtrum res, & maximè libri perierint, desagmatur. Miro itaque supernæ dispensationis ordine, libri simul cum lectulo ita à fluctibus reperiuntur intacti, vt ne tenui quidem aquæ stilla videantur aspersi. Mantilia vero, simul & manutergia, prorsùs vndique reperta sunt madida. Vbi notandum quam peruigil fuerit erga seruum suum diuina protectio, vt ea videlicet, quæ ablui frequentiùs indigent, madere permitteret; quæ verò madefieri sine damno non possunt, à contractu fluctuum immunia custodiret.

7. *Idem de eodem.* Paulò ante Natiuitatem Domini, per hyemalium inclementiam imbrium, Sanctus Senex ad B.Marcelli Martyris Monasterium festinabat. Venerunt autem ad quoddam flumen, quod ita fluctibus exundantibus inhorruerat, vt prorsùs intransmeabile videretur. Confisus autem in Domino, dirigit præuium, qui vada prætentet: & ipse mox cum comitibus subsequens, pertransiuit illæsus. Sed in hoc vadantium transitu, illud mirabile fuit, quia cùm cæteris aqua pertingeret vsque ad femora, Viro Dei nec corrigia quidem pedis aquarum est inundatione perfusa. In illo scilicet solo madoris sui perdidit vnda vires: in reliquis autem naturalem ingenitæ viris exhibuit facultatem. Istum aqua tangere potuit, humidare non nouit; illos autem, quod natura dictauerat, vndique madefecit.

8. *Manrique tom.2. an. Cisterciensium an.* 1153. *num.* 11. Cum liber miraculorum S.Bernardi simùl cum alijs in profundum stagni delapsus esset; cæteris aqua imbutis, solus ipse repertus est incorruptus & siccus, ita pulcher ac floridus, vt minimè tunc extractus de stagno videretur, sed potiùs assumptus de armario.

9. *Adamannus Scotus lib.2. num.5. de S.Columba Confess.* Multorum transcursis annorum circulis post Beati ad Dominum transitum viri, quidam iuuenis de equo lapsus, in flumine mersus, & mortuus, viginti sub aqua diebus permansit, qui sicuti sub ascella, cadens, libros in pellicio reconditos sacculo habebat; ita etiam post supra memoratum dierum numerum est repertus, sacculum cum libris inter brachium & latus continens; cuius & ad aridam reportato cadauere, & aperto sacculo, folium S.Columbæ sanctis scriptum digitulis, inter aliorum folia librorum, non tantùm corrupta, sed & putrefacta, inuentum est nullo modo corruptum, ac si in scrinio esset reconditum.

10. *In actis S.Genouefæ Virg. ap. Bolland.* 3. *Ian.* Seruabatur adhùc in Monasterio sito Parisijs propè domum S. Io: Baptistæ in prædio B. Genouefæ, lectus, vbi eadem Virgo migrauit ad Dominum, ambientibus quidem ab aquis Sequanæ fluuij inundantis circũdatus, sed non infusus; ascenderãt enim aquæ vsq; ad medium vitrearum. At semel quidam, qui ad experiendam lectuli illius virtutem missus fuerat, propriùs accedens, diligentibus oculis miraculi veritatem accepit, & Episcopo nunciauit, qui continuò cùm Clericis & populi multitudine ad locum venit, & viso quod audierat miraculo, Deo, & Virgini gratias reddidit.

11. *In vita S.Moedoc Episcopi.* Quodam tempore

 pore

pore Sanctus Senex Moedoc exiuit ad lauandas manus ad riuum cum fratribus. Tunc alij viri eum videntes dixerunt, nullus homo potest commouere Sanctum Moedoc ad discordiam: Tunc rusticus ex eis ait: ego iam possum: erat vir Sanctus indutus pellibus. Veniens ille rusticus proiecit virum Sanctum in riuum. Cui Sanctus ait: quid fecisti ò homo? (intacta erant vestimenta eius aqua). Videns ille homo vestimenta viri Sancti arida esset, dixit: pœnitet me, quod feci, da mihi indulgentiam. Cui Sanctus ait, benè fecisti confitendo, & agendo pœnitentiam, quam si non peteres, terra modò te absorbuisset: nunc autem Cœlos habebis, & quadragesimo die morieris. Et sic iam factum est.

12. *In actis S.Franciscæ Romanæ.* Cum in vigilia Sanctorum Apostolorum Petri, & Pauli à visitanda Apostoli Pauli Basilica, nonnullis ex sororibus comitata reuerteretur, in proximam vineam suam cum flexisset, ibique ad aquæ riuum sedisset, mentemque leuasset ad Deum, in extasim rapta, super labentem aquam minimè aduertens, genua flexit, nec modico tempore aqua circumsepta perstitit; postquam verò ad se redijt, siccis vestibus ex aqua egressa est, non secùs ac si illam non attigisset.

13. *De B.Ioanne Sahaguntino ord.Eremitarum.* Cùm fluuium, cui nomen Euerto de Lombre, iumento feroci sedens traijceret, in aquas cecidit. Sed ecce Diuina vis præsens. Tantum absuit, vt aquis abriperetur, vt etiam siccis omninò vestimentis euaserit.

14. *In actis B.Christianæ Virg. apud Boll.* 10. *Ian.* Cum ad nubilem iam peruenisset ætatem, anteaque Christum sibi vltrò sponsum delegisset, ac fidem ei obstrinxisset; importunè instare fratres cæperunt, vt mortali cuipiam, æqualium ritu, coniungi se viro pateretur, acerbis eam conuitijs insectantes ac verberibus quandoque multantes. Illa verò, ne aut datam Deo fidem falleret, aut florem Virginitatis contaminari pateretur, sæpenumerò in Guscianam amnem insilijt, egressa semper vestibus ita siccis, ac si aqua non attigisset. Sed cùm sentiret, neque sic fratrum conatus conquiescere, tandem omninò flumen transmisit, ne leuiter quidem madefactis vestibus, ac Lucam versùs arripuit.

15. *In actis B.Rogerij Abb. apud Bolland.* 4. *Ian.* Quodam tempore cum Pater sanctus pro negotijs domus suæ foràs exiret, & equitaret asinum, quem semper equitare consueuerat; & per quemdam pontem transiret; factum est, dùm debile animal pedem incautè solo infigeret, de eodem ponte in amnem cecidit cum sessore. Cumque Conuersus eum sequens, absorptum ab aquis Abbatem non videret, cum duris, & immensis singultibus cœpit acclamare: Heu! Heu Pater! quid? & conuersus ad Dominum, dixit cum lachrymis, & immensis singultibus cordis, Domine, Domine, numquid perdes iustum cum impio? Numquid sine causa Sanctum & innocentem condemnabis? Numquid morietur prudens pariter, & indoctus? Eritque vtriusque æqualis conditio? Cumque hæc & huiusmodi tundendo pectus frequenter ingeminaret; ex aduersa parte oculos attollens, vidit Abbatem suum sedentem super asinum iuxta ripam. Quò properante velociterque currente præ gaudio, inuenit eum ita siccum, ac incolumem, ac si fluminis vndas minimè tetigisset.

16. *In annal.Min.ann.*1228.*num.*39. Frater Iacobus Reatinus, cum in nauicula parua, fluuium quendam cum alijs fratribus pertransiret, socijs primò super ripam positis, postremò se ad exitum præparabat: sed modico illo ligno per infortunium reuoluto, rectore natante, frater mersus est in profundum. Inuocabant fratres extra positi, affectuosis precibus B.Franciscum: Et vt filio succurreret, lachrymosis gemitibus supplicabant. Submersus autem frater, de ventre gurgitis nimis immensi, cum ore non posset, corde clamabat, vt poterat, implorans pij patris subsidium. Et ecce auxiliante sibi B.Patris præsentia, per profundum sicut per aridam ambulabat: & demersam Nauiculam capiens, cum ea peruenit ad litus. Mirabile dictu. Vestimenta eius madida non sunt, nec aquæ gutta proximauit ad tunicam.

17. *Ibidem an.*1421. In Prouincia Pennensi, quæ nunc dicitur S.Bernardini, floruit Fr.Ægydius, vnus ex primis socijs Paulutij Trinciani. Cecidit aliquando in flumen Humanum, ex quo ascendit, tamquam si è sicco prodiret, in nihilo madefactus.

18. *Petra Sancta in miraculis comparatis capit.* 71. Iosephus Anchieta Societatis Iesu Sacerdos in Brasilia celebris, quadam die dum in litore maris, contemplandi causa, seorsim ab alijs degeret, æstu accedente, spatio trium quatuorue horarum, non fuit madefactus. Etenim fluctus, quasi diuino imperio accepto, ab eius corpore vndique diducti, nulla eum alluuione asperserunt; sed stetere, immò quasi parietes essent, vt videri possit sine damno etiam ipse constitutus in corde maris.

Alia circa Aquam non madefacientem notabuntur infrà cum de transitu super aquas & cum de pluuia §.3. Vbi de à pluuia mirabiliter illæsis.

Aqua fit alimentum ignis.
§. 2.

Contrarietatem, quam à natura contra ignem contraxit aqua, Admirandorum iubente auctore, mirabiliter compescere ne dum visa est, sed & abiicere, ignemque vel proprio sinu, velut amicum fouere, vel ex proprijs visceribus eidem pabulum, quo nutriretur, mirabiliter exhibere. De quibus.

1. *Surius in Augusto*, Legitur, cereum accensum, dum in funere circumferretur Sancti Vuigberti Abbatis, fortè quidem decidisse, & demersum esse, in fluuium Adranam: non ideò tamen ardorem suum, aut iubar amisisse; nam etiam in aqua fulsit, receptusque est cum cumulatiore adhùc luminis gloria.

2. *In actis S.S.Martij tom.* 3. *in continuat. Bollandi.* Fertur, quòd cum ante Imaginem B.Virginis, quæ an. Domini 1573. ex Monasterio Sanctæ Mariæ ad flumen dicto, quod in Insula Tiberi-

na reperiebatur, translata est ad Monasterium S. Annæ, non rarò vicinorum pietas votiuos cereos accenderet; Hi, excrescente aliquando in magnam altitudinem fluuio, etiam sub aquis arserunt.

3. *S. Gregorius lib. 1. Dialogorum cap. 5.* Quadam die cum in Ecclesia S. Stephani propè Anconitanam vrbem oleum deesset, quo lumen in lampadibus aleretur; vir quidam pius nomine Constantius, qui ibidem Mansionarij officio fungebatur, omnes lampades Ecclesiæ impleuit aqua, atque ex more in medio papyrum posuit; quas allato igne succendit, sicque aqua arsit in lampadibus, ac si oleum fuisset.

4. *Eusebius lib. 6. cap. 8. Hist. Ecclesiast.* S. Narcissus Hierosolymorum Episcopus, deficiente oleo in Paschatis solemnitate, Diaconos, & Ministros iusserat, aquam ex puteo haurire, eaque instruere templi luminaria: Res mira, splenduerunt validissima luce, & non modò cumularunt sacram eius diei lætitiam, sed miraculo isto etiam confirmarunt Sanctiones, quas ipse vnà cum Theophilo Episcopo Cæsariensi promulgauerat de Paschatis celebratione: nam ambo præfuerunt Concilio, super ea re habito, sedente Victore Pontifice.

5. *S. Petrus Damianus.* Madelinus Monachus Beneuenti cum nocte Sabbati Sancti oleo duodecim lampades replesset, deessetque quod in vltimam infunderet, plenus fide, aqua eam repleuit, ignemque eidem, sicuti cæteris, applicuit, & ecce mirum tota nocte sicuti in alijs, solo illo aqueo alimento ignis in eadem lampade exarsit.

6. *Iacobus Fuligattus in vita S. Francisci Xauerij.* Ante iconem sacram Diui Francisci Xauerij Indiarum Apostoli, aliquoties lychni solo imbuti latice, diù splenduerunt.

Aquæ frigidæ mirabiliter calefiunt: amaraque dulcescunt. §. 3.

QVæ naturalibus præcedentibus dispositionibus continuò non admirantes intuemur, admirationem, stuporemque incutiunt, si subitò, nulloque præuio disponente eueniunt; huiusmodi sunt instantaneæ aquæ frigidæ calefactiones, eiusdemque amaræ in dulcorem subitæ conuersiones. De quibus.

1. *Ioannes Colganus in vita S. Kierani. 5. Martij.* Quadam nocte Sanctissimus Senex Episcopus Kieranus descendit in riuum aquæ frigidæ, & quidam religiosus peregrinus, nomine Germanus cum eo; cumque longè in aqua essent, correptus est frigore peregrinus, & ait Sancto Seni: Domine Sancte Pater, ego non possum ampliùs frigiditatem huius aquæ sufferre. Tùnc signauit Episcopus signo Sanctæ Crucis aquam, & apparuit illicò calida circa peregrinum, quasi aqua in balneo.

2. *In actis S. Fechini Abb. apud Boll. 20. Ian.* Hic vir Dei cum more solito in dolio aquæ frigidæ persisteret; cellarius suus, nomine Pastolius in vas illud descendit, volens quoque experiri pænalitatem, quam pius pastor in aqua frigida sustinebat: Sed mox vt ille aquam tetigit, toto corpore cæpit algescere, & dentibus stridere. B. verò Fechinus ei annuit, vt propè se accederet, quod cum Frater faceret, ac cum viro Dei Deum oraret, in virtute feruidæ orationis eorum aqua illa frigida sic calefacta est, vt Pastolius calorem intensum non sufferens, lauacrum cum festinatione relinqueret.

3. *In actis S. Honorati Episcopi Arelatensis cap. 3.* Dum Monasterium Honoratus construeret, in eoque loco aqua non esset, eius oratione negatæ à sæculis aquæ largiter fluunt, in vno ortu suo, duo veteris testamenti miracula præferentes. Nam cùm è saxo erumperent in media maris amaritune, dulces profluebant.

4. *Sophronius in Prato Spirituali cap. 173.* Cum Theodorus Anachoreta ex Palæstina Constantinopolim nauigaret, & in itinere cunctis aqua deficeret, facta oratione, signauit mare signo Crucis, & ait nautis: Benedictus Deus, haurite quantùm aquæ opus habetis, impleueruntque omnia vasa sua de mari aqua dulci, & omnes glorificauerunt Deum.

5. *Ruffinus in vitis Patrum.* Dixit Abbas Dulas, discipulus Abbatis Bessarionis. Quia ambulantibus nobis secùs litus maris, sitiui, & dixi Abbati Besarioni: Abbas sitio valde. Et cum fecisset senex orationem, dixit mihi. Bibe de mari. Et dulcis facta est aqua, & bibi; ego autem hausi modicam in vase, ne fortè iterùm sitirem. Quod cum vidisset senex, dixit mihi: Vt quid vas implesti aqua? Dixi ei: Ignosce mihi, ne iterùm sitiam. Et ait Senex: Deus qui hic est, & vbique est.

6. *Raderus in virid. de S. Arsenio Constantinopolitano.* Aquarum amarorem virga in dulcedinem vertit.

7. *Philipp. Ferrar. mense Maio die 18. de S. Eupuria Virg. & Mart. Caieta.* Illud etiam fertur, nostris ferè temporibus accidisse; rusticum quendam dum faciem lauaret in mari in die huius Virginis festo, illud dulce gustu, percepisse, quod ab alijs accurrentibus ad rei nouitatem comprobatum tradunt.

8. *Iacobus Fuligattus in vita S. Francisci Xauerij cap. 35.* Sanctus Franciscus Xauerius in expeditione ad Sinas, aqua nauigij ab portum deficiente, quia durum mortis genus videbatur, inter vndas siti emori, aquæ marinæ, qua iussit hydrias impleri, amaritiem ademit.

9. *Franciscus à S. Maria in Chronic. Discalceatorum l. 1. cap. 55.* Cum in primo Conuentu erecto à D. Teresia à Iesu, deficeret aqua dulcis, necessaria ad vsum monialium, implorato Dei auxilio, aquam lutuosam & impuram ibi fluentem, in dulcem & sapidam mirabiliter conuertit.

10. *Gregor. Tur. in vita S. Portiani.* Vir Sanctus magnis æstibus feruente cœlo, & visceribus arescentibus, post longa ieiunia, salem mandere consueuerat: propterea cum magna salis acrimonia internus ardor, & sitis augeatur, nihilominùs supra vim naturæ partes internæ huius viri Sancti, ceù aqua dulci, & frigida, refrigerabantur, & ingens sitis sedabatur.

11. *Vghel-*

11. *Vghellus in Ital. Sacr. Cremonensis Episcopi*. Cum D. Dominicus, an. 1215. Cremonam iuisset ad visendum S. Franciscum, tunc Cremonæ commorantem, & Monasterium ædificantem, ibi sua benedictione aquas putei cuiusdam, antea amaras, reddidit dulces.

12. *In vita S. Francisci de Paula*. Ostenditur inter Monasterij Mylassi ambitum puteus, quem aquæ penuria laborantibus, fodi cum iussisset S. Franciscus, & hunc quoque non nisi salsam dare operarij referrent, denuò vt gustarent iussit, & dulcem esse inuenerunt ac lapidissimam: qualem futuram deinceps vsque dum aquæ pluuiæ colligendæ causa, cisterna extrueretur, prædixit Sanctus. Secuta post quadraginta annos prædictionis fides est, quando confecta cisterna, puteus ille ad naturam suam redijt, & aquam deinceps salsam dedit; non tamen inutilem prorsùs, nam quæ sitim ampliùs non restinguit pota; aspersa cæpit reddere sanitatem infirmis, & reddit vsque in hodiernum diem.

13. *Zachar. Bouer. in Annal. Capuc.* 1552. *de F. Matth. à Bascio*. Accidit aliquandò vt S. Georgij Insulam, quæ in vrbis Venetiarum prospectu est, Nauicula peteret: quo tempore siti laborans, lignea palula, qua è scapha aquæ emitti solent, manibus arrepta, ea Maris aquam attingit; quam protinùs signo Crucis benedicens, cum ori admouere vellet, à Nauta admonitus, ne Maris aquam, quæ salsa, ac insalubris est, biberet, Respondet: Falleris Amice; Non est salsa aqua, sed dulcis: atque vbi ea sitim extinxit, reliquum Nautæ porrigit: qui cùm eam dulcem gustasset, Sancti Viri merita suspiciens, Dei virtutem admiratur; qui ad illius benedictionem, aquæ naturam immutauerat.

Aqua consolidantur; subque pedibus calcantium, vel solidam, vel apertam sternunt viam. §. 4.

Cum fluidum, semperque labile ex natura Elementum, ad imperium Supremi Numinis, quandoque sistere consolidarique videtur, vel stabile supra se, deambulantibus stratum exhibere, meritò admirantur mortales, Admirandaque Dei altis declamant vocibus. De his.

1. *Pet. de Natal. lib. 5. cap. 132. de S. Albano Mart.* Diutissimè cæsus, docollari iubetur, quem populo prædilectum, ad martyrium accedentem, sequuta est penè tota ciuitas; pontemque fluminis occupauit, quem transire debebat, vt sic eius mortem retardarent, vel totaliter impugnarent. Sanctus verò desiderio passionis accensus, orauit: mox aqua fluminis substitit, & ipse per siccum alueum vnà cum persecutoribus transiuit.

2. *Idem lib. 6. cap. 160. de S. Fantino Confess.* Cum S. Fantinus ab eius Domino insequeretur, fugiens, ad Motabrum flumen deuenit; & cùm euadere, nec procedere posset, oratione fusa, aquam virga percussit, & statim aquis ex vno pendentibus latere, vnda fluminis subitò se siccauit, ipseque illæsus transiuit, statimque aquis ad locum suum reuertentibus, Balzanius circa flumen remansit. Rogauit autem Fantinum, vt & ipse transire posset; & cùm ille, vt priùs, aquas virga percussisset, iterùm alueus exsiccatur, & Balzanius sicco pede cum suis transiuit; vndaque mox in suum statum rediuit: qui viso tanto miraculo, conuersus est ad Christum, & ciuitatem Tabritanam sua prædicatione ad fidem reduxit.

3. *Idem lib. 8. cap. 24. de S. Antonino Mart.* Corpus eius membratim discerptum, & vnà cum capite in flumine demersum est: sed, diuino miraculo, sanguis de corpore fluens, in vnum congelatus, & in vnum à fidelibus collectus est. Aqua etiam fluminis à cursu desistens, ad corpus colligendum Christianis in alueo viam fecit: sicque corpus vnà cum sanguine leuatum, atque sepultum est.

4. *Bartholomæus Vitalis in vita S. Herculiani Episcopi Brixiæ*. Illud memoriæ proditum est, cum beatum ipsum corpus furto subtractum fuisset, eoque in quadam ædicula propè Tusculanum inuento, dum ad Maternum reportaretur, ventumque esset ad flumen ponte adhuc non confecto, illicò constitisse flumen, iterque immobile, donec transportaretur, transeuntibus præbuisse.

5. *In actis S.S. Aprilis tom. 1. in Contin. Bollandi*. Cum transferretur corpus S. Vualarici Abbat. Leuconensis, fertur Somonam maximis aquis exundantem, diuisam fuisse, & siccum iter deferentibus sacrum corpus præbuisse.

6. *Ioannes Daubr. Hist. Bohem. lib. 23. an.* 1361. Ioannes Nepomucensis Presbyter, sanctissimi fuit moribus, & cum esset Reginæ à sacris Confessionibus, nolletque arcana nescio quæ Regi Venceslao aperire peremptus est, inque amnem demersus, vt sepultura etiam careret. Sed fluuius vulgò VVltaua, alueo non patefacto tantùm, verùm etiam arefacto securum iter præbuit adeuntibus, vt tumuli honore eum prosequerentur: ne quicquam impediente impio & sacrilego Rege Venceslao.

7. *Surius in vita S. Spiridonis Archiepiscopi Trimmythuntis* 12. *Decembris*. Quidam qui erat Sancto amicus, comprehensus à Præside ciuitatis, conijcitur in carcerem; protinùs verò damnatur capitis. Cùm autem propè esset dies præstitutus, præuenit Sanctus, qui hoc præsciuerat, & festinat liberare amicum à calamitate: erat verò tunc hyems vehementissima, & qui præterfluebat torrens, cum valdè inundasset, & è suis esset effusus limitibus, ei valde fluebat in transitu: neque poterat omninò transmitti. Ille autem Iesum Naue, & quæ ille fecerat, mente versans, & arcæ transitum reputans, & credens eumdem esse, sicut erat, Deum, & perinde atque seruo vtens torrente. Sta, inquit, communis hoc tibi imperat Dominus: & ego transibo; Vir autem seruabitur, pro quo properamus, & multas Deo preces fudimus. Sic dixit, & quod dictum fuerat, protinùs fit compos fluuio, & sistit fluentum: cedit verò via non solùm Spiridoni, sed alijs etiam viatoribus.

8. *Vuillielmus Malmesburiensis lib. 2. de gestis Pontificum Anglorum*. Succedentibus annis Theodorus à Vitaliano Papa, Cantuariam Archiepiscopus missus, Erkenuualdum venerabilem virum

virum Londoniensibus præsulem dedit. Eum in miraculis perspicuum fuisse, confirmat & recens fama, & vetus memoria. Quorum illud notabilius fuit, quòd quum æger pedes parochias lectica circumiret, ad oram rapacissimi amnis fortè deuenit. Ibi quum comites hæsitarent, quòd infirmus nec equo, nec pedibus transuadere posset, essetque timor, ne vehiculum aquarum violentia subsideret, repentè gurges disparuit, fluuius in eo loco totus diffugit: statimque vt Episcopus cum comitatu transijt, amnis, qui stans seorsùm crispantibus vndis se collegerat in cumulum, alueo suo redditus est.

9. *In vita S. Erkenuualdi Episcopi Londinensis*. Cum eius corpus Londinum deportaretur, & ad aquam quandam, quæ Ylefordia nominatur, peruenissent, dictam aquam sic miraculosè extra locum proprium inuenerũt excreuisse, vt ipsis transire volentibus via solita non pateret. At facta Deo oratione, subitò aquam illam magnam in duas partes diuisam perspiciunt, & sicco pede per medium fluminis cum sacro corpore perrexerunt.

10. *Colganus in vita S. Fechini Abb.* S. Fechinus in Lageniam profectus, postquam venit sub primis Vesperis diei Dominicæ ad ripam fluminis Liffij iuxta chataractam, quæ Eas-Duthaite vocatur, stationem in Cruce agens diù orabat; ne autem à cursu profluentis fluminis impediretur vir Sanctus, Omnipotens Deus cursum illius vsque ad horam tertiam diei lunæ mirabili dignatione suspendit.

11. *Rabanus in Martyr. 13. Kal. Iunij de S. Conone Martyr.* Erat propè locum, in quo habitabat S. Conon, fluuius torrens, quem nullus poterat de vicino loco à multitudine aquæ transire: Appropriante verò populo, rogabant S. Cononem, vt eò transfretaret: Increpans S. Conon aquam, statuit eam, & faciens viam, eduxit eam. Descendente verò Sancto Conone in Monasterium suum, iubens aquis vt non currerent vsque ad tempus: deinde implens se aqua, inundauit plurimum. Cognoscens S. Conon, quod factum fuisset, pergens venit ad flumen; iubens ei vt ita curreret, sicut cursus eius erat secundùm misericordiam Dei: vnde hactenùs omnes habitantes lætantur ab eo, & subiectæ sunt ei non solùm aquæ, sed & omnis ipsa terra.

12. *In actis S.S. Martij tom.3. in contin. Bollandi*. Rege VVillelmo Eboracum veniente cum exercitu, an.1069. & omnia circumcirca vastante, Episcopus Egelluuinus, & maiores natu, habito inuicem consilio, incorruptum corpus S. Cuthberti Episcopi Lindisfarnensis, septuagesimo quinto anno, ex quo ab Halduine in Dunhelmum est perlatum, tollentes, ad Lindisfarnensem Ecclesiam fugere cœperunt; Sed quoniam circa vesperam venerant, qua videlicet hora secundùm tempus suum circumquaque plenum mare erat: Episcopo & maioribus quibusque congemiscentibus, ne frigore hyemis, quæ solito asperior ingruerat, paruuli omnes nocte illa periclitarentur; ecce subitò mare siccum eis aditum, illo tantum loco recedens, permisit, cum circumquaque plenissimum fluctuaret. Mox ingressi omnes, Deo, & Beatissimo Confessori laudes decantantes, siccis pedibus cum sacro sui Patroni corpore Insulæ litus attigerunt. Quo etiam in facto valde hoc fuit mirabile, quòd fluctus marini præcedentes, continuò sequerentur, ita vt nec paulatim euntibus præcurrerent, nec concitè pergentibus diutiùs remanerent.

13. *In vita S. Patritij Episcopi cap.111.* Quodam tempore, nauigatione necessaria completa, Sanctus Patritius, cum suis viris Religiosis applicuit, & egressus ad aridam, fortuito casu cucullam suam in litore reliquit. Appulsi Sancti, sedentes de cælestibus ad inuicem contulerunt, & mutuæ collationis consolatione se se refecerunt. Mare verò more solito, ascendens, arenæ superficiem cooperuit, & vt præsulis cucullam ad se traheret, & asportaret propè fuit, Hoc Sanctus intuens, interdixit maris reumati, ne tangeret, aut tolleret illam, in eius nomine, qui potestatem habet in cœlo, & in terra, in mari, & in omnibus abyssis. Res mira! maris profluuium implendo totum locum consuetum, & spatium occupauit; sed solùm locum illum, in quo cuculla continebatur, intactum dimisit. Post autem freti refluum recessum, deferri sibi cucullam fecit, omnesque qui aderant, signum istud in Dei laudem, & Patritij venerationem excitauit.

14. *Ibidem cap. 194.* Defuncto S. Patritio Apostolo Hiberniæ, inter duos populos, videlicet Vlidiæ & Ardmachiæ super Sanctissimi corporis gleba adsportanda orta est contentio grauis satis, & periculosa: cumque accincti armis bellicis ad congressum consurgerent, vocem de supernis, in sanguinem ire prohibentem, audierunt, quam Spiritum S. Patritij protulisse putauerunt. Mare nihilominus terminos transgrediens consuetos, instar muralis erectum, vtrumque populum sibi aduersantem, ne mutuis visibus se se conspicere, aut ictibus possent contingere diuisit: diuisos corporaliter, ad concordiam mutuæ pacis ad horam coniunxit, Sedatis ergo populis à furore suo, sedatum statim stetit fretum à furore suo.

15. *In vita S. Marcellini Episcopi Ebredunensis in Gallia*. Cum ad quandam Ecclesiam consecrandam vnà cum clero & populo progrederetur S. Episcopus, flumen cui nomen Consanctio enormitate pluuiæ, ac niuium resolutione tumescens, deuotam Deo plebem ad opus desideratum accedere non permittebat. Tunc sanctus Episcopus orationem ad Deum fudit; & ecce tumidi æquoris fluctus, resupinatusque amnis, post tergum eorum defluere cæpit; quia nec priùs vir beatissimus à supplicatione discesserat, nisi omnis illa multitudo in vlteriores ripæ partes, aqua cedente, se pertrasisse gauderet.

16. *In vita S. Leonis Papæ IX.* Veniens aliquando S. Leo super Teueronem fluuium, qui ita crescendo proprium prætergressus erat alueum, vt per septem dies totum ibi cogeret remorari populum: mæstus vir Dei de afflictione populi, cæleste auxilium inuocat, ac benedictionem Ecclesiæ S. Ioannis in vicino constructæ inchoat, sed antequam diuinum esset peractum officium cæptæ consecrationis,

ita

ita fluuius est mitigatus demissis vndis, vt mox securum iter omni transeunti præbuerit.

17. *In vita S. Caradoci Presbyteri, & Eremitæ in Vuallia Australi*. De Monasterio S. Ismaelis per spatium stadiorum septem ad preces S. Caradoci mare se retrahens viam viro Dei siccam dedit.

18. *In vita S. Angeli Carmelitæ in menolog. Carmel.* Ieremias Sanctæ Annæ Prior, Angelum, & Ioannem ad Presbyteratus ordinem promouendos Hierosolymam misit; cum autem ad Iordanis fluenta peruenissent, nimia aquarum copia exuberante flumine, in litore ipso septuaginta ferè expectantes reperiunt. At aquarum decrementum nullum; orandum inclamat S. Angelus, & flexi omnes, precibus Deum pulsant; oratione terminata, S. Angelus mandante Deo, insistit ripis & iubens dicit alta voce: state aquæ, & tutum nobis præbete iter. O miram Dei omnipotentiam; illicò, obedientibus aquis, cursu disiunguntur vndæ, & consolidatæ chrystalli adinstar, sternitur iter cunctis euntibus, & sicco pede, Deum laudantes transeunt.

19. *In vita S. Gebhardi lib. 1. cap. 17.* Fugiendo, Placentiam ad Padum fluuium peruenit, quem in immensum excreuisse inuenit, nauemq; in altera parte fluminis consistere doluit; cumque nullum adesse cerneret, qui nauem aduehere potuisset, iam iamque insequentes se aduenire formidaret; facta oratione; mirum dictu, Padus se submisit, & per medium fuimet sanctissimo viro viam optimam patefecit, per quam siccis pedibus cum suis ad alteram ripam peruenit.

20. *In Chron. S. Augustini*. B. Oringa Oppidi S. Crucis in valle ad flumen Arnum, ord. S. Augustini, nuptias aufugiens, cum à rapidissimo profundissimoque flumine impediretur, facto signo Crucis, super aquas siccis pedibus incedens, ad alteram ripam feliciter transmeauit.

21. *In Annal. Minor. an. 1290. num. 13. de B. Philippino*. Grande in eius translatione euenit portentum; cessante namque copioso imbre, cucurrerunt plurimi post chari pignoris raptores, & in conspectum illorum venerant; quando sacri corporis delatores ad fluminis Vmbronis inter vtrumque oppidum dilabentis, & tunc ex innundantia aquarum aluei profundi, ripam perstiterunt, cogitantes quomodo possent transuadere, & sanctum corpus transferre. Dùm verò absque consilio hæsitant, periculumque insequentium propè esse conspiciunt, vident magno stupore renouari miraculum fluminis Iordanis, Vmbronemque fluuium conuersum esse retrorsum, atque ab inferiore parte dilapsis aquis apparuisse aridam, per quam læti festinantes transierunt ad oppositam ripam. Peruenientibus verò qui insequebantur, & obstupescentibus ad rei nouitatem, permissæ sunt aquæ suo cursu diffluere, & quæ priùs veluti fortissimis murorum obstaculis detineri videbantur, nouo impetu cæperunt dilabi. Clauso itaque transitu, quem alijs aperiri conspexerunt, ita Deum voluisse compererunt, vt ipsi viuum, alij haberent defunctum.

22. *Ibidem an. 1303. num. 17. de S. Iuone*. Ibat quandoque cum famulo suo, per diuersa loca disseminans verbum Dei. Venit autem ad quoddam magnum flumen, per cuius pontem transire solebat: Sed cum iam aquæ planè operuerant. Edit igitur Crucis signum, & aquæ se diuidunt, liberumque præbent iter transeunti cum famulo; rursùsque ad pristinum redeunt locum, postquam illi à ponte abierunt.

23. *Ibidem an. 1375. num. 42.* B. Bonauita tertij ordinis S. Francisci quondam fluuium Lugo adlabentem, in duas partes signo Crucis à se diuisum sicco pede, simùl cum bobus, quos minabat, transiuit.

24. *In actis S. Mauritij, & Soc. Theb.* Cum corpus Sancti Solutoris Martyris currui impositum veheretur, & ventum ad rapidum fluuium esset, vix currus aquas tetigerat, cùm aqua in duas partes diducta, Sanctum venerata, locum illi fecit.

25. *Bartholomæus Zucchus in vita S. Gerardi*. Lambro flumini, quod intumuerat, & in hospitale vim erat facturum, præcepit, ne illùc transiret, quod & obtinuit; steterunt aquæ immobiles per multas horas vt miraculi veritas magis appareret.

26. *Philipp. Ferrar. mense Iunij die 16. de S. S. Mauro, & Felice, ex monum. Spoletinæ Eccles.* Nutricem Mauri prandium afferentem, Felix puer (ipsa inscia) insequitur, cui amnis aquæ diuisæ diuinitùs feruntur, quo illum sicco vestigio traijceret.

27. *In Martyr. Gallic. V. non. Martij de S. VVinualoco*. Collecto sacro sodalitio, cum vndecim discipulis, desertum in locum se recepit, qui cum minùs aptus pro instituto videretur, exorauit Dominum, vt magis accommodam votis stationem sibi designaret. Audiuit Dominus preces serui sui, & vltrà mare locum ei indicauit: Sed cum Nauis deesset, qua ad traijciendum veheretur, inuocato Christi nomine, pastorali virga mare percussit, ac diuisit, sicque nouus Moyses per siccum, cum asseclis, in destinatam mansionem transiuit, vbi maxima cum animi puritate, ad extremam vsque senectutem cum discipulis in Dei famulatu perseuerans, tandem de sua ad cœlestem patriam euocatione diuinitùs admonitus, fuit.

28. *S. Gregorius lib. 3. Dialogorum cap. 19.* Apud Veronensem Vrbem fluuius Athesis excrescens, ad Beati Zenonis Martyris atque Pontificis Ecclesiam venit. Cuius Ecclesiæ dum essent ianuæ apertæ, aqua in eam minimè intrauit. Quæ paulisper crescens vsque ad fenestras, Ecclesiæ quæ erant tectis proximæ, peruenit, sicque stans aqua, Ecclesiæ ianuam clausit, ac si illud elementum liquidum in soliditatem parietis fuisset mutatum. Cùmque essent multi inuenti interiùs, sed aquarum multitudine omni Ecclesia circumdata, quà possent egredi non haberent, ibique se siti ac fame deficere formidarent, ad Ecclesiæ ianuam veniebant, ad bibendum hauriebant aquam, quæ vt prædixi, vsque ad fenestras excreuerat, & tamen intra Ecclesiam nullo modo diffluebat. Hauriri itaque vt aqua poterat,

terat, sed diffluere vt aqua non poterat. Stans autem antè ianuam ad ostendendum cunctis meritum Martyris, & aqua erat ad adiutorium, & quasi aqua non erat ad inuadendum locum.

29. *Ferrarius in Catalog. S.S. 31. Ianuarij.* Cum Theodorus successor S. Geminiani in Episcopatu Mutinensi, Basilicam supra dicti Sancti tumulum constructam dedicaret, populusque ad celebritatem conuenisset, fluuio exundante, aqua totam vrbem vsque ad superiores Ecclesiæ fenestras crescens, occupauit, nec tamen Ecclesiam, ne gutta quidem ingressa est. Ex qua populus intra templum illud consistens, mirabile dictu, hauriens bibit. In cuius miraculi memoriam Ecclesia Mutinensis festum diem recolit.

30. *In actis S.S. Feb. tom. 1. in Contin. Bollandi.* Imbres maximi per omnem Ethruriam deciderant, effusique extra alueum amnis, omnia latè innundabant, Elsa præsertim, qui haud longè ab æde S. Verdianæ fluit, mirum in modum auctus pluuijs, solum omne illius oppidi aquis texerat, ipsamque adeo ædem S. Verdianæ circumdederat, immò illius iam ianuæ apertæ limen, pedum aliquot altitudine aqua superabat: ne vnica tamen gutta in templum se se infudit. Etsi ædem Fratrum Minorum è regione sitam aqua satis altè peruaserit.

31. *In Hist. Rauennæ.* Rauennæ in Ecclesia S. Vitalis adest puteus, in quem proiectus fuit S. Vitalis, circa quem, cum annis præteritis aqua inundans, totam Ecclesiam impleſſet, in gyrum solida immobilisque stetit.

32. *In Euang. Hist.* Petrus Apostolus vocatus à Iesu, descendens de nauicula, ambulabat super aquas, vt veniret ad Iesum.

33. *Gregor. Tur. lib. 1. de gl. Mart. cap. 69. de S. Genesio Mart.* Ferunt etiam fuisse mulierem, cui à viro crimen impactum, nec omninò probatum, à Iudice vt aquis immergeretur diudicata est. Cui cum ad collum lapis immensus funibus colligatus fuisset, in Rhodanum de naui præcipitata est. Illa verò Beati Martyris auxilium precabatur, & nomen eius inuocans, aiebat; Sancte Genesi gloriose Martyr, qui has aquas natandi pulsu santificasti, erue me iuxta innocentiam meam: & statim super aquas ferri cœpit. Quod videntes populi, susceperunt eam in naui, & ad basilicam Sancti deduxerunt incolumen, nec vlteriùs à viro, vel à Iudice est quæsita.

34. *Sigonius lib. 2. de occidentali Imperio.* In Pannonia Quirinus Scisciæ Episcopus insigne documentum Sacerdotalis Sanctitatis, atque constantiæ dedit. Nam, cum iussu Galerij mola collo alligata in flumen è ponte præcipitatus esset, superstes diù aquis supernatauit, atque spectantes Christianos alloquutus, ne sui exemplo fide deterrerentur, admonuit; ac tandem vix, vt mergeretur, à persecutoribus impetrauit.

35. *Simeon Metaphrastes.* S. Eugenia Martyr, in Tiberi Romæ, excusso lapide, quem collo eius alligauerant lictores, vt certiùs submergeretur, inambulauit; Sicuti & S. S. Martyres, & Virgines Ruffina, & Secunda in eodem Tiberino amne siccis vestibus media ferè hora steterunt, quasi solo inhærescerent.

36. *Marulus lib. 3. cap. 3.* S.S. Nazarius, & Celsus Martyres in Mare præcipitati, super vndas ambulauerunt.

37. *S. Antoninus. 1. par. Chr. tit. 7. cap. 9. §. 1.* Cum S. Sauinus iussu Aureliani Imperatoris in carcerem trusus, diuina virtute ex ipso exijsset, liber factus à vinculis, egrediens ciuitatem, peruenit ad ripam Sechariæ. Quo orante, aqua congelata est quasi petra, & fluuio transito orauit, vt celeriùs iuberet eum Dominus coronari.

38. *Ambrosius Righettus de mirac. Nominis Iesu.* Dum S. Blasius Episcopus Sebastę iussu impij Iudicis, in lacum, vt demergeretur, immissus esset, facto super aquas signo Crucis, illicò consolidatæ sunt.

39. *In actis S. Felicis M. Gerundensis.* Cum ligatus manibus, in mare præcipitatus fuisset, vincula, quibus erat præcinctus, dissoluta sunt, superque vndas maris in manibus Angelorum manus eius tenentium, visus est ambulare.

40. *In actis S. Christinæ Virg. & M.* Iussit impius pater in collo eius lapidé alligari, & sic eam in mare præcipitari. Quo facto, susceperunt eam Angeli. Itaque cum Angelis super aquas deambulauit.

41. *Surius in Iulio:* Cum S. Pantaleon Martyr, saxo ad collum religato, demersus fuisset in mare, non solum super pelagum incessit, sed lapis eius quoque, ita vt erat collo alligatus, innatans mari, visus est eum consequi ad litus.

42. *Pet. de Natal. lib. 8. cap. 85. de S. S. Lucia, & Geminiano Martyr.* Peruenerunt ad fluuium Psimipham; & cùm nimiùm inundaret, oratione facta, aqua stetit, & sancti super vndas siccis pedibus transierunt.

43. *Idem ibidem lib. 9. cap. 108. de S. Minyate.* Phridianus Episcopus, Ecclesiam S. Minyati M. dicatam trans flumen Arni positam sæpiùs visitare solebat, cum autem die quadam inundatione nimia, flumen naui transire non posset, & Nautæ quidam vltra flumen existerent, Sanctusque Episcopus transire curaret, Nautæque illi periculo postposito, Beati Martyris confisi meritis, ad Episcopum transuadandum venire disponerent, subitò se citrà flumen inuenerunt, & Episcopum transportantes, sine periculo fluuium transierunt.

44. *Abbas Dulas de Abbate Besarione apud Ruffinum in vitis P. P.* Quodam tempore, cum necessarium ei esset, fecit orationem, & transiuit Chrysoroan fluuium pedibus; ego autem admiratus satisfeci ei, dicens. Quomodo sentiebas pedes tuos, dum ambulares in aqua? & ait senex: Vsque ad talum sentiebam aquam, reliqua autem erat solida sub pedibus meis.

45. *In actis S. Fursei cap. 4.* Cum duo iuuenes, quos ipse suscitauerat, ad patriam redire vellent, & naulum deesset illis, Furseus medullitùs eorum afflictione tactus, ligneam regulæ scriptoris hastulam, quam manu tenebat, in mare proiecit, & vt ad portum teneris exulibus paternum tenderet, imperauit; & eis, vt in nomine Domini nostri Iesu Christi, qui siccis pedibus super mare ambulauit,

lauit, & B. Petro Apostolorum Principi ad se venienti eadem vestigia donauit, nullo modo hæsitantes, eam sequerentur, præcepit. Res stupenda & in Creatoris honore recitanda; confestim ac si rationabilis creatura, imperio Sancti fit præuia regula. Quam sequentes audacter, patrios fines attingunt, affinesque suos recognoscunt.

46. *In vita S. Odilonis Abb. Cluniacensis cap. 7.* Vir hic venerabilis, dum esset in itinere constitutus, quia causa dictabat, Ticinum festinanter, ac sine mora transire cupiebat; sed intumescentibus aquis, etiam nauigium deerat. Protinùs ergo confisus in Deum, vnum ex famulis vocat, seque in nomine Christi præcedere per alueum fluminis imperat. Obedit illicò famulus: spumantes profluentium vndarum cumulos ingredi non moratur. Deinde vir Sanctus cum omni commeantium turba subsequitur, & sic omnes in vlteriorem aluei crepidinem absque vllo prorsùs incommoditatis offendiculo transponuntur.

47. *In Martyr. Vsuardi 19. Kal. Ian.* In Monasterio Sithiu, depositio Sancti Folquini Morinorum Episcopi: cuius Sanctitatis meritum commendat abyssus vehemens aquarum vna nocte, flante austro, congelata, ad eius corporis transitum.

48. *Ex Annalibus Bohemicis.* Vir primarius, nomine Labessa, iram hostium suorum vitabundus, magnis itineribus ad Saxauam fluuium venerat: sed minimè ausus est vadum tentare, ratus vitæ discrimen manifestum adiri. Hostes interea adproperare, in eius, & fortunarum perniciem: tum ille S. Procopij implorare opem, cuius sacra Ædes in ripa erat vlteriore; nec irritæ preces fuerunt. Etenim glacie constringi amnis cœpit; itaquòd ingredi licuit, & cum equo pertransire. Mox fluere amnis, suasque euoluere vndas rursùs cœpit: ne hostes etiam traijcerent: idque accidit Augusto mense, cum in Bohemia Syrio syderi subiecta, æstus esse maximus solet.

49. *In actis S. Sabiniani Mart. ap. Boll. 29. Ian.* Venerunt ad Sequanam, cuius alueus nimium pluuijs hyemalibus redundans, non erat cuiquam pedestri facilis transitus per eundem. Sed fides sancta Sanctum virum ingredientem sustulit super vndas ad terras alterius litoris nihilo periclitantem. O veneranda atque prædicanda virtus Dei, quæ admirante natura vndas calcabiles reddit.

50. *In actis S. S. Feb. tom. 2. in Contin. Bollandi.* Cum S. Austrebertham Virginem in Belgio parentes sacro coniugio copulare statuissent; aufugit illa, adque Audomarum Episcopum Taruanensis Vrbis, vt velamen acciperet, progrediebatur; Veniens igitur ad flumen Quantia, nec nauigium reperit, nec pontem ob aquarum inundantium coopertum transire potuit. Fusis ergo Deo precibus flumen ingreditur, hortaturque suos vt se sequantur; Transiuitque cum omnibus comitibus suis illæsa, quasi sicco calle in vndis nihil mali perpessa.

51. *In actis S. S. M. M. Frontasij, Seuerini, Seueriani, et Silani.* Prædicti Sancti ob fidem catholicam capite truncati sunt. Cumque eorum corpora, abscissis capitibus, impij satellites in opprobrium deiecissent super nudum cæspitem, cælica virtus adfuit; nam truncatis capitibus, corpora eorum repentè, diuino in eis irruente spiritu, acceptis proprijs capitibus in manibus suis, sine humano iuuamine in suis pedibus eriguntur; sicque Sancti ad alueum fluminis quod Yla dicitur, accesserunt, & siccis vestigijs super vndas iter suum direxerunt. Transmeato ergo flumine, per cliuum collis incessu pedum, cunctis cernentibus, & stupentibus, mirabiliter subierunt.

52. *Arnoldus Rayssius in suo Hierogazophylacio Belgico.* Sancta Alena, seù Helena, vel Halena Virgo, & Martyr, Leuuoldi Regis Gentilis filia, siccis plantis Sennam fluuium sæpè sæpiùs intempesta nocte transmeauit, vt faciliùs Vorsti, vel vt alij volunt, Foresti, in noctibus extolleret manus suas in Sancta, & benediceret Dominum.

53. *Idem, eodem loco.* Beatus Bogumilus, ex Archiepiscopo Gnesnensi, Eremita Camaldulensis; cum Sacrum Missæ holocaustum in Ecclesia quadam, quæ in Insula Vartæ fluminis eminet, Deo offerre vellet, siccis plantis aliquoties pertransijt, populumque suo exemplo sequi formidantem, eodem plane modo traduxit: peractoque Sacrificio, ijsdem vestigijs omnes reduxit.

54. *Idem.* B. Virginem Mariam, Ogniacensem vulgo dictam, Sabim fluuium miraculosè pertransisse legitur in eius vita libro tertio.

55. *Idem.* S. Petrus de Alcantara Minorita flumina Durium, & Tagum siccis pedibus transmeauit.

56. *In Menolog. Cisterciens. 12. Kal. Iulij de B. Macario Conuerso.* Dum in agro operaretur, & hora redeundi ad Monasterium instaret, nec scapham, qua fluuium transmearet, ad manus haberet, plenus fide se dedit flumini rapidissimo, & sicco vestigio vndas calcauit, stupentibus cunctis qui miraculum à longe aspiciebant.

57. *Ioan. Tritbem. de viris illust. ord. S. Benedicti cap. 313. de S. Appollinare Abb.* Apollinaris Abbas Cassinensis Monasterij, post Sanctum Benedictum decimus & septimus, Vir tantæ Sanctitatis, & meriti, vt exemplo Beati Apostoli Petri super aquas ambulauerit multotiès siccis pedibus, de quo multa narrantur miranda.

57. *Idem cap. 331. de S. Iutta moniali Virg.* De ea fertur, quòd siccis pedibus sæpiùs calcauerit vndas fluuij Nahæ iuxta montem iam dictum præterfluentis. Nam si quando imbribus auctus intumuisset fluuius, ipsa super fluuios ambulans ad officia diuina sine impedimento, Angelorum suffragijs adiuta, peruenire consueuit.

59. *Ferrarius in Catal. S. S. 6. Aprilis.* Cum S. Secundus M. & Patronus Astensis, Derthonam regrediens, nauim, qua Padum flumen traijceret, haùd inuenisset, ferunt illum, cum equo, ductore Angelo, fluuium quasi terram solidam pedibus calcando superasse.

60. *Idem. Mense Augusto die 26. de S. Alexandro Mart. ex offic. Eccl. Bergom.* Bergomum contendens, Abduam flumen, cum nauem non reperisset, siccis plantis mirabiliter traiecit.

61. In

61. *In actis Sancti Maedhog, apud Bollandum 31. Ianuar.* Sanctus Maedoc dixit ad aurigam suum: Dimitte equos ire quòcumque voluerint. Et statim equi ad Aquilonem cursum declinauerunt: & cum venissent ad stagnum Dergdere, equi sine impedimento sub curru siccis pedibus per lacum, quasi per aridam terram, diuina potentia perrexerunt.

62. *In Martyr. Gallic. 7. Non. Martij de Sancto Friderico Abbate.* Demum Vir Sanctus postquam siccis vestigijs rapida fluenta transisset, mira multa in Dei famulatu, & hominum miserorum subleuatione peregisset, post immensos collectos Deo animarum manipulos, lætissimè inter psalmos, & hymnos beatam animam reddidit Creatori.

63. *Surius in Maio.* S. Godehardus Episcopus Hildeneshemensis Danubium vltrò citròque frequentissimè adhùc puer transiuit.

64. *Ex manu s. s.* Conradus Constantiensis Episcopus in lacu Acronio siccis pedibus ambulauit.

65. *In vita Sancti Bernardi.* S. Bernardus Monachus Vallis Ecclesiarum in Extremadura; dùm viueret, super vndas magni fluminis, illæsus & sicco pede transiuit.

66. *Ioan. Colganus in vita Sanctæ Cannera Virginis 28. Ianuarij.* Virgo hæc comite destituta, viarum ignara, in eum, qui est Via, Veritas, & Vita, solùm confisa, pergit, magno prodigio monstratam Ecclesiam, quæsitura. Sed flamma è Cœnobio illo emicans, die noctuque illi continuò apparens, & Viæ ducatum præbuit, donec è regione Insulæ de Inis-cathaigh peruenerit: indeque absque nauigio per mare, quasi per campestrem planitiem, siccis plantis progreditur.

67. *Pet. de Natal. libr. 10. cap. 60. de S. Venerando Martyr.* Milites, Martyrem Christi vsque ad flumen Sequanam insequuti sunt: qui super aquam siccis pedibus ambulauit vsque ad locum, vbi eum Christus baptizauit.

68. *In actis S. S. Feb. tom. 1. in Continuat. Bollandi.* Cum Sancta Brigida Kildariensis Abbatissa, quadam die vnà cum suis puellis ad flumen Sinne venissent, postulauerunt à nautis, vt trans flumen eas deportarent, quod illi negauerunt. Tunc dixerunt puellæ Sanctæ Brigidæ: Signa istud flumen in nomine Iesu Christi, vt mitius & humilius fiat nobis: Tunc Sancta Brigida flumen benedixit, & multis adstantibus cum puellis suis flumen intrauit, & vsque ad genua Virginum non peruenit alueus ingentis fluminis, quod etiam fortissimi viri sine naui non poterant transire.

69. *Ibidem.* Miserat quadam die Sancta Brigida Kildariensis Abbatissa puellas suas ad deportandum frumentum; reuertentes autem, cum ad amnem Liffi venissent, inuenerunt illum plenum vltra ripas; Tunc Virgines, quid agerent stupida mente ignorabant. Ergo prostrauerunt se in terram iuxta ripam fluminis, & inuocauerunt vna voce S. Brigidam in auxilium. Continuòque simul ab eo loco, in quo erant, in alteram ripam huius fluminis translatæ sunt cum oneribus suis, sed quomodo, aut qualiter translatæ sint, ignorantes.

70. *Ibidem.* Pergens Beatus Laurentius Archiepiscopus Cantuariensis in Scotiam, venit in quandam Regionem, vbi transitum sibi, & socijs suis maris brachium negabat: Cumque resideret in proximo colle, nauem expectans, qui hodie Collis Laurentij vocatur; visum tandem nautam, obsecrat, vt transmittat; sed homo à Diuina, & humana pietate alienus, preces supplicis dùm refutat, superna indignatione non solùm hiatus maris, sed cælestis flamma mox impium cum sua naui deuorauit. Quod videns vir Dei, plenus fide & spiritu Sancto, mare tamquam campum ingreditur, & vndosos montes, ac si solidos, pedibus calcans, in aliud litus siccis pedibus transducit.

71. *Ibidem tom. 2.* Cuidam honestæ mulieri circa Sequanam habitanti, aliquis impudicus vi pudorem eripere voluit: Sed illa recusauit stuprum, domo concitè egressa fugit, & sanctarum Virginum Christi, & præcipuè Beatæ Austreberthæ inclamans auxilium, ad fluuium rapido cursu vsque peruenit: & insequentem à tergo hostem respiciens, quia quò fugeret, quò se verteret non inuenit; tantùm magis eligens mori, quàm illicitè violari, saltu se fluuio præcipitem dedit. Res mira ac digna præconio in liquido apparuit elemento. Diuino enim nutu lenis vnda, ac mobilis, pudicæ mulieri nauicula fuit, & ad alteram fluminis ripam sine læsione eam in siccum exposuit.

72. *Ibidem in Martio tom. tertio.* Cum quidam pueri à Gentilibus in mare præcipites dati fuissent: Hoc viso à Sancto VVlfranno Episcopo Senonensi, facta oratione, Diuinaque inuocata Maiestate, super vndas maris, tamquam per aridam terram, iter faciens, ad eos, qui iam submergebantur, celeriter peruenit, quorum alterum læua comprehensum, alterum dextera, subleuauit: sicque statim rediens mirantibus vniuersis populis, secùm viuos, & sanos ad terram reduxit, quos deinde diuinis imbutos mysterijs, in nomine S. S. Trinitatis baptizauit.

73. *In Historia Bauarica parte prima libr. 19. numer. 14.* D. Benno Misnensis Episcopus nullo nauigij adminiculo Albim flumen siccis pedibus trasmeauit.

74. *Lippellous in vita Sancti Patrocli Martyris 21. Iannuarij.* Cum Sanctus Patroclus Martyr ad martyrium duceretur, super Sequanæ flumen siccis pedibus mirabiliter, obstupentibus militibus, pertransiuit.

75. *Idem in vita Sanctæ Charitinæ 5. Octobris.* Cum Sancta Charitina ob fidem Christi ab impio Iudice, lapide ad collum ligato, in mare præcipitata fuisset; Martyre orante, vincula subitò dissoluta sunt, & illa siccis plantis super aquas inambulans, rectà ad litus maris tetendit.

76. *In actis Sancti Dalmatij Episcopi & M. 13. Nouembris*. Porrò Sanctus Dalmatius etiam ante mortem stupendis signis emicuit. Nam Ligerim fluuium pedibus traiecit.

77. *Ioan. Colganus de Sancto Scothino, 2. Ianuarij*. Cum in Britanniam traijciens, aliquandò super Mare ambularet, occurrit ei nauis, in qua erat Sanctus Bana Episcopus, qui Virum Dei Scothinum intuens, & agnoscens, percontatur, quare super mare ambulet. Respondit Scothinus, floridum esse campum, super quo ipse ambulabat, & mox manum ad aquas extendens, è medio Oceano rubicantium florum manipulum accepit.

78. *Philipp. Ferrar. mense Mart. die 4. de Sancto Petro Episcopo Policastrensi*. Cum nauigium, quo ferebatur, submersum fuisset, ipse supra mare pedibus vsque ad littus incessisse fertur. *Idem die 10. Ian.* Siccis pedibus Abduam flumen semel traiecit S. Ioannes Bonus Episcopus Modiolanensis.

79. *Vuillielmus Malmesburiensis lib. 2. de gestis Pontificum Anglorum de Sancto Birino*. Birinus ordinatus in Episcopum ab Asterio Genuensi Episcopo, pertendit ad pelagus, quo Britanniam transmitteret. Cumque reculas suas insarcinas componeret, nautis pro tempestiuo vento vrgentibus, corporalia (quæ dicuntur) oblitus est. Sed iam in altum promotus, cùm serenum salum puppis sulcaret læta, recordatus iacturæ, hæsit mente: si nautas appellaret de reditu pro secunda nauigatione, non dubium, quin rideretur; si taceret, damnum Apostolici muneris pateretur. Itaque animositate tota credulitatis arma concutiens, descendit pedibus in mare, concitòque cursu, litus relictum repetijt. Ibi corporalibus repertis, & acceptis, geminato beatæ fælicitatis ausu ad socios redijt, vndarum cumulos, & mille obuias mortes fide dispergens. Illi quoque tanto emolliti miraculo, iactis anchoris, cursum nauis tenuerunt.

80. *Thomas VValsingam. in Rich. 2. de Vener. Ioanne Priori Canonicorum Bridlington in Diœcesi Eboracensi*. Fertur, quòd in vita sua super aquas ambulauerit.

81. *In vita Sancti Alberti Carmelitæ 7. August.* Cum vir Sanctus proficisceretur Agrigentum, flumen quoddam transmisit, quod vulgò Platanum vocant. Vidit autem iuxta fluuium quosdam Iudæos transeuntes. Erat autem iter angustum, quippè inter montes excelsos. Iudæis ergò iter agentibus, & viro Dei ab altera fluminis parte ambulante, subitò aqua excrescit vltrà modum, arreptosque Iudæos cogit natare. Illi cernentes in tam præsens se coniectos discrimen, ad Virum Beatum de quo iam auditione acceperant, magnis vocibus clamant: Adiuua nos Domine virtute Christi tui. Respondit ille: si in eius nomine baptizari vultis, & toto pectore cupitis effici Christiani, salus vobis præstò erit. Tum illi: Nos, inquiunt, credimus illis, quæ tu prædicas de Christo Nazaræno, cupimusque baptizari. Id illis dicentibus, vir Dei super aquas ambulat, ad eosque perueniens, in ipso flumine baptizat eos. Interim cedebant aquæ, & illis diuisis, Vir Sanctus Iudæos baptismo iam expiatos, absque vllo detrimento ex illo periculo in terram eduxit: qui cùm ad suos reuertissent, omnia, quæ in via ipsis accidissent, narrauerunt Episcopo cum multa exultatione, virum Dei tùm apud illum, tùm apud alios laude, & prædicatione efferentes.

82. *Surius 6. Iunij*. Cum Sanctus Gudualus, postquam abdicasset se Archiepiscopatu, septem nauigijs Monachos suos numero centum & duo de nonaginta transferret ad salubriores cœli sedes, exijt ipse è naui, & insistere mari visus est, nec vllatenùs in pede, aut vestimentis madefieri.

83. *Idem in vita Sancti Placidi 5. Octobris*, S. Maurus, vt S. Placidum extraheret ex aquis, in quibus vita periclitabatur, super Stagnum ambulauit.

84. *Ambrosius Righettus in mirac. Nominis Iesu*. Dum Sancta Maria Ægyptiaca ad extremum vitæ deuenisset, Abbatem Zosimam, qui trans Iordanem habitabat, humiliter deprecata est, vt Sanctum Viaticum sibi deferret: fecit Abbas, fluminique proximus, quomodo transfigeret ad oppositam ripam, vbi à Sancta expectabatur, ignorabat: & ecce Sancta pœnitens, facto signo Crucis, rapidum flumen super aquas transiuit, sumptaque sacra Eucharistia, iterùm super aquas ad Eremum est regressa.

85. *Franciscus à Sancta Maria in Hist. Discalceatorum tom. 1. lib. 3. cap. 33.* Cum Sancta Mater Teresia à Iesu simùl cum alijs sororibus ad fundationem sui Conuentu Talaminæ progrederetur, dum ad ripam cuiusdam fluminis, vadum tentaturæ omnes morarentur; illicò ad alteram ripam inuisibili manu mirabiliter fuerunt translatæ.

86. *Nic. Iansenius in vita Sancti Dominici lib. secund. cap. octauo*. Interdùm cum in itinere esset Sanctus Dominicus, & flumina præter morem sic validis imbribus creuissent, vt nullo possent vado transmitti, ille expresso in fronte Crucis charactere, vnà cum socio, hæc facilè transibat.

87. *Bozius libr. 15. de signis Ecclesiæ*. Ioannicius Abbas flumen transmisit super vndas incedens.

88. *In vitis P. P. libr. primo capit. 32. de Ammone Monacho*. Necesse ei fuit aliquando flumen nomine Lycum subitis aquis inundatum, transuadere: rogauitque Theodorum, qui cum ipso erat, vt paululùm à suo separaretur adspectu, ne nuditatem corporis inuicem vterque conspicerent. Recessit Theodorus, nihilominùs ille se ipsum cum nudare vellet, erubuit. Cogitantem autem eum, in alteram ripam virtus Diuina transportauit.

89. *Thom. Cantip. lib. secund. apum, cap. 29.* Frater quidam Ordinis Prædicatorum, vir deuotus mul-

multùm, & bonus, in Angliam transiturus, rogauit in portu Dominum Nauis, vt se, & secum in naui socium suum reciperet propter Deum, sed ille nec Deum timuit, nec fratrem reueritus est: sed sublato velo nauigabat à portu. Tunc frater angustiatus grauiter (vrgens enim erat negotium transeundi) post orationes & lachrymas, fiduciam mente concepit, & ad sequendum fratrem socium exhortatus, inter vndas profundi maris, tinctis tantùm in summa extremitate vestigijs ambulauit.

90. *Vading. an. 1437. de Georgio Albano Laico.* E cœnobio Massæ Recinetum missus, tempore hyemali, vt adolescentem sacris ordinibus initiandum duceret, flumen Chientinum exundans dum nullus posset transuadere, Dei adiutorium deuotè implorauit. Apparuit statim pulcher adolescens, qui ad ripam paulisper ductis pontem ostendit. Læti abeunt, & in aduersa margine constituti, neque pontem, neque ductorem conspiciunt.

91. *Zachar. Bouer. in Annal. Capucc. 1576. de Fr. Hieronymo à Pedona.* Cum semèl ad fluuium, qui viam intercidebat, ita aquis tumidum, vt nonnisi difficilè transuadari posset, peruenisset: Crucis signo sibi exhibito, liberè super vndas incedit: totumque fluuium sicco pede traijcit. Socij itaque vbi Maceratam, multo imbre madefacti, peruenere: Hieronymum reperiunt, cuius habitum ne gutta quidem aquæ contigerat; nec Sandalia lutum vel minimum sordidauerat. Quod prodigium & alia vice operatus est.

92. *Pepe in mirab. Sancti Caietani m. 184.* Proficiscebatur Neapolim, vbi à matre expectabatur, Diuoque Caietano commendabatur Antonius de Paula: Hic quadam vespere socios deperdens, viamque ignorans, quò progrederetur nesciebat: Apparuit tunc illi venerabilis vir oblonga, nigraque indutus veste, qui eum consolatus, vt eum sequeretur, iussit, cumque ad rapidissimum flumen peruenissent, nec quo transirent, nauigium adesset, imperauit Antonio Venerandus vir, vt firmiter eius cingulo adhærens, flumen peruadere haùd dubitaret. Fecit ille, ipsoque ductore, ad aliam ripam deductus est, ibique eius benefactor disparuit. Cum autem Neapolim peruenisset, & à matre ad Ecclesiam Diui Caietani duceretur, vt sui aduentus tutelari Diuo gratias referret, exclamauit puer, similem omninò Imagini fuisse, qui illum à tot periculis in itinere liberauerat, quique fœlicem per flumen transitum illi præbuerat.

93. *Thomas Ioannes Pessina de Glor. Eccles. Pragensis. Rad. 3.* Cum transferretur Pragam Corpus S. VVenceslai Bohemiæ Ducis, & Martyris, cumque in itinere à tribus fluminibus Albin scilicet, Rokitnicz, & VVltaua, portitoribus, effractis pontibus, transitus impediretur, mirabiliter, Angelorum ministerio, ad alteram ripam omnes cum curru, & equis sacra pignora vehentibus, per flumina sunt translati: estque hodie ad initium pontis VVltauæ in eo loco columna lignea honori S. VVenceslai in rei memoriam collocata.

94. *In vita Sancti Patritij cap. 27.* Beatus Patritius iter accelerans versùs Hiberniam, cum in portu Britanniæ finibus sito, nauem cum suis transfretaturus conscenderet; quidam leprosus litori astans, se sancto obtulit, obsecrans, & obtestans in nomine Domini Iesu, quatenùs ipsum in naui secum assumptum, in Hiberniam transueheret. Vir Dei pietatis visceribus affluens, annuit precibus pauperis miserandi, sed nautæ contradicebant & cæteri, qui erant in naui, asserentes, quòd nauis satis onusta esset, & ipse foret omnibus oneri, & horrori. Sanctus de Dominicæ potentia clementiæ confidens, altare lapideum sacratum, à Domino Papa sibi donatum, super quod Diuina mysteria celebrare consueuerat, in pelagus proiecit, ac super illud leprosum sedere fecit. Sed horret animus, hebet stylus exprimere, quod accidit diuinitùs, tabula illa lapidea taliter sarcinata ferebatur super aquas, regente illam lapide angulari, ac contra naturam natans, nauique collaterans, cum ea concertabat pari cursu, sicque eodem momento in eodem loco applicabatur littori. Applicatis itaque omnibus prosperè, inuentoque altari cum onere suo, sonat gratiarum actio, & vox laudis in ore Sancti Præsulis, exprobratque discipulis & socijs itineris incredulitatem, & duritiam cordis, emollire moliens corda lapidea in carnea, ad exercenda opera charitatis.

95. *In actis S. S. Martij tom. 3. in continuat. Bollandi.* Transiturus erat Sanctus Endeus Abbas Aranensis in Insulam Arann, vt ibi Monasterium ædificaret; & deficiente nauigio, magnum grandemque lapidem, qui erat in littore, ceù cymbam proijci in mare, iubet, superque ipsum ascendens, cum omni prosperitate, ceù in leuissima naui per mare nauigans, peruenit ad Insulam.

96. *Ioan. Capgrauius in vitis S. S. Angliæ.* Sanctus Demmanus Eremita Anglus Sabrinam fluuium super fascem vnum siccis plantis pertransijt.

97. *Arnoldus Rayssius in Hierogazophilacio Belgico.* Sanctus Forannanus Archiepiscopus Dominocinorensis, cuius corpus quiescit Vualcidori in S. Benedicti Cœnobio ad Mosam, adiunctis duodecim comitibus, mare adscendit. Nullam enim nauem repererat, sed miraculosè quatuor ligna, Crucis in modum pariter compacta, ante eius conspectum apparuerunt, super quæ, aura S. Spiritus flante, clara voce decantans: In mari via tua, & semita tua in aquis multis, in Gallias peruenit.

98. *Idem ibidem.* B. Hiam Virginem mare traiecisse, ope folij cælitùs missi, legitur in passione D. Buigneri, Sociorumque eius.

99. *Surius in vita Sancti Vulfranni Senonensis Archiepiscopi 20. Martij.* Cum nauigaret Frisiam, & esset in medio mari, quod adiacet Regioni Morinorum, adfuit hora, vt Missam canta-

ret; positis igitur anchoris, & naui immobili permanente, Missarum solemnia celebrauit; cum autem ventum esset ad locum, vbi Minister patenam præsuli porrigere debuit, extensa manu expectabat horam, qua susciperet eam. Sed dum minister eam abluere vellet, in mare cecidit, prostratusque pedibus Sancti Pontificis, humiliter veniam precabatur, dicens: quia dum eam abluere voluisset suis manibus, in maris, elapsa, profunda ima petisset. Moxque idem vir Dei flectens genua sua ad patrem Domini nostri Iesu Christi precabatur eius clementiam, vt qui quondam coram patribus in mari rubro fecerat mirabilia, propitius suis adesset precibus; finita verò oratione, imperat Diacono, vt in eum, in quem patena ceciderat, locum mitteret manum. Quo facto, mox ab imo maris eadem patena diuinitùs reuersa, eiusdem ministri manui inhæsit. Quod videntes nautæ cæterique nauis comites, Dominum cunctipotentem totis viscerum præcordijs collaudauerunt, qui per seruum suum tale dignatus est miraculum operari.

100. *Idem in vita Sancti Cuthberti Episcopi 20. Martij*. Disponebat Christi Seruus paruulam casulam in suo Monasterio sibi condere; cumque quoddam lignum opportunum deesset, rogauissetque fratres, vt è proxima Sylua illud illi afferri curarent. Hoc neglexerunt illi. At ecce mirum, mare nocturno æstu lignum longitudinis necessariæ super vndas illùc illi attulit; omnesque glorificauerunt Deum.

101. *Iacobus Gualla in Sanct. Papia, libr. secund. capit. sexto, de Sancto Iuuentio Episcopo Papiæ*. Quodam tempore, cuiusdam Fiscalis, Ticini amnem transeuntis, magnum, quod deferebat, pecuniæ pondus in profundum fluminis demergitur, qui mærens vehementer, & dolens, ad Sanctum Præsulem properat, eique serió narrat, quam grandem ferret amissæ pecuniæ iacturam, sperans rei suæ posse consulere, modò pius pastor ad misericordiam flectatur. Qui statim audito viro mæsto, demigrauit ad eum fluminis locum, vbi pecunia submersa ferebatur, & alta voce, inquit; Tibi dico aqua, in nomine Domini nostri Iesu Christi, qui suis pedibus sanctissimis super te ambulauit, ne eam retineas pecuniam, cuius causa hic meus proximus tam graui mærore contristatur. Mirabilis Deus in sanctis, & virtutibus suis; illicò sulcantibus vndis, spectante populo, ad Præsulis pedes pecunia iactatur.

102. *In vita Sancti Godefridi Episcopi lib. secund. capit.* 18. Episcopus Barensis olei partem quandam à Beati Nicolai ossibus profluentis, Beato Viro in vase vitreo ad hospitium more Ecclesiastico solemniter transmittit; quod quidem Vir Dei cum ingenti deuotione, nec sine tremore, venerabundus accepit, auro, & gemmis quibusuis chariùs illud amplectens, plurisque æstimans. Appendit autem illud ad collum suum, magnum sibi aduersùs hostium insidias in eo præsidium constituens. Cum sic autem Vir Dei loca sacra inuiseret, ascensis equis, cum suis comitibus, venit ad portum maris, in quem fama ferebat, nauem appulsam, corpus Beati Nicolai ferentem: qui locus adeò commodus est, vt inter naues, quæ iactis anchoris illic figuntur, tutò possit transsuadari. Ibi ille ambulans, contemplabatur piscatores, retia sua piscibus onusta ad litus retrahentes. Interim autem manum pectori admouens, sentit abesse vas vitreum, de quo iam diximus, summoque animi dolore afficitur. Rogant socij, quæ causa sit tam repentini mœroris. At ille prolixè illachrymans, Væ, inquit, misero mihi, quòd tanto patrocinio destitutus, cælitùs oblata benedictione diù perfrui non merui. Dum enim hic versor, rupto funiculo, in aquas lapsum est vasculum, quo Episcopus me donauit, nec nisi singulari quodam Christi beneficio reperiri poterit. Dumque hæc dicit, vertens se ad dexteram, videt vasculum instar plumæ ferri super aquas, cùm tamen pondere suo quoduis metallum æquare videretur. Res erat admiratione digna, vel equorum ferreis pedibus, vel nauium quassatione, vel impulsu remorum, vel præruptis scopulis, quorum illic magna copia est, non penitùs contritum fuisse. Exultat eo conspecto Vir Beatus, tollit ab vndis, diligenter inspectat, nihil læsum summoperè gratulatur.

103. *In actis S. S. Feb. tom. primo in Continuat. Bollandi*. Quadam vice Sancta Brigida Kildariensis Abbatissa vestimenta in Scrinio super mare misit, vt deuenirent per longissimum maris spatium ad Sanctum Senanum Episcopum, in alia Insula in mari habitantem, & ille reuelante Spiritu Sancto, Fratribus dixit; Ite quantociùs ad mare, & quicquid illic inueneritis, hùc vobiscum ducite; illi autem abeuntes, inuenerunt scrinium cum vestimentis. Senanus ergo videns vestimenta, gratias egit Deo, & Sanctę Brigidæ. Quò enim homines ire non poterant sine magno labore, ibi Scrinium solo Deo gubernante perrexit.

104. *Ibidem*. Alia die, eadem Sancta Brigida massam argenti proiecit in flumen, vt per illud veniret ad Virginem nomine Hinna, quæ paulò ante respuerat massam ipsam portare; & sic postea, Domino afferente motum, accepit.

105. *Ioan. Euseb. lib. 2. de mirac. nat. cap. 60. de Rupellanis piratis, qui abstulerant Statuam Sancti Antonij, quos fœda tempestas postea distraxit*. Nauis, qua Diui Antonij imago vehebatur, vt ridendo postularant Piratæ, Bayam perducta est. Veriti verò, sua ne pateret nequitia, imaginem truncatam ac mancam, in mare præcipitem dederunt: vndæ verò rationis expertes, maiorem (vt apparet) statuæ honorem exhibuere: post aliquot enim dies, ad littus eam eiecerunt, & quidem stantem. Eminùs conspicientibus, inambulans homo in littore videbatur, sed cominùs imago

imago visa. Quam honestus ciuis in litore repertam, magna cum reuerentia in æde sacra proxima collocauit: sed vrbis Præfectus tota rei serie cognita, ad vrbem eandem deferri voluit, quæ vt magna omnium gratulatione & plausu à Clero supplicante excepta, in æde Capuccinorum collocata fuit.

106. *In. m.s.* Tranij in Ecclesia S. Mariæ P.P. Carmelitarum magna deuotione colitur Imago B. Virginis, quæ supra marmoreum fontem ibidem adhùc conseruatum, per mare illùc miraculosè appulisse traditur.

107. *Gregor. Tur. libr. 1. de glor. Mart. cap. 34.* Bartholomæum Apostolum apud Asiam passum, agonis ipsius narrat historia. Post multorum verò annorum spatia de passione eius, cum iterùm Christianis persecutio aduenisset, & viderent gentiles omnem populum ad eius sepulchrum concurrere, eique deprecationes assiduè, & incensa deferre, inuidia illecti, abstulerunt corpus eius, & ponentes in sarcophagum plumbeum, proiecerunt illud in mare, dicentes, quia non seduces ampliùs populum nostrum. Sed prouidentia Dei cooperante per secretum operis eius, sarcophagum plumbeum à loco illo aquis subuehentibus subleuatum, delatum est ad Insulam, vocabulo Liparis. Reuelatumque est Christianis, vt eum colligerent: collectumque ac sepultum, ædificauerunt super eum templum magnum. In quo nunc inuocatus, prodesse populis multis virtutibus ac beneficijs manifestatur.

108. *Borchardus part. 2. capit. 5. de reliquijs S. Ioannis Baptistæ in capsula, in monasterio Babiloniæ sub eius nomine erecto.* In festo Sancti Ioannis assumunt capsulam illam, ac deponunt in naui transportantes per Nilum ad Monasterium aliùd sub titulo eiusdem Sancti constructum. Descendunt autem per Nilum quinque leucis. Postquam verò Missa cantata fuerit, ponunt capsulam in flumine, probare volentes, an Beatus Ioannes velit reliquias suas illìc permanere, vel ad locum priorem reuerti. Sed mox in oculis omnium capsula contrà impetum Nili, qui vtique sanè impetuosus est, adeò velociter currit, & ad locum suum reuertitur, vt nec qui in equis currunt, valeant præuenire.

109. *In Annalibus Minorum part. 2. lib. 9.* Cum à quodam Tyranno Meuaniæ in Vmbria duo Fratres ex ordine Minorum, Iacobus, & Philippus, ob fidem catholicam interfecti fuissent; & post mortem, eorum corpora, arca inclusa, in flumen proiecta; diuina virtute arca super vndas enatans, nemine impellente vsque ad pontem propè Fulinium processit, ibique in Ecclesia S. Francisci, vbi & nunc quiescunt, sepulta fuere talia veneranda corpora.

110. *Surius 6. Kal. Maij.* Capsa ferrea cum S. Menæ, & sociorum corporibus, aquis super natans, Bysantium peruenit.

111. *Ferrarius in Catal. S.S. 22. Iunij de S. Iuliano M.* In mare præcipitatus S. Iulianus, martyrium compleuit; cuius corpus ab vndis Proconnessum Insulam Propontidis delatum, ibi in arca marmorea à Christianis conditum, Othone I. Imper. in eadem arca super vndas Ariminum mirabiliter appulit, ibique honorificè in Ecclesia S. Petri, quæ postea S. Iuliani appellata est, collocatum fuit.

112. *Thiepolus de Pass. Domini, tract. 13. cap. 5.* In Ecclesia S. Michaelis Murani asseruatur particula Sanctæ Crucis, quæ, ex litteris Græcis in theca eiusdem inscriptis, apparet fuisse Constantini Imperatoris, eiusque matris: Hæc an. 1362. à quibusdam Nobilibus Græcis Constantinopoli sublata, ob ortam sæuam tempestatem, in mare proiecta fuit, & nullo impellente, per mare ad Murani litus mirabiliter peruenit, vbi multis miraculis manifestata fuit, summaque deuotione in prædicta Ecclesia collocata.

113. *Hugo Menard, lib. 1. obser. Iunij de B. Richardo.* Patriarcha dedit Beato Richardo duas portiunculas Crucis Dominicæ, quas Richardus in auro cælari in modum Crucis curauit, quam collo appendit tamquam clypeum aduersùs dæmones tutissimum. Beatus autem Richardus in baptismatis Christi memoriam in Iordane lauari voluit, sed cum lauaretur, Crux memorata, quæ de collo eius pendebat, eo ignorante, in fluuium delapsa est, lotus, è fluuio egressus est, cum longiùs abesset, Crucis recordatus, & non inuenta, ad fluuium redijt, & stans in ripa hùc, & illùc respiciens lachrymis obortis, crucem vidit per transuersum amnem ad se natantem, quam receptam, Deo gratias agens, collo appendit.

Super aquas, extenso pallio, veluti cymba, transitus. §.5.

PRædictis adnectam Admiranda, quæ in aquarum transitu, pallio veluti cymba in fluido elemento strato, mirabiliter cunctis sæculis euenere. De quibus.

1. *Bartholomæus Zucchus in vita S. Gerardi.* Sanctum Gerardum super suum pallium Lambrum flumen traiecisse tradunt, qui huius Sancti res gestas ad posteros transmisere.

2. *Auctor Fastorum Marian. 19. Augusti.* Pallio instrato, Istrum flumen transiuit S. Sebaldus Confessor.

3. *In actis S. Mochuæ ap. Boll. cap. 4.* Sanctus Mochua duxit B. Kieranum cum suis vsque ad flumen, cui nomen est Lyncorchygi, quæ est aqua valdè impetuosa pro tempore. Cumque aquam illam violentam, ac rapidam Clerici cernerent, pro tempore illo immeabilem sine scapha iudicarunt; tunc S. Mochua pallium suum in virtute illius, qui in pallio Eliæ desiccauit aquas Iordanis, misit super aquas, & in eo S. Kieranum cum suis quindecim discipulis vltrà flumen, tamquàm in rate tutissima, transuexit.

4. *Ibidem in vita S. Iulij Presbyteri.* Ad quandam Insulam profecturus S. Iulius, naui carens, exuit se cappa, eamque super aquam extendit, & facto signo Crucis, super aquas ascendit, arreptoque baculo, quo solebat sustentari, mirum in modum quasi in nauis soliditate confixus ad insulam transmeauit.

5. *Vghellus in Ital. Sac. tom. 7. Amalphit. Episco-*

pi. Cum ad Ven. Petrum Eremitam, qui propè Amalphim vitam solitariam ducebat, quadam die Episcopus Amalphi deuotionis causa iret, nauigiorum apparatu cognito, ne elationis spiritu tentaretur, expandit suum pallium super mare, & siccis vestigijs ambulans, ad suam ciuitatem reuersus est.

6. *In vita S.Francisci de Paula*. Cum Siciliæ fretum strato super fluctibus pallio cum duobus discipulis transmitteret, etiam Scyllæ & Charybdis baratrum illæsus transiuit. Et quia loca illa omninò periculosissima erant, ita vt rarissimè naues euaderent naufragium: post quam vir Dei illàc transiuit, desierunt esse periculosa, audacterque transmittuntur à Nauigantibus, paucæque naues pereunt.

7. *Odoricus an.1257. de S. Hyacintho ex Ordin. Prædicatorum*. Effulsit maximis miraculis, è quibus illud recenset Longinus, iniecta ipsum flumini veste, cum tribus socijs, inspectantibus, atque admiratione defixis Vissegradensibus, sicco pede traiecisse.

8. *Marchantius de B.Raymundo Ordin.Prædic.* Hic cum foret Iacobo Regi Aragoniæ Confessarius, sæpè monuit, vt concubinam, qua vtebatur, relinqueret: & Rex pollicebatur quidem; sed semper procrastinabat. Tràsfretauit Rex Barcinona ad Maioricensem Insulam, optauitque virum Sanctum secùm habere: respondens, se cùm illùc peruenisset, concubinam relicturum; sed promissis non stetit. Quod videns vir sanctus, Regem deserere decernit, & Barcinonam repeterè, timens eius peccato inuolui. Resciuit id Rex, & sub pœna capitis edicto sanxit, ne quis eum transueheret. At ipse Diuino spiritu impulsus, cappam super mare extendens, præmisso Crucis signo, in altum eleuat loco veli; sicque ex Insula illa soluit, & spiritu Dei flante, 160. milliaria absoluisse dicitur sex horis: Et Barcinonam se appulisse vestibus siccis.

9. *In vita S. Bernardini Senensis cap. 34.* Exierat quandoque S.Bernardinus Senensis cum fratre, vt Mantuæ concionaretur: transmittenda autem ei erat aqua, vrbem illam attingens, rogauit nautam quemdam, vt causa Dei ipsum traduceret, Nauta mercedem à Deo expectandam negligens, naulum exegit. Bernardinus ait, se Dei amore facultates suas omnes contempsisse: iterumque orat, vt pro Dei amore ipsum cum socio transuehat. Recusat nauta, & dicit, etiam si omittenda tibi concio sit, ego te in nauim meam non recipiam. Sentiens vir Dei non posse se, hac via traijcere in vrbem, palliolum suum expandit super aquas, primusque ipse calcat illud, socius sequitur; atque ita ambo flexis genibus, oculis & manibus in cælum sublatis, diuinam iugiter implorantes opem, in alteram aquarum partem, sine vllo metu, & cura incolumes euasere, cum nauis necdum medium esset emensa spatium. Postquam autem terram attigit Bernardinus, nulla visus est aspersus aqua, nec pallium madefactum.

10. *In vita S.Viuentij Presbyteri Vergiaci in Burgundia apud Bollandum 13. Iannuarij*. S. Benedictus Episcopus de Samaria, cum S.Viuentio nauem conscenderant, naufragioque perculsi, S. Benedictus cum filiolo suo ad litus peruenit. Ibidem non inuentis comitibus, cum ad eos progredi vellet, voce diuina confortatus, expanso supra mare pallio, muniens se Crucis signaculo, ascendit super illud cum suo filiolo, habens Gubernatorem omnium Creatorem; atque recto tramite peruenit ad locum, quo nauis sodalium detinebatur à gurgite.

11. *Arnoldus Rayssius in Hierogazoph. Belg.* Beatus Ioannes à Capistrano Minorita, cum Beato Iacobo Piceno, cum Padum traijcere vellent, & à portitore pertinacissimè repellerentur: quòd pecunia carerent, quam pro naulo darent, in diffusum super vndas pallium conscendere, & in alteram ripam, non sine auari stupore portitoris, diuina ope tutò translati sunt.

12. *Idem eodem libro*. Beatus Ceslaus Odrouansius Ordinis Prædicatorum, tutelaris patronus Silesiæ, cùm trans Viadrum, verbi diuini causa properaret; reperijssetque effuso alueo nautas à traijciendo obuios absteruisse, prorsusque depulisse: mox spe in Deum incensus, cappa sibi detracta; ac super Viadrum expansa, Crucis signo munitus, vesti institit; sicque nullo madore perfusus transfretauit.

13. *Idem eodem libro*. Beatus Ioannes Agnus Ordinis sancti Dominici, cùm tempestatis iniuria, nauem, qua pagum Elsdicannum in Zelandia appelleret, in quo concio ei habenda erat, conscendere non posset; Deo inuocato, cappa, nauigij loco vtens, flumini rabido, Canis dicto, se se commisit.

14. *In menol.Cisterc.4.Iunij de B.Hilario Conuerso*. Dum aliquando in agro, more Conuersorum, operaretur, & Cœnobium repetere cogitaret, ad flumen Ezlam redundantibus aquis præterfluens peruenit, nullaque Cymba, qua trans amnem veheretur, conspecta, Crucis signo munitus, extensoque pallio aquam tegens, flumen illud altissimum, ac rapidissimum incolumis traiecit, quòd non semel ei accidisse fertur.

15. *Ex. m. s.* Cum B.Albertus, cuius corpus requiescit Cremonæ, semel à S.Iacobo Gallæciæ, ad quem peregrinatus fuerat, rediret, flumen transigere cogebatur, à nautisque propter eius inopiam respuebatur; tunc ipse, pallio super aquas exposito, omnibus admirantibus, super ipsum, ceù in tutissima naui, flumen traiecit.

16. *Colganus in vita S.Fanchea Virginis.* Cum S. Virgo ad videndum in Britannia fratrem Endæum simul cum tribus puellis progredi statuisset, ad mare peruenerunt; nauemque vbi transfretarent non inuenientes, pallium suum S. Fachea super mare expandit, atque confidenter super vndas siccis pedibus ambulauit, & credens in Christo cum suis sodalibus in eodem pallio securè sedit: & cum flante ad voluntatem earum vento veherentur per mare, subitò fimbria pallij, quo vehebantur, sub vndis mersa est. Dixit tunc S.Fanchæa ad socias: O sorores charissimæ date gloriam Deo, & confitemini peccata vestra: quia propter peccatum, quod aliqua ex vobis peccauit, pallium nostrum in parte

te

re submergitur. Tunc illa, quæ æneum vas de monasterio tulit secùm, confessa est, se mandatum senioris transgressam esse, in portando vasculo illo contra præceptum. Et accipiens ipsa vas de manu puellę, proiecit illud in mare: quo facto, lacinia pallij super vndas ascendit, & sic prospero cursu ad optatum portum Britanniæ peruenerunt.

17. *In Chron. S. Augustini*. B. Hieronymus Recanatensis Ordinis S. Augustini, cum ad reconciliandos animos ciuium Firmi, & Asculi progrederetur, transitusque ei à rapidissimo flumine impediretur, extenso super aquas pallio, velut cymba, siccis plantis ad alteram ripam diuinitùs pertransijt.

18. *Vadingus an. Minorum an.* 1448. *de Petro Regalato*. Dùm ex cœnobio Aquileræ profectus, panem per vicos collecturus in mense Decembri, & ex Azæ vico per fluuium Riazæ rediret, strato super excrescentes aquas pallio, simùl cum iumento, clitellis onusto, securè transiuit.

19. *In Martyr. Gallic. in append. de* Ioanne *Burgense Ord. Minor.* Diuinæ virtutis prodigijs tàm in vita, quàm post mortem illuxit. De hoc scriptis proditum est, constitisse apud omnes, cùm Ligerim transgredi vellet, aditurus Montembrisonem, negante nauiculario vsum raticulæ, quòd naulo careret, expanso super aquas pallio, super quod manus in crucem duxerat, insedisse cum socio, sicque fluuium feliciter traiecisse.

20. *Zachar. Bouerius in Annal. Capucc.* 1552. *de F. Matth. à Bascio*. Hoc quoque in itinere, cùm altum quendam gurgitem, viam intersecantem, obuium haberet, illum nullo negotio, aut periculo, signo tantùm Crucis adhibito, siccis vestigijs pertranseuntem cernunt. Postremò, cum ad Padum, notæ magnitudinis, ac profunditatis fluuium peruenisset, nec vlla ibi nauicula ad vehiculum deseruiret; extenso super aquas pallio, Flumen celerrimè traijecit. Neque id semel. Nam & antea, cum Ioannem Fanestrem ad Venetos proficiscentem, per aliquod itineris spatium comitatus fuisset, eodem quoque Pallij sui nauigio Padum traiecisse ferunt. Demùm hoc tempore, cùm Leniacum appulisset, quæ Arx est, Athesis Fluminis rapidissimi vndis proluta, nullo ibi nauigio reperto, quo Flumen transmearet: post breuem orationem, strato pallio, perinde ac nauicula vsus, in alteram Fluminis ripam concessit.

21. *Ibid. an.* 1552. *de eodem F. Matth. à Bascio*. Cùm Venetiarum desiderio teneretur; à Nauta, qui eò nauigationem parabat, se deferri postulat. Nauta verò, cum Clarissimorum, qui Matthæum ab Vrbe expulerant, indignationē metuens, illū vehere recusaret. Matthæus, qui se à Deo Venetias reuocari intelligebat; pallio, quemadmodum aliàs agere consueuerat, sibi super vndas substrato, Venetias adnauigat: quem Populus, cùm nouo illo, ac miro modo Maris vndas sulcantem conspiceret; omnes communi applausu, ac lætis clamoribus, quibus venienti acclamabant: En Pater Sanctus, En Pater Sanctus, in litore excipiunt.

Naues super aquas sine remige, solo Deo Gubernante, mouentur. §. 6.

NOn minorem admirationem causarunt motus, quos Naues quandoque absque remige, & Gubernatore super aquas ordinatè habuere; aquæ enim, ceù ratione præditæ, naues, Seruos Dei, vel eorum exuuias ferentes, mirabiliter regere, adque optata litora defere visæ sunt. De quibus.

1. *Petr. de Natalibus lib.* 6. *cap.* 160. *de S. Fantino Confess.* Cùm à Stradichone Capitaneo quæreretur, vt dijs immolaret, Angelico monitu, nauem sine remo conscendit, & per Pharum in mare exiuit; nauesque paganorum se insequentes, oratione fusa, immobiles fecit. Ipse verò fugiens, metropolim Regiū, Angelo duce, applicuit, vbi aquam sibi à matrona porrectam in vinum conuertit.

2. *Idem lib.* 8. *cap.* 75. *de S. Maurilio Episcopo*. Dùm in portu Lydi fluminis cum quibusdam transire vellet, nec nauem haberet, nauiculæ quædam ab alia parte fluuij positæ, sino aliquo ductore, ad eum peruenerunt, & ipse cum omnibus Angelico ducatu transiuit.

3. *Idem lib.* 8 *cap.* 38. *de S. Bertino Abb.* Sanctus Bertinus aptiorem sibi, Deo seruiendi locum requirens, Dei se dispositioni committens, nauem ascendit; & Angelico ductu, sine remo vel remige contra ictum fluminis vsque ad locum à Deo prouisum deuenit: vbi de bonis sibi collatis ad Adoaldo, monasterium nomine Schytim in honorem Apostolorum Principis construxit; ibique Monachorum multitudinem congregauit, quibus & Deo seruiens laudabiliter profuit.

4. *Idem lib.* 9. *cap.* 74. *de S. Magnobono Episcopo*. Quadam vice dùm flumen cum socijs vellet transire, nauem conspexit ab alia parte fluminis ductore carentem: sed, dùm orasset, nauis sine remige super flumen ad eum venit, & ipsum cum Socijs sine vllo gubernante transuexit.

5. *In offic. S. Eusebij Episcopi Vercellensis*. Mediolanum, & si multa se ibi passurū prænosceret, accedere decreuit: quem in itinere apud flumen quoddam positum, nauis in altera parte existens, & eo iubente, ad illum sine gubernatore veniens, cum socijs traiecit.

6. *In actis S. Marthæ*. Comprehensa à Iudæis cum alijs Christianis, in nauem sine velo ac remigio imposita est, vastissimoque mari ad certum naufragium commissa; Sed Nauis, Deo gubernante, saluis omnibus Massiliam appulsa est.

7. *In vita S. Francisci cap.* 12. Quodam tempore, cùm famulus Dei Caietæ semel prædicaret in litore, turbis irruentibus vt eum contingerent, Christi seruus in vnam nauiculam prosilijt; illa tamquam si rationis particeps moueretur motore intrinseco, sine aliquo remige se à terra protraxit, cum iam secessisset, stetit inter fluctus quamdiù Vir S. prædicauit, quo finiente, nauicula iuit ad litus.

8. *Io. Colg. de S. Lumano Episcopo* 16. *Februarij*. Nauis nemine gubernante contra fluuium, & ventum

tum ad votum Viri Dei velicauit, & ab ostio Boinn fluminis, vsque ad Athtrym, cursu prospero illum transuexit.

9. *In lib. mir. ac. S. Maioli num. 12.* Quidam reuertentes ad propria, post orationis vota ante Sancti Maioli sepulchrum peracta, mirabilem, & iucundam in suo itinere viderunt eiusdem Sancti virtutem. Nam quodam die Dominico peruenerunt ad quemdam Ligeris portum, vbi diù multumque expectantes manserunt, rogantes nautas vt adducerent eos, at nautæ petitionem non curarunt audire eorum; Vnde dùm nomen Sancti Maioli inuocant, diuino nutu nauis à loco suo mouetur, & ad ripam, in qua consedebant, peruenit. Quod videntes, Deo gratias reddiderunt, & in naui intrantes, ad optatam litus peruenerunt sine terreno remige, & sine terreno ductore.

10. *In vita S. Francisci Xauerij lib. 5. cap. 2.* Scapham Lusitanæ nauis Sinas petentis, in qua erat Franciscus, violenta tempestas abstulerat, tanto impetu, vt momento penè temporis omnium conspectum effugeret; post aliquod verò tempus, vt prædixerat Xauerius, apparere cœpit; vt autem in conspectu omnium fuit, confestim ad eam excipiendam nauis in obliquum statuitur, & illa, Deo ducente, rectà ad onerariam tendit, aduentanti alacres nautæ funem eminùs inijcere parabant, cum Xauerius nihil fune opus est, inquit; idque, omnibus miraculo attonitis, ita euenit, & per se applicuit, vt miseri illi commodè exciperentur; quin etiam in medijs fluctibus, retinente nemine, tandiù stetit, quoad religaretur ad nauem, vt satis appareret eiusdem, cuius adducta foret, precibus retineri.

11. *In vita S. Henrici Eremitæ in Anglia ap. Ioan. Boll. 16. Ian. cap. 1.* Cum peregrinationis gratia Dunelmum proficiscens, cymbam, qua VVere flumen transire posset, paratam non inueniret; fusa ad Deum prece, nauicula, resoluto, quo ligabatur funiculo, ab altera ripæ parte, ad litus, in quo sedebat, applicuit, quam cum socio quodam intrans, sine remige confestim transductus est.

12. *In vitis Patrum lib. 1. de S. Hilarione cap. 34.* Cùm inter Maleas & Cytheram piratæ, derelicta classe in litore, quæ non antemna, sed conto regitur, duobus haud paruis myoparonibus occurrissent;& denuò hinc inde fluctus occurrerent, remiges omnes, qui in naui erant trepidare, flere, discurrere, præparare contos, & quasi non sufficeret vnus nuntius, certatim Hilarioni piratas adesse dicebant. Quos ille procùl intuens, subrisit. Et conuersus ad discipulos, dixit: Modicæ, inquit, fidei, quare trepidatis? Nunquid plures sunt hi, quàm Pharaonis exercitus? tamen omnes Deo volente submersi sunt. Loquebatur, & nihilominùs spumantibus rostris, hostiles imminebant carinæ, iactu tantùm lapidis medio. Stetit ergo in prora nauis, & porrecta contra venientes manu: Hùcusque, ait, venisse sufficiat. O mira rerum fides? statim resiluere nauiculæ, & impellentibus contrà remis ad puppim impetus redit. Mirabantur piratæ, post tergum se redire nolentes, totoque corporis nixu, vt ad nauigium peruenirent laborantes, velociùs multò, quàm venerant, ad litus ferebantur.

13. *Constantinus Porphyrogenitus de sacræ Imaginis Redemptoris translatione Edessa Constantinopolim, hæc habet apud Baron. an. 944.* Egreditur è ciuitate Effigies pretiosissima, & epistola à Deo scripta, & hùc afferebatur. Et viam quidem conficientes ij qui ea ferebant, peruenerant ad Euphratem, & rursùs tumultus excitatur nullo priorum minor, Edessenis dicentibus, quòd nisi diuinitùs ostensum fuerit signum aliquod, nullo modo dimittent id, quo continetur omnium securitas. Datur ergo eis signum, cum essent infideles, & tentarent: Nauis enim cum qua erat ijs propositum transmittere Euphratem, cum adhuc esset in portu à partibus Mesopotamiæ, vbi eam solum ingressi sunt Episcopi diuinam Imaginem afferentes, & epistolam, cum seditiosi tempestate adhùc retinerentur: repentè sine remigibus, sine eo qui gubernaret, aut traheret, appulit ad terram, quæ erat ex aduerso, gubernata sola diuina potestate. Quod quidem omnes qui conuenerant stupore impleuit, & admiratione, & persuasit, vt non inuiti concederent emissionem.

14. *In actis S. Odonis Abb. Clun.* Quodam tempore dum Rhodani alueum nauigio transiret, comitantibus eum optimatibus regionis illius, contigit, vt vnus equus alium vellet calce percutere, ictum ferientis tabula nauigij excepit, illo videlicet loco, ex quo ramus fuerat, cum dolaretur abscissus, mox euulsus vertex, tanta per foramen inundatio ingressa est aquæ, vt subitò repleretur nauis vsque ad superficiem; sic tamen plena, Deo gubernante, ad aliam peruenit ripam, etenim vsque adeò Pater noster intrò stetit, quò omnes fuissent egressi; ad postremùm cum ille fuisset egressus, nauis abijt in profundum; qua in re videlicet cuius meriti vir iste fuerit, perspicuè claret, qui hoc suis obtinere valuit precibus, quod priùs meruerunt Petrus, & Paulus, deinde B. Pater Benedictus.

15. *S. Anton. 2. p. Chron. tit. 13. cap. 6. §. 1. de S. Pharone Episcopo.* Die quadam Pontifex Sanctus egressus est vrbem gratia orandi, ad Oratorium S. Remigij. Dumque ab oratione surgeret, subitò flebilis clamor auditur, fremitusque lugentium, & heu ingeminantium. Refertur ei nauis demersa medijs fluctibus, plena grandi populo; Episcopus ascenso ponte, fit pronior frigida humo, & humilem vultum deijcit vsque ad frigidam terram, vix hora media orauerat, & flumen baculo, quem dextra tenebat, tangitur. Mirum dictu, ecce videres nauim depulsam relabi in summum, non stridente vllo, rudente nec secante remigio, & cunctos demersos referri.

16. *Nicephorus Calistus de translatione Reliquiarum S. Ioannis Chrysostomi.* Postquam itinere confecto, in litus ex aduerso Constantinopoli ad Calcedonem cum reliquijs S. Viri peruenere, transijt eò Imperator, & Senatus Imperatorius, transijt etiam Patriarcha, & Iudices, Magistratusque omnes, deinde generis, & ætatis homines omnis, per fretum in mari perinde atque in continente vaden-

dentes, & ad Propontidem, os Bosphori ardentibus funalibus tegentes, sacrum tumulum Imperatoria triremis excipit; tum sanè miraculum quoddam edidit Deus, prodigijs, quæ vnquam visa sunt, longè maius. Cum enim certa, & constans esset in mari tranquillitas, repentina subitò exorta est procella, & naues innumerabilis illius classis, aliæ aliò diuersæ saluti suæ consulentes dispersæ sunt. Ea autem, quæ sacrum illud pondus, & præclarum thesaurum vehebat Imperatoris triremis, funibus de repertè ruptis, veluti diuina gubernata manu, ad viduæ agrum appulit, viduæ, inquam, illius, propter quam sponsa Christi Ecclesia pastore tanto viduata fuerat. Et rursùs post mortem quoque iusto iudicio legitimam ille tulit sententiam, agrum viduæ auctoritate sua attribuens, atque confirmans: Deo nimirùm magnum illum glorificante, & iniquum exilium eius apertè deprædicante; & quoad eius fieri potuit, petram nauis discidit. Quod miraculum hodie quoque cernitur, & egregij illius ardorem eximium, quouis præcone clariùs attestatur: hoc vbi factum est, serenitas rursùm aduenit, & naues aliæ aliunde collectæ, cum apparatu, & comitatu maximo, carminibusque debitis, Virum Sanctum producentes, in Vrbem imperantem deportarunt.

17. *Victor de Persecut. Vuandal. lib. 1.* Episcopum Carthaginensem, Quod-vult-Deus, Hunericus Rex Vuandalorum cum maxima turba clericorum nauibus fractis imponi iussit, nudos, & expoliatos; sed hi Dei miseratione prospera nauigatione, Neapolim Campaniæ Ciuitatem perducti sunt.

18. *Ex lectionibus Breuiarij Ecclesiæ Capuanæ.* Cum S. Vitalianus eius Ecclesiæ Episcopus, ab impijs persecutoribus missus in corium, in mare iactatus fuisset: Remigante pro illo Dei prouidentia, peruenit in portum Romanum, sanus, & integer.

19. *Socrates lib. 7. cap. 36. de Syluano Episcopo.* Nauis oneraria planè maxima, quæ vulgo πλατὺς ob latitudinem vocabatur, in qua ingentes vehebantur columnę, nuper in litore Troadis fabricata fuerat. Hæc cum in mare traducenda esset, & magna hominum multitudo cum multis funibus eam trahere conaretur, nec commoueri quidem potuerat. Vbi istud dies complures factum fuit, putabatur nauis à dæmonio detineri: Itaque Syluanum Episcopum adeunt, rogant, vt preces in eo loco faciat: nam eo pacto solùm nauem posse in mare protrahi credebant. At ille modestè de se ipso prædicans, se peccatorem appellauit; dixitque illud non sui, sed alicuius iusti esse. Verùm vbi acriùs instabant, venit ad litus, preces ibi Deo fundit, funem vnum manu apprehendit, iubetque alios opus aggredi. Huius igitur leni pulsu agitata, in mare raptim fertur. Hoc miraculum à Syluano editum omnes illius prouinciæ incolas magnopere ad pietatem incitauit.

De his etiam alia notabuntur in §. 10. cum de reuerentia Aquarum sacris Reliquijs habita.

Aquæ inundantes, in proprium alueum, siue aliò, subitò redire mirabiliter coguntur. §. 7.

INundantium fluctuum præcipitem compescere cursum, illius solius est, qui legem posuit aquis, ne transirent fines suos; insoliti igitur, vel ad proprium alueum præcipitantium fluminum recursus, vel eorumdem agros deuastantium, subitò aliò translationes, non nisi Admirandi diuinæ potentiæ effectus censeri possunt. De quibus.

1. *Vincentius in Spec. Hist. lib. 10. cap. 54.* Omni anno anniuersaria die obitus S. Clementis Papæ & Martyris, mare septem diebus iuxta Ciuitatem Crisonam per tria milliaria recedebat, siccumque præbebat iter: & expleto festo regrediebatur.

2. *Petrus de Natalibus lib. 1. cap. 59. de S. Sauino.* Dùm quadam die Diaconus S. Sauini Episcopi Placentini eidem nunciasset, quòd Padus fluuius alueum suum egressus, agros Ecclesiæ occupasset; iussit Sauinus Diacono, vt ex parte sua Pado mandaret, quatenùs se compesceret, & ad alueum suum rediret; quod Diaconus audiens, & despexit, & derisit. Episcopus autem aduocato Notario, eidem dictauit epistolam, dicens. Sauinus Iesu Christi seruus, Comonitorium Pado: Præcipio tibi in nomine Domini nostri Iesu Christi, vt ab alueo tuo in locis istis vlteriùs non exeas, nec terras Ecclesiæ lædere præsumas. Quod scriptum per Notarium in aquam fluminis proijci iussit. Moxque se à terris Ecclesiæ fluminis aqua compescuit, & ad alueum proprium redijt.

3. *Ferrarius in Catalogo S. S. 8. Iulij.* Cum Padus flumen aggeres egressus, etiam Vrbi Ferrariensi vastitatem minaretur, illum S. Ioannes Ranellus Episcopus Ferrariensis oratione, & præcepto (quod scriptum in aquam proiecit) in locum suum redire statim coegit.

4. *In vita S. Seuerini Noricorum Apostoli 8. Ian. apud Bolland.* Quintanis appellabatur secundarum municipium Rætiarum, super ripam Danubij situm; huic ex alia parte paruus fluuius Quintana nomine propinquabat. Is crebra inundatione Danubij superfluentis excrescens, nonnulla castelli spatia, quia in planum fundatum erat, occupabat. Ecclesiam etiam loci eius mansores extra muros ex lignis habuere constructam, quæ pendula extensione porrecta, defixis in altum stipitibus sustentabatur, & furculis, cui ad vicem soli tabularum erat leuigata coniunctio, quam quotiès riuus excessisset, aqua superfluens occupabat. Quintanensium itaque fide S. Seuerinus illùc fuerat inuitatus, vbi cum tempore siccitatis venisset, interrogabat, cur tabulata nudatis obstaculorum tegminibus apparerent. Accolæ responderunt, quòd frequenti fluminis alluuione, quicquid fuisset super stratum, continuò laberetur. At ipse, sternatur, inquit, super tabulata in Christi nomine nunc pauimentum: nam videbitis amodò fluuium cælesti iussione prohibitum. Pauimento itaque perfecto, ipse vir Dei accepta securi subter descendens, postes facta oratione percussit, atque

atque ad aquam fluminis, venerandæ crucis expresso signaculo, dixit, non te sinat Dominus meus Iesus Christus hoc signum Crucis excedere. Ex illo itaque tempore cum ex more fluuius creuisset in cumulos, ambissetque viciniam, quam solebat, ita spatijs Ecclesiæ erat inferior, vt nunquam Sancti patibuli signaculum, quod impresserat homo Dei prorsùs excederet.

5. *In actis S.S. Feb. tom. 1. in Contin. Bollandi*. Quodam tempore fluuius Bauthegius, qui ex alpibus Penninis descendit, & Ciuitatem Augustæ Prætoriæ ex orientali parte circumcingit, tanta creuit magnitudine, vt muros ciuitatis vallidissimo cursu arctaret, inuaderet agros, vineas, camposque, & prata repleret arena, & petris, ita vt homines, qui ibidem aderant, penè cum ipsa vrbe periclitarentur. Hæc videns S. Vrsus presbyter, orauit ad Dominum, vt tot calamitates auertere dignaretur. Et ecce peracta oratione eadem hora fluuius ipse ad alueum suum reuersus est, vt videretur quidem quasi nec vna vnda extra ripas suas fuisse egressa.

6. *Ionas Scotus in vita S. Attalæ Abbatis*. Cum Bobius fluuius, proprio relicto alueo, agros vndique deuastaret, vocatur Sinoardus, venit ad virum Dei. Cui Beatus Pater Attala ait: Apprehenso baculo, quo sustentor, vade ad Bobium imperantisque voce dicito ei, signo Dominicæ Crucis prælato, vt istas desinat perfodere ripas, nec præsumptæ, audaciæ modum suppleat: sed ad alia cedens litora, ista sinat illæsa, imperijsque Domini se agnoscat cessurum. Tunc Sinoaldus Diaconus, imperio Patris obediens, cum fidei adminiculo pergit: impositoque ripæ baculo, imperat fluuio ex viri Dei præceptis, annuente Diuina potentia, ab illo loco citiùs promoueri, aliaque collis latera violento conatu petere. Mox obediens fluuius, relicto alueo, collis ad latera cedens, fluendo per ardua veluti strictis ripis latices sustentabat, quousque concaua aluei paterent, quo sustinente liquidò fluerent: iamque prorumpens Sol, mundo vt lumen panderet, surgebat, cœpitque Sinoaldus intra semet ipsum cogitans dicere: vadam, & videbo, si viro Dei violenti fluctus obediant: venitque ad ripam aluei, vbi steterit priùs pleno tunc fluctu, & cernens iam subitò vacuum litus, spectabat qualiter ad alterius collis latera ex imperio Patris cederet, vt sibi alueum quo fluere posset, aperiret. Festinusque ad virum Dei venit, partæque victoriæ trophæum nunciauit. Cui vir Dei, nullatenùs, inquit, me in hoc sæculo viuente vlli dicere præsumas, proculdubio ne fauor adulatorum corda plena virtutibus macularet.

7. *In actis S. Theodori ap. Baron. an.* 821. Fluuius est Ptelecensem agrum percurrens, qui agresti vocabulo dicitur Onopnictes, ob eam opinor caussam nomen id sortitus, quòd multa eius generis iumenta, nempe asinorum, suis vndis absorbeat ac præfocet. Is non rarò intumescens, exundantesque fluctus alueo effundens, non solùm armenta, aliaque animantia rapit, sed totum fere Ptelecensium agrum cum incolis nonnunquam obruit, ac penitùs deuastat. Cum igitur eò aduentantem aliquando Sanctum incolæ vidissent: pari omnes studio preces obtulerunt, vti calamitatem hanc eximere vellet, quam perniciem ruinamque suam appellabant, quaque perseuerante, iniucundam sibi fore vitam ipsam affirmabant. Quorum vota nullo momento differens, festinat ad fluuium Theodorus; Vespertinos hymnos Deo persoluit, Crucem signo efformatam in ripa, quæ exundare solabat, defigit: Quam ex eo tempore contuens fluminis cursus, nunquam effluens, suos alueo fluctus compescuit, nec damnum ampliùs vllum intulit elluuione.

8. *Surius de eodem S. Theod. 22. Aprilis*. Cum Siberis amnis, qui propè Monasterium fluit Sicæorum, sata, atque adeo agros ipsos auferret, vir Sanctissimus accessit, fluuioque præcepit in Christi nomine, vt in alueum suum rediret, nec agris ampliùs appropinquaret, ligneaque Cruce defixa, & precibus fusis, impetum eius repressit.

9. *Idem de eodem*. In Caria fluuius, qui dicitur Copas, exundans, domos deijciebat, & omnia paulatim euertebat. Quare Christi seruus incolarum precibus adductus, illuc se contulit, & adhibita precatione, ad fluuij ripam, intra quam cum paruus esset solebat contineri, Crucem statuit; Deique gratia, & sancti viri precationibus factum est, vt quamuis solito etiam magis excresceret, nunqum tamen terminum, Cruce definitum, transierit, neque incolarum loca suffoderit.

10. *Sylos in Hist. Cler. Reg. par. 2. lib.* 8. Anno 1622. Octobri mense ineunte, ab assiduis imbribus, atque ventorum vi vsque adeo Padus intumit, vt nihil propiùs esset, quàm vt per disiectos aggeres effunderet se se latè, ac Guastallam miserabili eluuione mergeret; iamque minas suas ad mœnia horrendum in modum admurmurabat. Fusæ publicæ ad Deiparam, quæ in nostra Ecclesia colitur, preces: Nec mora: aquarum moles, quæ petere Guastallam videbatur, Gualterium, quod Mutinensis Ditionis oppidum est, incubuit: reflante nimirùm fauore Virginis, quæ aliò flumen, eiusque impressionem fecit.

11. *In vita S. Patritij cap.* 88. Beatus Patritius quodam tempore, dùm quendam Magnatem, nomine Cartanum, & vxorem eius abluisset salutari lauacro, indicauit mulieri, eam habere filiam in vtero, quam ipse velaturus esset, & in virginitate consecraturus Cælesti Sponso. Tempore constituto peperit fœmina filiam, quam baptizantes nominauerunt Treham, quæ decennio completo, caussa consecrationis suscipiendæ, iter arripuit veniendi ad Sanctum Patritium; sed propositum peruentionis præpediuit stagnum interpositum. Fatigata igitur, & anxiata in ripa residebat, locumque, in quo Sanctus Pontifex fuit, à longè oculo ac animo sitibundo aspiciebat. Præsul Sanctus, Sancto spiritu reuelante, iter Virginis, & desiderium agnouit, factaque oratione à loco illo stagnum amouit; sicque cum suis siccis vestigijs pertransiens ad illam peruenit.

12. *Ibidem cap.* 110. Quodam tempore quidam fra-

fratres gratia visitandi Sanctum Patritium, viam carpebant itinere pedestri per arenosa loca litoris marini, vt venirent ad ipsum. Cumque simùl pergerent, & incedentes, sermocinarentur; ecce maris accessus illos circumclusit, spemque euadendi adimens, cunctis formidinem mortis incussit. Sanctus verò Patritius diuinitùs edoctus, angustiam aduentantium agnouit, agnitam discipulis præsentibus indicans, se compati tribulatis dixit. Deindè prece præmissa, præcepit potenti virtute verborum, in nomine Domini Dei sui, reumati maris, vt quantociùs recederet, ac filijs suis se visitantibus liberum transitum, & quietem exhiberet. Obediuit continuò mare voci viri Dei, & recessit, sicque cœtus ille fratrum lætabundus, & laudans Deum ad Patrem Patritium peruenit, & super tanto miraculo narrato, cunctorum audientium corda in laudem Dei mirabilia in Sanctis suis operantis, resoluit.

13. *Ibidem*. Alia vice, cùm Stagnum S. Muni ob regalem inibi habitationem molestiæ esset, facta oratione à S. Patritio, illud cum habitaculis, & habitantibus in eo, tàm remotè transtulit Dominus, vt nullam molestiam, aut grauamen inde sustineret seruus Dei.

14. *Ibidem*. Alio tempore, dùm in Emphthor Oppido moraretur, aquæ in sentina excresenti, tres digitos intinxit, ac stans in sicco præmissa oratione, ter quasi alluuionem aquæ in modum Crucis respersit, & sentinæ, vt quantociùs recederet in nomine S. S. Trinitatis imperauit; mira res continuò cursu refluo exundatio illa tota recessit, & siccitas redijt.

15. *Cesar Franciottus in vita S. Frediani*. Cum in Monasterio, cui præerat S. Fredianus in Hibernia, deficiente aqua, longiùs cogerentur Monachi frumentum deportare ad molendum; iussit S. Abbas ædificari Molendinum, inde ad locum, qui erat trans montem proximum monasterio accedens, precibus à Deo impetrauit, vt repentè apertus in duas partes mons, liberum aquis præberet ad Molendinum progressum; At quia nimia copia aquæ tota terra obruebatur, iterùm montem claudi, relicto solo in medio canali, per quem necessaria aqua ad molendinum flueret, à Deo impetrauit.

16. *Ioannes Seuvranus in Selectis aureis*. Accidit quandoque vt Catharina S. Brigittæ filia Romæ manente, Tiberis tanta existeret inundatio, vt Romani, Vrbis excidium vererentur. Itaque habito consilio, aduolant ad S. Catharinam, orant vt ne grauetur cum ipsis descendere ad insanientem fluuium, suas preces illi oppositura. Illa cum lachrymis negat, se indignam arbitratam. At Romani, eam, vel inuitam tollunt, & è domo exportatam, sæuientibus vndis obijciunt. Mox vt illa aquas pedibus attigit, eæ retrorsùm abiere suum alueum repetentes.

17. *In vita S. Mochuæ cap. 2. apud Bollandum*. Fobariæ Oppido Mithiæ extructum fuerat Molendinum, ad cuius tamen motum aqua deficiebat; tunc S.S. Fechinus, & Mochua ad Leuinnum lacum, bis mille circiter passus distantem, proficiscuntur, aquam, quam artifices illùc naturaliter decurrere posse impossibile iudicabant, Dei virtute, ad molas deducturos sperantes. Eò igitur, cum Dei serui peruenissent, Mochua baculi cuspide lacus ripam, molas versùs, leuiter perforat: idem Fechinus, Sacerdotesque faciunt. Extemplò, per transuersum montem aqua subter terram mirè delata, non procùl supra molas magna vi prorumpit. Vnde præcipiti casu ruens, rotas rapido impetu circumducendo, catillum super metam voluit.

18. *In vita S. Aedi Episcopi*. Erant passim latrones in insula in medio stagni, qui multùm per circuitum nocebant: & volebat Sanctus Episcopus eos inde expellere, & non potuit: quibus dixit: Stagnum illuderit mihi obediens; & sequenti nocte illud stagnum de suo loco in regionem Connactorum exiuit, & stetit ibi in quodam Campo, & vocatur Lochna-hoidhche Scoticè, idest, stagnum noctis: eo quod in nocte venit illùc.

19. *In vita S. Gregorij Thaumaturgi*. Lycum fluuium perniciosè agros inundantem, defixo ad ripam, quo sustentabatur baculo, qui statim virentem creuit in arborem, coercuit, vt postea eum terminum non effluxerit.

20. *In vita S. Dominici lib. 3. cap. 5.* Admisit in sodalitatem suam Beatus Dominicus iuuenem pulcherrimum, Henricum nomine, genere quidem nobilem, sed moribus nobiliorem, ciuem Romanum. Id indignè ferentes propinqui eius, cum è cænobio extrahere nitebantur. Ea re animaduersa, vir prudens Dominicus, adiunctis ei itineris socijs, ad aliud cænobium eum misit. Iam flumen iuxta viam Numentanam transmiserant, & ecce cognati eius, vt eum rapiant, ad alteram fluminis ripam adsunt. Nouitius, Deo, & Beati Dominici meritis se commendat, vt ex illorum manibus eripiatur. Mox, iubente Deo, intantùm excrescit aqua, vt eam illi persecutores equis transire non possent. Id vbi viderunt, admiratione perculsi, abierunt, nihil molestiæ deinceps iuueni inferentes. Fratres id animaduertentes, redeunt ad fluuium, qui iam ita detumuerant, vt liberum illis transeuntibus iter præberet.

21. *In Hist. Ecclesiast.* Fridolinus Viator, cum Insulam Rheni, vbi nunc Saccingum Oppidum est, à Clodoueo Rege Gallorum dono accepisset, & post Regis mortem incolæ rursùs tumultuarentur, precibus à Deo Rhenum miraculosè à dextro in sinistrum alueum deriuauit, vt sibi contra Ethnicos propugnaculum fieret. Quo miraculo incolas conuertit.

22. *In vita S. Kentigerni Episcopi apud Bolland. 13. Ian.* Rex Cambrensis verba viri Dei non ferens, sic respondit. Si confidens in Deo tuo, absque humano suffragio, omnia blada, quæ cernis in horreis contenta, ad mansionem tuam transferre poteris, libenter annuo, & postulationibus tuis de cætero deuotus obtemperabo. Sanctus autem Dei eleuatis in cælum oculis, & manibus, orationem cum lachrymis fudit ad Dominum. Et ecce eadem hora fluuius Clud subtùs decurrens, subitò intumescere, ripas transcendere cæpit, & horrea

Re-

Regis integra cum farre vsque ad locum vbi Sanctus manere solebat, nomine Mollingdenor, secùm traxit. Ita autem illæsa ab aquis omnia inuenta sunt, vt nec arista humecta apparebat.

23. *Bollandus in notis ad vitam S. Fursei cap. 3. 16. Ianuarij.* Cum Sanctus hic ad vrbem quandam, cuius S. Parmedinus Pontifex erat, proficisceretur, concurrit, vt eum benignè exciperet, vis magna populi. Edituus gnarus quem morem Furseus retineret, eius pietati petulanter illusit, at non impunè. Nam cùm ad vrbem appropinquaret Furseus, ille solito maturiùs (sabbatum erat) publicæ precationis, quam Nonam dicimus, signum campanæ pulsu edidit. Furseus cognita diuinitùs malitia, ad fontem consedit, quem S. Parmedinus populo aquæ salubris penuria laboranti elicuerat: Exacto isthic in precibus Dominico die, fontem aliò ad duas leucas auertit, factam Sancto iniuriam vlciscente Deo.

24. *Ibidem in actis S. Notburgæ Viduæ in Diæcesi Constantiensi 26. Ian.* Fontem diuinitùs è terra precibus impetrauerat B. Notburga; sed cum illius aquæ haustus peregrinis ab accolis impediretur, fontem in propinquam siluulam, Deo operante, auertit.

25. *Iacobus Gualla lib. 2. Sanctuarij Papiensis cap. 5. de sancto Gengulpho Martyre.* Inter cætera sua memoranda, dùm vt superiùs commemoraui multa prosperè gessisset bella, & reppetens patriam, recreandi gratia in quodam amæno, & periucundo prato iuxta lucidum scaturientem fontem declinasset, isthùc accessit Dominus prati, cui post multa suaui eloquio dicta, inquit Gengulphus, an sibi fontem vendere vellet, quem aliò transferre intendebat; qui subridens, nullum dedit responsum, gratia ioci id dictum existimans. At Gengulpho magis instante; precio centum solidorum fons venundatur. Cogitans venditor, fontem pariter, & pecuniam se consecuturum, memoria non tenens illud Euangelij, ingentes etiam montes fidelibus imperantibus à loco ad locum transferri. Demùm pretio soluto, in patriam suam venit, quo maiori pace frueretur. Verùm ibi maximam molestiam ab vxore pati cæpit: quotidianis enim iurgijs virum exagitabat, illum exclamans insanum, quòd fontem tanti emisset pretij, & pecunias iactasset ad auras. At iustus Deus, suis semper assistens, hoc miraculi signo seruum suum extollit, & perfidam vxorem confundit; fixerat Gengulphus in humum sibi proximum baculum, & cum discumbere vellet, & aqua deesset ad lauandas manus, inquit familiari, quoniam illotis manibus ad mensam accedere non licet, propera ad effodiendum illum baculum, & ex aqua, quæ indè scaturiet, illicò ad me afferas. Mirabilis Deus in sanctis, & virtutibus suis, quoniam aqua empti fontis tunc ibidem, vbi baculus erat fixus, est habita, & in prato fontis empti exsiccata est.

26. *In vita S. Mochuæ Ballensis apud Bollandum 1. Ian.* Cum de vno loco ad alium iussu eius Magistri progressus esset S. Mochua, fons, qui erat in primo loco, in quo morabatur vir Dei, eum secutus est in forma nubis, stetitque in loco, ad quem mansionem fecit Sanctus.

27. *Baronius an. 365. num. 40.* Cum an. 365. mare vndique efferuescens, terram obrueret, Epidauritani, quo in loco S. Hilarion Abbas tunc habitabat, Sanctum Senem deprecati sunt, vt frementes fluctus, & vndarum moles reprimeret. Quibus gratum facere volens, stans in litore tria Crucis signa pinxit in sabulo, manusque contra mare tendit: & ecce mirum dictu, statim mare in se met ipsum relapsum est.

28. *In vitis P.P. lib. 2.* Misit quidam Patrum, discipulum suum haurire aquam: erat autem puteus procùl valdè à cella ipsorum, & oblitus est portare funem secum. Dùm verò venisset frater ille ad puteum, & cognouisset, quia non portauerat funem, fecit orationem, & clamans dixit: ô Putee, Putee, Abbas meus dixit, vt implerem lagenam istam aqua. Et continuò ascendit aqua vsque ad summum putei, & impleuit frater ille lagenam suam, & restituta est iterùm aqua in locum suum.

29. *Frodoardus in vita S. Theodulphi.* Accidit quadam die, vt sus circa puteum, quo loci huius vicini adaquabantur, deambulans, rueret in ipsum, circumfluentibus vndique Monachis, cum nullus esset, qui pereuntem posset eripere de profundo, præsertim, quia ipse puteus centum pedum ferebatur altitudinis; vir Dei superuenit, factoque comperto, de coinquinatione aquæ, si animal idem ibi moreretur, anxiari cœpit, oculisque ad cœlum porrectis, atque animo cum precibus in Domino fixo, dum Christi suffragia deuotus exposcit, ante pedes ipsius subitò, limpha super os putei redundante, animal illæsum peruenit: videntes cuncti stupore vehementi repleti, gratias egerunt Deo, qui tantam benignitatis suæ gratiam fideli suo contulit seruo.

30. *Bzou. an. 1513. num. 33.* Habebat hoc tempore in Ciuitate Hispalensi quædam aduena mulier, recipiendis hospitibus attenta. Eius filiolus ad putei os accedens, dùm in profundioribus aquis imaginem suam specularetur, eamque apprehendere puerili simplicitate properabat, infælix in puteum decidens, absorptus est. Vidit casum mater; cumque alio modo iuuare non posset, ad B. Mariam Virginem, quæ maximè tunc in Valle, Hieronymianorum cœnobio colebatur, vota vertit, promittens, si infantem saluum, & incolumem illa redderet, domum, quam inhabitabat in Monasterium aliquod conuertere, in quo ampliùs coleretur. Vix vota fecit, cum à diuæ Virginis inuocatione putei aqua supra labrum etiam erupit, atque puerum viuum ac sanum euomit, ingenti multitudine ad spectaculum accurrente.

31. *In vita B. Ioannis Sanfacundi.* In puteum infans ceciderat, Beatus Ioannes Sanfacundus accurrit, cingulum demisit, & ecce creuit statim aqua vsque ad os, exijt statim infans, & Vir Dei, humilitatis amicus, in fugam se dedit.

Aqua,

Aquæ, morbos diuina virtute depellentes.

§. 8.

NOn hic referam fontes saluberrimos, qui ad varias depellendas infirmitates, vel mirabiliter precibus Sanctorum exorti, vel eorundem contactu sanctificati, aquas saluberrimas emittunt; de his etenim cum de fontibus; illas solùm enumerabo aquas, quæ medica virtute diuinitùs prædita, extemporaneas mirabiliter causauere sanitates. De quibus.

1. *S. Petr. Dam. Opusc. 6. cap. 18.* Alius presbyter nuper in his partibus fuit, huius scilicet reuerentissimi viri Gerardi frater, qui nunc præest Monasterio S. Donati in suburbio Immolensis oppidi constituto: & Presbyter ille communis quidem, ac penè sæcularis erat vitæ, sed tantam à Domino consecutus erat gratiam, vt si quis sibi nunciaretur à serpente percussus, mox sanctificatam à se aquam nuncianti porrigebat, vt biberet: qua hausta, tanta protinùs diuinæ virtutis efficacia clarescebat, vt is, qui biberat, tamquam si eum anguis specialiter momordisset, omne vulnerati virus euomeret: & ille, qui percussus fuerat, funditùs veneno vacuus, & totis visceribus humore pestifero defæcatis, liber, & incolumis remearet.

2. *Baronius an. 816.* Cum in Samotracia post multos in carceribus exantlatos labores ad cœlum migrasset Sanctus Theophanes, multis illum miraculis illustrauit Dominus; inter quæ, cum lues inter pecora illius insulæ desæuiret, adeò vt mortua de repente conciderent, aquam illius arcæ admouentes (neque enim corpus audebant attingere) pecora peste laborantia aspergebant & periculo liberabantur.

3. *Petrus de Natalib. libr. primo, capit. 16. de Sancto Albano Martyre.* Dùm semper peregrinari decreuisset, vitam suam per Eremitam conscribere fecit, quam in pyxide locatam ad collum suum alligauit, & abijt; sicque relicto regno factus anachoreta & peregrinus, apud ciuitatem Maguntiam in nemore à latronibus paganis inuentus, dum se Christianum diceret, iugulatus est: corpus quoque in flumen iactatum est, quo, cursu fluminis, ad Molendinum delato, dùm filia militis cuiusdam leprosa se in flumine balnearet, repentè à lepra mundatur: quod dum admirans deferret, in vrbe multi leprosi venientes, & se in amnem tingentes, mundabantur. Et mirantibus cunctis, vnde talem aqua virtutem haberet, perquirentes, corpus Martyris inuenerunt; & reperta pyxide, vitaque ipsius perlecta, Deo gratias agentes, corpus cum honore ad ciuitatem portantes, venerabiliter condiderunt.

4. *In vita Sancti Andreæ Corsini.* Consueuerat vir Dei qualibet quinta feria in memoriam Dominicæ humilitatis pauperibus pedes lauare: Accidit, vt quidam ex mendicis illis Episcopo resisteret, ne pedes eius ablueret. A quo cum causam Andreas peteret, inquit ille, crura mea morbo in putredinem versa, timeo ne Excellentiæ tuæ stomachationem inferant, cui ait Episcopus: Confide fili in Dominum Iesum Christum, & infusa aqua in peluim, pauperis crura lauare cœpit: O rem mirandam, ille crura lotus, statim morbo solutus est.

5. *Ioan. Molan. libr. 3. cap. 11. de S. Gertrude, cuius imago, cum muribus & gliribus pingitur.* Puto huius rei primariam esse rationem, quam à Canonicis Niuellensibus accepi. Illi enim, cum ab eis peterem causam vsitatæ picturæ, responderunt, se à senioribus confratribus audiuisse, ex puteo, qui est in crypta Ecclesiæ, maiores solere aquam adferre, qua cum adspergerent domos suas, & agros, liberabantur à muribus. Sed nunc, addebat vnus eorum, refrigescente multorum charitate, sicut alibi, sic & in nostra Ecclesia cessant miracula.

6. *In vita Beatæ Coletæ cap. 26.* Lauit aliquando manus suas, ministrante illi sorore Margareta Bolhonensi. Eam aquam, qua se lauerat, seruauit illa soror annis septem in vasculo quodam, mansitque purissima: atque etiam crebrò illam bibens eadem soror, multa indè remedia accepit aduersùs corporis, & animæ infirmitates. Quædam nouitia monialis, miserè è stomacho laborans, cùm timeret ea causa, se à professione optata impeditam iri, bibit clàm ex aqua, qua suas manus, ipsa ministrante, Coleta abluerat, perfectèque curata est.

7. *In officio Sancti Marcellini Presbyteri Traiectensis.* Duos quondam viros lepra infectos, potione calicis à se benedicti, statim sanauit.

8. *In actis Sancti Edmundi Cantuariensis Archiepiscopi.* Quidam ardentibus laborans febribus, obnixè petiuit, vt B. Pater aquam benediceret, qua pro recuperanda sanitate, sibi loco antidoti propinaret. Et ita factum est. Sanctus enim Antistes aquam benedixit, quæ cum tetigisset ægrotantis viscera, æger conualuit sinè mora.

9. *In actis S.S. Feb. tom. 1. in contin. Bollandi.* Aqua à se benedicta, quamplurimos leprosos, alijsque infirmitatibus laborantes, illicò sanauit S. Brigida Kildariensis Abbatissa.

10. *Ibidem tom. 2.* Dùm Sanctus Licinius Episcopus Andegauensis parochiam suam prædicando, aliaque opera faciendo circumiret, occurrit illi leprosus, eleemosynam quærens, quem ille misericordia motus, iussit hospitio retineri, omniaquè necessaria suppeditari; totaque nocte pro ipso peruigil Sanctus vir in oratione perstitit; & mane facto fecit aquam benedictam, qua cum proprijs manibus abluens, à lepra sanauit, ac eleganti formæ restituit.

11. *S. Petr. Dam. in vita S. Odilonis Abbatis.* Dùm egressus Roma reuerteretur ad propria, quidam intra Taurinensem Vrbem nimiùm febris patiebatur ardorem. Hic furtiuè per ministros, aquam, qua vir Domini manus abluebat, accepit, fideliter bibit: & sic absque mora, deposita prorsùs omni febricitatione, conualuit.

12. *Pet. de Natal. lib. 1. cap. 44. de S. Romarico Abb.* Dum aliquando se balneasset: eo de balneo egresso, puella leprosa ipsius balnei aqua respersa, confestim à lepra mundatur.

13. *In actis S. Altmanni Episcopi Passauiensis.* Mulier quædam de ablutione manus post missarum sacramenta S. Altmanni Episc. Passauiensis, à plaga lepræ sanata est.

14. *In vita S. Anselmi.* Quidam, infirmos oculos habens, vt legere non posset, aqua eos abluens, qua Anselmus Episcopus Lucensis manus abluerat post missæ sacrificium, sanos habuit, vt legere posset; alius Presbyter eamdem aquam bibens à febre sanatus est.

15. *In vita S. Boniti Episcopi Claromontani in Gallia.* Cum vir Dei regrediens Roma, Clusinam Tuscorum peruenisset in vrbem, mulier quædam cæca, ab eius Ministris petijt, vt aquam ex manibus Sacerdotis pro remedio, vnde oculos sibi ablueret, largirentur; qua obtenta, illaq. oculos cecos lauans, lucem, oculis reseratis, aspexit. Alij etiam ægri eadem aqua mirabiliter sanati sunt.

16. *In Chronico Cassinensi, lib. 2. cap. 92. de B. Io. Apulo.* Ferebatur etiam vir Dei huiusmodi gratiâ præpollere, vt si ex aqua, qua post missarum solemnia manus ablueret, aliquis febribus laborans fideliter sumeret, nullum deinceps in eo febris jus exercere potestatis valeret. Anselmus tunc eidem Ciuitati Episcopus præerat, vir tantæ auctoritatis, atque prudentiæ, vt Romanam postmodùm fœliciter rexerit sedem. Hic cum quodam tempore ardore febris vehementissimo æstuaret, repentè memoratus est hoc, quod iam dudum de prædicto viro Dei, fama multorum vulgante perceperat. Misit continuò, qui ex aqua eadem clanculò sibi deferret. Quam mox vt in potum accepit, nulla interposita mora, omnis ab eo febris aufugit, idemque præfatus Antistes ad gloriam Dei, & commendationem tanti viri sæpè referre solitus erat.

17. *In vita S. Gaudentij Episcopi Nouariensis.* Si quisquam, aquam distillantem à manibus eius, cum diluerentur, occultè præriperet, & languentis cuiusquam corpus attingeret, apertissima proindè medela sequebatur.

18. Hoc idem legitur in vita Sancti Sulpitij Pij Episcopi Bituricensis; & præcipuè eadem aqua à tertianis, & quartanis passionibus vexati, miro stupore recipiebant pristinam sospitatem.

19. *In vita S. Popponis Abb.* Mulier furiosa sanata fuit aqua, qua S. Poppo in Missæ sacrificio manus abluerat.

20. *In vita Sancti Dominici Abbatis apud Soram.* Quidam infirmi, cum aquam potassent, qua vir Dei abluerat manus, sanitatem sunt consecuti.

21. *In vita S. Vulstani Episcopi VVigorniensis.* Leprosus quidam, aqua lotionis manuum Sancti viri in balneo posita, se lauit, & pustularum continuò tumor resedit, eiusque caro refloruit.

22. *In actis Sancti Leonis Papæ IX.* Quædam clinica, cui per reuelationem ostensum erat, vt de lympha, qua Beatus Pastor Leo sacras abluerat manus post celebrationem Missarum, hauriret, & absque mora sospitatem exciperet, hac impetrata, atque cum fideli spe hausta, in crastinum sospes facta est.

23. *Bonfinius libr. 5. Dec. 1.* Beata Genouefa matrem ad sacra ituram comitari volebat, irata mater contra suum præceptum id à filia fieri, colaphum ei impegit, & mox cæcitate percussa est. Nono post mense, filiam orat, vt è proximo puteo aquam sibi pro lauandis oculis afferat. Paret illa, matrisque miserta, Deum pro illa exorat, vt lucem restituat, nec mora, lustrata crucis signo aqua, materni oculi aperti sunt.

24. *In vita S. Geraldi.* Quædam mulier cæca, de aqua manus illius lumen recepit. Alia mulier, quæ ex ancillis eius erat, de aqua manus nihilominùs illuminata est; Item alia mulier, ipso nesciente, aqua manus eius impetrata, oculos cæci filij diluit, & protinùs ad lumen redijt; quod & alijs accidit.

25. *Paulus Diaconus in Chronicis Cassinensibus libr. 4. cap. 43.* His quoque diebus dùm Abbas noster Bruno Ecclesiam Sancti Thomæ Apostoli extra Castrum Vallis-frigidæ solemniter dedicauit: mulier quædam à spiritu immundo vexata, ad eum deducta est. Cuius calamitati compatiens, oratione præmissa, aquam, vndè manus lauerat, patienti fœminæ in potum dedit: moxque ab ea malignum spiritum excussit.

26. *Lippellous 16 Maij.* Cæcus quidam, Seagrius nomine, aquam illam, quæ de manibus S. Domnoli Episcopi Cenomanensis defluxerat, sibi dari petijt, ea suos oculos abluturus; Minister id paruipendens, postulatam aquam ei tradidit; ea cecus suos perfundens oculos, mox in Christi nomine visum recepit, lætusque recessit.

27. *Surius in vita S. Annonis.* Sanctus Anno Archiepiscopus Coloniensis, cùm ei cæcus quidam obuiam fieret, dicens se visione monitum, vt aqua, qua manus in missa abluisset, illiniret oculos, asperis verbis eum repulit, vocans impostorem, cæcus verò cùm à sacri Ministro aquam impetrasset, visum recepit.

28. *In vita Sancti Eduardi Regis Angliæ.* Cæcus quidam docetur Oraculo, lumen amissum Sancti Regis meritis se adepturum, si lympha, qua manus ablueret, ipse faciem perfudisset. Cumque id Cubiculario, & ille Regi retulisset, obstupuit ille, plurimùm indignatus, illusum phantasmatibus hominem, nihil tale de peccatore sperandum; Apostolicæ id esse virtutis, nec fidem somnijs adhibendam asseruit. Aqua manus lauit, & ad Ecclesiam processit. Cubicularius autem cæco receptam in pelui aquam illam tradit, cum qua oculos & faciem lauans, visum confestim percipere meruit.

29. *In Annal. Min. an. 1224. num. 22.* In Prouincia Reatina pestis inualuerat valdè grauis, quæ oues & boues omnes sic consumebat crudeliter, quòd nullum poterat remedium adhiberi; vir autem quidam timens Deum, nocte fuit

per

per visionem commonitus, vt ad Eremitorium fratrum festinanter accederet; & loturam manuum ac pedum famuli Dei Francisci, qui tunc temporis morabatur ibidem, acceptam, super animalia cuncta aspergeret. Manè itaque surgens, venit ad locum, loturaque huiusmodi per socios sancti viri latenter obtenta, oues, & boues languentes ex ea respersit. Mirabile dictu! statim vt aspersio animalia languida, & in terra iacentia, quantumcumque paululùm attingebat, pristino recuperato vigore, surgebant continuò, & tamquam nihil mali sensissent, ad pascua festinabant. Sicque factum est, vt per virtutem mirandam aquæ illius, quæ sacras plagas contigerat, omnis prorsùs plaga cessaret, pestilensque morbus à gregibus fugaretur.

30. *Chrysostomus Henriquez de Sancto Bernardo*. Ex lauacro sacri corporis, cum ex more ei post transitum debitæ exhiberentur exequiæ, fratres quidam in remotissimas orbis partes deportauerunt, & sicut eorumdem certa relatione compertum est, cum iàm decimus annus transisset, non solùm aqua illa mansit omnimodè illibata, sed multam obtinuit gratiam, quacùmque fuerit superfusa. Cum enim pluribus iam ad remedia postulantibus de eodem sacro liquore donauerint, multis opem tulisse affirmarunt.

31. *De Translatione Capitis Sancti Iacobi Apostoli, apud Bollandum 3. Ianuarij*. Frumaldus Canonicus Sanctæ Mariæ Atrebatensis, & Ostreuandensis Archidiaconus, postea Episcopus vir magnæ grauitatis & prudentiæ, in lectum ægritudinis lapsus est, & in tantùm vexatus, vt de vita desperaret. Cui cum aqua, in qua caput S.Iacobi fuerat intinctum, propinaretur, eamque hausisset, meliùs habuit, & per paucos dies recepta ad integrum sanitate, se B.Apostoli meritis conualuisse asseruit.

32. *Vincentius in Spec.Hist.lib.20.cap.5*. Aqua, qua ablutus fuerat S.Amator Antissiodorensis Episcopus, se lauans paraliticus, qui iam 30. annis hoc morbo tenebatur, mirabiliter sanatus est.

33. *In actis B. Agnetis Virg. Politianæ*. Eius corporis tactus, Gratianas aquas, primùm vbertate, deinde salubritate sic auxit, vt præsens ex eis peteretur omnium morborum medicina.

34. *In actis S.Cuthberti*. Aqua, qua ablutum fuit corpus Sancti Cuthberti Episcopi, à Dæmonibus oppressi mirabiliter liberati sunt.

35. *Molanus 28.Octobris*. Aqua, qua corpus S. Dodonis Confessoris ablutum fuit, mulieri dissoluta brachia habenti, quæ ori admouere non poterat, sanitatem statim restituit.

36. *Surius 15. Octobris*. Idem pariter de aqua legitur, qua corpus B.Heduuigis celeberrimæ in Regno Poloniæ Ducissæ ablutum de more fuit.

37. *In actis S.Vuilhelmi Abbatis Roschildensis in Dania*. Aqua, qua sacer eius dens lotus est, mirabiliter profuit multas ad depellendas infirmitates.

38. *Petrus Rauzanus in vita S.Vincentij Ferrerij*. Corpus B. Vincentij Ferrerij aquis lotum est, quemadmodum habet multarum gentium consuetudo, vt corpora vita functorum lauent. Aquam verò ipsam, quæ illud abluit, diù, accuratèque conseruarunt, nec ea vnquam corrumpi potuit, nec inde aut vermes, aut aliquid fœditatis enatum est; immò verò tamdiù gratissimi fuit odoris, donec in eo vase, in quo asseruabatur, penitùs consumpta est. Multi etiam cum ex ea bibissent, varijs sunt morbis liberati.

39. *In vita S.Iuliani Episcopi Conchensis in Hispania*. Muti duo, epota, cui S.Iuliani digitus erat intinctus, aqua, loquendi facultatem consecuti sunt.

40. *Iacobus Bidermanus in vita S. Ignatij Loyolæ li.3.cap.5.num.46.* Burgis postquam grassanti pestilentiæ humana remedia defuere, complures hac arte conualuere, vt vnda, quæ Ignatianos cineres abluisset, cum precibus hausta, integrè restituerentur. Alijs itidem languoribus, alibique, eadem aqua pro medicamento fuit, vt ibidem.

41. *In actis S. S. quinque Martyrum Ordinis Minorum in Mauritania*. Iuuenis quidam prolixa, & graui oppressus infirmitate, cùm humanum non superesset remedium, rogauit facellanum, vt quidquam sibi admoueret reliquiarum S. S. M.M. Ille immerso vno ex ossibus in aquam, bibendam dedit febricitanti, & statim ab omni malo liber euasit.

42. *In actis S.Anastasij Persæ M.* Aqua, qua S.Martyris reliquiæ ablutæ sunt, multis infirmitatibus fuit remedium.

43. *In actis S.S.Aprilis tom.1.in Cont. Bollandi de B.Eberhardo ord. S.Benedicti*. Antequam monasticum habitum indueret, cum Romam proficisceretur, cæcus quidam, cui reuelatum fuerat visum recepturum à quodam Germano Romam proficiscente, cum ad diuersorium, in quo B.Eberhardus morabatur, accessisset, exorauit eius famulos, vt qua ille abluisset aqua manus, eam sibi seruarent, condonarentque. Cumque eadem lauisset oculos, aperti illicò sunt oculi eius, qui clarè videns & discernens omnia laudauit Deum.

44. *In Bibliotheca Præmonstratensi de Beato Iosepho*. Infans quidam de Villa Rode, cum propter nimium dolorem gutturis etiam linguæ officium perdidisset, accepit in ore stillam aquæ salutaris, qua corpus B. Ioseph fuit ablutum. Ad tactum tanti medicaminis continuò omnis dolor aufugit & sanato gutture, lingua expedita verba sua cæpit proferre.

45. *Marchantius ex Fortunato, de Sancto Germano*. Laudegisilus vir illustris confessus est, quòd quotiès aliquis familiæ suæ febrim incurreret, confestim aqua lauans litteras, quas ei olim scripserat vir Sanctus, aquam illam languenti dabat, sicque saluti eos restituebat.

46. *Sylos in vita Vener. Francisci Olympij libr. 1. cap. 17.* Dum Vener. Franciscus Olympius ex nostris, phialam aquæ in infirmorum salutem dedisset (vt solebat) Io: Angelo Basilio Caiuani Duci, mirabilia eiusdem aquæ haustu operata sunt; mirabilius tamen fuit quod in eadem ampulla in domo Ioseph Tomèi, cui Caiuanus ad de-

pellendum ineluctabilem morbum tradiderat, cum omnium admiratione obseruatum est. Dùm enim phialam, quam id loci reposuerat, vbi stillatitiæ, odorat æque asseruabantur aquæ, aliquot post mensibus reuisit, grana quædam aurea, susque deque ferri in ea vidit: in ipso verò fundo, vbi attolli nonnihil modico quodam cliuo phialæ solent, efformata cupressus quædam videbatur supra omnem elegantiam pulcherrima. Cuneatam, atque ad miraculum viridem, aurum etiam intermicans distinguebat, illuminabatque: tum cliuus ipse mirè viridis, radiabatque item micante auro: planè vt nihil esset eo portento amænius, ac pulchrius.

47 *Ex eodem, & ex m.s.* Idem Vener. P. Franciscus tribus ante eius obitum annis, aquæ vasculum vxori Laurentij fabri ferrarij, ei diuinitùs apparens, obtulit; addens, vt ex illa aqua omnibus infirmis exhiberet; subijciens, nunquam defecturam; quod factum; adeò vt aqua innumeris dispertita, nunquam deficeret: Ex illa aqua quidam ex nostris habuit, vixque in vasculum, in quo erat defecerat, cum statim diuinitus (neque enim aliud credi potest) vasculum aqua repletum est; in imo porrò vasculi apparuere tres veluti vniones.

De his alia notabuntur cap. 5. §. 3. cùm de Terra, medica virtute diuinitùs prædita, & cum de Fontibus medicis.

Aquæ vindices delictorum.
§. 9.

QVæ Christianæ pietati fouendæ, medicæ, salutaresque fuere aquæ, eædem ad vlciscendas Summo Deo irrogatas offensas, vindices delictorum, non tam mirabiles, quàm terribiles apparuere. De his.

1. *Metaphrastes.* Puellæ, cui saltanti, ab Herode Ioannis Baptistæ caput concessum fuit, caput item glacie, qua fluminis, supra quod fortè ambulabat, aqua constricta erat, à reliquo corpore abscissum, saltitasse fertur.

2. *Cæsarius lib. 10. cap. 35.* Piscator quidam in Episcopatu Traiectensi, cum quadam fœmina multo tempore fuerat fornicatus. Et quia eius peccatum nimis erat notorium, tempore quodam in Synodo imminenti accusare timens, statim ad Sacerdotem veniens, magis, vt post patuit, timore pœnæ, quàm amore iustitiæ, peccatum confessus est: consilium quæsiuit, & inuenit. Si habes, inquit Sacerdos, firmum propositum nunquam peccandi cum illa, candens ferrum securè poteris portare, ipsumque peccatum negare. Spero autem quòd virtus confessionis liberabit te; quod ita factum est, cunctis stupentibus, quibus factum innotuerat, læsus enim ab igne non fuit; sed cum postea peccati iterandi in recidiuam voluntatem incidisset, & gloriaretur, se non magis adustum fuisse à ferro illo candenti, quàm ab aqua fluminis, in quo tunc nauigabat, aquamque manu hauriret, ferri candentis vicem egit aqua algida, & manum adussit, pelle tota detracta.

3. *Greg. Tur. libr. 1. de glor. Mart. capit. 88.* Mulier erat adultera ab Hierico ciuitate, cuius hæc erat consuetudo teterrima, vt quotiès à scorto concipiens, partum edidisset, statim suffocatum terræ reconderet, vt scilicet fieret occultum hominibus, quod Deum, & eius Angelos non latebat. Igitur cum dies Sanctus Epiphaniorum aduenisset, & omnes in Iordanem descenderent abluere tàm vulnera corporis, quàm animæ cicatrices, hæc cum reliquo populo ad litus accessit. Cumque leuasset vsque ad geniculum vestimenta, vt amnem ingrederetur (mirum dictu) fugit aqua ante pedes eius: illa quoque insequente, fluuius ad ripam aliam premebatur. Hæc videntes populi, mirati sunt tale factum in die celeberrimo contigisse, cognoscentesque mulierem esse facinorosam, interrogant, quid mali fecerit, vt hæc ei in tali confrequentatione populi euenissent. At illa conuersa ad populum, crimen fatetur, dicens, septem iam à me paruulos editos interfeci, quos de incestu concipiens, metui publicare: Octauum adhùc die præterita sugillaui. Rogo ergo vt fundatis pro me orationem ad Dominum, quatenùs remissa iniquitate, peccare iam desinam, ne me cælestis ira consumat. Hæc ea loquente, omnis populus prostratus ad terram, precem fudit ad Dominum, vt ei misericorditer ignosceret, quod adminiculante ignauia deliquisset; post orationem verò mulier extensis per terram brachijs, spiritum exhalauit. Quod ob hoc contigisse reor, ne crimen indultum iteraretur vlteriùs. Cognouit autem populus delictum, cur aquæ fluminis ante faciem mulieris recessissent. Impletumque est illud Salomonis prouerbium, quia spiritus Domini fugit fictum.

4. *Thom. Boz. lib. 5. cap. 2. de signis.* Accidit in insula Firando quod dicam an. 1582. Rustico cuidam fuit nescio quid subreptum, cumque essent septem, quorum necesse erat, aliquis furti reus foret, conuenere vt è Cruce Omuræ fragmentum sublatum mitterent in aquam, è qua biberent cuncti: quod cùm fecissent, vnus ex eis protinùs horrendum in modum cœpit intumescere, hydropici instar: quocirca crimen fassus, veniamque precatus, ad Sacerdotes delatus fuit.

5. *Bzouius an. 1379. num. 1.* Pontificatum Vrbani VI. verum & indubitatum non intermisit Deus miraculis & victorijs comprobare; postquam enim ausu temerario, Anticardinales, ad V. Idus Augusti anni superioris, præcone Hidruntino Archiepiscopo, Anagniæ in Basilica maiori, coram ingenti spectatorum multitudine, Vrbanum non fuisse legitimum Pontificem renunciasent, ac paulò post Robertum Gebennensem intrusum, sacram pompam, quam Arelatensis Archiepiscopus Camerarius Fūdos auexerat, indidem Fundis ad diem Calendarum Nouembrium induissent; nec nō quamplures in partem execrandi schismatis secùm traxissent, ad 10. subsequentis Iunij, apud Aquilam ciuitatem Bruttiorum euidenti miraculo Deus ostendit, Vrbanum esse verum Petri successorem, Robertum verò Antipapam.

Aqui-

Aquilanus Episcopus à Schismaticis seductus, vt Roberto Apostatico honores Pontificios exhiberet, processionem solemnem in sua vrbe instituit, imaginemq; illius depictam deferre decreuit: Vrbani verò statuam ex ligno sculptam ascello cuidam imposuit, colloque illius funem crassum circumuoluit, vt ad contumeliam extremam, circumcirca, in processione traduceret. Ista ad ludibrium instituta pompa, cum ante Diui Maximi Ecclesiam præparata fuisset, neque Deus tantam serui sui Vrbani iniuriam tollerare sustineret; mox in aere hactenùs clarissimo, nubem quandam aterrimam dæmonibus plenam, super locum pompæ immisit: ex qua tanta fulgura, fulmina, tonitrua, tempestates, & aquarum defluuia eruperunt, vt plures domus euersæ, plures homines interempti, multa animalia demersa, maiorque pars ciuitatis fuerit diruta. Insuper dæmones Vexillum imagine Antipapæ execrandum rapuerunt, discerpserunt, & discerptum abstulerunt. Statua Vrbani relicta, nec quicquam illæsa, aut madefacta, vel perfusa.

6. *Iocelinus in vita S. Patritij cap.* 125. Quadam vice, Milites quinquagenos, qui missi fuerant vt S. Patritium comprehenderent, idem Sanctus vltus est aqua: etenim vbi ad flumen ij accesserunt, ipso iubente, hausti omnes aquis fuerunt.

7. *Iacobus Gualla libr. 2. Sanctuarij Papiensis cap.* 5. Cum vxor S. Gengulphi Martyris nefando deprauata esset adulterio, vocata ad quendam fontem, qui ibidem miraculosè precibus prædicti sancti obortus fuerat, eodem Gengulpho instante, manum immisit in fontem ad comprobandam suam innocentiam, ea lege, quòd si rea adulterij, Deus manifesto iudicio declararet; & confestim manus carne nudata obriguit.

8. *In vita S. Tressani apud Colg. de fonte orto ad radicem arboris, quæ ex baculo viruit.* Hoc præfatus Tressanus Sacerdos vt vidit, Deo gratias retulit, de fonte bibit, & à Deo postulauit, vt nunquam in hoc sæculo aliquid iniustum fieri posset de fonte prædicto. Nam vsque hodie nihil furatum, nihilque vi alicui subreptum ad prædictum fontem, patet esse. Nouo igitur tempore quædam prædictæ villæ volens in prædicto fonte vestes suas lauare, quod cupiebat non potuit implere: nam, vt prædictas vestes in aquam misit, factus est fons rubei coloris in similitudinem sanguinis de corpore viui hominis prodeuntis.

9. *In menologio Græco die 3. Maij de S. Maura.* Coram Præside se Christianam esse confessa est. Quare crines à capite ipsius auulsi, & digiti abscissi sunt, & in aquam feruentem immersa est. Quæ cum nihil læsa esset, suspicatus est Præfectus, aquam illam non fuisse calidam, sed frigidam, idque vt experiretur, in manus suas aspergi iussit: Itaque Sancta Maura cum aquam ex lebete manu hausisset, & iniecisset in manum Præsidis, pellis ipsius defluxit.

10. *In actis S. Amphiani Martyris.* Cum prædictum S. Martyrem Cæsareæ Christiani nominis persecutores in mare demersissent, statim ex improuiso tanta procella, non vsitata illa quidem, tanta etiam turbatio, non per mare solùm, sed per vniuersum continentem se diffundebat, vt cùm terra, tùm tota ciuitas eius impetu & violentia concuteretur, atque vnà cum isto mirando & repentino terræmotu ipsum mare Martyris cadauer, vt potè tam sacrum pondus sustinere non valens, ante portas ciuitatis eijceret.

11. *Pet. de Natal. lib. 8. cap. 65. de S. Venerio Abb.* Dùm admonitione Diuina ad locum suum redire vellet, & nautas, qui illùc appulerant, & ad Sardiniam ire volebant, instanter rogasset, vt ipsum ad suam Insulam deferrent, illique recusarent; orta in mari tempestate, non priùs inde se mouere potuerunt, donec Sancti petitionem adimplere vouentes, facta subitò serenitate, eum illùc detulerunt.

12. *In actis S. S. Feb. tom. 2. in Contin. Bollandi.* Tendebat quadam die S. Cuthmanus Confessor Stenningæ in Normannia cum pondere nimis oneroso versùs plagas orientales, transiensque per quendam pratum, in quo viri quidam gramina resecabant, casu repentè rupto fune, cuius beneficio onus latum erat, in terram cecidit; quod videns vir Dei fiducialiter agens, de sambuco, quem popè vidit adstantem, virgulam sumpsit, & torsit, & funiculi prioris defectum suppleuit. Hoc igitur videntes viri illi irriserunt illum quasi fatuum, cum sit sambucus lignum fragile, fracturam faciliùs admittens, quàm torturam. At statim super illos stetit Diuina vindicta, subitò enim turbata aeris serenitate, tanta pluuiæ descendit inundatio, vt in se signum iracundiæ diuinæ reportarent. Et ne casu diceretur contigisse, vel aereis passionibus posset hæc mutatio temporis imputari, & non vltioni diuinæ adscribi; præter iacturam fœni, quod tunc inutile factum fuit, ad instar irrisorum Prophetæ Elisæi, deplorauit posteritas illorum singulis annis, descendente pluuia tempore falsationis eiusdem prati.

13. *In actis translationis Corporis S. Marci Euangelistæ.* Quadam die dùm omnes pariter illorum Venetorum naues velificantes incederent, & causam reliqui ignorarent, dixerunt nautæ B. Marci ad quosdam qui erant in alia naue: nescitis quod est factum? qui dixerunt? quid? aiunt illi: verè nos corpus B. Marci portamus; at illi dixerunt, & quomodo istud fieri potuit; cumque illi exponerent ordinem rei, quidam ex illis irridens ait: forsitam alicuius Ægyptij corpus vobis datum est, & dicitis, quia S. Marcum portamus; quod cum dixisset, protinùs nauis illa, in qua beatum corpus iacebat, tanta celeritate conuersa, quanta nullus hominum vertere potest, insurrexit aduersùs eam, in qua vir ille erat, partemque lateris eius confregit, nec priùs ab illa recessit, quamdiù omnes confiterentur Beatum ibidem Marcum iacere.

14. *Baronius in an. Eccl. an.* 1144. Hoc anno & Arnulphus filius Gaufredi Consulis, qui post mortem patris Ecclesiam incastellatam retinebat, captus est, & per hoc exulatus. Et Princeps militum suorum in hospitio suo ab equo corruens, effuso cerebro, expirauit. Princeps autem peditum suorum, Reimerius nomine, cuius officium fuerat fran-

frangere Ecclesias, vel incendere: dum mare cum vxore sua transiret (vt multi perhibuerunt) nauis immobilis facta est. Quod monstrum nautis stupentibus, sorte data, rei causam inquirentibus, sors cecidit super Reimerium. Quod cum ille nimirùm totis contradiceret viribus: Secundò, & tertiò sors iacta, in eum deuenit. Positus igitur in scapha est, & vxor eius, & pecunia sceleratissimè acquisita: & statim nauis cursu velocissimo, vt prius fecerat, mare sulcat. Scapha verò cum nequissimis, subita voragine circumducta, in æternum absorpta est.

15. *Petrus Malpaus in Palma fidei de B. Antonino à Rispoli Martyre*. Cum infideles quidam Tunesi, vbi S. Martyr necatus fuerat, quadam die tranquillo, & sereno mari è portu in altum soluissent, & aliquousq; nauigassent, à sæuissima tempestate nauem subitò circumdante, portũ repetere coacti sunt; fuitq; omnium sententia, causam sæuientis procellæ fuisse, eo quia, vt fieri cõsuetum est, nauigium, lapidibus, quibus Sanctus Martyr ictus fuerat, onerassent, adeòque perpetrati sceleris conscios, & præsentaneum submersionis periculum veritos, vlteriùs progredi minimè ausos fuisse.

16. *S. Anton. 1. part. Chr. tit. 8. cap. 1. §. 8. de S. Iuliana*. Præcepit Præfectus sanctam Virginem in ignem mitti. Sed Angelus Domini apparens, ignem extinxit. Deinde in ollam feruentem fecit immergi, quæ est facta velut balnei temperamentum. Sed aqua ebulliens, & egrediens de olla, septuaginta sex homines de adstantibus occidit. Propter quod ira insaniens Præfectus, imperauit eam gladio puniri. Cum autem ad locum decollationis duceretur, clamauit dæmon, qui ab ea cruciatus fuerat. Nolite ei parcere, sed quomodo digna est, ita reddite. Deos enim vituperat, hominibus iniuriam facit, mihi quoque in vna nocte multa mala intulit. Cumque illa aspiceret, vt cognosceret, quis hoc loqueretur, clamauit diabolus dicens; Heù me miserum, forsitàm vult me iterùm retinere. Statimque obmutescens euanuit. Virgo autem facta oratione, spiritum Deo reddidit incontaminatum. Ipse verò Præfectus nauigans paulò post, submersus est cum multis, & ab auibus & feris corpora eorum deuorata.

17. *In vitis Patrum de S. Ioanne Eleemosynario lib. 1. cap. 9.* Nauclerus quidam peregrinus damna pertulit: & accedens ad hunc beatum virum, rogabat eum multis lachrymis, vt compateretur ei, sicut & omnibus alijs. Præcepitque eum accipere quinque libras auri. Cumque accepisset has, abiens emit enthecam, & misit in nauim. Mox accidit, vt extra pharum naufragium pertulisset: nauim verò non perdidit. Accessit iterùm ad eum, de bonitate eius voluntate præsumens, & dixit: Miserere mei, vt Deus mundi misertus est. Cui Patriarcha dixit: Crede frater, nisi miscuisses pecuniæ Ecclesiæ illas pecunias, quæ tibi remanserant, nullatenùs naufragium pertulisses. De malis enim habuisti eas, & perditæ sunt cum eis, & quæ fuerunt ex bonis. Verùm præcepit denuò dari ei decem libras auri, denuntians ei, ne commisceret eis alias pecunias. Emens præterea enthecam, & nauigans vno die, vento valido flante, proiectus est in terram, omnia perdidit, & ipsam nauem, & non sunt saluatæ nisi animæ tantùm. Voluit ergo præ confusione, & angustia idem nauclerus necare se ipsum: Sed Deus qui semper saluti hominum prouidet, reuelauit hoc Beato Patriarchæ. Et cum audisset quod acciderat ei, nuntiat ei venire ad se nihil omninò dubitans. Tunc aspersit se puluere & tunicam scindens, indecenter accedit ad eum. Cumque vidisset eum in tali habitu, ille Sanctus redarguit eum, & dixit. Misereatur tui Dominus benedictus Deus. Credo ei quòd ab hodierna die nequaquam naufragium incidas, vsquequò moriaris. Hoc verò tibi contingit, eo quòd & ipsa nauis tua ex iniustitia esset possessa.

18. *In vita S. Ascla Martyr. 23. Iannuarij apud Bollandum*. Cum transnauigato fluuio descendisset Arrianus Iudex ad ripam, vt ad Ciuitatem progrederetur, ij qui occursuri Iudici egressi fuerant de ciuitate, circumdederunt sanctum Martyrem, qui super oram fluminis, propter recentes plagas stare non valens, nudus iacebat in terra. Populi ergo cum vidissent Præsidem ascendisse nauiculam, vt veniret ad ciuitatem, parauerunt se occurrere ei. Ille verò Beatus Martyr audito tumultu dicentium, Adest Præses, surrexit de loco in quo iacebat: & stans nudus orauit Dominum, vt retineret in medio flumine nauiculam, in qua erat Iudex, quoadusque confiteretur sanctum nomen eius; & ecce subitò stetit in medio flumine nauicula, nec moueri vllatenùs potuit de loco; quod cum vidisset Iudex, miratus est; misitque qui Sancto Martyri crudeliora tormenta minitaretur; quibus Sanctus Asclas respondit. Viuit Dominus Deus, quia non mouebitur nauicula, in qua est Arrianus Iudex, priusquàm confiteatur nomen Domini mei Iesu Christi, quod intelligens Arrianus, continuò accepta charta scripsit manu sua dicens: Vnus est verus Deus, quem colit Asclas, & non est præter eum alius Creator, & Dominator omnium; & misit ad Asclam; Quam cum S. Martyr legisset, orauit, & descendit Nauis ad Ciuitatem.

19. *In actis S. Hilarij Pictauiensis Episcopi apud Bolland. 13. Iannuarij*. Repertus fuerat à templi custodibus piarum precationum libellus, argento eleganter ornatus; Hunc sustulit quidam, non furtiuè vsurpaturus, sed descripturus dumtaxat precationes. Adolescens quidam furti accersitur: & quæstione habita, aliàs fatebatur crimen tormentis victus, negabat aliàs: ergo torqueri acriùs iubetur, manu bullienti aqua immersa. Adfuere spectatores plurimi, interque eos, qui librum subduxerat. Palàm in Ecclesiæ meditullio aquæ bullienti inseritur manus adolescentis, neque doloris, aut noxæ quidquam perpetitur. Dùm verò eam è vase educit, gutta in faciem adstantis rei excussa est. Hic ille ingenti torqueri dolore, facie illi fœdum in modum intumescente. Ergo fateri publicè, quod erat gestum: itaque adolescente absoluto, ipse quoque dolore liberatus est.

20. *Ioannes Moschus in Prato Spirituali cap. 76.* Cum plures Naues prospero vento quondam naui-

ga-

garent, aliæ quidem Constantinopolim, aliæ Alexandriam, aliæ aliò. Nauis cuiusdam Naucleri quasi per quindecim dies, nihil è loco moueri potuit; Versabatur igitur in magna mæstitia, nesciens quid istud sibi vellet; & ecce quadam die venit ad eum vox dicens: mitte foràs Mariam, & benè nauigabis; quod cum iterùm euenisset, quæsiuit ipse, quænam ex nauigantibus tali appellaretur nomine, inuentamque, simul deprehendit insignem esse peccatricem, eiusque causa talia omnes perpeti incommoda. Deposuit igitur mulierem in scapham: quæ mox vt descendit, scapha se continuò quinquies gyrans, in profundum cum muliere submersa est. Nauis autem post hæc tanta celeritate cucurrit, vt tribus diebus, ac dimidio, nauigationem, quam quindecim diebus peracturi erant, peregerint.

21. *Sigebertus*. Anno Leonis secundo Constantinopolitana Ciuitas à Saracenis obsessa, mirabiliter intercessione B. Mariæ ab obsidione liberata est. Cum enim per ciuitatem solemniter deduxissent Imaginem B. Virginis depictam à D. Luca, hocque modo orassent firma fide; Sancta Dei Genitrix, quæ totiès nos liberasti, libera nos modò de inimicis filij tui, & si vis, vt Imaginem tuam non mergamus in Mare, merge illos: cum hoc dixissent, vnus ex his secretè Imaginem tenuit sub vndas, & statim procella surrexit & omnes naues Saracenorum aut mersit, aut fregit.

22. *Vghellus in Ital. Sacr. tom. 7. Salernitati Episcopi*. Ad Salerni vastationem Ariadenus Barbarossa Turca insignis pirata an. 1544. 27. die Iulij iuerat, sed fugatus est miraculo S. Matthæi Apostoli, ad cuius patrocinium confugerant Salernitani; sereno enim cælo magna repentè orta tempestate, impij voti minimè compos, confracta penè classe, aufugit.

23. *Philipp. Ferrar. Mense Augusti, die 16. de S. Limbania Virg.* Limbania Virgo Sanctimonialis, in Cypro nata nobilissimo loco, annos 11. nata, spreto connubio, clam naui, cum nutritio, & nutrice conscensa, Genuam appulit, aliquot in ea nauigatione miraculis perpetratis. Nam cum Nautę illam in Insula quadam reliquissent, nunquam loco dimoueri potuerunt, licet ventus secundus flaret, quoad eam, reuersi ad litus, recepissent.

24. *Gualterus in actis B. Caroli Comitis Flandriæ*. Sacrilegus ille, qui Venerabilis Comitis caput amputauerat, cum in nauim ascendisset, vt fugeret, eamque à terra repellere tentasset, illa occulto diuinæ virtutis pondere pressa, immobilis stetit, & loco moueri non potuit, ceù aquis refugientibus tali sacrilego viam super se concedere.




Aqua reueretur seruorum Dei Reliquias.
§. 10.

CVm Sancti summo honore Auctorem Naturæ in vita sint venerati, non mirum, si ad illorum Sacras reuerendas exuuias post mortem, creaturas omnes etiam insensatas, arcanis compellat modis, vt sæpè sæpiùs euenit in aquis. De quibus.

1. *Victor Vticensis lib. 6. de septem Monachis Martyribus sub Hunnerico Vuandalorum Rege*. Horum corpora in mare proiecta, illicò eadem hora illæsa pelagus litori reddere maturauit; nec ausus est, vt moris est, triduana dilatione in profundo retinere. Ad quod miraculi genus, & ipse tyrannus, licet impœnitens, expauit.

2. *In vitis P.P. lib. 2. cap. 19.* Corpora S.S. Apollonij, & Sociorum, Dei sine dubio prouidentia, integra, illibataque maris vnda reportauit ad litus, eaque ab his, qui obsequij causa simul venerunt, suscepta, sub vno sepulchri domicilio collecta sunt.

3. *In Martyr. Roman. 16. Kal. Iunij*. Neapoli in Campania S. Restitutæ Virg. & Martyr. quæ Valeriano imperante, à Proculo Iudice variè torta, & in nauicula pice, & stupa referta, vt in mari combureretur, imposita, immisso igne, cum in incensores flamma conuerteretur, ipsa in oratione Spiritum Deo reddidit. Cuius corpus, cùm eadem nauicula, Dei nutu, ad Aenariam Insulam propè Neapolim deuectum, à Christianis magna deuotione susceptum est.

4. *Thom. Boz. lib. 15. cap. 7.* Corpora duorum Euualdorum, qui à Saxonibus fuerant occisi, in amnem demersa, aduerso flumine delata sunt per quadraginta passuum millia, atque ijs lumen quoddam cæleste tota nocte affulgebat.

5. *In actis S. Melanij Episcopi Rhedonensis apud Bolland. 6. Ian.* Demortuo Sancto antistite, celebratisque more Ecclesiastico exequijs; ex in communi consilio, Deo, sicut posteà patuit, ordinante, collocauerunt corpus Sancti viri in naui, quæ fortè aderat in alueo fluminis Vicenoniæ. Qui fluuius suscipiens Sanctum corpus eius, cum Pontificibus & Clericis atque Monachis litanias canentibus, & cum populo, qui eum sequebatur, Deo gratias pro eius gloria, de qua certi erant, referendo, conuerso impetu, quo deorsùm, sicut & cæteri, fluere ferrique solebat, sursùm versùs perduxit vsque ad Ciuitatem Rhedonensem, quæ triginta, vel eo ampliùs millibus ab eodem loco distat, quam ipse Sanctus feliciter gubernauerat.

6. *Ioannes Molanus in Nat. S.S. Belgij. In vita S. Adelheidis Abbatissæ 5. Febr.* Post eius obitum Vilecenses ab Archiepiscopo petierunt licentiam, corpus asportandi, eumque tandem precibus vicerunt. Quo in naui imposito, nec dum dispositis remis, contrà fluminis impetum mox velociter cursum tendebat, vt etiam sic à Coloniensibus diuina voluntas agnosceretur.

7. *Ibidem de S. Amelberga Virg. 10. Iulij*. In picturis in manu gestat pedum instar Abbatissæ, vel pal-

palmam, ceù Virgo: sub pedibus piscem habet, vulgo Sturionem dictum, quem alij Acipenserem vocant. His enim piscibus nauem comitantibus, fertur corpus eius Diuino nutu, aduerso flumine vectum esse.

8. *Theoph. Raynaudus in indic. S.S. Lugd. de S. Ennemundo ex Breu. Eccles. S. Petri Lugd.* Ferunt corpus eius naiculæ absq; Rectore impositum, Angelorum ministerio Lugdunum peruenisse; festo vbique sono concrepantibus per se ipsas campanis quacumque transiret.

9. *Arnoldus Vuion in vita S. Gerardi Sagredi cap.* 21. Cum ad fluuium Morossum peruenissent, & more solito currus cum corpore S. Gerardi in naui esset, nauis à tanta multitudine moueri non potuit. Et cum præ desperatione remos de manibus suis proiecissent, nauis adeò velociter flumen pertransijt, vt omnem artem humanam excederet.

10. *In actis S.S. Febr. tom.* 1. *in Contin. Bollandi.* Translaturi reliquias S. Venantij, pertingerant ad flumen; erat ibi transitui nauis præparata, sed non in apto loco ad terram subducta: idcircò præceptum est nautis, vt eam illis obuiam ducerent. Illis verò festinantibus, vt iussa explerent; cum funem soluissent, & in nauem descendere parassent, subitò è manibus ipsorum lapsa in amnem, vi quadam inuisibili contra impetum fluminis acta ferebatur, donec ad locum, quo Sacrum onus susceptura erat, litori applicita peruenit.

11. *Hugo Menard, lib.* 1. *Obseru. in Decembri. De translatione Reliquiarum S. Benedicti.* Regibus Carolomanno, & Ludouico, an. 881. cum Normani, Gallias incendio, & flamma vastassent, corpus S. Benedicti Aureliam defertur. Tandem bellis pacatis, rebusque compositis, reducitur Floriacum; Cymbæ imponitur super Ligerim gelu constrictum pridie Non. Decembris: sed statim gelu solutum est ad tanti Solis Benedicti ardorem, Nauicula sine remige aduerso flumine prouecta est.

12. *In actis S. Emmerammi Episcopi, & M.* Cum transferendæ essent eius venerandæ Reliquiæ ad Ciuitatem Ratisbonam, eas ad Isuram fluuium naui imposuerunt. Ibi cum defluum iter, amne in propria ruente, sequerentur, per ostia ipsius ad Danubium intrauerunt. Inde contra ortum fluminis enitentibus, quod sine magno labore consuetudo naturæ non præstat, tanta celeritate res immobilis contra mobilem meritis Martyris propellitur, ac si velum ventus post flumen intenderet.

13. *In vita S. Francisci Xauerij.* Goam corpus eius deuehitur, naui carina debili, ac tantùm non dehiscente; itaut rei nauticæ peritissimus quisque denuntiaret, fore, vt laxatis in medio cursu compagibus, mergeretur: tenuit tamen portum, & vt omnes intelligerent, præsidio illam suo tutatum fuisse Xauerium inter saxa, & fluctus: eo ipso momento, quo creditum sibi corpus Goanis tradidit, mercibusque leuata est, eodem quo steterat loco, in summa malacia, nulla alienæ manus accessione, demergitur.

14. *Pet. de Natal. lib.* 4. *cap.* 121. *de S. Floriano Mart.* Postquam Sanctus Martyr animam Christo reddidit, corpus eius super vndas enatans, in eminenti saxo ab aquis eiectum est; & superueniens aquila, alis expansis in modum crucis, corpus à feris protegebat.

15. *Marchantius ex Breuiario Leodiensi de S. Materno Episcopo.* Voce cœlitùs audita, moxque suscepto Dominici corporis Viatico, miraculis illustris expirauit, 18. Kal. Octob. Coloniæ Agrippinæ. Sed mirabile, quòd Rheni fluxu miraculosè sursùm conuerso, mox Colonia, Treuiros translatus est diuinitùs, vbi iuxta Sanctorum Sociorum Eucharij, & Valerij corpora quiescit.

16. *Vualafridus in vita S. Othmari Abbatis.* Post eius mortem, volentes aliò transferre eius Venerandum corpus, cum deserto litore, incertis se profundi vijs commisissent, & summa instantia remigio insistentes, sub omni celeritate cuperent remeare, continuò tanta vis pluuiæ ventorumque prorupit, vt vix effugium se crederent habituros. Sed mira Omnipotentis Dei dispensatione, & vt credimus, Sancti Viri meritis actum est, vt ipsa etiam elementa, quæ nobis insensibilia videntur, famulantia sui Creatoris imperio, quanti viri reliquiæ ibidem veherentur, sentirent; Nam pelagus circumquaque imbrifera tempestate commotum, vndasque in altum suspendens, nil omninò remigantibus molestiæ intulit, sed in quamcumque partem nauis deuenit, reiectis flatibus, tumentes in se fluctus depressit; & ita omni ex parte vndarum molibus, imbrium effusionibus, ventorumque flatibus non paruo dimotis spatio quasi sepe quadam scapha cingebatur, vt ne vna quidem pluuiæ gutta, quæ hinc inde vehementer inundabat, in illam descenderet. Cerei quoque, qui in B. Patris obsequium ardentes ad caput pedesque fuerant collocati, lumen primæ accensionis nequaquam amiserunt, quoadusque corpus eius ad Monasterium deferretur.

17. *Ioannes Aleid. in Chro. Belg. lib.* 21. *cap.* 7. In Oppido Leydensi reliquiæ B. Catharinæ Virginis in hospitali quodam celebres continentur. Has nuntij hospitalis ad diuersas Ecclesias conferebant. Et accidit vna dierum, vt in via positi, fluxum maris, secundùm solitum obuium sibi venire viderent, & quia ad quod diuertere nō erat à fluxu, turbati sunt vsque ad mortem. Tunc vnus confidentia plenus cum capsa, in qua erant reliquiæ fecit circulum, adiutorium B. Catharinæ inuocans. Mirares! veniens inundatio maris, circulum circuiuit, eleuauit se mare, & spumans intumuit, itavt patulo desuper cælo ascenderet ad cubitos quadraginta: in circulo autem facto, nec sola aquæ gutta defluxit. Viri autem qui intùs erant nouem numero, expectauerunt, quoadusque mare resorberet, & refflueret ad alueum, & sinum suum. Nam secundùm poetam moderni temporis: Et vomit, & potat dura Charybdis aquam. Et tunc exeuntes, per totam terram inauditum miraculum consonis laudibus vulgauerunt. Facta sunt autem hæc circa annum Domini 1204. Testes gestæ rei fuerunt & illi, qui in nauigio positi in circulum currere voluerunt.

18. *Greg. Turon. de glor. Confess. cap. 97.* Fuit in regione Nicensi Hospitius magnus Dei famulus, qui multis virtutibus prædìtus ab hoc mundo migrauit. Cumque sepeliretur, quidam iuxta ipsum sepulchrum manum ponens, parumper pulueris eleuauit. Quod in linteo inuoluens rudi, secum sustulit. Progressusq; postridiè nauem, quę Massiliā ire parabat, offendit in littore: sed hic Lirinense Monasterium expetere cupiebat. Viri igitur, quorum erat nauis, Iudaica erant à stirpe progeniti, qua existente causa, noluit vir indicare naucleris quæ ferebat. Denique postquàm progressi, contra Lirinense Monasterium deuenerunt, nauis in medio pelagi restitit: flantibusque ventis nulla mouetur in parte: stupentibus verò Iudæis quid hoc esset, homo ille veritatem aperuit, dicens: Reliquias Beati Hospitij mecum habeo: & nunc Lirinum adire desidero: quod vobis indicare metui. Nunc autem scio quia eius virtute retinetur nauis vestra. Nec hinc moueri prorsùs poterit, nisi consensum illùc præbeatis quò ego ire disposui. Quod audientes viri, stupore permoti, mutatis velis flante vento secundo, iam viro in insula Lirinensi deposito, quò voluerunt liberè abierunt.

19. *Ex Breuiario Romano*. Cum iussu Traiani alligata ad collum D. Clementis Papæ anchora, in profundum maris deiectus fuisset: Christianis ad littus orantibus, mare ad tria milliaria recessit: eòque illi accedentes, ædiculam marmoream in templi formam, & intùs arcam lapideam, vbi Martyris corpus conditum erat, & iuxta illud anchoram, qua demersus fuerat, inuenerunt.

20. *Antonius Bosius in Roma subterranea*. Anno 1598. mirum isthic accidit; cum ingens inundatio Tiberis vrbem obruisset, & signatè templum S. Marcelli, in quo seruantur corpora Sanctarum Martyrum Dignæ, & Emeritæ; Harum sepulchrum reuerita aqua est, nam transacta inundatione, repertum est sepulchrum puluere, telisque aranearum refertum, in signum fuisse ab aquarum vi immune.

21. *In m. s.* Cum Romæ Tiberis inundaret anno 1598. per aliquot palmos, ad arcam, in qua Sancti Bartholomæi corpus est, minimè accessit.

22. *In actis S.S. Feb. tom. 3. in Contin. Bollandi*. Depluerant multis diebus ex irato cælo abundantissimi imbres, ita vt priora diluuij tempora renouari quisque arbitraretur, quippè iam aqua à terræ hiatibus iam plenis impotens absorberi, campos Ciuitatemq; Amastridis in Paphlagonia velut inundans flumen obruerat. At licet templum ipsum, in quo sepultus erat S. Georgius Amastrenus Episcopus, aquarum copia exundaret, nequaquam eius sepulchrum attigit, sed qui olim mare rubrum diuisit, ac Iordanem repressit, idem insthic quoque per famulum simile prodigium exhibuit. Cernere erat mollem, ac liquidam naturam, in duritiem mutari, hinc & inde à tumulo absistere, firmi, & immobilis muri instar, neque ei quidquam humoris abstergere.

23. *Ioannes Buzelinus lib. 3. Annal. Gallo-Fland. de eleuatione corporis S. Amandi*: Cum aperiundo tumulo, & educendo corpori statutus illuxisset dies, plurimique adessent tàm sacrorum, quàm laicorum hominum, vti præclarum oculis vsurparent spectaculum, multas per templum accendi lucernas, & candelas iussit Lotharius, & subindè solemniter ad aram principem sacra operatus est mysteria. His peractis, ad sepulchrum descendit, sarculum manu tenens, & cæteris ad eruendam reuerenter humum præiuit. Ibi res aliquot mirabiles contigere. Dum enim profundè terra effoditur educendo corpore, ne vnica quidem aquæ pauimento superfusæ gutta in tumbæ cauum decidit: quasi liquor ad Diui reuerentiam circùm durescerer.

Aquarum procellæ mirabiliter placatæ. Et imminentia naufragia impedita.

§. II.

NE ex his, quæ ad mirabilia circa Aquam spectare videntur, vlla omittantur, aliqua, & pauca circa furentes tempestates mirabiliter placatas, hic adnotare visum fuit: integrum enim volumen pro his solùm quæ singulis quibusque annis eueniunt, haud sat esset. Sint igitur.

1. *In Euangelica Historia*. Cum motus magnus factus esset in mari, ita vt nauicula, in qua erant discipuli Christi Domini, operiretur fluctibus; suscitauerunt eum dicentes: Domine salua nos, perimus. Ipse verò surgens, imperauit ventis, & mari, & facta est tranquillitas magna.

2. *Vincentius Belua. in Spec. Hist. lib. 7. cap. 89.* Abbas quidā aliquando in medio maris Britannici nimia cum alijs multis oppressus est tempestate, adeò vt omnes de vita cogerentur desperare. Ad Virginem igitur Mariam post alios Sanctos deuotè confugerunt; vixque finierat populus, cum Monachis orationem; & ecce in summitate mali lux magna instar cerei apparuit, qui noctis tenebras fugans, omnes qui erant in naui sua claritate perfudit, totaque pelagi euanuit tempestas, & Cœli Regina iubente, facta est tranquillitas.

3. *Bar. Annal. Eccl. an. 429. 13.* Cum in sinu Gallico flantibus ventis, intumescenteque mare, Nauis, in qua vehebatur cum S. Lupo Episcopo Trecasino, & alijs socijs, S. Germanus Antissiodorensis Episcopus, iam penè mergeretur; Sanctus Episcopus immanitate constantior, Christum inuocat, Oceanum increpat, & procellis sæuientibus, causam religionis opponit (nauigabant enim Britanniam versus ad hæreses extirpandas) statimque assumpto oleo, in nomine Trinitatis leui aspergine fluctus sæuientes oppressit, tranquillatumque est mare.

4. *Surius 3. Decembris*. Ad sedandam maris tempestatem, Eucharistiam ad collum ferre solebat S. Byrinus.

5. *Baronius an. 383.* Satyrus S. Ambrosij frater, Eucharistiam collo appensam habens, incolumis in naufragio seruatur.

6. *In actis S. Radegundis Reginæ*. Cum misisset Beata legatos ad Imperatorem, cæpit mare talibus fluctibus agitari, vt vita desperarent nauigan-

gantes; clamantesque dixerunt: Domina Radegundis subueni seruis tuis, ne pereamus. Ad has voces, in medio mari aduenit columba, quæ ter nauem circumiens fluctuantem in nomine S. Trinitatis, secùs eos cùm volaret, Beatæ Reginæ nomine, vir quidam extendit manum, & de cauda eius tres tulit pennas, quas mari intingens, tempestatem compescuit.

7. *In actis S. Maurilij Andegauensis*. Nauis quædam per Ligerim vehebatur. Quæ dum contra Calomnam ascenderet, subitò cum turbato flumine nauis in vertiginem rotabatur, frangitur antenna, & nunc prora surrigitur eleuata fluctibus, nunc pupis deprimitur inter vndarum hiatus; tunc nautæ desperantes, immensis clamare vocibus cæperunt: Miserere vir Christi Maurili. Ad quorum voces exurgens vir Dei cucurrit ad littus, & eleuato ex aduerso Crucis signo, imperat procellæ ne sæuiret; & subitò cessatis ventis, tranquillitas magna facta est.

8. *In actis S.S. Feb tom. 3. in Contin. Bollandi*. Cum Monachi Ramesciæ S. Osuualdo Eboracensi Archiepiscopo in ripa stante, aquam nauigio transire vellent, nauis nimis onerata, mergi cæpit. Turbati Monachi, & mori metuentes, opem S. Pontificis implorabant. Quod videns Sanctus, signum Crucis edidit, & nauis ab aquarum profunditate emergens, quasi nihil oneris ferret, ad ripam prospero lapsu euecta est.

9. *S. Gregorius lib. 3. Dialog. cap. 36.* Maximianus, postea Syracusarum Episcopus effectus, cum alijs in Adriatico mari in grauem tempestatem incidit. Desperata salute, quilibet peccata sua confessus est, sumptaque sacra Eucharistia, Deo se commendarunt. Nauis duodecimo demùm die in portum delata, simùl ac homines ex naui sunt egressi, in conspectu omnium submersa est.

10. *Gregor. Turon. de glor. Martyr. cap. 76.* Nauigabat per Limanum lacum (per quem Rhodanus influit) Presbyter quidam S. S. Martyrum Agaunensium deferens reliquias; cum repentè magna exorta tempestate, nauis, quique omnes in ea erant in vltimo vitæ periculo, se se timuere. Tunc Presbyter cum videret se his fluctibus obrui, & spumis vndarum ipsarum grauiter operiri, extractam à collo capsulam, quæ Sanctorum pignora continebat, vndis tumescentibus obiecit, ac sanctorum præsidium clara inuocat voce, dicens: Ne peream in his fluctibus, virtutem vestram deprecor, Martyres gloriosi: sed protinùs qui iugiter pereuntibus præbetis auxilium, mihi quæso, dexteram salutis porrigere dignemini, fluctus opprimite, nosque ad littus optatum vestri adiutorij ope deducite. Et hæc dicens, cessante vento, decedentibus vndis, ad littus euecti sunt.

11. *Cæsarius lib. 8. c. 57. de S. Andrea Apostolo*. Quantùm Beatus iste Apostolus se inuocantibus succurrere valeat, sequens narratio declarat. Erant duo Iuuenes iuxta Ecclesiam Sancti Andreæ habitantes, qui pro suis mercationibus remotas prouincias petere solebant. Tempore quodam cùm profecturi essent in Noruegiam, Frater Rainerus Monachus noster, tunc Canonicus Sancti Andreæ in Colonia, sicut ipse mihi retulit, quinque solidos illis dedit, petens, vt ex eis compararent pellem vrsi albam, quales Regio illa gignit ad substratorium coram Altari Sancti Andreæ; Quod cum fecissent, & reuerterentur, tanta orta est in mari tempestas, vt omnes mitteret in desperationem. Hoc ideò factum reor, vt Dominus Apostoli sui virtutem ostenderet. Recordati verò prædicti Iuuenes pellis S. Andreæ, contra procellas intumescentes, ventosque frementes illam cum fide leuauerunt: & ecce Dominus, Apostoli sui meritis, quē de mari vocauit, suffragantibus, imperauit Mari, & ventis, & facta est in ipsa hora tranquillitas magna, vt omnes, qui in naui erant mirarentur. Reuertentes verò Coloniam, denarios reddiderunt, pellem Beato Andreæ gratis offerentes, collati non immemores beneficij.

12. *Ven. Beda li. 3. hist. Gentis Anglorum cap. 15. de Episcopo Aidan*: Presbyter quidam nomine Vtta, multæ grauitatis ac veritatis vir, & ob id omnibus etiam ipsis principibus sęculi honorabilis, cum mitteret Cantiam ob adducendam Coniugem Regis Osuuini, filiam videlicet Eduini Regis Eanfledam, quæ occiso patre illuc fuerat adducta: qui terrestri quidem itinere illò venire, sed nauigio cum Virgine redire disponebat: accessit ad Episcopum Aidanum, obsecrans eum pro se, suisque qui tunc iter erant aggressuri, Domino supplicare. Qui benedicens illos, ac Domino commendans, dedit etiam oleum sanctificatum. Scio, inquiens, quia vbi nauem ascenderitis, tempestas vobis, & ventus contrarius superueniet: sed tu memento, vt hoc oleum quod tibi do, mittas in mare, & statim quiescentibus ventis, serenitas maris vos læta prosequetur, & cupito itinere domum remittet. Quæ cuncta, vt prædixerat antistes, ex ordine completa sunt. Equidem in primis furentibus vndis pelagi, tentabant nautæ anchoris in mare missis nauem retinere, neque hoc agentes, aliquid proficiebant. Cumque mergentibus vndique & implere incipientibus nauem fluctibus, mortem sibi omnes imminere, iam iamque adesse viderent, tandem Presbyter reminiscens verba Antistitis, assumpta ampulla, misit de oleo in pontum, & statim vt prædictum erat, suo quieuit à feruore.

13. *In actis S. Geminiani Episcopi Mutinensis*. Dùm semel nauigaret S. Episcopus, valida tempestas turbidum mare procelosis exagitabat vndis: tunc S. Præsul insignis periculi immanitate motus, statim inuocat Christum, increpat pelagus, adest diuinitas, fugantur inimici, tranquillitas serena subsequitur, optati litoris portus iubente Christo contingitur.

14. *In vita S. Petri Thomasij*. Quodam tempore de Rhodo in Cyprum venire volebat S. Petrus, & ascendit super nauim magnam. Nauigante autem naue, tanta fortuna ipsam arripuit, quòd non expectabant aliud, quàm naufragium: ipse verò in oratione prostratus, & à Deo exauditus, subitò surrexit, & quandam Crucem suam deuotè cum fune, naui periclitāte, in mare proiecit. Et ecce subitò adeò data est tranquillitas Maris, sicut vm quam antea fuerat.

15. Iacobus

15. *Iacobus Bidermanus in vita S. Ignatij lib.3. cap.8.num.66.* Anno 1598. ante IX. Kal. Octobris dum nauis cum Archiepiscopo Granatæ alijsque Societatis Iesu patribus ex insula Cuba soluisset, iamque Iamaicam in conspectu haberet, formidolosa procella in nauim impulit, eamque expugnatura, principem malum facilè conuellit, & carchesia violenter deiecit, simulque vela nauigij vndique perrupit; nec spatium dabatur nautis, dum sarciri, aut integra reponi possent. Inuehebant interim fluctus, & confestim omnia complebant. At vectores depressa naui (quippe quæ sub vndis potiùs ferretur) omnes mortuos se duxere. Interim omnes cum effusis lachrymis S.Ignatium vocāt, eiusque implorant auxilium: & ecce illicò venti, turbinesque posuere, stetit rebellis vnda, & inter omnium gratulationes, qui sibi reuixisse ab inferis videbantur, nauigium insperatò emersit.

16. *Vincentius in Spec.Hist.lib.10.cap.24.* Cùm Sanctus Caurannus Carnotensis in mari iter faceret. Ecce ab orientali plaga dira grando prodijt. Nauis autem vndarum procellis iactabatur, ita vt omnes qui aderant periculum mortis adesse clamarent. Statimque vir Dei oculos in cælum intendens, cum signacula Crucis cōtra ventorum rabiem exhiberet, magna tranquillitas subitò facta est.

17. *In vita S. Francisci Xauerij lib.5. cap.2.* Cùm Xauerius ad Sinas contenderet in naui Odoardi à Gama, sæuissima orta tempestate, ità vt omnes de se actum esse existimarent, gubernator nè repentina procellæ vis scapham auferret, validis eam rudentibus ad onerariam religari iussit, nauantes operam scaphæ nox oppressit, nec ita multo post abruptis retinaculis scapham tempestas abstulit tanto impetu, vt penè temporis momento omnium conspectum effugerit; vt verò quisque cognatos, necessariosque in Scapha habebat, certatim eorum casum deplorare cœperunt. Xauerius ergo vniuersos collachrymantes intuens, bonum eos habere animum iussit, ac prædicit fore, vt ante triduum filia remearet ad matrem, his verbis significans, Scapham ad onerariam redituram; quod & accidit intercessione Sancti, mirantibus cunctis.

18. *Ibid.l.5.c.5.* Cocini paucos moratus dies Xauerius, Malacam eodem mense contendit; in medio ferè cursu procella vectores, nautasque in maximum deduxit periculum; præsentis metus species omnium animos horrore perstrinxerat, cum Xauerius cæteris suam, suorumq; vicem effusè deplorantibus hilari vultu procedit in medium; bono illos esse animo, & omittere timorem iubet, statim conscensa puppi, S.S. Reliquiarum thecam funiculo religatam in fluctus deijcit, & simùl Deum precatus, operam confitentibus daturus, se in cubiculum recipit; mirum dictu, extemplò venti cadunt, sedatur tempestas, sereno cursus cœlo tenetur, gratijs Diuino numini actis, sollicitudo in securitatem versa est.

19. *In actis S. Raimundi de Pennaforti. 7. Ian.* Anno 1596. 6. Martij, cum triremis S.Barbaræ Barcinone versùs Beleares soluisset, medio ferè cursu aduersis, adeoque vehementibus iactata est ventis, vt iam vtrimque vndam hauriret. Erat inter vectores F. Antonius Arayz ex ordine Minimorum: is puluerem S. Raimundi in mare iecit. Posuere venti, secutaque paulò post maris tranquillitas.

20. *Stephanus Pepe in vita S.Caietani P.N.lib. 3. cap.2.* Adriatici Maris furentes æstus quandoque S.P.N.Caietanus, immissa in ipsum firma fide formula ceræ benedictæ, quæ Agnus Dei vocatur, mirabiliter sedauit.

21. *Lyræus.* Anno 1585. Vlyssipone soluerant Goam versùs sex è Societate Iesu Religiosi, vnà cum pluribus alijs, qui eadem naui vehebantur, vento primùm propitio vsi, mox fœda admodùm tempestate vexati. Quamobrem P. Ioannes Gonzales, Sanctorum nominibus pro Societatis pia consuetudine, sorte productis, hoc nimirùm fine, vt quilibet diuum aliquem sortiretur, cuius suffragijs in præsenti periculo Deo commendaretur: cùm chartulam, qua S. Mariæ nomen continebatur, protulisset, ventus in puppim se illicò recepit, marisque sæuitia nonnihil subsedit, quæ si diutiùs perseuerasset, malè cum omnibus actum fuisset.

22. *In vita S. Romualdi Camaldulensium Monachorum institutoris.* Cum à Parentio Liburniæ Oppido soluens nauigaret, & nauis magnis fluctibus iactaretur, omnesque, qui cum eo erant de salute desperarent, pelagi, ventorumque sæuitiam oratione placauit, illum vtique deprecatus, qui ventis & mari imperat, & obediunt ei.

23. *Vincentius in Spec.Hist. lib.26. cap.35.* An. Domini. 1104. Peregrinus quidam à Hierosolyma rediens super oram nauis sedens cecidit: Inuocato autem D. Iacobo Apostolo, quidam socius eius clypeum suum ei in mare iecit; At ille clypeo accepto, D.Iacobo ducente, tribus diebus, & tribus noctibus natans, nauis vestigia secutus, ad optatum portum cum alijs incolumis peruenit.

24. *In actis S.Dominici.* Viro Christianissimo, Comite Montis-fortis, cum Cruce signatis obsidente Tolosam, venerunt peregrini ex Anglia, S. Iacobi limina visitaturi. Ij propter excommunicationem vitantes Tolosam, in nauiculam se contulerunt, vt fluuium transirent. Præ multitudine verò hominum, qui erant ferè quadraginta, depressa est nauis, & omnes submersi sunt, ita vt nec capita ab aquis extarent. Orabat tùm in vicina Ecclesia S. Dominicus, clamoreque pereuntium, & circumstantis exercitus permotus, festinus eò occurrit: cernensque præsentissimum periculum, commiseratione affectus, toto corpore prosternitur, expansis in Crucis formam manibus, flens acerbissimè clamat ad Dominum, vt suos peregrinos seruet à morte. Paulò post surgens ab oratione, conuersus ad fluuium, cum multa in Deo fiducia, ita ait. Præcipio vobis, vt omnes ad litus euadatis. Mira res, sed ab illo facta, qui facit mirabilia magna solus; Confestim ad eam vocem, omnes, qui tamdiù sub aquis pressi latuerant, cunctis cernentibus, qui ad illud triste spectaculum confluxerant, super vndas emerserunt. Mox vndique accurrentes,

tes, porrigentesque eis lanceas, & hastas, vniuersos è fluctibus incolumes eduxerunt, clementiam Saluatoris, & almi eius Confessoris Dominici merita, laude & prædicatione efferentes.

25. *Pepe in mirabilibus S. Caietani. m.* 225. Blasius filius Agnelli de Iuda Neapolitanus, puer tredecim annorum, cum vnà cùm patre ex improuisa tempestate conquassata naui, in qua piscabantur, procùl à littore quatuor milliaribus in mare demersus esset, inuocato Diuo Caietano, statim adfuit ei aquatilis auis, quæ illum natantem præcedens, iter tutum, longèque à scopulis, vbi ferociùs frangebatur mare, demonstrauit, ad littusque perduxit, quò postea, & peruenit pater intercessione D. Caietani à naufragio liberatus.

26. *Idem ibidem, m.* 244. Io: Dominicus Lere, dùm Neapolim nauigaret, sæuissima tempestate, rabidisque ventis, turbatum mare, miseris nauigantibus vltimum minabatur naufragium: cùm ille accepto oleo lampadis D. Caietani, paruas guttulas in mare immersit, & subitò facta est tranquillitas magna, ventique cessere.

27. *Idem ibidem, m.* 197. Quadam vice dùm Neapolitanæ triremes propè Barcinonam, anchoris affixæ subsisterent, sæuissima orta tempestate, vltimum naufragium timebant; vna præcipuè, cui nomen D. Bernardus, iam ab vndis partim submersa; Cum ecce inuocato D. Caietano, naufraga triremis subitò ab aquis mirabiliter emersit, factaque est tranquillitas magna, & Mare placatum. Haud absimili à naufragio inuocatus D. Caietanus mirabiliter liberauit in sinu Laugdunensi triremes Comitis de Castrillo, quæ Neapolim nauigabant.

28. *Idem ibidem, m.* 3. Ioseph. Galanus nauta Neapolitanus maxima afflictus tempestate, ex qua vltimum naufragium cunctis imminebat, inuocato D. Caietani patrocinio, mirabiliter liberatus fuit, statim in summitate mali apparente paruula aue, quæ cantu veluti nubes, ventosque dissipare visa est, neque auolauit quoadusque portum fæliciter tenuerunt.

29. *Vuadingus in ann. Minor. in add. ad tom.* 2. *num.* 15. Visus est sæpè B. Ioannes Prutanus ordinis S. Francisci in profundo Mari cum lumine, nauigantibus, ipsumque inuocantibus, nocte viam ad portum monstrare, & aliquotiès ex fluctibus saluare; & ideo eius imago depingitur cum face ardenti in dextera.

30. *In Annal. S. Dominici Par.* 1. *c.* 25. B. Petrus Consaluus ex ordine Prædicatorum, in sæuientibus procellis à nautis firma fide inuocatus, eisdem, tumescentes vndas, rabidosque ventos compescens, mirabiliter patrocinari sæpè sæpiùs visus est; Vnde Nauigantium Patronus appellatur.

Inuocatione autem diuersorum Sanctorum, non semel atque iterùm, sed quotidie, sæuientes propelluntur marinæ procellæ, quas haud referre est necesse.

Aqua mirabiliter impetrata.

§. 12.

DE huiusmodi Admirandis, cum de Fontibus, & Pluuijs erit sermo, nè etenim eadem repetantur, ibi omnia ad hoc spectantia complectar.

Aqua in alios liquores diuinitùs mutata.

§. 13.

ETiam de huiusmodi mirificis transmutationibus referam quæ reperi, cùm de Admirandis mixtorum conuersionibus.

Aqua benedictæ prodigiosi effectus.

§. 14.

CVm aqua lustralis ad sacramentalium genus reducatur, ideò & de ipsa cum de Benedictionibus, tom. 2.

APPENDIX I. AD CAPVT IV.

De Admirandis circa aquam, quorum adhùc apparent indicia.

REmanent recolenda Admiranda, quæ circa aquam licet præteritis euenere sæculis, eorum tamen adhùc conseruantur indicia, ceù & ipsis cæcutientibus euidentissimi testes omnipotentiæ diuinę. De quibus.

1. *In vita S. Patritij cap.* 30. Cùm ad quendam locum qui vocatur Aonach-Tailltion diuertisset S. Patritius, aliquid quietis, & refrigerij sumendi causa, ab incolis illius loci idololatris expulsus est; at Deus iniuriam Sancto illatam, non permisit iri inultam: terram namque eorum fructiferam conuertit in salsuginem, quia mare insolito rheumatis nouo profluuio illam operuit, & vt inhabitabilis fieret in æternum, in paludem vliginosam est conuersa.

2. *Ibidem cap.* 90. Fluuium magnum, & intransuadabile, Boallum nomine, cum defuisset ipsi nauigium, oratione facta, diuisit, & liberum sibi, seque sequentibus exhibuit transitum; Erecta deinde dextera, flumen illud benedixit, miroque modo vsque in præsens, in Orientali parte ab equitantibus, & peditibus potest transuadari, & nullus in Occidentali parte transitus, nisi nauigio valet inueniri.

3. *In actis S. Kentigerni Episcopi apud Boll.* 13. *Ian.* Intelligens vir Dei emulorum suorum inuidiam simùl, & timens populi fauorem, & honorem, loco cedere deliberauit; reuelatumque est ei propositum suum in oculis Domini gratum fore, & acceptum. Igitur clàm recedens, ad Mallenam fluuium venit; qui ex maris rheumate influente alueum suum excedens, omnem transeundi spem penitùs ademit. Dominus autem, qui mare rubrum diuisit, & populum Israel siccis pedibus per medium eius quondam eduxit, ipse Mallenam fluuium seruo suo diuisit; fueruntque quasi muri à

dextris,

dextris, & à sinistris. Deindè brachiolum marinum per pontem transiens, repentino impetu aquas alueum implere, & transitum cuilibet negare vidit. Locus autem ille in posterum transmeabilis fuit; & pons aquis maris deinceps contectus, nulli vlteriùs transeundi præbuit facultatem. Mallena etiam fluuius cursum suum relinquens, in Ledonis fluuij alueum deinceps se retorsit: sicque duo fluuij vsque tunc diuersi, à die illa commixti sunt.

4. *In actis S.S. Feb. tom. 1. in Contin. Bollandi*. Sancta Brigida Kildariensis Abbatissa, quoddam flumen de loco suo ad alterum locum mutauit, quod vsque nunc, sicut ipsa disposuit, currit; & primus alueus illius vsque in hodiernum diem hominibus apparet.

5. *In actis S. S. Martij tom. 2. in Continuat. Bollandi*. Cum S. Endeus Abbas Araniensis in Insulam Arann ingressus esset, vt ibi Monasteria ædificaret; Corbanus Ægyptius, qui Insulæ præerat, renuebat eam illi concedere; quadam ergo die dolium magnum fieri iussit, quod semine farris implens, dixit; si Deus, quem Endeus prædicat, vult vt insulam ille possideat, mittat hoc dolium farre plenum ad ipsum in Insula commorantem. Mirum dictu, quod narro. Nam posito dolio in littore maris, ecce Angeli aduenìunt, & eorum ministerio transmisit Dominus hoc dolium farris Sancto Endeo (& vt ferunt periti, de hoc genere farris semen habetur in Insula vsque ad præsens; Item adhùc asserunt, quòd vestigium illius dolij apparet in mare, quoad maris serenitatem: ita quod non vndescit mare in via, per quam transijt dolium; sed serenitas semper ibi permanet) Locus verò, vbi mirabiliter adductum est ad Insulam, vocatur Portus dolij vsque in hodiernam diem. Videns verò Corbanus tantum miraculum, veniens ipse ad virum Dei, Insulam illi, & Deo dedit in sempiternum.

6. *In actis S.S. Martij to. 2. in Contin. Bollandi*. Locus Insulæ (Britanniæ) quæ vsque modo Monasterium Hylduti vocatur ex diutina habitatione B. Hylduti, marinorum fluctuum accessu maximè arctabatur, super qua re inito consilio discipuli Beati Hylduti, magistrum humiliter adeunt, quem, vt Deo orationem funderet, hortati sunt. Quod ille audiens, vitæ eorum conscius, secùm eos iubet orare, idemque exposcere. Longèque protracta oratione, Deum deprecatus est, vt aquas illas ab eorum confinio dignaretur retrahere: & ecce protinùs mare à loco discedere cœpit, & è vestigio comitantibus eisdem discipulis vsque ad littus aluei magister cum baculo peruenit: quo signum faciens in margine maris, ne denuò transiret facti signi terminum, legem mari Sanctus homo imposuit, quam vsque hodie virtute S. S. Trinitatis præstante custodit.

7. *Benedictus Gononus in vitis P. P. Occidentalium libr. primo*. Abdicato Episcopatu, in quadam paruula maris Insula se receperat Sanctus Guduualus in Britannia, vbi multos discipulos ibi collegit. Cui sanctæ multitudini, cùm loci angustia ægrè sufficeret, vir Beatus cum Deo tractans, magnaque Dei fretus potentia, cum mare suo modo recedens, vasta illic arenarum spatia detecta relinqueret, virga, quam manu gestabat, certa arenis vestigia imprimens, in Christi nomine præcepit vndis, ne illa vnquam trasgrederentur. Vidisses ad eas voces Sancti Viri indomabile pelagus mitescere, suos cohibere impetus, tumores remittere. Et ecce in hunc vsque diem leges sibi præfixas mare transgredi non audet.

8. *Surius in Nouembri*. Sanctum Maclouium Episcopum, adhùc puerum & in littore dormientem, mare exerescens, ne ingurgitaret, vndique locum vbi quiescebat, circumuallauit vndis; qui locus vsq; adhùc in medio Oceano videtur vt parua Insula eminere, illumque æstus marini obruere haùd audent.

9. *S. Antoninus 2. par. Chron. tit. 12. capit. 8. §. 10.* Diuerterat iter suum ad Domum suæ germanæ super littus Britannici maris sitam, Sanctus Paulus Episcopus Leonensis, cùm post multa ab ea rogatus fuit, vt sua oratione impetraret à Deo, vt fluctus maris recederent, & terra ibidem ampliori spatio pateret: orauit vir Sanctus, & statim mare vndas retrahere, & tellus sicca apparere mirabili ordine cœpit, sicque circa mille passus aquis exhausta, dilatata est terra. Præcepit deinde Sanctus pater sorori, vt in manibus lapillos de noua terra, vsque ad summum marginem maris deferret, eosque in latitudinem ripæ spatiosæ deponeret. Quibus peractis, genua Deo in orationem super ripam maris flectunt; Qua finita, Paulus ad mare conuersus ait: Lapilli, quos tuis finibus imposui, sint in signum inter me, & te, vt denuò nunquam eos transgredi, nec nostra territoria audeas ingredi. Cuius sermonis imperium vsque hodiè conseruat inuiolabile horrendum maris elementum. Cumque reuerterentur domum, subitò, mirabile dictu, viderunt præfatos lapillos, quos Beata soror deportauerat, Diuina virtute, quæ cuncta creauit ex nihilo, factas lapideas miræ magnitudinis columnas; miro modo agente Diuina clementia, vt res simplex postulata redderetur duplicata, & perpetuò cerneretur virtus secunda, si torpore negligentiæ aboleretur prima. Viam quoque, quam ea die tenuerunt per medias illas columnas incedentes, adhùc à transmarinis Britonibus, semita Pauli vocatur.

10. *Vadingus in annal. Minorum, anno 1333. numero vigesimo sexto*. Beata Kunegundis Regina Poloniæ, postquam Clarissis nomen dedisset, perrexit ad fontem à Monasterio P. M. distantem, ex quo fluuiolus manabat, atque immissum baculum in fluuiolum non longè à fonte originario, domum rediens per terram toto traxit itinere. Aqua, dimisso priori cursu, quo deorsùm fluebat, montem ascendentem versùs oppidum sequebatur; Eundem adhùc cursum seruat fluuiolus.

11. *Hyppolitus Marraccius in Purpura Mariana cap.* 22. §. 8. Cum Eridanus quondam suas ripas transgressus, alluuione maxima circumpositos agros & terras deuastasset, Bernardus de Vbertis, Ordinis Vallis vmbrosæ (qui sanctissimæ vitæ, doctrinam singularem adiunxit) accedens, Deiparam genuflexus deprecatus est, quatenùs alluuionis cessationem impetraret à filio. Mirabile dictu. Precatione absoluta, viro Dei propiùs flumen accedente, illa ingens aquarum moles, quasi Bernardi verita præsentiam, retrogredi cœpit, denique vasto fragore congeries illa collisa, proprio in alueo conquieuit. Quibus actis, iterùm vir Sanctus orationem repetijt, cumque Deiparæ gratias egisset, flumini in nomine Domini imperauit, ne in posterum terris illis, quas tunc ferè funditùs deuastarat, molestum esse auderet; & factum est (vt aiunt) vsque in præsentem diem.

12. *In.m.s.* In Territorio Traniensi, in loco Italicè *Giegno* propè Ecclesiam S. Mariæ de Columna P. P. Minorum obseruantiæ S. Francisci, Lacusculus aquæ amaræ reperitur, tantæ profunditatis, vt ea attingi quouis ablongo fune haud queat: traditur autem prodigiosè efformatum fuisse; dum etenim eodem in loco duo Compatres, cæcus vnus, alter infidus, diuiderent manipulos segetum, quos ex seminibus ab vtroque seminatis collegerant, infidusque cæcum defraudasset, illicò aperta vorago, lacusque prædictus, illum, currum cum bobus, segetesque deglutiuit, cæcus verò incolumis supra lapidem, qui vsque hodie visitur, remansit.

13. *Bzou. an.* 1282. *num.* 14. *ex Giraldo*. Hoc anno in agro Ferrariensi, cui nomen Vallis de aqua, quædam salutaris vnda terræ visceribus, dies noctesque effluens, lacum confecit, quem Gatulam appellarunt, cuius sanè aquæ virtute illi diuinitùs infusa, cuiuscumque generis infirmi pristinam sanitatem recuperabant; ad hunc locum varia hominum genera tanta frequentia confluxere, vt eo die quo Diui Ioannis Baptistæ sacra solemnia celebrantur (eo enim festo die ægris vnda salutaris erat) ibi triginta hominum millia fuerint reperta. Inualuerat autem opinio, Beatæ Annæ sepulchrum eo in lacu delitescere. Quo lacu post modùm ad imas telluris partes, vnde effluxerat, reuocato, arbitror, in rei illius memoriam, eam quæ Ferrariæ nunc extat hospitalem Sanctæ Annæ Domum, pro infirmis curandis, erectam fuisse.

Aquæ steriles, piscibusque carentes ex iusta maledictione seruorum Dei, hucùsque eadem affectæ sterilitate multis in prouincijs reperiuntur; sed de his, cum de Animalibus, & præcipuè de Piscibus.

APPENDIX II. AD CAPVT IV.

De Admirandis circa Aquam adhùc perennantibus.

PErennia Admiranda, & in fluido Elemento experimur, illisque constantior, & firmior euadit catholica fides. Sunt autem.

1. *Gregorius Turonensis de Gl. Mart. l.* 1. *cap.* 6. *de clauis Saluatoris*. Eo tempore Adriaticum mare magnis fluctibus mouebatur: in quo tàm frequentia erant naufragia, & demersio hominum, vt vorago nauigantium diceretur: tunc prouida Helena Regina condolens excidia miserorum, vnum ex quatuor clauis deponi iubet in Pelagus, confisa de Domini misericordia, quòd sæuas fluctuum commotiones facilè posset opprimere. Quo facto, redditur mare quietum, tranquillaque deinceps nauigantibus flabra præstantur. Vnde vsque hodiè nautæ sanctificatum mare venerantur, & cum ingressi fuerint, ieiunijs, orationibus, & psalterio vacant.

2. *Vghellus in Ital. Sacr. tom.* 6. *Surentini Episcopi*. Erat quondam in media Ciuitate Surentina, templum idolis dicatum, in quo profanus horror gentilium multas posuerat effigies simulacrorum: hic tanta delusio dæmonum, tantus contrariæ potestatis fiebat concursus, vt nulli impunè facilis pateret accessus; semel autem ipsum Principem Ciuitatis iuxtà præfatum templum propè Solis occasum equitantem, in specie ludentium mulierum, dæmonum copiosa turba circumdedit: illis cum vnguibus, & morsibus parantibus dilaniare, totumque sibi certatim conuellere. Vni illarum, quo erat accinctus gladio brachium amputans, concitò equo tremebundus euasit. Res mira, & nisi qui viderant fidem facerent, non credenda; Nam idoli brachium die postera, quasi ferro abscissum in terra inuenerunt. Inuentum cum cæteris simulacris sustulerunt, & sublata in mare proximum proiecerunt; in quo eam, quam priùs in terris, adhùc videntur exercere sæuitiam: & eam, quam nequeunt super terram, sub ipsis aquis adhùc intentare creduntur malitiam. Nam ipsum mare Surentini portus, quod ante illud tempus omni fuerat tempestate immune, nullis æstuabat procellis; postmodum, vt cætera maria, & procellis, & pelagi tumultibus mansit obnoxium.

3. *Aloysius Torellus in Hist. Augustiniana an. Christi* 505. Postquam in Sardiniam translatum fuit corpus Sancti Augustini Episcopi, mare totam Insulam circumdans, quod priùs continuis agitabatur tempestatibus, cœpit mitescere, deincepsque tranquillitatem perennem conseruauit.

4. *In actis S. S. Feb. tom.* 3. *in Cont. Bollandi.* Quadam vice S. Georgius Episcopus Amastrenus in Paphlagonia per portum Euxinum nauigabat, cumque peruenisset ad locum, vbi Sangarij amnis per

per Galatiam fluentis aluus in mare euoluitur, & ad ipsum ostium applicaret, illic inter vndam fluuialem, ac maris æstum quædam velut pugna exorta est; cum & illa magno impetu delaberetur, & mare exasperatum, fluctus suos in terram expueret. Ad hæc ventus flare à terra cœpit, nec leui pauore nautas perculsit, velut quos cum naui videretur in profundum demersuros, cùm tunc ex sinistri cuiusdam dæmonis impulsu vehementiùs spiraret, vt & fluctus dissecaret, quasique cachinans strepitum veluti bullientis æstus excitaret. At paulò post remigio ad terram repulsa est nauis, è qua egressus vir Sanctus, inque littoris aggere stans, sublatis in cœlum manibus, ventum increpuit, ac tempestatem sedauit: nec vnquam deinceps violenti eiusmodi flatus eum locum infestarunt. Sancti imperio veluti ineuitabili quopiam vinculo cohibiti.

5. *Horat. Tursell. in vita Sancti Francisci Xauerij libr. 6. capit.* 2. Non leue est virtutis pietatisque eius monumentum, quod mare Sancianicum furioso quodam vento (Typhoni nomen est) & crebris naufragijs antea infame, ex quo tempore Franciscus Sancianum Insulam sacris mysterijs inibi peractis velut expiauit, adeò sedatum, placatumque est, vt Typhone fermè cessante, raró admodum sæuiat in naues. Tantum, seù Xauerij pietas, seù Missæ sanctitas valuit.

6. *Siluester Petra Sancta, in mirac. perpet. cap.* 12. Quotiescumque contrarijs agitatum procellis ferocescit Liguricum mare, ferè semper infallibili, & mirabili euentu, cineribus S. Ioannis Baptistæ expositis, illisque benedictum mare, mitescere, ad placidamque tranquillitatem redire obseruatur.

7. *Bartholomæus Vitalis in vita Sancti Herculiani Episcopi Brixiæ.* Inter cætera, quæ de hoc Sanctissimo viro prodita sunt, hæc non omittam, sicuti à Maternienfibus diligenter obseruatum fuisse accepimus: scilicet quo loco diuinitùs acta nauicula, ipsius dumtaxat beati Herculiani corpore (vti diximus) vectore, Materno iter retinuit; aquam indè tunc potu iucundiorem, ac saluberrimam hauriri, ægrotisque præberi: Neminemque, licet illùc etiam infantes sæpè numero ceciderint, vllo vnquam tempore, & si tunc periculosi, ac ferè immensi existeret profundi, esse demersum.

8. *Io. Eusebius Nieremberg. de miraculis Europæ lib.* 1. *cap.* 22. In Mongiæ portu excrescentes Maris fluctus dum æstus est, Cruces formant in saxis, quæ ibi alluunt tumescendo, eæque mari dein refluo, ac detumescente apparent, quasi essent sculptæ artificis manu, sed mox altero æstu omnes delentur, & aliæ imprimuntur in rupis illius diuersis partibus, & sic deinceps ludere Crucibus Pontus videtur.

9. *Petra Sancta in mirac. perp. cap.* 20. In Oppido Huensi in Belgio sepulchrum Sancti Moreni, aquæ Mosæ vltrà ripas exundantis, nunquam attingunt.

10. *Idem ibidem cap.* 30. Item in Hibernia Fons est, cui nomen à S. Modesta in pago Timulileng, ex quo fonte si potet is, qui perierat, ex ventre aquam eam vniuersam statim egerit, & postea superest rupturæ cicatrix.

11. *Idem eodem loco cap.* 20. De sepulchro Sanctæ Irenæ in Lusitania (quod incolæ finitimi quotannis inuisunt, sponte refluo semper mari, ac siccam in arena semitam eis præbente) illud ratum habetur, æstu ipso, & multò magis exortis fædis tempestatibus hoc sepulchrum assiduè quati, ac vehementissimè, vt ita dicam arietari, nec moueri loco tamen, aut aliò fluctibus protrudi.

12. *Petrus de Natalibus libr. nono cap.* 71. *de Apparitione S. Michaelis Archangeli.* In monte Gargano, in quo apparuit S. Michael Archangelus, celebratur huiusmodi apparitio 17. Kal. Nouembris. Ille enim mons Oceano cingitur, sed bis in die festo S. Michaelis prædicto, iter præbens populo aperitur.

13. *Petrus Berchorius in Reduc. mor. libr.* 14. *cap.* 3. Propè Vienna dicitur esse quidam Puteus, in quem Pilati corpus post mortem proiectum esse fama est. In hunc si lapidem ieceris, tempestates, & tonitrua illicò suscitantur.

14. *In Chron. Ord. B. M. de Mercede. de Beata Maria de subsidio Virgine huius Ordinis.* Huius sanctæ Virginis auxilium Nauigantes in Maris periculis constituti implorare solent. Cuius intercessione, & meritis plures liberati sunt. Ob id in Ecclesijs nostri ordinis depingitur habens in manu dextera nauiculam subleuatam; quasi insinuare volens, quòd in manu eius, est super aquas maris, potestas, & imperium.

15. *Bozius de signis Eccles. lib.* 2. *cap.* 7. Ait Burcardus, fruticem Balsami, qui est in quodam Horto Ægypti non edere vllum ex se fructum, nisi irrigetur fonte vicino, in quo B. Maria sæpiùs Iesum lauit; Saracenosque frustrà expertos irrigare alijs aquis: quamobrem duxisse in illum fontem aliundè aquam, vt virtutem diuinam indè hauriens, abundè sufficeret ad irrigationem.

16. *Surius in vita Sanctæ Mariæ Magdalenæ.* Lapis, super quem Sancta Maria Magdalena in specu Massiliensi genibus flexis ad Dominum feruentes effundebat preces, vsque adhùc, cæteris alijs circumstantibus madefactis, nulla vnquam nec humiditate aspersus obseruatur.

17. *Ex. m. s.* In Ciuitate Claromontis in Gallia, quodam in loco vulgò *Mantas*, admirabilis reperitur fons, qui in peruigilio Sancti Petri, licet spurcicijs, terra, lutoque sit conspurcatus, in die festiuo eiusdem Sancti limpidus, crystallinusque, nulla humana opera, mirabiliter apparet.

18. *In Martyrol. Gallic.* 30. *Aug. de S. Fiacrio Eremita.* Vsu hactenùs compertum est, si quis tantillum aquæ, in quam immergitur Sacrum pignus, Reliquiæ scilicet Sancti Fiacrij, morbo quocumque laboret, cum fide infuderit: optatam continuò medelam consequi, Beati Confes-

foris virtute. Quin & aqua ipsa, quæ hac benedictione donatur, ad longos annos limpida manet, suauis, ac incorrupta.

19. *Greg. Turonensis libr. 4. mirac. S. Martini cap. 10.* Est apud nos patena colore saphurnio, quam dicitur Sanctus de Maximi Imperatoris thesauro detulisse; de qua super frigoreticos virtus sæpè procedit. Nam si in accessu febrium quis positus, qui cum tremore fieri solet, aduenerit, & de ea aquam hauserit, mox sanatur. Est & apud Condatensem vicum, alia quoque patena à Sancto exhibita olocrystallina, simile infirmis beneficium præbens, si fideliter expetitur. Bodilo vnus de notarijs nostris, cum stomachi lassitudine animo turbatus erat, ita vt, nec scribere iuxta consuetudinem, nec excipere, quæ ei dictabantur poterat. Tunc cùm sæpiùs verbis increparetur, super hanc Beati viri patenam, quam nobiscum esse diximus, aquam fudit, ipsamque ore transponit. Mox sensui suo redditus, opus officij sagaciùs, quàm consueuerat, expediebat.

20. *Petra Sancta in mirac. perpetuis cap. 12.* Sanctus Quirinus Nouesij sanat quotquot laborant erysipelate, nec alio medicamento, quàm aqua eius sacris reliquijs inaugurata, ea enim cùm proluitur morbus, illicò etiam detegitur.

21. *Franciscus Ballarinus par. 3. Compend. Chronolog. Nouocomi.* Aqua benedicta à contactu sanctissimi Claui Domini nostri Iesu Christi, qui in Ecclesia Sancti Ioannis vulgò *di Torno*, propè Nouocomum piè colitur, ab infirmis ebibita, eisdem sanitatem impertitur sæpè sæpiùs.

22. *Paulus Regius par. 2. in vita Sancti Aspremi cap. 5.* Neapoli quotannis benedicitur aqua ad honorem Sanctæ Candidæ cum reliquijs eiusdem Diuæ, quam deuotè, & firma fide bibentes, qui febri, præcipuè quartana, laborant, per intercessionem S. Virginis ab ea mirificè liberantur.

23. *In. m. s.* In Oppido Vandagitiæ in finibus Venetorum requiescit Corpus Sancti Theobaldi Monachi Camaldulensis; cuius manu, quæ adhùc integra conseruatur, quotannis magna quantitas aquæ benedicitur, quæ per intercessionem prædicti Sancti multùm prodest oculorum infirmitatibus, multisque lumen deperditum restituit.

24. *Gonzaga in Prouincia Aragoniæ, de Conuentu Dominæ nostræ de Monlora.* Est hoc monasterium vnum ex totius Prouinciæ deuotioribus, atque amœnioribus, in cuius sacrario, cuiusdam beati Patris Didaci Minoritæ os asseruatur. Hoc si aqua perfundatur, & illa armenta respergi contigerit, à quauis infirmitate liberantur. Qua etiam de causa præsens locus pastoribus celeberrimus est.

25. *Idem in Prouincia Carthaginensi, de Conuentu sancti Francisci Huetæ.* Ea lapidea Seraphici Patris Francisci Imago super præcipuum altare erecta, à perfido quodam Iudæo per ludibrium fabrefacta dicitur. Quod an ita sit, Dominus nouit. Hoc tamen certissimum est, quòd aqua eius cicatricibus infusa, morbos à gregibus, si tactæ pecudes ipsa respergantur, abigit.

26. *Idem in Prouincia Basilicata, de Conuentu S. Mariæ de sepulchro Potentiæ.* Habetur hic quoddam os sancti Patritij, quod dæmoniacis, ac à serpentibus ictis, atque rabie laborantibus, si aqua, cui immersum fuerit, ab ijs epota sit, maximè confert, ac intrà breue temporis spatium eos curat.

27. *Ex. m. s.* Aqua, in quam immersa fuerit aliqua pars reliquiarum nostri B. Andreę Auellini, deuotè ab infirmis hausta, admirabilem illis sæpè sæpiùs confert sanitatem.

28. *S. Antoninus 2. par. Chro. tit. 13. cap. 6. §. 14.* Puluisculus lauaturæ reliquiarum S. Osuualdi Regis Anglorum, mentis impotes sanat. Stipes, qui recentem eius cruorem susceperat, lotura sua sanitatem tribuit desperatis.

29. *Bozius de Sign. Eccl. lib. 15. cap. 10.* Eugubij est corpus integrum S. Iannuariæ Virginis, & ad carnem lanea veste indutum, quæ passim sanguineis quibusdam maculis est aspersa. Hanc abluunt Virgines, quibus id est curæ, & aqua huiusmodi lotionis aduersùs omne morborum genus mirificè valet.

CAPVT V.

De Admirandis circa Terram, diuersum situm mutantem. §. I.

Ad Admiranda circa Terram tandem dirigenda est enarratio; licet enim cæterorum Elementorum ignobilior, sicuti eam auctor naturæ proprijs vestigijs non dedignatus est sanctificare, ita & Admirandorum Diuinæ potentiæ nobile semper extitit theatrum. Et quia iuxta inditæ naturæ exigentiam de naturali situ moueri haùd petit, iuxta Eccl. 1. *terra autem in æternum stat*; præter naturam, & Admirandi cunctis semper apparuere effectus, quibus arcanis modis, varios nùnc situs, nùnc positiones, mirabiliter acquirere visa est. De quibus.

1. *In actis S. S. Martij tom. 3. in Cont. Bollandi.* Cùm S. Endeus Abbas Araniensis in Hibernia petijsset à Rege, vt insulam, quæ Arann dicitur, sibi donaret, in qua sua monasteria ædificare posset, respondit ei Rex; Insulam, quam non vidi, quomodo possum offerre? respondit tunc S. Endeus, sequere me ad Australem partē ab oppido tuo. Quod cum Rex fecisset, steterunt in loco, qui Isel dicitur. Dixitq; Endeus Regi: Flecte genua tua ò Rex, & pone faciem tuam super bases pedum meorum, posuit ergo Rex, vt præcepit Sanctus faciem super pedes S. Endei, inclinans se super genua sua. Tunc res mira accidit, ac vehementer stupenda, releuauit enim se terra in altum sub vtroque, & tunc viderunt de facili Insulam sæpè dictam. Dixitque Rex: Bona est ista terra, quam conspicio. Dixitque S. Endeus. Offer ergo illam in sacrificium Deo, &

mihi; tunc obtulit Rex Insulam Deo, & Sancto Endeo.

2. *Iocelinus in vita S.Patritij cap.* 104. Sanctus Patritius Apostolus Hiberniæ ad fluuium venerat inter Midiam & Connactiam situm, Synniam nomine, qui erat ita tumido atque irato gurgite, vt traijcere ad ripam vlteriorem, nec nauigio quidem satis esse tutum videretur. Proindè supplex Numini fuit, rogauitque, vt transmittere amnem liceret: & confestim terra, ex medio eius alueo emergens, securum ei transitum præbuit.

3. *In Hist. S.Gildæ cap.*17. Erat quoddam stagnum, in cuius portu residebant latrunculi: qui nudos ac verberatos, sæpè etiam semiuiuos permittebant abire illùc aduenientes. De quorum nequitia, homines circumquaque ibi habitantes vehementer commoti, cum per se, illos illinc non valerent expellere, præsidium Sancti exposcunt. Qui perueniens vsque ad os stagni, exorat Dominum, vt concludat illius stagni aditum. Completa itaque oratione, ex arena erectus est tumulus magnus, vbi priùs malignorum ad insidiandum erat locus. Quod miraculum cernentes, qui cum sancto viro illùc aduenerant, Deum glorificauerunt, ac Sanctum Gildam deinceps in magna veneratione habuerunt.

4. *Io: Colg. in vita S.Dauidis. 1. Martij.* Dum clara voce omnibus audientibus prædicaret, terra sub pedibus eius crescens attollitur in altum, & ab omnibus communiter ipse cernitur tanquam in monte stans, quasi tuba esset, exaltauit vocem suam, & hæresim confundens, & fidem orthodoxam corroborans, omnes veritati consentiunt, & gratias Deo, & suo Sancto vnanimiter persoluunt.

5. *Florentinius in Martyrol. vetustiori, exercitat.* 2. Quo tempore ex admirando niuium miraculo extructa fuit Romæ mirabilis Ecclesia S. Mariæ Maioris, cùm Pontifex Liberius cum multitudine populi accessisset ad locum miraculosa niue conspersum, cæpissetque proprijs manibus terram effodere in circuitu niuium, ad iacenda construendæ Basilicæ fundamenta, ecce priori miraculo, aliud diuina dispositione successit. Fluida terra subitò se ipsam aperuit, & vbi iacenda essent fundamenta demonstrans, astantium animos incredibili lætitia, & admiratione repleuit.

6. *Georgius Garnefelt de vitis Eremitarum.* Sanctus Fiacrius ex Hibernia nobilibus ortus parentibus, in Galliam venit ad S. Faronem Episcopũ Meldensem, à quo locum obtinuit pro solitaria vita agenda: Cumque à S. Episcopo nemoris partem postularet pro horto faciendo, & tantum obtinuisset, quantum vna die fodiendo posset circumdare: mox præmissa oratione baculum suum traxit per terram, & ecce terra dehiscebat, nemusque hinc indè corruebat.

7. *Torellus in Hist. Augustiniana an.* 725. Morabatur S.Fructus Eremita Hispanus in Eremo propè Ciuitatem Segobiæ à Mauris deuastatam & obsessam; cum quadam die videntes Saraceni multos ciues ad eum locum confugere, diuitias, & aurum illùc transferre existimantes, eò & ipsi armata manu ire tentauerunt. Tùm Sanctus Eremita in Domino confidens, ascendens in vicino colle, præcepit eis, ne ampliùs accederent, defixoque humi baculo, statim magna vorago in terra apparuit, progressum inimicis impediens, quo miraculo attoniti, reuersi sunt.

8. *In actis S.Mochuæ cap.* 5. *apud Bolland.* 1. *Ian.* Mogiam principatum ingressus, in Amalgam insulam statuit transmittere. Ad id cum nauigij copia non fuisset, Deum orat; Mox ita terra creuit, vt posteà Amalga pedibus adiri possit.

9. *Ibidem* 31. *Ianuarij.* Cum Sanctus Maedhog eiusque socij iussu Dei ad prouinciam Connactorum progrederentur, vt Guarium Aidhui eorumdem Regem grauibus doloribus afflictum curarent, transgresso lacu, duos viros inuenerunt in agro, quibus S.Maedhog ait: Indicate nobis bonam viam, qui responderunt: In his locis non est aliqua via vobis; vnus eorum dixit eis: Si boni Clerici estis, de locis asperis, planum iter facietis: Tunc Sanctus Senior ait Mochuda, benedicens viam; Dominus scit quomodo sumus: sed ipse potest planum iter nobis facere, sicuti tu dicis. Ad hanc vocem, plana via per montes & siluas, & grunnas sine vllo impedimento vsque ad Monasterium quod dicitur Keall-Muduach, vbi erat Rex Conactorum Guarius Ayni infirmus facta est.

10. *Conradus Abb. Vspergensis in Chronico, an.* 427. Angelus Domini in habitu pastoris apparens, deduxit Asparem, & qui cum eo erant, per paludem quæ Rauennæ adiacuit, priùs inuiam, quam tunc Deus fecit peruiam: venientesque Rauennam, portas inuenerunt apertas, & ingredientes, tyrannum Ioannem occiderunt, Ardubarium à vinculis absoluerunt.

11. *Colganus in vita S.Ædi Episcopi.* Iussus à Superiore arrare, iuit statim, & cultrum suum (hoc est vomerem) alteri homini indigenti Sanctus Aedus dedit, & ipse postea sine cultro cœpit arrare: Sed diuina potentia terra ante eum scindebatur.

12. In *Annal. Min. ann.* 1215. *num.* 20. *de Sancto Francisco, dùm esset Fabriani.* Audiens vir sanctus quarto ab illo loco milliario ad Appennini montis radices in valle Saxi, inter altos colles, remotum à turbis, & asperum fuisse locum, inibique Ecclesiam Beatæ Mariæ consecratam, contiguumque Monasterium derelictum à sanctimonialibus Sancti Benedicti, quæ ingrauescente bello iam aliquot ante annis Fabrianum se receperant; ob summam erga Sacratissimam Virginem deuotionem incredibilemque solitudinis affectum, voluit illùc ire, vt si videretur idoneus ad habitandum locus, eum suis fratribus obtineret, tùm vt non esset Beatæ Virginis ædes absque cultu, tùm vt in pio & solitario loco commodiùs Religiosi cælestibus intenderent meditationibus. Dum autem eò se conferret cum socio absque alio ductore, atque in itinere oberrarent, petijt à quodam agricola, agellum arante, vt eos comitaretur, & eò vsque vellet perducere. Ille autem indignabundus: Quid, inquit, ego aratrum propter vos deseram, tempusque agriculturæ statutum vestro teram in obsequio?

At S.Pater blando & pio sermone hominem flexit, certo certius ei promittens, nihil temporis inaniter elapsurum, neque ipsum quicquam dispendij in agriculturæ intermissione passurum. Ducens ergo pios exploratores ad locum, acceptaque benedictione rediens ad campum, quem incultum discedens reliquit, aratum iam totum inuenit.

Alia his similia notabuntur cùm de Admirandis translationibus montium, & lapidum.

Terra sterilis fœcundatur; & fœcunda sterilescit. §. 2.

QVam ob peccatum deperdidit fœcunditatem commune elementum, hanc illi meritis Sanctorum quandoque restitui, admiratur mundus; sicuti è contra, frugiferum, subitò ex culpa sterilescere. De quibus Admirandis.

1. *Odoricus Raynaldus in An. Eccles. an.*1523. Ager quidam, per quem iter facere solebat B.Benno Episcopus Misnensis, omnes, qui in ea vicinia sunt agros, vbertate superat.

2. *Bozius de signis Eccl.l.*15.*c.*15.Terra, in qua Heimerannus Episcopus Ratisponensis occisus est, virebat semper, ab imbribus & niuibus illæsa, donec ab indigenis est ibi extructum templum.

3. *Idem ibidem lib.*22.*cap.*6.Terræ Germanicæ, quæ olim maxima laborabant sterilitate, ex quo Christi iugo ceruices subiecere, mira fœcunditate ditari cœpere.

4. *In vitis Patrum lib.*2.*cap.*9. *Copres de se loquens*. Terra regionis huius, quæ in vicino nobis posita colitur, sterilis valdè, & infructuosa fuit, ita vt si quando à colentibus semina ex necessitate suscepit, duplicata vix redderet. Vermes enim quidam nascebantur in ipsis germinum culmis, & ascendentem segetem succidebant. Erant enim agricolæ loci ipsius gentiles. Hos cùm docuissemus Deum credere, & fidem Christi recipere, Christiani iam facti, veniunt ad nos, rogantes vt oraremus Dominum pro segetibus ipsorum. Et cum diceremus eis, nos quidem oraturos, sed fidem ipsorum requiri apud Deum, quæ hoc percipere mereatur; illi ex arena hac, quæ calcatur à nobis, sinus suos replentes obtulerunt nobis rogantes, vt in nomine Domini benediceremus. Et ego aio ad eos: Secundùm fidem vestram fiat vobis. Tunc illi auferentes arenam secùm, miscuerunt seminibus; quæ seminaturi erant, & sparserunt per agros suos, & tantum fructum collegerunt, quantum nulla vsquam potuit Ægypti terra colligere. Ex eo ergo consuetudo est eis, bis per annos singulos venire ad nos, & eadem expectare à nobis.

5. *Masculus in encomijs S.S.*4. *Iannuarij de S. Rigoberto*. Cum à magno Pipino parte præcipua agri donatus fuisset, fama est, ver ibi deinceps fuisse perpetuum, hyeme media flagrasse floribus solum: eam solam regionem, nunquam passam ictum fulminis: ad eius fines iram deferbuisse ventorum; Sol videlicet erat moderator temporum.

6. *Benedictus Gononus in vitis P.P. Occidentalium li.*1.Cum S.Machutes Episcopus, in quosdam qui iura Ecclesiastica vsurpare tentabant, excommunicationis, & maledictionis sententiam inflixisset; eius maledictionis vim, etiam terra præsensit; sterilis enim, & impotens germinandi, & procreandi fruges euasit.

7. *In vita S.Canuti cap.*31. Ex quo furoris sui rabiem vesana multitudo in Principem religiosum euomuit, agri fructibus steriles, prata herbis attenuantur, silua glandibus rara infœcunda permansit.

8. *Rogerius apud Baronium an.* 1194. Cum Leopoldus Dux Austriæ adhùc permaneret in sententia excommunicationis, quam Pontifex in eum tulerat propter captionem Richardi Regis Anglię, nec pœniteret; flagellauit Dominus terram suam; cum enim in media æstate soleat, & debeat omnis terra virere, tota terra eius tunc temporis contra solitum, & debitum cursum exaruit.

9. *Bozius de signis Ecclesiæ lib.* 15. *cap.*18. Lybia, Ægyptus, Iudæa, Phrygia, & Mœsia olim fertilissimæ Regiones, postquam à recta fide desciscentes, & in varias hæreses lapsæ, amiserunt, quamuis retineant aliqua ex parte antiquam, decantatamque priscis vbertatem, ex maiori tamen parte amiserunt.

10. *Surius in Comen.an.*1565. In regione Maluccarum iam perplures in Christum crediderant. Inuidit hoc malus dæmon, & Regum duorum opera vsus, partim blanditijs, partim terroribus illos ad pristinam stultitiam retraxit. Sed non defuit vltio Diuina tàm fœdæ apostasiæ. Ager antea fertilissimus, repentè sterilis factus est, vt toto eo tempore, quo in apostasia perdurarunt, quamuis crebrò sererent, nullos fructus attulerit, oriza sementi seruata computruerit, aquæ dulces nunquam illìc comperto miraculo in salsas versæ sint.

Terra, medica virtute diuinitùs prædita. §. 3.

MAledicta quondam à Deo terra, sudores, & ærumnas miseris progerminat mortalibus; at precibus sanctorum quandoque benedicta, eisdem saluberrimos, adque depellendos inflictos languores, mirificos producere effectus visa est. De his.

1. *S.Augustinus lib.* 22. *de Ciuitate Dei cap.*8. Hesperius vir Tribunitius propè Hipponem in Territorio Fussalensi, cuius armenta, & serui à Dæmonibus affligebantur; presbyterorum orationibus, & sacrificijs, ab ea peste liberatus est. Acceperat ab amico suo terram sanctam ab Hierosolymis allatam, vbi sepultus Christus die tertia resurrexit, eamque suspenderat in cubiculo suo, ne quid mali etiam ipse pateretur, virtuteque ipsius multi etiam à malis sunt sanati.

2. *Beda in historia Ecclesiast. gentis Anglorum lib.*5.*cap.*19. Reuerendissimus Antistes Pecthelmus referre est solitus, quòd in loco, quo defunctus est Heddi Episcopus occidentalium Saxonum, ob meritum sanctitatis eius multa sanitatum sint patrata miracula: hominesque prouinciæ illius solitos, ablatum indè puluerem, propter languentes in aquam mittere, atque huius gustum, siue aspersionem, multis sanitatem ægrot is, & hominibus, & pecoribus con-

conferre: propter quod frequenti ablatione pulueris sacri fossa sit ibidem facta non minima.

3. *Idem in vita Beati Cuthberti cap.* 41. Cùm quidam puer in territorio Lindisfarnensi atrocissimo dæmone vexaretur, ita vt vlulando, ingemiscendo & frendendo dentibus, nimio cunctorum visus, & auditus horrore concuteret, nec esset qui aliquid remedij genus excogitare quiuisset; ecce quidam de presbyteris edoctus in spiritu per opitulationem B. Patris Cuthberti, illum posse sanari, venit clanculò ad locum, vbi nouerat effusam fuisse aquam, qua corpus eius defunctum fuerat lotum: tollensque modicam humi particulam, immisit in aquam: quam deferens ad patientem, infudit in ore eius. Quo horribiliter hiante, voces diras, ac flebiles emittebat. Statim autem vt attigit aquam, continuit clamorem, clausit os, & oculos, qui sanguinei, & furibundi patebant, caput, & corpus totum reclinauit in requiem. Qui etiam placido sopore noctem transegit, & manè de somno simul, & vesania consurgens, liberatum se à dæmonio, quo premebatur, B.Cuthberti meritis, & intercessione cognouit. Ostenditur vsque hodie fossa illa, cui memorabile infusum est lauacrum, quadrato schemate facta, ligno vndique circumdata, & lapillis intùs impleta. Est autem iuxta Ecclesiam, in qua corpus eius requiescit ad partem meridianam, factumque est ex eo tempore, vt plures sanitatum operationes per eosdem lapides, vel eamdem terram Domino donante fierent.

4. *Surius in vita S. Nicetij 2. Aprilis.* Puluis desumptus ex sepulchro S. Nicetij Lugdunensis Episcopi, simulque cum aqua haustus, pluribus ægrotantibus sanitatem impertitus est.

5. *Idem 12. Maij, de S. Modoaldo lib. 3. cap. 10. de sepulchro, & marmore tegente corpus prædicti Sancti.* Quicumque longis febribus vsque ad ossa depastus, quisquis morbo diuturno confectus, hùc cum fidei integritate suarum ærumnarum querimonia detulerat, rasura eiusdem marmoris aquæ mixta, & in potum sumpta, celerrimum languoris remedium certissima curatione obtinebat.

6. *Idem in vita S. Eudocimi 29. Iulij.* Puluis è sepulchro S. Eudocimi deuotè cum aqua haustus, infirmitates mirabiliter depellebat.

7. *S. Epiphanius de Hieremia Propheta.* Fertur, fideles sumpto puluere de sepulchro Hieremiæ Prophetæ, aspidum morsibus mederi.

8. *S. Gregorius Turonensis de mirac. S. Martini lib. 2. cap.* 12. Regiamundus Episcopus Parisiensis dum esset Diaconus, semel grauiter dissinteria laborauit, & accepta potione de puluere sepulchri Sancti Martini, sedata protinùs infirmitate conualuit.

9. *Idem eodem lib. 2. cap. 1. de se ipso.* Gregorius etiam Turonensis ad extremum vitæ à morbo ductus, omnique remedio humano deficiente, pulnerem sepulchri S. Martini accipiens, simulque cum aqua bibens, ad pristinam statim reuersus est sanitatem.

10. *Idem de Glor. Confess. cap.* 102. Post transitum Felicis Biturigi Episcopi, cum ad eius tumulum, quod marmore exculptum Pario, super terram erat positum, cæcus quidam lumen oculorum fugatis tenebris recepisset, cognouissetque plebs amicum Dei, quem in corpore positum obsistentibus mundanis caliginibus cognoscere ad plenum non meruit: cœpit in orationum assiduitate eius limina penetrare: sed quoniam, vt diximus, sarcophagus marmoreus viliori lapide obtectus erat, sagacitas ciuium, & præsertim Episcopi meliori sarcophagum opertorio texit, idest ex marmore Heracleo. Amoto ergo viliore lapide, post annum ferè duodecimum inuenerunt corpus beati confessoris ita illæsum, vt nulla dissolutio in corpore, nulla putredo reperiretur in veste: sed ita erant cuncta integra, ac si vt ita dixerim, ea hora tumulo putarentur ingesta. Sed nec ibi quidem misericordia Domini defuit, vt lapis repulsus non remaneret inglorius. Ferunt enim, quòd multi eraso, potatoque ex eo pulueris modico, tam à quartanis, quàm tertianis, siue quotidianis febribus celeriter liberantur.

11. *Idem de S. Iuliano Martyre.* Exiguum quid pulueris è S. Iuliani Martyris Mausoleo bona cum æditui venia sublati, Clericus nescio quis secùm gestabat, cùm inter viam, æstu, sitique nimiùm quantùm exæstuans, ab itinere deflexit tantillùm in proximam rusticani hominis casam, vt frigida apprimè potus, vires reficeret: aquam enixè deposcenti iuuenis responsum daturus foribus egreditur; is vt hominem vidit, continuò in terram corruit, factusque est, sicut mortuus quid multa? Apprehensum puerum eleuauerunt parentes eum semiuiuum. At ille de manibus eorum elapsus percussis palmis (vt erat ab Dæmone insessus) cæpit debacchando clamare, & dicere, quòd Iuliani Martyris virtute exureretur. Iuuenis ille miseratus calamitatem, capsulam sacri pulueris plenam bacchantis imponit capiti, simulque malum Genium, quo erat iuuenis irretitus, è veteri, occupatoque iniustè hospitio deturbauit. Plura alia eodem puluere facta sunt, vt ibidem.

12. *In actis Sancti Gerlaci Eremitæ apud Bollandum 5. Ianuarij.* Febricitantibus multis, terra, quæ circa Beati viri ossa in tumulo iacuit, in potum data est, & tanta langentium multitudo per huius salutiferi calicis haustum, tàm à febrium ardore, quàm etiam à diuerso morborum genere sanitatis gratiam recuperauit, vt facilè hoc non sit alicui commemorare.

13. *In actis S.S. 20. Iann.* Quidam Sacerdos, nomine Magnus, de Prouincia Aquitaniæ, cum Romæ puluerem, qui circa sepulchrum S. Sebastiani erat, detergens, colligensque, eum pro magno thesauro secùm deferret; antequam ad patriam perueniret, quadam nocte, sole ruente, in pago Aluernico, vico Todurninse, quiescere statuit, pulueremque collo subducens, ramusculo arboris, sub cuius vmbraculo discumbere statuerat, appendit. Mane autem facto, viæ se reddere cupiens, apponit manus ad arboris ramum, quo virtutifer dependebat puluis; protensisque toto adnisu vlnis, minimè hunc, non solùm capere, sed nec contingere valuit, quod & eius comites, alijque id tentan-

tantes, haud potuere. Interim fama tanti prodigij volante, fit concursus populi vndecumque, varijs possessi languoribus concurrunt; multaque signa, & miracula per meritum sui Martyris, cuius sepulchri puluis tam miraculosè apparuerat, operatus est Deus. In eodem igitur loco & fundo, ab eius Domino Sancto Martyri iure perpetuo donato, extructum est praeclarissimum cœnobium.

14. *In actis S.S. Feb. tom. 3. in Contin. Bollandi.* Quidam Faber, Petrus de Mari nomine, cum dolore oculi grauissimè torqueretur, ad sepulchrum S. Constabilis Abbatis Cauensis in Italia iuit, & de quodam foramine sepulchri eius puluere accepto, oculum fricuit, & statim liberatus est.

15. *Baronius in ann. Eccl. ann. 55. num. 13.* Quidam varijs infirmitatibus afflicti, sumentes de puluere sepulchrorum S. S. Martyrum, illumque simul cum aqua bibentes, protinùs assecuti sunt medicinam.

16. *Idem ibidem ann. 642. num. 5.* In loco, vbi pro patria dimicans, à Paganis interfectus est Rex Christianissimus Nordhumbrorum Osuualdus, post eius mortem sanitates infirmorum, & hominum, & pecorum celebrari non defuere. Vnde contigit, vt puluerem ipsum, vbi corpus eius in terram corruit, multi auferentes, & in aquam mittentes, suis super hoc infirmis multum commodi afferrent; qui videlicet mos adeò increbuit, vt paulatim ablata exinde terra, fossam ad mensuram staturae virilis altam reddiderint.

17. *In actis S. Rosae Peruanae.* Ioannes Zellilus per quatuor menses oppressus febri hectica tertiae speciei, progressa in exquisitum marasmum, cùm pulmonis vlcere, tussi marcidum sanguinem excreante, ac gutture pariter vlcerato; cui etiam superuenerat febris putrida, ac maligna, adeò quòd susceptis omnibus moribundorum sacramentis, ad extremum redactus agonem, iacuerit absque motu, & arteriarum pulsu, trium medicorum voce iam proclamatus; Demùm S. Rosae Peruanae auxilio implorato, sumptoque sepulchri eiusdem puluere in cochleari aqua resoluto, confestim salutem cum pristino vigore recuperauit.

18. *Bzouius an. 1314.* Post nonum mensem sepulturae B. Iacobi Veneti Ordinis Praedicatorum, aperta sepultura, suauissimus odor exhalauit, & puluisculus quidam ibidem repertus est, qui sanitatem multis aegrotis restituit.

19. *Ex Hist. Eccles.* Ex sepulchro S. Io: Euangelistae minutissimus puluis scatebat, mannae instar, valebatque mirificè aduersùs omne genus morborum.

20. *Frodoardus lib. 1. historiae Rhemensis.* Quidam colonus villae Rhemensis Episcopi, qui secus amnem Saram loco lutoso manebat, in suis habitaculis à serpentibus molestiam magnam sustinebat; accipiens puluerem, quem secum ab Ecclesiae (Sancti Remigij) pauimento collectum detulerat, per habitacula sua respersit, & caetera, ac postea serpens in iisdem locis non apparuit.

21. *In vita B. Ioannis Sanfacundi.* Quidam caeca eius sepulchrum subijt, cùmque ex sepulchri terra, ac puluere oculos fricaret suos, visum statim obtinuit, vt visui recuperando seruiret, quod auferre alioquin poterat. Idem alij accidit, qui quadraginta annis caecus fuerat, ex sepulchro Beati viri terram sumpsit, cui aquam benedictam adiecit, & facto luto, oculisque imposito, visum recepit.

22. *Sylos in vita Ven. Francisci Olympij lib. 1. cap. 23.* Elanguerat cuidam piae feminae vsque adeò stomachus, vt nihil prorsus cibi ingeri sinè deliquio posset. Ergo ingenti in Ven. Franciscum Olympium ex nostris fiducia, nescio quid è sepulchri humo in os immisit: visusque mox languore uanuisse, vegetari ab alimentis, quas morbus exhauserat vires.

Reliqua inferiùs notabimus in Appendice tertia, cùm de perennibus.

APPENDIX I. AD CAPVT V.

De Admirandis circa terram, quorum adhùc apparent indicia.

ADmirandorum, quae olìm circa terram apparuere multis in regionibus, adhùc videntur apparentia insignia, quae hic breuiter retexam. Sunt autem.

1. *In actis S. Kentigerni Episcopi ap. Boll. 13. Ian.* Cum multa ad fidem pertinentia in planicie campi, nomine Holdelin, plebi praedicasset, terra, in qua sedit, in oculis omnium creuit in monticulum altum, & manet ibi vsque in diem hodiernum. Omnes enim haec mirabilia videntes, in fide instructi, baptismum susceperunt.

2. *In vita S. Hermelandi Abb. ap. Sur. 25. Martij.* Quadam nocte in Antrigino insula (vbi tempore Quadragessimae corpusculum suum rigida abstinentia conficiebat) in oratorio Sancti Aniani illo ambulante, via, cui insistebat, reliquo pauimento candidor visa est: atque adeò locus ille, in quo fixus in oratione permanere consueuerat, tali est candore conspicuus, vt vsque in praesens, quotquot ad eum accedunt, praecipuè intelligant quanta eius pectus munditia, & candore nituerit.

3. *In vita S. Maioli cap. 19.* In quadam parte Ciuitatis Papiae quaedam Ecclesia erat Beati Viri Ditioni subdita cum suis adiacentijs non vilis pretij munere adnumerata; vbi Sanctus Pater demorari solitus erat; & vbi orationum, & bonorum operum incrementis Domino Iesu complacebat. Inter hanc autem, & inter praedictam Ciuitatis sedem quidam erat locus pro paludis, & aquarum receptaculis, Sancto Patri satis, nimiùmque infestus. Qui sibi graue fastidium ingerebat itineris, quoties venire, vel redire voluisset ad domum iam dictae orationis, hunc nociui itineris locum commandauerat multoties impleri varijs materijs petrarum, vel lignorum, qui minimè proficiebant ad meliorandum locum, quia inibi erant plurimarum Compita viarum, & diuersi cuniculi aquarum. Vno autem dierum per ipsum locum Sanctus Pater faciens transitum, & commandatae obedientiae laborem

borem cognoscens non prouenisse ad vtilitatis honorem, loco substitit, & diuino imperio melioratum reddidit, sic insensibile elementum terræ obseruat adhùc, vt vidimus, & audiuimus, præceptum Patris Maioli imperiale.

4. *Saluator Vitalis in Propugnac. Triumph. pag.* 289. Hiatus insignis rupis Calaritanæ Ecclesiæ, traditione maiorum firma immemorabilique, & prisca tenetur, & piè creditur, esse tùm factus, cùm terra mota est, & petræ scissæ sunt. Nititur rupe illa, Cathedralis Ecclesiæ murus ingens Austrum versùs, scissuraque visitur ex aduerso: consultissimè, codex narrat, super hanc rupem veteres extruxisse, vt rei tam magnæ antiquissimum memoriale.

5. *In. m. s.* Propè Caietam adhùc videtur vnus ex montibus, qui tempore passionis Christi in duas partes discissus est; super verticem autem eiusdem Montis, qui tunc ab alto prorumpens, ad medietatem ipsius stetit, ædificata conspicitur Ecclesia S.S. Trinitati dicata.

6. *Anselmus Minorita in descriptione terræ Sanctæ, de Monte Caluario.* A latere dextro, latro dexter pependit, distans sex palmis à Christo, sub manu tamen sinistra Christi pependit latro sinister, distans à Christo sexdecim palmis, vel circa, & inter Christum, & latronem sinistrum facta est scissura magna in petra, in qua se posset homo macer abscondere, tamen multò longior quantitate hominis: Et hoc quando Dominus Iesus in Cruce clamauit: In signum, quia illa maledicta anima sinistri latronis fuit scissa à Christo.

7. *Vading. in annal. min. an.* 1213. *num.* 37. Dùm quadam die Seraphicus Pater per Sacri montis Aluernæ salebras, aliquem locum contemplationi opportunum quæsiturus, discurreret, quoddam Saxum, quasi artificiosè adinstar cubiculi scissum, non longè à præfata eius cellula vidit, quem ingressus, atque adamussim, post septem Dauidicorum pœnitentialium psalmorum recitationem, contemplatus, summo eius opificis sciendi desiderio flagrare cæpit: nam inferior eius pars pauimenti, superior verò, quæ & rimulam recipiendæ luci accommodam habet, tecti affabrè elaborati formam præsefert; & ecce dum huiusmodi desiderio instantiùs vacaret, adsit illi Angelus, qui & sibi dixit, præfatum lapidem in Christi Seruatoris morte cum cæteris petris scissum fuisse. Quamobrem summa cum in posterum veneratione prosecutus est, sæpiùsque ad eum contemplationi vacaturus, atque diuinas immissiones recepturus, declinauit.

8. *In m. s.* In Ciuitate Castrensi Prouinciæ Hydrutinæ, in littore maris ædificata fuit Ecclesia S. Cæsariæ, ob insigne miraculum eiusdem Sanctæ: Hęc cum à proprio patre, vt turpia committeret, insequeretur, vsque ad mare fugiens, & in antrum aquis plenum descendens, ibidem à patre inuenta, quò fugeret nesciens, suppliciter, vt ab iniquo genitore defenderet, Deum est deprecata; & ecce illicò Scopulus, per quem transibat Pater, in duas partes disiectus, miserum ingurgitauit. Ex eodem autem scopulo vsque modò sulphureus odor, ceù ex inferni ore exhalat: Aquæ verò antri, elephantico, siuè hepatis laborantibus morbo, mirificè prosunt.

9. *In. m. s.* In Spelunca Insulæ Pathmos, in qua S. Ioannes Euangelista Apocalypsim scripsit, adhùc videtur rimula crassitudinis digiti; hanc, traditio est, efformatam fuisse, quando totus mons, sub quo reperitur spelunca, mirabiliter in duas partes, licet ex durissimo lapide, scissus, vt Apostolus visiones cælestes conspiceret, iterùm ad pristinum regressus est locum, prædictamque rimulam, in memoriam miraculi, conseruauit.

10. *Borchardus.* 1. *p. cap.* 7. §. 66. *de agro Damasceno, in quo fertur Adam formatus.* Terram habet rubeam, flexibilem, & tractabilem, sicut cera; de qua terra Saraceni deferunt in Ægyptum, & Indiam pro re pretiosa valdè vendentes; modica tamen apparet effossio in loco illo; fertur enim, quolibet anno reuoluto, miraculosè repleri; fateor me immemorem effectum in quærendo huius veritatem; id tamen assero, quòd modica extabat effossio.

11. *Petra Sancta de mirac. Perpet. cap.* 23. Pastaliæ in Diæcesi Bremensi quidam se Orco deuouens, statim humo absorptus est vmbilico tenùs, eoque situ adhùc perseuerat.

12. *Idem ibidem.* Lucæ vrbe Hetruriæ, intra ædem sacram D. Augustini, & ante Iconem Virginis, patet hodièque hiatus terræ, cuius ima sedes nunquam potuit, stamine addito, inueniri, crediturque pertingere vsque ad barathrum gehennæ. Constans fama est, fatiscente humo ibi absorptum aleatorem sacrilegum, qui postquam in ludo pecuniam omnem perdiderat, vt perderet animam etiam, lapidem desperabundus in Deiparæ Iconem proiecit, & in puerulum Iesum, qui erat pictus in eius vlnæ complexu.

13. *Idem in miraculis comparatis cap.* 32. S. Patritius Hiberniæ Apostolus, hiatum gehennæ, designato humi circulo, duris alioqui auditoribus suis, sed ad salutem tamen aperuit; Atque is terræ hiatus hodièque in Hibernia spectatur.

14. *Idem eodem loco.* Drahomira, cuius suasu Sanctus Venceslaus filius, Bohemiæ Dux, odio Religionis Christianæ & ambitionis æstu à Boleslao fratre Pragæ in templo fuerat trucidatus; pertransiens locum, in quo S. Martyris expositum erat corpus, à tellure non ferente onus fæminæ improbæ, hiatu patefacto, vnà cum carpento, in quo vehebatur, ad gehennæ loca absorpta est, seruato auriga viro pio. Et si verò tellus ibi rursùs coiuit, manet facti recordatio; & quot quot iam in arcem Pragensem commeant, ab occidentali plaga, declinant hodièq; locum eum sceleratum.

15. *In vita S. Patritij cap.* 33. Quadam die cùm in Ecclesia almificus Antistes Patritius astaret altari diuina Mysteria agens, quidam maleficus, filius perditionis, satelles Sathanæ, accessu ausuque execrabili foris stans, per fenestram cum virga calicem euertit, & sacrosancta sacrificia sacrilegus super altare effudit. Dominus autem scelus tàm horribile in instanti terribiliter vindicauit, hominemq; nefarium, nouo, immò innouato modo è medio tulit.

Re-

Repēte enim terra terribili hiatu aperiens os suum (sicut quondam Dathan & Abiron) deglutiuit magum illum, descenditque viuus vsque ad infernum. Absorpto verò mago, tellus discissa & dirupta, hiatum contrahendo conclusit, sed fossa ibidem remanens, cernentibus Diuinæ vindictæ indicium ostendit. Contristatus autem Sanctus sacrifex super effuso calice cum grauissimis lamētis se afficeret, calix cum Diuinis sacrificijs integris loco suo compositus diuina virtute coràm illo erectus stetit, nec vllum vestigium effusi libaminis vspiam apparuit.

16. *S. Greg. Papa lib. 1. Dial. cap. 1. de Honorato.* Quadam die ex eo monte, qui eius monasterio in excelso prominet, ingentis Saxi moles eruta est, quæ per deuexum montis latus veniens, totius ruinam cellæ, omniumque fratrum interitum minabatur. Quam cum venientem desuper vir Sanctus vidisset, frequenti voce nomen Christi inuocans, extensa mox dextera, signum ei Crucis opposuit, eamque in ipso deuexi montis latere cadentem fixit, sicut religiosus vir Laurentius perhibet Et quia locus ei non fuerat, quo inhærere potuisset, aspicitur, ita, vt nunc vsque montem cernentibus, casura pendere videatur.

17. *Paulus Regius in vita S. Francisci de Paula cap. 4.* In Oppido vulgò *Paternò* Consentiæ in Calabria, ædificabatur opera D. Francisci de Paula Monasterium sui Ordinis; cùm murus quidam ob incuriam Artificis ruinosus apparere cæpit; & ecce accurrens D. Franciscus, factoque signo Crucis, illi præcepit in nomine Iesu, ne caderet, cui parens insensatus paries, immobilis permansit, in hæcque vsque tempora ita inclinatus, ac si caderet, apparet, perseueratque in signum tanti miraculi.

18. *Ramusius in itinerario tom. 1. lib. 5. cap. 5.* In mœnibus Damascenæ Ciuitatis reperitur ea fenestra, è qua S. Paulus per murum dimissus est in sporta. Saraceni eam pluriès concluserunt calce & lapidibus, sed mane sequenti, aperta inuenta fuit, eo modo, ac quando ab Angelo, cum per eam Apostolus dimissus est, diruta fuit.

19. *In vita B. Ritæ de Cassia.* In summo tecto ædium, quas olìm in Oppido Roccę Porenæ habitauit Rita, foramen satis vastum ostenditur; per quod intrasse ad eam Angelus fama publica est. Certum est, id sæpè curiosorum hominum manibus obseratum fuisse, sed reseratum denuò manu non humana.

20. *Ex. m. f.* Cùm S. Antonius Vlyssipponensis ex indiscreto superioris mandato in medio Refectorio Conuentus S. Francisci Messanæ, culpam non commissam iussus esset fateri, mirum accidit, nam later ille, in quo Sanctus genua flexit, statim quassari cæpit, nec deinceps ille, aliusue eo in loco firmari potuit; vndè craticula superposita, is locus vt humilitatis Beati Viri signum, adhùc ibidem colitur.

21. *In. m. f.* Mantuæ in Ecclesia quondam D. Paulo dicata, modò diruta, adhùc videtur fenestra, cuius fornix in inferiori parte apparet: fama autem est, tali pacto subitò inuersam fuisse opera dæmonis, dum iussu cuiusdam exorcistæ ab energumeno expulsus, sui discessus huiusmodi signum dedit.

Aliqua his similia notabuntur cap. 5. §. 2. cum de muris, & parietibus diuinitùs corruentibus, aut dehiscentibus.

APPENDIX II. AD CAPVT V.

De terra perenniter virescente, aut arescente.

QVæ naturaliter, alternis, sibique succedentibus anni temporibus virescere solet humus, admirabilis apparet, si continua perennet viriditate; nec minorem causat admirationem, si semper arida, nunquam fæcunditate potiatur. De quibus Admirandis.

1. *Petra Sancta in miracul. per. cap. 23.* in Pago VVestphaliæ Laer reperitur prædiolum, vbi Sancti duo Euualdi Angli ab improbis siccarijs fuerunt interempti, quod spontè sua semper viret, & sanguinem mittit, si aratro fundatur.

2. *Eusebius Nierembergius de mirac. natur. Europæ lib. 2. cap. 14.* Sanctæ Brigidæ pascua vocantur campi semper virentes, & qui perpetuò herbescunt, nullo quamuis exculti aratro: illud verò mirum de ijs narratur, nempè, licet Prouinciæ totius armenta, & greges ibi solo temùs vesperi gramen carpant, de integro gramen suppetere.

3. *Idem lib. 3. de mirac. nat. cap. 51.* Inter alia S. Columbani miracula hoc habetur: Legumen pisi, quod Rustici herbiliam vocant, ex aduentus sui tempore per singulos annos spontè nascitur per illas rupes, quas ipse perambulauit, nullo serente, & quod nobis maius miraculum videtur, per scissuras petrarum, vbi nullus humor adest, non æqualiter tamen per singulos annos nascitur. In multis autem locis, vbi præsenti anno orta fuerat, in alio deerit. Sed in hoc virtutem Domini nostri esse credimus, quòd ipse per seruum suum quotidiè operatur; nam si in vno loco per singulos annos nasceretur, forsitàm multi putarent non esse meritum Sancti, sed de illius semine vbi caderet, & indè oriretur. Mos enim est custodi ipsius Speluncæ, quando apparuerit, ibi signum mittere; quoùsque ad maturitatem peruenerit, diligenterque hunc colligere, & Abbati transmittere, Abbas verò regibus suis siue principibus solitus est pro benedictione S. Columbani dare.

4. *Florauantius in m. f.* S. Rembertus Sancti Anscharij in Archiepiscopatu Bremensi successor, quando Normanni, Gallia, & Germania direptis & vastatis, demùm ibi cæsi sunt, atque ad internecionem deleti: Supplex in NorduuicK Frisiæ pago fuerat, vt Deus sisteret atq; auerteret cruentam illam prædonum eluuionē, quæ omnes latè regiones inundabat. Ibi autem locus orationis S. Remberti etiam nunc perpetuò viret; & si longa hyeme, sterilique vrgeatur pars illa extrema oræ septentrionariæ, neq; ibi solum herbescere, nisi vere adulto videatur.

5. *Marchantius ex Orosio.* Ecclesia Attrebatensis habet inter Reliquias sacras lanam quandam (quæ

(quæ vulgò manna dicitur) & è cœlo fluxisse asseritur, ac fertilitate terram illam donasse: Vnde & illa demonstratur statuto tempore, nempè in maxima veris, terræque siccitate, ad eliciendam, implorandamque è superis pluuiam. Sed & annua Dominica secunda post Pascha, eius memoria recolitur, in qua Missæ introitus est: misericordia Domini plena est terra. Et annua fit gratiarum actio de adepta agrorum fertilitate, vocatque vulgus festum Mannæ: Clerus verò vocat festum Reliquiarum. Recolitur ergo tunc beneficium illud, quo Atrebatensis ditio, cùm planè foret arida, veluti maledicta, anno quadringentesimo tertio summam accepit fertilitatem, quam hactenùs conseruat. Hanc autem fertilitatem accepit à Deo (vt scribit Paulus Orosius) vera lana de nubibus pluuiæ mixta defluente.

6. *Petra Sancta in mirac. perp. cap. 3.* Eo in loco, in quo sacra ædes Lauretana, dum diuinitùs in Italiam translata est, primùm stetit, solum ibi efflorescens apparebat (vel dùm hyems erat, & inhorrescerent latè omnia ex Brumæ rigore) quod areolæ miraculum cessauit, postquam agricola incuriosior, confusa iugeri obiacentis gleba, locum arationi subiecit.

7. *In vita Sancti Patritij cap. 153.* Quadam vice fatigatus ab itinere S. Patritius diuertit in agellum herbosum iuxta Roscomain in Connatia, gratia aliquantulùm quiescendi, & equos suos pascendi, & recreandi; vbi cum ipse, eiusque equi malè habiti fuissent à Domino illius agri; statim, vindice Deo, ager ille aruit, marique illum operiente, inarabilis in posterùm mansit.

8. *In vita S. Leufridi Abb.* Vir Dei cùm quodam die Dominico post completa tanti diei sacramentorum solemnia, deambularet per loca vicina, inuenit quosdam rusticos terram arantes. At ille videns tantum facinus, grauiter ingemuit, & ait: Heù miseri, quid hoc fecistis? Quare tam grande nefas tentastis? Et conuersus ad Dominum cum lachrymis imprecatus est, dicens: Fiat Domine terra ista sterilis, & nullus fructus ex ea proueniat in æternum. Quod ita factum oculis comprobamus: ita vt vsque hodiè locus ille plenus sit sentibus, & infructuosis arbusculis, neque nucem, neque fructum aliquem vtilem proferentibus.

9. *Bellarminus lib. 3. obseruat. cap. 87.* Est ager secundo milliano distans ab Oppido Bethleem, & vulgò nuncupatur etiam nunc ager Ciceris, & multorum est persuasio, ex iusta imprecatione, seù Virginis Deiparæ, seù Christi Domini hoc habuisse, vt lapillos creet forma & magnitudine ciceris, quod illàc prætergrediens eorum alteruter, interrogasset agricolam, quid sereret, & respondenti, lapillos sero, adiecerit, lapides proseminas, & lapides metes, quo circa cicer lapideum messuit, nec alios prouentus deinceps ea iugera protulerunt.

10. *Surius in Octobri.* Specus distans circiter passus sesquimille à Monasterio S. Stephani, iuxta cuius principem aram conditum est corpus S. Brunonis Carthusianorum Institutoris, augusto loco inter montium iuga locus erat pio eius secessui maximè accomodatus. Ibi S. Bruno frequenter abditus in preces, superis, ac Deo immolabat sacrificia laudum, & tranquillissimè cum incredibili animi voluptate contemplabatur. Locus verò, vbi fatigato corpore aliquando, vt aliquam soporis quietem sumeret, humi procumbebat, ad mensuram corporis eius, expers graminis adhùc perseuerat, tametsi herbescat vndique humus in ea Vallis planicie.

11. *Meginfredus in vita S. Emmerammi, apud Canisium.* In vico Helphedorf propè Ratisbonam, locus, in quo dum Romam proficisceretur S. Emmerammus impiè trucidatus fuit, nescit iura sæuientis auræ, neque niue candescit, neque autumno flauescit, non hyeme gelatur, non æstu torretur, solùm vernale decus, & semper virentia gramina cespitem illum iucundum præbuerunt.

12. *In supplemento Martyr. Gallicani. Kal. Ianuarij.* Cum Caluiniani, Reliquias S. Iosserandi Confessoris, quæ propè Augustam Tricastinorum, in Vinariensi agro, in Monasterio S. Mariæ Virginis de Crudacio asseruabantur, extra hierothecas erutas, in rogum coniecissent, indignisque flammis consumpsissent. Ferunt indigenæ perseuerare ibidem manifestum diuinę indignationis vestigium. Locus enim, in quo sancti Iosserandi corpus integrum exustum est, etsi circùm circa herbescens, & virescens eniteat, herbas, aut germen vllum non producit, sed siccus & aridus semper permanet, in quo tam immane flagitium, cœlo stupente, ab inferni satellitibus patratum est.

APPENDIX III. AD CAPVT V.

Puluis medicus perennis.

Morbos continuos, peccati labe infecta natura, miseris semper progerminat corporibus, At pharmaca etiam ex infimo Elemento persæpè contra venenatas infectiones exhibuit Gratia. De quibus.

1. *Coluenerius de loco Bethleem.* A maioribus traditione acceptum est, dùm in parandis necessarijs Bethleemi Iosephus moraretur, Deiparam in spelunca latuisse versùs Austrum, ad duos iactus lapidum à Bethleemo distante, dùmque Deo infanti mamillam porrigeret, lactis quibusdam guttis in durum speluncæ lapidem effusis, ita emolitum, & candidum effectum, vt sit instar candidissimæ, ac tenuissimæ terræ in puluerem tenuissimum conuersæ: ex qua lota, panes paruuli conficiuntur, quibus ad morborum diuersorum sanitatem, præsertim lactis fœminarum contractionis, omnes vtuntur, qui lac Dominæ nostræ propterea nominantur. Vidi ego panes (inquit Pater Christophorus de Castro) quos mihi ostendit Pater quidam ex nostris, qui terram illam perlustrauit, ac in eam speluncam religionis gratia cum multis alijs ingressus est. Huius lactis partem esse, quod instar cretæ in Ecclesia nostra S. Petri Duaci, & alijs multis cernitur, omninò verisimile est.

2. *S. Gregorius Turon. de Gl. Confess. cap. 53.*

Thau-

Thaumastus Episcopus Momociacensis admirabilis sanctitatis, defunctus est in Oppido Pictauo ibique sepultus super terram ante ipsum atrium beati Hilarij: De quo tumulo erasus à multis puluis,& haustus,ita dolori dentium, febriumque medetur, vt qui hauserit, miretur effectum. Nam ita hæc benedictio assiduè experitur, vt iam in vno loco sarcophagus appareat transforatus.

3. *Idem de Glor.Confess.cap.36.* Prope Basilicam S. Venerandi in Ciuitate Aruernia positum est sepulchrum, in quo ferunt Alexandrum quendam Religiosum fuisse sepultum: de quo frequens infirmorum necessitas, eraso puluere hausta dilutione, extemplò consequitur sospitatem; vndè tam frequens sequitur medicamentum, vt pro assiduis beneficiorum commodis transforatum ab aspicientibus cernatur.

4. *Thom.Boz.lib.15.cap.15.de Signis Ecclesiæ.* Ictibus serpentium medetur terra Melitensis, ex quo Paulus in Insulam descendit tempestate iactatus, & à vipera percussus,nihil mali sensit.

5. *Cæsar Franciottus de Ecclesia Lucensi.* Terra, quæ est iuxta Ecclesiam Sancti Genesij in Lucensi Diœcesi, hac virtute pollere tradunt, vt qui morbo laborant caduco, si piè, & deuotè per eam ambulent, præsens remedium, & maximum mali sui leuamen hic reperiant.

6. *Io:Eusebius de mirac.nat.cap.6.* Reliquiæ, & puluis tumuli, quo sepultus est S. Vldaricus,Glires fugant, immò & necant.

7. *In actis S.S.30. Ianuarij apud Bollandum de B.Haberilla Virg.ad Lacum Brigantinum.* Terram ex eius sepulchro erutam, linteoque inuolutam solent peregrinantes secùm asportare, & languidis infantulis supponere, aut certè membris affectis admouere: quam deindè vbi sanitas subsecuta est, in pristinum locum referunt, veluti curationis testem.

8. *In actis S.S. Feb. tom.1. in Contin.Bollandi.* Laborabat quartana febri S. Vodalus Benedictus, Suessione in Gallia, cum quadam nocte apparuit ei Angelus Domini, dicens illi: Dominus me misit ad te, vt ab hora sanus effectus omni febre careas. Insuper & tantam tibi conferre dignatus est gratiam, vt quicumque hoc fuerint vexati morbo, nomenque tuum in suis memorauerint orationibus, statim voti compotes fiant. Id quotidiè ad eius tumbam fieri videtur, cuius puluis, cooperante superna dispensatione,miraculis coruscare conspicitur, dum quicumque ex illo cum plena fide in potu sumpserint, statim percipiunt sanitatem. Nec solùm in Gallia, sed etiam in Italia, & Aquitania, multisque alijs prouincijs, per hunc puluerem multi sanitatem receperunt.

9. *S. Anselmus de Passione S.S.Guigneri & Soc. ca.10.* Terra cum deuotione & fide de Sancti prædicti tumulo sumpta, per meritum Martyris pellit languores, & perficit sanitates.

10. *In actis Canoniz.S.Raymundi Confess.* Illud verò perpetui cuiusdam miraculi vim obtinet,quòd ex primo eius sepulchro, terra quædam tenuis, seù puluis saluberrimus enascitur, qui licet magna in copia indè exportetur, nunquam tamen deficit, ac multæ, magnæque corporis infirmitates eo curantur.

11. *Bzouius in ann. Eccl. an. 1507. in vita S. Francisci de Paula,li.1. cap.6.* Fornacem feruentiùs succensam, in qua calx decoquebatur, illæsus ingressus, & egressus est S. Franciscus de Paula, vt periculo, quod ingruebat paupertati, tanti viri sese opponeret innocentia, & castimonia. In cuius miraculi, quod vulgatissimum fuit, monimentum, eo loci visitur sacellum, illincque tellus educitur, è qua vasa opere figulino composita per vniuersum orbem deferuntur,ad febrium, aliorumque morborum frequentissimam medelam.

12. *Saraphinus Bertolinus in vita S.Rosæ Peruanæ,cap.31.* E loco, in quo sepulta fuerat S. Rosa de S. Maria Peruana, licet continuò desumeretur puluis, ceù medicina cælestis ad varias depellendas infirmitates, numquam tamen deficere, sed admirando prodigio semper perseuerare, immò veluti puluerariam fodinam continuò & indesinenter scatere, obseruatum est.

13. *Bozius de signis lib. 12. cap. 21.* Terra desumpta ex sepulchro Andreæ ex Olmo, in Indijs occidentalibus mortui, mirabiliter ægrotis reddidit sanitatem. Hoc idem præstitit terra sumpta ex sepulchro Ioannis Ataidij Lusitani ex ordine S. Francisci.

14. *Ex m.s.* In eo loco, in quo ob fidei defensionem occisus est S. Petrus Martyr ex ordine Prædicatorum, qui propè Bretinam in Mediolanensi reperitur, mirabiliter adhùc apparet rubri coloris ea pars terræ, in qua ipse digito, proprio tincto sanguine, symbolum scripsit fidei, & licet quotannis ad varias depellendas infirmitates à fidelibus magna copia pulueris exindè auferatur, nullum vnquam apparet defectus signum.

15. *Vuadingus in ann. Minorum an.1321.* In loco, in quo Martyrio affecti fuere in India apud Thanam S. S. quatuor Fratres Minorum, vsque in hodiernum diem Deus Omnipotens miracula non solùm in Fidelibus, sed etiam in Infidelibus operatur, nam Idololatræ, & Saraceni cum morbo aliquo detinentur, accipiunt de terra illa, in qua Beati Martyres suum sanguinem effuderunt, & illam abluentes, ipsam loturam bibunt, & multi mox ab omni ægritudine liberantur.

16. *Gonzaga in Prouincia Portugallia. De Conuentu S. Eiria.* Videtur in hoc Conuentu saxum, super quod S. Eiria orare consueuerat, ibique à Saracenis fuit occisa; hoc saxum, aqua quædam ambit, cuius epotatione, à diuersis infirmitatibus liberantur populi illius loci.

17. *In vita S.Rigoberti Episcopi Rhemensis.* Vsque hodiè febricitantes abrasum puluerem sepulchri S.Rigoberti sumunt, quod tenacissimo fuit illitum cæmento, sicut fertur fuisse moris antiquorum in sepulchris eorum. Hunc autem aquæ inditum siticulosiùs bibunt, quo hausto, sanitatem illicò adipiscuntur.

AP-

APPENDIX IV. AD CAPVT V.

Terra subitò consumens cadauera, vel reijciens sepulta.

COmmunem matrem antiqui appellarunt Tellurem; cùm omnes tandem, velint, nolint, suo complectatur in sinu: Hæc tamen, Nouerca admirantibus cunctis quandoque apparet, dùm sepulta cadauera, vel subitò exesa consumit, vel occultis nixibus reijciens, proprio refugit fouere sinu. De his.

1. *Adrichomius de terra agri, qui emptus est pretio sanguinis Christi in sepulturam peregrinorum.* Est verò huius terræ virtus mirabilis, & fidem pene superans, quòd defunctorum corpora viginti quatuor horarum spatio in puluerem redigat, quam virtutem etiam in alias regiones deuecta minimè perdit: Nam cùm iussu Imperatricis Helenæ de hoc agro, tantùm terræ, quantùm ducentæ, & septuaginta (vt aiunt) naues capere poterant; Romam auectum, ac iuxtà montem Vaticanum in eum locum exoneratum sit, quem Incolæ CAMPVM SANCTVM vocitant, licet cœlum mutarit, eandem retinere vim quotidiana experientia docet. Romanos enim respuens, sola peregrinorum corpora ad sepulturam admittit: quorum etiam hic omnem carnis substantiam intra viginti quatuor horas prorsùs consumit, ossibus tantùm residuis.

2. *Petra Sancta in mirac. perp. cap.* 28. Ex eadem tellure Pisis in Hetruria est Cæmeterium, in quo circumducti muri mensura illa fuerunt, qua circumscripsit Deus arcam Noe: nec est dissimili virtute, soletque humata corpora excedere viginti quatuor horarum spatio.

3. *Ex. m. s.* Extant Neapoli, & alibi cæmeteria ex eadem terra, in quibus breuissimo spatio 24. horarum, corpora quæcumque sepulta consumuntur.

4. *Berchorius in Reductor. moral. lib.* 14. *cap.* 23. In Gallia Belgica in Ciuitate Parisiensi reperitur mirabile cæmeterium S. Innocentij, vbi nullum corpus sepelitur, quin infra spatium nouem dierum, omnes corporis eius carnes in terram conuertantur, ita quòd ossa nuda de fouea extrahantur.

5. *Idem lib.* 14. *cap.* 12. In Insula Cypri, terra non solebat aliquod cadauer hominis mortui ad sepulturam recipere, sed statim sepulta corpora euomebat, & eijciebat; quoadusque illùc venit S. Helena Constantini Imperatoris mater, quæ de Hierusalem rediens, Crucem boni latronis, quam cum CHRISTI Cruce inuenerat, in Cypro reliquit, cuius virtute, prædicta corporum euomitio cessauit, & terra Cypri mortuos sepeliendos recepit.

6. *Bozius de signis Ecclesiæ, lib.* 5. *cap.* 1. Locus, in quo sepulta fuit Ludmilla vxor Boriuorij Ducis, qui primus è Bohemis nomen Christo dedit, nullum indè potuit recipere defunctum, quòd si cadauer conderetur in eo, protinùs altera die reperiebatur foràs eiectum.

7. *Lindanus Episcopus Ruremundensis apud Baron. in notat. Marty.* 21. *Octob.* Non longè ab vrbe Colonia, vbi S. Vrsulæ Virginum Collegium est, area templi, quo in loco creditur interfectas esse S.S. Virgines, nullum prosùs suscipit sepeliendum, immò pueros recens baptizatos, de nocte quasi euomens, in superficiem reijcit visendos: cuius rei miracula narrant incolæ non rara, quæ alibi non facilè inueniuntur.

Finis Libri Secundi.



LIBER TERTIVS

De Admirandis circa Meteora.

Væ inter naturalia maximam, & sapientibus quandoque progignunt admirationem, sunt Meteora; eorum enimuerò cùm in generatione, certas, determinatasque non sibi præscribat leges natura, velutique in mundo ludere videatur; hinc admirabilium euentuum causam ignorantes, in stuporem, admirationemque persæpè inducit. Illos igitur, qui præter naturam circa Meteora, quandoque producuntur effectus, nonnè & sapientes admirabuntur? Admirandaque meteorologica Orbis Christiani non hæsitantes vocabunt? De his igitur in præsenti libro; & quia meteora sunt mixta imperfecta, quæ ex elementis primò habentur, propriaque quodlibet elementum sibi vendicat meteora; Ideò de his eodem, ac de elementis ordine, erit sermo.

CAPVT PRIMVM.

De Admirandis impressionibus ignitis.

§. 1.



Nter Meteora, sublimiorem, nobilioremque locum sibi vendicant ignitæ impressiones, sicuti enim ignis omnia Elementa, & nobilitate, & situ superuolat, ita & ex ipso progenita meteorologica mixta, super cætera precellere videntur. De his igitur, quæ in huiusmodi ignitis impressionibus Admiranda apparuere, licet jam aliqua sint notata, cùm de Admirandis circa splendores emissos à cœlo, & circa ignem, remanent tamen aliqua recensenda. Aliqua inquam; neque enim omnes prodigiosæ, & insolitæ ignitarum impressionum apparitiones, licet ad aliqua futura portendenda creditæ sint immissæ, cùm causam naturalem habere possint, sunt hic recolendæ; nonnulla solùm hic pro complemento operis, reliqua vel in Theatro humanæ vitæ, vel sparsim sub alijs titulis in hoc volumine legi poterunt. De his igitur.

1. *Osorius*. In die natalis Domini media die circulus aureus apparuit circa Solem, & in medio Virgo puerum bajulans, & litteris inscriptus, Hæc est ara filij Dei viuentis. Tunc Sibylla Octauianum Cæsarem aduocauit, visionem ei ostendit, & puerum illum ipsa die natum dixit, quem Augusto maiorem esse asseruit; Hunc Imperator adorans, eidem sacrificauit. In quo loco nunc ædificata est Ecclesia, quæ dicitur: Sancta Maria de Ara cæli.

2. *Baronius an. 849. num. 28.* Cùm an. 849. in Anglia occisus fuit Sanctus Vulstranus nepos duorum Regum Merciorum; de loco, vbi innocenter enecatus est, columna lucis vsque ad cœlum porrecta, omnibus loci illius incolis per dies triginta stetit conspicua.

3. *Idem an. 846. n. 26.* Columna ignis manifestauit decessum S. Ioannicij anachoretæ ijs, qui erant in monte Olympo.

4. *Molanus 6. Februarij*. Columna miri splendoris è cœlo super domum S. Vedasti Episcopi Atrebatensis ægrotantis irradians, obitum eius præsignauit.

5. *Petr. de Natal. lib. 4. cap. 162. de S. Seruatio Episcopo*. Degens Coloniæ apud S. Seuerinum, cùm oraret, à consocio super caput eius ignis columna conspicitur, quæ nimia celeritate cœlum progreditur.

6. *Colganus*. Corpus S. Foillani Episcopi, & Martyris adinuentum fuit indicio columnæ igneæ, à loco, in quo corpus S. Martyris occultatum iacebat, pertingentis vsque ad cælum.

7. *S. Anton. 2. p. Chron. tit. 13. c. 6. §. 14. de Osualdo Rege Anglorum.* Ossa Regis cùm Regina Osfrida, vxor Chelredi Regis Merciorum, filia Regis Osuuini charitate patrui ducta Hordonio Monasterio suo, quod est in regione Merciorum, inferre vellet, repulerunt eam Monachi, inuidentes mortuo quietem ossium, quia super eos bellico iure regnum acceperat. Sed nocte intempesta per columnam lucis de cælo super reliquias emissam, vltrò petierunt, quod antè reiecerant.

8. *In vita Sanctæ Vuitburgæ Virginis libr. 1. Vit. P. P. Occidentalium*. In sancti corporis translatione hoc miraculum accidit. Cùm enim Brithnodus illud naui impositum transferret, Ciues pagi illius, in quo sepultum fuerat corpus, cum ad arma prosilirent, & nautæ inter vndarum volumina periclitarentur, columna ignea è cœlo ad nauem pertendens, nauem cito cursu ad littus perduxit.

9. *Ioannes Diaconus in vita S. Gregorij Papæ lib. 1. cap. 44.* S. Gregorius Pontificatum respuens, egressus è Ciuitate, syluarum saltus expetijt, cauernarum latibula requisiuit. In quibus dùm ab omnibus summa solicitudine quæreretur, indicio columnæ fulgidæ super se iugiter e cęlo dependentis, agnoscitur, capitur, trahitur, & apud beati Petri Apostolorum principis templum Pontifex consecratur.

10. *Philipp. Ferrar. mense Septemb. die 19. de S. Ioanne Episcopo Spoletino*. Corpus eius exactis

ex

ex Italia Gothis, à Narsete, Cælesti indicio repertum est; cum cœlum, quasi ignea columna super locum noctu coruscare videretur; Odores suaues exhalarentur, cantusque resonantes exaudirentur.

11. *Baronius ann.* 418. Cùm in oppido Iamonæ in Minorica, vna ex Balearibus insulis, multi Iudæi ad fidem Christi fuissent conuersi, & baptizati, apparuit columna ingens candidissimi luminis, quæ hos veros Israelitas egressos de seruitute Pharaonis visa est ducere in semitas vitæ melioris.

12. *Odoricus an.* 1211. *num.* 17. Cùm, dùm Vaurum obsideretur, innumeri Crucesignati impellente Tolosano Comite à Fuxensi ruptarijs stipato comparatis insidijs, dum incautius incederent, atq; ad Montfortium properarent, immanissimè trucidati essent, accedente ad locum Montfortio post captum Vaurum, columna ignea in occisorum corpora delabi visa est, quæ manibus postea in Crucis formam passis reperta sunt.

13. *Cromerus lib. 8. de reb. Polonorum, hæc habet de Tartaris ab arce Vratislauiensi diuinitùs reiectis*. Quamobrem indignati Tartari, arcem obsederant; sed frustrà consumptis diebus aliquot, cùm obsessi ad longiorem etiam obsidionem perferendam non imparati esse viderentur, irrito cœpto, indè similes fugientibus abierunt: diuino, vt posteà compertum est ostento perterriti, quod fuit huiusmodi. Ceslaus vnus de comitibus Iuonis Episcopi Cracouiensis, Romæ Diui Dominici vitæ institutum professus, præerat conuentui Vratislauiensi apud Diui Adalberti, & ad primum tumultum cum cæteris sodalibus in arcem confugerat. Eo igitur iugibus precibus, & lachrymis Dei misericordiam, & præsentis periculi depulsionem implorante, ecce columna ignea cælitùs apparuit, & statiua Tartarorum, omneque territorium ingenti atque terribili fulgore collustrauit. Hoc miraculo Barbari perterrefacti, nihil cunctati, obsidionem soluerunt.

14. *Antonius Caracciolus in Monum. Eccl. Neap. cap. 29. de S. Agnello Ciue, & Patrono Neapol.* Dùm eius funus in Ecclesia curaretur, super eam septem cælestes Irides apparuerunt, super quas B. Virgo eminebat, & ponè illam B. Agnellus manu super Ciuitatem extensa, velut patrocinium promitteret.

15. *Frodoardus in Chr.* An. 944. in TransRenensibus Germaniæ Regionibus per quosdam pagos ignei globi ferri videbantur in aere, qui nonnullas illìc circumuolantes incenderunt domos, & villas, à quibusdam verò locis crucibus oppositis cum benedictione Episcopali, & aqua benedicta repellebantur.

16. *In actis S.S. 28. Ian. apud Bollandum de Carolo Magno Imperatore.* Cum Carolus vltimam in Saxoniam expeditionem contra Godefridum Regem Danorum ageret, quadam die cum ante exortum solis, Castro egressus, iter agere cæpisset, vidit repentè delapsam cælitùs cùm ingenti lumine facem, à dextra in sinistram per serenum aerem transcurrere, cunctisque hoc signum quid portenderet admirantibus, subitò equus cui insidebat capite deorsùm merso decidit, eumque tam grauiter ad terram elisit, vt fibula sagi rupta, baltheoque gladij dissipato, à festinantibus qui aderant exarmatus sine adminiculo leuaretur. Hoc autem prodigium eius mortis paulò post secutæ fuit iudicatum præludium.

17. *Ibidem*. Tertia nocte post exaltationem carissimi Deo Caroli Magni, tres candelæ diuinitùs accensæ super pinnaculum templi, mirabili fulgore mirificè fulgurantes, à multis gentibus, & populis visæ sunt in gaudio exultationis. Eadem verò tria cælestis splendoris luminaria, quasi exincta, trina reuolutione Crucem turris eiusdem Ecclesiæ in gyrum ambierunt: Et loca longè latèque distantia, noua noui luminis claritate, in nouum nouæ translationis gaudium stupescente noctis caligine illustrauerunt.

18. *Chrys. Henriq. ex tabula templi Dunensis*. Signum magnum apparuit in Cœlo, præsagium futurorum, quod postea rerum probauit euentus. Nubes perlucida ardens quasi facula, quadam nocte ante dedicationem visa est à multis super Ecclesiam de Dunis vndique tam longè existentibus, quàm propè in circuitu Monasterij. Apud Atrebatum visa est, quasi oppidum Iprense, vel Casletense arsisset. Apud Sanctum Audomarum, quasi oppidum Bergense arsisset: nam in Occidentali parte villæ Bergensis putabant quod Graueniga arderet. Gandenses de Dixmuda, Brugenses de Nouo portu, quòd arsisset. Piscatores etiam piscantes in mari, viderunt lumen de cœlo descendere super Ecclesiam, & reascendere, quasi spatio vnius horæ, vel trium horarum.

19. *Sylos in Hist. Cleric. Regul. par. 2. libr. 7.* Qua die, postquam Beatorum numero adscriptus est noster B. Andreas, Neapoli primò eius festiua solemnitas omnium populorum applausu concelebrata est, festos ignes excitandæ communi Religioni adornatos à plerisq; vt intra modestiam cultum continerent, cohibuere nostrates; at illorum supplere vices cælestia lumina voluit Deus. Si quidem sub primam noctem visa ab Aquilone ignea quædam lux, pyramidis in morem, cuius in nostram Paulinam Ecclesiam ac domum spectare cuspis videbatur. Huic verò altera, ac tertia cum successisset, dilatari vsque adeò ignis, ac lumen cœpit, vt conflagrari nostrum domicilium crederent omnes; at re ab editiore loco attentiùs considerata, compertum, sublimiore quadam origine è cælo ignem esse.

20. *Baronius ann. Christi* 776. Dum Saxones rebelles, & adhùc Ethnici, Francos in Sigisburgi Castro premerent dira obsidione, flammantes clypei duo fulserunt in Cœlo, eoque metu Saxones affecerunt, vt dum fugerent ad castra, lanceis suorum confossi fuerint.

21. *Surius in Augusto*. Quodam tempore dum S. Audoenus Episcopus Rothomagensis, suam Diœcesim lustraret, currus in via spontè stetit, & tunc intellexit, se admoneri à Deo, vt ibi Numini Templum dicaret. Vix autē iniecta illi cęlitùs mens fuerat, cùm locus circumfusus est admirabili splendore, & nocte ibidem columna ignea splendescere Solis instar visa est, regionéq; vniuersam collustrare.

22. *Bonfinius lib. 4. Dec. 1.* Paulò antequam in Gallias Attila penetraret, sub Aquilone per noctem ignis perpetuus in æthræ speciem visus est, & in eo lineæ hastarum simulacra referentes.

23. *Sigonius lib. 1. Regni Italici.* Ante Longobardorum in Italiam aduentum, hastæ atque faces igneæ assiduè à Septentrionis partibus apparuere, quæ vt D. prodit Gregorius, ingentem instare mortalium stragem, & fœdam sanguinis effusionem ab ea parte haud obscurè denunciabant.

24. *In Chronicis Minorum*; Cùm an. Domini 1597. ab impijs barbaris in Iaponico Regno multi S.S. Martyres ob fidei constantem confessionem crudeliter necati fuissent, post multum tempus, quaque sexta feria supra locum martyrij columnæ igneę apparuere, quæ à multis visæ fuerunt.

25. *Sab. en. 9. lib. 1.* Anno 912. igneæ faces, stellæ micantes, ac hinc indè aberrantes magno hominum stupore visæ sunt, quæ res Vngarorum in Italiam incursiones præsignauit.

26. *In Eccles. Histor.* Anno Domini 752. cum Stephanus Papa in Franciam iret petitum auxilium à Pipino contra Aistulphum Regem Longobardorum, noctu vidit igneum globum ab Australi Galliæ parte, in Longobardorum fines excurrentem, quæ res portendit Longobardis oppressionem per Francos.

27. *Dominicus Maria Marchesius in vita Ven. Sor. Mariæ Villanæ ord. Præd.* Montem diuini amoris, B. Mariæ Virginis sub auspicijs, monitu diuino instituerat Vener. Soror Maria Villana, quo scilicet plurimi in vnum congregati, duodecim per annum solemniores festiuitates Christi Domini, eiusq; Matris singulari deuotione, precibus, anteque sacram Eucharistiam solemniter expositam assidua oratione, celebrarent. Cui admirabili instituto cœlum ipsum arridere, & subscribere visum est. Quo enim tempore publico chyrographo sodales tam sancto operi manus dedere, Iris mirabilis in aere apparuit; & nè fortuita crederetur, in die Conceptionis B. Virginis, cùm prima solemnitas celebrata fuit, iterùm visa est, sicuti & in subsequentibus festiuitatibus Natalis Domini, Epiphaniæ, & Purificationis B. Virginis, totoque tempore, quo venerabile Sacramentum venerationi expositum erat, & pacificus arcus in aere cernebatur, ceù Diuinam clementiam mortalibus, ob deuotas Sor. Mariæ, cæterorumque sodalium preces, portendens.

Alia huiusmodi notata sunt cum de Stellis, & de splendoribus emissis è Cœlo; Alia notabuntur cùm de Crucibus apparentibus. De Admirandis autem perennibus circa ignitas impressiones, videri poterunt, quæ sunt descripta cùm de Admirandis splendoribus perenniter emissis è cœlo libr. 1. in App. ad caput 1.



CAPVT II.

De Admirandis circa Fulgura, & Tempestates. §. 1.

EXorti repentini turbines, coruscationes fulgurum, fragor tonitruum, & omnia deuastantes fœdæ tempestates, quibus formidabilem Deum non demonstrant? cumque veluti ex suo nubium armamentario circumsonantem, timendum non exhibent? At & admirabilem quandoque eundem prædicant, in ipsoque tonitruum strepitu, horrifico fulminum aspectu, tempestatumque horribili casu, Admiranda Dei quandoque mirabiliter emicuere. De quibus.

1. *S. Anton. 1. par. Chron. tit. 6. cap. 14. de S.S. Simeone, & Iuda Apostolis.* Facto silentio dixerunt Apostoli Idololatris: Vt sciatis simulacra vestra plena esse Dæmonijs, iubemus ea inde exire, & ipsa confringere. Duo igitur Dæmones tamquam Æthiopes nudi egressi indè omnia idola confregerunt. Quod videntes Pontifices, in Apostolos irruerunt eos trucidantes. In illa hora cùm serenitas aeris maxima esset, descenderunt fulgura templum trifariam scindentia. Et illi duo Magi præsentes ictu fulguris in carbones versi sunt. Rex autem Babyloniæ, Christianus effectus, corpora Apostolorum ad Ciuitatem suam deportari fecit, ædificataque ibi Ecclesia miræ magnitudinis honorificè sepeliuit.

2. *Idem part. 1. tit. 6. cap. 16. de S. Marco Euangelista.* Cum pagani vellent Corpus exanime Sancti Euangelistæ comburere, subitò orta est tempestas grandis cùm tonitruis, & fulgoribus tanta, vt fugientes omnes euadere niterentur.

3. *Idem 1. p. Chron. tit. 7. cap. 7. §. 4. de B. Pontio.* Cùm aptaretur in Equuleo, dixit Beatus Pontius Præsidi; licet incredulitas tua dicat, Deum nostrum impotentem ad me eruendum, ego tamen credo in nomine Domini nostri Iesu Christi, quòd pœnæ tuæ ad nihilum redactæ, nullum corpori meo dolorem incutient. Cùm ergo in equuleo tenderetur, magno sonitu est confractus equuleus, ita vt in puluerem redactus, non compareret, & ministri repentino fulgure facto exanimes redderentur. Sanctus verò Pontius lætus & interritus ait; Vel nunc incredule disce, quia Deus noster est potens pios de tentatione eripere, & vos iniquos in die iudicij perpetuò igni deputare.

4. *In vita Sancti Ioannis Chrysostomi.* Dùm Decreto Innocentij primi Pontificis, suæ restitueretur Ecclesiæ, à qua Eudoxia contra eum nitente, exulauerat; in itinere, miris malis, & calamitatibus affectus à militibus, qui eum custodiebant, animam Deo reddidit. Eo mortuo, horribilis grando Constantinopoli cecidit, & quatriduò Augusta cessit è vita.

5. *S. Eulogius lib. 2. memor. Sanctorum capit. 12. de duobus adolescentibus Emila, & Hieremia m. m.* Hos per carcerem maceratos, postremùm gladio vindice peremerunt. Et cùm totus ille dies

dies clara esset serenitate lustratus, subitò eadem hora, qua decollati sunt, vehemens tonitruorum fragor exurgens mundo incutitur, spargit radiantia lampadum fulgura æther, superos auelli cardines existimares. Armatur nube grandinum axis, fuscatur dies, turbinibusque inficitur aer, pios excidisse athletas elementa fatentur.

6. *Philip. Ferrar. mense Octob. die 30. de S. Felice Episcopo Martano*. Felicem carcere eductum, Herculi, & Apollini sacra facere compellebat Præses: eumque id facere constantissimè recusantem, in ferrea craticula extensum, igne supposito torreri præcepit; sed eo orante, & dicente: probasti nos Domine, igne nos examinasti, sicut examinatur argentum, repentè cœlo, quod serenum erat, turbato, inter varia, & horrenda tonitrua, fulgur centum, & triginta quatuor ex Gentilibus, martyre illæso, consumpsit.

7. *In mart. Gallic. 18. Nouemb. de S. Theofrido marty. à Saracenis*. Fortè solemnis quædam dies iuxta ritum gentis interuenerat, in qua sacra quædam impia persoluebant. Sanctus Theofridus resumptis diuina virtute viribus, afflatuque superno excitus, surrexit: irrumpensque in mediam turbam, eos vehementer ob eiusmodi sacra nefanda increpauit. At Sacrificulus in eum frendens, iacto lapide, eius capiti graue inflixit vulnus; ex quo statim vir Dei in terram corruit. Moxque locus ille contremuit; fulgura, tonitrua, tenebrosus imber, & venti barbaros exterritos, quin & læsos turbinis onere, fugam capere coegerunt.

8. *In actis S. Martinæ*. Ad eiusdem preces nunc terræmotibus exortis, nunc ignibus è cœlo tonante delapsis, deorum templa prostrata sunt, & simulacra consumpta.

9. *S. Anton. 2. p. Chron. tit. 13. cap. 6. §. 18. de S. Philiberto*. Quadam die dum fratres messem succiderent, & manipuli sparsim per agros iacerent, repentè tempestas frendens intonuit. Sed ne fratres labores suos perderent, vir Dei oratione facta, tempestatem abstulit.

10. *Alanus Copus dial. 3. cap. 29.* Cùm in formidando quodam fulgure, & tonitru, ex duobus Indianis, alter salutem suam Mariæ Virgini commendasset, alter eum vt vanum hominem irrideret; ille sanus, & incolumis abijt, iste exanimatus, perfidiæ & contumeliæ suæ præsentes pœnas expendit.

11. *Franc. Bencius in an. 1588. de rebus Collegij Pacensis in Prouincia Peruana*. Quidam ad turpem concubitum Indam fœminam pellexerat; cum ecce cadit largissimus imber, cum grandi grandine crepitante super tectum. Hic mulier subitò pauore correpta: Virgo, inquit, Maria fer opem, tuere me obsecro. Ait vir ferox, & impius mediam complexus, tace stulta, scilicet auxilium vllum ferre potest Maria. Abscidit extremam vocem, fulmen subitum, quod intonuit, & adhùc loquentem euellit ab amplexu mulierculæ, quatuorque, aut quinque passus eiecit extra lectum, & flāma corripit arida nutrimenta, surgit mulier perterrita, miserum inclamat, excitat, percellit, nempè metu exanimatum, non exanimem putabat. Tandem reperiunt hominem hiante ore, sine vllis dentibus, sine lingua, omnia præterea membra ita soluta, & fluxa, vt vel leuiter contrecta, manum sequerentur.

12. *Franciscus à S. Maria in Hist. Carmelit. tom. 1. lib. 5. cap. 21.* Cùm vndecima die mensis Maij anni 1611. maxima orta esset tempestas in Ciuitate Soriæ in Hispania; inter fragores tonitruum, obauditæ fuerunt à Sorore Maria à Iesu ex discalceatis S. Teresiæ quædam voces, aliquod periculum toti imminens Communitati denotantes: & ecce illicò, fulgur in medio ipsarum è cælo cecidit, sinè alicuius tamen noxa; viditque quædam ex monialibus B. Virginem extensis manibus omnes sub proprio amictu defendere.

13. *In vita B. Roberti Cælestini cap. 6.* Cum vir beatus ingentem fratrum multitudinem adunasset, quos optimis moribus instituebat: Asinoque insidens, visitatum eos, qui apud Guilonitium sedem fixerant, vt assolet, pergeret: sudumque, ac rutilum cœlum, & nullo nubis velamine obtectum, cuncti intuerentur: ad sodales versùs ait: Ista die coruscationes, nimbi, grandines, tempestates, ac tonitrua, nos oppidò inuadent fratres. Benedictus verò Deus, qui per Archangelum suum Gabrielem, nostra tuebitur corpora, illæsosque nos omnes faciet euadere discrimen. Vix verba finierat, & extemplò ab Aquilone, à quo gelu oriri, expandique solet, nubecula paruula assurgere cœpit, quæ sensim excrescens, cœlum vniuersum obuoluit: Dein tonitrua insonant, emicant fulgetra, aquaque grandini horrido mixta effluit copiosa. Quæ videns Robertus, exilijt asino, fratres adhortans: Oremus ait dilecti. Ac mox cum ipsis in terram se prosternens, manibus ad sydera erectis, valida, & acuta in cælum precum emittebat iacula. Perseueranteque eo in preces, resilijt grando, retrocessit nubes, viam, qua venerat, iterùm carpens. Stupendumque, quod cum in circuitu, grando, & aquæ colluuies, cuncta operuisset, solum illud exiguum, quo cum fratribus ad orandum Vir Dei procubuerat, inpluuium, atque siccum remansit. Quo peracto, fratribus ait: Iam in pace pergamus, progredientibus verò illis, tantam, tamque densam grandinis molem repererunt; quòd instar niuis eam calcantes, talis eorum super effluebat.

14. *Vincentius Barralis in Chronol. Insulæ Lerinensis in vita S. Cæsarij*. Dùm cuiusdam fines nobilissimi Viri tempestas assidua perniciosa infusione contereret, cunctosque fructus loci illius vis grandinis deuoraret, ita vt annis singulis nulla ibidem spes subsidij remaneret, euenit vt baculus S. Cæsarij Episcopi Arelatensis casu ibidem remaneret, de quo possessor ipse Crucem fieri iussit, quam eminentiori loco fide armatus infixit, vt venienti lapidi contrairet; tantam igitur ibi Deus ob honorem Serui sui dignatus est operari virtutem, vt ibi postmodùm maximam vbertatem daret, vnde repulerat tempestatem.

15. *Surius in vita S. Theodori 22. Aprilis*. In loco qui Reace nuncupatur, sęua quædam nubes statutis temporibus regionem occupabat, & maturos vitium fructus grandine deijciebat; Quamobrem

brem incolæ cum ea calamitate multis iam annis afficerentur, ad Monasterium S. Theodori accesserunt, multisque precibus Virum Beatum adduxerunt: qui constituta supplicatione, regionem lustrauit, & Cruces, quatuor ad regionis fines constituit, & ad Monasterium reuersus est; ex quo factum, vt sæua illa nubes nunquam regionem illam inuaserit; cuius beneficij memores loci illius incolæ quotannis Monasterio aliquot vini mensuras, & vuas offerebant.

16. Idem malum, eadem Crucis erectione repulit hic Sanctus ab incolis vici Apocomensis. Nam cum tempore Vindemiæ grando vuas maturas contunderet, Theodorus eò profectus, Crucem defixit, damnumque impendens à vineis auertit.

17. *Odoricus an. 1257. de S. Hyacintho Polono.* Cùm à Clementia nobili fœmina ad relaxandas curas in agrum inuitatus fuisset, paulò ante quàm accederet, sæuissima grandine circumiacentium agrorum segetes, quæ iam flauescebant, attritæ omninò fuerunt. Venienti ergo, populus eius sanctitatis opinione imbutus, ad eum confluit, crebrisque suspirijs abscissis vocibus exorat, vt Deum pro leuanda accepta calamitate, segetibusque restituendis deprecaretur; nec irrita eorum spes; affulgente enim die postero, integræ segetes summa omnium admiratione conspectæ sunt.

18. *Frodoardus libr. 3. capit. 8. de vrbe Rhemensi.* Dudùm, cum agricolæ vrbi vicini post Pascha, solito de more, hanc petijssent vrbem, admirabilis Dominæ (cuius miraculosa imago ibi colitur) requirendo suffragia, suaque vota ferendo, quædam villæ consueta quærere neglexere præsidia. Quarum messes, cùm iam tempus instaret metendi, tanta tempestatis sunt attritæ grandine, vt penè omnia eorum perierint sata: vineæ quoque, adustis fractisque pampinis, vuarum amiserint fructum. Eorum verò fines, qui se huius pijssimæ Dominatricis muniere subsidijs, neque tangere, nedum intrare grando præsumpsit.

19. *Greg. Turon. lib. 1. mirac. S. Martini libr. 1. cap. 34.* Nos reuertentes, tres cereolos pro benedictione sepulchri Beati Martini portauimus. De qua cera quàm multæ virtutes factæ sint super frigoreticis, & alijs infirmis longum est enarrare. Sed vnum è multis miraculum proferam. Agrum quendam possessionis nostræ grando annis singulis vastare consueuerat, & tam grauiter sæuiebat, vt nihil ibidem cum venisset, relinqueret. Tunc ego in vineis illis arborem vnam, quæ erat excelsior cæteris eligens, de sancta cera super eam posui. Post illam diem autem vsq; ad præsens tempus nunquam ibidem tempestas cecidit, sed veniens, locum illum tamquam timens præterijt.

20. *Idem de Glor. Marty. libr. 2. cap. 2.* Mons erat in Gabalitano territorio, cognomento, Helanus, lacum habens magnum, ad quem certo tempore multitudo rusticorum, quasi libamina lacui illi exhibens, linteamina proijciebat, ac pannos, qui ad vsum vestimenti virilis præbentur: nonnulli lanæ vellera, plurimi etiam formas casei, ac ceræ vel panis, diuersasque species, vnusquisque iuxta vires suas, quæ dinumerare perlongum puto; veniebant autem cum plaustris, potum cibumque deferentes, mactantes animalia, & per triduum epulantes. Quarta autem die cum discedere deberent, anticipabat eos tempestas cum tonitruo, & coruscatione valida: & in tantùm imber ingens cum lapidum violentia descendebat, vt vix se quisquam eorum putaret euadere, sic fiebat per singulos annos, & inuoluebatur insipiens populus in errore. Post multa verò tempora quidam Sacerdos ex vrbe ipsa, Episcopatu assumpto, accessit ad locum, prædicauitque turbis, vt absisterent ab his, nè cælesti ira consumerentur; sed nequaquam eius prædicatio à cruda rusticitate recipiebatur. Tunc inspirante diuinitate Sacerdos Dei, Basilicam in honore Beati Hilarij Pictauiensis eminùs ab ora stagni ædificauit, in qua reliquias eius locauit, suadens populo, vt ritibus vanis relictis, Deo, Sanctoque Hilario venerationem impenderent. Tunc homines compuncti corde conuersi sunt, & relinquentes lacum, omnia quæ ibi proijcere erant soliti, ad sanctam basilicam conferebant, & sic ab errore, quo vincti erant, relaxati sunt; sed & tempestas deinceps à loco illo prohibita est; nec vltrà in ea solemnitate, quæ Dei erat, nocuit, postquam Beati Confessoris ibidem sunt reliquiæ collocatæ.

21. *In vita Sancti Philippi Benicij lib. quarto capit. sexto.* Cum semel Tuderti sæua tempestate exorta, venti, grandines, fulguraque innumera ciuitatis excidium minitari viderentur; inito consilio, Habitum Sancti Philippi hastili Crucis affixum, per ciuitatem, ceù contra cælestia fulmina inexpugnabile scutum, solemni ritu detulerunt; & ecce statim venti posuere, tempestas placata est, imminensque periculum euanuit. Hoc prodigio edocti Tudertini, alijs vicibus, similibus in tempestatibus, eundem Habitum, seu alias eiusdem Sancti reliquias deuota processione deferentes per Ciuitatem, fælici euentu misericordiam Dei sunt consecuti.

22. *In vita S. Vincentij Ferr. lib. 3.* In quodam Cataloniæ pago ipsis ferijs Apostolorum Petri, & Pauli, sermonem habiturus erat vir Dei. Ecce autem Missæ sacrificio peracto, priusquàm sacras vestes exueret, tàm immanis, & horrenda subitò tempestas orta est, vt cælum ipsum ruinam minari videretur, & omnes se perituros formidarent. At vir Sanctus ad populum conuersus, eum iubet spem suam collocare in Domino Iesu, moxque contra illam tempestatem sparsit aquam sacratam, ac deinde Crucis expressit signum. Illicò tempestas dissipatur, & mira redit aeris serenitas. Tum ille pulpitum ascendens, ita locutus est: Nisi pro vobis hodie Dominum deprecati fuissent Sancti Apostoli, tanta his locis, Charissimi, extitisset tempestas, quòd nec in arboribus frondes, nec in agris vlla germina remansissent. Nec tùm vellitis nimiùm esse securi, nam intra annum similem estis experturi tempestatem, sed crebris apud Deum precibus agite, vt pro sua immensa clementia, & vobis, & rebus vestris parcat. Hæc cum dixisset, in Beatissimorum Apostolorum laudibus absoluit concionem, & post dies paucos discessit. Iam

Illu-

fluxerant vndecim mēses, & venit horrida tēpestas, quam ille prædixerat futuram. Eodē verò modo nō semel, sed sæpissimè, cum diuersis in locis concionaretur, ortas tempestates Crucis signo compescuit.

23. *Parisius apud Raynaldum ann.* 1234. Cum hoc anno diutina fames populos affligeret; pauperes ad agros frugiferos cateruatim concurrentes, frugum spicas, licet non maturas carpentes, ijsdem vitam protrahere satagebant. Contigit autem quòd homines villæ, quæ dicitur Alboldeslea in Cantebrugensi prouincia, hoc malè ferentes, tumultuosis clamoribus rogauerunt presbyterum Ecclesiæ, vt omnes eos, qui spicas furati fuerant, anathematis sententia innodaret. Hunc ad tam impiam ferendam sententiam paratum cernens vir pius & religiosus eiusdem villæ, auertere verbis precibusque conatus est. At instantibus pertinaciter cæteris in stulto proposito suo, cum presbyter die Dominica, quæ tunc fuit XVII. Kal. Augusti, ferre sententiam compulsus, eam inchoasset, tanta subitò exorta est in aere tempestas, tonitrui scilicet, ac fulminis, concussio ventorum, ac turbinum conflatio, pluuiarum ac grandinum inundatio, quòd quasi in momento, turbine, & flatu diabolico agitata fruges in agris, armenta cum arboribus, ac cæteris quibusque crescentibus, & auibus in campis, ita opprimendo contriuit, quòd velut in curribus, & in equis conculcata, & in terram comminuta videbantur; & quod admiratione dignum erat, nec porci, nec aues, nec aliquod genus animalis, spicas, vel grana, licet matura essent, voluerunt vrgente tamen fame gustare. Visi sunt autem in aere ingruente eadem tempestate, Angeli Sathanæ in modum nigrorum Satyrorum volitantes, & per agros cursitantes, qui aereæ potestates credebantur, quibus concessum terræ & fructibus nocere fuerat, aerem perturbantes. Sed cum iustis, & pijs stabilis semper sit inuenta benignitas, vir ille simplex & iustus, cum peracta tempestate omnibus vicinis suis nimis damnosa, visitare pergeret agros suos, inuenit prædia sua, & iugera, licet terris aliorum permixta, ita ab omni tempestate intacta, & illæsa, vt nullum in eis læsionis vestigium appareret; vndè omni luce clarius constat, quòd sicut Deo gloria in excelsis canitur ab Angelis, ita & in terra pax est hominibus bonæ voluntatis. Inchoauit autem hæc tempestas in finibus Bedefordiæ, & sic per insulam Eliensem, & Horthfole ad Orientem tendens, in mare descendit.

24. *Vincentius Belu. in Spec. Hist. lib.* 30. *cap.* 138. Anno Domini, 1240. apud Cremonam facta est tempestas maxima, ceciditque lapis grandinis, in quo erat Crux, & Imago Saluatoris expressa. Desuper quoque litteris aureis scriptum: Iesus Nazarenus Rex Iudæorum. Cecidit autem in Monasterio Sancti Gabrielis; & de aqua, in quam liquefactus est, inunxerunt Monachi cuiusdam fratris oculos cæcutientes, statimque clarè vidit.

25. *In actis S. Mauri Abb.* 15. *Ian. apud Bollandum cap. IV.* Cum prædones vndique deuastarent Cenomannicam Regionem, Antistes Cenomannicæ Ecclesiæ pretiosa quæque, quæ in villa, quæ Cauaria nuncupatur, habebat, ad Monasterium Monachorum S. Benedicti commendauit; cumque illò profecti fuissent milites, vt ea depredarentur, Gausbertus, qui ibi præerat, ad auxilium Dei, sanctorumque confugit; signis igitur sonantibus, sumptis S. S. reliquijs, impositaque Letania, cum omni Fratrum numero pergit ad locum, vbi iam cędis crudelissima exoriebatur. Cùmque & iucundissima esset cęli serenitas, & apertissima Solis resplenderet claritas, subitò dùm B. Mauri nomen in Letaniarum precibus à Fratribus cæpisset inclamari, tantus fragor tonitruum, minaci supra modum concrepuit terrore, tantaque coruscatio emissorum inhorruit fulminum, vt omnes qui rapinæ malo decepti illùc aduenerant, vitæ discrimen se subituros iam iamque pertimescerent; præsertim cum repentina effusione inundatio subitaneæ pluuiæ consecuta, limina ostiorum eos egredi prohiberet. Vndè factum est, vt quatuor ex eis sensu perdito, in amentiam versi, reliquos fugæ tantùm sumere præsidium compellerent.

26. *Socrates lib.* 4. *cap.* 10. Anno Salutis 371. sub Valente Imper. Constantinopoli delapsa grando adeo magna est, vt manum globus vnus impleret, & lapidibus similis esset; eamque à Deo immissam affirmarunt, quia Valens Ecclesiasticos multos, Eudoxio communicare nolentes, in exilium egisset.

27. *Baronius ann.* 718. In Leonis Isauri principatu, tentata frustrà à Saracenis Constantinopolis obsidione, classis eorum dùm reuerteret, primùm fæda tempestate disiecta, atque ad insulas allisa est, antequam sinum Ægæum transmitteret: Exin verò residuæ naues ignea grandine vel in medijs aquis arsere. Hanc autem cladem eis intulit blasphemia Ducis in Deiparam Virginem.

28 *Franc. Gonzaga in Conuentu S. Francisci Sturnorum Prouinciæ Calabriæ.* Accidit in eodem loco, anno Domini 1488. vt deuotissimo patre, ac celeberrimo Concionatore, Fratre Bernardino Rendano, de Sacro Euangelio coràm populo edisserente, maxima exoriretur tempestas; Cùmque astans cætus propriæ pelli, quòd templum adhùc sub artificibus esset, timens, propria, relicta interim prædicatione, remeare contenderet; eum optimus Pater bono animo esse, pedemque figere, ac secùm salutationem Angelicam, atque Dominicam orationem alta voce semel persoluere iussit. Qua tandem persoluta, tanta oborta tempestas extempore euanuit, dissolutaque est.

29. *Ex. m. s.* Anno Domini 1320. mense Iunij, media nocte Festi Pentecostes, ita horribilis Viterbij accidit tempestas, procellaue, vt turbinibus, ventis, grandineque vehementer agitato aere, euersionem totius Ciuitatis timuerint Ciues, timoremque adauxerit, quando innumeros per aerem conspexerunt volitantes dæmones, coruorum, vespertilionimque figuram præseferentes, qui horribilibus vocibus exclamabant; Infernus, Infernus vos expectat ò Ciues: quo tempore quid acturi essent ignari Ciues, humiles Deo fundebant preces, intercessionemque B. Virginis suppliciter inquirebant: Et ecce mirum: Pia mater multis visibiliter

liter

liter apparens præcepit, vt Ecclesiam S.S. Trinitatis Fratrum Ordinis S. Augustini adeuntes, ibidem in Sacello D. Annæ dicato, supplices funderent preces ante Imaginem eiusdem B. Virginis: Quo illicò facto, statim dissipata procella, aeris serenitas apparuit, splendidaque lux, ex qua sensibilis vox audita est, qua tartareæ potestates ad Inferos redire iubebantur. In memoriam autem tanti miraculi statutum fuit, vt quotannis tota Ciuitas solemni ritu processionaliter ad sanctæ Virgini gratias debitas soluendas, ad eandem Ecclesiam progrederetur, vt vsquè hodie fit.

30. *Franciscus Toletus in cap. 2. Lucæ, an. 31. de Praputio Christi Calcata inuento*, Mense Maio an. 1559. dies erat longè pulcherrimus, cum Prior Canonicorum Lateranensium, binis vtriusq; manus digitis Christi præputium, durum ne esset, an molle pertentat, & vt esset certior, comprimens, in duas partes incautus diuulsit: quo facto (dictu mirabile) quæ tonitrua, quæ fulgura, quàm obscuratus sit super eum locum aer, ita vt media luce, lucem astantes desiderarent: metu conterriti omnes animam agere videbantur.

31. *S. Anton. 2. p. Chro. tit. 12. cap. 8. §. 11. de S. Greg. Turonensi.* Cum aliquandò de Burgundia ad Aruerniam iter faceret, magna contra se tempestas exorta est, densus imber in nubibus cogitur, Cælum crebris ignibus micare, & tonitruis resonare cæpit. Omnibusq; timore pallentibus Gregorius S.S. reliquias, quas indesinenter collo ferebat, de sinu protraxit, ac nubibus constanter opposuit. Quæ protinùs diuisæ dextra læuaque prætereuntes, illæsum iter gradientibus præbuerunt.

32. *In vita S. Francisci de Paula.* Nobilis Britto refert nocte quadam incubuisse domui suæ tempestatem tam horrendam, vt se suaque funditùs perire crederet: statim autem atque candelam à B. Francisco benedictam accendi iussit, fiduciam habens, quòd benedictionis eius efficaciam obtineret à Deo, dissipatum instar venti fuisse turbinem, vnde ruinam metuebat. Quod & alijs, eisdem à Sancto benedictis candelis mirabiliter euenit.

33. *In vita B. Petri Consalez Ord. Præd.* Cum semel vir Dei in prouincia Gallæciæ apud Vrbem Bayonam prædicaret, exorta subitò tempestas, populum à prædicatione sancta deturbare minabatur; Cùm vir Dei preces ad Dominum fudit, & statim nubes illæ minaces, & ventorum turbines à suggestus omni loco circumuicino diuinitùs abstinentes, reliqua omnia circumcircà suburbia, quæ oculis astantium comprehendi poterant, horrisono inuadentes furore, impetebant.

34. *In vita S. Hugonis Monachi Aeduensis.* Si contigisset tempore istius viri Dei, vt aeris infesta perturbatione tempestas aliqua proueniret, concurrebant illicò ad illum, qui protinùs assumpta Cruce cum sanctorum pignoribus procedebat obuiam imminenti cladi; statim verò vt vir Dei signum Crucis expressisset, continuò illa brumalis aeris coagulatio, Christo Domino miserante, ita diuersas in partes dispersa liquefiebat, vt nec vestigium alicuius obnubilati vesperuginis appareret; & plerumque ipsas grandinum tumultuationes compertum est per eumdem conuersas in suauissimum imbrem.

35. *Pepe in mirab. S. Caietani . m. 92.* Agellum lino satum habebat Catharina Pellegrina, vnicam ad vitam sustentandam spem: Cùm ecce æstiuo tempore turbatus aer, imminentem procellam, omniumq; segetum deuastationem cunctis minabatur: Inuocauit misera S. Caietanum, & ecce mirum; grando vndique præcipitans, omnesque circumuicinas regiones deuastans, intactum, illæsumque reliquit agellum Catharinæ, haùdque accedere potuit loco, cui D. Caietanus inuocatus præsidebat.

36. *Idem ibidem m. 174.* Horrida tempestas septem continuis annis deuastauerat Rura vulgò *de Calici* posita inter confinia Ianuensis Reipublicæ, & Tusciæ, totaque messis, totiusque anni labores vnico euanuerant instanti; cum ecce idem infortunium grauida grandinibus nubes miseris quodam anno minabatur populis: At ipsis D. Caietanum inuocantibus, nouiesque in Ecclesia recitantibus orationem Dominicam, & salutationem Angelicam, illicò horrida nubes euanuit, serenitasque ne dùm cælo, sed, & cordibus populorum restituta est.

APPENDIX I. AD CAPVT II.

Tempestates perenni prodigio fugatæ.

QVæ circa Tempestates continuo, & perenni prodigio fugatas, diuersis admirantur in regionibus mortales, hìc interseram, ex his etenim, eorum, quæ in præteritis extitere sæculis, faciliùs astruetur fides. De his.

1. *In vita S. Rigoberti Archiepiscopi Rhemensis apud Bollandum 4. Ian. cap. 2.* De Agris à Pipino Rege eidem Sancto donatis, est etiam non contemnendæ rei miraculum, quod procùl dubio meritis eius constat eisdem agris à Domino prærogatum. Si quidem postquàm dominio eius cesserunt, nunquam eos læsit tempestas, nec grando cecidit super illos. Vnde non solùm res mira, sed semper omnibus valdè stupenda. Videntur more solito cadere iuxta, & non fines eorum attingere vnquam præsumunt, ne dicatur transire.

2. *In actis S.S. Martij tom. 1. in Continuat. Bollandi.* Per intercessionem S. Veremundi Abb. Hyrachensis in Nauarra, expositis eius reliquijs ab immemorabili tempore obseruatum est, tempestates subortas, terribiles grandines minitantes, illicò in suauissimam aquam decidere. Sicuti è conuerso, quotiès protrahitur nimia cæli serenitas, & terra imbres desiderat, cum ad S. Veremundi inuocationem acceditur, statim cæli distillant à facie eius.

3. *Iacobillus in Vitis S.S. Vmbriæ.* S. Anthimus Episcopus à populo Stronconensi deuotè colitur, eiusque patrocinium contra grandines & tempestates fœlici euentu inuocatur.

4. *Ex. m. s.* Quo tempore procellis agitatus aer, grandines, fulguraque minitatur, Castellani populi in Catalaunia, deuotè exponentes sacras exuuias S.S. Martyrum Hemiterij, & Chelédonij,

quæ in maiori Ecclesia Cardonæ piè coluntur, mirabili euentu serenitatem, aerisque tranquillitatem experiuntur; quarum Reliquiarum tempore supplicationis, motus in aere auditus, est præludium futuræ tranquillitatis.

5. *Ex. m. s.* In Monasterio S. Saluatoris vulgò *di Breda* Diæcesis Gerundæ in Catalaunia requiescunt Corpora S.S. Martyrum Acisci, & Victoriæ; quorum capita, tempore, quo fulgoribus, & tempestatibus infestatur aer, deuotè exposita, ferè infallibili euentu, procellas, grandinesque mirabiliter depellunt.

6. *In Chronicis Cassinensibus.* Asserunt Cassinenses, in sacrum illum montem non decidere fulmina, aut fulgura; pièque creditur, hoc euenire ex patrocinio S. Benedicti.

7. *Engelbardus in vita S. Mechtildis Virg. cap. 32.* Capilli S. Mechtildis, qui adhùc conseruatur in Monasterio Diezzem in Bauaria, certissimo sunt remedio contra tempestates, & fulgura; & surgentibus ventis, atque minitantibus, capillos sanctæ suspendunt in aere; sicque tempestates conquiescunt, consilescunt tonitrua, ac si Dominus Iesus imperet eis, sicut in mari quondam, ita nunc in terra. Hoc tam solitum in Monasterio, tam notum in prouincia, vt capillorum S. Mechtildis ostensio, sit tempestatum depulsio: nec post mortem eius illic noxiæ fuerint, cum priùs sæpè nocuerint.

8. *Chry. Henriq. in fasc. ord. Cist. dis. 17. c. 4. de B. Raymundo Abb. Fiterij.* Quotiescumque procella, aut nimbus perurget, vel fulgura atque tonitrua, terras, & aera terrent; continuò misericordiam Domini inuocantes, ad Ecclesiam Beati Raymundi omnes illius patriæ incolæ veniunt, & vix campanas, quarum chordæ super eius sepulchrum pendent, & illud suis extremitatibus pertingunt, pulsant. Cùm ecce extemplò serenitas aeris redit. Quod mirantibus omnibus accidit ferè singulis annis.

9. *In actis S. Fursei Confess. 16. Ian. apud Bollandum.* Ædificato Monasterio à S. Furseo, cum campana deesset, eidem oblata fuit ab Angelo. Huic Furseanæ campanæ vim eam diuinitùs inditam fuisse scribitur, vt si tonante cælo, aut alia ingruente tempestate, pulsata foret, quàm latè exaudiri eius poterat clangor, omne cladis periculum diuinitùs arceretur; idque sua ætate circa an. 1432. viguisse asserit Ioannes Mielotus.

10. *Ibidem in actis S. Genulphi Episcopi apud Bituriges in Gallia 17. Ian.* In territorio quod Sigalonium dicitur propè Niuernensem Ciuitatem, extructa fuit Ecclesia Deo, Sanctoq; Genulpho dicata. Cultores autem agrorum circumiacentium, votiuum sibi fecerunt vsum, vt sementis tempore, portionem seminis, quantum sibi videretur, ad Ecclesiam ipsam deferrent, ac S. Confessori, ad vsus Sacerdotis, qui diuina ibidem mysteria celebraret, deuoti offerrent; vt eius meritis eorum segetes vel à fulgure, & tempestatibus, siue aduersis aeris corruptionibus illæsæ seruarentur. Quorum piæ deuotioni sic pietas annuit Saluatoris, Beato suffragante Patrono, vt ex tunc vsque nunc in eodem voto perseuerantibus, expetita quoque perseueret salus.

11. *Ibidem de S. Dominico Abb. iuxta Soram 22. Ianuarij.* Aduersùs grandinem, & tempestates, præcipuè illius implorari patrocinium solet, rarò populorum pietate frustrata successu. Quare Soræ, tonante cælo, illius basilicæ campana præcipuè compulsatur. Ea quoque causa Fulginates quotannis ad S. Dominici Monasterium sumptu publico mittere superioribus sæculis consueuere nummos aliquot, pannum laneum in vestes Monachorum, ac funes impellendis Ecclesiæ campanis. Patet id ex Archiuijs Fulginiensibus: constatq; quamdiù id Senatus nomine perfectum est, nihil vrbi, pomærioue à grandine aliaue aeris iniuria detrimenti allatum.

12. *Ibidem de S. Valerio Episcopo Cæsaraugustano 28. Ian.* Magna D. Valerio habetur veneratio Castelnoui vico Diæcesis Cæsaraugustanæ; quare quotiès vehementior aliqua tempestas ingruit, ter sonitus exauditur ex Sacrario, in quo sancta recondita sunt eius pignora, nec aliter ante pedem altaris percipitur, quàm extra ipsam ædem, & si prolatæ tempori reliquiæ sint, dispergunt nubes, neque damni quidquam afferunt fulmina.

13. *In actis S. Genouefæ Parisis.* In inferiori Germania Monasterium est S. Nicolai in Lacu, vulgò *Zumlaack* ordinis Benedictini, Diæcesis Treuirensis, ab Andernaco oppido horarum aliquot itinere distans; huic propinquus est Vicus, præsertim semper S. Genouefæ contra cæli tonantis tempestates patrocinio clarus, simul enim fragor exaudiri tonitruum cæperit, illicò nimbi, grandinis, fulminis, & cuiusuis demùm periculi ab agris auertendi causa, incolæ ad templum S. Genouefæ campanas pulsaturi concurrunt: sin differant, accolæ aduolant, ac pulsum vrgent. Neque is intermittitur, dum qui foris consistunt ardentes aliquot candelas supra templi tectum conspiciant, quos S. Genouefæ cereos appellant. Id argumentum est propulsatæ, quæ metuebatur, calamitatis.

14. *Lelius Marinus in vita B. Petri Cælestini lib. 4. cap. 16.* Aquilæ in Aprutio an. 1520. mirabiliter apparuit in summitate Ecclesiæ S. Mariæ vulgò *di Colle magio*, extra Ciuitatem positæ S. Petrus Celestinus (cuius corpus ibidem requiescit) Qui pontificali ornatu indutus, hinc, & indè summa maiestate progrediens, tandem ad turrim Ecclesiæ ascendit, ibique bis maiorem campanam pulsauit, lucidissima denique circumdatus nube euanuit. Huiusmodi autem campanæ sonitu, quæ vsquè adeò ibidem reperitur, fulgura, & tempestates mirabiliter fugari, est fama constans, continuaque comprobatur experientia.

15. *Angelus Rocca de Campanis cap. 21.* Sonitus Campanæ à B. Benone Misnensi Episcopo consecratę, quę extat quodam in loco apud Misnā Ciuitatem Germaniæ, totum eius Territorium vsquè in præsens à fulgure, & tempestate liberat. Hoc idem de alia campana in Pago Scomberh ab eodem benedicta Bennone (quod nomen à Sclauorum lingua translatum, Benedictus latinè dicitur) affirmatur. Sonitus namque illius Campanæ omnem vim cæli ab

ab agris finitimis, ac tugurijs auertit.

16. *In Hist. Gallic.* Supra ianuam Ecclesiæ Collegialis vulgò *Roquemador*, Episcopatus Tutelensis in Gallia parua reperitur campana absq; fune. Hæc quotiescumq; à fœdis tempestatibus conuulso mari, periclitantur nauigantes, si Beatæ Virginis, quæ ibidem colitur, humiliter implorant auxilium, ad eamque illùc venerandam profecturos deuouent, illicò nullo pulsante sonat; quod prodigium similiter euenire compertum est, quotiès aliquot miraculum in mari euenire contigit.

17. *In Chronico Minimorum an.* 1464. Conflari in campanam adulterinas monetas, quæ toto regno infinita penè copia collectæ fuerant Ferdinandus Rex imperauerat; eam campanam Francisco de Paula postea donauit, in Mylæ Cœnobio trans fretum Siciliæ reponendam, quam imminente tempestate, loci huius incolæ pulsare festinant, certi, quod experientia docet, atque hactenùs docuit, omnem noxam eo pulsu abigi, cuius beneficij gratiam B. Francisco habent, qui primus id instituit.

18. *In vita B. Turibij Alphonsi Mogrouey Limensis Archiepiscopi, cap.* 18. Continuis sæuisque tempestatibus, & fulminibus, homines, & iumenta quandoque interficientibus, affligebatur Maiobamba Ciuitas in Peruuiano Regno; cùm illàc transiens B. Turibius, visitationis causa, summo animi affectu tantæ illorum populorum compatiens infælicitati, duas benedixit campanas, iussitque, vt quo tempore aer obnubilatus, solitas tonitruis, fulgoribusque minaretur calamitates, benedictas à se campanas personarent, Deoque supplices funderent preces. Exindè igitur fortunatus earum sonus perenni prodigio quascunque ab eo loco abigit tempestates, fulminaque prorsùs eliminat, quapropter Campanæ Ven. Archiepiscopi communiter appellantur. Hoc itidem præstitit in oppido S. Martini Charcarum, asseruntque Indi, per sonitum campanarum à Beato Archiepiscopo benedictarum, eo in loco semper hùcusque fugari tempestates, fulminaque arceri; dum antea crebris eorum ictibus percuterentur.

19. *Petra Sancta de miraculis perpetuis cap.* 4. Nolulæ duæ aduectæ à cælestibus Genijs cum sacra Nazarethi ædicula Lauretum, quotiès oboritur tempestas, aut turbo cælum miscet horrisonis fragoribus, si pulsu ab æditius cientur, illicò nimbos compescunt, & momentò vndique conserenat.

20. *Idem ibidem cap.* 13. In Oppido Carabacensi Regni Murciæ in Hispania, deuotè asseruatur veneranda Crux, quæ ex vero Crucis signo efformata, Hierosolyma ab Angelis illùc aduecta fuit Ven. Viro Ginesio Perez Cirino Sacerdoti, dùm in eodem Oppido à Zeit Abuleit Mauro Rege Valentiæ an. 1230. iussus sacris facere, Crucem in altari abesse animadeuertit. Huius Crucis Carabacensis, peculiaris, & profectò mira virtus est, conuellere, & dissipare aeris tempestates, quas excitant frequentissimè in ea, ceteroqui amænissima, regione, mundi rectores, tenebrarum harum aereæ potestates. Censentur etiam securi ac tuti à fulmineo ictu, qui Cruciculas gestant solo illius contactu inauguratas.

21. *Idem eodem loco.* Bisulduni Crux in Sacrario habetur, quæ agitatur sponte, ac strepitum edit; quotiescumque imminent nimbi, aut graues tempestates.

22. *Sigonius cap.* 22. Vbicumque humatum est corpus Sancti Christophori Martyris, vel habentur reliquiæ, ibi, nec grando, nec ignis, nec pestis nocet.

23. *Iustinianus lib.* 2. *Hist. Veneta.* Imago B. Virginis, quæ olim Constantinopoli, modò Venetijs in Ecclesia S. Marci piè colitur, circumuoluta pijs per forum precibus, tempestates sedat, solemque inducit.

24. *Ex m. s.* In Ecclesia Vindij in Asturia reperitur brachium sinistrum Sanctissimæ Crucis, quod illùc Hierosolyma ex reuelatione sibi facta detulit S. Turibius Asturicensis Episcopus. Prædictus Sanctus antequam moreretur, suppliciter exorauit Dominum, vt tres gratias concederet paruis Crucibus, quas fieri fecit, perque foramen prædictæ Dominicæ Crucis transmitti iussit; primò, vt contra fulgura, & tempestates admirabilem haberent virtutem; secundò vt Dæmonibus essent nocuæ; tertiò, vt robur animæ, corporique augurent: Annuit Sancti Antistitis orationi pijssimus Deus, aliamque in signum veritatis addidit gratiam, vt huiusmodi Cruces ligneæ, quæ ex natura sua supernatant aquis, postquàm per prædictum foramen pertransierint, non ampliùs supernatent, sed in profundum immergantur. Hæ Cruces vsque modò ibidem fiunt, per foramen sanctissimæ Crucis transmittuntur, experimentum prædictum apparet, mirabilesque illas deuota fide secùm ferentibus causant effectus, & gratias.

25. *In m. s.* Numismatibus benedictis, in quibus cum imagine Crucifixi insculpta sunt hæc verba: *Iesus Christus Rex Gloriæ venit in pace, Deus homo factus est, & verbum caro factum est: Christus vincit, Christus regnat, Christus imperat, Christus ab omni malo nos defendit:* admirabilem contra fulgura inesse virtutem, ea firma fide secùm deportantes continuò experiũtur. Quinimmò fidelium pietas eadem verba in summitatibus turrium, & testudinum Ecclesiarum ad repellenda fulmina insculpere fælici euentu consueuit; vt videre est in testudine S. Petri Romæ, S. Andreæ de Valle, alijsque in locis eminentioribus, quæ fulminibus è nube erumpentibus primò obuia esse solent.

26. *Lucius Marin. Sicul. libr.* 5. *de Reb. Hisp.* Eurosia Bohemiæ Regis filia, Aragoniæ Regi per nuncios desponsata, veniens in Hispaniam, cùm Maurorum rabiem sæuientem contra Christianos audisset, ad Montes Pyrenæos fugiens, in spelunca apud oppidum, quod Verna vocabatur, latuit cum multis Hispaniæ, & Bohemiæ nobilibus; ad quam speluncam cum Mauri peruenissent, ob fidei catholicæ confessionem iugulata fuit. Quæ cum ferientis gladium patienter expectaret, hæc Angelica vox audita est: Veni electa mea, sponsa Christi, accipe coronam, quam tibi Dominus præ-

præparauit, & donum, vt quotiescumque pro pluuia, vel contra quamcumque tempestatem fueris à Christi fidelibus inuocata, erit eorum oratio exaudita.

27. *In vita S. Hugonis Abb. Cluniacensis*. Dùm crebris fulminibus locus, qui Clusa dicitur feriretur, & desolationem cœnobio tempestas horrida ob quorundam Fratrum interitum minaretur; vir beatus de mutanda loci habitatione consulitur. Qui Deo plenus, locum non esse deserendum respondit: sed B. Laurentij Martyris patrocinium quotidiana commemoratione implorandum. Cuius consilij tanta apparuit efficacia, vt ab illo tempore meritis S. Martyris, ac fide beatissimi Patris, à fulmineis ictibus quiesceret locus ille.

28. *In vita B. Antonij ord. S. Augustini*. Intercessione B. Antonij nunquam grandine, aut tempestate læsos remanere fundos Monticianensium, vbi vir Dei tumulatus est, fama vulgatum est; si autem deficiente populorum erga Beatum debita seruitute, tale aliquod incommodum sentitur, leui tamen damno euaditur periculum, quamuis vicinæ terræ grandem iacturam factam conquerantur.

29. *In m. s.* Cùm Adriaticum mare sæua agitatur tempestate, vehementibusque ventis & procellis concutitur; supra Turrim Ecclesiæ Methamauci, & portus Medoaci propè Venetias, in qua venerantur accolæ Reliquias S.S. M.M. Felicis, Fortunati, & Iacobi intercisi, sæpè sæpiùs conspiciuntur tria lumina, ceù accensi fanales, à fulgurante corona circumdati; pièque creditur, patrocinio prædictorum martyrum, admiranda accendi ea lumina, ceù portum nauibus in tempestate periclitantibus demonstratura; eo etenim admirabili signo, multæ naufragium euitantes, portum tenuere.

CAPVT III.

De Admirandis circa Pluuiam diuinitùs impetratam.

NOn hic prodigiosas pluuias sanguinis, lapidum, animalium, &c. quæ quandoque mirabiliter è nubibus cecidere, referam, cùm enim naturali ex causa euenire potuerint, ideò vtpotè à nostro aberrantes instituto, non sunt recensendæ; solùm igitur quas diuinitùs quandoque impetrarunt Sancti, breuiter recensebo. De quibus.

1. *Marchantius de reliq. S. Ioannis Baptistæ*. Refert Iacobus de Voragine, Episcopus Genuensis, etiam contra ignem hasce reliquias ibidem valuisse, sopiendo conflagrationem in ciuitate inchoatam, ac infirmitates multas sanasse; immò, & contra siccitatem terræ, pluuias impetrasse, dum processionaliter circumferrentur.

2. *In actis S. Polycarpi Episcopi, & Martyr.* Cùm maxima aquæ penuria laborarent Smirnæi, rogauerunt S. Episcopum, vt à Deo suo pluuiam impetraret, quatenùs terra hausta cælitùs aqua, commissa semina colonis redderet: & ecce eo orante, cœlum imbrem dedit, & vniuersi gloriam Dei prædicarunt.

3. *In vita S. Iacobi Eremitæ in Palæstina*. Semel pluuiæ penuria totam illam regionem detinebat; Cùm rogatus S. Eremita, vt precibus suis à Deo aquam impetraret, ipso orante, cœlum pluuiam multam in terram dimisit.

4. *In actis S. Florelli pueri Martyris*. Præses præcepit rogum magnum extra ciuitatem fieri: cumque cremandum duci. Qui cum oraret, facta est vox de cœlo confortans eum. Properantibus ergo eis ad ignem, semper ab Angelo Sanctus Dei protegebatur. Et cum proiectus in medio ignis iaceret: illicò tempestas valida de cœlo veniens, ignem extinxit: ipsumque Angelus illæsum ab igne liberauit.

5. *In actis S. Teclæ*. Cùm S. Tecla religionis causa in ignem iniecta fuisset, imber repentinus meritis Diuæ impetratus, ignem statim extinxit.

6. *Tilmanus Brendebachius lib. 4. coll. sac. cap. 31. de grauissima obsidione Vrbis Antiochiæ a Christianis facta*. Summo diluculo 4. Kal. Iulij duodecim acies instruxerunt, quarum vltimam, quæ erat cæteris amplior, tenebat Princeps Boemundus, accidit autem, vt egressis ros suauissimus, modicus tamen descenderit, quasi in eo benedictionem suam videretur infudisse Deus: mirabile dictu! quicumque eo imbre conspersus est, tantum concepit animum, vt nihil laboris, nihil molestiæ in illa expeditione esse videretur, idem in equis fertur apparuisse.

7. *In vita S. Isidori Episcopi Hispalensis cap. 5.* Cùm semel S. Episcopus ad Galliarum fines appropinquaret; & omnes illæ regiones siccitate aeris nimia laborarent, & ex pluuiæ defectu, fruges, arbores, atque herbæ arescerent, omnes populi obuiam illi procedentes, rogauerunt, vt preces ad Dominum funderet, quatenùs aeris temperiem, pluuiarum largitionem, atque fructuum abundantiam dignaretur impartiri optatam. O mira virtus orationis Sanctorum! Cùm enim aeris serenitas nimia esset, & Solis ardore æstuarent vniuersa, post tonitruorum repentinos mugitus, & fulguris contiguos ictus, tanta subsecuta est aquarum inundantia, vt quis non viderit temporibus retrò actis huius pluuiæ comparationem.

8. *Surius in vita S. Benedicti*. Cùm quadam vice S. Benedictus ad videndam S. Scholasticam eius sororem profectus esset, illisque de cælestibus rebus colloquentibus, aduesperasset, rogauit soror illum, vt ea nocte non discederet, sed de cælestis vitæ gaudijs loqueretur; negauit S. Pater; tunc Scholastica insertas digitis manus super mensam posuit, & caput in manibus, Omnipotentem Dominum rogatura, declinauit; cumque de mensa leuaret caput, tanta coruscationis, & tonitrui virtus, tantaque inundatio pluuiæ erupit, vt neque Ven. Benedictus, neque fratres, qui cum eo erant, extra loci limen, quo consederant, pedem mouere potuerint.

9. *In vita S. Anselmi Archiepiscopi Cantuariensis lib. 2. cap. 5.* D. Anselmus transiens per Ciuitatem

tatem Matisconensem, rogatu Episcopi, & Canonicorum Missam publicè apud S. Vincentium celebrauit: & inter sermonem, quem ad populum habuit, vt omnes Dominum pro siccitate, qua in immensum terra aruerat, communiter precarentur, admonuit. Dicunt se iam id sæpiùs fecisse, sed nihil effecisse, & ea re, vt preces eorum ipse sua prece coram Deo efficaces efficiat, magnopere orant, & obsecrant. Quid dicam? Nec dum pransi eramus, & ecce subitò stupentibus cunctis serenitas cœli in nubilum vertitur, ipsaque die priusquam ciuitatem egrederemur, pluuia dulcis & copiosa terris illabitur.

10. *S.Gregorius lib.3.Dialog. cap.* 15. Cùm defunctus esset in Nursinæ prouinciæ partibus S.Euthicius, pluribus coruscare cœpit miraculis; inter quæ, quotiès pluuia deerat, & æstu nimio terram longa siccitas exurebat, collecti in vnum ciues vrbis illius, eius tunicam leuare, atque in conspectu Domini cum precibus offerre consueuerant. Cùm qua, dum per agros pergerent exorantes, repentè pluuia tribuebatur, quæ plenè terram satiare potuisset.

11. *Ferrarius in Catal. S. S. 2. Augusti*. Cùm Ciuitas Veronensis iam 7. annis siccitate laborasset; S.Mariæ Consolatrici diuinitùs reuelatum fuit, non priùs ab ea calamitate vrbem liberandam, quàm S.S.M.M. Firmi, & Rustici corpora in eandem vrbem referrentur. Quæ cum diù conquisita, & Iustinopoli in Histria inuenta, Veronam à S.Virgine translata fuissent, illicò de cœlo pluuia descendere cæpit: ipsaque Virgo hac de causa à ciuibus, Consolatrix appellata est.

12. *Idem* 11.*Ianuarij*. Cùm Brundusij, quo tempore ibidem Præfectum agebat quidam nomine Antiochus, biennio non pluisset, pollicitus est Præfectus S.Leucio Episcopo Brundusino, se in Christum crediturum, si pluuiam vrbi impetrasset. Tunc Sanctus, Clero & Christianis conuocatis, vix suspiciens in cœlum, Deo & Sanctis litanias decantare cæpit, cum copiosissimus imber descendit; quo miraculo Præfectus, & 27. millia populi baptismum suscepere.

13. *In vita S.Boniti Episcopi Claromontani in Gallia*. Quodam tempore cum nimio caloris æstu fatigari Sacerdos Dei cerneret populum, ita vt magnorum fluminum aluei siccitatis squalore torrerentur; Vir Dei hoc cernens, & suæ formidans Ciuitatis periculum, velut Bonus Pastor sui gregis, ab Omnipotente Domino deposcit remedium; processione igitur indita, cum ad Ecclesiam S.Laurentij peruenissent, subitò pernici cursu, flante Austro, aeris serenitatem, nubium conglobatio densissima texit; eadem verò nocte in tantùm aquarum sunt onere ponderatæ viæ, vt ex imbrium inundatione vix alia die Dei Sacerdos cum plebe valeret recedere.

14. *In actis B.Margaritæ Hungaricæ Virg.* 28. *Ianuarij apud Bollandum*. Cum quidam frater ad preces eius manere noluisset, vt prædicaret, eo recedente, cùm tempus esset serenum valdè, Virgo, sicut ei comminata fuerat, orauit Deum vt benè plueret, sic quod manere cogeretur: & statim tanta pluuia fuit, quod redire, quò venerat, non potuit, sed manere coactus fuit.

15. *Ibidem* 20.*Ianuarij de S. Euthymio*. Cùm terra magna laboraret siccitate, propterea quod non plueret, rogauerunt virùm Dei, vt preces ad Deum funderet. Igitur ingreditur Oratorium, cumque se ipsum humi proiecisset, Deum orabat cùm lachrymis. Deus verò exaudiuit orationem, statimque audiebatur quidam sonus vehementis Spiritus, & aer implebatur nubibus, & erumpebant tonitrua, vehemensque magno impetu cadebat pluuia, & affluentibus aquis terra inebriabatur.

16. *In actis Sanctorum tom.* 2. *Febr. in Continuat. Bollandi*. Antiquitùs ad eliciendos cœlo imbres, supplicationes institui solebant ad Ecclesiam S.Eulaliæ Virg. & Mart., quæ in Sarriano sita medio milliari ab vrbe Barcinonensi distat, & continuò consequebatur pluuia.

17. *In actis S.S.Aprilis tom.* 3. *in Cont.Bollandi*. Cùm Placentina Ciuitas, maxima aquæ inopia laboraret, non semel circumferrentes solemni ritu reliquias S.Francæ Virg. pluuia abundanti sunt recreati. Item in maxima terræ siccitate impetrata fuit ob merita S. Marci Episcopi Atinensis. Confugientes item ad potronium S. Indaletij Episcopi Vrcitani in Hispania pluuiam abundantes receperunt. Idem aduenit inplorato auxilio S.Hoyldis Virginis Trecis in Campania; Nec non B.Iacobi ord. Minorum Bitecti in Apulia, & S. Pamphili Episcopi Sulmonensis in eadem prouincia.

18. *D.Hieronymus in vita S.Hilarionis*. Cùm moraretur prædictus Sanctus propè Aphroditon vrbem, triennium erat, quod clausum cælum terras arefecerat, rogatus igitur Sanctus ab accolis vt pluuias impetraret, eleuatis in cælum oculis, & vtrasque in sublime eleuans palmas, statim impetrauit, quod rogauerat.

19. *Volateranus lib.* 21. Andoinus in Hispania, imbre excitato, cùm ea terra per septem annos pluuiam non sensisset, multos, conuertit.

20. *Dubrauius lib.6.* Adelbertus secundus Pragensis Episcopus, Roma euocatus à Boleslao secundo Bohemorum Rege; cùm simùl cùm sex fratribus eum comitantibus in Bohemiam summa siccitate laborantem ingressus esset, tantam repentè imbrium copiam secùm detulit, vt pleraque loca stagnauerint, manetque etiam num in ea gente prouerbium, sensim Germanis communicatum, si quando viros Religiosos iter facere videant, pluiturum ea die, postea quàm Monachi peregrinentur.

21. *Eusebius lib.5. cap.5.* Cùm exercitus M. Antonij, & M.Aurelij Commodi aridis locis conclusus, siti vehementi laboraret; rebus in summo discrimine constitutis, subitò de exercitu in auxilium commune progressa Christianorum legio est, quæ genibus in terram incuruatis prostrata, coniunctis certatim ardentibus precibus, geminum illicò beneficium à Deo impetrauit. Nam, & ex imbre largiori cælo demisso, aquæ gratissimæ collectæ militibus ad sitim sedandam suffecerunt, & è regione propiùs incumbens hostium numerosus

sus exercitus, fulminibus frequentibus disiectus est.

22. *Beda lib. 4. Hist. Anglorum cap. 13.* Euangelizans genti Anglorum Episcopus VVilfridus, non solum eam ab erumna perpetuæ damnationis, verùm & à clade infanda temporalis interitus eripuit. Siquidem tribus annis antè aduentum eius in Prouinciam, nulla in illis locis pluuia ceciderat; Vndè & fames acerbissima plebem inuadens, impia nece prostrauerat. Verùm ipsa die, qua baptisma fidei gens suscepit illa, descendit pluuia serena, & copiosa: refloruit terra, redijtque viridantibus aruis annus lætus, & frugifer. Sicque abiecta prisca superstitione, ex sufflata Idololatria, cor omnium, & caro omnium exultauerunt in Deum viuum, intelligentes eum, qui verus est, & interioribus se bonis, & exterioribus cælesti gratia ditasse.

23. *Nic. Iansenius lib. 2. cap. 11. vita S. Dominici.* In Hispaniam venerat S. Dominicus, vbi constituto in vrbe Segouia domicilio, accidit eum propè ciuitatis pomeria, ad ciues qui ingenti multitudine conuenerant, verba facere. Querebantur omnes nimiam siccitatem, neque enim eatenùs, cùm propediem instaret festum Natiuitatis Dominicæ, pluuiam cœlo acceperant, agris æstu deuastatis adeòque incultis. Igitur ab ipso statim concionis exordio, Dei instinctu, Nolite, inquit, timere Fratres: hodie vberrima vobis pluuia nascetur. Nulla erat pluuiæ nota: immò pulsis toto cœlo nubibus immenso splendore Sol radios effuderat; at sacra hortatione nondùm peracta, repentè cælum in nubes cogi, minari, & ferire imbres ea copia, quæ aditum ferè ad ciuitatem præcluderet. Itaque ab omnibus pluuia pariter & lætitia perfusis, gratiæ Deo actæ, & Dominici Sanctitas magis hac prædictione eluxit.

24. *Vadingus in ann. Minorum an. 1463. de B. Vngarello.* Laborabant olim aquæ penuria Ortani; casu prædicabat in foro B. Vngarellus Apostoicus concionator, Prouinciæ S. Antonij alumnus, die Apparitionis Sancti Michaelis, quem si festiuè colere vellent, futuræ pluuiæ spem exhibebat; illi extemplò vouerunt, se pro festo deinceps habituros, statimque copioso imbre recreati sunt.

25. *In vita S. Vincentij Ferrerij.* In Galliæ oppido Carcasona, & locis adiacentibus à mense Iunio vsque in Ianuarium tanta fuit siccitas, vt nullæ fruges eo anno sperarentur. Id temporis B. Vincentius Tolosæ erat. Eum igitur afflicti ciues adeunt, orant, vt sicut cæteris populis, ita ipsis quoque suas conciones impartire dignetur. Venit ad illos Sanctus Pater, & quinto die ab ingressu in oppidum, facta concione, iussit vt vniuersus populus genua flecteret, & omnes misericordem Dominum pro pluuia precauerunt. Ipse pariter in genua se submisit orans. Deinde surgens, crucem expressit in aere, iussit omnes abire domum, & Deo gratias agere, quod ipsorum preces admisisset. Vix verba expleuerat, & ecce densantur nubes, atque paulò post tàm largi fundantur è nubibus imbres, quales eius loci homines se nunquam vidisse meminerant: nec priùs cessarunt, donec Sancti Viri precibus repressi sunt.

26. *In actis S. Balderici Abbatis.* Contigit vt propter aquæ indigentiam forás extra Monasterium suum S. Corpus efferrent, & obuiam S. Iouini pignoribus portaretur, cuius dùm fuisset in occursum perlatum, vt simùl venerunt, obnubilato cœlo, cùm magna siccitas esset, copia pluuiæ effusa est. Et dùm humectarentur vestimenta, pallia supra Sanctorum corpora intacta manserunt à pluuia.

26. *In vita S. Petri Thomasij Patriarchæ Constantinopolitani, Ordinis Carmelitarum.* Semel ipso existente in Cathurcio accidit, quòd quadam æstate tanta ibidem siccitas fuit, quod omnes fructus peribant, fiebatque quotidiè processio ab omni Clero, & populo ad impetrandam pluuiam. Tunc ordinatum fuit, quod Frater Petrus Thomæ prædicaret statuto die. Die verò ordinata Fr. Petrus totum Clerum, & populum duxit extra Ciuitatem per mediam leucam processionem faciendo, & ibi incæpit sermonem suum; primò populum deuotissimè confortando, omnibus securè promittens pluuiam, & quod in Gloriosa Virgine tantam spem ponerent, & haberent eo die pluuiam. Ipso autem prædicante nulla nebula apparente in cælo, nec aliquo signo pluuiæ, sed Deo cooperante, & Virgine Gloriosa intercedente, antequàm sermo finiret, incæpit pluere paulatim, & tantùm pluit, quod vix potuit populus reuerti ad Ciuitatem propter abundantiam pluuiæ.

28. *Raderus in Viridario, de S. Donato Pontifice Euroeæ in Epiro.* Ingens tùm siccitatis æstus torrebat sata: rogatu igitur Imperatoris egressus vrbe Sanctus, ad Deum preces allegauit, tantaque vis aquarum de cœlo defluxit, vti parùm ab inundatione, & cataclysmo differre videretur, terraque innataret aquis. Animaduertit simùl Imperator illum vnica tunicula, quamuis imber esset maximus, malè tectum. Cùmque pauló post in regiam redijsset, nec vlla in veste eius pluuiæ gutta, vel humor cerneretur, omnibus admirationi, & stupori fuit.

29. *Sigonius lib. 16. Imperij Occidentalis.* Quintianus Aruenorum Episcopus, cùm quodam tempore ciuitas siccitate nimia laboraret, supplicationes ante Ascensionem ad opportunam impetrandam pluuiam, vetere ritu Ecclesiæ, celebrauit; die verò tertia portæ vrbis appropinquantem ciues rogarunt, vt ipse precationem ad Deum pro impetranda pluuia faceret: se enim confidere, illo orante, Deum extemplò aquam vberrimam effusurum. Tùm ille prostratus, in hunc modum orauit: si clauso cœlo pluuia non defluxerit propter peccata populi, & conuersi deprecati fuerint faciem tuam, exaudi Domine, & dimitte peccata populi tui, & da pluuiam terræ, quam dedisti populo tuo ad possidendum. Atque his dictis, atris repentè nubibus cœlo offusis, salutaris pluuiæ humor excussus est.

30. *Frid. Fornerus in Palma Triumph. de Vener.*

ner. Martino de Valentia. Tlaxacalæ præ nimia siccitate, cuncta iam exusta conspiciebantur, quæ terra, omnium mater, fœcundita te sua, quotannis consueuit suppeditate; & ingens annonæ caritas, metuebatur. Ciues itaque opis, & subsidij causa, Dei seruum accessere, qui supplicatione publicitùs indicta, processit cum Litanijs, ad locum, vbi crux erat collocata; Vix sacri signaculi stationem attigerat, & ecce, cùm se dat precibus, imber placidissimus è Cælo delapsus, breui tempore, sic omne solum humectauit, vt fructuum omnium copia locuples prouenirct.

31. *Ex officio Ecclesiæ Capuanæ*. Cùm ab impijs persecutoribus S. Vitalianus Episcopus eiusdem Ecclesiæ depulsus fuisset è Ciuitate; ab illa die, vsque ad sex menses & dies viginti expletos, ibi non pluit, tantaque illi regioni sterilitas aduenit, vt ibi nulla seges, vel herba gigneretur; Quod videntes incolæ, cognouerunt, quod propter hominem Dei hec eis aduenissent. Contristati igitur valdè, & contriti, Sanctum Episcopum inquisierunt, & vt regrederetur suppliciter exorarunt; Quorum pœnitentia impulsus Sanctus Episcopus, surgens abijt cum eis, cùmque peruenisset ad Vrbem, eius oratione venit pluuia super terram.

32. *Baronius an. 398*. Cùm Gazæ Ciuitas siccitate graui vrgeretur, precibus S. Porphyrij eiusdem Episcopi, pluuia abundantissima decidit, quo prodigio Idolis destructis, veram fidem incolæ sunt amplexati.

33. *Surius in Nouembri*. Aurelias, Hunni, Attila Duce, inuadere meditabantur, & iam infesto exercitu instabant ciuitati; cùm populum præ metu ferè exanimem, & opinione sua iam victum, S. Antistes Anianus hortatur; videat, quidnam subsidij de cœlo immitteret Deus. Ter suspiciunt omnes, & cùm semel atque iterùm renunciassent, ab se nihil prorsùs videri; tertiò demùm affirmarunt, nebulam excitari: eamque auxilium Domini esse S. Anianus statim affirmauit. Tunc vir Sanctus in nebulam expuit, tantaque imbrium inundatio repentè Barbaros illos inuasit; vt mutuò aspicere, tenebras infundente nimbo, aut agnoscere inuicem triduò nequiuerint. Cùm interim tonitrua perstreperent, micarent fulgetra, & iugi pluuia exercitus vniuersus allueretur.

34. *Idem in Decembri*. In Insula Cypro diù non pluerat, ingruerantque ideò pestis, & fames; Sanctus verò Spiridion Archiepiscopus Trimmithuntis cælum suis aperuit precibus; visæ nimirùm eminùs nubes, quæ postea super Insulam ascendentes, in abundantem pluuiam decidere:

35. *Ex Hist. Sicula*. In Chio Insula, sæculi huius ineuntis anno tertio, cùm ex penuria imbrium iam à biennio inarescerent agri, atque annonæ caritas extrema metueretur, Turcæ ipsimet Christianis auctores fuerunt, vt studio pluuiæ impetrandæ, publicam instituerent supplicationem, atque adeò sacram in eam circumferrent Eucharistiam. Quod dùm facerent; citò redire ad Templum opportuit, nam pluere illicò vbertim adeò cæpit, vt triduò imbres perennes omnia latè ad frugem, & ad messem irrigauerint: quo miraculo Turcæ plurimi Baptismum susceperunt.

36. *Guilielmus Gumppemberg, libr. 1. de Imagine Beatæ Mariæ de Ligua*. Deuastato Cilensi Regno, nobilis quidam Hispanus Petrus de Ibacaue, transtulit secùm Imaginem Beatæ Mariæ Virginis, hancque in Valle, quam Legam appellant, non multùm ab Vrbe Sancti Iacobi dissita, velut thesaurum deposuit in domo sua, eiusque præcipuum thalamum in Sacelli formam adornauit. Cùm igitur semel regio illa magna siccitate affligeretur, ad patrocinium Beatæ Virginis confugerunt incolæ, & deuota processione, quanta licuit pompa, Diuæ Virginis Statua circumlata est; quæ simul ac campos siccitate laborantes aspexit, ipsaque à cœlo conspecta est, dici non potest quanta celeritate ex omnibus cœli plagis collectæ sint nubes, atque in pluuias salutares solutæ.

37. *Idem ibidem. De Imagine Beatæ Virginis Tabularum Monspelij*. An. 1313. longa siccitate Monspeliensis ager penè totus exaruerat, iamque expectabatur quæ diuturniorem cœli æstum subsequi solent, fames, aut pestifera lues; cùm piorum mentes subijt cogitatio patrocinij Beatæ Virginis. Consules itaque, vt patriæ consulerent, adiunctis operarijs campestribus ex æde Diui Firmini cùm Clero, atque vniuersa plebe procedunt supplicantium ritu, ac D. Virginis Tabularum templum ingressi, post fusas ritè preces, maiestatem antiquam (sic enim antiquam è ligno Deiparæ statuam nominabant) magna pompa ad Lædi fluminis vicini ripam deferunt, eamque aquis fluminis perfundunt, iterùmque cælesti gaudio ipsi perfusi reportant, locoque, vndè acceperant, restituunt. Placuisse impium ritum, testatus paucas post horas est imber cœlo delapsus largissimus, quo & sata omnia vltrà desiderium recreata, & timor famis, pestisue depulsus est.

38. *Sylos in vita Venerab. Francisci Olympij, libr. primo, capit. sexto decimo*. Marcellinus Oda Neapolitanæ Prouinciæ Visitator, in Apuliam, ac Salentinos, vt ea ordinis domicilia de more inuiseret, contendebat. Socius illi Gabriel Maria (quondam Venerab. Francisci Socius). Nihil tùm Apuliæ regione infælicius: imbrem quippè cœlum diù negauerat, cuius duraturam adhùc diutiùs indignationem, serena vbique eius facies indicabat. Sitire campi, ac segetes, lamentari vehementer coloni, quorum labores, ac spès non tempestas, sed tranquillitas, ac sueda nimium tempestas corruperat. Populis nihil ea aeris serenitate fædius, ac tristius, vt qui certam ab annonæ caritate cladem metuerent. Igitur Gabriel Maria regionis calamitatem propulsandam opportunissimè Francisci sanguine, quem secùm gestabat, ingenti quadam fiducia sibi

sibi persuasit. Crystallum eo cruore nobilem manu protendit: tum, age, inquit Francisce, non tam sanguis hic tuus, quàm tua in sanguine efferuescat pietas. Emolliant preces tuæ æneum hoc cælum, ac regionem exhilarent recentes tandem imbres. Nulla tùm quidem cælo nubes, nullum pluuiæ vestigium; attamen non priùs postera illuxit dies, quàm largus telluri imber, alimenta segeti, genti faustitas compluerit.

39. *Bozius de signis Ecclesiæ lib. 12. cap. 21.* Toribius Motolinia vnus ex duodecim primis Fratribus Franciscanis, qui cum Martino Valentino profecti sunt ad Indias Occidentales, tantæ sanctitatis fuit, vt cùm maxima siccitate, aliquandò cuncta in vrbe Tetzcuco exarescerent, incredibilisque ob id sterilitas sinè dubio futura esset, ipse indicta supplicatione, cùm perrexisset ad templum quoddam S. Crucis, continuò precibus ambundantissimos imbres impetrauit. Contrà, cum tempore alio effusissimis pluuijs omnia sata & fructus corrumperentur, eodem modo protinùs ipse obtinuit à Deo pluuiarum cessationem.

Pluuiæ mirabiliter depulsæ.

§. 2.

NOn maiorem admirationem causant pluuiæ diuinitùs impetratæ, quàm earumdem nimia copia inundantium, ab aere cælitùs impetrata expulsio. De his.

1. *In vita S. Bernardini Senensis cap. 46.* Contigit, vt quadam die Aretij sermonem habere vellet D. Bernardinus Senensis in æde Sanctissimæ Matris Dei, quæ est extra vrbis portam; sed ob nimium populi concursum cogeretur in cæmeterio sub dio concionari. Vbi cùm in media iam versaretur concione, largissimi è cœlo lapsi imbres, populum coegerunt sub tectum confugere, illo solo in suggestu remanente. Hortabatur ergo plebem, vt vnà secùm rogarent Dominum, quo posset inchoatum absoluere sermonem. Cùmque versùs cœlum Crucis signum expressisset; mox pluuia repressa est, redijtque plebs ad audiendum eum. At postquam sermonem pertexuit, & populus in oppidum reuersus est, confestim magna pluuiæ vis ruit è cœlo, tamquam si vrnis aquæ effunderentur.

2. *In Ann. Minorum An. 1456. de B. Ioanne Capistrano.* In Varadini vrbe Hungarica, dùm coram Antistite concionaretur, obscurato cœlo, manifestisque indicijs timebatur ingens pluuia superuentura. Optionem fecit Capistranus, si vellent, abirent. Recedere nolentibus dixit, genuflexi orarent, vt densæ, atræque nubes aliò transuolarent. Ita factum, statim serenum apparuit, duabusque horis tranquillè vir Sanctus instruxit populum.

3. *In actis S.S. 3. Ianuarij apud Bollandum de translatione S. Bertiliæ.* Adueniente die eius translationis, fecit Deus, qui sanctis suis nescit deesse, magnam aeris serenitatem, licet ante diem illam, & etiam post eam pluuiosum tempus plurimum extitisset; quod B. Bertiliæ Virginis meritis & precibus contigisse, multi fide digni, quia pium est credere, firmiter crediderunt.

4. *Surius in Decembri, in vita S. Annonis Archiepiscopi Coloniensis.* Deuotissimus fuit sanctissimi viri Seuerini eiusdem Ecclesiæ priùs Antistitis, cui cùm Ecclesiam dedicare decreuisset; statuta die tanta imbrium copia è cœlo diffluebat, vt à dedicatione impediretur. Tunc firma fide ipsi B. Seuerino charitatis minas intulit dicens: Si me tuis auxilijs in hac pellenda inundatione quàm celerrimè prosecutus non fueris, certè tantis irritatus aduersitatibus, ad tui nominis reuerentiam, Ecclesiam prorsùs refugio consecrare. Mira res: subitò conquiescerunt venti, disparuerunt nubes, cessauerunt imbres, repentini Solis radij roseo lumine micantes, optatam deportauerunt serenitatem.

5. *In actis S. Vgonis Abb. Cluniacensis.* Ludouicus Comes, & Sophia vxor sua, Sanctum virum apud Aldechiarcum hospitio susceperant; deindè posita in viridario mensa, commotus aer tempestatis signa præmisit; turbati discursant ministri, quid fieret ex appositis iam dapibus ignorantes. Cæterùm Dei famulus eleuans manum, crucis signum opposuit, & imminentem sic abegit tempestatem, quæ nè casu potiùs, quàm meritis Abbatis abscessisse videretur, circumquaque pluuijs desæuentibus, & tonitruis, locus ille tempestatis expers, & serenus remansit.

6. *Surius de S. Theodoro 22. Aprilis.* Hic vir Dei Crucis signo, quod terræ defixit, ab oppido Scudri depulit imbres immodicos, qui certis anni temporibus decidentibus, ita torrentem quendam irritabant, vt alueo egressus, cùm stabulis armenta, & cùm ædibus omnes indigenas abriperet.

7. *Sigebertus in Chron.* Sub an. 676. in Italia tantæ pluuiæ, & tonitrua fuere, qualia nulla ætas hominum memorat, vt etiam homines, & pecuaria fulgure interirent? & nisi per Litanias, quas quotidiè faciebant, Dominus esset propitiatus, non potuissent homines triturare, vel in horreis frumenta reponere, in tantùm, vt ex ipsis pluuijs denuò legumina renascerentur, & ad maturitatem deuenirent.

8. *Nicephorus lib. 14. Hist. Eccl. cap. 3.* Cùm tempore Theodosij iunioris, largior aliquandò tempestas pluuialis extitisset, ita vt omnia deuastarentur; Litania instituta, suppliciter processere omnes, laudibus Deum rogauere, atque vna concors Ecclesia Ciuitas tota facta, & ipse medius Imperator hymnis canendis preiuit habitu priuato incedens; & statim cælum aerem turbidum serenitate commutauit, & frumenti non mediocrem inopiam, ingens quædam frugum copia, & vbertas est secuta.

9. *Beda in vita Sancti Columbani cap. 12.* Euenerat tempus, vt copia segetum horreis conderetur, nec prorsùs vis ventorum nubes compilare cessabat. Vrgebat sanè necessitas, nè maturæ messis spicæ in stipula germine misso perirent. Eratque vir Dei apud Fontanas cœnobium, vbi & messium copiam nouus ager locupletem tenebat. Irruebant enim ventorum flabra cùm vehementia imbrium,

nec omninò nubila cæli dare terris pluuiam quiescebant. Quid inter hæc vir Dei ageret, anxio corde pensabat. Armauit mentem fides, docuit impetrare opportuna: accersiuitque omnes, ac segetem præcidi iubet. Mirantur illi Patris imperium, nec tamen quisquam Patri cogitatum depromit. Venerunt ergo omnes, falceque inter diffusiones imbrium secant segetem, Patremque quid agat conspiciunt. Ille autem quatuor plenos religione viros, per quatuor angulos messi præponit, Cominnium & Eunocum, ac Æquonum, ex Scotorum genere, quartumque Gorganum, genere Britonem. His ordinatis, ipse cùm reliquis messem medius præcidebat. Mira virtus: fugiebat imber à segete, & vndique pluuia diffundebatur: medios tamen messores Solis ardor torrebat, æstusque vehemens, quousque messem conderent, afflauit. Sic fides & oratio meruit, vt pulsa pluuia æstum inter imbres haberet.

10. *S.Gregorius Turonensis lib. 10.Hist.Franc. cap. 29.* Iter carpens S. Aredius Abbas cùm suis, nimbus ad eũ pluuiæ aduenire cæpit: quem ille cernens, paululùm super equum, in quo sedebat, caput inclinans, manus extendit ad Dominum. Consũmata verò oratione, diuisa est nubes in duas partes, ac in circuitu eorum, immanis descendit pluuia, super eos tamen nulla, si dici fas est, gutta descendit.

11. *Sur. in vita S.Genouefæ 3. Ian.* Accidit in Meldensi territorio, vt cùm collectis messoribus culmos spicarum truncaret, subitò effusus imber ingrueret. Tum illa conturbatis operarijs, tentorium ingressa, orationi se dedit, humi more solito prostrata. Itaque multorum agros circumcirca iacentes imber largus infudit, intrà illius verò agri ambitum ne gutta quidem vlla è nubibus distillauit: sicque messores illi ingenti admiratione correpti, cæptum opus absque illa pluuiæ infestatione consummarunt.

12. *In vita S.Petri de Alcantara cap. 37.* Quo tempore ad sepulturam deferendum erat corpus S. Petri de Alcantara, magna imbrium copia vndique diffluebat; at statim ac incæpta fuit funebris processio, per totam viam, vnius scilicet milliarij & dimidij, nec gutta quidem cecidit aquæ, ea circumquaque profusè dilabente; funere autem terminato, iterùm pluuia descendere cæpit, cessauit verò iterùm quo tempore populus ad sua reuertebatur.

13. *In actis S. Gamelberti Parochi in Bauaria 27. Iannuarij.* Die illa, qua terræ commendandum erat eius Sanctum corpusculum, fecit Dominus grande, & memorabile miraculum, vt eos qui adeò tristabantur, lætificaret, & quanti meriti vir ille apud se fuerit, demonstraret. Nam tempore illo eruperat tanta vis ventorum, & pluuiarum, vt diffiderent eum sepelire plerique, qui aderant iure exequiarum. Ideòque dolor aereæ commotionis augebat amplitudinem insiti pro orbitate mæroris. Aliqui tamen altiori consilio de Domini misericordia præsumentes, suisque compluribus, vt idem facerent consulentes, quæ facienda erant inchoabant, candelas accendebant, feretrumque leuabant. Eadem hora quieuit pluuia, virtute diuina interim suspensa cessauit, donec delato in Ecclesiam corpore, Salutaris hostia pro eo à Sacerdotibus immolaretur, & sanctum corpusculum sepulturæ traderetur. Peracto autem exequiarum officio, discedunt turbæ, quæ confertim vndique confluxerant omni studio, moxque tempestas tanto fræno laxata redijt, quanta etiam antè sepulturam fuit. Omnes hæc videntes, de tanto miraculo lætificati, grates immensas retulerunt magnificæ Trinitati, quæ voluntatem timentium se facit, & deprecationem eorum exaudit.

14. *Baronius de S.Paulo Eremita an. 956.* Ferianti S. Paulo Anachoretæ in solemnitate Sanctæ Aecaterinæ Martyris, & sub dio epulanti cùm fratribus, largus imber imminebat, Monachosque surgere parantes ipse inhibuit, & pluuia cursum tamquam iussa repressit, ne gutta quidem vel tenui lapsa, quoad sublatæ sunt mensæ. Idem verò surgendi initium fuit, & pluuiæ cadendæ, mox enim magno impetu & copia, ferri, quasi tessera data, cæpit.

15. *In Annal. Ord. Prædicator. an. 1246. de B. Petro Gonzales.* Prædicabat aliquandò Beatus Pater, cùm subitò coorta fœda tempestas, sæuique ventorum turbines, cælo horribilem in modum tonante, ac fulgurante, & densis nubibus cùm immenso fragore personantibus, congregatam concionem disijcere cæpere, hùc, illùcque in tutiora loca cunctis metu procelle diffugientibus. At vir Dei clamare cæpit, multitudinemque voce, manu detinere: subsistite, inquiebat, Fratres, ponite metum, nam Dominus ille, qui ventis imperat, cui mare, terra, cœlumque subiacent, cuius nutu cuncta reguntur, hìc iam in oculis vestris, omnem istam tempestatem dispellet, dissipabitque. Elatoque brachio versùs eum locum, quo atrocior vis nubium ingruebat, & facto signo Crucis, nubes in duas se partes distraxere, ac relicto in medio populo, qui concionem B. Patris audiebat, ab vtroque latere tantam vim grandinis, & pluuiæ, tonitruum, & fulgurum effudere, vt cælum ipsum ruere, terraque è sedibus conuelli, & immenso diluuio inundari videretur: Cùm ne gutta quidem in eos, qui concioni intererant, ceciderit, aut à multis passibus loco appropinquauerit.

16. *In vita Venerab. Iosephi Anchieta.* Moribus informandis cùm comædia agenda esset opera Venerabilis Patris Iosephi Anchieta è Societ. Iesu, statim nubibus cœlum obducebatur, vt pluuiam omnes timerent, indèque auditores discederent; tunc diuina spe armatus idem Pater alta inclamauit voce, non esse quod timerent pluuiam, eam non esset casuram priùsquam tota actio absolueretur, sicque factum est.

17. *Auctor in vita Ven. M. Vrsulæ Benincasæ cap. 20.* Quo tempore Romę à S.Philippo approbata fuere opera Ven. M. vtque à Sancto Spiritu in viam certam ductæ, concessum fuit, vt Neapolim regrederetur; pro confirmatione veritatis, iussit illi S.Philippus, vt à Deo precibus aeris serenitatem impetraret, quæ per multos menses cõtinuis pluuijs haùd

haud obtineri, nec orationibus, nec publicis supplicationibus potuerat. Orauit ergo pia Virgo, eiusque votis arrisit cælum, dissipatis nempè vbique nubibus, optata tranquillitas, aerisque serenitas, publicum Pietatis Virginis testimonium, toti Vrbi apparuit. Aliàs etiam cùm Neapoli Romam progrederetur, imminens pluuia, quoadusque ad Hospitium peruenisset, ne difflueret, precibus impetrauit.

Hùc etiam referri possunt quæ supra dicta fuere de tempestatibus fugatis, cap. 2. §. 1. Alia his similia notabuntur in §. 3. sequenti, cùm de à pluuia mirabiliter illęsis.

A pluuia mirabiliter illæsi.

§. 3.

ET quandoque, dùm abundantissimi è cœlo effunderentur imbres, nec leuem guttulam sub dio morantes, irrorasse, persæpè mirabiliter euenit; Qui etenim imminentes pluuias, & tempestates prorsùs depellendi viris Sanctis contulit virtutem, eosdem ab imbrium, licet profusè illabentium, & liberare iniuria, illæsosque conseruare mirabiliter potuit. De his.

1. *In Historia Italica.* Cùm in monte Berico propè Vincentiā, templum Dei Matri erigeretur, & duceretur calx, vndique pluuia cadens calcem tamen non attigit, vt duci ad Ecclesiam, quæ struebatur tutò posset; & quod admirationem auget, repererunt inchoatum iam ædificium, à pluuijs fuisse immune.

2. *S. Anton. 2. par. Chr. tit. 12. cap. 7. §. 1. de S. Brigida Virgine Scotiæ.* Aliquando cùm conuocasset messores, ac operarios in messem suam, & facta esset dies nebulosa, & pluuialis valdè per circuitum in prouincia tota, in eius messem gutta aquæ non cecidit.

3. *Ioannes Monachus in vita S. Odonis Abb. Cluniacensis, apud Surium 18. Nouembris lib. 3. cap. 10.* Nobis Romæ apud S. Paulum agentibus, Abbas Balduinus rogauit eum, vt vitam beatissimi Martini Episcopi, quam Sulpitius in Galli & Posthumiani dialogo scribit, quibusdam scholijs illustraret. Paruit illicò vir Sanctus, & accito fratre Othecario, operi manum admouit. Interim dùm sunt in opere, pulsatur campana hora vespertina. Mox illi, vt habet regula, relictis illis, quæ in manibus habebant, ad Ecclesiam properant, relicto codice aperto in loco illo, vbi consederant: Erat autem tunc hyems. Eadem nocte tanta vis imbrium è cœlo ruit, vt omnes Monasterij nostri officinæ implerentur. Porrò locus ille, in quo codex ab eis relictus erat, ità situs est, vt aqua, quæ ex aliquot vicinis tectis labitur, instar torrentis in eum decidat. Mansit itaque apertus codex, fluxerunt aquæ illa nocte copiosissimæ, & quamuis codicis abluerent margines, scripturam ipsam attingere ausæ non fuere. Manè coràm omnibus exhibitus est liber, stupebant fratres nihil esse læsum à pluuia.

4. *In actis S. Kentigerni Episcopi 13. Ian. apud Bollandum.* Nunquam vel pluuia, niue, vel grandine vestimenta eius maduerunt. Nam dùm aeris inclemētia ingruente imber inundans deplueret, & spiritus procellæ in circuitu eius desæuiret, immobilis quandoque stans, quandoque gradiens, à cuiusdam stillæ iniuria illæsus semper extitit, & intactus. Idipsum etiam turba discipulorum suorum in eius præsentia suis meritis sæpissimè est experta.

5. *Ibidem in vita S. Genulphi 17. Ianuarij.* Cùm feretro Clerici superposuissent Sanctas reliquias, textum Sancti Euangelij, qui vsque hodie in Monasterio est, rustico superponunt: & sic antecedentes dimisso rustico, cùm reliquijs viam suam abierunt. Et ecce subitò orta est tempestas valida, & inundatio totam terram replebat. Quod videns homo valdè cœpit contristari, nesciens vbi saluaret textum Euangelij. Cùmque in semetipso vno in loco staret, expectabat si fortè pertransiret tantæ inundationis diluuium. Itaque factum est pergrande miraculum, & nihil super hominem, nihil super textum Euangelij cecidit pluuiæ.

6. *Ibidem in actis S. Maedhog. 31. Ian.* Quodam tempore legens S. Moedhog in cellula sua, venit ad eum Oeconomus Monasterij S. Dauid cùm irata mente, & asperè iussit illi, vt iret ad portanda ligna de sylua. Obediens velocissimè S. Moedhog librum apertum foris dimisit. Vidit autem S. Dauid Episcopus quomodo dimisit librum apertum foris. Illo siquidem die imber fortis pluit; & sciens Episcopus librum foris apertum, exiuit adiuuare eum; & nulla gutta pluuiæ super librum cecidit, sed apparuit siccus ante Episcopum.

7. *Lippellous in vita S. Cerbonij 10. Octobris.* Defuncto S. Cerbonio Populonensi Episcopo; cum Populonium sacrum eius corpus naui impositum duceretur, collectis in aere nubibus, immensa nimis pluuia erupit. Sed vt omnibus patesceret, cuius viri corpus nauis illa portaret, per illud maris spatium, quod ab Helba insula vsque Populonium duodecim milliaribus distat, circa vtraque nauis latera, procellosa valdè pluuia descendit, & in nauem eandem vna pluuiæ gutta non cecidit.

8. *Io: Colg. in vita S. Aedi 21. Februarij.* Habens quodam die Sanctus Episcopus plures messores, pluuia magna descendit super terram, sed nulla gutta pluuiæ cecidit super segetem Aedi, & videbantur guttæ hùc, atque illùc sparsæ euitare segetem, quasi aliquid timoris haberent: Videntes hoc miraculum, gratiam Christi cùm Aedo magnificabant.

9. *S. Gregorius 3. Dialog. cap. 12.* Cùm S. Fulgentius Otricoli Episcopus, ab impijs Gothis circumdatus sub aperto cœlo stare cogeretur, interim coruscationes, tonitrua, tantaque pluuiæ copia erupit, vt hi qui eum custodiendum acceperant, immensitatem pluuiæ ferre non possent, in eo loco tamen, in quo vir Dei stabat, nec quidem gutta aquæ cecidit.

10. *In actis S. S. Martij tom. 1. in Continuat. Bollandi.* Cùm S. Albinus Abbas Andegauensis in Gallia, adhùc puerulus esset, per pagum in Abbatis sui proficiscebatur obsequium, dùm applicans apud quendam, tanta detonuit violentia tempestatis, tan-

tantùmque se pluuialis imber effudit, vt ipsam domum, nec sua tecta defenderent. Cùm ergo pro magnitudine pluuiæ, casa pro campo constaret, madefactis omnibus, qui eodem tenebantur hospitio, solùm B. Albinum tunc imber tangere expauit; quia vbi flammam fidei sensit, ne iniuriam faceret se gutta detorsit.

11. *Gregorius Turonensis lib. 8. Hist. Franc. cap. 15.* Cùm transferrentur reliquiæ S. Vuolfi Eremitæ, in itinere abundans pluuia descendit super Clericos & populum, sed super feretrum, nec vna quidem pluuiæ gutta cecidit.

12. *In vita S. Donati Episc. Euoreæ in Epiro.* Cùm semel S. Episcopus sub immensa pluuia progrederetur, nihil madefactus est, nulla pluuiæ gutta super eum cadente.

13. *Ferrarius mense Mart. die 28. de S. Zita Virg. Lucensi.* Aliquandò ad Ecclesiam S. Mariæ Magdalenæ ab vrbe X. M. P. distantem venit, vbi foribus clausis, foris orans obdormijt, nec illam imber copiosus descendens attigit.

14. *Idem 10. Iulij.* Cùm Romam ad limina Apostolorum multis comitatus pergeret S. Petrus Abbas Perusinus, multaque de cœlo vtrimq; pluuia decideret, ne gutta quidem illum, & comites tetigit.

15. *Anton. Belingh. in Kalendario Virg. de S. Francisca Vidua Romana.* Hæc, B. Virginis Mariæ horas recitans sub dio, licet maximè plueret, comitibus omnibus madidis, in oratione perseuerans sola madefacta non est.

16. *In vita S. Bernardi Abb.* Cùm quadam vice S. Bernardus sub dio sereno cœlo dictaret epistolam, & inter dictandum improuisa oborta pluuia, amanuensis à scribendo cessaret, & inde recedere vellet ad tectum locum, prohibuit eum Sanctus, illud vsurpans: opus Dei est, curat ipse sua: Quo factum est, vt renouatum fuerit miraculum exhibitum Gedeoni, cùm vndique madente terra densis imbribus, charta illa, in qua epistola scribebatur, neque à gutta pluuiæ ostendi potuit esse læsa.

17. *Greg. Tur. lib. 1. de gl. Mart. cap. 44. de translatione Reliquiarum SS. Vitalis, & Agricolæ MM.* Venientibus illis subitò contenebratum est cœlum: Et ecce imber vmbrosus, atque teterrimus super eos descendit: & tanta pluuia ibidem est diffusa, vt flumina per vias illas currere cernerentur. Verumtamen circa sancta pignora per vnum valdè iugerum neque vna gutta visa est cecidisse. Et abeuntibus illis, pluuia eos à longè, quasi præbens obsequium sequebatur, populum iouens, gestatores autem pignorum non attingens. Hæc videns Pontifex, magnificauit Dominum, qui fidei suæ sic fauens, talia ad sanctorum gloriã operari dignatus est. Congregatis verò Ciuibus cùm magno gaudio atque deuotione, sanctam Ecclesiam his illustratam pignoribus dedicauit.

18. *Raderus in Bauaria Sancta de S. Henrico Anachoreta.* Fuit in media cùm alijs via dùm Ecclesias de more visitaret, cùm subitò tempestatis procella cùm ingenti imbre excussa cadere cœpit; sed alijs ad porticus, & tecta refugientibus, ille senio tardus, ibi deprehensus, nulla tamen stilla pluuiæ contactus, siccus & intactus in loco hæsit, quasi religio fuisset cælestibus aquis hominem innocentem iniurijs cœli, cui ipsum cœlum deberetur, afficere.

19. *Vuillielmus Malmesburiensis, lib. 1. de gestis Pontificum Anglorum de S. Odone.* Nescio qua incuria Ecclesiam Archiepiscopatus tecto vacantẽ, ita orationibus operuit S. Odo, vt toto quo tectura parabatur tempore (nisi quòd dicam incredibile videatur) nec pluuiæ stillicidium loci madefecerit ambitum. Et hoc eo celebrius habetur, quòd plurima vis imbrium, frequens tempestas turbinum, totum illis diebus concussit mundum.

20. *Idem ibidem libr. 3. de translatione corporis B. Cuthberti.* Erat spectaculum ingens in cæmeterio sereno aere, nulla pendente nubium crassitudine, Monachis omnibus solemnibus indutis vestibus, longa pompa euntium & redeuntium, magnaque constipatio se ingerentium, dùm semel visum iuuat, iterùm, iterùmque videre. Visum ergo vt Sancto putatur indignum, quod ita esset expositus ad spectaculum pluuiaque ingens inopinatè oborta omnes intra Ecclesiam coegit. Nec caruit miraculo, quòd monachorum vestes tanta inundante procella non solùm illæsæ, sed nec etiam madefactæ.

21. *Iansenius in vita S. Dominici libr. 2. cap. 8.* Proficiscente eo cum F. Bertrando, ingens tempestas eis incubuit, quam multa pluuia secuta est. Ruente cœlo imbre, & terram inundante, Vir Beatus illi signum Crucis opposuit. Itaque in tanta aeris intemperie, virtute Crucis protecti, adeò nihil ex pluuia molestiæ tulere, vt nec vestimentorum fimbria madefacta sit.

22. *In vita S. Patritij cap. 156.* Vir Dei diem Dominicam ducere deuotione singulari solemnem solebat, ob illius maximæ solemnitatis recordationem, quam vita mortua suæ rediuiuæ resurrectionis, melodia cælis, terris, tartaris fecit exultabilem. Vndè & sancta consuetudine constituit animo fixum, quasi pro lege, vt vbicumque ei Sabbatum aduesperasset, ob reuerentiam Dominicæ subsequentis, ibidem pernoctando & procrastinando in Hymnis, & Canticis, & Psalmis spiritualibus medullitùs Diuinæ contemplationi deditus, vsque in secundæ feriæ maneret mane. Quadam nocte Dominica, huius sanctæ consuetudinis causa contigit, Beatissimum Patritium positum sub dio, sacras excubias cum suis celebrare, imbriumque inundantium vehementiam circumiacentis campi planitiem perfundere. Locum autem, in quo Sanctus ille, vigil custos murorum ciuitatis Ierusalem cum suis fuit, nec vlla pluuiæ distillantis stillula madefecit. Sic profectò in Sancto Patritio signum iteratò claruit, quod quondam in vellere Gedeonis apparuit, quando tota terra rore madente, illud siccum, vel inhumectum extitit.

23. *Ioannes Tritbemius libr. 3. de viris illust. Ord. S. Benedicti, cap. 34. de S. Asidio Abbate.* In medio pluuiæ, socijs vndique madefactis, sæpè nec vna quidem gutta S. Asidium tangere præsumpsit.

24. In

24. *In vita S. Theodori Archimandritæ.* Cùm ex loco, qui dicitur Euarnia, millibus passuum octo à Monasterio distante, quidam pro templi ædificatione calcem in curribus veherent, præsente viro Sancto, contigit, vt magna nubes super ipsos incumberet, & ingentem imbrium vim inciperet demittere. Quamobrem homines illi perturbati, & metuentes, nè currus atque iumenta, propter calcis incendium imbribus excitatum, comburerentur, magnis vocibus virum Sanctum aduenientem compellebant, dicentes: curre, Domine curre, perimus vnà cum iumentis nostris. Et cæperunt celeriter iumenta dissoluere, & à plaustris remouere. Sed vir Sanctus prohibuit, nè id facerent, qui stans, atque manus suas extollens, Deum precabatur, & ad præcedentem currum accedens, insedit, & psallens eum dirigebat, statimque nubes duas in partes discissa est, & imbribus magnis vtrinque defluentibus, ne gutta quidem super plaustra decidit. Sic igitur ad Monasterium incolumes peruenerunt, Deum collaudantes, qui res admirabiles per seruum suum efficiebat.

25. *Surius in vita S. Guduuali Archiepiscopi 6. Iunij.* Proxima luce Meuorus cùm illis proficiscitur, iturus ad Patrem Guduualum, sicut imprimdem optaret. Ecce autem nubes subitò densatur, cœlum omne nigrescit, horrida imminet tempestas, imbres iam iamque ruituri ab aere timentur. Sed fratres à suo Magistro edocti in rebus aduersis clamare ad Dominum, & de eius misericordia benè sperare, tertiò in genua se submittunt, preces fundunt, sacrosanctam Trinitatem, vt per merita S. Guduuali sibi opituletur, orant. Iam cùm impetu è cælo labebantur imbres, & omnia circumquaque inundabant, solos hos Dei famulos publica gradientes via non fuere ausi attingere, donec ad venerandi Patris sui præsentiam venirent.

26. *In vita B. Marij. Abb. Bodanensis.* Quotiès seruus Dei aura dubia, aut segetum spicas triturandas strauit, aut in quolibet itinere ad mensam sub aperto aere sedit, nunquam illum pluuiarum inundatio molestauit, nunquam impediuit. Sic namque Deus nimborum impetus vbicumque ruentes, meritis, & virtute S. Confessoris refrenauit, vt cùm alios euntes, & redeuntes, eorumque labores suis inundationibus indifferentur humectarent, virum Dei, eiusque socios illæsos, & eiusdem areas intactas pertransirent.

27. *In actis S. Antgarij cap. 16.* Quadam vice ipse in quodam sedebat Placito, scæna in campo ad colloquium parata, vbi cum inter alias locutiones illi Gentiles Deos suos laudassent, quorum fauore prospera sibi multa prouenirent; & illi quòd solus à consortio omnium inani fide aberraret improperarent; ipse vt erat feruens spiritu, respondisse illis dicitur: Si tanta est de diuina Maiestate dubietas, quòd tamen dubium esse nullo modo deberet, probemus miraculis, quis sit maioris potentiæ, vestri multi, quos dicitis, Dij, an meus solus Omnipotens Dominus Iesus Christus. Ecce tempus adest pluuiæ; si quidem tunc pluuia imminebat; Inuocate vos nomina Deorum vestrorum, nè pluuia super vos descendat, & ego inuocabo Dominum meum Iesum Christum, ne aliqua stilla pluuiæ me contingat: Et si quis in hac parte se inuocantes exaudierit, ipse sit Deus. Hac itaque facta inter se conuentione, cùm illi omnes in vna parte sederent, ipse verò cùm vno puero in altera, cœpit vnusquisque eorum inuocare Deum suum, ille quoque inuocabat Dominum Iesum Christum, & descendens immensa de cœlo pluuia ita omnes illos aqua infudit, vt quasi in flumine cum vestimentis iactari viderentur, etiam folia ramorum de vmbraculo ibi facto, super ipsos decidentia virtute diuina illos oppressos ostenderent: super ipsum verò & puerum qui cùm eo erat, nec vna descendit pluuiæ gutta. Quo facto confusis illis, & admirantibus, ecce, inquit, videtis, quis sit Deus! Nolite me infelices ab eius cultura reuocare, quin potiùs ab erroribus vestris confundimini, & veritatis viam discite.

28. *In Annal. Mino. an. 1231. nu. 8. de S. Antonio Pat.* Cùm apud Briuam, Lemouicensis Diœcesis Oppidum, fratrum Rectorem ageret, nec haberent quod manducarent, misit ad piam quandam dominam rogatum, vt quædam ex suo horto olera transmitteret. Illa licet incessanter plueret, fecit vt ancilla in hortum descenderet, & inconstanter decerpta ad fratres portaret. Decerpsit, abijt, redijt, neque tamen vna tantæ pluuiæ gutta ei incidit. Quo miraculo stupefacta, læta ad hæram redijt, quæ maiorem ex hoc miro euentu induit erga fratres affectum, & filium vnicum Petrum Nobiliacensem Canonicum obtestata est, vt dùm posset, nunquam indigentibus fratribus deesset, certam à Domino recepturus mercedem; quòd ille fideliter impleuit, enarrato sæpiùs domestico hoc miraculo.

29. *Ibidem an. 1231. num. 11. de S. Antonio.* In Vrbe Bituricensi cùm quodam die populo prædicaret, tam frequens habuit auditorium, vt nullus intra oppidum esset locus tantę multitudinis capax. Canonici igitur cùm populo instituta processione, in agrum latissimum exierunt, sub æstiuo tempore. Sub ipsa autem concione immanis orta tempestas, fulgoribus, & tonitruis comminantibus imminentem pluuiam omnes fugere compellebat. Sed Vir Dei cernens illos fugam meditantes, alta voce dixit; sitis bono animo, nec vos loco moueatis: ne gutta quidem pluuiæ quemquam vestrum continget. Tum illi verbis eius fidẽtes, nequaquam se mouerunt. Interim pluuia & grando crassissima preceps è cœlo proruens, omnes illos prorsùs intactos reliquit, ne locum quidem, in quo stabant, madefaciens; cum tamen vndique instar muri ambiuisset. Ad tam insigne miraculum omnes gratias egerunt Deo, & virum Dei deinceps in multa habuerunt reuerentia.

30. *Ibidem an. 1459. de Beato Ioanne de Capistrano.* In Valle-Telina in finibus Lombardiæ ad Oppidum Morgeni sermonem habuit ad populum in campis. Exorto repentè ingenti turbine, condensatis nubibus, obscurato aere, tonitru frequente, dùm populus celeriter vellet elabi,

bi, vir Dei præcepit, ne abiret. Dicto obediens hæsit, concionem attentus excepit, graui in circuitu nimbo decidente. Absoluto sermone, reliquo madefacto, & lutuoso campo, tota cœtus area sicca remansit, neque quempiam auscultatorum tanta aquarum moles offendit.

31. *Ibidem*. Narrabat B. Bernardinus à Feltre, F. Antonium de Robes, Deiparæ Pietati addictissimum, cùm Vrbem Vincentiam abiret aliquandò, repentina quidem ac assidua pluuia fuisse deprehensum, cumque nullum, ad quem se reciperet, inueniret locum, vt se se à pluuia defenderet, arreptam è globulis coronam, in capite ponens suo: O Angelorum, inquit, Regina in necessitatibus amicorum patrocinia dignoscuntur, oro te, vt recorderis Clientis tui. Res dictu mirabilis! ijs vix prolatis verbis, ad vrbem vsque progressus est, ne leui quidem pluuiæ gutta respersus.

32. *In vita B. Luchesij Tertij Ordinis S. Francisci*. In delatione eius corporis ad sepulchrum, licet ingens copia aquarum de cœlo caderet, nulli ex comitantibus funus, à pluuijs sunt madefacti.

33. *In vita B. Philippini ord. Minor.* Cùm deferretur sepeliendum eius venerandum corpus, pluuiaque immensa de cœlo caderet, nulla attigit gutta sanctum feretrum, aut feretri portitores.

34. *In vita S. Francisci de Paula*. Cùm semel S. Franciscus esset in casali Paterni, superuenit magna pluuia, & inundatio aquarum, taliter quod omnes manuales, & ij qui laborabant, & omnes ibi existentes propter dictam pluuiam fugerunt ad Ecclesiam, solo remanente B. Francisco in piereria, siue lapicidina, vbi lapides excidebantur; & ibi solus mansit mouendo, & proijciendo lapides tantùm quantùm durarunt dictæ pluuiæ, & inuentus est B. Franciscus nullo modo madefactus, tamquam si non pluisset.

35. *In Chron. S. Augustini*. Dùm B. Sanctus à Cora ord. S. Augustini, ob frequentiam populorum sub dio prædicaret, licet persæpè pluuiæ inundantes circumuicina loca obruerent, immunem, & impluuium locum, quo Sanctus populusque morabatur, relinquebant.

36. *Marulus lib. 3. cap. 4.* Eadmundus Cantuariensis Archiepiscopus, cùm in Gallia apud Vigorinam Vrbem sub dio prædicaret, & populus imminentem supra se atræ nobis contractiones cernens, pluuiam timeret, dilabique sub tecta pararet; nè dubitarent præcepit, & imbri, ne verbum Domini impediret, iussit; magna vis aquarum circa eos qui conuenerant, in terram defluxit, nullum tamen ex tanto hominum numero attigit.

37. *In vita B. Philippi Confessoris*. Cùm de loco Columbarij, in quo decessit, corpus eius ad montem Ilcinum deduceretur, inundante pluuia, nec vna gutta feretrum tetigit, nec sui corporis portitores.

38. *Boluitus in vita B. Andreæ Auell. ex nostris*. Cùm recitaret horas Canonicas sub dio, & plueret, nec ipse, nec Diurnum fuit à pluuia tactum; immò quondam, dùm in summa pluuia domum ab officio charitatis regrederetur simùl cùm alijs illum commitantibus, omnes intacti ab aqua, & illæsi fuere, vestibus ab aqua pluuiali nequaquam madefactis; quinimmò nec calceis collutulatis, tanquam si sub maiori cæli clementia, & serenissima tranquillitate expatiati fuissent.

39. *Ioseph Sylos in vita Ven. Francisci Olympij lib. 1. cap. 10.* Dùm semel Ven. Franciscus Olympius ex nostris, Neapoli ad Ciuitatem Vici Æquensis nauigaret, ruere imbribus Cælum cæpit; Orare interim Franciscus, visusque arcere mirè pluuiam; Siquidem, dùm extra, circaque lintrem effusè plueret, nihil ruentis procellæ, ac persundere vectores, ac nautas visum est.

40. *Idem de eodem lib. 1. cap. 20.* Dùm idem Ven. P. Franciscus Olympius pedes aliquando Neapoli iret, interimque improuisus largusque è cælo rueret imber, nec ipse, nec socius, immò nec qui cùm eo ambulabant ab imbribus maduerunt; quod, & aliàs sæpè contigisse multi affirmarunt.

41. *Vadingus in an. Minorum an. 1437. de Georgio Albano laico*. Socio Petro è Sancto Angelo in vado, ad Castrum Durantis proficiscens, suis precibus obtinuit, nè sub totius diei copioso imbre vel minimo madefierent.

42. *Zachar. Boner an Annal. Capuccin. 1576. de F. Hieronymo à Pedone*. Viri huius pietatem, Deus multis signis testatam esse voluit. Dùm enim è conuentu Montis-filatrani, vnà aliquando cùm F. Vincentio Portiano, ac alijs, Maceratam, æstiuo tempore proficisceretur; Socij, pallium, quo Hieronymus iam Senex grauabatur, vt itineris illi laborem leniant, ex illius humeris sublatum, secùm ferunt. Dùm igitur Hieronymus absque pallio in via socios antecedit, En repentè Aer nubibus obtenebrari, ac multus è cælo imber cæpit effluere; quo tempore, qui Hieronymi pallium deferebat, ad eum protinùs festinat. At cùm Hieronymus tàm longè ab ijs diuulsus esset, vt neque ad eum pertingere, neque vllis eum vocibus properantem distinere posset: magnoperè ob senis, quem totum imbre persusum arbitrabatur, incommodum, afflitabatur. At is diuina virtute meliùs, quàm pallio contectus, sine imbre præcedebat.

43. *Ignatius de Nente, in vita Venerab. Soror. Dominicæ de Paradiso, libr. 1. cap. 43.* Dùm semel Venerab. Virgo in extasim rapta aperto cælo oraret, interimque copiosa descenderet pluuia, nec gutta quidem eam tangere est ausa.




A P-

APPENDIX AD CAPVT III.

Pluuiæ perenni euentu impetratæ, aut fugatæ.

ET in pluuijs tempore necessitatis impetrandis, illisque nimiùm profusè dilabentibus, fugandis, adhùc perennant Admiranda. De quibus.

1. *Ioannes Diaconus in vita S.Gregorij, loquens de Tunica S. Ioannis Euangelistæ, & de alijs Sanctorum indumentis.* Quæ quidem vestes vsque hactenùs tantis miraculis coruscare probantur, vt siccitatis tempore forás excussæ, pluuiam conferant; inundationis verò, serenitatem reducant.

2. *Franciscus Corna apud Calestinum à Bergamo in vita S.S.M.M. Firmi, & Rustici.* Veronæ in Ecclesia Cathedrali deuotè asseruatur magna piscis spina, qua traditur S.S.Martyribus Firmo, & Rustico capita abscissa fuisse. Hæc tempore magnæ siccitatis, solemni ritu processionaliter deportatur ad Ecclesiam prædictorum Martyrum, eorumque intercessione, pluuiam optatam impetrare solent populi deuoti.

3. *Ferrarius in catal.* S. S. 1. *Febr.* S. Vrsus Augustæ Prætoriæ in Shalassis miraculis claret perennibus; Nam quotiès Ciuitas nimia aeris siccitate laborat, arcam, in qua corpus eius asseruatur, circumferentes populi, opportunam solent impetrare pluuiam. Quotiès etiam nimis abundant pluuiæ, sacro eodem corpore per vrbem delato, serenitas optata succedit.

4. *In actis S.S. Feb. tom.1. in contin. Bollandi.* Si quæ extiterit tempestiuorum imbrium penuria, quæ sterilitatem agris minitetur, consuetis quibusdam ad loca religiosa supplicationibus obitis, vltimum desperatis propè rebus profugium hoc est, vt S.Calamandæ Virginis, & Martyris in Catalania reliquias ad locum media leuca ab oppido Calaffi distantem, qui Soler Liedus appellatur, deportent, ibi diuinis mysterijs celebratis, inuocatoque Diuæ auxilio, pluuiæ abundantes obtinentur. Ea porrò est propitij Numinis erga populos illos benignitas, Sanctæ Virginis meritis precibusque conciliata, vt negent vidisse se vnquam sacra ossa Calaffum reuehi absque effusa aquarum copia.

5. *Ex.m.f.* Soncini in Ducatu Mediolanensi in Ecclesia S.Iacobi P.P. Prædicatorum asseruatur sacratissima spina ex corona Saluatoris: Cùm autem Communitas illa necessitate pluuiæ, aut Serenitatis obstricta est; illam solemni ritu per oppidum ferentes, continuo, perennique euentu, gratiam vel Serenitatis, vel pluuiæ iuxta Communitatis indigentiam à Diuina Misericordia sibi mirabiliter concedi, altera, immò ipsa die, quinimmò sæpè sæpiùs in ipso processionis actu, mirabiliter experiuntur.

6. *Buscherius apud Torrigium in Cryptis Vaticanis.* Cùm ad sepulchrum Principis Apostolorum oraret S.Seruatius Episcopus Tungrensis, ab eodem Diuo Apostolo mirabiliter clauem argenteam, quam secùm semper ferret, accepit: Hanc tempore sterilitatis deuotè per campos ferentes incolæ, mirabilem continuò experiuntur.

7. *Petra Sancta in mirac.perpet.cap.* 10. In Oppido Lusitani Regni Santarene, miraculosa hostia, ex qua olim sanguis miraculosè manauit, deuotè asseruatur. Hæc dùm pro agris colendis, pro anni vbertate, aut salubritate, pluuia desideratur, seù cæli serenitas, si efferatur in campos, semper petitioni obsequitur cælum, reditque læta successu, Cleri, atque incolarum supplicatio.

8. *Idem ibidem cap.* 13. Auersæ in Campania in Pago vulgò *Casaluce*, in Ecclesia P.P. Cælestinorum, est venerabilis Icon B. Virginis, quæ sicco, ac sterili anno prolata in Cleri, & populi supplicatione, siticulosis semper agris liberales imbres de cælo impetrat, in spem vberrimæ messis.

9. *Idem eodem lib.cap.* 22. Lutetiæ Parisiorum, nihil est magis celebre, ac notum, quàm dùm imbres cæli pro agrorum cultura, & pro messis prouentu desiderantur, semper, & vbertim exprimi ex nubibus ieiunio indicto, & inita supplicatione, in qua Reliquiæ sacræ circumferantur Sanctissimæ Genouefæ.

10. *Idem eodem loco.* Pluuias impetrari constat in Diæcesi Comensi, ope S.Æmilij, seù S.Miri, quando sicca, & sterili anni tempestate inarescunt omnia: ita vt si supplicetur, responsi loco habeantur statim pro voce tonitrua, & pro scriptura imbres. Commeant finitimæ Vrbes: Immò Mediolano, quod est Insubriæ caput, Magistratus, metu angustiæ rei frumentariæ imminentis ab anno inarescente, mittit delectos viros, qui pia legatione fungantur, nec missi sunt vnquam fraudati desiderio suo.

11. *Idem eodem loco.* Tornaci in Belgio in pluuiæ, seù serenitatis necessitate effertur corpus S. Eleuterij, fiuntque Ciues semper illius ope, voti sui compotes.

12. *Idem ibidem.* Tempore, quo aut maxima siccitate, aut importunis imbribus afficiuntur incolæ Delphini, seù Portusfini in Liguria, ad Eccesiam, in qua piè colitur corpus S. Fructuosi Episcopi Tarraconensis, deuotè confugientes, Sanctumque protectorem supplicibus precibus exorantes, mirabili euentu, aut optatam pluuiam, aut eiusdem miraculosam suspensionem, continuò ferè infallibiliter consequuntur.

13. *Ex. m. f.* Corpus S. Honorati Arelatensis Episcopi, quod colitur in Monasterio B. Virginis P. P. Carmelitarum Parpiniani in Barcinonensi Comitatu, tempore summæ siccitatis deuotè expositum, pluuiam mirabiliter impetrare continuo miraculo compertum est.

14. *Ibidem.* Propè Barcinonem, in monte Iudæorum dicto, in Ecclesia P.P.Capuccinorum asseruatur corpus S. Matronæ Virginis, & Mart. quod tempore summæ siccitatis, deuotè expositum, perenni miraculo copiosissimas à Deo impetrat pluuias.

15. *Ibidem.* In Ecclesia parochiali vulgò *di Torello*, Diæcesis Vici Aquarij in Catalaunia, colitur

litur Ven. Corpus S. Fortunati Martyris; qui fuit ex numero Sanctorum Innocentium ab Herode interfectorum: Hoc in arcula à columba mirabiliter ferunt eò delatum esse. Quotiescumque autem aeris siccitatem patiuntur incolæ, prædictum sanctum corpus solemni ritu deferunt ad proximum fontem, propè quem prius à Columba repositum fuit, in eoque capsulam demergentes, iterùmque in propriam Ecclesiam reportantes, mirabiliter continuo miraculo pluuia salutari recreantur.

16. *Ibidem*, Reliquiæ S. Vitaliani Episcopi, & Protectoris Catanzarij, solemni ritu per ciuitatem à ciuibus delatæ, dùm aut siccitas, aut copiosa pluuia futuris messibus nocua timetur, mirabili euentu, semper & siccitates depellunt, & importunas pluuias ex aere eijciunt.

17. *In actis S.S. Febr. tom.3.* Concordiæ in Lusitania, quo tempore magna aeris siccitate affligitur populus, inuocatis S.S. Martyribus Donato, & socijs, qui ibidem pro Christo martyrio sunt necati, pluuiam congruentem recipiunt.

18. *Guilielmus Gumppemberg, in Atlanti Mariano lib.1.* Hoc mirabile de Imagine B. Mariæ Virginis de Villa Vitiosa Cordubæ enarratur. Cordubenses cùm imbrem desiderant, statuam hanc ad Solis occasum in suburbium deportant: die postera pompa solemni in templum Cathedrale deferunt, mansuram inter preces populi, dùm se sentiat Corduba exaudita. Quod vt primò factum est; cùm die sequenti reclusum, in quo pernoctauerat imago, tabernaculum, thesauro suo vacuum reperiretur, nec furti illius suspicio subesset, iamque Clerus cùm populo processionem adornaret; reditum est ad sacellum, à quo ablata fuerat, repertaque ibidem statua est. Vbi communi consilio, cathedralis templi Canonici primùm, deinde Cordubæ Magistratus solemni iuramento se obstrinxere, reportaturos se statuam post pluuias. Indè in hodiernum vsque diem præstito priùs à Magistratu iuramento, deportari statua non difficulter se sinit.

19. *Felix Astulphus in Hist. vniuer. Imag. B. Virg. lib.8.* Drepani in Sicilia, Imago Deiparæ, opus vt creditur D. Lucæ, deuotè colitur. Hæc tempore siccitatis solemni ritu per Ciuitatem à populo deuoto delata, pluuiam optatam perenni miraculo impetrare consueuit.

20. *Iustinianus lib.2. Hist. Veneta.* Imago B. Virginis, quæ olim Constantinopoli, modò Venetiis in Ecclesia S. Marci piè colitur, circumuoluta pijs per Forum precibus, nubes, pluuiasque ciet.

21. *Franciscus à S Maria in Hist. Carmel. tom. 2. lib.8. cap.63.* In deserto propè Arundam in Hispania vlteriori venerantur incolæ Imaginem Beatæ Virginis, à niuibus nuncupatæ, à qua tempore siccitatis, illam suppliciter deprecantes, solemnique processione honorantes, maxima aquarum copia, exaudiuntur.

22. *Vincentius Belua. in Spec. Hist. lib. 10. cap. 41.* Locus, in quo scripsit Euangelium S. Ioannes in campo aperto sub dio, alienus fuisse scribitur ab omni æstu, vento, frigore, pluuia, vt Elementa illum quasi venerari viderentur: quam reuerentiam omnia elementa illi loco vsque hodiè seruare dicuntur.

23. *In Chron. S. Augustini.* Quotiescumque populi Tagastenses in Africa frugum inopiam timent ob nimiam fluminis siccitatem, cuius aluione, ad instar cælestis pluuiæ, eorum fœcundantur arua, captiuos Christianos, vt preces fundant ad sepulchrum B. Bartholomæi Vlysipponensis, ord. S. Augustini, rogant, & felici fere semper euentu; illicò enim intumescit flumen, aruaque inundans, fœcundat.

24. *In ijsdem Chronicis.* Cùm æstuante cælo nocua arent siccitate Veruchina arua, ad B. Gregorij quondam eorum Ciuis, ord. S. Augustini confugientes populi, eiusque corpus, aperta arca venerationi exponentes, perenni miraculo abundantibus imbribus recreantur.

25. *Daniel Ceretus.* Colitur Brixiæ in Ecclesia Cathedrali, Crux, aurea Flamma nuncupata, ex sanctissimo Crucis signo compacta, quæ à magno Constantino Imperatore ad similitudinem signi, in quo victor futurus erat, de cælo ostensi, post victoriam constructa, à magno deinde Carolo Ciuitati Brixiensi dono data perhibetur. Hac, tempore siccitatis, vel imbrium abundantiæ populorum venerationi exposita, vel pluuiam optatam, vel tempora clara, cælique faciem immutari admirantur adhùc deuoti Brixienses.

26. *Marchantius.* Cùm siccitas vastitatem minatur frugibus terræ, solet celebri populorum concursu corpus Sancti Folliani, quod in oppido Fossensi requiescit, per agros solemni processione deferri; quia eius beneficio sterilitatem depulsam, pluuiamque terris datam sæpiùs experti sunt populi Belgici.

Videantur alia in app. ad cap. 2. de tempestatibus perenniter fugatis.

CAPVT IV.

Quædam Admiranda circa Niuem.

§. I.

CAndicantibus etiam niuibus Admiranda Dei, ceù candidis lapillis aliquandò signata fuere. De quibus.

1. *In vita S. Gerlaci Eremitæ apud Bollandum. 5. Ian.* Rem nouam, & miram dicturus sum, quam seniores nunc vsquè superstites se cognouisse profitentur à suis progenitoribus, qui B. Gerlaco viderant in horrore hyemis asperrimæ nudis plantis in niuium densitate itineranti, vaporem calidi fumi de pedibus conscendere ad modum cacabi super prunas positi.

2. *Ibidem in vita S. Frodoberti Abb. 8. Ian. de eius translatione.* Erat tempus implacidum, & vt se habent hyberna, profusis paludibus inquietum. Noctis igitur præteritæ superuentu, cum ea quæ ad futuræ translationis obsequium pertine-

nebant, Abbas cùm fratribus præpararet, considerata aquosa temporis qualitate, anxiè secùm de populi superuenturi inquietudine pertractabat. Et vtinam, inquit Abbas, fratribus, superna pietas per huius Beati Patris meritum paludis mollitiem gelu constringeret, & niuium superuentu difficultatem itineris temperaret; mox deuota desideria clementia Creatoris excepit, noctemque totam glacialis rigor validissimè commutauit. Circà gallicinium verò tanta niuium congerie terra obducitur, vt vniuersis liquidò claresceret, B. Frodoberti patrocinio ad suæ translationis occursum, facultatem opportuni itineris populo præparatam.

3. *Ibidem in actis B. Benedicti Eremitæ ord. Vallis vmbrosæ 20. Ian.* Cùm esset mortuus, licet media hyeme, humus alta niue adoperta esset, simul ac elatum è tugurio est funus, volente Deo Opt. Max. serui sui innocentiam ac sanctitatem mirifico testimonio approbare, momentò solutæ, depulsæque niues, amplam, & commodam præbuere procedentibus viam.

4. *Ibidem in actis S. Iacobi Episcopi Tarentasiensis cap. 3. 16. Ian.* Visum est seruo Dei Iacobo Episcopo, quatenùs Principem Galliarum adiret, donaque deferret aliquantula, quatenùs notitiam illius habere mereretur. Tulit itaque niuem æstiuo in tempore collectam, onustoque exinde asino, cum Iacobo discipulo, cæterisque famulis iter aggreditur. Mira res, & relatu dignissima! enimuerò, cùm calor feruidi Solis, qui illo tempore rura exsiccans, niues cæteras omninò liquefaceret nimio sui æstus ardore, eandem niuem, quam de Cendrono Oppido tulit, æstatis amœnitas neque calor vllus liquefecit; sed glaciali firmata rigore integra permansit.

5. *Arturus in Martyr. Franciscano 12. Martij, de B. Matthæo Confess.* Noctes plurimas sub dio ducebat insomnes in oratione Dei, niue aliquandò in muri modum vndique circumdatur & tectus; intactus, & illæsus intra niuium ambitum, veluti si in sacello deprecaretur.

6. *In vita S. Petri de Alcantara cap. 33.* Maxima niuium copia è cælo cadente, minimè tamen ea caput attingere ausa est S. Petri de Alcantara sub dio pernoctantis, quinimmò, in aere congelata, veluti vmbella seruum Dei honorare visa est.

7. *In vita B. Amadei Lusitani.* Super niues, inter quas vsque ad lumbos eius inuoluebatur socius, nec vestigia imprimens ipse mirabiliter pertransibat.

8. *In actis S. S. Febr. tom. 1. in conti. Bollandi.* Cùm S. Seuerus Episcopus Abrincensis in Gallia antequam Episcopus fieret, magna in pauperes abundaret misericordia, etiam proprias vestes aliquandò donauit; quam ob causam à proprio domino, domo expulsus, sub aere frigido hyemali tempore habitare coactus fuit; nix nutu Dei locum, quo Vir Dei cùm sibi fideliter ministrantibus degebat equabus, deuitans, forinsecùs prætendens littoris formam, intinsecùs locum reliquit immunem.

9. *Lippellous in vitis Sanctorum. 13. Martij.* Cùm S. Seruatius Tungrorum Episcopus apud Traiectum mortuus, ibidem iuxta ipsum aggerem publicum sepultus esset; licet maxima vis niuium hyemali tempore de cælo ibidem decideret, & omnia in circuitu loca repleret, nunquam tamen eius sepulchrum operuit, donec industria Ciuium basilica super illud ædificata est.

10. *Pet. de Natalib. lib. 10. cap. 29. de S. Leonardo Presb.* Sepultus est in Ecclesia Dei Genitricis, quam ipse construxerat. Cùm autem ibidem infinita miracula fierent, Clericis illius Ecclesiæ reuelatum est, vt, quia locus ille propter multitudinis frequentiam concurrentem, nimiùm arctus erat, alibi Ecclesiam fabricarent, & eòdem Sancti Leonardi corpus transferrent. At illi vnà cùm populo, triduano ieiunio, & orationibus institerunt: quibus elapsis, totam prouinciam niue nimia, quæ ceciderat, opertam viderunt; locum autem, in quo sanctum corpus quiescere volebat, omninò vacuum conspiciunt, vbi Ecclesia de nouo fabricatur, & corpus eòdem transportatur.

11. *Meginfredus in vita S. Emmerammi apud Canisium.* Locus, vbi Spiritum S. Martyr tradidit, multo tempore negletui traditus, & penè obliuione obsoletus, hoc modo dignitatem suam vendicauit. Hyemali tempestate, sicut natura est Germaniæ, cùm totam terræ superficiem niuium operiret immensitas, sola corporis areola tali conditione libera, dùm prætereuntibus hàc, & illàc miraculi sui stuporem ingessit, causam pariter suæ viriditatis, & memoriam obitus B. Martyris edocuit; quapropter & ibi Basilicam ædificarunt. Hoc etiam euenit in loco, in quo impiè trucidatus fuit.

12. *Antonius Beatillus lib. 4. Hist. Barensis.* In Ciuitate Barensi, Sanctimoniales sanctæ Scholaticæ hanc legem nunc quoque obseruant, vt insigni pompa quotannis festum Beatæ Mariæ ad Niues celebrent, quia nimirùm cùm diù imbribus Vrbs caruisset, & aquis laboraret, multis precibus effusis, tandem recitato officio B. Virginis Mariæ ad Niues, statim in solum Monasterium nix cecidit, & aquæ tanta copia, vt cisternæ vsque ad os replerentur, nec ab illo tempore vnquam penitùs fuere exsiccatæ.

13. *In vita S. Lietphardi Ep. & M.* Cùm eius transferretur corpus, & cerei, à vento, niue, & grandine extincti fuissent; paulò post ijdem cerei ex niuibus decidentibus illuminationem acceperunt.

Niue diuinitùs delapsa, Ecclesia designata.

§. 2.

De his cùm de Ecclesijs, & locis diuinitùs designatis, & electis, erit sermo.




C A-

CAPVT V.

Quædam Admiranda circa Manna è cælo delapsum §. I.

MAnna, cui admiratio nomen fecit, dùm illud admirantes in deserto Hebræi manhu? dixerunt, quid est hoc? à consortio Admirandorum haùd seiungetur; quod enim beneficium cælum impertitum est filijs Israel, non illud Christicolis deneganit. De hoc autem.

1. *Baronius in Ann. Eccl. an.* 418. *num.* 60. Dùm circa hunc annum in Minorica, vna ex Balearibus Insulis, plurimi Iudæi ad Christum conuersi, sacro Baptismate initiati fuissent, grando minutissima, quam incolæ Insulæ illius gentili sermone Abgistinum vocant, vsquequaque copiosa defluxit: hæc, cùm odor ex ea mellis fragrare cæpisset, à multis, quos per viam verberauerat, degustata, dulcior melle comperta est. Multi itaque sapientes, cùm eodem die filios Israel ab Ægypto perfidiæ suæ, atque à seruitute egressos viderent, hæc quæ facta sunt, signis illis, quæ in Exodo legimus, comparabant huic populo, qui Deum credulo corde intuens, verum etiam Israelis nomen meruit.

2. *Serarius in Iosue cap.* 5. *quæ.* 37. In decies mille Martyrum historia legitur, manna ijs aliquandiù pascendis è cælo delapsum.

3. *Odericus an.* 1198. In Gallia circa festum S. Ioannis Baptistæ, in nocte ros de cælo cadens, mellitas spicas segetum infecit, ita quod multi spicas in ore ponentes, saporem mellis manifestissimè percipiebant.

4. *Surius in Aprili*. In Beatæ Agnetis Virginis Politianæ historia narratur, eam dùm ad Deum preces funderet, frequenter hoc cœli beneficio impertiri solitam; nempè vt manna super ipsam plueret, sicut olìm super Israelitas. Accidit verò id etiam semel post obitum ipsius; dùm sancta Catharina Senensis inuiseret tumulum eius, ac dùm adessent Sanctimoniales Monasterij omnes. Tunc enim vbertìm affluere de cælo, & Beatas illas exuuias, atque insuper Sanctam Catharinam, & circumstantes Virgines irrorare visa est. Quocircà ex eis aliquæ manum vtramque granis illius repleuerunt.

5. *Angelus Manrique in Ann. Cistercienfibus, an.* 1131. *cap.* 8. Traditio est, dùm asportarentur sacra ossa S.S. Atilani, & Froilani, renouatum miraculum cælestis Mannæ, à cuius visu admirarentur omnes, à cuius gustu multi sanarentur.

6. *In Chronica Beneuentana, de Sanctis Martyribus Desiderio, & Festo*. Horum tumulus cùm à Præsule Gutto aperiretur, quasi cæleste manna in illis repertum est, namque niuis in modum B. Martyris Festi corpus, & totum tumulum occupauerat, odor quasi florum nares omnium perlustrabat, & videbatur balsamum cùm floribus permixtum flagrare.

7. *Vincentius in Spec. Hist. lib.* 4. *cap.* 5. Cùm Carolus magnus Hierosolymam profectus, sacras reliquias sibi dari poposcisset; Episcopus aliquas spinas de corona Saluatoris illi donare cupiens, aperuit thecam, in qua corona spinea erat, & cùm antè eam orasset Rex, statim ros cælitus veniens lignum infudit, & inebriauit. Cùmque deindè ab eodem flores dono accepisset, mirabiliter enatos ex spinis coronæ Dominicæ, inque suum vuantum reposuisset; post hæc flores de vuanto eijcere cupiens, conuersi sunt in manna, & hoc manna modò est apud S. Dionysium; Quod à multis putatur esse de illo manna antiquo, quod pluit Dominus in Deserto.

8. *Bzouius an.* 1455. *num.* 24. Cùm anno 403. Atrebatense solum, cælo aquas negante, miserandę sterilitatis fastidio consenuisset, ferunt lanam, quam manna vulgò vocant, pingui rore permixtam, cælitùs cecidisse, ac per totum territorium diffusam, miro modo prorsùs fæcundasse: ad cuius beneficij à Deo Opt. Max. eiusque Virgine Matre, Diua tutelari Atrebatensium accepti memoriam. Lanæ istius pars sacris Reliquijs adiuncta, hactenùs magna cura, & honore seruata est. Commonstratur statuto tempore, nempè in maxima aeris, terræque siccitate, ac sideratione, ad eliciendam, implorandamque à superis pluuiam.

9. *Thomas à Kempis in vita S. Liduuinæ Virg. p.* 2. *cap.* 11. *de quibusdam peregrinis tempore huius Virginis*. Hi, Sanctorum Patrum in Ægypto conuersationem desiderantes, terram illam ingressi sunt, vt quærerent, si fortè aliquos eremitoriæ vitę patres inuenirent. Cùmque hinc indè oberrantes, vsque ad superioris eius partes venissent, reperiunt cellulam quandam, non longè à terra in arbore constructam. Ad cuius ostium pulsantes, vident in ostio sibi reserato, hominem vultu quidem angelicum, sed corpore ita crassum, vt non eremo maceratus, sed inter deliciosa sæculi putaretur educatus. Inter plura familiaria colloquia, ab eodem Eremita percipiunt, quòd in duodecim annis, & vltrà, hominem non vidisset. Interrogantes ergo, vnde viueret: Respondit, se ex sola gratia diuina nutriri. Nam manna cæleste, quo olìm filij Israel in Deserto vescebantur, colligere, & comedere solebat, quod cellulæ suæ desuper influens, cùm gratiarum actione sumebat.

CAPVT VI.

De Admirandis circa Nubes, & Nebulas, §. I.

IRidem quondam posuit Deus in nubibus, ceù pactum Admirationis; non igitur mirum, si & Nubes, Nebulæue Admirandorum Dei quandoque apparuere testes, eadem in re ipsis mirabiliter præseferentes. De quibus.

1. *Toletus in cap.* 2. *Lucæ, Annot.* 31. *de Exposito Caliata Christi Præputio*. Cùm à Sacerdote exposita fuisset super Altare sacra Reliquia, ecce subitò (res omnem excedit admirationem) templum

plum nubes implet, quæ sanctissimas reliquias, Sacerdotem, Altareque ipsum obnupsit, vt nihil eorum à quoquam per quatuor horarum circiter spatium videri potuerit præter nubem, stellas, & ignis flammas, quæ sursùm, ac deorsùm per Ecclesiam ferebantur. Eo spectaculo vniuersi, qui aderant, meritò consternati, misericordiam intensa voce prout lachrymæ, & singultus permittebant, implorare cæperunt.

2. *Hugo Menard in vita S. Sigiranni Abbat. lib. 1. obseru. in Decembri*. Statim atque obijt, mons densissima nube fuit obductus, quæ non priùs dissipata est, quàm Monachi funebres cantus inciperent ad corpus efferendum. In medio nubis apparebat globus igneus miro coruscans splendore, qui rectà in cœlum tendebat.

3. *S. Anton. 2. par. Chron. tit. 13. cap. 6. §. 11. de Sancto Romarico*. Dominus die Dominico eum ad cælestia regna introduxit. Viderunt autem eadem nocte subitò nubem densissimam totum montem cum cellula operire, fratribusque psallentibus in exitu Viri Dei, mox claritas miri splendoris radians, montem, & cellulam impleuit, videruntque globum candidissimi fulgoris per medium prædictæ nubis scandentem, cœlos penetrare, quod animam sancti viri intellexerunt.

4. *In vita S. Petri Martyris ordinis Prædicatorum*. Dùm prædictus Sanctus Mediolani aliquandò Manichæorum sectam perstringeret publicè, æstusque magnus esset; à Pseudo-Antistite ipsorum, cùm quo erat inita disceptatio, in hunc modum iniuriosè fuit appellatus. O Petre, inquit, peruerse, si tàm sanctus es, quàm te esse amens hæc plebecula opinatur, cur pateris ardore Solis eam anhelam æstuare, nec vmbraculum de cœlo ei nube interposita deprecaris? Spondet Sanctus Petrus id se impetraturum, dummodò alter sit paratus hæresim eiurare. Et si verò ille abnuit pertinax, nihilominùs ad suorum solatium, ac refrigerium, precibus obtinuit, vt populo vniuerso ibi nubes subitaria vndique obumbraret.

5. *In eadem vita S. Petri M.* Fr. Philippus Brixiensis ord. Minorum, cùm semel de Roma in Lombardiam rediret, & in montibus Tusciæ præ calore nimio æstuaret, socio dixit: Si B. Petrus M. qui dùm Mediolani in calore maximo prædicaret, æstuanti populo nubis refrigerium impetrauit, nobis in tanto ardore gratiam similem impetraret; hoc ego miraculum, & alia quæ scirem eius laudibus cedere, in prædicatione publica, ad eius prædicarem gloriam. Finitis verbis, quod petiuit habuit: nam cùm priùs nullius nubeculæ vestigium in aere appareret, subitò Dei nutu pro martyris sui gloria super ipsos Fratres nubes apparuit, quæ ipsis æstuantibus refrigerium præbuit. Sed cùm indè dubitaret, hoc non miraculo, sed casu euenisse, nubes statim disparuit; at pænitens suæ incredulitatis, nubem de nouo eos obumbrantem conspexit, quæ ipsos tota die prosequens, magno cùm refrigerio in suo itinere refrigerauit.

6. *In vita Beati Rochi Confess.* Secesserat Sanctus vir teterrima lue obsitus, ne contagium alijs inhalaret, intra nemus; ibi nubecula quædam ad ipsum descendens, leniebat vlcera eius, & in imbrem salutarem resoluta, eius affectis cruribus, quasi lauacrum infundebat.

7. *Petrus Delphinus lib. 7. cap. 35.* Opertum fuit Cœlum nube, dùm transferrentur Paduæ sanctorum reliquiæ per pratum vallis; ad mitigandum æstum ac feruorem Solis.

8. *Auctor in vita Ven. Matris Vrsulæ Benincasæ cap. 13.* Dùm Ven. Mater, vt Deo obtemperaret, Romam ad Summum Pontificem proficisceretur, in itinereque quadam die ab æstu Solis vnà cum socijs graui molestia afficeretur, facta oratione, candida in aere apparuit nubecula, quæ Seruos Dei à radijs solaribus mirabiliter obumbrando defendebat, eosque comitabatur.

9. *In actis S.S. in vita S. Mochuæ Ballensis. 1. Ian.* Cùm Sanctus Mochua aliò petere à Congallo eius Magistro iussus esset; obediens imperio eius, petijt, ab eo vt prædicat, vbi Numini placeat se commorari, & Monasterium ædificare. Equidem, tunc inquit Congallus, rem hanc neque præsentire, neque aliquo argumento vel signo ostendere possum, nisi forsàm Deo placet, vt hic fons (præsentem fontem digito monstrabat) hinc abiens te ducat, ibique consistat, vbi Diuinæ Maiestati placitum fuerit, vt incolas. Eo responso Mochua Benchore proficiscitur, electa Religiosorum manu comitatus. Haùd longè processit, cùm comites respicientes, nubem densam obscuram, imbresque minitantem, sed non mittentem, sereno, sudoque Sole per aerem sequentem vident. Quod etiam Mochua cernens, fontem procùl dubio à Congallo designatum, & à Deo missum esse, oportereque se paulisper gradum sistere, donec illa præeat, præcedentemq; sequi, & vbi illa sidat, ibi & se ipsos habitare, ait. Præiens illicò nubes, Mochuam ad Ferrosios in Galiam oppidum, vbi Gabrenus Episcopus eius discipulus & integerrimus amicus agebat, ducit; ibique illis lacte manando, humi lacunam expleuit. Gabrenus quidem Mochuæ sedes quibus peregrinationem finiret, obtulit. Cæterùm quia nubes minimè subsidit, ille spectandum sibi non duxit. Quinimmò ea duce Fobariam (est illud oppidum Mithiæ) peruenit.

10. *Ibidem in actis S. Kentigerni Episcopi Glasceuensis in Scotia 13. Iannuarij*. Crebrò dùm S. Episcopus sacris astaret mysterijs, nubes lucida obumbrauit caput eius. Dùm autem quadam vice sacra mysteria celebraret, nebula quædam odorifera totam Ecclesiam impleuit, ineffabili suauitate omnes perfudit, & varijs incommodis laborantes perfectæ sanitati restituit.

11. *Ibidem in actis S. Potiti M. 13. Ian.* Aliquandò nubes de cęlo rapuit S. Potitum, & deposuit eum in alium locum.

12. *Ibidem in actis Sancti Cadoci Episcopi. 25. Iannuarij*. Cadocus manè surgens Ellennum discipulum suum loco sui ordinauit Abbatem. Et cùm adhùc discipulis sermonem faceret, ecce claritas Dei repentè omnes circumfulsit, & non valentes tanti luminis ferre claritatem, proni pariter in facies suas super terram ceciderunt. Sanctus

autem Cadocus in nube candida raptus, ab oculis eorum euanuit: Et quasi in palpebræ motu in ciuitate Beneuentana de nube descendens, inter sepelientes Abbatem visus est.

13. *Ibidem in vita Sancti Petri Thomasij 29. Iannuarij*. De Venetijs eundo, versùs Raciam, circa fines Sclauoniæ, & Achaiæ, Domino Fratre Petro in mari nauigante, cuidam ligno magno Turcarum sibi occurrenti, & appropinquanti, nullo ingenio humano euadere poterat. Tunc Marinarij omnes, & alij de vita eorum desperantes, eum exorauerunt, vt ad Deum preces funderet pro liberatione ipsorum. Tunc Fratre Petro in oratione prostrato, & appropinquante Turcarum ligno, miraculosè adeò cœlo claro, Sole feruente, & nulla nebula apparente, subitò quædam nubes condensa, & spissa lignum ipsius Domini Fratris Petri circumfulsit, taliter quòd lignum Turcarum valdè propè remigando, appropinquantis ipsius B. Petri ligni, visionem perdidit; lignum ipsius Domini Fratris Petri versùs terram nauigando liberè à Deo nebula mediante Turcas euasit. Miranda res, & miraculum obstupendum ab ipso gloriosissimo Creatore clarè suo seruienti demonstratum.

14. *In actis S. Vulmari Confess.* Vulmarus Confessor multo iam senio grauatus, in molestam corporis incidit infirmitatem; accitisque ad se fratribus, suum sibi imminentem prædixit obitum. Quod cùm ad sanctimonialium notitiam peruenisset (quæ non longè aberant) rogauerunt eum, vt se inuisendi copiam ipsis faceret: verùm ille renuit omninò; protestatusque est, quòd nunquam hic aliqua mulier eum esset visura. Eadem nocte fœliciter obdormiuit in Domino; & accurrentes Moniales, vt eum sarcophago impositum viderent, nebula corpus eius obtexit; nec nisi luminaria, quæ funus antecedebant, & turbam, quæ sequabatur, conspicere potuerunt.

15. *In vita Sancti Geminiani Episcopi*. Castrum Sancti Geminiani cùm ingressus esset Attila, densissimæ statim nebulæ exortæ sunt, vt nullus aliquem, licet sibi valdè proximum, videret; quapropter ipse Attila cùm exercitu suo confusus abijt, nullo damno eidem Castro vel eius habitatoribus illato, quod beneficium incolæ, Sancti Geminiani intercessione, ac patrocinio, quem in illa calamitate inuocarunt, acceptum retulerunt.

16. *Aimoinus de translatione, & miraculis S. Germani*. Dùm ipsum Sanctissimum Oratorium à crudelissima impiè violaretur turba: tanta subita nebulæ est densitate repletum, eiusdemque obscæni violatores Diuini iudicij cæcitate percussi, quatenùs id metu & tremore nimio pauefacti linquere cupientes, vix ostia, vel fores, per quas intrauerant, inuenire valerent. Sicque in oberrando diutiùs fatigati, tandem erumpentes, quantociùs effugerunt; taliquè ab illo die, tantoque peruasi terrore, quo nec ausi vlteriùs essent quacumque fœditate ipsam contaminare Ecclesiam.

17. *In Officio Sancti Aquilini Episcopi, & Mart.* Cùm ab insectandis Arianorum erroribus, eum nullatenùs auertere potuissent, altera vice gladio eius gutturi defixo, Deo gratissimam hostiam immolauerunt. Sanctum autem illius corpus, ne tantùm scelus diuulgaretur, abscondere conati, superueniente nebula densissima impediuntur. Quare accedentes fideles, corpus in suo sanguine volutatum inuenientes, cùm lachrymis, & canticis ad Ecclesiam Sancti Laurentij deportantes, in sacello postea illius nomine dicato, honorificè sepelierunt: vbi miraculis claret.

18. *Ioan. Buzelinus libr. 3. Annal. Gallo-Flandr. de corpore Sancti Piatonis*. Ferunt cùm sacrum id onus Gallo-Flandri Carnutum portarent, haùd procùl ea vrbe hostilem globum apparuisse, ac mox in Diui comitatum admisso cursu impetum fecisse. Verùm diuinitùs, ac repentè nebulam circùm adeò densam exortam, vt S. Martyris corpus, eiusque portitores, ac comites ita contexerit, omnis vt eorum conspectus inhianti rapinæ agmini eriperetur.

19. *In actis S. Theodosiæ Virg. & Martyris*. Cùm sanctissima Virgo iussu tyranni coràm omnibus denudata fuisset; nubes niuea apparuit, quæ illam velauit.

20. *S. Antoninus 1. par. Chron. tit. 6. cap. 28. §. 5. de S. Tecla*. Mittitur Tecla in foucam profundam aqua plenam, & marinis belluis submergenda, & deuoranda; mittitur nuda: sed apparens quædam nebula super eam texit, vt videri ab hominibus nonposset, nec quicquam molestiæ ei belluæ intulerunt.

21. *Idem 1. par. Chron. tit. 7. cap. 5. §. 2. de S. Taurino, qui ab Angelo futuræ mortis monetur*. Mane facto, nuntiauit populo congregato reuelationem Domini, quos perterritos consolatus est plurimùm, dicens: Nolite diffidere, properate Romam, & significate Beato Xisto Papæ diem exitus mei. Die igitur præsignata adsistente omni populo in Ecclesia, peracto officio, ipsum maximè lamentantem, de Patris recessu consolatus est plurimùm: multa prædicens quæ postea impleta sunt. Et demùm in sede Episcopali residens, benedicit eis dicens: Abite filioli mei in pace, & Dominus erit vobiscum. Et visa est subitò circa altare innumerabilis multitudo hominum candidatorum. Et audita est vox. Veni nobiscum Sancte Dei Taurine, &c. Et cum voce facta est nebula ita condensa, vt nullus comparem suum posset aspicere. Et post horam disparuit nebula illa odorifera, & visus est Sanctus in sede defunctus, facie ad cœlum versa, & manibus eleuatis.

22. *In actis S. Inuentij Papiæ Episcopi*. Dùm missam celebraret, Porphirius quidam Roma Ticinium cum satellitibus, vt fideles comprehenderet missus, Ecclesiam ingreditur: Sed Antistite cùm populo orante, nebulaque eos obumbrante, illi se ipsos interemerunt: peracto autem sacrosancto sacrificio, orat Sanctus Inuentius cùm populo, & ecce omnes ad vitam redeunt, & Christi virtutem agnoscentes, eius fidem amplexi sunt, & à Sancto Episcopo baptizati.

23. In

23. *In actis S.S.Feb. tom.3. in contin. Bollandi.* In territorio Cilentino, in monte, qui Licosæ præeminet, dùm quidam Salernitani Iudices possessionum quarundam terminos quærerent, subitò tanta caligo nebulæ diffusa est, vt per nemus eiusdem montis errarent, & viam qua redirent, nunquam inuenire potuissent. Cùmque diù erratum esset, vnus eorum Vrsus Iudex, S.Constabilis, merita sibi adesse flagitauit; cùm ad verba precis eius, lux solita loco restituta est, vt viam cernerent, & ad hospitium non tàm de inuentione itineris, quàm de lucis miraculo læti remearent.

24. *Auctor in vita Venerab. Vrsulæ Benincasæ cap. 2.* Cùm Turcæ pagum Citharæ in Neapolitano Regno adorirentur, in quo degebat Vincentia Benincasa, & ipsa eos fugeret cùm Vrsula filia, accidit vt prædatores proximi prædæ essent; sed diuinitùs factum est, vt improuisa, densaque nebula apparente, præda à prædonum manibus sit subducta.

25. *In. m. s. de Ciuitate Carpensi.* Eo ipso tempore, quo procedentes milites pessimè in Ciuitatem Carpensem animati, non procùl à mænibus, ac portis aberant, singulari Dei beneficio precibus S.Bernardini Senensis, vrbem densa, ac obscura nebula inuoluit, eisque illius conspectum eripuit, quare damno nullo illato transgressi, iter suum prosecuti sunt. Ea propter grati animi monstrandi ergo Carpensis Ciuitas S. Bernardinum Vrbis Præsidem statuit.

26. *Bouerius in Annal. Capuccinor. 1572. de Fr. Angelo à S. Martino.* Caulonæ, quæ Vrbs est Magnæ Græciæ, cùm Dei verbum disseminaret; Ecclesiaque innumeram populi multitudinem ad prædicationem vndique confluentem, non caperet; in agro prædicare cogitur. Æstiuum tunc tempus erat: Solisque radijs aperto aere exæstuantibus, populus calore exurebatur; cùm Angelus nubecula, quæ procùl distabat, conspecta: breui Deum oratione ita precatur: Rex Cœlorum Deus, tu olim Filios Israel, per deserta incedentes, nube per diem, ne Solis ardoribus adurerentur, protexisti: haùd te sanè, etiam nùm tua potentia deseruit, aut clementia effugit: An non populum hunc, quem ad diuinum Verbum hùc audiendum adduxisti, his Solis ardoribus iam propè adustum cernis? Impera, obsecro, vt nubes illa, quam procùl in Occidente aspicimus, hùc festina accurrat, Solis radios temperet, suumque nobis opportunè vmbraculum præstet, donec Verbi tui prædicatio absoluatur. Mira quidem, at vera refero: vix has Vir Dei toto audiente populo, Deo preces obtulerat: cùm nubecula illa repentino motu ab Occidente recedens, Soli occurrit; ac velut tentorium in aere expandens, solares radios coercet; tandiùque populum obumbrat, quoad peracto sermone, populus miraculo obstupefactus, diuinamque benignitatem commendans, abscederet.



CAPVT VII.

Quædam Admiranda circa Ventum.

§. I.

ADmirantur & Philosophi ventorum naturalem originem, quippè quos produxit Deus de thesauris suis; Admiranda igitur & erunt quæ quandoque in ipsis præter naturam apparuere. De quibus.

1. *Berchorius in Reduct. Morali lib.14. cap.44.* In Diœcesi Nasonensi in Gallia est Castrum Iouis, quod in quadam Valle vndique altis montibus circumsepta positum, vsque ad tempora Caroli Magni nullus venti flatus quamquam leuissimus intrauerat, propter quod ipsa Vallis, quæ gelbam habet fertilem, in se penitùs sterilis erat, & omni humano commodo inutilis permanebat. Verùm causam sterilitatis reperiens S. Cæsarius Archiepiscopus Arelatensis, mare Ponticum adijt, & chirothecam vento maris impletam constrinxit; accedensque ad dictam Vallem inutilem, chirothecam contra quendam scopulum iniecit, ventumque perpetuum in Christi nomine emittere, eum iussit; sicque factum est, quòd rupes facto foramine, per scissuram ventum semper eructat, quem Pontanum ventum, quasi à Ponto diuinitùs illùc translatum vulgus appellat. Certos autem terminos habet ille ventus, quos non transgreditur. Terra autem illa statim fœcunda euenit.

2. *Baronius an. 1017. nu. 6.* Hoc anno in Parasceue post Crucem adoratam vsq; ad Sabbatum sanctum, circa Vesperam concussa est Roma à vi ventorum, & penè omnes Romani mortui sunt, tàm Christiani quàm Iudæi; & quidam Iudæus Christianis retulit, quòd in Parasceue in Synagoga Iudæorum, Imaginem Christi deluserunt, sicut fecerant Domino parentes eorum. Quod Benedictus VIII. sollicitè inquirens, & probans, mox Iudæos, qui hoc egerant iussit decollari, quibus decollatis, cessauerunt venti.

3. *Vinc. in Spec. Hist. lib. 26. c. 16.* Nauigabant quondam in Anglicano Mari quidam deferentes Reliquias Beatæ Mariæ Virginis; cùm ecce in medio mari viderunt Piratas ad se venientes; tunc presbyter quidam assumens philacterium cùm capillis Beatæ Mariæ, in eminentiorem locum puppis ascendit, manuque contra hostes eleuata, ex auctoritate Christi, & Mariæ fortiter adiurans, nè vltra veniant, nè potestatem nocendi habeant, interdicit, Statimque vt signum Crucis de eodem philacterio fecit contra hostes, dicto citiùs ventus vehemens & contrarius nauem eorum retrò tulit, malus nauis frangitur, pars mali super vnum ex ipsis decidens, proiecit in mare.

4. *In actis B. Alberti Eremitæ 7. Iannuarij, apud Bollandum.* Deuenit Beatus vir vnà cùm Grifolo nepote suo ad montem, cui nomen Taurícella, hactenùs à nemine mortalium cultum ob

uim horrificam, quæ istic fæuiebat, ventorum; Hic illicò cellam extruit: eamque à Deo gratiam est consecutus, vt fusis precibus religiosa formula loco benè apprecatus, omnem vim ventorum effugarit, nec sit deinceps vehementior istic flatus auditus.

5. *Ibidem in actis Beatæ Margaritæ Hungaricæ Virginis 28. Ianuarij*. Quadam vice cùm ipsa cùm quadam alia sorore portaret super tabulam panes fermentatos ad clibanum, mappula coopertos, & Soror alia timeret ventum validum, quia iam suo impetu coperturam domus capituli transportauerat in pomerium, orauit, & statim ventus cessauit.

6. *In Ann. Minorum An.* 1321. *num.* xi. Nauigabant semel versùs Ciuitatem Polumbi quidam Fratres Minores secùm habentes Reliquias Petri Martyr, & aliorum, & cum ventus omninò deficeret, idololatræ in eadem Naui commorantes Deos suos rogauerunt, & Saraceni suum prophetam, vt aura perflante, iter incæptum prosequi liceret, Nauarcha Armenus Christianus, sua lingua, quam Frater Odoricus callebat, dixit, vt cùm socio Fratre Deum rogaret, & ab eo obtineret, quod falsi Dei exhibere non poterant. Orauerunt vt propter merita Sanctorum Maryrum eos vellet exaudire, immissoque vno ex ossibus in mare, statim extortus est ventus prosper, nec defecit, donec ad optatum Polumbi portum peruenerunt.

7. *In actis Sancti Adelelmi 30. Ianuarij*. Coactus est noctu aggredi iter. Erat tunc, vt hyberna tempestate, ventus maximus, & frigus peracre. Cùmque nox esset obscura, lumine opus erat ad viam reperiendam. Iubet ergo socium candelam ardentem manu gestare, dùm ad Ciuitatem pertingerent. Res inusitata! ventus validior insurgebat, nec tamen candela, nulla inclusa lanterna, manu tantùm prælata, extincta est; sed nocte tota sancto viro lumen præbuit.

8. *Matthæus Parisiensis in Histor. Anglic. An.* 1200. *de Sancto Hugone Episcopo Lincolniensi*. Cum Viri Sancti corpus à ciuibus Londinensibus deferretur apud Lincolniam tumulandum; mirabile dictu accidit, quòd cùm cerei in exitu Ciuitatis antè corpus fuissent accensi, per quatuor dies iugiter arserunt, ita quòd non fuit hora, in qua lux in aliquo cereorum non fuisset: licet tempus ex aeris intemperie multotiès esset vento, & pluuia turbulentum. Vndè dubium non est, quin Dominus animæ ipsius lucem præparauerit perpetuam: qui pro corporis veneratione non permisit temporale lumen extingui.

9. *In vita Sancti Petri de Alcantara capit. trigesimo septimo*. Cùm ad sepulchrum deferretur corpus Sancti Petri de Alcantara, licet validissimus insufflaret vndique ventus, nullus ex cereis, quibus accensis sacrum comitabantur corpus, extinctus fuit; quin toto eo spatio itineris ardentes, vnius scilicet cùm dimidio milliarij, nihil consumpti sunt.

10. *Surius in vita Sancti Popponis Abbat. 25. Ianuarij*. Luminaria cereorum brumali tempore flantibus ventis sub dio non quibant extingui, quando susceptum est corpus Beati Popponis.

11. *In Annal. Seruorum An.* 1442. *de Beata Virgine in Valle Draconis*. Multis nocte quadam cum F. Paulo circùm ipsam Imaginem procumbentibus, & sæpè Misericordiam implorantibus, aliud indè secutum fuit admirabile, quòd vehementi perseuerante, & exsufflante Vento, cerea lumina aperto sub aere coram Imagine accensa, nè dùm extingui, sed nec tantillùm ad maximum Venti fragorem commoueri visa sunt.

12. *Theodorus Campedonensis in vita S. Magni, qui dicebatur Magnoaldus cap.* 16. Adueniente meridie, presbyter quidam aduenit, Tozzo nomine, qui iam auditam habebat famam Beati Viri, & ideò causa orationis veniebat ad sepulchrum eius, ferens ardentem cereum in manu eius. Quem cereum miro modo illùc attulit, scilicet vt quando nocte proficiscebatur, cereus ardebat, & nullo modo à vento extingui poterat. Die autem veniente lux ab ipso cereo per se illicò subtracta est.

13. *In actis S. Priscæ Virg. & Mart.* Cùm igni tradita fuisset S. Prisca: mox pluuia facta est magna, & sonitus venti, & dispersa est magna flamma, & incendit, qui circumstabant omnes.

14. *In actis Sancti Hilarij Episcopi Pictauiensis 13. Iannuarij apud Bollandum*. Quo tempore in Aquitaniam Dani irrupere, dirasque latè strages dedere, ex ijs quidam homo nefarius, Christo se nomen dare, & baptismo tingi velle professus est; baptismo igitur ablutus est, non vt seriò religionem Christianam complecteretur, sed vt ritus illius curiosè exploraret. Albis igitur de more indutus in chorum Ecclesiæ ad Sancti Hilarij sepulchrum introducitur, Sudum erat, & innube cœlum; subita tamen vis venti, candidum, quo indignus erat, amictum à capite ac corpore eius reuellit, varioque turbine per Basilicam circumfremens, in auras euanuit. Barbarus in auita obstinatus superstitione persistens, nec tanto prodigio commotus, subitò abscessit.

15. *Baronius An.* 394. *numer. octauo*. Cùm Theodosius Imperator ad ripam amnis, nomine Frigidi, contra Eugenium tyrannum, & Arbogastem decertaret, ancepsque victoria appareret, ad Dominum confugit, postque illius precem, quam Deo fuderat, ventus ita vehemens exortus est, vt tela hostium in eos qui iecerant, retorqueret; Cùmque magna vi persistente vento, omne iaculum missum ab hostibus frustraretur, fracto aduersariorum animo, seu potiùs diuinitùs repulso, Tyrannus antè Theodosij pedes vinctus post terga manibus abducitur, ibique vitæ eius & certaminis finis fuit.

16. *Idem An.* 849. *num.* 12. Cum ad littora maris Ostiensis multis cum nauibus apparuissent Saraceni. Neapolitani contra ipsos impetum facientes, dimicare fortiter voluerunt, & vulnerauerunt aliquantos ex illis, & iam indè triumphum accepissent, nisi vnum citius impedimentum accidisset; nam cùm in inuicem atten-

attentiùs dimicarent: subitò tàm validus & vehemens excitatus est ventus, qualem quis his temporibus meminisse non valeat, qui vtrorumque naues confestim diuisit. Naues Saracenorum veniebant vsque ad oram maris; deindè vento flante, mareque eleuato procellis dispergebantur: & iterùm post aliquantum confractis viribus reuertebantur; Dominus enim Omnipotens (vt pro certo creditur) hunc ex thesauro produxit ventum, qui ad nocendum forâs minimè permitteret illis exire.

17. *Idem An. Domini* 971. *n.* 16. Ope S.S. Martyrum Georgij, & Theodori, Zemisca Imperator ingenti gloria Russos, & Bulgaros, Scythas, Turcas, & alios Barbaros, aduersùs Romanos simùl fœdere vinctos numero trecentorum triginta millium militum superauit; dùm enim ancipiti prælio & certamine diù multùmque pugnatum fuisset, turbo quidam à Noto vento in ora Scytharum constitit, haùd permittens eos captis vti in bello consilijs. Et vir quidam conspectus est, ab omni Romanorum exercitu, equo albo vectus in antesignanis pugnare, hostiumque commouere, ac perturbare phalanges, nulli priùs ac postea cognitus, quem aiebant vnum esse ex gloriosis Martyribus, Theodorum videlicet, quibus tutoribus, ac propugnatoribus contrà hostes vtebatur semper Imperator.

18. *Cuspinianus ex Paul. Diacono lib.* 18. Anno decimo tertio Heraclij Imperatoris in expeditione aduersùs Persas; cum edita fuisset hinc indè magna cædes; Persa superior videbatur, nisi densus imber, mixta grandine cùm fragore, & strepitu horrendo, cælo effusus (diuinitùs vt creditur) aduersam Persarum aciem perculisset, procella, Barbarorum ora oculosque, vento, & fulgoribus perstringente. Attoniti Persæ cæduntur, paucissimi seruati: cæteri aut capti, aut cæsi.

19. *In vita S. Vualarisi Abbatis Leuconansis.* Cùm in portu S. Vualarici Dux Gullielmus cùm suis aduersante vento, diutiùs tardaretur, & ob hoc vulgus murmuraret, asserens insanum fore, alienum solùm volens vsurpare, præsertim Deo contrà se pugnante: tunc Dux Gullielmus fecit statìm corpus S. Vualarici forâs efferri, & pro vento habendo sub dio poni: & statìm prosper flatus carbasa impleuit, & sic tertio denuò mense à coronatione Haraldi incipiente, in terram Angliæ applicuit.

20. *In vita S. Francisci Xauerij ab Horatio Tursellino.* Non leue est virtutis, pietatisque eius monumentum, quòd mare Sancianicum furioso quodam vento (Typhoni nomen est) & crebris naufragijs infame, ex quo tempore Franciscus Sancianum Insulam S. Mysterijs ibi peractis velut expiauit, adeò placatum est, vt Typhone fermè cessante, rarò admodùm sæuiat in naues; tantùm, seù Xauerij pietas, seù Missæ sanctitas valuit.



CAPVT VIII.

De Admirandis fontibus diuinitùs excitatis.

§. 1.

QVi conuertit, Israele sitiente, petram in Stagna aquarum, & rupem in fontes aquarum, idem ipse admirandis modis populo Christiano, mirificos ex arida humo petrosisque locis intercedentibus Sanctis, quandoque suscitauit fontes, vberesque è terra emanare fecit latices. De quibus.

1. *Ambrosius Rigbettus de mirac. Nom. Iesu.* S. Thomas Apostolus dùm in India superiori S. Euangelium prædicaret, ab impio Rege, ignitas laminas iussus est nudis pedibus calcare; sed illicò inuocato nomine Iesu, ibi fons frigidæ aquæ emanauit, à quo ardentes laminæ extinctæ fuerunt. Eodem etiam inuocato nomine illæsus exiuit ab ardenti fornace, in quam eiusdem Regis iussu coniectus fuerat.

2. *Metaphrastes* 23. *Nouembris in vita S. Clementis Papæ.* Cùm D. Clemens Papa à Traiano Imperatore relegatus esset trans mare Ponticum in solitudine Vrbis Chersonæ, cùmque ibi in secandis, eruendisque marmoribus duo millia Christianorum aquæ penuria laborantes inuenisset: Facta oratione, in vicinum collem ascendit, in cuius iugo vidit Agnum dextro pede fontem aquæ dulcis, qui indè scatebat, attingentem, vbi omnes sitim expleuerunt.

3. *In menol. Græco die* 11. *Augusti de S. Martyre Euplo.* In carcere constitutus, sola oratione, fontem aquæ in carcere scaturire fecit.

4. *Lippellous in vitis S.S.* 12. *Maij.* Cùm S. Epiphanius Constantiæ Episcopus Spanydrion venisset, extremaque siti confectus esset, precibus suis fontem è terra elicuit.

5. *Ferrarius in Catalogo S.S.* 27. *Martij.* Cùm S. Barontius Abbas in Hetruria, in solitudinem, quam apud Pistorium inter duos montes inuenit, se recepisset, vt vitam solitariam ageret; ibi extructa cellula, cùm aqua deesset, facta oratione, fontem venæ indeficientis excitauit.

6. *In actis S. Seuerini Episcopi Septempedani.* Cùm in siccissima solitudine vitam eremiticam cùm S. Victorino ageret, precibus fontem aquæ limpidissimæ à Deo impetrauit.

7. *In actis S. Eguuini Episcopi Vuigorniensis in Anglia.* Fertur quod dùm in quodam itinere per montuosa, & arida iret loca, die quadam fami, siti, & lassitudini omninò addictus est, & socij eius cùm plurima populi turba: Rogatus igitur à socijs, preces ad Deum fudit, & fons aquæ limpidissimæ ex arenis statim prosilijt.

8. *Odoricus an.* 1210. Quando exercitus Christianus contra Albios peruenit ad obsidendum castrum Minerbæ, aqua quædam defluebat propè castrum, & erat modicissima, sed Diuina miseratione in aduentu nostrorum ita subitò excreuit aqua illa, quod suffecit abundantissimè toto tempore obsi-

obsidionis hominibus exercitus & equis: durauit verò ipsa obsidio fermè per septem hebdomadas: recedente verò exercitu, dicta aqua retraxit se, & facta est modicissima sicut priùs.

9. *Constantinus Ghinius in natal. S.S. Canon. 5. Octob. de S. Apollinare Episcopo Valentiæ in Gallia*. Apud Rhodanum existens, cùm illius aqua tepefacta foret, vt nullus ex ea bibere potuisset, oratione præmissa, sarculo terram fodijt, & aqua limpidissima, & frigida exiit; quæ suis refocillatis, & fons siccatus est.

10. *In vita S. Euthymij magni Abbatis*. Cùm in sicca solitudine aqua fratres laborarent, post preces S. Abbas apprehendit ligonem, quo herbarum exscindentes radices; alimentum ijdem sibi comparabant, & solum parùm scindit, & statim aqua è terra scaturijt, & bibere permisit.

11. *In vitis P.P. oriental. libr. 1. cap. 27. de S. Antonio Abb.* In arido deserto siti laborantibus, mirabiliter facta oratione fontem excitauit.

12. *Vadingus in Annal. Minorum An. 1422. de Domicilio Bergomi extructo S. Mariæ de Gratijs, loquens de S. Bernardino*. Non longè ab eo loco virum Sanctum cecidisse ferunt, & pro numero digitorum manus dexteræ, qua nitebatur resurgere, quinque fonticulos ibidem emanasse.

13. *In Annal. Min. An. 1219. num. 53.* Redeuntes cum victoria Marrochium Saraceni simùl & Christiani, per triduum aquam non reperientes, nimio sitis ardore cruciabantur. At Berardus, Sanctæ Trinitatis cultor tanto compatiens hominum labori, oratione cùm cæteris præuia, breui paxillo terram fodiens, aqua à Domino impetrata, iumentorum sitim extinguit, & hominum: in ipso verò loco, nec fons ante visus fuerat, nec post.

14. *In actis S. Fursei cap. 3.* Compositis rogis, immò accensis, Gelgehes Mater S. Fursei criminis falsò accusata ducitur ad comburendum. Quæ intuens flammas, exterrita more fœminarum, maximum effudit humo tenùs imbrem lachrymarum. Cuius riuulis, vt terra maduit, Omnipotentis Dei virtute operante, nimius fons aquæ prosilijt, qui ipsos tres rogos superabundans extinxit.

15. *In Martyrol. Gallicano de S. Caluppano recluso Eremita*. Cùm potus inedia laboraret, prece fusa, fontem in cellula sua, è silice excitauit. Quo cælesti munere congaudens, concauum in lapide paruulum, in modum cisternæ fecit duorum quasi condiorum capax, è quo lymphas diuinitùs sibi indultas cùm gratiarum actione suscipiebat; de quibus tantùm ei cælitùs infundebatur per singulos dies, quantùm ipsi, pueroque sufficeret, qui ei minister fuerat à præposito Monasterij datus.

16. *In actis S S. 28. Ianuarij apud Bollandum de Carolo Magno Imperatore*. Cùm primo tumultu Saxonico Eresburgum Saxonum arcem expugnasset, indèque ad Eimensredam idolum euertendum properasset, in maxima terræ siccitate, & aquationis inopia, ipso (ceù altero Moyse) orante, repentè largissimum flumen vberrimis vndis exilijt, quo totus exercitus iam per triduum siti anhelans, recreatus, vires accepit.

17. *Ibidem de S. Maedhog 31. Ian.* Construens S. Maedhog Monasterium Fearna, discipuli sui faciebant querelam ad eum, quod ibi aquam non haberent. Erat ante eum ibi quædam arbor, & ait discipulis suis: succidite, hanc arborem, & erumpet vobis fons clarus de loco eius. Et illicò succisa arbore, fons lucidus apparuit; qui dicitur Tiobrad Maedhog, idest fons Maedhog.

18. *In actis S. S. Martij in Contin. Bollandi*. Postquam S. Martyri Leoni Archiepiscopo Rotomagensi caput iuxta ripam Niui amputatum fuit. Stupenda res accidit, & relatione digna. Dùm caput terram tangit, & sanguis, fons mox de arida nimis emanat, & corpus quasi viuum horæ spatio erectum dicitur substitisse.

19. *Ibidem tom. 1.* Cùm multùm fatigarentur Fratres, eo quod aqua longè petenda esset, erat enim locus siccior, quia arenosus. Eos omnes cùm die quadam ad aquam misisset S. VVinvvaloeus Abbas Landeuenecensis in Britannia Armonica, solusque remansisset, ad Deum orauit, vt fontem aquæ viuæ benignè dignaretur concedere. Tum cuspide baculi, fontis, in circuli modum, vestigium definiuit, vndè mox aqua effusa est largissimè.

20. *Ibidem tom. 2. Martij*. Cùm S. Paulus Leonensis Episcopus ad quandam plebem, quam circumadiacentes, Lapidos appellant in vltima parte pagi Leonensis iuxta littus maris Britannici, diuertisset; ibique magna aquarum penuria laborarent incolæ, facta oratione confidenter tribus in locis terram baculo suo percussit, tresque glebas effodi præcepit, singulas de singulis: quibus euulsis, protinùs tanta aquarum largitas secuta est, vt non solùm sitim adstantis cateruæ reficeret, sed etiam copioso ductu totam patriam decoraret.

21. *Ibidem tom. 2. Martij*. Longissimo itinere propter Dei gloriam permeante S. Theophane, æstu multo, sitique correptus, ipse cùm sociis, aquam nullatenùs inuenire potuere. At rerum admirabilium effector Deus, iuuenem intuitus propter se libenti animo labores ferentem, magno illum miraculo decorauit. Propè igitur vbi iacebat, diuino iussu fons mirabilis emanauit, tactuque suo Dei seruum excitans, se se illi patefecit, qui sociis conuocatis, sitis remedium à Deo datum ostendit. Cauis igitur manibus aquæ copiam haurientes, debitas bonorum omnium largitori gratias egerunt. Ac ne quis posset suspicari, fontem illum cùm occultè lateret, repentino casu in apertum prorupisse, ipsa nocte sic repentè euanuit, vt ne vestigium eius vllum manè relinqueret.

22. *Ibid. to. 3.* Cùm S. Proculus Epis. Veronensis Veronam rediens, diuertisset in Pannoniam, fontem ex arida terra orans mirabiliter elicuit. Cùm enim barbam nimis prolixam radi, ac coronam capitis sibi accommodari iussisset, stupentibus omnibus, quod nusquam eo loco aqua haberetur, sine qua id fieri non posset, ipso orante fons ille prosiliuit.

23. *Ibidem*. Cùm S. Gundlæus Regulus Cambriæ Australis in Britannia, Angeli monitu Regno relicto in monticulum sibi monstratum ad vitam cælestem transigendam progrederetur, ariditatem

tem

tem terræ ibi cernens, orationem ad Deum fundens, & aridam terram baculi cuspide tangens, fontem in eodem loco perlucidum, & iugiter decurrentem manare fecit.

24. *Invitis P. P. lib. 8. cap. 88.* Cùm Abbas Moyses vnà cum cæteris Monachis per tres dies maximum puteum fodissent, vt aquam inuenirent, tot laboribus sunt frustrati. Tunc venit ad eos ex vasta solitudine sexta hora æstus Abbas Pyor, qui eorum desiderium cernens, facta oratione, accepto ligone, & tertio ictu incusso, aquam mirabiliter excitauit.

25. *In actis S. Deicolæ Abbatis.* Cùm locus, in quo habitabat, aquæ penuria laboraret; flexis poplicibus orauit, & fulcitorio, quo vtebatur, terram ēgerens, subitò famulo suo fideli largam fonticuli Deus vndam donauit.

26. *S. Gregorius lib. 3. Dial. cap. 16. de Marcio Monacho.* In monte Marsico solitariam vitam duxit Marcius Monachus in specu angustissimo inclusus, statim autem ac se in prædicti montis specum contulit, ex petra eadem, quæ in semetipsa concaua, angustum specum fecerat, aquæ stilla prorupit, quæ Dei famulo in vsu quotidiano sufficeret, & nec plùs adesset, nec necessitati deesset.

27. *Raderus in Viridario de S. Aninate Anachoreta.* Precibus, cisternam exhaustam, subitò aqua dulcissima plenam, redundantemque reddidit.

28. *In Annal. Minor. An. 1215. num. 12. de S. Francisco.* Cùm asperum cliuum conscenderet asino insidens, ad ascensusque medium perueniret, asinarius asperioris, & longioris viæ itinere fatigatus, nimioque sitis ardore deficiens; instanter cæpit clamare post sanctum: En morior, inquit, siti, nisi poculi alicuius beneficio continuò refociller: absque mora vir Dei prosiliuit de Asino; & fixis in terra genibus, palmas tetendit in Cælum, orare non cessans, donec se intellexit auditum. Oratione tandem finita; festina, inquit, viro, ad petram, & illic aquam viuam inuenies, quam tibi hac hora, misericorditer Christus de lapide bibenda produxit. Stupenda Dei dignatio, quæ seruis suis tàm facilè se inclinat. Bibit sitiens homo aquam de petra, orantis virtute productam, & poculum hausit de saxo durissimo. Aquæ decursus ibidem antè non fuit: nec, vt est diligenter quæsitum, deinceps potuit inueniri.

29. *Metaphrastes in vita S. Abercij 22. Octobris.* Cùm locus, in quo morabatur S. Abercius Hieropolitanus, egeret balneis ad ęgrotorum solatium, apud fluuium constitutus Abercius flexis Deo genibus humi procidit; & ecce erumpit quidam tonitrus cælo sereno: emittit autem terra fontes aquarum calidarum, & per omnia laudabatur Deus, qui iustos sic exaudit.

30. *S. Gregorius Turonensis lib. 1. de Glor. Martyr. cap. 37.* Fons, qui olim irriguus infra territorium Vrbis Lemouicinæ inaruerat, omnique penitùs latice defecerat, positis in ipso fontis aditu reliquijs S. Clementis Papæ, & Martyris, inuocatoque suppliciter eius patrocinio, illicò vena recurrens ad aditum, magnas euomit aquas, abundantioresq; humores mirabiliter profluxit.

31. *Theodoretus in historia S. S. Patrum cap. 2.* Asterius sanctissimus senex, cùm in solitudine arenosa, magna laboraret siti adolescens eius socius, precibus dulcissimum fontem à Deo impetrauit.

32. *Marulus lib. 4. cap. 2.* S. Antoninus Martyr Apameæ passus, cùm de via fatigatus sitiret, & arentis loci solum nullis rigaretur aquis, preces ad Deum fudit, virga humum perculit, atque indè fons emanauit, cuius post refocillatus, confidentiùs ad martyrium cucurrit.

33. *Vincentius in spec. Hist. lib. 9. cap. 113. de S. Iuliano Canomanensi.* Cùm aquæ penuria laborarent populi; Vir dei cuspidem baculi sui humi defigens, audientibus cunctis, eum, qui sitienti populo de silice in eremo potum retribuit, exorauit; & cùm fideles respondissent: Amen: subitò fons viuacissimus erupit.

34. *Nicephorus lib. 12. cap. 45.* S. Donatus Euoreæ in Epiro antistes, cùm aliquando ex itinere fessus, comites aquæ penuria languentes conspicatus esset, primùm Deum precatur, deindè terram manu fodit, atque illicò fontem aquæ viuæ produxit.

35. *Lucius Marineus Siculus de rebus Hispaniæ lib. 5. de Petro Osimensi Episcopo.* Cùm vir sanctus apud villam, quæ Fresuelo dicebatur, in territorio videlicet Osimensi, esset, & post Ecclesiæ consecrationem eiusdem loci, domorum cogente penuria, sub arbore, quæ Ilex vocatur, iuxta posita, cùm suo comitatu ad reficiendum resideret, cùmque manuum ablutioni aquam non haberent, quod multis incredibile fortasse videbitur, aqua desuper veniens, ex prædicta arbore scaturiens contra naturam descendit, quæ cum magna admiratione omnium qui aderant, & manibus abluendis, & siti extinguende se se obtulit. Quę res admiranda, & eorum oculos non latuit, & circumiacentes regiones fama volanter impleuit.

36. *Lippelous de S. Maria Magdalena 22. Iulij.* Cùm in solitudinem recessisset sancta pœnitens, orauit Dominum, vt fontem aquæ ad potandum illi exhiberet. Et statim crepuit sub eius oculis immane saxum, & aquæ ex duro silice scaturiere.

37. *Arnoldus Rayssius in Gazophilatio Belgico.* In loco, in quem cecidit caput S. Inthuuaræ, perspicuus fons erupit.

38. *In vita S. Guilielmi Firmati.* In Palæstinam profectus, cùm ad Cismarinam regionem peruenisset, ibique cùm socijs graui siti laborans, aquam in his aridis regionibus inuenire non potuisset; facta oratione, & impresso telluri Crucis Dominicæ signaculo, baculo, quem ad sustentationem sui itineris sustulerat, arido montis affixit supercilio, ad cuius extractum, fons liquoris perspicui conualles decliues cæpit irrigare.

39. *In vita S. Vuernheri pueri Vuesaliæ à Iudæis occisi.* Persecutionem cuiusdam declinans pius puer, & arrida terra errans, fame, sitique fortiter

ter laborauit, & post acceptum panem charitatiuum à pastoribus etiam valenter sitientibus, sui baculi infixione in terram, pro extinctu sitis, beneficium largissimi fontis in nomine Christi, tàm sibi, quàm illis ministrauit.

40. *In vita S. Paterni Episcopi Abrincensis*. In magna aquæ necessitate S. Paternus tetigit baculo humum, & statim fons erupit ab abysso.

41. *In vita S. Pamphili Episcopi Sulmonensis*. Cùm eius venerandum corpus propè Sulmonem consisteret, fons diuinitùs excitatus fuisse dicitur.

42. *In Menologio Græco 13. Maij de S. Alexandro Martyre*. Cùm Beriam venisset, & illic aquæ penuria laboraret, precibus aquæ fontem eduxit.

43. *Ibidem eadem die*. Sancti Pausiaci Episcopi Synadorum, qui aquam copiosam in diuersis locis scaturire fecit.

44. *In actis S. Venantij Martyris Camerini*. Cùm ad supplicium duceretur, militibus siti æxtuantibus, aquam dulcissimam ex lapide, facto signo Crucis, eduxit.

45. *In vita S. Isidori Episcopi Hispalensis*. Quidam miles capitali sentẽtia damnatus, in Ecclesiam S. Isidori se recepit. Hunc Rex armata manu custodiri iussit: & vt cibus potusue sibi daretur, sub mortis interminatione prohibuit. Quid plura? Septem reuolutis diebus ad mortis articulum vsque miles peruenit: Diuina autem gratia ei minime defuit, ita vt lapis, qui sacerdotis celebrantis subiacet plantis, aquas diuinitùs perspicuas emanauit, quas iam dictus miles sæpissimè potando, se sufficienter refecit: quæ verò superfuerunt, ad honorem Dei, & sanctissimi Hispaniarum Doctoris Isidori, & ægrorum sanitatem, in præsentiarum vase vitreo conseruantur, adeò dulces, & præclaræ, ac si in præsenti de limpidissimo, perennique fonte haustæ fuissent.

46. *Buzelinus in ann. Gallo-Fland. lib. 3.* Cùm in Ecclesia Blandiniensi sepulta fuisset Thecla sanctissima fœmina, ex eius sepulchro erupit fonticulus, qui limpidissimo scaturiens latice, multis dolore capitis grauiter afflictis, & corporum paryrlisi languentibus, auxilio fuit.

47. *Philippus Alegambe de mortibus illustribus virorum Soc. Iesu*. Nunquam Lusitanus exercitus in hostem, nisi P. Antonio Sociro è Societate Iesu (qui ob prædicationem Euangelij occisus est in India in Ceilano an. 1637.) comitatus, mouere signa solebat, cuius vnius gratia, sibi Deum largiri victorias assereret; Et renouauit ille Mosaycum illud prodigium aliquandò, cùm per ardua, & siticulosa Montium gradiens exercitus, aquæ penuria vehementer afflictus est, Pater Deum precatus, rupem duram scipione pulsauit, & confestim aqua tàm abundè scaturiuit, vt reficiendo exercitui satis esset.

48. *In Hist. Indiarum Occidentalium lib. 20. cap. 11.* Cùm An. Domini 1524. Alonsus Zuasus Hispanus, ex Insula Atlantis, ad nouam Hispaniam nauigaret, maxima oborta tempestate fractoque ligno, quosdam in scopulos, desertasque Insulas, vulgò *degli Alacrani* proiectus est, in quibus aquæ dulci laborantes, vnà cum socijs ad vltimum vitæ deuenerat, multique iam decesserant; cùm S. Anna apparens cuidam puellæ, fontem aquæ dulcis demonstrauit, ex qua omnes recreati, gratias Deo dederunt.

Reliqua infrà cum de Fontibus perennibus, & etiam Tom. 2. lib. 3. cap. 1. §. 2. cum de aqua ad Baptismum ministrandum diuinitùs data.

Fontes, diuersos ab aqua liquores, diuinitùs emittentes. §. 2.

HAùd difficile fuit illius Omnipotentiæ, qui ex arenosis, siccisque glebis crystallinos latices mirabiliter erumpere fecit, ex eisdem, ceù ex nihilo, dulcissimos saluberrimosque alterius ordinis educere liquores, vt admirabiliora magnalia Dei apparerent. De his.

1. *Osorius lib. 6. cap. 20.* Anno tertio Imperii Augusti Cæsaris paulò ante natiuitatem Christi, Romæ è taberna meritoria trans Tyberim, oleum è terra erupit, fluxitque toto die sine intermissione. Ille locus nobilissima memoria meruit illustrari, Ecclesia nimirùm amplissima Dei Genitricis titulo à Callisto Pontifice erecta.

2. *Dithmarus lib. 6. apud Baronium an. 1010. num. 2.* Hoc tempore in arce Romulea, quæ omnium caput est vrbium, ob diuersarum qualitatum causam, in vna Ecclesia in dextera parte altaris, ab vno pauimenti foramine per integrum diem, multis hoc cernentibus, atque stupentibus, oleum emanauit. Huius partem Ioannes Crescentij filius in ampulla quadam Henrico seniori suo, & tunc Regi nostro transmisit.

3. *Ioan. Eus. l. 2. de mirac. nat. cap. 32.* In pago Perrucheseire in villa Hamstende, An. 1148. continuis quindecim diebus fons sanguinem tàm vbertìm manauit, vt vicinum vadum inficeret.

4. *S. Epiphanius lib. 2. to. 1. aduersus hæreses. hæres. 31. nu. 30. loquens de miraculo facto in Cana Galilæa.* In cuius rei fidem, hodièque pluribus in locis idem, quod olim factum est, prodigium instauratur: idque ipsum fontes, fluuijque testantur passim in vina conuersi. Cuiusmodi ad Cibyram Cariæ oppidum fons est, qui eadem illa hora, qua Ministri aquam hauserunt, ac Saluator dixit: Date Architriclino, in vinum vertitur. Idem & in Geraseno Arabiæ fonte contigit. Nos ex Cybiræ illo fonte: fratres nostri ex Geraseno potauimus, qui in Martyrio est. Plerique verò idem, & de Nilo Ægypti fluuio confirmant. Quæ causa est, cur in vndecima Tybi, omnes in Ægypto aquam hauriant, reseruent, idque multis alijs in locis fieri assolet.

5. *Rader. in Bauaria S. de B. Edigna Vig.* Spectaui quoque latibulum eius in cauo ingentis, quæ triplice stirpe consurgit, Tiliæ, quam oleum olìm largitam affirmabant, sed cùm beneficium auari mortales venderent, negasse benignitatem, fontemque olei exaruisse.

6. *Franciscus Quaresmius tom. 2. in elucidat. terræ Sanctæ, lib. 8.* Senex quidam ex nostro ordine, qui

qui montis Sinai perfecerat peregrinationem, vidit in Conuentu Ecclesiæ S. Saluatoris, in quam sacrum corpus Virginis, & Martyris S. Catharinæ translatum est, vidit inquam, cubiculum, cuius pauimentum inunctum oleo, & olens erat, quod ita esse intellexit ab vno ex Monachis ibi habitantibus, quia antiquis temporibus ibi manabat, & scaturiebat oleum pro Ecclesiæ, & Monachorum vsu; cæterùm vena exsiccata fuit illorum auaritia, quia non contenti illo subsidio, illud etiam vendebatur; Quare fœnore, & diuino illo subsidio priuati omninò remanserunt, & relicta est dumtaxat veteris prodigij memoria, inunctum illud pauimentum.

7. *Gretserus lib. 1. rerum variarum.* Anno 1148. quidam fons fluentis aquæ iuxta Ecclesiam S. VVinini in occidentalibus partibus terræ Regis Scotiæ manauit sanguine per octo dies, & totidem noctes sine intermissione.

8. *Gonzales de Illescas in Hist. Pontif. lib. 5. c. 5.* Circa annum 1012. In Lotharingia Prouincia, fons aquæ dulcis mirabiliter sanguine fluere cœpit.

9. *In Chronico Magdeburgensi.* Circa Salutis an. 1006. fons quidam saluberrimæ aquæ apud Lotharingos in sanguinem versus est; pestemque, quæ subsecuta est, indicauit.

10. *Vghellus in Ital. Sacra tom. 4 Ianuenses Episcopi.* An. 930. In Ciuitate Ianuæ fons sanguinis largissimè fluxit in loco, qui vsquè in hodiernum diem Fontanella dicitur, futuræ cladis præsagium.

11. *Sabell. lib. 1. cap 4.* Eo anno, qui schisma Gregorij, & Gilberti Rauennatis Episcopi præcessit, plusquàm quindecim dies, aues cicures efferatæ sunt, & in Britannia fons sanguinis manauit.

12. *In actis S.S. Martij tom. 1. in Contin. Bollandi.* Fluuius, qui prælabitur supra Ecclesiæ Meneuensis in VVallia cæmeterium, quondam vino manauit; atque eodem tempore, fons quidam, qui Pistel-Deuuy, idest fistula Dauid appellatur, quia per fistulam quandam, & canalem in cæmeterium dilabitur, lacte manauit.

13. *Manrique in Annal. Cister. tom. 2. an. 1151. cap. 5. num. 7.* Cùm sanctissimus Abbas Bernardus vnà cùm socijs quibusdam iter perageret, quendam fontem alga, stercoribusq; pecorum conspurcatum intuitus, ad socios versus: Hic (ait) quiescendum nobis est, & si quid subest, etiam comedendum. Obstupuere, spurciciam loci horrentes: & quin, diserunt, vlteriùs progrediamur; alium, & si non commodum, mundiorem, saltem minùs fœtentem quæsituri. Tum Beatus Abbas prophetiæ Spiritu plenus, seù præsentiens virtutem ab eius ore in fontem deriuandam: Nolite (ait) locum dedignari, quem Deus elegit, & quem mox homines ex longinquo quærent, sospitatem ex eo reportaturi: dixit, & cunctis hinc indè residentibus, comedentibusq; non sine nausea, cùm vinum non haberent, aquam ex fœtido fonte hauriri iussit, hærentibus Ministris, ac dubitantibus, an foret obtemperandum. Sed quis Beato Viro non pareret, cui vel bruta obedirent? Nec deerat innata cunctis curiositas, qua tantæ exitum rei præstolabantur. Mira res, atque hactenùs forsàm inaudita; qua parte aqua fœtida ebulliebat, vinum erupit, atque intra viscera terræ scaturigines, virtute à Sancto accepta, nouam materiæ formam, nouam formæ virtutem communicabant. Mansisse ferunt fontem per annos plures, salutarem libantibus, quoad vsque fide haurientium tepescente, virtus etiam refriguit & defecit.

14. *Arnoldus Rayssius in Hierogazophilacio Belgico.* Propè Traiectum celebris est Fons dictus S. Gerlaci. Hic mirabiliter precibus eiusdem Sancti in finem eius vitæ tribus vicibus in vinum conuersus est.

15. *Zachar. Bouer. in Annal. Capuc. 1554. de Fr. Bernardino Astense.* Cùm è generalibus comitijs, quæ in Vrbe Neapolitana anno 1549. celebrata fuerant, cùm Fr. Matthæo à Leonissa, Viro sene, ac venerabili, ac plerisque alijs Fratribus rediret; iterque vsque ad meridianam iam horam produxissent: instante refectionis tempore ad fontē, qui in via se illis obuiū præbuit, vniuersi pergunt: nemo vinum secùm tulerat, quo, & sitis extingui, & vires itinere defatigatæ, refocillari possent. Cùmq; inter eos Matthæus esset, qui ægra valetudine afficiebatur: Bernardinus ad eum: Vino, ait, ò Matthæe, tibi ob corporis tui languores opus est. Cui Matthæus: Illud tibi potiùs, Pater, qui senectute grauaris, necessarium esset. Potens est Deus (ait Bernardinus) aquæ isti, vini virtutem præbere. Res plane mira! Nam illius fontis aqua nullo mutato colore, vini optimi gustum, vim, ac suauitatem mox reddit. Læti tunc omnes, vinum, absque vuæ racemis expressum, bibunt: Cunctique sitim, nouo, ac cælesti mero, fonte propinante, extinguunt: vix autem fontem ad manuum lotionem post refectionem attingunt: Cùm is ad aquæ naturam rediens, vinum fundere desiit.

APPENDIX I. AD CAPVT VIII.

Fontes mirabiliter excitati, perenniter fluentes.

ADmirandorum Fontium, qui diuinitùs varijs in regionibus emanarunt, vt perennes suppeditarent hominibus latices, hic retexam catalogum; indè enumeraturus eosdem, itidem perenniter emanantes; sed insuper medica virtute mirabiliter præditos. De his igitur.

1. *Baron. An. Christi. 1. de Bathleemitica spelunca.* Nec tacendum, quod tunc etiam in eodem puerperio accidisse fertur miraculum; nimirum, quòd in eadem spelunca, ad ea quæ vsus quotidianus exposcebat, è petra fluxit aqua, quæ nunquam potuit exhauriri, sed mansit diutiùs diuinæ virtutis egregium monumentum; siquidem adhùc Bedæ temporibus vigebat cunctis perspicuum tantæ rei prodigium: quod ipse, à teste, qui hæc viderat sanctissimo Episcopo acceptum his verbis scriptis mandauit. Hæc spelunca tota inte-

interiùs specioso marmore tecta, supra ipsum locum, vbi Dominus natus specialiter traditur, S Mariæ grandem gestat Ecclesiam. Petra iuxta murum cauata, primùm Dominici Corporis lauacrum de muro missum suscipiens, hactenùs seruat: quæ si qua fortè occasione, vel industria fuerit exhausta, nihilominùs continuò dùm respicit, sicut ante fuerat, plena redundat.

2. *Abulensis in Num. cap. 2. de petra, ex qua Moyses aquam eduxit*. Petram hanc adhùc perdurare, & assiduè fundere aquas tradunt Cosmographi; immò Arabiam ex hac aqua, & petra Moysis perennante, factam esse habitabilem, cùm antea ob nimiam siccitatem esset inhabitabilis, asserunt.

3. *Baronius An. 68. num. 24.* In carcere mamertino inclusus Romæ S. Petrus, sacro baptismate abluit Processum, & Martinianum milites custodes carceris, erumpente diuina virtute ex petra fonte. Qui fons in hunc vsque diem ibidem perseuerat, non tantùm rerum ibi gestarum nobilis, sed perenni illustris miraculo, quippè positus in medio carceris strati prægrandibus lapidibus Tiburtinis sibi inuicem inhærentibus, è perforato saxo altitudine cubitali trantùmmodo, & palmi vnius vel circiter latitudine, sic aqua scaturit, vt nec foràs exundet, nec quantùmlibet hauriatur, vnquam siccetur.

4. *Idem An. 69. num. 13. de loco, vbi decollatus fuit S. Paulus Apostolus*. Tres ibi scatent fonticuli dulcis aquæ, qui tunc primùm erupisse dicuntur, cùm Pauli caput excisum, tribus se saltibus vi quadam spiritus diuinitùs agitauit: quorum primus dulcior lactis saporem aliqua ex parte reddat; cæteri, quamuis haùd longè à primo distent, pauló diuersum gustui saporem afferant. Cuius rei ea ratio solet afferri, quòd ipso primo fluxu lac venæ dederunt, ac indè sanguinem. Qui quidem locus planè celeberrimus, Trium fontium dictus, frequenti Christianorum visitatur concursu.

5. *Greg. Presb. orat. de Patrib. Concilij Nicæni* Cùm Patres postridiè essent precaturi Saluatorem vniuersorum pro suo domum reditu, & pro ea quæ illos excepit ciuitate: accidit, vt in eo qui dicitur μεσόμφαλος, id est, medius vmbilicus, ingressus Orientalis, scaturient fontes circa medium apsidis, circa quam constiterat Sanctorum chorus, qui quidem in hodiernum vsque diem apparens, ostendit orationum fructuosos effectus; & nunc apud omnes celebratur, & nominatur Nicæa.

6. *Greg. Turon. lib. 10. hist. Francorum. cap. 29. de S. Aredio*. Iter quodam tempore cùm Genitrice dùm ageret, & Sancti Iuliani Martyris ad basilicam properaret, venerunt vesperè in quendam locum. Erat autem locus ille aridus, & absque fluentis currentibus infæcundus, dixitque ad eum mater eius, Fili, aquam non habemus, & qualiter hic nocte præsenti quiescere possumus? At ille prostratus in oratione, & diutissimè preces fudit ad Dominum: & erigens se, defixit virgam in terra, quam manugerebat, eamque cùm bis aut tertiò in gyrum vertisset, ad se lætus extraxit: moxque vnda aquæ secuta est tam valida, vt non solùm ipsis de præsenti, sed etiam pecoribus adfatim deinceps pocula ministraret.

7. *Felix Astulphus lib. 6. de hist. Imag. B. Virginis*. Iuxta Monasterium, vbi in Hispania colitur Imago Virginis, quæ dicitur Montis serrati, fons olim erat sub cuiusdam diuitis dominio, qui auaritia correptus, fontis aquam religiosis viris, & peregrinis non nisi pretij exhibitione concedere volebant. Accurrunt Patres ad Virginem, preces eorum pia mater audit, arescit fons, statimque ad Monasterij partes transitum fecit, vbi obuia cuilibet fontis aqua; ex quo factum, vt fons miraculi, ob hoc miraculum, diceretur in Hispania.

8. *Ioannes Rhò in Sabbatis B. Virg. exemp. 34.* In rure Carauagij propè Mediolanum adhuc perennat salutiferæ aquæ fons, qui ex contactu pedum B. Virginis, cuidam rusticæ puellæ, Iannesinæ vocatæ, apparentis, mirabiliter ex sterili, siccaque terra prosilijt: Ibidem ex pietate populorum ob innumerabilia beneficia illùc concurrentium, deuotissima Ecclesia ædificata est.

9. *Aloysius Torellus in Hist. ord. S. Augustini. An. Christi 491.* Cùm adhùc infans esset S. Patritius Hibernensis Episcopus, à voce celesti iussus est ad eum accedere quidam cæcus nomine Gorma, vt visum reciperet: accessit, & iuxta cæleste oraculum illius manu dextra apprehensa, cum illa signum Crucis super terram efformauit vnde statim limpidissimus prosilijt fons, ex cuius aqua cùm cæcus pupillas abluisset, mirabiliter statim præteritas caligines ne dùm corporis, sed & animæ effugauit, ne dùm enim visum recepit, sed & litteris ita ornatus apparuit, vt statim ad sacrum Sacerdotium admitti potuerit. Dicitur adhùc ibidem propè Mare perennare talis fons ad beneficium populorum.

10. *Iocelinus in vita S. Patritij cap. 56.* In loco qui dicitur Maghsteindh, in quo idolum comminuerat S. Patritius, fontem optimum de terra prece produxit, in quo plures postmodùm baptizauit.

11. *Idem ibidem cap. 125.* Alium fontem perspicuum, & salutiferum ex terra produxit, cùm priùs humo signaculum Crucis impressisset propè locum vbi Ecclesiam ædificauit, quæ Crux S. Patritij vsque hodiè vocatur.

12. *Idem ibidem cap. 163.* Alia vice ad laudem Dei, & plebis vtilitatem Sanctus Patritius suarum precum obtentu de terra septima iam vice fertur præclarum produxisse fontem.

13. *Moschus in Prato Spirituali cap. 8.* Cùm Monasterium ædificatum in monte inter Seleuciam, & Rosum Ciliciæ, cui præerat Ven. Theodosius Abbas, aquæ penuria laboraret; virga cui innixus erat, petram percussit, ea verò rupta, aqua instar fluminis scaturijt, & Monasterium ingrediens per aquæductum, & quantùm ad omnem vsum sufficit abundè suppeditans, in mare propinquum influit, & in hodiernum vsque diem ostenditur.

14. *Surius in vita S. Dunstani 19. Maij*. Rogatus à quodam viro nobili, & religioso, dedicauit

uit ei Ecclesiam vnam, quam ipse in fundo suo construxerat. Vbi ad ministerium aqua deficiente, & ob hoc homini nonnulla mœstitudine subripiente, famulus Dei præmissa prece, terram baculo percussit, illicòque fons limpidissimus erumpens, omnes, qui præsentes erant, non modicùm lætificauit. Qui fons vsque hodiè manans, Dunstani nomen, & meritum celebre facit.

15. *Idem in vita S. Columbani Abb. cap. 9. 21. Nouembris*. Erat in Monasterio puerulus quidam Domoalis nomine, qui solus ad illum referre solebat, si qua Monasterij negocia extitissent fratribus obseruanda, ab illo reportare. Cùm ergo multis diebus in illo sinu eminentis saxi, ad quem vix patebat accessus, vir Beatus resedisset, puerulus ille clàm ab eo perquisiuit, cur in promptu aquam non haberet, sed grandi eam labore per montis ardua fessis poplitibus apportaret. Cui Columbanus; Fili, inquit, paulisper saxi terga sciscitare. Memento, Dominum populo Israel è caute latices produxisse. Tum ille patri obediens, rupem cædere aggressus est. Sanctus autem vir statim ingenua se submittens, Dominum deprecatur, vt tribuat suæ necessitati opportuna. Tandem eius precibus parens, piè petenti larga subuenit potestas. Mox erumpente aqua, fons cæpit manare perennis, qui vsque in præsens permanet.

16. *Idem in vita S. Benedicti Abb. 21. Mart.* Cùm quadam die ad eum pro necessitate aquæ fratres redijssent, dixit: Ite, & rupem illam, in qua tres super inuicem positas petras inueneritis, in modicum cauate, valet enim Omnipotens Deus etiam in illo montis cacumine aquam producere, vt vobis laborem tanti itineris dignetur auferre. Qui euntes, rupem montis, quam Benedictus prædixerat, iam sudantem inuenerunt. Cùmque in ea concauum locum fecissent, statim aqua repletus est, quæ tam sufficienter emanauit, vt nunc vsque vbertim defluat, atque ab illo montis cacumine vsque ad inferiora deriuetur.

17. *Idem in vita B. Landelini Abb. 15. Iun.* Quodam die omnia circumcirca perlustrans, comperit ibi fontem non haberi, vndè fratres suis vsibus aquam necessariam haurirent. Fusis igitur ad Deum precibus, scipione suo semel percussit terram, statimque fons mirè altus, & dulcis erupit, vndis crispantibus largiter manans. Quæ res nomen loco dedit, viro Sancto illum Crispinum appellante.

18. *Idem in vita S. Corbiniani Episcopi 8. Sept.* Cùm Ministri de aquarum penuria propter altitudinem montis, quòd ibidem quotidiè ferendo laxarentur, murmurare cæpissent, vir Dei quodam die diluculò consurgens, solus montis latera circumiens, in plaga meridiana ad orationem se humi prostrauit. Qua completa, baculum, quo sustentabatur, in terram defixit. Cùmque paululùm perfodisset, tanta mox ex eadem fouea aquarum emanauit abundantia, vt ad totius cellulæ ministerium sufficeret, & eo viuente nunquam deesset. Cùm autem vir Dei obijsset, & eius corpus aliò ablatum fuisset, per quadraginta annos sinè aqua humus arida remansit. Eo iterùm adducto, pristinam abundantiam aquarum fons ipse ministrabat, Huic nostræ assertioni fons ipse intuentium oculis testimonium præbet.

19. *Idem in vita S. Humberti Confess. & Abb. Maricolensis in Cameracensi Diœcesi 6. Sept.* Prouulgata longè latèque fama Sancti, Beata Aldegundis eum visere aggreditur, vbi per aliquot dies ab eo spiritualibus epulis est refecta. Cùm autem situm Monasterij, & circumiacentia arua colloquendo lustrarent quodam die æstiuo, contigit Beatam Aldegundem intollerabilem sitim incurrere. Progredientibus paululùm, Virgo acriùs vrgebatur, donèc violentia sitis euicta, deficere se clamat. Eius molestiam vir Sanctus non ferens, orationi incubit, donèc expleto vnius horæ spatio, sensim ab arenti solo, & arenoso scatentis aquæ vena prosiliens, largum ex se fontem excitauit. Sed dùm Sanctus Virginis aduentui hoc præstitum fuisse diceret, & illa meritis eius potiùs ascriberet, ambo munus cæleste gustauerunt. Paret vsque in hodiernum diem, nec deficit fons ille suauis ad gustum, vtilis ad vsum.

20. *Idem in vita S. Amati Abb. 13. Sept.* Cùm iam per annum vnum aqua illi à Ministro Berino allata fuisset, ex vallium amnibus, ille fratrum penuriam miseratus, ait: Accedamus fratres ad hoc saxum, & oremus; potest enim Deus etiam nùm è petra aquam producere. Finitis precibus, surgunt à terra, & vir Dei baculo, quem manu gestabat, percutit petram, & mox erumpit aqua, perpetuò illic fluitans. Iubet ergo vir Dei è plumbo illic aquarum receptaculum fieri: quod quidem aqua redundans, & perpetim eam euomens, vidisse se testatur is, qui primus Beati viri conscripsit vitam.

21. *Idem in vita S. Callinici Martyr. 29. Iulij.* Cùm ad supplicium duceretur, rogatus à lictoribus siti magna laborantibus, vt eis à Deo aquam impetraret; facta oratione, ex quadam petra aquam mirificè excitauit, quæ & lictorum torrida ora refrigerauit, & perenniter ab eo tempore semper fluxit.

22. *Idem in vita S. Landoaldi 19. Martij.* Dùm insisteretur in ædificanda Ecclesia propè fluuium Archa in Belgio, Artifices super penuria potabilis aquæ conquerebatur, quia aqua ibi ex palludibus collecta magis bibentes torquebat amaritudine, quàm aliqua refocillaret suauitate. Vbi cùm Beatus Lambertus cùm Sancto Landoaldo orationem compleuissent, terramque signo Sanctæ Crucis baculo signassent, fons ibi vsibus hominum habilis protinùs emanauit, qui fidem dictis præbet vsque hodiè.

23. *Idem in vita S. Charitonis Confess. 28. Sept.* Cùm multum temporis præterijsset, & partim quidem senio, partim autem longis laboribus exercitationis, ei remissum esset corpus, & neque sibi posset ministrare, & aquam afferre, ipse nolens alijs rursùs hoc mandare ministerium, quid facit? Deum rogat, qui, quæ fieri non possunt, facere potest, vt fiant: & petra rursùs, non virga percussa, sed precatione aquam emittit, non inobedienti, contumacique populo, & iniquo, sed valdè obedienti, & cedenti Dei legibus. Ex vno enim

antri

antri latere protinùs scaturijt aqua frigidissima, & limpidissima, quæ est etiam perfectum testimonium necessitudinis, quam cùm Deo habebat Chariton.

24. *Beda in hist. Anglorum lib. 5. cap. 11. de duobus Eualdis martyribus*. Fertur autem, quia in loco, in quo occisi sunt, fons ebullierit, qui in eodem loco vsque hodiè copiosa fluenti sui dona perfundat.

25. *In vita S. Melori martyr. in Anglia 3. Ian. apud Bollandum*. Quadam vice puer Sanctus accepta petra, & proijciens, quasi stadio dimidio eam aduolare fecit, quæ supra terram durissimam, quasi super ceram mollem, infixa est: cùmque veniens ad locum, illam de durissimo silice extraxisset, egressæ sunt aquæ largissimæ, & vsque hodiè in loco illo fons viuus ebullire videtur.

26. *Ibidem*. Decollato S. Meloro, Cerialtanus caput eius assumens, & fugiens, cùm præ nimia siti penè deficeret, sibi ipsi loquens dixit: Væh mihi omnium hominum miserimo, & omni pæna, & cruciatu digno, quid faciam, quia sitis ariditate afflictus deficiens morior? cùmque hæc multotiès replicaret, caput Sancti in verba humana prorumpens, tali voce eum affatur: Cerialtane, baculum, quem manu gestas, in terram impiger fige, & fontem aquæ subitò de terra oriri videbis; ex quo copiosè refectus, imminens sitis periculum euades. Cùm autem baculum in terram fixisset, in pulcherrimam arborem versus, radicitùs terræ adhæsit, ramos, & folia produxit, & de radice eius fons indeficiens emanare cœpit.

27. *Ibidem in actis S. Canuti Regis Obotritorum*. Occiso impiè S. Canuto; sanguis eius terræ redditus, salutarem fontis scatebram perpetuis vsibus mortalium administrauit.

28. *In actis S. S. Martij tom. 1. in Contin. Bollandi*. Quadam vice, quidam rusticus, nomine Tardi, Sancto viro Dauidi Archiepiscopo Menenensi in VVallia talia suggerebat: Terra, inquam, nostra aquis exhausta, laboriosam ad aquandum, quia è longinquo extat fluuius, vitam habemus. Sanctus autem necessitati proximorum compatiēs, egressus, baculi cuspide glebæ superficiem aperuit, & fons limpidissimus emanauit, qui perpetua ebulliens vena, fridissimam caloris tempore donat aquam.

29. *Ibidem tom. 3.* Cùm S. Regulus Episcopus Siluanecti in Gallia, Ciuitatem Siluanectensem ab idolorum cultu, ad veram fidem conuertisset, quadam die extra vrbem cùm magna ciuium multitudine, quodam ressidebat biuio, rogatusque ab illis fuit, vt precibus à Deo impetraret fontem viuum ad recreandos peregrinos: annuit S. Præsul, & vnà cùm populo fusis coram Deo precibus, ipso in loco vbi Sanctus Dei effusis procubuit lachrymis, repentina effusione fons nouus gratissimas euomit aquas, qui auctoris sui adhùc nomen retinens, iugi cursu fluuium facit.

30. *Ibidem. tom. 3.* Cùm S. Cuthbertus Lindisfarniensis Episcopus, mansionem suam in Insula Farne fecisset, eum locum aqua indigum reperit; Fusis ideò Deo precibus, foueam excauari præcepit, quæ in crastinum emanante ab internis vnda, repleta inuenta est: Aqua tamen, nec foràs ebulliendo pauimentum inuadebat, nec hauriendo, nouerat deficere: huiusmodi aquam vsque adhanc diem sufficientem cunctis illò aduenientibus gratiæ suæ cælestis copiam administrare fertur.

31. *Ibidem tom. 3.* Quo in loco S. Fingar ab impio Theodorico Rege Cornubiæ in Britannia crudeli martyrio capite plexus est, terra, quæ illius venam sanguinis effluentem suscepit, continuò aperta, fontem edidit fæcundum, qui vsque hodiè monstratur cernentibus. Alium fontem non procùl idem S. Martyr è terra emanare fecit; cùm enim solo baculum, quem gestabat, fixisset, mox vt ad se eundem retraxit, fons è terra fæcundus erupit, qui vtrimque duplici saxo decenter inclusus, vsque in hodiernam diem copiosa vena fluitare non cessat.

32. *In vita S. Contesti Episcopi Baiocensis*. Cùm semel in pagum Sagiensem, Episcopatum visitaturus, proficisceretur, paucis secùm adhibitis, ex itinere, & æstu maximam sitim patientibus, ita vt ad flumen, qui dicitur Vrna, nequaquam peruenire possent; Vir Dei positis genibus, sublatisque ad sidera palmis, orationem & preces fundendo, pastorali baculo terram percussit, in pago Athya dicto, illicòque aquæ viuæ vsque in hodiernam diem scaturientis, puteum emanare fecit.

33. *In Annal. Ducum Brabantiæ, in Pipino Rege, de S. Gummaro*. In messe, siti deficientibus messoribus, baculo terram fodit, & erupit fons largissimæ aquæ, qui adhùc visitur in Emblem.

34. *Ferrarius in Catal. S. S. 23. Aprilis*. Cùm æstiuo tempore Diæcesim visitaret S. Georgius Episcopus Suellensis, socijque ardentissima siti vexati, aquam, qua illam extinguerent, in via non haberent; S. Episcopus è terra ter baculo percussa, aquam illicò, qua recreati sunt, eduxit. Iterùmque, montem, qui ab itinerantibus maximo cùm labore conscendebatur, facto signo Crucis diuisit, indeque fons aquæ, qui etiam num perseuerat, mirabiliter scaturijt. Alia vice, cernens S. Georgius passeres æstuantes siti in loco nimis arido sinè spe vlla refrigerationis, petram baculo percussit, & fons est egressus tàm copiosus, qui nec pluuiarum inundatione crescit, nec Solis ariditate decrescit.

35. *Pet. de Natalib. lib. 4. cap. 162. de S. Seruatio* Veniens in terram Vagionum, cùm siti affligeretur, digito signo Crucis in terram facto, fons aquæ de humo scaturijt, & exindè vsque in præsens nunquam defecit.

36. *Idem lib. 5. cap. 132. de S. Albano*. Albanus montem trans flumen positum ascendens, oratione fusa, fontem de petra produxit, qui ibidem in testimonium eius Martyrij vsque in præsens manat.

37. *Metaphrastes in vita S. Sabæ Abb.* Procùl à spelunca fluebat aqua; hoc verò malè habebant Monachi, & in ea in portanda magna afficiebantur molestia. Ille ergo Beatus non sustinens eos videre id tàm molestè ferre, Deum orauit, vt aliundè eis scaturiet aqua, finita oratione, quidam

sonus

sonus statim eius pulsat aures. Videbatur autem sonus inferente emitti ex torrente. Et cùm respexisset, luna iam illustrante terram plenissimo lumine, videt quendam onagrum vngula pulsantem solum, & fodientem, deindè postquam terram satis fodisset, & cauasset, ore fossæ imposito bibentem. Ille autem statim descendit, vbi vidit onagrum fodientem. Cùm autem ipse quoque parum fodisset, inuenit aquam, quæ ab illo tempore vsque in hodiernum diem fluit per mediam Lauram, & neque crescit hyeme, nec deficit æstate, idque cum hauriatur ferè ab omnibus qui sunt in regione.

38. *In officio S. Trudonis Presbyt.* In quodam rure apud virum religiosum, & nobilem hospitatus, baculo in terram defixo, & mox extracto, fontem aquæ perennis emanare fecit, qui hodiè quoq; visitur, & fons Beati Trudonis appellatur.

39. *S. Odo in actis S. Geraldi.* Non longè ab oppido, quod rustici Mulsedonum dicunt, constructum fuit oratorium S. Geraldo, propè quod fonticula ex tunc ibidem subullit, quæ viatoribus ad potum sufficit.

40. *Ioannes Gerbrandus lib. 3. Chron. Belg. cap. 16. de S. Bonifacio.* Iuxta Ecclesiam Martyrij eius in Dockinga est fons aquæ dulcis, qui fertur à Sancto Bonifacio inuentus, & sanctificatus, cùm alibi per totam illam regionem salsæ sint aquæ, & amaræ.

41. *In Antiquis monumentis Episc. Veronensium de S. Mauro Episcopo.* Vt humanas deuitaret, Episcopatui, quo se indignum arbitrabatur, spontè cessit; & ad montes, vt solitariam vitam degeret, concessit; ibi postea ab eius nomine ædificatum, & consecratum est templum, quod ab incolis etiam nunc magna cùm veneratione colitur, in vico, qui Salinæ nuncupatur; quo in loco sub pulcherrima arbore paruum sibi tugurium vir Sanctus construxit; & inter saxa illa, inter illas rupes, in magna illius regionis aquarum penuria, vberem, & limpidum fontem, qui nunc etiam propè Calauenam cùm miraculi attestatione cernitur, pijs precibus, vt Moyses in Eremo, à Domino impetrauit.

42. *In vita S. Samsonis cap. 10.* Quadam vice de palatio Regis Childeberti, ad Penetale Monasterium regrediebatur Sanctus Sanson. Qui Sanctum Germanum in suo Monasterio habitantem, & cùm vindemiatoribus suis in vinea stantem reperit: & se inuicem osculantes, gratias Deo referebant. Germanus lætabatur de aduentu S. Samsonis, & S. Samson lætus erat pro inuentione Sancti Germani. Tunc S. Germanus suppliciter rogabat, vt illo die Sanctus Samson cùm illo maneret. Ille refellebat pro quantitate itineris, vixque compelli potuit, vt cùm eo aliquid cibi sumeret. Factumque est dùm prandium pararetur, aqua ad lauandum defuit. Tunc Samson interrogauit dicens, quare tardatis, cùm dies magis declinet? Germanus verò erubescens ait, aquam deficere. Sanctus Samson verò ait. Si aqua in promptu non est, Dominum Creatorem omnium inuocate, vt sicut Israelitico populo siti deficienti, de petra insuper verticem montis Oreb, aquam tribuere dignatus est: ita modò meritis vestris, fontem aquæ in perpetuum manantem reddere dignetur. Et hæc dicens, baculum in manu tenens, virtute Dei fretus, perrexit ad petram latam, quæ iuxta torcular erat: & tetigit eam cuspide baculi sui: quæ sine mora coram cunctis fratribus fontem largissimum, virtute Dei, & S. Samsonis merito, reddidit, qui vsque hodiè largissimo riuo fluit. Ille verò qui ad aquam deportandam in longinquo exierat; ad portam Monasterij adpropinquans, riuum largissimum ad Monasterium fluentem vidit.

43. *In vita S. Gildæ cap. 17.* Est quoddam Oratorium, quod incolæ vocant Mons Coerlahem, quod sonat interpretatum, Monasterium nemoris. Cùmque homines qui se faciebant illius terræ hæredes, seruis Dei ibi contemplatiuam vitam ducentibus, sæpè iniurias inferrent: asserentes illos de terra excolere, quæ circùm Oratorium Sancti Gildæ adiacebat, plusquam eis ostenderant. Vir verò Dei volens omnes quietam agere vitam, accessit ad litus maris, & cùm Sanctis sibi adhærentibus fixis genibus, misericordem Dominum, qui facit in cœlo, & in terra omnia quæ vult, orat deuotiùs. Surgensque ab oratione Sanctissimus homo, baculum, quem manu ferebat, terræ impressit, & sic atriũ sui Oratorij circuiuit. O quàm bonus es Deus Israel, his qui tibi recto sunt corde! Lucidissimus enim fons ad nutum Dei de loco vbi Sanctus orauerat surrexit: & ad ostendendam certissimam metam atrij, secutus est vestigia Sancti. Quod miraculum audientes fideles, etiam quidam vsque in hodiernum diem hoc cernentes: Omnipotenti Domino, qui mira per Sanctos operatur, non minimas referunt laudes.

44. *Malmesburiensis lib. 2. de Gestis Pontif. Anglorum, de Sancto Augustino.* Cùm in Dorsatensi pago ad Baptismum deesset aqua, ad iussum Sancti Augustini Pontificis ex occultis meatibus fons erupit, qui hodièque & Augustini merito, & vsus sui commodo incolis clarus habetur.

45. *Aloysius Torellus in Hist. Augusti. An. Christi 559.* Cùm propè Lemouicensem Ciuitatem Monasterium ædificasset S. Leonardus Lemouicensis, discipulus S. Remigij, locusque aqua careret, puteum siccum excauari iussit, abundantemq; aquam precibus à Deo obtinuit, quæ vsque adeò ibidem mirabiliter perennat.

46. *In vita S. Macarij Patriarchæ Antiochiæ.* Facto signo Crucis in terra, aquam salutiferam, & perennem mirabiliter elicuit.

47. *Ioann. Ant. Castilionæus part. 1. fasc. 6. antiq. Basilicæ Vincentianæ.* D. Calocerus, cùm esset Mediolanum perductus, vt Christi fidem abnueret, in tormentis atque cruciatibus positus, obtinuit diuinitùs, vt fons emanaret perennis, & perpetuus, & hoc factum est circiter annum à Christo nato 130. Iuxta hunc Calocerianum fontem extat hæc inscriptio.

S. Martyr Secundus, à D. Calocero fidei Mysterijs imbutus, à S. S. Faustino, & Iouita Baptizatus in hoc fonte, diuinitùs ad preces Sancti, è nube in formam Columbæ demisso.

48. *Ioannes Gerbrandus lib. 2. Chron. Belgicorum cap. 26. de S. Vuillibrordo Traiectensi Episcopo.* Vinum defecit in vsibus, cùm visitaret quasdam secùs littus maris Ecclesias suæ Diœcesis, at ipse suorum necessitati compatiens, permodicam cisternam fodere præcepit, orationemque deuotè fundens ex salinatica terra dulcis aquæ copiam affluenter eduxit. Eadem verò cisterna nunc in territorio de Heyligerloe patenter ostenditur, quæ ab inquilinis moderno tempore, puteus S. Vuillibrordi appellatur.

49. *Pennotus in Hist. Tripartita lib. 3. cap. 30.* Monstratur in angulo Claustri Monasterij S. Marini Canonicorum Lateranensium Arimini, puteus, siue fons, ad S. Marini preces olim miraculo exortus.

50. *In vita B. Gonsalui Amaranthi Ord. Præd.* Dùm Beati viri opera pons Amaranthi ædificaretur, vinoque & aqua Artifices laborarent; B. Gonsaluus ad Deum super potus annona confugiens, eadem fide, qua antea præditus, de quadam petra, in qua scipione suo in nomine eius percusserat, vinum sufficienter scaturire fecit. Vinaceis igitur vasis miraculoso fonti approximatis, pro familiæ suæ conductitiæ siti subleuanda, quantùm suppetere poterat, tantùm solummodò Dei famulus haurire permittebat, & statim lapillo quodam manu prehenso, & ad fontis orificium apposito, illud occludens, siue obstruens, siccum penitùs ad tempus, aut potiùs incommunicabilem reddebat. Cùm autem opere pontis perfecto, vtribus, ac cantharis vinum secùm asportare domùm vellent, expertus est iam exaurisse illum vini fontem, datum diuinitùs ædificantium necessitati, non oriantium voluptati. Extant hodiè talis fontis vestigia.

51. *In vita S. Fechini Abb.* Cùm eius magister quadam die Sanctum discipulum ad quærendam aquam destinaret, & loca illa inaquosa essent, confidens verus obediēs de potestate eius, qui aquam de petra affluenter produxit, quendam è terra cespitem traxit, cuius loco fons viuus statim ebulliuit, & hìc fons vsq; in hunc diem S. Fechini nomine insignitur.

52. *In actis S. Laufredi Abb.* Quodam tempore cùm orandi gratia vrbem Turonicam peteret, limina S. Martini visitare cupiens, transibat per pagum Vindocinensem, cùm itaque vesperè ingressus esset quandam villam, Solemniacam nomine, & fatigatus ex itinere aquam ad bibendum postulasset, respondit hospes, ò homo Dei, penuria aquæ patria nostra laborat, non est nobis puteus, non est fons: his auditis Vir Dei ait ad fratres, qui se comitabantur; perennem fontem Dominum nostrum Iesum Christum fratres deprecemur, vt de venis terræ huius fontem indeficientem manare faciat; ille ab oratione surgens, virga, quam manu tenebat, decies terram percussit, & continuò fons viuus effluxit, qui permanet vsque hodiè.

53. *Greg. Tur. lib. 4. de mirac. Sancti Martini cap. 31.* Cùm in quodam conuiuio de Beati Martini virtutibus fabularemur, hæc mihi vnus de ciuibus, affirmantibus alijs vera esse, retulit. Naiogialo villa est in hoc territorio sita, ad quam cùm Sanctus Martinus adhùc superstes in corpore adiret, obuium habuit virum exhibentem aquam cum vasculo. Erat enim puteus ille, de quo hanc exhibebat, situs in valle quasi mille passus à Villa, & ex eo incolæ haustam deferebant aquam. Tunc ait vir Dei homini aquam ferenti. Quæso dilectissime contine manum tuam, & huic asello, cui sedeo, paululùm aquæ ad bibendum indulge. Qui ait, si necessarium ducis animal tuum adaquare, accede ad puteum, & hauriens dabis ei; Nam ego quod cùm labore detuli, non præbebo. Et hæc dicens præterijt. Quo discedente venit protinùs mulier, & ipsa deferens aquam in vlnam, dixitque ei similiter vir Dei. Quæ illicò ei ac si Rebecca quondam audiens nuncium Dei, & tibi præbebo ait, & asino tuo potum, nec mihi labor est vt hauriam. Tantùm voluntas tua fiat, qui iter pergens, necessitatem pateris. Et deposito de vlnis vasculo dedit asino illius bibere, quo facto, iterùm hausta aqua, impletoq; vasculo reuertebatur ad vrbem. Quam prosequens Sanctus ait. Reddam tibi pro mercede beneficium, quia adaquasti asinum meum. Et positis genibus in terra, orauit ad Dominum, vt loco illo fontis ostenderet venam, ac statim consūmata oratione, dirupta terra, fontē immensum populis admirantibus patefecit, qui vsq; hodiè beneficium præbet hominibus commanentibus in agro illo. In huius enim fontis ore est lapis in testimonium, qui vestigium retinet aselli huius, super quem sanctus sedit Antistes.

54. *Iocelinus in vita Sancti Patritij capit. 113.* Quidam leprosus (quem S. Patritius secùm detinebat, illique cùm magna deuotione cuncta pro Christo necessaria ministrabat) ne cæteris esset horrori, clàm & humiliter è consortio cęterorum secessit, & in quadam arbore concaua fortuitò reperta solitarius secùm habitauit. Dùm autem solus sederet, intuens quendam prætereuntem, illum ad se accersiuit, & cuius esset professionis requisiuit. Quo respondente, Christianum se esse, precabatur virum, vt ob eius amorem, in quem credidit, non pigritaretur ad proximum accedere iuncosum locum, & de iuncis ibidem radicitùs euulsis, afferre sibi fasciculum. Ad petentis igitur, vel potiùs adiurantis vocem, pergens ad locum homo, iuncum extirpauit, & confestim perspicuus fons erupit; fascem de iunco factum ad leprosum attulit, & de noui fontis scaturigine, quod accidit, retulit. Ille gratias & laudes Deo reddidit, deindè homini dixit: Noueris frater carissime, quòd Dominus noster Iesus Christus hùc te adduxit, vt in fontis illius aqua corpus meum abluas, & in eo loco sepelias. His dictis, oculos ac manus in cœlum leuans expirauit, corpusque illius præfatus vir in fonte diluit, nullumque lepræ vestigium in eo videns, sed suauissimum repertum, ibidem sepulturæ tradidit, & discessit.

55. *In vita Sancti Memnonis Thaumaturgi.* Semel è loco arido, & sicco, precibus fontem elicuit, qui ad illius laudem, & gloriam hodièque salit.

56. *In vita S. Guillielmi Firmati.* A sancta Ierusalem ciuitate reuertens, & Britanniam vsque perueniens, in pago Vitreiensi aliquanto commoratus est tempore: vbi in parochia Dordenensi, baculo suo terram aperiens, aquam de Iordanis flumine secùm delatam infudit, & inuocato Christi nomine, fons indè perpetuus liquoris emanauit perspicui: qui

qui in tanti memoriam miraculi, vsque hodiè ab accolis illius vici, Fons S.Firmati nominatur.

57. *In vita S.Richarij Abb. Centulensis*. Dùm semel in territorio Sidrudis hospitium haberet S. Abbas, ibique valdè aquæ penuria laborarent, orasse perhibetur: post orationem autem in terram fixisse baculum, atque mox erupisse fontem, qui vsque in præsens ibi perdurat.

58. *In vita S.Francisci de Paula*. Cùm vir Dei ædificaret Ecclesiam S. S. Trinitatis Spatiani, & aliquando Operarij magna siti laborarent, iuxta fornacem calcis, vir Dei precibus suis fecit scaturire fontem, qui adhùc hodiè permanet. Transiens etiam per Delphinatum vt veniret in Franciam, à quibusdam rusticis ostensa est ei incommoditas, & ariditas loci. Misertus autem eorum vir Dei, precibus eis impetrauit fontem, qui etiam hodiè videtur, & per multos annos febricitantes sanauit. Alia vice struebatur nouum monasterium Paulæ à Sancto Francisco in rupe aspera, subtùs quam Ischa torrens defluens, descensu minimè facili adeundus operarijs erat quotiès aqua ad potum opus habebant. Tulit id perquàm molestè quidam; & eremitæ illi, qui tam siticuloso in loco occupatos tenebat omnes, non occultis votis precabatur malè. Rediens igitur ab oratione Sanctus, & animum introspiciens exasperatum, Ne, inquit, per charitatem turberis frater: etiam absque descensu haberi aqua poterit, Deo dante. Atque hoc dicto, lapidem percussit baculo, & fontem elicuit, qui etiam nunc scaturire non desinit, miraculo tanto maiori, quòd vndè scaturiat ille, nullo possit visu humano deprehendi: & tamen concha, intra saxum successu temporis cauata, semper plena manet, quantumcumque multi exindè bibant. Hoc autem toto quidem anno, pro gratia sanitatis impetranda faciunt plurimi; nunquam tamen plures, quàm primo Aprilis die, pridie eius festiuitatis. Alio tempore cùm S. Pater ad montem Spinellorum dictum, propè castrum Fuscaldi educeret operariorum numerum aliquem pro lignis ad vsum monasterij fabricandi cædendis: & sitis necessitate premerentur, neque ad labentem subtùs riuulum possent peruenire, nisi facta per rupes sentesque via, compatiens ei Sanctus, baculum terræ infixit, vnàque cùm eo fontem eduxit, qui etiam nunc ibi perseuerans, Aqua S.Francisci Paulani nuncupatur.

59. *In. m. s.* In Neapolitano Regno in Monasterio Montis Virginis adhùc perennat prodigiosus fons, qui orationibus S.Gullielmi mirabiliter è terra erupit; ad eum minimè accedere audent animalia, cùm semel Sanctus adhùc viuens id prohibuerit vrsæ, quæ aquam bibendo deturbauerat.

60. *Raynaldus An. Eccl. An.* 1523. Cùm aliquando B.Benno Misnensis Episcopus in Valle proxima Ciuitati Misnensi concionem ad populum haberet, animaduertit, multos, vt fit tempore æstiuo, siti penè exanimes; vt autem illis subueniret, terram percussit, ex qua subitò vberrimus & perennis fons emanauit, qui adhùc hodiernis diebus fons sacer appellatur.

61. *Roccbus Pirrbus in notitia Eccl. Agrigentinæ*. Hic est antiquissimum templum D. Mariæ dicatum à primo Siciliæ Comite Rogerio. Dùm is cùm Saracenis, qui in monte Sarurio ad p. m. distante se tuebantur, acriter pugnasset; ipse, militesq; siti ardenti vrgebantur; genuflexus ergo, Dei genitricem deprecatur, vt opem cælitùs ferret, interiori monitu sub quadam ficu terram effodi iussit, indè mox affluxerunt aquæ adhùc perennes; victoriam de hoste assecutus, ibi sacram ædem Deiparæ statuit.

62. *Vadingus in An. Minorum An.* 1220. Venerunt demùm S.Franciscus cùm socio Cremonam, quæ nobilis ciuitas est in Cenomanis Italis, in eadem regione Lombardiæ Transpadanæ, vbi per aliquot dies hæserunt, & Monasterij ædificandi situm adepti sunt; quod dùm ædificarent, superuenit sanctissimus Patriarcha Dominicus, qui ad dilectum suum Franciscum visendum statim concessit. Cùm vnà essent, & longum de diuinis rebus sermonem haberent, conuenere ad eum cœnobitæ, qui penuria puræ laborabant aquæ, rogantes vtrumq; vt Deum precarentur, ne putei sui aqua turbulenta & cœnosa esset. Fuit aliquandiù inter viros sanctos certamen, vter aquæ benediceret, demùm beatus vicit Franciscus. Igitur B.Dominicus afferri sibi vasculum ex ea iussit aqua, cui postquam benedixit, in puteum mitti, ac paulò post indè hauriri aquam voluit, quæ quidem purissima, & haustu optima inuenta est, ac fuit deinceps & perdurauit.

63. *Ibidem an.* 1406. *de B.Coleta*. In Monasterio Poliniacensi, initio quidem sanctimoniales magna premebantur aquæ penuria, cogebanturque eam aliundè inferre, quòd nullus esset in Monasterio locus fodiendo puteo opportunus. Itaque sextaferia post Dominicam Lætare, qua recitatur Euangelium de muliere Samaritana, à qua Christus apud puteum sedens aquam petijt, Coleta, post fusas ad Dominum preces, iussit humum certo quodam loco fodi. Id cùm factum esset, prodijt mox aqua optima, qua non erat alia melior in tota illa regione.

64. *Idem An.* 1222. *n.* 17. *de S.Francisco*. In oppido Vici Albi fontem aperuit, signato priùs in aluei fundo Crucis signo, quod mirabiliter, & clarè sub ipsa aqua conspicitur.

65. *Ibidem An.* 1399. *n.* 4. B.Ioannes Eremicola tertij instituti S.Francisci Sectator, cùm esset paruulus, arescentibus aruis æstiuo calore, & deficientibus pastoribus, ac pecudibus præ aquarum inopia, obducto in terra circulo, & inuocato nomine Iesu, venam aquæ abundantissimam sitientibus aperuit. Ad maiorem miraculi confirmationem adhùc fons iste emanat, & communi appellatur nomine Fons caprarum B.Ioannis.

66. *In vita S.Brunonis*. Cùm in Eremo Carthusiæ, quem incolendum summa cùm vitæ austeritate sibi elegerat S.Bruno, aqua deesset. Eius precibus fontem aquæ dulcissimæ, qui vsque hodiè perennat, diciturque Fons S.Brunonis, mirabiliter elicuit.

67. *Franciscus à S. M. in Hist. Carmelit. tom.* 1. *lib.* 4. *cap.* 17. Frater Augustinus à Iesu ex discalceatis Carmelitis, iussus à Superiore, vt aquam in viridario inquireret, qua arbores ab ipso consi-

tæ irrigarentur (ex defectu enim ipsius haud viuere, crescereque poterant) abijt statim ipse magnaque simplicitate obediens, quadam è rupe effodere cæpit; & ecce illicò fons scatere cæpit, qui vsque adhùc fons obedientiæ vocatur.

APPENDIX II. AD CAPVT VIII.

Fontes perennes, diuinitùs exorti, & medica virtute præditi.

HActenùs de fontibus, hominibus, pecudibusque potum perenniter exhibentibus; modò alij recensendi remanent, qui ad varias depellendas infirmitates, mirabiliter precibus exorti sunt Seruorum Dei, quique adhùc perenniter fluentes, perenniter & languoribus malè affectis, haustu eorumdem aquarum, medentur. De quibus.

1. *Florauantius Martinellus de Ecclesia S. Laurentij in Fonte illustrata.* Romæ in Ecclesia S. Laurentij in Fonte adhùc mirabiliter fluit fons ad varias sanandas infirmitates mirificus; cuius aquam, fidelium deuotio ad preces D. Laurentij ibidem in carcere detenti, mirabiliter erupisse, arbitratur, vt Lucillum, Hippolytum, aliosque innumeros baptizare posset.

2. *In actis S. S. 27. Ian. apud Bollandum de S. Lupo Episcopo Cabilonensi.* In villa Baugiaco antiquam per illum Dominus renouauit virtutem. Nam qui olim aquam de petra plebi produxerat murmuranti, precibus illius fontem arido in loco emanare fecit siti populo æstuanti. Qui fons vsque hodiè in eodem loco ad testimonium beatissimi viri dulcem præbet sitientibus haustum; cuius frequenter perceptione infirmi optabilem meruerunt resumere sospitatem.

3. *Ibidem 28. Ian. de S. Irmundo ex Theodoro Ray litteris ad eum Bollandum datis An. 1639.* Cùm Octobri ineunte, fontem, quem dùm viueret S. Irmundus pulsata pastoricio pedo terra, diuinitùs excitauerat Mundæ, in agro Iuliacensi, inuiserem, octo circiter rusticellos lagenulis suis aquam haurientes aduerti; amicè rogo, ecquid remotissimis è locis fontem istum allatum veniant? occurrunt vnanimes, eum, hominibus, pecudibusque propinatum, sanitatem conseruare, aut curare. Placuit mihi simplicium de simplici ac innocente pastore suo testimonium. Aquam eius fontis duodecim, tredecimue mensibus ad pecudum curationem asseruatam, varijs in pagis ita limpidam, ac integram reperi, vt colore, sapore, odore nihil à recentissima differret.

4. *Ibidem 16. Iannuarij.* Sanctus Furseus ex cunctis locis Latiniacum expetiuit. Veniens autem in ipsum prædictum locum, fixit baculum suum in terra, & mox ebulliuit fons magnus, qui vsque hodiè locum irrigat, & multis à diuersis infirmitatibus præstat medicinam.

5. *In actis S. Cadoci Episcopi 24. Ian.* Dùm de monte S. Michaelis in Cornubiam venisset, & sitim maximam sustineret, in loco arido, baculum fixit, & statim fons largifluus de terra scaturire cæpit; Orauitque, vt cuncti languidi illùc accedentes, suorum medelam morborum reciperent, venenosas pestes illa aqua extingueret, vermesque cunctos de ventre potantium proijceret.

6. *Ibidem in actis Sancti Iuliani, & Soc. M. M. 9. Ian.* Cùm crudeli martyrio affecti fuissent S. S. Martyres, sancta eorum corpora auferentes Sacerdotes, sepelierunt in Sancta Matre Ecclesia sub sancto velamine altaris, vndè Domini pietas indeficientem fontem prodire iussit, cuius vndis sacrosanctum baptisterium consecratur. In quo loco tanta diuina beneficia affluenter credentibus tribuuntur, vt si quis adueniat fide, & credulitate plenus, statim consequatur medicinam, quacumque fuerit infirmitate possessus.

7. *In actis S. S. Feb. tom. 1. in Contin. Bollandi.* Cùm Sancta Brigida Kildariensis Abbatissa vnà cùm Episcopo Erco alijsque sequentibus perrexisset ad montem Ere Mumminensis prouinciæ, diuinitùs ad eosdem deportati fuerunt cibi, quibus vescerentur, potum tamen non habebant. Tunc dixit illis Brigida; fodite in proximo terram; & fodientes, inuenerunt fontem lucidum, quo omnes sitim expleuerunt. Hic fons vnà cùm duobus aliis manent illic vsque hodiè sub nomine Sanctæ Brigidæ, ad quos etiamnum miracula patrantur, vt propterea ipsi etiam Hæretici ad eos confluant.

8. *Ibidem*, Fons est leuca dimidia à Vilicensi Collegio distans, Orientem versùs, ad syluæ initium, qui à S. Adelheyde olim elicitus fertur. Narrant enim, eam cùm circa locum deambulans, agrestes conquerentes audisset, magna molestia, sicca præsertim tempestate, procul ducenda sibi iumenta, & pecora aquationis causa esse, comiseratione motam, diuina ope implorata, scipione terram percussisse, vndè subitò luculentus, ac limpidus fons erupit, qui etiam num fluit, dicunturque eius potione febres sæpè numero Diuæ meritis curari.

9. *Ibidem*. Cùm S. Antoninus, & Catellus propè Surrentum diuinitùs moniti à Sancto Michaele, in monte, qui nunc S. Michaelis dicitur, eidem S. Archangelo Ecclesiam ædificarent, aquæ penuria laborantes, precibus à Domino eodem in loco fontem perennem impetrarunt. Hic fons etiam num videtur, diciturq; aqua sancta contra morbos salutaris.

10. *Ibidem*. Cùm S. Agrippanus Aniciensis Episcopus, Roma ad suum ouile regrederetur, vigesimo ferè à ciuitate Aniciana milliario incidit in idolorum cultores, quos cùm vehementer obiurgaret, ab ipsis in vinculis detrusus, tertio post die capite truncatus est. Eius autem capite in subiectam vallem delapso, fons exiliit ex vestigio, in quo subsistit, qui postea ad sanandas ægritudines in hos vsq; dies mirificus apparet.

11. *Ibidem*, Laborabant magna siti messores Cellensis Cœnobii in Belgio, cùm S. Hadelinum supplicitur deprecantur, vt suis precibus aquam à Deo impetrare dignaretur. Sanctus igitur ad locum adueniens, bacillum, cui innitebatur, figit, & af-

& affectu intimo cordis orauit ad Dominum; Cuius orationem scrutator cordis audiuit, & fons largiflue scaturiens continuò erupit, quo sitibundi satiati sunt. Traditur autem, fontem illum nunc quoque magna reuerentia frequentari, etiam ad remedia morborum.

12. *Ibidem*. Febrilibus æstubus vehementer afflictus S. Aldericus subulcus Fusniaci in Diœcesi Coloniensi, dùm in agro iuxta porcos resideret, ardentissima siti exardescebat: & ecce Angelus Domini consolator aduenit, iubet humo, quam calcabat, pedum, seù baculum pastoralem infigere, atque continuò fons omni crystallo limpidior erupit, ac largissimè promanauit; hodièque vena perpeti è scrobiculo in quadro adhùc apparente, vndè fodiendo foueam, fontem eleuerat, iugiter perseuerans, deriuatione canalium, tàm officinis Monasterij Fussenich, quàm toti districtui saluberrimas aquas subministrat: cùm ante exortam eius venæ scaturiginem, adaquatio pecorum remotissimè petenda, molestissimè obueniret. Fons ipse sacer, & miraculosus in perenne largitatis Alderici testimonium, nullo vnquam tempore fornice concamerato, aut lignorum circulo occludi, aut sequestrari potuit (licet tentatum sæpiùs) quin postero mane, simili obstaculo Angelicis manibus disiecto, hominibus, pecoribusque largisluus semper præsto esse posset. Aqua eius non tantùm purissima, ac dulcissima vitæ alendæ, sed & in solamen languentium hausta iisdem præsentissima exhibet sanitatum munera, asthmaticis præsertim, ac febribus infectis.

13. *Ibidem tom. 2.* Cùm ab impijs iugulata fuisset S. Soterides in Dordraco, Hollandiæ oppido, fons de terra prosiliuit, valens contra infirmitates, variosque morbos. Hic fons adhùc patet in Dordraco.

14. *Ibidem*. Vrelengehemi in Flandria adest Ecclesia Parochialis dedicata S. Chrysolio m. iuxtaque eam fons scaturijt, quem eidem Sancto Martyri post abscissum verticem, viam facienti, & vehementer sitienti, Deus repentè suppeditauit, multique remedium hausto eius latice febribus quærunt.

15. *Ibidem in Martio tom. 1.* Vbi S. Martyr Basiliscus stetit, & sanguis eius sub pedibus eius effusus est in terram, fons aquæ viuæ manauit statim, qui est vsque nunc, & multi infirmi, & patientes à spiritibus immundis, cùm fideliter ex eodem fonte biberint, sanantur.

16. *Ibidem*. Sitientibus ijs, qui foderunt foueam B. Martyris Basilisci, & inuocantibus Dominum, factum est, vt daret eis aquam ad bibendum, & statim iuxta vbi sepultus est, fons aquæ emanauit, & bibentes requieuerunt glorificantes Deum. Et vsque nunc aqua multa egreditur de fonte illo ad laudem, & gloriam Dei, & S. Martyris, & sanitas est infirmis his, qui fideliter de ea biberint.

17. *Ibidem tom. 2.* In Peloponneso, eo in loco, in quo S.S. Martyres Codratus, eiusque socij palmam martyrij sunt adepti, Dei iussu clari fontis latices emanarunt. Ibi decliuis fluento aditus patuit, vbi sacrati Deo viri gloriam pertulerunt. Propè sacram ædem nimirùm, quæ seruandæ sanctarum reliquiarum pignora digna fuit; nostrisque etiam temporibus emittere ad morborum omnis generis remedia perennant.

18. *Ibidem tom. 3.* Cùm nauigio Venetias duceretur, corpus S. Martyris Secundi, in Ecclesia D. Hieremiæ Prophetæ recondendum, nec vnquam possent nautæ ob nimiam tempestatem, obstrepentibus vndique fluctibus, ac flante contrario vento, Vrbem attingere, relicta in eius potestate cymba, illicò ad ripam Insulæ, quæ S. Erasmi appellabatur, miraculosè applicuit. Cùm autem hoc non nisi diuinitùs omnes euenisse faterentur, & capsam plumbeam, in qua Corpus athletæ Secundi vehebatur, super nudam terram in loco iuxta Ecclesiam, vbi paruus puteus his vsque temporibus videtur, nautæ reposuissent, aqua protinùs ex illo arido, & sicco puteo, quæ ab ægrotis quouis morbo atque languore laborantibus hausta, sanitatem donaret, exiliuit.

19. *Ibidem*. Dùm sacra Lipsana S. Quirini M. in Tegernsee afferrentur, accidit prodigium diuinæ bonitatis. Depositis ad lacum sacris exuuijs, in diem alteram, ad exornandam festiuam pompam, pro susceptione tanti hospitis, sub plaustro fons saluberrimus scaturire aquis cæpit, qui etiam nùm hodiè deuote vtentes diuersis liberat ægritudinibus.

20. *In vita S. Notburgæ Viduæ*. Tradita viro, eo breui orbata est, sed felici prole grauida; grauibus inde improborum hominum lacessita iniurijs è patrio solo prægnans eiecta est. Longis, molestisque itinerum erroribus, in Germaniam peruenit ad eum Kleggouiæ locum, vbi nunc Buella vicus, in Landgrauiatu, vt appellant, Sulzensium Comitum, situs, haùd longè à dextra Rheni ripa. Hic illa prolem enixa est. Statimque vt eos salutari lauacro regeneraret, cogitauit; ast aqua deerat. Ancilla fugæ & ærumnarum fida comes, scipionem, quo domina firmare gressus cōsueuerat, ipsa iubente, arripit, ac petram percutit, è qua subitò limpidissimus fons emanauit, cuius aqua filij sacro tincti sunt lauacro. Frequentari dein fons hominum concursu, quos tùm miraculi fama, tum salutiferi latices exciuerant. Sed quid non violare improborum hominum auaritia, & liuor potest? Inuidere accolæ aduentantibus peregrinis aquæ illius haustum, multaque miscere iurgia ausi, admoniti primùm sunt à Notburga, vt grati erga Deum essent, tantoque eius munere pacificè vterentur. Vbi verò animaduertit, nihil se ijs monitionibus proficere, fontem in propinquam Syluulam auertit; vbi in hodiernum diem scaturit, plurimaque affert mortalibus emolumenta, aquæ non tàm copia, quàm salubritate.

21. *In vita S. Patritij cap. 136.* In loco Domhnacheumbuir Sanctus Patritius precibus produxit optimum fontem de corde terræ, qui nominatur Hibernicè Slan, idest, sanans vsque hodiè, eo quòd confert remedia sanitatis potantibus ex eo, licet multiplici laborantibus infirmitate. Alium etiam Dublinij mirificè de terra excitauit, percussa terra cuspide baculi Domini Iesu, quem à quodam Ve-

nerabili Eremita acceperat: qui vsque in præsens fons S. Patritij vocatur, varijsque medetur infirmitatibus.

22. *Ioan. Euseb. lib. 2. de mirac. nat. cap. 33.* Matriti habemus fontem salutarem, Sancti Isiodori Agricolæ meritis exortum. Sitibundo enim, Domino largiter propinauit perennes aquas S. Bubulcus, quas percussa terra baculo suo, effudit. Dantur istæ aquæ febrientibus, qui postea valetudine integra gratias piè referunt.

23. *In vita S. Brunonis.* Sepultus est vir præstantissimus in Monasterio suo S. Stephani, post summum altare. Ad eius sepulchum fons viuus prorupit, qui Christi virtute, & eius meritis, varia affert permultis remedia sanitatis. Illuminantur illic cœci, surdi audiunt, manci, & mutili redintegrantur, leprosi mundantur, Dæmoniaci ocyùs repurgantur.

24. *In Martyr. Gallicano 3. Kal. Iunij de S. Madelgisilo Monacho.* Cùm in remotiorem secessisset locum, nomine Monstrolendus, in agro Pontiuo; vt Deo vacaret, aqua ibi sibi deficiente, ad Deum confugit, exoratoque Domino, vt sibi aquæ subsidium non negaret, cespiti signo Crucis apposito, statim vena aquæ limpidissimæ se aperiens, clarissimum fontem effudit, ex quo non solùm refocillatus est Christi miles, sed & huius fontis alueus per amœnam planiciem excurrens, & potum bibentibus iucundum, & medelam etiam ægris suo haustu impendit.

25. *Ibidem 5. Idus Iunij in suppl. de S. Vincentio Mart.* Extat adhùc in loco, vbi primùm à fidelibus conditus fuit sanctus Vincentius, suspicienda ex eius recordatione, sacra ædicula, de Macoso nuncupata, in qua fontem cernere est, à Sancto Caprasio Episcopo & Martyre initiatore Sancti Vincentij diuinitùs impetratum, ex Aquilonari Ecclesiæ angulo scaturientem, cuius fluenta morbis sanandis saluberrima, ab incolis aduenisque esse asseruntur,

26. *Ibidem 28. Iun. de S. Carauno Mart.* Vicus etiam non modicus eo in loco, vbi ceruices tanti athletæ excisæ sunt exsurrexit, qui nomine eius etiam num conspicuus est. Cæterùm in Cœnobiticæ antedictæ Ecclesiæ crypta, fons mirificus diuinitùs est excitatus ad sancti ipsius Martyris glorificationem: qui cùm fere semper, tùm maxime quandò aquarum gurgites magis exuberant, difficatus arescit: at in natalis Martyris peruigilio, noctu sic erumpit, vt longè latèque suos effundat latices, quorum haustu morbidi patrocinia Beati Martyris implorantes, sanitatum solatia sæpe sæpiùs consequuntur.

27. *Vuillielmus Malmesburiensis lib. 4. de Pontif. Anglic. de inuentione S. Iuonis Persæ, Episcopi & Confessoris.* Apud Eastreiam in Orientali Anglia Iuonis sepulchro reperto, sanctoq; corpore in linteo exposito, ex ipsis Mausolei sinuosis anfractibus erupit vnda bullis vberrima fugacibus. Manat adhunc diem fons, dulcis potui, & accommodus omnium valetudi.

28. *Ferrarius in Catal. S.S. 12. Iulij.* Vguzo, qui & Lucius, ac Luguzonus dicitur, pastor, & Casearius Vallis Cauarniæ (locus est Euganeo oppido, & Lacui proximus, Comensis diœcesis) pascebat hic armenta cuiusdam, à quo, quod Ecclesiæ & pauperibus aliqua dedisset, expulsus, cuidam alij adhæsit inseruiens, cuius res augeri in dies, alterius verò, qui eum expulerat, minui mirum in modum cæperunt. Quare ille inuidia, & odio stimulatus, virum Dei interfecit, moxque in loco occisionis fons ingens instar parui lacus, in monte, qui adhæc vsque tempora visitur, ortus traditur; cuius aqua die & hora, qua interfectus est, rubescere, & ad visus incolumitatem conferre narratur.

29. *Idem 8. Augusti de S. Famiano Confess.* De superiorum licentia Romam veniens, Eugenio III. Pontif. Max. Gallesij substitit, fontemque æstate primo aduentu suo ex silice virga percusso, mirabiliter eduxit; qui in hodiernum vsque diem perseuerans, febricitantibus prodesse solet.

30. *Ioannes Gerbrandus lib. 6. Chronic. Belgic. cap. 14.* Cùm Sacerdos Sanctissimi Athalberti sepulchrum aperuisset, mox subtùs sorcophagum repertus est fons, mira limpiditate perspicuus, qui vsque in præsentem diem ad recuperandam sanitatem, inclusa spe, multis extat idoneus.

31. *Vghellus in Ital. Sac. tom. 4. Astensis Episcopi.* Cùm construi cæpisset Cænobium S. Serafiæ sanctimonialium Benedictinarum Astensis Ciuitatis, & puteus idoneus quæreretur, cùmque ad immensam latitudinem nunc hic, nunc illic egesta terra, nusquam reperiretur aqua, ad S. Petrum è Conzauiorum familia, qui tunc viuebat, confugerunt, qui fabricæ præerant; At ipse Deum precatus, ne tàm necessarium vitæ humanæ elementum famulabus suis denegaret, ligone scrobem fodit, in qua cùm statim aqua apparuisset, illam in puteum non magnæ altitudinis efformarunt. Qui proinde S. Petri puteus appellatur, ipsaque aqua est sanis commoda, & ægris vndequaque proficua.

32. *Iacobus Bosius in vita Beati Vgonis Equitis Hierosolymitani.* Crucis signo ex duro, aridoque silice aquas limpidissimas eduxit, gustui suaues, & morbis salubres; aliàs à quibusdam mulieribus precibus obstrictus, ex lapide fontem eduxit, qui dicitur fons S. Vgonis.

33. *Chrys. Henriquez in fasc. de B. Eustachio Abb.* Prædictus Abbas veniens ad Rumenel, vbi erat aquæ defectus, ad preces populi, in Ecclesia eiusdem villæ baculo suo petram percussit, & fluxerunt aquæ, quarum haustus, languoribus diuersis medetur.

34. *In vita B. Gonsalui Amaranthi Ord. Prædicatorum.* Prope suum sacellum fontem limpidissimæ aquæ diuinitus excitauit vir Dei, adhùc perenni & saluberrima aqua manans, quam omnes Peregrini illùc deuotionis ergo concurrentes, non sine magna veneratione suis oculis deuotè conspiciunt, atque etiam inde aquam haurientes, non solùm sitim sedant; sed aliquando sanitatem pristinam, qui ægrotant, fiducialiter accedentes, se lauando, vel bibendo miraculosè recuperant.

35. *In vita S. Tryphanæ mart. in Hellesponto.* Fertur, quo loco eius fusus est sanguis, fontem eru-

erupisse aquæ limpidissimæ, qua, vel pota, vel aspersa, & mulieribus, & bestijs, cùm pepererint, lactis, quo fortè defecta, copia redundent vbera.

36. *In vita S. Bassoli Eremitæ.* Cùm in vastam solitudinem secessisset, vt liberiùs Deo vacaret, ipsamque aquæ inopia laborantem inuenisset, Dominum deprecatus est. Subitò igitur fons cœpit abundantissimè fluere: de quo si quis quacumque infirmitate detentus, desiderium potandi, vel corpus ex eo habuerit abluendi, virtute Sancti confisus, adeptione speratæ salutis, non erit vllo modo diuina pietate frustratus.

37. *Pet. de Natalib. lib. 6. cap. 14. de S. Maxentio Abb.* Die quodam æstiuo tempore sitientibus Monachis, & aqua in loco deserto carentibus, baculo terram feriens, fontem ex humo produxit: ex quo languentes quoque potati ad præsens vsque sanantur.

38. *Surius 3. Nouembris de S. Vuenefrida Virg.* Cadocus Alani Regis filius, cùm S. Vuenefridã frustrà ad sui concubitum prouocasset, carneus incestus iuuenis se contemni à Virgine, libidinis impotentia victus, caput ei præcidit. Simùl autem atque corpus Virginis humi collapsum est, fons mirè perspicuus, & ingens erupit, qui hodièque manare non desinit multis morbis per merita sanctæ Virginis salutem adferens. De hoc fonte S. Vuenefridæ, qui adhùc in Cambria, seù Vallia reperitur, ait Baronius in notis ad Martyr. Rom. 3. Nouembris, se miracula, quæ ibi fiunt longa maiora his, quæ prodita sunt, accepisse à Reuerendissimo Thoma Episcopo Asaphensi teste oculato.

39. *Molanus in Indic. S.S. Belgij de S. Oduino Mart.* Oborta est quęstio inter agricultorem quemdam, & filiolum spiritualem sancti Oduini, de meta inter confinia agrorum, pro qua, secundum ius & æquitatem decidenda, communi consensu nominarunt Oduinum. Oduinus autem sententiam decidit contra suum filiolum. Vndè is ira percitus, fossorium à manu patrini suscepit, & in verticem eius violenter direxit; sciditque ei caput medium. Sanguinis autem effusio fontis venas ibi aperuit, de cuius lotione multos fuisse restitutos sanitati, perceptum est.

40. *Ioan. Buzelinus in Annal. Gallo-Fland. libr. 2. de sancto Piatone martyre, qui Sicliniy venerationem obtinet:* Iam indè ab eius tumulatione, perpetuam fons ad eius sepulchrum aquam propinat, cuius haustu salutifero varij corporum humanorum morbi sedantur.

41. *In actis Sanctæ Fidis V. M.* Cùm S. Caprasius, qui ob persecutionis metum in spelunca montis latebat, vidisset columbam de cœlo descendentem, coronamque S. Fidi deportantem, de victoria præsumens, rupem subqua manserat, dextera percussit, & fons protinùs erumpens meritis S. Caprasij omnibus infirmis, vsque nunc remedium salutis impendit.

42. *In actis S. Simeonis Stylitæ.* Aliquandò periclitante populo, & iumentis pro defectu aquæ, orationibus eius subitò dirupta est terra, & inuenta est quasi spelunca inæstimabilis, habens aquas salubres ad potandum vsque in hodiernum diem.

43. *Cæsar Franciottus in vitis SS. Lucæ.* Extra Vrbem Lucæ in loco, quem Cardosum vocant, colunt illius loci habitatores B. Dorotheum Eremitam; de quo referunt, quondam precibus fontem, adhùc ibi perennem, multisque infirmitatibus salubrem, à Deo, defixo in terra baculo, impetrasse.

44. *In actis SS. Luciæ, & Geminiani m.m.* Cùm prædicti SS. Martyres, magno æstu Solis arefacti, magna laborarent siti; S. Lucia orauit, & de medio crepidinis montis, fluuius exijt, vndè potati, sunt deque illa aqua infirmi bibentes sanati sunt.

45. *Lippellous 7. Octobris.* Eo loco, in quo apud Orientales Saxones ad villam Chichensem capitalem sententiam S. Ositha Virgo, & Martyr subijt; fons perspicuus erupit, varijs morborum generibus tribuens sanitatem.

46. *Arnoldus Rayssius in Auctario.* Aquiliæ in Brabantia visitur fons à tempore eleuationis corporis B. Sibillæ monialis, iuxta eius tumulum, ex quo aduenientes peregrini, leuamen ab infirmitate, vbi aliquid ebiberint, miro modo persentiunt.

47. *Surius in vita S. Eduardi Reg. 18. Mart.* Hodiè cernitur & fons eo loco, vbi priùs iacuerat, dulcesque, & perspicuas iam indè ab illo tempore emanat aquas, diciturque fons S. Eduardi, vbi sanè multa ægris quotidiè præstantur beneficia in laudem, & gloriam Christi.

48. *In vita S. Libariæ Virg. & Mart.* Surrexit fons sub basilica eius, & si quis infirmorum tetigerit, saluus factus est.

49. *In Hist. Bauarica par. 1. lib. 5. n. 24.* Ferunt, terram ex contactu corporis S. Floriani Martyris, fontem apprimè salutarem dedisse.

50. *Aloysius Torellus in Hist. Augustiniana an. 720.* Quo in loco soror Columba Augustiniana in prouincia vulgò *Tralosmontes* Lusitani Regni, à quodam tyranno insecuta est, vt eius virgineum florem deturparet, diuinitùsque seruata fuit; fons limpidus apparet, vocaturque fons sanctus, ob sanitatem ab infirmis haustu eiusdem aquæ acquisitam, qui fons ibidem dicitur emanasse in testimonium prædicti miraculi.

51. *Bzou. An. 1498. n. 37.* Hoc anno in Belgio, in villa Ruttis, turri Beati Euermari Martyris collapsa, foris ex aduerso fons erumpens, suauem dedit odorem, cuius aqua quamplurimi infirmi abluti pristinæ restituti sunt sanitati. Vndè diuersorum concursus illìc accreuit populorum, quorum plurimi ab infirmitatibus curati sunt.

52. *Michael Angelus Bonauersi in vita S. Maurelij.* Cùm Anno Domini 1419. Ferrariæ mirabiliter inuenta fuissent corpora S. Maurelij Episcopi Ferrariensis, & Martyris, & B. Alberti itidem Episcopi Ferrariensis; è specu, in qua reperta fuere, mirabilis scatere cœpit fons, cuius aquam deuotè infirmi desumentes, omnes depellebant languores.

53. *Auctor Fastorum Marianorum, de S. Erico*

to Mart. Quo loco sanguinem fudit, fons continuò exortus, aquas fudit passim ægris salutares.

54. *In vita SS. Fratrum Polonorum Eremitarum Camaldulensium Martyrum*. Quædam Matrona Nobilis, deuotionis causa, cùm desideraret inuisere locum illum, in quo solitarij isti manebant, iam ob sanctitatem, & merita celebres, non in illa Prouincia tantùm, sed toto Regno, eis eleemosynam, scilicet piscem viuum, qui vulgò *Salmon* appellatur, obtulit; quem cùm offerret, cecidit in terram piscis ille. Eoque in loco statim fons emanauit, qui vsque ad hoc tempus durat. Piscis verò cùm ad vescendum præpararetur fratribus pro prandio, alius similis genere, & magnitudine, Diuino miraculo apparuit in eadem aqua, vbi fons mirabiliter eruperat: qui cùm comestus esset, diuina clementia, & miraculo, alius loco illius extitit, qui per longum tempus victui eis fuit quotidiano. Et quamdiù fratres illi vixerunt, piscis quoque durauit: postquàm verò Martyrij coronam adepti sunt, piscis euanuit: sed fons ille ad hoc vsque tempus durat; cuius aqua, magna eo loco Deus signa, & miracula facit. Cæci enim visum recipiunt: leprosi mundantur, claudi, & surdi, varijsque morbis affecti sanantur. Sit nomen Domini benedictum.

55. *Ordericus Vitalis p. 3. Eccles. hist. de B. Iudoco*. Quondam dùm Iudocus cùm Duce Haimone in densa Sylua habitationem sibi congruam quæreret, & Dux venatu fessus, nimiaquè siti æstuans dormiret: Vir Dei baculum, quo vtebatur, humi defixit, & precibus ad Deum fusis, fontem eduxit. Quem ægri illùc venientes venerantur, & indè bibentes, citò sanantur.

56. *Idem lib. 6. Eccles. Historiæ de fonte S. Ebrulphi*. Per visum pluribus morbo affectis iussum est, vt pro salute nanciscenda, Reticensem sal, tum quærerent, & de S. Ebrulphi fonte, qui manat illic, biberent. Plures igitur è Burgundia, vel Aquitania, seù de aliis Galliarum regionibus exierunt, Reticumque cùm summa difficultate quæsierunt: & vix (quia tunc locus ille obscurus erat vti desertus) indagantes, inuenerunt. Tandem inuento fonte, cùm hausissent, & indè cùm Sancti nominis inuocatione fideliter bibissent, seù caput, vel alia membra lauissent, recepta sanitate, gaudebant, Deoque gratias agentes ad propria læti redibant. Hæc ibidem per multa sæcula vsque ad tempora Henrici Regis Francorum agebantur, dùm post deuastationem Danorum raro cultore Reticensis pagus incolebatur. Tunc quidam pagensis, nomine Berengarius, ex paterna successione illud rus susceperit; & ne aduentantes infirmi sata sua deuastarent, fontem sepe circumclusit. Dolens namque ruricola crebrò irascebatur, quòd prata horti, & alia quæ in circuitu habebantur, ab extraneis, qui causa salutis illùc confluebant, conculcabantur. Ab eodem tempore miracula sanitatum ibidem fieri cessauerunt, quamdiù præfatus Berengarius, & hæredes eius Letherius, & Guillelmus, atque Eruafius prædium illud possederunt.

57. *Ex. m. s.* In altissimo monte Diœcesis Dertusæ in Catalaunia propè pagum Ortæ, adhùc saluberrimus emanat fons, qui intercessione B. Saluatoris de Orta, Ordinis Minorum S. Francisci, mirabiliter ex arida terra, bis à puero, illo iubente, percussa, erupit; illius autem aqua deuotè exhibita, multis prodest infirmitatibus.

58. *Ex. m. s.* Cùm S. Apollonius Episcopus innumeros ad fidem Christi Brixiæ conuertisset, vt eos aqua salutari lustraret fons aquæ viuidæ miraculosè è terra in monte Digno erupit. In cuius miraculi memoriam ibidem Ecclesia S. Saluatoris extructa est, quæ postea diruta fuit; fons autem, qui vsque adeò fons S. Saluatoris appellatur, creditur idem esse, qui olim miraculosè emanauit; illius aquæ multis prosunt infirmitatibus.

59. *Ex. m. s.* In Tarraconensi Diœcesi saluberrimus adhùc emanat fons, quem S. Maginus ibidem sub Maximiano martyrio affectus, mirabiliter, proprio baculo terræ infixo, erumpere fecit, ad extinguendam sitim Carnificum, à quibus cruciabatur. Aqua illius deuotè ebibita, infirmitates mirabiliter depellit.

60. *Ex codice pergameno Ecclesiæ Spalatensis S. Domnij mart.* Cùm ex diruta Salonarum ciuitate, Spalatum tranferretur corpus S. M. Domnij, portitores Solis æstu fatigati, ardore nimio, maximè siti affligi cæperunt in loco aridissimo, qui Salinæ nuncupatur. Sed mirum dictu! erumpit ex silice latex viuus, apparetque nouus fons nunquam antea visus, adhùc etiam B. Domnii aqua nomen retinens, & virtutem in anniuersario huiusmodi translationis, IV. nempè Kal. Sextilis, præstans.

61. *In vita S. Rodani Abb. Lothrensis*. Quodam tempore æstatis duodecim leprosi ad Rodanum venerunt, eleemosynam ab eo quærentes. Tunc Rodanus suum baculum in terram pressit, statimque fons aquæ erupit, & fecit ibi piscinam, & in illa piscina lauantes se leprosi, sua lepra mundati sunt. Piscina autem illa vocatur Piscina Rodani vsq; in hodiernum diem.

62. *In vita S. Anselmi Episcopi Cantuariensis*. Cùm semel S. Episc. in monasterio Sclauiæ Capuanæ Prouinciæ moraretur, ibique maxima aquæ inopia laborarent monachi, fontem aquæ limpidissimæ in vertice montis precibus à Deo impetrauit. Puteus autem ille, puteus Cantuariensis Episcopi vsque hodiè ab incolis ipsius terræ vocatur. Ferunt autem hi, qui ibi habitant, quia multi diuersis languoribus, ac febribus tenti, sumpta in potu eadem aqua, pristinæ sanitati mox restituuntur.

63. *In Annalibus Seruorum Cen. 1 lib. 2. cap. 18.* Cùm S. Philippus Benicius quatuor annis remoto in antro Senarij montis, vitam summa pœnitentia, & oratione sanctissimè duxisset, cupiens aliqua reuelatione sibi inotescere, nùm pœnitentiæ, quam egerat, fructus Deo grati fuissent, tàm crebras lachrymas, dùm Christi passionem meditaretur effundere illis verbis solitus erat: Deus vitam meam annunciaui tibi, posuisti lachrymas meas in conspectu tuo semper; vt aliquando è saxo, quod assiduis fletibus consperserat, in eiusdem asperrimæ pœnitentiæ argumentum, Fons nitidissimus, qui etiam nunc extat, guttatim erumperet: Neque enim videres illic ex perpetuo aquæ fluxu (quod solent

alij

alij fontes) exundantem gurgitem produci, immò verò ad modum lugentis, & quodammodo sudorem emittentis, guttas paruas (crebras tamen) tàm fastigiato fluxu erumpere, vt perenni illo saluberrimæ, nitidæque lymphæ gemitu, lapidea quædam ibi supposita Peluis (quod mirum videtur) dùm semper sit plena, nunquam ferè effluat; quòd si haurias, & euacues, illicò tamen oppletam vsque ad extremum videas; Fons tandem nec vnquàm super effluens, nec vnquàm deficiens. Id verò experimento compertum fuit, dùm aliquandò Fratribus ob maximos calores consueta defuisset aqua Cisternæ, neque propiorem in Senario ad hauriendam, quàm S. Philippi aquam haberent Anno 1595. potuit vnus exiguus S. Philippi fons plusquam 20. viris ibi degentibus (crebris enim aquæ, & panis tantùm ieiunijs exsaturari illi solent) longo illo perseuerante æstu, quotidiè sufficere, nec vnquam ab Alueo consueto vel tatillùm deficere. Hic autem fons, Crypta, & Fons S. Philippi fuit nuncupatus etiam elapsis temporibus. Multiquæ Incolæ, & circumquaque finitimi vsque ad Vrbem Florentiam sæpè ægrotantes, & varijs febribus laborantes (id experimento hoc nostro æuo compertum est) aqua illa hausta, conualuerunt.

64. *Ibidem cen. 1. lib. 3. cap. 16.* Cùm S. Philippus Benicius, ne ad sublimem Petri cathedram extolleretur, aufugiens, in vastam altissimi montis Tuniati solitudinem se recepisset, indè ex illa discessurus, vt Incolis, Finitimisque pares eleemosynę, & habitationis gratias referret, Collem non longè à suo tuguriolo ascendit, vbi facta vehementi oratione, veluti alter Moyses, cacumen illud ter virga percutiens, saluberrimas indè aquas contra varios languores excussit; cuius rei fama inter vicinia diffusa, Aquis illis æternum imposuit nomen, vt etiam hoc nostro æuo, Saluberrima dicantur Balnea S. Philippi.

65. *Vuadingus in Annal. Minorum. An. 1228. n.68.* Cùm in arido monte Castri Galiani Valicensis Diæcesis mulier quædam reperiretur, feruenteque nimiùm æstu, & aqua deficiente, iam sitis deficere cæpisset ardoribus, quasi exanimis humi prostrata, patronum suum Sanctum Franciscum inuocauit, paululùmque obdormiuit: Et ecce S. Franciscus, surge inquit, & bibe aquam, quæ diuino munere tibi, ac pluribus exhibetur. Ad cuius vocis auditum surrexit mulier à somno non medicùm confortata, & accipiens silicem, quæ iuxta se erat, radicitùs euulsit à terra, effodiensque ligno paruulo circum quaque, viuentem reperit aquam, quæ cùm primò videretur paruula stilla, subitò diuina virtute creuit in fontem, mulierque recreata est. Conuenerunt vndique multi ad miraculi famam, experientia magistra discentes, mirabilem illius aquæ virtutem, dùm ad ipsius haustum, confessione præmissa, à varijs morborum cladibus plurimi liberantur. Perseuerat vsque hodiè fons ibi perspicuus.

66. *Ibid. an. 1333. n. 16.* B. Kunegundis Regina Poloniæ, post quā Clarissis nomen dedisset in Sādecēsi Monasterio, cùm sorores aquæ laborarēt penuria, infixo baculo, puteum deduxit aquarum viuentium, quæ varijs morbis medendis etiam nunc mirabiliter inseruiunt.

67. *Ibid. An. 1211. n. 18. de S. Francisco.* Ingressus Gangheretum in valle Arni in Tuscia oppidum, à loci Dominis fuit perquàm humaniter, & magna cùm reuerentia receptus, qui mira eius sanctitate allecti, ei assignarunt fundum, in quo extruere posset suis domicilium, cui etiam contiguam Syluam dicarunt. Humilem vir Sanctus ibi ædificauit locellum, in quo ob aduersam valetudinem aliquot diebus opportuit remanere. Et ne illo tempore in otio feriaretur, ijs, quæ orationi, & prædicationi supererant tempotis minutijs, suis manibus extruxit, vel muro circumdedit eum, qui sua ope, & precibus in nemore extillauit, fontem, qui adhùc existit, & cuius aqua multos à varijs liberat infirmitatibus.

68. *Ibid. An. 1418. n. 7. de Fr. Philippo Tudertino.* Sepulturæ traditus ad chori ostium, magno claruit prodigio; scaturijt enim fons ex sepulchro, Ecclesiam omnem inundans, nec contineri potuerunt aquæ, donec corpus extraheretur, & super altare maius colocaretur, vbi omnibus patuit per dies octo absque vlla corruptione, aut fœtore. Decreuit statim aqua, ad mensuram mediocris fontis, non tamen redundantis, sed eamdem perpetuò aquarum quantitatem retinentis, quantùmuis plurimi haurirent morbis miraculosè medendis. Inditam cælitùs aquæ virtutem probarunt miracula multa, quæ cum alijs viri Sancti prodigijs excepit diligenter quidam Notarius Imperialis. Tandem vana quadam muliere ob contemptum pedes lauante in sacro hoc fonte, exsiccatus est statim, postquam diebus octo scaturiit.

69. *In Chronicis Minorum par. 4. lib. 1. cap. 58.* in Prouincia Tusciæ propè Conuentum montis Aluerniæ quondam apparuit B. Virgo in Fago, ex eoque loco Fratribus benedictionem impertita est. Ex hac arbore, sicuti è cæteris, quæ vsque adhùc ex illa germinarunt, aqua salubris vsque adeò emanat, quæ infirmitatibus oculorum ob intercessionem B. Virginis mirabiliter prodest.

70. *Franciscus Gonzaga de orig. Franc. Religionis de Prouincia S. Franc. Conuent. 4. Sancti Francisci de Monte iuxta Perusium.* Est præterea hoc in loco puteus quidam saluberrimis manantibusq; aquis abundans, quæ peregrinis, accolisq; gratissimæ sapidissimæque sunt, quæque à febribus patientes sæpiùs liberant. Hæ siquidem, dùm fratres egesta terra, puteum profundiùs penetrare curant, ad tactum baculi, quem Beatus Pater Ægidius Assisinas manu gestabat, largiùs mirabiliterque eruperunt.

71. *In m. s.* Quodam in oppido vulgò *Rimetta* à Messanensi Ciuitate in Sicilia duodecim milliaribus distante, adest antrum, in quo vitam eremiticam sanctissimè duxit S. Leo Catanensis Episcopus. In eo, tempore illius mortis, fons mirabilis emanauit, modòque emanat, cuius aqua deuotè hausta, innumeras depellit infirmitates: & cùm ad modum putei fons sit efformatus, semper aqua, eundem situm, & altitudinem conseruat, vel ex ipso

ipso magna, vel pauca quantitas ex hauriatur, & nunquam excrescit.

72. *Surius in vita Sanctorum Andreæ Ducis, & Sociorum 19. Augusti*. Profani illi, & nefarii persecutores, ferociter, & cùm quodam (vt ita dicam) dentium stridore, ac fremitu irruentes, strictis gladiis, beatissimos viros interfecerunt, & illorum multo sanguine præterlabentem fluuium impleuerunt. Statim autem, quemadmodum S. Martyr precibus suis postulauerat, locus, in quem venerandus sanguis ille defluxerat, fons quidam effectus est, omnigenarum ægrotationum sanitatem afferens: qui fons ad hodiernum vsque diem gratiis redundat, & curationem singulis accommodatam largitur.

73. *Metaphrastes 5. Septembris de miraculo facto in Regione Chonensi à Michaele Archangelo*, Cùm S. Ioannes Apostolus in loco, qui vocatur Cheretopa regionis Chonensis, Euangelium prædicasset, eis acclamat, fore, vt mox Michaelis Angelorum Principis diuinior illic fiat visitatio, & diuinum quoddam signum, & admirabile. Et paulò post ex illa terra aqua emanauit, quæ si quis seù morbo laboraret, seù aliqua alia premeretur affectione, simul atque eam sumpsisset præbebat curationem.

74. *In vita S. Nicolai Tolentinatis*. Cùm in Tolentinate Monasterio puteum excauantes Fratres, nulla industria aquam inuenire potuissent; S. Nicolaus terræ infixa arundine, in genua deuolutus, Deum orare cœpit: & ecce statim ex eadem arundine abundantissima aqua exilire cœpit: Conseruatur adhùc miraculosus hic fons, eiusque aqua infirmitatibus, ob intercessionem S. Nicolai, mirabiliter prodest.

75. *Petrus Malpæus in Palma fidei de F. Andrea martyre in Æstopia*. Referunt, quo loco fuit affectus martyrio, fontem limpidissimum, variisque ægritudinibus salutarem illicò erupisse, qui hodièque perennet.

76. *Orlandinus in histor. Societ. Ies. libr. 11. num. 76.* Franciscus Petrius, Beatæ Virginis Adiutricis Oratorium indigenis pariter, & aduenis excitauit non longè à portu Sp. Sancti, gratum sanè opus cælestibus. Constans etenim fama fuit, ex eo tempore in maxima aquæ humanis vsibus aptæ penuria, saluberrimum fontem, paululùm dehiscente terra, diuinitùs erupisse, qui nunc manare ex ipsa Virginis ara videtur limpidus ac perennis, magnarumque virium ad pellendos morbos, aspersa aqua, vel epota. Quam ob causam concurritur è longinquo: & ipse quoque longè, lateque salutaris latex differtur.

77. *Th. Boz. l. 12. c. 21. de signis*. Ioannes Nauarretes cælestis vitæ fuit: obiit anno millesimo quingentesimo vigesimo octauo. Nam dùm concionaturus pergeret ad locum, quò populum conuocarat, in transitu cuiusdam montis, cui nomen Portelæ Fabeyræ, cecidit ex asino, quo vehebatur; ex eo casu paulò post vita, vt ipse iam prædixerat, migrauit; in ipso autem loco casus, emersit fons, è quo innumeri haurientes, innumeros e suis corporibus morbos expulerunt. Quamobrem publicis monumentis viginti quinque miracula huiusmodi à Notario ex auctoritate publica ritè comprobata, & consignata fuerunt.

78. *In vita B. Turibij Alphonsi Mogroueij, Limensis Archiepiscopi cap. 18.* Cùm semel Ven. Archiepiscopus vnà cùm comitibus ad Chilensem Prouinciam visitationis causa proficisceretur, essentque in ora *Carasmal*, maxima siti, aquarumque penuria laborabant; Tunc Ven. Turibius facta oratione præcepit vt quodam in loco illis designato excauarent; quo facto, Fons vberrimus aquæ statim prosiliit; quibus omnes sitim ad satietatem expleuere, Talis Fons & hùcusque perseuerat, vocaturque fons aquæ Sanctæ; multique infirmi ex ea aqua bibentes, sanitatem consequuntur.

APPENDIX III. AD CAPVT VIII.

Fontium aquæ, ex diuina virtute, varios morbos propellentes.

NVnc de fontibus, qui ex sanctificato contactu, seù cælesti benedictione, & cælestem contraxere virtutem ad varias depellendas è corporibus humanis infirmitates, erit sermo. De quibus.

1. *Greg. Tur. lib. 1. de glor. mart. cap. 17.* A monte Phanio duo consurgunt fontes, quorum vnus Ior, alter Dan, vocitatur: qui ab vtraque parte Phaniadæ vrbis, quæ priùs Cæsarea Philippi vocabatur, descendentes, sub ipsa vrbe tàm fluentis coniuncti, quàm nomine vno, Iordanem efficiunt, qui vsque Hiericho ciuitatem, & vltra defluit. In eo habetur locus, in quo Dominus baptizatus est. In vno etenim reflexu aqua ipsa reuoluitur, in qua nunc leprosi mundantur. Cùm autem aduenerint, sæpiùs lauantur in flumine, donec ab infirmitate purgentur.

2. *Sozomenus lib. 5. Hist. cap. 21.* Ante Ciuitatem Nicopolim in Palæstina circa triuium, in quo Christus vnà cum Cleopha post resurrectionem ambulans, in alium se vicum properare simulauit, salubris quidam fons est, in quo passiones suas abluunt, & homines, & alia animantia variis morbis laborantia. Ferunt enim, Christum ex itinere aliquandò vnà cùm discipulis ad eum venisse fontem, ibique pedes abluisse, & ex eo tempore, aquam illius medicinalem factam esse.

3. *Borcardus de terra Sancta*. Fons Beatæ Virginis, quem vocant, in Ægypto, vbi Iesum puerulum abluit, & panniculos eius aliquoties eo repugnauit, non irrigat modò, & fæcundat balsami germina, haùd ita multò ante ex Palæstina illùc adducta à Regina Cleopatra, sed extergit innatum fætorem ex corporibus Saracenorum, si eo infantes suos proluerint.

4. *Petra Sancta de mirac. perpet. cap. 28.* Alius fons, itidem nuncupatus B. Virginis, perennans in Valle Iosaphat (in quo illa fonte, lineam puerili Iesu suppellectilem dicitur mundasse) febribus medetur Christianorum pariter, & Mahometanorum, vt proindè certatim ab eis in pretio, cultuque habeatur.

5. Idem

5. *Idem ibidem cap. 30.* Fons, seù natatoria Siloe, in qua ex Christi Domini præscripto cæcus natus oculos lauit, & vidit, conferre ad visum perhibetur; Magni faciunt ipsimet Mahometani tùm eo nomine, tùm quia innatum fœtorem ex eorum corporibus extergit.

6. *Greg. Tur. l. 2. de gl. mart. cap. 3.* Antiochiæ in loco illo, quo Beatus martyr Iulianus percussus est, fons habetur splendidus, lenis, dulcibus aquis vberrimus, in quo & à persecutoribus caput amputatum ablutum est: de quibus aquis multæ sanitates tribuuntur infirmis. Nam sæpè cœcorum oculi ab his tacti, illuminati sunt: tertianarumque febrium accensi, vt potati qui patiuntur, fuerint, conquiescunt. Nam & si quis graui laborans incommodo, inspirante Martyre desiderium habuerit hauriendi, protinùs vt hauserit, conualescit: & ita velociter extinguitur vis febrium, seù si videas super immensum rogum proiectis vndis incendia vniuersa restingui.

7. *Arnoldus Rayssius in Hierogazophylacio Belgico, loquens de reliquijs, quæ extant in Monasterio S. Gerardi Ordinis S. Benedicti, tertio milliari à Namurco distante.* Visitur ante Chori ingressum puteus satis profundus, è quo hausta aqua, & ab ægris epota, iuxta promissionem S. Gerardo ab Apostolis Petro, & Paulo factam, pristinam illis sanitatem restituit. Supremæ autem puteo crepidini, hos duos versus per gyrum insculptos legimus.

Concurrant ægri, sani, bibuli, sitibundi.
Præstabo cunctis dulce refrigerium.

8. *Idem ibidem.* In Clari-Fontis Sanctimonialium Virginum Cœnobio ordinis Cisterciensis medio milliari ab oppido Arlano in Ducatu Lutzemburgensi adest fons, qui etiam num hodiè, fons Sancti Bernardi dicitur; (quod Sanctus Bernardus eidem benè precatus sit) cùm fide, & deuotione aliquid ex eo potum, contra morbos opitulationi esse creditur.

9. *Idem ibidem.* Epternaci, Ducatus Lutzemburgensis, tertio à Treuirensi vrbe milliari, vidimus in inferiori Ecclesia (quam Cryptam vocamus) sub Deiparæ Virginis Ara, fontem scaturire, qui per subterraneos meatus fluens, in inferiori planicie limpidissimus egreditur, Sancti Vuilbrordi fons dictus; & ad varios morbos (vt referebant Monachi illius loci) pellendos valdè est efficax.

10. *Surius de Basilica S. Michaelis Archangeli Gargani montis 29. Septembris.* Ex ipso saxo, quo sacra tegitur ædes, ad aquilonem altaris, dulcis & nimiùm lucida guttatim aqua dilabitur, quam incolæ stillam vocant. Ob hoc & vitreum vas, eiusdem receptui præparatum, argentea pendet catena suspensum, morisq; est, populo communicato, singulos ad hoc vasculum ascendere per gradus, donumque cælestis degustare liquoris; nam & gustu suauis est, & tactu salubris. Denique nonnulli post longas flammas, hac hausta stilla, celeri confestim refrigerio potiuntur salutis. Innumeris quoque, & aliis modis ibi, & crebrò sanantur ægroti, & multa, quæ Angelicę tantùm congruunt potestati, fieri illic miracula comprobantur; maximè tamen eiusdem diei natali, cùm de prouincijs circumquaque positis plùs solito conflua turba recurrat, & Angelicæ virtutis maior quodam modò credatur adesse frequentia.

11. *Idem 6. Iulij de S. Godoleua.* Etiam aquæ elementum egregiè illustrauit Dominus ad gloriam nominis sui, vt per illud quoque declararet merita illic immersæ Godoleuæ. Quot quot enim, vel febribus vexati, vel alijs afflicti morbis, eò accedentes, aquam illam, in qua submersa fuit; potarunt, repentè sanitatis beneficium illius meritis se adeptos lætati sunt.

12. *In m. s.* Iuxta Traiectum reperiuntur miraculosi fontes Sancti Seruatij, & Sancti Gerlaci, ille cis, hic trans Mosam, quorum aquæ febre, aliisque morbis ab affectis deuotè exhaustæ, eisdem mirabiliter sanitatem causant. Hoc & causant aquæ salutiferæ fontis S. Hilarij iuxta Læticas in Hannonia.

13. *Baronius Anno Christi 304.* Cęsareæ in Capadocia est fons scatens ad locum, vbi B. Iulitha Vidua martyrium passa, & sepulta est, qui instar lactis fluens, mirum in modum ad se accedentes iuuat.

14. *In. m. s.* In Ecclesia Sanctæ Sabæ Romæ, est fons, cuius aqua sanat profluuium sanguinis; estque propè illum de scapulari Sancti istius Abbatis.

15. *Aringhus lib. 3. Romæ subter. cap. 11. n. 7.* Extat ad hunc vsque diem intra Callisti cæmeterij ambitum, fons quidam, (ex cuius aqua baptizati sunt SS. Valerianus, & Tiburtius) ex quo limpidissimæ iugiter emanant aquæ, & varijs laboribus detentos, dùm resouent, salubritatem, quam ex sacrorum vsu ministeriorum hausere, eis mirabiliter impertiuntur.

16. *Idem ibidem lib. 3. cap. 22.* Item in alijs eiusdem Cęmeterij Callisti recessibus, limpidissimæ iugiter aquæ emanant, & vt ipso experimento comprobatum est, salubri impertita à cælo virtute, ad pristinam ægris corporibus sospitatem refundendam mirificè iuuant.

17. *Ioan. Molan. in Natal SS. Belgij de S. Sotere. 10. die Feb.* Cùm optaret ecclesiam ædificare, ab Angelo didicit magnitudinem: & tribus operarijs, totidem denarijs dictis *cophens*, paruæ quantitatis, sed magni valoris, satisfecit. Ex quo, quòd pecuniosa putaretur, vitæ præsentis vsuram per latrones amisit, eo in loco, vbi hodiè amænissimus fons, febricitantibus medicina emanat.

18. *Idem ibidem. de S. Verona Virgine. 29. Aug.* In ecclesia S. Crucis inter Louanium, & Furam in Diœcesi Mechliniensi sepultum est corpus S. Veronæ Virginis; extra Ecclesiam fons eius est, cuius aquæ contra febres potantur.

19. *In menol. Cisterc. 12. Octob.* In Normania Beatus Eustachius Abbas de Flay in Anglia miraculorum gratia, atque omnium virtutum genere illustris, de quo rara, & stupenda narrantur. Nam bibentes ex aqua fontis ab ipso benedicti, cæci visum, claudi gressum, muti loquelam, surdi auditum,

ditum, & quicumque infirmi perfectam sanitatem recipiebant.

20. *In m. s.* In Ducatu Burgundiæ propè antiquam Ciuitatem Alexiam in Diœcesi Aeduensi, est pagus ob magnam populi frequentiam nominatissimus, S. Reginæ Martyri dicatus, vbi existunt fontes, in quibus quicumque languens lauatur per nouem dies, sanus magna omnium admiratione efficitur. Et præsertim vnus inter alios in sacello dictæ Virgini dicato, in eodem loco, vbi decollata fuit, habetur, de quo omnes quocumque morbo vexati, etiam & sani confusè bibunt in eodem vase, nec quisquam vnquam infirmitatem alterius contrahit.

21. *Vsuardus* 15. *Maij*. Apud Insulam Chium, Beati Isidori Martyris; in cuius Basilica extat puteus, in quem, & fertur iniectus. De cuius aqua energumeni, febricitantesque, vel reliqui infirmi sæpius potati sanantur.

22. *Philippus Ferrar. Mense Iun. die* 16. *de S. Cechardo Episcopo Lunensi*. Durat fons in loco passionis cùm ædicula: cuius aqua, febre, capitisque dolore laborantibus vsq; in hodiernum diem prodesse fertur: diciturque fons S. Cechardi.

23. *In actis S. Columbæ Scoti Confessoris*. Quodam tempore vir Beatus cùm in Pictonum prouincia per aliquot demoraretur dies, audiens in plebe gentili de aliquo fonte diuulgari famam, quem quasi diuinum stolidi homines diabolo eorum obcæcante sensu, venerabantur, nam de eodem fonticulo bibentes, aut in eo manus, vel pedes de industria lauantes, dæmoniaca, Deo permittente, percussi arte, aut leprosi, aut lusci, aut etiam debiles, aut quibuscumque alijs infestati infirmitatibus reuertebantur, ob quæ omnia seducti gentiles, diuinum fonti deferabant honorem; quibus compertis Sanctus alia die intrepidus accessit ad fontem, quod videntes magi, quos ipse sæpè confusos, & victos à se repellebat, valdè gauisi sunt, scilicet putantes, eum similia illius nocuæ tactu aquæ passurum; ille verò in primis eleuata manu sancta cùm inuocatione Christi nominis manus lauat, & pedes, tùm deindè cùm socijs de eadem à se benedicta bibit; ex illaque die dæmones ab eodem recesserunt fonte, & non solùm nulli nocere permissus est, sed etiam per Sancti benedictionem, & in eo lauationem, multæ in populo infirmitates per eundem sanatæ sunt fontem.

24. *Petra Sancta de mirac. perpet. cap.* 30. Fons S. Patritij in Hibernia propè Clomeliam morbos sanat; & febres extinxit semper fons S. VVilhadi, qui fuit designatus à Carolo magno primus Bremensium antistes. Sed eum Fontem nuper sordibus inquinarunt sectari, & fimo bestiarum, vt hoc pacto saltem indè auerterent Catholicos, salutem quæsituros dùm incendio febrium æstuarent.

25. *Ex inscriptione in Ecclesia S. Vincentij Mediolani*. Extat Mediolani ad ædem Sancti Vincentij medius fons, ad quem varij variis morbis correpti se conferunt gratia sanitatis, virtutemque à Martyrum reliquiis proximis, illi communicatam plerique credidere.

26. *Ioannes Buzelinus in Annal. Gallo-Frandricis. lib.* 2. *cap.* 7. Duacum multos pellicit in Amatensi templo Diuum Maurontum, Sanctorum Adalbaldi, & Rictrudis filium (qui Franciæ Regis Cognatus & Cancellarius, Broylense Monasterium condidit, Abbasque moderatus est) venerandi, orandique desiderium, & de huius fonte aquam plurimi potant iucundè, quòd iuxtim scaturiat, variis ægritudinibus propellendis opportuna.

27. *Idem ibidem agens de templo S. Mariæ Vuasferiano*. Ad hanc ædem fit concursus quærendo humanorum morborum remedio. Ad puteum in cæmeterio aquis scatentem, villatici homines confugiunt, vbi malo quopiam pecus tentari deprehendunt, eiusque potu sanitatem impetrant.

28. *Gonzaga in Prouinc. S. Andreæ de Conuentu Lensensi*. Fons in hoc loco scaturit, B. Pacifici nomine, & miraculis clarus, qui à multis Religionis, & sanitatis recuperandæ causa visitur. Nam aqua eius epota febricitantibus, præsentissimum affert remedium.

29. *Vadingus in Ann. Minorum Anno* 1342. *nu.* 25. In Ecclesia, quam ad radices montis Caluariæ possident Franciscani, duæ effossæ sunt cisternæ; Vna amplissima à B. Helena extructa, & plumbo per totum intùs contecta, quę optimam & salubrem, immò miraculosam morbis curandis efficacem aquam ministrat.

30. *Idem ibidem Ann.* 1336. *num.* 20. Alenquerio vicinus est fluuius, qui ferè morbis omnibus medetur, etiam nostra ætate, & in actis apotheoseos S. Elisabethæ Lusitanæ multi dicuntur curati; quam virtutem populus inditam fluuio credit, propter Elisabethæ frequentiam, & Sanctarum manuum ablutionem.

31. *Lelius Marinus in vita S. Petri Celestini lib.* 4. *cap.* 4. Propè Vestem in Apulia mirabilis reperitur puteus, propè quem fama est, S. Petrum Cœlestinum captum esse, dùm in carcerem duceretur; aquæ autem illius in memoriam eiusdem Sancti deuotè ebibitæ, mirabiles in expellendis varijs infirmitatibus continuò comprobantur.

32. *Petrus Rouerius in Hist. Monasterij Rhemensis lib.* 2. *cap.* 2. Quidam contagiosa lue ictus, bibens cùm firma fide aquam de puteo monasterij S. Ioannis Abbatis Rhemensis in Gallia, quam S. Ioannes perempto in eo pessimo serpente, sanctificauerat, mirabiliter sanatus est; Alij etiam infirmi ex eadem aqua potantes sospitatem sunt consecuti.

33. *In vita S. Trudperti m. Eremitæ in Brisgoia*. Fons quidam in monte monasterij Numaga, nunc S. Trudperti, in Brisgoia non satis nota causa vulgò vocatur, cuius aquam multi fidelium ob sancti memoriam pia fide bibentes, consecuti sunt sanitatum beneficia.

34. *In actis S.S. Aprilis tom.* 2. *in Contin. Bollandi*. Aqua fontis, qui propè capellam, vbi iacet corpus S. Vuernheri pueri à Iudæis occisi Vuesalæ, & Bacheraci ad Rhenum in Diœcesi Treuirensi depositi, pro sancta, & ab infirmitatibus liberante ab Vngaris, & Sclauis sæpè in flascula capitur, quæ etiam fœtori non subiacet, immò & ad septennium absque omni infectione conseruata fuit.

35. *Guil-*

35. *Guilielmus Gumppenberg, in Atlanti Mariano lib. 2. de Imagine Beatæ Virginis Claromontana Czestochouiæ in Polonia.* Hanc Imaginem, cùm Anno 1430. Hussitæ è Clarimontis templo sublatam, incisam & vulneratam, per terram reliquissent; Repertam à Religiosis, nouo fonte, quem ipsa excitauerat, fama est, & ablutam domum relatam. Ab illo fonte peregrini salutem frequenter bibunt.

36. *Idem ibidem lib. 1. de B. Virgine Ardilliensi ad Salmurium.* Ferunt Fontem Ardilliensem, propè quem iam deffossa fuit Imago B. Virginis, quæ ibidem colitur, vires ab eadem accepisse ad pellendos morbos.

37. *Felix Astulphus in Hist. vniuer. Imagin. B. Virg. lib.* 8. In oppido Cheruiæ in Hannonia Ecclesia reperitur Deiparæ Virgini dicata, cuius Altare maius, in quo colitur eiusdem Virginis Imago, aqua saluberrimi fontis irrigatur, cuius potu, intercessione Virginis, perennem consequuntur infirmi sanitatem.

38. *Petra Sancta de mirac. perpet. cap.* 18. Aqua, cuius fons manat sub ara Virginis Deiparæ Sauonensis, incorruptibilis conseruatur, morbisque propulsandis mirè efficax apparet; mirabiliter autem sanat eius irroratione eos, qui se flagellis consauciant. Huiusmodi admirabilis virtus illi aduenit, postquam An. 1536. Antonio viro probo eo loci visa est Deipara, gloria, & Maiestate præfulgens, diuinisque delibuta odoribus, Sauonensem Ciuitatem diuinam implorantem misericordiam, augustissimè benedicere.

39. *Paulus Morigia in Hist. Mediolanensi lib. 2. cap. 1.* Propè Ecclesiam S. Eustorgij limpidissimus adest fons, S. Barnabæ vocatus, eo quod, primos Mediolanenses aqua baptismali ibidem à S. Apostolo lustratos esse fama sit; eius aquæ multis infirmitatibus mirabiliter prosunt.

40. *Achiles Mucius par. 3. Theatri Bergomatis, de fonte S. Victoris; qui erat Brembati.*

Hinc propè Victori Templum pro littore Brembi.
Erectum, & iuxta nota cauerna iacet.
Ex cuius guttæ distilant, fornice, aquarum
Vlcera bis fuerat soluere posse datum.
Villicus, est rumor, quòd frustra immerserit illa
Morbosa affectum cùm cute, fonte, canem.
Martyris hinc venit iusta indignatio, cessit
Virtus, hæ primùm qua colebantur aquæ.

41. *In Chronicis Ordin. B. Mariæ de Mercede.* Reperiebatur admirabilis quidam fons, de sanitate appellatus, in Ciuitate de Loxa, quæ est in Vandalia, cuius aqua ægrotos varijs, ac grauibus infirmitatibus oppressos sanabat, & perfectæ sanitati infirmos ad illum confugientes, seque ibi lauantes, restituebat. At vbi eius Ciuitatis Rectores, & Superiores fontem muro circumdederunt, & clauserunt, ipsamque aquam venalem esse permiserunt, (nam ad diuersas eius Regni partes vasa huiusmodi aqua plena, clausa, & sigillata proprio Ciuitatis sigillo asportabantur, & vendebantur,) fons ipse suam virtutem amisit, & frequentia ad illum cessauit. Nefas enim erat, aquam, quam Deus, ad nullius preces pro hominum salute, gratis concesserat, pecunia vendi, & ea lucrari. Vndè iusto Dei iudicio fontem sanitatis amiserunt, qui lucrum ex eo reportare voluerunt. Immò cessante eiusdem fontis virtute, cessauit, defuitq; hominum, ex diuersis partibus frequentia, quæ Ciuibus lucrum non paruum causare solebat.

APPENDIX IV. AD CAPVT VIII.

Fontes, diuersos ab aqua liquores, perenniter emittentes.

SVpra de fontibus, qui semel diuersos ab aqua liquores mirabiliter distillauerunt; modò de iisdem perenniter fluentibus. De quibus.

1. *Boethius in Scotiæ descriptione.* Ab Edinburgo Scotiæ Vrbe plùs minùs duobus passuum millibus, fons est, cui olei guttæ innatant, vt si nihil indè collegeris, nihilo plùs confluat: quantùmuis autem abstuleris, nihilominùs remaneat. Natum esse aiunt effuso illìc oleo S. Catharinæ, quod ad Diuam Margaritam ex monte Sinai adferebatur. Fidem rei faciunt fonti nomen diuæ Catharinæ inditum, atque in eiusdem honorem sacellum iuxta, Diuæ Margaritæ iussu, ædificatum. Valet hoc oleum contra varias cutis scabricies.

2. *In Menologio Carmelitano è Pet. de Natalib. in Catal. S. S.* Eo in loco, in quo effusus est sanguis S. Angeli Carmelitæ Martyris Christi Alicatæ in Sicilia, fons olei à primis, vsque ad secundas vesperas scaturit: Quo eodem die, si qui perungantur, à diuersis languoribus redimuntur.

3. *Ioan. Euseb. l. 1. de mir. nat. cap.* 81. Compluti ego vidi lapidem, in quo securi cæsi fuerunt fortissimi pueri S. S. Iustus, & Pastor; oleo etiam manat.

4. *Thomas Boz. l. 2. de signis Eccl. c. 6.* Illud maximè suspiciendum, post ortum Christi, qui petræ symbolo, vt omnes norunt, plurimis oraculis designatur, è petra multis in locis oleum fluere cepisse, ac fluere adhùc, vt hodiè in agro, quantùm ferunt, Mutinensi: quod ante ortum Christi nullo modo accidisse vnquam memoratur, vel non ita passim, & abundè.

CAPVT IX.

De Admirandis circa Terræmotus.

De Admirandis Terræmotibus diuinitùs immissis. §. 1.

ET si horribiles Terræmotus, quibus quandoque concussa est terra, absorptæque ciuitates, timorem, non Admirationem incutiant mortalibus, hìc nihilominùs in Admirandorum catalogo aliquos solùm huiusmodi referam (neque enim omnes, cùm licet insolitos, à naturalibus euenisse causis credẽdum est) vt potè quia ad Diuinæ Iustitiæ admiranda portẽta inducunt mortales. De his igitur.

1. *In Hist. Euangelica.* Tempore passionis Christi, tota terra horribili terræmotu concussa est. Item,

eodem resurgente, terræmotus magnus factus est; sicuti & Angelo Domini ad eius sepulchrum de cœlo descendente.

2. *In actis Apos. cap. 16.* Paulo & Sila existentibus in carcere, subitò terræmotus factus est magnus, ita vt mouerentur fundamenta carceris.

3. *In actis S.S. 28. Iannuarij apud Bollandum de S.S. Thyrso, & socijs Martyribus.* Vbi protulerunt gladios, vt conciderent eum, subitò terræmotus exortus est in loco, & cœpit terra mugire. Tunc milites cadentes in faciem, timuerunt valdè, & fugientes indè cùm ipso Combrutio, solùm Thyrsum in vinculis reliquerunt. Tunc Sanctus orauit, vt vincula sua soluerentur, & statim vincula ferrea dissilierunt ab eo: & stans Martyr cæpit expansis manibus orare.

4. *Ibidem in actis S. Deicolæ 18. Iannu.* Hildegardis Comitissa vice quadam curiositatis causa illecta, Sancti Patris Oratorium cùm Presbyteris, & cætera fidelium turmula temerè intrauit, vt aliquid de tanti Patris gleba secùm maximo pro munere Alsatiam asportaret. Cùmque multo conamine sacri cooperculum sarcophagi leuare sudarent, tantus terræmotus, subitò omnia ædificia concussit, sequentibus tonitruis, quàm maximis, & fulminum terroribus, vt omnes amentes effecti, cæcitate densissima quaterentur; adeò vt nemo ferè duabus horis proximum suum videre valuisset. Tunc Comitissa corde compuncta, experta est in breui quantùm valeant apud Deum gloriosa merita dilecti sui Deicoli.

5. *Arnold. Rayss. in Auctar. ad Natal. S. S. Belgij 10. Iun.* Sanctus Eleutherius, facto Missę sacrificio, Tribuno, populo, & Clero suo comitatus, venit ad defunctæ filiæ sepulchrum: quod vbi pastorali pedo percussisset, tantus de repentè motus, ac tremor extortus est, vt omnes præ timore diffugerint. Hunc autem motum eo accidisse Episcopo diuinitùs innotuit, quòd præsentes ab idololatria fictè proposuissent discedere. Die postera idem terræmotus ob eamdem causam rursùs ad Blandæ sepulchrum eodem modo accidit. At tertia tandem die, cùm Tribunus maximis, sed fictis, precibus ad Præsulis pedes prostratus peteret sibi suam filiam viuam restitui, eamdem Sanctus Eleutherius mox è tumulo eductam, ingenti planè miraculo, vitæ reddidit, ac die septima post sacro baptismo abluit. Tribuno interim in sua infidelitatę pertinaci animo remanente.

6. *Ex actis S. Martinæ.* Ad eius preces nunc terræmotibus exortis, nunc ignibus è cœlo tonante delapsis, Deorum templa prostrata sunt, & simulacra consumpta.

7. *Petr. de Natal. libr. 8. cap. 47. de S. Regina Virg. & Mart.* Candentibus laminis inflammatur: deindè manibus, ac pedibus iuncta, in vase aquæ frigidæ demergitur, vt ex pœnarum contrarietate, duriùs torqueretur: statimque terræmotu facto, vincula eius dirupta sunt.

8. *In vita S. Libariæ Virg. & Martyr.* Postquam caput ei abscisum fuit, sepelierunt eam cautè quidam fideles, & terra tremuit, ceciderunt muri ciuitatis, & turres.

9. *Philippus Ferrarius in mense Iunio die 15. de S.S. Vito, Modesto, & Crescentia.* Cùm S. Vitus iussu Diocletiani Imperatoris ferro onustus, teterrimo carcere conclusus fuisset, subitò terræmotu, carceris quassatis fundamentis, vinculis ferreis instar cineris dissipatis, mirabiliter liberatus est.

10. Huiusmodi admirandæ terrarum conuulsiones itidem euenere in Martyrio S.S. M. M. Luciæ, Geminiani, Euphemiæ, Adriani, Margharitæ, aliorumque, quorum longum esset, seriem describere.

11. *Theodoretus libr. 5. cap. 34.* Nocte proxima, qua sine causæ cognitione ab vrbe Constantinopolitana expulsus fuit S. Io: Chrysostomus, ingens ortus est terræmotus, ratione cuius, in periculo & metu fuit vniuersa regio. Quamobrem manè legatis missis, Ioannem ex itinere in vrbem reuocauit Imperator.

12. *In Hist. Ecclesiastica.* Paulò antequam S. Paulinus Nolæ Episcopus animam Deo redderet, cubiculum, in quo iacebat, cōtremuisse perhibetur, velut in signum Diuinæ visitationis, quæ virum Sanctum hinc abeuntem illuminabat.

13. *Ibidem.* Ad apparitionem S. Michaelis in Gargano monte, terrę solum contremescebat, Angelicam præsentiam eo prodigio manifestans.

14. *In vita S. Theobaldi Erem. libr. 2. Vit. Pat. Occid.* Ante tertium diem suæ migrationis, quinquiès grauissimus terræmotus extitit, ex quibus quidam à foris stantes, omnes verò in cella Sancti adstantes senserunt, Vndè conijcitur illius maiestatis præsentiam migranti affuisse, de quo dicitur: Qui respicit terram, & facit eam tremere.

15. *Bozius de signis Ecclesiæ lib. 24. cap. 3. & 4.* Quotiès Imperatores in vniuersam Ecclesiam, Pontificemque Petri successorem se armarunt seditione commota, neque destiterunt, protinùs adfuere prodigia diuina, Tempore Traiani, atrox, & funestus motus terræ accidit Antiochiæ, vicinis vrbibus atque populis cladem etiam afferens: quatuor Asiæ, & duæ Græciæ vrbes subuersæ fuere. Tyrannidem agente Hadriano, terræmotu, Rodiorum, & Asiæ oppida conciderunt; in Bithynia, atque Hellesponto valdè horribilis extitit terræmotus, eaque de causa complures aliæ ciuitates laborauerunt vehementer, & Cizicum funditùs perijt. Gordiano imperante, terręmotus eo vsq; grauis fuit, vt ciuitates etiam terræ hiatu cum populis deperirēt. Diocletiano & Maximiano persequentibus Ecclesiam, Tyrus & Sidon, vrbes celeberrimæ terræmotu à fundamētis euersæ sunt. Constantio, & Iuliano in Catholicos sæuientibus, Terræmotus horrendi per Macedoniam, Asiamq; & Pontum assiduis pulsibus, oppida multa concusserunt, & montes. Valente & Procopio imperium regentibus, tremefacta concussa est omnis terreni stabilitas ponderis; in Bithynia terræmotus Nicæam funditùs euertit, multæque partes Cerinæ vrbis Hellesponti conquassatæ ceciderunt. Imperantibus Iustiniano & Theodora, tales támque terribiles facti sunt terræmotus, quales nullus hominū memorabat in generatione illa super terrā effectos. Sub Constante, multæ Romanorum prouinciæ terræmotu, ventorumq; procellis afflictatæ sunt. Leone

sacras

sacras Imagines insectante, terræmotu vehementi multa templa, & domus Bysantij corruerunt, magna hominum multitudine ruinis oppressa. Ceciderunt & Nicomedia, & Nicæa Bithyniæ metropolis; alij & euenere terræmotus diuersas prouincias subuertentes. Regnantibus autem occidentalibus Imperatoribus, contraque Ecclesiam arma sacrilega vertentibus, non absimilia euenere; Henrico tertio Imperatore, Moguntia magnum horrendumque terræmotum præsensit; sub Henrico IV. tantus terræmotus subortus est, & ante inauditus, nam multæ Ecclesiæ & Ciuitates indè subuersæ sunt; sub Friderico Secundo, tanti terræmotus repentè orti sunt, vt in montibus Saluijs ad quinque hominum millia perijsse constet, cadentibus domibus, saxisque è cacuminibus montium inhabitatas conualles passim hinc indè ruentibus.

16. *Nicephorus lib. 10. Hist. Eccles. cap. 32.* Cùm Iudæi permissu Iuliani Imperatoris Apostatæ, templum Hierosolymitanum à fundamentis dirutum, reædificare vellent; vt venerunt ad eum locum, vt primum iacerent fundamentum, terræmotum ingentem ortum esse dicunt: & quòd vehementer ex eius concussione, ex ipsis fundamentis lapides eijcierentur; quo, aliisque prodigijs, multi Iudæi maximo correpti pauore, etiam inuiti, Christum verum Deum esse sunt professi.

17. *Bosquierus lib. 2. de finibus Malorum, & Bonorum conc.* VII. Tremuit terra, ab aliquot nuper annis, à proculcato Corporis Christi (vt quidam aiebant) Sacramento: qua de re, hoc numerale tùm pueri condebamus.

Aprilis sexto tremuit conterrita Tellus,
(Horresco) referens Ceuratis, acta noto.

In Terræmotibus, mirabiliter præseruati: aut ipsi diuinitùs repressi. §. 2.

CVm Admirabilis in prauorum iusta punitione appareat Deus, Admirabilior videtur, dùm in communi discrimine ædium, Vrbiumque ruina, iustos misericorditer saluat, sontesque innumeros iustissimè punit; omnesque vel quandoque Sanctorum precibus, à communi, qua inoluuntur clade, admirabiliter subtrahit. De quibus.

1. *Baronius in Annal. Eccles. An. 499. num. 13.* Cùm Neocæsareæ terræmotus aliquando futurus esset, miles quidam Ciuitatem ingressus, duos milites in illam abeuntes, & alium quemdam post tergum istorum clamantem vidit, ac dicentem: Seruate domum, in qua theca est Gregorij: & terræmotus factus est, ac maxima Ciuitatis portio prolapsa, domus verò Gregorij mirabilium patratoris, seruata.

2. *Osorius lib.* 7. An. Domini 347. Neocæsarea in Ponto terræmotu submersa est, excepta Ecclesia, ac Episcopo, cæterisque qui ibidem reperti sunt.

3. *Euagrius lib. 6. cap.* 8. Anno secundo Imperij Mauritij, terræmotus Antiochiam & sexaginta millia hominum perdidit. Perijt tùm simul Asterius Gregorij Antiocheni Episcopi persecutor, miraculosè seruato eius vrbis Episcopo.

4. *In Hist. Eccles. Rerum in orbe Gestarum.* Cùm An. Domini 1509. ex horribili terræmotu, qui diebus 18. continuis durauit, ferè tota Ciuitas Constantinopolitana cùm tredecim mill. hominum corruisset. Mirum accidit; cùm rueret sepulchrum Mahometi patris Baiazeti, maximis extructum impensis, multæque Turcorum sacræ ædes, quas sua lingua Meschetas vocant, collaberentur: Christianorum tamen templa illæsa manserunt, ingensque illa Sophiæ ædes nihil mali sensit, præter Turrim à Turcis post captam vrbem, templo in fine ornatus gratia annexam, quæ tota præcipitosa perijt. Sed & terræmotu illo calx, & cementum, quibus Beatorum Imagines post captiuitatem vrbis coopertæ fuerant, ita separatim ab Imaginibus ceciderunt, quasi arte noua iam primùm suo splendori essent redditæ.

5. *Idem in Iannuario.* Adhùc superstite S. Io: Chrysostomo, oborto ingenti terræmotu Antiochiæ, corruit ibi domus illa, in qua suum Marcionissæ conuentum egerant; & corruerunt aliæ plurimæ domus eorumdem Sectariorum, nulla læsa domo orthodoxorum.

6. *In vita S. Simeonis cognomento Salo.* Cùm esset aliquandò ciuitatem magnus inuasurus terræmotus, quo tempore cecidit Antiochia tempore Mauritij Imperatoris (tunc enim in orbem terræ habitabilem venit hic Sanctus è solitudine) arripuit hic Sanctus lorum è schola, & cæpit verberare columnas, & dicere vnicuique: Dixit Dominus tuus: Sta. Cùmque venisset terræmotus; nulla ex ijs columnis, quas verberauit, cecidit. Porrò autem venit ad vnam quoque columnam, & dicit ei: Tu verò neque cadas, neque stes. Et fissa est à superiori parte vsque ad infimam, parumque inclinata est, & sic mansit.

7. *Rogerius Anno* 1117. Mediolani eo anno semel conuenerant Viri ordinis Senatorij, & Patritiæ dignitatis, vt de Republica consultarent: & sub turri quadam consessus eorum habebatur; cùm ecce tibi, quemdam euocari audiunt, rogarique vt indè pedem festinatè efferat. Ille cunctabundus, haùd paruit statim; tùm verò intrauit Curiam vir, haùd in ea vrbe notus, & oratione graui hortatus est hominem, vt absque mora indidem egrederetur: Quo exeunte, turris excidit repentè (concussa illo horribili terræmotu, qui tunc temporis ferè totam Insubriam vastauit) atque alios omnes miserando exitu oppressit.

8. *In Hist. relat. de Legat. Regis Cinensis, de Vrbe Funai.* Cuiusdam Christiani nomine Sebastiani magna virtute præditi exigua domuncula, in qua Pater quidam Soc. Iesu in missione solebat sacrum missæ sacrificium facere, in medio multarum aliarum, quæ terræmotu, vt erant Gentilium, corruerunt, integra, & intacta remansit.

9. *In. m. s.* Cùm Anno Domini 1596. tota Insula Iaponis à tàm vehementi terræmotu quassata fuisset, vt ferè omnes Ciuitates, earumque ædificia cùm ingenti hominum mortalitate euersæ sint; stabiles tamen, & firmæ omnes Christianorum Ecclesiæ remansere, paucique ex recenter renatis in fonte Baptismatis periere, infinitis idololatris extinctis.

10. *Baronius An.446. ex Nicephoro lib.14. cap. 46.* Die vigesima quarta Septembris, imperante Theodosio, Constantinopoli terræmotus factus est magnus, & talis, qualis, nunquam antea factus fuisse commemoratur. Quo factum est, vt totus populus, vnà cùm Imperatore, & Patriarcha exierit extra vrbem in locum, qui dicitur Campus, propterea quòd sine cessatione aliqua erat illa terrarum commotio. Cùm igitur Imperator ipse Theodosius, & Proclus Patriarcha, & totus populus Litaniis & supplicationibus, diuinam opem implorarent: repentè puerulus quidam de media turba in aerem raptus est. Omnibus autem præ timore clamantibus, Kyrie eleison, descendit puer, & voce magna populum compellans, petit, vt Trisagion in hunc modum decantaret: Sanctus Deus, Sanctus Fortis, Sanctus & immortalis, miserere nobis. Quæ cùm dixisset, animam Deo reddidit, & terræmotus quieuit.

11. *Ferrarius in Catal.S.S.8.Ianuarij.* Cùm ad Comagenum oppidum apud Danubium, à Barbaris obsessum, venisset S.Seuerinus Abbas Noricorum, ac per medios hostes, nemine, quod mirum fuit, eum prohibente, neque interrogantè, ingressus fuisset, indicta ciuibus triduana pœnitentia, certam illis salutem pollicetur: Vrbemque ab obsidione, quam hostes post triduum, ingenti metu ob repentinum terræmotum perculsi, noctuque in se ipsos arma conuertentes, soluere coacti sunt, vt promiserat, liberauit.

12. *Vspergensis Abbas in Chron. An.527.* Tempore Iustiniani Imperatoris passa est Antiochia terræmotus magnos, & tempestates, & faciebant Litanias omnes discalceati, clamantes Kyrie eleison. Apparuit autem in visu cuidam Deicultori, vt diceret omnibus, quòd scriberent in superliminaribus suis: Christus nobiscum: State. Quo facto, stetit ira Dei.

13. *Guillelmus Gumppenberg in Atlanti Mariano lib.2. de Imagine B.Virginis de Scala Messana.* Illud admirationem etiam superat, quotiès quateretur Ciuitas terræmotibus, iamque nutantium ædium fundamenta vastis hiarent voraginibus: totiès circumlata populi anxiè supplicantis, religione sacra Imagine, formidinem omnium abactam, ciuesque à calamitate fuisse recreatos.

Finis Libri Tertij.



LIBER QVARTVS

De Admirandis circa Mixta.

EXaratis his, quæ circa quatuor mundi corpora simplicia, præter communem hominum captum, insitatumque causandi modum effecta, in admirationem sui omnes trahunt, iureque meritò Admirandorum nomen sibi vendicant; modò ad insitata, & rara, limitesque naturæ creatæ excedentia, quæ in Mixtis quandoque patrata fuere, greßum facio. Et primò dabo Admiranda, quæ generatìm omnibus conueniunt Mixtis; secundò, quæ cuiuscumque sunt propria.

CAPVT PRIMVM.

De Admirandis quorumdam mixtorum ex nihilo productionibus. Panis diuinitùs auctus, datus, ceù ex nihilo productus. §. 1.

LIcet quotidianæ mixtorum generationes, ex albo rerum verè mirabilium haùd reijciendæ sint, quia tamen, vt inquit S. Augustinus, assiduitate viluerunt, ideò quasdam sibi seruauit Deus, quas faceret opportuno tempore præter vsitatum cursum, ordinemque naturæ, vt non maiores, sed insolitas videndo, stuperent, quibus quotidianæ viluerunt. Huiusmodi sunt admirandæ quædam quorumdam mixtorum diuinitùs factæ multiplicationes, augmenta, ceù de nihilo productiones. De quibus.

1. *Cæsarius lib. 4. cap. 65.* Cùm Genardus Abbas timeret tempore magnæ famis, quæ fuit An. 1197. ne fortè annona pauperum antè tempus deficeret, & pistorem, pro eo quòd panes nimis magnos faceret, argueret; respondit ille; credite mihi Domine, in pasta valdè parui sunt, & in fornace crescunt; parui immittuntur, & magni extrahuntur. Retulit mihi idem Pistor, frater scilicet Conradus Russus, qui adhùc viuit, quia non solùm panes in fornace, immò etiam farina creuerit in saccis, & in vasibus, ita vt pistores omnes mirarentur, nec non & pauperes, qui indè nutriebantur. Dicebant enim, Domine Deus, vndè venit omnis annona ista?

2. *In vitis Patrum lib. 2. cap. 7. de Appollonio.* Orta est aliquandò fames apud Thebaidam. Scientes autem habitatores terræ illius, quòd Monachi, qui cùm Apollonio Domino seruiebant, frequenter etiam sine cibo per gratiam Domini pascebantur, omnes simùl cùm vxoribus, & filijs pergunt ad eum, cibum simùl, benedictionemque poscentes. At ille nihil dubitans, proferre cœpit ex his, quæ ad vsum fratrum reposita erant, & dare singulis copiosè. Cùm verò tres solæ panum sportæ remansissent, fames autem populos vehementer vrgeret, iubet proferri in medium sportas, quæ solæ superfuerant, vnius diei victum Monachis præbituræ, & in auditu totius populi, qui famis necessitate confluxerat, eleuatis ad Deum manibus, ait: Numquid non valet manus Domini multiplicare hæc? Sic dicit Spiritus Sanctus: Non deficiet panis in sportis his, donec satiemur omnes de frugibus nouis: & vt plurimi ex his, qui tunc in præsenti fuerant, confirmabant, quatuor continuis mensibus, nec cessatum est vnquam erogari panis ex sportis, neque deesse potuit aliquando. Similiter autem & alio tempore fecisse eum de frumenti, & olei specie perhibebant.

3. *Surius in vita S. Richardi Episcopi Cicestrensis 3. Aprilis.* Illud valdè est memorabile, quòd vnus panis eius benedictione adeò auctus est, vt cùm præter eorum, qui præsentes aderant, spem & expectationem, abundè refecta essent ad tria millia pauperum solitas portiones recipientium, tot fragmenta superfuerint, quæ pro ratione illius distributionis, centum insuper pauperibus cibandis suffecissent. Neque semel dumtaxat, aut bis, eius accedente benedictione, tanta facta est rerum augumentatio, sed sæpiùs, illo id præstante, qui aperit manum suam, & implet omne animal benedictione.

4. *S. Greg. libr. 3. Dial. cap. 37. de Viro Dei Sanctulo in prouincia Nursia.* Alio quoque tempore vehemens vbique fames incubuerat, & Beati Laurentij Martyris Ecclesia fuerat à Longobardis incensa. Quam vir Dei restaurare cupiens, artifices multos, ac plures subministrantes operarios adhibuit, quibus necesse erat, vt quotidiani sumptus laborantibus sine dilatione præberentur; Sed exigente eiusdem famis necessitate, panis defuit, cœperuntque laborantes instanter victum quærere, quia vires ad laborem per inopiam non haberent. Quod vir Dei audiens, eos verbis consolabatur, foris promittendo quod deerat, sed ipse grauiter anxiabatur intùs, exhibere cibum non valens, quod promittebat. Cùm verò hùc illùcque anxius pergeret, deuenit ad clibanum, in quo vicinæ mulieres pridiè panes coxerant, ibique incuruatus aspexit, ne fortè panis à coquentibus remansisset. Tunc repentè panem miræ magnitudinis, atque insoliti candoris inuenit: quem quidem tulit, sed deferre artificibus noluit, ne fortasse alienus esset, & culpam velut ex pietate perpetraret. Per vicinas itaque hunc mulieres detulit, eumque omnibus ostendit,

dit, ac ne cui earum remansisset, inquisiuit. Omnes autem, quæ pridiè panem coxerant, suum hunc esse negauerunt, atque panes suos numero integro se à clibano retulisse professæ sunt. Tunc lætus vir Domini perrexit ad multos artifices cùm vno pane, & vt Omnipotenti Deo gratias agerent, admonuit. Et quia eis annonam præbuerat, indicauit, eisque ad refectionem protinùs inuitatis, inuentum panem apposuit. Quibus sufficienter pleneque satiatis, plura ex eo, quàm ipse panis fuerat, fragmenta collegit. Quæ die quoque altero eis ad refectionem intulit, sed id quod ex fragmentis superrerat, ipsa quoque quæ apposita fuerunt fragmenta superabat. Factumque est, vt per dies decem omnes illi Artifices, atque operarij ex illo pane satiati, hunc & quotidiè ederent, & ex eo quotidiè, quod edi posset, in crastinum superesset, ac si fragmenta panis illius per esum crescerent, & cibum comedentium ora repararent.

5. *Ven. Beda in vita S. Columbani cap. 16.* Venit Beatus Columbanus ad Fontanas cœnobium, reperitque fratres sexaginta sarculo terram colere, & semini futuro confectum glebis aruum parare: cùmque vidisset eos magno labore glebas scindere, ait, sit vobis ò fratres à Domino collata refectio. Quo audito, minister ait, Pater mi, non sunt nobis ampliùs quàm duo panes, & parùm ceruisiæ; ille, vade indè, inquit, & defer hùc. Concito ille gradu perrexit, duosque panes, & parùm ceruisiæ detulit. Intuens autem cœlos Sanctus Columbanus, ait; Christe Iesu, vnica spes orbis, tu hos panes, & hunc potum multiplica, qui de quinque panibus, quinque satiasti millia hominum in deserto. Mira res. Satiati sunt omnes, potuque hausto, pro vt voluntas cuique fuit, dupla minister fragminum spolia recolligit, potusque duplicatam mensuram: sicque intellexit, plùs mereri fidem, digna diuini muneris lucra, quàm desperationem, quæ solet diminuere etiam collata.

6. *Pet. de Natal. lib. 1. cap. 33. de S. Nicolao Episcopo.* Quodam tempore, dùm vnicus solummodò panis in cellario repertus esset, operarijs in Ecclesia sua laborantibus apposuit; indèque planè omnes refecit.

7. *Idem lib. 7. cap. 113. de S. Seuero Abb.* In Monasterio suo, dùm panes defecissent, solos tres panes inuentos in aqua per frusta concisos adeò multiplicauit, quòd ex eis triduo 360. suos fratres refecit. Die verò quarta 300. tritici modios sibi apportandos esse prænunciauit; & sic Deo largiente, euenit.

8. *Philipp. Ferrar. Mense Maio die 22. de S. Humilitate Abbatissa ord. Vallis Vmbrosæ.* Benedictione, panem vnum ita auxit, vt distributus, satis omnibus monialibus fuerit.

9. *Ambrosius Righettus in mirac. Nominis Iesu.* Dùm S. Maria Ægyptiaca, Deo inspirante, anteactæ vitæ pœnitens, in desertum locum recessit, tres panes secùm tulit, qui per quadraginta septem annos, quibus in Eremo morata est, illi cibo fuerunt, semperque, licet illis continuò vesceretur, supererant.

10. *Chrysostomus Henriquez in fascicul. de S. Bernardo Caluonio.* Post aliquod tempus regio illa, magna aquæ penuria premebatur, sic, vt in Ciuitate Celsonensi, valdè parùm, in reliquis verò terræ partibus nihil prorsùs frumenti colligerent. Quare sollicitus Pastor, & Pater omne granum Episcopatus sui in vnum collegit, & emolliuit, & pane confecto, omnibus pauperibus in hunc modum distribuebat. Singulis diebus postquam finem sacro imposuisset, panes aliquot mensæ superpositos benedicebat, eosque diuidens, pauperibus erogabat, ita vt quamuis magnus pauperum numerus accessisset, semper tamen panis abundaret. Vndè facillimè collegit populus, quòd manus Dei panes illos multiplicaret. Impossibile enim erat, tàm paruo numero panis, tot pauperes alere, sicut in dies magis, ac magis ad S. Bernardum adueniebant.

11. *Idem ibidem de Ven. P. Ludouico de Estrada Hortensis Monasterij Abbate.* Semel innumerabili multitudini pauperum, qui ad eleemosynam petendam Monasterium adiuerant, paruos panes distribui iussit, qui quidem, licet singulis singuli panes erogarentur, ita multiplicati sunt, vt non solùm omnibus sufficerent, sed & abundè superessent. Nec solùm panis, sed & alius cibus multiplicatus est hoc modo, qui pauperibus erogabatur.

12. *Iocelinus in vita S. Vualleni.* Nondùm aduenerat autumnalis messis, cùm iam assumptis victualibus, pane deficiente, acriùs instaret mortis minax oppressio. Quod cùm innotuisset Abbati, exibat de more ad visitandum, & videndum, si quod remedium, vel leuamen famelicis ipse dare posset. Anxiabatur autem Spiritus eius in se, & in amaritudine morabatur oculus eius; quia non inueniebat ad emendum quidquam victualium, circùm circa pro quolibet pretio. Reperiens tandem salubre consilium, conuenit conuentum, humiliter obsecrans, vt illo die dimidiari pauperibus pacificè paterentur panem suum. Annuunt omnes animo libenti Abbatis voluntati. Secatur panis per medium; impletur cophinus; ad multitudinem deinde pauperum discumbentium taliter oneratus traditur: æquâ portione singulis panis cùm casei parte distribuitur. Hæc miraculosa distributio panis quotidie iterato miraculo, pauperes sufficienter recreauit, & vsque ad nouæ messis delibationem pascebantur. Hæc in pauperes Deus per Vuallenum. Sed in Monachos adhùc gloriosiùs. Nam cùm Conuentus adesset ad mensam cænaturus, inuenere singuli panes integros candidos, & recentes; quasi qui infirmis ministrabantur.

13. *In actis S. Contardi.* Panem trium vnciarum in multas particulas diuidebat S. Contardus nec nisi vnicam ex eis singulis diebus edebat. Porrò die Iouis Sancto id quod ei supererat, per miraculum adeò multiplicabat, vt pro numeroso Eremitarum, quos collegerat, grege sufficeret.

14. *Ioannes Maldonatus in vita B. Ioannis Orthega Presbyteri.* Pauperes quamplurimi diuersorium Ioannis de more frequentabant, & ecce dies quidam illuxit, in quo egentium haùd paruam turbam dispensator ob panis certè penuriam fame marcidam, dimittebat; id Ioannes intelligens ægre-

ægrèque ferens, dispensatoris incusata prouidentia, panarium, vt pertentaret iterùm mandauit, ille & tentasse, & discussisse, satis contendebat, ac eiurabat, sed vt instanti Domino satisfaceret, denuò totum dispandit, & dictu mirabile, plenum ad summum inuenit.

15. *Vincentius in Spec. Hist. libr. 26. capit. 39.* Vir quidam nomine Brunus de Mizeliano anno Domini 1139. cùm ad S. Iacobum profectus esset, pecunia deficiente, fame laborare cœpit; Sanctum igitur Iacobum implorans, die quadam sub arbore quieuit; ibi paululùm dormiens somniabat, quod S. Iacobus eum pascebat, euigilans statim, panem subcinericium ad caput reperit, de quo quindecim diebus bis in die sufficienter edebat, & altera die eumdem panem in saculo integrum inuenit.

16. *In vita S. Domitiani Eremitæ.* Visum est viro Dei, circa viam, sicut priùs cogitauerat, oratorium facere; & conuocatis discipulis, ait. Necesse est fratres, vt cum Dei Miserentis adiutorio incipiamus vnum circa viam ædificare Oratorium. Cui consentientes eadem die cæperunt fundamenta aperire, eaque alia die posuerunt. Ibi ex vicino conuocatis cœmentarijs, Oratorium non adeò modicum ædificare cœperunt. Sed adueniente famis inopia, quæ tunc temporis Galliam tenebat aliqua per loca, panis etiam defecit seruis Dei; & eorum cœmentarijs conductis. Quod vir Domini cernens, ait laborate fratres pro vt opportunum vobis videbitur, ego autem properabo ad sæculum, aliqua victui necessaria quæsiturus. Ascenso autem asello venit ad villam quæ vulgò *Torciodus* dicitur, atque dùm ex more homines loci illius in clibano pridiè panes coxissent, & ille prunas adhùc ignitas conspiceret: accliuis intuitus infrà clibanum, panem miræ magnitudinis, atque insoliti candoris aspexit, foràs cùm baculo extraxit, & cunctis incolis prædictæ villulæ ostendit, ne fortè alicui eorum in obliuionem venisset. Sed cùm nullus ex ipsis suum cognosceret esse, intellexit vir Domini, ab eo qui panis est viuus; suis esse cœmentarijs præparatum. Sicque continuò reuersus, eis obtulit, dicens: Accipite fratres annonam nobis à Domino præparatam, ex quo videlicet pane sexdecim Monachi, & quatuor cœmentarij, decem sunt pasti diebus affatim. Videbatur namque in eorum dùm frangeretur manibus crescere.

17. *In Actis S. S. Feb. tom. 3. in Contin. Bollandi.* Nobilis Domina cùm omni comitatu visitans S. Vlricum Eremitam, vno solo pane à Sancto Dei benedicto, lautè refecta est: ex cuius reliquijs turba virorum, non modica præ foribus adastans eum videre, & alloqui, & ab eo benedici quærens, satiatur; quadragenarium, vt ferebatur, numerum excesserunt.

18. *Ibidem in Martio tom. 1.* Quodam die venit ad S. Stephanum Abbatem Obazinensem in Gallia Cellerarius, & mesto vultu dixit ei: Nihil hodiè fratres manducabunt, siquidem hora refectionis vrget, & panes non habemus, quos reficiendis Fratribus apponamus. Tunc ille, vt ei solitum erat, oculis ac manibus in cœlum porrectis, altiùs suspirauit, tandemque conuersus ad Fratrem diffidentem, dixit ei. Ergo Frater, mensas vt solitum est, præparare festina: Et ecce dùm Fratres in ecclesia essent, subitò adsunt animalia panibus onusta, quæ fideles Viri inspirati à Deo, ad refectionem Fratrum ex vicino castro transmiserunt, vndè Fratres abundanter refecti sunt.

19. *Ibidem tom. 3.* Alio quoque tempore, cùm plures venatores irent venatum per Desertum, in quo manebat B. Tomassus Eremita Camaldulensis, pro vrgenti, & valida fame petierunt à Beato Tomasso aliquid ad manducandum, cùm vehementer esurirent. Seruus Dei eis respondit: In domo non est nisi vnus panis paruunculus, quem possum vobis largiri. Tandem dixit Pecciæ seruo suo: Festina, & mensam quàm citò pone; & sedentibus ad mensam decem illis venatoribus, B. Tomassus accepit panem illum, & signo Crucis benedixit, & fregit, deditque discumbentibus, & omnes manducauerunt de illo pane, quantùm voluerunt, & saturati sunt meritis B. Tomassi, & remanserunt fragmenta panis plùs quàm primò fuerat.

20. *S. Petrus Damianus lib. 8. epi. 10.* Venerabilis frater noster Richardus retulit hoc, quod dicturus sum, & sicut fama compererat, fideli prosecutione narrauit. Octo, inquit, inopes viri, in Hierosolymitano nuper itinere constituti, dum non haberent omninò, quod ederent, hebdomadam totam sine victualis alimoniæ perceptione transegerant: Cùmque iam diuturna macerarentur inedia, ac viribus effæti, longique itineris molestia tabefacti, iam penè deficerent, eosque nutantes, vix lapsabunda vestigia sustinerent; ecce canis obuius dentibus mantile trahebat, in quo panis velut in sacculo latebat inuolutus. Quem panem protinùs arripientes, cùm gratiarum actionibus alacriter se refecerunt: & in fortitudine cibi illius, octo dierum iter incessabiliter expleuerunt.

21. *In vitis P. P. lib. 2. cap. 9. de Patermutio.* Panem dominica tantùm die sumebat, & hunc diuinitùs delatum. Nam cùm oraret, surgens ab oratione inueniebat panem positum, quem nemo hominum detulerat. Hunc vbi cùm gratiarum actione sumpsisset, sufficiebat vsque ad alteram dominicam diem.

22. *Ibidem auct. Palladio lib. 8. cap. 111. de Abb. Elia.* Quidam Elias monachus probatissimus, propè Iordanem habitabat in spelunca; & cum esset vitæ honestissimæ, & in primis religiosæ, vacabat continentiæ, & orationi, omnes aduenientes benignè excipiens. Quodam ergo die, cùm complures fratres ad eum accessissent, erat enim illàc eis transeundum, ei panes defecerunt; iuransque affirmabat, dicens! Propemodùm sum exanimatus ob cibi penuriam; ingressus ergo cellam mœrore animi confectus, quòd nesciret quemadmodum in eos, qui aduentarant, impleret pro viribus mensuram charitatis, inuenit tres recentes panes illìc positos, quos lætus accepit, & apposuit. Cùm autem viginti viri comedissent ad satietatem, superfuit vnus panis. Eum autem cùm sustulisset, vsus est eo viginti quinque die-

diebus. Hæc Domini gratia facta est cùm hospitali Elia, cuius laborum remunerationes paratæ sunt apud benignum Dominum.

23. *Attonus Pacensis in vita S. Ioann. Gualberti cap. 68.* Vna mulier cùm tribus paruulis filijs, quorum vnum à dextris, à sinistris alterum ducens, tertium in humeris ferens, filijs, ac sibi victum circumquaque pergendo, quærebat. Quæ cùm ad hospitalem Sancti Saluij, eleemosynam quæsitura venisset, eamque Beatus Ioannes multiplicatam filijs, & depressam inopia cerneret, pietate motus, custodem hospitalis, Andream nomine, vocat, & iubet, vt aliquid mulierculæ largiatur. Ille verò, quem ægestatis copia valdè premebat, respondet, se non nisi panem vnum habere. Cui Reuerendus Pater, de eodem iubet mulieri pro Dei charitate, partem porrigere. Cuius iussioni minister obediens, ad furnum properat, in quo panem eumdem reposuerat, & vidit totum furnum plenum panibus. Qui valdè lætus effectus, ad illum redijt, sibique quod acciderat nuntiauit, meritis eius, id euenisse non dubitans. Quod Beatus vir audiens, dixit ei: Tace, & hoc nemini dicas, panem autem vt iussi petenti tribuas.

24. *Surius in vita S. Gregorij Papæ 12. Martij. lib. 4. cap. 98.* Libra, omnisque mensura, quam idem Beatus Gregorius instituit, cùm modio reseruatur. De cuius mensura, si quis ad opus Monasterij panes velit efficere, triginta, & quinque fiunt, singuli dumtaxat trium librarum. Si quis verò ad opus alterius, ad eumdem numerum nunquam pertingit. Quod cùm Zacharias Episcopus pro certo vellet addiscere, pro celebranda festiuitate S. Andreæ Apost. decem modiorum tritici mensuram pistoribus dedit, è quibus pro vndecim modijs, multiplicatos, obstupescentibus eisdem pistoribus, panes recepit. Qui vtique solicitè prius dinumerantes, si superfluos aliquot inuenissent, sibi procul dubio reseruarent.

25. *Idem in vita S. Iuonis 19. Maij.* Cùm iam ad mensam essent, & Vicarius dimidium panem apponere vellet, quæsitum diligenter eo loco, quo eum reposuerat, reperire non potuit. Ecce autem nutu Diuino muliercula quædam illicò adest, tres magnos apportat panes, offert eos Seruo Dei, & eius mensæ imponit, nec vltrà à quoquam videri potest. Alio die complures inopes ab eo stipem petiere: sed cùm non haberet nisi paucos panes, Diuino implorato auxilio, omnibus abundè satisfecit. Alio rursùs tempore cùm viro Dei non nisi vnus esset panis exigui pretij, & multi ad eum confluxissent pauperes, illo vno pane, diuina fauente gratia, omnibus fecit satis.

26. *Idem in vita S. Arnulphi Suessionensis Ep. 15. Augusti.* Quodam tempore cuiusdam pagi Ecclesiam dedicaturus, ait ad famulos suos: Tali, quæso, itinere ad eam ecclesiam nos perducatis, vt populus nesciat, qua venturi simus. Non nihil quoque alimentorum vobiscum feratis, vt fessa ex itinere corpora, possimus vel paululùm recreare. Itaque iter longinquum, & deuium arripitur, nec tamen potest ardor populi compesci. Breui temporis spatio grãdis ad eum multitudo confluit. Id cernens vir Dei, in Dei laudes erumpens, ait familiaribus suis, quidquid escarum habetis, proferte, vt post laborem, vires reparemus. Confestim exhibentur quinque panes monastici, quos vulgò crudas micas vocant, & totidem vini mensuræ, vt habet censura monastica: stratisque in herba tapetibus, vir Domini residet, profusa illum turba vndique ambiente; benedicit panes illos, paucos quidem numero, sed numeri mysterio multos, iubet omnibus præsentibus ex illis distribui, vinum quoque ad satietatem porrigi. Accidit tùm res admiratione digna. Namque panes illi, & vinum tàm abundè omnibus suffecere, vt se benè refectos, & abundè satiatos, faterentur. Et tamen præter Episcopum, & comites eius, illi, qui manducauerunt, ampliùs septingenti fuere.

27. *Gaufridus Abb. de Petro Archiepiscopo Tarentasia Legato in Gallias Alexandri Papæ ap. Baron. an. 1161.* Ingressus Monasterium Senonensis Diœcesis, quod Pruliacum dicitur, & in eo circa spatium mensis vnius infirmitate detentus, plurimis tamen ægrotis beneficia præstitit sanitatum. Et cùm maximus vndique, & vbique ad eum concursus fieret, populorum: Nolite, ait Sanctus ad Fratres, de victualium distributione moueri, dabit Dominus horreis vestris benedictionem, vt cognoscatis eius virtutem, qui pro beneplacito suo multiplicat, quæ pro sui nominis gloria erogantur. Sic audisse, sic credidisse, sic experimento tùm probasse se se testati sunt, per quorum manus conficiebantur panes, & distribuebantur: vt cùm vix viderentur duplicati posse sufficere, minor solito numerus abundaret. Semèl si quidem in hebdomada minùs coquebant in clibano, quàm cæteris mensibus ante solebant.

28. *In vita S. Dominici lib. 3. cap. 11.* Cænobij Procurator dolens quandoque retulit ad virum Dei, non nisi duos panes haberi in Monasterio, cùm magna esset fratrum multitudo. Ille panes iubet in minutas particulas scindi, easque benedicit, & de Dei benignitate confidens, dicit ministro, vt singulis fratribus duas, vel tres particulas apponat. Fecit hoc ille etiam secundò, & tertiò & panes augescunt: atque abundat plus, fratribus iam saturatis, quàm fuerat ad mensas illatum.

29. *In vita S. Vincentij Ferrerij lib. 3.* In quodam hospitio quindecim panibus supra duo hominum millia Vir sanctus refecit; parùmque vini, quod iam penè coacuerat, in optimum vinum mutauit, ijsdemque apponi iussit. Cernens autem hospes tàm insigne miraculum, humi se abijcit, & cùm magnis clamoribus omnibus qui aderant, remque ignorabant, quod gestum erat indicauit, nec potuit eum compescere vir Sanctus, quin omnes ad gratias Deo agendas hortaretur. Post cibum sumptum iussit B. Vincentius, vt hospiti iustum pretium solueretur; at ille nihil prorsùs recipere voluit, id solùm rogans, vt domui suæ, & cunctis in ea habitantibus vir Sanctus benè precaretur. Factum est ita, eùmque luce proxima hospes cùm coniunge ad oppidum proficisci instituisset, farinam vinumque empturus, cistam farina, doliumque vino suauissimo abundè plenum conspicit.

30. *Raymundus à Capua, in vita S. Catharinæ Senensis cap. 79.* Cùm iussu Vrbani VI. Romam proficisceretur S. Virgo Catharina, accidit, vt quadam die vix tantùm panis superesset, quantùm vèl quatuor hominibus sufficeret, & hora tardior non sinebat emendicare panes necessarios. Iussit autem Sancta Virgo apponi singulis exiguas panis eius particulas, donec Dominus prouideret; ac deindè se ad preces solitas recipit. Mira res! Sumunt tàm multi auidè exiguas illas particulas, & semper supererat quod ederent, nec id poterant absumere. Non immeritò stupent omnes, panem non solùm non minui, sed augeri etiam. Sexdecim viris abundè suffecerat, & reliquiæ fœminis cunctis adeò fuere satis, vt etiam largè eleemosynæ indè præstitæ sint egenis. Eiusdem modi miraculum fecit per S. Virginem Christus eodem anno etiam in Quadragesima. Post obitum etiam S. Virginis eius meritis quadam die paucissimi panes, qui quinque hominibus non suffecissent, adeò fuere multiplicati, vt ampliùs quinquaginta suffecerint, & reliquiæ in penuarium deportatæ sint. Crebrò etiam cùm adhùc viueret, eiusmodi miracula fecit.

31. *Leander Albertus de B. Iordano ord. Præd.* Contigit aliquandò, ipsum cùm duobus fratribus & laico Sacris initiato, dùm ex Italia in Germaniam contenderet, ad hospitium diuertere in Vico, cui nomen Vrsatia, in medio Alpium sito, vt cibum sumeret; iam enim hora, & labor diù protractus itineris montium, illos subinuitauerat: sed Caupone dicente, non esse, quod apponeretur, præter panes duos, iussit mensam apponi, demùm cæpit ex dictis panibus (priùs benedictione peracta) egenis, quibus plurimùm ea loca abundabant, partes multas elargiri. At Caupo, & fratres illi succensentes, priùs clauso ostio, ne ampliùs egeni ingrederentur, promonuere, affirmantes eo in loco dumtaxat panes illos inueniri posse, nec esse pro se, ac socijs sufficientes: quare nè sic erogaret illos, nè mox ipse cùm suis penuria cibi laborarent. Sed Viri Dei iussu, nec moti Cauponis verbis, sed fide, quam in Deum reposuerat, ianua reserata, introducuntur egeni: & vt priùs benedictionem accipientes, ita vt triginta partes viritim diuideret, adeò pingues, vt vnicuique abundè sufficerent: Nec propter hoc Virum Dei, & Socios, panis defecit. Quinimmò, & Caupo cùm vxore, & familia ex eo, qui residuus fuerat, abundè epulatus est. Quo viso perteritus Caupo, & virum Dei admiratus est, ac veneratus, & sine prandij solutione abire permisit. Quin etiam eum donauit vini lagenula, quam Socii secùm deferre consueuerant.

32. *In vita S. Aloysij Bertrandi.* Cùm præesset S. Aloysius Bertrandus Monasterio Sancti Honuphrii, propè Ciuitatem Valentiæ sito, accidit quadam die, vt dùm panis in loco de Museros nuncupato, pro fratrum vsu coqueretur; famuli pluuia retardati, eum adferre minimè possent: iamque prandendi tempus elabebatur, cùm Sanctus Dei seruus Fratri Iosepho Gacet, qui vices eius gerebat, vt nolæ pulsu Fratres ad mensam vocaret, imperauit; obediuit Iosephus, eique, cuius id munus erat, vt pulsaret iniunxit, cui ille quid pulsem inquit, si necessaria panis quantitas minimè suppetit, nec præter paucula frusta quicquam superest? quin potiùs panem mox à famulis adferendum expectemus? quod Iosephus intelligens, & maioris certitudinis ergo, oculari inspectione cognoscere volens, non nisi septem panis frusta adesse reperit, remque ad Bertrandum retulit, qui nihilominùs, vt ad mensam pulsari iuberet denuò præcepit, panem affirmans non defuturum. Quo peracto, cùm fratres, qui triginta ampliùs erant, pransuri conuenissent, omnes, mirandum dictu, de septem illis frustis comederunt, & saturati sunt, nec minor eo prandio panis quantitas, quàm solebat, assumpta est: tantùmque insuper panis superfuit, vt reliqui fratres, & famuli, qui secundo loco de more comedebant, affatim eo satiarentur.

33. *Petrus Malpæus in Palma fidei, de Fr. Andrea Martyre in Æthiopia.* Deficiente pane, religiosis ad eius iussionem mensæ accumbentibus, frusta perexigua benedictione illius adeò multiplicata fuerunt, toto vt mensis spatio, quod comederent, quodque pauperibus erogarent, largiter indè superesset. Quin etiam aquam in refocillationem maximi hominum concursus siti extrema laborantium, multiplicauit.

34. *Popilius Caccialupus in vita B. Margaritæ Picenæ.* Cùm B. Margarita Picena adhùc esset paruula, ad pascendosque greges à parentibus mitteretur, quadam vice apparuit ei CHRISTVS IESVS sub egeni peregrini specie, panem postulans, cuius miseratione mota pia Virgo, frustulum panis, quod ad sustentandam vitam ea die, à matre acceperat, ei benignè impertita est; Cùmque fame laborans, domum reuersa, panem à matre petijsset, factumque enarrasset, indignata est mater, pauperima enim erat, nec alium panem habebat. dixitque filiæ: Patere æquo animo famem, quam sponte voluisti: Hæc tamen dicens, capsam aperiens, panem magnum valdè, atque dulcissimum inueniens, frustilatimque diuisum, Margaritæ primùm, deindè domesticis, consanguineis, & vicinis tradens, qui tunc fortè, vt magis miraculum innotesceret, aderant, tanta repentè in dictorum omnium corporibus satietas, & dulcedo exorta est, vt deinceps Margaritam obseruarent, colerent, & venerarentur.

35. *In actis S. Andreæ Corsini Episcopi.* Cùm annonæ magna penuria esset, & pro eleemosyna ad eum conflueret magna multitudo egenorum, ipse quotquot panes domi erant, pauperibus erogauerat: cùm autem tantæ multitudini non sufficerent, iussit sibi vltra panes adferri. Ministri verò, qui sciebant, nec panem quidem sese in arcula dimisisse, defecisse panes Episc. nuntiauerunt. Qui iussit vt in arca attentiùs quærerent. Illi autem ne viderentur Episcopi iussa negligere, in penum reuertentes, panes in magno numero repererunt; Quam rem mirati, detulerunt ad Episcopum. Ille verò panes accipiens, pauperibus erogauit, vt in omnibus Saluatoris vestigia imitaretur.

36. *In vita S. Francisci de Paula.* Quadam die sustentauit tria millia hominum, qui ad eum visitan-

tandum venerant, vnico cophino panis, & paruo vini poculo; nec tamen ex vtroque aliqua diminutio apparuit. Alio tempore simile quid præstitit feruentissimæ orationis merito, nam è duobus panibus, quos in pera vxor Latomi cuiusdam occultauerat, alterum iussit produci, quem trecentis viris distribuit, cùm tamen integer deinceps in peram cùm altero pane immissus fuisset; quod miraculum & aliàs eius orationibus perpetratum fuit, vt in eius vita.

37. *Isidorus de Isolanis in vita B. Veronicæ lib. 2. cap. 19.* Celebri die Natiuitatis Dominicæ ieiuna perseuerans B. Veronica ex ordine S. Augustini, panem ab Angelo accepit. Deindè triennio delapso solo pane ab Angelo delato pascebatur. Cœpit autem Angelus Domini cælestem hanc alimoniam Virgini deferre celebri die S. Catharinæ Martyris anni ab Natali Christi 1493. Singulis autem diebus ieiunij, tùm vnico pane candidissimo, & recenti, mediocrisque magnitudinis ab Angelo delato Virgo contenta, cibum omnem fastidiebat. Sic egit Angelus Domini cunctis diebus vitæ eius, quibus imposterùm pane, & aqua simplici vescebatur. Hocce tempus triennio obitum Virginis præcessit. Testabatur Veronica vnico pane Angelico quamquam mediocri, magis se saturatam, quàm si quatuor communiores panes desumpsisset. Aliquandò autem duplicatum panem accipiens, alterum ægrotanti Thadeæ dedit, quem comedens, illicò conualescere cæpit.

38. *In actis S. Euthymij Magni 20. Ian.* Cùm benignè hospitem excepisset, nec esset alimentum, vocat Domitianum, cui ab eo fuerat credita illius Lauræ dispensatio, & iubet vt eis mensam apponat. Cùm is autem proferret egestatem, & respondisset, se ne vnius quidem diei Fratrum habere alimentum, ille eo fretus, qui viduæ copiosum suppeditauit nutrimentum propter abundantiam bonæ eius voluntatis, iubet Domitianum ire ad arcam panariam; scies enim, inquit, quid sibi quidem velint humanæ cogitationes, quid autem diuina possit gratia dispensare, ac prouidere præter opinionem. Ille verò cùm statim cessisset, & accessisset, (oh inesplicabilia tua Christe miracula) inuenit diuina quadam & sapiente prouidentia domum pane adeò plenam, vt ne facilè quidem esset, parùm aperire ostium, vt quòd prohiberetur propter eam, quæ intùs erat multitudinem. Cùm ergo alios quoque Fratres vocasset, & vnà cùm eis ostium euertisset, videt ea quæ erant intùs, nempè quamdam, quæ narrari non potest, panum multitudinem, & magnam quoque vini, & olei copiam, & omninò conuenientem Euthymij egregiæ in dando beneficentię.

39. *Beda in vita viri Dei Cuthberti cap. 7.* Semel famulus Dei Angelum, quem pauperem credebat hospitio recepit; Hic tempore refectionis disparuit. Stupefactus ergo vir Dei, & secùm quærens de facto, reposuit mensam in conclaui. Quod ingressus, continuò obuiam habuit miri odoris fragrantiam: circumspiciens autem, vndè esset orta tanta odoris suauitas, vidit iuxtà positos tres panes calidos insoliti candoris, & gratiæ, pauensque, talia secùm loquitur; cerno quòd Angelus Dei erat, quem suscepi pascere, non pasci veniens. En panes attulit, quales terra gignere nequit. Nam & lilia candore, & rosas odore, & mella præcellunt sapore: vndè constat, quia non de nostra tellure orti, sed de paradiso voluptatis sunt allati. Nec mirum, quòd epulas in terris sumere respueret humanas, qui æternæ vitæ pane fruitur in Cœlis.

40. *In vitis P.P. de S. Onuphrio.* Quotidiè Angeli ei panem & aquam deferebant, vt corpus illius confortaretur, & non deficeret.

41. *In vita S. Pauli primi Eremitæ.* Sexaginta annis quotidiè dimidij panis fragmentum, Coruo ministrante, è cælo accepit S. Eremita; quem integrum in aduentu Antonij eisdem detulit Coruus, militibus suis Christo duplicante annonam.

42. *Rader. in Virid. de S. Phosterio.* Angelus erat, qui huic quotidiè certo quodam loco certa quadam dispẽsatione panem seposuit; quòd si vnus, alterue, aut tres, pluresue religiosi fratres peregrè aduenissent, totidem panes eodem in loco per se reperiebantur.

43. *Ordericus Vitalis lib. 6. Eccles. Hist. de S. Ebrulpho.* Ministro iusserat, vt panis dimidium, quod solum remanserat, pauperi distribueret: Erogato itaque à S. Ebrulpho pane pauperi, ecce ante Solis occasum quidam clitellarius astitisse præ foribus cellulæ visus est, pane, & vino sufficienter onustus. Qui verò eum adduxerat, dicens se feneratorem esse, ministrum aduocauit. Cui tradens quæ detulerat ait. Vade frater, & da tuo Abbati: quo dicto, velut iter accelerans, equum ascendit, festinusque abscessit. Cùmque Pater personam Datoris requireret, responsum est ei quanta celeritate discessisset. Intellexit ergo hæc sibi à Deo delata fuisse, & exhilaratus spiritu, gratias egit pietati eius immensæ, qui multiplicat misericordiam suam seruis suis, & reddit plura pro paucis. Ab illo verò die nunquam defuit illis quod poscit vsus humanæ fragilitatis.

44. *Ferrarius in Catal. S. S. 2. Maij de S. Antonino Episcopo Florentiæ.* Cùm petenti, panem dari iussisset, diceret autem custos, tres tantùm panes extare, vade, inquit S. Episcopus, & diligentiùs arcam scrutare: quam, cùm iuisset, pane refertam candidissimo reperit.

45. *Idem ibidem de S. Nicolao Tolentinate.* Semel pane à Sancta Dei Genitrice, D. Augustino, comitante, refocillatus est; ex quo, panes in die eius festo, qui panes S. Nicolai dicuntur, benedicendi quotannis mos processit.

46. *In vita B. Zitæ Virg. Lucensis.* Dùm quadam vice prolixiùs solito post matutinas orationi incumberet, illuxit claritas ipsa diei, quod dùm Zita percepisset, oratione finita, apud seipsam vehementer est verita, reminiscens videlicet, quòd deficiente pane in domo domini sui, sibi eodem mane panum confectio incumbebat; ad quod quidem horam nouerat præteriisse, rediensque festinantiùs domum, cœpit velle intendere præstantiori modo operi supradicto. Sed accedens ad arcam inuenit

nense panes decentissimè factos, quibus delatis ad clibanum concito gradu redijt, gratias cùm timore, & pudore suæ dominæ matri-familias relatura, quam existimabat panes confecisse prædictos: qui tamen cælitùs facti fuerant, sicuti postea signo certo certiùs est compertum; dùm disquisitione præhabita diligenti, nemo mortalium repertus est, qui confecisset eosdem.

47. *In actis B. Roberti Salentini*. Cùm quadam vice inter pauperculos fratres B. Robertus Deo apud cœnobium S. Crucis famularetur, contigit accumbentibus ad mensam fratribus, panem deficere, cuius ob defectum Cœnobitæ in murmura resoluti: vir Deo fidens, ad illos conuersus placido, & tranquillo, vt esse solebat vultu, dixit: iactate amici cor vestrum in Domino, cùm eoque voluntariam inopiam sectamini, statim namque vobis compatiens ipse, necessaria quæque larga manu suppeditabit; dixit, & vix finem verbis imposuerat, cùm ecce homo facie rutilans triclinium intrat, pulcherrimos, recentesque panes pro edentium numero singulis singulos hilariter, & iucundè porrigit.

48. *In actis S. Agnetis Politianæ*. In monasterio castri Proceni semel deficiente pane totaliter, & adueniente hora, qua sorores cibum sumere deberent, ancilla Christi mensam apponi iussit, & Sorores omnes sedere, ipsaque pariter sedit ad mensam; cùmque eos ad patientiam hortaretur, illæque se disponerent ad herbas crudas, siue quodlibet aliud quod Dominus daret, sine pane cùm gratiarum actione sumendum, Virgo deuota suis filiabus compatiens, materno affectu paulisper intra se orauit Dominum, & finita oratione magna cùm hilaritate, in altum respiciens, manusque leuando, quasi aliquid recipere vellet, porrigens, subcineritium panem traxit ab aere. Quem super mensam declinando ponens, post gratiarum actiones, inter omnes diuisit, sicque totum collegium satiauit, ac si tota mensa panibus plena fuisset. Similia huic prodigia in alijs sororum necessitatibus operata est pia Virgo.

49. *In vita S. Guillelmi Politiensis Eremitæ*. Antrum semel ingressus est Gonati, cùmque in sequentem diem orationem produxisset, manè dùm exire cogitat, ostium niuibus obstructum offendit, aditumque omninò præclusum. Illic diutina fame penè cruciabatur, nisi ad viatoris cuiusdam vocem prodijsset, qui iumentum onustum panibus ducens, cùm seruum Dei vidisset, orauit vt cibum ab se susciperet. Guillelmus gratijs actis, cùm panes in antro expositurus ingrederetur, statim deindè regressus, neminem reperit, cognouitque Deum fuisse largitorem.

50. *In vita Ven. Idæ Louaniensis*. Panis, quem in mensa Ven. fœmina quotidianis vsibus expendebat, quodam tempore per aliquanta dierum spatia sic vltra naturalem vsum in edentium oribus, & manibus excrescebat, vt non videretur comedendo diminui, sed quotidianis distributionibus, & pauperum erogationibus augmentari.

51. *In vita B. Luchesij tertij ord. S. Francisci*. Cùm semel ad illius domum multitudo pauperum confugisset, rogauit vxorem, vt ijs panem daret; quæ cùm nihil in arca remansisse assereret, iussit iterùm, vt in arca panes quæreret; fecit illa animo tamen incredula, & arcam diuino munere panibus exuberantem inuenit.

52. *Surius in Nouembri*. S. Homobonus, cùm egenis dedisset eos, quos in arca panes repererat ad quotidianum familiæ vsum, totidem in ea suauiores, & similagineos vicissim à Deo accepit, admirante vxore, questa nimiam alioqui eius benignitatem.

53. *Idem 5. Augusti in vita S. Dominici*. Cùm Romæ apud S. Sixtum centum fratres cùm S. Domino sub Euangelica degerent paupertate, die quadam missi sunt ab eo duo Fratres, Ioannes Calaber, & Albertus Romanus, vt eleemosynam peterent. Illis à mane vsque ad tertiam frustra laborantibus, & iam reuertentibus, accessit quædam mulier, deditque eis vnum panem dicens: Nolim vos prorsùs vacuos redire. Eo accepto, vir quidam pauper rogauit obnixè, vt darent ipsi eleemosynam. Cùm se illi excusarent, illeque instaret, dederunt ei panem. Redeuntibus factus obuius Dominicus per reuelationem actorum gnarus, iucundo dixit vultu: Iam nihil habetis filij? Narrant ei vt euenerant omnia, aitque vir Sanctus ad eos, Angelus Domini is fuit; & Dominus pascet seruos suos. Eam oratum. Egressus indè ab Ecclesia, iussit fratres ad prandium adesse. Post quorumdam hæsitationem, quod deesse scirent alimoniam, tandem omnibus signo dato aggregatis. Sanctus vir mensæ benedixit. Cunctis sedentibus ad mensam, legi cæptum est, & vir Dei Dominicus iunctis manibus orationi se dedit. Et ecce duo formosissimi adolescentes, panes candidissimos singulis singulos, ab infirmis incipientes, apposuerunt: Statimque se omnium conspectui subtraxere. Dixit autem vir Dei: comedite panem vobis missum à Domino.

54. *Vadingus in annal. Min. ann. 1215. num. 2. de S. Francisco*. In Burgo S. Donini per nobili castro in via Æmilia, aliquandò Palauicinorum ditionis, propè splendidum olìm D. Columbæ cœnobium, à Federico II. post cladem ad Parmam acceptam, excisum, alio ei prouisum miraculo. Cùm etenim ad fratrum domicilium cùm pluribus socijs, qui de reditu in Italiam gratulabundi ei obuiam procedebant, accederet, nec erat vndè eis prouideretur de pane, dùm nullus fratrum incolarum refectioni superesset; iussit vir Dei vt architriclinus canistrum, in quo reponi panes solebant, respiceret: facit iussus, quod alias in vanum fieri putabat, & inuenit plenum pane recenti, quod antea absque vllo vacuum non semel probauit. Sancti Patris virtutem filij agnoscentes, reuerentes, & hilares, panem è cœlo ministratum manducauerunt, Deum glorificantes, qui talem dedit hominibus potestatem.

55. *Ibidem, & in vita S. Francisci*. Cùm in Syriam nauigaret S. Franciscus Assisinates, obque maximas tempestates præter statutum tempus protractum esset iter, tota in naui necessaria defecit annona, præter parum panis, qui cœlitùs ab Angelo in

gelo in cibum Sancto Confessori delatus fuerat; facta igitur à Sancto oratione, omnibus nauigantibus distribuit panem, durauitque mirabiliter multiplicatus, quoadusque portum tenuerunt.

56. *Ibidem An.1251.num.9.de S. Clara*. Vnicus erat in Monasterio panis, cùm iam instarent & fames, & hora edendi. Vocata itaque sorore Cæcilia de Spello dispensatrice, iubet Sancta panem diuidere, partemque fratribus mittere, partem intùs pro sororibus retinere. De quo retento dimidio, iubet quinquaginta fieri iuxta dominarum numerum incisuras: & eis in mensa paupertatis apponere. Cui cùm deuota filia responderet, necessaria hìc fore antiqua Christi miracula, vt tàm modicum panis quinquaginta reciperet sectiones: respondit mater, & dixit; Fac filia securè quod dico. Properat filia matris implere mandata, properat mater ad Christum suum pia cùm filiabus destinare suspiria. Crescit interea diuino munere, inter frangentis manus, parua illa materia: & cuilibet de conuentu sua extitit portio copiosa.

57. *Ibidem Anno 1211. num.22.de Ioanne Monaldo*. Assisium venit ad primum generalem conuentum de quo in Galliam discessurus; cùm alijs triginta fratribus, cùm iuberet sanctus Pater Franciscus, vt priùs pranderet, dixit architriclinus vnicum sibi esse panem. Ne verò ieiuni abirent, misit vir Sanctus ad Sanctam Claram, qui peteret aliquot sibi mitti, si supererant Monialium necessitati. Illa verò ex tribus, quos habebat, duos misit. Quos simùl cùm domestico pane cùm accepisset B.Pater, suis manibus fregit, deditque cuique suum frustulum dicens: Comedite fratres, iste est panis charitatis. Mirum, comederunt illi ad satietatem, & magnum postea impleuerunt cophinum deijs, quæ supererant fragmentis.

58. *Ibidem Ann.1448.num.8. de Ven.Petro Regalato*. Accidit vt multa niue sepultis semitis, nihil delatum sit, quod manducarent sodales. Architriclinus sub meridiem monuit non suppetere quod apponat, horam autem reficiendi instare. Iussit ille, vt solito tintinnabuli pulsu Religiosos conuocaret, & cùm fiducia accederent, diuinam probaturi circa ipsos prouidentiam. Ita factum; sed vacuis dùm accumberent mensis, ecce orante Præfecto, pulsatur ad ostium, apparetque caballus pane onustus, & obsonio, nullo ducente, neque monente, vnde ista aduenerint. Fert omnia ianitor in cænaculum; sed regressus, neque iumentum vidit, neque quò recesserit, potuit explorare, nullo inter niues apparente vestigio.

59. *Ibidem An.1456.n.115.* Matthæus à Montalone Alpes transiturus, repentina correptus niue, in speluncam se abdidit, vbi per biduum hærere opportuit, nil habens, quod manducaret. Niues effundere cœlum non desistebat, nec spes vlla erat subsidij. Orauit iugiter S.Franciscum, vt sibi addictissimo in tanta succurreret necessitate, neque inanes preces effudit; quippe recentes panes ante se positos admirabundus conspexit. Patefacto itinere, domum rediturus, acceptique beneficij gratias acturus, montem Aluernæ conscendit, vbi omnium primus Bernardus ostiarius occurrit; salutauitque dicens: Benè venias Domine Matthæe, quales tibi visi sunt panes Alpestres? Obstupuit ille rem nemini prædictam, Bernardo fuisse manifestam, reque Fratribus communicata, iudicarunt omnes, eum à Deo reuelationem accepisse, vel panem eius ministerio esurienti subministratum.

60. *Ibidem Anno 1450.de B.Ioanne Capistrano*. Media hyeme ibat Florentiam, cùmque omnia niuibus essent cooperta, dubitabant Socij, quò tenderent, quidue manducarent? Quibus ille: ne timeatis, Deus non derelinquit timentes se: sed dat illis escam in tempore opportuno. Paululùm progressi, viderunt iuuenem panes aliquot niueos afferentem; sed neque vndè venerit, nec quò abierit, perspexerunt.

61. *Gonzaga de Prouincia S.Francisci, de Conuentu Sancti Bartholomæi propè Fulgineum: de Francisco Brixiensi*. Agebat semel insignis hic Pater Cæsiensis eremitorij Guardianum, magnaque fames conuicinos populos inuaserat, quapropter pauperum multitudo, aliquid panis acceptura vt famelico ventri satisfaceret, ipsum morosiùs præmebat, vrgebatque: ipse verò nihil magis exterritus, inuicto pectore quicquid ad manus habere poterat, illis liberalissimè erogabat. Cùmque die quadam nihil panis fratribus ad reficienda corpora pænitùs reliquisset, sed quantùm ex mendicatione acquisierant, id totum pauperibus distribuisset, ad orationem illicò confugit, tantùmque panis cęlitùs immissi ab omnium largitore suis precibus impetrauit, vt sibi, fratribus, ac etiam confluentibus egenis longè suffecerit.

62. *Idem in Prouincia S.Angeli; de Conuent.S. Mariæ de Valle aspera ad Tesam.* Contigit hoc eodem in Conuentu, vt obsessis copiosa niue itineribus, fratribusque panis inopia laborantibus, atque diuino persoluendo officio diligentiùs intentis, canistrum candidissimis panibus refertum, nullis interim alicuius personæ vestigijs niui impressis, iuxta ostium à ianitore nihil minùs cogitante inueniretur.

63. *Idem de prouincia S.Francisci, Conuen.40. Sancti Bernardini apud montem Francum*. Pertransiens semel B. Pater Bernardinus de Senis oppidum, cui mons Francus nomen est, fami satisfacturus, bucellam panis à paupercula quadam muliere ex charitate petijt, qua respondente, compati se quidem illi, sed quòd id minùs præstet, panis penuriam, qua laboraret, in causa esse; subiecit, audacter peteret arculam, & si quid residui foret, sibi erogaret. Cuius dictis annuens pia mulier, arcam, quam non ita ante multum temporis vacuam reliquerat, panibus refertam inuenit, atque ex illis quantum Beato Patri sat fuit liberaliter tribuit.

64. His similia refert idem auctor de Prouincia S.Ioseph. In Conuentu Conceptionis S. Mariæ Petrosi, & alibi sæpè.

65. *Zachar.Bouerius in Annal. Capuccin.Ann. 1532. de F. Ludouico Rhegino*. Romam profecturo, Dux Nuceriensis eius cubicularium dedit. Hic

Hic cùm pedester aliquandò cùm Fratribus per deserta loca iter faceret, longo itinere defatigatus, penè inedia conficiebatur: cum ad Ludouicum ait: Pater mi: En fame pereo. Cui Ludouicus, sustine (inquit) tantisper fili, donec ad proximum nobis oppidum deuentum sit, vbi cibo recreari poteris: neque enim ab oppido longè aberant. At ille vix aliquantulùm viæ processerat, cùm linqui animo, ac viribus cœpit deficere. Quamobrem Ludouicus erga virum pietate commotus, vbi tantisper flexis genibus orauit: F. Angelum à Calamnia his vocibus compellat; Quid moraris Angele? Panem cubiculario è pera eroga, quo labentes vires refocillare queat. Cui Angelus; Heù Pater, ait, nihil omninò est panis in pera: quod enim reliquum erat, totum hesterna die consumptum fuit. Tantùm crede Fili (inquit Ludouicus) diligentiùs intuere, & panem procul dubio reperies. Paret confestim Angelus: tametsi nullum in pera panem superesse, ipso rei experimento, certum apud se haberet; Nam cùm primum illud Cubiculario deliquium accidit, frustra totam perã diligentiùs perlustrauerat, nùm aliquod saltem panis frustulum, quo is refocillari posset, in ea lateret. Iterùm tamen, vt Ludouico obtemperet, manticam explorat. Quid plura? Geminos in ea panes recentes, è cœlo allatos, haùd absque summa admiratione offendit, ac Cubiculario contribuit: quibus ille refectus, tàm celeriter viribus conualuit, vt nulli planè dubitandum sit; quin ij è Cœlo Angelorum ministerio allati, ac Ludouici oratione à Deo impetrati, cęlestem virtutẽ nacti fuerint. Quo sanè Deus, & Ludouici Pietatem commendare, & quam Diuinæ prouidentiæ potiùs, quàm pecuniæ fidendum sit, non obscurè indicare voluit.

66. *Idem ibidem An. 1537. de eodem F. Ludouico Rhegino Calabro.* Cùm is semel in Thurij noui Conuentu, eo tempore, quo needùm ad Capuccinos migrauerat, præesset: accidit aliquandò, vt sub prandij horam nihil Fratribus panis prorsùs ad refectionem comparatum esset, quod eleemosynarij negligentia acciderat: Quamobrẽ cùm prandij hora iam elapsa, refectionis signum minimè ederetur, Ludouicus, Angelum à Calamnia refectorij Præfectũ accersens, ab eo causam percunctatur. Cui Angelus; Panis (inquit) ob Eleemosynarij incuriam, ad prandiũ deest. At Ludouicus oculis tantisper in cęlum erectis, cùm breuissimo temporis spatio orasset, ad Angelum conuersus. Festina (inquit) Angele in Cellarium, panemq; quem in Panario reperies, in mensa appone, vt Fratres refectionem sumant. At Angelus, frustra ait, Pater, ibi panis quæritur, cùm ego ipse panarium à fragmentis mundatum, pane vacuum reliquerim. At Ludouicus; Vade, fili, ne cuncteris: age quod iubeo. Ille verò, vt iussum potiùs impleret, quàm quòd panem à Panario se accepturum speraret, ad Cellarium contendit. Quid plura? Panarium calido, ac recenti pane refertum reperit: obstupescit, exclamat illud à Deo miraculum esse. Quem Ludouicus mox increpat, silentiumque illi, præcepto imposito, indicit: panem ille mensæ apponit; ac pauperum turba eo die pane è cœlo allato reficitur. Simile prodigium eius precibus euenit, cùm iam ad Capuccinos transisset, Guardianique munere fungeretur in Conuentu Rhegij.

67. *Idem ibidem An. 1539.* In conuentu Beuoloni Episcopi Veronensis ditioni subiecti, qui non multo post tempore, ob puriorem Regulæ obseruantiam, quæ propter oppidi inopiam, ac profusam Episcopi liberalitatem, in discrimen vocabatur, relictus fuit; diuino plane miraculo, Deus benignissimus Fratribus testatum esse voluit, quantam, erga suos sollicitudinem gereret. Nam cùm semèl tàm copiosa è Cœlo nix cecidisset, vt nullo pacto Fratres, pro quotidiana victus mendicatione, oppidum adire possent: nihilque in conuentu superesset, quo Fratrum familia aleretur: vnà omnes ad Domini penum confugientes, velut Christi pauperes, effusis precibus, à Deo stipem efflagitant. Deus autem, qui volucres Cœli pascit, & dat escam pullis coruorum inuocantibus eum, filiorum non immemor, his annonam prouidit. Nam sub refectionis horam; cùm ianuæ tintinnabulum pulsatum fuisset, accurrens Ianitor, apertisque foribus; saccum calido, atque albo pane, ad os vsque refertum conspicit: Cùm verò, qui eum attulisset, ne vestigijs quidem in niue impressis, quæ nulla apparebant, vllo pacto deprehendi potuisset; Id Fratres diuinæ liberalitati, atque Angelico ministerio, quo Deus verè pius, verè misericors, ad subleuandam suorum pauperum inopiam, vti voluerat, tribuentes: vnanimes cælestis muneris largitorem maximis gratijs, ac laudibus ex imo pectore haustis, prosequuntur.

68. *Idem ibidem Anno 1540.* Diuinæ Benignitatis exemplum hoc anno in Schij Conuentu Venetæ Prouinciæ, qui longiùs ab oppido distabat, pius Dominus suis declarare voluit. Etenim cùm fratribus alta niue obsessis, via aliquandò penitùs interclusa esset, qua ad consuetam panis mendicationem ad oppidum pergerent: iam consumpta annona, quæ quotidiana ferè tunc mendicatione quærebatur; magni Patris familias, Dei nimirùm, ianuam Fratres orationibus pulsant. Eo verò manum aperiente, qui dat escam omnibus in tempore opportuno, dùm adhùc Fratres in oratione perstant, panis calidi, ac recentis odor in Conuentu persentitur. Quo cùm omnes obstupescerent, atque vndè is emanare posset, ignorarent: quam odor sibi viam parauerat, explorantes, Corbem calido, ac recenti pane refertum, in Refectorio reperiunt, quem cum è cœlo, Angelico ministerio, missum non dubitarent, ea cælesti annona Christi pauperes refecti, ac saturati, Dominum laudant, qui suos in necessitate non deserit. Id verò magis, tùm admirationem, tùm Diuinæ liberalitatis beneficium auxit; quòd panis deinceps nunquam in Corbe diminutus fuit, quoad niue cessante, aditus illis ad mendicationem pateferet.

69. *Idem ibidem Anno 1554. de Fr. Bernardino Astensi.* Cùm semel cùm socio iter faceret, & vterque inedia affligaretur, neque vlla illis esset rerum prouisio; ad fontem, qui illis tunc primùm in via se obtulit, accedentes, panem pergrandem ibi reperiunt, qui vtrique ad integram refectionem fuit satis. Cœterùm vt cælestem illam escam esse agnoscerent à Deo profectam, eo pane tam

mirè satiati sunt, vt vsque ad tertium diem nulla alia refectione indiguerint. Hoc prodigium aliàs eidem accidit.

70. *Idem ibidem* 1558. *de Fr. Aegidio Turriano.* Hic dùm in Perusino Conuentu Guardiani onus subiret; sæpè cùm pauperculo quodam Lanifico colloqui solebat; quem cùm ad pietatem instrueret, inter alia, eleemosynam illi in pauperes commendabat. Hæc vir ille ad pietatem procliuis, haùd sibi animo excidere passus: quotidiè obolum pauperi erogabat: ex quo cùm rem familiarem sibi in dies augeri animaduerteret; copiosiorem quoque ipse eleemosynam, iuxta facultatum copiam, egenis largiebatur: Deo verò liberaliùs se erga illum habente, cùm vsque adeò illius opes excreuissent, vt ex famulo, Lanificij operis caput, ac mercator euaderet. Hoc tempore accidit; vt ob anni sterilitatem, ingens penuria totum Perusinum agrum occuparet, quæ huius Viri pietatem permouit, vt maiorem, atque ampliorem in pauperes munificentiam ostenderet: Hoc enim tempore, cùm maxima pauperum turba quotidiè ad ipsius domum conflueret, is cunctis absque discrimine, panem, & vitæ necessaria ministrabat. At verò Satan tantæ Viri pietati inuidens; vxorem commouit, vt sub prudentiæ, ac discretionis prætextu Viro persuaderet, vt nec tàm diffusè, nec indiscriminatim, sed quodam habito delectu, pauperioribus, atque ijs, qui maiori necessitate premerentur, eleemosynæ distribuerentur. At Vir, qui Dei beneficia in se collata, sibi altè animo infixerat, vxorem ab ea cogitatione, quam Satanæ consilium atque artem appellabat, prioris paupertatis memoria, reuocare conatur. Cùm verò illa in sua animi sententia perstaret; Quid contentione opus est? (inquit.) Tu tibi saccum pane refertum sume; eumque prudenter, iuxta tuæ discretionis regulas, distribue: Ego alterum æquæ magnitudinis, egenis meo sensu distribuam: tùm quæ melior, meane, an tua sententia sit, rei exitus declarabit. Re ita composita, cùm mulier maximo cùm consilio, ac circumspectione panem suum paucis erogaret: Vir contra cunctis absque delectu poscentibus suum tribueret; Dei virtute factum est, vt Mulieris sacco breui consumpto; Viri panis, nec post diuturnum tempus in sacco deficeret. Quo miraculo vxor stupefacta, Viro protinùs consensit; liberaliorque ipsa in pauperes euasit. Id cùm Vir ille Ægidio retulisset: Vides (inquit Ægidius) quàm te Deus erga pauperes liberalem esse velit; cùm tàm liberaliter munificentiam tuam erga pauperes remunerat.

71. *Idem ibidem Anno* 1580. Hoc tempore Lucas Cauanagus, Nobilis Mediolanensis, cùm plurima erga Capuccinos pietate afficeretur, eos etiam copiosis eleemosynis substentabat. Accidit verò, vt Conuentus Mediolanensis eleemosynarius, hoc anno, ob maiores quasdam familiæ necessitates, ab eo singillatim panem postularet: cui cùm Ancilla respondisset, nihil panis, præterquam quod in cæna apponendum esset, in domo superesse. Statim Lucas: Da (inquit) eleemosynario, quicquid in domo panis residui est: nobis alius in cœna parabitur. Paruit Ancilla, nihilque in domo panis relictum fuit. Interea dùm Ancillæ panem aliundè in vesperum parare è mente excidit, ad cœnam ventum est, quo tempore illa animo confusa, cùm Pistorem adire nox ipsa prohiberet: ad arcam panariam pergit, in qua panem non tantùm ad cœnam, sed etiam ad diem posteram superesse conspicit. Quod cùm Lucæ Domino retulisset: is Diuina liberalitate perspecta, cùm impensiùs Domino gratias egisset, pristinam erga Capuccinos Fratres pietatem auxit.

72. His similia accidisse narrat idem Bouerius Anno 1552. in Conuentu Bugellæ Agri Vercellensis, Item Anno 1553. in Conuentu Leonissæ, Guardianum agente Vener. Fr. Matthæo à Bascio. Anno 1554. Tipherni in Conuentu eorumdem Fratrum. Anno 1556. in Conuentu Potentiæ, quæ vrbs est in Lucania. Anno 1569. in Conuentu S. Brigittæ Montiscalerij. Anno 1570. in Genuensi, & Mediolanensi Prouincia. Anno 1574. in Conuentu Viniolæ, quæ Lucaniæ oppidum est; & alijs temporibus, alijs in Conuentibus, vt diffusè in ijsdem Chronicis.

73. *Idem An.* 1578. Siciniani, cùm Io: Antonius Maffæus ampliorem quandam panis eleemosynam aliquando nostris Frat. erogasset, vxor ad arcam panariam reuersa, eorumdem panum multitudinem, in ea haùd diminutam offendit.

74. *Idem Anno* 1579. *de Frat. Francisco à Fusciano.* Id verò in Foroliuij vrbe illi singulare fuit: quòd cùm is pane per Vrbem in pauperum vsum emendicato, duos saccos impleuisset; pauperibusque, qui tercentesimum numerum excedebant, in Ecclesia congregatis, geminos cuique panes manu sua distribueret: id sua apud Deum charitate meruit; vt qui vel tertiæ parti haùd sufficere posse credebantur; diuina adeò virtute aucti fuerint; vt sua cuiq; panum portione dispertita, saccus etiamnùm pane plenus superfuerit. Atque, vt Dei in eo luculentiùs virtus, ac liberalitas eluceret; paucis ex ijs, qui superfuerant panibus sibi in manica repositis, cùm indè per vrbem incedens, nulli pauperum panem denegaret, tot sibi in manica panes hoc tempore, quot subleuandæ pauperum necessitati necessarij essent, à Deo multiplicatos sensit. Denique, vt paruulorum, per id tempus sustentationi prospiceret, collecta puerorum egenorum turba, eos per singulas diuitum domos alendos dispertitur; atque hoc pacto, & egenorum necessitati, & diuitum saluti, æqua charitate consulebat.

75. *In actis S. Franciscæ Romanæ.* Cùm in Monasterio ageret, iam oblata, contingit aliquandò, vt sororibus, tunc numero quindecim sub refectionis horam, panis paruula solùm fragmenta, quæ vix tribus reficiendis sufficiebant, esse cognosceret; quamobrem, cæteris valdè sollicitis, sola ipsa immota ad Dominum orauit, positisque fragmentis super mensam, benedixit, & comederunt omnes, agentes gratias Deo, ac saturatæ sunt, tantùmque panis superfluit, vt canistrum impleretur.

76. *In Annal. Seruorum cent.* 1. *lib.* 2. *capit.* 12. Cùm S. Philippus Benicius Aretij moraretur, accidit quadam die, vt qua hora Fratres prandere debe-

deberent, nec frustulum quidem panis adesset; quare iniquam Fratrum, & Filiorum sortem miseratus vir Sanctus, Deo Omnipotenti humiles in Ecclesia coram immaculatæ Virginis Imagine preces effundere cœpit, quibus vix finem dederat, cùm strepitus ad ostium cœnobij auditur, Angelus enim Dei duos ibi calathos suauissimorum panum detulerat, quos Architriclinus paratæ iam mensæ summa omnium lætitia superimposuit; vndè refecti P.P. ingentes Deo, & Beatæ Virgini gratias egerunt.

77. *Ioseph Sylos in Hist. Cleric. Reg. Par. 1. lib. 1.* Præerat Insanabilium Nosocomio Neapoli Soror Maria Laurentia Longa, ex tertio ordine S. Francisci; cùm panis, aut temporis difficultate, aut administrorum nescio qua indiligentia defecerat: cœptumque, iam appetente prandij articulo, ægrotantium incommoda ab ea inopia metui, maximè quòd haùd facilè erat inspicere, vndè subsidium peteretur. Cùm ecce tibi duo ad fores clitellaria iumenta, pane, eoque lectissimo, onusta; cùmque nec quis ea duxerit, nec quis annonam miserit, sciri omninò potuisset; constans apud omnes fama increbuit, cœlum ipsum liberalitate, penuque sua vsum in pauperes.

78. *Franciscus à S. Maria in Histor. Carmelit. tom. 1. lib. 1. cap. 55.* Anno Domini 1563. Abulæ in Conuentu S. Iosephi Carmelitarum discalceatarum, cùm illi præesset M. Maria à S. Hieronymo, quodam die omninò defecit, qua Moniales vescerentur, annona: & ecce dùm gratias agerent Deo, propter sanctam paupertatem se tales angustias pati, mirabiliter, licet nocturno tempore, ad Monasterium accessit, qui duos panes, parumq; casei afferret, quibus veræ filiæ paupertatis fuerunt diuinitùs recreatæ.

79. *Idem ibidem tom. 1. libr. 1. cap. 38.* Fratri Benedicto à Iesu Maria ex Carmelitis discalceatis maxima siti laboranti, Angelus Domini, sicuti Eliæ, panem, & aquam, quibus reficeretur deportauit; mortuus est in Ciuitate Paterniana An. Dom. 1614.

80. *Idem ibidem tom. 1. lib. 5. c. 14.* Quodam tempore in Conuentu Vallisoleti cùm hora consuetę refectionis duo solùm panes reperirentur, præcepit Prælatus, vt diuisi omnibus distribuerētur Religiosis, qui ferè triginta erāt; quod factum; & post refectionem integrum canistrum fragmentorum repertum est. Alia vice cùm nec frustulum panis, quo reficerentur Religiosi in eodem Conuētu reperiretur, omnes in Refectorium conuocauit Prelatus, eosque ad tolerantiam, firmamq; spem in Diuinis promissis, hortabatur: & ecce statim ad fores Monasterij saccus candidissimo plenus pane ab incognito iuuene delatus est, quo recreati sunt Fratres.

81. Hoc itidem accidit in Conuentu Paterniano, & non semel, sed pluribus vicibus, vt enarrat idem Auctor lib. 2. cap. 37. Qui insuper eiusdem Diuinæ prouidentiæ, benignæque liberalitatis in suos, mirabiles sparsim in sua Historia enumerat casus.

82. *In vita Ven. Camilli de Lellis lib. 3. cap. 11.* Cùm aliquandò in eius Domo Neapolitana centum essent minimùm personæ, neque in ante meridianum tempus satis esset panis, iamque hora instaret prandij, contulit se Curator triclinij ad Camillum, indicauitque, panem ad prandium non sufficere, & simùl quæsiuit, nùm placeret, vt signum daretur ad prandium. At ille in Domino confisus; ite, inquit, & date signum prandio. Quod licet satis alienum ministro appareret, iuit tamen ad præstandum obedientiæ munus; & ecce dùm manum funi campanulæ ad pulsandum admouet, alteram audit pulsari campanam, & vi quidem magna ad ostium extraordinarium, per quod scilicet curribus, & iumentis datur introitus: quò profecti, deprehendunt à Proregina Comite Beneuentana missum famulum cùm multis baiulis, frumento, & pane albissimo onustis, è quibus panibus tamquam à Diuina prouidentia missis, voluit Camillus suas partes communicari omnibus alijs Patribus, & Fratribus, tàm qui in Nouitiatu, quàm qui in Nosocomijs demorabantur.

83. *Paulus Carpenterius in vita B. Bernardi Ptolomei lib. 2. cap. 10.* Cęlestes Angeli humanam præseferentes imaginem, B. Bernardo Ptolomæo Congregationis Oliuetanæ Conditori, panem in deserto subministrabant, cùm deessent herbæ, vel olerum radices.

84. *Ioseph Sylos in Hist. Cler. Reg. par. 1. lib. 7.* Neapoli cùm Præpositum ageret S. Caietanus, quadam die, prandij hora appetierat, cùm Caietano renunciatur, præter vnicum cibarium panem, nihil esse omninò Domi, quod Patribus apponeretur; Visus tunc ille de animi, orisque tranquillitate nihil prorsùs remittere; ac dari nihilominùs consuetæ refectionis signum iussit. Itum in cœnaculum, cùmque vnà Patres discubuissent, institutæ paupertatis eos monere, deque eximia eius laude, & collocanda in Deum spe, disertè perorare. Nec plura: interloquendum, pulsata domus ianua, dùm accurritur, reperti lectissimi panes: quis verò importauerit, repertus nemo; putandumue, illum eumdem è cœlitum numero iuuenem fuisse, qui aliàs indigentibus necessaria suppeditauit.

85. *Idem ibidem.* Cùm Præpositum ageret Neapoli Ven. noster Ioannes Marinonius, bis deficiente pane, nulla aut modica annona domi existente, dùm discumberent iam Patres, insperatò ac diuinitùs, panis, nec non secundarius suppeditatus est. Quod & pluribus innumerisque alijs vicibus alibi nostratibus contingit, suppeditante è cælo Deo annonam ijs, qui pro eius amore voluntariæ strictæque paupertatis voto ei se adstrinxerant; vt pluribus in locis refert idem Author.

86. *Idem in vita Vener. Francisci Olympij Cl. Reg. lib. 1. cap. 20.* Cùm moraretur Ven. P. Olympius ex nostris in Æquensi domo, panem aliquando à quodam fratre laico petijt, quem infirmæ, piæque fœminæ mitteret. Ille, cui communis cænatio curæ erat, se quidem promptum, inquit, sed sciret haùd esse tantum domi panis, qui Patribus sufficeret, apertoque armario, vbi seruari consueuerat, conciliauit dictis fidem. Instare nihilominùs Franciscus, vt impertiret; fore nimirùm, vt à munifica perindè ac mirifica charitatis manu excresceret panis. Ergo dedit; clausitque quod diximus armarium: quod deindè vespere, instructurus de more cœnaculum,

culum, dùm aperit, defixus admiratione est. Enimuerò supra quos paulò ante reliquerat panes, septemdecim alios reperit; multiplicata videlicet annona, vti Olympius adpromiserat.

87. *In vita Ven. Hieronymi Aemiliani Congreg. Somaschae Fundatoris lib. 4. cap. 2.* Cùm in Arce Somaschæ moraretur Vener. Hieronymus Æmilianus, vnà cum ferè quadraginta socijs, defecit panis, ita vt solùm tres, quatuorue reperirentur, nec facilis erat ad conquirendos accessus, ob nimiam fœdam hyemis tempestatem, quæ tunc maximè obriguerat. Ad orationem igitur confugiens vir Dei, eos panes sibi afferri iussit, in frustula diuisit, signo Crucis signauit, mox ita omnibus distribuit, vt longè omnibus cælestem gratiam impertiens, non modò ad satietatem sufficerent, sed abundè etiam superfuerint: frustula huius panis diuinitùs multiplicati post multos etiam annos asseruata fuere, ad depellendas infirmitates mirifica.

88. *Seraphinus Bertolinus in vita S. Rosæ Peruuianæ cap. 25.* Defecerat in paterna domo S. Rosæ de S. Maria Peruuianæ panis, melque (condimentum illis in regionibus continuò vsu adhibitum) cùm ecce S. Virgo ad cælestem Patrem confugiens, illicò arcam candidissimo pane repletam, vasque dulcissimo mele refertum mirabiliter reperit: Angelicoque ministerio è cœlo deportatum esse, euentus demonstrauit, diù etenim, licet continuò vsu consumeretur, durauit.

89. *In Chron. S. Augustini.* B. Thomas Ariminensis ord. S. Augustini, cùm semel panem pro Fratribus capitularibus Ariminensis monasterij emendicatum, pauperibus distribuisset; grauiter à Superioribus obiurgatus est; at ille facta oratione, arcas candidissimo pane subitò refertas inuenit, quo prodigio gratias Deo omnes egere.

90. *Ibidem.* B. Christiana oppidi S. Crucis in valle ad flumen Arnum ord. S. Augustini, non semel panem, vinumque ad sororum necessitates diuinitùs multiplicauit.

91. *Bozius de signis Ecclesiæ lib. 12. cap. 21.* Ioannes Ataidius Franciscanus, bis cùm foret arca inanis, eam precibus quantùm sufficeret toti suorum conuentui alendo, repleuit.

Eadem Admiranda in Frumento, & Farina.
§. 2.

ADdam consimiles admirandos effectus, qui in Frumento, & Farina, aut multiplicatis, aut diuinitùs datis, euenere. Sunt autem.

1. *Ven. Beda in vita S. Columbani cap. 16.* Cùm moraretur penès Luxouium S. Columbanus, semelque ob frumenti exiguam copiam, horreum haùd repletum esset, fratribusque necessarium panis alimentum deficeret, mirabiliter diuina virtute operante, nocte quadam frumento multiplicato, horrea repleta sunt.

2. *S. Greg. Dialogor. l. 1. c. 9. de S. Bonifacio Episc. Ferentino.* Mater illius, die quadam horreum ingressa, penè omne triticum, quod sibi in stipendium totius anni præparauit, inuenit à filio suo pauperibus erogatum. Cùmq; semetipsam alapis, pugnisq; tunderet, quòd quasi anni subsidia perdidisset: Superuenit Bonifacius, puer Dei, eamque verbis, quibus valuit consolari cœpit. Quæ cùm nihil consolationis admitteret, hanc rogauit, vt ab horreo exire debuisset, in quo ex omni eo tritico, parùm quid inuentum est remansisse. Puer autem Dei se se illic protinùs in orationem dedit. Qui post paululùm egressus ab horreo, matrem reduxit, quod ita tritico plenum inuentum est, sicut plenum antè non fuerat, cùm mater illius totius anni sumptus se congregasse gaudebat. Quo viso miraculo, compuncta mater iam ipsa cœpit hortari vt daret, qui sic celeriter posset quæ petijsset accipere.

3. *Greg. Tur. lib. 1. de gloria Martyr. capit. xi.* Monasterium est valdè magnum in Hierusalem, non modicam habens congregationem in quodam loco. Deuotio populi sæpè plurima confert, verùm etiam Imperatoris iussu ibi non minima largiuntur. Accidit autem quodam tempore, vt pro penuria egestatis, valdè eis victus necessaria deficerent. Congregatio itaque garrula Monachorum, cùm vna atque alia die refectionis alimoniam non caperet, vociferantur ad Abbatem, dicentes, largire cibos, aut permitte discedere vnumquemq; in locum, quo vitam propagare possit: alioqui nec te consulto abscedimus, ne pereamus fame. Hæc ijs dicentibus, ait Abbas, oremus fratres dilectissimi, & Dominus ministrabit nobis cibos: nec enim potest fieri vt deficiat triticum in eius monasterio, quæ frugem vitæ ex vtero pereunti intulit mundo. Quibus vigilantibus nocte tota, ac psallentibus, mane orto ita reperiunt cuncta horreorum habitacula repleta tritico, vt vix vel reserari ostium posset. Accepto autem cibo, gratias egerunt Deo.

4. *Halloix in vita S. Polycarpi c. 8.* Cùm Daphnus Episcopus, apud quem hospitatus fuerat S. Polycarpus, suam victus penuriam, & exiguam sementem, amicè, & familiariter ei exposuisset, atq; illi doliola sua tantùm non vacua ostendisset; tùm diuino impulsus spiritu Polycarpus, immissa in hæc manu, in Nomine IESV CHRISTI, inquit, vtere. Cuius dicti ea vis atque efficacia fuit, vt frumentum ex ea hora sic multiplicatum fuerit, non modò vt ad sufficientem domus alimoniam, sed ad sementem quoque faciendam, immò & ad stipem pauperibus conferendam, abundè superesset.

5. *Lippellous in vita S. Antonij Episc. 12. Febr.* Nono die postquàm defunctus fuerat S. Antonius Magnus Episcopus, cùm in eius gratia pauperibus alimenta præberentur, certusque frumenti numerus distribueretur, cùm iam mille pauperes (quibus omnia, & numero, & mensura assignata erant) vniuersa assumpsisse putabantur, ecce tres cophini remanserunt, quæ nulla largitate exhauriri poterant; immò quantò crescebat pauperum numerus, tantò etiam alimentorum copia.

6. *Io: Colg. in vita S. Fechini 20. Ianuarij.* Cùm ad pium Patrem quodam tempore hospites venissent, & penuria cogente quid eis apponeret, non haberet, Deum suppliciter orauit, vt qui pullis coruorum eũ inuocantibus prouidet, necessitatibus illorũ prouideret. Cuius preces misericors, & miserator Dominus mox exaudiuit, & abundantiam frumenti, butyri,

butyri, & lactis largiter propinauit: His ergo donis à largo datore munerum datis, gratias Deo referens, hospitibus suis secundùm indigentiam eorum largiter ministrauit.

7. *Idem in vita S. Maedoci 31. Iannuarij.* Quodam die Oeconomus S. Mochuæ Lothræ venit ad S. Macdoc, dicens; parùm frumenti habemus, seminabimus illud, an dabimus fratribus? cui Sanctus respondit; multum seminate, & sufficienter distribuite fratribus. Ille ait, quomodo potest hoc fieri? homo Dei ait, quod modò habetis, non deficiet in seminando, & comedendo, donec panis vobis veniet de terra. Et sic factum est iuxta vaticinium viri Dei.

8. *In Bibl. ord. Præmonstrat. libr. 2. in vita B. Henrici Abb.* Frumentum, quod pauperibus distribuebat, sæpè multiplicatum reperit; immò messis tempore, triticum magno omnium stupore ad mensem vnum præcocius, vt pauperum indigentia subleuaretur, maturatum est.

9. *Surius in vita S. Eutychij Patriarchæ Constantinopoli. 6. Aprilis.* Cùm fames grauissima Amasεæ regionem occupasset, non mediocre periculum erat; etenim cùm ex horreo totum esset frumentum exportatum, custos non ferens flagitantium impetum, ad S. Seleucum, vrbis Episcopum, accessit, horreique claues reddidit: Non est, inquiens, frumentum in horreo, & efflagitantis populi multitudinem ferre non possum. Acceptas claues vir Sanctus in lectulo suo posuit, & per totam noctem, vt solitus erat, precari Deum non destitit, vt admirabilem potentiam suam ostenderet, qua populum suum alere posset, ac sustentare. Postridiè igitur manè, cùm ad S. Episcopum de more religiosissimi Clerici venissent, ipse ad custodem: Accipe, inquit, claues frater, & subueni pauperum necessitati. At ille rursùs iureiurando affirmauit, nihil in horreo esse frumenti. Cùmque obstinatus in incredulitate perstaret, ad Clericos conuersus vir magnus: Benedictus, inquit, Dominus: abite cùm illo, & cognoscite, vtrùm vera dicat, nec ne. Cùm autem abijssent, & vellent ostium aperire, vix potuerunt introire præ frumenti multitudine. Manet autem ad hunc vsque diem inscriptum testimonium, centies mille frumenti modios ex horreo S. Seleuci precibus, exportatos.

10. *Idem in vita S. Marcelli Abb. 29. Decemb.* Monasterij horrei Præfectus Malchus, qui frumentum suppeditabat pistoribus, postquam vniuersum ferè consumptum fuerat, (sufficiebat enim, ne ad totos quidem decem dies, & necesse erat fame perire Monachos) accedit ad præclarum Marcellum, & ei renunciat frumentum esse consumptum. A quo audiuit, vt faceret quæ consueuerat, & hoc ei nulli esset curæ. Ille arbitratus, eum sperare alicundè soluendam esse inopiam, absque vlla solicitudine suppeditauit, sicut consueuerat. Quinque deinceps dies præterierunt: & cùm nihil euenisset eorum quæ sperabat, rursùs dicit, & ei causam reuocat in memoriam. Audit verò eadem. Post autem aliquos alios dies, cùm non multùm abesse videretur, quin esset vniuersum consumptum, illę quidem rursùs accedit conturbatus: Marcellus verò statim accedens ad horreum, parturiens id statim implet, & incipit parere: & quod est admirabile, & omnem superat rationem, quandiù dictus quidem Malchus metiebatur, frumentum videbatur diminui, & minari futuram mox egestatem. Cùm autem postridiè ingrederetur, eadem magnitudo erat, & idem cumulus: & apparebat perindè, ac si ne parùm quid ablatum esset pridiè. Quòd verò hæc non esset deceptio oculorum, fidem facit tempus. Tandiù enim frumenti fuit hoc admirabile augmentum, & acceptio, quandiù mansit grauis illa & infinita fames.

11. *In actis S. S. de S. Theodosio Cœnobita apud Bollandum 1. Iannuarij.* Querebatur Marcianus, apud quem hospitatus fuerat S. Theodosius, eo quòd defecerat triticum, vndè panem, quem hospiti apponeret, non habebat: tunc admirabilis Theodosius defixis oculis in barbam Marciani, vidit granum frumenti, quod nescio vndè ceciderat; & illinc sustulit hilari, & cauta dextera, & dixit: Ecce frumentum. Quomodò ergo dicitis vos egere frumento? Et hoc quidem ab eo dictum, vel etiam factum fuerat lepide, & iucundè. Ille autem cùm granum, tamquàm egregiam aliquam, & præstantem sementem, supinis manibus accepisset, id ponit in horreo frumenti, credens eam sine labore multùm fructus allaturam, & esse superaturam agricolarum industriam. Id autem ei accidit longè ampliùs, & copiosiùs, quàm sperabat. Nam cùm sequenti die esset horrei ostium aperturus (ò arcana tua Domine miracula) videt quę intùs erant plena fructibus; qui re vera prouenerant absque agricultura, aut potiùs cùm agricultura solius orationis. Cùm ergo nihil esset in eo cunctatus Marcianus, statim mittit vnum ex suis discipulis ad magnum Theodosium, ei significans mirum & ineffabilem rei euentum, & simùl ad admirabilis spectaculi societatem eum vocans. Postquàm ergo is quoque venit, ostium quidem erat parùm apertum, frumentum autem à se ipso extrudebatur, cùm non posset horreum capere multitudinem, & sic ex eo permultùm forâs effundebatur.

12. *Ibidem in actis S. Iuliani Episcopi Conchensis 28. Ian.* Confluebat ad poscendam stipem magna inopum turba. Antistes Elesmum famulum iubet quibusdam frumentum elargiri. Negat ille, vel granum superesse. Ductus egentium commiseratione Episcopus, rursùm famulo præcepit, vt granarium reuisat, & vel solum verrat, vt tantillum colligat. Famulus qui Domini sui sanctitatem norat, mandata exequitur, & granaria ingressus, reperit tritico referta, vndè & præsenti indigentiæ, & alijs necessitatibus, occursum est. Conflictabatur aliàs pari frumenti inopia vrbs Conchensis. Ad fontem misericordiæ supplicabundus accedit Iulianus. Continuò longus ordo iumentorum frumento onustorum in vrbem ingreditur, ducente nemine, & rectâ ad ædes Episcopi properat. Is demi iumentis iubet onera. Quæsitum diù, sed frustra, quis eam annonam submisisset, Erat nimirùm cœlitùs suppeditata: & Deo soli acceptam ferebat Iulianus.

13. *In actis S.S. tom.2.Mar.in Cont. Boll.* Quo tempore maxima fame affligebantur populi Camerinenses, S.Episcopus Ansouinus, eos liberali manu necessario prouidebat alimento; cùmque quadam die iam horreis euacuatis, quid daret non haberet, præcepit seruis, vt verrentes horrea, quidquid, licet parum, repererint, darent, quod & fecerunt. Hocque factum satis digna retributio secuta est, nam regredientes post hæc, ea quæ funditùs exhausta reliquerant horrea, plena repererere, ipsa procùl dubio cooperante manu, quæ olim in desertis locis. ex quinque panibus, quinque millium hominum satiauerat turbas.

14. *Ibidem tom. 3.* Oratione S. Lupicini Abbatis Iurensis Monasterij in Burgundia, triticum, quod Fratribus alendis quindecim solis diebus sufficiens erat, vsque ad trimestre, donec seges noua succurreret, mirabiliter indeficiens, auctumque redditum fuit.

15. *Ibidem in Martio tom.1.* Magna laborabant tritici penuria fratres Monasterij S. Stephani Abb. Obazinensis, ita vt vix ad tres dies frumentum haberent; iussit tamen S.Abbas, & pauperibus de illo distribui; & ecce dùm timetur quotidiè illius tritici defectio, interim Deo tribuente, & sancti viri fide cooperante, excreuit, & vsque ad tempus messionis, quod longè aberat, tàm Fratres, quàm pauperes panes indè, pro vt ratio temporis permittebat, sufficienter habuerunt.

16. *In vita S. Ioannis Abbatis Reomaensis cap.5.* Quodam famis tempore, dùm egentium caterua ad Sanctum conflueret, & ipse omnibus misericorditer subueniret; minister eius superueniens, ei indicauit, tantùm non superesse frumenti, quantùm omnibus sufficeret. Mox prius Pater, vas iussit pauperibus impleri, capiens plùs minùs modios quinquies quinos, cætera, quæ restabant, in vsus fratrum reseruari. Cùm ergo turba egenorum per aliquot tempus ex eo aleretur, euenit, vt quidam iuxta morem mendicaret. Sanctus autem consuetam mensuram dari iubet egenti: Minister verò respondit, nihil in vase existere: sed totum pauperibus erogatum. Quo audito, Sanctus oculos in Cœlum attollit, & genuflexo orauit Dominum. Qui surgens ab oratione, iubet Ministro, vt fidenter alimenta deferat egenti, pergens ergo minister, vas, quod priùs vacuum reliquerat, repletum reperit, & pauperi consuetam mensuram dedit.

17. *In vita S.Thomæ à Villanoua.* Cùm horreum, frumento pauperibus à S.Episcopo distributo, penitùs vacuum esset, repentè diuinitùs plenum repertum est.

18. *In vita S.Gherardi Modœtiensis Confessor, cap.3.* Cùm Italiam magna annonæ caritas obsideret, egentibus omnia distribui iubebat; addidit eleemosynario, vt nulli petenti, frumentum, aut vinum negaret; risit seruus, quia domus vtroque carebat; tandem iussus horreum adire, plenum tritico inuenit, adeò vt aperire fores vix posset; ad vini dolia se confert, & vino plena diuinitùs deprehendit.

19. *Surius in Iunio in vita S.Simeonis Monachi Treuirensis.* Fame oborta in Ægypto, ob quam in sola Ciuitate Babylonia centum amplius millia Ciuium emigrauerant, Monachis à Præside Cœnobij facta erat potestas abeundi, sed hi deliberarunt intra claustri septa degere, donec in horreo triticum superesset. Res mira: Superfuit vsque ad nouas fruges, & tamen quotidiè, non ipsis Monachis modò, verùm etiam numero magno Arabum, alimenta suppeditauit, qui cum coniugibus, & liberis Monasterij limen frequentabant.

20. *Idem in vita S. Elzearij Comitis capit.21. 27.Septemb.* Cùm frumentum omne absumptum esset, & pauper quidam frumentum peteret; præcepit ille cuidam fœminæ, quæ granarii claues habebat, vt illi frumentum daret. Illa dicente, nihil prorsùs superesse, fidenter ait: Ito, & diligenter inquiras: fortassis quippiam reperies. Abit illa, tametsi non nesciret, nihil illic remansisse, vt satisfaciat hero suo: & ecce tantùndem in horreo frumenti reperit, quantùm seruari iusserat Elzearius in vsus necessarios familiæ suæ. Stupet igitur ad rei insperatæ conspectum, dat pauperi quod petebat, citòque indicat rem omnem Domino suo. Ille verò mox ad iusiurandum eam adigit, nunquàm eam cuiquam rem ante ipsius obitum indicaturam. Sed ea tamen diù cælari non potuit, quòd plures è familia iam scirent, frumentum omne exhaustum fuisse. Porrò Sanctus iuuenis, frumentum, quod illis mutuò dederat, etiam dono dedit; Christi amore nihil prorsùs ab eis repetens. Eius simile quiddam accidit alio tempore habitatoribus Ausoisij, & totius Baroniatus, propter famem & annonæ caritatem. Ducentos enim frumenti sextarios Dei amore partìm dono, partìm mutuo dedit, solùm necessarium suæ domui frumentum sibi retinens. Sed cùm sub messem pauperes hinc indè ad eum venirent, & frumentum peterent, iussit dari è suo, quod sibi seruarat. Dicente familia, nihil in horreo remansisse, nihilominùs præcepit, vt irent, & accuratè inquirerent, darentque pauperi cuidam importunè petenti. Abeunt illi, & tantam frumenti copiam inueniunt, quæ vsque ad importatas segetes nouas abundè, non solùm familiæ, sed etiam egenis sufficeret. Quod autem quibusdam mutuò dederat, id eis donatum esse voluit.

21. *Attonus Pacensis in vita S.Ioannis Gualberti cap.35.* Dùm hic Venerabilis Pater à visitandis aliis Cœnobiis regrederetur ad suum, memor plurimæ indigentiæ, quam multos premi cognouerat, introiens Monasterium, dispensatorem familiç nomine Goffredum, & fratrem Rusticum Procuratorem Monacum ad se vocans, ait. Inspiciamus horreum nostrum quomodo se habeat, quod tunc reperit abundanter esse repletum. Quibus quasi hyronicè dixit. Quamplurimi sub instanti necessitate famis opprimuntur, vos autem vberiùs abundatis. Statimque iussit quoddam vasculum, capiens quatuor, vel quinque modios impleri, & sic per semetipsum ab hora tertia vsque ad nonam tàm grandi largitate oneris occupatus, nullatenùs indè recessit, sed vnicuique venienti, cui multum, cui parum distribuit, & semper plenum, Deo largiente permansit.

22. *Chrysostomus Henriquez in fasc. de B.Vualeno.*

leno. Quodam famis tempore, bladum modicum in duobus horreis vix pro duabus septimanis sufficiens, fusa oratione benedixit, & non solùm fratribus, sed etiam quatuor pauperum millibus, per tres menses abundanter suffecit. Alio tempore famis, singuli fratrum supplici rogatu Abbatis, dimidium panis sui pauperibus erogandum sciderunt, & impleta sportula, vsque ad messem sine diminutione multis pauperibus abundauit. Et cùm fratres die primâ ad cœnam accederent, coram singulis, panis integer, & quasi de clibano extractus recenter inuenitur, & omnia granaria frumento replentur. Quadam etiam vice sportella habens duodecim panes, aduentantibus multis hospitibus, per diem, & noctem sine diminutione siuè mutatione perdurauit.

23. *Idem ibidem de B. Ioanne Eustachio*. Interea cùm messis iam tardiùs solito, forsam propter aeris intemperiem, adesse videretur, Conuersus angi, & mœstus esse cœpit. Timebat enim, ne ante nouas segetes in horreum reconditas, modicus aceruus frumenti Abbati suo reseruatus in integro deficeret. Sed Deus misericorditer piam illius fratris sollicitudinem aspexit, volensque ostendere, quàm gratum, acceptumque ei esset, quod pius Abbas membris suis pauperibus exibuerat beneficium, dictam frumenti mensuram benedictionibus dulcedinis suæ egregiè multiplicauit. Et sicut olim quinque panibus, quinque hominum millia in solitudine saturauit, ita in diebus Ioannis Eustachij, modico fruméti cumulo, non exiguum egenorum numerum refecit; sicut post modùm Conuersus ille clarè, & euidenter aduertit, dùm locum vbi frumentum repositum erat perscrutans, meliùs illum quàm antè multos menses (mirum dictu) granis refertum reperiret, quæ Angelorum ministerio miserator, & misericors Dominus ibidem creditur collocasse.

24. *Idem ibidem de Abb. Cunano*. Huius pij Patris erga egenos liberalitatem euidentissimis signis sibi gratam esse Omnipotens ostendit. Nàm sæpè insigni Dei munere, & beneficio, frumentum, quod inter pauperes distribuebat, multiplicatum est.

25. *Idem 31. Decem. de B. Radulpho Abb.* Inter cætera signa narratur, quòd ex horreo, tritico pænè vacuo, plusquàm quinque millia pauperum quotidiè per aliquot menses sustentarit. Nutrientibus verò, prægnantibus, & infirmis omnia necessaria erogari studuit. Nunquam tamen triticum, ceruisia, & reliqua ad victum necessaria defuerunt; immò, cernentibus, & mirantibus cunctis, multiplicabantur.

26. *In Ann. Cisterciensibus. an. 1163. cap. 5. num. 10.* Cùm Stephanus Abbas, Ven. Bernardum Anziranum Monasterio præfecisset, & plura insumeret in pauperes, quàm annui sumptus ferrent, vt crederetur, ingens æs alienum contraxisse, coatus tandem fuit rationem reddere, & Bernardus ad iudicium vocatus est, dati, & accepti rationem redditurus. Iam libri ante Abbatem positi erant, iam sumptus comparati perceptis fructibus, duplo ferè excessisse comperiebantur, iam timebatur ingens æs alienum, quod ad excessum Bernardus contraxisset; cùm Sanctus homo, Spiritu Dei plenus, & de exhibitione præcedentium, (nam creuerat annona, pecuniaq; hactenùs ipso minùs aduertente) firmam concipiens futurorum expectationem; Ego, ait, ab extraneis nihil accepi, sed neque libros habeo certiores, quàm horrea Monasterij, & officinas: illìc acceptum, & datum computetur. Nihil de foris aduenit; si quid habuerit, ea debiti nostri summa erit, in anni reliquum prudentiùs distribuenda. Res mira, sed certa, atque eò, per multos comprobatior, quò mirabilior; Frumentum, vinum, oleum, pecuniaque, & si quid aliud Conuentus adquisierat, redundabat in dolijs, horreis, thecis; ac si pluribus duplò congregatis, nihil omninò ex eis haustum fuisset. Hoc fuit initium signorum B. Viri conuersi ex Mahometismo, pro vt narratur ab antiquis Scriptoribus.

27. *Krantius libr. 9. Metropolis cap. secund.* Sæuijt fames vsque adeò, vt multa hominum millia perirent, perijssentque plures in Diæcesi Bremensi, nisi vir magnarum virtutum Ioannes Bock Ecclesiæ Bremensis Decanus largissimas fecisset eleemosynas in granis, & farina, dudùm in eos casus collectis. Erogabat ille largissimè. Quum admoneret familia, parum superesse, quod proprijs necessitatibus vix sufficeret ad dies paucos: Ite, inquit, perquirite angulos omnes diligenter. Illi autem pridiem vacuata vasa relinquentes, vbi redierunt ad iussum Domini, plena omnia repererunt: Stupefacti renunciant. Ille iubet largiùs erogari. Scio, inquiens, Beatum Petrum non deserturum suos, cui dictum est à Domino: Modicæ fidei, quare dubitasti.

28. *Idem lib. 4. VVandaliæ cap. 4. de Vicelino.* Inter hæc Vicelinus Christi Sacerdos, nihil omisit precibus apud Deum, assiduis curis apud homines, vt rectè procederent omnia: pauperes aluit multos, quos proxima vastitas fecit plurimos. Ad portas enim noui Monasterij iacebant quotidiè expectantes exsaturari de micis. Fratres quantùm poterant eleemosynis insistere. Admirabilis in ea re Tiadmarus, qui illa largitate erogabat, vt proximè ad inopiam cæteris vergere videretur cœnobium. Prouisores ob eam rem clausa illi omnia habuere. Quid faceret vir misericordiarum? Eiulatum pauperum non sustinuit: circuibat horrea, loca pridem vacuata, si quid fortè superesset in consolationem miserorum. Reperit quod mortalis nemo posuerat: erogabat largissimè, cunctis stupentibus, vndè essent, quæ ille inter pauperes distribueret. Renouata sunt vetera Heliæ prodigia. Ille cunctis præbebat alimoniam: Monasterio interim nihil decedebat.

29. *Idem lib. 8. Metropol. cap. 29. de Vlrico de Blucher ordinis Præmonstratensis, Episcopo Racemburgensi.* Granarium suum plenum farina, & frumento, totum in manus pauperum exhausit, ita vt nihil sibi, & familiæ reseruaret. Superuenere pauperes, qui eleemosynam efflagitarent; vocato procuratore, iussit, vt pauperibus consuleret, dans quidquid superesset, erat enim annonæ caritas

tas insignis, & fames valida super terram. Procurator sciens granarium euacuatum, respondit, nihil superesse, quo pauperes consolaretur: sed omnia in similes vsus dispensa. Fiducia plenus, dixit illi Episcopus: Vade, & vide si fortè, vel modicum supersit, vt non vacui discedant pauperes. Vade in nomine Domini, & da eis: fortè arbitratus, quòd dispensator timidiùs consuleret futuro tempori, cùm reuera nihil superesset. Mira res, & veterum miraculis meritò comparanda: granarium aperuit, & frumento, atque farina plenum reperit, & pauperibus abundanter elargitur. Vbi innotuit res gesta Pontifici, resolutus in lachrymas, Deo omnium largitori gratias persoluit.

30. *Rad. de S. Tichone Episcopo.* Admodùm puer adhùc à patre panes acceperat (nam artopola erat) quos in foro venderet. Sed puer, omnes in egentes distribuit. Quod vbi pater resciuit, indignam rem arbitratus, grauibus puerum conuicijs est insectatus; qui dixit, se Deo panes dedisse mutuos, & mox recepturum, eiusque rei se syngrapham habere. Et ecce dictum, factum: granaria mox frumento pleniora sunt reperta, quàm erant, cùm pater horrea post collectam messem implerat, nec indè quicquam adhùc esset depromptum.

31. *Idem de S. Mausima Syro.* Vir quispiam Cyri fuit, cui Mausima nomen, Syrus lingua, qui inter agrestes educatus, ad magnum virtutum splendorem naturæ ductu peruenit: Hospitalis adeò fuit, vt peregrinis omnibus, & pauperibus fores illius patuerint semper, Vasa duo habuisse fertur, frumenti alterum, alterũ olei, vnde omnibus egentibus eadem benignitatis copia (nunquam defectis oleo dolijs) qua Sareptana quondam vidua fruebatur, victum præbebat: omnibus enim, qui eius implorabant opem, succurrit Deus, velutque hydriam illam, & lecythum fluere iussit; sementemque, hospitalitatis manipulis, & segete compensauit, ita huius admirandi promptam liberalitatem pari munificentia rependit. Vita benè sanctèque transacta ad Dominum migrauit.

32. *Trith. in Chronol. de Vuilhelmo Abb. an.* 1069. Cùm tempore famis pauperes larga reficeret manu, & exhausta frumentis promptuaria iam prorsùs apparerent vacua, Christi seruus VVilhelmus opera pietatis nequaquam propterea minuit; & ecce theca frumentaria, quæ vesperi diligenter reuisa, inuenta est vacua, manè denuò per fratres lustrata, frumentis plena fuit reperta.

33. *Arnold. Rayss. in auct. ad nat. SS. Belg.* 12. *Septembris.* Natalis sancti VVonedulphi, insignis Ecclesiæ collegiatæ Sancti Petri Anderlacensis Decani, qui munificentissimus, & liberalissimus in pauperes, & egenos extitit, quæ partim illi diuinitùs compensata fuere. Nam vasa, quæ studio eleemosynarum exhauserat, rursùs inspici, & si quid fortè in eis remansisset, id Dei amore erogari iubebat. Quod cùm fieret, plena reperta sunt. Eius quoque famuli, cùm in autumno semina portarent in eius agrum spargenda, diuina id agente prouidentia, agrum illum vberrimis segetibus refertum inuenerunt.

34. *Sedulius in vita S. Iuonis cap.* 4. Iniunxit duobus familiaribus suis, vt cistam frumentariam in suos, & pauperum Christi vsus seruarent; postea illi eam apertam viderunt, & seram amotam, parumque frumenti relictum: mox ad B. Virum id referunt, qui sic respondit, facessat timor, satis habebimus Deo opitulante. redeunt ad cistam, & conspiciunt frumento plenam.

35. *Ioan. Buzelinus lib.* 3. *annal. Gallo-Fland. de S. Arnulpho.* Quadam vice Dominus S. Arnulphi mandauerat, vti vis suis inferretur subditis, eorumque bona diriperentur. Sed Arnulphus eorum tactus hominum commiseratione, clam hero de ipsius horreis necessaria ijs sufficiebat. Et cùm sæpiùs id faceret, animaduertere quidam familiares commeatum domi vehementer deficere: statimque Domino significauere, vix in crastinum ei sufficere familiæ necessitates, propter magnam Arnulphi largitionem. Igitur herus grauiter ira commotus, eum accersit extemplò, & multis increpitum verbis, etiam pœnis addicit, quasi criminis reum. Verùm Deus, cui gratum Arnulphi opus fuerat, magnam confestim annonæ vim horreis eius hominis ingerit: quam dùm ipse ad spectandum euocatus, attentiùs considerat: primum in multam erumpit admirationem; & lætitiam; dein Arnulphi virtutem, & sanctitudinem apud omnes suos admodùm commendat: adeòque hunc imposterùm dilexit, vti loco filij habuerit, eique potestatem fecerit, largas in pauperes eleemosynas distribuendi. Ea iam sanctitatis, & charitatis Arnulphi fama vulgabatur, & laudem omnium extorquebat.

36. *Ioan. Gerbrandus lib.* 27. *Chron. Belg. cap.* 11. In oppido Leydensi fuit quædam vidua deuota, super afflictos pauperes pia gestans viscera, habitans apud pontem piscium. Hæc tribuebat pauperibus, & indigentibus libera mente, & hilari vultu triticum de suo solario, parùm solicita de crastino. Quodam igitur tempore, ea sedente cùm sua familia ad mensam, venit quædam paupercula cùm multis puerulis gemẽtibus ante ianuam eius, & allegauit mendicando lachrymabili voce, quòd ipsa cùm puerulis ab hora duodecima præteritæ diei vsque nunc, panem non manducasset. Commota vidua eius precibus, præcepit ancillæ quatenùs celeriter introduceret eam ad refocillandum cùm puerulis: insuper quòd afferret de solario eidem mulieri vas tritici, ne iuuenes fame deficerent, cui ancilla murmurando dicit: O Domina, non habemus tantum in tota domo: & illis consumptis, vndè viuemus nos? cui vidua, vade in nomine Dei, & fac, sicut præcepi, Dominus autem prouidebit, Ascendens ergo ancilla cùm indignatione solarium, & aperto ostio, ecce apparuit solarium optimo tritico plenum, ita vt triticum per ianuam flueret, ancillamque comprimeret ad retrocedendum, mirèque gauisa ancilla, clamore suo prouocabat omnes solarium ascendere ad videndum Dei magnalia. Quod videns electa matrona, gratias Deo egit, & præconis voce clamauit per omnes plateas oppidi, vt omnes pauperes

peres indigentes ad eam venirent, & omnibus de bonis Domini pro modulo suo distribueret.

37. *Thomas Cantip. lib. 2. Apum cap. 25.* Anno ab Incarnatione Domini 1195. multa per Theutoniæ partes miracula contigerunt. Ex quibus vnum referam, quod cuidam matronæ in Brabantiæ partibus contigit, quam optimè noui. Erat in illo tempore, citrà montes Alpium, & Anglicum mare, fames perualida, ita vt communis populi multitudo maxima moreretur. Tunc illa, quam diximus matrona, genere clara, & opibus, egenis cœpit sine pondere, mensura, & numero, liberaliter erogare. Quod cernens Vir eius miles, arctauit eam, & ei farinæ mensuram certam per singulas hebdomadas dari fecit. Quam vbi die quadam totam expenderat, instante paupere & petente, præcepit ancillæ domina, vt diligenter scopata cista, in qua reposita fuerat farina, pauperi, si quid inueniret afferret, & fecit ancilla vt Domina iusserat. Post hunc venit & alter, qui se nihil comedisse infra biduum deplorabat. Quod vbi audiuit Domina, fleuit; & iteratò iubet ancillæ scopare cistam, & pauperi aliquid impartiri. Iurat ancilla nihil penitùs in cista remansisse, sed instante Domina cùm lachrymis vt attentet, currens impatientiùs, & cistam aperiens, plenam florentissima simila mox inuenit. Ad cuius intuitum, ancilla clamans horrificè cecidit in extasi resupina. Clamore audito, accurrit Domina, accurrit Dominus, accurrunt & famuli, & viso miraculo, in commune Dominum benedicunt. Mox vir ipse horreum lætus aperiens, omnibus ex illa die aduenientibus dedit; Nec defuit annona sitarcijs, donec superueniente Augusto, propitiaretur Dominus populo, quem afflixerat. Dixit autem mihi dictus miles maritus dominæ, quòd nisi fuisset diuinum miraculum, nequaquam sibi, vel quinque horrea suffecissent.

38. *Gabriel Pennotus lib. 2. Hist. Can. Regul. cap. 49. de Iacobo de Clusiano Præposito.* Cùm esset vir magnæ sanctitatis, & liberalitatis ergà pauperes, quodam tempore magnæ famis, & sterilitatis, omnia quæ habere poterat, pauperibus distribuebat, vnde cùm quadam die accessisset ad eum quidam rusticus pauper, & cùm lachrymis procidens ad pedes illius, diceret, miserere mei Domine Præposite, en fame morior cùm filijs meis; iussit Procuratori parùm frumenti, quod solùm in horreo pro necessario victu Canonicorum seruabatur, pauperi dari, & renuente Procuratore, dixit ei: Vade, spero enim in Domino, quòd triticum in horreo præparatum inueniens, qui dicto obediens, iuit, & horreum adeò plenum inuenit, vt præ quantitate frumenti ostium non posset aperiri.

39. *Thomas Vualsinghamus in Ricardo 2.* De Ven. Ioanne Priori Canonicorum Bridlington in Diœcesi Eboracensi legitur, quòd in horreis domus suæ tàm manifestam, quàm mirabilem per orationes frugum impetrauit multiplicationem, vt quæ vix per mensem familiæ putabantur suffecturæ, precibus suis sufficerent toto anno.

40. *In vita S. Francisca Romana.* Vir eius ferè quidquid erat in domo frumenti vendiderat, aiebat enim, ita factum opportuit, alioquin prodiga mea vxor, hoc omne ambabus manibus in mendicabula effudisset: sicque in granario nihil, nisi retrimentum tritici relictum erat. At Francisca instituti sui tenax, & sedula, granarium ascendit, frumenti sordes conuerrit, ventilauit. Vix farris modius fuit, quod & statim in egenos distribuit. Cùm verò granarium denuò inspectum esset, penè quadraginta modij sunt inuenti.

41. *In Martyrol. Gallic. Kal. Nouembr. in suppl. de Francisco de Stanno.* Successit lethali morbo, annonæ grauis penuria. Horrea Episcopalia optimi Pastoris euacuauerat profusa in egenos charitas. Interim euenit, vt ciuis quidam inops triticum instantiùs ab Episcopo flagitaret: iussit pius Pater Sacerdoti, qui sibi erat ab eleemosynis, vt egeno petitam præstaret opem; at ille se non posse illi succurrere respondit, quoniam tritico horrea prorsùs vacua essent. Instat Episcopus, vt è promptuario, certa, vt aiebat, annona exuberanti stipem pauperculo tribuat. Rursùs ille negat, rei frumentariæ in penu quicquam superesse. Vrget Antistes, fide, & misericordia plenus, nec modò præcipit, vt triticum det egeno ciui eleemosynarius, sed & copiosè eroget. Deus interim, tam pij Patris pauperum fide, & charitate delectatus, horrea eius frumento, larga bonitatis manu repleuerat: tanta quidem affluentia, vt cùm ad locum ventum esset, vix potuerint horrea reserari, quia copia frumenti ianuas obstruebat.

42. *Gonzaga in Prouincia S. Iosephi de Iucatan de Conuentu matris Dei Merita.* Cùm Ven. P. Didacus Landa an. 1563. Guardiani officium ageret in conuentu Ismalensi, magna inualuit eo in loco fames, cùmque sterilis anni sex adhùc menses superessent, vixq; frumentum in horreo reconditum sustentandis per mensem eius fratribus sufficeret, præcepit, de Dei prouidentia interim benè sperans, pijssimus Pater Didacus Landa, vt nemini penitùs pauperi, portam pro impetranda eleemosyna accedenti, panis denegaretur. Mira res! ex huiusmodi frumento in panes redacto, tùm fratribus, tùm cæteris Ecclesiæ Ministris, & cantoribus, qui numero erant 20. tùm quoque maiorum oppidanorum parti per integrum semestre abundè subministratum est, & in eius temporis fine, eadem protinùs frumenti mensura, ac si omninò intacta fuisset, inuenta.

43. *In Chron. Minimorum in appendice, de P. Martino Vezmuio.* Hunc deficiente annona, diuinæ prouidentiæ confisum, familiæ, quam regendam habebat, frumentum à Deo sæpiùs impetrasse ferunt, adeòque horreum ad eius preces abundasse; quòd est non minimum miraculum.

44. *In Hist. Societatis Iesu par. 2. lib. 1. An. 1557.* Præerat Collegio Lauretano Oliuerius Manaræus, cùmque ibi multi decumberent ægroti, pauxillùm farinæ, & saccari, & aliquot oua à fidelium pietate impetrauerat, eaque miserat ad honestam fœminam, vt in solamen ægrotantium aliquid placentularum conficeret. Hæc igitur dùm cùm filia,

& alia

& alia puella officiosi laboris delibant partem, mira quadam succendi pietate, ac dulcedine impleri cæperunt, ac sentire massam, dùm tractant, intra manus quodammodo augeri; indè numerum ingentem bellariorum conficiunt, & postremò dùm mactram euerrunt, collecturæ, si quid farinæ resederit, propè discum, in quo fuerat allata, denuò complent. Hanc, & confectum opus in Collegium remittunt. Oliuerius, qui perpaucas placentulas pro materia præbita expectabat, vbi magnum canistrum plenum aspicit, ac de farina nihil ponè detractum, rei nescius, valdè tristatus est, eo quod seriò fœminæ interdixerat, ne quid de suo præter operam adhiberet. At illa, & puellis constanter asseuerantibus, præter aquæ rosaceæ perexiguum quiddam, & aliud nescio quid pro more ad condiendum addi solitum, omninò additum nihil, intellexit hoc diuina manu factum esse, Deoque gratias egit.

45. *Ibidem*. Circa idem tempus in eodem Collegio Lauretano obsonator domesticus, pistorem Sanctæ domus (vt quotidiè erat necesse) aditurus, quid domi sit panis scrutatur, vt quàm minimum petens, quàm mitissimè accipiat. Quatuor autem, seù quinque panes in arca reperit. Super hæc promum sanctitatis eximiæ, beatæque simplicitatis iuuenem, qui Alphonsus Hispanus vocabatur, numquid panis alibi vspiam præterea sit, interrogat. Quo negante, pariter ambo curiosè omnia rursùs inspiciunt, præterque eos quos dixi paruulos, nullos inueniunt. Re ita comperta, obsonator abit, paulòq; post reuersus, videt vnam triclinij partem instructam impositis in lances panibus, à consuetis, nec magnitudine, nec specie, nec vlla re discrepantibus. Subirascitur bonus vir, aduocat Alphonsum, expostulat quid tantum panis absconditum habuerit. Ille nondum rem animadeuerterat. Respondet ingenuè, præter id, quod paulò ante vnà vidissent, micam panis in tota domo non fuisse. At inquit obsonator, in triclinio mensa instructa panibus est, vndè illi prodiere? Alphonsus hoc idem vt videt, Frater, inquit, si Deo cordi est, vt olìm quinque hominum millia, ita nunc paruulos famulos suos, quinq; multiplicatis panibus pascere, facilè profectò est. Et quidem re diligenter examinata, hanc à Deo deuenisse multiplicationem compertum est. Et hoc non semel sibi ante accidisse, dicebat Alphonsus, cùm tamen, quid esset, nesciret, vt, cùm panem procùl dubio defuturum in mensa crederet, plurimùm tamen reliquiarum sustulisset.

46. *Franciscus à S. Maria in Hist. Carmel. tom. 1. lib. 2. cap.* 44. Cùm semel apud PP. Discalceatos Carmelitas Collegij Complutensis, quidam deposuisset quantitatem tritici; Qui tunc præerat Collegio in quadam illius necessitate vsus est quadam eiusdem tritici copia: at dùm triticum restituendum fuit, in eadem, ac fuerat repositum, inuentum est quantitate. Huic similia admiranda per totas eorundem Patrum sæpè describuntur historias.

47. *Idem tom. 2. lib.* 7. *ca.* 4. Fr. Ioannes à Matre Dei ex Carmelitis Discalceatis, multotiès frumentum emendicans, meruit, vt Dei virtute in horreis benefactorum non imminueretur, immò multiplicaretur frumentum.

48. *Ioseph. Sylos in Hist. Cleric. Regul. Part. 3 lib.* 11. Cùm Anno 1649. magna fames Goæ, vicinisque in Regionibus grassaretur, ita vt enecti fame, deficerent passim pauperes; pulsatum charitate pectus Petri Auitabilis ex nostris omnigenæ virtutis viri, tunc ibi degentis: pecunias mutuò accepit, coemptaque oriza, quæ est communis Goæ alimonia, pauperes reficere cæpit, qui quotidiè ad quater centum supra quinquaginta pertingebant. Nec defuit piæ charitati prouidentia cœli. Nam aliquandò accurrente vi pauperum maiore solito, cùm non satis esse consueta orizæ mensura videri posset: instructo agmine, ita sua singulis portio contigit, veluti adaucta annona esset: adaucta profectò: sed agente diuinitùs charitate, cui crescit passim seges, redundant mirè horrea.

49. *Eustathius de rebus gestis S. Eutychij apud Baro. an.* 564. Cùm innumerabilis hominum multitudo Amaseam concurrisset, vt tumultus circumquaque irruentes fugeret, omnes ad Monasterium S. Euthychij, tanquam tutissimum in portum confugiebant, vt simùl cùm corporibus, animos pascerent. Quare cùm magnus quotidiè sumptus fieret, & fames in dies cresceret, cùm propter nostros exercitus, tùm propter Dei, & Reipublicæ nostræ aduersarios, magna omnes in mæstitia, & angustijs versabamur. Cùm enim multitudini panis subministraretur, sic exinanitæ sunt arcæ Monasterij, in quibus farinę conseruabantur, vt ne vnius quidem hebdomadæ cibus in eis reliquus esset: cùm igitur horrei custodes Monachi religiosissimi, farinam minui, & flagitantium cernerent crescere multitudinem, ad virum magnum accesserunt, illum scripturæ locum vsurpantes: Transiens in Macedoniam adiuua nos: quoniam farina iam in arcis defecit, & spes victus nobis adimitur. At ille nulla interposita mora, nihil dubitans, sed opulentæ Dei misericordiæ fidens, in eum ingressus est locum, in quo arcæ erant farina iam vacuæ. Et cùm Deum obsecrasset, ministros hortatus est: Bono (inquiens) animo estote: quantùm enim egentibus impertitis, duplum Dominus noster elargietur. Spero enim quemadmodum olìm ex hydria farina non defecit, ita nunc minimè defuturam. Nam licet declinaueritis ex hoc in illud (vt est in Psalmo dictum) hoc est, à pleno in id quod est inane: tamen fæx eius non erit exinanita: sed edent omnes, & saturabuntur, & laudabunt Dominum Deum nostrum. His verbis gaudio repleti religiosissimi Monachi, alacriter mandata exequebantur, panes omnibus aduenientibus distribuentes. Atque hoc quidem modo magnam populi turbam fame laborantem diù nutriuerunt. Et eò sanè maius miraculum apparuit, quòd cùm farinæ in annum paratæ nihil adderetur, & tantùm quotidiè insumeretur: tamen non solùm non defecit, verùm etiam postquam noua farina esset illata, farina vetus diù, immò semper satis fuit, sicut scriptum est: Comedetis vetera super vetera, & vetera à conspectu recentium efferetis.

50. Ioan.

50. *Ioan. Molan. in Natal. S.S. Belgij de S. Godelena Martyre die 4. Iulij*. Apud Pistorem crescebat farina pro panibus in eius sepultura distribuendis.

51. *S. Gregorius Dialog. lib. 2. cap. 21*. Quodam tempore in Campaniæ regione fames incubuerat, magnaque omnes alimentorum indigentia coangustabat, itaque in D. Benedicti Monasterium triticum deerat; panes verò penè omnes cõsumpti fuerant, vt non plùs quàm quinque ad refectionis horam, fratribus inueniri potuissent. Cùmque eos Venerabilis Pater contristatos cerneret, eorum pusillanimitatem studuit modesta increpatione corrigere, & rursùm promissione subleuare, dicens; Quare panis inopia vester animus contristatur? hodiè quidem minor est, sed crastina abundanter habebitis. Sequenti autem die ducenti farinæ modij ante fores cellæ in saccis inuenti sunt, quos Omnipotens Deus, quibus deferentibus transmisisset, nunc vsque manet incognitum.

52. *Thom. Boz. libr. 12. de signis cap. 21*. Petrus è Montibus ex ordine S. Francisci totos viginti annos in solitudine vixit in Insula Fortis Venturæ vna è Canarijs, cœlitùsque prouiso cibo farinæ hordeaceæ, cuius modicum semper inuenit in pera, quantùm sufficeret ad vitam producendam, semper est pastus, diuinisque operibus clarus suæ mortis horam prædicens, octogenarius decessit.

53. *In Annal. Min. Anno 1250. num. 5. de B. Guidone de Cortona*. Post mortem S. P. Francisci; maxima fame vrgente Tusciam, B. Guido cùm socio eleemosynam pro fratrum sustentatione in finibus Cortonæ petebat; ad Castrum autem Montechij propè Castellionem obuiam facta quædam mulier, cùm duobus filijs, famem causata, subsidium poscebat, cuius necessitati vir deuotus compatiens, domum eius ingressus, pusillum farinæ, quem hostijs conficiendis habebat, facta oratione, in oblatum, à fæmina sacculum infudit, Dei virtute ita multiplicatum, vt illum impleuerit, nec minùs B. Guidoni remanserit eadem quantitate, ac si nihil effudisset. Sed quod mirabilius est, quatuor mensibus vsque ad nouam messem pauperculam, & filios inexhaustam pauit, ex Beati viri meritis, & præsagio; id contigit mense Martio.

Vinum diuinitus datum, aut mirabiliter auctum; §. 3.

AD similia Admiranda in Vino diuinitùs perpetrata fit transitus. Suntque.

1. *Halloix in vita S. Polycarpi cap. 8*. Cùm semel hospitatus esset S. Polycarpus apud Daphnum Episcopum, & Vasculum quoddam vino semiplenum esset appositum, mandaretque Daphnus, vt apportato aliundè vino, repleretur, relinque sic, ait Polycarpus, neque enim deficiet. Hauriebatur ergo vinum, & bibebatur, nec deficiebat, sed continenter potiùs sucrescebat. Verùm, vt doceret Deus, dona sua reuerenter, & cùm gratiarum actione suscipienda esse, & conseruanda, non verò insolenter, & ridiculè iactanda, cùm famula quædam adolescentula, non modò absque metu, sed etiam cùm risu, & ioco leuiter exclamasset. Hem dolium inexhaustum! mox digresso miraculi patratore Angelo, vinum quoque ipsum defecit, & euanuit.

2. *Pet. Dam. in Opusculis*. Quidam Episcopus oppidò sitiens, vinum sibi afferri præcepit. Cùmque pincerna totum, quod erat in vasculo funditùs exhausisset in poculum, & Episcopo detulisset, ecce pauper importunis illud sibi dari precibus flagitabat, dicens, quia præ ariditate nimia, nisi biberet, cominùs expiraret. Et contra minister asserebat, & nil se in vase residuum reliquisse, & in eo loco vinum aliud reperiri nullatenùs posse. In his igitur fortis Episcopus angustijs deprehensus, cùm & hinc videlicet sitim differre non posset, illinc autem se bibere, alio periclitante, impium iudicaret, auertit se à se, fratrique laboranti in necessitate succurrit. Præcepit igitur, pauperi vinum dari; sed iam quò magis spes bibendi omnino defecerat, eò sitis Episcopi atrociùs sæuiebat. Mandauit itaque ministro, vt vinarium vas requireret, si fortè aliquam, & consolationis stillam, vel perexiguam reperiret. Qui diutiùs abnegans, nihilque se reseruasse constanter affirmans, tandem, non spe erectus, sed imperio magis oppressus paruit; & vas, quod vacuum reliquit, vino plenum, nimirùm admiratus inuenit.

3. *Idem de vita S. Odilonis*. Cùm vir venerabilis apud quamdam Ecclesiam Monasterij, quod dicitur Vallis Aurea, cibum caperet, sed locum magna vini laborare penuria didicisset, ne grauaret fratrem, qui eum cùm alacritate susceperat, hoc in commune præfixit, vt quisque decumbentium vno tantum scypho contentus esset: solis autem Monachis pincerna poculum geminaret. Mensura tamen exceditur, & largus ad bibendum potus cunctis epulantibus exhibetur. Enimuerò cùm vas illud vinarium, & vnum dumtaxat esset, & modicum, non modò tot indiscretè bibentibus, non defecit, sed & illis recedentibus, absque vlla diminutione repertum est plenum, vt per hoc euidentibus, clarescat indicijs, quia Vir Domini non tantùm id apud Deum potuit impetrare, quod petijt, sed & nonnulla per eum virtutum signa diuinitùs ostensa sunt, quæ nesciuit.

4. *Idem de eodem*. Iouini montis prærupta aliquandò conscendens, obuios habuit pauperes, præ difficilis viæ lassitudine potum æstuanti desiderio flagitantes. Pius itaque Pater sui negligens, alijs in necessitate compatiens, iussit, vt quidquid vini proprijs haberetur in vasculis, absque vlla reseruationis industria, vel potus diffidentia, præberetur egenis. Paulò post necessitate naturæ cogente, discumbunt omnes, vt capiant cibum. Et ecce vtres, qui studio fuerunt piæ compassionis exhausti, vino reperiuntur, Deo scilicet debitum persoluente, repleti. Nam, iuxta Scripturam, qui dat pauperi, Domino fœneratur.

5. *Idem de eodem*. Cùm Dei famulus in Romana Vrbe consisteret, & hospitium in monte Auentino apud Monasterium Beatæ Dei Genitricis haberet,

beret, contigit, vt sicut illius Vrbis familiare est, omninò tale vinum deesset, quod Sancto Viro saporis habilitate congrueret. Inquirit ergo Abbatem loci, vtrùm melius habeat. Qui se confestim & profitetur habere, & quantùm ipse præceperit, libenter afferre. Vir autem Domini modicum, quod ante se erat vasculum dedit; vt sibi plenum deferretur, expetijt. Allatum ergo ante se posuit, & ipse potissimùm more pincernæ sibi dumtaxat, & Abbati, qui iuxta se discumbebat, expendit. Cùmque iam à mensa surgendum refectio completa dictaret, & paululùm adhùc vini in vasculo superesset; Pater & Sanctus blandè subridens. Non inquit, fratres mei, plenè circa vos officium charitatis exhibui, qui vinum, quod mihi sapuit, vobiscum participare neglexi. Arripiens ergo cyathum, infudit merum, & singulis singulum pro benedictione largitur. Res mira: Cùm fratres essent ferè duodecim, & eis bibentibus potus copia non defecit, & eorum completo numero, nil omninò superfuit. Illis itaque quod factum fuerat admirantibus, vir veræ humilitatis custos, vt in alium diuinæ gratiæ munus impelleret, & ipse fauoris humani gloriam declinaret, charitati dumtaxat illius, qui vinum dedit, miraculum supernæ benedictionis applicuit.

6. *Greg. Tur. hist. Fran. lib. 5. cap. 21.* Ingetrudis religiosa consuetudinem habebat, aquam de sepulchro Sancti Martini colligere. Qua aqua deficiente, rogat vas cùm vino ad Beati tumulum deportari: transacta autem nocte, id exindè, hoc presbytero præsente assumi mandauit: & ad se delato, ait presbytero: Aufer hinc vinum, & vnam tantum guttam de aqua benedicta, vndè parum superest, funde. Quod cùm fecisset (mirum dictu) vasculum, quod semiplenum erat, ad vnius guttæ descensum impletum est: idem bis impletum. Quod non ambigitur, & in hoc Beati Martini fuisse virtutem.

7. *Idem lib. 2. de gl. Mart. cap. 35. de Iuliano Martyre.* Sed nec hoc silendum puto, quod in nocte illa priùsquam Iuliani Sanctæ reliquiæ in Basilica S. Martini Turonis collocarentur, sit gestum. Monachus ipsius loci, dùm de aduētu solemnitatis gauderet, & singulos quosque ad cellariolum Basilicæ promptissimus inuitaret, hortans, vt omnes in basilica fideliter vigilarent, extracto à vase vino, cœpit eis causa deuotionis cùm gaudio propinare, dicens; Magnum nobis patrocinium in Beatum Martyrem pietas diuina largitur. Idcircò rogo charitatem vestram, vt vnanimiter vigiletis mecùm: cras enim sanctæ eius reliquiæ in hoc loco sunt collocandæ. Exacta quoque cum sacris hymnis, modulisque cælestibus nocte, celebratis etiam Missarum solemnijs, festiuitate ouans Clericus, cœpit eos iterùm quos priùs inuitauerat rogare ad refectionem, dicens; Gratias vobis ago, quòd sic ad vigilandum immobiles perstitistis: sed nec Martyr diù distulit bonam voluntatem virtutis suæ gratia munerari. Nam ingressus promptuarium Clericus, reperit cupellam, quam penè mediam reliquerat, per superiorem aditum redundare, in tantùm, vt copia deffluentis vini riuum per terram ad ostium vsque duceret. Quod ille admirans, posito deorsùm vase, sæpiùs extulit plenum, sed & de ipso cùm satis abundèque fuisset expensum, nihil prorsùs defuit, sed vsque in crastinum mirantibus cunctis semper stetit plenum. Erat autem III. Kalendas mensis quinti.

8. *Idem de gl. Confess. cap. 1.* Dùm in Aruerno territorio commoraret, vir mihi fidelis retulit, & scio quia vera narrauit, quia euidenter cognoui gesta fuisse quæ dixit. Iubet, inquit, ex annonis aqua infusis atque decoctis, messoribus poculum præparari; hanc autem coctionem Orosius à coquendo Cociam vocari narrauit; quod cùm præparatum fuisset, & in vasa reconditum, atque ille apud vrbem moras innecteret, vt mos seruorum est, maxima parte exhausta, exiguam dominicis vsibus reliquerunt. Ille quoque fidus de infusione, inuitare messores iubet, vt eo ab vrbe redeunte, hos segetem decidere reperiret. Quo facto iam operariis in segete collocatis circiter septuaginta, aduenit Dominus fundi, perscrutansque qualitatem, quantitatemque potus, per parum reperit: tunc pudore confusus, & sibi factum ad verecundiam reputans, ne potum deficeret operariis, quod vt ipse arbitrabatur, super quinque modiorum mensuram non erat: quid ageret, quo se verteret, in ambiguo dependebat: tandem inspirante Domino conuersus ad vasculum, nomina Angelorum Sanctorum, quæ sacræ docent lectiones, super aditum eius deuotè inuocat, orans vt virtus eorum paruitatem hanc in abundantiam conuertere dignaretur, ne operarijs deficeret, quod haurirent. Mirum dictu! tota die ab hoc extractum est, & nunquam defuit bibentibus: sed vsquequò nox finem operandi fecit, omnibus fuit in abundantia ministratum.

9. *In vitis Patrum lib. 1. de S. Hilarione cap. 21.* Alio anno cùm exiturus esset ad visenda Monasteria, & digereret in schedula, apud quos manere, quos in transitu visitare deberet: Scientes Monachi quemdam de fratribus parciorem, simulq; cupiētes vitio eius mederi, rogabant vt apud eum maneret. Et ille: Quid, inquit, vultis & vobis iniuriam, & fratri vexationem facere? Quod postquam frater ille parcus audiuit, erubuit, & annitentibus cunctis, vix ab inuito impetrauit, vt suum quoque Monasterium in mansionem ordine poneret. Post diem ergo decimum venerunt ad eum, custodibus iam in vinea quasi villa esset aliena, ab eo dispositis: qui cùm lapidibus, & glebarum iactu fundæque vertigine, accedentes deterrerent: sine esu vuæ mane omnes profecti sunt, ridente sene, & dissimulante scire, quod euenerat. Porrò suscepti ab alio Monacho, cui Sabas vocabulum est (debemus quippè parci tacere vocabulum, largi dicere) quia Dominicus erat dies, inuitabantur ab eo vniuersi in vineam, vt ante horam cibi, vuarum pastu laborem viæ subleuarent. Et Sanctus, Maledictus, ait, qui priùs refectionem corporis, quàm animæ quæsierit. Oremus, psallemus, reddamus Domino officium, & sic ad veniam properabitis. Completo itaque ministerio, in sublimi stans benedixit vineæ, & suas ad pascendum dimisit oues.

Erant

Erant autem qui vescebantur, non minùs tribus millibus. Cùmque centum lagenis æstimata fuisset integra adhùc vinea, post dies viginti trecentas fecit. Porrò ille parcus frater multò minùs solito colligens, etiam id quod habuerat, versum in acetum serò doluit. Hoc multis fratribus senex ante futurum prædixerat.

10. *Petr. de Natal. libr. 1. capit. 33. de S. Nicolao Episc.* Quadam die cùm suis Clericis ad refectionem discumbens, deficiente sibi vino, modicum vini in vasculo allatum (quod vix tribus in mensa sufficeret) cunctis infundi præcepit, & ad sufficientiam omnibus fuit satis.

11. *Idem lib. 7. cap. 85. de S. Philiberto Abb.* In villa Pineuio hospitatus, à muliere quadam paupere in domo susceptus, vas vini, quod habebat, benedixit; & multis indè potantibus, cunctisque satiatis, ipso abeunte, plenum repertum est.

12. *Io. Colg. in vita S. Berachi 14. Februarij.* Vir Dei labore itineris fessus, domum cuiusdam diuitis, qui ibi demorabatur, subintrans, & se siti aggrauari pandens, potum sibi dari famulum exhortatur: Sed licet septem vasa medone plena pro Rege terræ villicus Domini haberet parata, Viro tamen Sancto repulsam dedit, asserens, quòd pro eo potum non haberet paratum. Cui Sanctus, quæso Omnipotentis Dei iussu, vt sic fiat pro vt ore tuo es locutus, & sic plena, reperit vacua. Quod vt relatum est Regi, ministros suos statim in equis velocibus post Sanctum misit, vt cùm honore reducerent, qui sine honoris dignitate recessit. Precibus igitur supplicantium condescendens vir Sanctus, reuertitur ad Regem, à quo cùm gaudio est receptus. Ad pedes verò eius Rex procidens, veniam de commissis postulauit. Sanctus igitur Regis deuictus precibus, inuocata Dei potentia, stans supra vasa vacua, infundensque benedictionem, liquore pristino sunt repleta.

13. *Alcuinus in vita S. VVillibrordi Epis. Traiectensis.* Sanctus Dei Sacerdos in quodam loco iter agens, vidit mendicantes inopes duodecim, pariter postulantes sibi aliquid à prætereuntibus solatii. Quos, vt erat mitissimus, benigno adspexit animo, vnique ex suis mandauit specialem suum flasconem sumere, ac pauperibus miscere Christi. Ex quo omnes illi duodecim vsq; ad satietatem bibebant. Et mirum in modum, illis abeuntibus, ex optimo vino, flasco, de quo tanti biberant homines, inuentus est plenus vt ante. Hoc comperto, benedicebant omnes Dominum Deum nostrum dicentes; Verè impletum est in nobis quod in Euangelio dicitur: Date, & dabitur vobis.

14. *Idem de eodem.* Perueniens seruus Dei cùm sociis ad domum cuiusdam amici sui, & paulisper cupiens in domo dilecti longi laborem itineris, refectione alleuare, patrem familias nihil vini habere comperit. Quatuor ergo modicos flascones, quos tantùm in itineris solatium secùm eius socij ferebant, iussit afferri; eosque in eius nomine benedixit, qui in conuiuio nuptiali, aquas conuertit in vinum. Et mirum in modum post benedictionem, quasi quadraginta viri ex illis laguncilis vsque ad satietatem bibebant, & cùm magna gratiarum actione sibi lætis inuicem animis dicebant: Verè Dominus Iesus impleuit, quod in Euangelio promisit, dicens, Qui credit in me, opera quæ ego facio, & ipse faciet, & maiora horum faciet.

15. *Idem de eodem.* Venit Vir Sanctus ad suum visitandi gratia Monasterium, & post orationes ad Deum, & salutationes fratrum, & admonitiones pacificas, circumiens singula fratrum habitacula, si quid in illis emendandum fuisset, pius Pastor explorare voluit. Intrauit quoque in Cellarium, in quo modicum vini reperit in vase, in quod, suum benedictionis gratia cùm oratione immisit baculum, & exiuit. Sed eadem nocte in eo ipso vasculo vinum crescere cœpit, & super fundi vasis margine. Hoc cellarius cernens, inspecta abundantia, obstupefactus, nec celare audebat, quod Diuina misericordia per serui sui benedictionem geri cognoscebat. Crastino mane cucurrit, & antè pedes Sancti Patris se prosternens confitebatur, quid vidisset.

16. *Idem in vita S. Vedasti Episcopi Atrebatensis.* Quidam vir nobilis, & religiosus inter alios, famulum venit visitare Christi, vt per eum cælestis doctrinæ reficeretur melle, & dùm sermo dulcissimæ allocutionis in longum traheretur, & sol medium cœli transiens centrum, crescentes duplicaret vmbras, nolebat vir Dei hospitem suum absque charitatis dimittere viatico. Mandauit autem puero, vt si quid illi remansisset vini, charo pocula portaret amico, quatenùs in vtroque, & anima refectus, & corpore confortatus, domum rediret. Sed propter hospitum frequentiam, & viri Dei largam erga omnes munificentiam, non arida patris charitas, aridum inuenit vasculum, in quo vinum seruari solebat. Mox tristis, tacito murmure, hoc ipsum puer paternis intimauit auribus. Qui verecundiæ rubore perfusus, charitatis tamen dulcedine abundans, corde in Diuina confisus suffragia, tacitus paulisper Deo preces effudit; nil de Diuino dubitans auxilio, nil de suæ petitionis hæsitans effectu, totus in eius credens clementia, qui de arida petra, sitienti populo fontem aquæ viuæ produxit, vel in Cana Galilææ aquam in mirabilis vini conuertit saporem, dixit puero: Vade in Dei confidens bonitate, & quodcumque inueneris in vasculo, non cuncteris nobis adferre. Qui celer, paterno obediens præcepto, cucurrit, & vas vino optimo supereffluens inuenit: gratias Deo agens, alacri animo, venienti, & eius socijs, propinauit amico.

17. *In vita Sanctæ Radegundæ Reginæ libr. 2.* Adeò se rebus suis omnibus nudauit, vt si alicui ex sororibus vinum dari voluisset, non esset ausa è suo cellario promere. Id vbi sensit Abbatissa, dedit ei vas quoddam octo modiorum, quod illa Felicitati expendendum commendauit. Indè verò à vindemia in vindemiam diebus singulis, vbicumque Sancta iussisset, Felicitas promebat vinum, nec tamen quicquam eius imminutum fuit, sed eadem semper copia permansit. Postquam nouum aduenit vinum, & cella vinaria plena erat, illa se satisfecisse credebat. Citiùs autem vasa alia exhauriebantur, quàm illud, quod in omnibus Sanctæ

V pare-

parebat voluntati. Dominus Iesus quinque panibus, & duobus piscibus quinque hominum millia pauit; & eius ancilla, vbi aliquem indigere vidit, ex hoc modico toto anno refecit.

18. *In vita Sancti Eligij*. Parisijs diuerterat S. Eligius Episcopus Nouiomensis ad ædes cuiusdam, qui ei de pauxillo vino, quod adhùc in dolio supererat, haustum obtulit; quem Vir Sanctus non respuit, sed vt gratiam referret, totam eius domum benedixit. Altera die vir ille ingressus in Cellarium, cernit vas omninò plenum. Obstupescit igitur ad rei nouitatem: sed mox recordatus sanctitatis Eligij, ocyùs se confert ad eum; indicat quid beneficij sibi propter eum Dominus contulerit: oratque virum Sanctum vt veniat secùm, & benedictonem impertiat vino illi, & utendum ex vase proferat. Quod ni faciat, protestatur se ne vnam quidem guttam eius vini vnquam hausturum. Cuius desiderio Sanctus Eligius tandem satisfecit.

19. *In eadem vita S. Eligij*. Dulciolenus presbyter, homo simplex, & rectus, non longè à Lutetia degebat, cumque B. Eligius adhùc in corpore manens, oblata opportunitate crebrò inuisere solebat, & res necessarias liberaliter ei suppeditare. Cùm autem ab eius obitu fluxissent dies ferè triginta, aut non ampliùs, nocte per visum ei apparens, sciscitatur quidnam habeat, aut cuius benignitate sustentetur. Tùm ille, benè, inquit, hactenùs habeo, precibus tuis adiutus. Putans autem corporaliter eum secùm colloqui, maiori indè concepta fiducia: Parum, ait, vini habeo ex ea vinea, quam per te Dominus mihi dedit; quæso mi Domine, vt pariter indè gustemus, simùl calicem ei offerens. At vir Sanctus porrecta manu benedixit poculo, iussitque refundi in vasculum, undè vinum illud hauserat. Id illo faciente, confestim sublata visio est, & presbyter expergefactus, consternatusq; manè ingressus est cellam, in qua pridiè parum uini reliquerat, diligenterq; inspectis vasculis suis, vidit vas, in quo pauxillùm antea fuerat uini, iam ad summum vsque repletum.

20. *In actis S. Desiderij Episcopi*. Factum est, vt vas plenum uino, propter aduentantes, qui indè haurirent, à ministro illius diligenti cura seruaretur. Sed cùm pluribus diebus iam expensum putaretur defecisse, & minister viri Dei id nunciasset illi, quia non haberet petentibus quid vltra præberet; confortatus à viro Dei, de largitate, & bonitate creatoris, mox vt redijt, plenum, quod paulò antè vacuum fuerat, vasculum inuenit.

21. *In actis S. Aldebrãdi Episc. Foro-sempronienses*. Defuncto S. Aldebrando Episc. Foro-semproniense, multisq; ex Vrbino, Callio, alijsq; finitimis vrbibus confluentibus, mirum tunc accidit, quòd vinum in paruo vase contentum, maximæ tamen multitudini satis fuit, donec quispiam blasphemans ediceret: O diabole, quid est hoc, quòd vinum hoc tantæ multitudini non deficit?

22. *In actis S. Arnulphi*. Dùm ad tumulum deportaretur S. Arnulphus, & per pagum Caluomontensem, haud deferri posset, quidam Dux, nomine Notto, rogauit populum, vt ad villam suam, quæ procùl erat, corpus venerandum duceret, ibiq; nocte reponeret; sed, inquit, deest mihi inibi potus, vel paratus, quo tantam multitudinem reficere possim, nisi tantummodo, vt comperi, in imo vasculi modicum quiddam ceruisiæ: quibus auditis vniuersus populus iter retorquens in tanta velocitate pergunt, vt potiùs geruli semetipsos portari, quàm portare sentirent. At diei adhùc lucem habentes, ad destinatum perueniunt locum. Tunc Notto ait: Nunc igitur Beatus Arnulphus pascat vos nocte ista: quoniam quod deest nobis, ipso intercedente adesse potest. Statim in tanta exuberantia accreuit tanta modicitas potus illius, vt omnibus affatim satiatis, adhùc in crastinum superesset.

23. *S. Greg. lib. 1. Dial. cap. 9. de S. Bonifacio Episcopo Ferentino*. Ecclesiæ Ferentinæ grauis valdè paupertas inerat, quæ bonis mentibus esse solet custos humilitatis, nihilq; aliud ad omne stipendium, nisi vnam tantummodo vineam habebat, quæ quadam die ita grandine irruente vastata est, vt in ea paucis in vitibus vix parui, rarique racemi remansissent. Quam cùm Dei vir Bonifacius Episcopus fuisset ingressus, magnas Omnipotenti Deo gratias retulit: quia in ipsa sua adhùc inopia se se angustiari cognouit. Sed cùm iam tempus exigeret, vt ipsi quoque racemi, qui remanserant, maturescere potuissent, custodem vineæ ex more posuit, eamque solerti vigilantia seruari præcepit. Quadam verò die mandauit Constantino presbytero nepoti suo, vt cuncti vini uascula in Episcopio, omniaque dolia ita vt ante consueuerat, pice superfusa præpararet. Quod cùm Nepos illius presbyter audisset, valdè admiratus est, quòd quasi insana præciperet, quòd uini vascula præpari faceret, qui vinum minimè haberet, nec tamen præsumpsit inquirere, cur talia iuberet, sed iussis obtemperat, & omnia ex more præparauit. Tunc vir Dei vineam ingressus, racemos collegit, ad calcatorium detulit, omnesque exindè egredi præcepit, solusque ibi cùm vno paruulo puerulo remansit, quem in eodem calcatorio deposuit, & calcari ipsos paucissimos racemos fecit. Cùmque ex eisdem racemis parùm aliquid vini deflueret, cœpit hoc vir Dei suis manibus in paruo uase suscipere, & per cuncta dolia, omniaque uasa, quæ parata fuerant pro benedictione diuidere: vt ex eodem vino omnia vascula vix infusa viderentur. Cùm verò ex liquore uini parùm aliquid in vasis omnibus misisset, uocauit protinùs presbyterum, iussitque pauperes adesse. Tunc cœpit uinum in calcatorio crescere: ita vt omnia, quæ allata fuerant pauperum vascula impleret. Quibus cùm se idoneè satisfecisse conspiceret: ex calcatorio iussit puerum discedere, apothecam clausit, atque impresso sigillo proprio munitam reliquit, mox ad Ecclesiam redijt. Die verò tertia prædictum Constantinum presbyterum uocauit, & oratione facta, apothecam aperuit, & uasa, in quibus tenuissimum liquorem infuderat, vbertim vinum fundentia inuenit, ita vt pauimentum omne excrescentia uina inuaderent, si ad hæc Episcopus tardiùs intrasset. Tunc terribiliter presbytero præcepit, ne quousq; ipse in corpore uiueret, hoc miraculum,

culum, cuiquam indicaret, pertimescens videlicet, ne virtute facti fauore humano pulsatus indè intùs inanesceret, vndè foris hominibus magnus appareret.

24. *Idem ibidem capit. 9. de eodem S. Bonifacio.* Alio quoque tempore duo ad eum Gotthi hospitalitatis gratia venerunt, qui Rauennam se festinare professi sunt. Quibus ipse paruum vas ligneum vino plenum manu sua præbuit, quod fortasse in prandio itineris habere potuissent, ex quo illi quoadusq; Rauennam venirent, biberunt. Gotthi autem aliquantis diebus in eadem ciuitate morati sunt: & vinum, quod à Sancto viro acceperant, quotidiè in usu habuerunt. Sicq; vsque ad eumdem venerabilem patrem ferentes reuersi sunt: vt nullo die cessarent bibere, & tamen vinum eis ex illo vasculo nunquam deesset: ac si in illo vase ligneo, quod Episcopus eis dederat, vinum non augeretur, sed nasceretur.

25. *S. Anton. 2. par. Chron. tit. 13. cap. 6. §. XI. de S. Romarico.* Cùm pro vtilitate Monasterij aliquandò foris esset, ad domum cuiusdam viri Vosagi, in partibus sæpè hospitandi gratia diuertebat. Quam cùm quadam die ex more intraret, intuitam eum vxor illius ait. O Domine mi, cur tam serò venisti, habuit ancilla tua siceram, quam heri præuenientes compatres, & vicini nostri biberunt. Quam cùm videret vir Dei anxiari pro se, ait: Noli timere, sed fidens in Deo, cubiculum tuum ingredere. Orante ergo Sancto viro, repertum est quoddam vas plenum sicera. Qui potus etiam multorum infirmitatibus profuit.

26. *Idem 2. p. Chron. tit. 13. cap. 6. §. 7. de S. Salaberga.* Quadam die dùm Beati viri Vualberti præstolaretur aduentum, & falerni copia deesset, iussit ceruisiam fieri, & in dolium mitti. Sed cùm vas ad plenum non esset refertum, soror, quæ cellarium custodiebat, hoc retulit Salebergæ, quia scilicet sic non plenum, citò acesceret. Sed meritis Sanctæ vas repertum est plenum.

27. *Vinc. Belu. l. 20. spec. hist. c. 47. de S. Genouefa.* Lacessiuit Genouefa Genesium presbyterum, vt in honore S. Dionysij Basilicam Parisijs construeret, sicque omnibus ciuibus auxilium conferentibus, illa implorante, constructa est. In cuius opere collectis carpentarijs, cùm potus deficeret, accipiens Sancta cuppam, seorsùm prostrata cùm lachrymis orauit. Deinde surgens facto signo crucis super vas, vsque ad summum poculo impletum est, ex quo operarij vsque ad consummationem Basilicæ vberrimè potantes gratias egerunt.

28. *In Chronico Cassinensi lib. 3. cap. 38. sub anno* 1073. His porrò diebus cùm in hoc Cassinensi Cœnobio de vino ad totius Monasterij stipendium, non plùsquàm palmi vnius, & dimidij mensuram esset in vase, frater, qui domum uinariam custodiebat, pergens ad Patrem Desiderium, ei referre curauit. Abbas autem ad hæc, antequam ad Roberti curiam pergam, veni ad me, & vndè id emere debeas dabo. Alio autem die, ea quæ Desiderius præceperat, Monachus obliuioni tradens, ad eum minimè uenit. Desiderius autem iter arripiens, Roberti Ducis curiam adijt. Sed qui in deserti regione per quadraginta annos manna populum pauit, ipse per tres menses, & dimidium, uinum, vndè omnes biberent, crescere fecit. Quidam uerò puer ex Monasterij famulis, cælestium mysteriorum ignarus, vehementer admirans, vinum tantùm durasse in vase, cellam vinariam adijt, uinum mensus est, stetitq; eadem hora, & ultrà crescere desijt.

29. *Manrique in An. Cisterciens. An. 1123. cap. 4.* Referunt seniores Claræ-Vallis, traditione à Patribus accepta, uineam quandam ibidem precibus D. Bernardi ex sterili fœcundatam, post aliquorum annorum fertilitatem, turgentibus iam granis, & penè maturis, grandine è Cœlo tactam, protritamque adeò, vt vix duos botros retinuerit, qui possent in uindemiam reseruari. Porrò ex his, unum datum prægnanti fœminæ appetenti, aut petenti, quasi appeteret. Sed ex altero, in ingenti uase ligneo, quod hodiè perseuerat, expresso Bernardi manibus, in tantum multum creuisse modico tempore, ut redundante uase, diffunderetur.

30. *Idem ibidem anno 1159. cap. 2. de Vener. Stephano Gallo.* Vnus cadus uini tantùmmodò, ex his, quos geminos portare asinus solet, in uase effusus in tantùm sancti uirtute præualuit, ut quingenti, & ampliùs uiri per totam noctem ex eo sufficienter potarent, & plurimum in crastinum superesset.

31. *Surius 21. Nouembris.* S. Columbano Abbati, perparum ceruisiæ pro cœnobij necessitate abundè fuit, & indè duo uasa ceruisiæ superauerunt.

32. *Chrysostomus Henriquez in fasciculo ordinis Cisterciens. libr. 2. dis. 9. cap. 7. de B. Bernardo Caluonio.* Cùm tres tantùm uuæ racemi ad eum essent delati, eo quòd grandine uinetum fuerat percussum, collectis tribus racemis, ad locum uinarium appropinquauit, ubi uuas proprijs manibus pressit, singulis doliis singulas guttas diuidens, & uasa omnia cooperuit, dicens. Qui ex quinque panibus & duobus piscibus, quos paruus quidam puer habebat, quinque millia hominum saturauit, non numeratis mulieribus, & infantibus, potens quoque erit, hisce paucis uuis, omni populo meo necessitate oppresso, satietatem adferre, & qui in nuptiis Gallileæ ex aqua uinum confecit, poterit quoque implere uasa domus meæ liquidissimo uino, ut illo pauperibus suis mihi commendatis, charitatem exhibeam, & animas, quarum curam gero, iàm planè pietate, & deuotione languidas, operibus charitatis possim reparare, & conari, ut omni uirtutum genere abundent. His dictis, discessit, & uiginti diebus continuis, necessitatem hanc, suis precibus Omnipotenti Deo humiliter commendauit. Post uiginti uerò dies, Dapifer uasa inuisit, uiditque ea pretiosissimo uino copiosè exuberare, & absq; mora miraculum hoc Antistiti sanctissimo nunciauit. Qui infinitas clementissimo Deo gratias egit, pro tàm singulari beneficio, & statim præcepit uinum pauperibus erogari. Populus autem stupore perfusus, miraculum hoc admirabatur. Sed ecce undè magis mireris. Vinum illud per singulos dies populo distribuebatur, abundanterq; ex illo omnes accipiebant, nec tamen minuebatur, sed potiùs augebatur mirabiliter.

33. *Idem de Beata Francha Virgine Placentina.* Ferunt, duo uini dolia exsiccata, illa præcipiente uinum haurire, plena diuinitùs esse reperta.

34. *Philipp. Abb. Bonæ spei, in vita S.VValdetrudis cap.22.* Quodam tempore cùm Christi famula VValdetrudis ad refectionem discubuisset, una ex puellis cellarium ex more ingressa, uasculum impleuit potu, ut Christi famulæ prandenti deportaret; sed cùm incautè ambulans rediret, subitò pes eius lapsus est. Quæ cùm ipso uasculo corruens cecidit, & potum omnem, quem gerebat, in terram fudit; surgens autem tremefacta ad cellarium redire disposuit, ut iterùm uasculum repleret; sed cùm repentè oculos ad uasculum reuocasset, ita in manu sua plenum inuenit, ac si ex eo nec gutta quidem recidisset.

35. *Tritb. in Cbron. An. 1069. de VVilhelmo Abb.* Vas quoque per negligentiam ministrorum, fuso in terram vino, penitùs vacuum, solo iussu (vt ita dicam) ipso etiam nesciente, optimo rursùs vino plenum repertum est, quod pauperibus statim distribui præcepit.

36. *Surius in vita B.Mauri Abb.15.Iannuarij.* Dùm Beatus Maurus, villas, ac prædia Monasterij curam gerendo, & disponendo, circuiret, quadam die in possessione monasterij, cui Gaudiacus nomen est, ingressus refrigerandi gratia secretiorem locum petijt. Quo cùm sederet, & cùm duobus Monachis, qui cùm eo venerant, psalmos decantaret, nunciatur illi Ansegarium Archidiaconum Ecclesiæ Andegauensis stare præ foribus, & cùm eo colloqui desiderare. Cùmq; vir Dei, vt ingrederetur iussisset, & ille, ea pro quibus venerat, perorasset vir Domini S.Maurus Simplicium vocans Monachum, ait illi; Virum hunc qui nobis pro sua reuerentia, & affabilitate dudùm familiaris effectus est, poculo charitatis potare, ac vino sanctæ dilectionis inebriare, vt spiritales, spiritaliter debemus. Cui cùm Simplicius dixisset, non est quicquam vini nobis, nisi tantùmmodo in uno paruissimo vasculo, quod ad sellam pendere consueuit; Sanctus Domini Maurus dixit illi, defer illud hùc. Cùmq; allatum fuisset, adiecit, panem etiam hùc deferte, & cùm coram eo panem quoque attulissent, signum contra paruissimum vasculum faciens, dixit: Potens est Deus, qui mensam populo suo in Eremo parauit, & aquam in abundantia de petra produxit, etiam nobis seruis suis de hoc vasculo sufficienter vini ministrare affluentiam. Mirum dictu penè, & incredibile facto, opus est sequutum. Cùm enim sexaginta, & eò ampliùs homines ibi adessent, qui tribus vicibus de ipso biberunt vasculo, ita plenum semper repertum est, ac si intactum post primam permansisset impletionem.

37. *Idem in vita S.Hemelandi Abb.25.Martij.* Contigit quandoque virum Dei cùm aliquot fratribus iter habere per Nonnentensem pagum. Fortè tùm illis obuiam venit Arnoldus quidam, multa dignitate, multisque diuitijs insignis, magna obsequentium turba stipatus. Ad eum prolixè tùm è scripturis diuinis sermonem habuit vir Sanctus, optimis eum sermonibus instituens. Ijs iam finitis, dixit vni è fratribus: Hactenùs quidem pro ingenioli nostri tenuitate huic illustri viro spiritualem ministrauimus potum, at nunc superest, vt hortante nos charitate, corporalem etiam pariter sumamus. Respondente fratre, perexiguum illic uini adesse, quodque vix heminæ mensuram excederet, hoc ipsum vir Sanctus iussit adferri, in illius virtute confidens, qui quinque panibus, quinque hominum millia abundè refecit. Allato vino, signum Crucis expressit, porrigique iussit Arnoldo, quem diximus, cunctisque qui illum comitabantur. Distribuitur mox omnibus, singuli singulos bibunt calices plenos, nec tamen vinum exhauritur. In cuius sanè præclari miraculi testimonium, vasculum illud, vndè vinum fundebatur, in sancti patris asseruatur monasterio.

38. *Idem in eadem vita S. Hermelandi Abb. 25. Mart.* Cùm aliquandò in pago Constantino res Monasterij necessariò perlustraret, quidam eius loci nobilis, vir Launus nomine, illum cùm discipulis eius vocauit ad prandium: non recusauit vir sanctus, vt erat comes, affabilis, & iucundus; ingressus igitur domum eius benè illis precatus est; in ea autem regione humus non gignit botros. Indè accidit, vt Launus non nisi parum haberet vini in vasculo quodam, & quidem tanto ille hospite lætus, conuocauit amicos, ex eoque uino non illis dumtaxat, sed etiam pauperibus, & peregrinis superuenientibus iussit liberaliter distribui; bibebant omnes hilariter, & interim Domino benedicente, non modò nihil de uino decessit, sed vasculum propemodùm vino redundare uisum est.

39. *Idem in vita S.Goaris Presb. 6.Iulij.* Tempore Assueri, qui primus cenobio Prumiæ præfuit, accidit, vt assolet, ex terræ sterilitate, minorem, in Gallicis regionibus, uini copiam prouenisse, iamque nouæ vindemiæ tempore propinquabant, & Clericis in cella uiri Dei degentibus, vna solummodò vini cuppa supererat; ea cùm cæpisset expendi, & quotidiè cùm ijsdem Clericis, tùm hospitibus, quorum ibi frequentia non minima semper existit, ex ea pocula præberentur, spatio nouem, siuè octo dierum transacto, cùm vix media eius parte, vel tertia, vinum contineri putaretur, rèpentè in ea ad summum vsque repertum est excreuisse, ut subiacens quoque pauimentum, uino excrescente, fuerit madefactum. Et meritò, quoniam vir beatus hospitalitatem propriè, & sincerè quoad vixit exercuit, actum est, ne vel ipsis seruientibus, vel hospitibus, qui superuenirent, vndè uinum ministraretur, deesset.

40. *Idem in vita Sancti Leodegarij Episcopi, & Martyris 2. Octob.* Cùm vir Dei Ansoaldus Episcopus Pictauorum, sacrum didicisset aduentare corpus Leodegarii, velocemque misisset nuncium, qui ex uilla ipsius, quam Interamnem vocant, abundè uinum promeret, vndè pauperes, & reliquum vulgus, quod Sanctum corpus prosequebatur, refici posset, idque ita factum esset; non diù post indicatum est, omnia uasa, quæ in cella, vndè vinum depromptum fuit, penè uacua remanserant, adeò redundare, vt uinum in pauimentum manaret, & nihilominùs uasa manerent plena.

41. *Idem in vita S.Othmari Abb. libr.1. cap.9. 16.Nouembris.* Magnum adhùc restat miraculum, quod

quod in facri corporis translatione deuotis fratribus Dominus patefecit; nam cùm ex nimia remigandi instantia fessi, adueniente refectionis hora, ad recuperandas, alimento corporeo, vires, laudibus Domini præmissis, consedissent, tandemque felici conuiuio intermisceri potus solatia commonerent, vnus ministrorum intulit, nil ibi, jam potuum superesse præter quod in flascone paruo seruabatur, vndè vix vnicuique quippiam ad gustandum potiùs, quàm ad bibendum præberi potuisset: illi verò miraculorum Domini, quomodò paucis panibus multitudinem hominum pauerit numerosam, facientes mentionem, ex eodem paruo, quod habebant, cunctis qui aderant, cùm charitate distribui fecerunt. Et mirum in modum cæpit in eodem vasculo, ita liquoris haustus crescere, vt continua effusione nihil minui videretur, quoadusque bibentes, poculorum copia vincerentur. Ergo pro rei nouitate obstupefacti, largitori omnium bonorum Domino, qui eis tàm mirabiliter sufficientiam præbuit, debitas gratiarum actiones, cùm laudibus persoluerunt.

42. *In actis S.S. 7. Ianuarij, apud Bollandum de S. Tillone Monacho.* Erat in cellario fratrum positum vas, quod vulgò Tonna vocatur, habens modicum Falerni, vndè ipse consueuerat fratribus charitatem erogare; accidit ergo quadam die, vt parum fratres Falerni pro benedictione perciperent de eodem vase, deindè Sanctus vir benedixit vasculum, atque à monasterio discessit. Facto autem die altero, fortuitò minister ingressus cellarium, inuenit Tonnam, quæ pridiè vacua remanserat, vsque ad os vino repletam; sed vir Domini primùm, indè modicum gustauit, & fratres qui aderant largissimos ex eo hauserunt potus.

43. *Ibidem in actis S. Frodoberti Abb. 8. Ianuarij.* Cùm sæpè charitatis officio ad sumendum poculum plurimos conuocaret, die quadam apothecariam solitò cellam ingressus, pauimenti faciem vini exuberantia reperit superfusam, veritusque, ne fortè vasculi incontinentia liquoris dispendium prouenisset, fratrem qui secùm fortè venerat, os superioris meatus inspicere præcepit: quo facto (mirum dictu quod est) vinum superne redundans aspicitur, satisque apertè constitit, quòd quantò hauriebat propensiùs charitas, tantò benigna Creatoris largitas hausta profusius reformabat.

44. *In actis S.S. Feb. tom. 1. in Contin. Bollandi.* Cùm ad S. Sorum Eremitam apud Petrocorios in Gallia angelico nutu progressus esset Guntramnus Rex, vt à lepra, qua laborabat, liberaretur, postquam aqua ab illo benedicta perfusus integræ reditus est sanitati; iussit sanctum Eremitam prandium Regi præparari; cùm autem, nec vinum, nec vuam, qua conficeretur, haberet, iussit seruo suo, vt tria grana, quæ in parua vite reperit pendere, exprimeret in vasa, factaque Deo oratione, statim, vt iussis sanctis obtemperauit minister, exuberans vini vnda repleuit cellaria.

45. *Ibidem.* Constitutus fuerat Oeconomus S. Cameliani Episcopi, dignissimus Dei presbyter S. Auentinus Trecis in Gallia, cùmque liberaliter pauperibus eleemosynam præberet, lagena vini centenaria, de qua quotidianis diebus in domo Ecclesiæ communi pariter hauriebatur, nullo modo vnquam minuebatur, sed potiùs accrescebat; volens autem Episcopus cognoscere, quod ex Dei virtute fiebat, iussit mittere virgam palmæ, vt sciret exindè quantùm potatum fuerat, & quantùm superesset; at vbi alterius personæ manus accessit ministrare, continuò cessauit fons ille, vt deinceps infra paucos dies exinanita lagena vsque euacuata esset.

46. *Ibidem.* Cùm dies Paschæ appropinquaret, voluit S. Brigida Kildariensis Abbatissa cœnam facere omnibus Ecclesiis, quæ circa se in circuitu oppidorum Medi fuerant, illa tamen materiam cœnæ non habebat, nisi vnum modium brasij, quia penuria panis illis temporibus erat in illa regione; fecit autem ceruisiam de illo modico in duabus pelnibus, diuisa postea illa ceruisia fuit per modios, & portata à Brigida decem, & octo Ecclesijs, quæ in circuitu eius erant, & de his in cæna Domini, & in Pascha, & in septimana, vsque ad clausulam Paschæ sufficienter omnibus abundauit.

47. *Ibidem.* Alio quoque tempore, cùm S. Helueus, & Brigida apud Currach Liphe essent, dixit ei Brigida: vinum non habeo pro sacrificio altaris, cui Helueus ait, affer mihi vasculum, vt vinum accipias; respondit Brigida: vas tibi, vbi illud reponere valeam, non habeo; tunc vas vitreum vino plenum de Cœlo missum est in S. Heluei sinum. Hoc vas cùm vino dedit ipse Brigidæ.

48. *In actis S. Carilephi Abb.* Cùm quondam Hildebertus Rex Galliæ, dùm venaretur, accessisset ad tugurium S. Carilephi, præbuit illi sanctus Abbas paruulum vas, vt biberet; at mirum, vas perparuulum in tantam exuberauit copiæ magnitudinem, vt liquor ille vbertìm à singulis, qui cùm Rege erant propinaretur, nec tamen detrimentum inopiæ, quousque omnes sufficienter biberent, pateretur.

49. *In actis S. Liduuigis Virginis libr. 1. cap. 19.* Cùm siccatum esset vas, ob vinum fœminæ paupercula exhibitum, vespere appropinquante cœperunt labia Virginis Liduuigis præ siti desiccari, petebat ergo à patre suo adhùc viuente, vt modicum vini ad refrigerandam ariditatem sitis sibi afferret, quo respondente, libenter, cùm amphoram tangeret, vt petitionem filiæ perficeret, protinùs se vino perfudit, quod diuino nutu in ea procuratum fuit: sicque pro modico, quod pauperi in necessitate gratanter dedit, multum meliùs, & largiùs à Deo recepit, hæc cùm pater filiæ retulisset, illa admirans, gratias Domino corde tenùs egit. Erat autem hoc vinum rubicundum, & ita benè temperatum, quod non indiguit cùm aqua illud miscere, quemadmodum in altero vino facere consueuit. Durabat verò hoc vinum à festo Remigij, vsque circa festum Conceptionis Beatæ Mariæ Virginis.

50. *Frodoardus lib. 1. Hist. Eccles. Rhem. cap. 12. de Beato Remigio.* Quodam tempore, dùm pontificali sollicitudine parochias peragraret, rogatus à quadam sobrina sua, nomine Celsa, Deo sacrata, villam ipsius vocabulo Celtum adiit. Ibi dùm bea-

tus vir spiritualibus colloquiis vitæ propinat hospiti de more pocula, minister præfatæ Celsæ vini sufficientiam dominæ suæ nunciat non adesse; re huiuscemodi cognita, S. Remigius, hanc hilari consolatur vultu, & post blanda verbi solamina, eiusdem sibi domus ostendi præcepit habitacula. Sicque de industria prius perlustrans cætera, tandem ad cellam peruenit vinariam, quam sibi faciens aperiri, rogitat, si fortè remanserit in aliquo vasorum quidpiam vini: & designato sibi vase, in quo tantillum vini, pro saluando scilicet eodem, relictum fuerat, claudi præcepit ostium, iussitque consistere loco cellarium, ipse verò ad alteram accedens vasis frontem, super idem, quod erat non modicæ quantitatis, Christi efformat Crucem, flectensque genua secùs parietem, cœlo deuotam dirigit precem; cæpit interea (mirum dictu) vinum per foramen superius exundare, ac supra pauimentum abundanter effluere; exclamat hoc viso cellarius stupore perclusus, sed mox à Sancto viro repressus, ne id palàm faciat, inhibetur; at quia tàm clari lumen operis minimè valuit abscondi, vbi consobrina sua factum comperit, eandem villam, ipsi, & Ecclesiæ ipsius perpetim possidendam tradidit, ac legali iure confirmauit.

51. *Matthaeus Vuestmonasteriensis*. Anno gratiæ 929. Rex Æthelstanus reliquias Sanctorum Regni sui, orationis gratia petere decernens, Glastoniæ Cœnobium in primis petiuit deuotus; erat autem ibi quædam nobilis Matrona, nomine Alfleda neptis eiusdem Regis, quę marito defuncto, vidualem ducere vitam exoptans, ad occidentalem Cœnobij plagam elegerat mansionem; hæc fæmina religiosa, Regi Æthelstano prandium studiosè parauit, quem gratia orationis Glastoniam venturum præsciuit. Præcursores verò regiæ administrationis, scientes quòd Rex nepti suæ, ad se diuertendi causa, hospitandi licentiam concessisset, die præcedenti venerunt ad videndum, si omnia necessaria præparata fuissent, & omnibus diligenter inspectis, dixerunt ad illam: vniuersæ administrationis sufficientiam habes, si tibi Medonis copia non deesset, quem Rex super omnes liquores potare affectat. Et illa; non patiatur mater Domini mei Iesu Christi, vt in mensa Regis Medo deficiat, & Dei Genitricis Ecclesiam intrans, Deum, & eius Matrem se rogatura prostrauit. Quid ergo? venit Rex multo stipatus militum comitatu, & post missarum celebrationes, inuitatus ad prandium introiuit, sed in primo propinatu vasculum illud exhausere auidi potatores ad vnius palmulæ mensuram, & post, Deo augente, & Beata fœmina promerente, nihil minuens tota die propinantibus substitit, ita vt cunctis mirantibus sufficeret vniuersis.

52. *Cæsarius libr. 10. cap. 13. mirac.* Miles quidam circa decimarum suarum solutionem tantæ erat deuotionis, ac iustitiæ, vt ei summum esset studium illas soluere sine mora. Habebat autem quandam vineam, quæ circa decem carattas vini annuatim faciebat. Tempore quodam, postquam collectum est vinum, vna tantum inuenta est caratta, quo audito, miles seruo suo dixit, quod meum erat, mihi Dominus abstulit, ego illi portionem suam non auferam, vade & da eam Sacerdoti pro decima, quod & factum est. Eodem tempore & anno, Sacerdos, eiusdem militis germanus, transiens iuxta vineam prædictam, vuis refertam vidit, mox ad fratrem intrans, eum de negligentia redarguit dicens: quare nondùm collecta est vinea vestra? respondente illo, iam diù collecta est; Sacerdos respondit, nequaquam, iam illam plenam vidi, quæsitum, & inuentum est, nec vnquam vberiores fructus fecit quam illo anno.

53. *In vita B. Bernardi Pœnitentis, Audomaropoli in Belgio*. Cùm ad sepulchrum eius multi concurrerent, Frater vinarius hospitibus de vino seruiens, vltimam penè ollæ suæ effusionem egenis direxit; sed cùm post paululùm de eadem olla vinum aliud afferre vellet, vas, quod penè vacuum putabat, vsque ad diffusionem plenum inuenit.

54. *In vita S. Vrsmari Episcopi, & Abb. in Belgio*. Dùm quadam die missas ageret, lecto Euangelio, vas, quod consuetudinaliter iuxta altare cùm vino pendebat, in calicem versat, sed vinum ita erat congelatum, vt nec gutta profflueret. Dat vasculum clerico ministranti, vt glaciem igne resoluat; ipse interim officium percelebrat. Dùm tardat ille, respexit ad calicem, qui plenus vino inuentus est, adeò vt penè excresceret.

55. *In Hist. Camald. de B. Alberto Eremita*. Feruente opere cellæ duodecim operarij fodiendis lapidibus incumbebant; hi aquam defecisse ad bibendum lamentabantur, quod audiens vir Sanctus, vasculum vini illis tradidit, quod sibi dono missum eodem die fuerat. Quod cùm operarij paruæ mensuræ esse conspexissent, inuicem dicebant; quid hoc inter tantos? quibus, sumite, inquit, vir sanctus, potens est enim Deus, ex illo vobis sitim extinguere, biberunt ergo singuli semel, ac pluries, & vix vesperi vasculum vacuum reddere valuerunt, ex miraculo Deo gratias agentes.

56. *Gabriel Pennotus in Hist. Tripartita Can. Regul. lib. 3. cap. 51.* Quadam vice B. Franciscinus de Casali Canonicus Regularis, ob eximiam charitatem in pauperes, petijt à Superiore sibi dari pro pauperibus illud parum vini, quod de more remanet in vase, de quo conuentus totus bibit; libenter viro Dei annuit Pater; ille autem beatissimus per sex menses continuos de illo vino pauperibus abundanter tribuit, mirantibus cunctis, & stupentibus.

57. *In vita S. Petri Cœlestini cap. 26.* Erat aliquandò Pater iste sanctus sacra celebraturus mysteria, sed vinum deerat in pretiosum Christi sanguinem institutione diuina, & Ecclesiastica traditione, consecrandum, quod vbi Pater sanctus comperit, vasa vacua iussit afferri, quæ mox sancti Patris benedictione, vino repleta sunt, & aqua, illius operante virtute, qui Sacerdotum ministerio, vinum conuertit in sanguinem.

58. *In vita Beati Roberti Cœlestini cap. 8.* Decem erant cùm beato Roberto apud Campobassum degentes Fratres, quorum gratia modicum dolium vino impleri iussit, quo ipsi, à vindemijs, cùm aduentantibus ad virum Dei fidelibus, potabantur. Die autem festo Sanctæ Luciæ, cùm iam vinum fluere

re

re desineret, promus ad Beatum Robertum accedens, rem ei indicat; pergit ad cellarium Robertus, dolium Cruce signat, & abscedit: & ex illo, per totum annum à Monachis, ac hospitibus innumeris abundanter bibitum fuit, nec defecit.

59. *in vita S. Francisca Romana*. Sanctę Franciscæ Pontianæ, cùm socer vas præstantioris vini sibi in cella reponi iussisset, illa id paulatim pauperibus distribuit; inuentum ab illo vas vacuum, & nurus obiurgata, quemadmodum & à Marito Laurentio, sed ipsa ad cellam reuersa, & genuflexa orat Dominum, vt non iam aquam, vt olim in Cana, sed aerem dolij velit in vinum mutare, ne imposterùm prohibeatur ab eleemosynis; moxque impetrauit, vt vas illud nobiliori longè vino repleretur.

60. *In vita S. Francisci de Paula*. Transiens S. Franciscus per Tenensem campum, in viculo quodam, cui Castellucci nomen, vini haustum petiuit à rustico primùm obuio; illoque humaniter respondente, non nisi vasculum vacuum sibi esse: Per charitatem inquit sanctus, accede ad vasculum: nec enim vacuum illud est. Neque frustrà dixit: plenum enim reperit rusticus, quod vacuum se dimisisse sciebat: Neque vinum dumtaxat Sancto, eiusque socijs fudit, sed conuicaneis quoque suis omnibus testimonio suo, magnam de viri Dei virtutibus opinionem ingessit.

61. *In vita B. Petri Consalez ord. Præd.* Dùm aliquandò B. Petrus rediret à suggestu, atque ex itinere, lassitudine confectus esset valdè, ad cuiusdam mulieris domum, sitis sedandæ causa, diuertit. Quæ cùm non haberet nisi tantùm parum vini in parua repositi lagena, quod quidam sacerdos illi conseruandum tradiderat, illud viro Dei dedit. Redijt non post longum temporis spatium prædictus Presbyter, atque vinaceum vas reperitum, acceptumque, maiori vini portione onustum præsentiuit, quàm antea reliquerat.

62. *Thomas Boz. lib. 12. cap. 23. de signis*. Lucretia Cademusta, è Laude Pompeia virgo sanctissima quadraginta quinque totos annos ægrota in lecto, maxima insignis patientiæ documenta edens decubuit; futura multa prædixit; cados aliquandò inanes, vt hospitibus quibusdam benè esset, vino, per imperium suæ fidei, repleuit.

63. *Dionysius Baldoccius in vita B. Hyppoliti Galantini lib. 2. cap. 6.* Precibus Beati Hyppoliti Galantini, vinum, quod quidam ipsius suasione pauperibus in eleemosynam distribuerat, mirabiliter auctum fuit.

64. *Franciscus à S. Maria in Hist. Carmelitana tom. 1. lib. 5. cap. 14.* Semel in conuentu Vallisoleti deficiente fratribus vino, mirabiliter inuisibili manu vasa eodem adimpleta fuere, quo serui Dei recreati sunt. Huic autem similia prodigia, & admiranda sæpè sæpiùs in eadem Historia aduenisse enarrantur.

65. *In Menolog. Carmelitano*. S. Maria Magdalena de Pazzijs, dolium, vino difuso, pulsante Monasterij paupertate, benedictionis signo adimpleuit.

66. *Nicol. Iansenius. lib. 2. cap. 7. in vita S. Dominici*. Adierat Sanctus vir sub vesperum ad sorores S. Xysti, & accitis omnibus ad cancellos, filiæ inquit meæ, ex piscatione redeo, in qua, Deo largiente, Magnum cepi piscem. Gandeonem scilicet, Alexandri inter primos nobilitatis Romanæ filium, in ordinem attraxerat; cùmq; super hac re nonnulla dixisset spiritualis solatij plena, atque ex labore siti vreretur, potus aliquid proferri iussit; traditur ei vinum in scypho, cruce præuia bibit, ac socijs præbet; ex eodem bibunt indè eius iussu sorores plùs centum. Refectis omnibus, nihil de liquore decessit; hinc cunctos admiratio tenuit, nouaque reuerentia.

67. *In eadem vita S. Dominici*. Cùm semel D. Dominicus cùm suis fratribus ad mensam accumberet, dixit ijs, qui mensæ ministrabant, vt vinum adferrent, illis dicentibus, se nihil vini habere; vir Dei plenus Spiritusancto: ite, inquit, ad dolium, & de vino in illud à Domino infuso, nobis haurite: eunt illi, & inuenerunt dolium vino optimo redundans, quod haustum fratribus attulerunt.

68. *Bzouius an. 1419. nu. 18. de S. Vincentio Ferrerio*. Quadam vice, vinum, vndè ad sex hominum millia, qui virum sanctum sequebantur, biberant, non solùm nihil imminutum est, sed etiam in decem annos seruatum; licet tàm multum indè distribueretur, vt vno anno vix posset sufficere.

69. *In actis S. Catharinæ Senensis*. Cùm in Ciuitate Pisana virgo esset infirmitate corporis adeò grauata, vt de eius vita valdè dubitaretur, & sermo de vino albo, quod vulgò Vernaciam dicunt, pro virginis pulsibus liniendis occurrisset: rogauerunt quemdam ex vicinis, qui hactenùs vinum eiusmodi habere consueuerat, ille verò se libenter traditurum, si haberet, asseruit: eo enim se elapsis tribus mensibus carere affirmauit, nuncio subiungens in huius argumentum veritatis, vade tu ipse ad vas, qui cùm iuisset, cadum inuenit vino abundare, quare tota domus obstupuit: haurientes itaque eiusmodi vinum, non pro virgine tantùm, sed etiam pro vicinis, ciuibusque quàm plurimis: omnibus asserentibus, nunquam vinum excellentius bibisse: miraculum hoc palàm fit, ita vt postea domum fortè egrediente virgine, illicò ciuitas vniuersa ad eam venerit; optabant enim videre virginem, quæ cùm vinum non gustaret, vino miraculosè vacuum vas implere potuit; quod vbi animaduertit virgo, contristata fuit, & humiliter orando Dominum rogauit, vt vinum illud taliter euanesceret, vt omnis fama huiusmodi prodigij cessaret; exaudiuit Dominus vocem eius, & quasi contristationem illius sufferre non valens, primo miraculo, secundum non ignobilius addidit, quia cùm è vino miraculosè multiplicato, multi ex ciuibus, multa deuotione bibissent, nec ex hoc vas videretur quoquomodo vacuatum esse, protinùs tamen totum vinum in fæcem conuersum, factum est impotabile: quod vt virgo intellexit, iucunda effecta est, sponso suo gratias agens, qui eam à laudibus hominum, quas ægrè tollerabat, liberauerat.

70. In

70. *In eadem vita*. Alia vice oratione eius dolium vini, quod vix viginti dies soli familiæ suffecisset, ad tres menses, & familiæ, & pauperibus confertim venientibus, vinum vberrimè effudit, quamquam Catharina non præposita mensura pauperibus ministraret.

71. *Arnoldus Rayssius in auct.S.S.Belgij 1.Feb. de Ven. Guinardo, ordinis Prædicatorum*. Aliquando post prandium, hospitum domum (idest cœnaculum, in quo hospites extra commune refectorium tractari solent) ingressus, cellario præcepit, vt adferret fratribus, & sibi vini scyphum, quo respondente, per triduum antea vinum defecisse, nec esse quod apponeret: iubente sancto viro, fratre ad dolium, vt hauriret, aduentante, vltrà spem plenum inuentum est; cæteris verò fratribus diù ad augmentum miraculi postea vinum indè subministrauit. Hoc autem factum fuisse piè credendum est, oratione, & meritis viri Dei Guinardi, tunc cœnobij Traiectensis Præfecti.

72. *Thom.Cantip. de Ioanne prædicatore*. Venerabilem Reginaldum Abbatem quondam Blesensem narrantem audiui, quòd dictus frater Ioannes oppidum quoddam intrauerat, & occurrit ei, ac sequebatur infinita hominum multitudo, quem vt transeuntem vidit mulier, quæ in cellario stabat, & vinum trahebat è dolio, cùm clepsedram in manu oblita, in plateam cucurrit, & auidis oculis sanctum virum, non modico spatio properantem inspexit; vt ergo ad se retraxit oculos, inuenit clepsedram in manu sua, currensque ad dolium, totum vinum per cellarium effusum vidit; Consternata ergo vltra quàm credi posset, quia virum suum crudelissimum exhorrebat, cucurrit post seruum Dei, & apprehenso pede eius, cùm clamore valido, & lachrymis, narrat euentum casus, & quantum sibi ex hoc ex crudelitate viri periculum immineret; tùm Frater compatiens mulieri, benedixit illi: & præcepit, vt reuertens in Domino secura mente confidat. Mirare lector, quod gestum est, reuertitur mulier ad cellarium, dolium totum repletum inuenit, siccam aream cellarij, nec in sola gutta vini humectatam. Ad euidentiam autem tanti miraculi, ipsum dolium in fronte Ecclesiæ dictus Abbas, à quo hæc percepi, suspensum vidit.

73. *In vita B. Ioannis Sanfacundi*. Anno M. CCCCLXIII. in tota Hispania præparcè vinum creuerat, vt ex vite exiguum omninò vas nostri expresserint, sed cùm F. Ioannes præfectus esset triclinij, ac promus condus, huiusce merito vinum Deus auxit, adeò ut, cùm promeret, non minueretur, sed scaturigine noua continenter accresceret: hoc vinum ad vindemiam anni sequentis extitit: primùmque fuit miraculorum, quæ Deus cultoris sui causa patrauit.

74. *In vita B.Ioseph. Ord. Pramonstrat. Cap.* 54. Semel vir Dei, cùm socio religioso laico iter faciebat, & cùm iam omninò fatiscentibus artubus caderet in defectam, consedit, & porrigi sibi laguntulam, quam secùm portabat, postulauit; cui socius itineris sui ait: iam de ista laguncula non bibetis, quia exhausta; ait Ioseph: oro, fac mihi duos calamos, quos per orificium lagunculæ, in fundum eius immitam, si forsitàm ibi aliquam guttam inueniam, quæ me aliquantulùm refocillet, quia iam totus in defectu sum; at ille, licet sciret nihil remansisse humidi in laguncula, obtemperauit tamen, & factos calamos porrexit Ioseph, quos ille mittens in fundum lagunculæ hausit vinum, quantùm cùm calamis poterat exhauriri, & dixit socio suo: accipe, & bibe tu: credidit ille se deceptum, eo quòd fuisset aliquid in laguncula, & ori, vt biberet, applicauit; sed cum trahentem, per calamos, nihil sequeretur, omninò comperit se non fuisse deceptum, dixitque ad Ioseph: quid bibitur, vbi nihil penitùs inuenitur? Respondit; tu nihil omninò scis, & accepta lagena, ait, verte in partem hanc, vt inuenias, & bibit etiam secundò, porrexitque ministro; tentauit ille iterùm, sed nihil inuenit. Ioseph verò iterùm cùm quadam iucunditate exprobans ei, quòd nihil inueniret, accepta laguncula, bibit & tertiò, nihil penitùs inueniente ministro: quia verè naturaliter nihil erat. Quod autem vir plenus gratia, vinum inuenit, vbi non fuerat; illius gratia factum est, qui cuncta creditur creasse de nihilo, & qui electo suo tàm inauditum voluit miraculam non deesse.

75. *Ascanius Persius in Hist. de Imag. B. Virg. montis Guardiæ*. Cùm Paula Maria Garzonia, huiusce Monasterij Vicaria, præfecturam suam, expleto iam biennio, relinqueret nouæ, videlicet Februniæ Buttrigariæ, ac rem illi omnem domesticam singillatim perscriptam, vt moris est, contraderet, imperatum ab ea Thomæ Stiuano Monasterij famulo fuerat, vt vasa omnia vinaria, quæcumque vacarent, elueret, vti rectè curata Vicariæ ineunti traderentur; vini in cella perexiguum inerat, quod vix in pauculos sufficeret dies, itaque magna, de prouidendo potu, sollicitudo Buttrigariam incesserat; cùm interea famulum mirabundum audiunt mira domi euenisse clamantem: maximum dolium, quod ipsemet aqua iniecta perluerat, ac defæcarat, mero, & quidem generosissimo se inuenisse plenum; summa omnium admiratione (vt par erat) excepta re, statim in mentem ijs venit portenti, quod in vacua euenerat hydria, subijtque simul eas, non semel declarasse Deiparam peculiari sibi ipsas esse curæ. Igitur cœleste id ipsius esse subsidium haud sibi ægrè persuadent; quippè eam non minùs, nunc domesticis suis, vini laborantibus inopia, quàm aduenis olim ibidem aquam petentibus, succurrendum censuisse. Cùm ergo ad cellam omnes vinariam rei visendæ adeò nouæ studio procurrissent, nihil mentitum inueniunt hominem, dolium, quod nuper inane esse certò sciebant, vino iam plenum apertè vident; ingenti igitur lætitia ingentes Deo, patronæque Virgini grates agunt.

76. *In annal.Min.anno.1225.n.1. de S. Francisco*. Toto hoc anno doloribus varijs laborauit Franciscus, vsque ad Autumnum, quo tempore rogantibus, sed & vrgentibus domino Cardinale Hugolino, & fratre Elia, transtulit se in Ciuitatem Reatinam, pro medicandis oculis, per peritos

ritos illius vrbis medicos, & chirurgos; id vt rescivit populus, processit obuiam turmatim, quem vt ille declinaret, diuertit ad Ecclesiam Sancti Fabiani ad duo milliaria ab vrbe distantem. In curia Pontificis (qui tunc residebat Reate, vt nostri monent authores, & mihi indubiam fecit fidem eiusdem regestum, per litteras ibidem datas, à mense Iulij, vsque ad Februarium anni sequentis) diuulgato eius aduentu, multi ex optimatibus, & aliqui ex Cardinalibus eum uisum abierunt; horum comites, & serui à uineola parochi, domui, in qua Franciscus iacebat, continua, cohiberi non poterant, ne ad appetitum, & ad satietatem vuas decerperent: Per auidos huiusmodi uindemiatores, factum est, ut absque vuis remaneret. Doluit ad damnum presbyter, sed conquestus apud uirum sanctum, interrogatur quanti æstimaret detrimentum? respondit, quatuordecim mensuras quotannis se collegisse ad sufficiens suæ domus ministerium; addit bonus hospes, satis sibi displicere aduentum suum damnum hoc superinduxisse, attamen à Domino sperandum iacturæ remedium, quem firmiter, inquit, credo, ultra illas quatuordecim mensuras, alias additurum ex paucis illis, qui supersunt, racemis; quam bonus Israel Deus his, qui recto sunt corde; probauit bonus ille sacerdos, dùm ex dissipata uinea iuxta uerbum prophetæ, uiginti collegerit mensuras ex qua nunquam antea ultra quatuordecim accepit.

77. *Ibidem an. 1231. in vita S. Antonij Vlyssipon.* Concionante quandoque uiro Dei ad sex milliaria extra urbem Podiensem, absoluto sermone quidam uiri fideles, uinum, & alia quædam ei miserunt: quod uinum gustans matrona quædam, cùm eius palato non placeret, festina domum abijt, melius uinum allatura; qua in re tàm fuit solicita, ut uasis epistomium apertum relinqueret, manuque ferens uertibulum, siuè partem illam qua epistomium obturatur, ad hominem Dei properaret; ad quem ut accessit, uidit in manu sua instrumentum illud, sensitque se non clausisse epistomium, moxque domum reuersa, totum cellarium uidit uino perfusum, confidens autem meritis Sancti uiri, in epistomio reposuit uertibulum, statimque dolium adeò est uino repletum, ut exundarit.

78. *Ibidem anno 1406. de B. Coleta.* Contigit quandoque dispensatricem Monasterij Sororem Ioannam Prebardellam quibusdam indigentibus uinum haurire, interim uocatur signo tintinnabuli à Coleta matre, currit celeriter, non clauso epistomio: interim uinum omne è uase effluit; illa sentiens se non clausisse epistomium, postquàm locuta est Coletæ, redit properè ad dolium, illudque planè uacuum comperit; magno igitur mærore affecta, cùm nihil iam superesset uini, adit Coletam, edicitque culpam, quam Coleta cernens eam summè afflictam; uade, inquit, filia, & nihil hæsitans hauri mihi uinum, illa dicente nihil relictum uini in uase, rursùs ait, abi in nomine Iesu Christi, abi fidenter; paret illa, & ecce uas reperit uino præstantissimi saporis redundans.

79. *Ibidem de B. Coleta virg. an. 1406.* Vinum ei plerumque datum, diù asseruabat, pauperibus distribuendum, sed etiam longo tempore distributum, nihil neque de quantitate, neque de gustu, & bonitate amisisse videbatur. Duobus fratribus, ob negotia religionis conficienda proficiscentibus, tempore incommodo, & periculoso itinere, aliquid vini dedit, quo in via uterentur; ibant illi, & redibant, & cùm esset opportunum bibebant in itinere ex illo vino sanè bono, nec quicquam tamen diminutum fuit.

80. *Gonzaga in Prouin. Tusciæ Con. 2. B. Margaritæ Cortonij.* Non silentio prætereundum existimo, quid hac in Ciuitate Cortoniana, in principio nascentis obseruantiæ contigerit. Vir quidam Fratres execrabatur, eius verò vxor illis addictissima erat; cùmque ille ex peculiari vinea defæcati vini post biennium vendendi, dolium repleuisset, illa toto eius curriculo, eo inscio, fratribus, tùm ad bibendum, tùm quoque ad celebrandum ex eo ministrauit; aduentante verò venditionis die anxia mulier ad fratres, vt pro se orarent, accurrit, & ecce dùm exhaustum ferè vas à viro detegitur, exuberare cœpit; cuius mysterij causam postquam ipse cognouit, deuotissimus euasit; insuper, & vineam hospitali cuidam Cortoniensi ea lege, moriens ex testamento reliquit, vt fratribus certas vini mensuras singulis annis in eleemosynam traderet. Huiusmodi prodigia alibi in ijsdem historijs enumerantur.

81. *Zacharias Bouerius in annal. Capuc. 1552. de F. Matth. à Bascio.* Eo factum est, vt cùm æstiuo tempore, aliquandò Senogalliæ agrum prædicando peragraret, multa illum puerorum turba comitaretur, quos cùm pius Pater, ex itinere fessos, & siti, ac calore languidos conspiceret, paruam vini lagenam à muliere eleemosyna acceptam, quæ tamen omnibus haud sufficere poterat, pueris apponit; bibit puerorum multitudo: cùmque vniuersi, quod sibi ad sitim extinguendam satis erat, hausissent, diuina tamen virtute factum est, vt lagena plena adhùc mulieri restituta fuerit.

82. *Idem ibidem an. 1553. de F. Matth. à Leonissa.* Hoc ipso tempore contigit, vt per Antrcdochi Oppidum iter faciens, ad piam quamdam mulierem, Claram nomine, hospitij causa diuerteret, quæ cùm vinum, quo hospitem exciperet, præ inopia non haberet, clàm ad tabernam vinariam mittere decreuerat, vt indè sibi vinum compararet: at Matthæus factum anteuertens, mulier ait: quid ab exteris vinum quærere paras; cùm illud domi copiosum habeas? an non si ad dolium miseris, illud tibi vinum ministrabit? cui illa: certè Pater frustrà ad dolium prouocas, illud enim iam pridem exhaustum est, neque à multis diebus vinum reddit: nihil vereare (subdit Matthæus) semel adhùc tantùm ad dolium mitte; cùmque ea Patris dicto obtemperans, festina ad dolium cucurrisset, illud vino plenum offendit, atque vt huius viri virtus, qua apud Deum valebat, clariùs innotesceret, tanta ex eo dolio deinceps vini copia effluxit, vt non modò, per diuturnum

turnum

turnum temporis spatium, toti domus familiæ sufficeret, sed cùm illud, ex Matthæi præcepto abundè pauperibus, atque ægrotis erogaret, vix tandem exhaustum fuerit.

83. *Idem ibidem an.1554.de F. Bernardino Astense.* Quodam tempore dùm F. Bernardinus à Monte Vlmo, ob cordis deliquium modico uino egeret: præsens aderat Bernardinus, qui ab hospite vini paululùm postulans, ab eo audit, nihil prorsùs vini in domo superesse: perge, inquit, ad dolium, ne dubita, Dominus enim tibi, ac nobis vinum dabit; pergens ille, dolium vsque ad effusionem vino plenum reperit: quo æger, ac tota deinceps familia recreata fuit. Idem quoque cùm Romæ esset, cuidam familiari suo, qui Baptista vocabatur, præstitit, quem cùm domi inuiseret, ille ad Bernardinum ait, Pater mi, vinum profectò tibi gustandum offerem, nisi is nuper in dolio defecisset: at neque hoc tempore, præterquàm uappa in tabernis venalis est; cui Bernardinus; vir es modicæ fidei, inquit, quid de uino dubitas? ito celeriter, vinum pro te, ac pro nobis è dolio hauri; pergit Baptista, cui viri virtus iamdiù perspecta erat ac multa fide plenus, dolium explorat: quid plura? plenum accipit, uinum haurit, & ad Bernardinum defert, quodque portentum auget, quamquam ex eo is copiosè deindè pauperibus, Bernardini iussu, distribueret, sibi tamen, ac suis usque ad tertium mensem abundè suffecit. Alio quoque tempore cùm Franciscum Æsinum itineris comitem haberet, nihil uterque, aut panis, aut uini secùm tulerat; iam maiorem diei uiam ieiuni confecerant; cùm Bernardinus, Franciscum ita affatur: Francisce, mihi modico uino ad uires instaurandas, opus esset; cui Franciscus, mihi quidem, inquit, cucurbitula est, sed uino uacua; amabò (subdit Bernardinus) nùm uini aliquid superfuerit, explora, parebo equidem, inquit Franciscus, sed iam pridem uacuam reliqui, cùmque cucurbitulam perlustrasset, optimo uino plenam reperit, quo uterque confortatus, reliquum uiæ alacriter in Domino peregerunt.

84. *Idem ibidem an.1572.de conuentu Siciniani in Diœcesi Salernitana.* Illud quoque admirabile diuinæ benignitatis testimonium, in hac conuentus ædificatione declaratum fuit; cùm enim Monasterij ædificandi cura F. Ruffino Libunatensi; & F. Antonio à Lacunigro, pijs, ac melioris nominis, sacerdotibus, iam ætate prouectis, à Patribus demandata esset, magna fabricatorum ac mercenariorum turba spontè ad opus conuenerat; quibus Ioannes Maffeus Oppidi illius Sacerdos, uitæ necessaria ministrabat; hoc tempore accidit, ut prandij hora aliquandò interpellante, uinum, quod tribus cadis, ac totidem grandioribus lagenis asseruari consueuerat, ijs nedùm ex obliuione impletis, operarijs deesset; quod ubi Ioannes animaduertit, cadosque, ac lagenas uino uacuas reperit, domum rediens, protinùs uinum afferrendum parabat; cùm Ruffino, & Antonio ex Oppido redeuntibus occurrit; quibus cùm is uini defectum aperuisset, haùd ita est (aiunt illi) adhùc uinum in cadis, ac lagenis ad potum superest; quibus cùm Ioannes uinum re uera deesse affirmaret: ne uini solicitus esto (aiunt) nobiscum redi, cùmque cados, ac lagenas Ioanne præsente explorassent, ea uino plena reperunt; quod cùm is à sola Dei uirtute profectum cerneret, ardentiori studio, quam antea, cæpto operi incumbit.

85. *Idem ibidem anno 1575. de F. Vincentio à Flauiano.* Cùm in pauperes adhùc sæcularis liberalior esset, quàm status, ac domus conditio ferret, contigit aliquandò, ut uinum, quod totius anni curriculo Familiæ sufficere debuerat, unius, aut alterius mensis spatio, in pauperum usum ab eo distributum, deficeret: quod cùm Fratribus, qui dolia uino uacua offenderant, compertum esset, ij Vincentium ueluti rei familiaris dilapidatorem, apud Patrem accusant, ut qui uinum, quod in annum familiæ repositum fuerat, uno mense dissipasset; haùd negat Vincentius se uinum in pauperes erogasse: at plurimum etiam nunc in dolijs superesse affirmat; cui Fratres, cuncta nos, inquiunt, dolia uirga explorauimus, atque in ijs uinum uix ad mensem usque reliquum esse deprehendimus. Pater uerò cùm rem certiùs agnoscere uellet, in cellam ipse uinariam descendit, dolia explorat, cunctaque uino ad os usque plena esse comperit: pauere omnes miraculo: Pater uerò diuino hoc testimonio admonitus, Vincentio omnem, tùm uini, tùm alterius domesticæ rei, pauperibus erogandæ facultatem facit.

86. *Idem ibidem anno 1557. de Frat. Iosephi à Cole-amato.* Cùm semel Cole-amati apud fratrem ægrotans, defruto uti minimè posset, crudum vinum à propinqua muliere quæritur, quæ non pridem dolium exhaustum esse respondet, vrget Iosephi Fratria, vt dolium diligentiùs exploretur, nùm vnum saltem uini ciathum reddat, quo ægrotantis necessitati subueniri queat; ad dolium itum est: quid plura? Deo, quod hominum inopia deerat, sua virtute supplente, dolium mero plenum conspicitur, uinumque non modò Viro Dei ægrotanti, sed & toti domus familiæ suppeditat; quod cùm uniuersos ad rei admirationem prouocasset, eos quoque ad laudes Deo persoluendas compellit.

87. *Idem anno 1565. de Frat. Ioanne Fassazio Mediolanense.* Quantis apud Deum Vir hic meritis fulgeret, illustre exemplum declarat; cùm enim æstiuo tempore Modœtia Mediolanum pergens, siti æstuaret, à tabernario uini poculum postulat, qui cùm ei illud denegare decreuisset, nihil apud se vini superesse respondet, tametsi plura dolia in domo uino plena seruaret; quo audito, pertransijt Ioannes; uix autem is indè unico iactu lapidis dilapsus fuerat, cùm Tabernarius ad cellam uinariam pergens, vt uinum hauriat, dolia omnia vino uacua inuenit; mox uexatio, quæ dat intellectum auditui, denegatum Ioanni uini poculum illi in mentem reuocat, quo factum esse agnoscit, ut crudelis illa mentis auaritia, quæ uinum pauperi negauerat, uinum ebiberit, & dolia exsiccauerit, Deoque culpam ulciscente, qui

qui uinum ad pauperis necessitatem subleuandam, mendosè sibi adesse negauerat, uinum re ipsa sibi abesse experiretur, dictumque ueritas sequeretur; quamobrem animo confusus, cùm nullum aliud tunc mens oportunum consilium ministraret; festinus post Ioannem, qui haùd procùl aberat, currit, à quo cùm denegatæ charitatis ueniam postulasset, rem quæ acciderat, cùm lachrymis narrat; is uerò uiri casum miseratus, iam inquit, domum redi, tecùm enim, & uinum in dolia redibit, cui cùm ille fidem adhibuisset, domum rediens, uinum quoque ad dolia reuersum comperit.

88. *Idem ibidem anno* 1578. Dominicus quidam Battaglinus, Vir pius, in Oppido Portiani Romanæ Prouinciæ, exiguum vini albi dolium Fratribus, ad Missæ ministerium, quotannis parabat: ex quo etiam ægrotis, qui in Oppido erant, vinum quoad illis opus erat, omni charitate ministrabat; porrò hoc anno contigit, vt cùm vinum ab eo Fratribus, pro missæ sacrificio, atque ægrotis, toto anni tempore, copiosiùs subministratum fuisset; sub mensis tandem Augusti finem, id quoque finem in dolio acciperet; quo tempore cùm Eleemosynarius vinum ad missæ ministerium ab ancilla posceret: respondit illa; dolium prorsùs exhaustum esse; quod cùm Dominicus audiret: ito, inquit ancillæ, tantùm adhùc vini reliquum erit, quo missæ lagenam impleas; cui Ancilla nullo pacto, ait, dolium enim diligentissimè exploraui, atque in pedes erexi: ibo tamen, vt iussis tuis obtemperem. Igitur cùm Ancilla in cellam vinariam descendisset, dolium explorat, illudque vsque ad os vino plenum, immò superèffluens cernit; qua re obstupefacta, protinùs ad Herum currens exclamat, dolium vino plenum esse, pia namque eleemosyna in Domini altare, & in ægrotos effusa abundantiorem è Cœlo vinum accipere meruit.

89. *In ann. Cleric. Minist. Infirm. ann.* 1612. Martha Galeassa ex terra Bucchlanici domi suæ cadum vini seruabat, ponderis, quantùm duo ferunt onusta animalia; vir eius in aduentu illùc V. P. Camilli, obtulit ei merum, & vas, cui grates de oblatione agens Camillus, recusauit suscipere oblata: attamen vir ille charitate clarus, toto mense Maij, manè, seròque tres phialas eo mero plenas Patri nostro domum immisit, & timentes ne accesceret, ex eo etiam ipsi bibebant, & quò magis extrahebatur, eò ampliùs meliorabat; quo viso, etiam Dominis Oppidi, veluti quid pretiosum largiebatur. Vlteriùs, cùm vir ille artis medicinæ professor, ab vniuersitate vocaretur, in Oppido Villæ magnæ, Bucchlanico duo milliaria distantis, illò abijt, quò mense Octobris eius vxor, ex eo vino onustum asellum transmisit vt vnà cùm Dominis terræ illius, ex illo optimo prælibarent mero; quid amplius? properauerat iam Autumni tempus, & consequenter vindemiarum, & merum modicissimè interfluebat; fortè vt euidentiùs larga Dei manus innotesceret. Itaque, vt cadum recenti vino mulier imbueret, fecit periculum illum euacuandi, & collecta, quæ domi erant vasa impleuit, attamen non euacuabatur vinum, idque, Patris Camilli meritis tribuens vicinas aduocauit, quæcunque vasa domi continerent, secùm exportarent; decem simùl vsq; personæ concurrere, omnes (mira siquidem res) optimo illo vino vasa impleuere, cùm verò defecissent vasa, illicò etiam defecit merum, quasi oleum tempore Elisæi Prophetæ.

90. *Ignatius de Nente in vita Ven. Sor. Dominica de Paradiso lib. 2. cap.* 52. Cùm quadam vice, toto anno, sorores Monasterij à Ven. Dominica conditi, uinum, quod ipsa emerat, bibissent, omnia dolia plena optimo uino, expleto anno, sunt reperta, multiplicante Deo, in necessitatibus, suis seruis, necessaria. Hoc autem prodigium in eodem monasterio aliàs euenit, multiplicante Deo, precibus Dominicæ, uinum, frumentum, farinam, aliaque necessaria.

91. *Ioseph Sylos in Hist. Cler. Reg. Par. 1. lib. 7.* Cùm semel Mediolani procurante nostratum Domum Hieremia Salodiensi, uini penuria, cùm tota Ciuitate, maximè nostrates laborarent, ita ut aqua cogerentur, frigidissimo hyeme, sitim extinguere, ecce improuisò tricenæ uini amphoræ, à pio uiro cœlitùs illuminato missæ, ingenti necessitati obuiauere.

92. *Idem ibidem Par. 3. lib. 1.* Semel in nostra Domo Bituntina nihil neque uini, neque numi erat, ut gustare frigidam oporteret; cùm à nobili matrona, nuncius monuit, mitterent qui, quod ipsis seruauerat uinum, tandiù haurirent, quoad dolium funderent: opportunè quidem, ac planè diuinitùs; nam uinum optimæ notæ fuit, manauitque perenni uena diutiùs dolium, ut mirata nobilis fæmina affirmauerit, nisi auctum occulta quadam ui Numinis, tandiù sufficere uinum minimè potuisse.

93. Hoc autem diuinæ prouidentiæ prodigium, non semel in nostra familia Clericorum Regularim effulsit.

94. *In vita P. Bernardini Realini è Soc. Iesu cap. 9.* Laboriosa ægrotans infirmitate, uinum album medici præcepto ex domo Nobilis petijt; dari Nobilis iussit, si quid in exhausto doliolo residuum foret, & stillauit tunc quidem guttatim, quantùm opus erat; uerùm duos præterea menses, ingenti domus admiratione, uas illud uacuum, bis quotidiè petenti, syncerum uinum, & optimum reddidit, nec priùs aruit, quàm actis gratijs significaret Nobili Bernardinus, se illo subsidio ampliùs non egere.

In Oleo huiusmodi relucet Diuina prouidentia.
§. 4.

IN oleo his similia Admiranda, Diuina operante uirtute, apparuere. Suntque.

1. *S. Greg. lib. 1. Dialog. cap. 6. de Nonnoso Præposito.* Dum quadam die in Monasterio uetus oleū deesset, iamque colligendæ oliuæ tempus incumberet, sed fructus in oleis nullus appareret, uisum patri Monasterij fuerat, ut circumquaque fratres, in colligendis oliuis, ad exhibenda extraneis

traneis

traneis opera pergerent, quatenùs ex mercede sui operis, aliquantulum Monasterio oleum deportarent; quod vir Domini Nonnosus fieri cùm magna humilitate prohibuit, ne exeuntes fratres è Monasterio, dùm lucra olei quærerent, animarum damna paterentur. Sed quia in Monasterij arboribus oliuæ paucæ inesse videbantur, eas colligi præcepit, & in prælo mitti, & quamlibet parùm olei exire potuisset, sibi met deferri; factumque est, & susceptum in paruo vasculo oleum fratres, Nonnoso Dei famulo detulerunt: quod ipse protinùs ante altare posuit, cunctisque egredientibus orauit, atque accersitis post modùm fratribus præcepit, vt hoc quod detulerunt oleum leuarent, & per cuncta vasa monasterij exiguè fundendo, diuiderent, quatenùs benedictione eiusdem olei omnia infusa viderentur, quæ protinùs vt erant vacua claudi fecit. Die verò altera aperta, omnia plena reperta sunt.

2. *Idem S. Gregorius lib. 2. Dial. cap. 29. de S. Benedicto*. In eo loco, vbi cùm fratribus orabat, vacuum erat ab oleo dolium, & coopertum; cùmque sanctus vir in oratione persisteret, cœpit operimentum eiusdem dolij, oleo excrescente, subleuari, quo commoto, atque subleuato, oleum, quod increuerat, ora dolii transiens, pauimentum loci, in quo incubuerat, inundabat, quod Benedictus Dei famulus vt aspexit, protinùs orationem compleuit, atque in pauimentum oleum defluere cessauit.

3. *Idem lib. 3. Dial. capit. 37. de Sanctulo*. Hic quodam tempore, cùm in prælo Longobardi oliuam premerent, vt oleum liquari debuisset, sicut iucundus erat, & vultu, & animo, vtrem vacuum ad prælum detulit, laborantesque Longobardos læto vultu salutauit, vtrem protulit, & iubendo potiùs, quàm petendo eum impleri sibi dixit; sed gentiles viri, qui tota iam die frustrà laborauerant, & ab oliuis exigere oleum, torquendo, non poterant, verba illius molestè susceperunt, eumque iniurijs insectati sunt; quibus vir Domini lætiori adhùc vultu respondit, dicens, si pro me oretis, istum vtrem Sanctulo impleatis, & sic à vobis reuertetur; cùmque illi ex oliuis oleum defluere non cernerent, & virum Dei ad implendum vtrem sibi insistere viderent, vehementer accensi, maioribus hunc verborum contumeliis detestari cœperunt; vir autem Dei videns, quòd ex prælo oleum, nullo modo, exiret, aquam sibi dari petiit, quam cunctis videntibus benedixit, atque in prælum suis manibus iactauit; ex qua protinùs benedictione tanta vbertas olei erupit, vt Longobardi, qui priùs diù incassum laborauerant, non solùm sua vascula omnia, sed vtrem quoque, quem vir Dei detulerat, implentes, gratias agerent: quia is qui oleum petere venerat, benedicendo dedit, quod postulabat.

4. *Greg. Turon. lib. 2. mirac. S. Martini cap. 32.* Quidam de diaconibus nostris malè à quartani typi febre cruciabatur, quem cùm plerumque arguerem, cur segnis ad basilicam S. Martini non proficisceretur, nec ex corde oraret, vt ei virtus Pontificis subueniret, tandem à nobis compulsus, ad beatum tumulum prouoluitur tremens; dehinc cùm paulisper ignis febrium quieuisset, rogat sibi exhiberi ampullam rosaceo oleo semiplenam; iam enim ad ipsam febrem ex illo, licet parùm profecisset, multum tamen expenderat: & erat media: perungensque ab hoc liquore frontem, & tempora, postulat, vt & vasculum secùs beati tumulum poneretur. Quarta verò die, cùm eum febris vrgeret, basilicam petit, prouolutusque diutissimè orauit. Apprehensam autem ampullam, quam reliquerat mediam, inuenit plenam, admiransque virtutem B. Antistitis, eam domum cùm timore, & veneratione reportat. Ex qua rursùs cùm esset perunctus protinùs omnis ardor quieuit incommodi, nec ab eodem vltrà confractus est. Quid etiam de eadem ampulla post hæc actum sit, non sine graui suspirio, atque miraculo memoramus; nam cùm in antedicti diaconi hospitiolo de pariete penderet, incursantibus insidiis inimici percussa est, atque in frusta decidit comminuta, effusumque oleum, velociter terra absorbuit; tamen puer qui aderat, cùm vidisset factum, accepto vasculo, ipsam terram exprimens, parùmper olei elicuit, rosamque, quæ effusa fuerat cùm effracto vitro colligens, nobis exhibuit; quod accipiens diligenter, in vasculum alterum transmisi, erat enim mensura olei, quasi dimidii calicis paruuli, & tamen in vasculo duorum digitorum tantam altitudinem fecit. In crastino autem prospiciens, erat altitudo olei quatuor digitorum; obstupefactus ergo ad virtutem sancti liquoris hoc signaculo meo munitum, atque coopertum reliqui: post dies autem septem iterùm prospiciens, plùs ibi quàm vnum sextarium reperi; aduocans autem diaconum, & hoc ei ostendens admirabar; ille verò affirmabat cùm iuramento, tantùm tunc in effracta periisse ampulla, quantùm tunc in ista cerneretur; quæ vsque hodie in Dei nomine beneficium petentibus præstat. Ipse quoque postea ab hoc vnguento similem infirmum perungens, oleo crescente sanauit, & multos deinceps, per illud sanitati restituit.

5. *Idem lib. 3. mirac. Sancti Marti. cap. 24.* Aridus ad festiuitatem Sancti, cùm illa, qua solitus est benignitate, humilitate, & charitate peruenit; regrediens verò, ampullam de oleo S. Sepulchi completam secùm detulit, dicens, forsitàm infirmus aliquis in via adest, qui de hac benedictione B. Martini corde compuncto accipere desiderat; denique in quodam loco deuota mulier accessit ad eum, exhibens ampullam aliam cùm oleo, dicens, rogo te serue Christi, vt tua, hoc oleum, benedictione sanctifices; at ille ne vanitati subiectus videretur, ait: parua est virtus mea; sed si placet, oleum de sepulchro B. Martini habeo, ex quo hoc oleum perfundatur, tu verò si credis eius virtutem magnam, ex hoc salutem hauries, at illa gaudens petiit expleri, quod presbyter loquebatur. Vas etenim, illud medium erat, cùmque de hoc liquore, qui à sancta basilica sancti assumptus fuerat, perfunderetur, protinus ebulliens oleum, ampullam vsque ad summitatem impleuit; quod Matrona cernens, admirans virtutem confessoris beati, domum reuersa est gaudens.

6. *Seuerus*

6. *Seuerus Sulpitius Dial. 3. de miraculis Sancti Martini*. Non prætereundum videtur, Auitiani comitis vxorem misisse Martino oleum, quod ad diuersas morborum causas necessarium (sicut est consuetudo) benediceret; ampullam vitream istiusmodi fuisse, vt rotunda in ventrem cresceret, ore producto, sed oris extantis concauum non repletum: quia ita moris sit vascula illa compleri, vt pars vmbonibus obstruendis libera relinquatur. Testabatur Presbyter, vidisse se oleum sub Martini benedictione creuisse, quoad exundante copia, supernè defflueret, eamdemque, dùm ad matrem familias vasculum referretur, seruasse virtutem; nam inter manus pueri portantis ita semper exundasse oleum, vt omne illius vestimentum copia superfusi liquoris operiret: matronam itaque ad summum labrum plenum vasculum recepisse, vt Presbyter hodiè fateatur, obdendi pessuli, quo claudi diligentiùs seruanda consueuerunt, in vitro illo spatium non fuisse.

7. *Theodoretus in Hist. Sanctorum Patrum de Polychronio capit. 24.* Cùm grauis illa siccitas, quæ homines affligebat, ad preces incitaret, venit ad eum multitudo sacerdotum, erat autem vnà cùm eis quidam quoque cui Antiochenæ regionis multi vici pascendi erant crediti; is ex ijs, qui aderant rogabat seniores, vt ei persuaderent, vt manum dexteram imponeret lecytho; cùm ij autem dixissent, eum non esse id facturum; dùm preces post hæc fierent, & venerandum mihi caput oraret, ille ponè stans porrexit duabus manibus lecythum; Is autem ita cœpit scatere, vt duo, aut tres ex ijs, qui aderant, manus extenderent, & eas plenas oleo acciperent.

8. *Idem B. Theodoretus in Religiosa historia cap. 14. de Masymate Syro*; Dicitur habuisse duo dolia, vnum quidem frumenti, alterum verò olei; ex his semper quidem suppeditabat omnibus egentibus, habebat autem ea semper plena benedictione, quæ data est viduæ Sareptanæ, & immissa fuerat in hæc dolia.

9. *Eugippius Abbas in vita S. Seuerini Noricorum Apostoli*. Vir Dei, quadam die cunctos pauperes in vna Basilica statuit congregari, oleum, prout poscebat ratio, largiturus; quam speciem in illis locis difficillimam, negotiatorum tantùm deferebat aduectio. Igitur tanquam benedictionis accipiendæ gratia, maior egenorum turba confluxit, pretiosum quippè ibidem huius liquoris alimentum, auxit turbam, numerumque poscentium; tunc beatus oratione completa, signoque Crucis expresso, solitum sibi scripturæ sacræ sermonem exprimens, ait: sit nomen Domini benedictum; tunc cœpit oleum propria manu ministris implere portantibus, imitatus seruus fidelis Dominum suum, qui non ministrari venerat, sed potiùs ministrare, sequensque vestigia Saluatoris, gaudebat augeri materiam, quam officio dexteræ, sinistra nesciente, fundebat; completis itaque vasculis pauperum, nihil minuebatur in manibus ministrantium. Tantum igitur Dei beneficium dùm circumstantes tacitè mirarentur, vnus eorum, cui nomen erat Biennius, magno timore perterritus, exclamauit dicens: Domine mi, crescit hic cacabus olei, & in modum fontis exundat; sic liquor ille gratissimus, prodita virtute, subtractus est, cui statim Christi famulus, exclamans, ait: quid fecisti frater? obstruxisti commodum plurimorum, ignoscat tibi Dominus Iesus Christus.

10. *Bzouius in annal. Eccles. Anno 1459. cap. 33.* Cùm rogasset Sanctus Antoninus Archiescopus Florentinus sorores duas, quæ Neapoli degebant, vt quibusdam hospitibus Florentinis, quos mensa acceptos, hilariùs volebat recreari, placentam, farina, & oleo subactam tùm melle illitam pararent; negarunt illæ, non quòd non cuperent fratri gratum facere, sed quòd nihil ferè olei, nihil mellis, & quod ad parandam placentam sufficeret, in vasis esset; mandauit bono essent animo, atque id tantillum sumerent, scirent abundè habituras se ad præsentem vsum, & imposterùm manantium liquorum in eisdem vasis copiam futuram. Quid plura? Paruerunt sorores, oleum verò in lecytho, mel in dolio, diuina quadam scaturigine sic creuit, vt integrum septennium ad vsus domesticos non deesset.

11. *In actis Sancti Desiderij Episcopi, & Mart.* Ab ea die, qua insulam ingressus est, cicindela oleo plena, quæ manu illius illuminata fuerat, virtute diuina, permansit indeficiens, semper ardens, & suam plenitudinem inexhaustam, ad gratiam viri Dei prædicandam, omnibus manifestans; & quod est mirabilius, quicumque cuiuslibet infirmitatis à S. Pontifice ex eodem liquore perunctus fuisset, illicò sanatus abibat.

12. *Myræus in factis Belgicis, de Sancta Genouefa Virgine*. Puerulum à natiuitate cœcum, surdum, & claudum, benedicti olei vnctione, & signo Crucis, perfectè sanauit; cùmque alium dæmoniacum similiter curare niteretur, pyxidem oleo vacuam reperit, neque Episcopum, qui oleum benediceret, ad manum habere poterat; quare ardentibus precibus à Domino, & oleum, & eiusdem vnctione dæmoniaci curationem impetrauit.

13. *In actis S.S. 7. Ianuarij apud Bollandum de Tillone Monacho*. Quodam tempore, cùm Almana vxor Lantarij Comitis, quæ primum maritum habuit, nomine Acronem, misisset ad Sanctum virum, vt aduersùs morborum causas, necessarium oleum benediceret, ampulla, quam miserat, vitrea, nequaquam fuerat plena, quod sancto benedicente, ita creuit, vt dùm ad matronam vasculum reportaretur, inter manus portantis pueri, sic exabundaret, vt omne illius vestimentum liquoris vnda inficeret: hoc videns matrona, ipsa quoque eum videre properauit, rebusque suis Ecclesiam ditauit, & Sancti orationibus se commendauit.

14. *In actis S.S. Feb. tom. 3. in Conti. Bollandi*. Ex caua arbore, in qua habitauit, dùm viueret Sancta Edigna Virgo, quæ Buechæ in Bauaria colitur, olim oleum infirmitatibus proficuum ema-

habat, sed cùm beneficium auari mortales venderent, fertur negasse benignitatem, fontemque olei exaruisse.

15. *In vita S.Agnetis Politiana*. Contigit aliquandò sororibus suis oleum deesse, quod ei per sororem, ad cuius officium pertinebat temporalia ministrare, cùm nunciatum fuisset; famula Domini in se ipsa parùmper cogitans, nuncianti respondit. Vide filia vtrùm aliquid quamtùmlibet parùm olei in vase remanserit. Cùm illa diceret, nec vnam guttam penitùs remansisse, Virgo Sancta respondit. Crede filia, quòd vas vacuum non est. Redi igitur, & iterùm videas, quia indubitanter omnipotentis Dei munere oleum in vase inuenies. Ad cuius vocem fidelis discipula humiliter obediendo, ad vas ipsum perrexit, ipsumque plenum oleo vsque ad summum inuenit. Et quod est mirabilius, licet vas paruum olei esset, quod vix paucis diebus ad quotidianum vsum sororum solebat sufficere, tunc per totam Quadragesimam in omni necessitate monasterij copiosè impensum, abundanter suffecit.

16. *Horatius Tursellinus, in vita Sancti Francisci Xauerij libr. 6. capit. 2.* Erat hoc Francisco solemne, vt mari iter faciens, quidquid viatici nomine attributum intulisset in nauim, vectoribus, nautisue egentibus distribueret, ipse emendicato victitaret cibo; itaque cùm oleum petentibus haùd malignè præberet, breui exhaustum est vasculum; venit deindè qui oleum peteret, & Xauerius ei dari iussit; negare eius socius quicquam reliquum esse olei, iam guttum exinanitum esse, inuersum ab se, & circumactum, ne gutta quidem olei iam ire; tunc Franciscus, abi dùm inquit, ac reuise: paret ille, ac subindè ad eum reuersus, guttum, quem inanem paulò ante reliquisset, iam olei plenum esse nunciat. At Xauerius miraculum de more dissimulans, abito igitur, inquit, & petenti benignè dato.

17. *Fridericus Fornerus de Ioseph Anchieta è Societ. Iesu*. Olei pauxillum, in summa annonæ difficultate, sic multiplicauit, vt longo tempore non deficeret.

18. *In vita Beatis Ioannis Medæ Confessoris*. Tempore Beati Ioannis Medæ Confessoris, erat quædam vidua, quæ paupertate acta, audiens viri sanctitatem celebrari, eum adiuit, exiguumque olei ab eo postulauit; statim vir Dei iussit dispensatori, vt viduæ succurreret indigentiæ, qui dixit, nihil reliqui olei esse, & datum indigentibus fuisse, vasque, in quo seruabatur, vacuum. Adiecit Beatus Ioannes suo dispensatori, iret, reperturus olei vas oleo repletum, iuit, & rem verbis respondisse reperit, vas hùcusque Nouocomi seruatur, vbi accidit hoc miraculum.

19. *Angelus Manrique in Annal. Cisterciens. Anno 1175. capit. 6.* Floruit in cœnobio Cisterciensi Sancti Clementis in Vrbe Toletana, Sanctissima Abbatissa, quæ meritis gloriosa, post mortem sepulchro suo impetrauit, vt ex eo oleum primùm salutare, verùm parciùs erumpens, deinde apertis amplis velut meatibus, abundanter, & largè ad omnes monasterij vsus scaturiret. Et perdurasset miraculum fortassis ad nostra tempora, si non venalem facere voluissent diuinam gratiam, oleum inquam de sepulchro sancto ebulliens, quod sumptus monasterij longè excedens, alienis poterat etiam inseruire; sed ibi oleum cessauit misericordiæ, vbi quæstus incæpit, nec vltrà erupit, sed tantùm madefecit sepulchri terram.

20. *In annalibus Minorum Anno 1251. numer. 10. de Sancta Clara*. Die quadam Christi ancillis sic ex toto defecerat oleum, vt nullum adesset saltem pro debilibus condimentum; accepit Domina Clara vasculum vnum, & humilitatis magistra suis manibus lauat, ponit vas vacuum seorsùm, vndè frater eleemosynarius illud accipiat, & vocatus est ipse frater, vt pro acquirendo oleo vadat: accelerat deuotus frater, vt succurrat inopiæ tantæ, & ad sumendum vasculum currit; non enim volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei. Etenim solo influente Deo, vas illud plenum oleo reperitur.

21. *Ibidem anno 1356. num. 26. de Beata Michaelina*. Pisauri cùm gaudio, & reuerentia excepta, pauperi oleum petenti, ex inani vase tribuit abundanter, & piæ fœminæ paupercula lecythum vacuum cœlitùs obtinuit oleo optimo adimpleri.

22. *Gonzaga in Prouincia Sancti Angeli, de Conuentu Sanctæ Mariæ de Valle aspera*. Iacent in hoc Conuentu soror Ioanna, sororque Catharina de Vino, ambæ Tertiariæ, ambæque sanctissimæ fœminæ, quarum vtraque, cùm per integrum annum haustum ex vase oleum fratribus, *summa* liberalitate, & ad lucem coram *Venerabili* Eucharistiæ sacramento confouendam, & ad alios vsus necessarios, ministrasset, elapso totius anni curriculo, inexhaustum vas omnimòque redundans inuenit.

23. *Zachar. Bouer. in Annal. Capuccin. 1532. de Frat. Ludouico Regino*. Cùm semel Frater Ludouicus, per Lucaniam cùm socijs graderetur, à pio quodam hospite meritorio campestri, qui Topinus cognominabatur, sub prandii horam ad refectionem euocatus, ab eo hospitio excipitur, qui cùm illi, ac sociis, commune acetarium, quo vescerentur, solo aceto intinctum apposuisset: Ludouicus parùm olei, quo illud inungat sibi afferri postulat, cui Topinus, postulationem certè pater mi, (inquit) procùl dubio præoccupassem, vltròque oleum dedissem, nisi illud externa die totum ita consumptum fuisset, vt nec quicquam in vase oleario reliquum superfuerit; verùm, si tantisper expectare lubet, illud nobis celeriùs ex Vrbe afferretur; at Ludouicus, haùd longiori (ait) mora, siue expectatione opus est, vas diligentiùs perlustra, & oleum reperies; cui Stabularius: quid tristitiam auges? Pater: nihil sanè mihi molestiùs, quàm hoc me charitatis officio vobis satisfacere non posse: at non est cur ad vas pergam, quandoquidem ego hisce manibus hesterna die totum effudi. Ludouicus verò, vade (inquit) & semel adhùc vas explora,

explora; & illud tibi, & nobis procul dubio oleum dabit. Hospes verò cùm Ludouico potiùs morem gerere, quàm oleum quærere, sibi in animum induxisset, ad vas accedit, illudque ad os vsque oleo plenum cernit: quare prodigio obstupefactus, ac mente excedens, protinùs exclamat: ò viri! ò viri! accurrite, en potentum; at Ludouicus illum obiurgans: quid clamas? (inquit) obmutesce; nùm ignoras, quæ à Dei prouidentia nobis quotidiè administrantur, assidua esse Dei miracula? fortè benè olearium vas antea non exploraueras; vocem quidem tunc hospes ad Ludouici præceptum cohibuit: at post Ludouici discessum, quot quot ad illud hospitium diuerterent, ijs præclarum hoc diuinæ liberalitatis testimonium prædicabat. Verùntamen huic cœlesti prodigio alterum æquè illustre adiunctum fuit, vt eo prioris veritas cœlesti testimonio confirmata, luculentior fieret; vas enim illud olearium, quod vix vnius mensis spatio, domus vsui sufficere solebat, diuino illo prodigio plenum, tanto deinceps oleo abundauit, vt non vno dumtaxat mense, sed ad tertium, quartum, & quintum vsq; mensem, oleum dederit.

24. *Idem ibidem anno* 1565. *de Frat. Bernardino à monte Vlmo*. Ad Neapolitanæ Prouinciæ administrationem vocatus, dùm in eo munere versatur, accidit, vt per Oppidum Montis Herculis, aliquandò iter faciens, à pia quadam muliere domo exciperetur: à qua cùm oleum ad lucernæ ignem fouendum peteret; respondet illa: nihil quidem sibi tunc olei in vase superesse: attamen quàm primùm prouisum iri, cui Bernardinus: quid opus est, inquit, oleum aliundè quærere? vas oleum habet, si diligenter inspicias; illa, ve viro Dei morem gereret; protinùs ad vas pergens, illud oleo, Deo serui sui verba prodigio confirmante, plenum recipit: cùm tamen in eo antea ne gutta quidem relicta fuisset.

25. *Bzouius in annal. Eccles. Anno* 1314. *numer*. 27. Cuidam mulieri pauperi B. Iacobus Venetus ordinis Prædicatorum, sola oratione oleum multiplicauit.

26. *In Ann. Cleric. Minist. Infirmis, Anno* 1612. Inter defluxum horum temporum, Domina Laura vxor Honophrij de Lellis, Patris nostri Camilli patruelis, serui Dei hortatu, sanctissimo Sacramento Eucharistiæ Ecclesiæ nostræ oleum suggerere, & prouidere aliquandò certis Patrum necessitatibus operata est; ad hoc autem praenoscendum, hoc est, quæ quantitas quoquo mense absumeretur, ollam grandem impleuit, deposuitque in loco, vbi manus de ea, neque detrahere, nihilque super imponere posset; denique cùm plures lecythos hausisset, dùm sanè putabat oleum fuisse exhaustum, vel penè exinanitum, ollam inspexit, & propè nihil ex ea diminutum agnouit; quare meritorum virtuti P. Camilli adscripsit, eiusque meritis creuisse oleum omnibus patefecit.

27. *In. m. s.* Tempore quo ab Vrbano VIII. Beatorum fastibus adscriptus est Pater noster S. Caietanus, dùm nostræ moniales congregationis Ven. M. Vrsulæ Neapoli, pluribus luminibus, triduò accensis, internam lætitiam, pro communis Patriarchæ exaltatione, patefacere conarentur; oleum multiplicatum mirabiliter admiratæ sunt; eamdem etenim in promptuario repererunt olei copiam, quam ante triduanam solemnitatem, in qua quadrigentæ lampades accensæ quotidie fuerant, reposuerant.

28. *Pepe in mirabil. Sancti Caietani mir.* 52. Quidam Chirurgus Neapoli, non tàm arte, quàm fide, tutissimum vulneribus, cæterisque præstabat infirmitatibus medicamen, oleo lampadis Diui Caietani: huius fidem quanti Beatus faceret, miraculo demonstrauit; oleum enim, quo quotidiè plurimos vngebat infirmos, in ampulla diuinitùs multiplicabatur, licet etenim nouum non adderetur, semper idem, indeficiensque apparebat in vitro.

29. *Idem ibidem m.* 161. Eodem oleo lampadis Sancti Caietani, ceù contra omnes morbos potentissimo pharmaco, adimpleuerat mediam ampullam Victoria Launello, dolebatq; tàm pretioso balsamo, totum vas haud replere potuisse, interimque Missæ, quæ in eius altari celebrabatur, assistebat; cùm ecce sensibiliter augeri oleum in ampulla obseruat, quod usque ad os creuit, tunc fletit, & omnis populus qui aderat glorificauit Deum in Sanctis suis.

30. *Idem ibidem m.* 222. Summa deuotione seruabat ampullam olei lampadis Diui Caietani Catharina Moralis Neapolitana, quo oleo, cùm ceù salutifero remedio quacunque in infirmitate vteretur, illudque circumuicinis ob eamdem causam distribueret populis, imminutum tamen, ceù diuinitùs multiplicatum, per multos annos obseruauit.

31. *Idem ibidem m.* 280. Alia mulier Neapoli nomine Portia Bizara, cùm à Sacrista D. Pauli, ampullam olei lampadis B. Caietani petijsset, recepit, sed modicum; cùmque ipsa ampullam illo adimpleri percuperet, maximè dolebat; cùm ecce mirabiliter oleum, multis cernentibus, in ampulla ebullire animaduertit, crescereque vsque ad os ampullæ, sicque, quod negauerat Sacrista, cœlitùs concessit Sanctus.

32. *Dominicus Maria Marchesius in vita Ven. Sor. Mariæ Villanæ Ordin. Prædicatorum*. Vasculum oleo plenum ad proprios vsus donauerat Vener. Sor. Mariæ Villanæ, eius Pater, quo cùm singulis noctibus ad fouendum propriæ lucernæ lumen vsque ad Gallicinium vteretur, per integrum mensem, lampadem ante imaginem Beatæ Mariæ Virginis ardentem, replesset, illudque suis Nouitijs, & aliquandò etiam totius Communitatis in vsus subministraret, nunquam tamen minuebatur, vasculo semper pleno, & quod ad duos solos menses sufficere potuerat, mirabiliter auctum, tribus annis perdurauit; diutiùsque perdurasset, ni peregrinus quidam incognitus, seu potiùs Angelus Dei, parum olei à serua Dei exposcens, vas vt euacuaretur in causa fuisset; cùm enim Sor. Maria illius vasculum,

quod nec quintæ partis olei videbatur capax; implere cœpisset, ab illo totum oleum exhaustum fuisse animaduertit; intellexitque eum, qui oleum mirabiliter auxerat, & defectum illius mirabiliùs causasse.

Oleum insuper lampadarum, ante sacras Aras, & Imagines ardentium, admirabiliter quandoque adauctum fuit, vel indeficienter durauit; sed de hoc cùm de sacris imaginibus tom. 2. lib. 5. cap. 2. §. 11.

Edulia diuinitùs data, aut mirabiliter aucta. §. 5.

PIjssimus Deus, nedùm panem, vinum, & oleum, sed & edulia suis seruis quamdòque de Cœlo misit, seù diuinitùs multiplicauit. De his.

1. *S. Petrus Damian. in vita S. Odilonis*. Dùm vir Domini apud monasterium Beati Martini, quod ad publicam stratam dicitur, receptus esset hospitio, sicut moris erat, vt vbicumque maneret, quòcumque se verteret, monachorum illicò frequentia non deesset, non paruus ei cœtus fratrum affluxit, quos ille cùm alacritate suscipiens, & priùs eis ineffabilis eloquij familiaritate communicat, & postmodùm, vt sibi pro charitate conuescantur, inuitat; sed dùm in longum sermo protrahitur, semotim quosdam ex familia seruos accipit, vtrùm sit, vndè refici fratres valeant inuitati, solerter inquirit; qui de cæteris quidem alimentis constare vtique perhibent quantitatem, de piscibus autem penè nihil esse, quod ad tantam hominum perueniat multitudinem; ad quos ille: In nomine, inquit, illius, qui nouit quinque millia hominum, ex pane modico, & gemino pisce reficere, non quasi nihil, vt dicitis, sed vberrimam nobis, & hospitibus nostris piscium copiam ministrate; cùm igitur mensæ discumbentium, pauci, qui aderant pisces à dapiferis inferuntur, cœpit esca in manibus discumbentium crescere: & quò magis à conuescentium turba consumitur, exuberantiùs abundare; adeò vt satiatis omnibus, plurima superessent, quæ non modò seruitoribus cunctis, sed & alijs si superuenirent, oblata sufficerent. Cui protinùs famuli, ecce Pater, inquiunt, quod pusillanimitas nostra non credidit, vestræ fidei meritum diuinitùs impetrauit; iam non dubitare didicimus, si promissionem vestram in articulo cuiuslibet difficultatis audimus. At ille, vt semper erat mitis, & humilis, non suæ fidei, quod diuinitùs factum erat, adscripsit, sed illorum potiùs obedientiæ, & Sanctorum hospitum meritis imputauit.

2. *In vitis Patrum auctore Ruffino libro secundo capit.* XI. *de Heleno*. Tertia septimana ieiunij sui, videt in deserto iacere diuersa poma sparsa, & intelligens dolos inimici, ait: non manducabo, neque contingam, ne Fratrem meum, hoc est animam meam scandalizem, scriptum est enim, quia non in cibo solo viuit homo, sed in omni verbo Dei; cùmque, & sequenti septimana ieiunaret, paulùlùm in somno deductus est, & ecce Angelus Domini astitit ei per visum, dicens: surge iam, & quæ tibi apposita inueneris, nihil dubitans vescere; surgens autem vidit aquæ fontem lenibus repletum fluentis, eiusque ripas in circuitu herbis quibusdam teneris, odoratisque prætextas; & accedens decerpere cœpit, & edere, similiter & ex fonte poculum sumere; confirmabat autem, se nunquam in omni vita sua, tantæ dulcedinis aliquid, & tantæ suauitatis hausisse.

3. *Surius in vita S. Theodosij Cœnobiarchæ* 11. *Ianuarij*. Erat dies festus Virginis Matris, in quo, propterea quòd erat valdè insignis, & solemnis, tàm magna conuenerat multitudo ad Monasterium Sancti Teodosij, vt ne sufficerent quidem, ad faciendum accumbere eos, qui accedebant, illi, quibus hoc commissum fuerat, tantum abest, vt haberent quod satis esset ad eos alendos, nisi in vna mensa oporteret vnum panem apponere; Qui autem arcas panarias antè impleuerat Dominus larga, & copiosa dextera, quæ aperitur, & nutrit quidquid ab ipsa est creatum, is quoque tàm mensas impleuit, vel, vt potiùs dicam, ventres, adeò vt cùm innumerabilis ille hominum conuentus fuisset plenus ad satietatem, tot essent sportæ reliquiarum, vt ipsi quoque, qui accubuerant multa domum tulerint, & his, qui seruiebant, ex ijs fint opiparæ posteà mensæ appositæ. Huic similia alia diuinæ prouidentiæ signa eidem S. Abbati, alias euenere.

4. *Idem in vita S. Saba* 5. *Decembris*. Anno 513. contigit Monachis in Laura sub Saba degentibus, ita necessaria deficere, vt ne quidem sufficeret panis ad Deo sacrificandum, & offerendum; confidente autem S. Abbate in diuina prouidentia, ecce, cùm nundùm aduenisset dies Dominicus, veniunt ad ipsum quidam tanquàm consultò missi à prouidentia, simùl ferentes onus triginta iumentorum: onus autem erat frumentum, & vinum, & oleum, & alia monachis apta ad alimentum, adeò vt Laura propemodùm esset angusta ad capiendas res esculentas.

5. *S. Antoninus* 2. *part. Chron. capit.* 13. §. 1. *tit.* 10. *de Sancto Maurilio Episcopo Andegauensi*. Transfretans mutato habitu, vt minùs nosceretur, vni principum regioni illius adhæsit, professus se hortulanum, vndè ad excolendum hortum suum eum deputauit, de labore manuum suarum sustentantem corpusculum; tantam autem copiam Dominus oleribus dabat, vt omnibus, quibus necesse erat, offerret, nec ipsa deficerent, vndè ab omnibus amabatur.

6. *Colganus in vita Sancti Kierani*. Frater Baithenus vas plenum lactis incautè super terram effudit, sed Sanctus senex Kieranus benedixit sancto signo illud vas, & ibi coram omnibus repletum est optimo lacte; tunc ille Frater qui effudit, & alij fratres timentes sanctissimum Magistrum, in Dei amore firmati sunt.

7. *Idem in vita S. Itæ Virg. & Abbatis.* 15. *Ianuarij*. Beatissima Ita Virgo omne studium, in biduanis, triduanis, & frequenter in quatriduanis ieiu-

ieiunijs, viuere dedit; Angelus autem Domini, quadam die, cùm ipsa esset fatigata ieiunijs, & fame, venit ad eam, & ait ei, sine mensura corpus tuum affligis ieiunijs, & ne ita facias; Sponsa verò Christi volente onus suum laxare, dixit ei Angelus; tantam tibi Dominus gratiam donauit, vt ab hoc die, vsque ad obitum tuum cibo cœlesti reficiaris; & tu non poteris non comedere, in quacunque hora Angelus Domini veniet ad te, afferens tibi prandium; tunc S. Ita inclinans se in terra, gratias agit Deo, & de illo prandio S. Ita alijs dabat, quibus sciebat dignum esse donari, sicque sine vllo dubio, vsque ad obitum suum, annona cælesti vixit, ministrante sibi Angelo.

8. *Idem in vita S. Colmanni*. Vir Dei videns patientiam iuuenis sui socij, tanto rigore, & inedia penè superatam, in Cœlum suspirans, ait; potens est Dominus Cœli, & terræ, cui nos inseruimus, tàm lautis ferculis, ac Reges terreni vescuntur, seruos suos reficere; quin & eisdem, quæ aulicis, & proceribus Guarij hodiè parantur, nos, si vellet, recreare, & tuam infirmitatem firmare; dùm hæc vir Dei diceret, cibaria mensæ Regiæ in palatio Durlussensi apponebantur, quibus visis, fertur Rex pius, diuino procùl dubio instinctu, dixisse: ò vtinam illa fercula essent apud seruum Dei Colmannum, in solitudine agentem, qui post longa ieiunia, & corporis afflictiones, meliùs, quàm nos promeruit à Domino omnium datore refici; res mira: omnes scutellæ, & cibi, qui erant in mensa Regis, mox omnium conspectui subtrahuntur, & inter S. Colmannum, & eius socium diuinitùs in ictu oculi sistuntur.

9. *Idem ibidem de eodem*. Rem hanc mirabilem, & penè incredibilem aliud confirmauit, & in hunc vsque diem confirmare dicitur miraculum. Rex enim, & proceres præfati miraculi nouitate perculsi, statuunt experimento ediscere, an prouisio illa, vti suspicabantur, ad virum Dei delata sit; quare tota aula dirigit extemplò gressus versùs Eremum, hi in curribus, illi in equis, alij alios præpeti pedum cursu præuenire contendentes: fœminæ, pueri, & tota Patria turmatim, Regem, & aulam sequuntur; dùm hæc fiunt, vir Dei conspecta tanta diuinæ bonitatis dignatione, in Domini laudes se effundit, prædicat, & extollit eius, cui seruire, regnare est, in suos fideles seruos miram indulgentiam, & quanta præmia mereantur actus seruorum Christi in Cœlis, à quo talibus dignationibus præueniuntur, & præmiantur in terris. Mandat subindè socio, vt è cibis, quos diuina prouidentia misit, deposita diffidentia, & animi imbecillitate comedat; quod cùm ille annueret facere, videt è regione in monte vicino, accurrentes vndique tot equitum, peditumq; turmas & subsequentem promiscui populi copiosam multitudinem: eoque aspectu hæret anxius, & turbatus, metuens sibi, & Sancto Patri vim inferendam; quod videns seruus Christi, in Domino suo multùm confidens, in virtute Dei mandat, ne propinquiùs accedant, aut pedem loco moueant, donec suus discipulus, ex propositis cibis necessitati satisfaciat naturæ, probetque non phantasticos, sed veros esse, quos Dei benignitas prouidit, qui non ex indigentia aliqua, sed ex recondito consilio sapientiæ suæ, vult seruos habere egenos, & famelicos, eorum famem, & inopiam, copiosis æternæ gloriæ, & cælestis Regni delitijs pariter, ac diuitiis recompensaturus: Res stupenda! hærent equites, hærent pedites, canes, & equi sistuntur: nec antè, nec retrò gressum mouere potuerunt, donec pij Regis Guarij intercessio apud Dei famulum promeruerat, omnes postea liberos dimitti. In tanti portenti perpetuam memoriam, & confirmationem, extare dicuntur, vsque in hunc diem, in diuersis istius saxosi montis partibus, expressa, formataque vestigia, quæ hominum, canumque plantæ, & ferreæ equorum soleæ, saxis impressa ad contuentium admirationem reliquerunt: & ipsa insuper via, à mirabili hoc euentu nomen sortita, bothurleanta-namias: idest, via inuestigandarum scutellarum, vulgò, ad hæc vsque tempora appellatur.

10. *Idem in vita S. Maccthei*. Mæcteus quadam vice benedicens aliquid butyri, cuidam dedit mulieri, dicens illi: pone hoc exiguum in vase tuo, sed præter te nemo sciat, vel videat, & distribue largiter Christi pauperibus, cunctisque indigentibus, quantò enim ampliùs distribuetur, tantò magis augmentabitur: dixit, & dictum subsequitur effectus, butyrum namque illud annis quatuor copiosè distributum durauit.

11. *Adamannus Scotus lib. 2. capit. 9. in vita S. Columbæ confess.* Quodam tempore, quidam iuuenis, Columbanus nomine, post vaccarum reuersus mulsionem, in dorso portans vasculum nouo plenum lacte, dixit ad Sanctum, vt iuxta morem, tale benediceret onus. Sanctus tùm ex aduerso eminùs in aere signum manu eleuata salutare depinxit, quod illicò valdè concussum est, gergennaque operculi, per sua bina foramina retrusa, longiùs proiecta est, operculum terra tenùs cecidit, lac ex maiore mensura in solum defusum est; iuuenculus vas cùm paruo, quod remanserat lactis super fundum in terra deponit, genua flectit suppliciter; ad quem, surge, ait Columba, hodiè in tua operatione negligenter egisti: Dæmonem enim in fundo vacui latitatem vasculi, impresso Dominicæ Crucis signo, ante infusionem lactis, non effugasti, cuius videlicet signi nunc virtutem non sustinens, tremefactus, toto pariter turbato vase, velociter, cùm lactis effusione, aufugit; hoc ergo ad me propiùs vasculum, vt illud benedicam, approxima; quo facto; Sanctus semiuacuum benedixit vas, eodemque momento diuinitùs repletum repertum est, paruumque, quod priùs in fundo remanserat vasis, sub sanctæ manus benedictione, vsque ad summum citiùs excreuit.

12. *In Marty. Gallicano 4. Feb.* Sanctus Auentinus Confessor cùm esset Cameliani Episcopi minister, promptuaria eius ita dispensauit, vt quamquam in egenorum subsidium plurima erogaret: nihil tamen ex creditis rebus decresceret, sed magis, ac magis ex diuinæ benedictionis influxu, exuberarent omnia.

13. *In vita S. Findani inclusi*. In festiuitate S. Brigittæ Virginis, non modicam pauperum turbam,

bam, vt sibi moris erat, collegit: carnem totam, quam habuit, iuxta numerum aggregatorum, particulatim incidi præcepit; hoc autem facto, ecce tanti pauperes, vt aderant, improuisè venerunt. Vir verò beatus in aduentu eorum, Deo gratias agens, particulas, quas ad numerum priùs commeantium parare iussit, in Dei largitate confisus, qui quinque panes inter quinque millia virorum multiplicauit, distribui fecit. Sed licet numerus geminaretur egenorum, & nihil de carnibus, vel ab illo, vel à quoquam adderetur, vnicuique tamen sua particula ex eadem caruncula inueniebatur.

14. *In actis S.S. Feb. tom. 1. in Cont. Bollandi.* Pauperibus distribuerat legumina omnia, quæ domi erant cuiusdam mercatoris (cui inseruiebat) S. Verdiana Virgo Castelli-Florentini in Hetruria; interim ea herus cuidam vendidit, acceptoque pretio, domum, vt ea secùm deportaret, deduxit emptorem; hic cùm vas vacuum reperisset, vociferari, & conuicia euomere cœpit, magno vicinorum, & domesticorum scandalo; quod vt cognouit S. Virgo, totam se orationi dedit, in eaque integram noctem exegit, postridiè arcam, vt priùs, fabis plenam inuenit; herum aduocat, & monet, vt querelis deinceps abstineat, Christus enim, qui fabas acceperat, eas illi restituerat.

15. *Ibidem.* Precibus B. Brigidæ Kildariensis Abbatissæ de modico butyro vas magnum, & grande mirabiliter adimpletum est, restituente illi Deo quod ipsa pauperibus dederat. Alio tempore, cùm lardum aduenientibus hospitibus in caldaria coxisset, cani adulanti, ac flagitanti misericorditer dedit, & tamen cùm lardum de caldaria tractum, ac postea hospitibus diuisum fuisset, plenissimè est repertum, ac si nihil indè demptum fuisset. Aliàs hospitabatur eadem S. Virgo in Ecclesia S. Lasræ, tunc venit illùc S. Patritius, cùm turba magna, vt hospitaretur in eodem loco: commota est igitur familia loci illius, dicuntque ad B. Brigidam, quid faciemus, quia non habemus cibos ad tantam turbam? dixitque S. Brigida, quantum habetis? qui dixerunt, non habemus nisi duodecim panes, & modicum lactis, & vnam ouem, quam coximus in escam tibi, & tuis; dixitque Brigida, sufficienter hæc nobis plurimis erunt; tunc ergo ex illo modico cibo comederunt duo populi simul, id est Patritij, & Brigidæ, & saturati sunt, & superfuerunt maiores reliquiæ, quàm antè fuerint materiæ.

16. *Ibidem.* Alia vice, iuit S. Brigida Kildariensis Abbatissa ad Virginem religiosam; illa auté non habens aliud, parauit ei cœnam de vitulo vnius suæ vaccæ, & ligna telæ suæ incidit, & coxit vitulum; audiens autem hæc, S. Brigida, manè restituit ei vitulum, & ligna telæ renouata inuenta sunt, vt antea fuerant.

17. *Ibidem.* Alia die, quidam alacer in forma pauperis venit ad S. Brigidam Kildariensem Abbatissam, sciens illam misericordem esse in pauperes, & iocularibus verbis postulauit ab ea veruecem de grege, & illa donauit ei, & ille iterùm veniens septem vicibus, & septem verueces, in nomine Domini postulans, per astutiam in forma pauperis, ab ea, vt voluit, impetrauit; vespere autem facto, dinumeratoque grege, certus numerus inuentus est: iterùm additis septem veruecibus gregi non ampliùs, quàm certus numerus inueniebatur.

18. *Ibidem tom. 2.* Cùm quadam vice propinquante quadragesima, locum habitandi, per sylvas quæreret S. Romualdus, repentè aquis vndique circumfluentibus, ita cùm duobus discipulis conclusus est, vt ne ipsi exire, nec aliqui ad eos venire possent; cùmque dies Dominicus aduenisset, & nulla spes alicuius cibi esset, Pater Sanctus, vt erat semper alacri vultu, fidenter ait: quia nisi Deus sibi cibum mitteret, ipse nullatenùs herbas manducaret. Sexta igitur hora diei, ecce tres iuuenes onusti vino, & alijs cibis adueniunt, qui se à Deo missos asserunt, & B. Romualdo cibos tradunt; tunc Romualdus cùm Fratribus Deum benedicunt, & repleti gaudio, cibum pariter capiunt.

19. *Ibidem in Martio. tom. 1.* Cùm miserabilis fames totum Regnum Nauarræ depopularetur, multi fame coacti, ad S. Veremundum Abbatem Hyrachensem, eleemosynam petituri, confluebant; ingrauescente verò in dies fame, multitudo, circiter tria millia hominum conuenit; verùm cùm domi non esset vndè tanta multitudo reficeretur, accurrit S. Pater ad altare peracturus sacra, diuinamque in tàm miserabili casu imploraturus clementiam; & ecce dùm ad illum locum deuentum esset, in quo sacerdos orat pro populo, & lachrymis à Deo postularet auxilium: columba alba de Cœlo descendens supra singula capita, quasi illos tangens, volitabat, atque mox cunctis videntibus *in cœlum* redijt; quo tantùm virium, tantamque saturitatem unusquisque sensit, ac si splendidissimis, & uarijs cibis esset refectus.

20. *In vita S. Roberti Abb. Casa-Dei.* Semel Vir Sanctus Luziacum locum suum ingressus, à creditoribus Fratris Ecclesiam illam regentis conuentus, importunis, ac clamosis uocibus diutiùs fatigatus, Fratrem uocauit; & ut hos clamores sedaret præcepit. Ad hæc ille: Non habeo, inquit Domine, quid eis reddatur, nisi parùmper annonæ, quod uix nobis per mensem sufficeret. Cui Vir Domini dixit: Illud modicum quod habes, solue, & non diffidas de Domini nostri bonitate. Cæpit itaque Frater debitoribus soluere, & mirum in modum omnibus solutis, uas plenum remansit, sibique ad quæcumque necessaria per annum integrum sufficiens fuit.

21. *In vita S. Cronani Abb. Roscreensis.* Quodam tempore S. Mochemoc cùm multis venit ad S. Cronanum; quod videns cellarius, cucurrit ad Patrem, dicens, se non habere nisi parum farinæ, & mediocre vas butyri, & minimum ceruisiæ. Sed Pater pius, de Christi largitate confisus, illa benedixit, pararique, & ministrari hospitibus, & familiæ iussit, quæ viri Dei benedictione, gratia Dei annuete, tantùm creuerunt, quòd ex illis centum viginti viri copiosè sunt refecti.

22. *In actis B. Luchesij tertij ordin. S. Francisci.* Quadam die occurrit ad ipsum sacerdos quidam, & ab ipso omnes cepas vnius areolæ emit, collegitque,

que, deindè super remanentibus vt Crucis signum apponeret rogatus est à presbytero; coactus fecit: sequenti manè redijt, & velut nihil indè collectum fuisset adinuenit.

23. *In vita S. Rodani Abb. Lothrensis*. Cùm S. Rodanus, & sui monachi habitarent in loco illo qui dicitur Dare-Etnech, misit ad illum filius Darane Dairi-moir, corticem magnum plenum butyro. Cùmque cortex iste super duos boues immites manè impositus esset, perrexerunt boues per grunnam à Dairi-moir, & in ista grunna viam valdè durissimam, & planam inuenerunt, quam nullus ante, aut post ibi inuenit. Cortex autem iste apud Rodanum diuidebatur, ter quinquaginta viris, ab initio vernalis temporis: & in die Pentecostes plenus sine diminutione cortex inuentus est.

24. *Thomas à Kempis in vita S. Liduuinæ Virginis cap. 21. lib. 1.* Pia, & misericors Virgo Liduuigis, dùm quadam vice percepisset aliquos pauperes, longo tempore, præ inopia, carnes non manducasse: & quia pro tunc non habebat carnes, quas daret, misit ad domum cuiusdam amici sui, petens, vt armum porcinum bulliret, & sibi transmitteret; quod ille libenter fecit, & transmisit; ipsa verò carnes paratas, & costas in partes diuisit, & prædictis pauperibus, quos indigentes nouerat, sine tardatione destinauit. Sed Omnipotens, & misericors Deus, qui nouit corda omnium, & nullum bonum relinquit irremuneratum, celerem vicissitudinem reddidit charitati huius benefactoris, etiam in præsenti: nam ingressus domum suam, cùm casu sursùm, ad carnes pendentes aspiceret, vidit (quod dictu mirabile est) in loco armi ablati, & Virgini, pro refectione pauperum, transmissi, alium meliorem, & pulchriorem pendentem; quod multi audientes, gratias Omnipotenti Deo retulerunt.

25. *Idem de eadem S. Liduuina lib. 1. capit. 22.* Similiter contigit, tempore quodam in autumno, vt Virgo quartam partem iunioris vaccæ emptam, in quarta parte vasis faceret saliri; sed & mediam partem cuiusdam mensuræ pisarum, pro necessitate pauperum procurauit, volens ex his tempore hyemali, quibusdam egenis domi residentibus subuenire. Cùm ergo ex prædictis carnibus misisset ad triginta sex ferè domos egenorum, reuersus ad eam nuncius, aiebat, se cùm admiratione tantùm distribuisse, quantùm primò in vase salierat, & adhùc parùm diminutum fore; simile de pisis fecerat, quæ, & valdè parùm minorata videbantur. Quo audito, Virgo magnam Dei bonitatem considerans, & gratias agens cœlesti prouisori suo, ait nuncio: ò quam magna est potentia Domini Dei nostri?

26. *Martinus Cromerus lib. 2. de rebus Polonorum*. Erat Crusuiciæ Oppidanus Piastus nomine Cossisconis filius, statum infrà mediocrem, crassis, atque robustis artubus mediam ætatem supergressus, agello modico colendo, & mellificio, uitam sustentans, homo simplex, & iustus, & beneficus in egenos, atque hospitalis pro modo facultatum suarum; is ex vxore suis moribus non aliena, cui Repichæ nomen erat, vnicum filium susceperat, eique viuente adhùc Popielo primam comam, gentilium vsu, tonsurus, & nomen impositurus, amicos ad eam ceremoniam, atque conuiuium, porco mactato, atque aquæ mulsæ vase infuso, inuitarat. Priùsquàm stata dies adesset, fortè obtulerunt ei se se ignoti duo homines, habitu peregrino, quos ille, cùm regia excluderentur, comiter inuitatos, hilarè domum suam introduxit: instruxit mensam, apposuit affatim ex ijs, quæ ad futurum conuiuium præparauerat. Ibi res mira, & stupenda accidit; accreuit porcina, redundauit ex vase mulsa, excepit Piastus, vasis admonitu hospitum conquisitis; Iisdemque auctoribus, non ciues modò, & amicos suos, verùm etiam Principem ipsum, (vt tunc minimè fastuosi, ac delicati erant Principes) cùm omni comitatu ipsius destinato conuiuio accepit. Eisdem igitur hospitibus sub tempus comitiorum reuertentibus, & iubentibus, Piastus ex tenui penu suo conuentum illum omnem, penuria laborantem, augescente rerum earum, quæ promebantur, copia, refecit. Quo miraculo vulgato, vna voce, omnes Piastum non humanis suffragijs, sed diuino iudicio Principem sibi dari conclamant, fit ad domum eius concursus orantium, & obsecrantium, labenti Reipublicæ, vt succurrat; recusat ille, tandem hospitibus illis suis authoribus assensus, ita vt erat veste, & peronibus ex Tiliæ cortice textis, indutus, in regiam à primoribus deducitur. Hospites illi perfuncti officio suo, disparuerunt; existimantur autem ij fuisse Angeli Dei, Beneficentiam, & hospitalitatem, etiam in alieno à vera religione, remunerantis.

27. *Ferrarius in Catal. S.S. 3. Iunij*. Cùm S.S. martyres Pergentinus, & Laurentinus in carcerem triduò sine cibo, & potu coniecti fuissent, eo tempore ab Angelo, cibo cælitùs delato refecti sunt.

28. *In Chr. S. Augustini*. B. Nicolaus Finus Senensis ord. S. Augustini, dùm suo præesset monasterio, magna in pauperes liberalitate prouentus omnes monasterij ijsdem distribuebat, sed ne dùm deficiebant, quinimmò magis semper augebantur.

29. *Ibidem*. B. Petrus Florentinus ord. S. August. tàm familiari Angelorum consortio fruebatur, ut quandoque cibum de cælo eidem afferrent. Non semel etiam diuinum officium cùm illo recitabant.

30. *Ferrarius in Cat. S.S. 99. Iunij*. In Fœtidum carcerem trusi S.S. Mart. Gaudentius Episcopus, & Columatus Diaconus, ab Angelo, qui eis affuit percussis custodibus, cælesti luce, & cibo recreati sunt.

31. *Idem ibidem* 19. *Iulij*. Cùm Episcopus, seruandum dedisset S. Petro Abbati Perusino vas electuario plenum, illud pauperibus à S. Abbate distributum fuit; cùmque Episcopus uas repeteret, ille Episcopi iram veritus, ad orationem confugiens, uas vt ante plenum inuenit.

32. *Idem 7. Octobris*. Carcere aliquot dies sine cibo

cibo, & potu inclusa S. Palatia Virgo, & Martyr, ab Angelo refecta, ad fortiter dimicandum roborata est.

33. *Arturus in annon. Marty. Franciscani 7. Martij de B. Margarita Virgine à Platea.* Ipsa tenella Virgo adhùc in cunabulis lac semel in diebus ieiunij sugebat: perfectioni postea virtutum, & assiduæ contemplationi uacans, Angelorum obsequio victum recipere meruit.

34. *In vita S. Francisci de Paula.* Quadam uice cùm egrederetur de cella, offendit operarium, cui ficum demonstrans dixit: putasne, me posse tibi, sociisque tuis omnibus ex hac ficu particulam dare? Operarius hoc impossibile putans, per modum ioci respondit ridendo: Pater si omnibus dederis, quod tibi restabit? cui vir Dei, Charissime, inquit, gratia Dei non deest indigentibus ea, ijs præcipuè qui digni sunt eam recipere. Tunc ergo diuidens ficum, frustulum vnicuique tradidit (erant enim uiginti viri) & nihilominùs ficus integra & absque diminutione ulla in eius sacris manibus mansit. Alia vice cùm B. Francisco exhibita esset cistula plena pomorum à quadam paupercula, & illic adessent personæ supra ducentas, & vnusquisque malum vnum cepisset; nihilominùs cistula euacuata non fuit, sed plena remansit; adeò quòd multitudo, quæ illic aderat, admirata ex tali miraculo fuit.

35. *Iocelinus in vita S. Patritij cap. 77.* S. Patritius semel quatuordecim millia hominum, quibus fuerat concionatus, exsaturauit, vaccam eis adponi iubens, oblatam ad eius diei epulum à S. Triamo Episcopo, ac duos item ceruos, totidemque apros, qui è proximo saltu ad eum aduenerant. Crastina autem die reperta est in campo vacca simillima occisæ, & comestæ, quæ cessit in vsum victus Triamo Episcopo, vt de illius aleretur lacte.

36. *In actis S. Alferi Abbatis.* Quina oua semel cùm haberet, & septem Hospites, sine fraude, sed non sine miraculo, singula singulis attribuit.

37. *Surius de S. Ioanne Gualberto 12. Iul.* Fame populum quodam tempore premente, beatus Pater stans ante fores Monasterij de Razuolo, vidensque gregem uaccarum eius in montis iugo herbas carpere, nec haberet alimoniam, quam petentibus pauperibus largiretur, ita precatus est. O Sancte Paule, si velles vnam ex his vaccis cedere in vsus pauperum. Confestim vacca deorsum corruens, extincta est, cuius carnes iussit egenis distribui. Ea distributa, similiter petiit sibi & secundam, & tertiam, & quartam dari, easque omnes pauperibus dedit. Ea re contristati pastores, gregem ad aliud montis latus abducere, sed vir pius pauperum precibus satisfacere desiderans, nec habens tamen vndè id posset, cùm lachrymis orauit: Sancte Paule, isti, loci mutatione fugere moliuntur, sed te, qui loci huius patronus es, effugere non possunt; tu qui misericordiam, & eleemosynas præstandas docuisti; dona mihi vndè pauperes sustentare queam. Mox aliæ quinque vaccæ ruerunt præcipites, quas eo casu extinctas, iussit Pater sanctus pauperibus erogari. Id vbi pastores aduerterunt; grauiter de illo conquesti sunt, asserebantque satiùs esse curare illum reduci ad suum Vallis Vmbrosæ Monasterium, quàm cùm tanta ipsorum iactura illic eum hærere. Quibus ille placidè respondit: Video vos hac re afflictos, sed bono animo estote: nullius porrò vaccæ iacturam facietis. Id quod etiam sic euenit.

38. *Attonus Pacensis in vita S. Ioan. Gualberti cap. 78.* Ioannes qui Camerarius, & Cellerarius erat, uidens immensam turbam Monachorum, Clericorum, ac Laicorum ad exequias S. Patris vndique conuenire, dùm non haberet quod tantis posset apponere, cæpit vehementer æstuare, nesciens omninò quid ageret. Tandem ad se reuersus, confidens in Domino, meritisque Patris Sancti præsumens ait. Qui de quinque panibus, quinque millia satiauit, potest interuentu nostri Patris Olera, simulque Legumina cùm alijs victualibus hodiè multiplicare; quo dicto, vascula, quæ more solito fratribus parare solebat, quæ quotidianis eorum vsibus vix sufficiebant, integra fide, spe certa, charitate perfecta, & ad coquendum cùm cibariis, statim præparauit, & ad ignem posuit. O mira res & stupenda. De vasculis, quibus solitam annonam fratres loci illius tantum alere solebat, à mane vsque ad noctem superuenientibus ibidem hospitibus administrauit. Nec ori alicui defecerunt, Sancti viri precibus mirabiliter aucta.

39. *Bzouius an. 1278. num. 26. de B. Sita.* Quadam vice quædam mater filijs onusta eam conuenit famelicis cibum poscens. Nihil erat ad manum, quo esurientes reficeret, præter fabas ad mensuram in arca reconditas venales. Iuit tamen Sita, arcam reclusit, fabarum non paruum sacculum repleuit, ac inopi dedit. Cùmque Fatinellus easdem postea diuenderet, iusta mensura qua mensus illas fuerat, remensus est: Deo annonam illam multiplicante propter pietatem Sitæ: cùm illa tamen multotiès eidem mulieri tantùm, quantùm ferre poterat, fabas conferret sine damno herili.

40. *S. Bonauentura in vita S. Francisci.* Cùm morã aliquandiù in Sclauoniæ partibus contraxisset, nec inuenire posset nauem tunc temporis transfretantem, fraudatum à suo desiderio se sentiens, nautas quosdam Anconam tendentes, vt amore Dei eum secùm ducerent exorauit; verùm illis propter expensarum defectum pertinaciter recusantibus, vir Dei plurimùm de bonitate eius confisus, nauem cùm socio latenter conscendit, adfuit quidam à Deo, ut creditur, pro paupere suo missus, qui secùm ferens necessaria victus, quendam timentem Deum de naui ad se vocatum sic alloquutus est. Hæc pro pauperibus fratribus in naui latentibus conserua fideliter, ac necessitatis tempore subministra; sic factum, vt nautis propter vim ventorum per dies plurimos nunquam applicare valentibus, omnia consumerentur ipsorum cibaria, & sola pauperi Francisco collata desuper eleemosyna superesset, quæ cùm esset modica, tantum diuinitùs suscepit augmentum, vt diebus plurimis in mari propter tempestatem con-

continuam contrahentibus moram, vsque ad portum Anconæ omnium necessitatibus subueniret.

41. *Vuadig. de B. Coleta an.* 1406. Vt plurimùm esculenta omnia ipsi oblata tàm largiter, & copiosè fratribus, & sororibus distribuebat, vt euidenter in eius manibus augeri viderentur, paucaque ab alijs ei data, & ab ipsa rursùs distributa, multis abundè sufficerent. Aliquandò data ei fuit propter Deum ouorum certa portio, idque ea in regione, vbi eorum rara erat copia; libenter accipiens in arca condidit, impertiitque libens omnibus petentibus, tùm sanis tùm ægrotis, nec tamen numerus eorum imminuebatur, & illa quidem id persensit, sed apud se tacitum habuit.

42. *Idem anno* 1456. *de Ven. Petro Regalato*. Graui correptus languore, cæpit molesto fastidientis stomachi malo laborare. Interrogatus à Medico, an quid quam appeteret, vel aliquod edulij genus placeret? respondit, peregrino quodam appetitu excitum sibi desiderium degustandæ coturnicis: Displicuit viro quod auem cuperet eo anni tempore raram, insipidam, & captu difficilem, attamen propter viri studium, & reuerentiam cogitauit ad aucupes mittere, qui prehenderent. Dùm in Oppidum à côuentu dissitum regreditur, ecce videt celerrimo volatu ad se properantem coturnicem insequente accipite, cuius vngues vt fugeret, Medici se credidit tutelæ. Rem secùm expendens, non tàm casu, quàm Dei prouidentia accidisse iudicauit, probauitque Deum ita suis complacere seruis, vt ad nutum videatur omnia ministrare. Infirmus & Medicus petierunt, & venit coturnix. Reuersus ad languentem Medicus, acta retulit, & conturnicem porrexit: acceptam vir Dei blanditijs demulcens, & veluti ratione pollentem fraternè alloquutus, dixit: Amantissima Sororcula, non est cur in meis manibus quidquam timeas, nolo proditoriè tecùm agere, mortem fugiens, vitam sperasti in Medici potestate, quam non potuit inimicus Accipiter, ego nolo mortem inferre, Vade, viue, Deum collauda; hisque dictis, liberam auolare permisit.

43. *Idem an.* 1463. *de S. Didaco*. Quodam die cùm iter faceret S. Didacus cùm socio, nec haberet quod manducaret, quique illi eleemosynas præstarent non inuenirentur, in quadam solitudine mappam mundam inuenerunt, supra ipsam panes, pisces, & malum aureum vnà cùm vasculo vini, ex quibus è cælo missis escis confortatus est.

44. *Idem an.* 1464. *de S. Amadeo Lusitano*. Per Galliam transiens, tandem peruenit Auinionem, vbi cùm nullius reciperetur hospitio, in hierocomio domo leprosorum ea nocte quieuit. Die sequenti in campo obuiauit ruricolæ, qui operarijs in campum cibum deferebat, petijtque vt egenti quidquam tribueret. Dedit illi panem, & pulli dimidium: sed cùm paulò post per eandem viam reuerteretur, & Amadeum sub arbore sedentem conspiceret, an non, inquit, paulò antea dimidiatum tibi porrexi pullum? Cui ille porrexisti benignè; & Dominus retribuet; vt quid respondit agricola, retribuet, qui quod dedi restituit? nam & pullum integrum inueni.

45. *Ibidem de S. Petro de Alcantara*. S. Petrus de Alcantara Fratres in extrema penuria, cælitùs delata alimonia, cibauit.

46. *Zachar. Bouerius in Annal. Capuccinorum an.* 1540. Hoc tempore cùm in Conuentu Potentiæ, quæ Lucaniæ vrbs est, Nouitius quidam deuotus ægrotans maxima cibi inappetentia laboraret, ab eleemosynario interrogatus, num cibi alicuius cupiditas ipsius animum pulsaret. Respondit ille, lactis si copia esset, se aliquo appetitu teneri. Hyems erat, cùm uniuersa alta niue operta, difficilem ad rura, quæ longè à Conuentu aberant, viam præstabant: quapropter cùm Quæstuarius lacte eo tempore frui difficillimum plane existimaret, secùmque animo quid ageret volutaret: En ianuæ tintinnabulum pulsatur, quam ille ipse aperiens, neminem quidem, qui ianuam pulsauerit, vas tantùmmodo lacte plenum propè ianuam humi positum offendit. Cùmque ianuam egressus, qui lac attulisset diligentiùs circumspiceret, ne vllius quidem vestigia in niue impressa esse animaduertit. quamobrem cæleste hic ministerium, ac suauem Dei prouidentiam, cui nihil est difficile, agnoscens, lac Nouitio propinat, qui eo hausto, haùd secùs quàm si cælesti pharmaco curatus fuisset, protinùs conualuit.

47. *Idem ibidem an.* 1552. *de Fratre Matthæo à Bascio*. Sæpè, præsertim cùm anni sterilitas pauperes opprimeret, fabas ad egenorum alimenta seminabat, quas cùm clementissimus Dominus vbique cælesti benedictione auctas multiplicaret, his egenis abundè succurrebat. Id presertim in Oppidis Martiani, Montis Cerignonis, Verucchij, & Sartiani visum fuit, vbi cùm vir Dei vrgente pauperum necessitudine varijs temporibus fabas seminasset, tàm mira Dei virtute incrementa dedere, vt illa non modò pauperum omnium ad eum confluentium alimento sufficerent, verùm & post subleuatam pauperum inopiam, ampliorem agrorum Dominis fructus vsuram reddiderint.

48. *Idem ibidem an.* 1561. Perusiæ cùm pia quædam mulier marito inconsulto calathum ouis plenum Nostris vltrò pro eleemosyna erogasset, coniux domum rediens, statim oua postulat, vt venalia in foro proferantur. At mulier coniugis iram metuens, mox ad B. Virginis, & S. Francisci opem confugit, supplexque eorum auxilium implorat, tùm ad penum pergens, in eo alterum calathum tot ouis refertum reperit, quot ea Fratribus paulò ante elargita fuerat. Cuius aspectu pia mulier commota, in tàm ingentes protinùs gemitus, ac ploratus prorupit, vt eò maritus accurrens, lachrymarum ab ea causam exquisierit: quam cùm mulier aperuisset, is, vt rem certiùs agnoscat, ad Fratrum Conuentum confestim aduolans, de ouorum calatho percunctatur; Ij oua adhùc integra cùm calatho ostendunt; quo miraculo adeò ille animo perculsus fuit, vt deinceps eleemosynam abundantiorem Monasterio decreuerit, singularique Fratres deuotione, quoad vixit, prosecutus fuerit.

49. *Idem ibidem an.* 1579. *de F. Francisco à Funiano*. Accidit hoc tempore, vt postquam pauperibus

peribus erogasset magnam grani, hordei, fabarum, atque leguminum copiam, quam à fidelibus in eorundem pauperum subsidium emendicauerat, saccus fabarius illi ex eleemosyna superesset, quamobrem à quodam viro Agricola agri partem impetrat, in qua fabas ad pauperum victum seminet. Porrò seminatæ fabæ cùm mirum in modum copia, ac magnitudine excreuissent: tùm Franciscus in publico suggestu vniuersos admonet, fabarium illud in pauperum alimoniam cedere, ac proindè pauperibus ijs liberè vesci licere. Mox pauperum multitudo ad fabas confluit, cunctique fabas ad saturitatem comedunt, secùm tollunt, canistros, ac fiscellas nullo vetante implent, domum asportant, sæpè fabarium repetunt, nec tamen fabas diminuunt, donec nouæ agris fruges succederent, quæ anni egestantem tollerent. Cæterùm neque Agricolæ pietati, qui agrum ad pauperum alimoniam accommodauerat, diuina liberalitas defuit, tot enim post plures fabarij vindemias, fabæ in agro reliquæ fuere, vt spem agri omnem superarent: neque Agricola tot se ex agro fabas vnquam collegisse affirmaret. Hoc quippe Deus velut cælesti testimonio, cunctis perspicuum esse voluit, quàm grata illi hæc erga pauperes charitas fuisset. Hoc ipso ad pauperes alendos fabarum remedio anno quoque 1570. quo tempore Foroliuium magna frugum egestas occupauerat, dùm in eadem vrbe Dei verbum disseminat, vsum, nostra M.S. tradunt: ibi enim & fabis seminatis, & diuina virtute instar priorum multiplicatis, pauperes vsque ad nouam segetem alit; atque è mortis faucibus hac charitate eripit.

50. *Ibidem an.1589. de Fr. Dominico à Buschetto*. Cùm vir Dei iam senio confectus, Foro-sempronium iter faceret, vnius adhùc milliarij spatio ab Oppido aberat, cùm viribus repentè cæpit destitui, vixque campestrem quandam ædiculam nactus, in ea prostratus iacebat. Socius verò cùm nihil, quo Senis vires instauraret, secùm ferret: animo grauiùs angebatur: quo tempore ex B. Virginis imagine, quæ fortè ibi depicta videbatur, non nihil excidisse animaduertens, calcis grumum suspicabatur, & illud attentiùs inspiciens, sacchari fragmentum esse comperit, quod ad senis inbecillitatem instaurandam à B. Virgine tunc oportunè ministrabatur; neque hæc vana credulitas fuit: eo siquidem degustato, vir Dei tàm facilè ab ea virium imbecillitate conualuit, vt reliquum iter expeditè breui tempore confecerit.

51. *In ann. Clericorum Minis. Infirmis an.1612* Semel V. Camillus in popinam binos mendicos introduxit, & coquo iussit, vt his egenis dapes subministraret, carnisque fustulum: cùm factum esset, aliorum item commiseratione excitus inopum, qui foris eleemosynam sperantes stabant, simile faciendum iniunxit Pater, vt nèpè illis quoque dapem, cùm modica carne elargiretur, exiens indè coquus, & supra quadraginta inopes spectans, stupuit, dixitque; Pater, si daturi sumus quod iussisti, nil Patribus reliquum erit mensæ apponendum, quem paruæ fidei arguit, statuitque vt obtemperaret; itaque obsequens coquus inanem reliquit ollam; indè parùm post adiit domus subminister popinam, eo quia prandii hora vrgebat, si parata edulia extarent; quandò verò intellexit, inspexitque vasa esca vacua, & agnouit à Patre Camillo pauperibus fuisse dispertita, silens, submisso capite indè secessit, putauitque paruum caseum loco edulij posse Patribus suppetere; dùm antem per sonitum signa mensæ properarent, transiretque per cubiculum P. Camilli, illum brachijs extensis, erectaque ceruice orare intuitus est, datoquæ prandii signo, ad popinam reccurrit, audiuitque à coquo, ollam, vt antea, carnibus, ac dapibus redundare, & altiore voce proclamante miraculum, miraculum, sed subitò occlusum est illius os, scientes, quantùm harum manifestatio rerum Patri nostro dipliceret, vndè latè tota Patrum familia de esca nouiter adaucta comedit, satis ac sufficienter pro vt nulla facta esset diminutio, Deo hilariter referentes vnanimiter grates. Non absimile mirum eduliorum incrementum, & alia vice illi accidit Neapoli, dùm in sui Conuentu Io. Bernardino, & Iacobo eius consobrinis cęnam præstaret, & aliàs.

52. *Ibidem*. Idem N. P. Camillus quadam vice pauperes ad se confugientes, misit in agrum fabis plenum, vt illis vescerentur, & licet eorumdem ingens multitudo illùc conflueret, famemque abundanter expleret, nunquam fabæ aliquandò defecisse uisę sunt; quinimmò ex superstitibus collegerunt modios tresdecim cùm dimidio, cùm si ea messis nemine perturbante fertilissima superincidisset, nec quartam de prænarrata permisisset colligi partem.

53. *Augustinus Florentinus in Histor. Camaldulensi*. Dùm in Monasterio Buldronis apud Florentiam Virginum Camaldulensium, Abbatissæ officio fungeretur Helisabeth Saluiata, quadam die inopia rerum omnium laborans, nil quod in prandio familiæ pararet omninò habebat, cùmque Familiam Deo Opt. Max. in oratione posita genuflexa, ac lachrymabunda propterea cõmendaret: Muliones duo ad ianuam ex improuiso pulsauerũt, qui quatuor mulos pane, vino, oleo, ac frumento onustos exonerarunt, interrogatique quisnam ea misisset, nullis rogatibus respondere voluerunt, sed sine mora discedentes, famulabus Deum laudandi ansam præbuerunt.

54. *In ann. Soc. Iesu*. Pater Andreas Oueydo qui vitam finiit Salembri an.1579. cùm maxima in pauperes charitate ferueret, omnibus quæ habebat in eorum vsum elargitis, cùm nihil quod daret superesset præter vnum bouem, qui erat ei necessarius ad sacra ornamenta gestanda, si quandò ex vna parte in alteram transeundum foret, eum mactari iussit, ex in pauperes distribui; Quam charitatem paulò post Deus illi remunerauit; si quidem nobilis quidam hæreticus, cùm Patris simùl necessitatem, charitatemque audiret, tanto sanctitatis exemplo motus, ad eum septuaginta, aut octoginta porcos, & quadraginta vaccas, ex alium commeatum misit, quibus; ipse suæ, pauperumq; necessitati subuenit.

55. *Ex annuis Litteris Soc. Iesu Insularum Phi-*

Philippinarum an. 1591. Cùm duo ex nostris iter facerent per solum arenosum sub meridiem, nimio æstum Solis tosti, & ab omni cibi, vel potus commeatu deserti: vbi Domino Deo suam afflictionem commendarunt, ecce improuisò, & tempore alienissimo, homo quidam humi in sabulo sedens, & quod ad mores attinet perhumanus, & modestus se offert. Præbet haud grauatè famelicis, & sitibundis recentes è canistro fructus, quibus vescentes recreati sunt; ex circumstantijs autem intellexerunt, eum Angelum Dei fuisse, seruis suis cibum afferentem.

56. *Matthæus Raderus in vita Petri Canisij è Soc. Iesu.* Is cùm morbo decumberet, & ab omni cibi appetitu perdito, sæpiùs à Ministro vrgeretur, vt indicaret, quo cibi desiderio teneretur, tandem auiculam nominauit, sed cùm venalis nulla inueniretur, vna quædam in cubiculum eius per fenestram se se inserens, quasi diuinitùs missa, facilè se capi permisit, ex qua, ille, parata, lautè se cenasse dixit.

57. *Franciscus à S. Maria in Hist. Carmelitan. tom. 1. lib. 5. cap. 4.* Cùm maxima inopia laborarent Moniales S. Teresiæ in Conuentu Villanouæ, fauit Deus necessitati Monasterij; Pyrus etenim, quæ multis abhinc annis paucos ferebat fructus, tanta tunc copia pyra produxit, vt ne dùm multo tempore monialium victui satisfuerint, sed & eorum venditione ab alijs monasterium necessitatibus fuerit subleuatum. Hanc pyrum imitatæ sunt aliæ fructiferæ arbores, quæ à S. M. Teresia benedictæ, ingentem fructuum copiam produxerunt.

58. *Idem ibidem cap. 16.* Ven. M. Catharina de Cardona ex Carmelitis discalceatis, cùm ad ipsam multitudo pauperum confugisset, vt ab imminenti fame liberarentur, facto signo crucis supra parum annonæ, quæ vix necessitati Monasterii sufficiebat, omnibus distribuit; indèque posteaquam omnes saturati sunt, in maiori quantitate adinuenta est, ac esset priùs, quàm pauperibus elargiretur.

59. *Idem ibidem in eadem Hist. pluribus in locis:* Cùm in Conuentibus à D. Teresia maxima in paupertate erectis, sæpè sæpiùs ingenti laborarent necessitate sorores, nunquam illis defuit benignus Pater, ne dùmque panem, vinum, ad victumque necessaria medijs inopinatis copiosè subministrauit, sed & delicatiores cibos, coturnices, perdices mala medica, aliosque fructus pro Infirmorum delitijs incognita manu benignè largitus est.

60. *Sylos in Hist. Cler. Reg. Par. 1. lib. 2.* Fuere quandòque nostri domesticæ rei, victusque difficultate vsque adeò pressi quàm sæpissimè, vt despondisse, nulla subsidij spe, animum quandòque viderentur; at quàm tempestiuè supplendæ inopiæ Numen adfuit, vt obstrictam semel fidem solueret. Argumento fuerit, nullo obsonio accumbentes persæpè Patres, repentinas epulas sub idem temporis momentum exhilarasse: peregrinam, ignotamque hominis manum aurum nonnunquam adnumerasse, cùm maximè suprema, præsentique inopia laborarent: repertum interdùm humi tantùm pecuniarum, quantùm eius diei famen pelleret: immissam quandòq; domum, aut relictam pro foribus nocte intempesta & clandestina quadam liberalitate annonam, certè, non alia putandum manu, quam Angeli. Planè si censere exempla id generis omnia consilium foret, iustam omninò historiam concinnare oporteret.

61. *Alonsus de Ouaglie in Hist. Regni Cilensis lib. 5. cap. 13.* Obsessa Ciuitate Imperiali in Regno Cilensi cùm iam omnis annona defecisset, ad intercessionem B. Virginis, cuius imagini miraculosæ, dictæ à Niue, deuotas fuderant præces obsessi, magna copia auium pluit è cælo, quibus miserabili inopiæ mirabiliter prouisum fuit.

62. *Halloix in vita S. Abercij Episcopi Hier. cap. 14.* Romam versùs iter aggressus Sanctus Episcopus, ceperat in viaticum panes pauculos, & in vnum eundemq; vtrem, pauxillum uini, et aceti, & olei infunderat; resumpturus tamen singula, cùm vellet, inconfusa impermixtaque. Curru publico vehebatur, & iam viæ aliquantulùm extra vrbem processerat, cùm vinitorem quendam conspicatus fodientem, colentemque vites, eum nominatim compellans, *Agedùm*, inquit *frater mi Trophimion* (id illi nomen erat) *meum vnà hoc iter Romam conficito.* Hic autem relictis extemplò ligone, & rutro, correptaque, quam humi ob laboris defatigationem deposuerat, veste, comitem se illi præbet, viæque adiutorem. Dùm ergo simùl iter agunt, & propter sitim, aliamue necessitatem vsus aliquid ex vtre hauriendi venit, res accidit, & auditu iucunda, & admiratione dignissima. Nam si vir Sanctus pro communi vsu depromi iuberet oleum, purum exibat oleum, si vinum, purum exibat uinum, si acetum, purum quoque acetum; at si Trophimion sua sponte, & sancti iniussu furtim aliquid gustare vini, vel premente siti, vel gula incitante vellet, mox vbi vtrem ori admouerat, pro vino acetum exibat, aut oleum; & contra, si nihil opus habens vino, inde acetum haurire cuperet, aut oleum, tunc uinum exibat meracissimum. Cernens igitur Trophimion eorum, quæ priuatim appeteret nil emanare, sed diuersa semper, & ea quibus tùm minimè indigeret, coactus est tandem solo Abercij arbitrio vtrem illum tractare fideliter, à quo nihil impetrare posset, attrectando fraudulenter.

Alia de hac materia videantur in Titulo de Animalibus, viris Sanctis diuinitùs obsequentibus, & inseruientibus.

Lac mirabiliter cælitùs haustum. §. 6.

Cælico lacte admirando modo quosdam depastos, Ecclesiasticis legimus in tabulis, hùcque huiusmodi spectare admiranda, haùd dubito Sunt autem.

1. *Henriquez 13. Maij.* In Ecclesia S. Beroli Castri Castellionis super Sequanam Lingonensis Diœcesis, quædam imago in veneratione, & honore Beatæ Virginis Mariæ antiquitùs extitit constructa, quæ quidem imago Sancto Bernardo Abbati Clareuallēsi filium suum obtulit miraculosè in

Eccle-

Ecclesia, dicens: Bernarde suscipe puerum meum totius Mundi redemptorem. Deindè quoque vltra omnem humanæ naturæ virtutem, ac si Christi frater naturalis fuisset, manu dictæ imaginis suscepta mammilla, illicò Beato Bernardo sibi deuoto, ore aperto, tres guttas lactis ab eiusdem imaginis mamillis profluentes miraculosè distillauit. Hæc imago, quæ in loco celebri, & eminenti conseruatur, tempore necessitatis ex eo deponitur à tribus sacerdotibus trium dierũ ieiunio præparatis & solemni in processione vnà cùm Reliquijs sancti Beroli à plurimis Virginibus eodem ieiunio triduano præmisso deuotissimè circumfertur. Sunt Castellione, qui dicant eandem Imaginem, lactis guttas, cùm demittitur stillare. Nunc quoque supersunt duo vitæ probatæ Presbyteri illìc demorantes, vnus Edmundus vocatur, alter Clemens, quondam præceptor Domini Vice-tenentis Gaillard, qui clarè, & palàm affirmant in manu tertij Sacerdotis, qui Iacobus Viandot dicebatur, modò defuncti, lactis copiam deffluxisse, ita vt sacristiam petere, illicque manus abluere cogeretur. Nec id semel, sed iterùm, atque iterùm sancto Patri accidisse pro certo constat. Nam & Spiræ in Germania simili fauore ab ipsa Dei parentè donatus est. Et etiam nũc ea imago, ex cuius mamilla lac miraculosè in os Bernardi effluxit, summa veneratione adseruatur, & maximo populi concursu præsertim fœminarum, quæ vel vberum dolore, vel lactis penuria laborant. Item in Clara-ualle dùm S. Abbas sermones super, *Missus est* scriberet, & totus laudibus D. Virginis intentus, quadam nocte templum intraret, in extasim raptus, eandem Dei genitricem puerulum Iesum dulciter amplectentem, & copioso Angelorum numero circumstipatam, magnoque, ac diuino splendore coruscam, contemplatus est, in cuius amorem dùm pius Pater ferretur, virginei lactis nectar, gustare meruit.

2. *Benedictus Gononus in Chr. B. Virg. an.* 1020. Cùm S. Fulbertus Carnotensis Episcopus in mortis constitutus periculo propter morbum, quem sacrum ignem vocant, qui eius linguam adurebat, quadam nocte plùs solitò doloribus vrgeretur, vidit Illustrissimam Dominam cùm magno comitatu, & apparatu, se monentem, vt aperiret os, quod cùm fecisset, subitò Puella formosissima (nempè Deipara) lac suauissimum ex mamilla exprimens, linguam eius omnino refrigerauit, & sanauit: eo suauissimo lacte Fulberti genæ perfusæ fuerunt, eiusque guttas in signum miraculi linteolis pretiosis absterfit S. Episcopus, quas adhùc hodiè in Carnotensi Ecclesia videre, & venerari licet.

3. *Marraccius, Antistites Mariani cap.* 9. §. 27. S. Ioannes Chrysostomus dùm adhùc esset puer, Deiparæque Virginis valdè deuotus, ex Virgineis tantæ Matris vberibus dulcissimo lacte meruit recreari.

4. *S. Petrus Damianus lib. 6. epist.* 29. Clericus quidam Niuernensis Ecclesiæ, morbo depressus elãguit, iam, iamque superexcrescente molestia moribundus ad extrema peruenit. Hic planè regulam sanctæ seruitutis indixerat, vt B. Dei Genitrici quotidiana per singulas horas laudum vota persolueret: cùmque de vita illius iam nemo confideret, & velut egressurus in eius pectore spiritus anxiè palpitaret, ecce Gloriosa Mater Dei sibi visibiliter adstitit, & sacri vberis papilla lac exprimens, eius labijs instillauit, & diuinæ virtutis antidoto protinùs ille resumptis viribus ex infirmitate conualuit.

5. *Vincentius Belu. in Spec. Hist. lib. 7. cap.* 84. Clericus quidam erat cæteroqui vanus; sed qui hanc haberet deuotionem, vt numquam templum præteriret, quin Christo, & sanctissima eius matre salutatis, diceret: Beatus venter qui te portauit, & vbera, quæ suxisti. Hunc, morbus eò iam deduxerat, vt morti propinquus, linguam sibi, ac labia dentibus miserè laniaret. In hac calamitate Angelus eius custos supplex Virgini pro Cliente factus, ita illam est affatus: meminisset quæ nunquam suorum non memor est Mater benignissima, hæc esse illa labia, hanc illam linguam, qua miser homo in Iesu Maria salutandis toties vsus fuisset. Satis fuit misericordiæ Matri id suggessisse. Itaque illicò adfuit, & ex vberibus illis, quæ ille sæpè beata prædicauerat, expresso in eius os (ò charitas) sacratissimo lacte, linguam, labia, totum denique hominem integræ sanitati restituit. Neque hoc contenta beneficio, maius longè adiecit, gratiam illi impetrando, vt spreto mundo, Religioni se daret, cùm dulci pietatis, & vitæ sanctioris sensu deinceps victurus, quem ex vberum illorum dulcedine traxisset.

6. *Arnold. Rayssi. in auct. ad nat. S. S. Belg. 8. Sept. de B. Alano de Rupe ord. Præd.* B. Virgo exerto vbere, lactis copiam B. Alano oranti aliquandò in os fudit.

7. *Masculus de S. Codrato mart. in Sinop.* Statim post ortum emortua matre, cùm lacte careret infans, mirè in altum à nube euehebatur, ibique diuinitùs pascebatur.

8. *Dominicus Maria Marchesius in vita Ven. Sor. Mariæ Villanæ ord. Prædic.* Cùm sæpè Ven. sor. Maria inter innumeras infirmitates, quibus corpus eius affligebatur, pustulis, vlceribusque Lingua eius afficeretur; Beata Virgo Maria illi apparens, lacque ex mamillis in os eius infundens, cælesti eo liquore, ceù saluberrimo pharmaco, eam ab omni linguæ morbo illicò curabat. Aliquandò eodem nectareo haustu ad depellendas animi sollicitudines mirabiliter recreabat.

Numismata, Aurum, Argentumue, diuinitùs data, aut multiplicata.

§. 7.

Vt Deus diuitiarum auctor, & cæcutientibus appareat, Aurum, Argentumue, quod hæreditario iure quibusdam est denegatum, ijs ipse aliquandò mirabiliter donauit, auxitque. De his.

1. *In Euangelica Historia.* Tributum vt solueret Iesus, iussit Petro, vt ad Mare piscatum iret, cùmque prendidisset piscem, aperto ore eius, inuenit state-

staterem, quem pro se, & magistro soluit ijs, qui didrachma accipiebant.

2. *S. Greg. libr. 1. Dial. cap. 8. de Bonifacio Ferentinæ Ciuitatis Episcopo*. Alio quoque tempore Constantius Presbyter nepos eius, equum suum duodecim aureis vendidit, quos in propria arca ponens, ad exercendum opus aliquod discessit. Tunc subitò ad Episcopum pauperes venerunt, qui importunè precabantur, vt eis Sanctus vir Bonifacius Episcopus ad consolationem suę inopiæ aliquid largiri debuisset. Sed vir Dei, quia quid tribueret non habebat, æstuare cœpit in cogitatione, ne ab eo pauperes vacui exirent. Cui repentè ad memoriam redijt: quia Constantius presbyter nepos eius, equum, quem sedere consueuerat, vendidisset, atque hoc ipsum in arca sua pretium haberet. Absente igitur eodem nepote suo accessit ad arcam, & piè violentus claustra arcæ comminuit, duodecim aureos tulit, eosque indigentibus vt placuit diuisit. Itaque Constantius presbyter reuersus ex opere, arcam fractam reperit, & Caballi sui pretium, quod in eam posuerat, non inuenit; cœpit itaque voce magna perstrepere, & cùm furore nimio clamare: omnes hìc viuunt, solus ego in Domo hac viuere non possum. Ad cuius nimirùm voces venit Episcopus, omnesque qui in eodem Episcopio aderant. Cùmque eum locutione blanda vir Dei temperare voluisset, cœpit ille cùm iurgio respondere, dicens: omnes tecùm viuunt, solus ego autem hìc viuere ante te non possum, redde mihi solidos meos. Quibus vocibus commotus Episcopus, Beatæ Mariæ Virginis Ecclesiam ingressus est, & eleuatis manibus, extenso vestimento, stando cœpit orare, vt ei redderet vndè Presbyteri furentis insaniã mitigare potuisset. Cùmq; subitò oculos ad vestimentum suum inter extensa brachia reduxit, repentè in sinu suo duodecim aureos inuenit ita fulgentes, tamquam si ex igne producti eadem hora fuissent. Qui mox de Ecclesia egressus, eos in sinum furentis Presbyteri proiecit, dicens: Ecce habes solidos, quos quæsisti, sed hoc tibi notum sit, quia post mortem meam in huius Ecclesiæ Episcopum non eligeris propter tuam auaritiam. Ex qua sententia veritatis colligitur, quia eosdem solidos Presbyter pro adipiscendo Episcopatu præparabat. Sed viri Dei sermo præualuit: nam idem Constantius in presbyteratus officio vitam finiuit.

3. *Cantipr. l. 2. c. 53.* In Theutoniæ partibus quidam Falcator, cùm iam vesperæ compulsarentur diei sequentis festiui, opus reliquit, & ad solemnitatem, licet ab alijs irrisus, festinauit; die tertia ad opus reuersus, vbi manum ad falcem posuit, ante se pendentem in surculo graminis drachmam miræ, & inuisæ magnitudinis auream mox inuenit.

4. *In vita Sancti Maioli Abbatis Cluniacensis cap. 4.* Aliquandò vir Dei maxima necessitate pressus, Ecclesiam ingressus, supernæ pietatis adiutorium petijt, cuius petitionem audiens Omnipotens, & misericors Deus, per Angelum suæ visitationis sub dextera precantis famuli iacentis, & extenti in terra cùm toto corpore, sexcentos solidos posuit; hoc cælestis benignitatis dono, isdem Dei famulus Maiolus remuneratus, eosdem solidos in priori loco reliquit, timens multùm, ne in aliquo illuderetur, vel deciperetur antiqui hostis dolo. Dùm verò in altero ipsius Ecclesiæ Oratorio precaretur super id negotium diuinæ largitatis solatium, simili modo eosdem solidos diuinitùs transpositos sub dextera sua inuenit, idque tertiò faciens, & donatæ diuinitùs consolationis pecuniam suscipiens, Omnipotenti Deo gratias reddidit, & lætus de acceptæ benedictionis dono, ad suos venit, ipsamque pecuniam cuidam suorum famulorum nomine Grimardo commendauit, qui rei illius occulatus inspector fuit.

5. *In vita Beati Roberti Cælestini cap. 8.* Dùm in Cella Patris sui Cælestini, Robertus longo ante tempore pænitentiæ laboribus insudaret: relatum est cuidam pauperculo, ipsum eximiæ esse erga pauperes misericordiæ. Hic cùm filiam suam nuptui iam idoneam cuidam adolescenti sponsasset, at rei familiaris coarctatus angustia minimè eius nuptias perficere valeret, fidenter virum Dei adijt: inopiam depromit, atque ab eo sibi subueniri rogat. Quantum verò peteret vir Dei perquisiuit; Florenus, inquit, aureus magnus, mihi, pater, satis foret. Vade, ait Robertus, & octaua ab hinc die reuertere: nec enim iam in prompt u est Florenus, quem tibi erogem; discedente homine, ipsa eadem die, cùm vir Sanctus expleta hora nona, se in orationem pro hominis paupertate prosterneret: mox è regione ante se Florenum vnum fulgenti metallo radiantem vidit, quem cùm gratiarum actione accipiens, venienti condicta die pauperi libentissimè tribuit.

6. *Surius in vita S. Aldegundis cap. 9. 13. Nouembris.* Facta superstes parentum, illicò pauperibus cœpit matris thesaurum erogare. Procedente autem tempore, cùm iam fieret mater familiarum cùm sorore sua, vocat fidelem ministrum, profert argentum, ad comparandas vestes in opus seruorum, & pauperum Christi, iubens, vt si quid de pecunia superesset, sibi referre deberet. Implet seruus Dominæ suæ præceptum: emit copiam vestium: quod remansit pecuniæ refert; argenti quantitas integra reperitur, ac si nihil expensum fuisset. Stupefactæ super immensa largitate Creatoris; qui explicare valet, quantas Deo gratias egerunt?

7. *Trith. in Chron. an. 1069. de Vuilhelmo Abb.* Quadam die cùm Fratres, quibus curam rerum temporalium commiserat, maxima, & ineuitabili necessitate constricti, quinque argenti libras in communem rei domesticæ vtilitatem conuertendas à pio Pastore nullum habente denarium penitùs exigerent, consolari eos verbis dulcissimis cœpit, dicens; de misericordia Dei nullatenùs esse desperandum. At illi nimia necessitate oppressi, consolationis verba non aduertunt. Surgens itaque de medio Fratrum Abbas Reuerendissimus deprecaturus Dominum pro instante suorum necessitate egreditur, vir mox ignotus quispiam occurrens, memoratum pondus argenti in manus tradidit, & illicò recessit.

8. *In vita S. Eligij Episcopi Nouiomensis c. 48.*

Comitis Garifredi scriba venit quandòque ad Basilicam S. Eligij, & cùm post preces fusas, staret ad fores eius, videt illic pauperum gregem, stipem poscentium. Sed nihil apud se habens quod illis daret, misericordia motus erga illos, mæstus intra se ait: Numquam vos talem habebitis consolatorem, qualis fuit hic Sacratissimus Antistes. Quid enim eum vmquam retardare potuisset, ne in vos beneficia conferret, vosq; surda transiret, aure vti iam multi faciunt, & ego miser? Dùm ergo sic tacitus secùm cogitat, visus sibi est tamquam in extasi videre adstantem sibi B. Eligium, simùlque in manu sua vel veste cernit aurum, quod pauperibus eroget. Quod etiam absque mora fecit, multa secùm cogitans de eo quod acciderat.

9. *Cæsar Franciottus in vita S. Fridiani.* Cùm S. Fridianus Episcopus Lucensis Ecclesiam ædificaret, à quodam rustico diuite, qui illùc aduenerat, petijt vt centum solidos sibi pro expensis fabricę commodaret, negauit ille iurauitque pecuniam non habere, & discedens, cùm supra flumen transiret, in profundum ipsius cùm crumena eius pecunia decidit, quæ statim à magno pisce deglutita fuit; Cùm verò Piscatores hunc piscem expiscati essent, S. Episcopo dono dederunt, in eiusque ventre inuenta est pecunia prædicta.

10. *In vita S. Brigidæ.* Catenam argenteam pauperibus elargita fuerat S. Brigida Kildariensis Abbatissa; & ea paulò post mirabiliter inuenta est in Ecclesia, eodem in loco, in quo Sancta Deo preces fundere solebat.

11. *In actis S. Hugonis Abb. Cluniacensis.* Dispensator S. Abbatis pecunias acceperat pauperibus erogandas, quas cùm elargitus esset, eæ tamen mirabiliter imminutæ non sunt.

12. *Thom. Cantipr. l. 2. Apum c. 57. de Ioanne Theutonico Episc. & Generali ord. Præd.* Venit ipse aliquandò in Romanię partes, tunc Magister Ordinis, intrauit in hospitium pauperrimi Sacerdotis, decubuit super scamnum itinere fatigatus, & dùm anxius cogitaret, vndè pauperrimo Hospiti aliquid obueniret, vndè se, & Fratres reficeret fatigatos, venit auis, quam corniculam dicimus, & de supremo aere eius pedibus aduolauit. Quæ pedes Magistri frequenter rostro concutiens, iterùm ad aera euolauit. Quo viso, Magister surgens inconsuetę magnitudinis, spissitudinis, & latitudinis numisma argenteum, quod Cornicula ad pedem suum posuerat, mox inuenit, & aduocans Sacerdotem, munus Corniculæ iussit accipere, & necessaria Fratribus ministrare.

13. *In actis S. Alberti Episc. Laudensis.* Cùm in eleemosynas pecuniam insumpsisset, post paucas horas locum, quem vacuum reliquerat, plenum pecunijs reperit.

14. *S. Odilo in vita S. Adalbeidæ Imperatricis.* In ipso quoq; tēpore Monasterium Paterniacum adijt, quod ipsa ad honorem Dei Genitricis pro remedio animæ suæ Matris ibi quiescentis, tàm ex suis, quàm maternis rebus nobiliter cōdidit, & quod tunc temporis in temporali necessitate fratribus defuit, manu largissima subministrauit. Aliquandò fatigata ex itinere non potuit manu propria eleemosynam dare, & vocauit vnum Fratrem, qui nummos daret pro se, sed excessit numerum denariorum pauperum numerus. Quid multa? adfuit Deus Augustæ meritis, vt multiplicatis denarijs, pauperes cùm munere læti recederent omnes.

15. *Pet. de Natal. l. 9. c. 74. de S. Magnobono Episc.* Tempore famis ingruentis, Dispensatori suo certam nummorum summam pauperibus distribuendā dedit, quam ille in dispensando duplicatam inuenit.

16. *Thomas à Kempis in vita S. Liduuigis c. 20. lib. 1.* Anno Domini 1423. Frater huius Virginis Vuilhelmus defunctus est, & reliquit debita quædam, quæ filij eius persoluere nequibant. Quod cùm Virgo clementissima percepisset, venditis clenodijs, ex hæreditate Matris sibi relictis, ad octo libras Hollandiæ pretium collegit, & in denarios vnius monetæ, quos meliùs cognoscebat, permutari fecit, ac in bursa penès se collocauit. Quodam igitur die aduesperascente aduocauit Nicolaum cognatum suum secùm commorantem, misitque per manum eius ad soluendum singulis debitoribus debita fraterna, vbi eos sciebat commorari. Persolutis itaque debitis omnibus, quæ nouerat persoluenda, iussit Nicolao, vt bursam inspiceret, si quid in ea remansisset. Qui certissimè respondit; multam pecuniam in ea remansisse. Mox illa iussit, vt eandem numeraret. Cùmque numerasset, dixit, priores octo libras se inuenisse, & adhùc superesse. Tunc prohibuit eum ampliùs numerare, & gratias agens Deo super mirabili dono eius, de cætero statuit, bursam illam, bursam Iesu nominari, & quod ex ea pauperibus debeant necessaria dari. Ex hac ergo liberaliter egentibus distribuebat, quandò alias pecunias non habebat. Si verò interdùm aliquas pecunias, vel proprias, vel per eleemosynas susceptas habebat, illas primitùs dabat, quandò autem alias non habebat, ex hac bursa Iesu tàm largè erogabat, quòd parùm in ea remansit. Prouidebat tamen Omnipotentis Dei misericordia, quòd semper ad vsum pauperum omnis sufficientia in ea redundaret: quemadmodum ad verbum Eliæ lecythus olei in domo viduæ non deficiebat. Tradidit etiam nonnumquam alicui ex specialibus amicis suis hanc pecuniam numerandam, qui cùm secundò vel tertiò eam numerasset, inuenit semper eandem vltra tres, vel quatuor, aut quinque nummos creuisse. Solutis igitur ex hac bursa fratris sui debitis; plùsquàm quadragintas libras ex eadem distribuit, sicut aliquibus secretissimis amicis suis reuelauit.

17. *S. Augustinus li. 22. de Ciuitate Dei cap. 8.* Erat quidam Senex Florentius Hipponensis, homo Religiosus, & pauper, qui sartoris se arte pascebat, casulam perdiderat, & vndè sibi emeret non habebat, ad viginti Martyres, quorum memoria apud Hipponenses est celeberrima, clara voce vt vestiretur orauit. Audierunt eum Adolescentes, qui fortè aderant irrisores, eumque discedentem exagitantes prosequebantur, quasi à Martyribus quinquagenos pholles, vndè vestimentum emeret petiuisset. At ille tacitus ambulans, eiectum grandem piscem palpitantem vidit in littore, eumque illis fauentibus, atque iuuantibus apprehendit, & cuidam coquo,

coquo, Carchoso nomine, benè Christiano ad coquinam conditariam, indicans quid gestum sit, trecentis phollibus vendidit; lanam comparare indè disponens, vt vxor eius quomodò posset, ei, quo indueretur efficeret. Sed coquus conscindens piscem, annulum aureum in ventriculo eius inuenit. Moxque miseratione flexus & religione perterritus homini eum reddidit dicens: Ecce quomodo viginti Martyres te vestierunt.

18. *Hugo Menard, libr. obseru. in Oct. de Beato Cozuino*. Cùm Rhemos cogitaret, nummum, quem vnicum habebat, pauperi dedit, & per totum illud iter numquam in eius marsupio nummus defuit: quamuis omnibus stipem petentibus nummum erogaret.

19. *Vghellus in Ital. Sac. tom. 7. Tranenses Episcopi*. Temporibus Decij Cæsaris erat quidam pauper & paganus, qui habebat vnicum filium nomine Magnum (hic fuit S. Magnus Episcopus Tranensis) quem concedere disponebat suis vicinis pro pascendis ouibus, vt posset indè viuere; statim ac hoc cognouit puer, tristis à facie patris valdè discessit. Deus autem qui consolatur pauperes suos, misit illi puero per Angelum suum decem talenta, quæ omnia festinanter detulit patri suo, dicens: Gratias Domino referamus, qui misit mihi hoc, vt indè viuamus, & quia noluit Deus vt essem mercenarius alterius; eme ergo decem, & octo oues, quas custodire volo, vt de fructu earum viuere valeamus, creuitque grex dictarum ouium vsque ad mille, de quarum fructu quotidiè pauperibus conferebat.

20. *In actis S. Philippi Nerij*. Philippus Nerius innumeras dedit eleemosynas, cùm tamen in familiaribus rationibus perparum haberet. Vndè constare potuit, longè maiorem expensi, quàm accepti summam fuisse.

21. *In vita Vener. Ioannis Lobelij, ex Abbate, Pragensis Archiepiscopi*. Quadam die, cùm arculam Communitatis (in qua paucos nummos pro vrgentissimis Monasterij necessitatibus reposuerat) reseraret, ecce saccus capax admodùm Daleris plenus, in obuias manus incidit. Misericordissimus Abbas obstupefactus subsistit, mox recollectus miratur. Priorem deindè, & Prouisorem accersit, ingressi cubiculum, benè precatus, subridens. Quid (inquit) in arcula Communitatis vobis negotij fuit? cùmque planè responderent se illam non attigisse, neque introspexisse; & in eodem iterùm atque iterùm commoniti perstarent; vt libet, inquit, certus sum, me saccum hunc Daleris solidis onustum non deposuisse. Atque hos statim (gratijs Deo actis) partim in necessarios vsus diuisit, & partim per manus pauperum in cælestes thesauros refundi, & deportari curauit. Id autem non vna tantum vice, sed multotiès euenit.

22. *In actis S. S. Feb. tom. 2. in continuatione Bollandi*. Confugerat quidam miserrimus ad S. Stephanum Fundatorem ordinis Grandimontensis, vt aliquid subsidij reciperet, quo se, vxoremque infirmam aleret: cui vir sanctus panem ei largitus est, nummumque argenteum, & spopondit, eo, & vxorem, & familiam eius omnem sufficienter sustentatum iri. Redit igitur hilaris domum vir ille, dùmque vxori quid à Stephano acceperat ostendit, ita multiplicantur in manu eius nummi, vt retinere omnes manu non valeret, sed multi in terram deciderent, neque eum illa pecunia defecit quoad in viuis vxor eius fuit.

23. *Ibidem*. In Dordraco Hollandiæ oppido dicitur successu temporis iugulata quædam Sancta Virgo, Soterides nomine, siue Sura. Hæc Virgo fertur ædificasse Ecclesiam Dordracensem, tribus denarijs emens necessaria, & semper eos reinueniens in terra. Quam cùm iugulassent tres Operarij spe pecuniæ, qua putabant Virginem abundare, inuenerunt tantùm tres denarios.

24. *Ibidem*. Liberalissimus erat in pauperes S. Antonius Cauleas Patriarcha Costantinopolitanus, quidquid habebat, in eorum vsum largiter disponens; cùm igitur quadam die omnibus donatis rediret ad Ciuitatem, cogitans quidnam deinceps donare posset, cùm nil haberet: ecce quidam ignotus, siue Angelus, siue homo, accedens ad ipsum, ei tradit auri manipulum, dicens: accipe quod insumas in vsus eorum, quorum curam geris; dictoque citiùs euolauit, & recessit.

25. *Ibidem*. Egenos, pauperesque, maximè qui mendicare erubescebant, liberalissimè sustentabat B. Gulielmus Zucchius. De quo illud memoriæ proditum est, loculos, quos secùm vt pauperibus eleemosynam erogaret, quotidiè deferebat, numquam, semel ab eo pecunia refertos, exinanitos fuisse, quamuis extractam copiosiùs illam in dies distribueret. Quapropter prouerbio, quod adhùc perseuerat res cessit. Nam cùm ab aliquo, qui pluriès illam erogarit, rursùs pecunia postulatur, ab eo responderi solet. Me ne B. Gulielmi crumenam, quæ non exhauriatur, putas habere?

26. *In ann. Seruorum de miraculis B.V. in Ciuitate Regij*. Nicolaus Langones Gallus, Cursor Ducis Lotharingiæ, Regio transiens Romam versùs, B. V. Delubrum inuisit, & nummum aureum vnum, quem tantùm inter alias pecunias habebat, in capsella pro eleemosyna largitur: volens autem cauponi pro prandio satisfacere, alium similem nummum in crumena adinuenit, & certò sciens alium non habuisse, miratur, id patefacit, pro miraculo habetur, ad officium Episcopatus vocatur, res in iudicio excutitur, & iureiurando deponit, vnum tantum habuisse nummum, illumque pro eleemosyna elargitum fuisse, capsula aperitur, & in ea inuenitur nummus, vbi cùm aliqui adessét, aureum nummum miraculosum ab aduena exquirunt summis precibus, pro eo reddere equiualens, & ampliùs promittentes, ipse verò absolutè negat, etiam si centum nummos aureos appendissent.

27. *In ann. Min. ann. 1216. num. 8. de Fatrib. missis à S. Francisco*. Feliciter euenit ijs, qui ad Catalonos deflexerunt, nam dùm ad Ciuitatem Ilerdensem peruenissent, obuiusque fieret quidam Heros, Raymundus de Barriacho dictus, qui eos domum conduxit, & charitatiuè refecit, tantam inierunt cùm eo amicitiam, vt de construendo eis habitaculo seriò pensitaret. Illi animum ad-

dentes, spondebant, nequicquam pauperiorem fore ob expensas in pio hoc opere pecunias, neque exhauriendas quas in alios vsus domesticos reposuit. Pia fiducia credidit persuadentibus, opesque tentauit, sed ad structuræ mensuram decrescente pecunia, & omninò exhaustis loculis, irritaque spe, quam ad vltimum fermè quadrantem fouebat, fratres conuenit de facta sibi sponsione sibique impositum asseuerans. Illi autem in Domino fidentes, in cuius nomine suo benefactori spoponderunt, rogauerunt vt tranquillo esset animo, & ad sua scrinia rediret, omnem suam pecuniam cùm fænore inuenturus. Redijt homo pecuniæ auidus ad loculos, quos antea vacuos probauit, & vltra nummos in fabricam distractos, non modicam summam adauctam numerauit. Quo miraculo, & ille humiliùs se dedicauit quibuscumque fratrum obsequijs, & Ciues vniuersi in eorum vsus, sua abundè ministrabant.

28. *Ibidem an.1406.de B.Coleta*. Memorabile est, si in construendis Monasterijs necessarij sumptus deessēt, qui ab hominibus sperari vix possent, diuinitùs eam fuisse non semel adiutam; ita vt crebrò ad quingentos aureos ex auro purissimo singulari pondere magnitudine & elegantia, ei suus mitteret sponsus Christus Iesus, quibus plùs efficiebat, quàm si duplo plures ab hominibus aurei ei oblati fuissent.

29. *In vita S.Agnetis Politiana*. Sæpè contigit in castro Proceni, & in terra Montis-Politiani, deficiente pecunia pro soluendis ædificatoribus, siuè alijs creditoribus monasterii S.Agnetis, quòd ipsa remitteret Sororem bursariam ad bursam iterùm requirendam, in qua nihil esse bursaria ipsa ex certa scientia sciebat, & tamen ab ipsa missa respiciens, inuenit in ea denarios quot opus habebat.

30. *In actis S.S.Aprilis in Conti. Bollandi to.1.* Cùm die quadam secundùm consuetudinem suam B. Hermannus Iosephus ordin. Præmonstratensis Ecclesiam Beatæ Virginis introisset, & in asperitate brumali nudis incederet pedibus; videns puerum Maria mater misericordiæ in tanto frigore corporali, à cordis feruidi deuotione minimè tepuisse, consueta sibi misericordia mota est. Et aduocans paruulum, statuto coram facie sua ait: Quare in tanto frigore nudis incedis pedibus? Respondit puer: Non habeo calceos. Sciens autem Beata Mater, parentes pueri, rei familiaris inopia laborare, dixit illi: Vade ad lapidem illum (& lapidem digito demonstrauit) & sub eo quatuor denarios inuenies, quos tolles, & cùm eis tibi calceos facies comparari. Credidit puer fidelis, & paruit iussis; & sicut fuerat demonstratum inueniens, ad altricem suam Beatam Matrem rediit cùm denariis lætabundus. At illa subiecit: Quotiescumque aliquo indigueris, calceis, tabulis, aut stylis, aut aliis necessariis, ad locum accedes eumdem, & inuenies denarios, quibus tua necessitas subleuetur.

31. *Tursel. in vita S.Francisci Xauerij lib. 6. capit.3.* Admirandum est quod in Indiæ Oppido (Coramandeli nomen est) accidisse memorant. Hic cùm esset Xauerius, naufragus quidam mendicus ad eum venit pro sua calamitate petitum aliquid opis, atque subsidii. Franciscus, etsi benignæ voluntati deerat facultas, non potuit tamen miserum illum spei irritum dimittere. Ergo cùm suæ egestatis immemor (& benignitas stimulabat) in sacculum suum inseruisset manum, nihil prorsùs inuenit. Nec tamen incæpto destitit, sed respicere cœpit eum, cuius est aurum, & argentum. Igitur tollens in cœlum oculos, mendicum diuinę confidere largitati iubet. Nec Xauerii spem Deus, nec mendici decepit Xauerius. Diuinæ fiduciæ plenus, manum rursùs inanes in loculos iniectam, aureis nummulis (fanoos incolæ appellant) plenam educit, protinùsque pecuniam diuinitùs suppeditatam naufrago elargitur omnem, inexhausto diuinæ spei thesauro satis fidens.

32. *Sylos in Hist.Cler.Reg.par.1.lib.7.* Venetiis aureorum summa à nostratibus cuidam debebatur, aderatq; stata dies, cùm qua acerrimus creditor interpellabat. Rem non mortali cuipiam exponit S.Caietanus, sed ei, qui & fidem, & Cęlum oppignorasse in ipsum sperantibus nouerat, conceperitque vix preces: cùm ecce tibi venusta planè specie Iuuenis, qui tot omninò aureos Caietano perhumaniter porrexit, quot debiti solutio posceret, nec quis opem submitteret, erogaretque aperuit. Nulli dubium quin è Cœlo ea pietas fluxerit; cùm diligentissimè mox conquisitus, nusquam munificus iuuenis apparuerit.

33. *Idem ibidem*. Quodam tempore nihil prorsùs nummorum, aut annonæ Domui nostræ Cremonensi erat, & nisi è cœlo accersiri subsidium contingeret, vndè tunc peti, sperariq; posset omninò non erat. At enim quæ virebat florebatque tùm maximè in eius Domus Clericis spes in Deum experiri munificam Dei manum in horto promeruit, etenim inambulanti fortasse inibi cuidam è nostratibus, obuius nummus aureus fuit, quo pulsa eius diei fames.

34. *Idem in vita Ven.Francisci Olympij Cl.Reg. lib.1.c.2.* Cùm Ven. Francisco Olympio ex nostris quidam illi addictissimus, nomine Simeon Puluerinus, ornādæ Marianæ cuidam imagini aureos quinque ex quinquaginta apud vxorem depositis erogasset, à Deo precatus est seruus Dei, vt cresceret reliqua pecunia; neq; irritæ eæ preces fuere; enimuerò ab eodem ipso aceruo, & si & alios quindenos aureos non ita post multò sumpsisset, numerata ea pecunia, nihilò imminutam deprehendit, constante nimirùm summa aureorum quinquaginta.

35. *Anastasius de liberalitate Adriani Papæ*. Adrianus secundus patria Romanus, patre Valario, Sergio Pontifici familiaris fuit, à quo cùm aliquandò denarios quadraginta dono accepisset; domum rediens dispensatori mandauit, vt eos peregrinis, & pauperibus, qui in vestibulo domus suæ stabant, erogaret; facere ille mandata conatus, cùm videret ne minimæ quidem parti tantula re satisfieri posse, ad Adrianum rediens, rem ipsam exponit. Tùm Adrianus accepta pecunia ad pauperes rediens, & ternos denarios singulis præstitit, & totidem sibi rei familiari satisfa-

cturus reseruauit, admirante dispensatore miraculum rei; cui Adrianus, vides, inquit, quàm benignus, & largus sit Dominus, his præsertim, qui liberales, & munifici in pauperes sunt.

36. *In vita Ven. Francisci à puero Iesu Carmelita.* Didacus de Ceria Ciuis Complutensis ita refert. In Edibus parentis mei Matthæi de Ponte, F. Franciscus habebat cistam quãdam, seù Gazophilacium carum eleemosynarum, quæ ipsi donabantur, vndè quidquid opus erat ei diuidere, ac distribuere proximo pauperi depromebat. Ego autem vnà cùm eo sæpiùs ascendebam ad sumendam pecuniam. Cùm autem quadam die quidquid númorũ ibi intùs erat vterq; accepissemus: emunctis ad vltimum tribus sacculis, qui in ea erant: sequenti die vocauit F. Franciscus & dixit mihi: Frater mi ascendamus accipere pecuniam: Ego autem sciens nos ne vel obulum in cista reliquisse, quid ascendemus (inquam illi ego) cùm hesterna die ad extremum denarium totum, quod erat, acceperimus. Ipse autem dicebat, apage Frater mi, Puer Iesus thesaurarius noster ibi est, qui daturus est nobis quod possimus ipsis pauperibus dare, quod id eò dicebat, quòd haberet imagunculam Pueri Iesu, cui consignabat datas sibi eleemosynas, & à quo petebat sibi alias dari; ascendimus ergo vbi cista erat, & si certissimus, & ego essem, nos nihil ex eo quod quærebamus reperturos, & aperientes, magnam summam specificatæ pecuniæ in Regalibus (Galli singulos eorum decem solidos vocant) reperimus, vndè ego obstupui, & plenus admiratione, factum hoc pro miraculo reputaui.

37. *In vita Ven. Camilli de Lellis lib. 1. cap. 17. de P. Bernardino, primo ex socijs Ven. Camilli.* Cùm hic adhùc esset adolescentulus, ac primùm è natali solo discederet, vt Romam proficisceretur, accidit vt non suppetente sibi viatico, staret aliquantisper animo suspensus, viamne iniret, an secùs: in qua dubitatione visus est vocem audire sibi dicentem. Exi è terra tua, & perge: aureum nummum in terra reperies: atque ita prorsùs accidit. Vix enim triginta passus fecerat, & nummum inuenit, & cùm illo Romam iuit, Camilloque est associatus.

38. *In vita S. Benedicti.* Diuo Benedicto aurum maximopere aspernanti, accidit, vt à quodam homine ære alieno grauato rogaretur, vt illi in tanta calamitate suppetias ferret: tunc Sanctus iussit tantum aurum è cœlo delabi, quantum ad satisfaciendum rogantis creditoribus sufficeret.

39. *Philippus Ferrar. mense Maij die 23. de Sancto Euphebio Episcopo Neapolitano.* Cùm alienigena ab amico Neapolitano summam pecuniæ mutuò accepisset, ad S. Euphebij tumulum, quasi is fideiussor esset (sic enim inter se conuenerant) nec illam ad diem constitutam, sed neque multo transacto tempore redderet, creditor, vxore sua ei derisoriè dicente, vade ad S. Euphebium fideiussorem, ipse namque mutuatam pecuniam tibi restituet; ad sepulchrum accedens, illum pro pecunia sua orauit; qui sequenti nocte debitori apparens, grauia illi, nisi subitò æs alienum restituat, minatur, cùm verò is distantiam loci, & maris procellas causaretur, S. Episcopus vt pecuniam cùm scripto nomine creditoris cymbæ imponeret, marique committeret præcepit, sic enim fore, vt ad Creditorem deferretur, pro vt mirabiliter factum est.

40. *Greg. Turonensis lib. 1. de Glor. mar. cap. 11.* Monasterium valdè magnum erat in Ierusalem, non modicam habens congregationem in quodam loco. In hoc semel deficiente cibo, clamauerunt Monachi ad Abbatem: qui ait. Vigilemus, ac deprecemur Dominum, & forsitan transmittere dignabitur alimenta. Denique prosternuntur ad pauimentum templi, vigilantes itaque noctem in psalmis hymnisque, & canticis spiritualibus, cùm se post matutinas somno dedissent, venit Angelus Domini, & posuit super Altare multitudinem innumeram auri, erant enim ostia ædis obserata. Exurgente autem manè Abbate cùm Monachis ad celebrandum cursum, uiderunt multitudinem auri super Altare, & ait Abbas custodi ædituo, quis præfectorum hùc ingressus est, qui hæc detulit? respondit; Post egressum vestrum, nullus hìc hominum accessum habuit, sed ostij clauem munitam retinui, & mecùm habui, donec surgerem ad commouendum signum. Tunc stupens Abbas cùm Monachis munus cæleste intellexit, gratiasque Deo agens, collegit, comparatisque victui necessarijs, plebem creditam affluenter refecit.

41. *Paulus Diaconus.* Tiberius secundus Imperator Christiana pietate imbutus, tantam auri copiam pauperibus distribuebat, vt ab Augusta identidem corriperetur. Verùm contigit, vt Imperator per palatinam spatians aulam, crucem marmoream malè locatam obseruaret, quam in locum honestiorem deferendam iussit: sed Operarij illa ablata, secundam, & post secundam, tertiam inuenerunt, & tunc reclusus est locus, in quo tantùm auri occultabatur, vt super mille centenaria æstimaretur.

42. *Ignatius de Nente in vita Vener. Sor. Dominicæ de Paradiso libr. 2. cap. 65.* Ob continuos sumptus in fabricando monasterio, defecerat pecunia Vener. Dominicæ. Tunc illa firma spe ad Beatam Virginem confugit, quæ nocte illi apparens, centum nummos aureos propria manu illi elargita est. Alijs vicibus hoc idem prodigium euenit, in necessitatibus enim Monasterij aut fabricæ dùm pecunia deficeret, hæc à B. Virgine mirabiliter illi suppeditabatur, quandòque enim aureos, quandòque argenteos nummos in eius Cella sensibiliter deportabat.

Diuersi generis aliæ res diuinitùs datæ, aut multiplicatæ. §. 8.

ALijs insuper & in rebus admirabilis apparuit diuina Prouidentia, hæq; diuinitùs aliquandò aut datæ, aut multiplicatæ fuere. De his.

1. *Adamannus in vita S. Columbæ Confess. libr. 2. cap. 10.* Quodam tempore Vir Beatus quadam nocte cùm apud Columbanum tunc temporis inopem benè hospitaret, manè primò Sanctus de quantitate, & qualitate substantiæ plebeium hospitem interrogat. Qui interrogatus, quinque tantùmmodò, ait vacculas habeo; quæ si eas benedixeris, in maius crescent. Quas illicò à Sancto iussus ad-

duxit, & huius Columbani buculas quinales æqualiter benedicens, inquit: Centenas, & quinque Deo donante habebis vaccas; & erit in Filijs, & Nepotibus tuis florida benedictio. Quæ omnia iuxta Sancti viri prophetationem in agris, & pecoribus eius & prole plenissimè adimpleta sunt. Mirumque in modum numerus à Sancto præfinitus supra memorato Viro in centenario, & quinario vaccarum expletus numero, nullo modo superaddi potuit. Nam illa quæ supra præfinitum numerum excedebant, diuersis prærepta casibus, nusquam comparuerant; excepto eo, quod aut in vsus propios familiæ, aut in opus eleemosynæ expendi poterat.

2. *In vita S. Medardi Episcopi*. Equorum custodiam, cùm vltrà sibi depoposcisset, vnius abducendi copiam egeno viatori fecit; cuius iacturam Pater cùm accerbè ferret, gregem recensentibus, numerus nullo capite imminutus apparuit.

3. *Io: Colg. in Vita S. Aedi 28. Februarij*. Iter aliquandò agens Sanctus Episcopus Aedus, inuenit duos leprosos in via, & dedit eis eleemosynam petentibus duos equos currus sui, & discipulis suis propter hoc increpantibus, Episcopus dixit; Hic expectemus quosdam viros qui longè veniunt post me, ducentes mihi duos bonos equos; & afferentibus illis hominibus equos Sancto Episcopo, charitatem, & prophetiam admirabantur sui discipuli, gratias Deo agentes.

4. *In actis S.S. Feb. tom. 1. in cont. Bollandi*. Accidit quadam die, vt à S. Seuero Episcopo Abrincensi in Gallia, anus quædam transiens eleemosynam peteret, ille verò cùm omnia sua iam dedisset, compatiens illius miseriæ, ad equarum gregem, cuius tunc armentarius erat, oculos deflexit, vnamque de ijs, quam meliorem esse putauit, eligens, quærenti pauperi cùm pullo tradidit, eamque citiùs recedere præcepit. Qua recedente, relatum est Regi. Rex iratus, reduci viduam cùm equa præcepit, & penes se vtramque seruari. Dehinc armentarium euocat per nuncium, iubet vt reddat numerum, quem sibi commiserat gregum equarum; Itur ad armentum, in partes diuiditur, partes numerantur, nulla deesse inuenitur: fecitque Omnipotentis Dei larga benignitas, vt omnes cùm adessent, vna deesset.

5. *In vita B. Guillelmi Eremit. cap. 26*. Sciens B. Guillelmus quia venit hora eius, vt transeat ex hoc mundo ad patrem, cùm dilexisset pænitentiam quoad vixerat, in finem dilexit eam. Subijt ergo animum eius, vt Albertum diluculò Castellionem pro Sacerdote citò dirigeret, qui ipsi pænitentiam imponeret in extremis. Iussione ergo facta discipulo, tantus eum inuasit horror, & pauor frigoris, quod vix explicare valet sermo doctoris. Frigus enim præualidum, flante Borea, solito asperiùs inhorruerat, gelu nimium iter scopulosum constrinxerat, & densa nix omnia cooperuerat. Sed confortatus à magistro discipulus, relictis calceis, nudis ac teneris plantis cæpit ire; Dereliquerat autem ignoranter, priusquàm ad Sacerdotem pergeret, supra magistri caput pauxillùm candelæ ardentis, quam cùm Sacerdote rediens, ardentem, vt priùs reperit, & in nullo imminutam, solo Omnipotentis Dei miraculo.

6. *Colganus in vita S. Senani*. Quodam tempore S. Senanus accedens ad coquum, petiit ab eo candelas, quibus in cura molendini obeunda indigebat. Coquus respondet, se nullam habere iam factam, quam ipsi det, plures ex mox tingendis breui daturus. Dùm igitur S. Senanus ad molendinum continuò hæreret, nec spatio integræ septimanæ ad coquum rediret, coquus miratus, vndè tandiù in opere iniuncto continuò laborans haberet lumen, in animum ducit explorare, an Senanus de nocte suum munus exequatur, habeat lumen, vel quid cùm ipso agatur. Sub ergo noctis initium pergit ad molendinum, & per ianuæ rimam respiciens, videt candelam in candelabro positam, Senanum sacræ lectioni intentum, & molam sine vllius hominis grana, vel aliud subministrantis adminiculo, versari, & grana continuò conterrentem. Stupens rei nouitatem, se confert ad Cellam, & iterùm secundò, & tertiò rediens, eadem per omnia reperit, & tandem obseruat, candelam esse planè eam, quam ipse multis diebus ante ipsi dedit, & quæ incomsumpta interea raró miraculo mansit. Rem totam refert Abbati Natali, qui filij virtutem mirum in modum extollit, prædicens Deum per illum cùm tempore multa, & magna mirabilia operaturum.

7. *In vita B. Idæ Niuellensis*. Cùm pulsatum esset ad matutinas, Ida respiciens candelam adhùc ardentem, quæ permodica parieti affixa erat, & eis longo spatio noctis lumen ministrauerat, subrisit modicè dicens. Quia candelæ lumen *citò deficeret*, cui monialis respondit. Qualiter *sic loqueris*, spero in Domino, & de ipsius plurimùm pietate presumo, quia quandiù de iucunda contemplatione veri luminis, de sapore intimæ suauitatis, & de bonis terræ viuentiū grata ad inuicem collatione loquimur, tamdiù nobis candela hæc sui luminis copiam ministrabit. Dicto itaque Completorio, vigilias ac laudes, ex eiusdem candelæ lumine persoluerunt.

8. *Vincentius in Spe. Hist. lib. 26. cap. 8*. Defuncto B. Hugone Abbate Cluniacensi; corpus eius in Capitulo à Fratribus delatum, priùs aqua, deindè vino ablutum est, ad vltimum modico balsamo, quod supererat in vasculo breui, ternis vicibus totum corpus magnum affluenter perunctum est, quod vix solùm ad lepidum caput sufficeret, nisi benedictione cælesti multiplicatum inter manus obsequentium superabundaret.

9. *In actis S. Anselmi Archiepiscopi Cantuariensis*. Defuncto S. Archiepiscopo, cùm corpus eius balsamo inungere vellent, nec nisi modicum, & vel solùm ad faciem vngendam sufficiens adesset; tamen cæpta est vnctio & tantam balsami abundantiam vas fermè vacuum ministrauit, vt non solùm caput & manus, sed brachia, & pectus, pedes quoque & totum corpus, non vna, sed sæpiùs repetita vice, omni ex parte inunctum fuerit, omnibus admirantibus.

10. *In actis S.S. Feb. t. 1. in Cont. Bollandi*. Quadam die S. Brigida Kildarensis Abbatissa, vnicam tuni-

tunicam pauperibus diuisit duobus, vtrique dimidiam tunicam, & vtriusque pars integra effecta est.

11. *Ibidem tom.* 2. Cùm S. Reynaldus Episcopus Nucerinus in Vmbria, pauperi flagitanti tunicam suam largitus esset, cùm breuiori qua subtus tegebatur ad sanctum celebrandum sacrificium accessit. Tunc super illius celebrantis caput apparuit globus, & ne brachia in Eucharistiæ eleuatione conspicerentur nuda, gracilia, ac macilenta, ab Angelis aurea, argenteaque veste contegi visa sunt. Auditaque de Cælo vox est, dicens: Hic impleuit præceptum euangelicum, qui habens duas tunicas, vnam dedit illi, qui non habebat. Sic debetis & vos facere.

12. *In Annal. Min. an.* 1303. *num.* 12. *de S. Iuone.* Visitabat quandòque Paræciam suam: occurritque illi homo egentissimus, petens ab eo stipem: sed cùm nihil haberet, quod illi largiretur, capitium, quod pro more assumpti ab eo tertij S. Francisci instituti, gerebat, sibi detraxit, & pauperi dedit. Vix dimidij autem milliarij confecto itinere, capitium illud suo sensit capiti restitutum.

13. *In vita B. Zitæ.* Vestem cùm ab hero suo accepisset B. Zita, qua se in Natalis dominici nocte à frigore pertueretur, donec diuina officia in templo celebrarentur, vti ex more adesse Beata solebat. Videns pauperem frigore correptum, non potuit à se obtinere, quin vestem illam vtendam pauperi commodaret, donec diuina officia complerentur, eidem promittens, se eum domum ducturum, vt calefieret ad ignem. Domum reditura, cùm pauperem quæreret, nec pauperem, nec vestem vidit: tristitia corripuit Zitam, nam herus hac lege vestem vtendam dederat, vt nulli daret; sed domum subiens, cùm herus eam reprehenderet, ecce pauper statim affuit, qui vestem restituit, qui ab eorum oculis euanuit, eorumque animos summa admiratione affecit & summo gaudio.

14. *In vita S. Edmundi Episcopi cap.* 15. Alio tempore concionaturus apud Boclandam, vbi Deo famulabantur moniales instituti Cisterciensis, priùsquàm eò aduenisset, defuncta monialis cuidam viuenti Monachæ apparens; Magister Edmundus inquit, hùc venturus est, & ad populum conciones habiturus. Tu ei filum tali loco repositum offeras, vt ex eo cruces efficiat. Fecit illa, vt erat admonita, & cùm multæ indè confectæ essent cruces, permulti signati sunt, nec tamen quicquam ferè de filo decessisse videbatur.

15. *In vita S. Liduuinæ Virginis.* Cùm sacerdotem quendam pauperem vestire vallet, nec pannum haberet, affuit mulier, quæ dixit, pannum aptaui mihi nouum & nigrum: sed quid inter tantos? sex enim vlnæ sunt, & filia mea mihi molesta est, petens sibi fieri de dicto panno caputium; & quid ego pro vsu meo seruabo? Cui Liduuina: Afferto inquit, mihi quæso pannum illum, quem aptasti, & Dominus prouidebit. Mirùm dictu! affertur pannus ad manum Virginis, quæ quasi mensurare vellet, ducit ad os pannum & manum: & mox, faciente Domino, longitudo tanta sequitur quòd & sacerdoti dè decenti vestitu, iuxta honestatem Clericalem illius regionis, vsque ad talos prouisum est, & cùm post hoc tàm matri, quàm filiæ de superfluo affluentissimè superesset quod petebant.

16. *Zachar. Bouer. in Annal. Capuc.* 1557. *de P. Iosepho à Colle-amato.* Porrò Iosepho Soror erat, Viro cuidam honesto matrimonio coniuncta, à qua cùm is aliquandò telæ frustulum petijsset; qua mutatoria sibi fæmoralia pararet: respondet illa, nihil tunc telæ, præter linteum sibi superesse: quod cùm necdum consutum esset, ex eo pia mulier particulam, quæ ad mutatoria satis esset, statim præscindit, ac fratri erogat. Die elapso, cùm mulier alteram sibi telam comparasset, quæ sublatam à linteo partem suppleret: integrum linteum reperit, perindè ac si nulla illi telæ pars dempta fuisset; quo prodigio, Deus, & Patris meritum, ac mulieris pietatem commendare voluit. Id ipsum quoque alteri mulieri contigit: quæ cùm præter lini fasciculum, quem sibi ad indusium conficiendum parauerat, nihil apud se telæ reliquum haberet: Viro Dei telam ab ea postulanti, linei illius fasciculi partem tradidit: quã postea diuina virtute fasciculo restitutam, nulloque scissuræ signo apparente eidem instauratam cernit. Ita namque Dei benignitas cùm seruo suo agebat: vt quæ in illius subsidium conferebantur, sibi grata esse, vel etiam prodigio comprobaret.

17. *Ibidem an.* 1589. *De F. Raynerio à Burgo S. Sepulchri.* Tanta ob maximam miraculorum copiam, quæ vir Dei Diuina virtute patrabat, ipsius apud Vmbriæ populos sanctitatis opinio percrebuerat, vt quàcumq; is locorum pergeret; populi præ deuotione ipsius habitum præscindentes, particulas sibi reponerent. At illud mirabile, quòd cùm præscindentes ferè innumeri essent, haùd tamen habitus tot particularum præcisione minui vmquam visus; quod tam ingentem populis admirationem peperit, vt iam communi omnium prouerbio euulgatum esset, Raynerij habitum haùd secùs quàm plantam excrescere.

18. *Ignatius de Nente in vita Ven. Sor. Dominicæ de Paradiso lib.* 3. *cap.* 33. Iusserat quandòque Ven. Dominica cuidam textrici, vt telam texeret pro necessitate monasterij, cùmque stamen haùd sufficeret ad complendum opus, matrem admonuit, quæ ad B. Virginem confugiens, iussit vt opus perficeretur, stamen autem ne dùm suffecit, sed & superabundauit, telaque in maiori quantitate ac videbatur, fuit contexta.

19. *Io. Colg. de S. Geraldo* 13. *Martij.* Ait pius Pater ad Ducem: Tu cùm prole sua sub tegumento cucullæ meæ festina, ac vos subponite. Dùm Dux cùm prole iussa pij Abbatis complerent, ecce omnes alij de Plebe currunt, & se sub veste S. Geraldi ponere attentabant. Sed cùm modica cuculla omnes tegere non valeret, aut intra se capere, ecce diuina virtute tantam contulit vesti latitudinem, vt omnes capere intra se sufficeret. Quotquot ergo à cuculla S. Geraldi sunt tecti, sanati sunt ab infirmitate sua.

20. *Vadingus in ann. minor. an.* 1406. *de B. Coleta.*

ta. Iubere aliquando Coleta voluit pro fratre quodam satis indigo, scindi pannum, vnde ei vestis pararetur; sed cùm ea causa accersisset Fr. Andream bonum sartorem, ostendissetq; illi pannum, respondit ille, pannum non posse sufficere vesti conficiendæ, etiamsi ei integra vlna addatur: at illa subridens, fidenter ait: Abi frater, & ora Deum: indè redibis ad me, & vtrinq; extrahemus pannum, si fortè possit fieri longior. Orat Frater, redit ad Coletam, ea præsente scinditur pannus, & nedum satis multus est, sed & in tantùm excedit, vt oportuerit de veste indè confecta aliquid auferre, quòd longior, & latior esset, quàm ferret sancta paupertas.

21. *Horat. Tursell. lib. 5. hist. Lauret. cap. 23.* Alphonsus Sancius munere aliquo suo augustissimam Virginis cellam ornatam relinquere cupiebat. Candidam vestem Damascenam indè vsque ab Sinis aduexerat, hac loculamentum Deiparæ Virginis, & Christi crucifixi cùm sacra Æde delatam imaginem, decorare constituit. Igitur sarcinator accersitur, qui explicata, dimensaque veste Damascena, negare primò ad vtrumque opus satis ibi materiæ esse: Indè Sancio instante, vt intentiore cura omnia dimetiretur, diù hæsitauit. Ad vltimum, Damascena veste sæpiùs in omnes partes versata, affirmare cœpit, rationem ad se tandem repertam, efficiendi, quod vellet, sed ita vt illa ornamenta paulò breuiora existerent, quàm opus foret. Agedùm igitur, inquit Sancius, & istam sequere rationem, si quid deerit, B. Maria sibi ipsa supplebit. Morem gerit ille, ac ne qua foret erroris suspicio, vetus loculamenti peristroma ad manum habebat, ad quod formam referret noui. Vestem Damascenam, Sancio inspectante, dissectam defert secùm in officinam. Postero die prima luce attonito similis Sancium adit exclamans: enimuerò B. Virginem in suo ornamento haùd dubium miraculum perpetrasse. Nouum loculamenti peristroma, quod hesterna die breuius iusto fuerat, casu esse longius palmo. Sequitur hominem in officinam Sancius, fidem oculis suis, non illius vocibus habiturus: comperit haùd vana illum attulisse. Nec quicquam excogitare ipse potuit, quod rem miraculo eximeret. Videbat quippe Crucifixi velum, quod faciendum curauerat, iustum esse, nihilque indè detractum: & Damascena vestis erat peregrino quodam opere facta, vt fraus addentis, ex nostrati, fallere gnarum talium rerum haùd quaquam posset; quamquam talibus in rebus non addentis, sed detrahentis fraus timeri solet. Ad hæc ipsemet Sancius, cùm alijs multis adfuerat Sarcinatori vestem demetienti, dissecantique, vt nihil per imprudentiam erratum esse constaret. Itaque & ab ipso, & ab alijs pro miraculo habitum: nos rem in medio relinquimus.

22. *Colgan. in vita S. Senani*. Dùm de combusta ecclesia restauranda cogitaret populus, & in hunc finem calcem, & cæmentum prępararet, S. Senanus in visione cuidam villico nomine Senanino O-Hetroimain apparens, iussit, vt iuxta domum filiæ Y-bhmachain profundiùs fodiat, tantùm ibi calcis reperturus, quantùm ad Ecclesiæ reædificationem sufficiat. Monitis ille paret, calcemque, vt promittebatur, sufficientem reperit, eaque ita postea ad fabricam vtebantur, vt quantùmuis indè in vsum fabricæ auferrent, remanens tamen moles sine decremento appareret. Huius mirabiliter inuentæ calcis, mirabiliter postea extitit virtus in præsentanea tàm hominum, quàm pecorum morbidorum curatione.

23. *Pet. de Natal. lib. 2. c. 38. de S. Genouefa Virg.* Dùm sancti Dionysij basilica fabricaretur, & calce deficiente, operarij laborare non possent, & ex hoc diebus multis vacare ab opere necesse esset, oratione Virginis effusa, cameram, quam existimabant vacuam, adierunt, & eam calce miraculosè plenam inuenerunt, & sic in ædificio processerunt.

24. *Coluenerius de ædificatione Ecclesiæ S. Mariæ apud Tungros.* Anno 1081. die 28. mensis Aprilis, cùm cœmentarijs deessent lapides, calx, & arena ad operandum sequenti die, nocte præcedenti, Tungros tot lapides aduecti sunt, quot viginti currus vehere vix possent, & tantùm calcis, & arenæ, quantùm perficiendo sacello satis erat. Et hoc planè miraculosè, sine curribus, & equis. Visa fuit dumtaxat mulier in habitu candido, instar peregrinæ, hæc materialia ritè disponens.

25. *Boluitus in vita B. Andreæ Auell. lib. 3. cap. 23.* In Parthenone ab Aurelia Papara instituto, summo studio colebant Andreæ memoriam, cuius sæpè stimulis, ad pietatem fuerant excitæ. Imaginem præcipuè ipsius in Odæo inter cæteras sanctorum venebantur. Hanc solebat quotannis Iulia Basurta, vna ex ibi reclusis, flosculis, argento, sericoue intertextis exornare. Redeunte verò anniuersario die beatæ ipsius in cælum immigrationis, instaurando in crastinum obsequio, ea vespera materiam apparauerat, sed parcam. Quouis enim artificio vix octenos indè conficiendos, non ignaua discussione censebat, exiguum vtique numerum circumornandæ vndique imagini. Tunc vna ex sodalibus, operis quoque adiuua. Quid, ait, nimia cura numerum supputamus? Vacemus operi, & instemus; reor enim hunc senem optare, circumradiantem vndique flosculis hanc eius imaginem crastino videri. Vacauerunt, & quadraginta flosculos eiusdem, quam designauerant magnitudinis aptauerunt, quantis scilicet ad omnem sui ornatum indigebat imago. Explorant sedulò; nùm super adiecta creuerit materies; reperiunt, non creuisse: & comperiunt ad Beati gloriam, diuina illam virtute multiplicatam, & cætero sodalium cætui hilarè narrant.

26. *Ioseph Sylos in vita Ven. Francisci Olympij Cl. reg. lib. 1. cap. 17.* Cùm quidam Faber Ferrarius, Ludouicus Căpanili nomine, phialam aqua plenam mirabiliter à Ven Francisco Olympio ex nostris, in infirmorum solamen recepisset; impertireque eam aquam accurrentibus passim infirmis, soleret, phiala tamen nunquam imminuta fuit, veluti refunderet occultis venis charitas, quod ipse detraheret.

27. *Idem ibidem cap. 20.* Cùm Ven. Franciscus Olympius ex nostris pios globulos à B. Ioanna vocatos,

catos, distribuere soleret. Accidit aliquandò vt inuisurus nobilem quandam fæminam lecto decumbentem, in ipso cænobij vestibulo aduerterit paucos admodùm, ac circiter octo reliquos esse in pixide, certè non ijs suffecturos, quos eundo, redeundo, atque in ipsa ægrotantis domo offendisset; iamque redire in cellam, vt suppleret numerum cogitabat: At substitit: cælumque tantisper intuitus, veluti quid tacitè oraret: pergimus, inquit, nam Dominus prouidebit: & ecce mirum; dùm iret, accurrentibus ad illum plerisque, singulos singulis donauit piacularibus granis. Eadem mox liberalitas, dùm ægram inuiseret, affecit non sanè paucos, ac satis etiam multos, dùm iter remetitur, munifica semper, pronaque omnibus pixide: demùm dùm in ipso domus nostræ aditu, cùm & alios comperisset, globulis minimè pepercit: ac tunc quidem sacerdos ex nostris, qui illi comes, coniectis per quàm attentè in eam pixidem oculis, illam non modò non exhaustam, sed adhùc semiplenam aduertit, licet largè circiter centum distribuisset.

28. *Idem ibidem lib. 2. cap. 2.* Cùm idem Ven. Franciscus Olympius, ad Nosocomium Insanabilium Herculani, non longè ab Neapoli vnà cùm Marchionibus Arenæ se contulisset; cùmque ne vacuo sterilique adiret sinu pietas, quædam illi dulciaria tribuisset Marchionissa, quæ ferret, infirmisque distribueret; non pauca ea quidem, sed quæ minùs profectò sufficerent decumbentibus omninò septuaginta, quot ibi numerabantur. Ad ægrotos ventum. Nec mora; quæ attulerat Olympius, in partes diuidere non ampliùs quinque & quadraginta. Tùm sua ipse manu nullo quidem adminiculo distribuere. Itaque continuata à primo ad vltimum erogatione, adauctis diuinitùs bellarijs, ita partes quinque & quadraginta, vti nempè diuiserat, distribuit, vt non modò totidem ægrotis, sed omnibus etiam, quot inibi decumberent, nempè septuaginta, suum cuique frustulum dederit, superfueruntque adhùc partes circiter octo, mirantibus effusè qui aderant.

29. *In vita S. Francisci de Paula lib. 5. cap. 5.* Cùm quidam Frater ordinis S. Francisci de Paula, Comitem de Arena adijsset, vt peteret eleemosynam pro conficienda imagine eiusdem S. Francisci; vt eius in ordinem pietatem aleret, aut moueret, particulam aliquam panni subtilis lanei, quo in Gallia vir Beatus instar tunicæ vsus fuerat, obtulit, eamque cùm debita B. Francisco reuerentia in 20. partes discidit, quas charta alba inuoluit, ne passim contrectarentur, easque Comiti eidem vti distribueret singulis tradidit. Eas porrò omnes sub manu sua vir pius conditas sigillatim Nobilibus porrigebat, cùmque numerum haùd quaquam minui deprehendisset, quot quot ex ditione sua illìc erant, & vellent ad reliquias accipiendas accedere aduocauit, qui ad eum vsque numerum excreuerunt, vt supra centum tùm viri, tùm mulieres, ex iis diuina Omnipotentia multiplicatis reliquiis domum reportarint, cùm tamen septem, aut octo particulæ cesserint Comiti.

Esset hic agendum de indeficientia, seù multiplicatione diuinitùs facta cereorum, seù olei lampadarum ante sacras imagines ardentium; sed de his cùm de Imaginibus in 2. Tomo.

APPENDIX AD CAPVT I.

Quædam perennia circa indeficientiam, aut multiplicationem quorundam mixtorum.

Coronidem imponant præsenti capiti, quædam semper indeficientia, seu multiplicata. Suntque.

1. *In Hist. Gall.* Mirabile est oleum cælitùs S. Remigio datum, quod sacra Remensis colit, ac seruat Ecclesia, quo tot iam Francorum Reges inuncti fuere, & in dies vnguntur; quod tamen nullum patitur detrimentum. Dicitur verò suo incremento, aut decremento indicare, meliùs, an deteriùs valeant Reges Christianissimi, quando ij ægritudine aliqua graui afflictantur; atque adeò in suo statu rursùs esse, morbo superato.

2. *Petra Sancta in miraculis perpetuis cap. 28.* Ad fines Regnorum duorum Catalauniæ, & Aragoniæ iuxta oppidum Fraga, Cænobium est sanctissimæ Trinitatis, in quo doliolum est manans oleo perenni, atque vnum esse perhibetur ex vasculis viduæ, cui Elisæus vates olei vbertate, hospitij gratiam compensauit.

3. *Idem ibidem cap. 30.* Vasculum olei S. VVefridi Abbatis nunquam deficit, aut decrescit in Heluetiorum oppido Stein.

4. *In commentarijs rerum Moscouitarum Sigismundi Liberi cap. de Ieiunijs.* Est in Moscouia præcipuum monasterium sanctæ Trinitatis, quod 12. milliaribus germanicis Occidentem versùs à Moscouia ciuitate distat, vbi sanctus Sergius sepultus multa miracula edere dicitur, admirabilique gentium ac populorum concursu pietateque celebratur. Perhibetur cupreum vas ibi esse, in quo certi cibi, & vt plurimùm olus coquitur. Fit autem vt siue pauci, siue multi eò venerint, semper tamen cibi tantùm remaneat, quo eius monasterij familia saturetur, adeo vt nihil vnquam desit, neque superfluat.

5. *In m. s.* Apud Stabulum Rhodis in agro Senensi, lapis, cui cubabat S. Guilelmus, in plures dissectus particulas, nunquam deficit; Ita Amandulæ in Piceno lignum B. Antonii.

6. *Vading. in annal. Minorum Anno 1215.* Auream mediocritatem precatus est Sanctus Franciscus hospiti suo in villa Tysi, propè Aluerniæ montem, postquam ab eo beneuolè exceptus est hospitio, ita videlicet, vt eius domui nec diuitiæ, nec paupertas à Deo daretur, sed victus tantùm necessarius; Id quod vsque hodiè in ea domo perseuerat, ita vt hospes ille, quicunque sit, nunquam ad pauperiem redigatur, sed nec diuitias requirat; vndè id hospitium, Domus S. Francisci appellatur.

7. *S. Paulinus, Epist.* 2. Crux Christi Domini in materia insensata vim viuam tenens, ita ex illo tempore innumeris penè quotidiè hominum uotis Lignum suum commodat, vt detrimenta non sentiat, & quasi intacta permaneat, quotidiè diuiduam sumentibus, & semper totam venerantibus.

8. *In m. s.* In Episcopali Ecclesia Epidauri deuotè coluntur partes fasciæ, seù panniculorum, quibus à B. Virgine puer Iesus inuolutus fuit. In ijs multis annis apparuit prodigium; cùm enim ad quamcumq; pars puerperam ex illis frustulum præcisum mitteretur, nunquam deficere, sed in integrum redire mirabili euentu conspiciebantur. Quod cùm semel haùd accidisset, frustulum sacræ fasciæ inscienter mulieri hebrææ missum fuisse obseruatum est, exindèque miraculum cessauit.

9. *Petra Sancta de mirac. perpet. cap.* 12. De indusio Christi Domini, quod aiunt adhùc superesse Constantinopoli, hoc perhibetur: tantùmdem succrescere, quantùm abscinditur. Quemmadmodùm euenisse olim in Cruce Domini (quæ assulatim abscissa, vt ciuitates, vt templa, & homines pios dotaret, non ideò tamen vnquam imminuebatur) testatur inter alios Sanctus Paulinus.

10. *Cornelius à Lapide in cap.* 27. *Matth. ver.* 35. *de Veste inconsutili Domini nostri Iesu*. Ait Euthimius, verisimile est (istam vestem inconsutilem) fuisse quasi subuculam loco camisiæ proximè corpori adhærentem. Additque veterum opinionem (quam ipse approbat) esse, eandem à Matre B. Virginis Christo puero factam, textamque fuisse. Vndè consequens videtur tunicam hanc cùm Christo crescente, creuisse, vti creuere vestes Hebræorum per 40. annos peregrinantium in deserto.

11. *Petra sancta in mir. perp. cap.* 19. Linea interula, cùm qua tumulo inducta est S. Sperandia Virgo Cingulana, & pallium etiam ab anno 1276. adhuc perstant, & subseruiunt sine detrimento vsibus publicis: etenim illa diuellitur assiduè in frusta, & distribuitur frequenter adeuntibus, neque vllatenùs, aut deficit, aut minuitur: hoc autem postquam annis ducentis ac vicenis in sepulchro hæsit, vbi debuisset situ contabescere, ac diffluere, ab anno 1497. pro sacerdotali casula est in ministerio Templi, atque ita fert ætatem, quasi ex panni officina primùm iam prodiret. Cùm tamen aliquotiès mutatæ fuerint eius suffulturæ pariter, ac fimbriæ, debuerintque identidem renouari, panno incolumi, ac firmo.

12. *Astulphus lib.* 15. *Hist. Imag. B. Virg.* Chiozzæ in Ditione Veneta semel apparuit B. Virg. insidens arboris trunco, cuidam olitori, eique imperauit, vt accolis prædiceret imminentia mala, ni à peccatis abstinerent. Truncus ipse adhùc videtur, ex eoque ramenta quotidiè deuotionis causa exscinduntur; & quod mirum est, auorum memoria constat, nihil de mole sua vnquam amisisse.

CAPVT II.

De Admirandis transmutationibus quorundam Mixtorum. Vinum ex aqua productum. §. 1.

SPeculantur & Philosophi quotidianas rerum transmutationes, quæ tamen, quia præuijs habentur dispositionibus, admirationem haùd causant; secùs sunt admirandæ quædam quorundam productiones mixtorum, deque vna forma in aliam formam factæ momentò præter consuetum modum naturæ transmutationes; vt cùm ex aqua vinum, vt in Cana Galilææ, lapides ex pane, sanguis ex exanguibus, & similia. De his ergo in præsenti; & primò de aqua in vinum mirabiliter conuersa.

1. *Vincentius in Spec. Hist. lib.* 9. *cap.* 101. Maximinus Aquensis Episcopus, & Trophimus Arelatensis, & Eutropius Aurasicensis, tres isti religiosi sacerdotes Domini visitationis causa commoti, sic tamen vt alterutrum se se ignorarent, ad S. Martham venerunt, & sanctis eius petitionibus annuentes, Ecclesiam, quam in nomine Iesu Christi, eiusque Genitricis honore construxerat 16. Kal. Iannuarij deuotissimè consecrauerunt. Completa sanctæ dedicationis consecratione, ventum est ad refectionis horam, sed inter prandendum, vinum defecit, ad quorum præsentiam diuina virtus aquam in vinum conuertit.

2. *Idem lib.* 21. *cap.* 99. *de S. Machute*. Cùm sanctus Machutes in vigilia Paschæ missam celebraret, transibant ante fores Ecclesiæ viri cadauer mortui portantes, quos ille vsque ad consummationem missæ subsistere mandauit, eaque expleta, orationem omnibus circumstantibus indixit, pro suscitatione mortui. Cùmque illo simul orante mortuus surrexisset, fatebatur se sitim feruidam tollerare, haustumque vini sibi propinari cæpit obsecrare. Sed quia vinum nusquam propè habebatur, conspiciens Episcopus vasculum marmoreum, iussit sibi afferri. Super quod episcopali benedictione edita, mutauit illud in vas vitreum, aquam verò, introfusam vertit in vinum. Sicque vno die tria tàm mirifica patrauit miracula. Mortuum reddidit viuum, marmor fecit vitrum, limpham falernum.

3. *Beda in vita Cudberti viri Dei cap.* 35. Venit ad monasterium virginum, quod non longè ab ostio Tini fluminis situm erat: vbi à religiosa, & ad sæculum quoque nobilissima famula Christi Verca Abbatissa magnificè susceptus, postquam de meridiana quiete surrexerunt, sitire se dicens, vt biberet rogauit. Quærebant quid bibere vellet, rogantes vt vinum, siue ceruisiam afferri liceret, Aquam, inquit, date mihi: qui haustam de fonte aquam, obtulerunt ei. At ille data benedictione, vbi paululùm gustauit, dedit astanti presbytero suo, qui reddidit ministro. Et mini-

minister accepto poculo; licet, inquit, mihi bibere de potu, de quo bibit Episcopus? Respondit; Etiam; quare non liceat? Erat autem & ille presbyter eiusdem monasterij. Bibit ergo, & visa est ei aqua quasi in saporem vini conuersa, tantique sibi testem volens adhibere miraculi fratrem, qui proximè astabat, porrexit ei poculum: qui cùm & ipse biberet, eius quoque palato pro aqua vinum sapiebat. Aspectabant autem mirantes adinuicem, & vbi vacuum tempus ad loquendum acceperunt, confitebantur alterutrum, quia viderentur sibi nunquam melius uinum bibisse.

4. *Admannus Scotus lib. 2. in vita S. Columbæ Confessoris cap. 1.* Cùm vir venerandus in Scothia apud Sanctum Findbarrum Episcopum adhùc iuuenis, sapientiam sacræ scripturæ ediscens, commaneret; quadam solemni die vinum ad sacrificale mysterium casu aliquo minimè inueniebatur. De cuius defectu cùm ministros altaris inter se conquerentes audiret, ad fontem sumpto pergit vrceo, vt ad sacræ Eucharistiæ ministeria aquam quasi Diaconus fontanam hauriret. Ipse quippe illis in diebus erat in Diaconatus gradu administrans. Vir itaque beatus aquaticum, quod de latice hausit, elementum, inuocato nomine Iesu Christi, fideliter benedixit, qui in Cana Galilææ aquam conuertit in vinum; quo etiam operante miraculo, inferior, hoc est, aquatica natura, in gratiorem, videlicet vinalem, per manus prædicabilis viri conuersa est speciem. Vir itaque sanctus à fonte reuersus, & Ecclesiam intrans, talem iuxta altare vrceum intra se habentem, deponit liquorem, & ad ministros: Habetis, ait, vinum, quod Dominus Christus ad sua misit peragenda mysteria. Quo cognito, sanctus cùm ministris Episcopus eximias Deo referunt gratias.

5. *In Martyr. Gallic. 5. Ian. de S. Gerlaco.* In dominica Passionis cùm sibi è puteo ad sitim leuandam semel, iterùmque aquam hauriri iussisset, eaque vtraque vice in vinum fuisset conuersa: ipsemet ad puteum concessit, & hausta iterùm aqua, tertiò in vinum mutata est.

6. *Ibidem 7. Kal. Iunij de S. Lamberto Episcopo Venciensi.* Quadam vice die Parasceues longa maceratus abstinentia Lambertus, petitam ad potandum aquam, consignando cruce, in vinum conuertit, quam cùm nescius immutationis gustasset, increpato ministro quasi vinum pro aqua protulisset: Illa iterùm aduecta, consimilique signaculo benedicta, in merum rursùs conuersa est, quam tandem opus diuinæ virtutis esse intelligens, cùm gratiarum actione vsus, Clericis etiam, qui aderant delibandam porrexit.

7. *S. Petrus Damianus in vita S. Odilonis Abb.* Cùm semel S. Odilon Abbas à quodam fratre petijsset, vt sibi aquam deferret, qua simul cùm pane initium sacratissimæ Quadragesimæ incipere volebat, illeque aquam detulisset, in vinum mirabiliter conuersam inuenit.

8. *In vita S. Petri Damiani.* Quadam die apud Gamonium, cùm in cella consisteret S. Petrus, fratri, qui ei ministrabat, ex fonte sibi potum afferri iussit, qui statim pergens festinus, iussum compleuit; quod, magistro gustante, vinum esse deprehenditur, increpare itaque discipulum cæpit, quòd pro aqua sibi vinum tulisset; illi verò asserenti, hausisse se ex fonte, quod abtulerat, eundem sibi potum magister porrexit, iubens gustando ipsum, experiri, quo valeret se teste, fallax conuinci. Cui gustanti, licet vinum sapuisset, quod erat, nihilominùs tamen, vt benè sibi conscius, potum illum ex fonte se hausisse affirmabat, cùmque illi fides nequaquam daretur, alius ad eundem fontem frater dirigitur, cuius gressus, ne fallere similiter posset, obseruari præcipitur, qui ergo ex eodem fonte, mox pleno vasculo hauriens, concitus rediit, potum quem hauserat magistro t[r]adidit. Verùm dùm hic quoque potatus, opt[im]am esse vini speciem æquè ferè probatur, fratres q[u]oque, qui cùm eo erant, ex eodem gustantes, vinumq; optimum comperientes, Deum pro gaudio collaudauerunt omnes, quibus Petrus illicò prostratus supplicat, immo sub obedientia interdicit, ac mandat, quatenùs se in carne degente, nulli prorsùs mortalium, quod factum nouerant, pandant.

9. *In actis S. Emmerammi Episcopi, & m.* Cùm quidam infirmus degens in mansione quadam propè cœnobium S. Emmerammi, quadam die optasset aquam ad refocillandam animam de fonte S. Emmerammi, qui erat in monasterio. Vnus statim abijt, optatamque aquam subitò deportauit, quam bibens infirmus, mirabiliter precibus S. Emmerammi in dulcissimum vinum conuersam cognouit, de quo & biberunt omnes adstantes, Deum, sanctumque martyrem glorificantes.

10. *In vita B. Ioannis Boni ex ordine S. Augustini lib. 1. cap. 7.* Vt fratrem de transubstantiatione vini in sanguinem Christi dubitantem, in fide corroboraret, aquam in vinum mirabiliter conuertit. Quod prodigium & aliis ex causis non semel mirabiliter operatus est.

11. *Io: Colg. in vita S. Gildæ 29. Iannuarij.* Cùm in cella quadam cùm fratribus moraretur, venerunt ad eum hospites, quos libenter suscipiens, duxit ad orationem: ac deindè omnem eis adhibuit humanitatem, & lauans pedes eorum, ac manus, quod habuit cùm charitate dedit eis. Sed cùm non haberet vinum, quod eis tribueret, oratione facta, iussit impleri vasa vinaria aqua, dataque super eam benedictione, iussione diuina in optimum vinum est conuersa.

12. *Idem in vita S. Hymelini Presby.* Quodam tempore cùm sanctorum Ap. Petri, & Pauli sacra lypsana visitasset, in patriam rediens, ab itinere fessus, & graui siti æstuatus in eo pago, vbi adhùc sacrum eius corpus piè seruatur, & colitur, (Senacum vacant, Belgicè Vissenah) tantisper quiescebat, dùm vires exigua à labore cessatione reficeret. Interim transit illàc Parochi ancilla ex vicino fonte haustura: eam ob rem Parochus sedulò vetuerat, ne quem ex poculo ancilla bibere permitteret. S. Hymelinus, vt redeuntem à fonte videt, sitim suam sedare vt liceat enixè rogat: sed frustrà. Tandem tamen impetrauit, cùm promisisset fore, vt ea res Domino vtilis esset; vt bibit, illa domum

mum, hic itineris cursum prosequuturus, discedit. Res mira! vt aquam sibi ex fonte allatam gustauit Parochus, eam in vinum conuersam agnouit. Quare intellecta ex ancilla rei gestæ historia, confestim sanctum virum sequutus, eum in domum suam reduxit, hospitioque excepit.

13. *In Menol. Cisterc. 19. Septembr. de Beata Sophia*. Aliquandò tenuis ceruisia ei in vinum conuersa est; & cùm nocte quadam de templo, absolutis nocturnis precibus, exiret, Angelus eam cùm lucerna præcedere visus est.

14. *In vita S. Bennonis Episcopi*. Cùm adhùc esset in monasterio, & quadam die ad operarios in prato exijsset, illis siti ac labore fatigatis, signo crucis edito, aquam in vinum commutauit. Quod cùm puer suus animaduertisset, allata aqua, dixit: en faciam sicut Dominus meus. Qui interrogatus quidnam fecisset: Crucem, respõdit, desuper edidit. Cùmque puer idem faceret, meritis beati viri, & simplicitate pueri, aqua vini saporem mox induit.

15. *Philippus Ferrarius in Catalog. S.S. 2. Aprilis*. Cùm Gobehardus Episcopus Rauennæ Pomposiæ cibum in refectorio cùm monachis semel caperet, ex aqua ante S. Guidonem Abbatem Pomposianum posita, sibi afferri iussit, quæ stupente Episcopo, in vinum optimum est conuersa.

16. *Idem ibidem 1. Febr.* Cùm quidam, aquam ex proximo puteo haustam, S. Verdianæ Virgini per fenestram porrexisset, vinum effectam sensit, eamque idem qui hauserat, alijs gustandam tradidit.

17. *Idem ibidem 28. Aprilis, de S. Zita Virg. Lucensi*. Cùm peregrino eleemosynam petenti non haberet, quod daret, haustam aquam illi signo crucis facto porrexit; quæ in vinum conuersa est.

18. *Idem ibidem 5. Septembris*. Alpertus Monachus, & Sacerdos apud Cecimam agri Derthonensis pagum, vitam duxisse traditur: qui apud summum Pont. quòd minimè ieiunus celebraret, accusatus, ad illum profectus, innocentiam miraculo comprobauit. Nam aquam coram Pontifice, & tribus Cardinalibus à se benedictam, in vinum conuertit.

19. *Idem 30. Octobris de S. Gerardo Episcopo Potentiano*. Creatus Episcopus, multis miraculis sanctitatem suam demonstrauit; in quibus illud admirandum, quòd cùm inter visitandam diœcesim vinum defecisset, aquam ex proximo fonte hauriri, afferrique iussam, signo crucis in vinum optimum conuertit.

20. *In actis S. Pursei confess. apud Bollandum 15. Ian.* Matrona quædam infirma, cælesti monitu misit ad Ecclesiam, in qua requiescit corpus S. Fursei, petens vt de vino, quo ineffabilis Christi Eucharistia conficitur, sibi ad remedium concederetur. Iuit seruus, vinumque denegatum fuit, eo quia vini penuria eo tempore totam illam regionem affligebat. Tunc seruus ad fontem proximum cucurrit, plenum vas haurit, dominæ suæ obtulit, & quoniam aqua sit depromit. Quæ benè credula mox vt gustauit, vinum, quo melius numquam biberat sensit, & salutem ex integro recepit.

21. *Ibidem in actis S. Aldegundis Virg. 30. Ian.* Contigit quadam nocte, cùm aquam de fonte ministri ad potandum deferrent, qui in Cana Galilææ sex hydrias aquarum vertit in vinum, ipse laticem fontis in mirabilis vini mutauit saporem. Hoc videntes omnes famulæ Christi, pro nihilo duxerunt possidere terrenas opes ob amorem illius, qui præsto habetur vniuersis sua relinquentibus.

22. *In actis S. S. in continuat. Bollandi in Feb. tom. 1.* Quadam die S. Berlendis Virgo in Brabantia, poculum aquæ sibi appositum, in vini saporem mirabiliter conuertit.

23. *Ibidem*. Ægrotabat nutrix S. Brigidæ Kildariensis Abbatissæ, misitque puellam ad domum cuiusdam viri, vt postularet potum ceruisiæ ægrotanti. Tunc sancta Brigida declinauit ad puteum & impleuit vasculum suum aqua, & facta est ceruisia optima, & cùm gustasset nutrix sua, surrexit sana.

24. *Ibidem tom. 3.* Accesserat Rex Galliæ dùm per amœnissima loca venandi causa deambularet, ad tugurium, vbi habitabat vir Dei S. Victor: tunc solicitus hospes, quòd vinum non haberet, haustam de proximo fonte aquam, conuertit in vinum & bibit Rex, & qui cùm eo erant.

25. *Ibidem tom. 3.* Presbytero quadam in mensa assistente S. Vlrico presbytero eremitæ, aqua in vinum conuersa est. Alia vice aqua ab ipso populo oblata, vini saporem induit, colore pristino nullatenùs mutato.

26. *Ibidem in Martio tom. 1.* Quia vineis frugifera non erant patria, in qua morabatur S. Dauid Archiepiscopus Meneuensis in Vuallia, ad conficiendum Sacramentum Dominici sanguinis, præcibus eiusdem, aqua in vinum versa est.

27. *Ibidem tom. 3.* B. Dodo de Hascha ordinis Præmonstratensis in vigilia Natiuitatis Domini, aquam in mensa sua, facto signo Crucis, mutauit in saporem vini dulcissimi.

28. *Ibidem*. Cùm quadam die pro celebrando missæ sacrificio vinum defecisset, imperauit B. Tomassus eremita ordinis Camaldulensis, cuidam seruo, sibi portari duas ampullas aquæ de cisterna plenas, vnam quarum, cùm vna manu accepisset vir Dei, flexis in sacratiori loco genibus, & cùm alia facto signo Crucis benedixisset, mox aqua in vinum optimum conuersa est; cùm illoque sacrificium adimpletum fuit.

29. *Ibidem in Apr. tom. 1. de S. Ayberto ord. S. Benedicti*. Cùm hic vir Dei aquam benedixisset, in optimum vinum mutauit, quod à quodam infirmo haustum, eidem sanitatem restituit.

30. *Ibid. tom. 2.* Ad orationem S. Benedicti Aueniõnẽsis in Massano oppidulo comitatus Venassini haud procùl Auenione, Deus fecit de aqua vinũ tribus vicibus, eo quod ipse bibere nolebat de vino: & ipse videns istud miraculum dixit: Deus vult, vt ego bibam de aqua ista.

31. *Arnoldus Rayssius in aut. ad nat. S.S. Belgij 17. Aprilis*. In Brabantia, propè Louanium in Parcensi Cœnobio ordinis Præmonstratensis, natalis beati Rabodi sacerdotis, & ibidem Religiosi.

De eo

De eo legitur, quòd in memoriam Christi cruciatuum dùm ferijs sextis in pane & aqua ieiunaret, subindè cælitùs sibi versam in vinum aquam deprehenderet.

32. *In martyrol. Bened.* Pridiè idus Aprilis; In monasterio Vallis Vmbrosæ, depositio S. Petri monachi, & eremitæ, tantæ sanctitatis, vt sola oratione exemplo Domini aquam in vinum conuerterit.

33. *In actis S. Procopij.* S. Procopius monachus ord. S. Benedicti, IVdalrico Bohemiæ Duci anhelo præ nimia siti, aquam propinauit, sed benedictam signo Crucis: & vinum suauissimum id fuit, quo præstantius in genialibus conuiuijs ille nunquā biberat.

34. *Surius in vita S. Heduuigis Ducissæ Poloniæ 15. Octobris.* Accusata aliquandò fuit apud maritum suum, quòd perpetuò aquam biberet. Id verò ille indignè ferens, & plùs satis immoderatum, atque earum, quas crebrò patiebatur, ægritudinum causam esse existimans, indè eam reuocare voluit. Accessit igitur præter expectationem ad locum, vbi illa ad mensam, cibum sumptura, sedebat: tollensque scyphum coram illa positum, in quo aqua erat, bibit ex eo. Et ecce non nisi boni vini gustum percipit, cùm tamen reuera aqua infusa esset. Ait igitur illi, qui eam detulerat: Dignus profectò esses, & cui ob hoc mendacium oculi effoderentur. Nesciebat enim factum illud à Domino, quod ea causa mirabile erat in oculis illic ei ministrantium, qui sciebant quid ei bibendum obtulissent, nempè aquam puram, quæ tamen mox in vino mutata fuit. Quod cùm certiùs cognoscere vellent, qui illi aquam apposuerant, posteaquam Dux bibit, etiam indè biberunt: cognoscentesque diuinum miraculum, propter Sanctæ Heduuigis merita patratum, Deum collaudabant.

35. *Vghellus in Ital. Sac. tom. 8. Montis Corbini Episcopi.* De S. Alberto Episcopo Corbinensi legitur, quòd semel petijt parum aquæ à quodam transeunte, qui vase eam à vicino fonte hauserat, quod cùm ille ori apponeret, magno Domini miraculo in vinum subitò mutata est.

36. *Idem tom. 8. Episcopi montis Marani.* Dùm quodam tempore deficeret vinum quibusdam operarijs, iussit S. Ioannes Episcopus montis Marani, vt aquam è vicino flumine haurirent, aquam haustam benedicens, in vinum mirabiliter mutauit, omnibus glorificantibus Deum in seruo suo.

37. *Ambrosius Righettus in Mirac. Nominis Iesu.* Dùm S. Gaudentius Ariminensis Episcopus, Ariminum progrederetur, aquam in vinum, facto signo Crucis, mirabiliter conuertit.

38. *In vita S. Marcelli Episcopi Parisiensis 1. Nouembris.* In religionis ordine subdiaconus effectus est. Itaque cùm subdiaconali ministerio fungeretur, in die Epiphaniorum, hauriens aquam de fluuio Sequanæ, dùm beato Prudentio Episcopo manibus abluendis offerret, mutatis elementis, vini sapor inuentus est. Quo viso, obstupescens Pontifex, iussit ex ipso vrceo in calicem sacrum fundi: vndè vniuersus populus, Missa celebrata, ad communionem accepit, & ipsum vas cùm ad plebis multitudinem sufficeisset, ac si non tactum, & integrum, sic plenum permansit. Cuius vini mystico beneficio postea multi infirmi sanati sunt.

39. *Surius 29. Nouembris, de S. Radbodo Episcopo Traiectensi.* Antistes Radbodus, cùm semel sui commensales vina potarent infra mensam, ipse solus limpidam occultè bibit aquam. Quod quidam nomine Gummarus attendens, supplicauit eidem Episcopo, quatenùs sibi gustare liceret de suo poculo, sed beato viro non consentiente, dictus Gummarus Episcopalem scyphum clàm accepit, & magnum haustum ex eo sumpsit, & ecce stupendum miraculum, nam eadē aqua repentè mutata est in optimum vinum. Qua de causa tentator attonitus implorauit extemplò veniam, & beatus Episcopus ex hoc prodigio non sibi, sed Deo dedit gloriam.

40. *In vita B. Simeonis Stockij.* Viuus, & mortuus, & moriens, multa miracula fecisse compertum est; inter quæ, cùm Diabolus, facturo sacrum Simeone, aquam pro vino posuisset in vrceolo, aquam (Christo similis) conuertit in vinum.

41. *In vita S. Elisabeth Reginæ Portugalliæ.* Cùm medici ei præcepissent in quodam morbo, vt contra morem, vinum biberet, cùm id recusaret, aqua diuinitùs in vinum versa est.

42. *In vita S. Gerardi Episcopi Tullensis.* Cùm semel S. Præsul ad prandendum cùm alijs discumberet, diem ieiunij, qui fortè contigerat, non dissoluere statuens, lympham sibi ad potandum deferri ministro in aurem secretò præceperat: quam pincenna obediens Beato viro obtulit; sed ille summis prægustans labijs, in vinum diuinitùs mutatam cognouit.

43. *In vita S. Rodani Abb. Lothrensis.* Cùm vinum non haberet, quo hospitibus suis satisfaceret; iussit coco, vt aquam fontis affunderet hospitibus, quia verteretur in vinum eis. Quod & factum est.

44. *In actis S. Agnetis Politianæ.* Cùm semel quædam piæ fœminæ simul cùm S. Agnete essent ad mensam, accidit vinum in mensa deficere, nec propè esse vbi vinum inueniri valeret; quod Agnes Virgo dùm cerneret, suarum sodalium compassione cōmota, cuidam ex illis mandauit, vt de propinquo fonte aquam deferret. Quæ cùm iussa impleset, in reditu ipsum vas aqua plenum in manu sanctæ Virgini porrexit, quod illa accipiens, & benedicens signo Crucis, discumbentibus, vt biberent gratiosè tradidit; gustaueruntque vinum optimum Deoque gratias egere.

45. *In vita Beatæ Aldobrandescæ Viduæ tertij ordinis Humiliatorum.* Conduxerat aliquandò ad hortus sui culturam rusticum; qui cùm sitiret, & apud ipsam soli aquæ assuetam, vinum non inueniret; plenum ex fonte poculum hausit; dixitque: eia mater, quandò vinum deest, huic saltem aquæ benedicito, vt melior mihi, ac salubrior sit. Fecit illa quod rogabatur, oculisque in Cœlum sublatis, super calicem signum Crucis protulit; ex quo bibens rusticus, vinum agnouit, quo nullum sapidius biberat. Aliàs cænante cùm ea Berta quadam, ipsa hospiti suæ vino assuetæ compatiens, eleuato ad Deum animo, signum Crucis expressit, & Berta optimum vinum in manibus habuit.

46. *Krantzius lib.6.metrop. cap.40. de Isfrido Episcopo Raceburgensi*. Iusserat sacra die Parasceues, vt minister aquam ei inferret in potum; paruit ille, & aquam afferebat: gustauit Pontifex, & reperit vinum. Toruo vultu versus in ministrum; Num, inquit, iussi vt aquam inferres, non vinum? Territus ille, quàm sanctè affirmauit, aquam se attulisse de fonte. Iussit iterùm haurire, ac vinum erat: tertiò item res iteratur, & idem prouenit. Tùm resolutus in lachrymas, oculos in Cœlum extollit. Quandò inquit, tua voluntate mirifice creator, creatura mutatur, cedo quod iubes, ecce in die passionis filij tui sumo quod præstas. Mostrant hodiè fontem iuxta domum thesaurariæ in Raceburgh, vndè hausta fuit aqua.

47. *Idem lib.7.metrop.cap.18.de Dithmaro Episcopo*. Cùm esset vir abstinentissimus, multis vtens ieiunijs, die Parasceues misit quemdam, qui hauriret aquam, qua vteretur in potu. Fecit ille quod iussus est: sed vbi venit in manum Pontificis, vertitur in vinum: Illusum sibi arbitratur Pontifex à ministro: seuerè iubet, vt aquam illi, non vinum proferret; miratus minister, quàm sanctè testatur, non vinum, sed aquam se hausisse. Iubetur iterare ministerium: accidit quod priùs. Tùm verò non credens fidum Ministrum, cùm illo egreditur, intuitus vndè ille hauriret. Cùmque cerneret de puteo produxisse quod afferrebat, videns aquam esse mutatam in vinum, Dei bonitatem collaudabat, qui vetera erga illum miracula renouaret.

48. *In vita S.Bartoldi Abbat.Castrensis*. Cùm semel Sanctus Abbas æger esset, grauique morbo laboraret, aquam sibi dari iussit ad restinguendos febriles ardores; at dùm hausit, vinum mirabiliter degustauit.

49. *Hugo Menard, lib.1.obser.ad marty. Bened. 14.Iunij de B. Richardo*. Cùm in die Parasceues ob quadragesimæ ieiunium, corpore esset admodùm debili, nec posset sancto illo die à cibo abstinere, iussit sibi dari panem cinere conspersum, vt omnis abesset delectatio: quem tamen comedendo optimi saporis esse cognouit, & aqua, quam sibi propinari iusserat, uini saporem referre visa est. Abbas iussit rursùs aquam & panem cinere conspersum afferri, sed eiusdem saporis, ac priùs visa sunt, quæ cùm gratiarum actione sumpsit. Seruatur adhùc patera, seù patina, in quam eiusmodi aqua infusa, in vinum conuersa est, in sacristia Ecclesiæ S. Vitoni Virdunensis, in quam solent monachi aquam infundere, qua hausta, ex febre laborantes curantur.

50. *In actis S.Bononij Locedensis Abbatis*. Ea erat abstinentia vir sanctus, vt etiam in Paschate uinum reijceret; minister autem duobus poculis, vno aquam, uinum altero ferente, ex priore uiro sancto fudit; signo Crucis præmisso, bibit Bononius, viditque uinum esse. Mandat ergo uinum effundi, & infundi aquam: ita fit, sed illam consignat, & Deus transmutat in uinum. Quod ille aduertens, succenset ministerio, aquam se, non uinum poposcisse dictitans. Famulus persistit, aquam fusam fuisse. Tertiò idem agitur, & sanctus gratias Deo refert pro incredibili in se amore, & beneficentia.

51. *Angelus Manrique in an.Cisterciensibus an. 1147.cap.11.* Semel accedens S.Bernardus ciuitati Tullensi, proximam uillulam, quam Calmas nominant, pertransibat: & ecce iuit obuia plebs deuota, aquam deferens signandam, atq; benedicendam, quam protinùs euangelici instar miraculi, sapore pariter, & odore vini, benedictione ipsa donauit, & qui gustauerunt, omnibus perhibent testimonium.

52. *In vita S.Syluestri Abb.Fundatoris ord.Syluestrinorum*. Locus est non procùl à Fabiano, cui nomen à Crypta, quem sibi primum ad vitam in solitudine agendam Syluester elegerat; hùc operas mercenarias ad cisternam ædificandam conduxit, cùmque ibi vinum eis penitùs defecisset, operarios ægrè ferentes, blandè consolabatur, cùm diceret: equidem filij fateor, hodiè nihil omninò vini relictū esse, quare vos id quæso propter Deum æquo animo ferte, quod enim hodie deest, id aliàs Dei bonitas supplere facilè potest. Statimq; suos iussit monachos aquā ad operas meridiano calore æstuantes afferre, à se tamen signo Crucis antea communitam; at cùm illi aquam gustassent, repentè in vinum optimum commutatam vehementer admirati: quid inquiunt, modò pater domi vini quicquam esse pernegabas! optimum vinum nobis est iam tuo iussu delatum: is verò nihil ipsis quidem respondit, sed se subitò subducens, fratribus rei gestæ conscijs, at testibus imperat, vt eam rem silentio tegant, quippe qui uni Deo placere mallet, quàm caducis hominū uocibus celebrari. Simile prodigium fecit cùm aliquandò ad Xenodochiū Spineti olim, nūc enim ædes est B.Catharinæ sacra, in itinere propè Cingulum oppidum diuertisset; magna enim cùm ueneratione ab uniuersa illius hospitij familia receptus est, discubuit cùm uiris primarijs permultis, cùmque illis aqua defecisset, Syluester humaniter illos ministros appellans, aquam poscit, illi ad fontem pergunt, uas aqua plenum referunt, mox de more uir Dei lagenam illam cruce impressa consignat, & in cyathos iubet infundi, uerùm cyathi non aqua, sed optimo uino complentur.

53. *In vita B.Idæ Louaniensis*. Iuuenculam quamdam cùm una dierum uirgo Christi secùm prandere faceret, & uinum quod apponeretur mensæ discumbentium nō haberet, infusam crateri ceruisiam, epulanti puellæ uice nectaris apposuit, & sic exhilarato uultu, simul, & iocundis uocibus exclamando, dignum inquit, & rationi satis consonum nunc esset, ut celestis sponsus has suas sponsas hìc in suo nomine congregatas in suis nuptiis misso uini poculo recrearet. Mira res, & non immeritò, ut arbitror, antiquo Christi miraculo conferenda. Puella namque confestim ceruisiam ori applicuit, sed qui olim in Cana in nuptiarum conuiuio residens, aquam in uinum cælesti uirtute conuerterat, in hoc quoque nuptiali conuiuio, dilectæ sponsæ suæ satisfaciens desiderio, ceruisiam in uinum optimum commutauit. Bibens ergo Puella, uinique saporem & ore suscipiens, & palato discutiens, & in stuporem uersa, magna cœpit uociferatione clamare, patratique miraculi nouitate intùs attonita, supernæ pietatis eminentiam altisonis non cessauit laudibus, ac præconiorū immensis uocibus exaltare.

54. Bzo-

54. *Bzouius in ann. Eccles. an.* 1240. *n.* 15. Cùm quidam B. Odoni Carthusiano aquam propinasset, vt biberet, statim ac eam recepit, in vinum conuersam sensit.

55. *In vita Sancti Homoboni.* Cùm prædiolum cæteris diuenditis, & in egenos erogatis, sibi ac pauperibus seruasset, ex eoque fossoribus vinum aliquandò ferret, occurrere ei mendici aliquot ab eo petentes: quibus vir sanctus summa cùm animi hilaritate & frontis lætitia porrexit. Sed cùm exhausti ferè forent cāthari, nec propter vxoris acerbitatem auderet domùm reuerti, eos aqua repleuit, ac benedixit. Vinitores autem se se nihil vnquam suauius gustasse asserentes, quærebant vndè tam bonum vinum habuisset. Vir Dei, qui optimè sciens quid fecisset, arbitratus se derideri, bibit & ipse incomparabilis bonitatis vinum, gratiasq; Deo, cuius erat illud opus, maximas egit.

56. *In actis B. Vualteri de Birbach ord. Cisterc.* Die quadam seruus, ieiunāti Vualtero vas paruulū fictile cùm aqua obtulit: quam in eius manibus diuina virtus in vinum optimum conuertit. Qui cùm gustasset aquam vinum factam, seruum secretò vocauit, & arguit, dicens, quòd sibi vinum pro aqua ministrauit. Quod cùm ille negasset, asserens se hausisse aquam de situla, vas recepit, & effudit; sicque aqua purissima impleuit, & vt securus esset, prægustauit, & obtulit. De qua cùm gustasset, sicut priùs vinum inuenit, & mox seruo iratus, sic ait. Vt quid mihi illudis, secundò vinum pro aqua adferēdo? Ad quod verbum stupens seruus, cùm iuramentis maximis negauit. Tunc primùm intellexit ex multa misericordia Dei hoc miraculum circa se gestum. Adiurauit autem eundem seruum, ne illud vnquam alicui homini, quoad viueret, manifestaret.

57. *Helmoldus Buzouiensis l. 2. Chr. Slauor. c.* 19 *de S. Thoma Episc. Cantuariensi.* Accidit vna dierum cùm Apostolicus (idest Alexander Pontifex) sederet cùm Episcopo Thoma, vt fortè sitiret, & dixit puero assistenti sibi: affer mihi aquam de fonte, vt bibam; quæ cùm allata fuisset, dixit ampliùs Episcopo: Benedic & bibe. Qui benedixit aquam, & mutata est in vinum, & bibens dedit Apostolico. Cùmque Apostolicus intellexisset vinum, vocato puero dixit ad eum, quid detulisti mihi? qui dixit, aquam. Tunc Apostolicus puero: affer mihi adhùc de eadem. Cùmq; hoc secundò factum fuisset, iterùm dixit Apostolicus ad Episcopum: Frater benedic, & bibe. At ille virtutem de se exijsse nesciens, credens ex industria vinum allatum, simpliciter benedixit; & iterùm mutata est in vinum, bibensque dedit Apostolico. At ille adhùc non credens, putans errore factum fuisse, tertiò clàm præcepit afferri aquam, & tertiò mutata est in vinum. Tunc expauit Apostolicus, intelligens eum virum sanctum fuisse, & virtutem Dei in eo celebratam.

54. *In vita S. Dominici, l. 3. c.* 8. Cùm in Tolosæ regione cùm multis fratribus iter ageret, & die quodam, ceù veri Christi pauperes ad prandium non nisi vnum vini scyphum haberent, atque essent inter eos, qui in sæculo delicati admodum fuissent: eorum penuriæ pius vir condolens, iussit parum illud vini, quod habebant, in magnum vas fundi, & aquam abundè multam illi superfusam fratribus apponi, qui erant simul octo; biberunt ergo aquam, in vinum valdè bonum mutatam, ad satietatem, Domino gratias agentes, superfuitq; de vino, quod erat eis Christi beneficio ministratum.

59. *Bzouius in an. Eccl. an.* 1301. *n.* 11. Semel decumbens B. Iacobus Meuanēsis ord. Præd. vinumq; nigrum cōcupiscens, aquam è puteo haustam semel, secundò, & tertiò, solo signo Crucis vinum fecit.

60. *Petrus Malpæus in Palma fidei de F. Andrea Martyre in Aethiopia.* Semel aquam in præstantissimum falernum transmutauit, vt siti laborantibus è cælo remedium subministraret.

61. *S. Bonau. in vita S. Francisci cap.* 5. Quodam tempore apud eremum S. Vrbani seruo Dei ægritudine grauissima laborante, cùm ipse naturæ defectū sentiens, vini poculum postulasset, nihilque de vino, quod sibi dari posset responderetur adesse, iussit aquam afferri, & allatam signo Crucis benedixit. Mox vinum efficitur optimum, quod fuerat aqua pura; quod deserti loci paupertas non potuit, uiri sanctitas impetrauit.

62. *Vad. in an. Min. an.* 1215. *n.* 26. *de S. Frācisco.* Recepit locum de Trabe Bonate, siue Bonantis, vt habet Pisanus, custodiæ antiquæ Camerini cęnobiū, quod dùm ædificaret, & operarij magno sitis ardore laborarent, viresq; sibi ad opus defecisse quererentur, nisi aliquantulùm vini ministraretur; misit Sanctus vir ad castrum Iouis vicinum duos ex fratribus, qui illud à benefactoribus procurarent. Sed moram facientibus, & vltrà querentibus cæmentarijs, compassus eorum inediæ, ad vicinum fontem perrexit S. Vir, & facto desuper signo Crucis, scaturientem aquam in vinum optimum conuertit, ex quo per integram horam licuit haurire. Adfuit tunc quidam Ioannes de Villa Alterini Comitatus Camerini, qui miraculosum hoc potauit vinum, remq; cælitùs gestam narrauit Fratri Bonauētūræ Tolentinati, à quo, & ab ædificioli structoribus undiq; diuulgata est.

63. *Idem ibid. an.* 1464. *de B. Amadeo Lusitano.* Dùm purificandis presbyteri digitis vinum deesset, ille aquam in vinum mutauit, quo degustato mirabiliter confortatus celebrans, peracto sacro, reliquis dixit, se nunquam simile gustasse.

65. *Gonzaga in Prouincia Terræ laboris, de conuentu S. Ioannis de Parco Lauri.* V. Petrus ab Aierola, cùm post functum Vicariatus huius prouinciæ officium, ob eius grauissimos mores, in nouitiorum præsentis loci magistrum electus esset, sequens edidit miraculum: Premebatur vehementissima siti inter itinerandum, nouitius frater sibi congrediens, quòd cùm is præsciuisset, ab obuio caupone aliquātulùm vini ex charitate petijt: quo tandem denegante, proximumq; puteum, vt sibi abundè satisfacere possent, ostendēte, ambo puteum accessere, haustâq; aquam cùm pater signo Crucis benedixisset, in vinū conuertit. Quod tantum miraculū cùm auarus caupo (qui præsens aderat) animaduertisset, spopondit se Franciscanis fratribus ad se declinantibus nihil in posterùm denegaturum. Idque quandiù vixit, liberalissime executus est. Immò & moriens idipsum suis posteris ex testamento præcepit.

65. *Bouerius in ann. Capuc.* 1553. *de Fr. Matthæo*

à Leonissa. Per id tempus in agro Leonissensi, Rusticus quidam, Calabricius cognomine, ægrotans, graui cibi inappetentia laborabat, quem cùm Matthæus familiariter inuiseret, ab eo tandem quærit: Nùm quicquam, quo illius gustus excitari posset, ei in mẽtem veniat, At ille: vini (inquit) nonnulla cupiditate teneor: sed cùm vino ob inopiam careret: Afferte inquit Matthæus, mihi aquæ poculum: quod cùm primùm signo Crucis benedixit, infirmo obtulit, qui vbi aquam diuina virtute in vinum commutatam gustauit, mox ab infirmitate conualuit.

66. *In hist. Camald. in vita S. Alberti Eremitæ*. Quidam bubulcus Pagi Modioli, grauissima affectus febri, dùm eius salus desperabatur, voce, qua poterat, aquam S. Alberti petebat, eius auxilium propterea implorans. Tunc misso viro, qui festinus aquã hauriret, æger ad extrema perductus interim est, adeò vt ridiculum omnibus videretur ampliùs pro eius salute laborare. Allata autem aqua, cœpit vnus qui maiori fide præstabat, vndam per labia moribũdi distillare, quæ vbi fauces attigit, æger in momento resumptis viribus, stupentibus cunctis, verba formare incæpit, cibum postulat, & familiares, qui sibi suprema parabant, repentino recuperatæ vitæ afficit gaudio. Simùl Deo, ac S. Alberto gratias agens, interrogat domesticos, vndè allatum sit vinum tantæ efficaciæ, cuius virtute à porta mortis ad aureas æthereas fuerit reuocatus. Quibus respondentibus, hanc aquam S. Alberti fuisse, non vinum, & illo instante, vinum esse; factum est, vt haurientibus liquorem ex vasculo, vinum optimum in illo esse ab omnibus compertum sit. Vndè vas in templo ibi ad perpetuam rei memoriam appensum est.

67. *In ann. Cler. ministrorum infirmis an.* 1612. Semel V. Camillus de Lellis hospitabatur vnà cùm Antonio de Albate, & Bernardino Nicolai in conuentu P.P. Capuccinorum propè oppidum Laureti; deficiente autem vino in eo conuentu, amphoram aqua plenam hospitibus apposuere religiosissimi Patres; cùm autem vellent bibere, hauriens primus, loco aquæ perfectum vinum prælibauit, sic secundus, & tertius cùm stupore gustauerunt; quod totum gratiæ adscripsere, & meritis serui Dei Camilli. Aliud simile huic Ven. Patri accidit inter hæc temporum spatia.

Prædictis non erit incongruum adnectere quædam Admiranda, quibus vinum ipsum in aquam diuinitùs transmutatum est. Suntque.

68. *Trith. in Chron. ann.* 1140. *de S. Macario primo Abbate Scotorum*. Inter alia, quæ fecit in hac vita miracula; cùm à vino pro Dei Amore penitùs abstineret, & die quadam in medio magnatum sedens ad mensam, habere aquam non potuisset, signo Sanctæ Crucis facto supra vas vini in mensa cunctis appositum, uinum in aquam mutauit. Mirabantur qui aderant omnes, quippè qui uinum quod optimum gustauerãt, mutatum in aquam subitò uiderũt.

69. *Surius in vita Sancti Epiphanij Constantiæ Episcopi* 12. *Maij*. Cùm aliquandò uiatores ingressi essent Monasterium, uinum afferentes, quo tempore erat ęstus uehementissimus, siti ferè enecabantur, & petierunt aquam ad bibendum, nec inuenta est aqua in illo loco. Aberat enim aqua ad quinque milliaria. Ibant uerò noctũ, & aquabantur fratres. Cùm autem uiatores propter sitim deficerent, fratres propter eos lugebant. Epiphanius autem cùm manum extẽdisset, & utrem prehendidisset, ubi erat uinum, credite, inquit fratres, quod qui aquam fecit, vinũ, uinum quoq; aquam faciet. Et propter sermonẽ Epiphanij, Vtres, qui uino pleni erant, inuenti sunt aqua pleni. Quam cùm accepissent uiatores biberũt, & etiam iumenta eorum stetitq; anima eorũ in ipsis.

70. *In actis B. Bertulphi Abb. Gandauensis*. Cùm uespertino quodam tempore non nihil panis, casei, ac uini in uasculo ad quendam deferret pauperem, adfuere mox emuli, qui Bertulphum apud comitem, cui tunc inseruiebat, calumniarentur, ne quid de cætero eius fidei committeret. Comes accitum ad se Bertulphum, percunctatur quid ferat? ad quem ille, in uase, inquit, hoc fictili aquam habeo, quam ad ignem calefacturus sum, quod cùm arripuisset, gustauit, & ecce uinum in aquam tàm diù diuinitùs conuersum fuit, donec ad pauperes esset delatum.

Vinum corruptum, bonitati restitutum.

§. 2.

Etiam vires naturæ excedit, cùm forma corrupta iterùm virtute diuina, subitòque reproducitur, vt cùm vinum corruptum, vel acetosum, ad pristinam suam bonitatem, & integritatem restituitur; De quibus.

1. *In Lib. miraculorum S. Stephani Protomartyris*. Donatus quidam vasa vini vendẽda habebat, degustata autem, inuenta sunt degenerasse, ac deperijsse; qui ad Stephanum sanctum primum Christi martyrem confugiendum sibi esse duxit; proindè iubet prægustatori, vt languculam ex quolibet vasorũ suorũ adimpleret, eamq; ad Beati memoriã benedicendam deportaret, atq; exindè sanctificatam continuò referret: tũcq; ex illa per omnia vasa parùmquid super infunderet, quod & factum; altera die vnà secùm ad apothecam comitem duxit, inspiciuntur denuò cuncta per ordinem vasa, nitor in colore cõspicitur, sapor in gustu approbatur, tristitia in gaudium commutatur, denique illa probatissima vina condigno pretio emptoribus distribuuntur.

2. *Surius in vita S. Sabæ Abbat.* 5. *Decemb.* Dùm semel comederet Sanctus Sabas, ministrum rogat, an posset vinum præbere. Cùm is verò respondisset, se vix habere acetum in vase cucurbitæ, idq; admodùm acre, vt magis condiret olera; ille excipiens, afferatur, inquit, ad me vas cucurbitæ. Benedictus enim Deus: nos vinum ex eo faciemus. Est enim perspicuum, quòd qui omninò aquã mutauit in vinum, eius etiam mutabit acorem. Hæc dixit diuinum illud os, & mellifluum, & allata protinùs cucurbita, inuentum est in ea vinum, & reuera lætificans cor hominis. Cùm ij autem, qui aderant, vt par erat, affecti fuissent admiratione, suffitum, & ignem iussit ille beatus afferri. Diuina enim, inquit, visitatio facta est in hac hora. Sed non eousque solùm constitit miraculum, sed eoùsque processit, vt multitudini quoque daretur vinum, etenim vsque ad tertium diem ab illo tempore ad satietatem suffecit: biben-

bentibus. Thomas itaque ipse quoque admiratus insigne miraculum, à B. Saba petit cucurbitam; & cùm accepisset, illam quidem habuit tamquam thesaurum: Quod in ea autem remanserat vinum ei suffecit domum vsque.

3. *Vad. in annal. min. an. 1213. num. 11. de Sancto Francisco*. Pransus erat apud Ecclesiæ S. Christophori Præfectum cùm alijs quamplurimis conuiuis, apud quos, dùm hospes quereretur, in cellario suo quædam vini dolia acida facta, & vt moris est, iussisset afferri vasculum vt probaretur à recumbentibus, accepto cyatho aceti, & Cruce signato, vir sanctus è latere sedenti tradidit presbytero, nomine Ioanni, Ecclesiæ Sancti Cassiani Sacellano, qui dùm acetum se gustaturum putaret vt cæteri; vinum inuenit mox optimum, totumque subridens ebibit poculum. Quod dùm illi admirarentur, interrogarentque, quid tam lætè potauerit? respondit, nunquam meliorem se potum hausisse, per quod agnouerunt Dei in suo seruo virtutem.

4. *In vita B. Coletæ Virginis cap. 48.* Morabatur quandòque Coleta in Monasterio quodam, quod erat in regione, vini, & frumenti inopia laborante. Cùmque non nisi parum in monasterio esset vini, eiusque valdè mali, ita vt nauseam afferret gustantibus, iussit Coleta parum aliquid eius vini in vasculo sibi apportari; & cùm signum Crucis pinxisset manu, fœtor omnis, & corruptio abijt, non solùm è vase ipsi oblato, sed etiam ex dolio, vndè illud impletum fuerat, ita vt quotiescunque vinum indè promeretur ad sorores reficiendas, ante mensæ benedictionem malè oleret, & insipidum esset, post eam verò, vi signi S. Crucis, & gratum odorem, & suauem bibentibus gustum exhiberet.

5. *Leander Albertus in vita B. Iordanis ord. Prædicatorum*. Matrona Gallica, visis fratrum prædicatorum honestissimis moribus, ægrè ferente viro suo, ipsis hospitium præbebat; quippè ibi fratres nundùm ædes extruxerant. Fortè aliquandò viro Dei Iordani hospiti ad se diuertenti prandium apposuerat, eiusque socijs. Et ecce prandentibus illis, vir eius superuenit. Quo viso, iram dissimulans (porrò in eam plurimùm excanduerat) cùm Sancto viro consedit, pariterque sumere cibum cæpit; dùm virò vinum appositum libauit, mancipio voce ingenti iussit, vt alterius dolij vinum hauriret, ceù dignius, recentiusque, licet deterius, & penè corruptum; nempè veneranda matrona optimum attulerat, ex quo doluerat iste plurimùm. Itaque iussit corruptum coràm se afferri, vt vxorem molestia afficeret; delatum per mancipium vinum pro vt iusserat, primus omnium gustat, & quod benè marcidum nouerat, optimum prælibat. Igitur se à seruo deceptum ratus, truci facie, minacique voce iterùm iubet ex illo certo dolio vinum afferri. Iterùm ex vino allato prælibat, optimum inuenit, & in increpationes prorumpens, seruumque abire in malam rem, malumque cruciatum iubens, ipse furijs inuectus surgens accessit ad dolium, vinum hausit, gustauitque; quo hausto, id optimum & gustui gratissimum sic inuenit, vt melius fortè iam multo tempore non gustasset. Qua re perterritus penè factus elinguis, quid vltrà diceret non habebat, simul ac in tantam Prædicatorum patrum admirationem deuenit, vt eos apprimè diligeret, obseruaretque, & deinceps vxorem alacri animo liberè omnibus ijs, & hospitium, & cibum subministrare permisit.

6. *Bzouius an. 1419. num. 8.* In quodam hospitio S. Vincentius Ferrerius parum vinum, quod iam penè coacuerat, in optimum mutauit vinum, & ferè duobus millibus hominum apponi iussit.

7. *In annal. Seruorum Cent. 1. lib. 6. cap. 5.* Dùm Festum B. Ioachini Senensis ordinis Seruorum celebraretur, quidam ab amicis inuitatus, linguam suam in seruum Virginis exacuens, eos deridet; addens insuper maiorem sibi vtilitatem allaturum, si domum propriam redeat, & optimum merum vendat; sed reuertens, vinum fœtidum inuenit; quapropter verborum obscœnorum recordatus, cordisque compunctione tactus, vouit se huiuscemodi festum celebraturum: ac meri quartam partem pauperibus erogaturum: quibus dictis, lucidum atque splendidum reperit, & celebrans laudes Deo, Sanctoque reddidit.

8. *Carolus Augustus in vita S. Francisci Salesij lib. 9.* Est in Falcinij Prouincia pagus, à Sancto Iocicio, seù (vt alij putant) à Sancto Georgio nomen habens; illàc cùm forte Salesius pertransisset, premereturque siti pessima ob ingentes æstatis calores, sed præter illum serui tabescerent; visum est in pago sistendum, donec adspiraret dies, & inclinarentur vmbræ. Hospes erat vnicus, Ludouicus Danto, à quo cùm Sanctus Antistes vinum petijsset, intellexit nullum esse præter corruptum, ex quo signinum conficere paratus erat. Quinimmò aiebat hospes, aquam potiùs suaderem bibendam, quàm vinum istud, posset enim ex haustu decumbere. At Sanctus nihil refert (inquit) videamus vinum illud, & iterauit petitionem; tùm hospes modicum corruptissimi vini in scypho porrexit, quo Salesius degustato, reliquum reddens, cape (inquit) optimum enim vinum est, nec time famulis nostris bibendum dare. Stupuit Danto, & post Sanctum ex eodem scypho degustauit, inuenitque nullum vinum potentius. Statim arescentibus seruis quantùm ad pellendam sitim petierunt, dedit, qui etiam ne deinceps melius reperirent metuentes, lagenas impleuerunt, quas secùm adsportauere; ipseque hospes Episcopo profecto intra duos deindè dies quid quid supererat illius vini, totum ad mensuram poculi, sexdecim assium pretio (adeò potens erat) vendidit.

9. *In vita S. Magdalenæ de Pazzis*. Vinum corruptum, facta à B. Magdalena breui oratione, bis pristinæ integritati fuit diuinitùs restitutum, damnumque Monasterij reparatum.

10. *Zachar. Bouer. in annal. Capuccin. 1560. de Fr. Bernardino à Monte-Vlmo*. Dùm Vir Dei Ricinam nouam, quæ Piceni Vrbs est, prædicationis causa proficiscitur; Traiani, à quodam Achille suo quondam familiari, hospitio excipitur, qui cùm ob vini penuriam, quæ eo præsertim anno Oppidum

dum occupauerat, vix parum vappæ, quæ ad fæcem declinabat, in dolio, reliquum haberet, aliundè sibi vinum comperare voluit. Cui Bernardinus: Ne vinum, inquit, ab alijs quæras: Dolia tua abundè nobis vinum effundent. At Achilles; Acidum iam vinum est, ait, ac fæculentum. Quid tum? (ait Bernardinus) Dominus bonum ac sapidum reddet: ad dolium perge. Protinùs ad dolium itum est; quod cùm antea nonnisi turbidum, ac fæculentum vinum redderet, tunc haustum tàm splendidum ac generosum apparuit, vt hospes se nunquam, aut melius, aut suauius gustasse fateretur. Illud vero maiori admiratione dignum: nam cùm dolium iam ferè exhaustum vix vinum effunderet, id deinceps duorum mensium spatio non modò toti familiæ, verùm & plerisque pauperibus, qui ad Achillis pietatem confugiebant, abundè vinum ministrauit.

11. *Idem ibidem anno* 1572. Cùm Fratres ad Ioannem Maffeum oppidi Siciniani Sacerdotem diuertissent, vt vinum, quo egebant, sibi daret; dolium, quod longè antea mero generoso replendum curauerat, in hospitum aduentu explorat, quod vbi præter spem acidum atque in vappam degenerasse offendit, ea re plurimùm contristabatur: Cùm ij causa tristitiæ explorata seorsìm per dimidium horæ spatium ad orationem recedunt; tùm ad Ioannem redeuntes: Quid (inquiunt) ob vinum turbaris? Iube vinum hauriri. Quod mox optimum, ac suauissimum ab omnibus degustatur; atque vt benigna diuinitas illustriori miraculo probaretur; Quod vix vsque ad semestre sufficere solebat, biennió tot familiæ fuit satis.

12. *Idem ibidem anno* 1579. Hoc anno Camerinensi agro, ac vineis potissimùm grandine cæsis, maxima in vrbe vini penuria erat, quo tempore cùm fratres plurima vini egestate affligtarentur; Porphirius quidam erga ordinem beneuolus dolium quoddam vino acido plenum, cùm aliud non haberet, opportunè fratribus offert. Cui eleemosynarius, quandoquidem (inquit) hæc tibi pietas animo inest, dolium serua. Cùm aliundè nobis vinum non fuerit, ad dolium tuum confugiemus. Cùm itaque fratrum necessitas ad dolium compelleret: accedit cùm lagenis eleemosynarius, vinum è dolio hauritur; mox quod acidum erat, suaue, ac optimum gustatur. Quod cùm Porphirius aperto diuinæ prouidentiæ miraculo tribueret, quo fratrum necessitati prospectum esse vellet, fratribus seruari, neque ex eo quicquam à familia degustari, voluit.

Alij prodigiosi liquores ex aqua diuinitùs geniti. §. 3.

PRæter vinum, alij liquores diuinitùs ex aqua aliquandò progeniti sunt, ijsque magnalia Dei sunt manifestata. Sunt autem.

1. *Aridius apud Greg. Turon. lib. 2. de Gloria Marty. cap. 40. de quodam miraculo S. Iuliani M.* Quandò B. Iuliani adiui basilicam, parùmper ceræ à sepulchro sustuli; indè veniens ad fontem, in quo Beati sanguis effusus est, abluta aquis facie, paruam ab his pro benedictione compleui ampullam. Testor Omnipotentem Deum, quia antequam ad domum accederem, colore, spissitudine, atque odore in balsamum commutata est. Veniens verò Sacerdos ad dedicandam ædem, cùm hæc exposuissem, nihil aliud pro reliquijs in sanctum altare condere voluit, nisi vasculum, cuius aqua in balsamum commutata fuerat.

2. *Surius in vita S. Marcelli Episcopi Parisiensis 1. Nouembris.* Cùm vir sanctissimus dùm esset Diaconus quadam vice ex sui officij seruitute aquam manibus Ven. Episcopo Prudentio porrexisset, mox indè balsama cæperunt fragrare, & dùm vnda curreret, visa sunt chrismata respirare, vt penè pōtifex crederet suas manus magis vngere, quàm lauare, & alteras aquas quæreret, vt priores vndas ablueret. Quo viso sacerdos venerabiliter obstupescens, Deo gratias de comperto munere retulit, & beato Marcello reuerentiam in religione seruauit, dùm eum, non talem, qui seruiret, sed potiùs cui seruiretur agnouit.

3. *In actis SS. Februarij tom. 1. in Cont. Bollandi.* Quodam die vna de puellis Sanctæ Brigidæ Kildariensis Abbatissæ, dolore ægrobabat, grauiterque dolens, pusillum validi lactis postulauit, sed nulla vacca apud eas erat. Hoc audiens S. Brigida, ad alteram puellam dixit: imple phialam aqua frigida, & da ægrotanti bibere, & cùm hoc fecisset, factum est vasculum plenum lacte calido, quasi in illa hora emulsum fuisset; cùm ergo bibisset infirma, sanata est.

4. *Beda in actis S. Burgundoforæ.* Quædam puella, nomine Bitihildis, in eodem cœnobio intra adolescentiæ annos conuersa, cùm diù regularis disciplinæ habenis confecta, immobili desiderio cælestia ad præmia anhelaret, euenit vt iustus arbiter, iustam animam Iustitiæ copia plenam cœlo condere vellet; cùmque iam in extremis posita posceret per successiones noctium lumen coràm se accendi, & sacræ lectionis præconia ante se legi, & vna assistentium vas quoddam oleo, limphaque replesset, omnis sopor oppressit sorores, sicque traiecta noctis meta, absque sodalium solamine ægra noctem perregit. Reuertente autem diei crepusculo, cùm matutinas laudes Domino cecinissent, ægra, quæ iacebat, intuita lucernam, quæ oleo, limphaque repleta erat, in lac commutatam, quærit vtrùm hoc aliqua sodalium commutasset, illæ inquiunt, an nescis, quia hìc lac non fuerit? ægra ait, nequaquam hoc labore animam meam consumite, sed quid rei veritas habeat, simpliciter indicate; affirmantibus itaque sororibus, quia nil prorsùs indè certum haberent, matrem monasterij vocant, & rei causam indicant; illa protinùs vt diligentiùs agnosceret, oleum à lacte separare iubet, cùmque segregatum fuisset oleum, & nihil exindè super specie lactis remansisset, cœpit oleum denuò crescere, & vberiùs à vase manare. Tùm demùm hæ, quæ astabant, Dei virtutem agnoscentes, omni studio collegerunt oleum illud, & in sacrario condiderunt, ex cuius olei perunctione quædam infirmæ sorores post modùm attactæ, pristinæ sanitati redditæ sunt.

7. Io-

5. *Iocelinus in vita S.Patritij*. Cùm nutrix S. Patr. ægritudine depressa, mel desideraret, nec illud haberi posset; condolens ei alumnus eius Patritius, vas de recenti aqua fontis repleri, ac sibi afferri præcepit, ipse verò in oratione genua flexit, ac surgens Crucis signaculo illud benedixit, ac mulieri mel desideranti, porrexit. Res mira, statim aqua illa in mel optimum est conuersa.

6. *Seuerus in Epist.apud Baron. ann.* 418.*n.*62. In oppido vnius ex Balearibus insulis, Arthemisia fœmina Iudæa, cùm ad Christianæ fidei dogmata solis persuasionibus flecti non posset, induta demùm est miraculo aquæ in mellis dulcedinem conuersæ.

7. *In. m. f.* Anno 1613. mense Maio, Mantuæ in lampade, quæ in Hospitali maiori ante Imaginem quandam B. Virginis accendebatur in diebus Sabbati, aqua, quæ in fundo lampadis solet apponi, in lacteam materiam est conuersa; sed cùm hoc ex sordibus in lampadem lapsis euenisse crederetur, lampas abluta fuit, illaque materia euacuata, & iterùm aqua infusa, quæ denuò in lac est mutata. Hoc prodigio commotus vniuersus populus, magna deuotione ad venerandam illam imaginem confugit, quæ postea indè ablata, in oratorium eleemosynis fabricatum condita est, eòque omnes confugiunt, mulieres præcipuè penuria lactis laborantes non absque felici euentu.

Panis, & eduliorum admirandæ transmutationes. §. 4.

IN pane, & in edulijs quandòque apparuere admiranda; cùm ex eis, scilicet, virtute diuina, alia diuersæ substantiæ, subitò progerminauere. De his.

1. *Baron. Anno* 1278.*num.*26.*de B.Sita*. Multotiès cùm frusta panis residua in lacinia vestis pauperibus afferret, interrogata, quid ferret? dùm flores responderet, in flores venustissimi aspectus vertebantur, seù quasi versa apparebant.

2. *Idem ann.* 1306.*num.* 18. *de B.Ioanna Vrbeuetana*. Panis in eius gremio, in rosas, & alios flores conuerti visus est.

3. *Idem Anno* 1513. Hoc anno diem clausit extremum B.Margarita Fontana Mutinensis, tertium Sancti Dominici institutum professa. Inter alias virtutes, charitate erga pauperes enituit, quam Deus insigni miraculo illustrauit. Rigente cœlo circa festiuitatem Natiuitatis Dominicæ, panes in gremiali reconditos ferebat pauperibus: Cùm ecce frater ægrè ferens, quòd tantùm in stipem effunderet, occurrit, & quid ferret interrogauit: Rosas, illa dixit, & gremiali deducto, rosas tempore insolito, ex panibus factas ostendit.

4. *Ioannes Mariana lib.*9.*cap.*3.*de rebus Hispaniæ*. Casilda Almenonis Toletani Regis Mauri filia, licet nundùm aqua baptismatis lustrata, maxima in Christi fideles captiuos flagrans charitate, panem eisdem, aliaque ad victum necessaria clàm elargiebatur; quod cùm semel præstaret, gremioque pleno, panis frusta ad eosdem alendos deferret, à patre inuenta, quidque gremio occluderet quæsita, rosas floresque esse respondit illa, Deusque comprobauit assentum, in flores enim, rosasque frusta panis mirabiliter fuerunt conuersa.

5. *Laurentius Ananias de S.Thoma Aquinate*. Cùm semel in Policastrensi ciuitate B.Thomas in sinu domestici epitogij panem, quem pauperibus ad patenas ædes confluentibus distribuere parabat, occultasset, rectàque ad egenos se conferret, in patrem incurrens, sistitur. Quidque in sinu gereret, rogatur. Ille acerbam veritus parentis obiurgationem, rosas se habere respondit. Visum patri mendacium, cùm anni illud tempus rosas efflorescere non permitteret, minitans explorat; cùm ecce rosas recentissimas, suauemque odorem inhalantes deprehendit.

6. *In annal.Minorum.* Beato Saluatori ab Horta exhibitus panis fuerat, quem cùm manicæ imposuisset, socius ab eo panem illum postulauit, nam scio, inquit, te illum minimè editurum. Beatus respondit comiti, vt manum in eius manicam immitteret, quod vbi fecisset, pro pane, rosas inuenit, addidit seruus Dei: benè factum, sic gulosi castigantur, & illis illuditur.

7. *Ibidem anno* 1252.*num.*6.*de B. Rosa Virgine Viterbiensi*. Magna vrgebat Viterbienses frumenti inopia, deuastatis aruis per Fredericum, dùm Pontifex commorabatur Lugduni, eiusque partes tuerentur Viterbienses; sed pauperibus succurrebat Rosa Virgo, ministrando clanculùm quæ poterat ex domo paterna, donec aliquandò à patre in foribus apprehensa plures efferens in sinu panes, & interrogata, quid asportaret? respondit; Rosas, nec mentitam ostendit sinus expansus, plenus rosis, odore, & visu gratissimis.

8. *Ibidem ann.* 1297, *de S.Ludouico Episcopo Tolosano*. Narratur, eum adhùc puerulum piè suffurari solitum, vel ex culina, vel ex triclinio, vel ex alia quacunque officina, cibos, vt in pauperes distribueret. Conquestus aliquandò de his præfectus coquorum apud Carolum patrem, comprehendit eum actu clàm auferentem caponem regiæ mensæ præparatum: & obuio patri dixit, Ludouicum pro more suo quicquam sibi sub pallio præripere. Iussit pater, vt furtum detegeret; ille elato palliolo, ostendit manu pendenti egregium florum fasciculum, qua miraculosa metamorphosi impunis dimissus, conuersis floribus in pristinam substantiam alitis, eum inter quatuor pauperes distribuit. Dùm omnia postea pater resciuit, laudauit Dominum in operibus suis, largissimasque erogabat eleemosynas pio filio pauperibus distribuendas.

9. *Ibidem anno* 1448.*num.*17.*de Ven Petro Regalato*. Magna charitate solebat pauperum subleuare miserias, & per dies multos vetulam viduam tres habentem liberos omni ope destitutos, collectis secretò panis fragmentis, & obsonij reliquijs, reficiebat. Occurrerunt semel qui curiosè explorare voluerunt consodales, quid in fimbrijs deferret, non aliud, quàm rosas, dixit, & vrgentibus vt monstraret, aperuit sinum, viderunt que tempore brumali pulchras rosas albas, & rubeas, albescentes in flores, pane, & carne in rubicundas conuersa.

10. *Ibidem an.*1463. Cùm quondam S. Didacus in sinu haberet magnam panis fragmentorũ copiam, quam pauperibus conferret, fortè incidit in Guardianum, aliosque fratres, à quibus eo nomine reprehensus, quòd nimis valdè conuentus censum profunderet. En inquit, sunt flores, quos non aliqua specie, sed re uera flores tunc ostendit; cuius rei admirabilitate illi obstupefacti, non modò Dei hominem obiurgare pergunt, sed in veneratione habere incipiunt.

11. *In vita S. Nicolai Tolentinatis.* Cùm S. Nicolaus maxima in pauperes charitate, semel gremio pane pleno, quem ad eosdem deferebat, deprehensus fuisset à Monasterij Priore, inquisitusque ab eodem, quid deportaret: rosas inquit ille; apertoque gremio, rubicundæ rosæ, licet hyemali tempore, visæ sunt, pane ex charitate in rosas purpurascente.

12. *Raderus in Bauaria sac. de B. Notburga.* Cùm certo die Notburga sportulam suam ex arce in publicam viam, vbi elephantiaci stipem illius expectabant, deferret, Dominus eius descendenti occurrit, & quid in sinu ferat stomachabundus quærit; deprehensa illa, exhibet mensæ suæ crustula, quæ, mirum, Deus repentè vel in assulas & schidia mutauit, vel oculis eius fascinatis obiecit, vt qualem animum in pauperes gereret, talem videret cibum. Cùm & hydriam à Notburga peteret, libaretque vinum, lixiuium sibi gustare videbatur, idque ab ancilla ex composito in suam contumaciam factum interpretatus, graues apud coniugem domi aduersùs ancillam, querelas deponit, cùm tamen illa nec factam à Deo metamorphosim cognouisset, nec omninò sciret quid Domino suo accidisset.

13. *Idem ibidem de B. Friderico Ratisponensi.* Effusus erat in miseros, & inscio sæpè Cœnobij præside annonam egentibus porrigebat. Occurrerat olim priori cùm panibus, quos exurientibus ante fores Monasterij destinarat; roganti, quid sinu gestaret, mutatos ex templò panes in cædua ligni schidia exhibuit absumendos.

14. *Idem ibidem, de Maroldo Religioso Vnderstorfensi.* Deferebat olim elephantiacis aliquot panis crustula, & non nihil de vini latice, occurrensque fortè suo præsidi (ad quem iam aliàs de nimia in pauperes liberalitate delatus erat) veluti deprehensus, & seueriùs obiurgatus, rogatusque quid portaret? affirmauit, se lignum, & lixiuium ferre, factumque momento temporis, vti mensa, quam ferebat, in materiam ligneam, & lixiuij liquorem, obstupescente præsule, verteretur, ipseque quò tendebat abire iuberetur.

15. *Ioannes Buzelinus in ann. Gallo-Fland. de S. Arnulpho.* Cùm plerique famulorum animaduertissent, Arnulphum clàm domino suo tecta sub veste ad pauperes edulia deferre, occasionem eum apud herum accusandi ex ijs scilicet hauserunt, sed omnia Deus aliorsùm vertit, quàm sperauerant. Quippè dùm vident in sinu aliquid portantem, cibos esse rati, vti re vera erant, in eum manus inijciunt, vestes excutiunt violenter, ac diripiunt, furem rerum herilium apud dominum statuunt. At enim dùm ipsi vestes eius parùm humaniter attrectant, & lacerant, præter paruulas ligni assulas, in ipsius sinu nihil reperiunt; ad famuli preces, Deo cibos in ligni fragmina deformante. Ita delusi, & suffusi rubore serui mox facti, insolentiæ veniam poscunt, facilèque ab homine mitissimo impetrant. Herus autem visa cognati sui sanctitate, totius familiæ curam ei statim committit. Verùm Arnulphus resumptis, quas è sinu famuli effuderant assulas, ad egenorum contubenia intendit. Ibi dùm vestem aperit, vidit asserculos in edulia diuinitùs reformatos, quæ summa cùm voluptate in pauperes distribuit, lætusque domum, & summas Deo gratias agens, reuertitur.

16. *Ioannes Gerbrandus lib. 1. Chron. Belgicor. cap. 4. de B. Cunera Virg. & Martyre.* Cùm inseruiret Regi Maximino, oderat eam Regina, eo quòd eam præfecerat Rex domui vniuersæ. Cùm igitur quadam vice B. Cunera acceptis panibus ad vsus pauperum palatium pertransiret, visa est à Rege, quem Regina sic aloquitur: Domine mi Rex, ecce Cunera vobis prædilecta, prodigiosè panes dispergit, sicut oculata fide discere poteris. Vocatur à Rege Cunera, quæ imperterrita Deum humiliter inuocauit, quatenùs ab instanti confusione liberetur. Ex diuina igitur clementia panes versi sunt in hastilia, quod Rex in sua præsentia videns, Reginam duris verbis increpauit.

17. *In actis S. Peregrini 30. Ianuarij apud Bolland.* Accedens B. Peregrinus ad mulierem quandam, eleemosynam petens ab ea; Illa pergens ad locum panis, & pane non inuento, statim ad vicinam accessit, vt panem sibi præstaret, quæ præstare noluit, & se non habere iurauit. Ille verò absque eleemosyna discessit. Indè verò ad modicum spatium mulier illa, quæ panem illi præstare noluit, ad locum panis accessit, & ibi inuenit marmoream bucellam.

18. *Philippus Ferrarius in Catal. S.S. 12. Augusti de S. Herculano Episcopo Brixiensi.* Herculanus natione Teutonicus, iam ab ineunte ætate sanctitatis specimen dedit. Cùm enim panem in gremio gestaret, veritus patris iram, lapides esse respondit, ac iussus gremium explicare, pater panis frusta in lapillos conuersa admirans, filio benedixit.

19. *In lib. rerum notabilium ordinis Cisterciensis capit. 7.* Regula erat Monasterij, quatenùs fratres ad mensam sedentes, refectione peracta, colligerent micas, quæ de fragmentis panum deciderent, ne in hoc negligentiæ rei coram Deo inuenirentur. Accedit autem quadam die, vt vnus ex fratribus, conscientiæ suæ non incuriosus seruator, cùm cæteris ad mensam residens, refectione peracta, micas secundùm consuetudinem collectas, replicatis in volam digitis, clausas teneret, atque cùm multa cordis dulcedine lectioni intenderet, sed priùsquàm eas sumeret, repentè ad nutum prioris, lector lectionem finiuit. Frater autem in se ipso reuersus, obstupuit, negligentiæ suæ reatum non sine magno timore, ac pauore recognouit, quid tamen ageret? nec reijcere eas, nec su-

mere

mere iam licebat, nimirùm vtrobique periculo prævaricationis occurrente. Itaque clausa manu tenet, cogitans hanc negligentiæ culpam non nisi per confessionis, & pænitentiæ remedium aboleri posse; dictis verò gratijs, signo confessionis facto, Priorem in partem trahit, & cadens in faciem, veniam petit, cùm multa cordis simplicitate negligentiam suam manifestans. Priore autem culpam eius, sicut dignum erat, corripiente, & quid de micis fecisset inquirente. Ecce (inquit) Domine, hic in manu mea sunt. Cùmque Prior præciperet, vt eas ostenderet, ille exerto brachio, manum aperuit, & ecce in vola ipsius pro micis, inuentæ sunt preciosissimæ margaritæ.

20. *Greg. Tur. de gl. Conf. c.* 108. Quodam loco in portu maris hoc gestum fuisse multorum confirmat relatio. Quidam pauper, & senex, marsupijs oneratus venit ad litus maris, & accedens ad portum, petere eleemosynam à naucleris cæpit. Atque illi, qui primus carinæ erat, importunior adsistebat, dicens; da mihi aliquid. Tunc ille commotus ait; Absiste quæso decrepite, & noli à nobis quærere quicquam; nihil enim hic aliud præter lapides habemus. At ille ait: si lapides dicis esse, quæ in tuis ditionibus nauis hæc continet, omnia conuertantur in lapides. Et statim cunctum nauis onus, quod mandi potuit, in saxum conuersum est. Ego ex his, & dactylos vidi, & oliuas aspexi marmore duriores. Nam cùm in lapidis duriciem conuersa fuissent, nunquam tamen colorem, quem habuerunt, perdiderunt, nisi eadem forma, eademque species erat. Dominus autem nauis pænitentia motus, inquisitum senem, nunquam potuit reperire, & sicut ferunt, per multas ciuitates de ijs, quæ in saxum mutata fuerant, ad videndum direxit, vt scilicet exemplum esset omnibus, ne similia perpetrarent.

21. *Ioannes Gerbrandus Carmel. lib.* 27. *Chron. Belg. cap.* 11. In oppido Leydensi erat istis temporibus mulier patiens famem, miserabiliter petens panem à propria sorore, quæ negauit se habere panem vsque ad vnum. Respondit alia, & dixit: soror mea dilectissima, scio quòd panis fuit in domo tua. At illa dixit, claudens viscera pietatis; si sunt panes in domo mea, peto vt lapides fiant; quod & ita, nutu Dei factum est. Quia & panes eius conuersi sunt in duros lapides, vsque in præsentem diem perseuerantes. Vnus enim illorum ostenditur hodierna die cunctis hominibus in Lydis in Ecclesia S. Petri.

22. *Ioannes de Beka, in Chr. de S. Bonifacio, & cæteris M.M.* Post Sanctorum martyrium, cruenti carnifices de strage sacrorum exultantes, reuersi sunt ad propria, vt epulando diem festum agerent in magna lætitia; & ecce miraculum inauditum. Quoniam omnes panes eorundem grassatorũ conuersi sunt in lapides, qui pro memoria sanctorum martyrũ hodierno tẽpore seruantur apud Frisones.

23. *Kempius in Frisica historia lib.* 3. *de S. Bonifacio mart.* Cùm panem peteret S. Martyr à Frisonica muliere, vetus habet fama, dùm in fornace coquerentur, illa negabat se habere panem, & cùm diuus martyr instanter peteret, illaque instantius negaret, addita imprecatione dira, vt si haberet, in lapides conuerterentur, continuò in lapides conuersi sunt.

24. *In actis S. S.* 4. *Iannuarij de S. Pharailde apud Bollandum*. Vna dierum accidit, quòd duæ vicinæ ad inuicem loquerentur, quarum vna defectum panis habebat petens ab alia sua vicina, quatenùs ipsi vnum panem concedere vellet, donec ipsius panes essent pisti, quæ vicina respondendo dixit, quòd non haberet panem, seù panes, quos suæ vicinæ concedere posset. Iteratò dixit alia vicina: vos enim hac septimana cùm panibus vestris fuistis ad furnum. Quæ iterùm dixit, det Deus, & S. Pharaildis, quòd omnes panes, quos habeo, fiant lapides, si plùs panis habeo, quàm dimidium panis. His verò factis, illa veniens domum aperuit cistam suam, & credidit inuenisse panes suos in cista, & inuenit tres lapides in cista sua cùm dimidio lapide. Illa verò videns hos panes conuersos in lapides, geniculando veniam à Deo, Sanctaque Pharailde de factis suis petijt. Itaque miraculum illud promulgatum fuit in populo, & dicti lapides honore, & reuerentia ad capellam S. Pharaildis prædictæ fuerunt portati.

25. *In actis S. S. Februarij tom.* 1. *in Cont. Bollandi*. Tempore famis S. Brigida Kildariensis Abbatissa perrexit ad Episcopum Iborum, vt ab eo peteret fruges. Ille tempore Quadragesimæ cùm aliud non haberet, panem durum cùm lardo proposuit, & illa cùm Episcopo comedit. Duæ autem illius puellæ nollentes carnes comedere, absconderunt, sed illæ versæ sunt in serpentes duos. Vndè grauiter à Brigida coram Episcopo increpatę sunt. Tunc eis pænitentibus, illis orantibus, serpentes sunt mutati in panem.

26. *Ibidem in tom.* 3. Quædam mulier quotidiè mittere solebat S. Vlrico Eremitæ tres panes, quos cùm semel ei deferret puerculus, vnum surripuit, duos verò viro Dei dedit: At dùm illum comedere vellet, in lapidem mirabiliter mutatum inuenit. Quo viso, ad virum Dei rediens, & rem gestam aperiens, misericordiam implorauit. Venia autem puero data, panem benedixit, & facilitate summa frangens de pane calido, & vaporante comedit, & puero dans portionem, ædificatum cùm benedictione dimisit.

26. *Ibidem*. Miles quidam duos pueros cùm panibus, pastellis, & duobus vasis vini ad B. Vlricum eremitam misit, qui portionem aliquam ex singulis reseruãtes apud pauperem quendam in via deposuerunt. Illis igitur ad ianuam pulsantibus, vocato Vlricus puero, ait: vade, & suscipe de manu hominum ipsorum ea quæ tulerunt, sed eos ad me introire non permittas. Sed ne de his gustent, quæ defraudauerunt, & deposuerunt sibi, sub mortis interminatione eos prohibe. Quo audito, cùm multa confusione reuersi, vinum plenum genimine ranarum venenatarum inuenerunt; & quod de pane, & pastellis reseruauerant, plenum scaturigine vermium viderunt. Percutientes ergo pectora sua, ad virum Dei qualia erant celeriùs detulerunt. Quibus confessa culpa sua veniam consequentibus, B. Vlricus, vinum, & panem sua benedictione formæ

mæ priori restituit, & vt pauperi, apud quem ea depoſuerant, illibata reportarent, imperauit.

28. *Ibidem in Martio.* In feſto S. Quirini Martyris, turba fidelium confluente, quidam, panē offerendum in tumba Sanctorum Lipſanorum per alium tranſmiſit; at minùs fidelem executorem: auaritia enim hic deceptus, pro ſe reſeruauit, regrediens ex templo, prandendi hora cùm cæteris comitibus menſæ aſſidet, atque ex ſua pera panem depromit, mox auidis faucibus iniecturus. Verùm applicito ad diſſecandum cultro, in ſaxum obriguiſſe deprehendit, hinc in viam publicam projjcit. Nobilis propè habitans dictum lapidem ſuſtulit in rei memoriam, & honorem Sancti Quirini, alijs oſtendendum.

29. *Ibidem tom.* 2. Quidam peſſimi, & maligni degentes in terra Feriois S. Patritij Hib. Apoſt. vitam molientes extinguere, recentes caſeos veneno infectos obtulerunt illi, quaſi pro benedictione. Quos ſibi Sanctus oblatos benedixit, & ſtatim in admirationem multorum, & Dei laudationem, ac ſui met venerationem, atque veneficorum ignominiam, in lapides conuertit. Manent vſque in præſens iſti lapides in loco patrati miraculi, & Patritij meritum prædicant etiam muti, quia ſic mutati.

30. *Ibidem.* Cùm quidam magus ſigna cuperet videre fieri à S. Patritio Apoſt. Hib. in euidentiam veritatis prædicatæ, duriſſimum ſilicem, ille in lactis coagulati maſſam molliſſimam mutauit, & huius iterùm lactis duas maſſiculas in duriſſimos lapides in Chriſti nomine conuertit; ſed ne ſigna iſta phantaſtica ſimilia magicis eſſe putarentur, lapides illi in eadem naturæ ſoliditate, in quam tranſmutati fuerant, permanere comprobantur.

31. *Bouerius in annal. Capuc. ann.* 1579. *num.* 29. Accidit in Romana Prouincia, vt Fr. Bartholomeus ab Aquis Taurinis, cùm ſocio è Romana vrbe ad conuentum Ereti proficiſcens, Pontificium (vt vocant) panem recentem ſecùm ferret, quem cùm pauperi, qui ab eo in via eleemoſynam petierat, dare recuſaret: cùm primùm ad conuentum appulit, eoque veſci voluit, tam durum perindè, ac ſi ferreus eſſet, offendit, ita vt neque malleo, aut ſecuri ſcindi valuerit.

32. *Iacobus Boſius in Hiſt. ordinis S. Ioannis Hieroſolymitani.* Quo tempore Hieroſolymorum vrbs à Chriſtianis obſidebatur, Gherardus, tunc temporis Hoſpitalis Gubernator, panes ad exercitum Chriſtianum deferebat; comprehenſus ab inimicis, anteque ducem exercitus ductus, ab eo iuſſus fuit, vt veſtes, in quibus repoſitos habebat panes, aperiret, quod fecit ille, omneſque panes in lapides mirabiliter apparuerunt mutati.

33. *Lelius Marinus in vita S. Petri Celeſt. l.* 1. *cap.* 3. Cùm mater S. Petri Cæleſtini in feſtiuitate decolationis S. Ioannis Baptiſtæ veſperi pro conficiendo pane ſubſequenti die, fermentaſſet farinam; ſtatim ex illa maſſa fermentata vermes ſcatere cæperunt, indeque tota in vermes eſt conuerſa; quod animaduertens pia fæmina, pœnituit facti, humileſque preces fudit ad Deum, qui cor contritum, & humiliatum non deſpiciens, iterùm miraculosè ad priſtinum ſtatum fermentum reduxit.

34. *In vita S. Franciſci de Paula.* Cùm quidam do caſali Conſentiæ portaſſent carnes coctas in conuentum S. Franciſci, vt comederent, & cùm apposuiſsent ſuper tabulam exiſtentem in dicto loco, apparuerunt vermes viui, taliter quòd ex dictis carnibus nemo comedere potuit.

35. *Franciſcus Coſterus.* Litteris proditum eſt, olim Hildeſii in Saxoniæ partibus, quendam extitiſſe nobilem, qui cùm die Veneris Sancta, reluctantibus, ac diſuadentibus Catholicis, ouo vellet veſci, illudque iam elixum eſſet, de cortice eximere non potuit, nec cultro in partes ſecare: ouum quippè in lapidem conuerſum reperit.

36. *Bzouius in annal. Eccleſ. ann.* 1380. *in vita S. Catharinæ Sen. cap.* 78. Ex farina corrupta, optimos panes ſemel effecit S. Catharina Senenſis, qui & pauperibus diſtributi, mirabiliter aucti ſunt; nec mirum: Beatiſſima enim virgo Maria, quam ſuppliciter orauerat, ipſi apparuit cùm multis Sanctis, & Angelis, ſuiſque ſacratiſſimis manibus cùm ipſa eoſdem panes compoſuit.

37. *Colganus in vita S. Fechini Abbatis.* Paſtolius coquus S. Fechini, ex mandato Patris quadam die venit ad quendam fabrum, à quo petijt vt ad vſum Monaſterij cultrum aratri, ſeù vomerem cuderet, & pro mercede ipſi attulit magnam lardi partem. Famulus autem, fabri monacho volens illudere, illam partem in formam quaſi vomeris efformatam, in Paſtolii incluſit peram, quam cùm ille domum reuerſus exiſtimans ferreum eſſe vomerem Patri oſtenderet, ſolùm vt erat apparuit lardum. Quod vt S. Fechinus conſpexit, opem illius implorans, qui filius fabri vocatus eſt, & machinæ Mundi Fabricator exiſtit: maſſam illam carneam in ferreum conuertit vomerem, arte, & materia longè præſtantem; qui vſque ad moderna tempora in Monaſterio viri Sancti durauit.

38. *Idem de eodem.* Quadam die S. Fechinus cùm indignatione diſceſſit ex regione de Ibh-Fiachrach ad regionem de Criochna-eceudach; ſed populus de Ibh-fiach eius indignationem veritus, eum ſecutus eſt, omnem promittens ſatisfactionem. Vir autem ſanctus reſpiciens ad populi deuotionem familiariter eos excepit: ſed cùm quam populo proponeret refectionem non haberet, glandes quercuum ſigno Crucis benedicens, eas in porcinas conuertit carnes, quibus populum refecit. Et hinc mos inoleuit ille, quòd S. Fechini ſucceſſores nunquam in regione de Hy-Fiachrach ſine carnibus porcinis, quandò per tempus licet veſci carnibus, tractentur.

39. *Idem in vita S. Moedoc.* Quadam die venit S. Moedoc ad Monaſterium, quod dicitur Seambhotha iuxta radices Montis, qui dicitur Scoticè Suighe Lagem, id eſt ſeſsio Laginenſium; & cùm iter ageret, venit Lupa anhelans nimis, & exuriens familiariter ad eum. Videnſque Vir Dei eam, ait puero, qui ſibi propinquus fuerat, habeſne aliquid cibi. Reſpondit puer, neſciens quid vellet Sanctus; habeo vnum panem, & partem piſcis, & accipiens vir Dei, porrexit Lupæ. Erubuitque puer dicens: timeo Magiſtrum meum. Tunc Sanctus ait illi. Fer mihi folia. Reductis foliis benedixit

dixit Sanctus, & diuina virtute in panem sunt conuersa, tradidit puero gratias agens Deo.

40. *Surius in vita S. Amantij Episcopi 4. Nouembris*. Quidam in hortulo viri Dei ab aluearibus mella nocturno furto abstulerat, quæ domum deportata, in picis mutata naturam deprehendit; pænitentia igitur ductus, ad Sanctum Antistitem confugit, furtumque ablatum detulit, quod oratione viri Dei ad pristinam naturam mellis redijt.

41. *In actis S.S. tom.1. in Cont. Bollandi*. Quodam tempore cùm maxima afficeretur paupertate S. Brigida Kildariensis Abbatissa, ad eamque aduenissent hospites, vrticas transmutauit in butyrum, & cortices arborum in lardum.

42. Alia die cùm quidam ad Sanctam Brigidam venisset, sal petens, illa non habens in promptu sal, accepit lapidem, & benedixit, & fecit sal de eo, & poscenti largita est.

43. *Thomas Cantipratanus lib.2. Apum, cap.9. num.2.* Vidi iuuenem, cuius amarissima relatione memini, quod subiungo. Hic piorum fratrum suorum labore manuum viuebat, ipse viro segnis otio vacabat, ac tædio; & factum est animaduersione diuina, vt eo cùm patre ex fratribus ad mensam sedente, cibi (sicut ei soli videbatur) verterentur in angues, sapore tamen rerum deterrentium non mutato. Hoc cùm per aliquot dies continuaretur in peius, tandem mutato vitæ proposito liberatus est, & sanatus.

44. *In vita S. Rodani Abb. Lothrensis*. Quodam tempore S. Rodanus Monachis suis præcepit, vt in aduentu suorum hospitum carnem comederent in diebus Quadragesimæ, benedixitque Rodanus carnem istam, & fecit de ea panem. Erat autem quidam laicus, qui cùm Fratribus cænam istam comedere noluit. Tunc omnes Fratres, viderunt panem, quem laicus ipse edebat, quod caro cruda & sanguinea esset. Tunc laicus pænitentiam egit, & caro ista sanguinea, benedicente Rodano, in panis naturam redijt.

45. *In actis S. Melanij Rhedonensis*. Quadam die conuenerunt apud Andegauos S. Melanius, & S. Albinus, & S. Victor, & S. Marsus, atque Lautonus. Quibus cùm Eulogiam dedisset S. Melanius, & omnes accepissent; S. Marsus tenuit Eulogiam, & in sinum suum cadere permisit, quæ versa est in cingulum serpentis, Quod ille sentiens, cucurrit ad pedes S. Melanij, quem ille misit ad Sanctum Albinum, vt confiteretur quod fecerat; S. autem Albinus misit ipsum ad Sanctum Victorem Cænomanos, qui remisit eum ad S. Melanium Rhedonas. Qui orans fudit super eum benedictionem, & versus est serpens in pristinam Eulogiam.

46. *Otto de S. Blasio in appendice ad Frisingensem, de Volcone presb. Gallo.* Inter cætera virtutum eius insigna, fæneratorem quemdam ditissimum videns in spiritu ad vitam esse prædestinatum, occasione prandendi cùm eo ad salutem eius sumpta, Domum eius ingressus est, ad quem vir Dei. Quid (inquit) hodiè pransuri sumus? cui diues, non est necesse Domine, nos hoc inquirere, quia quicquid ciuitas optimum habere poterit, in cibis nobis hodiè non deerit; quam ob rem vir Dei clericis, qui secùm venerant, assumptis, coquinam eius intrauit, & coquo, vt singula fercula coram se exponeret, iussit; quòd dùm faceret (mirum dictu) pro varijs & pretiosis, quæ imposuerat, aut ranas de singulis, aut serpentes exposuit. Isto viso, omnes, qui aderant in stuporem conuersi sunt; & præcipuè diues ille se peccatorem agnoscẽs, pedibus eius prouolutus, se criminosum proclamauit, & vt sibi viam vitæ per indictam pænitentiam ostenderet, summopere precatus est. Ad quem Sacerdos, immundus es tu, & omnia, quæ habes, & nisi omnia quæ ex vsuris, vel quolibet modo iniustè acquisiuisti, reddideris, ac deindè omnibus iustè acquisitis in pauperes erogatis, per eleemosynam peccata tua redemeris, indulgentiam non mereberis. Huic diues obediens, ac per septimanas nihil agens, hæc deuotus impleuit: Dehinc ad virum Dei reuersus, nihil sibi remansisse indicauit. Quidam autem ex amicis eius astans, se adhuc in vase xx. maltra tritici de rebus eius reseruasse indicauit, quę diues, alia expendens, in memoriam non reuocauit. Sacerdos igitur assumpto diuite, turba clericorum, amicorumque eius, & multorum aliorum comitante, ad vas accessit, ipsumque aperiens, bufonibus, serpentibusque plenum reperit. Itaque ad diuitem conuersus: si vis, ait, perfectus esse, & de diuina misericordia, ac venia certus, vas istud ingredere nudus, & ego tibi vitam æternam repromitto. Cui ille magna fide obediens, coram omnibus in remissionem peccatorum suorum nudus intrauit, clausoque vase, ac signato super eum, sacerdos, omnes vsque in crastinam abesse præcepit. Sequenti verò die cùm eis, qui hoc viderant, & cùm multis alijs ad locum venit, & aperto vase, nihil præter humana ossa super niuem candida reperit, quæ in medium proferens, Sancta, & veneranda esse protestatus est, & cùm gaudio, & admiratione omnium in loco honesto reposuit.

47. *Sim. Metaph. in vita S. Quiriaci anachoretæ.* Septuagesimo septimo anno suæ ætatis, traditis thesauris, quorũ custodia ei fuerat tradita, ille quidem secedit ad solitudinẽ Nathupha, eum autem sequebatur discipulus. Cùm autem ei deesset alimentum, & non haberent vndè recrearent vsus necessitatem (neque enim in solitudine nascebantur melagria, ea namque eis suffecissent ad conuiuium) Deum rogat Diuinus Quiriacus, vt det eis alimentum ex scillis, quæ illic erant: erat enim magna earum copia in solitudine. Et conuersus ad discipulum: Collige, inquit, fili, ex his scillis, & sale eis iniecto, coque in olla, & efficiet benedictus Deus, vt his quoque nobis vesci liceat. Hæc mandat quidem discipulo; Deus autem audiuit ex alto preces qui etiam fecit aquam ex petra scaturire, & illam maximam Maræ amaritudinem in conuenientem mutauit dulcedinem. Nam ipsæ quoque scillæ innatam mutarunt amaritudinem, & quatuor annos ex illo tempore fuerunt cibus beatis.

48. *In vita S. Thomæ Aquinatis*. Sciscitanti medico Ioanni de Guidone, nùm quem cibum appeteret, ille respondit: si haleces possent obtineri, quales habentur Parisijs, fortassis libenter ijs vesci; Sed hi pisces hic non extant; adeunti autem medico

co, quidam obuiam venit pisces ferens, quas sardas vocant; illas medicus emit, & vbi attulit domum, in haleces mutati sunt. Vbi verò ad Sanctum Thomam recentes haleces, quæ nunquam ijs in locis feruntur haberi, allatæ, ille diuinam admiratus benignitatem, noluit eas in cibum sumere, imitatus S. Dauid Regem, qui cupitam aquam ex cisterna Bethlemitica haustam, noluit bibere, sed libauit eam Domino.

49. *Alonsus de Ouaglie in Hist. Reg. Cilensis lib. 5. cap. 13.* Cùm ciuitas Imperialis in Regno Cilensi obsideretur, nullaque in portu reperiretur nauis, qua externa auxilia imploraturi vterentur obsessi, paruam cymbulam efformarunt, cùmque deficeret qua oppicaretur pix, res mira; Implorato B. Virginis à niue auxilio, cùm quidam ciuis duo vasa pretioso plena vino euacuare vellet, vt picem, qua oppicata erant, afferret, ipsa perfectissima repleta pice inuenit, vino mirabiliter in ipsam conuerso, eaque cymba ad nauigationem disposita fuit.

50. *Cæsarius lib. 10. cap. 17.* Dùm post confirmationem Ottonis in regno, tanta esset abundantia annonæ, vt in Episcopatu Coloniensi maldrum quinq; vel sex denarijs multo tempore venderetur, contigit in quadam eiusdem diœcesis villa, cuius nomen excidit, miraculum dignum memoria. Pistris quædam panes ad coquendum formauerat, & quia tempore abundantiæ pistores modicùm lucrantur, illa commota clamauit ad puerum suum: Mitte hunc fimum in clibanum. Iusto Dei iudicio factum est ei secundùm verbum suum, & pasta pulcherrima per decoctionem conuersa est in fimum. Extrahens verò panes, cùm reperijsset formam non substantiam, extimuit, & fimum fimo miscens, tantùm miraculum celare non potuit: Marcinannus Monachus noster tunc temporis cellerarius, partem vnius panis nobis attulit, quem curiosiùs considerantes, nil in eo vidimus, nisi fimum conglutinatum.

51. *Ioannes Andreas Rota in vita Sor. Pudentianæ cap. 10.* Cùm Soror Pudentiana Zagnonia Virgo Bononiensis, grauibus afflicta morbis, tanta stomachi nausea laboraret, vt nec paululùm iusculi ouo admixti retinere posset, semel quæ illi inseruiebat, infirmæ animo compatiens, poculum iusculo plenum imagini Crucifixi repræsentans, in hæc prorrupit verba. Non ne potens es Domine iusculum hoc in eam aquam conuertere, quam olim Samaritanæ dedisti? ita fit, tunc ait Pudentiana, factoque super vasculum signo Crucis, res mira, statim ius illud in aquam limpidam omnibus mirantibus est conuersum, à quo suauiter hausto, vires, roburque dessumpsit. Hoc prodigium, & iterùm coram confessario mirabiliter apparuit.

52. *In actis S. Kentigerni Episcopi 13. Ianuarij apud Bollandum.* Cùm totam annonam pauperibus erogasset, assumpta arena vice seminis in terram sparsit, & messis tempore, triticum optimum terra produxit; omnes hoc audientes, Deum in Sancto eius laudare, & benedicere fecit.

53. *Arnoldus Rayssius in Hierogazophilatio Belgico de Ven. Guidone.* Accusatus apud Dominum suum, quòd pane herili, qui sibi ad vescendum dabatur, parentes foueret, semelque ab eodem deprehensus, telluris frustùm in peram reponit, interrogatusque à Domino, vbinam esset panis, quem ei edendum dabat; Guido terræ massam in purum mutatam panem è pera protulit.

54. *Philip. Ferrar. mense Maio die 27. de B. Theobaldo confessore.* Cùm farinam, quam ferebat, pauperibus in summa egestate diuisisset, diuino quodam consilio, saccum arena pro farina repletum ante fores illius, cuius erat, deposuit, quæ arena in optimam farinam conuersa deprehensa fuit.

55. *Innocentius tertius in Bulla canonizationis S. Chunegundis Imperat. apud Iacobum Gretserum.* Puluis de tumulo eius assumptus, sæpè conuersus est in frumentum.

Carnium in Pisces, & ad inuicem, prodigiosæ conuersiones. §. 5.

Et huiusmodi transmutationes aliquandò precibus Dei seruorum apparuere. Sunt autem.

1. *Ioannes Colganus in vita S. Aedi Episc.* Venit Sanctus Aedus ad insulam Bofinde, idest vaccæ albæ, quæ est in stagno Righæ, & suscepit eum S. Rioce Abbas illius loci honorificè, Monasterium enim clarum in illa insula est, quod ex nomine Insulæ nominatur. Et posuit cœnam magnam de carnibus ante S. Episcopum. Beatus virò Episcopus Aedus noluit carnes comedere, & benedixit illas carnes, & panes; & pisces, & mel exinde facta sunt. Et videntes hoc miraculum, comederunt illa cùm Episcopo, gratias Christo agentes.

2. *Idem in vita S. Maedoci. 31. Ianuarij.* Fecit Sanctus Molua vitulum pinguem occidi, & parari cùm alijs cibarijs S. Moedoco; & audiens S. Molua, quòd Episcopus non comederet carnes, benedixit octo partes carnium, & facti sunt octo pisces, & cùm essent appositi coram Episcopo, sciens ipse diuinitùs quomodò pisces facti sunt, benedixit, & iterùm sunt factæ octo partes carnium.

3. *Ferrarius in catal. S. S. 19. Februarij de S. Conrado Eremita.* Aliquandò ab irrisoribus ad prandium feria sexta fuit accitus, cùm suillam illi obtulissent, in pisces commutatam comedit, & in huius rei testimonium, spinas, & squammas illudentibus, quòd suillam feria sexta comedisset, ostendit.

4. *Idem 30. Maij.* Porcus coctus, & diuisus, ad benedictionem S. Silai Episcopi Hiberniensis, in pisces conuersus est, vt ex eo comedere posset, erat enim feria sexta.

5. *In actis S. S. Martij Tom. 2. in Con. Bollandi.* Quadam die iussit Angelus S. Patritio Hib. Apostolo, vt carnes in aquam poneret. Fecit itaque Patritius quod imperauit Angelus: mira res, carnes illæ aquis immersæ, ac extractæ, statim in pisces sunt conuersæ.

6. *Hermannus Carthusiensis serm. 27.* Scribitur in libello de ortu, & decursu Carthusiensis ordinis; Quòd quidam Episcopi, & alii prælati venerunt inuisere Carthusiam ante quinquagesimam, visi-

visitantes igitur fratres, & inuenientes multos debiles, & infirmos, carentiæ carnium hoc ascribebant, rogaueruntq; priorem, vt saltem pro eis carnes afferrentur, sperantes quòd allatis carnibus prior deberet eis assentire, quòd infirmi comederent eas. Consentiente igitur priore, allatæ sunt diuersæ species carnium de Gratianopoli. Apertis igitur sarcinis, quibus carnes fuerunt impositæ, repertæ fuerunt illæ carnes in veros, & optimos pisces commutatæ, colore, odore, & sapore. Quo viso, exhilaratus prior, dixit: Videtis clarè Reuerendi Domini, quòd Dominus non vult nos carnibus vti. Stupent Domini, & de licentia prioris toti conuentui ex eisdem piscibus ministratur, & ecce miraculum miraculo succedit; quia quotquot infirmi, & debiles indè vescebantur, fuerunt sanati.

7. *In actis S. Vdalrici Episcop. Augustæ Vindelicorum*. Ad Vdalricum venerat amicus eius Episcopus, cùmque ad cœnam feria quinta ambo sederent, & sermones de rebus diuinis multa nocte in sequentem diem argumenti suauitate irretiti, traherent, nuncius à Boiorum Duce fortè missus venit, cui Vdalricus, qua erat in omnes humanitate, ex ijs, quæ in hospitis gratiam apposita, carnis frustum, temporis incogitans, porrigit, visa calumniandi occasione, nuncius ad dominum properè reuersus, nihil priùs habuit quàm Episcoporum famam traducere, qui sanctimoniæ opinione celebres, tantùm non homines supergressi crederentur, eos ne sextæ quidem feriæ religione carne abstinere, se præsens eius rei testimonium afferre, & sinum simul laxans, carnem, quam condiderat, attonitus in piscem versam reperit. Propter quod, innocentia S. Vdalrici hoc signo diuinitùs comprobata, piscis speciem imagini ipsius posteritas addidit.

8. *In vita Sanctæ Agnetis Politianæ*. Cùm in graui infirmitate ex medicorum consilio Sanctæ Agneti carnes apponerentur; humiliter popoſcit à Domino, vt sua potentia cibum illum in piscem commutaret: quod vt petijt, ita factum est. Nam subitò omnibus filiabus suis cernentibus pariter & stupentibus, sunt carnes mirabiliter in piscem transformatæ.

9. *Vad. in annal. Minorum ann.* 1215. *num.* 1. In huius anni limine per Pedemontanos peruenit Sanctus Franciscus ad ciuitatem Alexandriæ, à Palea cognominatæ, inter fluuios Tanarum, & Bormiam ex Apennino labentem, amænissimo loco in Lombardia Cispadana sitæ. Illic à pio & locuplete viro hospitatus, stabat præ foribus, quasi ad stipem quidam malè sanæ mentis homo, quem infidelem dicit Antoninus, exploraturus, & obseruaturus Francisci actiones, quippè quem liuor edax agebat, vt ægrè ferret, Dei seruum tanti æstimari, & pro Sancto reputari in ciuitate. Appositæ ad prandij horam in mensa dapes, atque inter cætera fercula pro hospitis dignitate & beneuolentia parata, infertur altilis capus. Pauperis affingens vocem, & faciem, eleemosynam petit pro Dei amore, nebulo præ foribus; statim Franciscus audito Dei nomine, quam coram habebat in catino capi partem, transmisit ficto mendico. Ille malignè reseruans integram cruris, vel alæ acceptæ partem, in crastino dùm vir Sanctus coram multa prędicat plebe, reuelat, & diaboli instigatione suadet, non venerandum, nec habendum pro Sancto qui fartiles saginatasque deuorat aues; Sed Deus, cuius nimis honorificati sunt amici, & confortatus principatus eorum, quiq; iussit suos vt manducarent, quæ apponerentur eis, propitius fuit viro Sancto, & vlciscens in adinuentiones inimici. Fecit enim vt ab vniuerso populo reputaretur, & videretur piscis, quod verè fuerat caro, & velut insanus vir nequā in toto exsibilaretur, & confunderetur consessu. Erubuit ad communem sui confusionem, & pænituit, Dei agnoscens publicè circa suos Prouidentiam, iuxta illud Dauidicum: Imple facies eorum ignominia, & quærent nomen tuum Domine. Redierunt itaque carnes ad pristinam speciem, dùm redijt præuaricator ad mentem.

10. *Idem Anno* 1225. *num.* 20. *de S. Antonio Vlyssipponensi*. In vrbe Pactarum obtigit ei illud miraculum, quòd cùm quidam odio haberet Sanctum virum, doleretque in pretio haberi ab Episcopo, statuit insidias eius honori. Inuitauit eum, vt secùm pranderet die Veneris; recumbenti autem, altilem apposuit caponem, dicens: Euangelicum esse præceptum: manducate, quæ apponuntur vobis, nec id licere Antonio transgredi, ac proindè omninò illum, quantùmuis sexta feria debere carnibus vesci. Ille explicato Euāgelico textu, propter infirmi corporis debilitatem auem comedit. Clàm hospes statim cùm suis cæpit murmurare, & ad Episcopū perrexit, cùm ipsius capi offibus, quæ tamē in spinas piscium mirabiliter vidit mutata. Tunc homo obstupuit, obmutuitque, & rediens domum suam, culpam detexit, veniamque popoſcit.

11. *In Hist. Hungarica Frat. Prædicatorum de B. Augustino Hungarico*. Cùm mensæ secùm assidere B. Augustinum iussisset Pontifex, perdicæ duæ illi oblatæ, qui carnes, ex sacræ Religionis suæ instituto non comedebat, tacitis eius precibus in pisces sunt conuersæ.

12. *In actis S. S. Februarij tom.* 1. *in Continuat. Bollandi*. Quodam die Paschalis solemnitatis contigit, particulam piscis ad mensam sedenti S. Berlendi Virgini apponi, quæ (quod admirabile dictu est, & quasi incredibile) inter manus ipsius in carnem conuersa est.

Alia diuersi generis mixta, diuinitùs in lapides mutata. §. 6.

NAturaliter quædam lapidescere experientia patet; at hæc non momentò, subitòque, sed necessarijs, & per longum tempus priùs introductis dispositionibus; vndè de his non erit sermo; solùmque describentur, quæ diuinitùs in duritiem lapidis sunt conuersa. Sunt autem.

1. *In vita S. Galli Abbatis lib.* 2. *cap.* 9. Pauperculus quidam iuxta regiam possessionem, quæ Rotenvvila dicitur commanens, dùm ad cellam S. Viri Galli pergere voluisset, nec haberet aliquid, quod ob deuotionis indicium illùc deferre potuisset, diabolo

bolo suadenti consentiens, atrium cuiusdam diuitis irrupit, & aluear cùm melle, & apibus furtim auferens, intulit domui suæ. Apibus deindè extinctis, ceram conficit, & non multò post inter vicinos, & amicos cùm hoc furtiuo munere ad Ecclesiam Ven. Galli perrexit, cùmque singuli quod attulerant obtulissent, is qui contra fas offerre voluit de rapina donarium, ceram reperit in lapidis durissimi rigorem mutatam; ingenti itaque timore perculsus, vni eorum, qui secùm venerant, reatum suum confessus est, qui deindè cùm custodibus Ecclesiæ quæ facta fuerunt indicaret, fama huius miraculi mira celeritate cunctis innotuit.

2. *In eadem vita S. Galli Abb. lib. 2. cap. 41.* Rusticus quidam in B. Patris Basilicam, ceræ particulam suis aptandam vsibus, ab altare occultè diripuit. Indè regressus ad hospitium, dùm de sinu ceram ad quodlibet opus ex ea faciendum protraheret, in duritiem lapidis conuersam inuenit. Continuòque recurrens ad Ecclesiam, loco suo quod abstulerat restituit, & adstantibus suam salubriter confessus proteruiam, quod factum fuerat indicauit. Qui rei nouitate stupefacti, dùm inter admirationem eandem particulam, certiùs rem cognituri tollerent de altari, mirum dictu, in pristinam suæ naturæ mollitiem reperere mutatam.

3. *VValafridus in vita S. Othmari Abb. cap. 14.* Quidam è numero scolasticorum, à B. Othmari tumulo particulam ceræ furto subtraxit. Regressus autem ad hospitium, cùm paruipenderet quod commisit; statim manifesta Dei correctione stultitiæ suæ errorem confessus agnouit, nam cùm eandem particulam de sinu proferret, in lapidis eam duritiem reperit commutatam, cùmque temeritati obstinationem iunxisset, multo tempore hoc factum à cunctorum cognitione abscondit, præter eum videlicet, qui & earumdem rerum tunc erat conscius, & in hoc tempore, miraculi, quod retulimus relator extat fidissimus.

4. *In actis Beati Quirici Martyris.* Quidam fur ceram ab altari Beati Martyris sustulerat, diuina autem virtute haùd discedere ab Ecclesia valuit; quinimmò ceram in lapidem mirabiliter conuersam vidit.

5. *Colganus in vita Sancti Fechini Abbatis.* Sanctus Fechinus profectus est in regionem Carbræ ad locum, qui priscis Droim-Forachadh, modernis, Kill-Hua-sona dictus est: vbi tria ad populi stuporem patrauit miracula. Primum est; Quando Ecclesiæ porta ex fraxino arbore extruebatur, Sanctus Fechinus dixit, præstare, quòd extrueretur ex quercu: sed ad hoc faber addidit præstare, quòd potiùs ex lapide fieret. Sanctus verò Fechinus respondit, Christo Domino vtrumque est æquè possibile, & si ipsi placeat, sic fiat. Et ita factum est. Nam ligno in saxum verso, porta reperta est puro lapide constare. Secundùm est huic simile; quandò sustentaculum molæ fiebat ex alno, ipse alnum conuertit in saxum, sed cùm faber vellet reliqua lignea instrumenta lapidi isti connectere, id præstare non potuit, lapide clauos continuò respuente. Sed vir Sanctus apposuit manum suam ad ea coaptanda, & connectenda, & mox reperta sunt quasi conglutinata, & tàm inseparabiliter connexa, quasi ferreis counita essent vinculis. Tertium est, quòd quendam asserem loco pontis positum, super quo fiebat transitus ad opera, & ministeria molendini, conuertit etiam in fixum lapidum firmamentum. His, quæ etiam nùm continuò ad oculum videntur, cæpit magnificari virtus serui Dei, & populi erga ipsum deuotio augeri.

6. *Surius in vita Sanctæ Godoleuæ Martyris 6. Iulij.* Humi pars illa, vbi interempta est, in candidos lapides versa est, vt meritum eius Dominus ostenderet, cunctisque fidelibus innotesceret cædes illius. Quin etiam cùm ex animi deuotione erga Sanctam fœminam de terra illa quidam secùm domum absportarent, eam postea in gemmas mutatam mirati sunt.

7. *In actis S. S. Februarij tom. 1. in Contin. Bollandi.* Cùm defuncta esset in Brabantia Sancta Berlendis Virgo, eam decenter sepelire volentes, cùm in quo eam reponerent non haberent sarcophagum lapideum, quorum in ea regione penuria est, quercum magnam iuxta templum stantem succiderunt, illique ex eadem quercu, vas, in quo posita est, aptauerunt. Cùm autem multis miraculis eius Sanctitas pollens longè, latèque clarescceret, placuit post septennium amicis, & vicinis eius, sarcophagum videre, & si possent, in meliùs ad eius honorem mutare, in quo loco, mira res, & inusitatum miraculum, humanisque auribus inauditum euenit. Nam cùm eundem sarcophagum, in quo Sancta Virgo iacebat de terra eijcerent, cùm priùs ligneus fuisset, lapideus inuentus est.

8. *In vita Sancti Simeonis Stylitæ.* Audiens Basilicus Rex Saracenorum famam eius, venit ad eum, videns autem illum stantem sursùm, & orantem, subitò cecidit vermis de corpore eius. At ille currens, apprehendit eum in fide, & posuit super oculos, & videns Simeon ait: quare hoc fecisti vir illustris, & me grauasti? vermis enim est de corpore meo putrido; Et cùm hæc dixisset, Rex Basilicus aperiens manum suam inuenit margaritam pretiosissimam, & dixit ad B. Simeonem: non est vermis putridus, sed Margarita pretiosissima, cui ille respondit. Homo secundùm fidem tuam data est tibi, & benedicetur in manibus tuis omnibus diebus vitæ tuæ.

9. *In actis Sancti Cadoci Episcopi 24. Ianuarij.* Cùm S. Cadoci oues die quadam pascerentur, ecce duo lupi superuenientes, pluribus ouibus laceratis, nonnullis rapacibus morsibus necatis, brachium maris transnatare cæperunt, & cùm ad medium venissent, diuino iudicio in lapides transformati sunt.



San-

Sanguis mirabiliter ex exanguibus emanans:
§. 7.

HEpatem sanguinis fontem esse, & originem, neminem latet; admirabilis igitur erit sanguis ex exanguibus, hepateque carentibus quandòque profluens, ceù diuinitùs genitus, productusque. De hoc.

1. *Matthæus Parisiensis in Histor. Angl. anno* 1100. Hac tempestate in Prouincia Northanhumbrobrum plebeius quidam uxori suæ præcepit, vt quadam die Sabbati, panem in crastino comedendum pararet; Quæ viri præceptis obtemperans, cùm panem illum viro suo in crastino comedendum obtulisset, & ille panem incidere cæpisset, res mira contigit, & sæculis inaudita; siquidem sanguis recens cultellum viri panem incidentis ita secutus est, ac si de bestia nuper occisa persluxisset. Hic nimirùm casus multos ab huiusmodi operibus compescuit, cùm ad notitiam hominum peruenisset.

2. *Chrysostomus Henriquez in fascicul. de B. Eustachio Abbate cap.* 2. Apud Naseritu, villam Magistri Regeri Arundel, quidam homo fecit sibi panem subcinericium die Sabbati post nonam, & indè comedit, & partem reseruauit sibi vsque mane, quem cùm die Dominica fregisset, exiuit sanguis, & qui vidit testimonium perhibuit, & verum est testimonium eius. Apud Vualcefeld, quodam Sabbato cùm molitor post nonam operam daret, vt bladum suum moleret, subitò exiuit loco farinæ, tantus impetus sanguinis, quòd vas suppositum plenè impleretur sanguine, & rota molendini stetit immobilis contra vehementem impulsum aquæ.

3. *Odoricus Raynaldus in annal. Eccles.* Anno 1384. vigesimo die mensis Augusti insigne prodigium contigit in Anglia; cùm scilicet duo nautæ festum diem S. Osuuini Regis, & martyris in Ecclesia Anglicana percelebris uiolarent, sanguis è ligno, quod securi percutiebant, fluxit.

4. *Petrus Vallisarnensis in Histor. Albigensium cap.* 5. Contigit circa annum 1206. propè Carcassonam miraculum, quod præteriri non debet. Metebant hæretici segetes suas in die Natiuitatis S. Ioannis Baptistæ, ipsum enim non prophetam, sed malignissimum esse dicebant; dùm igitur meterent, aspiciens vnus ex eis, manum suam vidit, & manipulum suum sanguinolentum, quod videns putauit, quòd incidisset manum, sed inueniens eam sanam, exclamauit socijs, quid vltra? aspicientes singuli manipulos, quos tenebant, inuenerunt eos sanguinolentos, manibus conseruatis illæsis.

5. *Mariana apud Raynaldum.* Anno 1468. in Toletano agro contigit demessas segetes, sanguinem emisisse.

6. *In actis S.S. Martij tom.* 2. *in Continuat. Bollandi.* Anno 1580. die 28. Augusti, quo S. Narcisi Episcopi Gerundensis festum agebatur, Ioannes Vitalis Gerundensis pistor inter secundam, tertiamque à media nocte horam, subigens farinam ad coquendos panes, massam sanguine permixtam miratus, ex ipsa mactra eum stillare vidit. Attonitus ad hoc prodigium pauperculus, rogauit Sanctum, vt sineret cæptum opus peragi, se eo peracto curaturum, vt in tabella expressum miraculum aræ eius appenderetur, & continuò matrem, vxorem, famulum acciuit, futuros testes miraculi tam gloriosi, quod in sui Sancti honorem Deus operabatur.

7. *In Speculo exemplorum exemp.* 193. Legitur in vita S. Vgonis Lincolniensis, quomodò pistor quidam semper die Dominica farinam consperserit, atque fermentauerit, de qua nocte sequenti panes decoqueret, quos die sequenti venderet recentes. Quos dùm semel mane secundæ feriæ extraheret de clibano, vnus panis calidus frangitur, vndè mox riuus sanguinis, qui panem circumquaque infecerat, effluxit. Expauit ille, & panem illum cruentatum frustatim comminuit, & per singulas fracturas, cruorem stillare vidit. Aliàs etiam omnes panes similiter cruentatos inuenit, quos panes octo dies apud se occultauit, sed mercenarij hoc ad publicam notitiam perduxerunt Episcopi, & ad eius præsentiam vnus panis fuit allatus, qui sic esse conspexit. Erant etiam alij panes in clibano positi, qui post crepusculum diei Dominicæ erant fermentati, & impositi; Qui cùm extraherentur, & frangerentur, nil prodigiosum habentes, in sua naturali qualitate ad vsum hominum vendebantur. Primi autem per monasteria, & Ecclesias in monumentum facinoris de trasgressione Sabbati ad terrorem hominum diligenter conseruabantur.

8. *Ioan. Colganus de Sancto Colmano 3. Februarij.* In horreo Domini Osechnasaigh, operarij grana triturabant in Vigilia Sancti Colmani, quibus cùm pro eius Diœcesis religiosa, præscriptaque consuetudine, sub refectionis hora, quadragesimales cibi solùm essent appositi, inordinata incessit libido laticinijs saltem vescendi, eaque demùm superati, affirmant, nisi eiusmodi apponantur, nihil se comesturos, cuius illorum insolentiæ admonita vxor præfati Domini Elisabetha Linse, iussit miseris, quæ poscebant adferri. Confestim ergo allata sunt laticinia, & lac ipsum, non lactis, sed sanguinis speciem præferens, appositum est.

9. *In vita Sanctæ Cunegundis Virginis.* Messores quidam in festo Sanctæ Cunegundis Virginis, cuius sacras ferias indixerat Rodulphus Nouiomensis Episcopus, manantes sanguine spicas collegerunt, & earum manipulum ex agro attulit puella ad Curionem pagi, quem is ante Diuæ Cunegundis aram suspendit, publicum tanti prodigij anathema.

10. *Iacobus Meyerus lib.* 2. *Annalium Flandriæ.* Anno Domini 861. cùm Ciuis quidam Taruanensis die festo Deiparæ Assumptionis, interulam, seù camisiam, contemptis ferijs, sibi fieri vellet, repentè per totam conspersa est sanguinolentis maculis. Quo viso Hunfridus Episcopus miraculo, interulam inter Sacra retulit, diemque Assumptionis exindè celebrem esse voluit.

11. *In vita S. Petri mart. ord. Præd.* Dùm post B. Petri M. canonizationem, festum apud Mediola-

num solemniter celebraretur, quidam hæreticorum, puerum suum eo die misit ad siluam, vt ligna incideret. Cùm igitur accepta securi quercum incidere vellet, ad ictum primum de quercu tàm copiosus exiuit sanguis, quòd ferrum, manubriumque, ac manus illius, & terra magno spatio sunt sanguine rubricata. Quo prodigio manifestato, incredulus ille ad Sancti deuotionem, & fidei catholicæ veritatem est conuersus.

12. *In actis S.S. Martij tom. 3. in Cont. Bollandi.* Tempore S. Eduuardi Regis in Britannia, quidam milites, monasterium, Ecclesiamque S. Gundlei serra fracta intrantes, omnia reperta rapuerunt. Cùmque casei rapti inciderentur, intrinsecùs sanguinei apparuerunt; stupefactus ergo exercitus, omnia, quæ rapuerant vnà cùm oblationibus multis restituit.

13. *Trith. in Chron.* 1104. Hoc anno in Episcopio Spirensi sanguis è panibus fluxisse visus est, nec non in lenticularum edulio prodigiosè repertus. Ciuile, immò intestinum bellum portendere, secundùm antiquam Romanæ historiæ similitudinem conijciebatur.

14. *Greg. Turonensis libr. 5. Histor. Francorum cap. 33.* Apud terminum Carnotensem semel verus de effracto pane sanguis effluxit.

15. *Paulus Orosius li. 5. Historiarum ad Aurel. August. cap. 18.* Apud Aretinos, cùm panes per conuiuia frangerentur, cruor ex medijs panibus, quasi è vulneribus corporis fluxit.

16. *Aimoinus lib. 3. de Gestis Gallorum cap. 45.* Anno septimo Childeberti Regis Franciæ intra territorium Turonicum verus de effracto pane sanguis emanauit.

17. *Michael ab Isselt, lib. 1. Mercurij Gallo-Belgici.* Anno 1588. panes secundarij à quodam tenacissimo Euclione propè Rodopolim furno immissi, palaque rursùm extracti, sanguinem miraculosè lachrymarunt, & paulatim in cineres resoluti sunt.

18. *Metellus Tegerceensis de B. Quirino Martyre.* Mulier quædam fidelis, brachio languens, poposcit à Domina sua, vt sibi liceret adire sepulchrum martyris ob medelam: denegauit illa, & minis compulsa est ad laborem. Cùm autem panem efformasset, illum frangens, vidit madidum cruore; obstupuit tunc illa, prodigiosumque panem obtulit aræ S. Martyris, & brachij integram consecuta est sanitatem.

19. *In actis S.S. Martij tom. 3. in Continuatione Bollandi.* Cùm quidam comes, Syboto nomine, damnum inferret monasterio S. Quirini Martyris in Tegernseæ, prouentusque eiusdem vsurparet, quadam die illius coniux panem frangere tentans, totum sanguineum, stillasque sanguineas emittentem, adinuenit.

20. *In actis S. S. Februarij in Contin. Bollandi tom. 3.* Cùm quidam, panem S. Vlrico Eremitæ missum, in domo pauperis cuiusdam hospitandi gratia deferens, diuerteret, & paruulis panem petentibus nullum porrigentem videret, de sacculo productum panem incidere parat. Et quidem incidi panem sensit, sed quia opus misericordiæ citrà, contraque obedientiam præsumebatur, sanguine manare cæpit, quem cùm timore, & tremore ad Sanctum detulit. Auditis autem quæ acciderant, vir Sanctus, ait: Fili, non debuisti etiam pium opus contra mandatum præsumere; acceptumque benedixit, & à sanguine emundans ait: accipe nunc panem, & defer paruulis illis, quibus præparasti eum, & ita factum est.

21. *Zachar. Bouer. in annal. Capuccinorum anno 1552. de Fr. Matthæo à Bascio.* E Gargano tandem digressus, Sipontum venit, quod Manfredonia hodiè appellatur, ex antiquis Siponti ruinis constructa: Vbi à viro quodam, qui mala in ea urbe fœneratoris fama laborabat, domo excipitur. Mox quis, & qualis suus hospes esset, diuinitùs admonitus; cùm primùm ad prandium ventum est, Matthæus, panem, qui sibi appositus fuerat cospiciens. Quid hic hospes (inquit) nobis apponis? Panemne, aut sanguinem? cui hospes: Panem, qualis domi conficitur. Haùd perfectò, subdit vir Dei, sed pro pane pauperum, sanguinem offers. Heù crudelem panem? qui tot Christi pauperum cruore madet: quis non illius aspectum exhorreat? Cùmque panem vtraque manu, spongiæ instar, comprimeret, sanguis indè effluere cæpit. Mox vir Dei è mensa exiliens. Absit (inquit) vt tàm diro pane vescar, qui viuo pauperum sanguine redundat. Atque indè protinùs absedens, nonnullis panis frustulis sibi aliundè emendicatis, ad hospitalem vrbis domum se confert; Hospes autem, sanguinis spectaculo perterritus; alterius Zachei instar restituto fœnore, plurimaque pecuniarum summa in pauperes erogata, iniusta deinceps lucra deseruit, & diuinam misericordiam ac benedictionem promeruit.

22. *Ioannes Eus. lib. 1. cap. 78. de mirac. Naturæ.* Anno 1204. feria tertia ante Paschalem solemnitatem contigit miraculum omni laude dignissimum de oleo Imaginis Mariæ Matris Dei, apud Sardenai, in hunc modum. Accidit in carcere militum Christianorum in Castro Damasceno, quòd miles quidam extraheret de armario suo phialam vnam, in qua posuerat de oleo, quod de Icone Dei Genitricis apud Sardenai distillat. Sed cùm diligenter phialam inspexit, in qua oleum reposuerat lucidissimum, & velut aquæ fontis perspicuum, apparuit in ea oleum incarnatum, sed in duas partes diuisum. Hærebat namque ima pars olei inferiori parti phialæ, & altera, superiori; miles autem accipiens cultellum suum, voluit coniungere partem superiorem cùm inferiori; sed continuò vt acies cultelli oleum illud incarnatum tetigit, videntibus Capellanis, militibusque captiuis, & cæteris vniuersis, guttæ sanguinis indè cunctis admirantibus effluxerunt.

23. *Thomas Bozius lib. 15. cap. 15.* S. Martino Turonensi petenti, negatum fuit aliquid è reliquijs Agaunensium martyrum: quo circa perrexit ille ad locum, in quo fuerant necati, & herbas cultro secuit, vt eas saltem secùm asportaret, & protinùs ex eis copiosus sanguis effluxit; atqui herbæ illæ haùd tetigerunt corpora Sanctorum: sed è loco in quo illi insederant, enatæ erant.

24. *Hie-*

24. *Hieronymus Rubeus in histor. Rauennæ lib.* 2. Henrico Imperatore, Bonifacius Tusciæ Marchio cùm exercitu circùm diruta oppidi Classis mœnia, castra locauerat. Milites, cùm propè D. Seueri templum, cœnobiumque, quod indè haud procul aberat, loca infesta redderent, in hortumque monachorum, qui erant Cisterciensis ordinis, ingressi olera, porrosque præsertim abstulissent, accidit vt cùm sub cineribus coctos comederent, cruor ora perfunderet, ex ipsisque cultris, quibus inciderant porros, & manibus, quibus tractauerant, stillaret. Itaque tanto prodigio perturbati ac planè confusi, diuinam primò vltionem vereri, mox salutari accepto consilio, in templum S. Archiepiscopi accurrere, opem, veniamque supplices petere, munuscula afferre. Quibus tandem exsiccatus, abstersusque cruor, veniam impetratam significauit.

25. *In vita S. Francisci de Paula.* Cùm venisset Neapolim, honorificè à Rege susceptus est, qui ei processit obuiam, cùm filijs, & tota curia in pompa, & solemnitate magna; qui aliquandò rogauit virum Dei, vt permitteret construi in ciuitate sua Monasterium ordinis sui. Cui respondit Sanctus; melius esset, inquit, vt pro salute animæ tuæ restitueres bona aliena, quàm tàm magnas faceres eleemosynas. Rex uerba hæc ægrè, & indignè accipiens, dixit ei; & putasne me possidere aliquid malè acquisitum? Respondit Sanctus, & dixit, quòd per alienum intelligebat impositiones, & tributa, quibus populum opprimebat, & sanguinem ipsius sugebat, qui postulabat, & clamabat vindictam. Et cùm iussisset sibi afferri aureum numum, illumque fregisset, statim ex eo multæ sanguinis guttæ processerunt. Rex tam celebre miraculum videns, emendationem promisit.

26. *Bzou ann.* 1504. Hoc anno in Germania mirum in modū Deus retexit scelus duorum homicidarum. Tiguri erat caupo quidam, Buggerlinus nomine, apud quem cùm pauper quidam mercenarius peculium deposuisset, eum ille interfecit in sylua, ibique sepeliuit. Verùm cùm is fortè fortuna repertus esset, suspicio cædis in cauponem cecidit. Data est ei falcicula pauperis illius (apud eum reperta sub cingulo eius) & quæsitum, nùm eam agnosceret. Sumpsit falciculam in manus, statimq; sudauit ea sanguine. Ideò licet antea tortus, negasset, cædem iam fassus est, & rotæ supplicio affectus.

27. *Zacharias Bouerius in annal. Capuccinorum* 1552. *de Fr. Matthæo à Bascio.* In vrbe Pisauri cùm pro concione asperè in fœneratores, quos vbique insectabatur, inuectus fuisset, post sermonem in legis peritum quendam fœnera exercentem incidit, cuius vbi vestis extremitatem tenuit, atque in omnium oculis expressit, copiosum indè sanguinem emulsit: quem legis perito demostrans: En, ait, quenam tibi vestis est mixta sanguine, hic pauperum procùl dubio sanguis est, qui aduersum te in aures Domini Sabaoth exclamat. Vide ne te Dei ira festinatò comprehendat.

28. *Idem ibidem anno* 1552. *de eodem.* Alteri aduocato, qui secum Matthæum ad prandium vocarat, rei iniustæ restitutionem, ac melioris vitæ institutum persuasit, prandioque, cælestibus potius monitis, quàm dapibus celebrato, Matthæus vt magis aduocati animum in bono proposito confirmaret. Vides, inquit, hanc mappam, qua mensa sternitur, hæc tota pauperum sanguine tincta est, vmensque mappæ initium ac manibus comprimens, ac distorquens, copiosum ex ea sanguinem emulgebat, quem cùm aduocatus subiecta patina reciperet; En tibi (aiebat Matthæus) sanguis pauperum, quem tot iniustis exactionibus hausisti, hic horrendis aduersùm te in cælum vocibus clamat, diuinamque in te iram concitat: iam tibi, tuisque rebus prospice: malè parta, benè restitue: ac meliùs distribue: vitæ rationem, iuxta Christianæ disciplinæ regulam compone, tùm diuinam erga te clementiam liberalissimam agnosces.

29. *Idem ibidem ann.* 1572. Inter huius anni memorabilia illud refertur, quòd cùm Fr. Andreas Siculus, qui nobilissima ortus familia atque inter Regni Barones nuncupatus, multo se hominum sanguine in sæculo fœdauerat, scelerum pænitentia ductus, ad Capuccinorum se ordinem in Neapolitana Prouincia contulisset, Clericorumque numero in conuentu S. Euphebij adscriptus esset; dùm nouitius res sacras Altaris munda manu contigit, cunctas sanguine cruentatas reliquit: quod cùm Patribus innotuisset, anteactamque nouitij vitam didicissent; è sacro Altaris ministerio, & clericorum ordine amotum, ad Laicorum vitam transtulerunt. Eo quippè cælesti prodigio declaratum fuit, rerum sacrarum contactu indignum esse, qui manus, animumque tot hominum cæde contaminasset. Quibus is quoque hoc cælesti signo admonitus, spontè annuit, qui Sanctè & religiosè post hæc in religione conuersatus; si minùs Sacris Ecclesiæ rebus, magis saltem diuinis, se cęlorum sedibus dignum præbuit.

30. *Gretserus in vita S. Henrici Imper. cap.* 29. Cùm Christi confessor Henricus pro disponendis regni negotiis, Marsipolim venisset, accidit vt quadam die ad altare S. Laurentii attentissimè missam audiret. Qua completa, sicut semper facere consueuerat, ablutionem calicis sumere volebat, sed interueniente magno negotio regni, quod vir Sanctus proposuit, tunc temporis fieri non potuit. Vocato itaque custode Ecclesiæ rogauit eum, vt calicem cùm ablutione in mundo loco reponeret, & cùm omni diligentia seruaret: quoadusque ipse exoccupatus, aptum tempus, & locum ad sumendam illam inueniret. Excrescentibus autem causis & placitis, tota die illa turbatus non potuit se expedire. Postera verò die post matutinas, cùm paucis secretarijs suis clanculò monasterium introiuit, & diutiùs flexis genibus, & perfusis lachrymis Deum exorauit, accersitoque custode, calicem cùm ablutione sibi afferri præcepit. Cùmq; allatus fuisset, & discoopertus, inuenerūt ablutionem illam in formam veri sanguinis transmutatam. Quòd factum mirabile mox vniuersis, qui aderant innotuit, & nunc, & semper in laudem Dei, & gloriā Confessoris sui omnis Ecclesia successoribus suis enarrabit.

31. *Baronius an.*1017. Circa hunc annum in regione Aquitaniæ iuxta maritima, ante solemnitatem D. Ioannis Baptistæ, tribus diebus de cœlo pluit sanguis, qui cadens supra carnem hominis, aut supra lapidem, non poterat lauari; si verò supra lignum caderet, lauabatur. De hoc re consultus Fulbertus Episcopus Carnotensis. Per lapidem impij (inquit) per carnem fornicarij significantur, per lignum medij, qui neque molles, vt caro, neque vt lapis duri.

32. *Odoricus anno* 1198. *ex Parisio.* Vndecimo Kal. Iulij, & idibus Maij pluit sanguis vndatim super ædificantes turrim apud Andeliacum in Normannia, mortem fortasse Regis Richardi denuntians in breui futuram.

33. *Idem ann.*1269. *num.* 8. Circa hoc tempus in Slesia, flumina Odera, & Nissa trium dierum spatio sanguinea apparuere; E cœlo insuper sanguis prodigiose pluit.

34. *Aimoinus lib.* 3. *de gestis Gallorum cap.*45. Anno septimo Childeberti Regis Francorum in Parrisiaco pago sanguis de nube fluens, vestimenta multorum hominum cruentauit.

35. *Benno.* Circa ann. 1117. in Romandiola sanguis è nubibus delapsus est.

36. *Bonfinius lib.*3. *Dec.*1. Cùm Attila Hunnorum Rex expeditionem in Romanum Imperium suscepisset, sanguineæ è cœlo guttæ defluxere.

37. *Pontanus lib.*1. *Neapolitani Belli.* Eam pugnam, qua Ferdinandus Neapolitanus Rex à Ioanne Renati Andegauensis Fr. Gallo ad Sarnum Vrbem loco iniquo ingenti clade victus est, prodigia præcessere, inter quæ, diuersis locis, alibi sanguine, alibi oblitis cinere guttis pluit.

38. *Sigonius lib.*6. *Regni Italiæ.* Salutis an.935. Genuæ, in vico, cui Fonticulo nomen erat (nunc autem Bordigotus dicitur) iuxta portus molem per integrum diem sanguis pluit. Vrbs à Saracenis ex Aphrica venientibus capta, ac direpta, Vngari Italiam ingressi, longè omnia, ac latè populati sunt.

39. *In Chronico Magdeburgensi.* Circa salutis ann. 1006. apud Lotharingos guttæ sanguineæ hominum vestimentis cælitùs illapsæ sunt.

40. *Cantipratranus lib.*2. *cap.*49. Frater quidam ordinis prædicatorum, bonus quoque & veridicus narrauis mihi, quòd quidam ludo tesserarum nudatus, adeò desperatus est, vt arrepto arcu, sagittam sursùm in aere iaceret, quasi ipsum Cœli Dominum percussurus. Et mox sagitta reuersa ante faciem iacientis, sanguine recenti totaliter infecta reperta est. Qui mox in maximis lachrymas resolutus, fratrem, qui mihi hæc enarrauit ad duo milliaria quæsitum inuenit, & confessus, vitam suam cùm mira pœnitentia, ac deuotione correxit.

41. *Agydius Gelenius in Colonia Agrippina.* Anno 1300. duo adolescentes, vt citò hæreditate paterna fruerentur, facti parricidæ, patrato scelere diuerterant in hanc prouinciam, & sicut fuerant in patris sanguinem, & vitam crudeles, ita in Deum impijssimi, alter enim eorum cùm cartarum lusu funestum patrimonium prodegisset, horrendo facinore in æternum Numen, patremque blasphemum os strinxit, & cultrum in mensam adigens (horror auribus) si Dei inquit, compos essem, sceespitam in eius cor ita detruderem: ò superi quò proruit hominum plùs quàm diabolica impietas! non absuit vltor Deus, ex vulnere mox prosilijt cruor, vti inscriptum est eidem suspensæ in atrio ante Ecclesiam mensæ; tradunt parricidarum alterum terra absortum, alterum iudicio feruentis olei condemnatum, & quæ in tabula extabant sanguinis vestigia, exoriente hæresi à vicino nouitiæ sectæ assecla titione deusta; vstulationis clara signa supersunt, adeò blasphema hæresis miraculorum nomini inuidet.

42. *Gumppenberg, de Imag. B.Virg. Mislenicensis in Polonia.* Villæ Mislenicensis Oeconomus Catholicus, domi ad parietem appensam hanc habebat sacram Imaginem; semel igitur quibusdam secùm cœnantibus allatum est ferculum è pultibus duriusculè coctum: inter hos vnus Dominus Goypchi hæreticus arrepto culto, pultibus vsus pro charta, dessignare apice cultri cœpit imaginem Deiparæ, ex obiecto pariete pendentem, sed quòcumque cultri apicem ducebat, exibat è pultibus cruor: quod tamen ille tùm primùm aduertit, postquam manus rigore correpta, cultrum amisit. Hoc territus, vouit se fore catholicum, & repentè brachij, manusque rigorem abijsse, seque sanatum esse sensit.

43. *In actis S.S. Feb. in Con. Bollandi.* Concordiæ in Lusitania miraculosus adhùc perseuerat lapis, apud quem S.S. Martyres Donatum, & socios fama est agmen efficaciter compleuisse. *Propè* hunc, cùm aliquandò duo fossores transirent, vnus, cui nomen Arocho, furore concitus, ligno sacrum ferire lapidem properauit. Ecquid, dicens, & nos lapidem adorabimus? O res mirabilis, vix illum percussit, cùm ecce marmor ex ictus foramine guttatim sanguinem stillauit, & rusticus febre correptus, animam protinùs eructauit.

44. *Matthæus Parisiensis in hist. Anglicana an.* 1144. Eo tempore Gaufridus Consul de Mandeuilla, qui de Ecclesia, castellum fecerat in Monasterio Ramesiensi, ante ipsam Ecclesiam inter consortes suorum acies à pedite quodam vilissimo solus sagitta percussus, occubuit interfectus. Ecclesia autem illa, dùm pro Castello teneretur, è suis parietibus sanguinem vbertim emisit, indignationem diuinam manifestè declarans.

45. *Albonius de obsessa Lutetia Parisiorum lib.* 2. Aqua putei S. Germani febricitantibus erat salutaris; semel autem à duobus Nortmannis hausta, in sanguinem versa est.

46. *Secundus Lacellotus lib.* 2. *Hist. Oliuetanæ de Monasterio Lendenariensi.* Cùm anno 1576. in Lendinario suburbio quidam vir pius reparare vellet Epistylium, seù sacellulum, in quo erat Imago B. Virginis; Artifices murarij calcem maceraturi, siue, vt aiunt, subacturi, foueam Epistylio proximam aqua fontana scaturientem petierunt; vas igitur vix immissum, cùm clarus, & liquidus latex sanguineo statim colore inficitur. Res quidem prima fronte horribilis, sed tamen pro exitu saluberrima.

-tima. Aquæ enim ita conuersæ fama euulgata, ad imaginis venerationem maior hominum concursus factus est, ea opportunitate haurientes multi, grauissimorum morborum genera depulerunt.

Aliquandò etiam ex fontibus prodigiosè sanguis manauit; sed de his in titulo de fontibus, diuersos ab aqua liquores diuinitùs emittentibus.

Sanguis in lac mirabiliter conuersus.
§. 8.

PRo sanguine lac quandòque ex vulneribus mirabiliter effluxum, in sacris describitur tabulis: hoc autem ex ipso sanguine diuinitùs genitum, efformatumque credendum est, atque sanguinem in lac mirabiliter conuersum. De his.

1. *S. Ambrosius serm.* 68. De Pauli ceruice, cùm eam persecutor gladio percussisset, dicitur fluxisse lactis magis vnda, quàm sanguinis, & mirum in modum Sanctum Apostolum baptismi gratia in ipsa cæde extitisse splendidum potiùs, quàm cruentum.

2. *In menol. Græco die* 16. *Septemb. de Martyre Sebastiana*. Detenta est à Pompeiano Præside, in caput suspensa, & laniata, cùm feris pugnans, hoc est leonibus nihil passa, obtruncata est, ex cuius collo exciso effluxit lac pro sanguine.

3. *In eodem Menol. die* 28. *Iulij de S. Acatio M.* Post hæc datur Posidonio, qui ferreum onus illi imponens, duxit in vrbem Miletum, vbi rursùs Idola comminuit; ad hæc capite obtruncato, sanguis, & lac ex plaga scaturiuit.

4. *In actis S. Victoris Martyris*. Cùm præcisum fuisset caput S. Martyri ob fidei confessionem, sanguis, & lac de collo eius mirabiliter exiuit.

5. *In actis S. S. Februarij tom.* 1. *in Continuat. Bollandi*. Dùm Sanctæ Mulieres, quæ collegerant sanguinem S. Blasij Episcopi, & martyris Sebastensis, crudeli afficerentur martyrio, carnesq; illarum pectinibus ferreis dilacerarentur, pro sanguine lac carnes eorum stillare mirabiliter visæ sunt.

6. *Ibidem in Martio tom.* 2. Cùm Sancti Martyri Menigno Fulloni ob Imperatoris edictum discerptum, digiti minutatim concisi resecarentur, pro sanguine, lacteum liquorem fluxisse fama est.

7. *In actis Sanctæ Martinæ Virginis, & Martyris*. Cùm torqueretur Sancta Martina Virgo, & Mart. mirabiliter lac cùm sanguine è vulneribus erupit.

8. *In vita S. Baudelij mart.* Detentus, dirisq; supplicijs afflictus, fustibus cæsus, ac in eculeo suspensus, cùm immobilis Christianæ Pietatis assertor persisteret, bipenni nouissimè percussus est. Lac manasse pro sanguine, Angelosque psallentes auditos cùm decollaretur, affirmant.

9. *In libello mirabilium Romæ*. Romæ in Ecclesia S. Catharinæ asseruatur pars lactis, quod ex illius gutture, loco sanguinis, quandò ceruices illi abscissæ fuerunt, emanauit.

10. *Vincent. Bell. in Spec. Hist. lib.* 12. *capit.* 89. Dùm iussu impij Iudicis Iuliani amputarentur mamillæ S. Christinæ Virg. & Mart. loco sanguinis, candidissimum emanauit lac.

11. *Ferrarius in Catal. S. S.* 15. *Ianuarij*. Cùm à carnificibus dilaniaretur pro Christi nomine S. Secundina Virgo, & mart. Anagnina, pro sanguine ex eius corpore lacero lac profluit, & suauissimus odor exhalabat.

12. *Idem ibidem* 28. *Ianuarij de S. Aemiliano Episcopo, & martyre*. Æmilianus frustrà blanditiis tentatus, ac nouis suppliciis ei propositis, imperterritus extra vrbem ductus capitalem sententiam excepit. Ex cuius corpore lac pro sanguine effluxisse, arboresque, flores, & fructus emisisse ferunt.

13. *In actis S. Antiochi mart.* Sebaste S. Antiochi medici, qui sub Adriano præside capite obtruncatus est; cùmque ex eo lac cùm sanguine manaret, Cyriacus carnifex conuersus ad Christum, & ipse martyrium subiit.

14. *Surius de S. Pantaleone m.* 27. *Iulij*. Beatum eius caput amputatum, lac protinùs pro sanguine emisit.

15. *Idem mense Iunio*. S. Martyri Bonifacio fluxit è vulnere capitis cruor cùm lacte mixtus. Quo prodigio viso ethnici quingenti, & quinquageni, abiurata idolorum superstitione Christo sunt renati.

16. *In actis S. Eupsychij Mart.* Dùm caput eius abscinderetur, effluxit lac, & aqua, & hac stola indutus apparuit decorè compositus in conspectu Dei.

17. *In Menæis Græcis, de S. Pompeio Mart.* Pompeius tanquam viua Domini esset ouis, emulctus ense, lac suo iugulo egerit.

Similia & aliis martyribus euenere, quæ longum esset retexere.

Lac diuinitùs ex non lactificis.
§. 9.

LActis vnda, quæ ex non lactificis quandòque erumpere visa est, admirandam alterius liquoris in lac conuersionem, præterque naturam transmutationem indicauit, quapropter huiusmodi admiranda hic notanda videntur. Quibus etiam vacuis vberibus, subitò diuinitùs impetratam lactis copiam addam. Suntque.

1. *Thomas Cantipratanus in vita Sanctæ Christinæ Virginis*. Cœpit hominum conuictum & conspectum incredibili cùm horrore fugere, & ad loca deserta in arbores, ad turrium, & templorum, aut aliarum rerum excelsarum fastigia confugere. Id eius amici conspicati, quòd putarent eam à malis dæmonibus occupatam, tandem multo labore comprehensam, in vincula ferrea coniecerunt. Vbi cùm multas molestias, præsertim ex hominum odore, multamque penuriam pateretur, nocte quadam diuinitùs adiuta, vinculis, & compedibus dissolutis, euasit, fugitque in remotam solitudinem, instar auium illic degens in arboribus. Cùmque egeret alimento (neque enim quamuis subtilissimum corpus eius cibo carere potuit) dirissimaque fame cruciaretur, nullo pacto ad hominum

minum conuictum redere voluit, sed sola cùm domino manere in desertis locis. Itaque preces Domino offerens, suppliciter eum rogauit, vt ipsius angustias, & necessitatem benignissimæ misericordiæ suæ oculis respiceret. Vix precandi finem fecit, cùm ecce ad se oculos reflectens, videt ex aridis mamillis virginei pectoris sui contra ipsa naturæ iura lac distillare. Mira profectò res, & præterquàm in singulari & incomparabili Christi Domini Virginea Matre, cunctis sæculis inaudita. Illum igitur lacteum liquorem alimenti loco sumens, ad nouem hebdomadas suo se lacte sustentauit.

2. *Thomas à Kempis in vita S. Lyduuinæ Virg. lib. 2. cap. 4.* Sacro quodam aduentus Christi tempore, cùm se nouis exercitijs S. Virgo renouare meditaretur, vidua quædã, Catharina nomine, per visum admonita fuit, vbera Lyduuinæ Natiuitatis Christi nocte plena lacte fore, & vt ipsa indè sugeret. Mane surgens vidua, secretò venit ad Lyduuinam, indicat quid audierit, stupet Lyduuina, vidensque viduam cupidissimam cognoscendi ea, quæ in se Dominus operaretur, primò tacet; deindè victa, iubet eam presto esse illa nocte. Adueniente igitur Sacratissima Christi Natiuitate, nocturnis horis totam se Lyduuina confert ad contemplandum Dominicæ incarnationis Sacramentum. Interim rapitur ad cælestia, videtque gloriosam puerperam Mariam cùm innumera Sacrarum Virginum præsentia ineffabili armonia hymnos concinentium. In medio earum sedebat Virgo Mater Regina omnium speciosissima, puerulum habens in gremio, vt olim in diuersorio; Eadem autem hora virginum illarum omnium vbera lacte repleta sunt, sicut & ipsius matris Virginis diuino munere plena fuere nocte, qua Christus ex ipsa natus est. Lyduuinæ quoque vbera lacte repleta sunt, sed non nisi hora duraturo. Rogauit igitur Angelum ductorem suum, ne fineret viduam fraudari desiderio suo. Iussit autem Angelus eam nihil esse sollicitam. Qui enim primum lac dedit, inquit, poterit & alterum dare. Cùm autem venerit vidua ad sugendum, tu tantùm frices parùm papillam vberis tui, & mox lacte complebitur. Tertia indè noctis vigilia adest sedula mulier, Lyduuina confricat mamillam, & lacte abundat: sugit vidua quantùm potest honestè tertio attractu elicere, multa in vberibus lactis copia remanente. Tanta autem erat eius lactis dulcedo, vt multo post tempore vidua illa ægrè potuerit ad capiendum cibum adduci, nisi Lyduuinæ grauissimo mandato compulsa fuisset.

3. *In actis Ven. Gertrudis de Oestem.* Quadam vice dùm meditationibus operam daret, cùm magna cordis deuotione, & dulcedine delectando in Domino Iesu Christo paruulo nato, cæperunt ipsius Gertrudis Virginis vbera tumescere, lacteque manare, sicque per singulos dies à festo Dominicæ Natiuitatis, vsque ad festum Purificationis non cessauit exitus virginei lactis ex vberibus Virginis: & satiabatur illis diebus dulcedine mirabili considerando altitudinem diuini consilij super salutem generis humani. Prædictum miraculum tantò mirabilius, quantò rarius: sed crederent faciliter qui legerint, & crediderint, S. Lambertum nutritum virgineo lacte cuiusdam Virginis cecæ, sed per idem lac virgineum, sicut ab Angelo Virgini prædictum fuerat, illuminatæ.

4. *In actis S. S. Februarij Tom. 1. in Cont. Bollandi.* Cùm transferentur Constantinopoli Catanam reliquiæ Sanctæ Agathæ Virginis, & martyris, quadam die Adriaticum mare transeuntes, Tarentum peruenerunt, ibique celebrata Missa super Virginis reliquijs, sumptoque cibo, pristinum redeunt ad litus, vbi clàm depositis artubus causa melioris depositionis, lactum est, vt reponentes reliquias Virginis extra dimiserunt eius mamillam, vbi fons quidam aderat. Interim ad fontem fœmina quædam vidua causa abluendi pannos cùm quadam filia sua paruula, quam adhùc lacte nutriebat, aduenit, quæ lotis pannis, somno soporata fortiter, obdormiuit. Puella autem naturali instinctu appetens refocillari, materna quærebat vbera, vt lac sugeret, vt consueuerat, eundoque manibus, pedibusque hinc indè discurrens, ad gloriosam mamillam miraculo diuino peruenit, quam in ore ponens, illam sugere cæpit, à qua lac miræ dulcedinis emanabat.

5. *Gaspar Bombax lib. de viris Illustribus Bononiensibus.* Lac ex vberibus Beatæ Elenæ Virginis fluxit post tres ab eius obitu dies, quod ipsa antequam moreretur prædixerat, fontem scilicet illum lactis in ea non exsiccandum.

6. *Colganus in vita S. Fechini Abbatis.* Cùm vir Sanctus, qui ancillas ad communia Monasterij ministeria non admittebat, mandasset Pastolio coco suo, vt vaccas mulgeret, vir columbinæ innocentiæ Pastolius postquam vaccas emulsisset, accessit & ad taurum sancta simplicitate, existimans taurum, & vaccas lac solere reddere. Quod autem tauro negauit natura, opifex naturæ in gratiam tantæ innocentiæ benignè concessit, ita quòd præbuerit tantùm lactis, quantùm septem illæ vaccæ.

7. *Euagrius lib. 6. Hist. Ecclesiast. cap. 22. de Simone Stylita.* Cùm vxori scribæ mei, omninò lac postquam pepererat ita obstructum fuisset, vt infans in maximum vitę veniret periculum Symeon; vbi manum dexteram eius viri tetigerat, iussit vt ad vxoris vbera iniiceret. Quo facto, extemplo lac velut ex fonte erupuit, adeò vt vestem mulieris totam madefaceret.

8. *Ioannes Cassianus Coll. lib. 15. cap. 4.* Abbas Abraham cùm metendi gratia ad Ægyptum de eremo diebus quinquagesimæ perrexisset, & à muliere quadam paruulum suum lactis inopia tàm tabidum, atque seminocem præferente, lachrymosis precibus fuisset obstrictus, calicem ei aquæ potandum impresso Crucis signaculo dedit, cuius haustu confestim mirum in modum arida iam penitùs vbera, copia lactis redundante, confluxerunt.

9. *In actis Sancti Ignatij Patriarchæ Constan.* Fœmina nupta viro, trium liberorum parens, aridis erat papillis, vt statim partus suos cogeretur nutricibus committere, donec domesticis incidit, vt ad Sanctum properaret; vbi absterso è sancti viri coma liquore, recensque nato ad sorbendum propinato

pinato, mater tanta lactis copia redundare visa est, vt plùsquàm opus esset haberet. Et hoc pluribus eodem morbo laborantibus aiunt accidisse.

10. *Hugo Menard, lib. 1. Obseruat. in vita Sancti Guillelmi*. Quanti esset apud se meriti Guillelmus puer, Deus insigni miraculo patefecit. Non procul à monasterio pia quædam anus habebat domicilium, ad quod identidem Guillelmus puer ducebatur. Cùm igitur pia illa mulier illum complexa in sinu foueret, pendulæ eius, & rugosæ præ senio mamillæ, statim turgescentes lactis copiam fuderunt quàm vberrimam.

11. *Ex tabellis appensis ante aram Beatæ Mariæ Virginis de Arce Guastallæ*. Vetula quædam proprijs rugosis mamillis à B. Virgine impetrauit lac, vt eo paruulum lactantem, propria orbatum matre, nutriret.

12. *In annal. min. anno 1228. num. 71.* In Sabinensi Diœcesi, vetula quædam octogenaria erat, cuius filia moriens lactantem infantulum dereliquit. Cùm igitur anus paupercula plena esset inopia, & vacua lacte, nullaque esset mulier, quæ sitienti paruulo lactis stillicidium, iuxta quod exigebat necessitas, erogaret, quo se verteret vetula penitùs ignorabat; debilitato verò infantulo, nocte quadam omni humano destituta subsidio, ad Beati Patris Francisci auxilium implorandum lachrymarum imbre perfusa tota se mente conuertit. Adfuit statim innocentis amator ætatis. Ego, inquiens, sum Franciscus ò mulier, quem tantis lachrymis inuocasti. Pone, ait, mammas tuas in ore pucrili, quoniam abundanter tibi lac Dominus dabit. Impleuit anus Sancti mandatum, & statim octogenariæ mammæ lactis copiam effuderunt. Innotuit omnibus mirabile Sancti donum, multis tàm viris, quàm mulieribus accelerantibus ad videndum. Et quia quod testabantur oculi, lingua impugnare non poterat, excitabantur omnes ad laudandum Deum in Sancti sui virtute mirabili, & amabili pietate.

13. *In vita Sancti Aloysij Bertrandi*. Andreua Alreus, incola ciuitatis Valentinæ, cùm post tertium puerperium adhùc lacte careret; Ideòque filios nutricibus alendos tradere cogeretur, varia remedia eliciendo lacti idonea tentauit. Cùmque inter cætera famulæ suæ præcepisset, vt si quidpiam fortasse lactis extrahere valeret, pertinaciùs exugeret, tãtùm abfuit vt voto potiretur, vt immo sanguinem non modicum bis, terue inde educeret. Accidit vt nutrix, quæ tertium eius partum, (duo enim præmortui erant) alebat, morbo correpta, obeundo muneri vacare minimè posset, & ipsa mater de nutrienda filia solicita non mediocriter angeretur, cùmque vt se Bertrando commendaret, à sorore fuisset admonita, nouenam apud Ven. Viri sepulchrum, vt ibidem moris est, pro lactis impetratione celebrare promisit, iamque sextus nouenæ dies complebatur, cùm plurimo repentè lacte abundauit, adeò vt nullo negotio filiam alere valeret.

14. *In vita S. Francisci de Paula*. In Gualterivilla haud procul Mylazzo, mulier quædam paupercula, vt sibi, & matri ab annis triginta viduæ, & annis quinque septuagenaria maiori, victum lucraretur, præter proprium, quem lactabat filium, etiam alium nutriendum suscepit, sed infra necessitatem duorum copia lactis fuit, quòd vbera minimè abundanter dare poterant. Ergo obligationi propriori factura duntaxat satis, nolens tamen stipendio priuari, rogauit matrem vetulam, vt quo meliori posset modo fallere alienum puerum, & ne ploraret conaretur prohibere. Hæc verò periculum damni faciendi considerans, flexis coram imagine S. Francisci genibus, opem poposcit, vt faceret etiam pro duobus, lac filiæ suæ abundare: deindè ab oratione consurgens accepit puerum, eumque tantisper fallere cupiens, suam pridem arentem mamillam ori eius admonit. Vix puer cæpit papillam sugere, cùm tot annorum vetula mamillam sensit lacte turgescere.

Aurum, argentumque diuinitùs efformata.

§. II.

AVrum, argentumue arte Chymica efformari posse autumnant Philosophi; at veriùs huiusmodi admirandum ad Diuinam pertinet Omnipotentiam, cuius virtute, viri Dei quandoque aurum, argentumue efformarunt. De his,

1. *Sanctus Anton. 1. part. Chronic. tit. 6. cap. 6. §. 1. de S. Ioanne Euangelista*. Duobus, qui conuersi erant, & redire ad sæculum cogitabant, ait S. Ioannes Euang. Video vos pænitere de mundi contemptu, sed ne credatis quæ dimisistis, recuperare vos non posse; Pergite ad syluas, & afferte ad me virgas ligneas, & de littore fluminis lapillos; quod egerunt quàm citissimè. Ipse autem virgas conuertit in aurum, & lapillos in pretiosos lapides, quę omnia iudicio plurium artificum iudicata sũt optima. Tunc Ioannes ait. Ecce plùs habetis, quàm reliquistis. Ite, & emite vobis palatia, prædia, seruos, vestes, & quæcunque vultis talia, & florete in hoc sæculo, vt in alio marcidi sitis, gaudete ad horam, vt in perpetuum lugeatis.

2. *Leontius in vita S. Ioannis Eleemosynarij*. Ioannes Patriarcha Alexandrinus, cognomento Eleemosynarius, cùm naues eius frumento onustæ in Britanniam fortè fuissent à tempestate propulsæ, vbi habitantes caritate annonæ plurimùm laborabant, stamno frumentum fuit permutatum, sed mirum tunc accidit, omne id stamnum vt in emolumentum Ioannis cederet, cuius pietate fuerat fames Britanniæ gentis subleuata, in purissimum argentum, diuino munere conuersum est.

3. *Idem de eodem*. Munifico Beati animo inuidens malignus dæmon suggerit Patritio Nicetæ, quem ei fuisse amicum, & familiarem priùs diximus, vt quiddam sua virtute indignum cogitaret, & diceret. Accedens itaque ad Beatum, manus, inquit Imperatoris eget multis pecunijs, vt quas ad necessarios vsus Reipub. quotidiè consumat, nam ipse quoque vides in quantas angustias redacta sit Respublica. Oportet ergo vt quæ temerè, & ad nihil quod oportet, à te consumuntur, deferantur ad ærarium publicum. Ille autem nihil propterea conturbatus; non est, inquit, iustum, vt quæ Regi Cælesti

lesti sunt consecrata, prodantur Regi terreno. Est hoc enim planè sacrilegium,& non paruum in Deum peccatum. Sin autem tibi visum est sic facere: Ecce quæcumque sunt Ecclesiæ,ea accipe, & fac vt volueris, si quidem te nulla ratio ab hac abducit sententia,mea enim voluntate ne obolum quidē dimittam eorum, quæ sunt reposita. Nihil ergo, nescio quomodò, ex eo repressus vir ille admirabilis, vocat eos, qui sequebantur, & statim iubet tollere pecunias, nihil aliud relinquens Patriarchæ, nisi solas centum libras auri. Interim autem dùm descendebant ij qui eas portabant, occurrunt quibusdam ascendentibus ad Patriarcham, qui mellis amphoras afferebant ad eum, in quarum nonnullis inscriptum quidem erat; Primarium, in alijs autem, Fumo carens. Postquam ergo hæc vidit Patritius, & agnouit inscriptionem, significauit Patriarchæ, vt ad ipsum mittatur vna ex amphoris. Cùm is autem, cuius fidei, hæc commissa fuerant, eorum vt mox est fecisset periculum, & deindè intellexisset, quòd in eis factum erat miraculum, & B.Ioanni significasset, quòd sunt omnia auro plena, illicò vnum mittit ad Patricium, quod inscriptum erat, mel primarium. Ad eum autem mittit etiam litteras, quarum hæc erat vis: dominus qui dixit, non te dimittam, nec te derelinquam, ipse pro ijs, quas tua celsitudo nunc abtulit, pecunijs, reddit alias. Id autem tibi declarabit quæ nunc ad te missa fuit amphora, quæ est vna ex ijs; Scias ergo quòd Deum, qui spiritum, & alimentum omnibus suppeditat, homo, in quem cadit interitus, nequaquam poterit in angustum redigere. Porrò autem præcepit etiam ijs, qui ferebant amphoram, vt eis præsentibus aperiretur in conspectu Patritij, & ei renuntiarent, quòd aliæ omnes, quas vidit, ita se habent, & sic sunt auro plenæ.

4. ***In vita S.Fechini Abbatis, 20. Iannuarij apud Bollandum.*** Quendam leprosum ad Reginam duxerat S.Abbas, vt ei illa inseruiret; Sancto igitur foràs egresso, leprosus ad Reginam dixit: nares meas in ore tuo suge, & phlegma indè extrahe; At illa propter primum promissum viriliter agens, sicut imperauit, fecit, & phlegma in linteum posuit: iterùm quoque ei mandauit, vt similiter faceret, & id, quod extraheret, S. Fechino reseruaret. Regina verò semetipsam, per omnia vincens, in omnibus, quæ leprosus mandauerat, obediuit. Sancto verò Fechino domum redeunte, ac circùmquaque respiciente, globum igneum de culmine domus, vsque ad Cœlum extendi vidit: in quo globo, à Domino se visitari intelligens, gratias sibi retulit, & hospitium ingressus, solam Reginam inibi inuenit: quæ sicut leprosus iusserat,id quod in linteo suo recondidit, S. Fechino dare cupiens, aurum probatissimum reperit; & pro talento cœlitùs dato, vir Dei gratias agens, in partes diuisit, de quarum vna parte terram Ecclesiæ acquisiuit, reliquam verò partem in baculo suo ponens,ob memoriam rei perpetuam,ac in exemplum firmiter credendi, posteris dereliquit.

5. ***Ibidem in vita S.Moedoc 31. Iannuarij.*** Quidam inops, à quo dominus suus censum magnum exigebat, venit ad sanctum Moedoc quærens auxilium. Tunc sanctus Moedoc erat in agro, & semen seminabatur in terram ante eum. Et vir Sanctus ei petenti, dimidium modij hordei dedit. Ille ait: quid mihi prodest hoc? vir Dei dixit: de hoc reddes totum tuum debitum, & pro parte habebis; homo ipse subridens; totum illud in aurum conuersum est. Dixitque ei vir sanctus, redde Domino tuo Duci debitum, vt sis liber. Dux videns aurum optimum, ait ei: quis tibi tantùm auri largitus est? ille respondit, Beatus Moedoc. Tunc ille: hoc aurum non conuenit mihi, sed Deo, & S.Moedoc, & ideò in æternum te proclamo liberum. Tunc ille seruus quondam, modò liber gaudens venit ad sanctum Moedoc, indicans ei quid sibi fecit Dux. Et assignauit ille homo totum aurum Sancto Moedoc. Et, orante sancto viro,despiciens aurum, in hordeum conuersum est totum: iubenteque sancto Dei, iterùm in terram seminatum est.

6. ***Niceph.Callistus Ecclesiast. Hist. cap. 42. de Sancto Spiridione.*** Indigenti homini,& inopia magna circumuento, serpentem ad sepem, & maceriam se voluentem, in aurum conuertit, cumque illi dedit, vt eo mutuam pecuniam sumens, vteretur, penuriamque suam solaretur. Cæterùm cùm se ille, inopia depulsa, aliquantùm locupletasset, Spiridion serpentem ita vt tùm erat, ad locum suum circa sepem reposuit. Qui viri Sancti precatione, pristina recepta natura, rursùm reptans, ac se se circumuoluens, latebras suas intrauit.

7. ***In annal.Min.anno 1311.num.9. de B.Elisabetha Aragonia.*** In oppido suo Alenquerio, Spiritui Sancto, ab eodem in columbina specie sibi apparente in somnis admonita, templum erexit in loco, quo operis exemplar, & fabricæ delineamenta, ac dimensiones omnes cœlitùs designatas, presente magistratu, reperijt. Beneficium agnoscens cœleste, miram illam operis idæam, genuflexa, fixis in cœlum oculis, per horæ medium immobilis gratias egit immortales. Hortata deindè fabros ad inchoandum opus,iuxta repertum exemplar, ipsa discessit, eòque rursùs pomeridiano tempore veniens, à puella fortè obuia, rosarum fasciculum accepit, & alloquuta operarios, egregiæque monetæ solutionem pollicita, singulis singulas è fasciculo suo rosas donauit comiter,& hæc, inquit, sit pro hodierno labore merces. Res dictu mira! operarij domos vnusquisque suas sub noctem repetituri, ab opere discedunt, ad sarcinulas veniunt, vt accipiant curtam supellectilem, & rosas ab Elisabetha donatas; ecce tibi rosas primùm omnes manibus tangunt, odoris causa nasibus admouent, mox inter manus,naresq; rubeas rosas, in scuta aurea, flauescere animaduertunt, admirantur, venerantur, prædicant coram omnibus, etiam coram Dionysio eius marito, omnes concordes testificantur.

Vario-

Variorum admirandæ transmutationes.

§. 12.

MOdò remanent variarum rerum adnotandæ mirabiles conuersiones, transmutationesque. Suntque.

1. *Rabanus in marty. IV. Non. Iunij de B. Erasmo Martyre.* Hic à Diocletiano Imperatore comprehensus propter fidem Christi, multa passus est: Quia illum iussu Imperatoris, nequissimi carnifices fustibus, & plumbatis cædebant; plumbo, & pice, & sulphure, cùm cera, & oleo feruenti perfundebant: postea in carcerem missum, pondere ferri grauabant: quod Domini virtute in cinerem versum est, & nihil eum læsit.

2. *In annal. min. ann. 1282. num. 16. de B. Elisabetha Lusitanorum Regina.* Magnam aliquandò pecuniæ copiam pauperibus diuidendam, collecto vestis sinu, ipsa gerebat. Accurrit Dionysius Rex, quid rei sciscitatur? rosas, inquit Elisabetha, roseque explicato sinu, per hyemem, alienis mensibus, pulcherrimo colore, diuinitùs efformatæ, apparuerunt: ob cuius memoriam, rosas sinu explicans solita depingi.

3. *In m. s.* Mirum est, quod accidit in venditione infantis Andreæ Rinnani, pro Christo à Iudeis occisi; pretium enim, quod pro eo traditori solutum fuit, in folia salicis versum est.

4. *In actis S.S. Chrysanthi, & Dariæ ap. Mombritium.* Tribunus Claudius iussit eum fustibus cædi; statim autem, vt allatæ sunt virgæ durissimæ, cœperunt in manibus cædentium quasi pluma mollescere, denique dùm tenerentur virgæ quasi ferreæ essent, ita erant nodosæ, & solidæ; Dùm verò percuterent: quasi ex papyro essent, mollissimæ reddebantur, & leues.

5. *Angelus Manrique in Ann. Cistercienſ. anno 1131. cap. 8.* Cùm S. Atilanus vili, atque detrita veste, vt incognitus haberetur, antequam ad Episcopatum eleuaretur, incederet; sunt qui dicunt, cùm à populo diuino impulsu inuentus, ad Episcopatum postularetur, adtritas, & viles eius vestes, in Pontificalia ornamenta transijsse nouo Miraculo.

6. *Theodoricus in vita S. Elisabethæ Vngaricæ lib. 2. cap. 8.* Cùm tempore quodam, à patre eius Rege Vngariæ directi magnati plures ac nobiles ad Landgrauium accessissent, nec ipsa cultum haberet suæ congruum dignitati, dixit ad eam Princeps: doleo soror, cultu condigno, præsentibus his nobilibus, te carere, & me tempus, vt tibi in ornatu prouideam, non habere; Cui illa: non magni pendas hoc dilectissime frater mi, quia in vestitu proposui nunquam gloriari. Deindè cùm in conspectu illorum nobilium fuisset euocata, gloriam, & magnum decorem imposuit Dominus super eam. Ecce enim apparuit signum magnum de Cælo, & visa est mulier illa sancta, omnium oculis hiacynthini coloris vestibus insignita, quæ margaritis erant pretiosissimis adornatæ; super quo stupens, & admirans maritus, dùm ab ea quæreret; piè subridens; talia inquit, scit Dominus cùm voluerit operari.

7. *In vita S. Ludouici Bertrandi.* Vir Sanctus ex nouo Orbe reuersus, in Hispania Taraconensi, turpem venerem cuiusdam viri nobilis arguebat: ille veneris pullus iracundia furens, latronem quemdam subornauit, qui Ludouicum de medio tolleret: latro dùm sclopetum contra Virum Dei explodere nititur, non sclopetum, sed (ò rem stupendam!) Christi crucifixi figuram, admiranda prorsùs metamorphosi, in manibus se tenere conspicit. Totus exhorruit nefandi scelus iam oblitus.

8. *In actis S. Iusti Confessoris Ordinis Camaldulensis.* Anno Domini 1572. die 15. Iunij, Dominus Stanislaus Paulolouski Ciuis Opatouiciensis iter faciens cùm vxore, & filia sua, nocte quadam peruenerunt ad villam nomine Lobsouo, vbi quiescit corpus S. Iusti confessoris Eremitæ Camaldulensis; prætereuntes Ecclesiam, omnes simul de curru descedentes, cùm deuotione in Cæmiterio genibus flexis inceperunt orare Deum, vt meritis S. Iusti feliciter in domum sinè noxa à latronibus sibi allata, vel ab animalibus syluestribus, peruenirent; statimque cùm in currum ascendissent, apparuit illis vir venerabilis albis vestibus indutus, in magna claritate, cùm duobus baculis ex salice confectis, quorum vnum dedit aurigæ, alterum filiæ Salomeæ, dicens illis: Ite in pace, Dominus Deus sit vobiscum, & ego qui sum Iustus, ero uestri comes, & dux in via, in hac obscura nocte, tandem disparuit, sed illi baculi diuino miraculo, in faces ardentes lucidissimas conuersi, clarissimè illis lucebant, donec domum peruenerunt, gratias Deo agentes; qui iterùm illis apparuit, dicens, manete in pace, & tu filia mea fac vt sis sponsa Dei Monacha in Sandecz, faces extinguit, & in baculos, vt priùs erant, vertit, & ab oculis eorum euanuit. Illi autem præ gaudio lœti, in terram prostrati, gratias Deo, & S. Iusto reddiderunt.

9. Item anno 1506. Die 9. Iulij, in die eius festo simile prodigium euenit Nobili Domino Casimiro Dlugorayski ciui Opatouiciensi; postquam enim in eadem Ecclesia orasset, sanctoque Iusto se se commendasset, discedens tenebrosa in nocte, cædens duos paruos baculos de arbore, quæ dicitur Betula, statim illi baculi, non sine miraculo Dei clarissimam lucem emicuerunt, vsque dùm peruenit domum, tunc enim baculi amiserunt lucem, & ad pristinum statum sunt conuersi.

10. *Petra Sancta in mira. comparatis cap. 13.* Memini ego legisse me, in magnæ Britanniæ Regno, mulierem, nescio quam, diuinitùs in statuam, & momentò quidem fuisse conuersam.

11. *In actis S.S. Feb. tom. 1. in Contin. Bollandi.* Erat quidam Fridericus, cuius sub censura, Nyuellensis, excepta Abbatissa, cætus erat; nam ipsa omnibus imperabat. Hic cùm in præpositura sua, Merbeccensi vico, Dominæ assensu Abbatissæ, præesset, eumdemque ab impijs destructum Danis locum, repararet; inter hæc, maximi librum pretij, ad alterius Ecclesiæ suæ opus, Merbeccæ præparauit: sed ad propositum ne perduceret, composuit sibi Deus offendiculum; nam volumen cùm missum esset, quò disposuit, veris, ac patentibus, conscriptum signis, miris S. Berlendis meritis trans-

transfiguratum est in Græco. Quo comperto, intellexit vir prudens, B. Virgini ter librum acceptabilem: & reatum confessus referri fecit, Sanctoque loco relocauit, & aptitudine priori, subitò claruit.

12. *Daniel Bartolus in vita S. Ignatij*. Anno Domini 1611. cùm Gerundæ in Aragonico Regno, vir quidam à pietate alienus, contra S. Ignatium satyrica componeret carmina, ea ter in laudes, illiusque encomia, in charta mirabiliter mutata reperit. Quod impium opus cùm obstinatior iterùm aggrederetur, calamus de repentè è manibus eius prosilijt, ipseque sibi, inuisibili virtute motus, vehementissimum incussit colaphum.

13. *Ioseph Sylos in vita Ven. Francisci Olympij lib. 1. cap. 5.* Rem diuinam in sacrarum Virginum Monasterio, cui à Sapientia nomen, dùm Neapoli faceret noster Ven. Franciscus Olympius; aduertit alteram pallam, qua nos Theatini homines ad commodiorem, in colligendis præsertim fragmentis, vsum, ex vetere nostratium consuetudine, ac summorum hominum approbatione vtimur, haùd quidem simplicem, ac læuem, vt moris nostri est, sed pinnulis eleganter ad oras distinctam, atque adeò retinendis intra minuta illa acus opuscula fragmentis, dùm excuterentur, obnoxiam. Pulsari intimè, discruciarique vir, in eius potissimùm rei cura delicatior, idque eò vehementiùs, quòd morari, aut mutari pallam, integrum, cæpto iam sacro, non esset; ergo nil reliquum, quàm compositis ijs animi fluctibus, poscere à Deo opem, ac pergere: mirum sanè dictu! Panem, vt ritè consecraret, manu dùm tenet, animaduertit, pallam! quam exornatam modò viderat, pinnis, omnique operis elegantia omninò expertem.

14. *In actis S. Samsonis Episcopi*. Quidam subulcus, porcos suos quotidiè pascendos in prata S. Samsonis ponebat, cui S. Samson dixit: ecce porci tui rostris suis prata mea subuertunt, sed rogo ne ex hac hora facias; at ille sugestioni Dominæ suæ, quæ semper S. Samsoni inuidiosa erat, contra mutire non audens, altera die porcos in prata dimisit. Hoc Sanctus videns eleuata manu eos benedicens, statim omnes porci in hircos, & capras conuersi sunt, ita vt omnes vna voce dicerent: verè hic homo verbo tuo omnia potest, & nihil ei impossibile est.

15. *In vita S. Cadoci Episcopi Beneuentani apud Boll. 24. Ian.* Dux quidam Britonum, tres milites Arturi Regis illustrissimi trucidauit. Et Arturo vbique eum persequente, nusquam tutum locum reperire potuit, nullusq; ipsum tueri ob regis furorem ausus fuit, donec fuga fatigatus ad virum Dei profugus venit. Qui illius miseratus laboris, benignus illum suscepit. Demùm acquiescente ad preces Sancti Rege, à Iudicibus decernitur, vt pro redemptione vniuscuiusque occisorum, Arturus Rex tres boues optimas susciperet: huiusmodi enim iudicium apud Britones à Regibus priscis sancitum fuit. Arturus tamen vnicolores vaccas renuit, & in anteriori parte rubeas, & in posteriori parte candidi coloris distinctas plurima tergiuersatione gestiuit. Iussu ergo Cadoci adductæ sunt nouem vaccæ, & fusis ad Deum precibus, in prælibatos colores mutatæ sunt, & inter manus tenentium illas in conspectu Regis in filicis fasces transfigurantur. Quo viso, super in iniusta petitione humiliter Rex Arturus veniam flagitauit.

16. *Pepe in mirab. S. Caiet. m. 137.* Par sericeorum tibialium intexerat Gratia Rocco Neapolitana, & imprudenter vnum serico vnius coloris, alterius alterum confecerat: cùm, opus deperdidisse animaduertens, quippè quòd mercatores haùd approbaturos cognoscebat, dolensque iacturæ, D. Caietani opem implorauit, qui pauperi compatiens, mirabiliter ambo tibialia, eiusdem effecit coloris, mulieremque afflictam ab angustia liberauit

17. *Gaspar Trissinus in actis S. Sabinæ*. Sancta, Spiritus sancti gratia irradiante, sanctorum martyrum Naboris, & Felicis corpora in vehiculo posito, currui superposita, oratione profusa, versùs Mediolanum cæpit iter. Cùm autem peruenisset Legnanum, requiritur: Quid habes in vehiculo mulier? quæ respondit: mel. Non confidentes de muliere, hauserunt, & mel exiuit de vehiculo. Quod factum miraculum præcernens, confessa quod in vehiculo erant corpora sanctorum martyrum Naboris, & Felicis: extractoque ostiolo vehiculi, ibi prædicta corpora inuenerunt. Ad quod miraculum conuersi, in Domino crediderunt, & tunc imposuerunt terræ prædictæ nomen Melegnanum. S. Sauina vltrò properans cùm corporibus, Mediolanum adijt, & in hortum Philippi recondidit.

APPENDIX AD CAPVT II.

De Admirandis conuersionibus Mixtorum, quorum perennia indicia.

VT quæ aliquandò diuinitùs patratæ fuere admirandæ transmutationes, à catholicis, hæreticisue haùd negari voleant, eorundem aliquorum perennia durare indicia voluit Deus. Sunt autem.

1. *Petra Sancta in mirac. perpetuis capit. 18.* Tradunt Brocardus, Brendebachius, & Saligniacus oculati testes, etiam nunc superesse inter Engaddi vineta, & mare mortuum, statuam salis, in quam diuinitùs conuersa fuit Lothi coniux; Scripsitque Tertullianus suo æuo duo mira: nempè concisam, & mutilatam iniuria prætereuntium, solitam ex se ipsa reparari; atque adeò pati consueuisse muliebria menstruorum, quasi caro esset, quæ statua salis erat.

2. *Idem in mirac. corparatis cap. 13.* In oppido Seefeldiensi haùd procùl Oeniponto, nobilis vir dedignatus sacram sinaxim sumere, quæ particulis minoribus distribui laicis solet: quasi eximi à plebe superbiùs, quàm religiosiùs peroptaret: Hostiam ipsam petijt à sacerdote consecratam. Tùm verò fatiscente humo dimidius absorptus est; dimidius in lapidem est immutatus; atque extare hodièque tantæ monumentum rei perhibetur.

3. *In actis S. S. Martij tom. 3. in contin. Bollandi.* Mon-

Monstratur propè Ecclesiam S. Quirini equus lapideus, cùm fræno, & sella tantæ dexteritatis, ac si viueret; deindè eques saxeus ei assistens, quasi desilijsset retrò fugiturus: hæret iste pede dextero in stapede. Contigisse autem hoc ideò dicitur, quòd iste sacris rebus de templo ablatis, equum oneraret, cùmque vidisset, equum subditis calcaribus nil motum, sub se in saxum obriguisse, hinc mox descensum accelerasse, & ipsum post tergum parte dextera lapsum, in lapidem mutatum.

4. *In annalibus Minorum*. Cùm in Ecclesiam Fratrum minorum ciuitatis Suonich, in Dalmatia, quidam barbarus equitans ingressus fuisset, imaginemque B. Virginis percussisset, ex illa subitò sanguis exiuit. At paulò post tanti criminis pœnam luit, in flumen enim vicinum simul cùm equo vltrò se præcipitem dedit, subitòque in lapidem mirabiliter conuersus est: & vsque hodiè huiusmodi diuinæ iustitiæ exemplar conspicitur.

5. *Ioannes Eusebius*. Quidam scelestus in vrbe Darocha per sancta Corporalia (quæ ibi magna conseruantur veneratione) peierarat, se imprecatum in lapidem conuerti, si falsa asseueraret, & illicò in saxum conuersus est, eodem quo erat habitu, & forma, & hactenùs omnibus conspicuus durat.

6. *In actis S. Kentigerni Episcopi* 13. *Ian. apud Boll.* Venerunt ad S. Episc. cùm S. Columba quidam filij Belial, ad furta, & peccata assueti: de grege Sancti Pontificis, pastore iniurijs affecto, arietem rapientes, caput eius auferunt; aries verò concito gradu ad gregem currens corruit, & caput in lapidem mutatum, manibus tenentis firmiter adhæsit. Confusi ergo iniquitatis filij, ante pedes S. Kentigerni prostrati, veniam cùm lachrymis postulabant. Qui benignè eos redarguens, ne vlterius fraudem, furtum, vel sacrilegum committerent admonuit, & à reatu absoluit, & corpus arietis illis tradens, ad sua remisit. Caput tamen in saxum conuersum in miraculi testimonium vsque hodiè in eodem loco custoditur.

7. *In actis S. Luciæ viduæ, & martyris*. Cùm Diocletiani iussu post multa tormenta, diris flagellis cæderetur, ecce qui cædebat eam, factus est lapideus, manu autem eius carnea permansit vsque nunc, propter quod vocatus est ille locus: Ad manum carneam vsque hodiè.

8. *Vlysses Aldrouandus in Musæo Metallico lib.* 4. *cap.* 62. In actis S. Brigidæ collegimus fuisse Virgunculam Principis cuiusdam filiam, quæ vouerat Omnipotenti Deo illibatum Virginitatis florem ad extremum vsque spiritum retinere. Pater autem illam inuitam alteri Principi in matrimonium promiserat: ideòque parato nuptiarum sumptuoso apparatu, hæc Virgo ad sanctam Brigidam implorans auxilium confugit, interim Patris agmine equestri persequente; quare sancta Brigida tot equitantes conspicata, vt filiam raperent, statim impresso digitis supra terram Crucis signo, illi omnes in tot statuas lapideas transformati fuerunt. Vndè pater tàm stupendum admiratus miraculum, pænitentia ductus, filiæ pepercit.

9. *In vita Sanctæ Attractæ Virginis*. Cùm Rex Connachiæ virginem sanctam ad se venientem, truculentus, ac aspectu terribilis, viuido vultu, ac ceruos in humeris onera portantes mirabili incessu à longè aspiceret: tunc elatus est flatu superbiæ, excæcatusque instinctu diabolicæ iussionis, in contemptum, ac indignationem ipsius virginis, adeò omnes vrbis suæ canes ad ceruos ipsos, vt eos morti traderent, celeri excitauit iussu; quod cùm eadem Virgo cerneret, ad Cœli conditorem expansis manibus preces emisit deuotas, vt sanctissimæ Trinitatis viuifica virtute, castri Regis equos, ac Reginæ, compulsu dementiæ repleti canes ipsi iugularent, ac insaniæ feritate omnes illi, defensionem, seu adiutorium aliquod prædictis animalibus ferentes, aut præbentes, improuisa morte morsibus canum, & calcimentis equorum, subitò perirent. Quod omninò factum est. Cerui tamen sani ad suas forestas reuersi sunt fimbrias vestimenti eiusdem Virginis lambentes humiliter. Canes verò conuersi sunt in lapides, & ita lucidiùs permanent, & ad diem iudicij permanebunt.

10. *Rochetta in suo itinerario Trat.* 3. *cap.* 18. Mirum illud est, quod de nummis Beatæ Helenæ fertur; nimirùm, cùm hæc Sancta plura ædificia erigeret, & pecunia defecisset, hos diuinitùs formasse, sumendo nimirùm pusillum terræ, & positum inter digitum indicem, & maiorem, comprimendo, ea statim in æs vertebatur; hoc adiecto, quòd ex vna parte concaua scilicet, imago eiusdem Sanctæ Helenæ repræsentabatur, extimè Christi, & Mariæ imago apparebat. Hos nummos adhiberi contra febres, & mira, si adhibentium fides adsit, operari experientia compertum est.

11. *Ferrarius in catalogo S.S.* 23. *Aprilis*. Cùm S. Georgius Episcopus Suellensis, Draconem, qui homines inficiens, & deuorans, pagum Diœcesis Suellensis ad solitudinem redegerat, occidisset, eius sanguine conspersarum herbarum ibidem existentium, vsque in præsentem diem conspicitur hortus.

12. *Petra Sancta in mirac. perpetuis cap.* 23. In pago VVestphaliæ Laer est prediolum, vbi sancti Euualdi Angli ab improbis sicacijs fuerunt interempti, quod semper sanguinem mittit, si aratro fundatur.

13. *Idem ibidem c.* 29. Sagittæ in puteum, aut fontem S. Vuenefridæ iniectæ (in Britannia) semper cruenta cuspide indè eruuntur, quasi ibi adhùc recens sanguis eius fluat, & rubescat.

14. *Bercborius in Red. moral. libr.* 14. *capit.* 30. Quondam, in ciuitate Tridone in Italia, si quis pater familias intra annum mori debebat, sulcus terræ illius, cùm aratro scinderetur, sanguinem emittebat.

15. *Auctor anonymus Exo. libr.* 3. *capit.* 14. Erat in partibus Hispaniæ sanctimonialis fœmina reclusa, quæ pane, & aqua, vel semicrudis interdum oleribus vtens, conuersatione sobria, & casta, petulantiam carnis viriliter edomabat. Huic aliquandò instinctu diaboli desiderium incidit, vt carnem comedere vellet. Quæ diù, multùmque tentationi reluctans, cùm tàm violentissimas

simas inimici suggestiones sustinere non posset, manibus illicito desiderio datis, ad consensum trahebatur. Iussit itaque sibi carnis edulium præparari. Quo super mensam posito, priusquàm gustare præsumeret, prostrata in oratione, voce lachrymarum Dominum supplicabat, vt ei non permitteretur præparatum cibum tangere, si hunc saluti animæ suæ periculosum fore præsciret. Surgens verò ab oratione, ad mensam ingreditur, & data benedictione, operculum submouet, quo carnis ferculum velabatur: & ecce pro carnibus, quæ appositæ fuerant, tres pulli coruorum in disco vagientes, & sine plumis apparuerunt. Quo viso, sanctimonialis illa vehementer expauit, & accita sorore, quæ illi ministrabat, rei veritatem inquirit. Illa verò sub attestatione tremendi iudicij Dei respondit; se in eodem mensali non implumes auiculas, sed tria carnis frusta cocta apposuisse. Erat autem cellula ipsius super ripam violenti cuiusdam, & magni fluminis sita, quod de saxeis montibus erumpens, & confragoso itinere ruens, præcipiti cursu labitur ad inferiora. Igitur ancilla Dei exultans, & gratias agens Deo, quòd exaudita esset eius oratio, iamque multò vehementiùs abhorrens esum carnium, quem priùs desiderabat, præcepit, nigredinis, & malæ suggestionis pullos, cùm catino, in quo continebantur, in præfatum fluuium iactari. Qui proiecti in amnem, nullatenùs potuere segregari ab inuicem, sed fluctuante vasculo super flumine, tandem deuoluti sunt in quendam sinum eidem cellulæ proximum, vbi ingentis saxi concauitas, copiosam aquarum congeriem stagnabat. Ibi ergo iam per multa temporum curricula assiduè rotantur, & vsque hodiè in testimonium huius miraculi in ipso vasculo super aquas fluctuare videntur.

CAPVT III.

De Admiranda incorruptibilitate quorundam mixtorum.

§. *vnicus.*

COntrarijs, inter seque inuicem continuò oppugnantibus qualitatibus, mixta quotidiè destrui, corrumpique, assiduo experimento compertum est; Naturæ igitur excedit limites, quorundam perennis duratio, eorundemque, licet ijsdem exagitentur contrarijs, admirabilis incorruptibilitas. De his.

1. *In Bibliotheca Græca, de depositione vestis B. Mariæ Virginis.* Eius sacra vestis, ex lana contexta, facilèque obnoxia corruptioni (quippè & stamen, & trama ex eodem, eiusdem rationis, & coloris existunt lanificio) nihil prorsùs corruptionis pertulit; sed illæsa tota, omninò consistens, ac incorrupta; eius quæ induit incorruptionem, ac integritatem, idque admodùm meritò, ostendit.

2. *Sabellius libr. 2. cap. 8.* Vestes S. Bartholomæi Apostoli toto vigintiquinque annorum spatio, nec sordes vllas, nec vetustatem contraxisse, fama est.

3. *Palladius in Hist. Lausiaca cap. 52.* S. Apollonij miræ sanctitatis viri, & 500. monachorum Patris, vestimenta non veterascebant, cùm tamen in deserto Thebaidis vixerit quadraginta annis æquè ac hebræi.

4. *S. Ephrem de S. Abrahamo Eremita.* Vestes, quibus per 50. annos continuò vsus est S. Abraham Eremita, nulla vetustate per tot annos attritæ sunt.

5. *Surius in vita Sancti Goaris Presbyt. 6. Iul.* Pallium, quod super sarcophagum eius repertum est, hodieque supra altare Ecclesiæ incorruptum perseuerat: sic per longioris æui tempora vestis illa integra manet, cuius apud Deum merita semper indefecta perdurant.

6. *Idem in vita Sancti Albani martyris 22. Iunij.* Pannus, quo sacrum eius corpus trecentis, & quinquaginta annis obuolutum fuerat, instar niuis candidus & planè incorruptus erat.

7. *Idem in vita Sancti Meinulphi diac. 5. Octob. de Badurado Episcopo.* Episcopus Baduradus, cui Meinulphus tanta fuit familiaritate coniunctus, vir multa virtute clarus extitit: virtutum eius hoc singulare quoddam documentum ad posterorum notitiam adnotatur. Cùm enim, vt aiunt, ab obitu eius anno vigesimo septimo, sepulchrum illius quadam ex causa aperiretur, indumenta, cùm quibus corpus eius humatum fuerat, tàm sana, & integra sunt inuenta, vt ne fimbria quidem dissoluta, vel corrupta videretur. Ex qua re pia manauit opinio, ea vestium, quæ tot annis humo obrutæ fuissent, incorruptione, certum præberi documentum, illum mentis integritate & vitæ puritate vitam sibi æternam conciliasse, ac promeruisse.

8. *In vita Sancti Macarij Patriarchæ Antiocheni.* Elapso post eius obitum anni circulo, cùm soror eius corpus sacrum decentiùs collocare vellet; vestes omnes, quibus fuerat inuolutum, prorsùs inuiolatæ pristino candore nitebant.

9. *In vitis P. P. de Sancto Hilarione cap. 38.* Post decem ferè menses ab eius obitu, aperto eius sepulchro, illæsa tunica, cuculla, pallium, & totum eius corpus quasi adhùc viueret, integrum inuenta sunt.

10. *In actis Sancti Meinuuerci Episcopi.* Ad miraculum vsque memoria dignum est, quòd casulam, seù pallium sacrum, quo anno Christi 1336. amictus sepulturæ traditur, ac humatur in crypta Sancti Stephani Protomartyris sub principali choro, atque ibidem trecentis & quadraginta annis in tumulo quieuit Beatus Meinuuercus Episcopus, nec vermes, nec putredo absumpserunt; nam etiam nùm in monasterio nostro hodiè visitur, quin etiam singulis annis quinta die mensis Iunij, quando Meinuuercus vita humana exemptus est, monasterij huius Antistes

in

in eadem casula summum peragit sacrum. Hinc extant versus, qui, vt tunc ætas tulit, compositi, cistæ ligneæ, quæ pallium custodit, præfixi sunt.

Vestis quam cernis, & præsens continet arca,
Meinuuerci egregij præsulis, ipsa fuit;
Vt nobis veteres C ter XLq. loquuntur,
Annis sic latuit corpus, & ipsa simul.

11. *In vita Sancti Attonis Pistoriensis Episcopi.* Centum & octoginta quatuor annis post eius mortem, integrum, illæsumque eius corpus, mitra, ac planeta, cæterisque sacerdotalibus indutum vestibus, inuentum est.

12. *In transl. Sancti Bernuardi Episcopi.* Casula serica Beati Præsulis, in qua tot annis, scilicet centum, & septuaginta duobus sepultus fuerat, adhùc recens, & incorrupta apparuit, cuius etiam tactu multi infirmi curati sunt.

13. *Iosselinus de Sancto Vualeno.* Anno tertio decimo ab eius decessu, panni, quibus eius corpus obuoluebatur, in eadem incorruptione, atque venustate, qua in die sepulturæ eius fuerunt, illæsi inuenti sunt.

14. *Signius cap. 2.* Corpus Sancti Eudocimi cùm vestibus integrum post diuturnam sepulturam est inuentum. Item post annos quadraginta S. Vuandregisilus cùm vestimentis integer est repertus.

15. *Alredus in vita S. Eduardi Regis.* Anno trigesimo sexto post S. Eduardi obitum, cùm corpus eius de terra eleuaretur, vestes, quibus indutum erat, recentes & incorruptæ adinuentæ sunt.

16. *Baronius an. 475. num. 19.* Vestes, quibus sepultus fuerat Sanctus Ferreolus martyr, multis post annis ab eius obitu, illæsæ incorruptæque repertæ sunt.

17. *Io. Buzelinus lib. 3. ann. Gallo-Fland. de corpore Sancti Amandi.* Vestimenta Episcopalia, queis obtectum erat corpus Sancti Episcopi Amandi, vnà cùm corpore, multis ab eius sepultura post annis, integra, incorruptaque adinuenta sunt.

18. *In Hist. Bauarica par. 1. libr. 19. num. 13.* Vestes Episcopales, quibus sepultum fuit corpus B. Bennonis Misnensis Episcopi, vltrà ducentos annos sub tellure ponè eius corpus absque corruptione illæsæ latuere, refossæque deindè durauerunt aduersùs omnem teredinem.

19. *In Chronicis Nouocomensibus.* Diù post sepulturam inuentum est Nouocomi corpus Sancti Amantij, diadema ex lauri folijs formatum gestans, ita recentibus, non secùs ac si tunc ex arbore decerpta essent.

20. *Manrique in Ann. Cistertiensibus an. 1167. cap. 7.* Cùm transferretur ann. 1624. corpus Sancti Idesbaldi, quinti Abbatis monasterij S. Mariæ de Dunis in Flandria, qui diem suum obierat anno 1167. Vestes eius recentes, & incorruptæ inuentæ sunt.

21. *In actis S. S. 4. Iannuarij, de S. Gregorio Episcopo Lingoniensi.* Cùm transferretur eius venerandum corpus post multos annos ab eius obitu, de ipso vestimento, quod cùm ipso positum fuit, nihil ostensum est diminutum.

22. *Ibidem 8. Iannuarij de Sancta Pega Virg. in Anglia.* Hæc Sancta Virgo, transactis sepulturæ Sancti Guthlaci eius fratris, bis senis mensium orbibus, volens corpus illius ad decentiorem locum transferre, vestimenta omnia, quibus inuolutum erat, intemerata, verùm etiam antiqua nouitate, & pristino candore splendebant.

23. *Ibidem 19. Iannuarij de S. Vulstano Episcopo.* Elapsis post eius obitum annis centum, dùm transferretur corpus eius, reperta sunt vestimenta eius Pontificalia integra, & incorrupta.

24. *Ibidem 28. Iannuarij ex Ribaden. de S. Iuliano Episcopo Conchensi.* Post multos annos ab eius morte, iuxta eius corpus palmæ ramus recens, ac viridis veluti primùm ab arbore recisus inuentus est: ad hæc, vestimenta integra, mitra è candida bysso auro intertexta, pedum, calix, & vrceoli argentei, & crux sacro corpori superposita.

25. *In actis S. S. Feb. tom. 1. in Continuatione Bollandi.* Post annos nouem sepulturæ Sanctæ Vuereburgæ Virginis, & Regis Merciorum filiæ, vestes, quibus inuolutum erat corpus eius sacrum, nitidissimæ, & sanæ, sicut primitùs induta erat, omninò apparuere.

26. *Ibidem in Martio tom. 3.* Linteamina, quibus inuolutum tempore exequiarum fuerat corpus Sancti Humberti Maricolensis in Cameracensi Diœcesi, nihil corruptionis in se habere, quandò exhumatum fuit anno 153. ab eius morte, omnibus patuit; sed & herbæ, quæ sepulturæ eius die appositæ fuerant, quas aut nullas esse pro temporum antiquitate, aut in puluerem resolutas putares, adeò viridæ sunt inuentæ, ac si terræ radicitùs inhærentes, irriguis aquis virescerent.

27. *Ibidem.* Vestimenta omnia, quibus sepultum fuit corpus Sancti Cuthberti Lindisfarnensis Episcopi, vndecim annis post illius obitum, non solùm intemerata, verùm etiam prisca nouitate, & claritudine miranda apparuerunt.

28. *Ibidem.* Anno 1666. in Eugubino Conuentu Fratrum S. Augustini in Vmbria, translatum fuit corpus B. Petri Eremitæ eiusdem ordinis, quod integrum, inuiolatumque fuit inuentum, cum eodem habitu vili & rudi, cùm quo ante tot annos primùm fuit sepultum, non absque insigni miraculo virtutis, ex ipso corpore ad vestem deriuatæ.

29. *In vita Sanct. Francisci Xauerij.* Carbasina veste, quam ille secùm in Sinas detulerat, eo consilio, vt illa gentis more amictus, Sinarum Regem adiret, quia viuus nunquam erat vsus, indutus est mortuus pro subucula. Ea ipsa, & si extincta membra tot menses proximè vestierat, viuæ quidem calce, vel humo obsita, tamen adeò integra visebatur, ac munda, vt eam modò illi iniec-

ctam diceres, & seruatam magis à corpore, quàm vlla ex parte læsam.

30. *Franciscus à Sancta Mar. in Histor. Carmelitana.* Incorruptio, quam seruauit corpus Sanctæ Teresiæ, communicata etiam fuit partibus vestium, quæ sacrum corpus tegebant, cùm cæteræ non tangentes, omninò putridæ consumptæque fuerint.

31. *In ann. Seruorum Cen. 3. libr. 3. capit. nono.* Cùm anno 1594. Fauentiæ statuissent Fratres ordinis Seruorum B. M. in meliorem locum transferre corpus Beati Iacobi Philippi eiusdem ordinis, eo quod miraculis coruscanti honorabiliorem sarcophagum Fauentini dicauerant; illud concurrenti populo admirationi fuit, quòd flores iam diù super eius corpus à pijs fidelibus ante 100. annos effusi, postmodùm perindè recentes inuenti sunt, ac si eadem die cùm proprio colore, & odore collecti fuissent.

32. *In. m. s.* Cùm Ann. Domini 1552. iussu S. Caroli Borromæi, Brixiæ translatum fuisset corpus Ven. Sor. Elisabeth Ardisi ordinis S. Augustini; folia, & flosculi, quibus cùm sepultum fuerat, adhùc virentes, viuidique apparuerunt, ac si tunc positi fuissent.

33. *In. m. s.* Vestes, quibus sepultus fuerat Ven. Augustinus à Biella ordinis Prædicatorum, post multos annos, incorruptæ, & integræ repertæ sunt, vnà cùm eius corpore.

34. *Chrysostomus Henriquez in fasc. de Ven. P. Ludouico de Estrada.* Cùm hic Ven. Præsul in alium locum transferre vellet corpus S. P. Martini primi Abbatis monasterij Hortensis, inuenit eius corpus tàm integrum, & Pontificalibus indutum, ac si eodem die sepultum fuisset.

35. *Idem de Beato Petro de Castronono martyre.* Ex sacris indumentis eius, quibus post multos annos ab eius morte coopertum inuentum est eius venerandum corpus, suauissimus efflabat odor.

36. *In actis Sanctæ Sauinæ Triss.* Cùm S. Carolus Mediolanensis Archiepiscopus aperiri iussisset sepulchrum Sanctæ Sauinæ, vnà cùm eius corpore incorrupto, adinuenta sunt ipsa crepidarum subera, linea, laneaque operimenta, nulla carie, aut vetustate exesa.

37. *Baron. ann. 821. de inuentione corporis Sanctæ Cæciliæ Virginis, & Martyris.* Vidi quæ in marmoreo monumento posita erat arcam cupressinam, qua sacra membra Cæciliæ claudebantur, operculo ductili clausam, eamdemque modicè læsam: vt vehementer fuerim admiratus, quomodò post octingentos septuaginta octo annos, potuerit arca lignea, humectante illam marmoreo, sui natura, sepulchro, subtùs terram absque vlla aeris participatione locata, ita integra, & illæsa seruari, & non penitùs tanta humiditate laxata, iam dissoluta marcuerit, sed fortis, solidaque persistiterit, vt absque læsione tangere, contrectare, amplexari quis eam pro arbitrio posset, & stringere, integrum adhùc vsum ipso eius operculo ductili retinente, vt ad ostensionem duci posset pariter, & reduci: quod sæpè sæpiùs fieri contigit pluribus diebus illis, quibus antequam eodem in loco, in confessione iterùm conderetur, dùm idem venerandum corpus intùs clausum quamplurimi videre cuperent, & venerari.

38. *Ioannes Eusebius lib. 2. de mirac. nat. cap. 74.* Memorabile aquæ incorruptæ exemplum extat in libro reformationis Stiriacæ, edito à R. D. Iacobo Præposito Steinixensi. Nam cùm commissarij, quibus hæreseos expellendæ cura missa erat, venissent Vueissenfelsiam, repererunt in templo Sancti Leonardi Baptisterium clausum plenumque aqua, pro vt ante viginti annos à catholico sacerdote impletum, consecratum, & occlusum fuerat. Cùmque Episcopus, Baptisterium reserasset, apparuit aqua illa tàm pura, munda, & limpida, ac si tùm primùm ex illimi, ac purissimo fonte fuisset hausta. Quod spectaculum non modò Episcopum, sed & totum circumstantem populum in magnam admirationem rapuit. Memorabilius aliquid affert Gretserus noster ex relatione quadam de Reginensium in Liuonia ad Lutheranismum defectione, vbi constantia quarundam monialium mirabiliter enituit, ex quibus vna nomine Anna Netkem aquam benedictam quadraginta integros annos puram prorsùs, ac illibatam conseruauit, & per eandem multis salutem attulit, non sine hæreticorum admiratione & fremitu.

39. *Petra Sancta de mirac. Perpet. capit. quinto.* Sanctus Ioannes Chrysostomus locupletissimus testis, aquam auguratam in celebritate anniuersaria Epiphaniorum à Christianis, ait, domum referri consueuisse; nec integro anno duntaxat, sed biennio etiam ac triennio absque corruptionis vitio perseuerasse, ob religionem videlicet, ac sanctitatem eius diei, qua Christus in Iordane per Baptismum contactu suæ diuinitatis aquam ipse initiauit.

40. *S. Gregorius lib. 3. Dialog. cap. 16. de Marcio Monacho.* Cùm eius discipuli ad vsum vitæ aquam de puteo haurire solerent; funis, in quo ad hauriendum aquam situla dependebat, crebrò rumpebatur. Vndè factum est, vt catenam, quam ex pede suo vir Domini soluerat, eius discipuli peterent, eamque funi adiungerent, atque in illam situlam ligarent. Ex quo iam tempore contigit, vt idem funis & quotidiè tingeretur aqua, & nunquam rumperetur. Quia enim catenam viri Dei funis ille contigit, ipse quoque ad tolerandam aquam, ferri in se fortitudinem traxit.

41. *Gaufridus monachus in vita S. Bernardi lib. 4. cap. 4. de pane ab eodem benedicto.* Neque illud tacendum, quòd ipsam quoque substantiam panis ab omni corruptionis iniuria eadem benedictio vendicabat, adeò vt plures viderimus, qui per septennium, & vltrà eosdem seruauerint panes, nec colore, nec sapore mutato. Ante hos paucos dies, venerabiles Abbates Girardus, & Henricus de Sueciæ partibus venientes, dùm super his conferremus, testati

testati sunt nobis, panem ante annos vndecim eius benedictione signatum, manere adhùc apud se penitùs incorruptum. Nec dissimile apud aliquos nostrum vsque hodiè nouimus, & apud alios multos credimus esse repositum.

42. *In vita S.Francisci de Paula*. Panis à S. Francisco benedictus, post octo annos, conseruatus est recens, & incorruptus, ac si à duobus diebus citrà coctus fuisset.

43. *Gregorius Turonensis de Glor. Confess. de S. Martino*. Grana vuæ ex vite, quam plantauerat S.Martinus, in aqua posita, multis sanitatem impertita sunt, & post quatuor annos adhùc viridia & incorrupta perdurarunt.

44. *Petra Sancta de miraculis perpetuis cap.12.* S. Sperandia Augubina, cùm in sterili, & niuibus horrido Brumæ tempore, operarijs fabricæ, quam incohauerat, pro mercede, aut præmio cerasa, procùl dubio ex Paradisi pomarijs semper frugiferis manu internuntij syderei delata, repræsentasset, ea quæ superauerunt, vt retinerent, ac referrent Soli perennitatem, ex quo fuerant decerpta, nunquam deinceps putruerunt.

Alia notabuntur, cùm de incorruptione Cadauerum, & sacrarum Exuuiarum.

APPENDIX AD CAPVT III.

Quædam perenniter incorrupta.

NOn hic de corporibus, aut sanguinibus integritatem, incorruptionemque adhùc diuinitùs conseruantibus; de his etenim in 2. tomo, cùm de Reliquijs; modò igitur solùm de alijs mixtis incorruptionis perennis munere diuinitùs dotatis. De quibus.

1. *Grets. ex Curopalat. pa. 236.* Aquam valdè turbidam Iordanis habet, sed salubrem, quæ in vase asseruata, numquam corrumpitur. Id autem incorruptionis donum accepisse à Christo in eo Baptizato, credendum est.

2. *Petra Sancta de mirac. Perpet. cap.17.* Aqua pro Baptismo inaugurata perseuerat longo tempore incorrupta, & tàm est etiam lympida, quàm si recens hausta ex fonte aut puteo esset. Hoc autem adeò fuit constans, & perpetuum, vt Græci olim ex hoc capite Latinis calumniam struere veriti non fuerint, eiusque spuriam fidem exprobare, falsamque, ac deprauatam Religionem, asserentes apud eos haùd manere incorruptam lustalem Baptismi aquam, in quo tamen Latinos à Græcis traduci falsò, Manuel Calecca palàm ostendit, cùm apud Latinos etiam sit, tot anni spatio expers corruptionis.

3. *Paulus Regius par. 2. in vita S. Aspremi cap. 5.* Neapoli quotannis benedicitur aqua ad honorem sanctæ Candidæ cùm reliquijs eiusdem; conseruaturque quodam in vase munda, & incorrupta toto anno.

4. *Franciscus Ballarinus par.3. Compendij Chonologici Nouocomi.* Aquam benedictam à contactu Sanctissimi Claui Domini nostri Iesu Christi, qui in Ecclesia S. Ioannis oppidi, vulgò *di Torno* propè Nouocomum piè colitur, numquam putrefieri obseruatum est.

5. *In.m.s.* Capuæ in monasterio S.Ioannis monialium S.Benedicti, piè colitur quædam pars subuculæ B. Virginis, quæ adhùc, licet multo tempore humido in loco conseruata, incorrupta, & illæsa seruatur.

6. *Euthymius monachus apud Metaphrastem de virginea Zona.* Laudatur Zona, quæ annos plùs nongentos illæsa, atque integra perseuerat, cui nequaquam infuscatus est color, quo vincit splendore niuem, talemque se videntibus exhibet, qualis ex manu prodiuit artificis; ea se cæli Regina, vt credimus, cinxit.

7. *In m. s.* Salerni in Ecclesia Cathedrali repeririuntur capilli, parsque vestis B. Virginis, quæ post tot sæcula, integra, & absque vlla carie miraculosè adhùc perseuerant.

8. *Aloysius Torellus in Hist. Augustiniana an. Christi 568.* In Diœcesi Bragarensi Regni Portugalliæ asseruatur venerandum caput S. Fructuosi monachi, super quod piâ deuotione quemlibet pannum reponentes populi, ex tali contactu, illum à corruptione mirabiliter præseruari, continua experientia, admirantur.

9. *Ioannes Robertus in vita S.Huberti Episcopi Tungrorum.* Belgis in more est, suos, si vel canis, vel rabiosæ cuiuslibet animantis morsum passi sint, ad S.Huberti Monasterium deducere, cuius in æde ritibus quibusdam adhibitis, & imposita intra frontis cutem, stolæ, qua Diuus olim vtebatur, particula, fit, vt ne rabie corripiantur. Illud verò mirabilius est, quòd licium huiusmodi stolæ intra cutem positum, neque in fronte putrescit, nec indidem egeritur, quemadmodum egeruntur, & putrescunt sub nascente noua semper pellicula quæcunque insiguntur.

10. *Io.Ludouicus Micquellus in obsidione Vrbis Aurelianensis.* Extat hic virga lignea, propter contactum corporis sancti Augustini (& si alij alias reddunt causas) incorruptibilis, & in paruas secta particulas, ab antiquo tempore nunquam diminuta, & pro magno pignore apud Eremitas B.Augustini asseruata. Huic aliquo modò affinem reputo pyrum illam arborem extitisse, sub quam sedebat olim Ioanna percelebris apud Aurelianenses virago, & Heroina toti orbi perindè, ac Galliæ nostræ spectatissima, cùm, vt Regem Carolum VII. Francorum Regem Christianissimum adiret, primò cælesti voce monita est. Mirum est, quòd illius loci accolæ affirmant, eam arborem, neque cariem, neque vetustatem sentire, neque fulmine tangi, neque pluuia, grandine, aut niue intingi.

11. *Aloysius Torellus in Hist. Augustiniana Anno Christi 388.* Trabs, quam in ædificatione templi Calariensis in Sardinia, miraculosè elongauerat oratione S. Augustinus, diruto postea illo templo, ob tanti miraculi memoriam conseruata fuit, adhùcque post mille plùsque annos incorrupta perseuerat.

12. *In. m. s.* In Ecclesia Cathedrali Brixiæ vsque in hæc tempora conseruatur integrum, & incorruptum

ptum Pedum ligneum S.Filastri Episcopi, qui mortuus est ann. Domini 385.

13. *Vghellus in Ital.Sac. Aquileienses Episcopi*. Baculus Pastoralis, S.Hermagoræ discipulo, & successori S. Marci in Aquileiensi Ecclesia, à D.Petro Apostolo datus, adhùc post tot sæcula incorruptus videtur.

14. *In.m.s.* Trabes, tegendo templo Monopoli B. Virgini ædificato an. 1075. necessariæ, quæ illùc prodigioso miraculo eiusdem B. Virginis appulsæ, in littore in ipso portu, ratis in formam (gentili lingua Madiam vocant) contextæ; sine nauta, sine remige adinuentæ sunt, adhùc incorruptæ, & sine carie conseruantur; quod prodigij loco ab incolis habetur, cùm aliæ duæ trabes in eodem laqueari tecto alijs miraculosè habitis, ex necessitate additæ, non semel mutatæ, obque cariem, illis aliæ subrogatæ sint.

15. *In.m.s.* Neapoli quotannis in die festiuo S.Antonij Abbatis benedicitur in eiusdem Ecclesia demortuus sus; cuius caro macra decocta pauperibus distribuitur; laridum verò absque vlla præseruatione, mirabiliter incorruptum conseruatur; distributum verò adustis ab igne, perestini, & mirabili euentu eisdem sanitatem impertitur.

16. *In.m.s.* Brixiæ in monasterio S.Crucis, asseruantur calcei Ven. Sororis Lauræ Mignanæ (ad quam dùm viueret sæpè scribebat S. P. N. Caietanus) adhùc incorrupti, nullaque carie læsi, licet plùsquàm centum ab hinc annis è vita decesserit.

17. *Petra Sancta in miracul. compar. capit. 35.* Baculus ille, quo S.Patritius innumera edidit miracula, in Hibernia, hodièque asseruatur in ciuitate Dubliniensi, & appellatur baculus Iesu: quia eum Christus Dominus Eremitæ cuidam tradiderat, offerendum, donandumque sancto Patritio, Romam eunti.

De imaginibus ligneis, carie diuinitùs non absumptis; vide in titulo de imaginibus tom. 2. sicuti, & multa alia, cùm de reliquijs incorruptis.

CAPVT IV.

De Admiranda integritate, diuinitùs quibusdam conseruata Mixtis.

§. I.

QVædam, licet naturaliter fragilia, adeò contra ictus aduersarios adamantina quandòque apparuere, vt admirabilem in eis diuinam inesse virtutem demonstrarint. De his.

1. *S.Greg.libr.2.Dial.capit.28. de S.Benedicto.* Tempore, quo alimentorum inopia Campaniam grauiter affligebat, vir Dei diuersis indigentibus monasterij sui cuncta tribuerat, vt penè nihil in cellario, nisi parum quid olei in vitreo vase remaneret. Tunc quidam subdiaconus, Agapitus nomine, aduenit, magnopere postulans, vt sibi aliquantulum olei dari debuisset. Vir autem Domini, qui cuncta decreuerat in terra tribuere, vt in cœlo omnia reseruaret, hoc ipsum parum, quod remanserat olei, iussit petenti dari. Monachus verò, qui cellarium tenebat, audiuit quidem iubentis verba, sed implere distulit. Cùmque post paululùm, si id quod iusserat datum esset, inquireret, respondit monachus, se minime dedisse: quia si illud ei tribueret, omninò nihil fratribus remaneret. Tunc iratus, alijs præcepit, vt hoc ipsum vas vitreum, in quo parum olei remansisse videbatur, per fenestram proijcerent, ne in cella aliquid per inobedientiam remaneret. Factumque est. Sub fenestra autem eadem ingens præcipitium patebat saxorum mollibus asperum. Proiectum itaque vas vitreum, venit in saxis, sed sic mansit incolume, ac si proiectum minimè fuisset, ita vt neque frangi, neque oleum effundi potuisset. Quod vir Domini præcepit leuari, atque vt erat integrum, petenti tribui. Tunc collectis fratribus, inobedientem monachum de infidelitate sua, & superbia coràm omnibus increpauit.

2. *Greg.Tur.lib.4.Histor. cap. 28. apud Baron. an.567. de Gelesuintha Regina.* Post eius obitum, Deus virtutem magnam ostendit. Lychnus enim ille, qui fune suspensus coram sepulchro eius ardebat, nullo tangente, fune disrupto, in pauimentum corruit: & fugiente ante eum duritiæ pauimenti; tamquam in aliquod molle elementum descendit, atque medius est suffusus, nec omninò contritus: quod non sine magno miraculo videntibus fuit.

3. *Seuerus Sulpit.Dial.3.de mirac. S.Martini.* Vas vitreum cùm oleo, quod Martinus benedixerat, in fenestra paululùm editiore depositum est: puer familiaris incautior, linteum superpositum, ampullam ibi esse ignarus, attraxit: vas super constratum marmore pauimentum decidit, cunctis metu exterritis, ne benedictio deperisset, ampulla perindè incolumis est reperta, ac si super plumas mollissimas decidisset. Quæ res non potiùs ad casum, quàm ad Martini est referenda virtutem, cuius benedictio perire non potuit.

4. *Vinc.Bell.lib.30.cap.135.de S.Antonio Vlyssiponensi.* Miles quidam à primæua ætate hæreticus, ad mensam sedens, de miraculis Sancti viri narrantes audiuit, qui subsannans, cyphum vitreum, quem manu tenebat, in terram ab alto proiecit, dicens: Si vitrum hoc Antonius conseruauerit integrum, hunc vtique credo Sanctum. Quo, licet ad petram colliso, tamen mirabiliter conseruato, mox erroribus abdicatis, fide perfecta credere cæpit Christo.

5. *In Chronicis Cassinensibus libr. 3. capit. 37.* Nocte, qua præcedebatur dies festus S. Patris Benedicti, dùm ad vigilias vnus è custodibus lampadem ante imaginem eiusdem Beati Patris dependentem reficeret: lapsa subitò lampas, in pauimentum cecidit, illæsaque permansit. Iterùm eleuata, iterùm cecidit: erecta tertiò; tertiò corruit: cùm trino casu nec fracta lampas, nec effusum oleum nec igniculus extinctus sit.

6. *Ibidem.* Cùm die quadam vnus è custodibus ante altare accensam lampadem vsque ad ipsa fermè eleuasset laquearia: repentè lapsa lampas, in paui-

pauimentum cecidit. Mirabilis in sanctis suis Deus: miraculo simili, nec fracta lampas, nec effusum oleum, nec ignis extinctus est.

7. *In vita S. Galli Abb. cap. 35. lib. 2.* Quidam frater, dùm in Ecclesia lucernas vitreas lauaret, alius quidam ibi incautè deambulans, cùm se aliò repente vertisset, quasdam iuxta positas, veste attactas, pauimento deiecit, ita vt violento eiusdem deiectionis impulsu, vsque in Ecclesiæ cancellos ferrentur: sed miro diuinæ operationis modo absque læsione repertæ, suis continuò, non sine admiratione, restitutæ sunt locis.

8. *In actis Alferij Abb.* Post eius mortem, lampas vitrea super eius tumulum fuit apposita, quæ plerùmque lapsa, non solùm frangi non potuit, sed quandòque vt erat plena permansit.

9. *In actis S. Adalberti Episcopi Pragensis.* Vna dierum, cùm Adalbertus fratrum mensæ apportaturus foret merum, offenso pede, corruit ipse super vias, & vas ingenti cecidit super mormora lapsu; audit à longè pater monasterij, cunctique fratres per ordinem, quomodo labitur ille heros, nescientes, quia hunc casum prosperrima aduersitas comitaretur, ita enim vas sanum, & vini portio non minuta reperitur, ac si nulla facta foret ruina.

10. *Surius de S. Vuilhelmo Eremita cap. 27.* Cùm nocte quadam more solito vocasset Albertum ad orationem, parua & tenuissima lampas iuxta tectum suspensa, casu in pauimentum corruit, commota propter murium corrosionem. Et ecce oleum perditum est, & effusum; sed mira Dei voluntate, vasculum integrum, & illæsum permansit. Quod natura habuit, olei monstrauit effusio, sed quod creator potuit, lampadis fragilis patefecit integritas.

11. *In vita Beati Roberti Cælestini cap. 6.* Perfecta Ecclesia, lampas vitrea in ea dependens oleo plena, & flammis coruscans, ab alto in pauimentum coram viro Dei, plerisque alijs adstantibus, decidit: quæ nec confracta fuit, nec oleum effudit, lumenque perdidit.

12. *Theodoricus in vita S. Elisabeth Reginæ Vngariæ lib. 3. cap. 7.* Cùm pauperum hæc nutricia, paruulis suis infirmis vascula fictilia, annulos vitreos, & quædam alia puerorum iocalia opportuna xenia, proprio pallio deferret, equo vecta de oppido supra castrum, omnia illa de rupe altissima prærupta ceciderunt. Quæ licet ad petram elisa, merito tamen deferentis, sana & integra omnia permanserunt; & ab ipsa sunt pueris pro solatio distributa.

13. *In vita S. Alberti Carmel. in menol. Carmel.* Orabat nocturno tempore, in Messanensi Cœnobio ad aram venerabilis Sacramenti, vti ei mos erat, Psalterium, lampadis luce splendente, legebat; Diabolus adest strepitu, rugituque, orationis feruorem, & lectionis attentionem perturbans (legebat enim psalmum, Eripe me Domine ab homine malo; & erat Dominicus dies) imperterritus, & nulla animi deiectione commotus, attentiùs Psalmum ipsum legebat; ira excandescit tentator, in lampadem fortiùs impingit, vt lumen extinguat, vt vitrum frangat, & oleo Psalterium commaculet. At nihil horum; Diuina occurrente potentia; vitrum proiectum non frangitur, oleum non effunditur, lumen non extinguitur, stat vitrum, quod & infractum in proprium locum lætus restituit Albertus.

14. *In actis S.S. Feb. tom. 3. in Continuat. Bollandi.* Candela, quæ ante Crucem, & corpus S. Constabilis Abbatis Cauensis quotidiè ardet, de summo cecidit, nec vitrum fractum est, nec oleum diffusum. Item vrceo vitreo vino pleno sæpè, & sæpiùs de sepulchro eiusdem in pauimentum cadente, nec vitrum fractum, nec vinum sparsum est.

15. *Ibidem in Martio tom. 3.* De trabibus Ecclesiæ, cui præerat S. Guidonus Pomposianus Abbas, ceciderat, oleo plena lampas, quæ nec læsionem pertulit, nec oleum effudit. Eiusmodi casum iam tertiò lampas perpessa, incolumis tamen in eadem hùcusque pendet Ecclesia.

16. *In vita B. Hroznatæ ord. Præmonstrat.* Eo iam in suo tumulo quiescente, accidit vt lampades vitreæ inter maius altare, & sepulchrum ipsius eminùs plenæ oleo pendentes, in terram ceciderint, & ad pauimentum lapide stratum allisæ, absque fractionis detrimento, integræ fuerint repertæ.

17. *Attonus Pacensis in vita S. Ioannis Gualberti, cap. 83.* Vna lampas ante sepulchrum eius à Priori tunc temporis constituta, quæ nocturnis horis accendebatur, per multos annos ibidem mansit. Quam plerùmque in terram corruisse, & semper illæsam mansisse, qui primum ista dictauit, cùm multis se vidisse profitebatur.

18. *Leander Albertus de viris illus. ord. Præd. lib. 5. de B. Iacobo Veneto.* Dùm per illos dies febrium ardoribus æstuaret, miranda res contigit. Nam is, qui ministrabat, supra caput iacentis, aquę ampullam, quam in promptu ad leuandam sitim haberet, locauerat. Volens autem B. Iacobus, vrgente siti, per noctem illam sumere, tremente manu, dùm illam quærit, ex alto in terram deiecit. Accedens nõ multò post minister, vas illud vitreum cernit cùm stupore deiectum, & integrum, & os habens terræ obuersum, ne gutta quidem aquæ effusa, & vt magis mirum esset, æstas erat.

19. *Bouerius in annal. Capucc. tom. 2. an. 1582. de F. Vito Hyrminiensi.* Huius viri obedientiam Deus Opt. Max. illustri facto commendare voluit, vt quantoperè ea præcelleret, agnosceretur. Quo tempore Tartarici conuentus ædificabatur, contigit, vt lectio in mensa legeretur, in qua de cuiusdam monachi obedientia agebatur, qui cùm ex Abbatis præcepto vas olearium è fenestra proiecisset, in perfectæ obedientiæ testimonium, nec vas confractum, nec oleum effusum fuit. Guardianus verò, vt viri obedientiam probaret; eo audito miraculo, protinùs ad Vitum: Quid, Vite (inquit) nùm, si hoc ipsum tibi præciperem, huius obedientiæ meritum assequerere? Cui Vitus; ego quidem, inquit, iussa absque cunctatione præstarem: Deus autem potens est, vt vas, & oleum, sicut olim, ita & nunc integrum seruare. Age igitur, (ait Guardianus:) lecythum illum oleo plenum è fenestra proijce; vt qualis tua obedientia sit, nobis innotescat. Mox Vitus, arreptum lecythum è fenestra præcipitem dat: qui cum ex alto emissus, in saxa im-

impegisset; nihil tamen ab his læsus, ac ne guttaquidem olei effusa, integer à fratribus reponitur. Id porrò factum, cùm Guardianus, ac tota fratrum familia, haùd absque admiratione conspexissent, Dei benignitatem, qui suorum etiamnùm obedientiam miraculis illustrat, summis laudibus efferunt.

20. *Sylos in vita Ven. Francisci Olympij lib. 1. cap. 16.* Gabriel Maria, Ioannem Baptistam Galucium ex nostris comitabatur, dùm Neapoli, S.Martinum, non longè Beneuento oppidum, peteret. Curru vehebantur; ac dùm irent, nescio quonam equi metu, aut œstro perciti, impetu fugam arripiunt. Non rectoris peritia, ac vis, non accurrentium voces valuere, vt sisterent: raptare per summa per ima currum penè effractum. Dùm desilire Gabriel tentat, fallente gradu, interceptus rota est; & quòd altera subindè, eodem impetu acta, insequeretur quadriga, obtritus iterùm rotis currentibus: adeò vt nullus dubitaret actum de eo esse. Ille, Ven.Franciscum Olympium, eiusque extemplò fidem implorauerat: eòque dùm alij commiserantur, accurruntque, surgit ipse incolumis, atque integer. Verùm quòd per eam corporis partem currus transierat, vbi is gestare sanguinis ampullam eiusdem Ven. Francisci solitus erat, nihil antiquiùs habuit, quàm explorare, an illi benè esset. Mirum dictu: ampullæ thecam, quæ ex stanno erat, diffutam diffractamque comperit, vitrumomninò incolume.

21. *In vita S. Catharinæ Senensis 29. Aprilis.* Pauper quidam, sed qui sua sponte bonis temporarijs se nudasset propter Deum, rerum ad victum pertinentium penuriam patiebatur. Percepit id sacra Virgo, & aliquot oua coniecit in sacculum lineum, tunicæ ipsius intrinsecùs assutum, vt in illo paupere, Christum reficeret. In via autem, ingressa templum, orationi se dedit, & extasim passa, casu incubuit corpore in sacculum illum ouis plenum. Erat autem in eodem sacculo digitale æreum. Ecce tibi rem omni admiratione dignissimam. Digitale illud pondere virginei corpusculi fractum est in tres partes, oua prorsùs integra manserunt, cùm tamen aliquot horis illud pondus sustinuissent.

22. *Rupertus in Exod.l.2.c.10.An.Dom.*1111. Leodij Vrbe præcipua Belgij, & retinentissima Orthodoxæ fidei, in Paschatis festo, exsilijt ex corpore lorum cinguli, ligatura integra intactaque, Ruberto Monacho, qui postea obijt Tuitiensis Antistes: dùm is meditaretur; ecquonam pacto, prodire Christus resurgens, ex clauso Tumuli marmore potuisset? & tùm vox lapsa de Cœlo, Mysterium versiculo reserauit.

Sic potuit clauso Christus prodire Sepulchro.

23. *Thomas à Kempis in vita S. Liduuinæ Virg. p.2. c. 27.* Cùm defuncta esset, & nudata pro sepultura, reuestiri deberet, inuenerunt, qui aderant, circa scapulas eius ferreum cingulum, à corpore eius solutum, modo hominibus ignoto: sed integrum in rotundum, & à vinculis ligaturæ suæ non solutum.

24. *VVichmans in Apotheca Spir. Pharm. cap. 72.* Confidebat in Euangelio firmiter S.Bonifacius Magontinus Archiepiscopus. Qui semper Euangelium Christi apud se gestabat, quod etiam pro spirituali clypeo sicario caput sibi fidenti obiecit. Sed ecce miraculum; licet codex ense acuto per medium sectus esset; nulla tamen littera ea sectione abolita fuit, vt etiam hodiè videre licet in eodem ipso codice.

25. *In vita B. Coletæ Virg. cap. 55.* Quædam ex eius sanctimonialibus, cùm aliquandò iuisset allatum in eius vsus aquam, secùm tulit codicem, quo Coleta vti solebat. Is verò imprudente illa lapsus in aquam, vsque adeò corruptus, & madefactus est, vt prorsùs inutilis putaretur. Doluit igitur non mediocriter soror illa, & quid ageret, prorsùs animi dubia erat. Tandem abiecit se ad pedes matris Coletæ, dicit, quid acciderit, ostendit codicem madefactum. At illa videns eam tam miserè dolentem, pio affectu consolatur eam: Noli inquiens timere filia, non enim perditus est codex, moxque eum accepit in manus suas prorsùs inutilem: sed simulatque tetigit eum, totus siccus, pulcher, & illæsus apparuit, à latere dumtaxat quodam remanente vestigio, in tanti miraculi memoriam.

26. *Vading. in ann. an. 1406. de eadem B. Coleta.* Accidit quodam tempore vt Dæmon extingueret lampadem, & illa rursùs eam accenderet: tandem igitur vt eam perturbaret importunissimus satan, effudit oleum in codicem, vndè legebat Psalterium, quæ res non parùm eam afflixit, tùm quòd codex esset perditus, tùm quòd needùm complesset preces. Altera luce tradidit codicem Confessario suo, conquesta ei, quòd accidisset, sciscitansque num qua ratione posset reparari. At Confessarius acceptum librum, comperit ex Dei munere penitùs illæsum: quæ res maximam Coletæ consolationem attulit.

27. *Stephanus Menochius par. 6. Variorum.* An. Domini 1631. die 23. Iunij, quidam venerabundus accessit ad æneam statuam D. Petri, quæ in eiusdem Ecclesia Romæ colitur, & fortuitò impellens in lampadem accensam, oleum effudit, palliumque totum perunxit: rubore circumfusus, rogauit S. Apostolum, vt eum à tanta confusione liberaret. Et ecce illicò omnes maculæ, quas ex effuso oleo contraxerat pallium, mirabiliter euanuere; Quod prodigium ipse sequentibus versibus eidem imagini ab ipso deffixis demonstrauit.

Inscius impello demissum vertice Lychnum,
Cùm fixi plantis oscula Petre tuis.
Nec mora: præpinguis perfundor totus oliuo,
Quaque tegor fœdo vestis odore madet.
Dum pudet, & sordes, vt pellas anxius oro,
Diffugere omnes, te tribuente, notæ.
Quid mirum maculis purges si pallia, turpem
Cui vitijs animam tergere posse datur?




Fra-

Fracta quaedam mixta, diuinitùs integritati restituta. §. 2.

EAdem virtute, qua fragilia propria in integritate conseruantur, etiam fracta, diruptaq; pristinae restituta fuere integritati: De his.

1. *S. Greg. lib. 1. Dial. cap. 7. de Nonnoso Praeposito*. Quodam tempore, cùm idem vir venerabilis lampades vitreas in oratorio lauaret, vna ex eius manibus cecidit, quae per innumeras partes fracta dissiluit: qui vehementissimum Patris monasterij furorem timens, lampadis protinùs omnia fragmenta collegit, atque ante altare posuit, seque cùm graui gemitu in orationem dedit. Cùmque ab oratione caput leuasset, sanam lampadem reperit, quam timens per fragmenta collegerat.

2. *Idem lib. 2. Dial. cap. 1.* S. Benedictus, cùm adhùc esset puer, capisterium (vas scilicet rusticum) in duas partes fractum, propter quod lachrymabatur eius nutrix, facta oratione, ita integrum restituit, vt in eo fracturae nullum vestigium appareurit.

3. *Raderus in Bauaria sacra, de S. Sebaldo Peregrino*. Hic redintegrauit vitrea fracta; non ope humana, sed planè diuina.

4. *Caesarius lib. 10. cap. 14.* Fuit in Hemmenrode Conuersus quidam bonus, Euerhandus nomine, custos mediae portae. Hic aliquandò egressus cùm Fratribus carpentarijs tempore hyemis in syluam, eorum vtensilia custodiebat, & cibaria praeparabat. Vna dierum, cùm solitò tardiùs surrexisset ad vigilias, egressis fratribus ad laborem, ipse orationes suas accelerabat, vt illis pulmentaria tempestiuiùs praeparare posset. Inter orandum, apposuit ollam aeream foco, sed aquam oblitus est infundere, post horam, olera impositurus, inuenit ollam candentem, subitòque turbatur, & factus sine consilio, vt subueniret ollae, aquam frigidam infudit: at illa, vt suae naturae est, statim dissiliendo confracta est: aliam verò ollam, in qua laborantibus cibum procuraret, non habens, genua ad orationem flexit, & cùm lachrymis Deum suppliciter, implorauit, vt misericordiam, & consilium sibi daret, quatenùs pro nomine suo laborantes, expectato non priuarentur edulio. Deus Dominus humilitatem ministerij eius attendens, orationem eius exaudiuit: qui surgens ab oratione, ollam eamdem iuxta se integram conspexit stantem. Gratias igitur agens Deo, ollam arripuit, aquam infudit, ignibus admouit, olera imposuit, & ea quàm velociùs potuit coxit. Quibus sufficienter decoctis, horam tertiam significauit; & fratres oratione completa ad reficiendum consederunt.

5. *S. Pet. Dam. de vita S. Odilonis*. Aliquandò Imperator Henricus dùm apposita mensa discumberet, vas illi holouitreum valdè pretiosum, & Alexandrini operis arte compositum cùm tritis est pigmentis allatum. Mox aduocat duos aulae regiae Capellanos, Albericum videlicet, & Landulphum, quorum alter Cumanae, alter verò Taurinensis Ecclesiae postmodùm Episcopi facti sunt. His itaque vasculum tradidit, & per eos beato viro Odiloni odoriferi nectaris xenium destinauit. Quod profectò vasculum Capellani sancto viro, pro vt decebat humiliter offerunt, ac pro eo postmodùm redituri, ad Regis interim conuiuium reuertuntur. Paulò verò post, sicut humanae curiositatis mos est, vt noua quaelibet & insueta inhianter aspiciat, caeperunt Monachi praefatum vas sub admirationis intuitu contrectare, & de manu in manum solenter inspiciendo transponere; cùm ecce de manibus incautè se tenentium labitur, & vt fragilis est naturae, continuò fragitur. Quod mox vt vir sanctus accidisse cognouit, grauiter tulit, & praesertim clericis, qui reliquerant, paterna pietate condoluit; ne videlicet Augustum innocentes offenderent, & non modò iacturam gratiae, sed & regij motus periculum substinerent. Mox ergò cùm fratribus Ecclesiam pius Pater ingreditur, & ne hi, qui erant immunes à culpa, motum regiae indignationis incurrant, orationibus, & psalmis incumbens, clementiam diuinitatis implorat. Iam igitur oratione completa, Vir Dei fractum sibi vas iubet afferri. Manibus contrectat, oculis vndique subtiliter inspicit: & ecce nulla prorsùs in eo fracturae vestigia deprehendit. Tunc indignatus in fratres, eos cùm austeritate redarguit, cur vas conquererentur confractum, quod omnino permanserat illibatum. Illi verò vehementer attoniti, tam euidentis ostensione miraculi, & austeritatem corripientis libenter accipiunt, & ad referendas omnipotenti Deo gratias feruentiùs accenduntur.

6. *S. Anton. 2. par. Chr. cap. 5. tit. 9. §. 6. de S. Donato Episcopo Aretino, & marty.* Quadam die cùm missam celebraret, calix sanctus confractus est, sed collectis fragmentis eius, qui vitreus erat, Sanctus Donatus sua oratione in formam pristinam redintegrauit, ex quo miraculo complures conuersi ad fidem baptizati sunt.

7. *Desiderius abb. Cassin. apud Bar. an.* 1049. Dùm quodam tempore Leo IX. venerabilis Pontifex, Ecclesiasticis intentus negotijs in Gallia moraretur, à quodam Abbate Monasterij sancti confessoris Christi Remigij ligneum poculum, benedictionis causa oblatum, suscepit; quod videlicet pro amore tanti Pontificis valdè diligebat, ac in eo refectionis hora, in mensa sedens, aureis, & argenteis posthabitis, bibere consueuerat. Igitur dùm quadam die ad mensam sedenti pincerna ex more poculum vellet porrigere: qua nescio negligentia, tenentis de manu cecidit, moxque confractum in partes est. Cùm denique beatissimus Papa bis, terque vinum requireret, & pincerna hac de causa venire differret, nunciatum est ei, quòd poculum, in quo bibere conserueuerat, de manu ferrentis decidisset, fractumque fuisset. Quod ille audiens; valde tristatus est, non tantùm damno scyphi, quantùm quòd vase de monasterio S. Remigij benedictionis causa accepto se frustratum cernebat; sibique astantibus, fractum, inquit, mihi scyphum afferre. Cùmque sibi alatum fuisset, cernens vtramque fracturam, omnipotentem Dominum deprecatus est, vt meritis beati Remigij fractum sibi scyphum, quem pro amore eius tantopere diligebat, restitueret: moxque alteram

ram partem alteri adsumxit. Sicque eodem momento solidatus est vt nullum in eo, quod fractus fuisset, inditium remaneret, cunctis, qui aderant, admirantibus, ac in eius veneratione acclamantibus. Ille non suis hoc, sed Beati Remigij meritis imputare cœpit, cuius de monasterio charitatis gratia id munus acceperat.

8. *Philip. Ferrar. Mense Iun. die 11. de S. Parisio monacho Camal.* Parisius Bononiæ honestis ortus parentibus, in ipsa infantia sanctitatis specimen dedit: nam cùm cyathum sibi ab ancilla ad potandum porrectum fregisset, illaque ob poculi pulchritudinem fleret, vasis illius fragmenta collecta, signo crucis integritati restituit.

9. *Idem 12. Augusti.* Cùm adhùc esset Diaconus S. Eusebius Episcopus Mediolanensis, & ad altare solemni die ministraret, calix ex chrystallo miro opere confectus, è manibus ipsius elapsus, comminutus est, quem collectis fragmentis, & in altari repositis, cùm Deo preces obtulisset ex corde, opemque à S. Laurentio lachrymis implorasset, integrum repentè recipere meruit.

10. *Pet. de Natal. lib. 9. cap. 117. de S. Pharone Episcopo.* Die quadam, cùm Chileno Pharo ad mensam sedebat, & vas vitreum vino plenum cadens in terram, confractum est: quod sanctus Chilenus reintegrauit, vinumque effusum adeò in vase recuperauit, quòd neque terra madefacta videretur; recuperatumque vinum Chilenus Pharoni præsentauit, & Pharo Deo gratias egit.

11. *In actis S. S. Feb. tom. 1. in cont. Bollandi.* Vas magni pretii fregerat quidam rusticus, cuius delicti in pœnam, morti eum condemnauerat Rex. Allata autem fragmenta S. Brigidæ Kildariensi Abbatissæ, ea precibus in integrum, pristinumque vas redintegrauit.

12. *Ibidem in Martio tom. 3.* Frater nomine Sergius custos Ecclesiæ, ascenderat tripodem, vt lampades luminibus accendendis aptaret, ex quibus elapsa manibus vna, in lapide pauimenti minutatim confracta est: collegit custos fragmenta, & ante altare deposuit, pergens ad Abbatem (S. Guidonem Pomposianum Abbatem) penitentiam acturus pro damno. Venia mox ab Abbate donata, in Ecclesiam rediit, ac lampadem redintegratam reperit.

13. *In actis S. Vuillebardi cap. 8.* Minister viri Dei vocabulo Aldo, qui alimenta procurabat magistri, quamdam habebat patenam ligneam, quæ vulgò scutella vocatur, quam iugiter mundam ac nitidam ad mensam ipsius coram eo ponere solitus erat. Quam præfatus minister quodam die casu fractam reperit. Tempore itaque refectionis, cùm vir Dei requireret, minister negligentiam, quæ contigerat nequaquam ei celare voluit; sed hanc fractam fuisse narrauit: quam ille ad se qualis erat statim deferri præcepit. Sed minister ad locum vbi iacebat rediens, quam antea fractam reliquerat, ac si nihil vnqnam detrimenti habuerit, integram reperit. Quam allatam coram ipso lætus ac hilaris posuit, qui antea tremebundus, & pauens, iram iustæ correptionis pertimuit. Quod ob gratiam Sancti viri cælitùs factum non dubitatur; quamuis ipse elationem fugiens, magis in abscondito, quàm publicè id fieri cupiuerit.

14. *In actis S. Stephani Episcopi Calatini apud Sanctuarium Capuæ.* Quodam die celebratis ab ipso Resurrectionis Dominicæ missarum solemniis, contigit, vt quidam clericus, calicem, in quo diuina fuerunt pertractata mysteria, tergendum acciperet, interq; manus eiusdem frangeretur (erat enim calix vitreus more illorum temporum, quo vitreis calicibus sacerdotes vtebantur) cùmque id sanctum Episcopum non lateret, ad locum accedens, rem casu gestam diligenter examinans, iussit partes calicis exhiberi, quibus allatis, fudit ad Dominum preces, statimque visus est firmus, & integer, vt priùs erat. Quo miraculo astantes obstupefacti, Deum in sancto magnificabant, ipsumque maiori veneratione prosequebantur.

15. *In actis S. Marcellini Episcopi Ebredunensis.* Cùm semel ad conuiuium, quemdam Gentilem admisisset, casu puer, cui pincernæ officium erat, dùm calicem plenum Gentili illi ad medium ferè conuiuij obtulisset, de manu eius corruens, totus comminuitur. Quod prospiciens S. Episcopus, vt ethnicum ad fidem conuerteret, rogauit Dominum pro integritate calicis. Et ecce mox ad eius orationem, omnes illæ particulæ resolidatæ sunt, ita vt per totum illud conuiuium, & deinceps calix ille quotidiano usui deseruiret.

16. *In vita S. Alberti Carmelitæ.* Eo tempore, quo vir beatus egit Prouincialem Siciliæ, quandoque voluit visitare prouinciam suam. Solebat autem cùm scipione ingredi, & socium habebat, qui ferret vas fictile, in quo erant panis, & aqua, vndè in itinere sustentabantur: accidit autem quodam tempore illis iter facientibus, & iam ad monasterium quoddam appropinquantibus, vt socij eius negligentia, vas illud in terram caderet, & in multas particulas frangeretur. Ea re valdè consternatus frater ille, non audebat ad virum Dei propiùs accedere. Id spiritu cognoscens vir sanctus, vocat illum ad se, rogat cur solito tardiùs, & remotiùs sequatur, & quid habeat, vndè tàm mæstus sit: ille rem omnem tremebundus exponit, iubetque vir beatus, vt particulas omnes contriti vasis ad se apportet. Abit ille vt vas adferat: & ecce cernit illud suæ integritati restitutum, & aqua plenum. Itaque incredibili affectus gaudio, fert illud ad virum Dei, & porrò cùm illo cæptum iter conficit.

17. *Antonius Daza in vita B. Ioannæ à Cruce, cap. 6.* B. Ioanna à Cruce ex Seraphico ordine, dùm aquam è fonte exhauriret, vas in terram delapsum, confractum remansit: at B. monialis, flexis genibus feruentique oratione Deum deprecata, meruit illicò integritatem deperditam vasi restituere.

18. *In lib. 5. de viris illust. ord. Prædic. de Augustino de Biella.* Claruit adhùc viuens ingentibus miraculis; inter cætera, vrceum fractum, vino effuso, puero lachrymanti cùm vino integrum restituit.

19. *In vita B. Coletæ cap. 54.* Si esset in locis, vbi crassiores erant aquæ, minùsque puræ, in vitreis vasculis eas sanitatis causa, ad ignem apponebat, vt

vt bullirent. At impurus cacodæmon vitæ eius asperitatem, & fructum, quem afferebat, ferre non sustinens, cùm illa quandoque acerrima cruciaretur siti, & aqua eius ad ignem bulliret in vitro, arrepto baculo, percussit vitrum, & in centum, atque eò ampliùs frusta comminuit. Id verò illa tulit patientissimè laudans Deum. Euenit autem indè res admiratione digna. Collegit enim illa fragmenta vitri, & sublatis in cælum oculis, Deum orans, mox vidit illud sanum, & integrum, vt ante fuerat. Bis quidem ita fractum fuit à Satana vitrum, & bis Coletæ precibus redintegratum.

20. *In annal.min.an.1252.num.6. de Rosa Virgine.* Adhùc puerula, alias ad puteum aquarum comitata iuuenculas, casu fractam amphoram cuiusdam ex virgunculis, miro modo integram restituit, non aliter quàm sanctus Benedictus fractum suæ nutricis capisterium. Nam tenerè compassa flenti puerulæ, coniunctis amphoræ fragmentis, cùm lachrymis orauit, & confestim vasculum ita restitutum est, vt nulla superfuerint rupturæ vestigia.

21. *In annal. Capuc.1587. de B.Felice à Cantalicio.* Accidit aliquandò, vt dùm vir Dei cucurbitam, vino plenam, ex humero deponit, ea in solum delapsa, duas in partes diuisa, ac perfracta fuerit; ex qua cùm vinum vndique efflueret; is statim ambas cucubitæ partes vtraque manu comprimens, perindè ac si eas copulare vellet, ita integram cucurbitam præstitit; vt ne vllum quidem confractionis signum in ea relictum fuerit.

22. *Ibidem an.1555. de F. Luca Narino.* Contigit aliquandò, vt vrceoli vitrei, qui missæ ministerio inseruiebant, Aeditui incuria humi excidentes confringerentur: Aedituus verò eò magis eorum lapsu cruciabatur, quòd alij eorum loco subrogandi haùd sibi eo tempore superessent: quod cùm viro Dei, qui etiamnùm eo manè missam celebraturus erat, renuntiatum fuisset: Aedituo inquit: Quid turbaris modicæ Fidei? Vrceolorum ad me fragmenta adfer; quæ cùm simul suis locis aptè copulasset; signo crucis adhibito, integros illos Aedituo restituit; ac paulò post ad missæ celebrationem accedit.

23. *Ibidem an.1566.* Hoc anno in conuentu Aletij, qui Rudiorum appellatur, nouitius quidam Laicus, simplicitate, & obedientia præstans: dùm fabas ad fratrum refectionem igni coquēdas curat, fortè accidit, vt olla fabis referta, nimio vel calore, vel vetustate dissoluta, in duas partes discinderetur, fabæque turris instar in medio integræ consisterent. Nouitius verò, cùm mente confusus, quid agendum esset, ignoraret; statim ad fratrem Modestum à Nuce, tunc nouitiorum magistrum, qui in Ecclesia orabat, confugit; eiq; quid ollæ acciderit, narrat. At Modestus, vt Nouitij obedientiam experiretur. Festina, inquit, vtramque ollæ partem coniuge, aquamque in ollam infunde, quæ fabis coquendis sufficiat. Pergit Nouitius dicto obediens, magistri præceptum implet: ambasque ollæ partes eodem loco connectit; quæ statim ita inter se agglutinatæ fuerunt; vt prioris fractionis nec signum quidem relinquerent: aquam infundit, fabæque ad perfectam coctionem pertingunt. Idque Nouitij obedientia meruit; vt quòd humana virtus assequi nunquam potuisset, Dei potentia repararet. Id, alij quoque magistri, qui pietate eximius fuit, sanctimoniæ adscribendum volunt. Verùm id vel à Nouitij obedientia, vel à Magistri iubentis sanctitate, vel ab vtroque profectum fuerit; vtrobique Dei gloria extollitur.

24. *Franciscus à S. M. in Hist. Carmelitana tom. 1. lib. 2. cap.13.* In conuentu Malagonensi Discalceatarum S. Teresiæ, cùm, aut casu, aut Dæmonis opera olla, in qua totum pulmentum pro monialibus continebatur, fracta esset, profusumque pulmentum; hoc malè ferens coquinaria, sistit ad pedes Crucifixi, illiusque implorat opem; & illicò exauditur, iussaque ad coquinam reddere, omnia in pristinum reddacta, pulmentumque optimè conditum inuenit.

25. *Andreas Rota in vita Ven. Pudentianæ Zagnonæ cap. 22.* Dùm consuetis doloribus detineretur Ven. Soror Pudentiana Zagnonia ex tertio ordine S. Francisci, à quibusdam monialibus varios fructus crystallino in vase dono accepit; quos dùm illius soror è vase, vt illud latori restitueret, amouere studet, fortuitò tres in partes discinditur vas; cuius euentus dolens puella, illicò ad virginem crystallina frustula detulit, illaque Deum orans, statim pristinæ integritati fractum reddidit vas, dolentisque puellæ animum serenauit.

26. *In vita Ven. Iacobi Stephanij Cleri. Reg. ex testimonio cuiusdam nobilis Florentini, qui de eodem sic ait, cùm simul iter fecissent.* Constantinopolim vehebamur; & Pater D. Iacobus Stephanius, in secessu puppis, B. Mariæ Virginis horarias preces græcè reddebat: cùm tamen numquam græcè didicerit: sed dùm quatitur nauis, ab ingentibus fluctibus verberata, procidit Pater, & vitreum atramentarium labitur, & frangitur minutatim: ipse accurro: vitri frustulas, & minutias, quæ quidem plurimæ erant, omnes in lance colligo; querebatur pater, se comitem suum amisisse: sed tamen peragit signum crucis; quo statim particulæ illæ redintegrantur, & atramentarium, quale erat antea, restitutum est.

27. *Vincentius Belua. in spec. Hist. lib.10.cap. 39.* B. Ioannes Apostolus, fractas gemmas iussu Cratonis Philosophi colligens, in manuque sua ponens, inuocato nomine Domini, in testimonium fidei, quam prædicabat, ita in vnum consolidauit, vt nec signum aliquod de eo quod fractum fuerat remaneret.

28. *In vita S. Angilberti abb. Centulensis.* Perfecta structura maioris Basilicæ, cùm in eadem marmoreæ columnæ ad ornamentum templi erigerentur, vna ex illis decore, & magnitudine præstans, inter manus erigentium collapsa decidit, & confracta est; quod S. Angilbertum, fratresque cunctos mærore affecit. At beatus Abbas à cibo, & potu se abstinuit, & cilicio indutus pernox in oratione iacuit. Media nocte Angelus Domini magno splendore circumfusus astitit, & columnam tangens, eam integritati restituit, & cùm cæmentarii manè ad opus venissent, eam non solùm integram

tegram, sed etiam suo loco impositam, & stantem inuenerunt,

29. *In actis B. Margaritæ Hungaricæ Virg. apud Bollandum* 28. *Ian.* Cùm frater quidam suis precibus nollet aquiescere, vt maneret, & in crastino prædicaret; orationibus eius, nullo tangente fractus est currus Fratris, & sic coactus est remanere. Facta vero prædicatione rogauit Virginem, vt currum sibi restitueret: orauit cùm lachrymis, & statim currus, nullo tangente, sed multis videntibus fuit diuinitùs reparatus. Simile quoque contigit aliàs cuidam fratri, qui manere renuens cùm vsque ad finem villæ processisset, oratione Virginis fractus est currus, & eius, prædicatione facta, reparatus.

30. *In vita B. Adelini ap. Hugonem Menand, cap. 1. obses. in Feb.* Quodam tempore taurus petulcus mulieris cuiusdam fores ita grauiter perculit, vt eas infregerit: illa clamore in cælum sublato, tugurij casum lamentabatur. At vir Dei illam blandè allocutus, signo crucis edito, fores integritati restituit.

31. *Burcherius apud Torrigium in Cryptis Vaticanis.* Cùm semel à latronibus Clauis, quam S. Petrus Apostolus oranti S. Seruatio Episcopo Tungrensi dederat, sublata fuisset, & in quodam dumeto fracta, in partesque discissa inuenta fuisset, nunquam opera, industriaque artificum vniri potuit; quod tamen diuinitùs factum fuit, dùm super altare Sancti per totam noctem orantes reliquerunt.

32. *Francisc. Haraus in Annal. Ducum Brabantiæ, in Pipino Reg. de S. Gummaro.* Hic cùm ad limina Apostolorum tenderet, arborem ad vsum tentorij succisam, importunè cùm eo expostulante arboris domino, suis precibus in integram restituit, ac dehinc diuina admonitione intra Nethæ ambitum iubetur oratorium construere, vbi vitam in multa sanctitate finiuit.

33. *Ferrarius in catalog. S. S. 24. Octobris.* Cùm Semel B. Io: Angelus ordinis seruorum, racemum ex vicina vite abstulisset, idque fratres indignè ferentes audisset, illum in eumdem locum retulit; qui sic viti copulatus est, ac si nunquam fuisset abscissus.

34. *Ludouicus Granatensis de Symbolo fidei, pa. 2. ser.* 10. Quidam Centobrigensis incola, vel (vt nunc loquimur) Setubalensis, ex nobilium, & clarorum ordine, ac numero, cùm vellet ire piscatum, famulum arundinem expedire iussit, qua ad illud munus egregiè vtebatur; cæterùm mulier, dùm cannam diù intermissam, à puluere, & sordibus perpurgare studet, extremam alteram partem, quę acutior est, atque subtilior, figit in terra, manuque premit ita grauiter, vt ex geniculato illo calamo, duo frusta digitali vtrumque magnitudine, distracta arundine, disilirent. Militis ipsa vxor, quæ præsens erat, casu perculsa, deque mariti iracundia, & offensione valdè sollicita, ad sanctissimam Dei Matrem confestim confugit; maritus ex ipso ædium atrio arundinem festinam efflagitat; ruptam fractamque famuli deferre parant: quid enim agant, ex foribus vociferante iam hero, & moram dutiùs accusante. Ergo qualis erat, talem assumunt, lentè properant, timore retrahente, cunctabundique descendunt: mirabilis in sua matre Deus, & in sanctis suis admirandus, arundinea illa pertica, sine acumine & in exilitate confracta, priùsquàm domino ostenditur, anxiè petenti, diuinitùs integratur, & hero perfecta redditur auidiùs expectanti: eadem prorsùs est forma, quæ fuerat, adest contortum filum albi coloris, sectæ nexus, isque pulchellus.

35. *S. Ansel. Tract. de Passione S. S. Guigneri, & Soc. Mart. cap. 9.* Memorabile, & dignum relatione in eiusdem quoque fertur basilicæ S. Martyris constructione contigisse miraculum. Vnus quidam ex ijs artificibus, qui in opere laborabant, cùm in securi incideret, confracta, in duo frusta diuisa est. Turbatus homo, iurare cæpit, & obtestari, se in opere de cætero nihil facturum. Quod cùm audisset operis procurator, vir quidem bonus, qui pro Deo Basilicæ curam susceperat, & deuotè se mancipauerat obsequijs sancti, cœpit consolari hominem, & blandis tristem demulcere alloquiis: & accipiens frusta in nomine Iesu Christi, & fractionis ruinas coniungens, confestim meritis Martyris gloriosi compaginatum, & consolidatum est ferramentum, ita vt nullæ de cætero fracturæ vestigium appareret. Laudatur Deus in commune, & benedicitur, & homo, qui se de cætero nihil facturum iurauerat, tanto confortatus miraculo, fortior iam perstitit in opere.

26. *Cæsarius de B. Godescalco de Volmunsteym lib. 9. cap. 67.* Cùm die quadam, corporale, cum sacrista nostro extendisset ad poliendum, illudque per medium rupisset, custos illud complicans, in theca reposuit, postea autem illud explicans, cùm integrum reperisset, miratus est valdè, sanctitati prædicti sacerdotis illud adscribens.

37. *Ignatius de Nente in vita Ven. Sor. Dominicæ de Paradiso lib. 1. c. 43.* Curam domesticarum rerum dùm ageret Ven. Dominica, plurima oua, quæ collegerat, immundum animal obruperat: timēs igitur puella iram matris, & fratris, ad Beatam Virginem confugit: & ecce illicò oua omninò integra, illæsaque inuenit.

38. *Vuillelmus Malmesburiensis, lib. 2. de gestis Pontificum Anglorum, de S. Suuithuno.* Operarijs ad Pontem in Orientali parte vrbis faciendum, forte assederat, vt instanti præsentia suscitaret stimulos desidum incuriæ. Et ecce per pontem commeabat in ciuitatem fæmina commercij ferrens oua. Prosiliunt vndique (vt mox est eius generis hominibus) & petulanti excussu omnia oua ad vnum confringunt. Id non leue sanioris mentis hominibus visum, sed statim in notitiam Domini Episcopi delatum. Is ante se adductæ mulierculæ, annis, & pannis squalidæ, querelam auscultat, damnum suspirat, misericordia mentis cunctantem in miraculum excitat, statimque porrecto crucis signo, fracturam omnium ouorum consolidat.

39. *In an. minorum an. 1377. num. 12. de B. Thoma tertij ordinis S. Francisci.* Miles quidam præcepti Ecclesiastici de ieiunio quadragesimali contemptor, mitè reprehensus à B. Thoma quod publico

blico

blico scandalo carnes, oua, & lacticinia vetitis manducaret diebus, ouum, quod manu tenebat, proiecit in eius faciem. In vultu non est confractum, quasi reuerentiam exhiberet seruo Dei; sed in terram decidens ad pedes eius, sua fragilitate deperiit. Collegit tamen fragmenta Thomas, & nullo ruptionis remanente vestigio, integrum militi porrexit. Ad miraculum hoc obstupefactus, qui priùs iniuriam irrogauit, omnem detulit venerationem, promisitque emendare in quibus.

40. *Ibidem ann.* 1406. *de Beata Coleta.* Data aliquandò fuit Coletæ elegans quædam, sed parua tabula eburnea, quam illa valdè diligebat, propter pias imagines passi Saluatoris in illa expressas. Accidit autem, vt maligni Dæmonis opera frangeretur. Id illa conquesta fuit suo confessario, qui eam consolabatur, dicens, se curaturum, vt redintegraretur. Atque vt id fieret, abiit cùm tabula ad artificem quemdam, eius rei peritum. In ipsa autem via curiosè eam volens intueri, cùm priùs signum crucis fecisset, aperuit eam, & vidit prorsùs integram, & illæsam.

41. *Zachar. Bouer. in Annal. Capuccinorum Ann.* 1580. *de Frat. Andrea Burgundo.* Fr. Andreas Burgundus, sacerdos fuit eximiæ virtutis, ac pietatis vir: de quo id inter alia refertur. Quod cùm aliquandò sacra faciens, prolationem augusti, ac diuini carminis, quo caro Christi efficitur, absoluisset: nec dùm sacramentum, vti fieri solet, à populo adorandum extulerat, cùm secretorum tabella, quæ in inferiori Altaris gradu è regione collocata erat, casu delapsa, sacrificum panem medium secat. Hæret animo Andreas; & quid facto opus sit, haùd illi, in ea temporis angustia, menti occurrit. Hinc enim plebis scandalum metuebat, si confractam hostiam publicè adorandam proferret: nec minoris periculi, si ab ea efferenda abstineret, rem esse sentiebat. Quamobrem in biuio positus, Superiorem mox accensitum, quid in ea re sibi agendum sit, consulit: qui statim iubet, vt disiunctas Panis Eucharistici partes, rursùs inter se copulatas, populo adorandas proferat. Paret confestim Andreas: iam verò, vt quantùm illius obedientia ponderis apud Deum sibi vendicaret, cunctis perspectum esset, vix pars parti accedit, cùm diuina virtute, mox discectæ sacræ Hostiæ partes, tàm perfectè inter se coniunguntur: vt nullum in sacro pane prioris fractionis signum relictum fuerit.

Supradictis adiicienda viderentur Admiranda membrorum dissectorum reintegratio, & vnio; sed de his cùm de Admirandis circa Cadauera, & Reliquias.



APPENDIX AD CAPVT VI.

Quædam Admiranda circa integritatem Mixtorum, quorum perennia indicia.

VOluit Deus huiusmodi prodigiorum aliqua perdurare indicia, vt veluti ex vngue Leo, ita ex his veritas eorum, quæ olim euenere elucescat. Sunt autem.

1. *Baronius in ann. Ecclesiast. an.* 439. Illustre est in hoc genere, quod accidit catenis, quibus fuit alligatus S. Petrus. Nam cùm patrem earum dono habuisset Hierosolymas profecta Eudoxia Theodosii Imperatoris vxor, illæque delatæ essent Romam ad Pontificem Maximum, & collatæ cùm altera earum parte, quæ Romæ adseruabatur, contigit, vt se se mutuò tangentes mirabiliter coirent. Huiusmodi catenæ ita diuinitùs vnitæ, hodiè Romæ in Ecclesia S. Petri Apostoli in Exquilino monte conseruantur, ex iisque multa miracula prodeunt.

2. *Philippus Abb. Bonæ spei, in vita S. Amandi capit.* XI. Cùm S. Amandus consecraturus esset lapidem altare, dùm ministri mensam decliuem, & non benè dispositam accommodare volunt, defluxit in terram, & in duas partes subita diuisione dissiliit. Tunc beatus Amandus in Deo confidens facto signo crucis super marmor, reconsolidatum est in integritate pristini tenoris, & ad signum virtutis, signique memoriam, virgula subtilis in medio, loco scissuræ, tamquam lineare discrimen apparuit. Audæous igitur vir illustris ne tàm dignum opus vel vetustas absumeret, vel occultaret obliuio, prædictum marmor litteris iussit eminentibus insigniri; certo sensu continentibus, altare præsens B. Amandi fuisse ministerio consecratam.

2. *Surius in vita S. Althelmi Episcopi Schireburnensis* 25. *Maij.* Quodam tempore Roma secùm attulit altare ex marmore candido sex pedum crassitudine, quatuor longitudine, trium palmorum latitudine. Iam ad Alpes peruenerat, & iumentum illud ferens altare, ob itineris prærupta loca, cecidit, contritumque est iumentum, & altare in duas scissum partes. Id vt vidit vir sanctus, ad Deum preces fudit, & cùm benedictionem impertiisset, salus iumento reddita est, & mamor, non directa linea, sed flexuoso anfratu diruptum, redintegratum est: sed ita tamen, vt in miraculi memoriam, etiam nunc rupturæ eius vestigia appareant curiosiùs inspicienti. Fertur autem hoc altare marmoreum nunc esse in prouincia Somersitana, in quodam Canonicorum, vt vocant Prioratu.

4. *In m. s.* Propè Puteolos in Campania, in Ecclesia P. P. Capuccinorum adest statua marmorea S. Iannuarii, cui, vt fama est, cùm nasus ab impiis amputatus fuisset, postea capiti trunco adiunctus, statim illi taliter adhæsit, vt nunquam præcisum fuisse adhùc videatur, apparente solum in memoriam prodigii, signo vnionis.

5. *In m. s. de Vener. Francisco Olympio Cler. Regulari*. Neapoli apud nostrates adhuc videtur ampulla vitrea cùm sanguine Ven. Francisci Olympii, quæ vt supra narratum fuit, sub rotis currentibus quadrigæ, fracta eiusdem stannea theca, incolumis, intactaque permansit, in eaque apparet compressio à currentibus rotis facta, quarum violentiæ, ceù mollis cera cessit.

CAPVT V.

Mixta quædam, præter propriam naturam, grauiora, aut leuiora diuinitùs facta. §. *vnicus*.

INditam à natura quibusdam mixtis grauitatem, aut leuitatem, quandòque eisdem sublatam, naturæ Auctore imperante, compertum est. De his.

1. *Ruffinus in vitis P. P. libr. 2. capit. 30. de Ammone Monacho*. Quodam tempore cùm venissent ad eum quidam, probare volens animos ipsorum, dicit, dolium sibi esse necessarium, vbi aquam pro aduenientibus congregaret. Et cùm polliciti fuissent perlaturos se, vnus ex ipsis graue sibi duxit, dicens periclitari posse camelum suum, si ei tàm graue onus imponeret. Et ait ad alterum: Tu si vis, aut potes, defer, ego camelo meo parco, ne moriatur. Tunc alter; Mihi, inquit, vt ipse nosti camelus non est, sed asinus: Numquid potest, quod camelus portare non valet, asinus portare? At ille, Facito, inquit, vt voles, tu videris, ego enim non interimam camelum meum. Tunc ille, ego, inquit, imponam asino meo pondus, quod tu camelo tuo onerosum dicis, & merita hominis Dei facient, quòd impossibile est, esse possibile. Et ita impositum dolium asino suo, perrexit vsque ad monasterium hominis Dei, ita vt nec sentiret asinus se aliquid oneris portare. Quem vt vidit Ammon: Benè fecisti, inquit, in asino deferens dolium, collegæ enim tui camelus mortuus est. Et regressus, inuenit ita gestum, vt prædixerat famulus Dei.

2. *Moschus in Prato Spirituali capit. 190. de Abbate Brocha*. Cùm venisset vir ille ex Ægypto in Seleuciam, quæ propè Antiochiam est, inuenit extra ciuitatem locum desertum, quærebatque construere sibi in eo paruam cellulam. Quam cùm extruxisset, neque haberet vndè illam operiret, ingressus vrbem die quadam inuenit Anatolium, qui cognominatus est Curuus, Seleuciæ, & Antiochiæ vnum ex primariis, sedentem extra domus suæ limen, dixitque ei: Fac Domine charitatem, & da mihi ligna modica, vt tegam cellulam meam. Ille verò maximè indignans, ait illi: Ecce lignum, tolle, & discede; ostendens illi trabem maximam, quam habebat iacentem ante domum suam, de qua facta esset arbor nauis onerariæ quinquaginta millium. At illi Abbas Brochas: Benedic, & tollam illud. Dicit ei rursùs Anatolius stomachans, Benedictus Dominus, Apprehendit ille trabem, solusque leuauit de terra, & imposuit humeris suis, abiitque cum illa ad cellulam suam. Stupore autem percussus Anatolius in eo, quod factum fuerat, insigni, preclaroque miraculo, largitus est ei lignum illud, ex quo non solum cellulam suam, vt petierat, operuit; sed, & plurima alia ministeria exercuit.

3. *In vita Sancti Francisci de Paula*. In ædificatione suæ Ecclesiæ, trabem, quæ à quinquaginta validissimis operariis ferè contrectari poterat, brachiis in templi muros imposuit. Alia vice cùm quidam ex operariis, Ioannes de la Rocha nomine, suam detrectasset opem ad vehendas duas arbores, quæ à bouum iugis duobus vix poterant loco moueri, Sanctus Pater ad conuentum vnà cùm socio facillimo negotio transuexit; quoties autem grauissima pondera signo crucis inscripta, leuitauerit, vt facilè traherentur, aut deportarentur, enunciare difficillimum est.

4. *Ibidem*. Sepulchrum S. Francisci, è quodam ingenti lapide compactum est, quod quidem, licet aliquandò non potuisset à 18. iugis bouum loco moueri, facili negotio à paucis viris fuit in curru positum, & à duobus equis ex eo loco, qui distabat 15. miliaribus circiter, in conuentum transuectum est.

5. *Sanctus Patrus Damian. in vita Sancti Romualdi c. 48.* Aliquandò Sanctus Romualdus cùm operariis manens, nimiæ magnitudinis Ilicem in monte Petrano faciebat incidi. Quæ videlicet arbor in prærupto montis decliuio pendens, *in imo* vergebat. Rusticus autem quidam *paulò inferiùs* stabat. Cùm igitur præcisa arbor grauiter corruens per deuexum montis volueretur in præceps, mox repertum rusticum repentino impetu cæpit ad inferiora rotare. Cuncti protinùs dolentes exclamant, & iam non solùm esse hominem mortuum, sed totum quoque dilaceratum eius corpus existimant. Sed mira diuina virtus! ita mox sanus, & incolumis repertus est, ac si super eum non arbor, sed arboris folium cecidisset. Hinc iure perpenditur Sancti viri meritum, quantùm apud Deum pondus habuerit, in cuius conspectu grauissima arboris moles, pondus habere nesciuit.

6. *In vita Sancti Columbani Abbat. cap. 29.* Cùm Bobiense monasterium ædificaret Sanctus Columbanus, trabem, quam vix triginta, vel quadraginta plano terræ positam solo vehere valebant, cùm duobus, vel tribus, pro vt ardui callis meatus patebat, vir Dei accedens, suis ac suorum humeris immane pondus imposuit, & vbi antea pro asperitate itineris, libero gressu vix graderentur, onerati mox trabium pondere, festini gradiebantur.

7. *Petrus Maffeus in Hist. Indica libr. 2.* Cùm ad littus maris decem fere leucas tunc temporis distantis à ciuitate Meliapor in India, inusitatæ magnitudinis truncum aquæ deiecissent; illum Rex in vsum ædificii cuiusdam vehementer expetiuit; ideòque robusti primùm homines in cassum funibus, ergatisque amouere conati, dein adhibiti complures elephanti, cùm toto connixi impetu, nihil

nihil omninò proficerent, Sanctus Thomas Regi conditionem tulisse fertur, si truncum illum sibi ad templum vero Deo ædificandum daret, nullis machinis, nullo mortalium adiutore, se se protinùs eum ad vrbem attracturum. Cùm Rex, insanire videlicet hominem ratus, per ludibrium annuisset. Tùm Diuus Thomas zona, qua erat præcinctus, ad prominentem è caudice ramusculum annexa, signo Sancto facto Crucis, immanem stipitem facili ductu sequentem, vniuersa ad spectaculum effusa ciuitate, in ipso pomærio statuit, ibidemque defixa lapidea Cruce, vaticinatus est, cùm ad eum lapidem vsque pertingeret pelagus, tùm diuino iussu, è remotissimis terræ partibus candidos homines ad eadem, quæ ipse intulisset sacra restauranda, venturos; vt & accidit.

8. *Attonus Patensis in vita Sancti Io.Gualber. cap.* 50. Venerabilis pater transiens indè per alpes, venit ad locum, in quo tantæ arboris obstaculum ruerat, quòd multorum paria bouum, & hominum multitudo leuiter amouere non poterant: alia quoque via, rupibus obsistentibus, iter mutari non poterat: Vbi modicè conturbatus, quasi queritando, socio dicere cœpit. Heu quid faciemus? Et conuersus in precibus, cùm redire sibi graue videretur, nec procedere posset, diuinum auxilium humiliter obsecrabat. Tunc Vgo Plebanus Sancti Ioannis maioris, tentans si quem transitum inueniret, tandem aggressus molem arboris, leuauit in collo, cuius pondus, homines multi, nec multorum paria bouum (vt prædictum est) vllatenùs dimouerent, eamque sicut leue virgultum diù sustinuit, vt ipsemet sæpiùs testabatur; sicque transierunt illæsi venerandus Pater, prædictusque Plebanus. Quod miraculum incolæ terræ nunc vsque testantur, adijcientes actum esse in loco, qui dicitur ad Cellas veteres, non longè à Cœnobio Razolensi.

9. *Cogitosus in vita Sanctæ Brigidæ Virginis Scotæ cap.* 5. Arbor quædam grandis, & maxima, ad aliquem paranda vsum, ab iis, qui artificia exercere solebant in Silua lignari securibus excisa est. Ad quam conuentio virorum fortium propter eius molestiam, & ingentem molem, & loca difficillima, in quibus ramorum cùm fragore suorum ruit, vt deponerent, attraherent, & cùm multis bobus, & artificum machinis ad locum destinatum, vt necessitas rei poscebat, congregata est. Et cùm nec multitudo virorum, vires bouum, & variæ artificum artes, mouere vel trahere vllo modo possent eam arborem; recedentibus cunctis ab ea, per fortissimam fidem beatæ Brigidæ grano sinapis similem, (per quam fidem, vt magister cælestis organo Euangelicæ vocis docet, montes mouentur, & possibilia sunt omnia credentibus) eam grauissimam arborem Angelica virtute, per diuina mysteria, nullo mortalium auxilio leuantes, sine vlla difficultate ad locum, quem voluit S.Brigida, detulerunt, ac per omnes prouincias tanta diuinæ virtutis excellentia diuulgata est.

10. *In annal. Minor. ann.* 1336. *de Sancta Elisabetha.* Morti meditandæ, expectandęque se totam addixit. Vt autem huius certissimi omnium finis præ oculis esset spectaculum, fecerat sibi fabricari ex operoso marmore arcam sepulchralem, quam sub hoc tempore ingens miraculum fecit nobiliorem. Etenim verita, ne restagnans hybernis alluuionibus Menda fluuius, adlabens de more effusus, Diuæ Claræ templum, vbi sepulchrum extruxerat, inundaret, illud ad superiorem templi partem, vbi nouum ædificauerat odæum, medio pariete Sanctimonialibus, & externis, diuisum, transferri decreuit. Verùm nullis viribus, aut machinis fabri illùc prægrandem arcam attollere valebant. Quid desperatis, inquit Elisabetha, moliendo ponderi manus admouete, meas ego etsi aniles, pariter admouebo. Dixit, & arcam leuiter baculo impellens, veluti modico gubernaculo sursùm adductam, aptata in sede, vbi illam hoc tempore omnes intuentur, facilè collocauit.

11. *In actis Sancti Berchorij Abbatis libr.* 2. Cùm in loco, ad quem translatum est corpus Sancti Berchorij, in memoriam, signum Crucis erigere statuissent incolæ. Parata est materia, cuius onere decem boues onerati fuerunt; coloni aduenere, crucem erexere, sed eleuata in transuerso apparuit; quod cernentes, ingemuerunt, & vnus eorum magna voce intonuit: Si verè Sancti Patris hùc fuit corpus delatum, istius crucis lignum dirigam, sicque directum est, & quod omnes nitebantur, ille solus sustinuit.

12. *Surius in vita Sanctæ Catharinæ Senensis* 29. *Aprilis.* Quodam tempore ita toto corpore intumuit, vt nec pedibus consistere, nec è lectulo surgere posset; audiuit autem non longè degere viduam pauperculam, cùm prolibus suis multa penuria laborantem. Rogauit igitur Dominum, vt tantas ipsi vires suppeditare dignaretur, quò posset illi miseræ opitulari. Moxque summo manè surgens, impleuit sacculum tritico, grande vas vitreum vino, aliudque vasculum oleo, esculenta quoque, quæ inuenire potuit, cùm ijs omnibus deportauit in cellulam suam. Et si autem singula hæc per se potuit inferre in cubiculum suum, tamen, vt omnia simùl ferret sola ad viduam, id ipsi impossibile videbatur. Attentat tamen, & alia dextra, alia sinistra, alia alijs corporis loci tollens, facit periculum, nùm possit portare omnia. Ecce autem Christi virtute nihil sensit ponderis, cùm tamen non minùs centum libras, aut circiter ferret. It igitur alacriter, licet toto corpore inflata, & valdè onusta, sed vbi appropinquauit ædibus viduæ, sensit pondus intolerabile. Aduertens autem ludum esse sponsi sui, ipsam probantis, cùm omni fiducia clamauit ad eum, pondusque leuans, non sine labore deposuit intra domum viduæ, ostio mirabiliter patefacto. Sed excitata vidua sono, ac strepitu, quem virgo sancta cauere non poterat, tùm etiam ob virium nimiam debilitatem non valente, se de loco mouere, vidua eam ex habitu cognouit.

13. *In actis B.Andreæ Auellini Cler. Reg.* Vo-

catus ad confitendum ad Turrim *del Greco*, ab indiscreto nauta in terra positus in loco à Turri per vnum milliare distante, non habens nisi solùm socium, neque valens ob infirmitatem, & innaccessibile iter ambulare, posuit se super socij humeros; videns socius se non posse portare tàm graue onus, sed propter obedientiam accipiens, ad Turrim *del Greco* maxima admiratione profusus, eum portauit, affirmans, pondus se non sensisse.

14. *Montanarus de Ven. Vrsula Benincasa*. In opinione sanctitatis fuit apud quosdam Barbaros, & à Christi fide alienos: nam cùm quadam die à duobus mauris in sede portatili gestaretur, nullum ijs pondus dedit; qua de re barbari illi obstupescentes, affirmarunt Vrsulam verè sanctam esse.

15. *In actis S.S. Aprilis tom. 1. in Continuatione Bollandi*. Cùm S. Vualdetrudis aliquos captiuos redimere cuperet; Vocato vno puero ex ministris suis, tulit pecuniam, de qua ipsos captiuos redimere cogitabat, & in stateram posuit, vt cognoscere posset, an sufficeret ad hoc, quod volebat. Et ecce cœpit ipsa pecunia in statera posita miro modo crescere, & præponderare.

16. *Raphael Bagatta in mon. Ecclesiæ Veronensis*. Cùm Sancta Maria Consolatrix Virgo Veronensis, sacra corpora S. S. M. M. Firmi, & Rustici, in vrbe Istriæ Capris inuenta, à Barbaris redimere vellet; affirmarentque ij, indè auferri non passuros, nisi æquato cùm his pari pondere argenti, & auri redempta, quantùm ipsorum corporum pondus esse, fuisset compertum. Virgo Sancta prudentia insignis, cùm argentô, & auro, quæ vndique, maximè autem ex matronarum ornamentis collegerat, ad conficiendum negotium profecta est. Quæ cùm in Istriam venisset, & corpora S. S. in statera penderentur, tàm leuia diuinitùs sunt facta, vt modica admodùm parte eius pretij, quod secùm attulerat, redempta sint.

17. *Chrysostomus Henriquez in vita Beati Gelasij Confessoris*. Aliquandò nobilis quidam diues, summam argenti Sancto Abbati per modum eleemosynæ tradi curauit, orans vt vellet animas parentum suorum defunctorum Domino commendare. Pecunias recipit Abbas, & statim flexis genibus, psalmum Deprofundis clamaui ad te Domine, &c. magna deuotione perlegit. Aderat famulus qui ei argentum numerauerat, & beati viri orationem paruipendens, subridens dixit: non semel certè, sed millies pro tanta argenti summa Psalmum repeterem. Cui vir sanctus respondit: Credis ne, frater, maioris esse ponderis argentum hoc, Psalmo? ne tamen incredulus, & scandalizatus discedas, huius orationis pondus, & valorem (quandoquidem, vt video, mente cæcus es) oculis corporeis videbis. Statim Psalmum illum in parua chartula scribit, bilancem adferri iubet, ab vna parte chartulam memoratam, ab altera summam illam argenti ponit. Mirum dictu! Charta illa instar ferri ponderosa, cùm impetu ad terram vsque descendens, argentum, quod mole, & numero multum erat, quasi leuissimam paleam eleuat, & sic omnibus cernentibus, & admirantibus mansit.

18. *Ferrarius in Catal. S.S. 2. Maij*. Cùm pauper quidam, fiscellam pomis plenam, spe maioris retributionis, S. Antonino Episcopo Florentino obtulisset, nil aliud ab eo, quàm hæc verba: Retribuat tibi Deus, retulit. Cùm autem is conquereretur, eo accersito, afferri iussit chartam, in qua cùm verba ista scripsisset, eamque lanci imposuisset, pomis alteri lanci impositis (mira res) charta, pomis, omnibus qui aderant stupentibus, præponderauit.

19. *In actis Beati Gondisalui Amaranthi 10. Iannuarij apud Bollandum*. Contigit aliquandò hunc Dei seruum, cùm causa quæstum faciendi, vel eleemosynas emendicandi, per circumuicinos populos sollicitè discurreret, quemdam magnatem ditissimum in via offendisse. Quo priùs salutato, ab eo propter Dei amorem, & proximorum suorum, petiit, vt aliqua se digna contributione, bonum commune, pro ponte suo construendo, vellet iuuare. Ille verò in breui schedula aliquas velociter depingens lineas; firmatam priùs chartam, & Diuo Gondisaluo in manu tradens, Perge, inquit, Pater ad domum meam, & schedulam istam vxori meæ dabis, cui super tua hac postulatione vicem meam delego. Vade securus, quia illa tibi eleemosynam iustam præstabit. Lætus & confisus, in domum huius impij magnatis Diuus Gondisaluus properauit, atque illam postquàm est ingressus, matrifamilias epistolam, quam secùm deferebat, viri sui nomine firmatam, cùm magna magni subsidij spe tradidit. At illa matrona, postquàm à marito suo conscripta verba perlegit, tacita subridens Diuum Gondisaluum, omninò negata eleemosyna, vt discederet suadebat. Verba namque, quæ in chartula continebantur erant huiusmodi: Huic pauperi fratri tantum dabis eleemosynæ pro subsidio pontis construendi, quantum papyrus hæc ponderis habet. Voluit enim hic inhumanus proximus seruum Dei Gondisaluum verbis illudere, & itinere conficiendo fatigare. At ille nullatenùs perturbatus, causam denegatæ eleemosynæ ab illa matrona inquisiuit. Quam postquàm secundùm rei euentum audiuit, & percepit, fiducia in Deo collocata, fœminam ille enixè rogare cæpit, vt marito suo obediret, atque papyro illa in statera aliqua reposita, ex altera parte, linum, vel grana, vel ceram, vel quodcumque aliud, in eleemosynam erogandum haberet, ex opposito etiam collocaret. Satis enim se contentum futurum affirmabat, si æquale pondus schedulæ acciperet. Acquieuit illa faciliter, noui nihil verita; atque apposita in vna lance papyro, Deo ita disponente, tàm graue effectum est pondus, vt ex altera parte eleemosynæ materia in magna quantitate cumulata, iusta bonaque portio Beato Gondisaluo diuinitùs limitata contigerit. Atque ita & auarum illum delusum, & vxorem eius stupore inenarrabili affectam reliquit.

20. *In vita B. Simonis Valentini*. Mulier quædam, & vidua, & mater, rei familiaris penuria pressa, ad Beatum Simonem decurrit; aitque, filiam nubilem se habere domi, desponsatam iam cùm dote nummorum aureorum centum, & summa carere, quam tabulis sponsalibus addixerat, vt matrimonij spes omnis euanesceret: Audit mulierem Beatus, ingemiscit, solatur tristem matrem, iubetque vt papyri leue fragmentum paucis inscriptum verbis ad pecuniosum deferret ciuem; talibus ferè verbis scriptio erat concepta: mi senior, te quæso per misericordiæ diuinæ viscera, vt afflictæ huic feminæ tantùm auri, quantùm chartulæ huius ponderi respondere deprehendes, erogare velis: insolentiam petitionis admiratus diues, fecit tamen ex præscripto, & schedæ leuitatem pensaturus, trutinæ imponit, opponit aurum, non cedit charta, aurum secundò, & tertiò adijcit, sed cùm schedula iam resistere non posset, Beati petitio præponderabat; quid multis; nisi cùm centum nummis aureis, hoc est tota virginis dote, in lance examinis æquilibrium constabat: obstupescit trapezita, aurique summam viduæ tradit, & habere iubet, admiratusque est Sancti viri virtutem.

21. *Sylos in Hist. Cl. Reg. Par. 1. lib. 12.* Venetijs Præpositum agebat Ven. noster Ioannes Montorphanus, cùm vir è Veneto Patritiorum ordine nummos aureos non paucos curando suorum funeri, Montorphano misit. Ille pro Theatini instituti modestia, exequiarum iusta decenter quidem, at non eo splendore adornasse visus est, quem vir nobilis, qui ambitione, ac fastu quodam, vel inter emortualia pulsabatur, peroptasset. Itaque misit qui cùm Mortorphano suo nomine expostularet, quòd erogatæ auri summæ minus respondisset pompa. Qui nihil ea re commotus, internuntium in conclaue adduxit; inuolutosque adhùc charta aureos ostendit: tùm diuino quodam consilio, instinctuque afferri libellam iussit; ac in vna quidem lance aurum, in altera verò inscriptas papyro quasdam pro defunctis preces posuit. Mirum sane dictu: propendere precum chartula visa extemplò est, aureorum verò inuolucrum ac pondus, ceù pluma leuiùs attolli. Quo renunciato viro patritio, pondus, & excellentiam rerum sacrarum intellexit; veniamque intempestiuæ expostulationis Montorphano exposcit.

22. *In Chronicis minorum Par. 2. lib. 1. cap. 30. de Ven. Frat. Bertoldo*. Mulier paupercula eleemosynam ab eo petierat; ipse autem quid elargiretur non habens, decem dies indulgentiæ, quæ sibi à summo Pontifice distribuendæ concessæ fuerant, mulieri dedit, iubens, vt eos Nummulario offerret pro tanto auri pondere, quantùm ijs in lance positis corresponderet. Fecit mulier, promisit subridens nummularius tantùm auri pondus daturum: interim indulgentias ex vna, aureum nummum ex altera parte in lance collocat, & ecce pars indulgentiarum non cedit, addit secundò, & tertiò pecunias, & semper eadem quæ supra præponderabat pars, donec tot nummis, quot paupercula indigebat in lance positis, in equilibrio stetit lanx; intellexitque auarus, quanti faciendæ essent indulgentiæ, quas ipse stultè parùpendebat.

23 *Zachar. Bouer. in Annal. Capuec. an. 1554. de F. Bernardino Astensi*. E Brixiensi Agro in Tusciam profectus Bernardinus, cùm quadam die sub solis occasum, in campestrem cauponam cùm socio diuertisset: auidè à Cauponario excipiuntur; qui cùm ab eis vberem hospitij mercedem expectaret, eos splendide tractat. At cæna absoluta, ac redditis Deo de more gratijs, Tabernarius, cænæ pretium ab ijs expostulare cæpit. Cui Bernardinus: Nos, inquit, pauperes sumus, ac paupertatis filij, quibus neque aurum, neque argentum in zonis est: at ne dubita, Dominus enim pretium tibi pro nobis retribuet. Tabernarius verò his verbis haùd contentus, vt pretium exoluerent, insistebat. Tandem Bernardinus ad eum. Perperam, inquit, à nobis, frater, pretium deposcis, cùm illud tibi à nobis exsolutum fuerit. Excandescens autem Tabernarius: Vnde inquit, aut quandò mihi cænæ pretium à vobis exsolutum fuit? Ne irascare, quæso, ait Bernardinus; sed pacatè nobiscum age. Dic obsecro, quantum tibi hac cæna pretium debeatur. Tantum (ait ille.) Est ne tibi trutina (subdit Bernardinus) quam præsto habeamus? Est (inquit:) Affer amabò. Quæ cùm allata esset, scribit Bernadinus in chartæ frustulo orationem; Retribuere dignare Domine, omnibus nobis bona facientibus, propter nomen sanctum tuum vitam æternam. Quam Deo in gratiarum actione post cænam obtulerat. Tùm ad Tabernarium: Hoc est pretium (inquit) quod nos tibi pro cæna exsoluimus: ego chartulam hanc dextera lance apponam: tu argenti pretium, quod tibi pro cæna deberi affirmas, in altera collocato: si quidem argenti lanx præponderauerit, nos debitores simus: sin chartulæ grauior fuerit, tu à pretio postulando abstineto: illud enim tibi persolutum fuisse planè exploratum erit. Re itaque cùm hac conditione accepta, Tabernarius trutinam sumit, vtramque lancem componit, æquat, librat, debitam sibi argenti summam, grauiori ære in sua lance collocat: Bernardinus verò chartulam in altera statuit. Eleuatur statera; adeòque lanx chartulæ præponderat; vt ne à plano quidem moueatur. Iterùm Tabernarius vtramque lancem diligentiùs aspectat, lustrat, explorat; nùm fraus aliqua lateat: rursùmque argentum, & chartula in lance librantur; grauissimaque chartulæ lanx in trutina conspicitur. Stupet Tabernarius. Cui Bernardinus: quid, inquit, obstupescis Frater, haùd dignum vllum hac retributione, quæ tibi exsoluta fuit pretium inuenire poteris. Maius adhùc argenti pondus sumito, atque in tua lance statuito: quod cùm ille fecisset, totamque lancem argento onerasset, chartulæ lanx nec vnquam loco dimoueri potuit. Id cùm Tabernarius altiùs animo contemplatus fuisset; mox ad Bernardini pedes corruens, diuinam in eo virtutem agnoscit, veniamque turpis cupiditatis à Deo exposcens, voto se obstringit, nunquam se, ab vllo hospitij mercedem accepturum, qui post sumptum cibum, orationem:

Retribuere dignare Domine &c. ad Deum effunderet: ac deinceps erga Capuccinorum ordinem deuotissimus fuit.

24. *Aimoinus lib. 3. de Gestis Francorum capit. 77.* Cùm inuenta fuisset tunica inconsutilis Domini nostri, quæ in Ciuitate Zaphat, procùl ab Hierosolymis, in arca marmorea posita erat. Eam Gregorius Antiochenus, & Thomas Hierosolymitanus, Ioannes quoque Constantinopolitanus Episcopus, cùm alijs multis Pontificibus, triduano completo ieiunio cùm deuotione magna transtulerunt: ac in loco, quo Crux dominica veneratur, posuerunt, cùm ipsa, in qua priùs fuerat, marmorea arca. Quæ tantæ leuitatis, dùm efferret, visa est, vt nullum onus portantes sentirent.

25. *Gregorius Turonensis lib 2. mirac. capit. 43.* Pendebat super altare S. Iuliani Crux holochrysa, eleganti opere facta, & erat tàm preclara visu, vt eam putares ex auro esse mundissimo. Aduenientibus verò barbaris, à quodam aurea æstimata, direpta est, & sinu recondita; at is, qui eam sustulerat, tanto subitò pondere prægrauatur, vt eam penitùs sustinere non posset; statimque compunctus virtute martyris, ac pænitentia motus, eam loco sancto restituit.

26. *De miraculis Hiberniæ §. 18. de Cruce Dubliniæ.* Comite Richardo primo Dubliniam cùm exercitu veniente: ciues, mente, malorum plerùmque præsaga, casum ciuitatis metuentes, & de defensione diffidentes; cùm fugam iam nauigio machinarentur, crucem illam secùm ad insulas asportare volebant. Quod cùm omni conamine & diligentia effectui mandare tentassent, totius ciuitatis populus, nec vi, nec ingenio eam à loco mouere potuit.

27. *Pet. de Natal. lib. 1. cap. 64. de S. Lucia Virg. & Mart.* Paschasius, vocatis lenonibus, iussit eam ad lupanar duci, vt, omni populo ad eam inuitato, tandiù illuderetur, donec deficeret. Volentes autem ipsam trahere, tanto pondere eam fixit Spiritus Sanctus, vt penitùs moueri non posset: ligatisque manibus eius, & pedibus à mille viris, insuper & à pluribus paribus bouum trahi nullatenùs poterat. Et conuocatis magis, nullis etiam incantationibus potuit amoueri. Et dùm quidam dicerent, quod lotio perfusa, maleficia soluerentur, lotio perfunditur: sed immobilior redditur. Iratus consularis, circa eam, adhibitis lignis, oleo, & pice resina, copiosum fecit ignem accendi, in quo ipsa incolumis permanebat, dicens à Domino inducias martyrij impetratam, vt credentibus timorem tolleret passionis.

28. *Vadingus in ann. minor. an. 1212. num. 24.* Cùm Ven. Agnes, ad S. Claram eius sororem confugisset, vt habitu religioso indueretur; consanguinei eius ad eum locum currentes, illam indè retrahere tentarunt. Tunc Clara cùm lachrymis in oratione procumbens, petit sorori mentis constantiam tribui; petit vires hominum diuina potentia superari. Confestim verò tanto pondere, corpus illius in terra iacentis figi videtur, vt illam plures homines, suis conatibus adnitentes, nequaquam valeant vltrà quemdam riuulum asportare: Accurrentes etiam aliqui de agris, & vineis, auxilium illis præstare contendunt: sed corpus illius de terra leuare nullatenùs possunt. Dùmque in suo conatu deficiunt, verbo lusorio miraculum extollunt, dicentes; tota nocte plumbum comedit: & ideò si ponderat, non est mirum. Quibus infecto negotio cùm amaro animo recedentibus, Agnes iucundè surrexit; & iam cruce Christi gaudens, pro quo hac prima pugna certauerat, se diuinis seruitijs perpetuò mancipauit. Siquidem & beatus Franciscus manu sua ipsam totondit, & vnà cùm sorore in via Domini erudiuit.

29. *In actis Ven. Vrsulæ Benincasæ.* Naui vehebatur Vrsula, accidit que; vt contrarijs nauis ventibus ageretur; cùmq; cauendum esset, ne vna pars nauis magis quàm altera præ pondere inclinaretur, obseruatum vnius Vrsulæ corpusculum multis corporibus præponderare, vt vna multorum pondus coæquaret, quod in stupores omnes, qui aderant, facilè rapuit.

De Ferro, & admirandis Lapidibus grauitatem diuinitùs deperdentibus, dicetur in sequenti libro, cùm de ferro, & lapidibus. Notabuntur etiam quædam de hac materia in Tom. 2. lib. 2. §. 5. cùm de subita immobilitate diuinitùs punitis.

APPENDIX AD CAPVT V.

Quædam perennia Admiranda circa prædictam materiam.

ALiqua hìc notabo, quæ licet alio in loco sint enarrata, attamen, cùm ad hanc materiam spectent, non incongruum erit, ea de nouo exarare. Suntque.

1. *Petra Sancta in mirac. perp. cap. 12.* In corpore Sanctæ Mennæ Virginis Portonlianæ propè Mercuriam Diœcesis Tullensis, quandò inita supplicatione ad eremum effertur, vbi solitariam vitam exegit, nobile est quantopere minuatur pondus; veluti aueat ad beatos eos secessus remeare, ac percupiat rursùs eremicola esse. Contrà, cùm in Basilicam refertur, sentiunt onus portitores eius, & sub pondere mirum in modum aucto gemunt.

2. *Idem ibidem cap. 13.* In Canarijs colitur imago Matris Dei, quæ incolis loci duntaxat succolantibus in annua celebratione patitur se baiulari. Alij si tentent, immobilis perstat, vel si supponerent humeros Atlantes.

3. *Idem ibidem.* In Oettal Germaniæ Pago argenteum simulacrum est B. Virginis, eo metalli pondere, vt à nemine quamuis robustissimo eleuari, aut sublolli possit, si eius suspendatur grauitas. A puero tamen vel leui, vel nullo conatu in sublime agitur; tantùm inest roboris innocentiæ, cui Genitrix Dei omnis expers labis, semper fauere, ac patrocinari consueuit.

4. *Idem ibidem.* In Mongiæ portu, spectatur nauis lapidea, cuius & malus, & vela, & armamenta omnia saxea sunt: attamen tantæ molis pondus, quod ægrè, aut vix machinæ motarent, vnius

vnius pueruli digitus solo contactu protrudere, aut circum agere solet: tribuiturque Virgini Deiparæ prodigium, nam in ea naui fertur aliquandò apparuisse.

5. *Idem ibidem*. Ad fines Hassiæ apprimè celebris est mons S.Adiutorij, seu S.Bonifacij, vbi ægri complures quotannis curantur. Qui tamen eius ope curandi sunt, ij statuam sanè maximam eiusdem sancti Bonifacij, & vix mobilem conatu multorum, soli sublimen tollunt, admirante, ac simùl gratulante circumfusa adeuntium corona.

CAPVT VI.

De Admirandis quarundam rerum deperditarum inuentionibus.

§. vnicus.

CÆlitùs absque dubio nobis donantur, quæ casu, vel incuria deperdita, nulla diligentia, humanaque industria inueniri potuere; De his igitur deperditarum rerum inuentionibus, vt potè admirandis, hìc quædam delibabo. Suntque.

1. *In actis S. Eguuini Episcopi VVigorniensis ap.Bolland.*xi.*Ian.*Cùm esset ab Episcopatu deturbatus, Romam proficiscens, pedes vinculis adstringit, claue abiecta in flumen Auen; sic in conspectu populorum vinctis ferro pedibus Romam ingreditur, & in Ecclesia S. Petri Apostolorum Principis ad orationem prosternitur. Qua cùm magna prolixitate completa, ad sacra Missarum solemnia celebranda præparatur. Interim famuli sui pro cibis emendis ad fluuium pergunt, & empto quodam pisce magno & exenterato, compedum clauicula, quibuscùm Sanctus pedes astrinxerat, in visceribus inuenitur, ferrumque quod Anglica Auena absorbuerat, Romana Tiberis exhalat. Allata famulo Dei clauicula, voluntati Dei se subijciens, coram cunctis clauem accepit, & vincula sua reserauit. Tanti miraculi nouitas in omnes erupit. Romam implet. Qui mirabilis & noxius putabatur, sanctus, & venerabilis commendatur.

2. *In actis S.S. Feb.tom.3. in Contin. Bollandi.* Abbas Abendoniæ annulum Reginæ Egithæ casu fortuito perdens, vbique illum quærens, inuenire non potuit. Cùm lachrymis demùm & precibus clementiam sancti Lerardi Episcopi Siluanectensis exposcit, & illicò annulus, vbi orabat, eluxit.

3. *Ibidem in actis S. Kentigerni Episcopi 13. Ianuarij*. Contigit, Reginam, pulchritudine cuiusdam militis illectam, adulterium commisisse, & pretiosum quemdam annulum ob immensum amorem sibi à Rege commendatum, eidem militi contulisse, qui annulum digito imprudentiùs imposuit; at Rex per secretarium suum hoc aduertens, & iram dissimulans, accito milite, venatum perrexit. Discopulatis canibus, & socijs per loca diuersa dispersis, Rex solus cùm milite iuxta ripam fluminis Clyd, in feruore diei soporis ac quietis gratia, iter direxit. Fatigatus autem miles, & nihil mali suspicatus, extenso brachio, dormire cæpit. Conspecto itaque in digito eius annulo, Rex turbatus, vix manus à gladio, & ab effusione sanguinis eius continens, annulum de digito suauiter extraxit, in flumen proiecit, & excitato milite ad suos redijt. Cùmque vultu minaci minas & improperia inferens, annulum à Regina expeteret, & illa secretè militi in vanum mittens, in medium proferre non posset; triduanis inducijs à nobilibus vix impetratis, carceri mancipatur. Regina autem lachrymosis precibus S.Kentigerno rem gestam per nuncium exposuit, & ab illo vnico propitiatore suo salutem & auxilium postulauit. Sanctus autem Pontifex ante aduentum nuncij totum agnoscens, nuncio cùm hamo ad ripam fluminis Clyd festinare præcepit, & piscem primò extractum scilicet Ysicium, qui & Salmo dicitur, ad se reportare. Quo facto, & exenterato, annulum in ventre piscis repertum Reginæ transmisit, & illa Regi cùm exultatione obtulit. Contristatus Rex pro illatis Reginæ iniurijs, & veniam flexis genibus petens, grauissimam vltionem in delatores se illaturum iurauit. Cui Regina: Absit, inquit, Domine mi, vt mei causa quidpiam mali quisquam patiatur: sed tibi ex toto corde indulgeo, si omnem rancorem animi tui, sicut ego, accusatori meo remittas. Cunctis ergo Reginæ clementiam admirantibus, vocato Kentigerno illa reatum confessa, vitam suam de reliquo emendare curauit.

4. *In an.Minorum*. Mercatores quidam quotannis in Sancti Antonij Vlyssipponensis natalitijs lautè Fratres reficiebant, & sub mortem, bonam suarum facultatum partem eisdem legarunt. Horum nepoti Nicolao Alphonso, inter nauigandum decidit annulus, quem hæreditario iure à parentibus acceperat, sed cùm instante prædicto festo, quo fratribus iuxta auorum mandatum prandium parasset, & aliquot piscatores, qui pisces ad conuiuium lautiùs instruendum caperent, solicitè misisset, extraxerunt vnum, in cuius ventriculo amissus annulus est repertus, quod sancti viri meritis, & miraculo omnes adscripserunt, eiusq; memoriam, depicto in imaginis gyro totius rei euentu, voluit Nicolaus posteris prostrare.

5. *Ibidem an.*1240.*n.*15. *de S. Antonio Patau.* Tridentinus quidam eques è familia Carignanorum diues & potens, Sancto Francisco addictissimus, in lacu vicino cùm amicis recreationis ergo velificans, casu ei excidit annulus ingentis valoris in vndam. Accitis piscatoribus, & omnia adhibita arte recuperare non potuit, quem summoperè perdidisse dolebat. Die sequenti visum abijt Minorum Præfectum, familiarem amicum, cui dolorem explicauit. Illud recepit consilij, vt Sancto Antonio aliquod præstaret obsequium, vel suum ei commendaret dolorem, quem absque dubio, & certo certius credebat Guardianus remedium adhibiturum. Interim cùm suis fratribus Sancto Patri preces effundendas se curaturum promisit, &

so-

solemni Missæ sacrificio eius inuocaturum auxilium. Placuit equiti consilium, voluitque Missæ interesse, qua finita abijt in forum, indè retributionem fratribus missurus. Emi iussit mediocris molis piscem, vt fratres prandерent, quem dùm exenterant, inueniunt annulum concupitum.

6. *Pepe in mirab. Sancti Caietani m.* 70. Duos deperdiderat annulos magni pretii mulier quædam Neapolitana, quos cùm nulla arte nullaue diligentia septem annorum spatio haùd inuenire potuisset, ad D. Caietani opem confugit, fusisq; precibus, annulos à Caietano impetrare tentauit: Nec frustrà, postera enim die, annulos deperditos recuperauit.

7. *Idem ibidem m.* 183. Annulum pretiosum deperdiderat Dorothea Nuzza in Ciuitate Andrię Neapolitani Regni, & licet euangelicam mulierem imitata, domum totam euertens, summa vbique illum requisisset diligentia, haùd inuenire potuit: Tunc opem D. Caietani implorauit, missamque eius nomini celebrandam vouit. Post hæc quadam die ad inferiora domus loca, in quibus lignorum strues asseruabatur, nescio quo domestico negotio descendens, enatum ibi magnum fungum obseruauit, rem admirata, neque enim ijs in locis similes fruges pullulare solent, illum euellere tentat, & ecce in eius cauitate annullum deperditum mirabiliter adinuenit.

8. *Idem ibidem. m.* 14. Deperdiderat fortuitò mulier quædam prædiues vasa nonnulla argentea, quæ à tribus inuenta, ab eisdem in proprios conuersa fuere vsus: dolens Domina iacturam, omniq; humana, argentea vasa recuperandi, deperdita spe, S. Caietani opem implorat, qui statim accerbissimis capitis doloribus raptores diuexans, internè restituenda ablata suadet; Hi internis obtemperantes inspirationibus, vasa Dominæ restituunt, illicòque ipsi à dolore, mulierque ab angustijs liberantur.

9. *Idem ibidem. m.* 120. Speculum magni pretij, quod quidam furatus fuerat Iannuario Casolæ, furtique iniustè accusabatur Franciscus Paulillus, inuocato ab innocente D. Caietano, illicò mirabiliter adinuentum fuit, à veroque fure restitutum.

10. *Chrysost. Henriquez in fasc. de B. Roberto Abb. Molismense.* Comitissa secundùm carnem eidem Beato Patri propinqua, cùm semel monile aureum ingentis valoris amisisset, nullaque aut arte, aut industria inuenire potuisset, puella quædam, quæ in eius erat obsequio, accessit ad illam constantissimè asserens, si Beatum Robertum fideliter inuocaret, fore, vt is monile amissum sine dubio ipsi restitueret. Eius consilio Comitissa acquiescens, cereum in honorem Beatissimæ Virginis, & beati Roberti ad Ecclesiam Molismensem deportari, atque accendi iussit. Quod cùm factum fuisset, statim coram multa populi frequentia monile in eius gremio est repertum. Itaque factus est vtriusque sexus hominum conuentus pro tanto miraculo laudantium Deum, & illum in beato Roberto famulo suo mirabilem prædicantium.

11. *Baronius an. 649 num.* 109. Taio Cæsaraugustanus Episcopus ab Hispaniæ Rege Romam missus ad Pontificem pro libris moralium S. Gregorii Papæ, quorum deperdita erat memoria, in apostolicæ sedis archiuio, inquirendis; cùm negotium differri cerneret, impetrauit vt sibi in Ecclesia S. Petri per summum Pontificem pernoctare semel liceret. Quare ea in basilica Episcopus ipse dùm intempesta nocte orationi vacabat, ecce sacras ædes immenso lumine diuinitùs completas videt, ingentemque summorum Pontificum, nec non Episcoporum cœtum lustrationem seù supplicationem insignem repræsentantem, & ad altare sancti Petri adeuntem, eique honorem præstantem, in quo sanctorum virorum cœtu erat beatus Gregorius, qui Episcopum Tagionem allocutus, suos libros morales in recondito quodam scrinio sub altari asseruatos, vltrà citròque habito sermone ostendit.

12. *In vita B. Nicolai de Rupe part.* 2. *cap.* 15. Iuuenis quidam germanus in patriam rediturus, à contubernali suo Nicolao, B. Nicolai filio, litteras deferendas susceperat optimo parenti eius; accidit vt earum alteras ad ipsos Burgundiorum fines amitteret; Dei viro se sistere formidabat, sistit se tamen, cùmque proximus eius esset sacello, eumdem ipsum prodeuntem conspexit; & mirum dictu; ostentauit vir Dei elata manu litteras perditas, ac vultu hilari rogabat iuuenem, nùm quas alias item à filio suo Lutetia perferret. Recreatus hoc prodigio iuuenis, alteras dedit, virumque Dei cæpit suspicere, ad quem haùd dubio cælestibus internuntijs litteræ illę amissæ peruenissent.

13. *In ann. minorum an.* 1501. Cùm ann. 1484. piissima Virgo Beatrix de Sylua Christo, eiusque matre inspirante fundasset Toleti ordinem monialium S. S. Conceptionis. Innocentio VIII. tunc Pontifici maximo, preces per ipsam, Reginamque Elisabetham interpositæ sunt, vt tàm sanctum institutum benigno Apostolico oraculo confirmare dignaretur. Annuit sanctissimus Pontifex; at dùm Pontificium Diploma in Hispaniam transmitteretur, sæuiente mari, demersum fuit; quod vbi Dei ancilla intellexit, & dolorem suum in oratione B. Mariæ repræsentauit, illud intra scrinium, aliis chartis admixtum inuenit.

14. *In actis S. S. Feb. tom.* 2. *in Contin. Bollandi.* Mulier quædam pauperrima ad colligenda ligna in syluam quamdam perrexerat; ibique claues domus deperdidit; domum reuersa, clauesque non inueniens, in amarissima lamenta prorsùs se dedit; inuocauitque S. Guilelmi Eremitæ patrocinium. Et ecce mirum. Nam subitò muliere lachrymante, & subsidium inuocante, canis Creatori eius, & Sancto deseruiens, ore suo baiulans, mulieri claues restituit, quas perdiderat.

15. *Ibidem in Martio tom.* 3. Quidam, denarium solùm habens, quem emendicauerat, casu perdidit, at inuocato S. Vulfranno Episcopo Senonensi, statim inuenit. Clauem pariter deperditam quidam ex monachis S. VValdregisili, mirabiliter intercessione eiusdem sancti Vulfranni reperit. Pariter mulier in pago Caletensi, & possessione S.

VVal-

VValdregisili paucas ouiculas, quas habebat, deperdiderat, timensque, ne luporum insidias incurrerent, facto voto Sancto Vulfranno, post sex dies, omnes absque vlla læsione repertæ sunt.

16. *Raynaldus in ann. Eccel. an.* 1523. Cùm B. Benno Misnensis Episcopus, excommunicatis Imperatore, Marchioneque Misnense, vt potè contra Ecclesiam pugnantibus, ad Concilium à Pontifice euocatus proficisceretur, ante profectionem in Albin, magnum, & celebre flumen, Ecclesiæ suæ Misnensis claues proiecit, vt ijs, qui se Imperatoris causæ adiunxissent, eamque ob rem excommunicati essent, ingressus Ecclesiæ non pateret. Post aliquod verò tempus reuersus à Concilio, & multa pro Ecclesiastica libertate passus, cùm claues Ecclesiæ desideraret, in dicto Albi flumine captus est piscis, in cuius visceribus claues amissæ repertæ sunt.

17. *Colg. in vita S. Liberij Abb. 8. Martij.* Duxit S. Cainicus vnum secùm in Britanniam, & alligauit pedes eius compede, ne vagus esset, & claues compedis eius S. Cainicus proiecit in mare. Postquam ille filius septem annis sic mansit alligatus, dixit ei S. Cainicus, sciens quid illi contingeret, vade iterùm ad Hiberniam, & in quocumque loco inueneris clauem compedis tuæ, ibi mane. Ipse verò iuxta præceptum magistri sui, venit in Hiberniam ad amnem Liffij in terra Laginiensium, vbi piscatores inuenit, & postulans ab eis accepit magnum piscem, & in medio ipsius clauem suæ compedis inuenit.

18. *In Chronicis Ord. B. Mariæ de Mercede an. 1574. de Venerab. Soror Magdalena de Conceptione.* Quadam valdè solemni die omnes moniales in inferiori Choro genuflexæ, nimis confusæ & perturbatæ erant, quia iam Sacratissimum Eucharistiæ Sacramentum suscipiendi instabat hora; & clauis fenestrellæ clausæ, per quam cælesti cibo, & Angelorum pane reficiendæ erant, post exactam, magnamque per totam domum, & angulos eius diligẽtiam, minimè reperiri potuerat. Tunc sacrorum custos, (cui soli eam iniuriam omnes imputabant, in eamque tanti incommodi causam reijciebant), ad sororem Magdalenam in chori angulo genuflexam, & orantem, mæsta nimis accessit, dixitque ei: Non ob euitandam, effugiendamque pœnam, pro tanta indiligentia mihi meritò debitam, sed ad tuum præsidium tristis valdè confugio, teque summis precibus rogo, vt gloriosissimam Dei Matrem, & sanctum Iosephum sponsum eius feruenter ores, ab eiusque ardenter postules, vt in hac angustia nos lætificare dignentur, ne tot tantæ matres meæ, & sorores deuotissimæ sacrosancto cibo, mea magna culpa, priuatæ hodiè remaneant. Ecce mater mea ex quo mea procedit mæstitia. Cui soror Magdalena, depone (inquit) męstitiam, bono animo esto, tristitia tua conuertetur in gaudium; nam Deo opitulante, tempore sueto pane Angelorum reficiemur omnes. His dictis, ad claustrum via rectà se contulit; & in vno angulo, vbi erat magnus cumulus, & tritici aceruus, inter ipsa grana, non hinc inde, sed prima manus positione clauem adinuenit; demirantibus omnibus, quia in ea similiter parte, tres aut quatuor ex eis cùm ipsamet sacrorum custode paulò antea accuratè nimis exquisiuerant. Quam soror Magdalena sacrorum Custodi consignando dixit accipe mater, & diligentiùs custodi eam; quia non tàm tua incuria, quàm Dæmonis astutia, (cui omnis actio bona, maximè in communi facta, summopere displicet) clauis non reperiebatur. Inuenta claue, magna spiritualique lætitia recreatæ, cælesti cibo, quem desiderabant, animas suas refocillare, & refouere potuerunt.

19. *Ioannes Boucherius apud Gonon. in Chronico Deiparæ ann.* 1200. Instante Paschatis die Angli nocturnis horis iter arripiunt versùs Pictauium, & in die Paschæ circa mediam noctem ad mænia ciuitatis consederunt, omnibus ciuibus eorum aduentum ignorantibus. In vigilia igitur Paschæ postquam Consul iuit cubitum, & subtus ceruical claues portarum ciuitatis reposuisset, pessimus minister, qui quandò volebat, Domini sui cubiculum ingrediebatur, & egrediebatur, cernens Dominum graui somno depressum, voluit rapere, & extrahere claues de subtùs ceruical lectuli, sed minimè eas inuenit: cæpitque diligenter eas per domus latibula omnia requirere. Quas cùm nec sic reperisset, magno dolore affectus, latenter egrediens iuit ad murum, locutusque est Anglis, vt expectarent vsque ad horam quartam de mane. Rediens ergo, nouam proditionem excogitauit. Nam hora quarta data, Dominum euigilans, dixit aduenisse ianitores, clauem petentes, vt aperirent nobili equiti, qui concito gressu pergere volebat ad Philippum Galliæ Regem. Ille autem primò renuit, asserens nondùm esse tempus aperiendi ianuas. Verùm ministro perseuerante, extendit manus subtùs ceruical, vt extraheret claues. Quas diligentissimè quęsitas, cùm non inuenisset, magno dolore affectus, proditionem suspicatus est. Cùmque per totam domum claues quæsijsset, nec inuenisset, statim quosdam ex primis ciuitatis conuocauit, monuitque vt pergerent ad mænia ciuitatis, præcipuè verò ad portam foueæ, quæ periculosior erat, quia non habebat aquam. Qui cùm perrexissent, viderunt per fissuras murorum Anglos se se inuicem trucidantes. Interim Consul cùm multis alijs perrexit ad Ecclesiam Deiparæ, Virginis, Deo, & ipsi Virgini commendaturus ciuitatem. Cùmque staret ante imaginem Deiparæ, vidit inter brachia ipsius omnes claues portarum ciuitatis appensas; vndè ipse, & socij ingentes Deo, & B. Virgini gratias retulerunt.

20. *Hugo Menard, in vita Sancti Gerardi Abbatis.* Quidam ex custodibus monasterij, clauem modicam amiserat, diùque conquisitam, reperire non valebat: tandem ad sancti viri sepulchrum accessit, eumque precatus est, vt sibi in hac necessitate subueniret, statimque, vt à sepulchro surrexit, clauem ante altare inuenit.

21. *In lib. de miraculis Beati Vincentij Martyris Vlixbonæ.* Quidam pauper, bouem vnam totius possessiunculæ particulam habebat, hanc, dum sine custodia montibus aberraret, amiserat; quam cùm

per

per aliquot dies quæsitam, haùd inuenire potuisset, ad S. Vincentium cùm lachrymis conuersus, ait: ò martyr gloriose Vincenti, si constans, & indubitabile verum est, corporis tui reliquias esse Vlixbonæ, meam miseriam intuendo, mihi obsecro, quod quæro restitue. Quo dicto, mugitum bouis de propè venientis attendit, indèq; vaccam oculis præsentatam agnouit; Deo igitur, Sanctoque martyri gratias dedit. Simili pietatis gratia quædam muliercula valdè pauperrima, pannos ad lauandum susceptos, dùm furto sublatos minimè reperiret, ab exorato Martyre rediens, domi positos,& ad plenum restitutos inuenit. Alia quoque, quæ in suburbio habitabat Vlixbonæ misera valdè, decem aureos, quos ad redimendum filium ex eleemosyna Regis receperat, & subtractos nõ inueniens, fusa cùm lachrymis oratione, à B. Vincentio misericordiam petit, & domum reuersa, nutritum à se porcellum obuiam habuit, prędictum aurum ore suo ad pedes dominæ suæ presentantem.

22. *In vita S. Francisci de Paula lib. 5. cap. 6.* Mulier quædam, Polixena nomine, cùm inter altercandum cùm vicina sua, blasphema quædam verba protulisset, Diabolique nomen ira percita aduocasset, particulam vestis S. Francisci, quam de collo pendulam gerebat, perdidit, quare mente anxia, protinùs se ad sanctissimæ Virginis Deiparæ imaginem fusis lachrymis contulit, deprecata, vt eam panni partem suis ipsius exigentibus peccatis ab Angelorum quopiam ablatam, restituere dignaretur; vix autem mulier illa preces illas fudit; cùm ad imaginis pedes, eas reperit reliquias.

23. *In vita Sancti Beruuardi Episcopi Hildesiensis.* Negotiatoris cuiusdam Hildensem habitans coniux, cùm die Parasceue loca sanctorum more consueto annuatim nudipes circuiret, thuris partem comparauit, quam ad Beati Beruuardi tumbam ferre destinauit. Ergo in via, quæ tendit ad monasterium Sancti Michaelis, in aqua lutea, quæ per ciuitatem currit, pedes lauit, indè ad monasterium tetendit, cùmque cæmiterium Ecclesiæ conscendisset, agnouit elapsum esse thus. Vndè animo consternata, excussis vestimentis sicubi adhæsisset, eadem via, qua venerat vsque ad aquam reuersa, nihil quærendo inuenit, mæstaque nimiùm ad monasterium rediit, indè cryptam ingressa, ante tumbam Pontificis in oratione cùm largo fletu procubuit, reputans apud se sibi oblationem elapsam, quòd indigna fuerit eam proferre ad Sancti viri memoriam; finita oratione surrexit, thus perditum in manu sinistra reperit, quod tumulo superponens, cùm ingenti pauore abscessit, quod gestum erat sub silentio abscondit, donec quinto, aut sexto die à familiaribus eius proditum innotuit.

24. *Sylos in Historia Cleric. Reg. Par. 1. lib. 7.* Negotiator quidam Venetijs, subducturus cùm socijs rationes; aduertit mille aureos in accepti expensique commentario minimè consignatos: reductaque sæpiùs re ad calculum, nusquam id pecuniæ adnotatum reperit; cùm compellere patrocinium Sancti Caietani statuit; Ecclesiam igitur Tolentinensem abiit, orareque ad Caietani imaginem impensiùs cæpit; Adesset qua solebat, virtute, ac tutela. Nec multa; dùm rationes paulò post recognosceret, adscriptam in loco, quæ deerat pecunia, reperit, perindè ac si suo ipse in tempore consignasset.

25. *In vita Beatæ Ioannæ à Cruce.* Quàm mira leguntur de granis, quæ Deus Beatæ Ioannæ à Cruce in Cælo benedixit, deque his, quæ illa tetigere. Inter hæc. Religiosa quædam in monasterio Crucis dedit vnum ex hisce granis, quæ originaria tetigerat, Francisco de Rexas, qui illud in itinere amisit, quod vbi aduertit, retrò iuit, multum viæ spatium conficiens, cùmque eidem Beatæ Ioannæ precibus rem commendaret, factum est, vt illud in loco arenis pleno in aere eleuatum reperiret, summa pietate granum accepit, auro cingere illud fecit, remque non sine lachrymis ei, qui hoc donum dederat, patefecit.

Alia notabuntur in 2. tomo lib. 3. cap. 4. §. 2. cùm de remissione peccatorum per pænitentiam, signis admirandis demonstrata.

APPENDIX AD CAPVT VI.

De Admirandis perennibus circa Rerum deperditarum inuentiones.

ADmiranda in deperditis rebus adinueniendis, quotidiana experimur prodigia, quæ hic vt potè perennia adnotabo. Suntque.

1. *In actis S. S. Feb. tom. 3. in Cont. Bollandi.* Inuocata S. Edigna Virgine, quæ colitur Buechæ in Bauaria, res quocumque euentu ablatæ, seù furto surreptæ, solent mirabiliter inueniri; quare vt Furtis præfecta ibidem veneratur. Idem quoque mirabiliter apparet inuocata S. VValburge virgine Eystadii in Germania.

2. *Ibidem, in Martio tom. 3.* Extat Ecclesia in rure Danubii, in qua S. Martyris Quirini ope implorata, res furtiuæ sponsoribus intra triduum, aut restituebantur, aut earum fures detegebántur. Patuit istud tùm per multa exempla, tùm in fure quodam, oleum, qui tertio die, quo votum S. Quirino editum fuit, vltrò adueniens restituit.

3. *Henriquez in fasciculo de B. Roberto Abbate Molismensi.* Cùm eius intercessione, quædam mulier S. Abbati secundùm carnem propinqua, monile deperditum, mirabiliter adinuenisset. Hoc miraculum in ea regione tàm celebre euasit, vt quisquis aliquid amiserit, ad viri Dei auxilium confugere non moretur; atq; ita rẽ amissã sine dilatione recuperet.

4. Mirum est etiam quod apud omnes catholicos compertissimum est, & passim in dies experiuntur, qui rẽ depreditam adinuenire desiderant: recitãtes enim Responsorium S. Antonii Patauini, aut statim inueniunt, aut certè vbi extet, à quo ablata sit, in quos vsus versa, clarissimè dignoscunt, quod plerique fide digni, sibi semper euenisse testati sunt.

Finis Libri Quarti.

LIBER QVINTVS

De Admirandis circa Mixta inanimata.

Vò viliora in mundo sunt inanimata mixta, eò nobiliora Admiranda, quæ in his operatus est Deus, apparent; illis etenim, cùm veluti gemma diuinæ omnipotentiæ extent obsignata, tàm splendescentibus characteribus insignita, haud naturalem tunc sibi vendicant ignobilitatem, sed diuinitatis insignia admirabiliori modo in se ipsis præseferunt. De his igitur peculiariter in præsenti libro.

CAPVT PRIMVM

De Admirandis lapidibus, naturalem grauitatem diuinitùs amittentibus. §. 1.

Axea, adamantinaque corda, vt ab ipsis lapidibus diuinæ omnipotentiæ haud resistentibus, emollire edificant Sectarii, Admiranda, quę in lapidibus aut antiquis euenere temporibus, aut adhùc mirabiliter apparent, hic primò referam, exordiarque à grauitate, quam, licet naturaliter illis, inditam, totis conentur conseruare nixibus, hanc tamen, iubente Deo, admirabiliter amittunt, leuioresque plurimis euadunt. De his.

1. *Anonymus in actis B. Stephani Abb. Obacinensis lib. 1. cap. 15. de Fratribus monasterij dicti Obacina.* Habitacula ipsi sibimet construebant, lapides ex monte præcisos, malleis confringentes, & ad ædificii locum propriis humeris deportantes. Eratque mirum videre lapides prægrandes, qui à multi hominibus portari nequibant, à quatuor tantùm fratribus portari, eisque adeò leues apparere, vt nullum onus ferre se existimarent.

2. *Vinc. Belu. in Spec. Hist. lib. 7. cap.* 81 Beatæ Mariæ Basilicam, à Constantino mirabili opere fabricata reniret. Ad quam adductæ columnæ, cùm præ magnitudine leuari non possent, ac diebus singulis casso labore fatigarentur, apparuit artifici Sancta Virgo per visum dicens. Noli molestus esse, coniunge tibi tres pueros de scholis, quorum adiutorio, quoduis implere possis. Quod etiam factum est, præstitumque est populis spectare mirandum spectaculum, vt quòd multitudo virorum fortium leuare nequiuerat, tres pueri absque virtute perfecti corporis, summa velocitate sublevarent.

3. *In officio S. Frigdiani Episcopi.* Viginti octo Ecclesias baptismales ædificauit, quarum illa precipuè extit, quæ in honorem trium sanctorum Leuitarum dicata, nunc S. Frigdiani dicitur; ad quam ædificandum saxum ingens, quod multi homines loco mouere non potuerunt, nullo labore transtulit, quod hodiè quoque in eadem Ecclesia ob facti memoriam seruatur.

4. *S. Greg. Tur. de gl. Confes. cap. 17. de tumulo S. Benigni.* In quodam pago Turonico erat inter vepres, & rubos sepulchrum positum, in quo ferebatur Episcopum quendam fuisse sepultum (nomen ignorabant) contigit verò, vt pauperis cuiusdam filius moreretur, quo sepulto, cùm opertorium Sarcophagi non inueniret, ad hunc locum accessit, ablatoque de hoc sepulchro cooperculo (quod iam imane erat, vt tribus duceretur paribus bonum) texit corpusculum filii furto alterius sepulchri: quod cùm fecisset, surdus, mutus, cęcus, ac debilis est effectus, mansitque in hoc suplicio integrum ferè annum. Dehinc apparuit ei quidam sacerdos per visum dicens. Quid inquit, tibi, tuisque vim intuli, ò vir, quia detexisti me, auferendo opertorium tumuli mei; Vade nunc, si vis sanus fieri, iube ipsum velociter reuocari, quod si nolueris, protinùs morieris. Ego enim sum Benignus Episcopus, qui in hāc vrbem peregrinus adueni. At ille suis innuens, accessit ad monumentum filii sui, eleuatumque lapidem plaustro imposuit, reportatumque vt Sarcophago reddidit, illicò sanus effectus est. Nam in redeundo ita lapis leuis erat, vt quem tria paria bouum euexerant, boues deinceps duo reuocarent.

5. *S. Greg. libr. 2. Dial. capit. 9. de S. Benedicto.* Quodam die dùm fratres habitacula eiusdem cellę construerent, lapis in medio iacebat, quem in ædificium leuare decreuerunt. Cùmque eum duo vel tres mouere non possent, plures adiuncti sunt, sed ita immobilis mansit, ac si radicitùs in terra teneretur, vt palàm daretur intelligi, quod super eum ipse per se antiquus hostis sederet, quem tātorum virorum manus mouere non possent. Difficultate igitur facta, ad virum Dei missum est, vt veniret, & orando hostem repelleret, vt lapidem leuare possent. Qui mox venit, & orationem faciens, benedictionem dedit, & tanta lapis celeritate leuatus est, ac si nullum priùs pondus habuisset.

6. *In vita S. Syluestri Abb.* Excisum non longè à cœnobio saxum, ac benè dolatum, altaris ministerio consecrandum, ab omnibus cœnobii monachis, adhibitis etiam ad operam externis hominibus, ne loco quidem dimoueri poterat, ac si altissimas humi radices egisset, quippe apparebat, pium illorum conatum mali dæmonis artibus eludi; quocirca cùm frustrà se tanto pondere obluctari cernerent, Syluestrum euocandum censent,

quo

quo accito, & salutari ab eo signo Crucis adhibito, iàm facilè lapis ille conuehi cæptus est, vt omnes aridum lignum, non molem illam ingentem vectare videretur, vt exindè apparuerit illusorem dæmonem, dolosum recessisse.

7. *S. Petrus Damianus in sermon de S. Rufino*. Iacebat obsita sordido loco extra vrbem Assisii S. Rufini marmorea vrna, eamque ciues curabant in vrbem referri; contentio tamen inter ciues orta est, aliis alium locum designantibus: mirum, sexaginta viri eam loco dimouere non potuere, quòd eum locum, quem illi statuerunt, diuinum consilium non admisisset, attamen septem alii tantummodò viri, qui locum alium ex diuino consilio, delegerant admiranda suauitate, quò voluere transtulerunt.

8. *Zonaras in Iuliano*. In Ægea Ciliciæ vrbe, Christiani ab Æschulapii templo diruto columnas ad Dei templum ædificandum transtulerunt; at Iulianus Apostata Imperator id non ferens, in pristinum locum restitui Episcopi sumptibus iusserat, in id igitur opus sedulam nauabant operam ethnici, iamque vnam columnam demoliti vsque ad Ecclesiæ limen machinis pertraxerant, sed cùm irrito labore extrahere niterentur, ea relicta, opus intermisere: defuncto postea Iuliano, nullo labore negotioue Episcopi iussu in pristinum locum cum est restituta.

9. *Raderus in Bauaria Sacra de S. Hartmanno Episcopo*. Lapis frontis altaris, quo sacri diuorum cineres conduntur, ritè quadratus, post initiationem loco reponendus, nulla arte, ne ipsorum quidem lapicidarum manu, quadrari loco poterat; donec Sanctus Pontifex ipse dexteram admoueret, cui dicto citiùs cessit saxum, & locum impleuit.

10. *Auct. Fast. Marian. de S. Audoeno Episcopo*. Saxum ingens, quod loco mouere multa bouum iuga non poterant, duobus buculis obsequens habuit.

11. *In annalibus Cler. minist. Infirm. an. 1585. de Fratre Horatio de Sanctis*. Cum pertransiret quendam Aprutii montem, casu accidit, multitudinem saxorum à montis vertice præcipitem ruere: dùm tanto in vitæ discrimine consisteret, Dominum deprecabatur, vt eum eriperet, ipse verò se omnia via, & quo poterat modo meliori saxorum casum, sua damna deuitauit, (ò miranda Dei virtus atque pietas) exaudiuit Dominus Horatii postulationem, cautes corpori cùm appropinquasset suo, quasi mentis compos transiliit, vel quasi auis transuolauit, linquens illæsum spatium, vbi Horatii membra posternabantur expectantis cautem sibi daturam inibi sepulchrum, verùm enim verò nequicquam damni pertulit; cautes verò cùm per aerem vacuus, veluti à vento duceretur in alteram partem, ibi immobilis stetit, & quemadmodum ille ignis Babylonicus virtutem vrendi tres innocentissimus pueros perdidit, ita Deo obediens cautes quodammodo leuis euasit transiliendo, ne premeret Horatii corpus, quod non tetigit prorsùs.

12. *In vita S. Patritij Episcopi cap. 62*. Prætereiens S. Patritius quadam die, vidit, adunatam hominum multitudinem, vt amouerent à loco quemdam lapidem prægrandem: diù in tali opere sed frustrà, desudarant, quia conamine casso, velut viribus eneruati, & fatigati, illum eleuare, vel erigere non præualebant: Accessit Antistes almus ad locum, laudabilis latomus templi videlicet Dei viui ædificandi in Domino, factaq. oratione, ac data benedictione locum saxum illud ingens, quod à centum viris agitari non potuit, amouit, erexit, leuauit, ac locauit in loco apto. Homines verò illi illud opus mirabile admirabantur, & ad Deum Sancti Patritii conuertebantur credendo.

13. *In actis S. Maronis m*. Immanissimam petrā quam vix ad trochleam septuaginta homines pensare potuissent, super humeros S. Maronis imposuerunt carnifices. Ipse autem quasi leues paleas portauit per duo milliaria sanus, & in eo loco posuit, in quo orare consueuerat. Et hoc factum omnis prouinciæ populus admiratus, credidit in Christo, & baptizatus est.

14. *In vita S. Benedicti Auenionensis*. Cùm Auenioni pontem ex mandato diuino construere vellet, iussit ei Episcopus, vt in signum reuelationis diuinæ, ingens saxum ad locum, vbi pons efformandus erat, deportarat. Abiens Episcopus, & populus simùl, Benedictus accepit lapidem, quem triginta homines non possent amouere à loco suo, ita facilè deferens, ac si lapillus manualis esset, & posuit in loco, vbi pons habet pedem suum; Quæ videntes, admirati sunt.

15. *In actis S. Trodoardi Abb*. Accedente Abbate cùm fratribus ad pauimenti lapides reuoluendos, lapis ille, qui sacro superpositus fuerat monumento Trodoardi, nemine impellante ita in partem lubricus ruit, vt cæteris immobiliter persistentibus, hunc summo impellentium nixu coactum, violentiùs cessisse putares. Intellectum est ab omnibus sacri virtute corporis eum fuisse repulsum, quòd piè quærentibus vltrò se videbatur ingerere.

16. *Ioannes Eusebius lib. 2. de mirac. nat. capit. 41*. Præpositus monasterii S. Brigidæ, cùm ingentem lapidem moralem in cacumine altissimi montis iussisset cædi, adque statutum locum propter arduam montis ascensionem, eiusque ingens pondus, trahi nullatenùs posset, inuocato auxilio S. Brigidæ, faciliter, ceù leuem factum, vsque ad loca plana deuexit, & exindè cùm bobus vsque ad molendinum vectus, artificiosè cùm altero iunctus est lapide.

17. *Cæsarius hom. 40. de B. Theodorico*. Theodoricus de Lurcke monachus noster quondam Canonicus Bonnensis, quem multi nostri nouerunt, die quadam cùm conuentu exierat ad lapides eruendos de monte proximo monasterio: cùmque maximum lapidem à conuentu semotus conspiceret, quadam ductus curiositate, instrumentum admouit, sed nihil prorsùs profecit: nec mirum fuerat, si quidam tantæ quantitas, sicque terræ radicitùs infixus, vt à viginti viris non posset moueri. Recordatus Dominicæ promissionis, genua flexit, orauit, completaque Angelica salutatione cùm oratione Domini-

minica, mox vt manus apposuit, lapis virtute diuina leuatus exilijt.

18. *Pet. de Nat. lib. 9. cap. 71. de Apparit. S. Michaelis Archangeli*. Cùm Ecclesia S. Michaelis construeretur, duæ rupes ibidem erant, quæ humanitùs indè moueri non poterant, quæ & officium impediebant. Sed Michael cuidam viro apparuit, præcipiens, vt ipsas rupes indè amoueret: qui tàm facilè eas mouit, vt nihil habere ponderis viderentur; sicque Ecclesia in honorem Archangeli Michaelis constituitur.

19. *In Annal. Minimorum ad ann. 1464. de Sancto Francisco de Paula*. Ad limen Ecclesiæ ingentes lapides duos sustulit solus Sanctus Franciscus, cùm ne loco quidem à viginti robustis hominibus moueri possent; visuntur etiam nunc cùm stupore, & veneratione in miraculi memoriam; plerique qui illùc veniunt, deuotionis causa student assulas decerpere, sed frustrà, tantopere illi ad omnem vim obduruerunt.

20. *Vadingus in Annal. Minor. an. 1218. n. 9. de S. Francisco*. A Perusio vir sanctus ad solitudinem Aluerni montis perrexit per viam montis acuti, & superiorem partem vallis Capresij. Dùm autem transiret per Ecclesiam S. Pauli, alijs Poli, quæ tunc resarciebatur, videretque duos cęmentarios molestè, & frustrà laborantes in eleuando, adaptandoque ostij cardine, ob propensionem ergæ Ecclesias reparandas, & compassionem artificum, quem bini nō poterant eleuare lapidem, solus suo loco reposuit.

21. *Idem, de B. Conrado Placentino an. 1351. n. 26*. In antro extruendæ arę Christo crucifixo, saxum ingens excidi curauerat, quod dùm extrahere aduocati agricolę non possent, admota ille manu, nullo labore in campum eduxit.

22. *Idem an. 1377. n. 6. de B. Thoma tertij ordinis S. Francisci*. In Prætorio ingens cecidit super puerum columna; membris attritis, ne omninò periret, accurrit populus, vt columnam amoueret. In vanum laborantibus vocatus est in adiutorium Thomas, qui puero compassus, & oratione præmissa, velut alter Samson solus ingenti hoc pondere iuuenculum leuauit.

23. *Idem an. 1447. n. 31. de B. Thoma Florent.* In area cœnobij Montis-Plani in Aprutio prę foribus Ecclesiæ, ingens saxum, deformem & incommodum reddebat ingressum. Nulla arte, nulloque labore non intentarunt Fratres amouere, nec poterant, resistente maxima saxi duritie vniuersis lapicidis. Conuenerunt omnes demùm oppidani vltra ducentos, adiunctisque viribus & artibus, longo tempore in cassum laborarunt: Tandem Dei seruus aduocatis duobus, Martino Antonij Buccio, & Antonio Blasij, se illorum adiutorio lapidem aliò trāslaturum spopondit. Ridentibus qui aderant, orauit; & admoto bacillo, quo solebat incedere, suis coadiutoribus dixit, vt in præceps agerent in vallem inferiorem, vel in ripa constituerent, ne horto subiacenti graui noceret ruina. Illi impulerunt, cessitque nullo labore lapideus ille monticulus; atque in areæ margine substitit, subiecto horto nullo illato nocumento.

24. *Idem an. 1418. n. 9. de Fr. Ioanne Stronconio*. Ædificabat conuentum propè ciuitatem Luceriæ Saracenorum, tenui tamen populorum subsidio, & proindè perficiendum dixit morte cuiusdam ciuis locupletis. Ita factum: obijt paulò pòst quidam vir diues, qui facultates suas relegauit operi complendo. Pro altari maiori petijt à ciuibus sibi donari tabulam quandam marmoream, neglectam in palatio desolato Imperatoris Friderici ad castrum Florentini, vbi aliàs diximus decessisse. Responderunt difficulter satis transportari posse integram, & propterea tot annis omissam aliam longè maiorem iam dicatam aræ præcipuæ templi Cathedralis. Pepigit ille vtramque se laturum absque vlla læsione, modò minorem dono reciperet. Admissa conditione, solus ipse cùm socio imposuit plaustro vtramque tabulam, & duxit absque alio ductore per aliquot milliaria in vrbem, reposuitque maiorem in æde matrice, alteram in sua Ecclesia, omnibus admirantibus. Vtraque tabula in præsentem vsque diem cernitur in prædictorum templorum aris.

Lapides diuinitùs mollescentes.

§. 2.

QVi grauitatem Dei imperio deperdunt ponderosissimi lapides, iisdem, & duritiem, quò faciliùs in ipsis, ceù in molli cera, Admiranda Dei imprimantur, deponunt. De quibus.

1. *Colganus 8. Martij*. De S. Cataldo, qui ex Hyberniæ partibus erat, legimus, quòd insignibus statim miraculis coruscarit. Nam vt ex vtero prodiit, caput eius in marmor, quasi in ceram mollissimam intrauit, & signum verticis concauitatem demisit. Cùmque mater ex dolore partus expirasset, infans sine cuiusquam auxilio se erexit, & matrem amplectens, suo tactu mirabiliter suscitauit. Cùmque marmor, in quo nascens caput defixerat, sub dio positum esset, & in eius concauitatem pluuia caderet, omnes ægri ex aqua illa sumentes, à quacùmque ægritudine curabantur.

2. *In actis S.S. 19. Ian. de S. Vulstano Episcopo VVigorniensi apud Bolland.* Cùm Vuilhelmus Rex, litteraturę insufficiētiam, & Gallici sermonis imperitiam prætendens, Vulstanum officio Episcopali priuare niteretur, conuocato consilio, iussus est sanctus Episcopus à Lanfranco Archiepiscopo baculum resignare, cedereque Episcopatui. Tùm S. Episcopus respondit: & ego quidem insufficientiam meam non ignorans, & huic S. Synodi sententiæ cedens, resignabo quidem baculum, sed non tibi, sed potiùs ei, cuius cùm auctoritate suscepi. His dictis, accedens ad tumulum S. Eduardi, & stans ante sepulchrum, eleuata paullulùm manu, in lapidem, quo sanctum corpus tegebatur, baculum infixit, dicens: Accipe Domine mi Rex, & cui libuerit trade illum: & ecce subitò virga in lapide, ceù in molli cera immissa, & quasi radices emisisset, nulla vi trahi potuit, quo prodigio Dei voluntatem intelligentes, eumdem in Episcopatu confirmarunt.

3. *Pet. de nat. li. 8. c. 65. de S. Venerio abb.* Draco ingens propè ciuitatem Lunensem habitabat, qui carinas in mari sæpiùs subuertebat. Ad instantiam ergo Lunensis Episcopi, S. Venerium super hoc

precibus tertiò pulsantis, post orationem, & ieiuniū triduanū cùm archidiacono, & pluribus descēdens ad rupem, vbi draco latebat, vestigia sua in saxa, acsi in cera, impressa reliquit. Et dùm draconi ex parte Episcopi de recessu mandasset, illeque nullatenùs moueretur, deindè ei mandauit in nomine Trinitatis, vt se in abyssum demergeret: draco se statim in mare præcipitans, nusquàm comparuit.

4. *Torellus in Hist. August. an.* 988. Cùm S. Nico Eremita pro Lacedemonensij ciuitate preces continuas profunderet coram Deo, semel faciem suam supra saxum humilitatis causa deposuit, & ecce illicò, ac si mollis cera fuisset, recepit imaginem, conseruauitque illius sanctissimi vultus vestigium.

5. *In Hist. Camaldul. lib.* 1. *cap.* 32. Quadam die S. Romualdus redibat ad eremum Camalduli, sed lassus in medio itineris requieuit paullulùm super ingens saxum. Quem diabolus apprehendens per cucullam, conabatur præcipitare in vicinam fluminis fossam. Sed Romualdus, saxum præfatum manibus arripuit, & duro lapidi, ac si mollis cera fuisset, vestigia manuum, & pedum infixit. Cùm clamasset Iesum, ante oculos eius repentino terræ hiatu furia diabolica absorpta est.

6. *Raderus de S. Constantino, ex Iudæo, Christian.* Dignus baptismatis gratia iudicatus, sacris christianis est admotus, & Constantinus dictus; quo dein loco ex baptisterio est egressus, impressa pedibus vestigia reliquit.

7. *Ioannes Maldonatus in vita S. S. Vincentij, Sabinæ, & Soc.* Rapitur Vincētius & ad Iouis templum ducitur, sed in media platea, durissimo pedem imprimens lapidi, cunctos in admirationem vertit. Demirati certè carnifices pedis vestigium in silice, verum esse Deum, quem prædicabat Vincentius, crediderunt.

8. *In actis S. Fiatrij Eremitæ,* Lapis aliquandò cessioni obsequens S. Fiatrij, cauo veluti sinu eum excepit, vt commodiùs insideret.

9. *Surius in vita S. Eliphij* 16. *Octobris.* Subijt in montem, & ibi lapidem colore album, situ planū, inueniens, sedit super eum. Protinùs duritia lapidis officiosè cessit pio martyri; etenim quasi cera benè mollis insidenti gremium aperiens concauum, subsellium præbuit, secuturis memorabile sæculis. Vndè hactenùs mons ille, mons dicitur S Eliphij.

10. *In actis S. Leocadiæ.* Leocadia virgo Toletana, dira carceris custodia macerata, cùm grauissimos B. Eulaliæ, & reliquorum martyrum, qui à Daciano interficiebantur, audisset cruciatus, genibus in oratione positis ante Crucem (quam ipsa digitis in lapide durissimo impresserat) impollutum Christo spiritum reddidit.

11. *Gonzaga in Prouincia Tusciæ, de conuentu sacri montis Aluernæ.* Inuisere licet hoc in sacro monte quoddam specu, quo se B. P. Franciscus, contēplationi vacaturus, recipere assueuerat, & ex quo inuidens sibi dæmon eum præcipitare nisus est: sed saxus alioquin durus, ità se B. Patri mollem, tractabilemq; præbuit, vt & digitos in eo imprimere, & eius apprehensione huiusmodi præcipitationē euadere potuerit. Digitorū vestigia plurimis annis ibidem perseuerarūt, quæ tamen posteà ferro cesserūt.

12. *Masculus in encom. S. S.* 4. *Decemb.* Saxum se aperiens excepit in tutelam S. Barbaram, quę & alio in marmore digitis signum Crucis impressit.

13. *In actis S. S. Luciæ, & Geminiani m. m.* Cùm S. Lucia cùm Geminiano videns fremitum pœnarum, quæ illis parabantur, expauesceret, & fugens non haberet, vbi se absconderet; illa suspirante, mons medius crepuit, & Sanctos Dei tribus diebus ac noctibus abscondit.

14. *Vincentius in spec. Hist. lib.* 10. *cap.* 87. *de S. Maria ancilla.* Cùm hæc Beata Ancilla à persequentibus circūdata esset, nec quò fugeret haberet, facta oratione, petra, quæ ante oculos eius iacebat, Domino iubente, patefacta, rimā profugij, qua virgo susciperetur, ostendit, & adinstar dulcissimæ matris motu quodā anxiam amplexans se præbuit, moxq; suscepta Virgine, latera antea aperta conclusit.

15. *In vita S. Patritij cap.* 133. S. Patritius ad confutandam, & confundendam duritiem cordis cuiusdam tyranni, sputum super lapidem coram illo fortè iacentem proiecit, qui mox in tres partes diuisus, in oculis præsentium crepuit.

16. *Pet. de Natal. lib.* 8. *cap.* 84. *de S. Euphemia Virg. & Mart.* Priscus iudex eam per capillos suspendi fecit: sed immobilem permanentem, negato cibo, iterùm diebus septem in custodia macerauit. Illa verò ab Angelo quotidiè refecta, septimo die educta, subter quatuor magnos lapides posita *est*; quatenùs sicut oliua confringeretur. Ad cuius orationem, lapides ùt puluis comminuti sunt.

17. *In vitis P. P. de S. Iacobo Nisibitæ Episc.* Is cùm aliquandò vidisset iudicem Persam, iniquam tulisse sentētiam, quemdam maximum lapidem, qui propè situs erat, execratus, iussit eum conteri, & dispergi, & illius iniquam arguere sententiam; lapide autem statim comminuto in particulas innumerabiles, conterriti fuere, qui aderant: horrore autem plenus iudex, reuocauit quidem priorem, alteram autem iustam tulit sententiam.

18. *In actis S. Georgij M.* In Diospoli ciuitate in quadam martyris Georgij Ecclesia, erat marmorea columna, ad quam passionis tempore est flagellatus, in eaque imago eius depicta erat, quam imaginem, cùm semel quidam scelestus lancea percutere tentasset, lacea eadem quasi per niueum globum mollem, mirum in modum facilè penetrans, lapideam illam perforauit columnam exteriore parte eius; cuius ferrum interiùs inhærens, retentum est, nec vnquam vllo modo extrahi potuit: hastile autem ad S. Martyris collisam marmoream columnam confractum est. Cùm autem ipse ex equo, cui insidebat illicò mortuo, in terram cecidisset, manus in illam marmoream columnam misit, eiusque digiti quasi in mollitiem, vel lutum intrantes, in eadem impressi inhæserunt columna.

19. *In ann. Minor. ann.* 1399. *n.* 33. S. Franciscus in agro Sarnani in loco nuncupato Valcaianus, vbi cœnobium inchoauit, cinguli extremitate quibusdam litteris Seraphini effigiem, tanquam sigilli opera exaratam, in lapide impressit. Ab eo tempore Sarnani oppidum Seraphino pro stemmate vtitur.

20. *Gonzaga in Prou. Calabriæ, de Conuentu S. Mariæ*

Mariæ de Gratijs Mesuracæ. Vener. Matthæus Mesuracanus, duriores, informioresque lapides signo crucis molliores sæpiùs reddidit, atque dolauit, ita vt vllo alio absque adminiculo, operi admoueri, adaptarique potuerint. Qua propter à deuotis Mesuracanis maxima in veneratione habetur, illisq; in suis necessitatibus succurrit, patrocinaturq.

Reliqua in Appendice; cùm de vestigijs adhùc apparentibus.

Lapides, & Montes, mirabiliter aliò translati.

§. 3.

ET montes, ingentiaque saxa à firma fide credentibus, nihilque hæsitantibus aliò transferri posse, testatus est Christus in Euangelio: Hoc, Admiranda, de quibus infra, cunctis mortalibus comprobauere.

1. *In actis S. Aedi Episcopi*. Fodientes aliquandò fratres circa monasterium Sancti Aedi Episcopi, inuenerunt saxum, quod nulla vi de suo loco potuit deponi. Videns hoc Sanctus Aedus, imperauit saxo coram fratribus, vt descenderet in alium locum. Et illicò ad verbum sancti Aedi Episcopi, saxum ad alium descendit, & S. Aedus illud benedixit, & sanitas quibusdam apud ipsum à Domino per bendictionem S. Aedi Episcopi datur.

2. *Colganus in vita S. Fechini Abbatis*. Contulit se quadam vice S. Fechinus ad Ecclesiam, quæ Teaghmhac Nembaim dicitur in prouincia Lageniæ, & regione de Hy-Foelain positam. Ecclesia illa loci angustijs coarctata non habebat locum pro templo simùl, & cœmeterio sufficientem, petra ingenti imminente, quę spatium præoccupabat. Querelis de hac re ad eum delatis; Vir Sanctus saxeo monti ait: Voluntas Dei, qui promisit seruis suis, vt in fide verbi sui non hæsitantes, montes transferant, est, quòd loco cedas, & Ecclesię, & sepulturæ Ecclesiasticæ facias locum, & ex tempore ita factum est.

3. *S. Greg. lib. 1. Dial. cap. 6. de Nonnoso Præposito monasterij in monte Soratis*. Quia eius monasterium in summo montis cacumine situm est, ad quemlibet paruum hortum fratribus excolendum nulla patebat planities: vnus autem breuissimus locus in latere montis excreuerat, quem ingentis saxi moles naturaliter egrediens occupabat. Quadam verò die dùm Nonnosus vir venerabilis cogitaret, quòd saltem ad condimenta olerum nutrienda, locus idem aptus potuisset existere, si hunc moles saxi illius non teneret, occurrit animo quòd eamdem molem quinta bouum paria mouere non possent. Cùmq; de humano labore facta esset desperatio, ad diuinum se solatium contulit, seque illic nocturno silentio in orationem dedit. Cùmq; mane facto ad eumdem locum fratres venirent, inueuerunt molem tantæ magnitudinis ab eodem loco longiùs recessisse, suoque recessu, largum fratribus spatium ad excolendum hortum dedisse.

4. *In vita B. Roberti Cælestini cap. 6.* Beatus Robertus stationem sibi aliquanto tempore, apud locum sanctæ Marię de Lamia, ad pietatis exercenda opera constituit. Vbi dùm lapicidæ ad limen basilicæ exornandum, ingens saxum exciderent: iamque media parte, à rupe euulsissent, lassi substitere. Interea accidit, vt Beatus Robertus celebrata missa, baculo præ corporis debilitate subnixus, ad eos inuisendos properaret. Cùm subitò, saxum illud ingens, ac si viri desiderio annuere percuperet, à loco se abripiens, in præceps desilijt: terribilibus desultibus, ima viæ, qua vir Dei ascendebat, expetens. Animaduerso Robertus periculo, fugæ præsidium capessit. At Deus ipse, vt seruum suum doceret, spem in diuino collocare præsidio, ipsius fugientis pedem, acutissima pungi spina permisit: cuius ictus dolore, in terram corruit. Lapis vero subitò longè à sancto in decliui substitit, ac si in terram profundiùs defigeretur. Substitit inquam, super propriam longitudinem, quem multorum quantùmuis ingentes vires, minimè sistere quiuissent. At dùm se vir sanctùs erexisset, inque alium locum se paululùm subduxisset, continuò per se saxum cursum repetiuit: donec in ima dilaberetur.

5. *Antonius Beatillus in vita S. Nicolai Myrensis*. Cùm esset Romæ S. Nicolaus Episcopus, vbi palatium iuxta Tiberim prolapsum erat, ruinæque in Tiberim cadebant, vidit quamdam columellam, eamque integram marmoream candidam, & rubicundam, supra quam crucis formauit signum, voceque intelligibili ait; I columna per hoc flumen vsque ad mare, & vsque ad vrbem Myrhæ te circùmfer, nam ibi te vti in Ecclesiæ meæ erectione volo, cùm Dei ope, rediero. Statim insensibile marmor paruit, iter in mare arripuit, & se vsque ad littus Andronicę contulit, Myrhę portum intrauit, & paulò post Roma discedens Nicolaus Myrham iuit, & columna vsus est.

6. *In vita S. Georgij mart.* Mulier quædam B. Georgij deuota, coemerat columnam collocandam in Templo, quod eidem Sancto in castro Ramel Syriæ ædificabatur, quæ cùm rogasset quemdam nautam, vt vnà cùm alijs ad id opus paratis in sua naui secùm illàc illam deferret, nequaquam exaudita est; qua de re multùm dolens, rogabat Sanctum, vt sibi ferret auxilium; qui in somno ei apparens; dixit illi: vbi vis columnam collocari? & illa respondit, ad dexteram templi partem. Tunc sanctus digito saxo inscripsit: Columna hæc viduæ in dextro templi latere secundum locum occupet; simùlque leuauit partem columnæ, versusque ad mulierem, dixit, adiuua & tu; & ita leuata ab vtroque columna proiecta est in mare, sanctique Georgij ope ante omnes alias translata est, & postridiè mane iacens in ora portus est reperta; & collocata est eo loco, quo inscriptio iubebat.

7. *In vita S. Patritij cap. 55.* Proposuerat S. Patritius circuire totam insulam Connactiam, vt ad Christum conuerteret eam; igitur ad iter procinctus, Conallum, carissimum suum benedictione muniuit, & in sui memoriam quasi quoddam pignus sanctitatis suæ, altare suum lapideum ad salutem languentibus conferendam, signorum effectiuum, reliquit. Cùmque iter arriperet, altare illud sequens illum egrediebatur, nec alicuius hominis oculis perceptibile fuit à quo portabatur, sed (vt reor) eius potentia atque virtute, lapis ille post Patritium portabatur in via, cuius

nutu de Iudæa in Chaldæam transuectus est Habacuc Propheta. Vt enim lapis ille angularis, scilicet Christus, cunctis ostenderet Patritij sanctitatem, absque humana manu ferri fecit illum sanctum lapidem. Respiciens Antistes Sanctus, altare modo tàm miraculoso post se gestari, exultabat in Domino, reuersusque collocauit illud in loco idoneo. Ab illo ergo die vsque in præsens fixum perstitit, sed miraculis coruscare non destitit, ac si virtus Patritij mansisset in eo, aut manasset ex eo.

8. *Surius in vita S. Gregorij Thaumaturgi, 3. Iul.* Cùm requireret æditũus quidam, ingentem quendam lapidem, qui eorum oculis se obtulit, manu autem humana moueri non poterat, per solam ex fide potestatem, iussu Gregorij transferri ad alium locum, nihil differens magnus, statim tanquam animato imperauit lapidi, vt transiret ad illum locum, quem ostendit æditũus. Vbi autem hoc factum est, vir statim verbo credidit, & omnibus relictis, genere, domo, vxore, possessionibus, filijs, amicis, sacerdotio, focis, & penatibus, pro his omnibus delegit cùm magno illo viro versari, & esse eius laborum particeps, & diuina illa frui philosophia, & eruditione.

9. *Eusebius Cæsariensis lib. 7. Hist. cap. 26. de eodem.* Cùm in ædificanda Ecclesia, area non sufficeret pro illius structura, cui videlicet impedimento erant, hinc rupes, & indè collis. Venit nocte S. Gregorius ad locum, & genibus flexis, admonuit Dominum promissionis suæ, vt montem longiùs iuxta fidem petentis ageret. Et mane facto reuersus, inuenit montem tantùm spatij reliquisse structoribus Ecclesiæ, quantùm opus habuerant.

10. *In vita S. Francisci de Paula.* Cùm construeret monasterium apud Paternum, nec locus esset aptus, præcepit montibus, qui longiùs recedentes, magnum & amplum spatium præbuerunt. Aliàs cùm rupes impediret, ne riuulus trāsiret propè muros monasterij sui, dixit rupi: Soror per charitatem recede hinc, & sine venire fratrem riuulum. Vix verba compleuerat, & statim rupes longiùs recessit. Cùm verò Paulanum conuentum ædificaret, collem vicinum, qui dormitorio extruendo officiebat, ad nutum transtulit in alium locum; alium verò lapidem qui imminebat, facto Crucis signo, in medio aere retinuit.

11. *In Martyrol. Gallicano 13. Sept. de S. Amato Confess.* Cùm in agello semel vir Dei nonnihil foderet, ab excelsa montis rupe saxum immane ruens propriæ cellulæ repentinum minabatur excidium; tunc vir Dei crucis signum exprimens, lapidem, ne in tuguriolum decideret, Iesu nomine inuocato, cohibuit, rupique eodem momento infixit.

12. *Pet. de Natal. lib. 9. cap. 19. de S. Aniano.* Ad Iudæorum suggestionem odientium Anianum, Rex Babyloniæ mandauit, vt, quia in Euangelio Christianorum continetur, quòd habentes fidem sicut granum sinapis, montes trāsferre possent; quatenùs Christiani montem magnum Tumi de suo loco transferrent: alioquin, aut fidem Christi tanquam falsam abnegarent, aut capitalem sententiam omnes subirent: Episcopo igitur Thesithiæ cùm omnibus Christianis ex hoc admodùm afflicto, & Deum pro fide sua simpliciter exoranti, per Angelum reuelatur, neminem ad hoc ex fide sua idoneum, nisi monoculum Anianum. Vocatur igitur ab Episcopo, omniq; populo indicto ieiunio triduano, ipse confisus in Domino, monti mandauit: & mons continuò se mouere cępit, & de suo loco recedens, tantaque celeritate versùs Babyloniam veniens, quanta nauis per æquora vento pellitur: & eò vsq; diuinitùs defertur, donec ad preces Regis monti mandauit, vt figeretur, ne in ciuitatem irrueret, & eandem opprimeret. Sicque ibidem fixus vsque hodiè manet.

13. *Surius in vita S. Odonis Abb. Cluniacensis lib. 3.* S. Theodoardus Cœnobiarca, cùm ob penuriam piscium, abstrahere ab esca carnium monachos suos nequiret, à Deo impetrauit, vt dissiti colles duo iungerentur, ac vallem medio loco clauderent, in quam riuus influens, stagnum fecit, & piscium copia deinceps redundauit.

14. *Ferrarius in Catal. S. S. 23. Aprilis.* Montem, qui ab itinerantibus maximo cùm labore, conscendebatur, facto signo crucis S. Georgius Episcopus Suellensis diuisit; indeque fons aquæ, qui etiamnùm perseuerat, mirabiliter scaturijt.

15. *In actis S. S. Martij tom. 1. in cont. Bollandi.* Cùm scopulus ingens, & per naturam grandis, qui inter insulam Bas in Laudonia, & viciniorem terram medio in itinere fixus, & immobilis, marinisq; fluxibus existens æqualis, nauibus & cæteris nauigantibus præbebat impedimentum, interdùm naufragium nauibus transeuntibus causaret. B. Baltherus presbyter pietate ductus, super eumdem scopulum se se collocari constituit. Quo facto, eius nutu scopulus ille illicò sursùm erectus est, & velut nauicula prospero agitata vento ad proximum *littus* accessit: Quo hactenùs ibidem in huius miraculi memoria permanet, & vsque hodiè tumba seù scapha B. Baltheri nuncupatur.

16. *Ibidem tom. 2.* Impediebat quidam peruersus de Momoniæ magnatibus, Cearbhallus nomine, S. Patritium, ne quodam in loco Ecclesiam ædificaret; & tandem ad euitandas eius continuas petitiones, licentiam daturum promisit, si precibus in planitiem redigeret quendam montem, qui propriæ habitationi visum amæni lacus impediebat. Tunc sanctus facta oratione leuauit oculos fidei, moxque mons ille humiliatus, & absorptus à terra exhibita planitie præbuit homini liberam facultatem videndi stagnum: Quo miraculo viso, Ecclesiam ædificare concessit; sed quia postea iterùm obstinatus prohibuit ne cæptum opus perficeret, Sanctus rursùs orauit, & mons excreuit in pristinæ celsitudinis statum.

17. *Ibidem tom. 3.* Cùm Abbas Serapion ad S. Marcum eremitam in Lybia Dei monitu iuisset: inter alia quæsiuit S. Eremita ab Abbate, essent ne in mundo sancti aliqui, facientes signa, atque prodigia, quemadmodùm dixit in Euangelio Christus, si habuerit quis fidem sicut granum sinapis, & dixerit monti huic transi hinc, & mittere in mare, fiet ei. Quo dicto. Statim ad hæc verba subla-

sublatus est mons, in quo ambo erant, & ibat in mare; Respiciens autem S. Eremita, & videns ipsum progredientem, percussit manu faciem suam inquiens. Quid tibi est ò mons? nunquam tibi dixi vt tollerere? sta in loco tuo. Et subitò stetit, loquente sancto, mons in loco suo.

18. *S. Greg. lib. 3. Dial. cap. 16. de Marcio monacho*. In specu illius magna desuper rupes eminebat, quæ cùm ex parte exigua monti videretur affixa, Marcij cellæ prominens, casum suum quotidiè, & illius interitum ruitura minabatur. Ad hunc Mascatus illustris vir armentarij nepos cùm magna rusticorum multitudine veniẽs, precabatur, vt vir Dei de specu eodem dignaretur exire, quatenùs ipse ruituram rupem ex monte potuisset euellere, atque in specu suo Dei famulus iam securus habitaret. Cùmque hoc vir Dei nequaquam acquiesceret ei, quod posset vt faceret, præcepit, & ipsi in cellæ suæ remotiori se parte contulit: si tam ingens moles rueret, dubium non erat quòd simul & specum destrueret, & Marcium necaret. Itaque dùm ea, quæ venerat multitudo conaretur, si posset sine periculo viri Dei ingens illud quod desuper incubuerat saxum leuare, cunctis videntibus repentè res valdè admirabilis contigit, quia moles ipsa quam conabantur euellere, subitò ab eisdem laborantibus euulsa, ne speluncæ Marcij tectum tangeret, saltum dedit, & quasi serui Dei læsionem fugiens, longiùs cecidit. Quod ad iussum omnipotentis Dei Angelico ministerio actum intelligit, qui diuina prouidentia disponi omnia fideliter credit.

De Lapidibus Admiranda varia.

§. 4.

NE tituli multiplicentur, varia sub hoc paragrapho referam admiranda, ad lapides spectantia. Sintque.

1. *Curopalata de obitu Constantini Imperatoris*. Quibusdam diebus ante ipsius obitum ad quoddam tempus continenter appetente vespera, lapides supernè emissi, & intra illius domos multo impetu dilapsi, eximios strepitus edebant: cùm verò existimaret à superioribus locis magna vi eos deferri, custodes ad multas noctes instituit, si quem deprehenderent id ausum; sed frustrà se laborare nescius erat, quippe cùm non ab hominibus ea res accideret, sed à superiori potentia fieret.

2. *Maiolus in meteoris*. In Meaco (urbs insignis est in Iaponia) anno Domini 1577. Regulus quidam Ethnico ritu suo dæmoniacam celebrabat festiuitatem, in qua plurimùm, publicèque Christianæ fidei sathanico ore detrahebat: Mirum! è sereno cælo, saxorum crepitantium pluuia decidere visa, & audita est, qua omnis illa Idololatrarum multitudo, quæ ad viginti millia numerabatur, dilapsa est, neque enim vnus permansit eo loci.

3. *Pet. de Natal. lib. 7. cap. 87. de S. S. Leontio, & Carpophoro mart*. Cùm iterùm, ac iterùm à Præside persuasi, cultum dijs suis exhibere renuerent, fecit illos Lysias Preses in crucibus leuari, & à circumstante populo lapidare: Verùm lapides iniacientes redibant, & plurimos vulnerabant.

4. *Seuerus Episcopus apud Baronium an. 418. De Conuersione Iudæorum facta in insula Minorica, vna ex Balearibus insulis, sic prosequitur*. Pergere ad synagogam cæpimus, & hymnum Christo per plateam ex multitudine lætitiæ canebamus; psalmus autem, quem mira iucunditate etiam à Iudæorum populis decantabatur, hic fuit: Perijt memoria eorum cùm strepitu, & Dominus in æternum permanet. Sed antequam ad synagogam perueniremus, quædam Iudææ mulieres (ordinatione credo Dei) audaciam præsumentes, vt scilicet nostrorum lenitas incitaretur, lapides in nos ex superiori loco immanissimos iactare cæperunt: qui, mirum dictu, cùm super confertissimam multitudinem, grandinis instar, descenderent, neminem nostrorum, non solùm ictu, sed nec tactu quidem vexauere.

5. *In vita S. Columbæ Scoti cap. 13*. Missi sunt legati à Rege ad S. Columbam dicentes: Rex & eius familiares nos ad te miserunt, vt nutritio eius Broichano subuenias mox morituro; quibus auditis Legatorum verbis, Sanctus binos de comitum numero ad Regem cùm lapide à se benedicto mittit dicens: si in primis promiserit se Broichanus famulã liberaturum (hanc aliàs rogatus, haùd liberare voluit) tùm deindè hic lapillus intingatur in aqua, & sic de eo bibat, continuò salutem recuperabit: si verò renuerit refragans absolui seruam, statim morietur. Duo missi verbo sancti obsequentes, ad aulam deueniunt regiam, verba viri venerabiliter enarrantes Regi, quibus intimatis Regi, & nutritio eius Broichano, valdè expauerunt. Eadem hora liberata famula, sancti viri legatis assignatur, lapis in aquam intingitur, mirumque in modum lapis contra naturã in aquis supernatat, quasi pomum vel, nux, nec potuit sancti viri benedictio submergi, de quo Broichanus natante bibens lapide, statim à vicina redijt morte, integramque carnis recuperauit salutem. Talis verò lapis postea in thesauris Regis reconditus, multas in populo ægritudinum sanitates similiter in aqua natans intinctus, Domino miserante, effecit: mirum dictu! ab his ægrotis, quorum vitæ terminus superuenerat requisitus idem lapis, nulla modo reperiri poterat, sic & in die obitus Brudei Regis querebatur, nec tamen in eodem loco, vbi fuerat reconditus priùs, inueniebatur.

6. *Cozius in Iustitiano*. Beda venerabilis Anglus, ob senectum cæcus, cùm in templum ingrederetur, quidam irridendi causa, frequentem populum adesse dixit, qui eius concionem auidè expectaret; Credidit bonus senex, & suggestum ascendens, concionatus est. Tandem cùm peroraret, & diuina Trinitate implorata conclusisset, per sæcula sæculorum: lapides respondere; Amen.

7. *In actis S. S. Martij tom. 1. in cont. Bollandi*. Amiserat oculorum lumem S. Lucas Casalius Abbas Agyræus in Sicilia, cùm quadam die rediens è Nicosia, illudentes ei quidam monachi persuaserunt, vt quodam in agro concionaretur, multitudinem

oppidanorum adstantem esse asserentes, cùm nullus tamen adesset. Facilè obediuit seruus Dei; & dùm facto fine loquendi, orationem consueta formula concluderet: Per omnia sæcula sæculorum; saxa circùm omnia respondere: Amen, voce adeò terribili, vt exterriti monachi conciderint; flexisque genibus S. Patri veniam petierint.

8. *Gonzaga in Prouin. Conceptionis, de Conuentu S. Francisci Palentiæ.* Cùm Alphonsus à Spina Franciscani Ordinis in hoc conuentu insignis concionator, animarum salutem supra modum sitiret, in id præcipuè incumbebat, vt aliquos Christo lucri faceret. Cùmque ex melancholica imaginatione subtristior quadam die effectus, puteo juxtà Minoritici conuentus Vallisoletani Sacrarium hæreret, & anxius cogitaret. nùm frequentissimis suis concionibus fructum fecisset, vocem è sublimi delatam sibi præcipientem, vt situlam ex trochlea pendentem in puteum demitteret, aquamque hauriret, audiuit. Cui cùm obtemperasset, viginti quatuor subalbos lapillos, Iesu nomine insignitos, juxta vinginti quatuor conciones, quas paucis antè diebus ad populum Vallisoletanum de sanctissimo nomine Iesu habuerat, in situlæ fundo inuenit. Ex quo demùm euentu confirmatus, omnibus neruis prædicationis officio imposterùm incubuit, atque doctissimum libellum, cui Fortalitium fidei titulus est, edidit, Typisque mandauit.

9. *Virgilius Ceparius in vita B. Aloysij Gonz. Soc. Iesu.* Inter marinos scopulos cùm Domina matre forte oberrans B. Aloysius Gonzaga, rarum lapillum offendit, notis quibusdam expressis distinctum, quæ sacratissimas Christi plagas perspicuè referrent, cumque velut Christi dolorum ac vulnerum indicem, ac monitorem, multùm in veneratione habuit.

APPENDIX I. AD CAPVT I.

Admiranda quædam in lapidibus adhùc apparentia.

MOdò de Admirandis, quæ in lapidibus, aut adhùc perennant, aut illorum apparent euidentissima indicia. De quibus.

1. *Callistus Papa 2. serm. 2. in S. Iacobum Apostolum.* Tradunt incolæ illius montis (Thabor) quòd tantus splendor transfigurationis die supra montem illum emicuit, vt lapis, qui antea niger erat in eo, vsque ad hodiernum diem albus in modum alabastri apparuerit. Ex quo lapide loci illius habitatores modicas limis ferreis cruces faciunt, quas peregrinantes & illa loca sacrosancta visitantes, ab eis accipiunt, & ob testimonium Dominicæ transfigurationis eas proprio collo suspensas ad propria remeantes secùm deferunt diligenter. Et quantò magis adhùc opus scinditur, tantò magis vsque ad anni caput augmentari perhibetur. Ex vino verò, in quo crux eiusdem lapidis elixatur, multi colliniti sanantur.

2. *Ioannes Eusebius lib. 1. de mirac. nat. capit. 6.* In Clauigij Campo clarissima monumenta iacent victoriæ, S. Iacobo, & angelis militantibus obtentæ. Lapilli eius agri insignia sunt, quibus ad Sancti Iacobi sepulchrum peregrini vtuntur. Saxei bacilli ibi innascuntur, & conchæ petreæ, quas habeo apud me. Alij lapides pignore militari insignuntur, aut ense, aut lancea, aut vestigio equorum; alij columbæ formam habent. At quod mirabilius est, excisæ ibi rupes, effigiem S. Iacobi natura artifice ostendunt.

3. *Idem lib. 1. de mirac. nat. cap. 7.* Apud S. Catharinam de Vadaia in monasterio S. Augustini, inueniuntur lapides suaptè natura ad cordis speciem formati, & figura rotæ insigniti: scilicet S. Augustini, & S. Catharinæ insignia repræsentant. Auilæ apud Augustinianas moniales magna religione colitur imago Deiparæ saxo spontè sua figurata, sicut non procul Madrito imago Crucifixi, quam natura lapidi impressit.

4. *Idem lib. 1. de mirac. nat. cap. 74.* Saxum, super quod sancti Pueri, Iustus, & Pastor securi cæsi fuerunt, seruatur Compluti salutari manans oleo, siue potiùs exsudans, quod ipse vidi, medetur pluribus ægrotis.

5. *Idem de lapillis miraculo celebribus, repertis in agro B. Virginis Foyensis libr. 1. de mirac. nat. Europa cap. 69.* Ager est proximus Sacello Beatæ Virginis: in eo leui terræ conuersione splendentes gemmarum in morem effodiuntur lapilli, tanta colorum varietate, ac venustate, vt natura, vel naturam supergressus Deus, in ijs mirificè lusisse videatur. In his Adamantis candidus nitor, in illis Onychius pallor arridet, in istis Pyropi emicat ignis, in alijs Chrystalli lux effulget, quidam, Chrysolithi aurum, alij Smaragdi virorem, lac alij Galactites, alij Epali Rosam, aliqui Amethysti purpuram, alii Hyacinthi violam, nonnulli Coralli coccum, alij Hæmatitæ sanguinem æmulantur, nonnulla Saturum ruborem amant, alijs dilutus rubor gratiam concilias, denique videtur in hunc agellum Beata Mater omnium gemmarum colores ac pretia transfudisse; quod magis mirandum, diuiniorem quamdam vim ijs indidisse ad salutem mortalibus impertiendam: nam plurimi solo lapillorum attactu grauissimis leuati sunt doloribus, ac periculosis erecti morbis: febricitantibus verò passim prodest haustus puluisculus lapillorum, aut potionis, cui fuerit iniectus sacer lapillus.

6. *Idem de mir. terra prom. c. 30.* Extra Orientalē Tyri portam in medio sabuli, ostēditur ingens quidam lapis, ex quo dicitur Christus Dominus verba vitæ æternæ fuisse prolocutus, quādo extollens vocem quædam mulier de turba, dixit illi: Beatus venter, qui te portauit, & vbera quæ suxisti. Porrò ille lapis nunquam puluere conspergitur, quamuis ibi arena ventorum flabris perpetuò agitetur. Immò nec niue, etiam si ningat, vnquam tegitur.

7. *Idem ibidem cap. 109.* Arbuscularum formis insigniti sunt lapides montis Horeb. Creditur esse mysterium eius loci, quo Deus Moysi in flamma ignis de medio rubi ardentis apparuit.

8. *Idem ibidem cap. 82.* In Bethania saxum est coloris subflaui, albidis intersecantibus venis, duorum circiter pedum altitudinis, omnibus tùm orien-

orientis, cùm occidentis Christicolis venerabile. Illud enim esse produnt, in quo sedentem, & quiescentem Saluatorem Martha hisce allocuta est verbis: Domine si hìc fuisses, frater meus non fuisset mortuus. Porrò maxima admiratione dignum est, à tot iam sæculis, & à tot peregrinis fragmentis huius saxi asportatis, non esse attenuatum.

9. *Brendebachius*. Circa Rachelis monumentum, quod ei cùm pyramide ibi erexit Iacob, vbi enixa Beniamin obijt ex puerperio, & cui circumposuit lapides duodecim pro numero liberorum; inueniuntur nigri omninò lapilli, quos peregrini legunt, ac secum afferunt, ea persuasione, quòd mulieribus conducere solent, ad fœliciorem, & faciliorem partum.

10. *Petra Sancta in mirac. Perpet. cap.* 29. Fertur, lapideas columnas quatuor esse in Caluariæ cliuo, easque perpetuò aquam extillare, & passioni dominicæ fletu perenni quodammodò illachrymari: sunt verò istæ iuxta montis eum hiatum, qui maximus patuit, quandò ex eiusdem passionis dolore petræ scissæ, ac diremptæ rupes fuerunt.

11. *In vita S. Patritij cap.* 100. Sanctus Patritius Hib. Apost. cuiusdam Ecclesiæ ædificandæ causa ad locum famosissimum Vsneach diuertit, verùm à duobus fratribus, illìc commorantibus impeditus fuit, quibus cùm maledicere vellet, rogatus à quodam suo discipulo, maledictionem conuertit in lapides illius loci. Mira res! ab illa die vsque in præsens, lapides illi nulli structuræ apti, aut idonei inueniuntur; quin etiam, si fortè aliqui ex improuiso ædificio imponantur, velociter opus illud ruere, seù dissipari dicitur. Nullum etiam ignis calorem naturalem admittunt, nec in aquam missi, strepitum, vt moris est lapidum, faciunt. Vndè & prouerbium apud Hibernicos incubuit, vt si quandò lapis in ædificio frangitur, de lapidibus Vsneach maledictis à Sancto Patritio esse dicatur.

12. *Ex m. s.* Quodam tempore miro inundante diluuio per Vallem, quæ inter Paspardum, & Imbergum in territorio Brixiensi sita est, adeò immensa lapidum descendebat ruina, vt Ecclesiam Diuæ Liberatæ dicatam (in Episcopatu Brixiensi in Vallecamonica propè locum, qui dicitur Serium) obruere, & villam videretur. Cùm ergo populus de villa fugiens, super Ecclesiam venientem lapidum copiam aspiceret, subitò de Ecclesia duo Reuerēdę Dominæ habitu monachali apparuerunt, & obuiam euntes venienti ruinæ, lapidi cuidam immenso, quem vis aquæ, & aliorum lapidum impellebat, manum vna illarum apposuit, atque immobilem ipsum efficiens, cursum illum lapidum, in partem aliam declinare coegit. Videns hoc populus, & Sanctas Liberatam, & Faustinam dominas illas esse non ambigens, cùm deuotione Ecclesiam illam intrauit, ibique permansit, quandiù ruina illa durauit: Dominæ autem illæ nec ante, nec postmodùm fuerunt visæ. Tamen vt miraculi memoria apud posteros remaneret, adhùc lapis ille propè Ecclesiam manet immobilis, & nunc vsque à torrente illo, qui sæpè solet intumescere, ipsam Ecclesiam defendit; sed & senex quidam pluribus dixerunt, se vidisse in lapide illo, quem nunc pulnis & herba ex multa parte contexit, vestigium, quod illi supradicta Domina manum apponens impressit.

13. *Ex m. s.* Ecclesiæ S. Catharinæ, à Saxo dictæ, proximæ Lacui maiori in diœcesi Mediolanensi, incubat ingens saxum, quod è monte cecidit, nec eam, vt debebat, disiecit, sed leuiter fregit in culmine; adhùcque videtur templo insidens, absque eo quod sepeliat, quod pro ingenti miraculo ab ijs qui vident habetur.

14. *Krantius Sax. lib.* 11. *cap.* 25. In Coloniensi Ecclesia cùm mota procella lapidem insignis magnitudinis deiecisset, penetratisque duabus testudinibus, Thecam haùd dubiè, qua sanctorum Magorum corpora seruantur, obtriturus esset, Theca retrocessit ad parietem, casum euadens: lapis miraculi causa adhùc hodiè ostenditur.

15. *In actis S. S. Martij tom.* 3. *in Continuatione Bollandi*. Cùm S. Endeus Abbas Aranensis in suo monasterio, quod in insula Arann ædificauerat, Deo fideliter cùm sancto collegio suo seruiret, importunum videbatur suis monachis, quòd non habebant planum iter ad mare. Veniens ergo vir Dei ad portum maris, petram illam durissimam, quæ nauibus præbebat impedimentum, ne ad monasterium approximarent, cùm suo baculo signauit, atque postmodùm domum reuersus est. Nocte verò sequenti Angelus Domini fulguream in manu tenens spatam, conscidit petram illam durissimam in duas partes, faciens viam latam per medium, quę vsque hodiè præbet iter planum, & sine impedimento intrantibus insulam.

16. *Ludouicus de Angelis*. Cùm adhùc mundanis illecebris irretitus esset S. Galganus ordinis D. Augustini, & equo insidens iter faceret, ad quamdam syluam in collis supercilio perueniens, repentè equus subsistens, vlteriùs incedere, etiam vrgentibus calcaribus, recusauit; quare desiliens, euaginato gladio exclamauit; quid à me vis Domine? Ita est possibile vt ad te conuertar, sicut gladius hic lapidem hunc pertranseat, & admotus gladius silici ita peruasit, vt erui nunquam potuerit; quo miraculo conuersus est. Huiusmodi gladius adhùc visitur propè Iusdinum in agro Senensi defixus vsque ad Crucem, seù manibulam eiusdem, durissimo silici.

17. *Lelius Marinus in vita S. Petri Cælestini lib.* 3. *cap.* 10. Concesserat S. Petrus Cælestinus indulgentiam, vt vocant, Ecclesiæ S. Mariæ de Collemadio Aquilensi, ordinis S. Benedicti in festo decollationis S. Io: Baptistæ: post multos annos notarius quidam nomine Firmus, sed infirmus fide, cùm videret ingentem populi multitudinem eò se conferre, vt eam lucraretur, cùm in foro esset, arguens eorum stultitiam, operam inquit perditis, & tam est verum indulgentiam adesse, quæ à culpa, & pœna liberet, quàm hoc iaculum in petram hanc viuam intrare: mirum! iecit & iaculum, quod lapidem ingressum, indè egredi, nisi vi tractum potuit. Cognouit tunc errorem suum, & appenso ad collum lapide cùm iaculo, magna reuerentia ad eamdem Ecclesiam se contulit, lucraturus

rus

rus tanquam veram, quam tanquam vanam irriserat indulgentiam, & publicè confessus est errorem suum; lapidemque, qui iaculum intùs admiserat, monachis reliquit, qui lapis summa diligentia custoditur in hæc vsque tempora.

18. *In libello mirabilium Romæ*. Dùm S. Dominicus de more deuotissimas Deo funderet preces, inimicus hostis durissimum in eum proiecit lapidem, sed miraculosè, ipso inoffenso, scissus est in duas partes, obque hoc insigne miraculum vsque hodiè Romæ in Ecclesia S. Sabinæ conseruatur talis lapis.

19. *In vita S. Francisci Salesij lib.* 10. Defuncto sancto Francisco, eiusdemque corpore aperto, inuenta est fellis vesica prorsùs absque humore, ita vt ne minima quidem gutta fellis esset, immò plena plusquàm trecentis lapidibus pisorum ad instar varij coloris, rubei, cerulei, flaui, candidi, viridis, nigri, cinericij, rotundis, trigonis, quadratis, pertagonis, hexagonis, & octo etiam angulorum: quodque magis mirere in modum rosarij dispositis, & velut inuicem cohærentibus. Medici hoc viso miraculo stupuere, nec aliud quidquam iudicarunt, quàm id ex violentia, quam sibi sanctus Præsul in reprimendis iræ motibus inferebat, factum fuisse.

20. *In vita B. Claræ de monte Falco*. In felle eius post mortem tres lapilluli adinuenti sunt, coloris informis ferè & cinericij mortalibus incogniti, qui quia vnum ponderis momentum, & singuli, & bini, & vniuersi habent, atque in numero trinitatis, monadis vnitatem exprimunt mirè, ideò sunt accommodatissimi, vt per eos in Deo trino, & vno intelligatur, parem, & eandem esse Diuinitatem, ac maiestatem.

21. *In vita B. Margaritæ de Ciuitate Castellana*. Præ cæteris, partum Diuę Dei genitricis, natiuitatem Saluatoris, & Diui Iosephi in ferendo & reducendo Christo in Ægyptum, mysteria contemplabatur, deque istis frequentiùs loquebatur. Quamobrem in mortuæ exenterato corpore, tres lapides reperti sunt: in quorum primo, Regina cælorum diademate aureo coronata; in altero, infans Iesus inter duo iumenta; in tertio, Iosephus, & Maria genuflexi ad pedes Saluatoris, repræsentabantur.

22. *In Annal. Capuc. an.* 1589. *de F. Raynerio à Burgo sancti Sepulchri*. Cùm ob innumerabilis populi frequentiam defuncto corpori iusta eo die persolui non potuissent, nocte Tudertinus Episcopus, qui à Ven. viri corpore nunquam recesserat, demortui corpus condiendum, atque aromatibus, non sine Dei consilio curandum statuit; Quapropter cùm accitis Physico, & chirurgo corpus exenteratum fuisset: Mox Dei magnalia in Dei seruo patefieri cæperunt. Primùm namque in fellis ventriculo terni lapides triangulares, quorum quisque vnius castaneæ magnitudinem, & colorem referret, reperti fuere: quibus maxima tanti viri in Altissimam Triadem Religio, qua viuens tenebatur, significata fuit; at quod admirationem auget, diuinumque tantùmmodò opus præsefert; cùm tertius tantùm lapis omni sculptura careret, primus in altero angulo plano, B. Virginis, Puerum Iesum in sinu gestantis, figuram insculptam gerebat, quo summam illius, dùm viueret, in B. Virginem ac Puerulum Iesum deuotionem declarari nemo est qui dubitet; in altero verò, columna, sanguine conspersa, eique persimilis, cui Altissimus Dei filius alligatus, à Romano milite flagellatus fuit, cælata perspicuè cernebatur. Qua luculentiùs manifestum fuit, quàm diuinis oculis grata fuerit, bis, vel ter ab eo iterata illa dominicæ flagellationis memoria, quam viuens septem horarum spatio in se ipso exibuerat. Secundus lapis geminam quoque figuram sibi insculptam gerebat: vna siquidem parte Saluatoris ad medium vsque producti iconem impressam gestabat: altera B. P. N. Franciscum diuina à Christo stigmata suscipientem insculptum referebat: quæ eximiam Dei viri etiamnùm superstitis, erga vtrunque, sua cuique dignitate seruata, pietatem præseferrent.

23. *Ex m. s.* Extat Viennæ in Imperatoris rara supellectili lapis Achates, qui expressa nomina habet, Iesus & Mariæ, idque non superficie tenùs, sed in tota lapidis crassitie, vt apparet si luci opponatur, nec addititium aliquid est.

De quibusdam lapidibus diuinitùs Crucem exprimentibus, videatur in tom. 2. lib. 4. cap. 1. §. 4. cùm de Crucibus in quibusdam rebus inuisibili manu depictis, ex exculptis.

APPENDIX II. AD CAPVT I.

Vestigia in lapidibus impressa, quæ adhùc videntur.

EX vestigijs, quæ olìm in durissimis lapidibus, ceù in molli cera diuinitùs impressa fuere, adhùcque in ipsis mirabiliter perseuerant, ceù ex manifestis caracteribus, apparent, in ipsisque insculpta videntur Admiranda Dei. De quibus.

1. *Paulus Orosius apud Abulensem in cap.* 14. *Exodi*. Cùm Aegyptii in curribus, & equis Hebræos per mare Rubrum persecuti essent, rotarum signa, quæ siccis arenis impressa sunt, vsque hodiè perseuerant, ita vt si rotarum orbita eadem die illa vestigia impressisset. Et si fortè contigat ventis impellentibus arenarum aggeribus signa illa occultari, mox diuina prouidentia ad statum pristinum reducuntur, vt si diuina miracula homines spiritu inuidiæ concitati tacuerint, ipsa per se terra exclamet.

2. *Blasius Buina Francis.* Saxum quoddam, in quo Elias Propheta cubuisse perhibetur lectulo destinatus, adhùc eius effigiem in Palestina repræsentat.

3. *Guilielmus de Baldensel in Hodæp. ad terram sanctam*. Figura corporis Moysis videtur quodammodò petræ cuidam, tanquam ceræ impressa, cùm tamen adeò sit dura, vt instrumentis ferreis fortissimis, vix mei familiares potuerint aliquid de ipsa admodùm pulueris acquirere.

4. *Franciscus Quaresmius in elucidat. terræ sanctæ cap.* 13. *Pereg.* 5. Fugiens in Aegyptum ad Nili fluuium Christus infantulus, marmori à B. Vir-

Virgine superpositus, vt madidæ eius vestes exsiccarentur, marmori corpusculi sui figuram insculpsit, quæ ad hæc vsque tempora ab Aegyptum peragrantibus cernitur.

5. *Bercorius in Reduc. Moral. lib. 14. cap. 31.* In Iudæa propè Nazareth ostenditur locus, qui dicitur saltus Domini, vndè Iudæi voluerunt ipsum præcipitare; ibi est lapis in rupe quasi latibulum, vbi rupes Domino cessit, & eum abscondit, ita quòd ibi adhùc apparet forma vestimentorum eius impressa.

6. *Anselmus minorita in descriptione terræ sanctæ.* A Torrente est ascensus per transuersum horti, & prætereundo Ecclesiam, quæ est ad dexteram partem viæ ad vnum stadium, est lapis, de quo Dominus ascendit asinum, quandò in die palmarum venit Ierusalem, in quo lapide demonstratur pedum vestigium, quia quandò ascenderat summitatem montis Oliueti, necesse habuit ire pedes, ne asinus casum pateretur ad lapidem, quia est via difficilis de monte Oliueti ad ciuitatem.

7. *Augustinus Mannus cap. 146. Historia selecta.* Accepimus ab his, qui hæc viderunt, in ipso imo vallis, quam torrens Cedron præterfluit, in lapidibus ipsis, Christi Domini nostri vestigia impressa remansisse, non solùm pedum, sed & genuum, & manuum, & funis, qua ligatus fuit; quæ quidem vestigia adhùc magna cùm admiratione videntur.

8. *Ven. Beda de locis sanctis cap. 6. de Ecclesia in Valle Iosaphat.* In hac valle sanctæ Mariæ rotunda est Ecclesia, lapideo tabulatu discreta. Hanc intrantes, vident ad dexteram insertam parieti petram, in qua Dominus, nocte, qua tradebatur, orauit, vestigiis genuum, quasi ceræ molli impressis.

9. *S. Hierony. de locis hebrais, & Quaresmius in elucid. Terræ sanctæ to. 2. cap. 8. Pereg. 9.* In monte Oliueti ad Orientem Hierosolymæ, torrente Cedron interfluente, vltima vestigia Domini humo impressa hodièque mostrantur. Cùmque terra eadem quotidiè à credentibus hauriatur; nihilominùs tamen eadem sancta vestigia pristinũ statum continuò recipiunt. Denique cùm Ecclesia, in cuius medio sunt, rotundo schemate, & pulcherrimo opere conderetur; summum tantum cacumen, vt perhibent, propter Dominici corporis meatum, nullo modo contegi & concamerari potuit, sed transitus eius è terra ad cælum vsque patet apertus.

10. *Franciscus Quaresmius in elucid. terræ sanctæ cap. 13. pereg. 5.* Cùm ad mare Tiberiadis Christus post suam resurrectionem discipulis apparuisset vestigia pedum suorum rupi impressit, quę in Ecclesia quadam à sancta Elena structa conseruabatur: nunc in exiguam ædem redacta est, in qua hæc sancta vestigia seruantur.

11. *Arnoldus Rayssius in Hierogazophilatio Belg. de Vilariensi cœnobio ordinis Cisterciensis.* Stupendum illud est, quòd cùm in huius monasterij Basilica quodam cùm religioso ipse Rex Angelorum deambulasset, vestigia pedum impressa reliquerit, quæ in hunc vsque diem permanent; quæque licet indignus, meis ipse oculis conspicere, illisque oscula defigere merui. Quæ Serenissimi Principis nostri felicis recordationis Alberti pij consilio, & persuasu storeis cooperta fuere, ne in posterùm pedibus aduenientium conculcarentur, & profanarentur.

12. *Gonzaga in Prouincia terræ Laboris, de conuentu S. Francisci Caietæ.* Aliud quoque mirabile duobus laicis fratribus hoc in ipso loco euenit: Præpauerant se isti, pro modulo, ad sacram communionem cùm cæteris fratribus, de religioso more, in die cænæ Domini faciendam: cùmque nihil minùs cogitarent, à loci Guardiano (vrgebat siquidem necessitas) panem mendicaturi, in ciuitatem mittuntur. Qui tandem domum tardiùs reuersi, cùm & diuinum officium persolutum, & reliquos fratres mensæ assidentes inuenissent, Sacellum, vbi venerabile Christi Saluatoris corpus de more asseruabatur, contempta refectione, petunt, ibique suas vices, quòd sacra communione in tanta solemnitate priuarentur, miserrimè dolentes, gemitibus atque singultibus anxiùs vacabant. Dùmque nihil minùs cogitarent, ex ipsa arcula, qua sacrosancta Eucharistia recondebatur, grauissimus quidam, pulcherrimus, ac compositus iuuenis prosiliit, qui asserens se Christum Dominum esse, eorum vtrique sacram communionem porrexit, statimque locum, vndè prodierat repetiit. Extant adhùc vestigia pedum ipsius, pauimento eius sacelli, in quo hoc contigit, impressa; atque ferreis craticulis contecta. Insuper & historia ipsa parieti depicta adhùc inuisitur.

13. *Brocbardus.* Christus Dominus obuius fugienti Petro Romæ factus, in loco, qui dicitur, Domine quò vadis? extra portam Capenam, aliàs sancti Sebastiani, pedum suorum vestigia marmori reliquit impressa, quæ hùcusque Ecclesiam sancti Sebastiani extra vrbis muros visitantibus, exponuntur.

14. *Idem.* S. Stephanus extra portam eductus, in valle Iosaphat inter montem Oliueti, & Ierusalem interiacentem iuxta torrentem Cedron lapidatus est. Ibi etiam nunc locus eius cruore sacratus, cùm veneratione colitur, & porta illa Ierusalem à Christianis loca sacra visitantibus, porta S. Stephani, vocari solet. Dicuntque peregrini, effigiem capitis, & scapularum Stephani impressa lapidi, dùm expirans retrorsùm caderet, etiam modò ostendi.

15. *Rudulphus de Frameynspergh, in suo itinerario.* Mons Sinai in sua summitate per totum est saxosus, quæ saxa rubeo & albo colore diuisim sunt colorata in modum marmorei lapidis, excepto loco, in quem corpus S. Catharinæ per Angelos fuit collocatum. Idem locus est integer lapis albus, in quo apparent omnes dimensiones corporis sanctæ Catharinæ Virginis per impressionem velut in materiam liquidam, & ille lapis respicit montis Meridionalem, & ab extremitate montis Sinai distat paulominùs, vel magis in longitudine vnius hastæ.

16. Ex

16. *Ex m. s.* Brixiæ, nobili Galliæ Cisalpinæ ciuitate, in loco vbi dicitur S. Maria di Paytone, nobile extat Marianę apparitionis vestigium; cùm enim mutus quidam gregem suum minaret, Virgo illi apparuit, imperans, illum eius loci communitatem mox adire, eique ex præcepto Virginis indicare, sibi fore pergratum, vt inibi sui memoriam extrueret; adiuit ille, solutoque vinculo linguæ eius, cæpit de Virgine magnalia loqui, eiusque voluntatem aperire, quo miraculo moti oppidani, eò loci aduenantes, lapidem vestigijs fimbrium vestis eius impressum viderunt, non secùs, ac si mollis esset cera, ibique Ecclesiam ædificarunt. Extat nunc ibi lapis iste.

17. *Ex m. s.* Lapis, vbi B. Virgo quondam apparens constitit, in templi Toletani aditu monstratur clatis ferreis inclusus, rei tantæ monimentum.

18. *Gulielmus Gumppenberg in Atlanti Mariano, de imagine Beatæ Virginis VVartensi in Boemia.* Hussitæ ann. 1425. spoliatum donis templum, vbi supradicta imago colebatur, subiecto igne in cinerem redegerunt. Non hæc tamen ita contigere, quin Virgo longè priùs ipso in monte pluribus incolis, & sæpiùs apparens præberet se videndam, & futuras loci calamitates defleret, quin expressis quoque verbis, & hæresiarcham nasciturum (Hussium scilicet) & euentura per hæresim mala non obscurè protenderet. Lapis, in quo apparens Deipara sedit, in annum vsque 1600. vestigia Virginis retinuit; neque vltrà potuit, quandò peregrini magno semper numero vndique aduolantes, piis furtis totum vel attriuerunt, vel frustilatim abstulerunt. Ne tamen rei memoria periret, Serenissimus Archidux Carolus, Ferdinandi II. Imper. Frater, Episcopus Vratislauiensis, anno 1617. locum pereleganti sacello ornauit, in quo ara princeps ipso in Virginis vestigio posita, hodièque visitur.

19. *Idem de Im. B. Virg. de Gradu, Agatæ in Gallia.* In Agatènsi vrbe Narbonensis Galliæ, peregrinorum affluxu celebre est sacellum nuncupatum B. Virg. de Gradu, hoc est de lapide, super quo, (vt tradunt) visa est olim Deipara orare pro Agatensibus: hodièque monstrant Virginis Deiparæ vestigia.

20. *In libello mirabilium Romæ.* In Ecclesia S. Mariæ de Aracæli reperitur lapis, in quo impressa fuerunt, & vsq; hodiè videntur vestigia pedum Angeli, qui in cacumine molis Adrianæ, tempore Sancti Gregorii Papæ visibiliter apparuit, ensem sanguine aspersum, quò populum Romanum sæuissima pestilentia necauerat, in vaginam reponens.

21. *Franciscus Maria Torrigius in Cryptis Vaticanis.* Romæ in Ecclesia S.S. Siluestri, & Dorotheæ asseruatur lapis, super quem visi sunt Angeli genuflexi in martyrio D. Petri, in eoque apparent adhùc eorundem Angelorum impressa vestigia.

22. *Vghellus in Italia sac. tom. 9. Tarentini Archiepiscopi.* Cùm S. Petrus Apostolus in Italiam propè Tarentum apulisset, existimans Christi virtute hùc se ductum, flexit Deo, gratias acturus, de more ad orationem genua; tùm lapis pondere serui Dei pressus, ita mollis redditus, ac si cereus esset, recepit sanctorum genuum vestigia. Hunc lapidem ita Apostoli genibus concauatum fama est à Venetis nautis ablatum, Venetiasque asportatum.

23. *In m. s.* Romæ in Ecclesia S. Mariæ Nouæ, lapis reperitur, in quo vestigia genuum Sancti Petri apparent, quæ in eodem tunc impressa fuere, cùm S. Apostolus, vt sacrilegi Simonis magi fallacias aperiret, super eundem lapidem genuflexus ad Deum humiliter orauit.

24. *Ibidem.* Romæ in carcere Mamertino adhùc impressa apparet durissimo in lapide effigies faciei Beati Petri Apostoli, quæ tunc impressa fuit, cùm Sanctus Apostolus à sacrilego custode in eumdem lapidem, qui adinstar mollis ceræ eiusdem imaginem recepit, violenter impulsus fuit.

25. *Anastasius Bibliothecarius.* Paulus I. Pontifex Romanus Ecclesiam extruxit S.S. Apostolis Petro, & Paulo, eo loci, quo martyrio coronandi, dùm preces fuderunt, genua flectere visi sunt. In quo loco vsque hactenùs eorum genua pro testimonio omnis in posterum venturæ generationis, in quodam fortissimo silice noscuntur designata.

26. *Boterus, ex relatione nonnullorum Hispanorum.* In Paraguay videtur petra, referens vestigia D. Thomæ Apostoli, vnà cùm effigie Crucis, quam sanctus digito petræ impressit, dùm in illis regionibus tanquam Euangelii præco concionem habebat.

27. *Rocchus Pyrrhus de notitia Panormitanæ Ecclesiæ.* Panormi in Ecclesia S. Agathæ videtur saxum, in quo colunt Panormitani vestigium impressum à S. Virgine, dùm equo descenderet; ex hoc saxo veteri æuo die Diuæ Agathæ sacro, liquorem morbis salutiferum emanasse, fama est.

28. *In actis S. S. Feb. tom. 1. in cont. Bollandi.* Protrusa à truculentis lictoribus S. Agatha, vt impetu in terram prolaberetur, in duos lapides inpegit, qui instar ceræ impressos pedes admiserunt, ac lapsum stiterunt. Et cernuntur etiam nùm in vtroque expressa vestigia pedis calceati Hi lapides semper in veneratione Catanæ sunt habiti.

29. *Ex m. s.* In carcere, in quo ob fidei confessionem Catanæ in Sicilia inclusa fuit B. Agatha, V. & m. quidam adhùc videtur lapis, vestigia pedum præseferens, quæ à S. Petro Apostolo, fama est impressa fuisse, dùm S. Martyri ibidem apparens, eam à tortura mamillarum mirabiliter sanauit.

30. *In Hist. Calmaldul. part. 2. lib. 1. cap. 4.* S. Gregorius Magnus ad templum Classense S. Apollinaris Rauennæ accedens, nudis pedibus pro reuerentia, cùm per ianuam, quæ cænobio incumbit, intraret, pes in limine à subiecto lapide excipitur, quasi à molli cera, vbi craticula ferrea in testimonium ad hanc diem visitur.

31. *Ibidem.* Rauennæ in sacello inter Ecclesiam S. Apollinaris, & S. Seueri ædificato, adhùc visitur

fitur lapis rubeus, ſuper quem fama eſt S. Apollinarem, dùm à perſecutoribus percuteretur, pronum cecidiſſe; in eoque veſtigia, quæ adhùc apparent, manuum, & faciei, reliquiſſe.

32. *In vita S. Patritij cap.* 103. Quatuor piarum Virginum, quas ſanctus Patritius ſacro velo initiauit, veſtigia ſunt impreſſa diuinitùs in lapide, ſupra quem illæ eo temporis momento ſteterunt: hodièque in marmore illo perennant, vocaturque ille locus Tedna.

33. *Surius in Iun.* Oſtenditur adhùc pes S. Medardi Epiſcopi Nouiomenſis, ſed pueri; dùm vel in ea ætatula virtutibus magnus, ortam contentionem de finibus agrorum inter vicinos, ex qua ferè ad arma vtrinque concurriſſent, ſedauit, lapidem conſtituens, qui terminus agrorum eſſet; Quippè iniiciens pedem ſuper eum lapidem, hic, inquit, limes eſto. Et diffinitionem eius miraculo Deus inſigniuit, expreſſa pedis ipſius forma in marmore, meliùs, quàm ſi cælari à peritiſſimo ſculptore debuiſſet.

34. *Raynaldus in An. Eccl. an.* 1523. Adſunt propè ciuitatem Miſnenſem duo pagi, in quorum altero S. Benno quondam Miſnenſis Epiſcopus, Marchionem illius ciuitatis fugiens ſe abdidit, in altero verò Vuandalos ad fidem conuertit; in quibus veſtigia pedum eius adhùc integra perſeuerarunt.

35. *Aloyſius Torellus in Hiſt. Auguſtiniana an.* 720. Fruſtrà tentauerat puritatem violare ſororis Columbæ Auguſtinianæ barbarus quidam maurus in prouincia, vulgò *Tralosmontes* Luſitani Regis, cùm ecce quadam die in ſylua ſanctam Virginem inueniens, obque eius conſtantiam in eam ira excandeſcens, lancea transfigere tentat, ſed diuino auxilio ab oculis eius euanuit, inuiſibiliſque facta eſt, lanceaque in ſaxum, ictum impreſſit; cuius veſtigium vſque hodiè videtur.

36. *In actis S. Guntheri eremitæ & cognati S. Stephani Regis Hungariæ.* Quanti meriti vir iſte fuerit, per lapidem monſtratur, in quo dùm in vaſta eremo ſolitarius Chriſto militaret, poſt laborem quieuiſſe fama eſt; in ipſo quantitas membrorum ipſius velut in molli ſtato quieſcentis, nunc vſque apparet impreſſa.

37. *In m. ſ.* In Eccleſia Foſſæ nouæ apparent veſtigia mulæ, quæ ab eadem terræ impreſſa fuere, dùm propè corpus S. Thomæ Aquinatis accedens, ſubita morte eſt correpta.

38. *In ann. ſeruorum Cent.* 1. *lib.* 7. *cap.* 3. Tuderti in quodam agro, quem poſſidet Canonicorum Collegium, adhùc apparent veſtigia, quæ mulus, cui ſuperpoſitum fuerat corpus S. Philippi Benicii, vt indè furtiuè transferretur, tota nocte in circuitu ambulans, efformauit, à locoque non eſt elongatus.

39. *Frodoardus lib.* 1 *Hiſt. Rhemenſis Eccleſiæ cap.* 12. *de S. Remigio Archiepiſcopo.* Vehemens incendium ab humani generis hoſte excitatum, propè totam Rhemenſem vrbem deuaſtauerat. Cuius rei nuncium accipiens Beatus Antiſtes, ad ſolita ſe ſe contulit orationis præſidia in Eccleſia B. Nicaſij M. ſurgenſque ab oratione curſu concito per gradus ante ipſam lapidibus ſtratos Eccleſiam deſcendens, ciuitatem petijt; (in quibus graduum lapidibus, ac ſi ſupra molle lutum, impreſſa hodièque ad memoriam diuini miraculi ſignata viſuntur veſtigia) eò cùm perueniſſet, facto ſigno Crucis, incendium extinctum eſt.

40. *In actis S. S. Februar. tom.* 1. *in Continuat. Bollandi.* In Norduuik Friſiæ pago, in loco, in quo ſemel orauit S. Rembertus Archiepiſcopus Bremenſis, adhùc ſuperſunt veſtigia cubitorum eius impreſſa lapidi, cui ſupplicabundus innitebatur.

41. *Ibidem tom.* 2. Cùm ſancta Iuliana matrona, transferens ad Taurinenſem Ciuitatem corpora Sanctorum Martyrum ob fidei cõfeſſionem interfectorum, ſuper lapidem marmoreum, qui in fundo fluminis Doriæ maioris iacens, viam tranſeunti planiorem reddebat, graderetur, pedum illi veſtigia impreſſit, vbique inter ſe æqualia: ſeruatur etiam nunc lapis ille cùm reliquo corpore, ad templum Societatis Ieſu delatus, vbi viſitur è parte ſiniſtra maioris Altaris; & veſtigia pedum in magna ſunt veneratione, vt ea certatim oſculis homines terant.

42. *Ibidem in Martio tom.* 1. Mater ſancti Dauidis Archiepiſcopi Meneuenſis in VVallia, antequam eum parturiret, vrgente dolore, in petra, quæ iuxta erat, manibus innixa eſt, quæ veſtigium veluti ceræ impreſſum eam intuentibus oſtendit, quæ & in medium diuiſa, dolenti matri condoluit. Hæc petra tecta iacet in fundamento Altaris in Eccleſia ibi poſtea extructa.

43. *Ibidem in Martio tom.* 2. Venit S. Patritius Apoſt. Hiber. in partes Aſſul infra fines Mediæ, vbi in loco idoneo gratum duxit Eccleſiam conſtruere; cui cùm quidam peſſimus, Fergus nomine, contradicere vellet, volens ſanctus duritiam cordis ipſius ſigno potiùs, quàm verbo ſignificare, cùm baculo Ieſu contra petram ſignum Crucis edidit, & continuò petræ ſuperficies in quatuor partes ſciſſa apparuit. Cruciſque formam effigiatam in ſe vſque in præſens exprimit.

44. *Ex m. ſ.* Capuæ in Eccleſia S. Mariæ, mirabiliter adhùc conſpiciuntur impreſſa veſtigia genuum S. Simaci.

45. *Ex m. ſ.* Rauennæ in Eccleſia ſancti Vitalis reperitur lapis, ſuper quem, dùm decollatus fuit Sanctus Vrſicinus medicus, & Martyr, in genua procumbens, veſtigia genuum reliquit, quæ vſque hodiè conſpiciuntur.

46. *Pet. de Nat. l.* 10. *c.* 97. *de S. S. Theoniſto, Tabra, & Tabrata M.* Dùm eſſent in ponte, & Theoniſtus genibus flexis oraret, genua ipſius, vt in cera molli defixa ſunt, quorum veſtigia ibidem vſque in præſens apparent.

47. *In actis S. Venantij M.* Cùm S. Venantius Camerini ab impijs Imperatorum Miniſtris ob Chriſti fidem grauiſſimis torqueretur ſupplicijs, diuinitùſque à multis eriperetur, liberareturue; denuò per loca aſpera ad mille paſſus trahitur, vbi Militibus ſiti æſtuantibus, in proxima conualle ex lapide, in quo & genuum formam reliquit, ſicut etiam nunc in eius Eccleſia videre licet, Crucis ſigno à Venantio facto, aquæ manarunt.

48. *Philippus Raynierus Con.* 3. *de tent. Chriſti.* San-

Sanctus Remaclus(vt audiui ab incolis loci) aquas Sapandas antea noxias, fecit medicas; Vestigium pedis eius (vt dicebatur) vidi in lapidem fonti conterminum altè impressum, quasi in mollem ceram.

49. *Achilles Mutius par. 1. Theatri Bergomensis de S. Vitore.*

Victorem fugientem iras, idolaque regum
Hic artus constat, composuisse suos.
Concessit membris cautes rigidissima, cera
Vt signum, aut altè littera pressa patet.

50. *In Annal. Min. Anno 1218. num. 9. de S. Francisco.* Iuxta castrum Capresij ostenditur longus, & largus lapis, super quem Capresiani tradunt, sanctum virum fessos artus reclinasse, eiusque corpori duram petram quasi mollem culcitram cessisse. Huic concauitati ad formam hominis expressæ plurimi se inserunt ex deuotione, sed ij libentiùs, qui renes dolent, miraculosè enim ex sacri viri vestigio se sanari comperiunt.

51. *Vghellus in Ital. sac. tom. 7. Sipontini Episcopi.* S. Franciscus, Michaelis Archangeli ædem in monte Gargano quondam inuisit, ac præcipua veneratione coluit, ita vt, quæ erat eius humilitas, eò ingredi minimè auderet, indignum se reputans qui pedem Angelorum sacrario inferret, impressitque sua manu rudi in speluncæ lapide Crucis signum in modum Græci characteris Taù, quod vsque hodiè peregrini vident, & summa pietate venerantur.

52. *Idem ibidem. Marsicenses Episcopi.* Satriana Ciuitate diruta, reliquiæ S. Lauerij m. quæ ibidem seruabantur, ad oppidum Titi delatæ sunt, & in matrici Ecclesia ipsi S. Martyri dicata cùm debita veneratione repositæ; qua in Ecclesia, dùm quidam dormiret, sæpè sibi videre visus est magnum thesaurum sub altari Sancti Lauerij reconditum, cùmque nocte quadam Ecclesiam ingressus, demostratum locum effodisset; arculam inuenit, & credens in ea esse aurum, foras egressus, aperuit, & in ea caput reperit Sancti Martyris; & indignè ferens, caput pro thesauro inuenisse, illud crinibus apprehensum sacrilegus elisit columnæ marmoreæ, quæ vti sancti martyris passionis instrumentum, quippè cui alligatus ipse sanctus in foro Grumentino, semel atq; iterùm fuerat flagellatus, ante fores reparatæ Ecclesiæ ad populi deuotionem asseruatur; hæc quasi liquida materia cessit, & summi capitis sancti vestigium recepit, & seruat. Vestigium capitis columnæ impressum oculis cernitur, & à fidelibus deuotè honoratur.

53. *Arnoldus Rayssius in auct. ad nat. S.S. Belgij 24. Iunij de B. Ioanne Agno Ordinis Prædicatorum.* Cùm hic Beatus vir apud Gandauum quadam die concionem haberet, humi impressit pedum vestigia, quæ in hodiernum vsque diem visuntur.

54. *Angelus Manrique in An. Cister. an. 1181. cap. 3.* Elegerat B. Galganus Monasticam vitam, Deo mediante, Angelo inspirante, quam tamen à dæmone tentatus relinquere postea decreuit: At dùm ad sæculum rediret, vix tria millia passuum emensus erat, cùm hærens equus primò, velut immobilis, mox quasi reuerenter inclinaret, vtroque genu flexus, equitantem, insolentia facti perculit; & quò tandem contra Angeli præceptum, & ad quid iret? simul cùm pænitentia menti obiecit; apparuit indè Michael Archangelus, ipsumque ad perseuerantiam exhortans, Ne timeas, dixit Galgane, sed me sequere ducem itineris, quod malè declinabat: dixit, & equum signo de terra eleuans, soluensque, nam antea velut ligatus detinebatur, atque vtrumque præcedens vltrò sequentem, post longum terræ, & temporis spatium, ad locum statutum feliciter duxit. Quem euentum, miraculum aliud subsequutum est; in ea enim parte itineris, cui equus adhæsit, vestigia petræ sculpta hodiè cernuntur, in parua Capella conclusa post mortem Sancti ob miraculi, & loci venerationem.

55. *In actis S. Columbani.* Cupiens prædictus Sanctus secretionem locum exquirere, quò liberiùs Deo vacaret, egresso monasterio Bobiensi, quod extruxerat, transitoque fluuio Treuia, indèque progrediens, aduenit inter duos montes, ex quibus vnus, qui est ad dexteram partem, vocatur Tellectum, alter verò, qui est ad læuam, nuncupatur rustica lingua Groppoaltum. In illam verò rupem, quæ est ad sinistram partem ascendens, deuenit ad quandam petram, quæ videtur in eminentiori rupe esse posita: & exindè circumquaque rupes hinc, & indè conspicere poterat; mirabilèque dictu, in ipsa petra vestigium sanctissimi pedis eius dextri sic impressum est, sicut hodiè apparet, quasi si aliquis sigillum in cera expresserit, & ablato illo cuiuscunque figuræ, sit demonstret.

56. *In vita S. Benedicti.* Sanctus Benedictus Monachorum Parens & Legislator, per montis iuga longiùs progressus à Cænobijs, quæ fundauerat in Sublacensi specu, quia non erat, hospitium, perrogauit in humili casa, nec impetrauit tamen; quæ fuit rustica heri eius inhumanitas. Itaque fessus de via, reclinauit se supra rupem ipsam, atque hæc mollior, & hospitalior, cessit corpori eius; hodièque visitur impressa, mole staturæ, ac magnitudinis illius.

57. *Simon Millesius.* Ad portam monasterij, vbi S. Benedictus puerum mortuum resuscitauit, etiam nunc apparent signa cubitorum S. Benedicti saxis impressa, & genuum Patris pro defuncto filio supplicantis.

58. *Aloysius Torell. in Hist. August. an. 354.* Propè Ciuitatem Tingis Regni Tingitani in littore maris, quo in loco apparuit D. Augustino Angelus totam marinam aquam in angustam foueam transmittere tentans, ad illi demonstrandum impossibilitatem perfectè attingendi mysterium S.S. Trinitatis, quod tunc sanctus speculabatur; etiam nunc apparent in lapide vestigia pedum, ab eodem Sancto Doctore mirabiliter impressa, quæ licet continuo fluxu, & refluxu maris semper abluantur, à fluctibusque percutiantur, nunquam mouentur, nec consumuntur, immo aqua, quæ in eis cauitatibus, reperitur, deuotè à fidelibus hausta, innumeros propulsat morbos, & infirmitates.

59. *Iacobus Bosius in vita Beati Gherardi Mecatti fratris laici Religionis Sancti Ioannis Hierosolymitani part.1.li.18.* B.Gherardus Mecattus, ad orationem noctu ibat ad quendam locum, ad quem genibus flexis ascendebat; cùmque spatium grande perfecisset, quiescere solebat ad quendam lapidem, cui adhærebat; & nostris diebus signa videntur eius manus, & digitorũ diuinitùs impressa. Extat in villa quadam hic lapis propè Villam magnâ distante à Ciuitate Florentiæ ad tria milliaria.

60. *Basilius de Serenys in lib.1. Ethici Stylobatis de Sancta Iustina.* Morabatur forte Iustina cælestium rerum contemplationi vacans apud suburbanum quoddam prædium;cùmque Patauium se conferre decreuisset,confirmandis (puto) & in certamine roborandis credentibus, ne à gloriosa confessione deficerent;audierat enim quantùm calamitas Christi cultoribus immineret:Maximilianus redeunti insidias tetendit iuxta mænia.Iustina,milites concito gradu, iamque cominùs accedere conspicata, & castitatis verita detrimentum, auerso cursu fugam arripit; sed prohibita est, Ponte curuo, (nunc vulgò *Ponte Coruo*) armato milite completo, quamobrem cùm nullum ei superesset effugium, illicò rheda, qua vehebatur, dissilijt, procumbensque in genua, virginitatem suam, quam cælesti sponso iam pridem obtulerat, obnixè commendauit. Mirabile dictu! cessit filicis rigor, ac duricies tenellis genibus, & tamquam cera liquescens, eorum se siuit informari vestigijs. Visitur ad hunc diem Venetias translata ad D.Iustinæ Oratorium, Petra fossulis impressa, ac veluti insculpta genuum ipsius insignia exprimentibus.

61. *Ioan.Euseb. lib.1.de mira.nat.cap.32.* Cùm primùm Yriam Flauiam appulit nauis, qua corpus Sancti Iacobi delatum fuit in Hispaniam; sanctum cadauer, deponendum super Saxum, ipsa rupes se expandens, & in sepulchri formam sponte effigians, excepit. Hactenùs perseuerat eadem species sepulchri.

62. *Gonzaga de origine Serap.Relig.in prouincia Sancti Francisci conuent.40. de conuentu S. Bernardini montis Franci*; Incolæ montis Franci, cænobium B.Bernardino ædificauerunt in loco ab ipsomet dùm viueret assignato, in quo & pedis eius vestigium adhùc cernere licet.

63. *In vita Sancti Andreæ Zoerardi Eremitæ Camald.* Anno Domini 1569. die 16. Iulij in die festiuitatis Sancti Andreæ Zoerardi, tẽpore Sigismundi Augusti Regis Poloniæ, Lutherani nequitia inflati cùm magno impetu ingressi Ecclesiã, siue cellam, in qua viuens S.Zoerardus tot annos habitauit, populum Christianum orantem, & diuina obsequia peragentem, cæperunt foràs ex Ecclesia eijcere. Tunc Populus eleuatis manibus, & oculis in cælum, cœpit cùm magna voce clamare ad Dominum, dicens: Sancte Andrea Zoerarde serue Dei nunc defende Ecclesiam Dei, ab impijs Lutheranis inimicis fidei Christi Catholicæ: statim mox dicta, Sanctus Andreas Zoerardus visibiliter omnibus apparens cùm baculo ignito,in manu tenens igne scintillantem, ex cæmeterio Ecclesiæ illos foràs omnes Lutheranos expellens, percutiens eos baculo ignito, & dicens illis: Domus mea domus orationis meæ vocabitur, vos autem fecistis illam Speluncam latronum: Ite maledicti Lutherani in ignem æternum, paratum Diabolo, vobis, & Angelis eius, inimicis Crucis Christi; multos diuina vltione igne combusit, alios excæcauit; ex quibus Lutherani multi sunt in hac cæcitate miserabiliter mortui: cæteri verò post pænam ad fidem Catholicam conuersi sunt, & nihil mali Ecclesiæ nocuerunt; ac pro maiori fide huius miraculi, ad hanc vsque diem hodiernam in cæmeterio templi, est lapis niger magnus, quadrangularis, durus, silicinus, vt mensa planus, longus trium cubitorum, altus, & largus vnius brachij: in quo lapide sunt adhùc visa vestigia plantæ pedum, in quo apparuit Sanctus Andreas Zoerardus eijciens Lutheranos ex Ecclesia, & cæmeterio Dei. Mysteni, die hodierna miraculum claret: quæ distat à Cracouia,Polonicis milliaribus octo.

64. *In vita Sancti Francisci de Paula.* Cùm semel ad vnum montium peruenisset Sanctus Franciscus, vndè in Calabriam penè totus despectus erat; conuersus eidem benedixit signo Crucis: & lapidi, cui insistebat, reliquit miraculosè impressa pedum suorum vestigia. Qua de causa, cùm magna esset ad petram illam deuotio, ausus est Religiosorum aliquis, ortu Moranensis, eamdem, non sine periculo refossam, multos post annos Romam ad ordinis sui Conuentum aduehere; vbi eam paruo abhinc tempore adhùc videre licuit; donec Troianus Spinellus, Princeps Scaliæ, & terræ Morani Dominus, eandem à dicto Fratre per multam precum instantiam repetijt, impetrauitque domi suæ asseruandam.

65. *In. m. s.* In Promontorio propè littus Campanum Caietæ, vbi rupes ingens tempore passionis Christi dirupta fuit, quodam in lapide adhùc vestigium cuiusdam manus apparet. Cùm enim cuidam Mahometano à fidelibus prodigium ibi in passioue Domini demonstratum narraretur: tàm, inquit, verum est hunc montem tunc discissum esse, quàm me imprimere huius manus vestigia in lapide,sicque dicendo,lapidem percussit; qui mox, ceù cera mollescens, manus vestigium expressit.

66. *Ioan. Eusebius libr. 2. de miraculis nat. Europa capit. 49.* Cùm semel Hostia salutaris in Colonia super lapidem cecidisset, lapis instar ceræ mollis redditus, vestigia illius suscepit, quemadmodùm etiam nostris temporibus Coloniæ conspicitur.

67. *Ex. m. s.* Dùm ad annos Christi 787. Corduba potirẽtur Mahometani, in eorum Mezquitam, quæ nunc Ecclesia maior est, ingrediens Christianus captiuus, in contemptum Mahometi, crucifixi effigiem marmori viuo vngue expressit, quæ vsque in hodiernum diem visitur, & in eius memoria deauratæ portæ hæc pendent carmina.

Hæc sua dùm celebrat Mahometicus orgia templo
Captiuus Christi numina vera vocat.

Et qua torde tinet, rigido saxo vngue figurat.

Aureolam pro quo, fuste percussus, habet.

68. *In. m. s.* Apud Camunos in Agro Brixiensi in Communitate Breuni propè Conuentum Sancti Petri P. P. Minorum Conuentualium, in via publica, parua reperitur ædicula, in qua durissimo lapidi insculpta apparent vestigia Caputii, quod defferunt Fratres Minores. Fama autem est, cùm semel illàc transiret Sanctus Antonius Patauinus, simùlque clitellaria iumenta, ab illisque ob angustam viam offensa immineret Diuo Antonio, illum ad eum lapidem accessisse, qui vt mollis cera cedens, & ipsi locum dedit, & eius aliqualia vestigia in se recepit, conseruatque adhùc.

69. *Vad. in ann. Min. an. 1333. num. 25.* Cùm B. Kunegundis, Tartarorum incursionem declinatura ad munitissimam arcem Pieninam confugisset, in petra quadam dura propè Villam Charthoreæ ad flumen Dunaret sitam, quiescere volens fessa ex itinere, pedis dextri vestigium, veluti in cera pressum reliquit, quod ad hæc vsque tempora conspicitur.

70. *Chrysostomus Henriquez de Sancto Bernardo Abbate.* In sacro cœnobio Claraualensi, stupendum, idque continuum extat miraculum, quod non parùm Sancti Abbatis commendat virtutem. In lapide enim, vbi corpus ipsius (secundùm consuetudinem ordinis) fuit ablutum, eiusdem corporis vmbra in hodiernum vsque diem perseuerat, ab omnibusque clarè & manifestè videtur. Cùmque hæretici tanti miraculi memoriam abolere niterentur, & variis instrumentis lapidem ipsum cauarent, vmbra descendit, nec aliquo modo deleri potuit.

71. *Philippus Alegambe in mortibus illustrib. P.P. Soc. Iesu.* Corpus P. Antonii de Andrade è Societate Iesu in odium fidei an. 1634. in India Goç veneno sublati, postquàm humatum fuit, miro prodigio in imposito marmore suam effigiem, tamquam coloribus expressam reliquit: quæ cùm aspiranti veneno tribuerentur à nonnullis, vbi constitit nullis instrumentis eradi, aut aboleri posse, opus humano maius creditum est.

72. *Ex. m. s.* Bononiæ quidam scelestus aleator, dùm ludendo semper aduersam experiretur fortunam, semel vehementi obcæcatus ira, in imaginem Beatæ Virginis, quæ in mœniis Ciuitatis depicta erat sæuiens, eamdem pugione pluribus affecit ictibus, continuòque sanguis viuidus ex imagine exiuit. Ob hoc autem sacrilegium, extra ciuitatem contra illam partem mænium, in qua venerabilis imago depicta erat, patibulo suspensus est: & ecce mirum; Vmbra illius cadaueris, quæ Sole opposito in muro ciuitatis, tunc apparuit, adeò in eodem impressa remansit, vt in hæc vsque tempora durauerit, nec pluuiis, ventis, glacie, aliisque à ciuibus adhibitis ad eam delendam remediis, vnquam euanescere potuerit. In loco vbi erat imago, nunc extat Ecclesia, vulgò *del Baracano* appellata.

73. *Burchardus in descript. terræ Sanctæ.* Soldanus videns quoddam ornatum Ecclesiæ Bethlehemiticæ, & tabulas parietum pretiosas, mandauit eas deponi, & duci in Ægyptum, vt inde palatium suum in Babylonia decoraret. Mira res! artificibus cùm instrumentis accedentibus, adhùc ipso Soldano adstante, & vidente, de sano, & integro pariete, quem nec acus penetrare posse videbatur, serpens immanis exiuit, primæ tabulæ marmoreæ, quæ occurrit, morsum suum in medio dedit, quæ per medium latitudinis, perque transuersùm confracta est. Secundam adiit, & tertiam, quartam, quintam, & sic per ordinem ad altitudinem 12. pedum à terra, vsque ad decimam octauam tabulam, & tunc stupentibus omnibus qui aderant, & ipso Soldano territo, serpens omninò disparuit. Remansit igitur tabula in Ecclesia; & vestigia tractus corporis serpentis in singulis tabulis apparent notabiliter, quasi combustio quædam facta ex igne.

CAPVT II.

De Admirandis circa Ferrum, grauitatem diuinitùs deperdens.

§. I.

A Lapidibus, ad ferrum fit transitus, quod, licet anima expers, præceptum tamen diuinum intelligens, ei omninò paret, contraque sibi inditam inclinationem mirabiliter operari quandòque visum fuit. Et quia grauitatem præcipuè sibi vendicat, hanc iubente Deo, sæpè sæpiùs amisisse testantur historiæ. Vt in sequentibus.

1. *Petr. de Natal. libr. 8. capit. 22. de Sancto Bercario Abbat.* Dùm filios suos sibi commissos more boni pàtris, & pastoris diligenter curaret, exigènte culpa, quendam Daguinum monachum verbere disciplinæ correxit: qui molestè hoc ferens, instigante diabolo, nocte abbatem dormientem læthali vulnere percussit; &, vt ferrum occultaret, in pissinam demersit, quod Dei iudicio super aquam enatauit. Mox autem frater ille attonitus, & amens, ad Ecclesiam currens, signum pulsabat. Fratres autem hora insolita excitari admirantes, abbatem percussum adhùc spirantem inuenerunt, & ferrum enatans conspexerunt; Daguinum quoque quasi insanum in Ecclesia repertum, vti reum homicidii comprehensum, ad Bercarium iudicandum adduxerunt: cui ille, quantùm in se erat, omnem dimittens iniuriam, Deum per pœnitentiam consuluit esse placandum; & in Christo martyr expirauit.

2. *In vita Sancti Leufredi Abbat.* Dùm ipse venerabilis pater cùm fratribus in labore manuum occupatus esset quadam die, cùm iuxta ripam fluminis Auturæ, quæ ipsius monasterio à plaga meri-

meridiana adiacet, dumos, & spinas toto adnisu succiderent: cuidam fratri excussum de manubrio ferrum à manu cecidit, & in interiora fluminis demersum est. Illud autem ferramentum vocant rustici bidubium: quod à quibusdam falcastrum vocatur, eo quòd in falcis similitudinem curuum sit. Cùm autem ad notitiam viri Dei hoc peruenisset, ipse ad fluuium accessit, & cœpit perquirere ab operantibus locum vbi ferramentum cecidisset, & agnoscens locum, stetit è regione, & baculum quem manu ferebat in flumen porrexit, statimque sicut piscis ad hamum, sic ferrum illud natauit, & baculo illi inhæsit; quod vir Dei reddidit operario suo, cohortans eum lenibus verbis, vt fidem disceret habere in Deum, per quem talia fieri cerneret.

3. *In vita Sancti Siberti Eremitæ*. In finibus Cornitatus Venaysini, erat locus in descensu montis, inter quem, & Durentiæ alueum, modicum erat interuallum. Ibidem specus erant, & antra, receptacula latronum, qui latrocinia, cædes, & mulierum oppressiones innumeras exercebant: ideò locus ille, Mali passus vocabatur. Tandem diuina clementia virum Sanctum, Sibertum nomine, ab exteris nationibus in prædictum locum destinauit. Qui in dicti loci decliuio, Dei mandato, cœpit Basilicam ædificare, in honorem Dei, & B. Mariæ Virginis, cuius rei fama vbique conuolauit. Adueniunt Domini prædiorum illorum, interdicunt opus. Vnus illorum furibundus instrumenta ædificantium rapit, in flumen proijcit. At S. Sibertus, flexis in litore genibus, orat, supernatat ferrum, hoc recipit Sanctus vir, artificibus restituit, continuatur opus, tandemq; perficitur, supradictis Dominis consentientibus.

4. *In vita S. Angeli Eremitæ*. Vna die cùm licentia Prioris, nomine Ieremia, frater Angelus, & frater Ioannes pro labore sibi iniuncto peragendo, iuerunt portatum lignum. Cùm ergo Ioannes vnam arborem incideret, securis de manico exiuit, & in aquam cecidit in quodam fonte, S. Heliæ vocato, qui profundissimus erat. Frater Angelus hoc viso, accepit lignum, scilicet manicum, & in aquam posuit, dixitque fratri suo Ioanni: Oremus Dominum, & patrem nostrum Elisæum, vt nunc ita natare faciat super aquam securim nostram, veluti fecit tempore Prophetarum, ex virtute eius magnæ sanctitatis. Facta oratione cùm surgerent, inuenerunt ferrum cum ligno sicut priùs erat. Hoc viso, immensas Deo obtulerunt gratias, pariterque Sancto Elisæo. Angelus autem prohibuit fratri suo, vt nulli viuenti hoc reuelaret. Sed Prior memoratus in sua camera orans, vidit quandam visionem, scilicet quòd propter orationem Angeli, Deus faciebat natare ferrum super aquas, prout faciebat Sanctus Elisæus, & istud fuit primum miraculum, quod Deus fecit per orationem S. Angeli.

5. *In vita Sancti Benedicti*. Gotthus quidam, pauper spiritu, ad conuersionem venit, quem Dei vir Benedictus libentissimè suscepit. Quadam verò die ei dare ferramentum iussit, quod ad falcis similitudinem, falcastrum vocatur, vt de loco quodam vepres abscinderet, quatenùs illic hortus fieri deberet. Locus autem ipse, quem mundandum Gotthus susceperat, super ipsam lacus ripam iacebat; cùmque Gotthus idem densitatem veprium totius virtutis annisu succideret, ferrum de manubrio prosiliens, in lacum cecidit: vbi scilicet tanta erat aquarum profunditas, vt spes requirendi ferramenti nulla iam esset. Itaque ferro perdito, tremebundus ad Maurum monachum cucurrit Gotthus, damnum, quod fecerat, nunciauit, & reatus sui pænitentiam egit. Quod Maurus quoque monachus mox Benedicto famulo Dei curauit indicare. Vir igitur Domini Benedictus hæc audiens, accessit ad lacum, tulit de manu Gotthi manubrium, & misit in lacum, & mox ferrum à profundo redijt, atque in manubrium intrauit. Qui statim ferramentum Gottho reddidit, dicens: ecce labora, & noli contristari.

6. *In Chronico Cassinensi lib. 2. cap. 61*. Cùm die quadam, quidam ex operarijs de monte proximo, qui mari imminet, petras, quibus Ecclesiæ parietes fabricarentur, excideret, subitò ferrum illud, quo operabatur, de manubrio exiens, præceps in maris voraginem decidit. Quo fratres per eundem, cui contigerat, agnito, aliud pro illo malleum, quo instanter cæptum opus perficeretur, fieri mox decernunt. Cùm repentè vnus eorum fide feruentior: nequaquam ait, sed omnes simul fiducialiter ad locum, quo ferrum decidit, accedamus, manubrium in aquam mittamus, miraculumque, quod in Gotthi falcastro Pater Benedictus exibuit, in malleo etiam per eundem Patrem mox fieri indubiè præstolemus. Quid plura; inspiratione diuina placet consilium omnibus, & descendentes ad mare, nauiculam omnes ascendunt, sinumque gyrantes, ad locum, quo ferrum deciderat, veniunt, in quo loco quamuis nimiam profunditatem aquarum inesse conspicerent, nihil tamen impossibile Deo esse credentes, & de meritis Beati Patris Benedicti nihilominùs præsumentes, manubrium in mare fideliter mittunt, moxque diuino imperio ferrum idem ad manubrium suum reuersum, non sine maxima multorum admiratione, recipiunt.

7. *Nicephorus Callistus, de corpore S. Matthæi Apostoli lib. 2. Hist. Eccl. c. 41*. In pace emisit spiritum S. Apost. & ad Christum transijt. Cuius quidem sacrum tabernaculum in aureo repositum lecto, splendidisque inuolutum vestibus, palatio Fuluianus infert. Idque arcæ ferreæ plumbo insuper probè communitæ inclusum, demittere in mare iubet, hoc sic cogitans: si is, qui illud ab igne conseruatum tutatus esset, ab vndis quoque vt in ferrea vrna positum supernataret, vindicaret, se dijs suis omnibus repudiatis, vni, quem ille prædicasset Deo, per pietatis cultum seruiturum. Quum ergo ita in mare proijceretur, statimque diuina id cælitùs gubernante manu in littore rursùm exponeretur: populus vniuersus vrbe effusus, Platone Episcopo præeunte, hymnis laudibusque à Matthæo prædicatum concelebrat Deum. Fulia-

uianus verò rebus omnibus posthabitis, sacrum suscipit baptismum, & Matthæi sibi nomen arrogat, occulto quodam arcanoque Apostoli ductu. Simúlque qui eius imperio subditi erant, omnes patriam superstitionem reijcientes, diuinum complectuntur lauacrum.

8. *Philip. Ferrar. mense Aug. die 28. de S. Vicinio Episcopo Sarsinate*. Catena S. Vicinii, quæ Dæmoniacorum collo admota, eos statim curare consueuit, aliquandò furtim sublata, & in fluuium à fure, ne furtum deprehenderetur, proiecta, super aquas natans, à ciuibus, fure crimen fasso, reperta est.

9. *Vad. in annal. Minorum an. 1377. num. 16. de B. Thomasuccio*. Pisas profectus, alta, & sonora voce annuntiabat pænitentiam, & prædicabat mala superuentura, præsertim duræ seruitutis. Pisani, hominis irridere prædictiones, fatuum vocare, & in peccatis sordescere: ille è contra instare, continuò clamare, & ad pænitentiam inuitare. Sed dùm in sua incredulitate persistunt. Nisi signa, inquit, & prodigia videritis, non credetis: Crucem hanc ferream non exigui ponderis, quam ego manu fero: si in præterlabentem hunc Arni fluuium proiecero, & contra suam naturam supernatauerit, fidem adhibebitis; sin autem naturali pondere, & grauitate descendet in profundum, ego vobis ero prophetans vana, & diuinans mendacia. Admiserunt Pisani pactum; & ille proiecit crucem in flumen: quæ veluti aridum lignum, aut leuis stipula aquis eminebat. Ad hoc spectaculum obstupefacti ciues, verbis eius aurem accommodarunt, & multi vitæ malè transactæ pænituerunt.

10. *Pepe in mirab. S. Caietani m. 181*. Cùm semel Melitenses triremes sæua inita pugna, Mahometanas igne combustas aquis demersissent; quædam mancipia Christiana, quę in illis detinebantur, vitam natando ab vndis eripere statuerant; at ferreis vinculis pondo plùs minùsue mille, & quingentarum librarum detenta, haùd consilium exequi poterant: tunc inuocato S. Caietano, aquis firma fide se dederunt, mirabiliterque ingens pondus leue factum, aquis supernatauit, miserisque fugam arripiendi, littusque attingendi, facultatem concessit.

Ferrum mirabiliter hebetatur, & mollescit. §. 2.

ET aciem deperdere ferrum, & veluti ceram emollescere, quò faciliùs in eo magnalia Dei exsculpta appareant, quandòque compertum est. De quibus.

1. *Pet. de Natal. lib. 8. cap. 70. de S. Niceta Martyre*. Fecit eum Rex deponi super lectum gladiis acutissimis circumseptum, qui quatuor rotis agitabatur: sed, orante Sancto, gladij sicut fœnum facti sunt, & ipse illæsus permansit. Quo viso miraculo, quingenti Gentilium crediderunt.

2. *In actis Sancti Pantaleonis*. Accedens vnus de militibus, percussit eum gladio: & ferrum sicut cera duplicatum est: & non tetigit iustum.

3. *Petra Sancta capit. 48. in mirac. comp.* Sancti Tyemonis Archiepiscopi Salisburgensis, & Martyris, collum lictor, vt amputaret, vibrauit ictum; ne ferire tamen potuit, sed mansit dumtaxat in summa cute rubra lineola. Iterùm experiri voluit lictor, & in partes duas ferrum dissilijt.

4. *Masculus de Sancta Euphemia Virgine, & martyre 16. Septembris*. Exsecanda etiam traditur serræ virgo, sed frustrà, statim obtusa hebetatur acies ferri, nempè diuidi in partes non vult integer pudor.

5. *Cæsar Franciottus in Hist. Vultus Sancti*. Iuuenis quidam accusatus ob quædam indicia homicidij, tormentorum magnitudine victus, facinus fassus est, quod non perpetrauerat. Morti adiudicatus, Sancto se Vultui, qui Lucæ colitur, commendas, in somnis audire sibi visus hæc à Sancto Vultu verba: Noli timere fili: ego meo pede carnificis ictui occurram, vt nihil tu lædaris. Ita factum; nam cùm carnifex ter innocentis collum ferire ferro tentasset, nec tenerrimam colli pellem incidere potuit, quia ipsa ferri acies, non secùs ac si duram petram percussisset, obtusa remansit; quod miraculo ab omnibus tributum, & comperta veritate, iudex, iuuenem non solùm liberum dimisit, sed magnis eum humanitatis excepit signis.

6. *Petra Sancta, in mirac. comparatis capit. 48*. Sancta Cæcilia Virgo, & Martyr., ter gladio icta, ceruicem nihilominùs non amisit, emollescente ferro.

7. *Albinus Flacus*. Sanctus VVillebrordus Episcopus Traiectensis, à Sacerdote Idoli, cuius simulacrum comminuerat, gladio percussus in capite, lædi non potuit.

8. *Sanctus Hieronymus Epist. 49. ad Innocentium*. Quædam mulier Vercellensis falsò adulterij accusata, septies icta, numquam læsa est: iam spiculator exterritus, & non credens ferro, mucronem aptat in iugulum, vt qui secare non poterat, saltem prèmente manu, corpori conderetur. O omnibus res inaudita sæculis! ad capulum gladius reflectitur, & velut Dominum suum victus aspiciens, confessus est, se ferire non posse.

9. *Adamannus in actis Sancti Columbæ Abbatis*. Ferrum quoddam benedicens Sanctus Columba, ad vulnera hominibus, vel pecoribus inferenda hebes, & inutile reddidit.

10. *Frodoardus de captiuis ab Vngaris detentis*. Quidam captiuus, qui iuxta pagum Bituricensem, diruptis catenis mirabiliter à captiuitate liberatus est, nobis retulit, quòd viderit in eadem hac captiuitate quemdam Orbacensis Cœnobii monachum nomine Hucbaldum, quem frequenter ethnici trucidare voluerunt, nec carnem eius incidere valuerunt: Deum ergo eum esse dicebant. Equidem (vt hic presbyter refert) nudum eum vidit in medio positum, & sagittis vndique appetitum, nec summotenùs saltem cute præcisa vulneratum, resiliebant enim ab eius corpore, vt ab adamante, recisæ sagittæ, nec signum ictus vllum eius apparebat in cute. Sed & gladio cùm

cùm omni conatu eum nudum se vidisse percuti, dicit, ac nihilominùs caro ipsius intemerata permansit.

11. *Vincentius in Spec. Hist. lib. 26. cap. 40.* Ortum est bellum inter Comitem Fontis calcariæ, & militem suum nomine Gullielmum, qui captus est à Comite, & ante eum adductus; quem cùm Comes decollari iussisset, & miles S. Iacobum Apostolum inuocaret, ter ictum immersum nudo collo, erectis ad cœlum manibus sustinuit, & nihil læsus est. Tunc spiculator mucronem misit in ventrem, quem B. Iacobus sic hebetauit, quòd nec ictum eius sensit.

12. *Stephanus Pepe in Hist. B. Virg. de Aetinga in Bauaria.* Anno Domini 1663. die 27. Iulij, cùm quidam scelestus morti damnatus fuisset, carnifex ponderosissima ferrea rota membra eius cæpit contundere; at ipse inuocans B. Virginem de Ætinga, cuius habitulum deferebat, nullum nocumentum ab ea perpessus est, vt si ferrea rota, pluma fuisset; vndè viso miraculo, à morte liberatus est.

13. *Guilielmus Gumppemberg, in Atlanti Mariano de imagine Beatæ Virginis Carauaggiana.* An. 1435. die, vt putatur, 26. Maij, quo festus templi B. M. Carauaggiensis celebratur, res ea contigit, quæ coniecturam præbet, nolle Deiparam, vt hoc die, vel iustè, homini malè fit: etenim ad securim damnato, alijs, alijsque modis deiecto fatali ferro, truncari caput nequijt. Hinc hodièque obseruatur, vt eo die ne iustitia quidem ipsa contra quempiam, funestum quid, & ferale decernat.

14. *Felix Astulphus in Hist. vniuer. imag. B. Virginis lib. 10.* Circa An. Domini 1459. Vir quidem in Calabria, criminis non patrati accusatus, à Iudice capitali sententia damnatus fuit; at dùm illum carnifex laqueo suspensurus erat, apparuit B. Virgo, ad cuius patrocinium confugerat innocens, laqueoque inciso, liberum reliquit. Iterùm iussu Iudicis securi damnatur, at ferrum iterùm, ac tertiò, veluti cera mollescens, deuotum Deiparæ haùd offendere valuit, quinimmò cor durum Iudicis scidit, misericordemque in innocentem tanto miraculo reddidit.

15. *Idem ibidem lib. 14.* Mulier quædam Vtinensis, dùm à coniuge crudeli gladio interficienda, in syluam ducta fuisset; auxilium B. Virginis implorauit; & ecce gladium, ceù mollem ceram, hebetari, retundique intercessione Virginis mirabiliter experitur.

16. *Bernardinus de Bustis in Monili p. 1. serm. 7.* Aliud prodigium accidit in vrbe Aquilana, in qua quidam deuotus Conceptionis Beatę Virginis, habens inimicitiam capitalem, deliberauit inimicum suum interficere. Cùm autem ad peragendum homicidium iret, se Beatæ Virgini commendauit, vt in hoc facto eum defensaret, ne aliquid mali eueniret, sed ad interficiendum hostem suum ipsi adiutorium præberet. Beata autem Virgo volens deuotum suum à tanto malo retrahere, statim cùm ille pugionem suum de vagina ad occidendum inimicum extrahere voluit: eum totum retorqueri fecit cùm ipsa vagina, modo mirabili, & impossibili per naturam, vel per artem humanam, ita vt nullo modo vnquam extrahi potuerit. Quo viso miraculo, illum de peccato, quod peragere statuerat, pænituit. Et sic miraculosè retortus ille pugio vsque in hodiernum permanet diem sicut mihi retulit quidam frater noster, qui ipsum pugionem proprijs oculis conspexit.

17. *In menologio Græco, 27. Septemb. de S. Marco Mart.* Cùm Magus Præfectus quæreret fabros, qui tormentorum instrumenta, ad dilaniandum S. Martyrem Marcum componerent; inuenti sunt tres fratres Alpheus, Alexander, & Zosimus: cùm igitur fabrilis artis periti opus aggressi essent, ferrum ipsum, vt aqua diffluebat, eorumque manus torpescebant; quo prodigio, & ipsi ad Christum conuersi sunt.

18. *In actis S. Theodorici Episcopi Aurel. apud Bollandum 27. Ian.* Accidit dùm quodam itinere pergeret, à complicibus Odolrici eum intercipi; quem mox de equo cui insidebat deiiciunt, humique prosternunt, lanceas, & gladios vibrant, vt innocentem trucident. Sed mirum dictu! quem gladijs se putabant confodere, nullum ei vulnus, vel modicum potuerunt inferre. Etenim manus inimica nocere non poterat, quem diuina dextera protegebat.

19. *In actis S. Thyrsi mart. apud Boll. 28. Ian.* Thyrsum iussit Baudus in cochlea constringi, & per duas partes serra medium diuidi. Vitalio, & Sabino sectoribus nouem exemptæ sunt horæ; & nec capillum quidem martyris serra diuisit.

20. *Pepe in mirabilib. S. Caietani m. 90.* Augustinum Carminellum Neapolitanum, dùm dormiret, aggressus fuerat inimicus, euaginatoque paruo gladio eum ictibus reiteratis confodere tentauit; at inuocato Diuo Caietano, durum ferrum, tenerum percutiens, & repercutiens pectus, ceù mollis cera, ne dùm hebes, sed & recuruatum, D. Caietanum inuocantem haùd ferire potuit.

21. *Idem ibidem m. 19.* Petrus Vitta Neapolitanus, innocentem coniugem, ob vanam adulterij suspicionem è medio tollere statuerat: Hoc præsentiens deuota mulier, Diuum Caietanum inuocauit, oleoque eius lampadis, caput, gutturque totum perunxit: dùm autem somno sopitam credit maritus, acutissimo gladio, quater guttur coniugis percutit; at ferrum, ceù mollis cera, innocentem haùd ferire potuit, solùmque in miraculi testimonium, rubicunda ictuum reliquit vestigia.

22. *Odoricus an. 1209.* Miraculum quoddam propè arcem, cui Cabareti nomen erat, contigit: percussus enim miles in pectore, vbi affixum crucis signum gestabat, sagitta à ballista collibrata, putantibus omnibus extintum, sagita, non modò ipso, sed nec veste læsa, non aliter, quàm saxo percusso, licet inermis esset, resilijt.

23. *Bartholomæus de Rogatis in Hist. Granat. Par. 4. lib. 3.* Dùm in memorabili prælio contra Saracenos innito, in quo ducenta millia eorum fuerunt interfecta, Paschasius Canonicus Ecclesiæ Toletanæ, per totum exercitum circumquaque Cru-

cem ferret, licet contra ipsum, infinitus numerus sagittarum à barbaris fuerit eiaculatus, nec Crux, nec Canonicus minima læsione fuerunt affecti; quinimmò multa tela in hastam Crucis infixa, mucronibus fractis, tamquam trophæa à sacro ligno pendebant.

24. *Ludouicus de Angelis*. Gnazani in Campania, in Ecclesia P. P. Eremitarum S. Augustini adest Crucifixus, in cuius latus miles quidam, ludo alearum cùm pecuniam perdidisset, impio ausu mucronem defigiens, mucro ipse impietatem abhorrens, mirum in modum retortus est.

25. *In vitis P. P. Occident. lib. 2. de S. Vlfrico eremita*. Cùm Loricæ longitudo in diuina genuflexione impediret S. Vlfricum eremitam, militem huius rei conscium, cui primò seruierat, aduocat: de nimia loricæ longitudine causatur; dicens, Forfices accipe, & coram Deo loricam rescinde. Cùmque ille obstupesceret, & velut delirantem respiceret. Vlfricus forfices de domo militis allatas, filoque in annulos loricæ inducto, quo finem recisionis significauit, in fenestra coram ipso posuit, dicens: Costans esto, & indè ne trepides; ecce ego vado orare Dominum meum. Instans ergo miles incisioni, putabat non ferrum, sed vestem incidere, tanta facilitate in ferro non ferreo forfices cucurrerunt. Ex tunc verò vir Dei absque forficibus, cùm digitis suis debilibus, non minori fide, annulos loricæ ad sanitatum remedia cunctis charitatiuè petentibus diuidens, ministrabat.

26. *In vita Ven. Francisci à Puero Iesu Carmelita*. Quædam mulier venerat marito in iniquam suspicionem, & instigante Diabolo, decreuerat illam ipse interimere; quodam die igitur cùm ad scelus suum, oblata sibi videretur opportunitas, districto pugione, insontem petit, ea quidem vehementia, vt pugio incidens in offendiculum, ab acie, adusque capulum se se, sine vllo percussæ innocentis incommodo, replicauerit. Ad quod obstupefactus maritus, & rescire quæritans, qua se munisset defensione mulier; particulam habitus nostri F. Francisci, quam secùm deportabat, tandem reperit; obstupuit ille, & sanctas reliquias veneratus, desipere destitit, compunctusque, & pænitens factus est.

27. *Rhò. lib. 1. var. virt. cap. 5. num. 7. de Paulo Achille*. Vicit virtute cognominis sui famam Paulus, iramque, qua Achilles olim insanire visus est, quamquàm ferro appetitus, habuit nihilominùs in potestate. Impius desertor odium, ac cædem spirans, in Achillem quum inuolasset, impulsumque humi afflixisset, ac pede conculcasset, promptum pugionem sæpiùs in pectus adigit; sed frustrà, irrata enim rabies fuit, ferri acie admirabiliter retorta.

28. *S. Gregorius lib. 3. Epis. cap. 30. de Catenis D. Pauli*. Cum frequenter ex catenis, quas S. Apostolus in collo, & in manibus portauit, multi venientes, benedictionem petant, vt parum quid ex limatura accipiant, assistit sacerdos cùm lima, & aliquibus petentibus ita concitè aliquid de catenis ipsis excutitur, vt mora nulla fit; Quibusdam verò petentibus, diù per catenas ipsas ducitur lima, & tamen vt aliquid exindè exeat, non obtinetur.

29. *Leander Albertus de viris illustribus ord. Præd. l. 3.* Cùm D. Antoninus Archiepiscopus Florentinus quondam visitaret Pistoriensem Diœcesim, intrauit quandam officinam, in qua ferrum fundebatur; quod ægre ferentes qui fabrili operi intenti erant, in eum conuicia, & blasphemias protulere; & ecce mirum; statim cœpit ferrum congelari adeò, vt nullo labore, nullaque arte fundi posset. Sicque tota illa nocte perdurauit. Sequenti mane, officinæ magister, sancto (vt creditur) spiritu afflatus, ad Antoninum accedit, eumque summis precibus exorat, vt ad officinam accedens, super illam signum crucis, suamque benedictionem infunderet: quod cùm fecisset Antoninus motus viri precibus, ferrum, quod priùs durissimum fuerat, statim fundi cœpit.

30. *Pepe in mirabil. S. Caietani M. 163.* Ferreum rete construxerat artifex quidam, vt podium cuiusdam monialis S. Claræ Neapoli cingeret; cùm ecce dùm illud loco adaptare tentat, breuius quàm opus esset, ferè integro palmo obseruat: Doluit monialis, opus tunc perfici non posse; & recordata mirabilium D. Caietani, oleo eius lampadis, durum perlinit metallum, reteque subitò adaptari podio firma iubet fide; & ecce adinuentum est elongatum ferrum, reteque loco perfectè correspondens.

Ferrea vincula diuinitùs confracta.
§. 3.

ADmirandis circa ferrum non immeritò adnumerantur confractæ diuinitùs catenæ, diruptaque vincula ferrea, vt precibus Sanctorum, captiui quandoque, & pænitentes liberarentur. De quibus.

1. *In actibus Apostolorum*. Cùm D. Petrus seruaretur in carcere, Angelus Domini astitit, & lumen refulsit in habitaculo, percussoque latere Petri, excitauit eum dicens; surge velociter; & ceciderunt catenæ de manibus eius.

2. *Mombritius in actis S. Gregorij Episcopi Lingoniensis*. Cùm deferretur corpus eius ad sepulturam, vincti clamabant, vt sui misereretur: & ita aggrauatum est corpus eius: vt sustineri non posset. Quo deposito, vinculum, in quo pedes vinctorum inclusi erant, & coacti, repulsis obicibus scissum est medium, & liberati sunt.

3. *Idem in actis Beatæ Reginæ*. Iussit Præfectus afferri vas quoddam magnum, & impleri aqua, & deponi eam de ligno, alligarique manus eius & pedes, & mitti in illud, vt suffocaretur in aqua. At illa orabat dicens: Domine disrumpe vincula mea: vt tibi sacrificem hostiam laudis. Fiat mihi hæc aqua etiam aqua suauitatis, fiat mihi hæc suffocacio illuminatio salutis. Et postquam orauit, miserunt illam in vas aqua plenum: Et ecce terremotus factus est magnus, & cælo columba descendens habebat in ore coronam: & disrupta sunt vincula Beatæ Reginæ: ascenditque de aqua laudans, & benedicens Deum, & dicens, Dominus regna-

regnauit decorem indutus est; Illuminasti me Domine Iesu Christe, & saluasti misertus vnicæ puellæ, qui es benedictus ante sæcula; & facta est vox columbæ dicens. Veni Regina in requiem Christi, beata es, quæ hanc coronam meruisti. Tunc crediderunt in Dominum animæ octoginta quinque virorum, & mulierum.

4. *Greg. Tur. de glor. confess. cap.* 88. Magnæ virtutis fuit & ille Sequanus Lingonici Abbas territorij, qui viuens sæpè homines à vinculo diabolici nexus absoluit, & post obitum ad sepulchrum suum ergastulari catena reuinctos, liberos meritis suis abire permisit. Denique Gunthchramnus Rex, Cornu, cuius voce vel molossos conlegere, vel illa corneorum arboreorum armenta effugare consueuerat, furto ablatum perdidit; quæ res multos in vincula coniecit, nonnullos facultate priuauit; ex quibus tres viri, memorati confessoris monumentum petierunt, quo Rex comperto, iussit eos catenis, atque compedibus necti, factumque est ita: media nocte verò lux in basilica humana luce clarior oritur, dissiliunt ferrearum pedestrium repagula, catenarumque disruptis baccis, vincti laxantur, quo audito Rex exterritus velociùs eos liberi arbitrij potestate donauit.

5. *Idem lib.* 1. *mirac. S. Mart. cap.* 23. Dignum existimaui, & illud non omittere in relatu, quod Viliathario presbytero referente, audiui. Tempore quo propter perfidiam Chranius iram Chlotarij Regis incurrerat, ad Basilicam Sancti Martini confugit, atque ibidem in catenis positus custodiebatur, sed virtute beati præsulis comminutæ catenæ, stare non potuerunt. Nescio autem qua imminente negligentia foris atrium comprehensus est, quem oneratum ferro, vinctisque post tergum manibus, ducebant ad Regem. At ille voce magna clamare cœpit, & vt sibi Beatus Martinus misereretur, orare, ne eum sineret abire captiuum, cuius deuotus expetierat templum; statimque in eius vocibus, orante beato Euphronio Episcopo de muro ciuitatis contra Basilicam, dissolutæ sunt manus eius, & omnes baccæ catenarum confractæ ceciderunt. Perductus autem vsque ad Regem, ibi iterùm in compedibus, & catenis constrictus retinebatur; sed inuocato nomine sæpè dicti patroni, ita omne ferrum super eum comminutum est, vt putares illud fuisse quasi figulum. Hoc tantum erat in spatijs, vt non solueretur à vinculo, quoadusque nomen illud sacratissimum inuocasset: inuocato autem, omnia soluebantur. Tunc Rex altioris ingenij videns virtutes Sancti Martini ibidem operari, & ab onere vinculorum absoluit eum, & pristinæ restituit libertati.

6. *Idem lib.* 2. *de mirac. S. Mart. cap.* 35. In proximo post tertium de festiuitate diem, erant quatuor vincti in carcere. Cùmque eos sæuitia iudicis ita constringeret, vt nec necessaria vlli præbere liceret, Antistitis beati præsidia corde precantur. Dùm hæc igitur deuotè agerent, medio die subitò sciinditur trabs, qua pedes eorum conclusi coarctabantur, confractisque catenis, liberatos se sentiunt. Nec mora, ostium petunt, quo aperto, Ecclesiam Sancti, nemine prohibente, ingressi sunt. Custodes autem in tantùm obstupefacti fuerunt, vt nec verbis eos quidem increpare præsumerent. Qui etiam sequentes eos, cùm iisdem in Ecclesia se abdiderunt. Illi autem maximas gratias Deo referunt, quòd eos obtentu Pontificis dignatus fuerit liberare.

7. *Idem lib.* 3. *mirac. S. Mart. cap.* 41. His diebus puella quædam iam ex liberis parentibus procreata, à filijs patroni, confracta libertate, ad iugum seruitutis additur: vndè factum est, vt illa non acquiescente iniustis dominis quicquam operis exercere, catenis & compedibus vinceretur. In qua custodia dùm aliis beatam festiuitatem expectantibus, resideret flens, & eiulans, cur non interesset beatæ festiuitati, subitò trabs, in qua pedes eius arctati erant, sciinditur, & hæc quasi libera, nexa quidem catenis, beatam basilicam expetiuit. Vbi verò primùm pedes sacra limina contigerunt, statim confractæ catenæ ceciderunt à collo eius: & sic incolumitati pariter, libertatique donata est.

8. *Idem lib.* 4. *mirac. S. Mart. cap.* 16. Homo quidam vrbis Turonicæ iudici culpabilis extitit. Quem in vincula compactum custodiri præcepit. Aduenientibus autem diebus sanctis dominicæ resurrectionis, iussit eum iudex in vlteriùs Ligeris fluuii littus, in alia retrudi custodia. Ducebatur ergo non solùm catenis collo reuinctus, verùm etiam post tergum manibus colligatis. Cùmque ad ripam nominati amnis aduenisset, & nauigium, quo transire deberent, præstolarentur, atque ille Sancti Martini auxilium incessabiliter flagitaret, visum est repentè custodibus quasi ab aliquo capite verberati fuissent. Protinùsque in terram ruunt, ac catenæ, quæ vinctum tenebant hominem, confractæ sunt. Laxatæ verò corrigiæ de manibus soluuntur. Ipse autem liberum se sentiens, decumbentibus adhùc solo hominibus, secessit ab eis, & Sanctæ Ecclesiæ limen ingressus est, sicque à iudice laxatur. Ferebant enim nonnulli his diebus, & apud Pictauensem vrbē vinctos ergastulo carcerali fuisse resolutos. Quod ambigi non potest, quia confessoris virtus vtramque vrbem sacris potuit illustrare miraculis.

9. *Idem lib.* 3. *mirac. S. Martini capit.* 47. His diebus cùm quidam pro dissoluendo debito, quod in necessitatibus suis contraxerat, interpellaretur, nec esset virtus atque facultas ad reddendum, quæ mutuauerat, in carcere coarctatur. Deindè cùm videret creditor, quòd ei nihil extorquere posset, quia nihil habebat, nec esset qui ei manum misericordiæ porrigeret, arctiùs eum in vincula constringit, negatoque cibo, ac potu dicebat. Ego te faciam ad omne documentum fame tabescere, donec omnia reddas. Hæc autem cùm agerentur, Sancti Antistitis reliquiæ, quæ in Suessonicum pagum ferebantur, per plateam præteribant. Auditis itaque vinctus psallentium vocibus, orauit, vt eum virtus Antistitis Sancti visitaret. Statimque dissolutis ligaminibus, nullo retinente, Basilicam sanctam ingreditur. Dehinc à deuotis redemptus, à nexu debiti absolutus est.

10. *Idem lib.* 4. *mirac. S. Martini cap.* 26. Fuerat nobis

nobis causa quædam, Childeberti Regis adire præsentiam. Pergentibus quoque nobis, iter per pagum Remensem aggressi sumus, reperimusque hominem quendam, qui nobis relatu patefecit, patefactum carcerem huius vrbis, in quo inter reliquos vinctos, huius famulus tenebatur, Martini virtute fuisse, vinctosque ergastulo absolutos, liberosque abscessisse. Erat homini carcer ita tectus, vt super strue lignorum, apes validi superpositi palpitarentur, ac desuper qui eosdem opprimerent, insignes fuerant lapides collocati. Nihilominus & ostium carceris, sera ferro munita, obducta claue, pessulo obserabatur, sed virtus Antistitis, vt ipse relator asseruit, lapides dimouit, deiecit pulpita, catenas confregit, & trabem, quæ cunctorum coartabat pedes, aperuit, ac nec reserato, homines per aera subleuatos, foris tecto patente, produxit dicens: Ego sum Martinus miles Christi, absolutor vester; Abscedite in pace; & abite securi.

11. *Idem lib. 4. mirac. Sancti Martini cap. 35.* Nec illud prætereundum puto, quòd innocens homo accusatus per calumnias malorum, adducebatur ad vrbem vinctus loro, vt truderetur ergastulo. Cùmque ante basilicam S. Petri Apostoli in publicum adductus æger deuenisset, solutæ sunt manus eius, dixitque custodibus: In hoc apparet me à culpa, quam dicitis, esse immunem, cùm meæ manus diuinitùs sunt solutæ. Tunc illi indignantes arctiùs eum reuinxerunt, & insuper adhùc alio loro ligaminis adiecto, vt ita dicam, vincula ipsa vinxerunt. Contigit autem eo tempore, vt nos de basilica S. Martini per plateam veniremus. Hi autem cùm nobis obuiam venientes appropinquarent, vt primum Basilicam Sancti homo vinctus aspexit, statim solutæ sunt manus eius, exiliensque de caballo, in quo sedebat, pedes nostros arripuit, exponens se iniustè damnari. Sicque nobis cùm iudice loquentibus, absque fascinatione discessit.

12. *Ambrosius Rigbettus in mirac. Nominis Iesu.* S. Erasmus à Diocletiano Imperatore ob fidei prædicationem, in carcerem proprio munitum sigillo, alligatis ad collum grauissimis ferreis catenis, trusus, ab Angelo Domini è carcere mirabiliter ereptus est, tamquam molli cera liquefactis ferreis vinculis, intactoq; remanente Imperatoris sigillo.

13. *Surius in vita S. Medardi Episcopi Nouiomensis cap. 29. 8. Iun.* Antequam terræ corpus sanctum conderetur, quidam vastis catenarum loris brachia, surasque deuinctus, per medias sese properantium turmas, non sine multa difficultate iniecit. Cui mox vt sancti confessoris concessum est tangere operimentum, omnia mox dissiluere repagula catenarum, diruptisque compedum vinculis, liberrimè cùm multa gratiarum actione sequebatur munerarium suum.

14. *Idem in vita S. Faronis Episcopi Meldensis 28. Octob.* Cùm beatus vir domesticatim visitaret ouiculas vrbis suæ, paternam illis adhibens curam & solicitudinem, casu, carcerem, in quo vincti homines detinebantur, præterijt. Id sentientes miseri illi, petunt veniam facinorum, & vinculorum solutionem. Mox ille pietate commotus, Abite, inquit, liberi, quandò quidem factorum vos pænitet. Ad eam vocem vincula confestim soluta sunt, non ausa detrectare imperium sancti antistitis, in quo Christi virtutem sentirent.

15. *Idem in vita S. Leonardi confes. 6. Nouemb.* Latrones quidam, rusticum ceperunt, eumque ad quercum suspenderunt, corpore miserè pendente, pedibus arbore compressis, sinistraque manu ad aliam arborem ferreo vinculo alligata: ita vt nihil misero relictum esset liberum, præter solam dexteram manum, cui innitebatur. In tantis igitur angustijs appellat cùm lachrymis beatum Leonardum. Et ecce circumfundi sibi cernit lucem clarissimam, & ex ipsa luce audit vocem blandissimam: quid ita clamas? Respondet ille: Deum inuoco, sanctosque eius Martialem, & Leonardum appello. Tùm vox illa: Extrahe, inquit, pedes, & manus, & abi liber, & incolumis. Illo dicente, se non posse, pedibus & manibus impeditis, rursùs iubetur absque vllo metu facere, quod monitus erat. Fecit ergo sic, & compedibus in terram decidentibus, abscessit.

16. *Idem in Decembri de S. Eligio.* Redux quondam in Lemouicensem patriam suam S. Eligius Episcopus Nouiomensis, reos omnes, ergastulo diuinitùs patefacto, vinculisque abruptis, asseruit in libertatem, atque etiam templi asylo defendit.

17. *Ferrarius in Catal. S. S. 25. Octobris.* Cùm S. Chrysanctus iussu Tribuni vinctus catenis, & compeditus, obscuro & fœtido carcere inclusus fuisset; catenis, & compedibus diuinitùs in puluerem redactis, liber remansit, quod iterùm, cùm denuò esset ligatus, accidit.

18. *Bozius de signis Ecclesiæ lib. 5. cap. 1.* Cùm vidisset Rhembertus sanctissimus Episcopus Hamburgensis in quadam regione, quæ vocatur Sclesvvich, innumeram Christianorum multitudinem catenis vinctam duci in seruitutem à piratis quibusdam, precibus se dedit, & continuò fracta sunt vincula, barbaris Danis stupore perculsis.

19. *Idem ibidem lib. 15. cap. 2.* Gregorius Cappadox vir nobilissimus, cùm iussu Imperatoris catenis vndique circumligatus duceretur, Theodorus Archimandrita petiit, vt ab ijs solueretur, donec illi daret Eucharistiam, quòd cùm milites pernegarent, accidit vt eo sumente Eucharistiam, subitò mirabiliter vincula soluta spontè conciderent ad terram.

20. *Pet. de Natal. lib. 5. cap. 85. de S. Quirino Episcopo, & Mart.* Cùm durissimè esset carceri mancipatus, Christianæ quædam matronæ cibum, potumque ministrabant; statimque vt oblata benedixit, ceciderunt catenæ de manibus, & pedibus eius, donec manducaret.

21. *Ven. Beda in act. S. Columbani Abbatis cap. 18.* Commorans B. Columbanus penès Vesocionense oppidum, audit carcerem plenum esse damnatorum hominum, mortis damna expectantium. Ad quem vir Dei properat, ingressusque ostium, nullo obstante, verbum Dei damnatis depromit: spondentque illi, si liberarentur, emendaturos &, de com-

de commissa noxa pænitentiā acturos. Beatus itaq; Columbanus post hæc, ministro Domoali imperat, vt manu ferrum, quo compedes irretiti erāt, atq; innexi, apprehendat, & trahat; quod ille apprehensum trahit, & velut frutex putrefactus per partes comminuitur, egredique carcerem damnatos, solutis compedibus, iubet. Peracto autem Euangelici cultus officio (pedes enim lauit, linteoque absterfit) imperat deindè vt Ecclesiam petant, & commissi sceleris pænitendo, ac fletibus abluendo culpas lauent.

22. *Vuillelmus Malmesburiensis lib. 3. Pontificum Anglorum, de Egfrido, quem Rex persequebatur.* Cùm eum vinculari Rex iussisset, & ferox minister compedes ferreos expediret, quibus tibias Sancti nodaret; semper inter ipsas conantis manus fallax compes assiduo dilabebatur furto; nam vel angustior compes tibias grossiores circumplecti non poterat, vel catena laxior, graciles tibias non contingebat. Iam verò si quandò laboratæ arti nihil deesset, tanta celeritate se vincula euoluebant, quanta oculis cernentium occurrere non poterant. Dedit locum improbitas religioni, solutus est sanctus, & in libera custodia tentus.

23. *Arnold. Rayssius in auct. ad natal. S.S. Belgij 17. Feb. de B. Euernoldo Episcopo Raceburgensi.* Aliquandò factum est, vt cùm Frisij ab Henrico Comite Raceburgi, capti, pro quorum dimissione frustrà ipse intercesserat, in festo Paschæ, catenis vincti sub custodia in Ecclesia adstarent, eos à vinculis beatus Euernoldus, aqua lustrali, cùm cæteris fidelibus adspergens, dicensque: Dominus soluit compeditos, liberauerit. In cuius miraculi fidem, catena ipsa, qua vincti fuerant, annos plurimos adseruata est.

24. *S. Antoninus par. 1. Chr. tit. 7. cap. 9. §. 1.* Aurelianus Imperator, S. Sauinum iussit vinctum catenis à multis militibus in carcerem mitti: Sed ipso orante, milites illi excæcati sunt, & catenæ confractæ.

25. *B. Eulogius lib. 2. cap. 10. de S.S. martyribus Aurelio, & socijs.* Visitantur ab Angelis, & miraculis illustrantur: dissiliunt vincula, & non audent restringere, quos Christus absoluerat.

26. *In actis S. Potiti mar. apud Bellandum 13. Ian.* Ministri ligauerunt Sanctum Potitum, & signauerunt de annulo Imperatoris, vt nullus ad eum ingrederetur. Tunc S. Potitus orauit, dicens: Domine ad adiuuandum me festina: cùm defecerit virtus mea, ne derelinquas me: libera me de hac pæna misericors, sicut liberasti Ioseph seruum tuum ab iniquitate dominæ suæ. Et statim Angelus apparuit ante eum: & reluxit carcer, sicut duodecim candelabra ardentia: erat autem facies Angeli, sicut nix de cælo, aut vt radij Solis. Et statim factum est ferrum sicut cera liquefiens.

27. Hoc itidem euenit S.S. Martyribus Sauiniano, Chrysanto, Iulianæ, Floriano, Benedictæ, Reginæ, Felici Nolano, innumerisque alijs, quorum numerum Deus solus noscit.

28. *In actis S. S. Feb. tom. 1. in Cont. Bollandi.* Duo captiui in carceribus catenis ferreis ligati occludebantur, cùm orantes, S. Sigibertum, cuius corpus requiescit in Ecclesia S. Martini retrò muros ciuitatis Metensis, suppliciter deprecati sunt, vt ab illis eos liberaret: & ecce mox vt orationē compleuerunt, eius auxilium sentire meruerunt. Nam uincula ferrea, & compedes, quibus stricti tenebantur, laxari cæperunt, ita vt liberi ab omni iugo ferreo surrexerint, sicque liberati euaserint, secum compedes, & catenas ferreas deferentes.

29. *Ibidem tom. 2.* Vir quidam Saxonicus, ferro vinctus inter missarum solemnia ad tumulum S. Ermenildæ Reginæ Merciæ in Anglia, & Abbatissæ Eliensis, orabat, & lecto euangelio, ipsum ferrum de brachio tanta vi diuinitùs excussum est, vt super altare in conspectu omnium eminùs euolaret.

30. *Ibidem in Martio tom. 3.* Quidam miles compedibus vinctus durissimo in carcere detinebatur; at inuocato S. Quirino martyre, statim compedes cecidere à pedibus, ostij repagula vltrò aperta sunt, vltràque excubias mirabiliter translatus, martyris intercessione à pressura liberatus est.

31. *Ibid.* Iuuenis quidam in territorio Ebroicensi captus, ab hostibus ad Castrum, quod Dorcasium dicitur, est ductus, ibiq; teterrimo carceri inclusus; at inuocato S. VVlfranno Senonensi Episcopo; illicò pessulum ferri dissiluit, vincula soluta sunt, & liber ipse in medio apparuit. Alius item ab hostibus captus, & in custodia missus, S. VVlfranni meritum obnixè deprecatus est, vt sibi misereri dignaretur; Nec mora, illo orante, pessulum, quo vinculum ferreum firmabatur, dissiluit, & illum admodùm lætificauit.

32. *In actis S. VVlfranni.* Mos erat apud Frisones, vt quemcumque sors contingeret, offerretur Dæmonibus immolandus. Ad hoc tunc electus est fortè quidam puer Ono nomine, quem cùm S. VVlfrannus expetijsset, respondit Rex, si tuus Christus hunc de morte liberauerit, dabo eum tibi. Quod est, B. VVlfranno placuit. Appensus est ergo puer prædictus in patibulo. Orante autem S. VVlfranno dirupta sunt vincula, quæ guttur eius stringebant, & illæsus corruit in terram. Qui tentus à Sancto, surrexit incolumis, baptizatusque est, & postea à Regislando Rothomagensi Episcopo presbyter ordinatus, multos codices transcripsit in Monasterio Fontanellæ.

33. *Frodoardus de captiuis ab Vngaris detentis ap Baronium an. 937.* Quidā presbyter de Bauonis Curte (sic enim villa vocatur eius Ecclesiæ) nomine Adalgarius, captus est ab eis & adductus vsque ad pagum Bituricensem. Qui cùm esset in vinculis & compedibus ferreis, noctu visio cuidam concaptiuo apparuit, iussumque est, vt diceret eidem presbytero, quatenùs fugam caperet, vt se resolutum videret, pariterque cùm visione catena ipsius reserata est. At ille mortem metuens, quam barbarus illi sæpè minabatur, si eum de fuga fortè reprehendisset: catena sibi pedes reuinciens, & seram, quæ exilierat in compede requirens, iterùm munire sibi sera studuit vincula, non ausus euadere fuga. Nocte altera iterùm visio memorata facta est captiuæ, quæ presbyterum ad eandem fugam roboraret, iterùmque vincula ipsius resoluta sunt.

sunt. Animatus ad id tunc tandem presbyter, fugam petijt, & in palude quadam diebus aliquibus latens, vbi præteriisse Barbaros comperit, patriam tùm demùm repetiit.

34. *Constantius in vita S. Germani*. Quadam die dùm plateam latissimam turbis angustiatus ingreditur, carcerem refertum vinctis supplicia & mortem expectantibus præteribat. Qui agnito transitu sacerdotis, vnum clamorem collatis vocibus sustulerunt: causam requirit, agnoscit: custodes euocat, subtrahuntur. Diuersæ enim Palatii potestates miserorum turbam in ergastuli illius noctes damnauerant. Quo se verteret misericordia non habebat: tandem ad notum recurrit auxilium, & quod difficile erat ab hominibus impetrare, à maiestate diuina deposcit. Gressum diuertit ad carcerem, cernuus in orationem membra prosternit. Tùm verò Dominus noster adstantibus populis, gratiam, quam famulo suo tribuerit, ostendit. Clausula vinculis & sera constricta dissoluitur, repagula ferrata dissiliunt, diuina pietas reserat, quod meditatio humanæ crudelitatis arctauerat. Procedit ad libertatem turba de vinculis exhibens vacua onera catenarum, tenens nexus, quibus antea tenebatur. Relinquitur carcer innocens aliquandò quia vacuus: & præcedente pietatis triumpho, turba miserorum gremio Ecclesiæ guadentis insertur.

35. *In transl. S. Reinuuardi Episcopi*. Quidam maioris Ecclesiæ ministerialis, Gerungus nomine, ad idem solemne festiuitatis gaudium, scilicet translationis, cùm vxore & filiis aduenerat, qui cùm post diuinæ seruitutis officia redire ad domum pararet, in sylua quadam, hostium, quorum plures habebat, incautiùs feritatem incidit, à quibus captus, & in interiora syluæ deductus, ferro ponderoso satis ad arborem constrictus est. Cùm ergo de viro arctissimè vincto, ne vllatenùs effugere posset, securi essent, & ipsi per nemus liberiùs passim vagarentur, captiuus ille cùm B. Patris, cui se attentiùs ea die commendauit, patrocinium obnixiùs imploraret, subitò, ferro, quo vinctus fuerat, diuinitùs confracto, & vinculis, quibus manus eius à tergo ligatæ fuerant, disruptis, incolumis abscedens, vxorem suam, quæ pro sui absentia nimia erat amaritudine confecta, ad propria rediens sua ereptione consolatus est.

36. *De B. Gerardo fratre S. Bernardi, ab inimicis per insidias capto, & in carcerem truso*. Cùm nocte quadam sopori se dedisset, vocem sibi dicentem audiuit. Hodiè liberaberis, & die sequenti circa horam vespertinam cogitans quæ audierat, compedes suos tetigit, & statim ex parte crepuit in manu eius ferrum. Surrexit stupefactus, & accedens ad ostium subterraneæ domus, in qua vinctus, & clausus seruabatur, vt pessulum tetigit, sera tota inter manus eius collapsa est, & ostium miraculosè apertum. Et sic ope diuina liber euasit.

37. *Io. Buzelinus lib. 3. ann. Gallo-Fland.* Quidam, Feriolus nomine, innocenter damnatus, vinctus catenis, ad mortem ducebatur, cùm transiens propè Ecclesiam S. Eleutherij, è manibus trahentium erupit, magnoque in templum impetu se se coniecit. Et vix ad tumulum Beati se stitit Pontificis, cùm funes è collo spontè concidunt, & qua manus erant implicatæ, in partes dissiliit catena. Ad hoc spectaculum, & Tribunum, & satellites primùm admiratio inuadit, dein furor accendit vehementiùs. Ergo rursùs arctissimè ferro vincitur Feriolus, & omni priuatur incedendi facultate. Verùm ad nouas eius preces, eductosque ex imo corde gemitus, vincula denuò rumpuntur, fractæque iterùm catenæ, pars longè proijcitur, & Tribunum in fronte grauiter ferit. Ea, ceù telo lethali, percussus Libertinus Tribunus, ex templò concidit, & semianimis domum in vrbem cùm magno luctu, & clamore defertur.

38. *Rocchus Pyrrhus in notitia Eccl. Parnormitana*. Anno 1391. die 23. Augusti illud accidit mirabile, quod his versibus explicatur.

Dùm malè tres fuerint Martini tempore Regis,
Producti ad furcas, grandine, & imbre pluit.
Misit in hanc Mariæ Portus, tunc Virginis æde
Damnatos vindex, labitur indè dies.
Nocte rogant Mariæ numen, cecidere catenæ,
Atque soporatis omnibus, æde meant:
Liberat hos, verè Rex conscius: vndè catenæ
Virginis hoc templum non sine laude vocant.

Hinc celebre D. Mariæ templum ortum habuit; cui hæ catenæ nomen fecere, non autem eæ, quibus olìm Portus Panormitanus claudebatur. Nunc incolunt eam ædem clerici Regulares Theatini.

39. *Alanus Copus Dial. 4. cap. 16*. Apud regionem, quam Cubam vocant, cui Commendator Rex præerat, relictus fortè est à Classe prætereunte ægrotus; qui semper secùm circumferebat pictam Beatæ Virginis Mariæ Imaginem. Is postea insinuauit se in Regis notitiam, atque amicitiam. Cùmque Rex multa eius consilio preclarè domi, forisque gessisset, illius admonitionibus cœpit animum ad nostram religionem adiungere. Cui cùm continua fuissent priùs cùm vicinis regibus bella, postquam eum à sacris patrijs alienatum intellexerant, infestiore animo eum appugnant. Quos ille variis victoriis fregit. Illi verò in prælio formas Dæmonum suorum, quos Semes appellabant, Commendator autem, effigiem Beatæ Virginis exercitui præferebat. Aduersarii sæpè debilitati, descendunt tandem ad pacificatoria colloquia. Quæ eò redeunt, vt vtrimque vim, ac potestatem religionis, ac numinis sui, Cælesti aliquo signo experirentur. Producuntur itaque in latos, & patentes campos, exercitu vtroque spectante, singuli ab vtraque parte iuuenes, manibus à tergo arctissimis nodis constrictis. Conuenit autem, vt cuius partis iuuenis primùm vincula illa abrumperet, in eius religionem vniuersi deinceps concederent. Et ne fraus aliqua interueniret, delecti sunt graues, & nobiles viri, qui contrariæ factiones iuuenem constringerent. En vero tibi, repentè teterrimus Dæmon ad eam omninò speciem, quam simula-

cra

era referebant, prosilijt ,& alterius iuuenis vincula dissoluere fategit. Quod cùm viderent Commendatoris aduersarij,præ gaudio mirè gestire, ac ingentes voces edere cæperunt. Commendator autem studiosè Mariam inuocabat. Mox Virgo quedam se omnibus conspiciendam præbuit, ac Christiano iuueni astitit, porrectaque virga, vincula contingens, statim ea expediuit. Ad cuius aspectum euanuit Dæmon, & iuuenem suum ligatum reliquit.

40. *Tritbemius de mirac. S. Mariæ in Vrticeto.* Anno Dominicæ Natiu. 1442. homo quidam de VVeissenloch, ab inimicis suis prędonibus captus, & duos menses continuos vinculis, & catenis ferreis durissimè mancipatus, cùm postulatam raptoribus pecuniam dare non posset, inedia graui ab eis fuit maceratus. Qui desperatus de omni humano auxilio, spem suam totam in Reginam misericordiæ matrem Domini collocauit. Quam postea quam diutiùs cùm multis lachrymis inuocasset, se cùm oblatione munerum ad eius memoriam in Vrticeto deuouit. Cùm ecce repentè inuisibili Dominæ nostræ auxilio ac miseratione adiutus, à vinculis soluitur, & sine periculo, vel damno libertati donatus, venit in Vrticetum, coram magna multitudine populi contestans, & annuntians magnalia Dei ad laudem eius intactæ parentis.

41. *Stephanus Pepe in Hist. B. Virginis de Oetinga in Bauaria.* Quidam iuuenis in inferiori Pannonia à Turcis deprehensus, in captiuitatem vnà cùm alijs socijs ductus fuerat, direque in carcere detinebatur. Cùm autem inuocasset B. Virginem, cuius imago Oetingæ colitur, inuisibiliter dirumpi vincula, carceremque aperiri, vidit, vndè omnes Deo, Beatæque Virgini gratias agentes, ab inimicis fugerunt.

42. His similia prodigia, quæ per intercessionem B.M. Virginis, diuersis in locis, temporibusq; euenere, narrat Felix Astulphus in sua Hist. de Imaginibus B. Mariæ, car. 133. 146. 225. 353. 356. 365. 367. 391. 413. 478. 483. 413. 500. 511. 529. 547. 560 650. 799. 818. 831.

43. *Vincentius in Spec. Hist. li. 26. cap. 39.* Anno Domini 1100. Quidam ciuis Barcinonæ vrbis, cùm ad S. Iacobum peruenisset, hoc solùm ab ipso petijt, vt deinceps à nullis hostibus detineri posset. Rediens igitur ad propria per Siciliam, à Saracenis in mare capitur, & per fora, & nundinas in 13. vrbibus paganis venditur, & emitur, & semper catenæ, quibus ligatus fuerat, soluebantur; Terciadecima venditione, circa crura duplicibus catenis astrictus, cùm S. Iacobum inclamaret, apparuit ei idem Apostolus dicens, quia cùm esses in Ecclesia mea tantùm à me petijsti liberationem corporis, & non animæ salutem, ideò in his periculis lapsus es: sed quia Dominus misertus est tui, misit me ad te, vt etiam nunc eruam te; & statim Apostolo disparente, ruptis catenis, vir ille solutus per vrbes, & castella Saracenorum, quandam partem cetenæ ferens in manibus in testimonium tanti miraculi ad terram suam, Saracenis videntibus, rediit. Cùmque aliquis Paganus ei obuiam, eum capere tentabat, mox visa catena territus fugiebat. Multi etiam Leones, & Vrsi, Leopardi, & Dracones per deserta gradientem deuorare volebant, sed statim visa catena fugebant.

44. *Idem ibidem lib. 26. cap. 35.* Anno Domini 1105. Bernardus quidam in Italia captus, catenis obligatus est, & in profundo cuiusdam turris ab inimicis eiectus. Cui die noctuque continuò imploranti, apparuit Beatus Iacobus Apos. dicens: Veni sequere me vsque ad Gallitiam; & disruptis catenis eius, disparuit. Illicò peregrinus suspensis ad collum boijs, vsque ad turris summitatem sine humano iuuamine, B. Iacobi auxilio suffultus ascendit, & de sublimitate turris, quæ 40. cubitorum erat, vsque ad solum terræ forinsecùs saltum vnum faciens, incolumis penitùs euasit.

45. *Idem ibidem lib. 13. cap. 153.* Apud Auernensem vrbem miles quidam in prælio captus, catenis, vinculisque ferreis captiuus tenebatur; cùm ad S. Mariam Magdalenam sæpè se ipsum commendans, quadam vice omnes catenas, vinculaque mirabiliter dirupta cognouit. Idem miraculum & alijs euenit precibus eiusdem D. Magdalenæ.

46. *In actis S. Richarij Pontinensis.* Quodam tempore vinculati, & cathenati quidam per philosophicam ducebantur stratam, quæ propè Ecclesiam B. Richarij iacet; qui dùm eminùs ad viri Dei venerunt templum, voce magna clamare cæperunt: sancte Richari solue nos; & statim ruptis vinculis soluti sunt omnes.

47. *In actis S. Radegundis Reginæ.* Dùm quondã in Perumia villa post prandiũ deambularet S. Regina, quidam in carcere inclusi clamabant vociferantes de carcere: tunc interrogauit Regina, quid hoc esset, responsumque est à ministris eam illudentibus, esse pauperes clamantes. Cùm verò nox superuenisset, & solitum cursum faceret, fractis vinculis soluti, sanctæ occurrunt de carcere.

48. *Pepe In mirabilibus S. Caietani m. 43.* Dùm Neapoli voto soluto D. Caietano, Beneuentum regrederetur Agnellus Ferrerus, à grassatoribus comprehensus, dirisque vinculis constrictus, vltimo detinebatur afficiendus supplicio. Inuocauit tunc ille D. Caietanum, & ecce illicò, ceù mollis cera, confracta sunt vincula, fugamque arripuit; & insequentes barbari, nouo miraculo immobiles facti, misero, vt fugeret, vellent nollent, locum dare diuinitùs coacti sunt.

49. *Constantius Lodi in vita B. Ioannis Boni lib. 2.* Mercator Mantuanus à prędonibus captus, Veronamque ductus, duris catenis circumligatus tenebatur: interim patrocinium S. Leonardi, & B. Ioannis Boni ipse implorauit: & ecce illicò ad pedes eius catenis solutis, liber euasit.

50. *Nyder in Formicario l. 1. c. 2.* Reu. Patre nostro Prouinciali referente audiui, quòd nuper prædones, & raptores quidam vias diuersas obseruabant, an ne aliquem virum capere valerent, à quo per vim lucrum temporalis emolumenti conquirerent; fuit autem pro tunc in ciuitacula imperiali parua Sueuiæ, quæ Alen dicitur, ciuis quidam simplex, & rectus, qui in suis negotijs itinerans in manus prædictorum raptorum venit, à quo cùm quære-

quærerent vndè esset? Respondit, quòd de Alen, cui illi: Captus ergo es. At ille respondit. Ita fit in nomine Iesu. Quo audito, vnus prædonum subintulit, velut alter Cayphas, hanc, inquit, captiuitatem, quo ad nos nunquam bona sequetur fortuna. Et ita, vt creditur, diuinitùs in virtute nominis Iesu venit. Nam quamuis virum cautè multùm versùs captiuitatem ducerent, tamen miris modis manus eorum euasit, & ad propria inuitis raptoribus liber, & saluus, rebus, & corpore rediit, qui nomen Iesu, id est Saluatoris in sua necessitate fideliter inuocauit simpliciter, & veraciter.

51. *In actis S. Florentij Confess.* Quidam Clericus, qui auunculum suum necauerat, à Traianensium Episcopo damnatus fuerat, vt ferreis vinculis constrictus viueret, quoadusque diuinitùs liberaretur, iamque diuersa S. S. loca lustrauerat, cùm ad monasterium S. Florentij diuina inspiratione peruenit, in ipsa verò nocte, dùm fratres officium nocturnale peragerent, ille retrò secùs cancellos consistens se paullulùm sopori indulxit, & ecce subitò per visum ei candidissima auis apparuit à tumulo sancti progrediens, brachijs suis insidens, ipsosque ferreos nexus, quasi cùm impetu magno percutiens. Expergefactus ille, auem non vidit, sed illi ferrei nexus ad tactum eius inuisibilem cùm impetu magno tàm validè crepuerunt, vt longiùs resilientes, in crastinum vix inueniri potuerint.

52. *S. Pet. Dam. in vita S.S. Rodulphi & Dominici cap.* 11. Iesu teste, non mentior, quia necdum tres menses elapsi sunt, ex quo ad me, in Gamugni, videlicet Eremo diuersantem, duo adolescentes monachi venerunt, quorum alter de Spoletina Monarchia, alter verò de Venetiæ partibus, Polensi videlicet vrbe, oriundos se esse dixerunt. Sed Venetus, vocabulo Michael, sicut nobis in confessione perhibuit, in ipso suæ conuersionis initio, circulo se ferreo sub hac desiderii sui pactione constrinxit, rogans Dei omnipotentis obnixè clementiam, vt cùm locum saluti suæ congruum reperiret, confestim ille circulus frangeretur. Porrò autem ipso die, quo Eremum nouus hospes ingressus est, vix post trium horarum spatium, dùm in B.Benedicti regula, sicut est idiota, vt cùmque syllabatim legeret, repentè compunctionis eum spiritus in lachrymas soluit, eodemq; momento circulus ille fractus apparuit.

53. *Idem ibidem cap.* 12. *de Michaele Polensi hæc habet.* Paulò post, Rauennam vrbem, me iubente, perrexit, vt reculas suas, atque sarcinulas, quas ibi de naui prodiens, reliquerat, exportaret. Illìc itaque apud fabriles officinas noua ferreorum nexuum armamenta confinxit, multisque se vinculis per diuersa membra ipse sibimet Iudex, & reus violenter arctauit. Nam duo dependebant vincula ceruicetenùs per humeros altrinsecùs, hinc in sexum, illinc vsque ad femur: duos verò in coxalibus circulos, duos suscepit in vlnis. Vndique igitur tàm multiplici constrictione vallatus, ad nos rediit, secretè, quod circà se factum erat, ostendit, neuè quod fecerat, immutarem, vix tandem voti compos obtinuit. Sed cùm hæc illum vltrà vires tormenta grauarent, & ex attritis carnibus iamiam fætor erumperet, insuper accessit, quod cor fratris gloriam respuentis acriùs perturbauit. Cæpit enim huius mysterij fama prorùpere, & priùs per fratrum, deindè per ora superuenientium quorumlibet volitare. Rogauit itaque omnipotentis Dei misericordiam, vt quid sibi super hoc cæpto placeret, per suæ virtutis iudicium euidenter ostenderet. Interim verò dùm huiusmodi precibus frequenter insisteret, bis per somnium confortatus audiuit: quia ferramenta illa iam essent diuinitùs resoluta. Porrò autem in festiuitate beatorum Apostolorum Simonis & Iudæ, quam nuperrimè celebrauimus, dùm nocturno cùm fratribus interesset officio, repentè duo illa ferramenta, quæ super humeros posita vtrinque inferiùs dependebant, ventremque cùm renibus coarctabant, prorsùs effracta sunt: & vnum in duas, alterum in tres diuisum est partes. Cæteri verò vinculi, non quidem per partes abrupti, sed ita laxati sunt, & quadam facti sunt mollita lenitate flexibiles, vt quodammodò non tàm ferrei, quàm plumbei viderentur, adeò vt etiam si vellet desluentibus eis, ac prolabentibus astringere se, vltrà nō posset. Sic frater, qui sanctæ deuotionis æstuanti fuerat ardore constrictus, pro Dei iudicio est mirabiliter absolutus.

54. *Ioan. Gerbrandus lib. 2. Chronic. Belg. cap. 36. de S. VVillibrordo.* Pœnitentes sæpè ad Ecclesiam eius venientes circulis ferreis circundati, cùm criminum suorum absolutionem precarentur, subitò eorum vincula sunt resoluta; cuius rei in Ecclesia eadem adhùc circuli sunt testes.

55. *Bonfinius vol. 1. Decad. 2.* Quidam peccator in pœnitentiam delictorum vinculis obstrictus, ad B. Emerici sacellum confugit, exorat diuini numen adolescentis, deindè opinione celeriùs, vincula, quibus erat obstrictus, vndique disrupta concrepuere.

56. *Petrus Rouerius in Hist. monast. Remensis lib. 4. cap. 6.* Ob admissum facinus quidam ferri pondere vtrisq; brachijs accerimè coarctatus, dùm diuersa Sanctorum perlustrasset domicilia, & in vanum, tandem ad sepulchrum S. Ioannis Abbatis Reomensis venit; quò cùm peruentus esset, orationem lachrymæ, lachrymas remedia mox prosecuta sunt. Itaq; nexus vinculorum eatenùs insolubiles ab hominis corpore, quàm celerrimè ceciderunt, vt diuinum id fuisse opus, nemini dubitare licuerit.

57. *Rodulphus Floriacensis lib. 5. de mirac. S. Benedicti cap. 3.* Quidam pro admissis à se criminibus, metuens diem extremi examinis; vt summi iudicis sibi metum placaret, sua ferro ligari fecerat brachia, & quàm plurima peragrans terrarum spatia, sanctorum expetiit loca multorum, gemitibus exorans crebris, quæ ipsius redarguebant conscientiam, deleri scelera. Porrò hoc per aliquot vigilanter continuans recursus annuos: licet fideliter astipulari debeat, quorum memorias Beatorum adierat, eos omnipotentem pro absolutione facinorum ipsius exorasse, tamen nullius manifestam opem persensisse videbatur. Hæc etenim illius extabat fides, vt postquam à pio iudice eius remmitteretur

teretur peccatum, mox subsequeretur solutio brachiorum. Dùm ergo circumquaque discurrit, Patris Benedicti suffragium sibi vtile fore confidens, Floriacum attigit. Et maiorem ingrediens Ecclesiam, in qua eiusdem Patris sacratissima requiescunt ossa, deuota precum libamina, ante singulas perlustrando aras, Deo offerebat. Perueniens autem ad aram Dei Genitricis, quæ ponè se habebat altare sæpiùs nominandi Patris, protensis in cœlum manibus, Omnipotentem Dominum precabatur attentiùs, sua sibi relaxari debita, Dei Genitricem cùm eodem Patre frequentiùs inuocans. Et dùm intentus eidem esset orationi, subitò rupto clauo, quo ferreum constringebatur vinculum, ferrum in pauimentum dato crepitu resiliuit. At ille solutum se cernens, & in eadem solutione visibili, peccaminum inuisibilia vincula relaxata intelligens; exhilaratus oppidò, indicibili tripudiauit gaudio, proclamans Omnipotenti Domino laudes: ac Dei Genetrici, Patrique Benedicto innumeras reddens gratiarum actiones.

58. *In vita S. Theobaldi Eremitæ*. Quidam Turonensis, nomine Martinus, vtroque brachio manicis ferreis adstrictus, post multorum Sanctorum locorum circuitiones, adhùc Sancto Theobaldo superstite, ad solitudinis locum, in quo idem Beatus morabatur, peruenit, eumque pœnæ suæ, & reatus conscium reddidit, & fratricidam se esse lamentabiliter manifestauit. Cui sanctus, propositum suum ad sepulchrum Saluatoris iter peragere suasit, eique prophetica voce dissolutionem vnius brachij prædixit. Perrexit ergo, & iuxta viri Dei verbum ad Dominicum sepulchrum vnius brachij gauisus est dissolutione. Reuersus ab Hierosolymitano itinere, beato iam ab hoc sęculo translato, cùm magnis, lachrymosisque querimonijs eius expetens Sarcophagum, his verbis cæpit eum increpare. Tu, inquiens, iussisti me ire & reuerti, ecce veni, & te superstitem non inueni, miserere mei sancte Dei, miserere infelicitati meæ. Solue reum, consolare peregrinum, qui tuo iussu tantum peragraui spatium. Illo ista prosequente, & alia multa, repentè circulus ferreus à brachio cùm strepitu longè exiliens, crepuit, adstantesque magno gaudio repleuit.

59. *Surius in vita S. Adalberti 25. Iunij, de iuuenibus qui patruum occiderant*. Eius cædis postea ducti pænitentia iuuenes, sine mora Episcopum, cuius erant diæcesis, adeunt: cùm lachrymis suum crimen fatentur: orant, vt ferro, quo patruum suum trucidassent, ipsos constringi iubeat, donec diuino iudicio absoluerentur. Non recusat Episcopus, ne, impunè abeunte tanto facinore, æternis gehennæ incendijs illi addicerentur. Alter igitur ex gladij capulo sibi lorum conficiens, brachium illo suum vinxit, alter ipso gladij ferro, perindè vt fascia pectorali se strinxit, pariterque adibant per multa Sanctorum loca, vt eorum suffragijs admissorum criminum veniam obtinerent, quorum votis non ignorabant Dominum citissimè annuere. Interim veniunt ad Niuellense monasterium, vbi multis claret miraculis Virgo Gertrudis: cùmque illi multis fusis lachrymis aliquantisper in preces incumberent, eius sanctissimæ virginis meritis alter eorum vinculis suis absolutus est, cunctis non mediocri lætitia affectis: alter verò dùm enixiùs diuinam implorat opem, id responsi cælitùs accipit, vt properè se conferat ad Ecclesiam Beati Leuitæ Adalberti. Cœpit igitur de loco ipsi ignoto percuntari ex alijs, nihil interim cuiquam indicans, quid illic facturus esset. Tandem non sine multo labore optatum attingit locum, & aliquandiù illic hærens, nihilque dubitans, fore vt diuinitùs ipsi promissa vinculorum dissolutione potiretur; cùm aliquandò, vti semper consueuerat, sub diuino officio staret coram imagine Saluatoris, repentè ferreum illud ligamen diruptum est.

60. *Idem in vita S. Vuolfangi Episcopi Ratisponensis c. 38. 31. Octobris*. Homo quidam pauperculus, ob multa admissa flagitia in vtroque brachio circulis ferreis constrictus, quæ res acerrimos quotidiè dolores ei afferebat, cùm multa sanctorum loca ad eos tollendos dolores, & crimina expianda adijsset, tandem Sancti Adalberti meritis vnius brachij ferreo ligamine est absolutus: alterum verò ablatum est ei, Ratisponæ ad B. Vuolfangi monumentum oranti.

61. *Philipp. Ferr. mense maio die 14. de S. Constantio Episcopo, Caprearum Patrono.* Quidam pænitentiæ causa ob grauissima delicta ferro constricti, ab eo diuinitùs soluti feruntur, ferreis vinculis in morem ceræ resolutis.

Alia notabuntur lib. 5. cap. 5. §. 3. cùm de carceribus vltroneo motu apertis.

Ferrum vltor Diuinæ Iustitiæ.
§. 4.

ET armabit creaturam ad vltionem inimicorum, testatus est Spiritus Sanctus in Sapientia: Hoc autem mirabiliter apparuit in Ferro iustissimo vindice iustitiæ diuinæ. Vt ex sequentibus.

1. *Pet. de Natal. lib. 4. cap. 140. de Apparitione Sancti Mihaelis Archangeli*. Anno Domini 390. in Sipontina ciuitate erat quidam vir nomine Garganus (à quo ille mons nomen accepit) qui animalium multitudine pollebat. Cùm autem circa prædicti montis latera pascerentur, contigit, taurum cæteros boues relinquere, & verticem montis conscendere; quem dominus cùm eius familia per deuia quæque requirens, ipsum tandem in vertice montis iuxta ostium speluncæ inuenit, & mox in ipsum arcum tendens, sagittam toxicatam direxit; sed statim illa velut à vento retorta, ipsum, qui eam iecerat, repercussit. Turbati super hoc ciues, Episcopum superindè consulendum decernunt, qui eis triduanis indixit ieiunium; & à Deo monuit esse quærendum; quo facto, Sanctus Archangelus Michael per visionem Episcopo apparuit, eique reuelauit, qualiter loci illius custos & inspector erat; & quia eius voluntate vir ille mortuus fuerat, seque locum incolere tali indicio

cio comprobauerat. Statimque Episcopus, & ciues cùm processione locum adeunt, & ingredi non præsumentes, orationibus ante fores insistunt, &c.

2. *Idem libr.7.cap.87.de S.S.Leontio, & Carpophoro m. m.* Præses mandauit, illos à quatuor ex militibus sagittis infigi: sagittæ verò martyres non lædebant; sed retrouersæ, sagittarios configebant: & non solùm illos, sed alios plures astantes occiderunt.

3. *Philipp.Ferrar mense Maio die 20.de Sancto Theodoro Episcopo Papiensi.* Multis claruisse miraculis fertur; in quibus illud in primis narratur, quòd cùm Rex Galliarum vrbem Ticinensem obsideret, & S.Episcopus mœnia circumueniens, oratione, & signo crucis illa ab hostibus defenderet, nepósque Regis illum conspicatus, iacta in eum sagitta, interimere conatus fuisset, illa in sagittarium diuinitùs retorta, eum vita priuauit. Quem Sanctus Theodorus, ad Regis, qui se obsidionem soluturum promiserat, preces, ad vitam reuocauit.

4. *Idem mense Septemb.die 24. de S.Terentio m.* Oranti Terentio, & martyrii coronam optanti, apparens Angelus, iubet, vt in Picenam ciuitatem, hoc est Pisaurum, se recipiat. Cælestibus iussis Terentio obtemperanti, quidam, qui porcos pascebat se illi itineris ducem simulatò adiungit, vt ex insidiis interfecto, spolia detraheret; sed contrà accidit, nam cùm sagittam in Terentium misisset, sagitta retorta, oculo illius infigitur; isque oculo amisso maximoque affectus dolore, crimen recognoscens, humique prostratus, veniam, & sanitatem impetrauit.

5. *Surius in Decemb.* Cùm Sanctus Apollonius mart. ex arbore suspensus, à dispositis vndique sagittariis impeteretur: sagittæ, aut irrito agmine ad terram ruerunt, aut sunt arbori defixæ, aut, quod mirabilius fuit, in aere libratæ manserunt.

6. *S.Anton.1.p.Chron.tit.8. cap.1.§.9. de S. S. Cosma, & Damiano.* Imperauit Tyrannus eos sagittari; sed emissæ sagittæ, ad sagittarios retorquebantur, multos ex illis occidentes, Sanctos autem non contingentes.

7. *Idem 1.part. Chron. tit.8.cap.1. §. 38. de Sancta Catharina Virg. & Mart.* Quidam Præfectus suasit tyranno, vt intra quatriduum rotas quatuor fieri faceret serris ferreis, & clauis acutissimis circumseptas, vt eis contra se ad inuicem voluentibus, tàm horribile artificium virginem suprapositam dissecaret, & cæteris Christicolis timorem inferret. Cùmque præparatis rotis virgo imponi deberet, orauit Dominum, vt ad laudem sui nominis, & conuersionem circumstantium machinam illam dissiparet. Quod & subitò factum est, & ita cùm tanto impetu confracta est, vt quatuor millia gentium percussi à fragmentis eius interirent.

8. *Idem part.1. Chron.tit.7. cap.9. §.1.* Aurelianus Imperator iussit S.Sauinum ob fidei catholicæ defensionem, à militibus sagittari: sed sagittæ remissæ, in aere suspensæ manentes, eum non contingebant. Cùm autem ei Imperator insultaret, dicens: Vbi est Deus tuus? liberet te nunc si potest de his sagittis, aut de manibus meis: vna ex sagittis reuersa retrorsùm, oculum Imperatoris percutiens, excæcauit eum.

9. *In actis Sancti Philemonis mart.* Cùm iussu Præsidis sagittæ in eum immitterentur, nullum in eo iaculum infigi potuit, nec vllum in terram iuit, sed omne, quod missum erat, in aere pendebat. Cùm autem vidisset Præses adhùc eum viuere, stupuit, & volens cognoscere rem, propè accessit, cùmque leuaret sursùm oculos, vt videret, vna de sagittis cecidit, & oculum eius excæcauit.

10. *In vita S.Georgij mart.* Quidam Saracenus templum ingressus S.Georgii, vidensque eius imaginem, intendens arcum, sagittam in sanctam iconem iaculatus est; ipsa verò sagitta, Sancti martyris virtute, ex alto retorta, in iaculantis manum decidit, eamque vulnerauit.

11. *In Chronicis Minorum.* Cùm Vener. Fr. Bernardus Cosim ad Indos profectus fuisset, vt fidem catholicam prædicaret; ab eisdem in illum innumeræ sagittæ fuerunt immissæ; sed ecce mirum! ceù in durum lapidem impingentes, ad Indos mirabiliter reuertebantur.

12. *Gonzalus de Illescas in Hist. Pontif. par.1. libr.4.* Cùm à Mauris obsiderentur Hispani, ita vt à multitudine oppressi, vim illorum nullatenùs effugere possent, ad Deum confugientes, mirabiliter victoriam consecuti sunt; omnes quippè sagittæ, saxa, lapides, cæteraque, quæ Mauri contra catholicos ferebant, diuinitus retrogrediendo, ipsos Mauros occiderunt; quo miraculo cæteri perterriti aufugerunt. In memoriam tanti miraculi ædificauit ibidem Rex Pelagius Ecclesiam, quam D. Mariam de Couadonga nuncupauit.

13. *Bozius de signis lib.12. cap.21.* Andreas ex Olmo sub an. 1528. in Indias Occidentales venit; ibi bis diuerso tempore plurimi ex Indis conuenere, illumque statuerunt occidere. Cùm verò innumeras in illum sagittas, quasi certissimo transfixuri, misissent, sagittæ, vbi corpori illius appropinquabant, continuò retorquebantur in ipsos iaculatores. Quæ res conspecta, & diuulgata, maximo omnibus in posterùm terrori fuit.

APPENDIX AD CAPVT SECVNDVM.

Admiranda perennia circa Ferrum.

QVæ adhùc circa ferrum perennant Admiranda, modò recensenda sunt pro complemento huius capitis. Sintque.

1. *In actis Sancti Eligij Episcopi Nouiomensis cap.42.* Fama est, hodieque vinctos quoscunque, si per aggerem publicum, Sancti Eligii Basilicæ propinquum, ducantur, semper miraculo solui, & ope illius præstantissima liberari. Id vt certiùs constet, vnum tantum ex multis commemorabo. Vir quidam iure, vel iniuria ferreis aliquandò constrictus vinculis, cùm ad supplicium ducere-

ceretur; clàm è manibus trahentium elapsus, celeriter ad Beati Eligij Ecclesiam confugit. Cùmque ad eius thecam venisset, & illìc subsisteret trepidus, illicò fracta catena decidit. Insecuti autem illum tortores, vt viderunt stare ibi liberum, furore perciti, rursùm collo eius, & manibus catenam inijciunt, magna vi è templo eum extrahere conantes. Tùm miser ille tremens, & pallens, ad sepulchrum Beati viri supplices tendit manus, &, O beate Eligi, inquit, placet ne tibi ad te confugientem tuo auxilio destitui? His dictis, illicò magno impetu fracta catena, longiùs prosilijt. Ea re valdè perterriti omnes, qui viro manus iniecerant, in terram se abijciunt, & temeritatis suæ veniam cùm ingenti metu precantur.

2. *Vinc.Belu. lib. 21. Spec. Hist. capit.* XI. *de S. Leonardo*. Tantam contulit ei gratiam Deus, vt vbicunque aliquis nomen eius in carcere, vel in vinculis inuocasset, statim solutus, & liber ad eum veniens, suas ei catenas, & compedes præsentaret.

3. *Arnold. Rayss. in auct. ad natal. S. S. Belgij 1. Decembris*. Duaci in sacello Sanctæ Mariæ Magdalenæ, quod est in cæmeterio insignis Ecclesiæ collegiatæ Sancti Petri, magna cùm reuerentia adseruantur duo malleoli ferrei, qui Sancti Eligij, dùm viueret, fuisse feruntur, & hac die, hoc est Kalendis Decembris, & postridie natiuitatis Sancti Ioannis Baptistæ, hoc est vigesima quinta Iunij, dùm celebratur eiusdem Beati Eligij translatio, ex multis oppidis, villis, & pagis circumuicinis, maxima cùm frequentia, & deuotione concurrunt tàm nobiles, quàm ignobiles, qui equis alendis delectantur, secùmque equos suos adducunt, vt à sacerdote primario ipsius sacelli, prædictis malleolis cruce signari, & aqua lustrali adspergi valeant. Res mira, sed certa; si equus phrenesim, vel rabiem patitur, statim vt cruce signatus, & aqua sancta respersus est, ab omni malo citiùs liberatur: si verò ab infirmitate huiusmodi liber est, ne in eam illo anno incidat, præseruatur.

4. *Philipp. Ferrar. mense Nouemb. die 20. de S. Columbano Eremita.* Columbanus cùm apud Ciuitellam, oppidulum Æmiliæ, & Meldulam, intra syluas habitaret, & prætereuntes prædaretur, aliquandò conuersus, eam vitæ austeritatem amplexus est, vt se se ferrea catena (quæ adhùc asseruatur, & cùm fiducia accedentes à morbo gutturis, tacta liberare solet) quotidiè diuerberaret.

5. *Ex. m. s.* In monasterio Sancti Petri Patauij asseruatur clauis Sancti Bellini, quæ morsibus canum rabidorum applicata, mirabiles producit effectus.

6. *Petra Sancta in mirac. perp. cap. 3.* Clauis ostioli sacræ ædis Lauretanæ hæret apud Sabinos in cœnobio Benedictinorum, cui est à Fara cognomentum. Hæc fermè miraculo perenni patefacit, vndè nam sit ei origo, & quorum teri manibus aliquandò meruerit. Nam puerperas iuuat, vt eniti prolem valeant felici puerperio, doloribus aut prohibitis, aut certè mitigatis. Quod causa est, cur frequenter ex Sabina in Vrbem ad fœminas Principes perferatur, quandò eis imminet partus.

7. *Antonius Beatillus in vita Sancti Nicolai Episcopi Myrensis*. Cùm semel Sanctus Episcopus iter faceret, essetque iuxta Rhodum ad quandam insulam, quæ Calista, nunc Chaltea, vel Charchi dicitur, cùmque viam satis asperam, & difficilem premeret, quæ ad oppidum ducebat, videns quosdam rusticos terram colentes, ab eis postulauit, nùm facilior, breuiorque via esset, quæ eòdem duceret, quod ipsi omni humanitate præstarunt, quodque gratum Sancto fuit. Deo igitur preces obtulit, vt hanc illis gratiam faceret, vt ferramenta, instrumentaque terræ excolendæ nunquam absumerentur, quod obtinuit; & ad nostra vsque tempora perdurant, solentque in dotem filiabus dari.

8. *In vita Sancti Patritij Episcopi capit.* 132. Cùm transiret Sanctus Patritius, iter agens cùm suis, per syluam quandam in Midernia, reperit quosdam seruos cædentes ligna; erant enim sub iugo crudelissimi domini, vocabulo Tremei, dira, duraque seruitute depressi, securibus obtusis quercus durissimas secabant; nec cotes, nec aliud acutorium habebant. Vndè factum est, vt viribus deficientibus, brachia obrigescerent, manusque cute detracta, dilaniatis carnibus, vsque ad neruos nudatæ apparerent; ipsique quandòque magis mortem, quàm vitam eligerent. Quos vir Dei mox vt vidit, misericordia motus super illos, tangendo, manus illorum, & brachia, & ferramenta benedixit. Ad tactum igitur & verbum benedicentis, vires illis omnibus reparantur, brachijs, & manibus plenaria sanitas restituitur, ferramenta preacuta sentiebantur, durissima robora, quasi tenerrissima virgulta, sine vllo grauamine secabantur; hoc signum continuatum perseuerabat in illis, quoadusque S. Patritius miraculosè libertatem acquireret eis.

CAPVT III.

De Admirandis circa Aurum, & Argentum.

§. I.

PRetiosa metalla, eò pretiosora apparuere, cùm Admiranda Dei in ipsis rutilarunt; De quibus non innumera alibi sub alijs titulis. Pro nunc sint.

1. *In actis Sancti Melori mart. apud Bollandum 3. Ian.* Huic puero, patruus, manum dexteram, & sinistrum pedem amputauerat. Facta est autem post hæc Beato Meloro manus argentea, & pes æneus: & pius, & innocens de die in diem in virtutibus crescens, nutritus est in quodam monasterio Cornubiæ & diuinas scripturas vsque ad quartum decimum annum legebat. Quodam autem æstiuali tempore, Abbas illius loci nuces colligens, puero quasi Domino suo præsentauit: qui cæpit

eas colligere argentea manu, mirum que in modum manus illa argentea, quasi reflexus carneos haberet, & manum extendere, & recludere cæpit, quasi natiuam ossibus, neruis, venis, sanguine atque pelle.

2. *Cromerus lib.12.* Anno Christi 1369 metalla Bythomiensia in Polonia plumbi cùm argento intermixto feracia, euanuerunt, post interfectos crudeliter ab oppidanis publico consilio duos Sacerdotes, Petrum Parochum oppidi, & Nicolaum, qui ipsis erat à sacris concionibus.

3. *Bozius de signis Ecclesiæ libr. 22. capit. 6.* Germanæ, Borealesque prouinciæ, quæ antiquitùs auri, argentiue cæterorumque metallorum steriles, inopesque erant, postquam Romano Pontifici adhæserunt, ita eorum feraces mirabiliter euenerunt, vt nulla sit regio Germaniæ comparanda, in qua tot fodinæ reperiantur, tantaque copia prædictorum metallorum continuò effodiatur.

4. *S. Gregorius Turonensis de gloria martyrum lib.1.cap.28.* Multi, claues aureas ad reserandos cancellos sepulchri B Petri Apostoli faciunt, qui ferentes pro benedictione, priores accipiunt, quibus infirmitates tribulantium medeantur. Omnia enim fides integra præstat.

Aurei, argenteiue Annuli Admirandi.

§. 2.

QVæ in annulis aureis, argenteisue, seù alterius materiæ quondam Admiranda euenere, hìc referam, ad aurum etenim, argentumue videntur spectare. De quibus.

1. *Ioannes Maldonatus in vita S. S. Emetherij, & Celedonij militum.* Cùm ad supplicium traherentur Emetherius, & Celedonius, capite mox plectendi, signa non vtique vulgaria dedere, quò illis esset, truncatis capitibus, demigrandum; alter enim annulum proiecit, alter orarium, quæ manibus elapsa, tanta sunt violentia, siuè à vento, siue à nube correpta, fursùmque delata, vt videntibus cunctis, cœlos momentò penetrauerint.

2. *Tilm.Brend.lib.4.coll.Sac.cap.12. ex S.Augustino.* A quodam Iudæo, Patroniæ clarissimæ fœminæ persuasum fuit ad diuturnum morbum depellendum, vt annulum capillatio cingulo insereret, quo sub veste ad nuda corporis cingeretur; qui annulus haberet sub gemma lapidem, in renibus inuentum bouis; hoc alligata quasi remedio, ad S. martyris Stephani limina veniebat, sed profecta à Carthagine, cùm in confinio fluminis Bagradæ in sua possessione mansisset, surgens, ante pedes suos illum iacentem annulum vidit, & capillanam zonam mirata tentauit, quam cùm suis nodis, sicut fuerat, comperisset adstrictam, crepuisse atque exilijsse annulum suspicata est, qui etiam ipse cùm integerrimus fuisset inuentus, futuræ salutis pignus de tanto miraculo se accepisse præsumpsit, atque vinculum soluens, cùm annulo proiecit in flumen.

3. *In actis S.Volstani Episcopi apud Bollandum 19.Ianuarij.* Fertur, sæpiùs ipsum dixisse, Annulum, quem sine ambitu suscepi, inseparabilem mihi in humum portabo. Post obitum eius, quidam annulum digito subtrahere in vanum tentauerunt: ita enim pellis plena, protuberantes articuli, neruorum integritas restituta videbantur mortuo, quæ præ abstinentia exinanita fuerant viuo.

4. *Ibid. de Reliquijs Sanctæ Agnetis 21.Ianuarij.* Quidam vir, nomine Paulinus, in Ecclesia S. Agnetis Sacerdotij fungens officio, mira cœpit carnis tentatione vexari. Sed cùm Deum offendere nollet, à Summo Pontifice licentiam petijt contrahendi. Cuius bonitatem & simplicitatem Papa considerans, annulum ei cùm smeragdo dedit, & iussit, vt imagini formosæ B. Agnetis, quæ in sua Ecclesia depicta erat, ex parte sua præciperet, vt se permitteret desponsari. Cùmque hoc Sacerdos imagini imperaret, illa continuò digitum annularem porrigens, & annulo suscepto, digitum retrahens, omnes tentationes à Sacerdote fugauit. Prædictus autem annulus adhùc dicitur in eius digito apparere. Alibi tamen legitur, quòd cùm Ecclesia B. Agnetis rueret, Papa cuidam sacerdoti dixit, se sibi velle quandam sponsam custodiendam, & nutriendam, scilicet Ecclesiam S. Agnetis, committere: dansque ei annulum iussit, vt dictam imaginem desponsaret. Quam, illa extendente, & retrahente digitum, desponsauit.

5. *Stengelius.* Sancta Ita annulum digito exutum deposuerat, quem rapuit de fenestra auis, inuenit is qui marito Itæ à stabulis erat, & velut fortunæ simbolum digito insertum gestauit. Hunc vbi vidit herus, crimen suspicatus, equi ad caudam seruum alligari iussit, atque raptum distrahi; coniugem verò è Tokhenburgensi arce, ac turri, quæ prǽaltæ rupi erat imposita, præcipitauit innocentem; quam ille quidem elisam est arbitratus. Angeli verò susceperunt cadentem, atque in eremum perduxerunt, Christo sanctiùs, quàm marito, seruituram. Ita Deus præcocis iræ delictum, & iniustam suspicionem, deduxit in occasionem vitæ sanctioris. Quantùm postea erroris sui virum pænituit, quandò inter venandum, in cælestem hanc prædam incidit? Sed serò fundit lachrymas crocodilus. Itaque intellexit tandem, & agnouit, se ipsum quoque nimis præcipitem fuisse in coniuge præcipitanda.

Aliqua de annulis deperditis, mirabiliterque inuentis, notata fuere, cùm de admirandis quarundam rerum deperditarum inuentionibus lib.4. capit.6. §.1.

Annuli cælestium Nuptiarum Arrbabones.

§. 3.

CÆlestes nuptias, feruentissimi amoris in signũ, quandòque innitas esse ab animabus iustis, adhùc dùm in terris degerent, testatæ fuere earundem auspicatissimæ arrhæ, Annuli videlicet, quibus cælestibus desponsatæ fuere Sponsis. De his.

1. *Marchantius in Candelabro myst.tract.8.lec.6.* Celebris est annulus B.Edmundi Cantuariensis Epi-

Episcopi; quo virginitatem in ipso vernantis ætatis flore Deo vouit coram imagine B. Mariæ Virginis: cui imagini annulum in digito inseruerat, insculptum gerentem, *Aue Maria*; quem quidem annulum voluit esse in signum coniunctionis indissolubilis, quam paciscebatur cùm Maria, tamquam Domina, & Sponsa, & Filio eius Iesu Christo. Hic verò annulus post mortem ei diuinitùs redditus est, & digito eius insertus, quem cùm extrahere vellet Religiosus Sacrista Pontiniacensis (vbi corpus eius adseruabatur) nulla vi id potuit. Supplici tamen prece ad aures viri sancti facta, statim sine difficultate dimisit, & per illum multas sanitates infirmis redditæ sunt.

2. *Idem ibidem.* Colonię Agrippinæ apud Patres Augustinianos inter sacras reliquias conseruatur annulus, qui dicitur esse Sanctæ Agnetis, à Christo ei traditus.

3. *Petrus de Natalibus lib.10.cap.105.de S.Catharina, Vir.& Marty.* Apparens B. Virgo Maria vnà cùm filio, Catharinæ, eam filio sponsam obtulit, & ipse vt pulchram, & decoram acceptauit; eamque cælesti annulo subarrauit. Excitata Virgo, annulum sibi in digito reperit, & matri suæ cùm gaudio ostendit, & visa retulit; sicque deinceps Christi amore succensa, mundi pompas contemnere cæpit.

4. *In vita S. Catharinæ Senensis.* Aliquandò oranti Catharinę, vt in fide ac dilectione confirmaretur, Diua virgo, Sanctis Ioanne Euangelista, Paulo Apostolo, Dominico Patriarcha, & Dauide Rege psalterium personante, comitata, apparuit, & manu Catharinæ apprehensa, illam dexteræ Iesu inseruit, eaque ratione illam Christo desponsauit. Christus verò non abnuit, sed annulo quatuor gemmis in formam Crucis dispositis, & adamante superiùs irradiatis pretioso, digitum eius insigniuit, huncq; spiritualis desponsationis, & futuræ felicitatis arrhabonem in eius arbitrio reliquit. Adhùc hodiè Romæ seruatur hic annulus in Magnanapoli in Monasterio Virginum S.Dominici, vt refert Marchantius.

5. *Coquetius de visceribus B.Virg.erga ord.Præd.* Lucia Narniensis ex ordine S. Dominici, adhùc septennis à Christo fuit desponsata, dato annulo aureo, & ne testes deessent, præsens aderat Deipara, cùm S.Dominico, & S. Catharina Senensi.

6. *Ex m. s.* B. Agnes ordinis S. Dominici antequam professionem emitteret in monasterio S. Mariæ Zamorræ, cùm noctu oraret ante Beatissimæ Virginis, & filij imaginem, Christum rogauit, vt aliquo signo visibili proderet, se in sponsam ab ipso eligi; quod statim obtinuit; nam infans, annulo Agneti porrecto, sibi eam desponsauit.

7. *Iacobus Marchantius lect.5. in festo S. Ioannis Euang.* B. Coleta Reformatrix Clarissarum, quia virginitatem colebat, S. Ioanni mirè afficiebatur, vt ipsius meritis hunc thesaurum conseruaret securiùs. Quapropter quodam die ad eam venit, annulum aureum ei ex parte Sponsi sui deferens, in signum sponsalium, & testimonium castitatis. Illa recepit hunc annulum summa cum reuerentia, diligentissimèque cùm humilitate, & timore illum adseruabat. Cùmque incidisset ei cogitatio, vt annulus ille auro, vel argento cooperiretur, non inuentus fuit Aurifaber vllus, qui id posset. Nonnulli Patres ord.S.Francisci, annulum illum cùm summa consolatione contrectarunt, eius potissimùm confessarij. Cùmque illos mitteret ad longinquas regiones pro grauibus negotijs, hunc annulum eis secretò tradebat, sicque iter sine periculis conficiebant.

8. *In vita Ven. Catharinæ Ricciæ ordinis S. Dominici lib.2.cap.15.* In die sancto Paschatis an.1542. dùm oraret Ven. Catharina, apparuit ei Christus Dominus vnà cùm B. Virgine, Maria Magdalena & Thoma Aquinate. In ea visione, Christus Dominus precibus suæ sanctissimæ matris, desponsauit, eam sibi, cælestiumque nuptiarum arrhabonem, annulum scilicet aureum, cui pretiosus adamas affixus, eius indici digito imposuit. Huiusmodi annulum ipsa continuò videbat, eoque ad cælestem amorem accendebatur; quàm plurimi etiam alij, non tamen omnes, nec semper, illius aspectu fuerunt digni. Inter hos Philippus Saluiatus dùm semel illum vidisset, ad illumque exosculandum os admouisset, labra eius acie adamantis pungi mirabiliter sensit.

9. *Humbertus in vitis Fratr.Præd.lib.2.cap.2.* In ciuitate Pisana fuit quædam mulier venerabilis, & deuotissima fæmina, de qua fertur, quòd integra mente, & corpore à Christo Domino fuerit annulo sabarrata; & annulus in quodam monasterio iuxta Pisas cùm deuotione seruatur. Hæc à Lucanis, & Pisanis sancta Bona vacabatur.

10. *In vita B.Stephanæ Quintianæ cap.4.* Christus eam in sponsam duxit, deditque ei annulum, quem annulari semper digito gestauit; idque à Deo obtinuit, vt non omnes eum viderent, sed pauci, illique tantùm, qui huius rei testes à Deo electi erant. Annulus autem iste in monasterio, quod Beata ista instituit, adhùc seruatur, per quẽ, Deum multa edere miracula scribunt; Addunt, gemmam, quæ annulum exornat, miri esse coloris, in eamque aliqui fuere fassi, se spineam coronam aliquandò vidisse, aliquandò tres clauos, aut etiam Christum ipsum flagellis cæsum, & similia passionis Christi mysteria.

11. *In actis S. S. Aprilis tom. 1. in Contin. Bollandi de S.S.M.M. Agathopo, & Theodulo.* Priusquàm Sanctus Theodulus pateretur, futuri certaminis arrham diuinitùs suscepit. Impio enim decreto nec dùm promulgato, dùm intempesta nocte quiesceret, manui suæ indi sensit aliquid; vndè & experrectus est. Ecquid autem? Annulus erat ignotæ materiæ habens in pala sigillum.

12. *Franciscus à S.M. in Hist. Carmeli. Tom.1. lib. 2. cap. 53.* Anno Domini 1574. cùm S. Mater Teresia à Iesu præesset monasterio Incarnationis Abulæ, quotidièq; in cęlestem sponsum intensiori flagraret amore; apparuit illi Iesus, illamque manu dextera apphendens, ferreo clauo, pro annulo, eam sibi desponsauit.

13. *Federicus Cardinalis Borromæus in vita Venerab. Catharinæ Senensis monialis lib.2. cap.6.* Anno Domini 1587. mense Augusti, ante solemnitatem

tatem Assumptionis B.Virginis, die lunæ, manè sub auroram, cùm sola Catharina in cella sua esset, Iesum statim vidit cùm sanctis Dominico, & Francisco ab vna parte, in alia Virginem Dei matrem cùm sancta Maria Magdalena, & sancta Catharina Senensi. Prehendidit Maria ambas Catharinæ manus, fecitque, vt Dei serua, Deo, paupertatem, castitatem, & obedientiam promitteret, & prehensa deindè dextera eius, cùm extraxisset à suo digito annulum, in Catharinæ digitum instruit.

14. *Marchantius in Candelabro myst.* B. Alanus de Rupe, è Dominicano ordine, sacræ Theologiæ Doctor, Virgini Mariæ mirè fuit addictus, eius cultus strenuus restaurator. Ipsa enim Alanum elegerat, vt Rosario suo, cuius defluxerant Rosæ, feruorque intepuerat, per sacras exhortationes, virorem pristinum redderet. Quapropter, & hunc in sponsum assumens, ei amoris arctissimi arrhas donauit, annulum scilicet è cincinnis capitis sui compositum, & Rosarium vnum, quod eius collo imposuit. Quibus ille amoris Virginei tesseris recreatus, per quindecim annos indefesso labore cultum Virginis per Rosarium, in Belgio, Gallia, Germania promouit.

15. *Io: Andreas Rota in vita Sor.Pudentianæ cap.*14. Dùm semel de more proprio in cubiculo oraret soror Pudentiana Zagnonia Virgo Bononiensis, quendam argenteum annulum, quo ex obedientia matris ornabat manum, alicui porrigere, hæc proferens verba: Accipe: obseruata est; statimque euanuit annulus. At ecce mirum: crastina die, dùm adhùc perseueraret in oratione Virgo in eodem clauso cubiculo, luce splendidissima, suauissimoque præueniente odore, pulcherrimus puer apparuit, annulmque surreptum, innocenti Virgini, ceù castæ sponsæ, restituit, euanuitque.

16. *Seraphinus Bertolinus in vita S. Rosæ Peruanæ cap.*12. Cùm S.Rosa de S.Maria ex tertio ordine S. Dominici, diuini amoris ardentissimo igne accensa, ad cælestis sponsi castissimas nuptias vehementer anhelaret; quadam die, dùm in sacello sanctissimi Rosarij Ecclesiæ Limensis P. P. Prædicatorum ardentiori desiderio sanctissimum puerum deuotis oculis aspiceret, ab illo hæc audiens verba: Rosa cordis mei, tu mihi sponsa eris: celestem gratiam diù quæsitam, iam impetrasse cognouit.

17. *Ignatius de Nente in vita Ven. Soror Dominicæ de Paradiso lib.*1.*cap.*40. Vix duodecimum expleuerat annum deuota Virgo, cùm apparens ei Christus Dominus, vnà cùm B. Virgine, alijsque sanctis, eam sibi in sponsam elegit, annulumque digito eius imposuit. Huiusmodi annulus, tamquam circulus aureus, seù lucidus, ab aliquibus in eius digito sæpè obseruatus, visusque est.

18. *In vita B. Ioannæ à Cruce*. Volens sibi Christus Iesus eam sibi desponsare, eidem alloquens dixit. Placet mihi filia, te in sponsam ducere, porrexitque ei manum in desponsationis signum.

19. *In vita Ven.Vrsulæ Benincasæ cap.* 8. Postquam Sancti Petri Principis Apostolorum tutelam, & spiritualem germanitatem inierat Ven. Vrsula, inter psallentium Angelorum Choros, & plaudentium cælitum agmina, Deipara, & D.Iosepho adstantibus, cælestis sponsus eam sibi desponsauit, eodem penè modò, quo olim S.Catharinam; cuius rei in memoriam, deuota adhùc conseruatur imago, in qua Christus Iesus exprimitur, sanctam Catharinam sibi desponsans, eiusque digito annulum imponens.

20. *Dominicus Maria Marchesius in vita Ven. Sor.Mariæ Villanæ ordinis Prædic.* Vt in cælestem sponsum ardentissimo raperetur amoris excessu Ven.Sor.Maria, eam sibi in extasim raptam diuinus amor, annulo digito imposito, mirabiliter desponsauit. Ad sensus reuersa, annulum, quem mente, minimè verò oculis videbat, tamen sensibiliter tangebat, manibusque contrectabat, præcipuèque manum aperiendo, aut contrahendo.

21. *Io.Nyder in Formicario lib.*1.*cap.*2. Erat in quodam rure propinquo satis Ciuitati Nurembergensi, Virgo quædam ex pauperculis progenita parentibus, quæ suam Virginitatem Christo dicauerat, & deuotè, sanctèque viuebat. Hæc aliquandò gestiebat, quatenùs aliqua specificaretur certitudine, se à Christo veluti sponsam diligi. Cùm igitur quadam die in horto suo laboraret, & ibidem in locum certum, intuitum dirigeret, optando ex imo cordis desiderio, quatenùs ibi reperiret, in signum Christiferæ desponsationis, annulum aliquem, si diuinæ voluntatis id esset. En non spreuit Deus preces humilis virginis, sed reperit materialem quendam annulum, quem vidi postmodum: erat autem coloris albi, de minera qua nescio, argento mundo videbatur similior, & in clausura vbi iungebatur in circulum, duæ manus artificiosè insculptæ extiterunt, cancellatim sibi mutuò fidem porrigentes, & sese arctè constringentes. Fuitque locus inuentionis huius muneris tam inopinatus humanæ coniecturationi, vt omninò desertus ab alijs videretur hominibus: Hunc annulum virgo gratissimè seruauit in posterùm; & altissimo suo sponso, deinceps vt antea, in labore manuum suarum, viuere studuit, quàm antea lætius.

Numismata aurea, & argentea diuinitùs aucta. §. 3.

DE his fuit sermo cùm de Multiplicatione, & Augmento cæterorum mixtorum.

Res variæ, in Aurum, & Argentum conuersæ; sint Argentum, & Aurum in alia commutata diuinitùs. §. 4.

HHiusmodi itidem Admiranda adnotantur, cùm de varijs conuersionibus mixtorum.

AP-

APPENDIX AD CAPVT TERTIVM.

Quædam Admiranda perennia circa annulos.

ALiqua hic Admiranda, quæ adhùc in quibusdam annulis perennant, interseram, ipsis etenim,ea quæ vsquemodò diximus, firmabuntur, signabunturue. Sint autem.

1. *Ioannes Baptista Laurus in Historia Annuli B.Virginis.* Seruatur Perusij in Italia, in templo S.Laurentij, summa veneratione, & populorum concursu, annulus, quo B.Ioseph,Mariam desponsauit, estque miraculis clarus, à Clusinis ad Perusinos diuina prouidentia delatus. Non potest autem dignosci, ex qua materia sit; non enim ex argento, aut auro, sed ex lapilli alicuius genere est. Solent verò matronæ conflatos ex ebore annulos, Perusium mittere, attactu illius consecrandos, in partu profuturos; Asserunt enim partui propinquas mulieres difficili nixu se excruciantes, si hos annulos digito gestent, subleuari. Annulus quoque iste sacratissimus Deiparæ reconciliandis coniugum diffidentibus animis, mirè prodest: cuius rei gratia, plures voto adstricti, se Perusium conferunt, & fructu domesticæ pacis fruuntur, eliminata discordia. Denique multi à Dæmonibus vexati, & obsessi, ad aram sacram, vbi hic annulus seruatur, confugientes, liberati sunt. Nec hoc silendum, quòd cùm nobilis, & Regij sanguinis fœmina, nomine Vualdrada, præcipiti pietate, dùm ei gemma spectanda exhiberetur, manu eam accepisset, & digito annulari inseruisset, illum protinùs digitum exaruisse in pœnam temeritatis præsensit. Quæ res in populi concursu contigit, dùm adhùc Clusij existeret. Nec mirum videatur, tanta in veneratione illum haberi, quandò quidem annulus ille pronubus,humanæ fælicitatis auspicium dederit.

2. *Locius lib.5.cap.31.* In monasterio Aquiscincti in Belgio asseruatur annulus, qui B.Virginis Mariæ fuisse asseritur. Hic illigitimè impregnatas odit: in cuius rei testimonium, adolescentula quædam, cùm iam pridem extra matrimonium corrupta, dictum annulum sibi monstrari enixè rogasset, & à sacerdote moneretur, si vteri conscia esset, recederet, imperterrita stetit, & vt contingeret accessit; & ecce sacro porrecto pignore, sarcinam publicitùs exposuit, actorum turpiter testem præsentissimam.

3. *In m.s.* Alius item annulus eiusdem B.Virginis asseruatur Burgundie in Prioratu Semimurensi.

4. *Marchantius Tract.7.Candelabri myst.lect.4* Annulus, quo Sanctus Ioachim, Annam Mariæ parentem sibi coniunxit, seruatur Romæ apud Sanctimoniales Sanctæ Annæ; estque argenteus,& rudis cùm crystallina gemmula, maculis circumcingentibus nigris,in medio pellucida,ex qua imago, veluti è speculo resilit, quo hebetes, & caligantes oculos,quibus admoueri solet in festo S.Annæ,plurimùm iuuari tradunt.

5. *In actis S.S.Martyr tom.3.in continuatione Bollandi,de eodem annulo.* Asseruabatur Romæ in Ecclesia monialium Sanctæ Annæ annulus argenteus, opere perantiquo, quem pia traditio asserit, illum esse, quo Ioachino desponsata fuit fælix fælicissimæ Deiparæ mater. Hunc in direptione vrbis sub Clemente VII. amissum sanctimoniales dolebant: cùmque de iactura tanta dolenter, vt fit, inse conquererentur, repentè viderunt aduolantem coruum, qui post varios in aere gyros, tandem in eo, quod aderat saxo,resedit; depositoque ibi annulo, celeri rursùm volatu abijt ex omnium oculis. Re comperta, moniales obstupefactæ, vix aliud præ lætitia poterant exclamare, quàm, miraculum, miraculum, quibus clamoribus excitæ cæteræ, mox hymnum, Te Deum laudamus, cecinere, gratiasque Deo, Sanctæ Annæ, & Benedicto egere.

6. *Thomas Bozius lib.15. de signis Eccl.cap.3.* Vigesimum quartum annum Rex Eduardus ferè regnarat in Anglia, cùm ei allatus fuit annulus à quibusdam Hierosolyma venientibus, quem ipse diù antea pauperi clàm dederat, qui pro amore, quem erga Sanctum Ioannem Euangelistam habebat, eleemosynam petierat. Ille annulus in templo Vuest-monasterii multa veneratione est seruatus: & Angliæ Reges die Parasceues consueuerant multa cæremonia sacrare tactu illius,annulos,quos qui induunt, neque stupore membrorum, neque comitiali morbo tenentur.

7. *Vghellus in Ital. Sac. tom. 9. Rossanenses Archiepiscopi.* Cùm Ven.quidam senex,nomine Nilus,propè Rossanensem Ciuitatem habitaret, summaque austeritate, orationibus continuis, & ieiuniis, vitam sanctissimam duceret; quadam die apparuit ei B.Virgo, eoq;in summitatem montis vicini ducto, & sumpto de manu venerab. senis baculo,designauit ibidem Ecclesiam suo nomini fabricandam, illi præcipiens, vt tanto operi vacaret: excusauit se sanctus senex, quippè qui vt pauperrimus tot expensas nequiret facere; At D.Virgo illicò aduenturum Principem, qui ex voto facto templum ædificaturus erat, dixit; præcepitque, vt in loco designato à se, templum ædificari curaret; cui iterùm respondit senex, talem Principem illi non crediturum; Tunc Virgo præbuit illi mirabilem annulum, non ex auro, non ex argento, sed ex quadam ignota materia, quam solus is nouit, qui fecit Deus, hicque, dixit, erit signum meæ voluntatis, disparuitque Virgo. Anno igitur 900. illùc appullit comes Rogerius, templumque volens ædificare, illud construxit iuxta designationem à sancto Sene illi manifestatam, vocatumque fuit Ecclesia Sanctæ Mariæ de Patirio,in eaque deuotè asseruatur prædictus annulus multis medens supplicantium languoribus iuxta fidem illorum.

8. *Hippolytus Marraccius in Purpura Mariana cap.6. .1.* Anno Domini 1480. in monasterio quodam Modiolani fuit Archangela quædam, quæ cùm haberet quemdam sui studiosum, petiit is ab ea, vt à B. Virgine impetraret, vt se haberet in filii loco. Obtinuit ipsa tantum munus: atque pro signo, & monumento, voluit ipsum parare sibi annu-

annulum aureum inclusa petra quadam, & figura, quam ipsa præscripsit, quem cùm non inueniret ille, incidit in iuuenem gratissimi aspectus, quem antea vidisset nunquam. Is capta occasione protulit huiusmodi annulum, dixitque, esse venale, atque ita emptum, ille detulit ad Archangelam, quem deindè Archangela B. Virgini, oblata temporis opportunitate, benedicendum obtulit. Cùmque iuueni reddidisset annulum, retinuit eum aliquandiù, donec scilicet sanctè innocenterque vixit: sed postquam salutaria instituta dedit obliuioni, cœpitque dissolutè viuere, annulus est ei abreptus inuisibili modo, delatusque ad Dei seruam, atq; in hunc diē asseruatur in monasterio illo, & per eum annulum multa mirabiliter impetrata sunt.

9. *Sabell. lib. 2. Dec. 2.* Bartholomæo Gradonico Duce, Venetijs cùm aquæ omnes, & stagna ita subitò excreuissent, vt omnes de salute desperarent; proditum est memoriæ, nocte intempesta occurrisse cuidam piscatori, tres humana specie, qui nauigium ingressi, magnis precibus ab eo contenderunt, vt se se incolumes ex eo turbine seruaret. Ille verò accepta conditione, in littus sic eos deduxit, vt tandem quiescente tempestate, aquisque decedentibus, præmium vecturæ acceperit à D. Marco annulum suum, quem Principi offerret, assereretque sua ope præcipuè à se, diuoq; Nicolao, & Georgio seruatam esse vrbem. Id cùm Piscator mane ad Ducem profectus enarrasset, certæque rei indicium annulum protulisset: tunc Dux, Piscatorem prægaudio complexus, & annuo stipendio viuentem donauit, & rei monimentum perpetuum posteris esse voluit.

CAPVT IV.

De Admirandis circa Aes Campanum, sonum diuinitùs deperdens. §. I

AEs, quod à regione, & Ciuitate, vbi primùm fundi, & conflari cœpit, Campanum, & Nolanum iam vulgò nominatur, perstrepenti tinnitu, æneaque lingua. pandit, declamatque Admiranda Dei, de quibus in præsenti capite erit sermo. Primòque, quæ in eo admirabiliter euenere, dùm naturali sono deperdito, diuinitùs silere quandoque obseruatum fuit, enarrabo. De quibus.

1. *Surius in vita S. Lupi Episcopi Senonensis. 1. Septemb.* Clotarius Rex, vbi comperit, signum, vel campanam S. Stephani Senonensis Diœcesis, sonum edere gratissimum, iussit eam Parisios transferri, vt eius tinnitu sæpiùs oblectaretur. Displicuit ea res beato Episcopo Lupo. Itaque mox vt ablata est à Senonibus, omnem soni gratiam amisit. Id Rex intelligens, ocyùs iubet suo illam loco restitui. Vbi autem ad pontem Syriacum ventum est, redijt illi pristinus sonus, & ob Sancti viri merita septimo milliario auditus est; Illicò vir beatus in vrbe residens, se dat itineri, progrediensque in occursum eius cùm psallentium choris, quam dolens amiserat, cùm gaudio excipit, gratias Deo agens.

2. *Vghellus In Ital. sac. Episcopi Foro-sempronienses; De S. Aldebrando.* Populus Fanensis vicit ciuitatem Foro-sempronienſem, & pro despectu asportauerunt duas Campanas de Ecclesia sancti Aldebrandi, & positæ in campanili Fanensi non pulsabant, videntes miraculum, reportauerunt dictas campanas ad pristinum locum, & cùm fuerunt in medio pontis S. Cypriani, ipsæ campanæ, quæ erant super currum, pulsare cœperunt.

3. *In actis S. Pyrminij Episcopi.* Vuido, quoddam campanum, quod ob electæ materiæ massam & ritè mixti metalli temperaturam, magnam sonoritatis habuit elegantiam, oratorio almo auferri, & ad locum, qui Locuuillare nominatur, præcepit transferri; sed quia in hoc perperam, atque contra sanctum Pyrminium egerit, celeriùs recognouit, non experientia vltionis, sed clementi euentu signi mirabilis. Nam prædictum fusile, postquam in loco prædicto est suspensum, nullum omninò valuit edere sonum, penitusq; mutum manens, & inhabile, perstrinxit omnes grandi stupore. At vbi præfatus Vuido tremore, & horrore perculsus, ad Almum illud referre iussit Cœnobium, iuxta pristinæ suauitatis dulcedinem, iucundum cunctis, & delectabilem recepit, & edidit sonum.

4. *In actis S. Emmerammi Episcopi & M.* Quædam erat campanula in Ecclesia S. Emmerāmi, cuius cùm aliquandò Imperator Otto. 1. audiret tinnitum singularem, & præ cæteris magis sonorum, fertur dixisse, aut hanc, aut huic similem se uelle habere; vndè ei ab Episcopo dono data fuit. At postquam est de Martyris Ecclesia elata, ad Dei omnipotentis nutum immutatione soni facta est muta, nec vllius artificio aptari potuit.

5. *Frodoardus l. 2. Hist. Eccl. Rhem. c. 12. de S. Rigoberto.* Sanctus Domini Rigobertus, dominicis obtemperando præceptis, quibus iubetur sub persecutione de ciuitate in ciuitatem fugere, secessit in Vasconiam. Ibi exulando, dùm multorum sancto feruore memorias Sanctorum lustraret, quandam ingressus Basilicam, donec insistit orationibus, campanæ pulsantur ex more; at ibidē duo pulsata signa sonitum nullum reperiuntur dedisse. Tunc sacerdos & alij circunstantes solicitè perscrutantur, quis sit, & vndè aduenerit. Ille se profitetur clericum, & de Francia profectum. Adijcientes illi, super noue rei sciscitantur euentum, cur scilicet impulsa eorum consuetè non resonent signa: At ille duo pandit sibi de quadam Ecclesia sua furtim ablata, arbitrarique se, ne fortè sint ea. Quibus sibi ostensis, vt asserit sua fuisse. Experimenti gratia rogatur pulsare illa. Ad cuius impulsum his altisonè reboantibus, vera dixisse comprobatur. Ita cunctis super huiusmodi facto stupentibus, suæ sibi nolæ redduntur: & ipse tàm admiratione, quàm veneratione dignus habetur quæ postmodum in Franciam relatæ, & Ecclesiæ Gremacæ Chortis sunt restitutæ.

6. *In actis S. Cadoci Episcopi 24. Ian. apud Bollandum.* Rediens sanctus ad monasterium suum, inuenit

inuenit Gildam nobilem scolasticum cùm pulcherrima quadam campanula de Hibernia illùc aduenisse. Cùmque decor, & sonus, colorque B. Cadoco placuisset, Gildam nolam sibi vendere implorauit. Nō, inquit ille, vendam, sed super altare S. Petri offeram illam. Et cùm nullo pretio eam vendere se asseretet, Romam profectus, ostendit eam Alexandro Papæ, dicens; Hanc nolam à me fabricatam, & ab Hibernia hùc delatam, Deo, & S. Petro offero, & cùm nullum omninò sonum pulsata redderet, admirans Papa, qualiter hoc fieri posset, inquirit; Et auditis quæ à Cadoco dicta fuerant, benedixit nolam, & ait: Hanc campanulam à me benedictam, & consecratam B. Cadoco reporta, quatenùs in hac omne principale iusiurandum fiat. Siquis enim super ipsam periurij crimen incurrerit, nisi dignam pænitentiam egerit, hinc, & in futuro procùl dubio anathema erit; Ego enim gentis illius incredulitatem, rebellemque ceruicositatem audiui, ideòque illam eis mittam, vt per eam fædus, & pacem concorditer sacramentis faciat. Allata autem B. Cadoco nola, dulcem sonum audientibus, & desiderabilem reddidit. Asserunt etiam Britones pro S. Cadoci amore per hanc nolam, duos mortuos ad vitam Dominum resuscitasse.

7. *Surius in Decembri.* Campana quædam triduò siluit, & licet agitaretur, tinnitum edere recusauit, quia Curio pagi contempserat, censuram Interdicti, latam à S. Eligio Episcopo Nouiomensi. Sonum verò de integro edidit, postquàm ille admonitus prodigii, paruit S. Antistiti, & is censuram interdicti reuocauit.

Campanæ vltrò sonantes in aduentu Seruorum Dei, & translatione Reliquiarum. §. 2.

QVem deperdiderunt sonum campanæ quædam ad vltionem delictorum, hunc aliæ vltrò prodigioseque edidere, vel sanctorum virorum aduentum cunctis vt notum facerent, vel vt ordine modulato, pulsationeque harmonica, labris licet æneis, eorundem sacras venerarentur exuuias. De quibus.

1. *Vghellus in Ital. sac. tom. 4. Bobienses Episcopi.* Cùm B. Columbanus Bobiensis Cænobij Abbas, Romam profectus esset, limina Apostolorum visitandi gratia, & Sanctissimum Pontificem Gregorium Magnum alloquandi; dùm ad Ciuitatem appropinquaret, omnes Campanæ Ecclesiarum Romæ, nemine tangente, sonauerunt: vndè Romani magno terrore attoniti, Papam adierunt, interrogaueruntque quid hoc esset; ille verò plenus Spiritu sancto, respondit illis: Sanctum virum Romam venire, cuius religione illa miracula fiebant.

2. *Torellus in Hist. Augusti. an. 706.* Ad Apostolorum limina in frigore, & abstinentia multa peregrè profecta est S. Pega. Cùmque Ciuitatem Romanam ingrederetur, omnia signa repentinè personantia per spatium vnius horæ, sanctitatis eius meritum vniuersis ciuibus indicauere. Ibi ergo diuino seruitio mancipata, in timore Dei dies suos demùm compleuit.

3. *S. Odo Abb. Cluniac. de reuersione B. Martini à Burgundia.* Cùm transferretur corpus B. Martini Turonensis à Burgundia, statim ac ingressi sunt eius parochiæ fines, dextera, læuaque in Ecclesijs eiusdem parochiæ, sine humano adminiculo, signa diuinitùs pulsabantur.

4. *Chrisost. Henriq. in Fasc. S. S. Ord. Cis. lib. 3. dis. 26. cap. 20. de B. Gundisaluo Abb. Azebeyri in Gallatia.* Beatus Gundisaluus Abbas, sui sæculi miraculum, posteritatis portentum, claruit hic omnium virtutum genere, crebrisque miraculis coruscauit. Hoc tamen, quia continuum, eius memoriam commendatissimam reddidit, quòd quoties Monasterium intrabat, campanæ vltrò pulsabantur.

5. *In actis B. Andreæ Scoti, Diaconi S. Donati Episcopi Fesulis.* Ad ingressum Donati, & Andreæ in Hospitale, campanæ Vrbis Fesulis, sonitum, nullo pulsante, dedere, lampadeque Ecclesiæ Cathedralis accensæ diuinitùs fuere.

6. *Chrysost. Henriquez in Fasc. 16. Oct. de S. Bernardo Abbate & Episcopo Vtquensi.* Multis & præclaris tàm in vita, quàm post mortem vir sanctus clarus effulsit; illudq; erat continuum quòd semper, quandò ad propriam sedem reuertebatur, vltrò vrbis campanæ pulsabant; quo signo ciues pastoris sui aduentum agnoscebant.

7. *Colg. in vita S. Fint. abb.* S. Fintanus venit cùm suis ad collem, qui modò dicitur Cabhuir, vbi manere tentauit; sed Angelus apparens ei, dixit: Non hic destinatum est tibi manere, tamen hic locus tibi seruiet; Cuius rei signum est illa Campana, quæ hùc per aera aduolat. Illis ergo in Cælum intendentibus, viderunt campanam in aere sonantem, & in conspectu illorum super petram descendentem, quæ campana, quia colore nigra est, & sonans ad terram descendit, dicta Dubhlahar, quod Latinè, nigra sonans interpretatur.

8. *Ferr. in catal. S. S. 7. Septemb. de S. Grato Episcopo Augustensi.* Cùm S. Gratus Romam de mandato Pontificis proficisceretur, indè in Palestinam profecturus, campanas in vrbium ingresu spontè sonasse traditur.

9. *Rocca de Camp. c. 7.* Cùm cadauer Beati Isidori, qui Madriti in Hispania quadringentis ab hinc & ampliùs annis mortuus est, ex humili sepulchro, ad honestiorem locum transferretur, Ecclesiarum Campanę, à nemine pulsatæ, nulloue artificio tactæ, diuinitùs sponte sua, miro ordine personuerunt; vt Philippus Tertius Catholicus Hispaniarum Rex in suo libello supplici, typis mandato, pro eiusdem Beati Isidori canonizatione apud summum Pontificem Clementem Octauum impetranda, retulit.

10. *In Hi. Camalduensi, de Corpore S. Romualdi furtim ablato.* Fabrianenses potiti sacro Corpore, id in capsa lignea diligentissimè includunt, & subindè iter Fabrianum versùs arripiunt; quò dùm appropinquarent noctu; ecce oppidi Campanæ ex altis turribus omnes per se sonum emittunt, excitatoque rumore, in momento omnis populus ex domibus, atque officinis sacrosancto Corpori obuiam procedere accensis funalibus, & faculis cereis

reis fertinant, tanto quidem plausu vt nihil supra.

11. *Antonius Abb. Valladolidensis in vita B. Munionis Oniez, in Vitis P.P. Occid. lib. 1.* Cùm portarent corpus eius ad Ecclesiam, vt sepeliretur; campanæ omni humano destitutæ auxilio pulsauerunt. Volentes ergo eum sepelire in Ecclesia, vbi erat Imago Beatæ Virginis, nunquam potuerunt, eo quòd sãctus vir dùm viueret, propter humilitatem, & reuerentiam Virginis, ibi sepeliri se indignum reputauerat.

12. *In actis S. Pyrminij.* Post hæc quicumque Beati Viri familiarium superstites necis extiterant, cohortabantur, quos pietate possessos repererant, vt benignitatis solatio adiuuarent Præsulis almi reliquias componere, & ad Regionem, ex qua illùc venerant, reportare. Eius rei dùm eos diuina gratia compotes efficeret, sacra ossa recolligunt, feretro imponunt, hymnidicis concentibus canori per eandem viam, qua venerant, remeare cœperunt. Cùmque itineris tantùm exegissent, vt per diei vnius interuallum eò venire facultas esset, quò Dei Ancilla Beato viro accommodabat hospitium, ecce tintinabulum, quod habebat desponsum, nulla re quæ videri posset impellente, vltrò se cœpit agitare, plectrique sui pulsu solitam sonitus dulcedinem propinare, nec ante (mirum dictu) reboare quieuit, quàm beatæ Reliquiæ in ipsum deportatæ sunt oratorium, in cuius cacumine fuerat appensum.

13. *Iacobus Meyerus lib. 3. Hi. Flandriæ.* Anno à Christo incarnato millesimo sexagesimo secundo, cùm fames intolerabilis Flandros premeret, grandisque multitudo hominum, panis quærendi gratia, conflueret Aldemburgum; repertus ibi quidam prima luce, qui sub dio de nocte, fame, vt creditum est, perierat; qui dùm sepeliretur, prohibuit Sacerdos Codobertus, ne pulsarentur Campanæ, eo quòd esset homo ignotus, sed ecce tibi, stupentibus cunctis, qui aderant, prodigio per se æra illa (mirum dictu) personuerunt.

14. *Ioannes Gerbrandus lib. 7. cap. 23. Chon. Belgic. de inuentione Capitis S. Ieronis Martyris.* Post inuentionem corporis S. Ieronis, multis annis transatis, diuinæ placuit pietati renouare miracula, cùm enim in vico qui Noertvvyck dicitur, fuisset aliquandò Ecclesia fundata, operatores volentes construere altare in eo loco, vbi tàm sancta membra priùs fuerunt reperta, terram effoderunt, & caput sancti martyris Ieronis, quod priùs in inuentione corporis occultatum manserat, inuenerunt, moxque campanæ eiusdem Ecclesiæ absque omni humano adminiculo pulsabantur. Itaque, quod nulli dubium, tali pulsatione spiritus angelicos adfuisse Populus mirabatur, & quisque pulsationis, maximè hora inconsueta, nitebatur scire mysterium fuit autem in domo quadam Ecclesiæ satis propinqua, quidam phreneticus ligatus catenis, ac compedibus, qui nescio quo spiritu docente, ibidem talis pulsationis causam sciscitantibus enarrauit; quod eadem hora caput beati Ieronis esset inuentum, & propterea Angeli Dei laudantes Deum, qui in sanctis suis semper mirabilis, & gloriosus est, hic pulsarent.

15. *VVernerus in fasciculo temporum.* Cùm ad Fuldense Monasterium, S. Bonifacij Maguntini Episcopi ab ethnicis occisi, Cadauer esset perlatum ex Frisia, omnes campanæ, sine vllius hominis agitatione, aut impulsu, solitò clariùs sonuerunt.

16. *In actis S. Balderici Abb.* In translatione corporis venerabilis Abbatis, Campanę Ecclesiæ nemine impellente sonuerunt.

17. *Philippus Ferrar. mense Apr. die 12. de S. Damiano Episcopo Papiensi.* Cùm quidam Gallus presbyter, sacras S. Episcopi reliquias ex eius sepulchro auferre ausus fuisset, campanis vltrò sonantibus deprehensus est.

18. *Idem die 11. Decemb. de S. Viuentio Episcopo Blerano.* Cùm in locum, qui septem Cryptæ dicitur, pænitentiæ causa secessisset, ibique tandem ad vltimam peruenisset vitæ periodum, Luciæ spirituali filiæ, quæ ad se videndum venerat, iussit, vt Bleranos adiens, ab eis iuuencos quatuor nondum domitos, qui currui adiuncti, corpus suum ad vrbem reuehant, quantò ocyùs impetret, quod faciens, Blerani, iuuencos currui adiungunt qui citato cursu sine ductore ad septem Cryptas peruenientes, sanctum senem, qui currum vtcùmque poterat conscendit, per fines Cassitanorum (nunceos Vetrallenses dicunt) Capronicensium, & Viterbiensium, vltrò vbique campanis Ecclesiarum sonantibus, Bleram vsque deferunt, & in foro vbi nunc Parochialis est Ecclesia B. M. V. dicata subsistentes, vbi sanctus Episcopus animam Deo reddens expirasset, & ipsi ventre disrupto, statim concidentes expirarunt.

19. *In actis S. Peregrini Antisiodorensis Episcopi.* Defuncto S. Peregrino, delatum fuit eius sacrum corpus ad ciuitatem Parisiensem: Eadem hora vox in dormitorio monachorum sancti Dionysij insonuit, dicens: surgite & occurrite seruo meo Peregrino Antisiodorensi Episcopo, qui venit, & statim spontè concrepantibus signis Ecclesiæ, monachi excitati occurrentes S. Peregrino, eum solemniter exceperunt, & in capsa argentea posuerunt.

20. *Aegidius Gelenius in Admirandis Coloniæ Agrippinæ.* B. Irmgarde Zutphaniæ Comitis filia, cùm Romam sæpiùs adiret peregrina, delatis eò pulueribus è monumentis S.S. Virginum collectis, eius accessu ad vrbem, æra campana totius Vrbis, nemine mouente, concreparunt, cuius rei nouitate excitus Romanus Pontifex, occurrit B. Virgini, virgineosque pulueres accepit, quos in sanguinem commutatos mirabiliter vidit.

21. *Angelus Rocca de Campanis cap. 7.* Anno Domini 1610. Die 24. Octobris, die Dominico, dùm intra Arenariam (quæ inter Basilicam sancti Pauli, & Ecclesiam sancti Sebastiani Romæ extat) Notarius publicus de mandato Illustrissimi, ac Reuerendissimi Cardinalis Vrbis Vicarii, cùm aliis commoraretur, vt locum sanctarum Reliquiarum, à pictore quodam indicatum, recognosceret, maiores Campanæ Basilicæ sancti Pauli personuerunt. Quoniam verò dictæ Campanæ, nonnisi in diebus festis solemnibus, & summi Pontificis ad ipsam Basilicam aduentu, pulsari solent; absente Abbate, Prior monasterii sancti Pauli, & aliquot eiusdem mona-

monachi ab Ecclesia Sancti Sebastiani, ad suam Basilicam redeuntes, audito in ipsa Arenaria dictarum Campanarum sonitu, gressus omni festinatione properarunt, summum Pontificem ad eam Basilicam aduenta sse putantes. Postquam autem eò deuentum fuit, nec summum Pontificem illùc accessisse, nec dictas Campanas ab vllo prorsùs homine pulsatas, aut motas fuisse facti sunt certiores. Id quod omnibus persuasissimum fuit, tùm ob ingentem Campanarum magnitudinem, tùm quia ingressus ad eas haùd facilè patet, atque in tali die dictæ Campanæ, vti iam diximus, pulsari non solent: Idcircò ad certitudinem, ac venerationem sanctarum Reliquiarum indicandam, spontaneum Campanarum sonitum diuinitùs factum esse, piè credendum censetur.

22. *In m.s.f.* Cùm transferretur corpus S. Raymundi Nonnati, vbique in oppidis, pagis, Ciuitatibus, per quas deferrebatur illud sacrum pignus, campanæ, nullo impellente, sonantes auditæ sunt.

23. *In Annal. min. an. 1261. num. 7. de B. Clara Vbaldina.* Vexabant vndique hoc tempore Florentinos bella, à quibus Octauianus Cardinalis timuit damnum sororibus, amitæ, reliquisque sanctimonialibus, procùl à ciuitate in loco, qui Sanctum dicebatur Sepulchrum, propè Monachos Oliuetanos, habitantibus. Transtulit itaque vniuersas hoc anno in nocte S. Iacobi ad monasterium peramplum, & magnificum, à se constructum ad portam S. Patrigatolini, aliàs Romanam, ipso ducente omnes numero quinquaginta. Præcedebant ossa Fratrum, & Sororum, in priori monasterio sepultorum, nec non mantellum S. Francisci, stola, quam habuit, dùm miraculosum decantauit Græcij Euangelium, & velum nigrum B. Claræ ab eadem sub morte legatum. Processionem hanc, vel ob venerandas reliquias, vel ob commendandas virginum virtutes, magno probauit Deus prodigio, sonantibus omnibus totius vrbis Campanis, nemine trahente, neque noui monasterii cessauit tinnitus, donec ossa, quæ asportabantur, decenti loco in cæmeterio fuerunt recondita.

24. *In annal. minor. pa. 2. lib. 9.* Cùm Meuaniæ in Vmbria duo Fratres minores martyrio affecti fuissent, eorumque corpora in flumen proiecta; Arca, in qua clausa erant spontè enatans super vndas, peruenit propè Fulinium ad quendam pontem, illicòque omnes Campanæ, nemine impellente, sonuerunt, ceù de aduentu sacrarum Reliquiarum populum admonentes.

25. *Ibidem an. 1284. num. x1: de B. Margarita Columnensi.* Dùm eius corpus à discipulis Romam ferretur, & propè Ecclesiam S. Siluestri accederent; omnes Campanæ, nullo trahente, personuerunt; quo commotus miraculo vniuersus Populus Romanus, ad sanctum corpus videndum confluxit.

Campana, in morte Quorundam Iustorum, spontaneum sonum mirabiliter edentes. §. 3

Dulci, ac suaui sono Nolularum in morte virorum Sanctorum persæpè, nullo impellente, audito, eorum ad cęlum fælix transitus ignorantibus mirabiliter manifestus fuit. De quibus.

1. *Peregrinus Merula in sanctuario Cremonæ, de S. Geroldo.* Apud Cremonam in pago Mamica, à Pado Fluuio absorpto, dùm ad duos latrones, rixam interse simulantes, pacificandos, accurrit S. Geroldus, ab illis, spe pecuniarum, multis in capite vulneribus inflictis, impiè occiditur; cuius Corpus insigni miraculo deprehensum traditur, campanis ciuitatis spontè sonantibus, odore suauissimo ex eo loco exhalante, luminibusque diuinitùs ex eo loco splendentibus. Quare Vir iacens, cùm libello, in quo nomen suum, & patriæ cùm alijs rebus scriptum erat, inuentus est; cuius corpus ab Episcopo, & Clero cùm tota ciuitate, quæ ad tantam rei nouitatem confluxerat, solemni pompa eleuatum, inque vrbem delatum, in æde S. Vitalis est conditum, cùm portitores ad aliam Ecclesiam diuertere conantes, immobiles effecti fuissent. Illud nunc in propria Ecclesia sua asseruatur.

2. *In actis S. Alexij.* Romæ, cùm obiit S. Alexius in paterna domo ignotus, & pannosus in humili statu, Campanæ sponte sua sonum ediderunt.

3. *Philippus Ferrarius in Catalogo S. S. 27. Ianuarij.* Cùm defunctus esset apud Lacum Lucanum B. Manfredus eremita, Campanæ proximi pagi, nullo pulsante, sonuerunt. Idem accidit in morte S. Abundantiæ Spoletanæ 19. Ianuarij. Item in morte S. Verdianæ Virginis in Castro Florentino 1. Feb. Item S. Finæ Virginis in oppido S. Geminiani 12. Martij. Item S. Coni Monachi in Oppido Naxi in Sicilia 18. Martij. Item S. Gulielmi eremitæ apud Seculum Syracusanæ Diœcesis, 4. Aprilis. Item S. Guidonis Abbatis Pomposiani, 2. Aprilis. Item S. Theobaldi confessoris Albæ Pompeiæ 27. Maij: Item S. Henrici Eremitæ Bocenensis, 30. Iunij. Item S. Romedij Tridentini, 1. Iunij, Item S. Franchi Eremitæ apud Forconium in Vestinis, 6. Iunij: Item S. Alberti Confessoris ordinis Carmelitarum 7. Augusti: Item S. Gunifortis martyris Papiæ, 22. Augusti: Item S. Bernerij Eremitæ apud Ebolum in Picentibus 16. Octobris. Item sancti Bertoldi Confessoris Parmensis, 21. Octobris. Item B. Io: Angeli ex ordine Seruorum, 24. Octobris.

4. *In actis S. S. Februarij tom. 2. in Continuat. Bollandi.* Cùm propè Villam Northus in Argentinensium diæcesi ad superos euolasset S. Ludanus peregrinus, omnes Campanæ in villis circumuicinis, sine adiutorio humano compulsatæ sunt vsque ad eius sepulturam. Item in morte S. Himelini presbyteri Fenaci in Brabantia, *ibidem in martio tom. 2.* Item in obitu B. Torelli solitarij Pupij in Hetruria, *Ibidem tom. 2.*

5. *Vghellus in Ital. Sac. to. 9. Tarentini Archiepiscopi.* Quo tempore S. Cataldus Episcopus Tarentinus

rentinus animam Deo reddidit, omnes campanæ ciuitatis, nemine impellente, diuinitus sonantes sunt auditæ.

6. *In officio S. Aldrobrandi Episcopi*. In hora exitus animæ illius ex hoc corpore, Campanæ maioris Ecclesiæ, quam ille à fundamentis excitauerat, omnes, nullo eas homine mouente, sonuerunt.

7. *Pet. de Nat. l. 4. c. 65*. Quo tẽpore è viuis ab meliora perrexit S. Leo Papa IX. omnes campanæ in Alma ciuitate, nullo impellente, sonum dederunt.

8. *Arnoldus Vuion in Ligno Vitæ. 16. Ian.* Balnis S. Ioannæ sanctimonialis ordinis Camaldulensis; in cuius transitu campanæ sine humano adiutorio sonuere.

9. *Raphael Bagatta in monum. Eccl. Ver. cap. 40.* Quandò mortuus est S. Maurus Episcopus Veronensis, omnes Campanæ vrbis, nullo ciente, ipsæ se sua sponte ad sonum excitarunt.

10. *In actis B. Conradi Placentini*. Sacerdos, qui pridiè confitentem audierat, genuflexum mortuum, in antro, venerabili splendore illustrato, reperit, adeò vt viuentem adhùc primo aspectu crederet. Campanæ Neeti & Hyblæ, nullo pulsante, adeò omnes, & fortiter sonuere, vt omnes Conradum vita functum fuisse, certissimo argumento didiscerint.

11. *Arnoldus Vuion in Ligno vitæ. 20. Ian.* In Monasterio Cultus-boni S. Laurentij, depositio sancti Benedicti eiusdem loci Monachi, & Eremitæ ordinis vallis Vmbrosæ, cuius sacri obitus signum dedere campanæ, humano destitutæ adiutorio.

12. *In actis S.S. Aprilis t. 2. in Conti. Bollandi*. Quo tempore corporeum soluit carcerem B. Contardus Bromensis, campanæ plebis ædis sacrę Bromæ, nullo humano iuuante præsidio, signum præmortui hominis peregerunt. Quod & accidit dùm transferretur eius venerandum corpus.

13. *Ibidem*. Cùm ad cælum euolasset S. Heliena Virgo Laurinensis in Italia, campanæ monasterij propè quod vixerat, cæperunt sine manibus trahentibus fortiter pulsari.

14. *Chrysostomus Henriquez de B. Gundisaluo Abbat. Iuniensi lib. 2. dist. 26. cap. 10.* Vix spiritus eius liber egrediens, ad sedes peruenit æthereas, cùm ecce extemplo Monasterij Iuniensis campanæ vltrò pulsari cæperunt, nec à sua pulsatione cessarunt; quousque venerabilis viri corpus in Ecclesia Iuniensi traditum fuit sepulturæ.

15. *In Chronic. ordinis B. Mariæ de Mercede, an. 1417. de Beato Gilaberto*. Confessione peracta, & à suo sancto Magistro venia & licentia petita, viam ad Podij monasterium in nomine Domini suscepit, Angelorum cætu comitatus; Quorum aliqui, vt nuncij cælestes (vt piè credimus) præuenientes, campanas Ecclesiæ pulsauerunt. Quod Commendator & fratres videntes, sine hominum adminiculo hoc fieri, stupefacti omnes, ad Ecclesiam oraturi se confugerunt. Post orationem, ad templi ianuas exeuntes, non longè sanctum Virum Gilabertum sanum, & saluum, hilariq; vultu respexerũt. Sed dùm ad pedes sui Cõmendatoris, vt fratres de foris veniẽtes facere solent, genua flectit, & corpus humiliat, animam eius exaltauit Dominus, & traxit ad se, cadauere inter pedes Commendatoris relicto. Statim obitus eius diuinitùs sancto Vincentio denunciatus est, qui dixit discipulis suis, nunc frater noster Gilabertus animam exalauit: quam Angeli in cælum duxerunt.

16. *Ibidem An. 1402.* Campanæ Ilerdæ sine adminiculo humano in morte fratris Alphonsi Ispalensis pulsabantur.

17. *Arturus in annot. Marty. Franc. 2. Martij de B. Bonagratia Confessore ord. Minorum.* Ad eius obitum, campanæ ex se se mirabiliter personarunt, nemine ad opem conferente, in testimonium singularis perfectionis, ac fælicis transitus illius.

18. *Luc. Vad. in an. Min. 1399. num. 5. de Ioanne Eremita tertij ord. S. Francisci*. Placuit virtutum, quibus fulgebat, authori eius sanctitatem manifestare, & obitum annunciare, per mirabilem sonitum campanarum monasterij, siue Abbatiæ Massatij, monachorum Camaldulensium, stupentibus omnibus ad occultum motum, & sonitum nulla humana ope editum.

19. *Ibidem an. 1242. num. 20. de B. Petro*. Milliario secundo à castro Podii Bonantis, vitam solitariam egit quidam Frater Petrus tertii ordinis. Fuit magnæ disciplinæ, & paupertatis cultor: eo ibidem mortuo, omnes dicti castri campanæ motu spontaneo transitum viri Dei celebrarunt.

20. *Ibidem an. 1343. num. 28. de B. Gerardo laico.* Ad eius transitum, dùm pulsaretur campana, funis propè manubrium contritus est, nec tamen pulsus cessauit, etenim nullo trahente per longum temporis spatium omnibus admirantibus durauit.

21. *Ibidem an. 1260. num. 46. de B. Gandulpho.* In eius obitu campanæ totius oppidi, nullo trahente, sonauerunt.

22. *Ibidem*. In morte Vener. Frat. Francisci à Cruce Prouinciæ Nouempopuloniæ, campanæ, nemine impellente diuinitùs sonuere.

23. *Ibidem*. In morte B. Vbaldi tertii ordinis S. Francisci, omnes campanæ nullo impellente sonum edidere.

24. *In annalibus Seruorum Cent. 2. lib. 4. cap. 11.* Adueniente anno ætatis suæ quinquagesimo, B. Benincasa, à Deo euocatus, ex ergastulo carnis die nona Maii 1426. ad cœlum euolauit: in cuius obitu singulæ per vicinia oppidorum campanæ (mirabile quidem dictu) pulsare simul auditæ, & visæ fuerunt Montichielli, Politiani, Corsiniani, Follonici, Chianciani, Castillionelli, Rocchæ, sancti Quirici, Sartiani, & Montalcini, quorum Populi certatim Benincasam veluti suum Ciuem deplorantes, & funerales ei honores parantes, currunt vndique ad strepitus illos campanarum. Multis verò auidissimè quærentibus, cur tot, & tantæ campanæ pulsarent. Cælestis quidam splendor super Beati speluncam visus, Mysterium illicò declarauit; Quare accurrens Populus, inuenit exanime Beati viri corpus antè Altare genibus flexis, & supplicibus in Cœlum manibus, atque apertis erectisq; oculis quasi orans veluti alter Paulus Eremita à sancto Antonio repertus, ac si adhùc viueret, ab omnibus conspiciebatur.

25. *Ibidem Cent. 1. lib. 7. cap. 1.* Illud admirandum

dum fertur de Andrea de Burgo S. Sepulchri ex ordine Seruorum B. Mariæ, quòd ab eius obitu, vsque ad depositionem illius in tumulum, Funeris durante pompa, campanæ omnes, nemine pulsante, triduò sonitum diuinitùs emiserunt.

26. *Ex m.s.s.* Tempore, quo propè Anconam ad superos euolauit S. Liberius filius Armeni Regis, cuius corpus in Ecclesia Cathedrali Anconæ nunc piè colitur, omnes campanæ Ciuitatis, nemine pulsante, mirabiliter sonantes auditæ sunt.

27. *Hilarius Perdicanus in vita B. Ioannis Dei.* Quo tempore natus est B. Ioannes Dei, fundator ordinis Curantium infirmos, campanæ Ecclesiæ principalis, nemine impellente, per decem dies admirabilem sonum, omnibus admirantibus, dedere. Simile etiam prodigium in omnibus Granatensibus campanis tempore illius mortis à tota Ciuitate obseruatum fuit.

28. *In m.s.s. Bibl. Vall.* Neuolonis Sutoris Faentini, qui sanctissimè vixerat, obitum gloriosum, campanæ indicarunt Ecclesiæ, quæ nullo mouente tunc sonuerunt.

29. *Bzouius in Annal. Eccles. An. 1370. nu. 27.* F. Helias Gallus, D. Dominici ordinem professus, in antro D. Mariæ Magdalenæ post octoginta sex annos in summa austeritate consumptos, piè defunctus est; statimque ipsæ campanulæ in ea rupe suspensę nullo hominum mouente, iubilarunt.

30. *In Chron. S. Augustini.* Quo tempore ad cœlos euolauit B. Rita de Cassia ordin. Sancti Augustini, campanæ vltrò, stupentibus omnibus, sonum edidere.

31. *Ex m.s.s.* Dùm B. Albertus, cuius corpus Cremonæ requiescit, an. 1190. animan Cratori redidisset, campanæ Ecclesiæ S. Matthiæ, nemine impellente, mirabiliter sonare auditæ sunt.

32. *Ex m.s.s.* Anno Domini 1304. quo tempore in Burgo S. Sepulchri in Tuscia ad cœlum euolauit B. Rainerus, cuius corpus ibidem in Ecclesia P.P. Conuentualium S. Francisci incorruptum conseruatur: omnes Ciuitatis campanæ, nullo visibiliter impellente, suauissimum sonum dare auditæ sunt. Ex his vsque adhùc vna conseruatur, quæ nomen eiusdem B. retinens, campana B. Raineri appellatur, multùmq; intercessione Beati percipiunt solamen puerperæ, si tempore partus per ipsam signum salutationis Angelicæ detur.

33. *Sylos in Hist. Cler. Reg. part. 2. lib. 3.* Vltroneo motu Campanarum adinuentum fuit propè Ariminum corpus cuiusdem Ven. Episcopi, qui è Germania Romam proficiscens, à suis interemptus fuerat, in puteumque demersus. Hoc corpus in nostra Ecclesia Ariminensi conseruatur.

34. *Idem ibidem part. 2. lib. 9.* Hora, qua Vener. Vrsula Benincasa decessit, solemni, festoque quodam sonitu æs campanum in Ecclesia concinuisse fertur.

35. *Franciscus à S. Maria in Hist. Carmelit. Tom. 1. lib. 2. cap. 36.* Cùm decessisset e vita in conuentu Paterniano Discalceatorum S. Teresiæ, Fr. Eliseus à S. Ioanne, præcepit Prælatus, ne nocte illa pulsarentur cāpanæ; at Deus serui sui omnibus manifestare volens mortem, nocte illa in omnium ciuium auribus sonum campanæ tinnire fecit.

36. *Zachar. Bouerius in Annal. Capucc. Anno 1531. de F. Matthæo de Bascio.* Ven. viri mortem, quæ velut ignobilis, nullo teste, nulliusque præsentia digna habebatur; publico, ac illustrissimo præcone, Deus testatā esse voluit; Nam in ipsa sui Obitus hora, omnes Ecclesiæ S. Francisci Cameriensis Vrbis campanæ, nullo præterquam Angelorum ministerio pulsatæ, totam Vrbem commonuerunt, vt rem summa admiratione prosequerentur.

Campanæ ob varias causas diuinitùs ex se ipsis personantes. §. 4.

Ob varias causas quandòque spontaneos sonos diuinitùs edidere campanæ, quos hic in vnum colligam. Suntque.

1. *Surius in vita S. Petri Cælestini libr. 1. cap. 13. 20. Maij.* Quadam die, cùm aliqui de patria vicina ad eius oratorium conuenissent, & eis seruus Dei de verbo vitæ loqueretur, superuenerunt quatuor viri de alia patria, in quorum aduentu, tàm vehemens in eo spiritus charitatis exarsit, vt ægrè se posset continere. Vndè velociter exclusis à se prioribus conuicinis, & illis, qui superuenerant, receptis cùm fratribus ad reddendum Deo laudes, oratorium pariter intrauerunt. Et dicentibus illis diuinum officium, ecce subitò audire cæperunt sonum multarum, & magnarum, ac suauiter resonantium campanarum; Vndè illi valdè attoniti mirabantur. Erat enim locus ille ab omni hominum habitatione tàm remotus, vt nullus indè campanæ sonus posset audiri. Euntibus autem illis ab oratorio, erectis auribus, & eleuatis oculis in Cœlum, tanta rei nouitate permoti, deuotas præ gaudio lachrymas fundunt, & Deo debitas gratiarum referunt actiones. Audiebatur autem sæpè ibidem huiuscemodi sonus, eratque lætior, & cumulatior in ferijs anni celebrioribus. Cùm verò salutaris hostia eleuabatur in sacrificio, resonabat grauior tinnitus nolæ alicuius grandioris.

2. *Idem in vita S. Antonij Vlyssipponensis 13. Iunij.* Eo die, quo in sanctos relatus est vir Dei, res stupenda accidit Vlysbonæ; nam & viri, & fęminæ extra domos in plateis cantabant, & tripudiabant, & campanæ omnes totius ciuitatis, nullo eas mouente, concrepabant egregiè, nec poterant homines se cohibere, quin se lætitiæ & tripudijs darent. Ea autem re in multam illis admirationem adductis; non diù post superuenere ex Italia Fratres, quorum relatu didicerunt, eodem ipso die insusitatæ lætitæ suæ, virum beatum in sanctorum albo inscriptum fuisse.

3. *Vad. de S. Didaco. An. 1441. 57.* In loco, in quo erat S. Didacus, Æditui siue sacristæ negligentiā angeli aliquādò supplerūt, cùm enim ille obliuisceretur nolæ tinnitu populum monere, vt Virginem Mariam Angelicis verbis salutaret, campana, nullo hominum mouente, sonum edidit consuetum.

4. *In actis S.S. Feb. tom. 1. in cont. Boll.* Cùm an. 1066. Elnonæ ignis maximus accensus esset, tota ciuitas, & Ecclesia S. Amandi Episc. Traiectensis fe-

rè in puluerem sunt radactæ, quo in incendio mirabile quidem dictu contingit; nam mox vt campanæ prædictæ Ecclesiæ à flamma sunt inuasæ, cęperunt simul, nullius, nisi solius Dei impulsu, resonare, ac si diuinitùs mouerentur plangere ruinam, sui, & Ecclesiæ, donec, vt dictum est, in puluerē sunt redactæ.

5. *Ioan. Euseb. lib. 4. doct. ascet. doct. 8. cap. 51.* Significatum est cælestibus prodigiis, quàm accepta Deo sit distributio spiritualium exercitiorum; namque postquam nostri pulsi fuissent ex Arima, vacuam, & desertam nostram domum relinquentes, eodem tamen modo, ac antea, Angeli pulsabant cymbala ad statas horas, & in Sabbatis ad cantum orationis, Salue Regina, accurrebat plebs, obstupefacta illo prodigio, ad domum nostram solitariam, & videbat nihilominùs multos ex nostris psallentes Deo.

6. *In actis S. Balderici Abb. de loco vbi eius corpus requiescit.* Contigit, vt quidam prædones, regiæ Maiestatis infideles, ad eumdem deuenirent locum, & non inuenientes ibi manum repugnantem, prædati sunt locum; dùm peragunt, signa Ecclesiæ S. Laurētij, nemine pulsante, sonare cęperunt, & duo cerei supero sunt igne diuinitùs accēsi; prædonibus timore perculsis; vnus eorum prolapsus ad monasterij portam corruit, tamque ipso, quàm equo eius contrito; vtres quoq; in quibus vinum ferebat ablatum, disrupti sunt; cæteri hoc videntes, donis Ecclesiam munerauerunt, & recesserunt.

7. *In vita S. Vsmari Epis. & Ab. in Belgio.* Cùm quidam fures Lobias venissent, & nocte Ecclesiam in qua S. Vsmari reliquiæ custodiebantur, ingressi, sacrum ornatum deportare tentarent, subitò campanarum sonitu diuinitùs producto, à sua iniquitate deturbati fuere.

8. *In actis S. Damiani Episc. Ticinensis.* Dùm quidam sacras D. Damiani reliquias tumulatas manu sacrilega è tumulo extrahere conaretur; campanæ Ecclesiæ, quam ipse Damianus alteri Damiano martyri erexerat, vt sacrilegi temeritas vulgaretur, nullo pulsante sonum edidere.

9. *In vita S. VVunebaldi Abb.* Episcopus noster Vuillibaldus cùm populo, & iuniorum agminibus, Ecclesiam fabricare disponit, vbi S. Confessor in corpore requiescebat; cùm illi congregati celeriter cùm clero, ciuiumq; cętu, definitum domui locum librauerunt, fundauerunt lapides, & locauerunt fundamenta, confestim Christo cooperante, Domino Deo dispensante, & S. Confessoris suffragrante patrocinio, illa glocca in Ecclesia sine manibus hominum se ipsam commouere cæpit, & sic illi sonitum audientes, nullum viderunt sed audiuerunt sonum.

10. *Marinæus lib. 5. Rer. Hispan.* Cùm Attilanus Zamorensis Episcopus per decem annos in Hispania peregrinationem sanctam, criminum commissorum veniam impetraturus, instituisset, annulumque, quem digito gestabat, in flumen deiecisset, dicens: quandò annulum hunc recepero, tùnc ab omnipotēte Deo delictorum meorum veniam promerebor; Factum est, vt quadam nocte cùm diuertisset ad eremum, quem S. Vincentii de Cornu vocant, ei à muliercula parua cænula pararetur, cùmque pro ea piscem exenteraret, in eius ventre annulus repertus est. Tunc ipse repentè pronus, & genibus flexis Deo gratias egit, & continuò spontè campanæ sonitum dederunt, & magna totius ciuitatis admiratio orta est.

11. *Ex. m. s. s.* Quo tempore Romæ ab Angelis donata fuit S. Gallæ viduæ, Ven. imago B. Virginis, saphyrino lapidi insculpta, quæ nunc colitur in Ecclesia S. Marię de Porticu, eodē momēto omnis Vrbis campanæ, nemine pulsante, vbiq; personuerunt.

12. *Angelus Rocca de Campanis cap. 7.* In Territorio Gruningæ, quæ est ciuitas Phrysię metropolitana, extat Pagus vocitatus Brock, in quo campanæ sponte sua personarunt, deinde magnam hominum mortalitatem sequutam fuisse historiæ narrant.

13. *Idem ibidem.* In Ecclesia Ordinis Fratrum Carmelitarum Valentiæ (quæ est Vrbs insignis citerioris Hispanię, tribus millibus passuum à mari remota) extat Capella Beatæ Mariæ semper Virginis de Consolatione nuncupatæ, in qua sub terra, & profundè quidem iacebat Campana, quæ à Vetula quadam ob vitæ probitatem insigni, & propè dictam Capellam degente, circa Annum Domini 1490. singulo quoque sero, præsertim verò in Sabbato, quandò scilicet Campana ad salutationem Angelicam recitandam pulsari solet, campana illa subterranea sponte sua sonare audiebatur. Hac re tandem promulgata, Rector Conuentus Carmelitani, locum illum à vetula indicatum excauari iussit. Hinc terra excauata, profundaque cauea illìc effecta, campana ipsa tandem aliquandò inuenta fuit, infrà quam erat imago Beatæ Mariæ semper Virginis lignea, & aurata, quam tempore barbaricarum incursionum in loco illo subterraneo inclusam fuisse à Christi Fidelibus, coniecturam faciunt. Non desunt autem, qui dicant, circa dictæ Imaginis pectus aperturam esse, in qua cùm sacris Reliquiis, sanctissimum item Sacramentum fuisse inuentum per traditionem affirmant.

14. *Placidus Samperius li. 2. cap. 17. Messinensis Iconologiæ.* Anno 1570. die 7. Octobris, quo tempore singularem victoriam Christiani contra Turcas ad Naupactum, Duce Ioanne de Austria, obtinuere: Votum fecit idem serenissimus Princeps, magnam pecuniam oblaturum, si vinceret, imagini Beatæ Virginis de Remedio, quæ Valentiæ in Hispania colebatur, cuiusque solemnis festiuitas eo die celebrabatur. Porrò hoc votum placuisse, signo miraculoso, non sine omnium stupore monstratum est: Etenim eo ipso tempore, quo votum emisit Austriacus, eo ipso in templo Valentiæ, durante Festi pompa, campanula Altaris maioris, quæ non nisi ad eleuationem diuinorum mysteriorum in vsu est, volui sponte sua, & circumagi cœpit, & quàm festiuissimè clangere inspectante populo, qui ad miraculum confertim accurrit: durauitque hoc miraculum plùs vno quadrante, nemine vno sciente, cui bono, quamque ob causam id contigerit. Notata tamen ab idoneis testibus hora est, ex dies, & tunc primùm in causæ cognitionem ventum est, cùm ipse Ioannes Austriacus, & pecunias, & litteras misit, quibus & diem, & horam voti indicauit.

15. In

15. *In Martyr.Gallicano.9. Feb. in appendice.* In Santonesi Pontificali Ecclesia, Octaua Purificationis B. Mariæ, propter miraculum, quod illic sic contigisse produnt sacra ipsius Ecclesiæ monumenta. Est in illa præcipua æde altare Dei genitricis antiqua religione sacrum, & statua antiquior, quam ob mira frequentis opitulationis insignia, Beata Maria de Miraculis, iam pridem ciues appellitant. Accidit verò dudùm medio intempestæ noctis silentio, cùm alta quies vrbem totam occuparet, repentè nemine mouente, ærea maioris edis cymbala mira concentus suauitate resonarunt. Quo insolito tinnitu expergefacti sacri æditui, mox è strato surgentes, templum vndèquaq; luminibus coruscum inspiciunt, numerosumque hominum conuentum augusta lustratione, ac prece, suauissimisque hymnis Virginem suppliciter venerantem.

16. *Coquetius.* Mirum istud Anno Domini 1609. Madriti accidit. Diuinis officijs nostri noctu incumbebant, & ecce Campana maior spontè circùmacta, mirum in modum insonuit; accurrunt nostri, campanam nullo impellente moueri deprehendunt; tùm cælitùs se commoneri alicuius magni periculi suspicantur. Ex Choro itaque difugiunt, & murus templi continuò collapsus est, qui haùd dubio omnes oppressisset, ni signo illo, à B. Virgine procurato, commoniti fuissent.

17. *Felix Astulphus in Hist. imag. B. Virginis lib.* 12. Quidam surditate aurium malè affectus, confugiens ad patrocinium B. Virginis, cuius imago in monte Serrato, in Hispania colitur, mirabiliter sanatus est. Quod miraculum aliud prodigium est secutum; Nam campana, quam solent Religiosi ibi commorantes pulsare quotiescunque aliquod miraculum per B. Virginis intercessionem in eo loco diuinitùs perpetratur, tunc, nemine impellente, sonum maximum edere audita est.

18. *Ex relatione Cœnobij Salernitani.* Cùm nocte quadam quis furari tentasset argenteam thecam, in qua includebatur manus Diui Thomæ Aquinatis, quæ in cœnobio Salernitano piè colitur, fertur, campanulam eam (quæ ibidem in futura morte alicuius Fratris sonare consueuit) spontè insonuisse; veraque dedisse indicia, manè fuit manifestum, postquam enim diluculauit, reperta est manus super aram, absque argentea eius hierotheca.

19. *Franciscus à S. M. in Hist. Carmel. tom.1. lib.5. cap.31.* Anno 1630. in Conuentu Vlyssipponensi Discalceatarum Sanctę Teresiæ, spatio duorum circiter mensium, sexies, aut septies audita est campana Conuentus magnum dare sonum, nullo naturaliter impulsa motore; vnde rem admirantes moniales, eo admirabili sonitu crediderunt, S. M. Teresiam eas reprehendere voluisse negligentię, quæ tunc circa regularem obseruantiam eo in conuentu irrepserat; quare facti pænitentes, non ampliùs sonus auditus est.

20. *In Annal. Capucc. tom.2. ann.* 1583. *de Fr. Sebastiano Argyrensi.* Inter alia Diuinæ pietatis mysteria, quæ Sebastianus summa religione prosequebatur, potissimus erat Dominicæ Passionis cultus, cuius tanto studio afficiebatur, vt cùm de ea sæpè sermones instituerct, in die præsertim Parasceues concionem ad octauam horam protraheret: quo tempore tàm magni populorum fletus exaudiebantur, perindè ac si ij Dominum ipsis oculis patientem conspicerent: atque vt iugis illius apud homines vigeret memoria, dùm in Nettina vrbe Dei uerbum disseminat, ita ciuium animos ad ipsius venerationem accendit, vt eo auctore, vrbis decreto institutum fuerit, vt qualibet Veneris die sub meridiem, qua hora Christus Dominus in Cruce Deo Patri spiritum reddidit, publico omnium vrbis campanarum sonitu, signum daretur, quo vniuersi admonerentur, genuflexo orationem Dominicam, ac salutationem Angelicam ad Christi Domini passionem, ac mortis memoriam recolendam, quinquies persoluendam esse. Quàm verò pia huiusmodi institutio Deo grata fuerit, diuino paulò post prodigio declaratū fuit: cùm enim cæterarum Ecclesiarum signis in meridie personantibus, sola S. Crucifixi Ecclesia ob Æditui absentiam, à consueto signo abstineret, mox Dei virtute factum est, vt illius quoque Ecclesiæ campanæ, nullo præterquam Angelo pulsante, signum ederent. Quæ res adeò Nettini populi erga Dominicæ Passionis cultum animos permouit, vt piam hanc Sebastiani institutionem in hanc vsque diem integram esse voluerit.

21. *Tritbemius de imagine B. Mariæ Virg. in Dittelbach cap.3.* Sunt nonnulli prouectioris ætatis homines, qui dicat, se à maioribus accepisse suis, quòd in eodem loco imaginis, vbi nunc est Ecclesia, simulatque concursus, longè ante quàm id, quòd nunc dicendum est, eueniret, tinnitus, & strepitus campanarum visus sit quibusdam aliquoties insonuisse: Quem nō omnes, sed præordinati à Deo audientes ex aere, non sine stupore nepotibus nunciauerunt. Qui quidem sonitus diuini cultus frequentiam, quam nos inchoatam iam laudabiliter cernimus, & in dies confidimus augeri, sine dubio præsignabat. Sed huic assertioni sonitus campanarum fidem tardiùs apponerem, si non similia facta in plerisque locis alijs cognouissem. In vita S. Ermenoldi Abbatis simile per omnia factum legimus, in eo videlicet capite, in quo Pruueniensis monasterij propè Ratisponam fundatio per S. Ottonem Bambergensis Ecclesiæ Pontificem introducta recitatur.

22. *Gumppenberg de imag. B. Virginis de Camera Messanæ in Sicilia.* Cùm solemni pompa ad propriam Ecclesiam transferretur huiusmodi sacra Imago; D. Gregorij campana, nemine manum porrigente, sponte sua insonuit; & clangore festiuo, transportationem probauit.

23. *Idem de imag. B. Virg. Puerperæ Osnabrugi in Germania Super.* Intulit hanc imaginem in monasterium Osede dictum, S. Elisabetha Regina Vngariæ; cùm autem primo templo inferretur, campanæ monasterij, nemine vno manum admouente, festiuum ediderunt sonum.

Admiranda varia circa Aes Campanum.
§. 5.

MOdò de varijs prodigijs, quæ in Campanis euenere. De quibus.

1. *Surius in vita S. Lupi 1. Sept.* Mortuo Theodorico Principe, Rex Clotarius in Burgundiam veniens, hostili manu armatum Blidebodem Ducem misit in Senones. Illo ergo tela atrociter in oppidum vibrante, Sanctus Episcopus in Domino fidens, ad Protomartyris Stephani Ædem se contulit; Cùmque ad conuocandum populum, signum Ecclesiæ tangeret, viribus Hostes destituti, tantoq; sunt terrore correpti, vt nullam sibi salutis spem superesse putarent, nisi fuga sibi consulerent. Ita vir sanctissimus dùm instar Moysis ad Cœlum tollit manus, Hostes profligat.

2. *Grillandus.* Anno Domini 1526. dùm essem in quodam Castro Monasterij S. Pauli apud Romanos, ad instantiam Abbatis dicti Monasterij, examinaui maleficas incarceratas, ex quibus vna fuit, quæ, cùm deferretur à Dæmone suo, reuertendo à ludis, in itinere, antequam peruenirent domum, dùm esset vicina oppido patriæ suæ, audiuit pulsari Campanam manè pro *Aue Maria*; sicque dæmon debuit eam deponere, & discedere. Quam deposuit statim iuxta ripam quamdam, vbi erant spineta quædam.

3. *Delrius ex Petro Venerabili.* Cùm aliquandò Frater quidam, nomine Ioannes, natione Italicus, regularis disciplinæ seueritatem fastidiens, etiam fugere de monasterio cogitaret, Diabolus, Abbatis aduenæ specie assumpta, se illi obtulit, multisque vt propositum, quod in corde tenebat, efficeret, suadere conabatur. Interim dùm hoc agebatur, fratres conuentus in Refectorio mensæ assidebant, qua expleta, à Priore secundùm morem, vno ictu scilla percussa est, quo sono audito, mox Dæmon, qui Abbatem se fingebat, actus Diuina virtute, à Fratre, cui loquebatur, se abripuit, & præcipiti cursu, ac maximo impetu ad latrinas, quæ proximæ erant, tendens, vidente fratre iam dicto, in earum se inferiora demersit. Idem quotidiè testantur maleficæ, si quãdo à Dæmone ad conuentus feruntur, vel indè domum referuntur, signum Campanæ audiatur, confestim Dæmones ipsarum baiulos, spurcum onus in solum deijcere, & fuga trepidos dilabi.

4. *Desmaius cap. 12. in vita S. Fursei apud Bollandum, 16. Iannuarij.* Ædificato monasterio, cùm Campana deesset, cuius sonitu ad publicas precationes monachi conuocarentur, fertur, ipsum se precibus dedisse Furseum, & (mirum dictu) cùm adolescens quidam Annæ viduę filius defunctus efferretur, adstitisse coràm omnibus funus prosequentibus Angelum, & campanam Furseo obtulisse; cuius sonitu illicò reuixit mortuus, ibique monachus factus piè vitam exegit.

5. *Vad. in annal. Min. an. 1399. num. 5. de Ioanne Eremita tertij ord. S. Francisci.* Multis certaminibus victus dæmon à Ioanne, confusus recessit, & puerili quadã vindicta, proiecto lapide, tintinnabulum eius fregit. Damnum hoc exile statim genitrix reparauit, empto altero tintinnabulo, quod dùm inimicus simili modo cõtereret, rogauit Ioannes, vt tertium emeret mater ex sui laboris pretio, dicens fortassis propterea duo priora à dæmone confracta, quia empta fuerunt nummo malè acquisito; Non inanem fuisse hanc suspicionem, & genitricis confessio, & campanula laboris mercede comparata, in hunc vsque diem integra comprobarunt. Pendet in architriclinio fratrum minorum Massacij ad constantem huius memoriam.

6. *Ex in Itinerario Cambriæ libr. 1. capit. 1.* Apud Eleuein in Ecclesia de Glascum, est campana baiula virtuosissima, quam proprio vocabulo Bangu vocant, quæ & S. Dauid fuisse perhibetur. Hanc mulier quędam viro suo, qui in Castello de Raidergouuy, iuxta Vuarthrenion (quod Resus filius Gruffini nostris diebus construxerat) in vinculis tenebatur, vt eum vel sic liberaret, clàm allatam supposuit. Sed quoniam castellani non solùm ob hoc virum non liberarũt, verùm & campanam ipsam violenter captiuam quoq; tenuerunt, nocte eadem vltione diuina totũ oppidum, pręter parietem vnum, vbi campana pendebat, igne proprio cõsumptũ est.

7. *Eusebius lib. 2. de mir. Nat. cap. 19.* Est in Lagenia, in terra scil. Mactaleuui, campana quædam, quæ nisi à Custode suo exorcismo quodam ad hoc composito singulis noctibus adiuretur, & vinculo quolibet, vel fragili ligetur, manè in Media apud Clunarech in Ecclesia S. Finnani, vndè venerat, reperitur: quod & aliquoties certum est contigisse.

De Campanis perenni prodigio fugantibus tempestates, vide plura, cùm de Admirandis circa Tempestates, in Appendicibus.

APPENDIX AD CAPVT QVARTVM.

Campanæ perenni prodigio spontè sonantes in futura morte; seu imminente aliqua calamitate.

AEneis linguis, futuras calamitates, imminentesq; mortes voluit quandoq; Deus mortalibus quibusdam patefacere, vt parati, ad monumentum, quod est decretorium æternitatis, prodirent, vtque ad tolerabiliùs mundi mala perferenda per præscientiæ munirentur clypeum. De quibus.

1. *Ioannes Eusebius lib. 1. de mirac. nat. cap. 12.* Extant in Hispania multæ campanæ, quæ vltrò pulsatæ, funestum aliquod prænunciarunt. Ioannes Lupus Episcopus Monopolensis scribit, campanulam in monasterio Camorensi Patrum Prædicatorum triduò ante obitum alicuius religiosi spontè sua solitam pulsari, & si nemo tunc temporis decumberet lecto. Idem auctor prodit, similem campanulam fuisse in monasterio Sancti Dominici Cordubensi, quæ vltrò insonans, portendebat, aut Fratris illius Monasterij, aut insignis alicuius viri eiusdem Ordinis fatum. Meminit quoque Angelus Rocca alterius campanulæ in Italia in cænobio Salernitano Dominicanorum, quæ mortem Fratrum pariter prædicebat. Gobellinus etiam in Vita S. Meinulphi litteris man-

mandauit, in Germania in Bodkensi monasterio aliam huiusmodi campanam fuisse, præmonentem, spontaneo pulsu, alicuius Monialis discessum ex hac vita.

2. *Petra Sancta in mirac.perpet.cap.*4. In Stiria est monasterium sanctimonialium ordinis S.Benedicti, quod Gossense appellatur, & in quo solùm quandò ex hac vita migratura est loci Antistita, maior Campana, duabus, aut tribus hebdomadis ante obitum, nemine trahente, funebrem sonum edit, hoc euenisse habetur anno 1611.

3. *Ex m. s. s.* Extat in monasterio Clarauallensi campanula non absimilis à suprascriptis, quæ quoties quisquam moriturus est, ante insonat, vt ad tremendum iudicium quemque se præparare consulat. Similis quoque dicitur fuisse in Cassinensi cœnobio P.P. Benedictinorum.

4. *Ex m. s. s.* Traditur, quotiescumque in monasterio Fratrum Sancti Dominici Consentiæ, alicui proxima imminet mors, tempore extraordinario audiri in eodem monasterio sonitum tabularum, quo ad matutinas preces quotidiè excitantur ijdem Religiosi.

5. *Fran. à S.Maria, Hist.Carmel.tom.*1.*libr.*2.*c.*13. In conuentu Malagonensi Discalceatarum, S. Teresiæ accidit aliquo tempore per aliquos dies, vt antequam aliqua ex sororibus è vita discederet, cælitùs, & inuisibiliter audiretur sonus cuiusdam instrumenti lignei, quo ad excitandas moniales à somno vtebantur, quo audito, omnes ad felicem transitum feruentiori oratione, & spiritu disponebantur.

6. *Placidus Samperius lib.*5.*cap.*32.*Iconol.de imagine B.Virginis de monte Serrato, Messanæ in Sicilia.* Magnum prodigium in ore hominum hodièque est, quòd vicinis templo huius miraculosæ imaginis præ cæteris vtile est, qui campanæ spontaneo sono monentur, siue vni, siue pluribus imminere malum aliquod, ad quod se præparare debeant. Vndè audito hoc campanæ sono, nulla fraude corrupto, parant se, qui fidem habent, confessione ad mortem; & non vanam fuisse monitionem experiuntur.

7. *Consaluus de Illescas, Ioannes Mariana, & Io: Eusebius lib.*1.*de mirac.nat. capit.*8. *& Vairus libr.*2.*de Fascino cap.*4. Propè Cæsaraugustam in Aragoniæ Regno, in oppido Vililla nuncupato, reperitur famosa campana, à S.Paulino Episcopo Nolano fabricata, in cuius constructione fama est infusum in eam fuisse vnum ex argenteis, quibus à Iuda proditus fuit Saluator mundi. Hæc quotiescumque Reipublicæ Christianæ, & præsertim Hispaniarum Regnis, aliquod infortunium accidit, aut imminet, nullo impellente, plùs minùsque sonare audita est. Ita insonuit ann.1527. cùm accidit direptio, seù depopulatio Romæ, tempore Clementis VII. sic antequam in eodem Regno Cæsaraugustano an.1564. suboriretur vehementissima pestilentia; Itidem ea insonante an.1601. à die 13. Iunij, vsque ad 30. diem eiusdem mensis, interpolatis temporibus, varij euentus in diuersis mundi partibus euenere. Item sonum spontè edidit pridiè quàm capti essent Aragoniæ Reges; & iterùm sonauit quo tempore composito Mediolani fœdere, Aragonius in libertatem est restitutus. Diciturque tandem insonuisse hęc campana proprio motu, dùm Carolus V. Imperator, & Regina Anna, Vxor filij eius Philippi mortem obierunt.

8. *Idem Eusebius.* Similis campana inter Iapones admirabilis est, tumultus præsignificans, dùm pulsata nullum sonum edit; vndè ex litteris annuis Iaponensibus habetur. Quidam casus Quabacondono peregrinus, & valdè acerbus fuit, quòd celeberrima Campana Delubri Midocani (quod quatuor leucis Meaco abest) quæ maximum semper ediderat sonum, ab aliquot diebus, quantùmque fortiter pulsaretur, nullum sonitum reddidisset, resque fuit certissima. Nam totus ferè populus Meacensis re cognita, eò excurrit. Aiunt, aliàs idem accidisse, & esse præsagium magnæ vicissitudinis secuturæ, ac propter infaustum belli Coriani exitum, omnes certò augurantur, imperium Quabacondoni breui collapsurum.

Addam hic funestis campanarum prænuncijs, & lætum, ne signa lætitiæ semper ex se sonantia, signa videantur dare infortuniorum. Estque.

9. *Gumppenberg de imag.B.Virg.de Sierra Roia in Hispania.* Campanæ, quæ sunt in turri templi, quod in cacumine montis de Sierra propè Roiam in Hispania Beatæ Virgini dedicatum est, nulla manu mouente, aliquandò pulsare dicuntur; quod etiam de campana argentea, quæ est in Sanctuario scribitur. Hic autem sonus, & compulsatio spontanea campanarum, lætum aliquod, & gratiosum portendit; cuius rei plura adducuntur exempla.

CAPVT V.

De Admirandis circa motus spontaneos inanimatorum. Idola diuina virtute mirabiliter prostrata.

§. I.

CVM motus naturales sint ab anima, teste Philosopho, ideò præter naturam Admirandique erunt, qui ab inanimatis, omnique sensu carentibus mirabiliter quandòque euenere. Huiusmodi primum locum sibi vendicant, quos in lapideis æneisque imaginibus, quas vt Idola venerata est Gentilitas, orationibus virorum sanctorum, & videre proprijs oculis, & admirati sunt Ethnici ipsi, quorum aliquos hìc referam. Sintque.

1. *Petrus de Natalibus lib.*2. *cap.*1. Ea nocte, qua natus est Christus, templum Pacis Romæ cùm Idolis, quod æternum credebatur, eo quod ab Oraculo dictum fuerat, eòusque duraturum, quòad Virgo pareret, mirabiliter corruit.

2. *Eusebius Pamph. lib.*6. *de demonstr. cap.*20. Aduentante puerulo Iesu in Ægyptum, omnia simulacra, falsaque idola corruerunt.

3. *Petrus de natalibus in Catal.S.S.lib.*2.*cap.*7. Cùm S.Ioannes Apostolus ab Ephesijs, ad Dianæ

templum, vt sacrificaret, tractus esset, orante Apostolo, templum funditùs corruit, & imago Dianæ prorsùs comminuta est.

4. *Pet. Hallox in vita S. Dionysij Areop. capit.* xi. Non priùs generosus Christi Athleta discessit Arelatæ, quàm & multum sub Ducis sui vexillo populum conscripsisset, & longè clarissima suæ virtutis ibidem reliquisset impressa vestigia: Erat inibi fanum quoddam, populi cultu, ac veneratione in primis augustum, ac celebre, in quo Martis statua publicis impertiebatur honoribus; hanc statuam Dionysius, quo veram vnius Dei potentiam astrueret, sola diuini nominis inuocatione disiecit, diffregitque.

5. *In actis S. Potiti mart. apud Bolland. 13. Ian.* S. Potitus, cùm ingressus esset fanum, subitò se prosternens, cùm lachrymis humo orationem fudit. Cuius precibus ruentia protinùs idola, redacta in cinerem sunt.

6. *Ibidem in actis S. Thyrsi Mar. 28. Ian.* S. Thyrsus cùm oratione statuam crystallinam Apolinis confregisset; ductus ante simulacrum Bacchi, dùm complesset orationem, dixit ad Baudum: Audi me Baude, Apollo, ad quem me duxerunt fratres tui, ex crystallo fuit fragilis, iste autem ex ære est fortis, & fusilis: ne ergo Apollo sibi solus putet iniuriam factam, ad solatium illius, in nomine Domini mei Iesu Christi, ecce & iste totus corruet, & ita in particulas dissiliet, vt non sit quod ex eo iterùm possit, vel conflari, vel confundi: Et cùm hoc dixisset: ecce immanis illa ex alto cùm basi sua statua cadens, ita totum ipsum templum concussit, vt vniuersis cùm ipso Baudo fugientibus, solus vir Dei remaneret in templo. Et insultans incredulis, Domino Iesu Christo gratias agebat.

7. *In vita S. Apollinaris Mart.* Cùm venisset ad Templum, & vidisset simulacrum Apollinis, ait Apollinaris adstantibus: Nunquid iste est Deus, in quo auguria captatis? Responderunt Pagani: Etiam, primus inter Deos, & custos ipse est Ciuitatis. Respondit Apollinaris; nunquam sit huic benè, sed hoc destructo, erit custos Christianorum commorantium in loco isto Dominus Iesus Christus, qui verè est Deus. Et facta oratione, simulacrum solutum, & templum Diaboli destructum est.

8. *Raderus de S. Philerato M.* Niceæ, cùm vinctus fano Idolorum admoueretur, tactuque illud contingeret, subitò à fundamentis euersum deleuit.

9. *Gregor. Turonens. de Glor. Confess. cap. 77.* Cùm Gentiles quondam in Carpento deferrent pro salutatione agrorum, & vinearum suorum misero gentilitatis more quoddam simulacrum Berecynthiæ, quod in vrbe Augustodunensi venerebantur, adfuit Simplicius Episcopus, vidensque haùd procùl cantores, & psallentes, ante hoc simulacrum, fecit signum crucis contra illud, & protinùs in terram ruit.

10. *Raderus in Viridario de S. Susanna.* Prætor Alexander, cùm Eleutheropolim venisset, & idolis adoleret, hæc sua sponte accessit, & solis precibus simulacra strauit. Qua de re postulata, Prętori sistitur, papillisque multatur, sed diuinitùs curata, cùm carnifices ipsi viderent, Christo nomina dedere, capitisque supplicium pertulere.

11. *Georgius Vuicelius de S. Satyro Martyre.* Idolum falsi cuiusdam Dei, cùm exsufflasset fide Crucifixi Iesu, accidit, vt in puluerem redigeretur, O Deum, qui flatu hominis disperit.

12. *In actis S. Martinæ Virg. & M.* Ad eius preces, Deorum templa prostrata sunt, & simulacra consumpta.

13. *Simeon Metaphrastes.* Statuam Iouis, S. Glyceria nobilis fęmina Romana & M. afflixit, & in cineres dedit.

14. *In actis S. Tyemonis Episcopi, & Mar.* Cùm conuenisset copiosa multitudo nostrorum leuantes S. Membra Christi Martyris, cùm laudibus in Ecclesiam reportarunt, tribusque diebus, ac noctibus impendentes excubias, demùm sepelierunt; Continuè autem Christicolæ prouinciales ipsius, aliam in honore Christi super corpus eius Ecclesiam condere cæperunt, quam à Deo merita eius incontaminata conseruant; ita vt idolum aliquod introferri nunquam permittant; aut enim sub ipsis liminibus dæmone exagitante repellitur, aut simulacrum in frusta comminutum, vti Dagon olim ante arcam, deijcitur.

15. *In vita S. Patritij cap. 56.* Rex Leogarius Dæmonum deditus culturæ, cùm plurima parte populi placere sibi satagente, adorabat quoddam Idolum ex auro & argento magnificè coopertum, & in campo, cui nomine Maghsleidh, erat erectum. Nominabatur enim Ceancroichi, id est caput omnium Deorum, eo quòd responsa dare putabatur à populo stulto, & insipiente, qui colebat illud. Circunsteterunt etiam idem simulacrum xii. deiculi ærei, quasi subiecti eidem, & accliues. Diuertit se sanctus Patritius ad locum illum, vt subuerteret simulacrum illud, & prædicatione sancta eius cultores ad creatoris culturam conuerteret, sed cùm prædicando, seù signo faciendo parùm proficeret, nec idololatras reuocaret à radicata in illorum pectoribus dementia, ad orationis consuecta confugit arma. Cùm ergo de vicino colle conspiciens Idolum, & ob illius euersionem puras manus in oratione protenderet ad Dominum, & contra illud minando eleuasset Iesu baculum, subitò Dei virtute corruit in latus sinistrum, defluxitque ab eo totum aurum, & argentum penitùs comminutum, & in puluerem redactum; videbatur etiam in duro Lapide, baculi velut effigiati vestigium, licet non tetigisset illum, ac si molli ceræ, vel Butyro fuisset impressum. Cunctos etiam circùm erectos deiculos vsque ad collum absorbuit terra, eorumque capita extant adhùc ex humo prominentia. Sic, quod non valuit vis humana, effecerat potentia diuina. Plures videntes quod acciderat, in Deum viuum, & verum crediderunt, & consequenter baptizati (secundum Apostolum) Christum induerunt. In illo loco fontem optimum S. Patritius de terra prece produxit, in quo plures postmodùm baptizauit.

16. *S. Anton. 1. par. Chro. cap. 27. de S. Nazario & Celso*

& Celso puero. Videns faciem Nazarii Nero vt solem lucere, putans se arte Magica illudi, dixit, ei, vt artem magicam deponeret, & diis immolaret. Ductus ergo ad templum Nazarius, rogauit vt omnes exirent, Quo facto, ipso orante omnia Idola confracta sunt.

17. *In actis S. Stephani Papæ & Martyris.* Ductus est B. Pontifex à satellitibus extra mænia, & portam Appiam ad templum Martis, quo in loco Episcopus ipse omnibus spectantibus oculos in Cœlum erexit, ac dixit: Domine Deus Pater Domini nostri Iesu Christi, qui euertisti turrim confusionis apud Babylonem, destrue quæso nunc, & locum hunc, in quo diaboli superstitio per Idolorum cultum exercetur: cùm hoc dixisset Pontifex, repentè facto tonitru, & fulgure maximo, templum Martis magna ex parte corruit; quod videntes milites, perterrefacti aufugerunt, ac reliquerunt B. Stephanum cùm omnibus Christianis, qui eum secuti fuerant.

18. *Surius in Nouemb.* S. Benignus Presbyter & Martyr, simulacra lignea, & lapidea, Crucis signo attriuit.

19. *In actis S. Felicis.* Felix M. in Serapidis Templo coram Imperatoribus Diocletiano, & Maximiano os simulacri conspuens, illicò ad terram illud deturbauit, quod egit iterùm, ac tertiò in Dianæ, ac Mercurij delubris.

20. *Surius in vita S. Spiridonis Archiepiscopi 12. Decembris.* Cùm Sanctus esset adhùc superstes, & præesset Episcopatui, Patriarcha Alexandrinus indicta synodo omnium, qui ei subiecti erant Episcoporum, volebat gentiles statuas, & imagines communibus precibus euertere, & eas, in terram deiicere. Rebus enim eius modò adhùc plena erat Ciuitas: & quomodò Paulus, ipse quoque inflammabatur spiritu, & ardenter spirabat aduersùs impietatem. Cùm omnes ergò concurrissent, & se dedissent precibus, aliæ quidem statuæ Dei nutu, & viribus, deuolutæ fuerunt, & in terram deiectæ; ex iis autem vna sola, etsi & separatim, & simùl cùm illo Patriarcha multas preces fudissent, manebat in suo loco: non quòd Deus non attenderet, aut despiceret sacras illorum preces: sed hoc sapienti consilio vellet suo famulo gloriam tribuere, & ostendere id, quod à multis ignorabatur, qualis esset inter Episcopos Spiridon. Cùm nox ergo iam aduentasset, ipse quidem Patriarcha adhùc vacabat orationi: quædā verò diuina ei apparens visio, iussit eum non angi animo, quòd non caderet simulacrum, reseruatum enim esse Spiridoni, vt id ab eo solo deturbatum caderet, sed cùm eum quàmprimùm à Cypro accerseret. *Is* enim est aiebat, Episcopus Tremmythuntinus. Fecit, vt ei imperatum fuerat, Patriarcha: & litteris ad eum missis, accersit sanctum: & litteræ significabant causam, cur accerseretur, & eam, quæ apparuerat, visionem: & nequaquam esse recusandum aduentum. Ille autem paret continuò, simul atque enim desijt legere, quæ scripta fuerunt, iter iniit, & nauem conscendens, nauigauit Alexandriam. Atque nauis quidem appulit Neapolim (est autem hic insignis portus Alexandriæ) ipse verò naue descendens, execrandam imaginem, cùm multis templis, precibus nondum peractis, euertit, & in puluerem comminuit.

21. *In actis S. Firminæ Virginis, & martyris.* Megensius Præses, sublatam ante Iouis simulacrum constitui, si fortè ipso Dei aspectu terreretur, imperauit, ac tùm Deum, Deorumque parentem venerari, & precibus propitiare hortatur; ipsa verò aspernantis, ac despicientis vultu in simulacrum versa, nihil aliud, quàm halitum in illud efflauit, confestimque comminutum, & in putre, ac fœdum cœnum resolutum est.

22. *Philipp. Ferrar. mense Decemb. die 7. de S. Sabino Episcopo.* Sabinus, cùm Deos lapideos esse diceret, & qui nec sibi, nec aliis prodesse possent, cuius rei periculum faceret, si aliquis ex illis sibi traderetur, allatum est Iouis simulacrum, ex coralio miro opere ellaboratum, & vestibus aureis indutum: quod Sabinus acceptum manibus, nulla vi ei illata, sed sola oratione comminuit.

23. *Vincentius in Spec. Hist. libr. 10. capit. 29.* Cùm S. Regulus Siluanectensis vidisset multitudinem populorum Mercurio sacra facientem, ad orationis confugium rediit; & præmisso Crucis vexillo, cunctis astantibus, pastorali simulacrum percussit baculo; mox diuino numine, & sancti Præsulis intercessione comminutum est idolum, & quasi in puluerem redactum.

24. *In actis S.S. Prothi, & Hiacynthi.* Tenentur Prothus, & Hiacynthus, & ad templum trahuntur. Sed illis orationem facientibus, simulacrum Iouis, cui sacrificare compellebantur, cecidit ad pedes eius, & ita comminutum est, vt vbi fuerit, non compareret. Beata itidem Eugenia ante simulacrum Dianæ ducta, expansis manibus orauit, & factus est terremotus in eo loco, & ita templi fundamenta cùm Idolo subuersa sunt, vt nihil remaneret, nisi ara sola, quæ erat ante ianuam templi, ad quam stabat sancta martyr Eugenia.

25. Hoc itidem accidit S. S. martyribus, Erasmo, Luciæ, Vito, Modesto, Felici, Cucufati, Iuliano, Marino, Helconidi, Theospatio, Cæsario, aliisque innumeris, quorum numerum retexere haùd possibile est; vsque adhùc notata sufficiant.

Muri, & Parietes, diuinitùs corruentes, aut dehiscentes. §. 2.

QVod aliquandò in Ierichontina euersione accidit miraculum, dùm circumsonantibus tubis, eo sonitu potentiùs, quàm ictu fulmineo, muri Vrbis funditùs corruere; hoc idem orationibus virorum sanctorum aliàs edidit Deus. Muros etiam aliquandò diuinitùs dehiscentes ad occulta pandenda, fortes, stabilesque, ne corruerent, conseruauit, apertosque, & corruentes, mirabiliter conclusit. De his.

1. *Platina in Ioanne* xx. *an.* 1003. Robertus Francorum Rex quotiès per occupationes bellicas licebat, horas canonicas cùm sacerdotibus decantabat, qua religione hoc meritum ferunt, vt cùm Auallonem hostium oppidum obsidione cingeret, neque

neque preces suas horarias intermitteret, mœnia hostium diuinitùs corruerent, statimq; suis irrumpentibus, oppidum caperetur.

2. *Vincentius in spec. Hist. lib. 24. c. 6.* Cùm Carolus Magnus cùm ingenti exercitu obsedisset tribus mensibus Pampiloniam, nec eam capere posset propter muros inexpugnabiles, orauit S. Iacobum Apostolum, vt propter honorem sui nominis, daret ei capere Ciuitatem, & tunc muri funditùs corruerunt; Lucernam etiam vrbem, quæ est in Valle viridi, cùm quatuor mensibus obsedisset, neque eam potuisset capere, facta prece Deo, & S. Iacobo, ceciderunt muri eius, & est deserta vsque in hodiernum diem.

3. *In actis S.S. Feb. tom. 2. in continuatione Bollandi.* Quoddam castrum satis forte erat in Diœcesi Lodouensi in Gallia, quod Gybretum incolæ vocant, pertinens ad iurisdictionem S. Fulcrani Ludou. Episc. Quidam autem ruptarii milites in rapinam rerum pessimè inhiantes, intrà fortem munitionem eiusdem castri, cùm capta preda se aliquandò reciperunt, confidentes in loci munitione, eo quòd vastitate præruptæ rupis, inexpugnabilis, & inaccessibilis videretur. Quo audito Vir Dei, zelo iustitiæ succensus, tàm immane scelus abhorrens, & volens ablatum sibi castrum repetere, festinauit ad locum cùm expeditione deuenire, & posita obsidione, cùm inexpugnabile cerneret castrum esse, inuocata virtute S. S. Trinitatis, vicibus tribus castrum circùmiuit; & (mirum dictu) post ternum eius circuitum, illicò totus Castri murus vndique corruit, & præbuit expugnantibus patulum, & latum ingresum.

4. *In Officio S. Albini Episcopi.* Huius sancti corpus, cùm post aliquot annos, Sanctus Germanus Episcopus, & omnis populus in nouam vellent transferre Basilicam: nec propter sacelli angustiam, in quo conditum erat, illud extrahendi daretur facultas, paries, qui ad eius pedes erat, diuinitùs excisus, repentè spatium satis amplum ad illud transferendum reliquit.

5. *Philippus Abb. bonæ spei de S. Vualdetrude cap. 13.* Nec silentio preterire debemus miraculum, quod omnipotens Deus ad ostendendum quantam suæ famulæ curam gereret, in ipso sancti propositi tyrocinio exhibuit. Nam cùm religiosissima Christi tyruncula ad præparatam sibi domum accessisset, hanc latam, & spatiosam, atque sublimen intuens, abhorruit, & ex ipsa sui magnitudine oculis eius valdè displicuit: humili scilicet mente, humile, atque remotum ab aspectibus humanis quærens habitaculum in terris, vt celsum, atque sublime inter frequentias angelorum mereretur habere in Cœlis. Mira res vehementer stupenda mox secuta est; Nam recedente Christi famula, eadem nocte totius domi fabrica subito turbine à fundamentis euersa est, ac diuinitùs longè proiecta. Tunc Hidulfus in eiusdem montis latere, ei paruum, & sanctæ religioni congruum habitaculum simùl & Oratorium in honore Sancti Petri Apostoli dedicatum, vbi ipsa illi designauerat, restruxit.

6. *Ioannes Thiepolus de Passione Domini Tract. 12. cap. 3.* Dùm B. Ioanna de Cruce ordinis S. Francisci quadam die vt inseruiret monialibus, missæ sacrificio haùd assistere potuissent, Sponsumque sub Eucharistiæ velamine videre percuperet, quo tempore à sacerdote populo sacra hostia eleuata fuit, paries, qui Beatæ impediebat visionem cælestis sponsi, illicò in duas partes discissus est, vndè absque impedimento sacram Eucharistiam adorauit. Illa autem in pariete scissura in miraculi testimonium conseruata est.

7. *Ex. m. s. s.* In die Festo S. Dominici, cùm missæ solemni adesse non posset B. Maria Gonzales monialis Conuersa S. Dominici, vt cibos cæteris sororibus pararet, audiens in missa signum eleuandi corporis Christi; Domine mi, inquit, quia te videre non possum, tu respice me misericordia tua: his dictis, statim Ecclesiæ paries apertus est, & videre meruit Christi corpus, quod humiliter adorauit.

8. *In Chronicis Minorum par. 3.* Dùm Ven. Fr. Franciscus à Duratio in Apulia coquum ageret, semel audita campanula, qua eleuatio Sacramenti in Ecclesia significabatur, genuflexus sacram Eucharistiã, quam propè adorare non poterat, procùl veneratus est, & ecce illicò quatuor muri ita aperti sunt, vt Dominum suum clarè videre potuerit; postque ad pristinum statum reuersi sunt parietes; signum scissuræ, in testimonium miraculi portendentes.

9. *Zachar. Bouer. in Annal. Capucc. an. 1575. de F. Bonauentura a Raticina.* Cùm die quadam solemni, in coquina, circa Marthæ Ministerium eo tempore occuparetur, quo eleuationis sacrosanctæ Eucharistiæ signum, in conuentuali Missa dabatur, Vir pius, totus diuina charitate in animo flagrans, cùm sacramentali Domini sui præsentia frui summopere exoptaret: Mox ab ea popinæ parte, quæ Altare respiciebat, genuflectens, Dominum, quem oculis intueri non poterat, ardentissima adoratione prosequitur. At Deus clementissimus, qui pauperum suorum desideria exaudit, haùd Bonauenturæ votis defuit. Nam repente interiecti parietes, qui sacri Altaris illi aspectum intercipiebant, diuina virtute aperiuntur, sancta illi Mysteria patefiunt, isque sacerdotem, Domini corpus, & sanguinem haùd secùs, quàm si præsens in Ecclesia esset, attollentem cernit. Cùmque Dominum præsentem adorasset, exæstuantisque animi studio satisfecisset, iterùm disiuncti parietes ad pristina remeant, ac Dei seruum diuino hoc munere tàm magnificè affectum ad ampliores Dei laudes prouocant.

10. *Idem Anno 1580. de Fratre Hieronymo à Butunto.* Hic, cùm antequam habitum Religiosum indueret; in Neapolitana Vrbe, Medicinæ studijs, cùm alijs eiusdem patriæ municipibus communi contubernio vacaret: id inter eos condictum erat, vt singulis diebus, vniuersi, vno eorum excepto, qui domi custos remaneret, sacro Missæ Mysterio interesset. Dùm igitur quodam mane, quo illi domus custodia contigerat, in proxima Ecclesia, in qua sacra Missæ Mysteria celebrabatur, signum ad sanctissimæ Eucharistiæ eleuationem dari percipit, mox secum his verbis conqueri

queri

queri cæpit: Heu, cur mihi soli hoc mane diuina Christi Domini præsentia frui non licet? cùmque summa adoranhæ Eucharistiæ cupiditate flagraret, mox in genua procidens, sacrum Domini Corpus adorat: quo tempore interiectos omnes parietes aperiri, diuinamque Eucharistiam à sacerdote eleuari conspicit: qua eleuatione peracta, protinùs ad pristina loca redeunt.

11. *Vad. in annal. min. an.* 1225. *num.* 7. *de medico S. Francisci*. Cùm in Domo, quam medicus S. Francisci ex omni lucro suo construxerat, paries, patula scissione à summo vsque deorsùm, de proximo minaretur ruinam, cui periculo per humanæ artis industriam haùd possibile videbatur obuiare; Ipse de Sancti viri meritis plenè confidens, cùm magnæ fidei deuotione petiuit à socijs eius aliquid sibi concedi, quod idem vir Dei manibus contrectasset. Cùm igitur modicum de Capillis ipsius, multa precum obtentum instantia, posuisset de serò intra muri scissuram, manè consurgens, tanta inuenit aperturam illam soliditate conclusam, vt nec reliquias ibi positas posset extrahere, nec scissuræ prioris vestigium aliquod inuenire. Factumque est, vt qui ruinoso corpusculo serui Dei sedulò ministraret, ruituræ domus propriæ pericula præcaueret.

12. *Vinc Bell. li.* 13. *cap.* 36. *de S. Marciana Virgine*. Cùm antè Iudicem ducta, Deum confessa esset, & inania figmenta damnasset; iratus Iudex dictis eius, quæstionarium manibus alapis cæsam, in ludo gladiatorio iussit induci: Tradatur inquit vni, & seruiat plurimis, vt illic, & corpus, & pertinax animus puniatur. Illa gaudens ad custodiam ibat, quia pudiciciam suam Deo Custode seruabat. Cùmque nocte illa in oratione vigilante, gladiator nomine Flameus, cui tradita erat, vt captiuitatem pudoris sustineret, per tenebras ad eius cubile venire contenderet, subitò paries angularis lapidea mole constructus est, & ille suo deceptus errore, Deo interdicente, vsque mane virginem inuenire permissus non est. Tunc eam rogare cæpit, vt sibi veniam daret, ac pro eo veniam à Domino peteret, vt de ludo gladiatorio viuus euaderet; cui illa respondit; Deus meus, qui meam Castitatem defendit, ipse te eo die, quo martyrium sumpsero, liberabit. Alia die illud parietis interpositi miraculum omnes loquebantur populi, qui sermo vsque ad aures Iudicis venit. Mox furore succensus, alterum gladiatorum mutari iussit, & ipsum similiter paries natus à sancto Corpore separauit. Tertio quoque tradita fuit, & huic similiter accidit.

13. *Horatius Tursellinus in Hist. Lauret. lib.* 1. *cap.* 16. Timentes Recinetenses, ne paulatim temporum incuria pocumbentibus perietibus, augustissima orbis terræ, sedes Virginis pessum iret, tueretque, ædem specie ruuinosam vndique communire curant, iactisque quantùm res ferebat fundamentis, lateritio eam pariete circumdant. Fama est haùd dubijs vulgata authoribus, nullo modo potuisse nouam substructionem sacris parietibus adhærere; quin etiam procedente tempore, noui illi parietes, veteribus pro fulcimento adiecti, paulatim recesserunt, adeò vt inter vtrosque parietes quoties opus foret, puer cùm accensa face discurreret, quo disiunctorum parietum fidem explorantibus faceret.

Carceres vltroneo motu aperti.

§. 3.

DE vinculis diuinitùs disruptis, dictum fuit in Capite de Admirandis circa Ferrum; modò de carceribus admirandis modis patefactis. De quibus.

1. *In actibus Apostolorum*. Cùm S. Petrus vinctus catenis, inter duos milites custodiretur in carcere; ab Angelo excitatus, ferreisque vinculis liberatus, iussus est abire. Transeuntes autem primam, & secundam custodiam, venerunt ad portam ferream, quæ ducit ad Ciuitatem, quæ vltrò aperta est eis. Alia vice cùm Paulus, & Silas in carcerem missi fuissent, terremotus factus est magnus, ita vt mouerentur fundamenta carceris, & statim aperta sunt omnia ostia, & vniuersorum vincula soluta sunt. Apostolos item alio tempore in custodiam positos, Angelus Domini per noctem aperiens ianuas carceris, eduxit ex ea.

2. *Pet. de Natal. lib.* 9. *c.* 117. *de S. Pharone Episcopo*. Transiens per Ciuitatem ante carceres, vinctos à vinculis absolutos de custodia solo verbo eduxit.

3. *Idem lib.* 6. *cap.* 11. *de Sanct. Vigilio Episcopo & Mart.* Cùm corpus eius ad suam Ecclesiam veheretur, & per Senonas transitum habere contingeret, carceres illicò Diuinitùs sunt reserati, vinculis quoque, ac compedibus confractis, omnes conclusi, & in ergastulis ibi iuxta detenti, absoluti sunt, corpus sacrum vsque ad Antisiodorum comitantes.

4. *Idem lib.* 8. *cap.* 127. *de S. Vincenslao mart.* Dùm ad Ciuitatem Pragam corpus detulissent, carcer subterraneus confestim illuminabatur; & facto terremotu, aperitur, cunctique captiui, solutis vinculis, liberantur.

5. *In actis B. Alberti eremitæ apud Bollandum* 7. *Ian.* Quidam ex S. Geminiani municipio, à Comite Montalceti insons missus in vincula, visus sibi B. Albertum coram intueri, atque audire monentem, vti cùm bono Deo abscederet, liber iam vinculis; consurgit ergo compedibus solutus: foribus carceris, diuina virtute reseratis, egreditur, murum pertransit, veluti si in plano ambularet, per loca sibi antea incognita, nullo cuiusquam, nisi diuinæ benignitatis adminiculo, Beatique Alberti meritis, ad eius tandem cellam peruenit, gratiasque egit pro collato beneficio.

6. *Ibidem in vita S. Riemini abb.* 17. *Ian.* Quadam die Dominica, dùm ad Ciuitatem Cenomannis properaret, & officium Episcopi audire, eiusque benedictionem percipere desideraret, contigit, dùm portam Ciuitatis intraret, vt clausi carcere clamarent, ne eos præteriret, sed aliquid eis præstaret. Ipse verò, vt dictum est, festinans ad Officium memorati Episcopi, ei iterùm sibi succurri petunt; Tunc sanctus vir Riemirus recordans Domini

mini sententiæ, qui ait: In carcere fui, & non visitastis me, ne inobediens præceptis Domini appareret, reuertitur ad eos, & clauso, & obserato ostio carceris introire nequiuit. Tunc fisus de Domini Misericordia, quia magnis eiulatibus inclusi clamabant, fecit signum crucis super ostium, & mox ostium aperitur, & rei exilientes aufugiunt. Quod signum S. Ricmirus abscondere voluit, sed nutu Dei diuulgatum est.

7. *Ibidem. 27. Ianuarij in vita B. Lupi Episcopi Cabilonensis*. Cùm hic Beatissimus vir transitus sui diem imminere sentiret, cognouit, quòd reorum quidam carcerali essent custodiæ mancipati. Euocato itaque ad se Iudice ciuitatis, vt semper consueuerat, cæpit cùm illo de misericordia conferre sermonem, vtque hos, quos inclusos retinebat absolueret, piis precibus flagitauit; quod ille impietatis spiritu retinente, agere distulit; interim ad Cœlum euolauit; dùm autem eius corpus ad Ecclesiam deferretur, ventum est ad locum, in quo erat ergastulum damnatorum, vbi tanto beati corporis feretrum diuina virtus pondere prægrauauit, vt portitores vno in loco affixi tenerentur immobiles. Illi ergo qui in custodia interficiendi seruabantur, vocem cùm vlulatibus dantes, mox vt sancti inuocant nomen, omnia carceris repagula abijciuntur, ostiisque apertis, reorum turba, vinculis exonerata progeditur, atque obsecutores socia comitatur.

8. *In actis S. S. Mar. tom. 1. in Cont. Bollandi*. Cùm Leogarius in Hibernia Rex, obsides Dichu viri Principis, quòd eum audisset Christi fidem suscepisse, iussisset siti enecari, orante S. Patritio, Angelus aduenie ns, de domo carceris, & de manu inimici eos liberauit.

9. *Ibid. in Feb. t. 2.* Quadam die dùm deambularet S. Licinius Episcopus Andegauensis ante portam Ciuitatis, rei, qui ibidem in carcere detinebantur, clamauerunt ad eum, dicentes: Adiuua nos Pater, & Pastor noster, quatenùs de isto ergastulo liberemur. Tunc miseratione motus S. Præsul, rogauit custodem carceris, vt illos liberaret, & ipse suis rebus pro eis quidquid neglexerant, libens emendaret. Renuit tamen minister. Cuius inobedientiam Sanctus vir cognoscens, nihilque sua deprecatione apud eum proficere, fisus de Dei Misericordia, signaculum Crucis super ostium carceris iniecit, ad cuius vocem etiam ostium carceris nutu diuino vltrò apertum est, & nullo illo tangente, neque feras ferreas, quibus conligatum, & munitum erat, reserante, aut frangente, vincti de carcere prosilierunt, & honorati à Pontifice, polliciti que ne vltrà furtum, rapinam, homicidium, adulterium, & reliqua mala facerent, gauisi redierunt ad propria.

10. *Ibidem tom. 3.* Quadam nocte Tornacenses Blandinium pergunt, Sanctumque Eleuterium Tornacensem Episcopum orantem inueniunt, catenis vinciunt, Cæsaris Tribuno sistunt, ter virgis cæsum incarcerant, & recludunt, sed eadem nocte visitans eum Angelus, eidem assistit, fores carceris aperit, viam, qua Blandinium pergat ostendit, vincula disrumpit, vinctum educit.

11. *Ibidem in Martio Tom. 1.* Cùm S. Otho solitarius, ab hostibus captus, teterrimo in carcere, reuinctis manibus, cruribusque diro catenarum ferro constrictis, detrusus fuisset, sequenti nocte, cùm se sopori dedisset, veniens ad eum S. Leonardus, huiusmodi miserorum consolator, tali voce prorupit: Ne paueas Otho, exaudita est oratio tua apud Dominum. Expergefactus igitur tunc à somno, cuncta, quæ viderat, humanitùs facta credidit, eaque intrà se reuoluendo, denuò obdormiuit. Rursùmque Sanctus, adueniens, eum de atri carceris gremio discussit, suaque virtute in quendam saltum adhùc soporatum perduxit. Sancto igitur iam per cæli tenues, vndè venerant, auras regresso, B. Otho catenarum laqueos lapide fregit.

12. *Ibidem*. Cùm in ciuitate Andegaua, turris portæ cohęrens, damnatis esset carcer effecta, prætereunte B. Albino Episcopo Andegauensi, fiebat clamor de vocibus inclusorum. Tunc ad Iudicem precator accedit, vt eos pietatis causa de custodia relaxaret. Quod cùm ille aure surda differret; mox Pontifex ad Deum se fida petitione conuertens, tàm familiari voce sugessit, vt in loco, quo orationem Sanctus effudit, miræ magnitudinis saxeus quadrus exiliens, portæ aditus fieret carceratis, quia ante eius precem, soliditatem lapis non potuit conseruare. Hinc egressi quasi de sepulchro viuentes, gratias Deo, & Sancto Albino egerunt.

13. *Surius 4. Ianuarij*. Dùm post mortem ad sepulturam deferretur corpus S. Gregorii Episcopi Lingonensis; ecce vincti carceris ad Beatum corpus clamare cæperunt, dicentes: *Miserere nostri piissime Domine*; vt quos viuens in sæculo non absoluisti, vel defunctus, cæleste Regnum possidens, digneris absoluere. Hæc & alia illis clamantibus, aggrauatum est corpus, ita vt ipsum penitùs sustinere non possent. Tunc ponentes feretrum super terram, virtutem B. Antistitis præstolantur. His ergo expectantibus, subitò reseratis carceris ostijs, trabs illa, qua vinctorum pedes coarctabantur, repulsis obicibus, scinditur media, confractisque catenis, omnes pariter dissoluuntur, & ad Beatum corpus, nemine retinente, peruenerunt.

14. *Vghellus in Ital. sac. t. 8. Epis. Montis Coruini*. Cùm quidam miser duro ergastulo maceraretur, alta voce inuocare cæpit nomen S. Alberti Episcopi montis Coruini, qui tunc viuebat: & ecce nocte apparuit ei S. Antistes, qui præcepit ei, vt abiret; at ille somnium putans, minimè aufugit, quod cùm altera nocte frustrà fecisset, tandem tertia apparens nocte, dixit, se eo labore adeò fatigatum esse, quòd ampliùs non rediret, & inter loquendum, inopinatò apprehendit, & extra carcerem, & locum montis Coruini in vinea reliquit.

15. *Vincentius, in spec. Hist. lib. 9. cap. 113. de S. Iuliano Cenomanensi*. Cùm vrbis à Domino sibi commendatæ portam subiret, carcerali custodiæ mancipati clamantes, vt sui misereretur, exorabant; & ille benignissimus, ad eos, quibus id officij commissum erat, supplex accessit, precans, vt aduentus sui gratia redderet absolutos, quos iniquitas

tas propria fecerat reos. Spretis verò precibus, proprio hospitio se recepit, & tacitus ac gemens, Dei misericordiam exorare cæpit. Mox angelico ministerio ostia carceris aperta sunt, & illi egredientes, Sancti viri conspectibus se obtulerunt.

16. *Idem ibidem lib.* 10. *cap.* 30. Cùm S. Regulus Siluanectensis, venisset ante ostium carceris, in ipso vrbis Siluanectensis introitu, inuenit quosdam Christianos, prædicti carceris ergastulo nexos, qui eius transitum audientes, vt eos respiceret, immensis vocibus clamare cæperunt. Tunc athleta Dei miseratione motus, pastorali virga immò virtute diuina, carceris ostium percutiens, fregit, & cùm constantia illos abire præcepit.

17. *Idem ibidem lib.* 26. *cap.* 31. Temporibus Adelphonsi Regis in Hispaniæ partibus, viginti viri Christiani, quorum vnus erat sacerdos, à Saracenis capti sunt, & in vrbe Cæsaraugustæ carceri tenebroso diuersorum generum nexibus obligati. Qui cùm B. Iacobum Apostolum inuocarent, ab eodem mirabiliter quadam nocte apparente, fractis vinculis è carcere educti sunt, & ad portas Ciuitatis, quæ facto signo Crucis egressum vltrò ministrauerunt, deducti.

18. *Idem ibidem lib.* 10. *cap.* 64. Cùm S. Focas iussu Traiani Imperatoris, in carcerem, vt extremo daretur supplicio, missus esset, postquam medium noctis tempus emersum est cæpit orare, & oratione completa, carceris claustra reserata sunt, & infuso desuper lumine lampadarum, totum repentè patefactum est.

19. *Idem ibidem lib.* 26. *capit.* 36. Anno Domini 1106. quidam negotiator iniustè in profundo altissimæ turris obstrictus fuit; qui cùm B. Iacobum Apostolum inuocasset, nocte quadam, vigilantibus adhùc custodibus, ei in carcere apparuit, & imperans, vt surgeret, vsque ad summitatem turris perduxit; quæ se in tantùm inclinauit, quòd visa est cacumen suum in terra deponere, à qua sine saltu & læsione descendens, solutus à vinculis abijt; custodes verò illum insequentes iuxtà eum venerunt, & non inuenientes, excæcati retrò abierunt.

20. *In actis S. Mariani Monachi*. Cùm defunctus esset S. Marianus, & eius corpus Antisiodorum portitores veherent, in quadam villa existentes, moueri indè penitùs nequiuerunt, donec quidam, qui erat pro suis delictis in carcere compeditus, fractis catenis, & aperto carcere, liber exiens, venit ad corpus, & cùm alijs portauit vsque ad vrbem.

21. *In actis S. Melanij Redonensis*. Dùm deferretur eius venerandum corpus nauigando per Vicennam ad vrbem Redonem, duodecim vincti, qui tenebantur in Carcere in turri iuxta aquam, clamauerunt: Sancte Melani miserere nobis: & statim diuisa est turris in duas partes à summo vsq; deorsùm, & sic liberati sunt.

22. *Stephanus Pepe in Hist. B. Virginis de Oetinga in Bauaria*. Quædam adolescentula à Turcis capta in Germania, Constantinopolimque ducta, in fortissimo carcere cùm alijs Christianis obstricta fuerat. Tunc ipsa, cæterique omnes captiui, B. Virginem de Oetinga deuotè inuocauerunt, deindè carcere fracto, fugam arripuerunt: at breui dimensa via, turrim adinueniunt, cuius ostium tribus ferreis repagulis obductum, fugam impediebat; sed ecce mirum! statim ac ostium attingunt, ferreis diuinitùs fractis repagulis, vltrò apertum est ostium, liberèque cæptum iter sunt prosecuti.

23. *Andreas Gelsominus in Thesauro cælesti*. Anno Domini 1492. Veronæ capite damnatus fuit quidam, nomine Ioannes Maria, in vinculisque constrictus, ferreis compedibus tenebatur: interim ad afflictorum Consolatricem confugiens miser, vouit, se eleemosynam oblaturum Ecclesiæ S. Mariæ montis Ortoni, si ab imminenti liberaretur morte. Accurrit statim pijs precibus B. Virgo, & Ioanni Mariæ in carcere apparens, eidem iussit, vt æruginoso cultellulo, quem ibi inuenit, ferreos secaret compedes; quo mirabiliter facto, capillis eum apprehendens, è carcere liberauit, superque viam quæ ad dictam Ecclesiam tendit, deductum reliquit: Cuius prodigij, ad eam Ecclesiam iam profectus, votoque soluto, ibidem perpetuam memoriam in tabella reliquit.

24. *Simeon Metaphrastes in vita S. S. M. M. Clementis & Agathangeli Ancyr. cap.* 8. Prædicti Sancti relicti in carcere, vehementiùs, & intensiùs vacabant orationi: Angeli autem ad eos desuper aduolantes, præparabant, & confirmabant ad Martyrium. Quicumque verò alij propter alias etiam causas habitabant in carcere, cùm eorum intensam vidissent orationem, & deindè etiam sensissent aduentum Angelorum, & illa admirabili obstupefacti essent consolatione, diuino quodam ardore eorum incitatis animis, procidunt ad pedes Sanctorum, & rogant, vt ipsi quoque veniant ad Christi cognitionem, & ne reputentur indigni, qui illum confiteantur. Illi autem cùm eis ad mediam vsq; noctem differentes, suadentes, admonentes, docentes, non priùs destiterunt, quàm eos in vera fide instituerint, & diuino Baptismo obsignauerint. Deindè cùm magnus Clemens sola oratione eis carceris totam aperuisset ianuam, illos quidem lætus lætos dimisit: ipse autem solus cùm Agathangelo mansit in custodia.

25. *Palladius in vita S. Apollonij Abb. cap.* 2. Cùm tempore Iuliani aliquandò audisset Apollonius, fratrem eius in exercitu captum, vinctum teneri in custodia; accessit ad eum inuisendum, & consolandum; Tuncque adueniens Tribunus clausis portis custodiæ, & ipsum, & omnes, qui cùm eo erant monachos inclusit. At media nocte apparens Angelus ingenti luce resplendens, mirabiliter carceris ostia aperuit.

26. *Ferrarius in Catalog. S. S.* 10. *Iunij*. Cùm S. Modestinus Episcopus vnà cùm socijs pro Christi fide post dira, multaque tormenta in carcerem trusus fuisset; nocte ab Angelo cùm socijs eductus in fines Abellinensium venit in locum, qui Prætorium dicebatur, ibique animas suas Deo reddiderunt. Quorum corpora postea Abellinum translata sunt, & honorificè condita.

27. *Lippellous in vita S. Niceti*. 2. *Aprilis*.

Cùm

Cùm quidam carceri inclusus, imminentique mortis periculo grauiter turbatus, supplex inuocasset S. Nicetum Lugdunensem Episcopum, quòd eius misericordia vinctorum compedes sæpiùs diruptos, catenasque confractas intellexisset; Paulò post dormienti apparuit ei Sanctus, à vinculis soluit, & illæsum abire iussit.

28. *Aloysius Torellus in Hist. Augustiniana anno 695.* Cùm S. Vuigbertus in Brabantia contra Idololatras vehementer inueheretur, in carcerem fœdissimum ab ijsdem trusus fuit; at nocte apparens ei Angelus, è tenebroso ergastulo liberauit, vtque liberè Christi fidem prædicaret, imperauit.

29. *In Annalibus Seruorum Cent. 1. lib. 6. cap. 5.* In Massa, oppido maritimo, cùm quidam contra ius accusatus, causa martyrij, pleraque facinora confessus, à iudice reus mortis esset indicatus; statim suam ipsius causam in manus B. Ioachini Senensis, ordinis Seruorum B. Mariæ ponit, atque ipsum humiliter deprecatur, vt suis precibus sibi innocenti subuenire dignetur: quo voto suscepto, confestim omnes custodes somnus inuadit, captiuus verò ab Angelico Patre, ruptis catenis, apertoque carceris ostio, libertati donatur.

30. *Ambrosius Righettus in mirac. Nominis Iesu.* Dùm Aquileiæ Sanctus Terentius fidem prædicando innumeras ad Christum conuerteret animas, iussu impij Præfecti in carcerem iniectus est; sed cùm Deum deprecatus esset, vt mittens Angelum suum, è custodia, sicut olim D. Petrum, liberaret: media nocte Ianuæ carceris à fundamentis euulsæ sunt, ipseque simul cùm alijs aufugit.

31. Hoc idem accidit multis alijs S. S. martyribus, vt Mamenti, Erasmo, Luciæ, Primo, Feliciano, Vito, Modesto, Ruffino, Valerio, Antoninæ, alijsque innumeris, quorum qui catalogum enumerare vellet, nunquam finiret.

32. *Ex. m. s.* Cùm anno 1259. Mantuanus Bagatta, ab Ezellino de Romano, Brixiæ in carcerem coniectus, vltimo supplicio esset damnatus, eo quòd Philippum Archiepiscopum Rauennantem à tyranno comprehensum, eidemque Mantuano, vt exercitus Præfecto, custodiendum traditum, in libertatem redegerat: Noctu apparuit ei S. Liberata Virgo, dixitque: si votum emiseris visitandi meas reliquias, quæ Serij in Diæcesi Brixiensi conseruantur, crastino die à carcere liberaberis. Credidit ipse, votum fecit, iuxtaque promissa postera die mirabiliter à carcere, & à morte, intercessione eiusdem Diuæ, liberatus est.

33. *Odoricus Raynaldus in Ann. Eccl. An. 1511.* Cùm Cæsareus exercitus supra Taruisinos fines in Venetam ditionem, Palissia duce, incurrisset, atque in Castrum nouum, cui Ven. Hieronymus Æmilianus nobilis Venetus, postea Congregationis Somaschæ conditor, à Veneta Rep. Præfectus erat, belli moles esset versa, Castro vi expugnato, Æmilianus à Victore in squalidum carcerem inclusus est, in quo sæua multa perpessus, diræque mortis metu perterritus, ad B. Virginis, quæ Taruisij colitur, singularis pietatis studio implorandam opem conuersus, post defleta anteactæ vitæ scelera, diuinitùs ab ea è carcere, diruptis vinculis, ereptus est.

Alia notabuntur in 2. Tom. lib. 2. cap. 3. §. 3. cùm de corporibus Humanis ad loca dissita subitò diuinitùs translatis.

Fores Mirabiliter diuinitùs patefactæ.
§. 4.

Non absimili prodigio, fores Ecclesiarum, domorum, & ciuitatum, sola vrgente oratione Sanctis viris patuere. De quibus.

1. *Vincent. in Spec. Hist. lib. 25. cap. 133.* Quadraginta annis priusquàm subuerteretur Hierosolyma à Tito, valuæ templi, nullo tangente, cùm magno strepitu sponte reserabantur.

2. *Christianus Adrichomius in descrip. Hierosolymæ num. 214.* Christo Domino solemniter in Ciuitatem Hierosolymæ ingredienti, porta aurea, quæ rarissimè aperiebatur, vltrò, vt tradunt, aperta est.

3. *In Hist. Apostolorum.* Cùm S. Petrus Apostolus ab Angelo de carcere liberatus fuisset, transeuntes primam, & secundam Custodiam, venerunt ad portam ferream, quæ vltrò aperta est eis.

4. *Ferrarius in catal. S. S. 14. Iann. de S. Gerardo Confess. Modoetiensi.* Solebat vir Dei summo mane templum ingredi, ibique suas preces ad multam horam fundere; cùm verò aliquandò antequam à custodibus fores aperirentur, accessisset, illis sibi diuinitùs apertis, ab eisdem custodibus in templo orans, repertus est.

5. *Pet. de Natal. lib. 2. cap. 28. de S. Basilio Episcopo, & confessore.* Valens Imperator, fautor Arianorum, Ecclesiam quandam catholicis ablatam, contulerat Arianis: ad quem vir *Sanctus* accessit, & ipsum de eius iniquitate magnanimiter redarguere cœpit. Cuius post multa verba, Imperator concessit, vt amore catholicorum remoto, ipse secundùm Iustitiam inter partes sententiam ferret. Episcopus verò conuocatis partibus, iussit, vt fores Ecclesiæ clauderentur, & vtriusque partis sigillo munirentur, & ad quorum factas orationes aperirentur, sua esset. Quod cùm omnibus placuisset, orantibus Arianis per triduum ianuæ semper eisdem clausæ mansere. Tunc Basilius processione ordinata, venit ad Ecclesiam, & facta oratione, leui ictu, baculo suo fores tetigit, dicens: Tollite portas principes vestras, & continuò apertis ianuis reddita est Ecclesia Catholicis.

6. *Bzou. an. 1278 num. 26. de B. Sita.* Aliquandò cùm quædam pia loca visitasset, & ex itinere fessa, cuidam fonti, iam accumbente Sole, assedisset, Matrona quædam honestiore specie illi adfuit, & ecquid Lucam venire vellet, interrogauit; cùmque Sita se libenter illùc ire retulisset, matronamque vsque ad Fortalitium Pontis tecti, & vsque ad portam ciuitatis comitata fuisset, eamque & pontis tecti clausam reperiissent, mirum visu, vtraque ingredientibus, sua sponte patuit; cæterùm cùm illa Matronam domum introducere voluisset,

luisset hæc ex oculis ipsius in momento euanuit: seque non vulgarem mulierem, sed vel diuam Dei parentem, vel aliquam ex Beatis illis mentibus cœlestibus fuisse, approbauit.

7. *Idem anno 1314. num. 27. de Beato Iacobo Veneto ord. Prædicatorum*. Romæ porta Cathacumbarum S. Sebastiani Martyris ei semel oranti miraculosè aperta est.

8. *Nicol. Iansenius lib. 2. cap. 13. in Vita S. Dominici*. Euenit aliquandò, vt vir Dei ab Albigensium rediens certamine, comite quodam fratre conuerso ordinis Cisterciensis, viro iuxtà prudenti, & religioso, ad Ecclesiam quandam, sed clausam, accederet. Hic vterque se ad ostium in preces componit, & post paulò, obseratis vt priùs foribus, intra Ædem se receptos mirantur. Vndè gratijs Deo actis, totam noctem, quippe aduenerant sub vesperam, Diuinis laudibus, & commentationibus exegerunt. Idem aliàs contigisse, tradit Lemouicensis 2. par. cap. 13.

9. *In actis Sancti Deicoli 18. Iannuarij apud Bollandum*. Mirum dictu, & humano ininuestigabile ingenio! quoties Ecclesię ianuas ad implendam diuinæ Synaxis horam solus adijt, absque mora diuinitùs, nullo reserante, largum illi præbuere ingressum.

10. *Ibidem in actis Sancti Gregorij Episcopi Lingon. 4. Ian. cap. 2.* Cùm hic Episcopus apud Diuionense Castrum moraretur assiduè, & domus eius baptisterio adhæreret, in quo multorum Sanctorum reliquiæ habebantur; nocte de strato suo, nullo sentiente, consurgens ad orationem, Deo teste tantùm pergebat, ostio diuinitùs reserato, attentè psallebat in baptisterio.

11. *Ibidem in vita Sancti Gerlaci Eremitæ, 5. Iannuarij*. Fertur à nonnullis, quòd die quadam, cùm solito peregrinationis more nocturno tempore ad Ecclesiam Beati Seruatij aduenisset, & fores essent clausæ, quia nondùm erat tempus matutinarum, ante faciem eius valuæ Ecclesiæ, nullo mortalium reserante, spontè patefactæ sunt.

12. *Ibidem in actis Sancti Launomari Abbat. 19. Iannuarij*. Quodam tempore, cùm monachis suis siluam succidere Ven. Pater certabat, vt planitiem parare aliquam posset apertam iacendis seminibus: casu verò accidit, vt ianitor Domus Domini clauem Oratorij perderet. Cùmque Famulus Dei à fratribus secedens orandi gratia, ministro suo se se comitante, oratorium peteret, & clauem non inuenisset, ante fores prostratus, humi aliquantisper orauit. Moxque ei vltrò patefacta est ianua. Ingressusque oratorium, preces suas vsque ad finem perduxit.

13. *In actis S. S. Feb. tom. 1. in continuatione Bollandi*. Misericordiæ operibus S. Vrsus Presbyter tota die incumbebat, nocte verò ad Ecclesias preces facturus adibat, ad quamcumq; autem iret, statim vltrò patebant ei ianuæ.

14. *Ibidem*. Beatus VVolfoldus, dùm magna virtute, & sanctitate viueret, solitus erat omni nocte surgere, limina templi petere, per apertas diuinitùs portas intrare, regredique post vota, valuis spontè post diuini viri egressum coeuntibus.

15. *Raderus de Sancto Costantino ex Iudæo Christiano facto*. Templi fores nullo aperiente illi patuere.

16. *Paulus Diaconus in Chron. Cassinen. libr. 4. cap. 101.* Dùm monachi Cassinenses graui tribulatione afflicti, in Ecclesia Beati Martini vota Domino persoluissent, supplicationis, & laudis finitis suffragijs, egressi, ad Ecclesiam S. Protomartyris Stephani in camino diuerterunt, & dùm ad aperiendas Basilicæ Ianuas vnus ex fratribus præcessisset, inuenit eas clauibus obseratas; reuersus, qui præcesserat frater, denuntiat, ianuas Ecclesiæ clausas, primosque redire admonebat. Alij rursùs, atque alij currentes, ianuas clausas repererunt, fratribusque renuntiare studuerunt. Frater autem, qui Crucem baiulabat hortatus fratres, ad Ianuas contendit Ecclesiæ, moxque tactis leuiter seris, diuinitùs apertæ sunt.

17. *Vghelus in Ital. Sac. tom. 4. Vercell. Episcopi*. Ianuæ Ecclesiæ Sancti Theonesti Martyris, à S. Eusebio Episcopo Vercellensi fabricatæ, ab Arianis clausæ, ipsi B. Eusebio oranti, diuinitùs patuerunt.

18. *Philippus Abbas Bonæ Spei de S. VValdetrude, & sorore Aldedunge*. Quadam die, cùm ex more ad ęternæ vitæ colloquia perfruenda in inuicem conuenissent, repentè causa extitit, ob quam pro vtilitate monasterij paululùm extra claustra procedere cogebantur. Euntes itaque, & omnibus pro quibus ierant ritè dispositis, cùm subitò ad monasterium redijssent, & ex more Ecclesiam intrare voluissent, absente ostiaria, omnia ostia clausa, & seris munita repererunt; sed mirares mox contigit; Nam vt famulæ Christi ad aditum Basilicæ peruenerunt, statim ostia diuinitùs concussa, ita summa celeritate patuerunt, ac si orationem earum impedire valdè pertimescerent.

19. *Paulus Regius in vita Sanctæ Patritiæ Virginis ca. 3.* Cùm Sancta Patritia Virgo summo mane in die S. Paschatis ad Ecclesiam S. Petri Romæ, vt ibidem deuotas funderet preces, profecta esset, Ianuæ Ecclesiæ, quæ clausæ erant, ministerio Angelico illicò patefactæ sunt.

20. *In actis Sancti Adelardi Abb. Corbeiensis cap. 2. de miraculis*. Cùm corpus Sancti Abb. in Flandriam asportarent Fratres. Tendentibus illis ad villam, quæ dicitur Curba, vbi Sancti Petri iure hereditario habetur Ecclesia, Presbyter secundùm Comitis præceptum obseratis Ecclesiæ foribus, secessum occultum, nè posset inueniri, petierat cùm clauibus. Tandem ad Ecclesiam peruenitur, claues requiruntur, Presbyter circumquaque quæritur, sed quærentibus facultas inueniendi denegatur; Mirum dictu! Dùm aliqua mora fieret quærendo templi sacerdotem; illicò sponte sua confractis seris, diffilientibus repagulis patuerunt fores Ecclesiæ, & Sancto, cunctisque eum comitantibus se peruias præbuere.

21. *In vita Sancti Erminoldi Abbat.* Die quadam

dam cùm ante ianuas staret Ecclesiæ, & fores essent clausæ, Ecclesiam ipsam Dei ser uus intrare volebat, cùmque custos propero cursu circumiens aperire Abbati Ecclesiam properaret, inuenit eum, mirabile dictu, quem foris reliquerat, introrsùs ante altare S. Crucis intentè orantem in ipso loco.

22. *In via Sancti Ioannitij Eremitæ.* Ingressus est semel templum, magistro Christo, dilecti discipuli, quod erat Ephesi; Ei autem sua sponte apertæ sunt portæ illius templi, ille verò ingressus, cùm Domino suas preces reddidisset, rursùs egreditur, & cùm esset egressus, protinùs clauduntur portæ.

23. *Vincentius in Spec. Hist. libr. 26. capit. 40.* Quidam Peregrini iuerant ad Sanctum Iacobum, cumque tota die orassent, rogauerunt æditum, vt etiam nocte apertum relinqueret oratorium, vt ibidem deuotè permanere potuissent; quod ille noluit, clausitque ianuas: At illi tristes recesserunt ad hospitia sua, parauerunt lumina, quæ tenerent in manibus, & confortati in fide, venerunt ad ianuas clausas ferè 200. peregrini, & orantes dixerunt alta voce: Sancte Iacobe, si tibi placet peregrinatio nostra, aperi nobis oratorium tuum: Nondùm verba finierant, & ecce ianuæ cùm tanto strepitu apertæ sunt, vt putarent eas in minutias fractas. Rupta sunt autem repagula, & seræ, & catenæ quibus obserabantur.

24. *Adamannus in vita Sancti Columbæ confess. libr. 2. capit.* 14. Quodam tempore, hoc est in prima Sancti fatigatione itineris ad Regem Brudeum, casu contigit, vt idem Rex fastu elatus regio, suæ munitionis superbè agens, in primo beati aduentu viri, non aperiret portas, quod vt cognouit homo Dei, cum comitibus ad valuas portarum accedens, primùm Dominicæ Crucis imprimens signum, tùm deindè manum pulsans contra ostia ponit, quæ continuò sponte retrò, retrusis fortiter feris, cùm omni celeritate aperta sunt; quibus statim apertis, Sanctus consequenter cùm suis sociis intrauit; quo cognito Rex cùm senatu valdè pertimescens, domum egressus, obuiam cùm veneratione Beato pergit viro, pacificisque verbis blandè admodùm compellat, & ex eà in posterùm die Sanctum, & Venerabilem Virum idem regnator suæ omnibus vitæ reliquis diebus valde magna honorauit, vt decuit, honorificentia.

25. *Idem ibidem.* Quodam tempore beatus vir aliquantisper in Scothia versatus, ad visitandos fratres, qui in monasterio Diu ni ruris commanebant Riuulorum, ab eis inuitatus perrexit; Sed casu aliquo accidit, vt eo ad Ecclesiam accedente, claues non reperirentur Oratorij; cùm verò Sanctus de non repertis adhùc clauibus, & obseratis foribus inter se conquerentes alios audisset, ipse ad ostium appropinquans: Potens est dominus, ait, domum suam etiam sine clauibus seruis suis aperire; cùm hac tùm voce subitò retrusis forti motu pessulis, sponte aperta Ianua, Sanctus cùm omnium admiratione ad Ecclesiam ante omnes ingreditur, & hospitaliter à fratribus susceptus, honorabiliter ab omnibus veneratur.

26. *In vita Sancti Homoboni.* Frequentabat Homobonus domum Dei, non die solùm, sed etiam nocte, a[illegible] è nocturnis, matutinisque precibus intererat. Quò circa Obertus Sacerdos, qui tunc temporis ædi Diui Ægidij præerat (est illa Cremonę) vir egregiè pius, cognita Homoboni religione, singulis ei noctibus ad matutinas preces ianuam templi aperiebat dato priùs, vt fit campanæ signo; sed cum aliquandò tempestiuiùs solito Homobonus accessisset, & paulisper ante ianuam moratus esset, valuæ templi sponte sua patuere, quod & alijs vicibus contigit.

27. *Frodoardus lib. 1. Hist. Rhemensis cap. 7. de Festo S. Hilarij, & soc. m. m.* Solemnitas hyemali tempore præfatorum agebatur martyrum, ad cuius celebritatis vigilias fratres temperius surgentes, custodes ipsius Ecclesiæ dormientes, ostia quoque diligenter obserata reperiunt. Quare diutiùs obterendo pulsantes, dùm neminem responsa dantem deintùs accipiunt, domum presbyteri petunt, portamque crebris incutientes ictibus, & tecta lapidibus verberantes, vbi nullum sibi, qui pandat, excitare præualent, templi ianuam repetunt, quam spôte patentem reperientes, accensa luminaria cuncta vident, sed auctorem facti neminem intùs aspiciût; sicque post orationem, Christo gratias agentes, nocturnas ineunt laudes, quibus iam magna parte decursis, ad horum voces presbyter excitatus, rem cùm suis admiratus, hymnos dicturus cùm cæteris stupefactis approperat. Nullumque demùm accensionis huius, vel reserationis reperire queunt administratorem, nisi summum diuini dumtaxat muneris largitorem.

28. *Surius in vita S. Rayneldis Virgin. 16. Iulij.* Cùm nihil præter Christum habere concupisceret Rayneldis, cùm Sācta sorore sua Gudila, Lobiense cœnobium adijt, beatissimo Petro Apostolorum Principi omnia sua oblatura. Pulsans autem fores monasterij, audiuit à fratribus loci illius, ex quo die fundatum esset illud monasterium, nunquam licuisse fœminis illud ingredi. Id vbi Sancta virgo Gudila audiuit, indè recessit. At soror eius Rayneldis pro templi foribus se se prosternens, Omnipotentem Deum tres continuos dies, nihil interim ant edens aut bibens, piis precibus, & lachrymis pulsare non destitit, donec ille, qui nunquam deseruit sperantes in se, signa potentiæ suæ mirabiliter declarauit. Nam tertia nocte, cunctis fratribus quiescentibus, ostia Monasterii diuina virtus aperuit, & nullo mortalium manus amouente, signa suos dedere sonos.

29. *In vita B. Aszelina Virg. capit. 9.* Accidit aliquandò, vt simul cùm matre ad solitarium sacerdotem, vt ab eo verba vitæ more solito audirent, properaret; inuenerunt autem ostium templi clausum, iuxta quod eremitæ aduentum præstolantes, sederunt, tunc ipsa non vt Deum tentaret, vel quasi dubitaret de eius potentia, sed vt aliquo signo de perpetua sua Virginitate conseruanda certior efficeretur, flexis genibus Deum

orauit,

orauit, dicens: Domine si inter tuas virgines me reputare dignaris, concede benignus, vt nobis pateat introitus. Ecce subitò virtute diuinâ stupescente matre, & exultante filia, ostium templi aperitur, quod ingredientes, flexis ante altare genibus, pro tanto beneficio, immensas gratias egit Saluatori, & interna consolatione repleta, quòd iam nullus de amittenda virginitate tàm miraculoso signo edito, timor cor eius pulsaret.

30. *Michael Pius de B. Mauritio Vngaro, ord. Prædic.* Hospitio diuerterat Mauritius apud Benedictum virum probum, in locum, qui dicitur Vachis iuxta Danubium. Ibi hospes exploraturus quid nocte concubia Mauritius ageret, cubiculum ingressus, minimè reperit. Mox vniuersa domo perlustrata, ianuam clausam, & claui obfirmatam cùm inuenisset, Mauritium autem nusquam videret, ratus id quod erat, ad templum stupore plenus perrexit, ibidemq; orãtem aspexit, atq; à sacerdote intellexit, clauso ostio templi, introiuisse Ecclesiam, quam obseratam custodiuit. Alia quoque nocte ante gallicinium Mauritius in templo impensius orabat.

31. *Platina in Gregorio IV.* Gregorius Quartus Pontifex, ditionem Ecclesiæ recuperans, latrones circa vrbem, quorum sæuitia peregrini Romam Religionis causa accedentes necabantur, è medio sustulit; hinc à quibusdam vulgò homicida, Simoniacus, & sanguinis humani appetentissimus etiam à Cardinalibus quibusdam appellabatur. In agone positus, Cardinales ad se vocatos verbis castigauit, subijciens; vt scire possitis vbi mortuus fuero, rectè, an perperam fecerim, corpus meum ante fores Ecclesiæ sistite, vectibus obseratas, si diuino nutu aperientur, censetote me dignum Christianorum sepultura: sin secus, corpus meum vnà cùm anima damnatum, quò volueritis eijcitote. Fecere mandata Cardinales. Atque portæ coorto graui vento, apertæ sunt, & corpus cùm admiratione omnium opinione magnæ sanctitatis introlatum est.

32. *Ioannes Buzelinus in Historia Gallo-Flandiæ libr. quarto, de Sancto Macario Patriarcha Antiochiæ.* Cameraci, cùm semel Æditus vespere Macarium, Diuæ Virginis Ædem ingressum, ea mente vt noctem illic precabundus insomnem duceret, magna prorsùs iniuria è templo asper, & tumidus ira propulisset, statimque occlusis sera foribus abiuisset; Macarius nihil eo facto commotus, pro templi ianua in genua se se abiecit, Deum oraturus: ac mox diuina voluntate fores ei patuere; Sed is nolens ipsa rei nouitate hominum infirmitatem obruere, ingressu templi abstinuit. Igitur manè, cùm maturat Æditus templi ostium reserare, adhùc precibus indulgentem virum Dei nactus, & patentem Ædis ianuam, ibi maximo timore percellitur, & tantùm non animam corpore exuit.

33. *Sanct. Anton. 2. part. Chron. tit. xi. capit. 18. §. 1. de Sancto Genebaldo.* Septimo anno, post penitentiam cõmissi peccati, cùm Genebaldus in oratione persisteret; Angelus Domini ei astitit, & peccatum sibi dimissum asseruit, ac vti foràs exiret imperauit, cùmque respondisset: Non possum, quoniã Dominus meus Remigius hoc ostium clausit, & sigillo suo muniuit. Ait Angelus: Ecce vt scias tibi Cœlum apertum esse, hoc tibi ostium, saluo sigillo, aperietur. Statimque, vt dixit, apertum est.

34. *Baronius anno 456. num. 6.* Cùm aliquandò Childericus Francorum Rex, quosdam reos capitis, pertinaci animi sententia decreuisset occidere; ne Sanctæ Genouefæ (cuius sanctitatem maximè faciebat) precibus posset flecti ad misericordiam, ex vrbe egressus, iussit portas occludi. At vbi Sanctæ Genouefæ renunciatum fuit, Regem eos necandi gratia extra oppidum processisse; mox illis veniam precatura, festina abijt. Atque adueniente illa ad portas obseratas, confestim ei stupefactis custodibus, quasi ad quoddam iubentis imperium, reseratæ sunt, sicque cæptum carpens iter, vbi ad Regem peruenit, ne miseri illi capite plecterentur, obtinuit.

35. *In vita Sanctæ Genouefæ Virginis.* Puella quædam iam nubilis, & iam desponsata, nomine Cilinia, vt comperit gratiam Christi Genouefæ collatam, petijt sibi ab ipsa vestem mutari. Quod cùm adolescens, cui fuerat promissa, audisset, protinùs indignatione repletus, Meldis vrbem, vbi Cilinia cùm Genouefa morabatur, aduenit. Mox Genouefa vnà cùm Cilinia vt aduenisse adolescentem comperit, cùm summa festinatione ad Ecclesiam perrexit: magni miraculi res fuit, quemadmodùm eis fugientibus ad Ecclesiam, Baptisterium, quod interiùs erat, sponte se reserauit; sic itaque prædicta puella ab huius mundi naufragio vel contagione liberata, vsq; in consummationem in abstinentia, & castitate perseuerauit.

36. *Metaph. in vita S. Isacij.* Saturninus, & Victor frequenter eum inuisebant, ducebantque secùm, & alios amicos, & ea, quæ subleuandis pauperibus sunt necessaria, subministrabant, ad domum etiam vterque suam illum vocabant, vt eis Dominus in eius ingressu, & exitu benediceret. Quod si contingebat, vt eo seriùs egrediente, portæ ciuitatis essent clausæ, consistebat, & orabat, factoque Crucis signo, sponte sua portæ aperiebantur, atque ita exibat gratias agens Deo.

37. *In actis S.S. Feb. tom. 1. in contin. Bollandi.* Cùm S. Laurentius Illuminator, à Clero Spoletino electus fuisset illius Ciuitatis Episcopus; Spoletina plebs, è gente sua assumi Episcopum, non peregrinum aliquem, conclamabat oportere; ideoque aduenienti portas occlusit; Laurentius tunc, vt arceri se ingressu vrbis vidit, positis humi genibus, Deum precatus est, vt quoniam eius in terris Vicario obediendi, salutemque hominum curandi studio, onus hoc susceperat, Diuinam suam, super eo portando, deponendoue, voluntatem declararet. Vix ea elocutus erat verba, cùm portæ vltrò patuerunt, eoque ostento perteriti Spoletini, magno cùm honore, & gaudio eum acceperunt.

38. *In vita S. Lupi Senonensis Episcopi.* Accidit quadam nocte, vt peruigil precibus staret ad li-

mina Basilicæ S. Aniani. Fores enim diligentia custodum templi firmiter obseratæ, eum ab ingressu arcebant. Prostratus igitur in ipso limine, pias Domini aures pulsat precibus attentissimis: & ecce de repentè cælitùs amotis repagulis patescunt valuæ; custodes excitati vident intrantem sanctum virum vultu roseo, oculis claritate superna radiantibus.

39. *In vita S. Trudonis Presbyt. libr. 2. capit. 9.* Erat inter cæteras fæmina quædam, Vualda nomine, honeste religiosa, quę ex doctrina viri Dei in virtutem olim cùm profecisset, in familiaritatem quoque venerat, & obsequio frequens adhærebat. Hæc super amisso patrono, impatientissimi doloris nullum admittens solatium, more Euangelicarum fæminarum, vulnerata charitate, cùm cereis, & thymiamaterijs se exhibuit, monumentum illud visitare perrexit, primaque viuentem spiritum in mortuis ossibus inuenire promeruit. Veniens enim ad Ecclesiam, foribus obseratis impeditum cernens introitum, mœrore statim cùm fletu appenso, manibus in Cœlum porrectis: O Sanctissime, inquit, Trudo, quandiù te viuum habere meruimus, fores huius Basilicæ semper apertas habuimus. Inuidit Fortuna commodo, beneficium mors abstulit. Te sublato, frustrà iam venimus, obsequium ferrentes, intrare nequimus. Mira velocitas. Adhùc verba in ore loquentis voluebantur, cùm inclamatus Sanctus Dei, quasi leo apertis obdormiens oculis, supplici suæ mirabiliter se exhibuit. Nam diruptis seris, & repagulo, repente veluti à vehementissimo turbine repercussæ sunt ianuæ, & appulerunt se portæ parietibus impulsæ.

40. *Pet. de Natal. lib. 5. c. 31. de Sancto Desiderio martyre.* Eductus ex vrbe, decollatur. Cùm autem Spiculator Episcopi, portam vrbis intrare vellet, capite illiso mox expirauit; statimque saxis irruentibus ianua adeò obstruitur, vt nulli deinceps per ipsam aditus patere posset, in testimonium Martyrum Christi nulli licere ostendens, vt per ianuam intraret paganus, vnde Sanctus Episcopus exiuerat decollandus.

41. *In vita S. Guilielmi Firmati.* Mulier quædam ad visitandum S. Firmati sepulchrum progressa; cùm ianuæ Ecclesiæ essent clausæ, clauiger autem quæsitus, nequaquam esset inuentus; multis astantibus, sera cùm clauiculis, & pessulo dissoluitur, aperitur ianua, & mulier est ingressa.

42. *Sigonius lib. 2. de Regno Italiæ.* Cùm Eraclius Imperator, recuperata Cruce Dominica, eam in Caluariæ locum deportare volens, equo insidens ad vrbem accessisset, porta sua sponte est occlusa. Cuius rei admiratione attonitus, dùm causam quærit, vocem à cœlo audiuit, Regem Regum non ita Hierosolyma esse inuectum, qua audita extemplò se ex equo deiecit, ac nudis pedibus, porta vltrò patente, intrauit.

43. *Pepe in mirabil. Sancti Caietani m. 185.* Ad quandam Ecclesiam Mediolani abominabilis lena, adolescentulam quandam innocentem, Diuiq; C[illegible]tani deuotam, ducebat, vt inhonesto deturpand[illegible] traderet iuueni; cùm ecce fores templi inuisibili manu clausæ sunt, apparensque D. Caietanus, innocenti puellæ discessum imperauit, pessimamq; feminam minabundis aspexit oculis, illicòq; disparuit, & tunc iterùm inuisibiliter Ecclesiæ portæ apertæ fuere.

44. *In vita S. Erminoldi Prufeningensis Abbatis.* Die quadam cùm ante fores Ecclesiæ staret S. Pater, essentque clausæ, nec introire posset; Custos propero cursu circumiens, aperire Ecclesiam Abbati properauit, at eum ianuis clausis in Ecclesiam ingressum, orantemque inuenit.

45. *In vitis P. P. libr. 2. capit. 9. de Patermutio.* Quodam tempore clausis ostijs, fratribusq; in superioribus solarijs sedétibus, ipse ingressus est ad eos.

46. *Stephanus Pepe in vita B. Claræ de Agolantibus lib. 3. cap. 1.* Solebat B. Clara de Agolantibus, fundatrix monialium Angelorum Arimini; post diurnas solicitudines, nocturnis vigilijs, extra cellam in hortum contiguum descendens, ibidem coram imagine Saluatoris asperrimis flagellis, durisque cruciatibus proprium afficere corpus; quam sanctam carnificinam cùm semel impedire tentassent moniales, ostium viridarij clauibus, feraque obserarunt; sed ecce mirum, portas, murumque penetrando, intactis seris, à spiritu, à quo ducebatur, in hortum mirabiliter fuit deportata, ibique solito vacare cruento sui corporis sacrificio, à monialibus maximo cùm stupore fuit obseruata.

47. *Gumppenberg. de imag. B. Virg. Bikisbemiensi in Germ. Sup.* Regnabat in principatu Badensi (in cuius ditione hæc est Imago) hæreticus Durlacensis Marchio, non legitimus Dominus: is in mercatu consueto vetuit aperiri templum. Contigit vt fœmina hæretica simplex, munus cereum per annos singulos offerre solita, templum accederet, flecteretque genua ante portam, nec non doleret; quòd munus suum altari imponere nequiret. Cùm ecce valuæ templi spontè aperiuntur, & vnà cùm ipsa quotquot aderant Catholici ingrediuntur.

Molendina diuinitùs molentia; aut à motu cessantia. §. 5.

AD admirandum inanimatorum motum spectat, quod de quibusdam Molendinis leguntur, quæ, nulla naturali vi impellente, sola diuina virtute, aut molere, aut à motu cessare mirabiliter visa sunt; De quibus.

1. *Ioannes Colg. de S. Fintano Abbat. 3. Iannuarij.* Quadam die ipse Fintanus dolore capitis ęgrotabat, & veniens ad eum suus dispensator Feradah, ait ei: Apparet mihi hodiè signum sanitatis, & lætitiæ in tuo vultu. Et ipse Fintanus ait; meritò gauisurus sum, in proximo enim amicus noster dilectissimus Columbas ad nos veniet visitandos, & ideò tu frumentum citò emole. Facerem hoc libenter, respondit Feradach, si aquam in molendino haberem: Tunc ipse Fintanus ad molendinum accesit, & molam benedixit, quæ statim se mouere incæpit, & molere in tres dies, & totidem noctes sine vlla cessatione, quod mirum fuit, quia omnibus aquis, & omni humano ingenio carebat.

2. Surius

2. *Surius in vita S. Vuinoci Abbatis 6. Nouembris*. Vltimo senio confectus, ne otio torperetur, & fratribus suis inseruiret, aptauit sibi molam quandam (nimirùm opus, in quo solet iniuriæ locus esse) quam subindè manibus versando, subindè quoque orando, suis, pauperumque vtilitatibus inseruire cœpit: & mirum in modum cùm vicissim operi succederet oratio, orationem diuina secuta est benedictio, quæ illum celebrem reddidit. Deus enim parcere volens labori senis sui, molam, quod dictu quoque mirum est, sua sponte fecit circumagi consulens famuli sui, & defesæ ætati, & necessitati.

3. *Cogitosus in vita S. Brigidæ Kildariensis c.* 13. Quidam Paganus, molendino Sanctæ Brigidæ vicinus suo habitaculo, dolosè per alium simplicem virum, ignorante molendinario, qui opus molituræ exercebat, suum granum ad hoc transmisit molendinum; & cùm inter hos molares transiectum, & fusum fuisset lapides; quem prodigiosè susceperat S. Brigida lapidem molarem, nullus impetus fortis fluminis, & nulla aquarum violentia, nulla artificum conamina mouere potuerunt; Et dùm illi qui hoc viderunt de hac re cogitarent, nimio percussi stupore, granum illud Magi esse cognoscentes, nullo modo dubitabant, quòd ille molaris lapis, in quo S. Brigida virtutem operata est diuinam, granum gentilis hominis in farinam comprimere respuisset, & statim tollentes forâs granum ipsius pagani, & suum granum monasteriale subter molarem illum lapidem ponentes, cursus solitus, & quotidianus sine vllis impedimentis reparatus est molæ.

4. *Pet. de Nat. lib. 9. cap. 9. de Sancto Remigio Episcopo*. Rex Clodoueus Christianus effectus, volens Remensem Ecclesiam dotare, Beato Remigio dixit, vt quantùm circumiret, donec ipse meridiè dormiret, tantùm ei concederet. Quod & factum est. Sed dùm quoddam molendinum haberet intrà fines circuitus, molendinarius ipsum, dùm circumiret, cum indignatione repulit. Cùmque Remigius diceret, quod vnà secùm habere molendinum commune paratus esset, ille iterùm eum reiecit; statimque rota molendini in contrarium verti cæpit; sed cùm molendinarius Sanctum virum reuocaret, vt molendinum communiter secùm haberet, illeque respondisset, quòd neutrius esse oporteret, statim se terra aperuit, & molendinum protinùs deglutiuit.

5. *Eduardus de B. Thomâ Cant. Cistertio adscripto*. Accidit, vt equitans B. Thomas cùm Richerio (id viro nomen Gilberti familiari) videret accipitrem, dùm vult anatem rapere, penè mergi in vndis. Eius misertus, ab equo desiliens, in flumen insilit, auem extracturus, ipse aquarum vi parùm à summo abfuit periculo, tandem appulso illo ad molendinum, rota stetit immobilis, donec extraheretur ex aquis, Domino illum iam desperatum conseruante, nè extingueretur lucerna in Israel.

6. *In vita S. Fechini Abbatis*. Sanctus Fechinus perrexit ad Sanctum Emanum visendum in Monasterio, quod Clauain-deochra appellatur, agentem, vbi erat molendinum domui hospitum vicinum, & continuo strepitu permolestum, sed postquam S. Fechini impressa benedictio accessit, nunquam postea sonitus Molendini in domo hospitum audiebatur. Eamdem etiam domum à pulicibus, ob quos antea erat hominibus permolesta, liberauit.

7. *Arnoldus Rayssius in auctario ad Molanum de Lamberto*. Monachi Vacellensis conuentus, molendinum quoddam construxerant, quo stramina, & paleæ, velut in farinam contritæ, vertebantur, iisque furfuribus admixtis saginabantur sues, & in proxima Cameracensi Ciuitate vendebantur; eorum verò caro cùm spongiosa, & minùs solida deprehensa esset, scandalum in populo exortum est, cuius audita fama, Lambertus oculis in Cœlum sublatis, nunquam, inquit, ampliùs Domine Deus, huius molendini mola vertatur. Quo dicto, corruit illicò tota machina, omnisque scandali materies ablata est.

Sarcophagi defunctorum vltrò se mouentes.
§. 6.

ADmirabiles quandòque apparuere motus in Sarcophagis, quibus defunctorum tegebantur corpora, vt tam prodigioso euentu, eorum, qui in iis condebantur appareret virtus. De his.

1. *Greg. Turonens. de glor. confess. cap.* 27. Sanctus Martialis à Romanis missus Episcopus, in vrbe Lemouicina, prædicare exorsus est. Euersisque simulacrorum ritibus, repleta iam credulitate Dei vrbe, migrauit à sæculo. Erant tunc temporis cùm eo duo presbyteri, quos secùm ab oriente adduxit in Galliam; verùm vbi completi sunt dies eorum, vt & ipsi vocarentur de hoc seculo, coniunctis sarcophagis in eadem crypta, in qua S. Episcopus, sunt sepulti, & vnus quidem parieti proximus, alter verò huic contiguus erat, super terram tamen vtrique stabant: sed non poterat alteri, propter illum qui primus erat, honos impendi, hoc est non nisi palla expandi poterat, non lumen accendi, Quod cùm incolæ loci molestè ferrent, quodam mane accedentes ad cryptam, inuenerunt sepulchra diuersis parietibus esse locata, & sic accessus liber ad vtrumq; sepulchrum patuit, & qualiter Beatus Antistes vt cultor Dei veneraretur, enituit.

2. *Idem lib. de glor. Confess. cap.* 32. Duos fuisse apud Aruernum, virum, scilicet, & puellam, refert antiquitas, qui coniuncti coniugio, non coitu, & in vno strato quiescentes, non sunt ab alterutro polluti in voluptate carnali; post multos verò annos, cùm eis esset latenter vita castissima ex consensu pari, vir tonsuratus ad clericatum, puella verò religiosum induit vestimentum. Factum est autem, vt impletis diebus, puella migraret à sæculo. Denique vir eius præparata sepultura, exhibuit corpusculum ad sepeliendum. Cùmque eam sepulchro reconderet, arcanum, quod inter eos conuenerat, eleuatis manibus ad Cœlum pandit, dicens: gratias tibi rerum omnium artifex ago,

quòd ſicut mihi eam commendare dignatus es, ita tibi reddidi ab omni voluptatis contagio impollutam; At illa ſubridens ait: ſile ſile vir Dei, quia non eſt neceſſe fatearis noſtrum, nemine interrogante, ſecretum. Poſt hæc obtecta opertorio, receſſit. Non poſt multum verò tempus, & ipſe migrauit à ſæculo, ſepultuſque eſt in loco ſuo. Erat autem in vna quadam baſilica, ſed è diuerſis parietibus vtrumque ſepulchrum habebatur; & vnum quidem ad meridem, & alterum ad Aquilonem; mane autem facto, inuenta ſunt pariter eſſe ſepulchra, quæ vſque hodiè ſic perdurant: id circò nunc incolæ duos amantes vocitant, & ſummo venerantur honore.

3. *Idem ibidem cap.* 52. Sub termino vici Iulienſis ſunt tres presbyteri conſepulti, vt fertur per antiquam relationem, nullius conſanguinitatis propinqui vinculo, niſi tantùm in amore Dei ſocij, è Cœlo fratres effecti, qui vnius loci ſpatium, ſepulchris iuxtà poſitis, aſſiduitate miraculorum illuſtrant; qui cùm per multorum annorum curricula, in his vbi ſepulti ſunt loculis, quieſcerent, ſciſſum nuper pauimentum, quod calce, atque comminuta teſta, quaſi ſilex duriſſima fuſum erat, vnius ſepulchri cacumen adaparuit, quo paululùm eleuato, tellus ſciſſa, apicem alterius patefecit, illoque emicante, ſecutus eſt tertius tumulus, qui nunc iuxta initium oſtenſionis ſuæ gradatim eleuantur ſuper terram. Sed nunc iam primus liber à mole terrena, liberum ſe viſibus præſtat humanis, duo adhùc ſequuntur, ſed annis ſingulis proficiunt ad egreſſum.

4. *Idem ibidem cap.* 60. Haùd procùl ab Æde Troiani, Santonicæ Ciuitatis Epiſcopi, erat oratorium paruulum, & in angulo, vndè arcus oriebatur, erat magnus ſarcophagus, in quo ferebatur ſepultos fuiſſe duos, ſponſum ſcilicet, & ſponſam, qui poſt baptiſmum in albis poſiti, à ſæculo diſceſſerant: hos etiam adfirmabat antiquitas, fuiſſe ex genere Sancti Pictauenſis Hilarij. Hoc ergo ſepulchrum tali in loco ſitum, non modò peruium arcebat ingredientium, verùm etiam qualiter paries, qui ab ſtillicidio infuſus fuerat, emendaretur, quia eſſet contiguus, inhibebat. Qua de cauſa Palladius Pontifex ciuitatis, qui ex genere quondam diuitis Palladis deſcenderat, remouere ipſum ſummo à loco nitebatur ſtudio, ita vt coniunctis ampliùs trecentis viris cùm funibus trahere, & vectibus impellere conaretur. Poſitis iam lapidibus, ſuper quos hic ſarcophagus locaretur, denique impenduntur totæ vires trahentium, ſed non valent mutilare ſepulchrum. Frons cuncta ſudore perfunditur, ſed opus validum non impletur. Voces dantur hortantium, atque dicentium, Eia, age, trahe funem, ſed non mouetur omninò ſepulchrum. Quid plura? laſſantur omnes in opere, & intercedente nocte, petunt cuncti dari queti; ilicet vbi tranſactis nocturnis tenebris nouum inluſit mane, anxius cogitatione ſacerdos, rogat iterùm procedere ſuos ad oratorium: ipſe anticipans cunctos, ingredienſq; inuenit ipſum ſuper ipſos, quos compoſuerat lapides, omni firmitate ſubſiſtere. Admiranſque, Dominum glorificat, qui potenti virtute perfecit, quod manus humana nequiuerat: horum tamen nomina nulli ſunt reuelata.

5. *Surius in vita S. Idæ 4. Septemb. lib. 2. cap. 5.* Vernulam ſuam B. Idam Dominus ſub telluris aggere non paſſus eſt occultari, ſed latitantem ſub modio lucernam, gratiſſimum multis ſpeculum facere decreuit, vt eminentiori loco poſita, vaſtiores etiam ſanctitatis radios eminùs dilataret: ſaxea ſcilicet arca, in qua veneranda eximiæ mulieris oſſa, recondita, terræque fuerunt commendata, inuiſibili quadam mobilitate ſurſùm, cœpit emergere, & quaſi violentiam terrenæ molis dedignata, contra prementem ſe, intrinſecùs luctabatur, ſicq; per nonnullos annos ſenſim erumpendo, ſe ſe liquidò intuentibus oſtendit, donec funditùs ab humo ſequeſtrata, in ſuperficie pauimenti integra reſedit.

6. *Idem 23. Ianuarÿ.* Cùm S. Hidelfonſus Epiſcopus Toletanus oraret ante ſepulchrum S. Leocadiæ, tumulus, in quo Sanctum corpus eius humatum eſt, exiliuit, & operculo, quod vix triginta iuuenes remouere poſſent, Angelicis manibus eleuato, velum, quod Sanctæ Virginis membra tegebat, conſurrexit, tanquam illud ipſa viuens foràs ſubmitteret, & veluti manibus hominum extenſum eleuaret, atque conſpectui eius virgo pulcherrima procederet, clamantibus principibus, Epiſcopis, Diaconibus, Clero, ac populo: Deo gratias in Celo, deo gratias in terris.

7. *In actis translationis S. Germani Epiſcopi.* Poſtquam ventum eſt ad foſſam præparatam, ſarcophagus eidem aptari nullatenùs potuit ob vectes eiuſdem. Dùm igitur conſilium inirent de reſcindendis vectibus, & de modo inducendi corpus ſine diſruptione ſarcophagi: ecce ipſe met ſarcophagus, nemine tangente, motus eſt de vectibus, cunctis ſtupentibus, & in locum paratum, depoſitus eſt.

8. *Surius* 28. *Septembris in vita S. Lioba Virginis.* Erat Vuimbrunni in Britannia, in Virginum Monaſterio Sanctimonialis quædam, propter diſciplinæ ſtudium, & arctioris vitæ obſeruantiam, qua cæteris præire videbatur, ſæpè Præpoſita ordinata, frequenter autem decana ex more conſtituta. Hæc dùm nimis incautè, atque indiſcretè diſciplinam exerceret in ſubditis, omnium ferè, & maximè iuuenum in ſe odia concitauit. Quarum illa triſtitiam, & concinnata aduersùm ſe maledicta, quæ ſua manſuetudine interdùm lenire potuit, contumaci corde deſpexit, & vſque adeò contra eas rigidè perſeuerauit, vt nec in vltimo vitæ ſuæ tempore cõmotionem cordis earum vlla ſatisfactione amouere curaret: defuncta eſt ergo in hac pertinacia, & ſepulturæ tradita, tumuluſque ſuper ſepulchrum eius, congeſto terræ aggere, compoſitus eſt. Nec tamen conquieuit animus iuuenum, odientium eam, quin ſtatim vt adſpicerent locum, in quo ſepulta eſt, maledicerẽt crudelitati eius, immò aſcendentes tumulum, & quaſi funeſtum cadauer conculcantes, in ſolatium doloris ſui amariſſimis inſultationibus mortuæ exprobarent. Quod cùm mater congregationis venerabilis Tetta comperijſſet, temerariam iuuencularum præſumptionem correptio-

ptionis vigore compescens, perrexit ad tumulum, & mirum in modum conspexit terram, quæ desuper congesta erat, subsedisse, & vsque ad semipedis spatium infra summitatem sepulchri descendisse, quo viso vehementer expauit. Intellexit enim ex defectu terræ, pœnam sepultæ, & seueritatem iusti iudicij Dei perpendit ex detrimento sepulchri; conuocatis ergo in vnum sororibus, cæpit eas increpare propter crudelitatem illarum, & duritiem cordis, quòd ob factam sibi iniuriam, essent implacabiles, & propter momentaneam disciplinæ amaritudinem perpetes haberent discordias, & cùm sit Christianæ perfectionis, pacificum esse, etiam cùm pacis inimicis; illæ è contrario non solùm inimicos non diligerent, sed etiam sororem, quam viuentem contra præceptum Domini odissent, studio impietatis mortuam execrarentur. Admonuit autem eas de cætero ab inimicitijs abstinere, iniurias amplecti, faciles esse ad indulgentiam, & sicut sibi vellent debita à Domino dimitti, ita inuicem offensiones ex corde relaxarent. Post hæc verba pro defuncta sorore eas obsecrauit, vt quidquid ante mortem in qualibet earum peccasse videbatur, ex animo remittentes, secùm pariter orationi incumberent, & pro absolutione illius, diuinam clementiam inuocarent. Cùmque omnes vnanimiter exhortationibus eius annuissent, indixit eis triduanum ieiunium, monens vnamquanque, psalmodijs, & vigilijs, ac precibus sanctis pro ea studiosiùs insistere. Die autem tertia expleto ieiunio cùm omni congregatione virginum basilicam intrauit, & illis litanias facientibus, & nomen Saluatoris inuocantibus, ipsa cùm lachrymis ante Altare pro anima defunctæ sororis rogatura prosternitur. Cùmque in oratione persisteret, fossa sepulchri, quæ priùs penè vacua videbatur, humo excrescente, paulatim cæpit repleri, ita vt vno eodemque momento, & ipsa ab oratione resurgeret, & terra sepulchrum complanaret. Qua de re manifestè ostenditur, quòd cùm monumentum visibiliter ad priorem statum redijt per orationes Sanctæ Virginis, defunctæ animam Virtus diuina inuisibiliter absoluit.

9. *Bzou. tom.13. an.1246. de B. Petro Consaluo ordinis Prædic.* Aliquis Episcoporum Tudensium propè sepulchrum Consalui sepulturam sibi elegerat, & ibidem in reconditorio se se poni curauerat. Mirum dictu! statim atque mortuus ille in sepulturam illatus est, statim retrò vnà cùm tumba recessit, & à mausoleo B. Consalui se se subduxit, siue vt honorem Beato daret, siue vt non dignum Episcopum, qui propiùs recumberet, arbitrio priuato iudicaret.

10. *In actis S.S. 30. Iann. apud Boll. in vita S. Thiadildis virginis in VVestphalia c.4.* Euidens argumentum, quòd æterna Beatitudine perfruatur, id est, quòd eius sepulchrum continuò de loco recedat. Sic S. Modesti sepulchrū in Carinthia vico Saal propè Clagenfurtum oppidum pari modo sensim tantùm à priore loco recessit, vt cùm olim columnam contingeret, hodiè haud exiguo ab ea interuallo distet, transitumque peregrinis pandat. At Vualcandi Episcopi Leodiensis, viri laudatissimi sepulchrum similiter commouetur, in pago, qui Serenus campus vocatur, plebi imperitæ Streinchamp, quasi stramineum campum dicant, qui pagus propè Marchiam Oppidum in Famenna, ditionis Luxemburgensis iacet. Ioannis Lamspergij quoque piissimi viri tumulus in Carthusia Coloniensi, cuius fuit alumnus, traditur die anniuersario mortis eius tertiùm aliquandò in altum succuti solitus.

11. *In actis S. S. Feb. tom.1. in continuatione Bollandi.* Reuelauerat S. Cornelius Centurio, Siluano Episcopo Troadis, quonam in loco reperiretur eius sacrum corpus, iusseratque, vt Ecclesia ædificata, in illam decenter illud transferret, & collocaret. Postquam autem templum fuit perfectum in locum, qui dicitur Trigoni, venientes ædificatores significant perfectum esse ædificium, & iam tempus transferrendi capsam: Continuò ergo Episcopus conuocato clero, supplicationeque cæpta, sacras reliquias transferre volebant: & ecce capsa secuta est tanquam animata, nemine omnino eam mouente, aut tangente; Cùmque in templum processisset supplicatio, & capsa secuta est. Postquam autem venerunt in templum, illi quidem hinc, & indè constiterunt, videntes quònam esset capsa processura, & vbi nam statura; illa autem per ipsos medios, & lateralem portam veniens, quæ erat à dextera, stetit propè aram: cui omnibus adhibitis machinis, vt eam transferent ad aram, illa manet immobilis vsq; in hodiernam diem, miraculorum thesaurus non deficiens.

12. *Crantzius lib.11. Sax. cap.22.* Cecidit lapis in Ecclesia Coloniensi insignis magnitudinis vento deiectus, per duplicem actus testudinem, locoque Sanctarum ex tribus Magis reliquiarum incubuit. Sed tùm diuino, vt ferunt, miraculo, cessit theca ad parietem, deditque cadenti saxo locum; hodiè monstrant in Ecclesia saxum non longè à reliquijs Regum.

13. *In actis S. Meinulphi Diaconi.* Quinquagesimo anno à B. Meinulphi decessu, Arnulpho Imperatore, & Bisone 4. Episcopo Paderbornensi 15. Kal. Feb. Diacono in Ecclesia Budicense Euangelium recitante, lapis viri Dei sepulchro impositus, instar Crucis diuisus insonuit, multis stuporem injiciens; cùmque accurrerent omnes id exploraturi, nihil, nisi lapidem fractum inuenerunt; at verò presbytero missam prosequente, & in Sancti Canonis mysterijs immorante, idem lapis in partes innumerabiles dissipatus est, & terra in sepulchri superficie resoluta subsedit, loculum B. Viri liberè spectandum offerens, simulq; tantus odor extitit, vt non vana fides sit totius suauitatis, illic auctorem fuisse. Hæc res ad Episcopum perlata est, qui omnia diligenter examinans, sepulchrum instaurari iussit, sed paulò post iterùm dissipatur, rursùs instauratur, & populo obtemperante reparatur.

14. *Mombritius in actis Sanctorum Amelij, & Amyci M.M.* Fabricatæ ibi sunt Ecclesiæ duæ Caroli iussu, altera à B. Albino in honorem Diui Eusebij Vercellensis, altera diui Petri consecrata. Rex verò cùm Amelium generum, & Amycum eius socium longè diligeret, ex vrbe Mediolano

geminas

geminas arcas lapideas offerri iussit, quarum in altera Amelius apud B.Petri Ecclesiam, in altera Amycus, diui Eusebij conditi sunt. Manè verò, diuina gratia ita disponente, inuentus est sarcophagus Amelij iuxta sarcophagum Amyci in regali Ecclesia: Amore quorum, Deus omnipotens miraculum hoc voluit ostendere, quo quidem viso miraculo, Rex cùm Ildegarba vxore admodùm lætatus est, quo in loco triginta dies manserunt, maximas dotes Basilicæ Beati Eusebij concedentes.

15. *Stephanus Mantegazza in itineribus Terræ Sanctæ lib.1.cap.12.* An. 1094. die 29. Iunij Venetijs in Ecclesia S.Marci, cùm à populo Veneto Deo preces funderentur, vt corpus S.Euangelistæ Marci ei manifestaret; duo lapides pretiosam arculam claudentes, vltrò scissi sunt in duas partes, arculaque nullo impellente prosilijt, quæ & ipsa vltrò aperta, sanctas reliquias manifestauit.

16. *In Chro. Ordinis B.Mariæ de Mercede, anno 1280. de Beata Maria de Subsidio, Virgine huius ordinis.* Aliquibus post eius mortem annis, cùm venerandum corpus huius virginis à sacristia Fratres nostri ordinis magna solemnitate transtulissent in sua propria arca inclusum super duos leones, qui sunt in sacello S.Catharinæ Virginis & Martyris; Die sequenti in primo sacristiæ loco arca reperta est. Et ibi remansit vsque quò repertum est corpus Sancti Bernardi de Corbaria, qui hanc Virginem ad ordinem traxit. Tunc hæc duo corpora fuerunt honorificè collocata in capella, quæ dicitur de Doloribus, corpus Patris, & Magistri in parte dextera, filiæ verò, & discipulæ, in parte sinistra.

17. *In vita S. Suuiberti Episcopi VVerdensis.* Anno Domini 777. tres petulantes adolescentes ingressi Ecclesiam S.Suuiberti, in qua asseruabantur ossa ipsius in capsula, splendore gemmarum, auriq; fulgore decorata, quæ quatuor pedes ex ære fusiles habebat, similes pedibus leonis, metallum de illa tollere tentarunt; at mirum dictu; arca tota super duos pedes in sublime se extollens erexit, & quasi vita in illa esset, duobus pedibus vngulis contra fures se defendit.

18. *In actis S. S. Aprilis tom.2. in Cont. Bollandi, in vita S.Vuernheri pueri occisi à Iudæis, & Bacharaci sepulti.* Quodam tempore in die Circuncisionis Domini, ipse Sanctus cùm toto sepulchro super terram patenter & eleuanter posito, se mouit, & ibi suauissimus odor emanauit. Alia vice circa idem festum maxima motio fuit circa sepulchum huius Sancti, sic quòd quadrati lapides capellæ valdè se erexerint. Et hoc aliis vicibus mirabiliter euenit.

19. *In vita S. Hugonis Monachi Aeduensis.* Dùm aliquo transacto tempore ab illius morte; corpus venerandum aliò transferrendum esset, accedentes ad sepulchrum, inuenerunt lapidem superpositum ex omni parte remotum, ac sesqui pede in altum exilientem; quo prodigio omnes admirati sunt.

20. *S.Odo in actis S. Geraldi Comitis.* Septimo postquam migrauerat anno, sarcophagus eius corporis, qui vsque ad medium cooperculi terra contusa, calcibus fuerat contectus, sensim eminere cæpit, nec tamen terra in gyro deprimi visa est. Cùm interea quidam clericus Lemouicensi pago veniens, interrogabat monachos, vtrùm sarcophagus S. Geraldi sursùm emersisset, & dixit quòd per somnium admonitus fuerit, vt ad eius tumulum veniret, quia sarcophagus appareret. Tùm monachi cùm ipso pergentes ad tumulum, & linteum euellentes, ita repererunt, sicut clericus dormiens viderat, & tunc aliquantulùm eminebat: iam verò non parùm altior videtur, quisquis autem hoc dignoscit, virtutem aliquam esse diuinam ignorare nequit: ex hoc miracula fieri cæperunt.

21. *Arnoldus Raysius in Hierogazoph. Belgico.* Mosæ Traiecti sepulturæ locum tenet Ven. & æternæ memoriæ dignissimus Henricus Dionysij de Societate Iesu. Is cùm ad meliorem frugem sua pijssima conuersatione, Decanum quendam, vitæ, & moribus dissolutum conuertisset: tanta postmodùm Decanus, Henricum hunc animi propensione, & beneuolentia prosecutus est, vt eodem quo ipse tumulo post mortem condi voluerit. Itaque diù ante mortem super hoc pactum inierunt. Primus moritur Henricus, hunc post modùm, duobus post annis subsecutus est decanus. Ea verò nocte, qua decessit, humo, pauimentoque profundè detecto (mirum dictu) tumulus Henrici ad loculum vsque patuit, locumque recipiendo corpori decani præbuit.

22. *Auctor annonymus in lib. 4. de translat. S. Ioannis Ab.1. Rheomensis, cap.2.* Post annos aliquot ab Episcopo vrbis Lingonicæ, cui Becco nomen erat, venerandi Ioannis sepulchrum ab vno loco in alium cognoscitur esse translatum, non absque diuinitatis in loco manifestata præsentia. Nam quidam Archidiaconus, nomine Gerardus, cùm iuxtà illud sepulchrum incautiùs fortè accederet, genuque flexo manum super ora sacrophagi irreuerenter teneret, cooperculum sarcophagi se paululùm erigens, quia pronum in terra iacebat, validissimè corruit, digitosque ipsius maxima confractione contriuit, ita vt omnia ossa digitorum eius, minutatim confringeret. Qui postea intercessione eiusdem Sancti mirabiliter sanatus est.

Liquores diuinitùs non effluentes.

§. 7.

AD motum mirandum inanimatorum, non incongruè reduci possunt liquores, quandòque diuinitùs consistentes, ex apertoque vase minimè deffluentes; cùm in illis motus ob grauitatem, fluidamque naturam insitus, virtute diuina compescatur, & qui naturaliter ad centrum mouentur, motum, Deo iubente, sistunt. De his.

1. *S.Pet.Dam.serm.38.de Sancto Donato.* Calicis, de S.Donati manibus lapsi, particulam clandestinus hostis callida machinatione surripuit, & vsque hodiè in thesauris suæ malitiæ clariorem Domini gloriam subdolus occultauit. Porrò cùm videa-

videatur fundo calicis atomus ille deesse, diuina semper obsistente virtute, nullius indè liquoris, vel tenuis quidem valet stilla persluere. Mox enim vt in sanctum vas quælibet vnda dilabitur, & vnda est, vt se potantibus hausibilem præbeat, & quodammodo vnda non est, vt nequaquam hiatu vacante prorumpat; Quod profectò, quia tunc factum est, miraculum est: quia verò per tam diuturna tempora perseuerat, vt ita loquar, miraculum miraculorum dici potest.

2. *In Hist. Camald. de S. Petro Damiano.* Quodam tempore habebat vir sanctus dolium vino plenum apud quandam suam Capellam. Accidit autem militum turba illinc transitum faciente, vt quidam sacerdoti vim intulerint, vt ex ipso dolio potum illis properaret; qui cùm astrueret se nolle vinum viri Beati contingere, illi dolium inuadentes, omnia eius foramina aperuere, virgasque intromittentes, vinum nunquam haurire potuerunt. Quamobrem quodam interiori tremore perculsi, illicò de loco cessere. Paulò post verò transeunte exindè peregrino, qui instanter bibere postulabat propter amorem Dei, Sacerdos, dolium reuisens, clausa foramina videt, & vinum hausit, miraculumque notans peregrinum esurientem Deo gratias agens refecit.

3. *Vinc. Belu. l. 9. Spec. Hist. c. 86. de S. Bartholomæo Apost.* Quodam die dùm quædam mulier attulisset vas fictile plenum oleo, petens, vt ex eo mitteretur in lampadem, quæ ardebat iuxta corpus Apostoli. Sumentes ministri vas, inclinabant illud, vt ex eo in lampadem mitterent, & penitùs nil exibat de vase, aspicientes autem, & digitos suos mittentes in vas, videbant, & palpabant illud plenum esse liquato oleo, & tamen cùm inclinarent illud super lampadem, nil decurrebat ex eo. Quidam vero ex eis ait. Puto non esse acceptum B. Bartholomæo de hoc oleo in suam lampadem fundi. Euacuetur in aliud vas, inclinatum autem in aliud vas, sub omni celeritate (vt olei liquati mos est) euacuatum est vas, de quo super lampadem exire nil valebat.

4. *Idem lib. 23. Spec. Hist. cap. 114. de S. Berchario.* Sanctus Bercharius sub Abbate S. Eustasio monasticam vitam duxit. Cùm autem in cura promptuarij Rectoris nutu aliquandò esset implicitus, quadam die subito iussu eius est vocatus; fortè ille tunc promptuarium ingressus, ante vas steterat, & sudem, quæ vulgo duciculum, à potu scilicet educendo dicitur, in manu tenens, cerealem amphora potum infundebat. Mirum dictu! ad vnius iussionis nutum, relictis quæ habebat in manibus, cucurrit concitus ardore obedientiæ, amphoræ obseruantiam oblitus. Illoque ante Abbatem stante, interim potus in vasculum suppositum defluere non cessans, postquam ad superficiem vasis peruenit, in modum columnæ supernè constipatum in gyrum coronari cæpit, vltrò cernens illud liquamen, quod vix clausum valet contineri, vt quondam Dei populo transeunte absque littoribus Iordanis fluenta, in sublimè tolli, vt liquidò patesceret, quanta esset virtus obedientiæ cuius fructus nullo modo possit in terra deperire. At ille, quod acciderat non suo, sed Abbatis merito deputauit.

5. *Surius in vita S. Cæsarij Episcopi Arelatensis. 27. Augusti.* Quidam vir semel benedictum ab eo oleum petijt, ampullulam plenam accepit, diligenter secùm absportauit domum, & haùd secùs atque præclaras reliquias asseruauit. Non diù post tertianæ febris ardoribus afflictus, ampullulam illam cùm multa veneratione, magni præsidij loco, ad caput suum iussit suspendi; erat autem mundissimo inuoluta linteo, sed famulorum negligentia fracta fuit interim nihilominùs oleo adeò intra illam se se continente, vt ne in ipsum quidem linteum quidquam indè distillauerit.

6. *In actis B. Oringæ 10. Iannuarij apud Bollandum.* Post eius mortem, puellus quidam, seù innocenter, seu petulanter, ex oblatis cereis, vnum secùm asportauerat; domi iussus patri eadem vespera ad promendum vinum in cellam descendenti prælucere, non veretur sacrum hoc cereum accendere. Sed accedere ad dolium ipsum non potuit, dissiliebant enim fragore magno rupti circuli, & soluta tabulatum compage, vndique vinum fluebat. Pater, qui ponè puerum sequebatur, quo nescio religionis scrupulo anxius, rogat voce aspera, quid culpæ isto die admiserit. Ille, nihil circumlocutus, planis verbis fatetur, se candelam illam, ex ara monasterij hodiè subduxisse. Illicò pater in genua prouoluitur, & à cælo filij delictum deprecatur, restituendi cerei, voto concepto; & ecce nouum prodigium, subitò quasi conglaciatum stetit vinum, non potens vltrà fluere, dolio quantùm vis soluto.

7. *Ibidem in actis S. Vrbani Episcopi Lingon. 23. Iannuarij.* Accidit quodam vindemiæ tempore; vt milites quidam in vicinia Diuionensis pagi manentes, Richardus scilicet Vesolensis, & VVinlencus Salitiensis pertinaciter auferrent ea, quæ in Marcenniaco, & in Canabis præfati erant Monasterij, sibique seruire mansores eorum cogerent. Qua de re permoti fratres iam dicti loci, Sacra B. Vrbani ossa cùm fide eò deportarunt. Cùm ergo censale vinum ijdem nequam prædones monachis abstulissent, & plaustro impositum abducere vellent, Marcenniacensis vici indigenæ sacras reliquias deportantes vnà cùm Præposito abstulerunt eis vinum Dei confortati auxilio; Quod indignè ferentes aduersarij, illicò boues disiunxerunt, ligamina vasorum gladiis præsciderunt, duciculosque abstraxerunt. Verùm ad ostendenda S. Vrbani merita, vinum eiusdem, vt fuerat quantitatis, quasi solida substantia, dissolutis remansit in vasis, & sine vi vlla trahentium iuuencorum, Marceniacum deductum est.

8. *In actis S.S. Martij tom. 1. in Cont. Bollandi.* Proficiscebatur Romam S. Ansouinus Episcopus Camerini, cùmque per Narniensem Ciuitatem transiret, necessitas illi fuit emendi vinum, illicò ergo caupo ei taxato certo pretiò vinum obtulit. Cui Sanctus ait. Vide frater ne fortassis aquam vino miscueris, quod negare visus est caupo. Cùm autem viro Dei vasculi deesset copia, vt sibi commodaret petiit à caupone, quod cùm negaret ille, iussit

Iussit vt vinum funderet in finuamen propriæ cappæ, quod, virum sanctum irridens, & certus effusionis vini, cuius tamen pretium iam obtinuerat, fecit: & ecce duo mira: nam tanta tenacitate retentus est fusus liquor in panno, vt putaretur alterius naturæ fore, non suæ; fraus etiam venditoris cunctis mirantibus claruit manifestè, ita namque discretum est vinum ab aqua, vt ipse iam, qui miscerat, licet confusus, confiteretur non aliter esse præterquàm Ansouinus, antequam reciperet, dixerat.

9. *Ioan. Molan. in Natal. S. S. Belgij de S. Aleide Abbatissa 5. Febr.* Cùm cellerariam vinum promentem euocari curasset Aleides, & illa in obedientia moram nesciens, os cuppæ obfirmare negligeret, meritis B. Matris, nec guttæ vnius damnum inuentum est, ex quo facilè intelligitur, cur cùm vasculo vini pingatur.

10 *In vita B. Margaritæ Abbatissæ ap. Hugonem Menard, in auctar.* Quædam Sanctimonialis vinum ex dolio hauriebat, & statim à B. Matre appellata, velociter accurrit, relinquens dolii epistomium apertum, & hora præstituta in lectum se recepit, lagenæ, & vini immemor. Circa mediam noctem expergefacta, epistomij aperti est recordata: sed in memoriam reuocans illud piæ matris, omnia Dei Prouidentiæ esse permittenda, sine vlla animi perturbatione quocumque in casu, secura se rursùs sopori dedit. Manè in cellam vinariam descendit, viditque nihil vini fuisse effusum.

11. *Pet. de Nat. lib. 8. Cap. 54. de S. Corbiniano Episcopo.* Die quodam, dùm apud Ecclesiam S. Germani oraret, & propter musti fortitudinem, spinam à vase reiectam sensisset, nè silentium frangeret, conticuit, totaque nocte in oratione perseuerans, vinum adeò compescuit, vt nec de ipso vel vnica gutta manaret.

12. *Surius in vita S. Goaris Presbyt. 6. Iulij.* Quodam tempore, cùm cellerarius loci, nomine Horduuinus, imminente iam noctis quiete, vinum de cupa quadam hausisset, casu contigit, vt cupæ cuniculum aliud forte meditans infirmè clauderet, & abiret. Cùmque sequenti die regressus ad eadem cupam venisset, Cuniculum quidem apertum inuenit, & ante illum ductam aranei telam: sed ita vinum in cupa steterat, vt nè vnius quidem guttæ de ea lapsæ indicium in pauimento reperiri valeret.

13. *Eckerhardus in vita B. Notkeri cap. 20.* Quadam die, quod erat refectorarij, Hotkero, & Raperto coquinæ ordinariis, mensuram potus, vt officii sui erat, cum in vase suo, non dico, poneret B. Viro, sed maledicta mussitans, absente adhùc quasi proiiceret; vas illud, casu accidente, de mensa lapsum in terram cecidit, operculoque procul rotante, vas in latus iacuit, vinumque velut si subrectum esset; solidè continuit. Quod ille videns hùc, atque illùc circumiens; tandem morosè reuersus cùm leuasset, accurrentibus qui astantes viderant, & si quicquam de vino effusum sit, terram contuentibus, neque vsque ad vnam guttam compererunt exisse.

14. *In annal. Seruorum Cent. 1. lib. 6. cap. 12.* Illud de B. Vbaldo Florentino ex ordine Seruorum B. Mariæ admirabile, & supra captum naturæ memorandum fertur; quòd cùm sæpe pro fratrum refectione ad hauriendam aquam per illos anfractus, ad fontem B. Philippi descenderet, casu accidit aliquandò, vt hydria frangeretur, urgeretque illum necessitas hauriendi aquam pro fratribus iam ad mensam expectantibus, quare uir Dei eo in discrimine positus, se totum Beatissimæ Virgini commendans, extenso ad fontem habitu, quem gestabat, aquam in eo ex tempore, seù solidam collegit, & fratribus, ac si in hydria contineretur, incunctanter admirantibus detulit.

15. *Surius in vita S. Columbani Abbat. cap. 16. 21. Nouembris.* Cùm refectionis appropinquaret hora, & minister refectorii uellet promere ceruisiam, uas in cellariam deportauit, & ante vas, in quo erat ciruisia deponit, extractoque epistomii uertibulo, in illud ceruisiam excepit. At subitò quidam è fratribus, S. Columbani Abbatis iussu, eum euocauit. Tùm ille obedientiæ flamma feruens, oblitus epistomium obstruere, pernici cursu ad B. Virum properauit, uertibulum manu tenens. Postquam autem uir Dei sua ei mandata deprompsit, ille recordatus negligentiæ, ocyùs rediit in cellarium, suspicans nihil in uase ceruisiæ remansisse, cernit autem ultra typrum usque adeò excessisse ceruisiam, ut duplo altior typrus uideretur, nec minimam tamen guttam decidisse in terram, ita ut tanta emineret supra typrum ceruisia, quanta erat intra illius coronam siue ambitum.

16. *Raderus in Bauaria S. de B. Friderico Ratisponensi.* In cella uinaria dùm extracto epistomio, intraque cingulum condito, in subiectam obbam uinum duceret, quod accubituris in mensam propinaret, subitò Cenobriarchæ uoce citatus, nec occluso siphunculo ad uocantem aduolat. Quæritque quid se uelit. Territus prior animaduerso intra zonam epistomio, cùm illo recurrit ad cellam, canalem uidet apertum, nec quicquam tamen liquoris indè profluere; sensit illicò prompto Friderici obsequio prodigium illud à Deo editum.

17. *In annal. Minorum an. 1287. num. 8. de Fr. Aegydio laico.* Dùm summo mane uinum uellet haurire, apposito fistulæ cænophoro, seù cantharo, epistomium manu tenens, abiit in extasim, in qua hæsit usque ad horam sexam, neque uinum euersum est, dùm pleno cantharo, cadus liquorem ultrà non reddidit.

18. *In actis S. Romarici Abbatis.* Facto Crucis signo, vas vacuum subitò adimpleuit perfectissima sicera, vt cuiusdam sui hospitis necessitati succurreret; & quod mirum fuit, licet seraculum, ab educendo duciculum dictum, procùl iaceret, & patentem meatum haberet vas, nulla tamen gutta cælestis dati liquoris exteriùs effluxit.

19. *Pepe in mirabilis S. Caietani m. 198.* Quidam D. Caietani deuotus adimpleuerat oleo magnum dolium, illud ex inferiori parte foraminibus apertum non animaduertens. At mirabiliter stetit oleum; illiusque gutta nec minima exiuit de vase.

20. *Idem.* In monasterio S. Angeli Spoleti; cùm

cùm ex improuiso casu dolium vino plenum, fractum fuisset, inuocato B.Caietano, vinum haud, effluit, sed mirabiliter in vnum consistens permansit.

21. *Bouerius in annal. Capuccinorum an.* 1574. *de Fr.Geruasio*. Fuit Geruasius horti culturæ addictus, quo in munere dùm semel hortum irrigat, aquamque per sulcos, ac semina ducere parat, à Guardiano vocatus, statim ad vocem accurrit, ligoneque quo aquam ducebat in aquæductu dimisso, imperfectum opus deserit. Porrò aqua, quæ impetu fluebat, cùm nullum moderatorem haberet, qui vias, ac diuerticula labentibus riuulis pararet, facilè plantas, ac semina deuastasset: at prompta viri obedientia id apud Deum assecuta est, vt fluens aqua, Deo imperante, steterit, redeuntemque post aliquod temporis spatium Geruasium expectans, vltrà præscriptum à ligone terminum minimè exundauerit, donec is rediens, viam aquę ad irrigationem aperiret.

22. *Idem anno* 1575. Cataci in prouincia Rhegiensi, dùm fratres consuetæ vini mendicationi in vrbe incumbunt, lagenam à nobili quadam, & pia matrona vino implendam relinquunt, quam, peracta mendicatione, sibi repetendam proponunt; lagenam Matrona ancillæ tradit, quæ cùm in cellam vinariam profecta, lagenam sub dolio defluente collocasset, aliud negotium peractura discedit. Interea illi lagena è memoria excidit, nec nisi post duarum horarum spatia illi in mentem redit. Propè exanimatur ancilla, quæ dolium vino effluxo, totum exinanitum arbitrabatur: quare volucre citiùs ad cellam vinariam euolat: vbi impleta lagena, vinum diuina uirtute stetisse conspicit. Mox ad Heram festinans, miraculum narrat: quæ facto admirabunda, cùm debitas diuinæ benignitati grates rependisset, eo ad pietatem pronior, ac in pauperes liberalior deinceps euasit.

23. *Thomas de Kempis* 3. *part. serm. ad nouit. serm.*1. Fuit quædam soror conuersa, Margarita nomine, quæ Deo deputata tanquam fidelis Martha, Christo, & sororibus humiliter seruire studuit quandiù potuit. Quadam igitur vice posita erat patella olei super ignem, qui ardebat. ipsa verò operi intenta, non longè distabat. Cùmque cerneret, oleum nimis ebullire, & in altum spumas eius ascendere, timens illud effundi, & igne consumi, citiùs ad focum cucurrit. Et facto desuper Sanctæ Crucis signo, mox tumor spumæ ad ima cecidit, ac si aquam frigidam iniecisset. Quod socia eius videns mirata est, & alijs postea hoc factum reuelauit.

Variorum inanimatorum admirandi motus. §. 8.

ADmirandos motus eorum inanimatorum, qui sub vnico titulo haùd comprehendi possunt, hùc in vnum colligam. Sintque.

1. *Ioannes Villanus in sua Hist. lib.* 7. *de translatione S. Domus Lauretanæ*. Anno 1291. 7. idus maias, Nicolao 4. Pontifice Max: Deiparæ Domus è Galilæa asportata fuit in Dalmatiam, indè verò anno 1294. in Picenum aduecta, Recinetensem insedit syluam; in Collem deindè propè Recinetum mille ferè passus, octauo circiter mense quàm lucum insederat, iterùm translata est, & in collis vertice collocata, à quo loco ad iactum fermè sagittæ in proximum collem versùs mare, iterùm deportata fuit, vbi, & modò permanet, sicque breui tempore quatuor loca suis vestigiis nobilitauit.

2. *In Chronico Montis S.Sauini lib.*1. In Territorio Asciani (qui est comitatus in Tuscia propè Senam) in loco vulgò il *Caggio* quoddam paruum sacellum iuxta viam reperiebatur, circa annum Domini 1100. in quo Ven. Imago B. Virginis depicta erat. Huius sacelli vnà cùm anexo prædio moriens Dominus, duos filios instituit hæredes, qui hæreditatem diuidere volentes, inuicem acriter altercari cœperunt, qui libet pro se agrum, in quo collocatum erat sacellum, exoptans, eòq; ventum, vt ad maledicta contra Virginem, ad litem ferro, sanguineq; definiēdam deuenerint contentiosi fratres: sed ecce mirum, nocte præcedenti diem, qua nefandum euenturum erat fratricidium, antedictum sacellum à fundamentis euulsum, per aerem Angelorum ministerio ad collem vulgò *di Versighe* propè pagum Montis Sancti Sauini in Tuscia, mirabiliter translatum est, vbi vsque adhùc in Ecclesia circa ipsum ædificata conspicitur, intercessioneque eiusdem Virginis continua ibidem perpetrantur miracula.

3. *In vita S.Dunstani Archiepiscopi, apud Sur.* 19. *Maij*. Sanctus Pater à Cantuaria in remotiores Villas suas oportunis spatijs hospitia sua disponens, apud Magaueldam, sicut, & in alijs hospitiorum suorum locis, ligneam Ecclesiam fabricauit, quam ipsemet dedicans, dùm ex more circumiret, & eam ad æquinoctialem Solis ortum minimè versam perciperet, fertur quòd transiens humero suo illam aliquantulùm pressit, moxque mutatam à proprio statu, in medium orientis tramitem pro voto conuertit. Quod ipsum facilè potuisse efficere, nemo ambigit, nisi qui verbis Domini Christi, quibus fidem sicut granum sinapis habentibus promittit, quòd etiam montem dicto tranferrent, incredulus existit.

4. *Hermanus Carthusiensis sermone* 26. In Hemenrode, quæ est domus ordinis Cistercienfium, conuersi semel pisa messuerant, & cùm pluuiam timerent, dixerunt Priori: Nisi totus conuentus exeat, & pisa vertat, peribunt. Cùmque Prior omnibus, qui ire possent ad agrum, ire præciperet; frater quidam simplex infirmus de infirmitorio exiens ex multo feruore obedientiæ ante omnes festinabat; Qui cùm ad agrum venisset, pisa in oculis eius mirum in modum per totum agrum se vertebant. Ipse verò humiliter Deo gratias agens, Priori sibi accurrenti dixit, pisa esse versa, nec oportere quemquam fatigari.

5. *In actis S. Genouefæ Virginis* 3. *Ianuarij apud Bollandum*. Exusto à Normannis cænobio, in quo erat corpus S. Genouefę, monachi illud ad Ategias villam deducere statuerunt. Dùm igitur transferretur, Altare Ecclesiæ, cui venerandæ reliquiæ

liquiæ collocandæ erant, cùm cruce, & reliquijs suppositis mouebatur, quæ simul agitata, virginis aduentum celeri motu testabantur. Ad ingressum verò Sancti corporis, cuncta priùs mota, firmata sunt, & quasi celebrata virginis expectatione, quieuerunt. Neque enim erat vndè iam trepidarent, cùm præsentem trepidationis suæ causam tenerent. O admirabilis, & prædicanda virgo, quam ad se venientem insensibilia sentiunt, & adorant.

6. *In actis S. 5. Feb. Tom. 2. in Cont. Bollandi.* Dedicabat aliquandò Basilicam in Aruernia S. Fulcranus Episcopus Lodouensis, & cùm in subsellio suo pontificalibus indutus, clero canente Gradualia missę, ipse sederet, lapsus de pariete contiguo cereus ardens, concidit super eum, & in conspectu omnium, qui aderant, priusquàm ei subuenire quis potuisset, tandiù ardens in indumento sericeo cereus mansit, quòd damnosa multùm conbustio facta esse potuisset; & cùm qui viderant statim accurrerent, vt succurrerent ei, tollendo desuper eum cereum ardentem: ecce (mirabile dictu) cereus ipse per se, nullo eum homine contingente, ipsi parieti, vndè ceciderat, se se altiùs impressit, & vestimentum S. Pontificis in nullo penitùs læsum apparuit.

7. *Ibidem in Mar. tom. 1.* Dùm S. Leo-Luca Corilionensis, Abbas Mulensis in Calabria, præ multa humilitatis suæ obedientia aliquandò ligna deferre ad vsum monasterij perrexisset, & vltrà vires ferrendi in vna sarcina collegisset, considerata corpusculi sui tenuitate, in duas sarcinulas onus diuisit, vt bino itinere deferret, quod semel non potuit. Prima ergo sarcina humeris imposita pergere cæpit (mirum dictu, & diuinæ pietatis etiam in vilibus rebus notitia) sarcinula alia terra tenùs subsecuta est serui Dei vestigia, vt neque terram tangere videretur, neque visibili aliquo adminiculo veheretur.

8. *Colganus in vita S. Munæ.* Post quàm in Hibernia appullissent, S. Munis reliquit baculum suum cuidam arbusto innixum in loco, in quo moram traxerunt, nec eius fuit recordatus, donec ad remotum locum peruenerunt. Ibi autem coram S. Antistite Patritio conqueritur se baculum amisisse. Patritius autem suauiter eum admonens, vt in Domino confidat, ait, baculum esse serui Dei, seruorum suorum necessitatibus potentis, & quandò expedit, semper volentis, succurrere. Sermones autem tales vix finiunt, cùm ecce baculum super alio arbusto iacentem, & præsentem conspiciunt. Tunc etiam S. Antistes ait, baculos commutemus: Ego tuum habeam, & tu teneas meum, & ita factum est. Et baculus ille inter reliquias, quæ Forgnaiæ apud S. Munem asseruantur, recensetur.

9. *In vita Ven. Patris Bernardini Realini è soc. Iesu, cap. 10.* Die quadam inaduertenter apud ægram, quam inuiserat, reliquit arundinem, qua ad corporis debilitatem sustentandam vti solebat; domestici illius obliuione animaduersa, ac quàm facilè illi baculum reperire esset, non ignorantes, summa cùm animi lætitia eum domi detinuerunt, locoque decenti, ut rem omninò pretiosam, asseruarunt; at perbreue hoc fuit gaudium, recordatur enim ibi se fulcrum suum reliquisse, dùm domum redit, illud recipere cupiebat, neque eum Deus desiderio suo frustatus est, domi enim redux, arundinem suam in cubiculo suo inuenit, in loco, ubi sedulò asseruata fuerat.

10. *In vita S. Annonis Archiepiscopi Coloniensis lib. 2. cap. 1.* In cænobio suo, quod in monte situm est, frater quidam accedente molestia in morbum aliquandò incidit, nec ullum occurrebat remedium, undè spes esset meliorationis ægroto. Quod cùm auribus uiri Dei, qui tunc præsens aderat, insonuisset, cursorem uelocissimum cùm mandatis Coloniam direxit, ut brachium S. Marty. Georgii sibi quàm celerrimè mitteretur, asserens in hoc ægroto certissimè subueniendum, si liquorem, quo perfunderetur os sacratissimum, fide plenus in potum sumpsisset languidus. Cùmque ita ut infferat brachium in capsula delatum sibi præsentaretur, clauem ad reserandum petiit. Tuncque primùm reminiscens nuncius, eam se, nemine illius mentionem faciente, Coloniæ reliquisse, conquestus est. Pontifex uerò cùm quasi tentans aperire, duobus digitibus seram leuiter concussisset, testantibus qui aderant, ad primam digitorum eius appulsionem, resiliente repagulo, sonitùs tinniens ut ex uiolentis clauibus fieri solet, exortus est, in tantùm, ut præsentium aures acutissimè feriens, stuporem non minimum eis ingereret, cernentibus hominem Dei clauis officium absque claue in apertione capsulæ paratissimè peregisse.

11. *S. Pet. Dam. ser. 36. de S. Ruffin o Mart.* Vir quidam non ferendæ uesaniæ crudelis, & rigidus, paupercułæ mulieri de sui iuris agro cartulam fecerat, quam tunc cùm magni furoris impetu contumaciter requirebat, vndè & bouem sibi, & unam securim uiolenter abstulerat, robur uidelicet domesticæ facultatis, & spem regendæ familiæ. Quod illa præ dolore non ferens, cùm contribulati amaritudine spiritus, Ecclesiam B. Ruffini festinanter ingreditur, ante altare prosternitur, atque ut sibi in tantę calamitatis articulo subueniret, lachrymabiliter deprecatur. Quid plura? Adest tandem diuina Misericordia, & mox ut ab oratione consurgit, iacere in pauimento securim suam ante pedes attonita conspicit. Illicò mæror nimirùm in lętitiam vertitur, & digna Deo gratiarum actio à cunctis, qui aderant vnanimiter exhibetur. Sed ecce raptor negotium adhùc suæ peruersitatis exequitur, & prefatæ mulieri nisi monimentum redderet, supplicium comminatur. Qui tamen mox vt securim tàm mirabiliter redditam didicit, confusus, & stupefactus expauit, bouem reddidit, pænitentiam egit, atque omnem querelam, quam eatenùs aduersùs eam habuerat sedata animi seueritate sopiuit.

12. *In gestis S. Radegundis ap. Baron. an. 590.* Cùm iã humata esset à Gregorio Episcopo, operculum tumulo eius non est ab illo impositum, donec rediret Pictauiensis Antistes. Itaque liberè cereos ad eam offerebant omnes sepulchrum circumstantes, & singulæ suis cereis nomina sua inscripserant, dabantque cereos omnes per ordinem vni è famulis: &

lis: & ecce extitit contentio in populo, alijs dicentibus, cereos illos in Sanctum eius sepulchrum mittendos, alijs id negantibus. Interim è pueri cereos tenentis brachio vnus exiliens, & populum omnem transcendens, in sepulchrum ad pedes Beatæ se dimisit, litem omnem eo ipso dirimens. Inspecto cereo, inuentum est nomen Caluæ inscriptum. Ea re perspecta, Episcopus, & plebs omnis Beatæ Radegundis virtutes admirantes, Dominum benedixerunt.

13. *Marcus Antonius Scipio libr. Elogiorum Abbat. Montis Cassini*. Anno Domini 1627. cùm monachi Cassinenses, Ecclesiam Sancti Benedicti in Monte Cassino restaurare vellent, inter alia prodigia hoc admirabile narratur. Aduerterat architectus, aram maximam non in medio, vti debuerat, sed propiùs ad dexteram sanctuarij partem fuisse collocatam. Itaque impellendo in sinistrum latus altare, ad eam deformitatem tollendam, appararatis iam machinis, cùm opportunum diei tempus defecisset, fabri imperfecta ab operatione recesseruut; postremo mane architectus, & Cæmentarij templum repetentes, dùm parant destinatum in locum aram vrgere, stupentes, atque attoniti vident nihil vltra opus esse ingenio, & conatu, Altare in mediam Sanctuarii partem fuisse submotum. Res alijs atque aliis, vt fit, enarrata perspectaque, ingentis miraculi vim habuit, nam neque sine multorum diuturna ope moueri potuisset, neque vel in meridiana luce sine attentissima cura, & accurato lineæ, & perpendiculi vsu præfinito in loco illo adamussim collocari.

14. *Gumppenberg, de imag. Beatæ Virginis de Valle viridi in monte Aetna Siciliæ*. Cùm templum vetus, in quo hæc colebatur imago, propter affluentem multitudinem, in maiorem formam reduceretur; decretum est, integra Pictura, murus totus aliquot passibus promoueretur; sed non hoc vllæ potuerunt machinæ. Dùm Deipara amico suo apparens, diem denunciauit, qua aggrediendum opus esset; sed vbi id tentaturi, ergastos aptarunt, & funes, alia potentiore dextera impulsus paries, vltrò, nullo duce, ad alium se parietem adiunxit, vbi marmoribus ornatus murus vnà cùm hac Statua hodiè videtur.

15. *Idem de Imagin. Beatæ Virginis, de Campiglio in Germania Super.* Dùm huic Virgineæ imagini templum ædificaretur, vna columna lapidea, quæ erigi ab architectis nulla arte potuit, cùm ad pomeridianam quietem per breuem horam se operarii contulissent, spontè se erexit, & stare visa est, non sine pio murariorum horrore, qui plùsquàm satis est, suæ ignorantiæ conscij, neminem inter se inuenere, in quem tanti artificii suspicio cadere posset.

16. *Io: Antonius Castellionaus in antiq. Mediol. p.1. fasc.10. de restauratione templi S.Calogeri.* Cùm iussu S.Caroli Borromæi instaurandum esset templum iam ferè diturum S.Caloceri, cùmque sodales eius Ecclesiæ cuperent ad maius aræ primariæ decus, atque ornamentum prodigiosam illam imaginem Crucifixi, & B.V.Mariæ aliquantulùm è terra eleuatam, collocare in eo, quo nunc sita est loco, necesse fuit ingentem parietis molem funibus alligatam, machina apposita, attollere: funibus verò nimio pondere pertractis, certa mechanicis impendebat ruina, qua simul omnes ineuitabiliter obruendi erant, cùm ecce tota moles (euidenti B.Virginis prodigio) in proprium, quo reponenda erat locum, statim concidit sine vlla sacræ imaginis, aut succumbentium ministrorum læsione, aut iactura.

17. *S.Vincentius Ferrerius serm. in Parasceue.* Dicunt aliqui, quòd quando Christus captus, intrauit per portam Ciuitatis Ierusalem, imagines lapideæ Imperatorum Romanorum, quæ erant ibi sculptæ, inclinauerunt se Christo, quasi dicerent: Domine homines rationales vos ligauerunt, & nos insensibiles vos adoramus.

18. *Stephanus Pepe in Historia B.V. de Oetinga in Bauaria.* Ottho Palatinus Rheni, dùm esset catholicus, ceream statuam se ipsum repręsentantem, B.Virgini de Oetinga obtulit; at paulò post dùm posthabita catholica Religione, adhæsit Luthero, eodem tempore cerea brachia statuæ, quibus obsequium B. Virgini præstare videbatur, à corpore disiuncta ruere, pileusque, qui simul cùm tota statua fusus erat, ita super frontem descendit, vt oculos statuæ cooperiret, ceù demonstrans diuinitùs, indignos aspectu Virginis eos oculos, quos à filio, Principis impietas auerterat.

19. *In annal. Seruorum cent.1. libr.5. capit. 1.* Imagines cereæ, quæ fuerant appositæ, & delatæ ante sepulchrum Sancti Philippi Benicii in signum acceptorum beneficiorum, in translatione eius corporis ad alium locum Ecclesiæ, versùs eiusdem corporis sepulturam in conspectu magnæ gentium quantitatis, Diuinitùs, & miraculosè se se verterunt.

20. *In actis S.Hilarij.* Cùm duo mercatores in Ecclesia, vbi corpus Sancti Hilarii erat, essent, cereaque imago ibi adesset, vnus ad alterum ait: optimè factum si communi sumptu illa figura Sancto offerretur; alteri hoc non placuit, quia auaritia correptus nihil pecuniæ volebat effundere, nec tale offerre munus. Attamen ambo simul ad altare accesserunt cùm eadem imagine, vt ab vtrisque offerretur diuersa mente præditis, nam vnus spontè lubensque id præstabat, alter nolenti similis, & inuito: tunc imagine, proh mirum, in duas partes statim diducta à summo vsque ad imum, Sanctus vnam retinuit, & alteram proiecit, vt qui inuitum coactumque munus nollet accipere.

21. *Amphilochius in vita S.Basilij.* Cùm S.Basilius sacra mysteria perageret, sanctissimumque Corpus Christi in Missa eleuaret, columba argentea, quæ supra altare pendebat, & in qua Sacra Eucharistia conseruabatur, mirabiliter mouebatur, quod cùm semel non contigisset, hoc ex præsentia impuri diaconi euenisse cognouit.

22. *In Bibliotheca Præmonst. libr.2. cap.20. de S.Norberto ad Mosam agente.* Velum in ea ciuitate seruabatur sericum magna incolarum veneratio-

ne, cælitùs olim in S. Seruatii Tungronæ Episcopi corpus demissum. Illud sibi ostendi, cùm vir Dei multis precibus impetrasset, aperto scrinio, apertaque sacra theca, mox velum occulto quodam impulsu abreptum, ipsamque Basilicam aliquanto spatio circumuolans, tandem ad summa templi laquearia sublatum adhæsit. Quo viso, aliis exclamantibus, aliis fugientibus, Norbertus missam adorsus est, dumque eam celebrat, sericum velum super expansa sacerdotis brachia se demisit, quod ipse venerabiliter suscipiens, loco suo reddidit.

23. *Colganus in vita S. Aedi Episc.* Sanctus Ædus pergens ad castra Mumoniensium, rota currus sui in via plana fracta est, & currus sine impedimento currebat sub Sancto Dei, suffultus diuino nutu. Turbæ valdè hoc admirantes, Sanctum Dei cum gloria, & honore recipiebant, sed tamen pacem à Rege non potuit impetrare.

24. *In Chronicis Nouocomensibus.* Annus Christi 1529. agebatur, cùm mira hæc res Nouocomi accidit. Sub vesperam feriæ quintæ hebdomadæ Sanctæ confratres societatis Sanctæ Mariæ Annunciatæ ex more aliquas Ecclesias visitabant, cùmque circumirent, Crucifixum deferentes, in reditu transeundum illis erat per pontem, quem Sancti Bartholomæi appellant, quem magnæ catenæ hostium equis auertendis intersecabant; quærunt ab exercitus Præfecto, vt catenæ demitterentur, qui renuit, noluitque claues afferri; sed cùm processionem vt perficerent Crucifixum submitterent, accidit extemplò, vt lapides aliqui, quibus innexæ catenæ, diuinitùs deciderent, viaque aperiretur. Quæ res Principes monet, ne securitatis prætextu, pietatis opera impediant.

25. *In annal. Minorum anno 1217. num. 16.* Iuxta Castrum Gratii visitur adhuc, & obseruatur lapis, in quem ascendit prædicaturus populo Sanctus Franciscus, dum primum illùc peruenit, & vitiosos hominum mores extirpauit. Ex quo sæpissimè loci incolas, & fratres, vidisse flammas, & igneos globulos veluti in Cœlum conscendere testatur Marianus, seque seriò cùm testibus oculatis de hac re egisse; sibi etiam dictum, quòd tum propter viri Sancti reuerentiam, tùm propter miraculosas has flammas transportatus fuerit mysteriosus lapis in Ecclesiam, aliasque partes religiosas, semper tamen in pristinum redierit locum.

26. *In. m. s. s.* Bergomi extra Ecclesiam Sancti Andreæ Apostoli lapis cubus reperitur, qui maculas sanguineas præseferre videtur. Super ipsum, fama est, Sanctum Domneonem extra ciuitatem ob fidei defensionem decolatum, proprium caput manibus deportando collocasse. Traditur etiam lapidem prædictum aliò translatum, ad pristinum locum mirabiliter reuersum fuisse.

27. *In libro dè miraculis Hiberniæ* §. 19. *de Cruce quadam, quæ Dublinæ colebatur.* Capta ciuitate, cùm sagittarius quidam inter alios denarium ad Crucem obtulisset; reuertens, eumdem statim post se volantem à tergo suscepit. Cui iterùm eumdem resumenti, & ad Crucem reportanti, videntibus, & admirantibus multis, idem euenit. Tùm verò coram omnibus confessus est, se domos Archiepiscopi intra Ecclesiæ illius septa eodem die spoliasse: & sic pænitentia super hoc ei iniuncta, redditisque vniuersis, quæ ei obuenerant; tertiò denarium eumdem cùm timore magno & reuerentia ad Crucem retulit, qui & ibidem tùm demùm sine motu permansit.

28. *Vincentius Beluac. lib. 25. Spec. Hist. cap. 66.* Anno 25. Regis Dagoberti tempore, Sanctus Præsul Vrsmarus in Flandrensi prouincia prędicans sub honore Sancti Petri Apostoli, ipso sibi reuelante Ecclesiam in Aldeburgensi oppido ædificauit, & consecrauit, quam Deus multis miraculis vsquequaque glorificauit. Inter quæ illud tàm mirabile, quàm inauditum ampliùs extitit, quod hoc anno Dominici nocte Natalis contigit, campanarium præfatæ Ecclesiæ vehementi vento flante à suis locis auulsum, & ad terram penitùs fuit inuersatum, ita in aere pendens, & ruinam sui minitans, vt semper casurum, & cuncta mænia confracturum teneretur. Et cùm per sex dies, & noctes id tractaretur à populo, qualiter hinc indè tracturarum machinis sursùm erigeretur, & vtrumque suo loco relocaretur, pridie Calendis Ianuarii circa noctis medium adueniens virtus diuina totam Ecclesiam intùs, & foris impleuit luce ignea, & campanarium ad terram reclinatum, totum insimul erexit, ac firmissimè locis suis relocauit, & campanas ibi pendentes mox sonare compulit.

29. *Gumppenberg, de Imag. Beatæ Virginis de Rosa Buduuicij in Boemia.* Dudùm Principis fœmina Mediolano iuit in Boemiam, nescio qua de causa; in reditu, Imaginem hanc Thaumaturgam inuisit; deuotionis autem causa, Rosam, quam nescio quis dexteræ Virginis manui imposuerat, abstulit, secùmque detulit. Sed piam rapinam Virgo non probauit, recepit quàm primùm quod suum erat; nam postera mox die Rosa dexteræ Virginis inserta stetit; & hanc ipsam fuisse sine terrore verendo, Ducissa asseruit.

30. *Petrus de Natalib. in Catal. S. S. lib. 8. cap. 49. de Sancto Dunstano Episcopo.* Rogatus à quadam matrona, dum stolam sacerdotalem pingeret, aurifactorio opere figurandam; cithara eius parieti appensa, sine alicuius mouentis impulsu, per se ipsam sonare cœpit, & antiphonam: Gaudent in Cœlis animæ Sanctorum, in proprio tono decantare.

Admirandi motus montium, & lapidum.
§. 9.

DE his dictum fuit, cùm de admirandis circa lapides.

Ad-

Admirandi motus Imaginum. §. 10.

HI prodigiosi motus enumerabuntur in libro, & capite de Imaginibus, cùm de illis plura erunt dicenda.

Admirandi motus inanimatorum cadauerum. §. 11.

HOrum etiam erit recensio, cùm de defunctis, eorumq; cadaueribus, seù reliquijs in 2. Tom.

APPENDIX AD CAPVT QVINTVM.

Perennes Inanimatorum motus.

DE perennibus Inanimatorum motibus quædam remanent pro complemento recensenda. Suntque.

1. *Colganus in vita S.Fridiani Episcopi*. Habet in Scotia molendinum S.Fridiani gratia diuina ex meritis B.Fridiani miraculum inauditum, quòd nullum genus frumenti, seù leguminum, vel aliorum de furto, vel rapina, siue vsuris, siue alio modo iniustè acquisitum, molat, vel ad farinam reducat; vndè humanæ naturæ consueta refectione satisfaciat. Hoc vtique miraculum vsque hodiè vigens, locum illum venerabilem reddit. Nam quodam tempore, cùm Rex Angliæ Regnum Scotorum occupasset, miraculum experimento didicit. Qua de re exercitui suo vniuersaliter mandauit, vt locum illum venerarentur, & in nullo penitùs offenderent.

2. *In actis S. Kentigerni Episc. 13. Ianuarij apud Bollandum*. Fabricauit molendinum super flumen Gladum, quod nullam annonam furatam molere præsumit: neque molam, neque eius rotam post horam nonam Sabbati, donec celebretur Dominica dies, rotare aliquis potest.

3. *Eusebius lib.2.mirac.nat.Europæ c.15.* Apud Ossyoriam S.Lucherini Abb. molendinum est, quod diebus dominicis nihil; de furto autem, seù rapina nunquam molere perhibetur.

4. *Petra Sancta in mirac. Perpetuis cap. 2.* Sacellum S.Catharinæ Virg. & Martyr. in Carinthiæ Præpositura, cui nomen Vero, etiam si claudatur, semper tamen sponte nihilominùs aperitur.

5. *Idem ibidem cap. 6.* Messanæ in Parthenio Cœnobio, cui S.Mariæ à Scala vocabulum est, arcula reperitur, lectissimis Sanctorum reliquijs referta, donum videlicet vnius Reginæ Galliæ. Neque claustrum habet, neque clauem, qua obseretur, manet tamen nihilominùs semper clausa, ita vt patere, aut aperiri nequeat, quantalibet vis adhibeatur, nisi cùm oratio præmittatur. Post vota nimirùm, & preces, vel vnius infantis digito reseratur, & nullo negotio à quouis statim panditur. Olim autem (vt ex m. s. s.) recitatis ante ipsam litanijs, & septem psalmis, vltrò aperiebatur, & extemplò pariter ex se ipsa claudebatur.

6. *Gonzaga in Prouincia Ragusij, de conuentu S.Francisci*. Coram summo altari erectus perseuerat ligneus, magnusq; Crucifixus, cuius vtrique lateri singulus astat Angelus ex eadem materia fabrefactus, manuque turibulum tenens, quæ duo turibula in solemnioribus festiuitatibus, atque in notabilis alicuius euentus proximè instantis signum, vt certissima experientia comprobatum est, se ipsis nulloque penitùs impellente, non secùs ac si à duobus acholytis illi de religioso more turificaretur, mouentur; dicunturque à B.P. Iacobo Picente apposita, qui etiam hæc verba dixisse fertur. Aliquandò hi Angeli miracula facient.

Finis Libri Quinti.



LIBER SEXTVS

De Admirandis circa Mixta Animata.

Et Primò

Circa Vegetatiua.



Vò perfectiora in rerum natura, communi omnium Philosophorum consensu, mixta anima decorata censeretur, eò præstabiliora, quæ in ipsis operatus est Deus in orbe Christiano, apparent Admiranda. Hæc in præsenti enucleare mens est, inque incredulorum oculos conijcere, vt qui ceù exanimes, oculos habent, & non vident, ab animatis, vt ita dicam admirabilibus, animam, visumque, quibus Admirandam Dei Potentiam, videant, cognoscant, & confiteantur, contrahant, acquirantue. Et quia iuxta Philosophum 2. de Anima Cap. 2. in triplici distinguuntur specie animæ, cùm præter Rationalem, Veget. tiuæ, & Sensitiuæ enumerentur; Ideò posthabitis admirandis circa rationalem animam, in secundo Tomo enucleandis, de spectantibus ad cæteras Animas; & primò ad vegetatiuas, hic loquar.

CAPVT PRIMVM

De Admirandis circa Arbores siccas, mirabiliter euirescentes. §. 1.

VI quòdam imperauit aridæ, vt lignum pomiferum germinaret, factumque est ita, hic emortuas, siccasque arbores, vt reuirescentes, flores, fructusque iuxta genus suum progerminent, quandòque arcanis iussis compellit, hominesque in admirationem inducit. De his.

1. *Alphonsus Villega in vitis* S.S. 19. *Maij*. Cùm tempus desponsationis B. Virginis aduenisset, tertur, sacerdotes, & cognatos plurimos Mariæ in id consilium conuenisse, vt plures inupti ex familia Dauid conuocarentur, qui aridam in manu virgam deferrent, vtque cuius illorum virga floreret, esset Sponsus Mariæ; quo facto, floruit virga Ioseph, cùm illoque desponsata fuit Virgo Maria.

2. *Colg. in vita S. Moedoci* 31. *Iann*. Lignum aridum, quod eius mater cùm esset in puerperij laboribus, innitendo tetigit, mox viruit, corticem induit, & frondes produxit, & abindè continuò virere, & suas frondes retinere, & quotannis nuces producere haùd cessauit.

3. *Raderus de S. Ioanne Episc. Coloniæ*. Hic olim arido saxo, aridum fici ramum defixit, fratribusque compellatis: vbi hic, inquit, floruerit, scitote me Dei clementia, beata quiete potiturum; germinauit ficus, fructusque trigeminas caricas protulit, quas cùm lachrymis beatus osculatus est, Deoque gratijs actis, cùm fratribus comedit.

4. *Idem in Viridario de S. Basilisco Martyre*. Ducentes vinctum Sanctum Martyrem, cùm ad vicum Dacorum peruenissent, à fœmina, cui Traiana nomen, hospitio excepti sunt. Ibi Sanctus Basiliscus ad aridam platanum vinctis post tergum manibus est religatus, qui mox per preces ad Deum versus, effecit, vt mortua platanus reflorescceret, densisque frondium comis diffunderetur; ibidemq; vbi Sāctus stabat fons è terræ gremio scaturiret. Quo satelites viso prodigio, vnà cum hospita Christum se Deum agnoscere testantur, vinculisque virum Sanctum expediunt.

5. *Idem in Bauaria Sac. de S. Colomanno Scoto*; Capitali sententia in eum prolata, de robore suspensus, vitam quidem in stipite exhalauit, sed multis pendens adhùc prodigijs, innocentiam declarauit; nam & palus, qui furcam sustinebat, læta fronde vernare, vestirique flore cæpit, & coma quoque verticis, & barbitium prolixè excreuit.

6. *Idem in Viridario de S. Tychone Episcopo*. Aridum vitis surculum humi depanxerat, qui statim radices egit; dein etiam ante tempus germinauit, maturuitque; nam vbi sextadecima Iunij, quæ dies huic sacra est maturi botri reperiuntur? Hic autem palmes intra breuissimum tempus maturos procreans fructus, inchoante re diuina, & psalmorum cantu, vuas ostentat iam liuentes, & coloratas, finito sacrificio coctas iam, & maturas, & ad gustum gratissimas, ad Dei Patris, & filij, & Spiritus Sancti laudem, & gloriam exhibet.

7. *In vita B. Laurentij Iustiniani cap.* 4. Cùm frater quidam maxima instigatione premeretur à Dæmone, ad certissimam Beati Laurentij Iustiniani opem recurrit. Accepit tunc Laurentius lauri ramusculum, qui decoctus aqua relictus erat in vasculo, ad fratrem autem conuersus, accipe, inquit, frater, & in horto planta, & si quidem reuirescet, certus esto de perseuerantia tua; abijt ille,

ille, & plantauit, & reuiruit, & de miraculo gaudens, memoriam virgæ Aaron, & palmæ Macarij reuocauit.

8. *In actis S.Gregorij Thaumaturgi.* Lycumfluuium, perniciose agros innundantem, defixo ad ripam, quo sustentabatur baculo, qui statim creuit in arborem, coercuit, vt postea vltrà eum terminum non effluxerit.

9. *In vita S.Francisci.* In Hispania apud S.Facundum viri cuiusdam cerasum arefactam ad virorem frondium, florum, & fructuum contra spem mirabiliter reuocauit.

10. *Mombritius in vita S. Radegundæ.* Rogat beatissima de loco suo euelli laurum arborem validam, & ad suam cellulam pro iucunditate trāsferri, quo facto, transplantata non adhærente radice, fit tota folijs arida: cui abbatissa ioculariter imputat, nisi exoraret, ut arbor terræ adhæreret; se cibo suspenderet: Quod non inaniter dictum est. Nam Sancta intercedente: Folijs, ramis, radice, laurus siccata reuiruit.

11. *Petrus de Natal. in Catalog. Sanctorum lib.8.cap.28. In vita B.Elpidij Abbatis.* Cum quadam die, quidam frater teneret frustum sarmenti, id accepit Sanctus, dùm sederet in margine montis, & infodit tanquam platans, & si non esset tempus; vsque adeò autem creuit, & tam ampla vitis euasit, vt tegeret totam Ecclesiam.

12. *In vita S. Antonij de Padua cap. 29.* Cùm quidam eius sanctitatem deprædicaret, & probatam miraculis diceret, subiecit alius: quæ refers credam, dummodò aridum hoc vitis sarmentum (quod fortè in vuarum calatho adhibuit) reuiuiscere, & fructus producere faciat, ciathumque hunc meum musto ex sarmento hoc expesso valeam replere: mirum, statim fronduit vitis, vuas protulit, & Sancti viri miraculis plenam fidem conciliauit.

13. *In Menolog. Græco.* Die 16. Martij Natalis S.Martyris Papæ, qui post multa tormenta, tandem sterili arbori alligatus, fructiferam illam effecit, in qua, & martyrio consumatus fuit.

14. *In vita S. Petri de Alcantara.* Ipsius baculus semèl ab ipso terræ defixus, mox in viridem ficulneam excreuit.

15. *Greg.Turon.de Gloria Marty.lib.1. cap.74.* Est alius martyr intra terminum vrbis Beorritanæ, presbyterij honore preditus. Hic dùm esset in corpore; castaneam diù aridam, suis orationibus obtinuit in viriditatem redire.

16. *Constantinus Ghinius in Nat.S.S.Canonic. 28. Octobris de B. Stephano.* Tanta viguit sub eo regularis obedientia, vt miraculis comprobata sit. Nam prope Florentiam, dùm in Monasterio S. Donati in Scopeto quidam nouitius pede lignum vitis aridum percussisset, Magister præcepit ei, vt iterum fodiens terram, illud plantaret, ac quotidiè aqua irrigaret: quod dùm promptè id præstitisset, reuixit aridum lignum, palmites protulit, vuam optimam produxit, in magnam vitem excreuit, quæ ferè ad nostra tempora perdurauit, & duraret adhùc, si bellorum iniuria, vnà cùm monasterio non perijsset.

17. *Matthaus Bossius Ep.43.* Floruit in Scythiæ eremo Ioannes ingentis Sanctitatis; & nominis Abbas, qui eruditorem Thebæum Sanctissimum habuit, iuuenis, atque neophitus. Huius parendi promptitudinem, vt exploraret, quandòque Thebæus, baculum, quem manu gestabat, aridum defixit in terram; mi ò Ioannes facito, inquiens, indefessè quotidiè huic ligno aquam infundas, si fortè virescat, assurgatque pomiferum. Quod optima spe tribus ille cùm fecisset annis, & id duro equidem immensoque labore, quoniam aqua ipsa tantum sanè distabat à stipite, vt cùm vespertino crepusculo aquatum interdùm iret, non citius quàm in sequenti aurora remearet (in seruis suis mirabilis Deus) Triennio exacto, mox in proceram se plantam hic baculus efferens, sapidissima, atque gratissima non pauca præbuit poma: quæ Thebeus cæteris porrigens eremi fratribus, en gustate dulces obedientiæ fructus, lætus inquit, hos admonens, pluris virtutem hanc ducere, quàm planè vitam.

18. *Rho.lib.4.cap.6.num. 20.de Sebastiano Dauino Soc. Iesu.* Iacentem semel temerè in horto aridum ramum, vt depangeret, atque affunderet tandiù quotidiè aquam, donec virescceret, iussus Dauinus, nulla præ absurdi imperij interpretatione vsus, parere, & subitò cæpit, ita diutissimè summa quadam animi alacritate perseuerauit. Risum mouere poterat vanissimus labor, nisi admodùm comprobasset euentus, vberem esse obedientię fructum, illique ipsam parere naturam. Siue ea ignoti ligni conditio fuit, vt etiam aridum longa irrigatione, iterùm viueret, siue, quod vero proprius, adolescentis obedientiam commendare voluit Deus, longos post menses redijt paulatim viror, & ramus iam arbuscula, in nouas se frondes, ignotique generis induit, auctaque ad iustam magnitudinem, tyronibus qui eam obedientiæ appellauerunt, diù exemplo fuit, atque admirationi.

19. *Ioannes Eusebius lib.5. Doctrinæ Ascet.cap. 52.* Serua Dei Leuina Stalens, Sanctimonialis D. Bernardi, iussa ficum per septennium arborem rigare, quamuis decisa ab alijs, quotidiè illam rigauit bis, aut ter. Approbauit Deus simplicitatem huius obedientiæ, reflorescentia eius arboris insolito tempore, quæ postea fructus vberes protulit.

20. *Pepe in mirabilib.S. Caietani m.247.* Vitis quædam Neapoli post emissa folia, ex improuiso accidenti tota simul cùm folijs aruit, ita vt solùm igni superesset. Tunc Dominus vitis summo affectus dolore, D.innocauit Caietanum, quibusdamque vitis palmitibus, flosculos Aræ D.Caietani alligauit, aridis sarmentis, humorem cælitus subministraturos sperans. Nec frustrà, post aliquos dies mirabiliter reuiruere palmites illi, quibus affixi flores, cæteris siccis, aridisque perseuerantibus.

21. *In vita S. Teresiæ Virginis.* Qua die Sancta Teresia ad superos migrauit, arbor arida cellulæ ipsius propinqua, statim efforuit.

22. *Franciscus à S. Maria in Historia Carmelit. to.1.lib. 2.cap.17.* Circa annum Domini 1568. in con-

in conuentu Discalceat. S. Teresiæ Vallisoleti Ciuitatis Hispaniæ, cùm præcepisset, Antistita monasterii, cuidam sorori, Catharina ab Assumptione vocatæ, illius obedientiam experiri volens, vt baculum ficulneum, siccum, & aridum plantaret, quotidièque aqua irrigaret: fecit obedientiæ filia: res mira: aridum lignum emisit radices, fronduit, magnam in ficumque creuit, optimosque fructus, dixerim obedientiæ, protulit.

23. *Menard, de B. Margarita Abbat. Vallis gratia*. Cùm semel ad Charitatem (vrbem Diæcesis Antissiodorensis) iret, stipes aridus in monte Pietatis floruit.

24. *Surius in Octob. in vita S. Gummari*. Virgæ duæ, hoc est vt ego interpretor, scipiones duo viatorij, Sancti Gummari, & S. Rumoldi Confessorum, in loco, in quo ii conuenere, vt se mutuis, ac pijs alloquijs recrearent (exarserant enim desiderio inuicem adeundi) dùm solo infigerentur, in digressu, flores, & folia tulerunt.

25. *Ferrarius in Catal. S. S. 9. Maij, de S. Geruntio Episcopo*. Paxillum à percussore contra eum missum, terræ defixum, statim produxisse tradunt,

26. *Idem mense Iulij die 15. de S. Felicissimo Confessore apud Nuceriam*. Cùm proprias vestes pluries pauperibus concessisset, à Patre, qui id iniquo animo ferebat, domo expulsus, ad boues pascendos mittitur: cùmque vaccam pauperi eleemosynam petenti (cum quod daret aliud non haberet) dedisset, patris iram metuens, in locum, cui Politianum nomen est, aufugit. Vbi defixo baculo, cùm is statim floruisset, ibi sibi considendum intellexit.

27. *S. Antoninus 2. part. Chron. tit. 13. capit. 6. §. 14.* Dùm impiè necatus fuit S. Osuualdus Anglorum Rex, ex cadente sanguine eius reuiruit cespes, quo sanatus est sonipes.

28. *Pet. de Natal. lib. 3. cap. 69. de S. Brigida Virg.* Dùm eam parentes nuptui tradere vellent, & ipsa pudiciciam elegisset, postquam in manibus Episcopi coram Deo Virginitatem professa est, lignum altaris tetigit, quod in testimonium eius sanctitatis, statim viride factum est; sic manens vsque in presens. Quo viso miraculo, stupefacti parentes, eam domino commendarunt.

29. *Idem libr. 10. cap. 60. de S. Venerando Mart.* Exiens S. Venerandus ciuitatem die quadam, & veniens ad fluuium Sequanam, eidem Christus apparuit, & perfectè credentem in fluuio baptizauit, deditque illi baculum aridum, mandans, vt ipsum in terram figeret, & signum crederet. Discedente verò Domino, Venerandus baculum fixit, moxque flores, & frondes produxit, quo viso miraculo, DCCCX. homines pagani conuersi sunt.

30. *Idem lib. 10. cap. 66. de S. Fidentio Episcopo, & martyre*. Cùm corpus eius circa Paduæ confinium iuxta Ecclesiam S. Thomæ positam in Villa Campaniæ Meladini à bubulco diuinitùs apparente deductum fuisset, ibiq; sepultum; Ramus quercicus, quem idem bubulcus in curru posuerat, vt vaccis vmbram faceret, ab eo ibidem plantatus in quercum maximam illicò excreuit.

31. *Raderus in Bauaria Sacra, de S. Hartuuico Archiepiscopo Salisburgensi*. Dùm hic Sanctissimus præsul, die S. Andreæ festo ad Thalensem ædem sacris ritibus inaugurandam, tendens pertransiret in Sylua (quæ vt coniectare licet nomine indè sortita Pluebach indigitatur) aridum ex obuia arbore ramusculum decerpsit, breuiq; itineris spatio, siue in scipionem, siue in humanæ fragilitatis speculum, manibus gestauit, cùm ecce tibi subitò exsuccus palmes, virorem exerere, & flores protrudere cæpit, quasi iam vernantem Aprilem sensisset.

32. *Idem in Viridario, de Sancto Aninate Anachoreta*. Matrona dira morbi lue vexata, ad virum Sanctum contendebat, cui ex itinere barbarus occurrens, stuprum inferre nitebatur, quem illa solo Sancti viri appellato nomine mutatum à sententia deduxit; qui cùm hastam (antea defixam in terram, quàm illam tentaret) reperijsset iam radices egisse, inusitato prodigio attonitus, & ipse ad Sanctum virum aduolauit, à quo in Christiana lege institutus, sacrum baptisma suscepit, mansitque cùm viro Sancto, & sanctissimè vixit.

33. *Frodoardus lib. 1. Hist. Rhem. Eccl. capit. 25. de S. Theodulpho*. Quadam die, dùm laboris intermittendi tempore domum rediturus, ab agricultura cessasset, virgam stimuli figens in terram, domum quò tendebat, immemor eiusdem fortè, immò sic diuina disponente moderatione, peruenit; mirabile dictu! spinea virga sub nocte radices in terram dedit, & manè, cùm ad consuetum Beatus vir opus rediret, atque resumere vellet, turgentem frondibus inuenit. Quæ plurimo tempore comulando robur, in excelsum creuit, & factum multis enituit, donec iter agens quidam pœna plectendus, eamdem abscindit, oculorumque sibi lumine cùm abscissione pariter adempto, iuges incurrit tenebras.

34. *Arnoldus Rayssius in Hierogazoph. Belg.* Cùm circa annum Domini M. C. XL VII. Sanctus & mellifluus Bernardus ad consolandos fratres, inopia alijsque laboribus oppressos, aduenisset, ijsque commodiorem locum (in quo nunc extat monasterium) ad construendum cœnobium elegisset, baculum, quem manu gerebat, in terra confixit, & statim virga iam arida, & à multo tempore sicca, pristina viriditate recepta, frondes protulit, ac in arborem magnam creuit.

35. *Idem ibidem de Vener. Guidone*. Cùm semel Herus Ven. Guidonis, eius virtutes admiratus exclamaret: absit vt mihi indigno talis Dei seruus inseruiat, cui non sum dignus vt inseruiam. Hæc dicens, baculum, quo artus fortè sustentabat, in terram inijcit, demirantis more, qui continuò folijs in omnium oculis instructus, & ornatus apparuit, modòque omnium conspicientium oculis visitur.

36. *Idem in auct. ad natal. S. S. Belgij 3. Maij*. In Pago Ascæ mulier quædam à Iudæis sollicitata, sacram synaxim, quam in Paschate sumpserat, illis pro mutuata veste vt daret, ex ore sacrilego detractam, illis traditura deportabat; Verùm tanti sceleris in itinere pœnitens, sacras species in aridam

dam vlmum fortè ibi in via repertam, deposuit. Mirum dictu; vlmus illa sumpto veluti à dominico corpore vigore, refloruit, ac quamuis prorsùs arida, frondibus & ramis iucundissimè exornata est.

37. *Idem de S.Gummaro*. Succisam arborem à famulis, causa fulciendi tentorium eius (nam erat adhùc vir primarius in Aula Pipini Regis, & Romam peregrinabatur) restituit rursùs vegetam, & pomiferam; Quippè noctu in preces fusus, eam cingulo alligauit; & trunco statim adhærescere visa est. Quæ res tantam Hero illius agri admirationem peperit; vt arborem,& agrum etiam Sancto viro deinceps addixerit.

38. *Lippellous in vita S. Friardi* 1. *Augusti*. Accidit quadam die, vt B.Friardus reclusus baculum suum, quo gressus firmabat, humi defigeret, infusaque sæpiùs aqua irrigaret, qui breui post frondes, & poma protulit, atque duos deindè post annos, in magnam arboris proceritatem distensus excreuit.

39. *Odoricus ann.* 1199. *de Parentio martyre*. Expleto furore,hæretici, exanime corpus in proximum puteum deijcere, lapidibusque obruere meditati sunt; sed Diuina prouidentia nullo conatu sacras exuuias loco dimoueri passa est; atque ad illustrandam Martyris gloriam, ingens aliud miraculum explicuit, vt nux arida, cui Martyris augustæ reliquiæ incubuerant, eo anno bis fructum afferret.

40. *In actis S.S.* 3. *Ian. de S. Meloro Martyre in Anglia apud Bollandum*. Cùm Cerialtanus, qui S.Melorum iussu eius Patrui impiè occiderat, caput eius assumens, & fugiens, præ nimia siti, penè deficeret, secùmque conquereretur; caput martyris in verba humana prorùmpens, tali voce eum affatur. Cerialtane, baculum, quem manu gestas, in terram impiger fige, & fontem aquæ subitò de terra oriri videbis, ex quo copiose refectus, imminens sitis periculum euades. Cum autem baculum in terra fixisset, in pulcherrimam arborem versus, radicitùs terræ adhæsit, ramos, & folia produxit, & de radice eius fons indeficiens emanare cœpit.

41. *Ibidem in actis S.Sabiniani* 29. *Iannuarij*. Cùm baptizatus fuisset, apprehendens arundinem in manu sua, fixit eam in terram, & orauit ad Dominum, & dixit: Domine Deus meus, fac virgam meam florere, & ramos bonos habere, & folia formosa producere, vt credat populus iste in Nomine Domini Nostri Iesu Christi. Multi autem videntes, virgam illam florere, crediderunt cùm Beato Sabiniano mille decem, & octo; & animæ centum, & nouem baptizatæ sunt de manu ipsius Sancti.

42. *Ibidem* 30.*Ianuarij*, *in vita S. Thiadildis Virginis;de Eueruuordo Freckenborsti Fundatore*. Eueruuordi proauiæ tradiderat Sanctus Bonifacius, quandò in Frisiam iuit, baculum itineris sui, & quasi ludens dixerat: Hic baculus imbecillitates tuas sustentabit, & quandò finis vitæ meæ aduenerit, signum tibi quoddam ministrabit. Sic itaque factum est postea, nàm vt audiuit eum iam martyrizatum, & sanctissimum corpus eius ad Maguntiacensem sedem reuectum, se protinùs in Orationem, vt tàm Sancta anima interueniret pro sua, dedit, & baculum, quem pro memoria eius semper gestare consueuerat,in terram fixit,sed mox vt ab oratione, quam flens largiter fudit, surrexit, baculus signum dedit, virorem recepit, radices altè in terram misit, floruit, fructum dedit, & melioris mala generis (nàm de arbore malo præcisus fuit baculus) nec temporibus illis,nec postmodùm nostris ab hominibus visa sunt, vel gustata.

43. *In actis S.S.Feb.tom.*1. *in contin. Bollandi*. Suadebat cuidam S. Vedastus Episcopus Atrebatensis in Belgica, vt Xenodochium ædificaret; ille verò hæc audiens, cùm paulisper hæsitans hæreret. Quid, inquit Sanctus, dubitas? ecce virgam omnimodis aridam, atque decorticatam, quam manu teneo, huic terræ infigam,& si de illa arbor prouenerit, experiri poteris absque vlla cunctatione, vera esse quæ dico. Qua terræ infixa, vale dicens amico, cæptum aggressus est iter. Igitur virga & viridescere cæpit, & cortice circumdari, & frondescere in ramos, & folia, & in pauco spatio temporis facta est arbor procera, referens naturam virgæ, de qua pullulauit, nam de Tilia fuit. De qua arbore processu temporis ingens sylua,& pulcherrima exorta est; Nam vt ferunt incolæ eiusdem loci, si quid ramorum illius tiliæ, aut impulsu venti, aut aeris deportatu alicubi decidisset, & deorsùm mittebat radicem, & sursùm in arborem increscebat.

44. *Ibidem*. Quodam tempore S.Seuerus Episcopus Abrincensis in Gallia, cùm primò esset armentarius, nimio laboris, & æstuantis Solis affectus tædio, dùm in cespite virenti paulisper requiescere vellet, defixit humi à parte capitis virgam quernam, quam pro deducendis animalibus manu ferebat. Cùm paululùm obdormisset,solicitus de grege suo citò surgens, virgam, quam ad caput suum humi defixerat, radicatam inuenit; quæ in arborem maximam crescens, paulatim ad ostendendam Beati viri, quam à Deo promeruerat, gratiam, multo tempore in omnium oculis mansit.

45. *Ibidem. Tom.*2. *Febr.* Cùm Sancto Æmiliano Episcopo, & Martyri amputatum fuisset caput ob Dei confessionem, ad quam alligatus erat arbor, nouis frondibus, fructibusque effloruit.

46. *Ibidem*. Dùm Sanctus Charalampius Martyr iussus ab Imperatore Mulieri Viduæ tradi ad ludibrium, ingressus fuisset ædes viduæ, & dorsum posti applicuisset, quemadmodùm bona, & fertilis humus suscepto imbre, decuplum redit fructum, ita & postis attactu beati corporis refronduit in arborem, quæ ædes eas supergressa, etiam solarium ipsum contexit, & quemadmodùm scriptum est, volatilia Cœli requiescebant in ramis eius; Quod videns vidua illa, ad Dominum conuersa est.

47. *Ibid.in Mar.t.*2. Dùm S.Eusebia Abbatissa Hammaticensis, Marchianis in Gallo-Flandria, adolescens esset,ad Monasteriũ Hammaticum orationis

tionis causa nudis pedibus sæpè inscia Matre properabat, quod impedire volens, eam virga corripi iussit genitrix, & dùm corriperetur, à flagello excussa virgula, terræ inhæsit, & absque vllo succi incremento protinùs fronduit.

48. *Vuillielmus Malmesburiensis cap. 3. de gestis Pontif. Anglorum de S. Elphego. De Danis illius occisoribus.* Illi beneficiorum ingrati, curatorem suum lapidibus contrucidarunt. Nonnulli verò, quibus sanius consilium, de sepeliendis exuuiis Pontificis contendentes, aliquandiù percussores aduersarios habuerunt; sed lite in Iudicium deducta; conuenit, vt lignum aridum, quod sors obtulerat, si sanguine eius litum crastinò reuirescerет, arbitratu suo Christiani cadauer humarent. Factumque est, & lignum, cui tùm etiam & cortex deerat, manè inuentum reuiruisse, pubescens floribus, turgescens fructu. Quocirca corpus ad Sanctum Paulum Londoniæ tunc precipuè humari permissum.

49. *Iacobus Philippus Tomasinus in Historia B. Virginis Montis Ortoni.* Legitur, Beatam Virginem Petro Falco dixisse, se uelle locum illum syluestrem sub eius esse protectione, ibique cùm Filio se velle coli, & vt fides eius verbis daretur apud Patauinum populum, hæc signa dedisse. Accipe, inquit, oleæ ramum ex hoc monte in signum pacis, & pestis auertendæ, accipe & ramum è quercu, & vbi ad Vrbem perueneris, remque omnem exposueris, ramo quercus caput tuum cinge, & statim arescet, eodem ventrem cinge, & reuirescet statim, vt erat priùs, similiter si lumbos oleæ ramo cinxeris, aridus fiet, quòd si eumdem capiti imposueris, viridis euadet: Omnia fecit Petrus, & vt predixerat Virgo, euenerunt.

50. *Cæsar Franciottus in vitis S.S. Lucensium.* Propè Lucam quondam habitauit, sanctissimèque vixit B. Dorotheus Eremita: Hic cùm eo in loco aqua deesset, semel oratione facta, baculum terræ infixit, & somno correptus, & inde excitatus, baculum aridum, vidit viridem euasisse, frondesque emisisse, & iuxtà baculum, aquæ fontem.

51. *Petrus Ribadeneira in Vitis Sanctorum.* Deferebat Sanctus Christoforus virgam, quam semel cùm in terram fixisset, statim virut, floruitque; ad cuius miraculi conspectum, multi amplexi fuere veram Christi Domini nostri fidem.

52. *In Martyr. Gallicano Kal. Maij. de S. Orientio.* Quo tempore Vrsiniano Præsule Ausciensi defuncto, Clerus, plebsque orbata pastore, indicto ieiunio triduano, supplex apud Deum insistebat, vt sibi de idoneo Antistite prouideret. Audita orantibus vox est, præcipiens, Orientium in spelunca latentem, sibi vt deligerent Episcopum. Quem cùm adiissent, vir Dei, honoris potiùs, quàm oneris abhorrens, à Deo perdiscere voluit, si verbum ab ipso egressum fuisset. Fusa igitur prece, virgam, quam in manu gestabat, in terram defixit, quæ subitò frondens effloruit. Vocatum se igitur vt pridem Aaron intelligens, gregis cœlitus sibi tutelam, curamque demandatam suscepit.

53. *Gononus in Vitis P. P. Occident. Libr. 4. in vita S. Pauli Episcopi.* Defuncto B. Torquato Episcopo Tricastrinæ Ciuitatis, Sanctus Paulus, diuino reuelante numine subrogatus fuit; quod cùm ille, indignum se reputans, recusaret, pro vt homo ira commotus, virgam, quam manu gestabat, terræ infigens, dixit: quandò virga hæc ex se ramos producens, florigero ritu gemmis potuerit vernare, tunc & ego ordinabor Episcopus; aliter sanè nequaquam. O omnipotentia Creatoris! statim sub oculis videntium lignum aridum frondescens, virorem, & vigorem recepit. Tunc D. Paulus intelligens voluntatem Dei, collum submisit, & Episcopus est ordinatus.

54. *Marchatius.* In Leodiensi Prouincia illustris habetur Sanctus Ioannes Agnus inter Episcopos Tungrenses vigesimus quintus, quem transmarinus quidam vir omnibus ignotus, Angelo monente, Agriculturæ intentum reperit, & Tungrensem Cathedram inire iubet. Reluctatur ille, multa causatus, quòd indignus sit eo fastigio. Ad extremum, baculum, quem manu gerebat, terræ infigit, aitque, non magis fieri posse vt ipse Episcopus fiat, quàm vt aridus iste stipes, radices, fondes, flores, fructus repentè parturiat. Vidit tamen hæc illa fieri, & se diuinitùs ad regimen animarum vocatum intellexit.

55. *Aloysius Torellus in Hist. Augustiniana, an. 672.* Defuncto Recesuindo Hispaniarum Rege, An. 672. de noua electione cogitantes Principes Regni, in id venerunt consilium, vt quorumdam, qui habiliores existimabantur, ad Summum Pontificem Deodatum mitterent nomina, illique coronam imponerent, quem ipse elegisset; Pontifex autem relictis omnibus, respondit, ita Deo inspirante, voluntatem diuinam esse, vt quendam Lusitanum eligerent, cui nomen erat Bamba. Hoc ergo accepto Oraculo, hominem quærunt, & inuentum in agro suo operantem, coronare volebant; cùm ille se indignum cognoscens, submittere coronæ caput negabat, credensque ab illis illudi, defixo humi sicco baculo, quem in manibus habebat, dixit; Se tunc crediturum illis, quæ illi dicebant, assensurumque eorum voluntati, quandò lignum illud floruisset: Et ecce mirũ, statim lignum illud aridum frondescere cæpit, floresque permultos emisit, quo miraculo voluntatem Dei cognoscens, acquieuit, coronatusque est Rex.

56. *Constantius Lodi in vita B. Ioannis Boni lib. 2. c. 19.* Cùm B. Ioannes Bonus ex ordine Sancti Augustini aridum lignum ab igne, à quo comburebatur, sustulisset, in hortumque propriis deplantaret manibus; illicò virescere, frondesque emittere omnibus cernentibus cæpit, paulòq; post & fructuum sapidorum tantam produxit copiam, vt ex his omnes Monasterii Fratres ad satietatem degustauerint.

57. *Idem ibidem.* Semel Beatus vir nucleum amygdalinum siccum terræ mandauit, & post spatium vnius horæ germinauit, indèque post aliquos annos in vberrimam creuit arborem. Aliàs ramusculum aridum pomi plantauit, qui statim viruit, deindèque in arborem creuit.

58. In

58. *In actis S. Euasij Episcopi*. Baculus Pastoralis S. Euasij Episcopi mirabiliter fronduit, quod illi martyrii indicium fuit.

59. *Benedictus Gononus in vitis P.P. Occident. lib. 4. de S. Libaria Virg. & Mar.* Cùm hæc Virgo Sancta ante statuam Apollinis ab impio Iuliano, vt eam veneraretur, constituta esset, Idolum detestata est, Deoque vero fusis precibus, surrexit, & tenens colum suam in manu sua, percussit statuam auream, quæ contrita est minutim. Et post hæc fixit colum in terra, & germinauit folia, & fusos, & nescierunt, cuius arboris sint. Hæc videntes populi, plusquàm quadrigenti conuersi sunt ad Christum.

60. *S. Gregorius Turonensis de gloria Confessorum cap. 50.* Cùm Sanctus Seuerinus Presbyter ab vna Ecclesia die Dominico, re sacra peracta, ad aliam se conferret, & velociùs cornipedem calce verberans, properaret, caput eius ramus mespili arboris percussit, ille iniuriam sentiens, ait: Arescere te iubet Deus, cuius nutu de terra egressa es: & confestim aruit arbor, vsque in ipsis virtutis suæ radicibus. Ille verò accedens, quò ibat, celebratis solemnijs, fuit in eodem loco tribus diebus. Quarta autem die regressus, cùm vidisset arborem aridam, ait: Væ mihi, qui in amaritudine cordis maledixi huic arbori; ecce enim qualiter aruit; & descendit, prostrauit se ad radices eius & ait ad Dominum. Deus Omnipotens, cuius nutu omnia gubernantur; cuius imperio non nata creantur, creata viuunt, mortua reformantur, cuius salubre præceptum tenentes, viuere nos post mortem corporis huius credimus per futuram Resurrectionem; Tu præcipe, vt reuiuiscat hæc arbor, & fit sicut antea. Et statim, quasi per aliquam venarum dispositionem humor à terra consurgens, per totos arboris patulæ ramos vbere irrigatione diffunditur, laxansque nodos arentes, prorumpentibus folijs reuixisse ab astantibus est mirata.

61. *Idem ibidem cap. 23.* Requiescit haùd procùl ab Ecclesia Cainonensis vici Vrbis Turonicæ, Ioannes quidam presbyter natione Britto, in summa Religione degens, per cuius manum Dominus multa signa sanitatum dignatus est operari; qui ob amorem Diuinum ab aspectibus se hominum cohibens, paruulam Oratorij cellulam habebat ante ipsam Cainonensis vici Ecclesiam: ibique in viridariolo, quod manu propria excolebat, lauros arbores plantauerat, quæ nunc vastis columnarum fomitibus iucundarum frondium amænitate tenduntur; sub quarum vmbraculo vir sanctus consedens, aut legebat aliquid, aut scribebat. Cuius post obitum, cùm arbores illæ, vt diximus, patulis diffusæ ramis obumbrarent locum viridarii, vna ex his vetustate senescens exaruit; Tunc custos loci effossa cùm radicibus columna, incisis ipsis cùm ramis suis, scamnum adaptat, in quo interdùm, aut resideret lassus, aut aliquid secure decideret, cùm necessitas exegisset. Quod cùm per duos annos, aut ferè ampliùs scamnum in hoc vsu habuisset, tactus, vt credo, inspiratione diuina, dolore cordis, ait: Væ mihi, quia peccaui, vt arborem, quam talis sacerdos propria manu plantauit, ego ad diuersas necessitatum vtar sessiones: & hæc dicens, accepto sarculo, effossa humo, & incisis scamni pedibus, posuit ipsum sub terra, repleuitque fossam humo. Mirum dictu, adueniente verno tempore, sicut reliquæ arbores florescunt, ita & hæc columna, quæ viri manu, vt ita dixeram, sepulta fuerat; rediuiua in sospitate virescens, nouas frondes emisit. Extant de ea hodiè quoque virgulta in quinum, senumque, aut ferè ampliùs pedum altitudine, quæ annis singulis incrementum sumentia, à Domino subleuantur.

62. *Surius in vita S. Adalberti Confess. 25. Iun.* Die quodam inter cęnandum cùm amico suo Eggo, cùm se mutuis ex more colloquiis oblectarent, vir sanctus illi aperuit, velle se patriam, parentesque reuisere, vt posset etiam illis aliquid gratiæ spiritalis impertiri. At Eggo nimis molestè ferens tanti amici absentiam, cùm lachrymis curiosè ex eo sciscitabatur, ad quod tempus rediturus erat; tùm vir Deo plenus, eius piæ solicitudinis misertus, fragmentum pomi, quod fortè manu tenebat, in ignem proiiciens, cùm huius, inquit, pomi grana in virgulta excreuerint, me Deo benè propitio, tibi restitutum videbis. Deindè susceptam profectionem prosequens, emenso Mari, in patriam venit, diùque optatam sui præsentiam natiuæ regioni exhibuit, illicque aliquandiù moratus, verbis, & exemplis non paucos ad sui imitationem illexit. Semper enim Dei gratia virum sanctum quocùmque se conferret, & præuenit, & subsecuta est. Ita ergo lucrandis Deo animabus totum incumbens, præsentis laboris asperitatem futuræ mercedis contemplatione leniebat. Interea Eggo ille, quem diximus, sponsionis viri Dei æstimator auidissimus, eius reditum mirè sitiebat. Vt autem miraculum, beati viri declarandis meritis Diuinitùs destinatum, augustius existeret, accidit, vt hospitiolum, in quo grana pomi ignis, mittente S. Adalberto, exceperat, voracibus flammis in fauillas redigeretur. Ecquis verò ex eiusmodi ambusto loco germen vllum vnquam emersurum, nedùm benè frugiferas plantas ex carbonum reliquiis prodituras speraret? Sed Deo, cui omninò idem est velle, quod posse, nihil ad efficiendum difficile est; deniq; vbi opportunum aduentauit tempus, ex eodem loco prodijt germen odoris Domini, & grana in ignem iacta, rediuiuos protulere flores, nec tamen fructus adferendo, tantam sui admirationem excitarunt, quantùm attulit gaudij reditus optatus beatissimi Patris Adalberti, qui, vt promiserat, in Frisiam reuersus, tantò maiori omnium studio, & beneuolentia accipitur, quantò eius Sanctitas euidentiori miraculorum attestatione, & propheticæ sponsionis certiori exhibitione versùm se se celebriùs diffudit.

63. *Vincentius in Spec. Hist. lib. 24. cap. 9.* Cùm Carolus Magnus contra Saracenos bellum commissurus esset, extiterunt quidam Christiani, qui serò antè diem belli arma sua bellica studiosissimè præparantes, hastas suas erectas infixerunt in terra ante castra iuxta fluuium in pratis, qui dicitur Ceya, in quo loco postea Beatorum M.M. Facundi, &

di, & Primitiui Basilica ingens, & optima iussu, & auxilio Caroli constructa est, & magna Villa, & pinguissima. Istas hastas summo mane corticibus, & frondibus decoratas inuenerunt, hi scilicet, qui in acie proxima martyrij palmam adepturi erant, in Dei fide, & admodùm miranter, absciderunt eas propè terram, & radices, quæ remanserunt in terra in modum perticarum, ex se postea magna generarunt arbusta, quæ adhùc in illo loco apparent.

64. *In actis S.Carthagi*. In officio Ecclesiastico S.Carthagi Lismorensis, recolitur miraculum de arbore malo penè arida, quæ per signum Crucis salutiferæ ab illo Sancto impressum, primùm fronduit, deindè floruit, demùm produxit fructum pulcherrimum, sed amarum, quæ denique amaritudo per eum ablata est, repetito Crucis signaculo, & poma inuenta sunt, vt mel dulcia.

65. *Petrus de Natalibus lib.6.cap.43.* Olim in peruigilio festi S. Thomæ Apostoli sterili Brumæ tempore post exactum pensum vesperarum eius diei, Episcopus aperta vrna sepulchrali, aridum vitis palmitem inter manus Apostoli collocabat; postridiè verò, cùm diluculareт, inueniebatur palmes non uirere modò cùm pampinis, sed turgescere cùm botris, velut in vindemiam, ex quibus tantùm vini exprimebatur, quantùm erat satis pro libamine ad solemne sacrificium in ea celebritate, vt Antistes cùm plebe communicarent.

66. *Vincentius in Spec. Histor. lib.24. capit.* 5. Cùm Carolus Magnus Hierosolymam profectus, sacras Reliquias sibi dari poposcisset; Episcopus aliquas Spinas de Corona Saluatoris illi donare cupiens, aperuit thecam, in qua erat Corona Spinea, & cùm ante eam orasset Rex, statim ros cælitùs veniens lignum insudit, & inebriauit, & flores emittere cæpit; Cùm uerò Episcopus adunca forcipe robur ipsius ligni secare inciperet, tunc magis, ac magis florere cæpit.

67. *Ioan.Eus.lib.2.de mirac.nat.cap.*58. In quodam Æthiopiæ Regno centum quinquaginta iam olim templa in vno territorio decem circiter leucarum spatio numerabantur, quæ Æthiopes olìm si quid à Deo obtinere contendebant, litanias decantando adibant. Ferunt orare illos solitos, vt in precationum exauditarum argumentum, arborem arefaceret Deus, haùd procùl ab illis dissitam templis, atque ita cùm fieret, illis ad orandum se componentibus, arborem ad pristinum virorem interim reuerti solitam: & ita petitorum se compotes fore intelligebant. Verùm ex quo ab Ecclesię se Romanę vnione separarunt, hoc cessasse sunt qui dicunt.

68. *Vading. in ann. Minorum An.* 1447. Duo Regulares Obseruantiæ professores Cæsaraugustam tempore brumali sub noctem accesserant, sed extra Vrbem ex altera parte Iberi fluminis hærentes apud pium quemdam vinitorem; eorum causa, vel incuria magna strues sarmentorum aliquali etiam vineæ detrimento exarsit. Incendij monitus vineæ dominus, Petrus Ferriz heros Cæsaraugustanus, iniurijs Fratres lacessiuit; sed qui facit iudicium iniuriam patientibus, sequenti vere immisso æstu vineam exsiccauit. Ille supplicio culpam agnoscens, fratres in quodam tuguriolo commorantes rogauit, vt parcerent, & apud Deum intercedentes errati veniam impetrarent. Orauerunt, & exaudiuit Dominus, mirabiliter prædicta vinea, reuirentibus pampinis, pristinæ gloriæ, & vigori restituta.

69. *Idem ibidem an.*1340.*num.* 25. In Prouincia Desmoniæ loco valdè solitario in Hibernia propè lacum Leinum; miraculosa imago *Sacratiss.* Virginis asseruabatur; Hæretici primo tempore, quo locum Sanctum prophanarunt, Christi Crucifixi effigiem pedibus cõculcarunt, sed non impunè, sequenti etenim die sacrilegij authores expirarunt. Prædictam Virginis imaginem irruentibus aliàs hæreticis, fratres extulerunt, atque ad radicem aridæ, & excoriatæ arboris absconderunt; statim ad Simulacri contactum reuiruit aridum lignum, germinauit frondes,& tenera uirgulta, ramorumque densitate latibulum imaginis ab irruente pluuia contexit, ita vt per integrum annum nullum sit passa detrimentum.

70. *Zacharias Bouerius in Annal.Capuc. an.* 1570. F.Nicolaus ex Oppido Quinque-frondium, Laicus, Rheginæ Prouinciæ, vir fuit omni virtutum genere ornatissimus, tamque singulari simplicitatis, atque obedientiæ virtute prædìtus; vt cùm Mileti Conuentus Guardianus, vt ipsius obedientiæ periculum faceret, eidem præcepisset, vt fici ramum, fermè aridum, in horto plantaret, ac quotidiano labore irrigaret: id absque vlla cunctatione præstiterit. Porrò haùd absimile huic ab eo factum accidit, quod de antiquo oo Anachoreta apud Cassianum legitur: tanta enim fuit huius obedientiæ apud Deum vis, vt aridus ferè ramus, *simplici* obedientia excultus, in arborem excreuerit: *fructusque* vberrimos protulerit, qui deinceps à Fratribus obedientiæ fructus appellari solebant.

71. *In annal.Seruorum Cent.* 3. *lib.* 2. *cap.*15. *An.* 1166. Alexandro Tertio summo Pont., & Friderico I. Imperantibus, Tyrannus quidam Aquipendii regnabat, qui & terram illam, & finitimos quosque, nec non Romipetas, aliosque prætereuntes immani feritate premebat, adeò vt Primores illius terræ, sæpè inter se se de tàm sæua tirannide conquesti, sensim in eum iureiurando conspirare cæpissent. Mensis interea Maius aduenerat, quandò quidam duo rustici extra Portam, quæ dicebatur S. Victoriæ, ad excolendam vineam quandam conuenerant, in qua Cerasus arbor iamduclùm exsiccata adhùc supererat propè Imaginem quamdam B. M. V. antiquitùs sub parua Cellula depictam. Dissidentibus interim eo in agro Rusticis inter se se, & de inita Ciuium coniuratione in Tyrannum variè opinantibus, an scilicet ad optatum finem aliquandò peruentura foret, dùm alter de illius euentu affirmat, alter socium deridens, & obiurgans, id nequaquam fieri posse negat, & interim sic obstinatè in suam sententiam permanens, oculos in aridam illam arborem coniiciens, faciliùs erit (inquit) arborem illam Cerasi Imaginis illius B. Virginis virtute reuirescere, quàm quòd nostri Ciues Tyranni huius iugum excutere vnquam

quàm valeant. Vix hæc Rusticus, cùm dicto citiùs arida illa arbor turgentibus vndequaque gemmis, & floribus vernantibus reuirescere visa fuit. Obstupuere ambo; ambo sacram venerantur imaginem; Amborum hæc vox vna simul erupit: Misericordia; Misericordia ò sancta Mater Dei; Fit statim clamor; accurrunt oppidani simul, & Villici, mirantur omnes, & timent, omnes clamant; Maria Mater Gratiæ, Misericordiæ, Tu nos ab hoste protege. Fortè aderat inter eos pius quidam vir, nomine Albertus Brito, qui longo tempore in Fano S. Victoriæ apud eos eremiticam uitam duxerat, hodiè ab Aquensibus inter Beatos habitus. Hic igitur sequenti nocte per visum à B. Virgine monitus, Romam ad Alexandrum Pontificem sine mora perrexit, & rem, vt contigisset, per ordinem enarrauit, & quomodò Aquenses pulso, si possent, Tyranno, in eius ditionem vltrò venire cuperent. Quibus auditis Pontifex, & accitis simul Florentinis, Vrbeueranis, & Senensium copijs, Tyrannum repentè obsedit, oppressit, & Aquipendium sub Ecclesiæ protectionem in pristinam libertatem asseruit. Tanti igitur voti compotes, statuerunt Aquenses, vt eo in loco, vbi floruerat arida Cerasus, Templum ædificaretur in honorem B. Virginis, & solemnes quotannis preces, & lustrationes, Idibus Maij ex Senatus consulto pro gratiarum actione ibi haberentur.

72. *Gumpenberg. de Imag. B. Virg. Trialacensi in Hibernia.* Cùm hæc sac. imago ob Elisabethæ Reginæ persecutionem sæculo præterito, in decorticata, & arida arbore occultata fuisset, arborem fecit quàm primùm producere folia, flores, & ramos, vt meliùs à pluuia defenderetur, & sanè defensa est, quandò integro anno ibi incorrupta latuit.

73. *VVickmans lib. 3. cap. 46.* Ioannes Rusbrochius sanctissimè vixit in eremo Vallis-viridis in Germ. Infer. multaque deuotissimè scripsit. Tilia autem iuxta quam libros suos scripsit, etiam si sæculo superiore omninò exaruerit, & vetustate tantùm non cōciderit; hoc sæculo miris, sed veris modis reuiruit, ramisq; ac frondibus onusta, omnium oculos recreat, absq; omni vel ariditatis, vel vetustatis signo. Iuxta hanc Isabella Clara Eugenia an. 1622. sacellum ad formam Lauretani ædificauit.

74. *Ioseph Sylos in Hist. Cleric. Reg. Part. 1. lib. 11.* Excipiebat confessiones cuiusdam piæ, simplicisque Virginis Ven. Noster Ioannes Marinonius. Hanc iam viro maturam nuptui collocare destinarunt Fratres, quod cùm illa non adprobaret, quippè quæ integritatem supremo Numini vouerat, fraude simplicem Virginem decipere tentarunt; illi etenim persuaserunt, vt natalitia Christi Domini nocte sumeret Origani fasciculum, sisteretque Deiparæ: tùm millies salutationem Angelicam recitaret, peteretque, vt quam ipsa potissimùm vitæ rationem iniret, ac nuptam ne, an cælibem vellet, perbenignè significaret; & siquidem Origanum floruisset (quod ipsi impossibile credebant) sciret, Virgineum illud decus, ac florem consecratum sibi Deum velle; si secùs, eam esse Numinis mentem, vt nuberet. Tùm illa, quæ nihil inconsulto Marinonio aggredi solita erat, nil potiùs habuit, quàm deferre ad ipsum protinùs rem; cui suboluit statim fraus, ac spe bona fretus fore vt versutia per eadem met vestigia Diuina ope ludificaretur; peragi constanter id iussit. Quod cùm illa festa ea nocte exequitur, corripi se horrore quodam, ac percelli intimè sensit. Nec multò: reuirescere, ac florere perbellè Origanum vidit, perindè ac si tempestiuo suo mense, ac Sole pubesceret.

Arbores subitò diuinitùs infrugiferæ redditæ, & arescentes. §. 2.

FIcum infrugiferam, momentò aridam, ac perpetuò sterilem maledicto reddidit quondam Christus Dominus. Hoc itidem quandòque postea admirabili modo præstitere Sanctissimi viri, arbores licet frondibus, fructibusque onustas, subitò sterilitati, ariditatique damnantes. De quibus.

1. *In lib. Scalæ Cæli.* In diœcesi Balleuallensi quędam est Sylua arida, & sterile quoddam stagnum iuxtà Syluam. Cuius causam asserunt incolæ loci talem. Miles quidam abstulit Syluam cùm stagno per violentiam à quibusdam religiosis; Cum autem Abbas eiusdem loci, nec precio, nec placitis recuperare posset ablatam sibi possessionem, venit ad locum, dicens syluæ, & stagno; sicut ueram, & debitam iurisdictionem in vobis habemus, ita sub interminatione anathematis, & excommunicationis vobis inhibeo, ne de cæterò fructus, vel res aliquas producatis, vndè gaudeant qui vos nobis iniustè abstulerunt, & ex tunc Sylua aruit, & stagnum sterile permansit.

2. *In vita S. Patritij cap. 127.* Cùm Beatus Patritius die quadam accelerasset iter ad ministerium consuetæ prædicationis, cùm summa instantia, rota currus, cui insidebat, in duas partes inueniebatur confracta. Ad syluam igitur vicinam curritur, lignum aptum visu, congruum æstimatione succiditur, dolatur, rotæ reparandæ adaptatur; attamen casso labore diù desudatur, quia rota, sicut priùs, dissoluta videbatur, & confracta. Iterùm enim atque iterùm rhedæ restauratio attentatur, sed fractura continuò, ac si cælitùs contigisset, renouatur. Vir ergo Dei huius casum non sine causa contigisse intellexit, ac diligentiùs de sylua, quæ, vel cuius esset, inquirens, illam consecratam fuisse Dijs, immò Dæmoniis à referentibus agnouit. Sanctus Secretorum Diuinorum conscius, concorsq; Cælesti sentētiæ, leuata lęua maledixit Syluæ præfatæ. O Miraculum! Lucus ille totus instar Euangelicę ficulneæ confestim aruit, nec vlteriùs vllum arbustum aptius alicuius vtilitatis vsui, vel operi, quàm igni, protulit.

3. *In vita S. Eligij Ep. Nouiom. l. 2. c. 22.* Quādòque iter necessarium suscipiens S. Eligius, peruenit ad locum quemdam propinquum Compendio, regali palatio; Fessus ex itinere, diuertit in agrum cuiusdam coloni, vbi erat arbor nucibus onusta, è quibus ministri eius, illo in diuersorio manente, quasdam decerpserunt. Accurrit ocyùs arboris Domi-

Dominus, procaciter improperans nuces sibi eripi. Id vbi comperit B. Eligius, vocat ad se virum & blandè, ac commiter illum appellans, orat ne propter paucas nuces, cùm plurimæ illi relictæ essent, tantas turbas cieat, ait se pro nucibus ablatis liberaliter satisfacturum; Sed ille tumido animo bonitatem eius spernens, asperis in eum verbis inuehitur, eadem sæpiùs iterans. Tùm vir Dei animo mutato, famulos quidem, quòd id fecissent, acriter obiurgat, homini illi tres aureos numerari iubet; sed ad arborem conuersus, vt olìm Saluator noster ad ficulneam, ita ait: Quandòquidem adeò tua causa infestamur, nunquam deinceps ex te fructus nascetur in æternum; confestim ad vocem eius arbor exaruit, hodièque sic perseuerat.

4. ***Bollandus in Addit. ad vitam S. Simeonis Stylitæ 5. Iann.*** Post obitum viri Dei, Montes, & campi, & arbores contristatæ sunt circa loca illa; Nam Montes cùm vallibus nulla viriditate vernantes, hyemali ariditate horrebant. Arbores verò nulla florum feracitate pubescétes, vel fructuum prouentu pinguescentes, ea maledictione credebantur aruisse, qua aruit ficus, cui Dominus esuriens legitur maledixisse.

5. *Ioan. Buss. li. 2. de mirac. nat. cap. 67.* Quædam mulier poma attulit S. Virgini Brigidæ; simul autem accedebant leprosi, stipem ab ea emendicantes; iussit ergo poma illa dari miseris; at mulier id audiens, poma ad se retraxit, dicens: non leprosis hæc mala attuli, sed tibi. & Virginibus tuis; displicuit id Sanctæ Virgini, aitque ad illam: non rectè facis, dùm hoc misericordiæ officium impedis; itaque arbores tuas noueris æterna sterilitate damnatas. Abiit Mulier, & ecce hortum suum, quem pomis plenum reliquerat, vacuum inuenit, & deinceps perpetuò sensit sterilem.

6. ***Surius in vita S. VVolstani.*** Elsinus Regis Eduardi quondam Magister, ad consecrandam, aut benedicendam Ecclesiam VVolstanum Episcopum precibus importunis diù, multùmque aduocauit. Erat autem in Cæmeterio arbor nucea patulis frondibus vmbrosa, quæ luxuriante ramorum amplitudine, luminibus officiebat Ecclesiæ. Solebat autem vir ille aleis, & epulis sub illa arbore vacare, & cùm iussisset eam Episcopus abscindi, maluit Ecclesiam non dedicari, quàm arborem indè penitùs deponi. Vir ergo Sanctus maledictionis iaculum in arborem offensus intorsit, & illa quasi vulnerata sterilescens, radicitùs exaruit, & fructu caruit. Exarcebatus indè Dominus eam abscindi iussit.

7. ***In actis B. Ioannæ Reginæ Lusitaniæ Ord. Præd.*** Dùm corpus eius in templum efferretur, omnium in conspectu illud accidit, quo Ioannæ decessum, vel ipsæ arbores, & herbæ sensus expertes collachrymari visæ sunt; arentibus enim subitò ramis; florum, & foliorum honorem excussere arbores, & emorientes herbæ: quamque sibi beneficam senserant, demortuā, seipsas amęnitate, & vita mulctantes, deflere visæ sunt. Aruerunt Cotoneæ mali, citrinæ Medicæ, & quot quot insita erant arborum, & herbarum genera, neque ex ijs vlla repullulauit.

8. ***Ludouicus Granata 2. par. Catb. cap. 27. §. 7.*** Latro quidam vas argenteum furto sublatum abdiderat in excauato trunco annosæ populi, Vallisoleti propè Ecclesiam B. Magdalenæ sitæ; Interea cùm ore Sacerdotis in eum, qui vas surripuerat, aut retinebat, excommunicationis sententia quasi fulmen emitteretur, repentè arescere cæpit arbor; sed vase posteà reperto, & ei, cuius erat, restituto, natiua viriditas ac pulchritudo arbori reddita est, omnibus tanti miraculi stupore defixis.

9. ***Manrique in ann. Cisterciensibus an. 1123. cap. 4.*** In Monasterio Claræ-vallis plantauerat quidam frater, nomine Christophorus, vineam; At Gerardus, & Guido S. Bernardi fratres vinum nimias delicias arbitrantes, Christophorum ab incæpto dissuadere quibus poterant medijs insistebant; ille è contra opus incæptum prosequebatur. Tùm Gerardus, quo erat feruens zelo, versus ad vineæ satorem prorupit in hæc verba: Tu Frater, vineam planta, coleque; nunquam tamen de illa gustaturus, quam infructiferam semper experieris. Res mira, & digna, quæ versetur *in ore omnium*: sata, atque industrio labore exculta vinea, fertili solo, & propitio sole, & aere, sterilis nihilominùs permansit per multos annos; nec priùs terra fructum ex illa protulit, quàm satorem susciperet, atque eius defuncti corpus in se haberet. Obedientibus nimirùm creaturis voci *Gerardi*, atque ad illius imperium comprimentibus inditas sibi à natura operationes. Sic zelus Sancti viri mundo ostensus, & commendatus, miraculo insigni, & prophetia. Mortuo Satore, cùm nec tunc fructificaret, Bernardum Patrem Monachi adiere, dubium an etiam Gerardo vita functo, & vineam eam sterilem maledictione viri *illius* Sanctissimi, in eo statu semper permansuram, *si non* per ipsum benediceretur, humiles, & *fideles* renunciarunt. Tunc Pater Sanctus aquam in peluim missam ad se adduci, & benedictam, per vineam iussit spargi. Sparsa aqua, quasi rore de Cœlo misso, germinauit plantatio, & vt sterilis Gerardo fratri olìm, ex tunc opima Bernardo obtemperauit, & compensauit abundantia tarditatem, quò nec primum miraculum nocuisset, & secundum gloriosiùs appareret.

10. ***Ianus Nicius.*** Olìm Cardinales aliquot conuenere, vt in villa Farnesiorum pratis Neronianis adiuncta, de symbolis essent; quò cùm, die, atque hora constituta, venissent, ibique exornatum amplè, magnificèque conuiuium offendissent, statuerunt, nihil esse ampliùs expectandum, sed se quamprimùm sellis prandendi causa, commendare; verùm cùm aqua manibus daretur, eorum vnus annulum carissimum è digito sibi detractum, arboris cuiusdam ramo inseruit; sed postea, sermonum suauitate perceptus, qui erant in prandio lacessiti, non solùm oblitus est illum recipere, verùm etiam funditùs loci memoriam, vbi collocarat, abiecit, at confecto iam prandio, cùm eius meminisset, cæpit eum poscere; & quia nusquam inueniebatur, & quòd sibi non veniebat in mentem, cui commendasset, venit in suspicionem furti familia, quæ circa ipsum fuerat; itaque quis

quisquis ille esset, è cœtu fidelium segregandum, & Satanæ in interitum tradendum, curauit. Sed postea, quiescente iam illo, atque annuli iactura in obliuionem adducta, animaduersum est, arborem illam, cuius ramis suspensus ille annulus fuerat, exaruisse; quam cùm coloni diligentiùs inspicerent, quò repentinæ illius ariditatis causam inuestigarent, pendentem in ea annulum inuenerunt, detractumque summa cùm voluptate, suum ad dominum retulerunt.

11. *In Hist. Ordinis B. Mariæ de Mercede, & Redemptione Captiuorum, de Ven. Sor. Francisca de Assumptione.* In monasterij sui ordinis viridario, inter alias arbores, malus medica sita reperiebatur, quæ pulchra nimis, & gustui suauissima mala medica producebat, ex quibus cùm semel monialis quædam plures comedisset, & ob id in grauem morbum incidisset, non potuit Soror Francisca tunc Abbatissa, de filia ęgrota mœrore non affici magno; ad viridarium igitur profecta, anteque arborem genuflexa, fusis Deo precibus, imperauit ligno, vt deinceps frondibus solùm productis, à fructuum productione omninò cessaret. O admirabilis vis, & verborum efficacia! ex eo tempore, videlicet de anno Domini 1594. quandò hæc verba à nostra Abbatissa Sorore Francisca fuerunt prolata, vsque ad obitum eius, qui accidit mense Martij 1604. hæc arbor, ac si esset creatura rationalis, & in obedientiæ voto promptissima monialis, fructum, aut flores producere numquam ausa fuit. At verò nostræ Sanctæ Abbatissæ oculis suis (morte sequente) clausis, & vsu videndi carentibus, cæpit de mense Aprili suos iucundos, & odoriferos flores, & sua mala medica, sicut antea, producere.

12. *Franciscus de S. M. in Historia Discalceatorum tom. 1. lib. 3. cap. 30.* Cùm Anna à S.S. Trinitate ex discalceatis Sanctæ Teresiæ degens in conuentu Segobrigæ petijsset à Sancta Matre, vt sibi soli liceret è quadam pruno fructus colligere, communi tati tamen distribuendos; hoc illi concessit benigna Mater, exindeque abundantiora pruna cæpit arbor producere. At cùm tale priuilegium cæteris displiceret, post aliquod tempus, quæ tunc præerat monasterio, liberam colligendi tales fructus cæteris concessit licentiam: sed res mira, statim arbor arefacta est.

Arbores intempestiuè florentes, & fructificantes. §. 3.

AB Admirandorum albo haud proscribendæ sunt hæ arbores, quæ diuina virtute intempestiuè florentes, precoces & fructus mirabiliter quandòque edidere, in mediaque hyeme, floridum ver, fertilemque causauere autumnum: De his.

1. *Ludulphus à Saxonia*: Cùm Christus brumali tempore nasceretur, Vineæ Engaddi floruerunt, & Christum veram vitem venisse ostenderunt.

2. *Niceph. Callistus libr. 10. Ecclesf. Hist. cap. 2. de Iuliano Apostata.* Assimulans se ad Constantium tendere, veluti culpam, perindè atque inuitus imperij insignia recepisset, deprecaturus, vlterius indè Thraciam versùs processit; & vbi in eius regionis montes peruenit, quum post vindemiam Virgiliæ occiderent, vites gemmis, & vuis recentibus germinarunt, & ros ex aere in ipsum, comitesque eius ita diffusus est, vt gutta quælibet in sagis illorum crucis formam reprę̨sentaret; Et alij quidem, aliter prodigia, atque indicia hæc acceperunt. Verùm per vuas immaturas, intempestiuum eius minimèque diuturnum imperium est designatum; Crux autem, Christianorum doctrinam Cælestem esse, omnesque ea consignari oportere portendit. Vtrumque sanè posterioribus temporibus verum esse confirmatum est.

3. *Philippus Ferrarius, in Catalogo Sanctorum 19. Martij.* Cùm Ioannes Episcopus Spoletinus ad inuisendum iuisset S. Ioannem Abbatem, Paranensem cognomento, & Pyrensem, qui in quodam tuguriolo ad radices cuiusdam pyri propè Spoletum solitariè vitam degebat, pyrus prædicta folia, & flores illicò mense Iannuario mirabiliter edidit. Quo miraculo permotus Episcopus, monasterium ibidem construxit.

4. *Idem 1. Maij.* Cùm Iannuario mense Cerasa postulasset S. Aldrebrandus Episcopus Foro-Semproniensis, derideretur que; misit ad Altare, in quo ipse celebrare consueuerat, ac ibi cerasa recentia inuenta ad eum delata sunt.

5. *Idem 15. Maij.* Cùm quadam die S. Benignates, qui vitam solitariam in sylua apud Perusiam ducebat, non haberet quod aduenientibus apponeret, quoue famen depelleret; eius precibus oliua, & triticum, quorum nondum tempus aduenerat, diuinitùs matura euenerunt.

6. *In Martyr. Gallic. 13. Iannuarij.* Ambiani translatio S. Firmini Martyris, proprijque illius ciuitatis Apostoli. In qua beatissimi eius corporis repositione multa miracula diuinitùs coruscarunt; Caloris enim æstus, adulta iam hyeme, maximus factus est, arbores autem frondescere cæperunt, quibus folijs virentibus, Deo martyrem suum honorante, plerique ægri sanitatem, illorum deuota applicatione, receperunt.

7. *In actis S.S. 14. Iannuarij apud Bollandum, de S. Felice Presbytero Nolano, Episcopo Maximo semimortuo succurrente.* Similis mortuo iacens S. Episc. modico flatu salutis occultatæ vestigium in extremo vitæ limine retinebat. Cuius postquàm famulus Dei Felix deficientia fame ora conspexit, tristis ingemuit, quia neque vndè calefaceret algentem habebat, neque ad reficiendum Senem aliquod in deserto erat compendium. Cogitanti siquidem in ea hora cibum Christus opposuit, quia de spinosis sentibus super caput iusti media hyeme pendere vuam permisit. Hanc Beatus Felix celeri legit obsequio; Cuius liquorem supra gelida ora senis expressit, & distillanti musto, morientibus labiis succum vitæ diffudit. Refectusque subitò iucundo, & cælesti remedio, clausos penè morte oculos, in ianuam salutis aperuit.

8. *Ibidem 13. Iannuarij de Sancto Kentigerno.* Rex quidam Hiberniæ, audita Regis Scotiæ Rederet liberalitate, & munificentia, ioculatorem in

arte sua peritum mittens, tentare voluit, si famæ latè diffusæ veritas responderet. Cùmque peracta quadam solemnitate munera speciosa ei Rex conferret, & ille accipere renuens, talia in terra sua se satis habere posse asserens; requisitus, quid vellet accipere, ait: Si vis, inquit, vt benè remuneratus recedam, detur mihi discus moris recentibus plenus; Et timens Rex, ne honori eius, & famæ derogaretur, si ioculator irremuneratus abiret, cuncta retulit Kentigerno; & cùm hyemis tempus esset, ad Deum preces vir Dei fudit, & dumum moris recentibus plenum ostendit; & tollens discum, & moris implens, ioculatori dedit. Quo viso miraculo, post paucos dies relicta arte sua, melioris vitæ viam ingrediens, diuino se mancipauit obsequio.

9. *In actis S. S. Martij. Tom. 1. in continuatione Bollandi.* Cùm Sophia Cunradi Equitis vxor graui morbo afflicta, ad extremum vitæ deuenisset; confugit Eques ad patrocinium Beatæ Agnetis de Bohemia, vxoremque illius precibus commendans, petijt ab ea, vt pomum suis manibus ipsa benedictum infirmæ demandaret, hoc vtique percupidè optabat. Fecisset virgo, sed nullibi pomum reperire potuit; Incurrit nihilominùs in vicinum cœnobio arboretum, & licet hyems esset, siccaque iam arbor, tria, eaque lectissima poma Cruce Christi excitauit. Horum vnum cùm Sophia edisset, interpositis meritis Beatæ Agnetis, vim omnem mali dispulit, seriòque tandem postliminiò, valetudinem pristinam recepit.

10. *Hugo Menard, lib. 1. obser. in Decembr. De translatione Reliquiarum S. Benedicti.* Cùm anno 881. Floriacum translatæ essent Reliquiæ S. Benedicti, statim ac ad terram Nauis illas deferens est appulsa, omnes illius Territorij arbores, rubi, dumeta, & arbusta flores emiserunt.

11. *Iacobus Bosius in vita B. Gerardi de Villamagna Fr. Seru. Ord. Hierosoly.* Aliquandò ægrotanti magnus irrepsit appetitus cerasorum, idque in mense Iannuarij, rigescentibus & nudis arboribus, iussitque sororem, vt ex hortulo vicino illa discerperet. Puella potiùs obtéperatura, quàm quidquàm factura, abijt quò iussit, inuenit brumali, & rigido tempore arborem florentem, cerasis onustam, stupefacta collegit, ad votum languenti tulit, aliqua comedit; sed optimo sapore allecta, dùm regreditur, vt sibi euellat, videt priùs viridantem, iam aridam, & gelu rigentem.

12. *In Annalibus Seruorum Cent. 2. lib. 1. cap. x. de B. Thoma de Vrbeueteri ordinis Seruorum Beatæ Mariæ, qui obijt Anno Domini 1343.* Contigit aliquandò, vt mulier quædam fætu grauida, à qua B. Thomas quotidiè eleemosynas accipiebat, recentes ficus ex Viridario Fratrum, quas solebat Thomas Autumno tempore benefactoribus elargiri, auidè quidem (quod prægnantium est) extempore appeteret, summoque desiderio ab eo exposceret. Hanc verò piam mulierem Thomas ne minimùm quidem contristaret, pollicitus fuit, se postera die (erat tunc Mensis Iannuarius) eidem, quas reperisset, recentes allaturum, quod & re ipsa præstitit. Nam domum reuersus, post consuetam orationem, ficulneam circùmspiciens, tres in vno eodemque ramusculo ficus præcoces inter quinque viridantia folia reperit, & Mulieri pregnanti postridiè obtulit. Hæc ficulnea B. Thomæ nomen adhuc retinens, suauissimos fructus quotannis vsque ad hæc nostra tempora, an. scilicet 1618. ex se proferre solet.

13. *Ibidem Cen. 1. lib. 5. cap. 13. an. 1239. de vinea in Senario Monte diuinitùs excrescente.* Sexto iam labente Pænitentium virorum anno, tempus aderat, quo incarnandi Verbi Mysterium Æquinoctio vernante celebrare consueuit Ecclesia, cùm fortè accidit in Senario, vt Vinea non multò ante infrà Pomerium plantata, diluculò tertiæ Dominicæ Quadragesimæ, in ramos, & gemmas turgescere extempore visa fuerit, ac subindè locum circumdare palmitibus, præcocesque vndique producere botros: quod Patres illicò intuentes, nouum sibi apparuisse prodigium rati, Deum precabantur, vt tàm insoliti euentus, qui magnum quid portendere videbatur, mysterium eis reuelare dignaretur. Bonfilius verò, qui nihil inconsulto Episcopo ausus vmquam tentare fuisset, rem, vt contigerat, Episcopo narrandam mandat, si fortè ex tàm admirabili prodigio aliquid ediscere posset. Venit igitur ad Episcopum, qui diceret Vineam, quam præterito anno in Senario propè claustrum Patres plantauerant, eadem nocte illum locum palmitibus, gemmis, vuisque turgentibus, miro ambitu fuisse circumplexam; quod non iam naturæ ordine, in tàm frigido, in tàm edito loco, tàm extempore, quàm certissimo euenisse miraculo arbitrabantur. Quo audito, Episcopus portentum hoc diuinitùs ostensum esse dixit, foreque, vt vinea illa in agro Dominico plantata, mirum in modum augeri deberet.

14. *Ibidem an. 1468. de B. Iacobo à Castro Plebis.* Cùm Castrum reuerteretur B. Iacobus nemorosa in via, per scelestos Siccarios occisus est, & ad arboris radices impiorum gladiis confossus, in sylua mortuus iacuit. cùmque Castrum minimè reuerteretur, omnes admiratione capti, ipsum per diuersa loca statuerunt inquirere. Placuit tandem Altissimo, vt Pastores quidam eam syluam fortuitò ingredientes, viridem, atque florentem arborem ibidem inspicerent, vndè admiratione maxima affecti (quòd & Iannuario mense, omnes ferè eius loci partes horridis niuibus essent opertæ) viam, vt propiùs arborem inspicerent, aggressi sunt. Ibi igitur singula fronde, & floribus, ac de mense Maij conspersa vndique conspiciunt; Vndè maiori inuicem stupore capti; Miraculum, Miraculum cæperunt exclamare. Quapropter admiratione in timorem conuersa, terga vertere statuentes, viam ampliùs inuenire, nec vestigium quidem videre potuerunt; quare paulatim Arborem ipsam circumeuntes, omnia vermenis, floribusque valdè odorantibus repleta inspexerũt, Ad ipsam tandem cùm peruenissent, flexis genibus, summisq; precibus, vermenas, florentesq; ramos amouentes, Virum gladiis confossum repererunt, quem subito pauore affecti deserere volebant, quando vocem audierunt dicen-

dicentem sibi: Eiicite me foràs, sum enim Iacobus à Castro Plebis Xenodocus: Illi verò ampliùs exterriti, audiunt iterùm: Nolite expauescere, læto animo hisce sentibus me eiiciatis: quem denique extractum deseruerunt, & viam, vt hæc Episcopo, & Prætori nunciarent, aggressi sunt, rem illam nemini, si quem per viam inuenissent, occultantes.

15. *In vitis Patrum li.1.de S.Onuphrio cap.10.* In loco, quem inhabitabat S. Onuphrius, Arbores palmarum constitutæ erant, quæ duodecies in anno dactylorum fructus germinabant. Quos per singulos dies colligens, pro pane edebat, mixtos herbarum foliis, & erant in ore eius tamquam fauus mellis.

16. *Lippellous in vita S.Gudulæ, 8.Iann.* Mox vt sanctissimum corpus S. Gudulæ Virg. in Villa Ham dicta apud Brabantos, terræ mandatum est, arbor, quam dicunt Populum, hyemali tempore frondes resumere, propagines formare, & clarissimum eiusdem Virginis in Domo Domini, vt palma florentis, testimonium dare visa est.

17. *S.Odo Abb.Cluniac.de reuersione B.Martini à Burgundia.* Ingresso itaq; B.Archipræsule Martino propriæ Parochiæ fines, Pastoris sui sentientes aduentum, grata congratulationis suæ signa prætendunt. Vniuersæ siquidem arbores, & fructeta tempore brumali, repugnante licet natura, rediuiuis vestita foliis, & floribus vernarunt, & in sui ornatu, quantæ meritorum excellentiæ sit pater patriæ repatrians, demonstrarunt.

18. *Bzouius in ann.Eccl.an.1338.num.12.* Hoc anno à quinto Kal. Decembris, vsque ad quartum Idus Februarii gelu maximum durauit in Anglia, & niues multæ, & per id temporis prodigium ibi aparuit; nempè in mense Iannuario salices protulerunt flores, rosis in quantitate, & colore persimiles, quamquàm eo anno fuisset hyems tanta, quanta à vigesimo anno memoratur.

19. *Surius in vita S.Antonini Archiepisc.Flor. 2.Maij.* Erant Neapoli Sorores duæ, quas Antoninus D.Petri Martyris Cœnobio præfectus, calore suarum concionum ductas ad quamdam vitæ sanctioris formam in religioso habitu, intra domum tamen excitauerat. Semel in earum hortulis cùm rigente Cœlo mali citreæ ad vnam omnes stirpitùs aruissent, lymonem (ea est arbuscula ex eodem genere) quam suis præsul manibus panxerat, proditum est, solam ab illa vredine, atque intemperie seruatam.

20. *Auct.Fast.Marian.de S.Ioanne Silentiario.* Ad Cœnobium reuersus, & post multos annos ab Angelo proditus, Caryotam in petram abiecit. Et ecce continuò hæc simul radices, simul germen agere, tùm frondes tota ædicula explicare, & post tertium denique diem fructum ferre, visa est.

21. *In actis S.Franciscæ Romanæ.* Aliquandò sororum extra Vrbem ligna parantium mense Iannuario, sitim, recentis vuæ racemis ex vite in arbore pendentibus, mirabiliter obtentis, abundè expleuit B.Francisca.

22. *In vita S.Clari Ab.* In grandinatam vineam Clarus cum fratribus aduenit, uocato Custode, quæsiuit, si racemi ad vsum uini aliqui remansissent; sed cùm vix pauci essent inuenti, prostratus humi, noctē ibi fecit, & in crastinū (quod vix credi potest) ita dependens vinea racemis suis onusta apparuit, ut nullo modo, quòd grandine percussa fuerit, inditium dari posset.

23. *In vita S.Lasreani Abb.Lethglinensis.* Cùm semel ad eum uenisset S.Barro Corcagiæ Episcopus Romam proficiscens, & cùm eo triduò moratus, fædus perpetuæ amicitiæ inuicem firmassent, dixit S.Barrus: Gauderem plurimùm nostri pact. memoriam aliquam hìc relinquere. Respondit Lasreanus, Pete, & dabit tibi Deus; immò tu inquit pete, quoniam te nos adiuimus. Orat igitur Lasreanus, & cùm uernum tempus tunc esset, ecce ibi corylus orta est subitò de terra, auellanis ornata: de qua & Crux iuxta eum posita, Krocuill Hibernicè, idest Crux coryli nomen est sortita.

24. *Dubr.li.7. de Procopio Breunouiensi Monacho in Boemia.* Hic Sanctus nihil in iuuenta ægriùs quàm famem tollerabat. Ob quam rem Præside Breunouiensi aliquandò indignante, atque id agente, ut abductum in agrum ieiunare propter ibi inopiam vsque ad horam præstitutam cogeret; Procopius famelicus conspecta arbore Corno, conqueri de hyeme cæpit, per quam corna esui matura nulla reperiret. Induit subitò ad suspiria eius arbor, & folia, & fructus, conuertitq; rei nouitate in se omnium oculos; sed & Procopium mirabantur, tàm auidè in oblatos fructus inuadentem; atque ab eo tempore in continuandis ieiuniis indulgentiùs est habitus.

25. *Gonzaga in Prouincia Portugalliæ, de Monasterio S.Claræ Satareni.* Vixit in hoc Monasterio pientissima Elena à S.Antonio, Alphonsi Regis legitima filia, de qua illud admirandum traditur; Cùm infirmis inseruiret sororibus, atq; Soror quædam, extra tempus tamen, comedendorum cerasorum desiderio teneretur, illa Claustrum maxima cùm fiducia petens, ad signum Crucis arborem cerasum fructibus, sed immaturis onustum ad maturitatem excitauit; Cùmq; collecta cerasa languenti obtulisset, iis degustatis, quæ malè habebat, statim conualuit.

26. *De Beata Sperandia Cingulana, nuperus Poeta.*

Cingulei Virgo non vltima gloria collis.
  Quæsita est cerasos ferre rigente gelu.
Illa vt tàm cupido festina indulgeat ori,
  Institit ardenti flectere mente Deum.
Cùm puer est visus leuibus per nubila pennis
  Plena nouis cerasis lata canistra ferens.
Hæc virgo apposuit stupidis lætissima fabris,
  Quorum surgebat sacra labore domus.
Sic quæ Virgineos flores in corde gerebat,
  Cælestes fructus protulit ecce manu.

27. *In actis Beati Andreæ Rinnani.* Betula, cui appensus B.Andreas Rinnanus, puer Iudaico martyrio nobilis, permultas hyemes spectantium omnium admiratione viruisse referunt, qui rem in acta retulerunt.

28. *Franciscus à S. Maria in Hist. Discalceat. Tom.2.lib.6.cap.22.* Anno Domini 1635. vi. Idus

Decembris decessit è viuis in Conuentu Popelonensi Discalceat. S. Teresiæ, Soror Leonora à S. Hieronymo, eademque nocte, licet frigidissima, cerasus proxima cellæ defunctæ, ea ex parte, qua cellam aspiciebat, refloruit.

29. *In vita Ven. Francisci à puero Iesu Carmelitæ Discalceati.* Cùm adhùc Compluti esset F. Franciscus nondum noster, pergens Guadalaiarum pedes ad petendam eleemosynam ab Infantatæ Duce (Maius erat, & sol feruentior) & ab itinere meridiano non cessans, in extremo milliari incæpit adeò defatigari ardore, & fame, vt nihil valens ampliùs vltra, coactus fuerit in depressam quamdam vineam declinare. Ibi ergo inter quiescendum pro recuperandis viribus ad consumandam inceptam viam, dixit socio, vt intraret vineam, & afferret vuam ex ea ad exsiccationis refrigerium. Risit socius, putans sibi eum illudere, & iocari velle, quandoquidem demùm ea anni ætas esset, in qua vix reperire sit omphacium: (Omphacium vua est acerba, & adhùc pubescens, cuius egressus liquor pro aceto est) at Fr. Franciscus seriò se agere ei significans, dixit: habere in Puero Iesu fiduciam, qui pius, & benignus cùm sit, videatque necessitatem seruorum suorum, possit afferre remedium, vuasque ipsi dare, & si tempus recuset immaturum. Intrauit ergo socius in vineam explodens semper, & ridens fratris innocentiam volentis edulas vuas ea tempestate sibi quæri. Sed breui in admirationem risus conuersus est. Ecce enim vuæ ex primis vitibus racemos tres optimè maturos offendit, & lætus refert ad veridicum fratrem, eosque simul in gaudio manducant.

Arbores enatæ ex sepulchris Seruorum Dei. §. 4.

ADmirandæ procùl dubio censendæ sunt eæ Plantæ, quæ humana haùd serente manu, quandòque ex aridis Sanctorum cineribus mirabiliter progerminarunt; eorum, quorum exanimes ibidem asseruabantur exuiæ, perennem in Cœlo vitam suo virore ceù demonstrantes. De his.

1. *S. Gregorius Tur. lib. 1. de Glor. Martyr. cap. 78.* Ex sepulchro S. Baudillii Martyris apud oppidum Nemausensis Vrbis, laurus orta, & per parietem egressa, arborem foris fecit salubri coma, vernantem. Quod sæpè loci incolæ in multis infirmitatibus habere cæleste remedium sunt experti.

2. *Philippus Ferrarius in Catal. S.S. 19. Iun. de S. Vrsicino Mart.* Illud memoriæ proditum est ab aliquibus, tres palmæ ramos ex eius collo exortos, sicque à S. Vrsicino Episcopo cùm capite in manibus, ac tribus ramis ex collo orientibus, prout videret, depictum fuisse.

3. *Pet. de Natal. lib. 5. cap. 65. de translatione S. Nicolai.* Thesaurus multiplici labore reseratus apparuit, odorque indè miræ suauitatis exiuit; Cùm quo & palma, quam Beatus Nicolaus de Hierosolymis apportauerat, sepulta fuerat, quæ circa Sanctum corpus virides ramos, & frondes pullulauerat; vndè multi collegerunt, & in testimonium ad propria detulerunt.

4. *Surius in vita S. Nicetæ 3. Aprilis.* Supra monumētū S. Athanasij, ex honorato illo sancti viri pectore arbor cupressus enata est, ex qua multi fide impulsi, frondes decerpentes, ad varias pellendas infirmitates mirabiliter vsi sunt.

5. *Idem 22. Iulij.* Ex cranio S. Mariæ Magdalenæ, vitis succreuit, eoq; inditio ipsa reliquias suas demonstrauit Carolo Regi Siciliæ, apparens ei in carcere, ex eoque illum liberans.

6. *Idem in vita S. Huberti Episc. Leodiensis, 3. Nouemb.* Virga super sepulchrum eius incisa est: qua ita res exigebat, contractior tamen, quàm vtilitas poposcerat; sed postea inuenta est duorum palmorum longitudine supercreuisse. Quam ob ampliandam Christi gloriam, & Sancti viri perpetuam memoriam, ab eodem loco leuatam, parieti inseruerunt discipuli eius, conseruandam.

7. *Ruffinus in vitis P.P. lib. 3. n. 24. de quodam probatissimo Sene, cui famula seruiebat;* Cum approximasset dies transitus eius, conuenerunt ad eum quamplurimi S.S. Seniores fratres de monasterio, & dixit eis Senior: Obsecro vos, Domini, & patres, & fratres, vt cùm defunctus fuero, tollatis baculum meum, & plantetis eum super sepulchrum meum, & si radices fecerit, miseritq; fructum, tunc scietis, quia munda est conscientia mea à famula Dei, quæ mihi ministrabat, si autē non fronduerit, scitote quia non sum mūdus ab ea. Cùm ergo vir Dei exijsset de corpore, secundùm præceptum eius S.S. Patres plantauerunt baculum eius super sepulchrum ipsius, & fronduit, accedenteq; tempore, protulit fructum, & admirati sunt omnes, glorificantes Deum.

8. *Halloix in vita S. Policarpi, de tumulo S. Buculi.* S. Buculus non tantùm raræ pietatis fama, sed etiam illustrium miraculorum gloria illustris fuit, cuius etiam mortui, & sepulti tumulum, enata indè planta virtutis aduersùs morbos efficacissimæ multis sæculis perpetim condecorauit.

9. *Thom. Cantiprat. lib. 2. Apum cap. 29. de quodam Monacho Cisterciensi.* Erat quidam emeritæ Militiæ veteranus, qui sæculo, & si tardè renuncians, Sanctum Cisterciensium ordinem introiuit; quæsitus autem à Magistro Nouitiorum, si sciret Orationem Dominicam, negauit, nunquam se discere potuisse contestans. Quid plura? sit labor inanis, vt discat, & cùm non posset, præcepit Abbas, vt saltem illi breuem Angelicæ salutationis versiculum inculcaret, quod & si multo, & diutino labore, factū est tamen. Cōtigit autem, vt post aliquota annorum curricula veteranus ille deuotissimè moreretur, & inter fratres in cęmiterio sepeliretur; Mira res! de tumulo eius non multò post à parte capitis, arbor nasci ignoti generis visa est, cuius folia litteris aureis insignita, Aue Maria gratia plena, notabiliter singula continebant. Quod vbi notum fit diœcesano Pontifici, ad locum venit ipse miraculi, radicem arboris per effossionem diligenter scrutatus est, & eam de ore veterani illius ortum habere probauit. Nec mora, vbi diuinæ ostensionis arbuscula debitum officium executa est, in oculis omnium aruit, & defecit.

10. *In Stellario lib. 1. part. 5. art. 1.* Quidam quasi tota die, Aue Maria, dicebat; Cùmque pere-

peregrinus iret ipse per locum syluestrem; quidam latrones credentes, quod esset pecunia apud ipsum, occiderunt eum instigante Diabolo, & sepelierunt eum propè stratam in eodem loco: baculum quoq; cubitalem, quem portabat in manu ipse peregrinus, fixerunt in terram supra corpus defuncti, ad memoriam. Postmodùm idem baculus meritis B. Virginis ramos protulit, & frondes, radicem quoque misit in os defuncti, & facta est arbor pulchra, & magna. Cùmque progressu temporis quidam magnus Clericus indè transitum faciens, requiesceret sub vmbra illius arboris, vidit, vnà cùm concomitantibus eum, quòd in quolibet folio patenti litera, vt ab omnibus legi posset, scriptum erat, Aue Maria gratia plena Dominum tecum. Admirati quæsierunt ab hominibus, quid hoc esset; Illi dixerunt, quòd quidam peregrinus quondam fuisset ibi occisus, & baculus infixus terræ ibi fuisset supra eius corpus. Igitur accedunt miraculo omnes perculsi, & aperiunt terram, & ecce inuenerunt corpus integrum, & sine omni putredine iacere in terra, radicesque arboris in ore habere. Cognouerunt omnes, quia homo ille frequentasset in vita dicere Aue Maria &c; & laudarunt Deum, ac Beatam Virginem.

11. *S. Grego. Turonensis de Glo. Marty. libr. 1. cap. 47. de sepulchris S.S.M.M. Nazarij, & Celsi.* Referre erat solitus vir nescio quis (nomen enim siletur) natam fuisse supra hæc sepulchra pyrum arborem, & fuisse quemdam pauperem hortellum in hoc loco, qui hanc arborem concludebat; verùm cùm poma iuxta morem tempore debito ferret, quicumque exindè infirmus qualibet ægritudine detentus, pomum mordicus decerpsisset, mox ablata infirmitate, conualescebat. Vndè magnum quæstum pauper ille habebat; sed cùm se reuelantes Martyres, arborem incidi iussissent, pauper ille in magnis fletibus prorumpens, incidi arborem non sinebat. Quo remoto, succisa pyro, basilica miro opere ædificata est.

12. *Marulus lib. 6. de reuel. cælest. beati.* In Ciuitate Accidana Hispaniæ ad Tumulum Torquati Episcopi, die eius natalitio, hoc est Idibus Maii, olea florem mittit; fructumque facit, ac maturat, indè expressum oleum, cuiusque generis ægritudini efficax, salutareque est.

13. *Ioannes Eusebius lib. 2. de Mirac. nat. cap. 55.* Negapatani mortuus erat Seruus Dei P. Franciscus Peresius, qui insigni sanctimonia, virtutibusque inter lumina nostræ Societatis illuxerat: post autem aliquod tempus, eius venerandum corpus transferre statutum fuit. Aperto ergo tumulo, dùm ossa singula legere Patrum quispiam conatur, eadem uincta, ac colligata à radice quadam tenui, quæ de sub cranio, cui iuncta erat proserpebat, comperit, eius velut hic origo erat, è qua aliæ radiculæ totum ad talos vsque corpus, ambientes, & ossa femoris, genuumque pertranseuntes, pullulabant. Mirati rem prodigiosam vniuersi, idque tùm potiùs, cùm nullam adesse circumquaque viderunt arborem, è qua hæc procederet radix, quæ & à capite progigneretur, & in pedes duntaxat desiueret. Tùm primum obniti plebs, & sacrum tolli corpus impedire; at pollicitis patribus ipsum Oppido non efferendum, sed ad suam duntaxat ædem transportandum, quo ab omnibus inspiceretur, refragari desiere. Supplicatio ergo indicta, & magno ossa plausu ad templum nostrum delata, ligno perpetuo, magnique pretij, quod Thecam dicunt, inclusa fornicatæ fossæ imponuntur. Magno certatim quisque sacrum hunc Thesaurum honore prosequi, seque felicissimum credere, si quid ex ipso, vel quod ipsum tetigisset, nancisci posset. Ita Deus scilicet honorare solet, à quibus dùm viuerent, eius honor promptus est.

14. *Idem, Stromat. lib. 12. cap. 28. de Henrico Germano, nato Bonauillæ, qui in sacro bello fuerat extinctus.* Manifeste sanctissimi Equitis gloriam indicauit, è sepulchro eius palma pulcherrima exorta, miro frondium virore comata, quæ illarum speciem referebat, quas ætate illa manu solebant gestare, qui Hierosolymę sepulchrum precabundi inuisum ibant. Huius è folijs remedium quærebant præsentissimum ægritudine aliqua laborantes, vel tantillum collo appendentes, vel comminutum in puluerem epotantes, vt vires affecti corporis de integro resarcirent.

15. *Petrus Malpæus in Palma fidei de Bartholomæo Ceruerio.* In eius Martyrij loco enata est arbor frondibus oliuæ similis, ramis ad instar Crucis.

16. *Præsidius Romanus.* Ex sepulchro Ven. Patris Laurentii, Confessoris olim Leonoræ Reginæ Portugallię, ortus est rubus, in cuius folijs hæc verba legebantur: Rubum quem viderat Moyses.

Alia his similia notabuntur cap. sequenti. §. 3 cùm de Floribus ex sepulchris, vel ex corporibus defunctorum mirabiliter enatis.

Arbores, & ligna, spontaneo Motu diuinitùs se Mouentia. §. 5.

PLantæ, quæ solo vegetatiuo gaudent motu, si quandòque locali, aut progressiuo, locum, situmque mutantes, diuinitùs moueantur, magnam cunctis admirationem causant, meritòque in admirandorum numero huiusmodi enumerantur motus. De his.

1. *S. Antoninus 2. part. Chron. tit. 12. cap. 7. §. 1.* S. Brigida Virgo Scotiæ quodam tempore arborem ingentem excisam, sua oratione ad locum destinatum transmisit.

2. *In actis S. Launomari Abb. apud Bollandum 19. Ian.* Quadam die ad construendum Oratorium, annosam quercum monachi venerandi Patris crebris ictibus deiecerunt. At vbi hora regularis admonuit, vt corpora refecturi discederent, vir Domini eos dimisit; Arbor verò ipsa non in apto loco erat, vbi à Fratribus dolari, vel desecari posset; at famulus Domini ad consuetum Secretarium recurrens, fretus adiutorio Diuino, arborem immensæ molis in uirtute Crucis quò voluit, transposuit, nempè vbi humanum posse non affuit, diuinum habere meruit suffragium; Nam tanti pon-

deris arbor eadem fuisse ferebatur, vt vix à quadraginta viris portaretur.

3. *Colganus in vita S. Aedi Episcopi.* Abijt Sanctus Episcopus visitare Sanctum Lazreanum, qui regebat plures monachos in insula posita in stagno Ernæo, quam Scoticè vocant *Dambinis*, idest insula boum: & inuenit Sanctus Ædus Beatum Lazreanum, & fratres suos foris laborantes; dixitque eis: quid ego vobis operis faciam? Sanctus Lazreanus ait ei; opus tuum est, vt moueas hoc lignum de loco suo: Lignum illud erat maximum, & vetustum in terra; Tunc Sanctus Ædus in Christi nomine imperauit ligno, vt descenderet de loco suo; & ingens lignum illud, statim eleuatum est, & in similitudinem auis, prosiliens, prouexit se in mare; Et videntes hoc miraculum, laudes Deo dederunt.

4. *S. Pet. Damianus in vita S. Romualdi cap. 47.* Alio tempore dùm in quadam Eremo valde speciosa, & egregia, cui nomen est Camaldulensis, quam ipse ædificauerat, in cella resideret, magnam aliquam fagum, quæ propè cellam eius astabat, incidi præcepit. Erat autem fagus ita cellæ accliuis, & imminens, vt iuxtà humanam opinionem, si cecidisset, totum mox ædificium indubitanter obrueret. Cùmque operarij vellent iussa perficere, sed ruinam arboris formidarent; ille, vt nequaquam timeretur instabat. Itaque cùm impactis circumquaque securibus, in ipsa iam arboris viscera veniretur, arbor autem super Beatum virum non iam dubio impetum minaretur, cæpere omnes rogare, & vocibus clamosis vehementer insistere, vt si cellam postponeret, semetipsum exiens conseruaret. Ille autem nequaquam eorum clamoribus acquiescens, vt cæptum citò perficerent definitè præcepit, facto signo Crucis contra eam. Postremò fagus grauissimo sonitu corruens, ita aliorsùm est ex diuina virtute proiecta, vt cunctis mirantibus, cella omninò remaneret illæsa. Omnes igitur tanto obstupefacti miraculo, lætas ad Cœlum voces tollunt, & immensas Deo gratias referunt.

5. *In vita S. Dominici Abb. apud Bollandum 22. Iannu.* Nec illud tacendum est, quòd ruentem super se maximam fagum, Dominicus extensa dextera in partem alteram cadere compulit.

6. *Vuillielmus Malmesburiensis libr. 1. de gestis Pontificum Anglorum, de Sancto Dunstano.* Trabalem molem incuria artificum deorsum vergentem, signaculo crucis eminùs porrectam, loco restituit suo.

7. *S. Anton. 2. part. Chron. tit. 13. cap. 6. §. 6. de S. Sulpitio Bituricensi Archiepiscopo.* Procul ab Vrbe arborem immanem præcidi iubet. Quæ dùm succisa velox corruit, vnus ex pueris in aliud intentus, & atton tus sistens, non mortem refugit; protinùs Sacerdos manum cùm signo Crucis eleuans, arborem in alteram partem vertit, & sic de mortis periculo puerum abstraxit.

8. *Aimoinus Floriacensis lib. 2. de mir. S. Benedicti ca. 17.* In possessione Floriacensis Cenobij, quę Heruini curtis dicitur, res huiusmodi diuinitùs acta est. Gauzlinus Monachus tunc Præpositus, conductis operarijs ad ostium Basilicæ, sub nomine egregij Confessoris Christi Benedicti, Deo in eadem villa dicatæ, gradus ligneos fieri disposuerat. Faber lignarius ei rei studium impendens, deiectæ in proxima sylua arbori, dolabro superflua quæque demere parabat, cùmque eam in partem alteram vertere tentaret, & non posset: Eia, inquit, Sancte Benedicte, quia ego nequeo, tu illam verte. Hæc dicit non orantis voto, nec poscentis affectu, quia potiùs quasi diffidens, vicinas syluæ adijt domos, auxiliares accersiturus; cùm quibus regressus, reperit lignum, quod vix sex virorum mouisset manus, Diuina virtute eam in partem versum, quam ipse volebat.

9. *Lippellous in vitis S. S. 8. Ianuarij.* Cùm à Villa Ham apud Brabantos, vbi defuncta fuerat Sancta Gudula Virgo, corpus eius translatum fuisset Morzellam, arbor quædam, quæ in eius morte hyemali tempore mirabiliter floruerat, sacrum corpus relinquere noluit. Nam (dictu mirum) dicta arbor, sacra Virginis membra subsecuta, ac eodem in loco mirificè eradicata, & conuenienter transplantata, coram prædicti Oratorij foribus viriditate sua puritatem Virginis est testata.

10. *Colganus in vita Sancti Fechini.* Dùm alio quodam die iter ageret, offendit magnam arborem in via iacentem; quam cùm eius currus pertransire non posset: vir Sanctus in virtute eius, qui propria virtute à morte ad vitam redijt, mandat, vt arbor Serui Christi copiam faciat transeundi; arbor autem ad hoc verbum se erigit, redam, & viam viro relinquit liberam.

11. *In actis B. Elisabeth Vngariæ Reginæ.* Beata Elisabeth Vngariæ Regina angebatur, quia nesciebat, an à Deo diligeretur, solabatur eam, & erigebat suus Prouincialis ex ordine Minorum, sed erigi non poterat. Dixitque videns arborem quamdam ex altera fluminis parte, Pater, citiùs crederem, arborem illam hùc posse uenire, quàm me à Deo diligi: mirum dictu, vix hæc dixerat verba, cùm arbor iuncta suis radicibus, à loco, ubi erat, euulsa, misit radices in loco, vbi illa cùm suo Confessario manebat; sicque illa coniecit, & confessa est, quàm magnus est Diuinus Amor.

12. *Greg. Tur. lib. de glor. Conf. c. 7. de B. Martino.* Fuit & in Nobiliacensi pago Vrbis Turonicæ arbor, quæ ab impulsu venti ruens, viam publicam impediebat; quod iter cùm uir beatus ageret, uiantium motus misericordia, facto desuper signo crucis, erexit eam, quæ vsque nunc stare iuxta viam erecta visa est, etiam præmortua, quia spoliata cortice, uiuebat tamen honore viridi: de quo cortice multi fideliter eradentes, ut dilutam aquam sumebant, mox medicamina capiebant. Vidimus enim nos hanc arborem erectam.

13. *Seuerus Sulpitius, in vita S. Martini c. 10.* Cùm in vico quodam Templum antiquissimum diruisset, & arborem pinum, quæ Fano erat proxima, esset aggressus excidere; tunc Antistes loci illius, cæteraque Gentilium turba cæpit obsistere. Et cùm ijdem illi, dùm Templum euertitur, imperante Domino, acquieuissent, succidi arborem non patiebantur; ille eos sedulò commonere, nihil esse religionis in stipite; Deum potiùs, cui seruiret ipse,

ipse, sequerentur: arborem illam excidi oportere, quia esset Dæmoni dedicata. Tùm ex illis vnus, qui erat audacior cæteris: si habes, inquit, aliquam de Deo tuo, quem dicis te colere fiduciam, nosmetipsi succidimus hanc arborem, tu ruentem excipe; & si tecum est tuus, ut dicis, Dominus, euades; Tùm ille intrepidè confisus in Domino, facturum se pollicetur. Hic verò ad istiusmodi conditionem omnis illa Gentilium turba consentit; facilemque arboris suæ habuere iacturam, si inimicum sacrorum suorum casu illius obruissent. Itaque cùm vnam in partem pinus illa esset accliuis, vt non esset dubium, quam in partem succisa corrueret, eo looo vinctus statuitur pro arbitrio rusticorum, quò arborem esse casuram nemo dubitabat. Succidere igitur ipsi suam pinum cùm ingenti gaudio, lætitiaque cæperunt. Aderat eminùs turba mirantiũ, iamq; paulatim nutare pinus cæpit, & ruinam suam casura minitari. Pallebant eminùs Monachi, & periculo iam propriore conterriti, spem omnem, fidemque perdiderunt, solam Martini mortem expectantes. At ille confisus in Domino, intrepidus opperiens, cùm fragorem sui pinus concidens edidisset, iam cadenti, iam super se ruenti, eleuata obuiam manu, signum salutis opponit. Tùm verò turbinis modo (retrò actam putares) diuersam in partem ruit; adeò vt rusticos, qui tuto loco steterunt, pene prostrauerit. Tùm verò in Cœlum clamore sublato, Gentiles stupere miraculo, Monachi flere præ gaudio, Christi nomen in commune ab omnibus prædicari; satisque constitit eo die salutem illi venisse regioni. Nam nemo ferè ex immani illa multitudine Gentilium fuit, qui non impositione manus desiderata, Dominum Iesum, relicto impietatis errore, crediderit.

14. *In vita S.Rodani Abbat. Lothrensis*. Dùm S. Rodanus cùm suis iter ageret in curru, inuenit arborem magnam transuersam in via iacentem. Tunc Rodanus benedixit arborem, quæ statim surrexit in altum; & sic per multa tempora arbor stetit recta.

15. *In vita S.Richarij Abb.Centulensis*. Erat quædam Tilia propè monasterium S.Richarii, quæ non paruam molem corporis præstabat. Hæc quadam nocte vi ventorum tacta, vsq; adeò concussa est, vt de summo vsque deorsùm in quatuor sectiones finderetur, terræ coequata, radicibus tantùm fixa. Hanc dùm die illucescente ita esse comperit quidam ex Fratribus, rogauit suos, vt præpararent cuneos, & malleos, quatenùs in crastino flascones, & quæcumque essent necessaria indè fierent. Sed vanus labor eos fefellit; nam vt primo mane expediti ad hoc peragendum opus venerunt, ita incolumem, atque in pristino statu erectam conspiciunt arborem, excepto quòd cicatrices à summo usque ad ima parebant, ac si nullum istius rei damnum perpessa fuisset: quæ multo postea durauit tempore easdem cicatrices in testimonio conseruans.

16. *In ann.Minor.an.1617.nu. 20. de conuentu Montis Columbæ*. Illud huius loci tribuunt sanctitati, quòd cùm proximo hoc sæculo prægrãdis quædam arbor sacello D.Patris Francisci imminens, niuibusque onusta ruinam minaretur, anxiusque venerandæ caniciei Pater Stephanus à Molina, tunc loci Guardianus eam amotam cuperet, ne sua ruina vniuersum templum conquassaret, quotquot in gyro fuerunt rustici, eò, vt eam succiderent, conuenerunt. Cùmque nihil, aut certè parùm proficerent, essetque res plena periculo, pius ipse Pater Guardianus conuocatis cæteris fratribus, ad orationem confugit. Et ecce dùm nihil minus cogitant, nullo impellente adeò suauiter, adeòque blandè arbor tecto adhæsit, vt nullo absque discrimine, & absque unius tegulæ iactura, inde amota, succisaque sit. Quod in causa fuit, vt & euentus miraculo tribueretur, & sæcularium deuotio supra modum excresceret.

17. *In vita Sancta Genouefa Virginis capit.7.* Factum est, vt Genouefa in Arciacense oppidum nauali euectione ad comparandam annonam proficisceretur; Quæ cùm peruenisset, vbi erat in amne Sequanæ arbor, quæ naues mergebat, paululùm Genouefa nauigantes ad ripam appropinquare præcepit; & oratione facta, arborem incidi iussit; Quam cùm ictibus securium nauales eiusdem socii cæpissent incidere, vltrò orante Genouefa radicitùs auulsa est.

18. *Cæsarius lib.10.cap.54.* Conuersus quidam fuit in Hemmenrode, nomine Lifardus, qui porcos monasterij pascebat. Die autem quadam cùm iuxta nemus gregem porcorum pauisset, uidit ibi duas arbores, quæ de uno trunco processerant, cui cùm una placuisset, dixissetq; in corde suo. Deus, quàm idonea esset hæc arbor ad alueos porcorum, mox cecidit, ac si securi præcisa fuisset.

19. *Colgan.in vita S.Mochoemochi, 13.Martij.* Cùm quidam ex Monachis S.Pulcherij, ab alijs in sylua laborantibus, seorsùm separatus, magnam arborem incidisset, cadens arbor, constrinxit caput fratris contra aliud lignum, Dei tamen virtute caput non fregit, sed Frater indè non potuit se mouere, nec loqui. Cùm autem cæteris domum reuersis S. Pulcherius prædictum fratrem non uidisset, ad syluam cùm cæteris cucurrit, fratremque in equulo repertum, nullo modo potuerunt iuuare, si enim lignum abscindissent, statim frater periisset. Hoc magnum videns S. Pulcherius periculum, conuersus ad arborem, dixit: Præcipio tibi in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, surge, & sta in gradu tuo pristino. Ad hanc vocem arbor illicò, paulatim surrexit, & stetit in statu suo firmiter; sed signum scissionis in ligno multo tempore, quo stabat, uidebatur. Pater iam Sanctus, & sui Monachi recipientes suum fratrẽ incolumem de tanto periculo, gratias Deo egerunt, & cùm cùm gaudio reuersi sunt ad suam Cellam.

20. *Colganus in vita S. Berachi Abb.* Cùm quidã magus de suis sceleribus haùd iudicari uellet, nisi in quodam loco, qui dicitur Raithin, eo quòd ibi erat arbor excelsa, in qua Diabolus responsa dare consueuerat, credebatque sub arbore Dæmonibus consecrata iudicium effugere posse; illi Iudices aiunt; quia illuc nobis eundi accessus non patet; Tu qui arte Magica es imbutus, radices illius solue,

ue, & illam ad nos ducere festina, ex quo in ea confidit anima tua; aliter enim uerè iustum, & æquum iudicamus, ut si Sanctus Berachus in nomine Dei sui in hoc tibi prævaleat, ut scilicet possit arborem adducere, tu ipse succumbas. Tunc Sanctus Berachus assumens secùm uiros Sanctos, ac Virgines, protelantes se in oratione, ferè usque ad quatuor horas diei permanserunt prostrati. Tunc nubes caliginosa uniuersum populum opperuit; & ecce arbor illa, quam magus desiderabat per aera uirtute orationis sanctorum ad eos uolitabat, tanquam alter Abacuc ad lacum leonum, ubi Daniel orabat. Ibi quoque miraculosè arbor illa in terra est transplantata, atque firmiter radicata.

21. *Manrique in Ann. Cisterc. an.* 1151. *cap.* 1. *num.* 2. *ex Roberto in appendice ad Sigebertum.* Migrationem optimorum virorum, qui hoc anno ex hoc ordine decesserunt, fortè significauit, quòd in pago Suessionico eodem anno accidit. Cùm enim hyemali gelu terra vehementer induruisset, cespes plurimæ longitudinis, & latitudinis de terra subitò auulsus, longè ad alium locum est translatus.

22. *Abulensis in cap.* 2. *Matth. quæs.* 60. Iuxtà Chairum est quædam arbor palmæ antiquissima, quæ Beatæ Virgini intranti in Ægyptum se inclinauit, vt dactylos indè colligeret, & iterùm se erexit; videntes Idololatræ, succiderunt eam, sed nocte sequenti consolidata est etiam.

23. *Niceph. Calist. lib.* 10. *Eccles. Hist. cap.* 31. Hermopoli Thebaidis arbor esse, quam Persæam vocant, dicitur, multis morbis medicinam afferens, si vel festuca, vel folium ex ea ægris applicetur. De qua illa adhùc fama apud Ægyptios obtinet, Dei genitricem vnà cùm Iosepho Herodem fugientem, ductu Iosephi Hermopolim venisse: & quàm primùm Vrbis portam attigisset, arborem eam aduentum Christi ferre non potuisse; Et quamuis procera admodùm esset, ad solum ipsum tamen se demisisse, & Paradisi olim satorem adorauisse.

24. *In Menæis Græcis.* 15. *Aug. in Hist. de obdormitione B. M.* Virgo itineris ad Filium suscipiendi desiderio mox flagrans, in Montem Oliuarum ascendit, precibus accuratè fundendis intenta; Hoc enim solemne iam habuerat, vt in eo monte, iugiter Orationis studium continuaret. Verùm id loci inopinatum quiddam euenisse tunc perhibent, quippè arbores in monte isto plantatæ, spontaneo motu inclinarunt se Virgini colendæ: planè ceù viuo tantæ Dominæ seruiendi affectu, pollerent.

25. *In Histor. Translationis Domus Lauretanæ.* Quieuit tandem Sancta Domus in sylua Recanatensi nobilissimæ fœminæ patrimonio, cui nomen erat Laureta, non procùl Ancona Ciuitate Maritima; venienti Arbores eius sylvæ velut venerabundæ se inclinauere, ac deinde pronę perstitere, quoad æuo, ventis, ferro procumberent. Supersunt adhuc, aut saltem ante aliquot annos vixerunt, qui dicerent ante annos triginta complures istarum arborum, nec semel, nec sine admiratione conspectas, versùs mare proclinatas.

26. *Colganus in vita Sancti Florentini.* In densam syluam delatus est, & aduenienti arbores cacumina inclinarunt.

27. *Seraphinus Bertolinus in vita S. Rosæ cap.* 12. Dùm S. Rosa de S. Maria ex ter. Ordine S. Dominici quotidiè diluculò è domo in proximum descenderet viridarium, vt Cælesti Sponso primitias suæ Orationis litaret, arbores, plantasque ad secùm laudandum Deum illis verbis inuitabat: Benedicite vniuersa germinantia in Terra Domino; & illæ statim suauiter ramos, foliaque mouentes, dulci susurro deuotæ Virgini obediebant; quinimmò, & multoties obseruatæ sunt summos vertices vsque ad terram declinare, ceù communem Creatorem à Virgine excitatæ deuotè adorarent.

28. *Zachar. Bouerius in Ann. Capuc.* 1552. *nu.* 54. *de F. Matth. à Bascio.* Illud memorabile fuit: quòd cùm Fossapelaiella discedens, quod est in agro Ferrariensi Oppidum, Venetias proficisceretur, imperuium iter per loca palustria, arundinibus, & calamis consita arripit; quæ res cùm incolas non leui admiratione afficeret; eò maximè quòd paludem densis calamis obsitam, atque altis gurgitibus, ac fluminibus interceptam esse scirent, quæ illius iter impedire possent, ex his aliquos impulit, vt curiosè illum scapha haùd procùl sequerentur. Porrò hæc hominum curiositas, illos rerum planè mirabilium testes præstitit; videbant enim densas arundines, quæ iter impediebant, nullo pellente, ante Virum Dei seipsas inflectere, eique summa admiratione, sub pedibus viam sternere.

29. *Idem ibidem anno.* 1575. *de F. Pacifico à S. Geruasio.* Illud verò ipsius illustre factum narratur: Nàm in Galliam cùm sociis proficiscens, cùm Aurelianum peruenisset, à Catholico viro hospitio exceptus; dùm aliquas ibi moras trahit; eò Hæreticus quidam accedit; qui cùm veram Corporis, & Sanguinis Christi præsentiam in Eucharistiæ Sacramento pertinaciter negaret: Pacificus contrà diuinis scripturarum, ac Patrum testimoniis id illi persuadere nitebatur. Ille verò in hæresi pertinax: Tàm verum est, inquit, Christi corpus, & sanguinem verè in Sacramento adesse, quàm verum est, illud arboris fastigium (quercum altam manu indicans) solum contingere, cui Pacificus; Quid? ait: si illud arboris culmen se se ad imum demittat, nùm teipsum sub huius Mysterii fide captiuum dedes? id profectò (inquit Hæreticus) qui id fieri haùd posse existimabat. Pacificus verò mox ingenua procidens, Deum breui oratione precatur: post quam surgens, quercui in Dei nomine imperat; vt in Diuinæ huius veritatis testimonium, summum fastigium ad imum vsque solum declinet. Res diuina prorsùs, atque admirabilis tunc visa fuit; nam vix verba Pacificus protulerat: cùm protinùs quercus procera, atque annosa, dicto obediens, supremum apicem, spectante Hæretico adima reflectit, ac Catholicum dogma sua obedientia confirmat; quo ille prodigio commotus, statim ad Catholicam fidem accedit.

Circa

Circa Arbores admiranda varia.
§. 6.

QVæ sub determinatis titulis circa Arbores prodigiosa Admiranda haud contineri valent, ea hic in vnum colligam. Suntque.

1. *Surius in vita S. Lugderi Episcopi libr. 1. cap. 28. 26. Mart.* Cùm S. Lugderus in Vuerdina Monasterium construere vellet, obque ingentium arborum densitatem, & ramorum obductionem, Cœlum ferè abscondentium, id sine magno incommodo haùd fieri posset; nocte sub quadam arbore se in orationem proiecit Sanctus Pater; & ecce subitò mutata, quæ tunc erat serenitas, obscurata luna, obducta astra, & ventis hinc indè exurgentibus, tempestas nimia subsecuta est. Cadebant annosa circumquaque arbusta, & cùm magno licet omnium timore, ipsa mundi elementa famulo Dei militabant. Nam cum diluculò exsurrexissent, videbant syluam hinc indè erutam, fundando Monasterio locum satis amplum dedisse, & arbores passim iacentes, sufficientem lignorum ad ædificationem copiam præbuisse; Ita, quod manu humana, aut nequaquàm, aut vix per longa temporum spatia effici poterat, Diuina potenter Maiestas in momento effecit.

2. *Colganus in vita S. Moedoci.* Quodam die ipse Sanctus Senex Moedoc ligna pomifera in horto plantauit; sed vir ille, qui ei semina deferrebat malorum, detulit cùm cæteris infructuosa ligna; idest biculei, & anli. Cùm iam fide sancta beatus vir communiter plantaret, de lignis infructuosis, fructifera cùm pomis dulcibus gratia Dei fecit.

3. *Idem de Sancto Mochoemocho 13. Martij.* Rediens Sanctus vir ad Cellam, vidit quamdam arborem plenam fructu, qui erat hominibus inutilis præ amaritudine nimia, benedixitque signo Sanctæ Crucis arborem, & fructus eius illicò in dulcedinem conuersi sunt.

4. *Adamannus Scotus in vita S. Columbæ confess. lib. 2. num. 2.* Quædam erat arbor valdè pomosa propè Monasterium Roboris Campi in australi eius parte, de qua cùm Incolæ loci quondam haberent pro nimia fructus amaritudine querimoniam, quadam die Sanctus ad eam accessit Autumnali tempore, vidensque lignum incassum abundos habere fructus, qui ex eis gustantes plus læderent, quàm delectarent. Sanctus eleuata manu benedicens, ait: In nomine Omnipotentis Dei, omnis tua amaritudo, ò arbor amara, à te recedat, tuaque hùc vsque amarissima, nunc in dulcissima vertantur poma: Mirum dictu! dicto citiùs eodemque momento eiusdem arboris omnia poma, amissa amaritudine, in miram, secundùm verbum Sancti, versa sunt dulcedinem.

5. *Surius in Iunio.* S. Columbanus Abbas Luxouiensis proceræ, ac magnæ arbori amaritiem exemit, tantùm illi benè præcatus, & quæ fuerat dudùm inutiliter fæcunda, deinceps arbor frugifera euasit.

6. *Lippellous in actis S.S. 5. Feb.* Dùm S. Agatha ad Præsidem duceretur à militibus circumdata, suisque à ciuibus comitata, progressa paululùm, pedis eius calciamentum solutum est, quod restringere volens, retrò conuersa, solis se militibus, à ciuibus suis relictam vidit. Qua re magno animi dolore confecta: Domine Deus, inquit, ostende quæsò ciuibus meis hoc in loco perfidiæ suæ signum; statimque sterilis exorta est olea, quæ publica Panormitanorum mentes ignominia notabat.

7. *In actis B. Coletæ Virg. cap. 15.* In eius inclusorio sane angusto de repente creuit arbor quædam valdè speciosa, foliis optimè compositis, & floribus instar auri rutilantibus, è quibus odor fundebatur gratissimus, mirèque confortans. Sub hac autem arbore complures aliæ admodùm formosę, sed paruæ, nec primæ illi comparandæ, arbores excrescebant. Hæc vbi illa vidit, suspicata fuit, dæmonem sibi illudere, qui multis modis ipsam impedire, & infestare nitebatur. Itaque arborem illam cùm alijs minoribus funditùs extirpatam foràs eiecit. Sed post dies paucos, Deo volente, rursùs similes illic enatæ sunt arbores, et quędam etiam in alia loca transferri uidebantur. Intellexit ergo ex tot signis, quid ijs significaret Deus: puta arborem magnam ipsam esse, minores arbores, homines vtriusque sexus, qui per eam venturi essent ad vitam perfectam; translata verò id innuere; etiam in exteras regiones eam, quam molitura esset, reformationem, propagatum iri.

8. *Vincentius Bel. lib. 24. Spec. Hist. cap. 61. de S. Odone.* Orationis gratia Romam peruenit, & dum in patriam rediret, inter alpes ob niuis immensitatem iter eius præoccupatum, & septum est. Cùmque præterire vellet locum illum deterrimum, ac periculosum, subitò equus, super quem sedebat, tetendit pedem in obliquum, & ambo simul mergebantur in præcipitium. Tunc Pater Odo relictis habenis, ambas manus dùm caderet, ad Cælum erexit; & mox ramum arboris inter brachia sua reperit, atque in eo tandiù se suspendit, donec eius clamoribus, qui præcesserant, & rediissent, & eum suscepissent. Ramus autem iste ampliùs visus non fuit, quia nec arbor vnquam illic videtur, nec nescitur, & equus vltrà nusquam comparuit.

9. *Io: Colg. in vita S. Finniani, 24. Februarij.* Postquàm discipuli S. Finniani præter Senachum ad loca ei à Spiritu Sancto reuelata transissent; S. Ruadanus locum suæ Resurrectionis apud Lothra elegit, atque inhabitauit. Huic enim Ruadano dedit Deus gratiam specialem, ut arbor quædam, Tylia nomine, quæ in cella sua erat, ab hora occasus Solis, vsque ad horam nonam alterius diei stillaret liquorem, qui saporem quemdam priuatum habebat, sicut de Manna legitur, quòd in omnem saporem, quem homo desideraret, verteretur.

10. *Belforestus lib. 4. Hist. prodigiosæ cap. 1.* Traditur, quandam prodigiosam arborem derepentè in Hybernia natam in Episcopatu Coreagiensi, & Clonensi in comitatu Desmoniæ, vndique oneratam rosariis, ceù pergulam racemis pendentibus,

bus, quorum cordulæ, seù filamina ita ramis, & stipiti adherebant, non minùs fixa, & continua, quàm pedunculi pomorum excrescentium ex arbore.

11. *In vita B. Petri Eremitæ ord. Vallumbrosani*. Mortuo B. Petro, & sepulto iuxta altare in Ecclesia, quam ipse Dei nutu, & designatione miraculosæ columbæ in Verniensi territorio ædificauerat, ibidem nux quædam Ecclesiæ proprior cæpit fructus producere, quorum nuclei columbæ habebant similitudinem; eaque subindè successu temporis arescente, successit vicina alia in miraculi vicem, & arboribus sic quater vsque in hanc tempestatem mutatis, perseuerat ibidem in nucleis forma columbina.

12. *In actis B. Bartholomæi de Cerueriјs ord. Præd.* In loco vbi martyrio affectus expirauit B. Bartholomæus, nux postmodùm orta est, quæ ramos omnes, & folia in modum Crucis velut oliua, produxit.

13. *In actis S.S. Feb. tom. 1. in Continuatione Bollandi*. Plantauit S. Vrsus presbyter vineam manu sua propria iuxta tugurij sui vestibulum, cui crescenti, & portanti vinum, tantam virtutem concedere dignata est Dei gratia; vt si quis infirmus pro quacumque ægritudine ex liquore eius potaret, statim pristinam reciperet sanitatem.

14. *Ibidem in Martio tom. 2.* Anno 1623. recisa est procera malus Persica, quam olim à Sancta Matrona Virgine Lusitana propè Capuam satam fuisse fama tradit à maioribus accepta; vndè circa 1100. annos durasse compertum est.

15. *Berchorius in Reductorio morali lib. 14. cap. 44.* In Prouincia Galliæ, in Villa, quæ dicitur Bariolis, quondam erat nux, quæ alijs frondentibus, & fructus, ac folia emittentibus, sicca vsque ad vigiliam natiuitatis B. Ioannis manebat, nullamque fructificandi speciem protendebant; illa verò nocte, & folijs, & fructibus induebatur, ita vt ab aliis differre non videretur.

16. *Eoluitus in vita nostri B. Andreæ Auell. lib. 3. cap. 31.* Anno 1602. perniciali, & lethali morbo penè confectus fuit Andreas. In eo languoris æstu duracini persici frustulis aliquoties se se refrigerauit. Huius postea nucleum terræ mandauit, quæ bipalmari profunditate suæ cellæ herbariolum replebat: perenni manus eius irrigatu in arborem is postea excreuit. Admirati alij in angusto solo augustam plantam pomorum feracem magnitudinis insuetæ; Nos pomorum potiùs numerum semper æqualem. Multorum etenim annorum non interupta serie, semper fuere quindena, siuè cùm vento excutiente, siuè cùm aliquo decerpente, quodpiam ex ijs debuisset desiderari. Bonis ea testibus numerata, ac totidem quot in ea domo Paulina erant Patribus, vt fallax aliquod lusorium, & illusorium, nemo nisi calumniator potuerit suspicari. Constans fuit omnium sententia, pro pio in Virginem Matrem obsequio, & Rosarij meditatione, talia Deum operatum, cuius ille quindenas decades quotidiè pendebat, tanta religione, vt inter temporis angustias coarctato, firmum fuisset, & ratum, refectionis potiùs quamquam necessariæ subire iacturam, quàm ab eius recitatione feriari. Aliqua ex ijs pomis Paulo V. Pontifici maximo donum missa, & Alexandro Peretto Cardinali à Monte alto, ac Isabellæ Infanti Sabaudiæ, Principi Mutinensi; & pro summa in Beatum reuerentia, pretiosa munera auidè à cunctis suscepta. Porrò ad sanitatem factos fructus huius arboris, flores, & etiam folia ipsa, euentus plurimi liquidò comprobarunt.

17. *In An. Min. an. 1275. n. 12. de Raymundo Lullo.* Mirum prorsùs, & admirabile, quod descendenti Raymundo de monte, & ad radices eiusdem inter quasdam vineas sub arbusto quodam, Hispanis Lentisco, de sua arte meditanti, & per integram noctem diuina contemplanti accidisse refertur: Illius nempè arboris frondes vniuersas sequenti aurora delineatas apparuisse diuersis generibus characterum, Grecorum, Arabicorum, Chaldeorum, & Latinorum; quod præterquam scribant plures, & affirment, qui ex illa prodeunt Insula; adhùc perpetuò viret, & patula est prodigiosa arbor, cuius aliquot ramusculi hùc Romam delati sunt, seque sæpissimè eam vidisse, & folia decerpsisse mihi retulit per Illustris D. Paulus Duram, Sacræ Romanæ Rotæ nunc in Vrbe Auditor, dùm Vicarii Generalis, & demùm Visitatoris Generalis Regij munere in illo Regno fungeretur. Portentum illud ita interpretati sunt aliqui, vt voluerit Deus diuersis adeò litterarum notis prædicere, ei proficiendum, & prædicandum fore inter vniuersas illarum linguarum nationes, quod & ille postea opere compleuit.

18. *Nyder in Formicario libr. 2. capit. 1.* Inhabitabant quondam Basiliensem Ciuitatem duo coniunges, simplices licet, deuotione tamen pleni. Habuerunt autem tres infantes liberos, Adelheydim scilicet, Catharinam, & Ioannem suum fraterculum. Contigit ibidem quodam tempore, quo de habitatione pristina ad domum aliam migrabant inhabitandum, tres pueros antefatos circa primum constitutos septennium, hortum nouæ inhabitationis statim intrare, & puerili more, quisq; puer arborē vnam amplexatus est, eam dicens esse suam, quā singuli deinceps speciali prosequebantur fauore. Eodem igitur anno cùm iam arbusta vernali tempore virere inciperent, contra naturalem morem ligni, de qualibet flosculus alterius speciei oriri cæpit, & florere. De prima quidem albi coloris flos, quæ erat appropriata vt præmittitur, Catharinæ; de secunda, quæ alterius Sororis extitit, similis coloris flos albus; de tertia verò, quam Ioannes sibi appropriauerat, rosa procedebat amæna. De quo spectaculo multi satis admirabantur, quid sibi hæc pronosticarent futuri. Vitæ autem Sanctitas, si in prædictis inspicitur, subsequuta pueris, florum istorum prophetiam declarat. Nam ambæ sorores virginitatis nitorem seruauerunt illibatè. Frater verò ordinem Prædicatorum ingressus, sanctissimè vixit.

Arborum excisarum, siue lignorum Admiranda diuersa. §. 7.

QVamuis exsecta ligna, Arborum nec nomen, nec Naturam sibi vsurpent, animaque vegetatiua omninò careant, ea nihilominùs, vt potè ab arboribus enata, ab iisdemque excisa, hic adnectam, quæque in illis Admiranda euenere, cæteris Vegetatiuorum admirandis adiungam. Sint autem.

1. *In vita S. Francisci de Paula.* Sæpè ligna tortuosa solo tactu recta reddebat, in duas partes nimis magna findebat, & diuidebat; nimis parua, & minùs apta in vnum redigebat, & coniungebat S. Franciscus.

2. *In actis S. Iacobi Episcopi Tarantasiensis cap. 2. apud Bollandum 16. Ian.* Cùm Trabs quædam, quam vrsus cùm boue iunctus de saltu semel adduxerat, mensura quinque pedum, cæteris trabibus breuior inueniretur, Seruus Dei sacrata lympha eamdem trabem aspergens, orando, videntibus cunctis, aliis fecit esse similem.

3. *Surius in vita S. Galli Abb. cap. 26. 16. Octobris.* Contigit quadam die, dùm in construendo Oratorio cùm fratribus laboraret, vt tabula quædam parieti imponenda, breuior cæteris mensura palmorum quatuor appareret. Quam dùm eiusdem operis artifices vellent abiicere, Beatus Gallus, virtutis, quam in Domino habebat, sibi conscius, iussit eos ab opere disiungere, & domum ad percipiendam secùm refectionem, quam Dominus præparauerat, intrare; quibus secundùm iussionem eius facientibus, benedictum panem manu sua porrexit. Post prandium autem, cùm omnes opus repeterent imperfectum, inuenerunt tabulam, quam propter sui breuitatem pridem abiicere uoluerunt, cæteris omnibus longiorem mensura dimidii pedis; & admiratione de eo, quod euenerat, habita, lignum, quod mirabili creuerat modo, in loco suo parieti aptauerunt. Quod ipsum longo deinceps tempore à fidelibus expetitum, Domino faciente, dentium doloribus efficaciter medebatur, præter antiqui commemorationem miraculi, nouis semper effectibus honorandum.

4. *Idem in vita S. Amati Presbyteri, & Abb. 13. Sept.* Angustam ei cellulam, vel specum ædificarunt. Artifex autem, mensuram cubiculi non tenens, accedit ad virum Dei, aitque ad eum: Sequere me, vir Dei, ad locum, vbi ligna cæduntur, quæ mihi aliquantò breuiora esse videntur, quàm poscat structura: Vir Sanctus respondit: Noli, fili, ita existimare; sed reuertere, rursùsque metire, Sis autem firmus in fide. Reuertitur ille, & cùm dimensus esset, videt tantùm nunc ad ligna accessisse vltrà mensuram, quantùm priùs deerat. Mox redit ad Amatum, narrat quid gestum sit. Tum ille, sile, inquit, & ne reseces illud quod excedit, Donum enim Dei est.

5. *Idem in vita S. Altbelmi Episc. Scireburnensis 25. Maij.* Cùm in cœnobio suo Sanctus Episcopus, B. Virg. Mariæ Ecclesiam construeret, trabs una necessaria, cæteris breuior reperta est. Fudit ille preces ad Dominum, & mox pro voto trabem longiorem intuitus est.

6. *Hugo Menard, in vita S. Pardulphi.* Lantfranus Monasterij Præpositus iussit in Basilica S. Albini ligneos gradus fieri. Carpentarij lignum plaustro impositum ad Monasterium aduexerunt, quod cùm non esset iustæ mensuræ, propterea que Præpositus indignatus esset; vnus ex ipsis ad S. Pardulphum venit, suam, sociorumque confitens negligentiam, qui Præpositum ad se accersitum placauit. Postridiè ad opus exeuntes, inuenerunt trabem creuisse, vno scilicet, & dimidio pede longiorem, quàm antea. Carpentarij, quod supererat, præciderunt, Monachi verò illud in Basilica S. Albini suspenderunt, quod aqua delibutum, medelam febre correptis afferebat.

7. *In vita S. Erconuualdi Episcopi Londinensis.* Ipso S. Episcopo fabricæ domus pro Sanctimonialibus, & sorore sua Deo seruitura intendente: cùm dictæ domus artifices Meremium suum mensurarent, diuersis locis iuxta decentiam operis coaptandum; inuenta est trabs vna operi admodùm necessaria, cæteris breuior, & ideò fabricæ minùs apta, sed vir Dei, & soror sua Deo deuota Edilburga aridam trabem inter manus arripientes, ipsam in longum traxerunt, quoùsque cæteris coæquaretur.

8. *Aloysius Torellus in Hist. S. Augustini ann. 388.* Ædificabat D. Augustinus Calari in Sardinia Templum; cùm ecce Trabs, quæ in tecto collocanda erat, ex artificum incuria ita breuis secata fuit, vt nullo modo operi inseruire posset; cuius rei dolens S. Pater, ad Deum confugere decreuit, factaque breui oratione, trabem, ac si virgula fuisset, ex vna parte eleuans, eamque ex alia à sociis religiosis apprehendi iubens, ita eam ex vtraque parte traxerunt, vt ad palmum elongauerint, cooperiendoque tecto commodam effecerint.

9. *Idem ibidem.* Precibus S. Æmiliani, cuius memoria colitur Turiasone in Hispania, trabs lignea, quæ in constructione cuiusdam ædificij adhibenda erat, longitudinemque necessariam non habebat, mirabiliter supra alias vsui ordinatas quasi ad palmum creuit; Hocque lignum ita miraculosè elongatum ad varias depellendas infirmitates mirificum, infinita ostendere miracula.

10. *In vita S. Syluestri Abb. Fundatoris Syluestrinorum.* Ædes quasdam in cœnobio Montis Fani ædificandas curabat suorum cōmoditati Syluester; accidit autem, vt cùm ad culmen parietes excreuissent, nonnullis trabibus erat opus. Faber autem lignarius trabem vnam breuiorem cæteris excidit; quod animaduertens, ad Sanctum confugit, qui hominem iubet bono animo esse, trabemque collocare, laturum opem Deum: vrgebat ille Syluestrum, vt ipsemet opem ferret, & mox vtrimque iussu Syluestri seorsim trabis capita comprehendunt, & in contrarias partes distraentibus, trabis extensio quantùm opus erat, consecuta est.

11. *Gregorius Turonensis de glor. Marty. lib. 1. cap. 42.* Cùm in quodam loco Templum D. Laurentio dicatum, quod vetustate detectum erat, incolæ reno-

renouare vellent, multa ligna, & trabes ex sylua incisa sunt, & ad templum deducta, ex quibus cùm vna breuior esset, ac necessitas postulabat, sacerdos, qui operi insistebat, rogauit D. Laurentium, vt paupertati illorum succurreret; & ecce illicò, cunctis attonitis, trabs creuit in tanto spatio longitudinis, vt necesse esset partem magnam incidi. De parte autem recisa frustatim decerpens plebs deuota, diuersas infirmitates sæpè submouit.

12. *In vita S. Iuonis Presb. cap. 5.* Volebant quidam pontem facere in flumine magno, quod multi non sine periculo quotidiè transirent; iam trabes de varia materia, & artificum consilio consportatæ erant, sed inutiliter, vbi resciuit Beato Iuo, preces fudit; & ecce ligna, quæ nullum visa erant habitura vsum ad pontem, apta cernebantur.

13. *Benedictus Mazzara in Legendario Franciscano 3. Ian. de B. Matthæo Agrigentino.* Quidam artifices pontem efformabant in via, per quã Agrigento Panormum est transitus; cùmq; quædam trabs ob illius breuitatem operi non sufficeret, orauit B. Matthæus Dominum, Trabique necessariam longitudinem subitò impetrauit.

14. *Hugo Menard, in vita S. Iuniani lib. 1. obseruat. Augusti.* Vir Dei sumpto de more baculo, duobus monachis comitibus, pedes ad Regem venit: Rex in solio sedebat, introductus Iunianus baculum retrò se posuit erectum quemadmodùm gestauerat, & Regem pronus adorauit: Rex iacentem surgere iussit, & cùm eo collocutus, vidit baculum stantem, nec pauimento defixum, nec aliena ope sustentatum. Rei nouitate Rex attonitus, primates ad se vocauit, vt tanti miraculi spectatores essent, & Sancti Iuniani Sanctitatem est admiratus.

15. *Surius in vita S. Gaugerici Episcopi Cameracensis 11. Aug.* Visum est illi possessiones Ecclesię suæ, quas ea in Petragoricensi Territorio habebat, inuisere. In illo autem itinere ad Monumentum Beati Frontonis, deprecaturus Dominum, accessit. Interim scipionem, quo sustentabatur, retrò porrexit ministris tenendum. Sed illis ad alia intentis, nemo fuit, qui scipionem seruandum susciperet. Nolens autem pius Dominus fidelis serui sui preces, vel illorum incuria, vel scipionis cadentis strepitu, etiam ad breue temporis spatium impediri, immò verò, cuius ille esset meriti, hominibus ostendere volens, Scipionem illum perindè ac si radicitùs terræ infixus, immotum iussit retineri: absolutis precibus, vir S. exurgens, vidit scipionem stantem, tanquàm rem mentis compotem, & ad ei præstandam officia paratum. Gratias ergo agens Deo, qui semper, & vbique adest ipsi famulantibus, ad patriam honorificè, & prosperè reuersus est.




APPENDIX I. AD CAPVT VI.

De Admirandis circa Arbores, quorum perennia vestigia.

VT quæ in præteritis extitere sæculis circa Arboris Admiranda, etiam posteros in admirationem inducerent, eorumdem aliquorum diù conseruari vestigia permisit omnium Moderator. De quibus.

1. *Colg. in vita S. Tressani 5. Febr.* Quadam die expleto matutinali officio, missaq; celebrata in Montiniaco in Eccl. B. Martini, dùm rediret, & ad Marolgilum remearet, somnus eum oppressit, terræ se prostrauit, baculum humo defixit in cliuo Montis, in quo erat tanta ariditas, ut nunquàm ibi aquæ emanarent. Euigilans itaque post somnum, vidit baculum suum pristinæ viriditati restitutum, & cortice, foliisque naturalibus indutum, qui vsque nunc per tot annorum curricula durat, & miraculum, quod scribitur, monstrat. Quodam ergo tempore quidam Incola prædictæ villæ, præfactam arborem abscidit; sed non terratenùs truncauit quam cùm voluisset aptare fabricę domus suę, morbo corripitur, septimaque die post perpetrationem sceleris miserabiliter moritur. In radice itaque prædictæ arboris, ea hora, qua solo eam infixit vir Dei, oritur fons miræ dulcedinis; qui discurrit vsque ad confinium montis.

2. *Idem.* Lignum aridum, quod Mater S. Senatii Episcopi tempore partus manu tenebat, statim fronduit, & floruit, & illa arbor vsque in hanc diem ibi conspicitur.

3. *In m. s. s.* Cùm olìm Ariminenses transferre vellent ex oppido Saludecii corpus S. Amati Confessoris, haud vnquam potuere, currus etenim, quo vehebatur, ante Ecclesiam Maiorem eiusdem oppidi immobilis effectus, nulla vi dimoueri potuit; quo tempore cùm rusticus, qui currui præerat aridum baculum, quem tenebat, terræ fixisset, illicò radices emittens viruit, in magnamque vlmum, quæ vsque adeò videtur, mirabiliter creuit.

4. *In actis S. S. Feb. tom. 3. in Continuat. Bollandi.* Cùm S. Andreas Episcopus Florentinus, simùl cùm alijs Episcopis, & deuoto populo ad Cathedralem Ecclesiam transferret corpus S. Zenobij eiusdem Vrbis Episcopi, tantus fuit affluentis populi sacram arcam attingere conantis concursus, vt in platea iuxta Basilicam S. Io: Baptistæ compressi Episcopi sacrum corpus portantes, in terram cecidissent, nisi arida quædam, & antiqua vlmus, cui cùm loculo adhæserunt, illos sustentasset, que à tàm sacratissimo corpore contacta, admirabili gratia exultauit, & videntibus omnibus statim viruit, misitque folia, & flores; & in dies cùm à deuoto populo per frusta decerperetur, Florentini Ciues in tantæ rei memoriam, marmoream cùm Cruce in eodem loco columnam, erexerunt, quæ in hodiernum diem vsque perdurat.

5. *Ibidem in Martio tom. 3.* Quidam Miles, cùm rapere vellet baculum S. Fingaris (ab impio Theodorico Rege Cornubiæ in Britannia martyrio

rio

rio enecati) ab eo loco, in quo S. Martyr proximus passioni eum defixerat; cernit bifurco ramo duplicem iam erupisse in frondem, & tanto tremefactus miraculo, non est ausus eum contingere. Cernitur vsque hodiè in testimonium Sancti, excelsa (vt dicitur) arbor, ex baculo virtute Dei educta, sed cuius generis sit, ignoratur.

6. *Arnoldus Rayssius in ann. ad nat. S.S. Belg. 2. Decemb. de B. Ioanne Rusbrochio*. In sylua propè Monasterium Viridis-Vallis iuxtà Bruxellem, eo ipso loco, quo olim beatus Rusbrochius inuentus est per indicium ignis Cælestis, hodièque annosa visitur tilia, quæ cùm ante annos plùs minùs viginti, frondibus, & ramis penè nudata; præque vetustate excauata, solo ferè cortice constaret, post, reddita quasi iuuentute, à paucis iterùm annis (quod hisce meis ego oculis vidi) magno omnium stupore, reuiruit, ramisque, & frondibus onusta, nunc omnium oculos recreat absque omnis ariditatis, seu vetustatis indicio. Circùmcirca dictam arborem Serenissima Isabella curauit fieri sepimétum reuerentiæ causa, & ne rami arboris discerpantur à peregrinis deuotionis ergo, vt sæpè factum fuit.

7. *In ann. Minorum an. 1216. n. 20. de S. Francisco.* Cùm ad Ciuitatem Senarum appropinquaret, occurrit ei quidam iuuenis auceps, qui, quos cepit turtures, viuos deferebat in Ciutate vendendos. Vt erat Franciscus compassiuus, & pietate plenus, præcipuè erga mansueta, & casta animalia, tenerrimè inquit ad aucupem: Bone adolescens, quam affectuosè te deprecor, vt meæ fidas custodiæ innocentes has auiculas, quibus in sacra Scriptura castæ, & fideles animæ comparantur, neque velis eas tradere in manus crudeles occisorum. Commotus pietate viri, aliisq. quas aduxit rationibus adolescens, liberè quas portabat ei tradidit volucres, qui eas in gremio recipiens, tanquàm rationis capaces, sanctà quadam simplicitate ita colloquebatur: Sororculæ meę turtures, simplices, innocentes, & castæ, vt quid ita vos capi permisistis? Sanè si in alterius auidioris aucupis, quàm in huius adolescentis manus incideretis, certum vobis imminebat mortis periculum, à quo nunc ego iuuenis istius liberalitate vos eripiam, faciamque vobis nidos, vt fructificetis, & secundùm Domini primæuam illam rerum dispositionem vescatis, & multiplicemini. Deductisq; secùm vsque ad locum fratrum in Rauacciano propè mænia Senarum, præ cænobiolo, baculum, quem manu gestabat, fixit in terra, qui die sequenti inuentus est in proceram, & opacam ilicem excreuisse, quæ etiamnùm reuirescit. In hanc dimissis turturibus, iussit vt incolerent, & ibidem suis temporibus nidificarent, quod in plurimos annos fecerunt, ita familiares fratribus effecti, vt ad cibum accederent, veluti domesticæ gallinæ; Adolescenti verò id reddidit pro accepto dono mercedis, vt ei prædiceret in suo sodalitio religiosè victurum, regnumque acquisiturum æternum: quod verè prædixisse, iuuenis non diù protracta initiatio, & sancta eius in ordine conuersatio persuaserunt. Quo modo factum est, vt turturibus temporalem, & adolescenti vir Sanctus vitam procurarit æternam.

8. *Ibidem an. 1222. n. 14. de Montella oppido.* Ad suum vsque tempus refert Marianus, ilicem, sub qua semel requieuit S. Franciscus, effloruisse ad Francisci memoriam, sed à quodam fratre incisam, vt liberiùs videretur è regione ciuitas, non absq. offenso numine, neque temeritate impunita, Diuinam enim sensit vltionem, extemporanea, & singulari infirmitate, sub qua per paucos dies laborans egit animam inter cruciatus. Ita Cælites ad numinis gloriam sua volunt durare vestigia, neq. temerè delenda permittunt, quæ Deus vel ad hominum instructionem, vel ad suorum amicorum laudem in mirabilium sacrauit memoriam.

9. *Ibidem*. Peruagatum est miraculum, quo Sanctus Franciscus aridum scipionem, qui fessis in itinere artubus fulciendis seruiebat, Assisii defixit, & eumdem testatur Ordo, & cernit Orbis Christianus reuiruisse, & creuisse in proceram arborem, de cuius ligno in hodiernum diem fragmina detruncantur, quæ conficiendis cedunt tesseris precariis, aliisque vsibus sacris, quos inculpata fidelium deuotio excogitat.

10. *Ibidem ann. 1215. num. 40. de S. Francisco; Agens de conuentu de Villa Prouinciæ Bononiensis.* Tres hic arbores, nempè laurum in primo ædificii claustro, cupressum in secundo, & oliuam in prato, Sancti Patris manibus plantatas, inuisere licet.

11. *Ibidem anno 1215. n. 24.* Certior est illa traditio de occupato per S. Patrem conuentu Siroli, qui maritimis Anconitani Maris fluctibus alluitur, distatque à Sirolo Anconitanæ Diœcesis pago, passibus centum, atq. totidem à Sirolano Castro. Eam confirmat arbor è vestigio Ecclesiæ à B. Patre plantata, virentibus foliis adhùc perseuerans, ab omnibus S. Francisci arbor nuncupata, quæ cerasorum quoddam genus conuicinis populis mirabile, & appetibile producit.

12. *Ibidem an. 1222. num. 11.* Frater Iuniperus cùm vocatus à Sancto Francisco, intentus plantando Iunipero, non statim comparuisset, donec opus perficeret: maledixit Franciscus plantulæ illi, ne cresceret, idque protinùs factum est, vt ne latum quidem vnguem creuerit, quæ etiamnum visitur Carinulæ Campaniæ Felicis in monasterio Minorum.

13. *Gonzaga in Prouincia Romana, de Conuentu Sancti Francisci trans Tyberim; de Sancto Francisco*. Extat fructifera quædam, atque pulcherrima malus medica, eius manibus in horto, qui capacissimus, amænusque est, plantata; cuius fructus, ex parte, qua arbori annectitur, quinque pinnis in coronæ modum dispositis, quæ sacrarum eius stigmatum numerum, atque mysterium haùd dubiè præseferunt, elegantissimè, ne potiùs dicam mirabiliter exornatur.

14. *Idem in Prou. Terræ Laboris, de conuentu S. Francisci Carinolæ*. In hoc conuentu adhùc visitur malus medica, arbor à S. Francisco plantata, quæ tripartito stipite è terra exurgens, pulcherrimum sui ipsius prospectum præbet. Præfata arbor hunc à sui exordio ordinem perpetuò seruauit, vt alternis annis quisque stipes, aliis duobus interim

quiescentibus, fructum ferat. Cuius etiam fructus ad plurimos morbos pellendos confert, præsertim si eius cortex aquæ admixtus epotetur.

15. *Vghellus in Ital. sac. tom. 7. Amalphitani Archiep.* Amalphi in conuentu S. Francisci ab eodem condito, adhùc perennant arbores myrthi, malorumque punicorum, eiusdem S. Francisci manibus plantatæ.

16. *In m. s. s.* Item in conuentu S. Francisci de deserto extra Vrbem Venetiarum, adhùc perennat arbor, quam propriis manibus, fama est, Sanctum Franciscum plantasse; cuiusque frustula deuota fide tenentes, meritis S. Francisci ingentia consequuntur beneficia.

17. *Francisc. Quaresmius in Elucid. terræ Sanctæ cap. 1. Peregri. 10. de loco loquens, vbi Christus maledictione percussit ficulneam, quæ arefacta est, ait:* Mirabile est, quod vsque in hodiernam diem ab Incolis obseruatur, cùm in isto agello sint octo, vel decem ficulneæ, omnes tamen iniucundæ, & ferè aridæ, & infructiferæ apparent, aliis vndequaque virentibus, pulchrumq. aspectum fructibus, & frondibus, quibus ornantur, præbentibus, quasi testimonium reddentes antiqui miraculi.

18. *Andreas Vigna in Hist. B. V. de Corona.* Cùm anno Domini 1522. ad inacessibilem rupem Montis-Baldi, in Territorio Veronensi, venerabilis Imago lapidea Beatæ Virginis, Rhodio ab Angelis deportata fuisset, ex luminibusque nocturnis, & cælesti melodia ab incolis adinuenta fuisset; populi ad eam venerandam non nisi ab alto montis demissi funibus accedere valentes, precibus Beatam Virginem exorarunt, vt commodiorem locum ad eius accessum patefaceret: & ecce arbor maxima ex dura silice spatio vnius noctis enata eo in loco, quo media profundissima valle duo altissimi coniunguntur montes, ramos ita extendit, vt super ipsos commodissimus ad transitum pons construi potuerit, quo ad venerandam imaginem facilior apertus est gressus. Huius arboris miraculosæ frustula in aquam immissa, mirabilem diuersis infirmitatibus oppressis, aquamque deuota fide bibentibus, contulere sanitatem. In signum autem tanti miraculi, arbore iàm consumpta, columna marmorea eodem in loco apposita est, quæ vsque hodiè visitur.

19. *Ex. m. s. s.* Romæ in monasterio Sanctæ Sabinæ Ord. Præd. adhùc est malus medica, quam plantauit S. Dominicus Ord. Præd. Fundator, & fructus emittit; & quod mirum in his plantis, à radice de nouo pullulauit.

20. *Anselmus Minorita in descriptione Terræ Sanctæ.* Iuxta Ebron versùs meridiem est Mons Mambre, fortè ad quinque, vel sex stadia, & ibi apparent adhùc muri domus vetustissimæ ipsius Abraham, vbi mansit, & iuxta illam domum est arbor frondosissima, & viridis, satis alta, & multùm spissa, & vocatur ilex, & est genus quercus; ibi Saraceni faciunt suas deuotiones, & in magna reuerentia habent illam arborem, quæ tamdiù apparet viridis à tempore Abrahæ vsque nunc, & ligant panniculos in ramis, facientes suos characteres, & tenent, quòd si quis abscinderet aliquid de prædicta arbore, infrà annum moreretur. Sub hac arbore dicitur Abraham stetisse, vt in Genesi dicitur, quandò tres vidit, & vnum adorauit, idest, vidit Sanctam Trinitatem in specie Angelorum. Locus autem ille, in quo steterunt Angeli, est in monte, stipatus arboribus proceris, & pulcherrimis, & distat ab ilice quasi ad vnum stadium, & hanc arborem vidi, & tetigi.

21. *Beda de locis Sanctis, cap. 12.* Seruat adhùc regio Sodomorum speciem pœnæ: nascuntur enim ibi poma pulcherrima, quæ & edendi cupiditatem spectantibus generant; si carpas, fatiscunt, ac resoluuntur in cinerem, fumumque excitant, quasi adhùc ardeant.

22. *Io. Baptista Benamatus in Historia Guastallæ.* In Territorio Guastallensi prope rurem vulgò *Baccbanello*, quædam columna structilis, seù dirutæ iàm portæ pila reperiebatur, in qua depicta erat imago Beatæ Virginis, puerum Iesum in manibus tenentis; Huic ann. 1667. cum ob vetustatem ruitura videretur, aridus pruni truncus iàm ex anno excisus pro fulcimento suppositus fuit. At ecce mirum! post circa sex menses aridum lignum cæpit mirabiliter virere, & licet radicibus expers, folia, flores, fructusque emisit vberrimos, hocque ne dùm eodem anno, sed & sequentibus. Quo in loco ob frequentiam miraculorum ædificatum fuit sacellum, & vocatur Beata Virgo de Pruno, quæ Prunus vsque nunc ibidem, licet iam denuò arefacta, in testimonium miraculi asseruatur.

APPENDIX II. AD CAPVT VI.

In Arboribus Admiranda perennia.

Recensitis iam Admirandis coronam imponant perennia, quæ perpetuo prodigio Admirationem cunctis spectantibus causant. De quibus.

1. *In vita S. Patritij, cap. 167.* Loca nemorum, in quibus Sanctus expulsus à pessimis, pernoctans hospitabatur, quæ parua, paucaue arbusta antea protulerunt; benedictione tanti hospitis syluescere, ac tanta virgultorum copia fructificare visa sunt, quòd succidentium manibus destrui penitùs non possunt.

2. *Greg. Tur. l. 1. de gl. Marty. c. 91.* Eulalia gloriosa apud Emeritam vrbem passa, magnum miraculum in die immolationis suę populis profert. Sunt igitur ante eius altare, quo sancta membra teguntur, tres arbores, sed ignarus ego cuius sint generis. Cùmq. iam medio mense decimo, quandò eius passio celebratur, sint ab omni foliorum decore nudatæ, ea die illucescente Cælo, in modum columbæ alitis, flores proferunt suauitatis, scilicet quòd sanctus eius Spiritus in columbæ specie penetrauerit Cælos, & quòd beatū eius corpusculum iā exanime, vestibusq. nudatum, nix cælitùs decidua molli vellere contexisset. Quod miraculum si solitæ arbores protulerint libertate, scit populus sibi annū, vel pressuris vacuū, vel frugibus plenū. Quod si tardiùs flores ex more paruerint, cognoscit plebs, sua hoc fieri noxa,

noxa, nam priusquàm erumpant, querula ad sepulchrum martyris, ac mæsta decumbit; Deprecans vt solitam promereatur conspicere gratiam; sed nec psallendo procedit, si hæc manifestata non fuerint; iam si placatur martyr à lachrymis plebis, emergũt protinùs ex arboribus gemmei flores, qui odorem nectareum respirantes, animi mæstitiam, & aduentu lætificent, & reficiant suauitate. De hinc diligenter collecti, & in Basilicam Sacerdoti delati, processio cùm gaudio celebratur; nam & hos flores sæpiùs infirmis prodesse cognouimus.

3. *Io: Eus. l. 2. de mir. Nat. c. 9.* Puer quidam nobilis, quem S. Keiuuinus in Hibernia alumnum habuerat, ægrotans, fortè poma desiderabat, cui Sancto compatiente, & orationem Deo fundente, Salix quædam non procul ab Ecclesia poma protulit, tàm puero, quàm alijs ægrotantibus salutifera, & vsq; in hodiernum diem tàm Salix illa, quàm aliæ ex ea circa cæmiterium transplantatæ, more pomarij (salicis tamen aliàs per omnia tàm folijs, quàm frondibus natura permanente) singulis annis poma producunt. Sunt autem hæc poma alba, & oblonga, salubria magis quàm sapida in magna reuerentia ab indigenis habita, quæ etiam ad remotas partes contra varios morbos à multis deferuntur, & S. Keiuuini poma dicuntur.

4. *In actis S. S. Feb. to. 1. in cont. Boll.* Extat vsq; hodiè illustre miraculum ad cõmendationem pretiosæ mortis S. Martyrum Torquati, & Sociorum; Nam eadem solemnitate apud Vrbem Accitanam ad sepulchrum S. Torquati, arbor oliuæ diuinitùs florens maturis fructibus onustatur.

5. *Chrysos. Henriq. 14. Maij.* Aula regia est Cœnobium ordinis Cisterciensis, duobus circiter à ciuitate Pragensi distans milliaribus, in quo ab hostibus fidei Christianæ suspensi sunt monachi in arboribus, quæ Tiliæ nominantur, & in perpetuam rei memoriam arborum rami, in quibus fuere suspensi, folia ferunt ad instar caputiorum, quibus vtuntur Cistercienses, vt testantur multi, qui ante paucos annos id viderunt.

6. *In vita S. Georgij Calaritani Episcopi.* Erant agrorum fines apud Vizulim oppidum in Sardinia. signis terminandi quibusdam ad sedandas discordias; Ergo iam missi huius rei causa fustes à S. Epis. reddunt, quem debent, suo cultori fructum; statim enim frondibus cùm floribus emissis, in arbores conuersi sunt; nec deleta memoria, quia in hoc vsq; tempus conseruantur pergrandes; quæ quoniam nouo procreatæ sunt modo, non facilè manifestant, cuius sint participes generis, nec in omni Sardinia tali reperies specie. Glandes enim ibi cùm non sint, ilices proferunt.

7. *Achilles Mucius 3. p. Theatri Bergomensis.*

Arboribusq; nucum mira est natura quibusdam
 Insita, cùm lapsis consenuere comis.
Ac cùm Zachariæ redeunt solemnia nati,
 Cùm folijs flores nocte repentè nouant.
Causa latet facti, verùm miranda videntur
 Plurima Bergomeis non leuiora locis.

8. *Petra Sancta in mir. perp. c. 16.* In Arce Sancti Ioannis propè Aronam in Lugani Valle diecesis Comensis, existit nux, quæ in nocte præcedenti diem festũ S. Io: Baptistæ quotannis flores, fructusq; eodem tempore producere obseruata est: propè etiam eamdem arcem alia reperitur nux, quæ toto anni tẽpore cùm sicca, & arida appareat, eadẽ nocte S. Io: Baptistæ frondescit, flores, fructusq; emittit.

9. *In vita S. S. Frat. Polonorum Erem. Camald. & Confess.* Extat etiam ad hoc vsque nostrum tempus in Nitria vbi manserunt isti S. S. Patres, Andreas, & Benedictus, vna parua vinea muro circumcincta, quæ Sanctorum manibus propriis fuit plantata in vsum diuini officii Ecclesiæ; ex qua per totũ annum suppetebat, & non deficiebat vinum, de qua vsque ad hodiernam diem in eadem copia abundat, & non deficit per misericordiã Dei, & amorem in Sanctos suos gloriosos. Quòd si quis ex vinea eã indignè, vel furtiuè vuas comederit, aut aliquem fructum gustauerit, in pestiferam febrim incidit, nec primæ sanitati restituitur, donec pro ablatis pænitentiam egerit. Nunc hęc vinea ab hereticis deuastata, à nulloq; homine plantatur; attamen diuina clementia, vt & antea vberrimos fructus (vt aliæ vineæ, quæ coluntur) producit. Infirmis verò febricitantibus vinum præfatum cùm deuotione porrectum, sanitatem conferre, multorum fide dignorum testimonio comprobatur.

10. *Gonzaga in Prouinc. Canariæ, de conuentu S. Bonau. Fortis Venturæ.* S. Bonauẽturæ conuentus vigilantissimum Guardianum aliquãdò egit S. Didacus Complutensis, miraculis omninò clarus; hic cùm semel hoc in loco fami satisfacturus collectum ex palma dactylum in os iniecisset, dùm incautiùs eius os dentibus præmeret, alterius iacturam perpessus est: quamobrem Deo supplicauit, ne permitteret, vt huiuscemodi fructus ad gustandum alioquin suauissimus, suis famulis nocumento esset: Mira res; quotquot ab eo temporis impræsentiarum vsque dactyli ex præfata palma prodiere, ij omnes absque osse inuenti sunt.

11. *Petra Sancta in mir. perp. c. 16.* Lhora Vrbs est Germaniæ ad Moenum sita inter Frãcofurtum, atq; Herbipolim; iuxta eam Vrbem in loco vbi aliquandò vixit S. Gertrudis Virgo ex prosapia Regum Francorum, est monasterium S. Benedicti, nomine Neustadium, in quo, quia S. Gertrudis consueuerat, dùm appeteret Brumæ tempus, surculos pomorum sua manu inserere intrà hortulum ob Diuinæ Incarnationis venerationem (inserta enim Diuinitati nostra humanitas fuit, quandò Verbum caro factum est, & habitauit in nobis) eodem tempore semper continuata propago est istiusmodi arbusculorum.

12. *Idem ibidem.* Propè antedictam Vrbem ipsa nocte Diuinorum Natalium, dùm omnia ex hyeme, & gelu marescunt, arbusculæ aliquæ, videlicet ex earum numero, refertæ pomis inueniuntur, colore, ac sapore haud absimili pomis, quæ produci solent tempore suo. Discrimen est tantummodò, quòd secta ea poma, nullum seminis indicium faciunt. Porrò eæ arbores iussæ ab Archiepiscopo Maguntino iuxta nostri Calendarii vsum esse frugiferæ, paruerunt, ac tempus immutarunt admirandæ istius fœcunditatis.

13. *Idem ibidem.* Bruxellis Vrbe Nobilissima

Brabantiæ, arbor est, quæ toto anno arida, ac veluti emortua, ipso Die Natiuitatis Domini, virere, ac vigere incipit; ea gaudia frondium, florumque præsefert vsque ad Purificationem Deiparæ Virginis, deinceps verò sensim inarescit. Vocatur Flos Hierico, atque hæc arbor etiam iuxta emendationem Calendarii quotannis renouat suam frondium, & florum hilaritatem.

CAPVT II.

De Admirandis circa Flores, Fructus, Herbasue. Flores intempestiui.

§. I.

AAronicam virgam quondam mirabiliter progerminasse, & turgentibus gemmis, flores intempestiuè produxisse, sacra enarrat Scriptura Num. 17. His similia admiranda non raro postremis Euangelii temporibus euenere, floresque intempestiuè quandoque erumpentes, vel ex siccis calycibus germinantes, Omnipotentiam temporum vices præordinantis, foliorum linguis toti deprædicarunt Mundo. De his.

1. *Adricomius* in *Beniamin num. 63. de Fonte Elisæi hæc habet*. Propè hunc fontem, arbores crescunt instar prunorum, spinosæ tamen, in quibus flores nascuntur, quos rosas Hiericuntinas vulgus appellat, mirandi effectus: Nocte enim Natalitia Nostri Saluatoris paulatim hiant, atque indè se recludunt, licet siccæ sint, & aridæ in testimonium Virginis partus, vt credere licet.

2. *Philipp. Ferrar. Mense Septembr. die 16. de translatione S.S. Abundij, & Abundantij, Martiani, & Ioannis, Martyr.* In vltima translatione, lilia arida, hyemis tempore, refloruere, ac translatione inchoata, tempus pluuium subitò in serenum conuersum est.

3. *In actis S.S. Feb. tom. 2. in Contin Bollandi.* Defuncto S. Euseo Eremita Sarauallè in Pedemontio, super eius domum tria lilia, eaque prealta mirabiliter floruerunt, quod admirationem omnibus causauit, cùm tunc temporis maximè hyems decrudesceret; Ingressi igitur domum, corpus Sancti exanime inuenerunt; Cœlum quippe insolito miraculo, & viri sanctitatem demonstrare, & conciues ad illum sepeliendum monere voluit.

4. *Surius in vita S. Dorotheæ, 6. Februarij.* Cùm exiret Pretorium Sancta Dorothea, vt ad supplicium pro Cælestis Sponsi amore duceretur; dixit ad eam ridiculè quidam aduocatus, nomine Theophilus: Eia tu sponsa Christi mitte mihi de paradiso Sponsi tui mala, aut rosas; & Dorothea respondit. Planè ita faciam. Cùm venisset igitur ad ictum percussoris, rogauit carnificem, vt permitteretur breuiter precari, absolutaque Oratione; ecce puer ante eam apparuit, ferens in orario tria mala optima, & tres rosas, cui illa dixit: Obsecro te feras ea Theophilo, & dices ei: Ecce quod à me petiisti, vt tibi de Sponsi mei Paradiso transmitterem. Quo miraculo credidit ille in Christum, martyrioque affectus est.

5. *Thomas à Kempis in vita S. Liduuinæ Virg. par. 2. c. 7.* Quodam tempore Virgini Liduuinæ apparens B. Virgo Maria. Accipe, inquit, hoc sertum super caput tuum, quod nisi septem horis poterit esse super terram: Trade quoq. illud in manus Confessoris tui, & dic ei, quod ego demando ipsi, vt credulus sit donis Omnipotētis filii Dei: & hoc sertum ponat super caput imaginis meæ, quæ est in Ecclesia. His igitur peractis, reuersa est ad sensus corporeos Virgo, gratias magnificè agens Domino super consolatione tàm iucunda; sed cùm tale sertum corporaliter accepisse ignoraret, tandem casu, vel necessitate vrgente, manum capiti suo superponens, sertum florigerum detraxit, quod ex odore suauissimo manu B. Virginis sibi impositum recognoscebat; & fere vsque ad septimam reditus sui horam apud se conseruabat. Erat autem hoc sertum cærulei, seù crocei coloris, & rugosum, humanis aspectibus hactenùs inuisum, quod ex se miræ suauitatis emittebat odorem: Ideòque quamdiù potuit, tàm pulchrum sertum, ac floridū apud se retinebat.

6. *Felix Milesius trac. de quantitate hostiæ contra errorem Osuualdi.* Anno 1384. in Seefeld, quidam, nomine Osuualdus, tempore Paschatis, dùm cùm cæteris ad sacram communionem accederet, non ordinariam hostiam, sed cæteris maiorem sumere præsumens, subitò terræ aperto hiatu vsq; ad genua absorptus est; quod prodigium cùm eius vxori narraretur, nunquam se id credituram affirmauit; dixitque famulo hoc narranti: Credam priùs hunc cauticem, hunc ipsum aridum, quem vides, in vernantes rosas erumpere, quàm quod narras: hoc citiùs credam. His dictis: (ò mirum) is idem cautex, tanquam viride, naturaleque rosarium formosissimas, ac fragrantissimas rosas (suo auctori obediente natura) statim fastigando producit; Ipsa verò in sua perfidia obstinata natos flores impia manu decerpens, temereque volando proiecit, neque impunè; nam confestim mentis delirio sauciata per syluam Scharnitz furens, atque oberrans subita morte deperiit.

7. *In an. Min. an.* 1223. Duo elapsi erant anni post obtentam à S. Francisco Magnam illam Indulgentiam pro visitantibus Ecclesiam S. Mariæ Angelorum, sed non fuerat adhùc destinatus dies, in quo fideles participes esse possent tanti beneficii: Expectauit vir Sanctus, vt qui tantarum erat auctor gratiarum, ipse esset & dispensator, & qua die eas vellet distribui, palàm manifestaret; id porrò factum est hoc modo. In huius anni limine mense Iannuario cùm vrgeret gelu, & frigus intensissimum, apparuerunt ei rosæ albæ, & purpureæ in magna copia; affuit & ingens Angelorum cætus ei dicentium: surge citò Francisce, & ad Ecclesiam propera, ibi enim te Christus cùm matre sua expectat. Qui surgens veste noua, & candida se indutum miraculosè sentit, collectisque rosis, duodecim albis, & totidem rubris, ad Ecclesiam perrexit, ibique à Christo Domino illi designatus fuit dies Indulgentiæ, iussusque, vt ad Pontificem ad impetrandam confirmationem per-

pergeret, rosasque in testimonium veritatis deferret, quod statim effecit: Expositaque Summo Pontifici supplicatione, rosisque tribus vtriusque coloris ad honorem S. S. Trinitatis, quas secùm tulerat, Papæ oblatis, omnia, sicut petebat, obtinuit.

8. *Franciottus, de Ecclesia Lucæ vocata Beata Virgo de Rosa*. Cùm Vrbs an. 1255. in hoc loco mænia haberet, accidit vt circa illa adolescens quidam annorum 15. qui erat mutus, oues pasceret, qui hoc obseruauit, in quadam parte, quæ herbam copiosiorem habebat, oues eam non decerpere, immò nec ad illam accedere, & licet eas tentaret, vi compellere non potuit; accessit ille, vt videret, quid illic esset, viditque, mirum dictu, recentem rosam (licet tunc Ianuarij esset Mensis) dùmque manus porrigeret, vt rosam arriperet, lingua ei fuit soluta. Res innotuit Patri, deindè Episcopo, repertaque est è regione illius cespitis, vbi rosa nata erat, in muro imago Virginis depictum filium in sinu habentis, inque dextera manu tres rosæ depictæ, vt hisce quoque temporibus est videre in Ecclesia ibidem ex eleemosynis fidelium extructa.

9. *Thom. Cantip. lib. 2. Apum cap. 25.* Venerabili Adæ de Belomeir tale miraculum contigit. Recedente viro suo nobilissimo milite, & quasi diebus plurimis non rediturо, petens leprosus hospitium, receptus est; illo ergo gemente, & causante debilitatem corporis fatigati, petit in lectum suauissimum se deponi: Domina autem nullum credens lecto Domini sui molliorem, in eo leprosum hominem mox deponit. Nec mora exinsperatò dominus rediens, petit in thalamum intromitti. Dissimulante ergo Domina, coniecit ille aliquem esse in thalamo, & irruptione facta, hyemali tempore lectum suum rosis fragantissimis coopertum inuenit. Admiratus igitur, quærit, quid factum sit, indicat vxor. Nec mora, in laudem Christi ambo cùm lachrymis resoluuntur.

10. *Surius 23. Aprilis*. Religiosus quidam Ordinis S. Dominici, cæteroque doctus, peræque ac pius, ægro atque inuito animo ferebat, hæsitare se, dùm vellet assentiri, Mariam & ante partum, & in partu, & post partum Virginem fuisse. Statuit proindè adire fratrem Ægidium Religiosum ordinis S. Francisci, virum simplicem, sed inclytum tamen ob Dei frequentes illustrationes. Is reipsa ei obuius fuit, reique iam per se conscius, scipione humum percussit, dicens: Maria, Virgo est ante partum, & lilium elegans ibi statim effloruit. Mox accessit proprior, & rursus ait: Maria, Virgo est in partu, baculo simul glebam quatiens, & lilium alterum emicuit; indè progressus, ac solum tertiò feriens, adiecit: Maria, Virgo est post partum, atque enatum est lilium eo numero, quo Deus impare gaudet; eoque serto florum castissimorum simul fidem alterius stabiliuit, simùl Deiparæ iugem virginitatem coronauit.

11. *In Chronicis Minor.* Hortulum colebat Ven. Fr. Assensius natione Saguntinus, in quo cùm semel omnes flores ad exornandum Altare S.S. Sacramenti à vermibus corosos conspexisset, facta oratione, crastina die, omnes iterùm enatos, vermesque extinctos inuenit.

12. *Bzouius ann. 1314. num. 27. de B. Iacobo Veneto Ord. Præd.* Maxima inter alios sanctos deuotione prosequebatur Ascidum, & Victorium Martyres Cordubenses. Quorum in festiuitate ad 17. Nouembris cùm aliquandò in horto Rauennæ deambulans recitaret officium, rosam (miraculum anniuersarium aiunt esse Cordubæ) recens à senticeto, seu roseto natam reperit, ac collegit.

13. *Raderus in Bauaria sacra, de B. Friderico Ratisponensi*. Media hyeme Cælestis internuntiis Friderico rosas in altari posuit, quas ipse suo moderatori miranti, & stupenti attulit.

14. *In vita S. Agnetis Politianæ*. Cùm existeret Sancta in castro Proceni, contigit semel hyemali tempore de mense Ianuarij transire per dictum castrum quosdam viros magnæ pænitentiæ, famæ, & sanctitatis eximiæ, qui cùm ad Monasterium Agnetis propter eius sanctitatis famam accessissent, eos illa benignè accepit, postque sancta colloquia, eos ad cibum sumendum de eleemosyna Monasterij cogit. Cùmque cibus esset allatus, & coram singulis cùm pulmento singulæ paropsides positæ; dùm collocutio sancta simul cùm cibi sumptione fieret, subitò miraculosè Rosa pulcherrima miri odoris, delectabilisque coloris in Agnetis paropside, cunctis videntibus, ac mirantibus est inuenta.

15. *Seraphinus Bertolinus in vita S. Rosæ Peruanæ. cap. 21.* Exornabat semel S. Rosa de S. Maria ex tertio ordine S. Dominici statuam Sanctæ Matris Catharinæ Senensis; cùm inter alia ornamenta carophylla naturalia tunc temporis intempestiua optauit, quæsiuitque diligenter; sed frustrà: tunc ad quasdam socias puellas conuersa, indigitansque plantam eorundem florum, quæ nec calyces emiserat: hac nocte, inquit, ad honorem S.S. Trinitatis tria hæc planta producet pulcherrima carophylla, quibus nos effigiem S. Matris exornabimus; prophetiam euentus comprobauit, manè etenim tres admirabilis puchritudinis flores miraculosè enati apparuere, illisque Sanctam statuam adornauit.

16. *Vuadingus in ann. Min. an. 1403. num. 5.* Anno 1417. dedicata est ædicula in monte aureo in honorem B. Mariæ Virginis, quæ eodem anno die quarto Ianuarij mirabiliter apparuit vernantibus rosis circumdata, vbi etiam sacrarum Virginum erectum est Monasterium.

17. *In vita B. Ritæ de Cassia*. In medijs summæ hyemis frigoribus, cùm densa nix tegeret omnia, Sanctam Viduam mulier quædam cognata inuisebat. Ibi rogauit eam Rita, vt rosam vnam, & duas ex horto suo ficus deferret; subrisit bona fœmina, quòd suspicaretur præ morbi molestia illam animi, aut sensuum deliquium pati. At vbi domum rediit, aliud actura in hortum ingreditur; vidit Spinetum cana niue grauidum, sed miratur in summo eius culmine suauiter rubicantem rosam, & in proxima arbore duas ficus molliter maturas. Ad rei miraculum stetit aliquandiù attonita

tonita mulier, deindè lectos flores, fructusq; istos admirandos ad Ritam attulit.

18. *Cæsar Franciottus in vitis S. S. Lucensium de Ecclesia S. Hieronymi* Anno Domini 1491. Frater Georgius de Luto Senensis ordinis Iesuatorum, multa prophetiæ spiritu cùm prædixisset, in veritatis testimonium, rosas palo inseruit, qui quosdam exiguos habebat ramusculos, dicens; Si octo dierum spatio rosas produxisset, id rerum certò futurarum testimonium futurum; quod euenit, licet adhùc rosarum tempus non adesset.

19. *Sylos in vita Ven. Francisci Olympij, libr. 2. cap. 7.* Rosmarini testulam habebat ad eius fenestram Ven. Franciscus Olympius ex nostris, quam ipse irrigabat, excolebatque non tàm manu, quàm affectu in diuam Virginem; obseruatumque dedita opera fuit, Rosmarinum qualibet luce Magnæ Matri sacra, florere solitum, id quod ingenti quidem admirationi seruiebat. Hoc deindè Rosmarinum, elato Olympio, Francisco Concubletæ Arenæ Marchioni dono datum est, qui quidem vtpotè Dei serui studiosissimus, mirum quàm gratanter munus acceperit, coluitque incredibili studio, ac surculis alijs, atque alijs propagauit; tùm morbis etiam persanandis distribuere, non sine præsenti fructu cæpit. Aduertitque, non quidem omnibus, sed plerisque D. Virginis solemnioribus ferijs alieno scilicet tempore floruisse.

20. *In vita Ven. Antonij Raganti cap. 12.* Ven. P. Antonius Ragantus in eremo rosas plantauit, quæ flores omni tempore, hyeme etiam, dabant, etiamque niuis tempore, quæ res in stuporem omnes adduxit; sed quia plerique eas ab Eremo deferebant in testimonium eius sanctitatis, rosarium euulsit.

21. *Io: Nyder in Formicario lib. 1. cap. 2.* Quædam Virgo in rure satis propinquo Ciuitati Nurembergensi, Virginitatem Deo vouerat, summaque simplicitate, & sanctitate viuebat. Semel igitur maximo exarsit desiderio sibi manifestari, an à Christo Domino tanquam sponsa haberetur; dùm igitur semel post multas preces in horto suo laboraret (erat enim pauperrima) subitò in hanc verborum prorupit sententiam: O Vtinam fili Dei signum aliquod tuæ desponsationis ego paupercula, & indigna mererer accipere in tali huius horti locello, quò nunc oculis corporeis visum dirigo. Et ecce, in eodem momento, & locello vidit tres, aut duos circiter violarum amænos flosculos. Erat autem pro tunc tempus autumnale, & circa festum Beati Martini, quandò in nostris partibus nedùm omnium florum emarcescere solet amænitas, verùm etiam tunc glacierum, & niuium gelicidia omnium fructuum, & foliorum vires ab arboribus consueuerunt decerpere, & enecare herbas in quibuslibet hortulis. Gauisa est itaque Christi virgo, & ex admiratione territa de tàm insolito spectaculo, violas manu collegit propria, & conseruauit sollicitè, vt exindè amor, & spes arctiùs ad suum sponsum gratè succrescerent.

22. *Andreas Rota in vita Ven. Sor. Pudentianæ cap. 17.* Maxima afficiebatur dulcedine Ven. Soror Pudentiana Zagnonia ex tertio ordine S. Francisci, dùm sacra quinque vulnera Redemptoris meditabatur: Et ecce in præmium Amoris, cælitùs, vt creditur, puer, qui statim euanuit, ramusculum quinque distinctum rubicundis rosis, deuotæ attulit Virgini; sed ecce mirum, dùm eiusdem Virginis confessor cælestes rosas cistulæ diligenter inclusas, domum deportat, indè inuisibili manu surreptas, ingenti stupore animaduertit; quare furti dolens, iterùm ad cubiculum Virginis accurrit, rosas eò diuinitùs delatas videre sperans; sed frustrà, eas etenim cælica aliò inuisibiliter deportauerat manus, quæ tamen Virgineis orationibus impulsa, paucis ante eius obitum diebus precante Confessario mirabiliter apparens, easdem rosas supplicanti restituit Virgini; seque antea è clausa cistula eas sumpsisse affirmans, euanuit.

23. *Bzouius an. 1276. nu. 16. de B. Helena Virg.* Tantæ efficaciæ fuit eius tactus, vt non tantum ægritudines corporeas à plurimis depelleret, sed & herbas aridas virori pristino restitueret.

24. *Pepe in mirab. S. Caietani m. 152.* Quædam pia mulier in oppido Montis Falci Spoletanæ Diœcesis deuotè asseruabat lilium, quod iam exornauerat aram B. Caietani; post tres menses, cùm iam lilium aruerat, tres eius filiæ diuersis afflictæ sunt languoribus; Hæ Diui Caietani opem implorant, aridaque lilij folia pro medicamine adhibere statuunt. Hoc præsentiens puer trium annorum, sibi tradi lilium postulat, innocenter se velle miraculum petrare asserens. Traditur puero lilium, qui eo tangens sorores, subitò sanat; liliumque aridum in manibus eius statim effloruit, duosque, caule adhùc sicco, mirabiliter emisit flores.

25. *Gregorius Turonensis de Glor. Confess. cap. 51. de Sancto Seuerino.* Qualis fuerit vita eius in hoc sæculo, ita Domino cooperante clarescit, vt euidentibus nunc prodigiis designetur. Igitur lilium ab eo collectum, atque in Basilica sepulchri eius (quod viuens sibi fecerat) positum, prætereunte tempore, laxatis deorsùm florum folijs, arente coma, emarcuit. Et ita siccatum videtur, vt si contingatur manu, putetur in puluerem extemplò resolui, totumque annum in hac ariditate perdurat. Adueniente verò die, quo Confessor migrauit à corpore, in rediuiua viriditate resurgit; videasque foliis paulatim reuirentibus ipsos flores adtolli, & sine vllo aquæ, ac telluris humore, in ea specie, qua quondam fuerant, renouari; & sic Beatus Confessor profert nouos flores è tumulo, qui cùm Sanctorum reliquis, vt palma floret in Cœlo.

26. *Idem ibidem lib. 1. de Glor. Marty. capit. 74.* Est alius Martyr infrà terminum Vrbis Beorritanæ præsbyterii honore præditus. In cuius Basilica cum plerùmque super infirmos mirabilia ostendantur, illud præ cæteris est admiradile, quòd lilium dudum collectum, & siccum, in eius solemnitate denuò reuirescit, ita vt intueantur illa die populi flores nouos, quos pridem viderant arefactos.

27. *Antonius Belinghem in Calendario B. Mariæ, 20. August.* Anno 1627. in Apulia oppidi cuiusdam Incolæ, nomine Mirabelli, vt à se auerterent

rent iram Dei, quæ terræmotibus vicinas absorbuerat regiones, processionem instituere ad honorem B. Mariæ Virginis; qua completa, in templum reuertentes, elataque voce, Matrem misericordiæ inuocantes, signum Diuinæ in eos clementiæ videre. Quippè lilia altari superposita omninò arida, statim refloruere, & virore, vigoreque pristino resumpto, adeò creuere, vt totum penè altare stupentibus omnibus occuparent, & ornarent.

Videantur aliqua his similia in lib. 4. cap. 2. §. 4. & §. 11.

Herbæ, Segetesue præcoces, vel subitò mirabiliter enatæ. §. 2.

Floribus intempestiuè exortis, non incongruè adnectentur herbæ, Segetesue, statutum à natura tempus, aut præcoces præuenientes, aut in germinando non seruantes, ex his etenim fasciculus Admirandorum maximè olentium, et iam stupidas Aduersariorum nares demulcens, colligetur. Sint autem.

1. *Surius in vita S. Petri Cælestini lib. 1. cap. 4. 29. Maij.* Deuota eius Mater, quodam magnæ famis tempore deficiente sibi pane, cùm pro sua, suorumque sustentanda vita nullum humanum superesset remedium, ad diuinum, & iam in se, ac suis filiis expertum, refugit subsidium, conuertitque se ad Dominum, & suppliciter orat, vt huic necessitati misericorditer prouideat. Manè autem imperat Filio, vt falcem tollat, & in agrum vadat: Recusabat ille, dicens: nihil proficiam; Nondùm enim tempus erat messis; Tandem tamen agrum ingreditur, matri obediens, in cuius medio tanta messis alba, & matura, quanta eis erat necessaria, inuenitur.

2. *Chrysostomus Henriquez in fascic. de Vener. Ludouico de Estrada.* Cum maxima fame opprimeretur regio, nec omnibus pauperibus subuenire posset vir Dei, ad Diuinum confugit auxilium. Nec fructu suo caruit, nam in omnibus Monasterii terris duobus mensibus ante omnes alias triticum demessum est, iam remanente eodem adhùc viridi in terris vicinis. Quod accidit, ne tanta multitudo fame periret, vtque probaretur, quantùm valeat oratio Sancti alicuius; nam lingua eius non solùm est clauis Celi, vt illud pluere faciat, vel nubes ad pluuiam disponat, sed etiam vt terram aperiat, & ante tempus fructus exhibeat, quos etiam tempore veniente alia terra non producebat.

3. *Idem de B. Cænano in notis 15. Iann.* Cùm in summa Annonæ caritate vix quod pauperibus erogaret, Vener. Abbas haberet, ideòque tàm ipse, quàm cæteri Monachi non parùm affligerentur, messe eorum ad vnum mensem præcociùs maturescente, magno omnium stupore, pauperum indigentia subleuata est, & solliciti Patris desiderium nequaquam frustratum.

4. *In Ann. Capuccinorum an. 1583. de B. Felice à Cantalicio.* Cùm inter Cantalicii oppidanos odia, ac dissidia pleraque grassarentur; Vir Dei pontificiam Indulgentiam à Gregorio XIII. oppido impetrauerat, qua exorta dissidia dirimeret, pacemque inter eos conciliaret; hac de causa cùm is se Cantalicium contulisset, haud tamen vt propinquorum, & aliorum visitationes fugeret, oppidum ingredi voluit, sed ad quasdam rustici prædii ædes, Catranalium dictas, antiquam fratrum possessionem diuertens, ibi à germano fratre natu maiore domo excipitur, cùmque à fratria illi cœna pararetur: Felix ad illam: Quid, inquit, tantùm in cœna paranda tibi sollicitudinis assumis? Deus nobis cibos ministrabit: tantummodò ad hortum pergens, recentes indè nobis fabas ex scapis collige: Vix tunc fabarum culmi florere cæperant: quare ad Felicem Fratria: Vah quid ais, Felix, nec dùm fabarum tempus maturum est, vt iis vesci possis. Quid; quòd fabarum stimulæ vix integros adhùc flores protulere; Cui Vir Dei: falleris, ait, si ad fabarium perrexeris, fabas inuenies, quas colligas. Rursùs fratria: ne frustrà inquit, ad fabarium prouoces: neque enim ad vigesimum, ac trigesimum vsque diem fabales thyrsi fabas esui aptas parturient: at Felix: festina, inquit, ne contendas; Deus enim potens est, nobis fabas ad esum ministrare. Obsequitur fratria Viri Dei imperio, ipsius obseruantia potiùs, quàm spe fabarum ducta. Quid plura? tot plenas fabarum thecas, Deo ministrante, in culmis offendit, vt ex his plenam mappulam ad Virum Dei, Diuinum miraculum admirans, attulerit. Porrò ne quis fabas huiusmodi à fabarum caulibus potiùs, quàm è Cœlo datas, dubitaret, post hec ne vna quidem fabaria theca donec ad fabarum tempus deuentum est, in fabario inuenta fuit.

5. *Franciscus à S. Maria in Hist. Carmelitan. tom. 1. li. 2. cap. 48.* Quædam monialis ex discalceatis S. Teresiæ, cùm esset infirma, maximaque stomachi nausea laboraret, ad illam sedandam, betas coctas appetiuit; erat tunc frigidissimum hyemis tempus, nec alicubi huiusmodi herbæ inueniri poterant. Fauit tamen Deus eximiæ charitati Sororis Catharinæ Euangelistæ, quæ tunc præerat infirmis, ea etenim in gallinario virentem betam inuenit, à qua folia decerpens, infirmæ necessitati subuenit; talisque planta quotidiè folia virentia subministrauit, quousque adueniente vere, alibi huiusmodi herbæ adinueniri potuerunt.

6. *Daniel Bartolus in 2. parte Iaponis libr. 3.* Quidam Christianus, nomine Michael, in Cochinotzu Ciuitate Iaponiæ Insulæ An. Domini 1614. ob fidei catholicæ defensionem crudeli nece è viuis fuerat sublatus; cùm ecce quadraginta quatuor diebus post eius obitum, Nonis Iannarii 1615. ex paruo eius agro, in quo paucis diebus ante mortem granum serotinum seminauerat, mirabiliter inter frigidissimas niues, grana illa germinarunt, in altissimas aristas creuere, florem, fructumque eodem tempore dederunt; sed & horum admirabiliora aduenere, cùm etenim omnes illæ aristæ à Christianis sublatæ fuissent deuotionis causa, statim aliæ mirabiliter germinarunt, quod, & his auulsis, tertiò mirabili euentu accidit; tot prodigiis meritum inclyti Christiani attestante Cœlo.

7. Ven-

7. *Ven. Beda lib. 4. Hist. Anglorum cap. 28. de viro Domini Cudberto, qui in secreta loca, sed sterilia, se abdiderat*. Ferramenta sibi ruralia cùm frumento afferri rogauit, quod dùm præparata terra tempore congruo seminaret, nil omninò, nòn dico spicarum, sed ne herbæ quidem ex eo germinari vsque ad æstatis tempora contigit. Vndè visitantibus se ex more fratribus, hordeum iussit efferri, si fortè vel natura soli illius, vel voluntas esset superni largitoris, vt illius frugis ibi potiùs seges oriretur. Quod dùm sibi allatum, vltrà omne tempus serendi, vltrà omnem spem fructificandi eodem in agro sereret, mox copiosa seges exorta, desideratam proprij laboris viro Dei refectionem præbebat.

8. *In vita S. Sabini Episcopi Placentini*. Cùm ad Sanctum Sabinum Episcopum Placentinum quadam die peruenisset Nuncius Apostolicus, à Sanctoque quæsisset coquus, quemnam cibum paraturus esset, respondit Sanctus, rapas; obstupuit coquus, deerant enim rapæ, solùmque manè earum semina terræ demandata fuerant; ad hortum tamen profectus, ex seminibus manè satis, iam exortas, maturasque rapas inuenit, collectasque in cibum parauit cùm ingenti omnium, & præcipuè Apostolici Admiratione.

9. *Philip: Ferrar. Mense Sep. die 13. de S. Venerio Abb. Regij*. Venerius Presbyter, & Abbas apud Lunam honestis ortus parentibus, piè educatus, sacrisque litteris eruditus, relicto sæculo, in Palmariam Insulam penitentiæ ergo se contulit, vbi in loco, qui Zyrus maior appellatur, vitam herbis, & pomis agrestibus agebat. Ad quem Agrestis quidam nomine accedens, & viam salutis edoctus, sarculum attulit, & hordeum, quod cùm Venerius eo tempore, quo meti solet, seminaret, statim diuinitùs natum, ad maturitatem creuit.

10. *Idem 10. Nouemb. de S. Baudolino Episcopo*. Ad hospitis aduentum, olera recens seminata, subitò creuisse, feruntur.

11. *In actis S. Columbæ Scoti Confessoris*. Quodam tempore vir Sanctus, audiens Plebeium quemdam valdè contristatum esse, ex eo quòd ex eius agello virgularum fasciculos decerpserant Monachi, ad tale damnum reparandum, bis ternos hordei modios ad eum misit, iubens, vt statim, licet iam transactum esset tempus, aratæ terræ demandarentur: hoc fecerunt Monachi, munusque Plebeio tradendo, hoc addiderunt: S. Columba, qui nos ad te cùm hoc misit munere, hoc mandatum per nos de tua commendauit segete, dicens: homo ille in omnipotentia Dei confidat, quamuis de Mense Iunio, 12. præmissis diebus seminata, in principiis Augusti mensis metetur. Obsequitur Plebeius arando, & seminando, & messem, quam supradicto in tempore contra spem seminauit, cùm omnium admiratione vicinorum, in exordio Augusti Mensis maturam iuxtà Sancti verbum messuit.

12. *In vita B. Henrici discipuli S. Norberti*. Messis tempore, eius precibus triticum, magno omnium stupore, ad mensem vnum præcociùs, vt pauperum indigentia subleuaretur, maturatum est.

13. *Io: Colg. in vita S. Fursei 9. Februarij*. Profectus Furfæus in agrum vnum Monasterii sui cùm fideli omnium itinerum suorum socio S. Lactano, eum ligonibus, & rastris effodere, & colere cæpit; & ecce infrà triduum, frumentum, quod in eo seminauerat, in maturam segetem, quæ demeti, atque in horrea poterat reponi, excreuit.

14. *Idem in vita S. Fintani Abb.* Fintanus cùm suis cùm legeret Euangelium, quidam leprosus in vernali tempore venit ad Congallum, & quod impossibile erat, quærebat ab eo panem, scilicet messis nuperrimè factæ, quasi segetes in vere matura esse solerent. Tunc iussus est à Sancto Fintano, vt in agro seminaret semen, postque boues adiret. Primò ergo sulco seminato, statim frumentum creuit, & maturuit, & ita mirabiliter recens panis inuentus est leproso.

15. *In translatione Sancti Bernuuardi Episcopi*. Neque hoc reticebimus, quòd anno eodem sic maturè frugum, aliorumque seminum accessit maturitas, vt solita metendi tempora longè præuenisse viderentur, in tantùm vt centenarii senes nunquàm segetes adeò tempestiuè suo collectas æuo faterentur; hoc nimirùm Deo, cuius omnia nutu reguntur, procurante; vt ad imminentem B. Præsulis festiuitatem actibus exoneratus necessariis, longiùs, latiùsque liberior populus occurreret, & expeditiùs feriaret.

16. *In actis S.S. Martyr. tom. 1. in Continuatione Bollandi*. Cùm Martyrio consummato, corpus S. Basilisci Martyris secretò sepelirent Christiani in arato campo; Ibidem cum omnibus esset celatum, seminauerunt super eum legumen, in ipso verò mense germinauit legumen, & alia die floruit, & fructificauit.

17. *Gonzaga in Prouincia Batica, de Conuentu Sanctæ Agnetis Hispalis, De Maria Coronel huius Monasterij fundatrice*. De hac illustre illud factum apud uulgus receptissimum spargitur, atque à prædecessoribus ad posteros, tanquam quid certissimum, & indubitatum, veluti per manus transmittitur: Fuisse scilicet ipsam speciosissimam, atque pulcherrimam, eaque de causa à Rege Castellæ Petro Crudeli summoperè concupitam, atque persequutam; Cùmque nec suasionibus, nec precibus eum à se sollicitanda auertere posset, titione ex igne sublato propriam faciem deformare contendit, vt vel sic Regis manus effugeret. Quo nihilominus in sententia perstante, ad huius loci moniales se contulit, illasque rogauit, vt se viuam humarent, quandòquidem Regis dementia efferueret, nec priùs cessatum foret, quàm optatis, licet iniustissimis, potiretur; & præstare gloriosam mortem oppetere, quàm famam commaculare, Deumque Opt. Max. offendere. Mirabile dictu; vix hortulanus foueam, in qua ad tempus delituit, leui terra contegerat, quandò tota superficies spississimo petroselino virentibus foliis consperta fuit; ita vt furibundus Rex post eam ingressus, totumque conuentum, atque hortum diligentissimè scrutatus, nullo pacto eam ibi latentem inuenire potuerit. Quod haud dubie futuræ suæ pietatis, religionis, & Sanctitatis, quibus

quibus insignis fuit, manifestissimum extitit indicium.

18. *In Chron. Minor.* Quadam vice cùm Ven. Fr. Pasqualis Baylonus pauperibus infirmis omnes betas, quæ in horto reperiebantur, distribuisset; postera die alij ad Monasterij ianuam venientes, betas similiter expostularunt. Tunc Sanctus vir ad hortum progrediens, illis refertum inuenit, precibus quippe eius ea nocte mirabiliter germinauerant, creuerantque.

19. *Zachar. Bouerius in Ann. Capuc.* 1580. *de F. Iosepho a Corleone.* Illustrissimum illud factum silentio haud prætereundum est, quod in Agrigentino Conuentu accidit; ex quo quanta illius orationis vis esset, quantoque apud Deum merito valeret, non obscurè perspectum fuit. Hortulani munus Vir Dei eo in Conuentu sibi impositum agebat, vbi cùm ob assiduum Orationis studium, cui potissimùm vacabat, hortus herbis, ac frugibus destitutus, minùs quæ necessaria erant, Fratribus ministraret; eum Guardianus aliquandò in Refectorij Capitulo reprehendit, quòd plus Orationi, quàm præscripto muneri tribuens, minùs familiæ satisfaceret. Cui Dei seruus: Ne vereare Pater, inquit, citò hortus herbis, ac fructibus implebitur; cùmque noctu ad orandum in Ecclesiam secessisset; res planè admiranda accidit; Nam mane illucescente, hortus tot herbis, radicibus, frugibus redundare visus est, vt vix prior ille esse agnosceretur: Fratres verò factum admirati, quàm potens, ac fæcunda illius Oratio esset, præclaro experimento didicere.

Flores, ex Sepulchris, vel ex Corporibus Defunctorum mirabiliter exorti.

§. 3.

Ab infæcundis, luctuosisque cineribus, florum amænitatem, hilaritatemque epullulare, quis crederet? hæc tamen admirabilis Deus in Sanctis suis non rarò operatus est Admiranda, cæterisque adnectenda videntur. Sint autem.

1. *S. Io: Damascenus.* Cùm præsentibus Apostolis, alijsque viris religiosis apertus fuisset tumulus B. Mariæ Virginis, corpore non inuento, lintea duntaxat sepulchralia, & flores repertos, non sine omnium admiratione fama est.

2. *Molanus in Nat. S. S. Belgÿ 30. Nouembris.* Cùm quidam religiosus Monachus nomine Iosccio in Conuentu S. Bertini apud S. Audomarum, pro deuotione B. Virginis quotidiè quinque psalmos recitaret, quorum initialibus litteris nomen B. Mariæ componebatur: *Magnificat* scilicet *Ad Dominum*, *Retribue*, *In conuertendo*, & *Ad te leuaui*, cuique psalmo præmittendo salutationem Angelicam; tandem ad vitæ finem peruenit, improuisaque morte defuncto, accurentes fratres ad eius cellam, vultumque eius discooperientes, inuenerunt quinque flores rosarum in vultu ipsius; Vnus egrediebatur ex ore, & lingua eius, duo de oculis, & duo de auribus; lætantes autem pro tali miraculo, detulerunt eum in chorum, & faciem discoopertam cùm recentibus rosis diligentiùs intuentes, in rosa, quæ de ore egrediebantur, inuenerunt scriptum: *Maria.*

3. *Philippus Seguinus lib. 3. Sanctorum Ord. Cisterc. capit. 93.* B. Ioannes in Grandi-Sylua Tolosanæ Diœcesis frater conuersus, Vir deuotus, & Sanctus; multis effulsit virtutibus; fertur de eo, quòd cùm esset latini sermonis omninò ignarus, tantùm hæc duo vocabula, nimirùm *Aue Maria*, memoriæ mandasse, & ea singulis diei horulis, atque momentis ad quoslibet gressus, siuè cùm diuinis interesset laudibus, siue cùm aliquid quidpiam ageret, siue à manuum labore quiesceret, recitando perorasse; Vndè eodem anno; quo fatali morte consummatus est: 12. Kal. Ianuarii, ex eius ore, corpore iam tumulato, lilium litteris aureis *Aue Maria*, sparsim decoratum prodiit. Tunc Sanctus Bernardus præcepit eijci terram, vt viderent, vbi lilium suas haberet fixas radices: & eiecta terra, viderunt hastile lilij ex ore defuncti procedere. Tandem iubente Sancto viro, incisus est defunctus, & viderunt lilij radices esse in corde fixas; atque corde inciso, inueneruut scriptum in ipso aureis litteris: *Aue Maria.* Quod cùm vidissent, admirati sunt vniuersi, intelligentes id ideò accidisse indubiè, quia salutationem Angelicam & cordiali deuotione assidue proferebat.

4. *In Menol. Cisterciensi 5. Idus Aprilis.* In Grandi sylua Beatus Guillelmus Dominus Montis Pessulani, qui in Ordine Cisterciensi ita vitam instituit, vt uiuens egregijs virtutibus, mortuus crebris miraculis clarus effulserit; è cuius ore, corpore iam tumulato, lilium pulcherrimum prodijt, litteris aureis, *Aue Maria* vndique decoratum.

5. *Arnoldus Vuion, in ligno vitæ 20. Ian. de B. Benedicto Monacho, & Eremita Vallis vmbrosæ.* In eius ore post spatium annorum trecentorum viginti, lilium quasi recens natum niue candidius inuentum est.

6. *Raderus in Bauaria Sac. de S. Vitali Episcopo Salisburgensis.* Ex eius iam sepulti pectore candidissimum lilium per ipsa se tumuli marmora, & munimenta in lucem penetrauit, præsulisque integerrimi virgineam mentem, corpusque ab omni impuritatis labe intactum mundo prodidit.

7. *Idem in Viridario. par. 2. cap. 5.* Circa annum Domimi 1350. florebat in Britãnia Gallica vir quidam summæ simplicitatis, & innocentiæ, nomine Salaun, qui in annis puerilibus ad scolas missus, nihil aliud potuit discere, quàm hæc verba latina: *Aue Maria*: Hæc sæpè reppetebat, deuotissimèq; in omnibus vtebatur, cuius simplicitatem, & deuotionem volens Deus post mortem sibi acceptam fuisse demonstrare, hoc insigne fecit miraculum; nam cùm defunctum hunc innocentem, & simplicem Salaum vicini sub arbore sepelissent, eodem loco, vbi solebat sibi lectum sternere, qui erat nuda humus fonti adiacens, accidit vt postea pulcherrimum lilium miraculosè supra ipsius tumulum cresceret, cuius flores repræsentabant hæc verba: *Aue Maria*, aureis litteris exarata.

8. *In Chronicis Ord. Minimorum ad an.* 1530.

In

In Hispania, Granatenses nostres ingenti miraculo Deus ipse dignatus est. V. F. Didacus Barbutus professione Laicus, postquàm in eo conuentu longos annos in omni virtutum exercitatione, & multa aduersùs infestum Dæmonem patientia exegerat, miseram vitam in beatam, quod credimus, perennitatem commutauit, Deo per miraculum serui sui sanctimoniam attestante; cùm enim in maiori Sacello, quod ille multo iam olim sanguine respersérat, & frequenti oratione consecrauerat, effossa humo despositus fuisset, breui post hæc interuallo (rem mirandam) tria Iasmini (quidam Apiariam vocant) virgulta subnasci à capite sepulturæ visa sunt. Flores in virgultorum summitate racematim, vt fit, prodeuntes, inscripti erant singuli nominibus: Iesus Maria: Tanto prodigio commoti qui aderant, rem inspicere, ac deindè perscrutari deliberant. Humo regesta, radices vestigant, quas maiori stupore conspexerunt tàm profundè in os Beati cadaueris demissas, vt vi quadam naturæ prodire viderentur.

9. *Philippus Ferrar. Mense Feb. die 30. de S. Rufino Martyre, Assisij in puteum præcipitato.* Post multum temporis spatium, ab haurientibus aquam detectus est, ac ita integer, & incorruptus inuentus, ac si recens suffocatus fuisset; In cuius ore lilium florens repertum ferunt, in quo, *Veritas*, tot in flore impressa, cernebatur.

10. *In ann. Seruorum B. Virg. Cent. 1. lib. 7. cap. x* Vix spiritum Deo rediderat anno 1326. B. Franciscus Senensis ex Ordine Seruorum B. Virginis, quandò ex eius ore lilium prodijt, in cuius quolibet folio aureis litteris legebatur: *Aue Maria:* quod à Christianissimi Regis Franciæ Legato postmodùm suppliciter à Senensium Republica, & Religiosis illius Patribus impetratum fuit.

11. *Ibidem Cent. 3. lib. 5. cap. 2.* Cùm B. Francisca de Cumis ex Ordine Seruorum B. Mariæ extremum vitæ persoluisset Mantuæ an. 1498. accidit sequenti anno, vt ad Ecclesiam, & locum in ampliorem formam redigendam, oporteret Monialium ossa ex priori in alteram foueam intra septa Monasterij interioris Ecclesiæ transferre, quare Corpus B. Franciscæ, quasi tunc fuisset tumulatum, recens & olens repertum fuit, ac insuper, quod fuit mirandum, manu tenens lilium virens, ac si è terra tunc vernans collectum fuisset.

12. *Ibidem Cent. 1. lib. 7. cap. 1.* Aliquandò super sepulchrum B. Andreæ de Burgo S. Sepulchri ex Ordine Seruorum B. Mariæ, lilium cùm Palma exortum est, quod cum quidam Frater plùs nimio curiosus legere, aut contrectare vellet, euanuisse fertur.

13. *Thiepolus de Pass. Dom. Tr. 12. c. 33.* Post annum ac mortuus, sepultusque fuerat B. Antonius de Stronconio Ordinis S. Francisci, inuentum fuit eius corpus integrum, & incorruptum; & in vola manus dexteræ, ex eadem incorrupta carne efformata pulcherrima Rosa.

14. *In actis S. S. Martij Tom. 2. in Continuat. Bollandi.* Cùm grauissimis vlceribus affecta vsque ad mortem, tandem ad Cælestem Sponsum euolasset B. Fina Virgo in Hetruria, partes carnium putridæ, quæ tabulæ, cui illa incumbebat, adhærerunt, remanseruntq; à reliquo corpore separatæ, nequaquàm vel aspectu horrendæ, aut cuiusquam fætentes olfactui, sed plenæ candidissimis floribus suauitatis odorem spirantibus remanserunt. Erat etiam tota tabula florida ex parte illa, cui caro inhæserat, & redolens miranda fragrantia; Vndè vnum ex illis floribus, quem ex tabula quidam euulserat, cùm ad ostendendum absentibus longiùs detulisset, & appositum plurium naribus spirare odorem euidentiùs comprobasset, ad præfatam tabulam rediens, acceptum florem in loco vndè acceperat, reposuit reuerenter.

15. *Ibidem in Martio Tom. 3.* Non sine modica admiratione fertur, quòd in eadem hora, qua B. Andreas de Galleranis reddidit Deo Spiritum inuenta est eius facies sicut nix candida, & redolentibus floribus cooperta; Vbi Deus manifestè ostendit, quomodò eum in odore suauitatis dilexit.

16. *Ibidem Tom. 3. in Martio.* B. Dei Seruus Vgolinus de Cortona ex Ordine S. Augustini, qui deuotissimus cultor extitit B. Virginis, & Angelicæ puritatis amator tenacissimus, non tantùm miraculorum dono in vita, atque post mortem clarificatus à Deo est, sed etiam prodigiosa corporis integritate, cognita post annos ab inhumatione triginta, quandò castissimum illius cor candidum produxit lilium, Cælestem latè odorem spargens; quòd quia temerè recisum fuerat ab aliquo, nihil supra naturam suspicante, iterùm cor idem germinauit vt priùs; ipsaque illa nocte cæcæ cuidam & deuotæ mulieri apparuit Beatus, iubens, vt se adducendam curaret ad Sepulchrum suum, vbi cùm secundum lilium scinderetur, ipsa visum acciperet. Id factum cùm fuisset, tàm euidentis miraculi nouitas fecit, vt exhumandum corpus decerneretur, quod repertum est, ita sanum, & integrum, ac si recens sepultum fuisset, & in loco decenti collocatum.

17. *In ann. Min. an. 1241. num. 14. de B. Raynaldo de Reate.* Sub mortem autem in facie eius & habitu pullularunt, corpore iam sudore perfuso, minusculi flores ad instar pruinæ, quos fratres, qui plures ex diuersis locis conuenerant, non sine admiratione videntes, extergebant; sed mox succrescentes, in mortem vsque perseuerarunt.

18. *Ibidem.* In Conuentu S. S. Annunciationis non longè ab Ameria, cùm sepultum fuisset corpus Ven. F. Francisci Ouarii, post aliquod tempus aperto sepulchro, inuentum fuit integrum, & incorruptum, suauemque violarum odorem spirans; nec mirum, sub ipsius enim capite planta violarum suauissimi odoris enata visa fuit.

19. *Ibidem.* Super corpus Ven. Fr. Gasparis à Florentia in sepulchro reconditum, flores albi suauissimi odoris, eiusdem purissimam integritatem præseferentes, mirabiliter adinuenti sunt.

20. *Ibidem an. 1260. num. 48. de B. Gandulpho.* Voluit Deus, vt quem ipse gloria, & honore coronauerat in Cælis, homines venerarentur in terris; quare immissa visione Episcopo, & Clero, sibi placere indicauit, vt dignè coleretur nobiliori sepulchro:

chro. Non ampliùs resistendum censuit bonus Præsul, sed examinanda prodigia, quæ in tabulas redigebantur; comperta eorumdem veritate, & mira virtute, consentit, vt corpus effoderetur; Admotæ operi manus, sed dubitatum est de loco certo sepulchri, donec aduenit ianuis clausis mulier quædam incognita, & minimè vocata, quæ absque hæsitatione dixit, vbi vir Dei iaceret. Fossores absque vllo labore pretiosum detexerunt thesaurum, terra ipsa, sub qua corpus latebat, veluti libenter suum reddente depositum, & odoriferos repentè producente flosculos gelsominos; cuius rei memoria in tabella ad latus sepulchri adhùc seruatur. Monitus Præsul adfuit, & loto corpore, inuentum est integrum absque vlla offensione, quantùmuis ante annos sexaginta fuerit sepultum.

21. *Arnoldus Raysius in Auct. ad nat. S.S. Belgij, 11. Aprilis de Bartholomæo à Middelburgo Minorita.* Post tres menses ab eius obitu, cùm defossum esset eius cadauer, & quidam de facie Bartholomæi sudariolum leuare vellet, illam ex deuotione deosculaturus, facie tota integra, visa est imposita eius ori rubens pulcherrima rosa, quam ille capiens, hero suo adstanti dedit, quam ille, ceù gemmulam, in Bartholomæi memoriam custodiens, digniori sepulchro opere fornicario, ac camerato sacrum illud corpus cùm honore multo reponi fecit.

22. *Gregorius Turonensis de Glo. Marty. lib. 2. cap. 46.* In Briuatensi pago, haùd procùl Vienna in Delphinatu, mense Nouembris tumulus S. Iuliani Martyris repertus est rosis conspersus, quæ mira erant fragrantia, & quæ in ægros distributę, morbos omnes diuinitùs expulerunt.

23. *Florentinius in Martyrol. vetus. 14. Kal. Decembris.* Cordubæ in Hispania ad tumulos S.S. M.M. Acisclì, & Victoriæ, qui sub Diocletiano passi sunt an. Domini 303. olim in die commemorationis eorum, hyeme iàm incipiente, Rosę diuinitùs ortæ colligebantur, ad laudem Domini Nostri Iesu Christi.

24. *In actis S.S. Martij. tom. 3. in Continu. Bollandi.* Monachi quidam, ramusculum, qui tempore æstiuo in claustro floribus roseis vernans iàm effloruerat, ad caput sepulchri S. Martyris VVillelmi (pueri interfecti à Iudęis Noruuici in Anglia) circa festum S. Michaelis transplantarunt, qui continuò terræ radicitùs adhæsit, & reuirescentibus foliis, non sine magna omnium admiratione refloruit, vniuersis floribus vsque ad festum S. Edmundi in ramusculo perseuerantibus; Tuncque vehemens imbrium, & ventorum exorta procella, omnes, præter vnum, excussit, qui vsque ad Natalem in ramusculi summitate recens perseuerauit.

25. *In vita S. Geraldi Aureliacensi lib. 4.* Plateola quædam herbida in modum rotæ per gyrum rotunda, ante eius cryptam apparuit. Quæ cùm esset herbis referta, per gyrum tamen tellus nuda, & puluestris erat; Hi ergo, qui per Cæmeterium transibant, cùm vidissent plateolam illam, & sulcum puluereum, qui hanc ambiebat, mirabantur, scientes, quòd nec homo, nec bestia calcando sulcum illum attriuerit. Aliquandò verò permansit, & postea disparuit; Sequenti autem æstate similiter ibidem visa est, sed multò iàm latior; habebat autem lembum circa se detritum, vt priùs, & puluereum. Tertia ibidem æstate similiter herbida, & quasi calle puluereo circumcincta apparuit, sed multò iàm diffusior; ac deinceps per annos plures, vt antea, se paulatim spargens, extendi videbatur.

26. *In vita B. VViboradæ.* In Autumno, qui æstatem passionis B. VViboradæ retrudit, frater eius viridis fæniculi germen circa tumulum eius fixit, quod diuina dispensatione radicem terræ figens, atque per totum brumale tempus in sui viriditate permanens, ad vltimum adeò creuit, quòd comis in modum coronæ nexis, totum Sepulchrum protexit. De cuius germinis viriditate, non solùm multi sunt mirati, verùm etiam plerique languentes sanitati sunt restituti per receptionem temperati ex eo antidoti.

27. *In vita S. Gundulphi Episcopi.* Cùm Monachi illius loci cultores post longum tempus sacra ipsius confessoris ossa in decentiorem locum, Diuina reuelatione præmoniti, collocare vellent, nebula ad instar noctis densa ita totam repleuit Ecclesiam, vt se inuicem vix valerent inspicere. Deindè nebulam illam tanta dulcedo subsequuta est, vt præ odore, & fragrantia in Paradiso se esse existimarent: sed & rosa rubei coloris, puris vernis æmula rosis, in eius sarcophago inuenta est, ita recens, ac si iàm de sua arbore velificata, ac cùm eo apposita fuisset.

28. *Antonius Benalius in vita S. Alexandri Martyris.* Securi percussus, Martyrii corona donatus est, duodecimesimo die, quo Bergomum peruenerat, anno CCXC. VII. Kal. Sept. hac re cognita, tantus Gratæ incessit dolor, vt Sol è mundo excidisse visus sit, neque solùm se tanta hac Reip. Christianæ plaga angi præsetulit, sed Hesteria, ac seruis accitis, ad locum, vbi cædis facinus erat commissum lachrymabunda contendit: Caput abscissum panno inuolutum manibus propriis sustulit, reliquum corpus cæno oblitum à seruis contectum est, & Grata comitante, intrà Vrbem efferri cæptum; cùm pratum transgressi, in cliuum, quem nunc vicum Pinetum appellant, comitatum erigerent, labore defessi, onus deposuere, ibi terra nonnullis sanguinis guttis respersa, postridiè purpureos flores edidit. Ob has causas Lupus, eiusque domestici, prostratis idolorum simulachris, susceptaque fide, Baptismo illustrati sunt. In eo loco postea templum D. Alexandro à Grata exædificatum est.

29. *In Chron. Mino. par. 3. lib. 1. cap. 59.* Cùm in Monasterio S. Claræ Assisii defuncta esset Ven. Sor. Francisca ex ordine S. Claræ, in eademque Ecclesia sepulta, Rosæ pulcherrimæ propè eius sepulturam subitò, licet hyemali tempore, enatæ sunt, quarum cęspes mirabiliter perennauit.

30. *Ex Chronicis Comensibus.* Vt Beati Vincentii Ruscæ sanctitatem Deus omnibus proderet, hoc miraculum edidit; cùm serui Dei corpus iam sepul-

sepulturæ traditum fuisset, non semel hyemis tempore, rosa ex eius sepulchro prodiit, quæ totum Monasterium suauissimi odoris fragrantia perfudit.

31. *In Hist.Camaldulensi lib. 3. cap. 29. de Ven. Ambrosio Camaldulensi.* Cum prædictus Dei seruus sexagenarius è vita decessisset 12. Kal. Nouembris, candidissima lilia intra paucos dies supra eius tumulum suborta sunt, & non semel ab Eremitis collecta.

32. *In vita B. Andreæ Rinnani.* B. Andreas Rinnanus iudaico martyrio illustris, à Iudæis occisus, ac sepulturæ tandem traditus fuit, liliumque inscriptum sepulchro eius innatum referunt.

33. *Zacharias Bouer. in An. Capucc. an. 1540. de F. Mariano Cyrneo.* Marianus post multos pro Christo exantlatos labores, post plurimos Orco ereptos, atque à perditionis via ad salutem reuocatos, denique post vitam in perfecta Regulæ obseruantia, ac summis virtutibus transactam, meritis clarus haùd longè post hæc tempora è terrena ad Cælestem Patriam concedit; cuius corpus, cùm humi conditum esset, ex eo noui generis flos fragrantissimi odoris, ad lilii formam, erupisse fertur, quo variis morbis ægroti sanati fuere.

34. *Idem ibid. an. 1270. de F. Francisco à Canobio.* Hic cùm triginta annos magna cum sanctimoniæ laude in Religione expleuisset, ante annum tempore sui obitus prænunciato, in Mediolanensi Conuentu Sancti Victoris, vitam cùm morte commutat, apud Deum perpetuò victurus; Cuius rei illustre illud Deus post mortem testimonium reddidit; quòd cùm needùm extructo Sepulchro, illius Corpus in Cæmeterio sub dio humatum fuisset, post aliquod temporis curriculum, candidissimum, ac pulcherrimum ex eo lilium ortum fuit, cuius radicem cùm fratres diligentiùs explorassent, eam ex ipsius ore pullulasse cernunt.

35. *In vita Venerabilis Iacobi Stephanij Cler. Regular.* Magno fletu, & lachrymis tumulatur; Sterilis verò humus, in qua ille iacuit, albis, purpureisque floribus exornata, rutilas statim corollas illibato Patris candori, ac fuso sanguini texuit.

36. *Vincemala lib. 2. mir. c. 47.* Quidam Clericus, & si ea dignitate, in qua constitutus erat, indignam vitam agebat, tamen Virgini mirificum honorem semper tribuebat, eiusque nomen sanctissimè venerabatur, eamdem sæpè plurima salute piè impertiens. Is ab inimicis ob sua flagitia trucidatus, indignus visus est Christiana sepultura, eumque in sacro loco sepelire recusauit viciniæ Sacerdos; Post eius obitum triginta dies præterierant, cùm Virgo à sacerdote, à quo Christiana sepultura vetita fuerat, quæsiuit, cur tàm iniquè cùm cliente suo fidissimo egisset; quinetiam iussit, vt in sacro, & religioso loco eius cadauer poneret. Ea re cùm multis priùs communicata, Sacerdos ad eum locum contendit, in quo iacebat cadauer. Ibi in eius ore purpureum florem reperit, & linguam adhùc puram, & integram, tametsi iam triginta dies in sepulchro corpus abditum fuisset. Id factum fuisse omnes coniiciebant, quia ex illius ore sæpè Virginis salutatio proficiscebatur. Itaque illinc cadauer honestissima pompa elatum, & mutato solo in sacro loco conditum est; Virginique ab omnibus ob tantam pietatem maximæ gratiæ actæ sunt.

Herbæ, & Flores Diuinitùs Medica virtute præditi. §. 4.

HErbis, Floribusque inditam à natura medicam virtutem, continua comprobatur experientia; at admirabiliorem, supraque vires naturę eisdem quandòque à supremo naturæ Auctore traditam, admirantur Mortales. De his.

1. *Niceph. Callist. lib. 6. Hist. Eccles. cap. 15. de Statua Christi in Paneade.* Ex hac Vrbe (Paneade) fama fert ortam fuisse mulierem illam, quam sanguinis profluuio laborantem, fimbrię Christi adtactu sanitatem rapuisse, Diuinorum Euangeliorum testatur scriptura: ibi domus quoque eius magnifica adhùc visa est; Simulque admirandum trophæum, & monumentum collati in eam beneficii Saluatoris permansit. Pro foribus nàmque domus eius in columna quadam æreę duę Statuæ stabant sublimes, quarum altera, genibus flexis manibusque protensis, fæminę habitu, supplicantis faciem præsetulit: altera autem ex aduerso collocata, directo viri statu, diploide cùm decentiquadam grauitate amicti, manum inclinatę fęminæ porrigere visa est. Ad huius pedes in statuę ipsius basi herba excrescere, quę cùm ad fimbriam ęreę diploidis pertigisset, non altiùs progrediebatur, eamque veluti sacram fimbriam tangens, illa pręsens aduersùs omne genus morborum auxilium habuisse dicta est. Statuam porrò istam à Muliere illa sanguinis profluuio laborante ad Christi formam, & habitum conflatam esse, vera, certaque, quę ad nos peruenit, historia tradidit; atque ea ad Iuliani vsque tempora perdurauit: Neque adeò mirum videri debet, qui aliquid beneficii olim à Seruatore nostro accepere, eos per eiusmodi monimenta grati erga eum animi memoriam reliquisse.

2. *Sozomenus lib. 5. cap. 21.* Apud Ægypti Vrbem Hermopolim arbor fuit Perseidis, cuius fructus, aut folia, aut etiam particula corticis aliqua morbos omnes mirabiliter abigebat. Idque ex quo illàc Christus transiit in Ægyptum cùm Matre, & Iosepho profugiens, quo tempore arbor illa Christi ingredientis, ac subeuntis capiti imminens, se se inclinauit, quasi honoris gratia.

3. *S. Augustinus, li. 22. de Ciuitate Dei cap. 8.* Erat quidam Paganus in Ciuitate Hipponensi iàm iàm moriturus, cuius filia Christiana, & gener, cùm non illi Catholicam fidem persuadere potuissent, neque eorum precibus, neque fletibus, vt saluus foret, acquiesceret; Maritus filię, flores ex altari sancti Stephani Martyris sumptos, in manipulos colligatos ad caput illius noctè posuit, qui euigilans clamare cepit, vt Episcopum aduocarent, qui tunc temporis cùm abesset, vocatus est Presbyter, & baptizatus statim fidem professus est, & confessionem peccatorum cùm lachrymis, & gemi-

gemitibus adhibuit, & ab illa hora vsque ad mortem clamare non destitit: Domine Iesu accipe spiritum meum; nesciens quia hoc ipsum Stephanus in agonia dixisset. Quanta est huius S. Martyris virtus, qui paganum hominem damnationi proximum ab inferno extraxit.

4. *Henricus Sedulius in vita Sancti Francisci cap. 10.* Scribit Sulpitius Seuerus, stramentum, cui Sanctus Martinus indormierat, dæmonem profligasse, Sanctæ igitur Virgines post discessum S. Francisci, in secretarium, vbi dormierat, irruunt, adlambunt singula loca, vbi aut sedit Vir Beatus, aut stetit: stramentum etiam, in quo quieuerat, partiuntur; vna earum post dies paucos partem straminis, quam sibi pro benedictione collegerat, energumeno, quem spiritus erroris agitabat, de ceruice suspendit: nec mora, eiecto dæmone persona purgata est.

5. *In ann. Minor. ann. 1223. num. 20.* Cùm Sanctus Franciscus apud Castrum Græcii in Natiuitate Domini præsepium præparare fecisset, ea nocte ibidem perorans, Sancti Pueri Iesu dignatus est visione, quam quidam deuotus Miles obseruauit: Hanc deuoti militis visionem, plura veram probarunt, tùm videntis explorata sanctitas, tùm miracula subsecuta; Nam fœnum, super quo iacuit visus Infantulus, propellebat mirabiliter pestes omnes, & languores animalium, & locus iste, accedentium corda in obsequio Christi torpentia, excitabat ad Diuinum amorem. Mutatus est post Sancti viri mortem in pium sacellum, & super præsepis locum erectum est altare non sine mysterio; vt vbi illa nocte animalia verè fæni pabula comederunt, ibi de cætero ad sanitatem animæ, & corporis manducent homines carnem agni immaculati, & incontaminati.

6. *Gregorius Turonensis de Glor. Confess. capit. 84. de adinuento corpore S. Valerij Episcopi Consoranensis.* Eius corpus lauri folia sub se habebat innata, de quibus assumens Episcopus, qui sacras reliquias adinuenerat, multis infirmis præbuit medicinam.

7. *Idem lib. de Glor. Confess. capit. 44.* Apud Castrum Diuionense Tranquillus beatus Confessor requiescit, super terram sepulchrum habens, de quo magnum beneficium præstatur petentibus; nam de mussulis supernatis, medicamina populi promerentur; vnde ego valdè experimentum tuli; Namque cùm manus meæ minutis efferbuissent pustulis, & dolores pessimos ob hoc grauiter sustinerem, de hac mussula tactas, quiescente humore, protinùs retuli sanas.

8. *Surius in vita Sancti Galli Aruernorum Episcopi 1. Iulij.* Glebam super beatum corpus, post eius mortem posuere fideles, quò ab æstu non intumesceret; Quem cespitem post eius exequias mulier quædam, & verè (vt ego diligenter sciui) virgo purissima, & deuota Deo, Meratina nomine, ab alijs eiectum collegit, atque in horto suo posuit, & infusa sæpiùs aqua, Domino incrementum dante, viuere fecit. De quo cespite infirmi non solùm auferentes herbam, atque ex eius succo libantes, sanabantur, verùm etiam fidelis super eum oratio suffragium merebatur. Qui postea per incuriam, virgine migrante, deperijt.

9. *Sylos in Hist. Cler. Regular. part. 3. libr. 10.* Quædam puerpera grauissimis doloribus pulsata, in eam pariendi difficultatem deuenerat, vt non longè à morte, nedùm propria, sed & fætus, conclamata fuerit vita; Cùm patrocinium S. Caietani implorare cæpit, gelsiminumque, quod supra aram eiusdem Sancti fuerat, ore deglutiuit; & ecce illicò fætum felicissimè enixa est, qui gelsiminum à matre deglutitum, ore ferebat.

10. *Bzouius in Ann. Eccl. an. 1313.* Super Sepultura Ven. Bosonis Carthusiæ XVI. Prioris, qui cùm opinione magnæ sanctitatis ex hac vita migrauit, an. 1313. nascebatur herba multis ægrotantibus præsertim febricitantibus proficua; quam multi deuota fide capientes, optimæ sanitatis beneficia consequebantur; proindè Rustici illius regionis nulla ferè alia medicina in suis infirmitatibus vtebantur.

11. *Boluitus in vita Beati Andreæ Auellini lib. 3. capit. 18.* Orpheus Iauanus ex ardenti febri in phrænesim inciderat, tantaque furiarum intemperie agitabatur, vt vinculis illum obstringere fuerit necesse. Interim pietate nobilis cuiusdam fæminæ allati fuerunt ad insanientis vxorem flosculi aliquot, qui Beati sepulchrum exornauerant, vnum ex quibus hæc illius capiti imposuit, applicuitque naribus; quo facto, integrari rationis vsus cæpit, paulòque post ad perfectam corporis valetudinem, nullo alio remedio, redijt.

12. *Io. Andreas Rota in vita Vener. Sor. Pudentianæ Zagnoniæ cap. 14.* Florem, qui sub puluinari Sororis Pudentianæ Zagnoniȩ Virginis Bononiensis fuerat, magna fide suscipiens mulier quædam, impurissimo imposuit viro, & ecce statim anteactȩ vitȩ pęnitẽs, ad meliorẽ frugem est conuersus.

Circa Flores, & Herbas Admiranda varia. §. 5.

VAriorum Admirandorum circa Flores, Herbasq; quæ sub præteritis haud adnotari potuere titulis, hoc in paragrapho fasciculus colligetur. Sunt autem.

1. *Ant. Balinghem in Kalend. Virginis 15. Dec. de Octaua Concept.* Cęlestini vniuersi ordinis decreto eam instituerunt, agente id Nicolao Pratensi ex eodẽ sacro cętu viro Deiparæ studiosissimo. Quod cùm impetrasset, præ lętitia hortum dicitur ingressus, rosa pulcherrima corâm Deiparæ Imagine collocata venerationis ergo: Mater, Mater, inquit ad eam, si tibi gratum fuit, quod noster ordo de octaua tuæ Immaculatæ Conceptionis, me agente, statuit, rosa hæc, quam tibi offero, vertente anno, reccurrente hoc ipso die, viriditatem suam, pulchritudinemque conseruet; Quod & contigit, plurimique id prodigium viderunt, rosæque formositatem, & colorem mirati sunt, eo ipso die, quo ante annum, ante supradictam imaginem collocata fuerat.

2. *Santius Cicatellus in vita V. Camilli de Lellis l. 3. c. 5. de quadam Virgine, quæ Romæ obiens Crucifixum pectori admouens, canebat suauissimè, addidit.* De hac virguncula retulit postmodùm sua mater, à morte illius impositam fuisse eius capiti coronam floceam, & corpori multos calyces roseos iniectos,

qui vt primùm attigere castissimum corpus eiusdem adolescentulæ, statim aperiri cæperunt, & breui post pulcherrimæ rosæ extiterunt; Ita eius mater insigni probitate fœmina enarrauit.

3. *Aegydius Gelenius in Colon. Agrip. in monum. Ecclesiæ S.S. Bartholomæi, & Afræ.* Solet fidelis populus pietatis causa suū redimire caput corona spinea miraculis, & diuinis beneficijs clara, quam Hardeuuitius eques ex Palęstina attulit; non est humana arte elaborata, sed prodigiosè excreuisse traditur.

4. *In vita S. Patritij Episc. c. 120.* Quidam tenebrarum filij in cãpo, Liffy vocabulo, fecerunt foueas profundas per loca varia publicæ semitæ, quas operuerunt ramusculis, & viridi cespite, vt Sanctus itinerans, incideret in eas improuisè; Quædam verò puella pręparatas insidias intellexit, quas viro Dei, quatenùs se cautè cauendo custodiret ab illis, indicare curauit. Sanctus in Domino confidens, iussit suis equos ascendere, dataq; benedictione pertransiuit cùm suis inoffenso pede. Fragilis namq; herba, atq; tenuis, quasi terra solida equitantes super se sustentabat, quia sacer equitatus ille in cordibus, & corporibus suis omnia portantē portabat; prædixit etiam illis, qui foueas insidiosè sibi, ac suis, parauerant, quòd ipsi, & semen eorum vitam sustentando transigerent, in terra iugiter effodiendo, & eos secundùm scripturam apprehenderet, velut aquæ inopia. Hæc autem omnia, quæ Sanctus prædixit rerum euentus probauit.

5. *Arnold. Rayss. in auct. ad nat S.S. Belg. 9. Iulij de nouemdecim martyribus Gorcomiensibus iuxta Brilam in quodam Monasterio occisis.* Nostro sæculo iuxta Briiam vbi hi generosi athletæ Martyrii coronam consequi meruernnt, collecta est inusitatæ naturæ planta, quæ in pixide quadam anno Millesimo sexcentesimo, decimo quinto inclusa, biennio post vndeuiginti flores, pari nempè cùm Martyribus numero, haud absque euidenti miraculo, protulit; cùm tamen tempore collectionis non nisi tribus, ad summum quatuor, floribus ornaretur.

6. *In actis S. Cæciliæ, & Soc. m. m.* Veniens Valerianus indutus candidis vestimentis, Cæciliā intra cubiculum orantem inuenit, & stantem iuxta eam Angelū Domini pennis fulgentibus coronas habentem in manibus, coruscantes rosis, & lilijs albescentes; quiq; vnam dedit Cęcilię, alteram Valeriano: dicens: Istas coronas immaculato corde, & mūdo corpore custodite, quia de Paradiso Dei eas ad vos attuli, & hoc vobis signum erit, nunquam marcidum aspectus sui adhibent florem, nunquam sui minuunt suauitatem odoris, nec ab alio videri poterunt, nisi ab eis, quibus ita castitas placuerit, sicut vobis probata est placuisse.

7. *Mathias Faber.* Anno Domini 1560. in ciuitate Hisp. Granata, Puella quædam peruenustum cariophylorum fasciculum, ab amatore missum, in vasculum aqua plenum indidit; Indè quotiès ad orandum se conferret, diabolus menti eius fasciculū ingerebat. Indicat illa hoc Confessario, qui mandat abijci fasciculum, velut illecebrā turpitudinis; promittit puella, sed domi pulchritudine florum deuicta, post luctam vsque in multam noctem protractam, parcit tandem decoris floribus; postridiè euigilās, primam cogitationem de cariophylis suis suscepit, sed en, dùm mox à lecto oculos ad eos cōuertit, ita aridos, fędosq; videt, quasi igne perusti uiderentur. Hac fugacitate florum conspecta, omnem è corde suo inordinatum amorem, & memoriam simul amatoris expulit.

8. *Philip. Alegambe de mortibus illustribus P.P. Soc. Iesu.* Ann. 1606. cùm supplicio Anglicano occisus fuisset in odium fidei P. Henricus Garnetus è Soc. Iesu; quidā tollendi aliquid, quod vt reliquias serui Dei seruaret, locum, vbi occisus fuerat, adiens, spicam quandam aspersam sanguine Garneti attulit, eamque asseruandam tradidit chrystallo inclusam cuidam religiosæ, & piæ matronæ; at ecce paulò post, non ampliùs spicam sanguine coloratam, sed vultum, faciemq; Garneti ad viuum exprimentem, inspiciunt; erat ea effigies in media spicæ longitudine, os, oculos, nares, barbam, collum ostentās, tàm acuratè expressa, vt meliùs nullo artificis penicillo quidquam adumbrari potuerit. Crux in fronte rutilabat stellæ inclusa; Cherubinus alatus sub mēto promicabat, verticem capitis cingebat corona, velut ex gramine; Spicam eam Orator Hispanus redimere sexcentis aureis, & sibi vindicare ab iniuria hæreticorum cùm cuperet, frustrà fuit; Dominis eam sibi nulla ratione patientibus auferri. Per eam autem multa mirabilia operatus est Dominus.

APPENDIX AD CAPVT II.

Admiranda perennia circa Segetes, Flores, et Herbas.

Efflorescunt perennia Admirāda, & in Floribus, Herbisue, suauissimeque adhùc redolent, cunctis admirantibus. De quibus.

1. *Ferrar. in Cat. S.S. 23. Maij.* Territorium Neocastrense Dortnonensis Diœcesis, quod antea filicibus refectum erat, ex die, qua Festiuit. S. Desiderii Episc. Lingonensis, eiusq; oppidi tutelaris, ab operibus cessantes celebrare vouerunt, illis omninò caruit, cùm tamen in finitimis cernantur.

2. *Masandus in vita S. Bennonis 16. Iunij c. 26.* In agris, quos B. Benno Episc. Misnensis more suo post Diuini Officii pensum, deambulando, meditandoq; pedibus suis sanctissimis calcauit, frumentum adhuc hodiè citiùs flauescit, maturescitque.

3. *In actis S.S. Feb. tom. 1. in cont. Boll.* Locum, in quem deiecta, & præcipitata fuit ab impio marito S. Hildegardis Palatina Carinthiæ, ornant æstate rosæ, ac lilia sponte sua enata è rupibus, veluti humano cultu plantata.

4. *Pet. de Nat. l. 2. c. 1.* Experimento probaui, quòd si pulegium collectum sit in festo Nat. B. Ioannis Baptistæ in aurora diei, & ex eo factus manipulus seruetur vsq; ad diem Dominicæ Natiuitatis, exsiccabitur, sicut natura deposcit; quòd si manipulus in nocte Natiuitatis ponatur in altare, in quo prima missa est decantāda, missaq; media nocte cantetur in hora Natiu. Dominicæ, pulegium aridū reuirescit.

5. *In lib. mirab. Romæ.* In cęmeterio S. Bibianæ adhùc mirabiliter perennat species quædam graminis, quod ibi dùm adhùc viueret, plantauit S. Bibiana, adque sanandum comitialem morbum mirabiliter Dei virtute prodest.

6. In

6. *In m. s. s.* Potentiæ in Lucania quidam flosculi deuotè asseruātur, qui aspersi sanguine quorundam Martyrum ibidem occisorum, vsq; adeò quotannis à primis vesperis Festiuitatis eorumdem martyrum vsque ad sequentes mirabiliter virescere conspiciuntur, ad pristinum statum, in quo toto anni tempore perseuerant, postea reuertentes.

7. *Petra Sancta de mir. perp. c. 16.* In Apuliæ vrbe Traneo, vel extra illam, vbi condita ossa S. Stephani Papæ aliquandò fuerunt, festo eius die inascuntur flores suauissimi odoris, & qui vim cælestem habent ad ægritudines pellendas, nec alibi, aut alio die tàm fragrantia, tàm salubria germina, aut spectantur, aut leguntur.

8. *In vita B. Antonij ord. S. August.* Cùm sepultum fuisset eius venerandum corpus extra Ecclesiam in cæmeterio Monticiani in Hetruria, ibidem nata est copia candidorum liliorum ad eam præcisè mensuram, quam sanctum corpus occupabat. In quo loco, licet indè translatum corpus, perseuerauit liliorum pullulatio nemine illa istic serente, aut plantante; & quamuis pii fideles eorum experti vtilitatem ad variarum infirmitatum curationes, non tantùm natos carpant flores, sed caudices, ac bulbos ipsos stirpitùs eruendo auferant; nihilominùs identidem nascuntur; sic tamen vt aliquandò per triennium desinant apparere flores.

9. *In An. Min. an. 1222. n. 5. de S. Francisco visitante Sacellum olim Specum S. Benedicti in Sublaco.* Sacellum hoc supereminet illi hortulo, seu viridario, in quo S. Benedictus molestum carnis incitamentum, spinarum cruēto superauit volutabro: Dignæ autem sanctæ rei contemplatione Franciscus immersus, sanctitatemq; insignem magni secùm expendens Patriarchæ, qui tàm duro, & diro sibi succurrit remedio; dumeta attrectans, & exosculans, demùm signo crucis afficiens, in rosarium pulcherrimum diuina vertit virtute; Quo factum est, vt deinceps ille locus in maiori haberetur reuerentia, & rosetum vtriusq; Patriarchæ religione sacratum, miræ virtutis rosas producat, quæ multam vbiq; infirmitatum medelam attulerunt. Semperq; frondescunt, vel dùm hyeme ibi omnia inhorrescunt, & si arent penitùs ramalia in virgultis alijs, vti regio ibi acri gelu hyemali tempore vrgetur.

10. *Ibidem ann. 1222. n. 8. de Conuentu Caietæ.* Valde locum hunc dilexit Frāciscus, tùm quia paupertati conformis, tùm quia ab hominum frequentia semotus, contemplationi erat opportunus, sensit in eo carnis molestias, quas vt valdè excuteret, in densas, & pungētes spinas se volutauit; eodem tempore excussa carnis titillatio, & expuncta dumeta, decidentibus vndique spinis, à quo tempore mollia omninò, lenia, & tractabilia perpetuò miraculo virentia se omnibus præbent. Palpaui ipse, attrectaui, vndique lustraui, nec in vacciniorum arbustis his spinam vllam potui detegere. Transplantati multis in locis Italiæ dumeti huius ramusculi, sed eiusdem, & mollis vndique naturæ.

11. *Ibidem an. 1223. n. 1.* In Conuentu S. Mariæ Angelorum Assisij, sentiens aliquandò S. Frāciscus hostis insidias, tunica deposita, solis femoralibus indutus, in feruore spiritus, cella egressus, ac per densissimam sepem spinosam irrumpens, deuenit in syluam vicinam, corpusque per vepres, & spinas volutando dirè cruentauit, dicebat enim sibi, longè mihi meliùs est hæc patiendo sentire dolores, quàm blandienti inimico morem gerere; sic tentatore fugato, effulsit circa eum lumen immensum; cùmque vigeret gelu, ac frigus intensissimum, quale solet mense Iannuarij, apparuerunt illic rosæ albæ, purpureæ in magna copia. Ibidem adhùc est Sacellum, & iuxta Sacellum est hortulus, in quo perpetuò virescunt miraculosa illa roseta, siue pungentibus aculeis, ex vepribus, & spinis, quæ virum Sanctum cruentarunt, exorta.

12. *Ibidem an. 1440. de B. Francisca Assisiate, Assisij sepulta in Conuentu S. Claræ.* Ritè acceptis Sacramentis mense Iannuario obdormiuit in Domino, & consentibus multis, vt corpus contrectarent, condita est prope Ecclesiam S. Georgij. Mox prodierunt rigida hyeme rosaria ex sepultura, quæ etiam aliquandò in flores eruperunt, & in hunc vsq; diem ipsa permanent roseta.

13. *Pet. Sancta in mir. perp. c. 26.* S. Franciscus Seraphicus Romæ in Religiosorū suorum cęnobio ad Tyberim, quod diù inhabitauit, rosas plantauit, quæ crescunt hodièque absque spinarum aculeis.

14. *In m. s. s.* Mantuæ in quadam rima fenestræ Domus Andreasiorum, adhùc conspicitur admirabile Rosariū, quod fama est, quondā à B. Osanna Andreasia Mantuana ibidem plantatum fuisse, quotannisque nullo licet humano irrigatū humore, vernantibus folijs, floribusq; virescens, virgineæ manus eius, quæ illud plantauit, puritatem cunctis patefacit.

15. *Matthæus Vuestmonasteriensis de Cænobio S. Benedicti Floriaci.* In eiusdem viridario inter alias arbores, rosarium consitum erat, pulchris, ac purpureis vndequaque rosis vestitum. Moniales ergo deuotæ à sæcularibus curis valdè alienæ, quæ nihil aliud, quàm de animarum suarum spirituali salute, ac cultu debito Virgini matri suæ, ac Sanctis Curiæ Cælestis exibendo, curabant, Dominum suis continuis precibus orarunt, vt præfati Roseti rosas purpureas, in honorem suæ gloriosissimæ, ac purissimæ matris, candidas reddere dignaretur: quod, vt petierunt, obtinuerunt; ita vt, quæ antea purpureæ erant, candidæ redactæ sunt; cuius meritis, & precibus fuerit huiusmodi immutatio facta, testes in informatione, & processu non exprimunt. Post longum verò tempus, Soror nostra Francisca nonnullis alijs ex Primoribus comitata sororibus in viridario deambulans, ad locum, vbi erat plantatum rosarium, perueniēns, ibi ipsa & Sorores, suos sistere gressus voluerunt. Tunc vna ex eis sic fari cæpit: Benedicta sit sancta, & Immaculata Maria Virgo; tota pulchra, candida, & purpurea est, macula non est in ea; Ipsa est Rosa mystica, summo Deo dicata, & valdè grata, circumdata varietate, à qua omnis pendet pulchritudo: Ego autem si veritatem dicam vobis maximoperè gauderem, si hæ nostræ Rosæ, sicut antea, purpureæ essent, vt eis altaria nostra ornaremus, nam ibi collocatæ, meliùs comparere, & à longè videri, quàm albæ, possent: Ad quam Abbatissa conuersa, subridens, dixit ei: Mater, taceat

charitas vestra, & lætare in Domino, nam tuum desiderium explebitur, & rosæ albæ, purpureæ fient: Anno immediate sequenti, nullius humani, nec naturalis remedii adhibito genere; nec minùs, quòd eius trunco scisso surculus roseti purpureas rosas ferentis insereretur, rosæ omnes, nemine dempta, rubicundæ, seù purpureæ, sicut prædixerat Abbatissa, apparuerunt; quæ eo colore vsque in præsentem diem non sine magna omnium admiratione modò extant.

16. *Sylos in Hist. Cler. Reg. part. 1. lib. 7.* Flores, qui ornandæ aræ S. Caietani spargi, præcipuè gelsimina, solita erant, cùm quis superiore quodam instinctu implorato D. Caietani nomine, graui cuidam morbo adhibuisset, successit faustè pietas, conualuitque dicto citiùs. Cùmque is quam à sacro cinere flores virtutem hauserant, cauide euulgasset, manauit breui latius rei rumor; atque impertita subindè aliis, atque aliis salus iisdem applicatis floribus mirificè fuit, hocque ferè perenni accidit prodigio cunctis in regionibus; cuicumque enim morbo applicatis floribus in ara Diui Caietani, ceù sacratis, illicò illum euanescere continua comprobatur experientia.

17. *Baron. an. 34. ex Greg. Turonensi.* De Domini nostri coronæ spinis hæc Gregorius Turonensis. Ferunt ipsas coronæ sentes, quasi virides apparere, quæ tametsi videantur aruisse foliis, quotidiè tamen reuirescere virtute Diuina.

18. *In. m. s. s. Ex libro Hospitalis maioris Placentiæ.* An. 1490. die 9. Aprilis, quæ fuit dies Veneris Sancti, veneranda Spina Dominicæ Coronæ, quæ erat super altare iuxta Hospitale nouum Placentiæ, circa horam nonam cæpit florere, emisitque vnum florem in illa parte, quæ est subtùs manum Angeli, qui tenet dictam spinam, & hoc videntibus, & admirantibus cunctis. Hoc itidem accidit an. 1512. die nona pariter Aprilis, quæ tunc itidem erat dies Veneris Sancti.

19. *In. m. s. s.* In oppido S. Quirici inter Aesium, & Fabrianum reperitur vna ex spinis coronæ Dominicæ, quæ in hebdomada Sancta efflorere solet, postque octauam Paschatis ad pristinum statum reuertitur.

20. *Iacobus Bosius in Hist. Religionis S. Ioannis Hierosolymitani, par. 2. lib. 7.* Item alia Spina Dominicæ Coronæ in Magistrali Sacello Religionis asseruatur, quę quotannis feria sexta hebdomadæ maioris in meridie mirabiliter frondescere, floresq; emittere videbatur; quod prodigium anno 1457. tribus ferè horis ante meridiem anticipauit.

21. *In. m. s. s.* In Valle Brembana Territorii Bergomensis piè colitur in Ecclesia Sanct. Ioannis, sacra Spina coronæ Domini, quæ antequam à sacrilega manu violaretur, quotannis in feria sexta in parasceue, flosculos mirabiliter emittebat. Hanc dùm quidam cùm aliis reliquiis furatus esset, nunquàm è templo egredi potuit, quoadusque S. Spinam proprio restituerit sacrario.

22. *Petra Sancta in Mir. perpet. cap. 16.* In Vmbriæ oppido inter Perusiam, & Augubium, quod *Montone* vulgò appellatur, est spina vna ex eo doloris serto, quo Christus Dominus redimitus fuit in Prætorio Pilati. Hæc Spina quotannis feria sexta hebdomadæ maioris ab hora sexta usque ad horam nonam semper floret. Altera spina eiusdem serti Christi Domini est in Samnio, & eo die pariter illius cuspis protuberat, atque efflorescit.

23. *Greg. Turonen. lib. 1. de Glor. Marty. c. 31.* Andreas Apostolus magnum miraculum in die solemnitatis suæ profert, hoc est, manna in modum farinæ, vel oleum cum odore nectareo, quod de tumulo eius exundat. Per id enim, quę sit fertilitas anni sequentis ostenditur; si exiguum profluxerit, exiguum terra profert fructum, si verò fuerit copiosum, magnum arua prouentum fructuum habere significat. Nam ferunt in aliquibus annis in tantùm è tumulo oleum exundare, vt vsque medium Basilicæ profluat riuus ille. Hæc autem aguntur apud Prouinciam Achaiam in ciuitate Patras, in qua B. Apostolus, siue martyr, pro Redemptoris nomine crucifixus, præsentem vitam gloriosa morte finiuit. Tamen cùm oleum defluxerit, tantùm odorem naribus præstat, vt putes ibi multorum aromatum sparsam esse congeriem; quod non sine miraculo, ac beneficio habetur in populis; Nam ex hoc seù inunctiones factæ, siue potiones datæ, plerùmque languentibus commodum præstant.

24. *In. m. s. s.* Vesontione Ciuitate vtriusque Burgundiæ Metropolitana, asseruatur pannus lineus octo palmis longus, latus quatuor, in quo inuolutum fuit corpus Christi, dùm in sepulchro iacuit; in eo videtur anterior pars corporis graphicè descripta vnà cùm stigmatibus vulnerum proprio Christi sanguine purpurascentibus, de quibus percrebuit fama, ipsa pallidiora apparere imminente grauiori annona, rubicundiora verò abundantiori.

25. *Petra Sancta in mir. perpet. cap. 12.* Ragusę Vrbe Illyricorum, pannus est S. Simeonis, eius, qui paruulum Iesum excepit in templo exultabundus inter vlnas suas. Is verò pannus circumfertur quotannis in publica supplicatione S. Blasij Episcopi, & Martyris, obseruantque Clerus, & Ciues motum, aut quietem eius; se seque spontè depresus, indicat eiusdem annonæ caritatem.

26. *Ferrandus de manu S. Ioannis Baptistæ. dùm Antiochiæ conseruabatur.* Dicitur, Episcopum die sacro Sanctæ Crucis exaltatæ, venerandam hanc manum spectante populo sublimem tollere, eaque dùm tollitur, subindè explicari, subindè contrahi per se se, atque per explicatam quidem manum frugum vbertatem portendi, contractione verò, annonæ caritatem prænunciat.

Videantur quæ dicta fuere libr. 2. in app. 2. ad cap. 5. cùm de terra perenniter virescente, & arescente.

Finis Libri Sexti.

LIBER SEPTIMVS

De Admirandis circa Animata Sensitiua.

Ancta quatuor illa animalia, quæ suis in excessibus Euangelicus obseruauit Vates, continuis vocibus Summam Deitatis Omnipotentiam cunctis declamare populis haud cessabant, & requiem non habebant, die, ac nocte, dicentia: Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Omnipotens: Non igitur mirum, si & muta animantia mirabilibus, admirandisque gestibus eamdem Diuinam Omnipotentiam altis & postea portenderint vocibus, cunctisque licet irrationabilia prædicauerint. Huiusmodi autem Admiranda hic erunt recensenda; cùm enim post vegetatiua, in animatis, Sensitiua gradum secundum obtineant; De Admirandis ad ea spectantia erit hic sermo.

CAPVT PRIMVM.

De Animalibus, Seruis Dei diuinitùs obsequentibus, & inseruientibus.

Et primò

De Aquila. §. I.

Vod à Protoparentibus in bruta animalia inditum imperium miserabiliter fœda abstulit culpa, hoc viris Sanctis, Gratia exuberante, mirabiliter restituit Virtus, cunctaque irrationabilia, ceu obsequentes famulos, eorum subiugauit imperio, deuinxitque famulatui; De quibus.

1. *Pet. de Nat. l. 4. c. 162. de S. Seruatio Episc.* Cùm reuerteretur, egressus Roma, à Gothis capitur, qui tunc Italiam deuastabant; cui per noctem Angeli cùm luce nimia in custodia apparuerunt; eumque solutum dimiserunt. Cùm autem die altero à Gothis torquendus quæritur, in carcere clauso non inuenitur. Reperitur tandem ab ipsis solutus in quodam campo sopitus, cui Aquila grandis insidens, altera alarum eum à Sole obumbrabat, alteram mouens, quasi flabello ei auram ventilabat.

2. *In actis S.S. Feb. tom. 2. in Continuat. Bollandi.* Cùm Sipontum iret S. Sabinus Episcopus Canusinus simul cùm alijs Prælatis ad celebrandam dedicationem Ecclesiæ S. Michaelis in Gargano Monte, magno omnes afficiebantur æstu ex continuis, ardentibusque solis radiis, rogauerunt igitur Deum, vt in tanto æstu aliquid leuis auræ refrigerium dignaretur concedere; & ecce mirum; Nam non priùs finita est seruorum Dei Oratio, cùm subitò Aquila vna immensæ magnitudinis super eorum capita volitans apparuit, duplex illis sanctis viris obsequium exhibens; namque sub vmbra alarum aquilæ ambulantes, nihil æstiui illius caloris pristini sentiebant, & eorum fessa corpora leuis aura, quæ ex motu alarum oriebatur, refrigerans, propensiores ad iter perficiendũ reddebat.

3. *Ibidem in Martio tom. 1.* Cùm S. Lutvvinus ab ardoribus Solis æstuatus, refrigerium requireret, nullumque arborei vmbraculi beneficium à torridis Phœbi radijs inuenire potuisset: Ecce Aquila expansis alis in aere, faciem quiescentis ab æstuantis ardore Solis defendit.

4. *Ibidem in Martio to. 3.* Quodam die S. Cuthbertus Episcopus Lindisfarnensis proficiscebatur iuxta fluuium Tesgeta tendens in Meridiem: docens, & baptizans rusticanos; hora autem prandij Aquila ad ipsum volans, piscem grandem deportauit, quo seruus Dei necessario alimento reficeretur.

5. *Colganus in vita S. Fintani.* Venientibus aliquando mimis, & histrionibus ad Sanctum Fintanum, vt peterent pisces ad comedendum (manebat enim iuxta magnum fluuium in Villa Tirdaglass) respondit eis, sicut verum erat, se non habere, quod petebant; Tunc mimus, inquit, aqua est propinqua tibi, & si vir Sanctus, vt diceris, esses, facilè quod nos petimus, à te habebimus. Tunc dixit Fintanus: Deo quidem non est difficiliùs piscem dare, quàm aquam ipsam; & vocatis ad se discipulis, misit eos ad puteum; qui quàm fluuius vicinior ei fuerat, & cùm aquis indè magnum piscem in suo vase attulerunt; Piscis autem cùm exossari inciperet, nullo ferro potuit secari: indè mimi dixerunt: Quamuis piscis noster durus est, non tamen à nobis hic derelinquetur, & abeuntes suum piscem portabant. Deindè aquila volans eripuit eis illum, & ad arborem, quæ supra dictum puteum stabat, retulit, & ita piscis in suum puteum, vndè retractus fuit, cecidit.

6. *Surius tom. 3. de S. Medardo Episcopo Nouiomensi.* Cùm adhùc puer esset in campo pluuiæ expositus, ab Aquila alas, & corpus super eum expandente, immunis ab inundante aeris illius exundatione seruatus est.

7. *Idem de S. Bertulpho Abbate c. 12. 5. Februarij.* Erat cernere in glorificatione Sancti, gloriam Dei, & inauditum sæculis prodigium; Nam ignea fax coram ipso à summo Cæli ad terras vsque pertingens, fulsit; tenebrasque hinc indè fugauit, viroque Dei sedenti, atque in quodam libro ad legendum intento, lumen non modicum ministrauit

nit: Miræ etiam magnitudinis Aquila caput ipsius obumbrando circumuolitabat, pluuiæque incommodum alis expansis ab eo fugabat; Sicque duplici miraculo, duplex à Sancto Dei incommodum, scilicet tenebrarum, ac pluuiarum repellebatur, dùm hinc lumine facis ardentis, tenebræ, hinc aquila circumuolitante, imbrium ab eo tempestas arcebatur.

8. *Idem in vita S. Corbiniani Episcopi, 8. Sept.* Cùm quadam die ad Tusciæ partes peruenisset sexta feria ieiunij, in qua abstinere oportebat ab esu carnium, videntes hi, qui præerant itineri, quòd hora gustandi tardiùs protrahebatur, & quòd caballi calorem toto diei spatio sub pondere nequirent sustinere, dixerunt, vt vel paululum repausarent: His dictis, is, qui alimenta ad mensam Pontificis ministrabat, dixit se ad esum Episcopi nihil præter carnem habere, quam eo die non comesturum Episcopum nouerat: Hoc eo dicente, vir Dei sursùm adspiciens, vidit Aquilam in aeris altitudine volantem, & ait: Ecce auis, per quam nobis Dominus misericordiæ suæ largitate daturus est alimenta: His dictis, ab intuentium oculis longiùs Aquila recessit, & de tanta altitudine oculorum acie piscem in maris fluctibus videns, submissis alis, arreptum ad litus perduxit. Illis ergo pergentibus, quidam cocus Pontificis more itinerantium hoc videns, ad litus cucurrit, inuenit Aquilam in piscis adhùc viui capite sedentem, piscemque palpitantem; Qui cùm aduenisset, aquila piscem dimisit, & auolauit. At cocus arreptum piscem obtulit Pontifici, & factum aquilæ enarrauit. Magnitudo verò piscis tanta erat, vt non solùm Pontifici sufficeret, sed etiam cunctis, qui apud illum comederunt.

9. *Idem in Iunio.* S. Vito puero, & Martyri cibum Aquila detulit.

10. *Thomas Contiprat. in Not. ad lib. 2. Apum cap. 1. De Ven. Ioanne Vicentino Ordinis Prædicatorum.* Quidam arabat Rusticus in agro, & aquilam eminùs vidit in cespite quiescentem: Expecta, inquit, expecta, ò Aquila, adiuro te per Fratrem Ioannem, & te captam, ipsi Sancto viro statim, reducto aratro, præsentabo. Nec mora, rusticus, reducto aratro, expectantem Aquilam accipit, & Sancto viro, quasi mansuetissimam præsentauit. Hæc Aquila sequebatur Beatum virum vbicumque locorum ibat, & de Villa ad Villam post eum per aera volitabat. Vbicumque in populo editiori loco stans conuenientibus prædicabat, Aquila iuxta eum captabat locum; Et finito sermone, mox vbi populo benedixit, alas aquila cùm mirabili tripudio eleuabat, & frequentibus motibus aera concitabat, quasi per hoc suo modo benediceret Creatorem.

11. *Chrysost. Henriquez de S. Stephano Abbat. Cister.* Minuerat aliquandò Sanguinem propter Christum pauper Abbas Stephanus, & propter inopiam domus cellerarius, cui ex præcepto regulæ, pauperum, & Infirmorum cura incumbebat, nihil ad manus habebat, vndè pauperi, & Infirmo Abbati suo, qualitercumque lautius edulium præpararet; Et sincera charitate Abbatem suum diligens cogitabat, si fortè aliquid alicubi inueniret, vndè charitatem, qua intùs ardebat, etiam foris ostenderet. Cùm ecce grandis quædam auis aduolat, non mediocris quantitatis piscem vnguibus ferens, quem continuò coram omnium fratrum oculis proiecit, & recessit.

De Columbis. §. 2.

1. *Surius in vita S. Dunstani 19. Maij.* Eo inter sacrosancta Missarum solemnia sacras manus extendente, & Deum Patrem Omnipotentem, vt Ecclesiam suam Catholicam pacificare, custodire, adunare, & regere dignaretur toto orbe terrarum interpellante, niuea Columba multis intuentibus de Cœlo descendit, & donec sacrificium consumptum esset, super caput eius, expansis alis, & quasi immotis sub silentio mansit; inter hæc quid animi gereret seruus Dei, quo amore, qua dulcedine, quo desiderio putas in Deo pascebatur, qui ex præsenti gratia Dei, tali visitatione fouebatur? consumpto sacrificio, Columba eadem in Australem altaris partem declinauit, & super tumulum Beati Odonis, cuius supra mentionem fecimus, se reclinauit, alis suis hinc inde illum complexans, & quasi rostro deosculans. Quod B. Dunstanus intuens, & indè meritum iacentis expendens, in tanta eum deinceps reuerentia habuit, vt quoties sepulchrum eius transiret, genua flecteret.

2. *Idem 20. Maij de S. Petro Cælestino lib. 1. cap. 12.* Multis, magnis, ac mirabilibus signis Spiritus Sãctus declarare voluit, quòd locum illum ad quem secesserat tanquam speciale habitaculum sibi elegerit. Primùm quidem, cùm fratres ibi habitare cæperunt, quædam Columba apparuit, quæ semper cibum capere videbatur in eo loco, in quo postea altare Oratorii positum fuit; Et ibi sæpiùs habitans, etiam dùm officium cantabatur, adeò fratribus erat domestica, ac si ab eis fuisset enutrita; Et vt hæc apparitio vera, non sophistica, crederetur, operante illo spiritu veritatis, qui supra Christum in Columbæ specie apparuit, hæc Columba non ibi paruo tempore, sed trium annorum spatio, in Sanctæ Trinitatis nomine, sub ea, qua dictum est, domestica consuetudine permansit; Nec hoc signum digno effectu caruit; Nam postea ad honorem Sancti spiritus pulchrum ibidem oratorium constructum est, & ad impetranda eius spiritualia dona, illùc plurimi cùm ingenti deuotione etiam de longinquis partibus aduenerunt, quibus Paracleti consolatio, & magnificæ largitatis eius gratia non defuit.

3. *Petrus de Natal. lib. 9. cap. 86. de S. S. Caprasio, & Feliciano.* Vidit S. Caprasius per spiritum, columbam niueam de Cœlo descendentem, & coronam auro, gemmisque fulgentem super caput S. Fidei Virginis imponentem, quæ vestibus fulgidis erat ornata, & Angelis comitata; Ipsa verò Columba alarum volitatu, & rore cælesti, ignem, in quo virgo iniecta erat, extinxit; & ad Cœlos subitò aduolauit; Cùm autem hæc omnia Caprasius conspexisset, Christianum se coràm Daciano confessus est, quem ille detentum, vngulis laniare fecit.

4. *Idem*

4. *Idem lib.8.cap.47.in actis S.Reginæ Virg. & Mart.* Cùm Sancta Regina in ingens vas aqua plenum immissa esset; ecce Columba de Cęlo descendit, quæ in ore habebat coronam; & facta est vox de cęlo, dicens: Veni Regina in requiem Christi, beata es, quæ hanc coronam meruisti.

5. *In actis S.Luciæ viduæ, & Mart.* Dùm Sancta martyr per ciuitatem, vt esset populis ludibrio, duceretur, venit ad Domum hominis Geminiani nomine, qui habebat in domo sua plùsquàm 30200. simulacra, & cùm illa concitè pergeret, ecce Columba niuea de Cœlo descendit, & super caput Geminiani tertiò signum Crucis fecit; Qui in Cœlum respiciens, catharactas Cęli apertas, & sedem Dei vidit, & mox omnia relinquens, ad Christum conuersus est.

6. *In vita B.Alberti Eremitæ 7.Iannuarij apud Bollandum.* Nullum subterfugiens aut itineris laborem, aut incommodum corporis, duce, quo agebatur, Dei spiritu, in Gallæciam abit, ad S. Iacobi sepulchrnm. Hic cum moraretur, sæpius conspecta est in dextrum eius humerum aduolare columba, rostrumque in aurem eius inserere, & quasi ei quidpiam insusurrare.

7. *Ibidem in actis S.kentigerni Episcopi 13.Ian.* Multotiès dùm sacra diuina tractaret, columba niuea rostrum quasi aureum habens, capiti eius insidere consueuit.

8. *In actis S.Vgonis.* Quandiù in conuentu ille vir Sanctus perdocuit, sicut Columba candida super caput eius apparuit; quibus id videre datum est, Deum glorificauerunt; Non enim omnes hanc videre gloriam meruerunt.

9. *In actis S.Gregorij Papæ.* Columbam desuper lapsam, cùm quid de sacris litteris scribere vellet, visam à Petro Diacono esse, & ea de causa columbam in capite ad aurem eius pingi consueuisse, Ioannes Diaconus asserit; ea ex causa, scilicet, quòd à Diuino spiritu, cuius Columba symbolum tenet, quæcumque scripta ab eo sunt, ipsi esse suggesta, constans opinio fuit.

10. *S.Bernardus in vita S.Malachiæ Archiepiscopi.* Quadam vice sacrificante illo, & orante, astante Diacono visa est Columba intrare per fenestram in claritate magna. Ea Sacerdos perfunditur totus, & subobscurior Basilica tota refulget. Columba verò aliquandiù circumuolitans, tandem residet super Crucem ante faciem Sacerdotis.

11. *In vita Beati Ambrosij Sansedonij.* Vt sciremus vndè doctrinam suam haberet, visa est palàm Diuina Columba in aures loqui Ambrosio.

12. *In menol. Cister. 25. Decemb. de B.Fulcone Episcopo Tolosano.* Super eius caput inter celebrandum non semel Columba splendidissima apparuit.

13. *Cæsarius lib.7.cap.15. de quodam Monacho.* Super eius caput cùm adhùc esset Diaconus, & Euangelium legeret ad missam, Henricus conuersus columbam vidit descendentem, & vsque ad finem lectionis ibidem manentem.

14. *Goduinus Monachus in vita B. Ascelinæ.* Frequenter illi accidit, vt eam quædam columba ad orationem duceret, de dormitorio descendentem.

15. *Carolus Augustus in vita S. Francisci Salesij lib.8.* In die festo Natiuitatis B.M.V. sexto idus Septembris, dùm solemniter in Collegiata Æde Aniciensi celebrat: Ecce per Rimam magnæ fenestræ vitreæ, quæ in choro ad Epistolæ partem erat, ingressa est candidissima columba, quæ postquàm per totam ædem aliquantulùm volitauit, super humerum Episcopi in throno sedentis in quo sculpta est arbor Iessæ, & in eius sic sedentis gremio requieuit, vbi ab assistentibus capta est: Stupentibus omnibus, & dicentibus, : Sanctus est Episcopus noster, & verè Sanctus; quam sanè opinionem diù conceptam, continuis, & interruptis virtutum actibus confirmabat. Hoc & aliàs euenit.

16. *Bzouius an.1314. n.27. de B. Iacobo Veneto Ord. Præd.* Aliquandò supra dexteram illius sacro pænitentiarii munere perfungentis, visa est cælestis Columba quieuisse.

17. *Hincmarus in vita S.Remigij.* S.Remigius, vt fonte lustrali Regem Clodoueum ritè proluerer, expectauerat diù sacrum Chrisma, hærente ministro in conferta populi multitudine; Cum ecce tibi columba de cęlo, ampullam olei rostro detulit, cuius mira fuit fragrantia, eoque oleo inauguratus est à S.Remigio Rex Clodoueus.

18. *In actis S.Mammantis M.* Cùm S.Mammans in carcerem iussu Præsidis immissus fuisset, ibique, vnà cùm 40. alijs summa laboraret fame, columba cælitùs missa portans lac, & mel per fenestram intrauit, accipiensque Mammans simul cùm eis manducauit, & saturati sunt.

19. *Manrique in Ann. Cistercienfibus an.1131. cap.8. de S.Froilano Legionensi Episcopo.* Ferunt, cum S. Froilanus de prædicando Euangelio deliberaret, ori eius aduolasse columbam geminam, quin & prunas ardentes pressisse labiis, purificandæ, si quæ fortè inerat, sordi, vel munditiæ probandæ.

20. *Surius in Nouemb. de S.Catharina Virg. & mart.* Duodecim diebus, quibus fuit in custodia, per Columbam accipiebat à superis alimentum.

21. *Arturus in Martyr. Fran. 31. Octob. de B. Christophoro Confes.* Sæpè etiam columba candida super caput eius tempore celebrationis missæ visa est: quam quidam iuuenis Frater, Petrus nomine, sæpius conspexit, & prima vice nesciens, quid significaret, conabatur eam à Beato Patre propulsare; qua de re turbatus, coactus est Fratri dicere, vt illam sineret.

22. *In vita S.Catharinæ Senensis.* Cùm semel oraret S Catharina, niuea columba capiti eius insidens, conspecta est, quæ statim vt visa fuit euolauit.

23. *In actis B.Gualteri Ord. Minor.* Tantæ sanctitatis fuit, quòd aliquandò columba candidissima visa est super caput eius.

24. *Otto Frising. lib.11. ap. Baronium an.1145. de legatis Armenæ Ecclesiæ, Viterbij ab Eugenio III. Pontifice susceptis.* Hos Romanus Antistes gratanter

ter suscipiens, Missarum solemnijs, ac sacrificijs secretis adhibuit, diligenterque ea, quæ fiebant ibidem eos animaduertere monuit. Quòd dùm facerent, intentique sacro altari astarent, vnus ex eis Pontificali dignitate præditus, sicut post modùm in plena Curia retulit, in beati Martini octaua, quandò Dedicatio Ecclesiæ Beati Petri celebrari solet, summo Pontifice diuina mysteria agente, splendido fulgore radium Solis super caput eius coruscare, & in ipso duas columbas ascendentes,& descendentes vidit: Cùmque diligentiùs hàc illàcque oculos circumferret, nullumq; aditum, per quem lux illa transfunderetur, inueniret; deificum hoc esse cognoscens, ac ad obedientiam Romanæ Sedis ampliùs accensus, cunctis quæ viderat aperuit. At venerabilis Pater non suis hoc meritis attribuens, ipsius potiùs fide cælitùs hoc sibi monstratum affirmabat, vt videlicet Ecclesia, à qua ipse missus fuerat, sacramentorum virtutem veritatis luce perfusam cognosceret, ac deinceps quali ea reuerentia, & forma tractare deberet, addisceret.

25. *Sylos in Hist.Cle.Reg. Par.3. lib.4.* Aquediç paternæ ditionis oppido semel campum, animi recreandi causa petierat Ven. Noster Iacobus de Stephano; cùm ecce tibi syluestrium Columbarum agmen, confertissimum idquidem, propiùs accedere: expedire confestim ad earum internecionem fistulas suas qui aderant; quibus ille, vt sisterent, iussit; Namque in sui clientela, ac fide columbas eas esse: Nec mora, visç volucres Iacobum certatim adire, circumuolare, adblandiri, velut grates redderent, aut obsequium exhiberent; defixis admiratione qui cernerent; Quod & aliàs accidit; Iubere enim Iacobum sufficiebat, aduolare enim confestim illæ, auolare, sistere, insidere humeris, nec vocem solummodò audire, sed & nutus videbantur; famaque vulgata fuit, per ipsas, ceù per tabellarios, ad quem vellet, litteras mittere consueuisse.

26. *Francìscus à S.M.Hist.Carmelit.to.2.lib.8. c.12.* In conuentu Segobrigæ Carmelitarum discalceatorum, quo tempore ibi habitauit B. Ioannes à Cruce, columba admirabilis candoris obseruata est, supra illius cubiculum, dùm in eo Ven. Pater morabatur, insidens; illoque ex illa Ciuitate discedente, haùd ampliùs visa est.

27. *In vitis Patrum.* Cùm Ven. Monachi Theophilus, Sergius,& Hyginus per deserta loca ambulantes, viam ignorarent, post septem dies affuit Columba, quæ illis appropinquans, ac diù circa eos volitans, & pennulas fortiter percutiens, quasi ad ambulandum eos confortabat, viamque ignotam demonstrabat.

28. *In Chronicis Min.* Dùm Ven. Petrus Nicolaus Fattorus missæ sacrificium summa deuotione celebraret, bis candida Columba supra ipsius caput volare visa est.

29. *Marulus lib.4. cap.5.* Iudoco Regis Britanniæ filio, dùm contempto Regno, soli Christo seruiret, columbas escas ministrasse, ferunt.

30. *Bou.in ann.Capuc.an.1558.de Fra.Bernardino à Balbano.* Quòd illius predicatio Deo grata, ac Dei Spiritu plena esset, illud profectò indicauit; quod mulier quædam admodum pia, ac deuota, dùm eum prædicantem audit, sæpè candidissimam Columbam circa illum volitantem conspexit, quæ tandem in eius capite quiescere visa est.

31. *Idem ibidem an.1565. de F.Ioanne Fassatio Mediola.* Cùm semel Brixiæ Dei Verbum prædicaret, candida columba in ipsius capite requiescere visa fuit.

De Coruis. §. 3.

1. *Vinc. Belua.in Spec. Moral. lib. 1. dist.* 104: Hisnardus in Eremum se contulerat, & ægrotauerat, tunc conuertit se ad orationem, vt infirmitati suæ Deus misereretur, cui compassus Deus misit coruum, qui vnguibus, & rostro extraxit herbæ cuiusdam radicem, quam ei exhibuit cognoscendam, qua gustata, sensit in ea miram dulcedinem, & saporis suauitatem, & de illa assiduè viuebat conualescens, & de riuo aquç bibens.

2. *Ambrosius Righettus in mirac.Nominis Iesu.* S.Erasmus in Solitudine Montis Libani cùm Angelis Angelicam vitam ducens, per septem annos à Coruo mirabiliter cibum recepit.

3. *Ferrarius in Catal.S.S. 26. Iulij.* Cùm S. Symeon Monachus in Eremo degens cùm duobus discipulis, aliquandò ob maximas niues cibum habere non possent; ad Orationem confugiebant; & ecce Coruus affuit, qui se occidendum exhibuit.

4. *In vita S. Pauli primi Eremitæ.* Sexaginta annorum spatio Coruus quotidiè dimidii panis fragmentum Sancto detulit Eremitæ; Adueniente verò ad eum inuisendum S.Antonio, Coruus integrum detulit panem, suis militibus Christo duplicante annonam.

5. *Bzouius in An. Eccl. an.1294.n.3.* Asportauerat quondam S. Petro de Morono Coruus quidam libellum aliquem, quem in fenestra cubiculi Petrus posuerat. Viso itaque Coruo, cùm id, quod erat, suspicatus esset, scilicet, coruum furto abstulisse. Iniunxit per nomen, & potestatem Iesu Christi, vt ablatum reportaret, necque mora: coruus euolauit, reuolauit, furtumque restituit.

6. *Ven. Beda in vita S.Columbani:cap.* 14. Cùm ad cibum capiendum veniret beatus Columbanus in Cœnobio Luxouio, tegumenta manuum, quæ Galli Vuantos, idest chirothecas vocant, quas ad operis laborem solitus erat habere, supra lapidem, qui ante fores refectorii erat, deposuit; Moxque quiete reddita, coruus ales rapax aduolauit, vnumque ex eis rostro ferens abstulit. Peracta autem refectionis hora, foris vir Dei rediens, tegumenta manuum requirit; Cùmque omnes inter se conquirerent, quis abstulisset: Vir Sanctus, ait: nullum alium esse, qui sine commeatu aliquid persumeret contingere, nisi alitem, qui à Noè dimissus, ad arcam non remeauisset; addiditque, se nullo modo suos pullos aliturum, si rapax furtum celeri volatu non referret. Expectantibus autem omnibus Fratribus, in medio eorum coruus aduolat, malè sublatum furtum rostro reportat, nec se pennigera

nigera conatur eripere fuga: Sed mitis, vltionem expectat; Quem Vir sanctus abire imperat. O mira Æterni Iudicis virtus, qui tanta suis famulis præstat, vt non solùm hominum honoribus, sed etiam auium obedientia clarescant.

7. *In actis S.S. Ian. de S. Iacobo Episcopo Tarentasiensi cap. 3. apud Bollandum.* Dum iter ceptum ageret, atque ex nimio caumate lassus, ad quandam declinaret vmbram, eiusque asellus paullulùm requiesceret, ales teterrimus aduolans, hoste (vt visum est) antiquo suggerrente, qui seruis Domini, in quantùm permissum est ei, semper obsistit, supra quiescentem asinum sedit, oculumque illius eruit. Mox, vt cernunt famuli cruorem de maxilla asini distillantem, magistro narrant; qui continuò surgens, inuocato Christi nomine, cruentum coruum redire iussit, dicens: Præcipio tibi, ales teterrime, in nomine Domini, vt confestim reportes, quod furtim de nostro asino tulisti. Mirum in modum videres coruum crocitando reportantem quod abstulerat; oculoque in eodem loco, quo eum violenter euulserat, vomito, sanum, & incolumem baiulum Domino suo restituisse.

8. *In actis S. Arnulphi Episcopi Suessionensis.* Cùm Sancto Viro Arnulpho piscis veneno infectus oblatus fuisset, diuinitùs id cognouit, & coruum, quem alere solitus erat, vocauit, eique imperauit, vt rostro correptum piscem in eum locum transferret, vbi à nullo posset mortalium reperiri. Hæsitauit aliquantisper Coruus, at tandem mordicùs apprehendens asportauit.

9. *Ambrosius Righettus in Mirac. Nominis Iesu.* Cùm S. Benedicto quidam presbyter, Florentius nomine, panem veneno infectum misisset, præcepit ille Coruo, quem quotidie saturare solebat, vt panem venenatum eò ferret, quò nemo accedere posset, quod immediatè factum fuit ab obedientissimo animali.

10. *Surius in vita S. Cuthberti Episcopi 20. Martÿ. cap. 20.* Erant Corui multo ex tempore eiusdem insulæ sedibus assueti, quos cùm die quadam vir Dei nidificantes hospitiolum fratrum, rostro lacerare, ablatosque culmos, quibus tectum fuerat, ad fabricam nidorum ferre conspiceret, coercuit eos leui protensione dexteræ, atque à læsura fratrum iam cessare præcepit. Sed illis imperium spernentibus: In nomine, inquit, Iesu Christi abite quantocyùs, neque in loco, quem læditis, vltrà manere præsumatis. Vix verba compleuerat, & confestim tristes abiere. Peracto autem triduo, vnus lamentabiliter pennis, & submisso ad pedes eius capite, atque humiliata voce, quibus valebat indicijs, veniam precabatur; Quod intelligens Ven. Pater, dedit facultatem remeandi; at ille impetrata redeundi licentia, mox sodalem adducturus abijt; Nec mora, redeunt ambo, & secùm digna munera ferunt, dimidiam videlicet axungiam porcinam; Quam Vir Domini aduentantibus postea fratribus sæpiùs ostendere, atque ad vngendas caligas præbere solebat. Denique ad dandum omnibus exemplum correctionis, multos deinceps annos in ipsa insula manebant, & nidificabant, neque aliquid molestiæ cuiquam irrogare audebant.

11. *Marul. lib. 5. cap. 3.* Paulus Monachus Britannus ab Elduco Abb. segetis maturescentis custodiæ præfectus, cùm Graculorum agmen eò delapsum pascere cæpisset agrum, eis in nomine Domini ne auolarent, præcepit; & non secùs atque quadrupedes ante se ad Abbatem egit; quo admirante, quid hoc sibi vellet; Frumenti se vastatores ad illum adduxisse, vt pro culpa punirentur, respondit; at ille protinùs illæsos dimitti iussit.

12. *Ordericus Vitalis lib. 6. Eccl. Histo. De S. Ebrulpho.* Coruus, qui propè eius Monasterium nidificauerat, oua furtiue rapiebat; & per incertam fenestram Refectorium intrans, omnia turbabat, nidoque suo quod tollere posset, asportabat. Tunc vnus ex fratribus, cuius hoc erat officium, simpliciter orans, inquit; Domine, vindica nos de aduersario, qui aufert, quod nobis donat tua miseratio: Nec mora, repererunt volucrem sub arbore mortuam, qua sibi collocauerat nidum.

13. *Drexelius lib. 3. de Conf. Voluntatis cap. 4. de Ven. Iosepho Archieta Societatis Iesu.* Piscatio fiebat ad Maricanam Insulam, aderatque vnà Iosephus; Incredibilis piscium copia omnes in admirationem rapuit; Sed cùm ad salem legerentur, ingens marinorum coruorum, aliarumque aquatilium auium numerus ad expositam escam aduolauit, magnum operis impedimentum; Cùmque non satis ab vllo possent abigi, Iosephus sermone Brasilico eas iubens facessere; Vos, inquit, hinc secedite, dùm hi sunt in opere; vbi nos abierimus, tunc redibitis ad capessendum vestrum diarium. Quasi verba habuerint humanos sensus auibus imprimendi, seorsim quietæ finem operis expectarunt. Profectis indè cùm Iosepho piscatoribus, gregatim ad deuorandas reliquias irruerunt. Indè vsu quotidianum erat piscatoribus indicare, quà copiosam piscationem facerent.

De Hirundinibus. §. 4.

1. *Bzouius in Ann. Eccl. an. 1198. num. 17.* Omnibus diebus festiuis verba ad populum suum faciebat S. Aldebrandus Episcopus Foro semproniensis, quod cùm quadam die proponeret, & hirundines obstrepentes, prædicationem impedirent, facto illis præcepto, illicò omnes conticuerunt.

2. *In vita S. Guthlaci Presbyteri, et Anachoretæ.* Quadam die hirundines duæ subitò domum illius intrantes velut magna lætitia auino forcipe flexuosi gutturis carmen canentes, veluti ad assuetas sedes deuenerunt, se seque non hæsitantes humeris viri Dei imposuerunt, & deinde cantulosis vocibus garrulantes, brachijs, genibusque, pectorique illius insidebant. Tunc assumens ille quandam ventinulam, posuit in ea festucam; quod cùm alites prospicerent, velut notato signo imbuti, illic nidificare cæperunt. Cùmque velut vnius horæ spatio transacto aggregatis quisquiliis nidum fundarent, S. Guthlacus exurgens, sub testudine tecti, quo sederat, ventinulam posuit; volucres verò

verò quasi adepto propriæ mansionis loculo, illùc manere cæperunt, non enim sine licita volentia viri Dei locum nidificandi sibi eligere præsumebant, sed in vnoquoque anno petentes mansionis indicium ad virum Dei veniebant.

3. *In Chron. Min. in vita S. Francisci*. Prædicando per loca vicina procedens venit ad castrum quoddam nomine Aluianum, vbi congregato populo, & indicto silentio, propter Hirundines nidificantes in eodem loco magnisque garritibus perstrepentes, vix poterat audiri: Quas vir Dei omnibus audientibus allocutus est, dicens: Sorores meæ Hirundines, iam tempus est, vt loquar & ego, quia vos vsque modò satis dixistis; audite verbum Dei, tenentes silentium, donec Verbum Dei compleatur; & illæ tanquam intellectus capaces subitò tacuerunt, nec fuerunt motæ de loco, donec fuit omnis prædicatio consummata. Omnes igitur, qui viderunt, stupore repleti, glorificauerunt Deum.

4. *Ibidem*. Quadam vice cùm prædicaret S. Franciscus propè oppidum Aranum aperto Cælo, obque ardentissimos Solis radios maxima afficerentur molestia auditores; ex improuiso multitudo copiosa Hirundinum illùc volauit, expansisq; alis omnes adumbrauere; nec indè auolarunt, quoadusque concio terminata fuit.

5. *Ibidem*. In Ciuitate Parisiensi Scholaris quidam indolis bonæ cùm socijs aliis studio diligenter intentus, dùm importuna garrulitate cuiusdam infestaretur Hirundinis, dicere cæpit ad Socios. Hæc Hirundo vna de illis est, quæ virum Dei Franciscum prædicantem aliquandò, donec silentium eis imponeret, molestabant, & conuersus ad Hirundinem fiducialiter, ait: In nomine Serui Dei Francisci præcipio tibi, vt ad me veniens, conticescas: at illa Francisci audito nomine, quasi viri Dei disciplinis edocta, & statim conticuit, & ipsius manibus tanquam tutæ custodiæ se commisit. Stupefactus Scholaris, statim eam libertati restituit, & eius garritum ampliùs non audiuit.

6. *Ibidem an. 1322. n. 6. de B. Francisco Fabrianensi*. Dùm semel meditaretur in Ecclesia, Hirundines multo garritu mentis turbabant quietem: Iussit ille, vt euolarent, neque ampliùs in templum aut domum illam regrederentur. Præcepto obedientes, tanquàm rationales creaturæ, statim abierunt, neque per integrum illum annum sunt regressæ.

7. *Ibidem an. 1260. num. 45. de B. Gandulpho de Benasco*. In Quadragesima cùm in Oppido Politii in Sicilia prædicaret, multo garritu feria quarta Maioris hebdomadæ hirundines circumstantes ab auditu verbi Dei impediebant. Videns ille commotum populum, neque verbum sanctum fructum referre potuisse, præcepit hirundinibus ad exemplum sui institutoris Francisci, vt omninò tacerent, dùm prædicaret. Obsequutæ sunt ex tempore volucres, nec cantum reassumpserunt, nisi post completum Sermonem, facta sibi garriendi licentia, per quem iussæ erant silere. Eo autem defuncto, ad eius sacrum corpus Hirundines sonoros cantus alternis choris ad noctis medium ediderunt.

8. *Ibidem*. Fertur aliquandò Hirundines obstrepentes, dùm concionaretur B. Adamus Ord. Minor. facto illis præcepto, vt tacerent, à clamore compescuisse.

9. *Ibidem*. Quadam vice Anxani, cùm ab importuno Hirundinum cantu impediretur B. Ioannes de Capistrano, ne concio, quam coram populo faciebat, ab ipso audiretur; præcepit illis in nomine Domini, vt tacerent, subitòque iussionibus Serui Dei, obstupente populo, obtemperarunt.

10. *Ignatius de Nente in vita Ven. Sor. Dominica de Paradiso; lib. 3. cap. 33.* Nidificauerat quondam Hirundo propè Cellam Ven. Dominicæ, cùmque importuno cantu illius quietem deturbaret, imperauit illi Ven. Mater in Nomine Iesu, vt aliò transferret nidum; cuius imperio statim paruit irrationale animal, alioque in loco nidum suum construxit.

De Anseribus. §. 5.

1. *In actis S.S. Februarij tom. 1. in Continuat. Bollandi*. Cùm S. VVereburga Virgo, Merciorum Regis filia in patrimonio suo Vuedunæ moraretur, infinita anserum syluestrium multitudo agros eius depopu abatur; Nunciauit hoc domesticus ruricula Dominæ suæ, cui illa iussit, vt omnes adduceret, & includeret, more scilicet animalium, quæ depascuntur alienas segetes. Iuit ille, dicensque illis: Ite, Ite ad Dominam nostram; tunc omnes ante se, ac si captiua pecora duxit: nulla auis de tanto cætu pennam leuauit, sed quasi implumes pulli, vel alis excisæ pedetentim se permouebant, pedestri incessu, submissis collis velut pro confusione reatus sui aduentabant; Sicque intrà curiam Iudicis suæ trepidæ, & suppressæ quasi damnatæ se collegere, ibique captiuæ reclusæ sunt, quoadusque manefacto vocibus conclamantes, quasi veniam emigrandi poscentes, iussit Sancta Virgo dimitti, interminans, ne vltrà auderent ad locum regredi. Nec mora, omnis illa multitudo ita auolauit, vt nulla huius generis auicula in ipsa terra S. VVereburgæ, vt famosè memoratur, vltrà reperta sit.

2. *Ibidem*. Quadam die vidit S. Brigida Kildariensis Abbatissa, anseres in aqua natantes, & interdùm per aera volantes, & eas accersiuit ad se. Quæ obedientes voci eius, sine vlla formidine ad eam volitauerunt, quas manu tergens, & amplectens, post aliquod tempus redire permisit.

3. *Philip. Ferrar. mense Nouemb. die 10. de S. Baudolino Episcopo*. Cùm hospes ad eum venisset, nec haberet quod ei in obsonium apponeret, anseribus præteruolantibus præcepisse, vt ad se descenderent, easque paruisse traditur.

4. *Frodoardus in Hist. Eccl. Rhemensi lib. 2. cap. 13. de S. Rigoberto Episcopo*. Semel mulier quædam anserem attulit Vicedomino, quam ille offerens S. Rigoberto, petit, vt iubeat recipi, secùmque deferri. Quam puer viri Dei suscipiens, ferebat, cùm subitò de manibus eius euadens, auolauit, spemque resumendi puero abstulit. At pater Sanctus puerum vehementer anxiatum conspiciens, blan-

blandè, ceù vir mitissimus consolatur, docens de temporalium amissione rerum nequaquam flendum, vel contristandum, quinimmò semper in Domino, qui dat omnibus affluenter, sperandum. Et ecce post aliquod spatium auis vltrò reuolans ad terram, coram Sancto Præsule descendit, eumq; quasi prædux præiens, nusquam à tramite deuiat, donec ad Gerniacam cortem, quò ibant, peruenit. Quam vir Domini non passus occidi, præuiam habebat itineris. Fertur enim ante se cursitare solita, dùm Ciuitatem adibat.

De Ciconijs. §. 6.

1. *In vita S. Agricoli Episcopi Auenionensis.* Ingruit aliquandò tanta Ciconiarum tempestas, vt Ciuitatem Auenionensem magnis incommodis opprimeret, vastabant agros Ciconiæ, vrbem pestiferis serpentibus, quibus vescebantur, inficiebant; quod cùm serperet infinitum malum, propter tantam Ciconiarum vastitatem, manaretque in dies latiùs, attoniti cæperunt omnes hærere, atque quid consilij capiendum esset, ignorare; quod cùm vidisset D. Agricolus, vt hanc Ciuitatem, cui maxima impendebant pericula, liberaret, atque ab imminenti illarum auium clade vindicaret, anathemate Ciconiarum illud agmen infestissimum expulit. Hinc factum est, vt in huius rei recordatione, Ciconiam pro insignibus huic D. Agricolo populus detulerit.

2. *Ibidem.* Anno Domini Millesimo quadringentesimo octuagesimo, (vt illius rei monimenta multis testibus consignata testantur) Pontificatus verò Sanctissimi in Christo Patris Sixti Diuina prouidentia Papæ quarti, anno decimo, lite mota, & contestata inter Capitulum Insignis Ecclesiæ Sancti Agricoli ex vna parte, ac Dominos Consules eiusdem Ciuitatis ex altera, super quibusdam territorijs, prædiis, ac possessionibus existentibus in Territorio Auenionensi, antiquitùs dicto *de Camino*, nunc de Cassanæis, die octaua Mensis Iulij cùm ad locum contentiosum venissent Vicarius Vrbis, Consules, Curia S. Petri, Officiales, Capitulum prædictum, atque alii quamplurimi viri spectatæ fidei: Ecce duas Ciconias, quæ Territorium adiere, atque hùc illùc volitantes, locum, vbi agrorum termini occludebantur, rostro patefecere, mox reseratos defossos inuenere. Quare acclamantibus omnibus, eo prodigio Ciuitas intellexit, quo studio D. Agricolus animas sibi creditas è Cælo tueatur, qui de temporalibus suæ Ecclesiæ bonis ita fuerit solicitus, qui, quod suum erat, apertè declarasset.

3. *Cæsarius lib.* 10. *cap.* 58. Apud Cistercium plurimæ nidificabant Ciconiæ, quod ideò à fratribus Religiosis permittebatur, quia per illas, non solùm Monasterium, sed omnia in circuitu loca ab immundis vermibus mundabantur, hyeme appropinquante recedebant; Die quadam cùm acies suas ordinassent ad peregrinandum, ne hospitalitatis concessæ immemores esse viderentur, conuentum, qui eadem hora in agro laborabat, petentes, eumque crebriùs grutillando circumuolantes, omnes in admirationem verterunt, ignorantes quid peterent. Ad quas Prior, puto, quòd licentiam petant recedendi, eleuansque manum, benedixit eis; Mox mirum in modum, cùm multa alacritate simùl auolantes abiere.

4. *Ioannes Colgan in vita S. Kierani.* 5. *Martij.* Exiit S. Kieranus ad Ducem Dymma quærere alumnam suam; sed Dux nullo modo, vel vlla ratione voluit dimittere eam, dicens viro Dei per irrisionem: Hanc tibi puellam nunquam dimittam, nisi in sequentis diei initio vox Ciconiæ excitauerit me à somno; Erat enim tunc hyems aspera, in illa siquidem nocte nix magna pluit, in illo autem loco, in quo vir Dei Kieranus cùm suis erat, nulla gutta niuis descendit; manè autem facto, quamuis contra naturam, super culmen vniuscuiusque domus nutu Dei Ciconia in Castello cantabat: Hoc audiens Dux Dymma, venit, & prostrauit se ante S. Kieranum, & dimisit ei alumnam suam,

De cæteris Auibus. §. 7.

1. *In actis S. Bonifacij Archiepiscopi, & martyris.* Cùm Sanctus Bonifacius prædicando, & baptizando in Turingiam transiret, & propè flumen, cui nomen est Oraha, tentorijs fixis pernoctaret, tunc per totam noctem lux magna de cælo se se protendens, locum, vbi manebat Episcopus, circumfulsit; In qua etiam luce S. Michael Archangelus aduenìens, Episcopo apparuit, eumque alloquens, in Domino confortauit; manè itaque facto laudans, & benedicens Deum, ibidem Missarum solemnia celebrauit; deindè in eodem loco prandium sibi parari præcepit; Sed à ministro suo audiens, cibum, quo vesci posset, se non habere; respondit, nonne qui multitudinem populi in deserto quadraginta annis manna de Cælo missa potuit pascere, mihi indigno seruo suo non præualet ad vnius diei refectionem escam impendere? hoc cùm dixisset, vt mensa sibi apponeretur præcepit: Interea quædam auis aduolans, piscē talem, qui ad vnius diei refectionem sufficeret, attulit, & ante mensam posuit, quo viso, S. Præsul Deo gratias retulit, piscemque allatum citò præparari iussit: illo verò præparato, & comesto, reliquias in flumen projci præcepit.

2. *Marulus li.* 4. *cap.* 2. S. Blasium Serbastæ Episcopum, cùm Diocletiano Ecclesiam vastante ad deserta sine viatico declinasset, aues aluerunt, donec inuentus, in Christi confessione vitam finiuit.

3. *Auctor Pastor. Marian. de S. Sebaldo Confess.* Dùm Romam progrederetur, nuptias fugiens, in via, cibum, potumque illi ales ministrabat.

4. *Benedictus Gononus in vit. P.P. Occid. in append. lib.* 1. *cap.* 2. Cùm magna copia alitum aduenisset in planiciem, vbi morabatur cùm aliis Sanctis Monachis, S. Magnoaldus Hibernus Eremita, præcepit illi Abbas, vt eas caperet: Surrexit igitur Magnoaldus gratias agens conditori, cæpitque aues capere cùm cæteris fratribus: Miraculum valdè mirum, & stupendum, capiebantur aues, pro vt

pro vt Patri imperium erat, nec abscedere pennigera fuga nitebantur, donec B. Magnoaldus ait: Si Patri nostro placet, habemus per triduum aues sufficienter, & ideò bonum est, vt cedant; Sicque alitum phalanges abire iubet, & sumpto volatu, quæ remanserant, recesserunt.

5. *In vita S. Genulfi lib. 2. cap. 36.* Quodam tempore instante solemnitate Sancti Confessoris Genulphi, ac plurimis ad eius sacrosanctum properantibus sepulchrum, & deuotionis suæ munera prout cuique posse contulerat, deferentibus: quidam ipsius Monasterij seruus, substantiæ inops, fide locuples, aiebat secùm ingemiscens. Væ mihi, quoniam inopia premente, ad tua, ò Sancte Confessor, sine meo pudore non queo properare limina; Dùm mihi non sit, vndè aliquod deuotionis meæ munusculum deferam cùm cæteris, tuum properantibus solemnizare festum. Hæc cùm suspirio reuoluens animo, ac paululùm progressus à tecto, conspicit innumeram multitudinem auium, quas Gentas vulgus vocitat, per herbida spatiari prata. Quas cernens, eis interdicit, ne abire possint, quousque suæ paupertatis ex eis valeat explere desiderium: Hæc dicens, & vt aliquam caperet, eas deturbans; aliis auolantibus, vna earum ab illo longè posita remansit; non aliquo infirmitatis incommodo detenta, non laqueo irretita, sed sola Sancti Confessoris virtute mansuefacta, quam pauper assumens, super Sanctum altare, populo spectante, deposuit, palam ostendens quantùm fides consequi mereatur.

6. *Ibidem.* Alter, dùm ad sacra S. Confessoris pignora oraturus properaret, par turturum in itinere pascentem offendit, quæ ante eum, vt domestice abire cæpere, vsque ad sepulchrum Sancti: ibiq; absq; vllo impedimento eas comprehendens, super altare S. Confessoris deposuit.

7. *S. Petrus Damianus lib. 1. ep. 10.* Nouariensis Ecclesiæ narrauit Episcopus. Cùm, inquit, in Teutonicorum partibus cuidam Episcopo conuiator incederem, & imminente iam refectionis hora, quid mihi decenter apponeret, non haberet, æstuare cæpit, & anxiè quærere, vndè mihi posset in itinere positus subuenire. Cùmque hinc indigentia stringeret, illic charitas animam dilataret, in arcto positus, quid prorsùs ageret, ignorabat; Tùm ecce grues repente vt litteram inuicem congruentes exprimunt, parilique serie quasi diuersa vtcùmque sub vno Duce castra componunt, super verticem nobis turmatim volitare cæperunt; Tunc in fidei feruore Episcopus constanter erectus, ait: Domine, præcipe vnam de gruibus istis ad nos deiici, vt Seruus tuus de benedictionis tuæ munere satisfaciat charitati. Mira exauditionis Diuinę celeritas; Vix verbum ore promitur, & protinùs non parui corporis grus teratenùs ante ora nostra demergitur; sicque fides, quæ per dilectionem operabatur, impletur.

8. *Vad. in an. Min. an. 1220. n. 5. de S. Francisco.* Dùm deambularet S. Pater cùm socio iuxta Venetas paludes, inuenit maximam auium multitudinem residentium, & cantantium in virgultis: quibus visis, dixit ad socium: Sorores aues laudant Creatorem suum: nos itaque in medium ipsarum euntes, laudes, & horas Canonicas Domino decantemus; Cumque in medium ipsarum intrassent, non sunt aues motæ de loco; & quia propter garritum ipsarum in dicendis horis se mutuò audire non poterant, conuersus Vir Sanctus, dixit ad aues: sorores aues, à cantu cessate, donec laudes Deo debitas persoluamus; at illæ continuò tacuerunt, tandiù in silentio persistentes, quamdiù dictis horis spatiosè, & laudibus persolutis, à Sancto Dei cantandi licentiam receperunt. Dante autem eis viro Dei licentiam, statim more solito cantum suum resumpserunt.

9. *Ib. de eod. an. 1212. n. 31.* Cùm appropinquaret Beuanio, ad quendam locum venit, in quo diuersi generis aues erat; quas cùm vidisset, alacriter cucurrit ad locum, & salutauit: omnibus expectantibus, & ad eum se conuertentibus, inclinatis capitibus, vtque ad eas accessit, vt verbum Dei audirent, admonuit, dicens: fratres mei volucres debetis laudare Deum, qui plumis vos induit, concessit aerem; & sic in ipsum respiciebant aues; ipse spiritus feruore transiens per medium, tunc eas contigit, & nulla discessit.

10. *Ib. de eod. an. 1224. n. 4.* Cùm contraheret morã in Eremo Aruernæ, Falco ibidem nidificans magno se amicitiæ fœdere copulauit, nam semper horam nocturno tempore, in qua Sanctus Vir ad diuina officia surgebat, cantu suo præueniebat, & sono omnem ab ipso torporem desidiæ excutiebat. Cùm verò seruus Christi infirmitate plùs solito grauaretur, parcebat falco, nec tàm tempestiuas indicebat vigilias, siquidem velut instructus à Deo, circà diluculum suæ vocis campanam leui tactu pulsabat.

11. *Ib. de eod. an. 1221. n. 35.* Cũ fratre Leone comedere volenti S. Frãcisco, ingentem suo cantu consolationẽ attulit philomela. Inuitauit socium ad Dei laudem, vt vices alternaret in cantu, at ille incompositam causans vocem, Franciscus cantum assumpsit, & alternis vicibus ita concinit philomelæ, vt ad vesperam vsque à Dei laude non destiterit, donec tandem se ab auicula victum non sine sancta fateretur inuidia. Deindè aduolantem super Sancti viri manum mirabiliter laudauit, & pauit, quæ tandem non nisi iussa, & benedicta recessit.

12. *Ibidem ann. 1217. num. 20. de eodem commorante apud Montem Rainerij.* Nidificauit aliquandò propè hunc locum Cassita, & quotidiè accedebat ad virum Dei, vt cibum pro enutriendis pullis acciperet. Quos vt domum duxit, & maior rostro minores appeteret, ciboque prohiberet, vel priuaret; exosus Sanctus vir tantam cibi auiditatem, & erga sororculas inhumanitatem, tanquam ad rationis capacem, inquit; Inhumana, & insatiabilis alaudula, malam mortem obibis, nec erit ex carniuoris animalibus, quod tuis velit carnibus vesci. Ita sanè paucis interpositis diebus euenit, nam in vasculum aquæ, quod ipse vir Sanctus apposuit, vt epotarent, cassitula cadens, suffocata est, ex quo extracta, & cattis, canibusque studiosè projecta, non erat, qui illam vellet attingere.

13. *In vita S. Gildæ Sapientis Abb. 26. Iannuarij.*

rij. Syluestres aues segetem deuastantes, Christi inuocato nomine, ceperunt, & non reddituras dimiserunt S.S.Gildas, Sampson, & Paulus pueri.

14. *Surius in vita S.Cuthberti Epis.c.26.* Cùm hordeum seminasset, exortumque fructum copiosum fecisset, venerunt volucres, & huic depascendo certatim insistebant; ad quas pijssimus Christi seruus appropinquans; quid tangitis, inquit, sata, quæ non seruistis? an fortè vos plus me his opus habetis? tamen si à Deo licentiam accepistis, facite quod ipse permisit; sin autem, recedite, neque vlteriùs aliena lædatis: Dixerat, & ad primam iubentis vocem vniuersa volucrum multitudo recessit, seque per omnia deinceps ab eiusdem messis inuasione continuit.

15. *Chrysostom.Henriquez de S.Bernardo Caluonio.* Quadam die venerabilis Abbas Bernardus concionandi gratia, vrbem quamdam adijt in Territorio Ilerdensi, quo in loco, in domo cuiusdam ad prandium cùm socio inuitatus fuit; Cùmque tempore prandij, more solito sacræ scripturæ lectio haberetur, cōtigit Cassitam quamdam in cauea sua altissimè canere, ita vt musica eius lectionem sacrā, quam socius ipse legebat, absolutè impediret, cui tamen valdè attendebat S. Abbas Bernardus. Hac ergo de causa silentium cantus auiculæ imperauit. O res omni admiratione, & notatu digna, illicò cassita cecidit quasi mortua, & conticuit. Sed cùm gratias Deo post mensam egissent, veniam auiculæ Christi famulus tribuit, vt surgeret, & caneret. Surrexit ergo, & multo suauiori cantu aures præsentium non sine magno eorumdem stupore mulcebat.

16. *S.Gregorius lib.3.Dialog.cap.15.* A quadam colluuie serpentum precibus liberauerat Sanctus Florentius regionem quamdam, subitò enim tonitru de Cœlo facto, omnes fuerunt interempti. Post hæc conuersus iterùm Florentius ad Dominum rogauit, vt miraculum absolueret; En, inquit, illos occidisti Domine, quis eos efferret, ne hic putrescant, & omnem circa regionem inficiant? vix ea fuerat precatus, cùm aues illùc conuolarunt gregatim, eosque indidem exportarunt.

17. *In vita Beatæ Idæ Louaniensis, capit. 13.* Quadam die dùm ad Ecclesiam, vbi summum sacrum celebrabatur, veniret, in exteriori atrio manere decreuit, vt eò deuotiùs quò à populari sequestrata tumultu, diuinum mysterium posset mentis intentione considerare; Vndè cùm sola, cæteris in Ecclesiæ gremio congregatis, sederet, & solitudinis tædio molestata, quo potiretur, aliqualis creaturæ solatium affectaret, quasdam vtriusque sexus auiculas, gallos, videlicet, & gallinas, in uictus sui quærendis pastibus occupatas intuens, ad illas se conuertit, & dixit: omnes vos gallinacei generis aues in contiguis huius atrij terminis habitantes per diuinæ potentiæ bonitatem adiuro, quatenùs omissis interim pastibus, ad Ecclesiam conuoletis, & sacris missarum solemnijs ad honorem nostri Redemptoris mecùm nunc pariter intersitis: Res mira, nostrisque temporibus quantò magis insuitata, tantò digniùs inter antiqua Sanctorum miracula recitanda. Vix enim Sancta Dei famula verbum ore protulerat, cùm ecce præfati generis aues ex diuersis locis vndique concurrentes, ad illam conuolare cæperunt, eamque tanquam matrem propriam circumdantes, & quasi quibusdam exterioribus signis se paratas ad eius obsequium acclamantes, erectis sursùm cristatis capitibus ad eam indesinenter oculorum suorum aciem direxerunt; Stabant igitur omnes iuxtà eam velut immobiles, in illam iugiter intuentes, ac eius animum non mediocriter hoc suo spectaculo delectantes, donec Euangelica lectione iam in Ecclesia recitata, licentiam ab ea reciperent; & sic inclinatis capitibus, quasi valedicentes ei, rursùm vndè conuenerant, ad loca sua reuolarent.

18. *In actis S.S.Februarij tom.1. in Continuat. Bollandi.* Quotiescumque S. Auentinus presbyter Tecis in Gallia extendebat manum suam ad ostium fenestræ, videntibus cunctis, cùm fracto micarum pane, de quo solebat edere, veniebant volatilia Cæli, & vescebantur in manibus illius vsque ad satietatem, & postea reuertebantur.

19. *Ibidem in Februario tom. 3.* In Monasterio S.Iusti Lugduni elegerat sibi cellam vilem, in qua degebat S.Baldomerus Subdiaconus; in qua habitatione dùm esset, tantam ei Dominus dignatus est donare gratiam, vt aues Cęli, à nullo hominum captæ, aut comprehensæ, iuxtà consuetam horam refectionis in eius manibus cibum venirent assiduè assumere, quas cùm reficiebat, ita monebat vir Dei, dicens; Reficimini, & Dominum Cæli benedicite semper.

20. *Ibidem in Martio tom. 2.* Dùm S.Vitalis Abbas Siculus in deserto moraretur, agrestia animalia, duce Domino, veniebant, omniq; deposita feritate sacros huius viri pedes lingebant, nec indè nisi suscepta benedictione recedebant; Et non solùm hoc, sed & multitudo volucrum ad speluncam properabant, vt tanti Patris possent benedictionis accipere portionem. Ipse verò communes escas, quas solitus erat comedere, illis manu propria ministrabat, quibus data benedictione, ac si naturæ loqueretur humanæ, dicebat: ite vos amodò, vt veniant aliæ.

21. *Ferrarius in Catal.S.S.12. Augusti.* Cùm solitudinis desiderio teneretur S. Herculanus Episcopus Brixiensis, Campionum Insulam Benaci se recepit, vbi adeò innocentem, & Deo gratam vitam duxit, vt non modò terrestria animantia, sed & aues, & pisces ad vocem eius accurrentes, illi obtemperarent.

22. *Pet.de Natal.lib.6. cap. 14. de S. Maxentio Abb.* Aues syluestres relicto nemore ad ipsum mansuetiùs aduolabant, & de manu eius tritici grana, & panis fragmenta legebant.

23. *Surius in vita S. Remigij.* S. Remigius Rhemensis Archiepiscopus, tantæ fuit mansuetudinis, quòd etiam ad mensam eius passeres veniebant, & de manu eius ciborū reliquias comedebant.

24. *In Hist.Camaldulensi, de S.Alberto Eremita.* Ad Cellulæ eius fenestram auicula candida in eius manus frequenter auolare visa fuit.

25. *S.Anton.2.p.Chron.tit.13. cap.6.§.3. de S. Vuala-*

Vualarico. Tanta in eo erat mansuetudo, vt auiculæ in manu eius cibum sumerent sine formidine, & articulis suis quandòcumque vellet, oblitas suæ feritatis, & quasi domesticas eas palpitaret.

26. *Arnoldus Rayssius in auct. ad natal. S. S. Belgij 29. Martij, de B. Hugone Monacho Valcellensi.* In mensa nouitius dùm sederet, frequenter passeres aduolantes, de manibus eius panis minutias capiebant: Super quo à Nouitiorum Magistro leuiter redargutus, his versibus abire permisit.

Passer abi, nec habe mirum, quòd abire cogaris.
Ætas, ordo iubet te mihi, non tibi me.

Idem. Seuerus Abbas passerem habuit manibus eius intrepidè aduolantem, & porrectum capientem cibum.

27. *Marulus lib. 4. cap. 5.* Hiuonem presbyterum ad mensam recumbentem, auis quædam, albo, viridique colore spectabilis de improuisò adiisse dicitur, & tangi se, ac contrectari ab eo passa, post acceptam benedictionem euolasse.

28. *Surius 2. Aprilis*. Ad S. Guthlacum Confessorem inhabitantem horridam Insulam circa Angliam, cuiuscumque generis aues Eremi alacriter accedebant vocatæ; illæ verò eius humeris familiariter insidentes, quodam gratulationis applausu Sancti viri humanitatem prædicare videbantur.

29. *In Ann. Seruorum Cent. 1. libr. 6. capit. 12.* Factum est aliquandò, vt dùm horto colendo intentus esset B. Vbaldus Florentinus ex Ord. Seruorum B. Mariæ, volucres ei obsequentes, mansuetas, & cicures adeò expertus fuerit, vt supra caput, & in ipsas manus volitantes, & sibi blandientes crebrò cerneret, quasi columbinam eius puritatem, & humillimam eius mansuetudinem indicantes.

30. *In actis S. Mariani Monachi*. Feræ, & aues mansuetissimè ad eum confugiebant, illiusq; imperio obediebant.

31. *In actis S.S. Aprilis tom. 3. in Contin. Bollandi, in add. ad vitam S. Georgij Suellensis.* S. Martinus cum videret in fluuio à mergis pisciculos deuorari, præcepit, vt quod natabant flumen desererent: qui mox egresso pelago, arida petierunt, atque deserta loca.

32. *In actis S. Fructuosi Archiepiscopi Bracarensis*. Nigras, paruasque aues, quas vsitato nomine vulgus Graculas appellat, mansuetas, & sibi obsequentes in monasterio habuisse perhibetur.

33. *In vita Ven. Ioannis Lobelij, ex Abbate Pragensis Archiepiscopi*. Cùm aliquandò Beatus Archiepiscopus deficiente vere, ex Archiepiscopali domo ascendisset ad Strahouiense Monasteriũ, desiderans valedicentem audire philomelam, & propter vespertinum tempus, negarent assidentes, fore, vt illa occineret; V. Patre in voto perseuerante, philomela aduolauit, arido stipiti mensæ opposito insidens, & tribus repetitis vicibus iucundissimè cantillauit; Cùm autem omnes ad rei nouitatem obstupescerent, ipse vir beatus omninò tacuit, donec ad auiculam conuersus, Germanicè ait: *Ei duliebes Vogelein*: atque ita hac veluti benedictione accepta, euolauit auicula, ipseque confestim domum regressus est.

34. *In vita B. Beatricis à Nazaret capit. 50.* Indomitæ volucres, & syluestres auiculæ nonnumquam ad eam è nemorum latebris aduolantes, in sinu suo mansuetissimè consedebant, ei dulciter applaudentes.

35. *Sebastianus Beretarius in vita Vener. Iosephi Archieta Societ. Iesu lib. 4.* Anno 1584. Iosephus ad sinum Ianuariensem rediit. In reditu Canoam (nauis genus est) conscedit vnà cùm comite, eratq; tunc æstus ingens, & molestus, malacia summa, nec auræ quidquam afflabat. Ægrè hanc Cæli grauitatem ferebat comes. Fortè fortuna tunc arborem insederant tres, quatuorq; grandiores aues, quas incolæ Quaracies nominant, sunt eæ gallinarum magnitudine, colore purpureo in flauum vergente, aspectu pulcherrimæ: Has Iosephus idiomate Brasilico allocutus: Ite, inquit, & cognatas vestras hùc accersite, nostrumque iter volatu vestro inumbrate. Illæ collo extenso, vocem velut accepti imperii signum misere, indèque auolantes paulò post magno agmine redierunt, densatæq; in nubē tamdiù Canoam superuolantes vmbram fecere, donec vnius milliarij decurso spatio, lenis afflare cæpit aura Fauonij. Hic Iosephus missionem dedit tanto comitatui, iussitque aliò secedere; illæ quasi imperio perfunctæ, officiosa crocitatione, & multis lætitiæ signis auolarunt: Hoc comes post obitum Iosephi multis grauibus viris præsentibus iureiurando interposito publicè affirmauit.

36. *Io. Eus. lib. 9. Hist. Natura cap. 96. de eodem Iosepho.* Compertum fuit, ipsum solitum, cùm iter faceret, porrecto brachio auiculas accersere, iubereq; sibi digito insistere, ac Deum laudare, auesq; illi obtemperare solitas; & cùm diù cecinissent, quasi ipsarum penso persoluto, eas verbis illis dimittere: Quandò sat Deum laudastis, abite cùm pace. Idem fecisse & hirundines, cùm in Domo Spiritus Sancti è fenestra sui cubiculi foràs prospectaret, compertum est.

37. *Sacchinus in Lainio lib. 7. n. 136.* Consaluus Esquiualius è Societate Iesu, ad mandatum Superioris, crocitantes tacere gallinas iussit, & mox impetrauit.

38. *Vading. an. 1447. de B. Thoma Florentino*. In conuentu S. Ioannis apud Rupem Montis-plani in Aprutio, aues plurimas in horto circumuolitantes vocauit, accesseruntque omnes, & per brachia, humeros, caput insidentes, se attrectari, capi, demulceri pertulerunt, neque recesserunt absque vocantis licentia. Eodem in loco merulæ dulciter concinenti, vt aduolaret, imperauit; Obediit statim volucris, & post varios concentus, dimissa recessit. Aliàs è castro Scarlini ad Conuentum reuertenti viderunt multi aues applaudentes, & super caput eius flammam ignis lucidissimam, quæ super hærentem hærebat, & cùm gradiente gradiebatur.

39. *Ibidem ann. 1456. de B. Ioanne Capistrano.* Cùm semel Varadini concionaretur, aduolauit auicula, quæ super caput circumiens, brachio insedit, se permisit ab eo capi, & attrectari. In alia Hungariæ Vrbe, dùm prædicaret, tres capiti circumuolabant diuersi, pulchrique coloris auiculæ, nusquam in illa regione cognitæ,

tæ, neque antea visæ, quæ post concionem disparuerunt.

40. *Ibidem de Beato Gaspare à Florentia.* In tantam simplicitatem deuenerat, atque innocentiam, vt lupi, & feræ quæque animantia comiter ad eum accederent; auesque syluestriores haud ipsum refugerent.

41. *Ibidem ann.* 1642. *de Iacoba Aquilana.* Ea fuit innocentia, & sanctitate, vt volucres eam circumdarent, & cantibus exhilararent.

42. *Ibidem de Beata Coleta.* Solebant crebrò ad eam aduolare castæ auiculæ, suauiter cantillare coram illa, comedere, & bibere absque vlla formidine apud eam. Mittebantur illæ auiculæ à Domino pro illius consolatione; erant enim ei gratissimæ propter puritatem, & castitatem, qua ipsa præclarè pollebat.

43. *Ibidem ann.* 1210. Illud boni auctores narrant de B.Simone Assisiate, quòd cùm Brufortij in Piceno intimè consabularetur cùm Deo in densa sylua, magnamque sentiret ex contemplatione dulcedinem, & desuper in ramis innumeræ garrirent corniculæ, præcepit eis in nomine Iesu Christi, vt statim auolarent, nec ampliùs ad illas redirent arbores. Citiùs dicto paruerunt, & cùm ipse per plures postea annos in conuentu Fratrum ibidem extructo commoraretur, nullam ibi, nec in toto loci circuitu, vidit huius generis volucrem, quod omnium opinione celebrabatur pro miraculo, cùm antea turmatim illic confluerent hæ aues, & nidificarent in illis arboribus.

44. *Ibidem an.* 1389. *num.* 9. Quidam Frater laicus ordinis Minorum Conuentus Cheluensis in Regno Valentino, horti curam habebat, cùmque semina, quæ terræ mandabat, passeres exederent, Deum orauit, vt molestum, & noxium hoc volucrum genus à suo horto procùl faceret: Exaudiuit pij viri preces Dominus, neque deinceps vllus passer ibi comparuit.

45. *Ibidem de B.Felice Capuccino.* Circumdabant quandòque auiculæ Venerabilem Senem, plausuq; alarum circumludebant, ipse verò micas illis distribuebat, tanta vtrinque familiaritate, vt senem paterno quodam affectu in altiuolam illam Dei familiam affici, ipsas verò garrulas aues fidelem Domini seruum agnoscere, & plausu, & volatu diceres venerari.

46. *Ibidem.* In monasterio Cæsaraugustano Aragonici Regni, conuersus summæ simplicitatis morabatur, qui Refectorij curam habebat; Cumque multitudo passerum, & cicadarum illuc conflueret, magnamque molestiam, & cantu, & panem furando seruo Dei afferrent, ad orationem confugit, post quam, Accipiter magnus illùc aduolauit, & passeres, cicadasque fugabat, quod cùm aliquot diebus fecisset, non ampliùs noxia animalia visa sunt.

47. *Ibidem ann.* 1232. *num.* 12. *de Sancto Antonio Patauino:* Mulier quædam de Trimegone nihil tàm desiderabat, quàm sub morte eius visitare sepulchrum Sancti Antonij, quod tot miraculis audierat condecorari. At non poterat, à fratribus suis constituta messis tempore custos agelli, vt abigeret passerum, aliarumque volucrum copiam frequentem. Dùm ad vrbem ire cuperet, fratres autem timeret, magna fiducia elatis oculis in Cælum, inquit: Sancte Antoni, si tu ab hac segete profligaueris volucres, voueo, & promitto me nouies sepulchrum tuum gloriosum visitaturam. Non omninò dixit, quandò magno garritu auolarunt auium multa agmina, neque vlla in agellum aduolauit, nisi post reconditum frumentum.

48. *Benedictus Mazzara in Legendario Franciscano 7. Iann. de B.Matthæo Agrigentino.* Aues ad eum sæpè volabant, capitique illius insidebant.

49. *Pepe in mirab. S.Caietani m.* 105. Famulæ incuria fugam permiserat aui canorę, quæ quotidianis curis animum oppressum Io: Baptistæ Moscettolæ Neapolitani Consiliarij, suaui recreabat cantu: cùm Domini solicitudinem, sibique imminens damnum ex deperdita aue animaduertens fæmina, D.Caietanum inuocauit, vtq; fugitiuum restitueret animal exorauit: astitit pius Pater dolenti famulæ; & ecce subitò auis ad caueam est regressa, pristinæque se se dedit seruituti.

50. *Thomas Cantip. lib.* 2. *Apum cap.* 33. Nostro tempore in Germaniæ partibus Virgo quædam sanctissima fuit, quæ nullis arctari claustris, vel seris potuit, nullis prorsùs vinculis compedita teneri: quin mox vt spiritus mouebatur, sicut sagitta, quæ quantò in arcu corda fortiùs attrahitur, tantò robustiùs iaculatur: ita solutis claustris, vinculisque diruptis, instar auis quasi per aera ferebatur. Vbi enim spiritus Domini, ibi libertas. Sed & illud notum omnibus solemne miraculum dicebatur; quòd eadem sacra virgo videntibus multis frequenter exibat in Campum, & aues indomitas cuiuscumque generis clamoribus conuocabat, & in medio earum quasi gallina inter pullos singulas manu demulcens, & osculis, residebat.

51. *In vita Beatæ Iuttæ viduæ reclusæ cap.* 50. Contra fenestram cellulæ, in qua agonista Christi agonizabat, multitudo insedit innumerabilis auium, volucrumque diuersi generis, & quasi congaudentes decedentis gloriæ, diuersarum vocum, concentuumq; modulatione suaui, aures intendentium demulcebat, ac si diebus factum cerneres æstatis; perseuerauitq; concentus auium ille, donec campanarũ cessaret sonitus, quæ pro eius obitu pulsabantur.

52. *In actis Pharaildis Virginis apud Bollandum* 4. *Ian.* Hyemali tempore, cùm pigro, & anili passu, agrum, quo triticum seminauerat, viseret, aues quasdam aggregatas reperit, quas alii Feles alii Miletas, vulgus verò Gantas nuncupat, easque velut pecudes domesticas baculo percutiens, domum adduxit; Quas vbi Domum adduxerat, easque velut oues aggregatas in ouili clauserat; nullam earum vel lædi, vel interfici permittens, vsque in crastinum reseruauit incolumes, tuncque liberas dimisit.

53. *Petrus Dorlandus lib.* 3. *Chron. Carthusia.* Eodem die, quo S.Hugo Episcop. Lincolniensis ex Carthusiana Familia, post eius consecrationem Lincolniam intrauit; Cygnus quidam non paulò maior cæteris nunquam antea ibi visus, ad castrum quoddam aduolauit, & omnes alios, quos ibi reperit

 plu-

plurimos, paucos intra dies occidit cygnos, vno tantùm fœminei sexus, solatii potiùs, quàm prolis propagandæ causa, reseruato. Familiarem se nulli, nisi solo exhibebat Episcopo, de cuius manu statim micas accepit, caput cùm collo longo in eius manicam satis amplam, quasi in aquam, immersit; die, noctuque apud eum mansit, & fidelem per omnia corpori eius adhibuit custodiam. Cum autem Episcopus abscederet, mox auis regia in stagnum recurrebat; aduentum etiam Viri Sancti triduò, aut quatriduò ante pronunciare consueuit, volando, clamitando, cæterisque gestibus insolitis: adeò vt famuli sibi inuicem dicerent: Præparemus singula, Episcopus mox aderit. Vltimo tamen aduentu eius ante mortem, solito more non occurrit, immò per ministros vix potuit adduci. Et cùm adductus fuisset, nullam lætitiæ aut familiaritatis exhibuit significationem. Sed capite pendulo ægrum se simulans, mæstus redibat. Mansit autem post obitum viri Dei in eodem castro annis multis.

54. *In an.minor.an.1226.n.19.* Alaudæ, aues lucis amicæ, & crepusculorum tenebras horrescētes, hora transitus S. Francisci cùm iam esset noctis sequuturæ crepusculum; venerunt in multitudine magna super tectum domus: & diù cùm insolita quadam iubilatione rotantes, gloriæ sancti, qui eas ad diuinas laudes inuitare solitus erat, tàm iucundum, quàm euidens testimonium perhibebant. Videbantur iusta Sancto viro soluisse, & pio Patri velut parentasse.

55. *In Ann.ord.Præd.an.1233.ex codice Bituntino.de B.Nicolao de Iuuenatio Ord.Præd.* Prędicabat aliquandò Vir Dei in Ecclesia Maiori Brixiæ magno populo concurso; erant in auditorio duo Iuuenes, qui lasciuis, & inhonestis signis, gestibusq; mutuò se ad libidinem prouocabant. Id per spiritum vir Dei intelligens, exclamauit: O Iuuenes attendite ad uerba mea: Cùmq; de supplicio æterno libidinosorum multa dixisset, & impudici illi adolescentes ab incæpto nequaquam desisterent, maiori uoce iterum exclamauit: O æterne Deus, uerba tua contemnuntur, & uerba prophana libenter audiuntur: Quo dicto, Ecclesiam egressus in sublimi loco positus, auiculas, in nomine Christi ad uerbum Dei audiendum inuitauit, postquàm homines ita induruissent, ut illud repellerent: Mira res, aues omnes, quæ circùm Vrbem erāt innumerabili multitudine protinùs adfuere, & magno silentio, quasi auscultabundæ concionantem attentiùs intendebant. Tanto miraculo stupentes homines, Deum in Sanctis suis mirabilem prædicauere; Finita concione, & data benedictione à Viro Dei, aues in sua loca discessere.

56. *Ven. Beda in vita S. Columbani c.16.* Quomodò autem bestiæ, ac uolucres uiri Dei parerent imperio, non est silendum; nam Chagnoaldum Lugduni Pontificem, qui eius minister, & discipulus fuit, nouimus referentem, qui se testabatur sæpè uidisse, cùm in Eremo, uel ieiunio, uel oratione uacans deambularet, esse sæpè solitum feras bestias, ac aues accersere, quæ ad imperium eius statim ueniebant; Quas manu blandiens attrectabat, & ita ferę, auesq; gaudentes, ac ludētes lętitia uberi, ueluti catuli solent dominis adulari, exultabant; Et Ferusculam, quam uulgò homines Squirium uocant, sępè de arduis arborum culminibus accersitam, manuque receptam, suoq; collo positam, & sinu ingredientem, ac exeuntem, sępè se uidisse supradictus vir testabatur.

57. *Constantius Lodi in vita B.Ioannis Boni lib.2.* Semel auem, papilionem deferentem vidit seruus Dei, illique iussit, vt prædam ad se deferret: obediuit irrationale animal, depositoque ad illius pedes papilione, eius iussu auolauit.

58. *Colganus in vita S.Colmani, 3.Febr.* Traditur familiare habuisse Gallum Gallinaceum, quo vtebatur, vt eius cantu veluti cymbalo de nocte ad diuinas laudes excitaretur.

59. *Surius de S.Germano Episcopo Antissiodorensi.* Cùm in itinere, noctis cæcitate compulsus, ad quemdam pauperem virum secessisset hospitio, & in diuino opere solito pernoctasset officio, lux orta est, nullis Gallorum cantibus nunciata, cum tamen earum auium copia in eisdem domibus non deesset. Causam nouitatis explorauit, audiuitque multum iam tempus esse, quo tristis taciturnitas naturale Gallicinium damnauisset; ab omnibus verò exoratus, mansionis mercedem, vt exolueret: tunc Sanctus acceptum triticum benedictione condiuit, subitòq; aues eo pastę, auditus habitātium vsq; ad molestiam frequentātis catibus fatigarunt.

60 *Ex membranis in Cathedrali Veronensi.* Dùm S. S. Benignus, & Carus, qui vitam solitariam agebant in vertice præcisi montis in ora Benaci propè Malsetorium Diœcesis Veronensis, ad Ciuitatem progrederentur, vt corpus S. Zenonis eiusdem Vrbis Episc. iussu Pręsulis transferrent; immisit Diabolus, merulā, quæ perstrepentibus alis, & importuno clamore crocitās, per angustum, & præruptum callem transuolitando, tanquam sinistrum omen portendens, eos ab incæpto itinere reuocare videbatur. Tunc S. Benignus auem abiurauit, ne ab eo loco dimoueretur, quousq; Verona redirent. Verùm cùm rediens eo in loco merulam iacentem vidisset, mortuamque deprehendisset, quadraginta dierum arctissimum ieiunium sibi indixit, dicens, venia, non morte auem dignam fuisse, quippè quæ irrationalis esset, & instinctu Dæmonis deliquisset. In cuius rei memoria, merula ex ære conflata in Ecclesia S. Zenonis turis Malsetorij vsq; nunc pendet.

61. *Pepe in mirab. Sancti Caietani m.249.* Spoleti mulier quædam, nomine Cæcilia Alberini, Indicæ, matrici Gallinæ oua supposuerat, vt ea foueret, indèque pullos progigneret; at nulla arte, nulla industria fætui gallinam cogere potuit, quippè quæ ne dùm oua fouebat, sed & rostro effringebat: Tunc mulier firma fide imperauit Gallinæ in nomine D. Caietani, vt oua foueret, imposuitq; cubili flosculos Aræ D. Caietani; & ecce illicò insensatum animal, ceù imperium D. Caietani intellexisset, fætui se se dedit, nec destitit, quoadusq; pulli ederentur in lucem.

62. *Franciscus à S.M.Hist. Carmel. tom.1. lib.2. cap.38.* P. Fr. Bartholomæus à Sancto Basilio ex Car-

Carmelitis discalceatis, qui ex vita decessit anno Domini 1618. magno Dei amore æstuans, in eremoque degens, vt internum incendium exhalaret prædicare solebat amorem Dei, arboribus, auibus, cæterisque Eremi animalibus, quæ aliquandò vt illum audirent, simul conuenerunt.

63. *Thomas Bozius lib. 12. cap. 21. de signis Ecclesiæ.* Antonius à Lionessa in Monasterio Montis Odorisij tantæ fuit sublimitatis, vt aues accerseret, quò vellet, & in cætum coniungeret, cùmque ijs, nihil ab ipso extimescentibus, versaretur.

64. *In actis S. Magloriј Dolensis Archiepiscopi.* Quidam Comes, ob sanitatem à lepra precibus S. Maglorii obtentam, partem terrarum suarum illi dono concessit; factum est autem, vt omnis auium & piscium congeries, quæ alteri medietati terræ Comitis inerat, fugam mitteret, & Sancti portionem expeteret. Quod animaduertens Comes, incitatus à Coniuge, commutauit portionem terræ; quo facto, subitò aues, & pisces ab illa parte quam Comes auarè sancto viro surripuerat, recesserunt, & mox ad Dominum suum Maglorium sunt reuersi. Hoc videns Comes, vtramque partem Sancto concessit.

65. *Iustus Lipsius de Virgine Hallensi lib. 1. cap. 8.* Vir nobilis, auem prædatricem (Falconem) æstimatam, & amatam habebat; quæ casu, aut negligentia ministri auolauit; suspicatusque Dominus, seruum auem pretio vendidisse, magna excanduit ira, eidemque, nisi intrà quinque septimanas auis comparuisset, mortem minitatus est; post quas, cùm Falco haud rediisset, vltimo perimendus supplicio à carnifice obligatus est; interim ille tacitis precibus Diuam Virginem Hallensem miserorum leuamen inuocat; atq; ecce statim in aere visus audire sonum tintinnabulorũ, quibus pedes his auibus, vt amissæ se prodant, solent illigari. Iam mens, iam spes illi redit, & dominum supplex rogat paululum reuelari, vt liberis saltem, & erectis in Cælum oculis, vltimas preces possit effundere. Conceditur, orat iterùm Diuam, quàm ex animo, quid opus dicere? pro ipsa anima. Ecce autem palam, & in conspectu omnium; ille ipse Falco, nihil deteritus ea populi multitudine, è sublimi aere præceps deuolat, & in humero eius consedit. Clamor, & gratulatio facta: ipse auem, in aue vitam recuperat, dominus innocentiam; At Diua Virgo omnium ore laudes accipit.

66. *Sylos in vita Ven. Francisci Olympij lib. 2. cap. 3.* Nihil ad eius fenestram frequentiùs quam auiculæ, quas munifica Olimpij manus alliciebat; illisque curabat alimenta, mensæque analecta ijs seponebat, compensabantque deindè suo cantu, atque alarum plausu annonam. Commutare aliquandò cellulam maiorum iussu oportuit; ac tùm quidem in altero eo conclaui visæ confestim auiculæ, quas vir modestissimus, ne quis superiore quodam ductu, instinctuque eò conuolasse existimaret, id impensiùs curabat, vt persuaderet sibi quisque, quòd ipse persuasum habebat, nempè non easdem ipsas esse prioris Cellulæ, sed alias.

67. *Idem in Hist. Cle. Reg. Par. 2. lib. 13. de Ven. Iacobo Stephanio.* Illa duntaxat viro grauissimo, æquè ac piissimo, animi remissio, aues ad cuiusdam obsequii disciplinam erudire; planè, vt ecto præceptore, quandam induere docilitatem, facilitatemque ingenii videri possent, ita se se promptè ad eius vocem, verbumque attemperabant.

68 *Franc. à S. Maria in Hist. Carmel. tom. 1. lib. 32. cap. 36.* In Conuentu Paterniano ex discalceatis S. Teresiæ, cùm cuidam Nouitio iussisset Magister, vt auem quamdam suauiter cantantem, ex arbore, cui insidebat, arriperet: obediuit ille; auisque minimè volatum tentans, manibus Nouitii se dedit: admiratus Magister, concessit aui, vt fugeret, statimque illa libertatem, quam per virtutem obedientiæ amiserat, in virtute eiusdem obedientiæ velocissimo volatu acquisiuit.

69. *Ex epistola Georgij VVerndle, Sereniss. Bauariæ Electoris à Consilijs, ad P. Stephanum Pepe C. R. Seren. Electricis Adelaidis à Confessionibus.* An. Domini 1663. in oppido Falchenfels Germaniæ, Io: Iacobus, ab, & in VVeichs liber Baro, peracuto, acerbissimoque repentè calculorum dolore oppressus, nulla arte, nulla industria, ab ijs intrà abdita corporis penetralia, ac laterum flexus delitescentibus ex intestino, lapide cruciatibus, liberari potuit. Interim Maria Constantia Baronissa, eiusque vxor recordatur, optimum ad hos profligandos, aut saltem mitigandos dolores, fore remedium quondam legisse, expertamque esse, ex quadam auicula, cui nomen Trochillus, seù Regulus, compositum medicamen. At vbinam tunc temporis (erat enim dies Festus S. Thomæ Apostoli 21. die Decembris) ijs in regionibus Germaniæ vndique niuibus, glacieque consepultis, inueniri poterat? omnia tamen à Baronissa tentata, promissis, argento, auroue, sed frustrà. Ad D. igitur Caietanum, quem ambo summè colebant preces fundere statuunt: & ecce, mirum dictu! statim è fenestris in aulam Baronis auolat optatus Regulus, inque ignem spontè se se conijcit, diceres à Caietano illùc impulsum pro remedio dolorum Baronis. A seruis ergo apprehensus auis, infirmoque applicitus, dolores statim eidem acerbissimos mitigauit; paulòq; post omninò conualuit, gratias summas Deo, Diuoque Caietano pro tanto beneficio agens.

De Apibus, Muscis, Culicibus, atque Cicadis. §. 8.

1. *In vita S. Ambrosij Episcopi Mediolanensis:* Cùm in Infantiæ cunis sub nutricis cura dormiens solicitè verteretur: aperto ecce ore, examen apum subitò affluit, quod faciem eius, & ora compleuit, ita vt ingrediendi, & egrediendi vices frequentaret; quod pater, cùm matre vel filia deambulans, ne abiiceretur ab ancilla, quæ curam nutriendi infantem susceperat, prohibebat; solicita enim erat, ne infanti nocerent. Expectabat tamen patrio affectu, quo fine illud miraculum clauderetur; at illæ post aliquandiù volitantes, in tantam aeris altitudinem subleuatæ sunt, vt hu-

manis oculis minimè viderentur. Quo facto territus pater, ait: si vixerit infantulus iste, aliquid magni erit.

2. *In vita S.Isidori Episcopi Hispalensis*. Cùm esset infantulus, & à nutrice ad hortum duceretur, anus capta obliuione, eum inter olera dimittens, discessit. Post aliquot autem dies, lugens filium, solarium Seuenianus pater ascendit, atque sedens contra viridarium aspexit, viditque innumeram apum multitudinem cùm ingenti murmure super puerum certatim descendere, atque indè ad cœlos volare: qui in stuporem versus, ad hortum concitè descendit, vocatisque seruientibus festinauit, vt rei gestæ videret miraculum. Accedentes ergo, viderunt alias apum in os pueri intrantes, & exeuntes, alias verò super faciem, & totum corpus mellis, & faui operi operimenta texentes. Patre verò filium cùm clamore, & lachrymis amplectente, apes in tantam se altitudinem aeris extulerunt, vt oculis corporeis non possent videri.

3. *Theodoricus in vita S.Dominici*. Cùm iaceret aliquandò in cunis, examen apum circa os eius volitans, linguam eius diuinæ Sapientiæ melle affluituram indicabat.

4. *In vita S.Petri de Nolasco*. S.Petrus Nolascus, dùm adhùc in cunabulis vagiret infans, examen apum ad eum conuolauit, & fauum mellis in eius dextera construxit.

5. *In vita B.Ritæ de Cassia ex ord. S.Augustini*. Incunabula B. Ritæ mirabile statim prodigium insigniuit; Quinto enim à Natiuitate die, visum examen candidarum apum os infantis dormientis inuolare frequenter, atque auolare, bomboq; sonore circumstrepens prædicare stupendam in mox adulta Virgine sanctitatem.

6. *Io:Colganus in vita S.Dauidis 1.Martij*. Cùm S.Modomnoch discipulus S.Patris Dauid, ad Hiberniam redire conaretur, & nauem, ad transfretandum ascenderet, ecce omnis multitudo apum terræ illius, vnde exierat, consequens eum, in naui cùm eo consedit. Ipse enim examinibus apum nutriendis, atque seruandis diligentem curam de Patris Dauid mandato dabat, vt indigentibus aliqua cibi suauioris oblectamenta ministraret. Discipulus verò nolens tãto beneficio fratres defraudare, iterùm ad Patris Dauid præsentiam rediit, sequente tamen eum turba apum, quæ ad aluearia propria perrexerunt.

7. *S.Greg.Tur.lib.4. mirac. S.Martini cap.15.* In Ansciensi Territorio erat homo, Cælestis nomine, cui multa erant apum aluearia, ex quibus cùm examen egressum alta conscendens longa competeret, & ille sequens, nullum prorsùs suscipiendi obtineret effectum, prostratus solo, S.Martini inuocat nomen, dicens: *Si virtus tua, beatissime Confessor, hoc examen retinere valuerit, eumque ditioni meæ reddiderit, quæ impostérùm ex eo procreata fuerint, mel vsibus meis sumam, ceram verò ad luminaria basilicæ tuæ cùm omni soliditate dirigam.* Hæc effatus, cùm adhùc terræ decumberet, statim examen apum super vnam arbusculam, quæ viro erat proxima, decidit, & insedit, collectumque & in alueolo reconditum retulit. De quo infrà duos, aut tres annos multa congregauit.

8. *In vita S.Leufridi Ab.in Chronol.Ins.Lirin. cap.18.* Quodam tempore Vir Sanctus, cùm à reclamationibus rerum Ecclesiasticarum, quas apud Iudices sæculares disposuerat, reuerteretur, hospitium cuiusdam propinqui sui ingressus est. Vbi cùm feruenti Sole, muscarum insolentiam pateretur, & minister iam lassaretur, non præualens abigere Muscas: Vir Domini manus conserens super oculos, Deum exorauit, vt requiescerent iam membra hac fatigatione lassata; Tunc subitò omnis illa inquietudo muscarum cessauit; nec vltrà visa est musca in eadem domo.

9. *In vita S.Annonis Archiepiscopi Coloniensis*. Missam celebrabat S.Antistes, fractaque hostia partem in Calice reposuerat, cùm spurcissima musca impetu super Dominicum corpus ruit, ereptamque morsu particulam, cùm maximo dolore Sacerdotis, auolans exportauit. Cerneres eum subitò colore mutato mortui similitudinem expressisse. Horruit ausum animalis immundissimi, nec minùs pro se pauidus ob augendas culpas *id sibi* reputabat euenisse; sed ex maxima tristitia, *maxima* mox lætitia creata est, & vndè credebatur Satanas insultaturus, indè quàm maximè confusus est, ordinante clementia Saluatoris, vt quò esset ignobilius in creaturis, quod viro Sancto tantùm intulit luctum, eò gloriosius esset miraculum, per quod ad meritorum eius declamationem de eodem triũpharet. Siquidem Ven. Pontifex his angustijs vltrà styli nostri facultatem grauiter obstrictus, tandem cor, & oculos in Deum fixit, nullis quidem indicijs rem alicui circunstantium prodens, auxilium verò non labiorum motu, sed animi contritione, & humilitate lachrymarum ab Omnipotente instantissimè flagitans. Quid multa? Omnis impuritatis amica, quasi violenter impulsa, præcipiti volatu rediit, murmure suo, & sibilo quodammodò vim, quam patiebatur, aperiens, illudque quod raptu nefandissimo fragmen sustulerat, in oculis Sacerdotis patenæ restituit; Indè se velut auolatura leuans, seorsùm super altare ruit exanimis, dignam tanti flagitij pœnam luens. Tùm verò mæror, qui pectus Sancti viri sauciauerat, totus in gaudium versus est.

10. *Guilielmus Abb.in vita S.Bernardi Abbat. lib.1.cap.11.* Venerat aliquandò Fusniacum, quæ est Abbatia vna de primis, quam ipse ædificauit, in Laudunensi territorio sita. Cùmque noui ibidem Oratorij dedicatio pararetur, ita illud occupauerat muscarum incredibilis multitudo, vt earum sonitus, improbusque discursus, grauem nimis introeuntibus molestiam generaret. Nullo igitur occurrente remedio, dixit Sanctus: Excommunico eas, & manè omnes pariter mortuas inuenerunt; Cùmque pauimentum omne operuissent, palis eijcientes eas, ita demùm Basilicam mundauerunt. Hoc autem tàm notum, & tàm celebre fuit, vt inter vicinos quoque, quorum ad dedicationem maxima multitudo conuenit, muscarum Fusniacarum maledictio in parabolam verteretur.

11. In

11. *In vita S. Pirminij Eremitæ.* Sanctus Pirminius, natione Alemanus, cùm aliquandiù in Cœnobio Monasticam duxisset vitam, Deo feruentiùs in solitudine seruire cupiens, Eremus tandem horribilis ei occurrit, quæ bestiis, & serpentibus aliisque venenatis animalibus, ac diuersi generis muscarum, & scabronum aculeatorum plena erat. In memoriam igitur Crucifixi Domini nostri Crucem ligneam fecit, & cùm ipsa, prædicta omnia animalia fugauit. Nunc ob huius rei memoriam magnificatur, & à pluribus contra toxica his verbis inuocatur. Pirmini dextera benedicat nostra fercula, seù pocula.

12. *In vita S. Francisci de Paula.* Cùm cellæ Fratrum Conuentus Paulani extruerentur, semel Fratres laborantes, examen vesparum repererunt, quæ tanto cùm strepitu irruerunt in Fratres, vt illi cursim aufugientes requisierint S. Franciscum. Venit igitur ipse ad locum, in quo erant vespæ, & Fratres omnes abire iussit; tunc omnes illas vespas collegit, portauitque ad vicinam Conuentui syluam; quæ deinceps conspectæ non sunt.

13. *Seraphinus Bertolinus in vita S. Rosæ Peruanæ cap. 10.* Culicum importunissima agmina circumuolabant cellam S. Virginis Rosæ, nullam tamen ab iis patiebatur molestiam: causamque inquirenti respondit: ad inuicem conuentionem iniisse, neminem alteri læsurum, quod mirabiliter obseruabant; immò post silentium noctis ad laudandum Deum cùm Beata Rosa eos incitaret, dulcissimo murmure, quibus poterant modis, laudes summo Creatori vnà cùm Virgine decantabant.

14. *Colganus in vita S. Colmani, 3. Februarij.* Fertur, familiarem habuisse culicem; Quandò enim vir Dei piæ lectioni vacabat, culici super eius codicem cursitanti mandabat, ut lineam, ad quam ipse aliò auocatus, vel aliter occupandus sistebat, obseruaret vsque dùm reuersus ipse, inchoatam denuò continuaret lectionem, quod & culex infallibiliter faciebat.

15. *In Chron. Minor.* Vener. Fr. Benedictus à Conca dùm ad matutinas preces fratres excitaret, à tanta culicum multitudine vexabatur, vt ab eorum morsibus haùd effugere posset; quadam igitur nocte detracta veste, se nudum illis exposuit, illi tamen eum minimè tangere sunt ausi, quinimmò deinceps, licet eorum magna copia in eodem conuentu perseuerauit, nullam illi molestiam attulit.

16. *Surius in vita B. Fiardi.* Quadam die dùm cùm reliquis in segete culmos incidentibus, manipulos vir Dei colligeret, examen mirabilium, atque sæuarum muscarum, quas vulgò uespas vocant, reperiunt. Cùmque accerrimè messores emissis aculeis lacerarent; fundens ad Dominum orationem, accessit Sanctus Fiardus, & facto desuper signo Crucis, ait: Adiutorium nostrum in nomine Domini, qui fecit Cœlum, & terram: Ad hanc eius orationem confestim omnes vespæ se intra antrum, vndè egressæ fuerant, abdiderunt.

17. *Colganus in vita S. Fechini 20. Iann.* Quandam domum S. Fechinus à pulicibus, ob quos erat hominibus præmolesta, liberauit.

18. *In ann. Minor. de S. Francisco.* Mirum apud Portiunculæ ædem fuit, quòd iuxta cellam viri Dei super ficum circada residens, & decantans, cùm seruum Domini, (qui etiam in paruis rebus magnificentiam Creatoris admirari didicerat) ad diuinas laudes cantu suo frequentiùs excitaret, ab eodem quadam die vocata, velut edocta cælitùs, super manum volauit ipsius, cui cùm dixisset: Canta soror mea cicada, & Dominum Creatorem tuo iubilo lauda: sine mora obediens canere cæpit, nec destitit, donec iussu Patris ad locum proprium reuolauit; Mansit autem per octo dies ibidem, quolibet die veniendo, cantando, & recedendo, eius iussa perficiens: Tandem Vir Dei ait ad socios: demus iam sorori nostræ Cicadæ licentiam, satis enim nos suo cantu lætificans, ad laudes Dei octo dierum spatio excitauit; & statim ab eo licentiata, recessit, nec vltra ibidem apparuit, ac si mandatum ipsius non auderet aliquatenùs præterire.

19. *Ibidem.* Cùm quadam die concionem haberet ad populum B. Ioannes de Capistrano in ciuitate Tyburtina; cicadæ in horto Fratrum tàm vehementi cantu perstrepebant, vt vix verbum Dei audiri poterat. Tunc præcepit eis vir Sanctus, ut tacerent, subitòque silentio obtemperarunt, iterùm post concionem cantum repetentes.

20. *Gonzaga in Prouincia Calabriæ, de Conuentu S. Mariæ de Gratijs Mesuracæ.* Plura hoc in loco edidit miracula V. Pater Matthæus Mesuracanus; Cùm ann. Dom. 1525. Ecclesia populi multitudinem non capiente, pro eius foribus sub arbore concionaretur, nec cicadæ, quibus arbor scatebat, ab ingrato cantu cessarent, illis coràm toto cętu in Spiritus Sancti virtute præcepit, vt statim obmutescerent, nec antè absolutam concionem huiusmodi concentum repeterent: Mirabilis res: Vix Pater præceptum dederat, & iam illæ à concinendo cessarunt, nec antè præfixum sibi tempus auditæ sunt.

21. *Franciscus à S. M. in Chron. Carmel. tom. 1. lib. 2. cap. 7.* Cùm quadam die in Conuentu Vallisoleti Discalceatarum S. Teresiæ in Hispania conuenissent simul sorores, ut sanctis locutionibus Spiritum recrearent, maximè vexabantur à canoro cantu importunæ cicadæ; præcepit tunc quæ præerat Monasterio cuidam sorori, vt imponeret cicadæ silentium; fecit obedientissima filia, obediuitque statim animal, immò nec ipsum, nec aliud eiusdem speciei ea ampliùs æstate importuno cantu Dei seruas vexauit.

22. *In vita S. Vincentij Ferrerij.* Antequam S. Vincentii anima corpus reliquisset, ex fenestra uisa est ingredi locum, vbi decumbebat, magna, & miri candoris multitudo animalium, quæ vulgò papiliones dicuntur: quæ circumquaque tandiù volauerunt, donec anima discessit à corpore, sed corpore extincto, statim recesserunt, nec vnquam visa sunt.

De

De Locustis. §. 9.

1. *Theodoretus in Hist. S. S.P. P. de Aphrate Anachoreta*. Aphrates Religiosissimus Vir, cùm in Perside magna Locustarum vis, more flammæ omnes terræ fructus, segetes, plantas, nemora, ac prata deuastaret, rogatus à pio quodam vt agellum ab huiusmodi clade defenderet, vas aquæ ferri iubet, manuque illi imposita, Deum rogat, vt elemento illi suam gratiam impertiatur; absolutis precibus, iubet, ut agelli fines aqua illa aspergantur; quæ pro imperio aspersa, se inexpugnabile, atque inuiolabile illius agelli munimentum præstitit; Nam cùm ad illius fines Locustarum acies peruenisset, diuinam aquæ potentiam verita, & tanquam aliquibus habenis repressa, retrogressa est.

2. *Baronius an. 885. de rebus gestis Stephani P. P. VI.* Cùm clades locustarum, quæ prædecessoris sui Hadriani totam patriam consumpserant, malè multiplicato germine nasci cæpissent, & omnia repleuissent; misertus idem Sanctissimus Papa afflicti populi, primùm quidem diuulgauit, vt si quis de iis vnum sextarium caperet, & sibi attulisset, quinque, vel sex denarios ab eo perciperet. Hoc autem populi audientes, cęperunt hùc, illùcque discurrere, easque capere, & misericordissimo Patri ad emendum portare, sed cùm illas tali argumento delere nequisset, ad Domini misericordiam confugiens, in Oratorium Beati Gregorii, vbi eius lectus habetur, iuxtà Ecclesiam Principis Apostolorum veniens, se se cùm lachrymis in orationem dedit. Cùmque diuinitùs orasset, surrexit, & aquam propriis manibus benedicens, Mansionariis præcepit, dicens: Tolite, & singulis distribuite, monentes, vt in nomine Domini agros suos circumeant, & hanc aquam spargant per sata, & vineas, petentes Diuinum sibi suffragari subsidium. Quo facto, tanta Omnipotentis Dei subsecuta est misericordia; vt vbicumque ipsa aqua aspersa est, nulla penitùs Locusta remaneret. Hæc circumquaque vicini audientes, ad Vrbem confluunt, subueniri sibi deposcunt, omnem terram in pulueris modum locustis coopertam clamitant, quos benignus Papa benignè commonuit de Cælo auxilium petere debere contra flagellum imminens.

3. *Marulus lib. 2. cap. 2.* S. Seuerinus Abbas in Pannoniæ finibus, quoniam Cuculli Castelli agrum locustarum agmina deuastabant, iussit omnes loci incolas vnà secum ad Ecclesiam pergere: dùmque ibi simùl orarent, omnis illa locustarum tempestas indè sublata, fugam fecit: Ac ne casu aliquo discessisse viderentur; pars earum non minima in cuiusdam agro resedit, qui cùm aliis ad orandum non venerat; tantùmque homini illi obfuit non orasse, quantùm cæteros orasse iuuit.

4. *In actis S. S. Feb. tom. 2. in Continu. Bollandi.* Locustarum multitudo conglobato impetu, in vineam, quæ proxima erat Monasterio Anianæ, cui præerat S. Benedictus Abbas, illam deuastatura superuenit. Vir verò Venerabilis, B. Dei genetricis adiit basilicam, & flebili voce perfusus lachrymis Diuinum implorat auxilium; sed post paululùm Dei nutu discesserunt locuste.

5. *Vghellus in Ital. Sac. t. 1. de B. Gregorio Ostiensi Episcopo*. Cùm vbique & semper eius Sanctitas mortalibus innotuisset, tùm verò maximè in Regno Nauarræ ex Pontificis missu enituit; Siquidem cùm Deus sceleribus mortalium irritatus, Benedicti IX. temporibus denso agmine locustarum Nauarrensium fines fœdissimè deuastasset, nec magis in dies sæuienti cladi vllæ viderentur acies pares, omni demùm humano subsidio destituti, missis legatis, à Pontifice Romano Diuinas suppetias impetrarunt, quas vt in deprædatoriam pestem illam sanctiùs adornaret, trium dierum Orationem, publicumque indixit ieiunium. Ex eo, admonitu Angeli, qui affirmabat populabundam locustam per benedictionem Gregorii Ostiensis fugatum iri; eumdem in Nauarram legauit, qui benedictione, signoque crucis, ac si signa contulisset in prælium, exercitum illum locustarum vsque ad internecionem deleuit.

6. *In Eccl. Historia*. Benno Osnaburgensis Episcopus sua Diœcesi gliribus interdixit, qui intrà annos trecentos eò non rediisse feruntur.

7. *Gregorius Presbyter in vita S. Theodoris Archimandritæ*. Procul à Pesinuntium Metropoli sex passuum millibus erat hortus, quem magna locustarum occupauerat multitudo, & totum propè deuastauerat. Huius horti Dominus, cùm B. Theodorum adesse intellexisset, processit illi obuiam, & ad pedes eius prostratus, calamitatem in hortum suum à locustis illatam indicauit. Cui vir Sanctus; abi inquit, fili, & affer aquam in vase; Cucurrit ille, & è proximo flumine aquam attulit; quam cùm Dei seruus benedixisset, dedit ei, dicens: Hac aqua quatuor horti tui angulos asperge, & dabit tibi Dominus quod ex optas. Ad hortum reuersus homo, studiosè fecit, quæ vir Sanctus præceperat; cùmque ad locum, quem primùm asperserat, reuertisset, ne vnam quidem locustam reperit; paulò post item inuisens, omnes planè locustas deletas inuenit. Quamobrem cùm manus suas oleribus implesset, currens ad Beatum Theodorum miraculi effectorem contendit. Tunc autem obuiam illi trium millium passuum à Ciuitatem processerat supplicatio. Cùm illa igitur ingredientem Sanctum uirum olitor assecutus, procidit ad pedes eius, eique olera, quę in manibus ferebat, obtulit, nuncians miraculum, quod factum fuerat.

8. *Ibidem*. In loco Mazaniæ, qui est ad Siberim superiorem, ingruebat quadam uice mense Iulii tanta locustarum multitudo, ut nebulæ instar totam regionem operirent, frugesque & fructus omnes deuorarent; Incolæ igitur ad S. Theodorum Archimandritam confugientes, ut pro illis Deum deprecaretur, supplicati sunt. Tunc ille tres accipiens locustas in manu sua, pro populo Dominum obsecrauit, atque interim tres illæ locustæ in eius manu mortuę sunt, & gratias agens Deo, dixit ad populum: Reuertamur in Ecclesiam filij, Deus enim

enim celeriter misericordiam suam nobis ostendet; Reuersis igitur in templum, Diuinum Sacrificium peregerunt; Postero autem die in agros egredientes, locustas omnes mortuas inuenerunt, & Deum collaudauerunt.

9. *S. Petrus Damianus opusc. 6. cap. 18. de Marino presbytero*. Huic presbytero planè tantam Diuina dispensatio contulerat gratiam, vt cùm sanctificatam à se aquam, frugibus per agros aspergeret, non vlteriùs vermiculorum, erucarum, non denique locustarum, fruges læsura pestis aliqua remaneret, sed mox agmine facto, omnes abscederent, postquam eos aquæ sanctificatio conspersisset.

10. *In vita S. Memnonis Thaumaturgi*. Ingruente locustarum examine, & arua monasterij depascente, egressus S. Memnon, precibus locustas velut igne insectatus, omnes in flumine submersit.

11. *Petrus Rauzanus in vita S. Vincentij Ferrerij*. Apud Mursiam ciuitatem Hispaniæ citerioris, quadam æstate, locustæ, & bruchi innumerabiles intrà dies quatuordecim, omnia, quæ in agris erant, deuastarunt. Per id tempus venerat eò B. Vincentius, eum ciues Vrbis dolentes adeunt, precum eius suffragia implorant. Ille iubet confestim adferri aquam benedictam, deindè cùm Clericis, qui eum assectari solebant, hymnos canentibus, ad singulas vrbis portas accessit, stansq; in illarum medio, contra ea loca, in quibus dicta animantia grassari dicebantur, aquam sacratam aspersit, & ecce postridiè omnia extincta reperta sūt, & intrà paucos dies, agri, & vineæ adeò restitutæ sunt, vt illo anno nulla fuerit penuria subsecuta.

12. *Sylos in Hist. Cle. Reg. Par. 3. lib. 10.* Quo tempore expediri ad messem falcem oporteret, incubuit in circumiectam regionem Rugiani Calabriæ oppidi confertissimum locustarum agmen; insessisque ab iis legionibus longè latèque campis, actum de communi vbertate, ac frugibus plerique omnes existimabant. Cùm appellare D. Caietanum statuunt comuniter oppidani, conceptoque ritè voto, si locustæ facessiuissent, fore, pollicentur, vt argenteam tabellam gratiæ monimentum ad eius cineres Neapolim mitterent; neque ex vano votum; siquidem eodem ipso die locustarum ille exercitus salua camporum fruge euanuit prorsùs omnis, à S. Caietano effugatus, qui cuidam adolescenti sexdecenni dùm armenta custodiret, in agro apparens, ecquo loco locustæ essent interogauit, ceù illas fugaturus.

De Leonibus. §. 10.

1. *In actis Sanctorum Martyrum*. Adriano Imperante, Liberalis Episcopus post varia tormenta famelico leoni deuotus, Fera ad eius pedes procumbente, illæsus permansit. Eleutherius pariter Episcopus, Leonibus inedia frendentibus obiectus fuit, qui sancto non nocuerunt; sed eius pedibus aduoluti, inocua capita reclinarunt. Iussu eiusdem Imperatoris, Satellites immiserunt sæuos leones in Sanctum Eustachium, eius vxorem, & filios, quia post relatam victoriam, Diis noluerunt sacrificare, sed feræ, postquam fuere propè sanctos, eorum corpora linxerunt, & quasi Tyrannum, summæ amentiæ accusantes quietè redierunt. Quatuor ferocissimi leones sub Imperio eiusdem Adriani immissi fuerunt in Sanctiss. Martyres Faustinum, & Iouitam, Saturni, & Dianæ sacrificia contemnentes, & Feræ magna celeritate ad Sanctos accedentes, illis intactis, tales ediderunt fremitus, vt Ethnicorum populus contremisceret. Præterea S. Tecla Virgo nobilissima ad bestias damnata, inter Leones exultauit. Imperante Antonino, duo Leones laxati fuerunt in mortem Pontiani Martyris, & ab eodem illicò exarmati fuerunt. Necnon à Dario Martyre sub Numeriano, leo famelicus statim mansuefactus est. Ad Leonem, vt dilaniaretur, cùm proiecta esset S. Tatiana M., is ad eius pedes prouolutus, eos lambere cæpit. S. etiam Agapitus M. à Leonibus mansuetissimè habitus est. Nec non S. Glyceria, S. Archelaa, S. Prisca, S. Euphemia, S. S. Abdon, & Senen, S. Vitus, S. Martina S. Marciana, S. Mamantes, S. Taraco, S. Probus, S. Andronicus, S. Trophimus, S. Dorimedon, S. Tyrsus, S. Columba, S. Benignus, S. Erasmus, S. Blasius, S. Theodosia, S. S. Primus, & Felicianus; S. S. Vitus, & Modestus, S. Christina, S. Pantaleon, S. Cerbonius, S. Neophytus, S. Philoterus, S. Helconides, omnes martyrio affecti, vnà cùm innumerabilibus alijs, (quos recensere haùd possibile est) qui ab impiissimis Tyrannis, ferocissimis Leonibus, alijsque immanissimis bestiis damnati, nedùm obturauerunt ora Leonum, sed eosdem cicures, mitesque effectos, sanctissimos eorum certatim lingere pedes, & demissis ceruicibus eos adorare mirabiliter experti sunt; totusque admiratus est Mundus, superbissimas beluas ad eorum prouolutas pedes osculabundas accedere, quos Tyrannorum sæuitia de mundo tollere crudelissimè satagebat.

2. *S. Antoninus 1. par. Chro. tit. 7. cap. 9. §. 5. de S. Daria M.* Leo de cauea amphitheatri fugiens, custos Virginitatis S. Dariæ, ingressus cellam, vbi virgo orans prostrata iacebat, iuxtà eam se posuit vt quasi secùm videretur orare: mittitur quidam nefandus, vt virginem corrumpat, sed à Leone captus, in terram deiicitur, qui sine læsione eum tenens, ad sanctam vultu conuertitur, & quasi innuens, quid de captiuo fieri iubeat, sciscitatur. Quæ præcepit, ne ipsi in aliquo læderet, sed à se audiendam venire permitteret. Leo igitur eum relinquens, in ostio cellulæ se posuit, vt nec ille posset exire. Vir autem ille, viso Diuino miraculo, & auditis sermonibus, conuersus est ad Christum, & per Vrbem discurrens, Deum Christianorū verum omnium Creatorem proclamabat. Mittuntur venatores, vt Leonem capiant, sed omnes à Leone capiuntur, & sine læsione ante pedes Dariæ reponuntur, & ab ea conuertuntur. Tunc Præfectus in cellę introitu copiosum ignem iussit accendi, vt Leo cùm Daria comburatur; quod Leo timens, rugire cæpit; sed eum Virgo Domini confortauit; quia nec incendio cremaretur, neque ab alio caperetur, neque occideretur, sed morte sua

sua moreretur, iubens, vt securus per ignem egrederetur, quia ille eum liberaret, quem leo, in se honorasset. Tunc leo, inclinato capite, per medium ignis illæsus egreditur, & per turbas discurrens, neminem læsit, nec vllus eum exinde vnquam cæpit.

3. *Theodoret. in Hist. Sanct. Patrum] de Simeone Prisco*. Quidam Monachi visitantes Simeonem, eum rogarunt, vt eos doceret viam, quæ ducit ad Castellum: Manete, inquit tunc Simeon, statim vobis dabo duces, qui ostendent viam, quam desideratis: atque ij quidem tunc parebant, & quiescebant: Ipsis autem sedentibus, venere duo Leones, non torue, & ferociter intuentes, sed veluti cuidam Domino blandientes, & securitatem significantes; His annuens, iussit, vt hospites ducerent, & à via, à qua aberrarant, reducerent, quod & fecerunt.

4. *Idem de eodem*. Cùm iret ad montem Sinæum, inuenit in deserto in cauerna quemdam Monachum, cuius vitæ cùm rationem quæreret Simeon, ille respondit: Vescor dactylis, quos ad me afferre, qui curam gerit, iussus est quidam frater; Hæc cùm sic dicerentur, leo procùl apparuit; Cùm autem ij, qui erant cùm sene Simeone, animi angore, & metu cecidissent, sentiens is, qui erat in cauerna, surrexit, & leoni annuit, vt transiret ad aliam partem; is autem statim paruit, & venit, botrum afferens dactylorum.

5. *Seuerus Sulpicius Dial. 1. cap. 7. de quodam Anachoreta, quem in Eremo duodecim ferè à Nilo millibus inuenerat, ait*; Vbi ad illam, ad quam nos hospes noster ducebat, arborem peruenimus, leonem ibi offendimus. Quo uiso, Ego, & ille dux meus intremuimus: Sanctus ille Anachoreta inconstanter accessit, nos licet trepidi secuti sumus. Fera ab eo imperata, modesta discessit, & constitit dùm ille attigua ramis humilioribus poma decerperet. Cùmque palmis plenam manum obtulisset, occurrit bestia, accepitque tàm liberè, quàm nullum animal domesticum; Et cùm comedisset, abscessit: nos hæc intuentes, & adhùc trementes, facilè potuimus agnoscere, quanta in illo virtus fidei, & quanta in nobis esset infirmitas.

6. *Idem Dialo. 1. cap. 9.* Ad quemdam Anachoretam duo Monachi ex Nitria tetenderunt, quamdiù, multùmque quæsitum, tandem Mense septimo repererunt in extremo illo deserto, quod est Memphis contiguum, demorantem, quas ille solitudines iam per annos duodecim dicebatur habitare. Qui licet omnium hominum vitaret occursum, tamen agnitis fratribus, non refugit, seque charissimis per triduum non negauit; Quarto die aliquantulùm progressus, cùm prosequeretur abeuntes, leænam miræ magnitudinis ad se venire conspiciunt. Bestia, licet tribus repertis, non incerta quem peteret, Anachoretæ pedibus aduoluitur; ac deindè præcedentem sequûtur; Nam illa præiens, & subindè restans, in eos intendebat, vt facile posset intelligi, id eam velle, vt quò illa ducebat, Anachoreta sequeretur: Quid multis? ad Speluncam bestiæ peruenitur, vbi illa adultos iam quinque cattulos malè fera nutriebat. Qui vt clausis luminibus ex aluo matris exierant, cæcitate perpetua tenebantur; quos singulos de rupe prolatos, ante Anachoretæ pedes mater exposuit; Tunc demùm Sanctus aduertit, quid bestia postularet: inuocatoque Christi nomine, contrectauit manu clausa lumina catulorum; ac statim cæcitate depulsa, apertis oculis bestiarum diù negata lux patuit. Post dies autem quinque Leæna ad auctorem tanti beneficii reuersa est, eidemque inusitatę feræ pellem pro munere detulit.

7. *In vitis P. P. lib. 1. cap. 17. de S. Macario Romano Anachoreta*. Theophilus, Sergius, & Hyginus Monachi, cùm per deserta peregrinantes, inuenissent S. Macarium Anachoretam, multaque cùm illo disseruissent, sic narrationem suam prosequuntur; Vespere facto, dixit nobis: Fratres mei dilectissimi, exite forà s cellulam, & expectate paululùm, habeo enim leones duos, qui per diem foràs ambulantes, seròad me reuertuntur, neipsis subitò venientibus, mali aliquid patiamini ab eis. Nobis ergo cùm pauore paululùm exeuntibus, leones rugiendo extemplò aduenerunt, & ipsum Sanctum Dei adorauerunt. Ipse verò *manus super* eos ponens, ac colla demulcens, *ait illis*: *Filioli* mei, boni fratres tres de sæculo venerunt ad nos, ne faciatis illis malum; continuò nos aduocans, dixit: Fratres venite, & iam timere nolite, Nos verò cùm pauore nimio intrantes, salutauimus illum, & vespertina Synaxi celebrata, resedimus, glandes, ac herbarum radices pro cibo sumentes & aquam bibentes cùm silentio.

8. *Ruffinus in vitis P. P. lib. 3.* Abbas Paulus mixit discipulum suum, nomine Ioannem, in vicum proximum, vt requireret ibi fænum; Erat autem in via leæna; cùmque hoc Abbati diceret, ille quasi iocaliter dixit ei: si venerit super te, tene eam, & adduces tecùm; Cùm autem iret, leæna irruit super eum, ille verò tenere eam voluit, sed illa fugit; sequebatur autem eam dicens: Quia Abbas meus præcepit, vt alligatam perducam te ad eum; continuò stetit bestia, & tenens eam, reuertebatur ad Monasterium; Senior ergo gratias agebat Deo.

9. *In vitis P.P. lib. 6.* Senes quidam erat solitarius iuxta Iordanem fluuium, & ingressus propter cauma in speluncam, inuenit ibi Leonem, & cæpit leo fremere dentibus suis, & rugire; Dixit autem ei Senex: quid angustiaris? est locus, qui capit me, & te; si verò non vis, surgens, egredere hinc. Leo ergo non ferens, egressus est inde foràs.

10. *In vitis P.P. lib. 10. cap. 107.* Quadam die Abbas Gerasimus ambulans super Iordanis ripam, obuiam habuit leonem valdè rugientem, suspenso pede, cui infixus erat ex calamo aculeus, adeò vt ex hoc pes ipse intumuisset, & sanie plenus effectus esset. Tunc Senex apprehendens eius pedem, aperiensque vulnus, eduxit aculeum infixum cùm magna putredinis copia, diligenterque depurgato vulnere, & panno alligato, dimisit eum: Leo autem cùm se curatum vidisset, noluit senem deserere, sed vt carus discipulus, quòcumque pergeret Magister, sequebatur; Senex autem illum nutriebat mittens ante illum panem, & infusa legumina, Asi-

nique

nique pascendi curam habebat; cùmque à Camelario quodam Asinus sublatus fuisset; ille iussu Abbatis officium Asini aquam ferendo supplebat. Defuncto autem Abbate Gerasimo, Leo ampliùs, ceù contristatus noluit comedere, mestosque rugitus edebat, quoadusque ad tumulum Abbatis ductus, ibi se prostrauit, & percutiens in terra caput suum vehementer, & rugiens, defunctus est super sepulchrum Abbatis.

11. *Marulus lib.4.cap.5.* S. Hieronymus, cùm inuidorum malitiam, atque infestationes ne ferendo quidem posset reprimere, Roma cessit. Cui Romæ homines aduersabantur, in Syriæ deserto feræ seruierunt. In Bethlemitico deindè Monasterio manentem Leo posita ferocitate blandè adijt, & reliquis, qui aderant, metu dilabentibus, ipsi pedem spina vulneratum porrexit, sanatus famulatum exhibuit; nullique iam Monachorum metuendus, asellum ad pascua educebat, reducebatque ad stabulum, agasonis fungens officio, qui quondam prædonis functus fuerat.

12. *Surius in vita B. Sabæ Abb. 5. Decembris.* Aliquandò veniebat Beatus ea via, quæ fert à Ruba ad Iordanem, In uia autem incidit in Leonem ingenti magnitudine, cui pes erat paxillo transfixus, & magnum sentiebat dolorem. Sic ergo affecta fera, quandò vidit Sanctum Sabam prætereuntem, ad eum accedit protinùs, pedem tollens sublimen, & paxillum quodammodò ostendens, & rogans, vt misereretur, & eum liberaret illa molestia. Ille ergo cùm rem statim intellexisset, & leonis doloris esset misertus, illum quidem humi facit sedere: cùm pedem autem sensim apprehendisset, eximit paxillum, & sic leonem liberat à dolore. Verùm enim verò ipse quoque beneficio affectus, & quasi magno, & excelso animo volens referre gratiam, ferinæ quidem naturæ obliuiscitur; ei autem adhæret tanquam gratus, & beneuolus famulus, studiosè in omnibus inseruire desiderans; Nam erat quidem huic Venerando Patri discipulus quoque, nomine Phlais; aderat autem quidam quoque Asinus, perquem inseruiebat Phlais magni ministeriis; si verò quandò contigisset discipulum emitti ad aliquod ministerium, leoni asini custodiam, & aliam etiam eius curam pater leoni committebat. Cernebatur itaque leo asini capistrum ore accipiens, & manè ad vesperum vsque ipsum ducens ad pascua: vespere autem ducens ad aquam, & sic domum reducens, & discipuli implens omnem curam in asinum.

13. *In vitis P.P. lib.10.cap.58.* Iuxtà locum, in quo morabatur Abbas Iulianus Stylita, apparuit leo, plurimosque peregrinos, & indigenas necabat. Die ergo quodam aduocans discipulum suum Senex, Pancratium nomine, dixit ei: Vade fermè duo millia passuum ad Austrum, inueniesque illic leonem iacentem, cui dices: humilis Iulianus in nomine Iesu Christi filij Dei viuificantis omnia; tibi præcipit, vt recedas ab hac prouincia. Profectus verò frater, inuenit leonem iacentem; Cùmque verba senis illi dixisset, continuò recessit leo.

14. *Ibidem lib.10.cap.125.* Cùm Abbas Sergius moraretur in Sina, constitutus est dispensator super burdones; Cùm ergo die quadam properaret, ecce leo iacebat in via; porrò burdonarij, burdonesque viso leone timore correpti recesseruut. Tùm Abbas Sergius sumens de pera vnam eulogiam, profectus est ad leonem, dixitque ei: Accipe eulogiam Patrum, & recede de via, vt transeamus. Sumptaque leo eulogia recessit.

15. *Ibidem lib. 10. cap.163.* Abbas Paulus Helladicus quotidiè leoni aduenienti panem, & cicer infusum ministrabat, præcipiens illi, ne cui noceret. Quadam autem die ad eum veniens, vt cibum acciperet, mentum sanguine infectum habebat. Tunc illi senex: quid est? inobediens fuisti, & carnes manducasti? Benedictus Dominus, non iam tribuo tibi, vt comedas, cibum patrum, carnium deuorator, recede; ille verò discedere nolebat Tunc accepto funiculo, triplicans illum, tres illi plagas cùm eo dedit, & recessit.

16. *Ibidem li.10.cap.2.* In loco Sapta, senex quidam tantæ virtutis commoratus est, vt leones secùm in eadem spelunca susciperet, atque cibum eis in suo sinu præberet.

17. *Ibidem cap.18.* Alius pariter senex plerumque abiens, in ripa Iordanis commanebat, & vbi cubile Leonis inuenisset, illic dormiebat. Abbas etiam Poemen cùm nudus semper incederet, nocte ad eum veniebat Leo, & iuxta eum obdormiens tempore hyemali ipsum calefaciebat.

18. *Ibidem li.10.c.181.* Ambulabat quadam vice Ioannes Anachoreta in finibus villæ Sochus, cùm ecce in via valdè angusta intra duas sepes posita obuiam habuit Leonem, cùmque sibi inuicem appropinquarent senex, & leo, neque senex retrò redijt vt leone transitum liberum daret, neque leo propter nimias semitæ angustias reuerti poterat, neque vtrumque simul transire omninò possibile erat: videns igitur leo Dei seruum procedere volentem, & nequaquam retrò redire sustinentem, erexit se in posteriores pedes, & erectus stans ad læuam senis, pondere ac uiribus corporis repulsa maceria, modicam seni latitudinem præstitit, iter sine impedimento iusto viro præbens, atque ita transiuit senior dorsa leonis perfricans; post cuius transitum, exurgens de sepe leo, peregit & ipse iter suum.

19. *Ibidem lib. 10. cap.101.* Abbas Pardus diebus singulis ibat ad cubile leonis, stimulans, & prouocans leonem, vt exurgeret, & deuoraret eum propter peccatum, quod commiserat. Leo autem nihil omninò eum lædebat; videns autem senex quia nihil proficeret, ait in se ipso, dormiam in via, per quam leo pergit ad fluuium, iam cùm transibit, vt eat ad bibendum, deuorabit me. Cùm ergo iaceret, ecce leo post paululùm venit, & quasi ratione præditus esset, cùm omni quiete transiliuit senem, neque omninò illum tetigit. Tunc senior certus factus est, quòd Deus illi remisisset peccatum.

20. *Raderus in viridario de S. Aninate Anachoreta.* Cùm cuidam Stylitæ quidquam esset enunciaturus S. Aninas, per leonem misit epistolam; Stylita viso leone grammatophoro, ingenti perculsus

sus est terrore, cuius discipulus acceptam à leone Epistolam Stylitæ reddidit; paruit ille, cognitis litteris, admonitioni,& rescripsit per leonem B. Aninati.

21 *Idem de eodem*. Ferunt, geminos Leones, quòcumque se conferret, Sanctus Aninas, assiduè comites habuisse; cùmque ex illis alter pedem spina induisset, Beatus extracto paliuro, pedem diligenter obligauit, & curauit.

22. *Niceph. Callist. lib. 17. Eccl. Hist. c. 4. de S. Zosima*. Ibat vir Sanctus aliquandò Cæsaream, asellum secùm trahens, cui res quasdam necessarias gestanti, subitò inuitit leo, atque is iumento rapto aufugit. Consequutus autem eum per Syluam est tardiore gradu senex. Leo quoadusque ad eum Zosimas peruenit, asini carnibus interea exsatiatus, discedere ab eo parabat. Porròque Zosimas hianti ore hilariùs leonem inspiciens. Atqui inquit ò amice, mihi ea vis non est, vt humeris asini clitellas portare valeam, qui eò ætatis peruenerim, & egestate emarcuerim. Subeũdum igitur tibi onus est, & naturæ prærogatiua reiecta, contra quam recepta iura ferunt, faciendum, si quidem liberari à me, & fera ampliùs esse vis. Ibi tùm leo, perindè atque semel feritatem abiecisset, sensim ad Zosimam accedit, cauda hominem distringit, & in rebus omnibus se illi pariturum ostendit. Senex autem Zosimas, imposito humero leonis fasce, Cæsaream vsque eum duxit, satis apertè declarans, omnia obedire homini ei, qui ex præscripto Dei vitam sibi degendam, constanterque gratiam, & datas cælitùs leges extra errorem omnem conseruandas statuerit, haud aliter quàm olim generis nostri principi Adam.

23. *Surius in Septemb.* Leonem, S. Quiriacus Anachoreta in solitudine veluti famulum habuit, eique custodiam olerum aduersùs feras demandauit; Paruit verò, cibum horis constitutis de manu eius sumere solitus, & mox ad hortuli tutelam remeare.

24. *Idem in Nouemb.* S. Columbanus, feras quascumque in eremo accersere, dùm per nemora ambularet, solitus erat, easque manu blandiens attrectare, atque hæ illi, sicut catuli solent, videbantur adiulari.

25. *Idem in Maio*. Cùm leo prædonem ageret in propinqua sylua, ad eum se contulit Sanctus Epiphanius Constantiæ Episcopus, quia verò cauernam eius non reperit, pro imperio euocauit, & leo adfuit statim, atque in conspectu viri Dei quasi non ferens maiestatem, momentò exanimatus est, iacuitque humi cadauer eius,

26. *Idem in Nouemb.* S. Ioannes, cognomento Silentiarius, cùm amans solitudinis, ab ea noluisset auelli, tametsi ei suaderetur, vt in ciuitatem aliquam munitam reciperet se, dùm infestis populationibus Alamundarus Saracenorum Rex Palestinam incursaret, meruit vt Deus, quem adiutorium suum proposuerat, leonem ei dederit excubitorem, defensoremque, qui propulsaret pericula, & ab accessu arceret agmina Barbarorum.

27. *Idem in vita S. Saba 5. Decembris*. Cùm quidam latrones essent in medio itinere, in eos incidunt leones ingenti magnitudine, & uisu terribiles, quorum adspectu timore perterriti, & vitæ bonam spem non habentes ampliùs, vnam solam prospexere salutem, si ad Sabam, & illius orationis uirtutem confugissent. Bestias ergo per illum adiurarunt, dicentes. Per preces monachi Sabæ viam nobis cedite, & statim leones tanquam graui aliqua plaga percussi nomine Sabæ, in pedes se coniecerunt. Latrones autem insigni miraculo obstupefacti, & vt qui persuasum haberent Sabam multum posse apud Deum, ad ipsum reuertuntur.

28. S. *Hieronymus in vita* S: *Malchi Monachi*. Leæna ferox vita est inuadentes S. Malchum Monachum,& præterea vt verna eius habebatur.

29. *In vita* S. *Læti cap. 3.* Discedentibus quibusdam fratribus à Beato Læto, occurrunt feræ, prædam ex ipsis facere gestantes. Quod vt vidit Lætus, celeri dexteræ motu Crucem illis Dominicam à longè opposuit, suspiciensque in cælum dixit. Domine Iesu Christe, qui Danielem de lacu leonum liberasti, & tres pueros de Caldaicis flammis illæsos abire fecisti, libera fratres meos ab *his bestiis*, & subueniat illis citò manus Pietatis *tuæ*. Tunc illæ bestiæ omnia feritate deposita, deserentes prædam, quam iam inuasisse videbantur, venientes ad pedes viri Dei procumbunt, & quodammodò pænitentiam agentes ex eo quòd in eius comites molitæ fuerant veniam humiliter pro tanti reatus audacia postulabant. Quod videntes qui fugerant, ad eum tremebundi redeunt. Quos etiam B. Lætus hilari confortans animo hortabatur fideliter sperare in Domino, qui se inuocantibus in veritate semper adest: denique post horæ spatium iubet feras ad sua redire latibula. Sicque quantùm libuit prostratas humi tenuit, & quandò voluit abire permisit.

30 *In vitis Sanctorum P.P. de Sancta Maria Aegyptiaca*. Cùm in Eremum, vbi defuncta erat S. Maria Ægyptiaca, deuenisset Abbas Zosimas, videns illius venerandum corpus, sepelire volebat, timebat tamen ne hoc diuæ defunctæ displiceret. Tunc iuxta caput ipsius vidit litteras in terra descriptas continentes ita: Sepeli Abba Zosima in hoc loco miseræ corpusculum Mariæ, & redde terræ puluerem suum, & ora pro me ad Deum. Quo viso, cùm sepelire vellet, terram nimis duram & nullo modo fodibilem inuenit; tùnc apparuit leo magnus eius vestigia deosculans; cuius generis animalia cùm in eremo illa haud reperirentur, intellexit à Deo immissum, vt Sanctum senem in sepelienda Sancta pænitente adiuuaret. Præcepit ergo illi Zosimas, vt foueam excauaret, cui ille statim paruit, sicque corpus Mariæ sepeliuit, terraque operuit, tuncque leo vt agnus mansuetus desertum petiit.

31. *In vita S. Pauli primi Eremitæ*. Defuncto S. Paulo, cùm S. Antonius Abbas, qui ad eum inuisendum iuerat, sarculum, quo terram foderet ad eum sepeliendum, non haberet, duo leones ex interiore eremo rapido cursu ad B. senis corpus feruntur, qui certatim terram pedibus effodientes, foueam, quæ commodè hominem caperet, effecerunt:

runt: & statim quasi mercedem pro opere postulantes, cùm motu aurium, ceruice deiecta, ad Antonium perrexerunt, manus eius, pedesque lingentes. At ille animaduertit benedictionem eos à se precari. Nec mora, in laudationem Christi effusus, quod muta quoque animalia Deum esse sentirent, ait: Domine, sine cuius nutu, nec folium arboris defluit, nec vnus passerum ad terram cadit, da illis sicut tu scis, & manu annuens, vt abirent imperauit. Cùmque illi recessisset, Sancti corporis seniles curuauit humeros, & deposito eo in fossam, desuper humum congregans, tumulum ex more composuit.

32. *Pet. de Natal. libr. 5. capit. 106. de Sancto Onofrio*. Post mortem Sancti Onofrij cùm Abbas Pannutius, qui eò venerat, fossorium ad sepulchrum parandum non haberet, duo leones subitò aduenientes, & corpus proni adorantes, terram instar tumuli vnguibus effoderunt.

33. *Hieronymus Rubeus in Histor. Rauenna lib. 3.* Venerat Rauennam ad Ecclesiam Sanctorum Apostolorum Petri, & Pauli, vir solitarius ex Ægypti Eremo, vtpote, qui diceret Cœli admonitu Imaginem Christo Domino simillimam ibi esse: desiderio enim magno tenebatur intuendi veros Christi vultus, antequam è viuis excederet. Adduxerat porrò viæ comites Leones duos, qui cùm feritatem omnem exuissent, spectaculo, quàm terrori vulgo erant. Vix sacratissimam eam Iconem præ foribus Basilicæ est conspicatus, cùm procubuit vt eam de genu veneraretur: & statim perfusus iucundissima voluptate, ibidem Sanctissimè obiit. Tum leones duo asseclæ, atque alumni eius, vltima obsequia persoluturi, falculis egerere humum vbi sepeliretur, nec temperare à mærore; ac demùm rugientes cùm fremitu etiam ipsi non ita multò post ibi expirarunt. Populus hæc admirans vt rei fama & recordatio conseruaretur, feras easdem sepeliuit iuxta tumulum eius.

34. *Petrus Malpæus in Palma Fidei, de Fratre Andrea martyre in Aethiopia*. Aliquandò ad Regiam Preteiannis profectus, & Regis iussu de viri Sanctitate periculum facere volentes, quinquaginta feracissimis, ijsque impastis leonibus obiectus, ab illis ei ablandientibus illæsus euasit.

De Vrsis. §. II.

1. *In actis Sanctorum Martyrum*. Vrsus olìm laxatus ad inferendam mortem Sancto Cerbonio Episcopo Populiensi, omni deposita feritate, eumdem amplecti, & circùm lambere cæpit. Eodem modo emissus in Domitillam Virginem Vrsus, illicò supra vim naturæ exarmatus ad pedes Virginis decubuit. Vrsi laxati ad interimendum Pontium Episcopum, secùs pedes Sancti procubuerunt innocui. Aduersùs Teclam emissi, statim supra ordinem naturæ mansuefacti, ab illa abstinuerunt. Ad Sancti Paridis Theanensis sanctissimos pedes humiliter prostratus Vrsus, ad quem proiectus fuerat, eos lambere cæpit. Dimissus Vrsus, qui tres homines eo die occiderat, contra Sanctum Andronicum, cùm ad eum accessisset, sedens quieuit lingens eius vulnera; Andronicus illum vellicans irritabat, vt cibus illius fieret, sed ille pepercit, mansuetus in omnibus effectus. Hoc itidem præstitere sæuissimi Vrsi in Sanctos Pontium, Maximam, Donatillam, Secundam, Tharachum, Probum, Primum, Felicianum, Abdonem, Senem, Trophimum, Dorimedontem, Thyrsum, Fortunatam, Philatæum, aliosque innumeros martyres, quos solus Deus nouit.

2. *Pet. de Natal. libr. 2. capit. 24. de Sancta Columba Virgine, & Martyre*. Iussu Aureliani Imperatoris adducta est ad locum publicum meretricium, & omnibus sibi illudere volentibus exponitur. Ad quam dùm iuuenis quidam lasciuus nomine Barucham esset ingressus, Vrsa ferocissima de cauea fugiens, illùc accessit, & ipsum apprehensum ad terram strauit, intendens in Columbam nutu quodammodò interrogans, quid iuberet: sed ea mandante, iuuenis sine læsione dimmissus, conuersus est. Vrsa verò ante ianuam se ponens, neminem ingredi permittebat. Quod audiens Imperator, ignem circa cellam accendi fecit, Vrsa autem iubente virgine per tectum ascendens, aufugit, moxque imber ab Aphrico veniens ignem extinxit.

3. *S. Gregorius libr. 3. Dialogorum capit. 15.* Cùm Florentius eremita, famulum, quem ad pascendas oues in desertum mittebat, amisisset, Vrso qui ad eius cellam mansuetus aduenerat, eas custodiendas tradidit, nec frustrà, crudelis enim fera ad pabulum quotidiè ducebat oues, ab aliisque iumentis & feris mirabiliter defendebat.

4. *Petrus de Natal. libr. 8. capit. 36.* Marinus Dalmata apud Ariminum vitam solitariam agens, Roma redibat, Asellum, quo vtebatur Vrsus peremit. Ille Vrsum asini vices subire, & ad cellam vsque se deferre iussit. Bestia dorsum homini præbuit, quæ asello non pepercerat humanitatis eius conscia.

5. *Surius 22. Aprilis*. Ex quo Sanctus Theodorus Archimandrita in ferrea cellula se incluserat, terribilis Vrsa per triennium ad eum accedebat continuè, acceptaque de manu eius benedictione, neminem lædens discedebat.

6. *Idem in vita Sancti Columbani Abbatis, capit. 29. 21. Nouembris*. Venit Vrsus, voracitati addita fera, cæpitque necessarios deuorare cibos, passimque poma ore detrahere; cùmque hora refectionis adesset, Chagnoaldum ministrum vir Dei ire iussit, & consuetam pomorum mensuram afferre; Abit ille, videtque vrsum inter frutices, rubosque peruagari, pomaque lambendo capere. Itaque festinus redit, patrique indicat. Ille imperat vt eat, partemque fruticum relinquat feræ, aliam partem sibi iubeat reseruari. Redit Chagnoaldus, iussa patris exequitur, diuidit

virga frutices, rubosque poma ferentes, iubetque vt fera parte sua contenta, reliquam sinat cedere in vsus viri Dei. Mira in fera obedientia. Nequaquam visa est ex prohibita sibi parte cibos carpere, sed in ea sola, quæ permissa ei erat, escam captauit, quandiù eo in loco vir Dei commoratus est.

7. *Idem de eodem Sancto Columbano.* Aliquandò Sanctus Abbas vastam eremum penetrans, aspexit in quadam caute sinum concauum, volensque abdita perscrutari, ingressus vidit Vrsum in sinu interiori iacentem, iussit feræ vt abiret, nec deinceps eos repeteret calles. Fera mitis discessit, nec in posterùm eò repedare visa est. Idem Sanctus per densa saltus viburna gradiens, vrsum cerui cadauer deuoraturum obseruauit, lambebat enim sanguinem. Tunc Sanctus accedens, præcepit feræ, ne corium calceis conficiendis necessarium læderet. Mox belua feritatis oblita, colla submittens, aliò se contulit.

8. *Idem in vita Sancti Corbiniani Episcopi 8. Septembris.* In itinere Romam pergendo cùm Breones perueniret, iuxta syluam quandam in castris manebat. Sed dùm custodes equorum incautè obdormirent, ita vt nullus vigilaret, Vrsus è sylua egrediens, Sagmarium viri Dei discerpens comedit; mane autem facto dùm expergescebantur custodes, inuenerunt eumdem Vrsum super ipsum sagmarium iacentem, & comedentem illum. Quod dùm Ansericus viri Dei minister agnouit, Beato Corbiniano dixit. At vir Dei patienter ferens dixit eidem Anserico. Tolle flagellum istud, & vade ad eum, & fortiter illum verbera, & castiga pro delicto suo, quo nobis nocuit. Quod dùm ille agere formidaret, dixit ei vir Dei, vade, & noli timere eum, sed vt dixi tibi, fac, & postea mitte super eum sellam sagmariam, & sterne illum, & sagma super illum impone, & duc cùm alijs caballis in viam nostram. Ipse verò Ansericus fecit sicut præceperat ei vir Dei. Porrò impositam sibi sagmam ipse Vrsus quasi domesticus equus Romam vsque perduxit, ibique à viro Dei dimissus abiit viam suam.

9. *Idem 4. Nou.* Fuerunt nonnulli, qui desiderio noscendi S. Iohannitium, ad locum solitudinis ascenderunt, & dùm ipsum alloquebantur, Vrsa è syluæ penatralibus exiens, cellæ huius Sancti appropinquauit magno colloquentium timore, tunc Sanctus panem feræ porrigi iussit, & in eorum memoriam reuocauit eum, qui dedit potestatem conculcandi leonem, & draconem, deinde præcepit feræ vt ad latibula reuerteretur.

10. *In actis Sancti Iacobi Episcopi Tarentasiensis capit. 2. apud Bolladum 16. Iannuarij.* Famulis iussit, vt trabes, cæteraque ligna ad tectum Domus peragendum in saltibus cæderent, quæ cùm Christicolæ feruentiori Fide succensi cùm suis bobus deferrent, contigit vt immantissimus Vrsus de cauerna prosiliens, cùm summa ferocitate vnum ex bobus, qui ad vehendam trabem iunctus erat, toruo, & impudenti vultu vnguibus arripiens, ore dilaceraret, ac corroderet. Hæc verò cernentes famuli, timore perculsi, rapidissimo cursu, suo nuntiauerunt Pontifici; quod vir Sanctus audiens, velociterque currens, inuenit Vrsum bouis cadauer deuorantem, cui & fertur dixisse: Ego Iacobus Christi famulus præcipio tibi immanissima, & cruenta bestia, vt in Nomine Domini ad opus quod impedisti duram ceruicem inclines, & iugo bouis, quem occidisti, superbum collum submittas, qui protinùs ad vocem serui Dei, licet rugiens, collum iugo subposuit, cumque famulus Domini, loris, quibus bos fuerat, adstringens, trabem ad opus cæptum adduci fecit. Quod cernentes incolæ oppidi, maiores natu in stuporem versi sunt pro tanto miraculo, minores verò, quos adhùc ignauia detinebat gladijs arreptis, vrsum conabantur occidere. Quod vir Dei percipiens, iuuenes blando alloquio compescens ait, ò filioli, bestiam, quam nullo laqueo cæpistis, viuam sinite à vestris finibus egredi. Obtemperantibus illis, B. Iacobus vrso præcepit, vt nequaquam in eadem valle aliquam deinceps faceret læsionem. Ipse vero illæsus se se in profundam eremum dedit, & postea in territorio prędicto nunquam apparuit.

11. *In actis S.S. Martij tom. 3. in continuatione Bollandi.* Cùm Sanctus Humbertus Maricolensis cùm sociis Romam versus proficisceretur, accidit quadam die, cùm fatigati ex itinere residerent, & alimentis ieiuna corpora recrearent, vt ursus quidam e sylua prosiliens, unum ex somariis eius apprehenderit, in terramq; posternens suffocauerit. Quod audiens vir Dei, imperauit urso, ut officia iumenti adimplens, sarcinas deinde in illo itinere deferret, audiuit crudelis fera præceptum serui Dei, & magna mansuetudine oneribus proprios subiecit humeros, & usque Romam secutus est Sanctum hominem, à quo postea, ut ad propriam syluam regrederetur facta iussione, ille obediuit.

12. *In actis Beati Firmini.* In quibusdam prouinciæ partibus cùm corpus Beati Firmini Vcessiensis Episcopi, & natione Narbonensis, Vcessiam deferretur; bobus fortè, qui rhedam trahebant, ad pascua solutis, unus eorum ab urso quodam subitò est deuoratus. Quo comperto, Sanctus Ferreolus, qui & Firmini nepos, & nobilis uecturæ procurator extiterat, eidemque Firmino in episcopalem sedem statim successit, diuina obtetatione ad se incontinenti vrsum asciuit. Qui & eadem accedens hora, se spontè iugo supposuit, & boui perdito quasi uicarius, ad trahendum deuotusque successit, & sic pluribus abinde milliaribus Firmino Vcessiam tam miraculosè transuecto, eiusdem exequiis celebriter ibidem, & gloriosè completis, accepta quasi à Ferreolo licentia, ursus indemnis ad montana secessit, qui & singulis postmodùm quandiù uixerat annis die solemnitatis Sancti Firmini, ad Ecclesiam eamdem ex consuetudine ueniebat, & omninò bestiali feritate interim deposita, se populo, quasi

quasi mansuetum, palpabilem, & tractabilem exhibebat, tanquam ob ausum pœnalem, crimenque commissum, seruire, pœnamque subire paratus. Vndè, & corium eiusdem vsque hodiè in Ecclesia S. Firmini in veneratione reconditum habetur, & ob tanti miraculi memoriam transeuntibus, & peregrinis ostendi solet.

13. *Ferrarius in Catalog.S.S.1.Iunij.* Cùm vrsus, iumentum, quo S.Romedius confessor Tridentinus ob senium vtebatur, deuorasset, ipso vrso quotiès opus esset vtebatur prædictus Sanctus, fræni imposito, deposita enim feritate præceptis illius, vt mitissimus agnus, obtemperabat.

14. *Idem 17.Augusti.* Cùm quidam vrsus comedisset fauos mellis, apesque disperdidisset, quæ in horto monachorum ordinis B. Virginis alebantur, propter hocque conquereretur Abbas, B. Donatus Petinensis ex eodem ordine, vrsum in furto deprehensum, zona, qua præcingebatur alligatum, velut agnum ad Abbatem adduxit, maximè rei euentum mirantibus monachis, facto deindè præcepto vrso,ne ampliùs accederet, statim abiit, rursùmque in hortum non rediit.

15. *In vita S.Ioannis Gualb. cap.49.* Quidam famulus eius de Razolo, Vallumbrosam venit ad eum, nuncians, vrsum maximum vaccarum damnum crebrò facere. Cui dixit: vade, & interfice eum. Qui regressus, prædictumque vrsum in antro quodam arboris stantem inueniens, securi percutiens arborem, nihilque metuens, dixit:egredere quia D.Abbas imperauit vt te occidam,egressus statim, est interfectus ab illo.

16. *S.Gregorius Papa lib.3.Dialogorum cap.26. de S.Mena solitario.* Sæpè ex vicina sylua venientes vrsi, apes eius comedere conabantur, quos ille deprehensos, ferula, quam portare manu consueuerat, cędebat; ante cuius verbera immanissimæ bestiæ rugiebant, & fugiebant, & quæ gladios formidare vix poterant, ex eius manu ictus ferulæ pertimescebant.

17. *Philippus Abbas Bonæ Spei, de Beato Gisleno Confessore cap. 4.* Semel iussit vrsam cùm suis catulis hinc abire, & relicto cunarum latibulo, aliud sibi congruum inuenire, nulli deinceps in huius loci vicinia nocituram, immò nullo modo, nullo tempore redituram. O res noua! fera belua nullius munere prædita rationis, audit, & obedit verbo subitæ iussionis.

18. *Theodorus Campedoriensis in vita S. Magni cap. 27.* Post susceptam benedictionem Sacerdotalem, cùm ipse circuiret montes, intuens apta loca ad manendum, quadam die ascendit in montem Suilinc, & inuenit ibi vrsos, sed facta oratione cæperunt mites ad eum ire vti boues. Vir Sanctus prostrauit se in figuram Crucis, precans, vt populo ibi moranti Deus subueniat ad victualia acquirenda, interea vrsus vnus cæpit illi cùm pede monstrare abietem, hoc vt vidit S. Magnus, dixit ad feram, præcipio tibi in Nomine Domini, vt cùm pedibus, & dentibus tuis radices euellas; ad eius præceptum belua conuersa cæpit radices abietis rumpere, donec ipsa arbor corruit; hìc monstratæ sunt diuersæ venæ ferri. Vir Dei gratias agens, panem assumpsit, famulanti dedit, & præcepit. In Nomine Domini panem istum manduca, & sequere me, & adduces ad istum locum eum hominem, quem tibi monstrauero absque vlla læsione ab aliis feris: his dictis,reuersus ad cellulam, & secutus eum est vrsus, ubi vocauit hominem Liuto, præcipiens afferre ligonem, & securem, & vrso dixit, istum hominem perduc ad locum quem Deus nobis ostendit; Belua obediens cæpit monstrare viam vsque ad arborem, & ibi custodiuit donec homo sarcinulam suam compleuit, & ad cellulam S. Viri reduxit. Hoc facto, vrsus ad saltum reuersus est, homo prostrauit se ad D. Magnum, dicens, Domine agnosco quia Dominus est tecùm, quia bestiæ tibi obediunt.

19. *Baronius ann. 466.* Vrsum immanem in venatione diù prosecutus fuerat per saltum Carolus Magnus; cùm belua recepit se in Basilicam nemori propinquam, atque ad S.Gudilæ Virginis tumulum quasi ad asylum accubuit. Obstupuit Imperator, atque arbitratus est, sui iuris non esse, in loci sacri tutela feram adoriri. Vrsus è contra dedidicit syluæ mores, ac feritatem exuens, cæpit deinceps Sanctimonialium uestigia lambere, & quasi solent catelli, eis adblandiri,obsequiaque omnia præstare, ibique in posterùm mitis ac domesticus uixit.

20. *Lippellous in vita S. Epiphanii Episc. 12. Maij.* Cùm feræ bestiæ suo incursu depopularentur olera, quæ precibus S. Epiphanij Constantiæ Episcopi mirabiliter in sterili loco exorta fuerant; Vir Sanctus tanquam rationis compotes sic eas affatus est, nolite mihi exhibere molestiam, Deus qui mihi hoc olerum præbuit solatium ad alimentum, uobis præcipit ne meas herbas depascatis;His uerbis,mirabile dictu,feræ protinùs cesserunt, neq; damnum deinceps ullum uiro Sancto intulerunt.

21. *In actis S. Mamantis mart.* Legente eo librũ, quem inuenerat in campo, conuenerunt illùc diuersa ferarum genera, quæ prostratæ eum adorabant, & post flexa genua sursùm ad eum respiciebant. Tandem egressis feris masculinis, remanebant ibi fæminæ cùm gregibus mansuetis, uberibus lacte plenis. Quas vir Sanctus cùm grege suo mulgens, & coagulans,caseos faciebat,pauperibusque distribuebat.

22. *Marulus lib.4.cap.5.* Vrsa ad Basoli Rhemensis Abbatis cellam confugiens, pedibus eius prouoluta,sic in tuto fuit, vt canes, qui magno cursus impetu iam tergo fugientis imminebant, repentè substiterunt. Tunc Atila venator rem admiratus,predium,quod ibi habebat, Abbati concessit.

23. *Sigebertus de viris Illustr. cap. 71.* Gallus Columbani Abbatis discipulus, & Hildeboddus Diaconus,pisciculos,quos de flumine retiaculo traxerant, in solitudine assaturi,ignem concinnabant; cùm interim vrsus miræ magnitudinis propiùs accedens,diaconum quidem terruit,sed Gallo iubente,vt ligna igni inferret, obediuit.

24. *In annal.Seruo.B.Virginis Cent. 1. lib.7.c. 1.* Sunt qui referunt,duos ursos,qui in eius lapideo sepulchro adhùc exculpti uisuntur, B. Andreæ de

Burgo S. Sepulchri ex ordine Seruorum B. Mariæ iam defuncto pro eo tumulando propriis vnguibus foueam excauasse.

25. *In vita S. Germani Episcopi Parisiensis*. Eunte Sancto viro ad B. Martyris Simphoriani occursum, habitatores loci suggerunt, vt segetem Panitiæ mulieris viduæ ab vrsis deuastatam visitaret, vt suo aduentu illa bestialis repelleretur incursio; fecit ille, & oratione facta, desuper fecit Crucis signaculum, tunc mirabiliter furore armati, vnus vrsus præfocatur ab altero, ipse verò qui restiterat, dùm vellet egredi, illicò sepis palo transfoditur.

De Lupis §. 12.

1. *In vita S. Patritij cap.* 8. Quadam die cùm venisset puer Patritius in pascuis cùm ouibus sibi commendatis, è vicina sylua lupus progrediens, vnam ouiculam abripuit, abreptam asportauit. Vesperè verò reuerso Patritio cum grege ad hospitium, eius matertera pueri negligentiæ, seu desidiæ, damnum imputauit illatum, puer autem, licet à voce increpantis, & obloquentis erubuerit, verba tamen illa patienter sustinuit, & pro reductione ouis preces fudit. In crastinum verò cùm minasset gregem ad pascua, lupus memoratus occurrit, ouiculam ore gestatam deposuit ante Patritij vestigia, notaque nemoris repetijt loca.

2. *Ferrarius in Catal. S. S. 17. Martij*. Cùm lupus puerum dentibus deuorandum in loco, qui dicitur Aucllane, tum propè Pupium surrepsisset, ad præceptum B. Torrelli Eremitæ Vallis vmbrosæ ibidem commorantis, illum dimisit, & puer à morsibus liber matri restitutus est; ex quo tempore lupos ea loca deinceps infestasse, auditum non est.

3. *Idem ibidem 23. Iunij*. Habebat asellum S. Gulielmus auctor ordinis montis Virginis, quo vtebatur ad ferenda quotidie ex proximo nemore ligna. Hunc cùm lupus deuorasset, is Gulielmi præceptis parens, officium aselli non sine omnium admiratione compleuit.

4. *In vita S. Seuerini Noricorum Apostoli 8. Iannuarij apud Bollandum*. Ferocem lupum semel obuium habuit, sed illum signo Crucis mansuefecit; deinde immanem serpentem trifida lingua, & triplici dentium ordine, & hunc signo Crucis pulsauit.

5. *Ibidem in vita Sancti Kentigerni Episcopi 13. Iannuarij*. Cùm in vnum de ceruis, quibus loco bouum in arando vtebatur S. Kentigernus, iam labore fatigatum, lupus irruens suffocasset, & voracem ingluuiem ex eius cadauere saturasset. Hoc audito S. Kentigernus, manum contra syluam extendens, dixit. In Nomine Sanctæ Trinitatis præcipio, vt lupus qui mihi damnum intulit, satisfacturus sine mora accedat. Et ecce lupus de sylua prosiliens cùm vlulatu corruit ante pedes eius, cui Sanctus, surge, inquit, & in Nomine Iesu Christi præcipio tibi, vt loco cerui, quem deuorasti, aratro applicatus ares ex integro quod restat arandum. Lupus itaque verbis Sancti obediens, & ceruo copulatus, nouem iugera arando expleus, liberè abire permittitur.

6. *Ibidem in vita S. Launomari Abb. 19. Iannuarij*. Aliquandò cùm iuxta monasterium suum in solitudine ambularet, obuiam habuit ceruam ab infestatione luporum fugientem. Quos cùm vidisset, tanquam compatiens bestiæ, vir Domini exclamauit. Heùs sæuissimæ feræ semper rapaces, desistite persequi hanc bestiolam, & ite ad loca solitudinis vestræ. Ad hanc vocem viri Dei, statim gressum deflexerunt lupi ab insequendo, & non incognitam syluæ latebram ingressi sunt. Cerua verò via qua venerat regredi metuens, ereptorem suum comitata est, & ante ipsum oratorium introiuit. Quam palpans homo Dei manu sua, post duas fere horas remisit eam ad loca solitudinis suæ.

7. *Ibidem in vita S. Moedoc 31. Iannuarij*. Quadam die ludens, Sanctus puer Moedoc cùm pastoribus ouium foris in agro, vidit octo lupos esurientes, quasi familiares ad se venire, & respiciens in eos, ait eis: Tollite octo verueces, & comedite. Ad hanc vocem lupi irruentes in gregem, tulerunt octo verueces secùm ad syluas, & illi verueces erant materteræ eius, quæ nutriuit eum. Mittentes pastores indicauerunt hoc factum prædictæ mulieri, quæ venit foràs cùm ira magna ad puerum, quam videns pius puer, valdè timuit eam, & ait: Domine Iesu Christe adiuua me, quia in honore tuo tetendi escam esurientibus. Illicò inter ipsum, & nutricem suam de propinquo loco octo verueces apparuerunt, tales quales illi, quos lupi rapuerant, & familiariter in gregem intrauerunt.

8. *In Vit. P. P. Occidental. de B. Godrico Eremita*. In interiorem syluæ densitatem progrediens, occurrit lupo miræ magnitudinis sæuienti, qui in illum irruit, ac si vellet dilaniare frustatim. Intelligens autem Godricus versutiam fore hostis antiqui; Crucis ei apposuit signum, dicens: Adiuro te in nomine Sanctæ Trinitatis, vt festinanter recedas, si meæ seruitutis obsequium, quod in hoc loco exhibere Domino proposui, sit acceptum; & his dictis, fera se eius pedibus prostrauit quasi veniam precaretur.

9. *Surius in vita Sancti Guduuali Archiepiscopi 6. Iunij*. Lupum vir Sanctus in agro vidit ægerrime incedentem. Misertus bestiæ sciscitabatur ab eo alta voce, quid ipsi mali accidisset. Lupus tanquam eius verba esset assecutus, vt potuit accessit venerabundus, pedemque spina compunctum ostendens, videbatur opem poscere. Tunc vir Dei pedum admouens pedi eius, quo ouem excitarat, ait ad Dominum. Homines, & iumenta saluabis Domine: & euestigiò sanatus est lupus: iussit autem vir Dei, vt nullam deinceps creaturam infestaret. victum sibi caperet ex fœno, & siliquis, atque ita seruata innocentia tenderet ad commune mortis debitum persoluendum. Et certè postea permulti testati sunt, se beluam ex eo tempore mansuefactam. Alia vice lupus ouem eius monasterij rapuerat, occideratque; tunc Sanctus rogauit Dominum, vt lupum illum iuberet ad se venire. Et ecce aduentat lupus domestico cane blandior, recētis prædæ sanguine adhùc infectus, & mali sibi conscius, ad pedes hominis Dei se prosternit, tanquam pro

pro maleficio satisfacturus. Tunc ait Sanctus: recede cruenta bestia, & desine esse infesta ouibus nostris. Illicò lupus tanquam in ouem mutatus recedit mansuetus, & qui priùs oues diripuerat, iam illis fuit præsidio contra lupos & feras beluas fortiter illas propugnans.

10. *In vita Sancti Norberti Episcopi Magdeburgensis*. Quadam die cùm frater quidam laicus oues in agro pasceret, lupus ouem vnam rapiens aufugit, quod frater ille aduertens, lupum statim Norberti nomine interpellat, iubetque vt ouem deponat. Cui mandato lupus paruit, ac ouem deponit illæsam, & abit. Altera die, cùm fratri cuidam conuerso gregem ducere, & obseruare iusso, tota die lupus quasi concustos, omni feritate deposita, familiariter assedisset, & vespere reducentem pecus domum vsque secutus vnà illud in stabulum ex altero latere quasi diuisa cùm fratre opera, egisset, neque quidquam tamen exclusus pro mercede acciperet, quasi questus iniuriam, & debitum exigens, pedibus vt poterat pulsabat fores. Audito vir Dei pulsu, quare inquit hospiti pulsanti non aperitis? Respondentibus, non hospitem, sed lupum esse, qui pulset, & se improbè nihil pellentes moratus, ingerat, qua causa venisset inquirit, cùm omnes tacerent, accito fratre qui gregem duxerat, petit, quem eo die habuerit custodiæ socium; illo timidè quòd res erat confesso: date (inquit uir Sanctus) pabulum aliquod, mercedem enim de impenso seruitio requirit, qu ia dignus est operarius mercede sua. Proiecta igitur ad imperium Viri Dei carnium frusta, lupus tanquam operæ suæ pretium ore arripuit, & abscessit. Idem non multò post de pueri ad vitulorum custodiam excubantis manu, panem accepit sine noxa. Alia vice eius fratres foris deprehenderunt lupum qui ceperat capreolum, & accubans depascebat. Illi clamoribus abacto, rapuerunt capreolum, & tulerunt domum. Lupus insequitur, & pro foribus Monasterij sedens, querulus quasi repetebat prædam suam. Auditus ab incolis, & clamoribus obiurgatus, non se mouet, sed canis instar domestici, reflexo capite prædam quasi precabundus expectat. Nunciatum id S. Norberto, & quo pacto spolium ei ereptum esset à fratribus; qui idcircò cùm timore veniam petebant. Iussit igitur Sanctus capreolum ei restitui, dicens, non debere eum sua spoliari præda ab ijs, qui eam non ceperunt. Qua accepta lupus mox repetijt syluam nemine prorsùs læso. Alio tempore S. Norbertus cuidam puero ouium pastori petenti sibi gregis custodiam canem dari, respondit: Cùm lupus aduenerit, rapueritque ex grege aliquid, iubeto ei nostro nomine, ne quid attingat. Contigit interim lupum ouem rapere, puer memor præcepti, post lupum accurrens clamitabat, vt domini ouem dimitteret, sic dominum præcipere. Lupus, ò admirandam Dei benignitatem, ouem illæsam dimittit.

11. *Io: Colg. in vita S. Fechini 20. Ianuarij*. Vir Sanctus facta oratione mandat in virtute illius qui æquè potens est lupos mansuetos facere ac ceruas; vt lupus ferocitate deposita, mansuetus loco hinnuli accedat ad ceruam. Res mira, accedit, lupus, & cerua cùm eo familiariter agit, tanquam cùm proprio hinnulo vbera ei prebens sugenda.

12. *In actis S. Blasij Episcopi Sebasteni, & mart.* Dùm ad martyrium progreditur, paupercula vidua, cui lupus porcum vnicum quem habebat abstulerat, rogauit Sanctum vt illum sibi reddi faceret; cui ille subridens ait. Noli tristari, porcus tuus reddetur tibi in proximo: & ecce lupus veniens porcum suum illi reddidit.

13. *In vita S. Triuierij*. Cùm introijssent quidam monachi vnà cùm S. Triuierio in vastitatem Eremi, atque opacæ syluæ, cui nomen erat Memphicus, iamque triduò aberrarent, territus Vir Dei Triuierius, ne à bestijs deuoraretur, flexis genibus orationi incubuit, vt Misericordiam cùm ipsis faceret Christus, & Angelum ducem haberent, quo recto itinere viam pacis gradiendi, prosperitatem tribueret. Hac igitur oratione completa, ecce bestiæ, videlicet duo lupi, mansueto aspectu leniter venientes, flexo capite auriculis demissis adulantibusque caudis innuebant iter eorum, per semitam antecedentes ad viam publicam, eosque ab errore solitudinis dirigentes, quòusque ipsi recognoscere potuerunt cæptum caput itineris, gradientes ad patriam in diœcesim vrbis Lugdunensis, in Bressiam ad locum, quò progrediebantur.

14. *In vita S. Theodori*. Lupus ad ostium cauernæ, in qua Sanctus erat inclusus, cùm accessisset, illic expectabat. Quamobrem egressus minister eius Marinus, visa repentè fera pertimuit, & intrò rediens, rem Sancto significauit. At ille cùm grauitate subridens, ne verearis, inquit homo timide, neque enim venit vt iniuriam faceret, sed vt ipsi cibus subministraretur. Da igitur ei aliquid frater, vt non solùm in homines, verùm etiam in feras mandatum illud Dei, Omni poscenti te tribue, expleatur. Accepit igitur minister panis frustum, & poma, ex quibus solebat Sanctus cùm benedictione aliquid poscentibus impertiri, exijtque, & poma tantùm obiecit feræ, eam propellens. Quæ cùm obiecta commedisset, rursùm stabat, & non discedebat, tanquam aliquid aliud expectaret, Tunc ei panis etiam frustum obiecit, quo accepto statim discessit.

15. *Chrysostomus Henriquez in fasc. S. Sordinis Cisterciensis lib. 1. dist. 14. cap. 4. de B. Balduino.* Cùm ad tantùm peruenisset augmentum, quòd tres haberet capreas, pascuis eas emittens, curæ, & custodiæ Dominicæ eas commendabat, præ timore luporum, quorum magna multitudo tunc temporis ibidem habebatur. Quodam igitur die, dùm dictæ capræ diutiùs morarentur, minister sollicitus foràs eggressus est, vt eas quæreret: conspexitque quasi sex capreas venientes, & mox ad B. Balduinum currens ait. Domine, non habemus nisi tres capreas, & ecce sex simul adueniunt. Quas cùm ambo diligentiùs intuerentur, cognouerunt tres ex illis lupos esse, & quasi hędi cùm eis ludentes, persilientes, & circumsilientes eas vsque ad stabula sine omni læsione perduxerunt, quibus stabulatis, cùm omni mansuetudine reuersi sunt.

16. *In actis S. Opilij*. Rapuerant quondam lupi duas oues cuidam pastori, qui subitò implora-

uit auxilium S.Opilij Diaconi Placentini, orauitque statim vir diuinus, & qui cùm furto rapidè fugiebant, continuò per impressa vestigia redierunt, & reatum quasi procliuibus ceruicibus confitentes, ante pedes Sancti viri, prædam vt pauidi obtulerunt. Indulsit illis vitam pariter, & recessum, firmiter tamen illis præcipiens nè ipsa amodò, seù consimilia animalia prorsùs Ecclesiastica molestarent.

17. *In vita S. Syluestri Abbatis Auximatis.* Virum Dei hordeaceo panè famem sedantem, ac frigida sitis ardorem temperantem, tres viri offendunt, qui conueniendi, visendique hominis causa è propinquo Fabriani oppido discesserant. Hos ergo cùm vidisset Syluester, lupum secùm commorantem, ac suis diuinitùs parentem imperijs, tantisper abire iussit, qui capite, caudaque adblanditus abscessit.

18. *Rayssius.* Mandato Eustorgij Mediolanensis Episcopi, lupus iugo se submisit, & currum traxit, quo tria Magorum corpora aduehebantur in Italiam. Priùs enim deuorarat duo iumenta, quibus currus ipse trahebatur.

19. *In annalibus min. anno 1222. n. 17. de Sancto Francisco.* Peruenit S.Pater Eugubium in Vmbria, vrbem antiquam ad Apenini radices positam, non longè à Tipherno, vbi mulierem contractam habentem vtramque manum sanauit, & lupum populo, vltra quam credi potest, infestum cicurauit, inito cùm eo pacto, quasi cùm rationis capaci loqueretur, quòd ille nullum læderet viuens, & ciues illum alere tenerentur. Ita conuentum in publico foro inter vtrosque præmissa concione; qua vir Sanctus ostendit animalia hæc feracia aliquandò à Deo immiti, vt deuiantem populum reducant, & peccantem sui moneant officij. Vixit per biennium inter eos, ingrediens, & regrediens lupus sua contentus refectione quotidiè sibi ministrata, ad cuius conspectum semper excitabantur populi ad Dei laudes, & maiorem Francisci reuerentiam.

20. *Ibidem ann. 1217. num. 12. de S.Francisco.* Dùm ab oppido Cotanello extra vallem iuxta Calentinum torrentem, haùd procùl à Tiberi sito, rediret ad tuguriolum, & rusticum quemdam filiolum vlnis gestantem rogaret, vt se comitem, & itineris ducem adhiberet, ille verò se excusaret propter frequentem, & quotidianum luporum incursum, qui vndique regionem illam, quasi plaga cælitùs missa diuexabant, fideiussit pro lupis nullum ei neceunti, nec redeunti nociturum, quod experimento comperit; nam noctu domum redeunti cùm filiolo, duo occurrerunt lupi cauda blandientes, qui ad suam vsque casellam absque vlla iniuria magna hominis admiratione associarunt, quod cùm manè cæteris narrasset ruriculis, conuenerunt omnes virum Dei, supplicesque orauerunt, vt suis precibus à tanta ferorum animalium rabie eos liberaret. Orauit igitur Sanctus, promisitque si se peccatorum verè pæniterent, ab illisque in futurum abstinerent, à rapacibus animalibus liberos futuros; Vti euentus comprobauit. Tantùm autem beneficium non absque memoria, & gratitudine recipiendum putarunt, impositoque sibi spontaneo tributo de dandis certis olei mensuris perpetuis illius eremitorij incolis id sedulò præstant, nam vel ad vomitum peccatorum redeuntes, vel beneficij immemores, continuò ab irruentibus lupis sui officii monentur, vt ipsi qui modò viuunt testantur ruricolæ.

21. *Ibidem ann. 1454. de B.Francisco Ticinensi.* Ad Oratorium eremitæ prope Porcariam commoratus, excipit rusticorum querelas, nil sibi ab immani lupo tutum neque se, neque pecora, neque iumenta, neque quidquam viuentium. Per nemus ambulanti occurrit rabidus lupus, & tanquam dominum reueritus substitit. Ille ferum hunc, & prædabundum populis adeò inuisum esse suspicatus, tanquam rationis capacem alloquitur, reprehendit, & morte dignum pronuntiat. Quod si malorum præteritorum pertæsus, alia non comittat, dicit se parciturum; lupus inclinato capite corporisque motibus pænitentiam præferens, veniam videbatur exposcere. Vt se rediturum expectaret præcipiens vir Dei, abiit celeriter ad cænobiolum, suoque discipulo quod comederet eduxit. Noui inquit rapinæ tuæ causam, esuriem scilicet, duxi itaque hoc ad te edulium, vt hilariùs meum excipias mandatum: manduca, sed ab omni hac regione recede, atque in alijs caue ne hominibus, aut pecoribus damnum intuleris, alioquim quam nunc euadis mortem, non effugies. Abiit, neque ampliùs auditum est cuiquam damnum intulisse.

22. *Ibidem de Beato Adamo ordinis Minorum.* Illud memoriæ traditum est, illum aliquandò ad viam per loca deuia aberrantem, habitu à lupo apprehensum, reductum fuisse.

23. *Gonzaga de conuentu Montis-Muri propè Scarlinum sub prouincia Tusciæ.* Assueuerant edocti fratres à B.Thoma de Scarlino, singulis noctibus post matutinas horas huius loci chorum processionaliter exire, eoq; ordine ad quandam vsq; plateam procedere; indèque diuisi singulariter tuguriola quædam ex ramusculis contexta orationis vacandę ergo, petere, inibique ad auroram vsque contemplationi vacare. Volens itaque Dominus Deus ostendere quàm grata sibi foret huiusmodi consuetudo, pregrandes quosdam lupos eò immisit, qui fratribus associati, non secùs ac mansueti agniculi secùm per id temporis spatium perseuerabant, sed ab eo temporis, quo ex quadam negligentia is laudabilis mos pretermissus est, & præfati lupi nunquam ampliùs visi sunt.

24. *Constantius Lodi in vita B. Ioannis Boni lib. 2.* Quamdam lupam persequebantur venatores, quæ cùm ad cellam B.Ioannis fugisset, ceù auxilium deposcens, iussit illi Beatus, vt quiesceret, incolumnitatem promittens: stetit statim ferum animal, venatoresque haùd accedere potuerunt. Tunc B.Vir lupæ discessum permisit, viamque per quam tuta fugeret, ostendit, cui statim obediuit.

25. *In vitis P.P. Occident. lib. 1. de S.Machute Episcopo, & Eremita.* Cum S.Eremitæ rusticus quidam asinum ad ligna deferenda dedisset, & lupus eumdem comedisset; B.vir ad nemus accedens, lupum inuenit, & eum diuinitùs adeò mansuefecit,

cit, vt cùm monachis domesticè habitaret, & aselli onera cuncta de cætero baiularet, eiusque opera perficeret.

26. *Maiolus coll.7.* Non longe à Nilo in magna eremo, syluestris lupa anachoretæ cuidam Sanctissimo semper cenanti pro foribus tugurioli adstabat, donec cenatus reliquias porrigeret. Illa verò lambens illius manus, quasi deosculans, in suas redibat latebras.

27. *Surius tom.6.* Odo Cluniacensis Abbas per vastam eremum ad B. Martini monumentum noctu progrediens, à vulpibus non paucis morsibus laceratus fuit; sed illicò lupus rapidissimo cursu adueniens, illas profligauit, deindè per reliquum iter se comitem Sancto præbuit.

28. *Ignatius de Nente in vita Ven. Sor. Dominicæ de Paradiso lib.1.cap.45.* Dùm Ven. Dominica semel in deserto ambulans, lupum ad se venientem vidisset, imperauit illi in nomine Iesu, vt aliò diuerteret, cuius imperio, ceù rationalis creatura, statim paruit.

29. *In actis S. Chunegundis Imperatricis.* Lupus quidam rapuerat paruulum; cùm eius mater ad Ecclesiam confugiens, filium feruentibus precibus S. Virgini Chunegundi comendauit: mane facto lupus de sylua erumpens, puerum, quem rapuerat, illæsum reportat, & in sulco, vbi boues pridiè arauerant, in pellicula sua diligenter inuolutum collocat, ipse propè sedens custodias obseruat; vbi verò ruricolas, & vomeres iam appropinquare sibi videt, quasi de paruuli quiete securus, mansuetus discedit: quem illi vt mos est clamore persequentes, seruus qui boues stimulabat, pelles aspiciens, ecce ait tegumenta pueri, quem lupus rapuit; accurrentes, dormientē paruulum intactum, vultu splendidum reperiunt, & non sine multa admiratione, hæc considerantes, ciuibus, & matri nunciant, illa aduolans, & præ gaudio in lachrymas prorumpens, vbi, & quo modo fuisset inquirit, ille iuxta ætatem simpliciter, canis, ait ille qui me asportauit, blandè me perlingens in suo sinu compositum tota nocte dormire fecit.

30. *Trithemius lib.2. miraculorum B. Virginis.* In Villa Bibergauue ann. Domini 1506. immanis lupus rapuit puerum cuiusdam ruricolæ, cui nomen Richardus Schiller: Hic videns lupum raptorem, prædamque haud eripere valens, ad B. Virginem confugit, promisitque, si illæsum puerum reciperet, progressurum ad venerandam eius imaginem propè Dittelbach; mira res, mox vt preces homo compleuit, puerum lupus dimittens ab ore in terram, procùl indè aufugit. Pater autem videns à remoto lupum fugientem, accessit ad puerum, & inueniens eum sanum, & incolumem, Dominæ nostræ gratias egit, & votum suum lætus impleuit.

31. *Cæsarius lib.7.cap.46.* In Castro Veldensi matrona quædam nomine Iutta, cùm filiam in proximum pagum educandam tradidisset, puellam iam triennem in area ludentem, lupus, collo mordicùs comprehenso, ad syluam detulit, quod cùm esset nuntiatum matri, statim surgens, & illachrymans, sacellum quoddam B. Virginis est ingressa, & de sinu Virginis Imaginem Saluatoris auferens, fusis precibus in hæc verba prorrupit: Domina, nisi mihi sospitem reddas filiam, hanc Saluatoris Nostri Iconem non restituam: tunc temporis lupus puellam dimisit; quidam enim quærentes in sylua saltem ossa puellæ, vt sepelirent eam, iuxta frutetum deambulantem inuenerunt, lupique dentium stigmata in gutture impressa habentem, in tanti miraculi testimonium viderunt.

32. *In Chron. Cassinens. lib.3. cap.38.* In monasterio B.P.N. Benedicti, quod intra Salernitanæ vrbis mænia constructum est, & huic Cassinensi cænobio ab ipso constructionis suę exordio subditum, satis insigne miraculum contigit. Ex ipsius namque monasterii familia, vorax hominum lupus paruulum puerum clandestinus impetiit, rapuit, & habuit; post quem transfixa dolore mater inclamans ait. Adiuro te bestia per B. Benedictum, cuius seruus est, ne filium meum vlteriùs feras, sed eum sub omni celeritate dimittas: quo lupus audito, hunc quidem quem ferebat aperto protinùs ore deposuit; alium verò puerum repentinus insiluit, eumque subitò dissecans, truncum cadaueris spreuit, præcisumque caput mordicùs confixum in suas latebras concitus asportauit.

33. *In vita B. Alberti Eremitæ 7. Ianuarij ap. Bollandum.* Mercator quidam ex Valdorcia, Grossetum tendens, iumentum amisit; B. Alberti opem implorat; Illud post paulò inuenit inter duos lupos securum, neque enim valebant, audebantue propiùs ad illud accedere.

34. *In actis S. Anselmi Lucensis Episcopi.* Lupus puellam surripuerat, mater interim clamabat, appellans S. Anselmum, vt filiæ opem ferret, & ecce statim ad hoc nomen, lupus ex ore dimisit filiam non audens eam tangere.

35. *In vita B. Bernardi Abb. Tironiensis.* Vir Domini dùm Tironiæ existeret, contigit vt Pastor bucularum illius, quadam fortè die negligentiùs agens, vitulum in sylua derelinqueret, quem se deseruisse comperiens, siluam peragrando studiosissimè quæsiuit, nec inuenit. Vir autem Domini post biduum extra cellulæ suæ portam cùm aliquot Fratribus sub vmbra cuiusdam arboris residens, ab opacitate siluarum lupum conspicit egredientem lento passu vitulum deducentem, & ne à quadam semita, quæ à silua vsque ad cellam viri Dei per quamdam camporum planiciem tendebatur, exorbitaret, caudæ suæ verbere leniter minantem. Lupus verò cùm ad præsentiam viri Dei venisset, atque blandienti vultu illum conspexisset, paulisper substitit, demissoque capite illi, quasi vitulum suum commendans, ad siluas remeauit.

36. *In vita S. Claræ Virg. cap. 29.* Puella quædam de Castro Cannarti, clara die in agro sedebat, in cuius sinu mulier altera reclinauerat caput, & ecce lupus hominum rapax, furtiuos ad prædam concitat gressus. Quem tamen puella vidit, sed quia canem credidit, non expauit. Cùmque infantula cæpto intenderet scrutinio capillorum, efferatur in illam bestia truculenta, eiusque vultum suo vasto hiatu concludens, prædam portabat ad Syluam. Surgit protinùs mulier stupefacta, & Sanctæ

Claræ

Claræ memor, clamores suscitat, dicens, succurrere Sancta Clara, succurrere, tibi in hac hora puellā istam commendo; ipsa denique (mirabile dictu) quæ lupi dentibus portabatur, contra lupum inuehitur dicens. Portabis me tu latro vlteriùs tantæ Virgini commendatam? Qua inuectione confusus lupus, puellam statim in terram molliter posuit, & quasi deprehensus festinè discessit. Alij etiam mulieri de monte Galliano Assisinatis diæcesis, nominata Bona, Lupus rapuerat filium, at inuocato B. Claræ auxilio prædam statim raptam dimisit.

37. *Daniel Bartolus in vita S. Ignatij*. Anno Domini 1626. multitudo luporum è montibus descendentium, Valles Pedemontanas, & præcipue Aximam inuaserat, multoque damno quotidie causabat.; At inuocato B. Ignatio nouemque diebus solemni processione ad eum concurrente populo, illicò fugam arripuerant cuncti, pueros, quos obuiam habebant, minimè lædentes.

38. *Bozius de Signis Ecclesiæ lib. 22. cap. 1.* Cùm olim à lupis summoperè infestaretur Britannia, postquam Fidem catholicam est amplexa, nullus in Anglia lupus, sed neq; animal maleficum, vulpe excepta, reperiebatur.

39. *Antonius Posseuinus*. Antesignanus quidam Caluinista doluit aliquandò vehementer apud virum religiosum, quòd in suo districtu (erat enim custos cuiusdam arcis in Liuonia Prouincia) lupos ampliùs capere non poterat, vt solebat, causans foueas, quæ in eorum capturam fiunt, fuisse à rusticis incantationibus præpeditas. Respondit pater habere se lustralem, seu benedictam aquam, qua cum loca illa aspersurum se dicebat, vt incantationes illę dissoluerentur. Risit tùm Caluinista (vt solent omnia deridentes hæretici) subdens: Ego si præcātationes huiusmodi aqua lustrali dissolutas viderem, luposque propterea capi, crederem profectò diuinam esse rem huiusmodi aquam; igitur sacerdos noster benedixit de more aquam, foueasque illas conspexit, & confestim lupi aliquot capti sunt.

De Ceruis. §. 13.

1. *In actis S. S. de S. Mochua 1. Iannuarij apud Bollandum*. Cùm B. Munnu ad S. Mochuam profectus, vt eius precibus à lepra liberaretur, ab illo iam curatus esset; regrediens, cùm ad medium peruenisset iter, pes alicuius equi, qui currum eius ferebat, fractus est, quod cùm S. Mochua percepisset, Ceruum de monte vicino vocauit, qui se sponte currui subijciens, mansueti equi ministerium implens, vir Dei Munnu ad domum suam prospere ductus est.

2. *Ibidem*. S. Mochua proficiscens ad consecrandam Ecclesiam, quam Sanctus Kyenanus ędificauerat, transiens per Montem Mairg, duodecim ceruos, quos ibi reperit, secùm tanquam boues domesticos ducens, singulos lignis onerauit, & sic ad Ecclesiam perduxit. Cùmque ligna de ceruis deponerētur, super eosdem iussit vir Dei aquam ad carnes eorum coquendas deferri. Quod & factum est. Post hæc iussit ceruos illos occidi omnes, quorum carnibus turbæ pauperum satiatæ sunt.

3. *Ibidem in vita S. Simeonis Stylitæ 5. Iannuarij*. Quodam tempore venientes quidam de longe ad oratorium eius, meridiana diuerterunt paululùm ad vmbram arboris propter æstum ad repausandum. Cùmque sederent. Ecce pręgnans cerua præteribat secùs illos, & dixerunt ad eam: Per Virtutem, & Orationem S. Simeonis adiuramus, modicum sta, ut comprehendamus te; Et eadem hora stetit, & apprehendentes eam, occiderunt impiissima temeritate, & manducauerunt partem aliquam ex ea. Statinque obmutuerunt, & cæperunt balare sicut cerua.

4. *Ibid. in vita S. Kentigerni Episcopi 13. Iannuarij*. Ne panem suum otiosus comederet, manibus suis in agricultura laborare consueuit: Et cùm boues sibi deessent, ceruos de saltu in nomine Domini ad se venire, & loco bouum terram arare præcepit. Qui statim obtemperantes, & mansueti effecti, terram arare ad pascua ire, & ad tempus consuetum redire solebant.

5. *Ibidem in vita S. Bassiani Episcopi Laudensis 19. Iannuarij*. Cùm iam Rauenna quindecim passuum millia abesset S. Episcopus, intuitus ceruam cùm duobus hinnulis, quam venātium insidiæ adeò afflixerant, vt omnem liberationis respectum prorsùs eriperent. Mouit pietatis affectum in eam, eiusque, ac filiorum periculo condescendere benignè deliberans, præcepit ei in nomine Domini, vt ad se intrepida accederet, quæ mox omni exuta ferocitate, virum Sanctum adiit, quam dùm manu propria velut multò ante suetam leniret, ipsa illius pedes congratulans auide lingere cæpit, tanquam salutis suæ viam per eam se habituram nosceт. Post breue tempus ad ipsius nutum, lustra, quibus metus expulerat, cùm fætibus repetit.

6. *In actis S.S. Februarij tom. 2. in Cont. Bollandi*. Hortulum colebat S. Lucas Iunior Soterii in Gracia; cùm horti labores, atque culturam cerui montibus exilientes, eòque loci crebrò aduenientes, & quà depascentes, vastabant, quà pedibus deformabant. Hos sæpè vir Dei clamoribus, lapidibusque expulerat, sed frustrà. Semel igitur vni ex maioribus, ac si ratione polleret, exprobrauit illius perfidiam, Deoque iubente pręcepit, vt à loco non amoueretur, quoadusque condignas penas daret. Dixerat Vir Sanctus, isque veluti telo percussus, statim in terram prostratus immobilis iacuit, stetitque quòadusque à viro Dei abeundi obtinuit licentiam.

7. *Ibidem*. Cùm S. Theliaus, & Madocus lectionibus vacarent, superuenit famulus quidam dicens ligna deesse, quibus fratrum cęna præparari posset. Qui egrè ferentes audita, ad Syluam cùm festinatione perrexerunt, & ecce duo cerui mansueti occurrentes, qui ad seruiendum parati colla sua iugo submiserunt. Cùmque Sancti onerato plaustro redirent, viris longè præcedentibus Sanctis, nullo vrgente cerui velociter eos secuti sunt, & post multo tempore ligna, & alia monasterio necessaria detulerunt.

8. Mon-

8. *Mombritius in actis S. Abundij & Carpophori*. Ob ingentes cruciatus maxima laborabant siti S.S. Martyres, quod cùm Beatissimus Proculus cognouisset, ceruam cùm hinnulo gradientem in virtute Nominis Domini Nostri Iesu Christi, vt immobilis maneret imperauit. Ea verbo Domini obediens, mansit immobilis. Tunc scypho accepto, lac mulgeri iussum est, datusque est potus sitientibus viris, & penitùs restincta est sitis.

9. *In vita S. Fechini Abbatis*. Erat in Monasterio quædam Sanctimonialis innocentissimæ, & Sanctissimæ vitæ, Ernania nomine; Quę cùm non haberet vndè præberet lac in molendini opere laborantibus (in Monasterio enim illo tunc nō admittebant vaccas) conspiciens in vicino nemore ceruam lactantem suum fætum, accurrit ad eam, & in Nomine Christi mandat, vt permittat à se mulgeri ad vsum laborantium pro seruis Dei lac præbitura. Acquiescit fera, & non solùm tunc, sed & singulis diebus cùm suo fętu accedens ad illum locum, qui ab indè Cros-naheilte, idest Crux ceruæ appellatur, se ab ancilla Christi mulgeri mansueta permittebat.

10. *S. Antoninus Part. 2. Chron. tit. 12. Cap. 7. §. 1. de S. Goare confess.* Cùm vir Dei iter duobus cùm socijs faceret; hi quodam die ita fame, & siti laborabant, & ad mortem vsque deuenerint. Tunc ad eum venerunt tres ceruæ miræ magnitudinis, Trinitatem repræsentantes, Quæ iussæ ab eo stare, se firmauerunt, & mulsit eas in vasculo, & iussit exindè illas abire. Sanctus autem ex illo lacte liniuit corpora eorum, & confortati sunt.

11. *Io. Colg. de S. Fintano 3. Ianuarij*. Columbano petente qui suam sarcinam portaret, & Fintano pulsante suam campanam, duo de sylua cerui accurrerunt, qui cùm omni mansuetudine adstiterunt. Appositis ergo rebus Columbani super cornua vnius, Fintanus ait, ò Columbane sequere hunc ceruum quòcunque te præcesserit.

12. *In vita S. Macrinæ auiæ S. Basilij 14. Ianuarij*. Cùm S. Macrina vnà cùm eius viro in eremo multis annis latuisset; Cerui, aliaque animalia in cibos se mactanda offerebant eis.

13. *In vita S. Aegydij Abbatis*. Cerua nutricis officium exhibens, quotidiè statis horis ibat ad Sanctum Ægydium, illumque suo alebat lacte.

14. *Nicephorus lib. 4. ann. Eccl.* Clodoueus Francorum Rex aduersùs Gothum ducturus exercitum, ad B. Martini sepulchrum donaria misit, tanquam de futura victoria oraculum expectaturus. Cùm igitur cùm exercitu progrederetur, Viena amnis, qui crebris imbribus intumuerat, transitum impediebat. Tunc Rex ad orationem confugit: Et ecce ad primam insequentis diei lucem ceruus è sylua, nemine inclamante, in conspectum se prorrupit, qui magnis militum vocibus indè excitus fluuium enatans, quasi itineris explorator, vadum monstrauit. Hunc secuti milites, in vlteriorem fluentis ripam, quà ceruus traiecerat, euadunt.

15. *In vitis P. P. lib. 1. cap. 26. de S. Macario Romano*. Cùm S. Macarius per duos dies comite Onagro ambulasset, tertia die ceruum miræ magnitudinis à longe adspexit; quem Onager videns & pertimescens, declinauit à Sancto, qui solus relictus, angustiatus est, viam non habens. Tunc contra ceruum clamans, dixit; quia adiutorium mihi tulisti, per Deum adiuro te semitam mihi ostende. Ad hanc vocem, velut animal domesticum ad eum declinans, angustum ingressus callem, post tergum illum semper adspexit, sicque illo duce, tribus alijs deambulauit diebus.

16. *In vita S. Pamphili Episcopi Sulmonensis*. Cùm Romam proficisceretur S. Episcop. in itinereque semel maxima siti, & fame laboraret, repentè ceruam è propinqui montis vertice aduentantem videt; eaquę vocata, tanquam arcano humanitatis sensu ante ipsum procumbens, distenta vbera lacte, demittit, quo ille expresso, fatiscentium comitum, & famem sedat, & fidem creberrimè alit.

17. *In vita S. Rodani Abb. Lothrensis*. Cerua quædam de siluis egrediens, ad Rodanum veniebat, & ad vesperum circa solis occasum mulgebatur ei. Eadem cerua velociter transiens longo terrarum spatio, altera hora, scilicet mane, mulgebatur à S. Colmanno Ela. Alia vice cùm S. Rodanus venisset à ciuitate Temoria, ecce quidam leprosi occurrerunt ei in via, rogantes eum; Tunc Rodanus equos currus sui dedit illis, statimque duo cerui ex siluis currentes, mites facti, sub curru S. Rodani domita posuerunt colla: erantque sub curru eius donec ad suam domum peruenit.

18. *Vadingus in annal. Minorum ann. 1447. de B. Thoma Florentino*. Ingentem conspicatus in sylua ceruum, ad se vocauit, iussitque vt fratribus dùm viueret, colligendis per castra, & in cænobium referendis eleemosynis, deseruiret. Obsecutus, se clitellis grauari, & fræno circumduci permittebat. Post multos menses, extra cænobii syluam oberrans à venatoribus fuit occisus.

De Tauris, & Bobus. §. 14.

1. *Nicephorus*. Immissus ferox taurus, vt quemdam Sanctum martyrem dilaniaret, is ad pedes eius prostratus, eos lambere cœpit. Quod & aliis S.S. Martyribus euenit.

2. *S. Antoninus Ch. par. 2. c. 1. ti. 9. §. 3. de S. Syluestro*. Cùm ferocissimum taurum opera dæmonis occisum, S. Syluester suscitasset: ad eum conuersus dixit: Taure surge, & ad armentum mansuetus recede; statim igitur taurus surrexit, & cùm omni mansuetudine abijt.

3. *Rodericus Toletanus de rebus Hisp. lib. 1. c. 13. de Rege Veremundo, & Episcopo Athaulpho*. Cùm Episcopus vocatus ad curiam, quinta feria ante Pascha venisset Ouetum, consulentibus sibi aliquibus, vt antequam ad Ecclesiam descenderet, se Regis conspectui præsentaret, Episcopus constanti animo sic respondit; quòd prius se præsentiæ Saluatoris omnium exhiberet: & post in præsentia tyranni Principis compareret: intransque Ecclesiam Saluatoris, illicò indutus sacris vestibus, diuina officia celebrauit. Rex autem, taurum ferocem præceperat adduci, vt in venientem Episcopum

pum desæuiret: Sed Episcopus innocens cùm talia præsensisset, consummatis officijs, ad locum, vbi taurus æstuans mugiebat, accessit intrepidus, & mox taurus ad Episcopum veniens, cornua in manibus eius dimisit, quibus dimissis, ad montem, vndè venerat, remeauit. Episcopus autem cornua, quæ sibi taurus dimiserat, coram altari deponens, Domino Saluatori cùm cæteris fidelibus soluit laudes.

4. *Vuillielmus Malmesburiensis de gestis Pontificum Anglorum; de Ioanne*. Miraculum celeberrimum illud habetur, quod habitatores Beuerler, quo loco iacet corpus prædicti Episcopi, pro spectaculo solent exhibere. Tauri ferocissimi, qui nodosissimis vinculis astricti magno virorum fortium sudore adducuntur, statim vt cæmiterium ingressi fuerint, ita omni feritate sopita conquiescunt, vt oues simplicitate putes. Laxatis ergo nodis dimittuntur per atrium proludere, qui antè quidquid obstabat solebant cornibus, & pedibus impetere.

5. *In vita S. Francisci de Paula*. Cùm Turtureti esset Sanctus, audiuit Baronem de Cesaro in vicino habitantem abundare armentis; & bouum pari indigere sciens quemdam in Calabria Conuentum, illùc excurrit, quod opus erat pro Dei amore petiturus. Sciebat Baro, nullos sibi tunc in campo Boues nisi indomitos pasci: ergo molestum excussurus petitorem, potiùs quàm portulata daturus, ire in campum iussit, & quos vellet abducere. Sed obstupuit cùm vidit, quòd collo apprehensos intrepidè duos, agnorum instar ante se ageret; & ratum esse delectum iussit. Iuerunt autem, vt iussi erant, ad Mylassense monasterium boues, ducente nemine. Aliis vicibus indomitos iuuencos sibi ad fabricæ necessarios mirabiliter cicurauit.

6. *Chrysostomus Henriquez in notis ad Marty. Cistercienf. 7. Aprilis, de Hermanno conuerso*. Iuuencus ferocissimus fertur ad eius pedes humiliter se prostrasse, cui vir Sanctus; ne de cætero vel ferocem se exhiberet, vel laborem recusaret præcepit, & ab ipsa die mirabilem mansuetudinem induit.

7. *Colganus de Sancto Senano*. Moris erat discipulis Sancti viri Natalis, vt singuli per vices aduigilarent ad vitulos monasterij, ne ad matres extra horas consuetas accederent. Quandò autem S. Iuueni Senano obtigit suas peragere vices, incępit vitulos iam congregatos ad pascua ducere; & ibi custodire: sed matres suas fætus eminùs videntes accurrunt. Sanctus autem Iuuenis hoc aduertens, conatur vaccas abigere, & retrò flectere, matres iterùm retrò recurrunt. Cùm autem Sanctus ob alternas abactiones, frustrà attentatas, videret suam operam perdi, per extremitatem sui baculi, ducta per terram linea, posuit inter matres, & vitulos limitem, quem in virtute Christi mandat, non audeant transgredi. Mirum dictu, statim eius mandatis parent bruta animantia, nec hinc, vel indè terminum pręfixum transiliunt, & sic postea quoties hæc cura erat ipsi demandata solebat S. Iuuenis eodem modo à fœtibus matres distermina-re, & totum tempus lectioni, & orationi impendere.

8. *Vincentius in Spec. Hist. lib. 18. Cap. 26. de S. Martino*. S. Martino à Treuirensi ciuitate reuertenti fit obuiam vacca, quam dæmon agitabat, quæ relicto grege suo, ad homines ferebatur, & iam multos noxiè petulca confoderat; sed postquam ad eum toruis furibunda luminibus propiùs accessit: Martinus eleuata protinùs obuiam manu, pecudem consistere iubet, quæ mox ad verbum ipsius stare cæpit immobilis, diabolumque recedere iussit Sanctus Episcopus. Tunc bubulca ante eius pedes recepta quiete prosternitur. Deindè iubente Martino, gregem suum petit, seque agmini cæterarum, oue placidior, immiscuit.

9. *In actis B. Christianæ Virginis apud Bollandum*. Ferunt, eam boues pascentem, vt liberiori animo orationi se dederet, ijs præcepisse, vt syluestres tantùm carpescerent herbas, segete, aliisue satis abstinerent. Paruerunt brutæ animantes ita exactè, ac propè religiosè, vt neque pedibus conculcarent, neque ore lamberent folium vnicum, aut segetis, aut herbæ alterius ex ijs, quibus sibi Virgo interdixisset. Ipsa interim in meditationem rerum diuinarum, precationemque non secura magis, quàm ardenti pietate incumbebat.

10. *In vita S. Patritii Episcopi cap. 142*. Erat Sancto Patritio, quidam armentarius admodùm religiosus, Rodanus nominatus. Hic sub pastorali cura vitam quodam modo ducens Eremiticam, ac orationis studio vacans, vaccas cùm vitulis in vna pascua pascebat, miroque modo de mandato S. Patritij sub disciplina totum arcens armentum, nihil inquietum, aut indisciplinatum in sua sinebat cura; vituli namque nunquam accedebant nisi ad nutum Rodani, & hæc faciebat authoritate, atque virtute S. Patritii Patris sui. Is postmodùm letteras discens, illarum scientiam sufficienter attigit, atque Pontificalem gradum ascendens, in vita, & post mortem miraculis multis effloruit.

11. *Thom. Boz. lib. 12. cap. 21. de Signis Ecclesiæ*. Antonius à Lionessa in Monasterio Montis Odorisii tantę fuit sublimitatis, vt indomitos tauros voce sola compesceret, dictisque suis redderet obsequentes.

12. *In vita B. Turribii Alphonsi Mogroueii cap. 15*. Cùm semel Venerab. Archiepiscopus Diœcesim suam visitans, solus in quandam syluam orationis causa diuertisset; de repentè syluestres Tauri, versùs eum summa velocitate, ferocitateque currentes, in vitæ discimen posuere: tunc seruus Dei, ad orationem confugit, parùmque à via declinauit, & ecce mirum; feroces bestiæ, hominibus summè ijs in regionibus infestæ, ante ipsum transeuntes, ceù mites agni prætererunt. Eo autem in loco, in quo B. Archiepiscopus stetit, statim arbor enata est, quæ hùc vsque viriditate pollet; Arborque Beati Archiepiscopi vocatur.

De

De Equis, & Iumentis. §. 15.

1. *Tilm. Brendeb. lib. 5. coll. fac. cap. 44.* Cùm Ioannes Episcopus Bergomatis Ecclesiæ, Vir miræ Sanctitatis, cùm Rege Chroniberto in conuiuio loqueretur, eumque fortè offenderet, Rex illi in hospitium reuertenti, Equum ferocem præparari fecit, cui cùm iam Episcopus supersedisset, ita mansuetus extitit, vt eum blando incessu vsque in domum propriam deportaret; quod Rex audiens, Episcopum honore debito coluit, & ei ipsum equum largitus est.

2. *S. Gregorius lib. 1. dialog. cap. 10. de S. Fortunato Tudertinæ ciuitatis Episcopo*. Equus cuiusdam militis in rabiem fuerat versus, ita vt à multis teneri vix potuisset: Sed quoscumq; potuit inuadere, eorum membra morsibus dilaniaret. Tunc vtcùmque à multis ligatus, ad virum Dei deductus est. Qui mox eius capiti extensa manu signum Crucis edidit. Cunctam eius rabiem in mansuetudinem mutauit, ita vt postea mitior existeret, quàm ante illam insaniam fuisset. Tunc idem miles equum suum, quem celerrimè ex miraculi imperio à sua vesania vidit immutatum, eidem Sancto viro decreuit offerendum.

3. *Gulielmus Abbas in vita S. Bernardi lib. 1. cap. 13.* Cùm S. Pater à Cataluno rediret, frigore, & vento tàm ipse, quàm qui cùm eo erant grauiter laborabant. Cùmque præcedentibus multis qui tunc fortè in comitatu eius erant, nec præ angustia frigoris ad eum attendentibus, penè solus ipse sequeretur, contigit equum vnius de duobus, qui cùm eo erant, incautè dimissum euadere, & excurrere per planitiem latè patentem: Quem cùm apprehendere non possent, & intemperiem aeris ad hoc non permitteret vacare diutiùs. Oremus inquit, flexisque genibus in oratione cùm fratre, qui cùm eo erat, vix adhùc Dominicam poterant orationem expleuisse, cùm ecce equus ille cùm omni mansuetudine reddens, substitit ante pedes ipsius, & redditus est sessori suo.

4. *Antonius Gentius de Sancto Vualeno*. Equus, dùm Sanctum haberet sessorem, quasi agnus mansuetus modestè se habuit. Cùmque famulus Dei ab illo descenderet, fremitu, & vario motu membrorum se agitare consueuit (nempè vt non alium sessorem pateretur) vndè mortuo Abbate, equus expilatus emacruit: & vsque ad interritum languens, nullo operi aptus fuit. De hoc equo singulare etiam refertur. Quòd cùm aliquandò famulus Dei ascendere non posset, genua flexit, & ventri terræ adhærens, latus versùs Abbatem vertit. Qui postquam ad placitum in sella se composuit, equus maturè surgens, recto gressu, viam capescit. Id etiam obseruatum in ipso pluries; si quandò Sanctus dormitare inciperet, moderatè incedere, montuosam, & asperam viam semper declinare. Excusso autem sopore, celeri gressu insequi, & consequi præcedentes consueuisse.

5. *In vita S. Moedoci Episcopi 31. Iannuarij*. Quadam die, cùm Sanctus Moedocus iter ageret, accurrit ei in via Sanctus Colmanus; In illa hora equus Colmani mortuus est, cui illicò Sanctus Episcopus equum suum sub curru Colmani dedit, & cùm indè discessisset, alius equus hyacintinus à Deo missus, sub curru Sancti Moedoci statim mitis venit.

6. *In actis Sancti Samsonis Episcopi*. Honorante illum Rege, & alijs ibi adstantibus eum adorantibus, Regina perseuerabat contra eum in malitia sua, & factum est, cùm Rege concedente, ad locum vbi Induualus erat, Sanctus Samson ire vellet, Regina illa equum furiosum indomitumque ad deducendum eum de grege adduci iussit; quo viso Sanctus Samson, Signum Crucis in faciem eius imposuit, & sella desuper imposita, ipse super eum sedit; ita tam mitis equus, & tremens erat, vt vix pedem mouere, vel progredi auderet, mitigante illum Christo sub suo electo, qui omnia regit, & conseruat; tunc timor inuasit omnes, ita vt vna voce dicerent, verè hic homo electus Dei est.

7. *S. Gregorius lib. 3. dialog. cap. 2. de Sancto Ioanne Papa*. Gotthorum tempore cùm Ioannes vir Beatissimus huius Romanæ Ecclesiæ Pontifex, ad Iustinianum seniorem Principem pergeret, in Corinthi partibus aduenit, cui necesse fuit, vt in itinere ad sedendum equus requiri debuisset. Quod illìc quidam vir nobilis audiens, equum, quem pro magna mansuetudine eius coniux sedere consueuerat, ita ei obtulit, vt eo ad loca alia perueniente, cùm alius equus potuisset inueniri, deberet ille, quem dederat, propter suam coniugem transmitti. Factumque est, vt vsque ad certum locum prædictus vir equo eodem subuehente perductus est. Qui mox vt alium reperit, illum, quem acceperat, retransmissit. Cùmque eum prædicti nobilis viri coniux sedere ex more voluisset, vltrà non valuit, quia post sessionem tanti Pontificis, mulierem ferre recusauit. Cæpit namque immenso flatu, & fremitu atque incessanti totius corporis motu quasi despiciendo prodere, quia post membra Pontificis, mulierem ferre non posset. Quod vir eius prudenter intuitus, hunc ad eumdem Venerabilem Virum protinùs remisit, magnis precibus petens, vt equum ipse possideret, quem iuri suo sedendo dedicasset.

8. *S. Bernardus in vita Sancti Malachiæ Episcopi cap. 15.* Quodam tempore iter faciente S. Episcopo, oblatus est ei equus runcinus, & durè portans (neque enim alius reperiebatur) huic insedit Sanctus, & primo quidem durum, vt erat, illum sensit, postmodùm mira mutatione valdè commodum sibi, & suauiter ambulantem inuenit, & vsque ad nonum annum, quo mortuus est, ipse non defecit ei, factus optimus, & preciosissimus palefridus. Quodque euidentius miraculum cernentibus fecit, de subnigro, cæpit albescere, & non multò post vix inueniebatur albior illo.

9. *Chrysostomus Henriquez 12. Maij de Beato Vuerrico Priore*. Nec omittemdum quod in historia ipsius de eius equo habetur in hunc modum: Vt autem diligētiori cura mūneri Prioris satisfaceret, equo quandòque incedebat, qui vt ita loquar, quandam speciem rationis præseferebat, conspe-

cto

ĉto enim egeno, vlteriorem progreſſum non dabat, vt beato Vuerrico ſpatium aliquod verbum ædificationis, ſeu eleemoſynam impertiendi, permitteret. At res omnibus admiranda, ſi virum aulicum, comptum, ſuperbum conſpiceret, incredibili celeritate receſſum ab ipſo faciebat.

10. *Pepe in mirabilib. Sancti Caietani m.* 80. Dùm ad venerandum Beatum Caietanum ad eius Eccleſiam Sancti Pauli Neapoli, curru veherentur duæ nobiles fœminæ, fortuito caſu perterriti equi, præcipitem arripuerunt fugam, nullaque vi, aut induſtria ab auriga retineri potuere, adque imminens periculum dominas deportabant. Hæ humanam opem deſperantes, diuum Caietanum, exorant, vt præcipitantes equos refrænet: & ecce illicò furentia animalia, ceù mites oues ſtetere, curſumque præcipitem compeſcuere.

11. *In actis Sanctorum Februarij tom. 1. in Cont. Bollandi*. Cùm Sanctus Seuerus Epiſcopus Abrincenſis in Gallia, antequam ad Epiſcopatum eueheretur, in pauperes liberaliſſimus, eiſdem & proprias veſtes donaſſet; ab eius domino ob hoc ira excandeſcente, extra domum eiectus eſt, ſubque diò, tempore licet hyemali, abſque veſtibus habitare coactus. Tunc ille humano deſtitutus auxilio, ad Deum confugit, & ecce grex equorum, cui ille præerat, Dei imperio, de loco, quo longe ſtabat, ſemotus, paſtorem ſuum adijt, hinc inde verſis ad eum vultibus circuit, flatibuſque in eum emiſſis, frigus ſentire non permittit.

12. *Baronius in Annal. Eccleſiaſticis, anno 362. num.* 159. Quidam Chriſtianus, nomine Italicus, equos Circenſes nutriebat. Hic æmulo ſuo habente maleficium, qui dæmoniacis quibuſdam imprecacionibus huius impediret equos, & illius incitaret ad curſum, venit ad Sanctum Hilarionem, & non tam aduerſarium lædi, quàm ſe defendi obſecrauit. Renuebat S. Abbas pro hoc orare, at rogatus à fratribus qui aderant, ſcyphum fictilem quo bibere conſueuerat, aqua iuſſit impleri, eique tradi; quem cùm accepiſſet Italicus, & ſtabula, & equos, & aurigas, rhedam carcerumque repagula aſperſit. Mira vulgi expectatio, nam & aduerſarius hoc ipſum irridens diffamauerat, & fautores Italici ſibi certam victoriam pollicentes exultabant. Igitur dato ſigno, hi aduolant, illi præpediuntur. Sub horum curru rotæ feruent. Illi præteruolantium terga vix cernunt.

13. *Surius in vita Sancti Theodori 22. Aprilis*. Mulier quædam mulam habebat, quæ nec frænum, nec ſellam admittebat, ſed ſe pedibus ſublatis erigens, manſuefieri nullo modo poterat. Hanc fœmina ducit ad Sanctum Theodorum Archimandritam, cui vir ſanctus ſigno Crucis adhibito, dixit: Benedictus Deus, ne poſt hęc ampliùs fera, peruerſaque ſis, ſed fræno ſumpto, heram tuam inſidentem admitte cùm omni manſuetudine, ad hoc enim miniſterium te Deus creauit, & ſtatim illi mulier inſedit, neque parere amplius recuſauit.

14. *Thomas Cantip. lib. 2. Apum cap. 1. de Fr. Ioanne Prædicatore*. Cùm in quadam villa congregato innumerabili populo prædicaſſet, & pedibus exire nullatenùs potuiſſet, mandauit cuidam Præpoſito vicino, vt ei equum ad tranſeundum in Villam aliam tranſmitteret. Remandauit ergo ei dictus Præpoſitus, quòd nullum equum haberet, niſi illum qui neminem ſeſſorem reciperet, niſi ſe proprium dominum, vel eum, qui equi curam gereret ex antiquo. Vt ergo nuncius hæc retulit Sancto fratri, renunciat Præpoſito, vt equum ſibi quantumcumque tranſmitteret inſolentem. Facit igitur Præpoſitus, tranſmittit equum ferè omni belua crudeliorem. Nec mora, vt vidit vir beatus frementem acerbiùs, fronti illius Crucis characterem imprimit, dicens: Mitiget te Chriſtus princeps pacis. Mira res, ſtupendum miraculum. Mox ſpectante omni populo, equus in manſuetudinem verſus, flectit genua, & dorſum habilitat aſcendenti. Mirante populo, aſcendit frater, & omnibus vale dicens, properat ad optata, equumque remittit Præpoſito, ſed manſuetiſſimum velut agnum, Præpoſitus verò factum interim vulgante fama perceperat, equumque remittit dicto fratri, in hæc verba demandans: abſit à me, vt ego indignus equum aſcendam vlteriùs, in quo Deus tantum miraculum demonſtrauit, vos autem illo, vt vobis libet, vtamini. Ex illa ergo die vſque in longum tempus, & annos plures ſanctus frater equo vſus, nec illum vnquam aſcendit, quàm equus genua flecteret aſcenſuro.

15. *Sylos in vita Ven. Franciſci Olympii Cler. Reg. lib. 1. cap.* 24. Semel Neapolim Florentia reuertebatur Ludouicus Antinorus ex noſtris; in itinere deſcendere equo contigit, quem dùm mitem reputat, neque habenas ipſe retinere, neque id officij commendare cuipiam, neceſſarium duxit. At ille ferociore quadam indole libertatem nactus, ſe ſe curſu perniciſſimo abripuit. Ire hùc illùcque per ima vallium, per aſpera rupium: *nihil quippè* circumiecta ea regione abruptiùs, atque adeò *nihil* omninò difficiliùs, quàm per ea viarum incommoda ſequi, moratique lymphatum animal. In ea rerum anguſtia non ſe deſtituit Antinorus; quandò humanam opem omnem deſperauerat, pulſare cælum ſtatuit: allegare ad diuos tutelares ſuos preces, qui dùm morantur, moneri ſe intimè, ac diſertè ſenſit, inuocaret ex animo Ven. Franciſcum Olympium ex noſtris, conciperetque illi votum, fore nempè, vt ad eius nomen, propitium adeſſet numen. Haùd falli ſe is putauit, demiſſus illicò in genua prenſat, vouet. Mirabilis, & dictu & viſu res; dùm orat, ecce tibi poſita præferuida ea indole, ac impetu, redire equus agno mitior; tùm ſuperiore quodam imperio, ac nutu actus, dat ſe, ſuique habenas vectori ſuo.

16. *Arnoldus Rayſſius in auct. ad Nat. S. S. Belgii, 18. Iannuarii de Euerardo conuerſo*. Cùm Euerardus in Villa Heyuelleer moraretur, militis cuiuſdam pecora frumentum fratrum deuaſtabant: ſemel (ſuperioris ſui mandato) cùm in agro pecora illa reperiſſet. Cur inquit, vos beſtiæ creaturæ Dei pabula ſeruorum Dei conſumitis? In verbo Dei præcipio, ne deinceps frumentum noſtrum deuaſtetis. Mirum dictu: Ecce pulli illi equini laſciui & infrænes, ſtatim ad vocem iubentis exierunt, nec vnquam redierunt.

17. *In*

17. *In vitis P.P.lib.1.cap.26. de Sancto Antonio Abbate*. In abditissima solitudine pomarium suis manibus, laboreque sibi comparauerat, & arbusculis consitum, & oleribus virens; quod cùm onagrorum grex aliquandò vastaret, Antonius vnum è ductoribus stare iussit, baculoque tundens latera eius, quare, inquit, comedistis quod non seminastis, & exindè, exceptis aquis, ad quas potandas ventitabant, nec arbusta, nec olera contigere.

18. *Ibidem lib.2.cap.11.de Heleno Episcopo Heliopolitano*. Quodam tempore pergebat ad visitandos fratres incommodos, quibus etiam quæ necessaria erant ad refectionem corporis deferebat. Et cùm in itinere, eorum, quæ portabat, onere grauaretur, vidit eminùs Onagros transire per desertum, & exclamauit dicens. In nomine Domini Nostri Iesu Christi veniat hùc vnus ex vobis, & suscipiat sarcinam meam; & ecce vnus ex omni grege tota cùm mansuetudine pergit ad eum. Tunc ille præbenti se spontè, & onus imponit, & ipsi insedit, & cùm omni celeritate ab eo ad cellulas fratrum, quò pergebat, euectus est.

19. *Ibidem lib.1.cap.18.de S.Macario Romano*. Cùm Sanctus Macarius iter haberet, viamque ignoraret, à longe Onagrum intuitus, clamauit. Aue, per Christum, qui te creauit, ostende mihi viam, per quam ambulem; tunc ille occurrens, ingressus est ante eum per semitam angustam quandam, quem Sanctus subsecutus est, sicque cùm eo per duos dies simul ambulauit.

20. *Ioannes Moschus in prato Spirit. cap.* 158. Mons est circa mare, qui Mardes vocatur, excelsus valdè, in eo Monte anachoretæ commorabantur: erat autem illis & hortus ad radicem Montis, sexto fermè lapide ab eis distans, circa maris labium, ptoindè habebant anachoretæ & illic ministrum. Quacumque ergo hora volebant ad hortum pro oleribus mittere, sternabant asinum, & dicebant ei. Vade in hortum ad ministrum, & affer nobis olera. Qui mox ad hortulanum solus ibat, stansque ante ianuam, capite pulsabat; statim igitur egressus hortulanus, ipsum oleribus onerabat, onustumque dimittebat. Videreque erat asinum quotidiè solum ascendentem, & descendentem, & ministrantem senibus tantùm, alii verò nulli obsequentem.

21. *Surius in Decembr.* S. Solas Abbas, cùm semel obuiam habuisset lupum immanem, asello suo, cui tunc insidebat, mandauit in nomine Iesu Christi, vt eum adoriretur, ac neci daret; nec mora, asellus lupum calcibus allisis, morsibusq; statim enectum, humi prostrauit.

22. *Vadingus in ann. Minorum ann.* 1213.*n.*8. *de S.Francisco*. In oppido Trebiæ dùm in foro innumero prædicaret populo S.Pater, pullus asini lasciuiens, hùc illùcque discurrens, ruditu frequenti vocem intercipiebat concionantis, quem dùm apprehendere non potuit populus iam tumultuans, placido vultu, inquit ad stupidum animal Prædicator: frater asine, orem te, vt sileas, nec interturbes verbum Dei, quod sitienti huic populo propono. Quæ verba veluti rationabiliter caperet iumētum, statim cunctis admirantibus obediit, & propiùs accedens vtroque poplite flexo se etiam exhibuit auditorem immobilem, donec sanctus vir totum compleret sermonem.

23. *In vita B.Henrici Susonis ordinis Prædic.* Cùm semel pedes progrederetur Vener. Pater ad opus charitatis exercendum, fractusq; labore haùd ampliùs incedere posset, vidit ad dexteram è sylua quadam elegantem prodire equum valdè mansuetum, ac edomitum, & ephippio instructum, ac penitùs solum. Accessit autem placidè, & modestè is, & coram B.Viro substitit. Quod ille cernens. Age inquit, in Christi nomine, socioque adiuuante insedit equo, & cœpto perrexit itinere. Vbi autem non longè aberat à pago quodam, descendit ab equo, laxatisque habenis, dimisit equum eo, quo venerat itinere. Porrò quò ille abierit, aut cuius fuerit, nunquam deinceps comperire potuit.

De Canibus. §. 16.

1. *Petrus de Natal.in Catal.S.S. libr.6. cap.*22. Cùm Simeon Magus ingentem canem ad portas domus Marcelli ligasset, vt Sanctum Petrum venientem dilaniaret; Ipse accedens, canem exsoluit, qui Magum ipsum aggressus, vestes illius lacerauit.

2. *In vita S. Patritij cap.* 32. Rex principalis totius Hiberniæ, Leogarius nomine, filius Neyll, præcepit patriotis suis, vt Patritium pede terram contingentem, confestim eliminarent de partibus illis; Sanctus autem Patritius in portu, vocabulo Innbherstam existens, de naui solus exiuit, de salo ad solum, statimque populus infidelis ac moribus caninus, canem instigabat ferocissimum ad morsum mortiferum Pontifici inferendum, canis verò viso viro Dei penitùs obmutescens, ad instar lapidis diriguit, atque immobilis quasi fixus substitit.

3. *Ioannes Colganus in Pass.S.S. Guigneri, Piala, & Soc.die* 23.*Febr.* Quidam vir, Gor nomine, in crastinum cùm canibus in campum venaturus egrediens, ceruum reperit, qui canibus insectatus, fugiens ad S.Martyris glebam procumbit, tanquam eius flagitaturus sanctitatis præsidium: desinunt canes latrare, ac persequi ceruum, & omni feritate laxata, pariter cùm ceruo quasi Sanctum venerantes decumbunt.

4. *Frodoardus in vita S. Basioli Confess.* Accidit, quodam venatore, Attila nomine, in saltu eius cellulæ contiguo aprum insequente, vt vsque ad ipsius præsentiam fera perueniret, & quasi per ipsum liberandum se credens, ad pedes eius deposita fuit; canes naturalis obliti sagacitatis, eam insequi parcunt; exindè mos, immò virtus Christi, ad honorem dilecti famuli sui adhùc seruatur, vt permota quælibet venatio, si fera aggestum in circuitu syluę prominentem fuerit ingressa, nec canum vlteriùs insequatur auiditate, nec venatorum appetatur audacitate.

5. *Seuerus Sulp. Dialog.* 2. *de virtutibus Sancti Martini cap.* 7. Quodam tempore dùm Diœceses circuiret, venantium agmen incurrimus, leporem

sequebantur, iamque multo spatio victa bestiola, cùm vndique campis latè patentibus nullum esset effugium, mortem imminentem iam iamque capienda crebris flexibus differebat, cuius periculum vir beatus pia mente miseratus, imperat canibus, vt desisterent sequi, & sinerent abire fugientem, qui continuò ad primum sermonis imperium constiterunt: crederes vinctos, immò potius affixos in suis hærere vestigijs, ita lepusculus persecutoribus alligatis, incolumis euasit. Alio tempore canis importunior oblatrabat, cui quidam, in nomine, inquit, S. Martini iubeo te obmutescere, & ecce subitò cani hæsit latratus in gutture, linguam vt abscissam putares, obmutuitque.

6. *Lippellous in vita Sancti Humberti 6. Septembris*. Cùm venatores insequerentur ceruum, is se sub pallio S. Humberti confessoris, quod dùm cuidam operi incumberet, procul abiecerat, anhelus composuit; cùmque canes iam prædam assecuti essent, anteque oculos haberent, attamen ne attingere quidem ausi fuere, immò nequicquam agitantibus venatoribus, timidi potiùs retrocedebant.

7. *In Eccles. Historia*. Marianus Bituricensis Cænobij monachus, canibus aprum insequentibus præcepit, ne illum tangerent, cuius imperio illi statim paruerunt, abieruntque.

8. *In actis B. Rochi Confessoris*. Peste infectus S. Rochus, ad nemus quoddam diuerterat; Rus huic nemori vicinum frequentibus ædificiis maximo sumptu erectis erat, quo primores illius ciuitatis confugerant; quos inter, Gothardus familia non ignobili, vir opulentissimus erat, hic seruos quamplures habuit, canesq; ad venandum aptos; ex quibus vnus ad mensam heri audaciùs progressus, cùm Gothardus discubuisset, panem præter consuetudinem ex eius manu rapuit, indèq; profugiens, ad Rochum defert; herus hoc parui fecit, familiaritati, necessitatiue tribuens; verùm cùm sequenti die in prādio, & cęna idem fecisset, ira concitus Gothardus, seruos, quasi cibum non præbentes, conuicijs prosequitur: at illi: cibum huic, cæterisque canibus, here, viuit Deus, præstamus inquiunt, & quid sibi hoc velit ignoramus. Quod cùm audiuisset, si denuò canis id moliretur, illū sequi statuit, venit paulò post, panemq; vti ceperat, rapuit. Gothardus verò confestim cibo relicto, illum fugientem sequutus est, qui panem ad Rochi tugurium detulit, eique reclinato capite panem porrexit, quem Rochus accipiens benedixit: at Gothardus qui illum continenter obseruauerat, stupore compressus, benedixit Deum, deq; viri conditione, ac sanctitate certior factus, sæculo valedixit, eique perpetuò imposterùm adhæsit.

9. *In vitis P. P. c.* 157. Cùm quidam monachus mittere vellet alium fratrem aliqua nunciaturum monachis Charembe; respondit ei frater: Nunquam illùc perrexi, nec viam scio. Tunc ait senex catulo suo: Vade cùm fratre isto vsq; ad monasterium Charembe, vt nunciet eis quod vult. Abijt ergo canis cùm fratre, donec statuit illum iuxta monasterij ianuam.

10. *Spondanus in ann. Eccl. ann.* 1399. *num.* 7. Rhodii milites, siue Hospitalarii, Cariā incursantes, castellum munitissimum nomine S. Petri in ea construxerunt aduersùs Barbarorum incursus; quod sæpè, ac diù magno fuit vsui Christianis. Refertque Æneas Siluius, excubare solitos canes ingentes noctu extra eius muros; qui Christianos odore à Turcis distinguere gnari, eis aduentantibus blandirentur, Turcas latratu proderent, & morsibus insectarentur. Et addunt annales rem aliquandò contigisse miram; vt cùm quidam Christianus Turcas fugiens, in quamdam cisternam siccam se se demisisset, nec valeret indè se se postea educere, vnus ex his canibus eo dètecto, partem sui panis quotidiè ei detulerit; donec is qui curam canum agebat, hunc macrescere animaduertens, eum insecutus, rem vidit, & Christianum eduxit; cane postindè admiratione cunctis habito.

11. *In vita B. Margaritæ Cortonensis*. Crudeliter occiso Amasio, cui antequam conuerteretur, infeliciter adhærebat B. Margarita; canis, qui crudelissimæ adfuerat neci, custodito aliquot diebus cadauere, tandem domum reuersus, Margaritæ, vlulatibus, męstisq; latratibus interfecti Domini mortem, aperire nitebatur, illamq; vestibus attrahens, ad sepulchrum deducere tentabat: secuta est Domina canem, qui vnguibus effodiens cadauer, illud iam putridum mulieri ostendit; quo viso spectaculo, ad meliorem frugem conuersa est: sicq; duce fidelissimo cane, viam cæli, à qua aberrabat, didicit.

12. *In vita S. Brunonis*. Canes, quibus Rogerius, Comes Calabriæ ea in solitudine, in qua morabatur Sanctus Bruno, venationi incumbebat, semel vt sanctum virum videre, immobiles stetere, ceù illum venerantes.

13. *Io. Euseb. lib.* 1. *Hist. naturæ c.* 25. Noui ego, cuius prece res miranda nuper contigit, hoc nimirum anno millesimo sexcentesimo vigesimo octauo. Duo ex nostris iter fecerunt: amisit alter Breuiarium, voluit retrò ire quæsitum; vetuit socius, minimè dicens amittendum. Cum ecce post aliquot Leucas occurrit canis rictu illud afferens.

14. *Ianus Nicius*. Pater Iuuenalis Ancina, Congregationis Oratorii, qui Saluciarum Episc. tanta cùm laude sanctitatis administrauit, vt de eo inter sanctos referēdo agatur, narrat, se de Roberto Bellarmino, qui Romæ anno M.D.LXXXII. in Collegio Soc. Iesu Theologiam docebat, audiuisse, cùm diceret, Constantinopoli, summum quemdam Turcarum Imperatoris Prætorem, lecto Euangelio, ad Christi fidem conuersum, palamq; Mahometanam superstitionem detestatum esse, dixisseq; solam Christianam religionem veram esse, reliquas sectas falsas, atq; mendaces; quamobrem Turcarum Imperatorem iratum, iussisse eum interfici, & inhumatum canibus obiici; sed canibus, sanctum, inuiolatumque extitisse, neq; eorum quemquam esse ausum ad illum accedere; ad hoc, nouo quodam lumine circumfusum cæpisse fulgere: verùm eam rem, tam nouā, tāq; admirabilem, impio Turcarum Principi, non ostentui, & admirationi, sed ludibrio fuisse; qui, non esse mirandum, ait, si ab eo canes abstinuissent, nam, vt est in prouerbio, canes canibus non vescuntur, (hoc enim nomine Turcæ, Christianos appellant:) itaque iussisse eum, aiebat, sectum in frusta, canibus iterùm dari; sed nihilò magis canes esse ausos attingere.

De Ouibus, & Agnis. §. 17.

1. *In actis Sancti Mochua, cap. 4. 1. Ianuarij apud Bollandum*. Agni, oues conspicati, ad matres vbera sugendi causa procurrebant. Mochua, qui propè ambulans ad Deum preces fundebat, id cùm vidisset, veloci gradu accurrens, lineam humi baculo ducendo, agnos anteuertit: tunc eorum nullus lineam à sacro viro descriptam transgredi ausus est.

2. *In actis S. S. Februarij tom. 2. in continuatione Bollandi*. Cùm die quadam Sanctus Cuthmanus pecoribus in pascua conseruandis intenderet, prandendi hora aduenit, qua oportuit ei domum ex patris præcepto redire. Cùmque non posset opportunè, nec auderet sine patris imperio gregem suum deserere, vicarioque custode careret; virga pastorali, quam manu gestabat, circulum fecit circa gregem suum, dicens: in nomine Domini nostri Iesu Christi grex tibi pręcipio, ne metas istas, quas tibi posui, ante regressum meum egrediaris: mira res; intelligit pecus rationis egens tantæ inuocationis virtutem, nec est aliquatenùs ausum fines egredi limitatos. Sicq; faciebat per singulos dies, quandò similis necessitas eum à grege diuertere compellebat.

3. *In vita S. Aldegundis Virg.* Quadam die B. Virgini piscem adhùc viuentem piscator ipsius detulit; quem studio charitatis ad seruorum Dei superuenientium vsus, magis quàm ad suos reseruans, in fontem proximum iactari præcepit. Qui dùm aliquandò propè ripam nataret, saltum in aera dedit, & in siccum deueniens, in arida palpitare cæpit. Aduolitant corui de vicino crocitantes, vnguibus, & rostris piscem laniare volentes. At mirabile dictu, & insolitum visu; iuxta pascebat agnus, qui minor cæteris pecoribus celeriter accurrit, piscem à deuorantibus arripuit, cornibus, & pedibus, ac totius corporis nisu contra pugnans, coruos abegit. Quò sorores de monasterio noua bella prospicientes, festinanter aduenerunt, piscem incolumem inuenerunt non sine grãdi admiratione, famulæ Dei Aldegundi reportauerunt. Sed idem agnus defensor piscis, tàm diù ferentes prosecutus est, donec in præsentiam Virginis Abbatissæ piscis oblatus est.

4. *In annal. Minorum anno 1222. num. 20. de S. Francisco*. Iuxta ciuitatem Senensem iter faciens, inuenit in pascuis magnum ouium gregem. Quas cùm benignè (vt erat solitus) salutasset, relicto pastu, cucurrerunt omnes ad eum, leuantesque capita sua, erectis in eum luminibus intendebant. Tantùm quidem ei fecerunt applausum, vt & pastores mirarentur, & fratres, cernentes circa ipsum tàm ouium agnos, quàm ipsos arietes sic mirabiliter exultantes.

5. *Ibidem ann. 1221. num. 35. de eodem S. Francisco*. Domum redeunti quædam fuit ouis oblata, quam propter innocentiæ, & simplicitatis amorem, quas ouis natura protendit, gratanter suscepit. Monebat pius vir ouiculam, vt & laudibus diuinis intenderet, & ab omni fratrum offensa caueret. Ouis autem, quasi viri Dei pietatem aduerteret, informationem ipsius solicitè obseruabat. Nam audiens fratres in choro cantare, & ipsa Ecclesiam ingrediens, sine alicuius informatione flectebat genua, vocem balatus emittens, ante altare Virginis Matris, ac si eam salutare gestiret.

6. *Ibidem ann. 1222. num. 4. de eodem Sancto Francisco*. Eo tempore agniculum in vrbe secùm habebat, ob reuerentiam illius mitissimi agni, quem nobili matronæ, Dominæ scilicet Iacobæ de Septem solis, in suo recessu conseruandum commisit. Agnus verò quasi in spiritualibus eruditus à sancto, Dominæ ad Ecclesiam eunti, stanti, & reuertenti, societate inseparabili cohærebat; si matutinali hora Domina tardaret exsurgere, agnus impellebat eam corniculis, & balatibus excitabat, gestibus adhortans, & nutibus, vt ad Ecclesiam properaret. Propter quod agnus Francisci discipulus, deuotionis iam magister effectus, vt mirabilis, & amabilis à Domina seruabatur.

De Draconibus. §. 18.

1. *In Eccl. Hist.* Philippus Apostolus draconi imperauit, vt innocuus abiret in latebras, nemini prorsùs iniurius; cui statim paruit.

2. *Ambrosius Righettus in miraculis nominis Iesu*. Cùm Romæ post susceptam fidem à Constantino, è quadam specu horribilis Draco à Diabolo in ciuitatẽ emitteretur, ad perterrefaciendos Christi fideles; S. Syluester Papa post feruentem orationem, simùl cùm duobus clericis profundam specum per centum & quadraginta gradus descendens, est ingressus, crudeli Draconi paruo filo os illigauit, muniuitq; sigillo sanctæ Crucis. Deindè præcepit ei in nomine Iesu, ne vsq; ad diem Iudicii finalis ab eo discederet loco; quod inuiolabiliter obseruatum fuit: hodièq; adhùc ibidem os specus demonstratur.

3. *Idem*. Sanctus Matthæus Apostolus inuocato nomine Iesu, duos horribiles Dracones, à quibus magica arte inficiebantur populi, mirabiliter fugauit.

4. *Surius in vita S. Arsacij confess. 16. Augusti*. Erat fortè Draco, vel aliud serpentis genus, quod viatores, qui illàc transirent, ante flatu suo perimebat, quàm oculis eorum cerneretur, nam in quodam specu propè viam latebat. Ad quem locum accedens Arsacius, orauit: Serpens autem sua sponte egreditur è specu, & capitem bis ad terram alliso, se ipsum interfecit.

5. *In actis S. S. Febr. tom. 2. in contin. Bollandi*. Sanctus Theodorus Dux & martyr facto signo crucis præcepit ingenti Draconi, qui homines, ferasque deuorabat, vt ex antro, in quo latebat, progrederetur. Tunc & equum suum in nomine Domini, ad inuadendam belluam incitans, ipsum ascendit, qui supra egressum Draconem recalcitrans, statim stetit quatuor suis pedibus. Sanctus verò Christi athleta stricto gladio percussit Draconem, extinctumque reliquit.

6. *Ibidem in Martio tom. 3.* Donauerat Romano cænobio, cui præerat B. Santuccia Abbatissa, recessus quosdam subterraneos Napoleo ex gente Malabrãca Romanus eques; in quibus cùm monstri

genus nescio quod, non tantùm ab adeundo loco sanctimoniales absterreret, sed tota insuper domo formidinem spargeret; pedum ipsa suum accepit, & reliquo Abbatissarum solemni instructa cultu, eò descendit, vbi latebat bestia, quæ edito ab ea Crucis signo, crepuit, & pro sui metu, ingentem Beatæ reuerentiam, æstimationemque in animum admirantium filiarum induxit.

7. *Vincentius in Speculo Histor. libr. 20. cap. 53. de Sancto Simeone Stylita*. Draco ingens iuxta eum habitabat in parte Aquilonis, cui lignum in oculum dextrum. Venitque cæcus trahens se ad ostium monasterij, prostratus, totum se in gyrum compleuit, & quasi veniam poscens, oculum dextrum iuxta columnam, in qua habitabat S. Simeon, posuit, tribus diebus nemini insidians. Tunc iussit sanctus, vt de terra, & aqua perfunderetur. Quo facto, statim exiit de oculo eius lignum cubiti longitudinis. Tunc bellua inuoluens se immobilis permansit, donec omnis populus pertransisset. Deinde fugens adorauit ad ostium monasterii ferè per duas horas, & sana reuersa est in cubiculum suum nemini nocens.

8. *Rayssius*. Didymus Abb. & Anachoreta, colubros, & serpentes innocuè pedibus conculcabat.

9. *Rbò in Sabbatis B. Virginis, exempl. 86.* Imolæ in monasterio Patrum montis Oliueti, vbi piè conseruatur Velum capitis B. Virginis, vsque adeò singulis diebus quodam campanæ signo, celebratur memoria insignis miraculi, quo per intercessionem B. Virginis mediante supradicto Ven. Velo solemni ritu delato ad locum, in quo infestissimus Draco pluribus mortem afferens reperiebatur, quam aliis intulit, ex superna vi, ipse passus est mortem.

10. *Augustinus VVichmans in Apotheca cap. 33. De S. Donato Episcopo Euoreæ in Epiro*. Narrat Sozomenus, Draconem ingentis magnitudinis (cui videlicet extincto extrahendo octo iuga adhibenda fuere) homines, & animalia quæcumque rapientem, eum solo signo Crucis digito aduersùs eum in aere inscripto, & sputo in os eius iniecto, confecisse: & de S. Quirino presbytero, ac Sancto Nicasio Episcopo, socius Sancti Dionysii Areopagitæ refert Molanus, quòd in oppido quod Vallis dicitur in Gallia, Sanctus Quirinus, cùm stola B. Nicasij, præmisso Crucis signo, pestilentem Draconem domuerit, qui fontem, & aerem vitiabat. S. Nicasius autem ad se adductum Draconem repetito signo Crucis disrupit. S. Amandus Ogium insulam similiter à serpente pestifero per signum Crucis liberauit.

11. *Matthæus Raderus in Virid. de S. Hypatio Episcopo Gangrensi*. Constantio Constantini filio regnante, immanis quidam Draco thesauro Imperatoris ita incubuit, vt nemo auderet illùc aspirare: quòd si quis audentior accederet, illicò vita multabatur. Imperator inops consilij, fama ad se de viro sancto perlata, mittit qui illum eant accersitum. Vbi venit, gazophilatium solus accedit, ianuam reserat: Scipione, quem gestabat, Crucem præferente, Draconem icit, trahensque velut cetum virga captum extraxit, ingentique rogo in foro illius iussu excitato, peremptum iaculo, concremauit.

12. *Idem ibidem de S. Golinducha mart.* Coniecta est in antrum, vbi Draco stabulabatur, cùm quo quadrimestre morata, illum adeò cicurauit, vt super eum, quietem captura, caput reclinaret.

13. *Idem ibidem de S. Marina mart.* In custodiam retrusa, mox ingens terræ tremor totum concussit carcerem, vnde Draco prorepens formidabilem reptando stridorum excitauit, flammaque illam cingere, & inuoluere videbatur. Territa illa, totoque corpore perhorrescens, se se in preces dedit; itaque terrificum illud monstrum in atricanis formam mutatum est, quod sancta fœmina pilis arreptum, globo reperto, secundum caput & tergum tandiù pulsauit, quoad penitùs edomaretur.

14. *In vitis P. P. lib. 10. cap. 40. de Abb. Cosma*. Cùm per deserta pergeret, essetque prope Calamonem, vidit Draconem miræ magnitudinis de monte descendere in Calamonem; ipse verò per vestigia eius illæsus ingressus est.

15. *Ibidem lib. 1. cap. 33. de S. Hilarione Abbat.* Quidam Draco ingentis magnitudinis omnem latè vastabat prouinciam, & non solùm armenta, & pecudes, sed & agricolas quoque, & pastores tractos ad se vi spiritus absorbebat. Cui cùm Sanctus Hilarion pyram iussisset præparari, & oratione ad Christum missa, euocato præcepisset, struem lignorum scandere, ignem supposuit. Tùm itaque cuncta spectante plebe immanem bestiam concremauit.

16. *Ibidem lib. 2. cap. 8. de Abbate Amun*. Frequenter veniebant latrones, & accipiebant eius panem, & alimenta. Hæc ergo ægrè ferens, cùm vna die egressus esset in solitudinem, adduxit secùm duos magnos Dracones, & iussit eis, *vt in* eo loco manerent, & portam custodirent. Homicidæ autem cùm pro more venissent, & vidissent miraculum, præ stupore hiantes ceciderunt in faciem. Egressus autem inuenit eos mutos & ferè semimortuos: & cùm eos excitasset, probris eos affecit, dicens: Videte quantùm estis bestiis agrestiores: Nam isti quidem propter Deum nostræ parent voluntati, vos autem neque Deum timuistis, neque Christianorum estis reueriti religionem: introductis autem eis in cellam, mensam apposuit, & monuit vt mores mutarent.

17. *Ibidem*. Vir quidam iustus per eremum ad fontem proficiscens, Basiliscum conspicatus est, & confestim eleuatis in cælum oculis exclamauit: O Deus omnipotens, aut mihi, aut isti de vita decedendum est, & illicò fera super naturæ ordinem extincta est.

18. *Ibidem*. S. Ioannes Abb. in Pago Tornodorensi monasterium ædificabat, quod Reumaus nuncupabatur, sed monachos aquarum inopia laborantes obseruans, fortuitò puteum immani profunditate altum reperit, in quo funestus Basiliscus delitescebat; quamobrem sanctus facta oratione, Draconem peremit, aquamque potabilem, & multis ægritudinibus salubrem reddidit.

19. Vin-

19. *Vincentius in Spec. Hist. lib. 9. cap. 99. de S. Martha.* Erat quondam super Rhodanum, inter Arelatem, & Auenionem ingens Draco, ne dùm animalibus, sed & hominibus maximè infestus, omnes enim crudelissimè deuorabat. Cùm autem incolæ regionis illius fama præconizante audiffent virtutum insignia, quæ per B. Martham Dominus operabatur, festinatò venerunt ad eam, humiliter rogantes, vt fines eorum visitaret, & à pernicioso Dracone liberaret; quibus Sancta compatiens, ad locum dessignatum de Christi nominis virtute confidens profecta est, exterminantem exterminatura Draconem. Tunc nil perterrita, accessit ad eum, & aspersione aquæ sacratæ bestiam perfundens, & signum sanctæ Crucis obijciens, Draconem adeò reddidit inualidum, & stupidum, vt nec valeret procedere, nec sæuitiæ quidquam exercere. Perstitit itaque victus instar ouis nil virium habens, & sancta nil morata, proprio cingulo cunctis admirantibus eius triumphum, quem ceperat colligauit, qui protinùs ab omni populo lanceis & lapidibus est obrutus.

20. *Marulus lib. 2. cap. 2.* Rophilus Popiliensis, & Mercurialis Liuensis, ambo Episcopi, Draconem æquè pecori, atque hominibus infestum; stolis suis non repugnantem, sed quasi mansuefactum ligauerunt, ac post se trahentes, in puteum altitudinis immensæ nunquam indè exiturum deiecere.

21. *Raderus in Virid. de Translatione dextera S. Io: Baptistæ.* Erat propè Antiochiam Draco ingens, quem ciues Deum arbitrati, anniuersario sacro, homine per Græcanicam sortem delecto, colebant. Accidit autem progressu temporis, vti Christianum sors attingeret, qui Draconi filiam suam victimam obiiceret; quapropter virgunculæ parens, Deum diuumque Ioannem multis lachrymis deprecatus, filiam vti suam à tàm atroci, & infami letho eriperet, huiusmodi artificium comminiscitur. Impetrat potestatem colendę Sanctæ Præcursoris manus; quam dùm exosculatur, clàm dentibus pollicem morsu auellit, desideratoque pignore potitus templo egreditur; dièque sacrificij destinato, populo frequentissimo filiam pater apportat, proximusq; iam Draconi, postquam illum aperto rictu hiantem vidit, hostiamque anhelantem, sacrum illum digitum in medias hiantis fauces conijcit; quo ille bolo repentè exanimatus concidit, paterque filiam necato Dracone viuam retulit, & ingens miraculum, atque genus liberationis admirandum publicè prædicauit.

22. *Mathias à Michou, de Sarmatia Europea.* In quadam rupe propè ciuitatem Kiękel stabulabatur ingens Draco, homines & iumenta deuastans. Græci igitur, & Itali insulam colentes, auxilium Deiparæ implorarunt, & ecce tractu temporis candelam in rupe accensam conspicati, alacri animo ascenderunt, & coram imagine B. Virginis candelam ardentem, & Draconem exanimatum in media rupe obseruarunt.

23. *Anastasius Bibliothecarius in vita Leonis IV.* Sub Leone IV. ab infestissimo Basilisco dirè afflicta Roma, precibus eiusdem Pontificis, & intercessione B. Virginis, cuius imaginem, quæ in Ecclesia S. Mariæ Maioris colitur, ab eodem solemni ritu die Assumptionis B. V. ad locum vbi dirum morabatur animal deportata fuit, mirabiliter est liberata; in cuius miraculi memoriam instituit octauam eiusdem festiuitatis, quæ vsque modò celebratur.

24. *In vita S. Iacobi Episcopi Tarentasiensis.* Percrebuerat fama quòd Lerinensem insulam pestifer Draco circumseptam haberet, atque ex more nauigantes circa eamdem insulam odore nefandissimo obrueret; tunc vir Dei S. Honoratus, sub cuius disciplina viuebat S. Iacobus, solo eodem Iacobo adscito, memoratam insulam cùm naui aggrediens, assiduè cùm fidei discipulo, Domini implorans misericordiam, ipsum pestiferum Draconem funditùs ab eadem insula repulit; ita vt vlteriùs ibidem nusquam deinceps apparuerit.

25. *In vita S. Tozzonis Episcopi Augustani, 16. Ian.* Dùm Magnoaldus, & Theodorus orarent, egressus est foris de oppido Campidonæ serpens magnus, qui dicitur Boa, impetum faciens super beatos viros iacentes in oratione. Presbyter ergo Tozzo, qui eos ducebat, videns eum, exclamauit voce magna dicens: Heù mihi quòd hùc vos adduxi; & in fugam versus, festinabat ad arborem, vt se liberaret. Itaq; B. Mognoaldus, & Theodorus confisi de Dei misericordia, surrexit Magnoaldus, Theodoro orante, & faciens signum sanctæ Crucis coram se, arripiensq; cambuttam, quā à B. Gallo acceperat, & Crucem quam secùm portabat, perrexit in occursum serpentis, & dixit: impero tibi in nomine Domini mei Iesu Christi, vt hìc iaceas, & diabolus, qui in te latitat, ipse te interficiat adiuratus per Deum viuum & verum; & cùm hoc dixisset, percussit eum cùm cambutta in caput, & statim crepuit medius, & mortuus est. Cæteri verò serpentes, qui in oppido, & circa oppidum ipsum morabantur, omnes in fugam versi sunt, & nusquā comparuerūt.

26. *In vita S. Peregrini confessoris Calatabellottæ in Sicilia.* Hic cùm Triocalinos, & accolas reperisset ab immani Dracone dirè infestari; ad eum accedens, posuit in ore eius baculum, quem manu tenebat, & tandiù in gutture eius tenuit, quandiù peruenit ad montem, in quo Draco habitabat, & ambo intrauerunt in cauernam illius, & per foramen magnum illum deiecit, & ex illa die Draco nunquam visus fuit.

De Serpentibus. §. 19.

1. *Abdias in Hist. Apostolorum lib. 6.* S.S. Apostoli Simon; & Iudas, virtute Dei muniti, ingentes serpentes, quos contra ipsos magi conuocauerant, in ipsos incitarunt, vndè cùm eorum morsibus ferè iam enecarentur, rogati à Persarum Rege, iusserunt serpentibus, vt in nomine Domini, resumpto quod in magos infuderant veneno, illicò ad suas latebras reuerterentur; quod & fecere.

2. *Idem lib. 3.* Andreas Apostolus ductus ad agrū, in quo serpens admirandæ magnitudinis (erat enim eius longitudo quinquaginta cubitorū) stabulabatur, & totam illam regionem magno habitantiū damno, deuastabat; belluā erecto capite sibilantē intuēs, hęc verba protulit: abdas caput, quod ab initio

in perniciem humani generis erexisti, & famulis Dei obtempera, vt pareas. Tunc Serpens magnum edens rugitum, euomensque veneni copiam, extinctus est.

3. *Vincentius in Speculo Hist. lib. 12. cap. 89. de S. Christina Virgine, & mart.* Iussit Iulianus Iudex serpentarium adduci, & duos serpentes, ac duos aspides super eam dimitti. Quo facto, duo serpentes accurrentes colligauerunt se ad pedes eius, & lingebant plantas eius. Duæ quoque aspides accurrentes, suspenderunt se super mamillas eius, quasi lactantes infantes. Iterùm duæ viperæ dimissæ colligauerunt se collo eius, & lingebant sudorem eius. Serpentario verò iussu Iudicis serpentes territante, impetum in eum fecerunt, & ipsum occiderunt, & cùm nullus auderet accedere, & serpentes tollere, S. Christina orationem faciens iussit eos in nomine Domini in sua loca abire, neminemque lædere, & statim abierunt.

4. *S. Anton. 2. part. Chron. cap. 11. tit. 10. de S. Martino Turonensi.* Serpenti venienti per fluuium contra se, & socios ex altera parte, præcepit S. Martinus reditum vndè venerat, retrocessitque quàm citissimè.

5. *In actis S. S. Iulij, & Iuliani apud Bollandum 31. Ianuarij.* Vir Domini S. Iulius signo sanctæ Crucis armatus, in insulam, quam vidit prope Mucorum securus ingreditur, ac petræ, quam ibi cespitibus, & vepribus circumseptam inuenit, potiùs serpentibus, quàm hominibus hospitium, petit summitatem. At vbi in petræ ascendit cacumen, accipiens rubusculum, faciensque ex eo signum Crucis, in petræ scissuram defixit: aduocatisque ad se serpentibus, ita eos allocutus est, dicens: Iam adeò longum est tempus, quòd istum aceruum lapidum possedistis; nunc autem in nomine Patris, & Filij & Spiritus Sancti præcipio vobis, vt exeatis ex hoc loco, detisque mihi locum seruo Christi ad habitandum, & in nomine Domini, duodecim Apostolorum Ecclesiam construendam. Qui audientes huiusmodi verba, absque vlla dilatione vel mora, eumdem locum secundùm Sancti viri præceptum deseruerunt, & ad montem, qui Camuncinus dicitur, progressi sunt. Tunc beatissimus vir Iulius cæpit in eadem insula in duodecim Apostolorum honore Basilicam dedicare.

6. *In actis S. S. Martij tom. 2. in continuatione Bollandi.* Dùm B. Heldradus Abbas Noualitij in Italia vitales adhùc carperet auras, & iam Noualitium suum dilectum cænobium pro moderamine regeret, fertur iussisse ex suis in valle Brigantinante, quòd monachis apta debuissent ædificare habitacula. Quod & fecerunt; sed cùm locus multitudine serpentium esset infestus, rogauerunt S. Virum vt oratione eos fugaret: orauit igitur S. Pater, veniensque ad locum, multitudinemque serpentium reperiens, virtute diuina eos in vnum congregans, ferula, quam manu tenebat, præeuntem se sequi præcipiens, & in loco modicùm cauato glomeratim adducens, terminum eius meritis suffragantibus posuit, ne vsquam ampliùs exire debuissent designas. Ecce res mira, & omni dignatione miranda. Statuitur locus, designatur exitus, obediunt serpentes homini, quem à Christo sciebant diligi: & quod seruus Dei promittit ore, hoc serpentes tenent opere.

7. *In actis S. Vigoris Baiocensis Episcopi.* Serpentes plurimos, qui varijs in locis nocebant populis, facto signo Crucis, iussit vt discederent, quod illi subitò, imperium Dei intelligentes, fecere.

8. *In vitis P. P. Orientalium lib. 1. cap. 19. de S. Pachomio Abbate.* Tantæ fuit virtutis, vt sæpè numero calcaret serpentes, & scorpiones, & per omnia maneret illæsus: Nec non Crocodili, si quandò necessitas fluuium transire compelleret, eum cùm summa subiectione portabant, exponentes eum ad locum quòcumque præcepisset.

9. *Ibidem lib. 2. cap. XI. de Heleno.* Quodam tempore Dominica die venit ad quoddam monasterium fratrum, & cùm vidisset eos non agentes solemnitatem diei, causam requirit. Cùm autem dixissent, pro eo quòd presbyter non adesset qui trans flumen maneret: propter metum enim Crocodili transire nullus audebat. Tunc ille dixit eis. Si vultis, ego vadam, & adducam eum ad vos. Et continuò ad ripam fluminis pergit: vbi cùm nomen Domini inuocasset, præsto fuit bellua; & quæ solebat adesse ad perniciem hominum, adfuit tunc ad vehiculum iusti, tergo quoque suo suscipiens eum, & cùm omni metu subiecta, vsque ad partem ripæ vlterioris euexit. Adijt continuò Helenus presbyterum, & exorare eum cæpit, vt veniret ad fratres: erat enim indutus vilissimo, & abiectissimo indumento. Super quo miratus presbyter, quis, aut vndè esset, vel quid sibi vellet inquirit. Vbi verò cognouit esse hominem Dei, sequi eum cæpit ad flumen. Et cùm peruenisset non inuenit nauigium, quo transiri posset, tunc Abbas Helenus dixit ad eum: Nihil verearis pater; ego iam nunc parabo vehiculum. Et exclamans voce magna; adesse bestiam iubet. Quæ statim voce eius audita, affuit, ac dorsum suum ad vehendum placidè præparauit: prior ipse conscendens, inuitat & presbyterum, dicens: Ascende nihil formidans. At ille visa bellua exterritus, retrocedere, ac refugere cæpit. Omnes autem, qui aderant, stupor ingens, & metus apprehendit, videntes hominem Dei Crocodilo euectum fluminis alueum transmeare. Qui vbi descendit, secùm pariter in siccum educit etiam belluam, dicens ad eam: Melior est tibi mors, quàm tot scelerum, & tot homicidiorum inuolui reatu. At illa statim corruens expirauit.

10. *Ibidem lib. 6.* Quidam Abb. Paulus habitans iuxta Thebaidem in inferiores partes Ægypti, tenebat manibus eos, qui dicuntur cornutæ aspides, & serpentes, atque scorpiones, & scindebat eos per medium.

11. *Ibidem libr. 8. cap. 49. de Abbate Be.* Is cùm Hippopotamus aliquandò vastaret vicinam regionem; stans propè fluuium, rogatus ab agricolis, visa bellua ingentis magnitudinis, ei præcepit dicens: Denuncio tibi in nomine Iesu Christi, ne ampliùs vastes hanc regionem. Illa autem tamquam ab Angelo loco pulsa, omninò euanuit. Sic etiam aliquandò abegit crocodilum.

12. *In vit. Pat. Occid. lib. 2. de B. Godrico eremita*. Iuxta ripam Vueri fluminis casulam imposuit in terra defossam, quam cespite contexit, & cæpit ibi habitare, serpentum socius, & ferarum. Magna quidem, & horribilis aderat serpentum multitudo, mitissimos tamen se viro Dei, palpabilesque & sanctis obtemperantes iussionibus exhibebant. Nonnunquam verò eo sedente ad ignem, se inter ipsius tibias extendebant, & quandòque in disco aliquo, vel cypho rotundo, se schemate componebant. Cùmque hæc annis aliquibus pertulisset, visum est sibi, quòd eius orationes impediebant, & die quadam illos solito more reperiens, iussit ne amplius domum suam intrarent, & mox totum illud vermium genus ita discessit, quòd nec vltrà limen transire pręsumpsit.

13. *Drexelius in Rhetorica cælesti lib. 1. cap. 4.* Corbiacensi monacho Leonardo, dùm oraret, serpens in sinum correpsit. Hinc ille vsque adeò non expauit, vt immobilis persisteret, dùm precum finem fecisset. Precibus finitis, tortuosum insidiatorem vltrò allocutus. Quid tibi vis hospes, aiebat, si quid in me licentiæ à Domino accepisti, exere, tuæ me potestati non subducam. At anguis, sicuti orantem non terruit, sic etiam pati omnia paratam non læsit.

14. *In vita S. Opilij Diaconi Placentini*. Erat dies messium, & quidam rusticus dùm spicarum manipulos subleuaret, absconditus aspis lethale virus fudit, & iam in membris vitalibus responsum mortis acceperat. Affuit tunc S. Opilius Diaconus Placentinus, qui super moribundo oratione perfusa, fugientem spiritum refrænauit; cùm ecce è vicinali rure timorosus aspis egreditur, & videntibus cunctis quasi veniam petiturus, in conspectum Sancti Diaconi permansit. Redarguit illum sanctus, cur hominem sancti Antonini seruum momordisset; stetit ille ac si intellexisset tremens, & pauidus, & continuò iussu eius posuit os suum in vulnere moribundi, & quod diffuderat in confusionem suam perniciale virus exhaurit, statimque ille crepuit, moribundusque sanatus est.

15. *In vitis P.P. lib. 1.* In monasterio Fundensi quidam magnæ vitæ erat monachus Hortolanus. Fur verò venire consueuerat, & per sepem ascendere, & occultè olera auferre: totum igitur hortum circumiens inuenit iter, vndè fur venire consueuerat, in eodemque loco reperit etiam serpentem, cui præcipiens dixit: In nomine Iesu præcipio tibi, vt aditum istum custodias, ac furem hùc ingredi non permittas. Protinùs serpens totum se in itinere in tranuersum tetendit, & ad cellam monachus redijt. Cùmque meridiano tempore cuncti fratres quiescerent, more solito fur aduenit: ascendit sepem; & cùm in hortum pedem poneret, vidit subitò quia extensus serpens clausisset viam, & tremefactus post semetipsum concidit, eiusque pes per calceamentum in sude sepis inhęsit; sicque dùm hortulanus rediret, deorsùm capite pependit. Consueta hora venit hortulanus, pendentem in sepe furem reperit: & serpenti dixit: Gratias Deo, implesti quod iussi, recede modò; qui statim abscessit: ad furem verò conuersus illum reprehendit.

16. *In vita S. Simeonis Stylitæ*. Serpens fæmina vlcus ingens contraxit, vt è dolore fremitus eius, ac sibilus ad milliare audiretur; masculus, eius condolens cruciatui, cùm ea ad S. Simeonem adiuit; cùmque ad columnam peruenisset, diuersi ire cæperunt, fæmina enim non audens in sancti conspectum venire, secessit in eam partem, qua mulieres solebant considere. Mas verò cùm multitudine virorum ingressus, columnam veneratus est; capite sursùm deorsum moto, quasi sancti viri opem implorans. Turbæ conspicatæ molem serpentis, exterritæ fugerunt. Quod vt vidit S. Simeon, dixit turbæ; Ne metuite fratres, reuera accessit, vt orationis nostræ particeps fiat, quia compar eius ægra ad locum mulierum concessit. Dixitque serpenti: Tolle aliquantùm terræ & defer eam ad comparem tuam, eique imponens adspira, atque malo illius medeberis. Serpens sumpto luto abiit illam curaturus. Conspicatæ id turbæ, secutæ sunt eum, videruntque fæminam rectam stare, habere ingentem abscessum. Tunc masculus sumptum lutum ei imposuit, & adspirans, inspectantibus omnibus eam sanauit, vnàque discesserunt. Turbæ viso miraculo Deum laudauerunt.

17. *Marulus lib. 3. cap. 3.* Anatolia Virgo angusto carceri vnà cùm terribili serpente conclusa est, nec tamen ab eo læsa est: cùm tandem consummatam putarent, carcerisque ostium reserassent, serpens Audacem, à quo immissus erat, morsu apprehensum & colligatum extinxit, Virginis postea oratione serpens fugatus est, & Audax vitæ restitutus.

18. *Victor lib. 2.* Relegati Christiani ab Hunnerico Vuandalorum Rege Ariano crudelissimo in Africæ solitudines, venenatorum animalium, atque scorpionum refertissimas (adeò vt si quis longiori ab illis spatio abesset, solo tamen flatu veneni vim sentiat) illæsi seruati sunt.

19. *Surius in vita S. Marcelli Episcopi Parisiensis 1. Nouembris*. Cùm ingens serpens ea in regione reperiretur; B. Marcellus ad eum fugandum de ciuitate progressus est ad locum, in quo reperiebatur; & cùm coluber de sylua exiret obuiam habens sanctum virum, capite supplici cæpit veniam blandiente cauda precari. Tunc S. Marcellus baculo caput eius ter percutiens, misso in serpentis ceruicem orario, triumphum suum ante oculos ciuium extrahebat, Pręcedente deinde Pontifice, bestiã ferè tribus milliaribus omnes profecuti sunt, reddentes gratias Domino. Increpans denique eum B. Marcellus, dixit: ab hac die, aut deserta tene, aut in mare te demerge. Mox demissa belua, nulla eius vlteriùs inditia sunt reperta.

20. *Idem in vita S. Victoris Episcopi Virdunensis.* In vasta specu (vbi magna Crux lapidea in tanti miraculi monumentum conspicitur) iuxta monasterium Sancti, immensus serpens latitabat, cuius halitu, tàm homines, quàm Bruta prætereuntia interibant: Sanctus igitur ab incolis rogatus ieiunio tridui munitus, & vniuerso associatus populo, ad speluncæ ostium peruenit, & stola horrificam ligans bestiam, omnibus spectantibus extinxit.

21. *S. Gregor. lib. 3. Dialogor. cap. 16.* Marcius mo-

monachus penes montem Marsicum in consueto orantem specu, immensæ magnitudinis anguis adortus est, quem oratione nõ intermissa, adeò cicuraui, vt cùm săcto etiam cubaret: immò cùm hospite triennium conuixit, donec serpens spontè abierit.

22. *In actis S. Pirminij*. Mox vt Sacerdos sanctus insulam Augiam in lacu Constantiesi sitam attigit, à serpentibus, scorpionibusque habitatam, omnis illa venenatorum turba, veluti nimia contrarietatis vi vrgente, fugiendo, Insulam deseruit, tantaque multitudo eorum abire visa est, vt tribus diebus, ac noctibus tota superficies maris, per quod natando transierunt, cooperta videretur, nusquam verò postea comparuit.

23. *In vita S. Galli Abbat. cap. 12. 16. Octobris*. Dùm fideles socij S. Abbatis, eremi dilectores vallem lustrarent, videntes inter duos fluuiolos multa desiderabilia, syluam speciosam, montes per gyrum, planitiem in medio, probauerunt locum ad ædificandam cellam optimum esse. Et recordatus vir sanctus sententiæ, quam Iacob post visionem scalæ, & Angelorum ascendentium, & descendentium per eam protulit, dixit: Verè Dominus est in loco isto. Erat autem vsque ad illud tempus in eadem valle plurima serpentium multitudo. Porrò ex illa die tàm pleniter abscesserunt, vt postea ibi non comparerent.

24. *In vita S. Ioannicij Abb. 4. Nouembris* Nauigauit aliquandò sanctus, adoraturus S. Theophanis tabernaculũ, quod est in Sigriana. Illinc reuertens, & lacum præternauigans, qui est ad Borealem partem Apolloniadis, appulit Thaso, qui in illa autẽ vitã susceperant monasticam, & omnes accolæ grauiter vexabantur à serpentum, qui in ea erant, multitudine. Iis enim repleta erat insula, non paruum afferens damnum habitatoribus. Cùm ergo sanctus in ea esset, veniunt ad eum omnes, qui habitabant insulam, & supplices ei procidunt, postulantque, & rogant, vt eis opem ferat, vt eos, quoad eius fieri poterit, liberet à nocumento serpentium. Et ille quidem miseretur eorum calamitatis, & veluti quædam tela, quæ torquentur in serpentes, emittit preces: illi autem protinùs proserpunt è suis cauernis, & relicta insula, se in maris profundum proijciunt.

25. *Philip. Ferrar. Mense Apr. die 23. de S. Georgio Episcopo Suellensi*. Torquatus Iudex Calaritanus, cùm scarabeos, crabrones, & colubros, qui statim illatos mensæ cibos inuadebant, tollere è medio nulla ratione posset; S. Georgium accersiri iubet; qui animalia sola occidit oratione, nec ampliùs sunt reuersa. Quapropter Suellim cùm adiacente pago Episcopo donauit.

26. *Baronius an.* 476. Serpentem immanem S. Daniel Stylita, quem pedibus ipsius obuolutum, abstrahere alij frustrà conabantur, verbo ad parietem allisit.

27. *Bzouius, ann.* 1222. *n.* 27. Sancta Verdiana Virgo ordinis Vallis Vmbrosianæ, cùm ad imitationem S. Antonij uexari cuperet, duos habuit serpentes, qui maximum horrorem illi incutiebant; caudisque illam flagellabant, maximè quandò eis cibum non porrigebat, aut quandò eos in eodem uase comedere non permittebat. Vndè Ardingus Episcopus Florentinus ad sanctam Virginem inuisendam accedens, bestias expellere voluit; at Virgo orans renuit; ne tali patientiæ exercitio priuaretur, immò eis abscissas caudas precibus & signo Crucis restituit.

28. *Raderus in Virid. de S. Arsenio in Latro*. Aspidem grassantem, & aquas venenantem, sola precatione, & Crucis forma subitò necauit.

29. *Idem ibidem de S. Modesto Patriarcha Hierosolymitano*. Ciui Hierosolymitano copiosa armenta conciderant, fonte per insidias Dæmonis à serpente venenato, ex quo pecus bibere consueuerat, ad quem sanctus cùm staret, & pecora curauit, & serpentem necauit.

30. *Theodoretus*. Iulianus Saba per solitudinem iter faciens, maximum serpentem offendit, at Dei ope implorata, & signo Crucis munitus, bestiam interfecit. Idem præstitit Marcianus Cyrus.

31. *S. Gregor. li. 3. Dialog. cap. 35*. Amantius vir iustus obuios quosdam angues sanctissimo Crucis signo necauit; immò latebrarum orificia Crucis imagine obsignauit, indèque angues nonnisi mortui egrediebantur.

32. *Idem lib. 3. Dial. cap. 15. de Florentio*. Cùm magna viri Dei opinio longè latèque crebresceret, quidam diaconus longè positus ad eum pergere studuit, vt eius se orationibus commendaret. Qui ad eius cellulam veniens, omnem locum (non procùl à Nursia) per circuitum inuenit innumeris serpentibus plenum. Cùmque vehementer expauisset, clamauit dicens: Serue Dei ora. Erat autem tunc mira serenitas. Egressus verò Florentius ad cælum oculos & palmas tetendit, vt illam pestem sicut sciret Dominus auferret. Ad cuius vocem, subitò cælum intonuit, atque idem tonitrus omnes illos, qui eumdem locum occupauerant serpentes, interemit.

33. *In actis S.S. Aprilis tom. 2. in Cont. Bollandi de S. Mamertino, & Mariano Monachis*. Cùm S. Mamertinus vnà cùm B. Germano Episcopo Antisiodorensi perrexissent ad sepulchrum S. Corcodomi, vbi serpentes erant, remoto lapide viderunt serpentes octo, qui decem pedum longitudinem singuli excedebant, & cùm astantes omnes fugerent præ timore, B. Germanus stans immobilis iussit eos illùc secedere, vbi nulli possent nocere, quod factum est.

34. *Philippus Alegambe de mortibus illustribus P. P. Soc. Iesu*. Postquam P. Gonzalus Syluerius è Societate Iesu in Monomotapa ab infidelibus ob prædicationem euangelicam strangulatus, innocentem animam Deo reddidit, venerandum eius cadauer reste alligatum, attractumque in profluentem amnem, quem Mosengessem, seu Motetem incolæ vocant, abiecerunt. Indèque, vt ferunt, Crocodili, qui plurimi eo in amne, voracissimique gignuntur, ex eo tempore, tanquam posita feritate, nulli mortalium nocuerunt.

De Vermibus, & Araneis. §. 20.

1. *Surius in vita S.Hermelandi abba.25.Mart.* Sedebat aliquandò Hermelandus sub quamdam arborem apud oratorium sancti Leodegarij martyris, legebatque solito attentiùs. Interim erucæ, illam arborem depascentes, in librum ipsius identidem decidebant, legentemque interturbabant. At ille, vt erat mitissimus, patientissimè id perferebat. Porrò frater quidam id animaduertens, cæpit eas conterere pedibus, sed vir Domini eum prohibebat, ne id faceret, ita dicens: Noli frater, quæ diuino accidunt iudicio, velle auertere. Verùm omnipotens Deus, vt sancti viri patientiam præclarè remuneraretur, erucas omnes, quæ iamdiù arborem illam vastauerant, vsque adeò nocte illa profligauit, vt ne vna quidem superesset.

2. *S.Greg.1. Dial.cap.9. de Bonifacio Episcopo.* Quadam die ingressus hortum, magna hunc erucarũ multitudine inuenit esse coopertum: qui omne olus in eo deperire conspiciens, ad easdem erucas conuersus, dixit. Adiuro vos in nomine Domini Iesu Christi, recedite hinc, atque hæc olera comedere nolite. Quæ statim ad viri Dei verbum ita omnes egressæ sunt, vt ne una quidem intra spatium horti remaneret.

3. *In actis S.Vualerici Ab.* Tantùm apud Deum potuit, vt plantaria colenti, nulla vnquam eruca sata, & brasicas læderet.

4. *In actis S.Simeonis Stylitæ.* Agmen ingens erucarum agros deuastabat, cum Sanctus Simeon vix erat Deum deprecatus, & ecce omnis erucarum copia, quæ iumentorum pabulum ferè labefactauerat, extemplò consumpta est, terræ frugibus in hominum vsus accomodatis, nullo penitùs nocumento illato.

5. *Pepe in Mirab. D.Caietani m.198.* Innumera vermium multitudo corroserat oleas cuiusdam in Nolano territorio; hæ pestifera corrosione infectæ, soli igni supererant: cum ad D.Caietanum confugit ille miser, vasque olei, si à tanto liberaretur damno, Diuo tutelari oblaturum vouit: & ecce illicò vermes illi, ceù sensu compotes, imperiumque discessum iubentis intelligerent, vnus post alium abierunt: subitòque descendens pluuia, oleas ferè aridas fæcundauit.

6. *In vita S.Francisci cap.16.* Sacerdotis cuiusdam iuxta Valentiam horreum quoddam, quod vermibus frumentarijs repleri quolibet anno solitum erat, sibi fideliter commendatum, penitùs expurgauit.

7 *Ibidem de eodem.* Incolas terræ apud Vilesias à vermium peste corrodentium vineas circumquaq; miraculoso suffragio liberauit.

8. *In annal. min. an. 1215. num. 8. de S.Francisco.* Transeuntibus per castrum Citernæ in valle Castellana propè Burgum S.Sepulchri, voluit prædicare populo ad se conuenienti in agro sub quadam quercu, quam formicis ebullire notauerat. Imperauit statim vt recederent; quibus illicò obedientibus, populum monuit, vt viam aperiret. Abierunt recto tramite omnes, neque vlla ampliùs ad illam quercum, etiam futuris temporibus se recepit.

9. *In ann.Capuc.an.1612. de.Fr.Iosepho à Leonissa.* Leonissæ, Fabritij Pulcini agrum, tritico satum vermes deuastarant, is virum Dei rogat, vt sua oratione, vermes ex agro expellat: qui cùm se in agrum contulisset, simul atque vermibus discessum imperauit: ij præcepto audito; præter vermium naturam, vt celeriùs imperanti obediant, quasi alas assumunt; vnàque se se in aera attolentes indè vno volatu se abripiunt.

10. *Greg.Tur.lib.1. de Glor. Marty.de S.Felice martyre.* Orta persecutione catholicorum, cùm Felix Presbyter in platea populum moneret, ne à recto itinere deuiaret, persecutor missus adfuit, & ignotus Felici Presbytero, solicitus ipse cæpit esse quisnam esset Felix: dextera ille innuens, ait, Hanc in partem abijt: quo discedente, hic latebram petijt, seque inter parietes dirutos per modicum ingressus aditum, occuli voluit. Nec mora, persecutor insequitur; sed Deus solicitudinem quærentis elusit. Nam iussu diuinitatis, araneæ per aditum, quo martyr ingressus fuerat, telarum prætendunt stamina. At illi per vestigium persequentes, dùm locum explorare nituntur, exordia telæ conspiciunt, dixeruntque ad semetipsos: putasne per hęc fila homo transijt, quę sæpiùs tenuitas muscarum erumpit? Et illusi prouidentia Dei, discesserunt.

11. *Raphael Bagatta in antiquis monumentis Episcoporum Veronensium, de S.S.Teuteria, & Tusca.* B. Teuteria, cùm Regis satellites, qui eam insequebantur, non longè adhùc essent, huius rei diuinitùs admonita, orauit Beatam Tuscam, vt in cellulam reciperetur, quo facto, fenestrella, per aquam ingressa fuerat, aranearum telis pertexta, nemini recentis latebræ suspicionem reliquit: qua re delusi Regis ministri, in Angliam reuersi sunt. Quod miraculum cernens Beata Tusca, Teuteriæ permisit vt secùm ea in cellula reliquum vitæ degeret.

12. *Vghellus in Ital.sac.tom.7. Acheruntini Episcopi.* Cùm S. Canium Episcopum, & Martyrem persequerentur tyranni ministri, peruenit ad quemdam rubum; cælitùs verò diuinum affuit numen, & aranea totum circa rubum telam miræ texuit artis ingenio; vndè ab ipsis haùd inueniri potuit.

13. *Baronius in Ann.Eccl.an.680.* Tempore, quo Gregorius Patriarcha Constantinopolitanus, Macharium, Pyrrhum, & socios, vnam in Christo Domino solùm naturam, & voluntatem adesse impiè asseuerantes, damnauit, centum quinquaginta Pontificum decretis, telæ aranearum velut densissimi imbres cecidere in locum Synodi, maxima omnium admiratione. Ex quo significatũ est, hæreticorum sordes, ceù araneas telas, depulsas fuisse.

De Alijs diuersi generis Quadrupedibus. §. 21.

1. *Michael in Theodoro, sic de se ipso, apud Baronium an. 821. num. 42.* Aliàs, cùm solus, re ita poscente, remotum ad vicum proficiscerer, repentè obuiam, nescio vndè aduolans, facta est pardalis,

dalis, quæ terribili aspectu in me conuersa, tantùm non irruebat, & membra mea miserè depascebatur. Ego verò qui in tanto, tàmque certo discrimine quid agerem non habebam: animum refero ad magnum Theodorum, in illo vno spem omnem collocans salutis, cui minimè dubia fide nixus intrepida voce pardalim compello: Absede à me fera bellua, nec me propriùs attingere aude: quoniam ad Christi famulum Theodorum pergo, cuius ego seruus, qui tutor ac custos meus est in omnibus. Mirum dictu, nomine audito, bellua euolans è vestigio, terramque contuens, terga dedit, & viam quasi studio declinans, longissimè ab ea recessit.

2. *In Hist. Pragensi lib. 6.* Adelbertus secundus Pragensis Episcopus, ad Prutenos veniens, cùm populum penitùs rudem, & indocilem esse videret, nouos sibi in grege armentorum, & pecudum auditores acquisiuit, atque res tùm dictu mira contigit, vt starent attentis auribus, capræ, equi, boues, sues, asini, & quasi benè per Adelbertum dicta sentirent, intelligerentue, nutu illa capitum approbabant.

3. *In vita S. Genulfi cap. 5.* Die quadam operi cùm fratribus necessario eo insistenti; vulpes cùm rapina gallinæ, ante eum transitum habuit. Quam vir sanctus intuens, in nomine, inquit, Domini, iubeo te redire, ac loco suo deponere prædam. Mox obaudiens bestiola rediјt, atque prædam deposuit. Itinere verò, quo venerat, rediens, cùm ante fores transiret Ecclesiæ, contremuit, atque ibidem corruens expirauit. Quod tunc equidem dignissimè, verùm etiam postea non minùs mirandum, sancti viri merita commendauit; cum nemo rapinam huiusmodi, tali raptore viderit ibidem deinceps contigisse.

4 *In annal. min. ann. 1222. nu. xi. de Carinula vrbe, & S. Francisco.* Mirabiliter etiam in hac ciuitate compescuit vulpis, pauperis cuiusdam vetulæ gallinas, & pullos rapientis, rabiem, ita vt mansueta effecta, nullius illius vrbis rei familiari ampliùs noceret.

5 *S. Greg. l. 1. Dial. c. 9. de Bonifacio.* Eius mater in hospitij sui vestibulo gallinas nutrire consueuerat: sed eas ex vicino rure vulpes veniens auferebat. Quadam verò die dùm in eodem vestibulo puer Bonifacius staret, vulpes ex more venit, & gallinam abstulit. Ipse autem concitus Ecclesiam intrauit, & se in orationem prosternens, apertis vocibus dixit: Placet tibi Domine, vt de nutrimentis matris meæ manducare non possim: ecce enim gallinas, quas nutrit, vulpes comedit. Qui ab oratione surgens, Ecclesiam est egressus. Mox autem vulpes rediјt, gallinam, quam ore tenebat, dimisit, atque ipsa moriens ante eius oculos in terram cecidit.

6. *In actis S. S. Martij tom. 3. in Contin. Bollandi.* Vulpecula quædam domestica, surreptum clanculò à quadam sanctimoniali Fontanellæ degente pictachium, in quo erat imago Saluatoris, in nemore domi contiguo facta scrobe humo operuit; at dùm deuota fæmina imaginem quærit, nec inuenit, furtum vulpeculæ suspicans, inuocato patrocinio S. Vulfrani Episcopi Senonensis, præcepit irrationali animali, vt si imaginem abstulit, eam restituat: & ecce illicò bestiola illa diuinam præsensit virtutem; & inuocationem, nec factam per sanctum nomen pertulit contestationem, sed statim exiens in proximum nemus, scabere cæpit pictachium illud, quod absconderat, deopertum ore tulit, cunctisq; cernentibus, & attonitis, cælatum exposuit, ibique nullo cogente reliquit, in quo nulla omninò læsura erat, nihil corruptionis apparebat.

7. *In actis S. Samsonis Episcopi.* Cùm S. Samson quadam vice aues infestas monasterio, in vnum locum simùl ire iussisset, ea nocte vulpes casu inter illas intrauit, & vnam secùm tulit; sed mirum in modum deuorare non potuit: in crastina enim die circa horam diei tertiam post orationes completas S. Samson ad locum, in quo dictæ aues quasi in custodia erant clausæ, perrexit, & considerans aliquam ex eis deesse, dixit: Domine qui creasti me, quod furatum est restitue, & sine mora vulpes auem illæsam in ore deportans, & inter alias aues dimittens apparuit.

8. *S. Anton. 2. p. Chro. tit. 12. cap. 7. §. 1. de S. Brigida Virg. Scotiæ.* Quidam simplex vidit vulpem ambulantem per Regis palatium, quam nesciens esse domesticam, & varijs artibus agilitatis edoctam occidit. Quo cognito, Rex iratus iussit illum occidi, & vxorem eius, & omnia quæ habebat in seruitutem redigi, nisi sibi vulpes similiter edocta redderetur. Quod audiens Brigida, iuncto curru Regem rogatura, per planitiem campi pergebat per viam, quæ ducebat ad palatium Regis, ex intimo corde rogans Deum, vt prouideret. Statimque Dominus vnam de feris vulpibus ad eam transmisit. Quæ currens per campestria appropinquauit currui B. Brigidæ, & leuiter se eleuans, intrauit currum eius, & sub veste S. Brigidæ. Hanc protulit Regi, reusque liberatus est.

9. *Idem ibidem de eadem S. Brigida Virg. Scotiæ.* Aper ferus, & siluester ad gregem Brigidæ cursu præcipiti peruenit, scilicet porcorum. Quem sancta videns benedixit, qui statim omni feritate deposita, cùm grege porcorum permansit.

10. *Adamannus lib. 3. num. 8. in vita S. Columbæ confess.* Quodam tempore vir beatus cùm in Sicia insula aliquantis demoraretur diebus, paulò longiùs solus orationis intuitu separatus à fratribus, syluam ingressus densam, miræ magnitudinis aptum, quem fortè venatici canes persequebantur, obuium habuit. Quo viso, eminùs sanctus aspiciens eum, restitit. Tùm deinde inuocato Dei nomine, sancta eleuata manu, cùm intenta dicit ad eum oratione, vlterius huc procedere nolis: in loco ad quem nunc deuenisti morere. Quo sancti in syluis personante verbo, non solùm vltra accedere non valuit, sed antè faciem ipsius terribilis ferus verbi eius virtute, mortificatus citò corruit.

11. *Marulus li. 4. cap. 5.* Clothario Britannorum Rege venationi indulgente, aper à venatoribus actus, ad Deicolam Abbatem confugit, & ab eo seruatus est: nam qui insequebantur belluam, pepercerunt ei ob reuerentiam Sancti.

12. *In*

12. *In Hist.Ecclesiastica*. Marianus Bituricensis cœnobij monachus bubulci officio defungi non dedignatus, aprum ad se confugientem tutatus est, canibus insequentibus imperauit, ne illum tangerent, canes obedierunt. Aper discedere noluit, & cuius benignitate se seruatum agnouit, eidem humiliter adhæsit.

13. *In annal.min.ann.*1217.*num.*15.*de S.Francisco*. Apud Græcium viuus viro Dei oblatus fuit lepusculus: qui liber in terra positus, cùm posset, quò vellet effugere, vocante se Patre benigno, in sinum illius propero cursu saltauit. Quem ipse pio cordis affectu circumfouens, videbatur eidem compati, quasi mater, dulcique allocutione commonitum, ne se iterùm capi permitteret, liberum abire permisit. Cùmque pluries in terra positus, vt abscederet semper in sinum patris rediret (tamquam si sensu quodam occulto cordis ipsius perciperet pietatem) tandem iussu patris à fratribus delatus est ad loca solitudinis tutiora. Simile fecit & cuniculus illi oblatus.

14. *Gofridus Monachus in vita S.Bernardi lib.* 3.*cap.*7. Contigit aliquoties, vt iter agens, fugientem, & vt videbatur protinùs capiendum, vel lepusculum à canibus, vel auiculam ab accipitribus, signo crucis edito mirabiliter liberaret, diceretque sequentibus, frustrà se se conari, nec vllatenùs se præsente eiusmodi exercere posse rapinam.

15. *In vita B.Alberti eremitæ apud Bollandum* 7.*Ian*. Cùm in agro die quodam operaretur, in leporem incidit, qui non modò non profugit, sed capi se familiariter siuit. Cùmque eum socij occidere vellent, fratres, inquit, si nobis hic nihil nocuit, immò vltrò se credidit nobis, cur ei nos noceamus? sicque eum liberum dimisit. Post paulò insectantes fugiens venatores, ad virum Dei denuò accurrit, qui mox eum intra tunicæ suæ manicam abscondit, dum abijssent venatores, ac deinde dimisit. Quare dipingi vulgò Beatus hic solet cum lepore manicæ inserto.

16. *Ibid.in actis S.Deicoli Ab.Lutrensis* 18.*Ian*. Semel iter faciens B. Deicolus, viamq; ad quendam locum, nomine Luthra, ignorans, dixit cuidam porcorum custodi: Potes ne mi frater ducatum præbere, quo possim locum ipsum videre? At ille respondit: Possem vtique aliquo modo, sed gregem meum hic absque præuisore dimittere non præsumo. Cui B. Deicolus: Noli, inquit, mi fili, tenaciter negare tantillum spatij. Veraciter scias, quia si mecùm pergere disponis, nec minimum porcicullum interim perdes. Et si aliquid discredis, ego tibi fustem meum constituo custodem vicarium, vt in redeundo cognoscas, quantùm fides mea valeat cùm charitate tua. Hoc dicto, fustem, quem manu gerebat, solo radicitùs confixit, & præcedente ductore ad locum tetendit nominatum. Cùmque post longum horæ spatium porcarius eadem repedasset via, gregem videre solicitus, inuenit secundùm sancti viri pollicitationem gregem suum circa fustem gyratum, saturumque accubasse, & nec vnum quidem ex illo deesse.

17. *In actis P.P.lib.*8.*cap.*20. Cùm quadam die sederet in aula S.Macarius, & Deum alloqueretur, Hyæna acceptum suum catulum, qui erat cæcus, attulit ad sanctum, & cùm capite pulsasset ostium aulæ, ingressa est eo adhùc sedente, & proiecit catulum ad eius pedes. Cùm autem accepisset catulum S.Macarius, & spuisset in eius oculos, orauit, & statim vidit, & cùm mater eum lactasset, & accepisset, ita exijt. Die autem sequenti pellem magnæ ouis attulit ad S. Macarium, & cùm sanctus vidisset pellem, hæc dixit Hyænæ: Vndenam hanc habuisses, nisi ouem alicuius deuorasses? quod ergo proficiscitur ab iniuria, hoc à te non accipio. Hyæna autem humi inclinato capite, genuflectebat ad pedes sancti, & ponebat pellem. Ipse autem ei dixit: dixi, me non accepturum nisi iuraueris te non ampliùs offensuram pauperes comedendo eorum oues. Illa verò ad hoc quoque capite suo annuit, & tunc accepit pellem à Hyæna.

18. *Ioan. Moschus in prato spirit.cap.*84. Anachoreta quidam in montibus propè monasterium Scopuli erat, magnus valdè secundùm Deum, plurimos annos vitam solitariam ducens. Mortuus est autem in parua quadam spelunca, nobis nescientibus, arbitrabamur enim omnes, quòd ad aliam eremum migrasset. Nocte verò quadam venit in somnis, & apparuit ei, qui nunc est, patri nostro, bono, & optimo pastori, Abbati Iuliano, dicens: Sume tecum aliquos, & veni, tollens me de loco vbi iaceo, in monte qui vocatus Ceruus. Sumpsit igitur quosdam ex nobis pater noster, & ascendit in montem, quem ille dixerat. Cùmque per plures horas quæsissemus, non inuenimus Anachoretæ reliquias. Erat enim speluncæ ingressus pro tempore niuibus, & lignis coopertus. Cùm ergo non inuenissemus, dixit senior: Venite descendamus filij. Cùmque descendere inciperemus, ecce Caprea venit, & stetit non longè à nobis, cæpitque pedibus suis humum fodere. Quod cùm pater noster aspiceret, dixit nobis: Credite mihi, filij, illic sepultus est seruus Dei. Fodientes igitur inuenimus corpus eius integrum; quod sublatum, in monasterium cùm honore sepeliuimus.

19. *Petra Sancta in mirac.comp.c.*7. Sanctus Simeon Iunior Stylita, dùm adhùc esset puer innocens, perque montium iuga pererraret ludibundus, cingulo veluti freno iniecto, ex nemore pardum, in quem fortè inciderat, ad monasterium ductare ausus est; & interrogatus à Præside, agnosceretne feram? respondit felem esse: ac perindè mitem eam expertus est.

20. *Raderus in Viridario de S. Mamante m.* Antro abditus, ferarum lacte vitam sustinebat.

21. *Idem de S.Arsenio in Latro*. Ingressus hic Sanctus cauean feris infessam, se ipsum exposuit, ac cùm feris securus, & intrepidus habitauit.

22. *Colganus in vita S.Colmani* 3. *Februarij*. Murem habebat, qui ita viro Dei famulabatur, vt vltrà statas, & iuxta ipsius pia proposita statutas horas, eum non permittebat dormire, vel quiescere, sed quandò natura vigilijs, orationibus, alijsque austeritatibus fatigata, somnum, aut quietem ampliorem, quàm viri Dei rigida vota præfixerant, lassis artubus postularet, nunc vestes rodendo, nunc auriculas mordendo, eum ab omni

ni quiete reuocabat. Gratum erat viro Dei eiusmodi obsequium, quo videbat & vota sua adimpleri, & se à bruto animante ad Dei seruitia prouocari.

23. *In ann.minor. an.1456.de B.Ioanne à Capistrano.* In circuitu vrbis Anglonæ in finibus Lucaniæ, mures, & talpæ quidquid grani erat comederunt, fruticum, arborumque radices, & cortices eroserunt. Rogatus Capistranus, vt tanto malo mederetur, institutis pijs supplicationibus, populum omnem ad peccatorum expiationem, & Eucharistiæ susceptionem induxit, deindè ex ambone docuit propter peccata plagam hanc immissam, eamque non aliter, quàm pænitentia tollendam; mox præmissa oratione noxiis animalculis maledixit: sequenti die per campos, & prata tot apparuerunt mortua, vt necesse fuerit varias effodere foueas, quibus sepelirentur, ne aerem corrumperent.

24. *In actis S.Vrbani Episcopi Lingonensis apud Bollandum 23. Iannuarij.* Non diù Trecassinæ vrbis populum latuit huius venerabilis, & præclari Pontificis meritum per multorum ora eis notificatum. Horum quippè segetes cùm innumeri mures deuastarent, & ob hoc eorum deperirent labores; facto agmine, Marcenniacum venerunt, & de templo eius aquam tali pestilentiæ competenter sanctificatam in vasculis secùm detulerunt, cuius aspersione fugati sunt.

25 *In actis S.S.Feb.tom.2.in continuat.Bollandi.* Depopulabantur arua, segetesque Gemmeticenses bestiolæ quædam, muribus assimiles, quas mulotes vocant, itaque crudeliter omnia deuastabant, vt omnem messem destruere viderentur. Dei igitur monitu caput S. Valentini martyris Gemmeticum Roma delatum, circumferunt populi in supplicatione, sanctique patrocinium in tàm magna necessitate suppliciter exquirunt. Mira res; Agmen inimicum satis, mulotes illi, ac si Valentini sensissent increpationem, ex tunc indemnes conglobati ad Sequanæ fluuium properauerunt, vel vltronei, vel Valentini iussu coacti, alueum fluminis inextricabilem ingressi sunt, & vastis gurgitibus insescepti, & suffocati.

26. *Ibidem tom.3.* Cùm semel S. Vlricus eremita in cella sedens, cappam à mure corrosam videret, ait: Pereat mus qui ita cappam meam lædere præsumpsit. Et ecce dicto citiùs, mus de muro prosiliens corruit ad pedes eius, & mortuus est.

27. *Molanus de Hist.S.Imag.lib.3.cap.11.* Circa imaginem sanctæ Gertrudis solent mures, & glires appingi; cuius rei rationem hanc à canonicis Niuellensibus accepi. Illi enim, cùm ab eis peterem causam vsitatæ picturæ, responderunt, se à senioribus confratribus audiuisse, ex puteo, qui est in crypta Ecclesiæ, maiores solere aquam adferre, qua cùm aspergerent domos suas, & agros, liberabantur à muribus, sed nunc, addebat vnus eorum, refrigescente multorum charitate, sicut alibi, sic & in nostra Ecclesia cessant miracula.

28. *Raderus in Viridario de S. Hypatio Episcopo Gangresi.* Sorices, aliasque pestes, regionem vastantes, verbo extinxit S.Hypatius.

29. *Ioseph Sylos in Hist. Cl. Reg.par. 3. lib. 4.* Accidit semel, vt mus non sanè paruus, libros in cellula Ven. nostri Iacobi de Stephano adroderet; quod vt audiit Iacobus, statim veluti criminis manifestum, vt pænas lueret, eum auocauit. Paruit ille, ac ceù noxam ac forum agnosceret, quadam veluti reuerentia visus confestim accedere: quem quidem vbi Iacobus apprehendit, non modò dentibus, sed sua etiam indole exarmauit. Nam substitit deindè in cellula, ea quidem mansuetudine, ac familiaritate, vt dùm scriberet ille, ac legeret, iret bestiola per humeros, ac brachia, quam deindè Iacobus sua manu alere, fouere, blandiri solebat.

30. *In actis S. Vsmari Episcopi, & Abbatis in Belgio.* Cùm sæuissima pestis murium radicitus segetes deuastantium popularetur in omnibus confiniis regionis Mosomagensis. Circumtulerunt S. Vsmari reliquias, & intra paucissimos dies omnis illa pestilentia ita penitùs est sedata, vt nulla ulteriùs regioni illi intulerit damna.

31. *In Chron.S.Dominici an. 1236.de B.Iordane Magistro Generali.* Exiuit quodam tempore B.Iordanes de Lausana, volens videre Episcopum, qui in vicino erat, quia valdè se mutuò à longis temporibus diligebant. Cùm ergo plures eum Fratres præcederent, & ipse cùm Sacrista Lausanensi colloquens de Iesu sequeretur. Ecce mustella coràm Fratribus pertransiuit. Igitur Fratribus subsistentibus ante antrum, quod intrauerat, Beatus superueniens, ait. Quid hic statis? Dicunt ei, quia pulcherrima, & candidissima bestiola intrauit in caueam istam. Tunc Beatus, inclinans se deorsùm ait. Egredere pulcherrima bestiola, vt nos te videamus. Statim illa egrediens in os foraminis, fixo intuitu respiciebat in eum. *Tunc Beatus substernens anterioribus pedibus eius manum* suam, aliam manum duxit frequenter per caput eius & dorsum; quod totum mustela sustinebat. Cui dixit Beatus. Modò reuertere ad locum tuum, & benedictus Dominus creator tuus. Statim ergo in antrum bestiola se recepit.

32. *In Annal. Cap. an. 1583. de P.Antonio Veregranensi.* Accidit aliquandò, vt dùm Antonius in popinæ ministerio operam suam impenderet, felis quidam domesticus nimium illi molestus esset: cui ille: Abi (inquit) istinc, importune; & ne ampliùs hùc introeas, iubeo. Vix hæc verba Antonius absque verbere protulerat, cùm felis è popina egrediens, nullo deinceps vnquam tempore in popinam rediit. Sed cùm illius interdùm limen attingeret, indè statim retrocedens, Antonii quoad vixit, imperio paruit: vt ex bruti rationis expertis obedientia, quanta Antonii animæ virtus inesset, non obscurè omnibus innotesceret.

33. *Franciscus à S. Maria in Hist.Carmel.tom. 1.lib.4.cap.10.* Dum M.Catharina de Cordona ex Discalceatis S. Teresiæ vitam solitariam in eremo ante ingressum religionis ageret, ad illam accessit alia pia fæmina, eamdem pænitentiæ vitam ducere volens; at uiribus impar, graui infirmitate statim fuit correpta; qua in necessitate cùm nihil edulijin

lii in solitudine haberet, quo infirmam nutriret, quotidiè felis è proximo monte perdicem deportabat, qua necessitati succurrebat infirmæ.

De Piscibus. §. 22.

1. *S.Greg.Papa l.1.Dial.cap.1.* Venantii quondam Patritii, in Samnii partibus villa fuit, in qua colonus eius filium Honoratum nomine habuit. Qui ab annis puerilibus ad amorem cælestis patriæ per abstinentiam exarsit. Cùmq; tàm magna conuersatione polleret, seque iam ab otioso quoque sermone restringeret, multùmque per abstinentiam carnem domaret, die quadam parentes eius vicinis suis conuiuium fecerunt, in quo ad vescendum carnes paratæ sunt: quas dùm ille ad esum contingere per abstinentiæ amorem recusaret, cœperunt eum parentes eius irridere, ac dicere: Comede, numquid piscem in his montibus, tibi allaturi sumus. Illo verò in loco pisces audiri consueuerant, non videri. Sed cùm his sermonibus Honoratus irrideretur, repentè in conuiuio aqua ad ministerium defuit, & cùm situla lignea, sicut illic moris est, mancipium ad fontem perrexit. Dùmque hauriret aquam, piscis situlam intrauit. Reuersumq; mancipium ante ora discumbentium, piscem cùm aqua fudit, qui ad totius diei victum potuisset Honorato sufficere. Mirati sunt omnes, totaque illa parentum irrisio cessauit. Cœpere namque in Honorato venerari abstinentiam, quam antè deridebant, sicque à Dei homine irrisionis detersit opprobria piscis allatus de fonte.

2. *In vitis P. P. Occid. de S.Corentino ex Anachoreta Episcopo*. Cùm aliquandò Grallo Rex in sylua, in qua manebat sanctus, venaretur, essetque fame & siti oppressus, (Deo sanctum suum manifestare volente) casu venit ad tuguriolum, & cellulam viri Dei, quæ quidem ex arbustis & iuncis constructa erat. Qui magna, & subita admiratione perculsus, salutato viro Dei, petiit, nùm aliquid haberet manducandum. Ille se vnum tantùm piscem in fonte habere dixit. Vidensque Regem, & nobiles, qui cùm eo erant, fame laborantes, statim cucurrit ad fontem, apprehendensque piscem, scidit medium; & vnam quidem partem in fonte dimisit alteram verò cùm coxisset, attulit Regi. Mira res, hæc parua portio, non solùm ad satiandum Regem, & omnes, qui cùm eo erant, sufficiens fuit: sed & miraculum miraculo adiunctum est. Nam refectione transacta, cùm beatus iuisset ad fontem, piscem integrum inuenit.

3. *In vita S. Lucæ Iunioris*. Sedebat Sanctus vir tempore refectionis cùm cęteris sociis in littore maris; cùm ecce magnus piscis multum in aerem pennarum remigio sublatus, ante eorum pedes iacet, suauissimè palpitans, atque saliens, ac velut ad sui apparatum præsentes prouocans, ac ciens. Ij porrò gratias agentes curatori, ac annonæ præbitori Deo, prouidentiam eius admirabantur.

4. *In actis S.S. Aprilis tom.1. in continuatione Bollandi*. Piscator quidam mercenarius, Salmonum piscationem à Domino terrę Cathenensis, certa pecuniæ summà in affidatione possidebat: qui cùm plurimas inde pecunias piscandi gratia exposuisset, vt indè Domino satisfaceret à dicta piscatione, & huiusmodi, aquarum sterilitate nequaquam prendidisset, & metueret, ne tempus fatale Salmonum cursibus de proximo volueretur. Beatum Gilbertum Episcopum Cathenensem intenta rogabat mente, quatenùs sanctas suas manus in dicta aqua lauaret, vndè Salmonum pisciculos terræ attraheret. Facta autem manuum sacrarum ablutione, Salmones dicto Piscatori abundantiùs natabant; & quod Domino redderet, cùm centupli vsura, eidem reportarunt.

5. *In vita Beatæ Idæ Louaniensis*. Accidit, vt ad lauandum quoddam lineum vestimentum ad stagnum habitationi suę contiguum, virgo Deo deuota quadam die accederet, & ad reformandam in eo candoris pristini nouitatem, ipsum perfundendo simul, & abluendo liquoribus sępè repetitis vicibus humectaret. Quod cùm diligenter stans in ripa stagni actitando perficeret, ecce multitudo piscium diuersi generis aggregata tamquam ad desideratum cibum ex imi laci gurgitibus ad manus virginis adnatauit, ac in eius aspectu tamquam ex eius præsentia iucundata, exultando, tripudiando, & quibus valuit salutationum obsequiis ipsam virginem Christi honorauit. Confluebant enim ex omni parte certatim, aliisque recedentibus, vicissim alii succedebant, & quoties in aqua manus suas submitteret, eius apprehensis digitis adhęrebant. Illa verò nunc illos apprehendens in pontem supra quem stabat ante se ponebat, & cùm alios pro suo libito dimitteret, aliosque reponeret, nullum tamen eorum à se contrectando fugauit. Sed velut matrem propriam indesinenter eius lambendo, vel sugendo digitos, eam certatim omnis illa multitudo circumdedit, donec ad illius nutum indulta sibi licentia renatauit.

6. *In actis S.S. Martij tom.3.* Cùm quadam die Sanctus Hermelandus Abbas Antrensis in Gallia fessus vigiliarum, orationumque instantia ad auram exhilarationis gratia deambularet, & super littus parùmper resedisset, dixit ei quidam, Namnetensem Episcopum habuisse quemdam piscem, qui vulgò Naupræda (vel Lampreta) dicitur, cui sacerdos Dei Hermelandus dixit: quid hoc ad rem pertinet Frater? nunquid inualida est Omnipotentis manus huiusce generis piscem nobis sicuti & illi cùm voluerit largiri? Nundùm vir Domini hęc verba compleuerat, & ecce diuina virtute huiusmodi piscis ex fundo Ligeris eductus, in medio fluuio se subrigens, atque super vndas aquarum rapido cursu natans, ante pedes Sancti sicco iacuit in sabulo. Tunc munus diuinitùs sibi collatum sciens, cùm gratiarum actione iussit leuari, dicens vni ex fratribus. Tolle hoc fili, & tres in partes diuide, quarum vna ad nostram retenta refectionem, reliquæ duę ad monasterium fratribus mittantur. Quod cum factum fuisset, res subsecuta est statim mirabilis, nam tanti viri merito ita omnes fratres, tàm qui cùm eo aderant, quàm illi, qui in monasterio remanserant, quorum non paruus erat nume-

rus, ita fuerunt ex tàm modico satiati pisce, ac si multitudo piscium eis fuisset distributa.

7. *Beda de S. Cutbberto Episcopo.* Cœpit S. Epis. in littore flexis genibus orare, quod dùm ageret, venerunt continuò duo de profundo maris quadrupedia, quæ vulgò Lutræ vocantur. Hæc ante illum strata in arena, anhelitu suo pedes eius fouere cæperunt, ac villo satagebant extergere, completoq; ministerio, percepta ab eo benedictione, patrias sunt relapsa sub vndas.

8. *Io: Colganus in vita Sancti Cuthberti 20. Martij.* Defuncto eo, qui eum educauerat Episcopo, assumpsit eum mater sua, & Britanniam nauigatura, nauem ascendit. Elapso autem de manibus pueri psalmorum libro, in maris profundum corruit; & vitulus marinus sine mora erumpens, ore hiante librum absorbuit, & sub vndis euanuit. Egressis de portu in naui omnibus, vitulus ille marinus subitò apparens, librum penitùs illæsum euomuit.

9. *Ioannes Eusebius lib. 1. de Histor. nat. cap. 21.* Sancto Francisco Xauerio, effigiem Christi crucifixi, quam in mare sedandum miserat, cancer restituit.

10. *In Chronicis Minor. de Sancto Francisco.* Cùm semel ad eremum Greci j proficisceretur, piscis magnus oblatus ei fuit à Piscatore. Tùm ipse piscem apprehendens, in lacum iterùm proiecit, pristinæque restituit libertati; at piscis benefici j gratus, super aquas enatans, sanctum associatus est; nec in profundum abire est ausus, nisi obtenta à sancto benedictione.

11. *Ibidem de S. Anton. Vlyssipponensi.* Cùm quadam vice Arimini prædicante Sancto Antonio Patauino, Hæretici illum audire nollent; ad littus accedens, pisces maris ad audiendam concionem vocauit: & ecce statim innumera piscium multitudo, ex aquis capita leuando, ceù verbùm Dei auditura, apparuit; post concionem verò capita inclinando, ac si benedictionem peterent, iterùm in mare demersi sunt, admirantibus catholicis, confusisque hæreticis.

12. *In vita Beati Gondisalui Amaranthi 10. Ianuarij apud Bollandum.* Cum aliquandò pro victu cæmentariis, & lapicidis ministrando, sumptus necessarii Diuo Gondisaluo deficerent, ad aluei fluminis crepidinem accedens, in oratione prostratus, è cœlo subsidium, & penuriæ illius leuamen, afflictus animo, precibus fiducia plenis implorauit. Deindè crucis signo super fluentis Tamacæ aquas facto, tanta multitudo piscium ad eum confluxit, vt aquæ superficiem cooperire conarentur. Tunc sanctus vir Gondisalnus manu protensa, scipione suo, illorum necessariam foràs extraxit summam, pro suis alendis opificibus; reliquos verò benedictione illis impertita, in profundum pelagi relabi permisit, & præcepit. Hoc miraculum non semel tantùm, aut bis ab auctoribus contigisse refertur.

13. *Arnoldus Rayssius in auct. ad natal. S. S. Belgij, 15. Augusti de Nicolao conuerso ord. Præd.* Contigit aliquandò ad Harlemense cænobium hospites diuertere, viros moribus probatos, & scientia claros; quos cænobii Præfectus abundè & lautè suscipere cupiens, iussit Nicolaum ad piscinam accedere (fortè in ædium ambitu piscinam habebant) & pisces adferre paratos, & concinnatos. Qui dùm sedulò pisces diù perquirit, nedùm quempiam prehendit, verùm nec inuenit. Reuersus deinde, Præfecto rem defert. At Præfectus, viri sanctitatem haùd ignorans: Vbi, inquit, est Nicolae illa tua solita obedientia? vbi charitas erga hospites? Quantòcyùs itaque reuertere, & positis vestimentis ingredere aquas, & sic alloquere pisces: Cenobii Præfectus hùc iterùm me misit, vobis mandans quatenùs ex vestris exeatis cauernis, vosquemet mihi prehendendos exhibeatis, quoniam vobis opus est pro hospitibus. Is verò dictum Præfecti audiens, volens diligenter iussa complere, nihil cunctatus, aquas ingreditur, & quanta valebat voce inclamare cæpit: Vobis pisces Præfectus meus iubet, quotquot adestis, vt continuò ad me veniatis. Mira res! vix verbis modum statuerat, & ecce Lucius magnus, qualis, & quantus nunquam illo in loco visus est, mox sancto viro se se capiendum præbuit. Quo viso, vir Dei gaudio ingenti oppletus, illum cepit, & pro voto Præfecti, hospitibus parauit. Porrò non minùs hospites, vt rescierunt tantam rem, ex prompta obedientia, & miraculo, quàm ex cibo gaudium & lætitiam sumpsere.

14. *Io. Gerbrandus lib. 1. Chron. Belgic. cap. 14. de Sancto Maguto.* Nauigabat S. Magutus; cùm semel carinam à statione submouentes illinc, certo festo Paschæ conspiciebant quasi modicam insulam, ad quam & applicuerunt: illic Sanctus Magutus suggerentibus fidelibus, missarum solemnia celebrare cępit. Cùmque fratres missam canerent, peruentum est in missali ordine vsque ad orationem dominicam. Tunc subitò tota illa, quæ videbatur quasi insula, commota est. Erat autem bellua ex his, quæ Cete dicuntur, vnde omnes perterriti, se deglutiendos timebant, excepto viro Dei, qui in Domino confisus, sacrificium adimpleuit: deindè in oratione se ibidem prostrauit, inuocans Deum, vt cetum, cui superstabat, immobilem faceret, donec illinc congregatio fratrum illa transeundo euaderet. Qua oratione completa, bellua facta est immobilis, donec Sanctus Magutus, & omnes nauem conscenderent, sicque laudantes Deum, prospero cursu ad patriam redierunt incolumes.

15. *In vita S. Columbani cap. 11. 21. Nouemb.* Quodam tempore in solitudine viro Dei commorante, post quinquaginta exactos dies, solus Gallus frater ei aderat. Imperat ergo illi, vt ad Bruscam eat, piscesque capiat. Abiit ille, sed consultiùs visum est ei, vt ad Ligonem amnem pergeret. Quò cùm peruenisset, & rete in alueum iactasset, adspexit magnam quidem piscium aduenire multitudinem, nec tamen reti contineri, sed perindè ac si in parietem impingerent, retrò reuerti. Laborauit itaque tota die, nec vel vnum piscem capere potuit. Reuersus indicat patri frustratos labores suos. Ille inobedientem increpat, cur non ad denunciatum se se contulisset locum: iubetque citò eò acce-

accedere. Pergit ille, mittit rete in aquas, & vix potest præ copia piscium illud ad se retrahere.

16. *In vita S. Remacli Episcopi 3. Sep.* Calcus villa monasterii nostri, ad Mosam sita est, in qua, ob piscandi commoditatem, monachus, de cuius fide, & conuersatione nihil dubitaretur, constitui solebat, vt captos pisces, certo tempore in monasterium inferret. Fuit hoc muneris quandòq; demandatū Lautfrido grandæuo fratri: qui diuina benedictione fretus, vt plurimùm magnam piscium copiam in monasterium adducebat. Interim adest festus B. Remacli dies; Lautfridus sedulò dat operam, vt possit fratribus gratificari. Itur ad Mosam, trahuntur retia, nullum piscandi genus omittitur, nec tamen quicquam capitur. Tùm senex ille contristatus, nescit quid agat. Trahit amor, vt ne desit solemnitati: retrahit pudor, ne vacuus veniens ad monasterium, pateat contemptui. Vincit tandem amor, & naui conscensa, abiit ad cœnobium. Inter nauigandum autem ita secùm tacitus cogitat: Placetne tibi confessor, vt ex tam multo labore nullum mecùm ad fratres fructum apportem? Quod facinus meum, ob quod omnis piscandi industria clusa est? Mallem equidem in his perire aquis, quàm vt fratres ex me vllum capiant detrimentum. Hæc illo intra se dicente, subitò ex aquis in nauim irruentibus, magnus piscis exilit, quem vnus è nautis ad littus tradidit fratribus deferendum. Lætatur senex frater, & ad monasterium veniens, aliis rem totam exponit. Prudenti deindè consilio decretum est, vt singulis fratribus singulæ ex eo pisce portiones apponerentur, vt scirent sibi nunquam defutura B. Remacli suffragia, si ipsi eius seruitio non deessent.

17. *In vita S. Lugderi Episcopi cap. 22. 26. Martij.* Prædicationis gratia Frisiam adiuit. Cùmque ad Ecclesiam suam in loco, qui dicitur Heleri, iuxta fluuium Ladam venisset, propter hospites, qui eum frequentabant, petiit loci illius piscatores, vt sibi aliquem Sturionem comprehensum afferrent: illi iam tempus huius capturæ præterisse responderunt, & appropinquare hyemale tempus, quo huiusmodi pisces capi non solerent. Sed Deus, inquit filii, temporum conditor, cùm tempore non transit. Ite ergo facite quæ dixi, captura, Deo volente, proueniet. Potens est enim Deus desiderata seruis suis omni tempore præstare. Proindè cùm illi voluntati eius satisfacere, & mandatis obtemperare pararent, eleuatis sursùm oculis, viderūt in aere quasi alitem, qui volatu paulatim demisso, aquis appropinquans, non longè ab eis in ipsas cecidit; quod illi auspicium diuinitùs euenire credentes, in illo loco, quo auis primùm incidit, rete iactauerunt: neque ista spes, quam de virtute, & meritis sancti viri conceperunt, fefellit. Siquidem miræ magnitudinis sturionem illicò comprehenderunt, quem cùm gaudio sancto viro allatum, capturæ ei prouentum per ordinem narrauerunt. Ille more solito cuncta ad Dei gloriam referens, & sibi nihil tribuens: Agamus, inquit, omnipotenti Deo gratias bonorum.

18. *In actis transl. S. Helenæ Reginæ.* Huius beatæ Reginæ quondam natalis die imminente, piscatores monachorum noctu capturæ instabant piscium in Materna flumine, cassoq; frustrati per totam ferè noctem labore, tandem conquesti, S. Helenam pro sua cœperunt inclamare fatigatione: tùm in Dei, & ipsius nomine laxantes rete, gemino ditati gaudent pisce; sed mox vnus horum repetens matrem, quodam gaudia interpolauit mærore, dùmq; rursùs queruntur, iterùmq; dominam inclamando turbantur, piscis elapsus mirabiliter dans saltum ab imo, superiorem retis funem tenacissimo corripit morsu, & sic inhærens funi pependit, donec stupefactus eum tandem piscator gratanter excepit.

19. *In actis S. Columbæ Scoti Conf. lib. 3. cap. 5.* Quodam tempore cùm prædicabilis viri Scotiales strenui piscatores quinos in rete pisces cepissent in fluuio Sale piscoso, Sanctus ad eos iteratò ait: rete in flumen iniicite, & statim inuenietis grandem, quē mihi dominus præparauit piscem. Qui verbo Sancti obtemperantes, miræ magnitudinis traxerunt in retiaculo Chocem à Deo sibi præparatum.

20. *Chrys. Henriq. in fasc. de S. Malachia Archiepisc. Hiberniæ.* Venerunt aliquandò tres Episcopi in villam Fochart, & quartus erat Malachias, ad quem presbyter, qui hospitio susceperat eos: Quid faciam, inquit, quod pisces non habeo? Quo respondente, vt quæreret à piscatoribus; Biennium est, ait, quòd non inueniuntur pisces in flumine, vndè & piscatores prorsùs diffisi, etiam arti suæ renuntiauerunt. Et ille præcipè, inquit, laxari retia in nomine Domini. Factum est, & capti sunt Salmones duodecim. Secundò miserunt, & captis totidem, inopinatum inferunt mensis, & ferculum, & miraculum: & vt clarè liqueat Malachiæ meritis hoc datum fuisse, aliis quoque sequentibus duobus annis, eadem sterilitas perdurauit. Idem propè quamdam insulam in Hibernia, mare sterile piscibus, oratione fœcundum reddidit.

21. *In vita S. Eduardi Regis.* Cuidam piscatori retia in mare mittenti, apparuit S. Petrus, in illiusq; cymbam ingressus, aliqua præstanda imposuit: deinde ait illi: Laxa nunc retia in capturam; cui imperanti paruit piscator, & mox impleuit rete piscium maxima multitudo. Omnes erant eiusdem generis pisces, præter vnum miræ enormitatis. Quibus ad ripam extractis, dixit Apostolus: Hunc qui præcæteris pretio, & magnitudine præcellit, Mellito ex mea parte defer piscem Episcopo. Pro nautica verò mercede, cætera tibi tolle. Huius generis copia abundabis in vita, & longo tempore post te progenies tua: tantùm ne vltrà piscari audeatis in celebritate Dominica. Ego sum Petrus, qui loquor tecùm. Dedit fidem miraculo piscatoris illius tota successio, quæ sicut à patre acceperat, totius emolumenti, quod ars illa deinceps ei conferebat, B. Petro, eique seruientibus decimas offerebat. Vnus tamen semel fraudem ausus inferre, mox tamdiù artis caruit beneficio, donec confessus reatum, & ablatum restitueret, & promitteret correctionem.

22. *In actis S.S. Febr. tom. 2. in contin. Bollandi.* Cùm tempore piscationis Thynnorum, ex diabolica fraude in tota regione maritima vsque ad Abydum qua-

quadam vice, omnis piscatorum labor frustraretur, omnes in vnum congregati, rogauerunt S. Parthenium Episcopum Lampsaci in Hellesponto, vt Deum pro eis deprecaretur. Exurgens tunc vir Dei citra moram, profectus est in vnumquodque emporium vsque ad Abydum, & aquam benedicens, & sal inijciens, & Deum inuocans, iussit afferri retia, & se præsente piscium consuetam facere piscationem. Tunc cùm magno gaudio suo retia laxantes, Domini virtute, & sancti precibus tanta bona consecuti sunt in piscatione, vt præteriti temporis defectum suppleuerint. Alia vice sedente S. Parthenio in emporio Catapteleæ, cùm piscatio fieret piscium, reteque traheretur, Thynnus maximus è reti exiliens se proiecit ad pedes sancti, quem cùm signasset, & Deum precatus esset, iussit scindi, & distribui fratribus ad gloriam Dei.

23. *Colganus in vita S. Melis*. Cùm prædictus sanctus quadam vice à perfidis graui infamia affectus fuisset; miraculo ostendit Deus sancti viri innocentiam, arans enim tellurem in quodam colle, pisces magnos, & multos inuenit in sicco, quos captos contulit S. Patritio.

24. *In vita Ven. Ioannis Lohelij, ex Abb. Præmostrat. Archiep. Pragensis*. Olim fratres diebus mercurij carnes comedebant: obambulans nouitius adhùc Lohelius tali die in recreatione circa monasterij piscinam, ingemiscens religiosam cogitabat abstinentiam, eam tali loco commodè asseruari posse asserebat. Ludendo adstantes, sermonem responderunt. Omninò Deus, dominationi vestræ (ironia erat) mox pisces dabit. Dictum, factum. Prosiliit ex profundo in altam ripam ante pedes fratris Lohelij Lucius longitudinis miræ, fratribus cùm stupore & gaudio eumdem excipientibus.

25. *Ibidem de eodem*. Iam Archiepiscopus, cùm quodam abstinentiæ die venisset in prædium, non inuenit quo Canonicum Pragensem hospitem tractaret, iubet ire pro recreatione aliquantulùm piscatum. Conscendit cymbam cùm Canonico Fr. Sacellanus, in altum parumper progressis, impetu in cymbam insilit carpio; & ipse hospitibus sufficiens, nec vltra progressi, dono Dei gauisi sunt.

26. *Sylos in Hist. Cl. Reg. par. 2. lib. 6.* Semel Panormi quidam piscator pluscculas horas, ac patientiam ipsam infeliciter piscando consumpserat, fortè illàc pertransiit Vincentius Scarpatus ex nostris laicis vir integerrimæ virtutis, quem vt ille inspexit, prolixiùs orare, vt fausta prece hamum fortunaret: pollicitus fore, vt si quid caperet prædæ, ex æquo vnà diuideret. Comiter de more bonus senex lineam benedixit: & dùm abit, ecce tibi correptus hamo piscis ea quidem magnitudine, vt laboraret vehementer à pòdere, ac mole arundo. Compellare confestim ille Vincentium: accurreret, impetraretque precibus ne longè maior, ac fortior tenui filo piscis euaderet. Oratum: Nec mora: educta è mari ingens prędа, non minùs pondo triginta.

Reliqua cùm de perennibus.

De Ranis. §. 23.

1. *In vita Sancti Bennonis Episcopi*. Solebat vir Dei nonnumquam orando, meditandoque agros circuire, ibi cùm venisset iuxta paludem, & ranarum vocibus impediretur, iussit eis, vt silerent. Quod & fecerunt. Sed paululùm transgrediens venit ei in mentem illud Danielis. Benedicite & omnia quæ mouentur in aquis Domino; benedicite omnes bestiæ, & pecora Domino. Timens igitur, ne fortè gratior esset Deo illarum cantus, quàm sua oratio, eis iterùm mandauit, quatenùs consueta voce Deum laudarent: quæ mox campos, & aera stridore suo garrulo repleuerunt.

2. *Sanctus Ambrosius de Virginibus libr. 3.* Fertur, cum plurima ranarum murmura religiosæ auribus plebis obstreperent, sacerdotem Dei præcepisse, vt conticerent, ac reuerentiam sacræ deferrent orationi, tuncque subitò circumfusos strepitus quieuisse.

3. *In vitis P. P. Occident. libr. 2. de S. S. Domitio Erem. & Vlsia*. Quadam nocte cùm propter ranarum coaxationem Beata Vlsia somnum capere non potuisset, & indè Domitium, secundùm consuetudinem excitantem, non audisset: facto mane, vir Dei ad cellam rediens, ad Vlsiam diuertit, somnolentiæ causam sciscitaturus. Quæ ranarum clamores incusans, (locus enim erat palustris, & aquosus) vir Dei præcepit eis, ne deinceps clamorem ederent, & virginem ab exercitiis suis perturbarent. Mirum dictu, bestiolæ illæ clamorem edere ampliùs non potuerunt.

4. *In Chron. Sancti Augustini, de Beato Iacobo de Cerqueto eiusdem ordinis*. Hic venerabilis vir, cum semel esset præparatus ad dicendum missam, ranæ (quæ multæ erant in loco illo) tantùm vociferabantur, quòd per eas fratres in deuotione sua non parùm impediebantur. Dixit ergo Prior Iacobo, quasi iOculariter. Vade dic illis bestiis, quòd seruent silentium. Ac frater iste vadens ad locum fluuialem, vbi ranæ erant, facto signo crucis, dixit hæc verba: In nomine Domini nostri Iesu Christi præcipio vobis vt taceatis; & ex tunc non est auditus clamor huiusmodi ranarum in illo loco.

5. *Ferrarius in Catal. S. S. 3. Iulij*. S. Lingdanus Abbas ranas nimiùm abstrepentes baculo palude, in qua erant propè monasterium, percussa, ita compescuit, vt deinceps exauditæ nunquam fuerint.

6. *Idem mense Apr. die 23. de S. Georgio Episcopo Suellensi*. Cùm apud paludem ranæ obstrepentes, suos dormire non finerent, misso ad eas Diacono, qui ne coaxarent præcepit, eæ præcepto paruerunt.

7. *Surius in vita S. Audœni 24. Augusti cap. 22.* Quodam tempore permultæ ranæ inconditis vocibus religiosi antistitis auribus obstrepebant. Iussit ergo sacerdos Dei, vt conticescerent, ac reuerentiam sacræ orationi deferrent. Mox circumfusus ille strepitus conquiescit.

8. Ar-

8. *Arnoldus Rayssius in auct. ad nat. S. S. Belgij 7. Martij de B. Hermanno Coolsmet Carthusiano.* Fertur, cùm post matutinas laudes, in silentio noctis contemplationi vacaret attentiùs, quadam vice ranarum murmur (quæ in locis palustribus, & in lacunis ferè semper vicinis audiebantur) iam diutiùs passus; indixisse eis commune silentium (fortè fretus silentij sui virtute) vel vt alii dicunt, exitium, & exilium eis imprecatus est. Vt res se se habuit, certè huius loci accolæ obseruarunt, nullas in vicino viuario remansisse; donec emergentibus hæreticorum insanis tumultibus, Carthusia eadem solo æquata; funditùsque euersa est; à quo tempore ab exilio reuocatæ videntur.

9. *Hieronymus Faber in monumentis Ecclesiæ Rauennæ, de Ecclesia Metropolitana.* Dùm semel B. Rainaldus Episcopus Rauennæ concionem ad populum haberet quodam in loco territorij Argentæ propè Padum, & ab importuno ranarum garritu impediretur, illis in nomine Iesu imposuit silentium, & subitò ceù rationalia animalia conticuerunt.

Reliqua cùm de perennibus.

APPENDIX I. AD CAPVT. I.

De Animalibus imperio seruorum Dei perenni prodigio adhùc obedientibus; & primò De Auibus.

SAnctorum efficacissimum imperium quanti fecerint irrationabilia animalia, etiam nunc testantur eorumdem obsequentissima obedientia; quodque paruipendunt rationales creaturæ, summa adhùc reuerentur obseruantia, Bruta rationis expertia. De quibus.

1. *Matthæus Lauretus in adnotatio. lib. 1. cap. 1. Chr. Cassinensis.* Cùm S. Benedictus diuinitùs monitus, Sublaco relicto, Cassinum properaret, tres Corui per omnem viam indiuidui illi comites fuere, ei assiduè vestigia demonstrantes: hodièque in sylua, quæ Ven. monasterio Cassinensi adiacet, duo siuè vt ferunt tres corui annua semper reuolutione nidificant, quos ab illis antiqui temporis coruis nonnulli prodire per traducem seminis asseuerant, & reuera quotidiè monasterij foribus aduolant, vt crocitantes, & alas, & rostra pandentes, solitam escam veluti debitum censum ex vetustæ possessionis iure deposcant.

2. *Io: Euseb. lib. 2. de mirac. nat. c. 72.* De sancto Coenigino hæc litteris mandata sunt in eius vita: Puer (sermo fuit de filio cuiusdam Reguli ægrotante) cùm lac concupisceret, vir Dei ceruam de mõte ad cellam iubet venire, cuius lac in vsum infantis fecit mulgeri; sed coruus veniens, munus lactis cùm vase effudit. Quod Dei famulo valdè displicuit, eique dixit. Noe in arca inobediens extitisti, mihi in hoc displicuisti, ideòque dico tibi, vade nunc quidem, sed in die natalitij mei hìc requiem non habebis. Quod & nos (en testem oculatum) oculis impletum cernimus, nam per tres dies Festos S. Coenigini ales illa nõ tantùm ciuitati Glindalachan in Hibernia non valet proximare; sed etiam in vertice montis se lacerare non cessat.

3. *Idem lib. 2. cap. 5. De Anatibus S. Colemanni.* In Lageniæ lacu inueniuntur Anates minores, quæ vulgari vocabulo Cercellæ vocantur; hæ à tempore Sancti tàm mansuetæ factæ sunt, vt de manibus cibos sumant, & vsque hodiè hominum accessus non reformident. Sunt autem semper quasi conuentum adimplentes circa 13. numero. Quoties verò vel Ecclesiæ, vel clero, vel ipsis auiculis iniuria fit fortè, vel aliqua molestia illata fuerit; statim euolantes in lacu quodam procùl indè remoto se recipiunt; nec ad priorem locum redeunt, donec condigna satisfactio fuerit subsecuta. Interim verò dùm absentes fuerint, aquæ stagni illius, quæ limpidissimæ priùs, & claræ fuerant, fætidæ fiunt, & corruptæ, & nec ad hominum, nec ad pecorum vsus accedunt. Semel autem accidit, miluum, cùm vna auicularum istarum, quam rapuerat, in arborem quandam propinquam se recepisse, qui & multis intuentibus, membris omnibus statim irriguit, nec prædam sub pedibus prædo respexit. Accidit etiam glaciali quodam in tempore, vulpeculam auium istarum vnam rapuisse; quæ mane facto in tugurio quodam lacui coniuncto, & S. Colemanni conuersatione olìm venerabili, intra fauces auicula vitalem spiritum præcludente, bestia inuenta est suffocata.

4. *In actis S. S: Feb. tom. 3. in continu. Bollandi.* Cùm anseres indomitæ in loco de Stokes Sanctæ Virginis Milburgæ agros occupantes depascerent, & passim depopularentur; damno S. Virgini nuntiato, non turbatur. Potens enim meritis, & virtutibus auibus illis imperat, vt in agris eius earum nulla remaneat, nec imposterum de genere illarum agris suis damnum aliquod inferre præsumat. Virginis igitur imperio volucres hac lege coercentur, vt satis eius vlteriùs non nocentes, iussis suis obediant, & agris valefaciant. Singulis annis hoc miraculum renouant, dùm quasi iussionis memores, præceptum trangredi metuunt, & agros vitantes, à satis abstinent; aut enim famelicæ sic ad pascua descendunt secùs agros, aut volatu fatigatæ, quasi respirando eis sic solùm insident, vt impastæ indè citiùs discedant.

5. *In actis Sancti Samsonis Episcopi.* Cùm circa monasterium eius, quod erat propè mare, diuersæ aues innumerabiles ex vtraque parte, idest anseres fuluæ, & albicantes conuenirent, quæ molestiam illi, & alijs fratribus inferebant, ita vt aliquis verbum alterius propter sonos diuersos vix audire posset; Sanctus Samson quodam die virgam in manu tenens perrexit inter paludes, vbi aues morabantur, & eleuata uoce, illis præcepit, ut omnes ante illum progredientes ad monasterium irent, quod & fecerunt quasi aues domesticæ, nulla fugiente, ibique quasi in custodia usq; ad crastinam diem sunt reseruatę. Tunc S. Samson ad illas conuersus, dixit: Si vultis mihi promittere nunquam molestiam in hoc monasterium inferre, ego dimittam vos in pace, & illæ extendentes alas, quasi fidem uerbo promittentes, rugitum similiter dederunt, statimque cùm magno silentio in diuersa lo-

ea perrexerunt, & ex illa die, illaque hora in tota terra ad illud monasterium pertinente, de illa generatione, nunc vsque, nulla auis descendit, & hoc miraculum in tota Francia innotuit.

6. *Ioan. Gerbrandus lib. 8. Chron. Belg. capit. 3. de S. Egeberto Episcopo.* Fertur, hirundines ab hoc viro Egeberto maledictas, templum S. Petri non violare, vel si violauerint, exanimari, eo quòd sibi quadam die ad altare sacra celebranti, ex vna earum caput ipsius contigisset fœdari.

7. *Petra Sancta in mirac. Perpet. cap. 24.* Propè Sipontum (Manfredoniam nostri iam vocant) monasterium est, vbi Eremicolæ quamplures seuerioribus institutis, atque asperrimis pœnis spontè obitis exercent se, miraque viuunt abstinentia. Ibi toto eo tractu, quem incolunt, & vbi morantur, nunquam aut feræ, aut aues carniuoræ spectari solent.

8. *Idem ibidem cap. 28.* In Hibernia est rupes S. Michaelis, ad cuius sacram ædem, & cæmeterium confluunt voti causa peregrini numero magno: Illùc verò aues conuolant, nec præteruolant, sed spontè illabuntur in cæmeterium, vt præda sint, & cibus peregrinorum; si manus hi abstinent, extra fines illos sensim emigrant, & rursùs auolant suæ compotes libertatis.

9. *In annal. Minorum ann. 1215. num. 40. de S. Francisco.* Circa idem tempus post receptionem montis Aluernæ, acquisitus est etiam conuentus de Villa, vnico milliario à pago Verruculo Ariminensis Diœcesis distans, omnium prouinciæ Bononiensis fermè antiquissimus, in quo habetur magna in reuerentia quædam Sancti viri cella, quam inuisunt circumuicini populi singulis Kalendis Augusti. Hic vir sanctus garrientes inter vmbrosas arbores auiculas, quòd sacris meditationibus intento, impedimento essent, ab eo correptæ, & vt silerent iussæ, ad nutum, & extempore paruerunt, indèque sub silentio recedentes, nunquam ampliùs vel ipsæ, vel aliæ similes ibidem visæ sunt.

10. *Ibidem ann. 1448. num. 9. de Ven. Petro Regalato.* Perturbabat frequenter hirundinum importunus garritus Fratres eremitorij Aquileræ, cui ille præerat, quem dùm illi molestè ferrent, & quererentur se ab oratione diuelli, omnibus, quæ tunc aderant, imperiosè præcepit, vt protinùs recederent, neque deinceps redirent. Res mira: ab illo tempore nulla nidificauit, neque accessit absque præcepti transgressi supplicio. In documentis enim collectis pro huius sancti viri canonizatione, sunt qui referant, se vnam, aut alteram vidisse aduolantem, & templum ingressam, statim exanimem decidisse.

APPENDIX II. AD CAPVT I.

De Quadrupedibus.

1. *Ex m. s. s.* In eremo S. Syluestri Abbatis, Syluestrinorum fundatoris, Fabriani in Piceno, vulpes ob miraculum eiusdem Sancti, pullis, & gallinis vbique vagantibus minimè lædunt, immò quandòque & simul cibum sumere sunt visæ.

2. *In vitis P. P. Occident. lib. 4. de S. Domitiano Eremita.* Quadam die cum Domitianus Dei famulus cùm fratribus quodam opere fatigatus, ad vicinum alueum, qui Albaronna dicitur, ad lauandum, causa refrigerationis venirent, & iam flumen fuissent egressi: vulpes, quæ callidum animal dicitur, Sandalia religiosi Dei famuli memorati, ore proprio laniare cæpit, atque corrosit. Quod vir Domini cernens, ait: Domine qui Angelos fecisti, quique vermiculos condidisti, & omnia, quæ suprà, infrà, & subter sunt, formasti, te inuoco, vt hæc ferula, ac genus illius, vlteriùs nos, ac successores nostros lædere non præsumat. Nec dùm verba Dei famulus finierat, & bestiola illa ante oculos expirauit. Deinceps verò nullam læsionem genus illius in eodem loco facere præsumpsit vsque in hodiernum diem. Nam & cùm gallinis loci sunt visæ postea iocari vulpes, contra suam naturam agentes, sed nullam earum lædere præsumpserunt.

3. *Ex m. s. s.* In territorio Eugubii in Vmbria, vbi Sanctus Franciscus quondam ferocissimum mansuefecit lupum, iussitque ne cui ampliùs noceret; cæteri lupi eidem imperio adhùc parent, nemini enim sunt infesti, & si quandò ouem aliquam è gregibus furantur, quælibet vel imbellis puella ab eorum dentibus incolumem eripere posse obseruata est.

4. *In Annal. Minor. an. 1282. num. 7. de B. Torello de castro Puppij.* Ex quatuor messoribus Puppiensibus, qui in segete quadam Lucigniani cùm aliis metebant, ferus lupus inopinatè irruens, nullum momordit, cæteris malè affectis. Dùm saucij id expenderent, & causam interrogarent, responderunt Puppienses, peculiarem hanc esse gratiam Torelli pro suis oppidanis obtentam, ne lupi hominibus, aut eorum animalibus possint nocere. Similiter accidit in agro cuiusdam Aretini; sed dùm lupus raperet infantulum cuiusdam metentis Aretinæ Puppiensis, altera à tergo fugientis exclamauit: Tibi, inquit, lupe præcipio, vt in nomine Beati Torelli, filiolum dimittas; quod & ille statim, tanquam si esset rationis particeps effecit.

5. *Bruschius in catalogo monasteriorum de Vtmbura.* Effecit Sanctus Vldericus, vt nulli magni mures sint in Cænobio, immò vt & aliundè importati viuere non possint; sed illicò expirent, ac intermoriantur; qua verò industria id factum ignoratur, eodem beneficio affecisse dicitur totum Episcopatum suum Augustanum.

6. *Gretserus ex Giraldo.* Est in Lagenia, prouincia quædam, quæ Fernigenan dicitur, quam à Guuesfordia solùm Slanensis aqua disterminat. Vndè

Vndè mures maiores, qui vulgariter Rati vocantur, per imprecationem sancti Yuori Episcopi (cuius fortè libros corroserant) prorsùs expulsi, nec ibi postea nasci, nec viuere possunt inuecti.

7. *Angelus Manrique in Annal.Cisterciens.an. 1591. cap.6.* Contra mures & ratos iniunxit fratribus (Sanctus Mauritius Carnoetensis Abbas) vt quilibet calceamenta sua vigilanter custodiret, sed cùm nec sic pestis cessaret, compatiens damnis fratrum, orationem fudit ad Deũ, vt pestem illam à suis cultoribus, & famulis amoueret. Cõtinuò missa voce visi sunt duo corui ingentis magnitudinis, qui per singulas monasterij officinas volatu discurrẽtes, conspicientibus S.Mauritio, & fratribus omnibus, ratos, & mures rostris suis occidebant, & recuruatis vngulis mortuos efferebant. Itaut damnum aliquod per huiusmodi bestias ampliùs post diem illam nec monasterio, nec rebus monasterij sit aliquatenùs illatum, nec apparuerunt huiusmodi bestiæ ampliùs in monasterio, nec in toto eius ambitu.

8. *In actis S. Vrbani Episcopi Lingon. 23. Ian. apud Bollandum.* Si aliquis pro imminenti damno, quod fit sæpè à muribus, de vno ex panibus suis fecerit, pro animabus patris videlicet, atque matris eiusdem Beati Patris, & Pontificis eleemosynam pauperibus; nunquam posteà cibaria eius rodentur à soricibus. Pestis animalium si euenerit, & ob hoc candela fiducialiter sancto delata fuerit, miseratione Dei ad interuentum sancti, mortale contagium cessabit.

9. *Ferrarius in Cat.S.S. 1. Febr.* Illud de S.Grato Episcopo Augustano mirandum ferunt; Talpas illius causa nusquam in agro Augustanfi ad tria millia passus reperiri.

10. *In vita S.Brigidæ Kildariensis Abb.* In monasterio, quod apud Kildariam Lageniæ ædificauit S. Brigida, per imprecationem eiusdem Virginis caprarum fætus non proueniunt.

APPENDIX TERTIA AD CAPVT. I.

De Animalibus infectis.

1. *In ann. Minorum an. 1272. num. 26.* Cùm in conuentu Morellæ Regni Valentiæ fratrum minorum, quodam tempore habitasset Benedictus XIII. dùm de summo Pontificatu cùm Bonifacio IX. contenderet, accidit quadam die, vt conuescens cùm fratribus in refectorio, vt solebat, ab importunis muscis diuexaretur, quibus ille maledixit, & ecce illicò euanuere, neque ampliùs eo in loco fratribus vllam ingerunt molestiam. Tanta est in terris Pontificia auctoritas, vt vel ipsa in hoc homine vmbra dignitatis hanc exercuerit virtutem.

2. *Bercborius in Reductorio morali lib. 14. cap. 23.* In prouincia Aluerniæ ciuitate Amiciensi in Gallia, erat solemnis Ecclesia B.Mariæ, circa quam erat domus canonicorum, in qua tale fertur mirabile, quòd in eorum refectorium nulla musca ingrediebatur, quòd si inferretur, necesse erat vel quòd fugeret, vel quòd moreretur celeriter. Simile eueniebat in eadem prouincia in villa de Bariolis, in canonicorum refectorio: hocque piè creditur ab aliquo antiquo Dei seruo impetratum esse.

3. *Guilelmus de Baldensel in hodoepor. ad terram sanctam, de monasterio monachorum terræ sanctæ ad radices montis Synai.* Intra septa huius monasterij nec muscæ, nec pulices, nec aliæ huiusmodi immundiciæ possunt esse; tamen extra desertum vndique molestant plurimùm transeuntes, & non minùs vtique homines habitantes. De quo cùm mirabar, & oculis vidissem, quòd huiusmodi animalia importata moriebantur; informatus fui, quòd olìm orationibus sanctorum in eodem loco commorantium, qui in tantùm huiusmodi animalibus vexabantur, quòd etiam locum cogitabant dimittere, à pio Deo imperatum est, vt nullus tali tædio deinceps in dicto loco aggrauaretur.

4. *Bercborius in Red. moral. lib. 14. cap. 23.* In Pictauia, in refectorio, & claustro Ecclesiæ Malleacensis, quæ sita est in locis paludosis, culices non subintrant, quod monachi illius loci, à B.Rigonio Abbate quondam loci, à Deo impetratum affirmant.

5. *Ioan. Eus. lib. 2. de mirac. nat. cap. 44.* Est in Connactia vicus quidam, quem S.Nannani illustrat Ecclesia, vbi ab antiquo tanta pulicum excreuerat multitudo, vt ea pestilentia locus ille ferè desertus, & habitationibus vacuus extitisset, donec intercessione S.Nannani in pratum quoddam proximum sunt deportati, vt nec vnus postmodùm hic reperiri potuisset. In tantùm igitur meritis sancti istius locum vis diuina mundauit: in prato verò tanta superabundat copia, vt non tantùm hominibus; verùm etiam bestijs maneat innaccessibile.

6. *Chr. Henriquez 2. Decemb. de B. Roberto Abb.* Varia ad eius tumulum patrantur, iter quæ fertur, quòd illius prouinciæ incolæ, cùm locustarum multitudine infestantur, ad beati viri sepulchrum recurrunt, & eius corpus per agros circumferentes processionaliter, Dei auxilium, & sancti Roberti suffragia implorant, & locustæ à facie reliquiarum cateruatim fugientes, in conspectu omnium subitò extinguntur. Idque sæpè accidit.

7. *In actis S.Vlderici Episcopi Augustani.* Concessum est huic sancto Pontifici & alia quam maxima à Deo prærogatiua contra offensiuos glirium incursus; in toto namque territorio, quod inter Vindam, & Lycum fluuios situm est, nullum vnquam viuum permanere posse manifestissimè comprobatum est, quod meritis gloriosi Pontificis impetratum esse nulli sit dubium; sæpiùs enim à nonnullis curiosis sancti potiùs tentatoribus experientia inuentum est, vt quàm citò vltra præfatos deportati fuere fluuios, illicò fuisse mortuos, & hoc in toto communi territorio.

8. *Petra Sancta in mirac. Perp. capit. 23.* Propè Cameracum vrbem Belgij nobilem, est illustre

ſtre cœnobium Ciſtercenſium religioſorum, in cuius æde ſacra, araneæ nullæ reperiuntur, aut aranearum telæ. Conſtans verò fama eſt, D. Bernardo ibi aris perlitante accidiſſe, vt in conſecrati Calicis ſanctiſſimum Chriſti Domini ſanguinem aranea delapſa, pius myſta deliberauerit quidem non eam eruere, ſed haurire immò cùm diuino libamine, attamen Deum perrogauerit, ne in poſterùm animantes eæ tàm ſordidæ, Domicilium illud ſanctum inquinarent, ne dùm incommodarent ſacerdoti, reique ſacræ. Ac prorſùs faceſſere viſæ ſunt in omnes ætates conſequentes.

9. *Ibidem*. Eſt macellum Viennæ Auſtriacorum, in quod nulla muſcarum agmina conuolant; quæ tamen in macellis alijs incubant cateruatim; tribuitur id verò Eccleſiaſticæ cenſuræ ſancti cuiuſdam Epiſcopi.

APPENDIX QVARTA AD CAPVT. I.

De Serpentibus.

1. *S. Epiphanius loquens de Ieremia.* Audiuimus de eo à viris ſenioribus, quòd Alexander Macedo veniens ad ſepulchrum Prophetæ, & cognoſcens loci myſterium, tranſtulit ipſum in Alexandriam, & ſepeliuit glorioſè. Et ex tunc à terra illa prohibiti ſunt crocodoli, & aſpides.

2. *Alanus Copus Dial. 3. cap. 28.* Dùm Paulus Apoſtolus Romam ad Cæſarem duceretur; in inſula Melitæ, (vulgò *Malta*) aliquo tempore eſt commoratus, cùmque ſemel à ſerpente, (quorum innumeri, & venenoſi tunc ibidem reperiebantur) morſu affectus fuiſſet, precibus à Deo impetrauit, ne à veneno inficeretur. Deincepſque omnes ſerpentes, & ſcorpiones, illius inſulæ omni veneno caruerunt, puluiſque, & lapilli illius regionis, præcipuè tamen ſpeluncæ, in qua moratus eſt Apoſtolus, ne dùm ibi, ſed et aliò tranſlati, à veneno, ne dùm per ſerpentum morſus, ſed & quouis alio modo contracto, à febribuſque malignis & putridis mirabiliter vſque adeò per interceſſionem S. Pauli, malè affectos liberant. Item continua experientia obſeruatū eſt, eos, quos naſci contigit in feſto Conuerſionis S. Pauli, putà 25. Iannuarii, quæcumque eos orbis pars in lucem proferat, non horrere, nec formidare angues; immò (quod maius eſt) ſola ſaliua horum morſibus mederi.

3. *In vita S. Patritÿ cap. 170.* Sanctiſſimus Patritius ſemel manu Domini Ieſu baculum baiulauit, eiuſque eleuatione comminatoria, omnia venenata animantia, Angelico ſuffultus ſuffragio, ex vniuerſis Hiberniæ partibus in vnum congregauit. Deindè omnia vſque ad editiſſimum inſulæ promontorium in fugam compulit, quod ſcilicet Cruacham-ailge dicebatur tunc, nunc verò, Cruach-phadruig dicitur, ibique totam turbam peſtiferam, de prærupta montis crepidine, & virtute præcepti, præcipiti lapſu oceano abſorbendam depulit: & vſque hodiè Hiberni catholici, non niſi meritis S. Apoſtoli ſui adſcribunt, quòd Dominus non permittat in eorum inſula venenata viuere. Vndè compertum eſt, illùc aliquandò ex Britannia inuectos ſerpentes, mox appulſo ad littus nauigio, interijſſe, ſolo regionis afflatu. Item aliquandò dùm ab exteris mercatoribus exonerantur naues, in carina inuenti bufones ſunt, ſed in humum expoſiti, ventre ſupino ſtatim diſrupti crepuerunt. Semel cùm ad inſulam eam abiiſſet iuuenis, in cuius viſcera per os irrepſerat coluber, qui expertus fuerat in caſſum remedia omnia, vix cibo, & aqua regionis veſci cæpit, cùm colubrum emiſit, & ſanus ad lares ſuos remeauit.

4. *Ibidem.* S. Patritius ſemel conuertit faciem ſuam verſùs Manniam, & cæteras inſulas, quas fide Chriſti, & ſacramentis imbuit, & benedixit, ac precum ſuarum obtentu, reptilium venenatorum omnes illas tantùm expertes fecit, & reddidit.

5. *In Martyrologio Romano 5. Martÿ de S. Phoca m.* Qualiter de antiquo illo ſerpente triumphauerit, hodiè quoque populis eo miraculo declaratur. Quòd ſi quiſpiam à ſerpente morſus fuerit, vt ianuam Baſilicæ Martyris credens attigerit, confeſtim euacuata virtute veneni, ſanatur.

6. *Surius in Nouembri de S. Amabili Presbytero.* Locus, in quo iacet eius venerandum corpus in Diœceſi Claromontenſi, hoc mirabili gaudet priuilegio, quòd in eo ſerpens nullus morari poteſt, neque ſi repertus ſit, viuere, aut nocere poteſt.

7. *Ambroſius Rigbettus in mirac. Nominis Ieſu.* S. Hilarius Epiſcopus Pictauienſis tranſiens per inſulam Gallinariam maris Tuſci, quę ab innumera ſerpentum multitudine, inficiebatur, ab eadem inſula, facto ſigno crucis, omnes fugauit. Deindè fixo in media inſula paxillo, ita ab infectione ſerpentum immunem fecit, vt ex illo tunc nunquam ampliùs in ea ſerpentes reperiri, compertum ſit.

8. *In vita S. Petri de Morono lib. 1. cap. 15.* Fama eſt, à ſylua, locisq; vbi habitauit ſanctus Petrus de Morono, ſerpentes, aliaque animalia venenoſa abiiſſe, adeò vt ad noſtra quoque tempora minimè hæc animalia ibi videantur.

9. *In actis S. Columbæ Scoti.* Inſulam Iouam cùm inſulanis habitatoribus benedixit S. Columba, ex quo die venena viperarum vſque in hodiernum diem nullo modo, aut homini, aut pecori nocere potuere.

10. *Frodoar. li. 2. Hiſt. Rhemenſis.* Compertum traditur, quòd in omnibus Eccleſijs S. Remigii circumiacentibus atrijs, vel cæmeterijs, coluber nunquam ſoleat inueniri. Sed ſi delatus huc aliquo modo fuerit, nullatenùs hic viuere poſſit: hocque creditur impetratum precibus prædicti Sancti.

11. *In m. ſ.* In Lipara inſula, ob interceſſionem vt creditur S. Bartholomæi Apoſtoli, cuius corpus ibidem aliquo tempore conditum fuit, omni prorſùs ueneno carent herbæ omnes, quinimmò nec ſerpentes ibidem commorantur, & ſi quandò fortuitò ex alio loco illùc transferuntur, ſtatim ac terram tangunt, emoriuntur.

12. *Petra Sancta in mirac. Perpet. cap. 23.* Totus

tus Archiepiscopatus Toletanus omninò caret animantibus venenatis, ex merito S. Idelfonsi.

13. *Idem in mir. comp. c.* 27. In Minorica, vna ex Balearibus insulis, est oppidum, Iammona olim à Pœnis appellatum, cui virtus quædam admirabilis indita est à Deo; vt lupos, vulpesque, & noxias alias animantes non ferat; serpentes verò habet solùm innocentes, seù veneni expertes.

14. *Hippolytus Quarinonius lib. 1. de Vastatione humani generis cap.* 8. In vniuerso Episcopatu Tridentino minimè obsunt puncturæ scorpionum, & si alibi sunt admodùm noxiæ atque vt plurimùm lethales. Hoc verò beneficium est S. Vigilii Episcopi.

15. *S. Hilarius in vita S. Honorati*. Inauditum verè illud, & planè inter miracula ac merita illius mirandum reor; quòd tàm frequens, vt vidimus, in illis ariditatibus serpentum occursus, marinis præsertim æstibus excitatus, nulli vnquam, non solùm periculo, sed nec pauori fuit.

16. *Manrique in ann. Cistercienfibus an.* 1147. *cap.* 17. In m. s. antiquitatum Lusitanarum, sed præcipuè Alcobatiæ, ad me transmisso, miraculum reperio ingens, quia continuum; quòd in extructione domus Arcobaciensis contigisse, traditio est: cùm multo venenoso animali locus scateret, densus arboribus, dumetisque non peruius, nec gressibus humanis penetrabilis; explanatores sæpiùs ab eis cæsos, sępiùs morsos; nulli tamen læsioni subiacuisse, nulli tumori.

APPENDIX V. AD CAPVT. I.

De Animalibus Aquatilibus.

1. *In vita S. Patritij cap.* 29. Applicuit vir Domini cùm sui itineris consortibus infra fines Lageniæ in portu Inub-herde, vbi flumen mari influens abundabat tunc temporis piscium multitudine copiosa. Piscatores autem tunc ex aqua ascenderant, ac retia repleta piscibus ad ripam post se trahebant. Sancti autem præsulis familia fame fretoque fatigata, obnixè petebat ab eis aliquod solatium sibi impartiri de piscibus; sed barbari, bruti, & inhumani, non solùm repulsam, sed & contumeliam reddebant rogantibus. Quod sanctus molestè accipiens, sententiam quasi maledictionis protulit dicens: flumen istud in posterùm non procreet pisces; ex cuius captura copiosa cultores cuncti potentis petentes, ab idololatris dimittuntur inanes. Ab illo ergo die vsque in præsens, flumen istud sterilitate damnatur.

2. *In eadem vita S. Patritij cap.* 66. Duo flumina in Connactia esse memorantur, quorum vnum Dubh, alterum Drobhaois nominatur; consueuit vnum illorum, Dubh videlicet, piscibus abundare, alterum verò nullum piscem procreare, S. Patritius transiens secùs ripam amnis piscosi, rogabat piscatores, ex copiosa multitudine, quam ceperant, sibi aliquod beneficium impertiri. Piscatores charitate carentes, charissimum Domini Patritium dimiserunt vacuum; piscem penitùs ei denegantes. Deus autem author, & amator charitatis, contractis corde, congelatisque auaritia, consuetæ piscationis emolumentum subtrahens, flumen illud perpetua productione piscium euacuauit, & alterum vsque sterile tunc, scilicet Drobhaois, copiosa fæcunditate deinceps ditauit.

3. *In eadem vita cap.* 53. Erant Regi Leogario duo fratres, Coyrbre, & Conallus, quorum primus nullo modo sancto Euangelio, Dinoque Patritio adhærere voluit, quinimmò S. Apostoli famulos dirè affecit; cuius obstinationem videns S. Patritius prophetando dixit illi: Quoniam iugum Christi gestare recusasti, nullus de posteris stirpis tuæ obtinebit Thronum regni tui, sed perpetua seruitute subiugabitur semini iunioris germani tui Conalli: hoc autem erit tibi signum, quòd implebit Dominus verbum, quod locutus est per os meum. Fluuius vicinus mansioni tuæ, in quo tàm crudeliter cæcidisti famulos meos, qui præ abundantia piscium pascere te, tuosque consueuit, ab hodierna die vsque in æuum, piscem non procreabit. Verbum ergo viri Dei fixum stetit, quia tota posteritas eius semini Conalli fratris sui, sceptrum regni obtinenti, seruiuit, & fluuius ille Seyle vocatus, vsque in præsens pisce caruit.

4. *In actis S. S. Martij tom. 3. in Contin. Bollandi*. Veniens S. Endeus Abbas Aranensis ad mare, & videns ibi piscatores, quæsiuit ab eis pro se, & suis pisces: qui respondentes, dixerunt: Pisces ad nos à mari de Arann venerunt, & tibi concedimus illos propè Arann capere, & habere, & tu nos hic permitte maris nostri habere pisces. Audiens hoc responsum malorum vnus puer motus spiritu Dei dixit: vnum habeo piscem, quem mihi Dominus ministrauit, & tibi eum concedo. Respondit S. Endeus, in hoc portu, vbi eleemosyna seruis Dei denegatur, pisces de cætero non capientur: Quod & factum est; nam vsque in hodiernam diem non capitur ibi piscis. Exiens indè S. Pater Endeus peruenit ad portum, qui dirigit ad stagnum nomine Orblem, & rogauit Deum vt propter merita illius pueri ibi nati, qui piscem sibi dederat, copia piscium ibi esset.

5. *In ann. minorum an.* 1476. In Regni Bosnensis vrbe Ostroniza, dùm illùc Inquisitoris Apostolici munus exerceret B. Iacobus Picenus, à populo rogatus, vt vicino lacui, qui occulto quodam siue terræ, siue aquæ vitio, piscem nullum ferebat, benediceret; acquieuit, & statim piscium reddidit feracem, magnoque illius regionis commodo ea fæcunditas perseuerat.

6. *Io. Eus. lib. 2. de mirac. nat. cap.* 13. In australi Momonia in uno huius loci latere (ubi S. Brendani cultus percelebris est) illabitur fluuius piscosissimus, & pręcipuè Salmonibus ad miraculum usq; fæcundissimus. Hospitalitatis namque gratia, quam sancti ibidem uiri pro uiribus, immò longè supra uires in peregrinos aduenas infatiganter exercere solebant, ad charitatis explendæ tàm sufficientiam, quàm exsuperantiam, piscium indulta est copia tanta; Et ne auaritiæ stimulis (vt assolet) ad emolumentum mercimoniale cupidos mortalium animos ipsa prouocaret abundantia, ad mannæ modum

dum remedium diuinitùs est indultum, vt nunquam vltra primam capturæ noctem pisces vtiliter reseruentur; quantùmlibet enim sale conditi, putredini tamen semper obnoxij, insipidi manent, & insulsi, nec arte quantalibet in crastinum reseruati, vel ad vsum proueniunt, vel ad esum.

7. *In actis S.S.Martij tom.3.in Contin. Bollandi*. Cùm S.Regulus Episcopus Arelatensis in Gallia, suas visitans parochias quadam die diuertisset ad vicum Ruliacum, ibique ob multitudinem populorum extra Ecclesiam prædicans, à tedioso sonitu ranarum in proximo lacu tediosè vociferantium maximè impediretur, ne verbum Dei ab omnibus audiretur, continuò præcepit illis, vt ipsæ & omnis ipsarum posteritas frænis perpetui tenerentur silentij præter vnam, quæ cæteris damnatis solitæ vocis semper vteretur officio: quod S. Presulis imperium, nulla sæculorum vetustate consumptum, sicut piùs iusserat, adhùc ibi videtur obseruatum.

8. *In actis S.Senorinæ Virginis Abb. Bastensis in Portugallia.* Cùm aliquandò iter perageret sancta Abbatissa iuxta Carrazedum, sociis aliquibus sacræ congregationis Virginibus, & in loco diuinum recitare officium statuisset amæno, sic à rauco ranarum strepitu eius fuit impedita deuotio, quòd in oratione nec minimùm persistere potuerit. Tunc Senorina garrulas animalium molestorum voces consopire disponens, ne in cæterùm perstreperent, imperauit: quod euenit, nam vlteriùs nullum huius generis in termino illo conspectatur entoma.

9. *In ann. Minorum an.* 1476. In quodam lacu propè ciuitatem Mostratæ Regno Bosnensis, magno valdè, & aquæ nigræ, magnam inferebant ranæ molestiam, diuinum officium cùm socio recitanti B.Iacobo Piceno; iussit vt tacerent, & tacuerunt, dùm verò longiùs progrederetur, recordatus impositi præcepti, remisit socium præceptum reuocaturum. Ille inauertenter in singulari iussit vt rana quaxaret, suumque cantum resumeret. In tanta ranarum multitudine sola vna in illo lacu quaxare sentitur.

CAPVT II.

De Animalibus, Reliquias Seruorum Dei venerantibus, & custodientibus.

Et primò

De Aquilis. §. I.

VEnerandas Sanctorum exuuias, quas canino haud cessant oblacerare dente Nouatores, Animantes reuerenter quandòque obsequutas esse, varia testantur exempla, quamque eis, aut efferati tyranni reuerentiam, aut indeuoti Christicolæ obsequium negauere, admirabiliter Bruta præstitisse Ecclesiasticæ enarrant historiæ. De his.

1. *Pet. de Natal. lib.* 8. *cap.* 24. *de S. Antonino mart.* Caput eius ab Angelis de amne, in quem fuerat demersum, sublatum, nauiculæ paruæ imponitur, & duobus Angelis, in similitudinem duarum Aquilarum, nauiculam contra fluminis cursum sine remo gubernantibus, ipsum ad habitaculum Festi Principis deduxerunt, quem sanctus Antoninus ad fidem Christi conuerterat.

2. *In codice Lateranensi, de corporibus S.S.Viti, & Modesti.* Post eorum mortem, per triduum aquilæ virtute imperante diuina sanctorum corpora obseruarunt illibata, tumulis exhibenda.

3. *Arnoldus Vuion in ligno vitæ* 23. *Aprilis de S.Adalberto Episcopo, & mart.* Hic cùm Prussis, & Liuonibus etiam fidem Christi annuntiaret, ab eorum Pontificibus, dùm diuina celebraret, septies confossus, ac pluries scissus, ictibusque quassatus, ab eis tandem occisus est, ac capite truncatus; cuius corpus in arbore suspensum, aquila per triduum custodiuit, donec membra scissa, per hospitem S.viri in sportam collecta, iuxta locum martyrii in terra absconsa sunt.

4. *S.Greg.Tur.li.6. Hist.Fr.c.37. de S.Lupentio Abb.* Super Axonam fluuium cùm tentorium suum tetendisset S. Abbas, irruens in eum inimicus eius, variisque suppliciis affectum, tandem crudeli capitis abscissio ne interfecit; cuius amputatum caput in culleum oneratum lapidibus posuit, & flumini dedit: reliquum verò corpus vinctum cùm saxo immersit gurgiti; post verò paucis apparuit quibusdam pastoribus, & sic extractum de flumine sepulturæ mandatum est. Sed dùm necessitates funeris pararentur, & ignoraretur, quis esset de populo, præsertim cùm caput truncati non inueniretur: subitò adueniens aquila, leuauit culleum è fundo fluminis, & ripæ deposuit. Admirantesque qui aderant, apprehenso culleo, dùm solicitè quid contineret inquirunt, caput truncati reperiunt, & sic cùm reliquis artubus est sepultum.

5. *Cromerus li.4. de rebus Polonorum, de S.Stanislao Episcopo à Rege interfecto*. Damnarunt crudelitatem Regis quatuor aquilæ perpetuis excubiis reliquias tutatæ; donec miraculo, celestique luce exciti mortales, eas in vrnam componendas legerunt. Iuuit pietatem diuina manus, lacerosque inter se artus ita colligauit, vt nullum crudelitatis vestigium superesset.

6. *Paulus Arringhus in Roma Subterranea li.*1 *cap.*7. Corpus B.Priscæ Virginis, & mart. postquam ab infidelibus proiectum est, erant custodientes illud duæ aquilæ, ne ab aliqua bestia tangeretur.

7. *Idem ibidem.* Vbi proiectum fuit sacrum corpus S.Martinæ Virg. & m. duæ aquilæ altera ad caput, altera verò ad corpus custodiendum Dei iussu euolarunt.

8. *Surius de B.Benedicto fratre eremita Camaldulensi*. Cùm per tres annos exemplo magistri districtè vitam egisset, latrones, qui multam pecuniam ipsum habere existimabant, spe prædæ ductum ad ripam fluminis Vag, iugulauerunt, & in flumen præcipitauerunt: Diù verò corpore eius quæsito, & nō inuento per integrum annum, postea visa est aquila alba in ripa eiusdem fluminis, quasi custos

custos, & index sacri corporis; quo indicio vbi lateret in vndis, Deus cognosci voluit.

9. *Thomas Bozius lib. 15. cap. 6. de signis*. S. Floriani corpus, cùm proiectum fuisset in fluuium, delatum ad ripam, protexit aquila, donec ille per visum apparuit cuidam matronæ religiosæ, iussitque, ut illud curaret.

De Columbis. §. 2.

1. *S. Greg. Tur. de gl. confess. cap. 34.* Fertur fuisse in vrbe Aruerna puella quædam religiosa, atque deuota Deo, quæ in rure commanens, quo ab vrbica populatione summota liberiùs dignas Deo laudium hostias exhiberet, quotidiè ieiunijs, & orationibus insistebat. Factum est igitur, vt migrans ab hocmundo, ad Basilicam oppidi causa sepeliendi portaretur: verùm vbi leuato feretro corpus per viam ferri cæpisset, adueniens grex magnus columbarum super eam volare cæpit; atque hùc illùc volitando sequi, quò hæc à proximis ferebatur. Qua in basilica delata; grex totus super tectum ædis ipsius visus est consedisse. Illaque sepulta, ad cælos euolauere columbæ: vndè non immeritò Georgia nuncupata est, quæ sic exercuit mentem cultura spiritali, vt adepto virginitatis sexagesimi fructus prouentu egrediens de sæculo, cælestibus honoraretur exequijs.

2. *Lippellous 8. Iunij*. Postquam sacratissima membra S. Medardi Episcopi Nouiomensis tumulo clausa fuere, duæ niuei candoris columbæ cælitùs dimissæ, alarum applausu sancto gratulari visæ sunt: & ecce alia quædam de tumulo descendens pari candore cùm duabus illis ad cælos euolauit.

3. *In actis S. S. Feb. tom. 1. in Contin. Bollandi*. Quodam tempore dùm in nobiliorem locum transferrentur reliquiæ B. Domitiani Carinthiæ Ducis, columba cælitùs descendens, visa est in summitate thecæ, in qua collocatæ erant, insidere, quousque terræ altiùs infossa, in murum sacrarij reconderentur. Alia die in festo Pentecostes columba pariter de cælo descendens, tumbam illius multis cernentibus visa est intrare.

4. *Ibidem tom. 3.* Dùm ad Ecclesiam deferretur corpus S. Osuualdi Episcopi Vuigorniensis, & Archiepiscopi Eboracensis, niuea columba de cælo descendens, expansis alis lento volatu protegere corpus antistitis visa est.

5. *Aluarius in vita S. Eulogij mart.* Mox vt proiectum est cadauer è loco eminentiori in ductum aluei, columba miro candore niuescens, videntibus omnibus, secans aera pennis, super corpus Martyris alligerans sedit, quam omnes missilibus petris hinc indè abigere conantes, nihilominùs consistentem repellere non valentes, manibus voluerunt cominùs effugare. Sed illa in circuitu corporis non volans, sed saliens, super turrim corpori imminentem propiùs resedit, & ad corpus beatissimi viri vultum conuertit.

6. *In Marty. Gall. 4. Octob. de S. Magdalueo Episcopo*. Mox ac spiritum efflauit sanctus præsul, duæ columbæ niue candidiores ab æthere cunctis videntibus lapsæ super crucem, quæ ante corpus eius posita erat, sederunt: & per omnes exequiarum moras, vsquequò traditum est sepulturæ manserunt: sicque intuentibus, qui astabant, iterùm poli secreta petierunt.

7. *Ibidem 11. Octobris de S. Germano*. Cùm S. Germano Confessori caput amputatum fuisset ab hæreticis, columba niuea super caput eius aduolare visa est.

8. *Aegidius Gelenius in Admirandis Coloniæ Agrippinæ*. Circa annum Domini 644. cùm S. Cunibertus Archimystes in æde S. Vrsulæ mediam ad aram (cuius hodièque rudera videntur in ascensu chori) diuinam litaret more suo hostiam, niuea cælo delapsa columba, vertici sacrificantis imminens, indè læuorsùm ad vicinum deuolans Martyris Vrsulæ tumulum resedit; eo comperit indicio S. Episcopus monimentum Virginis, è quo caput eductum, honori publico multis præsentibus exposuit.

9. *In vita S. Eutropij mart. Episcopi Santonensis*. Quidam videntes columbos gregatim volantes, dixerunt. Vtinam possemus portare, & offerre sepulchro S. Eutropii speciosas aliquas ex his auibus. Ad hæc verba, duo de columbis niue candidiores super humeros imprecantis mansuetiùs insederunt; attoniti autem illi, & miraculo exhilarati, quod incæperant iter alacriùs emensi, iuuenem columborum baiulum vsque ad Ecclesiam S. Eutropij alacriter subsequuntur. Cùmque prædicti iuuenes cùm illo, qui auibus erat insignitus, appropinquarent ad tumulum: columbæ vltrò blandouolatu super thecam sancti Martyris resederunt.

10. *Arnoldus Rayssius in Hierogazophil. Belgic.* In Parochiali Ecclesia non procul ab Henniacensi cœnobio, tertio ferè milliari à Duaco, adseruatur mandibula B. Authberti Antistitis. In hanc Ecclesiam cùm flammarum voracitas irrupisset, visa fuit ab adstantibus per fenestram intrare columba, seù Angelus in columbæ speciæ, quę capsulam, in qua recondita hæc erat mandibula, rostro blandiùs applicato, reuerenter excipiens, extra Ecclesiam ad quoddam vicinum pomęrium deportauit, & ibidem ad arborem quamdam suspendit: quæ, sedata flammarum voragine, à fidelibus ad Ecclesiam, vndè fuerat sublata, relata est.

11. *In vita S. Gebbhardi lib. 1. cap. 23. de eius corporis delatione*. Illis Ecclesiæ limen egredientibus, columba, cunctis cernentibus aduolauit, & supra B. viri, nullo abigente consedit feretrum, indeq; non recessit: donec transnauigato flumine, Ecclesiam sancti Gregorij ingressi fuissent. Quam mox vt intrauerunt, columba, quæ videbatur, disparuit, eamque nullus deinceps videre præualuit.

12. *Chrysostomus Henriquez in fasciculo S. S. Cistercienſium lib. 2. dis. 36. cap. 9. de B. Ferdinando Principe Lusitaniæ, ex ord. Cistertiensi*. Cùm à mauris ob fidem catholicam occisus fuisset inuictissimus Princeps; cadauer eius in vrbis Fessæ porta suspensum fuit, cuius in conspectu Rex, & proceres arundinibus, aliisque equestribus ludis triumphabundi

phabundi decertarunt. Post quinque dies comitibus eius est inditum, vt illud in ligneum capulum inderent, & funibus, quorum loco duas postea immisere perticas, suspenderent. Ibi quod homines viuenti denegauere obsequium, columbæ detulerunt; quæ barbaris ipsis mirantibus, deinceps illam muri partem, quæ capulo respondebat, & pinnas vtraque parte vlna dissitas, nec inquinauere, nec insedere. Cùm antea ibidem pennas ad solem panderent, & nidularentur.

13. *Marchantius*. Celebris est Elizabetha Arenestia in cænobio Horti conclusi, siti in oppido Herentalensi in Brabantia. Hæc cùm in cænobio magna cùm sanctitatis laude præfuisset, visa fuit in obitu eius candida columba per cubiculum moribundæ gyrare. Ipsa verò humili loco circa gradus, per quos sanctimoniales quotidiè ascendunt, & descendunt, voluit sepeliri.

14. *Sylos in Hist. Cleri. Reg. Par. 2. lib. 1.* Dùm à Patribus nostris iusta persoluerentur Neapoli Matthæo Bencio viro ex nostris omnigenæ sanctitatis, iam defuncto, visa est in Basilicam inuolare candidior niue columba, quæ vbi pluries feretrum obiuit, in editiore quadam templi parte consedit, non canentium vocibus, non accursu populorum absterrita; permansitque diutiùs quoad sepulturæ corpus mandaretur: ac tunc quidem repetito pulcherrimè volatu, dilapsa columba est.

De cæteris Auibus. §. 3.

1. *Lippellous in vita S. Vincentij mart.* Corpus S. Vincentii mart. postquam crudele consummauit martyrium, ab impio tyranno iussum est in campo, feris, & volucribus in escam exponi. At verò cùm magno volatu diuersæ volucres irruerent, Coruus atro colore, tamquam pulla indutus veste, luctum præseferre visus, cunctas è loco illo abigens, impigrè persecutus est. Sed & lupus repentino cursu prædam expetens, non tàm corui persecutione, quàm corporis sanctitate in fugam versus est.

2. *In Chronicis Minorum*. Corpora S. S. M. M. Minorũ, qui an. 1597. in Iaponico Regno ob fidem catholicam occisi sunt, licet diù feris, coruisque, quorum maximus ea in regione est numerus, exposita, nullatenùs ab eis læsa fuere.

3. *Vghellus in Ital. Sac. tom. 7. Acheruntini Episcopi*. Dùm in aperto campo nemine conscio mortuus fuisset S. Canio Episcopus, & mart., corpusque per multos dies iaceret illæsum. Dei nutu factum est, vt peruigil custos auis super sanctum corpus peruolans, ne à ferali fædari quiret attactu, tueretur.

4. *In vita S. Landoardi Archipresbyteri*. Dùm S. S. Landoardi, & eius Diaconi Amantii inuenta sacra corpora, vino simul, & aqua diluerẽtur, auicula quædam per fenestram feretro sanctorum illapsa semel, & aliquoties in deffossum deuolans, quo corpora sanctorum erant elata, omnibus adstantibus & hæc videntibus miraculum incussit pariter & horrorem. Nam & colore pulchritudinis erat diuersæ, sed antehac, inuiso, & stridore vocis quidem dulcissuæ, sed inaudito: Quæ licet ab adstantibus posset comprehendi, à nemine præsumpta est temerari. Quæ quasi quibusdam plausibus lætitiæ, & sibilatione hàc illàc circumuolans, & iterùm feretro sanctorum insidens, non destitit ab incæpto, donec omnia competenti consummarentur officio.

5. *Vincentius Barrallis in Chronolog. insulæ Lerinensis*. Cùm circa annum 730. sancti monachi in insula Lerinensi habitantes crudeli martyrio ab infidelibus, barbarisque affecti fuisset, postera die oriente sole, ecce baccinarum, idest auium maritimarum innumerabilis multitudo in aere super insulam expansis alis obumbrans volitabat, quæ voces quasi flebiles emittendo, in sanctorum patrum occisione persistebat, veluti si exequias agere voluisset, donec sanctorũ corpora fuerunt tumulata.

6. *Pet. de Natal. lib. 2. cap. 45. de S. Simeone Monacho*. In columna manens, post vitam mirabilem, stando spiritum emisit: quem Abbas Antonius veniens visitatum, dùm eum primò stantem reperit, orare putauit: sed accedens propiùs, illum migrasse cognouit, & sepeliuit. *In cuius exequijs* aues circa corpus volitantes, quasi vocibus eum deflebant.

7. *In vita B. Iuttæ reclusæ*. Dùm agonizaret famula Christi, ecce contra fenestram cellulæ multitudo insedit innumerabilis auium, volucrumque diuersi generis, & quasi congaudentes decedentis gloriæ, diuersarum vocum, concentuumque modulatione suaui, aures intendentium demulcebant. Perseuerauitque concentus auium ille, donec campanarum cessaret sonitus, quæ pro eius obitu pulsabantur.

8. *Surius in vita S. Bertulphi Abb. cap. 34. 5. Feb.* Harlebecensis Ecclesiæ ciues, eas ipsas sancti Bertulphi reliquias naui impositas, quoniam & Ecclesia propria cremata fuit, & hostilis incursionis metus imminebat, per Legiam fluuium ad Viuium castellum, tunc temporis munitissimum deportarunt. Post aliquantum verò temporis placuit ipsis referre reliquias, iterùmque nauis impositas ad propriam parochiam reportare instituebant. Sed inter eundum quibusdam incidit dubitatio, vtrùm verè, quæ ab eis deportabantur, sancti Bertulphi essent reliquiæ. Quod memoratus illorum sacerdos Bugecinus, qui interfuit, intelligens, omni cordis intentione Deum orauit, vt pro misericordia sua euidens huius rei signum ostendere dignaretur. Tum ecce grex auium desuper volitans apparuit, in cuius extremo agmine, ales quædam candidi coloris, quæ cæteris præstantior esse videbatur, apparuit. Quam diligentiùs sacerdos intuens, in nomine, inquit, Dei tibi præcipio, vt si verè hæ sunt sancti reliquiæ Bertulphi, tu super ipsas sine mora descendas. Quo dicto, auis illa, relicto præeuntium agmine, descendit, & in gremio sacerdotis, reliquias sanctas tenentis, resedit. Quam ille blanda manu quandiù placuit cunctis admirantibus, contrectauit, itaque absterso à cordibus illorum omni dubitationis scrupulo, liberè abire permisit.

De

De Quadrupedibus. §. 4.

1. *Surius in vita S. Pelagiæ 4. Maij*. Iussit Diocletianus S. Pelagiæ reliquias nulla sepultura honorari. Itaque proiectæ sunt in montem, Linatum nomine. Descenderunt autem quatuor leones, & propè Pelagiæ ossa consederunt, à feris, & volucribus ea seruantes. Cùm autem Episcopus Clino ex diuina reuelatione ad ea humanda iuisset, ei obuiam processerunt prædicti leones, & ipsum submissis capitibus adorarunt.

2. *Idem 27. Augusti*. Postquam iussu impij Imperatoris corpora S.S. mart. Pauli, & Iulianæ feris obiecta fuissent, venerunt in eum locum lupi, canes, & volucres, & circa S.S. martyrum corpora sedentes, illa custodiebant; cùmque muscas, & eiusmodi animalia supra corpora illa sedentia viderent, aues ipsæ alis ea expellebant, non permittentes, vt in sanctis illis corporibus insiderent.

3. *In vita S. Eadmundi Regis Angliæ, & mart. 20. Nouembris*. Immanis lupus diuina miseratione est repertus, qui eius sacrum caput inter brachia complexus, procumbebat humi, excubias impendens martyri: Nec sibi depositum permisit lædere quampiam bestiarum, quod inuiolabile solo tenùs prostratus, oblita voracitate seruabat attentiùs.

4. *Marchantius*. Mulus, cui insederat S. Thomas Aquinas veniens ad cœnobium fossæ nouæ, vbi mortuus est, sentiens sancti viri sessoris sui corpus ad tumulum efferri, disrupit in stabulo omnia, quibus ligatus erat, & accurrens ad sanctum corpus, ibi velut adgeniculans, & adorans, mortuus est.

5. *Maiolus*. Cùm anno Domini 1582. intra conterminos Apuliæ montes, à sicariis duo homines, nempè sacerdos, & laicus in sylua occisi fuissent, lupi comperta cadauera discreuerunt: nam laicum, intacto presbytero, penitùs exederunt.

6. *Vinc. Belu. lib. 24. spec. Hist. cap. 23*. Habebat sanctus Saluius ministerium Ecclesiasticum aureum, vestimenta ex auro, & gemmis ornata, cingulum aureum, gemmis, & margaritis intextum. Quæ omnia vbique ferebat secùm coram omnibus. Hæc autem concupiuit Vuinegardus filius Gerardi, homo leuis, & proteruus, omniaque fecit ei auferri, & de calice, & patena iussit sibi fabricari sellam, & virum Dei misit in carcerem, & misit seruum vt interficeret eum in carcere, & discipulum eius, & factum est ita. Seruus tamen hoc non ausus est facere, donec sanctus ei præcepit. Fuerunt autem hi duo sancti nati de territorio Auernorum. Corpus vtriusque iussit Vuinegadus latenter apportari ad armentum gregis sui, & ibi fossa humo in medio abscōdi. Erat autem in eodem armento Taurus maximus, qui semper prohibebat cætera animalia, ne locum illum attingerent, in quo sanctorum corpora posita erant, sed abigebat illa cornibus suis. Erat autem corpus S. Saluij primò positum in fossa, & corpus discipuli eius super illud iactatum in modum crucis. Si autem fortè contigisset vt aliquæ sordes ibi cecidissent, non cessabat taurus per totam noctem, donec pedibus suis locum mundasset. Quædam autem fœmina nocte custodiens, & gyrans domum suam in villa Breuitico, vidit immensum fulgurem in loco illo, vbi armentum erat, & cucurrit ad ostium, & vidit duas lampades accensas totum locum illuminantes, velut in meridie, & conuocauit vicinos, vt miraculum viderent. Factum est hoc vna nocte, & altera, & relata est res ad sacerdotes.

7. *In vita S. Kiliani, & Tornati martyr*. Geila sceleratissima mulier, stratis paleis stabulum equorum, in loco, vbi sancti martyres humati fuerant, fieri iussit, ne quo indicio sacra corpora proderentur. Ferunt autem, ab iis qui tunc fuere, posteris relatum, iumenta eo in stabulo manentia super sepulchra martyrum nec stercus, nec vrinam reddidisse, honorem martyribus exhibentia.

8. *Arnoldus Vuion in vita S. Gerardi Sagredi cap. 21*. Cùm in curru ad sepeliendum deferretur eius corpus, iumenta, quæ currum trahebant, nec comedere, nec bibere visa sunt, semper lætè procedentia quasi nullum pondus sentirent.

9. *In actis S. Anastasij Persæ*. Proiectum fuit feris eius corpus; ab eo autem abstinuerunt se canes, reliquis quidem corporibus se cupidè implentes; immò postquàm se aliis exsatiarunt, propè illud sedentes, visi sunt potiùs esse custodes, horis duabus, deinceps neque recedentes, neque corpus tangentes.

10. *Paulus Arringhus in Roma subterranea libr. 1. cap. 7*. Corpora S. S. M. M. Olympiadis, & Maximi fuere canibus proiecta; at ii nedum ea attigere, sed etiam quosdam iuxta ea mugitus dederunt; ceù euocantes qui ea honestè sepelirent. Hoc itidem præstiterunt canes ad corpus S. Gordiani. Quidam alius canis venerandum corpus S. Dulæ m. custodiuit, neque volucrem aliquem sinebat reliquias martyris attingere; alter verò pastoris pallium ore apprehensum, ad sanctum martyrem Dulam tegendum attulit. Cùm corpus S. Alexandri m. in flumen proiectum fuisset, diuina prouidentia factum est, vt quatuor canes in fluuium illum venirent, & S. Martyris corpus inuentum, è fluuio extraherent, suisque linguis illud lambentes, ac propè sedentes custodirent; cùm autem B. Alexandri mater duobus milliaribus, propè locum venisset, in quo martyris corpus situm erat, duo illi canes occurrentes obuiam venerunt, & vterque vnus à dextera parte, alter à sinistra mulierem ipsam ad filium rectà deduxerunt. Intacta etiam à canibus remansere corpora S. S. Crispini, & Crispiniani; Item etiam S. S. Processi, & Martiniani; nec non & S. Stephani Protomartyris. Pariter idem obsequium habuit à canibus corpus S. Cyrillæ, Decii filiæ, & martyris, sicuti & S. S. Gorgonii, & Dorothei; item & S. Bibianæ mart. S.S. Primi, & Feliciani; & aliorum quorum numerum solus scit Deus.

11. *Gregorius Maigretius in martyrographia Augustiniana, de Beato Nicolao de Sancto Augustino Iaponensi*. Cùm sancti martyris corpus proprio madens sanguine canibus fuisset obiectum, illi

naturali feritate obliti, magna omnium admiratione procùl recesserunt.

12. *Sanctus Antoninus 1. part. Chron. tit. 8. cap. 1. §. 12. de Sancto Gregorio martyre*. Cùm capite truncatum, eum tyrannus feris terribilibus exposuisset deuorandum, corpus sanctum feræ flectentes genua adorauerunt.

13. *Surius*. Corpora S. S. Pamphili, & sociorum, quatuor dies, & totidem noctes iussu tyranni exposita fuerunt bestijs carniuoris, non tamen fera, non auis, non canis ad ea accesserunt.

14. *Idem ibidem*. Post dies sex venerunt gentiles, vt viderent, an Corpus S. Martyris Victoris, quod bestiis exposuerant, ab illis esset deuoratum, & corpus prorsùs illæsum, & inuiolatum inuenerunt, simulque duas bestias, alteram ad caput, ad pedes alteram corpus conseruantes.

15. *In vita S. Richarij Abb. Centulensis*. Ad præsentiam corporis S. Richarij, equus, cui quidam insidebat, poplitibus in terram demissis, capiteq; inclinato vsque ad solum Domini Confessorem qua potuit veneratione adorauit.

De Aquatilibus. §. 5.

1. *Petrus de Natalibus in Catal. S.S. libr. 3. cap. 183.* Cùm S. Hadrianus mart. cùm alijs quatuor socijs iussu Diocletiani Imperatoris in sacco cùm arena ligato demersus fuisset in mare: post octo dies in littore expectantibus corpus martyris illius seruis, vt ipse eis insserat, ecce quinque sanctorum corpora super quinque Delphinos ad littus allata deducuntur. Cùm autem serui dubitarent, ne corpus Domini sui ibi esset, eo quòd de se solo, non de aliis prædixerat exportanda; subitò vocem vnius ex Delphinis loquentem humanitùs audierunt; & quòd Domini sui corpus esset cùm aliis quatuor secùm passis, intellexerunt, sicque omnes religiosè sepelierunt.

2. *Surius in vita S. Luciani mart. 7. Iannuarij.* Cùm Sanctus mart. Lucianus post crudele martyrium in mare præcipitatus fuisset, eius corpus Delphinus medijs fluctibus ad littus deportauit, statimque in arena Delphinus ipse mortuus est.

3. *In actis S.S. Martij tom. 3. in cont. Bollandi.* Iusserat impius Iudex, S. Basilium iuniorem Anachoretam Constantinopoli, in mari præcipitem dari, quod & factum est à ministris in tertia noctis vigilia: Ast confestim Delphini duo conuenientes exceperunt eum super dorsa sua, & ad littus Septimi emittentes eum, recesserunt.

4. *Io. Petrus Puricellus in monumentis Ambrosianæ Basilicæ*. Cum martyrio affectus fuisset B. Arialdus; eo quòd in loco martyrij lumina præclara per noctes appareret, in Lacum maiorem saxibus ingentibus alligatum demersum est eius venerandum corpus; sed post decem menses cadauer illud mirificè candidum, & à piscibus intactum emersit; atque proiectum ex aqua in ripam, indicio aquilæ compertum, & agnitum fuit, suauissimumque odorem emittebat.

APPENDIX I. AD CAPVT. II.

De Animalibus S.S. Reliquijs perenniter obsequentibus.

VT quam in præteritis exhibuere sæculis S. S. Reliquiis reuerentiam Bruta animantia, eam & adhùc viuentibus notam faciant, perenni miraculo quibusdam Cælicolarum exuuiis *idem &* nunc exhibent obsequium. De quibus.

1. *Ioannes Eusebius lib. 1. de mirac. nat. capit. 3.* Decolato in Hispania B. Vincentio, corui, qui ad corpus eius, tanquam ad cadauer descenderunt, statim omnes ocubuerunt. Et quoniam personale delictum, in genus plerùmque redundat; in ausus illius vindictam diuina procurante gratia, quam in sanctis ipse mirabilem ostendit, ab illa semper hora, circa corpus martyris, corui tanquam excubitores assistunt. Vndè & eodem corpore, à Carthagine (Hispanica dico, non Africana) *Vlyssipponam*, per mare translato, & corui in naue circa corpus iugiter affuerunt. In Ecclesia *quoque S.* Vincentij Vlyssipponensi in vrbe, vbi corpus eiusdem, nobili in feretro reconditum iacet, corui circa altare, vsque ad moderna ferè tempora excubare solent circa senarium numerum, vel infra: nec semper ijdem, sed successiuè diuersi. In huius rei signum, signacula, quæ à peregrinis ab indè deferuntur, cùm martyris imagine, inscriptam etiam corui imaginem habent.

2. *In actis S.S. Martij tom. 1. in cont. Bollandi.* Ad sepulchrum S. Reguli Episcopi Siluanectensis in Gallia, quotannis depositionis eius festo ad nostrum vsque tempus, cerui vtriusque sexus cùm suis hinnulis, quin etiam capreoli *nullo violentiæ* genere coacti, sed solo diuino nutu, depositis indomitæ feritatis gibbis per ipsos concurrentis cuneos plebis lento gradu conueniebant, ibique pauimento prostrati, missarum solemnia præstolantes adstabant; solemnijsque peractis, populo recedente, & ipsi egrediebantur.

3. *Ioannes de Monte Villa lib. 1. de Peregrinationibus.* Singulis annis omnis generis aues, vt columbæ, corui, volant ad sepulchrum S. Catharinæ martyris, & quilibet affert ramum de viridi, & fructifera arbore cùm fructu, & folijs, & relinquunt ibidem, ceù sacrificium.

4. *Raderus in Viridario, de S. Athenogene Sebasteno martyre*. Fertur priùsquàm comprehenderetur, reuisenti monasterium suum, in quo tamen neminem offendit quòd omnes iam capti essent, cerua, quam in cœnobio aluerat occurrisse, cui benè precatus, vti nunquam in venatione vel illa, vel hinnuli illius caperentur, sed vt quotannis ad rei nunquam intermorituræ memoriam, & ab ipsa, & post ipsam ex eius propagatione hinnulus adduceretur; quod & factum est: semper enim post Sancti Euangelij in templo lectionem cerua ingredi visa, quæ hinnulum sancto obtulit, rursùmque recessit. Hinnulum autem cætus ille sacerdotum, qui rebus diuinis operabantur, ad sanctam memoriam summa cùm animi hilaritate absum-

absumserunt, quod Christianis iuxta, ac alijs summam attulit admirationem.

CAPVT III.

De Animalibus, Rebus sacris cultum exhibentibus.

Et primò

Sacrosanctæ Eucharistiæ. §. 1.

COgnouit Bos possessorem suum, & Asinus præsepe Domini sui, quondam euangelicus prophetauit Vates: Quem enim rationabiles creaturæ haud cognoscere volunt, hunc quandòque irrationales pecudes adorauere. De his.

1. *In actis Beatæ Idæ Cisterciensis*. Sancta Ida Louaniensis, antequam Bernardi militiæ adscriberetur, in sacellum domus suæ gallinas,atq; aliquas domesticas auiculas solo verbo secùm ducebat ad missæ sacrificium, cui hilares, reuerentes,& conticentes assistebant:exemplo suo mentes præsentium commouentes, ad volandum in eum Dominum, qui irrationalia sibi attrahit.

2. *Baronius in an.Eccl.an.*1192.Puellam ægram Curio Pagi in Thuringia propè vrbem Erpisfordiam, sacro munierat Viatico, ablutisque in scypho digitis abierat. Micam Eucharistiæ aduerterat Puella in eo superfuisse,familiares explorant,an ita esset, & digitum humanum in scypho vident; cuius rei fama peruagata est Germaniam vniuersam: Nam ad templum scyphus est deportatus, & miraculum auxit columba de cœlo, quæ palàm superuolauit, diùque stetit super scyphum, nec eum tamen euertit.

3. *Torellus in Hist.Augustiniana ann.*725. Ad confirmandam veritatem S. Eucharistiæ, S.Fructus eremitaHispanus,ante famelicum iumentum cibum apponi præcepit, deindè sacrosanctum panem manibus accipiens,ante irrationale animal stetit:Tunc iumentum, cibum relinquens,in genua prostratum, venerabile Sacramentum adorauit.

4. *Bartolomeus Filem in Hist. de origine institutionis Festi S.S. Sacramenti*. In agro Leodiensi Herkenrodæ sacra hostia colitur iam indè ab anno 1317.quæ dùm eò deferretur per agros, à Brutis animantibus vndique concurrenti bus cultum accepisse visa est.

5. *Surius in vita S. Antonij Vlyssipponensis* 13. *Iunij*. In partibus Tholosanis quandòque incidit vir Dei in disputationem acerrimam cùm perfidissimo quodam hæresis architecto, de salutifero Sacramento Eucharistiæ. Iam penè vicerat hominem, parùmque aberat, quin ille catholicæ veritati accederet, cùm post multa, & varia per quæ elabi nitebatur argumenta,in hæc ille verba prorupit: Missa faciamus verba, & ad res veniamus: Si tu miraculo testatum efficere potueris,in Eucharistia verum haberi corpus Christi, omni perfidia abiurata, mox ceruices meas catholicæ fidei iugo submittam. Respondit vir Dei cùm multa fiducia: Confido in Christo Saluatore, me pro tui, & aliorum conuersione id, quod postulas, ab eius misericordia impetraturum. Tùm surgens hæreticus, & manu silentium indicens ait:Ego iumentum,quoddam triduana inedia macerabo; post triduum verò producam illud in populi conspectum, & paratas escas ostendam illi: tuque stabis ex aduerso cùm tuo illo, vt dicis, corpore Domini: Si iumentum posthabito pabulo, properauerit ad adorandum Deum suum, Ecclesiasticæ fidei totus accedam. Assensit ijs vir Dei absque mora. Iam dies præfixus aderat, & in plateam latissimam vndique fiebat hominum concursus. Adest etiam vir Dei Antonius, ingenti catholicorum frequentia stipatus: nec abest hæreticus cùm nequissima suorum caterua. Propè aderat sacellum, in quo vir sanctus ingressus, cùm multa deuotione obtulit missæ sacrificium. Eo paracto, egreditur ad populum, cùm summa reuerentia gestans corpus Domini. Producitur è conclaui mulus bene famelicus, congruumque illi pabulum offertur. Tùm imperato silentio, vir Dei cùm multa fiducia bruto illi animanti ita dixit: In virtute, & nomine creatoris tui,quem in manibus, licet indignus, re vera teneo, tibi præcipio,vt confestim humiliter hùc accedas,& eam, quæ par est, illi præstes reuerentiam, vt hinc perspicuè intelligat peruersitas hæreticorum, omnem creaturam suo subdi creatori, quem dignitas sacerdotalis in altari contrectat. Necdùm Christi seruus dicendi finem fecerat, & ecce iumentum illud, neglecto pabulo, vsq; ad poplites submisso capite accessit, & coràm illo viuifico corporis Christi Sacramento genu curuauit. Mox immenso gaudio exaltant catholici,hęretici dolore animi contrahuntur. Laudatur, & benedicitur præpotens Deus, fides catholica extollitur,hæretica prauitas pudore afficitur,& opprobrio sempiterno Hæresiarcha autem ille coràm omnibus abiurata perfidia, sanctæ Ecclesiæ mandatis deinceps paruit.

6. *Bzou.an.*1453.*num.* 46. Hoc anno insigne miraculum in Sacramento Eucharistiæ ad 6. diem Iunij accidit Taurini apud Pedemontanos.Gliscentibus bellis inter hos, & Gallos, aliquis militum profanus sacrum ferculum, vnà cùm sacrata Hostia ex Templo recipit,& falci inuolutum,muloq;impositum Taurinum iuit. Cùm primùm ciuitatem per portam templo S.Syluestri proximam ingressus est, statim mulus in terram se prostrauit, sacrum ferculum miraculosè ex illo inuolucro se euoluit, & in aerem prasiliens, se se eodem miraculo librauit, permagno splendescens lumine, ita vt adinstar solis alicuius radios emittere videretur. Barthol.Coconus istud primùm videns, Ludouico Romagnano Episc.Taurinensi renuntiauit. Is porrò solemnem pompam indutus,& populi, clerique multitudine comitatus, crucis vexillo prælato ad locum venit. Aliud mirum;Tabernaculum, in quo sacra Hostia conclusa fuerat,suaptè in terram decidit,hostia verò diuina in aere suspensa,insolito lumine radiauit,

Episcopus interim calicem delatum, ei supposuit, in quem illa descendit: Is porrò maxima cùm deuotione excepit; & in cathedrali Basilica deposuit.

7. *Cæsarius lib. 4. cap. 98.* Coloniæ, sacerdos quidam, Euerhardus nomine, corpus Dominicum in pyxide deferrebat quadam vice ad infirmum communicandum; cùmque deuenisset in viam altam, & angustam, lutuosamque, obuios habuit asinos frumento oneratos, sacci autem parietem ex vna parte contingebant, ex altera de strata dependebant; itaque timens ab asinis impelli, & in luti illius profunditatem cùm Sacramento præcipitari, ab eo quem portabat inspiratus, in hæc verba prorupit: Quid est quod agitis asini? nunquid non consideratis quem gestem in manibus meis? state, descendite, date honorem creatori vestro, in eius si quidem nomine vobis præcipio. Mira obedientia animalium Brutorum. Ad vocem sacerdotis simùl omnes steterunt, & simùl descenderunt. *Idem libr. nono capit. septimo*. In villa, quæ Komelæ dicitur, nocte fures Ecclesiam confringentes, inter cætera, etiam scrinium cùm corpore Christi tulerunt, in quo cùm nihil præter sacramentum reperiissent, illud super sulcum agri villæ proximi ponentes, confusi recesserunt: manè autem cùm rusticus cùm aratro, & bobus in eodem agro araret, venissentque animalia juxta pyxidem, stupentia steterunt, nec stimulis à rustico de loco moueri potuerunt; rem admiratus, pixidemque conspiciens, causam agnouit, relicto igitur aratro, & bobus, in villam reccurrit, & omnia sacerdoti narrauit, qui illùc progrediens, miraculum admiratus est, sacrumque Dominicum corpus cùm honore ad Ecclesiam detulit.

8. *Orlandinus in Historia Societatis Iesu libr. secund. numer.* 27. Narrabant, paulò ante in pago agri Taruisini, cui Salzanum nomen, Laurentium quendam sacerdotem, cùm cælestem Eucharistiæ Panem ad ægrotum sine pompa, comitatuque deferret, asellos quosdam extra oppidum offendisse, qui cùm Presbytero occurrissent, veluti sentirent, quod ille deferret, ex vtroque viæ latere repentè discreti procubuerunt in genua; Sacerdotem verò ipsum vno puero comitatum rei nouitate attonitum, medium inter mites ambulasse quadrupedes, eas verò quasi pompam ducerent, præeuntem fuisse secutas, & Presbytero in ædes ingresso constitisse præ foribus; nec indè priùs abiisse, quàm is ab ægro reuersus, eas ad sua pascua cùm benedictione dimitteret.

9. *Lucas Pinellus in collectione miraculorum*. In Bauaria non longè ab Ingolstadio, rusticus quidam simplex, sed pius, cùm ob curam, quam gerebat bestiarum, non posset omnibus festis adorare Christum in sacrificio missæ, secretò particulam sacræ Hostiæ asseruatam in foramine baculi sui in hunc finem facti, deposuit. Quem baculum, festis omnibus, quibus illi non dabatur aditus ad Ecclesiam, humi defigebat, & in eo genibus nixus, recitato rosario, aliisque precibus, venerabile Sacramentum adorabat. Cùm autem quodam tempore bestiæ ob aeris incommoditatem, vel alia de causa hic illàcque discurrerent, ille alium baculum, quo ordinariè vti sueuerat, in illas abiecit, & fortè baculum, in quo erat Sacramentum, deiecit. Vndè dolens flexis genibus conatus est illum attollere, sed terra, in qua erat baculus, se demittebat: & eò magis, quò plùs ille manum admouebat: erigensque se, animo toto perturbato, ecce videt omnia iumenta circùm fossam genibus flexis Dominum adorare. Itaque bonus homo ex miraculo attonitus continenter lachrymans accurrit ad Parochum. Parochus adit Episcopum, qui cùm processione vt ad locum peruenit, cùm magna reuerentia, & humilitate baculum, in quo erat sanctum Sacramentum, excepit. In memoriam autem huius miraculi constructa est ibi Ecclesia, quæ dicitur Saluatoris, ad quam magnus est populi concursus, qui solet ex religione loci aliquid ex fossæ illius terra capere. Hoc miraculum ignoro à quonam scriptum sit. Ego in loco fui, fossam vidi, & Ecclesiam visitaui.

10. *In Annal. Minorum de Sancto Francisco*. Habebat agniculam Sanctus Franciscus, quæ cùm eleuaretur sanctissimum Christi Corpus inter Missarum solemnia, flexis curuabatur poplitibus, tanquam si reuerens pecus de irreuerentia indeuotos argueret. *Ibidem de Beata Coleta*. Oblatus ei quandòque ex deuotione fuit agnellus, quem illa tàm ob munditiam, quàm ob agnum illum sine macula libenter accepit: Erat verò is illi multis modis non paruo solatio, maximè quòd soleret à nullo prorsùs vel edoctus, vel compulsus, cùm Christi Corpus in missa eleuabatur, se submittere in genua, nec surgere, donec eleuatio illa peracta esset.

11. *Marchinus de Sacrificio Missæ part. 1. tract. 3. capit.* 28. Ouis Diuæ Iracundæ in ipsa Hostiæ eleuatione, diuino quodam instinctu permota, genua flectebat sua, & sic prona vsque ad Missæ exitum persistens, Creatorem suum, vt poterat, adorabat.

12. *In Sanctuario Capuæ de Sancto Stephano Episcopo*. Cùm semel feria quinta Sanctus Domini confessor diuina celebrasset, sanctissimumque Eucharistiæ, tàm clero, quàm populo tradidisset Sacramentum, quod de formata superarat, Ecclesiæ custodi magna tutela seruandum tradidit, qui iussis obtemperans, qua potuit adhibita diligentia, decenti, tutoque loco deposuit, sed opportunitate nocturnæ quietis nacta, mures adueniunt, parietem penetrant, thecam rodunt, inueniunt formatam, quam inuentam repentino interitu oppressi, gustare non potuerunt, vndè formata intacta remanente, apud illam mures mortui sunt inuenti, quod qui viderunt, & audierunt, Dominum benedicere non cessabant.

13. Ioann.

13. *Ioan. Euseb. lib. 9. cap. 94. Historia naturalis*. His temporibus Vlyssiponæ quidam extitit admirabilis canis. Hic quoties signum dabatur deferrendi sacram Eucharistiam infirmis, statim ad Ecclesiam currebat, simulque cùm cæteris sacrum pignus comitabatur, postque communicatum infirmum, iterùm ad Ecclesiam cæteros comitantes sacram Hostiam sequebatur; si quos autem in via, vel stantes, vel à sacra Hostia auersos cernebat, ita aggrediebatur, impellebatque, quoadusque genua reuerenter flecterent. Aliquandò cùm ad signum campanæ ad Ecclesiam conuenisset, nec deferrendam Eucharistiam, sed defunctos deducendos ad sepulturam animaduerteret, statim mæstus discedebat. Sæpè oculos defixos longo spatio in sacram Eucharistiam, ceù venerabundus, detinebat. Tandem quod hæretici huius temporis pertinaciter non agunt, hoc, Deo ita disponente, insensatum animal in eorum operabatur confusionem.

14. *Cæsarius lib. 9. cap.* 8. Mulier quædam cùm apes multas nutriret, & illæ non proficerent, immò passim morerentur, cùm contra hoc remedium circumquaque quæreret, dictum est, quia si corpus Domini inter illas locaret, mox lues ipsa cessaret: quæ Ecclesiam adiens, & se communicare velle simulans, corpus Domini sumpsit; quod statim à sacerdote recedens extraxit, & in vno ex alueolis illud collocauit. Mira Dei potentia: vermiculi creatorem agnoscentes, de fauis suis dulcissimis hospiti dulcissimo capellulam miræ structuræ fecerunt, in qua altare eiusdem structuræ erigentes, sacratissimum corpus super illud posuerunt: & benedixit Dominus operibus eorum. Processu temporis cùm fœmina idem vasculum aperuisset, & iam dictum oratorium considerasset, expauit, currensque ad sacerdotem, confessa est ei omnia, & quæ egit, & quæ vidit. Tunc ille assumptis parochianis suis, adij vasculum venerunt, apes circumuolantes, & in laudem creatoris bombisantes abegerunt, capellulæ parietes, fenestras, tectum, campanile, ostium, & altare admirantes, corpus Domini cùm laude, & gloria retulerunt. Licet autem mirabilis sit Deus in sanctis suis, mirabilior tamen in his minimis prædicatur.

15. *Thomas Cantipraten. libr. 2. Apum capit.* 40. Quidam fures pyxide argentea surrepta, post aluearе quoddam Eucharistiam proiecerunt. Herus prædij aduertit apes quotidiè horis constitutis septies prodire, ambire locum, & quodam suaui murmure, veluti cantilare: nec noctu eas quiescere, sed perindè exire, circumuolare, & concentum edere. Res delata fuit ad Episcopum, qui cùm primoribus Cleri adueniens, in medio aluear vasculum ex candidissima cera reperit, in eoque ex apum industria ministerioque custoditam Eucharistiam, cui circumstare omnes videbantur, & propemodùm religiosè admodulari.

16. *Ioannes Aegidius in scala cœli*. Cùm Sacerdos quidam ferret corpus Christi, & ipse in terram cadens, illud emisisset cùm pyxide, quæ portabatur; ecce apes de suis alueolis agminatim exeuntes, suoque creatori honorem deferentes, eidem sacrariolum ex sua cera miro artificio composuerunt. Quod cùm perdidisset, illùc cùm fidelibus procedens, & pyxidem cùm corpore Dominico indè eleuans, ipsum magna cùm reuerentia ad Ecclesiam reportauit.

17. *Petrus Venerabilis libr. 1. mirac. capit. 1.* Erat in Aruernico territorio rusticus quidam habens aluearia apum; Cùm autem pertimesceret apes euolare, aut emori, aut aliquo casu sibi perire, sacrilegorum consilio perrexit ad Ecclesiam, sumptoque Eucharistico cibo, illum ore conseruans, processit ad vnum aluearium, atque foramini, quod in eo erat, ore aptato insufflare cœpit: Dictum enim ei fuerat, quòd si corpore Domini ore retento, apibus in vase constitutis insufflaret, nulla deinceps moreretur, nulla deperiret. Dùm igitur insufflaret, ipso linguæ & aeris impulsu, iactum Dominicum corpus iuxta vas illud ad terram corruit. Tunc ecce omnis illa apum multitudo de intimis egressa, ad Domini sui corpus reuerenter accurrit, atque in morem rationabilium creaturarum, de terra sublatum, habitaculis suis cùm multa veneratione, homine illo vidente, induxit. Quod cernens homo, aut negligens, aut paruipendens, recessit; postea verò rem considerans, scelerisque pœnitens, ad aluearium redijt, apesque omnes, quas opere sacrilego conseruare studuerat, in pœnam peccati enecauit.

18. *Sanctus Bernardinus Senensis, serm. 20. de honore Ecclesiast. gradus artic. 1. capit. 2.* Rusticus quidam cupidus, & auarus, cùm cuperet diuitiis abundare, maleficum consuluit, fiducialiter quærens, qua via ditari posset. Cui maleficus consilium dedit, quòd cùm in Paschate susciperet corpus Christi, illud secretè ex ore extractum, seruaret in manu, atque in apum alueolo locaret, & sic cunctæ vicinorum apes ad mellificandum ad eius alueolum conuenirent. Quo facto, audi mirabile dictu, apes rustici antedicti cùm apibus vicinorum Ecclesiunculam cùm altari de ipsa cera sanctissimo Sacramento mirando artificio construxerunt. Extrahens itaque mella de alueolis, consummato iam tempore, venit rusticus mel quærens in eis, & vasa reperit vacua. Miransque deuenit ad alueolum, in quo posuerat Dominicum corpus. Audit apes mirabilibus melodijs circumquaque in aere resonantes. Cùmque appropinquaret ad locum, vbi erat Dominicum Sacramentum, subitò quodam impetu vindicandi, omnes illæ apes irruerunt in eum, aculeis suis illum cunctis viribus suis affligentes. Sentiens itaque in huiusmodi Dei virtutem, subitò secedit à loco, currensque ad proprium sacerdotem, aperit scelus suum; & miraculum Dei patefecit. Congregatur populus iudicio sacerdotis: currunt vndique gentes, &

Rr 3 de-

debitis solemniis concurrunt ad locum, vbi erat locatum Dominicum Sacramentum, quibus appropinquantibus, de alueolis eleuantur apes, mirabilibus melodiis, & concinentibus choris in aere iubilant. Sacerdote itaque reuerenter prospiciente in aluеolum antedictum, cernit in eo Ecclesiunculam ceream cùm altari miro artificio ab apibus fabrefactam, & super altare residere Dominicum Sacramentum. Stupet sacerdos; cunctique astantes admirati replentur deuotione. Extrahentes denique prædictam Ecclesiam cùm Dominico Sacramento, & debita deuotione ad Ecclesiam transferentes, pro summis reliquiis seruauerunt.

19. *VVichmans libr. 2. cap. 52. An. 1412.* Sacrilegus quidam, ciborium vnà cùm quinque sac. Hostiis è templo VVechesendano propè Herendalium surripuit, Herendalium profecturus; sed licet multum itineris peregisset, semper tamen in eodem se loco deprehendit, ratus id quod erat, Hostias sacras itineris remoras, in flumen vicinum abiicere decreuit: Sed ad flumen peruenire cùm nequiret, in foramen abiecit, quod cuniculi sub cespite defoderant, & sanè Herendalium deuenit, vbi post aliquos dies ob alia crimina ad furcam damnatus est; iam igitur conscensis scalis, excepturus gula funem, & furtum S.S. Hostiarum, & locum in quo eas absconderat confessus est. Eò igitur itum; & Hostiæ decenter extra foramen iacentes inuentæ sunt, cuniculis flexo poplite circùmcirca Creatorem suum adorantibus: ad hæc in gramine iacebant, vndique per latè patentes campos rigente gelu & niue; & caput rei est, iam octauus dies abierat.

De obsequio Animalium cæteris rebus sacris.

§. 2.

ETiam cæteris rebus sanctitatis caractere insignitis, summam quandòque præstitere reuerentiam, obsequiumque Bruta, hominumq; crassam stupiditatem admirandis redarguere modis. De his.

1. *Cæsarius lib. 9. cap. 11.* Nondùm annus, vt puto, transijt, quòd hostiæ plures ad sacrificium ordinatæ, à ministris propter fissuras, siue pustulas reprobatæ, in Eberbaco in fenestra altari contigua proiectæ sunt; accedentes verò mures, omnia, quæ erant extra circulos deuorabant, litteras verò, & quæ intùs erant in nullo penitùs lædebant. Sacrista ista considerans, reputauit pro miraculo.

2. *In Sanctuario Capuæ de S. Stephano Episcopo.* Cùm Sanctus Antistes in villa quadam ad dedicandum altare in Ecclesia Sancti Maximi cùm suis se clericis contulisset, peracto, vt decuit, Dei opere, in domo Presbyteri, qui eamdem regebat Ecclesiam, ad corporis refectionem sumendam secessit: ibi igitur morante, canis aduenit, qui oblatam, quam minùs cautè in Ecclesia custoditam inuenerat, ore portabat. Ad triuium igitur illius domus cùm peruenisset, deposuit illam in terra, quam cùm resumere totis viribus conaretur, & non posset, vlulando alios canes conuocabat, quibus concurrentibus, nec illam tangere, nedum resumere valentibus, accurrit Populus, nec segnis Beatus Stephanus extitit. Causa igitur à Presbytero audita, qui etiam suæ negligentiæ fassus est culpam, quærit oblatam, quæ cùm ei delata fuisset, nec caninis reperisset dentibus attrectatam, signat illam, & frangit, circumstantibus resumendam tradidit.

3. *Ex m. s. s.* Dùm Bergomi crudele sæuiret bellum, quidam Dux in monasterium monialium Sanctæ Marthæ temerè ingredi tentauit: sed ecce mirum; equus, cui insidebat sacrilegus, ante ianuam monasterij genuflexus, nulla vi, vt vlteriùs progrederetur impelli potuit; Prodigium admirans Dux, facti pænituit, monialibusque Crucem, varijs plenam reliquijs, quæ vsque adeò videtur, deuotionis causa donauit.

4. *Philipp. Ferrar. mense Iul. die 10. de Sancto Petro Abbate Perusino.* Cùm cellarius eleemosynam pauperibus dare iussus, panem in arca deesse diceret, Sanctus Petrus quinque panes inuentos à se benedictos canibus proiecit, quos cùm canes attingere non auderent, pauperibus diuisit.

5. *Idem ibidem, de eodem.* Duos latrones suspendendos, à iudice ad custodiam ea conditione, vt si aufugissent, pænam ipse sustineret, acceperat Sanctus Petrus Abbas Perusinus; quos cùm Petrus recreatos, & indutos, eadem nocte à se, ne deinceps delicta perpetrarent, admonitos dimisisset; Iratus Iudex, pænam illi remissurum pollicetur, si canes à se benedictos panes non attingerent. Verùm Petrus ne Deum tentare videretur, id facere recusauit. Vocatus tamen ad benedicendam Comitis mensam, canes panem porrectum ex mensa benedicta odorantes, non sine maxima adstantium admiratione attingentes vlulabant.

6. *In vita Sancti Odonis Abbat.* Præuidens Pater Berno, honestissimum virum Odonem futurum, accersito Episcopo sine suo velle consecrare eum fecit sacerdotem. De quo videlicet Episcopo narrare solebat Pater Odo, quia benedictum ab eo cibum, nullus canis audebat comedere. Quòd si casu contigisset, mox canis ille moriebatur, veluti pro cibo aliquid gustasset venenatum.

7. *S. Anton. 2. part. Chron. tit. 13. capit. 6. §. 17. de B. Audoeno.* Quodam tempore factum est, vt cùm vir Sanctus Paræciam suam prædicando illustraret, dùm per locum, qui nunc dicitur, Crux Sancti Audoeni, iter ageret in curru sedens, (non enim nimio senio fessus equo vehi poterat) equi, qui currũ trahebant, subitò substiterunt; quos auriga percutiens, nullo modo à loco auellere potuit. Sentiens autem vir Dei nutu diuino animalia manere immobilia, extemplò oculos ad Cœlum reflectit, ac vexillum Crucis amplo splendore coruscans aspexit. Cùmque spiritu sibi reuelante intelligeret, quòd eumdem locum ad sibi seruiendum

Domi-

Dominus elegisset, subitò arantem quemdam inuenit, cuius stimulum sumens, signum Crucis expressit, eaque depicta in terra, sanctorum etiam reliquiis superpositis, discessit. Ibique postea extructa est Ecclesia.

8. *Vincentius in Spec. Hist. libr. 10. capit. 29.* Cùm Sanctus Regulus Siluanectensis, dæmonem à quodam obsesso eiecisset, Asinum, quo sanctus Præsul longi labore itineris fessus leuari solebat, cernentibus cunctis, qui aderant, ingredi voluit; at subitò meritis S. Reguli, brutum iumentum, pede Crucis signum figurauit in terra, & quasi Deum adiutorem sibi inuocaret, erecto in cælum capite, plùs solito rudire cæpit: tuncque diuina potentia, Præsulis asinum ab impio hospite liberauit.

9. *Zachar. Bouerius in Annal. Capuccinor.* 1554 Plerisque hoc tempore Deus Opt. Max. exemplis manifestum esse voluit; quanta lignum ex arbore Sancti Francisci, de qua alibi egimus, præcisum, in veneratione ab omnibus habendum sit. In his primum ex Mediolanensi Prouintia erumpit. Etenim Fr. Andreas Cremonensis sacerdos, hoc anno Cremona Laudum iter faciens, Nobilem quemdam, equo insidentem, in via obuium habet: qui cùm ob singularem, qua erga B. Franciscum deuotionem afficiebatur, ab eo crucem ex ligno S. Francisci fabrefactam petijsset: quo tempore Andreas Crucem è manica exprompta m Nobili offert: equus, cui ille insidebat, quasi qui sacrum B. Francisci lignum veneratione dignum duceret, in priora genua procidit, honoremque, quo poterat, modo, tùm ligno, tùm sancto Crucis Signaculo persoluit. Quod cùm Nobilis ille summa cùm admiratione perspexisset; Me profectò, ait, equus melior fuit: quodque ego præstare debueram, prior facto docuit, statimque ex equo delapsus, ac genuflectens, reuerenter Crucem à Sacerdote accipit.

10. *Syluester Frangipanus in Hist. Sorianæ imaginis ca. 27.* Rutilius Puccius ex Pago Soriano, duos iuuencos se oblaturum imagini S. Dominici, quæ ibi colitur, vouit, si nepotem, de cuius vita dubitabatur, sanitati restitueret. Voti compos factus, quod vouit obtulit: oblatio hoc miro fuit insignis; iuuenci cùm indomiti essent, ambo tamen quietè ad Sancti imaginem ducti fuere, genua simul flexere, ambo caput inclinarunt, osculati fuere terram, adeò vt omnes inclamarent, miraculum, miraculum.

11. *In actis S. S. Martij tom. 3. in Contin. Bollandi.* Quidam miles secuturus castra in festo S. Quirini martyris, equum suum alligauerat muro Ecclesiæ sancti Martyris, & ecce mox caballus in furorem versus, frenum reuulsit, indomitusque gyros egit, vsque dùm rotata vertigine mortuus concideret. Quo apertè satis inclytus Athleta ostendit, sacra loca non esse stabulandis equis exponenda.

12. *In libro Mirac. Hiberniæ.* Falco apud Kildariam aliquot sæculis superstes fuit in turri nidulans Ecclesiæ S. Brigittæ, vt proindè vulgò auis Brigittæ vocaretur. In eo autem templi tractu, nunquam fæmellam admisit, vt indulgeret soboli, sed amoris tempore semper in montana recessit, ne loci sanctitatem inquinaret.

13. *Greg. Tur. de B. Thoma Apost. de Glo. Mar. lib. 1. cap. 32.* In vrbe, quam Syriæ Dissam vocant, in qua beatos Thomę artus diximus tumulatos, adueniente festiuitate, magnus aggregatur populorum cætus, ac de diuersis regionibus cùm votis negotiisque venientibus, vendendi, comparandique per trigiuta dies sine vlla telonei exactione licentia datur. In his verò diebus, qui in mense habentur quinto, magna, & inusitata populis prębentur beneficia. Non scandalum surgit in plebe, non Musca insidet mortificatæ carni, non latex deest sitienti. Nam cùm ibi reliquis diebus plusquàm centenum pedum altitudine aqua hauriatur à puteis; nunc paululùm fodias, lymphas exuberantes inuenies: quod non ambigitur virtute beati Apostoli impertiri. Decursis igitur festiuitatis diebus teloneum publico redditur, Musca, quæ defuit, adest; propinquitas aquæ dehiscit: dehinc emissa diuinitùs pluuia, ita omne atrium templi, à sordibus, & diuersis squaloribus, qui per ipsa solemnia facta sunt, mundat, vt putes, illud nec fuisse calcatum.

14. *Felix Astulphus in Hist. Vniu. Imag. B. Virg. ad an.* 1402. Pascebat gregem subulcus propè Formellum in agro Romano, dùm obseruat scropharum vnam fortè vicinum collem subire nullo fugæ indicio, quia & ad gregem, & cùm grege domum spontè redibat. Hoc cùm pluries, & statu hora euenisset, curiosus ille, quò tenderet scropha inuestigare statuit, eam secutus per loca sentosa, per mille vepreta, tandem vidit, eam ante arborem erigi sedentis in morem, os sublime gerere, cælumque tueri, pedes item anteriores ita erectos tenere, vt solent qui superis preces fundunt. Nouitate rei perculsus Pastor, arborem fixioribus intuens oculis, in ea deprehendit imaginem B. Virginis, cui brutum animal prosternebatur supplex.

15. *Gumpperberg. de Imag. B. Virginis de monte Sancto Villalong. in Hispan.* Pastor quidam dùm oues domum ageret, duæ ex ijs deserto grege, in collem euasere, & balatu pastorem aduocarunt; ille cùm oues in genua procumbentes videret, collem ascendit, viditque statuam B. Virginis, ante quam oues genua flectebant.

16. *In Annal. Capuc. tom. 2. an.* 1587. *de B. Felice.* Crux exigua à B. Viro compacta, Corollę cuiusdam Fabij de Pace alligata, cùm ante rhedam casu excidisset: muli rhedam trahentes, ante illam consistunt: neque vllis rhedarii verberibus ad iter compelli valent, donec Crux cùm Corolla indè auferrentur.

Alia adnotabuntur Tom. 2. lib. 4. cap. 1. & 2. cùm de Admirandis inuentionibus Crucis, & S. S. Imaginum, quarum incognita loca, admirando Animalium cultu manifestata sunt.



AP-

APPENDIX AD CAPVT. III.

Perennis Animalium cultus rebus quibusdam sacris.

VT cunctis & adhuc viuentibus fidem astruant quæ de cultu irrationabilium sacris rebus enarrant historiæ, perennis adhuc viget quibusdam in locis eorundem animalium rebus sacris obseruantia. De quibus.

1. *Eus. lib. 2. de mirac. nat. cap. 12.* In australi Momonia inter collem Brendanum, & mare spatiosum, quod Hispaniam interluit, & Hiberniam, est locus quidam non modicus, vno ex latere flumio piscoso, alio verò riuulo inclusus, qui ob reuerentiam S. Brendani, aliorumque loci illius sanctorum, non tantùm hominibus, & pecoribus, verùm etiam ipsis feris, tam aduenis, quàm indigenis refugium præstat inauditum. Vndè non tam cerui, quàm apri, & lepores, aliæque feræ, cùm canes è vestigio sequentes, nullatenùs fugere posse se præsentiunt, à partibus procùl indè remotis, ad locum istum quantocyùs transferuntur. Qui vt riuulum pertransierunt, canibus ibidem cursum sistentibus, nec vlteriùs sequentibus, ab omni statim periculo tuti sunt.

2. *Petra Sancta de mirac. perp. cap. 2.* Animantes quæuis, licet ingenio immiti, & præferoci, mansuefiunt, ac ferocitatem omnem dediscunt, si templum ingrediantur S. Iuliani martyris in Briuatensi Pago propè Viennam vrbem Galliarum sitam ad Rodani fluenta.

3. *Siluester Frangipanus in Hist. imaginis B. Dominici de Soriano cap. 28.* Mos est, vt Bruta Beato voto consecrata ad eius templum ducantur, & ante hanc imaginem sistantur; incedunt autem animalia tanta reuerentia, vt omnes in admirationem rapiant, & quod grandiùs, edere nullum sonum solent, non nitrire, non mugire, non balare, quin nec locum conspurcant.

4. *Thiepolus de Passione Christi, Tra. 12. cap. 39.* Quodam in nemore terræ sanctæ, dùm toto anni tempore suauissimis cantilenis dulciter demulceant transeuntium aures, ibi morantes aues; tota integra hebdomada sancta obseruatæ sunt vsque ad diem Paschæ conticere, ceù tanto silentio communi Creatori, cuius mortis anniuersaria tunc celebrantur, parentare videantur.

5. *Baptista Camposulgosus lib. 1. Memorabilium.* In ea Galliæ parte, quæ olim sub Venetorum, Morinorumque nomine, censebatur, (nunc Britanniam dicunt) propè vrbem Redonensem, oppidum est, Montisfortis nomine, vbi Decembri mense, cùm S. Nicolai solemnia celebrantur, à paruo lacu non longè ab oppido, ea hora, qua, vel missa, vel vespertinæ orationes cantantur, Anas templum init cùm tredecim pullis, quæ posteaquàm aram circundedit, ad eum locum regreditur, vno pullorum, quos secùm veniens duxit, semper deficiente; neque verò quò is se recipiat intelligitur. Quòd si quis vel rei experimentum faciat, aut quia rei nullam fidem habeat, comprehendere, aut occidere tentauerit, confestim rabie corripitur, ac moritur, aut in grauem morbum subitò incidit.

6. *Gaspar Villaroel. in cap. 13. Iudicum ver. 19. numer. 13.* In oppido quodam Hispaniæ nostræ diæcesis Toletanæ, in ipso ingressu, porta est veteri muro, & in eius fastigio fabricata in saxi concauo ædicula, seù tabernaculum, in quo imago visitur Christi Domini Cruci affixi opere marmoreo. Hanc, auicula exilis, visu pulchra, plumis variatis, ab immemorabili tempore colit, in hunc modumque veneratur: Semel in anno per aera in tabernaculum, toto vidente populo statim ac visitur conuocato, summa celeritate dilabitur, & alis suis verrit, post illis excussis, totam quatit imaginem, iam ad pedes, iam ad caput accedit, iam brachia, iam totum corpus ambit, & ac si ratione vteretur ea cura, vt cùm abit, nec signum inueniatur antea recepti pulueris. Et ne id sine mysterio factum credas, scito classicis tubis, tympanis, aliisque instrumentis celebrari portentum, nec ad sonitum talem, strepitumque tantum, timere, euolareque vnquam alitem. Et quò magis stupeas, defectu imbrium quodam anno adusta terra torrebantur sata, & oppidani ad consueta confugere remedia, orationes, obsecrationes, processiones; venit tamen in animum imaginem illam solemni, deuotoque apparatu circunducere, in Ecclesiaque collocare, donec per nouenalia suffragia eorum miseresceret, reduceretùrque postmodùm ad vetus illud saxeum tabernaculum. Contigit tamen vt in media hebdomada aduentaret passerulus, qui, dùm sacram conspexit vacuam diuino pignore ædiculam, eam pro more alis verrit, mundamque linquens, sequente eam stupente populo templum adiit, ad imaginem accessit, tersit plumis, hinc indè corpusculo cuncta membra percurrens, quo expleto officio exiit, aeremque scindens ascendit, quousque disparuit. S. Olalla oppidum nominatur.

7. *In actis S.S. 27. Iannuarij apud Bollandum de S. Lupo Episcopo Cabilonensi.* Fertur, quòd circa ambitum cellę, in qua solebat cubitare Sanctus Lupus, si aliqua rapacium auium fuerit immissa, nullis postmodùm vsibus valeat.

8. *Petrus de natalibus lib. 5. cap. 41. De S. Cenobio Episcopo.* Semel mortuum filium cuiusdam matronæ suscitauit S. Cenobius, in cuius testimonium, locus, in quo genua fixit, Geniculus vocatur; qui si aliquandò à quaque bestia immundicia polluitur, mox diuina vltione bestia illa punitur.

9. *Eusebius ex Giraldo §. 15.* Est lacus in Momonia Boreali, duas continens insulas; vnam maiorem, & alteram minorem. Maior Ecclesiam habet antiquæ religionis, Minor verò capellam, cui pauci cælibes, quos cælicolas, vel colideos vocant, deuotè deseruiunt. In maiorem, nunquam vel fæminei sexus aliquod animal intrare potuit, quin statim moreretur. Probatum est hoc multoties per canes, & catos, aliaq; sexus illius animalia, quæ periculi causa frequenter aduecta, statim occubuerunt.

10. Item

10. *Idem ubi eadem* §. 9. In vlteriore Vltoniæ parte sunt montana quædam, in quibus Grues, & *Grutæ*, auesque variæ suo in tempore abundè nidificant, propter refugium, & pacem non tantùm hominibus, verùm etiam pecoribus, & auibus ab incolis ibidem exhibitam ob reuerentiam scilicet S. Beani, cuius Ecclesia locum illustrat. Sanctus iste miro, & inaudito more, non tantùm aues, sed & auium suarum oua tuetur. Si enim, vt oua rapias, manum admoueas; videas protinùs, pullos marcidos, & rubros, & tanquam eadem hora iam exclusos. Sin autem manum retrahas cùm voluntate, videas iterùm, seù miraculosè, seù phantasticè contra naturæ cursum pullos in oua, vel conuersos, vel reuersos.

11. *Achiles Mutius in Theat. Bergomensi par.* 3. Quodam in monte Territorii Bergomensis in finibus Draræ, & Calepij, deuota extructa est Ecclesia, S. Ioanni dicata: ad hanc quotannis die festiuo eiusdem sancti vndique concurrunt infinitæ formicæ, quæ ad pedes altaris, vt perueniunt, ceù Diuo adorato, moriuntur. Præter autem id temporis, nulla vnquam ibi apparet formica. Ob hoc autem dicta Ecclesia, S. Ioannes Formicarum appellatur, dictique Sancti patrocinio ab incolis commendati bombices, à formicarum molestia mirabiliter præseruantur.

12. *Antonius Masinus in descriptione mirab. Bononiæ*. In monte, Formicarum dicto, procùl Bononia 13. milliar., extructa est in oppido Gennæ Ecclesia Parochialis D. Virgini dicata: ad hanc quotannis, à primis vesperis festiuitatis Natiuitatis B. Virginis, quæ octaua die Septembris celebratur, quædam alatæ formicæ, quæ cætero anni tempore nusquam uidentur, mirabili prodigio volare conspiciuntur, cæterisque relictis altaribus, quæ in dicta reperiuntur Ecclesia, ad solam aram B. Mariæ dicatam ordinatè procedunt, supraque ipsam omnes moriuntur. Quod si ea die aut pluuia, aut vento à tali veneratione, vt ita dicam, impediantur, prima die infra eamdem octauam ab aeris intemperie libera, hoc deuotum præstant obsequium. Eædem formicæ emortuæ, per intercessionem B. Virginis multis prosût infirmitatibus, præcipueque morbum, formicæ dictum, mirabiliter depellunt. Hoc autem prodigium ab immemorabilibus abhinc annis cæptum, vsquæ adhùc perseuerat.

13. *Saluator Vitalis in Propugnac. Triumph.* In conuentu sancti Petri ciuitatis Sassaris Fratr. minor. de obseruantia, Icon Deiparæ, sculptile simulacrum, sancta Maria de Gratia titulo, quotannis exponitur populo, templi in atrio medio, cùm frequentissimo ciuium, atque finitimæ Regionis affluxu, solemniter cultui, octono dierum spatio, iuge consortium pietatis adorat. Musca vndique, vltrò citròque per aras, & aulam, vires agglomerat, telum exerit, albos parietes velat notis, sacram sæpiùs mappam sternit extincta; circumuolat, tranat, redit, sed nunquam audet properare, accedere nequit omninò sanctam effigiem dominæ mundi.

14. *Albertus Krantius in Saxonia lib.* 4. *cap.* 29. *de venerabili muliere Emma*. Fertur ciuibus permisisse pratum non longè ab vrbe feracissimum, cuius vsque hodie illa præcipua est indulgentia, vt nullis ibi pecora muscis, nullis crabronibus, aut vespis vexentur; referunt in merita eiusdem venerabilis Emmæ.

15. *Ignatius Lupus in edict. S. Inquisit. par.* 3. *lib.* 15. *dis.* 4. *art.* 2. In territorio Mediolanensi, in monte Veteri, vulgò, *monte vecchia*, circa Festum S. Io: Baptistæ ad Ecclesiam illius confluit infinita, vt ita dicam, multitudo muscarum rubearum, quæ eodem die ibi moriuntur.

16. *Idem ibidem*. In Prouincia Narbonensi est Castrum dictum Romelias, in quo sunt duæ Turres, ad quarum alteram singulis annis Scarabeorum infinita multitudo confluit circa festum S. Io: Baptistæ; quorum alij sunt corpore maiores, & vt plurimùm sunt cornuti. Isti septem octoue diebus tanto impetu in simùl decertant, vt de mortuis ex ipsis vix platea postea mundari possit.

17. *Fornerus in Deipara Virg. Vueyrensi, de sacello Haslacensi à S. Ottone dedicato*. Ecclesia etiamnùm superstes est, & in medio pagi Has lach ad Septentionis latus, sub Teuschnicensi Paræcia præalto in colle visitur, estque eidem Deiparæ Virgini Martyrum Reginæ, & quatuordecim primarijs Martyribus Sanctis (quos à frequentibus beficiis, eorum apud Deum interuentu, variis hominibus præstitis, Auxiliatorum titulo, vulgò insignunt) consecrationis cæremoniis attributa. Cuius id notatu pariter, & admiratione dignum vetustatis testimonium, ad nostra vsque tempora perdurans, hodierna etiam die omnium notitiæ palàm exponitur: Neque enim, aut muro, aut fossis, vt complures in eo tractu, illa cincta est Ecclesia; Quàm latè tamen ac longè, lustralis aqua Ecclesiarum Dedicationi, Apostolico ritu adhiberi solita, terram aspersit, nulla planè Bestia, siue domestica, siue fera, & syluestris transire, aut solet, aut potest. Sed quid si vi impellatur, vt terminum transgrediatur? Certa est, & vsu millies comprobata experientia; aut illicò perit, aut vno, vel vtroque lumine orbata, prorsùs inutilis euadit.

18. *Gumpperberg, de Imag. B. Virg. de Vaccis, Auila in Hispania*. Dominica secunda mensis Maij, qua festum celebratur huius sanctæ imaginis, aduolat quotannis vnus insuitatæ magnitudinis, & vetustatis papilio, & vesti ad æret Sanctæ Statuæ, quodque Mirum est, nullis Musicorum vociferationibus, nulla populi clamosa admiratione pellitur. Quandòque dùm ipsa supplicatio pompam ducit per vrbem, aduolat inspectante urbe, nec ampliùs discedit. Finita celebritate seù viuus seù mortuus, præcipuis viris donatur. Anno 1655. Reginæ missus est. Maximum miraculum fit etiam post mortem papilionis: si quidem applicatus hic papilio ægris, quàm plurimos sanauit. Nec nouum, quia hoc singulis annis inspectante vrbe contigit.

19. *Gonzaga in Prouincia S. Gabrielis, de Conu. Dominæ nostræ de Luce Brossarum*. Admirabile in hoc oppido Brossarum singulis annis in festo S. Marci

Marci euenit. Erecta ibi est confraternitas quædam in eiusdem Euangelistæ honorem, idque in eremitorio quodam eidem sacrato, atque ad 500. passus ab oppido distante. Huius igitur Confraternitatis Prior, siue Princeps, assumptis secùm in profesto D. Marci aliis quinque confratribus, vaccarum armentum petit, inuentumque ibi ferociorem taurum, sic alloquitur: Veni Marce, ecce iam appropinquat hora; Statimque Taurus ferocitatis oblitus, non secùs ac mansuetus agnus ad præfatum vsq; eremitorium ab ijs minatur, inibiq; nemine cogente, solemnioribus vesperis, summoque sacro, & concioni sequenti die patientissimè interest. Quo quidem toto tempore inter viros, atque mulieres vt ouis versatur, ita vt alii eius cornua sertis coronent, alii pannibus ornent, alii malis stipent, omnesque eum familiarissimè contingant, atque per vniuersas oppidi plateas circùmducant, domosque ingredi cogant, ac tandem ad hunc Conuentum Fratrum Minorum deducant. Vbi processionaliter à fratribus exceptus, Ecclesiam ingreditur, gradusque summi altaris, qui numero sunt octo, scandit. Sed summo sacro, atque concione absolutis, vt primùm à sacerdote celebrante sibi benedictio datur, pristinam induens ferocitatem, campos celerrimo gradu, nemine tamen læso, petit. Quod sanè mirabile est. Cùm autem quidam Episcopi in alicuius superstitionis suspicionem adducti, huiusmodi ritum, atque cæremoniam præpedire conati essent, re ad summum Pontificem delata, atque quàm diligentissimè examinata, præcepit is, vt huiusmodi consuetudo, seruatis tamen quibusdam conditionibus, ne videlicet eius tauri pilis, vt Sanctorum reliquijs, vel ad pellendos morbos, vt quibusdam mulierculis moris erat, vterentur, ne ve candelas accensas eius cornibus affigerent, quod aliquid superstitionis præseferre videretur, in posterùm seruaretur.

20. *Petra Sancta de mirac. perpet. cap. 16.* Nescio an miraculo adscribam, semper die S. Apollinaris, Rauennam singulis annis conuolare confertim agminibus, coruos, cornices, monedulas ex Italiæ agris diuersis. Quod adeò constans est, vt obtinuerit pridem consuetudo, adponendi ijs aduenis volucribus semper cadauer equi, vt ex eo nimirùm epulentur.

CAPVT IV.

De Animalibus diuinitùs aliquid indicantibus.

Et primò

De Animalibus loquentibus. §. 1.

EX animalium volatu, cantu, & incessu, futura quondam præstigiosè auspicabantur augures, quæque in solis diuinæ mentis idæis recluduntur, in exsectarum victimarum extis perlegere falsò credebant. At hoc Deus veris interdùm, admirandis tamen modis efficit; mediisque irrationabilibus Brutis, eorum vel ad loquendum ora aperiendo, vt Asinæ Balaam, vel ad alia diuinitùs auguranda impellendo, suæ mentis obstrusa patefacit quandòque arcana. De his.

1. *Cedrenus in comped. Hist.* Cùm Apostolus Petrus Romam iuisset, statuit Simonem magum adire. Erat autem ante fores Simonis canis prægrandis, catena vinctus, cuius opera Simon arcebat quoscunque ad se accedere vellent. Petrus, canem ita magnum, & efferatum cernens, apprehendit eum, solutumque intrare ad Simonem iussit, eique humana voce dicere; Petrum seruum Christi cupere cùm ipso loqui, quod & fecit; omnesque qui cùm Simone erant, sunt admirati.

2. *In actis S. Leonis Papæ IX.* Dicitur illis temporibus in finibus Apuliæ canis extitisse, qui latrando solitus erat humanis verbis, Deus meus, inclamare.

3. *Ibidem de eodem S. Leone.* Inter multos, qui eius ambiebant præsentiam inuisere, Rex Danamachiæ transmisit illi auem psitacum in munere, in quo quædam diuina apparuit gratia admirabili virtute: quamuis enim quædam aues humana formare verba discant magistra fame, hæc tamen (vt fertur) nullo cogente, toto itinere, dùm ad Domnum Papam deferretur, ad Papam vado, recinebat: & mox vt ei est præsentata, nemine docente, voce dulcisona, Papa Leo, inclamabat. Si quandò etiam hic pastor venerandus exteriorum dispositione lassatus, se se in secreto conclaui reciperet, aut fortè nimijs solicitudinibus afflictum eius animum aliqua mæstitudo arctaret; hæc auis ægritudinis illius leuamen frequenter aderat, & concinnè, ac recisè Papa Leo resonans, robur mentis excitabat.

4. *Gononus in Chronico Deiparæ ann.* 1099. Quædam deuota iuuencula docuit quamdam auiculam dicere: Aue Maria; ita quòd garriendo vix aliud proferebat. Quadam autem die volucris rapax ipsam rapuit, & asportauit. Quæ cùm clamaret, Aue Maria, statim illa auis rapax mortua cecidit: & auicula ad gremium iuuenculæ est reuersa.

5. *Cæsarius lib. 10. cap. 56.* Matrona quædam S. Thomam Cantuariensem plurimùm diligens, assiduis infirmitatibus laborabat, & cùm doloribus angeretur, eumdē martyrem his verbis inuocabat: Sancte Thoma adiuua me. Habebat autem nescio cuius generis, auiculam, quæ ex assiduitate audiendi, eamdem absolutè satis proferre didicerat orationem, Die quadam miluus extra domunculam eam videns, rapuit, & euolauit, in ipso raptu, dùm vnguibus illius auis premeretur, cunctis qui aderant audientibus, clamauit de aere: Sancte Thoma adiuua me. Vt autem mirabilis Deus martyris sui merita demonstraret, miluo, vt auiculam dimitteret, præcepit, quæ statim cùm multa alacritate rediit ad dominam, & ille rapinæ pœnam luens, mortuus cecidit in terram.

6. Thoma

6. *Thomas Cantip. de fratre Ioanne Prædicatore.* Vulgatissimum miraculum referebatur sub anno Incarnationis Domini M.CCXXXI. Pica erat in domo hospitis, qui sanctum virum recipere solebat, quæ humana verba loqui docta, sanctum virum præcipuè diligebat. Seruus autem quidam in domo picam occidit, clàmque comedit. Introgressus ergo vir sanctus hospitium, clamauit ad picam. Vbi es nunc amica mea, vbi es? Nec mora de ventre comedentis, respondit. Adsum, adsum. Mirantibus omnibus, vulgatum est verbum, concurrunt populi, de ventre comedentis pica diebus plurimis loquebatur.

7. *Vincentius in spec. Hist. lib. 24. cap. 4.* Cùm Corolus Magnus ad liberandam terram sanctam cùm ingenti exercitu profectus esset, cis Hierusalem quodam in nemore adueniente nocte, & exercitu errante, præcepit Carolus castramentari. Transacto autem noctis silentio, Rex in loco suo accubans, inchoauit Psalmos: & cùm diceret hunc versum: Deduc me domine in semitã mandatorum tuorum, quia ipsam volui, ecce euidentiùs vox ad aures eius cuiusdam alitis propè lectũ eius clamantis audita est, quam qui aderant audientes, experrecti sunt. Rex autem psalmos continuauit vsque ad illum locum; educ de custodia animam meam &c. quod cùm diceret, Ales iterùm clamauit: France quid dicis? France quid dicis, Hanc alitem prosecutus est Rex paruula semita, donec recognouerunt callem, quam de præterito amiserant. Peregrini dicunt, quòd ab illo tempore cæperunt audiri Alites sic loquentes in illa terra.

8. *In vita S. Mammantis apud Ioannem à Bosco.* Præses iracundia plenus, leonem crudelissimum ad deuorationem eius inquiri præcepit. Et ecce Arabicus ille, & tanto cursu efferatus leo theatrum irrumpens, Euangelicæ lectionis assiduitate mansuefactus, beato Mammæ, his eum verbis alloquitur: Salue ò probate Dei cultor, in quo Spiritus Sanctus habitaculum sibi dulce construxit. Ecce Angelica iussione voces ad tempus accepi, fides tua naturæ iura superauit, pro te mutis animalibus humana vox creditur: officia reddo pastori, memini cui paruerimus in monte. Hæc eo loquente, ab Angelis Theatri clausæ sunt ianuæ, & statim ille horridis rictibus fremens, laniauit multitudinem Paganorum, & Indeorum.

9. *In actis S.S. Feb. tom. 2. in Contin. Bollandi.* Cùm iussu Seueri Imperatoris, crudelissima tormenta insligerentur S. Charalampio m., vinculisq; ligatus protraheretur, conuersus qui in dextero latere ibat equus, locutus est plana, minimèque ambigua voce, hæc verba; O vos trecenti milites, & ter-execrandi ministri diaboli, non videtis cùm hoc homine Deum, Christumque, & in eo Spiritum Sanctum adesse? Cur igitur hęc agitis peruicaces? Soluite quem ligare non potestis, vt ipsi vinculis soluamini. Correpti hac equi voce satelites, ingenti quidem sunt metu perculsi, tamen vt Imperator mandarat, ita raptantes perduxerunt Antiochiam.

10. *In Lectionibus officij S. Herinæ.* Cùm S. Herina Licinij Imperatoris filia, Virgo, & Martyr, Aletiique aduocata; Christianam fidem ab Angelo edocta, à S. Thimotheo baptizata fuisset, proindeque omnia idola ei à patre tradita, è turri, in qua morabatur, pręcipitasset, indignationem eiusdem patris in se concitauit, qui ideò feroci equo dilacerandam alligari præcepit: sed ecce mirum. Equus in Licinum efferatus, eius manum abscidit, eumque morsu enecauit: atque humana voce Beatam esse Herinam, magno omnium, qui aderant stupore, asseruit.

11. *In actis S. Neophyti m. Niceæ in Bythinia.* Aduolans columba lectulum eius ambiuit, humanum in morem locuta; quo portento exanimata est Sancti Pueri mater; ast eam ipse precibus suscitauit.

12. *Surius in Augusto, de translatione Corporis S. Stephani Protomartyris.* Trahebant currum mulæ, in quo thesaurus ille erat repositus, dùm autem venissent ad locum, Constantianas appellatum, in quo & depositus est, cùm verberibus iumenta, vt porrò procederent, vrgerentur, altera mularum humana voce: quid, inquit, nos cæditis: hic Sanctus est collocandus; has voces, & Pontifex, & cætus vniuersus cùm audisset, magnis vocibus in laudes Dei effusus est. Imperator ipse Christianissimus cognito facto, rei miraculo attonitus, extemplò eodem in loco augustum principi martyrum templum ad laudem, & gloriam Domini nostri Iesu Christi, & sancti famuli sui excitauit.

13. *Trithemius in Chro. an.* 1097. In Saxonia Bos humana protulisse verba dictus est, trinaq; ad pastorem dixisse vice; Vade, Hierusalem capietur à Christianis.

14. *In actis S. S. M. M. Cosmæ, & Damiani.* Cùm ab impio tyranno martyrio affecti fuissent S.S Cosmas, & Damianus, eorumque corpora vellent fideles diuersis in locis sepelire; subitò cursu mirabili Camelus aduenit, & humana voce loquens, præcepit illis, vt sacra corpora non separarent, sed in vno loco recouderent.

15. *Ioannes Bonifacius lib. 2. de Historia Virginis.* Indus, pecudes Camelorum similes custodiebat in monte, Christianus quidem, sed ita negligens, vt præter Christianorum nomen, nihil haberet, aut sciret; is hoc miraculo excitatus ad discendum. Muta pecus ex illo grege quotidiè manè precationum formulam articulate recitans, coarguere videbatur inscitiam hominis, & sciendi negligentiam. Narrauit hoc ipse, & verum fuisse miraculum, moribus, & vita ostendit.

16. *Ferrarius in Catal. S.S. 29. Ianuarij.* Cùm S. Iulianus, cognomento Hospes, adhùc adolescens inter venandum Ceruum insequeretur. Ceruus conuersus, & illi loquens, quædam futura illi prædixit.

17. *Vincentius in Speculo Hist. lib. 10. cap. 56.* Quadam die dùm S. Eustachius cùm sociis venationi insisteret, gregem Ceruorum inuenit, & inter eos maiorem, & pulchriorem, quem desiderans capere, fugientem in nemus secutus est, donec Ceruus progrediens, super altitudinem rupis staret; dùmque cogitaret, quomodò eum capere posset,

posset, subitò vidit inter cornua Cerui signum Crucis,& imaginem Iesu Christi, qui per os Cerui quid sibi faciendum esset, locutus est.

18. *In actis S. S. de S. Seuerino Episcopo Septempedano 8. Iannuarij apud Bollandum*. Vir quidam, nomine Innocentius, cùm aliquandò ad S. Seuerini monasterium properaret, in quo erat ordinatus, sequitur eum ouicula, in qua totus ei census erat, & cùm nequiret transire Flosorem, quem imber incitauerat, fortè per tigellum, quod ripis superposuerant pastores, transiit, oue in alia relicta ripa: quæ erumpens in vocem, hoc ait: Cui me hic reliquisti? Tunc vir plenus Deo, inquit: Transi, quia ego ipse transiui in nomine Domini Iesu Christi. Tunc animal innocens sumpta per Deum fiducia, sequitur Innocentium. Per meritum pastoris, est data vox pecori.

19. *In vitis P. P. lib. 1. cap. 19. de S. Macario Romano*. Iter faciens per deserta S. Macarius, obuiam habuit ingentem Draconem, cuius intuitu timore perculsus, in terram cecidit, deindè confortatus in Domino surrexit, & signo Crucis se muniens, ad Draconem in nomine Domini imperauit, ne sibi noceret. Tunc ipse terribiliter de terra se erigens, humana eum affatus est voce, dicens: Veni benedicte domine, tu enim es seruus Dei altissimi Macarius, Angelus autem sanctus Raphael, figuram, & vultum tuum mihi demonstrans præcepit concitè, vt tibi occurrerem, atque perducerem in locum à Deò tibi præparatum.

20. *Petrus de Natalib. in Cat. S. S. lib. 3. cap. 183. de S. Hadriano martyre*. Delphini ad littus eius venerandum corpus in mare demersum, deportarunt; humanaque voce loquentes, seruis illius in littore morantibus, illud esse sancti martyris corpus manifestauerunt.

21. *In vita S. Patritij Episcopi cap. 129.* Habebat hircum Beatus Patritius, aquæ sibi baiulandæ ministerio deputatum, siue artificio, seu potiùs miraculo huic operi adaptatum. Hunc quidam vir ventricula de Omeith furto surripuit, sublatum mactauit, & manducauit. Author furti, siue fautor inuestigatur: quidam suspicioni patens euidentibus aliquantis indiciis inuenitur, sed facinus non inficiatur solùm, verùm etiam furto periurium accumulans, iuramento ab obiecto reatu se exuere conatur. Mirum effatu, sed mirabilius apparuit actu. Hircus comestus in ventre furis, turpisono balatu, latrocinium in auribus astantium prodidit, & clamore miraculoso meritum Sancti Patritii prædicandum propalauit.

Electiones ab Animalibus diuinitùs præsignatæ.

§. 2.

PRodigioso volatu, quos ab æterno ad aliquem gradum diuina destinauerat præscientia, mirabiliter præsignauere quandòque Animantia, mutoque silentio, arcana Dei patefecere. De his.

1. *Halloix in vita S. Policarpi cap. 6.* Cùm præsto cuncti adessent, ad quos consecrationis Episcopi futuri munus pertinebat, & multa in eodem cætu circumfusa turba spectandæ, celebrandæque solemnitatis studio conuenisset; lux magna de Cælo dilapsa, turbam vniuersam colustrauit, vtque non pauci in eo choro animi puritate præstabant, & sanctimonia, sic dedit illis Deus circa personam sacrandi Antistitis mirifica quædam signa lucidioribus oculis intueri. Nam fuit ex ijs vnus, qui circa ipsum Policarpi caput candidam columbam radianti lucis orbe circumseptam conspexerit.

2. *Simeon Metaph. in vita S. Ioannis Chrysostomi*. Cum eum ordinaturi essent, vt *Deum iusserat*, & dies adesset præstitutus, aderat quidem omnis cætus fidelium, & simùl etiam aderat vniuersus chorus Pontificum. Cùm ad aram verò sacram accessissent,& ipse quidem Chrysostomus, vt fas exigit, caput Pontifici submisisset, ipsi autem eius manus fuissent impositæ, miraculum quoddam hic quoque fecit Deus, & ostendit eum, qui initiabatur esse dignum, & ex sua sententia illum dignatum fuisse sacerdotio. Columba enim, & colore alba, & specie valdè pulchra, templum superiùs conuolans, illicò descendit, & insidet capiti eius, qui ordinabatur.

3. *Greg. Turon. lib. 10. Hist. Francorum cap. 29. de Aredio*. Tonsurato iam capite Aredii, quadam die psallentibus clericis in Ecclesia, descendit columba è camera, quæ leuiter volitans circa eum, resedit super caput eius, illud indicans, vt opinor, eum Spiritus Sancti gratia iam repletum. Quam cùm ille non sine pudore conaretur abigere, hæc paululùm circumuolans, iterùm super caput eius, aut super scapulam residebat: quæ non modo ibi, sed etiam cùm in cellulam Episcopi ingrederetur iugiter comitabatur cùm eo. Quod per dies plurimos factum, non sine admiratione Episcopus intendebat.

4. *S. Anton. 2. par. Chro. cap. 13. §. 1. tit. 10. de S. Maurilio*. Ecclesia Andegauensi suo viduata pastore, congregati ad prouidendum sibi de futuro Antistite, non conuenere in vnum, quærentibus eis, quæ sua erant, non quæ Iesu Christi. His igitur sic dissidentibus, nũciatur superuenisse Martinus Turonensis Archiepiscopus, qui omnes eius prastolabantur sententiam. Ingressus igitur ad eos ait: Viri fratres audite, & attendite consilium meum. Qui à Domino est electus, erit Pontifex vester, Maurilius Ecclesiæ Calomnensis presbyter. Qui pari voto in Sancti sententiam conuenientes (iam enim nouerant viri virtutes, & merita) accepto Archiepiscopi præcepto, celerrimè de propria raptum Ecclesia, Martini præsentiæ nolentem

tem sistunt. Qui dùm cùm B. Martino Ecclesiam ingrederetur, ad declarandum tanti merita sacerdotis, columba niueo candore cælitùs lapsa, super caput eius descendit, ac sedit, & tunc eum Martinus consecrauit, ac etiam exercitus Angelorum.

5. *Idem 2. par. Chr. cap. 8. tit. 12. §. 6. de S. Samsone Episcopo.* Cùm ordinaretur à Domino Dubrutio Papa, id est Episcopo, in Diaconum præfatus Samson, visa est columba super illum descendere, & immobilis permanere. Idemque contigit cùm in Presbyterum tempore suo fuit promotus.

6. *In actis S. Hilarij Episcopi Arelatensis.* Beatus Hilarius cogentibus se ad Pontificatus officium, tale fertur dedisse responsum: licet (inquit) fortiter charitatis illigatum me vinculo teneatis, & violenta custodum catena cingat astrictum, nisi Dominus voluntatis suæ mihi dederit signum, nequaquam sacerdotis sum suscepturus officium; itaque cùm tali affectu cunctorum vota, atque animos vulnerasset, ac mæsto ducentium agmine vallaretur, Allamannicum descendens Castellum, niueæ columbæ desuper aduenientis, & residentis in capite, diuino confirmatus attactu, omne amputauit ambiguũ, quæ nec ab illis ciuium, multùmq. frequentibus turbis atq. custodiis, vel abigi potuit, vel territa fugari, quin Beati vertici superposita, Domini voluntatem, dùm secura residet, apertissimè demonstraret.

7. *Petrus de Natalibus in Cat. S.S. lib. 8. cap. 48. de S. Euurcio Episcopo.* Euurcius Aurelianensis Episcopus floruit tempore Constantini. Hic Ecclesiæ Romanæ subdiaconus fuit. Cùm autem apud Aurelianum post obitum sancti Deuisiani Episcopi de successore ageretur, & secundùm carnalem dilectionem duo sub contentione electi fuissent, seditioque vsque ad sanguinis effusionem orta esset; missus est Porphyrius præfectus ad seditionem sedandam. Ipse autem Episcopos Galliæ conuocauit ad diuinum auxilium implorandum: quibus cùm clero, & populo triduò ieiunantibus, & orantibus, Euurcius ad duos fratres suos captiuos requirendos veniens ad Galliam, Aurelianum ingressus, & apud quemdã ciuẽ est hospitatus: à quo cùm de dissensione didicisset, manè ad Ecclesiam ex charitate cùm cæteris oraturus venit, & iuxta ianuam incognitus stetit. Cunctis autem prostratis, columba niuea de cælo volitans, per fenestram ingressa, singulos circumiens, & quasi dignum explorans, super caput Euurcij resedit: sed ab eo quasi eiecta, ad Cælos euolauit. Quod miraculum cuncti stupentes, sed adhùc de persona dubitantes (eo quòd aliqui, super quem insederat dubitabant) Euurcium inter Episcopos ducunt, & iterùm orauerunt, secundo miraculo plenius edoceri. Rursùs igitur columba descendit; ianuamque petens, Euurcium non inuenit; cunctosque per circuitum Ecclesiæ lustrans, super caput eius tandem secundò resedit; tùmque ipsum omnes in Episcopum elegerunt.

8. *Manrique in ann. Cisterciensibus an. 1131. cap. 8. de S.S. Froilano, & Atilano.* Sede vacante in duplici Ecclesia, Legionensi nimirùm, & Zamorensi, eadem die, atque eadem etiam hora, vtrumque virum in Episcopatum electum, traditio est, electiones adprobante signo cælesti, nempè columba volante inter vtrumque, dùm in vtraque Ecclesia celebrarent. Eodem signo referunt auspicatas consecrationes, nam vterque renitens, nihilominùs consentire compulsus est.

9. *Rubeus in Hist. Rauennæ lib. 7.* Cùm circa an. Christi 303. è vita migrasset S. Marcellinus Episcopus Rauennæ, sacerdotes, populusque Rauennæ in D. Theodori (nunc Spiritus Sancti) templum conueniunt, vt de more suppliciter Deum precati, sibi per columbam significaretur (sicuti antea successiuè eodem in loco, & modo, 10. alii Episcopi electi fuerant) quis esset Archiepiscopus futurus. Inter alios conuenit & Seuerus, vir ex infima quidem plebe, sed innocentia, & simplicitate nobilissimus. Hic ibi vix constiterat, cùm in fenestram inuolans columba, parùmque in lapide subiecto commorata, (quem nunc lapidem ob rei memoriam, atque reuerentiam à Conrado Crasso Bononiensi, eius templi Abbate, honesto loco positum videmus, ibiq; modò commorantes Clerici Regulares adhùc cùm magna veneratione conseruant) ad aures Seueri cõuolauit. Qui quòd se tanto ministerio minimè dignum iudicabat, eiicere studuit columbam, quæ circumuolans, ad illum denuò rediit. Quare protinus populus vniuersus clamauit, ne illam eijceret; sineret quid vellet efficere. Quod cùm permisisset, columba immisso in aurem illius rostro, indè sublimis abiit. Stupentes omnes ob rei nouitatem, accurrunt; Seuerum propriis vestibus, & sordidis expoliatum, vestiunt sacro pallio, quo antistites vti consueuerant; ille confestim in alium mutatus, ac diuino miraculo summa preditus sapientia, continuò suggesto conscenso, concionem habuit, pietatis, doctrinæque plenissimam, in qua prædixit, ne ampliùs diuinitùs columbæ ministerium expectarent in creandis Rauennatibus Episcopis.

10. *Surius in Nouembri, de S. Gregorio Episcopo Agrigen.* Postea verò quàm rem diuinam facere ceperunt, Euangeliumque à Gregorio lectum fuit; columba ab altari aduolans, capiti illius insedit. Quamobrem vniuersus populus stupore affectus, non ampliùs orabat exploratum sibi fieri vtrùm qui designatus Pontifex fuerat, nunc Deo creandus videretur. Itaque crastino die Pontifex creatur, traditurque Agrigentinis.

11. *In actis S.S. Aprilis tom. 1. in Contin. Bollandi.* Cùm Sanctus Marcellus Episcopus Diensis in Gallia creatus esset; columba in eius capite volare visa est: & gratia Domini Saluatoris cuncti ostendit, talem virum sibi esse probatissimum.

12. *Eusebius lib. 6. Eccle. Hist. cap. 22.* Ann. Domini 238. cùm post mortem Anteri Summi Pontificis, Episcopi, & Clerus de successore eligendo cogitarent; de repentè columba è sublimi deuolans, capiti Fabiani insedit; quod videns populus vniuersus, & Clerus, magna cùm alacritate, & vno omnium consensu, eum in summum Pontificem elegerunt.

13. *Bzouius tom. 13. an. 1198. de elect. Innoc. III.* Eo momento, quo in ſacra Aula Patres de illo euehendo deliberarunt, vna ex tribus candidior columba in conclaue illapſa, iuxta Lotharii (poſtea Innocentii) dexteram aduolauit, aſſeditque in humero. Non obſcurè indicauit, illum ſpiritu diuiniore afflatum, ſummo ſacerdotio dignum fuiſſe.

14. *Idem an. 1227. num. 26.* Eo tempore, quo Gregorius IX. cardinalis adhùc, vnà cùm D. Franciſco in eremum Camaldulenſium ſeceſſerat, Leonardus eremita ſuper eius caput in conſecratione corporis, & ſanguinis Chriſti, columbam de cælo deſcendere, ac requieſcere vidit; & expleto miſſæ ſacrificio, ad eius pedes prouolutus, ipſum breui ad Pontificatum vniuerſalis Eccleſiæ aſcenſurum pronunciauit.

15. *Marchantius.* Illud inter Cardinales noſtro fuit ſeculo celebre, quòd cùm in conclaui deliberarent de ſucceſſore in loco Pauli IV. Pontificis ex Caraffarum prænobili familia defuncti, ecce ſuper ſedem Ioannis Angeli Cardinalis Medicei; qui poſtea Pius IV. dictus eſt, columba circùm liberè volitans, tandem conſedit. Quam rem haùd aliter prudentes interpretati ſunt, quàm Eccleſiæ primatum illi portendi.

16. *Horatius Turſel. in Hiſt. Lauret. Domus l. 3. cap. 20.* Sub Iulii III. Pontificis deceſſum, Marcello Ceruino rem diuinam in ſacra Lauretana æde facienti, res euenit viſu, euentuque mirabilis. Eximio candore, ac ſpecie columba multis inſpectantibus, ſupra eius caput placidè cùm volitaſſet, nunc in ſacrificantis manibus, nunc in ipſo miſſali libro requieſcebat. Ea res obiecta oculis adſtantium, pleroſque animos immobiles ſtupore defixit. Sacerdos qui de more Card. ſacrificanti præſto erat, vulgarem aliquam columbam eò fortè delapſam ratus, abigere eam conabatur. At Cardinalis haùd parùm memor candidæ columbæ inditio diuinitùs olim deſignatos nonnunquam eſſe Pontifices, inhibet abigentem; ipſe cæleſtem columbam quieſcere ſinit, quoad ſacrificio peracto, ſua ſponte euolaret. Paulò poſt, nuncio de morte Pontificis, Marcellus Romam reuocatus, Pontifex creatur, vocatuſque eſt Marcellus II.

17. *Bzouius de Pontif. Romano cap. 2.* Leone XI. præmatura morte erepto, Aquila ex Palatio Altenſiorum in ſublime elata, poſtquam diutino volatu per aerem volitaſſet, tandem ad Fortalitium Hadriani deuenit, vbi gentilitiis inſignibus Gregorii XIII. videlicet Draconi, inſedit, & ita inſigne Camilli Burgheſii, qui tùm Cardinalis, poſtea Pontifex Paulus V. an caſu, an inſtinctu aliquo quis coniiciat, effecit, demonſtrauitque.

18. *In Eccleſ. Hiſtoria.* Dùm Vrbanus VIII. adhùc Cardinalis, in ſacro conclaui degeret, aduolauit ad feneſtram Muſæi ipſius examen apum, quaſi deſignando mox Pontifici, gratulaturum.

Ab Animalibus varia diuinitùs Præſagia. §. 3.

Hic adnectam varia, quæ quandòque mirabiliter, & admirandis modis Bruta irrationabilia vaticinata fuere. Sunt autem.

1. *In actis S. Columbæ Scoti.* Cùm quodam die S. Confeſſor iam ſenio, & itinere feſſus, propè monaſterium media reſideret via, acceſſit ad eum equus, qui monaſterio inſeruiebat, caput in eius ſinu poſuit, & inſpirante Deo, cui omne animal Brutum obedit, quaſi ſuum Dominum iam emigraturum ſciret, cæpit plangere, vbertimque quaſi homo lachrymas in gremium Sancti fundere, & valdè ſpumans flere; quod videns miniſter cæpit flebilem illum repellere lamentatorem, ſed prohibuit Sanctus, dicens, hoc eſſe ſui futuri interitus prænuncium, quod & euentus probauit.

2. *Surius in vita S. Epiphanij Epiſcopi.* Cùm aliquandò ſanctus, Epiſcopus menſæ clericis accumbentibus, ſanctum euangelium explicaret, quidam coruus prodigioſam emiſit vocem; vnus autem ex illis, Charinus nomine, quid coruus locutus eſſet, quæſiuit, & iterùm aliam vocem emiſit coruus, quod & tertiò effecit. Tunc ſanctus Epiſcopus ad Charinum conuerſus, reſpondit illi. Dixit coruus, te non ampliùs futurum Diaconum. Poſt orationem autem tremor inuaſit Charinum, nec locutus eſt ampliùs, aut comedit, aut bibit, ſed eum portantes eius pueri, tulerunt in domum ſuam, & poſuerunt in lecto, manè verò mortuus eſt.

3. *Bernardus Scardaon. de B. Beatrice Athestina.* Paulò ante eius mortem, dùm inter reliquas Virgines menſæ accumberet, vt cibum caperet, columba candidiſſima, nunquam illìc ampliùs viſa, iuxta eam manſit; vbi quaſi admirans, cùm eam aliquandiù fixo oculo fuiſſet intuita, vltrò euolauit, nec vmquam ampliùs viſa eſt.

4. *Chryſ. Henriq. de B. Benedicto monacho.* Antequam pius puer corpus exueret, auditus eſt ſuauiſſimus, & dulciſſimus auium concentus inter lectum ipſius, & parietem.

5. *B. Iordanus libr. 2. de communione ſpirituali cap. 13.* Beatus Ioannes de Rheate ante mortem ſuam aliquibus diebus audiuit philomelam ad feneſtram cellæ ſuæ quotidie cantantem, & per hoc ſe ad paradiſum inuitari cognouit.

6. *Seraphinus Bertolinus in vita S. Roſæ Peruanæ cap. 12.* Paucis menſibus antequam è viuis diſcederet S. Roſa, propè cellam eiuſdem quotidiè dùm decumberet ſol, canora euolabat luſcinia, ſuauiſſimoque cantu Virginem recreabat, adque cæleſtes concentus inuitabat; ipſam virgo modulatis vocibus imitabatur; ſicque viciſſim mutuis cantilenis Deum collaudabant.

7. *Idem ibidem cap. 4.* Magno flagrans deſiderio habitum tertii ordinis S. Dominici induendi S. Roſa, ſemel intuebatur imaginem S. Catharinæ Senenſis, eiuſque candidum, nigrumque amictum, quo

quo decorari summoperè optabat, diligentissimè considerabat; cùm ecce candidus, nigerque papilio ad eam volitans, non bis, aut semel, vultum eius mirabiliter circumdedit; quo prodigio diuinitùs intellexit Virgo, sibi à cęlo destinatum nigrum, albumque Dominicanæ Religionis habitum, quem papilio in mysticis præfigurabat coloribus: quod & euentus probauit.

8. *Stephanus Pepe in vita S.P.N. Caietani cap.* 2. Dùm adhùc puer in amænissimo spatiaretur viridario Caietanus, candida auis ad eum volauit, terque caput eius circundans, ceù admiranda futura eius facinora diademate sanctitatis coronanda, pręsagiens, statim euolauit.

9. *Bzouius in ann. Eccl. an. 1282. num. 15. de B. Torello Eremita.* Is Pupii Castro Hetruriæ natus, adolescens patre orbatus, lasciuam vitam duxit. Aliqua verò dierum, cùm gallus ex fenestra in eius humeros deuolasset, terque decantasset, ea re commotus, ab bonam frugem conuersus est.

10. *Gregor. lib. 8.* Porcus multo cœno inquinatus Bysanzij antequam caperetur (Adronico seniore, & iuniore Imperantibus) cùm sacri hymni canerentur, in ecclesiam irrumpens, portendit mutationem Religionis.

11. *Cornelius à Lapide in cap. 6. Apocalyp. vers.* 15. Ante oppressionem Piuris oppidi in Valle Telina factam anno 1618. die 4. Septembris, duo examina apum ita furiosè inter se pugnarunt, vt omnes vtrinque mortuæ conciderint, quasi prosensissent, se non habituros deinceps possessores.

12. *Baronius an. 888. nu. 12.* Circa annum 888. Aurelianis in Gallia cùm vna noctium custodes maioris Ecclesiæ ex more exsurrexissent, atque ipsius Ecclesiæ portas quibuslibet ad matutinales laudes properantibus aperuissent; subitò lupus affuit, Ecclesiamque ingressus, & funem signi ore arripiens, agitansque, illud insonuit. Cernentes nimirùm qui aderant, mentis stupore concussi, tandem clamore emisso, etsi inermes, nisu, quo valuere, illum exturbantes ab Ecclesia expulerunt. Sequenti verò anno, tota illius ciuitatis humana habitatio cùm domibus Ecclesiarum terribiliter igne cremata est.

13. *Vghellus in Ital. Sac. tom. 4. Nouarienses Episcopi.* Cùm aliquandò S. Ambrosius equo vectus propè Nouariam insalutato amico suo Sancto Gaudentio Episcopo Nouariensi pertransiret, repentè substitit equus ita contumax ad calcaria, vt ne latum quidem pedem vlteriùs potuerit impelli; indè admonitus Sanctus, numini cordi esse intellexit, vt complecteretur salutaretque Gaudentium, quod & fecit.

Loca sacra à Brutis mirabiliter præsignata, & delineata. §. 4.

TAndem pro coronide huius capitis, admirandas referam Ecclesiarum, sacrorumq; locorum præsignationes, ab animalibus, Deo desuper monente, mirabiliter demonstratas. Sunt autem.

1. *In m. s. s.* Ecclesia Sanctæ Mariæ, vulgò *dell' Alto* (quia reperitur in eminentiori loco) in ciuitate Messanæ, ædificata fuit ann. 1294. reuelante & præcipiente Beata Virgine, & in eo loco apparente candida, & splendidissima columba, quæ circumuolans, splendoribus delineauit, signauitque vniuerso circumspiciente populo eamdem Ecclesiam.

2. *Bonfin. lib. 3. & 4. Dec. 2.* Vladislao, & Geysa fratribus, victoriam contra Salomonem Vngarorum Regem obtinentibus, cùm Basilicam D. Virgini ædificare deliberarent in loco Victoriæ, vbi D. Petri sacellum est: Ecce Ceruus expãsis cornibus insignis, quem ardentissimę faces circùmsederant, apparuit, syluam petiit, ibique tantùm vestigia fixit, vbi ædes ædificata est. Quem cùm milites sagittis peterent, in Danubium se proiecit, nec vsquam postea visus est.

3. *Sigonius lib. 2. de Episcopis Bononiensibus, in Victore.* Vicinis adhibitis Episcopis, oratorium in monte vrbi imminente paulò ante conditum consecrauit Victor, idq; Assumptioni B. Mariæ Virginis dedicauit. Id autem hac occasione fuerat factum. Cùm Picciola Alberti Gallucii filia, Octauiani Platesij vxor, Sacellum in hoc colle Virgini Dei matri vouisset, ac fabri iussu eius terram ad fundamenta iacienda egerere instituissent, columbam de industria locum quemdam circumuolantem, ac ligneis frustulis collectis orbem satis amplum conficientem, vno, atque altero die notarunt: ac mirati rem, religionis pleni, ad Victorem Episcopum retulerunt. Ille multis comitantibus Clericis in collem prouectus, cùm columbam, perindè vt acceperat, nouo adhùc intentam operi reperisset, cælestem eo signo sine dubio portendi voluntatem asseruit, atque vt ædem in eo loco, & quidem rotundam faceret, matronam admonuit. Ita ex pia optimi Præsulis interpretatione constructa ædicula, post paucos menses, ab eodem ante diem nonum decimum Kal. Septembris est dedicata. Miraculis indè plurimis ibi editis clarus locus, ac magna conuenarum dona piè deferentium celeber, satis docuit, verè sedem illam à B. ipsa Virgine sibi delectam, ac tacito columbæ officio, atque labore significatam.

4. *Gumpemberg, in Atlanti Mariano, de Imag. B. Virg. ad Tiliam in monte S. Georgij in Germ.* Cùm propè hunc montem ad Vallem Oeni positum Dynasta Aiblinganus Ratholdus sacrã ædem B. Virg. ædificare vellet, in qua ibidem vitã gerens Eremiticam, fundere suas preces deuotè posset; locum ab ipso designatũ, haùd cęlo placere prodigiosus euẽtus probauit. Siquidem ex operariis aliquos, cęterã non imperitos artis, incautè sublata securis, aut ductus culter, non perfunctoriè vulnerauit, pluraq; alia inauspicatò gerebantur; ita vt mussitarent inter se opifices, non videri è Numinis placito hic loci sacram habitationem construi. Cogitationem hanc cęlo operariis illapsam fuisse, per columbas nunciatum est; siquidem cõfestim rari candoris palumbes, nulla reuerentia astantium operariorum, ramenta vulneratorum sanguine imbuta abstulerunt; crebriùsque rediere sacræ aues, sublatisque vt ante ramentis cruore infectis, relegere viam à prima non diuersam. Itum est igitur in siluam, & perarduo

ascensu repertus est cùm columbis rupis percommodæ apex. Visumque est hoc in loco optare Deiparam, sibi, seruoque suo Dynastæ Aiblingano habitationem; etenim & ramenta à columbis hùc comportata, & in tecti formam non inconcinnè composita, satis docuere hoc maximè loco placere Deo fabricam. Domus igitur & sacra ædicula Rhatoldo erigitur, & Sancto Georgio dicatur; in eaque collocata fuit deuota imago Beatæ Virginis, quæ ideò de Tilia nomen habet, quia adsita non longè Tilia, gratiosam peregrinis vmbram præbet.

5. *Idem de Imag. B. Virg. de Valle viridi, in Monte Aetna in Sicilia.* Apparens B. Virgo cuidam in monte Ætna, præcepit ei, vt magistratū Vrbis adiret, praeciperetq; vt eo in loco sibi templum ædificaret, in quo Gruum coronam vidissent. Ad Vallem igitur viridem profecti, Gruesmagno numero simùl congregatas inuenerunt; ibi ergo templum decreuerunt, & designarunt.

6. *Idem de Imag. B. Virg. Buxeriana Nancei in Lotharingia.* Cùm S. Gaucelinus Tullensis Episcopus, Deiparæ sacram ædem condere decreuisset, de loco tamen ambigeret, ab ea monitus in somno est, vt vbi sequenti die ceruam candidam presso videret hærere vestigio, templum, quod mente voluebat, excitaret; die igitur sequenti vidit ille in colle ab vrbe Nanceiana, duobus milliaribus distante Buxieres vocato, ceruam candidam, ibique construxit Ecclesiam.

7. *Idem de imag. B. Virg. Auffkirchensi in Germania Super.* Cùm diruto veteri templo, in quo hæc colebatur sac. Imago, controuersia exorta esset de loco, in quo nouum construendum esset; communi consilio statutum est, vt lapis, qui in fundamentorum angulum præparatus erat, currui imponeretur, bobus nullo ductore trahendus; Factumq; est; cùmque boues per loca sentosa, perque mille vepreta progressi essent, vbi ad templum vetus peruenere, constitere; vndè velut signo de cœlis dato, nemine refragante, templum ibi ædificatum est.

8. *Sigebertus in Chr. an. 709.* Anno Christi Dom. septingentesimo nono, Childeberto monarchiam Regni Francorum tenente, Archangelus Michael apparens Autberto Abricatensi Episcopo, monuit semel, & iterùm, vt in loco maris, qui propter eminentiam sui, Tumba vocatur, fundaret Ecclesiam in memoriam sui, volentis talem venerationem exhiberi sibi in Pelago, qualis exhibetur sibi in monte Gargano. Interim taurus à leone furtim raptus in illo loco religatur. Vndè Episcopus tertiò admonitus, vt in illo loco fundamentum iaceret, vbi taurum religatum inueniret, & sicut eum terram pedibus protriuisse videret, sic Ecclesiæ ambitum duceret, Ecclesiam in honorem sancti Michaelis constituit, & ex illo tempore, sicut in monte Gargano, ita etiam in loco illo, qui modò dicitur in Periculo maris, veneratio Archangeli frequentari cœpit.

9. *Surius in Septembri.* Quo primùm tempore data est Christianis potestas, Templa, & Basilicas extruendi, damnata superstitione Idolorum, imperante Constantino Magno, Seuerianus Alexandriæ Præses, dùm in itinere oram maritimam legeret, vbi ad locum peruenit, in quo vrna erat Corporis Sancti Autonomi martyris, morari coactus est cùm asseclis suis, quasi defixis humi equis, itaut ne durius quidem exstimulati progredi, aut possent, aut vellent. Id verò Vir quidam pius interpretatus est euenisse diuinitùs, & fore dixit, vt Seueriano liceret prouehi: dummodò statueret ibi Sancto martyri Autonomo Basilicam extruere, nec tàm annuit citò Seuerianus, cum omnes momentò equi, velut datis, immò perfractis habenis, ex loco exsilierunt: parique ille alacritate mox Basilicam fundauit.

10. *Surius 16. Octobris in vita S. Berchary Ab.* Altiuillarense cœnobium mirabiliter designatum fuit à candidissima columba, quæ repentè ab arbore prosiliens, & rumpens aera, vacuum futuræ fabricæ spatium circumuolans, locum, quo cœnobium construi debebat, gyro designauit. Cùmque eosdem sui ambitus circulos tertiò repetijsset, aperto cœlo recondita est.

11. *Philip. Ferrar. mense Iun. die 6. de S. Lucio, & Amantio mart. ex sanctuario Eccles. Parmensis.* Lucius, & Amantius martyres, quo tempore passi sint, incompertum est. Corpora tamen ipsorum Cornelii oppido agri Parmensis (quod intra montis Apennini radices ad 25. M. P. abest à Parma) apud Parmam flumen reperta sunt. Cùm enim Corneliẽses de loco ędificãdæ Ecclesiæ dissiderent, tandem iis visum est, vt ibi ædificaretur, vbi duo iuuenci indomiti simul iuncti substitissent. Substitere autem in proximo monte, vbi corpora S.S. latebant, sed & volucres certatim eò aduolantes, quasi ibi effodiendum indicabant. Vbi itaque effodi cæptum est, loculus cùm inscriptione latentium corporum reperitur.

12. *In Bibliotheca Præmostrat. lib. 2. in vita S. Gilberti Abb.* Quoniam insalubris erat locus Nouem Fontium, quamquam eius loci solitudine sentiret se oblectari Sanctus Abbas, amicorum tamen consilio, præsertimque Claromontensis Episcopi adductus est, vt de monasterii sede opportuniori cogitaret; elegit ergo locum à Nouem-fontibus dimidiato ferè milliario distantem: cùm autem cæmentarij, & lignarij fabri ædificiũ illud extruerent, immensæ diuinitùs aues conuolare cæperunt, ita vt non modò artifices impedirent, sed rostris, & vnguibus exiguas assulas colligerent, & in locum illum Nouem-fontium exportarent; vbi suaui cantu nescio quid canebant, maxime his horis, quibus solent preces canonicæ in Ecclesia celebrari; quo auspicio sensit B. Gilbertus diuinæ maiestati gratum esse locum illum, eòq; diuino nutu esse redeundum, vnde humano discesserant.

13. *In vita S. Balderici.* Sanctus Baldericus post monasterii constructionem, locum quærens ad suam habitationem, in qua cùm religiosis conuersari, & Deo seruire valeret, reperit ibi placitum locum, montis Falconum, qui tunc inhabitabilis operiebatur syluis, quas ipse succidens, fecit propria manu habitaculum; fertur autem Falconem præducem itineris, dùm locum peteret, habuisse, quæ loco insederit, ac per triduum illo rediens in loco, vbi

vbi nunc habetur altare in honore S. Petri, sine permutatione resederit.

14. *Gonzaga in Prouincia Siciliæ, de conuentu S. Mariæ de Iesu, Panormi.* Cùm Vener. Pr. Matthæus ab Agrigento, conuentum sui ordinis Panormi ædificare vellet, orta est controuersia de situ, & loco, in quo esset ædificandus, quæ tamen diuino afflante numine euanuit. Instantiùs siquidem P. Matthæum orantem præmonuit Altissimus, vt vbicumque asellus fratrum obsequio mancipatus, sequenti luce, sub onere pedem spontè sisteret, futurum monasterium ædificandum curaret. Cùmque tùm ipse, tùm quoque Panormitanorum plurimi, bestiolam, iuxta diuinum oraculum, tempore statuto sequerentur, illaque ad secundum lapidem à ciuitate, propè quoddam vetustum sacellum, B. Antonio Paduano dicatum, nullo remorante substitisset, omnes simùl huic sacræ ædi B. Mariæ initium dedere.

15. *Zachar. Bouer. in Annal. Capucc.* 1580. Silentio prætereundum non est, quod de Bigorij conuentu hoc anno memoriæ traditum est. Est Bigorium vallis Luganensis oppidum, Heluetiorum Reipub. subiectum; cuius incolæ multa, tùm simplicitate, tùm pietate præstant. Haùd longè ab hoc oppido, Capuccinorum conuentus in monte extructus conspicitur; in cuius ædificatione id mirabile accidit. Cùm enim circumiacentia oppida, quorum quæque sibi propiùs monasterium ædificari optabant, de conuentus situ inter se contenderent; in id tandem vno consensu conspirant: vt ad cuiusdam montis, qui inter ea medius eminebat, radices construeretur. Iam itaque calce in lacu eo consilio rarefacta, vt conuentus fundamenta iacerentur: en magna hirundinum copia lacum circumuolat; quæ rostrum in calcem impingentes, in collis fastigium euolant: calcisque signo circulum in monte formantes, conuentus locum designant: quod cùm semel, atq; iterùm præstitisent, eo tandem signo fratres, & incolæ permoti; cùm illud diuinæ voluntatis consilium esse perciperent, conuentum in monte, eo loco, qui ab hirundinibus calce præsignatus fuerat, ædificant.

Locus Sepulturæ ab Animalibus mirabiliter designatus. §. 5.

Consulatur titulus Sepulturæ; ibi enim cùm de cæteris Sanctorum sepulchris miraculosè præsignatis, & de his erit sermo.

Animæ Sanctorum, Auium formam præseferendo, ad cælum euolantes. §. 6.

Et de his pariter enarrabuntur Admiranda, cùm de morte Iustorum, eorumque ad cœlum ascensu.




APPENDIX AD CAPVT. IV.

Perennia ex animalibus diuinitùs præsagia.

Etiam perenni prodigio adhùc muta animalia aliquid augurantur, Deoque operante, mirabiliter auspicantur. De his tamen in 2. tom. lib. 6. in append. ad cap. 1. cùm de Præsagiis perennibus de futura morte.

CAPVT V.

De Animalibus diuinitùs delictorum vltricibus. §. 1.

Aquilam continuò exedere in pœnam delicti Promethei cor, in Caucaso per Mercurium ad saxum religati, falsò fabulantur Poetæ; At brutorum ministerio, ceù diuinæ iustitiæ lictorum, Deum persæpè impiorum vlcisci scelera, tùm prophanæ, tùm sacræ enarrant Historiæ. De his.

1. *S. Antoninus 1. par. Chron. tit. 6. cap. 1. §. 16.* Cùm Sancta Euphemia iussu tyranni post multa supplicia gladio transfixa, euolasset ad palmam; minister, à leone, qui sanctæ virgini minimè læserat, statim arripitur, & penitùs deuoratur, vt parua ossa eius cùm veste scissa vix reperirentur. Huiusmodi autem ferarum vindictę in sæuientes in sanctos martyres, eosque martyrio afficientes, innumerabiles, quasque solus Deus nouit, cunctæ denarrant Historiæ ecclesiasticæ, neque eas hic censeo recolendas.

2. *In vita Meginradi Eremitæ.* Circa Caroli magni tempora duo latrones occiderunt sanctum Eremitam, quos cùm Tigurum vsque corui insequerentur, infestarentque, argumento fuere populo, vt deprehensi, pœnam tanti sceleris luerent.

3. *Fridericus Fornerus in Palma Triumph. lib. 7. de Luthero.* Post illius mortem, cùm eius cadauer Islebio Vuittembergam conueheretur, innumerabiles coruorum horrendè crocitantium cuneos, feretro Vuittembergam vsque superuolitasse, & comitatu suo funeri obsequia persoluisse funesta, fertur.

4. *Franciscus Pona in Symbolis.* Accidit nuper in vico montis Ferrati, vt dùm ad Ecclesiam innumero refertam populo, corpus cuiusdam filii in parentes dùm viueret contumacis, deferretur, aduolarent corui, & Ecclesiam ingressi, cadaueri indignos oculos effoderent.

5. *Io: Colganus in vita S. Fridiani 18. Martij.* Cùm Sanctus Columba noctu in Ecclesia transcriberet librum, quem sibi concesserat S. Fridianus, lumen illi prodigiosè ministrantibus quinque eius digitis, ad instar lampadarum lucentibus, missus est à Sancto Fridiano discipulus ad S. Columbam, qui librum repeteret; Hic per quoddam exiguum foramen introspiciens, viso miraculoso lumine

contremuit, & non audens virum sanctum interpellare, ausus est curiosior, quàm par erat, talis prodigij spectator, & contemplator existere, donec tandem, Deo ita disponente, grus quædam, quæ cicurata in monasterio alebatur, tunc in Ecclesia cùm viro Dei existens, accurrens ad ostium, & per iam dictum foramen rostrum ipsi infigens, oculum curioso spectatori erutum, palpebris pendentem reliquit.

6. *Marineus lib.* 11. *Rerum Hispanicarum.* Cùm an. 1286. sub Petro Rege Aragonorum, capta fuisset in Hispania Gerunda per Carolum Siciliæ, & Philippum Francorum Reges, ex sepulchro S. Narcissi, quod violare attentarant milites, muscarum examen egressum, in exercitum infesto agmine irruens, ingentem cladem intulit, & in fugam egit, à cæptisque desistere coegit. Vndè apud eos in prouerbium abierunt muscæ S. Narcissi.

7. *Magalianus.* Blasphemus quidam cùm non dubitasset Deum ad singulare certamen prouocare, à perexigua musca, quæ per cassidis foramen subierat, diù vexatus, tandem cùm musca certare defessus, & humi se deiicere ex equo coactus, non sine adstantium admiratione, suam confessus est insaniam.

8. *Gotscalchus Holem, serm.* 29. *partis Aestiua.* Legitur contigisse in Anglia, quòd blada pulcherrima excreuerant, & appropinquante tempore messium, venit quoddam genus muscarum, in magna multitudine, quod totum illud bladum in tantum consumpserunt, quòd vix infrà quinque milliaria vnum quartale bladi inuenerunt. Homines verò illius prouinciæ quasdam de illis ceperunt, & diligenter inspicientes, inuenerunt eas litteris depictis in alis. In vna ala scribebatur: *Ira*: in alia; *Dei*; vt manifestum esset propter vindictam Dei esse factum.

9. *Surius in vita S. Medardi* 8. *Iunij.* Quodam tempore cùm noctu latro quidam, apes Sancti Medardi subripuisset, apes ipsæ in sancti viri vltionem, relictis vasis suis, in malefactorem illum circùmquaque diffugientem accerrima eatenùs instimulatione prosecutæ sunt, quòusque ad sanctum, vellet, nollet, regrederetur, & eius prouolutus vestigijs, suppliciter pro commisso crimine veniam precaretur. Cui mox vt sanctus manum extendit benedictionis, & apes tamquam obedientes, ab eius insecutione cessauerunt, & antiquo domini sui dominio euidenter se se reddiderunt.

10. *Theodoretus lib.* 1. *cap.* 7. Iacobus Nisibenus Episcopus, sub Constantino præstans miraculis, & mortuos resuscitandi: cùm Sapor Persarum Rex Nisibin obsideret, precibus à Deo impetrauit, vt multitudine crabronum, & culicum, hostium elephanti impetiti, totum exercitum in fugam verterent.

11. *In ann. Ecclesiasticis.* Benno Episcopus Ecclesiæ Osnaburgensis in Germania, anno Domini sexagesimo octauo supra millesimum, certam eleemosynam, & stipem propter Glires, per Episcopatum distribui statuerat. Interea dùm illa erogabatur, nunquam in ea diæcesi Glires conspecti sunt. Cùm autem Gofridus de Arnsburg Episcopus illam eleemosynam dimiserit, Glirium copia anno Domini quadragesimo octauo supra millesimum, & trecentesimum rediit, & Episcopus ille infæliciter vitam finiuit.

12. *Odoricus in Hist. Eccl.* Cùm Tamerlanes, victo Baiazete, alijsque victorijs superbus, ann. 1404. Ierosolymam inuadere, capereque tentaret, misso diuinitùs contra eum decies centenis Tartarorum millibus succinctum, bruchorum exercitu, ita ab illis vexatus fuit cùm toto exercitu, vt versùs sanctam ciuitatem vlterius ire non potuerit.

13. *Surius in Chronicis Anno Domini* 1541. Locustarum lues permagna fuit in Polonia, quæ magnitudine humani digiti grassabantur in fruges, & ea quæ in vsus hominum necessariò gignit humus. Tota æstate nulla neque vi, neque arte earum sæuitia retardari potuit. Fuit ea procùl dubio plaga, & animaduersio Dei in hominum peccata.

14. *Paulus Diaconus lib.* 4. *de gestis Longobardorum cap.* 1. Magnam siccitatem inaudita locustarum multitudo subsecuta est, circa ann. decimum Mauricij Imperatoris: quæ absumptis biennio longè latèque segetibus, grauissimam Italiæ intulerunt famem.

15. *Auentinus Ann. Boior. lib.* 4. Prima æstate An. 852. grandiores solito locustæ, pollicem viri æquantes, ab Oriente externa pabula quæsituræ, occiduum solem versus, tanto stridore pennarum peruolarunt, vt aliæ alites crederentur, solemq; per quinque millia passuum obumbrarent. Dira messes contegebant nube, multa contactu adurentes, omniaque morsu eradentes; cortices quoque arborum, atque fores tectorum. Centum quinquaginta iugera vno die depastas fuisse, memoriæ proditur.

16. *Paulus Diaconus libr.* 19. *Rerum Romanarum.* Anno Constantini Pogonati octauo, locustæ per Syriam & Mesopotamiā agminatim volitarunt.

17. *Cedrenus.* Anno sexto Romani Argyropoli Imperatoris, cùm locustę aliquandiù Orientales essent depastæ prouincias, coacti sunt incolæ liberos suos diuendere, & in Traciam migrare.

18. *Sigebertus lib.* 2. Anno Christi 874. immensa locustarum multitudo, quę aliis maior, senis alarum remigijs, volitauit ab Oriente cùm senis pedibus, ac duobus dentibus durissimis, totam penè deuastauit Galliam mense Augusto.

19. *Cromerus lib.* 12. Anno 1535. Tanta vis locustarum peruagata est Poloniam, vt volantes, Solis aspectum hominibus adimerent; humi verò stratæ, equorum vngulas crassitudine superarent; quæ depastæ maturescentes segetes, angustiorem annonam fecere.

20. *Idem libr.* 28. An. 1475. Siradiensem, & Lenciensem oram, atq; Masouiam locustarum vis ingens ex Vngaria, Morauia, & Silesia aduenientes, peruagata, non modò segetes, atq; prata, verùm etiam arborum frondes depasta est, continuatis ad sesquimilliarium in latitudinem, & alterum tantum in longitudinem examinibus, concurrentibus inter se non nunquam, & Solis aspectum densitare sua terræ adimentibus.

In

Innumera alia de Locustis vindicibus adduci possent, sed sufficiant notata.

21. *Mendoza tom.2.in lib.Reg.cap.5.nu.6.* Cùm aliquandò in Mogontina Diœcesi magna annonæ caritas reperiretur. Hanc vt releuaret illius vrbis Archiepiscopus, Hatto nomine, crudele quoddam remedium excogitauit; congregatos enim pauperes omnes, quos potuit, & in vnum prædium inclusos in vnam foueam, admotisq; facibus combussit; sed subitò erupit de terra ingens murium agmen, & in falsum illum pastorem, verumque lupum valida impressione insiliit: cùmque ille ab eorum manibus euasurus, se recepisset in quamdam Arcem circumfuso lacu inaccessam, omnes illi mures quodam veluti æstro concitati, transeuntes flumen penetrarunt in arcem, & miserum illum præsulem vsque ad ossa corroserunt: hodièque turris illa à muribus nuncupata, in flagitii, & supplicii monumentum superest.

22. *Cromerus lib.2.de Reb.Polonorum.* Pompilius iunior, vxoris consilio ac suasu, veneno patruos, & proceres extinxit, cadauera verò iussu Reginæ in lacum Gapolo proiecta fuerunt. At Deus iustus vindex, numerosam murium quantitatem, ex illis cadaueribus, mira & horrenda metamorphosi excitauit. Qui Regem in arce lautè conuiuantem, vxorem, & filios, ingenti strepitu inuaserunt. Rex metu consternatus, indè in arcem in lacu Gopolo munitam, & aquis circumdatam se recepit, vbi tandem vnà cùm vxore, & liberis, adeò à muribus consumptus fuit, vt reliquiæ non remanserint. Nautæ verò imminens periculum obseruantes, ne à muribus naues corrosæ submergerentur, ad ripam celeri cursu accedentes, aufugerunt.

23. *Herb. in Chronicis Poloniæ.* Miscislaus Contradi Ducis filius, cùm viduarum, pupillorum, & aliorum inopum bona iniustè occuparet, tandem in conuiuio à multitudine murium dissipatus fuit.

24. *S.Anton.2.p.Chr.c.7.tit.10.§.2. de S. Ambrosio.* Cùm quadam die quidam nomine Cresconius, propter scelera sua capi iussus, ad Ecclesiam confugisset, à militibus Stilliconis Comitis Orientis de Ecclesia raptus est, & eductus, non obstante prohibitione, & defensione Ambrosii cùm clericis suis. Perseuerante autem Ambrosio in oratione cùm clero, en subitò virtute diuina dimissi leopardi, saltu celeri ad locum, in quo sedebant, qui de Ecclesia triumphauerant, venerunt, ascendentesq; grauiter laniatos dimiserunt: Quo viso Stillico pænitentia ductus est ita, vt per multos dies satisfaceret Ambrosio, & illæsum reum, qui ablatus de Ecclesia fuerat, dimisit.

25. *Ioannes Bonifacius l.3.c.8.* In maxima annonæ caritate Normannus quidam homo copiosus, & diues, magnam vim frumenti condiderat, vociferante nequicquam populo, vt constituto pretio diuenderet. Qui comprimere perseuerabat, quòd speraret, quantò tardiùs, tantò se chariùs venditurum; cùm autem quodam dominico die horreum voluptatis causa resignasset, atque aperuisset, vt ille qui sibi apud Lucam applaudebat, quòd ingentem numerum tritici collegisset, conclusissetque collectum, muribus, contra quod opinabatur, granarium offendit impletum. Qui triticum haùd contenti consumere, facto agmine, auarum possessorem, atque otiosum spectatorem inuaserunt, & vndique momorderunt. Ille bestiolas tùm innumeras, tùm grandiores, quàm loci consuetudo ferret, vehementer extimuit, omnique humana destitutus ope, diuinam implorauit. Ac Deiparæ in malis adiutrici his se verbis commendauit: pænitet, heù pænitet, virgo mitissima, pænitet me sordium, & auaræ mentis, peccatum, & scelus agnosco, sancta Dei genitrix Maria opitulare mihi, quem mures fœdè, & sæuè discruciant, morsibusque conficiunt, tuum tale templum (locum nominauit) singulis dominicis inuisurum me esse polliceor, atque inibi sacrificium in Dei laudem, atque tuam, idque canorum solemne promitto. His ita & conceptis, & effatis, mures insolito numero, & inusitata magnitudine diffugerunt, atque hominem missum fecerunt. Ipse voti, ac periculi memor, quoad vixit promissa compleuit, quin & moriens testamenti lege cauit, vt votiuum illud sacrum, quod quaque die dominica cantabatur, perenne fieret, & legati perpetuitatem annua pensione fundauit.

26. *Baronius in annal. Eccl. an.* 1011. Quemdam militem sacrilegum, cùm is bona sancti Clementis furatus esset, innumeri mures, morantem in cubiculo sunt aggressi, qui neque fuste, neque ense abigi, neque interimi potuerunt: tandem miles sociorum ope in area suspenditur, vbi Dei miraculo à muribus corrosus fuit.

27. *Vinc.libr.25. capit.*117. *An.*1056. Quidam nobilis in conuiuio genio indulgens, murium, gliriumque multitudine circumuentus, per mare nauigio effugere tentans, ab iisdem muribus insectantibus magno cùm nautarum periculo, deuoratus est.

28. *Baronius ann.* 362. Donatistæ aliquandò execrandum scelus ausi sunt perpetrare. Eucharistiam iusserunt canibus fundi, non sine signo diuini iudicii. Nam iidem canes accensi rabie, ipsos homines suos, quasi latrones sancti corporis reos, dente vindice, tanquam ignotos, & inimicos laniarunt.

29. *Suidas.* Lucianus Samosatensis interiisse fertur à canibus, cùm rabiem suam contra veritatem exercuisset. Nam in Peregrini vita perstrinxit Christianismum, & ipsi Christo maledixit, homo consceleratus.

30. *Dubrauius lib.* 8. Boleslaus II. Poloniæ Rex ob necem S. Stanislai Cracouiensis Episcopi, regno à Romano Pontifice exutus, actusque in exilium, in tantam amentiam incidit, vt vagus per syluas errans, à suis tandem canibus deuoratus esse tradatur.

31. *Odoricus ann.*1234. Vualteri Episcopi auari hominis exemplum insigne fuit, qui cùm frumenti copiam ingentem, pauperibus fame pereuntibus, condidisset, tanta bufonum, ac serpentum vis ex segetibus malè seruatis emersit, vt faces, & flammæ iniiciendæ fuerint.

32. *Mannus in Hist. Selectis*. Quidam iuuenis libidinis flamma accensus formosam adamauit fœminam, eamque, dùm ab auditione sacri domum reuerteretur, est aggressus, varijsque blanditiis animum illius solicitare cœpit. At fœmina turbata, cœlum suspiciens, qua potuit vi iuuenis petulantiam reiecit. Deindè cùm violentas ei inferre manus vellet, astitit illicò canis ferocissimus, qui fœminæ patrocinium suscipiens, in iuuenem dente iracundo prosiliit, caputque è collo auferens euanuit.

33. *Cæsarius lib. 11. cap. 53.* Quidam seruus, olim curior Othonis Archidiaconi Leodiensis, proprium munus deserens, se multitudini prædonum, quæ vulgò Rutta dicitur, associauit, quibus se Episcopum per infulam simulans, & repræsentans, peccatorum absolutionem tribuere solebat; sed Dominus, duos canes, tanquam iræ diuinæ vindices ei immisit, à quibus nonnullis sociis spectantibus, necatus est.

34. *Idem eodem lib. cap. 59.* Quædam ancilla in Diœcesi Coloniensi perterrita ab horribili visione, vitam sceleribus inquinatam emendauit; sed paulò post ad vitam dissolutam reuersa, indè graui oppressa morbo expirauit. Tunc canum copia illùc confluens, domum defunctæ intrans, cadauer laniare cœpit, ita vt vix fustibus ab incolis villæ abigi possent. Attamen canes fugati ad tumulum sepulti cadaueris reuertentes, inter se acriter præliabantur.

35. *Baronius tom. 11. Ann.* Quidam incestuosus cùm mulierem consanguineam nuptiali fœdere sibi coniunxisset, neque obiurgatus, neque excommunicatus, timuisset. Contigit vt panes nuptialis mensæ, canibus proiecti, ab ipsis minimè tangerentur.

36. *In Prato Spirit. cap. 162.* Anachoreta quidam Galata, cùm olim esset ouium pastor, quemdam peregrinum hospitio recipere recusauit, qui postea sub dio cubans à canibus deuoratus est. Hac de causa pœnitentia ductus, & anachoreta factus post triennium, quod ipse sæpè prædixerat, à canibus discerptus est, cùm tamen quotidiè impunè inter Leones versaretur.

37. *Desiderius Abb. Cassinens. lib. Dialogorum.* Bernardus quidam pessimæ mentis miles extitit, qui Apostolicæ Sedi contrarium se in omnibus, quibus potuit modis, exhibuit. Sed in bello, quod à vicinis circa Vrbem manentibus, coniurantibus cùm Cadulo Parmensi Episcopo, qui tunc Apostolicam Sedem inuadere tentabat, cùm militibus, qui Romanam Ecclesiam defendebant, commissum est, iusto Dei iudicio confossus interiit. Hic igitur audita fama miraculorum, quæ omnipotens Deus, meritis beati Leonis fidelibus populis exhibebat: non solùm non credebat, verùm etiam ore sacrilego deridebat, & blasphemabat. Cùm denique quadam die in conuentu appareret populi, & sermo inter eos de signis, & virtutibus Beati Leonis exortus esset, cœpit irridere dicens: Si Sanctus est (vt dicitis) contrahat mihi digitum meum. Cùmque compesceretur ab ijs, qui astabant, ne sancto viro talia loqueretur, dimisso conuentu discessit. Cùm ecce fortè canis, qui eum sequebatur, suem in platea irruentem inuasit. Ille verò ne porcus discerperetur, festinè cucurrit, ac iniecta manu, canem tenere voluit: sed mox porcus hianti ore digitum eius momordit. Sicque ab illa die, omni tempore quo vixit, digitum contractum habens, nullatenùs eum extendere potuit. Vndè factum est, vt qui Dei famulum irridere præsumpserat, ipse contracto digito, omnibus derisui haberetur.

38. *Vadingus in Annal. Minorum, de B. Ioanne de Capistrano.* Quidam detrahens miraculis, quæ Deus intercessione B. Ioannis operabatur, à cane miserabiliter interfectus est.

39. *Tursellinus in Hist. Lauretana.* Dùm Franciscus Vrbini Dux, vi belli, atque armorum, per agrum Picenum excurrens, depredari vellet opes ædis Lauretanæ, misissetque antecursores, qui viam explorarent; hi repentè obuiam habuerunt gregem immanium luporum ex propinquo nemore, qui cùm aliquos lacerassent, fugæ necessitatem aliis dederunt.

40. *Lucas Tudensis lib. 3. cap. 14.* In ciuitate Lodæ in Lombarbia, quodam in hospitali ignotus hæreticus infirmitate correptus, contra Eucharistiam blasphema verba euomit: & ecce quidam catus mansuetissimus, & domesticus, subitò prosiliit in hæreticum, & guttur, & labia prophani hæretici cœpit dentibus, & vnguibus lacerare, ita quòd hospitalis vix potuit catum ab hæretico demouere. Tunc cuncti qui aderant intelligentes, quòd miraculosè catus propter blasphemias, in hæreticum insurgebat, illi suaserunt, vt impietatis suæ pœniteret, & hæreticus tacuit, & catus, vt consueuerat, fuit quietus. Transactis tandem aliquantis horis affuit presbyter, & hortabatur eum accipere pœnitentiam, & Sacramentum Corporis Christi; Hæreticus autem cœpit blasphemare, & in presbyterum sputare. Tunc catus iterùm in eum prosiliens, hæreticum iterum laniabat, & tantam illi molestiam intulit, vt fere ad vltimum vitæ deuenerit; amottus autem vi fuit catus, & in quadam arca inclusus, ne ipsum penitùs interficeret: Hæreticus autem persistens in blasphemia sua funditùs expirauit, & extra ciuitatem longè à cœmeterio fidelium sepultus est. Posthæc extrahentes catum de arca, cùm ad locum accederet, vbi iacuerat ægrotans hæreticus, & eum non inueniret, cœpit voces emittere, & hùc illùcque diuertere ad quærendum ipsum. Cùmque ad locum veniret, vbi sepultus erat, cœpit suis vnguibus terram fodere, & tamdiù multis videntibus in labore cœpto perstitit, donec mortuus est.

41. *Surius in vita S. Charitonis.* Cùm scelesti quidam, Sanct. Charitonem in vrbe Iconio Lycaoniæ prouintiæ in vincula coniecissent, domum reuersi, & graui siti ob iniquum laborem oppressi, vinum lagenæ, quod à vipera interim venenato humore inquinatum fuerat, biberunt, ac paulò post omnes animam efflarunt.

42. *Abdias lib. 5. Hist. Apostolor.* Quo tempore D. Ioannes in Epheso euangelium prædicabat, iuue-

iuuenis quidam ardenter adamauit puellam, Drusianam nomine: quæ tandem mortua est: post eius mortem, libidinosa furens insania, tumulum defunctæ ingressus, pannis inuolutum cadauer exuere cœpit, & cùm iam sublatis penè omnibus exuuijs, solùm genitalis partis superesset velamen, quod nefariam permixtionem impediebat: illicò immanis serpens apparuit, cuius morsu iuuenis saucius corruit exanimis.

43. *Mannus in Hist. selec. cap.* 40. Vir quidam in regione Poloniæ, vt potè qui aberrauerat à fide, in festo Corporis Christi in contemptum tantę solemnitatis, duxit operarios, vt colerent vineam suam. Vix autem ipsi opus aggressi fuerant, cùm repentè immanis serpens sublato pectore sibilans, vineæ Dominum in gramine sedentem adortus, spirisque collum complexus, operarijs fugentibus, strangulauit.

44. *Gaspar Hemebergius in Chron. Prutenico.* Passenheimii quidam filius, qui verberibus in parentes sæuierat, à serpentibus, & quidem in eo loco, vbi antea nulli conspecti fuerant, corrosus, & occisus est, præsertim autem serpens cæteris grandior, & immanior, ipsius dexteram, qua parentibus plagas inflixerant, planè corrosit.

45. *Bzouius in ann. Eccl. ann.* 1294. *numer.* 3. Cùm iter faceret per Lucensem, & Pistoriensem agrum S. Petrus de Morono, ex quadam vicina sylua tres in eum, & socios latrunculi irruerunt. Mira tamen Dei prouidentia, tres pariter serpentes sanctis viris, quasi opem allaturi eruperunt, & impetum in latrones facientes procùl abegerunt; quod & iterùm accidit, cùm ijdem grassatores itidem in Petrum, & socios exilrent, totidem enim ac priùs serpentes sancti defensores apparuerunt, eosque in fugam coniecerunt.

46. *Anselmus Minorita in descriptione terræ sanctæ, de templo Bethleem.* Quidam Soldanus, videns illius sacrę Ecclesiæ mirificum de tabulis marmoreis quadratum ornatum, sicut & in pauimento, cogitauit de tabulis illis sectis ornare palatium suum in Chairo, & venientibus & artificibus & Soldano ad destruendam Ecclesiam, quam Helena sancta composuerat, volentibusque primum lapidem, seu tabulam deponere, subitò serpens magnus apparuit, reptans super lapides, diuidens eos per medium, & terrens illos artifices, cuius vestigia dicuntur apparere in tabulis; quod cernens Soldanus, territus cùm artificibus abscessit.

47. *In ann. Insularum Philippinarum.* Inductus erat alicubi vius toto anno cantandi in honorem Deiparæ Virginis canticum Salue Regina, & feria sexta Quadragesimæ post lectionem spiritualem, faciendi disciplinam in Ecclesia: Cùm igitur Indi quidam, more in calidis regionibus consueto, in flumine se abluentes exaudirent campana signum dari, ad Salue, & disciplinam, mox se amictu resumpto in viam dederunt. Vnus solus restitit, & irridens socios idiomate suo dixit: *Acoi Ouion*; idest: afferte mihi indè aliquid: quæ formula est apud ipsos irridendi. Digressis alijs, ecce solum crocodilus (quod animal in his regionibus est admodùm ferox, & carnis humanæ percupidum) inuadit, & interimit, antequam illi subsidium corporale, vel spituale suppeditari posset. Id verò admiratione non parua dignum fuit, cùm bellua hæc admodùm vorax sit, hominesque occisos, vel totos deuoret, vel pedem, aut manum saltem auellat, hunc tamen integrum, & illæsum reliquerit, quod Indi attribuere virtuti decantanti Salue, & factæ disciplinæ.

48. *Iosephus li.* 17. *cap.* 8. *Antiq.* Herodes Ascalonita Rex Iudeæ, post interfectos Alexandrum, & Antipatrum filios, trucidatos item innocentes (ad intercipiendum sacrum Virginis partum) vermibus ad extremum toto corpore scatentibus perijt; sicut & perierat Antiochus Epiphanes Hebræorum insecutor.

49. *In actibus Apos. cap.* 5. Herodes Antipas sedens pro tribunali, & vestitus veste regali, concionabatur ad populum: populus acclamabat Dei voces, & non hominis. Confestim autem percussit eum Angelus Domini, eo quòd non dedisset honorem Deo, & consumptus à vermibus expirauit.

50. *Vincentius in Spec. Hist.* Leostanus adolescens famam de crinibus, & vnguibus Edmundi Regis Anglorum sensim crescentibus, in dubium vocans, sibi corpus ostendi minis impetrauit. Eo viso, in amentiam incidit, & pediculari morbo haud multò post perijt.

51. *Idem ibidem lib.* 22. *cap.* 119. In Auernensi Ciuitate, Proiecti Episcopi occisor Radbertus, viuus à vermibus corrosus, & consumptus est.

52. *Iacobus Meyer, in Chron. Flandriæ.* Fulcherius Nouiomagensis Episcopus in Gallia morbo pediculari interiit; magnum punitæ ambitionis, & simoniæ exemplum.

53. *Aeneas Syluius in Commentarijs.* Antoninus Picens Monachus Eremita, hypocrita, pediculari periit morbo, sub Alphonso Aragonum, & Siciliæ Rege.

54. *In Eccl. Hist.* Galerio Maximiano Cæsari in Christi nomen arma mouenti, putrefactis introrsùm vitalibus, ex auribus, ore, naribusque, non aliter quàm ex putredinis cloaca, vermes continuò scaturiebant, intollerabili cùm fœtore quòcùmque deferretur.

55. *Theodoretus lib.* 3. *cap.* 13. Iulianus Iuliani Apostatę auunculus, qui Antiochiæ in templo sacram mensam lotio emisso profanauerat, & Euzoio Episcopo, ob id eum obiurganti alapam impegerat, tali morbo correptus est, vt eius caro putrefacta, in vermes conuersa sit, qui in profundo abditi, viuam carnem tantisper depasti fuerunt, donec eum interemerint.

56. *Sigebertus.* Honoricus Vuandalorum Rex Arianus, in Africa pediculari morbo interiit, cùm quatuor centum quadraginta quatuor catholicos Episcopos in exilium egisset.

57. *Idem.* Arnulphus septimus à Carolo magno Imperator, Normannis perdomitis nimio successu elatus, ita contumax in omnes, tùm vel maximè Ecclesiasticos factus est, vt Dei nutu pediculari

diculari morbo breui consumptus sit.

58. *Idem*. Dodo frater Alpiadis pellicis Pipini, quòd Sanctum Lambertum addixisset martyrio, vermibus toto corpore scaturientibus consumitur.

59. *S. Bernardus in vita S. Malachiæ cap. 13.* Quidam maledicus detraxerat operibus sanctis S. Malachiæ. Sed citò digna linguæ procacis mercede donatus est. Intumuit, & computruit lingua maledica, vermibus ex ea scatentibus, & diffluentibus toto ore blasphemo. Quos per septem fermè dies incessanter vomens, tandem cùm illis miseram expuit animam.

60. *Euagrius lib. 1. Hist. cap. 7.* Nestorius, lingua impia à vermibus consumpta, miserrimè interiit.

61. *Hieronymus Bolsecus in vita Caluini.* Ioannes Caluinus vermibus consumptus expirauit, vt & Antiochus, Herodes, Maximinus, & Hunnericus.

62. *Ex m. s.* Quidam temerarius ablato diademate, quo ornabatur caput Imaginis B. Virginis de Arce Guastallæ, idem capiti suo imposuit; At post paucos dies temeritatis pœnam subiit, graui enim morbo correptus, scatentibus vermibus ex toto ambitu capitis, quod corona B. Virginis cinxerat, infeliciter defunctus est.

63. *Bzou. ann. 1396. num. 6. de Synodo Londinensi*. In hac Synodo in Ecclesia Cathedrali, Archiepiscopus Thomas, assistente Noruicensis Ecclesiæ Præsule Alexandro, & aliis, pro loco iudicii residens in sede Episcopali, proponebat quædam, cuidam Ioanni Sartori de partibus Vigorniæ deprehenso in hæresi, de fide sacrosanctæ Eucharistiæ. Cùmque impium flectere non posset, qui non aliud quàm benedictum panem sacratissimam hostiam appellabat, & credebat, iussit eum reuerentiam exhibere diuinissimo Sacramento. Cui blasphemus dixit; Verè dignior est aranea, honore, atque reuerentia. Tunc illicò de culmine tecti descendens ingens & horenda visu aranea, ad os vsque blasphemantis peruenit, dùmque loqueretur, vt per polluta, illius labia penetraret, solicitè laborauit. Archiepiscopus itaque, & reliqui tunc congregati, exposuerunt populo ibi collecto; quid vltrix manus Dei fecisset in blasphemum. Nec mora, qui pretiosissimæ carni Agni immaculati araneam præposuerat, fœtidam carnem suam flammis deuorandam amisit.

64. *Petrus Sankez lib. de Regno Dei*. Mulus S. Thomæ Aquinatis, dùm post eius obitum à fabro calceatur, & faber interim scomma in sanctum iacit, dicens: quid is miraculi fecisset, quòd sanctus appelletur? illicò in os fabri calces impingit, docens eum aliter venerari Sanctos.

65. *Mauritius Channey in narratione vitæ & martyrij quorundam Fratrum Carthusianorum cap. 8.* Monachus erat in domo nostra, nomine Ioannes Dailei, magnis quidem tentationibus prægrauatus. Hic quadam die murmurauit, quòd non fuit saturatus, & cibus in prandio sibi administratus, oculis suis, & appetitui non placuit, dicens inter cætera, se maluisse comedere busones, quàm illius generis pisces. Mira res, iustus dominus non fraudauit eum à desiderio tuo. Tantam enim copiam busonum attulit ei, vt cumulati, pauimentum cellæ eius replerent, reptantes & salientes post eum, quòcumque circa cellam suam pergebat. Erant ei commensales & conuiuæ in mensa, etiam in ipsum discum eius prosiliebant: erant quoque ei consodales, & socii in lecto. Si quem in ignem proiiceret, statim exiliebat illæsus: si occidisset eos, alii superueniebant, & numerus quotidie augmentabatur, perseuerabantque cùm eo in cella per integrum mensem, nec vllo modo ab eis liberari potuit. Semel autem vnum eorum forcipe apprehensum, in igne torrere voluit, sed tantus fœtor ex eo exhalauit, vt à cœpto desistere compulsus sit: etiam alii existentes in claustro à longè, eundem fœtorem sentiebant. In horto vero eius permanserunt per spatium trium mensium; ipsemet frater sæpissimè hoc idem cùm magno dolore cordis enarrare solebat.

66. *Odoricus Rayn. in Hist. Eccl. an. 1395.* Cùm Ioannes Rex, Aragones in schisma contra verum Pontificem traxisset, diuinæ iræ pœnas est passus, is enim inter venandum haud dispari ac Rex Castellæ casu, ex equo ruens, ceruices illisit, cùm visa immanis formæ lupa exhoruisset. Creditus à nonnullis conteritum fuisse à Dæmone.

De Animalibus pœnas Ecclesiasticas diuinitùs sentientibus. §. 2.

De his loquar cùm de Excomunicationibus, & maledictionibus Ecclesiasticis.

CAPVT VI.

De Animalibus, diuinitùs ad vitam euocatis.

Et primò

De Volatilibus. §. 1.

Mortuos ad vitam vocare, illius solùm est, qui & vitam primò dare nouit: Admirandæ igitur sunt, licet & animalium, mortuorum resurrectiones, hicque inter Admiranda, vt potè naturæ vires superantes, annumerandæ. Sunt autem.

1. *In vitis P. P. Occidentalium de S. Gunthero Eremita*. Cùm sæpiùs inuitatus S. Guntherus, inuitus tandem ad Stephanum Hungarorum Regem cognatum suum accessisset, & ad mensam secùm sedisset, iussus est à Rege comedere carnes, quas sibi Vir Sanctus interdixerat; cùmque inter prandentes (more solito) orationi insisteret, caputque manibus inclinando, profusis lachrymis, ne illicitis cibariis pollueretur, Diuinam clementiam implo-

imploraret; Mira res! Completa oratione, caput de manibus eleuat Dei famulus, & Pauo assatus, mensæque superpositus (de quo edere iubebatur) pristinæ vitæ redditus, euolauit, & ab eius esu gratia diuina virum liberauit.

2. *Ioannes Colg. in Vita S. Cutberti 20. Martij.* Merulam Sancti Episcopi domesticam, occisam ab æmulis, prece sua puer almus reddidit.

3. *In actis S.S. 4. Ianuarij de S. Pharailde Virgine Apud Bollandum* Quidam famulus Monasterij, auem ex multis quos in vnum collegerat Diuinitùs Beata Virgo, occidit, eumquę cùm eiusdem familiæ quibusdam consciis comedit; quod intelligens Beata Pharaildis, auis ossa, plumasque sibi reportari præcipiens, quæ indè reperiri poterant, coadunauit, & mirabili, stupendaque compositione, auem penè perditam, prorsùsque mortuam, viuificauit, eamque ad solita pascua relegauit,

4. *Ibidem in actis S. Kentigerni Episcopi. 13. Ian.* Videntes condiscipuli Sancti, quòd à S. Seruano eorum patre spiritali plùs omnibus amaretur, oderant eum, nec quidquam ei pacificè poterant loqui. Insidiabantur, conuiciabantur, inuidebant, & detrahebant illi. Quamdam auiculam, ob ruborem corpusculi Rubiscam vocatam, de manu S. Seruani alimoniam accipere, scapulis eius, & capiti, seu gremio insidere, oranti vel legenti assistere, alarum plausu, & vocis suæ sono, affectum illi ostendere solitam, inter se mutuò tractantes, caput à corpore auellunt, & extinguunt, Kentigerno absenti crimen imponere non verentes. Puer autem, volucrem in manibus suscipiens, & caput corpori applicans, fusa ad Deum prece, signaculum Crucis impressit, & auis vitæ reddita, seni de Ecclesia reuertenti more solito applaudens, obuiam prosiliuit.

5. *Ferrarius in Catalogo S.S. 1. Maij.* Cùm S. Aldrebandus Episcopus Foro-Semproniensis, nihil præ senio degustarę videretur, oblatam sibi perdicem coctam, facto crucis signo abire iussit, quæ rediuiua mox aduolauit.

6. *Idem 10. Septembris, de Nicolao Tolentinate.* Cùm carne licet infirmus vesci recusaret, præceptum illi fuit à Priore per obedientiam, vt manum poneret ad manducandam perdicem; at ille nolens non obedire, ingemuit, & eleuatis oculis in Cœlum, facto Crucis signo, manum ad perdicem posuit, & ecce perdix reuiuiscens, protinùs euolauit.

7. *Idem mense Iann. die 2. de S. Defendente Mart.* Cùm quidam in die S. Defendentis festo aucupatum potiùs, quàm missam audire voluisset, ac perdices captas coqueret; illæ statim rediuiuæ eò obcæcato euolarunt; qui tamen facti pœnitens, ad aram S. Martyris orans, & veniam impetrauit, & visum recuperauit.

8. *Vuillelmus Malmerburiensis lib. 4. Pontif. Anglorum de S. Vuereburga.* Cùm Villicus eius anserem syluestrem occidisset. Hoc illa Deo sibi reuelante intelligens, iubet ossa recolligi; nec mora, signo virgineæ manus medicante, cutis, & caro ossibus superducta, cutis cœpit plumescere, donec ales animata, saltu primò alacri, mox volatu se librauit in æthera.

9. *Siluanus Razzius in vita B. Franchi.* Cùm cuidam mensæ, simul cùm aliis assideret B. Francus ex ordine Carmelitarum, quidam, seruum Dei malignis verbis increpare cœpit, eiusque sanctitatem derridere, dixitque, ita possibile est, te esse Sanctum, Deoque carum, sicuti possibile est capum illum (digito demonstrando capum assum, qui in mensa reperiebatur) iterùm viuere, mouerique. Quo dicto, Seruus Dei oculis ad cœlum leuatis, paulisper orauit, & ecce illicò capus surrexit, è patina exiliit, saltare, canereque cœpit; quo prodigio, viri Sanctitas à Deo confirmata fuit, impiique detractoris audacia punita.

10. *In vita S. Sabini Episcopi.* Cùm S. Sabinus Episcopus Placentinus Romam proficiscens, diuertisset ad quoddam hospitium, ibi cùm suis dùm modico cibo recreatur, ecce mulier exclamans, irruensque in hospitem, eo quòd gallinam suam, quæ sub tegulas horpitii euolauerat, occidisset. Quod intelligens vir sanctus, audiensque ab hospite se id fecisse, vt illi, sociisque cibum preberet (nihil enim aliud habebat) compatiens mulieri in amaritudine positæ, pręcepit ossa gallinæ, quæ de mensa ceciderant, diligenter colligi, sibique præsentari, qui orationem suam in sinu suo conuertens, facto super ossa crucis signo benedixit, & gallina reuixit, quam manu propria mulieri tradens, luctum in gaudium conuertit.

11. *In Annal. Seruorum, An. 1451. de B. Gabriele Florentino.* Ad extremum vitæ perductum, & inedia extenuatum, stomacique indignatione laborantem, Coturnicem appetiisse fertur, quam protinùs ante eius conspectum apparentem sibi in cibum præparandam esse petiit; cùmque in partes diuisam, & ante se, vt reficeretur, appositam conspiceret, inuicem statim eius membra coniunxit, anhelitumque in eam insufflans; Hei mihi (ait) ob fragile hoc corpusculum nunc moribundum, hanc Dei creaturam peremeram! Rediuiuam autem illam auem rursus volare iussit.

12. *In vita B. Ioannis Sanfacundi.* Cùm Beatum Ioannem Sanfacundum quidam illi deuotus ad mensam inuitasset, iuit Beatus ad mensam, auis allatus est, quod viri mentem statim pupugit, eas delicias suo statui minimè conuenire asserens; probauit serui sui sensum Deus, nam statim auis paratus, alas sumpsit, & per fenestram euolauit, lætum abstinentiæ amatorem relinquens; qui gratias ob id Deo egit.

13. *Vincentius lib. 25. cap. 64. in Speculo Historia.* Relatu non indignum, quod Bononiæ adscribunt probati Scriptores. Cùm in conuiuio Gallus mira arte assatus dissecaretur, vnus conuiuarum, D. Petro, inquiebat, hunc Gallum redintegrare impossibile foret. Alius autem, Quin, nec ipse Christus id posset, subiungebat. Ad has voces; res mira! Gallus posilit, & collisis alis insculum, quo erat perfusus, in discumbentium ora diffudit, Blasphemi verò lepra hæreditaria puniti.

14. *In*

14. *In Annal. Min. An.* 1259. *num.* 12. *de B. Francisco Cicho*. Ægrotantem dùm vellent meliori cibo reficere, occiderunt socij gallum gallinaceum, qui non solùm nocte media, sed ad singulas fermè horas eum suo cantu excitabat ad laudes diuinas. Admiratus ille, quòd toto die non audiuerit canentem, interrogauit, quid suo acciderit monitori? occisum & implumem, vt sibi coqueretur, referentibus, dixit: afferte mihi, quem iniustè occidistis; non ita erant soluendæ diurnæ, & nocturnæ huius volueris hortationes; illa mei me monebat officii, & vos, elinguem fecistis. Deindè manibus acceptum; indignè, inquit, Frater galle tecùm actum est, tu me è somno, mortis imaginem, vocabas ad vitam, ego communem nostrum deprecor Authorem, vt tibi nunc vicissitudinem reddat, & vitam refundat inhumaniter ereptam. His dictis, plumis subitò renatis, viuus euolauit, & cantum solitum reasumpsit.

15. *In Annal. Carthusianorum*. Infirmabatur quidam Frater, & à Medicis eius desperabatur salus, nisi cibis à Regula vetitis vesceretur; quod audiens Superior, contristari cœpit partim ne quid aduersùs institutum, ac regulæ præscriptum fieret, partim ne si id negaret quod Medici ad conseruandam Ægrotantis vitam necessarium iudicabant, subditi sui mortis coram Deo esset reus, vndè infirmo compatiens, statuit Medici acquiescere consilio: Ex cuius præscripto assabatur perdix, quæ cùm illata esset, aiebat is qui decumbebat: tu scis Domine Iesu, quòd carnis huius edulium proprio motu haùd quaquam cupierim, itaque si diuinæ tuæ voluntati non placet, vt illud sumam, ne quid per hoc ordini eueniat scandali, aut quid noui introducatur, iube auem hanc igne iam tostam protinùs auolare. Dictum factum: perdix enim mox postquam hæc precatus esset, celeri volatu ex omnium oculis non minùs ac si vita esset prædita, se se proripuit; quo quidem miraculo ostendit Deus, se Sanctæ Carthusianorum abstinentiæ approbatorem esse.

16. *Ignatius de Nente in vita Ven. Sor. Dominica de Paradiso lib.* 1. *cap.* 48. Sturnum edocuerat Ven. Dominica, nomen Iesus, & Mariæ proferre; Hic autem cùm mortuus esset, ante pedes Imaginis Iesu à Dominica collocatus est, precibusque, & lachrymis sponsum eius orauit, vt demortuæ aui vitam donaret, & ecce illicò auis surrexit, Virgoq; Deo gratias egit.

17. *Ianus Nicius*. Narrat Gottifredus, in Regno Poloniæ, vnum ex Regni proceribus, summis quidem opibus, atque potentia, sed acerbissimo in Catholicam religionem odio præditum, quo magis Catholicorum sacris illuderet, feria VI. maioris hebdomadæ, iussisse opiparum exornari conuiuium, omnis generis altilium carnibus confertum, ad idque per vim fuisse Sacerdotem quendam attractum, pietatis, ac religionis fama notissimum, qui quia recusabat venire, quòd eo die, ex veteri Cath. Eccl. more, ieiunaret, est coatus ad illud metu mortis accedere. Sed cùm esset animaduersum, nihil eum nisi panem attingere, & in totum à carnibus abstinere, iussum esse, eadem mortis formidine iniecta, etiam carnes assumere; tùm illum, ex dolore animi ingemuisse, ac positis humi genibus, eiusmodi ad Deum orationem habuisse: Domine Deus, adiutor meus; quò redactus sim vides; exurge obsecro, mihique in auxilium accurre, neque tuos dies festos deridiculo haberi, neque Sacrosanctam hanc lucem, anniuersariis Passionis tuæ sacris celebrem, atq; solemnem, hoc intempestiuo hæreticorum conuiuio, ac vetito eduliorum genere contaminari à me, violarique permittas, euoca fœdas ab inferis furias, quæ totum, quod hic est, abstrahant, atque in infernas domos apportent; vix ea dixerat, cùm quidquid ibi erat auium reuixit, plumas recepit, fugam arripuit, & è mensa, atque adeò omnium è conspectu, recessit; at vir ille princeps, quamquam tùm sæuus in Catholicos, tandem diuini numinis auxilio, ex hæreticorum castris in nostra præsidia confugit, & quamdiù vixit, extitit Catholicæ religionis cultor eximius.

18. *Pepe in mirab. S. Caietani m.* 155. Pullos deperdiderat ab irruentibus aquis demersos, pauperrima mulier, Catharina Arzana nomine; cùm, inuocato D. Caietano, eosdem mirabiliter reuiuiscere vidit.

19. *Ioannes Eusebius lib.* 1. *de mirac. cap.* 5. Manresæ, gallinam aquis submersam puer cùm aliis puerulis lachrymabatur; absente enim matre, auis suffocata fuerat, & timebat puer flagella. Cùmque memoria S. Ignatii magna ibi sanctitatis commendatione in omnium ore frequentaretur, cœperunt pueri expostulare Sanctum, vt restitueretur ales. Ecce subitò gallina mortua, & pedibus iam combusta, exurgit viua, & integra, vocata deindè gallina miraculosa, aut sancti Ignatii. Cuius oua maximè quærebantur. Pignus, aut argumentum aliquod miraculi auis hæc præ se deinceps tulit, vt nunquam cùm aliis gallinis coniungeretur, sed solitaria incederet.

De Animalibus Terrestribus. §. 2.

1. *In actis S. Siluestri Papæ*. S. Pontifex in confirmationem veræ fidei contra Iudeos, Taurum, quem perditissimus Iudæus magicis artibus interfecerat, in nomine Iesu resuscitauit.

2. *Petrus de Natalibus lib.* 6. *cap.* 61. Cùm S. Germanus Antisiodorensis Episcopus, in Britannia prædicaret, & Rex ei, ac sociis hospitium denegasset: bubulcus Regis à palatio rediens, Germanum cùm sociis fame, & frigore laborantem in domo sua suscepit, & vitulum, quem solum habebat hospitibus occidit; Post cænam verò Sanctus Episcopus ossa vituli seruata, super pellem componi fecit, & ad eius orationem vitulus sine mora surrexit.

3. *Colganus de S. Fingare*. Cùm semel cùm suis sociis iter faceret S. Fingar, diuertit ad domum cuiusdam piæ fœminæ, quæ cùm non aliud haberet, quo seruos Dei reficeret, vaccam vnam eis charitate plena, in cibum dedit. Qua occisa, ex eius carnibus pro vt oportuit, diligenter paratis, pariter comederunt. Denique cœna in gratiarum

rum actione completa, iubet S. Fringar nudata carnibus ossa omnia congregari in vnum, & desuper eiusdem vaccæ pellem deponi. Tum Confessores Christi omnes, qui cùm eo erant, ad orationem inuitat, dicens; oremus, fratres, vt Deus, pro cuius amore mulier officiosissimè nobis istam donauit vaccam, ei restituat; & oratione completa, sub omnium oculis stans pulchrior, quàm ante fuerat vacca apparuit. Deindè de lacte eius sibi afferri mandauit; Quo hausto, simpliciter deprecatus est Deum, vt vena lactis vberior, quàm in alijs vaccis triplicaretur in illa. Quod non solùm in ea: sed in omnibus, quæ ex ea processerunt, factum esse narratur.

4. ***Henriquez in fasciculo S.S. de B. Vuillelmo.*** Habebat cœnobium Villariense curiam quamdam quæ Hex, siue Scotis appellatur, in qua Conuersi laboribus manuum intendentes, & Deo in labore, & humilitate famulantes habitabant. Isti ergo, bouem quemdam habebant, forma, pinguedine, & robore elegantem, de cuius carnibus, quædam paupercula prægnans comedere ardentissimo desiderio concupiscebat: flebat autem, & quasi vitæ imminente periculo torquebatur. Apponebantur ei bouinæ carnes pulcherrimæ, sed ad restringendam eius concupiscentiam non valebant. Veniente ergo B. Vuillelmo ad curiam, & narrante fratre converso periculum mulieris, respondit Abbas: Meliùs est occidere bouem, quàm hominem, sed secretò hoc facere debes, vt mulieris desiderium compleatur. Induxit ergo frater conuersus bouem secretiùs in conclaui, & occisum, excoriatumque membratim diuisit, particulamque, quam mulier in boue concupierat, mox ei transmisit, quam cùm comedisset, mulier ex toto conualuit. Mira res, & horrendum spectaculum: Mane facto, cùm frater conuersus famulos suos ad aratrum sequeretur, vidit bouem occisum inter alios arantem, & vltra quàm credi potest, terribiliter stupefactus, reccurrit ad domum, intrat thalamum, requirit carnes depositas, & nihil de boue prorsùs inuenit, nec carnem, vel saltem sanguinem, quem effudit.

5. ***In vita Aquil. de Forstero Martyr.*** Cùm mulier quædam Sanctum virum collaudaret, maritus ad eam inquit: tam Forsterum tuum, quem sanctum, & in cœlis viuere existimas, plenè ita viuum credo, pro vt hunc bouem, quem mactatum, & excoriatum in frusta cædendum conspicis. Mirum dictu, vix verba finierat, cùm euestigiò bos in pedes se erexit viuus, stupore omnibus qui aderant attonitis.

6. ***Pepe in mirab. S. Caietani m.56.*** Ex improuisa morte iugum bouum deperdiderat Franciscus Marozzus Villicus Neapolitani Regni: inuocato igitur D. Caietano, eosdem illicò reuiuiscere mirabiliter vidit.

7. ***In vita S. Patritij Episcopi cap. 161.*** Equus cuiusdam illustris viri, nomine Darii, cùm agellum S. Patritij deuastasset, diuinitùs extinctus est; qua re cognita à Domino, iussit Patritium interfici, vt potè equi interemptorem; at subitò graui correptus infirmitate sententiam reuocauit. Quæ cùm annunciata fuissent sanctissimo Præsuli, aspersione aquæ à se benedictæ, iussit, vtrumque iumentum, videlicet mortuum, & virum infirmum irrorari. Aspersus igitur vterque surrexit, equus scilicet à morte, & Darius ab ægritudine sanus.

8. ***In vita S. Aidani Episcopi Fernensis.*** Equum S. Colmani, qui mortuus erat, precibus suscitauit S. Aidanus.

9. ***In vita S. Fechini Abb.*** Cùm adhùc puer S. Fechinus curam herbosi agri haberet, quidam maligno spiritu stimulante, equos Reguli illius terræ ad herbarium illud transmiserunt: sed Domino iniuriam seruorum vlciscente, mox equi Regis, vt herbam illius agri gustauerunt, velut veneno sumpto, mortui sunt. Audiens verò Regulus id quod suis equis acciderat, timens iram Dei super se sæuire sicut super equos, pœnitentiam agens, culpam coram Dei viro Fechino recognouit; Quod vir Dei acceptans, pro equis resuscitandis cunctipotentem orauit; & statim resuscitati sunt.

10. ***In vita B. Bogumili Archiepiscopi Gnesnensis, & Eremita Camald.*** Quodam tempore viro cuidam nomine Stanislao, dicto Vach, Ciui Collensi, ad B. Bogumilum virum Dei, & Præsulem deuoto, in curru panno nimis onerato sex equis propè villam Dabrouua sepulturam Sancti Archiepiscopi eunti, vnus equus onere pressus in via occubuit, illicque decoriatus est, cuius pellem dùm Dominus equi ad tumbam Præsulis Beati deuotionis erga Sanctum, suæ Sacerdotibus Ecclesiæ, loco muneris obtulit, vt intercessione sui famuli Deus eidem cæteros equos sanos seruaret, mox dùm ad sepulchrum præfati Præsulis flexis genibus intimè suffragium Beati viri inuocando Deum oraret, equus ille decoriatus ante fores templi hinnitu solito edito, prodigiosè astitit, quem Dominus videns, gratiis Deo actis, equum illum lætus recepit, & in vsum suum contulit, omnibus mirabilia Dei in Sancto suo, & meritis ipsius prædicans. Hanc pellem detractam Sacerdotes causa maioris fidei, foribus Sacrarij templi, clauis affigi curauerunt Anno Domini 1396. quæ ad hoc vsque tempus coloris nucerini conspicitur.

11. ***Pepe in mirab. S. Caietani m.128.*** Ex improuisa morte perierat equus quidam vectarius Ioannis Cimini Neapolitani; tùm ipse, vxorque illius iacturæ dolentes, D. Caietanum inuocauerunt, votoque promiserunt, si equus reuiuisceret, frumenti saccum Clericis Diui Caietani, illo ferente oblaturos; & ecce illicò ad deperditos sensus restitutum est animal, vitamque recuperauit.

12. ***Sylos in vita Ven. Francisci Olympij lib. 1. cap. 16.*** Dùm iter faceret Gabriel Maria ex nostris frater laicus, secùmque ferret vitream ampullam cùm sanguine Ven. Francisci Olympij adhùc viuentis; quodam in ascensu difficili vnus ex currus equis spiritibus destitutus concidit à labore exanimis, adeò vt cùm auriga eius vitæ desperaret, conficere illum ac pellem detrahere cogitaret. At Gabriel Maria, sãguinis ampullam statim illi admouit: nec mora, visus euestigiò alacri quodam spiritu equus surgere, tùm currum protrahere, ac reliquum

quum viæ accliue nempe iter, ac arduum vorare.

13. *Vincentius in Spec. Hist. lib. 20. cap. 14.* Cùm S. Germanum, Rauennæ Regina Placidia ad conuiuium euocasset, ab hospitio suo vsq;ad palatium asino deferente portatus est. Cùm ergo inter epulas mortuus esset asinus, iussit Regina miræ mansuetudinis equum Sancto præsentari. Quem ille intuens, meus inquit mihi asinus præsentetur, quia qui me hùc attulit, reportabit. Pergensque ad cadauer distensum: Surge inquit Muscio, reuertamur ad hospitium. Statimq; subsistens semetipsum concussit, & quasi nihil mali passus esset, Germanum alacriori virtute portauit.

14. *Bozius in Annal. Eccl. An 1507. in vita S. Francisci de Paula lib. 1. cap. 16.* Cicurauerat S. Franciscus de Paula hinnulum quemdam, qui furtim sublatus à nunnullis fabris, decoctus, & esus est, atque ossa residua in fornacem calcariam vehementissimè succensam coniecta fuere, ne vlla furtiui obsonij manerent vestigia. Dies aliquot effluxerunt, nec hinnulus accurrit ad S. Franciscum vt lamberet manus, habitumque pro more. Quærit S. Pater, quònam elapsum fuerit charum animal, inficiantur omnes se scire. At nescio quo pacto contigit, vt è latomis vnus rei factum prodiderit, recensueritque, ossa, quæ supererant, in cinerem, fauillamque redacta esse, eo quòd in ardentem fornacem immissa probè resciret. Accurrit Thaumaturgus, & euocato ad os fornacis animante, hinnulus concitatur, exilitque è mediis flammis rediuiuus.

15. *In actis S. Mochua, apud Bollandum.* Sanctus vir semel duodecim Ceruos in pauperum cibum occidi iussit, ossa tamen eorum vsque in crastinum illibatè conseruari: Satiatis igitur turbis pauperum, atque alijs, qui aderant, de venatione mirabili S. Mochuæ, die crastina Ceruorum ossa coram viro Dei collecta sunt. Quibus vt in propria resurgerent forma, S. Mochua in virtute illius mandauit, qui Lazarum fœtentem solo verbo ad vitam reuocauit. Et statim ossa illa arida carnem & pellem induerunt, & spiritum viuificum assumunt, atq; in pristini vigoris motum membra extenduntur. His in laudem Dei peractis, atq; ipsa Ecclesia consecrata, S. Mochua cùm ceruis illis mirificè resuscitatis vsque ad montem undè eos assumpserat regressus est: atque ibidem eos dimittens, ad cellam suam peruenit; & hi Cerui duodecim, ut à pluribus fertur, adhùc in monte illo ab aliquibus cernuntur temporibus.

16. *Surius in vita S. Gudnuali Archiepiscopi.* Accidit quodam die, ut ex ipsis penè faucibus lupi pastor ouiculam arreptam ad pedes Sancti uiri deponeret iam præfocatam. Ille mox ad precandum Dominum conuersus, prece absoluta, pastoralis uirgæ extrema parte tangit ouem, & ipso contactu, reducit ad uitam.

17. *Pepe in Mirab. S. Caietani m. 200.* Bombices emortuos quadam uice reperit Victoria Santella, summèque dolens iacturæ, D. inuocauit Caietanum, tunc internis impulsa stimulis; extincta cadauera ramusculis, à quibus deciderant, iterùm imposuit, postera autem die bombices animatos inuenit, summaque diligentia operi incumbentes; & quod est mirabilius, plures serici libras, ac cæteri, qui semper operi incubuerat, elaborarunt.

De Aquatilibus. §. 3.

1. *In vita S. Francisci de Paula lib. 3. cap. 3.* Archiepiscopus Consentinus misit viro Dei pisciculos mortuos, quos volebat cùm ipso comedere. Accipiens ergo Vir Dei de manu Ministri pisciculos inuolutos, fortè vnus ex eis quamprimùm decidit in manus eius, & vitam recepit. Tunc dixit Ministro: Deus non vult, vt modò comedatur piscis ille, ponamus ergo eum in viuario. Quod miraculum cùm audisset Archiepiscopus, accessit, & vidit piscem saltantem, & nauigantem in aqua.

2. *In eadem vita Sancti Francisci de Paula.* Cùm esset aliquandò in palatio Regis Neapoli, missi sunt ei à Rege pisces assati. Vir autem Dei nunquam ex eis comedere voluit, sed faciens signum Crucis, eos suscitauit, visique sunt saltare in Catino, quos remisit Regi dicens; *Tu misisti* mihi mortuos, ego tibi reddo viuos, *volo si tibi* placet, hanc charitatem exhiberi erga incarceratos. Rex autem tàm celebre miraculum cernens, dedit ei potestatem liberandi in Carceribus detentos.

3. *In eadem vita S. Francisci de Paula.* Cùm quidam ex loco Renda venisset Paulam ad B. Franciscum, vndè per duodecim millia distabat, attulissetque quosdam pisces in aqua dulci captos, è gula suspensos, dedissetque eos dono S. Patri, dixit: Videatis quemadmodùm captiuos teneamus istos pauperculos. Et sigillatim eos à corda, vndè tenebantur suspensi, depositos, conchæ aquę imposuit: qui depositi statim cæperunt in aqua reuiuiscere & iocari. Quod & aliàs mirabiliter effecit.

4. *In menologo Carmelitano, de B. Simeone Stok.* In domo germani sui, oleo ebullitum piscem, ad contestandam Dei omnipotentiam, in aquam eius iussu demersum, statim enatantem, & illæsum elabi conspexerunt comensales omnes.

APPENDIX AD CAPVT VI.

Perenne prodigium circa Resurrectionem Animalium.

VAldè Admirandum est, quod plures scriptores referunt, præcipuè Ioannes Eusebius de mirac. nat. Europ. lib. 1. cap. 1. de quodam Gallo, & Gallina diuinitùs suscitatis. Quod tale est. Quidam Iuuenis, Compostellam ad S. Iacobum proficiscens, dùm in Ciuitate, quam S. Dominici Calciatensis vulgus appellat, itineris labore defessus ingressus esset hospitium, ibi à puella hospitis filia, eius amore capta, ad turpia tẽtatus, nec cõsentiens, ab eadem, cratera in eius cucullo celata, vt fur accusatus, deprehensus, & licet innocens, laqueo suspensus est; Parentes eius lachrymantes iter suum ad S. Iacobum sunt profecuti, ibique solutis votis reuertebantur ad patriam; interim mater perfusa lachrymis, ad videndum filium suspensum acces-

accessit, cùmque filium suspiceret; dixit ei filius: Mater mea noli flere super me, ego enim viuus sũ, quoniam Virgo Dei Genitrix, & S. Iacobus me sustinent, & seruant incolumen. Vade carissima mater ad Iudicem, qui me falsò condemnauit, & dic ei, me viuere propter innocentiam meam, vt me liberari iubeat, tibique restituat. Properauit sollicita mater, & præ nimio gaudio flens vberiùs, Prætorem conuenit in mensa sedentem, qui Gallum, & Gallinam assos scindere volebat. Prætor, inquit, filius meus viuit, iube solui, obsecro. Quod cùm audisset Prætor, existimans eam, quod dicebat propter amorem maternum somniasse, respondit subridens. Quid hoc est bona mulier? Ne fallaris; sic enim viuit filius tuus, vt viuunt hæ aues. Et vix hoc dixerat, cùm Gallus, & Gallina saltauerunt in mensa, statimque Gallus cantauit. Quod cùm Prætor vidisset, attonitus continuò egreditur, vocauit Sacerdotes, & Ciues, profecti sunt ad Iuuenem suspensum, & inuenerunt incolumem, valdèq; lætantem, & parentibus restituere; Domumque reuersi, Gallum & Gallinam capiunt, & in Ecclesiam transferunt magna solemnitate. Quæ ibi clausæ, res admirabiles, & Dei potentiam testificantes obseruantur, vbi septennio viuunt. Hunc enim terminum Deus illis instituit, & in fine septennij antequam moriantur, pullum relinquunt, & pullam sui coloris, & magnitudinis, & hoc fit in ea Ecclesia quolibet septennio. Magnæ quoque admirationis est, quòd omnes peregrini per hanc vrbem transeuntes, qui sunt innumerabiles, galli huius, & gallinæ plumam capiunt, & nunquam illis plumæ deficiunt.

Et hæc sint satis de Admirandis, quæ in Macrocosmo obseruaui, selegi, hic collecta in vnum dedi. Hæc sint in Dei, Mariæ, Sanctorumque omnium gloriam, & honorem, in Fidelium, deque vera, & orthodoxa fide non dubitantium, consolationem, & solamen; contraque infideles, & malè de fide sentientes, stimulus, efficaxque incitamen, nisi desit mens, & propria hominis ratio, ad captiuandum intellectum in obsequium fidei, tot prælucentis Veritatis luminibus, quot obsignatur Admirandorum splendidissimis characteribus.

FINIS TOMI PRIMI.

Ad Laudem, & Gloriam Omnipotentis Dei, Sanctissimæ Virginis Mariæ, S. P. N. Caietani, & omnium Sanctorum. Amen.



Pag.

Pag.	col.	lin.	ERRATA	CORRIGE
9	2	58	Verdem	Verdam
13	3	34	agouit	agnouit
16	1	34	secretior	secretiori
36	2	15	Seotos	Seotus
38	1	33	pita vt	ita vt
48	1	45	disectè	disertè
39	2	21	*Salsaguntinō*	*Sahaguntino*
35	1	33	obierant	obierat
81	2	38	funeralia	funalia
81	2	18	conectus	concentus
25	2	39	reuerentur	reuerenter
27	1	21	meli	mali
30	1	24	quam	qua
34	2	2	multorum	multarum
43	2	21	*Sasaguntini*	*Sahaguntini*
46	2	1	dormitorum	dormitorium
61	1	5.1	Seruos Dei non	Seruos Dei, suaq. non
65	2	2	quinque	quinqueue
67	1	49	perficientibus	proficientibus
68	1	14	*Lannomori*	*Lannomari*
68	2	24	agnina	agmina
68	2	29	peruenirent	perueniret
71	1	31	pulsando	pulsanda
74	1	31	Quadam tem.	Quodam tem.
76	2	57	vt cælitùs	& cælitùs
76	2	61	immittunt	immittuntur
80	1	15	pannos	panno
84	2	46	Maria	Mariæ
90	2	41	fidei	fide
95	2	30	conuige	coniuge
96	2	11	abalios	ad alios
98	2	53	dixi eis	dixit eis
99	2	35	*Salsaguntini*	*Sahaguntini*
107	2	23	auentus	euentus
112	1	29	Diuus	Diui
116	1	32	lapidissimam	sapidissimam
116	2	34	carerat	careret
128	1	9	quodam	quendam
128	1	16	optatam	optatum
128	1	49	remige	remiges
130	1	40	paterent	peterent
130	2	14	*Sur. de eod. S Tho.*	*Sur. de S. Theo.*
134	1	23	*de S. Benedicto*	*de Ioanne Apulo*
139	2	50	ad eodem	ab eodem
148	1	42	Vandagitiæ	Vangaditiæ
164	1	11	gratia	gratias
166	2	25	augurent	augerent
169	1	62	fundantur	fundentur
187	2	11	post	potu

Pag.	col.	lin.	ERRATA	CORRIGE
189	2	38	manum	manuum
197	2	1	seuande	seruandi
244	2	29	appotæ	appositæ
250	2	55	ex in paup.	& in paup.
251	1	3	æstum	æstu
255	2	51	adesset	adessent
266	1	60	ministerio	ministro
266	2	35	aqua defecisset	vinum defecisset
271	2	2	assentum	assertum
272	2	53	Accedit	Accidit
275	1	22	ìple viro	ipse verò
ibi.	–	24	patre ex	patre, &
282	1	47	narrauis	narrauit
ibi.	–	52	maximis	maximas
283	1	38	illarsum	illarum
297	2	13	reliquerant	deliquerant
301	1	7	onis	oui
307	2	13	Pegina	Regina
309	1	52	ab eiusque	ab eisque
312	2	60	quantitas	quantitatis
313	2	24	ijsdem	ĳdem
324	2	9	declinabat	declinabas
325	2	54	potiretur	potirentur
333	2	39	Quod est	Quod &
336	2	51	admissit	admissus
350	2	60	ex dies	& dies
354	1	54	suorum	suarum
364	2	42	leguntur	legitur
ibi.	2	52	Columbas	Columba
370	1	9	miscerat	miscuerat
373	2	43	offerret,ur	offeretur ;
409	1	17	eicto	eiecto
410	2	39	*Masundus*	*Mosundus*
424	2	51	Spolet	Spoleti
428	2	27	Theodoris	Theodori
432	1	43	magni	magnis
435	1	11	fre-	fræno
ibi.	2	39	libro	librum
ibi.	2	52	substiterunt	substiterint
441	1	27	& ad mortem	vt ad mortem
443	2	32	vt vsque	& vsque
446	2	30	Sancto Bruno	Sanctus Bruno
448	2	10	stridorum	stridorem
452	1	4	cicuraui	cicurauit
479	1	30	quam	quem
484	1	29	distant	distante
491	1	21	Seuano	Seruano
492	1	35	imaginem	imagine

Errata præcipua hic adnotaui benigne Lector.

Reliqua, vel leuiora, vel quæ non occurrerunt, tua benignitate, tuaque peritia corrige, abrade. Condonandum est aliquid arti, errorum feraci, aliquid operarum imperitiæ, & oscitantiæ, reliquum humanæ imbecillitati, quæ licet hic maximè oculata sit, multa tamen eam fugiunt, quæ emendationem exigunt. Tu igitur benignè emenda, nostrasque Deus vtrique condonet mendas.

I N-

INDEX ADMIRABILIVM

Quæ in hoc Opere continentur.

C

Colum-

D

F

Fran-

G

H

Homo.

K

L

Lignum aridum virescit 192.26. & 376.toto §.1.conuertitur in lapidem 278.5.7.in aurum 285.1 emittit sanguinem 279. 3. recisum integritati subitò restituitur 300.32.& seq.grauitatem deperdunt 302.2.& seq.ex se ipsis mouentur 372.7.& seq. & 389.toto §.5. resplendent vt faces 287.8.& sequ. arida crescunt in sepulchro 388 6.& florent,ibi.7.10.diuinitùs oblongantur 395.in §.7.per se stant 396.14.& seq.multiplicantur, seu indeficientia permanent 262. 13. incorrupta 293.10.& seq.v.Arbor.Baculus.

Lilia aurea pro Stemmate cælitùs data Regibus Galliæ 30. 28.

Lilia enata ex corporibus defunctorum. v.Flores.

Limbaria prece nauis immobilis 139.23.

Lingdanus Abb.imperat ranis 460.5.eius cadauer in igne illæsum 82.45.

Linteum Christi in igne illæsum 94. 4.

Liquores diuinitùs non effluentes 368.toto §. 7.

Locum sacrum violans, ab igne infernali subitò arripitur 101.26.sepulturæ locus à niuibus designatus 179.9.& seq.locus sacer à Brutis designatus 483.toto §.4. locus in quem haud possunt intrare viri 104. 4. alius semper virens, aut aridus.v. Terra.alius in quo carnes diuinitùs subitò putrescunt 274.34.

Locustæ obsequentes imperio seruorum Dei 428.toto §.9. perenniter fugatæ 463.6.& seq. vindices delictorum 486.13.& seq.

Lothi vxoris statua perenniter durat 288. 1. consumpta, diuinitùs reparatur, ibi.

Lucanus collocat pallium super radium solis 50. 14.

Lucæ Iuniori obediunt cerui 440. 6. piscis se se offert comedendum 457.3.

Lucæ Narini prece vas fractum reintegratur 299.22.

Luca Casalio concionante, lapides emittunt voces 317. 7.

Lucia virgo tanto pondere sistitur, vt nequeat moueri 306 27.

Lucia, & Gem.absconduntur in rupe se sponte aperiente 314.13.inambulant super aquas 119. 42. fontem prece eliciunt 199.44.eorum corporibus sepulchrum ab angelo præparatur 40.9.

Luciæ vid.& m.prece homines in lapides mutati 289.7.

Lucia Parat.accipit à B.Virg.palmam, zonam, & coralia 32.12.

Lucia Narn.desponsatur Christo, & accipit ab eo annulum 341.5.

Luchesij meritis panis diuinitùs datus 215. 51. capæ auctæ 246.22.eius funus illæsum à pluuia 176. 32.

Lucherini molendinum nequit molere furatum, neq.in die festo 375.3.

Luchina Sone.orans in aera eleuatur 107.6.

Lucianus m.Antioch.inuisibilis redditur 110. 4.eius cadauer defertur à Delphinis ad littus 470.20.

Luciani m.Belon.cadauer illustratur 19.15.

Lucius.v. Vguzo.

Lucretiæ Cadamustæ meritis vinum auctum 335.62.

Ludgeri Ep. meritis magnus piscis capitur 459.17. arbores ex silua diuinitùs eradicantur 393.1. in eius morte lux apparet 11.22.super eius sepulchrum lumina extincta, cælitùs accenduntur 73. 55.

Ludani in morte campanæ vltrò sonant 347.4.

Ludouici Ep.cadauer diuina luce illuminatum 21.29.eius meritis ales in flores mutatus 271.8.

Ludouicus Estrada diuina luce perfunditur 13.10.eius prece messis præcox 403.2.panes, & cibi aucti 210.11.

Ludouici Rhegini prece panis cælitùs impetratus 216.65. & seq.oleum datum, & auctum 242.23.

Lumanus contra cursum fluminis sine remige nauigat, 127.8.

Lumina diuinitùs accensa.v.Cerei.

Lunæ quinque apparuerunt ante natiuitatem Domini 60. 1.& aliæ varijs temporibus 2.& seq.

Lupentij cadauer cælica lux honorat 23.49.caput aquila extrahit ab aquis 466.4.

Lupus Ep.Cab.prece extinguit ignem 67.10.impetrat fontem perennem, & medicum 156. 2. carceres aperit 358.7.

Lupi Ep.Sen.meritis campana deperdit sonum 344. 1. ianuæ vltrò aperiuntur 363.38.

Lupi seruis Dei inseruientes, & obedientes 436.toto §.12. & 462.in app.perenniter innocui. ibi. vindices delictorum 488.39.in lapides mutati 278.9.lupus funem trahendo, quo campana insonat, infaustum facit præsagium 483 11.

Lupicini Abb.prece frumentum auctum 222.14.

Lutgardis diuina luce perfunditur 16.53.angelico famulatu fruitur 44.29.orans in aera eleuatur 106.3.

Lutheri ad cadauer circùmuolant corui 485.3.

Lutuninum aquila defendet ab ardoribus solis 415. 3.

Lux, & splendores emissi de cælo in martyrio Cyriaci, & soc.6.6. in transfiguratione Dom.7.1.conuersione Pauli,ibi.2.liberatione Petri à carcere,ibi illuminans viã Francisco Assis.ib.3. Caietano 8. 4.Francisco Ticinensi, ibi.5. Dominico Anad.ibi.6.pro designatione monasterij,ibi.7.& seq.ad sacras reliquias,ibi.9.insidias hostium manifestans 7.10.& ob alias causas.ib. toto §.2. in natiuitate, seù morte sanctorum 10.toto §.3. & 38. 4.& seq in facie, & corporibus seruorum Dei 12.toto §.4.& 42. 3.lux apparet honorans, seù manifestans reliquias 18. toto §.5.in Ecclesia Santon. ob cælestem apparitionem 28.6.& 351.15.in Ecclesia B. Stephani 34.3.Benedicti Abb. in eius festo 35. 14.super sepulchrum Aldebrandi 38.11.& corpora Gherardi & soc. 39 17. Amnucardi,ibi.19 Bennuardi,ib. 20. Secundi 41.20. Beatricis à Naz. ibi. 22. ex ore Sansonis celebrantis 51. 1. & super Eugenium Pap.sacrificantem 415.24. in morte Angeli Vict. 54. 17.super cadauer Tarachi,& soc.ibi.26.in scuto gentilicio Parisij m.71. 32.accendens cereos ad sepulchrum Ionati 77. 82.illuminans cubiculum, & faciem Agnetis Chatil.108.18. apparens ex pectore monachorum orantium.ibi.24.ex Vincentio Ferr. ibi. 30. super reliquias Euuaidorum 139.4.& Saluij 469. 6.tempore tempestatis ad indicandum portum 167.29. in morte 181.2. & sequ.& 348.24.lux cælestis tempore nocturno inseruit Bertulpho legenti 413.7.perennis in oppido Oliana 33. 1. & Ortonæ ibi.2.& ad sepulchrum Felicis Nolani ibi. 3.

M

MAcarius Antioch. prece fontem elicit perennem 193.46.ianuas aperit 363.32.eius vestis in sepulchro non consumpta 290.8.

Macarius Monach.ambulat super aquas 120. 56.

Macarius Rom.leones habet obsequentes 430.7. & Hyenam 455.17.ceruam 441. 15. onagrum 445. 19. cum draco voce humana alloquitur 480.19.

Macarij Abb. Scot.prece vinum in aquam mutatum 268 68.

Machutes pallio illæso defert carbones 71.31.eius meritis candela diuinitùs accenditur, ibi. aqua in vinum mutata 262 2.vas lapideum conuersum in vitreum, ibid. mortuus resuscitatus, ibi. lupos habet mansuetos 438. 25.maledictione,terram sterilem facit 150.6.

Maclouius circùmdatur ab aquis in littore, ne madefiat 145.8. vsq. modò manet aridus ille locus, licet aquis circumdatus, ibi.

Digitized by Google

dem

na

P

S

equum

T

V

VV

Z

FINIS.

Car.	Col.	Lin.	ALIA ERRATA	SIC CORRIGE.	Car.	Col.	Lin.	ALIA ERRATA	SIC CORRIGE
39	1	49	*Amnucardi*	*Amnicardo*	312	2	32	*Trodoardi*	*Frodoberti*
47	2	52	*Constantini*	*Constantij*	334	1	29	*Reinnuardi*	*Bernuuardi*
49	2	46	*Archieta*	*Anchieta*	346	2	2	Magontini	Mogontini
71	2	28	Marcellini	Marcelli	360	1	9	Vuigbertur	Vuigbertus
79	2	1	*Volsi*	*Volsi*	376	2	26	*Colomanno*	*Colemanno*
122	1	21	Modiolani	Mediolani	417	2	24	*Archieta*	*Anchieta*
182	2	53	*Iuuentij*	*Iuuentij*	422	2	6	*Archieta*	*Anchieta*
221	2	15	I. *Ian.*	II. *Ian.*	427	1	51	*Fiardi*	*Friardi*
Ibi.			*Cænobita*	*Cænobiarcha*	468	1	12	siti in	sito in



VENETIIS, M.DC.LXXX.

Apud Io: Franciscum Valuasensem.

SVPERIORVM PERMISSV, ET PRIVILEGIO.

VENETIIS, MDCCXXX.

ADMIRANDA ORBIS CHRISTIANI

QVÆ

Ad Christi fidem firmandam, Christianam pietatem fouendam, obstinatamque perfidiam destruendam

EN

ΤΩ ΜΑΚΡΩ ΚΑΙ ΤΩ ΜΙΚΡΩ ΚΟΣΜΩ

Hoc est

IN MAGNO INQVE PARVO MVNDO

Aut præteritis extitere sæculis,

Aut adhùc vigent, vel illorum adhùc apparent Indicia.

EA

Ex Historia sacra selectioribus Monumentis, Fastorum Ecclesiasticorum Tabulis, Religiosarum Familiarum Chronicis, nec non ex singularium Euentuum, Signorum, Miraculorumue quacumque Narratione, Et ex nonnullis Congestis ab ALOYSIO NOVARINO.

IO: BONIFACIVS BAGATTA

VERONENSIS

Clericus Regularis Theatinus

Collegit, selegit, in vnumque redacta, in lucem edidit.

TOMVS SECVNDVS

In Quò

De Admirandis EN ΤΩ ΜΙΚΡΩ ΚΟΣΜΩ.



VENETIIS, Apud Io: Franciscum Valuasensem. M·DC.LXXX·

SVPERIORVM PERMISSV.

DEFVNCTORVM ANIMABVS IN PVRGATORIO CRVCIATIS

IO: BONIFACIVS BAGATTA

Dicatissimus Seruus

D. D. D.

Vobis, ò Electissimæ Animæ, has meas lucubrationes venerabundus sisto, quodq. Vestrum est, Vobisque multis nominibus debitum, Vestro inscribere Nomini, & debui, & volui. Exantlatos hoc in opere labores, Vestro suffragio, expiationique addixi: ipsæ scitis; ego gratissimi vestri animi uberrimos expertus sum effectus; quippe qui exilis ingenio, corporeis viribus destitutus, varijsque distentus curis, solis vestris suffragantibus auxilijs, quibus me totum deuoui, & diuina, quam mihi è cælo implorastis ope, ad optatum finem, Opus quod fueram aggressus deducere valui. Aureum Vellus, quod per tantos casus, per tot discrimina rerum rapuit Iason in Colchidem nauigans, Dijs, quorum auxilijs furentes pelagi undas, Tauros igniuomos, dirumque Draconem custodem superauerat, in patriam reuersum litasse, fabulantur Poetæ: Vestris ego benignis flantibus ventis, suffragantibus auxilijs, ope è superis à Vobis implorata, difficultatum ambages, longæ nauigationis molestiam, ærumnosi studij labores euinxi, superaui; Vellus hoc aureum, totq. splendoribus coruscans, quot Admirandis refertum, ex obliuionis tenebris, ceu è tenebrosi Draconis custodia erutum ad lucem euexi. Quibus igitur deuouendum erat, nisi Vobis? Vobis igitur deuoueo, Vobis consecro, Vobis dedico. Opus dum hoc formaretur, adstitistis, iuuastis, auxilium è cælo impetrastis; igitur Vobis donandum quod Vestrum est, Vobis litandum, quod à Vobis prodijt. Accipite ergo benigno obtutu è manu mea, & è Vestris illud excipiat Deus, quoruncumque donorum munificus largitor: Agnoscite in eo quod à Vobis fuit, ignoscite mihi quod ex me est. Exile est donum, vt potè imbecillis ingenij partus, leue munusculum à tenuissima manu oblatum; at quot in eo sunt apices exarati, tot sunt deuotionis meæ erga Vos testes, quot characteres, tot erga Vos animi grati indices. Muneris vilita-

litatem ne spectetis, animum inspicite, qui & magnus in re parua esse potest; immò nec munus erit exiguum, aut vile, si benignè à Vobis excipietur. Excipite igitur, & quod præcipuum est, quodque suppliciter a vobis exoro, contra imminentia pericula, contra linguarum aculeos, contraque omnium inuidorum morsus, Opus hoc, vt potè Vestrum, custodite, defendite, tuimini. Sic etenim sub præpotenti Vestro patrocinio, ac tutela, Librum hunc à Cynicis morsibus, inuidi Momi cauillationibus & Aristarchi censuris liberum futurum & spero, & credo: si namque in mortuos, suaque sæuire, & barbari animi horruere, quis tàm inhumanus linguam acuet suam hanc vestram in Rem? Quis opus hoc Vestro inscriptum Nomine, eoque veluti, cerua autographo Cæsaris, ornatum proclamans: Cæsaris sum, nolite me tangere, illi infigere morsus audebit? Faxit Deus. Dumque Vobis è Purgatorij cruciatibus celerem liberationem, adque felicem Patriam ascensum toto corde augurор, precorue; Vos mihi ab Omnipotenti Deo peccatorum meorum veniam, in bono perseuerantiam, & sui Amoris ignem ardentem impetrate.

BENEVOLO LECTORI.

Ccipe Benigne Lector Opus, quod tibi pollicitus fuerat Nouarinus, sed vix illud mente conceperat, cùm ad requiem euocatus, alteri laborem reliquit. Diu, multùmq. in eo laboraui; in legendis, euoluendisque Sacrarum Historiarum voluminibus, quæq. operi aptanda duxi, ex his eruendis, plurimùm insudaui; siquidem Nouarinus vix operi manus admouere statuerat, cùm morte præuentus, nec primos apices exarare potuit. Benignè igitur excipe hos meos labores; & si quid boni in opere inueneris: Deum lauda; sin minùs: imbecillitatem auctoris agnosce. Errores multos in opere disseminatos inuenies; imperitiam excusa typographi, etiam prima rudimenta linguæ latinæ ignorantis; correctoris in detegendis mendis, aut non nimiùm perspicaces, aut nimis fugaces oculos culpa; quòd & si alicubi me cespitasse credideris, lapsus meos, enixè rogo, tege, emendaque benigno fauore tuo quod hallucinatus sit visus, nec assequi valuit intellectus, & quod per incuriam animus neglexit. Vnum admoneo, multotiès eundem Sanctum, eandemque personam variis syllabis exaratam, varioque modo expressam te inuenturum; Ne mirere; diuersis his modis, diuersos apud auctores, & graues, sic diuersimodè expressa ea nomina inueni, siue ex originalis idiomatis fæcunditate, siue ex translatione originalis ad extraneum, siue alia quacumque, vt suppono, legitima ex causa; ea propter ne alicui auctori noxam viderer arrogare, his ipsis, quibus quilibet singulos expressit nominibus, & ego expressi; sub vnico tantùm vniuersaliori postea in Indice cuiuslibet Admiranda complectens. Aliqua repetita si inuenies, hæc, vel ad confirmationem diuersorum titulorum, vel quia diuersæ circumstantiæ, diuersisque, aut locorum, aut personarum explicitæ nominibus, non eadem, sed simillima esse fundamentum dubitandi dedere, apposita esse scias. Innumera, me non latet, non adnotaui in hoc opere Admiranda, ex his præcipuè, quæ adhùc perennant: testor Deum, eorum ignorantia, non alia, huius fuit causa; Precorque te, benignè Lector, quàm humanissimè, vt si quæ alicubi sunt, nec meo operi inserta, digneris eorum me certiorem facere; si quidem cùm Additiones, seù tertium Tomum Additionum his meis Admirandis colligam, Deoque dante breuiter editurum sperem, ea libentissimè cæteris adnectam. Interim Deum pro me precare, vt pro huius laboris præmio mihi tribuat, semper quod sibi magis placitum est efficere in hac vita, & vberem mercedis gratiam in altera.

IN-

INDEX

Librorum, Capitum, & Paragraphorum

TOMI SECVNDI.

LIBER PRIMVS.

De Admirandis circa diuersum statum Naturalem Hominis.

LIBER SECVNDVS.

De Admirandis circa Corporis Humani Affectiones.

LIBER TERTIVS.

De Admirandis circa diuersum statum supernaturalem Hominis.

§.2. Re-

LIBER QVARTVS.

De Admirandis quibusdam Prærogatiuis, Dotibusque, quibus Orthodoxorum quorumdam Animæ mirabiliter decorantur.

LIBER QVINTVS.

De Admirandis circa spectantia ad Fidem orthodoxam, quam Catholicus profitetur Homo.

§.11. *Ima-*

§.8. *Ex sacris Loculis diuinitùs sublatæ Reliquiæ, & quibusdam dono concessæ*. 504.
§.9. *Ex sepulchris ob varias causas corpora, vel Sanctorum, vel reproborum mirabiliter eiecta*. 506.
§.10 *Admiranda varia de sepulchris, & eis conditis Reliquijs*. 509.
App. ad Cap. 1. *Quædam Admiranda perennia circa sepulchra*. 511.

LIBER OCTAVVS.

De Admirandis circa Immortalitatem Animæ Rationalis.

Cap. 1. *De Admirandis Apparitionibus Christi Domini*. 512.
§.2. *Beata Virgo Maria quandoque visibiliter apparens*. 518.
§.3. *Alij Cælicolæ visibiliter apparentes*. 524.
§.4. *Aliarum Animarum admirandæ quædam Apparitiones*. 529.
Cap. 2. §.1. *De Admirandis quorundam Resurrectionibus, Resuscitati diuinitùs ad suscipienda Sacramenta*. 533.
§.2. *Alij diuinitùs resuscitati ad manifestanda occulta*. 536.
§.3. *Nonnullæ aliæ mortuorum Resurrectiones*. 538.
App. ad Cap. 2. *Admiranda perennia circa Resurrectionem mortuorum*. 542.

A P-

PROTESTATIO AVCTORIS.



Vm Sanctiss. D. N. Vrbanus Papa VIII. die 13. Martij anno 1625. in Sac. Cong. S. R. & vniuersalis Inquisitionis, Decretum ediderit, idemque confirmauerit die 5. Iulij anno 1634. quo inhibuit imprimi libros hominum, qui sanctitate, seù martyrij fama celebres, è vita migrauerunt, gesta, miracula, vel reuelationes, seù quæcumque beneficia, tanquam eorum intercessionibus à Deo accepta, continentes, sine recognitione, atque approbatione Ordinarij, & quæ hactenùs sine ea impressa sunt, nullo modo vult censeri approbata. Idem autem Sanctissimus die 5. Iulij anno 1631. ita explicauerit, vt nimirùm non admittantur elogia Sancti, vel Beati absolutè, quæ cadunt super personam, benè tamen ea, quæ cadunt supra mores, & opinionem, cùm protestatione in principio, quòd ijs nulla adsit auctoritas ab Ecclesia Romana, sed fides tantùm sit penès auctorem. Huic Decreto, eiusque confirmationi, & declarationi, obseruantia, & reuerentia, qua par est, insistendo, profiteor me, ea omnia, quæ in meis Admirandis, sanctitatem quibusdam videntur adscribere, vt potè vires humanas superantia, miracula censeri possunt, præsagia futurorum, arcanorum manifestationes, illustrationes, in miseros mortales collata eorum intercessione beneficia apparent, sanctimoniæ etiam appellationem præseferunt; profiteor inquam, me haùd alio sensu accipere, aut accipi ab vllo velle, quàm quo ea solent, quæ humana duntaxat auctoritate, non autem diuina Catholicæ Romanæ Ecclesiæ, aut Sanctæ Sedis Apostolicæ nituntur (quæ propterea, non MIRACVLA, sed solùm ADMIRANDA voco) ijs tantumodò exceptis, quæ eadem Sancta Sedes, Sanctorum Beatorum, aut Martyrum catalogo adscripsit; quæque vt vera miracula diuinitùs operata proponit.

AP-

APPROBATIONES OPERIS.

ADmiranda Orbis Christiani, Opus R. P. D. Io. Bonifacij Bagatta ex nostra Congregatione Cler. Regularium, ex commissione Reu.mi P. D. Placidi Vicecomitis Præp. Generalis eiusdem nostræ Congregationis, diligenti scrutinio examinauimus; Nihilque in eo Orthodoxæ Fidei, Bonisque moribus dissonum reperimus. Quinimmò omnia omni prorsùs stupore vsque ad miraculum plena, quæ mundum vniuersum in sui Admirationem pertrahant, si tanta, tàmq; eximia miracula, quæ Diuina potentia ad Fidei Sacramentum firmandum patrauit, in lucem prodeant; quæ vt & prodire valeant, nostra hìc vota propensiùs adnectimus. Datum Veronæ in Ædibus S. Mariæ de Glarea 2. Iannur. 1679.

D. Io. Chrysostomus Philippinus C. R. S. T. P. Librorum Cens. & S. Off. Cons.
D. Ioannes Cominus C. R. Sac. Th. Professor.

D. PLACIDVS VICECOMES

Præpositus General. Congreg. Cler. Regul.

HOc Opus, inscriptum *Admiranda Orbis Christiani &c.* à P. D. Io. Bonifacio Bagatta, nostræ Congregationis Theologo, compositum, & iuxta assertionem Patrum, quibus id commisimus, approbatum, vt Typis mandetur, quoad nos spectat, facultatem concedimus. In quorum fidem, præsentes litteras manu propria subscriptas, solito nostro sigillo firmauimus.

Datum Romæ die 4. Feb. 1679.

D. Placidus Vicecomes Præp. Generalis Cler. Reg.

Locus ✠ Sigilli.

D. Franciscus Maria Casnedi Sec. Cl. Reg.

EGo subscriptus Ordinis Minimorum S. T. P. iussu Reu. P. F. Ioannis Thomæ Rouettæ, Venetiarum Generalis Inquisitoris, Librum, cui titulus, *Admiranda Orbis Ghristiani &c.* à R. P. D. Io. Bonifacio Bagatta C. R. Theatino, S. T. P. compositum, & in duos distributum Tomos, accuratè, & diligenter perlegi, in quo nihil, quod hæreseos sapiat, aut bonos mores deprauet, inueni. Quinimmò omnia ad Dei cultum, ac timorem, Sanctorumque honorem, & reuerentiam in Fidelium animis excitandam, & promouendam, quàm maximè tendere animaduerti. Quare Librum hunc censeo dignissimum, non solùm, vt in lucem emandetur, verùm etiam vt ab omnibus deuotè perlegatur, ad glorificandum Deum, qui per tot mirabilia, nos ad sui cultum, & amorem quandòque conducit, ac excitat. In quorum fidem &c.

Datum Venetijs, in nostro S. Bartholomæi collegio, V. Id Maij 1679.

F. Anastasius Parenti, Ord. Minimor. S. T. P.

IMPRIMATVR.

Fr. Ioannes Thomas Rouetta Inquisitor Generalis Venetiarum.

NOI REFORMATORI dello Studio di Padoua.

HAuendo veduto per fede del Padre Inquisitore, nel Libro intitolato. *Admiranda Orbis Christiani,* non esser cosa alcuna contro la Santa Fede Cattolica, come parimente per attestato del Segretario nostro, niente contro Prencipi, ò buoni costumi, concediamo licenza al Valuasense di poterlo stampare, osseruando gl'ordini &c. Data dal Magistrato, li 16. Maggio 1679.

(*Aluise Priuli Procurator, Reformator.*
(
(*Siluestro Valier K. Proc. Reformator.*

Lodouico Franceschi Seg.

PRÆ-

PRÆFATIO.



Haumaturga Diuinæ omnipotentia in Μικρόκοσμῳ *tot, tantisque in primo Volumine exaratis prodigijs, admirandisue; cunctis vel cæcutientibus luculenter apparuit.* Inuisibilia Dei, *Catholicaq; Fidei obscuriora arcana*, à creatura mundi per ea quæ facta sunt, intellecta, conspecta fuere, *tantisq; irradiantibus splendoribus sole clariora coruscarunt.* Mundus hic vniuersus, *teste Basilio Hex.* 11. velut liber quidam inscriptus est, Dei gloriam denuncians, occultam, & inuisibilem Dei maiestatem per se ipsum annuncians. *Quos igitur æternæ Veritatis splendores, tot Diuinæ omnipotentiæ recens inscriptus caracteribus, quot admirandis quamlibet eius partem, seu paginam continuò signari iàm demonstraui, non præseferret? At quia vel oculis capti, veluti talpæ, sectarij, vel lippis lucibus, malèque in fide affecti Catholici, quæ sibi extima sunt, licet vbique splendescentia, videre, ad eaque lumina tollere haud valent, vel potiùs nolunt; quæ admiranda in* Μικρόκοσμῳ *hoc est in Homine ipso operatus est Dominus, vel adhùc operatur, calamus deinceps exarabit meus, in ea siquidem, vt potè in se ipsis mirabiliter perpetrata, velint, nolint ad cætera eleuare caput, licet cæcutientes saltem incespitabunt, omnipotentiamque Conditoris fateri haud detrectabunt mortales. Prodibit igitur hoc in volumine, lectoribusq. meis offerretur quidquid admirandum in* Μικρόκοσμῳ *idest in se ipso, aut admiratum esse, aut adhùc admirari Hominem ipsum, è totius Ecclesiasticæ Historiæ penu, sacrorumque scriptorum promptuarijs exhausi, selegi, Vniuersitatique litterariæ propono. Noui, & in præterito volumine denarrata admiranda, in Homine ipso, ceù in Diuinæ omnipotentiæ albo, vel ab homine eodem, superiori cooperante virtute, perpetrata; At quia, vt aiebat Trimegistus de Pietate, & Philosophia:* Mundus propter Hominem, Homo verò propter Deum, *quæcumq. in Mundo magno hùcusq. mirabilia denotata prodiere, obsequens eius Homini famulitium, cui Deus mundum mancipauit, claris, apertisq. indicant notis. Cætera quæ deinceps chartis consignabuntur, in eodemmet Homine, vt ordinato ad Deum, ceù ad vltimum sui finem, quæ admiranda diuinitùs euenere, manifestabunt.*

Cultum omnem sermonis, sicuti & in præterito volumine, in hoc & neglexi, à fucu, delectuque verborum abfui, rudibus, minimèque expolitis verbis Admiranda hæc lucem haurire censui; quippè, vt ait Cyprianus epis. 2. cùm de Domino Deo vox est, vocis pura sinceritas, non eloquentiæ viribus nititur ad fidei argumenta, sed rebus; *Admiranda ipsa, licet ruditate, neglectuque exposita, omnem præseferrent ornatum;* nàm simplicitas expers comptionis *teste Philostrato epis. 40. ad vxor.* re vera est venusta, & elegans. *Operi poliendo operam locandam non existimaui, alijs enim profuturo, rerum potiùs, quàm verborum cura fuit; quare verba ipsa, quæ de quodam suo volumine quondam dixit D. Augustinus, de mend. cap. 1. lectori meo proponam:*

ponam: Eloquium noli quærere, multùm enim de rebus laborauimus, & de celeritate absoluendi tàm necessarij quotidianæ vitæ operis, vndè hactenùs, ac propè nulla fuit nobis cura verborum. *Opus igitur exordiar, interimque Diuinam omnipotentiam à qua Bona cuncta procedunt, cunctaque deriuant admiranda, admirari non itermittam.* Accipe igitur *loquar cùm Cypriano ep.2.* non diserta, sed fortia, nec ad audientiæ popularis illecebram culto sermone fucata, sed ad Diuinam indulgentiam prædicandam rudi veritate simplicia.



A D.

ADMIRANDA ORBIS CHRISTIANI

De Admirandis ΕΝ ΤΩ ΜΙΚΡΩ ΚΟΣΜΩ præter Naturam mirabiliter perpetratis.

PROLEGOMENON VNICVM.

Quid sit Μικρόκοσμος, eiusque, & Operis partitiones.

PErbelle Μικρόκοσμον viuidis, distinctisq. expressit, depinxitq. coloribus Nazianzenus orat. 42. *Deus*, inquit Sanctus, *Animal vnum ex vtroque, hoc est, ex* INVISIBILI, *ac* VISIBILI NATVRA *Hominem fabricatur, atq. à materia quidem iàm ante producta sumpto corpore, à se autem insito spiraculo, veluti quemdam alterum Mundum, in paruo magnum, in terra collocat*, ANGELVM ALIVM, MIXTVM ADORATOREM, VISIBILIS NATVRÆ SPECTATOREM, INTELLECTVALIS MYSTEM, EORVM QVÆ IN TERRA SVNT REGEM, *Superis autem subditum, terrenum, & cælestem*, CADVCVM, & IMMORTALEM, &c. En igitur ex Nazianzeno, Hominis, seu Μικρόκοσμον delineata natura, designatæ partes, præfinitę proprietates, en cùm Μακρόκοσμον simillima Μικρόκοσμον comparatio. Anima siquidem in Homine, ceù INVISIBILIS NATVRA primam sibi vendicat sedem, veluti cęlum corporeæ substantiæ, seu VISIBILIS NATVRÆ, quæ Terræ, cæterorumque sublunarium corporum omnigenas partes referens, infimam possidet portionem. Quos diuersos in Cœlo causant motus errantes Planetæ, septem Ecclesiæ Sacramenta, Animam ad diuersum statum deducendo, imitari mirabiliter efficiunt, eamque modò ANGELVM, modò MIXTVM ADORATOREM, &c. declarant; Sicuti Cœlum rutilantibus Stellis, sic rationalis Anima Virtutibus exornatur. Neque deficiunt, sicuti in Cælo, maculæ, vitiaque illam deturpantia. Influxus mirificos, & singulares, quos sibi aliquod vendicat Sydus, hos & præseferunt, ad singulares pręrogatiuas, dotesque selectæ, à Deoque pręordinatæ Animæ, veluti REGES EORVM QVÆ IN TERRA SVNT. Quatuor deindè Elementa, in quatuor sibi inuicem obuersantibus qualitatibus, quæ Humani corporis habitudinem disponunt, euidenter apparent. Et quia Mundus maximus quandòque in sublunaribus corruptionem patitur, ab eadem non omninò immunis in morte conspicitur, vt potè CADVCVS, & Mundus paruus; fæliciori tamen sorte, corpus siquidem ad tempus corruptioni traditur, à qua & prodigiosè quandòque liberatur; Anima verò, vt potè IMMORTALIS, cùm amico corpore eumdem in resurrectione efformatura Hominem, in statuto loco, iuxta propria merita, vel demerita, mirabiliter conseruatur. En igitur Hominis, diuersique eiusdem status descriptio, cui & Psides de Mundi vanitate v. 166.

Μικρός ἐστι κόσμος ἀνθρώπου φύσις
Natura Hominis Mundus quidam minor
Cui ratio (vt Silius Italicus li. 15.) *& magna cælestia semina mentis*
Munere sunt concessa Deum. . . . . . .

Quæ ergo admiranda in Μικρόκοσμον, seu in Homine Ratione prædito, inque eiusdem partibus iàm præsignatis, diuersisque, quos sibi quandòque, & successiuè vendicat, statibus, aut olim mirabiliter euenere, aut adhùc omnium cùm admiratione perennant, in hoc exarabuntur Volumine. Ordinem, quem mihi in præterito proposui, propono & in præsenti. Admiranda quæ iàm præcessere, præcedent; subsequentur quæ aut perenni miraculo adhùc perdurant, aut quorum iàm præteritorum, & nunc tamen perseuerant admiranda vestigia; Eritque vndèquaque absolutissimum opus; in quod oculos mentis coniicentes mortales, si vsque adeò incredulitatis velamine obducti, vel cùm Gedeone Iud. 6. querebantur: *Si Dominus nobiscum est, cur apprehenderunt nos hæc omnia? vbi sunt mirabilia eius, quæ narrauerunt Patres nostri?* vel cùm Molinæo in Vate, libr. 5. cap. 14. cæterisque Sectariis oblatrabant: *Noluit Deus hæc prodigia esse perpetua*; deinceps cùm Apocalypsis Citharædis cap. 16. conclamaturos haùd dubito: *Magna, & mirabilia sunt opera tua Domine Deus omnipotens*; vel cùm Regio Psalte, psal. 110. *Memoriam fecit mirabilium suorum, misericors, & miserator Dominus. Deus enim*, vt ait Chrysostomus in ps. 110. *nunquam miracula facere intermisit: hoc enim est, fecit memoriam: non cessauit, non destitit per omnem generationem facere miracula, & per res admirabiles, excitare crassiores.* Faxit igitur Deus.

LIBER PRIMVS
De Admirandis circa diuersum statum naturalem Hominis.

B Admirandis exordiar, quæ in Homine iuxta illi à Natura præordinatos diuersos status, admirabiliter, supraque vires eiusdem naturæ, semper admirabilis operatus est Deus. Quæ verò eumdemmet Hominem respiciunt, à Gratia ad superiorem gradum, statumque supernaturalem eleuatum, prosequar deinde; sic etenim à minoribus, ad maiora erit ordinatus processus. Quare sit.

CAPVT PRIMVM.

De Admirandis circa Hominem tempore, quo in vtero moratur. Præsagia de occulto adhuc Fœtu in ventre matris. S.1.

X vtero materno primùm sibi aperit aditum Homo in rerum natura; quæ igitur præter ordinem naturæ quandóque Hominibus in vtero matrum mirabilia euenere, hic & primum sibi vsurpabunt locum; & primò Admiranda Præsagia Fœtuum adhùc in vteris matrum degentium. Sintque.

1. *Audoenus Rothomagensis Epis. in vita S. Eligij*. Cùm B. Eligius Nouiomensis Episcopus, Matris adhùc aluo esset inclusus, vidit Genitrix eius in visione, quasi Aquilā valdè pulchram supra suum volitantem stratum, ac se tertiò inclamantem, sibique nescio quid pollicentem. Cùmque ex reciproca voce euigilasset, perterrita nimis, cæpit mirari quænam esset hæc visio; interea venit tempus pariendi, & præ magnitudine doloris cæpit mater periclitari. Vocauerunt ergo quemdam Religiosum, qui cùm veniret ad eam, quasi propheticum mox vsurpans verbum, dixit ad illam. Noli mater timere, quoniam benedictum partum tibi Dominus dignabitur largiri, erit enim vir Sanctus, ac de gente sua electus, vocabitur magnus in Ecclesia Dei Sacerdos.

2. *In vita S. Theodori Siceotæ*. Dùm S. Theodorus à matre in vtero portaretur, in quiete vidit Stellam ingentem, & claram è cœlo in vterum suum descendere; ex quo cognouit, quantæ sanctitatis partus eius esset futurus.

3. *In vita S. Fursei Confessoris*. Luce cęlesti tota corusca apparuit Domus, in qua dormiebant Parentes S. Fursei necdùm nati.

4. *In vita S. Emerij Abb*. Cùm eum S. Candida eius mater in vtero gestaret, vidit quadam nocte per visum, quòd à pede sinistro suo exibat virgula vitis, quæ præ multitudine, dùm cresceret, totam terram tegebat, sub qua etiam Columba de Cœlo requiescere videbatur. Vidit etiam clarum lumen à se ipsa egrediens, nimio decore præradians, quod acceptum ab Angelo Domini in Cælum ferebatur. Vidit etiam per tertium, quòd Dei Genitrix Maria veniebat ad eam, dicens; ne timeas quia rogaui filium meum, vt gigneres prolem. Quibus prodigiis intellexit, quantæ sanctitatis futura esset proles, quam vtero gestabat.

5. *Surius, 20. Febr. in vita Ven. Eucherij*. Cùm semel ab Ecclesia Domum rediisset Genitrix Ven. Eucherii Aurelianensis Episcopi, quietiq. se dedisset, vidit in somnis Angelum Dei sibi dicentem: Aue Dei dilecta, benedictum in vtero tuo ferens puerum, olim in hac vrbe à Deo electum futurum Antistitem. Expergefacta gratias egit Deo, reique expectabat euentum, qui iuxta visionem accidit.

6. *Idem, 10. Iulij, in vita S. Amelbergæ*. Cùm S. Amelberga vtero gestaret Gudilam Virginem, quā postea peperit, Angelica consolatione recreata est, dicente Angelo ad eam: Ne timeas Amelberga, lachrymæ, ac preces, atq. eleemosynæ tuæ ascenderunt ad Deum; Paries filiam Deo dilectam, summæ continentiæ, & castitatis integritate conspicuam, quæ omnibus vitæ suæ diebus Deo gratum exhibebit famulatum; vt euentus postea probauit.

7. *Baronius, in Annal. Eccles. ann. 989*. Partui proxima erat vxor Geiscæ primi Principis Vngarorum Christiani, cùm D. Stephanus Protomartyr illi in somnis apparuit, ita eam compellans. Confide mulier in Domino, & certa esto, te filium parituram, cui primo huius gentis, & Regnum, & Corona debetur, tu verò illi nomen impones meum; quibus dictis disparuit. Similia ferè & marito prædixerat iuuenis speciosissimus, qui itidem illi apparuerat. Natus est autem puer, & in Baptismo Stephani nomen accepit.

8. *Ionas Abbas, in vita S. Columbani Abb. c.2.* Cùm esset grauida S. Columbani mater, nocte intempesta sopore depressa vidit è sinu suo rutilantem Solem, nimioque fulgore micantem, procedere, & mundo ingens lumen præbere.

9. *Albinus Flacus, in vita S. Vuilibrordi, cap.2.* Matri S. Vuilibrordi, dùm illum vtero gestaret, intempesta noctis quiete visum est, quasi nouam in Cœlo videret Lunam, crescente illa vsq. dùm plena videbatur esse; quam diligentiùs intuens, repentino cursu lapsa ruit in os eius; qua deuorata, eius intima splendore diffusa sunt.

10. *In actis S.S. 31. Iann. apud Bollandum, de S. Maedoco Epis. Fernensi, in Hibernia*. Nocte, qua cōceptus fuit S. Maedog, Pater eius somnium vidit, scilicet Stellam cadentem desuper in os vxoris suæ & vxor vidit in somnio Lunam cadentē in os suum; sur-

surgentesque de somno, narrauerunt inuicem quod viderunt; & ideò S. Maedog à multis filius stellæ vocatus est.

11. *Guillelmus Abbas, in vita S. Bernardi lib. 1. cap. 1.* Bernardi Clarauallensis Abbatis Mater, ante diem partus visa est sibi in somnis catulum in vtero latrantem habere; id interpretatum est, eam Diuini verbi præconem parituram.

12. *Sabel. lib. 1. cap. 7. De insigni ortu S. Dominici Confessoris.* Mater eius prægnans per quietem vidisse fertur, parere se catulum incensam facem ore circunferentem, qua omnes incendio terræ conflagrarent; nec defuit nocturno visui euentus. Orta est nàmq. ex illo ingens Familia, quæ Diuina prædicatione terrarum partem maximā inflāmauit.

13. *Surius in vita S. Claræ 12. Augusti.* Hortulana S. Claræ mater, prægnans, & partui iam vicina, cùm in Ecclesia ante Crucifixum oraret, vt eam de partus periculo salubriter expediret, vocem audiuit dicentem sibi: Ne paueas mulier, quia quoddam lumen salua parturies, quod ipsum mundum clariùs illustrabit. Quo edocta miraculo, natam infantulam, sancto baptismate renascentem, Claram vocari iussit.

14. *In Martyrol. Gallic. 25. Iannuarij, de sancto Praiecto Episcopo.* Hunc cùm Mater grauida in vtero gestaret, vidit per quietem fœtum iàm maturum suo à latere egredientem, & statim à partu cùm baptizaretur sanguine cruentatum. Quam rem cùm ad pium virum retulisset, responsum accepit, fore, vt pareret filium magni aliquando nominis, & qui Martyrio vitam fæliciſſimè terminaret. Cuius vaticinii veritatem exitus comprobauit.

15. *In actis S. Andreæ Corsini.* Qualis futurus esset, antequam nasceretur diuino præsagio ostensum est; nàm Mater grauida sibi visa est per quietem, lupum edidisse, qui ad Carmelitarum ædē pergens, in ipso templi vestibulo statim in agnum conuersus est.

16. *Chrysos. Henriquez. 25. Aprilis de B. Franca Virgine.* Matri eius prægnanti miraculosè in uisu ostensum est quòd catulam candidam in uentre gestaret, magnos latratus emittentem; qua de re sapiens cōsultus Cōfessarius, prophetico dixit spiritu: Par ies filiam fidel issimam Diuinę Legis, & voluntatis interpretem, quæ linguam habens medicinalem, impiorum cordium leniter lambens, curabit vlcera scelerum, & latratibus suis fideles animos in Dei seruitio conseruabit:

17. *Marchantius.* Sanctitas S. Francisci Aſſisinatis per Angelum peregrini specie Matri prægnanti prænunciata fuit, dùm illi à partu cruciatæ indicat, non fore liberam à cruciatu, nisi in stabulum deferatur, & ibi pariat.

18. *Idem.* Cùm Sanctus Iulianus Episcopus è materni ventris claustris egrederetur, brachiolo suo in altum sublato, vt solent Episcopi, præsentibus impertiuit benedictionem.

19. *Idem, de Sancto Roberto primo Cisterciensi Abbate.* Matri grauidæ apparuit B. Virgo cùm aureo annulo, dixitque illi: Volo eum, quem gestas in vtero filium, despondere; eamque visionem iterauit, vt tantæ rei veritas clarior appareret.

20. *Vuillielmus Malmesburiensis, lib. 2. de gestis Pontificum Anglorum, de Ethelwoldo.* Dùm à matre in vtero gestaretur, vidit quidam Abbas de eo somnium sanè memorandum. Arborem infra eiusdem Cœnobii septa succrescere, quæ per quatuor mundi plagas ramis diffusis, totam inumbraret Angliam, opertam per omnes frondes cucullis, maximamque cucullam in summo positam, cæteras minores manicarum quasi fomento protegere. Stupefactum illum tantæ visionis miraculo, ab astante venerabilis caniciei sene quæsisse oraculum. Arbor illa, inquit, est hæc Insula: cuculla maior est Monachi tui Ethelvvoldi vita: cęteræ, hominum innumerorum, quos ipse verbo, & exemplo trahet ad Dominum. Consonat huic præsagio matris eiusdem visio, quę ipsi iàm vtero grandescenti, iàmque puerperium meditanti ostensa est. Auream aquilam ex ore suo auolasse, quæ pennarum plausu diù ciuitatem perlustrans nouiſſimè altitudine nubium euecta, cœlum subisset. Harum visionum veracem exitum iàm prælambens fortuna ferebat in populum.

21. *Sur. in vita S. Thomæ Aquinatis, 7. Martij.* Cùm Mater eius Theodora eum vtero gestaret, vir quidam sanctus eremita, re, & nomine Bonus, ad eam in Castro suo Rocha Sicca morantem accessit, eiq. dixit spiritu prophetico. Lętare domina Theodora, paries enim filium Thomam, qui toto Orbe ob vitæ, & eruditionis præstantiam celebrabitur; porrò S. Dominici institutum idem ipse complectetur.

22. *In vita B. Stephanæ Quintianæ, Ordinis S. Dominici.* Quantæ futura esset Sanctitatis, cùm adhuc in vtero Matris esset, demonstratum fuit; si quidem eo tempore nullum dolorem, molestiamue ex concepto fœtu contra naturæ ordinem mater præsensit, immò summum gaudium, & lætitiam.

23 *In vita S. Vincentij Ferrerij, cap. 2.* Eius mater cùm antea singulos filios, quos genuerat, in vtero maxima cùm molestia gestasset, tamen quandiù fuit Vincētii grauida, nihil molestiæ sentiebat. Quinimmò tanta erat ei agilitas, tantumq. corporis robur, vt penè nihil in vtero portare videretur. Hoc indicium futuræ sanctitatis prolis, quam gestabat.

24 *Archangelus Gianus, in vita S. Phil. Benicij, l. 1. c. 1.* Albauiridis Mater S. Philippi, dùm beatum fœtum in vtero gestaret, sibi visa est in somnis, magnam, ingentemque parere flammam; quæ, vt euentus postea probauit, mundum vniuersum Spiritus Sancti ardore inflammauit.

25. *Lucius Marineus, de Reb. Hisp. l. 5.* Matri S. Idelfonsi Toletani Ep. quiescenti apparuit B. V. M. dixitq. Lucia (hoc illi nomen) tibi filium prænuncio nasciturum, qui magnam Hispanis omnibus lucem afferet; Quæ cùm hoc dixisset, summo splendore refugens ab illius oculis euanuit.

26. *Menard. in notis ad Marty. Monast. 1. Maij.* B. Gaufridus Baiocis natus nobilibus parētibus, cū adhùc esset in aluo materno, Tēplū S. Marię Magd. Baiocis conflagrauit; & quędam pixis, in qua particulę aliquot de Reliquiis S. Mariæ Magd. S. Georgii, & quorumdam Martyrum conditæ, ex ipso templo in sinum matris B. Gaufridi non sine stupendo miraculo delapsa est, quod indicium fuit futuræ in puero Sanctitatis.

27. *Siluanus Razzius, in vita B. Aldobrandesca Virginis Senensis, tertij ordinis Humiliatorum.* Dùm illam mater vtero gestaret, visa est quadam nocte in somnis parere filiam, quæ totum cubiculum illuminabat, & circa quam multitudo copiosa hominum illi obsequium præstantium cernebatur; audiuitq. vocem dicentem sibi, Benè custodi Agnes (sic vocabatur mater) hanc puellam, illam siquidem sibi elegit Deus; quo præsagio, qualis futura esset nascitura proles intellexit.

28. *Idem, in vita S. Rainerij Confessoris.* Prægnans illius mater vidit somnium, in quo videbatur parere filium pilosum, qui tamen magnam sanctitatem portendebat: tempore autem partus illum peperit sine dolore.

29. *Idem, in vita B. Franchi Senensis Carmelitani.* Illius mater dùm grauida esset, in somnis visa est parere monstrum, quod postea in hominem conuertebatur; iudicauitq. somnium præsagire, filium à se nasciturum, monstruosum vitiis primò futurum, deindè ad meliorem frugem conuersurum; vt & accidit.

30. *Colg. in vita S. Gildæ, 29. Ian.* Cùm vir Dei in Epidana regione prædicare inciperet, vox eius diuinitùs impedita, & retenta fuit. Admirante ergo plebe, præcepit sanctus adstantes exire vt cognosceret, si per aliquem ipsorum impedimentum fieret prædicationis suæ. Cùmque egressis omnibus, verbum facere populo nequiret, si aliquis in Ecclesia latenter esset quæsiuit. Cui Nonnita mater S. Dauid prægnans respondit: Ego turbam vitare volens, hic iuxta parietem lateo; Qua iussu eius egressa, populo intranti, vt voluit, prædicare cæpit, & finito sermone, rem gestam patefecit. Mulier inquit Sancta filium paritura sanctissimum, & à Deo electũ, in Ecclesia mansit, vnde prædicare nõ potui, Diuina potestate sermonem retinente. Tanta gratia puer ille præditus erit, vt nullus ei temporibus nostris comparari possit.

31. *In Paradiso Carmelit. de Ven. Dominico Ruzola.* Eo grauida mater, ardentem facem puerum in ore ferentem, & toti expandentem rete orbi, quo plures ad Deum animæ ab eo traherentur, aliquandò vidit. Paulò item ante pusionis tenelli ortum, se insomnem, & inuigilem, noctu sæpè cœlestes cantus audiuisse, suauissimosque percepisse testata est odores: hisq. refectam adeò, vt neq se grauidam, nec in partu fœtus vnquam molestias expertam esse, suauem immò requiem semper, dulceque sensisse leuamen, quæ omnia futuræ pueri sanctitatis clarissimum erant ostentum.

32. *Auentinus, in vita Pij II.* Victoria nobilis Matrona, & mater Æneæ Siluii, cùm proxima esset partui, in somnis sibi visa est puerum se parere, mitram capite gestantem. Is postea designatus fuit Episcopus Tergestinus, indèque Pontifex maximus creatus, appellatusque Pius II.

33. *Iouius, in vita Leonis X.* Fuere qui dixerunt, Claricem matrem eius pleno iàm vtero, leonem ingentis magnitudinis, & miræ lenitatis in Reparatæ Templo Florentiæ omnium maximo, se parere sine gemitu somniasse; quod postea somnium ex fabulis nutricum, cùm puerorum ingeniis inhæsisset, accipiendo nomini causam haùd dubiè præbuit.

34. *In vita Ven. Nicolai, de Rupe, Eremitæ Heluetij.* Is dùm adhùc materno inuolueretur vtero, vidit Stellam in Cęlo cæteris clariorem, cuius radiis totus orbis illustrabatur, vidit quoque sacrum, quo Christi fideles inunguntur oleum. Quæ omnia cuidam familiari dùm eremum incoleret, veridica patefecit loqutione.

Fœtus ex vtero Matris mirabiliter loquentes. §. 2.

PRodigiosæ ex occlusis adhùc in vteris matrum infantibus quandòque prodiere voces, quæ vt potè contra naturæ ordinem emissæ, ab Admirandorum albo, haùd sunt proscribendæ. Sunt autem.

1. *In Euangelica Hist.* Et factum est vt audiuit salutationem Mariæ Elisabeth, exultauit infans Ioãnes in vtero eius, & repleta est Spiritu Sancto Elisabeth.

2. *Io. Colg. in vita S. Fursæi, 16. Ian.* Cognouit Phyltanus Gelgehè coniugem suam clam patre suo, quę mox cõcepit, vt rei exitus probauit, Furseũ puerũ dignũ Deo: nec multò post ad patris aures fęcunditas filiæ peruenit, qui ferocitate animi commotus in iram vehementiùs exiit, filiamque igni cremandam adiudicauit. Quod intelligens puerulus adhùc materno vtero clausus, cunctis qui aderant obstupescentibus, furibundo auo inquit: Indignum est certè cuiuscumq. conditionis homini filiam suam tradere igni, nisi probabili causa exigente, & rationabili.

3. *S. Odo, in vita S. Geraldi Comitis.* Hunc cùm gestaret Mater, nono die priùsquàm nasceretur, cõtigit, vt cùm suo viro vigilanti vigilans ipsa iaceret; & dùm nescio quid vicissim sermocinarẽtur, infans emisit vocem, quam ambo audierunt. Cumq. attoniti quidnam esset obstupescerent, neq. scire possent, quòd illa vox in aluo matris sonuerit; vocat pater cubiculariam, & quonam ille vagitus increpuerit, adhibito lumine, iubet disquiri. Cùm illa nullum omninò infantem adesse, qui vocem illam ediderit, similiter attonita protestaretur, infans iterùm secũdò sonuit, & post modicum interuallum sonuit etiam tertiò, videlicet sicut recens natus vagire solet. Ter igitur in ventre matris auditus est: quod profectò tàm mirum est, quàm & contra naturæ modum contigit accidisse. Et quia non casu, sed disponente rerum Ordinatore Deo factum est, fortè vox illa iàm præsagiebat, quòd in huius mortalitatis clausura vitales actus erat habiturus.

4. *Torellus, in Hist. August. ann.* 851. S. Isaac Monachus, & mart. Cordubensis, dùm à matre in vtero gestaretur, ter voce humana loqui auditus est.

5. *Valderrama, in Theat. Religionum, concione de S. Benedicto.* Quidam aiunt, Benedictum in aluo matris, Sancta præcinere auditũ, quod argumento fuit, fore eum stupendum sanctitatis prodigium.

6. *Surius, in vita S. Vinc. Ferrerij.* Cùm gestaretur materno vtero S. Vincentius, ord. Prædic. velut latrantis canis vox audiebatur, quod magnum concionatorem quandòq. futurum indicabat, vt consulenti ea de re Matri respondebat Iacobus Romanæ Ecclesiæ Cardinalis, & Valentiæ Vrbis Episcopus.

7. *Va-*

7. *Vadingus, in Ann. Minorum, an. 1476.* Antequam nasceretur B. Iacobus Picenus, Ord. Min. mater eius grauida periculum incurrerat, vt à latronibus, & grassatoribus viarum reuertens ex prædiolo, propè spoliaretur. Festinans igitur ad oppidum, audiuit infantem, quẽ in vtero gestabat, voce sonora monentẽ, ne timeret, neuè gradum acceleraret; futurum ne ei hostes nocerent; quod & factum est; incolumis enim, & integra ad oppidum, sed iàm ab hostibus direptum peruenit, atque domum suam ab illis reperit intactam.

8. *Nicol. Godignus, in vita Gonzali Sylueria, Soc. Iesu, li. 1. c. 1.* De Gonzalo Sylueria illud proditur memorabile, quòd tertiò ante ortum die, vtero adhùc inclusus, matris viscera vagitibus implerit; communem preoccupans hominum conditionem, quos in ipso statim vestibulo vitæ natura abiicit ad lachrymas.

CAPVT II.

De admirandis circa Hominem, respectu illius Natiuitatis.

Ortus filiorum diuinitùs impetratus. §. 1.

LVcem admiraturus Homo nascens in Mundo, admirandi quandòq. præsefert occasionem, è tenebrisue vteri materni prodigiosè quandòq. erumpens, intellectus obumbrat sapientum, eosq. in stuporem inducit, cùm maximè præter vires naturæ ex sterilibus parentibus diuinitùs progerminat. De huiusmodi Admirandis aliqua hic solùm seligam. Sunt autem.

1. *In Hist. Euangelica.* Elisabeth sterilis, & in senectute, Ioannem Baptistam Precursorem Domini concepit, admirabiliterque peperit.

2. *In vita S. Nicolai Myrensis Episcopi.* Diuturna laborauerant sterilitate S. Nicolai parentes, cùm tandem feruenti oratione, precibusq; filium impetrarunt, qui prodigiosa sanctitate, & doctrina totum illustrauit mundum.

3. *In vita S. Nicolai Tolentinatis.* Amata Nicolai mater, cùm iàm multo tempore cùm marito suo vixisset, & instar sterilis nullos pareret liberos, magno ardens desiderio prolis, vnà cùm viro suo Barium voti causa profecta, à S. Nicolao, cuius se patrocinio commendarant, de futura prole fuerunt admoniti; ob idque nato filio, Nicolai nomen imposuere.

4. *In actis S. Stanislai Poloni.* Parentes S. Stanislai per annos triginta steriles, illum à Deo precibus impetrarunt.

5. *Baronius, in Ann. Eccl. an. 564.* Erat in Vrbe Amasea quidam Androginus legitima vxore copulatus, qui cùm filiis procreandis operam darent, ita frustrabantur, vt infantes antequam de ventre exirent, immaturi præriperentur. Confugiunt igitur ad Deum, & ad B. virum Eutichiũ, supplicantq; vt precibus suis impetret, ne infantes sibi in lucem editi, statim moriantur. Annuit ille, ambosq. vnxit oleo sãcto, tùm eo, quod ex pretiosa Cruce, tũ illo quod ex Sanctæ, puræq. Dei Genit. Marię veneranda Imagine scaturire solet Sozopoli. Concepit ergo mulier, & præscripto tempore filium peperit, cui nomen Petri imposuit, sicut seruus Dei illi prædixerat.

6. *In actis S. Hugonis Episcopi Linconiensis.* Mulier quædam, cùm quatuor fecisset abortus, admonita est ab Ancilla sua vt puerulum cereum S. Hugoni offerret, quod vbi fecit, non abortiuit vnquam, sed sex incolumes pueros enixa est.

7. *Theodoretus, in Historia P.P. cap. 13. in vita Macedonij.* Mater Theodoreti cùm patre habitauerat tredecim annis; nec vllum genuerat filium, erat enim sterilis, quod quidẽ id non valdè ęgrè illa ferebat: accessit ergo ad Macedonium virũ Diuinũ, summisq. lachrymis eum est deprecata, vt precibus à Deo prolem impetraret. Fecit vir Sãctus, promisitq. illi filium, & quarto anno à promissione concepit, temporeq. opportuno Theodoretum est enixa.

8. *Metaphrastes, in vita Danielis Stylitæ.* Leo Magnus, qui Romanum administrabat Imperium, prole mascula carebat: confugit igitur ad Dominum, apud ipsum Daniele vsus intercessore. Ille paruit, & anno sequenti parituram esse vxorem protinùs significauit. Res ergo, vt dixerat, successit, & natura cessit precibus, non solùm ad hoc vt daret filium, sed ad hoc etiam vt daret illo tempore quo Sancti os diuinum prædixerat.

9. *Idem de eodem.* Mulier quædam, Rais nomine, fide feruentissima, & maximè pia, accurrens ad Simonem Stylitam, precibus ab eo contendit, vt sibi nasceretur filius; orauit ipse Deum, significauitque mulieri fore vt ipsa pareret filium, & prædixit nomen filii: Zenonem, dicens, ò mulier vocabis filium. Quod & factum.

10. *Surius, in vita S. Remigij Rhemensis Archiep.* Cùm Cilinia S. Remigii mater ad senilem ætatẽ deuenisset, virq. eius Æmylius vetulus esset, & in æuoso eius corpore frigidus, prædixit ei vetus Monachus Montanus, citò concepturam, & parituram filium, qui populum Dei ad meliorem frugem esset reducturus. Conceptus est ergo futurus Christi Põtifex, & quem mater auspice Deo concepit, feliciter filium genuit, eiq. secundùm Domini dictum in baptismate Remigii nomen imponere fecit.

11. *S. Hieron. in vita S. Hilarionis.* Mulier quædã Eleutheropolitana, cernens despectui se haberi à viro ob sterilitatem (iàm per annos quindecim nullos coniugi fructus dederat) accessit ad S. Hilarionem, in Eremo propè Gazam viuentem, eumq. enixe est deprecata, vt precibus à Deo filium impetraret. Fecit Sanctus, fidereq. mulierem iussit, & exacto anno filium perit.

12. *In Actis Sanctorum.* B. Marius Abbas Bodonensis precibus filium impetrauit cuidam Nimphidio, qui eius precibus se commendauerat.

13. *Ibidem.* S. Petrus Thomasius Patriar. Constãt. dùm in Achaia, apud quẽdam virum Nobilem hospitaretur, eius vxori, quæ plures filias pepererat, prolem masculinam diuinitùs impetrauit.

14. *Ibidem* S. Euthymius magnus Abbas, à parentibus sterilibus precibus Sancti Polyeucti Martyris, cuius precibus se comenderant, natus est.

15. *Ibi-*

15. *Ibidem*. S. Emerium post multos annos sterilitatis peperit S. Candida, Angelo ei in somnis apparente, deque futura prole prędicente.

16. *Ibidem*. Aliæ sanctissimæ fœminæ sterilia viscera meruerunt fæcundari inclyta prole, quæ fuit S. Genulphus Episcopus Biturigensis.

17. *Ibid.* S. Euthymius Magnus Abbas vxorem Ferebonis Saraceni sterilem facto signo Crucis, & lapide eius ventrem tangendo à sterilitate liberauit, triumque filiorum prędixit futuram genitricem.

18. *Ibidem*. Regina nomine Langueth diù sterilis, prece S. Kentigerni concepit, & filium peperit, quem sanctus baptizans, vocauit Constantinum.

19. *In vita S. Cadoci Episcopi*. Semel S. Cadocus à Regina quadam supplicatur, vt à sterilitatis opprobrio eam liberare dignaretur. Cui ille: Vade in pace, Deus det tibi petitionem, quam rogasti: eadem autem nocte filium concepit, cui nato, Elle in Baptismo nomen imposuit.

20. *In vita B. Oringa Virg. in Etruria*. Franceuccius Lucensis, vxorem improlem habens, rogauit S. Oringam vt pro eis oraret. Facta igitur oratione, filium eis promisit, prædicens & monialem futuram, vt & euenit.

21. *In vita S. Rochi Confessoris*. Eius genitrix diù sterilis, ieiunio quartæ, & sextæ feriæ, & voto nuncupato ad Deiparam Virginem, impetrauit à Deo fæcunditatem, sanctumque Rochum genuit.

22. *Sozomenus, lib. 6. cap. 38.* Saracenorum Princeps Zozomus, ad celebrem quemdam abiens Monachum, queritur, se prole destitui, Monachus prolem certam promittit, si in Christum credat. Principem bono esse animo, & in Regiam suam reuerti iubet. Interea pro Principis sobole preces assiduas ad Deum fundit. Exauditur, ac nascitur suo tempore Zozomo filius hæres; ex quo non tantùm ipse Christianus factus est, sed tandem religionem omnibus simùl subditis amplecti præcepit.

23. *Georgius, in vita S. Theodori Archimandritæ.* Dominus Patritius vir clarissimus, domum suam, quæ in [illegible]adianis est, virum sanctum deduxit, vt familiæ suæ benediceret. Cùmque Irenem coniugem suam adduxisset; Benedic, inquit, Domine huic conseruæ tuæ, ex qua ego cùm diù simùl vixerimus, nullos adhùc liberos suscepi. At vir sanctus cùm ei precibus suis benedixisset; Dei gratia, inquit, hæc tibi filios mares pariet. Porrò, vt vir Dei prædixerat, tres filios peperit, cùm statim post eius benedictionem primum filium concepisset.

24. *Idem de eodem*. Cùm Parentes mei diù simul vixissent, nec vllos possent liberos suscipere, ad sanctum virum Theodorum accesserunt, cùmque Zonas, quibus ille benedixerat, accepissent, ego conceptus, & natus sum.

25. *Idem de eodem*. Sergius sanctissimæ Ecclesiæ magnæ Diaconus, sororem habebat, quæ cùm triennium cùm marito vixisset, nunquam concipere poterat. Vtrumque coniugem Sergius ad sanctum Theodorum adduxit, eum obsecrans, vt illis à Deo filios impetraret. Tunc vir Dei vtriusque Zonas accepit, atque inter illas vtrinque collocatas, genibus flexis, Deum precatus est. Post autem Zonas illis restituit, vt se cingerent. Et Dei gratia factum est, vt post nouem menses mulier filium pepererit.

26. *In vita S. Andreæ Corsini*. Parentes eius, vt Deo gratum opus exhiberent, vouerunt, primum filium, quem generassent, oblaturos religioni *B. V.* interim orationi, & precibus se dederunt, impetraruntq. B. Andreã, quem iuxta votum Deo dicarunt.

27. *Lucius Marinaus, de rebus Hisp. lib. 5.* Parentes S. Idelphonsi Toletani, dies, ac noctes orationibus ad Deum, & Mariam Virg. Dei genitricem semper impendebãt, orabantq. vt sibi tandem proles nasceretur. Cuius Matri quiescenti Maria Virgo visibiliter apparuit, filiumq. nasciturum prænunciauit, qui magnã Hispanis lucem afferret; vt & euenit.

28. *Surius in vita S. Rumoldi Archipresb. Mechliniensis*. Cùm quondam apud Scotos Regni gubernacula Dauid Rex eximia fortitudine, ac prudentia vir teneret, ducta in Matrimonium Cæcilia Regis Siciliæ filia, postquam multo tempore nulla spe prolis vnà degissent, tandem precibus Guallasseri Dubliniensis Antistitis filium à Deo impetrarunt; qui vt Angelo nunciante conceptus, ita etiam eodem monente in lucem editus Rumoldi nomen sortiri meruit.

29. *Archangelus Gianus, in vita S. Philippi Benicij, lib. 1. cap. 1.* Precibus, & votis Deo, Beatæque Virgini factis, parentes D. Philippi, beatam prolem obtinuerunt, quam in Baptismo Philippi nomine inaugurarunt.

30. *Ex inscriptione in Marmore Romæ in Templo S. Saluatoris in Lauro.* An. 1474. Ioannes Mates, & Catharina Calagnira Barcinonenses, cum annos octo egissent sine prole, pro ea obtinenda voto domi concepto, & in ipsa S. Seueri Ecclesia renouato, sacrum solemne faciendum curarunt in honorem duodecim Apostolorum, accensis duodecim cereis, cùm nomine vnius Apostoli ad singulos cereos. Audierunt Apostoli vota precantium, *nàm ipsi spatio* tredecim annorum sequentium, duodecim proles habuerunt, octo masculos, & quatuor fœminas, quorum singulis vnius Apostoli nomen indidere. Et licet diù superuixerint, nullam vltra prolem susceperę. Filii deinde post parentum mortem singuli circa Festũ sui Apostoli, cuius nomen gerebant, obiere.

31. *Silu. Razz. in vita S. Galgani Erem.* Cùm illius parentes filios non haberent, precibus, & diuturna oratione, intercessione S. Michaelis Archangeli tandem à Deo impetrarunt Beatum Galganum, qui magna sanctitate postea enituit.

32. *Felix Astulph. l. 2. Hist. imag. B. V.* Cùm parentes D. Agnelli multorum annorum sterilitatẽ mœsto animo tulissent, preces ad imaginem B. V. quæ in quodam sacello Neapoli colebatur, deuotè effundere cæperunt, suppliciter Matrem misericordiarum exorantes, vt prolem optatam à filio sibi impetraret. Nec vanæ fuere preces. Ipso enim Annunciatæ die, cùm ante eandem imaginem Ioanna Agnelli mater oraret, fulgor cælestis imaginem illustrauit, & vox audiri cæpta est; confide filia, filius tibi dabitur. Hunc, quia suauitate morum sæculum honorabit, Agnellum vocato in hoc templo magnã vitę partem viuet, & in causa erit, vt Neapolitanæ Vrbi multas gratias faciam. Quod totum successu temporis comprobatum est.

33. Io-

33. *Ioseph Sylos, in vita Ven. Francisci Olympij, l.1.c.10.* Maria Paladina, Campi Marchionissa, à grauissimis doloribus, orationibus Ven. Frãcisci, qui ad illam accersitus fuerat, liberata est. Cumulatumque mox beneficium. Nàm quæ à tot morborũ incõmodis suæ etiam fœcunditati desperauerat, non ita post multò concepit, intercessione, vt creditur, eiusdem viri Dei; cùmque vterum gestaret, id etiam à Dei viro resciuit, forè nempè, vt virilis sexus sobolem ederet, quod accidit.

34. *Idem de eod. l.2.c.9.* Violanta Pignatella, quæ fœcũditatem penè desperauerat, Olympii precibus, ac vaticinatione, visa est non post multò fœcunda.

35. *Io. Antonius Cagianus, in vita Vener. Pauli Aretij, Cl. Reg. & Card.* Cùm semel Ven. noster Cardinalis in visitatione propriæ diæcesis apud quemdã virum nobilem hospitatus fuisset, qui post multos annos matrimonii, deplorabilem in propria vxore expertus erat sterilitatem; pius Ep. eum benignè cõsolatus est, cùmq. iussisset, vt ambo coràm se genuflecterent, benedixit illis, dicens, concedat vobis Dominus prolem optatam; & ecce mirum, nundùm decesserat annus, cùm mulier concepit, peperitq. marem diù concupitum, precibus Ven. Cardinalis, vt pium est credere, impetratum.

Partus diuinitùs Prodigiosi. §. 2.

NOn hìc referam portentosos partus, qui vbiq. terrarum ex inordinata mixtione seminum, vel ex qualibet alia causa naturali, vel euenere, vel quotidiè eueniunt; aliquos solos adducam, quos ordinante superiùs diuina prouidentia, ob statutos sibi fines, mirabiliter admiramur. Sunt autem.

1. *In actis S.S. Febr. tom.3. in contin. Bollandi.* Mater S. Olcani Ep. in Hibernia, post mortem mariti gestans ipsum in vtero; in Hiberniam profecta est, ibiq. mortua, & sepulta: sed postea à S. Patritio fratre suo germano precibus fusis resuscitata; mox cępit puerperio laborare, ac sanctum hunc enixa est filiũ, qui eximia vitæ perfectione, multisq. ac magnis miraculis claruit.

2. *In vita S. Patritij, c.64.* Erat quædam in illis finibus fęmina, Fidelina nuncupata, fidei Christianæ ignara, hæc autem prægnans in vtero filiũ habuit, sed instante partu, ac deficiente virtute pariendi, animam exhalauit. Defũctæ mulieris amici attracti, cadauer eius exanime ad sanctum Patritium attulerunt; Tunc vir Deo plenus protinùs se in orationem dedit, defunctamq. ad vitales auras reduxit; vitæ verò restituta, parit filium, & tempore competẽti post puerperium vnà cùm prole suscepit baptismum. Eodem modo post paululùm, mulierem alteram prægnantem, & defunctam resuscitando, & vnà cùm prole baptizando, iterauit hoc signum.

3. *Colg. in vita S. Geraldi Abb.* Mater eius antequam hunc benedictum fructum in vtero portaret, massam quamdam sanguineã intrà viscera portabat, quæ vulgò porcellus paralysis vocatur. Prouidente ergo superno medico contra hanc incurabilem infirmitatem de antidoto salutari, hunc infantem in vtero concepit, ac tandem cùm præfata massa peperit: sic enim hunc mundum intrauit, ita quòd massam illam matris viscera aggrauantem manu dextera insignum futuræ sanctitatis teneret. Hæc massa in modũ lapidis indurata, lapis S. Geraldi vulgò vocatur. Hic lapis multis confert sanitatem corporalem, & specialiter mulieribus in puerperio laborantibus, si ex lotione eius biberint aquã, singulare dat præsidiũ.

4. *Idem, in vita S. Senani.* Cùm tempus appropinquaret partus, contigit Comgellam S. Senani matrem tempore autumnali, in loco qui Magh-lacha, solam in pomario, auræ serenioris capiendæ gratia, agere, & cùm inciperet parere, Angelus Dom. accessit, qui eam ab omni partus dolore liberauit, & prolem eius benedixit. Lignum autẽ aridum, quod ipsa tẽpore partus manu tenebat, statim fronduit, & floruit, & illa arbor vsq. in hunc diem ibi conspicitur.

5. *Surius.* Edmundus Ep. Cant. præter communem nascẽtium morem, ita mundus è maternis visceribus prodiit (quod futuram eius puritatem declarabat) vt mundissimus pãnus, cui inuolutus fuit, nullam prorsùs maculam ab eo contraxisse videretur: ita vt obstetrices rei nouitate perculsæ, magna admiratione sint affectæ. Ideò mater eum in baptismo Edmundum, à munditia, nuncupandum censuit.

6. *Siluanus Razzius, in vita B. Ambrosij Sansedonij.* Cùm hic sanctus ex vtero matris horrendè monstruosus natus esset, delatus à Nutrice in Ecclesiam Patrum Prædicatorum, & antè altare sacrarum Reliquiarum Deo oblatus, omni deformitate deposita, illicò pulcher, & amabilis apparuit.

7. *Baronius in Ann. Eccl. an. 998.* Robertus Galliarum Rex, auus Philippi, qui in paterni iuris sceptra successit, propinquam sibi copulauit vxorem, ex qua suscepit filium, anserinum per omnia collũ, & caput habentem; quos etiam, virum, & vxorem omnes ferè Galliarum Ep. communi simul excõmunicauere sententia. Cuius sacerdotalis edicti tãtus omnem vbiq. populum terror inuasit, vt ab eius societate vniuersi recederent; nec præter duos seruulos ad necessarii victus obsequium, illi remanerent. Qui tamen & ipsi omnia vasa, in quibus Rex edebat, & bibebat, percepto cibo abominabilia iudicãtes, pabulo ignis exhibebant. His autem Rex coarctatus angustiis, ad sanum consilium rediens, diuortium fecit, iniitque legale conubium.

8. *Vuierus.* An. Dom. 1575. Quidam non obscuri nominis, Regi Hispaniarum in Gelria militans, honestam è nobili familia duxit coniugem, quam duriùs tractabat; intelligẽs autem ipsam vterum ferre, indignãter, veluti sinistrè precatus, ait illi: Tu infernalem gestas dæmonem, quem gladio confodiam. Non lõgè post filiolum genuit, dimidia corporis inferioris parte benè formatã, verùm superior pars lituris rubris, & nigris fęda apparuit, oculis in fronte locatis, ore rotũdo, nigro, tetro, vt Satyrus, auribus longis, veluti canis venatorius, in vertice duo cornua nonnihil intorta, quæ manibus contrectata, reddebantur sanguinea.

9. *Ludou. Viues, in l.12. S. August. de Ciu. Dei, c. 25.* In Vrbe Brabãtiæ Buscumduci, vir quidam, cùm vidisset ludos quosdam, in quibus personas Diuorum alii, alii verò Dæmonũ induebãt, visa puella exarsit; & domum reuersus saltitando correptam vxorem suam, vt erat personatus, in lectum coniecit, se ex ea dæmo-

dæmonium velle gignere dicens. Concubuit, concepit mulier, & infans quem peperit, simul primùm editus est, saltitare cæpit, forma quali dæmones pinguntur.

10. *Hector Boethius, de rebus Scotorum, libr.8. apud Delrium.* Cùm puella quædam apud Scotos in Marrea Regione, in nefandam cùm Dæmone incidisset consuetudinem, concepissetq. fœtum, tempore statuto enixa est monstrum vndequaque fœdum aspectu, quale nusquam visum est.

11 *Thomas Cantiprat. lib.2. Apum, c.49.n.17.* Fuit in Theutonia nobilis quidam venationibus in tantùm deditus, vt nullam saltem Dominico, vel festo die, Missam audiret, sed semper, venationibus intentus esset. Corripiebat autem eum frequentiùs vxor sua deuota Deo, sed ille quasi muliebres monitus non curabat. Accidit autem, vt ipsa vxor post multos partus editos, impregnata puerum pareret abortiuum, habentem caput canis venatici, pendentibus auribus, & porrectis. Hoc vt sciuit, viditq. maritus, correxit se, & egit pœnitentiam de commissis.

12 *S.Antoninus, in Chron. circa an.1070.* Callæ, Suessionensi villa, tribus hebdomadis laborans mulier à partu, persuasa à vicinis, voto se obstrinxit, quòd nudis pedibus ad S.Mariam itura esset. Ergo statim doloribus leuata est. Primò autem peperit tres lapides, vnum magnitudine oui anserini, alterum gallinacei, tertium maiorem. Hos secutus est infans, qui Baptismate tinctus paucos vixit dies.

13. *Guilhelmus Lindanus, in Apol. pro Relig. Cath. cap.11.* Muliercula quædam oppido Hollandiæ Aspera parturire cæpit; conuenere vicinæ, atq. cognatæ: vbi illa eniteretur difficiliùs, & grauissimè, non minùs quàm periculosissimè, laboraret, vna circumstantium pio ex more puerperam admonet, vt D.Virginem Mariam inuocaret auxiliatricem. Cui illa: Quid mihi istam, inquit, dicis scrofam? erat enim infelix mulier hæretica. Verùm non defuit vindicta Dei; paulò enim post nigellas aliquot in lucem edidit sed emortuas suculas.

14. *Michael ab Isselt, lib.12. Merc.Gall.Bel.* An. 1595. in oppido Baccharach, cùm quidã vir impius, contemptor Dei, & hominum, ebriosusq. Dominica Quinquagesimæ in cauponam abiisset, vt secundùm cõsuetudinem suam ad vomitum potaret, luderetq. aleis, & omnem improbitatem exerceret; Vxorq. illius partui vicina eum secuta admonuisset, vt ab hac impietate abstineret, homo impius miserè eam percutiens, præcepit, vt cùm viuo suo Dæmone, quem vtero gereret, & qui illi in partu opitularetur, domum concederet, & si non pareat, se gladium suum capulo tenùs in vẽtrem illius impacturum. Illa verò, Eia mi vir, ego ne viuum gero Dęmonem? esto igitur, nec plura locuta, domum reuersa est, cùmq. eò peruenisset, dolores partus sensit, & terribile monstrum anteriore, superioreque parte homini, posteriore inferioreq. serpenti simile, caudam habens tribus vlnis longam peperit. Paulò deindè post ebriosus vir domum est reuersus: & ecce monstrum instar falconis in eum illatum sibilans, caudæ suæ implicatum hominem, venenosis ictibus eum in modum pupugit, vt toto corpore tuberibus, contusionibusque pleno, paulò post infælicem animã exhalauerit. Marito mortuo, puerpera quoque extincta est, & tandem monstrum viuere desiit.

15. *Bodinus, lib.2.c.7.* Nobilis quidam Germanus, magiæ nomine infamis, in vxorem exardescens, cùm imprecatus esset vt diabolum pareret, illa peperit monstrum aspectu horridum.

16. *Bruschius, de Monasterio Vinearum.* Irmentrudis vxor Isemberti de Altorf, cùm pauperculam fœminam eodem partu tres liberos mares enixam vidisset, & tanquam impudicam reprehendisset, quòd ex eodem viro tres simul filios suscipere, impossibile videretur; ipsa post annum (Deo sic eius superbum iudicium confutante) absente viro duodecim mares enixa est, quos, vno seruato, iussit obstetrici in proximo torrẽte Schercio demergi. Quod cùm exequi vellet obstetrix, obuius fit ei Comes, & quid velatum gestet interrogat. Illa Vuelfos (sic lingua sua catulos uocabant) deformes submersuram sese asserit: Mox ille: At permitte, inquit, vt videam sint ne aliqui, qui venationi nobis inseruire possint. Repugnat illa; tandem coacta, infantes vndecim ostendit, & negotium Comiti ita vt gestum erat narrat. Imperat ergo Comes, vt factum apud vxorem suam dissimulet, & filios educari præcipit. Exacto iàm sexénio, cùm omnes viuerent, in arcem adduci iubet, atq. illic coràm omnibus amicis imprudentia vxoris detecta, veniam illi dedit, & filios porrò duodecim ęquali iure suos esse voluit, statuitque, vt non Comites de Altorf, sed ex vetulæ obstetricis ominosa voce, quæ vitam illis vndecim dederat Vuelfi vocarentur, & gratitudinis ergo, pro diuinitùs seruata tàm numerosa prole in ipso Altorfensi oppidulo cænobium monialium construxit.

17. *Martinus Delrius.* Paderbornæ, mulier hæretica ante annos sexdecim plùs minùs (res ibi tùm nota) peperit filium modo Ecclesiasticorum palliatum, & pileatum; quæ ex vehementi odio in Papistas, vt vocant, obuiis semper maledicebat. Sed hoc fortè diuinæ vltionis fuit.

18. *Anonymus.* Legitur in Historia Indiæ Lusitanicæ, quòd in regione Iaponica iàm multi Ethnici Christiana sacra susceperant, quandò contigit, vt omnes filii cuiusdam Neophyti perirent: idcircò rursùs impendente vxoris partu, quidam ethnicorum huius mulieris affinis, blandis verbis à Dæmone suppeditatis, persuasit, vt arrepta necis filiorum occasione, sese à Republica Christiana segregaret: quapropter ille verbis consanguinei motus, confestim euaginato pugione quandam Crucem transfixit, vt cunctis, hoc peracto, se Christianos ritus deserere manifestaret. Sed paulò post eius vxor, doloribus partus agitata, infantem sine mento, & thorace ita patulo enixa est, vt omnia viscera puelli conspicerentur; quare huius monstruosi partus formidine perculsi omnes affines, vnà cùm marito ad cultum Christianæ Fidei reuersi sunt.

19. *Idem.* Istud miraculum accidit in oppido Fori Iulij Perdonone vocato anno Domini vigesimo quinto supra millesimum, & sexcentesimum; quędam nobilis mulier prolis auida, mendicam duos gestantem puellos, & quæritantem uictum ostiatim irridebat, quia de filiis interrogata, se eos legitimo matrimonio, marito tunc in Nosocomio ægro-

ægrotante, peperisse affirmabat. Propterea mendica id ægro ferens animo, talem notam fœtui mulieris nobilis ab omnipotentis Dei numine imprimendam est imprecata, vt sui ipsius violata fama ab omnibus nosceretur. Accidit autem, vt nobilis mulier fœta, infantem septicipitem eniteretur, & medium inter alia caput vno tantùm oculo,& auribus caprinis erat refertum.

20. *dem ibidem*. Accidit Epidauri anno vigesimo supra millesimum, & sexcentesimum, vt mulier grauida duas gallinas alterius vicinæ absentis furaretur; idcircò hæc domum reuersa, & simile latrocinium suspicata, mulierem grauidam adiuit, & placidis verbis gallinas non inuentas repetebat. At grauida iure iurando se à simili crimine alienam esse affirmabat; immò à summo Deo imprecata est, se duos Dæmones parituram, si huius generis latrocinii fuisset conscia; nec secùs accidit; nàm tempore paritionis, monstrifici Dæmones, dilaniatis matris visceribus, in lucem prodeuntes vnà cùm matre perierunt.

21. *oannes Bonifacius, lib.2. Histor. Virg. cap. 6.* Vir quidam genere nobilior, quàm fide, vxoris instinctu Valdensem sectam ingressus, è templo quod habebat, sanctorum eiecit simulachra, ea præfatione vsus, quòd audiendi, videndi, loquendique sensu carerent; non diù dilata numinis vltio, qui videre noluit in æde mutas, vt dicebat, & surdas imagines, in ædibus, mutos, surdosque liberos, quos identidem ei pariebat vxor, perferre cogebatur.

22. *Rutil. Benzon. Episc. Lauret. li.1. discur.1. q.2.* Vir quidam, qui suo ipse nomini pepercit, cùm aleis luderet, & summam pecuniæ magnam perderet, accensus ira, ac diabolico furore correptus, in Lauretanam Virginem, eiusque filium, cuius tunc imaginem habebat, desæuit, cùmque Puero Iesu supremum labium, euaginato, ac stricto gladio, confregisset; non multò post eius vxor filium peperit. Nè verò miser homo Deum sui facinoris immemorem cogitaret, Vindex Deipara, quæ imaginem filii sui supremo labio confractam sciebat, effecit, vt natus puer inciso etiam labio in Patris peccati vindictam in omnium oculis appareret. Obstupuit Pater, eumque non modò viso miraculo pænituit, sed Lauretanæ Virginis ædem petens, apposito miraculo filii sui in tabella, peregrinus abcessit.

23. *anus Nicius Eryth. exemp.1.* Mulier quædam cùm primis suæ Ciuitatis nobilis, ruri cùm esset, Parocho Missæ sacrificium facturo misit, qui diceret, vt maneret tantisper, dùm ipsa ad Ecclesiam accederet: verùm, vt mos est mulierum, quibus se poliendi, ornandique nullus modus est, cùm diù in expectatione fuisset, neque vspiam appareret, & quod caput est, cùm iàm meridies appareret, coactus est ille sacerdos à popularibus suis, qui defessi erant expectando, rem Diuinam facere: cuius rei mulier ignara, cùm ad Ecclesiam pergeret, admonita est in itinere à redeuntibus, vt labore illo supersederet, etenim omnes, sacro peracto, domum reuerti: Sed cùm nihilo ea minùs ire contentenderet, venit ad Ecclesiam, & Parochum contumaci sanè vultu aspiciens; ita ne inquit, sine me sacrum fecisti, neque meum aduentum expectasti? eademque opera, elata in altum manu, colaphum eidem impegit, nec mora, tanto scelere contaminata, domum reuenit. Sed haud impunè tantum facinus abstulit, nàm cùm esset grauida, temporibus exactis, enixa est filiam, altera manu captam; quæ deindè iàm nubilis, data est viro cuidam nobili in matrimonium, & quoad vixit (vixit autem diù) insigne illud prætulit maternæ superbiæ, audaciæque monumentum. Hæc circiter annum M.D.LXX. contigisse narrauit Petrus Antonius Montagnanus, Patricius Vicentinus, & P. Nicolaus Vicecomes Mediolanensis.

24. *Cornelius à Lapide, in c.24. Deuter.* Celebre, & omnium ore vulgatum exemplum extitit anno 1266. in Hollandia: Vxor enim Comitis Hollandiæ, pauperculam mendicantem repellens, eamque insimulans adulterii, eò quòd tàm numerosam prolem haberet, ab ea maledicta est, vt tot proles pareret, quot sunt dies in anno. Maledictionem exaudiuit Deus, fecitq. vt vxor Comitis vno partu 365. proles pareret, quæ omnes baptizatæ sunt, & mox post baptismum mortuæ. Extat huius prodigii pictura in Monasterio Virginum inter Leydam, & Hagam Comitis. Idem prorsùs contigisse Margaretæ vxori Comitis Holsteinii narrat Crantzius in Historia Vuandaliæ, & Annales Brunsuicensium anno Domini 1313.

25. *Vincentius, in Spec. Hist. l.7. c.86.* Fuit quædam sanctimonialis, & Abbatissa, quæ summo zelo, & diligentia sorores sibi commissas gubernans, eorum odium sibi cōcitauerat. Accidit verò, vt tentatoris impellentibus insidiis in lapsum carnis inciderit, cùmque suo Dapifero incestuosè conuersata, concepit, nec tamen destitit regulari rigore subiectum sibi gregem ad obseruantiam ordinis coarctare, & inutiles peruagandi licentias singulis denegare. Interim moniales, ex signis, variisque accidentibus eam impraegnatam cognoscentes, accusant Episcopo. Tunc bona Abbatissa ad preces confugit, ingressaque priuatam capellam, in qua quotidiè horas B. Virginis, solebat deuotè cantare, suppliciter exorauit piam matrem, vt & veniam tanti peccati sibi à filio impetraret, & à tanta infamia liberaret. Inter hæc, subitaneo depressæ somno apparuit B. Virgo, duobus comitantibus Angelis, dixitque, à filio suo, & peccati veniam, & à confusione liberationem impetrasse; tunc duobus astantibus præcepit, eam prolis onere, quo grauabatur, exonerare, & cuidam eremitæ in vicino posito deferre, cui & mandauit, curam illius per septem annos habere, quod factum. Denique Abbatissa euigilans, omni quo priùs cruciabatur onere carere se sensit, & Deo, & liberatrici suæ incessabiles gratias egit.

26. *n vita S. Notburgæ viduæ, apud Bollandum, 26. Iann.* Hæc, regio Scotorum sanguine procreata, vt primùm illi ætas coniugio habilis fuit, tradita est viro, & fælici prole grauida, statuto tempore prolē enixa est nouēgeminā vnico partu planè admirabili, qui omnes eius filii, & filiæ, vno excepto sine baptismo mortuo, in varis Kleggouiæ locis innocentissimam

mam vitam egerunt, plurimis cęlitùs illustrati miraculis.

27. *Ibidem*. S. Quiteria, aliæque nouem eius sanctæ sorores vno etiam partu natæ sunt. Hennembergica quædam etiam mulier plures vnico partu edidit quam Comitissa Hollandiæ; quæ omnia non sine insolito Dei numine euenere.

28. *Gonzaga, in Prouincia Valentiæ, de conuentu S.Catharinæ Honda*. Cùm mulier quædam, nomine Catharina, cuiusdam Beocii vxor, atque eius pagi, qui Hispanico idiomate *Velbi* nuncupatur, nec multùm ab oppido Honda distat, incola, falsò à Zelotypo viro adulterii argueretur, sibique quòd ex alio concepisset imponeretur, genuflexa ante Diui Patris Francisci imaginem, quam Domi habebat, summèque venerabatur, rogauit, vt se à tanto crimine liberare vellet, ostenderetque sibi falsa imponi. Mirabilis Deus in omnibus operibus suis: Peperit paucos post dies (erat enim tunc temporis grauida) paruulum viro omninò simillimum, senosque digitos in qualibet manu ad instar viri habentem. Quod sanè factum meritis B.Patris Francisci, qui innocentem à tanta impositione liberam esse voluit, adscriptum fuit.

29. *Marchantius, ex Gregorio Turon. de S.Nicetio*. A primo ortu suo diuinis quibusdam signis in sortem Domini electus fuisse videtur Nicetius. Nàm cùm partu effusus, aliorum infantium instar prodiret in lucem, capillis nudus, in circuitu tamen capitis tenuis pilorum ordo aptè distinctus apparuit, haùd secùs ac si clericali corona ex arte ornatus fuisset. Vnde Abbati cuidam Sancto, disciplinis sanctis traditus est imbuendus, cui successit, omnium votis dignissimus, & postea Episcopus est creatus.

30. *Georgius Card. de S.Petro Celest.* S. Petrus Cælestinus magno prodigio in lucem prodiit Religiosa veste tectus, quo creditum fuit, eundem habitum in adulta ætate vsurum, vt euentus probauit.

31. *In Catal. Ep. Treuir.* Glicerius, ex vtero coronam clericalem secùm tulit. Episcopus deinde Treuirensis factus est.

32. *Odoricus in Ann. Eccles. ann.* 1250. In dextro humero nati pueri Dominici, qui Cæsaraugustæ à Iudęis in odium Fidei martyrio occisus fuit, Crux impressa apparuit, coronæ verò figura in capite. Quo prodigio portenderat Deus martyri gloriosum illud mortis genus.

33. *Vading. in an. Min. an.* 1463. *de B.Catharina Bononiensi*. In lucem edita B.Catharina, nullum vagitum, quemadmodum infantes solent, emisit; neque per totum triduum aliquid vel lactis, vel alterius nutrimenti gustauit, maximo sanctitatis, & austeritatis præsagio.

34. *In vita B.Francisci Fabrianensis, ord. Min.* Ex vtero diffusus in lucem B.Franciscus, non lachrymas, sed risum emittit.

Filij ab vtero portantes pœnam scelerum parentum. §. 3.

MInitatus est Dominus filiis Israel, visitaturum iniquitatem Patrum in filios in tertiam, & quartam generationem. Hoc comprobatum testantur hæreditaria quædam mala impiorum hominum, in criminum parentum vindictam. De quibus.

1. S.*Vincentius Ferr. ser. in die Parasceues*. In signum imprecationis, quam fecerunt sibi Hebræi tempore Passionis Christi, quandò exclamauerunt; sanguis eius super nos, & super filios nostros; adhùc quandò masculi eorum nascuntur, habent manum dexteram plenam sanguine capiti innixam.

2. *Petrus de Natalibus, lib.* 9. *cap.* 9. *de Sancto Remigio Episc.* Præuidens Remigius famem futuram, cùm in quadam valle bladi cumulos congregasset, rustici inebriati, senis prouidentiam deridentes, ignem in segetem supposuerunt. Quod ille audiens, illùc venit, & pro frigore ætatis, & vespertini temporis se calefaciens, tranquillo corde dixit: semper focus bonus est. Illi verò qui ignem accenderant, omnes mares in genitalibus diruti sunt, omnesque fœminæ gutturosæ fuerunt, & tales homines semper in villa ipsa deinceps extiterunt, quousque per Carolum magnum dispersi sunt.

3. *In vita S.Patritij, cap.* 118. Sanctissimo Patritio prædicationi verbi Dei viriliter insistenti, quidam viri armati de Calregia occurrerunt, ipsumque de finibus suis expulerunt. Vir autem Dei spiritu prophetico ait illis: Quia contra inermem arma tulistis, & annunciantem vobis pacem, prædicantem salutem, à finibus vestris effugastis, & vos, ex semen vestrum in die belli terga dabitis: Illi autem hoc audientes, timuerunt valdè, sanctumque Dei lachrymosis precibus omnes, excepti quinque, indulgeri sibi petierunt. Tunc sanctus parùmper secùm deliberans, iterùm ad illos verbo præsago dixit. Stabit verbum fixum, quòd *Spiritu Sancto dictante de vobis*, & *semine vestro*, *de ore meo est egressum*: Attamen quoniam ex corde pœnituistis, licet in fugam conuersi fueritis, non vltrà quinarium numerum in alicuius discrimine prælii occumbent ex vobis. Hoc S.Patritii vaticinium narrant Hibernici veris experimentis esse completum.

4. *Ibidem, cap.* 120. Quidam tenebrarum filii in campo, Liffy vocabulo, fecerunt foueas profundas per loca varia publicæ semitæ, quas operuerunt ramusculis, & viridi cespite, vt S. Patritrius itinerans incideret in eas improuisè. Sanctus autem Patritius, licet insidiarum admonitus à quadam puella, in Domino confidens, iussit suos equos ascendere, dataque benedictione pertransiuit cùm suis inoffenso pede. Fragilis nàmque herba, atque tenuis, quasi terra solida equitantes super se sustentabat. Illis autem, qui sibi, suisque insidiosè foueas parauerant, prædixit Sanctus, quòd ipsi, & semen eorum vitam sustentando transigerent, in terra iugiter effodiendo, & eos secundùm scripturam apprehenderet velut aquæ inopia. Hæc autem omnia, quæ Sanctus prædixit, rerum euentus probauit.

5. *Ibidem, c.* 121. Venit S.Patritius ad Pagũ quẽdam infra insulam Inchenn, & inuenit locum Ecclesiæ construendæ idoneum, quam cùm inchoasset, multi-

multitudo rusticorum de pago prorupit,& opus inceptum impediuit. Sanctus autem repletus spiritu Prophetiæ prædixit illi veridica voce; Quoniã mihi ne possim ædificare domum Domino Deo meo, impedimento,& obstaculo estis, fumus non egredietur de Domibus generationis vestræ in isto loco consũmatis. Hoc autẽ S.Patritij dictũ oculata fides in posteriora tempora probauit verissimum; Multi enim multoties cæperunt domos ędificare illic, sed ob ingruentes importunitates numquam illas potuerunt consummare.

6. *Ibid.c.*122. Alius, nomine Dengo, S.Patritiũ ab ædificatione alterius Ecclesię impediuit. Cui S.Prophetans dixit: Erit in breui Domus tua destructa,& substãtia tua dissipata, filij quoq; tui ex maiori parte se se mutuo fratricidio fędabunt; cæteri superstites, nunquã alicuius dignitatis, seù potestatis fastigium obtinebunt, sed vsq; ad diẽ mortis suæ vagi,& profugi super terram erunt. Hoc autem S.Patritii præsaginm completum, descriptæ miseriæ viro prædicto, filiisq; eius inflictæ, probauit experimentum.

7. *Ibid.c.*128. Regulus quidam,& populus eius, in loco, qui Nadese dicitur, degens infra fines Momoniæ, constituerunt diem atq; horam, qua conuenire deberent,& super Ecclesiis fundandis tractare ante S.Patritii præsentiam. Venit S.Patritius iuxta condictum ad locum,& diem præfixum, totaq; die vsq; ad vesperam expectauit, nec aliquis, vel saltem responsalis comparuit. Tali modo multis vicibus homines illi deluserunt virum Dei: Spiritus enim Sanctus inhabitator Patritii non celauit hominibus illis per os eius stipendium contumaciæ tantæ, sed quadam vice vespere venientibus ad se dixit apertè. Quoniam non solùm mihi, sed Spiritui Sancto toties illusistis, conuenientia negotia, nec vos, nec semen vestrum post vos in gerationes sęculorum ante vesperũ in loco isto perficietis. Et sicut prouerbialiter voce vulgi dicitur; hoc dictum à Sãcto in hominibus illius loci vsq; in præsens adimpletur. Nam si summo mane ad aliqua precipuè agenda conueniant, ante vesperam illa nunquam consumunt.

8. *Ibidem cap.*148. Cùm quidam furatus fuisset hircum, quo in ministerio baiulandæ sibi aquæ vtebatur S.Patritius, illumque mactatum manducasset; imprecante S. Patritio immò sententiante tota hominis illius successio barbam hircinam producere consueuit.

9. *Ibid.c.*167. Extant iura,& oppida, à quibus reuertens S.Patritius Roma in Britanniam, quia indigenæ sanctum itinerantem, ne pernoctare apud eos posset, violenter eiecerunt; posteri vsque in præsens prosperari illis in locis, seù locupletari non possunt; sed semper alienigenæ & extranei, diuitiis, atque dominio illis præponi consuescunt.

10. *Georg.Stengelius.* Diuinæ vltionis exemplum exhibet Dockumensium Frisiorum pœna, ob eorum Episc.S.Bonifacium cùm sociis cæsum. Nam horum Sanctorum indignam mortem, ait Cornelius Kempius, in filios filiorum Deus vindicauit; vt passim ex eorum familiis (quorum maiores tàm nefarium scelus perpetrarunt) in hanc diem videantur in occipite habere grossos crines subalbi coloris, in modum caudè cuiusdam bruti animalis.

11. *In vita S.Fechini apud Colg.* Quadam die dùm vir Sanctus ageret apud locũ qui Nuadhchongbail, idest noua habitatio, appellatur, venit quidam Foelanus nomine, prohibens loci inhabitationem: cuius impietatem vir Dei arguens, veridico ait oraculo: nec tua posteritas loci habitationem habebit, immò nec tota familia, pro qua promouenda ita durus in seruos Dei fuisti.

12. *Polydorus li.*4.*c.*103. Strodenses Angli irridentes S.Thomam Cantauriensem Episcopum, caudam Equi, cui insidebat, amputarunt; at posteà nutu Dei ita accidit, vt omnes ex eo hominum genere, qui id facinus fecerant, nati sint instar brutorum caudati.

13. *Ioan.Maior lib.*2. *de rebus Scotorum cap.* 9. In Angliam cùm missus à Gregorio Magno Augustinus, verbum Dei prædicans, irrisioni esset genti in Dorocestria, ranarum caudas vestibus illius ludibrio appenderunt. At in pœnam flagitii, paruuli de prosapia illa nasci cæperunt caudati.

14. *In Actis S.Theodulphi.* Quadam die cùm isdem vir Dei iter ageret, à monasterio ad quemdam locũ properans, agricolã quendam arantẽ viã publicam, per quam transire solitus erat, inuenit, cui & dixit. Non est bonum, ò homo, viam aratro scindi, quæ debet à viatoribus inoffenso pede calcari. Regrediens autẽ Vir sanctus per eãdẽ viã, rursùs agricolam, vt cæperat, arantem offendit. Nonne, inquit, dixi tibi, quia viam istam arare non debes? appropriansque manu sancta caput rustici tetigit, dicens: per istud caput te homo contestor, ne viam istam ampliùs ares; retrahente autem eo manum, tota pars capitis illius, quam vir Dei tetigerat, candens apparuit vt lana; dubium, quòd non homo Dei voluit, vt capilli caderent, sed vt signa per succedentem generationem promererentur huius facti, ne quis agere simile præsumeret, quod Sanctus Dei Theodulphus impetrauit ne fieret; nam dùm generatio ipsius agricolæ mansit, signum quod à S.Viro pater accepit,& ipsa simili modo pertulit.

15. *In actis S.Maedhog* 31.*Ian.ap. Boll.* Molens quodam die S.Maedhog triticũ in Molendino, vir quidam de gente Oscargiensi mutato habitu,& cęcans vnũ oculũ, venit quasi luscus ad Maedhog, petẽs farinã ab eo. Ait ei Sãctus. Quare hoc fecisti? pro nomine Dei mei dabo tibi; sed tu luscus eris vsq; ad mortẽ tuã,& quandiù mansurũ est genus tuum, vir cęcus non deerit de eo. Et sic totum cõpletum est.

16. *In actis S.Eguuini Epis.Vigorniensis* 11.*Ian.* Cùm ad Castrum Aluecestre accessisset vir Dei, vt verbum Dei prædicaret, gens illa incredula incudes maleis ferreis tanto strepitu percutere incæpit vt B. viri sermo non audiretur,& à Castro recedere cogeretur. Beato igitur viro Castro exeunte, præ concussione, immò cõfusione malleorũ & incudũ, adhùc tinniebãt aures eius,& leuatis oculis in cęlum flexis in terra genibus, cõtra artem fabrilem illius Castri Dominum deprecatus est. Et ecce subitò Castrum ipsum terra absorbuit, ita quòd nouo super vetere qualitercunque reędificato vsque in hodiernum diem in constructione nouarum domorum, in fundamentis antiqua ædificia reperiuntur, nunquam enim postea in loco illo aliquis artem fabrilem

B rectè

rectè exercuit, nec aliquem eam exercere volens ibi vigere potuit.

17. *In actis S.S.Feb. to.2. in Cont. Boll.* Cùm S. Cuthmanus confessor Stenningæ in Normania, boues quadam die, quibus in ædificanda Ecclesia vtebatur, ad pascua misisset, illi pascuę metas sũt egressi, vndè à quibusdã adolescẽtibus capti, & domi reclusi sunt. Hoc intelligens S.Cuthm. præcepit illis adolescentibus in virtute Domini, vt vice bouum Domino seruirent, ac si fuissent liberi boues essent seruituri; & imponens illis manus, apprehendit eos, & iunxit plaustro in quo boues iungi cõsueuerant. Sicq; operatus est eis trahentibus plaustrũ, nunc plenum nunc vacuũ, sine murmure ad vocẽ ipsius stãtes, & incedentes sine querela. Opere verò completo soluit pueros à plaustro, & ait illis: Filij gratias agite Deo, quia castigans vos castigauit, & morti non tradidit. Ite in pace, de cætero cautiùs procedentes in mandatis Domini; & ne excidat opus à memoria quod operati estis, erunt vobis, ac posteris vestris in signum perpetuum rugæ multiplices in ceruicibus vestris, quas ex impressione iugi contraxistis.

18. *Ibid.* Cùm tres nepotes S.Sigifridi Episc. Vexionensis in Suecia, crudeliter occisi fuissent, eorũq; capita in stagnũ proximũ submersa; quadam nocte ambulans S.Episc. propè stagnum, vidit vrnam pręgrandi saxo alligatam adnatare, in qua capita suorũ nepotum adhùc roseo cruore perfusa adspiciens, flendo inquit; Vindicet Deus. Cui mox vnũ ex capitibus respondit: Vndicatum erit; alterum verò inquit: Quandò? Tertiũ deinde nimis horrẽdum subintulit verbũ, dicens: In Filios filiorum. Quod hodiè quoq; adeò veraciter prædictũ fuisse experimur, vt passim ex illis nobiliũ familiis, quorũ maiores tàm nefariũ scelus perpetrauerũt, illę querulosę voces audiãtur; sẽtiũt adhùc proles quod cõmisere parentes.

19. *Isidor. Clar. or. 94. de S. Fæliciano M. Ciu. Fulginea Episc.* Cùm Assisium profectus esset S.Epis. vt simulachra Deorum euerteret, fidemq; catholicam prædicaret, contumeliis, & verberibus affectum, eiecerunt eum Ciues ex vrbe. Fertur autem, omnes, quicunq; ex eorum genere profecti sunt, qui cæsum Fælicianum eiecerunt, singulis annis in natalitio sancti viri die, mentis errore affici solitos; quæ tamen vltio iam desijt, siue quòd illud genus extinctum est, siue quia Ciuitas fidem Christi accepit.

20. *Boz. de sig. Eccl. l.5. cap.1.* Posteri eorum, qui S.Ludomillam in Bohemia peremerunt, notas sacrilegorum interfectorum portauerunt; nam cùm alter eorum barba rutila insignis, alter malè pedatus esset, non aliter nati natorum, & qui hodiè nascuntur ab illis, vel rufescunt, vel à pedibus laborant.

21. *In actis S.Emmerammi Ep. & M.* Talis in posteros Lamberti (cuius execrabili iussu S.Martyr occubuit) hæreditas pænarum relicta est, vt infra paucos annos, immaturæ mortis falce præcisi, pænæ omnis, vita difficulter extorta, pro innocuo martyris sanguine discerperẽtur. Qui verò superesse poterãt, vel adhùc supersunt, eadem infælicitatis forma miseram testati sunt prosapiã, & calamitosã breuitatẽ imbecillis vitæ suspiriis debẽt potiùs, quàm vsibus.

22. *Ibid.* Quidam de eadem stirpe Lamberti post 300. annos à morte S.Emmerammi, dùm die quadã in eius Ecclesiam ingredi tentaret, subita prohibitus est cæcitate; indeq; adsiãtiũ ducatu, atrium egressus, visum recepit; Sed cùm iterùm ingressum Ecclesiæ tentat, denuò excæcatus est. Indèq; compertum est; nulli ex posteritate Lamberti accessũ apud S.Emmerammum iri concessum, nisi cùm magna humilitate.

23. *In actis S. Leufredi Abb.* Cùm quondã in Austura fluuio piscando laboraret S.Abbas, ex aduerso respexit eum quædam fęmina, & quasi subsanans in corde suo dixit: verè iste caluus omnem hunc fluuiũ piscando exhauriens euacuabit, nec quicquã post se aliis capiendum relinquet. Sic autem hoc ipsum intra labia se submurmurasse putauit, vt nullo modo ad aures viri Dei pertingeret, sed quia rumor verborum ad virum Dei peruenerit, ipsa experta est, vt postmodùm claruit. Deniq; Vir Deo familiaris conversus ad eam ait: O mulier, quid inuides, aut cur molesta es super bono, quod mihi cùm cęteris hominibus cõmune est? fiat tibi retrò, & omni semini tuo, quod mihi à frõte accidisse vides, vt sicut frons ista capillis nudata est, ita tuũ caput, & seminis tui retrò decaluetur. Quę verba viri Dei mox adimpleta sũt, sicut successiuè in posteris rei veritas testata est.

24. *Ibidem de eodem.* Quodam tempore odiũ antiqui hostis quemdã hominem instigauit, vt contra virum Dei iniquè ageret, & de rebus cellulæ ipsius diminutionem facere tentaret; pro qua re vir Domini zelo domus Dei permotus, ad iudicẽ festinauit; cùmq; S.Domini famulus querelam suam exponeret, homo ille turpibus sermonibus ei cæpit exprobare, atq; falsidicũ appellare; cui vir Domini cõcitato spiritu ait: Deus ipse iudicet inter me, & te, & in hoc apparebit, quis nostrum iustitiam impugnet, si modò dentes ei radicitùs omnes ab ore decidãt; & sit hoc signum per omnẽ illius progeniẽ. Vix verba compleuit, & pondus condignæ vltionis ipsum, & semẽ eius percussit, ita vt omnes de progenie illius nati, hac maled. deturpati sint vsq; in hodiernũ diẽ.

25. *In An. Min. an. 1476.* In oppido Vizochi Regni Bosnẽsis, diœcesis Fornizę dùm cõtra Manicheos, & Hussitas prędicaret B.Iacobus Picenus, quidã ex hęreticis serra infirmarunt latẽter suggesti pedes, vt cõcionator ascendens, indè decideret. Horũ posteri in hunc diẽ vel claudi, vel cruribus affecti nascũtur.

26. *Bernard. Scandeonus l.3. Hist. Pat.* Scelestus Capiuacius, qui S.Bellinum Episc. Patau. Romam proficiscentem impiè occidit, iustas delicti pænas pati à Deo viuens coactus est. Insuper in vltionem tanti flagitii, omnis eius soboles, quæ ab eo descenderat, donec superfuit (vt ferunt) templum in honorem S. Bellini Deo dicatum, ingredi nunquam potuit; adeòque vnà cùm fundis, & facultatibus haud multò post penitùs defecit.

27. *Drexelius.* Fuit Augustæ Vindelicorum Patritius, cui adultę iàq; nubiles erant filię, nulla proles mascula. Hic in conuiuio filiolum Conuiuatoris cernens, puerulum mirè affabilem, & oblectandis parẽtibus natum, ad suam ipse coniugem versus; si & nobis, inquit, talis stultulus esset ò mea vxor. Audit Deus, & votis pronus annuens, liberalissimè concessit quidquid optabatur, & plusquàm optabatur. Huic enim verò sex ordine filii nati sunt, & quod in votis erat, omnes stulti.

Splen-

Splendores admirandi in Natiuitatibus Seruorum Dei, §. 4.

De his dictum est in primo tomo lib.1.c.1.§.3.

CAPVT III.

De Admirandis circa hominem iuxta eius varias ætates.

Infantes ante vsum rationis diuinitùs loquentes. §. 1.

QVæ in hominibus iuxta eorum varias ætates consideratis mirabilia euenere, hic sunt recensenda. Primòque se se offerunt Infantes, qui ante statutam à natura ætatem mirabiliter quandòq; sunt locuti, ad confusionem inimicorum Crucis, iuxta Dauidicum vaticinium: Ex ore infantium, & lactentium perfecisti laudem propter inimicos tuos. De his.

1. *Philipp.Ab.Bonæ spei in vita S.Amandi c.*28. Conuenientibus Aurelianis in vnum Magnatis, & primoribus Regni iuxta Regis Dagoberti edictũ, deportatur ad Baptisterium paruulus Regis filius, S.Pontificis Amandi ministeriis innouãdus. Cùmq; præsignatione solemni, iuxta morem Ecclesiasticũ, Catechumenum eum faceret, quantæ apud Deum virtutis esset, & gratiæ, diuina pietas in conspectu hominum mirabili declarat indicio. Puer namque quadraginta fermè ab ortu habẽs dies, cùm oratione finita, nõ esset in multitudine tàm frequenti, qui locum suppleret idiotæ, clara voce respõdit: *Amen*; & omnium qui audierunt in se oculos, & corda conuertit. Mirantur, & stupent tàm insolitum, tàmq; solemne miraculum pueri, qui potea Sigibertus est appellatus.

2. *Ferrarius in Catal.S.S.*1. *Augusti*. De S.Peregino Eremita ex Rege Scotiæ nato fertur, cum infans baptizaretur, *Amen*, respondisse.

3. *In actis S.S.Feb.to.*1.*in cont.Boll.* An.1650. 4.Feb. in Saran pago dictionis Archiepisc.Strigon. Stephanus infans quinq; horarum, Parocho benedicenti his verbis: Stephane vade in pace, & Dominus sit tecùm Amen distinctè respondit; *Deo gratias: Deogratias*: Cunctisq; admirantibus, cùm Parochus solemnem illam post Baptismum repeteret benedictionem, subiunxit infans tertium: *Deogratias*. Res iussu Cæsaris examinata per Archiepisc.Strigon. & auditis legitimè testibus authenticè probata est.

4. *In vita S. Exuperantij Episcopi Cingulani*. Post dies decem, & octo natiuitatis suæ, B. Exuperantius locutus est dicens: *Gratias ago Domino meo siue Christo, qui me fecit nasci.*

5. *Astulph.in Hist.Imag.B.M.l.*2. Intercessione B. Virg. natus S. Agnellus, dùm post vigesimum diem à Matre in templum ante imaginem Virginis, quæ Neapoli in Tẽplo S.Agnelli nunc colitur, quæq; illius partus fuerat prænũcia, delatus esset, miro modo Virginẽ salutãs, voce sensibili dixit: *Aue Maria*

6. *Anton.Balinghen in Cal.Virg.*20.*Apr.* Nocte, qua ad cęlos euolauit B. Agnes Politiana ordinis S. Dominici; Politiani pueri, qui nundùm per ætatem vocis vsum fuerant adepti, excitatis parẽtibus, clara, & articulata voce testantes clamauerunt, Agnetem in Cœlum ad Agni nuptias abijsse.

7. *Ferrarius in Cat.S.S.*31.*Iulij*. Cùm B. Ioannes Columbinus Viterbium ad Vrbanum V. vt Congregationem à se recèns institutam confirmaret, venisset, ferunt, infantes lactentes diuinitùs locutos, dixisse matribus: *Iesuatis benefacite*.

8. *Archang. Gianus in vita S. Philippi Benicij lib.*1. *cap.*1. Pauci ab ortu S.Philippi præterierant menses, cùm sanctus puer, Seruos B. Virginis eleemosynam petentes cernens, matrem intelligibili voce est allocutus, eamque, vt seruis B. Virginis eleemosynam elargiretur, est exhortatus.

9. *S.Anton.in Chr.p.*1.*tit.*6.*cap.*14.*de S.S.Apostolis Simeone, & Iuda*. Filia cuiusdam Ducis ex fornicatione conceperat; perturiens autem masculum, inquirebatur à Consanguineis ex quo concepisset. Illa autem dùm Diaconum quędam Euphrosymon discipulum S.S. Apostolorum Simeonis, & Iudæ incusasset, propter hoc parentes puellæ Diaconum quærebant occidere: Apostoli autem superuenerunt, & audientes causam, interrogauerunt, quandò puer natus fuisset, qui responderunt, illa die. Fecerunt igitur Apostoli adducere coràm se infantem, & Diaconum illum innocentem. Dixeruntq; Apostoli, dic infantule in nomine Domini Iesu, si diaconus iste hoc præsumpsit. Et infans vnius diei respondit. *Hic Diaconus castus, & sãctus, nec vnquã carnem coinquinauit*. Cùmq; parentes puellæ instarent, vt diceret infans authorem sceleris; responderunt Apostoli. Nos innocentes absoluere decet, nocentes prodere non decet.

10. *Lippellous in vita S.Bricij* 13. *Nou.* Cùm S. Brictius Turonensis Episcop. falsa calumnia affectus fuisset, se ex quadam muliere fornicariè infantem genuisse, ob idque putatum crimen à populo dilapidari tentaretur; infantem ad se deferri postulauit, qui vix trigiuta dierum erat, cui Episcopus, adiuro te, inquit, per Iesum Christum Dei filium, vt palàm edicas, nùm ego genitor tuus existam. Et infans. *Non es*, inquit, *tu Pater meus*.

11. *In vita S.Brigidæ Virg: Hiber.* Quædã mulier, quæ ex peccato genuerat infantem, audax asserebat, illum genuisse ex S.Brono Episc. discipuloq; S.Patritij; vt autem calumnia aperiretur, adducta est mulier ad S.Brigidam, quæ iubente S. Patritio signauit os fœminæ signo S.Crucis, & statim intumuit, totum caput eius cùm lingua, deindè linguam infantis benedixit, dicens ei. Quis est pater tuus? ille, qui nec dùm loqui didicerat, respondit. *Non est Episcopus* Broon *Pater meus, sed quidam homo, qui sedet in parte concilij vltimus, ac turpis, vilisq;* Tunc omnes gratias egerunt Deo, & Brigida magnificata est, & mulier pœnitentiam fecit.

12. *Surius in vita S.Anthelmi c.*3. Pepererat ex incestu mulier quædam; æmuli Sergii Papæ in eum culpam referebant, castitati eius labem inurentes; at Sanctus Anthelmus Episcopus Pontificis Romani famam labefactari minimè passus, it ad Domum

infantis nonum diem nondùm agentis, interrogat, iubetque, vt aperiat suis verbis, si sit Sergii Pontificis Romani filius? Respondit infans absolutissimo sermone; Sergium Pont. Rom. eo scelere immunem esse, nihil illum cùm Venere commercii habere.

13. *Idem in vita S. Goaris presbyt. 6. Iulij.* Cùm Episc. Treuirensis virtutibus, & miraculis S. Goaris fidem præstare nollet, eorum experimentum facere volens, iussit Sancto presbytero, vt cuiusdam pueri expositi, cuius ignorabantur, parentes manifestaret; Tunc Sanctus facta oratione, præcepit infanti in virtute S. S. Trinitatis, vt suos genitores nominatim, & clarè manifestaret. Tunc ecce infans, qui tres solas noctes ab ortu impleuerat, protensa manu ad Episcopum absolutissimo sermone respondit: iste est Pater meus Rusticus Episcopus, & mater mea Flauia nuncupatur. Sic iustissimo Dei iudicio dùm in seruum Domini idem Episcopus calumnias molitur, & opera, quæ debuerat admirari, maligno fraudis commento nititur obfuscare, quæ essent eius facta, manifestè innotuit cunctis.

14. *In vita S. Pamphili Episc. Sulmonensis.* Romam cùm introisset S. Episcopus, obiectus est fortè frequens populi conuentus, ream adulterij fœminam ad iudicem pertrahentis, quæ puerulum ex se natum gestans, Seueri presbyteri filium flagitiosè fatebatur. Occurrit interim Pamphilus, atq; hominis innocentia diuinitùs perspecta, infantem ipsum manibus exceptum fide plenus rē edicere iubet. Tùm ille, quamquàm vix triduo maior, vocem explicat, & Patrem sibi Clarium Præfectum non obscurè pronunciat.

15. *Sophron. in Prat. Spir. c.* 114. Abb. Danieli falsum crimen adulterii imputatum fuerat; cùm igitur mulier peperisset, sanctus Senex iussit prandium præparari, omnesq; cognatos, & amicos mulieris inuitari: Dùm igitur pranderent, sumens senex puerulum in manibus coram omnibus, dixit infantulo: quis est pater tuus infans? Ait autem infans: *Hic;* ostendens digito manus suæ iuuenem mulieris maritum. Erat autem infantulus dierum vigintiquinq;

16. *In An. Min. de B. Ioanne de Capistrano.* Vir quidam coràm officiali Viennensi vxorem suam adulterii incusabat, & improborum testimoniis probare volebat infantulum recens natū, suum non esse. In ambigua, & difficilis probationis controuersia consulendum duxit officialis Capistranum, vocatisq; coràm eo, viro, & coniuge infantulum baiulante, rem omnem proposuit. Vir Dei amotis ambagibus, puerulum ipsum bimestrem interrogauit, quisnam esset pater eius? At infans Germanicè affatus, clara voce adstantem Patrem suum nuncupauit. Miro hoc iudicio stupefactus, & placatus vterque coniux, magnam pecuniæ summam proiecerunt ad pedes eius, quam ille officiali, partim pauperibus, partim resarciendæ Ecclesiæ credidit distribuendā.

17. *In An. Seru. p. 2. cent. 4. lib. 1. c. 4.* Mater B. Laurentii Soffij Bassanensis pueri à Iudæis trucidati in odium Christianæ Religionis, cùm eam maritus adulterii suspicione è viuis tollere vellet, incumbenti sibi machæræ, siue vitatura, siue mitigatura, filium manibus prehensum obiicit. Tunc Laurentius vix dùm totus decem dierum homo, ictum risu excipit, & manu machæram, &, *quid*, inquit, *agis pater? quandò ego filius tuus sum, & mater innocens?* Extimuit pater, inusitatique portenti factus admirator, innocentiam agnouit vxoris, Deo Deique genitrici summas laudes ambo dedere.

18. *Felix Astulphus in Hist. vniuers. Imag. B. Virg. lib.* 10. Vir quidam gladio accepto vxorem è viuis tollere tentabat, filium ex ea natum adulterinum existimans; at illa precibus ad B. Virginem conuersa, impetrauit, vt infans vix natus, linguam soluens, patri homicidium impediret, seque eius filium esse testaretur.

19. *Gumpenberg. de imag. B. Virg. Iudæorum Patrona Seuiliæ in Hisp.* Iudæa fœmina Hispali ann. 930. in partu laborans, certissimam mortem expectabat, cum vicinæ mulieres Christianæ, visis cruciatibus, suadebant, vt se Deiparæ commendaret. Paruit Iudæa suadentibus; & O Domina, inquit, Maria, licet non sim digna rogare te, cùm sim de genere eorum, qui occiderunt filium tuum, tamen audio quòd clementia tua se extendit etiam ad peccatores. Si ergo liberaueris me, promitto vnà cùm prole Baptismum suscipere. His simul dictis, filium peperit. Mulier quàmprimum potuit e lecto surrexit, & rite baptizata est vnà cùm filio. Quod cùm sciuisset maritus, domum reuersus, gladio filium occidit. At Virgo filium occisum suscitauit: qui mox in hæc verba prorupit: Mater misericordiarum, & totius consolationis, Virgo ante partum, Virgo in partu, Virgo post partum, Mater filii Dei intacta, me in suū seruum adoptauit: Nec plura addidit, iterùmque infantiæ suæ redditus puer est.

20. *Bzouius in Ann. Eccl. an.* 1486. *n.* 17. In Pago qui Plebs facci nuncupatur, in extremisq; Venetorum æstuariis reperitur, duo fratres mortuis parentibus hæreditateque diuisa, de quadam *Imagine* B. Virginis, quæ solùm supererat *inter se* contendebant; ventum ad verba, inde ad arma, & alter alterum vita exuere nitebatur, donec infans vix dùm anniculus ab vberibus maternis dependens, papillasque sugens (mirum mirandum) disertè locutus, furorem discutere, arma ponere vtrumque, nomine sanctissimæ Dei parentis imperauit; eamque de qua disceptabant imaginem in proximam Ecclesiolam deferre, ibique deponere iussit, ea lege ne alterutrius peculium esset, sed omnium venerationi, & inuocationi exposita maneret: à qua secuta postmodùm miracula, & ex piorum eleemosynis ædificata augustior Ecclesia, quæ paulò post Minoritarum familiæ permissa est.

21. *Aloysius Torellus in Hist. August. ann.* 937. Postquam Garinus Eremita septēnem penitentiam ambulandi super terram more pecudum, sibi à summo Pontifice Stephano VIII. datam, ob violatam, occisamq; filiam Barchinonensis Comitis, iam complesset, à venatoribus eiusdem Comitis adinuentus est in syluis, vtq; monstrum (pilis namq; vndequaq; erat circumdatus) Domino oblatum, quem ille cùm cæteris animalibus reponi iussit. Cùm igitur quadā die Comes in solemni Conuiuu monstrū adduci iussisset; ecce paruulus filius eiusdem Comitis triū solùm mēsiū, quē nutrix gestabat, ad ipsū cōuersus, clara voce dixit. *Ioannes Garine exurge, exurge, & sta;*

Do

Dominus enim peccata tua tibi dimisit, quo prodigio, intellexit ille, iam suorum veniam consecutum fuisse peccatorum; omniaque circumstantibus narrans, simùl cùm illis glorificauit Deum.

22.*Colganus in vita S.Senani*.Contigit aliquandò,matrem S.Senani ducentem secùm suum paruulum,dùm iter ageret,ex obuio arbusculo morum fructum discerpere, & ori apponere; quod intuens paruulus, matrem simùl increpando, & piè admonendo, factum reprehendit,dicens,refectionem habere suum locum, & tempus.

23. *Bidermanus in vita S.Ignatij libr.3. cap.9. n.69*.In oppido Cataccensi Prouinciæ Neapolitanæ, masculinam prolem susceperant Gaspar Mariscanus,eiusque vxor ingenui sanguinis matrona;cùmq; de impositione nominis nato puero diù inter se altercati fuissent maritus,& vxor, hæc quidem eum Ignatium, ille verò Iræneum nuncupari volebant, statutum est,eum vtroque appellare;at neque lis sedata: etenim post inaugurationem, vterq;eum pro libito aut Ignatium solùm,aut Ireneum appellabat, quod inter Coniuges, totamq; familiam discordiæ erat origo. Iudicem igitur eumdem puerum, licet elinguem, eligunt parentes, accedensque ad cunam pater,eumdem interrogat,quod esse sibi nomen ipse cupiat.Cùm ecce tibi, erigit se trimestris infans, & insperatò Ignatium vocari se velle disertè respondet. Quo miraculo cessauit contentio, & deinceps Ignatius communi consensu appellatus fuit.

24. *Idem ibidem n.70*.Alterum factum ac proximo priori penè germanumCalaritani obseruarunt. Appetebat dies,quem Pontifex Romanus, S.Ignatio festum instituerat;iamq;adeò eius diei peruigilium suberat,cùm Ciuitas cœpit in eo tota niti, quo gaudium, quod ex decretis honoribus capiebat, vberrimè testaretur;inter cætera conuenit,vt ignes nitrato puluere excitati,vtque glandes è tormentis quaq; versùm effusæ,vrbem festo,innoxioque tonitru complerent.Factum. Audiit fragorem crepantium pilarum bimula puella,& continuò exclamat. *Dies crastinus S.Ignatio natalis erit*.

25. *In vita B.Vrsulinæ Parmensis*.Vix quartum mensem à natiuitate attigerat B.Vrsolina, cùm semel mirabiliter in hæc prorupit exclamando verba: *ò Deus, ò Deus Pater*: nec antea, nec post multis mensibus quidquam est locuta.

26.*Balinghen in Cal. B.Mariæ 28.Febr*. P.Ignatius Martinesius Soc.Iesu, cùm Conimbricæ in Lusitania Catechismum publicè doceret (relicto sponte ob amorem humilitatis munere concionatoris Sebastiani Regis) nemo omnium inuentus est, qui voce alta, publiceque vellet salutationem Angelicam recitare.Sed ostendit Deus miraculo, quàm ei gratum esset hoc P.Ignatii opus pietatis, quàmq;ei placeat salutatio matris suæ. Nam cùm nemo eam recitare vellet,repentè infans sex menses natus, ab vbere matris pendens,erecto capite, articulatè, & distinctè stupentibus vniuersis recitauit.

27. *Zach.Bou.in ann.Capuc.an.*1578. In Montiscalerii oppido, cùm quodam tempore à magna niuium copia impedirentur Fratres proximi Conuentus, ne cibum sibi mendicare possent; puer anniculus adhùc lactans, patrem his verbis interpellauit. *Pater,cur de Capuccinis nostris S.Brigittæ non cogitas, qui pane, & omni humano victu carent, tantaque nix è cœlo venit, vt illum sibi mendicare non possint?* Obstupuit Pater, interrogauitque filium, qui hæc sibi reuelauerit. At infans ad pristinam infantium ignorantiam rediens, nec patri respondit, nec vllum rationis,nec dùm superiorum dictorum deinceps sensum prætulit. Quo prodigio monitus Pater,cibaria deferri iussit ad Conuentum Fratrum.

28. *Cælius, Antiq.Lect.lib.29.c.14*.Hali Abenragel commemorat, in Regia se vidisse natum infantem,qui vix dùm viginti quatuor vitę horis perfectus, loqui incæpit, & manu signa facere. Qua re vehementiùs Rege conterrito, accessit miraculum maius. Nam Rege (inquit) astante, & me quoque cùm multis aliis,exclamauit infans: *Sum* (inquiens) *infæliciter natus, ad prodendam Regni amissionem, & gentis perniciem,ac desolationem*. Quibus enunciatis,concidit exanimis.

29. *Odoricus An.*1275.Apud Cracouiensem vrbem puer vix semestris in vocem articulatam prorumpens,Tartaros superuenturos,& Polonorum capita præcisuros prædixit.Quęsitus ab astantibus, vndè id nosset;diuino oraculo se fretum ista nosse respondit. Interrogatus deindè, an & ipse Tartarorum aduentum pertimesceret;quàm maximè se timere, adiecit, cùm etiam inter alios suam forent ceruicem præcisuri. Non vana cecidisse infantuli illius verba,rerum exitus edocuit.

30. *Dodechinus in append.Mariani Scoti*. Ann. 1117.Cremonæ quidam infantulus in cunis iacens pannis obsitus,in primam loquendi vocem contra naturam os aperuit, matremque suam escas parantem fratri suo maiori, qui plorando panem petiuerat, à corporis curis compescuit,asserens sibi visam Dei genitricem Mariam ante tribunal Christi stantem, instantissimisque precibus pro iudicio, quod mundo propter peccata sua intenderat, ipsi supplicantem; ac post hæc deposuit eloquium vsque ad tempus humanæ conditionis congruum,

31. *Buzelinus in Hist. Gallo-Flandr.* Alsatius Comes Flādrię tertio à suo ortu die locutus est alta voce *Vacuate mihi domum*.Erat tunc tēporis patria plena rapinis,sacrilegiis,& variis aliis criminibus, à quibus dominante postea Alsacio purgata est.

32. *H.Boethius lib.*10.Anno eo, quo Scotorum Rex Donaldus turpissimus, pacem ab Anglis, & Britannis redemit, in Laudonia Scotorum, infans semestris, matrem clara voce monuit, eam regionem totam cùm domo ocyùs relinqueret, fore, vt hostes Laudoniam Scotis ademptam occuparent.

33. *Marchant.in Candelab.Myst.de Baptis.*Certa relatione didici, in Britannia inferiori in Dięcesi Leonensi,intra Landernacum, & Montem Relaxū, vulgò *Moraly*, anno 1622.in Februario contigisse, quod sequitur. Cùm puellulæ baptizandæ Patrinus hæreticus adhibitus foret,illeq;nomen vellet dare, miraculosa loquela infans omnibus stupentibus dixit.*Maria est nomen meum*. Vndè nec Patrinus ille admissus fuit,nec nomen quod optabat imposuit, quandòquidem diuinitùs repudiari censeretur.

Iuuenes subitò mirabiliter Senescentes, & Senes repubescentes, 3. 2,

ADmiratus est Mundus quandòque iuuenes sub ita canicie ad maturam ætatem mirabiliter peruenisse; senes verò diuinitùs repubescentes. De his igitur, vt potè præter vires naturæ admirandis erit sermo.

1. *Theodoretus in Philotheo*. S. Iacobo Nissibeno Episcopo in Persidem descendente, puellæ quædam iuxta fontem morantes verecundia posita, capite detecto, & sublatis vestimentis, impudentibus oculis sanctum virum intuebantur; vndè vir iustus id ægrè ferens fonte maledictis insecutus est, qui illicò exaruit, maledictis quoque puellas afficiēs, confestim impudentem earum iuuentutem in caniciem conuertit; siquidem nigredo capillorum in candorem transmutata, earum venustatem in posterùm fœdauit; & virgines, vt deformes aniculæ ore fœdo apparuerunt.

2. *S. Bernardinus Senensis Tom. 2. Dominic. 2. Quadr. ser. 16. art. 3. cap. 1.* Stupendum exemplum accidit in Cathalonia in Ciuitate Sui propè Valentiam de iuuene quasi 18. annorum, qui parentibus inobediens, latro, & criminosus effectus est, & propter mala sua opera captus, & patibulo suspensus; namque illo defuncto, & adhùc in patibulo pendente, cùm esset omninò imberbis, vidente ac mirante cuncto populo, paulatim emittit barbam, mutat faciem, capilli capitis pendent gradatim, senescens, ac cauens vsque ad decrepitam senectutem, & quasi nonaginta annorum ætatem ostendens, cuncto populo admirabilis factus est; intellexitque populus, quòd huic diù victuro, à Deo misericorditer propter sua crimina, & parentum inobedientiam, abbreuiata est vita.

3 *Krantzius lib. 9. cap. 47. Metrop.* VVipertus iuuenis, cùm Racemburgensis Ecclesiæ Episcopus fuisset electus, Romamque profectus (dispensationis causa super ætatem) à Pontifice contemptus, nocte sequenti totus incanuit quo viso, Pontifex confirmauit electionem, & dispensauit simul cùm illo atque eum consecrauit.

4. *Stengelius ex Molano*. Sancta VVilgephortis virgo, Regis Portugalliæ filia, pro defensione Fidei, & pudiciciæ decertans, à Christo crucifixo, & simul deformato postulauit, vt se ipsam deformaret, ne ad humanas nuptias expeteretur. Pro voto, ac desiderio suo res accidit, tota barbata comparuit, & in Christum deformatum totam se ipsam transtulit, & transformauit.

5. *In Actis S.S. Februarij Tom. 3. in Continuat. Bollandi*. Cùm S. Paula, cognomento Barbata, Virgo Abulensis in Hispania, ob egregiam pulcritudinem ab insolenti iuuene sæpiùs tentata fuisset, semper Diuino munita auxilio eius effugit manus; cùm autem semel in agro esset sola, ad eam aduentabat lasciuus iuuenis. Tunc illa in proximam ædiculum Martyri Laurentio dicatam aufugiens, pedes Crucifixi amplexata est, illumque deuotè supplicata, vt faciem suam immutaret. Annuit precibus sponsus, moxque ipsi turpificata diuinitùs facies est, mentis intrinsecùs aucto nitore: Barba agrestis enata, frons distorta, genæ tetrum in modum fædatæ. Irruit interea adolescens, nec agnouit quam deperibat; sicque ab eius manibus effugit, sicque vitam sanctam vsque ad finem duxit.

6. *Vghellus in Ital. Sac. Tom. 7. Amalph. Archiepiscopi*. Dum in quadam solitudine prope Amalphum vitam duceret Ven. Petrus Eremita cum Nepote suo Ioanne; Ven. Petrus sportas ex corticibus arborum faciebat, & illas per dictum Nepotem ad vendendum mittebat, & ex pretio se ipsum alebat. Tunc diabolus tanti boni operis inuidens, fecit, vt quidam iniquus homo per vim quæsiuerit videre dictum Ioannem puerum vndecim annorum, qui fugam cepit, & sine pane se contulit ad Petrum, excusans se vt meliùs potuit tacita tribulatione. In crastinum diei Dominici à dicto suo patruo vocatus, vt vellet redire ad vendendum sportas, subitò obediens erectus est, & sportis oneratus, inuenit sibi in facie sua barbam longam, & cùm magna admiratione itineri se exposuit, & Amalphim venit.

7. *Ex Lippelloo in vita S. Iuliani Martyris 28. Aug.* Narratur in vita S. Iuliani Martyris (cuius caput est Vienæ Gallorum, reliqua verò sacra eius Lipsana sunt in Briuatensi oppido Prouinciæ, quam appellant Delphinatum) Senes aliquot pios, quia vltima obsequia eidem inclyto Martyri exsoluerant, dederantque sepulturæ triumphales ipsius exuuias, hoc præmij esse consecutos, vt constitutis in extremo senio, & silicerniis, reddita de integro sit iuuentus; vsque adeò, vt ver egerint, & floruerint denuò qui emarcuerant confecta omninò ætate.

8. *In vita S. Patritij cap. 34.* Sanctus Patritius Ethnico cuidam, qui se Christianum fore promiserat, dummodò in eo ætas refloresceret, quæ senio iam inaruerat, id precibus suis confestim à Deo impetrauit, ac renouata est instar aquilæ illicò iuuentus eius.

Finis Libri Primi.

LI-

LIBER SECVNDVS
De Admirandis circa Corporis Humani Affectiones.

HVmanum corpus, tot, tantisque mutationibus subiectum, tot, tantisque Admirandis in ijsdem vicissitudinibus refertum, præsens exhibebit Liber; & quò erit ignobilius subiectum, eò luculentior diuina apparebit Bonitas; quæ Admiranda vbique perpetrare haùd dedignatur. Circa igitur eiusdem diuersas passiones, & affectiones, quæ admiranda selegi, hic interseram.

CAPVT PRIMVM.

De Admirandis morborum curationibus. Cæcitas diuinitùs depulsa. S. 1.

NON omnes morborum curationes, quæ precibus, intercessioneque Sanctorum euenere, hic sunt recensendæ, neque enim integrum vel copiosum sufficeret volumen; eas solùm enumerabo (præter iam notatas suo loco, cum de virtute medica diuinitùs quibusdam rebus concessa) quæ admirabili quodam, & singulari euentu perpetratæ, magnam in omnibus excitauerunt admirationem. Exordiarue ab Admirandis, & prodigiosis cæcitatis expulsionibus; De quibus,

1. *In Hist. Euangelica.* Cæcos quosdam sputo, aut luto, vel solo contactu Christus Dominus miraculorum author, admirabiliter ad visum restituit.

2. *Baronius an. Christi 52.* S. Paulus Apostolus, dùm Athenis moraretur, Cæcum à Natiuitate illuminauit, dicens: Christus Dominus, & Magister noster, qui oculis lutum imposuit cæci nati, & lumen restituit ei, ipse te potentia sua illuminet.

3. *Surius in Septembri.* S. Syrus Episcop. Ticinensis illuminauit cæcum à natiuitate, dicens: Si credis in Dominum Iesum Christum filium Dei, ipse, in quem credis, aperiat oculos tuos.

4. *In actis S. S. de translatione S. Vincentij mart. lib. 2. apud Bollandum 22. Iannuar.* Puella, quædam à natiuitate cæca, indubitanter credens interuentu tanti martyris se posse lumen recipere (multi quippè alii cæci visum receperant) sororem rogauit, vt ad eum quantocyùs perduceretur. Quæ dùm simùl incederent, audierunt in terram procùl remotam delatum fuisse. Ad quam propter rigorem hyemis, & aspera iuga montium non valentes peruenire, cæca, sororem suam hortata est, vt ex cera, quam secùm tulerant, candelas conficeret, easque saltem ad locum, quo sanctum corpus in itinere ad modicum pausarat, deferret. Quod cùm fecissent, atque se illic ambo gementes prostrauissent, fusa prece, quæ lucis nescia venerat mulier, cæpit clamare, se clarè videre.

5. *Ibidem in actis S. Hilarij Episcopi Pictau. 13. Iann.* Cæcus quidam diù, multùmq; S. Hilarium videndi facultatem orauit, ac Pictauos profectus dies complures iisdem votis, precationibusque exegit; nocte quadam S. Hilarium in somnis videre sibi visus est, isthæc sibi edicentem. Crastina luce duos huius Ecclesiæ Canonicos (nomen expressit vtriusque) reperies; eis à me denuncia, vt flagitiosam suam vitam corrigant, ni fecerint, pœnas breui daturos. Vt verò fidem habeant, cùm in Missa solemni, quæ ipso die in eadem fiet Basilica, sacrum Trisagion de more concinetur, visum recuperabis, perspicaciorem, firmioremque, quàm omni retrò vita habueris. Experrectus, nec vanum ratus somnium, cùm ad Sancti Basilicam ductus, duos illos inuicem colloqui Canonicos didicisset, eos adit, & proprio quemque nomine compellat, ac visa, audita que refert. Spreuere quidem illi dicta, ceù leuia somniorum terriculamenta, tamen quòd sibi suorum conscii scelerum essent, nonnullo sunt timore perculsi; & alterius, quo minæ confirmabantur, præsagii exitum studiosè opperiebantur, vti & ipsorum collegæ, cæterique eius Ecclesiæ Sacerdotes, quibus visum sibi redditum iri cæcus indicarat. Vbi ergo ad trisagion ventum est, hominem circumstant, & simùl tertio Sanctus erat decantatum, aperiri ambos ei oculos, iisque illum clarè, & distinctè cernere cuncta intuentur; & Deo, Sanctoque Hilario gratias agunt. Hildebrandus, qui hoc descripsit miraculum, negat sibi compertum, an mores duo illi Canonici emendarint, hoc constare, eos paulò post è viuis excessisse.

6. *Ruffinus lib. 2. cap. 13. apud Baronium an. 372.* Cæcus quidam rogabat deduci se ad cellulam Macarii, quæ erat in deserto, itinere trium dierum; quò postquam Cæcus multo ductantium labore peruenit, Macarium non reperit domi; & contristatus valdè, nullatenùs mitigare mæstitiam poterat, sanitatis solatio carens. Tùm verò feruore fidei conualescens: Deprecor (inquit ad eos, qui deduxerant) applicate me ad illam partem parietis, vbi cubare senior solet. Et cùm fuisset admotus, parum luti aridi, vndè paries oblitus videbatur, assumens, palmæ suæ superposuit. Rogat etiam vt aquam de puteo, ex quo bibere solebat, haurirent; qua resoluens glebulam, eodemque luto oculos suos superungens, & lauans de aqua, quæ hausta fuerat, repentè recepit visum, ita vt nullo indigens adminiculo rediret ad sua.

7. *Henriquez in actis S. Bernardi.* Quidam cæcus in Regioue Tolosana intelligens D. Bernardum

dum in quodam celebri conuentu verbum Dei disseminare, maximo cupiens desiderio ab eo sanari, circunstantibus ait. Rogo per misericordiam Dei, ducite me ad locum illum, in quo hominem Dei stetisse, vel sedisse certissimè scitis. Quod cùm per beneuolentiam eorum, qui aderant, consecutus fuisset; veniens ac locum, toto corpore in terra prosternitur, mira deuotione puluerem ipsum, in quo sacra vestigia steterant deosculando, Domini quoque misericordiam per merita serui sui anxius implorando. Quod cùm diutiùs faceret, & de ipso puluere, fide plenus, oculos confricaret; repentè miserante Domino, qui sanctitatem famuli sui, licet absentis, etiam in hac gratia declarare dignatus est, lumen oculorum suscepit. Quod factum, non solùm Catholicæ, & Orthodoxæ Fidei firmamentum contulit: verùm etiam perfidis hæreticis confusionis, & opprobrij notam addiunxit, & adduxit.

8. *In actis S. Didaci Complut.* Filios duos cæcos pater quidam in pago de Corlon natus, ad illius monumentum adduxit; vbi paululùm terræ è sepultura cùm excepisset, lutum confecit, quo eorum oculos obliniuit. Id pura fide cùm pater effecisset, liberi restituti sunt ad integrum oculorum sensum.

9. *Ambrosius Righettus in Miraculis nom. Iesu.* Dùm S. Terentius iter faceret, cuidam, à quo malè habitus fuerat, eaque de causa miraculosè cæcus euenerat, sumpta propria saliua, cæcique oculo in nomine Iesu signato, statim deperditam sanitatem restituit.

10. *Baronius in Annal. Ecclesiast. ann. 457. num. 5.* Dùm Leo Imperator nundùm Diuino nutu Imperiali dignitate exornatus, priuatus degeret, in hominem cæcum errantem incidit, cuius vicem miseratus, eum manu duxit, gressumq; eius per loca illa dirigebat; cùm cæco magna siti laboranti, aqua qua sitim extingueret, vbique inquirit, sed frustra. Tunc audiuit vocem dicentem sibi: Leo turbidam aquam hauri, eaque sitim hominis ægri refice, & limum cænosum manibus cape, quo cæci oculos inungas: paruit Leo, & illo diuinitus demonstrato medicamine, cæci oculi mirabiliter sunt aperti, factusque est videns.

11. *In vita S. Francisci de Paula.* Cùm B. Franciscus in Gallia degeret, resciuissetque quemdam sui cultorem indefesso sacræ scripturæ studio, vigilijs, perpetuoque pœnitentiæ rigore, oculorum aciem sibi ita obtudisse, vt cœcitate laboraret, misit ad eum sua perspicilia, iubens, vt quantùm vis cęcus his vteretur. Ille verò acceptis ocularibus, ridiculum esse aiebat, quòd cœco perspicilia admouerentur; verùm quod naturæ viribus esset impossibile, diuina (quæ in S Francisco erat) beneficentia donari posse ratus, firma in Deum spe collocata, perspicilia vix oculis adhibuit, cùm stupendo prorsus miraculo, videndi vsum sibi restitutum comperit. Alteri cæco eius oculos calce liniendo pristinam restituit sanitatem.

12. *Lippellous in vita S. Simeonis Salo. 1. Iulij.* Rusticus quidam acerbissimo oculorum dolore laborabat, neque vllum à medicis remedium habere poterat, immò quò maiori industria, & arte ei subuenire nitebatur, eò maioribus dolorum stimulis miser vrgebatur. S. autem Simeon, cognomento Salus, cùm cerneret miserum incredibilibus affligi cruciatibus, hominis misertus: Vade, inquit stulte, lauare in aceto, & allio, & statim sanaberis. Ille verò quamquàm se ludibrio affici putaret, doloris tamen acerbitate victus, paruit, & protinùs integram oculorum sanitatem adeptus est. Alia vice, cùm in quasdam puellas chorum ducentes incidisset; Hæ postquam illum viderunt cæperunt eum referre in catalogum eorum, qui erant lusuri calculis. Tunc volens eas sanctus castigare, oratione facta, eas omnes fecit strabas; dixitque illis ludens; quæcunque vult ex vobis esse sana, osculabor eius oculum, qui factus est strabus, & sanabitur. Quotquot ergo voluit Deus esse sanas, eæ, vt dixit Sanctus, permiserunt vt sanctus earum oculos oscularetur, & sanæ factæ sunt.

13. *Rupertus in vita B. Hereberti.* Cæcæ mulieri dictum est, quòd si ex vino, quo idem sanctus Dei post Domini corporis, & sanguinis communionem digitos de more lauisset, sibi met oculos intingeret, amissum protinùs lumen acciperet. Credidit illa, & protinus vt oculos vino intinxit, lumen optatum recepit.

14. *In vita S. Norberti.* Roma egressus, Herbipolum vrbem, quæ vulgò VVirtzpurgum nuncupatur, venit, quæ tunc temporis pastoris orbata magno in luctu versabatur. Aduentu autem viri sancti nonnihil recreata, petiit ab eo, vt Missæ maioris officium in die sancto Paschæ coram Lothario Rege, Regni proceribus, & magna populi frequentia celebraret, ac pro communi, & publica salute sacrificium offerret. Paruit ille; eo celebrante, cœca mulier omnibus nota, coram omnibus accessit ad celebrantem, ab eoque tam Diuino cibo pasta, ac in oculos eius sufflante, visum recepit.

16. *Sigebertus in Chro.* Montanus Monachus cœcus, de lacte Ciliniæ Matris Diui Remigij iam nati, oculos suos liniens, illuminatus est.

16. *S. Hieronymus in vita S. Hilarionis.* Mulier cœca de Facidia, vico vrbis Rhinocorunæ Ægypti, adducta est ad B. virum, qui expuit in oculos eius, & statim visum recepit.

17. *Marulus lib. 5. cap. 4.* Abbas Spes sanctimoniæ fama celebris, oculis captus fuit, & quadragesimo tandem anno visum diuinitùs recuperauit.

18. *Volateranus.* Lucilla Virgo filia Nemesij Tribuni, cœca fuit primò, demùm à Stephano Pontifice recepit visum.

19. *Crantius lib. 9. Metropol. cap. 40.* Isfridus Raceburgensium Vuandalorum Episcopus, cùm circuiret cæmeterium cùm processione, vidit cæcum sedentem secùs viam, & mendicantem, quem aspergens aqua benedicta, versiculum illum dixit propheticum, Deus soluit compeditos, Dominus illuminat cœcos, & statim visum recepit.

20. *Henriquez in Fasciculo. De S. Bernardo.* Senex

Senex quidam cœcus viri benedictionem desiderauit, & obtinuit, cùmque paululùm processisset Abbas venerabilis, sensit exisse virtutem, non à se quidem, sed à verbo virtutis, & signaculo vitæ remisitque socium, qui inquireret, an videret, & iuuentus est videns.

21. *Gaufredus Abbas, de Petro Archiepiscopo Tarentasiæ*. Miles quidam regionis illius, impetrandæ benedictionis obtentu, & signorum gratia ad hominem Dei multos concurrere videns, compassus filio non videnti, optat, vt eius suffragantibus meritis videns fiat ex cęco, qui suis, vt verebatur, promerentibus culpis, cœcus factus est ex vidente. Cœcum itaque filium extulit Domo sua, sed Pluliacensi Cænobio intulit iam videntem. Obuius enim factus est vir fidelis eunti, panem referens à beato Præsulæ benedictum. Nec moras tulit magnanimus factus in fide, sed de mica panis collyrium nouum conficiens, oculos filij cùm Diuini nominis, & eiusdem Præsulis inuocatione liniuit. Cooperantibus ergo sibi virtute fidei, & benedictionis effectu ad vnctionem primam sacri Collyrij aperti sunt oculi eius, & vidit, & gauisus est se videre.

22. *Philip. Ferrar. Mens. Octob. die 22. de S. Bertholdo confess. Parmensi*. Ab eo cùm cœcus eleemosynam posceret, panem illi porrexit, dicens: Vide albus est; qui statim ad ea verba visum recepit.

23. *In actis S. Ottonis Episc.* Cùm sacris operibus instaret Episcopus, mulier quædam in rure posita, nescio quo euentu, subita cæcitate percussa est: audiens autem Antistitem adhùc esse in Ciuitate, duci se illò iubet; & veniens corruit ante pedes eius, auxilium petens super clade sua. Signum autem æris ante fores pendebat Ecclesiæ, quod simplices cùm intrabant oraturi, quasi ad excitandum sanctos pulsare consueuerant. Episcopus autem dùm ad succurendum à muliere crebrò inuocaretur; vade, ait, ad Ecclesiam, quassa campanam, excita S. Adelbertum, vt te adiuuet; abiit illa, Deum, & S. Adelbertum inuocans, arreptoque fune non priùs à pulsatione signi cessauit, quàm lumen oculorum reciperet.

24. *In vita S. Mechtildis Virg. cap. 23.* Soror vna, cui vsus erat scribendi membranam, dùm ad lineas punctaret, subulam incautæ trahens, oculum transfigit, pupillam perforat, & continuò exiuit sanguis, & aqua. Dolor elicit clamorem, concurrunt omnes ad sororem, geminatur molestia de languore desperabili, & de excœcatione sororis. Si quidem vtilis erat, & dilecta omnibus, & hinc magis doletur dolor eius. Excitat Matrem tumultus ille, vocatur, & adducitur illa; cùm aqua pupilla defluxerat, & adhùc sanguis riuatim fluebat. Nulla spes oculi rehabendi, nulla de cætero videndi, solus dolor, vt quiesceret, optatur dolenti. Iubetur accedere, adtractat oculum manu, & manus Domini affuit fugans dolorem, reddens sanitatem, & luminis claritatem. Stetit sanguis, & sanitas perstitit adeò, vt nunquam clariùs viderit, nec suauiùs habuerit.

25. *In vita S. Vuinuualoci ex Regio Sanguine Anglorum*. Sororcula Vuinuualoci, anserem domi, habebat familiarem. Huic dùm incautiùs colludit, ecce in vultum delicias facientis hic inuolat, & osculo oculum exculpit, deglutitque. Lusca puella alterum etiam oculum plorando videbatur amisura; cùm cœlestis Alitis monitu Vuinuualocus superuenit, prædonem oculi anserem medium secat, erutumque oculum loco suo reponit, ipsum etiam anserem ad gregem suum dimisit.

26. *In actis S. Flodoberti Ab. 8. Iannuarij apud Bollandum*. Contigit matrem eius oculorum suffragio destitutam, luminis dispendium incurrisse, cùmque longam in cæcitate noctem trahens, vitam mærore consummaret, die quadam filium inter amplexus demulcens, obsecrat, vt manu sua Crucis signum per oculos eius exprimeret. Quod cùm ille abnueret, mater verò importuniùs perurgeret, tandem materna permotus instantia, inuocato Domino, salutiferum Signum super oculos genitricis expressit: illicò, cedentibus tenebris, lux amica reuertitur; & paruuli merito filij, magnum matri beneficium cumulatur.

27. *Aloysius Lippomanus in vita S. Apollinaris cap. 2.* S. Apollinaris Roma Rauennam à Petro missus, vt ad fidem catholicam suscipiendam eos populos induceret, cœcos duos facto signo Crucis illuminauit.

28. *Baronius an. 484. num. 47.* Cartagine quidam cœcus in somnis admonitus, vt si visum recipere cuperet, accederet ad Eugenium Episcopum Cartaginensem; paruit visioni diuinæ, accessit ad Episcopum, à quo facto signo Crucis, in confusione Arianorum visum accepit.

29. *Idem ann. 499. 23.* S. Vedastus, Deo Christo donante per cuiusdam illuminationem cœci, fidem quam verbo prædicabat, in corde Clodouei Regis confirmauit.

30. *In vita S. Damasi Papæ*. Cùm per viam transiret S. Pontifex, quidam cœcus ad eum clamauit, vt lumen acciperet; quo audito, vir Sanctissimus admirans cæci fidem, & diuina misericordia fretus, signum Crucis super oculos cœci edidit, dicens: fides tua te saluum faciat; quo dicto, is qui cæcus fuerat, lumen recepit.

31. *Crantius lib. 4. Vuandaliæ*. Quædam matrona in Falderensi parochia luminibus orbata, cùm sæpè à S. Vicelino Episcopo consolaretur, vt patienter talem ferret tribulationem, quadam nocte sibi visa est præsentem habere S. Episcopum, qui ab ea rogatus, facto signo Crucis, uisum restitueret. Expergefacta mulier se sanatam esse mirabiliter intellexit.

32. *In actis S. Erminoldi Abb. 6. Ian.* Aurifex quidam, Gotfridus nomine, Sueuus, vir miræ simplicitatis, in artis illius omni genere cunctis qui erant Ratisponæ peritior, grauissimam oculorum patiebatur infirmitatem, adeò vt vnus oculus excæcaretur, insuper versus in cruentam carnem, & nigram; non autem habens pretium medicos conducendi, & cùm vetularum, ac mulierum experimenta quàm plurima sine profectu aliquo requisisset, audiuit mulierem peritissimam in huiusmodi esse apud Herbipolim; ad quam dùm pergere decre-

decreuisset, sed careret expensis, consultum est ab amicis, vt omissis omnibus, suffragia B. requirat Erminoldi, quibus ille consentiens, oculo argenteo fabricato, ad Sepulchrum sancti eò se ponderauit. Mira res! sub spatio noctis vnius oculum sanum ac purum perspicacioremque recepit, quàm ante morbum se meminit habuisse.

33. *Platina in vit. Pontif.* Ezelindis fœmina incomparabilis pudiciciæ, ab Ardenio amatore petita, & variis cruciatibus affecta, etiam pro persecutore ob crimen Dei nutu obcæcato, ita orauit vt eius precibus homini scelesto, & intemperanti lux tandem sit reddita.

34. *Greg. Tur. de Glor. Conf. cap.* 25. Nantulphus puer natura cæcus, precibus S. Senoch visum recepit.

35. *August. lib.* 22. *de Ciuit. Dei cap.* 8. In translatione Reliquiarum S. Stephani, cœca mulier visum recepit intercessione S. Martyris.

36. *In annal. Minor. ann.* 1228. *num.* 56. Vir quidam de Monte Gargano, dùm in vinea sua laborans, lignum quoddam ferro succideret, proprium percussit oculum, & sic diuisit per medium, vt quasi media pars ipsius exteriùs dependeret. Cùmque in tàm desperato periculo, desperaret sibi posse per hominem subueniri; ieiunaturum se in festo S. Francisci, si ei succurreret, repromisit, statim in loco debito viri oculum Sanctus Dei restituit; Sicque diuisum reuinxit, & lumine pristino decorauit, vt nullius lesionis vestigia remanerent.

37. *Ibidem*. Quidam pro furti calumnia à Iudicibus sæcularibus propè Assisium excæcatus fuerat, ita vt effossis oculis, etiam nerui optici præcisi fuerint cùm cultello. Ductus ad Altare B. Francisci, implorata ipsius clementia, & sua in prædicti criminis impositione allegata innocentia, sancti ipsius merito infra triduum nouos recepit oculos, minores quidem illis, quibus orbatus fuerat, sed non minùs limpidè visus officium exercentes.

38. *Bidermanus in vita S. Ignatij lib.* 3. *cap.* 6. In Insula Balearica, cui Maiorica nomen, sub an. 1597. Ioanna Clara, cognomento Nognera, primæ virtutis vidua, oculis sensim ambobus defluentibus mœrebat, ac dextero priùs, mox & sinistro amissis, quid porrò ageret nesciebat. Placuit nouissimè Syngrapham S. Ignatij poscere, eamque super oculos deponere; oportunum fœminæ consilium. Nam eo facto, arcentur breui tenebræ, & oculis dies, quem amiserat, redditur. Alia similia de eodem enumerantur.

39. *Sylos in vita S. Caietani lib.* 3. *cap.* 2. Vicentiæ, Helena Tomasina dextrum oculum ob pituitosum humorem deperdiderat; inuocato tamen D. Caietano, ad pristinam restituta est sanitatem, oculumque omni macula purgatum deinceps habuit. Multa alia huiusmodi Admiranda operatus est Thaumaturgus mirificus.

40. *Boluitus in vita B. Andreæ Auellini Cl. Reg.* Albertus Ciminellus, vix expleto vndecimo Mense, quo in lucem editus fuerat, luce ipsa penè orbatus fuit, acri fluxione vtrumque ocellum vexante, ad vsque pustularum eruptionem. Humanæ iam opis inops eius amita, plorans ad Beati sepulchrum puerum defert, & offert, precesfundit, & argenteum oculorum simulachrum vouet; adstat Missæ sacrificio. Cùmque Dominicum corpus eleuaretur, puerulus carneum operculum, quo oculus tegebatur, eluctatus, palpebras diducit, & lumen admittit, liuoris tantùm relicto vestigio; firma amitæ fide, & multorum qui intererant, Beati manu plagas detersas, quod illa voti rea confessa fuit. Paulò post nubecula oculus obtegi creditus est, iterùm ad sepulchrum, & contactu Reliquiæ Beati, illa statim euanescit.

41. *Sylos in vita Ven. Francisci Olympij lib.* 1. *cap.* 20. Bartholomæo Auricolæ Neapolitano nata filia, in cunis ipsis oppanso oculis panniculo, aductoque ceù velo, lucis vsuram deperdidit; monitus est, vt si puellam restitui luci vellet, ad Olympium, qui tunc Vici morabatur, illam duceret, speraretque oculorum caliginem à Patre luminum fore Francisci meritis dissipandam. Neque mora: eò ad Dei seruum contendit, qui puellam cuidam Deiparæ imagini primùm obtulit: tùm conceptis ardore quodam precibus, osculum eius oculis libauit; nec post multò aduertit mater, nescio quod ceù congelati albuminis, ex iisdem filiæ oculis erumpere; oculos verò perlucidos, purosque, ac nulla prorsùs ex parte vitiatos, vndè exindè perfectè videre cœpit puella. Eamdem sanitatem impetrauit oculis Fabij Maionis.

42. *In Chronicis ordinis B. Mariæ de Mercede; de Ven. Sorore Maria de Resurrectione*. Hæc oculis semper clausis in tota hebdomada nihil videbat, adueniente autem feria sexta, visum recuperabat, oculos aperiebat, & passionem Dominicam ea die operatam, & consummatam deuotissimè recitabat, & die sequenti Sabbati oculi eius atra caligine replebantur.

43. *Zachar. Bouer. in Annal. Capuc. an.* 1580. *de F. Iosepho à Corleone*. In Agrigentino Conuentu aliquandò illi in Ecclesia oranti Beatissima Virgo apparuit, eique post familiare colloquium, quo ille in oratione sæpè frui solebat, phialam cælesti quodam liquore plenam obtulit, vt eo sibi oculos inungens à morbo curaretur.

44. *Guilielmus Gumppenberg, in Atlanti Mariano de Imagine B. Mariæ Castrensi in Belgio*. Tres Virgines ex Anglia, Romam ad sancta loca visitaturæ dùm per Belgium transirent, deprehensæ à Normannis latronibus, cùm nollent quæ ipsi vellent, iugulatæ, vestibusque spoliatæ sunt, futuræ pabulum feris, si quas hominibus feritate pares silua aleret. Non diù tamen iacuere cadauera, cùm transiens equo nobilis, cantum auium insuetum audit. Miratur primùm; tùm etiam è seruulis vnum exploratum mittit, qui sonum secutus, locum vbi iacebant cadauera, inuenit, & mox ad Dominum visa retulit. Eques quamtùmuis vtroque oculo orbatus, plùs tamen ipso oculato seruulo uidit, sacrumque aliquid, & diuinum mente concepit. Ductus igitur ad locum, sanguine, qui recens adhùc è vulneribus fluebat, oculos linit, & vtriusque oculi vsum momentò

temporis

temporis recipit. Domum reuerso Deipara apparet, iubetque in loco, vbi post dictam salutationem Angelicam, oculos sanguine virgineo vnxerat, sacellum sibi ædificari, sanctarumque virginum corpora reponi: id mereri supplicium, quod pro pudicicia sustinuissent. Structum sine mora ab equite sacellum, positaque hæc Virginis Deiparæ Statua, quæ tot iam sæculis miracula patrat.

Multus essem, si attexerem omnes, qui oculis capti, vel signo Crucis, vel contactu Reliquiarum, aut Sanctorum precibus, visum mirabiliter impetrarunt; sint satis quæ de Admirandis quibusdam modis, quibus visu orbati, sunt illuminati, fuerunt narrata; aliqua notata fuerunt alibi, alia etiam videbuntur inferius in §. de Cæcitate in pœnam delictorum punitis.

Mutis loquela cælitùs restituta. §. 2.

ADmirandas hic etiam solùm, & singulares quasdam mutorum, & elinguium curationes referam, sicuti in præterito paragrapho. Sunt autem.

1. *In Euangelica Historia.* Christus Dominus pluribus mutis loquelam elargitus est. Item Zacharias Pater Io. Baptistæ ex incredulitate mutus effectus, postea mirabiliter vsum linguæ recepit, apertoque ore prophetauit.

2. *Petrus Rouerius in Historia Monasterij Reomensis lib. 4. cap. 5.* Cuidam puerulo linguam absciderant quidam fures, ne furtum commissum innocenter manifestaret. Accidit autem in vigilia solemnitatis S. Ioannis Abb. Reomensis in Gallia, dùm signa vespertini conuentus prenuncia à sacrorum custodibus more Ecclesiastico quaterentur, ipsum quoq; vnius sonum suæ manus officio temperaro. Id dùm sedulè ageretur, vidit, vt ipse postmodùm retulit, igniculum quemdam instar ardentis stellæ tanquam à sepulchro B. Ioannis prodeuntem, claustrum sui oris ictu validissimo perculisse. Qua re immodicè affectus, tanquam exanimi simillimus, in terram colapsus est: adstantes Monasterio, caducæ passionis accessu eum elisum argumentati, elatum manibus, lecto composuere. Ille per noctem quiete soporifera reparatus, ita post Gallicinium loquelæ resumpsit officium, vt vniuersos nocturnæ stationis vigilias expectantes, quod est dictu mirabile, acutissimè affaretur. Denique intimas oris partes diligentiùs explorantes, linguæ calamum integerrimè reformatum repererunt, magnificantes diuinam in Sancto Ioanne potentiam, cuius præcellentissimis meritis, elinguis necessario officio redditus est.

3. *Anastasius de S. Leone III. Papa.* Cùm Sancto Pontifici ab impiis lingua præcisa, oculique fuissent eruti, contigit cooperante Domino, & B. Petro Apostolo suffragante, vt cùm ab ipsis carnificibus in Monasterium Sancti Germani in custodiam mitteretur, & lingua ad loquendum ei restituta sit, & visio oculorum.

4. *Desiderius Abb. Cassin. in lib. Dialog. de S. Leone Papa.* Curiensis quidam Episcopus Romam venerat, secùmque duxerat puerum ab vtero matris mutum, in cuius vacuo ore nec indicium quidem linguæ inesse videbatur; cùm autem incredulum animum gereret Episcopus, ex mirabilibus ad B. Leonis tumulum patratis, in eorum testimonium hoc Deus permisit miraculum. Siquidem cùm mutus puer ad sepulchrum B. Leonis se conferens, lachrymisque & precibus illum deprecatus esset, vt sibi linguam à Deo impetraret, aliquantulùm prostratus iacuit, & illicò recepta voce surrexit, quodque mirabilius est, ab illa die cæpit in ore eius lingua, quæ defuerat, paulatim crescere, ita vt intra paucos dies pleno ore linguam perfectè receperit, & verba sine impedimento proferret.

5. *Bzouius an. 1513.* Ibat quidam puer quatuordecim annos natus cùm quodam mercatore Condoniensi, tramitibus nonnullis per montana directis; impegit vterque in latrones, cui quidem pecuniam simùl ac vitam eripuerunt; puero autem, ne facinus accusaret, linguam detruncarunt, atque mutum illum arbori cuidam alligarunt, vt fame interremptus, feris, & volucribus esca esset. A quibusdam fortè fortuna prætereuntibus solutus, mendicimonio postea vitam tolerauit, donec ad Alfonsum Aragonium venisset, qui vt ad sanctissimam Virginem Monserratensem properaret, ibidemque vsum loquendi postularet, admonuit. Venit, miraculorum ibidem patratorum monimenta aspexit, deuotionem erga sacrosanctam Deiparam exindè, & ex Regularium monitis concepit, dumque ibi est, nocte consequenti, dùm absolutis matutinis sacris, cœnobitæ ante Virgineum sacellum hymnum Aue Maris stella, decantarent, accitus, & in orationem intentus, inter preces & lachrymas in extatim raptus aspexit Reginam Angelorum ad se propiùs accedere, duosque maiores dexteræ manus digitos in os sibi inserere; vndè ineffabili suauitate perfusus in terram corruit, & à circumstantibus sublatus, linguam sibi restitutam esse persensit, qua in laudes Curatricis suæ soluta, stupore, & gaudio omnes affecit; diffusa eius miraculi fama per vniuersam ferè Hispaniam.

6. *Idem an. 1513.* Hoc anno iuueni cuidam Lyguri, Ioannes nomine, cui lingua à latronibus amputata fuerat, intercessione eiusdem B. Virginis Monserratensis lingua restituta fuit; cùm enim eò confugisset, sacramque Virginem supplicibus deprecatus esset, ibique in Xenodochio moraretur, quadam nocte apparuit ei pulcherrimus puerulus, qui digitis in os immissis, linguam restituit, vndè mane facto, loqui mirabiliter cæpit. Huius miraculi indicium perpetuò remansit in ore pueri, linguæ restitutæ color alius, quàm radici, à qua precisa; forma item alia quàm communis omnium linguarum, nimirùm non mucronata, sed rotunda, perfectè tamen vocalis. Alii similiter elingues eandem gratiam ad intercessionem eiusdem Virginis obtinuere.

7. *Vincemala lib. 3. mirac. 34.* Ab hæreticis inhumanissimis clerico lingua fuit exsecta, quia in expri-

exprimendis mira suauitate Virginis laudibus, singulare eius studium extabat. Aduenerat ipsius Reginæ festus dies; eius iisdem laudibus ornandæ maximo incensus est desiderio, sed quia lingua apertè enunciare, ac nullam vocem erumpere poterat, ad B. Virginem, eam deuotè supplicaturus se conuertit, tunc ei repentè, è cœlo mirabilis splendor oblatus est, & noua lingua allata est; vt non solùm animo meditari, sed etiam voce significare posset Virginis egregias laudes, qui ad eam rem se postea totum instituit, ac parauit.

8. *Astulphus in Hist. imaginum B.V. lib.* 8. Cuidam Sacerdoti an. 1228. in Burgundia, sacrilegè linguam præciderant Hæretici, eo quòd missam celebrauerat. At apparens ei B. Virgo, linguam nouam ori eius imposuit, deincepsque expeditè locutus est.

9. *In Ann. Seruor. An.* 1596. *de Imag. B. Virg. qua Regij colitur.* Marchinus puer penitùs elinguis natus, religiosæ pietatis instinctu alios pueros, vt poterat in deuotione B. Virginis imitabatur, & intimo cordis affectu, quòd eloqui non poterat, gloriosam Virginem deprecabatur, atque ardenti affectu venerabatur, ita vt integras noctes aliquandò coram eadem Imagine meditando consumeret. Præfati igitur anni quadam nocte mensis Aprilis in septima hora placuit Altissimo, vt suæ Genitricis admirandum facinus in puero Marchino demonstraretur, cùm repentè tria mirabilia in miraculo vno concurrerent, vt Marchinus linguam, quam nunquam habuerat reciperet, enodaret, loqueretur, ea, quæ nunquam ob surditatem audiuerat, perfectè pronunciaret, prima autem ipsius verba hæc fuerunt Iesus Maria; Manè factores euulgatur, audit, loquitur & omnibus respondet Marchinus, explicans cunctis mirantibus, quid sibi præterita nocte accidisset.

10. *Raderus in Bauaria sacra, de Michaele puero à Iudæis cæso.* Cùm huius sacri pueri cædem patria lingua tragico carmine Hilbrardus Thiermarius Erkerzouianus deplorasset Monachii: Huic Otho Henricus Palatinus Patronus Iudęorum pro operę pretio linguam quoad prendi potuit, truncauit, ne credo pluries caneret pueri laudes, & scelus Iudęorum; sed recreuit innocentis lingua vt non sine miraculi opinione rursùm loqueretur.

11. *Seuerus Sulpitius Dial.* 3. D. Martinus in Carnotena Ciuitate, puellam ab vtero Matris ad duodecimum vsque annum ætatis mutam, infuso sacro oleo, & oratione, vocalem fecit.

12. *Hincmarus in vita S. Remigij.* Remigius Rhemensis Episcopus, in synodo Aurielanensi sub Clodoueo Galliarum Rege, Arianum quemdam summum Dialecticum miraculosè mutum redditum, & ad Remigii pedes procidentem, sic affatus est: In nomine Domini nostri Iesu Christi veri filii Dei viui, loquere; si quidem ita rectè de eo sentis, & de illo, sicut Ecclesia Catholica credit, crede, & confitere. Hac voce ille vsum linguæ recepit, & damnato Arii errore, catholicus factus est.

13. *In Chron. Cassinensi lib.* 1. *cap.* 25. Quidam mercenarius, qui annis septem mutus fuerat, ad basim columnæ in D. Benedicti Ecclesia obdormiuit, cùm alij cantarent laudes Deo. Apparuit ei autem S. Benedictus, & inquit: Surge protinùs, & tribus in terram vicibus expue. Id cùm vigilans fecisset, recepit loquendi facultatem.

14. *In vita D. Bernardi Abb.* D. Bernardus Iosberto de Firmitate sanguine ipsi iuncto, mente & loquendi facultate priuato, promisit leuationem, si ablata Ecclesiæ restitueret, & onera, quibus pauperes presserat, relaxaret. Postea ad secretam conuersus Orationem, ecce nuncius adest, qui refert, Iosbertum, & loqui, & petere, vt ad se veniat, & sacramenta impertiat.

15. *Zonaras.* Constantinus, Leonis V. Iconomachi filius, post patris cædem in insulam Primam relegatus, cùm loquelam amisisset, D. Gregorium Magnum pro sanitate à Deo impetrandam orauit. Fertur igitur illi Gregorium in somnis apparuisse, ac iussisse, vt templum ingrederetur, & lectionem illam, quæ exorditur: Rursùs Iesus meus &c. coram omni plebe legeret. Paret ille, & lectionem sine omni impedimento linguæ ita pronunciat, vt nemo non admiraretur.

16. *Surius in vita S. Ioannis Episcopi Hagustaldensis.* Puerum mutum impresso linguæ eius signo Crucis, loquentem effecit.

17. *Idem in vita S. Sebastiani.* Zoe, Nicostrati vxor ante sex annos nimia morbi infestatione muta, precibus S. Sebastiani, pristinum linguæ vsum recepit.

18. *In actis S.S. Feb. t.* 1. *in Cont. Boll.* In Domo quadam aliena S. Brigida Kildariensi Abbatissa manente, casu contigit, vt omnes exirent, & venirent quidam petentes panem, & Brigida circumspiciens dixit puero propè cubanti paralytico, & muto, quod tamen ipsa ignorabat; *Puer scis vbi* sit clauis? & respondit; scio; dixit ei Brigida Surge, & ministra illis, & factum est ita, omnibus postea stupentibus.

19. *Franciscus Victoria in vita S. Francisci de Paula lib.* 1. *cap.* 13. Quadam die vir quidam ab vtero elinguis est ei oblatus, qui vt ter Iesum, quem conclamare iussus est, pronunciasset, deinceps ea, qua cæteri homines, vsus est loquendi facultate.

20. *Vadingus de B. Ioanne de Capistrano.* Mercatoris filium mutũ ter iussit B. Ioannes Iesus nomen proferre, & tamquam si nullo priùs teneretur impedimento, obsecutus, deinceps perfecta vtebatur loquela.

21. *Pepe in mirab. S. Caietani m.* 177. Puer trium annorum Franciscus Pico, nundùm vsum linguæ acceperat, sed vt mutum animal insulsas solùm emittebat voces. Tunc eius Mater inuocato D. Caietano, puero Diui imaginem deosculandam tradidit, qui illicò expeditè loqui cæpit, quæque vsque adeò non protulerat verba, statim ceù grandæuus, mirabiliter protulit.

22. *Idem ibidem m.* 53. Bartholomæus Amitranus puer surdus, mutusque, totoque corpore contractus, vt ad Basilicam S. Caietani à parentibus firma fide deportatus fuit, coram omnibus membrorum

brorum omnium vsum illicò diuinitùs obtinuit. Simile beneficium multis aliis eius opem implorantibus, benignè elargitus est pius Pater, vt in mirabilibus eius, & vita legitur.

Vide reliqua in §. Loquelam diuinitùs amittentes.

Elingues mirabiliter loquentes. §. 3.

ADmirandis antehabitis adnecti possunt admirabiles locutiones, quibus elingues adhùc præcisa lingua, eius tamen vsum non amisisse diuinitùs demonstrarunt. Sunt autem.

1. *Ioan. Molan. in Natal. S. S. Belgij, de S. Eusebio martyre 25. Aug.* Eusebio, Vitellius, eo quòd à laude Christi non cessaret, linguam exscindi iussit. Quam mox Faustus quidam collegit, & fugiendo latuit. Martyr autem lingua carens, laudes Deo loqui non cessabat.

2. *In Martyrol. Gall. 6. Non. Octobris, de S. Leodegario Episcopo, & martyre.* Audiens autem Tyrannus, quòd in tormentis Deum laudare non cessaret, linguam eius, & labra fecit incidi. At exsecta lingua, vsum sermonis vir beatus non amisit; quin Deum benedicere, & populo salutis dare monita non desinebat.

3. *In actis S. Romani martyris.* Cùm Sancto Romano martyri Iudex imperasset linguam præcidi, in carceremque ipsum retrudi; prodigium accidit, vt qui antea balbus ac lingua impeditus erat, deinceps rectissimè, & sine lingua loqueretur.

4. *Petrus de Natalibus in Cat. S. S.* Florentinus, & Hilarius martyres Christi apud Sedunenses, linguis priuati, rectè nihilominùs loqui potuere.

5. *In actis S. Placidi martyris.* Non ferens impijssimus Dux, quòd beatissimus Placidus sæpè Christũ nominaret, ira magna accensus, iussit ei linguã radicitùs amputari. S. verò Placidus clamabat lingua præcisa, dicens: Benedictum nomen & virtus Dom. nostri Iesu Christi, cuius nomen permanent in sæcula, qui & liberat nos ab omni malo semper.

6. *In actis S. Permenij presbyteri, & M.* Amputata ei lingua, nihilominùs loquebatur.

7. *In actis S. Quirini martyris.* Licet obtruncata lingua est locutus S. Quirinus, Aurelianumq; Tyrannum exprobauit.

8. *In actis S. Christinæ Virg. & Mart.* S. Christina Virgo, & martyr iussu impii Iudicis Iuliani, crudeli ferro priuata lingua, adhùc loquebatur, immanique Iudici crudelitatem exprobrabat.

9 *In actis S. Potiti Mart. 13. Ian. apud Bollandum.* Ira ductus Imperator, iussit linguam eius amputari, & oculos eius compungi. Et incisa lingua S. Potitus psallebat dicens: Benedicam Domino in omni tempore. Et iterùm dixit: Deus iudicium tuum Regi da, & iustitiam tuam filio Regis. Quid est Imperator, quia linguam meam amputasti? putas me non posse loqui, aut tecùm certare? superat te Dominus Iesus Christus, qui superauit Pharaonem, & liberauit filios Israel. Quid ampliùs facturus eris in me? Imperator confusus, in omnibus vidit se superatũ, nihil inueniebat quod ei faceret.

10. *In actis S. S.* Sancti Martyres Ferreolus, & Ferrucius, amputatis linguis locuti sunt.

11. *In Menologio Græco.* Cùm in Africa apud Carthaginem ex trecentis S. S. martyribus sub Zenone Imperatore, & Hunnerico Ariano Rege, ob fidem catholicam occisis, sexaginta eloquentioribus linguæ priùs excisæ fuissent. Nihilominùs dispersi per omnem Romanorum Regionem, Fidem Catholicam sine lingua distinctè, & apertè prædicabant. Quod miraculum vnus eorum auxit, qui in elationem versus, diuino priuatus dono obmutuit.

12. *Marcellinus in Chronico.* Rex Hunnericus vnius Catholici adolescentis vitam à Natiuitate sine sermone ducentis, linguam præcepit abscindi. Idemque mutus, qui sine humano auditu Christo credens, fidem didicerat, mox præcisa sibi lingua, locutus est, gloriamq; Deo in primo vocis suæ exordio dedit. Deniq; ex Fidelium contubernio aliquantos ego religiosissimos præcisis linguis, manibusque truncatis, apud Bysantium integra voce conspexi loquentes.

13 *Vincentius in Spec. Hist. lib. 20. cap. 91.* Dùm in Tiacensi vrbe Mauritaniæ maioris, multi Christi cõfessores ab Arianis lingua priuati fuissent, nihilominùs clarè constanterque loquebantur, catholicamq; fidem contra perfidos deprædicabant.

14. *Euagrius in Hist. Eccles. lib. 4. cap. 14.* Cùm iussu Onorichi, Gizerichi in Regno successoris, multis christianis, quoniam Arianam perfidiam sequi nolebant, radicitùs linguæ præcisæ fuissent, nihilominùs liberè, & expeditè loquebantur.

15. *Felix Astulphus in Præf. operis, de imaginibus miraculosis.* Quidam iuuenis, licet radicitùs illi fuisset à Fidei hostibus lingua excisa, promptè tamen, & expeditè loquebatur.

16. *Idem lib. 11. an. 1520.* In oppido Tarrasco in Hispania, Matronæ cuidam proditoriè lingua amputata fuerat à duabus fœminis falsò suspicantibus, de illarum fama innocentem detraxisse; at meritis B. Virginis, cui insons Matrona se commendauerat, etiam sine lingua locuta est.

17. *Idem lib. 12.* Simile prodigium absque lingua loquendi impetrauit, eadẽ Mater misericordiarũ, cuidã iuueni oppidi Cunei in Sabaudia an. 1537. qui à prædonibus impiè lingua truncatus, nihilominùs liberè, & expeditè quoad vixit locutus est.

18. *Franciscus de Castro.* Quidam Ciuis Madridiensis, dùm Christianis suaderet ne Mahometo impio crederent, ob idq; à Turcis ad supplicium damnatus esset, duceretur q; tota illa via pugnis, & calcibus, colaphisq; tũdebatur. Vbi ad locum ventũ est, primùm omnium, ne ampliùs loqueretur, linguam præciderunt, vestibusq; nudarunt omnibus, excepta intima, & femoralibus. Deindè quatuor circiter vlnas solo eleuatum portę cuidam vtraque manu clauis trabalibus affixerunt, vndè pendens (mirum dictu) & si lingua iam carebat, illorum tamen exprobare perfidiam vocibus altis non cessauit.

19. *Ioannes Eusebius lib. 2. Theop. cap. 7.* Henricus IV. Castellæ Rex veritatem quondam se monenti iussit linguam prę scidi, & in exemplum ad patibulum ostendi populo. Ostendit tamen cœlum miro prodigio dilectam sibi, quam homines odrũt; elinguis ille elata insonuit voce, cõtestatus linguam

illam suam esse, veridici nomine gloriatus, & gloriosus.

Alia membra deperdita, miraculosè restituta.

§. 4.

AD cætera membra fit transitus, quæ vel morborum violentia, vel barbarorum sæuitia deperdita, diuinitùs, miraculosè fuere sunt restituta. De his.

1. *In Hist. Apost.* Petrus cùm Ioanne templum ascendens, claudum quendam à Matris vtero, qui ad portam templi, Speciosam dictam, stipem petebat, in nomine Iesu Nazareni eleemosynæ loco sanauit.

2. *Ibidem.* Paulus Apostolus Lystris Lycaoniæ claudum quendam ab vtero matris, fide illius prospecta, curauit.

3. *In actis S.S. Martyrum Cosmæ, & Damiani.* Romę in Ecclesia dictorum martyrum cùm quidam matricularius in Ecclesia diù fuisset, & in crure morbum grauissimum haberet; nocte quadam post longam orationem apparuerunt ei prædicti S. S. & crus offensum recidentes, loco illius supposuerunt coxam defuncti, nomine Mauri, qui iam sepultus fuerat, plagamque diligenter vngentes, abierunt, coxam præcisam secùm portantes: Mane facto sanum se cognouit, adque cæmeterium properans, coxam Mauri præcisam, & coxam quam à se præciderant martyres in tumulo reperit.

4. *In Annal. Minorum ann.* 1228. *num.* 74. In Castro Chora Ostiensis diœcesis, vir quidam sic crus ex toto perdiderat, vt nullo modo progredi, vel mouere se posset. Positus itaque in angustia vehementi, & auxilio desperatus humano: cæpit nocte quadam, ac si præsentem cerneret B. Franciscum, talem coràm eo assumere materiam querulandi; adiuua me S. Francisce, recolens meum seruitium, & deuotionem tibi impensam. Nam in Asino meo te portaui, sanctos pedes tuos, & sanctas manus tuas osculatus fui; semper tibi deuotus, sẽper beneuolus extiti, & ecce morior doloris huius durissimo cruciatu. His pulsatus querelis, statim adfuit beneficiorum memor, & deuotioni gratus, & vigilanti viro cùm vno fratre apparuit; ad vocationem eius se venisse dixit, & tulisse remedia sanitatis. Tetigit locũ doloris cùm baculo paruulo, qui figuram Thau in se habebat; & fracto mox apostemate, perfectam tribuit sanitatem, & quod mirabilius est, sacrum signũ Thau impressum super locum sanati vlceris ad miraculi memoriam dereliquit. Hoc signo S. Franciscus suas consignabat litteras, quoties charitatis causa scriptum aliquod dirigebat.

5. *Surius in vita S. Antonij Vlyssip.* 13. *Iun.* Paduanus quidam viro Dei cõfitens peccata sua, inter alia exposuit ei, quòd matrem suam tanta vi trusisset pede, vt illa compulsa fuerit cadere. Id audiens Vir Sanctus, omnis malitię hostis capitalis, cùm quodam spiritus feruore dixit: Pes, quo pater, aut mater percutitur, meritò quàm primum deberet amputari. Quod ille homo simplex perperàm accipiens, illicò Domum abit, & pedem amputat. Mox per omnia ora volitat crudele facinus, & ad Virum Dei refertur; qui absque mora adit hominem, & post oblatas Deo preces, Crucis signo expresso, iungit pedem tibiæ, & aliquandiu linit sacris manibus suis. Confestim surgit homo incolumis, ambulans, & exiliens, & laudans Deum, & ingentes agens gratias seruo eius fideli Antonio.

6. *In actis S. Didaci Complutensis p.* 2. Pater quidam ex oppido quod Tamaion Hispanicè vocant, ad Beati viri sacellum filium adduxit; qui sextum annum agens, crus habebat altero breuius, & contractius digitis tribus. Dies septem cùm in Oratione euigilasset, octauo tandem die voti compos filium illicò vidit sanum, pedibusque suis rectè incedentem.

7. *Leo Ostiensis lib.* 3. *Chr. Cassin. cap.* 35. Alexander II. Pontifex cùm pertransisset Aquinum, claudum quendam in itinere iacentem inuenit, cuius infirmitati compatiens Pontifex, aquam eam, quam post missarum solemnia manus suas abluerat, ei ad bibendum dedit; Quam ille vbi sorbuit, sanitate reddita, Deo gratias maximas reddere cæpit.

8. *Ealredus in vita S. Eduardi Regis.* Cùm in Palatio iuxta Ecclesiam B. Petri, Rex aliquandò moraretur, superuenit quidam vir, Hybernicus genere, pedis vtriusque priuatus officio, & accedens ad Principis cubicularium, dixit illi; à B. Petro Apostolo in mandatis habuisse Regem adire, vt se suo sacro subuectum dorso, ad Ecclesiam eius, quæ Palatio vicina est, perferret, recepturum, si id fecisset, membrorum suorum sanitatem. Hæc vbi nunciata sunt Regi, statim imperio Apostoli paret, supposuitque humeros suos ad portandum infirmum, cùm itaque Rex paululùm processisset, infirmus sanatus est, cruraque eius, & nerui extensi.

9. *Gregor. Tur. cap.* 11. *de Glor. Confess.* Presbytero cuidam obuiam factus Sanctus Martinus, eius pedem debilem in nomine Christi sanauit.

10. *Baronius in actis S. Tiburtij marty. an.* 286. Transiens B. Tiburtius, occurrit homini, qui de alto lapsus fuerat, & caput, membraque omnia ita quassauerat, vt parentes eius non nisi de sepultura illius cogitarent; quibus ille flentibus dixit. Permittite me verbo vno illum alloqui; forsitan recuperabit sanitatem. Cùmque omnes dedissent spatium, accessit iuxta eum, & dicta tractim oratione Dominica, & Symbolo super vulnera eius, adeò solidata sunt ossa eius, caputque, & viscera omnia, adeòque factus est incolumis, quasi nihil mali passus esset.

11. *In vita S. Bernardi lib.* 1. *cap.* 12. D. Bernardus claudum puerum crucis signaculo curauit, hocque mirabile aliis claudis miraculosè præstitit.

12. *Bidermanus in vita S. Ignatij lib.* 3. *cap.* 7. *nu.* 64. Puella Dachouii (haud procul Monachio) nata, Vuolfscherina dicebatur, incerto quo infortunio, repente clauda, pedis dexteri vsum omnem amiserat, vt sinistro iam solo, nec nisi ęgre niteretur, fulcri subeuntis adminiculo adiuta, nullaque medicorum arte sanari potuerat; ea propter prochodochio recepta, inter mendicos mensibus quindecim stipe gratuita alebatur. Igitur ad auxilium petendum à Sancto Ignatio, qui per visum apparuerat, excitata, ad ipsum confugit, postque multas

preces,

preces, & vota partem affectam vngens oleo de eius lampade sumpto, mirabiliter pristinæ restituta est sanitati.

13. *Sylos in Hist. Cler. Reg. part. 1. lib. 5.* Cùm ob inopinatum lapsum Crus effractum fuisset cuidam Fratri nostro Laico, in eoque maximum vlcus iam inualuisset, ita vt adhibita omni artis industria, & frustrà, illud abscindendum decreuerint medici, ne reliquum corpus corrumperet. Re cognita S.P.N. Caietanus, intempesta nocte fratrem adit, ad patientiamque, & fiduciam in Deum exhortans, Crus petiit; Cùmque excreuisse mirum in modum tumorem, malumque inspexisset, in genua demissus, concipere tantisper preces cæpit, hortatus etiam ægrotum, vt itidem supplicaret. Nec mora; attrectato leniter crure, impressoque osculo, ac Crucis signo, fasciis obligauit, abiitque fiduciæ plenus. Postera verò die, cùm ad abscindendum Crus aduenisset Chirurgus, luxatum Crus perindè integrum reperit, solidumque, ac si nunquam afflictum, fractumque fuisset.

14. *Idem part. 3. lib. 9.* Dùm Liburni moraretur Albertus Maria Ambiuerus ex nostris spectatissimæ virtutis, & fidei vir, expeditionem Nauis ad Portugalliæ Regnum expectans, in eius se se conspectum dedit sella vectus gestatoria emancus, mutilusque vir, spiranti similis, quem ille vt vidit, innumero præsente populo, iussit illicò in virtute Dei, & B. Caietani surgeret, ac ambularet. Mirum sane dictu! ad ea verba surgit ille, ambulat, corporis iam integer, stupore defixis, qui id portenti suis oculis vsurparunt.

15. *Dominicus Maria Marchesius in vita Ven. Sor. Mariæ Villanæ ord. Prædic.* Semel cùm ex improuiso casu pes Ven. Soror. Mariæ adeò è propria sede recessisset, tibiaque per medium confracta fuisset, vt acerbissimos patienti induceret dolores, affirmaretque chirurgus, eam periculum vitæ subituram, dùm in proprium collocaretur locum, osque confractum vi in vnum coniungeretur; vocatus Ven. Pater Io. Leonardus Lycterensis eius confessor, præcepit illi in virtute obedientiæ, vt ad vicinam sororis cellam statim progrediens, saltus, choreasque duceret. Paruit obedientissima filia, statimq; ac si nunquam læsa fuisset, quæ præceperat confessarius, omnium admiratione peregit, pede propriæ sedi restituto, tibiaq; consolidata.

16. *Fulg. lib. 1. cap. 6.* Theodosius Imperator, suspectum habens falsi criminis S. Ioannem Damascenum monachum, quòd Persis, apud quos captiuus fuerat, proderet arcana, abscissa manu, eum multauit. At ea D. Virginis ope palàm restituta est, vt ante erat, licet Ecclesiæ valuis affixa fuisset per multos dies.

17. *S. Antoninus in Chr.* Leo I. Pontifex Maximus manum sibi ipsi abscidit, quòd cùm eam fœminæ honestissimæ osculandam præbuisset, in grauem inciderit carnis tentationem. Manum tamen abscissam B. Virgo S. Pontifici restituit.

18. *Sigeb. lib. 14. Imperij Occident.* Pictori cuidam Constantinopolitano an. 462. Christum, Iouis forma pingere auso, repentè manus exaruit, eumq; scelus suum confessum, Gennardius Episcopus, qui iam pridem Anatolio successerat, precatione ad Deum facta, sanauit.

19. *Victor. lib. 2. de persecutione Vuandal.* Expulsis Orthodoxis ab Hunerico Vuandalorum Rege Ariano in agrum Vticensem ad labores durissimos; confessori cuidam manum habenti aridam, Christiani precibus coniuncti, restitutionem impetrarunt.

20. *In vita S. Bernardi.* Puerulo manum habenti, brachiumq; aridum ab ineunte ætate, sanitatem restituit, cùm pro illo orasset.

21. *S. Anton. 2. p. Chron. tit. 13. c. 6. §. 2. de S. Attala Abb.* Vnus monachorum, Fraimerus nomine, dùm in agro laboraret, inopinato ictu ferramenti, pollicem sibi ex læua præcidit, & super posita gleba quasi funus sepeliuit; pergensque ad Monasterium, Attalæ rem prodidit; cùmq; Vir Dei partem abscisi pollicis terræ conditam sulcoque sepultam sibi afferri iussisset, sputo suo illitam, manui iunxit; coniunctusque pollex carnis glutino, vt antea fuit, adhæsit.

22. *Ferrarius in Catalog. S.S. 31. Ianuarij.* Quidam dùm ligna incautè secaret, digitum sibi ferro amputauit, ex quo tantus sanguis effluxit, vt moriturus putaretur. Is digitus ad S. Iulium Nouariensem presbyterum delatus, factoque ab eo signo Crucis, manui, vndè excisus fuerat, admotus, sic hæsit, ac si nunquam fuisset amputatus.

23. *In vita S. Columbani Abbat.* Quadam die cùm vir egregius Columbanus ad præcidendam messem cùm fratribus penès Calmem, quam Baniaricam vocant, venisset, & blando austro flante falce segetem secarent, euenit, vt vnus eorum, Theodegisus nomine, digitum falce præcideret, nec prorsùs hæreret, præter paruæ pellis retinaculum; itaque stantem vir Dei cernens à longè, imperat, vt cæptum opus cùm sodalibus perficiat, at ille rei gestæ causam promit, celer autem ad eum properat, digitumque illitum saliua pristinæ sanitati restituit; imperatque, vt celer ad cæptum opus vires augeat; cæpit ergo cùm gaudio geminare laborem, ac præ cæteris ad præcidendam stipulam vberiùs vrgere, qui dudùm de præciso membro animum mœrori subdiderat.

24. *Isidorus Clarius orat. 94. in Diuum Ioannem Parmensem.* Quadam die è discipulis eius vnus, Christophorus nomine, pulchrè scribendi gnarus, codicem nescio quem, eodem patre iubente describebat, & dùm membranas huius rei gratia incideret, digito acies gladii ita defixa est, vt ad os vsque penetraret; id ignorabat pater, & percunctatus quid esset, cur in scribendo non progrederetur, respondit, se vulneris dolore prohiberi, simùlq; læsum digitum profert: at vir Dei vt erat misericors, digitum ipsa saliua inunxit, cuius attactu, eodem, & vno tempore ita vulnus solidatum est, & reddita digito sanitas, vt vix vllum læsi membri vestigium appareret; & is continuò sedens, lætus pariter & admirans Viri Dei factum, scribendi officium est prosecutus.

25. *In vita S. Bernardi.* S. Abbas rediens aliquandò ad suum monasterium, præ foribus surdum, & mu-

mutum puerum reperit. Expuit ergo, & tetigit linguam eius, atque digitos in aures eius immisit, & protinùs curauit. Metis cùm illi oblatus esset surdus, conuersus ad nobilem quemdam Henricum de Salinis, qui Ciuitatis incolas grauiter afflixerat, dixit: Tu nos audire contemnis, quos continuò habes coram te, audiet surdus; imponit surdo manum, signat, digitos auribus immittit, protinùsque sanat.

26. *Bidermanus in vita S.Ignatij libr.3. cap.3. n.*20. Annæ Rogeriæ intestinus aurium strepitus caput miserè obtundebat, isque tantus, ac tàm diuturnus (annum propè tulerat) vt auris dexteræ vsum omnem illi corruperit. In eam corporis partem cùm quædam S.Ignatij pignora immisisset, votoque anniuersarium ieiunium sub eius natalem, ac postridiè sacram synaxim celebrare deuouisset, pristinam valetudinem, sedato aurium tinnitu, recuperauit.

27. *Sylos in vita S.Caietani lib. 3. cap.* 7. Cassandra Eliantronia vsum auditus deperdiderat, nec vllum medicamen prodesse experta est; cùm ad eam allati fuerunt flosculi aliqui, qui Beati sepulchrum exornauerant. Hos cùm in auribus posuisset, illicò auditum recepit; huiusmodi admiranda pluribus alijs ad eum confugientibus mirabiliter concessit pius pater.

28. *Boluitus in vita B. Andreæ Auellini Cler. Reg.lib.3.cap.*13. Francisco Mariæ Sifulo septenni puello recentis morbi malitia vtramque aurem obstruxerat, corruperatque: industriè fecerant omnia medici integro dierum quindecim spatio, sed euentu irrito: quare filium ac nepotem Angela Suardia, & Isabella Concublet, in gestatoria sella ad Paulinam ædem mittunt, & cùm eo sacerdotem, qui puerulo à primis erat litterarum rudimentis, venerandi cruoris attactu, qui ex defuncti Andreæ corpore manauerat, aurium vsum recepturum. Fortè domo tunc aberat, qui hierothecæ custodiæ præfectus erat. Quare alter ex nostris, qui ad B.Sepulchrum orabat, in surdi aures, sacra eius pignora, quibus collum suum ornabat, immisit; quę nulla mora, audiendi operculum excitarunt.

29. *Sylos in vita Ven. Francisci Olympij Cl.Reg. lib 1.cap.*16. Lucia Valpertica alterius auris vsum penitùs deperdiderat, at illi applicato sanguine ex Francisci exsectis venis conseruato, mox auris rediit.

30. *Ioannes Bonifacius de mirac. B.Virginis.* Erat mulier sensu aurium ita obtuso, vt si audire vellet, intendenda vox esset, cupiebat peccata aperire Sacerdoti in templo, verùm conscia imbecillitatis expectabat vacuum locum, & tempus omnibus digressis. Et cùm spes euanesceret aliis atque aliis certatim superfluentibus, rem tacitè B. Virgini commendans, audaciam à necessitate mutuatur, voto respondit euentus, loquentem sacerdotem vt eius mos, & officium ferebat, submisso murmure exaudiebat, magna perindè admiratione, & voluptate, nec tacuit beneficium Dei Matris.

31. *Bzouius in Ann.Eccl.an.*1294.*nu.*3. Cùm inter cœnandum dens aliquandò excidisset Sancto Petro de Morono, ille acceptum, gingiuæ, ex qua exciderat, imposuit, atque in loco suo affixus mira statim virtute constabilitus est.

32. *In vita B.Iosephi ordinis Premonstratensis cap.*25. Cùm aliquandò minùs cautè procedens pedibus offendisset B.Ioseph, cadens in faciem duobus dentibus orbatus est; Quos cùm cullos manu portaret, apparuit ei B.Virgo, & de manu dilecti acceptos dentes, in gingiuas sanguinolentas reposuit locis suis, & omni dolore remoto, vulnereque sanato, dentes solidauit eosdem, vt nullum omninò doloris aut vulneris vestigium remaneret.

A Lepra mirabiliter mundati. §. 5.

LEprosos multos Christum persanasse, Euangelica refert historia; Huiusmodi virtutem credentibus ipse met impertitus est. De quibus.

1. *In actis S.S.Feb.tom.*2.*in continuatione Bollandi.* Cùm S.Seuerinus Abbas Agaunensis leprosum fœdissimum vidisset, miseratione motus, illum osculatus est, ac deindè sputo manibus suis eum liniuit sub inuocatione Diuinæ maiestatis, continuòque lepra discessit ab eo.

2. *Ibid.* Quàm eximia excelluerit humilitate S.Raynaldus Episcopus Nucerinus, ostendit illustre factum; quandò leprosum sibi obuium, qui maximum omnibus horrorem causabat, osculatus est, eique impertita benedictione, sanitatem contulit.

3. *Ibid.t.*3. Dùm S.Romanus Abbas Iurensis, quadam nocte à tenebris præuentus, ad proprium monasterium peruenire nō potuisset, diuertit ad quoddam tugurium, in quo pater, & filius, ambo leprosi, morabantur; à quibus benignè fuit acceptus, ipse verò in gratiarum actione antequam discederet, post factam orationem, ambos osculatus est, & tactu sacrorum labiorum ab omni lepra mundauit.

4. *Trithemius lib.*3.*de viris illustribus Ord.S. Benedicti cap.* 150. Agathon I. Papa, ex monacho, natione Siculus, Vir fuit sanctissimæ vitæ, adeò vt leprosum obuium habens, osculando mox à lepra sanauerit.

5. *In Martyrologio Rom.*8.*Nouembris.* S.Deusdedit Papa tanti meriti fuit, vt leprosum osculo à lepra sanauerit.

6. *In vita S.Formosi Papæ.* Linguæ attactu Sanctissimus Pontifex leprosum deosculando mirè sanauit.

7. *In vita S.Eleazarij Comitis Ariani.* Die quadam venatum in suo comitatu abiturus, omnes antecedere iussit; ipse verò vno apud se milite, cum tonsore retento, ad quoddam leprosorum domicilium diuertit, vbi sex horrida percussos lepra reperit. Videbantur eorum labia exesa planè, atque absumpta, ita vt sine horrore aspici non possent. Hos sanctus iuuenis vt vidit, salutatione humanissimè impertita, salutaribus monitis eos ad Diuini numinis timorem, cultumq; assiduum hortatus est; indè singulis peramàter osculatis, repentè eis sanitatē restituit. Ea procul dubio per miraculū donati, totā domum odore suauissimo repletam senserunt.

8. *In vita B. Coletæ Virg.* Duxit aliquandò Coleta sorores quasdam ad monasterium recens ædificatum;

catum;venerant autem ei ex deuotione obuiam moniales quædam alterius instituti. In ijs vna fuit excellens,sed leprosa; quæ propter faciem morbo fœdissimo exosam, non audebat propiùs ad Coletam accedere, & eam cùm cæteris osculari. Sentiens id Coleta, humanissimè pertraxit eam ad se, eique osculum impressit; & illa confestim sanitati restituta est.

9. *Sylos in vita Ven. Francisci Olympij Cl. Reg. lib.2.cap.2.* Cùm in Neapolitano Insanabilium Nosocomio iaceret vir quidam, cuius corpus ita à lepra profligatum, ac perditum erat, vt nulla non eius pars sanie perplueret;huic accessit Ven. Franciscus Olympius ex nostris,cùmq; multa charitatis officia erga eum fecisset, tandem mercedem poposcit. Ecquid ait tūc ille pro merito repræsentauerim homo egentissimus,ac summè miser? Hoc, inquit Olympius, confestimque osculatus emarcidum caput, atque ora est. Tùm adducta lecti cortina, ne factum lux, atque oculi proderent, admota reliquo corpori lingua,lambere, ac percurrere osculis vlcerosum hominem cæpit, ea sæpiùs repetens. Vidimus eum quasi leprosum; at enim numquam sine præmio hi magnanimæ charitatis impetus, sensitque deplorata infirmi salus medicam statim manū. Nam velut quid ualentioris pharmaci admouisset corpori Franciscus,intra biduum curata omninò cutis, atque Elephantiasis est; admirantibus qui insanabilem fædumque morbum nouerant.

10. *Henricus Sedulius in vita S. Ludouici Epis. c.12.* Petrus à Romes aliquandò petijt à B. Ludouico, non sibi,sed pauperi eleemosynam lepra laboranti;Ludouicus suam vestem dedit, qua miser induta conualuit.

11. *In vita S.Philippi Benicij.* Offendit leprosum in via semel S.Philippus. Cuius misertus, interius vestimentum exuens,eidem libentissimè donauit, quam tunicam cùm ille induisset, statim curatus est.

12. *Sedulius in vita S.Bernardini Senensis cap. 53.* Cùm S.Bernardinus Senensis extremo anno suæ vitæ Massanam, vbi natus fuerat, iuisset, vt cælestibus, & spiritualibus consolationibus populum illum reficeret; quadam die occurrens illi Hispanus leprosus, maxima importunitate petiit ab eo, vt proprios calceos donaret; fecit verus paupertatis sequax. At ecce dùm leprosus illis pedes suos induisset, statim pedes vsque ad genua lepra mundati sunt, calceique velut piscium squamis pleni inuenti,quod cùm iterùm,atque iterùm fecisset,squamasque in ipsos delapsas eiecisset, totus mundatus est.

13. *Albertus Krantzius lib.1.Hist. Saxoniæ c. 32.* In Francia templum Sanctis martyribus Dionysio, & socijs extructum, à Christo(vt ferunt)est consecratum, prodente homine leproso, qui intùs pernoctabat,obtenta ab æditu is venia; & in argumentum veritatis, mundatum se cunctorum oculis ingerebat, qui noscebatur passim à multis proximo vespere leprosus.

14. *Platina in Fasciculo temporum:* Dùm Normanni omnem ferè Galliam vastarent, metu incursionis,B.Martini corpus Turone,Artisiodorum deportatum est,& in Basilica S. Germani collocatum. Accidisse miraculum tunc ferunt;orta inter Monachos discordia, cui potissimùm Sancto nomen Basilicæ adscriberetur. Leprosus in medio vtriusque Sancti collocatus,ea parte sanatur, quæ ad Martinum vergebat,cōuersus deindè in alteram partem, virtute B.Martini integer omninò redditus est. Hoc totum à Germano hospiti suo tributum creditur,ne de sanctitate eius ob translationem diminutum quidquam crederetur.

15. *Surius in Decembri.* Cùm S.Daniel Stylita Constantinopolim aliquandò proficisceretur, quidam leprosus ad eum in via accedens,eum rogauit, vt à Deo sui corporis curationem impetraret. Tunc Daniel illi iussit,vt in mare se lauaret,& totus sanus & mundatus exiit.

16. *Iocelinus in vita S.Patritij.* S.Patritius admonitu cælestis Genij,ad fontem,qui ab eo in ætates consequentes nomen accepit,leprosos sex ac denos mundauit,eosq;insuper proluit lustrali Baptismi aqua.

17. *Auct.Fast.Marian. de S. Greg.& socijs Conf.* Fortè in vicino homo agebat,nobilitate,opibusque potens,sed cuius fælicitatem fortuna lepra horrida asperserat. Huic pro valetudine pristina supplicāti cælites nostri se obiecerunt,monuerūtq;vt corpora, quæ ferarum iniuriis ad id vsq; temporis exposita iacebant, terris mandarent; ita fore, vt cùm his lepram etiam sepeliret. Enim verò cùm studiosè medicos suos ille quæreret,ducem deniq;Pastorem, & odorem(quem mirum corpora spargebant)secutus, inuenit tandem, & cùm primùm oscula his cæpit figere,simùl lepram cæpit abstergere. Iamque gratus singulis diuis tumulum æternum, deindè omnibus monumentum monasterium extruxit.

18. *Greg.Tur.lib.1.mir. S.Martini c.11.* Cùm delatę fuisset Galliciam Reliquiæ S.Martini,plura miracula euenere; nam filius Regis dimissa omni ægritudine,sanus properat ad occursum.Rex verò vnitatem Patris,& Filii,& Spiritus Sancti confessus, cùm omni domo sua Chrismatus est.Squalor lepræ à populo pellitur,& omnes infirmi saluātur,nec vnquā ibi vsq;nūc super aliquē leprę morbus apparuit.

19. *Surius 29.Aprilis in vita S.Catharinæ Senensis.* Dùm mulieri leprosæ inseruiret,manus eius lepram contraxerunt, nihilominùs vsque ad illius mortem illi inseruiit,post quam eius corpus horridum S.Virgo diligentissimè abluit, induit, & suis manibus sepeliuit;Post eius sepulturam, ita omnis lepra à Virginis manibus euanuit,vt etiam elegantiores quàm antea viderentur.

20. *Philip.Ferrar. mense Nouemb.26. die, de S. Siluestro Abb.* A quodam Ciue Fabriani contumeliis,& verberibus affectus S.Siluester,quòd illius filium ad habitum monachalem noluisset admittere, non solùm patienter tulit,sed & illius manum, qua percussus fuerat,lèprosam diuinitùs effectam,postquàm resipuisset, mundatam restituit.

21. *In Hist.Hungarica Ord.Prædic. de B.Ioanne Theutonico.* Prædicaturus aliquandò, hominem quemdam lepra miserabiliter contaminatum aspexit;misericordia motus,ad ipsū accedēs,manu tetigit,statimq;mundatā sanitati restituit.Cùm Basileæ

Cruciatam pro Terræ Sanctæ subsidio prædicans, Canonicum, & quemdam alium Ciuem eius affinem Cruce donasset; vxor ciuis, quæ etiam Canonici mater erat, iracundiæ, & furoris impotens, diras in Sanctum virum imprecata est, vt tot illum Dæmones raperent, quot eo tempore arbores folia vestirent: Sed non tulit id Deus impunè, vix enim effata, visu intumescens, teterrima toto corpore lepra correpta fuit. Verùm illa errati pœnitens, Virum Dei accersiri curauit, qui peccatorum eius confessione excepta, manu super oculos eiusdem imposita, ad integram valetudinem subitò reformauit. Quo viso, Canonicus ordinem ingressus, vtilissimus, celebrisque Prædicator euasit.

22. *In Annal. Min. an.1240.n.13.de S.Antonio Vlyssip.* Abeuntem quemdam leprosum ad Sancti sepulchrum miles irrisit, dicens; quò tanto tuo labore pergis miser? putasne te mundandum ad Antonij sepulchrum? adeò rem hanc ludicram iudico, quòd illam admittam libenter conditionem, vt tua abluta, transeat in me lepra vniuersa. Non deposuit propter hæc spem leprosus, sed confidenti orans animo, ad sancti Patris tumulum mundatus est, apparente sibi ipso viro Sancto, & dicente. Surge velociter, quia sanus factus es, & defer militi, qui mea deridebat miracula, tuæ instrumenta miseriæ, quia multa, & fœda lepra putrescit. Ita rediens, comperit factum velut dixerat Sanctus, sed & secundus corde compunctus, veniam sui errati petens, ad eandem malorum medendorum officinam ab immissa plaga conualuit.

23 *Pepe in mir.S.Caietani m.47.* Adolescentulæ cuidam Arimini elephanticus morbus faciem, totumque corpus ita deturpauerat, vt sibi infelicem, cunctisque horridam cogeretur miserè ducere vitam. At inuocato D.Caietano, anteque eius imaginem in Ecclesia cunctis spectantibus deuotè orans, subitò sanata est, restitutaq; caro eius tamquam caro pueri.

A peste diuinitùs liberati. §. 6.

SÆuissimas pestilentias Diuina ferè semper admirandis modis fugauit virtus. Hic igitur ad complementum capitis, aliqua solùm referam circa liberationem à peste admiranda; Plura, innumeraq; spiritualia Pharmaca ad eam depellendam disertissimè enumerat in sua Apotheca Augustinus VVichmans. Quare sint.

1. *VVillielmus Malmesburiensis libr. 2. de gestis Pontif. Anglorum, de Elphego.* Tabes lethifera grassata in Danos, cateruatim hostes Elphegh fundebat, adeò vt celeritas mortis præueniret sensum doloris. Putor itaque cadauerum insepultorum aerem infecit, corruptiorque Cœli tractus, cæteris qui sani videbantur, pestem creauit. Ruebant ergo sine modo, sine numero; cùm ille exoratus, pane à se benedicto communicatis pestem depulit, salutem restituit.

2. *In actis B. Rochi.* Cùm B. Rochus Romam profectus, apud Cardinalem Britannicum hospitatus esset, illi, vt à peste illæsus esset, crucem in fronte efformauit, quod signum ita diuinitùs in eius fronte impressum fuit, vt omninò indelebile semper fuerit. Profectus deinde in alias Ciuitates, innumeros signo Crucis, & orationibus à contagioso morbo liberauit. Post eius mortem inuenta est tabula ad latus demortui, his verbis scripta. *Peste laborantes, ad Rochi patrocinium confugientes, contagionem illam truculentissimam euasuros significo.* Vndè factum est, B. Rochum cunctis in locis, vt contagiosi morbi cælestem medicum, quoties sæua grassatur pestilentia, inuocari, eiusque precibus pestem fugatam sæpè sæpiùs compertum est.

3. *Ioa. Buzelinus in Annal. Gallo-Flandr.* lib. 2. B. Rochus intra muros Insulenses in æde Sancti Stephani, in villa Comontensi, & in vico Pontis Vnendinij ab innumera celebratur peregrinorum multitudine; præcipuum adeundi studium, quo tempore pestilitas grassatur, vti luem à corporibus auertat. Et animaduersum est nuper in illa villa è tot millibus, qui sua in Sancti sodalitium nomina dedissent, paucissimos peste contactos interiisse, ardentibus in Gallo-Flandria lue vrbibus, pagisque.

4. *Franciscus à S.Maria in Hist.Carmelit.tom. 2.l.7.c.36.* Cùm an. 1599. maximè grassante peste in Ciuitate Segobrigæ in Hispania, tota ciuitas penè deuastata esset: facto voto B. Rocho celebrandi illius festiuitatem, statim lues decrescere cœpit, breuique tempore tota ciuitas liberata fuit.

5. *Sigonius ex antiquis monumentis*. Anno Domini 590. Romæ in dies magis pestilentia sæuiebat, ad cæteros autem casus, quibus homines fœdè passim absumebantur, hoc etiam mali accesserat, quòd multi, cùm sternutarent, alii cùm oscitarent, repentè spiritum emittebant. Quod cùm sæpiùs eueniret, consuetudo inducta *est, quæ nunc* etiam obseruatur, vt sternutantibus salutem precando, præsidium quærerent. Quibus rebus permotus Gregorius ad cætera cælestis iræ piacula, postero anno religiosam in die Resurrectionis supplicationem instituit; atque solemni in pompa sanctam Virg. Dei Genitricis imaginem extulit. Hæc Lucæ Euangelistæ manu affabrè ad viuum expressa, iam tùm in æde D.MARIÆ ad præsepe in Exquiliis sita, eximia populi Religione conseruabatur. Factum est autem, vt imaginem ipsam, quacunque ferretur terra, pestilentis cœli grauitate cedente, optata salubritas sequeretur. Qua de re Deo gratulantibus omnibus, ecce Angelus Sanctam Virginem his vocibus è cœlo alloquens est auditus. *Regina Cœli lætare, alleluia, quia quem meruisti portare, alleluia, resurrexit sicut dixit, alleluia.* Quam vbi Gregorius auribus orationem excepit, statim, diuino instinctus spiritu, in hunc modum expleuit: *Ora pro nobis Deum, alleluia.* Exinde, Antiphona solemnis Ecclesiæ, Paschalis argumento lætitiæ mansit. Neque ita multò post Angelus super Hadriani molem adstans, ac strictum mucronem vagina recondens, conspectus est; quo viso, Gregorius exhilaratus, conuerso ad populum ore, bono omnes, inquit, animo estote, nam optatus diuinæ iræ, ac furentis iam pridem pestilentiæ finis, Deo ipso annuente, ostenditur. Atq; ita, vt ille præsensit,

sensit, ipse deindè morbus elanguit. Ab hac re Moli S. Angeli nomen est inditum.

6. *In actis S. Iuliani Episcopi Conchensis 28. Ian. apud Bollandū.* Immani sæuiente pestilentia, ieiunijs, assiduisque precationibus placare suis Numen institit S. Episcopus. Et palàm audita vox, non à mortali missa auctore, quæ Episcopi precibus cohiberi Diuinæ vltionis flagellum denuntiaret, cæterùm abstinerent se deinceps homines à flagitiis; Idem quoque compluribus sanctis hominibus cælitùs indicatum est, Iuliani intercessione sedatam eam mortalitatem. Ferunt insuper, quicumque factam ab eo canistram tetigissent, eos, & si peste correptos, incolumes euadere.

7. *In actis S.S. Febr. tom. 3. in contin. Bollandi.* Sæua pestilentia VVigorniensem prouinciam vice quadam depopulans, viros, ac mulieres, iuuenes, & paruulos interritu repentino inuoluit. Ambulantes quandòque, aut stantes, subitò cadebant & impænitentes inconfessi spirabant. Monachi verò cùm feretro S. Osvvaldi Archiepiscopi Eboracensis per circuitum vrbis litanias cantantes, pro salute populi deuotè supplicabant: & ecce confestim pestilentia tota non solùm VVigorniam pænitùs reliquit, sed & villas circumiacentes, de quibus incolæ opem Sancti implorantes aduenerāt.

8. *In actis S. Columbæ.* Quodam tempore, cùm S. Columba in Ioua commoraretur insula, vidit ab Aquilone nubem densam, & pluuialem de meridie serena obortam, quam præuidit distillaturam super aliquantam Scotiæ partem pluuiam mortiferam, in hominibus, & pecoribus maximam causaturam pestilentiam: Miseratione igitur motus, Siluanum Monachum eò misit cùm pane à se benedicto, quo aqua intincto, mirabiliter morbo pestifero percussi sanati sunt.

9. *Surius 25. Iulij de S. Christophoro Martyre.* Antequam capitis abscissione martyrium consummaret, intenta supplicatione priùs Dominum rogauit, vt locus ille, vbi humatum iaceret corpus eius, ab omni tempestate ignis, & grandinis, famis denique & Pestis, perpetuis temporibus immunis permaneret; qua in petitione exauditum eum fuisse pro sua reuerentia, nemo est Christianorum, qui dubitet; ideò exindè cultus, & reuerentia erga hunc Sanctum pro auersione pestiferæ contagionis apud fideles increbuit.

10. *In m. s. f.* Cùm an. Domini 680. grassante pestilentia, tota Italia ferè destructa fuisset, interque alias Ciuitates, Brixia; orantibus populis, deuotasque coram Domino fundentibus preces, visibiliter à multis visus fuit in vigilia Epiphaniæ Domini S. Christophorus Martyr, qui per Ciuitatem transiens, quascumque domos signando imagine nominis Iesu I.H.S. in illis demorantibus sanitatem prædicere videbatur, & accidit: omnes enim morbo affecti sanitatem sunt consequuti, pestisque cessauit. In Memoriam autem tanti miraculi statuerunt ex voto celebrare Festum S. Christophori septima die Iannuarij, quæ consuetudo vsque modò perseuerat, licet ab Ecclesia 25. die Iulij celebretur.

11. *Gregor. Tur. de gloria Confess. c. 79. de S. Remigio.* Nec illud sileri placuit, quod illo gestum est tempore, cùm lues inguinaria populum primæ Germaniæ deuastaret. Cùm enim omnes terrerentur huius cladis auditu, concurrit Rhemensium populus ad Sancti Sepulchrum, congruum huius causæ flagitare remedium. Accensis cereis, lychnisque non paucis, hymnis, psalmisque cælestibus per totam excubat noctem. Mane autem facto, quid adhùc precaturi desit in tractatu rimatur, reperiunt: etenim reuelante Deo, qualiter oratione præmissa adhùc maiori propugnaculo, vrbis propugnacula munirentur. Adsumpta igitur palla de Beati sepulchro componunt in modum feretri. Accensisque super cruces cereis, atque ceroferalibus, dant voces in canticis, circùmeunt vrbem cùm vicis; nec prętereunt vllum hospitium, quod non hac circuitione concludant. Quid plura? non post multos dies fines huius ciuitatis lues adgreditur memorata. Verùmtamen vsque ad eum locum accedens, quò Beati pignus accessit, ac si constitutum cerneret terminum, intrò ingredi non modò non est ausa, sed etiam quæ in principio peruaserat, huius virtutis repulsu reliquit.

12. *Ferrarius in Catal. S.S. 3. Aprilis.* Cùm pestis per vicinas vrbes, & oppida grassaretur, Seculum in Sicilia, S. Gulielmi capite in publica supplicatione delato, ab ea illæsum seruatum est.

13. *In vita S. Francisci Xauerij Soc. Iesu.* Cùm Malacam vrbem in India Orientali celeberrimam, & frequentissimam, sæua pestis inuasisset, (quod propter ciuium peccata euenturum illi antea discedens Xauerius prædixerat) breuique tempore quàmplurimi, paucis admodùm superstitibus, perijssent, nec dùm desæuiret lues, sed maximè in dies grassaretur; vt primùm corpus B. Francisci, quod ex Sinis in Indiam afferebatur, eò appulit, & ex naui in vrbem delatum fuit, statim, ac subitò contagiosus ille morbus omninò cessauit, nec ab ea die mortuus vllus, aut morbo correptus fuit, sed adeò tota lues extincta est, ut tàm pestiferi morbi deinceps ne vestigium vllum superfuerit.

14. *Gregor. Turonens. lib. 4. cap. 5. Hist. Fran.* Gallus Auernæ Episcopus, ardenti ad Deum oratione obtinuit quondam, ne pestis, vel lues illa, quam inguinariam vocant, Auernam vrbem deuastaret.

15. *Sigonius lib. 6. Regni Italiæ An. 932.* Dira in Lombardia peste grassante, Papienses præter cæteros grauissimè conflictati, remediis omnibus aliis desperatis, diuinas ad preces versi, corpora S.S. Martyrum Synesij, & Theopontii, Nonantulano in Monasterio condita, ac miraculis ea tempestate fulgentia, ad se perferri curarunt, eaque, Adelaide Regina in primis hortante, suppliciter venerati, tristi mox ægritudine leuati sunt.

16. *Idem lib. 8.* An. 1006. Grassante iterùm in Lombardia peste, eadem S.S. Synesii, & Theopontii corpora, Mutinensis, & Bononiensis populi precibus, per vtriusque Ciuitatis agros, atque castra

castra à monachis circùmlata, salutem ægris corporibus attulerunt.

17. *Paulus Diaconus lib. 6. cap. 2. de Gest. Longob.* Cùm circa an. Domini 682. per tres menses Iulium, Augustum, & Septembrem pestis Ticinum adeò depopulata esset, vt ciuibus indè fugientibus, herbæ, & fruticeæ enascerentur in plateis, reuelatum est quibusdam viris, non priùs pestem abituram, quàm S. Sebastiani Martyris altare in Basilica Petri construeretur; atque euentus correspondit. Reliquiis enim Sebastiani Roma Ticinum translatis, altari extructo, lues illa quieuit.

18. *Baronius in Ann. Eccl.* 580. Hoc anno exorta est grauissima pestis Romæ, ac per alias Italiæ Ciuitates, qua penitùs destructæ fuerunt, tuncque visibiliter multis apparuit, bonum, & malum Angelum noctu per Ciuitatem perrexisse, & quoties ex iussu boni Angeli malus venabulo, quod in manu ferre videbatur ostium alicuius domus percuteret, tot de eadem domo nocte sequenti, tanquam ab Angelo Ægyptiorum exterminatore percussi homines interibant. Eodem tempore per reuelationem cuidam dictum est, pestem non priùs cessaturam, quàm in Basilica S. Petri ad vincula erigeretur altare in honorem S. Sebastiani Martyris Deo dicatum; quo facto, vt dictum erat, pestis illa omninò cessauit; vnde prouenisse videtur, vt posteri fideles eundem Sanctum ad euitandam immensam pestis cladem consueuerint habere patronum.

19. *Antonius Vasconcellius.* Cùm anno Christi 1599. arderet pestilentia Vlysippo, in D. Bartholomæi peruigilio, dùm Sacerdos in ædicula Diuo Rocho sacra, vbi D. Sebastiani simulachrum positum erat, rem sacram faceret, vidit effigiem guttis vbertim manantibus vndique sudantem; prodigium manifestauit, confluunt plenis viis pestilentia laborantes, & fide obfirmata, sacro inunguntur sudore, quæ pietas votis ex æquo respondit; nam ex quo tempore hæc exciderunt; nec pestis ampliùs grassata est, nec vllus, licet spe deplorata, in posterùm morbo cessit, duobus exceptis, qui per id tempus animam iam iam efflabant.

20. *In m. s. s.* Quadam vice, dùm S. Galla vidua Romæ pauperibus inseruiens, cùm illis simùl pranderet, Angelica manu saphirino lapidi insculpta Virginis Matris Christum baiulantis, aureis lineolis mirè radians imago, in eius gremio reponitur. Attonita illa, cæleste donum miratur, & insolito perfusa gaudio S. Ioanni Pontifici protinùs ostendit, & subitò pestis, quæ Vrbem iamdiù populabatur, illicò depulsa est, & fugata. Eadem imago, quæ in Ecclesia S. Mariæ in Porticu conseruatur, dùm sub Calisto III. sæuissima pestis grassaretur, in publica processione circùmlata quascumque plateas attigisset, ibi contagionem exterminabat.

21. *Gullielmus Gazæus de Cereo Atrebatensi.* Cùm anno 1105. Atrebati, Vrbe primaria Prouinciæ Artesiæ, dirè grassaretur lues, nec vllum tam acri morbo remedium inueniretur. Apparuit Lamberto Episcopo B. Virgo, eique cereum accensum dedit, iubens, vt de eo ceræ pauxillum in vasa aqua plena instillaret; quam ægris quibusq; deindè potandam præberet; Quo remedio statim ardor morbi remisit, sensitque Ciuitas vitale refrigerium; detersa est sanies ex vlceribus, & persanati sunt quotquot ibi decumbebant.

22. *Iulius Cæsar Infantinus in Sac. Lyc.* Cùm anno Domini 1466. Lyciensis Ciuitas pestifero grassante morbo pene destructa fuisset, die 13. Iunii in summitate cuiusdam sacelli extra Ciuitatem apparuit Angelus cereum accensum *manibus* deferens; quo prodigio excitati Lycienses, ad sacellum accurrunt, B. Virginem, cuius ibi aderat imago, supplicibus precibus exorant, & ecce mirum, statim à peste, quæ duobus annis grassauerat, liberantur. In memoriam autem tanti miraculi, nobilissimam eidem Virgini extruxerunt Ecclesiam, S. Mariam de Luce nuncupando, quæ vsque adeò videtur.

23. *Horatius Tursel. de S. Domo Laurentana li. 3. c. 24.* Cùm ann. 1555. atrox pestilentia *Venetiæ* fines, Carnosque peruagata, magnas *ederet vbique* strages incolarum, Vtinensis Ciuitas *voto publicè* nuncupato, Lauretanam Virginem inuocat, & sensit patrocinium; nam biennio, quo grassata est lues, cunctis circa oppidis morbo exhaustis, sola Vtina communis mali perseuerauit immunis.

24. *Zonaras.* Imperante Mauritio, Turcæ nonnulli Constantinopolim venerunt. Hebebant illi Cruces liquato atramento frontibus impressas stigmaticis notis. Interrogati cur id esset, responderunt, ante plures annos in Perside ac patria sua pestem grauissimam coortam, quæ innumeros absumeret, cùm nullum remedium reperiretur, neque finis esset vllus mortalitati, de consilio quorundam Christianorum, Cruces illas sic frontibus inussisse, atque ita luem cessasse.

25. *Philippus Hannoizze in libello de miraculis S. Hadriani Martyris.* Anno 1514. tam atra pestilentia Luxemburgum depascebatur, vt quotidie diem inter & noctem quinquaginta aut sexaginta personæ absumerentur. Quæsita sunt remedia quàm plurima, sed ab his nihil remedij obtentum. Instituta itaque solemnis supplicatio est, & votum factum de mittendo Gerardi-montes ad S. Hadrianum argenteo corde. Vix votum conceperant, & confestim omnis illa contagio cessauit, nec deinceps quispiam ab eo die ex eadem mortuus est; sed & infirmi omnes pristinæ sanitati sunt restituti.

26. *In m. s. s.* In vrbe Papiensi (vbi requiescit corpus S. Augustini Episcopi) iam à multis annis inuenitur idem Sanctus depictus cùm Pontificalibus indumentis in aula Senatoria, vbi Ciuitatis Decuriones genuflexi, ob cessatam eius intercessione pestem, duodeuiginti faces offerunt, cuius rei vt perpetua foret memoria, ita litteris est prodita. Anno M.D.III. Vrbe nostra peste sæuissima afflicta, desperato irritoque humano auxilio, cælesti protectori Augustino duodeuiginti faces albas quotannis oblaturi, nuncupato voto, salubrem statum impetrarunt.

27. *Cornelius Lancilottus in vita Sancti Augustini lib. 3. cap. 67.* Panem benedictum in honore S. Ni-

colai Tolentinatis cùm aqua, & inuocatione S. Nicolai capientes, à febribus præcipuè, puerperii doloribus, morbis contagiosis, aliisque eius generis malis liberantur.

28. *Pelbartus in Stellario Coronæ B. Virginis.* Noui puerum, qui in peste cùm se sentiebat infectum, nouem vicibus cùm Aue Maria apostematis locum consignauit, & sic sæpiùs liberatus est, nec vnquam ei pestis præualuit.

29. *In m. f. f.* Anno 1625. Postquam inuentum fuit diuinitùs in monte Pellegrino propè Panormum corpus Sanctæ Rosaliæ Virginis, eius intercessione tota Sicilia à sæuissima peste liberata est.

30. *In m. f. f.* Anno 1615. Hannones, & Montenses in Belgio à grauissima pestilentia sunt liberati, intercessione Sancti Macarij Patriarchæ Antiocheni, cuius corpus Gandani requiescit.

31. *Io. Gerbrandus lib. 2. Chronic. Belg. capit. 31.* Treueris Ciuitate, Monasterium est celebre veneratione sanctorum, nec minùs gloriosum religione sacrarum Virginum, quas cùm lues acerbissima vexaret, & inauditæ calamitatis exemplo, aliæ morerentur, ex eis aliæ grauissimis cruciarentur febribus, nonnullæ quasi præsentem iam mortem metuentes, nimio terrore turbarentur; Sanctum VVillibrordum per litteras implorant vt veniat, & oratione pestem depellat. Qui B. Petri principis Apostolorum sanctissimo doctus exemplo, de Ioppe, ob viduarum Christi petitionem, venientis Liddam, vt sanctam suscitaret Tabitam, festinus ad illas quantocyùs venire studuit, moxque pias, in conspectu diuinæ Maiestatis preces, cùm sacrosanctæ nostræ redemptionis comercijs fudit, quatenùs deprecationem timentium se exaudiret, & mirifica misericordia sua plagam ab ancillis suis amoueret. Missaque celebrata, aquam benedixit cùm exorcismo, qua domus illarum aspergi iussit, ac de ea ægrotantes potare. Quo facto, Diuina donante misericordia, conualuerunt, nec vlla in eo Monasterio prædicta peste aliquis moriebatur.

32. *Gonzaga in Prou. Portug. con. 8. Monia.* Magna grassante peste per totam Ciuitatem Conymbricensem, Monasterium S. Claræ inceperat adeò plericlitari, vt moniales timore mortis concussæ de fuga ab eo loco inter se agerent; dùm verò de modo magis decenti ad fugam capessendam deliberarent; ecce repentè ad ostium pulsat pauper quidam eleemosynam petens; ad quem cùm venissent quædam moniales, propriumque timorem aperuissent, dixit illis: Dabo vobis efficacissimum remedium ad propulsandam pestem, tradiditque cartham, & Antiphonam Deiparæ Virginis in ea scriptam, iubens, vt singulis diebus eam recitarent, & statim disparuit. Tunc cæperunt Moniales singulis diebus eam recitare, quo præstantissimo antidoto, cælitùs, vt creditur, demisso, Monasterium in medijs flammis grassantis pestis, ab eius contagione omninò immune seruatum est. Antiphona autem est hæc.

Stella Cæli extirpauit
Quæ lactauit Christum Dominum
Mortis pestem, quam plantauit
Primus parens hominum.
Ipsa stella nunc dignetur
Sidera compescere,
Quorum bella plebem cædunt
Diræ mortis vlcere.
O pijssima Stella maris
A peste succurre nobis.
Audi nos Domina
Nam filius tuus nihil negans
Te honorat.
Salua nos Iesu,
Pro quibus Virgo mater te orat.
℣. Ora pro nobis S. Dei Genitrix.
℟. Vt digni efficiamur promissionibus Christi.

Oremus.

DEus Misericordiæ, Deus pietatis, Deus indulgentiæ, qui misertus es super afflictionem populi tui, & dixisti Angelo percutienti populum tuum, contine manum tuam, ob amorem illius Stellę gloriosæ, cuius vbera pretiosa contra venenũ delictorum nostrorũ, quàm dulciter suxisti; præsta auxilium gratiæ tuæ, vt ab omni peste, & improuisa morte securè liberemur, & à totius perditionis incursu misericorditer saluemur. Per te Iesu Christe Rex gloriæ, qui viuis, & regnas in Sæcula Sæculorum. Amen.

33. *Vadingus in Ann. Minor. an. 1454. de B. Francisco Ticinensi.* Cùm Vrbem Spoletanam pestis obsideret, & vir Dei moriturus iaceret, ad eum accesserunt Ciuitatis Priores, & præcipuè Proceres, nihilque verentes debacchantem contagionem, domum, & cellam ingressi, vt benediceret rogauerunt, eiusque precibus Ciuitatem commendarunt. Quibus ille: Cùm ego decessero, Ciuitas liberabitur; ita enim promisit Dominus morte mea malum hoc terminandum. His recedentibus, alij accedebant, & animosè locum peste corruptum ingrediebātur, tùm meritis Francisci confisi, sed non corripiendos, tùm eius videndi, & accipiendæ benedictionis desiderio allecti; demùm sacris circa eum completis mysteriis, erectis in Cęlum luminibus, facie hilari, & venusta obdormiuit in Domino die 16. Augusti post discipuli obitum, vti prædixit, octauo.

34. *Sylos in vita S. Caietani lib. 3. cap. 16.* Dùm anno Domini 1656. Neapoli sæuissima grassaretur pestilentia, ad Diuum Caietanum, ceù ad Patriæ tutelarem in solemnitate eius festiua confugierunt Neapolitani; precesque illorum exaudiuit pius Pater, impetrauitque à Patre Misericordiæ, ne quispiam ea die moreretur, neue à morbo correptus ad Xenodochia deferretur; ex indèque in dies mitigari cæpit contagionis morbus; in cuius rei monumentum, vexilla, sepulchro eiusdem Sancti iam cessata peste, detulerunt, cùm hac inscriptione. *Ob Vrbem à peste liberatam.*

35. *Idem in Hist. Cler. Reg. pàr. 3. lib. 3.* Franciscus Mutinensis Dux, cùm pro B. Andreæ Auellini Apo-

Apotheosi maximum Pontificem interpellaret, compositis ad eum litteris, disertè ait, se quidem cùm multis de causis, tùm eo præsertim nomine de illo in Diuorum Concilio cooptando enixè agere, quòd ciuitatem suam à pestilentia liberauerit. Ann. scilicet 1630. cùm ibi grassante pestilentia, multa post vota, tandem supplicatione instituata ad B. Andreæ opem implorandam, intra eius festiuitatis octauas deferbuit pestis.

Venenum diuinitùs innocuum.
§. 7.

Etiam veneno adempta est diuinitùs vix nocendi iuxta Euangelicum promissum, vt siquid Sancti Dei mortiferum biberint, non eis noceret. De his.

1. *Abdias lib. 7. Hist. Apostol.* Matthæus Apostolus per Ethiopiam transiens, peruenit ad Ciuitatem Naddauer, vbi multa perpetrauit prodigia, præcipuèque serpentum venenatas punctiones, solo Christi nomine inuocato, curabat.

2. *Surius in vita S. Ioannis Euangelistæ.* Cùm B. Apostolus Asiam Catholica fide imbueret, Aristodemus Sacrorum apud eos Princeps, veneno eum tollere proposuit, addita hac conditione, quòd si innoxiè biberit, ipse in Christum crederet. Itaque præstantissimum toxicum præparauit, quòd & duobus ipso vidente capitis reis propinauit; qui dicto citiùs expirarũt. At S. Apostolus poculum manu accipiens, cùm signum Crucis ei impressisset, totum exhausit, & nihil nocumenti sensit: Calix autem in quo venenum propinauit, Romæ adhùc conseruatur in Ecclesia sancti Ioannis ante portam Latinam.

3. *Baron. in Anno Eccl. ann.* 513. S. Iulianus Abbas, & Episcopus Bostrensis, cùm ei pocillator, pecunia corruptus ab his, qui odio Christianæ Religionis eum sublatum volebant, venenum præsentissimum miscuisset in Calice; re diuinitùs comperta, primores vrbis accersiri iubens, coram illis in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti illæsus venenum hausit.

4. *Vuillelmus Malmesburiensis lib. 2. de gestis Pontificum Anglorum, de Ethelwoldo.* Nec ipse Etheluuoldus à miraculis otiabatur; videbaturque æmula viui, & mortui Sanctorum pietas, dùm hinc indè crebrescentibus Sanctorum prodigiis, huius corroboraretur fides, huius valetudini reuocaretur sanitas; mortiferum virus fraudolentia ministrorum haustum, cùm iam per artus irrepens depasceretur vitalia, fide discussit.

5. *Crantius lib. 10. Metrop. cap. 14.* Vrbanus VI. Papa veneno acerrimo petitus, vt penè ab omnibus mors vicina crederetur; innixus verbo Euangelii: si mortiferum quid biberitis, non nocebit; liberatus est, non sine dolore maximo, sed fine adhibito remedio.

6. *S. Gregor. lib. 3. Dialog. cap. 5.* Sabinus Carnusinus Episcopus, cùm Archidiaconus Episcopatus desiderio, ei venenum propinari tentasset, venenum innocuè bibit, & Archidiaconus mortuus est.

7. *Raynaldus An.* 1476. In Bohemia in Ciuitate Pragensi, cùm B. Iacobus Picenus ordinis S. Francisci, fidem ibidem prædicaret, hæretici vas atrocissimo veneno plenum dederunt, quæ prædicabat vera esse, credituros asserentes, si illud absque læsione bibisset. Tunc ille hac conditione accepta, venenum, priùs crucis signo adhibito, totum innocuus bibit, atque eo miraculo innumera ferè hæreticorum multitudo ad Catholicam fidem est conuersa.

8. *In Annal. Seruorum, de B. Bonaiuncta.* De proximorum salute erat hic valdè solicitus; & eos, quos in aliquo delicto perseuerantes cernebat, acriùs, & liberiùs increpabat. Quod cùm erga ciuem Florentinum sæpiùs fecisset, ille (beneuolentiam simulans) Viro Dei cibos venenatos per famulum misit, Quos à se benedictos, sine ylla prorsùs læsione comedit, ac seruo abeunti ait, Vade fili, nam quod Herus mihi tuus parauerat, sibi accidisse comperies. Qui domum reuersus, Herum expirasse inuenit.

9. *Nauclerus.* Conradus Constantiensis Episcopus, araneam, quæ inter sacra in Calicem fuerat delapsa, cùm sanguine sine valetudinis offensa ebibit.

10. *Chrysost. Henriq. in Fascic. de B. VValleno.* Canonicus quidam, cùm in eius præsentia celebraret, aranea in Calice circa Agnus Dei cecidit, & metum, & horrorem celebranti incussit. VValenus autem hoc viso, fusa oratione, & data benedictione, imperauit, vt araneam cùm sacro libamine in nomine Domini sumere non dubitaret. Ille verò Patris præcepto deuotè obtemperans, cùm magna constantia, cùm magnaque fide totum sumens, nullam sospitatis iacturam, vel nauseæ prouocationem sensit. Sedentibus post refectionem in Claustro fratribus, Canonicus ille digitum suũ confricabat, & tumor surgens in digito apparebat. Nec mora, aranea, rupta cute, viua egreditur, & cunctis miraculum obstupentibus, & mirantibus, iubente priore flammis comburenda traditur.

11. *Idem ibidem dist. 29. c. 6.* Beatissimus VVillermus, cùm quadam die celebrationi deuotissimè intentus existeret, ex immunditia tecti subitò aranea in eius Sacro Christi sanguine referto calice lapsa est, non immeritò horrorem, & nauseam in sumente generans. Pater autem sanctus araneæ malitiam non veritus, sed confidens perfectè in Domino, vnà cùm Sanguine ipsam sumpsit, & sibi incorporauit. De qua non solùm membrorum destituito, sed & ipsius etiam mortis alteratio imminere potuisset, nisi Deus ad maiora seruum suum custodisset. Et verè sicut eius fides inuicta, & constantia valida fuit, ita diuinæ misericordiæ stillicidia, & supernæ benignitatis fluenta profusius sensit. Nam cùm istud factum ab eius memoria esset elapsum, circa anni circulum, quo id acciderat, cæpit quædam pustula in vno digitorum eius apparere, in quo etiam quemdam pruritum sensit, & quasi corrodentem humorem. Leniter igitur hoc tacto, pustula frangitur, & non sanies, vt sperabatur, sed aranea, quam iam pridem Sanctus Pater sumpserat erupit integra, & quasi nunquam tacta de digito exiuit Abbatis.

12. *In vita S. Norberti*. Tanta erat eius in Deum fides, vt cùm aliquandò in ipso suæ conuersionis initio rem Diuinam in crypta quadam faceret, & in consecrato calice lapsam ingentem araneam conspexisset, illam reuerentia Sacrificij, fideique scuto communitus simùl cùm Christi Domini sanguine exhaurire non dubitauerit. Quare peracto statim sacro, dùm rei totius exitum Deo commendaret, & à veneno illicò exanimatum se iri existimaret, subitò narium pruritu, ac sternutatione, aranea per nares diuinitùs excussa est.

13. *In Ann. Min. ann. 1322. num. 7. de B. Francisco Fabrianensi*. Dùm aliquandò in Ecclesia S. Francisci Fabriani rem faceret diuinam, & sanguinem sumere intentaret; ecce videt in calice aliundè delapsum scorpionem. Hęret paulisper, quid agat considerans. Potuit iuxta regulas in his periculis præscriptas malum auertere, sed dùm recordaretur Christi doctrinę, & datæ discipulis fidei, illis verbis: Si mortiferum quid biberint, non eis nocebit; absque timore, & horrore deglutiuit animalculum. Expleto sacrificio, iussit ad se vocari qui venam secaret, misso nuncio Andrea Andreutii Vagni, venit ille, Angelus nomine, & inuenit in Choro orantem, atque illa proferentem verba; Auxilium meum à Domino qui fecit cœlum, & terram: In cellam recedenti venam dexteri aperuit brachij, ex qua mirabiliter scorpio prodijt viuus absque vllo Sancti viri dolore.

14. *S. Anton. 2. par. Chron. cap. 13. tit. 10. de S. Mauritio Episcopo*. Pastor quidam percussus à vipera, & in tumorem versus, ita vt eius citò expectaretur interitus, ante eum delatus fuit. Super quo facta oratione, & signo Crucis, cùm saliua sua in vulnusculo, per quod vipera virus infuderat, impresso, mox per locum illum omne virus per corpus sparsum exiuit, & sanatus est.

15. *Greg. Tur. lib. 1. de gl. Martyr. cap. 99.* Focas martyr, & ipse his martyribus regione coniunctus, apud Syriam requiescit, qui post multas, quas pro nomine Redemptoris est passus iniurias, qualiter de antiquo illo serpente triumphauerit, hodieque populis declaratur. Denique si in his locis coluber morsum stringens, venena diffuderit, extemplò qui percussus est, vt ianuam atrii, quo martyr quiescit, adtigerit, compresso tumore, euacuata virtute veneni, saluatur. Ex quibus nonnulli, vt celebre vulgatum est, iam tumidi malæ bestiæ ictu, iam toto corpore incrassante veneno, in hoc perflati vt spiritum exhalarent, inter manus delati, & in atrio positi, sunt sanati, nec vnquam ob hoc virus obire hominem fas est, si sacrum limen fide plenus adtigerit.

16. *S. Greg. lib. 2. Dialog. cap. 3.* Cùm vas vitreum, in quo pestifer potus habebatur, recumbenti S. Benedicto ex more monasterii ad benedicendum fuisset oblatum, extensa manu signum Crucis edidit, & vas quod longiùs tenebatur, eodem signo rupit; sicque cunfractum est, ac si in illo vase mortis, pro Cruce lapidem dedisset.

17. *In vita S. Samsonis Episcop. cap. 6.* Regina volebat Sanctum Samsonem arte aliqua magica extinguere, ob quod venenum ei in vitro miscere fecit; eique vnà cùm Rege sedenti, per suum ministrum dari præcepit. Recipiente itaque Rege suum potum, minister ille vitrum plenum veneno mixtum, Sancto Samsoni attulit. Tùm ille diuinitùs inspiratus, in vitrum positum in manu tenentis, in quo venenum positum erat, signum Crucis imposuit, & vitrum statim in quatuor partes diuisum est. Et veneno effuso, manus tenentis, videntibus cunctis, vsque ad ossa crepuit. Sanctus Samson humiliter dixit; ò frater, indecens est, hoc poculum homini ad bibendum dare. Interim periclitabatur ille Minister, qui poculum ei porrexerat, ita vt nullo modo stare posset, sed amare fleret. Sanctus verò Samson ministro flenti dixit: Amice noli flere, si Deo placuerit, sanus & incolumis eris. Statimque imposito solito Crucis signaculo in manu læsi, coram Rege, & multis aliis astantibus, sanus factus est.

18. *Consaluus Illescas Histor. Pontif. par. 1. lib. 5. cap. 9.* Cùm Victore II. Missam celebrante, quidam scelestus, vinum, quod consacrandum erat, veneno infecisset, vt haustum à Pontifice, eidem mortem causaret; Accidit mirabiliter, vt calix, dùm illum ad assumendum sanguinem eleuare vellet Pontifex, ita adhæserit corporali, atque, vt nulla vi eleuari potuerit, quod admirans scelestus ille qui aderat, culpam fassus est, mirabiliaque Dei est admiratus.

Alii innumeri, tùm Martyres, tùm Confessores adduci possent, quorum potentissimis venenis tentatam mortem, tamen Dei suffragante virtute mirabiliter, innocuè epoto veneno, effugerunt; sed de his satis.

Aliæ diuersi generis infirmitates mirabiliter curatæ. §. 8.

PRo coronide mirabilium curationum, pauca hìc addam Admiranda, quibus diuersi generis infirmitates diuinitùs depulsæ fuere, omnia enim, vel solùm innuere, stellas cęli, marisque arenas faciliùs esset enumerare. Sunt autem.

1. *Guillelmus Abb. in vita S. Bernardi Abb. lib. 1. cap. 11.* In eo Monasterio, cui Charus locus nomen est, puerum quemdam qui incessanter flebat, & eiulabat, vir Sanctus osculo sanauit. Cùm enim per multos dies sine intermissione plorans, nullam reciperet consolationem, quod genus morbi medici non ignorant, miserabiliter deficiens tabescebat. Quem seorsim alloquens pater sanctus, monebat, vt suorum confessionem faceret delictorum. Facta autem confessione, subitò vultum serenans, petiit à beato Patre sibi osculum dari. Acceptoque osculo pacis ex ore sancti, in omni protinùs pace quieuit, & lachrymarum fonte siccato, lętus, est incolumis est regressus ad propria.

2. *In actis S.S. Februarij tom. 2. in Contin. Bollandi*. Vir quidam capitis patiebatur insaniam, ita vt sensu rationis amisso, vel quid ageret, vel quid diceret, penitùs ignoraret. Huic S. Romualdus nihil aliud fecit, nisi solùmmodò osculum præbuit, & protinùs illum ad incolumitatem pristinam reuocauit.

3. *In Hist. Camald. de B. Michaele*. Sacro eius corpore ad templum delato, Deus Opt. Max. eius vitæ innocentiam nouo signo huiusmodi confirmare dignatus est. Iustinianus siquidem Bergomensis venerabilis Eremita, teterrimum dolorem dentium pati solitus, eo tùnc acerbissimè conficiebatur. Is B. Michaelis manus osculando, continuò se se ab omni dolore cognouit immunem, nec vlteriùs eo vexatus est.

4. *Bzouius in Annal. Eccl. Tom. 13.* Osculo B. Isnardus Dominicanus hydropicum sanauit.

5. *In vita S. Elisabeth Reginæ Portugalliæ*. Pauperis feminæ vlcus horrendum exosculata, de repentè sanauit Elisabeth.

6. *Sylos in vita Ven. Francisci Olympij lib. 2. cap. 2.* Procurabat semel Olympius in S.S. Apostolorum Domo Tyronum classem. Cuidam ex iis enatæ capitis squamulæ, quæ porriginis rudimenta videri poterant, fædum nempè morbi genus, & quo laborare infimæ sortis pueri solent. Quod cùm molestè ferret Nouitius; semel ostendi sibi morbum iussit Olympius, complexusque affectu quodam caput, osculum etiam impertiit: quo sanè visus medicum quemdam succum, ac remedium supra naturæ vim adhibuisse, nam intra biduum squamulæ ac morbi vestigia facessiuere.

7. *Idem ibidem.* Ioannes Simeon Puluerinus multiplici morbo laborabat, à quo lusa medicorum consilia, ac deplorata omninò salus, Phtisi potissimùm cruciabatur, corruptumque introrsùs pectus, ac peracri tussi quassatum, cruorem, ac saniem excreabat. Accersitus Olympius, dùm precibus cælum pulsat, admouetque collo manus, visus in modum subleuarique æger. Verùm quòd diuexare adhùc tussis, atque ab interiore vlcere manare purulentus cruor pergeret, iussus redire iterùm Olympius, qui fusis de more precibus: Age, inquit, cruentum vulnus exosculemur, vt mitescat; impressoque pectori osculo, visa mox exsiccari sanguinis vena, abactoque penitùs morbo, æger conualuit. Osculo itidem sanitatem restituit Angelo Basilio Caiuaci Duci, & Ioanni Angelo Carraræ Apostolico Comissario, vtrique non vno vulnere sauciato.

8. *Idem in Hist. Cle. Reg. Par. 2. lib. 10.* Isabella Barilis omnigenæ virtutis fœmina, quæ in sæculo Theatinam vitam, professionemque secuta est, dùm Neapoli in Nosocomiis languentium fœminarum, semel duarum, quæ fædissima tabe coopertæ erant, vlcera lingua percurrisset, exosculataq; esset, visæ postero die fuere omninò incolumes. Quod cùm humana ope fieri potuisse, medicæ artis consulti negassent, tributum Charitati fuit.

9. *In vita S. Bernardi lib. 3. cap. 5.* Est locus, cui nomen Sarlatum, vbi sermone completo, plurimos ad benedicendum panes, sicut vbique fiebat, Dei famulo offerebant. Quos ille eleuata manu, & signo Crucis edito, in Dei nomine benedicens: In hoc, inquit, scietis uera esse, quæ à nobis, falsa quæ ab hæreticis suadentur, si infirmi vestri gustatis panibus istis adepti fuerint sospitatem. Tunc ingens multitudo languentium, gustato eodē pane, conualuit, vt per totam prouinciam verbum hoc diuulgaretur, & vir Sanctus per vicina loca regrediens, ob concursus intolerabiles declinauerit, & timuerit illò ire.

10. *In vitis Patrum lib. 2. auctore Ruffino cap. 15. de Apelle Presbytero*. Quibuscumque ægris benedictum panem misit, statim vt ex eo perceperunt, sanati sunt.

11. *S. Petrus Damianus in vita Sancti Romualdi cap. 59.* Vxor cuiusdam viri Arduini, cùm exprobasset marito, quòd cùm sancto viro Romualdo sæpè conuersationem sanctam haberet, protinùs in amentiam versa est, & ita furere, & conquati cæpit, ac si patenter à Dæmonio vexaretur. Cùm igitur diù iam fœmina miserabiliter vexaretur, quidam fratres, qui aderant, de benedictione panis, quam à Magistro susceperant, ei particulam tradiderunt. Deindè cùm hunc mulier comedisset, mox mente sedata, ab omni redditur insaniæ furore liberrima. Quæ protinùs omnipotenti Deo, & Romualdo famulo eius recuperatæ sanitatis gratiam retulit, & viro suo conuersationis licentiam vlteriùs non negauit.

12. *Sylos in Hist. Cl. Reg. par. 1. lib. 7.* Diaconum quemdam ex nostris abalienatum diù mente, ceù summè insanum desperauerat medicorū consilium, qui tamen velut vltimum morbo remedium iussere, aliud illum cælum experiri; quod cùm minùs probaretur S. Caietano, tota nocte fusis precibus pro sanitate infirmi orauit, mane autem facto, repertus est Diaconus, ingenti cùm omnium admiratione, mentis ac sui perfectè compos.

13. *Bidermanus in vita S. Ignatij lib. 3. cap. 9. num. 73.* Quidam mentis vsu deperdito, in furorem, & amentiam versus, miseram ducebat vitam; at ope S. Ignatii, ab amentia ad mentem redijt.

14. *Ioannes Colganus in Vita S. Galli Abba. 20. Februarij*. Erat quidam mendicus, tanta per omnes membrorum iuncturas debilitate contractus, vt penitùs inter alias suas infirmitates incessu pedum careret. Huic, dùm Presbyter indumenta Viri Dei distribueret pauperibus, caligas eius cùm calceamentis dedit. Statimque debilis pro accepto munere summo repletus gaudio, vt sacras cruribus, & plantis aptauit exuuias, per omnes artuum compages, repentè solutus est, & exiliens voce clamauit ingenti, & gratias egit Domino, & B. Gallo, per cuius merita redditam sibi videbat sanitatem.

15. *Rader. in Virid. de S. Theodosio Cœnobiarcha*. Quiricum orientis comitem veste sua cilicina, qua pro thorace illum induerat, inuulnerabilem præstitit.

16. *Lippellous in vita S. Aegidij Abb. 1. Septembris*. Cùm die quadam ad Ecclesiam pergeret S. Ægidius Abbas dùm adhùc esset puer, ægrum quemdam humi stratum miserandis vocibus alimoniam à prætereuntibus petentem, audiuit. Tùm Sanctus puer misericordia motus, confestim propria se tunica exuens, eam egeno tribuit. Ea uerò indutus æger, illicò se à graui corporis agitatione liberatum sensit.

17. *In actis S.S. Feb. Tom. 1. in Conti. Bollandi*. Quæ-

Quædam mulier petijt eleemosynam à S.Brigida Kildariensi Abbatissa, cui illa dedit cingulum suum, dicens: Accipe cingulum, & aquam, in qua illud intinxeris, spargens, sanabis infirmos, quo accepto abijt; & ab infirmis sanatis, lucra multa contraxit, & pauperibus Christi distribuit.

18. *Frodoardus lib.1.Hist. Rhemensis capit.25. de Theodulpho Abbate.* Hic in monasterio B.Theodorici adscriptus, terræ aratro versandæ adiici voluit. Eius post mortem, aratrum à Fidelibus in Ecclesia Villæ Colubrosæ suspensum, ibi donec eandem inimico impellente vorax flamma cremauit basilicam, permansit; ex quo quisquis dolorem dentium patiens hastulam præcidisset, ac de loco doloris parum sanguinis fluere fecisset, statim medelam salutis exoptatam B. Theodulfi meritis percipere merebatur.

19. *Robertus Rusca in vita S.Lutgarda.* Hanc gratiam Deus contulit seruæ Dei, vt saliuæ contactu omnes curaret morbos.

20. *Crantzius lib.2.metrop.cap.18.* Sub Carolo Caluo Imper. serpuit in Saxonia tumor linguarum, vindicante forsàm Deo linguarum loquacium perniciosa venena. Intumebat in ore lingua maximo dolore, nec valebant medicorum vlla remedia, donec Bertoldus Mimigardeuordensis Episc. quintus, litanias, & ieiunia populo indixit, quo cælesti remedio à morbo curabatur.

21. *Augustinus Mannus, in Hist. Selec. cap.279.* Quidam iuuenis inimico parcere nolebat, quoniam vulnus, quod ab eo acceperat, curare non poterat; sed cùm tandem pacem præstitisset, sanatum vulnus diuinitùs inuenit.

22. *Ignatius de Nente, in vita Ven.Sor.Dominica de Paradiso.* Cùm varijs morbis sæpè sæpiùs vsq; ad mortem affligeretur Ven. Dominica, diuinitùs vel à B. Virg. vel ab Angelo, vel à Sanctis illi apparentibus, subitò ab infirmitatibus liberabatur. Aliquãdò quæ essent morbo medicamenta opportuna demonstrabant, quibus illa vtens, citò pristinæ reddebatur sanitati.

23. *In Decreto Canonizationis S.Caietani Cl. Reg. Fund.* Nicolaus filius Ducis Gasparis Caffarelli Romani, febri maligna correptus, conuulsione cùm intensione, & extensione manuum, pedum, & trunci totius corporis modo emprostotanico deformi instar Sirenę; thoracis musculis conuulsis, absque loquela, aliisq; infirmitatibus, & symptomatibus læthalibus oppressus, viribus consumptis, & à Medicis proclamatus, veluti eadem nocte vigesima nona suæ infirmitatis moriturus; emisso voto S.Caietano, qui illi, radiis, & splendoribus circumfusus apparuit, statim, & incontinenri sanus, incolumis, ac robustus compertus est; cùm omnimoda virium recuperatioue, æquè ac si huiusmodi infirmitatibus nusquam laborasset, medicis, cæterisq; admirãtibus, & Deum mirabilem in seruo suo collaudantibus.

24. *Boluitus in vita B.Andreæ Auellini Cl.Reg.* Baculo, quo venerabilis senex dùm viueret vtebatur, vestibus eius, quinimmò & calceis, innumeri omnium generum languores, mirabiliter fuerunt fugati; vt ibidem diffusè.

25. *Sylos in vita Ven.Francisci Olympij libr.1. cap.22.* Cùm quædam mulier tentari dentibus consueuisset, ac tùnc quidem cùm Dei seruus Franciscus Olympius ex nostris humatus est vexaret dolor, aliquid recentis tumuli calcis instinctu quodam ore sumpsit, conualuitq; quam quidem medicinam à matre didicit mox filia. Nam cùm & ipsa non ita post multò, eodem dentium dolore laboraret, animata domestico parentis exemplo, venit, orat, calcem dentibus admouet, abijtque confestim dolor. Multæ aliæ admirandæ infirmitatum curationes, eius intercessione ibidem enarrantur.

26, *Idem ibid. lib.1.cap.20.* Fuit semel qui ad delicium quoddam spiritus agnum miserit Vener. Francisco Olympio. Is impetrato maiorum nutu, cuidam deuotæ feminæ misit, quę peculiari quodam studio domi retinebat, habebatq; in pretio. Illud verò opportunum ac sanè mirum; vbi creuisset agno lana, tondebat, eaque puluinar infasciebat; quo quidem puluinari, cùm tentari aliquandò dolore capitis contingeret, vtebatur, nunquam sine fructu; leuari siquidem eo adhibito atque interdùm omninò facessere capitis molestiam sentiebat.

27. *In vita Ven. Francisci à puero Iesu, Carmelitani.* Cùm semel vnus de turba districto cultro, pallij Ven. Francisci frustulum exscindere tentaret, grauiter eius manum, quam aduersùs illum extenderat, ne faceret quod tentabat, vulnerauit, & pugnum penè abscidit: At ille inclinans se, ac benedicens terram, sumptamq; ex ea partem, ac vulneris loco applicatam, linteo alligauit; indè verò ad duas horas cùm illud emplastrum amouisset, sanatum vulnus mirabiliter inuenit.

28. *Durandus in Ration. Diuinor. officior. lib.7. cap.14.* Paulus Historiographus, Romanæ Ecclesiæ Diaconus, Cassinensis monachus, quadam die cùm vellet Paschalem cereum consecrare, raucæ factæ sunt fauces eius, cùm priùs vocales essent. Vt ergo vox sibi restitueretur, cõposuit in honorem B.Ioannis Baptistæ hymnum: *Vt queant laxis, &c.* in cuius principio petit vocis restitutionem, quam obtinuit.

29. *In vita S.Bernardini Senensis.* Cùm S.Bernardinus Senensis ab officio prædicationis ob vocis raucedinem, quæ procùl audiri nõ poterat, impediretur; ad Deum confugit, sublatisq; in Cœlum oculis, obnixè eum rogauit, siquidem gratum sibi foret, vt in concionandi functione permaneret, vt propter sanctissimæ Matris suæ merita, sanaret vitium gutturis ipsius; exauditusque est; Deus etenim ob intercessionem matris suæ insigni miraculo è gutture illius depulit vitiũ illud, immisso in gutture ignito globulo; quo linguæ raucedo excocta, & curata fuit.

30. *In actis S.S.Feb.tom.1. in contin. Bollandi.* Si cui sororum, quibus præerat S. Adelheides Abbatissa Vilicensis in Germania inferiore, cantanti in Choro sonoræ vocis non congruebat armonia; correpta, vel alapis percussa à pia matre, per omne tempus sequentis vitæ, delectabili vocis donabatur claritate.

31. *In actis S.Tillonis monachi apud Boll.7.Ian.* Quædam mulier propè iam mortua, vulnus gestabat in collo, occurrit ergo Sancto viro, obsecrans super hoc signum Crucis armaret, quia iam mori timebat. Cùmque super vulnus plenum vermibus,

D Christi

Christi signum exprimeret, repentè mortui sunt vermes, & fœmina rediit incolumis.

32. *S. Pet. Dam. in vita S. Odilonis.* Cuidam Turonensis Ecclesiæ Clerico lethale vulnus in brachio pestilenter excreuerat, vt sibi iam non languoris ægritudinem, sed ipsam potiùs interminaretur & mortem. Cùmq; vir Dei Lucensi teneretur hospitio, accedit Clericus, & periculum tam pestiferæ calamitatis ostendit. Quod ille quasi videre dissimulans, latenter brachium apprehendit, viuificæ Crucis signaculum imprimit; eumque dimittens, vt sibi cautè prouideat, præcepit. Qui paulò post, dùm locum vlceris curiosiùs attendere studuit, nulla prorsùs vestigia deleti languoris inuenit.

33. *Chrysostomus Henriq. in fasc. S. S. Cister. de S. Edmundo Archiep. Cantuariensi.* Infestum quandòque in pede apostema tulit, quod medici anthracem, siue carbunculum vocant. Calamum igitur arripiens, tres, vel quatuor cruces in eius circuitu, vnam super illud depinxit, & altera die ita apostema euanuit vt nec vestigium eius cerneretur.

34. *Cassaneus in Catalog. gloriæ mundi, consid. 31. par. 5.* Strumis laborantes, qui modò solo tactu à Regibus Franciæ liberantur, olim ad Sepulchrum trium Magorum sanabantur.

35. *In vita S. Dominici.* S. Dominicus, Theodoram, Teidamiam, & Nimpham sanctimoniales, sola iussione dicens Priorissæ: I, ac singulis meis iube verbis, ne vltra febricitent, sanauit.

36. *Ambrosius Righettus de mirac. Nominis Iesu.* D. Catharina Senensis cùm in Xenodochio inuenisset quemdam, qui vocabatur Frater Sanctus, à pestilentiali morbo ad vltimum vitæ deductum, imperauit illi in nomine Iesu, ne moreretur, & ecce illicò moribundus sanus factus est.

37. *In vita S. Catharinæ Senensis.* Contigit, Stephanum, qui tunc erat alter virginis scriptor, ex maximis laboribus infirmis seruiendo, acutissimam febrem incurrere: quamobrem in lectum decidit; & quia ab omnibus diligebatur, omnis ei assistebant. Quod cùm sacræ virgini compertum fuisset; ea ad ipsum illicò accessit; cui feruore spiritus ait: Ego præcipio tibi in virtute Sanctæ obedientiæ: ne ampliùs febres huiusmodi patiaris; quod & factum est.

38. *Platus de bono statu Religionis lib. 2. cap. 5.* De Columbano Abbate id certe fertur memorabile: cùm in Luxouiensi cœnobio, quod ille fundauerat, omnes ferè ægrotarent, eò accessit, nec alio vsus est medicamento, nisi quòd omnes ad aream vocauit, ad fruges in Solis æstu triturandas. Res dura, præsertim tàm grauiter decumbentibus, qui ne quidem consistere possent. Itaq; nonnulli, Prudentiores videlicet, & cautiores, lectulo se se tenuerunt, alij obedientiæ studio ad opus statim accurrerunt: atq; hi quidem omnes ita statim omni morbo liberati sunt, vt ne reliquiæ quidem, aut vestigium vllum permaneret. Illi verò longas tarditatis, ac diffidentiæ suæ pœnas dederunt, toto anno cùm febribus conflictati, vt quidem eos reprehendens, atque obiurgans aperte prædixerit Columbanus.

39. *Franciscus à S. Maria in Hist. Carmel. tom. 1. lib. 3. cap. 34.* Cum Ven. M. Catharina à Iesu, ex Discalceatis S. Teresiæ, ex periculoso lapsu omnium ossium eluxationem, triplicemque in crure fracturam passa esset, ita vt sex mensium spatio haud è cubili surgere potuerit: quadam die, Antistita monasterij illi præcepit, vt ad diuinam psalmodiam simùl cùm alijs conueniret: se libenter hoc facturam, si vires suppeterent, respondit obedientissima filia: cui iterùm Prælata, si fidem habes obedientiæ, præcipio tibi in nomine Christi, vt obedias; credidit illa, & statim è lecto consurgens, sanata est, consolidataq; sunt crura, omniaq; ossa in pristinum restituta fuere locum.

40. *Idem ibidem lib. 5. cap. 4.* Soror Maria à Præsentatione ex Carmelitis Discalceatis, maxima laborabat infirmitate, ratione cuius ad carnes edendas cogebatur; at quia hoc maximè obstabat rigorosæ abstinentiæ, quæ tùnc in Conuentu Villanouæ, vbi degebat infirma, obseruabatur, imperauit ei Antistita, vt statim conualesceret; & ecce illicò omnis languor, infirmitasque euanuit.

41. *Idem ibidem lib. 5. cap. 14.* Cùm in Conuentu Vallisoleti Discalceatorum Carmelitarum, febri tertiana grauiter ægrotaret F. Franciscus à *S. S. Sacramento*, imperauit Prior, ne ampliùs ab illa affligeretur febri; credidit infirmus, animoque constanti in hæc prorupit verba; ip se dixit & facta sunt; ac deinceps nullam ampliùs ab ea febri molestiam passus est.

42. *Idem ibidem tom. 2. lib. 6. cap. 35.* Cùm Ven. M. Anna à S. Augustino ex Discalceatis S. Teresiæ, graui oppressa morbo, iam ad extremum vitę deuenisset; præcepit ei V. P. Gabriel ab Assumptione, ne moreretur, sed benè haberet; & ecce paulò infra surrexit infirma, omnique liberata fuit infirmitate.

43. *Idem ibidem tom. 2. lib. 7. cap. 21.* Ven. Soror Catharina à Iesu ex Discalceatis S. Teresiæ, ex parietis ruina taliter elisa fuit, vt fracto crure, euulsis dentibus, capite, totoque corpore vulneratis, nunquam pristinam integritatem recuperaturam, prædicerent medici. Hoc ęgrè ferentibus monialibus, Antistita magna roborata fide, præcepit ei *in virtute sanctæ obedientiæ*, vt statim benè *haberet*; obediuit infirma, statimque prosiliens, sana effecta est.

44. *In vita S. Antonini Abb. Surrentini.* Erat semel quidam Sacerdos Religiosus, idemque sacri loci Præpositus, & Vener. corporis Sancti Antonini custos solicitus; qui infirmitatibus suorum ciuium compatiens, ita edoctus ab eodem sancto, fecit cerotum siue vnguentum. Hoc medicamentum in pyxide eburnea diligenter sigillatum in ipsa altaris arca reposuit, triduòque cùm ieiuniis, & orationibus peracto, depositum repetit, & si designatum signo crucis per vestigium pollicis euidenter impresso exaratum reperit, efficacis medicinæ securus languentibus membris induxit, totumque dolorem consequenter effugauit; Si autem absque crucis signaculo planam superficiem inuenit, nullam prorsùs curandi fiduciam habuit. Hoc igitur modo, salubris signi, & sancti pollicis impressione facta, vnguento virtutem cælitus illapsam, & pia curatoris Antonini arte medicamen intel-

intellexit conditum,ac sanitatem quærentibus promittebat. Sin autem, patientiam laborantibus persuadebat: & quos superno iudicio obstante curare non potuit,monitis salutaribus instruebat.

De hac materia videantur plura in titulis, de aqua, morbos diuina virtute depellente Tom. 1. lib. 2.cap.4.§.8. & in Append.2. Item ibidem cap. 5. §.3.de Terra, medica virtute diuinitùs prædita, & in Appendice. Item lib.6. cap.2.§.4. cùm de Herbis, & Floribus diuinitùs medica virtute præditis, & in append. Item libr. 5.huius tom. capit. 2.§.12. de Admirandis perpetratis, cereis, oleoque lampadarum ante Sacras imagines ardentium, & in appendice 2. Item cùm de Admirandis circa Aquam benedictam lib.5.cap.4.§. 2. & infrà cùm de perennibus.

A Dæmoniacis vexationibus Corpora diuina virtute liberata. §. 9.

CVM diabolica virtute malè afficiantur quandòque humana corpora; & contra ipsam mirabiliter enituit diuina virtus, quosq;aliquandò in humana corpora immisit languores diabolica versutia,hos ab eisdem cælica potentia mirabiliter depulit. Hoc fecit ipsemet Christus Dominus,dùm in viuis apud nos degeret. Hanc potestatem tribuit Apostolis,fidelibusq; De his igitur aliqua pauca solùm ad complementum capitis. Sunt autem.

1. *S.Bernardus in vita S.Malachiæ Episcopi.* In regione Aquilonaris partis Hyberniæ iacebat infirmus in domo,nec dubium quin dęmonum maleficio. Nam quadam nocte audiuit eos sic colloquentes: Vide ne miser iste hypocritæ stratū,stramenuè contingat,& sic effugiat manus nostras.Cognouitq; quòd de Malachia loquerentur, quē non multò ante in eadem domo meminerat pernoctasse,& adhùc stramen in loco relictum esse. Sumpta igitur fiducia, quo potuit conatu, cœpit rapere debilis corpore, sed fide fortis. Et ecce in aere clamor,& vociferatio.Prohibe eum,prohibe, retine eum,retine, amittimus prædam. Verùm is, quem portabat fides,& desiderium euadendi;quantò plùs clamabāt illi,tantò magis genibus manibusq;nitens,ad remedium festinabat.Et perueniens,ascendit lectulū,volutatur in stramine,audit vlulatum plangētium:heù heù,ipsi nos prodidimus,decepti sumus, euasit. Et dicto citiùs recessit ab eo dæmonum terror, & horror,quem patiebatur,& omnis pariter ægritudo.

2. *In vita B.Richardi discipuli S.Norberti.* Quadam die sanctissimo Patre Norberto ad opus prædicationis,ex more profecto, cùm procax dæmon filium cuiusdam Conuersi Præmonstratæ Ecclesiæ, Pręmonstrati occupasset,neq; ab vllo circùmstantiū teneri posset, B.Richardus humilem de vera obedientia assumens pręsumptionem,dixit:Pręcipiatur mihi in virtute salutaris obedientiæ,& tenebo eum, non quidem meis, sed obedientiæ manibus, & vinculis,cui cùm præceptū à B. Hugone datum fuisset, aliis fugientibus, ipse solus energumenū coercuit,& tenuit,dùm cęteris fratribus orationi, & disciplinæ insistentibus, B.Hugo exorcismum exorsus,Dæmonem fugauit.

3. *Vghellus in Ital.Sac.to. 5.Episc.Veron.* Cùm S. Episcopus Zeno energumenum liberasset, vt illius liberatio à maligno spiritu omnibus pateret, iussit Dæmoni, (vt piorum constans est traditio) vt è Syria,pilam Porphireticā subitò deportaret; quod & fecit; videturque vsque hodiè, eadem porphiretica pila ante ianuam Basilicæ S.Zenonis Veronæ.

4. *In vita S.Zenonis Episc.Veron.* Gallieni Imperatoris vnicam filiam à Dæmone dirè vexatam, accersitus Sanctus Zeno ab eodem Imperatore, liberauit.

5. *Surius in vita B. Gregorij Archimandritæ.* Quemdam seruum à Dęmone dirè vexatum, inuocatione nominis Iesu ab eodem liberauit B.Gregorius; insuper,& filiam Principis, quæ annis 28.grauem Dæmonis carnificinam sustinuerat.

6. *Marcellinus de S.Suitberto Saxonum Apostolo cap. 20.* Dæmoniacum liberaturus, primùm se ad orationem conuertit, deindè ad spiritum conuersus, eidem in nomine Domini exitum imperauit,ille verò graui post se relicto fœtore discessit.

7. *In vita S.Norberti Confessoris.* Tempore quodam,in Viuariensi Suessionensis diœcesis oppido, agricolam recens à maligno spiritu occupatum, & coràm viro Dei Norberto in vinculis adductum, cùm exorcismis ex more, & sacris precibus, ac signis admotis, liberare conaretur, post aliquantum operæ desinens furere, qui tenebatur,quiescere,& sani hominis verba dicere visus est.Gaudentibus,qui astabant, & cùm gratiarum actione exclamantibus; Eia benedictus Deus per omnia, modò quiescere paululùm potest hic pater noster, qui fatigatus longo itinere hùc accessit. Doctus spirituum discretor Norbertus,propiùs accedens, cùm è naribus hominis putidissimū fętorē acciperet:Nō est,inquit,vt vos putatis:nōdùm spiritus ille nequā recessit,sed latitat in thalamo isto, & verba composita loquitur Diuinæ virtutis timore, vt non expellatur,sed nobis recedentibus, acriùs hunc miserum valeat cruciare. Attamen sine causa non est traditus iste aduersariæ potestati. Permittamus eum hac nocte pęnas debitas soluere, orantes pro eo,& forsitam cras faciliùs miserebitur eius Deus. Vti dictum, ita factum. Postquam abiissent,multò deteriùs miser ille stridere cępit ac furere. Postridie, innumera multitudine ad spectaculum concurrente, pulsus hospitio dæmon, agricola sibi, & suis sanus est redditus.

8. *In actis S.Erminoldi Abb. 6. Ianuarij apud Bollandum.* Quædam mulier, cùm intercessione S. Erminoldi à Dæmonis vexatione liberata fuisset, immemor beneficii, tàm ipsa,quàm eius propinqui, Deo, sanctoque gratias agere pro tanto beneficio non sunt recordati; Cùm ecce in patris sui conspectu dęmon reuertens in domum suam, vndè exiuit, nouissima mulieris istius peiora prioribus faciens, per os eius cœpit horribiliter exclamare. Quę vos occultare nitimini, ea faciam omnibus manifesta. Hoc dicto, acriùs eam cępit, quàm antea, cruciare. Igitur amici eius merita vltione confusi, vexatione dante, vt assolet, intellectum, ad cor redeunt sua,ingratitudinis pœnitentes. Itaque ad benefactoris sui refugientes auxilium, vt sui mi-

misereretur, & patientis, negligentiæ ipsorum dignanter oblitus, humillimè postulabant. Ad sepulchrum igitur viri Dei denuò pernoctantes, Domino sui famuli merita declarante, manè sanam eam, & incolumem receperunt. Sicque Dominum collaudantes, vt decuit, cùm sana, & læta, lætantes ad propria sunt reuersi.

9. *In vita S. Vincentij Ferrerij lib.4.* Frater quidam Dominicani instituti, Guillelmus Portas cùm in Insula Maiorica B. Vincentius esset, pilos quosdam rasæ barbæ illius ex deuotione multo tempore asseruauit. Is vt audiuit fœminam quamdam à Dæmone occupatam, quæ multa etiam secreta indicaret, pilos illos panno inuolutos ad eius collum alligauit. Tùm verò malus Dæmon acriùs cæpit vexare feminam. Interrogatus cur esset solito atrocior? respondit, se vim magnam sentire capillorum fratris Vincentii Ferrerii, & tandem à femina abscessit ea penè exanimi relicta.

10. *Carolus à Basilica Petri, de Successoribus S. Barnabæ, num.2.* Anatholius Græcus comes peregrinationis, & discipulus B. Barnabæ, ab ipso in Ecclesia Mediolanensi Episcopus ordinatus, tantæ sanctitatis vir fuit, quòd solo tactu obsessos à Dæmone liberaret.

11. *Sozomenus lib.4. Hist. cap. 15. de Arsacio.* Furiosum Energumenum, qui gladio armatus omnes in fugam conuertebat, ad saniorem mentem restituit Arsacius, inuocato Christi nomine.

12. *In vita S. Eligij Episcopi Nouiomensis.* Inter missarum solemnia, ipso anniuersario die S. Martini, de laudibus eius dicebat S. Eligius ad frequentissimam panegyrim: cùm ecce interturbarunt eum incondito strepitu, atque horrisono barritu, Energumeni duodecim. Remedium fuit, indicere silentium in Nomine Iesu. Siluerunt illicò praui Dæmones, & ab obsessis corporibus momento eodem recesserunt.

13. *Surius in Iannuario.* S. Genouefa Virgo Parisiensis vno die sanauit energumenos bissenos, qui occulto intùs igne excruciabantur, & modò vsque ad fastigium Templi exiliebant, modò quasi vinculis constricti in globum volutabantur.

14. *In vita S. Melanij Rhedonensis Episc.* Malignus spiritus vnum seniorem de Monachis, qui cùm Sancto Episcopo morabatur inueniens aquam haurientem, in eum mox ingressus est, terræque prosternens, vehementissimè vexare cæpit. Quem cùm vir Dei ab oratione rediens tàm crudeliter vexari conspiceret, ei solummodò alapam dedit, & malignum ab eo spiritum fœda relinquentem vestigia, ita expulit, vt ad eum vlteriùs redire non auderet.

15. *In vita B. Margaritæ Rauennatis.* Cacodęmone agitatos, quos decem vix homines retinere, & compescere poterant, ipsa manu apprehensos, & nequaquam obsistentes, diuina virtute abire cacodęmone iusso, liberauit.

16. *In Hist. Eccles. Anno Domini 969.* Cùm quidam Comes Othonis Imperatoris familiaris, occupatus ab immundo spiritu, se ipsum dentibus dilaniaret. Is iussu Imperatoris ad Ioannem Pontificem ductus est; qui vt sacra Catena S. Petri (quæ Romæ in Exquilijs conseruatur) Comitis collum attigit, erumpens nefarius spiritus, hominem liberum relinquit.

17. *In vita S. Dominici cap. 9. lib.2.* Dùm concionante ad populū S. Dominico Dæmoniaca quædam exclamaret, & præsentes omnes perturbaret, in nomnie Iesu Christi facto signo Crucis, spiritui præcepit, vt miseram relinqueret, quemadmodùm, & confestim reliquit.

18. *Greg. Turon. in vitis P.P. cap.4.* Gregorius Lingoniensis Episcopus, adductos ad se energumenos, signo crucis, & verbo curabat: Sed eo absente, multi Dæmonia ab obsessis, virga, quam gestare solebat, pellebant.

19. *Sigebertus apud Surium tom. 6.* Maltonius Episcopus, rogatus, vt nobilis cuiusdam filiam, quam misere Dæmon torquebat, curaret, proiecit in obsessæ collum suum strophiolum, & statim in conuitia spiritus prorupit, & post potam benedictam aquam, discessit.

20. *In vita S. Germani Parisiensis Episc.* Cùm puella ad eum adducta fuisset, occultum habens Dæmonem, mox post impressam à S. Epis. Crucem, spiritus per nares in specie muscæ egressus est.

21. *Baronius in notis ad Martyr. 16. Iulij.* Terentianus prætoriæ Cohortis præfectus, ob mortem S.S. Ioannis, & Pauli ciuium Romanorum, quam iussu Iuliani Apostatæ curauerat, à spiritibus immundis sceleris patrati vltoribus, inuasus est; sed ab iisdem liberatus fuit, quamprimùm ad martyrum sepulchra fuit perductus.

22. *Surius de S. Hugone Episcopo Lincolniensi 17. Nouembris.* Ciuis quidam Lincolniensis correptus amentia, vix ab octo viris teneri potuit. Adductus autem ad virum Dei, mox Dæmone fugato, quasi mortuus corruit, nec antequam aqua benedicta perfunderetur, & à S. Episcopo sanitati integræ restitueretur, aliquatenùs surgere potuit.

23. *Delrius in Disquisit. Magic.* Bungi in Iapone anno 1555. familia fuit, quam iam 100. annis dęmones infestabant, & molestia in posteros, quasi hæreditaria transibat; Pater familias opes omnes placandis Idolis insumpserat; potiùs auctum iis, quàm cessauit malum. Triginta annorum filium Dæmon occupauit, ita vt nec Patrem, nec Matrem agnosceret, nec quindecim diebus quicquam sibi sumeret: Sub horum finem Patrum Societatis vnus eum accersit, iussitque vt D. Michaelem nominaret; dùm Diuum nominat, vehementi tremore cæpit concuti, & varios motus membrorum edere, ita vt circumstantibus terrori fuerit. Inuocante vero Patre Deum Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum, subitò à Dæmone liber extitit.

24. *Fridericus Fornerus.* Quid vetera memoro, cùm noua huius moderni sæculi, copiosissimè suppetant? Indicæ legantur historiæ, & Epistolæ vbi millies, quid sum dicturus, occurret; Vbicunque Sacerdotes nostri, in partibus infidelium, Cruces erexerunt ligneas, aut lapideas, ibi illicò Dæmonum in barbaros sęuientium, potestatem mirificè depulsam ac diminutam, responsa negasse, vexatos, ad Cruces deductos, deseruisse, earumdem tactu morbos omnis generis innumeros, effugatos, Cru-

Cruces ipsas, cælesti cùm rarò splendore visas coruscare.

25. *Bozius*. Anno Domini 1559. Contigit in S. Paulo, ciuitate Indię Occidentalis, vt in domibus quibusdam, moraretur quidam à Christi cultu alienus, & ex eo, quicumque in illis locis habitabant, terreficis quibusdam spectris exagitabantur, à quibus, vt se liberarent, Crucibus ligneis circa illas ædes defixis, locum circumdederunt, & nil deinceps horrifici, ampliùs senserunt.

26. *In actis translationis S. Marci*. Cùm quidam ex nautis nequaquam B. Marci, sed cuiuslibet alius corpus portare se diceret, volens omnipotens Deus ipsius duritiam coarguere, eumque illicò credulum facere, digna continuò illum damnauit sententia. Nam arreptus vir ille Dæmonio, tandiù vexatus est, quoùsque ad S. Corpus deductus, spumans, & stridens dentibus, B. ibidem Marcum iacere confiteretur, ac munus pro suis delictis offerret; qui statim à dæmonio liberatus, & Domino gloriam dedit & nihil se iam de corpore sacro dubitaturum professus.

27. *Petra Sancta in mirac. perpet. capit.* 21. Columnam Templi Hierosolymitani clatris ferreis inclusa, ita vt spatiũ sit intùs, & Religionis ergo ambiri soleat, diù energumenos intrantes, obeuntesq; absq; exorcismis alijs liberauit. An sit eadẽ iàm virtus affirmare non ausim; cessasse ab annis haùd ita multis aiunt, quia non nemo ibi canem rabidum, vt sanaretur, includit, & procùl dubio ea impietas illi displicuerit, cuius fuit ea vox, & admonitio; Nolite Sanctum dare canibus.

APPENDIX AD CAPVT. I.

Perennes quadam, & admirandæ morborum curationes.

QVæ perenni curantur miraculo infirmitates, hìc sunt adnotandæ; ex his etenim continua diuinæ promissionis seruis Dei factæ apparet veritas: super ægros manus imponent, & benè habebunt, &c. Sunt autem.

1. *Thom. Boz. lib.* 15. *de signis Eccl. cap.* 13. Notissimum est cunctis Christianis, atque aliis etiam, Francorum Reges hoc diuinitùs consecutos priuilegium ab ætate Clodouei, precibus, vt aiunt, Marculphi Episcopi, illudque ad posteros Reges semper est transmissum, vt manuum suarum tactu certis adhibitis cæremoniis, strumas sanent; idem etiam Regibus Angliæ olim concessum meritis Eduardi Regis; quorum est & illud, vt annuli quidam certis cæremonijs affecti, valeant aduersùs torporem.

2. *Petra Sancta in miraculis perpet. cap.* 12. In Prouincia VVarthrenionensi intra S. Germani ædẽ sacram, S. Cyriaci baculus est, auro atque argento inornatus, cui ea inest perennis virtus, vt glandiculas, & vlcera strumarum contactu sanet. Ex veteri consuetudine, ab adeuntibus ægris, fit vnius denarij oblatio, & aliquandò gaudia sanitatis quidam non est consecutus, vel ideò quia ex auaritia denarium in marsupio maluit secum ad penates suos referre.

3. *In m. s. s.* In omnibus Hispaniarum Regnis, strumis laborantes, deuotè confugièntes ad sacellum S. Candidæ V. & M. Dertusæ in Catalaunia, in quo illius venerandum caput colitur, ibique nouem diebus humiles Deo preces fundentes, continuò, & ferè perenni miraculo à fætida infirmitate, per intercessionem prædictæ S. Martyris mirabiliter liberantur.

4. *Florentinius in Martyrolog. vetustiori* VIII. *Kal. Septembris.* Solemni die S. Genesij 25. Augusti in pago Lucensi *Bargecchia* nuncupato, in quo est Ecclesia eiusdem nomini dicata, anniuersarium prodigium ætate nostra adhùc perdurat. In peruigilio eiusdem Sancti, magnus fit ex conuicinis populis ad Ecclesiam illam concursus, qui enim epileptico morbo laborant, familiaribus vel propinquis stipati ad Ecclesiam alacres pergunt. Vix terram sacram illam attingunt, qui huiusmodi morbo laborant, cùm statim epileptico insultu apprehendũtur, & in terram delapsi, piorum manibus ad Ecclesiæ porticum deuehũtur; totaq; peruigilij nocte aliorũ auxilio à Porticu ad Crucẽ in extremo sacræ illius telluris appositam, vehuntur, & reuehũtur, creberrimis morbi paroxismis vexati. Plurimi integrã sanitatem adipiscuntur, reliquos constans fama est per annum à morbo vlteriùs non apprehendi. Omnia hæc quotannis omnium adstãtium oculis obuia sunt, digna vt inter miranda ea referantur, quæ tanquam genuinæ Ecclesiæ signa voluit Deus esse perennia.

5. *Thom. Boz. lib.* 15. *c.* 12. Monetæ adhùc aliquot extant, quæ in honorem Helenæ Augustæ, & inuentæ Crucis cùm huiusmodi imaginibus excusæ antiquitùs fuerunt. Illis est præsens remedium aduersùs morbum comitialem, & qui hodiè viuit Turcarum Rex Amurathes, quamuis à nobis alienus, vim sanctam illarum expertus, solebat eas gestare; è morbo namque huiusmodi interdùm laborabat, nummi quoque S. Ludouici Francorum Regis, mirificè valent aduersùs nonnullos morbos.

6. *Ioa. Buzelinus in Ann. Gallo-Flandr. lib.* 2. Veneratione habet Bellocampi, & Radinghehemi S. Thomas Cantuariensis Archiepisc. qui pro libertate Ecclesiæ sanguinem fudit in Anglia, ad sedandos febrium ęstus presertim, eius auxilium precibus exposcitur. Estq; Bellocampi multis remedio, quòd illic vasculum in pateræ modũ è tenuissimo, & leuissimo, ignoti tamẽ generis, ligno tornatum, illius hàc transeuntis munus, & monumentum seruatur, dùm ex eo quidpiam cùm religione, & fiducia bibunt.

7. *Signius cap.* 22. *Reliquiarij.* Quotidie stramine tecti S. Germani curantur furiosi. Lectulus B. Galli curat quartanam. Ad lectulum S. Gertrudis iugiter curationes fiunt. In lectulo S. Geminiani de Mutina Episcopi liberantur à Dæmone vexati.

8. *Petra Sancta in miraculis perpetuis cap.* 13. Ad fines Asiæ apprimè celebris est mons Sancti Adiutorij, seù sancti Bonifacij, vbi ægri quàmplures quotannis curantur. Qui tamen eius ope curandi sunt, ij statuam sanè maximam eiusdem Sancti Bonifacii, & vix mobilem conatu multorum, soli sublimem tollunt, admirante, ac simùl

gratulante circùmfusa adeuntium corona.

9. *Idem cap.* 12. S. Petronilla de pago Hantorff propè Monasterium, VVestphaliæ vrbem primariam curare dicitur mentis impotes, seù delires.

10. *Idem ibidem*. S. VVendelinus haùd procùl Colonia Agrippinensi Herniosos liberat, ideòque frequentes quotannis ad eum confluunt.

11. *Idem cap.* 20. In Siciliæ Vrbe Noto est corpus B. Conradi Confalonerij Placentini, intra cuius argenteam vrnam quotannis ipso festi eius anniuersario die, pueri reclinantur, quotquot à rupturæ incommodis ægri fuerint (quo ibi genere morbi vel à teneris annis laborant multi) & præfinito, certoque numero, nempe bisseni, aut circiter reductis in statum pristinum iliis, sanantur.

12. *Gumppenberg de Imag. B. Virg. Stokelensi in Germ. infer.* Hoc in templo, Deipara, licet nulli desit misero, herniosis tamen magis propitia est.

13. *In Ann. Seruorum Cent.* 1. *lib.* 3. *cap.* 19. In Conuentu P.P. Seruorum B.M. Lucæ in Tuscia piæ asseruatur pallium S. Philippi Benicij, quod veluti ægrotantium Puerorum remedium, & effugium certum continuò apparet; quemadmodum in dies experiuntur Matres, quæ filios ægros à quouis morbo liberos indè quotidiè recipiunt.

14. *Iacobus Grassetus in vita B. Catharinæ à Bononia lib.* 1. *cap.* 18. Ferrariæ in Monasterio Corporis Christi piè asseruatur scutella, quam à S. Iosepho mirabiliter accepisse B. Catharinam de Bononia tunc temporis in eo Monasterio commorantem, piè creditur: est autem traditio, eam esse qua B. Virgo infantulo Iesu potum præstabat: Tactu eiusdem scutellæ multi infirmi à languoribus liberantur, hoc continuo prodigio, vt si infirmus ad pristinam est miraculosè redigendus sanitatem, dùm sacram scutellam firma fide & deuotione tangit, illa mirabilem emittit odorem, quem nullo modo exhalat, si sanitatem non est consecuturus.

15. *Martinus Delrius lib.* 1. *cap.* 3. *quæst.* 4. *disq. Mag.* Donum à febribus sanandi habere putantur in Flandria, quotquot nati sunt ipso Die Parasceues, & quotquot nullo fœmineo fætu intercedente Septimi masculi legitimo toro sunt nati; quod nequit ad naturalem causam reduci, quare prodigiosa est curatio, & si nihil superstitionis accedat, reducenda ad curationem supernaturalem. Non enim absimile est, ob diei honorem, & Mysterij sanctitatem, & honorem coniugij, hoc Deum concessisse.

16. *Gumppenberg, de Imag. B. Virg. de Voort, Hildeuasi in Germ. Inf.* Radicata ab antiquo est persuasio, à febribus certam esse liberationem, si æger tribus continenter sabbatinis diebus ædiculam, in qua hæc imago colitur, visitet.

17. *Io. Buzelinus lib.* 8. *ann. Gallo-Flandr. de morbo S. Cornelij*. Diui Cornelii Papæ Romani, & Martyris veneratio Engeloum, & Hemum à plerisque iàm sæculis exornat, quamplùrimis vtroque peregrinis viam facientibus. Hemum præsertim, ex Tornacesio, & Hannonia, venerandi, & auxilium petendi causa multi confluunt; Engeloum præter Insulanos, & Duacenses, Artesiani, & Flandri celebrant. Vtrobique præcipuè illi morbo remedium à Sancto Pontifice precibus, & oratione expetitur, qui sancti Cornelii passim appellatur, seu Maculata nuncupatur; quoue correpti incidunt, & humo alliduntur, corpore vehementer afflictato. In eodem Vico Engeloi multi ruptis ramicibus, & variis herniæ speciebus remedium obtinent, S. Cornelii meritis adiuuantibus; cui rei fidem conciliant varii modi cingula è tholo pendentia.

18. *In Menologio Græcorum*. Cùm quondam Agareni ausi fuissent Castrum diripere, in quo colitur in Sicilia corpus S. Martyris Aggripinnæ, repentino interitu perierunt. Ex quo tempore, ad hanc vsque diem, leprosi cùm fide illùc accedentes mundantur.

19. *Vuikmans lib.* 2. Si quibus à lepra periculum est, maturè adeant templum B Virginis Thielctanæ in Germania, perenni prodigio sanitatem consequuntur; si quidem ipsi obicem non ponant.

20. *Alanus Copus Dialog.* 3. *cap.* 28. Continua experientia obseruatum est, eos, quos *nasci* contigit in Festo Conuersionis S. Pauli, quæcumque eos orbis pars in lucem proferat, sola saliua morsibus serpentum mederi.

21. *Greg. Tur. de gloria Martyr. cap.* 75. Frigoritici, qui, & Quartanarii dici solent, missas deuotè celebrantes, in honorem S. Sigismundi Burgundiæ Regis, eiusque pro requie Deo offerentes oblationem, statim compressis tremoribus, restinctis febribus, sanitati pristinæ restaurantur.

22. *In actis S. Erminoldi Ab. apud Ratisbonam.* Illud inter signa quamplurima Dominus Sancto suo Erminoldo, quasi priuilegium speciale concessit, quòd ægrotantes ad eius vt fieri solet ponderati sepulchrum, vel continuò eius meritis conualescant, aut ab ægritudinis diuturnitate mortis compedio prorsùs absoluuntur.

23. *Franciscus Lanuuius in Chron. Minimorum, an.* 1482. Admodùm salutare fuit Bormiensibus hospitio excipere in eo maris portu S. Franciscum de Paula; nam eius aduentu contagiosa lues pulsa, & fugata est, salubritate in hodiernum vsque diem perseuerante; nam si quandò periculum instat, opposito Francisci nomine, quod Ciues inuocant, procùl depellitur. Et verò gratitudinis suæ monumentum, egregii operis, & magnæ molis templum Francisco Paulano dicatum Ciues posuerunt.

24. *Petra sancta in mirac. perpet. cap.* 19. Quandò in Bethuniæ oppido Belgarum lethalis lues grassatur, fiii, qui defunctorum funere procurant conscripti sunt in sodalitio sancti Eligii, eius auspiciis ab omni contagione præseruantur. Sunt tamen qui tradunt, in exercitio ipso periculum adiri à sodalibus S. Eligii, si quæ diripiant ex domo infecta, auaritiæ studiosiores, quàm officii, & charitatis.

25. *Stephanus Menochius de duobus Monasterijs, & hospitalibus in montibus Sancti Bernardi.* Mirum de his duobus locis referunt, quòd ab anno 962. in quo fuerunt fundati, ad hæc vsque tempora nullus ex ibi morantibus, contagioso morbo sit defun-

defunctus, licet vndique in regionibus circumuicinis sæpè grassante pestilentia innumeri eo morbo decesserint; quinimmò licet multi aduenæ, aut peregrini ijs in locis peste correpti vitam finierint, nullus tamen vel Monachorum, vel infirmis inseruientium, contagiosum contraxit morbum: idq; à Deo concessum creditur merito charitatis infirmis ibidem inseruientium.

26. *Arnoldus Rayssius in Hierogazoph.Belgico.* Cisonij in monasterio Canonicorum Regularium S.Augustini in Castellania Insulensi, exhibentur reliquiæ B.Arnulphi militis, & martyris, qui in defensione Domini, ac Magistri sui, innocens laqueo peremptus fuit an.IↃCCLII.quarto Kal. Feb. Restis ipsa, diù seruata est, quæ fauces martyris eliserat; cùm ea illi, quibus collum dolore torquebatur, sibi circumdassent, statim sentiebant, ægritudinem comprimi.

27. *Leo à Rosmital.* Super Lanceam, qua Christo Domino sacrum transfixum fuit pectus, annulos ponebant; vt qui dolore, vel punctione lateris infestarentur, præsens, & certum apud se dictis annulis haberent remedium.

28. *Gumpemberg, de Imag.B.Virginis miraculorum Suessione in Gallia.* Inter prima & præcipua miracula, quæ ante hanc Imaginem perpetrantur, illud non postremum est, quòd hic ij liberentur, quos ignis S.Antonij corripuit.

29. *In m.s.s.* In Montibus vulgò *de Cancelli*, propè Fullinium paruula extructa est Ecclesia, D. Petro dicata, ob memoriam mansionis, quam eo in loco semel habuit S.Apostolus. Propè eam familia quædam commoratur, cuius maiores, fama est, S.Petrum tunc benignè excepisse hospitio. In hac familia vnus semper ex tunc vsque in præsens, virtutem meritis S.Apostoli à Deo illi concessam habere dicitur, vt si quis ischiatica laborans, firma in Deum fide, meritisque S.Apostoli confisus, ad eam Ecclesiam accedat, ab eoque ea virtute prædito benedicatur, illa infirmitate mirabiliter liberetur. Eò igitur quotidiè ex omnibus mundi partibus, præcipueque Roma proficiscuntur hoc morbo laborantes, optatamque sanitatem aut consequuntur, aut morbi leuamen.

30. *Alanus Copus Dial.3. cap.18.* Agyræ in Sicilia est templum D.Philippi, qui fuit S.Petri Apostoli discipulus, & ab illo missus in Siciliam, ad quod quotannis eo die, qui illi Sacer est, multi à Dæmonibus liberantur; vndè aut nunquam, aut quàm rarissimè nisi præsentissimo numinis remedio omnes confugientes liberati discedunt.

31. *In m.s.s.* Ad corpus S.Antonini Abbatis, quod Surrenti in nostra Ecclesia colitur, mirabiliter energumeni liberantur. Illùc non ex circùmiecta modò regione, sed è reliquo etiam Neapolitano Regno, atque ab extrema Italia voti causa adeunt, nunquam sine præstanti tutela, ac ope.

32. *Brendebachius lib. 7. Coll. cap. 37.* Apud Gheelam Brabantiæ municipium ad Sacrosanctas D.Dympnæ Reliquias Dæmoniaci singulari Dei omnipotentis beneficio in hunc vsque die liberantur.

33. *Petra Sancta de mirac.perpet. cap.21.* Est Bosnæ imago Deiparæ Virg. cui à plumbo est nomen. Confluunt ad eam Christiani, & Turcæ numero magno in anniuersaria celebritate eius Assumptionis. Quicumque sunt energumeni, si expleuerint quædam illis præscripta, ferè indubiè curantur.

Aliæ perennes curationes notatæ fuere Tom.1. lib.2.in app.2.ad caput 4. vbi de Admirandis circa Aquam adhùc perennantibus; & Cap.5.in app.3. vbi de Puluere perenniter medico, & diffusiùs lib.3. in App.2.& 3.ad c.8.vbi de Fontibus aqua medica dotatis; Quibus & hi subsequentes addi possunt.

34. *Gumpemberg, in Atlanti Mariano.* Ex Fonte, vulgò dicto Sacro, qui est in Monasterio Talensi propè Possonium in Vngaria, apud quem olìm adinuenta fuit Ven. imag. B. Virg. quæ ibi colitur; bibentes quocumque morbo ægri, intercessione B.Virg. sanitati restituuntur.

35. *Idem.* Fontem limpidissimum quondam dedit pro signo B.Virgo Maria duabus pastoritijs puellis, propè Aretinum, eis imperans, vt magistratui edicerent, se eo in loco templum desiderare; vt factum. Porrò miracula per illam aquam ita celebrata sunt, vt non modò è vicinia, sed etiam è longè dissitis locis hùc accurrant miseri.

36. *Idem.* Aquæ fontis miraculosè exorti propè templum B.Virginis Boskouij in Boemia, salubritate sua hodièque quàm plurimis ægris ad sanitatem prosunt.

37. *Idem.* Cùm an.1602.Monsemanis in oppido distante ab vrbe Pistoia quinque passuum millibus, fons limpidissimus de repentè visitantibus Ecclesiam de B.Virg.ideò de Fonte nouo appellatam, apparuisset, suspicati sunt sagaciores, fontem hunc, quia non sine portento erupit, ab imagine Virg. accepisse vires medicas: etenim quotquot hac suspicione pulsati, tentarunt cùm fide laticis potum, bono suo didicere exisse à Maria virtutem, quam in aqua mirati sunt.

38. *Idem.* Experientia iamdudùm plurimis persuasit, si tribus consequenter Sabbatis visitetur ab afflicto aliquo morbo templum S.Mariæ in Arena, Herendalij in Germania, & piè bibatur saluberrimi fontis ibidem existentis aqua, obtineri optatam sanitatem.

39. *Idem.* Fons, qui scaturit sub imag.B.Virg. VVimpfingæ in Germ.Sup. à peregrinis cum pietate bibitur, perque omnem latè Austriam asportatur, potaturque malis cætera medicamenta superantibus, saluberrimus.

40. *Idem de imag.B.Virg. de Fonte Sterreborna in Germ.Infer.* Duæ Comitissæ in carpento iter fecere Louanio Thenas. Nocte in siluas delapsæ sunt, quarum densitas etiam viam abscondit; præter timores etiam sitis afflixit fœminas, quæ ad Deiparam conuersæ petierunt quod Christus à Samaritana; cùm ecce stella in cœlo, quæcumque illa fuerit adeò lucida eis visa est, vt radio suo in terram vsque pertingeret, locumque quendam insolita luce irradiaret. Illæ, luce, quia diuina erat, cordatiores factæ, intrepidè accedunt ad cespitem, inueniuntque fontem limpidissimum. Miraculosum crediderunt primùm solæ Comitissæ; at verò ægri quo-

quoque ex eo biberunt, seque sanari viderunt. Fontem igitur inuocata Deipara erupisse, & stella monstrante inuentum esse, cùm creditum esset, ibi Templum Deiparæ ædificatum est. Fons etiam nunc adest; bibiturque in hodiernum diem cùm fructu.

APPENDIX II. AD CAPVT. I.

A morsibus rabidorum Canum perennes curationes.

ANimantium adSanctorum exuuias obsequium mirabiliter apparet; dùm eorumdem diffusum venenum, ad contactum, vel præsentiam reliquiarum illicò euanescit, ceù his nocere minimè audeant Bruta, qui tales habent Patronos; De his.

1. *Augustinus Torellus in Hist. Augustiniana an.*568. In Diæcesi Bragarensi Regni Lusitaniæ, asseruatur Venerandum caput S. Fructuosi Monachi, cuius tactu à morsibus rabidorum canum icti mirabiliter sanantur.

2. *In actis S. Vdalrici Episcopi Augustani.* Contulit mira Dei prouidentia per Sancti sui merita, & aliud ægris medicamen corporibus; nam grauiter febribus laborantes, à rabidisque offensi canibus, si ex calice, qui in sarcophago supra sacrum Diui Patroni pectusculum inuentus est, deuotè biberint, & S. Vdalricum cordialiter orauerit, misericorditer eis sanitatis gratiam conferri consuetum est.

3. *Petrus de Natalibus in Catal. S. S. lib. 1. cap.* 20. Contactus Calicis, & Patenæ S. Petri Chrysologi Episcopi Rauennæ, sanabat à morsu rabidorum canum.

4. *Ioannes Robertus in vita S. Huberti Episcopi & Confessoris.* In Ditione Leodiensi intra saltum Arduennæ, S. Hubertus mirabiliter sanat rabie oppressos ob morsum rabidorum canum, illiusque deuotos ab eadem diuinitùs præseruat.

5. *In m. s. f.* In pago S. Bellini Territorii Rodigij piè colitur corpus S. Bellini Epis. Patauini, cuius mirabilis virtus in sanandis morsibus rabidorum canum continuo miraculo elucet. Item deuotus contactus Clauis eiusdem Bellini, quæ in Monasterio Monialium S. Petri Patauij asseruatur, mirabiliter sanat à canum rabidorum læthalibus morsibus.

6. *In m. s. f.* Bergomi in Ecclesia S. Michaelis ad Puteum album, reperitur Dens S. Donini Martyris, qui in Cratere argenteo vnà cùm vino repositus, eidem mirabiliter virtutem tribuit, à rabidis canibus morsos sanandi, illud deuotè ebibendo.

7. *Petra Sancta de mir. per. cap.* 12. S. Vitus Romæ atque alibi, ubi aras, uel Basilicas habet quotquot adeuntes liberat, ne in rabiem ex canis morsu agantur.

8. *In m. s. f.* Extra Ebolũ oppidũ Lucaniæ, admirabilis conspicitur Ecclesia, in qua traditur requiescere Corpus S. Viti Martyris, ad quem à rabidorum canum morsibus affecti deuotè confugientes, mirabiliter sanantur. Idem euenit in Ecclesia Cathedrali Poliniani in Apulia, vbi cùm aliquibus ossibus integrum, & incorruptum conseruatur Brachium eiusdem Sancti, nam si vulneribus à rabidis canibus infectis, aliquod ex his deuotè applicetur, licet & aliqua particula carnis fuerit euulsa, breui tempore mirabiliter consolidantur, sananturue, dùmmodò tamen vllum medicamen temporalem non adhibeatur. Idem euenit in Sicilia apud Aegitharsum, vbi celebris eidem sancto extructa est Ecclesia, in qua & illius caput requiescit. Item in Ecclesia Maiori oppidi S. Viti à Catacio decem & octo milliarijs distantis, coluntur reliquię eiusdem S. Viti, ad quas rabie affecti, à morsibusque rabidorũ animalium icti deuotè confugientes, continuo & perenni liberantur miraculo. Idem accidit in Conuentu S. Viti Mariliani in Prouincia Terræ Laboris, nam quisquis rabie affectus eò petens, statim liberatur.

Cæteræ prodigiosæ, & perennes aliquorum morborum curationes notatæ sunt cùm de virtute medica quibusdam rebus, putà aquis, *pulueribus*, herbis, floribus &c. Diuinitùs tradita; ibi exvideantur.

CAPVT II.

De Admirandis morbis à corpore humano prodigiosè contractis.

Corporis defectus à Deo impetrati.

§. 1.

AB Admirandis morborum curationibus cælitùs in humano corpore perpetratis, ad morbos, corporisque defectus, diuinitùs in idem immissos, sit transitus; in his etenim, & admirabilis Dei apparuit virtus. Cùmque ob varias causas huiusmodi euenerint admiranda; quos morbos, corporisque defectus ad animæ conseruandam integritatem, ceù pharmaca cœlestia, quandòque à Deo precibus impetrarunt viri Sancti, hìc primò referam. Sunt autem.

1. *Iacobus de Voragine.* In vita Thomæ Cantuariensis Archiepiscopi, memoriæ proditum est, quemdam acquirendæ valetudinis gratia ad Sepulchrum eius accessisse, & voti compotem factum, dùm rediret, secùm quærere cępisse, sanitas nè corporis, an imbecillitas, ad animæ salutem magis cessura esset; & rursùm Sancti aram repetiisse, orasseque, vt quod sibi ad beatitudinem adipiscendam accommodatius esset, id eueniret; ac statim eodem implicitum fuisse morbo.

2. *Benedictus Gononus in vitis P. P. de Radulpho eremita.* Hic aliquandò petiuit à Deo, vt per totum vitæ curriculum febribus cruciaretur. Quã eius orationem, cùm Deus audiuisset, cùm tanta patientia febrium cruciatus, & dolores sustinuit, quòd post obitum, morbidi ad eius sepulchrum orantes perfectæ sanitati reddebantur.

3. Surius

3. *Surius Tom.3.* Maiolus Cluniacensis Monasterij Monachus cœcus erat, & alios cœcos, & surdos sanabat, proculdubiò sanaturus & se ipsum, nisi multò plùs emolumenti fructus percipere se sciret, ex huiusmodi imbecillitatis tolleratione.

4. *In actis S. Vbaldi.* Ad Vbaldum Eugubinæ Vrbis Episcopum, cœcus quidam venit, opemque implorauit, & ab eodem illi persuasum, nè visum sibi restitui expeteret, quia eo restito, animæ cœcitatem erat passurus.

5. *Petrus de Natalibus lib. 8. cap.58.* S. Audomarus pro senio cęcus; dùm precibus præsentium Episcoporum, & meritis B. Vedasti illuminatus esset; ægrè ferens se liberatum esse à cœcitate, quam pro salute sua sibi à Deo immissam esse gaudebat, rursùs ad votum suum excœcatus est,

6. *Arnoldus Rayssius in Hierogazophilatio. Belgico.* Sancta Daria Virgo, à S. Brigida Virgine, Hiberniæ Patrona, visum recuperauit, illicò per eamdem, ipsa id efflagitante, cœcitate denuò percussa est, vt quantò mundo absentior foret, tantò Deo præsentior esset.

7. *In vita B. Ioannis Sanfacundi.* Quidam cęcus ope B. Ioannis, ad cuius sepulchrum ierat, visum diuinitùs receperat; statimque Deum orauit, vt si visus obesse illi ad Dei obsequium poterat, rursùm eo priuaretur; vix orationem absoluit, cùm statim luce, qua erat donatus, est priuatus.

8. *Fulbertus Carnotensis.* Aegidium ad Rhodani ostia solitarium, cùm à venatoribus sagitta in incertum missa, inter Syluas latentem sauciasset, is, non modò mediciam corpori admittere voluit, sed etiam ad Dominum orauit, nequandò læsa caro sanitatem reciperet,

9. *In Prato Spir.cap.8.* Senex quidam erat, in Monasterio Turrium, Myrogenes nomine, qui ob nimiam seueritatem, & vitæ austeritatem hydropicus effectus fuerat. Dicebat autem his senibus iugiter, qui ad eum conueniebant visitandi gratia. Orate pro me, Patres, ne interior homo hydropicus fiat, ego enim, vt in hac infirmitate diutiùs durem, Deum oro.

10. *In actis S. Goaris Episcopi Treuirensis.* Ne Pontificiam acciperet Tiaram, & infulas, diuinitùs impetrauit morbum, & febri spontè cæpit ardere is, qui vel coactus à Rege ambitione non arserat.

11. *Ioannes Eusebius.* Mandetus Regis Irlandiæ filius, ne compelleretur ad nuptias, morbum totius corporis exorauit, cùm pestilenti fætore infamem, vt absque nausea ingenti nemo ad illum accederet propiùs, nempe vt maiore apud deum gratia floreret.

12. *Aloysius Torellus in Historia Augustin. anno Christi* 518. Cùm S. Brigida Hiberninsis ob pulchritudinis speciem à parentibus impediretur, ne sanctum propositum exequeretur, cælesti sponso Virginitatem consecrandi, precibus à Deo impetrauit, vt vultum, faciemque deformem redderet; at ecce mirum, dùm sacro habitu Sancti Augustini iuxta desiderium induta, professionem emittit, ad pristinam pulchrioremque speciem illius vultus reuocatur; sic etenim cœlestis sponsus quam amatæ sponsæ abstulerat speciem, ne hominibus vniretur, iam sibi dicatæ, liberaliter reddidit.

13. *In Actis S.S. Feb. Tom.2. in Contin. Bollandi.* Cùm S. Licinius Episcopus Andegauensis, antequam ad Episcopatum eueheretur, à parentibus & amicis rogatus, contra animi sui votum, quo celibem vitam ducere decreuerat, clarissimam Virginem sibi desponsasset. Eo die, quo traducere eam parabat (mirum dictu) in solemni conuentu lepra percussam deprehendit; sicque à Nuptiarum necessitate, quam sibi amicorum consilia importabant, optato infortunio solutus est.

14. *Ibidem.* Mirabile fuit quod excogitauit Andragasina virgo integerrima, ne adolescenti nobilissimo à parentibus desponderetur inuita. Impetrauit namque assidua oratione à Domino, vt turpi deformaretur scabie, quatenùs ex ea suæ sibi virginitatis pulchritudo constaret. Quod etiam factum est: sponsus, cui pacta fuerat, lue cognita, horrore morbi pertæsus, eam vltrò repudiauit, & sicut erat intactam dimisit. Quæ postmodùm mox vbi sacrarum Virginum fuit ascripta consortio, pristinum recuperauit nitorem; vndè palàm factum est, ideò leprosam factam esse ex sana, nè (quod longè turpiùs lepra putarat) corrupta efficeretur ex virgine,

15. *Stengelius ex Thoma Cantipratano.* Fuit in Sueuia nobilis mulier tantæ venustatis, & pulchritudinis, vt omnes genere nobiles, & opibus potentes ad eam confluerent, quod cùm prudentem fæminam non latuisset, timeretque, ne aliis ruinam præberet, enixè Dominum est deprecata, vt vultus pulchritudinem auferret, illumque deturparet, & exaudita est; extemplò enim niuea frons, & roseæ genæ colorem perdiderunt, statimque gratiosus ille vultus lepra fædissima contabuit, totusque in deformitatem mutatus est. Quod aduertens maritus eius, consanguineique contristati, medicorum auxilium quæsierunt, sed frustrà, vndè metu contagii extra hominum consortium relegata est. Quæ omnia intelligens illius confessarius, præuidensque, hoc licet bona quidem mente, & simplicitate factum, in præiudicium tamen Matrimonii futurum, increpauit eam, iussitque, vt quæ à Domino precibus deturpationem faciei, totiusque corporis impetrarat, & oratione, vt in pristinum illius statum restitueret rogaret. Fecit religiosa fęmina, annuitque Deus precibus eius, quàm citò enim ex formosa facta fuerat deformis, tàm citò deformitatem iterùm deposuit, quasi penès ipsam esset, vultum, coloremq; mutare.

16. Non absimile accidit S. Paulæ cognomento Barbatæ (de qua in lib. 1. cap. 3. §. 2.) quæ cùm ob pulchritudinem ab insano iuuene turpiter insequeretur, Ecclesiam ingressa, & ad pedes Crucifixi prostrata, vt eam deturparet orauit, illicòque facies eius immutata est, barbaque subitò agrestis enata, eam omninò tranformauit.

17. *In Ann. Minorum, an. 1320. num. 4. de B. Constantia Florentina.* Dùm duceretur ad Thalamum, vehementi affectu virginitatem suam, ad Christi

Christi Crucifixi imaginem genuflexa commendauit, deprecataque est, vt sibi deformitatem, & morbum induceret, quibus Virginitatem conseruaret. Res mira, vt orationem absoluit, ignita febri correpta, toto emarcuit corpore, & vndique germinare cæperunt vermiculi. Ita decubuit per dies octo, & reassumpto habitu S. Claræ, patienter toleratis doloribus, non sine sanctitatis indiciis dulciter obdormiuit.

18. *Marulus*. S. Geraldus generis nobilitate, & diuitiis pollens, cùm in cuiusdam villici serui sui filiam oculos coniecisset, forma eius captus, decreuit puellam domi suæ conuenire. Sed priùsquam id fecisset, orauit. Vt verò peracta oratione illam adiit, vsque adeò deformis illi apparuit, vt hanc ipsam esse, quàm adamauerat, vix crederet. Itaque intactam relinquens, ad se rediit, & turpis propositi pœnitens, filiam dote, Patrem libertate donauit. Postremò Monachus factus in Catalogum Sanctorum receptus est.

19. *In vita S. Vincentij Ferrerij cap.* 24. Valentiæ sub sacra concione adducta fuit ad B. Virum mulier ab ipso ortu muta. Ille paululùm intermissa concione, suspiciens in Cælum, moxque ad fæminam conuersus. Quid vis, inquit filia? Illa respondit. Panem volo, & loquendi facultatem. Tùm ille; Panem quidem, inquit, donec eris in vita habebis; sed cùm ob multam animæ tuæ salutem linguæ officio careas, noli frustrà illud petere, quod nunquam sis impetratura. Si enim loqui potuisses, immodica mordacitate, & corporis, & animæ vitam perdidisses. Abi igitur, & mente Deum laudare ne cesses; Respondit illa: Faciam, Sancte Pater, quod hortaris, statimque obmutuit, & post annos septem mortua est.

20. *Vuillelmus Malmesburiensis lib. 2. de gestis Pontificum Anglorum, de Sancto Edmundo*. Per successiones Abbatum fuit ibi Lefstanus tempore regis Edvvardi: hic quibusdã de incorruptione S. Edmundi malè credulis, malè consulens, suo discrimine aliorum fidei prospexit; Prolatumque corpus in medium inspiciendum exhibuit, ipso à capite, monacho suo à pedibus trahente. Palam itaque imprecatus est dicens. Domine Sancte Edmunde, tu nosti quòd non infideli mente, sed pro aliorum salute hoc fecerim, ne diuinum in te mundo celaretur miraculum: quia tamen peccatorum multorum sum reus, nec à me debuisset contrectari sancti spiritus organum, si tibi factum displicet, in me temporaliter vlciscere. Præstat enim, & malo, vt aliqua insigniar corporis clade, quàm æterna inuoluar vltione. Vix orationem finierat, cùm ecce ambarum manuum digiti vel retrò miserabiliter retorti, vel volæ pertinaciter infixi, pæna, quam rogauerat, virum mulctauere.

Cæcitate in pœnam delictorum puniti.

§. 2.

QVæ vulnera, morbosque horrendis flagitiis infligit animæ inimica caro, corruptibileque corpus, hos & in se ipso quandòque mirabiliter experitur; delictorumque pænas etiam in hoc seculo caro ipsa peccatrix iustissimè luit. De his pluribus in locis prout opportunitas materiarum exigebat, innumera sunt notata. Quare solùm quædam remanent enumeranda. Hìc igitur primò de cæcitate in pænam delictorum diuinitùs immissa erit sermo.

1. *In actibus Apostol. cap. 9.* Saulus persecutor Ecclesiæ, cęcitate affectus per triduum, quamprimùm Ananiæ vocem audiuit, delapsis ex eius oculis quibusdam squamis, visum recepit.

2. *Ibidem cap. 13.* Barlesum Elyman Magum Iudæum, S. Paulus priuauit lumine oculorum, eo quòd Cypri Proconsulem Sergium *Paulum* à fide auertebat, & Apostolis verbum Dei *prædicantibus* resistebat.

3. *In actis S. Samsonis Episcopi*. Quædam mulier, dùm in Ecclesiam S. Samsonis, in quam nulli mulieri intrare licitum erat, ingredi tentasset, statim ac ad limen Ecclesiæ peruenit, solo prostrata est, & oculi de capite suo in terram ceciderunt, & sanguis eorum qui super petram cecidit, multo tempore indelebilis permansit. Hoc prodigio cognito à Marito mulieris, ad S. Episcopum pro vxore oraturus accessit; tuncque S. Samsom misericordia motus digito suo loca oculorum tangens, *illam*, quæ excæcata fuit, viro suo illuminatam reddidit.

4. *Mombritius in actis S. Albani Martyris*. Cùm Sancti Albani caput in terram caderet abscissum; simul & sui percussoris oculi ceciderunt.

5. *Pet. de Natal. lib. 6. cap. 37. de S. Carilepho confess.* Cùm Mulierem omninò se non visurum proposuisset; mulier quædam vaga, & lubrica coma præcisa, habituque virili induta, monasterium eius se virum simulans, incognita Sancto, ingressa est: quod dùm per omnia ambitiosa curiositate lustrasset, oculi eius ex capite protinùs deciderunt; Quæ dùm peccatum confiteretur, & pænitentiam egisset, Sancto pro ea intercedente, corpore sanata, & animo rediit emendata.

6. *Surius in Octobri*. Milites quidam irruerant in cęnaculum, vbi erant S. Callistus Papa, S. Calepodius presbyter, & eorum socii martyres, vt illis insultarent. At subitò cęcitate percussi, & terrore pleni exclamare cęperunt; accendite nobis lucernulas, adeste, circumsistunt nos plùs quàm cymeriæ, & caligo exhausit penitùs lumen oculorum nostrorum. Palpando itaque mirum in modum perpauefacti de cęnaculo exscenderunt.

7. *In actis S. Martini Papæ, & Martyris*. Dùm is in Basilica Virginis ad Præsepe aris perlitaret, lictor ingressus templum, vt eum aut vita exueret, aut vinctum perduceret Constantinopolim; taleque facinus aggredi præsumeret, euasit repentè cæcus.

8. Rax-

8. *Razzius in Viridario Exemplo de Blasphem. exemp.* 19. Cùm quidam scelestus, nomine Volabertus, sacrilegas blasphemias contra S. Annonem Archiepiscopum Coloniensem impiè proferret, primò sinistro, deindè dextro oculo iustissimè orbatus fuit.

9. *In vita S. Meliori Martyr. 3. Ian. apud Bollandum.* Cerialtanus postquam caput S. Martyri Melioro amputauit, Rinoldo amputatum detulit. Rinoldus, cùm gaudio magno illud recipiens, dixit illi, surge, & montis verticem ascende, & quæcumque adiacentia videre poteris, libens possidenda tibi dabo. Ille verò montem ascendens, & circùmquaque videre credens, vtroque lumine orbatus est, & subita morte præuentus interijt; & liquefacta est caro eius sicut cera à facie ignis.

10. *Ibidem in actis S. Moedoc, 31. Ian.* Quidam potens homo volens fallere S. Moedoc, iussit seruis suis ducere se ad eum, dicens se esse surdum, & cęcum: Cui ait S. Moedoc: Ducatum tuæ Regionis haberes, nisi voluisses fallere donum diuinum, benè enim vides, & benè audis. Sed quia mentitus es, surdus, et cęcus eris vsque ad obitum tuum; Et sic factum est.

11. *Ibidem in actis S. Hilarij Episcopi Pictauiensis* 13. *Ian.* Mulier quædam, Goda nomine, cęca, tibijsque ita miserè contractis, vt absque alieno incedere adminiculo nequiret, Dei, Sanctique Hilarij inuocauit auxilium. Ecclesiamque Pictauiensem religiosè visitauit; vbi visum gradiendique facultatem diuinitùs adepta est. Verùm vix Domum redierat, cùm & luminibus rursùm est, & tibiis capta. Pictauos rediit; incolumis denuò abscedit. Idque tertiò euenit; tandem in vicinis commorare ædibus statuit, quas denuò curata coemit, temploque verrendo & alijs id genus obsequiis religiosam Sancto seruiuit seruitutem. Hoc verò idcircò aiunt accidisse, quòd in priori illo domicilio nescio quid identidem perpetrabat delicti, quo diuinam prouocabat vltionem.

12. *Ibidem in vita S. Frodoberti Abb. 8. Ian.* Cùm quidam scelestus Matrem grauiter percussisset, illicò vltio Diuina eum excepit, nam sequenti nocte sinistri oculi cæcitate multatus, eiusdem quoque brachii tali afficitur detrimento, vt retrò & ante semper illud motu agitans inquieto, conscientiam sceleris, exterioris quoque membri impatientia, testaretur. Quin etiam in augumentum vindictæ, sensu subducto, in amentia plectitur infelici.

13. *Ibidem in Actis S. Agricij Episcopi Treuirensis.* 13. *Ian.* Verissima maiorum relatione didicimus, quòd quidam Religiosus multùm eiusdem Metropolis Episcopus, dùm diuersas hominum æstimationes de Domini reliquiis ibi existentibus audiret, dicentibus aliis, tunicam Domini esse inconsutilem, aliis autem purpuream vestem, qua erat tempore passionis indutus, quibusdam verò putantibus, illud pignus amoris caligas esse Mundi Saluatoris; dùm has inquam opiniones veritatis exquisitione plurimùm desideraret dissoluere, communicato tàm po puli, quàm Cleri, nec non ordinis monastici consilio, triduanum per totam Ciuitatem indixit ieiunium, rogans omnes humiliter, quatenùs à Deo peterent vnanimiter, vt per suam pacem, & licentiam alicui ex ipsis tanti sacramenti concederet intuentiam. Peracto igitur ieiunio, Clerus & populus conuocantur in domum Sancti Petri, quæ huius est conseruatrix Thesauri, vbi vnus de tota multitudine præcipuæ religionis, & deuotionis monachus electus, occultum Domini visurus, & Præsuli manifestaturus, arcam, in quam B. Agricius hunc reposuerat Thesaurum reserauit: Sed mox vt opertorium introspecturus leuauit, occultum Dei iudicium, contra quod nullum est consilium, visum ei clausit oculorum, vndè factum est, vt omnes, qui prudentioris consilii, & acrioris apud ipsos erant ingenij, per inductam tanto viro cæcitatem, in hoc Dei iudicarent esse voluntatem, vt nunquam ad hoc contuendum peccator admittentur, cuius aspectus nec iusto concederetur. Post illius itaque horæ transitionem, nemo tentauit huius arcæ aperitionem.

14. *In vita S. VVinoci Abb.* Quidam ex fratribus curiosiùs inspexit molam, quæ ad Sancti merita diuinitùs gyrabatur. Verùm ad eius obtutum illicò mola stetit, & ipse inspector cæcitate plexus est.

15. *Surius 24. Augusti in vita S. Audoeni cap.* 21. Cùm orationibus S. Audoeni ingens saxum aliò faciliter translatum fuisset, collocatumque in eum vsum, quem Vir Dei iusserat; aliquantò post tempore muliercula quædam ex animi leuitate in illo sedere ausa fuit. Obiurgabant autem eam vicinæ circumstantes, quòd non esset verita insidere Saxo Sancti Audoeni. At illa respondit: Audoenus homo fuit sicut & ego. Nulla verò intercedente mora, vltio Diuina verba superbæ castigauit. Repentè enim oculorum eius orbes è suis sedibus exclusi sunt. In illo enim saxo nulla fœmina sedere consueuerat, posteaquam à sancto viro illic vt statueretur iussum fuit.

16. *Ludgerus in actis S. Suuiberti.* Quidam Satrapa, Nothelinus nomine, cum in S. Suuibertum multa verba blasphemiæ superbè protulisset, priuatus est coràm multis lumine oculorum, factus totus cæcus, atque in cunctis membris suis grauiorem morte pœnam tamdiù sustinuit, donec rubore coopertus, & in se reuersus, ac se colligens, quanta in Deum, ac Sanctum Suuibertum superbè commiserat, medullitùs suspirando agnouit, & doluit.

17. *In actis S. Hugonis Abb. Cluniacensis.* Cùm totus propagandi Monasticam Religionem studijs occupatus esset S. Abbas, nonnullorum pertulit inuidiam, inter quos quidam Clericus in hanc vsque prorupit insaniam, vt diceret, effossurum se oculos Abbati, si in hoc opus exoptata sibi copia daretur: at tàm venenosæ linguæ præsumptionem tàm digna est subsecuta vltio, vt vix octo diebus euolutis exigente culpa ei effoderentur oculi, qui in oculos Abbatis sacrilegam affectauerat facultatem.

18. S. *Gregorius lib. 3. Dialog. cap.* 29. Cùm ad Spoletanam vrbem, Longabardorum Episcopus, scilicet

scilicet Arianus, venisset, & locum illic, vbi solemnia sua ageret, non haberet, cœpit ab eius Ciuitatis Episcopo Ecclesiam petere, quam suo errori dedicaret. Quod dùm valdè Episcopus negaret, idem qui venerat Arianus, B.Pauli Apostoli Ecclesiam illic cominùs sitam, se die altero violenter intraturum esse professus est. Quod eiusdem Ecclesiæ custos audiens, festinus cucurrit, Ecclesiam clausit, seris muniuit; facto autem vespere lampades omnes extinxit, seque in interioribus abscondit. Inipso autem subsequentis lucis crepusculo Arianus Episcopus collecta multitudine aduenit clausas Ecclesiæ ianuas affringere paratus. Sed repentè cunctæ simùl portæ diuinitùs concussæ, abiectis longius seris apertæ sunt, atque cùm magno sonitu Ecclesiæ claustra patuerunt; effuso desuper lumine, omnes quæ extinctæ fuerant lampades accensæ sunt. Arianus verò Episcopus, qui vim facturus aduenerat, subita cæcitate percussus est, atque alienis iam manibus ad suum habitaculum reductus.

19. *Colganus in vita S. Fintani Abb.* Cùm S. Fintanus ad oppidum Eoganacht accessisset, vt fidem catholicam prædicaret, cùmque peruenisset ad aquam quæ est iuxta Keall-mis, inuenit messores, qui iussu Regis viam custodiebant, sanctoque viro ingressum impediebant. Tunc S. Fintanus aquam benedixit, & suis Monachis ait: aspergite aquam in eos, & circa eos, & sic facto, cæperunt statim tonitrua magna fieri, & fulmina, & grandines, ita quòd tota seges in flammam versa est. Fugientibus ergo messoribus non poterant transire sepem, quia ardebat, fumo etiam nimis obscæcati sunt. Tùm tandem humiles B. Fintano supplicant orantes veniam, & oculorum visionem. Rursùm igitur Sanctus vir aquam benedixit, qua oculi eorum loti, lumen suum receperunt.

20. *S.Petrus Damianus de S.Bonifacio Martyre.* Regis frater, qui iam à Rege erat cohabitatione diuisus, cùm ad eum vir venerabilis venit, audire verbum eius noluit: sed de conuersione fratris nimia aduersùs eum ira succensus, continuò comprehendit. Deindè timens, ne si viuum teneret, Rex eum de manu eius eriperet, in sua præsentia circumstante non parua hominum multitudine, decollari præcepit. Statim verò, & ipse cæcatus est, & tantus eum cùm omnibus, qui astabant, stupor oppressit, vt nec loqui, nec audire, nec aliquod humanitatis officium agere aliquatenùs possent, sed cuncti veluti lapides rigidi, & immobiles permanerent; quod cùm Rex intellexisset, illùc se transtulit, cùmque & ab ipso, & à cunctis Christianis diutiùs esset oratum, non solùm prior sensus stupefactis hominibus redditus est, sed insuper ad meliorem frugem sunt conuersi, & baptizati sunt.

21. *In actis S. S. Martij Tom. 3. in contin.Bollandi.* Quidam, nomine Ghibertus, B.Andreæ de Galleranis detrahens Sanctitati, visu subitò est priuatus; qui suæ malitiæ pænitens, compunctus ad cor rediit, & se B. Andreæ humilians, veniam petiit, cuius meritis videndi beneficium plenariè impetrauit.

22. *Greg.Tur.lib.5.hist.cap.6.* Leonastes Biturigis Archidiaconus, decidentibus cataractis, lumine caruit oculorum. Qui cùm per multos medicos ambulans nihil omninò visionis recipere posset, accessit ad Basilicam B.Martini, vbi per duos, aut tres menses consistens, & ieiunans assiduè, lumen vt reciperet flagitabat; Adueniente autem festiuitate, clarificatis oculis cernere cæpit. Regressus verò domum, vocato quodam Iudæo, ventosas, quo earum beneficio oculis lumen augeret, humeris superponit; decidente verò sanguine, rursùs in recidiuam cæcitatem redigitur, quod cùm factum fuisset, rursùs ad templum Sanctum regressus est; ibique iterùm longo spatio commoratus, lumen recipere commeruit. Ita ante punitus dùm à Iudæo petijsset suppleri, quod à Sancto Martino videri poterat prætermissum.

23. *Idem lib.2.Hist.Francorum cap.3.* In Africa quidam Pseudoantistes Arianus Cyrola, non ferens miracula patrari ab Episcopis orthodoxis, venali humuncioni cuidam pecunia erogata suaserat vt simularet cæcitatem, & dùm ipse cùm comitatu pertransiret, visum ab eo precibus requireret. Fecit scelestus vir; at dùm Arianus ad eum accessisset, elatusque superbia ei manus imposuisset dicens; secundùm fidem nostram, qua rectè Deum credimus, aperiantur oculi tui: fit ille seriò cæcus, flagitiumque cùm lachrymis aperiens, à S.S. Episcopis catholicis denuò visum, quem fingendo deperdiderat, diuinitùs accepit.

24. *Sigebertus an.Domini.703.* Franci à Pipino Floriacum missi, vt ossa S. Benedicti in Cassinense Cænobium reportarent; cùm ingressi essent templum, excæcati sunt virtute S.Benedicti.

25. *Henricus Sedulius in vita S.Ludouici Episcopi cap.20.* Quædam mulier, nomine Gufrida, audiens miracula, quæ Deus intercessione S.Ludouici perpetrabat, ea credere noluit, deceptionesqꝫ Fratrum ad augendas oblationes putabat, adque tantam deuenit temeritatem, vt auderet contra Sanctum sacrilegè loqui. Mirum dictu; tertio die summo mane cæpit laborare oculis, & totum caput trasuersum actum est, vt monstrum videretur, & triduò acerbissimè cruciabatur, Vexatione intellectum dante, peccatum confitetur, & voto facto S.Ludouico, liberatur ab omni dolore, & deformitate, præterquàm quòd dextro oculo cæca permansit.

26. *In actis S.Raymundi de Pennafort.* Quidam ausus effutire de miraculis Sancti, subitò diuina vindicta correptus est; tremore, & horrore percelli cæpit, cæcutire oculis, vertigine capitis agitari, vt subsidere terram, atque omnia sus deque verti crederet. Tunc à vexatione intellectum sumens, quod verbis non poterat, animo concepit votum; si sancti Raymundi meritis hoc periculo esset liberatus, nunquam se deinceps eius miraculis detracturum, postque aliquod tempus ab omni ægritudine est liberatus meritis S. Raymundi.

27. *Corn.à Lapide in cap.24. Leuitici.* Decem sunt anni, ex quo Hollandi B. Virginis Sichemensis sacellum expilarunt: ab illo tempore Ostendam perdiderunt, omniaque illis infeliciter (cùm priùs felici-

feliciter) cesserunt. Fuit inter eos eques habens equum cæcutientem, qui veniens ad sacellum irridens dixit: Si Maria hic miracula facit, illuminet meum equum. Audit Virgo blasphemum, moxque equo visum restituit, ipsum verò equitem basphemum excæcauit.

28. *In ann. Min. an. 1240. num. 14. de S. Antonio Patauino*. Deridere volentes quidam hæretici Sancti Antonij miracula, duxerunt ad eius sepulchrum, vnum ex suis consodalibus superinducta ad oculos binda sanguine tincta, fingentes effossos ei oculos per iniustam iudicis sententiam, & rogantes circumstantem populum, vt pro eisdem recipiendis deprecaretur. Corruerunt omnes in genua, & paulò post fictus exclamat cæcus, iam restitutos sibi oculos meritis S. Antonij. Accurrunt socij, ad miraculum, ex hoc figmento deducturi talia credenda cætera, quæ dicebantur fieri prodigia, sed defecerunt scrutantes scrutationes suas in peccatis, nam detracto linteamine, affixos eduxerunt oculos miselli cùm vehementi eiusdem passione. Inexpectato territi spectaculo, tremefacti, & corde compuncti, fraudem publicè confessi, procumbentes coràm sepulchro, lachrymis veniam sui sceleris supplicarunt, quam ex Dei misericordia acceperunt, restitutis cæco oculis corporis, & ambulantibus in tenebris hæreseos potioribus oculis fidei.

29. *Bonfinius lib. 5. Decad. 1.* Genouefa Virgo Parisiensis ab Epiphania ad Cœnam vsque Domini in cella recludebatur, vt & orando, & contemplando Deo expeditiùs incumberet. Ad cuius ostium cùm puella venisset, vt quidnam illa faceret per rimas exploraretur, è vestigio lumen amisit, sed exacto quadragesimali ieiunio, eiusdem opera lumen recepit.

30. *Polydorus lib. 4.* Virgo Oxoniensis Fridesuida, Ducis Didani filia fuit, Cuthredo regnante; hanc Regulus nomine Algarus ad stuprum cogere volens, fugientem persequitur; illa se protinùs in oppidum recipiente, ei porta clauditur, lumenque oculorum eodem momento adimitur. Verùm mox virgo suis precibus Deum Algaro placauit, qui rursùs videre cępit.

31. *Aegydius Gelenius ex m. ss. cod. vitæ S. Annonis*. In aduentu Reliquiarum Sancti Aunonis 25. die Augusti, anno 1183. tale contigit miraculum: Cùm reliquiæ Sancti Præsulis Coloniam deportarentur, ciuibus summa cùm deuotione obuiam procedentibus, quædam incredula mulier à vicinis admonita, vt simùl obuiam Sanctis Reliquiis procederet, respondit, si ossa Equorum, & Bouum per orbem pro Sanctorum reliquijs deferuntur, vanum est pro veneratione surgere, & obuiam ire; dixerat, & confestim quid cùm Christo posset cuius ossa deferebantur apparuit, siquidem ea ipsa hora oculorum lumen amisit; persuasum est ei à notis, & à dolore, vt domi quæreret; cui obuiam procedere in sua Domo despexisset, ita contigit; ductu suorum tumulum Beati viri petijt, votoque, & oratione cùm lachrymis peractis, lumen recepit.

32. *Ioannes Moschus, in Prat. Spir. cap. 75.* Abbas Palladius, cùm aliàs ad ipsum venissemus, tale quiddam enarrauit nobis. Erat, inquit, in Alexandria vir quidam fidelis, Religiosus valdè & misericors, & hospitio suscipiens monachos. Habebat autem vxorem, & ipsam humilem valdè, & ieiunantem quotidie. Erat autem illis, & filiola quasi annorum sex. Quadam verò die vir ille pius profectus est Constantinopolim; erat enim negotiator: relictis ergo domi vxore, & puella, & vno seruo abiit, vt nauigaret. Cùm verò iret ad nauem, ait ad illum vxor: Cui nos commendatos relinquis, Domine. Respondit vir eius: Dominæ nostræ Sanctæ Dei genitrici. Die verò quadam cùm sederet vxor, & operaretur, habens & puellam secùm, seruus ille ex suggestione diabolica voluit necare Dominam, & eius filiam & diripere quidquid haberent, & fugere. Sumpto igitur ex coquina cultro, perrexit in triclinium, vbi erant ambæ. Cùm verò venisset ante ianuam, comprehensus est cæcitate, ita ut neque triclinium ingredi, neque ad coquinam reuerti posset. Cùm autem vna fermè hora perstitisset, frustraque conaretur ingredi, cœpit vocare Dominam suam, dicens: Veni hùcusque. Illa admirans, quòd in medio ianuæ persistens, ad illam non ingrederetur, sed clamaret, ait illi: Tu magis hùc veni; ignorans quòd cæcitate teneretur. Puer autem cæpit illam adiurare, vt iret propè illum; illa verò iurauit non se ituram. Tunc ait illi; mitte vel Puellam; quæ noluit; sed ait; si quid vis, ipse potiùs veni. Videns autem seruus, quòd nihil potuisset agere, seipsum gladio percussit, & corruit. Domina verò illius cùm vidisset quid egerat, clamauit, continuòque vicini accurrerunt. Ingressi sunt autem & ex officio prætorij nonnulli, puerumque reperientes adhùc viuum, didicerunt ab ipso omnia, & glorificauerunt Dominum, qui ostenderat miracula, & matrem saluauerat cùm filia.

33. *In vita S. Sifridi Episcopi.* Cùm quidam furati fuissent reliquias S. Sifridi, vt eas aliò transferrent, subita cæcitate percussi sunt, indèque sacrilegii pęnitentes, pro merito Sancti lumen oculorum receperunt.

34. *Cæsar Franciottus, de B. Dorotheo Eremita.* Super locum, vbi sepultus Beatus fuerat, cùm quidam magnum splendorem vidissent, iudicarunt id Sancti illic sepulti virtute accidere, & statim illius corpus furtiuè aliò transferre cogitarunt; sed hoc mirum accidit, vt quotiescumque rei perficiendæ ad flumen traiiciendum veniebant, statim cæcitate corripiebantur, à qua retrò redeuntes, remanebant liberi, putaruntque id quod res erat, id in eorum pęnam euenire, adeò vt omninò destiterint, nec Diuinæ voluntati contraire ausi sunt.

35. *Philipp. Ferrar, mense April. die 25. de S. Franca Virgine Placentina.* Latro oculis inter furandum captus, pænitens, illos S. Abbatissæ intercessione recuperauit.

36. *Idem 1. Maij, de S. Aldrebando Episcopo.* Eugubinus, qui noctu oleum ex lampade ante corpus S. Aldrebandi ardente accipere præsumpserat,

E amisso

amisso lumine oculorum, delictum confessus,& veniam postulans, illud recepit.

37. *Surius in vita S.Hugonis Episcopi Lincol. 17.Nouembris*. Fur quidam cùm crumenam pecunia refertam abstulisset à latere cuiusdam fœminæ orantis ad corpus S.Hugonis, miraculosè protinùs cæcatus est; sentiens ergo diuinam vltionem, seipsum publicè accusauit, crumenam reddidit, & visum recuperauit.

38. *In vita S.Remacli Episcopi, apud Surium 3. Septembris*. Lungulphus quidam, rogatus à coniuge sua grauissimè decumbente, vt fibulas argenteas ad beatissimi Antistitis locum deferret, & pro animæ ipsius salute precaretur; promisit se facturum quod peteret; sed post eius obitum, promissi immemor, diuino timore, & amore posthabito, argentum in suos conuertit vsus. Eam temeritatem non ferens occultorum cognitor Deus, perfidum illum sex mensiũ cæcitate damnauit. Sciscitantibus cognatis, vndè illi tàm repentina accidisset cæcitas, confessus est ob argentum fraude retentum, eam sibi euenisse. Hortantur ergo eum, vt præstet quod vxori promiserat. Paret ille, & properè ad monasterium abiens, fatetur culpam suam,& coniugis iussa exequitur. Deindè nocte tota orans ad sepulchrum B.Viri, sub auroram sentit lumen sibi restitutum.

39. *In vita S.Genulphi lib.2. cap.28.* Quædam pauperrima mulier, à qua eques quidam panes ad victum necessarios surripuerat, confugit ad sepulchrum S.Genulphi, auxilium contra impium implorans; & ecce subitò eques cæcitate punitus fuit, ablata restituit, & ad sacra limina ductus, peccatum confessus, lumen oculorum iterùm recepit.

40. *Bollandus in actis S.Genouefæ cap.5.3. Ian.* Quædam fæmina furtim abstulit calceamenta Genouefæ, quæ vt ad domum suam peruenit, continuò oculorum lumen amisit; ergo vt cognouit furuncula, cælitùs in se vlcisci iniuriam Genouefæ, alterius ad eam ducatu reportans calceamenta, ruensque ad pedes eius, ignosci sibi pariter, & lumen amissum reddi precabatur. Genouefa verò, vt erat benignissima, manu eam ab humo subridens leuauit,& signans oculos eius, pristinum lumen restituit.

41. *Carolus Mosaschus in Relat. Imagin. Montis Nigri.* Dùm quidam Turcæ ad Ecclesiam B. Virg. Montis nigri in Tuscia, accederent, vt Thesauros, gemmasque D. Virgini dicatas arriperent; derepentè in cæcitatem prolapsi, propriæ temeritatis condignas luere pœnas sunt coacti.

42. *Vad. in an. Min. de B. Ioanne de Capistrano.* Quidam Baro, cùm nullo pacto eius miracula vera esse credere vellet, conuertit se ad canem suum cęcum,& ait: Tùnc credam miracula, quæ referuntur, esse vera, quandò iste meus canis visum assequetur. O res mirabilis,& stupenda. Subitò his verbis dictis, aperti sunt oculi canis,& ipse cæcus effectus est.

43. *Odoricus Raynaldus in ann. Eccl. ann.1523.* Cùm Vuillielmus Misnensis Marchio, Ecclesiã Misnensem iniuriosè tractaret, admonitusq; sæpè à Pręposito eiusdem Ecclesiæ, nullatenùs resipisceret; confugit Præpositus ad intercessionem B.Bennonis quondam eiusdem Ecclesiæ Episcopi, qui noctu apparens Marchioni, illum admonuit, ne quid grauius aduersùs Ecclesiam moliretur, quòd cùm ille vt inane somnium contemneret, quartò deinceps vehementer obiurgatus, alterum oculum amisit, periculo grauiori proposito, nisi ab impio instituto desiliret. Tunc Marchio partim metu, partim pænitentia ductus, Ecclesiæ omnia restituit, aliaque donauit.

44. *Vincent. Beluac. in Spec. Mor.* Cùm quidam hæreticus fuisset combustus, & quidam eorum credens, cineres eius pro reliquijs collegisset. Cùm quidã aliquantulùm patiens in oculis, de consilio dicti credentis, qui ei sanitatem promittebat, de dicto puluere in suis oculis posuisset, statim omninò excæcatus est.

Loquela diuinitus priuati. §. 3.

Mutus Zacharias inter eos, qui *diuinitùs* loquela sunt priuati, primum *sibi vendicat* locum. Hi autem, & obmutescendo *deprædicant* magnalia Dei. Sunt autem.

1. *Prochorus disc. S.Ioan. Euang. de eo, c.27.* Cùm Christi mysteria prædicans S. Euangelista, ea quidam Iudæus verteret in blasphemias, dixit illi Ioannes: Desine blasphemare,& obmutesce;& continuò factus est mutus, nec potuit vllo modo loqui; Sed resipiscens, sanitati est restitutus ab eodem Apostolo, ac tandem baptismalibus aquis lotus.

2. *Trithemius in Chr. an.1102.* His temporibus Iuuenis quidam nobilis, possessiones monasterij in Villa Almendingen, à quodam VVinthero conuerso, quondam sub Abbate VVilhelmo in hoc cœnobio legitima donatione traditas, post morte vtriusque tanquam proximior hæres inuadens, *cùm die* quadam duas indè carratas vini,& *alia quędam* abduceret, sub eiusdem hæreditatis prætextu temerario ausu, subitò vnius bouum qui prædã trahebant, confractus est pes. Ipse quoque raptor de equo, cui insidebat, repentè cecidit,& amissa loquela, & viribus totis, amentiam incurrit. Indè manibus sublatus alienis, cùm post aliquot dies ad mentem reuersus, flagellum Dei metueret, ad monasterium Hirsaugiense deferri se fecit, ibiq; mutato cùm mente habitu seculari, Deo fideliter se mancipauit,& post paucos annos in sancta requie fideliter obdormiuit.

3. *In vitis S. S. Ordinis Prædicatorum cap.1. par.5.* Iuuenis quidam de Ciuitate Florentia, qui fidem hæreticorum aliquãtulùm sapiebat, cùm quadam die ad Ecclesiam Fratrum Pręd[i]catorum Florentiæ cùm alijs iuuenibus venisset, & staret coram quadam tabula S.Petri recipiẽtis martyrium depicta, videns quendam pictum qui ad modum satellitis euaginato gladio percutiebat eum, dixit: vtinam ego fuissem ibi, quia validiùs percussissem; quo dicto; statim mutus effectus est.

4. *Hugo Menard. lib.2. obseru. Martij, in vita S.Pontij Abbatis*. Eius industria monachi orationi, lectioni sacræ, & silentio haud segniter instabat; vno excepto, qui extra septa monasterij cùm laicis confabulari solebat; id Sanctum Pontium fugere non potuit, quem deprehensum, leuiter corripuit,

ripuit, eique silentium iniunxit. Mirum dictu; ipse monachus mutus remansit, quoad in profesto Paschæ Abbas missam celebrans, dixit; Dominus vobiscum, tùm frater ille soluto linguæ vinculo cunctis mirantibus respondit: & cùm spiritu tuo; & eius frater emendatus posthac cautiùs viuere cæpit.

5. *Petrus de Natalibus libr. 2. cap. 17. de Sancto Dauid Monacho.* Huic die quodam in Cella sedenti, Angelus apparens, nunciauit omnia peccata sua dimissa; quod dùm ille se credere nolle respondisset, quòd tàm immania, & totscelera Deus sibi tàm citò dimisisset, Angelus eidem subiunxit, quòd eodem signo Deus ipsum propter incredulitatem percuteret, quo percussus fuerat Zacharias; scilicet ex illo die semper mutus existeret; quo signo disceret, omnia possibilia apud Deum. Cùmque de hoc ille conquereretur; maximè quia mutus existens, psallere, vel orare non posset, Angelus ei dixit, quòd ex tunc extra psalmos, & Dei laudes omninò lingua eius liganda foret; Ex quo die officium quidem dicebat, & orandi potestatem habebat: aliud verò verbum omninò proferre non poterat.

6. *Nic. Iansen. lib. 2. cap. 8. de vita S. Dominici.* Nullatenùs inuoluendum est silentio, quod eunti Tolosam euenit; Ingruens vesper illum vnà cùm socio fratre in tabernam meritoriam compulerat; frequentes erāt hospites, quibus cænam opiparam postulantibus, illi pane modico, & vino quod gestauerant, contēti fuere. Illud hospita indignè ferens, quę parùm emolumenti perceptura esset, verbis cōtumeliosis accipere cępit, neq; blāda eorum, & comi excusatione molliri. Cuius peruicacia cùm esset turbulentior, quàm vt eam diutiùs ferri oporteret, Dominicus oratione facta, sanctoq; zelo instinctus: Oro, inquit, Deū, quò discas in posterùm seruos eius benignè excipere, vti effręnem tuam linguam cohibeat silentio inflicto. Dixit: illa simùl octo mensium spatio obmutescit, donec iterùm scilicet transeat Sanctus; quem supplex linguæ vsum flagitat, haùd dubitans, quin is, qui mutam precatione effecerat, eadem loquendi redderet facultatem; quam & restituit, edito super linguam Crucis signo.

7. *In actis S. Quirini mart.* Quidam procaciter detrahens S. Quirino, dicens; Quis est S. Quirinus? statim obmutuit, linguæ vsum deperdens.

8. *Cyprianus apud Baronium an. 254. de vltione Diuina in lapsos à fide.* Plectuntur interim quidam, quo cæteri corrigantur; exempla sunt omnium, tormenta paucorum. Vnus ex his, qui spontè Capitolium negaturus ascendit, postquam Christum negauit, obmutuit. Pęna indè cæpit, & crimen, vt nec rogare iam posset, qui verba ad precandam misericordiam non haberet.

9. *Henricus Sedulius in vita S. Ludouici Episc. cap. 20.* Gulielmus à Mosato subsānans miracula B. Viri, mox os eius impium torquetur in partem posteram, ne ampliùs loqui posset, alijsque plagis est afflictus; sed peccati pænitens, Sanctique patrocinium implorans, pristinæ redditus est sanitati.

10. *In Ann. Min. an. 1228. num. 67.* Iudex quidam, nomine Alexander, dùm à B. Francisci deuotione, quos poterat, venenata lingua retraheret, diuino iudicio lingua priuatus per sex annos obmutuit; Qui cùm in eo, quo peccauerat, torqueretur; alta pænitudine reuocatus dolebat, se contra sancti miracula oblatrasse. Itaque non perstitit misericordis indignatio Sancti; sed pœnitentem, ac se humiliter inuocantem, restituta loquela, recepit ad gratiam. Ex tunc linguam blasphemam consecrauit laudibus sancti, deuotionem simùl, & disciplinam recipiens per flagellum.

11. *Ibid. an. 1350. num. 11. de B. Francisco Cicho.* Dùm à Pisauriensibus, pro quibusdam misericordiæ operibus eleemosynas peteret, duo petulantes viri ei improbè insultarunt, dicentes, ad vsus proprios, & occultum lucrum eum importunè collegisse tot stipendia charitatis, atque ex eis multas thesaurizasse pecunias. Non permisit Deus, innocentiam sui famuli maculari, sed statim vtrumque graui affecit supplicio, vnus toto corpore exaruit, alter in perpetuum penitùs obmutuit.

12. *In vita S. Philippi Beniti.* Fœmina quædam meretricio quæstu infamis (cuius propterea nomen reticetur) pro similium hominum licentia, impia lingua in Diuum, multa temerè effutiuerat, sed non diù; nam de repentè obmutuit: quo factum est, vt alter intùs canere, ac meliùs loqui coacta sit. Confessa itaque, & deprecata, eloquentissima taciturnitate ad pedes Sancti, impij oris sui nefarium scelus, religiosiorem, quàm priùs habuerat loquelam, recuperauit.

13. S. *Petrus Damianus in opusculis.* Nostris certè temporibus Bononiensi Ecclesiæ quidam præsedit Episcopus, qui nimirùm postquàm lectissima Ecclesiastici iuris prædia in suburbio constituta distraxit, subsequenter obmutuit; sicque ferè per septennium donec aduixit, paralyticus, & elinguis elanguit. Iustè scilicet superno dispensante iudicio, vt qui linguam suam fecerat negotii ferialis interpretem, cùm ipsa quoque prorsùs ammitteret totius eloquii facultatem.

14. *In Chronicis Ordinis B. Virginis de Mercede, de Vener. Anna del Carro.* Anna ad nuptias cuiusdam Cognatæ suæ, seù ad aliud lætitiæ genus vocata, rogata, & quasi, coacta deuenit, quia non mundana, sed spiritualia colloquia sibi lætitiam, & iubilum afferebant. Ibi plurimis nobilissimis Matronis, & inter eas virgine deuota, consedentibus, scurra quidam in arte sua famosus (vt maiorem oblectationem nobiles hospites reciperent) accitus comparuit, qui suis dictis, & gestis, eas, non autem Annam, ad risum prouocabat. Mimus igitur ad nobilium fœminarum cœtum conuersus, earumque facies, & lineamenta attentiùs notando, & intra se tacitus formando; cœpit eas ridiculas reddere, & suis scurrilitatibus singulas singulis rebus facetè assimilare. Illa videlicet habet faciem lapidei leonis; hæc domina rostrum canis; illa verò in angulo posita, etiam si se abscondere velit, ne in meæ veracis linguæ potestatem incidat, in naribus depressis simiæ magnopere assimilatur. Sed cùm peruenisset ad Dominam Annam del Carro, velletq; eam ridiculā reddere, obmutuit, & tremuit, & quasi ex tē-

pore loquelam perdidisse videbatur, totus in varios, diuersosque colores mutatus. Et cùm circa subiectam materiam sibi impositam nec vllum verbum ampliùs loqueretur, astantes, quid ei tàm citò accidisset, instanter, studiosèque nimis quæsiuerunt. Quibus sic mimus respondit. Quid à me efflagitatis? quid me vobis dicere vultis? Cùm enim oculos meos in faciem Dominæ Annæ conijcerem, eamque sicut vos ridiculam reddere vellem, statim perdidi loquelam; adhæsit lingua mea faucibus meis, & tremor venit super me; quia hisce oculis, quos terra editura est, Crucifixum in pectore eius vidi, qui nullum verbum fari siuit. Ob id Dominæ meæ, quas verbo, non tamen corde offendi, parcite quæso mihi, nam deinceps nec vos, nec alias oblædere promitto, immò ex hac hora scurram agere recuso atque renuo.

15. *Marchantius ex Florimundo*. Mirum quod refert Florimundus de conuersione Palatini cuiusdam de Podolia in Regno Poloniæ, qui simplicis Sacerdotis sermone ad fidem est conuersus. Vocauerat ipse ad prandium hunc antiquæ pietatis, & simplicitatis Sacerdotem; subornarat interim Prædicantem suum, qui simplicitatem viri disputando illuderet. Hic ergo statim cæpit sua eloquentia illum agitare; proponens varia de Doctrina Catholica, de Tyrannide Papæ, de dissolutione Ecclesiasticorum. Sacerdos ne verbo quidem respondet, cibum interim sumens: risu res excipitur, & vrgetur à Palatino, vt respondeat. At ille, vocatus sum, inquit, vt cibum sumam, non vt disputem; peracto tamen prandio, si potuero, respondebo. Cibis sublatis, facto silentio, sic orditur Sacerdos. Ego hodiè ingrediens ad Altare dixi Domino: Discerne causam meam de gente non sancta; spero per eius misericordiam, & potentiam, me exaudiendum. Tunc formans signum Crucis, ait: In nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, & authoritate Dei omnipotentis, cuius ego sum indignus Sacerdos, & seruus, præcipio tibi immunde spiritus, vt mutus sis in ore huius hominis, nec ampliùs loquaris; vix verba finierat, & minister vocem perdit. Tunc Sacerdos. Loquere nunc, vt homo, & respondebo tibi, nolui enim antea contestari contra spiritum malignum, qui per os tuum loquebatur, vomens iniurias contra Ecclesiam sponsam Christi. Sed miser balbutiens, nec verbum edere potuit, vndè præ maxima confusione, se à societate subducere coactus est, omnibus miraculo hoc stupefactis. Et Palatinus ipse in corde percussus, abiurauit hæresim, in qua enutritus fuerat, & se Ecclesiæ Catholicæ cùm suis aggregauit, in illaque perseuerauit.

Vsum aliorum membrorum cœlitùs deperdentes.

§. 4.

VT per quæ quis peccat, per ea & torqueatur, etiam cætera membra, quæ flagitiorum instrumenta fuere, & pœnas admirabili modo in se ipsis luerunt. De his.

1. *Egesippus lib. 3. cap. 2.* Simon Magus, cùm volare vellet, orationibus Beati Petri *deiectus*, tibias fregit, & paulò post summa cùm ignominia obijt.

2. *Prochorus in vita S. Ioannis Euangel. cap. 33. de quodam Sacerdote Apollinis, qui dixit ad Ioannem*. Magister filium habeo vtroque crure claudum, redde eum sanum, & credam in eum, qui Crucifixus est, vt prædicas. Respondit illi Ioannes: Si credideris, sanabitur filius tuus; qui respondit, sana eum prius, & postea ego credam; cui Ioannes: Noli imprudenter loqui, scio quia blasphemias inferre tentas, & ideò in nomine eius, qui Crucifixus est, eris vtroque crure claudus, & *continuò* ex vtraque parte effectus est claudus, vt ambulare non posset.

3. *Hugo Menard, lib. 1. obseruation. de Sancto Morando*. Quidam Princeps, villicum Ecclesiæ immoderato tributo vexabat. Sanctus Morandus eum precatus est, vt ab hac *iniuria desisteret*. Eum Princeps audire contempsit, quod non impunè abijt; nam repentina paralysi corripitur, ita vt vultu deformiter contracto, os auribus contiguum videretur; ille dolorem ferre non valens, statim adhibuit Sanctum Morandum, qui accedens, eum vehementer increpauit, quòd tam iniustè villicum suum opprimeret. His auditis Princeps, se omni tributo *villicum soluturum* promisit; tùm Vir Dei *manum suam eius* vultui admouit, eumque pristinæ sanitati restituit.

4. *Pet. de Nat. libr. 5. cap. 14. de S. Maxentio Abb.* Cùm quidam cultor segetum, in messem Sancti manus iniecisset, manus eius subitò contracta est. Qui veniens ad virum Dei, veniam de commisso postulauit, & sanitatem reportauit.

5. *In Topographia Hiberniæ cap. 8.* Quidam, vt ad ignem S. Brigidæ intraret, cùm tibiam alteram trans sepem iam posuisset, & à sociis tamen retractus esset, & retentus; pes ille cùm crure statim exaruit. Vndè & postmodùm quandiù vixit, claudus, & imbecillis permansit.

6. *Petrus Damianus lib. 6. epis. 1.* Faber quidam artis malleatoriæ peritissimus, studiosissimusque fabricandi, non quidem alia ferramenta ad humanæ vitæ vsum necessaria, sed iacula, & spicula infligendis apta vulneribus, & cædibus bellatorum, quibus iam multi in certamine corruissent, mirabiliter à Deo vulneratus est. Nam cùm à lecto surgeret; Dignum, stupore miraculum! totum cùm armo brachium in lecto dereliquit: atque, vt rem audias inauditam, nullam tunc doloris molestiam sensit: sed sic sua, tanquam aliena miratus, & se repentè debilem reperit, & conuulsum à se brachium eminùs iacere conspexit.

xit. Iusto nimirùm Dei iudicio factum est, vt repentè brachium perderet; quo videlicet repentinæ mortis ministra tela crudeliter fabricasset: & vbi vulnus non pertulit; ibi se vulneratum inuenit, qui sæpè quàm plurimos per feralis artis ingenium improuiso vulnere sauciauit.

7. *Sylos in Histor. Cler. Reg. part. 2. libr. 1. de Ecclesia Beatæ Virginis ab Arcu in agro Nolano.* Contigit semel, vt pia fœmina accepti beneficii testem, tabulam id loci afferret, quam vetula quædam, insigniter improba, conspicata, afflatuque mali dæmonis acta in rabiem, proiicere contemptim non dubitauit: tùm subiectam pedibus proculcare, maledictis etiam in sanctissimam Virginem congestis. Mirum planè dictu: Administri criminis pedes, diuulsi sua sponte cecidere illicò vetulæ, qui pendenti hodièque pro templi pariete ad miraculi vestigia, ac monumentum.

8. *Nicephorus Callistus libr. 15. Historiar. cap. 23.* Gennadio Episcopatum gerente, pictor quidam Seruatorem habitu, & forma Iouis pingere ausus, facinoris eius mercedem tulit; nàm manus eius exaruit; quam quùm ille crimen id publicè confiteretur, Gennadius restituit.

9. *Moschus in Prat. spir. capit. 70. de Sancto Adda.* Cùm à Barbaro quodam esset ense petendus, carnificis brachium mansit immobile, vsque dùm orante Adda pro illo, facti carnifex pœnitens, cogitatusque mali dolens, defecit ab executione.

10. *In vita Sanctæ Firminæ Virginis, & martyris.* Cùm carnifex brachium sustulisset, vt eam verberaret, extentum brachium haud moueri potuit, & sæuissimè torqueri, euellique ab humero lacertum vociferabatur. Tùm deprecatus est Firminam per Deum, quem colebat, vt ei motum impetraret, quod illa à Deo, facta oratione, obtinuit.

11. *In vita Sancti Henrici Imperatoris, cap. 49.* Quodam tempore, cùm non modica multitudo pauperum variis languoribus oppressa, in Ecclesia Merseburgensi non solùm sanitatem corporis, sed & stipem importunè petens confluxisset: Populus, qui orationis causa, aduenerat, prout facultas permittebat, vnicuique misericordiæ manum porrigebat. Vbi rusticus quidam è proxima villa, cupiditate sordens, neruorum contractionem simulauit, & recuruato pede, in medio languentium consedit. Quem dùm rei domesticæ cura regredi compulisset, iamque baculo innixus ficto gressu extra limen Ecclesiæ processisset, locum quærit opportunum, vt pede reflexo expeditiùs, quò tendebat perueniret. Sed Deo, & B. Henrico dignam eius meritis pœnam ingerente, miseriam, quam ante simulauerat, iam dolore irrefragibili sentiebat. Quid ageret! Pudor, dolorque conflictu pari in eius mente decertabant. Pudor propalare rem gestam prohibebat; Dolor confiteri cogebat. Vicit tamen dolor, & omnes hæc audientes, grandis apprehendit timor. Hoc itaque iudicio cunctis claruit, Dei famulum non solùm votis piè quærentium adesse, verùm etiam talia præsumentibus districtum obesse; sicque deinceps perfidorum præsumptio talis cessauit.

12. *In actis S. Maedoc 31. Ian.* Occonomus iniquo odio persequebatur innocentem Maedoc. Quodam autem die per inuidiam cogitabat occidere eum, & misit eum in siluam cùm laico, & persuasit illi Oeconomus vt occideret Sanctum Maedoc. Cùm igitur inclinasset vir Dei se, vt lignum commoueret, vibrauit homo ille securem, volens occidere Sanctum Domini; sed illicò manus eius diuina potentia arefactæ sunt circa securem, & non potuit eas mouere. Tunc confessus est culpam suam, rogans indulgentiam ab amico Dei. Sciens Sanctus Maedoc hanc rem, fudit orationem ad Deum pro eo; & statim per orationem eius manus illius solutæ sunt; & currens vir ille ad Ciuitatem narrauit omnibus quæ facta fuerant.

13. *Vghellus in Italia Sacra; Episcopi Pranestini, ex Anastasio Bibliothecario.* Cùm Gregorius Episcopus Prænestinensis ann. Domini 766. à Toso Nepensi Duce coactus, Constantinum eiusdem laicum fratrem post mortem Pauli I. Pontificis violenter in Pontificem ordinasset; Deindè non adhùc benè se vertente anno, perpetrati sceleris pœnas soluit, siquidem ex violentia repentini morbi totus obstupuit, exaruitque dextera, qua per summum scelus Antipapam consecrauerat, atque ad posteritatis exemplum miserè deindè fuit extinctus.

14. *Frodoardus apud Baronium ann. 937.* In Ecclesia Beati Basoli, cùm quidam Vngarorum ascendere super altare nitens, aræ manum applicuisset, ipsa manus eius altaris inhæsit lapidibus, nec omninò quiuit auelli, donec cæteris Vngaris aræ saxum circa ipsam manum incidentibus, partem lapidis, qui manus eius inhæserat, in admiratione omnium perferre conatus est Ethnicus.

15. *Baronius ann. 370. numer. 48.* Cùm Valens Imperator edictum de S. Basilii exilio sua manu subscribere, ratumque facere conaretur, ne apicem quidem vnum alicuius litteræ efformare potuit; siquidem raptus est calamus, neque id semel, sed iterùm, ac tertiò accidit, ac cùm impium illud edictum confirmare impensiùs laboraret, concussa est dextera, tremorque eam occupauit.

16. *In vita Sancti Patritij capit. 67.* Beatus Patritius, vt Angelus pacis, annuntiaturus pacem illam, quæ exuperat omnem sensum humanum, his quippè qui propè, & procùl sunt in sanguine Iesu Christi, transiuit per medios fines Ciarraphe; & cùm iter carperet, vidit de proximo duos fratres Bibradium, & Locradium nuncupatos, patre recenter defuncto, & funerato, super hæreditate inter se diuidenda, linguas priùs in litigium acuentes, & paulò post ad inuicem acerrimè confligentes. Cùm autem vterq; in alternam necem ferrum ferociter stringeret, veritus est Sanctus vehementer ne fratricidii facinus fieri in suo conspectu contingeret. Sanctus igitur cor ad compassionem miserorum in misericordiam,

os ad orationem, & ad benedictionem manus mouit; eorumque manus cùm brachijs instar ligni, aut lapidis immobiles, & inflexibiles efficiens, in aera suspendit. Videntes igitur sese tàm miraculoso euentu præuentos esse, à concepti sceleris furore conquieuerunt, & ad arbitrium Sancti Euangelizantis pacem, annunciantis bona, prædicantis salutem, in fraternæ charitatis mutuam gratiam redierunt. Pacificatis itaque fratribus, ac benedictione data, restituit Sanctus manuum, ac brachiorum officia. Ipsi verò ad ædificandam Ecclesiam contulerunt Sancto Præsuli agrum, in quo accidit huiusmodi miraculum.

17. *Philippus Ferr. mense Apr. die 30. de B. Francisco Senensi ordinis Seruorum*. Quidam brachij cauillam, vt irridendo fieri solet, contra B. Viri miracula extulit: statimque illud quasi lapis obriguit, donec is in se reuersus ad tumulum illius orans ab illa brachij torpedine liberatus est.

18. *Idem mense Maio die 21. de S. Hospitio Confess.* Vnus, gladium educens vt caput illi amputaret, dexteram extensam sibi sic obrigere sensit, vt nec illam contrahere posset; donec Sanctus vir signo Crucis brachium sanitati restituit.

19. *Idem mense Octobris die 14. de S. Fortunata Virg. & Mart.* Eductam Præfectus aggreditur, ac primùm ad ignominiæ maximum dedecus, eam capillis abrasam, & nudam per vrbem circumduci iubet, deindè in equuleo tortam, in ignem inijci imperat; à quo nihil læsam per medium secari iubet. Sed dùm iussa Præsidis tortores executuri, serram ad corpus Virginis admouent, illis manus immobiles fiunt.

20. *Idem mense Decembris die 1. de S. Besso Martyre*. Illud mirandum, & tremendum de Presbytero, qui Sancto martyri detrahere ausus, illum per iocum Bassum pro Besso vocans, & homines ab illius cultu auertens, statim diuinam vltionem in se expertus, vsum brachiorum amisit, donec ad martyris sepulchrum deductus, ac crimen suum confessus, liberationem impetrauit.

21. *In actis S. Simeonis Stylitæ 5. Iannuar. apud Bollandum*. Homo erat quidam, nomine Iulianus, qui Ardaburio seruiebat. Hic quadam correptus insania, assiduè instare cæpit apud Ardaburium dicens. Permitte mihi ascendam, & rapiam Simeonem ex columna, probrisque afficiam, & plectam, vt volo; impostor enim est, & decipit homines. Et cucurrerunt ad eum, scalaque admota, columnam ascendit Iulianus, se eum posse deturbare confidens. Cùmque ad tertium ascendisset gradum, sublata est scala à columna, & suspensa est in aere quatuor circiter à terra cubitis; omnesque qui intuebantur, stupebant, timueruntque. Ardaburius ira commotus, arcum suum tetendit, Sanctum volens transfigere, & confestim manus ipsius stuporem contraxit, nec sagittam valuit emittere; & non tantùm manus stupore, sed & pedes podagra correpti fuere, ad vitæ vsque finem.

22. *In vitis Patrum, de eodem Simeone Stylita lib. 1. cap. 18.* Cùm iaceret S. Simeon in feretro, volens Papa Antiochiæ de barba illius pro benedictione aliquid contingere, extendit manum, statimque arefacta est; multæque obsecrationes, & orationes fiebant ad Deum pro eo, & sic restituta est manus eius.

23. *In actis Sanctorum quinque martyrum ordinis Minorum 16. Iannuarij apud Bollandum*. Eodem anno, quo Sancti fuerunt interfecti, contra Regem Marochiorum, & eius Regnum indignatio Dei in vindictam Sanctorum efferbuit; nam manus dextera, eiusque brachium, quibus occiderat Sanctos Fratres, & eiusdem partis omnia membra vsque ad dexterum pedem fuerunt disiccata.

24. *Ibidem in actis S. Potiti martyris 13. Iann.* Imperator iratus, iussit membra eius secari, & canibus mitti. Tunc S. Potitus dixit: Gratias ago Domino meo Iesu Christo, magnam enim coronam mihi parasti, quam promisit Dominus diligentibus se. Dico tibi Imperator: corpus meum in potestate habes, animam autem tangere non potes. Ministri verò præceptum Imperatoris facientes, se concidebant, illum autem tangere non poterant.

25. *Ibidem in actis S. Iuliani mart. 9. Ian.* Filius Præsidis videns Iulianum ab Angelis coronari, eum apprehendit, dicens, se velle Christianum esse; quod intelligens Præses, iubet filium suum à S. Iuliano segretum sibi restitui. Domini verò misericordia ita affuit precibus S. Iuliani, vt si quis vellet manum extendere vt eum apprehenderet, & separaret à complexu S. Iuliani, statim brachia, & manus eius contraherentur.

26. *Ibidem in actis S. Gerlaci Eremitæ 5. Iann.* Quodam tempore de remotis partibus adueniens quidam, & quasi ex deuotione caput B. Gerlaci deosculatus, cautè dentem ei vnum, impiè quidem, sed non impunè mordicitùs euulsit. Post annum verò reuersus, dentem retulit, sibi autem pro tanto sacrilegio dentes omnes diuinitùs euulsos demonstrauit.

27. *Ibidem lib. 2. de translatione S. Vincentij martyris 22. Iannuarij.* Quidam, argentum sibi ad aliquod opus necessarium in sinu absconderat; quod inuerecundè mulier in latrocinandi arte perita extraxit. Sed manus eius ipsum argentum continens, statim obriguit, ita vt eam nec aperire, nec ad se (cunctis videntibus) reducere valeret. Ipsa verò ad S. Vincentij sacras Reliquias confugiens, & ibidem cùm Fratribus, aliisque fidelibus deuotè orans, curata est; manuque relaxata, furatum argentum restituit.

28. *Ibidem*. In Villa Videellas, à Monasterio tribus dumtaxat millibus distante, fœmina quædam ibidem adhùc degens, nomine Aitrudis, à vicino suo admonita est, vt deposito lanificij opere, in occursum susceptionis B. Vincentii martyris, cùm aliis properaret. Quod illa facere recusans, cùm cachinno dixit, esse potiùs corpus cuiusdam Mauri Ethnici, vel Hispani, quàm martyris; & extemplò omnium priuata membrorum officiis contrahitur, ac veluti cadauer miserabiliter in terram consternata, se mox expiraturam terribili voce proclamat, rogatque suos, vt ad Sancti templum defera-

feratur. Vbi curru delata, per dies nouem, aspicientibus multis, eandem percussionis debilitatem sustinens mansit, atque post alios nouem saluti reformata, valens, vt nunc quoque valet, exiuit.

29. *In actis S.S.Martij Tom. 3. in continuatione Bollandi*. Mulier induta chirothecis in translatione S.Quirini Martyris, ad oblationem prodierat; cùmque manum ad altare extendisset, illa sublimè elata mox tota obriguit, nec potuit ampliùs retrahi. Chirotheca de manu detracta, per vnã ferè horam in aere super aram pependit, & ab omnibus satis, diùque conspecta, tandem super altare cadit. Fæmella docta posthac maiori veneratione Sanctos colere, vouit se quotannis festiuitatem Martyris ieiunio præuenturam; & ecce stupentem manum, sanam recepit.

30. *Ibidem*. Cùm annulum sponsalitium S. Ioseph, qui Perusii deuotè asseruatur, quædam Nobilis fœmina sanguinis regij, nomine VValdrada, temerè digito suo inseruisset, eum incurabiliter arefactum reduxit.

31. *Palladius in vitis P. P. lib. 8. cap. 110. de Abb.Gaddana*. Noui ego Senem quemdam, Palæstinum genere, Gaddanam nomine, qui toto vitæ suæ tempore vixit absque tecto, vixit autem circa Iordanem. Hunc Beatum eremitam, cùm Iudæi moti emulatione in locis, qui sunt circa mare mortuum, adorti, stricto gladio inuasissent, accidit, vt tale fieret miraculum. Dùm ensem extolleret, & vellet Gaddanæ afferre interitum, exsiccata est manus eius, qui ensem tenebat, isque illi ita cecidit, vt non sentiret.

32. *In actis S.Eucharij*. Venerabili Euchario populis indesinenter verba salutis intonante, Pontifices idolorum contra viros Dei ita vehementer accensi, populi partem aduersùs eos incitauerunt, & expellentes eos à Ciuitate, ad lapides currebant. At vir Sanctus Eucharius ad orationis arma se cùm suis conuertit, obsecrans Dei clementiam, vt & ipsis contra incredulos præberet auxilium, & insanis infidelium turbis ad cognoscendam fidei veritatem aperiret sensum. Ad hæc illa omnis sæuientium turba ita cœlitùs obligata est, vt alii ex ijs incassum iactui innitentes, brachiis extensis inflexibiles starent; alij pro colligendis lapidibus deorsùm inclinati, terræ pronis ceruicibus inhærerent. Dùmque hoc per vnius horæ spatium ageretur, vt cuncti per varios modos nexibus superni numinis astricti tenerentur, cœperunt omnes iam nimio fatigati dolore, absolutionem suorum membrorum humiliter petere, seque, si absoluerentur, credituros promittere. Tunc S. Eucharius omnem illam rebellantium multitudinem à vinculo doloris precibus absoluit, & ad priorem statum reddita sanitate restaurauit.

33. *In actis S. Seueri Episcopi Abrincensis*. Arbor, quæ ex defixo terræ baculo S. Seueri Episcopi Abrincensis in Gallia mirabiliter fronduerat, in tantam ab incolis habita est reuerentiam, vt omnes eam, ac si in se numen aliquod haberet, venerarentur, & ad eam in diebus festis vnanimiter gaudentes conuenirent. Nec immeritò; vt enim Deus ostenderet qualem in conspectu suo iam tunc B. Seuerum haberet, quicumque ramos arboris illius dirumpere attentabat, aut protinùs sensum funditùs amittebat, aut protinùs deorsùm ruebat. Auis quoque, quæ in eius ramis pernoctabat, mane iuxta inueniebatur mortua, Quòd si fortè Bos, aut Caper de hedera, qua colligabatur, aliquid contingebat, illicò coràm astantibus expirabat. Hodieque cùm senio defossa corruerit, truncusque in terra iaceat, & putrescat nemo eam securi incidere, nemo vel eius corticem præsumit detrahere.

34. *Frodoardus Rhemensis in vita S.Basoli confessoris*. Processu temporis post obitum S. Viri, aduenit hùc Homo quidam, natione nobilis, sed ferox tumore mentis, qui post orationem, baculum huius B.Patris accipiens, & illum super pedem suum ponens, vt erat procerus corpore, quasi subsannando protulit, dicens; en manifestat iste baculus, quam, paruæ staturæ fuerit Basolus; nec mora, pes idem, cui superpositus Sancti baculus fuerat, emarcuit, diuina vir percussus vltione, cùm graui decedit labore.

35. *Vincentius Belouacensis in Spec. Hist. lib. 23. cap. 101. de S.Agilo Abb.* Semel quidam extenso brachio ausus est percutere S. Abbatem; at ille subducto terrore, vexillum crucis apposuit: moxque brachium, illius obriguit, & sicut extensum fuerat, adeò inflexibile mansit, vt nemo valeret gladium de pugno eius educere, nec etiam ipse pedem de loco mouere. Obstupefactis omnibus, infelix ille, qui dignè torquebatur, singultibus, lachrymis, vt sui ruboris, seù doloris saltem misereretur capite submisso petebat. Vndè, & Sanctus Agilus commotus, in solamen fidei orationem sumpsit, deinde vt aridum brachium tetigit, continuò pristinus vigor rediit. Caro tamen palmæ, capulum sicut inhæserat secuta est, & sanguis per vngulas manauit. Porrò sicut à Domito tunc quidem Monacho, sed postea Vesoncionensi Episcopo didici, qui tunc adolescens huic facto intererat, saliua cùm oratione, & signo Crucis eandem palmam B.Agilus perunxit, & illicò caro cùm pelle sanitati restituta est, ac si nunquam corrupta fuisset.

36. *Idem ibidem cap. 109. de S. Audomaro Episcopo*. Tempore vindemiæ, Pastor eiusdam Religiosi viri in vineam glorioso viro collatam intrauit, & furtim sinum de vuis impleuit, sicque ad coæquales suos cùm præda rediit; Rogantibus autem socijs, vt secùm prædam, quam asportauerat, impertiret, in sinum manum dextram immitenti, ita ambæ immobiles adhæserunt, vt nec sinistra, qua sinus tenebatur complexus, nec in sinum illata dextra posset auerti; contorto etiam ore retrorsùm linguæ perdidit officium; tunc stupentes socii, puerum duxerunt ad domum propriam, non cùm paruo timore causam quæ acciderat referendo. Cui Dominus eius religiosus compatiens, assumpto eo secùm, ad Ecclesiam perrexit, & vnà cùm ipso puero prostratus, cùm fletu Dei clementiam, intercedente Sancto, obtinuit, nam puer incolumis surrexit.

37. *In vita S. Ioannis Rheomensis*. Quodam tempore litteras suas ad Secūdinum Patritium misit, quibus cuiusdam pauperculi causam egit. At ille spreta eius commendatione, litteram in terram proiecit, & pedibus conculcauit; sed non defuit Dei vindicta; nam toto corpore tanto tremore, ac pauore subitò concutitur, vt intelligeret ob tanti viri contemptum se ista mala perpeti. Mox igitur per internuncios humiliter veniam deprecatur, & tandem impetrata sibi per sanctum complens, sanatur.

38. *Celsus Maphaus, de Sancta Tuscana vidua Veronensi*. Vnum memoratu dignum, quod ei ad Sanctorum Apostolorum intra vrbem nostram limina proficiscenti, die quadam euenisse tradunt, breuiter enarrandum censui. Ferunt inter ambulandum, latrones ei clamydem ab humeris detraxisse, cùmque illam eductis gladiis in partes diuiderent, eùestigiò arefactis illorum manibus post tergum abeuntis cucurrisse, salutemque, & veniam restituta chlamyde supplicasse. Quibus illa cùm nimiùm compateretur, oratione facta, & salutem obtinuit, & iniuriam quàm libentissimè remisit.

39. *In Appendice ad Martyrologium Benedictinum, de S. Aldemaro*. De eo legitur, quòd cùm aliquandò Bouiunum transiret, vnus rusticorum eum occidere nisus, telum in illum vibrauit; quod cùm fecisset, lacertus eius in tantùm obriguit, vt brachium flectere nullatenùs posset, sed oratione Viri Dei sanatus ad propria rediit.

40. *Thom. Cantipratanus lib. 2. Apum cap. 57. de S. Ludouico Rege*. Nobilissimus in Comitibus Germaniæ Comes Gelriæ Ottho, cursorem cùm litteris Parisios miserat, cursu propero rediturum; quem redeuntem Comes interrogans, quæsiuit, si Regem Franciæ Ludouicum vidisset. At ille, vbi more subsannantis contorsit collum; Vidi, inquit, vidi illum miserum papellardum Regem, caputium habentem capitis super scapulam ex aduerso suspensum. Hæc dicens, faciem contorsit ex aduerso, & sic facies contorta remansit.

41. *Surius in vita S. Ludgeri Episcopi libr. 1. cap. 26.* Quidam rusticus male loquebatur de Sancto Episcopo, quod audiens Venerabilis Pontifex, post tergum respexit, volens cognoscere quisnam esset qui talia loqueretur. Is verò adspectum Episcopi visus deuitare, caput post tergum vertit, quasi non hoc ab ipso, sed ab alio aliquo diceretur; statimque collum eius inflexibile factum, vsque ad finem vitæ permansit, & ob hanc causam Caco est apellatus.

42. *In Ann. Ecclesiasticis Hungaricis an.* 1032. Cùm Sanctius Castellæ Rex, in Palantiæ nemoribus venaretur aprum insequendo, dùm illum quadam in ædicula obductum acuto veru fodere tentat, de repentè eius manus obriguit, motumque omninò amisit. Prodigii obstupefactus Rex, equo descendit, obseruatque locum, ad quem confugerat Aper, parietinas esse Ecclesiæ quondam D. Antonino dicatæ; quare contemptus pœnitens, humi prostratus humiliter locum veneratur, seque voto obligat, iterùm Ecclesiam ad honorem D. Antonini reædificandi, & ecce statim ad pristinum statum, motumque manus est conuersa.

43. *In Ann. Minorum an.* 1240. *num.* 13. *de S. Antonio Patauino*. Miles quidam grauiter vulneratus in brachio, eius vsum amisit, sed voto emisso ad S. Antonium, statim pristinæ restitutus est sanitati. Volens autem brachio miserabiliter sanato vlcisci se de inimicis, robur omne amisit, non valens illud mouere, quod ob vltoris ingratitudinem exaruit, priori redeunte infirmitate.

44. *Gaspar Villaroel in cap. 8. Iud.* Vixit ferè in æuum (non fine omnium qui nouerant admiratione) apud Cusquensem Ciuitatem Indiarum, quondam Regiam in Peruuii ditissima Regione, Indus quidam, cuius dexterum brachium ab humero exsiccatum velut ligneum pendebat. Hic vltra sæculum vitam trahens referebat, se in oppido, quod Bilcabamba dicitur Martyrio Venerabilis, Patris Didaci Ortiz, ordinis S. Augustini adfuisse, seque omnium primum alapa percussisse sanctum virum, & ne dùm scelere perfecto sensisse brachii exhaustum humorem, arescensque *cunctis statim* ostendisse, vixisseque tandiù, vt Dei virtus, Martyrisq; gloria cunctis, qui ea tempestate viui erant, sequentique vixissent, fierent vndequaque notissima.

45. *Surius in vita S. Corbiniani Episcopi* 8. *Septembris*. Cùm corpus eius plaustro imponerent, in ea hominum multitudine quædam puella, nomine Magata, non longè indè secretè cùm socia stabat. Cùmque ex illa socia inquireret, quid de Episcopo ageretur, nefandum valdè protulit sermonem, suæ lasciuiæ, atque immunditiæ *socium* illum fuisse. Quod ideò tàm improuidè dixit, quòd sociam suam deludere vellet. At statim Diuinæ virtutis est vindicta secuta; nam *femur eius dextrum* ita incuruatum est, vt vsque ad *pedes* obrigesceret; atque in ea claudicatione permansit, vsque dùm vixit, & binis sustentabatur baculis, vnius pedis vtebatur gressu; tametsi in luctu, & pœnitentia, & iugi confessione peccatorum suorum, atque sanctæ orationis studio vitam *multis* duxisset annis.

46. *Idem in vita S. Columbani Abbatis cap.* 22. 21. *Nouemb.* Egressus Vir Sanctus cùm suis vicesimo anno post incolatum eremi illius per Vrbem Vesontionensem, Augustodunumque, ad Auellonem Castrum peruenit; Sed priùsquàm eò perueniret, in via ei custos equorum Theodorici occurrit, lanceaque illum confodere voluit; sed maleuolum animum digna mox vltio anteuertit; dextera enim, quam in virum Dei extenderat, torpente, lanceam ante suos pedes humo defixit. Ipse verò à Dæmone arreptus, ad viri Dei vestigia corruit.

47. *In vita S. Henrici Imperatoris*. In Monasterio S. Petri, quod Merseburgensi Ciuitati contiguum est, cùm dies anniuersaria depositionis S. Henrici aduenisset custos Ecclesiæ, inuidiæ stimulis actus, honorem ei debitum persoluere noluit, intantùm vt ea die cultiora quæque occultaret, & signorum grandium consonantiam præpediret. Sed non diù frater ille impunè Dei, & Beati Henrici

Henrici tulit offensam; nam cæpit subitò toto corpore ferè quinque sensuum officio priuari: deindè animi vigore laxato, palàm omnibus Dei iudicium in se protestari, sicque necdùm ad perfectum sanatus, aliquantulùm in meliùs reparari.

48. *Pepe in mirab. Sancti Caietani m. 129.* Ioannes Ciminus Neapolitanus, innocentem vxorem ferro crudeliter è viuis tollere tentabat. Cùm mulier deuota, B. inuocauit Caietanum, qui subitò immobile brachium Mariti reddidit, illiusque cor, vt innocenti parceret, flexibile effecit.

49. *In vita B. Ioannis Sanfacundi.* Eques quidam ira in B. Ioannem Sanfacundum feruens, duos misit, qui Dei seruum baculo percuterent. Virum illi in via aggrediuntur, manus eleuant vt perficerent quod illis iniunctum; sed mirum; stupidi remanserunt, trementesque, erroremque suum agnoscentes, veniam genibus flexis à Beato postularunt, quos vt sua benedictione cumulauit, sani remissi, & miraculum prædicantes abierunt.

50. *In Ann. Capuccin. an. 1589. de F. Dominico à Busrbetto.* Cùm publicè in quodam Pago Choreæ ducerentur; Vir Dei vt eas faciliùs exturbaret, citharam è Fidicinis manus eripere conabatur, quod ille grauiùs ferens, dùm pugioni, vt Dei seruum inuadat, manum admonet; manus ita pugionis capulo adhæret, vt neque eam is à pugione amouere, neque pugionem è vagina exerere posset. Res cùm protinùs omnibus, qui ad choreas conuenerant, manifesta fuisset, mòx solutæ Choreæ, & citharædo ad meliorem frugem conuerso, serui Dei oratione manus restituta fuit.

51. *Io: Nicolaus Dolionus in Hist. Vngarica.* Ad Ecclesiam confugerat quidam, altariq; adhæserat, ne ad carcerem duceretur; Tunc quidam iussu Gubernatoris Calomani locum sanctum, altareq; paruipendens, in eum manum iniecit. At ecce illicò manus illa à brachio diuinitùs est separata, indèque recedens, & equo insidens, ab illo ad terram præcipitatus, mortuus est.

Subita immobilitate Diuinitùs puniti.

§. 5.

NE mente concepta flagitia, opereque incepta, ad finem perducerent scelesti, subita quandòque eos Diuina manus coercuit immobilitate; vt vel inuiti resipiscerent, à perpetrandisque facinoribus coacti cessarent. De his.

1. *S. Greg. lib. 3. Dialog. c. 22.* Propè Ecclesiam in Valeria Prouincia, sepultus fuerat quidam venerabilis Sacerdos. Cùm autem quadam nocte, fur iuisset, vt ingressus caulas, quę propè dictam Ecclesiam erant, furtum faceret, veruecem tulit, & concitus exiit: cùm verò peruenisset ad locum, vbi vir Dei sepultus erat, repentè hæsit, & gressum mouere non potuit. Veruecem quidem de collo deposuit, eumque dimittere voluit, sed manum laxare non valuit. Cæpit igitur stare miser cùm præda sua reus, & ligatus. Volebat veruecem dimittere, nec valebat egredi cùm veruece, nec poterat. Miro itaque modo fur, qui à viuis videri timuerat, hunc mortuus tenebat.

2. *Tritbemius in Chronic. an. 1157.* Sophia Theodorici Hollandiæ Comitis vxor, cùm ad limina S. Iacobi in Gallæciam peregrinata, latrones in via obuios sibi haberet, oratione se se muniit, eiusque vigore latrones ita constrinxit, ac ligauit, vt de loco se non mouere, nedùm manus ei inferre possent. Quare illi stupore correpti, veniam postulant, & supplices fiunt, qui prædones aduenerant; quam vbi obtinuerunt, in fugam se proripuerunt.

3. *Philippus Ferrar. Mense Iannuar. die 8. de Sancto Maximo Episcopo Papiensi.* Cùm Sanctus Episcopus populum aliquot annos verbo, & exemplo gubernasset, non sine Ciuium lachrymis in cœlos abiens, corpore in Ecclesia Cathedrali tumulatus fuit. De quo illud mirum narrant, quòd quidam ad illius Aram accedens, Pallium furaturus, ita aræ adhæsit, vt manus, pedesue indè retrahere, donec manè Canonicis ad Ecclesiam conuenientibus crimen suum confessus, veniam à S. Maximo impetrauit, non potuerit.

4. *Idem Mense Nouembr. die 19. de S. Peregrino Martyre.* Cùm in sacra ædicula constitisset, à latrone, qui peram Peregrini, in ea pretiosa contineri ratus, auferre gestiebat, gladio in gutture percussus, interiit; percussore illicò excæcato, immobilique facto, & sanguine iugiter ex vulnere manante, quoad Rex de fratris nece diuinitùs certior factus, de latrone pœnas sumpsit, fratremque propè eum locum honore condigno tumulandum curauit.

5. *Colganus in vita S. Berachi, in Feb.* Quidam scelesti in virum sanctum impetum vnanimiter fecerunt; atque quidam ex eis lapides in eum proiecerunt; alii alapis percutiebant; alii verbis contumeliosis ei improperabant. Sed Dei virtute factum est, vt pedes improperantium, terræ quam calcabant, sic fixi inhærentes, ac si lapides grandes immobiliter permanerent.

6. *Idem de S. Franchæa Virg. in Iannuario.* Cùm audissent socii Endei, quòd mutatum esset in virum alterum Dux eorum, conati sunt eum vi à proposito retrahere; Sed orante Sancta Franchæa, ac signum Crucis contra impetum eorum imprimente; statim pedes eorum terræ adhæserunt veluti essent lapides immobiles.

7. *Marulus lib. 2. cap. 2.* Pantinus Syracusanus, cùm Messanæ à Stradicone Præfecto ad Martyrium quæreretur Angelique monitu solus nauiculam ascendens fugeret; iam propè erat, vt ab insequentibus caperetur; Quandò Deum precatus, Myoparonem illorum stare fecit, ita vt neque velo, neque remis vltra impelli posset. Sicque aduersariis post se relictis, Dei, quem inuocauit, ope, periculum euadens, Regium usque delatus est.

8. *Baronius an. 362. num. 174.* Contigit aliquandò S. Apollonium Abbatem iter facientem, transire per quædam loca, in quibus à Gentilibus Orgia, Diisque inanibus solemnitates celebrabantur; quę cùm sanctus vidisset, flexis genibus inuocauit Dominum, & subitò omnes eos, qui cæremoniis Dæmoniacis agebãt, cùm simulachro suo stare fecit immobiles, nec progredi omninò vnquam posse.

Atque

Atque ita per totam diem rabidissimis adusti æstibus permanserunt, ignorantes, vndè eis hærere vno in loco immobiliter contigisset.

9. *Idem ann.* 1008. *num.* 6. Interfectores sancti Bonifacii Russorum Apostoli, rigidi diuinitùs, & immobiles apud corpus Sancti permanserunt.

10. *Hugo Menard, in actis B. Aniani Episcopi lib. 1. obser.* Quidam, Fiscum regis nomine Gauarciacum circumuallabant, & in eo, prædium quod Regis munificentia beato viro datum fuerat, concludebant. Eis per legatum nunciauit, vt à cæptis desisterent, sed eum despexerunt; statimq; muti, & immobiles remanserunt; donec oratione illius sanati sunt.

11. *In actis Sanctorum quinque Martyrum Minorum 16. Iannuarij apud Bollandum.* Nullus audebat intrare locum, vbi sacræ Reliquiæ seruabantur, quem alicuius facinoris etiam sola conscientia arguebat. Vndè illo tempore quidam Petrus Rosarius nomine miles, habens concubinam, Rosariam nomine, cùm ascenderet solarium, vbi Sacræ Reliquiæ seruabantur, in medio factus immobilis, fortiter clamauit, dicens, succurrite, date mihi confessionem, & facta confessione cuidam Canonico, & abiurata concubina, descendit liber viribus corporis liberatis; sed vltra loqui non potuit, quousque de mandato Infantis dictus Canonicus ei caput vnius Martyris posuisset supra pectus, & statim loquelam, & vires recuperauit, vt priùs.

12. *In actis Sanctorum Februarij Tom. 1. in Contin. Bollandi.* Propè Basilicam S. Vedasti in Scotia, furatus quis fuerat aluearia plena mellis, cùm ecce illicò immobilis factus, nullo pacto hinc gressum mouere potuit: Cùmque quidam Iudicibus eum tradere vellet, vt iuxta delictum congrua multaretur pæna, apparuit ei S. Vedastus iubens, ne quid mali latroni pareret, subiungens: Christus illum vinxit, non tu, & ego absoluo eum in nomine Iesu. Et ecce subitò soluta sunt vincula, quibus tenebatur occultè reus ligatus.

13. *Ibidem.* Fur quidam, dùm peregrinis B. Domitiani, saccum in Ecclesia cùm pane, & aliis necessariis diripuit, & ianuam Monasterii exire nititur, ab omnibus immobilis, & fixus stare cernitur.

14. *Ibidem T. 3.* Russis deuastantibus inter alia Ciuitatem Amastridis in Paphlagonia; quidam ex illis in Templum ingressi, & tumulum conspicati, in quo erant reliquiæ S. Georgii Episcopi Amastreni, Thesaurum esse suspicati sunt, (& erat re vera Thesaurus) eumque suffodere aggressi, manibus, & pedibus dissoluti apparuerunt, atque inuisibiliter uinculis ligati, immobiles constiterunt, miserabiles, stupore, ac motu perculsi, nihil aliud nisi loqui valentes.

15. *In Chronicis Ordinis Eremitarum S. Augustini, de Bandino Senensi.* Bandinus cùm abduci asellum à fure conspicaret, ne silendi legem labefactaret, nec abduci prohibuit, nec vlli abducentem indicauit, sed Ecclesiam ingressus, prece, & lachrymis causam apud Deum egit, victorque effectus est; nam furtum, & fur immoti stetere, nec vnquam extra ilices prodiere, donec fur furtum restituit, venia impetrata.

16. *In vita S. Edmundi Regis, & Martyr. 20. Nouembris.* Cùm quidam aggressi Ecclesiam, in qua S. Edmundi venerandæ exuuiæ asseruabantur, Thesauros, & oblationes illi factas suscipere tentarent; Sanctus Martyr mirabiliter eos ligauit in suo conamine, ita vt nec pedem loco possent mouere, nec arreptum officium deserere, sed alius cùm sua scala sublimis penderet in aere, alius palàm incuruus fossor fieret, qui ad id opus furtiuus venisset. Tandem manè adhùc persistentes fures in cæpto opere, comprehensi à pluribus, traduntur vinculis arctioribus, & tandem Episcopi iudicio subduntur.

17. *In vita S. Eligij Episcopi Nouiomensis cap. 53.* Fur quidam sacrilegus aliquandò, è templo egressis custodibus, aurea quædam ornamenta à Beati Antistitis monumento subducere volens, catenam auream vi attrahens confregit: vndè tantus excitatus est sonus, vt extra templum procùl audiretur à Custodibus; simulque homo *nefarius* ita diuinitùs ad limen Ecclesiæ detentus est, vt loco mouere se non posset. Itaque accurrentibus custodibus, deprehenditur in sacrilegio, profert res ablatas, petit veniam sacrilegii, humaniter ignoscunt custodes, abscedit liberè, nullo iam eius gressum retardante.

18. *Seuerus Bituricensis Archiepisc. in vita S. Martini cap. 9.* Accidit dùm iter ageret, vt Gentilis cuiusdam corpus, quod ad Sepulchrum cùm superstitioso funere deferebatur, obuium haberet; conspicatusque eminùs venientium turbam, quid nam id esset ignorans, paululùm stetit; nam ferè quingentorum passuum interuallum erat, vt difficile fuerit dignoscere quid videret; tamen quia rusticam manum cerneret, & agente vento linteamina corpori superiecta volitarent, profanos Sacrificiorum ritus agi credidit. Quia esset hæc Gallorum rusticis consuetudo simulachra dæmonum candido tecta velamine, misera per agros suos circumferre dementia. Eleuato ergo in aduersum signo Crucis, imperat turbæ non moueri loco, onusque deponere. Hîc verò mirum in modum videres miseros primùm velut saxa riguisse, dein cùm promouere se summo conamine niterentur, vltrà accedere non valentes, ridiculam in vertiginem rotabantur; donec victi pondere, corporis onus deponunt attoniti, & semet inuicem aspectantes, quidnam sibi accidisset taciti cogitabant. Sed Beatus vir cùm comperisset exequiarum esse illam frequentiam, non sacrorum, eleuata rursùm manu, dat eis abeundi, & tollendi corporis potestatem. Ita eos, & cùm voluit, stare compulit, & cùm libuit, abire permisit.

19. *Cæsar Franciottus, in libro de Sanctis Lucensibus, in vita S. Dauini.* Cùm quidam Canonicus videret miracula, quæ frequenter ad Sancti Dauini corpus fiebantur, desiderium eum inuasit aliquid Reliquiarum huius Sancti apud se habere; quod cùm obtentu non esset adeò facile, diligenti quippe custodia seruabatur, noctu ad corpus accessit, digitum à Sancti corporis manu ablaturus,

rus, sed in pœnam peccati, immobilis ibi permansit vsque ad mane, quandò à cæteris ibi deprehensus, peccatumque confessus, & facta sancto viro oratione, abeundi obtinuit facultatem.

20. *Ioannes Moschus in vitis Patrum capit.* 133. Narrauit Saracenus gentilis, ex his qui in Clismate morabantur, hæc nobis, dicens. Cùm abiissem ad Montem Abbatis Antonii, vt venarer, pergens aspicio Monachum in monte sedentem, tenentemque librum, & legentem. Ascendi igitur ad eum volens illum cædere; fortassis autem etiam necare. Cùmque venissem propè illum, extendit contra me manum suam dexteram, dicens: Sta: egique illìc duos dies; & duas noctes, nullo modo moueri præualens ex eo loco, vbi eram. Tunc dixi illi: per Deum, quem colis, dimitte me. Ille; autem dixit mihi. Vade in pace; & ita recedere potui de loco, in quo eram.

21. *Francisc. à Sancta Maria in Hist. Car. T. 1. l. 4. c. 9.* Dùm Mater Catharina de Cardona ex Discalceatis S. Teresiæ degeret in suo specu, vitam solitariam ante ingressum religionis agens; quidam rusticus curiositatis causa quædam scripta, seù epistolas illi furatus est; at statim immobilis factus, nec progredi, nec regredi potuit; prodigia obstupefactus, factique pœnitens, ablatum restituit, statimque ab inuisibilibus vinculis liberatus fuit.

His non in congruum erit addere immobilitatem, qua & Bruta quandòque diuinitùs capta fuere; eam etenim propter hominum, quibus inseruiebant, peccata, contraxere; ipsisq, immobilibus factis; & immobiles homines, qui eis insedebant vel ea ducebant, pariter euadebant. Sunt autem.

22. *S. Gregorius Tur. de Gl. Conf. cap. 33.* Fuit in Aruerna vrbe, admirabilis sanctitatis, Amabilis quidam vici Ricomagensis Presbyter, qui virtutibus magnis præcellens, sæpè serpentibus dicitur imperasse. Nam ad huius tumulum cùm Dux Victorius despexisset orare, adfixo è regione equo, nequaquam poterat amouere. Quem cùm flagris, stimulisque vrgeret, & ille quasi æneus staret immobilis, tandem aliquandò dux à suis commonitus, qui, vt ita dicam, ipsi pecudi similis erat factus, ad orationem descendit; cùmque fideliter orasset, quò voluit iuit.

23. *Idem de Gloria Confessorum cap. 8. de S. Martino.* Turonico oppido oratorium erat propinquum, situm in Villa Martiniacensi, in quo celebre ferebatur, sæpiùs orasse Martinum. Denique Guntharus Abbas, dùm gregi monasteriali præesset, & viam quæ haùd procùl ab Oratorio inceditur, casu contingente, terreret, oratione facta transibat. Post adsumptum verò Episcopatum, aggerem ipsum præteriens, venit ante oratorium: sed distulit ad orationem in loco descendere: illicò equus conuersum habens caput ad Oratorium, in media restat via. Dehinc verberatur calcicibus, loris agitur, vrgetur stimulis, sed tanquam ęneus non mouetur: tunc sacerdos sensit se virtute diuina teneri; & descendens, facta oratione, equo ascenso preteriit.

24. *S. Gregorius lib. 1. Dialog. cap. 2. de Libertino Præposito.* Dùm Darida Gothorum Dux, cùm exercitu in loco vbi Libertinus erat venisset; Dei seruus ex caballo, quo sedebat, ab hominibus eius proiectus est. Qui iumenti perditi damnum libenter ferens, etiam flagellum, quod tenebat, diripientibus obtulit, dicens: Tollite, vt habeatis qualiter hoc iumentum minare valeatis, quibus dictis, protinùs se in orationem dedit. Cursu autem rapido prædicti Ducis exercitus peruenit ad fluuium qui vocatur Vulturnus, ibique equos suos cæperunt singuli hastis tundere, & calcaribus cruentare, sed tamen equi verberibus cæsi, calcaribus cruentati, fatigari poterant, moueri non poterant: sicque aquam fluminis tangere quasi mortale præcipitum pertimescebant. Cùmque diù cædendo sessores singuli fatigarentur, vnus eorum intulit, quia ex culpa, quam seruo Dei in via fecerant, illa sui itineris dispendia tolerabant; Qui statim reuersi, post se Libertinum reperiunt in oratione prostratum, Cui cùm dicerent; Surge, tolle caballum tuum, ille respondit; Ite cùm bono, ego caballis opus non habeo. Descendentes verò inuitum eum in caballum, de quo deposuerant, leuauerunt, & protinùs abscesserunt. Quorum Equi tanto cursu illud quod priùs non poterant transire flumen transierunt, ac si ille fluminis alueus aquam minimè haberet. Sicque factum est, vt cùm seruo Dei vnus caballus suus redditur, omnes à singulis reciperentur.

25. *Augustinus Mannus in Selectis Hist. cap.* 181. Lithuani excursione in Poloniam facta, maximas prædas egere, & Monasterium Montis Calui diripuerunt; inter alia, portionem Crucis Christi auro inclusam asportabant; Sed cùm peruenissent ad Poloniæ fines, plaustrum, quo illa vehebatur, nulla ui, neque iumentorum, neque hominum moueri potuit; quin subitò concidebant exanimati homines, equi, boues, & quicumque illud attigissent. Cùmque Lithuanorum Duces perterriti, à Russo quopiam cladis causam cognouissent, Crucem cùm Nobili captiuo ad suum locum remisere, & iter propositum mox cuncti incolumes tenuerunt.

26. *Surius in vita S. Galli Abbatis lib. 2. cap. 7. 16. Octobris.* Quidam vir, nomine Vuillimarus, graui infirmitate depressus, sub voto promisit, se equum vnum, duosque boues, si pristinæ restitueretur sanitati, ad Ecclesiam B. Galli donaturum. Cùmque ex illa die confortaretur, & plenam recepisset sospitatem, contigit vt cùm Birthlone domino suo causa orationis ad cellulam Sancti viri, eodem vectus equo, veniret. Igitur cùm post orationem omnes illi, qui simùl aduenerant digressi, non longè essent ab Ecclesia, equus, quem sponsor infidelis, postquam vouerat, fraude retinuit, repentè substitit, & licet eum sessor calcaribus vrgeret, ac verberibus fatigaret, nusquam potuit commoueri. Videntes hoc qui aderant, cæperunt inquirere huius miraculi causas. At ille confusione digna correptus, prodidit reatum, & fraudem, quam in voto fecerat, confessus aperuit. Reuersi autem omnes, pariter equum obtulerunt ad limen Ecclesiæ, & benedictione percepta, ad sua sine obstaculo redierunt.

27. *Idem*

27. *Idem in vita S. Amantij 4. Nouembris*. Erat in foro altiori base eminens simulachrum, quod vir beatissimus zelo Diuini amoris accensus deiecit, atque confregit. In vltionem igitur numinis sui, sacrilegæ plebis multitudo consurgit, ac lymphatico furore succensa, Christi bellatori minatur exitium; sed vir beatissimus mortem non timuit vitæ amore. Neque enim fas erat fortissimum bellatorem præsentem timere mortem, quia iam æternam præsentium rerum contemptu meruerat. Itaque plebs misso in Rutenem nuncio cuidam refert, qui erat eo tempore natalium splendore, honore, titulis, opibus, authoritate cæteris longè præstantior. Contrahit hic seruorum auxilia, sede inuectus curruli, vrbem protinùs petit, Et iam emensus iter diei, fremens, dira, & extrema minitans, vrbi aderat. In medio tamen portę pridie beatus Pontifex orationem terræ prostratus fuderat. Quo in loco miro stupore hæsere biiuges, & vt insensibilia riguere signa. Nil agunt stimuli, nil verbera sæua proficiunt. Tùm vir insignis, miraculi nouitate perculsus, ad beatissimum virum vnum ex necessariis mittens, rogat vt pia dignanrer oratione absolueret, quem meritis quasi vinculis nexuisset. Haud mora, sacerdos aduenit, carpento deuoluitur persecutor, adhæret sancti genibus, rigat pedes lachrymis, peccatum fatetur, petit remedium. Vix verba compresserat, & animalia quæ vt duræ cautes riguerant, cęlitùs recepta mobilitate præceptis obediunt.

28. *Idem in vita S. Norberti cap.15*. Cùm Sanctus Norbertus Ordinis Præmonstratensis auctor primus, aliquandò in Villa Colrois, de pace, & concordia ad Populum verba habuisset, fuit à concione delatus quidam, quem inuidię tabes miserè confecerat; qui tamen viro Sancto optimè moneti, nullo modo aures præbere volebat: immò cùm acriori verborum stimulo premeretur, foràs exiliens, equum ascendit (erat enim miles) vt fuga se è conspectu Viri Sancti præriperet. Sed cùm admotis equo calcaribus fugam tentaret, equus in ipso vestigio immobilis perstitit prorsùs, vt omnium cachinis miser exciperetur. Norbertus interim precibus insistebat, ad quem reuersus supplex miles, scelus suum agnouit, prostratoque in terram corpore, veniam petiit, & accepit.

29. *Idem in Vita S. Re macli 3. Septembris*. Quodam tempore, Annonam ad Monasterium aduehentibus quibusdam è famulis pro consuetudine certa, illis in poculo quodam potus mensura apponebatur. Vbi ad vltimum ventum est, cernens ille abesse ministrum, qui potum offerebat, poculum in suam sarcinam coniicit, secùm ablaturus. Itaque iungit quatuor bouum paria ad plaustrum suum, cupiens cùm sociis abire domum. Ecce autem loco illi plaustrum adeò affigitur, bouesque tanto rigore constringuntur, vt prorsùs moueri non possent. Rogant socii, quod ipsi acciderit; fatetur furtum suum, & summo cùm dolore reddit poculum. Mox abscedunt boues gressu liberrimo.

30. *In Vita B. Coletæ Virg. c.34*. Quodam tēpore cùm duceret Coleta moniales aliquot ad nouũ monasterium, & ad locum quemdam periculosum venisset, sentiens in spiritu se in discrimine versari, monuit sorores, vt Litanias promererent. Quidam vero Nobilis, sæuus & immanis, sanctæ Coletæ opera, & conatus magnis viribus impedire cupiens, per ministros suos iter eius diù explorari iussit. Illi verò Coletam, & comites eius curauerunt illic retinendas, donec nobilis ille cùm suis eò aduenīret. Is vbi venit, euomuit confestim è cænoso pectore lutulenta, & turpia verba; ei autem humiliter, & religiosè Coleta respondit; & ecce equi malignorum hominum manserunt immoti, nec ad currum propiùs accedere potuerunt, quamuis possent facilè retrocedere.

31. *In vita S. Medardi cap.10*. Processu temporis directa Francorum acies Chlotarij Regis, cùm manu valida iam fluuium, cui vocabulum, summa, præterlegerat. Itaque cùm peruenisset exercitus inter Isaram fluuium, & vrbem Nouiomagum; spolia diripientes, prædamque agentes, cœlestis mox sententia prosecuta est. Nam animalia, quæ illorum vehebant onera, aut carpenta trahebant; repentè vti immobilia diriguerunt saxa, sicque vestigia fixerunt solo, vt per triduum ab eodem non possent dimoueri loco. Turbati verò omnes, & mente consternati, ad hominem Dei, qui tunc Sallentiæ commorabatur, in spiritu conuenerunt humilitatis: indicatoque quod acciderat, absolutionem ab eo supplicibus animis exposcebant. Quibus ille redeundi facultatem in hoc cùm præmissa donauit oratione, quatenùs nihil secùm tollerent de immensa illa totius predæ vniuersitate. Qui deponentes sarcinas, omniaque deserentes pecora, & armenta, à beato viro discesserunt cùm gaudio, officio liberè gradiendi animalibus reddito.

32. *Vincentius in Spec. Hist. lib.21. cap.43*. Cùm Beatum Carilephum Rex Hildebertus indignè tractasset; factum est, vt cùm aliquousque cùm equo suo, & comitatu processisset, equus postea loco moueri non potuerit. Itaque celer ad virum Dei dirigitur nuncius, qui & de præteritis veniam impetraret, & responsionem illius de his, quæ agenda forent, Regi deferret; Qui ait; vade fili, & dic Regi, vt reuertatur, & quia sine benedictione recessit, ita permotus; benedictionem accipiat à Domino per famulum eius; qui iussis obtemperans velociter ad Sanctum reuenit.

33. *In vita B. Ioannis Sanfacundi*. Quadam vice B. Ioannem insequebantur scelesti quidam equo vecti, vt in eum sæuirent, sed mirum dictu; cùm proximè Beato essent, immobiles equi stetere, nec vlla vi vrgeri potuere.

34. *Odoricus in Annal. Eccl. an.1413*. Exercente tyrannidem Romæ Ladislao, Laurentius S. Franciscæ Romanæ vir, vt Pontificiarum partium studiosus, in exiliũ pulsus est; cùmque Petrus Troiæ Comes, Neapolim esset profecturus, Baptistam filium obsidem ad se mitti iussit. Francisca materno amore mota, capiti filii metuens, ipsum occultare statuit; verùm iussu Confessarii prius B. Virgini commendatum tradidit. At mirum; cùm filium equi dorso imposuissent, vt eum Neapolim ducerent,

rent, nunquam equum adigere calcaribus potuerunt, vt gradum inferret, sed tantùm retrograderetur; quo circa alium conscendere iubetur equum, sed in uanum; permutatique fuere plures equi, sed nunquam impelli potuere. Quo prodigio perculsus Comes, filium matri restituit.

Insania, & Furore diuinitùs correpti.
§. 6.

QVi noluerunt intelligere vt benè agerent, omnipotenti virtute facti sunt sicut equus, & mulus, quibus non est intellectus, rationeque abutentes, ea infæliciter priuati sunt. De his.

1. *In Tiprographia Hibernia, cap.* 8. Apud Kildariam sagittarius quidam de Familia Rich-Comitis, sepem transiliens, ignem Brigidæ ore sufflauit, qui statim resiliens, demens esse cæpit, & cuicumque obuiabat, insufflans in eius os dicebat, Viden? sic ignem Brigidæ sufflaui. Sic quoque per domos totius Villæ discurrens, vbicunque ignem inuenit, eadem verba ingeminans, eum exsufflauit. Tandem verò captus à sociis, & ligatus, rogauit, vt ad aquam proximam duceretur; ad quam ductus, ore desiccato tantùm exhausit, quòd inter eorum manus medius crepuerit, atque expirauerit.

2. *Pet. de Natal. lib. 5. c. 14. de S. Maxentio Abb.* Cùm Franci cùm Rege Clodoueo contra Gothos ad bellum procederent, venientes Monasterium S. viri, vt illud spoliarent; & quidam ex illis Abbatem pro posse resistentem gladio perimere vellet, gladiumque super eius caput eleuasset, manus cùm brachio in aere suspensa remansit, quam nec deponere valuit, & postmodùm seipsum dentibus laniare cæpit; reliqui verò excæcantur, & adeò mente turbantur, quòd se mutuò cognoscere non valebant. Quod Rex audiens, ad Maxentium venit, & pro se, ac suis veniam petijt, cunctisque ipsis liberationem mentis, & corporis humiliter impetrauit.

3. *Sanctus Bernardus, in vita Sancti Malachiæ, cap.* 13. Loquente coràm aliquandò Malachia, & populum exhortante, mulier quædam infelix ausa est interrumpere sermonem clamoribus improbis, non deferens Sacerdoti, & spiritui, qui loquebatur. Erat autem de progenie impia, & spiritum habens in naribus, blasphemias, contumeliasque euomebat in Sanctum, dicens hypocritam, & inuasorem alienæ hæreditatis, sed & caluicio illius improperans. At ille nihil respondit ei sicut erat verecundus, & mitis: sed Dominus respondit pro eo. Versa illa in insaniam est. Domino iudicante, & crebris vocibus clamitans, se suffocari à Malachia, morte demùm horrenda luit peccatum blasphemiæ.

4. *In Martyrolog. Gallicano 4. Decembris, de Sancto Ligirano Abbate.* Tantam Abbatis Sanctimoniam capitalis generis humani hostis iniquè ferens, Quæstorem Ciuitatis facibus inuidiæ inflammauit; qui in simulatum dementiæ Sanctum virum, omni ludibrio insectatus est, tandemque eo nomine constrictum nexibus, publicam in custodiam coniecit. At Deo serui sui iniuriam vlciscente, liuidus ille Quæstor paulò post ipsemet mente captus, cùm in furorem prorumperet, percussus à quodam spiculatore gladio, miseram efflauit animam.

5. *Theodoretus, de Sancto Aphraate.* Vnus ex Imperatoris Cubicularijs, grauiores contra hominem diuinum iactauit minas, & propterea talem plagam accepit. Fortè ei cura balnei commissa fuit: qui simùl vt Aphraatem verbis contumeliosis insectatus fuerat, ad balneum Imperatori parandum se contulit. Cùmque ingressus esset, repentè de potestate mentis deturbatus, in aquam calidissimam minimèque temperatam se præcipitauit, illicòque obiit mortem. Imperator autem sedens illum expectat, vt indicet, quandò ad balneum intrandum sit: vbi verò multùm temporis præterierat, alios mittit, qui moræ causam sibi significent. Hi ingressi balneum, cùm omnia intùs loca oculis lustrassent, tandem offendunt hominem in aqua feruente minimèque temperata mortuum, corpusque eius ardore dissolutum. Qua re Imperatori nunciata, dedicere omnes, quantùm ponderis Aphraatis haberet oratio.

6. *Notkerus in Martyrologio, Kal. Iulij, de Sancto Areleffo.* Audiens quædam mulier, nomine Gunda, quia Sanctus Areleffus muliebri sexui, per quem virile robur solet emolliri, interdixisset aditum in Monasterium suum, assumpto viri habitu, quasi Sancto Dei illusura, & vt sibi videbatur iam voti sui compos effecta, inter multitudinem virorum tendebat ad Cænobium, & ecce subitò in amentiam versa est.

7. *Chrysostomus Henriquez, de Beato Conano Abb. 15. Ianuarij.* Cùm aliqui filij Belial, bona Monasterii, quæ pauperibus deputata erant, diriperent, apertis miraculis puniti fuerunt; inter quos quidam Iuuenis, qui horreum Monasterii frumento refertum incenderat, mox mente, rationeque omni humana excidit, vinculisque ne vel in se, vel alios sæuiret, coercitus, ea derumpens, ad Monasterium profugit, misere eiulando se Monachorum igne totum deflagrare, atque in his eiulationibus paulò post expirauit.

8. *Surius in vita Sancti Edmundi Regis, & Martyr, 20. Nouembris.* Non piget referre de quodam magnæ potentiæ viro, Leofustano vocabulo, qui iuuenilis ætatis impetum non refrænans, ad id flagitii lasciuiendo prorupit, vt sibi quadam singularis potentiæ authoritate præciperet ostendi corpus Sancti Martyris Edmundi. Cùmque inhiberetur à pluribus, maximè tamen à suis fidelibus, præualuit imperium eius; quoniam propter arrogantiam suæ nobilitatis, omnibus erat terrori. Reserato ergo locello, adstitit, aspexit, & eodem momento in amentiam versum, tradidit illum Deus in reprobum sensum, ac pœna sua didicit, quia præsumpsisset, quod non licuit. Quod audiens pater eius, vir religiosus admodùm, cui erat Alfgarus vocabulum, exhorruit facinus flagitiosissimum

fissimum, ac Martyri gratias retulit, filiumque à se remouit. Qui tandem ad summam inopiam perductus, iudicio Dei vitam finiuit à vermibus consumptus. Sicque Sanctus Rex, & Martyr Eadmundus omnibus innotuit non se esse inferiorem meritis Laurentij Beati Leuitæ, & Martyris, cuius corpus (vt refert B. Pater Gregorius) cùm quidam seù digni, seù indigni leuare volentes, conspicerent, contigit vt septem ex eis ibidem subita morte perirent.

9. *Matthaus VVestmonasteriensis in Chron.* Anno gratiæ 660. Clodoueus Rex Francorum, corpus B. Dionysij discooperiens, cupidè, & minùs religiosè os brachij fregit, & rapuit, sed mox in amentiam incidit æternam.

10. *S. Gregorius Magnus, in Epist. ad Theotistum.* Quidam ex Longobardis Arianus, in Cronotensi Ciuitate reperit clauem Petri auream, ac cultro eam incidit; quod quamprimùm tentauit; furore correptus satanico, cultro sibi iugulum discidit, eademque hora expirauit.

11. *Volaterranus lib. 23. Anthrop.* Iustinus minor, ab initio liberalis visus, verùm à Sophia coniuge persuasus, auarissimus euasit, simulque & Pelagianæ adsertor hæreseos. Quapropter pro insano ad postremum habitus est.

12. *In vita S. Geraldi Aureliacensis lib. 4.* Non longè ab oppido, quod rustici Mulsedonum dicunt, prædictus Vir Dei casam habuerat. Porrò oppidani mutuò condixerunt, vt mensam eius, quæ in prædicta casa adhùc erat, sibi ad reficiendum deferrent, quod & fecerunt. Cùm autem super eam quidam, veniente meridie, dormire vellet, subito cæcus, & amens effectus est.

13. *Meginfredus in vita S. Emmerammi Episcopi, & martyr.* Cùm Sanctus Martyr toto corpore dilacerato, membris, & lingua abscissis, singulisque in partibus sanguine cruentatus, aquam ad refocillandum pectus à quodam presbytero præsenti petiisset, ille crudeliter negauit. Tunc Sanctus Emmerammus ad eum conuersus, ait: Quia hoc officium humanitatis negasti, & exhausto tormentis pectori refrigerandi aquam præbere noluisti; dies tuos hæc exactio torqueat, vt quoties cuiuslibet generis potum sumas, alienationem mentis incurras, nulli periculum laturus, sed exemplum inobedientiæ hoc typo luiturus. Cuius sententiæ vim idem Presbyter multis quibus postea vixit annis expertus est; nam quotiès aliquem gustabat potum, illicò mente captus, per vrbis plateas, perque loca petrarum abrupta, & monumenta mortuorum discurrendo terribiliter perstrepebat, & tamen ita stupidus nulli fuit periculosus. Cæterùm vir idem callem piæ conuersationis rectè gradiebatur, & Missarum officia, cæteraque Ecclesiastica strenuè peragendo, charitatis munia cuncta quantùm voluit adimpleuit; hoc solùm vsque ad finem vitæ & pro exemplo, & pro humilitatis custodia pertulit.

14. *Rhò in Hist. virtutum libr. 6. cap. 3. num. 20. de Isidoro Clario Episcopo Fulginate.* Ludentes talis in foro, præteriens Episcopus, officij admonuerat, cui ob eam causam ex illo perditorum grege vnus nobilitate audax, ac furore praeceps colaphum excussissima palma infregit; sed stetit sibi constans Isidorus, ac dissimulata iniuria, quà cæperat, ire perrexit. Eundem zelantem Episcopum vir nobilis ab eo in intima deductus conclauia, ibique de propudiosa quam ageret vita leniter monitus, rabie furens, ac scelere amens depalmauit; non id eò tamen quidquam patientiæ minus decorum fecit Isidorus, quin irruentes famulos abire iussit, nihil factum esse dictitans; sed quas Christi seruus dissimulanter transmiserat iniurias, grauissimè vltus est Deus; nam vterque emota mente, desipientes longa, & miseranda ciuibus fabula fuere.

15. *Bzouius in Ann. Eccl. ann. 1383. num. 12.* Hoc anno Carolus Francorum Rex cùm Burburgi Anglos expugnasset, contra edictum Principum aliquot scelerati milites Britones, non contenti profanas deuastare ædes, in templum Diuo Ioanni Baptistæ dicatum irruerunt; Sed non sine diuina vltione. Vnus eorum auaritia cæca ductus, ad gazophilacium, quem truncum templi Belgi vocant, veniens, in partes illum comminuit, ratus ingentem ibi condi thesaurum. Sed voti impos factus, mox in terram concidit, & quasi à Dæmonio obsessus, alienata mente horribiliter vociferabatur, caput pauimento allidebat, labia mordebat, dentibus stridebat, calcitrabat, spumabat; dixisses canem rabiosum, vel Dæmoniacum hominem; exitum templi quærebat, nec inueniebat; tandem propè Baptisterium in pauimentum lapsus, crepuit medius, & dispersa sunt omnia viscera eius.

16. *Odoricus in Historia Ecclesiastica.* In Galliis ann. 1392. Carolus VI. schismatis propugnator contra Bonifacium IX. dùm ira in Britanniæ Comitem percitus, æstuoso cœlo, affectaque valetudine exercitum ducebat, amentia percussus est.

17. *Aegidius Aureæ vallis, de eleuatione Corporis Sancti Domitiani Episcopi.* Quidam, Engebertus nomine, cæpit miraculis S. Domitiani derogare, & adeuntibus Ecclesiam insultare, sed mox diuinitùs mirum in modū correptus, cæpit æstuare, & destitutus corporis membris, & viribus in terra volutari. Tandem se deliquisse profitens, & à sacerdote absolutionem postulans, os suum, & pectus percutiens, à vexatione absolutus est.

18. *In Historia Hungarica Pat. Prædicatorum, de Beato Ioanne Theutonico.* Cruciatam prædicaturus, locum in campo quodam populo designauit, quò cùm frequens conuenisset, eques quidam armatus, qui ipso loco duellum inire decreuerat, modis omnibus verbi Dei prædicationem impedire nititur. Pius Pater, blandis eum verbis, & magna demissione rogat, vt prouinciam illam dimittat; vbi verò nihil se proficere animaduertit, Deum orat, vt oportuno remedio subueniat. Prece fusa, eques (mira res!) in stultum, & furiosum vertitur, quem famuli cùm luctu, ac mærore domum referunt. Proindè vir Sanctus suam ad populum con-

concionem habet, qua peracta, vnà cùm ipsis pro infelici Equite preces minimè inanes effundit, nam ad eum pergens, frontique eius salutare Crucis signum imprimens, ad sanam mentem reduxit.

19. *H. Boetius libr.* 18. Sub Iacobo III. Scotorum Rege, Donaldus ab Insulis Hebridianorum manu comitatus, D. Brigidæ templum spoliauit multa supellectile, quæ repentè illic propter loci religionem deposita ab incolis fuerat. At statim apparuit diuina iustitia; nam Donaldus mente alienatus est, nec quicquam deinceps egit, quod rationis, aut prudentiæ signum preferret. Quamobrem Amici, cognatique eius, casu tanto permoti, illum ad Diuam Brigidam expiatum sacrilegium ducunt. Cumque iam accensis cereis aram diuæ accederent, repentè omnes ex flauo colore in nigrum versi sunt.

Varijs morbis, & infirmitatibus Diuina virtute castigati. §. 7.

NE innumeri multiplicentur tituli, hic in vnum colligam varios morbos, infirmitatesque, quibus in delictorum pœnam corpora delinquentium, omnipotenti, & Diuina sunt castigata manu, præter ea quæ suis quæque locis sunt notata. Sunt autem.

1. *Vincentius Belu. libr.* 21. *Spec. Hist. cap.* 91. *de Sancta Radegunde*. Vinoberga vna eius fuit famula, quæ ausu temerario in cathedra Beatæ Reginæ post eius discessum sedere præsumpsit. Quo facto, iudicio Dei percussa ita ardebat, vt viderent omnes fumum de ea in altum procedere; Et illa coràm omni populo confitens se proclamarent peccasse, & propterea arderet, quia in Beatæ sede cõsederat. Tribus ergo diebus, & noctibus incendiũ passa, vociferans clamabat. Domina Radegundis, peccaui, malè egi, indulge mihi, refrigera mihi membra duro cruciatu exusta. In tanta pœna ipsam omnis populus videns, pro ea precabatur. Sic beatissima ad preces omnium benignè indulget, ignem feruentem conspescuit, illa sospes domum rediit.

2. *In actis S. Vdalrici Episcopi Augustani*. Quidam ex familia S. Mariæ, Hisenhart nomine, vnum de baculis, qui ad sepulchrum de infirmis portabatur, tulit, & eum in manu portando indè ambulare cæpit, cùmque ad collem qui dicitur Perilerch veniret, à febre acriter fatigari cæpit, tunc persentiens pro quo reatu infirmitati concederetur, regressus ad sepulchrum, baculum restituit in locum, vbi eum tulit, votumque fecit, vt vltrà nullum indè auferre præsumeret, votoque peracto, à febre dimissus est.

3. *In vita S. Eligij Episcopi Nouiomensis cap.* 56. Solebat vir Sanctus, adhùc in corpore manens, crebrò venire Compendium, regale oppidum, & trans fluuium propinquum Isaram apud Vualdolenum habere hospitium. Postquam autem desijt esse in humanis, ille eius hospes, lectulum eius absque vlla tanti viri reuerentia demolitus est, & è sponda, quam sæpè sua manu triuerat vir beatus, limen effecit, atque cùm sua coniuge eo loco, quo vir Dei cubare solebat, se reposuit. Ecce autem eadem nocte acerrima febre correptus, nauseat, tremit, sudat, pallescit, pedes, quibus spondam calcauerat, dolent, & magno ardore æstuant; ita vt ingredi non posset. Interim dùm ille sic cruciatur, vxori per visum præcipitur, vt quàm primùm ab eo loco recedant, spondam instaurent, totumque lectum, vti priùs erat, diligenter restituant, atque componant; sed illa negligenter visionem obliuiscente, maritus acrioribus vrgetur dolorum stimulis. Proxima nocte etiam ipse admonetur, nisi ocyùs ex illo lecto recedat, fore vt seueriùs castigetur. Post eam visionem non nihil se remittente febre, vt potuit celeriter surrexit, spondam illicò collegit, diligenter ablutam in locum pristinum restituit, lectumque instaurauit, & ab illo deinceps se abstinens, temeritatem suam pœnitentiæ multa satisfactione expiauit, atque ita demùm curatus est.

4. *Colganus in vita S. Moedoc*. Cùm teneret B. Episcopus Molingus cathedram Episcopalem Sancti Moedoc, aliquo euentu in lecto Beati Viri Sanctus ascendit; vbi nemo ante eum ausus est ingredi. Cui ait Canonicus istius Ecclesiæ, vsque hodiè post obitum S. Moedoc Patroni nostri, nemo ascendit in hoc lecto propter nimiam sanctitatem eius, qui modicè ibi inuigilans spiritu Domino, post lassitudinem corporis, requiescebat. Ait ei Sanctus Episcopus Molingus; nos qui in Cathedra eius sedemus, benè possumus hic dormire; Et cùm hoc dixisset, dolor validus apprehendit eum; cùm iam torquebatur valdè, fundens orationem petiuit Dei auxilium; Sanctumque inuocauit Moedoc, & statim feruor doloris mirabiliter discessit ab ipso, statuitque, vt deinceps nemo in lecto S. Moedoc dormiret.

5. *Horat. Tursell. lib.* 5. *Lauretanæ Histor. cap.* 9. Anno qui fuit à Christo 1585. nouo miraculo intellectum est, quantæ curæ sit Deo Lauretana Domus. Lapidis fragmentum relatum est ex Sicilia, cuius allati, & culpa vetustior, & pœna longinquior. Panormitanus ciuis, viginti ante annis Lauretum profectus, lapidem è sacra surripuerat Cella. Nec quantacumque pietatis in temerario facto species, aut interdicti Pontificalis ignoratio, Diuinam auertit iram. Domum regressus, graui extemplò implicatur morbo; ac ne repentini mali causa dubia foret, quotannis circa id tempus, quo culpam admiserat, pœnam luebat. Septembri mense, aut certè Octobri deficientibus subitò viribus atroci vrgebatur febri; Nec medentium iudicio naturalis vlla morbo suberat causa, & ipse culpam pietatis nomine inuolutam minimè agnoscebat. Tenuit ea res annos viginti; per quos annos insanabili morbo, nec causa, nec finis inueniebatur; ad extremum cùm alia nulla causa appareret redeuntis in orbem mali, religio subijt ægrum animum, & conscientia stimulante, sacerdoti vulnus aperuit. Ille enimuerò temerariam pietatem talis morbi originem esse ait, impensè monens, vt sacro lapide resti-

restituto, salutem in tuto locaret suam. Haud surdis hæc auribus dicta. Æger veluti cœlesti voce iussus, lapidem eidem tradit remittendum, vnde olim ab se fuit ablatus; nec mora, saxo illo reddito, æger valetudinem recepit; & res satis testata. Io. Baptista Carminata Societatis Iesu Præpositus in Siciliæ Prouincia, sacrum lapidem cùm litteris totam rem enarrantibus Romam destinauit ad Cardinalem Vastauillanum Laureti Patronum; ille eumdem lapidem Leonorio Lauretano Præsidi cùm Siciliensibus litteris transmissum suo reponi loco iussit. Leonorius ergo, simùl ac Lauretum perlatus est lapis, solemni supplicatione indicta obuiam ei procedit ad portam; inde saxum miraculo clarum, quanta maxima potest pompa ad sacram defertur ædem. Mira res dictu, visuque! vix sacrosanctæ Domui illatum, cùm statim (tanquam Deo monstrante) vacuus apparuit locus, vnde viginti abhinc annis fragmentum illud auulsum esse constabat. Reposito in suum locum, nota addita index miraculi, comprimendæ Peregrinorum audaciæ.

6. *Idem lib.4. cap. 3.* Alium lapidem ex eadem sacra Lauretana Æde diplomate Pontificio abstulerat Ioannes Soarius Episcopus honesto titulo, cultus Lauretanæ Virginis propagandi in Lusitania; Sed vix Tridentum sacrum delatum erat pignus, cùm Episcopus graui affligtari morbo cæpit, ita vt ad extremum iam venisset; intelligensque hoc sibi accidere propter ablatum lapidem, misit qui illum Lauretum referret, vixque ille vrbis porta citato excesserat equo, cùm Episcopus meliùs haberi cæpit, & quò propiùs is Lauretum accedebat, meliùs habebat Episcopus, & eodem tempore, & Virgini lapis, & salus perfecta Episcopo reddita est.

7. *Augustinus Mannus in Selectis Histor. capit. 94.* In Ciuitate Theatina fuit quidam, qui cùm multas facultates fœnore comparasset, vltus à Deo lepra fuit, cùmque morbo torqueretur, vouit se eleemosynæ gratia centum aureos ad Domum Lauretanam missurum; famulum misit, qui pecuniam promissam perferret, & statim à lepra liberatus fuit; cùmque die quadam dicerent ei amici quidam, vt tanto beneficio responderet, nec deinceps ad fœnus rediret; tunc ille; si fœnerari, inquit, peccatum esset, Beata Virgo meum fœnus non acceptaret; oportuit enim pro sanitate recuperanda, me centum aureos mittere ad illam; increparunt illum amici, Beata Virgo puniuit; nam cùm domum iuisset peracta cœna, cùm in lectum decubuisset, media nocte expergefactus, sensit se iterùm lepra correptum, cùmque clamaret, heù subter renes meos sentio quasi titionem igneum; tùm vxor cùm videre locum voluisset, ibi crumenam cùm centum aureis, quos ad Lauretanam domum transmiserat, inuenit, paulòque post clamans infælici morte consumptus est.

8. *In vita Sancti Nicetij.* Cùm Sancti Nicetij Lugdonensis Episcopi recens vita functi, testamentum pro more Romano turbis circumstantibus reseratum, recitatumque fuisset, Presbyter Basilicæ tumens felle, quòd nihil loco illi, in quo sepultus fuerat reliquisset, ait. Aiebant semper plerique stolidum fuisse Nicetium, nunc ad liquidum verum esse patet, cùm nihil Basilicæ, in qua tumulatus est, delegauit. O sacrilegæ mentis auaritiam! ò verba quibus non suppliciis expianda! sequenti autem nocte apparuit presbytero cùm duobus Episcopis, idest Iusto, atque Eucherio, in veste fulgenti, dicens ad eos: Hic presbyter sanctissimi fratres blasphemiis me obruit, dicens: Quia nihil facultatis scripserim Templo huic, quo requiesco, & noscit, quia quidquid pretiosius habui, ibidem reliqui, idest glebam corporis mei. At illi dixerunt, Iniustè fecit, vt detraheret seruo Dei. Conuersusque Sanctus ad Presbyterum, pugnis, palmisque guttur eius illisit, dicens: Peccator conterende, desine stultè loqui. Expergefactus autem presbyter tumefactus faucibus, ita doloribus coarctatur, vt ipsas quoque salivas oris vix cùm labore posset maximo deglutire. Vndè factum est, vt per dies quadraginta lectulo decubans grauiter cruciaretur; sed inuocato Confessoris nomine, sanitati redditus, nunquam ausus est ea verba, quæ priùs præsumpserat, garrulare.

9. *In Ann. Minorum ann.* 1220. *numer.* 5. *de martyribus apud Marrocbum occisis, & cultis.* Fuit quidam Nuncius Apostolicus, quem in illo Regno Collectorem appellant, qui tantam impendi venerationem videns martyribus, adhùc per Ecclesiam non canonizatis, in ipsa eorum Ecclesia prohibuit, ne ampliùs tanta solemnitate colerentur inconsulta Romana Ecclesia, nec peculiari obtenta licentia. Vt dixit, statim mula, qua vehebatur, ad Templi valuas mortua elisa est in terram, & ipse Antistes ardenti, subitaneaque correptus est febre. Ex cœlesti indignatione hæc mala suspicans oriri, humiliter se prostrauit ad Sacrorum Martyrum reliquias, promittens in posterùm, se eis omne obsequium, & reuerentiam præstiturum, eorumque solemnitatem commendaturum. Cor contritum & humiliatum Deus non despexit, eumque sanitati, & mulam vitæ restituit.

10. *Razzius in Viridario exemplorum. V.Blasphem. Exempl.* 11. Quidam impius, inuidens Sanctitati Sancti Alberti Ordinis Carmelitarum, sacrilegas Blasphemias contra eum protulit, & illicò intestina eius vsque ad genua ita prolapsa sunt tanto dolore, vt nulla industria humana operante, iam ageret animam. Cùm facti pænitens, eumdem Sanctum religiosè inuocauit, qui mane sequenti ei apparens, eumque mirifico oleo inungens, sanauit.

11. *Beatillus in vita S. Nicolai Myrensis.* In oppido Rutiliani erigebatur Templum Diuo Nicolao Episcopo; accidit autem vt die Sabbato,

ro, qui alijs præerat, eos hortaretur vt aliquid plus laboris eo die insumerent ob ipsum Nicolaum; vnus ex illis parùm deuotus opposuit se, respónditque; nunquid hac vespere veniet Sanctus, deferretque mihi piscem aliquem. Sanctus Barii manet cùm suis presbyteris, qui pisces, quandò ipsis lubet, edunt, Ecclesiæque pronentibus fruuntur; accedant ipsi ad laborem, nam ego nolo diutiùs, quàm teneor, laborare. Vix hæc dixerat, cùm ex turris culmine lapis decidit, qui in fronte eum leuiter percussit, & in terram cecidit semimortuus; Accurrunt socii, lapidemque mirum in duas deductum partes reperiunt, intúsque piscis figuram habebat expressam, adeò vt piscis odorem emitteret, ac si eo tempore coctus fuisset. Tunc miraculum agnouere; ille qui ictus fuerat ad se rediit, culpam suam fassus est, planxit, quòd Presbyteros Barensis Ecclesiæ vellicasset.

12. *In vita Sanctæ Vualpurgis Virginis, apud Canisium, Tom.* 4. Erat quædam puella Beatæ Vualpurgæ Virginis spirituali reuerentia satis intenta, ac deuota mente ipsam colens, quæ iuuenili ætate sua nimis delectabiliter fruebatur, non tamen dissolutione inhonesta. Hæc frequenter infirmitate, & aliis admonitionibus correpta est, nec desistebat, sed vt frequenter cùm suis sodalibus ludens iocabatur, & inter alios ludos, cuidam ludo satis dissolutè magis intendebat, qui proiectio pilæ nuncupatur, quo sibi puellæ & iuuenes mutuò pilam proiiciendo porrigunt, & rursùs eamdem recipiunt, & hic ludus cachinnis & inordinatis motibus interdùm abundare dicitur; Et ecce Sancta Vualpurgis Virgo sibi deuotam non dereliquit, sed ei mirabili vexatione intellectum dedit; nam cùm multipliciter correpta, & non tamen correcta, ludum prædictum, quem amauerat, quadam hora exerceret, pila manui eius intantùm adhæsit, vt ab ea dolore magno simùl & verecundia vix auelleretur. Quo facto, resipuit, & inposterùm mentem suam ab omni mundiali gaudio retraxit, ita vt Deo, sanctæque Vualpurgæ Virgini officiosa sedulitate pro residuo sui temporis deseruiret.

13. *In actis Sancti Emmerammi Episcopi, & Martyris.* Cùm Michael Hiaspolitanus Antistes, in quodam Monasterii Palatio Imperatori Ottoni parasset conuiuium, quo Principes cùm primatibus fecit recumbere secùm; cùmque ritu epulantium penè forent confirmati, & vino lætati, Imperator ore iucundo omnes inuitauit ad propinandum charitatem Sancti Martyris; quod cùm singuli facerent, vnus hanc superbè respuens, dixit: hæc charitas in ventre meo non habet locum, quia cibus, & potus iam intrantes preoccupauerunt illum. Adhuc lingua palpitans ex emissione verbi mouebatur, & è pariete cui amphipendulato dorso tenùs innixus adhæsit, colaphum tàm validè complosum accepit, vt è sessu proiectus, in medium palatii præceps rueret.

14. *In actis Sancti Gengulphi Martyris.* Cùm ad sepulchrum deferretur corpus prędicti Sancti, multaque miracula per ipsum patrarentur, hoc relatum fuit vxori illius, quæ nihil credens, irridens, & subsannans ait. Ita Gengulphus miracula factitat, sicut anus meus cantat. Moxque ab ano suo turpes sonos, & numerosos, vellet nollet, cæpit emittere; Quod ei postea contigit omni vita sua in sexta Feria, vt quoties in eadem Feria, in qua vir eius Martyr effectus est, aliquod verbum ab ore proferret, toties ab ano turpem sonum ederet. Quod audiens Rex Pipinus, ad maiorem gloriam martyris experiri dignatus est.

15. *In actis Sancti Erminoldi Abbat.* Quidam maligno spiritu stimulatus contra beneficia, quæ famulus Dei Erminoldus cunctis faciebat, temerariè effutire cæpit; factoque semel flagello de virgis, tribus ictibus tumbam Sancti proteruè percutiens, ore sacrilego: Quiescas, inquit, tu Erminolde, & nos inquietare desistas. Vix hæc finierat, cùm Dei vltio secuta est; nam facies eius tanquam aqua feruenti perfusa, cæpit incredibiliter æstuare, cùmque aqua fontis faciem refrigerare tentasset, magis æstuabatur; nec desistens à sua impietate, percussus lepra terribili ab hominibus est amotus, paulòque post in suo peccato obstinatus vita priuatus est.

16. *Gretserus de maledictionibus libr. 3. cap.* 10. Contra Sanctum Trudonem Presbyterum, & Confessorem multa euomuerat publicæ annonæ dispensator, eumque, ceù tantùm frugibus consumendis natum, procùl pellendum existimabat; quem cùm alii defenderent, ac debitis laudibus prosequerentur, eumque vt in scripturis se se exerceret adesse dicerent, ducto initio à Psalmis, oggessit ille non sine irrisu; Imprecor, vt cùm hic memoriter habuerit Psalterium, pœna in me non redundet alia, quàm dolor dentium. Audiuit Dominus, & prouocatus ad iracundiam, interim tamen serui sui distulit vlcisci contumeliam. Annus quoque defluxit, & capacissimus iuuenis secundùm operantem in se spiritum, memoriter perfecit Psalterium; dispensatorem verò secundùm cor impœnitens, & deuotationem labiorum suorum, inuasit dolor dentium, neque requiescit pœna, donec expleta dierum suorum sufficienti malitia, extorqueretur & anima.

17. *Theodoretus in vitis Patrum, cap. 15. de Acepsima Monacho.* Quidam vsus quodam maligno inuestigandi studio, & scire desiderans, quid toto tempore ageret; ausus est conscendere platanum, quæ sita erat iuxta fossam; sed percepit illicò fructus suæ audaciæ. Media enim parte corporis vsque ad pedes exsiccatus, supplex accessit ad Acepsimatem, suum peccatum accusans; Ille verò secta platano priùs, significauit recepturum sanitatem. Ne enim alius quoque cùm similia fecisset, pœnas lueret similes, arborem iussit exscindi; arboris autem sectionem secuta est etiam ablatio supplicii.

18. *Sanctus Petrus Damianus lib. 7. epist. ad Blancam Comitissam epis. 19.* Dux Venetiarum duxerat in vxorem fœminam Constantinopolitanam, quæ tam delicata, superstitiosa, & artificiosa iucunditate se mulcebat, vt non communibus aquis, sed rore cœli vndique conquisito manus ablueret, & balneum sibi pararet; Cibos non manu tangebat, sed ab Eunuchis scissos, fuscinula aurea ori ingerebat. Eius cubile plenum odoramentorum, & thymiamatum erat, vt eius fragrantia non assuetos tantùm, non stupidos faceret. Sed vide vltionem Dei; corpus eius omne computruit, vt totum cubile intollerabili fœtore impleret, nec quisquam famulorum eam ferre posset, & vix vna ancilla non sine speciei redolentis auxilio in eius obsequio permaneret; quæ & raptim accedebat, & protinùs fugiens abscedebat. Diutiùs ergo hoc fœtore decocta, & miserabiliter cruciata, amicis etiam lætantibus, diem clausit extremum.

19. *Ioannes Eusebius lib. 2. de miraculis naturæ cap. 20.* Vidimus, inquit Giraldus cap. 34. in Guuallia, Hibernensem baiulum quemdam, cornu quoddam æneum, quod Sancti Patritij fuisse dicebat, pro reliquijs in collo gestantem. Dicebat autem ob reuerentiam Sancti illius, neminem ausum hoc sonare. Cùm igitur (Hibernico more) circumstanti populo cornu porrigeret osculandum, Sacerdos quidam, Bernardus nomine, de manibus illud eripuit, & oris apponens angulo, aeremque impellens, sonare cæpit; qui & eadem hora multis astantibus, ore quidem auretenùs paralyticè retorto, duplici passione percussus est. Cùm enim torrentis eloquij priùs extitisset, & delatoris linguam detractor habuisset, sermonis cuiuslibet statim amisit vsum. Vndè & in hac parte sic læsus est, vt semper hactenùs linguæ fuerit impeditæ. Præterea lethargum patiens, sic statim obliuioni cuncta tradiderat, vt vix etiam nomen se habuisse meminisset. Enim verò tàm enormiter in memoria læsus fuerat, vt Psalmos, quos antea corde tenùs optimè nouerat, multis ab inde diebus, quasi de nouo recordantem videremus, & litteras etiam, quarum notitiam copiosè satis habuerat, denuò mendicantem tanquam elementarium, senem miraremur. Cui tandem in Hiberniam ad S. Patritium excessus huius causa peregrè profecto, plenior valetudo rediit, sed non plena.

20. *Tilm. Brendebachius lib. 7. collat. sacrarum cap. 58.* Vir quidam doctrina, & pietate spectatissimus nuper Antuerpia ad nos perscripsit, quòd cùm Vener. Patres Societatis Iesu, è Collegio suo recenter istic antea erecto, factiosorum hominum opera eiecti, vrbeque excedere iussi essent, totaque iam Collegij domus vacua esset, ac desolata; quidam Caluinisticæ factionis sectator, in eam se proripuit, & colligati straminis fasciculum (qui ædibus pestis contagio infectis appendi consueuit) è fenestra suspendit, in derisum, & contumeliam Patrum, moxque alius quidam eius factionis, ostium pulsauit: alter verò, qui fasciculum suspenderat; Quid, inquit, hic pulsas? videsne insigne pestilentiæ? vniuersi hic peste sunt sublati: Eadem die pestis domum istius irrisoris inuasit, cùm tamen ante nulla circùmquaque esset pestis contagio.

21. *In Annal. Minorum ann. 1228. numer. 16.* Apud Potentiam Apuliæ ciuitatem erat quidam Clericus, Rogerus nomine, vir honorabilis, & Ecclesiæ Maioris Canonicus. Hic cùm infirmitate quassatus, die quadam Ecclesiam oraturus intrasset, in qua erat imago Beati Francisci depicta, gloriosa stigmata repræsentans; cæpit de illius sublimitate miraculi, tanquam de re omninò insolita, & impossibili dubitare. Subitò igitur dùm mente plagatus interiùs cogitaret inania, in palma sinistræ manus sub chirotheca grauiter se sensit esse percussum, sonitum audiens percussuræ, velut cùm spiculum prosilit de balista; moxque tàm vulnere sauciatus, quàm sonitu stupefactus, chirothecam de manu traxit, vt visu dignosceret, quod tactu perceperat, & auditu. Cùmque nulla fuisset priùs in palma percussio, conspexit in medio manus plagam, quasi sagittæ percussione inflictam, ex qua tanta vis procedebat ardoris, vt videretur ex illo deficere. Mirabile dictu! nullum in chirotheca vestigium apparebat, vt latenti plagæ cordis, latenter inflicti pœna vulneris responderet. Clamat ex indè per duos dies, & rugit dolore grauissimo stimulatus, & increduli cordis velamen explicat vniuersis; credere se veraciter sacra stigmata fuisse in Sancto Francisco fatetur, iurat contestans omnis dubitationis abscessisse phantasmata. Orat suppliciter sanctum Dei, per sacra sibi stigmata subuenire, & multas cordis preces multo impinguat profluuio lachrymarum. Mirum certè! incredulitate proiecta, sanationem mentis, sanatio sequitur corporalis; omnis quiescit dolor, frigescit ardor, nullum remanet vestigium percussuræ.

22. *Odoricus ann. 1239.* Quo tempore occupatum fuit Cassinense Monasterium à Friderico Imperatore, miles vnus excubijs murorum insistens, spiritu nequiori correptus, monachum quendam ibidem, quasi racemum post vindemiam derelictum, sub ipsius custodis habitu impræuisis passibus incedentem, vrinæ profluuio impudicè perfudit, qui statim post monachi lachrymas, & Benedicti præsidium imploratum, illo toto corpore graui lepra percutitur, vt corporis miserabilis membra veluti elimato percussa gladio, profunditis vlceribus conscinderentur in frusta, sic quòd vix multorum vehiculo apponi potuit consortio leprosorum.

23. *In actis S. Simeonis Salo.* Erant illi familiares quidam, inter quos prorsùs sine vlla discriminatione morabatur. Quidam ex familiaribus illius, famulam habebat, quæ à quodam constuprata, vterum gestabat. Cùm autem ab hero quisnam eam constuprasset edicere cogeretur, Symeonem occultè sibi commixtum fuisse, idque sic esse, & si necesse esset, posse se illum conuincere, dicebat. Quod cùm Symeon audisset, carnem, se eamque admodùm lubricam gestare, dicens, assentiebatur. Cùm autem rumor iste passim percrebuis-

buisset, sibique Symeon multùm ignominiæ, vt putabat, lucrifecisset, subduxit se se, & pudefactum esse simulauit. Vbi verò dies grauidæ ad pariendum aduenit, illaque pro more parturientis sederet, parturitio quidem, vehementem, plurimum, & inauditum dolorem adferebat, sic vt parturientem in extremum vitæ discrimen adduceret; fœtus verò haud quaquàm succedebat. Cùm itaque Symeonem, qui de industria reuersus erat, vt pro illa oraret, rogassent, dixit, mulierculam hanc non parituram, nisi priùs edicat, quis fætus huius parens existat, quod cùm illa fecisset, verumque parentem edixisset, mox infans, ipsa veritate obstretricante, ex vtero prodijt.

24. *Gonzalus Fernandez de Ouiedo*. Anno Domini 1540. Matriti quidam eques, nomine Franciscus Ramirez, cùm feria quinta in Cęna Domini, nè communionem à suo Parocho acciperet, propter nauseam, (nam ille in vultu horribilis tantopere, vt leprosus, vel ad minùs grauatus morbo gallico exteriùs videbatur) ad alium Parochum accessit: At vbi primùm hoc fastidio ab illo deuiauit, statim in vultu suo dolorem nouum sensit, deindèque omnimodè in facie suo parocho factus est similis. Arripiens autem speculum, seque suo Parocho simillimum intuens, obstupescens, in morbum grauem incidit, quo intra dies octo à viuis sublatus est, non tamen sine sui horroris pœnitentia, & supplicii sibi inflicti recognita iustitia. Susceptis etiam ob eodem Parocho, pœnitentiæ, & Communionis Sacramentis.

A Dæmone, Diuina virtute, corpore malè affecti.

§. 8.

Diuinæ Iustitiæ acerrimos vindices etiam in hac vita Dæmones quandòque extitisse, innumeræ ennarant historiæ; hisque pœnis, quas animabus corporea mole exutis infligunt in inferno, & in mundo corpora afficere incipiunt; De his.

1. *S. Petrus Damianus, in vita S. Romualdi cap. 58.* Aliquandò vir venerabilis cuiusdam causa necessitatis in viam ire disponens; vni discipulorum cellam commisit, & vsque ad suum reditum in ea illum manere præcepit. Ille verò temerarius, dùm debiti honoris reuerentiam Magistro non seruat, audacter in eius strato iacere non dubitat. Ecce autem in ipsa nocte, maligni spiritus super eum immaniter irruunt, grauissimis eum verberibus atterunt, & proiectum de lecto ponè seminecem derelinqunt. Meritò namque tàm superbos suæ offensionis vltores pertulit, qui in talem Virum postposita humilitate peccauit.

2. *Hugo Menard, de B. Alfuuoldo Episcopo*. Nemo ante, & post eius obitum, sedem eius dormiendo premere ausus est, quin statim spectris perterritus, indè resiliret, increpantibus, cur sedem Episcopi vsurparet indignè.

3. *S. Anton. 2. par. Chro. tit. 13. c. 6. §. 5. de S. Austregisilo*. Post obitum huius Sancti, cùm Pipinus Francorum Princeps contra Eudonem Aquitaniæ Principem volens dimicare, ad Vrbem Bituricam peruenisset, Barbari de exercitu, domum quamdam in Villa Carobria, quæ præfati Sancti fuerat, in quam frequenter venerat, vicinis contradicentibus, totam vallauerunt incendio, statimque arrepti à Dæmonio, vnus ex eis abstracto ostio de ipsa domo quæ ardebat, in flammam se proiecit, ibique vitam finiuit. Alii etiam se se dentibus lacerabant: Vbi Pipinus id cognouit, exercitu eius in ea re valdè perterrito, edicto cauit, ne quisquam, res, aut Villas Sancti Austregisili attingeret.

4. *Cromerus libr. 9. de rebus Polonorum, ann. 1176.* Hoc tempore in Polonia homo quidam splendidus, equestris ordinis, sed violentus, & rapax, & suis iuxta, ac alienis grauis, cùm ganiter ægrotaret, admonitus crebrò à Religiosis quibusdam viris, vt ad Dei clementiam confugiens, animæ suæ saluti consuleret, negauit sibi veniæ locum relictum esse, iam enim diuino iudicio traditum se esse Dæmonum potestati. Nec mora; audiuntur à circumstantibus vehementium verberum, & percussionum strepitus, apparent in corpore ægroti fœdi liuores, atque vibices, ita vt omnes obstupescerent; inter hæc infelix nullam vocem, nullumque gemitum edens, ter infelicem animam exhalauit, hic exorsus supplicia, quæ deindè apud inferos æternùm expenderet, vt esset exemplo his, qui ex aliorum incommodis student sua commoda parere.

5. *S. Bernardus in vita S. Malachiæ*. Quidam petulantis, & infruniti oris, S. Malachiam Hiberniæ Primatem, appellauerat Simiam; & Malachias quidem doctus non reddere maledictum pro maledicto, obmutuit, & non aperuit os suum, dùm consisteret peccator aduersus eum. Sed non Dominus oblitus sermonis sui, quem dixerat: Mihi vindictam, & ego retribuam: Eadem die domum reuersus homo, luit linguæ effrænis temeritatem, ipso vltore, quo instigatore laxarat. Arreptum in ignem proiicit dæmon; sed mox manibus assistentium extractus est, adustus tamen corporis parte, & mente captus; & dùm insaniret, vocatus Malachias, venit, reperitque maledicum spumantia ora torquentem, horrendis vocibus, & motibus terrentem omnia, ac toto corpore agitatum vix posse teneri à pluribus; & orans pro inimico vir totius perfectionis exauditus est, sed ex parte; nam illicò quidem Sancto orante, ille aperuit oculos, & sensum recepit. Relictus est autem ei spiritus Domini malus, qui eum colaphizaret, vt disceret non blasphemare.

6. *Philippus Abbas Bonæ spei. in vita S. Amandi cap. 38.* Vir Domini, Vasconum fines ingressus est, quos Idolorum cultibus, & augurijs audierat, & variis erroribus occupari. Cùm igitur in conuentu publico verbum veritatis, & salutis ordinem perfidæ multitudini prædicaret, extollens vocem suam quidam de turba leuis, ac lubricus, de peruersi cordis abundantia cępit turpes effutire blasphemias, & in seruum Dei, fideique doctrinam non sine cachinno plena conuiciis verba nimis absona iaculari: Qui statim correptus à Dæmone, seipsum propriis morsibus cæpit incessere, & lanio factus corporis sui, oris hiatum, quem in sanctum

ctum Pontificem irreuerenter extulerat, & in sui perniciem cæpit horribiliùs aperire. Confitebatur nihilominùs inter ipsa sui tormenta, se ob iniuriam serui Dei talia sustinere; sicque ad extrema deductus, procacem spiritum pœnis vrgentibus exhalauit.

7. *Henriquez in Fasciculo, de B.Gerardo Abbate*. Quemdam iuratorem impudentem, & execrabilem, circa fines Ciuitatis Cardotii fuisse affirmabat Gerardus, qui cùm per Beatæ, & intemeratæ Dei genitricis Mariæ sacra, & secretiora membra iurare præsumeret, mox immundo spiritui traditus, dirissima passione diù vexatus, atque distortus est; ita vt oculis euersis, & facie tota enormiter intumescente, linguam ardentem, atque eiectam ab ore porrigeret; qui cùm ita fuisset longo, & horrendo tormento excruciatus, tandem miserabilem animam dæmoniacis spiritibus reddidit, linguamque effrænem, quam extraxerat, nec in morte retraxit.

8. *Sigebertus circa ann. 697*. Geila Franconiæ Ducissa, cùm iussisset occidi S. Kilianum, qui Duci, vt ipsam, nempè fratris coniugem, dimitteret suadebat, à Dæmone correpta miserabiliter torquebatur, ita vt à multis teneri vix posset; tandem cùm magno cruciatu ad cruciatus Diabolo paratos migrauit. Ex his autem, qui sanctum gladio peremerant, vnus subitò à Dæmone ereptus, grauiter excruciatus est, & popriis dentibus se lanians, à præsenti migrauit ad pœnas æternas.

9. *Surius tom.3*. Nicomachus quidam, postquã Christum in tormentis negasset, & idolis sacrificasset, mox ab immundo spiritu fuit occupatus, à quo & in terram proiectus, & miserè dilaniatus fuit.

10. *Gregorius Turonensis de Gloria confessorum cap.67*. Maurus quidam, cùm seruum ad Basilicam Sancti Lupi (qui apud Tricassinorum Campaniæ vrbem sepultus iacet) fugientem insequeretur, & iam esset assecutus, blasphemias euomit in S. Lupum; sed extemplò diuinam vltionem sensit, nam & lingua, qua blasphemias effudit, obriguit, & à Dæmone possessus, horrendo mugitu totam ędem compleuit, tertioque die cùm grauissimo cruciatu vitam finiuit.

11. *S.Anselmus, in passione S.Guigneri, & Soc. Martyr. cap.10*. Cùm super saxum quoddam, quod fuerat anchora nauis eius, in contemptum Martyris sancti, duo milites insultando vrinarent, vtrumque confestim diuina vltio percussit. Ambo enim arrepti à Dæmone, alter eorum linguam frustatim concisam dentibus masticauit, alterius viscera per postrema diffusa sunt omnia, & sic vterque exitu expirauit horrendo.

12. *Arnoldus Vuion, in vita S.Gerardi Sagredi Martyris cap.21*. Post mortem Viri Dei, cùm quidam nefandus in conuiuio sedens, pilos ex marsupio extraheret, illudensque beato viro, ad conuiuas diceret. Hi sunt pili illius raræ barbæ, qui nos auertere à paternis traditionibus se posse existimabat; protinùs à dæmonibus arreptus; carnem propriis dentibus mordens, vitam exhalauit.

13. *Gregor.Turon. lib.3.de rebus Francorum c.12*. Sub Theodorico Francorum Rege, cùm pars exercitus eius cuidam Ecclesiæ insultasset, magnasque opes ibi seruatas diripuisset, omnes ad quos prædę aliqua pars peruenit, à Dæmonibus correpti, diuersis, sed miserandis modis, perierunt.

14. *Idem de gloria martyr.lib.1.ca.105*. Inuasores Ecclesiæ S.Vincentii, à Dæmonibus torti, subitò expirarunt.

15. *S. Gregor. lib. 4. Dialog*. Quidam latro à Dæmone correptus fuit, qui post commissum furtum, B.Marinæ admonitiones respuit.

16. *Guilielmus Spaelbergus, concion. in Dom.3. Quadragesimæ*. Nostro tempore hoc Antuerpiæ accidit; mulier quædam cùm vicinis rixabatur, ac tandem impatientia victa dixit: Non est aliquis diabolus in inferno, qui me adiuuet? statim corporaliter possessa à diabolo est, & paulò post, cùm flecti se ad pœnitentiam non sineret, præsente pastore, aliisque, collo ei confracto, cùm fragore interempta est à Diabolo.

17. *Thomas Cantipratanus lib.2. Apum cap.56*. Sedebant viri quidam in taberna, & bibebant; & cùm iam mero incaluissent, cæperunt conferre de diuersis, & iniectus est sermo, quid post hanc vitam futurum esset. Tunc vnus, *vanissimè*, inquit, à Clericis istis decipimur; *dicunt* animas sine corporibus viuere post ruinam. Hoc dicto in risum omnibus concitatis, aduenit homo statura fortis, & magnus, & residens cùm illis vinum postulat, bibit, quæritque, quis sermo sit inter illos. De animabus, inquit ille qui supra; si quis esset qui meam vellet emere, vilissimo pretio darem eam. Tunc cachinantibus omnibus, ille qui superuenerat, talem ait mercatorem *quero*, paratus sum eam emere, dicito quanti *dabis*? conuentum est de pretio, & solutum; Vespere autem facto, tempus est, inquit emptor, vt quisque nostrum ad propria reuertatur; vos tamen antequam separemur date iudicium; si quis equum emit capistri vinculo alligatum, nunquid cùm equo in ius ementis cederet & capistrum? cui omnes pariter annuerunt; nec mora, venditorem, quæstionis, & responsionis horrore trementem, emptor cùm anima, & corpore videntibus omnibus sursùm leuauit in aera, & secùm vt certum est ad inferos protraxit; diabolus enim erat in hominis specie.

18. *Martinus Delrio, Disquis. Magic.lib.3.par.1.quæst.7. Sec.2*. In Flandriæ Comitatu, Prioratus est; tres ibi nomine tenùs Monachi degebant, ganeones, & concubinarii: sua cuique erat, nec pudor vllus aderat, simùl helluari, & libidinari: quadam die in seram noctem compotatione protracta, vnus qui minùs sceleratus: sat, ait, Baccho, libidinique datum: Deo gratias saltem; Ego vero subinfert] alius procacior, Cacodæmoni gratias ago, & agendas censeo, cui operamur; Et cùm risu mensa relicta, ruit in cubicula. Singuli cùm scorto. Vix decubuerant, ecce ibi in triclinium, vi ianua reserata, dæmon, magni, atri, & trucis viri specie, habitu venatorio, & cùm eo cocci duo paruuli, obambulat, & lectos circumspicit toruo vultu,

vultu, deindè horrenda voce; vbi qui mihi gratias egit? Adsum, referam; illicò abstrahit prauitantem, & fermè præ metu animam efflantem. Traditum coccis, iubet infigi veru, & luculento igne probè assari; parent promptè: assatus infelix, emoritur planissimè, cæteri ferè præ formidine; assi corporis nidore cubiculum repletur. Demùm Venator ad superstites sub stragulis trepidantes vix viuos; digni vos etiam, ait, pari supplicio, nec deest voluntas mihi; vetor vi maiore; inuitus abeo, & moneo, resipiscite, aut manent terribiliora. Disparent laruæ; nec tamen his alijs animus rediit, vel vox, nisi clara iam luce. Vbi surrexere, collegam inueniunt mortuum, & (ne visum inanne putes) plenè assatum. Haùd scio, an ab aliquot sæculis quidquam ad exemplum vtiliùs acciderit; scio locum, & ordinem; sed vtrumque silentio inuoluo.

Et hæc sufficiant de hac materia, de qua multa præcitatus Delrio loco quo supra, & alibi, Petrus Thyræus de Dæmoni. & plurimi alij. Quæ hùc vsque sunt dicta, fuere ad complementum capitis neque enim in hac materia est hic diutiùs immorandum. Alia etiam notabuntur infrà libr. 5. capit. 4. §. 4. cùm de portentosis effectibus imprecationum, &c.

CAPVT III.

De Admirandis Accidentibus Corporis humani.

Species corporis humani diuinitùs mutata. §. 1.

QVot variat continuò colores Chamæleon, tot mutat vicissitudines indesinenter Corpus humanum; quæque illi, & naturaliter continuò varia subsequuntur accidentia, Macrocosmi perennes præcellunt mutationes; haùd tamen vt potè iuxta eiusdem naturam, admirationem causantia. At quia, & quandòque supernaturaliter, diuina operante virtute, alia mirabiliter patitur, hæc proculdubio admiramur, de hisque in præsenti. Et primò, de quibusdam admirandis mutationibus, quibus species corporis humani, vel mutato sexu, vel transformata figura, alio vel admirando modo, diuinitùs apparuit immutata. De his.

1. *Ferrarius in Catal. Sanctorum 30. Maij.* Ferunt, S. Silaum Episcopum Hibernensem, fœmineam Regis prolem in virilem, orando conuertisse, Rex enim sibi, & Clero exitium minatus fuerat, nisi id fieret.

2. *In vitis P.P. lib. 2. cap. 28. De Macario Aegyptio.* Quodam tempore minor puella ad eum deducta est, cuius obscæna corporis ita ex omni parte computruerant, vt consumptis carnibus, interiora quoque, & secreta naturæ nudarentur, ac vermium ebulliret indè innumera multitudo, ita vt nec acc edere quisquam ad eam posset præ fætoris horrore. Hæc cùm allata à parentibus & proiecta fuisset ante fores Macarij, miserans virginis cruciatus, facta per septem dies oratione, & oleo benedicto inungens membra eius, ita eam sanam reddidit, vt muliebris in ea naturæ nulla forma, nulla species appareret, sed esset ei inter viros conuersatio absque femineæ suspicionis obstaculo.

3. *In m. s. s.* Circa an. Domini 1640. cùm quidam Vir vouisset S. Dominico de Soriano certum numerum pecuniæ oblatarum, si illius intercessione à Deo Masculum impetrasset; post præfixum tempus, fœminam peperit illius vxor; tunc vir, licet voti non compos, pecuniam promissam obtulit; & ecce mirum: fœmina in masculum mirabiliter prædicti Sancti intercessione mutata est, omnibus admirantibus, Deumque in sanctis suis, benedicentibus.

4 *Iocelinus in vita S. Patritij cap. 150.* Regnabat in finibus quibusdam Britanniæ, quæ modò Vallia dicitur, Tyrannus quidam, Cereticus nomine, flagitiosus, fraudolentus, & blasphemus in Deum. Audiens Sanctus Patritius illius belluæ tyrannidem effrænatam, studuit illum ad viam salutis reuocare, dirigens ad illum conuertendum à vijs suis pessimis epistolam commonitoriam. Ipse verò uenundatus, vt faceret malum, de die in diem deterior factus, admonitionem deserit sancti Patritii, & despexit, suaque flagitia, facinora, fraudium factiones, cruentas cædes dilatauit. Quod cùm Patritius relatu veridico didicisset, diuinitùs edoctus intellexit vas contumeliæ obduratum in nequitiis, nullimodæ obduratum correctioni, sed potiùs perditioni præparatum, in hunc modum fertur orasse ad Dominum. Domine Deus omnipotens, sicut scis, & potes, hominem hunc vulpinum in vitijs monstruosum, modo monstruoso eijce à facie terræ; & illius consummatæ malitiæ finem impone; inclinans Dominus aures suas ad vocem serui sui, prædictum Tyrannum quadam die in medio fori stantem, circumstante multitudine suorum, subitò in vulpem transformauit, illeque à conspectu omnium fugiens, nunquam in terra vlteriùs comparuit. Hoc factum nullus discredere iure poterit, qui vxorem Loth in cautem mutatam, aut historias de Nabuchodonosor Rege legerit.

5. *Metaphrastes, in vita S. Gregorij Magnæ Armeniæ Martyris.* Teridates Armeniorum Rex, cùm Virgines Ripsimem, & Gaianam nefandis modis ad impudiciciam allicere aniteretur, martyrioque affecisset, iustitia Dei versus est in insaniam, mutataque eius forma in porcum.

6. *Petra Sancta in Miraculis comparatis c.68.* Marem, & fœminam, quibus malè precatus fuerat S. Natalis Abbas, in lupos Deus ad septennium immutauit; euolutoque eo temporis spatio, sacerdos aliquandò prætergrediens, ac secùm efferens Eucharistiam, ad humanas voces, humanosque sensus illos de integro reduxit.

7. *Stengelius ex Cantipratano.* Quidam vir de latere coniugis, intempestæ noctis silentio, vice quadam exurgens, completo cùm aliena flagitios

gitio, domum, luna lucente, redibat; cuius faciem per fenestram intrantis vxor eminùs contemplans, clamat horrificè; ad cuius clamorem ancilla domus, & famuli concurrentes, mox ad contuitum Domini pariter conclamauerunt, quasi à conspectu Dæmonis perturbati. Quod vt miles vidit, animaduertit faciem suam à forma propria recessisse, & Diuino iudicio secundùm vilitatem peccati, confusionis ignominiam induisse. Ergo vbi delituit vsque manè, properat versùs Ecclesiam, vt confessus Sacerdoti, formam propriam recipere mereretur. Cui cùm vaccæ, & pecudes villæ procedentes ad pascua longiùs obuiarent, mox diros dedere mugitus, & quasi subitò minaci fulmine retroactæ, quæque quò possunt difugiunt; Idem pastores, & obuii quique fecerunt. Sacerdos autem in ostio Ecclesiæ ad dicendas horas residens, mox ut illum uidit, signauit se, & intrans Ecclesiam, ostium post se claudit. Tunc miles ante fores Ecclesiæ se prosternens, miserere, inquit, pater sancte, miserere miserrimo peccatori; non sum ille, qui uideor, sed hoc mihi peccatis meis exigentibus accidit, ut in me laruata quasi dæmonis facies uideatur; sed pœnitenti iniunge quod uis, & sic de me, quod Deus uoluerit, expectabo. Nec mora, ubi miles cùm mira contritione, & lachrymis est confessus, laruallis illa confusio detecta est, & propriam faciem cùm sua integritate recepit.

8. *Ioannes Eusebius*. Legimus in Societatis Iesu litteris annuis, quemdam ex adulterio perpetrato tantam oris totius deformitatem retulisse, ut refugeretur à familiaribus, & uxore, domoque ab ijs arceretur, quod ille prudenter flagitio tribuens, mox ad remedium confugit, sed cùm eum Religiosi viri pariter horrerent, agnitus demùm à quodam Dei famulo, & ritè de peccatis auditus, illicò euasit in alterum, & decenti splendore, ac elegantia formosus, rei conscios stupefecit.

9. *In Annalibus Seruorum*. Infans, Ægyptium nigro colore referens, diuinitùs, vt mater ab infamia, & morte liberaretur, candidum induit colorem, implorata B. Virgine, quæ sub titulo Annunciatæ colitur Florentiæ. Alia huiusmodi notabunt cùm de Sacramento Baptismi libr. 3. cap. 1. §. 1.

10. *In vita S. Patritij cap.* 84. Fuit quidam ex Hiberniæ Magnatibus, Eugenius vocabulo, qui diù prædicanti sibi resistebat Patritio; sed verbi viui, & efficacis ratione tandem circumseptus, & constrictus, ac signis irrefragabilibus conuictus, credidit; atq; vitalis vndæ lauacro lotus in Christo renouari meruit. Erat idem diues, & potens in regno, sed vultu, membrorumq; habitudine cunctis deformior, qui fuerunt sub eius constituti dominio. Hic multoties super deformitate sua, Sancto Patritio conquestus, precabatur illum, vt precum suarum obtentu, suæ laruallis faciei horrorem exterminaret, vt sic Dei sui omnipotentiam, in quem cunctus populus credidit, experiri posset. Quadam vice sanctus Patritius precibus pulsatus hominis de seipso sic verecundati, atque confusi, sciscitabatur ab eo, cui in forma optaret assimilari. Ille verò circumspectis cunctis in circuitu positis, prælegit speciem Riochi Ecclesiastici, custodis codicum Sancti Patritii, erat ipse natione Brito, gradu tunc Diaconus, sancti Præsulis consanguineus, speciosus forma præ filiis hominum in finibus illis degentium. Erat nihilominùs homo vitæ sanctissimè, vt dicere posset illud Psalmistæ ex sententia: Domine in voluntate tua præstitisti decori meo virtutem. Sanctus verò Patritius fecit eos in vno lecto, sub vno amictu somnum capere; stansque super eos leuauit puras manus in oratione. Res mira, & valdè inusitata! Cùm excusso sopore, à strato surrexissent, nulla vtriusque vultu apparuit distantia, discreuit illos tantùmmodo tonsura. Cunctos ergo hoc agnoscentes admiratio percussit; sed hoc in se signum experti, copiosior lætitia pectus persudit.

11. *Ibidem cap.* 85. Quoniam Sanctus Patritius Eugenio prædicto super forma in melius mutata satisfecit, ipse confidens adhùc de impetratu, petitionem alteram adiecit. Erat enim valdè pusillæ staturæ. Precatur igitur Pontificem Sanctum, vt quod suis meritis non præualet homo, in nomine Dei sui adiiceret ad staturam suam *cubitum vnum*. Præcepit Patritius homini mensuram desideratæ longitudinis sibi ostendi; stetit ille articulis pedum innisus super hastam suam erectam, extrema digitorum quantùm potuit extendit, suique staturam ad eiusdem mensuræ altitudinem poposcit pertingere. Orante ergo Patritio, sub oculis omnium homo, immò homuncio, ad præostensam altitudinem excreuit, & ne signa magica, seu mendacia iudicarentur, in statura, & in forma præscripta, in admirationem multorum, vsque ad vitæ terminum perdurauit.

12. *In actis B. Coletæ virg. cap.* 4. Coleta dolebat, tàm multam patri suo ob staturæ suæ paruitatem exhiberi molestiam. Itaque in peregrinatione quadam orans in templo, inter alia sic dixit: Vis ne Domine Deus semper me manere tàm pusillam corpore? Finitis precibus, confestim sensit aliquid sibi ad magnitudinem corporis accessisse, maioremque domum rediisse, quàm ante susceptam peregrinationem fuisset. Facta verò est indè etiam animo robustior; ita vt planè statueret gratiam diuinitùs sibi collatam, etiam ad aliorum vtilitatem conferre.

Corpora eodem tempore in diuersis locis diuinitùs suam præsentiam exhibentia. §. 2.

EX Admirabilioribus, quæ quandòque corpori accidere humano, postremum haùd sibi vendicat locum, eiusdem diuinitùs multiplicata in diuersis locis præsentia. (Non hic tamen de admiranda præsentia Corporis Christi in Sacramento) De his igitur.

1. *Thom. Boz. de Adalberto Pragæ Episcopo lib.* 5. *cap.* 1. *de signis*. Huius tanta sanctitas fuit, vt cùm Romæ sacra faceret more Christiano, Papa præsente, & ad eam Missæ partem venisset, in qua pro Defunctis fit supplicatio, duas ferè horas quasi à sensibus abstractus substiterit. Ob eam rem obiurgatus à Papa, respondit, se funeri suorum fratrum quos Bohemi occiderant, interfuisse, & ad huius

rei

rei testificationem, chirothecam alteram Prage reliquisse. Mandauit Pontifex inquiri, an id ita esset, inuentum vt Sanctus edixerat.

2. *Idem lib. 15. de signis cap. 4. ex Gregor. Turon. lib. 1. de Miraculis S. Martini cap. 5.* De Sancto Ambrosio scriptum reliquerunt, cùm sacra faceret ad altare, quasi somno quodam correptum diù substitisse; deindè ad se cùm rediisset, palàm dixisse, se interfuisse funeri publico Sancti Martini Episcopi Turonensis iam defuncti, interfuisse autem cunctis eum Turonis videntibus, & agnoscentibus.

3. *In actis S. Brunonis Carthusianorum Institutoris.* Cùm Rogerius Comes Calabriæ Capuam obsideret, eumque Sergius quidam excubiarum Magister prodere statuisset, Bruno in Eremo apud Squillacum viuens, in somnis illi omnia aperiens, ab imminenti periculo Comitem liberauit.

4. *Surius. 1. Feb.* Dùm semel S. Seuerus Episcopus Reuennæ Missam celebraret, ad Epistolam somno graui correptus est; eoque tempore Mutinæ visus est, commendans animam Sancto Geminiano eiusdem vrbis Episcopo; nec abscessit, donec sepulturæ corpus eius demandatum esset. Tunc enim Rauennæ velut è somno excitatus, quæ illi euenerant, narrauit.

5. *Raynaldus in Ann. Eccles. an.* 1523. Aliquandò accidit, vt B. Benno Episcopus Misnensis, & Misnæ rebus sacris interesset, & eodem tempore in Pago Neumberch longè distante à Misna, videretur.

6. *In actis Sanctorum Mart. Tom.* 1. Quidam Pastor ouium quadam nocte ob ortam tempestatem oues deperdiderat; qua cessata, oues dispersas, lupósque circumquaque adstantes conspexit: Inuocato igitur Dei auxilio, ad intercessionem Sancti VVinuvaloei Abbatis Laudeuenensis in Britannia Armorica tunc viuentis, confugit, exclamauitque, VVinuvaloee famule Dei, in tanto periculo nunc adesto mihi. Nec dùm vox siluit, & ecce visus est adesse, nec non ad lucis vsque crepusculum bestias in sanguinem pauperis sitibundas leui virga tanquam bacillo abigere: quibus sola Dei virtute fatigatis, pastor, grege, nulla passus dispendia, in vnum collecto, & custodiæ signato, Monasterium expetiit, in quo idem VVinvvaloeus nocte eadem celebribus in laude Dei pernoctauerat vigilijs.

7. *Ibidem Tom.* 3. Dùm S. Lupicinus Iurensis Abbas adhùc viueret, degeretque in Burgundia, Romæ apparens cuidam carceribus detento, eundem, modum euadendi è carcere, mirabiliter docuit.

8. *In vita S. Nicolai Myrensis Episcopi.* Tribunos tres appetitos calumnia, & perperàm à Constantino Augusto damnatos, cùm ij propter famam Nicolai miraculorum, longissimè absenti supplices fuissent, Imperatori apparens S. Nicolaus, acminaciter eum exterrefaciens, nisi è custodia eos dimitteret, liberauit.

9. *Petrus Gregorius, Sintaxis artis mirabilis Tom. 4. lib. 8. cap. 19.* Sanctus Fronto, vnus ex 70. discipulis, Petragonæ in Episcopali Ecclesia cùm Sacrum faceret, eodem ipso tempore Tarasconæ exequiis sanctæ Marthæ hospitæ Christi interfuit, & huius rei testes chirothecas reliquit, quas etiam nunc ibi in Prouincia Prouinciæ religiosæ seruant.

10 *Chrysostomus Henriquez, in fasc. de S. Bernardo.* Cum aliquandò sanctus Pater Bernardus per annos tres moratus fuisset in Vrbe Roma, atque in partibus Italicis pro sedando schismate Petri Leonis, in quo opere eundem famulum suum Christus Dominus magnificè miraculis sublimauit; tandem reuersus Claramuallem, statim post factam orationem, capitulum Fratrum introiuit; & quia fatigatus ex itinere diù loqui non poterat, breuem quidem sermonem, sed consolatione plenum protulit, ita dicens: Benedictus Deus, qui vos dilectissimos fratres meos mihi reddidit, & me qualemcùmque Patrem vestrum vobis; & ego quidem filioli quàmuis à tanto tempore visus fuerim longè remotus à vobis, non tamen puteris me semper absentem fuisse. Sciatis enim, quòd tribus vicibus interim reuersus sum ad vos, visitans domum istam, officinasque perambulans, & semper exhilaratus, semper consolatus abscessi, videns vnanimitatem, atque instantiam vestram in proposito ordinis nostri.

11 *In vita B. Laurentij Iustiniani, num.* 8. Sacra quædam Virgo erat magnæ Sanctitatis. Hæc per multos annos, abstinentia, vigiliis, orationibus, fle- terat ante Dominum. Accidit autem, vt in solemnitate Corporis Christi, neque sorores aliæ, neque ipsa communicare diuinis Mysteriis possent, & cùm ægrè ferrent, & illa in primis sanctissima mulier, oratum Laurentium mittunt, quia propè esset monasterium, vt si gratiam communicandi eo die habere non posent, ipse saltem dignaretur, dùm celebraret, pro ancillis suis orare. Promittit Laurentius. Cùm autem celebraret ad populum, post eleuatum Sacramentum, factus extra se ipsum est, detulitque eum spiritus ad illam mulierem in cella clausam, & contemplationi vacantem, quæ fortè tunc miro quodam desiderio communicandi tenebatur; & sacra illi Mysteria communicauit, siue in corpore, siue extra corpus, Deus scit. Ab oculis quidem totius populi non discessit, donec ad se ipsum reuersus ab illo pietatis officio, reliquum Missæ peregit. Cùm autem Virgo illa, quod acciderat sacerdoti nunciasset, Sacerdos Patriarchæ, iussit illi, vt gratias omnipotenti Deo ageret, & vt nunquam donec viueret, cuiquam manifestaret.

12. *In actis B. VValteri de Birbeke apud Bollandum 22. Ian.* Tempore quodam, cùm Vualterus præpararet se ad quoddam torneamētum, milites habens in comitatu, venissetque ad Ecclesiam quamdam; illos, vt Missam audire vellent hortabatur; quod cùm recusarent, moram tantam sibi periculosam esse prætendentes; in Ecclesia mansit, Missamque sibi de B. Maria cantari fecit. Sicque socios insecutus est. Cui, cùm aliqui de torneamento occurrerent, & hoc ex responsione illorum cognouisset, subiunxit ipse. Est ne adhùc inceptum? Dicentibus illis, Etiam; adiecit: Quis fortiùs ibi agit?

agit? Respo nderunt. Dominus VValterus de Birbaco, ipse in ore est omnium, omnibus præfertur, & ab omnibus laudatur. Aliis quoque occurrentibus, & similia dicentibus, stupens admiratur, quidnam hoc portenderet. Actum est hoc ineffabili pietate B. Mariæ Virginis, vt militem deuotum in obsequio suo tardantem, interim in torneamento honoraret, eiusque absentiam, mirabili quadam virtute suppleret.

13. *S. Bonauentura, in vita S. Franc. c. 4. l. 1.* S. Franc. Capitulis Prouincialibus, quia corporalem præsentiam exhibere non poterat, per solitam curā regiminis, instantiam precis, & efficaciam benedictionis, spiritu præsens erat: quamuis aliquandò mira Dei faciente virtute visibiliter appareret. Dùm enim egregius Prædicator, qui & nunc Christi præclarus Confessor Antonius, de titulo Crucis, Iesus Nazaræus Rex Iudæorum, in Arelatensi Capitulo fratribus prædicaret, quidam Frater probatæ virtutis, Monald us nomine, ad ostium capituli diuina commonitione respiciens, vidit corporeis oculis B. Franciscum in aera subleuatum, extensis velut in Cruce manibus benedicentē fratres. Tanta verò, & tam insolita fratres omnes consolatione spiritus repletos se fuisse senserunt, vt de vera S. Patris præsentia certum eis intra se spiritus testimonium præberet; licet postmodùm id non solùm per euidentia signa, verùm etiam per eiusdem sancti Patris verba exteriori fuerit attestatione compertum.

14. *In Ann. minor. de Sancto Antonio Patau. 1231. n. 4.* Eo tempore, quo apud montem Pessulanum vir Sanctus degebat, quodam solemni die concionabatur, omni & Clero, & populo auscultante; sermone incæpto, accurrit animo, se officium quoddam sibi iniunctum alteri non demandasse. Moris illic erat, vt in præcipuis Dei solemnitatibus duo insignes fratres, sub summo sacrificio, Alleluia cantarent; quod officium tùm incumbebat Viro Dei. Itaque magno quodam mœrore affectus, in pulpitum caput cucullo operiens, sese reclinauit, & coràm omni illa auditorum frequentia sic aliquandiù permansit. Interim mirabili quodam modo illud officium peregit. Eo autem munere diligenter perfunctus, ad se rediit vir Dei, & sermonem inceptum egregiè prosecutus est. Eiusdem modi quidpiam etiam apud Lemouicenses illi contigisse ferunt; vbi cùm in nocte Natiuitatis Christi in summa æde concionandum ei esset, & eodem tempore nona in nocturno officio lectio apud fratres in suo monasterio recitanda; cùm vtrumque simul præstare non posset, rogauit Dominum, vt is sua virtute suppleret, quod humana ope fieri requiret; & ita eodem tempore, & lectionem illam in fratrum choro visus est legere, & in primario templo concionem habuisse.

15. *In Chronicis Minorum.* Ven. Frater Petrus Nicolaus Fattorus, dùm adhùc viueret, multis absentibus visibiliter apparuit, eosque à varijs liberauit infirmitatibus.

16. *Bartolus in Vita S. Ignatij, lib. 5.* Cùm quidam Religiosus è Societate Iesu Coloniæ degens, ardentissimo flagraret desiderio, S. Ignatium adhùc Romæ viuentem videndi, eumdem Sanctum litteris deprecatus est, vt ea de causa Romam adeundi sibi facultatem concederet; sed negauit S. Pater, rescribens, talem consolationem non illi defecturam, licet Coloniæ degenti: & ecce quadam die S. Ignatius, Romam non relinquens, illi visibiliter apparuit, sanctumque illius desiderium, Deo cooperante, miro modo satiauit.

17. *Tursellinus in vita S. Francisci Xauerij lib. 5. cap. 2.* Dùm Sanctus Franciscus Sinas nauigaret, & oborta tempestate, scapha, quæ naui, qua Bungi Regis Legatus vehebatur adligata erat, abruptis retinaculis reuelleretur, omnesque in discrimen venirent, ipse, & in Naui, & in scapha visus fuit eodem momento temporis, atque hanc quidem ad onerariam reduxit, & in illa omnes ad spem in Deo figendam animauit.

18. *In vita Ven. Iosephi Archiete Societ. Iesu.* Eodem die, & hora cùm hominibus diuersis, distantissimis in locis, visibili specie sæpè agebat, & conuersabatur.

19. *Franciscus à S. Maria, Hist. Carmel. tom. 1. lib 2. cap. 26. & lib. 3. cap. 29.* Dùm adhùc viueret S. Mater Teresia, morareturque in Conuentu Abulæ, apparuit Matri Mariæ à Iesu, quæ in Conuentu Toletano maximis afficiebatur afflictionibus, eamque est benignè consolata. Aliàs dùm moraretur in suo Conuentu Segobrigæ in extasim eleuata apparuit sorori Elisabeth ab Angelis in Conuentu Salmaticensi, illamque iam in extremis positam benignè est consolata, deque futura gloria, quam illi misericors Deus eadem die erat largiturus, admonuit; quod & ita accidit die 13. Iunii an. 1574. eamque in cælum euolantem eadem die vidit soror Maria à S. Francisco, licet absens, & in Conuentu Medinæ tunc degens.

20. *Sylos in vita Ven. Francisci Olympij lib. 1. cap. 17.* Cùm à Venerabili Francisco Olympio ex nostris, quidam, cui Ludouicus Campanili nomen, petiisset, vt aquam benedictam in suæ Domus, aliorumque incolumitatem daret, promisit seruus Dei. Dùmque quadam Dominica die sacro altari affixus Missam celebraret, eodem tempore adire domum Ludouici, pulsare ianuam, phialam aqua plenam Ludouici vxori dare, visus est; quod omnibus maximam admirationem præbuit; congeminatum enim Dei seruum omnes agnouerunt, vt simùl domi, simùl foris esset. Aqua autem ad propellendos varios morbos ab infirmis hausta mirabilis fuit.

Corporum ad loca dissita subitò diuinitùs transitus. §. 3.

SPirituū emulari naturam videntur corpora, cùm subitaneo motu longa emetiuntur spatia; inter admiranda igitur, corporum ad loca dissita subitò diuinitùs transitus, est adnumerandus. De quibus.

1. *In actis Apostolorum cap. 8.* Postquam Philippus Diaconus sacro fonte proluerat Eunuchum Reginæ Candacis in Gaza, raptus est à spiritu Domini, neque ampliùs ibi apparuit, atque adeò

mox

mox inuentus est in Azoto, vt prosequeretur ibi Euangelij promulgationem.

2. *S. Ioannes Damascenus orat. 2. de Dormitione Deiparæ.* Ex antiqua accepimus traditione, quòd tempore gloriosæ dormitionis B. Mariæ, vniuersi Sancti Apostoli, qui orbem terræ ad salutem hominum peragrabant, momento temporis in sublime elati, conuenerint Hierosolymis.

3 *Baronius an.* 477. Cùm Phidus Diaconus Ecclesiæ Hierosolymitanæ, Constantinopolim Legatus ad Zenonem Imperatorem, atque ad Acacium Patriarcham mitteretur causa oborti schismatis, & in Parthenico mari naufragium fecisset; in eo periculo S. Euthymium Episcopum implorauit, ab eodemque adhùc madidus statim reuectus est in sanctam Ciuitatem.

4 *Idem an.* 546. Cùm Georgius Abbas in Monte Sina impensè cuperet vltimo vitæ suæ anno sacram synaxim sumere, ipsa nocte anniuersaria Christi Domini resurgentis, in Ecclesia Hierosolymitana; illùc ex Monte Sina subitò deportatus est; actisque mysteriis, Deus cellulæ ipsum eadem nocte restituit.

5. *In vitis P. P. lib. 2. cap. 9. de Patermutio.* Frequenter ad quemcunq; locum voluit, quàmuis longe positum, intra momentum temporis euectus est.

6. *Iocelinus in vita S. Patritij.* Leogarius Rex in Hibernia, cùm duos filios cuiusdam Reguli obsides sibi datos, carceri mancipasset, fame, & siti morituros, eo quia parens eorum Christianam Religionem fuerat amplexus. Hoc intelligens S. Patritius orauit Dominum, & Angelus Domini adueniens, de carcere, & de manu inimici eos liberauit. De loco namque, in quo carcerati tenebantur à Dunensi ciuitate distante dieta prægrandi, per aeris vasta, sicut olim Habacuc Prophetam, illos transportans, vnum illorum in loco, vbi nunc in Dun ædificata est Ecclesia S. Patritii, alterum in monticulo vicino circumclusa palude pelagi, dimisit, & catenas, quibus vinculati erant, separatim confregit.

7. *In Annal. Min. an.* 1231. *num.* 23. *de S. Antonio Patau.* Cùm Paduæ degeret vir Dei, Vlysbonæ duo ciues inexplebili odio se mutuò prosequebantur, è quibus alter iuxta ædes parentum B. Viri manebat; & cùm hora vespertina filium hostis sui in platea inuenisset, per summam crudelitatem iugulauit, intempestaque nocte in horto parentum viri Dei eum sepeliuit. Cùm autem nobilis esset is, cuius filius cæsus erat, inquisitum est diligenter, & repertum, eius filium illàc transisse vbi eius inimicus morabatur; itaque eius domo, & horto lustrato, nihil compertum est. Itum est ad vicinas ædes, & in horto illarum, pueri cadauer inuentum est. Itaque pater sancti viri cùm tota familia coniectus est in vincula, tanquam reus cædis illius. Id verò vt per spiritum Paduæ cognouit vir Dei; vesperè à Guardiano petiit copiam exeundi, quæ illi negata non est. Eadem nocte, magno miraculo, Vlysbonam perductus est, & proxima luce ad iudicem se contulit, rogans, vt insontes è vinculis dimissos pateretur abire domum. Illo modis omnibus recusante, petiit cadauer perempti pueri ad se afferri; quo allato, iussit surgere puerum, & dicere; nùm à parentibus ipsius occisus esset; ille surgens dixit, eius cædis illos prorsùs conscios non esse, atque ita discedendi est illis facta potestas. Mansit toto die illo cùm parentibus suis vir beatus, & manè, angelico ministerio, Paduam reductus est.

8, *Surius in vita Sanctorum Martyrum Samonæ, Guriæ, & Abibi* 15. *Nouembris.* Puella quædam cùm à sceleratis hominibus adhùc viuens, in sepulchrum recens cadaueribus plenum, esset deiecta in regione barbara, atque à Patria sua longè remotissima; vbi horum Sanctorum Martyrum fidem precibus implorauit, quorum etiam ope freta, longam adeò peregrinationem susceperat, certissimè quod expectarat, consecuta est. Vesperè enim cùm in summa posita esset desperatione, & fletu, benè manè, patriæ, matri, tumulo sanctorum cùm lætitia restituta est, mirabiliter educta de sepulchro, vt potè quæ à circùmsedentibus illud custodibus, videri nequiuerit, admiranda quadam celeritate ab iis indè transportata. Si quidem albis illi vecti equis, cùm puellam appellassent; atque in equos sustulissent, eam intra delubrum suum intulère.

9. *In actis S. S.* 24. *Iann. de S. Cadoco Episcopo.* Cùm S. Cadocus in Britannia degens semel discipulis suis sermonem faceret, ecce claritas Dei repentè omnes circùmsulsit, & non valentes tanti luminis ferre claritatem, proni pariter in facies suas super terram ceciderunt. Sãctus autem Cadocus in nube condida raptus, ab oculis eorum euanuit. Et quasi in palpebræ motu ad Ciuitatem Beneuentanã translatus est; vbi de nube descendens, inter sepelientes Abbatem Beneuentanum visus est, pauloq; post à monachis in eius locum Abbas electus est.

10. *In actis S. S. Februarij Tom.* 1. *in continuatione Bollandi.* Cùm Andreas Archidiaconus Fæsulanus in Hetruria, senio confectus, ad extremum vitæ deuenisset, ardenter optauit sororem suam S. Brigidam procùl existentem videre, Deumque, cui nil impossibile humilibus precibus deprecatus est. Et ecce Brigidæ eo temporis momento apud Hiberniam in loco solitario mensę accumbenti, & acetarium, paruosque pisciculos comedenti, adstitit Angelus Domini, eamque, & mensam, cui assidebat, in instanti coram viro Dei Andrea, eiusque fratribus miraculosè locauit.

11. *Ibidem.* Cùm Sancta Brigida Kildariensis Abbatissa misisset aurigam suum, vt pauperem leprosum comitaretur in propriam prouinciam; fecit ipse cùm Leproso iter dierum duorum in vno puncto temporis, & in spatio vnius horæ confestim reuersus est, sicut dixerat ei S. Virgo.

12. *Sigonius lib.* 2. *de Episcopis Bononiensibus.* Iuuenis quidam Bononiensis à Saracenis captus, & in carcerem coniectus, crudelibus suppliciis ad fidem negandam cogebatur. His in angustiis confugit ad patrocinium Luciæ Virginis Bononiensis, quam ille dùm viueret summè adamauerat. Somno igitur correptus, vt expergefactus est, cognouit se esse propè Monasterium sanctæ Christinæ Bononiæ, vbi paulò ante decesserat

Lucia, eò scilicet diuinitùs ministerio Angelico delatus.

13. *Bosius in Histor. Religionis Sancti Ioannis Hierosolymitani lib. 1.* Tres huius ordinis Equites, natione Galli, à Saracenis in prælio capti, in Ægyptumque deducti, à Sultano in carcerem detrusi fuere; sed indè à B. Virgine diuinitùs liberati, cùm fugerent, semel ob lassitudinem somno correpti, vti expergefacti sunt, se in Gallia Belgica, propè oppidum, cuius vnus ex his Dominus erat, adesse, illùc mirabiliter opera Angelica translatos conspexere, Deoque, & B. Virgini summas laudes dedere.

14. *Vasconcellus.* Petrus Martinez Lusitanus apud Barbaros captiuus, à Deipara monitus est iret in Patriam, eumque in locum, in quo audiret apparere lumina cœlestia, ibi erigeret templum sub titulo Sanctæ Mariæ de Lumine. Simùl Deipara disparuit: & Petrus vinculis solutus momentò se eo in loco propè Olyssipponem reperit, vbi lumen ipse vidit, & cùm duobus, quos ibi reperit, siluam ingressus, statuam Deiparæ reperit venustissimam. Tunc Petrus vendito patrimonio templum ibi Deiparæ erexit.

15. *In vita S. Eutropij mart. Episc. Santonensis.* Miles quidam Babylone captiuus, & in quadam fortissima arca, cuius coopertura erat de ære fortissimo, inclusus, precibus se commendauit Sancto Eutropio, & statim affuit Sanctus, qui illum simùl cùm arca de manibus infidelium eripiens, eadem nocte apud Santonas imperceptibiliter in medio suæ Ecclesiæ, apertis sibi vltrò ante firmatis foribus, deportauit. Alios quoque captiuos se inuocantes, è carceribus mirabiliter eripuit.

16. *In actis Sancti Georgij Martyris.* Semel in Templum Sancti Georgii, quod erat Mitilene in Lesbo irrumpentes Piratæ Saraceni ex Creta, cùm cætera Ciuium captiuorum turba adduxerunt iuuenem, qui Saracenorum Amiræ in dicta Creta donatus, ei pincernæ obsequium exhibebat; recurrente autem anno ad preces matris relicto conuiuij loco, ad martyrem pro filio orandum in templum profectæ, fuit subitò mirabiliter restitutus, allato secùm scypho, quem Amiræ porrigendum miscuerat. Alius similiter è Bulgaria à seruitute per eumdem D. Georgium in ictu oculi translatus fuit in Paphlagoniam.

17. *Ludouicus Richeomus.* Circa ann. Domini 1386. maxima pars Nobilitatis Gallicanæ in Hungaricum Regnum, illud contra irruptiones Turcarum deffensura, abiit. Inter cæteros autem Dominus Baqueuillæ, magno animi ardore, sacram suscepit expeditionem; vxorique, quam vnicè amabat, quæq; difficiliter potestatem abeundi illi concesserat, in mutui amoris symbolum, diuiso aureo annulo, quem gestabat, & vna medietate sibi reseruata, alteram tradidit. In eo bello peccatis Christianorum hostem armantibus, ipse victor, nostros debellauit, adeòque protriuit, vt penè totus Christianorum exercitus in acie ceciderit, plurimiq; nobiles, inter quos, & hic, in Turcicam captiuitatem educti sunt. Conatus est ipse plurimis vijs pro redemptionis pecunia ad vxorem litteras transmittere, sed neque ipse responsum, neque vxor litteras accipiebat, adeòque septennium integrum varijs dirisque molestiis vsque ad mortem subiacuit. Verùm ad diuinum, vbi humanum iam deficiebat auxilium, inuocandum se contulit, commendauitque se S. Iuliano, cui semper deuotus fuerat, addito voto, se ei sacellum ædificaturum, si eius precibus diuina ope ex iis angustijs eriperetur. Quo facto, obdormiuit, & post paululùm experrectus, cùm se putaret adhùc in ergastulo, catena seruili iam solutum, & in medio syluæ proximæ castello suo Baqueuillæ in Normandia se esse deprehendit. Gratias igitur agens Deo, sanctoque Iuliano, ad Castrum perexit, vxori, quæ iam illum mortuum lachrymata erat, adque secundas nuptias eadem die pergebat, indicio annuli diuisi se cognoscendum exhibuit, amboque glorificauerunt Deum, factaque est magna lætitia in vniuerso Castro.

18. *In vita B. Ritæ de Cassia ordinis S. Augustini.* Post mortem viri, quàm inuita sumpserat, acquiescere desiderans in arca Religiosa, adit Antistitam monasterii Augustiniani Cassiæ, cui tutela præerat Sancta Maria Magdalena, & in numerum Monacharum admitti humillimè, feruentissimèque orans, & lachrymans postulat; omnes tamen illæ Virgines, viduam, licet Sanctam, in suum admittere consortium respuerunt, à Virginum enim Collegio Viduę semper exclusę fuerunt. Vbi autem hoc sensit S. Vidua, ad asylum Diuinæ omnipotentiæ confugit, orationibusque, & lachrymis implorare Dei misericordiam non cessauit; & ecce mediæ noctis peruigilio, cùm tota orando inarderet, audit vocem ad asceterium inuitantis, conuersoque ad vocantem vultu, videt S. Ioannem Baptistam prodeambulare, & iter suum dirigere ad altissimam, inaccessibilemque rupem. Indigenæ scopulum Roccæ Porenæ dixere. Rapta isthùc, modo nescit quo, & aliquantisper derelicta, tantùm non obstupuit ad horrorem præcipitii; cùm ecce proximè accedere ad se videt S. Ioann. Baptistam, quem ponè D. D. Augustinus, & Nicolaus Tolentinas sequebantur; hi vna manu assumptam Viduam, Cassiam transferunt, desideratique Monasterii muris includunt. Discussa nocte, & claro mane illucescente, rumor varius turbauit attonitos monacharum animos, & obstupescentes quomodò nocte intempesta, foribus omnibus oppessulatis isthùc Rita penetrasset. Quæsita ipsa, plano statim responso ingenuè confessa est quidquid acciderat. Iterùm ergo vitæ monachæ omnes, in suum consortium eam admiserunt.

19. *Otto Frisingensis in Chronic. libr. 3. capit. 15.* Maternus Episcopus Treuirensis, & Coloniensis, in tribus Ciuitatibus, quibus Pontificali iure præfuit, nempe Treuirensi, Tungrensi, & Coloniensi, vno eodemque die, Angelo ducente, miraculosè diuinum officium celebrauit.

20. *Thomas Cantipratanus lib. 2. Apum cap. 40. num. 3.* Sacerdos quidam de Dacia, Andreas nomine, cùm conuicaneis suis Terram Sanctam peregrinus adiuit. Transacto ergo mari, in vigilia

Paschæ

Paschæ venerunt Hierosolymam, & summo mane recedere voluerunt: quibus Sacerdos dixit: Sanctissimus dies est Paschæ, & locus hic est Resurrectionis Dominicæ, audiatis priùs missam, & Eucharistiam sumite; postea recedemus. Abnuentibus omnibus,& recedentibus, Sacerdos in vrbe remansit, & dicta missa, factoque prandio, solus cæpit insequi præcedentes. Quem vt attigit quidam in equo sedens,quid est,ait,quòd solus properas peregrinus? & ille factum narrans; hac inquit de causa solus à sociis sum relictus. Tunc ille, ascende, inquit, retrò me; quod cùm fecisset, sic residens obdormiuit; circa vesperam verò cùm euigilaret, & circumspiceret vbi erat, dixit ille ductor suus. Potes ne cognoscere locum istum? & ille præ timore maximo vix respondere valens; videtur, inquit, mihi Domine mi, quod Ecclesia hæc, quæ ante nos est, Ecclesia mea sit, & domus mea hæc proxima, in qua mansi. Cui ductor eius ait. Rectè tibi videtur, Christum glorifica, cuius sacramenta veneratus es, & quorum causa in peregrinas terras solitudinem non horruisti. Hæc dicens subitò disparuit.

21. *Idem ibidem n.*4. Anno circiter ab Incarnatione Domini 1213. cùm Crux trasmarina vbique ferè terrarum prædicaretur, erat vir in Brabantia inæstimabilis sanctitatis, qui desiderium quidem longum habuerat, terram, in qua steterant pedes Christi, peregrinus inuisere: sed retardari à contemplatione diuina,in corporali exercitio verebatur. In oratione autem existenti in vigilia Sancti Petri ad vincula clauso cubiculo astitit illi cùm ingenti lumine Angelus Dei dicens. Vidit Dominus ingens desiderium tuum,te scilicet velle inuisere terram sanctam. Et nunc ad hoc missus sum ad te, vt desiderium tuum compleatur. Hæc dicens Angelus, hominem apprehendit, & in vna nocte ad omnia loca spectabilia terræ sanctæ transtulit,& eadem nocte retulit. Videbatur autem illi ipsa nox omni die lucidior, ita quòd omnium Ciuitatum Galliæ, Burgundiæ, Lombardiæ, Tusciæ, & terræ sanctæ loca, dispositiones, & situs, his qui terras nouerant proprijssimè designaret.

22. *Pepe in mirabilibus Sancti Caietani, n.*18. Mulier quædam Neapolitana inhonestè diù vixerat cùm adolescente quodam, qui amorem in odium conuertens, eam infeliciter è viuis tollere tentauit; in solitarium, ab omnique hominum consuetudine dissitum locum, eam duxit, plagisque innumeris vulneratam, semimortuam reliquit: tunc infelix, inuocato Diuo Caietano, ab eodem capillis apprehensa, propè Neapolim ad oppidum Pusilippi, propè quod horrendum facinus perpetratum fuerat, mirabiliter traslata est, ibique vulneribus curatis, citò ad integram ne dùm corporis, sed etiam animæ restituta est sanitatem.

23. *Philippus Alegambe, in Bibliotheca scriptorum Societ. Iesu, de Alphonso de Balzana Hispano.* Sæpè diuinitùs ad longa spatia breuissimo tempore transferebatur, vt opem adferret mortalibus; constat eum horis vndecim aliquandò decurrisse iter octidui.

24. *In vita Venerab. Iosephi Archiettæ Soc. Iesu.* Semel Venerab. Ioseph ad missæ Sacrificium faciendum, Missalem librum attulit, septem leucarum itiuere ab Angelo semihoræ spatio transportatus.

Alia his similia videri possunt in primo tomo, cùm de Carceribus vltraneo motu apertis, captiuisque liberatis, & aliò diuinitùs translatis.

In corporibus adhuc viuentibus, Animæ odor, seù graueolentia apparens.

§. 4.

CHristi bonus odor sumus, scripsit Apostolùs ad Corinthios, quod licet mysticè, tamen & aliquandò sensibiliter ex animabus iustis voluit Deus hunc Christi bonum exhalare odorem: sicut & ex peccatis infectis, graueolentiam, ne dùm diuinas, sed & humanas irritantem nares. De quibus.

1. *Benedictus Gononus in Chron. B. M. Virginis.* Sacrum Beatæ Mariæ corpus suauissimum spirabat odorem à natiuitate eius, & deinceps, vndè ad eam accedentes, ea suauissima fragrantia maximè delectabantur.

2. *S. Antoninus par.* 1. *Chron. tit.* 8. *capit.* 20. *de Iuliano, qui iussus à suis coniugem ducere, duxit cùm desiderio conseruandæ cùm illa Virginitatis.* Producitur onerata gemmis, & auro sponsa de Thalamo. Ingreditur Iuuenis cùm virgine lætus cubiculum. Factaque oratione ab eo, tali odore cella repleta est, vt videretur sibi virgo in tali loco posita, in quo vernant lilia, & rosæ. Et ait ad iuuenem: Miram rem sentio. Cùm enim sit hyemis tempus, ita mihi rosarum, & liliorum odor famulatur, vt ijs satiata iam horream tori coniunctionem. Cui Iulianus ait. Odor qui tibi apparuit, est Dominus Iesus Christus, amator castitatis, qui integritatem corporis seruantibus vitam æternam reddit. Tunc illa. Quæ melior salus quàm virginitatem custodiendo vitam æternam acquirere.

3. *In actis S. Martinæ Virg. & martyr. cap.* 4. Manè iussit Imperator Limenium quemdam Tribunum ambulare in carcerem, & eijcere eam; antea autem adipibus, & pinguedinibus eam perungi. Procedens autem Limenius de palatio odoratus est odorem suauitatis, & aromate multo repletus dixit comitibus suis. Odoratis & vos odorem nimium, erat enim cùm populo multo. At illi dixerunt; Quia odorem hunc ciues fecerunt pro dilecta Martina; alij dicebant: Quia Dij propitii apparuerant ei. Venientes verò ad carcerem multò ampliùs inuenerunt suauitatis odores.

4. *In actis* S. *Martinæ Virginis, & Martyris.* Inciso eius corpore dùm martyrio afficeretur, odor magnus factus est, sicut vas aromatum eiusdem ore diffusum.

5. *In vita S. Macarij Patriarchæ Antiocheni.* Cùm ad finem vitæ appropinquasset S. Patriarcha, vocauit ad se discipulum suum Bertelinum,

eique monita salutis dedit, quædamque manifestauit. Interim tanta de eius ore suauitas prorupit, vt viderentur ibi sparsi rosarum flores, aut effusus balsami liquor.

6. *In actis S. Polycarpij Episcopi, & Martyris*. Dùm in ardentem ignem iussu Tyranni iniectus fuisset, ex eius corpore tanta suauissimi odoris fragrantia exhalabat, ac si ex thure, aliisque pretiosis aromatis expiraret.

7. *In vita S. Meinardi Eremitæ, & martyris*. Cùm à latronibus occisus fuisset S. Meinardus, egrediente iam anima, tantæ suauitatis odor progrediens, totum cellulæ locum, totamque syluam impleuit, ac si omnium pigmentorum odoramenta ibi diffusa fragrarent.

8. *Chrysostomus Henriquez, in fasciculo S. S. Ordinis Cister. lib. 2. dist. 21. cap. 4. de S. Stephano Grandimontensis ordinis fundatore*. Internam animi eius puritatem miraculum quoddam continuum euidentissimè demonstrabat; Nam omnes qui ad eum veniebant, quique cùm eo familiariter loquebantur, diuinam quamdam, suauissimamque fragrantiam ex Beato viri corpore procedere sentiebant. Sicut enim piissima conuersatio eius cunctis odor vitæ erat in vita; ita odor ille, qui ab omnibus percipiebatur, ipsa nouitate corda proximorum ad Diuinam laudandam pietatem, veramque sectandam virtutem prouocabat.

9. *In vita Beatæ Idæ Louaniensis*. Infirmabatur tempore suæ probationis virgo Domini, languensque decumbebat in infirmitorio; cui Socia Monialis adiuncta fuit, quæ cùm iuxta B. Idam quadam nocte completorium legendo resideret, & illa deuotionis instantia potiùs quàm vocali consonantia legenti mutua vicissitudine responderet, odor quidam inæstimabilis à languente progrediens, assidentis nares ascendit, & ineffabili suauitatis abundantia tota simùl illius, & pectoris, & præcordiarum, ac viscerum intima penetrauit.

10. *Thomas à Kempis, in vita Beatæ Liduuinæ lib. 2. cap. 3*. Non solùm diuina claritate solita erat circumfundi, sed & mirabili suauitate, tàm ipsa, quàm cella eius inuenta est redolere; ita quòd intrantes putarent ibi diuersas species aromaticas ingestas esse, & resperias. Et hæc mirifica suauitas percipiebatur, cùm à Saluatore, vel ab Angelo Sancto visitaretur, aut tangeretur: vel à Cælestibus, & Paradisi apothecis rediret. Qui quidem suauissimus odor non solùm in odoratum per nares spirabat, sed etiam in gustum percipiendum redundabat, & tàm ardens sapor in lingua sentiebatur, & palatum remordebat, quasi piper, aut cinnamomum comedissent. Præcipuè tamen à manu, miræ suauitatis fragrantia prodijt, cùm per eam ab Angelo Sancto ad superna gaudia perducta, & indè reducta fuisset.

11. *De eadem*. Admouebant sæpè viri piissimi pectori eius furtiuè vultus, nares, & ora sua, vt pro voto haurirent reliquias spiritus eius, & suauissimi odoris. Nihil enim aliud videbatur pectus eius, quàm vas electum vnguentorum Domini, & promptuarium cœlestium aromatum.

12. *Franciscus Victo. de S. Francisco de Paula l. 1. c. 13*. Odorem instar mosci, aut electri suauissimum non abs miraculo efflasse S. Franciscum plures referunt, præsertim cùm è continua trium, octo, aut quadraginta dierum, quod non semel contigit, inedia, vigilijs, atq; ijs quas frequenter adhibebat ad sanguinem vsq; castigationibus, cutisq; per ferreas catenas, dentatos, aculeatosque scorpiones dilaniatione primùm prodiret; atque è contemplationis diuturniori, & profundiori somno euigilaret.

13. *In vita S. Philippi Nerij*. Ad eum accedentes, castitatis, ac puritatis odorem ab ipso emanantem, sentire sibi videbantur. Quemadmodum ille puritatis eumdem odorem, & è diuerso immūditiæ fætorem in alijs sentiebat. Quare excipiens confessiones hominum istiusmodi sordibus inuolutorum, ita teterrimo illo, atq; pestilenti odore, qui ex obscœnis illorum voluptatibus promanabat, afficiebatur, vt manus, aut linteum ad nares admouere, sesque in aliam quandòque partem obuertere cogeretur; quod admirabili tamen dexteritate, ne quis id aduerteret, faciebat. Narrabat ille, tàm grauem se ex hoc nefario scelere odorem percipere, vt cùm nullo sibi videretur fætorum genere posse conferri.

14. *In vita B. Didaci Comp.* Suppuratio, ex qua grauiter nimis ægrotabat, per medicamentum tandem rupta, magnam puris, & saniei copiam effudit, quæ non malè, vt solet, sed benè potiùs, ac suauiter olere videbatur.

15. *Franciscus à S. M. in Hist. Carm. T. 1. lib. 2. c. 12.* S. M. Teresia à Iesu maximum expirabat odorem adhùc viuens è toto suo corpore, quem & communicabat rebus, quibus vtebatur; quod cùm esset notum cæteris sororibus, accidit quadam die ann. 1602. post illius mortem in Conuentu Malagonensi, vt transiens Soror Maria de S. Angelo per quisquiliarum locum, huiusmodi odorem sentiens, dubitauerit, an ibi aliqua S. Matris reliquia adesset; Quæsitit, inuenitq; complicatam paginam, eratq; in qua cōtinebatur licētia eius Professionis descripta propria manu à Sācta, eratq; mūda absq; vlla sorde, ac si tunc scripta fuisset, maximūq; exhalabat odorē.

16. *Franciscus Ribera in vita S. Teresiæ libr. tertio capit. 16.* Dùm Soror quædam semel maximam odoris suauitatem in culina perciperet, nec causam assequeretur, tandem sub arca, paruum quoddam reperit salinum, salem etiam tùm continens, in quo digitorum B. Matris, dùm ad ægram delatum esset, relicta extabant vestigia, vndè profluuium tantæ fragrantiæ dimanabat.

17. *Iacobus Grassetus in vita B. Catharinæ de Bononia l. 1. c. 19.* Tantum sanctitatis odorem emisit B. Catharina de Bononia, dùm adhùc viueret in monasterio Corporis Christi Ferrariæ, vt & post illius obitum cęlicam ibidem sentiri fragrantiam permiserit Deus. In toto enim monasterio, pręcipuè tamen in locis Furni, Pullarii, & Valetudinarii, in quibus B. Mater præcipuas obedientiæ, & charitatis exercuit virtutes, decē diebus ante āniuersariū eiusdem obitus, quod celebratur 7. idus Martij, & aliquot post etiam diebus, maximus, indicibilisque ab omnibus quotannis in hæc vsque tempora suauissimus sentitur odor, supernaturalisque fragrantia.

18. In

18. *In vita Beatæ Coletæ*. Soror quædam monasterii Coletani, in quo tùm Coleta degebat, à planta pedis vsque ad verticem capitis inflata erat; & olebat pessimè, nec quicquam videre poterat. Eius vicem dolens Coleta, cæpit eam crebrò visitare; & si autem nihil illa videret, sensit tamen Coletam ingredi propter odorem suauissimum, quo totum valetudinarium ea veniente complebatur, alioqui ægrotæ illius fœtoribus abundans. Ea autem odoris suauitate, incredibilem percepit consolationem misera illa, & breui integerrimè curata est.

19. *In vita B.Elenæ, apud Gasparem Bembacem*. B.Elenæ membra cælestem fragrantiam spirabant, & tunc maximè cùm Eucharistiæ esset pane recreata.

20. *In vitis virorum illustrium Ordinis Prædicatorum, de S.Dominico*. Quidam scholaris Boloniæ admodùm labilis venit in quodam festo ad Domum fratrum, vt missam, & prædicationem audiret; qui cùm B. Dominico missam celebranti ad oblationem accederet cùm sociis, subitò in osculatione manus eius Beati, tantam sensit fragrantiam, quantam in vita sua non senserat vnquam; mira res de odore percepto, sed admiranda magis de lubrico carnis in eo restricto; sicut enim ipse testatus est, ex tunc tantam sensit temperantiam carnis, quòd sibi fieret facilè continere, cùm id priùs sibi impossibile videretur.

21. *Ibidem de B.Venturino Bergomensi*. Erat in eo illud quoq; mirabile, quòd odorem nescio quem suauissimum ex se se mittebat, vel cùm Sacrum altaris celebrabat, vel cùm confitentes audiebat. Fatebantur hoc multi, quare non deerant qui manè horam captarent, qua sacrificaturus erat, ac locum hac de causa propiùs altare occuparent, vt diuini illius odoris suauitate fruerentur. Testantur autem qui experti fuerant hoc de eo plurimi, & stupebant. Hac de causa Matrona quædam nobilis, cùm ægrotaret crebrò, ad se illum accersebat. Neque is odor de eius corpore tantùm exibat, sed indumenta quoque fragrabant, quod asserebant, qui partem aliquam indumentorum ob eam, quam supradixi causam, surripuissent.

22. *In articulis pro Canonizatione B. Andreæ Auellini Cler.Reg.* Ex eius manibus in vita suauis odor spirabat, & quotiescunque ab aliquo suo pœnitente manus eius deosculabantur, is illum sentiebat.

23. *Ignatius de Nente, in vita Ven.Sor. Dominicæ de Paradiso lib. 2. c.34.* Dùm adhùc viueret Sor.Dominica, suauissimus ex eius carne, licet tot afflicta infirmitatibus, emanabat odor, qui adstantes summopere consolabatur.

24. *Franciscus à S.Maria in Hist.Carmelitana To.1.lib.4.cap.13.* Ven.M. Catharina de Cardona ex Carmelitis Discalceatis, suauissimum odorem adhùc viuens è suo corpore emittebat, communicabatque habitibus, & vestibus, quibus induebatur.

25. *In Chronicis Minor.par.2. lib.1. cap.20. de B.Humiliana tertij ord. S.Francisci*. Licet continuis ieiunijs, vigiliis, aliisq; cruciatibus infirmum suum corpus continuò excruciaret B.Humiliana, ex illo adhùc dùm viueret suauissimus exhalabat odor, ad eam accedentes summa afficiens delectatione.

26. *In vita Venerab. Francisci à Puero Iesu Carmelitani*. Res sanè admiratione, & ponderatione digna; modicum, ac pauperem religiosum discalceatum, ignarum quid indusium sit, in continuis agentem laboribus, iugi sudore perfusum, infirmos inter, & putridos pauperes conuersantē, ferentem pro more obuiis eroganda mendiculis edulia, violas nihilominùs, & balsama, & pretiosissima tanquam vnguenta ex cœlitùs delibuto corpore ad omnium approximantium sibi nares efflare: odor iste sanctorum est. Hinc refert Iacobus Vertianus Ecclesiæ Valentinæ Thesaurarius, secutum se fuisse egredientem ex Ecclesia Cōuentus S.Georgii hunc Ven.Franciscum, atque ex eo afflantem odorem tanquam fragrantium violarum percepisse, adeò vt obstupefactus vocaret illum, dicens: Fr. Francisce, quod genus odoramenti illud est, quod tecùm fers? & respiciens atque examinans illius habitum, nihil quod naturaliter dulce quippiam redoleret reperit. Hunc eumdem odorem è Venerabili corpore afflantem alij multi experti sunt, publicisque tabulis sunt testati.

27. *Ferrantes Meltius, in vita Venerab. Matris Mariæ Victoriæ lib.2.cap.14.* Ex corpore Venerab. Matris Mariæ Victoriæ Genuensis, fundatricis monasterii Annunciatæ, odor suauis emittebatur dùm ad hùc viueret.

28. *In Vitis Patrum, de S.Pachomio*. Sanctus Pachomius Anachoreta quosdam ex fætore, quem exhalabant, diuinitùs deprehendit Hæreticos esse.

29. *In vita S.Eugendi Abbatis capit.12.* Ex cuiuslibet superuentu personæ ita per odoris fragrantiam, fætorisque afflatum, meritorum insignia dignoscebat, vt præsciret illicò, cui quisque virtuti, vel vitio subiaceret.

30. *In actis S.Euthymij Magni Abb.* Frater quidem in Laura, Romanus genere, nomine Æmilianus, cùm impuris cogitationibus quadam nocte succubuisset, manè obuius factus S.Euthymio venienti ad synaxim, adeò tetrum odorem ob commissum peccatum emittebat, vt ex eo quid illi acciderit apertè cognouerit vir Dei, illumque increpauerit.

31. *S.Hieronymus, in vita S.Hilarionis*. Habebat hanc gratiam, vt ex odore corporum, vestiumque, & earum rerum, quas quis tetigerat, sciret, cui Dæmonum, vel cui vitio subiaceret.

32. *In vita S.Brigittæ viduæ*. Quotiès illam loqui homini contigit grauiori labe aspersо, oberrare ipsam mephitim naribus credebat; tàm malo peccati offendebatur fœtore.

33. *March.* S.Cath. Senensis, quadam vice itura ad Ciuitatem aliquam celebrem, fætorem eius ad quadraginta vsque milliaria persensit, dicebatque nullum ei fætorem parem esse posse. Similiter, & S.Lutgardis cùm quispiam accederet peccato infectus, vt colloquio ipsius frueretur, mox præsentiebat spiritalem quemdam fætorem puro suo cordi planè ingratum, quasi leprosi halitum.

34. *Ignatius de Nente in Vita Venerab. Sor. Dominicæ de Paradiso lib.1. cap.23.* E fætidissimo

odore, peccata, quibus anima cuiusdam militis deturpata erat, semel cognouit Ven. Dominica, ipsumque hortata est, vt confessione conscientiam lauaret, pro ipsoque orauit; qui Virgineis hortamentis adhærens, lachrymis, & pœnitentia ad innocentiæ statum conatus est redire. Hoc itidem aliàs illi euenit, peccataque occulta ex fætore cognoscebat, manifestabatque.

35. *Seraphinus Firminus in vita B. Gentilis Rauennatis Viduæ*. Eiusmodi erga illam erat benigni Numinis prouidentia, vt omnibus in rebus quantùmuis minimis singulari quadam ratione illam gubernaret. Ea causa diuinitùs prohibitam eam aliquandò didicimus, vltrò oblato pane vesci, aliamue stipem admittere, propterea quòd maximum ab eorum, qui ea dabant, peccatis, expirari fætorem sentiebat.

36. *In Ann. Clericorum ministrantium infirmis, ann.*1612. Cùm anno Domini 1612. Mediolano regrederetur vnà cùm pluribus aliis equitantibus Ven. P. Camillus de Lellis Ordinis Ministrantium infirmis Institutor, cùm omnibus familiariter alloquebatur, amicèque conuersabatur, præter quàm quòd cùm illorum quodam; rogatus, quare vno relicto, cùm aliis tàm humaniter tractaret; respondit, quia ex eo quemdam quasi hæretici odorem afflari sentiebat, cùm verò id omninò ignoraretur; sed Romam adeuntes, tùm innotuit, illum fuisse clàm ad officium S. Inquisitionis ductum tanquam in fide vacillantem.

Essent enumeranda Admiranda circa odorem eorumdem corporum post discessum animæ; sed de hoc, cùm de odore à Reliquiis, & exuuiis Virorum Sanctorum.

In corpore humano effectus interni Diuini Amoris apparentes. §. 5.

QVas singulari amore cœlestis Sponsus prosecutus est animas, eas eiusdem Diuini amoris præsignauit caracteribus, in illarumque corporibus, stigmatibus, aliisque suæ Passionis admirandis figuris, ceù aureis litteris, diuinum exarauit amorem. De quibus inferiùs cùm de Crucibus. Quàm verò flagranti charitate in cœlestem efferbuerint sponsum animæ quædam, in earumdem corporibus, alii admirandi quidam effectus omnibus manifestauere. De quibus.

1. *In vita S. Teresiæ Virginis*; D. Theresia cùm ardentissimo flagraret amore Dei, vidit Seraphim aureo iaculo, in summitateque cuspidis ignito, sibi transuerberare præcordia, deincepsque maiori charitatis exarsit ardore.

2. *In vita S. Catharinæ Senensis cap.* 44. Contigit vt quadam die singulariter obsecraret Dominum, vt auferret ab ipsa cor proprium, & omnem propriam voluntatem. Videbatur autem illi sic oranti in visione venire Christum, & latus eius sinistrum aperire, ablatoque corde, recedere. Et reuera non potuit illa aliud sentire, quàm se corde destitutam. Cùm id autem diceret suo confessario, ille deridebat eam. Durauit hoc aliquot dies, & ecce à Sacello Ecclesiæ Dominicanorum Senensium illa quadam die exire volente, cùm multa luce apparuit ei Dominus, ferens in manu cor quoddam rubicundum, & illustre; propiùsque accedens, illud in sinistrum Virginis latus imposuit, dicens: En filia mea charissima habes pro corde tuo, cor meum; clausitque latus eius; sed ne putaretur innane Phantasma, illo in loco permansit cicatrix, quam sociæ eius se vidisse sæpè testatæ sunt.

3. *Antonius Gallonius, in vita S. Philippi Nerij*. Singulis diebus Philippus spiritum Sanctum quàm poterat ardentiùs precabatur, vt eum suis donis ornaret, nullumque abesse sinebat diem, quin eius opem imploraret: nec incassum hæc fuerunt; nam laicus cùm esset, annum vitæ trigesimum nondum attingens, Christi scilicet anno 1544. ea repentè spiritus vi repleri se sensit diuinitùs, eoque impetu, vt cor illicò sibi intra corpus saltitare cæperit, eoque ardore inflammari, vt eum natura insuetata quadam cordis palpitatione, omninò se ferre non posse significaret. Quamobrem benignus Dominus, quò illum ad plurimorum salutem diutiùs conseruaret, confractis atque in pugilli, eoque maiorem amplitudinem, elatis duabus sinistri lateris costulis, quarta scilicet, & quinta, eiusdem cordis sinum, quò id liberiùs ageretur, mirum in modum ampliauit. Erat istiusmodi fractura in anteriore parte pectoris, vbi costæ in cartilaginem desinunt. Quo ex tempore adeò vehementer ampliùs quinquaginta totos annos agitari, concutiq; cæpit assiduè, plùs minùsue, vt non modò toto corpore contremisceret, verùm etiam lectulus ipse, aliaque omnia, quibus ille insidebat, quasi terræmotu acta, eo orante, quaterentur. Quæ cùm illi (cui corpus quadratum erat, neque gracile, neque obesum) sine vllo doloris sensu euenerint, & ad extremum vsque spiritum sine dolore manserint (nullæ enim nec intùs, nec foris punctiones, doloresue sentiebantur) omninò supra vires naturæ fuisse, ac diuinum prorsùs miraculum Medici omnes, qui eius dùm viueret curationi, & postea corporis sectioni interfuere, vna voce testati sunt.

4. *Henriquez, de Beata Beatrice à Nazareth in eius vita cap.* 50. Quodam tempore cùm ad verbum prædicationis in monasterio cùm cæteris assideret, repentè præ maximo charitatis ardore cor suum disrumpi penè visum est, & totaliter conquassari; Siquidem naturalem situm deserens, ad guttur vsque conscendit, & in eo per multum temporis spatium tremens, & palpitans perdurauit, ex quo magnam contraxit infirmitatem.

5. *Idem in Menologio Cisterciensi* 29. *Iulij, de eadem*. Cor Beatæ Beatricis Ordinis Cisterciensis Christus Dominus igneo iaculo dulciter transfixit, eamque inter omnes creaturas ab ipso specialiter dilectam asseruit.

6. *In vita B. Elenæ*. B. Elena corde vixit destituta, cùm enim post mortem eius corpus diduceretur, corde vidua Dei virgo reperta est, vndè & sine palpitatione vixit, aliisque effectibus, qui ex cordis præsentia sequuntur.

7. *In Actis Venerab. Vrsulæ Benincasæ, monialium Theatinarum Fundatricis*. Maxima erga Deum

Deum charitate effulsit Venerab. Vrsula Benincasa, ita vt eius cor præ nimio amoris ardore maximo motu ageretur, in tantùm vt etiam superpositas vestes vehementi impetu cōmoueret; & tantus erat eius cordis calor, vt calorem maximum in toto illius corpore produceret, etiam hyberno tempore, & fumum ex ore exhalaret; qui calor adeò excreuit, vt ex eo absque vlla infirmitate mortua sit; & post eius mortem Dæmon cuiusdam mulieris corpus obsidens, nullis Ecclesiasticis exorcismis adduci potuit ad tangendam Seruæ Dei manum, asserens se ferre non posse calorem nimium illius ignis, quo eius cor, ob amorem Iesu Nazareni fuerat inflammatum.

8. *Ibidem de eadem*. Tanta fuit huius amoris efficacia ex Dei inhabitatione in eius corde, vt Dei voces non solùm ab ipsa, sed etiam ab alijs ex eius corde auditæ fuerint; & præsertim in die Natiuitatis Dominicæ, vox infantis vagientis ex eius corde audita fuit.

9. *Sylos in Hist. Cleric. Regular. part. 2. lib. 9.* Quadam die Venerab. Vrsula Benincasa magno lętitiæ impetu affecta, ad aram Deiparæ dicatam accedens, ita mouere in ea articulos cæpit, velut organum pulsaret. Mirum dictu? auditus illicò silente lingua, resonare armonicè atque ad numerum pectus; ita vt efformare quàm suauissimè ipsam Organi modulationem, concentumque videretur. Nec semel id quidem accidit.

10. *In Actis vt supra, de eadem.* Priusquàm humaretur, apertum fuit eius corpus, & inuentum absque corde, cuius loco modica pellis combusta reperta fuit cùm paucis guttis sanguinis (qui asseruatur incorruptus); & ex nimia, atque ardente in Deum charitate eius cor combustum fuisse, ab omnibus creditum fuit.

11. *Marchantius, de quodam Nobili, qui sacra loca piè lustrauerat*. Tandem Caluarium conscendit, Christum ibi extensum sibi repręsentans, & velut columba in vulneribus eius gemens, visitato quoque sepulchro, & aliis locis, finaliter in montē redit Oliueti, & quò Christus ascenderat, ibi vestigia Saluatoris, osculis, & lachrymis suis rigat, & suspirans ad Christum inclamat. O suauissime Redemptor, cùm iam non habeam ampliùs vbi quæram te in terra; cor meum in Cœlum te sequi desiderat; trahe ergo illud ad te, immò trahe hanc animam de carcere hoc, & corpore mortali, vt iam in monte gloriæ te sequi possit, & tibi in æternum iungi. Multis ibi lachrymis, & amaris suspiriis, sic diuinæ misericordiæ viscera commouit, vt tandem desiderium cordis eius tribuerit ei Dominus, & voluntate labiorum eius non fraudauerit eum; egressa est enim anima, & ex eodem loco ad Deum suum euolauit.

12. *Auctor Fast. Marian. de B. Ioanne confessor. Ordinis S. Augustini*. Amoris Diuini æstu tàm ardebat, vt cùm sacrificaret, vestes, quibus hyeme alii se contra frigus armabant, ille tunc poneret, & flammas pectoris loqueretur frequens, multusq; vapor è capite palàm assurgens. Ipse corpore præsens ad aram, animo interea Cœlum obambulabat, incendio ita paulatim crescente, vt oculi lachrymis non iam flere, sed toti liquescere viderentur.

13. *In vita S. VVenceslai Bohemiæ Ducis*. Nocte nudis pedibus super niuem, & glaciem circuibat Ecclesias, sanguinea, & terram calefacientia, ex calore diuini amoris intùs ardentis, post se relinquens vestigia.

14. *In vita S. Gerlaci Eremitæ, apud Bollandum 5. Ianuarij*. Euenit aliquotiès, vt in summo hyemis horrore quidam eum comitatus, nudis & ipse incedens plantis, dùm grauiter pedes sibi algere conquereretur; obserua, inquit homo Dei, vt eadem quæ ego terræ imprimo, tuis pedibus teras vestigia. Paruit ille, moxque totam aeris intemperiem, quasi vernali tempore sensit rorantem, quam priùs, fuit expertus malè vrentem.

15. *In vita B. Iulianæ Virginis*; Summi Boni amore succendebatur adeò, vt ignescere tota dici posset. Certè quidam aliquandò fidei homo probatissimæ, asseuerare solitus est, sub ipsum Missæ sacrificium, post recitatum Euāgelium, ex eius vertice, dùm in oratione incumberet, magnum extitisse fumum, sursùmque tetendisse vidit. Ex ardentissima nimirùm illa Diuini amoris fornace (Iulianæ pectore scilicet) prorumpebat.

16. *In vita Ven. Petri Nicolai Fattoris ordinis Minorum*. De eo illud non vulgare narratur, quòd cùm æstum ex diuino amore prouenientem non ferens, in piscinas desiliret, ferueret illicò frigida, quasi admoto igne, haùd aliter ac si in fabrorum lacubus cùm extinguitur ferrum.

17. *In vita B. Catharinæ Genuensis cap. 50.* Vis interni ardoris, quo diuino amore sauciata B. Catharina flagrabat, ita externè apparebat, vt si quandòque in gelidam, frigidissimamque aquam manus, pedesque refrigerij causa inijceret, illicò feruentissima, & ebulliens euaderet, ac si candens ignitumque ferrum in ea fuisset immissum.

18. *In vita S. Mariæ Magdalenæ de Pazzis*. Diuini ardoris vim haùd tolerans, sæpè brachia, & pectus frigida immergere, & spargere consueuerat.

19. *In vita B. Stanislai Costka Soc. Iesu*. Tanto Diuini amoris æstuabat ardore, vt sæpè tumido, æstuantiq; eius pectori gelido è fonte sudaria admouerentur, & vix mitigato igne, qui intùs vrebat, retenta vita est, ne amatoria inter suspiria dilaberetur.

20. *Seraphinus Firm. de orat. inter.* Elena illustrissima Virgo Bononiensis, tanto æstuabat diuini amoris ardore, vt in summo hyeme, ardentissimum eius pectus frigida aqua refrigerare esset necesse, alioquin ob vehementissimum æstum defecisset.

21. *Vng. Minor. Sermone 109. de Sanctis*. Cùm B. Elisabeth Vngarica semel pro quodam iuuene vanitatibus dedito preces coràm Deo funderet, vt ignem sui amoris in eum accenderet; statim eodem amore cor iuuenis ita exarsit, vt & in corpore extrinsecùs apparerent effectus: nimio namque calore iuuenis ille sudabat, totoque corpore fumum euomebat, & brachia, totumque corpus hùc illùcq; tanquàm demens iactabat; & accedentes ad eum,

totum

totum incaluisse, vestesque eius nimio sudore perfusas, deprehenderunt.

22. *Rhò lib.1.cap.1.n.3.* Io:Baptista Vitellius Fulginas octogenario maior, in summa hyeme nudo cubans asserere, lodicem pati non poterat, vrente intùs amore Diuino.

23. *Idem ibidem n.4. de Felice Virg. Barbariana.* In mediis niuibus flāmas amoris vix ferre poterat Felix virguncula ex Caccia-guerræ fide planè admiranda; etenim cùm Francisci exemplo, sed fine alio, in niuem insiluisset, seque nudam patiendi auida volutaret, excitato diuini amoris incendio incalescens, alias atque alias niues subibat, donec non rigentibus membris, quod eius ardens fuerat votum, sed æstuantibus, indè abiret, nec id mirum ea in virgine, quæ assiduè inter orandum tanto opere incalescere, vt vel austerissima hyeme abundè sudaret. Nullam enim hyemem agnoscit amor, quo vno æstas accenditur animorum.

24. *In vita Venerabilis Hieronymi Narniensis Capuccini.* Hyberno tempore, & nocturnis horis cùm frigore ingrauescente gelu contrita sunt omnia, Hieronymus in oratione positus, & animo versans amoremDei in nos, ab hac oratione redux, velut ex fornace, copioso sudore madens feruidus incalebat. Fuisse calorem hunc singularem indè liquet, quòd homo senex, positus in procinctu orationis hyeme inhorrente frigebat, & quandòque rigor tremulum hoc corpus agebat dirè; sed vbi orando recolebat passionem Christi, statim conscio etiam corpore flagrante, focus amoris Dei acrior insurgebat.

25. *De eodem.* Experimento liquet diuturno, latus sinistrum eius arsisse foco sensibili, ita vt corde æstuante, lintea parti huic apposita tabescerent, vt fornaci apposita, siue habitus ipse licet panno rudi, & austero satis asper, illa velut facula solueretur.

A Corporibus viuentibus Admirabiles Animæ Raptus, seù Extases. §. 6.

CVm ad tertium cœlum raptus est S. Paulus, audiuitque ibi arcana verba, quæ non licuit hominibus loqui, an in corpore, an extra corpus eò permeauerit, haùd definire voluit, omnem etenim exsuperant admirationem huiusmodi raptus, extasesque admirabiles; corpora enim quasi emortua, ab anima aliò mirabiliter delata, velut deseri, haùdque ampliùs animari videntur. De his igitur aliqua solùm admirabiliora, nam si plura, catalogum Sanctorum omnium retexere opportunius. Horum enim animæ in Diuini amoris fornace igneas alas assumentes, ad æthera, corporea mole in terris relicta, sæpè sæpiùs euolabant. Sint autem.

1. *Henriquez in notis ad Menologium Cist.30. Augusti, de B. Erone Abbate Armentarij Cœnobij in Compostellana Diœcesi.* Cùm pius senex sedula meditatione animo reuolueret, quo pacto beatorum spiritus idem semper obiectum contemplātes, ibidem in ęternum amantes, eadem beatitudine in perpetuum fruentes, contemplari, amare, & perfrui non cessent, quin perpetua dilectio, continua contemplatio, & ęterna possessio fastidium pariant: & quadam die simili meditatione præpeditus, extra monasterii ambitum egrederetur, auem pulcherrimam suauissimè canentem conspexit, quam hùc illùcque volitantem, ac interiora deserti penetrantem suspensus secutus, dulcedine Cœlestis melodiæ raptus, sub arbore sedit, ibique spatio ducentorum annorum diuino munere conseruatus, immobilis hæsit; cùmq; à cantu cessaret auicula, putans se tantùm per quadrantem horæ à monasterio abfuisse, reuertitur, sed cùm ipsa etiam ædificia mutata conspiceret, & in eodem ignotos sibi monachos inueniret, post multa agnitus, mirantibus cunctis, cæpit facies eius diuina claritate splendescere, & Ecclesiasticis sacramentis munitus, ex hac vita discessit anno Domini millesimo trecentesimo sexagesimo septimo; cuius corpus in Armentario Cœnobio honorificè quiescit.

2. *In magno speculo exemplorum dist.9. exempl.65.* Fuit quidam monachus, qui legens in matutinis cùm aliis fratribus: mille anni ante oculos tuos tanquam diei hesterna, quæ præteriit: miratus est nimis, quomodò illud esset possibile; erat enim sanctus & deuotus valdè. Post matutinas ergo mansit in choro in sua deuotione, vt consueuerat, & petiuit sibi illum versum reuelari à Deo. Et cùm staret, auis pulcherrima ante oculos eius volauit, & euolauit. Sequebatur eam, quia totus fuit intentus ad visionem eius; tandem euolauit extra Ecclesiam, tamen semper propè ipsum vt posset videri, & ita propè vt posset apprehendi. Tandem deduxit eum extra claustrum, & vlteriùs deduxit eum ad vnum nemus, quod fuit ante claustrum, magnum & spatiosum valdè, & ibi monachum detinuit per dulcem melodiam per trecentos annos, nùnc auolando, nùnc appropinquando, quoùsque omnes monachi illius monasterii essent defuncti; Et præ dulcedine cantus dictę auis nec esuriuit, nec sitiuit, nec comedit, nec bibit; postea auis euolans monachum dimisit. Tunc monachus ad se reuersus, monasterii situm petiit, quia propè erat, putans se eadem nocte post matutinas recessisse. Iàm erat hora tertia, vt sibi videbatur, & se petiuit intromitti. Dixit portinarius, quis esset? Qui dixit; sum Sacrista illius monasterij, qui post matutinas egressus sum. Portinarius putans eum delirum, non cognouit eum omninò, tamen requisiuit ab eo nomina fratrum, scilicet Abbatis, Prioris, & Cellarii; recitauit ergo nomina eorum, qui erant temporibus suis, & portinario omninò incogniti; & admiratus monachus, quòd non intromitteret eum, & simularet, se nescire nomina fratrum, petiuit vt deduceret eum ad Abbatem. Ductus autem ad Abbatem, nec ipse cognouit Abbatem, nec Abbas è conuerso eum, & inquisiuit Abbatem de prædecessore suo, & sic inuentum fuit, quòd Abbas ille cùm aliis, quos nominauit, ante trecentos annos esset defunctus. Tunc ostendit Abbati, & omnibus fratribus quid Deus secùm operatus esset per tot annos in eremo per auem, & illum versiculum: mille anni &c. & de gaudio Paradisi, & tunc ipsum in fratrem receperunt. Qui statim sumptis Sacramentis Ecclesiasticis, dulciter obdormiuit in Domino,

mino, & ad gaudia vitæ æternæ peruenit.

3. *Aloysius Torellus in Hist. Augusti. an. Christi* 583. In Conuentu Villarensi Regni Lusitaniæ, traditur, quondam fuisse S. Abbatem, qui in extasim raptus, in eadem per spatium septuaginta annorum perseuerauit.

4. *Metaphrastes*. Tempore Decij Imperatoris teterrimi populo Christiano hostis, Ephesi S.S. Maximianus, Malchus, Martinianus, Constantinus, Dionysius, Ioannes, & Serapion, immanem eius barbariem fugientes, in speluncam quamdam se abdiderunt; cuius foribus per fidei aduersarios obstructis, cùm somnum (quasi in extasim rapti) cæpissent, vsque ad Theodosij iunioris tempus dormierunt, indèq; septem Dormientium nomen acceperunt. Cùm scilicet annos centum, & octoginta vnum in somno (seù extasi) perpetuò mirabiliter perstitissent.

5. *In vita S. Mariæ Magdalenæ*. Sancta Pœnitens postquam se abdidit in vastam altissimi Montis speluncam, ibi annos triginta ab omni hominum consuetudine seiuncta quotidie fruebatur consuetudine Cœlestium Geniorum, ab ijsque efferebatur sublimis ad audiendos Paradisi concentus, ac cœlitum harmoniam.

6. *In vita S. Macarij Aegyptij*. Macarius dicebatur esse assiduè in extasi, & maiori tempore cùm Deo versari, quàm huius Mundi rebus occupari.

7. *Sabelli. libr. 2. cap. 6.* D. Augustinus dùm semel Sanctæ Trinitatis mysterium solus in cubiculo sedens contemplaretur, ita à se ipso abscesserat, vt à muliere, quæ illum consulere cupiebat, sæpiùs interpellatus, nihil responderet, immò nec respiceret quidem: Mulier autem quia se contẽptã putauit, abijt tristis. Postero autem die, cùm eũ in Ecclesia adiret, in spiritu rapta vidit de Trinitate disputantem, atque audiuit, idcircò se illum die externo frustrà quidem adiisse, quòd eiusmodi meditatione occupatus, ipsam neque videre, neque sentire omninò potuisset, ac proindè ne redire dubitaret. Rediit, & quod petierat consilium sine cunctatione accepit.

8. *In vita B. Oringæ Virginis in Etruria*. Adeò inflammata, ac vehemens erat Oringæ precatio, tàmque arcta cùm Deo coniunctio, vt plures dies continenter persisteret omni carens corporis cibo, à sensibus suauissima extasi alienata.

9. *Ibidem de eadem*. Post admirabilem extasim, in eaque visionem, ad se reuersa Oringa, admiranda raptus illius indicia in se remansisse animaduertit, corporis agilitatem, quæ aliquanto tempore tanta fuit, vt sæpiùs se se palpando, corpore sibi carere videretur; odorem quemdam incredibilem raptus illius tempore ex arborum florumque cœlestium fragrantia naribus suis adspiratum: eximia in auribus suauitatem à cœlesti concentu, adeò vt nouem ipsos menses in eadem versari gloria, fruique cœlesti harmonia instrumentorum, ac floribus videretur.

10. *In vita S. Francisci*. Tàm admiranda in Deum eleuatione S.P. Franciscus in extasim frequẽtissimè rapiebatur, vt inter homines corpore degens, anima eius in Cœlis moraretur, quæque in terris adueniebant, minimè cognosceret; aliquandò etiam anima ad Cœlum volans, corpus adeò in altum eleuabat, vt vix videri posset, eoque modo multo tempore morabatur.

11. *Nicolaus Ionsenius in vita S. Dominici lib. 2. cap. 2.* Ipsa orationis, & contemplationis frequentatione ita profecit S. Dominicus, vt cùm traderet se orationi, mens rebus expedita terrenis, in Cœlum sese attolleret, & corpus diuinarum contemplatione rerum, suæ molis, ac ponderis immemor, in sublime ferretur.

12. *In vita S. Francisci de Paula*. Tanta mentis eleuatione vitam agebat S. Franciscus, vt sæpiùs extasim passus, extra se rapi visus sit; quinimmò languore quodam extatico mirum in modum impellẽte, sancta eius anima è corpore ieiuniis perpetuis, & incredibili pœnitẽtia efæso, & attrito elapsa est.

13. *In vita S. Teresiæ*. Eò Diuini amoris ardore cor Beatissimæ Teresiæ flagrabat, vt quandòque languens corpus eius penè moreretur, illiusque anima, corpus deserens, illud exanime linquens, ad cœlestem patriam adhùc viuens euolaret.

14. *Petrus Maffeus lib. 1. cap. 8. de S. Ignatio Loyola*. Aliquandò per septem dies alienatus à sensibus, immobilisque in precibus, & excessu mentis perstitit; multique id viderunt, & testati sunt.

15. *Sylos in Hist. Cler. Reg. Part. 1. lib. 7.* Visus sæpiùs est S. P. N. Caietanus ingenti quadam vi numinis adflatus, abreptusque extasi, ab ipsis vitæ officijs, immotus peragrare iam Cœlum, atque cùm beatissimis mentibus degere adhùc mortalis.

16. *D. Bonauentura in legend. S. Francisci c. 3.* B. Ægydius adeò crebris rapiebatur excessibus, vt magis censeretur inter homines vitam Angelicam agere, quàm humanam.

17. *In vita S. Magdalenæ de Pazzis*. Aliquandò octo dierum spatio in contemplando cœlestia mysteria eleuabatur in extasim, vt eius corpus immobile, omnique sensu carens, mortuum, & exanime remaneret; solius que linguæ, qua arcana, & imperscrutabilia loquebatur, vsu fungeretur.

18. *In vita B. Columbæ Reatinæ lib. 5. cap. 4.* Adeò frequenter B. Columba adhùc viuens, à sensuum naturali vsu rapiebatur, in extasimque eleuata, corpus exanime relinquebat, vt cùm Apostolo dicere posset; *nostra autem conuersatio in Cœlis est*.

19. *In vita B. Angelæ de Fuligno*. Aliquandò per tres dies continuos in extasim rapta, suauissima cœlestium rerum visione recreabatur spiritus B. Angelæ.

20. *Blosius, in Conclaui de B. Elisabeth Spalbeech*. Hæc quidem Virgo purissima septies quotidiè ita rapiebatur in Deum, vt nullus sensus, nullus motus, nullus status in ea appareret.

21. *In vita S. Rosæ Peruanæ cap. 12.* Amantissimo eius sponso adeò charitatis vinculis in oratione vniebatur S. Virgo Rosa, vt interdùm tribus, quatuorue diebus sine cibo, & motu in extasim rapta, omnium sensuum exercitio priuaretur, soliusq; mentis assidua detineretur contemplatione.

22. *In vita Ven. Gertrudis ab Oosten Virginis*.

Adeò

Adeò frequentes, & admirandas extases hæc Dei famula patiebatur, vt sæpiùs à sensibus abstracta, sex hebdomadis, aut ampliùs in sua maneret camerula.

23. *In vita B. Coletæ c. 51.* Postquam Eucharistiam sumpserat, mox rapiebatur in Deum, manebatque immota, & mortuæ non absimilis ad horas duodecim, nonnunquàm decem, vt minimùm sex, nihil intereà sentiens extrinsecùs. Ad se autem reuersa, vultu erat prorsùs angelico, luculento, pulchro, amabili, cœlesti, & à terrenis omnibus abhorrente; sermones verò erant suaues, profundi, cœlestes, perfectissimum Dei commendantes amorem, auditores ad Dei perfectam cognitionem inuitantes, ad feruens bonorum spiritualium, & æternorum desiderium, ad mundi, & inconstantis, ac labilis vitæ huius, omniumque vanitatum, & noxiarum cupiditatum contemptum incitantes.

24. *In vita Ven. Vrsulæ Benincasæ.* Hæc Dei serua decennis, quadam die de sero, cùm ad campanæ signum salutationem Angelicam recitaret, donum extasis diuinitùs accepit, quod eam supra sensus eleuabat, ac reddebat immobilem, ita vt quacumque vi, aut violentia, nec etiam vulnerata sentire, vel moueri posset. Adeòque frequentes in ea erant huiusmodi extases, & spiritus supra sensus eleuationes, vt eius conuersatio semper in Cœlis extitisse, eiusque vita ferè continua extasis dici possit, Præsertim quo die sacratissimam Eucharistiam suscipiebat, vsque ad noctem ab extasi detinebatur.

25. *In vita Venerab. Nicolai Fattoris, Ordinis Minorum.* Is frequentissimè rapiebatur extra sensus in diuinarum rerum contemplatione defixus, atque ita permanebat interdùm totas viginti quatuor horas, idque sæpiùs publicè contigit.

26. *In Actis S.S. Martij in contin. Bollandi T. 2.* In extasim sæpè numero rapiebatur Venerab. Dionysius Carthusianus, quibus intellectus illius Diuino lumine lustrabatur, quapropter Doctor Extaticus iure potuit appellari.

27. *Sylos in Hist. Cler. Reg. Part. 1. lib. 11.* Quàm sæpissimè, præcipuèque inter diurnas laudes Vener. noster Ioannes Marinonius, amoris vi, ac flamma ita abripi videbatur, vt sensibus penè destitutus, minùs idm aduerteret quæ agerentur; ac esse aliquem necesse erat, qui officij moneret, excitaretque ab eo excessu charitatis.

28. *Idem in vita Ven. Francisci Olympij Cl. Reg l. 2. cap. 8.* Aliquandò Franciscus cœlestium rerum contemplationi operans, eo quidem excessu, ac volatu mentis reperiebatur, vt corpus etiam abeuntem animum sequeretur; ac non minimùm quidem, sed quatuor omninò palmos è terra sublatum penderet.

29. *Ignatius de Nente, in vita Ven. Sor. Dominicæ de Paradiso.* Tàm frequentibus mentis rapiebatur excessibus Dominica, tàmque continua extasi eleuabatur in Cœlum, vt cùm Apostolo posset dicere; nostra autem conuersatio in Cœlis.

30. *In vita Vener. Camill. de Lellis lib. 3. cap. 11.* In Oratione adeò erat feruens, vt quandòque à sensibus omninò eleuaretur. Semel cùm in Nosocomio Annuntiatæ Neapoli frater quispiam media nocte eum ad excubias vocãdum, & portãdum ipsi lumen iuerit, cùm aliquoties eius fores cubiculi pulsasset, nec responsum audiret, aperta tandem ianua ingressus, inuenit eumdem Patrem iam vestitum stare in medio cubiculi erectum iunctis manibus, & oculis ad Cœlum versis absque alio motu; quem cùm vocasset, & ille nullum auditus, alteriusue sensus signum edidisset, accensa eius lucerna, eodem in statu illum reliquit, quo inuenerat, & abijt.

31. *Dominicus Maria Marchesius in vita Ven. Sor. Mariæ Villanæ Ordin. Prædicatorum.* Suauissimo exæstuans in Deum amore Vener. Maria Villana, tàm frequentibus mentis excessibus in eumdem rapiebatur, vt continua extasis eius vita videretur; in quibus arcana diuina, imperscrutabilia Mysteria, multa futura, innumeræ humanorum cordium cogitationes, ei diuinitùs reuelabantur.

Circa hanc materiam multa videri poterunt in primo Tomo, cùm de eleuatione corporum orantium in aerem lib. 2. cap. 3. §. 2.

CAPVT IV.

De Admirandis circa Ornatum corporis humani.

Capilli mirabiliter enati. §. 1.

CVm ad ornatum corporis humani, capilli à natura, naturæque authore ordinati sint; vt circa ornatum eiusdem corporis humani aliqua Admiranda enarrentur, quædam in ijsdem Capillis, quæ aduenere admiranda, hìc notabo. Sunt autem.

1. *Surius 15. Septembris.* Cùm S. Aichardus Abbas Gemmeticensis pro causis Monasterij agendis per quoddam sabbatum occupatus, non potuisset secundùm consuetudinem cùm cæteris fratribus tonsuræ interesse; sub horam nonam tardiùs accito tonsore, capillos capitis forcipe iussit æquari; quod dùm ageretur, hostem humani generis vidit, capillos recisos in charta deponentem, ceù negligentiæ adhibitæ eum taxare, & accusare demonstrans; quod vt ille cognouit, crudele monstrum increpauit, factoque signo Crucis in fugam conuertit. Hinc vir Dei conuocatis fratribus rem omnem ex ordine aperuit, culpam fassus est, veniam poposcit. Ita omnibus pro excessu Patris orantibus, mira res! tonsura nulla, nec capilli incisio vlla comparuit.

2. *Idem in vita Sanctæ Charitinæ Martyris 5. Octobris.* Iudex ira repletus, iussit quidem eius capillos radi in superficie. Illud autem factum est, & maximum consecutum est miraculum; Caput enim rursùs fuit comatum.

3. *Ambrosius Righettus de Mirac. Nominis Iesu.* Dùm S. Agnes Virgo, & Martyr, eo quod Idolis sacrificare nollet, iussu impii Iudicis publicè coram omnibus denudata fuisset, cœlestis eius spon-

sponsus à pudore eam liberauit; si quidem illicò flaui eius capilli ita excreuerunt, vt ab ipsis tota illius nuditas circumtecta fuerit.

4. *In vita S. Aloysij Bertrandi*. Vrsula Soler incola Ciuitatis Valentinæ, filiam multis in capite morbis laborantem habebat, adeò vt defluentibus omninò capillis, & eorum radicibus euulsis, cutis etiam ipsa decideret, multis porriginem, alijs strumam id morbi genus nuncupantibus; cùmque diuersimoda remedia adhiberentur, tantùm absuit vt sanitatem ægra consequeretur, vt potiùs magis in dies infirmitas ipsa ingrauesceret: Duxit Puellam Mater ad Ven. Bertrandi sepulchrum, nouenam ibidem de more peractura, & non modico animi feruore Sanctum Dei seruum, vt filiæ recuperandæ sanitatis mediator existeret rogauit, ac prima die oleo vnius ex lampadibus ante sepulchrum ardentibus filiæ caput vnxit; cùmque à circumstantibus reprehenderetur, eo quòd olei ipsius humiditas augendo morbo esset idonea, magna nihilominùs fide in incæpto perstitit. Adfuit Bertrandi auxilium, ac tertia nouenæ die capilli in puellæ capite conspecti sunt, quibus iugiter crescentibus, priùsquàm nouena perficeretur, tàm perfectam sanitatem infirma est assecuta, ac si nullo vnquam morbo laborasset.

5. *In Annal. Minor. an. 1231. n. 7. de S. Antonio Patau.* In tractu Lemouicensi quædam deuota fœmina in Minores valdè propensa, dùm eis quædam emeret, atque aliqua charitatis exhiberet officia, superuenit nox, quare tarda Domum rediens, malè audiuit à Zelotypo Marito, qui verbis verbera addidit, & capillamento per aulam tractam, ferè decaluauit. Illa (vt muliebre est) supra omnem dolorem dolens ad perditum capitis ornamentum, comam dispersam collegit, & virum Dei Antonium sequenti die rogauit, vt lecto languentem visitaret. Dùm adesset, significauit quæ facta sunt, qualia pro fratribus passa, & rogauit vt pro ea iuberet orari in Monasterio. Ita factum instanter pro benefactrice, cui ad fratrum preces Dominus dolorem omnem absterfit, & crines capiti restituit; itaut capillus vnus de capite eius non perierit.

6. *Pepe in mirabilibus S. Caietani, mirac. 36.* Deuouerat quædam mulier ob impetratam filii sanitatem proprios crines rescindendos S. Caietano: at voti immemor, quod promiserat, exequi haùd cogitabat: nocte igitur quadam inuisibiliter omne capillitium amputari sibi sensit, doluit fœmina, talique ornatu despoliata, multùm ingemuit, inuocatoque D. Caietano, ne sic deturpata remaneret, suppliciter exorauit. Audiuit Pater, illicòque pulcrior ea, quæ abscissa fuerat, eodem tempore enata est coma.

7. *Ex antiquis Manuscriptis*. Cùm S. Nicolaus alapam Ario impegisset propter eius blasphemias, ob idque Sancto in ludibrium barba secta fuisset, serui sui honori Deus consuluit, dùm enim missam celebraret, in temporis momento barba illi enata est, vt maior, quàm antea esset appareret.

Admiranda varia circa capillos, & Barbam, §. 2.

Varia circa capillos, & barbam, quæ aliquandò euenere Admiranda, hìc interseram. Sunt autem.

1. *Surius in vita S. Simeonis Abb. 1. Iulij. c. 44.* Hoc quoque sanctus à Deo petiit, nè cresceret coma capitis sui, vel Barba, nè fortè dùm tonderetur, planum fieret, eum agere stultum. Quo circa, toto tempore, quo perseuerauit in hoc vitæ instituto, nemo vidit, quòd creuerit coma eius capitis, neque quòd eam totonderit.

2. *In Martyr. Gallic. 5. Ian. de Sancto Gerlaco*. Cæterùm qui ad se accedebant, eos vel ad virtutem, pietatemque erudiebat, vel si erant improbæ vitæ, redarguebat. Nonnulli salutaribus eius exciti monitis, comam cùm Sæculi amore deponentes, diuino se famulatui addixerunt, inter quos vnus fuit, cuius semel detonsi pili, nunquam ampliùs excreuere.

3. *In actis S. VVlstani Episcopi VVigor. 19. Ian. apud Bollandum*. Nicolaus specialis eius alumnus, qui postea VVigorniensis Ecclesiæ Prior fuit, pedibus eius assidebat. Episcopus interim effusus in lætitiam, blanda manu caput iuuenis palpauit, crinibus defluentibus improperio caluitii vicinum; & puto, inquit, caluus fies. At ephebus, qui in adolescentia se illa parte senescere dolebat, questus fata capillorum cadentium: Quare, inquit, non eos tenes? contra Episcopus renidens, Crede mihi, ait, nunquàm quantùm vixero qui residui sunt deficient. Factum est quod dixerat; sed eadem hebdomada qua vitæ huic renuntiauit, ita omnes, quò nescio, euanuere, vt nudam cutim relinquerent.

4. *Tritbemius in Chron. an. 1129.* Anno Volmari Abbatis octauo, qui fuit Dominicæ natiuitatis 1129. in partibus Occidentis viris malo vsu comam nutrientibus, subitò capilli circa capita multis miraculosè incensi ardere cæperunt.

5. *Crantzius lib. 6. Metrop. cap. 10.* Lothario Imperatore rebellantibus Friderico, & Conrado fratribus Alsatiæ Ducibus, peruenit res ad apertum bellum. Obsedit Lotharius Spiram, qua in expeditione, cùm ferè omnes per temporum consuetudinem nutrirent comam, multis Germanorum in exercitu Cæsaris fulmine sunt exusti capilli, & credita est vltio Diuina; cessauitque ea abusio nutriendorum, & tantopere excolendorum capillorum.

6. *Pepe in mirabilibus S. Caietani m. 17.* Proprios deuouerat capillos B. Caietano mulier quædam Neapolitana Arcis nouæ, ob infirmitatem, à qua intercessione eiusdem Sancti mirabiliter liberata fuerat: at voti immemor, oblationem promissam distulit; cùm ecce nocte quadam apparens ei S. Caietanus crines omnes rescindit, votumque vt adimpleret, vellet, nollet, suauiter coegit.

7. *In Annal. Minorum ann. 1252. num. 8. de B. Rosa Virgine*. Semel prædicantem, & vitia acriter

ter reprehendentem, dùm innumera gens audiret, sceleratus quidam feraliter in brachio eam percussit; cui illa nec quicquam indignabunda. Vlciscitur Dominus suorum iniurias, sed tecùm mitiùs aget, non supplicio, sed signo te infrà triduum affecturus, per quod ab omnibus dignoscaris; atque ita euenit, sicut prædixit, dùm die tertio, capillis omnibus totius corporis, capitis, barbæ, & superciliorum euanescentibus, factus est cunctis irrisibilis.

8. *In vita S. Eguuini Episcopi VVigorniensis cap. 4.* Cùm quidam terram S. Eguuini inuadens possideret, Iudicum sententia decernitur, vt manu propria super reliquias Sancti Eguuini iurando terram acquireret. Erat vir ille grandeuus, & barba prolixa barbatus; assurgens ergo, barbam propriam concludit palmo; per istam inquit barbam, mea est terra, & ego eam possideo iure hæreditario. Vix emiserat verbum, & ecce totam barbam coram cunctis lapsam ita proiecit ad terram, ac si apposita esset, non naturaliter nata. Sic qui alienam terram iniustè inuasit, iure cùm ipsa terra, barbam propriam perdere meruit.

9. *In actis S.S. Martij Tom. 3. in contin. Bollandi.* Quidam Villicus, nomine Ioscellinus, coactus supra sepulchrum Sancti Mauri martyris iurare, impiè sacris pignoribus manum imponens periurauit; vidensque quoniam illicò minimè ipsum perculerat diuina vltio, hilari vultu, procacibus verbis quam prolixam habebat, barba mento tenùs comprehensa: Per hanc, inquit, barbam, *saluum* feci sacramentum. Quo dicto, tota, veluti eam comprehenderat, manum prosecuta est barba; reliquo, quo vixit tempore, mento penitùs perseuerante in barbæ priuatione.

Capilli, & Vngues post mortem diuinitùs crescentes. §. 3.

DE his erit sermo, cùm de Admirandis circa Defunctorum corpora occurrentibus lib. 6. cap. 3. § 3.

Finis Libri Secundi.

L l-

LIBER TERTIVS

De Admirandis circa diuersum Statum Supernaturalem Hominis.

Vcque, quæ circa Hominem iuxta eiusdem statum naturalem, ad illumque spectantia Admiranda comperi, in vnum fuere collecta; modò ad altiora oculos eleuans, eundem, vt ad statum supernaturalem eleuatum, & à gratia in ordine superiori constitutum, est intueri; quaque admiranda circa illum hoc modo consideratum euenere, in præsenti sunt recensenda. Cùm autem ad huiusmodi statum mediante gratia per Sacramenta eleuetur; de Admirandis circa septem Sacramenta primò erit sermo.

CAPVT PRIMVM.

De Admirandis circa Baptismum, Homini primam gratiam conferentem. Baptismus, ne dùm animæ, sed & corpori salutem tribuens.

§. I.

T quam animæ inuisibiliter impertitur aqua baptismalis, etiam visibilibus signis appareret salus; eam aliquandò in visibili, malèque affecto corpore, à salutifero latice mirabiliter causari voluit Deus, vt talibus admirandis, & veritas Baptismi nitidior appareret, & in fide orthodoxa corroborarentur increduli. De his.

1. *Egnatius libr. 4. capit. 6.* D. Marcus Petri Apostoli socius, missus ab eo Aquileiam, sub ipsum ingressum vrbis, Athaulpho cuidam adolescenti nobili lepra infecto occurrit; quem blandè primò appellatum, interrogasse fertur; An eo morbo solui cuperet? cui cùm puer affirmatiuè respondisset; admonitus fuit à Sancto Marco, vnum tantùm esse mali remedium, si Christum sequeretur, relictoque idolorum cultu, sacra baptismatis aqua lustraretur; accepta conditione, sacramentalique aqua lauatus, illicò & lepra mundatus est.

2. *Baronius Anno Christi 324. numer. 41. De Constantino Imperatore.* Constantinus Magnus, quo tempore à S.Siluestro salutaribus aquis ablutus est, à fœdissima lepra pariter & liberatus est.

3. *Procborus in vita Sanct. Ioann. Euang. cap. 32.* Ingresso Ioanne domum Philonis Iudæi, & cibo sumpto; vt prædicationem Ioannis audiuit Vxor eius, rogauit eum, vt baptizaretur; erat autem mulier illa tacta lepra, & cutis alba vt nix; quæ cùm suscepisset baptismum, omninò curata est à lepra sua, & tota mundata.

4. *Vincentius Baralis in Chonorol. Insulæ Lerinensis.* Cùm Sanctus Arnulphus Metensis Episcopus, leprosum quendam infidelem in fide instructum sacro baptismo abluisset, statim, celeriterque ab eius corpore lepra discessit.

5. *Surius in Augusto.* Sanctus Gaugericus Cameracensis Episcopus, gentilem quemdam fœdissima lepra affectum, cùm ad suscipiendum Baptisma salutaribus monitis suasisset, eodem salutari lauacro ab infidelitate, & à lepræ fœditate purgauit.

6. *In actis Sanctorum Iuliani, & Sociorum Martyrum.* Decem leprosi iam decoctæ & putridæ carnis quadam die allati sunt ad Ecclesiam Sancti Iuliani, & Sociorum, vt in die passionis eorum, hoc est Epiphaniorum, Baptismi gratiam consequerentur. Completoque eis Sacramento, vnusquisque ex illis talem consecutus est sanitatem, vt in hominum genus nunquam talis pulchritudo videretur.

7. *In vita Sancti Potiti Martyris.* Matronam quamdam leprosam de Ciuitate Valeria, postquam in fide instruxit Sanctus Martyr, eam baptizauit in nomine Sanctissimæ Trinitatis; ad cuius inuocationem subitò splenduit caro eius, & est, Deo auxiliante, sanissima reddita.

8. *In actis Sanctorum Februarij Tom. 3. in Continuatione Bollandi.* Cùm à Sancto Polycarpo presbytero Romano quidam hydropicus, alter verò vulneribus plenus, baptizarentur; mox vbi in nomine Sanctissimæ Trinitatis eos intinxit, ita de fonte sani eleuati sunt, vt nec signum in eis alicuius morbi præteriti remanserit.

9. *Sanctus Augustinus libr. 22. de Ciuitate Dei capit. 8.* Quidam Curubitanus, non solùm à paralysi, verùm etiam ab informi pondere genitalium, cùm baptizaretur saluus effectus est, & liberatus vtraque molestia, & tanquam mali-

ſi nihil habuiſſet in corpore, de fonte regenerationis euadit.

10. *Idem ibidem*. Medicus quidam podagricus in Cartaginenſi Ciuitate, dùm ſacro baptiſmo ablutus eſſet, non ſolùm dolore, quo eo tempore vltrà ſolitum cruciabatur, verùm etiam podagra caruit; nec ampliùs, cùm diù poſtea vixiſſet, dolorem in pedibus ſenſit.

11. *Idem lib. de cura pro Mortuis cap.* 12. Homo quidam de turma, Curina nomine, cùm ægrotaret, ablatis ſenſibus penè mortuus iacuit aliquot diebus; interim viſionem vidit, in qua ei præceptum fuit, vt baptiſmum ſuſciperet, quod ille promiſit facturum. Poſt iſta conualuit; indèque Hipponam profectus, quod in viſione promiſerat, adimpleuit; Baptizatus eſt, & ſanus remeauit ad propria.

12. *In vita Sancti Marij Abbatis Bodanenſis*. Contigit aliquandò, vt in agro Aruernenſi à quodam viro illuſtri Agricola hoſpitio ſuſciperetur; cuius filiam, Siſagriam nomine, quæ ferè mortua erat, eiuſdem hoſpitis precibus baptizauit, & baptizatam ſuis orationibus vitæ, & priſtinæ ſanitati reſtituit.

13. *In actis Sancti Sebaſtiani Martyris*. Cùm Sanctus Polycarpus presbyter vocatus à S. Sebaſtiano, filios cuiuſdam Claudii, hydropicum vnum, & alterum vulneribus plenum, in nomine Sanctiſſimæ Trinitatis baptizaſſet, ita de fonte ſani eleuati ſunt, vt nec ſignum in eis alicuius morbi præteriti remanſiſſet. Idem accidit Tranquillino podagrico, & chiragrico dolore conſtricto; reſolutæ ſunt enim manus eius, quæ erant nodoſæ, & genua ſimùl, & plantæ pedum eius ita ſunt incolumes redditæ, ac ſi puerulus eſset, ſtatim ac baptiſmum recepit.

14. *Iſidorus Clarius orat.* 92. *de Sancto Feliciano*. Peruſiam, & Eugubium, egregias vrbes adijt athleta Chriſti, cuius prædicatione multi Chriſtianum dogma ſunt amplexati; pollicitus autem fuit, ſe, quicumque ſalutari lauacro tingi pateretur, illum quouis modo laborantem curaturum; ingentem profectò, conſtantemque fidem; qua facta pollicitatione, mox quendam contractis membris, alium hydropicum, & gibboſam mulierem ſacro lotos fonte curauit.

15. *Aloyſius Torellus in Hiſtor. Ordinis Sancti Auguſtini ann.* 373. Cum quidam adoleſcens amicus Diui Auguſtini, & in peruerſa ſecta ſocius, graui morbo correptus, in vltimis vitæ anguſtiis laboraret, curatum fuit, vt ſacro lauacro regeneraretur, ne ſimùl cum corpore, deperiret & anima; at poſt baptiſmum, omnibus ſtupentibus, præcipuèque Auguſtino, & animæ, & corporis ſanitatem obtinuit.

16. *Baronius in Annotat. ad Martylog.* 13. *Decembris*. Sancta Ottilia Virgo circa ann. Domini ſeptingenteſimum, cœca à natiuitate, in baptiſmate viſum recepit.

17. *Fridericus Fornerus ex litteris annuis Societatis Ieſu ann.* 1581. Ethnico cuidam in primis nobilis filia nata eſt oculis capta, quorum concaua informis carunçula expleuerat. Id cùm parens vidiſſet, ac pro ea, quam cùm Chriſtianis habebat conſuetudine, multa ſupra naturæ vires, Chriſti Dei noſtri ope facta, olim audiſſet; vouit curaturum ſe, vt filia baptizaretur, ſi oculorum vſus datus illi eſſet. Voto facto, viſum puella recepit. Cùm autem Pater ſegniter cunctando, voti fidem abſoluere negligeret, filia ſubita vi morbi correpta, ad vitæ finem perducitur. Tunc Pater in voti neglecti memoriam veniens, votum iterùm nuncupauit, filiæ ſe baptiſmum non vltra dilaturum. Itaque duplicis voti damnatus pater, filiam ad Templum deduxit, eaque ſumma omnium gratulatione, baptizata eſt.

18. *Bozius de ſignis Eccleſiæ libr. quinto capit. ſecundo*. In vrbe Nochu Regni Iaponis, cœci quinque, vbi baptizati fuerunt, lumen recepere.

19. *In annuis Epiſtolis Iaponicis*. Non procùl Bungo cùm plures per Baptiſmum expiati eſſent; vnus ex iis cœcus tredecim annos natus, ſimùl ac baptizatus eſt, & integrum oculorum lumen recepit.

20. *Surius in vita Sancti Simeonis Abbatis*. Hebræus quidam Iudaicæ Religionis tenax, Simeonem duobus Angelis ſtipatum vidit, multaque cognouit, quæ luce meridiana clariùs eximiam viri ſanctitatem teſtabantur. Hic autem quamquam à Chriſtiana pietate alienus, voluit tamen omnibus ſanctitatem Simeonis prædicare, & maximè celebrem reddere. At Simeon protinùs accurrens, hominis labia manu compreſſit, ac loquendi facultate priuauit. Deindè ſecundùm quietem ei apparens dixit; Niſi cœleſti lauacro perfidiam expiaret, numquam linguæ beneficium recepturum. Ille verò cùm nullo modo, vt Chriſtiana ſacra reciperet in animum inducere vellet, defuncto tandem Simeone, occultis pœnis adeò exagitatus fuit, vt ſine mora ſe, ſuamque familiam Chriſtianæ Religioni ſubderet; atque ſic demùm amiſſam loquendi facultatem reciperet.

21. *In Annal. Minorum ann.* 1284. *nu.* 16. In Prouincia Tuſciæ adoleſcens quidam huius inſtituti probatæ vitæ, & regularis diſciplinæ ſtudioſiſſimus, vnum idque magnum patiebatur malum, quod dùm Chriſti Corpus eleuabatur in ſacrificio, minimè illud poſſet cominùs aſpicere. Re collata cùm probis viris, ſcrutati ſunt vndique myſterioſi mali originem, ſed fruſtra, donec ſenior & peritior in eludendis dæmonis artibus interrogauit, cuius eſſet, & an ſacro baptiſmate fuerit intinctus? ex oris Africanis ſe eſſe, reſpondit, & licet parentes habuerit Chriſtianos, ſe neſcire an licuerit inter Saracenos intingi. Superiores inito

to, consilio ad cautelam iuxta formam canonicam sacro abluerunt lauacro, quo accepto, protinùs ablatum est velamentum ab oculis eius & vidit clarè, quod antè non poterat, augustissimum Sacramentum.

22. *Ibidem num.* 17. In eadem Prouincia Tusciæ frater quidam vtique probus, cùm cæteris obsequiosus, recitando officio diuino & orationi dominicæ omninò erat ineptus, quippe aliàs expeditæ linguæ, oraturus impeditam experiebatur. Missum ad Ministrum generalem vt reatum si quem haberet occultum explicaret, benignè excepit, & piè benedixit consodalis quidam Sanctus in obuio cœnobio. Occultam benedictionis vim, qui fidelibus non erat adscriptus, sufferre non valens, tanquam amens volutabatur in terra, & colliso sæpiùs ad parietem capite, copiosum sanguinem emisit. Interrogatus tandem ab eodem pio viro, vbi natus? & an baptizatus? respondit, pudica fœmina, sed irreligioso toro natum, statim ab vtero expositum, dubiumque superesse, an nutricij sacris aquis intinxerint. Decretum est inter Fratres vt baptizaretur, durè tamen, & difficilè ad mysteriosum fontem potuit accedere. Vt mysteriosæ ablutionis beneficium accepit, statim solutum est vinculum linguæ eius, & perfectè deinceps in precibus horariis Deum benedixit.

23. *Thomas Bozius de signis Ecclesiæ libr. primo capit.* 16. Anno 1398. Rex Tartarorum Cassanus, quem vocant alio nomine Magnum, cùm ducentis equitum millibus Syriam cæpit, & finitimas regiones, omnibus itaque formidandus petiit sibi vxorem filiam Regis Armeniæ, quòd audisset esse pulcherrimam. Rex Christianus tanti Regis viribus exterritus, dedit. Illa post aliquod tempus è viro suo Cassano edidit in lucem partum tantæ deformitatis, vt Rex maritus nullo modo illum veluti suum, voluerit agnoscere; quòd monstrum videretur. Vocat ad consilium Primarios; de ipsorum sententia, vxorem veluti adulteram, partum veluti ex adulterio susceptum, vltimo supplicio adiudicat. Innocens mulier infelicitatem suam deplorans, ad preces confugit; ignara consilii petijt, vt sibi liceret baptizare quem peperisset; data illi facultas; ita tamen vt adessent baptismo aliqui fidei spectatæ viri vnà cùm Rege, ne qua fraus fieret, Mira res! vbi baptizatus est puer, adeò venustus, ac formosus apparuit, vt Rex tanta re permotus, cùm plurimis nomen Deo dederit, & maximum Christianæ rei factum fuerit incrementum.

24. *Idem ibidem*. Ex litteris Indiarum Societatis Iesu, habetur, inter Indos maximè disseminari fidem, ex hoc, quòd multi ægroti per Baptismi aquam, ab innumeris morbis liberentur. Vnum refertur. Cùm Maglianes ad Insulam Tibut (vnam ex Moluchis) appulisset, & non nihil in ea insedisset, plurimos morti proximos Baptismi aquis tinctos, ad vitam, sanitatemque reuocauit. In his etiam Nepotem Regis illius insulæ.

25. *Alexander Zambeccarius*. Cùm Turca quidam Baptismum suscepisset, simùl ac ablutus est, ex atro, fædoque, eam repentè pulchritudinem, candoremque contraxit, vt omnia in eo, Angelo, quàm homini similiora viderentur.

26. *Horatius Tursellinus in vita Sancti Francisci Xauerij libr. 2. capit. septimo*. Cùm Sanctus Franciscus Xauerius propè Tutuchurinum oppidum moraretur, mulier quædam honesta tertium iam diem periclitabatur difficultate partus; nihil illa desperatius. Iam surdæ inanium Deorum aures frustrà pro illius salute pulsatæ, coniugem eius, cognatosque fatigauerant; cùm Franciscus re comperta, Deo fretus eò accurrit, vt desperata corporis salute, animæ consuleret, & simùl nostræ fidei capita breuiter explicare cæpit; quibus mulier diuinitùs tacta, cùm assentiretur, percontatur ex ea Xauerius, velit ne fieri Christiana; & libenter quidem inquit illa. Tùm Franciscus, Euangelio recitato, moribundam fœminam ritè baptizat. Mirum dictu! baptismus ita facilem illi partum præstitit, vt protinùs innoxia fœtum effunderet.

27. *Gasp. Vilela, in Epistola Apud Ioa. Petrum Maffeum*. Quidam senex in Iapone annos natus septuaginta, cùm annos circiter octo graui admodùm valetudine laboraret, ita vt membris penè solutis, inter loquendum vehementissimè tremeret, multis in vita homicidiis perpetratis, dæmonis cultor, cuius speciem se se identidem offerentem adorabat vt Deum; in fide instructus, baptizatus est, ac biduò post Baptismum, Dei beneficio sanus, ac liber ab omni tremore surrexit, & omnibus inspectantibus, diabolicas syngraphas, aliaque id genus igne combussit.

28. *Idem ibidem*. Apud Iaponios Deus misericordiam suam ostendit; nam quendam multis iam annis penè paralyticum, Baptismo lustratum, intra paucos dies sanitate donauit: Mulierem assiduo singultu etiam dùm loqueretur, & cibum caperet, iamdiù laborantem, per Baptismum eo vitio liberauit. Aliam Energumenam, vt primùm Christiana facta est, dæmon reliquit.

29. *Martinus del Rio in Disq. Magic. libr. 6. capit. secundo, sect. 2.* Propè Anzermam, loco, cui nomen Pirsa, imperabat Regulus, cui frater florenti ætate erat, quem nominabant Tamaracungam. Iuuenis hic mirè baptismum sitiebat, sed miris eum visis dæmones perterrefaciebant, horrendis spectris se se illi obiiciebant, innumerabilibusque modis affligebant, torquebant, vexabant. At tandem Sacris Baptismalibus aquis ablutus, immunis ab illorum molestiis, victorque extitit, nec quicquam ampliùs molestiarum sensit.

H 2 30. *Idem*

30. *Idem ibidem fol.* 3. In Bungo An. 1596. erat fœmina gentilis à Dæmone obsessa; huic indicatum est, à Dæmone liberari non posse, nisi fiat Christiana: Cùm illa annueret, & iam se ad Baptismum compararet, nocte insequenti Dæmon ei dissuasit, ne fieret Christiana, dicens: hactenùs tanta familiaritate, tanto tempore mihi es coniuncta, & nunc me deseris? non abibis profectò inulta. Dormienti itaque nec sentienti abscidit capillos, vno tantùm capillorum flocco relicto. Illa verò cùm summo mane deprehenderet sibi ademptum capillum, & arundini lecto oppositæ implexum; calcar ea fraude sibi additum putauit, vt citiùs aduolaret ad baptismi antidotum; quod & factum est; atque eo suscepto, mansit ab omnibus dæmonis molestijs immunis.

31. *Fridericus Fornerus*. Cùm Honofrius monachus ad Clitopontis aliquandò ædes venisset, inuenit mulierem quamdam infidelem graui mærore afflictam ob sterilitatis opprobrium: tunc suasit illi Honofrius, vt Christianam fidem amplecteretur, fecit illa, baptizata est, & mox concepit fœtum.

32. *Socrates libr.* 5. *capit.* 6. Post victoriam, quam contra Gothos ann. 382. obtinuit Theodosius Imperator, cùm Constantinopolim properaret, venit Thessalonicam, vbi morbo subitò correptus, ab Acholio Thessalonicensi Episcopo baptizari postulauit. Ab Episcopo igitur cupidissimè baptizatus est, & à morbo liberatus fuit.

33. *Paulus Diaconus lib.* 14. *Histor. capit.* 1. Iudæus quidam ex multis annis paralyticus lecto decubuerat; Quem cùm nec medicorum ars, nec Iudæorum preces subleuare valuissent, tandem ad Christianorum baptisma confugit; vbi autem baptismum sincera fide ab Attico Episcopo Constantinopolitano est consecutus, à morbo subitò liberatus, inter sanos egit.

34. *Fulgosus libr.* 1. *cap.* 5. Innocentia Cartaginensis mulier, cùm cancro obsessam haberet mamillam, somnio monita, vt proximo Paschate ad Baptisterium profecta, à fœmina, quæ primò ei obuia foret, baptizari se, & sanctæ Crucis signo pectus signari curaret, quoniam ita eo morbo curanda esset; peractis ritè, quæ in somnijs habuerat, eo morbo liberata est.

35. *S. Ioannes Damascenus in vita S. Iosaphat.* S. Iosaphat professus Christianam Religionem, ad Baptismum inducens Proceres, Optimatesque, milites, & plebem, sacro eos lauacro sanauit omnes, quotquot antea ægri fuerant.

36. *Nicephorus libr.* 8. *capit.* 35. Tirindates Armeniæ Rex, cùm sordida metamorphosi, Dei iustitia in suem fuisset mutatus; baptismo inauguratus à S. Gregorio Thaumaturgo, humanis sensibus est restitutus.

37. *Theodoretus libr.* 4. *Hist. Eccles. capit.* 15. Cùm Eulogius, & Protogenes ab Imperatore Valente proscripti, Antinonem venissent, Protogenes quemdam puerum ægritudine affectum, manus contrectatione sanauit; quod miraculum cæteri videntes, ad proprias ædes sanctum senem inuitantes, vt inualidis eorum liberis opem ferret rogarunt. Tùm ille, se auxilio eis non priùs esse posse dixit, quàm ægri diuinum subirent lauacrum, & illi, quòd eos desiderium recuperandæ suæ valetudinis adurgeret, statim dicto paruere, atque ita per corporis morbum, animæ quoque salutem sunt consecuti.

38. *Surius Tom.* 7. Sub persecutione Alexandri Imperatoris, priuatus miles vlceribus plenus, doloribus continuis cruciatus, accessit ad pedes Sancti Callisti Papæ, rogans, vt sanaret eum ab vlceribus, & doloribus suis; Quem mox S. Pontifex ab vlcerum dolore, ac fœditate simùl, & ab infidelitate in nomine S. S. Trinitatis baptizatum sanauit.

39. *Nicephorus Hist. libr.* 3. *capit.* 32. Iudæus quidam, imperante Marco Aurelio Antonino, cùm viatoribus Christianis iter faciens per oræ solitariæ arenas, repentè deficere cæpit, mortemque sibi imminere præsensit; petiit igitur impensè à comitibus baptismum: At illi ob aquæ inopiam in illa arida regione, tale Sacramentum ministrari non posse dixerunt: nihilominùs Iudæus magis, ac magis Baptismum petebat. Tunc Christiani comites, vt eum aliquo pacto consolarentur, iniecta ter arena, eum perfuderunt in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. Profuitque ea Sacramenti vmbra, vel Iudæi ingens fides, & desiderium; nàm subitò conualuit, in patriamque reuersus, ritè est baptizatus.

40. *In actis Sextæ Synodi*. Mittere solebant Agareni in confinio Armeniæ liberos suos ad Sacerdotes Catholicos, vt aqua Baptismali eos abluentes, innatum fætorem, quo nascebantur, ab eorum depellerent corporibus. Quem tamen baptismum haùd probauere Patres eiusdem Synodi, vt potè qui ab Agarenis non peteretur bona affectione, & orthodoxo proposito, sed solùm propter corporalem medicinam.

41. *Petra Sancta de Ritibus Ecclesiæ capit.* 20. Graueolentia Iudæis innata, ex qua etiam à scriptoribus Ethnicis appellantur fætentes, eisdem baptismo extergitur: hoc verò vti rem compertam cecinit Venantius Fortunatus, de Iudæis agens, quos fonte sacro repurgauerat Episcopus Aruernorum S. Auitus.

Abluitur Iudæus odor baptismate diuo,
Et noua progenies reddita surgit aquis.
Vincens ambrosios suaui spiramine rores
Vertice perfuso, Chrismatis efflat odor.

42. *Brendebachius libr. septimo coll. cap.* 48. Propè Delphos contigit pueros quosdam in pagis baptizari, sed spretis, & omissis à baptizante cæremonijs Catholicæ Ecclesiæ. Pueri isti postea omnes morbo correpti sunt. Parentes puerorum omnes, videntes vltionem diuinam, rogarunt Pastorem quemdam Catholicum, Delphis tunc agentem, vt cæremonias, quas sciebant antiquitùs ritu Catholico adhiberi, nunc verò omissas, supplere non grauaretur. Quo peracto, mox

omnes

omnes illi pueri languentes, & infirmi conualuerunt.

Aqua ad Baptismum ministrandum diuinitùs data. §. 2.

AQuam deficientem, adque Baptismum ministrandum necessariam, diuina quandòque subministrauit virtus; Admirandisque prodigiis baptizandorum confirmauit fidem. De his.

1. *Baronius in annal. Eccl. ann. 68.* Anno Christi sexagesimo octauo euenit, vt S. Petrus Apostolus in carcerem Mamertinum mitteretur; vbi asseruatus est à militibus Processo, & Martiniano, qui multas ob causas Sancti Petri monitu nomen Christo dederunt. Cùmque non esset in eo loco ad illos baptizandos aquæ copia, mirabiliter è solido saxo fons erupit, è cuius aqua Baptismus est administratus.

2. *Martinellus de Ecclesia Sancti Laurentij in fonte illustrata*. Adhùc videtur Romæ in Ecclesia S. Laurentii in Fonte, mirificus fons, olìm precibus eiusdem Sancti excitatus, dùm ibidem in carcere retineretur, ad baptizandum Lucillum, Hyppolitum, aliosque innumeros.

3. *In actis Sanctorum Februarij, Tom. 3. in continuatione Bollandi*. Cùm Sanctus Ananias Martyr, multos, qui baptismum petebant, dùm ad martyrium duceretur, baptizare vellet, ad quandam aquam peruenerunt; & cùm ad omnes abluendos non esset sufficiens, orauit, eamque benedixit, & statim erupit aqua multa, & impletus est locus ille; Et S. Ananias benedixit eam, & accipiens singulos, baptizauit eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.

4. *Ibidem de S. S. Lomano, & Fortcherno*. Appulsus Sanctus Lomanus secùs oppidum Athtrym, priùs filium cuiusdam optimatis, vocabulo Fortchernum ad se, dùm recitaret Euangelium, venientem, deindè Matrem eius, Britonissam natione, ad vltimum Patrem eius, Fethlemium nomine, ad Christum conuertit, & in fonte, quem in oculis eorum de terra precibus produxit, illos, & alios multos baptizauit.

5. *Ibidem in Martio Tom. 1.* Natus Sanctus Dauid Episcopus Meneuensis, ab Elisio Numitinensium Episcopo baptizatus est, diuinitùs ad baptizandi ministerium eo in loco irrumpente fonte.

6. *Ibidem in Martio Tom. 1.* In loco, in quo natus est Sanctus Lactinus Abbas in Hibernia, aqua, vel Fons, vel fluuius non erat; porrò Sanctus Monemeth, qui ex lacte expresso ex mammis illius Matris, dùm adhùc in vtero gestaretur, visum acceperat, volens eum baptizare, aquamque in promptu non haberet, manum infantis tenuit, & cùm ea terræ Crucis signum impressit, quo facto, sine mora, de arido terræ gremio fons largissimus exiuit; Quod vt vidit Sanctus Senex, infantem in hac aqua diuinitùs erupta baptizauit.

7. *Colganus in vita Sancti Molagæ Confessoris*. Dùm Sanctus Cominæus baptizaturus esset Sanctum Molagam, accedens, & volens hoc munus obire, curat infantem baptizandum humi deponi, donec necessaria ad sacrum ministerium præparentur. Infans autem, Deo ita mirabiliter indulgente, suam ex cunis porrigit palmulam, & obuios iuncos è vicino cespite exsurgentes inter suos digitulos comprimens, è radice retraxit; ad quorum extractionem, statim sequitur viua scaturientis fontis vena, qua infans mox ablutus, & renatus est.

8. *Petrus de Natalibus lib. 8. cap. 70. De Sancto Niceta Martyre*. Orante Sancto Niceta, chrisma, & aqua de petra prosiliit, & ille multos baptizauit.

9. *In Menologio Græco*. Cùm Sanctus Athanasius Episcopus, baptizare vellet B. Martyrem Anthusam, deessetque aqua, statim è terra fons aquæ scaturiit.

10. *Adamannus Scotus libr. 2. in vita Sancti Columbæ Confessoris*. Quodam tempore cùm Sanctus Columba in sua versaretur peregrinatione, infans ei per parentes ad baptizandum affertur iter agenti; Et quia in vicinis aqua non inueniebatur locis, Sanctus ad proximam declinans rupem, flexis genibus paulisper orauit. Et post orationem surgens, eiusdem rupis frontem benedixit; de qua consequenter aqua ebulliens abundanter fluxit, in qua continuò infantulum baptizauit.

11. *Malmesburiensis libr. 2. de Gestis Pontificum Anglorum*. Cùm in Dorsatensi pago ad Baptismum deesset aqua, ad iussum Sancti Augustini Episcopi, ex occultis meatibus fons erupit, qui hodièque & Augustini merita, & vsus sui commodo incolis clarus habetur.

12. *Surius 4. Maij*. Sancta Pelagia Tarsensis Virgo, & Martyr, adhùc infidelis, obuiam facta Clinoni Episcopo, eius alloquio conuersa est. Cùm verò instanter posceret Baptismum, fons aquæ viuæ eo in loco erupit ad orationem viri Sancti: & duo Angeli in figura duorum militum supra fontem stantes, & manibus linteum fulgidissimum tenentes visi sunt, aquisque fulgorem impertientes.

13. *In actis Sanctorum Iuliani, & Sociorum martyrum*. Corpora Sanctorum martyrum Iuliani, & sociorum, statim ac sepulta fuerunt post eorum martyrium in Sancta Matre Ecclesia, ibidem indeficiēs fons manauit, cuius vndis Sacrosanctum baptisterium consecratum fuit.

14. *In actis S. S. Febr. Tom. 2. in Continuatione Bollandi*. Cùm Sanctus Secundus Angelo comite Mediolanum, ad Sanctos Faustinum, & Iouitam ductus esset, vt ab ijsdem sacro lauacro mundaretur, statim ac ad pedes Sanctorum peruenit, ecce subitò apparuit tanquam columna nubes emittens aquam. Tuncque dixit Angelus Domini: Ecce aquam Faustine, quam desiderabas, Videns ergo Faustinus, quia Dei præceptum adesset, quòd Secundus venisset;

apprehendit Secundum, & posuit eum sub aquam fluentem, dicens, In nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti baptizo te.

15. *Surius in vita Sancti Philemonis*. Cùm S. Philemoni inter supplicia & cruciatus exprobraret Præses, eum Baptismi compotem haud fuisse, & propterea veluti semi Christianum interire; Sanctus martyr perrogatis frustrà iis, qui aderant Christianis (metu enim Tyranni hoc detrectarunt) Deus meus Christe, inquit, qui me benignè aspiciens à profundo errore reuocasti, ne quæso sic me despicias, diuinum baptismum minimè assecutum. Sed aquam ostende, in qua videar, quemadmodùm Christiani alii, te auspice, ac propitio baptizari. Vix autem ea precatus fuerat, cùm nubes descendere, ac circumluere totum visa est, & sublata rursùs est ministerio persoluto. Quo circa Sanctus Philemon nube baptizatus, ac mox etiam sanguine perfusus, stolam gloriæ duplicem est felicissimè consecutus.

16. *In vita Sanctæ Notburgæ Viduæ*. Cùm pregnans è patria eiecta fuisset Sancta vidua, prolem in solitudine enixa est; cùmque aqua deesset ad eam baptizandam, ancilla, fugæ, & ærumnarum fida comes, baculo quo Domina sui firmare gressus consueuerat, ipsa iubente, terram percussit, ex qua subitò limpidissimus fons erupit, cuius aqua nata proles sacro Baptismo est expiata.

17. *Gumppenberg, de Imagine Beatæ Virginis Torassensis in Hispania*. In Regno & Diœcesi vulgò Iaen, oppidum est Torassa propè Vrbem Villanouam; Tempore Maurici furoris filia Regis Torassensis ab eremita quodam edocta, Baptismum optauit. Eum in finem sub noctem è paterna domo, aula Regia, tantisper fugitiua ad Eremitam deuenit; sed spe frustrata est, aqua enim ibi non erat; & cùm illi redeundum ante diem, visum est vtrique precibus à Deipara exorandam aquam. Orant itaque, & obtinent limpidissimam scaturiginem, quæ in hodiernum diem felicissimò profluente fatigatos recreat; nisi quòd certo anni tempore torrentis instar exarescat, vt fortiùs Festo Deiparæ natæ incipiat fluere. In hoc loco B. Virgini sacellum ædificatum fuit, in quo supradicta colitur imago.

18. *In m. s. s.* Cùm Brixiæ Sanctus Apollonius Episcopus multos ad fidem conuertisset, ad eos baptizandos fontem è terra mirabiliter eliciuit.

19. *Ferrarius in Catal. Sanctorum 5. Augusti, de Sancto Emygdio Episcopo*. S. Episcopus, Poliani filiam conuertit ad Christum, aquaque ex saxo mirabiliter manante baptizauit.

Aliqua huiusmodi notata fuere tom. 1. lib. 3. cap. 8. cùm de Fontibus diuinitùs excitatis.




Admiranda varia, veritatem Catholicorum Baptismi confirmantia.

§. 3.

Varia, quæ ad veri Baptismi confirmandam veritatem quandòque Admiranda euenere, hic notabo, ne titulorum numerus multiplicetur. Sunt autem.

1. *S. Antoninus 1. par. Chron. cap. 1. §. 17. de S. Christina.* Pater eius rotæ eam imposuit; Et ignem cùm oleo supposuit; sed flamma exiliens mille quingentos occidit. Pater verò omnia hæc artibus magicis adscribens, ipsam iterùm in carcerem mitti fecit; & facta nocte, iussit ministris suis, vt grandi lapide ad collum eius ligato in mare præcipitaretur, quod cùm factum fuisset, protinùs eam Angeli assumunt; Christus autem ad eam descendit, & in mari eam baptizauit dicens. *Baptizo te in Deo Patre meo, & in me Iesu Christo filio eius, & in Spiritu Sancto; & commisit* eam Michaeli Archangelo, qui eam in terram reduxit. Quod audiens Pater, frontem suam percutiebat, dicens; quibus maleficijs hoc facis? vt in mari etiam hæc exerceas? & illa. Stulte & infelix, à Christo hanc gratiam accepi. Et cùm in carcere in mandasset eam recipi, vt die *sequenti* eam faceret decollare, nocte inuenitur mortuus Pater eius Vrbanus.

2. *Petrus de Natalibus in Catal. Sanctorum lib. 10. cap. 60. de Sancto Venerando Martyre.* Cùm adhùc esset cathecumenus, exiens de Ciuitate Tricassina aliquandò, & veniens ad fluuium Sequanam, eidem Christus apparuit, & perfectè credentem, in fluuio baptizauit.

3. *Moschus in Prato spirituali, capit. 207.* Puella quædam Alessandriæ adhùc sine baptismo orba parentibus, opibusque destituta, fornicari instituit, vt indè sibi victum quæreret. Post aliquantulùm temporis infirmata est, & in se reuersa, compuncta est: orauitque vicinos dicens. Propter Dominum, facite misericordiam cùm anima mea, & loquimini Papæ, vt me faciat Christianam. Omnes autem aspernabantur eam, dicentes. Quis hanc suscipiat, quæ meretrix est. Affligebatur autem vehementer. Cùm verò in his esset angustiis, astitit illi Angelus in specie cuiusdam hominis, cùm quo illa misericordiam fecerat, cui illa dixit: Cupio fieri Christiana, & nemo vult pro me loqui. Qui ait; Noli tristari; ego adducam aliquos, qui te accipiant. Adduxit ergo alios duos, & ipsos Sanctos Angelos; duxeruntque illam ad Ecclesiam; rursùsque se ipsos transformantes in personas quasdam illustres, & notas in ordine Augustalium, vocant Clericos, presbyterum scilicet, & Diaconum, qui in hoc ipsum constituti erant. Dicunt eis Clerici. Vestra Charitas pro ea pollicetur? illi autem responderunt. Etiam nos pro illa pollicemur. Sumentes ergo illam baptizauerunt, & albis induta, rursus ab eis subuecta est; quam cùm deposuissent, euanuerunt.

4. Felix

4. *Pelin. Assulphus, in Hist. vniuer. imagin. B. Virg. lib. 8.* Circa An. Domini 1218. in Granatensi Regno, mulier quædam, nomine Lucia, iam concepto fœtu, à Mauris capta, à viroque separata, miserabili in captiuitate tenebatur. Interim aliquo elapso tempore partus doloribus pressa, omnisque humani auxilij expers, diuinum implorat; & ecce statim cùm Angelis apparet B. Virgo, infelicique puerperæ omnem subministrat opem. Paulò post apparuit & Christus Dominus Sacerdotalibus vestibus indutus, mediusque inter Diaconum & Subdiaconum, qui natum puerum aqua baptismali lustrauit, ministrantibus necessaria Diacono, & Subdiacono, ipsaque Virgine Deipara baptizandum tenente, cui & nomen Mariani impositum fuit. Post aliquot dies iterùm cùm B. Virg. apparuit Christus Dominus, qui eam sacra Eucharistia recreauit, postque ab Angelo vnà cùm filio, ceù alter Habacuc, erepta, in Ecclesiam Sancti Iacobi Compostellæ in Galliciam mirabiliter translata est.

5. *In lectionibus officij S. Eusebij Episcopi Vercellensis.* Eusebius natione Sardus, genere nobilis, adhùc Cathecumenus Romam profectus, ab Eusebio Romano Pontifice nomen accepit cùm Baptismo, in quo manus Angelicæ illum de sacro fonte leuantes apparuerunt.

6. *Franciscus Segbizzus, in vita B. Stephanæ Quintianæ.* Cùm Sacro latice inaugurata fuit B. Stephana, Christus Dominus veste indutus Sacerdotali cùm multis Angelis visus est benedicere fontem, in quo fuit baptizata.

7. *In vita S. Ioannis M. & Aquitaniæ Ducis.* In carcerem ob fidei confessionem cùm inclusus fuisset sanctus martyr, qui nundùm baptizatus Neamias vocabatur, apparuit ei Christus Dominus Angelorum choro circumdatus, qui eum propriis manibus baptizauit; Ioannesque vt deinceps appellaretur præcepit.

8. *Marchantius in Candel. My. de Baptismo.* Sanct. Franciscus ab Angelo de sacro Fonte susceptus traditur, eiusque rei memoria adhùc habetur Assisij.

9. *Idem ibidem.* B. Maria Oegnacensis, dùm susciperet quemdam puerum in Baptismo in pago Itrensi propè Niuellas, vidit visibiliter Spiritum Sanctum in animam descendentem, & Angelorum multitudine circumdatum, cùm non priùs per exorcismos in baptismo adhibitos, vidisset Dæmonem visibiliter fugatum. Hoc quod tunc signo visibili voluit Deus ancillæ suæ manifestare, quotidie inuisibiliter accidit, quoties quis dignè sacramentum suscipit.

10. *Anphilochius in vita S. Basilij Magni.* S. Basilius Magnus in Palæstinam se conferens vt Iordanis aqua Christianus efficeretur à Maximo Episcopo Hierosolymitano; non tàm citò gurgitem eum sacrum cùm Antistite intrauit, cùm aduolauit columba de Cœlo nitore miro circumfusa, & motis ac perturbatis aquis, rursùs ad sydera pernici lapsu reuolauit.

11. *S. Gregorius Nazianzenus in funere Patris.* Lux de Cœlo affulsit dùm à Leontino Cęsareæ Cappadociæ Episcopo lustrali aqua tingeretur Gregorius Parens meus.

12. *In actis Sancti Thyrsi, & Soc. M.* Dùm in carcere esset Sanctus Thyrsus immolandus pro fide catholica, licet nundùm Baptismo fuisset lustratus, quadam nocte apparuerunt ei Sancti Angeli, apertoque carcere, eum deduxerunt ad Episcopum vt baptizaretur. Post baptismum igitur comitantibus Angelis redditus est carceri, à lauacro fontis ad cruorem passionis, immolandus Christo in Baptismo secundo.

13. *In vita S. Bassiani Episcopi Laudensis.* Quo tempore Sacro lauacro regeneratus est S. Bassianus, Angelus ei apparens, candidam vestem donauit.

14. *In vita S. Pachomij.* Ipsa nocte, qua S. Pachomius iam ætate adulta sacri Baptismi Mysteriis infusus est, vidit in somnis veluti rorem cœlitùs elapsum suam replesse dexteram, & in mellis venisse pinguedinem; audiuit quoque dicentem sibi. Considera Pachomi, quod geritur, est enim hoc signum gratiæ quæ tibi à Christo collata est.

15. *In actis S. S. Iuliani, & Sociorum,* Cùm baptizata fuisset S. Marcionilla, vox Domini audita est, dicens; confortetur cor vestrum in Domino, & viriliter agite; qua voce ad Martyrium roborata est.

16. *Hincmarus, in vita S. Remigij.* In Baptismo Clodouei, lux de cœlo fulsit cùm odoris fragrantia, sed & lapsa ea vox exhilarauit omnes; nempe: pax vobis, ego sum, nolite timere, manete in dilectione mea. Atque adeò apparuit Christus Dominus Sancto Remigio, qui quasi alter Moyses ex consortio sermonis Dei, eum in vultu splendorem habuit, vt collustrasset Basilicam vniuersam.

17. *S. Gregor. lib. 4. Dialog. cap. 16.* Melitus eximię probitatis Monachus legit in Epistola de Cœlo allata characteribus aureis descripta nomina illorum omnium, qui à Felice Portuensi Episcopo fuerunt, ipso Paschali die, Baptismi Sacramento expiati.

18. *Surius in Vita S. Cerealis 10. Iulij.* Cùm S. Cerealis in fide instructus, sacro latice tingendus esset, videns Spiritum sanctum è cęlo descendentem, ignarus quid esset, exclamauit: Ecce video lumen quoddam ipso sole illustrius in me delabi.

19. *Tilmannus Brendebachius lib. 7. collat. sacrorum cap. 51.* Anno Domini 1579. Amsteradami contigit; mulierem quamdam catholicam, eamque coniungatam peperisse. Maritus Caluinista voluit prolem ritu Caluiniano, Mater vero Catholico more baptizari. Mater pertimescens Maritum fore pertinaciorem, quàm vt vxoris desiderio cederet, at tandem cernens illum ad Caluinianum baptismum petendum accingi, festinauit maritum præuenire, & extemporaneo baptismate (quia aliter non poterat) prolem baptizauit. Pater huius facti ignarus, prolem ad Ecclesiam Caluinianam defert, vt baptizaretur. Præco Caluinista, cùm ad baptizandum se componeret, diuino miraculo obmutescit. Maritus rem totam secùm admirabundus

dus expendens, re infecta, Domum regreditur: Interrogat vxorem, quid egisset circa puerum; Illa confessa est, se eum baptizasse. Ac tandem rem altiùs considerans, sicuti præco ille diuina virtute repressus obmutuit, sic iste diuina gratia cooperante veterem errorem omnem excussit, & ad catholicæ Religionis obseruantiam rediit.

20. *Idem ibidem cap.50.* Mulier quædam catholica & coniungata, partu prolem enixa est; quam cùm illa catholico ritu, maritus verò hæreticus caluinista, nouo illorum hominum schemate baptizari vellet; maritus, vxore puerpera dormiente, prolem clàm à latere matris surripuit, & ad caluinistæ factionis Præconem baptizandam pertulit; ad quem vbi peruenta est. Præco prolem baptizaturus mortuam eam deprehendit. Quo inopinato casu consternatus pater, domum reuersus, cubiculum vxoris iam dormientis ingreditur; infantemque, quem à latere dormientis clandestinè subduxerat, eadem arte suo rursùm loco deponit. Paulòque post tamquam vxorem inuisurus ingressus, quomodò se habeat ipsa, infansque quærit; illa, casus ignara, infantem amplexatus, benè se, illumque agere respondit, viuumque filium Patri exhibet. Pater rei miraculo stupefactus, caluinianos errores respuit, catholicamque fidem, & Religionem constanter amplectitur.

21. *Vincentius in spec. Hist. lib. 19. cap. 6.* Anno Honorij VI. Iudeus quidam, cùm quæstus causa sepè in multis Ecclesiis hæreticorum baptizatus fuisset, venit etiam ad Ecclesiã Orthodoxam sub eadem intentione baptizandus; & cùm baptizari deberet; aqua fontis subitò disparuit; & iterùm, atque iterùm alia aqua allata & fonte repleto, iterùm atque iterùm aqua disparens, virtutem Dei, & Iudæi perfidiam ostendit.

22. *Augustinus Mannus in suis Historijs selectis cap. 37.* Vir quidam apud Sarmatas, lucri, & gloriæ cupidus extitit, qui pluribus suggerebat, vt qui semel à peccatis baptismo esset ablutus, si iterùm peccasset, iterùm tingeretur, futurumque vt culpæ omnes delerentur. Indixit quodam die vniuersalem baptismum in publico lauacro, spondens spiritum Dei affuturum. Concurrunt omnes vndique, festinant ad aquas, & Magister ille honoris gratia primus voluit baptizari; ingreditur lauacrum; vix aquas tetigit, cùm ab inuisibili dæmone sursùm fertur in aera, & statim refuso impetu sub aquis immergitur, ac tandem suffocatus interiit.

23. *Sigonius l. 16. de Imperio Occid.* In Oriente res mirifica ad deterrendos, si sani fuissent ab susceptæ impietatis pertinacia, Arianos, est facta. Deuterius eorum Episcopus, cùm Barbam quemdam sacro fonte inficeret, ac ritu Arianorum diceret: In nomine Patris, per Filium, in Spiritu Sancto; repentè aqua ipsa exaruit; qua re Barbas exanimatus fugam arripuit, ac miram speciem oculis ostentatam obuiis omnibus enarrauit.

24. *Socrates in Hist. Eccl. lib. 7. cap. 17.* Aqua euanuit, quandò Paulus Pseudo Episcopus Nouatianus Iudeum iam orthodoxo ritu inauguratum, eluere deintegro præsumpsit.

25. *Ferrar. in Catal. S.S. 19. Ianuarij.* Quo tempore baptizata fuit adhùc infans S. Abundantia, Virgo Spoletana, Ecclesiæ lampades spontè accensas, & campanas vltrò pulsatas esse traditur.

26. *Tursellinus in vita S. Francisci Xauerij lib. 6. cap. 3.* Illud quoque admirabile quod in Sanciano Insula accidit, Saracenos complures eximia corporum magnitudine baptizans Xauerius, visus est Lusitanis, qui eminùs rem spectabant, longè eminere. Itaque tanta eos cæpit admiratio, vt propriùs accederent, exploraturi, an baptizaret è suggestu; verùm cominùs intuentes, reperiunt Franciscum ex æquo loco exercere baptismum. Tum verò intelligunt, animi magnitudinem tantum eius adiecisse corpori, vt humanæ magnitudinis formam excedere videretur.

27. *In vita S. Alexandri Acoemeti Abb.* Dùm quemdam, Rabbulum nomine, in fide *instructum* baptizasset, isque à cœlesti prodiret lauacro, inuenta est eius vestis vndique crucibus à *summo* vsque ad imum referta, quæ res haùd leue attulit ad eius roborandam fidem momentum.

28. *Petra Sancta de ritibus Ecclesiæ cap. 20.* Est qui narrat impressas diuinitùs Cruces in tunicis eorum, qui baptismum suscepere numero magno, quandò Palestina terræmotu graui est concussa, & in Monte Oliueti apparuit Christus Dominus intra vehiculum nubis.

29. *Nicolaus Trigautius lib. 2. de Christianis apud Iaponios Triumphis.* Conzure hoc præclarum accidit. Ethnicam Mulierem in læthali ægritudine suscipiendæ fidei nostræ cupiditas incessit; vocantur nostri, instruitur, baptizatur, nec ita multò post ad extremam luctam in morbo deuenit; aderat luctanti Neophytus, cordatæ pietatis *vir, qui orandi* causa in secretiorem thalamum *se recipiens, à* Domino postulauit, vt *Sacri fontis* vim in animos vires suas exerentem, signo aliquo externo demonstraret, vti testibus etiam ethnicis fidei suæ authoritati consuleret. Mira res! vix benè redierat ad ægram cordatus orator, cùm se quod postulauerat exorasse cognouit; eo quippe tempore, quo mulier animam exhalauit, vniuersam domum splendor illustrauit, qui sensim se in sublime recipiens, creditus est, splendentem recenti nitore morientis animam in Cœlum deportare; quam rem ipsi Neophyto, sed spectatoribus, ethnicis multo magis admirationi & stupori fuisse, referebat.

(✝)

APPEN-

APPENDIX AD CAPVT I.

Fontes baptismales perenni prodigio Admirandi.

In quibusdam baptismalibus fontibus, perennes, & prodigiosæ salutiferæ aquæ scaturigines quondam, & perennia causauere admiranda. Sunt autem.

1. *Gregor. Turon. lib. 1. de Gloria Martyr. cap. 24.* Est & illud illustre miraculum de fontibus Hispaniæ, quos Lusitania prouincia profert. Piscina namque est apud Osem campum antiquitùs sculpta, & ex marmore vario in modum crucis miro composita opere. Sed & ędes magnæ claritatis, ac celsitudinis desuper à Christianis constructa est. Igitur cùm dies sacer post curriculum anni decedentis aduenerit, quo Dominus confuso proditore, mysticam discipulis præbuit cœnam: conueniunt in locum illum cùm Pontifice ciues, iam odorem sacri præsentientes aromatis. Tùnc data oratione, sacerdos, ostia Templi iubet simùl muniri signaculis, aduentum virtutis Dominicæ præstolantes. Diè autem tertia, quod est sabbati, conuenientibus ad baptigandum populis, adueniens Episcopus cùm ciuibus suis, inspectis signaculis ostia reserat clausa; ac mirum dictu! piscinam, quam reliquerant vacuam, reperiunt plenam; sed ita cumulo altiore refertam, vt solet super ora modiorum triticum adgregari; videasque hùc illùcque latices fluctuare, nec partem in diuersam defluere. Tùnc cùm exorcismo sanctificatum, conspersum desuper Chrisma, omnis populus pro deuotione haurit, & vas plenum domi pro saluatione reportat, agros, vineasque aspersione saluberrima tutaturus. Et cùm exindè multitudo amphorarum sine collecto numero hauriatur, nunquam tamen vel cumulum minuit; licet, vbi infans primus intinctus fuerit, mox aqua reducitur, & baptizatis omnibus, lymphis in se reuersis, vt initio produntur nescio, ita & fine clauduntur ignaro.

2. *Paschasius Episcopus Lilybaus in Epistola ad Leonem Pontificem, apud eundem S. Leonem post Epist. 65:* Quædam vilissima possessio, Meltinas appellatur, in montibus arduis, ac siluis densissimè constituta; illìc perparua atque vili opere constructa est Ecclesia; in cuius Baptisterio nocte sacrosancta Paschali Baptizandi hora, cùm nullus canalis, nulla sit fistula, nec aqua omninò vicina, fons ex se repletur, paucisque, qui fuerint, consecratis, cùm deductorium nullum habeat, vt aqua venerat, ex se se descendit. Tunc ergo cùm sanctæ memoriæ domino quondam meo, ac beatissimo Papa Zosimo (cùm apud occidentales error ortus fuisset) consuetis lectionibus nocte sacra discussis, cùm presbyter secundùm morem baptizandi horam requireret, vsque ad lucem aqua non veniente, non consecrati qui baptizandi fuerant recesserunt. Vt ergo breuiter narrem illa nocte, quam lucescebat in diem Dominicam decimo die Kalend. Maii fons sacer hora competenti repletus est; Euidenti ergo miraculo claruit, Occidentalium partium fuisse errorem.

3. *Sophronius in Prato Spirituali cap. 215.* Erat in Castello Cedebratis Prouinciæ Lyciæ, quod sub Monte Ænoandro Ciuitatis situm est, Baptisterium, quod in Paschali sanctæ Resurrectionis festiuitate, cùm esset lapis vnus, ex se ipso continuò implebatur; durabatque aqua illa vsque ad Pentecostem, moxque transacta Pentecoste euanescebat.

4. *Idem ibidem cap. 214.* Soruba vicus quidam est ad radices montis, in quo sita est Coeanensium Ciuitas, in eadem Lyciæ Prouincia. In eo Baptisterium extat, quod in Sanctis Epiphaniis sudabat, qui sudor per tres horas continuis incrementis augebatur, & post Baptisma peractum decrescere incipiebat, & tribus aliis horis, sensim deficiebat.

5. *Thom. Bzo. lib. 1. de signis Ecclesiæ capit. 16.* Athalaricus Italiæ Rex, genere Ostrogothus, & Arianus, hoc refert; Ad fontem quemdam Lucaniæ quotannis die stata sacerdos accedebat, vt baptizaret illius aqua; vbi preces baptismatis incipiebat, non quibus antea solebat fons meatibus fluebat, sed cursum cohibens, se se in altum supra duos gradus attollebat; peracto Sacramento rursùs se se demittebat, solitumque iter inibat.

6. *In Martyrologio Gallicano 12. Kal. Maij, De S. Marcellino Episc.* S. Marcellinus factus Episcopus Ebreduni, inter cætera suæ sanctitatis indicia, à Deo obtinuit, vt Baptisterium, quod ipse in Ciuitate Ebredunensi condiderat, singulis annis in Sabbato Sancto aquis vitalibus repleretur, & per septem dies Paschæ vnda exuberante plenum remaneret; quod miraculum Ado Viennensis suo adhùc æuo perseuerasse graui assertione testatus est.

7. *Berchorius in Reductorio morali lib. 14. cap. 30.* Quondam, Tridonæ, Ciuitate Italiæ in vigilia Paschæ, cùm iam hora baptismi eueniebat, scilicet eo tempore quandò omnes in Vigilia Paschæ vel Pentecostes baptizantur, in fonte Baptismi ebulliebat aqua perlucida, & ad Baptismum scaturiens limpidissimâ. In eadem Ciuitate si quis in fonte Ecclesiæ S. Quintii baptizabatur, vita eius ad minùs vsque ad annum 40. prolungabatur.

8. *Guillielmus Gumppenberg. in Atlanti Mariano de Imagine Beatæ Mariæ Castrensi in Belgio.* Fertur non infrequens fuisse, pueros ante Baptismum mortuos, altarique Castrensis Imaginis impositos, reuixisse. Nouem omninò in quodam codice enumerantur, qui ab anno 1494. vsque ad annum 1496. reuixerunt. Illud præ cæteris memorabile est. An. 1496. die 4. Septembris, edita proles est mortua, totaque die iacuit ad Altare B. Virginis in Strazele etiam Miraculis claræ. Posterò deindè die toto ad hoc altare in Castræ, demùm integro triduo in sepulchro; cùm prolis Pater, Petrus nomine, superueniens, audita filii morte noua in Deipara fiducia, suis manibus filium è Sepulchro eruit, iterùmque aræ B. V. imponit. Illicò visus est non obscuræ vitæ signa edere, nàm & manus mouit, & pedem attraxit, dùm Baptismi sacramen-

cramentum reciperet; quo accepto, quia viuere desiit, ad sepulchrum reportatus est.

Videantur aliqua alia perennia circa Baptismum lib. 8. in appendice ad cap. secundum, de Admirandis perennibus circa Resurrectionem defunctorum.

CAPVT II.

De Admirandis circa Sacramentum Chrismatis, Hominem in fide corroborans.

§. *vnicus.*

AD Hominem salutifero latice inauguratum, in orthodoxa fide corroborandum, eumque, ad eãdem contra Christiani nominis hostes audacter profitendam, confirmandum, sacro inungere Chrismate consueuit Romana Ecclesia. Tanti igitur Mysterij, admirabilisque Sacramenti vsum, Admiranda quandoque cœlitùs comprobauere prodigia; hæc autem hic in vnum colligam. Sunt autem.

1. *Ioannes Gerbrandus lib. 1. Chronic. Belgic c. 15.* Clodoueus Rex Franciæ necessitate compulsus votum vouit Domino Deo, quẽ vxor sua orauit; vt si de Alemannis sibi victoriam tribueret, mox fidẽ Christi reciperet; quod cùm esset ad libitum consecutus, Remigium Episcopum Remorum adiit, & se baptizari poposcit; cùmque ad fontem baptismatis aduenisset, nec ibidem Sanctum Chrisma haberetur; ecce Columba quædam, ampullam cùm Chrismate in rostro detulit, de quo Regem Pontifex sanctus liniuit; hæc autem ampulla in Remensi Ecclesia conseruatur; & indè vsque hodiè Reges Franciæ inunguntur.

2. *Frodoardus in Hist. Remensis Ecclesia lib. 1. capit. 12. de S. Remigio.* Cùm Ægrotus quidam familiæ non ignobilis, nec tamen baptizatus, à Sancto Remigio se visitari postulasset, & iam velut in vltimo spiritu se credere fateretur, & baptizari deposceret, B. Pontifex à Presbytero loci, oleum, & chrisma requirens, iamque penitùs in ampullis vtrumque defecisse comperiens, ipsas ampullas penè vacuas super altare posuit, ac se se in orationе prostrauit. Surgens autem ab oratione, vascula plena reperit, & sic infirmum oleo diuinitùs dato perungens, Ecclesiastico de more baptizauit, & Chrismate cœlitùs collato liniuit; redditaq; sanitate, tàm animæ salute, quàm corporis incolumitate donauit.

3. *Petrus de Natalibus lib. 8. cap. 70. de S. Niceta Martyre.* Orante S. Niceta, Chrisma, & aqua de petra prosiliit, & ille multos baptizauit.

4. *Surius Tom. 4. in Augusto.* Clericus quidam S. Ethelvvoldi VVintoniensis Episcopi, cui erat Sacri Chrismatis cura demandata, minùs semel acceperat olei, quàm rem poscere videbatur; atque illud ipsum in itinere amiserat. Episcopo verò pueros confirmare volente, nec habente Clerico ampullam Sacri Olei, turbatus, & anxius repetit iter quo venerat, & hùc illùcque oculos accuratè aduertens, reperit ampullam in via iacentem oleo plenam, cùm paulò ante nec media sui parte plena fuisset. Ea igitur accepta, cùm timore, & gaudio reuersus est.

5. *In actis S. Pyrminij Episcopi.* Cùm sanctæ Confirmationis opus ob nimiam multitudinem prolixiùs exerceret, contigit oleum sacratissimi Chrismatis, euacuatis ampullis, idm deesse; vndè angustiatus vir eximius; curre, inquit ministro, velociùs, ampullas deporta ad Cœnobium, vt eas iteratò implens, referas nobis sancti liquaminis vsum. Ille vt iussis obtemperaret, agili motu arripuit ampullas. Sed mox vt eas est intuitus, offendit Sancto liquore vsque ad summum plenas.

6. *Optatus Mileuitanus lib. 2. de Schismate Donatistarum.* Ampullam Chrismatis, per fenestram, vt frangerent, iactauerunt semel Donatistæ; & cùm causam adiuuaret abiectio, non defuit manus Angelica, quæ ampullam spirituali *subuectione* deduceret; proiecta casum sentire non potuit, Deo muniente; illæsa inter saxa consedit.

7. *Thomas Cantipratanus lib. 2. Apum cap. 57.* Erat in villa quadam cœcus, qui vaccas totius villæ in pascuis custodiebat, repellabat à frugibus, & ad certa loca pascuis vberiora ducebat; & quod maioris erat prodigii, colores, & statum singularum vaccarum specialiter discernebat; verbi gratia vt si vaccam coloris talis ab eo petiuisses, sine difficultate vaccam talem tibi apprehensam cornibus obtulisset. Ad locum autem cùm quidam Episcopus aduenisset, & de cœco audisset talia, & probasset, quæsiuit ab eo si Confirmationis Sacramentum ab Episcopo suscepisset. Et ille: non, inquit. Nec mora, Episcopus confessum confirmauit *cœcum*, & mox ab eo vaccarum discretio est *sublata*, quoniam dæmonum operatione, & ministerio hoc fiebat.

8. *Baronius in Ann. Eccl. an.* 1008. *numer.* 10. Mare à Dæmonibus cultum, immissis quatuor lapidibus Sacro Chrismate perunctis, ab eorum tyrannide liberauit Reimbertus Cholbergiensis *Episcopus*, & Russiæ Apostolus.

9. *S. Bernardus in vita S. Malachia Episcopi.* S. Malchus Hybernus Episcopus, puerum mente captum, ex his quos lunaticos vocant, inter confirmandum sacra vnctione curauit.

10. *Surius in Feb.* S. Rembertus secundus Bremensis Archiepiscopus, cùm in Suediam profectus esset, & ibi Pontificali more sacro Chrismate cœcum inunxisset, visum luminis illi reddidit.

11. *Idem in Octob.* Quodam Paschali tempore, cùm sacro chrismate populum B. Faro Meldensis Episcopus confirmaret, quidam puer cœcus inter alios accessit, qui vbi Chrismate vnctus est, visum accepit.

12. *Io. Antonius Cagianus, in vita Ven. Pauli Cardinalis Aretij, Cler. Reg.* Cùm semel, vt solebat, Ven. noster Paulus Aretius Cardinalis, & Placentiæ ac Neapoli Episcopus, Confirmationis Sacramentum conferret; accessit quidam puer ex venenato morsu faciem turgidam, inflatamque habens;

habens; at ecce mirum, post susceptum Sacramentum, tumor ille, omnisque inflationis signum euanuit.

CAPVT III.

De Admirandis circa Sacramentum Eucharistiæ, Homini Auctorem gratiæ conferens. Christus Dominus in Eucharistia visibiliter apparens. §. I.

MEmoriam fecit mirabilium suorum Misericors, & miserator Dominus, quondam cecinit Regius Psaltes, cùm in mentis excessu Institutionem Vener. Sacramenti præuidit; quantò igitur mirabiliora decantasset, si quæ Admiranda in plenitudine temporum in eodem Augustissimo Sacramento euenere, oculis ipsis vsurpasset? Hæc in præsenti colligentur; in primisque Admiranda, quibus sub occulto specierum velamine absconditus Deus, visibiliter quandòque apparuit. De his.

1. *Villaneus libro 6. capite 67.* Anno 1258. cùm quidam Presbyter, Sacratissimam Missam Parisijs celebraret in Sacello quodam Aulæ Regiæ, populoque ostendendam diuinissimam Eucharistiam sustulisset in altum, pro specie panis, plurimi qui aderant conspexere formosissimum puerum. Quocirca nonnulli rogarunt Presbyterum, vt tandiù subsisteret manibus in altum porrectis, quoad Rex accerseretur; certior autem tanti miraculi factus Rex Ludouicus, negauit se eò profecturum, quòd non credentibus hæc signa existerent, sibi verò persuasissimum, verè in Eucharistia Christi corpus esse.

2. *Ionuillæus.* Cùm ad Albigensium hæresim discutiendam, Christus visibili forma in altari se videndum obtulisset; sollicitatus Simon Montfortius, vt ad intuendum miraculum ad Ecclesiam peruolaret, subiecit: Accurrant increduli Albigenses, vt oculis, fidei nostræ mysteria inspiciant.

3. *Thomas Patriarcha Barbariensis lib. 3. Fortalitij Fidei.* Mulier quædam Parisiensis oppignorauerat Iudęo vestem; cùm redimere non posset, hostiam, quam Paschate proximo sumptura esset, illi pollicetur. Iudæus acceptam hostiam lebeti feruenti oleo, & aqua pleno iniicit, blasphemis verbis illudit. Prosiliisse aiunt puellum formosissimum, & harpagonem Iudæi mira agilitate quo illum demergere nitebatur, declinasse. Adstabant Pueri, & rei nouitate terriri, ad matrem currunt, crudelitatem Patris contra Pusionem indicantes: fit concursus populi. Ereptâ Iudæo hostiam Episcopus in Ecclesiam S. Ioannis de Grauia deportauit. Iudæi vxor, & Liberi ad Christi fidem conuersi; ipse ad supplicium obstinatus damnatur.

4. *In Menolog. Cisterc. 7. Martij, de B. Godescalcho.* Cùm aliquandò in die Natalis Domini Missam cùm multa deuotione, & lachrymis, vt ei moris erat, inchoasset, & ad verba consecrationis perueniret; facta transubstantiatione, non iàm in manibus suis speciem panis, sed Infantem pulcherrimum, speciosum illum forma præ filiis hominum, in quem & Angeli perspicere concupiscunt, tenuit, vidit: Cuius charitate succensus, & mira pulchritudine delectatus, complexus est eum, ac deosculatus.

5. *In vita S. Georgij Martyris.* In Ciuitate Ampelon Saracenorum, quidam principalis Saracenus ingrediens Templum S. Georgii dùm missa celebraretur, vidit sacerdotem puerulum in manibus accipientem, & mactantem, ac sanguinem ipsius fundentem in calice, & corpus ipsius frangentem, ac ponentem in disco. Qua visione commotus, fidem Catholicam est amplexatus.

6. *In Historia Ecclesiastica Ianuensi.* Cùm semel S. Felix Archiepiscopus Ianuensis sacrum faceret, illique ministraret S. Sirus eius Diaconus; dùm à Sancto Archiepiscopo post consecrationem hostia eleuaretur, adorandaque populo demonstraretur, in ea puerum Iesum clarissima luce circumdatum vidit S. Sirus, magnaque in terram procumbens adorauit reuerentia.

7. *In actis S. S. Februarij Tom. 2. in Contin. Bollandi.* Cùm S. Sigfridus Episc. Vexionensis quadam die super Altare Sacrosanctum sacrificium celebraret, Hostiamque venerandam eleuaret, visus est paruulus Puer Iesus in eius manibus ipsi assidens.

8. *Odoricus Raynaldus in Ann. Eccles. An.* 1392 In Valentini Regni oppido, Moncada nomine, Parochus grauissimis conscientiæ eroneæ stimulis torqueri cæpit, se ordinibus sacris ritè non initiatum, atque adeò Eucharistiam non consecrare. His igitur scrupulis implicitus, decernebat conferre se ad aliquem Episcopum, vt ab ipso iterùm sacerdotium susciperet; interimque se Beatissimæ Virginis patrocinio continuò commendabat. Accidit autem, vt dùm Missam diceret sub matutino crepusculo diei Natiuitati Domini sacri, post consecrationem, puella annos quatuor cùm dimidio nata, viderit in manus eius puerulum excellenti forma conspicuum, quem iterùm se videre fassa est, cùm tertiam missam ante meridiem celebraret. Quæ res narrata Sacerdoti, maximam consolationem attulit, sed adhùc timens de hallucinatione puellæ, iussit vt aliis diebus hoc obseruaret, & itidem eumdem puerulum elegantis formæ obseruauit puella in manibus sacerdotis. Tandem Sacerdos, vt veritatis maius experimentum haberet, tres simillimas hostias in altari reposuit, & in celebratione duas solas consecrauit, vnaq. in missa consummata, alias duas post missam puellæ monstrauit, quærens, videret ne in illis puerulum; tunc innocens virgo, in ea quę consecrata erat se puerulum videre, minimè vero in alia, quam tamen inconsecratam esse ignorabat. Quo miraculo, conscientiæ stimulos sedauit, & Deo, Beatæque Virgini summas egit gratias.

9. *Thomas Cantipratanus lib. 2. cap. 40. num. 2.*

In oppido Duacenſi in Eccleſia S. Amati, cùm ſacerdos in Paſcha communicato populo, Corpus Chriſti ſuper nudam terram ſtupidus inueniſſet, & flexis genibus eleuare tentaſſet; mox per ſe in aere ſubleuatum, panniculo, quo conſecratos digitos ſacerdos detergere ſolet, inhæſit. Clamans ergo Presbyter, Canonicos vocat, accurrunt illi, ſpectant in panno corpus viuificum in ſpecie faciei venuſtiſſimi pueri; & mox conuocato populo, ad ſpectaculum præſentatur, & indifferenter nulli tanta cœlitùs viſio denegatur. Hæc cùm audiſſem fama vulgante, veni in oppidum, quod prædixi. Acceſſi ad Decanum Eccleſiæ, cui optimè notus eram; petij videre miraculum, annuens ille, præcepit, vt fieret: aperta eſt theca, concurrit populus, moxque vbi pixis reuoluitur, clamant omnes; Ecce iam video, ecce conſpicio Saluatorem. Stabam ego attonitus, nihil videns, niſi tantùm ſpeciem panis albiſſimi, nihil quidem conſcius mihi, quare ſacroſanctum corpus cùm cæteris non viderem. Nec diù mecùm iſta voluebam, cùm ecce vidi faciem in menſuram ætatis plenitudinis Chriſti, ſpineam habentem in capite coronam, & duas guttas ſanguinis de fronte ex vtraque parte naſi per faciem deſcendentes. Mox igitur, genibus flexis, cùm lachrymis adoraui. Surgens autem, nec coronam in capite, nec ſanguinem vidi, ſed faciem hominis ſuper omnem effigiem honoratam conuerſam ad dexteram, ita vt vix dexter oculus videri poſſet. Naſus erat admodùm longus, directus valdè, ſupercilia arcuata, oculos ſimpliciſſimos, & demiſſos habebat, cæſariem longam, ſuper humeros deſcendentem, barbam intonſam, & ſub mento curuatam, exterminatamque ſub rictu iucundiſſimi oris, ex vtraque parte menti nudas propè à pilis habebat valliculas, vt in iuuenibus apparere ſolent, qui à puero barbam nutrierunt, frontem latam, macilentas genas, & collum cùm capite parùm inflexum. Hoc ſchema, hic decor benigniſſimæ faciei. Eam autem diuerſi diuerſimodè ſub vnius horæ ſpatio videre ſolebant. Alii in Cruce extenſum, alii quaſi ad iudicium venientem; plerique, & hoc ex magna parte, ſub pueri forma.

10. *In Martyrol. Gallicano Kal. Iunij in appendice*. Branæ, in Eccleſia Abbatiali Sancti Euodii Ordinis Præmonſtratenſis, Sueſſionenſis Præſulatus, miraculum Sacroſanctæ Hoſtiæ, quæ cùm offerretur pro Iudęorum eo in oppido degentium illuminatione, piis votis Agnetis Drocarum Comitiſſæ, caſtrique illius Dominæ, illorum ſalutem ardenter cupientis, & deuotæ fidelium multitudinis precibus exoratus Dominus Ieſus, in ipſa immolationis hora viſibiliter crucifixus apparuit. Quo Diuinę Charitatis ſpectaculo concuſſi Iudæi, depoſito cæcitatis velamine, Chriſtum verum Meſſiam adorando confeſſi ſunt, lauacroque ſalutari abluti ab Anſelmo, qui tùm aderat, Sueſſionenſi Epiſcopo, fidei diſcipuli, filiique gratiæ per ſanctificationis miniſterium ſunt effecti.

11. *Bozius de Signis Eccleſiæ lib. 14. cap. 7. ex Metaphraſte*. Cùm quidam Senex Eremita haùd crederet in Euchariſtia verum Corpus Chriſti eſſe, idque audiſſent alii ſenes; conuenere in vnum, multique conati ſunt, errantem in viam veritatis reducere; cùm nihil profeciſſent, in templum venere poſt multas preces ad Deum, vt ſenem liberaret à falſa ſententia; cùmque ſacra peragetur myſtagogia, diuinuſque panis eſſet propoſitus, infans viſus eſt eodem tempore tribus ſenibus is panis, qui in ſacra menſa eſſet propoſitus. Deindè cùm Sacerdos ad hoc vt panem in fruſta diuideret, iam manum extendiſſet, viſus eſt eis Angelus, *qui ſupernè deuolauerat*, & gladium in manu habebat; qui cùm propoſitum infantem (id actum per ſimilitudinem quandam, vt veritas adumbraretur) ſacrificaſſet, deindè eius ſanguinem fundebat in calicem; & quandiù ſacerdos panem in parua fruſta frangebat, tandiù quoque poterant videre Angelum ſecantem partes ex carne pueri. Cùm autem acceſſiſſet is, qui errabat, Senex, vt eſſet particeps ſacrificii, carnis mundæ, & *cruentæ apertè* fuit particeps. Sic igitur reſipuit Senex.

12. *Idem ibidem ex Paſchaſio Corb.* Quidam Presbyter, Plegils nomine, cùm quotidie Sacratiſſimam Miſſam celebraret ad corpus Nini Epiſcopi, maximo deſiderio flagrare cæpit videndi Ieſum in Euchariſtia, non quòd hac de re dubitaret, ſed vt cœleſti illa voluptate diuinitùs perfunderetur, qua ſuperi in primis in obtutu diuiniſſimæ humanitatis Ieſu toti penitùs replentur, neque inuolucra, panis, ac vini ſpeciem tantùmmodò habentia, modo vllo afferrent ipſi impedimentum. Poſt multas preces, tandem vir Sanctus eſt exauditus, viditque, & amplexatus eſt poſt hoſtiæ conſecrationem puerum Ieſum in altari, ac poſt *multam* deoſculationem, dulcedinemque indè perceptam, petiit vt Euchariſtiam ſibi ſumere *liceret*, & in illa, quem videbat, & ad pectus *ſtringebat, Ieſum*, ſub panis, ac vini ſpeciebus, abſceſſit viſio, & Euchariſtiam percepit.

13. *Petra Sancta de miraculis Perpet. cap. 13.* Cùm an. Domini 1230. Zeit Abuleit Rex Valentiæ genere, & Religione Maurus, Gineſium Sacerdotem Chriſtianum catholico ritu miſſam celebrare in arce oppidi Carauacæ iuſſiſſet, in ſacra *Hoſtia*, dùm à Gineſio ſuſtolleretur peracta conſecratione, infantulum vidit cœleſti luce circumfuſum, quem deuotè adorauit, & cùm primoribus Regni Chriſtianam Religionem amplexus eſt, ac Vincentius eſt vocatus, obijtque octogenario maior, eo die, quo tantum prodigium viderat, nempè die 3. Maii dicato Inuentioni S. Crucis, cui in eadem arce Carabacenſi ſacellum ornatiſſimum dicauerat.

14. *Crantzius lib. 2. Saxon. cap. 23.* Cùm ſacratiſſimo die Paſchæ ex more Chriſtiano omnes ſacram Communionem de manu ſacerdotis ſumerent, vidit Videkindus Saxonum Dux ad os Caroli Magni Regis, ludibundi ſpeciem pueri, eoque conterritus miraculo, chriſtiana ſacra poſtulauit, in fideque inſtructus, baptizatus eſt.

15. *In Ann. Ciſtercienſibus de B. Ida Virgine*. Cùm Sacra Natiuitatis nocte Matutinis decantatis, ſacerdos primum ſacrum faceret, & populo hoſtiam ſpectandam exhiberet, illa puerulum forma ſpecioſiſſimum intuetur. At ſubuereri cæpit, nequid

quid in posterùm de fidei merito ob eam visionem deperderet: Sed recreata benignissimi Dei (cui explorata Virginis fides erat) alloquio interiori, ibidem cùm incredibili voluptate permansit, donec laudibus absolutis, ad os, manusque abluendas se se conferret. Indè rursùs ad Templum profecta, dùm secundo sacro attendit, pueri conspectu secundò recreatur. Ex hoc ipso loco sub tertium Sacrum grandiorem forma puerum ad se venientem vidit, sic eam compellantem: En ego me tibi dilectissima panis inuolucro tectum, detego, non quòd de fide tua ambigam, sed vt amorem hoc signo tibi testatum faciam. Cui illa suspirans: Oh si mihi diuinitatis tuæ conspectu satiari daretur! At puer: Frustrà id optas, mortalibus non concessum, sufficiat tibi, quòd modò offertur, tandem fiet, vt sublato enigmate, voto fruaris. Verita pia Virgo, ne à consodalibus notaretur, si communionem adeò celebri die intermitteret; puerum obtestatur, vt sibi pretiosi corporis sumendi faciat potestatem. Euanescit ergo puer, Sacramentum percipit Virgo, tanto pietatis sensu, vt 40. dies sequentes incredibili voluptate perfusa transigeret.

16. *Metaphrastes in Vita Sancti Basilij Magni*. B. Basilio in die Paschæ mysterium celebrante, Hebræus quidam se, tamquam Christianus, populo comiscuit, officii volens explorare mysterium; qui vidit infantem partiri in manibus Basilii, & communicantibus omnibus, venit ipse, & data ei hostia verè caro facta est, & seruans reliquias abiit in domum suam, ostendens vxori suæ, narrans quæ propriis oculis viderat. Accedens ergo ait: Verè horribile, & admirabile est Christianorum Sacramentum. In crastino venit ad Basilium, & baptizatus est cùm omni domo sua.

17. *Marchantius in Candelabro*. Quidam anno Domini 1331. in ciuitate Coloniensi in Germania, cùm communicasset, non cùm debita fide, coactus est corpus Domini in quemdam locum effundere, & quidem in speciem Infantuli statim versum est, nec potuit res latere. Concursu ergo populorum locum eum frequentante, plurima miracula secuta sunt. Terra foueæ (in qua Sacramentum versum fuerat in formam Infantis) febricitantibus apposita est cùm effectu sanitatis. Quæ omnia peregrinos multos aduocarunt, ita vt successu temporis Templum erectum fuerit titulo Corporis Christi, in cuius Choro fouea hæc continetur.

18. *In vita B. Veronicæ de Binasco lib. 2. cap. 7.* Singulis diebus octauarum corporis Christi anni à Saluatore nato 1489. Diuinis præsens officiis eo loco vbi Sanctum Domini corpus seruabatur, Iesum albis indutum Infantis formam gerentem, Angelico comitatum obsequio, Veronica oculis conspexit corporeis. Iesus autem nonnunquàm in altari deambulans, aliquandò armariolum ingrediens, sæpiùsque egrediens videbatur. Aliquo deindè post tempore (vt in eadem vita lib. 7. cap. 10.) quoties sacra mysteria Sacerdoti peragenti aderat, in hostiæ eleuatione intuebatur oculis corporeis, minimè rapta, Infantem puerulum eximiæ pulchritudinis, Angelis circumseptum. Super calice verò admiranda quædam videbat, & magni splendoris, quo nunquam clariùs discreuit, quidnam foret, quod tanto circumdatum lumine admiraretur. Perseuerabat autem omnis isthæc visio Sancto Sacramento in Altari perdurante. Hæc & alio tempore videbat.

19. *Petrus Cluniacensis lib. 1. mirac. cap. 1.* In Aruernico territorio quidam scelestus, cùm sacratissimum Domini corpus in Ecclesia sumptum ore retinuisset, domumque reuersus, in aluearia apum insuflasset (dictum sibi enim fuerat quòd si corpore Dominico ore retento, Apibus in vase constitutis insufflaret, nulla deinceps moreretur) in terram decidit sacrosancta Hostia. Postque compunctus corde, scelerisque commissi pœnitens, apes omnes quarum vitam opere nefario conseruare voluerat, enecauit. Quibus extinctis, dùm intima fauorum, quos sibi recondere, & conseruare volebat, rimaretur, ecce (mirabile dictu) conspicit corpus Dominicum, quod ex eius ore lapsum fuerat, in formam speciosissimi pueri, veluti cùm recens nascitur, immutatum, inter fauos, & mella iacere. Ad quod miraculum, vt dignum erat, stupefactus intremuit; sed quid indè agere deberet aliquandiù hæsitans, hoc apud se inuenit consilium; vt eum in manibus accipiens, ad Ecclesiam deferret; & quia sibi exanimis videbatur, nullo sciente solus Deum puerulum tumularet, quod dùm agressus esset, eumque in manibus sumens, ad Ecclesiam, quasi secretò tumulandum portaret, subitò ab indignè ferentis manibus inuisibiliter ereptus disparuit.

20. *In vita B. Angelæ Fulignatis*. Immissum est ei cœlitùs desiderium Christum Dominum secundùm humanitatem, prout in cœlo est secundùm carnem, videndi; dùm autem se ad communionem Eucharisticam prepararet, audiuit vocem sibi dicentem: Accede ad Altare, quia modò super illud Christus descendit, sociatus multitudine Angelorum. Accessit vt Sacram susciperet synaxim, & vidit Christum Dominum gloria magna refulgentem, super aram stantem, & sibi dicentem: Dilecta mea (quo nomine eam semper interpellabat) quod concupieras, iam vides; ecce hoc modo, & tu astabis coram me in gloria Paradisi.

21. *Thomas à Kempis in vita Henrici Brune*. Accidit semel, vt vir quidam fidelis, occulta impugnatione diaboli tentaretur in fide, qui etiam de Sacramento Altaris cæpit quodammodò dubitare de veritate corporis Christi. Is ergo, cùm staret ad audiendam Missam Henrici, sæpè ingemuit, dolens de praua immissione spiritus maligni, orauitque Dominum, vt sui in hac vacillatione dignaretur misereri. Sed misericors Deus, qui animarum saluti variis & miris modis occurrere solet, præfatum virum noua, & insolita visione instruxit, atque in fide suauiter confortauit. Vidit namque inter manus Sacerdotis sibi apparere, non speciem panis, sed formam speciosi pueri præ filiis hominum, & nimiùm stupens, ac tremens, gratias egit, & Deum benedixit.

22. *Idem ibidem*. Erat in partibus Frifiæ quidam presbyter paruæ fcientiæ, & famæ non claræ: ifte cùm Ecclefiam intraret, vt Diuina celebraret, honefta quædam matrona, quæ eius imperitiam cognouit, cæpit intra fe de eo fufpectè cogitare, ac murmurando dicere: Quid tu imperite vis facere, & quomodò tu indigne poteris tàm magnum Sacramentum conficere? Hæc ea cogitante, Presbyter cæpit celebrare, & Diuina Myfteria tractare, & confecrare. Factum eft autem, dùm venerabile Sacramentum ritu Ecclefiaftico confecratum eleuaretur, & omnis populus hoc flexis genibus adoraret, Matrona fupradicta vidit in eleuatione apertis oculis figuram hominis, Chrifti nimirùm, ftupida, & perplexa. Finita itaque miffa; hanc vifionem alteri Sacerdoti fecretè expofuit, & quid mali de celebrante antea cogitauerit, humiliter confeffa eft. Qui diligenter geftæ rei ordinem, & vifionem examinans, Matronæ refpondit: Hoc Deus pro tua falute fieri permifit, ne de cætero malè de facerdotibus cogites, nec de vera confecratione dubites, licet malæ famæ fint, & indignæ vitæ.

23. *Manrique in Annal. Ciftercienfibus ann. 1143. capit. 5. de Sancto Vualeno*. Quodam die fanctiffimi Natalis Domini celebrans miffam Sanctus Vualenus in magna cordis contritione; & deuotione, nec non ex confueto lachrymarum feruore, cùm infrà fecreta Canonis, Hoftiam eleuaturus deprompfiffet verba, quibus panis tranfubftantiatur in corpus Chrifti, intuens in Sacramentum, quod conficiebat, inuenit in manibus fuis, non hoftiam, fed infantulum fpeciofum forma præ filijs hominum, coronam quafi auream in manibus geftantem, gemmis ftelliferis corrufcantem. Videbatur puerulus ille omni niue candidior, & dulcifluo luminum rifu, vultuque fereno, blandoque manuum tactu, faciem, & caput eius tangens, & contrectans, innenarrabili fuauitate mulcebat. Ille verò inebriatus à torrente voluptatis domus Domini, pedibus, & manibus, ac fingulis membris cœleftis Infantis ofcula numerofa libauit, ac dilectum fuum fibi totum defiderabilem, dulcem, & admirandum felici fenfit experimento. Tùm depofita hoftia, diuinus infantulus eleuatis manibus, cùm Crucis impreffione benedixit ei, & ab oculis eius difparuit, nihilque ante fe, nifi hoftiam confecratam confpexit.

24. *Idem ibidem ann. 1144. capit. 2. de Beato Petro Tolofano*. Dùm Sacris altaribus offerens viuifica Sacramenta Vir Beatus adftaret, in ipfa perceptionis hora, tenenti in manibus fuper calicem Sacrofanctum Domini corpus apparuit in fpecie paruuli, paruulus ille fpeciofus forma præ filiis hominum verus Deus, & verus homo, Dominus nofter Iefus Chriftus. Quod cùm ille cerneret, tremefactus præ fulgore, atque reuerentia maieftatis, claudebat oculos fuos (non enim audebat refpicere contra Dominum) Qui etiam tunc claufis oculis videbat eum ficut apertis. Cùmque declinaret vultum fuum in alteram partem, & aliquandiù maneret palpebris abductis, facieque auerfa, videbat eum nihilominùs, ficut ante fe ipfum pofitum, aliquandò fuper manum, aliquandò fuper brachium fuum, & miro videlicet, atque ineffabili modo, tanquam fi alios oculos haberet in occipitio, vel temporibus defixos, quibus eum intueretur. Hoc autem non femèl, aut bis, fed frequenter ille vir Dei à Deo lætificatus eft. Plerùmq; enim per quatuor, aut quinque menfes fingulis diebus illi apparebat.

25. *Henriquez in Menolog. Cifterciensi 4. Nouembris de B. Henrico Conuerfo*. Dùm hic Venerabilis vir Sacro intereffet, puerum Iefum non rarò in ipfa hoftia confecrata cælefti pulchritudine, & fulgore decorum, confpexit.

26. *Bzouius in ann. Eccl. ann. 1319. num. 13.* Cùm quidam dubitaret de veritate corporis Chrifti fub fpeciebus Euchariftícis, inuitauit eum Beatus Zacharias Romanus Ordinis S. Francifci, vt facro Miffæ facrificio die fequenti attentiùs intereffet. Interfuit, & omnibus quæcumque Zacharias egiffet, diligenter oculos accommodauit, atque poft confecrationem myfteriorum, puerum in fpecie carnis in ipfa Hoftiæ eleuatione infpexit.

27. *In Chronicis Minorum part. 2. libr. 1. cap. 15.* Brabantiæ cùm femel deuotiffimus Religiofus Sancti Francifci, nomine Petrus, facram miffam celebraret, poft confecrationem apparuit in Hoftia puerulus Iefus, eoque modo perfeuerauit vifio vfque ad confumationem fpecierum Sacramentalium; quare puer miffæ facrificio affiftens, affirmauit fe vidiffe F. Petrum infantulum in miffa comediffe.

28. *Andreas Gelfominus in Thefauro cælefti.* B. Alonfus de Orozco Ordinis S. Auguftini, non femel Chriftum Dominum fub accidentibus Euchariftícis velatum videre dignatus eft.

29. *In Chronicis Sancti Auguftini.* Beato Ioanni Sanfacundo, Ordinis Sancti Auguftini, non femel Chriftus Dominus vifibiliter in Hoftia apparebat, dùm miffam celebrabat, multaque occulta, & myfteria abfcondita tunc eidem aperiebat.

30. *Ibidem*. B. Chriftiana oppidi S. Crucis in Valle ad flumen Arnum, eiufdem ordinis, eadem pueri Iefu vifione in Sacramento Euchariftiæ abfconditi fæpè dignata fuit.

31. *In vita Sancti Hugonis Abb. Cluniacenfis*. Cùm mater Sancti Hugonis eum in vtero portaret, puerperii dolores, & periculum reformidans, rogauit quemdam Sacerdotem, vt facrificium pro ea offerret. Qui cùm facrum celebraret, velut cuiufdam pueri fpecies in calice apparuit, inæftimabilem præferens claritatem; ex quo intellexit, quantæ fanctitatis futurus effet puer, qui in vtero adhùc portabatur.

32. *Fridericus Fornerus in Palma fidei*. Sacrilegus quidam, cùm Bambergæ è Diui Martini Parochia Sacram cùm Hoftijs Hierothecam furto fuftuliffet, eas extra Ciuitatem in agro frumentis confito effuderat hoftias; cùm autem fœminæ quædam in vicinia gramina fecantes, facerdotes item, & alij ad locum acceffiffent, infan-

fantulorum elegantissimorum forma, conspecta, territi, & planè quidam excæcati, retrocessere. Episcopus tandem VVlfingus post triduanum ieiunium instituta solemni processione, sacras hostias in pristina forma eleuauit, & in miraculi monumentum Monasterium Dominicanarum Virginum, ad Sanctum Sepulchrum hodierno die etiam appellatum, extruxit, & fundauit.

33. *Ribadeneira in vita Sancti Ignatij libr. 1. capit.* 7. Cùm Sanctus Ignatius sacrificio Missæ in templo Dominicanorum Minoressæ interesset, dùm à Sacerdote de more hostia salutaris attollitur, apertissimè vidit in illa specie, Christum Deum, & hominem verissimè contineri.

34. *In actis S. Liduuinæ.* Christus Dominus in Sacra Hostia visibilem se manifestauit S. Liduuinæ.

35. *Alredus, de Sancto Eduardo Anglorum Rege.* In Monasterio Sancti Petri ante altare Sanctissimæ Trinitatis, Missarum solemniis Sanct. Rex vice quadam, cùm Comite Leofrico assistebat. Et Christus in ara consistens, oculis vtriusque visibiliter corporalis apparuit, sacraque dextra super Regem extensa, signum Sanctæ crucis, eum benedicendo depinxit.

36. *In actis Sanctæ Catharinæ Senensis.* Quandòque dùm communicaretur Virgo, seù paulò post, siuè dùm interesset missæ, videbat Angelos habentes velum aureum manibus tenentes, & Hostiam, quæ quandòcumque transformabatur in pulcherrimum puerum; quandòque Angelos, atque Sanctos super altare Domino benedicentes: Aliquandò tres facies, ex quibus vna postmodùm efficiebatur, nonnunquam altare totum ignitum, quandòque etiam Sacerdotem, & ipsum Iesum Christum, seque ipsam in igne esse. Aliquandò lucem super Altare, quæ totam Ecclesiam illustrabat; sæpè Sacerdote diuidente Hostiam, ostendebatur ei, quomodò quælibet pars erat totum; & aliquandò tota Trinitas sub diuersis figuris, siue signis ei videbatur; quandòque hostiam in Christum sub diuersis ætatibus transformatam.

37. *Sigeberti Cont. an.* 1181. In Andegauensi Ciuitate, cùm quidam Sacerdos cantaret missam, puer paruulus interesat missæ, & vidit idem puer, puerum paruum pulcherrimum in manu sacerdotis sacrantis corpus Domini: qui protinùs exiuit forâs Ecclesiam clamans omnibus, quos inuenit, & dicẽs: venite, & videte mirabilia Dei. Et intrantes Ecclesiam, nihil viderunt, præter speciem panis.

38. *Idem ibidem.* Hoc etiam accidit cuidam sanctissimo presbytero iuxta Fiscannum, dùm cantaret missam in die dedicationis Ecclesiæ S. S. Trinitatis Fiscanni.

39. *Ignatius de Nente, in vita Venerab. Soror. Dominicæ de Paradiso lib.* 1. *cap.* 36. Dùm sacrificio missæ interesset Vener. Dominica, puerum Iesum in Hostia consecrata meruit sæpè videre; qua visione anima eius ineffabili dulcedine, & amore replebatur.

40. *Iacobus de Vitriaco, in vita S. Mariæ Ognaciensis.* Hæc Sancta Virgo sæpiùs Christum, pueri specie in Eucharistia adoratum à circumfuso Angelorum exercitu vidit.

41. *In Eccl. Histor.* Ven. Reparatæ de Paula Panormitanæ, quæ obiit ann. 1609. Christus in sacra Hostia visibiliter apparuit.

42. *Dominicus Maria Marchesius, in vita Vener. Mariæ Villanæ ordin. Prædicatorum.* Sæpè sub Eucharistiæ speciebus, latentem Agnum visibili specie vidit Sor. Maria. Puerum etiam Iesum sibi loquentem, adque Diuinum amorem inuitantem non rarò audiuit.

Species panis, & vini mirabiliter mutatæ in Carnem, & Sanguinem. §. 2.

ADmirabiliora ad confirmandam veram præsentiam Corporis Christi in Eucharistia euenere, cùm scilicet vera caro & sanguis sub consecratis speciebus latentes, visibiliter apparuere. De his.

1. *Petrus Damianus in Epist. ad Desiderium Abbat. Cassinensem.* Vester ille finitimus piæ recordationis Amalphitanus Episcopus (nomen nescio) (hunc fuisse Petrum Alferium refert Vghellus in Ial. Sac. tom. 7. Amalph. Episc.) Stephano Romano Pontifici, me præsente sub iure iurando testatus est, quia cùm aliquandò ad mensam Domini sacrificaturus accederet, sed super Sacramento Dominici corporis incredulus hæsitaret; in ipsa confractione salutaris hostiæ, rubra prorsùs, ac perfecta caro inter eius manus apparuit; ita vt digitos illius cruentaret, sicque Sacerdoti scrupulum dubietatis auferret.

2. *Idem ibidem.* Cùm Mulier quædam zelotypa, habens virum ex adulterii fraude suspectum, à vicina muliere consilium petiisset, qualiter eum sibi vendicare posset, proprio toro esse contentum; & ab eadem edocta esset, vt corpus Dominicum, quasi communicatura, à Sacerdote receptum, ac palliolo reseruatum, viro suo postmodùm nõ sine quibusdam maleficiis propinaret. Hæc particula Dominici corporis inuenta est vsque ad meditatem in carnem conuersa, altera verò medietas, panis speciem non mutauit.

3. *Idem in Ep. ad Dam. monach.* In Vormaciensi Ecclesia, dùm longiori per negligentiã tempore Eucharistia reseruata fuisset in buxide, sola postmodũ illic caro fuit reperta; ita vt dùm curiosiùs in eã multorum visus intenderet, nil aliud, quàm veram ac solidam carnem procùl dubio iudicaret.

4. *Idem ibidem.* Presbyter fuit in Diœcesi Cumana non multa doctrina imbutus; hic aliquandò dùm sacri muneris Eucharistiam detulisset ægroto, vt erat vtique deses, ac negligens, aliquãtulùm Dominici sanguinis remansit in calice; quod cùm ille ad Ecclesiam rediens comperisset; sed fastidio præpeditus, noluisset accipere; mox calicem lauit, & in labrum marmoreum, in quo erat aqua sanctificata proiecit. Et, ò magnum Diuinæ virtutis indicium! illam labri partem, quam id quod effusum est de calice contigit, in sanguineum ruborem repentè conuertit, vbi scilicet maiores duæ guttæ sanguinis exprimuntur; sed neque illæ, neque aliæ, quæ iuxta videntur esse minusculæ, nullo possunt studio vel ablui, vel abstergi, quo rubor

bor impreſſi ſanguinis aliquatenùs valeat aboleri. Cùm ergo purpureus ille cruor tàm tenaciter hæſerit in vaſe lapideo, quantùm putamus ius poteſtatis vindicat virtus illa cœleſtis in pectore Chriſtiano?

5. *Villelmus Malmesburienſis libr. primo, de geſtis Pontificum Anglorum, de Sancto Odone.* Plurimos de veritate Dominici corporis dubitantes, ita roborauit, vt panem altaris verſum in carnem, vinum calicis in ſanguinem propalàm oſtenderet, & denuò in genuinam ſpeciem retorta vſui humano conducibilia faceret.

6. *Ioannes Diaconus libr. ſecundo capit.* 41. *Vita Sancti Gregorij Magni.* Matrona quædam Beato Gregorio per ſtationes publicas Miſſarum ſolemnia celebranti, ſolitas oblationes obtulerat. Cui poſt, myſteria traditurus, cùm diceret: Corpus Domini noſtri Ieſu Chriſti conſeruet animam tuam: laſciua ſubriſit. Ille continuò dexteram ab eius ore conuertens, partem illam Dominici Corporis ſuper altare depoſuit. Expletis verò Miſſarum ſolemnijs, Matronam coràm populo inquiſiuit, quam ob rem Corpus Dominicum ſumptura, ridere præſumpſerit? At illa diù muſſitans, tandem prorupit: Quia panem, inquiens, quem propriis manibus me feciſſe cognoueram, corpus Dominicum perhibebas. Tunc Gregorius pro incredulitate mulieris cùm tota plebe ſe in orationem proſtrauit; & poſt paululùm ſurgens particulam panis, quam ſuper altare poſuerat, carnem factam reperit; quam coràm cunctis incredulæ Matronæ demonſtrans, ad credulitatis gratiam ràm illam reuocare potuit, quàm totum populum confirmare curauit. Rurſùs itaque in orationem cùm eiſdem proſtratus, carnis fruſtum in panis primordia reformauit.

7. *Idem ibidem capit.* 42. Petentibus quibuſdam occidentalibus per Legatos ſacras reliquias, Gregorius Pontifex, pallæ ſui corporalis portionem dedit. Illi donum contemnentes, veluti parui pretii lineam portiunculam accepiſſent; cùm lineæ apud illos pallæ domi haberentur, apud Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Archidiaconum conqueſti ſunt. At Gregorius cùm id accepiſſet, poſt ſacroſancta myſteria coràm aſtante populo, repoſita in Altari palla, in orationem proſtratus efflagitauit, vt quanta veneratione habendæ pallæ huiuſmodi eſſent præ cæteris reliquijs, omnibus miraculo diuino perſpicuum faceret: intermiſſa demùm oratione, gladio pallam pupugit, imitatus Leonem I. Romanum Pontificem, moxque indè ſanguis effluxit; obſtupeſcentes Legati, ac pudefacti cùm reliquo Populo, efflagitarunt, vt pallæ in priſtinum ſtatum reſtituerentur.

8. *Surius* 17. *Nouembris*. In villa quadam in Anglia, ſacerdos valdè diſſolutæ vitæ celebrans Miſſarum ſolemnia, manibus cæpit indignis Regem tractare Maieſtatis, cùmque ad illum veniſſet locum, vbi hoſtia frangenda erat, ſanguis protinùs emanauit; territus ille, vitam mutauit in melius.

9. *Vincentius Beluacenſis libr.* 29. *capit.* 24. An. Domini 1181. apud Aurelianum die Dominica circa feſtum Beati Laurentij, presbyter celebrans parauerat duas hoſtias propter viaticum, & proceſſerat vſque ad Orationem Dominicam; cùm videt illam, quam manibus tenet, rubro colore ſuffuſam, & ſanguinem ex ea inter digitos profluentem, eamque ſuper altare in tribus locis tranſponit, & in ſingulis, quantùm ipſa continet, tantumdem ſanguine purpuratur. Populus occurrit; miratur Sacerdos, illam ſumit, quam ipſe parauerat reponendam: Rex autem Philippus, qui non longè erat, accurrit, & vidit hoſtiam in forma carnis viuidæ, & ſuper corporale ſanguinis guttas, ſiue etiam notas, cùm tranſponeretur hoſtia, ad modùm hoſtiæ circulatas. Poſt modicum apud Caſtrum Carolam eadem hoſtia partim carnis, partim panis ſpeciem repræſentauit, in feſto ſcilicet omnium Sanctorum, dùm Priore celebrante, quandò volebat ipſam tripartire, frangi non poteſt, ſed integra manens per medium eſt replicata, & mox pars vna formam carnis induit, pars reliqua in priſtina forma manſit. Simile etiam accidit apud Soronam oppidum: Aliud autem ſimile in Territorio Vindocinenſi. Apud Atrebatum quoque accidit ſimile.

10. *Idem libr.* 29. *capit.* 60. Anno Domini 1197. Apud Roſetum in Bria vinum viſibiliter in ſacrificio Altaris mutatum eſt in ſanguinem, & panis in carnem.

11. *VVeſtmonaſterienſis in Floribus*. Anno gratiæ 583. Turonis de pane Altaris fracto, verus ſanguis effluxit.

12. *Cæſarius libro* 9. *capit.* 22. *Sacerdos*, quidam in Diœceſi Colonienſi, *quadam die* Miſſam celebrans, iuſto Dei iudicio calicem cùm ſanguine in canone fudit ſuper corporale, quod ſtatim humani cruoris cæpit formam; cùmque dicta miſſa Sacerdos nimis mœrens ſuper calicem illud crebriùs lauiſſet, rubeum colorem abluere non potuit: tunc ampliùs territus, orationes omnibus ſuis parochianis inſtituit, corporale lauit, ſed non profecit. Quo viſo, tollens ſecùm ſacrum linteum, Rodolphum Scholaſticum Colonienſem virum magni nominis accerſiuit, caſum expoſuit, corporale oſtendit, & quod nullo liquore color ille ſanguineus ablui, nullaque arte ſiue oratione poſſet deleri, conteſtatus eſt. Cui ille ſicut vir prudens reſpondit; Eſt ne aliquis in Parœcia veſtra qui de hoc Sacramento dubitet? Reſpondit Sacerdos, eſt quædam incluſa, quæ frequenter indè dubitat: at ille: oſtendite illi, fortè idcircò Deus veſtigia ſanguinis in hoc Corporali deleri non ſinit; quatenùs eis viſis, illa in fide roboretur; quod cùm factum fuiſſet, expauit mulier, & credidit, & Deus priſtinum colorem in linteo reformauit.

13. *Idem lib.* 9. *cap.* 23. Cùm Sacerdos quidam in Eccleſia, cuius nomen excidit, ſicut & Sacerdotis, Miſſam feſtinanter, & negligenter diceret, calicem fudit;

fudit; timens verò pro tanta negligentia si ad aures Prelatorum adueniret, diutiùs ab altaris officio suspendi, casum suppressit, dictaque missa, corporale complicauit, & abijt: æstimabat enim quia nemo vidisset; erat autem sacerdos ille, & fortè adhùc est, malæ vitæ, vagus, & negligens valdè. Campanarius verò, quem negligentia minimè latuerat, post discessum Sacerdotis, corporale reuoluit, & ecce sanguis rubens, ac madens in omnibus partibus, per quas liquor Calicis desfluxerat apparuit: Territus homo de tàm mirabili visione, statim Coloniam cucurrit, Conradum nunc Præpositum maiorem, tunc Decanum, cæterosque priores conuenit, & quid prædicto Sacerdoti contigerit, quiduè viderit per ordinem recitauit. Cui præceptum est, vt tali die allato secùm Corporali Coloniam rediret, vt & veritatem pleniùs agnoscerent, & qualiter de tanta negligentia satisfaciendum esset, plena vi deliberarent. Ego eodem tempore veni Coloniam, & recitata sunt mihi omnia hæc à Bernardo Maioris Ecclesiæ canonico. Quid verò post hæc actum sit non intellexi.

14. *Simeon Maiolus libr. 1. Dierum Canicularium, colloq. 20.* Tempore, quo Carolus VIII. Galliarum Rex bellum gessit aduersùs Annam eius Galliæ partis, quæ Britannia dicitur, Ducem; Britannus quidam, qui cùm ea militabat, Rhemensi vrbe egressus, pagum quemdam cùm aliis depredando, inter cætera, lineas quasdam mappulas non absimiles iis, quæ ad nasi purgationem conficiuntur, abstulit, minimè arbitratus ex eo genere esse (vt potè erant) quibus Sacerdotes pro mappa, pallaque ad sustinendum Christi hostiam vtuntur. Has cùm cuidam mulieri dedisset, recenti infectas sanguine vidit. Fœmina autem, quæ munus acceperat, cùm ad amnem lotura hos pannos lineos tulisset, non modò ex pannis huius sanguinis maculæ non abibant, sed aqua quoq. cruenta fiebat. Itaque vehementer territa, cùm rem narrasset, suspicata sacram esse pallam, eius sacrilegij error inuentus est, & pro comperto miraculum inuentum, & palàm omnibus factum.

15. *In Histor. Eccles.* Sacerdos quidam in Danorum terra, quæ dicitur Alffse ann. 1170. Sacro assistens Altari, sublato calice, sumpturus Hostiam, vidit in calice, sanguinis, & carnis speciem. Consternatus itaque, Pontifici, ac Clero calicem exhibuit. Hic cùm multis affirmarunt, Diuinitùs id factum ad confirmandam in plebe fidem.

16. *Sig. Cont.* Anno Domini 1181. mulier quædam infamis, in solemnitate Paschæ apud castrum, quod Mons-aureus dicitur, cùm ore corpus Domini perciperet, integrum domui suæ arculæ inclusit. Eam cùm fortè aliquantò post quidam eius amatorum aperuisset, hostiam Dominici corporis in carnis, & sanguinis effigiem transmutatam inuenit.

17. *Baronius in Ann. Eccles. ann.* 1192. Circa hoc tempus in partibus Thuringiæ propè ciuitatem Erpisfordiam, cùm cuidam moribundæ delatum fuisset sacrosanctum Viaticum, Sacerdos discedens abluit digitos in quodam vase, aquam postea infirmæ tradendam iubens. Casu autem, ipso inscio, particula corporis Christi in eadem aqua cùm ablueret digitos cecidit; quæ paulò post, aqua tota in sanguineum colorem mutata, ipsa in veram carnem conuersa est. Quo miraculo relato Archiepiscopo Moguntino, solemni ritu vasculum cùm sacra particula mirabiliter conuersa, Moguntiam transtulit, & super Altare reponens, fusis precibus orauit cùm populo ad Deum, vt dignaretur ad pristinas species Sacrum Dominicum corpus restituere. Cum ecce à cœlo columba super labrum vasis resedit, paulòque post, caro & aqua ad priores species sunt conuersæ. Aqua autem illa miraculosa diù ibidem conseruata est, sicuti vsque hodiè videtur vasculum, in quo tale prodigium apparuit.

18. *Ghuitmundus ex Lanfranco.* Narrat Lanfrancus, se puero, quòd dùm quidam presbyter in Italia Missam celebrans, verâm carnem super altare, verumque in calice sanguinem reperiens, sumere trepidaret, rem protinùs Episcopo suo defert, quid agendum sit sibi exquirens. Episcopus aduocatis ad consilium multis Coepiscopis, de communi sententia illorum, calicem cùm carne, & sanguine diligenter opertum summa cùm reuerentia in altaris medio conclusit, ac pro diuinissimis reliquiis perpetuò hæc reseruanda decreuit.

19. *Serarius, Maguntinarum rerum libro quinto, apud Raynaldum.* Anno 1408. in Durnensi oppido Vuirzeburgensis Diœcesis, Sacerdos, qui negligenter sacrum faciebat, calicem consecratum in subiectam mappulam lineam, quam corporale vocant, effudit; ac tùm diuinitùs species vini in sanguinem versæ, in medio Crucifixi effigiem, in angulis verò eiusdem Christi spinea corona redimiti expressere; territus Sacerdos, ad obruendam facti memoriam tegendamque negligentiam, in Altari mappulam infodit, sed morti proximus cùm grauiora pateretur, rem detexit, ac mappula sacris iis signis impressa inuenta est.

20. *In Chronico Saxonico.* Cùm Pastor VVeddingensis Missam celebraret sub Henrico III. Imperatore, vinum calicis conuersum est in sanguinem, cuius haustum ille abominans, detulit Magdeburgum, ibique in Æde summa reclusum est.

21. *Bzouius ann. 1414. numer. 12.* Illustre est quod Londini in Templo Prædicatorum accidisse memoratur. Erat inter Equestris ordinis viros Cornelius Glouius VVicclephianę sectæ acerrimus propugnator. Is aliquandò in eo Templo Cœnobii Dominicani sacrosancto Missæ sacrificio interfuit. Eo momento quo diuinissima hostia à sacrificante ostendi in eleuatione solet, nihil aliud vidit nisi terna carnis rubentis frusta, sine vlla panis specie, & mox vidit tertiam hostiæ sacræ particulam, solitam panis speciem, & nomen Iesu sanguineis litteris descriptum admirabiliter præseferre. Obstupefactus, accersiuit famulum, & nùm quic-

quam insolitum & inusitatum in Sacra Hostia aspexisset, interrogauit, is verò se nihil insoliti vidisse respondit. Inter hæc Cornelius spectaculum, quod oculis viderat diuulgauit, cùmque Prædicator pro concione Dominicæ Sanctissimæ Trinitatis populo quid pridiè accidisset renunciaret, ille non modò constanter, hoc quod aspexerat omnibus annunciauit, sed & fidem suam de præsentia Corporis Christi in Eucharistia (in qua priùs ex VVicclephi placitis nihil nisi panem arbitratus est) integrè atque sincerè contestatus, singulari certamine se cùm quocumque qui aliter sentiret, decertaturum dixit.

22. *Idem an.* 1199. *num.* 42. Mulier quædam apud Augustam Rhetiæ, dùm communicare deberet, ore reseruatam sacram Hostiam cera circumdedit ad quoddam machinamentum; quæ postea in veram carnem mutata reperta est, & multis miraculis claruit.

23. *Idem ann.* 1399. *num.* 13. Hoc anno Posnaniæ in maiori Polonia Iudæi nacti tres sacrosanctæ Eucharistiæ particulas, è vicina Dominicanorum Ecclesia, cultris eas confoderunt. Manauit ex ijs cruor copiosus: miracula deindè mirabilia subsecuta: Basilica eodem loco, quo non sine miraculo repertæ sunt, à Ladislao Rege ædificata: cultus Eucharisticus magno piorum commodo vsque in diem propagatus.

24. *Raynaldus in Historia Ecclesiastica.* Ann. 1492. die 22. Octobris in oppido Sternebach sub dominio Principum Magnopolensium in Germania, auxilio Petri Sacerdotis, Eleazar Iudæus, & complices sui, Sacramentum Eucharistiæ diuinissimum per hostias maiorem, & minorem obtinentes, has perforarunt, & cruor illicò prosiliit, quo linteum præcinctum ruborem accepit; quo miraculo territi, ad Petrum id detulerunt. Re autem comperta, concremati sunt.

25. *Idem ann.* 1330. *num.* 53. Hoc anno inuentam tradunt in Iudæorum Sinagoga, quæ in Gustrouuensi vrbe VVandaliæ erat, diuinam Hostiam quatuor cruentam locis, quam Iudæi à Christiana muliere coemptam, ad execendam in Christi crudelitatem pugionibus confoderant: dùmque eam pungerent, auditus est velut infantis vagitus, neq. eo miraculo ad fidem conuersi, sola ex eis Iudæa mulier sacro baptismo lustrata est.

26. *Spondanus ann.* 1510. *num.* 40. Hoc anno Germaniæ in ditione Brandeburgensi, sacram Hostiam, quam à sacrilego Christiano emerant Iudæi, pugionibus confodere tentantes, nullo pacto eam transfigere potuerunt, diuinitùs integra permanente; at ictus replicantes, sæuaque verba blasphemantes, sanguinem ex vulneribus copiosissimum emisit. Quo scelere patefacto, reisque pœna condigna multatis, cæteri Iudæi ex Principatu Brandeburgensi eiecti sunt.

27. *Idem ann.* 1299. *num.* 7. Quidam Iudæus nocte Sancti Paschatis, emptum à custode Ecclesiæ Rhoetingensis in Franconia sacrum Christi Corpus, per diuersas Vrbes, & loca aliis Iudæis distribuit. Qua re, signo duorum luminarium super eius domum rutilantium, detecta, ac per alia pariter miracula manifestatis particulis, quas cæteri, ad quos missæ fuerant, acubus, & subulis punctas, & in mortariolis tunsas (copioso indè profluente sanguine) sub terra suffoderant. Christiani in eos insurgentes turmatim variis locis, ac suppliciis occiderunt.

28. *Idem ann.* 1556. *num.* 6. Fœmina quædam Christiana vilis conditionis, nomine Dorothea Lazeska in oppidulo Sachazeto Diœcesis Pomeranæ Iudæo cuidam inseruiens, ab eo sæpiùs variis promissis solicitata de prodendo ei sacrosancto Christi corpore; in ipso Paschæ peruigilio cùm cæteris christianis communicatura, sumptam ore sacratissimam Eucharistiam, mox extrahens, in sudariolum reposuit, ac Iudæo detulit. Qui vnà cùm tribus aliis suæ perfidiæ sociis eam in suam synagogam deferentes, pugionibus, & cultris confodere cæperunt; vndè confestim copiosus emanauit sanguis. Re detecta, ac scelere probato, femina, & Iudæus cùm reliquis conscijs, qui haberi potuerunt, publicè combusti sunt.

29. *Philippus Ferrarius* 23. *Octobris de Beato Ioanne Capistrano.* Eo Cracouiæ prædicante, sacra Hostia à Iudæis percussa, sanguinem emisit. Quod scelus eius studio detectum, non mansit inultum.

30. *Tilm. Brend. libr.* 7. *collat. sac. capit.* 60. Iudæus quidam Presburgi, in Hungaria, cùm accepisset Hostiam sacram à Christiano, in has blasphemas voces erupit: Si Christianorum Deus es, id signo ostende; vtramque Hostiam cultro transfixit, & adeò copiosus sanguis effluxit, vt omnes attoniti starent; & Deus grauissimè offensus domum, in qua flagitium commissum fuerat, fulmine tetigit, ipsamque cùm hospite, vxore, duobus liberis, omnibusque cæteris Iudæis, tribus effugientibus, igne ita exussit, vt neque mensa, nec hostia, vlla incendii indicia darent.

31. *VVickmans libr.* 2. *capit.* 52. *Anno* 1300. Ioannes quidam, cognomento Bautoen, cespites vstibiles è paludibus eruebat, cùm remotis aliquot cespitibus Sacr. Hostiam intuetur, quam impius quidam ibi defoderat. Ioannes nulla reuerentia eam à terra sublaturus vix dùm tetigit, cùm sanguinem indè effluere non sine admiratione vidit. Euocatur statim Brædæ Parochus, qui adueniens, summaque reuerentia Sacram Hostiam sumens, in templum deportauit. Et hic aliud euenit prodigium. Monitus Episcopus Leodiensis, misit aduocatum quendam hominem sæcularem & rerum sacrarum oppidò parùm peritum, qui de veritate experimentum facere volens, stilo ferreo impiè Sac. Hostiam tentauit. Quatuor omninò vicibus fortiter stilum admouit, quatuor omninò vicibus illæsa Hostia permansit, nondùm sibi sacrilego miraculum persuadente. Quintum itaque ictum audax manus sacr. Hostiæ infert, & tandem sanguinem, non vno, sed quinque ex vulneribus copiosè extorquet, omnibus in clamores effusis, & lachrymas. Homo ille subitò in insaniam delapsus, manus sibi dentibus lacerauit, & antequam Leodium perueniret, eiecit animam sacrilegam.

32. In

32. *Iuxta S.S. Februarij Tom. I. in continuatione Bollandi.* In Ecclesia Steinensi S. Laurentii an. 1238. dùm ad aram B. Virgini dicatam, Missæ sacrificium offerret Pastor S. Cantiani, Corpus & Sanguis Christi in eius manibus non sub specie panis, & vini, sed propria forma apparuere.

33. *Ibidem in Feb. Tom. 3.* Dùm sacris assisteret Mysteriis S. Vlricus presbyter, Eremita, Dominicaque Oratione completa, atque perfecta, suborta esset ei dubitatio; si aquam calici infudisset. Multa in animo reuoluens, toto corde tandem ad Deum conuersus, cùm cordis puritate Deum exorauit. Completa oratione, vidit in calice roseum sanguinem, velut Agni immaculati Iesu Christi vsque ad labium calicis redundantem; perceptoque sacramento, sanguinem denique bibit vuæ meracissimum.

34. *Hareus in Vita Sanctæ Liduuinæ Virginis 14. Aprilis.* Quondam Dominus signum præsentiæ suæ apud eam reliquit, Hostiam sanguineis adspersam guttis, quam antequam Virgo de manibus Sacerdotis sumeret, permulti viderunt, idq. iure iurando confirmarunt.

35. *Alexander Alensis 4. part. quæst. 11. m. 2. ar. 4. §. 3.* Quidam sacerdos quibusdam petentibus, & instantibus, vt sub vtraque specie sacramentum sumerent, dùm in Missa faceret fractionem, concauum patinæ totum visum est repleri sanguine; ad quod obstupuerunt ipse, & circumstantes. Sed cùm coniungeret partes Hostiæ, totum visum reintrare, & sic petitioni, & tentationi illorum penitùs fuit satisfactum.

36. *Franciscus Ballarinus 3. part. Compend. Chronolog. Ciuitatis Nouocomensis.* Anno Domini 1555. cùm quidam Sacerdos in oppidulo, vulgò Sondra Vallis Telinæ, sacrosanctum Viaticum duobus infirmis deferret, vno communicato, ex altera particula, quæ remanserat multa copia sanguinis omnibus cernentibus cæpit effluere; ex quo miraculo multi hæretica tabe contaminati, catholicæ fidei adhæserunt.

37. *Nicolaus Crusenius par. 3. cap. 15. de Monasterio Gandauensi.* Anno Domini 1354. nocte quidam perfossores perietum, irruperunt in Ædem Augustinianam, & sacram supellectilem quam poterant depredati, teruenerabilem quoque Eucharistiam asportarunt. Iam Pagum Klergem attigerant, cùm vt ne Sacramentalis ille panis furtum eorum loqueretur, Hostias in terram defodiunt. Factum planè sepultum erat; securi abeunt trifures illi: eorum tamen alterum pungebat conscientia; & qui sacrilegii scelere Dei patientiam prouocare non timuerat, veretur irreuerentia offendere. Reuertitur ergo, vt tacito aliquo signo Sacramenti iacentis indignum locum patefaciat priùs quàm hominum pecorisue pedibus supplantetur; & ecce non candidas, vt defossæ erant, sed cruentas, ac tabo vndique sordidas Hostias videt. Postero quoque mane in campum illum eundem minabat gregem suum opilio quidam; & res noua! stant oues primùm veluti fulguritæ, deindè currunt in coronam agminatim omnes, & in genua venerabundæ procumbunt. Plùs grege ipso Pastor obstupescit, & miraculi causam scrutatur. Accedit ergo propiùs, & videt terram multo sanguine madere, atque inter genuflexa pecora Sacramentalem Panem. Vt vidit, non satis memor cùm bestiis adorare, quod viderat, vno curriculo in pagum transcurrit, & pandit Dei mirabilia. Quæ vbi Patres Augustiniani intellexerunt, egrediuntur vrbem, & humo leuant, solemnique cùm festiuitate ad suam Ecclesiam reportant cùm Hostiis sanguinem miraculosum. Ab illo miraculo mirum quantus miraculorum deindè, & gratiarum fons in omnes emanarit; quæ Gandauenses ciues mouerunt, vt titulo Sacrosancti Sanguinis Sodalitatem impetrarent, cui potissima Vrbis pars nomina sua dederunt.

38. *Krantzius lib. 9. Hist. Vandal. cap. 12.* Anno 1384. cùm à latrunculis villa VVilsenaco igne consumpta fuisset, pariter & Ecclesia in fauillas est redacta; mirabiliter tamen conseruata fuit sacrosancta Eucharistia, quæ post incendium (Deo reuelante) à Sacerdote super mundam sindonem in Altari explicatam inter duos cereos, cruenta tamen, adinuenta fuit.

39. *Vghellus in Italia Sacra Tom. 4. Episcopi Astenses.* An. 1535. Dùm in die S. Iacobo sacro, Sacerdos in Altari S. Secundi Monialium S. Claræ Astensis Ciuitatis sacrum faceret, vbi ad fractionem Sacratissimæ hostiæ deuenit, quo loco antea vna pars alteri cohærebat, primò vtramque madidam apparere vidit, deindè sanguinem stillare ita vt aliquæ in calicem ipsum aliæ super patenam guttæ deciderent, & digiti celebrantis eo imbuerentur; rei Miraculo attonito circumstante populo, ipsa cunctatione, & tremore, qui celebrantem corripuerat, ad intuendum excitato; ipso verò sacerdote cùm cæteris ad orationem conuerso, redditus fuit Sacris speciebus pristinus color, nec vltra vestigia sanguinis in calice, aut patena siue digitis apparuere. Quod miraculum cùm Sacerdotis satis nota pietas nullam suspicionem admitteret, ab illius culpa accidisse, pro signo dato pluribus Germanis, qui Lutheri hæresi infecti militibus, ac curialibus Cæsarianis Astæ tunc mixti agebant, acceptum. Hoc verò miraculo per Italiam vulgato, Paulus III. indulgentiam concessit ijs omnibus, qui die ab Episcopo statuenda contriti, & confessi, ante ipsum altare certas preces effunderent.

40. *Sylos in Hist. Cler. Reg. Par. 1. lib. 15.* Circa an. 1582. Neapoli vir quidam summè improbus, Sacramentariorum perfidia delibutus, ausus ad sacram synaxim accedere; diuinum vix epulum sumpsit, cùm egestum impio ab ore in sudariolum reposuit: quod vbi mox reuisit, ecce tibi viuido quodam sanguine salutaris ea Hostia purpurascens, eodemque item cruore illitum, respersumque Sudarium. Quare manante eo diuino sanguine, non potuit adamantinum viri pectus non effringi.

41. *In m. s.* Pagellum est iuxta Malbodium Hanoniæ oppidum, cui nomen à sanguine miraculoso; Nominis hæc fuit occasio. De veritate sacrosancti Mysterii inter Calicem consecrandum dubitabat qui isthic sacris operabatur Sacerdos; cùm ecce continuò sanguis tanto feruore, & copia ebullire,

lire, atque ex Calice in subiectam aram se se effundere cæpit, vt per ipsum corporale, & purificatorium diffluerent.

42. *Franciscus Collius, de Sanguine Christi li. 4. cap. 2.* Scimus anno à Christi natiuitate 1614. idibus Aprilis Matthiam Minetum, & consortem eiusdem facinoris mulierem quandam, vulgò Mengha appellatam, Clarenses, quod oppidum est iurisdictionis Osonæ apud Heluetios, clàm sacratissimum Altaris cibum, quo spiritualiter animi nostri reficiuntur, ad eum locum detulisse, in quo rebelles, ac superbi spiritus cùm strigibus, ac lamiis saltationes, ac choreas ducunt; diuinumque Saluatoris corpus sub tegumentis specierum latens, tenebrarum Principi donasse, de quo munere Cacodæmon mirum in modum gaudens, iussit illud turpiter in terram deiici, atque pedibus sui nefandi comitatus proteri, ac conculcari; ex quo protinùs factum fuit, vt non sine admiratione quadam diuinitùs producto splendore, magna sanguinis copia ex attritis sacramenti speciebus manaret.

43. *In actis S. Norberti.* Cùm aliquandò Sacrũ faceret, repentè vidit in patenæ medio non modicam Dominici Sanguinis stillam ante communionem fluere; quo viso, vocatoque fratre Radulfo Diacono suo: Vides ne, inquit, frater, quod video? Respondit ille; Apertè video. Cæpitque Vir beatus pro tantæ rei miraculo vbertim flere, & profluentem Dominici sanguinis stillam deuotissimè lambere. Vndè accepta occasione, suis mandauit, vt sumpto statim Dominici corporis Sacramento, patenam deinceps abluerent.

Reliqua ad hanc materiam spectantia, in Appendicibus, cùm de sanguine miraculoso, qui olim ex sacra Eucharistia manauit, & adhùc conseruatur, vel de Hostiis miraculosis, pariter vsque ad præsens tempus conseruatis.

Præsentia Christi in Eucharistia diuinitùs cognita. §. 3.

Latens Deus sub sacrarum specierum velamine, interna sanctorum virorum quandòque penetrauit pectora, quique ob oculis corporeis minimè conspicitur, hic ab illustratæ mentis acie clarissimè est cognitus. De his.

1. *In vita B. Coletæ.* Fuit aliquandò in Monasterio, sito in ea Regione, in qua solet vsitatiùs album, quàm rubrum vinum in sacrificio adhiberi. Ibi sacrificanti sacerdoti obtulit Minister aquam, putans esse vinum. Quandò autem ventum est ad eleuationem, corpus quidem Christi adorauit Coleta, ea, qua solebat, humilitate, reuerentia, lachrymarum, & suspiriorum copia; Cùm autem calix eleuaretur, noluit adorare, sentiens in spiritu non esse ibi verum Christi sanguinem.

2. *In vita B. Idæ Louaniensis.* Inter cætera gratiarum dona, quibus electam suam insigniuerat omnium gratiarum Dator munificus, & charismatum distributor; hoc etiam ei pro speciali munere contulit, at absque dubitatione, Dominici corporis honorandam, sanctamque præsentiam asiduè in Altari per virtutem consecrationis descendentem, in eodem descensionis suæ momento spirituali quadam indagine deprehenderet, etiam si corpore multùm distaret.

3. *In vita B. Iulianæ Virginis Cisterciensis cap. 19.* Venerat aliquandò Iuliana ad Euam reclusam, in cuius solario cùm incubuisset orationi, sicut ei moris erat, in omni loco frequenter, sensit per spiritum, corpus Domini in Ecclesia B. Martini post Missarum solemnia minimè remansisse. Completa verò oratione, descendit de solario, vultuque tristi dixit ad reclusam: Corpus Domini post Missam in Ecclesia non seruatur, quod tamen in aliis Ecclesiis fieri solet: Quod ita esse manifestè postea comparuit. Eadem Christi Virgo cùm alio tempore ad dictam reclusam rediisset, ac orationem fudisset, cognouit per spiritum, Corpus Domini in præfata Ecclesia, antè, & post Missæ solemnia reseruari.

4. *Rhòlib. 3. cap. 1. num. 3. de S. Francisco Borgia.* Illud animi fuit verissimè amantis; in quamlibet enim sacram ædem ingrederetur, rectè eò tendebat, vbi diuina asseruabatur Eucharistia, quàm vis non pensili lumine, non alio sacro cultu locus esset notabilis, immò sæpè monuit, quàquam lumen de more ante aram penderet, non esse ibi, quem quæreret anima eius. Adeò vbi semel animus charitate imbutus est, arcanis motibus trahitur, & nodis tenetur.

5. *In actis S. Catharinæ Senensis.* Hostiam sacratam, ac non consecratam cęlesti lumine illustrata mirabiliter agnoscebat.

6. *Pancirolus in Thes. Vrbis Romæ, in Eccles. 29.* Cùm semel S. Francisca Romana ad Altare in Ecclesia S. Cæciliæ accessisset, vt sanctam Eucharistiam sumeret, Sacerdos, vt illius sanctitatis periculum faceret, aut imprudenter, aut à Deo inspiratus, hostiam non consecratam illi dedit; at sancta, à Deo internè illuminata, præsentiam Christi ibi non adesse intellexit.

7. *Iacobus de Vitriaco in Vita B. Mariæ Ogniacensis apud Surium 23. Iunij.* Aliquandò tentata fuit, an hostiam non consecratam sumere posset, sed illa à panis odore mox abhorruit, & cùm nisi exiguam particulam dentibus attigisset, cæpit clamare, expuere, & perindè, ac si pectus rumperetur, anhelare, & cùm ingenti anxietate singultire.

8. *In vita B. Liduuinæ.* Cùm semel hostiam non consecratam illi sacerdos præbuisset, vt probaret si Dominici Corporis sola virtus eam sustentaret (neque enim alio cibo vescebatur) ferunt, mox destitutam viribus, factam velut in agone, & nisi citiùs Domini Corporis præstatione succurrisset, animam protinùs efflasset.

9. *Thomas Valdensis.* Ioanna Metles in Norfolchia, inter mille panes simillimos, Hostiam consecratam à qualibet non sacrata diuinitùs distinguebat.

10. *Pintus de Ven. Hieronymo Laurentio Casto Carmelitano.* Cùm aliquandò ad Conuentum S. Catharinæ Virginis ex Seraphica Franciscanorum familia Villæ Ondensis, ad epulas inuitatus (pro eo quòd ab omnibus ob eximiam Patris virtutem, & gratissimam affabilitatem amore prosequebatur)

tur) accederet, Franciscani Religiosissimi aliquot Patres è Senioribus Cœnobii, periculum vltronei facturi de Spiritu prophetico viri, venerabile Sacramentum Corporis Domini Iesu è sacrario educentes communi, alibi occultè, extincta lampade ante illud, accensa tamen ante altare maius, quo aderat antea, cælatum apposuere. Cùmque Cassetus noster (de more id quod habebat) Ecclesiam priùs ingrederetur, & in spiritus sui virtute nouisset, Dominum Iesum sub sacramentalibus illis speciebus cælatum, à loco abesse solito, socium admonuit, ne flecteret ad maius Altare, vbi adesse solebat Sacramentum venerabile Christi, sed ante aliud vbi simulatè, extincta lampade, reposuerant Patres, Dominum precaretur: hìc aiens, hìc adest socii, sacramentum venerabile Dominici corporis, non ibi, vbi solebat adesse, nam Patres illi, qui ex aduerso altaris maioris stant, clàm per cancellos aspicientes nos, vt tentent nos mutauere Corpus Domini sacrum extincta lampade, ardere solita ante altare, vbi iuxta Diuinum præceptum, Ignis autem in Altari meo semper ardebit, iugiter ardet, & accensa nunc, vbi non adest.

11. *In vita B. Odilionis apud Ioannem Garetium*. Cùm semel B. Odilio peracto Mysterio, consecratas Hostias in solemni vase, & ad hoc singulariter deputato reconderet, vna, quæ post oblationem corruerat, inter corporale, & pallam reperit: ignoransque vtrùm Corpus Dominicum esset, eam reponens, secretiùs à consecratis paululùm sequestrauit. Cuius mater exindè elapsa iam hebdomada ipsum accersens: Volo, ait, fili mi, vt me communices, debilis enim sum. Qui scire cupiens præfatæ hostiæ veritatem, & de Matris gratia pleniùs confirmari, attulit eam Matri, & postulanti Corpus Domini tribuit, dicens: Corpus Domini nostri Iesu Christi proficiat tibi in remissionem, & vitam æternam. Qua percepta, statim sine mora respondit mulier: Cur hanc fili hostiam dixisti Corpus Dominicum? Neque enim hæc hostia à virtute spiritus fuerat penetrata, sed nec in Corpus Christi mutata.

12. *Hugo Ranulphus lib. 7. cap. 19. in Polycron.* Hugoni de S. Victore penè animam agenti, Eucharistiam, quam tamen anxiè desiderabat, Monachi ipsius adferre detrectabant, quòd propter continuum vomitum timerent, nè irreuerentia sacramento inferretur: igitur hostiam non consecratam ritu consueto deferunt; quam cùm esset intuitus; Misereatur, inquit, vestri Deus, cur mihi illudere voluistis? non est ille Dominus meus. Rubore suffusi, consecratam adferunt, eaque visa, & adorata expirauit.

13. *Iacobus Vitriacensis in Hist. Occident. cap. 38.* Parisiis, cùm Bonæ Memoriæ Mauritius Episcopus iam quasi senio deficiens nihil prorsùs sumere valeret, & imminente morte viaticum sibi dari peteret; Canonici S. Victoris Parisiensis, Hostiam non consecratam ei attulerunt, non audentes Eucharistiam sibi ministrare, eò quòd nihil posset gustare: ille verò diuina virtute quod illi pia intentione fecerant percipiens: Non est, inquit, hic Saluator meus, quem ego cùm summo desiderio postulaueram: illi autem vehementer admirantes, Christi Corpus ei attulerunt. Episcopus verò Christi præsentiam percipiens, cùm lachrymis, & deuotione ora tantùm osculando tetigit, & sic spiritum in pace Domino redidit.

14. *In vita Venerab. Vrsulæ Benincasæ capit. 19.* Ad huius Sacramenti præsentiam maxima afficiebatur lætitia, & toto corpore gestiebat, ac si Deum ibi præsentem sensibiliter videret. Qua in re illud accidit admirabile, quòd cùm Romæ ad eius spiritum dignoscendum Hostia non consecrata illi offerretur, diuinitùs id cognoscens, nulla huiusmodi lætitiæ signa exhibuit, & ad sacerdotem conuersa dixit: Non est hìc Dominus meus, numquid panem adorabo? Quod S. Philippo, & Illustrissi. Domino Cardinali Sanctæ Seuerinæ maximum fuit eius pietatis argumentum.

15. *Ioannes Gerson Serm. in Cœna Domini, ex Guilielmo Parisiensi*. Quidam solo odore huius sanctissimi sacramenti trahebatur ad locum, in quo recondebatur, quantùmlibet abditum.

Sacra Eucharistia Dei seruis cœlitus delata.

§. 4.

SItientibus adinstar ceruorum fontem gratiarum, se ipsum quandòque admirabili quodam modo, vel Superorum Ministerio communicauit in Sacra Euch. Christus Dominus, eamque, quam qui biberint non sitient in æternum, mirabiliter degustandam concessit aquarum venam. De his.

1. *Paphnutius Abb. in vita S. Onuphrij Anachoretæ cap. 11.* Singulis Dominicis, Christi corpore, & Sanguine cùm sociis, ab Angelis mirabiliter reficiebatur Onuphrius.

2. *In actis Sanctorum Martij Tom. 1. in Contin. Bollandi.* Tanta erat S. Marco Monacho in Ægypto cordis mundicies, vt Presbyter sanctè iuraret, se nunquam Marco Monacho præbuisse sanctissimæ Eucharistiæ sacramentum, sed cùm ad eum accederet, ab Angelo ei fuisse porrectum; cuius ipse manum solam extra cubitum extensam viderit detinentem cochlearium, per quod Sanctus, Sacræ Eucharistiæ fieret particeps.

3. *Nicephorus lib. 13. Hist. Ecclesiastica cap. 37.* D. Ioanni Chrysostomo Archiepiscopo Constantinopolitano morituro, Petrus, & Ioannes Apostoli cibum cœlestem ministrarunt.

4. *Cæsarius lib. 9. Mirac. cap. 37.* Cùm quidam conuersus, Monachos communicare vidisset, & sibi hoc minimè licere cognouisset, stans contra Altare, communicandi desiderio suspirauit: & ecce pius Dominus, sine sacerdotis ministerio de Altari per Sacramentum descendere dignatus est in os, qui mox hostiam aperto ore ostendens, cunctos, qui aderant, in stuporem conuertit; eamdem enim hostiam defuisse repererunt in Altari.

5. *Marchantius de S. Bonauentura*. Sanctus Bonauẽtura cùm adhùc iunior scrupulis angeretur, & præ humilitate diù abstinuisset à sumptione sanctissimi Sacramenti, existimans se indignum, Angelus Domini particulam consecratæ Hostiæ eius ori immisit, quam de manu celebrantis acceperat.

rat. Sic respexit Deus humilitatem serui sui, & hoc singulari beneficio indicauit, amouere ipsum debere omnẽ scrupulum, & frequentare hoc diuinum sacramentum; vt familiariùs cum suo Creatore conuersaretur.

6. *Arturus de eodem S. Bonauentura*. Mira prorsùs beneuolentia, ac singularis illa Dei erga eumdem Sanctum sub eius mortem dignatio; viribus namq. destitutus, in tantùm vomitu fatigabatur, vt nihil sumptum tenere potuerit. Nihilominùs ex Christiano more valdè desiderabat confirmari S. Viatico; sed tamen abstinuit se præ reuerentia, & periculi causa. Petiit vero corpus sibi Christi adferri solatii causa, cuius præsentia tamen ille excederet iucundiùs, constantiùsque ex vita. Pixidem, quod ciborium vocant, in quo corpus Christi portabatur, lateri admoueri voluit, sumendi desiderium indicans. Pixide lateri apposita, in formam rosæ rubentis latus aperitur, qua Christi corpus à Pixide in eius cordis intimum se immisit, nullo post aperturæ relicto vestigio.

7. *Petrus de Natalibus in Catalogo Sanctorum lib. 9. c. 103.* Maiorus Episcopus Dolensis, dùm relicta Dolensi Ecclesia solitarius degeret, de sui obitus imminente die fuit ab Angelo edoctus; post dies autem paucos ipsemet Angelus tradidit ei (tamquam morituro) Viaticum corporis Domini.

8. *In actis Sanctorum Februarij T. 2. in Continuatione Bollandi*. Cùm sanctus Ludanus Scotorum Ducis filius, contempto sæculo ad sancta loca peregrinaretur; tandem ad quandam Vlmum, seù arborem peruenit, in Diæcesi Argentinensium in banno Villæ Northus secùs fluuium, qui de superioribus partibus currens nominatur Ylsa, à quo nuncupatur tota Alsatiâ, sub cuius arboris vmbra extra villam quiescere desiderabat, ibiq. quiescens diuinitùs sibi reuelatum est, instare vltimum suum diem. Euigilans autem rogauit Dominum, vt priùs non discederet, quàm corpus Christi sumeret. Tunc veniens Angelus, ipsum communicauit; quo facto, dixit, in manus tuas Domine commendo spiritum meum, & expirauit.

9. *Cæsar Franciottus in vita S. Silai Episcopi*. Cùm in quodam Monasterio Missam Sanctus Episcopus celebraret, accidit, vt cùm hostiam, quod solet fieri, in tres partes diduceret, vna pars ab Angelo inuisibiliter exciperetur, quam ad illius monasterii Abbatissam detulit, quæ diù in lecto decumbebat. Sumpsit Hostiæ partem infirma, & statim ab infirmitate curata est; sed Episcopus nesciens quid accidisset, remque suis peccatis præ sua humilitate tribuens, ab Angelo rei didicit veritatem, & maxima fuit consolatione perfusus.

10. *In vita S. Raymundi Nonnati*. Cùm S. Raymundus Nonnatus ad extremum vitæ peruenisset, ingrauescenteque morbo, sacerdos diutiùs tardaret in illi sacratissimum corpus Christi administrando, Angelorum ministerio sub specie Religiosorum sui Ordinis apparentium, salutari Viatico refectus est.

11. *In vita Sancti Dionysij Martyris 9. Octobris*. Cùm Sanctus Dionysius Martyr carcere cùm Socijs Rustico, & Eleuterio propter Christum detineretur; post multas ibi ad populum qui eò irruperat, exhortationes, Dominica Missarum solemnia, vt confirmarentur participatione corporis, & sanguinis Domini fideles, velut iam in Cœlis positus celebrauit: hora namque qua frangebatur panis sanctus, quo ipse, & Populus communicare debebant, resplenduit lux de cœlo super eum, & omnes qui ibi aderant, qualem nemo eorum antea videret; in qua veniens apparuit ei Dominus Iesus Christus, etiam cun ctis videntibus, quibus est datum videre, cùm multitudine Angelorum, & accipiens panem Sanctum, dedit illi dicens: Accipe hoc mi chare, quod mox complebo tibi vnà cùm Patre meo, quoniam mecùm est maxima merces tua, & his qui audierint te, salus in Regno meo. Nunc facias fortiter, & memoria tua erit in laude.

12. *In Martyrologio Gallicano 16. Maij de S. Honor. Epi.* Hic dùm aliquandò Missam celebraret, & corpus Christi super Altare sanctissimæ *Virginis*, cui dedicata est Pontificia ædes consecrasset, vidit manum, siue palmam Christi Domini Sacram hostiam tenentem, sibiq. communicaturo diuina munera porrigentem: quæ S. Episcopus de ipsa manu reuerenter sumens, ab omni deinceps inquinamento carnis illæsus permansit.

13. *In vita Sanctorum Faustini, & Iouitæ Martyrum*. Cùm prædicti sancti Martyres, Secundum Militem, Mediolani baptizasent, & communione quoque membrum Ecclesiæ facere vellent, nec haberent panem, ex quo sacrum conficerent, à columba alite, rostro delatum accepere, eique sumendum porrexerunt, sacrum esse minimè dubitantes qui sic afferebatur.

14. *Nauclerus in Chron. volum. 2. gen. 38.* Ioannes Patriarcha Indorum anno salutis 1120. Romam peregrinationis causa veniens, *Callisto* II. Romano tunc Pontifici, Cardinalibusque, aliisque Præsulibus præsentibus in Consistorio publicè declarauit, S. Thomam Apostolum omni anno communicare populum suum manu propria porrecta dignis, & retracta ab indignis.

15. *In vita B. Idæ Louaniensis*. Cùm ardenti flagraret desiderio crebrò viuificum Domini corpus sumendi, & tamen concepti feruoris æstum confessario suo patefacere non præsumeret, ac sine eius consilio, & assensu, desiderio suo satisfacere non auderet; affuit electæ suæ diuinæ pietatis miseratio. Si quidem eodem tempore frequenter accidit, vt cùm sacerdos in Altari communionem sacram acciperet, hæc in immensum dilatato desiderio cordis sui, sacratissimum pignus Hostiæ salutaris Angelico prolatum ministerio, sub eodem tempore, & ore susciperet, & sapore discerneret, & dentibus etiam masticaret. Ex qua perceptione tanta nimirùm iucunditatis, & spiritualium deliciarum dulcedine replebatur in corpore pariter, & in mente, quòd non verteretur in dubium, ipsum suauitatis authorem eo tempore cùm gratiarum suarum charismatibus affuisse. Alia vice, cùm in Ecclesia domui suæ contigua, Missæ celebraretur officium, & iam sacerdos corpus, & sanguinem Christi consumere vellet, venerabilis fœmina, quæ

quæ per totum tempus omnipotenti Deo deuotissimas gratiarum actiones in ara cordis obtulerat, & ad cœlestia contemplanda cor suum cùm manibus eleuarat, in excessu mentis rapta, quod miro desiderio paulò ante quæsierat, corpus Christi videlicet, sumere, miro modo impetrauit. Columba quippe miri candoris, vt sibi videbatur, aduolans, ipsum corpus Dominicum ori suo reuerēter imposuit, & ex aureo calice, quem secùm detulerat, reuerenter in eius gutture Dominicum Sanguinem instillauit. Mira res, & cunctis sæculis admiranda!

16. *In vita S.Gerlaci Ordinis Præmonstratensis*. Cùm ipsi post menses complures iam mors immineret, & sacerdos eius fortè abesset, & ex Rodiēsi collegio nullus satis citò adesse posset, nec ex Merssensi vellet; nihil eo perculsus est: Sed auxilium sibi à Deo adfuturum certò persuasit; neque deceptus est. Nam venit ad eum quidam venerabilis senex in niuea sacerdotali veste, quem constans fama, & communis opinio fuit, S.Seruatium fuisse; à quo omnibus sacramentis ritu catholico munitus, paulò post pridiè Epiphaniæ castum Deo Creatori spiritum reddidit.

17. *In actis S. Agnetis Politianæ*. Castissima Virgo sæpè ab Angelis, cœlesti, & Eucharistico pane recreabatur.

18. *In vita B.Coletæ cap.52.* Voluit quandòque solemni quodam die sacrosanctam Eucharistiam cùm magna deuotione percipere. Itaque dixit confessario, vt pro ipsa hostiam consecraret. At ille vel non intelligens, vel non satis aduertens quod diceret, non fecit sic; & si autem dubitaret de eius voluntate, non tamen fuit ausus accedere ad eam, ne fortè eius sanctas preces interturbaret. Cùm igitur ventum est ad horam sumendæ Eucharistiæ, sensit confessarius, eam more suo in fletus, & gemitus erumpere, vt solebat communicatura; quamobrem non parùm admirans, cùm se sciret non consecrasse pro ea Hostiam, sentiebat magno id mysterio non vacare: postea absolutis precibus percunctatus est ex ea, quid sibi vellent lachrymæ, & suspiria, quæ ipse audisset; respondit illa humiliter, Dominum Iesum suis manibus ipsi pretiosissimum corpus suum obtulisse.

19. *In vita B. Angelæ Fulignatis*. Dùm aliquandò vellet Diuinum Sacramentum sumere, nec esset qui ministraret, apparuerunt ei Angeli, & sacro cibo refecerunt.

20. *In Chronicis Minorum part.2.lib.5.cap.41. de B. Clara de Monte Falco*. Cùm semel B. Virgo Clara prohibita fuisset, ne ad sacram communionem accederet, valdè mœsta, & afflicta lachrymabatur. Interim apparuit ei Christus Dominus, propriisque manibus eam communicauit.

21. *In vita B. Friderici Ratisponensis*. Fuit Ratisponæ B. Fridericus è S. Augustini sodalitate illiteratus quidem, at diuinarum rerum cognitione sublimis præ alijs. Hunc in lignili occupatum vehemens Eucharistiæ desiderium incessit; cùm interim sacerdos sacris operatus animaduertit partem hostiæ consecratæ ab altari sublatam; stupet, ac mox intelligit eam per Angelum Friderico impertitam.

22. *Andreas Gelsominus in Thesauro cœlesti*. B. Alonsus de Orozco Ordinis S. Augustini, non semel à Christo Domino Eucharistico pane diuinitùs recreatus est.

23. *Bernardus Maric. apud Raynaldum*. Cùm B. Dorothea, quæ in Prussia anno 1399. ad cœlos euolauit, morti proxima esset, sacrumque Domini corpus sumere ardenter desideraret, minùsque animaduerterent ij, quibus eam tali viatico muniendi cura incumbebat, profunda suspiria ex intimo cordis affectu trahenti, ipsemet Saluator noster Iesus Christus cùm sanctissima Matre sua apparuit, eamque per eamdem fenestram, per quam ipsum toties in Missæ sacrificio sub speciebus panis, & vini latentem adorauerat, ipsemet proprio Corpore sub speciebus panis refecit; quo illa percepto, non multò post ad eumdem sponsum feliciter migrauit.

24. *Raderus in Bauaria Sacra, de B.Margarita*. Faciebat semel qui illi ab sacris erat in priuato sacrario, cùm religiosissima Princeps cœlesti contacta desiderio cuperet è manibus sui sacerdotis cœlestem agnum capere, quem cùm ille dextra gestaret, se seque ad impertiendum Christum ad Dominam verteret, attonitus vultum eius aliàs pallentem, cœlesti fulgore radiantem, claraque luce circumfusum, & tanquam meridiano sole refulgentem vidit. Interim stupore defixus, animaduertit sibi Eucharistiam deesse, ratus eam sibi per repentinum insuitati spectaculi terrorem è manibus excidisse; solicitus ergo circumspicit, quæritque, oculis in omnes partes circumlatis, cœlestem Panem, cùm illa in faciem profusa non dubiam dedit percepti sacramenti significationem, quod proculdubio ab eo, quem accepit, sibi impertitum sumpsit.

25. *Bzouius ann.1306.num.18.de B.Ioanna Vrbeuetana Ordinis S.Dominici*. Semel illi miraculosè fuit sacra Hostia delata, cui illa ingenti cùm deuotione communicauit. Altero quoque die Christus illam cibo quodam admirando refecit, atque cœlesti liquore refocillauit.

26. *Idem ann.1270.num.16.de B. Helena Hungara Virg.* Ingenti deuotionis ardore erga sacram hostiam flagrabat; quam cùm à confessore habere nequiret; Saluator ipse visibilis eam Virgini porrigebat.

27. *Isidorus de Isolanis, in vita B.Veronicæ lib.7.cap.8.* Optabat summopere Virgo Veronica sacra corporis Christi Mysteria sæpè percipere, quo circa Deus, crescente Virginis affectu, cœlitùs illi, & latenter sacram Eucharistiam sæpè propinabat in hunc modum: nam potiunculam diuisæ hostiæ à sacerdote intuebatur Virgo, fenestram Chori subintrantem, & in os eius volitantem; qua desumpta, vt plurimùm ad sidereas sedes euolabat. Videbant quidem sorores Virginem sensibus egressam; rei verò causam ignorabant. At hic modus sumendi Diuinam Eucharistiam tota ferè Virginis ætate dùm vixit perseuerauit; ac præcipuè Sacerdote Thadeo Missam agente, eoque nunquam animaduertente hostiæ defectum. Innotuit verò Diuinū hoc facinus, sorore Thadea, cuius iam sæpè meminimus, aperiente post Veronicæ extrema fata.

28. An-

28. *Antonius Dauza in vita B. Ioannæ à Cruce cap. 7.* Quidam infelix post sumptum indignè sacrum Viaticum, antequam in stomachum descenderet, in infernum est præcipitatus. At Angeli ex illius ore sacram Eucharistiam sumentes, B. Ioannæ à Cruce ex Seraphico ordine, detulerunt, præcipientes vt illam dignè pro animabus Purgatorii sumeret, quod factum fuit à purissima Virgine.

29. *In actis B. Iuttæ Viduæ reclusæ, Hui in Belgio cap. 34.* Volens aliquandò ex deuotione communicare B. Iutta, conuenit Sacerdotem, humiliter petens ab eo diuina Sacramenta sibi indulgeri; Qui prętendens nescio quam excusationem, benè petenti bona negauit. Frustrata verò mulier desideriorum, quasi indignam, se totam confert dolori, & lachrymis, quibus in secreto fatigata diù somno suaui diuinitùs abstrahitur. Dormienti adesse visus est B. Euangelista Ioannes, dicens: Vis communicare? Respondit cùm deuotione, Volo: ait Sanctus; sequere me. Illa præcedentem quasi sequens in Ecclesiam, quam murus solus à domo separabat, in qua dormiens videbat hæc ipsa mulier, vidit B. Ioannem præparari ad Missam celebrandam. Celebranti per ordinem missam totam, non modò interesse, sed & coadesse ita mulieri cōcessum est, vt illius sacramenti secreta, quæ nesciverat eatenùs, ibi didicerit. Vidit quam fieri nesciebat fractionem, & de particularum trium, vna à celebrante vidit se communicari. Deindè exuit se Sacris post celebrationem S. Ioannes, manifestauitque causam, quare Sacerdos communicare noluerit. Alia vice, (vt cap. 36.) Christus Dominus eam propria manu, bis in Missæ secreta sui corporis sacramento eam incorporare sibi dignatus est.

30. *In actis B. Imeldæ Bononiensis, ex inscriptione in Templo S. Iosephi in Suburbijs Bononiæ.* Beata Imelda Lambertina, Virgo claris orta natalibus, clara magis præcoci vitæ sanctimonia, cùm Diuino sacræ Eucharistiæ incensa desiderio, propter ætatis imbecillitatem (vix dùm enim vndecim annos egerat) ad Sacratissimam eius mensam accedere timeret; in pias preces, lachrymasque effusa, Diuina prorsùs ope recreari meruit, Hostia cælitùs demissa, post cuius sumptionem feliciter expirauit anno Domini 1333.

31. *Marchantius.* B. Stanilaus Kostka Soc. Iesu nobilissimus adolescens Polonus, deuotionem vehementem concepit erga S. Barbaram, in cuius vita legerat, illi deuotos sine sacra Eucharistia ex hac vita non migrare. Confessus ergo est die sacrosanctæ Barbaræ & communicauit, supplicans, vt illius intercessione, cùm ex hac vita illi migrandum esset, sine Viatico non discederet. Cùm igitur desperata esset à Medicis valetudo, vidit duos Angelos sacramentum sibi deferre, & ex manibus illorum illud suscepit, Sancta Barbara assistente.

32. *Chrysostomus Henriquez in Fasciculo sanctorum Ordinis Cisterciensis lib. 1. dist. 4. de Eremo Villariensi.* Cùm iunior religiosus Abbati Sacris operanti seruiens, communionem sacratissimi corporis Christi expeteret, eamque Abbas negaret, quòd præscriptus ab ordine communionis dies non esset, ecce tibi Angelico ministerio cùm Hostia in tres partes ex ritu sacrificii diuisa esset, tertia portio ad adolescentis os peruenit.

33. *Sedulius in vita S. Eleazari Comitis cap. 17.* Bertranda Carmara Carpetoractensis, mulier Sanctæ vitæ, & Diuinarum rerum valdè perita fuit. Ea cùm in quadam solemnitate ad perceptionem corporis Dominici se deuotè præparasset, & sacerdos per incuriam, vel obliuionem, hostiam pro illa consecrare neglexisset, Diuina benignitas eam miro quodam modo consolata est. Cùm enim Missæ illius sacrificio admodùm piè interesset, & Christi corpus spiritaliter ederet, Angelus Domini partem Hostiæ consecratæ accipiens ab Altari, ei sumendam præbuit: Presbyter verò Christi corpus percipere volens, cùm illam Hostiæ partem non reperiret, licet multo studio hinc indè eam perquireret, magno animi dolore affectus est, donec à Bertranda didicit, quòd ipsi Dominus præstitisset.

34. *Arnoldus Rayssius in Hierogazoph. Belg.* In Thorenbay, Brabantiæ Villa, piè, & religiosè in Domino obdormiuit venerabilis Oda, seu *Vda.* Hæc cùm semel sacrosancti corporis Christi desiderio suscipiendi vehementer exardesceret, ac à Parocho repulsam passa fuisset, Christi Domini manibus propriis diuinissimum corpus suscepit. *Item* à Christo Domino sacram Eucharistiam sumpsisse deuotam, & religiosam Viduam, Hildegundem nomine, refert Cæsarius Heisterbachcensis lib. 9. historiarum cap. 36. Sanctum Gratianum primum Turonensem Episcopum à Christo Domino Hostiam sacratissimam sumpsisse, probant picturæ. *Item* Mariam Ragyam Chiensem singulari sanctitate, admirandisque miraculis in vita, & post mortem viduam spectatissimam, quæ Romæ obiit *Ann.* IↃC. septimo Idus Iannuarias.

35. *Gonzaga in Prouincia Terræ laboris, de conuentu S. Francisci Caietæ.* Cùm duo fratres Laici in hoc conuentu, in die cœnæ Domini haùd sacram Eucharistiam cùm aliis sumere potuissent, ad petendam Eleemosynam eo tempore missi; Domum reuersi, ante sacrum Altare genuflexi orabant; dùmque nihil minùs cogitarent, ex ipsa arcula, quā sacrata Eucharistia condebatur, grauissimus quidam, pulcherrimus, ac compositus iuuenis prosiliit, qui asserens se Christum Dominum esse, eorum vtrique sacram communionem porrexit, statimque locum vndè prodierat repetiit.

36. *Ignatius de Nente, in vita Vener. sor. Dominicæ de Paradiso libr. 2. capit. 48.* Dùm semel in die Festo S. Thomæ Apostoli magna infirmitate affligeretur, propterea que impediretur, ne sacrosanctam Eucharistiam sumeret; Apparuit ei S. Thomas, qui Virginem deuotam sacra Eucharistia, ab Angelo in Pixide aurea delata, recreauit.

37. *Idem lib. 2. cap. 63.* Cùm semel confessarius sacram Eucharistiam Dominicæ porrigere vellet, aperta Pixide, Angelus eius assistens, antequam hoc faceret confessarius, eam communicauit. Aliisque vicibus ab Angelo sacram suscepit communionem.

38. *S. Thomas à Villanoua Conc. 2. in Festiuitate corpo-*

corporis Christi. Vidi ego Monialem quandam, quæ corpus Domini sicut ceruus fontem aquarum desiderabat: cui vt videbatur, difficile erat vel vna sola die à Sacramento abstinere; tanta erat sumendi auiditas, tantus accedendi appetitus. Si enim in loco quo degebat, interdicti causa, vel alia contigisset, quominùs communicare illa die posset, aliorsùm causa communicandi migrabat, ne vel vna die sine spirituali hac refectione transiret. Die ergo Sancto Parasceuæ cùm corpus Domini de more Ecclesiastico in monumento ponitur, quia oblitus Sacerdos, formam quam illi daret non reseruauit, eiulatibus, & clamoribus domum repleuit, vt Christi sepulturam lugere videretur; Neque ideò eius desiderio subueniri poterat, ratione iam dicta. Tandem cùm in lachrymis diù persisteret, mirabile dictu! Duæ manus visibiliter cùm Sacramento apparuere, ex quibus ipsum accepit; quo accepto, omnis illa amaritudo in consolationem mutata est. Hæc omnia inter multas alias reuelationes ab eius ore ipse audiui; quas mihi, non sponte sua, sed obedientia constricta narrauit, quia in Ordine nostro mihi subdita erat.

39. *In Annal. Ministrorum infirmis ann.* 1595. *de Frat. Hannibale Montagiolo*. Adeò fuit Hannibal sanctissimæ Eucharistiæ deuotione detentus, vt semel cùm desiderio ardentissimo flagraret illam suscipiendi, dùm missæ sacrum fieret, ex Altari inuisibiliter in os Hannibalis se contulerit nimia cùm suæ mentis refectione.

40. *Io. Andreas Rota in vita Venerab. Pudentianæ Zagnoniæ cap.* 11. Cùm sorori Pudentianæ Zagnoniæ Virgini Bononiensi ex tertio ordine S. Francisci, semel interdicta fuisset Sancta communio, qua animam suam recreare solebat; cubiculum suum ingressa, fusisque coram Deo precibus, meruit ab Angelo suo custode Sacram Eucharistiam sumere; Quod & iterùm ministrante S. Petro Martyre id accidisse, penès obseruantes, compertum fuit.

41. *Idem de eadem cap.* 18. Dùm vltimo afflicta morbo, ne sacrum Dominicum corpus sæpissimè, vt solebat, sumeret, impediretur, nouem hebdomadibus ante eius obitum ab Angelis, cuiusq. ex nouem, Chori, quarta, & sexta feria cuiusque hebdomadæ apparentibus, suauique melodia piam Virginem recreantibus, diuino, cœlestique epulo mirabiliter fuit refecta.

42. *In vita Fr. Innocentij à Clusa ordin. Minorum*. Semel grauiter ægrotans Innocentius, maximo flagrauit desiderio in die Festo S. Didaci sacro, Angelorum pane recreari; At dùm diù tardaret qui ei ab Ecclesia S. Eucharistiam deferret, vidit ipse iuuenem pulcherrimum eius cubiculum ingredientem, qui sibi sacram Hostiam manibus reuerenter porrexit, abiitque illicò. Eodem tempore in Ecclesia ab oculis sacrificantis particula hostiæ inuisibiliter euanuit; creditumque fuit, ab Angelo susceptam, Innocentio delatam fuisse.

43. *Franciscus à S. Maria in Hist. Carmel. Discal. Tom.* 1. *lib.* 2. *cap.* 12. D. Teresia à Iesu semel dùm accessisset ad Sanctam communionem, Diuini amoris incendio in extasim rapta est, in aeremque est eleuata; vndè cùm Sacerdos Sacram Hostiam in os eius immittere nequiret; illicò eadem Hostia ex manibus sacerdotis in os Sanctæ euolauit.

44. *Idem Tom.* 1. *lib.* 1. *cap.* 13. Cùm Soror Elisabeth à Iesu, Carmelita Discalceata, iussu Confessarii, illius obediétiam exercere volentis, à S. Communione abstineret, res mira! Dùm Sacerdos cæteras sorores communicaret, Sacra Hostia è manibus illius in os obedientissimæ Sororis euolauit.

45. *In vita S. Catharinæ Senensis cap.* 82. Narrat Pater Raymundus, quodam tempore iuisse illã cùm ipso, & aliis, ad inuisendos quosdam Dei seruos; deinde Senas reuertisse hora tertiarum propè exacta, dixisseq. eam ipsi. Si scires Pater, quantùm ego nunc esurio; facilè autem se intellexisse quid vellet, sed excusasse se à sacrificando, tùm temporis importunitate, tùm sui ex itinere defatigatione. Ea verò iterùm dicente, se vehementer esurire, accessisse ipsum ad sacrificandum illa præsente: cùmq. illi sub finem esset præbiturus Eucharistiam, faciem illius instar Angelicæ splenduisse: tùm verò semente ita dixisse. Veni Domine ad sponsam tuam: moxque sacram hostiam priùsquàm eam contingeret ad ipsam vltrò accessisse spatio latitudinis digitorum trium, & eo ampliùs,

46. *Item cap.* 83. Alio quoque tempore sacra Virgo magno tenebatur S. Communionis desiderio sed nimis afflicta iliacis, aliisque doloribus, misit ad Fatrem Raymundum sociam suam, quæ rogaret eum; vt differret non nihil missæ celebrationem; ille libens annuit; sed morbis se non remittentibus, iterùm misit sociam, quæ diceret, se non posse præ doloribus sacram Communionem percipere. Interim nihilominùs Raymundo nesciente ipsa venit ad Templum, vbi ille sacrificium offerebat, & se in extrema ferè parte reponens, preces feruentes ad Christum fudit, vt sicut ipse sacræ Communionis desiderio eam affecisset, ita etiam per se ipsum illud perficere dignaretur. Pergit Raymundus longo ab ipsa interuallo offerre sacrificium, vbi autem ventum est ad frangendam Hostiam Sacram, quædam pars magnitudinis ferè vnius fabæ, diligenter aduertente Raymundo, exiliit vltrà Calicem in corporale, sed eam ille nulla ratione, cùm diù multùmque quæsiuisset, posteà inuenire potuit. Quamobrem valdè anxius, & perplexus, tandem ad S. Virg. peruenit, & ab illa didicit, eã particulã ex ipsius Christi sacrosanctis manibus sese percepisse. Scribit etiã P. Raymundus permultos vtriusq. sexus fide dignos homines illi retulisse, Sacra Virg. percipiente sacram Commun. perspicuè se vidisse sacram Hostiam à Sacerdotis manibus in os eius euolare.

47. *In vita B. Hippolyti Galantini l.* 3. *c.* 3. Quidam Sacerdos præbens sacrosanctũ Christi corpus B. Hippolyto, non semel sensit sacram hostiam suis velut è manibus sensibiliter eripi; tamquam à magnete ferrum traheretur, videbatq. Dei seruum magno interim lumine perfusum, statimq. arrepta bucella, eumdem spectabat summo cãdore insignitum, ea ratione qua Christus in Monte Thabor transfiguratus depingi solet.

48. *Angelus Manrique in Annal. Cisterciens. ann.* 1193. *cap.* 4. Quadam die accedens ad Altare

K Ven.

Ven. Simon Altensis corporis Christi particeps futurus, casu fortuito eadem ipsa Hostia, quam susceptarus erat, in terram decidit; at cùm eam vellet Sacerdos leuare manu, ipso iubente, in pauimento vbi erat relicta est, quandiù supplex oraret, & an suis peccatis exigentibus ab eius ore Christus refugisset, inter lachrymas, & singultus percuntaretur. Cùm ecce (mirum dictu!) Hostia exiliens ad os orantis sursùm euolauit, atque ipsum ingressa, pacatum sibi Deum, neque auersantem testata est.

49. *Cæs.l.9.c.38.* Herkembaldus de Burban arrepta consanguinei cæsarie, caput læua contorquens, & dextera cultellum gutturi eius validè infigens, occidit propter scelus ingens, quod comiserat. Postea dùm morbum lætiferum persensit, aduocauit Episcopum; cui postquam cùm Sacramentis aduenisset, multis cùm lachrymis, & magna cordis contritione omnia peccata sua nudè confessus est, tacita dumtaxat morte, quam paucis antè diebus nepoti intulerat. Quem subindè arguens Episcopus, dixit. Quare celas recens homicidium, cùm cognatum manu tua peremptum vidimus? Ad quod senex retulit: Neque ego hoc peccatum iudico, neque id mihi à Deo remitti deposco. Cui iterùm Episcopus: Confitere crimen, vt Deus tui misereatur; alioquin sacro Viatico destitutus abibis in Tartara. Herkembaldus intrepidè respondit. Testor Deum, Nepoti me charissimo, non liuore, seù odio, sed iustitiæ zelo necem intulisse, si propterea Sacramenta mihi negaueris, spero saltem spiritualiter Viatici fructum me percepturum. Quo audito Epis. recedebat, cui mox reuocato dixit ægrotus. Perquire an in capsella sit Sacramentum corporis Christi, & cùm aperta Pixide Sacramentum non appareret, subiunxit Herkembaldus. Ecce quem mihi abnuens tecùm portasti, non se mihi denegauit Christus, & illicò aperto ore, Hostiam in lingua demonstrauit.

50. *Bzou. de sig. Eccl. li.15.c.4.* De B. Laurentio Iustiniano, Sacra Virgo quædam erat magnæ sanctitatis; hæc per multos annos abstinetia, vigiliis, orationibus steterat ante Dominum. Accidit autem, vt solemnitate corporis Christi, neq. sorores aliæ, neq. ipsa communicare diuinis mysteriis possent; & cùm ægrè ferrent, & illa in primis sanctissima mulier, oratum Laurentium mittunt, quia propè erat Monasterium, vt si gratiam communicandi eo die habere non possent, ipse saltem dignaretur, dùm celebraret, pro ancillis suis orare. Promittit Laurētius. Cùm autem celebraret ad populum, post eleuatum Sacramentum, factus est extra se ipsum, detulitq. eū spiritus ad illam mulierem in cella clausam, & contemplationi vacantem (quæ fortè tunc miro desiderio communicandi tenebatur) & sacra illi mysteria communicauit, siue in corpore, siue extra corpus, Deus scit, ab oculis quidem totius populi non discessit, donec ad se ipsum reuersus ab illo pietatis officio, reliquum missæ peregit.

51. *In An. Seru. Cent. 2. lib. 1. c. 8. De B. Iuliana Florentina.* Morti proxima, cùm sacratissimum Iesu Christi Corpus sumere ardenti desiderio flagraret, ac vomitus concitatione præpediretur, Patrem suū confessarium, & monialium Rectorem rogauit obnixè, vt saltem ei deferretur sacratissimæ Eucharistiæ Hostia, quam pio lachrymarum imbre adorare posset. Hoc facto, rogauit iterùm sibi ablui pectus, ac candidissimū desuper extendi velum, super q. sacrum corporale explicari precata est; deindè ad læuam super cor, vbi sentiebat fornaceum amoris erūpentem ignem, Eucharistiam super imponi rogauit; Hoc quàm iucundè obtento, accidit à sæculo inauditum, obstupendumq. perpetuò memorandū diuinum prodigium; ipsa enim quasi in Angeli speciem conuersa, pulcherrima apparuit, & præ dulcedinis excessu quodammodò liquefacta, dùm sua uissimè ex hac vita migrare cotēdit, Hostia quoq. illa nullibi visa, aut reperta fuit; siue enim præ dulcedinis amore Iulianæ animā secùm attraxerit benedictus Iesus, siue illa in cœlum cùm ipsomet suo sponso Christo ad sempiternas nuptias euolauerit, incertum.

52. *In vita Othonis Imperatoris, mortui an. 1215.* Miles quidam Anglicus, dictus Philippus de bona Villa, sæpè de illo cùm magna deuotione referre solebat. Cùm instante morte, Viaticum recipere (quia nihil retinere poterat) non auderet, tamen corpus Christi ad instantiam eius, vt illud videret, allatum, humiliter adorauit. Et cùm quasi amplexaturus brachiis extensis nudato corpore approximaret, hostia illa in loco vbi cor latet, facta apertura, intrauit, prosiliens de manibus Sacerdotis, & absq. omnis cicatricis vestigio reclusus est locus; sicque recumbens spiritum reddidit.

53. *S. Bonau. in vita S. Francisci c. 3. de miraculis.* Bartholomæus, Caietanus ciuis, cùm ad constructionem cuiusdam Ecclesiæ B. Francisci non modicùm desudaret, ruente trabe quadam infirmiter posita, eiusq. opprimente ceruicem, fuit grauiter conquassatus; ipse verò mortem sibi sentiens imminentem, à quodā fratre Viaticum postulauit. Quod frater ille tàm celeriter afferre nō valens, quia mori subitò credebatur, B. Augustini verba protulit dicens: crede, & manducasti. Sequenti verò nocte B. Franciscus cùm vndecim fratribus illi apparuit, & inter vbera portans agniculum, ad lectum eius accessit, vocauitq. illum ex nomine dicens: Bartholomæe, noli timere, quia non præualebit aduersùm te inimicus, qui te in meo seruitio voluit impedire. Hic est Agnus, quem tibi dare petebas, quem & propter bonum desiderium suscepisti; cuius etiam virtute consequeris vtriusq. hominis sospitatem. Et sic per vulnera manum ducens, ad opus, quod cæperat eum redire præcepit, & mane facto sanus inuentus est.

54. *Nider in formicario l. 1. c. 1.* Fuit vir quidam plebeus laborator in ciuitate Nurembergensi Bambergensis Diæcesis, maximè deuotus, pius, & bonis operibus intentus; Hic summo flagrabat ardore sacram Euch. frequentiùs, ac tunc ibi consuetudo erat, suscipiendi; à qua tamen, ne singularis videretur, abstinebat; ipse solùm mente, & spiritualiter se recreans; quod cùm semèl faceret, dùm sacro sacrificio assisteret, dùmque Sacerdos ipse Hostiam sumeret, linguæ eius hostiæ cōsecratæ quædā particula adhærere cæpit deuotè dulciter, & sēsibiliter, adeò vt necessariū videretur ei, aut istā quam sensit particulā de ore, quod verebatur ponere, aut quod faciebat, perceptā deglutire, de quo cùm miraretur, & sępius con-

contigisset, & tandem dubitaret, an illud aduenirret diuinitùs, quadam die cùm diuina audisset, & percepisset vt prætactum est, finito missæ officio certiorari volens, digitum ori imposuit, linguam tangere voluit, sed digito alba quædam particula, vt visus ostendit, inhæsit sensibiliter, quam ori reimpositam sumpsit vt antea, sed deinceps per decursum suæ vitæ nunquam simile meruit percipere, licet à bonis operibus non minùs quàm priùs desisteret.

Sine cibo, solo Eucharistico pane, diù viuentes.
§. 5.

VItam æternam, quam manducantibus diuinum panem promisit Christus in Euangelio, quidam & mortali carne adhùc induti mirabiliter degustare cœpere; solaque Eucharistia nutriti, absque alio terreno cibo, diù vixerunt. De his.

1. *In actis S.S. Martij Tom.1. in cont. Bollandi.* S.Gerasimus Abbas quadraginta ieiunii dies absque cibo ieiunus transibat, contentus sola Sacramentorum participatione.

2. *Theodoretus in Hist. Relig. cap.26.* Simeon Stylites sæpiùs absque cibo, & potu quadraginta dies ieiunauit, & nisi die Paschę sumpto Christi corpore quidquam sumebat. Item (cap.29.) Marana, & Cyra ter quadraginta dies omnis omninò cibi expertes ieiunando transegerunt, aliique multi.

3. *Blosius in Monili in appendice de Sancta Catharina Senensi.* Ipsa asperrimè virgineum corpusculum suum castigauit. Aliquandò à die Cinerum vsque ad Ascensionem Domini sine cibo perdurauit, sola Eucharistiæ communione contenta. Pluribus annis non nisi modicum succum herbarum ad refectionem corporis sumpsit; nam grauissimè, periculosissimèque ægrotabat, si cogebatur aliud sumere.

4. *Seraphinus Bertolinus in vita Sanctæ Rosæ Peruanæ cap.22.* Ex angelico pane tantam vim, roburque diuinitùs percipiebat S.Rosa de S.Maria Peruana, vt licet ex continuis infirmitatibus semper debilis, & imbecillis esset, fortis & vegeta post illius sumptionem euaderet, immò multotiès solo Eucharistico cibo satiata, integras, nihil aliud degustando, transigeret hebdomadas.

5. *In vitis P.P. libr.8. cap. 32. de Erone Monacho.* Fuit is vitæ instituto admodùm subtili, & accurato, adeò vt multi dicant, quibus cùm eo intercessit consuetudo, quòd sæpe non nisi per tres menses comedebat, contentus communione Sacramentorum, & sicubi apparuisset ei olus agreste.

6. *Petrus de Natalibus lib.4. cap.93.* S.Liberali Altinensi Heliodori discipulo, cuius ossa Taruisij honorantur, vitæ merito concessum fuit, vt Dominico quoque die spiritali alimonia corporis, & sanguinis Christi, & sine vllo alio cibo reliquum tempus perageret.

7. *Idem lib.7. cap.113.* Seuerus Abbas Natione Syrus apud vrbem Agathensem, Dominico die mane sacram percipiebat communionem: Vesperi verò panem Cruce signatum ab amico destinatum sumebat, altero cibo animam alens, altero corpus sustentans; reliquis autem hebdomadæ diebus, cibo pariter ac potu vacuus perdurabat.

8. *Surius Tom.6.* S.Ebrulphus Abbas, octogenarius in grauem morbum lapsus, dies quadraginta septem vixit nihil prorsùs esculenti, aut poculenti sumens, præter aquam solam, & Corpus, & Sanguinem Christi.

9. *Krantzius in VVandalia lib.11. cap.3.* Erat circa an.1424. puella in Hollandiæ oppido Schiddam, nomine Liduuina, Christo deuota, quæ intra octo, & viginti annos nullo corporali cibo refecta, solo Dominici corporis Sacramento per singulos dies Dominicos accepto victitabat; corpus attenuatum solis neruis cohærebat, & ossibus, carnes consumptæ vires ademerant.

10. *In vita B. Catharinæ Genuensis capit.4.* Tempore Quadragesimæ, & Aduentus, nullo corporali cibo vescebatur Beata Catharina, solaque Eucharistia nutrita, illis temporibus viuebat. Hocque prodigium in ea apparuit viginti tribus annis tempore Quadragesimæ, & Aduentus, reliquo etenim anni tempore licet summa cùm abstinentia viueret, cibum tamen corporalem cùm aliis sumebat.

11. *In Annal. Minor. 1309. n.14. de B. Angela Fulginate.* Tantam fortitudinem, & nutrimentum ex hoc sacratissimo reportabat Conuiuio, vt per duodecim annos continuos, nihil corporalis cibi degustarit, plenè satiata hac esca cęlesti, quam quotidie digno sumebat feruore, carnis potiùs, quàm panis, dulcissimum, & inexplicabilem habentem in ore saporem.

12. *Kra. in Va.l.11.c.3.* Columba Virgo Perusina sola Eucharistia ad multos annos absque cibo vitam mirabiliter conseruauit.

13. *Raynaldus an.1480.* Nicolaus de Rupe Eremita Saxulæ in Heluetia, relicta coniuge, & liberis in eremum recedens, seruiit Deo sine corporali cibo, sola Eucharistia nutritus, annis decem, & nouem ac mensibus sex.

14. *Idem an.1225.* Hoc anno in Vrbe Legrecastrensi obiit puella quædam inclusa religiosa, quæ per septennium ante obitum nullum omninò gustauit cibum, nisi quòd diebus Dominicis, corporis, & sanguinis Domini communionem accepit; quod miraculum cùm ad audientiam Hugonis Lincolniensis Epis. peruenisset, fidem non adhibuit veritati; sed incredulus planè, fecit per dies quindecim Presbyteris, & Clericis inclusam prædictam arcta nimis obseruari custodia, quoùsque compertum fuit, illam in toto termino memorato, nullo vsam fuisse corporis nutrimento. Faciem quoq. semper habuit vt lilium candidissimam, roseoq. rubore perfusam, ad indicium pudiciciæ, & múditiæ virginails.

15. *Thomas Valdensis.* In parte Aquilonari Angliæ, dicta Norfolchia, fuit deuota quædam in Christo puella, dicta vulgariter Ioanna Metles, idest sine cibo; quia nunquàm cibum gustasse, vel potum per tempus annorum quindecim, reperta est; sed solo Sacramento Dominici Corporis, diebus Dominicis, cùm deuotissimæ mentis gaudio vescebatur.

16. *Maiolus Dierum Canicularium coll. 4.*

Anno Domini 1288. comperta eſt in Germania in Villa Bykel, puella, quæ abſque omni cibo annos triginta vixit, Euchariſtiæ Sacro Sancto Sacramento contenta. Mirum, cùm aliquandò Sacerdos hoſtiam nondùm conſecratam obtuliſſet, ipſaque incauta ſumpſiſſet, intra fauces hæſit, adeò vt glutire non valuerit: cùm mox verò conſecrata Hoſtia fuiſſet oblata, abſque vllo impedimento glutiuit.

17. *Rader. in Viridario, de S. Arſenio Conſtantinopolitano.* Eò perfectionis, extinctis propè ſenſibus, deuenit, vti nullo terreſtri paſtu indigeret, ſed Angelorum pane, & immortali ambroſia paſceretur.

18. *Ignatius de Nente in vita Vener. Sor. Dominica de Paradiſo lib. 2. cap.* 8. Integris hebdomadibus ſine cibo quandòque viuebat Ven. Dominica; immò ſemel toto quadrageſimæ tempore nihil aliud cibi deguſtauit, niſi Sacram Euchariſtiam.

19. *Abbas Vſpergenſis in Chron. ad ann.* 815. In Territorio Tullenſi iuxta Villam Commerciacum, puella quædam annorum circiter duodecim, poſt ſacram communionem, quam in Paſcha de manu Sacerdotis accepit, ſine omni victus deſiderio plenum biennium vſque in tertium annum dimidium compleuit, nulla penitùs corporis alimenta percipiens. Cæpit autem ieiunare anno Dominicæ Incarnationis 1323. à Paſcha, & in 1325. circa initium Nouembris, peracto ieiunio, cibum ſumere, ac cæterorum hominum more manducando uiuere cæpit.

20. *Bozius de ſignis Eccleſiæ libr.* 15. *cap.* 2. Iacobus è Vitriaco Cardinalis ſcribit, Virginem quamdam viginti & vno diebus extra ſenſus poſitam perſtitiſſe immobilem, totamque in cœleſtibus contemplandis defixam, ſumpta Euchariſtia. Maria Oegniacenſis triginta quinque dies ieiuna permanſit, cibo huiuſmodi diuino nutrita. Virgo quędam, Felix nomine, ex oppido Barbarani Romæ quinque totas quadrageſimas ſola Euchariſtia tranſegit. Luchina Soncinas nonnullas quadrageſimas nihil comedens, Euchariſtiā ſolam ſumens traduxit. Ludouicus Pius Imperator in ſupremo morbo, quo obijt, totos quadraginta dies ieiunus tranſegit Euchariſtiam ſolam quotidie ſumens.

21. *Menard, de B. Margarita Abbatiſſa Vallis Gratiæ.* Sæpè ſola Euchariſtia paſcebatur, edulijs ipſis nauſeam parientibus; non ſolùm plures dies, ſed etiam aliquandò tres hebdomadas, interdùm menſem integrum ſine cibo & potu manebat.

22. *In vita Venerab. Vrſulæ Benincaſa.* Venerab. Vrſula Benincaſa cœleſti refecta cibo, multotiès nullo alio per diem integrum indigebat, immò non rarò per tres, aut plures dies omni cibo abſtinuit, hoc Angelorum pane diuinitùs ſuſtentata; & pluriès grauiſſimis infirmitatibus ferè ad mortem perducta, hoc Sacramentum ſuſcipiens, illicò ſanitati reſtituta eſt: quod omnibus, & præſertim S. Philippo Nerio valdè mirabile viſum fuit.

23. *Marchantius.* Sororem Ludouicam de Aſcenſione Ordinis S. Claræ in Hiſpaniis, pluribus annis, nonniſi Euchariſtia veſci ſolitam traditur.

24. *Auguſtinus Mannus Hiſt. Select. cap.* 240. Archipresbyter de Belmonte Soranus, pauper, quia eius beneficium annuatim non reddebat niſi quindecim aureos, habebat multos nepotes pupillos, eoſque mendicos, quos alere cogebatur, ne fame perirent; cùm anno quodam locus ille extrema viuendi penuria laboraret, nec quidquam pro alendis Nepotibus haberet, ſibi victum adimebat, & quidquid Portia Cardinalis Baronii Mater pro eleemoſyna ei erogabat, totum eis ſubminiſtrabat; vndè factum eſt, vt iſte bonus ſacerdos, ſicuti dictæ Portiæ poſtea retulit, quadraginta dies vixerit nullo alio guſtato cibo, niſi Sacroſancto Corpore, & Sanguine Chriſti ſub ſpeciebus panis, & vini, quod in Miſſæ ſacrificio quotidiè aſſumebat.

25. *Io. Colganus in vita S. Moedoci 31. Ianuarij.* Quidam, tempore B. Pontificis Moedoc ſecundùm exemplum Moyſis, & Eliæ, immò ſecundùm exemplum Conditoris vnici filii Dei Domini noſtri Ieſu Chriſti, quadraginta diebus, & quadraginta noctibus ieiunauit in ciuitate ſua Ficarna, nihil manducans, neque quodquam bibens de humano alimento, & poſt ieiunium quadraginta dierum Vir Dei viſus eſt diſcipulis ſuis longior, & groſſior quàm antea.

Hoc autem in illo eueniſſe ex ſumptione cœleſtis alimenti, & Dominici panis credendum eſt; ſicut & in ſubſequentibus Admirandis.

26. *In Actis Sanctorum Martij Tom. 2. in continuatione Bollandi.* Ne S. Patritius Hiberniæ Apoſtolus, cibis idolis ſacrificatis veſceretur, viginti diebus continuis nullo terreno cibo alitus, *mirabile* protraxit ieiunium.

27. *Ferrarius in Catalogo Sanctorum 31. Iulij.* S. Fantinus Abbas Taurianenſis adeò *ſibi abſtinens* fuit, vt aliquandò dies viginti integros *ieiunus* tranſfigeret.

28. *In actis S. Genoueſæ Virginis.* A quinto decimo, vſque ad quinquageſimum ætatis ſuæ annum, à die Dominico, vſque in quintam feriam, & à quinta feria vſque ad diem Dominicum, ieiunium nunquam diſſoluit. Nam illis ſolùmmodò duobus ſacris in hebdomada diebus, ideſt Dominica, & quinta feria, aliquantulùm cibi ſumens, reliquis totius hebdomadæ diebus in abſtinentia perdurabat; Eſca verò illi erat panis hordeaceus, & faba, quam poſt duas aut tres hebdomadas in olla coctam recommiſcens edebat.

29. *In vita S. Petri de Alcantara.* Interdùm accidit, vt ab omni cibo, potuque pluribus diebus abſtinuerit.

30. *Vadingus Ann. 1406. de B. Coleta.* Conſtat eam exemplo Saluatoris, quadraginta diebus, & noctibus ieiunam permanſiſſe.

31. *In vita Beatæ Elenæ Encelmina.* Mirabile dictu! Vixit menſes tres abſque cibo corporali, & cùm vellet ex obedientia, quam ſuperiori debebat, aliquandò cibum ſumere, ille ſtatim per nares totus effluebat.

32. *Vinc. Belu. lib. 29. hiſt. ſpec. c. 23. de B. Alpaide.* Hæc B. Virgo multis annis in corpore degens, ſine corporalis cibi ſubſidio mirabiliter vixit.

33. Ste-

33. *Stephanus Pepi in Vita Beata Clara de Agolantibus libr. 3. cap. 4.* B. Clara de Agolantibus Fundatrix monialium Sanctorum Angelorum Arimini, à quodam excessu mentis ita in Diuinam contemplationem fuit rapta, vt deinceps per spatium sex mensium, veluti demortua apparuerit, nihilque toto eo tempore, licet adhùc viuens, degustauerit comestibilis, aut ebiberit potabilis.

34. *In m. s. s.* Hebdomada Sancta, quamdiù sanctissimum Eucharistię Sacramentum in sepulchro manebat, Ven. Soror Catharina ab Angelis, ordinis Prædicatorum, in Choro assiduè orabat, nihil edens, aut bibens.

35. *Dominicus Maria Marchesius in Vita Ven. Sor. Mariæ Villanæ ordinis Prædicatorum.* Suauissimo Diuini amoris cibo, ne dùm anima, sed & corpus Ven. Sor. Mariæ Villanæ ita quandòque reficiebatur, vt nullo corporali cibo indigeret, & tribus, quatuorue hebdomadibus aliquandò ieiuna perseueraret, sola Eucharistia contenta; adeò vt, si ex obedientia aliquid, aut panis, aut liquoris deglutisset, violenti vomitu statim è stamacho reiiceret.

Ex sacra Eucharistiæ sumptione effectus mirabiles in corpore apparentes. §. 6.

VT quod inuisibiliter in interioribus animæ penetralibus viuificum operatur ferculum, & visibiliter, sensibusque appareret, mirabiles, quandòque ex sacræ Eucharistiæ, humili, deuotaq. sumptione, in eodem & visibili corpore visi sunt effectus. De his.

1. *In vita S. Catharinæ Senensis cap. 44.* Quotiès summum Sacramentum vel vidisset, vel sumpsisset S. Virgo, nouum, idemque ineffabile gaudium in eius animo existebat, ita vt non rarò, in eius pectore cor exiliret, idque cùm tanto sono, vt sociæ circumstantes clarissimè audirent; nec erat sonus ille vsitatus, sed valdè singularis, & præter naturæ morem. Solebat autem sancta Virgo dicere Thomæ confessario suo: Tantum gaudium obtinet mentem meam, vt valdè admirer, posse durare animam in corpore; addebatque: Tantum ardorem sentio in anima mea, vt ignis materialis frigere potiùs, quàm vrere videatur.

2. *Henricus Sedulius in vita S. Eleazari Comitis cap. 20.* Retulit ipse quandòque virgineæ coniugi suæ, cùm Christi corpus acciperet, videri sibi optimum saccharum se deglutire; illa interrogāte, quid id sibi vellet, respondit, existimare sese velle Deum, vt crebrò S. Eucharistiam perciperet.

3. *Arnoldus in vita B. Angelæ de Fulginio c. 7.* Beata Angela sic suo confessario referebat. A paruo tempore quandò communico, Hostia extenditur in ore, & non habet saporem panis, nec carnis, quā comedimus, sed aliū saporē carnis, sed saporis sapidissimi, quem nescio assimilare alicui rei de mundo; & non est dura Hostia, sicut priùs, nec descendit per frustula, sicut consueuit, sed integrè cùm tanta suauitate, quòd, nisi esset, vt audiui, quia citò debet homo glutire, libentissimè tenerem eam in ore cùm magna mora: & sic descendit integrè cùm illo sapore carnis incognito.

4. *Cæsarius l. 9. c. 10. de B. Aleyde Abbat.* Quotiescumque corpus Domini à Sacerdote suscepit, non panis soliditatem inter dentes, neque panis saporem intra fauces sensit; sed ipsum Sacramentum quasi fauus mellis, sine masticatione per guttur eius in ventrem defluxit, sic vt mira suauitate omnia eius interiora replerentur.

5. *In Chronicis Cistercienſibus.* Legitur, monachum quemdam quotiès sanctam synaxim insumebat, toties sibi visum fauum mellis sumere, cuius suauitas illi in ore triduum ipsum perdurabat.

6. *In vita Sancti Philippi Nerij.* Cùm ne dùm in anima, sed & in corpore suauissimi nectaris dulcedinem in sumptione S. Eucharistiæ degustaret S. Philippus, è calice summa delectatione sanguinem Dominicum lambere solebat.

7. *Iacobus à Vitriaco in vita Mariæ Oegniacensis l. 2. c. 12.* Maria Oegniacensis tametsi in sua infirmitate nihil penitùs edere posset, immò nec modici panis odorem perferre, facilè tamen, & quidem crebrò, Christi corpus sumebat, quod statim quasi liquescens, & animam eius transiens, non solùm illam confirmabat, sed etiam corporis infirmitatem sine mora releuabat, magnaque in ore dulcedine eo tempore fruebatur; quandòque sumente illa Eucharistiam, facies eius quosdam ex se luminis radios vibrare, & diffundere videbatur.

8. *In vita B. Catharinæ Ianuensis.* Quadam vice, sacra Eucharistia sumpta, tàm suaui cœlestiq. est recreata odore, vt Paradisi delicias iam degustare videretur.

9. *In vita Vener. Stephanæ à Soncino ordinis Sancti Dominici.* Cùm quadam nocte grauissima siti, ex diabolica tentatione afflicta, mori potiùs, quàm aliquid degustare, quo sitis extingueretur, elegisset, ne manè à Sacræ Eucharistiæ sumptione impediretur, dùm Sacram Synaxim deuotè sumpsit, maxima suauitate, & dulcedine in ore frui promeruit.

10. *In vita Beatæ Beatricis à Nazareth.* Quodam tempore cùm ex more missarum solemniis interesset, post eleuationis horam, & iam in Altari nostrę Redemptionis prætium, corpus videlicet Dominicum, præsens esset, eius anima præsentiam illius intra se cùm ingenti feruore deuotionis sentire cæpit, ad quam velut ad ignem validissimum liquefacta continuò tota simùl in illo Charitatis pelago, quasi guttula defluens est absorpta, in qua liquefactione, quid, quantùmue spiritualis iucunditatis acceperit, quid senserit, quid gustauerit, ex defectione sensuum corporalium apparebat; iacens enim permansit donec expleto Missæ officio resurgeret. Exurgens tamen non repentè cælestis illius refectionis gustum amisit, sed per totum diem in eius anima perseuerauit.

11. *In vita Venerrab. Vrsulæ Benincasæ.* Cùm ob suas infirmitates maximam pateretur ciborum inappetentiam, ita vt nullo modo posset comedere,

medere, panem tamen Sacerdotum digitis tactum abſque vlla nauſea, vel moleſtia comedebat; immò ex illorum digitorum contactu, maximam pani illi dulcedinem inditam affirmabat.

12. *In vita B. Idæ Louanienſis*. Vt, ſanctiſſima communione percepta, Dominici corporis Sacramentum ad gutturis ima deſcendit, mox in piſcis, vt ſibi videbatur, ſubſtantiam commutatum ab interiori parte gutturis ad medium vſque ventris, capite deorsùm inclinato ſemetipſum in longum extendit, ac totum illius ſpiritum in faucibus abſorbens ſuis, & in proprij ventris interiora traijciens ad inſtar piſcis ad cibum hiantis auidiſſimè deglutiuit. Quod non ſolùm in ipſa perceptionis hora, ſed per totum illius diei ſpatium intra ſe iugiter actitari ſenſiſſe dicitur; ita hæc omnia Diuina prouidentia diſponente, vt quæ corpus Dominicum ſancta quadam vorauerat auiditate, ab eo vice uerſa non ad conſumptionem, ſed ad felicem eius incorporationem, non ſine grata quadam & iucunda viciſſitudine, voraretur.

13. *In Chronicis ordinis Beatæ Mariæ de Mercede; de Venerab. Sorore Maria de Reſurrectione.* Cùm in ſtomancho nihil retinere poſſet, dùm Moniales omnes Deum deuotiſſimè orant, vt Sorori Mariæ Sacram Hoſtiam retinendi virtutem largiri dignaretur; communicauit deuota infirma, hoſtiam retinuit, & poſt eam parum aquæ (vt ſe purificaret) ſumpſit; & Dominus omnipotens, qui terminum poſuit mari, ne vltra progrederetur, dedit fortitudinem, & virtutem ſeruæ ſuæ, vt quæ antea particulam non conſecratam euomuerat, conſecratam deindè ſumens, & aquam poſt eam, ſine moleſtia retineret, & non eijceret, quo ſacerdos & moniales omnes gratias immortales Deo egerunt.

14. *Thomas Valdenſis de Sacra Euchariſtia cap. 62.* Anno 1414. quidam Vir Nobilis de Viridi-Colle in Anglia, VViclephiſticam hęreſim priùs ſecutus, cùm crudeli adeò vomitu laboraret, vt nullum propterea cibum capeſſere poſſet, factis ad Deum precibus, hæreſimque conteſtatus, obtinuit, vt Euchariſtiam veluti cœleſtem cibum ſumeret.

15. *Nider in Formicario lib. 1. cap. 12.* Fuit quidam Miles, Boarus nomine, generoſus multùm, & prudens in Herbipolenſi Diœceſi, qui dùm eſſet iuuenis malè educatus eſt, vitamque non bonam tranſegit. Venit interea tempus, quo pro acquirenda militia ire debuit ad Terram Sanctam; ibi cùm alijs peregrinis per loca varia, in quibus Chriſtus paſſus eſt, deductus eſt, & ab alto tunc per Dei gratiam viſitari cæpit. Poſt aliquot temporis in terram propriam rediit, in alterum mutatus. Confeſſionem ſacramentalem omnium facinorum fecit, & pro loco, & tempore, læſis, ſecundùm prudentum conſilia ſatisfecit. Deindè non modò vt antea ſemel, ſed bis in anni ſpatio Euchariſtiæ Sacramentum ſuſcepit; quo facto, in ſecunda communicatione etiam deglutita iam Sacrata Hoſtia, quendam inſolitum percepit ſaporem, dulcem quidem, & prout coniecturare potuit, ſimilem habentem odorem panis frumenti nouiter, & optimè depiſti, ſed cùm de hoc miraretur, & cogitaret cibo ſumpto materiali, talem ſaporem, & odorem debere recedere, illud non ſtatim euenit, ſed longo temporis tractu poſtea continuauit præfata perceptio, quæ tamen poſtremò deſiit.

16. *Odoricus Raynaldus in Hiſt. Eccleſiaſtica.* Circa ann. 1414. cùm quædam pia Virgo, Coloniæ, ita crudeli infirmitate laboraret, vt tandem contractis neruis, quibus labia, & mandibulæ moueri conſueuerunt, etiam adhibito toto conatu corporis, & animæ, ora aperire nequiret ad cibum ſumendum corporeum; tantùmque ſuperior mandibula inferiori cohærebat, vt vix, vel nullatenùs ad minutiſſimum ſumendum cibum cùm inſtrumento argenteo, vel cocleari aperire poſſet. Anhelabat interea virgo deuota ſacram Euchariſtiam, vt moris erat ſumere, formidabant tamen omnes eam ab ipſa ſumi non poſſe. Tandem aduocatùs eſt Sacerdos Sacram Euchariſtiam deferens, qui cùm ante Virginem ſtetiſſet, ſacrumque corpus Chriſti adorandum eleuaſſet, ſtatim, & inopinatè tantam virtutem ſe percepit habere in corpore, & internum quemdam inſtinctum in anima, vt ſubitò ad animæ, & cordis hiatum corporalia ora amplè ſatis laxaret, quibus confeſtim Sacerdos Dominicum corpus lætè imiſit, & ita Chriſti ſponſa, & qui aderant admirantes, Deo gratias de collato beneficio contulerunt.

17. *In vita Sanctæ Catharinæ Senenſis.* Cùm ad altare ad communicandum procederet, faciem rubicundam, atque micantem habens, nec non lachrymis, ſudoribuſque infuſam, ſemetipſam ad Sacramentum erigens, ipſum cùm tanta deuotione ſuſcepit, vt tàm celebrantem, quàm alios tunc aſtantes valdè & ſtupentes & deuotos effecerit. Quo facto, taliter in Deo abſorpta fuit, vt per diem illam totam nemo ei vllo modo loqui potuerit.

18. *In Menologio Ciſtercienſi 12. Kal. Martij.* In Gallia Sanctus Siluanus Monachus, & B. Bernardi diſcipulus, à Deipara Virgine ſingularibus fauoribus nobilitatus, & multorum miraculorum patrator mirificus; cuius facies Sole clarior, & veſtimenta vt nix dealbata, & lucentia apparuerunt, dùm ſacram communionem acciperet; quem virtutibus & ſignis admirandum in Sanctorum numerum retulerunt.

19. *Vgo Menard, de Beata Margarita Abbatiſſa Vallis-gratiæ.* Sacra Euchariſtia percepta, ſæpè à multis viſa eſt Angelica facie, & immenſo ſplendore collucere. Bis viſa eſt à quodam Sacerdote pio, & docto, Solis radios ſplendore ſuperare.

20. *Vadingus in Annal. Minorum, de Beata Catharina Bononienſi, ann.* 1463. Pallebat ſemper ieiunio, & ab ipſa natura ita efformata facies, ſed dùm Euchariſtię ſumebat Sacramentum, pulcherrima videbatur.

21. *Arnoldus Rayſſius in auct. ad nat. Sanctorum Belgij 28. Martij, de Agnete de Santillon Sanctimoniali Ord. Ciſtercienſis.* Affirmabant Senio-

niores, vidisse se hanc Agnetem quotiès sacram Communionem accepisset, in extasim eleuatam gressu vacillanti quasi ebriam incedere, ac toto illo tempore roseo planè colore perfusam; cùm tamen aliàs vultu pallida semper esset. Hanc item multæ aliæ ad cubiti altitudinem à terra eleuatam conspexere.

22. *Dominicus Maria Marchesius in vita Vener. Soror. Maria Villana ordinis Prædicatorum.* Tanta ne dùm animæ, sed & corporis afficiebatur suauitate, & robore Vener. Maria Villana, pane cœlesti exsaturata, vt post sacræ Eucharistiæ sumptionem ad multas horas dulcissimam suauitatem ore degustaret; suauissimumque ex faucibus exhalaret odorem. Corpus etiam eius tot infirmitatibus, macerationibusque ferè consumptum, vires ex Eucharistico Pane sumebat; Aliquandò verò solo hoc diuinissimo Pharmaco mirabiliter ad vitam, iam moribunda, euocata fuit.

Morbi, & cuiusque generis infirmitates, sola Eucharistiæ sumptione mirabiliter à corporibus depulsæ, hìc enumerari possent, sed de his alibi, de hocque satis.

In sacram Eucharistiam irreuerentia, diuinitùs punita. §. 7.

QVi irreuerentem Arcæ contactum in Ozatàm acriter puniuit, illæsos à pœna sui Sacri Corporis contemptores relinquet? De his aliquos seligam, si enim omnes, nec integrum sufficeret volumen. Sint autem.

1. *Gulielmus Abbas in vita S. Bernardi Abba. lib. 1. cap. 11.* Agebatur solemnitas quædam præcipua, & frater aliquis, quem pro secreta culpa ab altaris sacri communione suspenderat Sanctus Abbas, notari timens, & ruborem non sustinens, ad manum eius cùm cæteris nimiùm præsumptuosus accessit. Intuitus autem eum, quoniam causa latens erat, repellere hominem noluit, sed intimo corde orabat Deum, vt de tanta præsumptione meliùs aliquid ordinaret. Itaque sumens homo Eucharistiam, non poterat ad interiora traiicere, & diù, multùmque conatus, cùm nullo modo præualeret, anxius, & tremebundus clausam ore seruabat. Expleta denique hora orationis sexta, Patrem sanctum traxit in partem, cuius pedibus aduolutus, cùm multis ei lachrymis quod patiebatur aperuit, & aperto ore, ipsam quoque Eucharistiam ostendebat. Increpans autem eum, confitentem absoluit, & sine difficultate recepit Dominica sacramenta.

2. *Surius 4. Martij in vita Petri Abbatis Cauensis.* Religiosus quidam, Frederitius Amalphitanus, dùm confiteri culpas suas in ægritudine erubuit, corpus Dominicum sæpiùs sibi oblatum sumere non potuit, donec fratrum hortatu tandem Abbati se qualis erat ostendit.

3. *Fulgosus li. 9. exempl. cap. 12.* Cùm Vdo Magdeburgensis Episcopus, ne signis quidem, ac diuinis vocibus commonitus, ab impudicicia sibi temperaret, viri religiosi, Deum, vt Episcopum, aut corrigeret, aut tolleret, rogarunt. Inter eos cùm noctu in Cathedrali Ecclesia S. Mauritij Fridericus Canonicus eiusmodi precibus operam daret, vehementioris venti afflatu, omnia, quæ in Templo erãt, lumina extingui perspexit, ac multò post duos iuuenes venire, candelabra duo accensis cereis ferentes, & Christum cùm Parente eius, atque Apostolis subsequi. A quibus cùm essent vocati sancti homines, quorum corpora in Templo quiescebant, visus est inter eos Mauritius venire, qui longa atque graui oratione Vdonem Episcopum accusauit, quem haùd multò post Christus nudum adferri à duobus iussit, atque damnauit. Is autem, pugno ab ipsorum altero, qui eum portarunt, grauiter in mediis renibus ictus, Christianam hostiam, quam in Communione eius diei pridiè sumpserat, reuòmuit in Calicem, qui Altari impositus fuit; atque securi percusso Vdone, rerum illarum omnium visio euanuit. Qua re vehementer territus Fridericus, cùm ad Altare accessisset, calicemque in eo esse cùm christiana Hostia inspexisset, & simùl Episcopum mortuum humi iacentem, alios Religiosos Viros excitauit, ablatum indè Episcopi corpus in agro sepelierunt.

4. *In Martyrol. Gallicano 8. Nouembris de S. Godefrido Ambianensi Episcopo.* Adueniente Dominicæ cænæ die, rebellibus hanc irrogauit multam S. Episcopus, vt à sacrosancta Eucharistia, ad secundam vsque Paschatis feriam abstinerent. Fuit vnus qui spreto Antistitis mandato, sacræ synaxi se ingerere haùd dubitauit, muliebri habitu sexum prætendens fœmineum, nè fortè à probis, & à sacerdotibus agnitus, repulsam pateretur. At vidit eius fraudem diuinus oculus, dextraque Christi, Antistitem suum vlciscentis, rebellem, derisoremque compressit. Ecce enim sumpta Eucharistia, tantis pseudo clericus ille, tàmque acerbis viscerum doloribus torqueri cæpit, vt humi stratus, spumas ex ore cruentas eijceret, & Diuinum pignus quod indignè sumpserat, multo cùm sanguine cunctis cernentibus euomeret.

5. *Cæsarius lib. 9. cap. 12.* Aliquandò Albienses vt prauo dogmati astruerent fidem, ambulabant super aquas, plebique ostento eo illudebant. Adfuit semel catholicus sacerdos cùm Eucharistiæ Hierotheca, & numinis instinctu postquàm exprobasset illis eorum fallacias, in gurgitem ipsam iniecit sacram Pixidem, & momento eodem infelices illi ludiones, atque histriones orci, flumine hausti, tragediæ, lugubri exitu, fabulam exegerunt. Eucharistia verò in Templum postridiè nullo accepto ex aquis damno, à Sydereis Geniis est portata.

6. *Razius in Viridar. exempl. V. Euch. exemp. 28.* Quidam Iudæus, tempore, quo Sanctus Syrus Episcopatum Ticinensem regebat, sacrilegè accesit ad sacram sumendam Eucharistiam, determinatione, eamdem in locum immundum abiicendi; sed ecce statim super eum ira Dei; talibus enim ardoribus, & cruciatibus cæpit angi, vt clamoribus totam Ecclesiam deturbaret, osque sacrilegum nulla vi claudere potuerit. Tunc S. Episcopus iussit eum ad se adduci, obseruatumque est, sacram Hostiam in eius ore inclusam, nec palatum, nec linguam tangere, sed in medio suspensam manere, ceù refu-

refugientem contactum sacrilegi viri; quare ex eius ore ablata fuit, statimque cessarunt cruciatus. Quo Miraculo ad fidem conuersus, sacro lauacro fuit regeneratus.

7. *S. Cyprianus apud Baronium ann.* 254. Cùm quædam, arcam suam, in qua Domini sanctum fuit, manibus indignis tentasset aperire, ignè indè surgente deterrita est, ne auderet attingere. Et alius, qui & ipse maculatus, sacrificio à Sacerdote celebrato, partem cùm cæteris ausus est latenter accipere, sanctum Domini edere, & contrectare non potuit; cinerem ferre se apertis manibus inuenit. Documento vnius ostensum est, Dominum recedere, cùm negatur; nec immerentibus ad salutem prodesse quod sumitur, quandò gratia salutaris in cinerem, sanctitate fugiente, mutetur.

8. *Vincentius in spec. Hist. lib.* 18. *cap.* 4. Quædam fœmina hæretica, vt viro suo Catholico satisfaceret, catholicam se finxit, vnàque cùm viro in ecclesiam ad sanctam suscipiendam eucharistiam conuenit, animo tamen, sacram hostiam susceptam, ore extrahere, panemque ab hæreticis consecratum, quem absconditum habebat, loco illius sumere. Quod dùm efficit, quem verum panem absconderat, in lapidem durum esse mutatum, dentibus, oculisque comprehendit: facti autem pœnitens, miraculum patefecit, fidemque veram est amplexata. Lapis ille in quem panis hereticorum conuersus est, diù Constantinopoli asseruatus est.

9. *Brendebachius lib.* 7. *coll. Sac. cap.* 61. Contigit propè ciuitatem Hadervvickum, Catholicum quendam in die Cinerum agere in diuersorio inter hæreticos; qui cùm ientaculum sumerent, & Catholicum inuitarent, vt cùm ipsis ientaretur, isque antiqua ieiunij religione ductus renueret; illi hominem dicteriis, & contumeliis exceperunt, dictitantes; si sacrum audisset, iam faciliorem fore ad ientandum, Euestigiò quidam ex illis prosiliens; ego, inquit, operam hanc illi præstitero, arreptumque orbem mensarium, eleuauit in despectum tremendi sacrificii sanctissimæ Eucharistiæ, moxque eleuata in altum brachia obriguere, vt ad se reducere non posset; paulòque post in eodem loco expirauit.

10. *In actis S.S. Martij Tom.* 3. *in Continuatione Bollandi*. Cùm quidam sacerdos impudicus ad aram quadam die faceret; Hora, qua sacrosanctum Mysterium erat sumpturus, particulam Dominici corporis, quæ in Calicem missa fuerat, ita cùm sanguine in teterrimam speciem commutatam vidit, ut magis in Calice picis colorem, quàm panis, & vini conspiceret: Illicò reatum intelligens, pallere, & quasi flammis iam iam tradendus vltricibus, nimiùm cæpit pauere; interim cùm quid agendum nesciret, tandem magno cùm timore, atque formidine sumpsit, sed tantę fuit amaritudinis, vt nihil amarius esse potuisset. Post missam, peccatum confessus est, & deinceps benè vixit.

11. *Ex Literis Soc. Iesu in Prouincia Mediolanensi*. Quidam in Valle Lucernensi cùm peccatum quod conceperat, vomere præ pudore non posset, eo in confessione præterito, contaminatissimo ore, & spiritu sumere cœlestes dapes non dubitauit: sed dùm leuissimam Hostiam illapsam in stomachum putat, sensit ponderosam, velut plumbum per fauces, pectusque delapsam, quod intolerabili onere cor opprimens enecabat; quem dolorem mox etiam ardens febris excepit, & tormenta crescebant in corpore, dùm animus resipisceret. Resipuit tandem, & excitatus ad spem; peccata sua accurata confessione detexit; quibus animo liberato ponderibus, suo quoque pondere leuatum est corpus.

12. *Gonzaga in Prouincia Terra laboris, de Conuentu S. Francisci Caietæ*. Caietanus quidam fænerator, cùm nulla penitùs facta bonorum restitutione diem clausisset extremum, atque in huius Ecclesiæ sacello B. Antonio dicato, humari voluisset, circa medium subsequentis noctis, horribiles duo homines ad Fratris sacristę ostium pulsantes sibi imperarunt, vt sumptis calice, & stola, se statim sequeretur, quo tandem sequente, omnes simùl miseri illius hominis sepulchrum accedunt, atque extempore cadauer exanime exhumantes, eius occiput illorum alter pugno percutit, sacramque Eucharistiam in calicem ad fœtidum os per sacristam admotum, exilire compulit; ac statim ambo simul Tartarei illi homines miserabile corpus patefacta sibi extempore in pariete fenestra, quæ adhùc conspicitur, ad tartara perpetuis ignibus puniendum, per aera detulerunt.

13. *Bzouius in Annal. Eccle. ann.* 1481. *num.* 20. Apud Adriam Picentium, mulier quædam erat nobilis, Cassandra nomine, Capyrti militum Præfecti vxor, sed cui fides, & pudicicia coniugalis parùm cordi erat. Hæc vt stuprandi assuetudinem in specie integritatis velaret, sæpè sæpiùs Sacram Eucharistiam, sed ore polluto, sumebat; mox tamen non deglutiebat, sed in Sudariolum expuebat. Moritura, sacrilegium Confessori non indicauit, neque quicquam de eo pœnituit, sicque pro vltimo viatico Eucharistia recepta, expirauit. Animam agente, dæmones feralium volucrum specie, domum insedere, & vlulatibus, crocitationeque quinam fuissent, quidue expectarent, indicauere; ac præterea catenarum strepitu, fragorem inauditum excitauere; donec effusam rapuissent execrandam animam. Cadauer ad Sanctæ Mariæ Maioris sepulchrum illatum, & lapide sepulchrali benè conclusum, Ædituus summo mane supra sepulturam cingulotenùs extare adinuenit; & mox in foueam deiectum, saxo operuit. Altero diluculò idem quod priùs spectaculum aspexit, cùmque ferre ampliùs non posset, calce illud percutiens, in sepulchrum detrudere voluit, cùm ad ictum, quo scapulas sacrilegæ percusserat, sacrata, quam illa viuens præsumpserat, Hostia, ex ore mortuæ excidit, quam quidem sacerdos ingenti cùm reuerentia excepit. Cadauer autem, quod sacratior locus retinere non sustinebat, è Templo eiecit, & sterquilinio extra oppidum infodi imperauit.

14. *Spondanus in Annal. Ecclesi. an.* 1348. *num.* 13. Die quodam iuxta Friburgum, die serenissimo, choreas ducentibus quibusdam petulanter, cùm preterire sacerdotem cõtigisset, Sacramentum defe-

deferentem cum facibus, & candelis & solito sono tintinnabuli, admoniti fuerunt, vt desisterent saltare; sed fœmina vna ex saltatricibus obstitit, dicendo, patrem suum habere multas tales campanulas in collis pecorum suorum. Pergentibus igitur illis tripudiare, momentò scissa nube, tanta decidit aquæ abundantia, vt perdiderit homines, domos, & bona quæque illius vallis; nec ampliùs visi sunt, nisi mortui aliquot infantes in cunis, quæ arboribus inhæserant.

15. *Idem an.* 1277. *num.* 18. Hoc, vel subsequenti anno, contigit Traiecti, vt cùm choreas ducentibus in ponte Mosellæ frequentibus iuuenibus, puellis, viris, & fœminis, venerabile Christi Sacramentum ad quemdam ægrotum deferretur, nec illi de ritu Christiano prostrarentur, vanitati suæ intenti, momento decidente ponte, ducenti propè mortales submersi sint.

16. *Idem an.* 1386. *num.* 13. Cùm tres milites Bauari, Templum ad ripam Danubii intrantes, sacrario vi effracto, sacra, hostiamque (thecam auream rati) sacrilegis manibus suffurati, terra condidissent, atque holosericam crumenulam, qua theca seruari solita, septem assibus scorto vendidissent; sacrilegii pœnas mox eodem die pependerunt; vno furiis acto miserè in castris quiritando extincto; altero, dùm adaquatum equitaret, aquis obruto, tertio ferro cæso.

17. *Fridericus Fornerus Anno* 1563. Cùm Erphordiæ Theodericus Baumeier, venerabile Sacramentum festo corporis Christi in processione portaret, ac Lutheranus nobilis, blasphemo ore diceret; Ecce quem cuculum hic senex portat; statim dat pęnas blasphemiæ, procidens enim in terram, fit epilepticus, portatur in ambitu in Sacellum, accersitur Medicus, qui continuò asserit esse casum desperatum. Post paucos dies in magna impatientia moritur.

18. *Tilmanus Brendeb. lib. 7. Coll. Sacr. cap.* 61. Anno Christi 1561. die Paschatis secundo, Nouiomagi ante meridiem, dùm in Templo res Sacra fieret, iuuenes duo tabernam adierunt, ad oua Paschalia se se inuitaturi lautiusculè. Dùm sermonem, & vinum miscent, transit Parochus Ciuitatis Antonius Vorstius, Eucharistiam ad mulierem ægrotam delaturus. Hic iuuenum procacior, Traiectensis patria (Nouiomagensis erat alter) Heùs socie nè inquit certemus, vter celeriùs ouum suum glutiat; tardioris multa sic ceruisiæ poculum exhaurire. Interim tintinnabulum audit transeuntis cùm sacerdote æditimi; & mox temerario ioco: Ego, inquit ouum istud citiùs glutiero, quàm ægrota mulier suum Deastrum. Dixit, & ore patulo excepit ouum. Tàm celeres Deus habet aures, quàm manus; & ecce specimen. Ouum faucibus inhærens, vi nulla potest traiicere. Luctatur ergo velut præfocandus, oculos torquet, circumspicit, cerniteque pendentem è seuo candelam; hanc arripiens in fauces immergit, vt ouum protrudat, sed frustrà; Seuum hæsit in gutture, extracto lychno pænè nudato. Ita expers vitæ procumbit humi, atroque vultu supinus, & mutus aliquamdiù iacet, & elidit spiritum, illo ipso, quem dixi, Parocho adstante; nam ex ægrotæ mulieris domo digressus, tabernam transiit, & lugubres voces audiens, quæsiuit, quid mali esset? Re cognita, iuuenem etiamnùm palpitantem reperit, & paulò post expirantem vidit.

19. *Guilielmus Parisiensis*. Cùm quidam, Eucharistiam sacratissimam in sinu suo irreuerenter, & execrabiliter abscondisset, postea volens eam extrahere de sinu, pro illa tantùm inuenit horrificum serpentem.

20. *Bzouius Anno* 1389. *num.* 7. Cantebrigiæ in festo Conuersionis S. Pauli occurrebat & festum Dedicationis Sanctæ Mariæ ibidem, ad quod festum ampliùs honorandum, in processione per parochiam deferebatur Corpus Dominicum super humeros duorum Sacerdotum in feretro non ponderoso, sed tàm leui, vt à septenni puero sine vexatione portari tota machina potuisset. Procedebant igitur, & præcedebant dicti Presbyteri supportantes Corpus Domini per dictam villam, donec venirent ante locum Fratrum Augustinensium, qui situati sunt ante Mercatum villæ, vbi repentè feretrum, quod æqualiter vtriusque humeris acclinę fuerat, se subrigens, nitebatur quasi quadam virtute imperceptibili ab eorum humeris resilire, efficiebaturque adeò ponderosum, vt sacerdotes neque possent suffere tantum pondus, neque feretri fines ad humeros iterùm detrahere, & applicare. Torquentur proindè, & sudant, & anhelant præ labore nimio, laicorum auxilium flagitantes. Accurrunt laici, manus supponunt, sed (quod mirabile fuit) nihil ponderis persenserunt. Cùmque pertransissent omnem loci situm dictorum Fratrum, iterùm repentè super illorum humeros ęqualiter requieuit; sed tunc quidam ineptus, & verè miser, incomposito motu corporis cæpit saltare siue tripudiare coram Eucharistia, quem incontinenti apprehendit valdè terribilis vindicta; nam inter iocandum repentè corruit, & post pusillùm spiritum exhalauit.

21. *Nicolaus Serarius lib.* 1. *de processionibus ca.* 7. Mos est in Fuldensibus pagis, vt sub Ferias Pentecostes, festo cultu, solemnique cæremonia præter prata, & agros deferatur Eucharistia, confusa multitudine in Cęlestium laudes carmina dicente; sacrum olim ferculum iuuentus composito agmine prosequebatur equis inuecta. Iam, quoniam plerùmque fit, siue vitio humani ingenii, siue temporis, vt præclara orsa degenerent, quod natum erat à studio pietatis, in ludicrum vertit, ita dùm cursus alii, alii recursus ineuntur ab equitibus, & cientur simulachra pugnæ, non deductio videbatur sacræ pompæ, sed species decursionis. Enimuerò indignum hoc erat nostris præsentibus, & iure coercendum. Igitur vnus ex ijs circa an. 1587. opportunè docet, ac benignè, abstinendum tali tempore ab effuso illo cursu, lasciuoque certamine; vtendum potiùs prisca grauitate, & modestia, nihil opus esse lusibus, cùm feria aguntur. Pulchrè admonere visus, paruerunt omnes, extra vnum, cuius peruicacia exemplo aliis fuit. Dùm enim calcaribus equum concitat, & in planiciem dirigit, non adeò multùm prouectus, cunctis spectantibus,

cur-

corruit, equo in tibiam grauiter incumbente, quæ confracta cùm eſſet, qui hoc viderunt, non eum magis miſerari, quàm increpare, & debitam eſſe pęnam dicere pertinaciæ ſuæ.

22. *Naucle rus in Chronic.* Cùm pro quodam defuncto ante annos centum, & octoginta, die anniuerſario conſtituto in Eccleſia S. Petri Romæ celebraret Gregorius, & cantaretur introitus, *Requiem æternam dona eis Domine*, audiuit vocem de Cœlo; Non faciam; Sed Vir Deo deuotus, putans illuſionem eſſe, iuſſit reincipere, *Requiem*; tunc rursùs audiuit vocem de Cęlo: Non faciam, quia anima illius damnata eſt. Proſequitur Gregorius officium, orans cauſam damnationis reuelari ſibi: Cui reuelatur; ideò damnatum, quòd propter inimicitias, quas remittere noluit, corpus Chriſti ſemel in anno omiſerit recipere, & de hoc confeſſus non fuiſſet.

23. *Auguſtinus Mannus in ſelectis hiſtorijs cap.* 104. Quidam Turca captiuus detinebatur in oppido Tagliacozzi, quod ditioni Principum Columnenſium ſubditum eſt. Hic cùm liberè per oppidũ conuerſaretur, tempore quadrageſimæ in hebdomada, quam maiorem, & ſanctam appellamus, in Eccleſiam quamdam ingreſſus eſt. Cùm autem in quodam Sacello multa luminaria accenſa videret, ſacellumque vndique ornatum, petiit à Chriſtiano viro, quæ ſolemnitas eſſet in loco illo, & quid ibi ageretur? Reſpondit ille, Vides illam capſulam ſupereminentem? in illa Chriſtianorum Deus abſconditus eſt, qui pro hominibus hac die (erat autem feria ſexta) in Cruce mortuus eſt, & ſepultus; recolunt autem Chriſtiani in hac die hoc Myſteriũ. Turca autem admirabatur, quomodò poſſet Chriſtianorum Deus ibi manere abſconditus, & tacuit. Cùm autem hora prandii fortè fortuna omnes tàm viri, quàm mulieres domum reuerſi fuiſſent, & cùm nullus in ſacello remanſiſset, ille hoc animaduertens, decreuit accedere ad capſulam, & videre ſi ibi Chriſtianorum Deus abſconditus eſset. Acceſſit, & dùm temerè capſulam aperit, ecce conſurgens ignis magno impetu à capſula erumpens, Turcam in aerem ſuſtulit, & in Eccleſiæ pauimentum longiùs proiecit; ille autem ab inſolito, & improuiſo fulgore raptus, timens ne fortè propter eius curioſam indagationem moreretur, cæpit altiùs exclamare. Viri Chriſtiani ſuccurrite, ferte opem. Audito clamore, venerunt plurimi, qui eum penè mortuum inuenerunt, quibus ille expoſuit facinus ſuum, & micantis ignis eruptionem in pęnam ſuæ temeritatis, quo prodigio ſe ſe optimè cognouiſse, Chriſtum Chriſtianorum eſse verum Deum, mundique ſaluatorem; dicebatque enixè, & millies replicabat, ſe velle eſse Chriſtianum, ſicut poſtea Dei gratia ſubſequente adimpletum eſt.

24. *Faber.* Ann. Domini 1314. quidam ſceleſtus Pixidem è Templo S. Martini rapuit; quo facto, Forche mium veniens, à canibus infeſtatur, & mordetur, donec reum ſe prodidit; vndè Bambergam reductus, per Ciuitatem raptatus, poſt ad ſcalam in foro ligatus, tertio die pœnitens expirauit.

25. *Gregor. Turonenſ. lib. 1. de gloria Martyrum cap.* 86. Recolo, quod in adoleſcentia mea geſtum audiui; Dies paſſionis erat Polycarpi Martyris magni, & in Ricomagenſi vico Ciuitatis Aruernæ eius ſolemnia celebrabantur. Lecta igitur paſſione, cùm reliquis lectionibus, quas Canon ſacerdotalis inuexit, tempus ad Sacrificium offerendũ aduenit; acceptaque turre Diaconus, in qua Miniſterium Dominici corporis habebatur; ferre cępit ad oſtium, ingreſsuſque Templum, vt eam altari ſuperponeret, elapſa de manu eius, ferebatur in aera, & ſic ad ipſam aram accedens, nunquam eam manus Diaconi potuit adſequi; quod non alia credimus actum de cauſa, niſi quia pollutus erat in conſcientia, ſæpiùs enim ab eodem adulteria ferebantur admiſſa. Vni tantùm Presbytero, & tribus mulieribus, ex quibus vna mater mea erat, hæc videre licitum fuit, cęteri non viderunt. Aderam fateor & ego tunc temporis huic feſtiuitati, ſed hæc videre non merui.

Circa Sacram Euchariſtiam Admiranda Varia. §. 8.

QVæ ſub prænotatis titulis haùd enumerari potuere circa venerabile Sacramentum Admiranda, ſub præſenti diſcriminatim adnotabuntur, hiſque coronis imponetur Admirandis circa ſacroſanctam Euchariſtiam. Sunt autem.

1. *Odoricus Raynaldus ann.* 1250. *numer.* 47. Cùm duo fures Erfurti in Germania noctu in S. Martini Templo ingreſſi, hierothecam, in qua Hoſtiæ nouem conſecratæ erant, furati fuiſſent, argentum retinentes, ſacroſancta Dominici corporis fruſtula cùm ſacro, quo inuoluta erant linteolo in olidam quandam lacunam proiecerunt. Poſtautem quinque menſes, vnus ex his *pœnitentia ductus*, ſacrilegium manifeſtauit, cùmque ad lacunam cùm ſacerdotibus iuiſset, ſacroſancta pignora in linteolo integro & ſicco ibidẽ reperta ſunt; & quod mirum fuit, cùm pro anni tempore (erat enim tunc Iannuarius Menſis) omnes aquæ congelaſſent, illa tamen haùd quaque lacunæ pars, in qua Domini corpus, congelata erat. Quo viſo miraculo, Archiepiſcopus ſolemni pompa ſacras Hoſtias indè in Templum B. Virginis tranſtulit.

2. *Spondanus in Annal. Eccle. an.* 1347. *num* 14. Poloniæ in Cracouia, cùm in octaua ſolemnitatis corporis Chriſti ſcelerati quidam homines ferculum, quo exponi ſolet ad adorationem populi, exiſtimantes aureum eſſe, furto vnà cùm ipſa Euchariſtia abſtuliſſent; & æreum comperientes, in cænoſam paludem impiè abieciſsent; mox locus crebris ignibus, & luminaribus per dies, noctesq. colluſtrari cępit. Quod cùm ad Epiſ. perlatum eſſet, neque tamen cauſa pateret; poſt indictum triduanum Ieiunium, Epiſcopus eò cùm ſolemni pompa Cleri profectus, repertam ſacratiſſimam Euchariſtiam, ingenti cùm veneratione, eò vndè ſublata fuerat retulit; & loco vbi reperta eſt, Rex Caſimirus auguſtum Templum titulo Corporis Chriſti, ædificauit.

3. *Baronius in annal. Eccl. anno* 878. *de S. Ignatio Epiſcopo Conſtantinopolitano*. Cùm Dei amore,

re, & spiritus feruore Sacram oblationem in Altari offerebat, vt in ipsomet altari sacro, aperta spiritus Sancti assistentiæ argumenta cernerentur, videbatur Diuinus, & sacer ille panis totus alteratus, totus instar cœlestis carbonis factus, gratia cęlestis ignes micans. Visa est etiam aliquandò Sancta Crux, quæ super Altare sacrum sita est, concitata, & eleuata, & dùm sacer panis exaltaretur, frequenter paulatim moueri eadem Crux videbatur, sancti videlicet Spiritus obumbrationem hoc pacto significans. Die verò Paschatis præcipuè ita vehementer Crux ipsa commota est, vt omnes sacerdotes, & Pontifices, præsertim aliarum Patriarchalium sedium, ob miraculum hoc perterriti, magna voce clarificauerint Deum multo tempore.

4. *Raynaldus ann.* 1218. Quidam arte pugil in Frisiæ Prouincia extitit, qui quotiès de taberna ebrius rediit, toties vxorem verberibus, & plagis satis tribulabat. Tempore quodam timore mariti infirmitatem simulans, ne simulatio eadem posset notari, corpus Domini sibi dari postulauit; venienti sacerdoti pugil cùm scypho ceruisiæ ebrius occurrens, bibere monuit, & cùm ille responderet: corpus Domini porto, non modò bibam; iratus Friso, cùm Scypho Pixidem percussit, & omnes Hostias de illa excussit, ita vt per pauimentum dispergerentur. Matronæ verò, quæ consolationis gratia conuenerant, super singulas Hostias, tanquam Stellas radiantes viderunt, quas Sacerdos gemens, ac dolens in Pixidem recollegit & abiit.

5. *In actis S. Theodoti Episcopi Attrebatensis.* De isto legitur, quòd cùm Missam celebraret, Hostia cęlitùs eleuata, ei tanquam familiari amico in manus prosilierit.

6. *In vita S. Philippi Nerij lib. 2. cap. 1.* Cùm B. Philippus Nerius Sacrosanctam Eucharistiam distribueret, visa est maximo videntium stupore, particula in aere suspensa, ab eius digitis separata; Alia vice ipsemet Sanctus Pater cùm sacramentum distribueret, visus est à terra eleuatus, soli innixus aeri.

7. *Horatius Tursellinus in vita S. Francisci Xauerij lib. 6. cap. 5.* Cosmus Saraina Medicus nobilis, aliique complures viri honesti, & graues, liquidò affirmarunt; Xauerium in Goano Templo positis genibus Sacratissimum Christi corpus præbentem populo, sæpè ab se esse conspectum, cùm ampliùs cubito sustineretur diuina vi sublimis à terra.

8. *Ioannes à Iesu Maria in vita S. Teresiæ.* Profectò post annos ferè quinque, quibus in Abulensi Monasterio demorata est S. Teresia post Eucharistiam sumptam, computatis diebus, maiori ex parte extasim pati consueuit; nec à fenestella, per quam cęlestis Panis porrigebatur, se frequenter mouere poterat, donec indè ab aliis auerteretur; & quod omnes vehementiùs commouit, die quodam, qui Sãctissimo P. nostro Iosepho sacer erat, cùm post sacramenti sumptionem in Choro esset, à terra palmos duos, aut tres extolli visa est. Toleti verò cùm Eucharistia recepta staret immobilis, Monialis quædam, quid ageret ignara, illam conatu quàm poterat maximo, vt sederet, loco mouere, manusque marmoris instar stupentes contrectare nixa est; sed in cassum luctata est, donec B. Virgo Teresia à raptu euigilauit.

9. *In vita Venerab. Vrsulæ Beninca[s]æ.* Post sumptionem sacrosancti ferculi, vsu sensuum ita priuabatur, in extasimque eleuabatur, vt immobilis permaneret, nullaque vi, aut moueri, aut aliquod ex eius membris flecti posset; quinimmò, si tunc temporis aliquid manibus teneret, vlla industria, aut arte diuelli nequibat.

10. *Guilhelm. Paris. de quodam Conuerso.* Quotiescumque sacratissimam sumebat Eucharistiam, tanto gaudio perfundebatur, vt spatio duorum pedum à terra eleuaretur, & ibi media hora, vel circiter consisteret, non alio fulcimento, quàm gaudio memorato.

11. *Zacharius Bouerius in Annal. Capuc.* 1575. *de F. Ruffino à S. Vrso.* Hic tanta diuina Mysteria veneratione prosequebatur; vt ad ea nunquam nisi post integram orationis horam accederet, in qua rerum altissimarum, quæ in iis latent, contemplatione, mirum in modum accendebatur; quo sanè fiebat, vt nunquam absque magna lachrymarum copia ijs celebrandis incumberet: plerùmque etiã, cùm sacrum Domini corpus populo spectandum attolleret, vultum solis instar emicantem præseferret. Porrò sacris Mysteriis peractis, tanto illius mens amoris impetu in Deum ferebatur, vt humana excedens, per aliquot horarum spatia solo spiritu in diuinarum rerum contemplatione versaretur.

12. *Philippus Seguinus de B. Hymone Monacho.* Ad Sacerdotis gradum, licet tremebundus, prouectus, in ipsa ordinatione tanta eius mentem spiritus abundantia repleuit, vt ei frequenter ciborum corporalium obliuionem immitteret, illudque quod carnem delectat in aliis (ipso teste) ei nihil dulce saperet. Edebat tamen vt homo, sed ad subsidium vitæ, non ad desiderium gulæ.

13. *In vita B. Idæ Louaniensis, cap.* 23. Dùm quadam die Ven. Ida templum ingressa esset, ante Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum deuotè prostrata, ipsum deuotissimè salutauit: Aue, inquiens, benigne, dulcis, & pie Iesu, qui pro nostra redemptione Crucis patibulum expetisti, nosque à perpetuæ mortis nexibus tuo pretioso sanguine redemisti. Quo dicto, priusquàm à terra genua subleuasset, ictus quidam validus ipsam, cui salutaris ille Redemptionis nostræ thesaurus immissus fuerat, Pixidem, ab interiori sui parte vehementiùs impulit, sonitumque faciens validum, & excussum, hunc ipsum vice resalutationis ad aures suæ virginis ipse sponsus diuinus, ex eodem habitationis suæ vasculo delegauit.

14. *In vita B. Coletæ Virg. cap.* 52. Si quid arduũ & insigne Dominus per eam conficere vellet, & ipsa præ multa animi humilitate non auderet assentiri, timẽs nè preclarè propterea de ea homines sentirent, in ea aliquid latere virtutis, & gratiæ, Dominus per hoc præstantissimum sacramentum compellebat eam facere, vel inuitam. Neque enim priùs deglutire potuit sacram Hostiam, quàm

diuinæ

diuinæ inspirationi parere t. Ea res nonnumquam eò adegit illam, vt cùm assentiri formidaret, nec sacram Hostiam deglutire posset, consilii capiendi causa suum adiret confessarium. Illo verò consulente vt Domino suam permitteret voluntatem, & illa id faciente, confestim Hostia se deglutiendam permisit.

15. *Lucas Pinellus*. Exemplum commemorabo quod ipse oculis meis conspexi. Romæ anno 1563. In Xenodochio S. Ioannis Lateranensis, adolescens quidam Turca annorum viginti, qui Ancona, vbi aliquandiù cùm Patre Mercatore Turca vixerat, hùc perfugerat; & cùm aliud perfugium non haberet, Nobili cuidam seruire cæpit, quo cùm adibat Templa, intereratque sacro: & quia Italicam linguam callebat, ab omnibus reputabatur Christianus. Post aliquot menses ægrotare cæpit, & mittitur à Domino ad Hospitale. Recipitur cùm conditione, vt secundùm Hospitalis leges paret se ad confessionem, & communionem. Adolescens ne reiiceretur, conditionem acceptat, non patefaciens se esse Religione Mahometanum. Res mira! simul ac corpus Domini sumpsit, maxima contentione animi postulauit Baptismum, palàm affirmando se esse Turcam. Præfecti Xenodochii existimantes eum alienatum à mente, vocarunt me (eram tunc comes Patris cuiusdam, qui festis diebus in Xenodochio concionabatur) vt redderem eum quietum; Adolescens repetiuit, quod dixerat, meque obsecrauit, vt porrigerem sibi Baptismum; se enim tantum ardorem interiùs sentire, vt diutiùs quiescere non posset. Sacellanus re diligenter examinata, videns eum circumcisum, sacro Baptismo lustrauit, & mox tranquillior factus est, ac postero die spiritum Deo reddidit.

16. *Raynaldus in Annal. Eccl. anno.* 1527. Dùm ad Americanos conuertendos illùc profecti sunt Apostolici viri, collocauerunt pluribus in locis Sanctissimum Eucharistiæ sacramentum, cuius præsentia dęmones fugati sunt.

17. *Vadingus in Chron. Minor. anno.* 1529. Postquam Mexici primùm, deindè in aliis vrbibus Templa construxerunt Missionarii S. Francisci, & sanctissimam Eucharistiam reuerenter exposuerunt; cæperunt Idola omnia obmutescere, nulla deinceps dando oracula.

18. *Ioannes Moschus in Prato Spirit. cap.* 29. Quasi triginta millibus ab Ægina ciuitate Ciliciæ, Stylitæ duo erant separati ab inuicem sex millibus passuum. Ex his alter Sanctæ Catholicæ, & Apostolicæ Ecclesiæ communicabat; alter autem, qui etiam plùs temporis in columna egerat, Seuerianę impietatis erat, variisque modis hæreticus, Catholicum criminabatur. Ille verò diuinitùs inspiratus petiit ab eo vt partem sibi mitteret communionis suæ; qui gaudio elatus, quòd quasi illum seduxisset, protinùs misit nihil hæsitans. Suscipiens itaque Catholicus missam sibi ab hæretico Seueriani sectatore particulam, in feruentem ollam iniecit, moxque resoluta est. Sumptam quoque Catholicæ Ecclesiæ sanctam Communionem in eam coniecit, statimque feruens olla refrigerata est, & sancta communio permansit integra, neque madefacta est; quam & diligenter seruauit, & ostendit nobis, cùm ad illum venissemus.

19. *Cæsarius lib.* 9. *cap.* 65. Circa hoc biennium iuxta Coloniam in Villa, quæ Belle vocatur, gestum est quod dico. Die quadam cùm sacerdos missam celebraret, & dicto Euangelio, vt secularibus mox est, ministrante scholare, hostiam patenę superpositam super corporale locasset, illa mox resiliuit. Putans hoc sacerdos casu accidisse; neque hostiam benè locatam, denuò eamdem superposuit, quæ remotiùs eo intuente resiliuit, quàm priùs: cùmque tertiò id tentasset, quasi turbine impulsa proiecta est de Altari. Quo viso territus est valdè, & se tanto Ministerio indignum reputans, pręcepit scholari, vt eadem Hostia reseruata, aliam superponeret, quam & consecrauit. Dicta verò Missa tollens secùm hostiam prædictam, Coloniam properauit; inueniensque Priores apud sanctos Apostolos, Hostiam eis ostendit, quid de ea actum sit recitauit. Cunctis causam mirantibus, vnus Clericorum hostiam contra lucem leuans, maculam in ea contemplatus est; quam cùm in aspectu multorum fregisset, cimex, qui vulgò pediculus parietarius dicitur, apparuit in ea decoctus; & glorificauerunt Dominum omnes qui aderant. Haùd dubium, quin à sanctis Angelis reiecta est, qui non sunt passi, vt panis tam fætido vermiculo corruptus, per Ministerium Sacerdotis, transiret in corpus Domini.

20. *Idem lib.* 9. *cap.* 51. Quidam Miles in Francia quandòcumque corpus Domini eleuari, vel differri vidit, prostratus illud adorauit. Cùmque quadam die in platea equitaret lutosa, & pretiosis esset vestibus indutus, obuium habuit corpus Domini; Qui de equo prosiliens, in luto flexis genibus corpus Domini adorauit, factumque est, vt eo surgente, nec minima gutta aquæ, nec quicquam luti vestibus eius adhæreret.

21. *Rhò in Hist. Virtut. lib.* 3. *cap.* 1. *num.* 6. *de Syluestro Landino.* Cùm lutuosa in via obuiam diuino ferculo factus esset, profundo nihilominùs in cœno genua posuit; verùm vbi perfunctus adorationis officio surrexit, vt coram Deo eam fuisse religionem sciret, vestes nulla luti contagione fędatas circumspexit; adeò intaminata est pietas, vt vel in medio luto non polluatur.

22. *Molanus in Martyrol.* 15. *Augusti de S. Tharsitio.* Romæ Via Appia, sancti Tarsitii acolyti, & Martyris. Qui cùm quodam die deferret Christi corporis sacramenta, nec vellet ea discutientibus prodere paganis, indignum iudicans porcis prodere margaritas, tamdiù est fustibus, ac lapidibus maceratus ab eis, quousque exhalaret spiritum. Et reuoluto eius corpore, sacrilegi discussores nihil inuenire potuerunt Sacramentum Christi.

23. *S. Cyprianus, de lapsis, apud Baronium an.* 254. Præsente ac teste me ipso, accipite quid euenerit. Parentes fortè fugientes, dùm trepidi minùs sibi consulunt, sub nutricis alimento paruulam filiam reliquerunt: relictam nutrix detulit ad Magistratus; Illi ei apud Idolum, quò populus confluebat, quò carnem necdùm posset edere per ętatem, panem mero mixtum, quod tamen & ipsum

sum de immolatione pereuntium supererat, tradiderunt. Recepit filiam postmodùm mater. Sed facinus puella commissum tàm loqui, & indicare non potuit, quàm nec intelligere priùs potuit, nec arcere. Ignoratione igitur obreptum est, vt sacrificantibus nobis eam secùm mater inferret. Sed enim puella mixta cùm Sanctis, precis nostræ, & orationis impatiens, nunc ploratu concuti, nunc mentis æstu cæpit fluctuabunda iactari, & velut tortore cogente, quibus poterat indiciis conscientiam facti in simplicibus adhùc annis rudis anima fatebatur. Vbi verò solemnibus adimpletis, Calicem Diaconus offerre præsentibus cæpit, & accipientibus cæteris, locus eius aduenit, faciem suam paruula instinctu diuinæ maiestatis auertere, os labiis obturantibus premere, calicem recusare. Perstitit tamen Diaconus, & reluctanti licet, de Sacramento calicis infudit. Tunc sequitur singultus, & vomitus; in corpore, atque ore violato Eucharistia permanere non potuit; sanctificatus in Domini sanguine potus, de pollutis visceribus erupit; tant est potestas Domini, tanta maiestas: secreta tenebrarum sub eius luce detecta sunt. Sacerdotem Dei, nec occulta crimina fefellerunt. Hoc circa infantem, quæ ad loquendum alienum circa se crimen; necdùm habuit ætatem.

24. *Tilmanus Bredebachius libr. 7. collat. sacrarum capit.* 47. Vir quidam Caluinianæ factionis habuit vxorem Catholicam, quam multis verbis inducere satagebat, vt accederet ad concionem Caluinistam. Illa cùm diù reluctaretur, tandem asperioribus verbis, & minis perculsa, Confessario suo rem aperuit, qui consentit, vt facta priùs exomologesi, & percepta Sanctissima Eucharistia, viro pareret, & vna saltem vice concionem adiret. Obsecuta est illa consilio confessarii, & Sacramentorum participatione munita, ad concionem se se contulit. Mirabile dictu! mox vt mulier concionem ingressa est, obmutuit concionator, nec verbum quidem effari porrò potuit. Itaque subsistens, ait, oportet interesse hic hominem aliquem, qui comedit panem à Papistis benedictum. Equidem hac vice vlteriùs concionando non progrediar, aliàs officio meo pleniùs satisfacturus. Maritus concioni eidem intererat, & videns Concionatorem ob præsentiam hominis, qui percepisset Eucharistiam diuinitùs obmutescere, domum reuersus, quæsiuit ex vxore, nùm eo mane sumpsisset Eucharistiam, quo concione adfuisset? Illa factum non dissimulante, mox agnouit fallaciam & imposturas istius doctrinæ, quippè quæ adhibita ad lucem Sacramentorum Ecclesiæ Catholicæ, sic flauesceret, & se ipsam vanitatis redargueret. Nec mora mandauit luculentum excitari ignem. Vxor ignara quid vellet Maritus, metuebat ne quid atrociùs in ipsa moliretur. Igne porrò iàm accenso, ille protinùs vniuersos suos istius nocentissimæ farinæ libros collegit, in ignem coniecit, & combussit, & ad Catholicæ Ecclesiæ gremium reuersus est.

25. *Thomas à Kempis in vita Henrici Brune*. Eo tempore, quo monasterium Montis Sanctæ Agnetis, illùc moraturus intraui, quidam deuotus Clericus mecùm diù in eodem loco habitans pro quadam causa ad vicinum monasterium perrexit. Cùmque in itinere esset, iunxit se illi quidam sæcularis, cùm eo socialiter vadens, & familiariter colloquens. Factum est autem dùm pariter ambularent, & de Deo conferrent, ait ille sæcularis clerico secùm comitanti: Dicam tibi amice dilecte quid mihi in vita mea breuiter accidit. Longo fui tempore quòd intrans Ecclesiam nunquam potui Sacramentum Altaris in manibus sacerdotis videre; existimans autem, quia nimis remotè tùm starem, & præ caligine oculorum non possem benè videre, accessi propiùs quantùm ausus fui, & licuit, sed nihil penitùs profuit mihi, nihilque inter manus sacerdotis conspexi. At istud etiam vltrà annum mihi euenit, & qua de causa non satis perpendi. Tandem in me reuersus, & multùm perplexus, ad Sacerdotem me contuli, & cuncta ei in confessioue denudaui. Ille benignè me audiens, & cautè secreta perquirens, inuenit me stare in odio cuiusdam proximi mei, cui pro nulla re volui offensam, qua me offenderat, dimittere. Animaduertens bonus, & discretus confessor culpam malitiæ meæ, increpando, & admonendo per docuit me, asserens, periculosè valdè fore in tali duritia stare, nec posse aliquandò veniam promereri, nisi ex corde dimitterem offensas omnes, atque idcircò mihi istud accidere, quia non essem dignus Diuinum Sacramentum oculis malignis intueri. Auditis his sacris monitis, acquieui consilio Sacerdotis, & toto corde compunctus remisi ex integro iniurias, nolens me ipsum de cætero vindicare, quatenùs possem Deo reconciliari, & gratiam perditam recuperare. Tunc demùm sacerdos me absoluit, & imposita pœnitentia abire permisit. His gestis, statim ad Ecclesiam intraui, & missam audiui, Deo mihi propitio facto, sacrum corpus Christi in manibus sacerdotis oculis meis clarissimè vidi: & gratias agens, Deum in mirabilibus operibus suis benedixi.

26. *Cæsar Cardinalis Baronius, in annal. Ecclesiastici, anno quingentesimo tertiodecimo*. In Vrbe Seleucia, & in Ædibus viri primarii, sed infecti hæresi Seueriana, seruata diù Eucharistia intra domesticum armarium, à verna eius Catholico, in culmos & spicas germinauerat. Quæ res dùm Dionysio Vrbis Seleuciæ Antistiti denunciatur, fit concursus, & clamor exoritur virorum, ac fœminarum, dicentium Kyrie Eleison. Quo circa plurimi Seueriana hæresi anathema dixerunt.

27. *Hieronymus Faber in monumentis Ecclesiæ Rauennæ, de Metropolitana Ecclesia*. Cùm quondam in hanc Sacram Ecclesiam impius miles ingressus, vt pyxidem, in

qua Sacra Hostia conseruabatur, deportaret, Sacram Hostiam in terram proiecisset; hæc in verticem columnæ mirabiliter euolauit.

28. *Bzouius in Annalib. Eccles. ann.* 1213. *num.* 19. Hoc anno in Gallijs quædam mulier Christiana Isaaci Hebræi famula, adeò impietatem à perfidis imbiberat, vt mysteria fidei despiceret, & Christum ne dùm orbi, sed nec sibi quicquam profuisse blasphemaret. Ad Templum festo solemni Paschæ vadens, communicantibus Sacræ Hostiæ se immiscuit, illam blasphemo ore recepit, sudario indidit, Isaaco pro magno munere tulit. Is porrò pyxides duas ex arca, alteram vacuam, alteram septem libras Parisienses continentem extulit, vt in vna earum Hostiam reponeret. Interim aliquis ostium domus eius pulsauit; & is præ metu adproperans, atque existimans in vacuam se ponere, in alteram inter pecunias sacrum pignus deposuit, obsignauit, & in arcam demisit. Aliquantò post vt videret reuersus, dùm primò in pyxidem pecuniariam oculos coniecisset, reperit omnes nummos in totidem Hostias sacratas commutatos. Re in vulgus publicata, ipse primus legem veterem abiurauit, & multis, vt idem facerent, author fuit.

29. *In Vita Petri Cluniacensis libr. primo*. In Teutonicis partibus, Presbyter quidam, licet impuris peccatis fœdata conscientia, quotidiè sacra missarum solemnia celebrabat: contigit autem quadam die, dùm vsque ad perceptionem sacri Corporis Christi totam de more missam explicasset, iamque se ad Sacramenta sumenda pararet, repentè Caro Christi cùm sanguine, tàm immundum vltrà non ferens habitaculum, ab ipsius manibus euanuit, quod cùm semel, & iterùm, dùm de nouo celebrasset, euenisset, rem admiratus, pœnitentia, & lachrymis propria peccata flere cæpit, Episcopoque suo omnia enarrans, ad sacrificandum accedere non est ausus, donec post multum temporis ab eodem Episcopo veniam impetrauit; in qua post pœnitentiam prima celebratione mirum aduenit; dùm enim ad perceptionem Sacramenti peruenisset, trium antedictarum missarum panes, qui indignè sumere volenti sublati fuerant, cœlitùs allati sunt; sanguisque in calicem vsque ad illius summitatem repositus, quo prodigio suam pœnitentiam à Deo susceptam esse animaduertit.

30. *Chrysostomus Henrinquez* 5. *Aprilis, de Beata Iuliana Cornelliensi*. Tempore iuuentutis suæ quoties Virgo Christi Iuliana orationi incumbebat, magnum sibi signum, & mirabile ostendebatur. Apparebat namque ei luna in suo splendore cùm aliquantula tamen sui sphærici corporis fractione. Quam cùm multo tempore aspexisset, mirabatur multùm, ignorans quid illa significaret. Ex eo autem non satis poterat admirari, quòd quotiès orationibus insistebat, dictum signum indesinenter se illius conspectui ingerebat. Cùm verò diù anxia, & nimis solicita mysterium intelligere desideraret, tandem Christus ei apparens; in luna præsentem Ecclesiam, in lunæ autem fractione, defectum vnius solemnitatis in Ecclesia significari dixit, quam adhùc volebat à cunctis fidelibus celebrari. Hanc autem esse suam voluntatem, vt ad augmentum fidei in fine sæculi debilitandæ, nec non ad profectum, & gratiam electorum, institutio Sancti Corporis, & Sanguinis sui quolibet anno semel solemniùs & speciallius recoleretur, quàm in Cœna: quoniam circa lotionem pedum, & memoriam passionis suæ Ecclesia generaliter occupatur. In ipsa autem solemnitate de memoria ipsius Sacramenti suppleri diligentiùs opportere, quod aliis quotidianis diebus in maiori deuotione, seù negligentiùs fuerit prætermissum.

31. *Oddo Abb. Cluniacens. libr. secund. collat. cap.* 28. *de B. Gualburge*. Est Ecclesia Beatæ Gualburgis in hac vicina nobis regione, in qua miracula fiunt. Contigit autem vt eiusdem Sanctæ Gualburgis reliquiæ super *Altare per aliquot dies manerent*; Sed mox *miracula cessauerunt*. Tandem verò ipsa virgo cuidam ex infirmis apparens; idcircò, inquit, non sanamini, quia reliquiæ meæ sunt super altare Domini, vbi maiestas Diuini Mysterij debet solummodò celebrari; quod cùm ille custodibus retulisset, tulerunt capsam, & protinùs miracula fieri cæperunt.

De Sacrificio Missæ, in quo venerabile conficitur Sacramentum, Admiranda quædam. §. 9.

CVm admirabile Sacramentum *in incruento* sacrificio Missæ conficiatur, non abs re erit, hic quædam enumerare Admiranda, quæ circa sacrosanctam missam euenere. Sunt autem.

1. *Chrysostomus Henriquez* 8. *Iulij de Sancto Theobaldo Abb.* Fuit Sanctus Theobaldus filius Baronis de Marly, insignis in sæculo Miles; & licet torneamentis fuerit deditus, beatissimam Virginem summoperè coluit. Cùm aliquandò exiret ad hastiludia cùm sodalibus æquè nobilibus, audiuit signum, quod ante celebrationem sacri fieri solet, relictisque aliis, Templum ingreditur, interfuit sacro magna deuotione, eòque ardentiùs, quò magis beatam Dei Genitricem diligebat, in cuius honorem solemniter celebrabatur. Rediens autem ex Ecclesia, alios omnes sibi occurrentes vidit, & de reportata victoria, præmioque obtento in ludis, & exercitiis militaribus congratulantes; superasti, inquiunt, omnes alios in ludo, vndè redimus, & præmium adeptus es. Visus enim illis fuerat generoso equo insidens, hoc rem ra facere. Quibus ille auditis, rediit in Templum, gratias Deo, eiusque Matri immensas acturus, & ex illa hora sæculi vanitates,

tates, & mundi pompam spreuit, habitumque Religionis Cisterciensis adsumere cogitauit.

2. *Mariana in Histor. Hispaniæ lib. 8. capi. 9.* Circa annum Domini 982. cùm contra Mauros bellum inirent Iberi, accidit quadam die, qua illi deplorabili clade fuerunt affecti, vt Eques Iberus, nomine Fernandus Antolinus, dùm Sacrificio missæ, vt quotidiè ante pugnam faciebat, adesset, interim à certamine ea die citiùs inuito abesset: Sed res mira! dùm Fernandus moraretur in Ecclesia, visus est in Castris, qui illius vices gerens, illius armatura munitus, illiusque Equo insidens, mirabiliter contra hostes pugnaret, & ita illos trucidaret, fugaretque, vt magna ex parte victoria viribus, animoque Fernandi fuerit adscripta; cuius euentus cùm gratularetur exercitus, obstupuit ille, pro certo sciens armis ea die non decertasse, sed dum equum illius, armaturamque quærentes, illum adhùc anhelantem, vulneribusque confossum, illam sanguine conspersam, ictibusque transuerberatam animaduertunt, pro certo credunt, Angelum Fernandi pro illo strenuè decertasse, dùm Sacro in Ecclesia pius Eques assisteret.

3. *Cæsarius libr. 7. mirac. capit. 39.* Eques quidam nobilis, cui nomen VValterus de Birbach quotidie missam audiebat, etiam quo die pugnaturus erat in Torneamento. Quam dùm audiret inchoato torneamento, visus est ipse pugnare, & vincere, cùm tamen ipse missæ interesset eadem hora.

4. *Matthæus Vuest monas. ex antiquis ann. Angliæ.* Anno 871. deuastantibus Danis Angliam occidentalem; quadam die Rex Æthelredus in tentorio missam audiens, cùm sæpè à suis inuitaretur ad certamen, constanter affirmauit, se non recessurum priùsquàm presbyter missam compleuisset. Quæ fides Christiani Regis multùm sibi profuit die illa, victo scilicet aduersario hoste potentissimo.

5. *Antonius Caracciolus in Monumentis Ecclesiæ Neapolitanæ.* Cùm quidam Presbyter extra Neapolitana mœnia in Sancti Euphebii nomine conditam Ecclesiam sedulè visitaret, & illic quotidie sacra missarum solemnia exhiberet: contigit vt Agarenorum impetus improuisè adueniens, quia intrinsecùs non poterat, extrinsecùs vicina quæque vastaret; quod prædictus audiens presbyter, nullus inquit me terror ab obsequio nostri Patris, & Domini poterit cohibere: intentus, inquam, ad missarum solemnia, si dignus sum, solito more perficiam. Verùmtamen illius virtutis efficaciam, hoc volo probare indicio. Si me sedulè obsequentem inter iniquorum hostium gladios, & tela poterit custodire. Et hæc dicens, insertam baculo sportulam, Ecclesiasticis refertam monilibus, collotenùs gestans, intrepidus iter arripuit. Ad Ecclesiam verò veniens, priùsquàm ingrederetur, breuem ad hunc modum carmen composuit.

Præsul amande, tui sim tutus numine Templi.
En tibi deuotus solitas paro reddere laudes.

Et hæc dicens, casula indutus, missarum solemnia, solito constantior inchoauit. Nec dùm prece finita, Agarenorum manus illius sacri Templi ædificia vndique circumdedit. Verùm Omnipotens Deus ob meritum sanctissimi Præsulis Euphebii tanta eos cœcitate percussit, vt per Ecclesiæ aditum introspicerent, & sacra Mysteria celebrantem Presbyterum non viderent. Illis itaque forinsecùs vacantibus, Presbyter missarum solemnia consumauit. Expletis verò missarum solemniis, vocem de Cœlo dicentem sibi audiuit prædictus presbyter. Ne formides, nec paueas; constanter proprium accipe baculum, & quoscumque obuios habueris, intrepidus percute; Ego enim eos, te aliquo modo feriente, prosternam. Quo firmatus oraculo, baculum, vt sibi fuerat iussum arripiens, extra Ecclesiæ ianuam audacter exiuit, & quos ante fores Ecclesiæ reperit, ictu baculi ferientis extinxit; dehinc recto tramite, contra Ciuitatis mænia proficiscens, quoscumque hostium obuios habuit, eiusdem virgæ tactu deleuit; cœteri verò videntes corpora suorum, sine telorum percussionibus strata, terroris nimietate fugati ad Classes redeunt, ac mucronibus raptim retinacula truncantes, nauium velis, remisque prout poterunt marina sulcantes æquora, ad priora remeare moribundi festinant.

6. *Æneas Siluius in descri. Europæ capit. 21.* Fama est, eaque celebris inter Stirienses, Nobilem quempiam fuisse, cui sæpè in animum ceciderit, se ipsum laqueo suspendere. Id ægrè ferentem, ex docto quodam viro remedium petiuisse aduersùs eam tentationem. Consilium datum, proprium Sacerdotem vti conduceret, qui sibi manenti in arce quadam solitaria, singulis diebus rem diuinam faceret. Paruisse Nobilem, atque annum fermè continuasse nulla suspendii cogitatione interueniente. Postremò rogatum à Sacerdote, vt presbytero vicino, qui Templi dedicationem in proximo Monte habiturus esset, auxilio esset, licentiam dedisse, proponentem in animo paulò post sequi, & sacris interesse. Stetisse diù postea, nunc vna, nunc altera causa retentum. Denique circa meridiem profectum, agresti cuidam in Nemore occurrisse, qui rem diuinam in monte peractam esse, & populum omnem abiisse diceret. Contristatum eo nuncio Nobilem, infelicemque se esse dicentem, qui eo die sacratum Christi Corpus non vidisset, agrestem consolari cæpisse. Venditurum, si vellet nobilis emere, præmium, quod inter existendum diuinis meruisset, sagumque Nobilis pertiisse pretii nomine; vendition facta, nobilem nihilominùs montem ascendisse, atq. orasse in Templo; reuersum autem, in proxima arbore suspensum agrestem inuenisse, sed postea diris cogitationibus haùd quaquàm vexatum fuisse.

7. *Leontius in vita Sancti* Ioannis *Eleemoſynarij*. A Perſis quidam abductus captiuus, in cuſtodia, quæ appellatur Lethe, aſſeruabatur vinctus. Lex autem erat apud Perſas, vt qui coniecti erant in eam cuſtodiam, nunquam reuocarentur, & ea ratione conſentaneum eſt, eam fuiſſe vocatam Lethen, ideſt, obliuionem. Illinc autem cùm quidam potuiſſent aufugere, & in Cyprum venire, affirmarunt Parentibus adoleſcentis, eum eſſe mortuum in cuſtodia. Illi verò tres quotannis ſynaxes celebrabant, tanquam eo mortuo. Quatuor anni præterierant, cùm filius, illinc aufugiens, redit domum. Quem cùm Parentes non tanquam qui fugiſſet è cuſtodia, ſed tanquam qui ſurrexiſſet à mortuis, cùm magno ſtupore aſpexiſſent, & fuiſſent ineffabili voluptate repleti, & alia faciebant, & dicebant, quæ anima, quæ talem vidiſſet, faceret, & diceret; & quemadmodùm ei tamquam iàm mortuo fecerant iuſta, quæ fiunt mortuis; & cùm eum docuiſſent, quinam eſſent ii dies, nempè dies Sanctorum Theophaniorum, & dies ſalutaris Paſchæ, & dies Sanctæ Pentecoſtes. Hæc cùm ille audiſſet, & in memoriam reuocaſſet, parentibus affirmabat, quòd iis ipſis diebus relaxabatur à vinculis, aduentu cuiuſdam, qui geſtabat lampadem, & fruebatur omni ſecuritate; diebus autem ſequentibus tenebatur vinculis ſicut priùs.

8. *Beda libr. 4. Hiſt. Gentis Anglorum cap.* 22. In prælio, quo occiſus eſt Rex Elbuini, memorabile quoddam factum eſſe conſtat, quod nequaquam ſilentio prætereundum arbitror, ſed multorum ſaluti, ſi referatur fore proficuum. Occiſus eſt ibi inter alios de militia eius iuuenis, vocabulo Imma, qui cùm die illo, & nocte ſequenti inter cadauera occiſorum ſimilis mortuo iaceret, tandem recepto ſpiritu reuixit, ac reſidens ſua vulnera, prout potuit, ipſe alligauit: Deindè modicùm requietus leuauit ſe, & cæpit abire ſic, vbi amicos, qui ſui curam agerent, poſſet inuenire. Quod dùm faceret, inuentus eſt, & captus à viris hoſtilis exercitus, & ad Dominum ipſorum, Comitem videlicet Edilredi Regis adductus; à quo interrogatus quis eſſet, timuit ſe militem fuiſſe confiteri: ruſticum ſe potiùs, & pauperem atque vxoreo vinculo colligatum fuiſſe reſpondit, & propter victum militibus adferendum in expeditionem ſe cùm ſuis ſimilibus veniſſe teſtatus eſt. At ille ſuſcipiens eum, curam vulneribus egit, & vbi ſanari cæpit, noctu eum, ne aufugeret, vinciri præcepit, nec tamen vinciri potuit. Nam mox, vt abiere qui vincierant, eadem ſunt eius vincula ſoluta. Habebat enim germanum fratrem, cui nomen erat Tunna, Presbyterum, & Abbatem Monaſterii in Ciuitate, quæ hactenùs ab eius nomine Tunnaceſtir cognominatur, qui cùm eum in pugna peremptum audiret, venit quærere, ſi fortè corpus eius inuenire poſſet; inuentumque alium illi per omnia ſimillimum, putauit ipſum eſſe, quem ad Monaſterium ſuum deferens, honorificè ſepeliuit, & pro abſolutione animæ eius ſæpiùs Miſſas facere curauit. Quarum celebratione factum eſt, quod dixi, vt nullus eum poſſet vincire, quia continuò ſolueretur. Idem, aut ſimile prodigium enumerat Diuus Gregorius Magnus l. 4. Dialog. c. 57.

9. *Ludouicus Granatenſis in Catechiſ. libr. ſecundo capit.* 27. §. 10. Rem maximè cognitione dignam, quæ in vita Sanctæ Eliſabeth Reginæ Luſitaniæ ſcribitur, hoc loco ſilentio non inuoluam. Habebat hæc Regina Puerum omnibus virtutibus ornatum, & præſertim fidelitate, per quem eleemoſynas faciebat; alium, quoque perditis moribus habebat, qui de hoc ſtudioſo puero ea ad Regem detulit, vt ipſe Rex eum interficere decreuerit; & iuſſit cuidam calcis Artifici, vt cùm tali die, & hora ad eum miſiſſet quemdam puerum, eum in calcariæ ignis medium proiiceret. Puerum igitur die, & hora dicta illùc miſit. At cùm ſolitus eſſet in Eccleſiam ingredi, cùm campanæ ſonitum audiebat, qua ſignificabatur Hoſtiæ ad populum oſtenſio, & ibi permanere vſque ad finem, tantum ſpatium in nonnullis Eccleſiis conſumpſit, ita Deo diſponente, vt hora data præterierit. Tunc Rex rei exitum cùm ſcire vehementer deſideraret, alium puerum miſit, qui fuerat calumniator, ad calcis artificem, ſciſcitatum, nùm perfeciſſet, quod à Rege ſibi impoſitum fuerat. Ille autem hunc eſſe puerum exiſtimans, de quo Rex locutus erat, in complexu cepit, & in calcariam proiecit. Hoc modo ſummus ille Iudex, innocentis cauſam tutatus eſt, & reum debito ſupplicio affecit, & in eum illud malum conuertit, quod ipſe aliis moliebatur, vt facere ſolet. Hoc caſu Rex veritatem agnouit, & pœna huius tam inopinati exitus, alterius pueri innocentiam, & alterius improbitatem cognouit; hoc non vt miraculum, ſed vt hiſtoriam cognitione dignam narraui.

10. *Petrus Cluniacenſis lib. ſecundo capit.* 2. In Villa quadam Epiſcopatus Gratianopolitani, nomine Ferraria, quidam ruſticus dùm terræ abſcondita, vt ferri materiam effoderet, perſcrutaretur, repentè maxima moles terræ delapſa, aditum, per quem ingreſſus fuerat, obturauit; ibique in ſpecu ſubterranea incolumis permanſit integro anni ſpatio; quo tempore initio cuiuſque hebdomadæ ei quidam apparebat, candelam deferens accenſam, qua per totam hebdomadam ſpecus illuſtrabantur tenebræ, panemque, quo veſceretur. Emenſo autem penè anni ſpatio, à foſſoribus proprio officio fungentibus adinuentus eſt, qui eiſdem omnia vt euenerant narrauit. Intellexeruntque omnes, eiſdem diebus, panem quo reficiebatur, candelam qua illuſtrabatur illo in ſpecu, oblata fuiſſe, quibus eius vxor pro requie mariti, qui defunctus credebatur, & miſſam celebrari faciebat, & Sacerdoti miſſam celebranti panem ſimul, & candelam offerebat. Quam miſſam cùm vna eius anni hebdomada mulier aliis intenta nego-

negotijs marito prouidere neglexisset, ea pariter hebdomada marito in subterraneo specu lumen, nec panis fuere delata.

11. *Arnoldus Rayssius in auct. ad nat. S.S. Belgij 1. Martij de Venerabili VValtero Traiectensi Abbate, ex Chronico M.ss. Villariensi*. Cùm iam decrepitus, & penè vtroque lumine orbatus esset, & à ministro interrogaretur, cur ideò incruentum missæ sacrificium Deo Patri offerre non intermitteret; Ingere, inquiebat, quaqua parte volueris digitum in hunc codicem, & ego, clausis oculis, quid lateat aperiam. Dictum, factum.

12. *Arturus in anot. ad Mart. Franc. 12. Februarij de B. Stephano Coruino*. Cùm Beatus Stephanus Sacristæ officium fungens, scalam ascendisset, vt quandam Crucifixi imaginem aptare valeret. Diabolus scalas amouit, illeque cadens in terram, crus maximo cùm dolore sibi fregit; quam infirmitatem vsque in diem mortis suæ patienter tulit. Illud tamen mirabiliter Deus operabatur in eo, quòd cùm non posset pedibus stare, tamen dùm sacra celebraret, nullam læsionem, vel fracturam in crure pro eo tempore habuisse videbatur, nec vllum sentiebat dolorem.

13. *Marchantius*. Illud memoria dignum est, quòd inter miracula Beatæ Virginis Mariæ de Fide, quæ propè Dinantium colitur, nostro tempore, anno 1619. contigit Religioso Monasterij Sancti Ginesii Ordin. Benedictini. Hic multo tempore impeditus vsu brachiorum, manuum, digitorum, non poterat Missæ sacrificium offerre. Voto facto, venit ad S. Mariam de Fide, hoc vnum toto corde obsecrans, vt eius meritis, membra morbo perclusa eatenùs saltem ei libera restituerentur, vt illis ad sacrificii salutaris effectum posset vti, nec fraudaretur tanto salutis beneficio. Vbi ad Monasterium rediit, illi soli digiti quatuor, quibus vtimur ad sacrificium, liberi ei redditi sunt à paralysi, & contractione, reliquis vt antea contractis contra palmam manus, & ad omnem motum ineptis. Exindè potuit brachium vtrumque sufficienter ad oblationem sacrificii eleuare, quod antea nullatenùs potuisset.

14. *Ianus Nicius exemp. 79.* Ioannes Baptista Confalonerius Sedis Apostolicæ tabularii præfectus, ab apoplexia, quæ magna vi in caput inuaserat, oppressus est adeò, vt verbum ferè nullum, ac ne nomen quidem suum proloqui posset; interim summè inter omnia dolebat, adeptam sibi occasionem quotidiè, vt solebat, sacram Missam celebrandi, quo mærore & celebrandi desiderio affectus, sibi videbatur, si sacris indutus vestibus ad altare fas fuisset accedere, fore vt etiam potestas fandi, & rem sacram faciendi suppeteret, qui illius ardor cùm in dies magis excresceret, & æditius Ecclesiæ continuò exposceret, vt sacrum efficiendi in potestatem concederent, tandem illi animum ipsi explere statuerunt; atque sacerdotalibus ornamentis traditis, fecerunt sacrificandi potestatem, sed priuato in sacello, atque omnibus remotis, ne, si res minùs processisset, summa religiosissimi illius Templi, & augustissimi illius sacrificii cùm offensione, magnos de se populo ludos, iocosque præberet, Sed res accidit mira, ac digna, quæ omnium sæculorum posteritatis memoriæ traditur; ille, qui vocis vsum amisisse videbatur, cuique ita cuncta ex memoria exciderant, vt ne nominis quidem sui meminisset, adeò celeriter, ac sine vlla hæsitatione, confessionem, quæque ad illam pertinent, Kyrie Eleison, partem psalmi, quæ à Sacerdote, dùm lauat manus pronunciatur, præterea verba, quibus ad populum conuersus illum affatur, oratque, vt ipsius ad Deum preces cùm suis adiungat, quo faciliùs litare eo sacrificio possit, adeò, inquam, rectè, & clarè, ac dilucidè protulit, vt non desiderares meliùs; deindè quæ eo die prætermittenda erant, prætermisit, quæ legenda, legit; tùm quæ clara, quæ submissa voce, quæ primò, quæque postremo loco dicenda, dixit; tùm, nulla in re, sacrificii ordinem pertubauit, sed eumdem mirè seruauit; quamobrem illi Deo immortali gratias agentes, passi sunt eum in publico celebrare.

15. *Idem ibidem ex Nicolao Rodolfo Ordinis Dominicani Magistro*. Fuit ex Dominicana Familia quidam Frater, Thomas Lerma nomine, verbi Dei prædicator eximius, sed apprimè doctus, religiosus, ac pius, qui in Sacra Eucharistia conficienda incredibili se voluptate perfundi sentiebat; hic, siue senio, siue nescio quo alio morbo confectus, ita oculis erat æger, vt iis nihil planè vteretur, itaque neque librum aliquem legere, neque horarias preces recitare poterat; ardentissima tamen immaculatam illam Hostiam Deo sacrificandi cupiditate flagrabat; vndè in preces fusus, ardens hoc desiderium Deo, qui posset illud explere; aperiebat. Igitur diuina ope, auxilioque confisus, voluit die quadam experiri, atque experienti adfuit Deus. Rem miram, mihique ipsi, nisi eam oculis sæpiùs accepissem, incredibilem; illi, qui aspectum omninò amiserat, cæperunt missalis litteræ sub aspectum venire, seque eidem legendas obiicere; quare sibi ipse non defuit, sed hoc tanto, tamque insigni Dei in se beneficio properauit vti, & quotidie, quoad vixit, ac per valetudinem licuit, nullum vnquam diem intermisit, quin Missæ sacrificium peragerет, atque hæc hominis pietati est à Deo merces persoluta. Verùm fiebat, vt cùm à sacrificio missæ discederet, in eamdem rursùs cœcitatem rediret, neque vllam aliis ex libris litteram oculis posset accipere.

16. *Thomas Ioannes Pessina in Glor. Ecclesiæ Pragensis, Rad. 6.* Est & summa in Metropolitano Arcis Pragæ Templo Ara, Sepulchro D. Martyris Viti adiuncta inter sacræ Bohemiæ loca reponenda, in qua sæpiùs obseruatum est, eos sacrificium missæ peragere non potuisse, cœcitate mirabiliter oppressos, qui cùm anima peccato mortali fœda accessissent; à quo vel per

contritionem, vel absolutionem liberati, illicò ad inceptum sacrificium perficiendum habilitabantur.

17. *S. Augustinus lib. vlt. de Ciuitate Dei c. 8.* In Territorio Fussalensi, in quadam Domo, Tartarei spiritus sedem reposuerant suam; eamdemque ita præcinctam, & oppressam tenebant, vt nullus Dominis, Domesticis, aut seruis locus domicilii daretur. Confugitur ad preces, exorcismos, & ad alia consueta remedia, quæ nihil profuerunt. At facto semel in eadem domo sacro, aufugiunt Dæmones, clamores, & vlulatus edunt maximos, quòd à propriis sedibus vi cœlestis sacrificii euellerentur.

18. *Bozius de signis Ecclesiæ lib. 5. cap. 2.* In Insula Hormutii, quæ est in sinu Persico, adolescens, quem iam defunctum tenebant omnes, à Gaspare Belga Missæ sacrificio protinùs ad vitam reuocatus est. Anno item 1583. in Iapone in Vrbe dicta Funai, erant in quadam Domo circiter ægroti triginta, qui in loco vbi morabantur sibi missam celebrari enixè sæpè petiere. Peracto sacrificio, omnes è lecto surrexerunt incolumes.

19. *Surius in vita S. Anselmi Archiepiscopi Cantuariensis, in Aprili.* Quidam infirmus, & languens accessit ad Ecclesiam B. Stephani, vt missam S. Anselmi audiret, arbitrans sibi ad recuperandam sanitatem hoc solum remedium profuturum. Audito igitur Sacro, omni doloris vexatione depulsa, sanitati restitutus est.

20. *Moschus in Prato Spirituali cap. 27.* Decem ferè millibus passuum ab Vrbe Ciliciæ Ægina, villa quædam est nomine Mardandos, in qua Templum est S. Ioannis Baptistæ. In hoc senex quidam Presbyter sedebat summi apud Deum meriti, magnarumque virtutum. Quadam verò die Villæ ipsius habitatores accesserunt ad Episcopum, accusantes senem, ac dicentes. Tolle nobis senem hunc, nam molestus nobis est. Dicit eis Episcopus. Quid vobis facit? Dicunt ei: Accedit Missam celebrare die Dominico, nunc hora tertia, nunc autem hora nona, vt sibi visum fuerit, neque seruat solemnem, & legitimum ordinem Sanctæ oblationis. His compertis, Episcopus assumens senem seorsùm, ait illi. Quid ita facis senior? An ignoras Sanctæ Ecclesiæ statuta? Ait senex: Vera profectò prosequeris, & rectè dicis. Verùm quid agam ignoro; Die enim Dominico post nocturnos hymnos propè sanctum Altare sedeo, & quoúsque videam Spiritum Sanctum Altare obumbrantem, Sancta Missarum solemnia non incipio; cùm autem aduenisse Spiritum Sanctum aspicio, tunc ego sacra officia consummo. His auditis Episcopus, admiratus virtutem senis, conuocat habitatores Villæ, satisfaciensque illis, dimisit eos in pace.

21. *Idem ibidem cap. 150.* Narrauit nobis Abbas Theodorus Romanus dicens. Est procùl à Romana Vrbe breue oppidum, quod Rumellum dicitur; in eo oppidulo Episcopus erat magnæ virtutis, & meriti. Die ergo quadam habitatores oppidi ingressi sunt ad Beatissimum Romanum Antistitem Agapitum; accusantes Episcopum suum, ac dicentes: Quia in sanctificato vase manducaret. Pontifex autem solo auditu perculsus, mittit duos ex Clericis, vt vinctum Episcopum, & pedibus iter agentem Romam perducerent; venientem verò continuò misit in carcerem. Cùm ergo tres dies in carcere egisset Episcopus, venit Dominicus dies; & cùm Papa quiesceret, illucescente Dominico die vidit in somnis quemdam astantem sibi, & dicentem: Hac die Dominica nec tu offeras salutarem Hostiam, neque alius quispiam Episcoporum, qui sunt in Vrbe ista, nisi solus Episcopus, quem habes carcere inclusum; illum enim hodie offerre volo. Expergefactus autem Papa, & de visione, quam viderat hæsitans, dicebat in seipso. Talem contra illum accusationem suscepi, & ipse habet offerre? Venit igitur ei secundò vox in visione dicens. Dixi tibi, vt Episcopus, qui est in carcere solus offerat: Ambigenti adhùc tertiò apparuit illi eadem repetens. Expergefactus autem Pontifex, misit in carcerem, & accersito ad se Episcopo, percontabatur eum dicens: *Quod est opus tuum?* Episcopus autem illi nihil aliud respondit, nisi: Peccator sum. Cùm verò Episcopo persuadere non posset, vt aliud diceret, tunc autem ait ad eum Papa. Hodie tu offerre debes. Cùm ergo Sancto Altari assisteret, & Papa propè illum astaret, Diaconis Altare circumdantibus, cæpit Sancta Missarum solemnia *Episcopus*; & cùm complesset orationem oblationis, antequàm concluderet ipsam, cæpit secundò, ac deinceps tertiò, & quartò dicere ipsam sanctæ oblationis orationem. Cunctis verò eam moram molestè ferentibus, dicit ei Pontifex: Quid hoc est, quòd iam quartò hanc Orationem dixisti, nec eam concludis? Tunc respondit Episcopus: Ignosce mihi, Pater Sancte, quia non vidi iuxta consuetudinem Sancti Spiritus descensum, idcircò non terminaui orationem; sed, sancte mi Domine, Diaconum illum propè me assistentem, qui flabellum tenet, ab Altari remoue; ego enim illi dicere non audeo. Tunc iussu Diui Agapiti recessit Diaconus, & continuò vidit Episcopus, & Papa, Sancti Spiritus aduentum; sed & velum quod Altari superpositum erat vltrò sublatum est, texitque Papam, & Episcopum, & Diaconos omnes qui Sancto Altari astabant quasi per tres horas. Tunc venerandus Agapitus, agnita sanctitate Episcopi, ex perspecto miraculo, quámque falsam calumniam perpessus esset cognoscens, quòd illum ita vexauerat tristis effectus, statuit non iam ampliùs per subreptionem quidpiam agere, sed cùm maturo, consideratoque iudicio, & magna longanimitate procedere.

22. *Io. Eusebius de mir. Europæ lib. 2. capit. 20. & Petra Sancta in mir. Perp. cap. 15.* Iam in Insula quadam circa Regionem Corcagiæ S. Michaelis Ecclesia erat antiquissimæ Religionis, vbi extra valuas eius, ac iuxta vestibulum ipsum, cauus lapis supernè, instar peluis quotidie post auroram spontè tantùm viui semper continebat (nam eius ibi penuria est) quantùm satis esset ad missarum oblationes, pro numero sacerdotum, qui eo die erant operaturi sacris.

Sacra

Sacra Eucharistia in medio Ignis conseruatur.
§. 10.

HVIusmodi diffusè sunt relata in lib. 2. primi Tomi cap. 1. §. 7. quare ibi legantur.

Sacra Eucharistia ab Animalibus colitur.
§. 11.

HÆc etiam enarrata fuere in primo Tomo lib. 7. cap. 3. §. 1. vndè de his ibi sufficienter dicta.

APPENDIX I. AD CAPVT III.

Sanguis ex Sacra Eucharistia diuinitùs effluxus, adhùc mirabiliter conseruatus.

ADmirabilis, qui olìm ex sacra Eucharistia ad incredulorum corda firmanda, manauit sanguis, adhùcque mirabiliter conseruatur, coliturque, inter Admiranda perennia enumerandus videtur, ceù enim perenni miraculo, sacrosanctæ Eucharistiæ infallibilis veritas eodem demonstratur. De his.

1. *Thom. Bozius libr. 14. de signis cap. 7.* Anno 1239. cùm maximæ Mahometanorum copiæ procederent in Regno Valentiæ aduersùs exiguas nostrorum, & res ad extremum redacta esset; sex è nostris Duces ad Deum confugere, & Eucharistiæ percipiendæ consilium ceperunt; & quandò non aderant tot Presbyteri, quibus cuncti milites sua confiteri peccata possent, ipsi sex id agere constituerunt: verùm dùm Presbyter iam celebrasset Missam, protinùs ad arma conclamatum, neque sumendæ Eucharistiæ tempus superfuit. Quocircà, Deo freti Duces, aduersùs inimicos processere; Presbyter inops consilii, particulas Sacratissimas linteolis, quæ corporalia vocamus, inuolutas, sub lapide occultauit. Victis mirabiliter inimicis, Presbyter, vt prædictos Duces Sanctissimo Christi corpore communicaret, produxit illas particulas, sed linteolis explicatis, vidit Sanguineis guttis respersas, & linteis affixas. Res diuulgata, cunctos admiratione repleuit. Et haùd multò post rumor adest, inimicos copiis refectis aduentare. Nostri, confirmatis præsenti miraculo animis, aduersùs illos progressi, petierunt, vt ex edito loco quasi vexillum in hostes lintea producerentur; quo facto, in fugam conuersi inimici. Cùm nostri redeuntes, non conuenirent, quo loco mappulæ cùm sacris particulis reponerentur, sortibus res commissa; quibus eductis, scheda Darochæ oppidi ter est lecta. Sed vt Dei voluntas esset testificatior, consensere, vt pixidi inclusæ particulæ summa cùm reuerentia supra mitem mulam collocarentur, & quò illa libertati suæ relicta pergeret, & vbi consisteret, ibi locus esset tanto miraculo. Mira res! Darocham versùs illa iter suscepit, & quamuis à multis aliò pelliceretur propositione pabuli, nunquam tamen conquieuit, donec eò peruenit, & hospitale oppidi ingressa, substitit in medio, ac genibus flexis est morata; ac ne quid post hac dorso exciperet minùs nobile, protinùs expirauit. Innumera mortalium multitudo ad tantum spectaculum confluxit; & reseruata lintea cùm Particulis vsque ad hæc tempora incorruptis, ac sanguine respersis, visuntur, & quotannis publicè ostenduntur; extantque publica monumenta, quibus tanta res est consignata.

2. *Philippus Ferrarius in Lexico Geographico.* Labaci, sanguis ex vino albo ad consecrationem adhibito conuersus, rubei coloris asseruatur, sic sacerdote dubitante effectus.

3. *Alanus Copus Dial. 2. cap. 26.* Vulsiniis in Diœcesi, & ditione Vrbeuetana, ann. 1262. dùm sacerdos quidam, qui confecto Eucharistiæ sacramento, de panis, & vini transmutatione, & Christi corpore dubitauit, Sanctissimam in manibus teneret Hostiam, viuus ex ea sanguis manauit, & totam Mappam, quam corporale vocant, tinxit. Hoc factum est sub Pontifice Vrbano IV. qui ob id miraculum instituit solemnitatem corporis Christi quinta feria post octauam Pentecostes; corporale verò in hodiernum vsque diem ibi conseruatur; & solemnibus ab eo tempore supplicationibus maximo populi concursu publicè circùmfertur.

4. *In Hist. Bauarica, par. 2. libr. 3. numer. 31.* Cùm Iudæi Deckendorfii, inferioris Bauariæ oppidi, à Christiana vetula sacræ Eucharistiæ hostiam emissent, vt ad ludibrium, & furorem abuterentur, subulis, aliisque mucronibus eam configentes, sanguinem copiosissimum ex ea elicuerunt: quo sacrilegio mirabiliter publicato, infelici clade tota gens hebræa occisa est; Diuinaque Hostia in suo sanguine reperta, deuotè asseruata est, non modò ad rei gestæ memoriam, sed etiam ad venerationem & perpetuam Ciuitatis tutelam. Hoc accidit circa an. Domini 1300.

5. *In iisdem Annalibus Bauariæ.* Item in Monasterio Andecensi Ordinis S. Benedicti in Monte sancto superioris Bauariæ Augustanæ ditionis, pretiosæ hierotechæ inclusæ asseruantur Hostiæ sacræ, quas referunt iidem Annales, Leonem Pontificem Henrico III. Imperatori singularis muneris ergo misisse, quarum duas Gregorius Magnus, tertiam verò ipse Leo consecrauerat, & quidam de prioribus ferunt, D. Gregorium dùm coram Matrona quadam Romana in fide sacramenti vacillante rem diuinam faceret, easdem consecrasse: & primam quidam instar sanguinis apparuisse rubicundam, alteram verò in carnem mutatam, sed sanctissimi Pontificis precibus denuò conuersam, sanguinolenti digiti vestigium retinuisse. Illa verò quam Leo Pontifex consecrasse creditur, salutiferum nomen Iesu cruentatum exibuit; hodièque adhùc rubicunda apparet.

6. *Arnoldus Rayss. in auctario ad natal. S.S. Belgii.* Dom. 1. post Pentecostes, Boxtellæ memoria insignis miraculi, quod circa Venerabile, Eucharistiæ Sacramentum contigit. Anno à partu Virginis millesimo supra trecentesimum octogesimum, sacerdos quidam, nomine Eligius Acquerrus, dùm Sacris operaretur in Ecclesia Boxtellensi,

tellenſi, ſacrum Calicem, facta iam conſecratione fortè euertit ſic, vt ſacroſanctus Chriſti Sanguis eo contentus, per Mappam, & corporale fuerit diffuſus. Cùmque prædictus ſacerdos vinum album ad peragendum Miſſæ ſacrificium adhibuiſſet, nihilominus mutato colore, rubræ, ac ſanguinolentæ maculæ per corporale, & mappam in ipſo effuſionis loco apparuere, quas cùm territus ſacerdos ille domi ſuæ priuatim lixiuio modis omnibus abſtergere, & defricare fuiſſet conatus, omnis illius labor, & opera in caſſum cecidit; vndè tandem re diuulgata, ſanguinis illius miraculoſi veſtigia in dicto corporali ad hodiernum vſque diem in collegiata Boxtellenſi Eccleſia ſunt decenter adſeruata; & etiamnùm quolibet anno hac ipſa die magno cùm populi adfluxu, & veneratione oſtenduntur.

7. *Idem in Hierogazophylatio Belgico*. Bruxellis Anno Chriſti 1369. Ionathas Iudæus, à Ioanne Parocho ad D.Catharinam, aliquot Hoſtias ſacras accepit, & incurſu inimicorum in horto occiſus, eas vxori aſſeruandas reliquit, Vxor Abrahamo filio; qui die Veneris ſancto hoſtiam exemptam, in cætu Iudæorum cultello conſcidit; Verùm copioſo profluente ſanguine, mater Abraham conuerſa, miraculum euulgauit. Vinceslaus Brabantiæ Dux, diligenti inquiſitione facta, Abrahamum cùm conſciis ante ædem D.Catharinę viuum exuri curauit, & hoſtias ita conciſas, & punctas in Templo D. Gudulę religioſè depoſuit, vbi etiam hodiè perdurant, apparentibus adhùc ictuum punctis, & quotannis ſolemni proceſſione, ſummaque Populi, & Principum veneratione circumferuntur.

8. *Idem ibidem*. In ſilua Domini Iſaac propè N.uellas in Monaſterio Canonicorum Regularium ſancti Auguſtini, vidimus ſacrum corporale tinctum pretioſiſſimo cruore miraculoſo Chriſti Domini, ex quo (cùm lacte, vino, & lixiuio ab Antiſtite Cameracenſi ablutum fuiſset, experiendi ergo nùm verus eſset ſanguis miraculoſus) elui ſanguis haud potuit. In Chori meditullio viſitur lapis ipſo in pauimento per formam ſepulchri quadratus, in quo ſequentibus verbis etiamnùm ſpectatores admonentur honorare locum tanto, tàmque horrendo miraculo illuſtratum. Verba igitur accipe. *Hic Lapis demonſtrat locum vbi antiqui ſacelli ſitum fuit altare, in quo ſacri ſanguinis, ex ſacra Hoſtia manantis, accidit Miraculum feria ſexta ante Pentecoſtem, Anno Domini* 1405. *quinto die Menſis Iunij*.

9. *Tilm.Brend.lib.1.collat. Sacrarum capit.*52. Anno à natiuitate Domini 1384. quidam, dictus Oſuualdus Mulſer, ex Nobili ortus proſapia in Sceeld, & ibidem in Caſtro vulgariter Schloſperg nuncupato in Comitatu Tirolenſi reſidens, tempore Paſchali, quo Chriſti fideles ex præcepto Eccleſiæ ad communionem accedere ſolent, maiori hoſtia, & non vt cæteri laici, communicare nitebatur; ex timore huic ſacerdos aſsentiri volebat, ſed dùm ſacramentum ſupra linguam antedicti Oſuualdi poneretur, terra ſe aperuit, & in illam vſque ad genua cecidit, ille manibus Altare apprehendit, ſed Altare inſtar ceræ molleſcit. Oſuualdus, Dei vindictam præſentiens, veniam à Deo precatus, cùm Hoſtiam deglutire non poſset, ſacerdos eam repoſuit in ſacrarium, quæ hodiè colore ſanguineo tincta, & linguæ ſaliua contracta conſpicitur, vbi plurima fiunt miracula.

10. *Raynaldus in Hiſtoria Eccleſiaſtica ann.* 1229.*numer.* 61. Cùm huius ann. 1229. trigeſimo die Decembris, ſacerdos Eccleſiæ S. Ambroſii Florentiæ, nomine Vguccionius, peracto incruento Miſsæ ſacrificio, calicem non benè deterſiſſet, ſiuè ætatis ingraueſcentis debilitate, ſiuè incuria, dieque inſequenti calicem cùm manu cepiſset, in illo ſplendidum, ac purpureum cruorem inſpexit, cumque omnes Monaſterii illius Virgines Deo dicatæ, quique interfuere, tùm Epiſcopus, omniſque Clerus ingenti admiratione, pietateque perfuſis animis, ſunt contemplati; dein Florentinis, qui certatim confluxere, videndus propoſitus eſt. È Calice poſtmodùm is ſanguis in *cryſtallinam* ampullam transfuſus, etiam hodie *cùm ingenti* pietatis ſenſu ad ſpectandum proponitur.

11. *Idem ann.* 1487. *num.* 22. Dùm quidam Sacerdos in Hiſpania in Eccleſia S.Mariæ de Zebrero miſsam celebraret, poſtque conſecrationem anceps hæreret de veritate ſacramenti, ſpecies vini in ſanguinem verſæ fuerunt, eiuſque pars ex calice in corporalibus ſuper Altare exiſtentibus, *effuſa* eſt, atque idem ſanguis ita viſibilis manſit, & hodiè pro reliquiis reſeruatus conſpicitur, vt ſanguis hominis, vel hædi recenter effuſus, coagulatus tamen.

12. *Idem Anno* 1433. *num.* 27. Eugenius IV. miſit ad Philippum Ducem Burgundiæ pretioſiſſimum Euchariſtiæ, quæ ab impio quodam homine perfoſſa, ſanguine manauerat, munus. Hanc maxima veneratione acceptam Philippus *ex Inſula* Vrbe Belgii, Diuionem tranſmiſit, *vbi in ſancto* ſacello collocata, à piis maxima religione colitur.

13. *Idem ann.* 1501. *num.* 45. Quidam perfidi Iudæi an. 1338. dùm à quodam Catholico octo ſacramenti particulas pro triginta denariis emiſent, & per diuerſas eorum Synagogas ſeptem *diſperſis* particulis, vnam in oppido Puska in *Patauia intra* eorum ſynagogam cultro infixam, crudeliter pertractaſſent; ſanguis miraculoſus erupit, & cultro vſque in hodiernum diem adhæſit. Item extra Muros Ciuitatis Auguſtæ iam ab annis trecentis & vltra ſeruabatur ſacramentum in ſpecie cruoris ex integro tranſmutatum. Per Regnum etiam Vngariæ & per diuerſa Cœnobia vndecim habentur huiuſmodi ſacramenta miraculoſa.

14. *Vghellus in Italia Sacra tom.*6. *Lancianenſes Epiſcopi*. Cùm quidam D. Baſilii Monachus ſacerdos, de vera conuerſione panis, & vini in carnem, & ſanguinem Chriſti dubitaret. Miſericors Deus, eum ab infidelitate reuocare volens, quadam die, illo ſacra operante, vix conſecrationis verbis prolatis, panem in Carnem, vinum in Sanguinem conuerſum vidit; confuſus, & indè in recta confirmatus fide, populo adſtanti incredulitatem ſuam confeſſus, ac ſtupendum conuerſum ſacrificium oſtendit. Ad futuram rei Memoriam huiuſ-

huiuſmodi hiſtoriâ depicta cernitur in ſacrario Cœnobii S. Franciſci Lancianenſis Ciuitatis, vbi mille ab hinc annis aſſeruantur ſpecies in carnem, & vini quinque guttæ in ſanguinem conuerſæ, quę hoc habent præ omnibus ſtupendum, quòd inæquales licet magnitudine ſint, æquales tamen comperiantur.

15. *Philippus Alegambe, in vitis illuſtribus P. P. Soc. Ieſu*. Anno poſt duodecimum Sæculum, ſexto, & ſexageſimo, in quodam oppido Luſitaniæ, Scalabis nomine, fæmina, viro ſuo alienis amoribus obnoxio, factura Iudææ cuiuſdam opera medicinam, Diuinam Hoſtiam illi deferebat, è Templo clàm ori exemptam, atque inuolutam ſudario. Stillante ſanguinem linteo conterrita, domum ſuam deflectit, & in ciſtam coniicit ſacram buccellam. Indè cùm obſcura nocte ſe funderet immenſa lux, viro ſciſcitanti, mulier rem ediſſerit. Accitus manè Parochus, cœleſte pignus indictis populo precibus defert in Templum, & aureo imponit ciborio ad venerationem. Centum annos ita ſeruata religiosè Hoſtia eſt; cùm proferretur ex more, anno ſupra tredecies centeſimum ſeptuageſimo, inuenta eſt vitreæ inſerta ampullæ ternos altæ digitos, ab imo in tantas oris anguſtias cœunti, vt cùm integra illi nequiuerit vlla humana induſtria fuiſse immiſsa, Angelis authoribus tribuatur. Mortalium eò plurimos, & religio hodièque conciet, & rei nouæ miraculum, quo ſe Chriſtus ſeruator intuendum ſacro è pignore, aliis alia forma, compluribus exhibet, ſeu Matris in gremio infantem, ſeù flagris cruentum, aut ſpinis, ſeù fatiſcentem ſub Cruce, aut à Monte redimiuum.

16. *Bozius de ſignis Eccleſ. lib. 14. cap. 7.* Miraculum contigit Auhdæ in Piceno. Siquidem anno 1273. quędam mulier cùm ſumpſiſſet ore Euchariſtiam, non deglutiit, ſed ſeruatam ſecum detulit, vt illa vteretur ad amorem Mariti conciliandum ſibi per veneficia. Quamobrem ſic malis artibus edocta, ſuper prunas in tegula repoſitam proiecit; quo facto (mirabile dictu) cæpit Euchariſtia apertiſſimè in carnem conuerſa, ſanguinem latè emittere, ita vt prunas extinxerit, neque cohiberi potuit cruoris eruptio, donec canduerunt carbones, quamuis mulier nihil non egerit iniicendo cinerem, puluerem, ceramque apponendo. Tum nouo euentu attonita, linteo tegulam cùm Carne diuina, & ſanguine inuoluens, ſtabuli propinqui ſtercore infodit. Latuit res annos ſeptem, quamuis aliquot mirabilia euenerint, quæ vndenam naſcerentur, alios quidem latebat, mulierem non ita, facti, ac ſceleris ſui conſciam. Iis exactis, illa tandem aperuit rem geſtam ſacerdoti, qui cùm ſe eò contuliſset, reperit intactam carnem, ſanguinemque recentem, linteolumque illæſum. Miraculum patefactum, cunctiſque diuulgatum, ex omnibus locis innumeros ad ſui ſpectaculum commouit, & commouet adhùc poſt annos tercentum, & ſexdecim. Viſitur enim caro, viſitur ſanguis vitreis ampullis incluſus, ad tantæ rei memoriam ſempiternam, neque poſt tanta temporum ſpatia quicquam ex iis corruptum, aut tabefactum.

17. *Idem ibidem*. His ſimile miraculum ſcribit, ætate ſua contigiſse Arnoldus Lubecenſis, id verò cunctis teſtatiſſimum fuiſse ſcribit, in Thuringia, & diæceſi Moguntina, vbi res contigit. Addit tamen, plurimis, ac publicè indictis precibus à Deo fuiſse impetratum, vt Caro, & Sanguis Chriſti reciperent ſpecies panis, ac vini, Moguntiamque tantæ rei fuiſſe monumenta translata.

18. *Baptiſta Fulgoſus libr. 1. capit. 6.* Salutis Anno ducẽteſimo nonageſimo ſupra milles, in Pariſiorum Vrbe, quidam Iudæus per inopem mulierculam (cui veſtem, quam ab ea oppignoratam habebat, ſe gratis reſtituturum promiſerat) Chriſtianam Hoſtiam in Paſchate aſsecutus: cùm accenſo igne in ſartagine vellet aſſare; vt perſpexit eam non mutare formam, nec colorem, gladio eam pupugit, ex qua confeſtim ſanguis manauit, re autem detecta, ſuperuenientibus Chriſtianis, Hoſtia in loco ei dicato reſtituta, Iudæi domus in Templum conuerſa eſt, quæ etiam nunc Saluatoris bullientis nomine compellatur; vbi Hoſtia, gladiuſque etiam nunc oſtenduntur.

19. *Ex m. ſ. ſ.* Salerni, in Eccleſia Cathedrali peruetuſtus aſſeruatur calix, in quo ſanguinis maculæ adhùc apparent, quæ olim in ipſo miraculosè impreſſæ fuerunt, ad confirmandam fidem cuiuſdam ſacerdotis, qui de tranſubſtantiatione vini in ſanguinem Chriſti dubitabat.

20. *Io. Baptiſta Signius pag.* 18. Anno Domini 1171. die 28. Martii, quæ fuit Paſcha, ſub Alexandro Pap. III. & Amato Epiſcopo Ferrariæ, apud Canonicos Regulares Ferrariæ, præſentibus Petro Priore ſæculari cùm ſuis Canonicis, & Clericis compluribus, hora miſsæ ſolemnis celebrandæ, & Sacræ communionis faciendæ, Parochus ipſe, vir ætate, & religione conſpicuus, Hoſtia de more conſecrata, dùm pro adoratione ſe inclinat, ſubita tentatione obuoluitur, dubitat quo pacto illa Hoſtia potuit fieri vera Caro Chriſti, attamen eleuat, adorandamque demonſtrat: primo adſpectu infantulum in Sacris manibus omnes intuentur, ſtatim non niſi panem cuncti clamant; proſequitur Miſsam quouſque frangitur hoſtia, in fractione tantus ſanguis emanat, vt Sacelli cœlum ſanguineis ſtillis adhùc videatur conſperſum.

21. *Gonzaga in Prouincia Bononiæ de Monaſterio Monialium Sancti Gulielmi Ferrariæ*. Inter cæteras Sanctorum reliquias, quæ in huius loci ſacrario aſſeruantur, illa eſt celeberrima, atque præcipua, ſacratiſſimus ſcilicet Domini noſtri Ieſu Chriſti ſanguis, qui ad cuiuſdam ſacerdotis celebrantis de eius veritate hæſitationem, adeò rubicundus apparuit, adeòque perſeuerat, vt ipſum ex ipſiſſimis Seruatoris venis prodiiſse haud dubiè diceres.

22. *Antonius Paulus in vita S. Nicolai Peregrini cap.* 18. Tranii in Archiepiſcopali Eccleſia reperiuntur duæ miraculoſæ particulæ carnis, in quas plùs quàm tercentis ab hinc annis mirabiliter conuerſa eſt Hoſtia conſecrata, quæ à muliere hebræa in ſartaginem immiſsa, vt oleo coqueretur, copioſiſſimum ſanguinem, qui per totam Domum, proximamque viam effuſus eſt, miraculosè emittens, in carnem conuerſa eſt, indèque ſacrilega fæmina

fœmina damnata, solemni ritu in Ecclesiam ab Episcopo, Cleroque translata; visiturque vsque adhùc Domus, in qua tàm sacrilegum crimen, tàmque prodigiosum miraculum perpetrata fuere.

23. *Io. Bonifacius in Hist. V. l. 4. c. 11.* Quędã fœmina, an stultitia, an alterius suasu impiè de Christo, eiusq. matre sentiebat. Sanctum quidam vtrumq. sed neq. illum Deum, neq. illam Virginem. Ingressa cœnobium mulierum, tàm dirum venenum coquens in pectore, ab imaginaria confessione ad venerandum Eucharistiæ Sacram. accedebat, & accipiebat quidem pandens sepulchrum gutturis panem Angelorum; sed vbi licebat per astantium aspectum, mox expuebat in linteolum, indignissimè proculcandum. Et hanc tamen non abiecit Dei clementia, tertio Paschatis die, cùm Dominicum corpus de more obtereret, acuque, quales ferre ad ornatum capitis mulieres solent, atrociter configeret, è qualibet punctiuncula fluidus sanguis emanabat. Viso perterrita, in ignem proiicit, vereri visus ille conditorem suum, in geminas diuisus partes, loco cessit, & seruauit illæsum. Tùnc verò pœnitet mulierem incæpti, execrandum scelus agnoscit, vocatoque sacerdoti curatori animarum palàm aperit; de huius sententia, & illius voluntate res Barium defertur ad nostros, per hos deindè ad superiores, & cõsultum fœminæ. Valuit, quòd in illos dies incidit Iubilęum Pontificium cuilibet noxæ expiandæ. Eidem interea oblata dicitur Imago Euangelistæ Ioannis cùm Deipara Virgine, quæ & si primò indignationis manifesta præbuit indicia, postmodùm, vt sunt placabiles cælestium animi, spem veniæ, viamque ostendit. Et visitur etiam nunc sacrosancta Hostia sanguineis guttulis interpuncta.

APPENDIX II. AD CAPVT III.

Hostiæ Sacrosanctæ, in quibus olim Diuina prodigia apparuere, vsque modò diuinitùs conseruatæ.

MOdò de Hostiis, in quibus olim Diuina apparuere prodigia, quæ ceù Diuino Miraculo per tot sæculorum curricula incorruptæ seruatæ, inter perennia Admiranda connumerari debent; De his.

1. *Angelus Manrique in Ann. Cistercienſ. ann. 1194. cap. 5.* In Monasterio Petræ, Cisterciensis Ordinis, in Regno Aragonum, conseruantur sacræ Eucharistiæ species, à multis annis transmutatæ in carnem, quæ in hùnc vsque diem perseuerant, visuntur, & deuotè venerantur anniuersaria, & festiua solemnitate.

2. *Idem ibidem an. 1178. cap. 3.* Cùm in Sardinia Basilica vetus, & ruinosa dilapidaretur, vt in maiorem statum repararetur, reperta est sub altare scabrosa, & vetus capsella Sanctorum reliquias continens, inter quas reliquias, & corpus Domini sub Hostia consecrata repositum erat, quod ita sanum, & integrum, ita mundum, & candidum, & ab omni corruptione penitùs alienum inuentum est, ac si recentissimè ibi repositum fuisset.

3. *Vghellus in Italia sacra, Episcopi Taurinensis.* Anno 1453. pridie Nonas Iulii, hora 10. cùm expugnato Sabaudis præliis Itilico Vico Delphinatium finium, signa, vasaque aliquot argentea è Vici Templo à militibus rapta, Taurinum vsque aduecta fuissent, interque cætera sacrosanctæ Eucharistiæ ferculum in fascem inclusum esset; en vectionis mulus in via publica, è regione Templi Diui Syluestri iterùm, atque interùm hæsitans collabitur. Dissoluti, ruptique fasces, rei Miraculo, erumpit, & egreditur argenteum cadurcum, in aera sponte sua resiliens, & stans, donec aduenit Antistes cùm Clero, & populo frequenti. Quo præsente, & supplice, secundo miraculo vas illud argenteum humo decidit; corpus verò Christi in candenti illa orbiculari panis specie splendidissimum, & quasi radiis perfusum per aera subsistit, donec supposito calice in eum ipsum, & Pontificis manus, tertio miraculo decidit. Tùm in Templum D. Ioannis reuerenter delatum, tandemque in Marmoreo sacello, eo loci à ciuibus deuoto, & erecto, illud repositum, & in hodiernum diem asseruatur piaque totius populi deuotione colitur, & adoratur.

4. *Idem ibidem. Episcopi Verulanensis.* Sub Præsulatu Hortentii Baptistæ Episcopi Verulanensis, sacratissimæ Eucharistiæ contigit miraculum anno 1581. feria tertia Sanctæ Paschatis. Cùm enim in sacello Nominis IESV in Ecclesia sancti Erasmi, iis diebus maxima multitudo conuenisset ad sanctissimæ Hostiæ adorationem, conuenerunt etiam nonnulli Iudæi à fidelibus inuitati, qui fulgentissimum Sydus, quod eorum oculos offendebat, in sacra Hostia aspicientes, exclamare cęperunt, se, & in Christo credere, & baptizari velle, clara voce quæ viderant confitentes, *vnde plurimi à Iudaismo* ad Baptisma accesserunt. *Asseruatur* adhùc sanctissima illa Hostia in Tabernaculo Altaris maioris eiusdem Ecclesiæ, in eaque quotannis processiones à Clero, & populo solemni pompa celebrantur.

5. *Ioannes Eusebius de Mirac. Nat. capit. 23.* A multis iam seruantur annis in Collegio *nostræ Societatis* Complutensi, incorruptæ *Hostiæ* consecratæ, miraculis, illustres, quæ præsentiam Christi in Eucharistia certissimo confirmant argumento. Has Hostias, vt argenteam Pixidem venderent, impii homines ex Maurorum gente, surripuerant. Complex sceleris fuerat Adolescens ex Hispanis parentibus, & ab auita origine Christianis. Hic seruauit Hostias, quas cæteri contempserant, & restituit P. Ioanni Soario insigni viro nostrę societatis virtute, & sinceritate mentis. Hic sanctus vir ex consilio doctissimi Patris Gabrielis Vasquez ob suspicionem veneni, reposuit loco humido, sed decenti, vt corruptas humefactione, in cineres redigeret, & sanctè dissiparet. Visit illas post aliquod tempus, nùm putrefierent; sed ecce mirus candor, & integritas omnibus. Adhibuit proximè in aliam theca Hostias non consecratas, reuisit postea; has reperit vermiculis scatentes, illas integras, candicantesque. Sępè hoc experimentum factum, donec tandem Complutensium Doctorum, Theologorumque,

que, Medicorumque iudicio miraculum conclamatur, & magno omnium cultu, & deuotione in publicas aras, & sacellum producta miraculis clarent.

6. *Columnerius in notis ad Cantipratanum, ad cap. 40. lib. 2.* Duaci in Templo Sancti Amati, sacra seruatur in hodiernum diem Hostia, quam sub annum Domini 1254. quicumque intuebantur, nullo discrimine omnes Christum Dominum, vel infantis specie, vel inter cruciatus, aut Iudicum ad tribunal venientem, aut alio quouismodo videre se testabantur, de quo supra ex Brendeb. §.1.n.9.

7. *Spondanus in Annal. Eccles. ann. 1453. num. 34.* Hoc anno insigne miraculum circa sacram Eucharistiam contigit in Hispania, in Villa scilicet Fromestæ Diœcesis Placentinæ; vbi cùm quidam domus hospitalis illius loci Præfectus, ob pecuniam à quodam Iudæo pro necessitatibus hospitalis mutuò acceptam, die dicta non solutam, sententia Iudicis Ecclesiastici, ad quem Iudæus recurrit, anathemate perculsus, eam quidem restituisset, sed à sententia absolui minimè curasset; dùm postea ex morbo moriturus, sacerdotem, & viaticum flagitauit, factum est, vt porrecturus illud ei sacerdos, ita sacras Hostias patenæ adhæsisse comperit, vt nequaquam diuelli possent. Sic Deo misericordiarum non tàm miraculum, quàm miraculo salutem infirmi quærente, stupentibus omnibus, cùm Sacerdos conscientiam infirmi examinans, ab immemore cõfessione censuræ extorsisset, statim atque eum censura exemit, manum vni ex tribus Hostiis, quæ patenæ tenaciter adhæserant admouens, eam facilè auulsam infirmo porrexit; cęteręduæ ad perpetuam rei memoriam etiam nùm integerrimæ visuntur patenæ adherentes, ita tamen vt de earum altera difficile sic iudicare, vtrùm stet in ære, vel alteri inhæreat.

8. *Henriquez in men. 25. Iulij.* Herkenrodæ sacra Hostia colitur, ex qua anno millesimo trecentesimo decimo septimo sanguis miraculosè emanauit; quæque dùm eò deferretur, per agros à brutis animantibus vndique concurrentibus cultum accepisse visa est. Ipsaq. ærea campana nemine mortalium impellente aduentum celebrarunt, & sacerdos ad aram faciens, rei ignarus, Diuino tamen impulsu ab altari conuersus ad venerabile Sacram. quod obuolutum in ædem sacram inferebatur, magna corporis inclinatione adorauit, atq. in hodiernum diem pluribus miraculis clarescit; inter quæ precipuum est, varias diuersasq. figuras intuentibus demonstrare. Alii enim Christum in Crucē actum, alii spinea corona redimitum, seu flagellis cæsum, alii denique gloriosum, quasi tunc à mortuis surrexisset, alii alia obtuentur. Noui quemdam nostri Ordinis Monachum qui septies sacram Hostiam venerari meruit, & semper diuersa contemplatus est, & semel puerum Iesum ouem inter brachia dulcitor amplectentem conspexit, & tandem omnes ferè qui peregrinorum more cęnobium petunt, in sacra pixide res admirandas deprehendunt.

9. *Philibertus Marchinus Tract. de Sacrif. Missæ cap. 28.* Sacrosanctæ Eucharistiæ particula, quæ olim ex totius Ecclesiæ direptione, & incendio diuinitùs seruata est, nunc etiam post tot annorum curricula in Aquilana Ciuitate, in Ecclesia D. Petri Cælestini, integra, & incorrupta ad hæc vsque tempora permanens inuisitur.

10. *Gonzaga in Prou. Cataloniæ, de Conu. S. Mariæ de Iesu Ilerdæ.* Asseruatur in hoc Conuentu S. Mariæ de Iesu Fratrum Obseruantiæ S. Francisci, miraculosa caro sanguine aspersa, in quam mirabiliter conuersa est Hostia consecrata, ob dubium habitum à quodam sacerdote de veritate corporis Christi sub consecratis accidentibus, dùm actu Missam celebraret. Huius reliquiæ particulam cùm quidam furatus esset, vt aliò transferret, licet integra nocte deambulasset, manè ad fores Conuentus adinuentus est, vndè culpam fatendo, reliquiam restituit.

11. *Arnoldus Rayssius in Hierogazophilacio Belgico.* Louanii adseruatur in Pixide argentea inaurata venerabilis Eucharistia, in veram, & apparentem carnem mutata. Succintè refero historiam. Adolescens quidam Coloniensis, Ioannes nomine, Middelburgi cohabitabat in ædibus pię, & nobilis Matronę qui iussu, & mandato dictę Dominę coactus fuit, prima Dominica Quadragesimę anni 1374. Sacram Domini corporis Hostiam suscipere. Cùm autem, absque pręuia peccatorum exomologesi, ad mensam Dominicam accessisset indignus, illicò in veram carnem, & sanguinem commutata fuit, atque ex ipsius mordentis ore tres guttę sanguinis in mappam, quę communicantibus solet exhiberi, ceciderunt. Media pars dictę carnis in hodiernam vsque diem illęsa, & integra apud Augustinianos Louanii adseruatur; magnaque populi deuotione, & frequentia adoratur, vt & mappę particula, in qua tres istę sanguinis guttę hodièque visuntur. Antequam autem tàm venerabile pignus Coloniam, indè Louanium deportaretur, Middelburgi asseruatum est, quo tempore autē primò Coloniam translatum est, ad eius aduentum omnes thecę Reliquiarum in Ecclesia Augustinianorum vltrò, citròque se se reserantes, ita apertæ, tantis reliquiis reuerentiam quasi exhibuere; & licet Sacramentales reliquię hę multis prodigiis claruerint, magnamq. populi deuotionem excitarint, singulare tamen, est quod accidit, quandò iis V.P. F. Ioannes Gheest Prior Monasterii Louaniensis in Brabantia affectus, partem aliquam sibi dari petiit. Cùm etenim, quantùmuis masticatę nondùm diuisę essent species, visum fuit eas ferro non diuidere, sed rem totam ieiuniis, & obsecrationibus Deo committere, quibus integro triduo probè obseruatis, species illę dentium vestigia retinentes sine vlla humana ope separatę, parte Coloniæ relicta, præfato Louaniensi Priori, cùm tribus guttis sanguinis in linteum delapsis, concessę sunt.

12. *Bzouius anno 1199. num. 43.* Hoc tempore in Germania repullulante hęresi Berengariana, Deus manifesto miraculo ostendere voluit in sacra Eucharistia verum Christi corpus contineri. Nam hoc anno Augustę VVindelicorum, Eucharisticus panis in carnem primò mutatus, deindè notabili etiam incremento coràm omni populo, & Clero luce clara auctus fuit, quem hodiè quoque in Ecclesia S. Crucis Augustæ tot sęculorum interuallo integrum,

grum, & incorruptum in eadem carnis ſpecie piè cùm horrore Auguſtani,& quotquot eò confluere ſolent intuentur.

13. *In m. ſ. ſ.* In Conuentu S. Danielis Monialium S.Benedicti, Gerundæ in Catalaunia, piè colitur particula carnis, in quam olim ob dubium de veritate corporis Chriſti ſub accidentibus conſecratis,hoſtia mirabiliter conuerſa fuit, Item in cathedrali eiuſdem Eccleſiæ, ſex formulæ Euchariſtiæ conſeruantur, quæ colore ſanguineo ſunt affectę; immò cùm ſemel pius quidam Religioſus ex illis vnam fregiſſet, in fracturæ loco idem apparuit color,& vſque adeò conſeruatur.

14. *In m. ſ. ſ.* Florentiæ in Monaſterio Monialium S.Ambroſii,integrę,& incorruptæ aſſeruantur quædam formulæ Euchariſticæ, quę multis ab hinc annis dùm in hebdomada ſancta, vt ſolet in ſepulchro reperirentur, ab igne, à quo omnia circumſtantia conſumpta ſunt, mirabiliter illeſę repertæ fuere.

15. *In m. ſ. ſ.* In Eccleſia cathedrali Conſcentiæ piè aſſeruantur integræ, & incorruptę quędam formulæ Euchariſticæ, quas cùm olim quidam ſacrum vas, in quo conſeruabantur, furatus fuiſſet, in terram proiecit, vbi à clericis manè inuentæ decenter in alio ſacro vaſe reconditæ fuerunt.

16. *In m. ſ. ſ. Anno* 1608. Cùm in Eccleſia Dominę noſtrę de Fauerney in Comitatu Burgundię, ſacra Euchariſtia in mediis flammis ſuſpenſa in aere, diuinitùs illęſa permanſiſſet; Sacerdoteque ſub ipſa miſſam celebrante, in corporale nemine mouente ſuaui motu deſcendiſſet. De hoc prodigio monitus Princeps Albertus Auſtriacus,Iſabellæ Claræ Eugeniæ Hiſpaniarum Infantiſſæ Maritus, Dux, & comes Burgundiæ, qui tunc temporis in Belgio agebat, eſt eniſè à ſenatoribus & ciuibus Dolanis derogatus, vt dignaretur eorum vrbem pretioſiſſimo dono vnius illarum Hoſtiarum Sacramentatarum cohoneſtare; quorum precibus lubenter,& libenter adhærens, imperauit, vt prima vnà cùm vaſe argenteo in illam adſportaretur,quod factum eſt pompabiliter, & plauſibiliter, ſtupentibus ſalo, ſolo, cœlo; ibique aſſeruatur etiam incorruptis ſpeciebus, & in proceſſionem defertur omnibus annis eodem die,quo tale miraculum ſucceſſit, nempè die vltimo Pentecoſtes.

CAPVT IV.

De Admirandis circa Pœnitentiam, Hominem lapſum à culpa ſubleuantem. Ex Pœnitentia effectus mirabiles apparentes. §. I.

QVid mirabilius, quàm hominem Pœnitentiæ beneficio tàm facilè ab animæ ſordibus repurgari? pœniteat peccatorem, humilique, & contrito corde cùm Dauide proferat: peccaui: & ſtatim reſonabunt melliſlua remiſſionis verba: Deus quoque tranſtulit peccatum tuum. Quędam igitur circa hanc mirabilem Pœnitentiam, hominem lapſum à culpa ſubleuantem, hic referam Admiranda. Et primò effectus admirandos ex eadem in omnium conſpectu apparentes; ex his etenim, qui in animæ penetralibus admirabiliori modo efficiuntur, ab orthodoxis arguentur; De his.

1. *Chryſoſtomus Henriquez in faſciculo Sanctor.* Monachus quidem iuuenis in Hemenrode, per carnis incentiua grauiter tentabatur, cùmque tot cogitationum turbine nimis affligeretur, Beato Hermano eamdem tentationem cùm lachrymis, & ſuſpiriis confeſſus eſt. Quem Prior conſolatus eſt, vt non deficeret ſpiritus eius, ſed potiùs confortaretur in Domino, & dixit. Quandò ſtimulus carnis te impugnauerit, ſic diabolo voce ſatis alta dicere debes. Diabole, confeſſarius meus præcipit tibi, vt ceſſes me tentare. Poſteà cùm *idem* tentaretur, & tentatio eadem maximè *inardeſceret*, ſimpliciter,& valdè confidenter voce ſatis clara, ſicut fuerat edoctus, contra Dæmonem clamauit dicens: Diabole, confeſſarius meus præcipit tibi, vt ceſſes me tentare. Mira virtus confeſſionis! ad hanc vocem, diabolus, ſpiritus videlicet fornicationis, confuſus fuit, & tentatio à iuuene ceſſauit.

2. *Fridericus Fornerus ex annuis litteris Soc. Ieſu ann.* 1585. Vir honeſtus, ac clarus, cùm aſſiduas dæmonis pateretur iniurias, petebatur enim crebrò lapidibus, nec vlla quies domi, foriſque dabatur; cùm multa, ac varia fruſtrà tentaſſet, donique leuationem aliam pręter eam, quam *ei* ſacerdos noſter attulit,non inuenit. Monuit Pater prius delendas eſſe maculas peccatorum, ſi ſe tranquillum reddere, & à dæmonibus tutum *vellet*; Cùm paruiſſet, & cùm reliqua ſe *familia frequenti* confeſſione purgaſſet, tandem Chriſto dæmon, & luci tenebræ conceſſerunt.

3. *Thomas Cantipratanus lib.* 2. *Apum cap.* 50. Erat vir multis notus, & clarus in Burgundiæ partibus, qui ad omnia vitia declinauerat, illorumq. pœnam iam à Deo iuſto iudice ſuſtinebat, *nam* ſqualenti mente tabeſcens,inciderat in languorem. Cùmque nulla medicorum cura proficeret,tandem in ſe reuerſus, ſolam miſeriæ corporalis cauſam, languorem animæ Diuina miſeratione præuentus, penitens intellexit; confeſſus ergo cùm lachrymis ſanctiſſimo cuidam ſacerdoti, ſtatim vbi beneficium abſolutionis accepit, ſeptem animalia ſimilitudinem ferè bufonum habentia in facie, ſed diuerſificata poſteriùs, quaſi vitiorum ſeptem dæmonia de ſe ſimùl eiecit. Mira res, vix modico temporis ſpatio interiecto in tabem animalibus reſolutis, refloreré cæpit caro prorsùs, & facies penitentis, menteque, & corpore integerrimè ſoſpitatus,multis poſteà profuit ad exemplum.

4. *Ioannes Oſorius ex litteris annuis Soc. Ieſu an.* 1584. Quidam in Hiſpania in ciuitate Toleti, cùm per plures annos grauia in confeſſione ſcelera reticeret, per quietem ſe vidiſſe narrabat ardentem in ſe diſtringi gladium ad aſpectum horribilem, ſe verò perterrefactum ſuſtuliſſe clamorem, Deoque, vt

vt sibi ignosceret supplicasse, promissione facta integrè confitendi; Tunc gladius in vaginam reconditus est, nec vsquam ampliùs apparuit. Visi fidem fecit accurata confessio, post quam momentò conualuit.

5. *Alanus Copus Dialog.* 2.*cap.* 28. Non mirum videri debet, quòd fideles in nouo orbe tàm frequenter confiteantur, & huius rei tàm sint studiosi, cùm ex perceptione huius Sacramenti, in se mirificum quemdam indè fructum, miramque animorum tranquillitatem senserint, & in alios, qui eam aut contempserint, aut plùs iusto distulerint, grauem sæpè animaduersionem viderint. Nàm prçter immensum animarum beneficium, multi ad deplorationem vsque cùm grauissimis morbis conflictarentur, repentè post confessionem, corporum quoque sanitatem recuperarunt.

6. *Sanct. Bonauentura in Vita Sancti Francisci cap.*15. In Zachanto, quod est castrum iuxta Ananiam, miles quidam, Gerardus nomine, oculorum lumen ex toto perdiderat; ex intercessione autem Sancti Francisci, cuius fratres hospitio receperat, facta suorum peccatorum, propter quæ cœcus euaserat, humili confessione, statim lumen recepit.

7. *Gregorius Turonensis, de gloria Confess. cap.*93. Cùm Archidiaconus Vrbis Treuericæ à Nicetico eius Episcopo pro adulterii crimine pulsaretur, Sacramento se ad S Maximini sepulchrum purificare expetiit; ingressusque primum cryptæ limen, restitit quasi stupens; dehinc descendens per gradus, ad aliud ostium venit, cùmque ad tertium accedere vellet, protinùs febre correptus, ingressum ampliùs figere non audens, crimen, quod imputabatur, in discrimine mortis positus, est confessus; & ecce statim, vt confessus fuit, ab impulsu febris erutus, sui Antistitis est in charitate receptus.

8. *Surius* 1. *Iunij*. Quidam iuuenis ad sepulchrum S. Simeonis Treuirensis Monachi ascendere voluit; sed pondere inuisibili aggrauatus, pergere non potuit; impulsus, tractus, ac denique portatus, sed interim magis, ac magis grauis effectus, adeò vt à multis viris tolli non posset, donec proposuit per confessionem se conscientiam expiaturum.

9. *Ioannes Bonifacius de Institutione pueri Christiani, oratio. de Religione*. Coniectum in vincula maleficum quemdam, pius quidam Sacerdos, vti se peccatorum pondere leuaret, & confiteretur de ipsis, sæpè admonebat, cùmque identidem rogatus parere nollet; vereri se Sacerdos dixit, nè Deus talem, ac tantam confitendorum criminum puniret tarditatem. Secuta mox fuit tàm periculosa febris, vt sibi iàm iàm moriendum esse vinctus putaret, vocatoque ad se eodem illo, qui consilium dederat, Sacerdote, vitæ lapsus omnes aperuit, peractaque confessione, releuari se modò sensit ægrotus, vsque adeò, vt postridie è lecto surgeret, pedibusque incederet; id cùm Sacer homo vidisset, rogare facinorosum illum morbo liberum cæpit, vt se gratum immortali Deo ostenderet propter recuperatam sanitatem, habendæque gratiæ optimam esse rationem dixit, si Christi hospes esse vellet, atque conuiua. Sacerdoti iusta petenti, minimè parere voluit vinctus, obstinationisque pænas confestim dedit, morbo, quo paulò ante solutus erat, redeunte. Tùnc homo pertinax, graue esse scelus intellexit, hortatori suo non obedire, cùm præsertim idipsum Deus dupplicato indicio monstrauisset, quare tertium diuinæ vltionis telum expectandum non censuit, confessusque iterùm, cælesti se pane recreauit.

10. *Cæsarius lib.*3.*Mirac.cap.*17. Decem hæretici in Ciuitate Argentina, quæ est Strasburg, comprehensi sunt, qui cùm negarent, per iudicium candentis ferri conuicti, sententia incendii sunt damnati. Die statuto, cùm ducerentur ad ignem, quidam ex comitantibus vni illorum dicebat; Miser damnatus es, age vel nunc pœnitentiam, peccata tua confitendo, cui cùm post multa adhæsisset hæreticus, contritoque corde sua peccata confessus esset; Mira res, mox manus eius plenam recepit sanitatem. Licet posteà coniugis suasu in errorem iterùm lapsus, iterùm manus eius concremata apparuit, à iudicibusque comprehensus, flammisque adiudicatus, in cinerem redactus est.

11. *Idem ibidem cap.*21. Cùm quodam tempore Christiani Hierosolymam proficiscerentur, atque per mare vastum naui eò veherentur, repentina quædam, & turbulentissima tempestas adeò vehementer excitatur, vt vectores omnes pauido, & anxio timore vrgerentur, eorumque membra horrerent. Sed in Naui erat homo grauibus, nefandisque criminibus saucius, qui benè cognoscebat sua causa tempestatem illam atrocem à Deo factam; vndè plurimùm commotus, reliquos in Naui præsentes ad se omnes conuocat, quibus palàm peccata sua turpissima in Deum commissa confitetur, & recenset; ex quo etiam tanta tempestas sedata est, moxque mare perturbatum etiam tranquillatum est.

12. *Petrus Vener. Abb. Cluniac. lib.* 1. *mirac.* Quidam iuuenis Teutonicus, cùm infamia turpis amoris erga quamdam fœminam laboraret, in extremis constitutus, cætera quidem peccata confessus est; illius tamen fædi amoris, reum se negauit, dicens. Sic hoc Domini Corpus, quod attulisti, ad salutem suscipere merear, sicut huius rei, quæ mihi obiicitur, aliquandò culpam non incurri. Hac presbyter responsione credulus redditus, Dominicam ei communionem iam securus tradidit; qua ore suscepta, glutiendi virtus ægro protinùs ablata est. Nàm cùm paulò ante quibuslibet etiam grassioribus cibis facilis esset ad ima descensus, hoc paruissimum Corporis Christi fragmen, non dicam stomachum, sed nec etiam guttur, vel paululùm attingere potuit. Confitens postea peccatum suum, & pænitentiam agens, facilè sacram deglutiuit Eucharistiam.

13. *Mar. DelRius in Magnif. libr.*4. *capit.*4. *quæst.*4.

quæst.4.sect.3. Quidam in Ciuitate Cameracensi, ex incendio superato, adeò facie deformatus, totusque vstulatus remansit, vt videntibus esset horrori. Cùm igitur post aliquot dies ad expiandas in Sacramentali confessione animæ maculas accessisset; statim ac interna peccata cæpit manifestare, & crustulæ vstulatæ faciei cæperunt ab eius vultu cadere; nec priùs fuit finis confessionis, quàm omnes abessent, ipseque pulcher, & mundus sicut internè, ita & externè appareret.

14. *In actis Sancti Antonij Patauini*. Post mortem Sancti Antonii Vlyssipponensis, innumera per eum miracula Deus edidit, inter illa hoc singulare, vt quicumque infirmi ad eius corpus accederent, siquidem confessionem præmisissent, sanitati restituebantur, secùs verò, si non præmisissent.

15. *In litteris annuis Goensibus Soc. Iesu ann. 1627.* Recenter anno 1620. in Goensi Prouincia Indiæ Orientalis, admirandum contigit in Mozambique homini malæ vitæ; Hic audito aliquandò die Sabbati pulsu campanæ ad Salue Regina, in Ecclesia decantari solitum, perrexit eò & ipse; sed ad vestibulum portæ Templi repentè perdidit vsum pedum, adeò vt intrare minimè posset, cùm id sæpiùs tentasset. Constituit ergo domum redire, sed non potuit, quòd pedes plumbo grauiores attollere non valeret. Ad vicinum igitur murum se inclinans, dùm vicem suam dolet, & miratur, vidit ibi vicinam Beatam Virginem ad Murum. Huic queritur suam miseriam, & fatetur se ob peccata sua vtique impediri ab ingressu Ecclesiæ, ad eius pium canticum audiendum. Quid igitur Domina, quid me vis facere? en paratum me. Dùm hæc ille, quidam Pater noster casu ei occurrens è vicino Collegio, monet, vt suæ salutis causam agat cùm Deo; cui ille: verum est Pater, debeo confiteri; & hoc emisso proposito, sentit sibi restitutas ad ambulandum vires. Fecit ergo confessionem Patri, à 13. annis, quibus confessus non fuerat, iussitque, vt Pater hoc collatum ei beneficium vndique diuulgaret.

Remissio peccatorum per Pœnitentiam, signis admirandis demonstrata.

§. 2.

VT quæ delicta Pœnitentia obliterauerit in anima, & ipsis deleta innotescerent pœnitentibus, admirandis, prodigiosisque signis sæpè sæpiùs benignè permisit omnipotens, & misericors Dominus. De quibus.

1. *Vincentius in Spec. Histor. libr. 26. capit. 31.* Temporibus Beati Theodori Compostelanensis Episcopi, quidam graue peccatum commisit, quod vix sacerdoti suo, & Episcopo ausus est confiteri. Quo audito, Episcopus stupefactus, pœnitentiam ei dare non audens, hominem illum cùm cedula, in qua erat peccatum illud scriptum, ad Sanctum Iacobum misit; qui cùm venisset illùc die festo eius, cedulam super Altare posuit flens, & rogans Sanctum Iacobum, vt meritis suis deleret illud peccatum. Intereà Episcopus ad missam celebrandam accessit, & cedulam illam videns, cùm quæreret, cur, & à quo posita esset, ibi *vir ille* protinùs occurrit, & rei seriem cunctis audientibus flens narrauit; litteras illas aperiens, & nihil ibi scriptum reperiens, peccatum illud dimissum cunctis mirantibus, intellexit.

2. *In vita Sancti Aegidij Abbatis*. Rex Carolus ad Sanctum Ægidium profectus est, illumque rogauit, vt pro se oraret, quia quoddam facinus fecerat, quod nulli vnquam, nec ipsi Sancto confiteri audebat. Sequenti igitur Dominica dùm Sanctus Ægidius celebrans pro Rege oraret, apparuit ei Angelus Domini super Altare, cedulam tenens, in qua scriptum erat per ordinem, & peccatum Regis, & Ægidij precibus iam dimissum, si tamen eius pæniteret, & ab illo cessaret.

3. *Surius in vita Sancti Emerici 4. Nouembris*. Conradus quidam, natione Germanus, propria peccata scripserat, vt illorum pænitentiam ageret; confugit ergo ad Beati Emerici sacellum, exorat Diui numen Adolescentis; deindè opinione celeriùs vincula, quibus erat obstrictus, vndique disrupta concrepuere. Pugillares facinore confessionis nudi, rescisso sigillo, spontè patuere, in quibus nullum peccatum, ne minima quidem littera inspici poterat.

4. *In vita Sancti Ioannis Eleemosynarij 23. Iann. apud Bollandum*. Dederat mulier quædam S. Ioanni, dùm adhùc viueret, chirographum, in quo scripserat propria peccata; post autem illius mortem tribus diebus perseuerauit ad sepulchrum Sancti, & cibum, aut potum omninò non gustans; tertia verò nocte dùm rursùs cùm lachrymis eosdē duros, ac fideles sermones Beatissimo diceret; ecce egreditur Dei famulus de tumulo suo, occulatim apparens cùm duobus Episcopis, qui cùm eo iacebant, vno hinc, & altero hinc, aspectantibus, & dicit ad eam. Vsquequò mulier, *hos, qui* hic sunt, commoues, & non dimittis eos quiescere? Infuderunt enim stolas nostras lachrymæ tuæ. Et hæc dicens, dat ei proprium petaccium bullatum, dicens; suscipe, recognoscis hoc? Solue, adspice. Et in se ipsam ex visione veniens, vidit iterùm Sanctos ingredientes in proprium locum, & soluens, inuenit litteras suas deletas, & subscriptionem sub eis habentem sic. Propter Ioannem seruum meum deletum est peccatum tuum.

5. *Cesarius libr. secundo, capit. 10.* Annus modò vicesimus est secundus, plùs minùs, eo tempore, quo ad ordinem veni, qui fuit ab Incarnatione Domini millesimus ducentesimus, vno minùs, in quo tale quid à viris religiosis, & litteratis, vt sunt Abbates & Scholastici, contigisse Parisijs veraciter intellexi. Erat ibi iuuenis quidam in studio, qui suggerente humani generis inimico, talia quædam peccata commiserat, quæ obstante erubescentia, nulli hominum confiteri potuit: cogi-

cogitans tamen quæ malis præparata sunt tormenta gehennæ,& quæ bonis abscondita sunt gaudia perennis vitæ, timens etiam quotidiè iudicium Dei super se, intùs torquebatur morsu conscientiæ, & foris tabescebat in corpore: quid plura? tandem miserante Deo, timor ille seruilis verecundiam vicit, qui sicut seta filum, charitatem inducere consueuit. Veniens ad Sanctum Victorem, Priorem vocauit, & quia confitendi gratia venisset, indicauit. Ille paratus ad tale officium, sicut omnes sunt fratres eiusdem Monasterii, statim venit, in loco deputato sedit, præmissaque exhortatione, iuuenem confiteri volentem expectauit. Mira res, tantam hora eadem pius Dominus, cuius natura bonitas est, cuius voluntas potestas est, cuius opus misericordia est, cordi eius contulit contritionem, vt quotiès confessionem inciperet, toties singultibus intercepta vox deficeret; in oculis lachrymæ, suspiria in pectore, singultus erant in gutture. Hæc vt vidit Prior, dicebat Scholari; vade, scribe peccata tua in schedula, & defer ad me. Placuit consilium iuueni, abiit, scripsit, die altera rediit, & si confiteri posset iterùm tentans, vt priùs defecit; & cùm nihil proficeret, schedulam Priori porrexit. Legit Prior, & obstupuit, dixitque iuueni. Non sufficio tibi solus dare consilium, vis vt ostendam Abbati? & licentiauit eum. Venit Prior ad Abbatem, & porrexit schedulam legendam, rem ei per ordinem exponens. Quid deindè gestum sit, audiant peccatores, & consolentur, desperati & recreentur. Mox enim, vt Abbas cartulam ad legendum aperuit, totam eius continentiam deletam inuenit; impletumque est in eo, quod Dominus per Isaiam dicit. Deleui vt nubem iniquitates tuas, & quasi nebulam peccata tua. Et ait Abbas Priori. Quid legam in schedula ista? nihil in ea scriptum est. Hæc vt Prior audit, schedulam simùl cùm Abbate respexit, dixitque ad illum. Scias pro certo Paternitas vestra, supradictum iuuenem in hac schedula scripsisse peccata sua, & cùm à me fuissent lecta, vobis etiam donaui legendam, sed vt video misericors Deus, qui maximam iuuenis contritionem attendit, culpam iàm sufficienter punitam, iustè deleuit. Deletio siquidem totius scripti, abolitionem significat totius delicti, & aduocatum scholarem, ostenderunt schedulam, dicentes, eius peccata diuinitùs esse deleta; quam cùm perspexisset, & ex signis benè cognouisset, in tantùm cor eius ex magnitudine gaudii est dilatatum, in quantùm priùs ex magnitudine tristitiæ fuerat angustiatum; & nullam ei iniungentes satisfactionem, monuerunt, quatenùs Deo de perceptis beneficiis gratias ageret, atque de cætero cautiùs viueret.

6. *Simeon Metaphrastes*. Theophilus presbyter in Cilicia, ab officio Archidiaconatus per iniuriam eiectus, diabolo chirographum confecerat, quo se illi tradebat, Christo repudiato, si modò per illum dignitatem amissam recuperasset. Cùmque pristino honoris loco restitutus esset, ad se rediens, vehementer animo consflictari cæpit, & ad Beatam Dei Genitricem Mariam Virginem conuersus, auxilium cùm lachrymis implorare. Igitur diebus quadraginta in luctu,iugiq. supplicatione peractis, apparens Virgo, mæstum consolata est, salutem sperare iussit. Ac post triduum iterùm apparens, peccatum ipsi dimissum denunciauit. Chirographumque, quod Dæmoni dederat, supra suum pectus reperit, dùm à somno expergisceretur.

7. *Baronius ann. 842. ex Gennadio Patriarcha Constantinop.* Sanctus Patriarcha Methodius, volens experimento cognoscere, an Deus Theophilo Imperatori in hæresim lapso, ad Catholicamque veritatem mox conuerso, peccata condonasset; accepto chirographo, ei inscripsit omnium, Theophili in Imperio, decessorum hæreticorum nomina, annectens illis ipsius Theophili nomen, sicque obsignans cùm omni diligentia in Sacra magnæ Dei Ecclesiæ mensa, sub mappa tegente reponit. Hoc ita facto, dùm vnà cùm toto cœtu precibus, ac orationi insistit, videt ipse multo lumine coruscum, ac diuinum Angelum ad se venientem, sibique in hunc modum loquentem. Ecce exaudita est oratio tua, ò Episcope, obtinuitque veniam Theophilus Imperator, non ampliùs igitur pro eo Deo sis molestus. Ille tremens à somno surgit; ac scire volens, nùm esset vera visio, cùm statim ad Ecclesiam venisset, ac chirographum accepisset, illud aperiens, inuenit aliorum quidem in eo hæreticorum scripta nomina, vti priùs habebant; Theophili autem nomen nusquam comparuit; sed erat locus, quo scriptum fuisset, omninò mundus. Re igitur adeò noua, & mirabili omnibus manifestata, laudauerunt Deum suum.

8. *Tursellinus in Histor. Lauret. libr. 3. cap. 33.* Quidam iuuenis effusus in omnes Veneris voluptates, vt mulierculæ fieret compos, cuius aliter expugnare pudiciciam nequiuerat, à Christo Domino etiam ipse defecerat, schedula Dæmoni transcripta, sed enim resipuit tandem, & suscepta peregrinatione Lauretana, ibi sacerdoti rem aperuit. Instruitur probè; & spontè obitis corporis afflictationibus, triduique inedia tolerata, in Sanctissimum Deiparæ Domicilium introducitur. Ibi cùm lachrymis, præter alias preces, aliquotiès cùm singultu ingeminans Versiculos illos Hymni Parthenii.

Monstra te esse Matrem
Sumat per te preces
Qui pro nobis natus
Tulit esse tuus.

Inter manus suas chirographum repentè habuit, eoque potitus, atque assertus in libertatem filiorum Dei, grates cùm gaudio exsoluit Virgini Deiparæ liberatrici.

9. *Petrus de Natalibus libr. 2. capit. 28.* Mulier quædam omnia peccata sua in schedula scri-

pserat, & eam Sancto Basilio dederat, supplicans vt pro se oraret, vt Deus sibi peccata dimitteret. Qui dùm pro ea orasset, omnia peccata, præter vnum grauius, de charta deleta sunt. Quam Basilius ad Ephræm Eremitam misit, vt eius oratione peccatum illud deleri posset. Tunc Ephræm eam ad Basilium tanquam sanctiorem remisit, & vt veniens festinaret admonuit, eo quòd dubitabat, an ipsum viuum inuenire posset. Rediens ergo mulier, virum Dei defunctum reperit, qui iam ad tumulum portabatur, & dùm lamentabiliter fleret, & schedulam supra corpus defuncti posuisset, iterùm eam aperuit, & peccatum deletum aspexit.

10. *Vadingus in Annal. Minorum ann. 1225. num. 19. de Sancto Antonio Vlyssipponensi.* Die quodam, Sancti Viri concione adeò quidam mente compunctus fuit, vt cùm ad confitendum peccata sua ex eius consilio se compararet, præ suspirijs, & singultibus, nec vnum posset verbum proferre. Cùmque vir Sanctus ei diceret, vt peccata sua in scripta redigeret, eaque sibi legenda offerret: fecit ille, vt erat iussus, sed cùm cartulam vir Dei acciperet, ita scripturam omnem abolitam, & prorsùs obliteratam inuenit, ac si prorsùs nihil scriptum fuisset.

11. *Ibidem ann. 1289. num. 36. de Beato Petro Pectinario.* Ad maiorem sui confusionem, peccata omnia à pueritia commissa in chartula descripsit, perrexitque ad antiquum habitaculum Rauaccianum, à Sancto Francisco, extra vrbem, inchoatum, in quo ad Sancti viri memoriam extabat adhùc Ecclesiuncula, vel oratorium. Hìc expansa charta, cùm magna contritione cunctos perlegit reatus, & tanta cordis amaritudine defleuit, vt mirabili signo mereretur eorumdem remissionem, deletis per Angelum omnibus characteribus, & dealbata vt niue papyro.

12. *Ibidem ann. 1284. numer. 19.* Inuidebat quidam alteri diuitias, & potentiam, ortaque rixa, exarsit perpetuo odio, & iniquo desiderio æmulum è suo gradu deijciendi. Viam omnem tentauit, superos, inferosque conuocauit, vt vndè nocere posset aperirent. Malis struendis præsentiores Diaboli, qui impio hominis voto adfuerunt, neque tamen sine mercede; ea fuit, vt Dæmonum seruum deinceps se diceret, idque impresso in brachio stigmate, seù charactere, perpetuò profiteretur. Miser consensit, deindè Dominum suum veneraturus, præcipuum ex dæmonibus vnum, quotidiè ad secretum quoddam accedebat latibulum, à quo diuitiarum reportabat incrementum, ita vt iam posset cùm inimico contendere. Venit illùc quidam ex Minoritis prædicaturus, qui dùm de virtute, & efficacia Pœnitentiæ disertè differeret, nullumque esse peccati genus, quod per illam non possit deleri; mancipium illud diaboli corde compunctum, Dei gratia cæpit pœnitere. Detecta lachrymabundè conscientia prædicatori, qui plenæ remissionis donum concessit, & fiduciam impressit, amplius ostendit ei brachium stigmate signatum, quod nisi deleretur, se in illo versatum dixit timore, dominium aliquale dæmoni superesse. Exemplis Sanctorum Patrum, & aliis similibus euentibus, quos sacræ narrant historiæ, perrexit prædicator hominem confortare, abiitque cùm eo ad locum solitæ apparitionis, vbi flexis genibus cùm socio sub gemitu profundo, & lachrymis multis, dominum rogabat, vt deleto charactere, misello pœnitenti plenæ remissionis spem certam tribueret. Dùm ita orarent, magno turbine, & procellarum tempestate, obuia quæque concutiens, & arbores radicitùs euellens, dæmon accessit, dirè querens sibi proscriptum & signatum seruum ita ereptum. Magna constantia homo scelus suum confessus, abiurata priori apostasia, vidit manifestè characterem ex brachio deleri, & interna se sensit consolatione repleri.

13. *Henriquez in Menol 11. Ian. de Beato Petro de Confluentia.* De hoc fertur, quòd cùm aliquandò post sacramentalem confessionem ante pedes Beati Caroli Villariensis absolutionem cum magna deuotione expectaret, vocem de Cœlo audiuit dicentem sibi; Dimissa sunt omnia peccata tua.

14. *Idem in menol. Cisterc. 13. Decembris, de Vener. Dionysio Donato Ordinis Cisterciens.* Quadam die cùm in oratione coram Deo spiritum totis viribus effunderet, audiuit vocem dicentem sibi: Dionysi Frater, dispone conscientiæ tuæ morieris enim breui; dimissa sunt tibi peccata. Retulit ipse quod audierat inter confessiones Superiori suo, qui se hæc parui pendere *simulauit;* sed octo post diebus ægrotauit, & *Sacramentis* maxima deuotione, & insolita ædificatione sumptis intra paucos dies è vita migrauit.

15. *Marchantius in hort. Pastorum libr. 2. Tract. 1. lect. 8. ex Cardinali Vitriaco.* Quædam iuuenilibus annis florens puella, improbo parentis suasu, incestu se cùm illo *polluit.* Agalma Mater nefandi coitus non ignara, acerbis admodùm verbis filiam arguit de nefario hoc crimine. Illa peccatum suum propalatum acerbè ferens, venenato pharmaco vitam matri eripit. Pater, qui tùm aberat, domum reuersus, sinistrum hunc casum intelligens, filiam acerrimè obiurgat. Infælix puella id non ferens, desperationis ictu grauiter saucia, etiam Patri ceruicem obtruncare animum induxit. Quod, arrepta occasione remotis arbitris, perfecit. Tot ergo, tantisque designatis facinoribus, Dæmonis præda facta est, & peccata peccatis accumulans, sine fronte voluptatibus se prostituit. Contigit verò eam quodam die Templum ingredi, cùm Verbi Diuini Concionator diuinam misericordiam summè exaggeraret; addens neminem ita peccatis immersum, cui spes salutis nō affulgere debeat. Peracta cōcione bene iacto Verbi Dei semine, accedit sine mora ad Concionatorem, interrogat, nùm vera sint, quæ de Misericordia Dei præ-

prædicarat? Respondet illa verissima esse, pluribusque sententiis ea confirmat: At illa: Obsecro, Pater, si ita est, excipe confessionem meam, vt apud tantam misericordiam pius intercessor mihi fias. Vbi eam audiuit, cepit spatium cogitandi, quam ei pœnitentiam iniungeret. At illa; Quid hoc, inquit, Pater, iam misericordiam tantopere extollebas, & mihi nunc videris de salute mea desperare? Non ita, ò filia, sicut cogitas, sed in tuæ animæ bonum opto, vt cras concioni iterùm te sistas, & id pro pœnitentia salutari tibi iniungo. Illa tunc tantis ob peccatorum memoriam, dolorum, ac suspiriorum cæpit affligtari aculeis, vt è Templo egredi non potuerit, sed ibi charam Deo animam efflarit. Quod vt Concionatori nunciatum est, eam religiosis viris Cenobij commendauit. Sed his orantibus, audita vox è Cœlo est: Non est opus, vt oretis pro ipsa; potiùs ipsa orabit pro vobis.

16. *Thomas Cantipratanus libr. 2. Apum cap. 51.* Quod nostro tempore in Galliæ partibus accidit, fidelissima relatione traditum non silebo. Ad illum venerabilem Virum Magistrum Petrum de Corboel Senonensem Archiepiscopum, quidam peccator, qui propiam Filiam violenter oppresserat, confessionis gratia venit: confessus igitur maxima, & mirabili contritione, & lachrymis quæsiuit si vnquam posset vllo dolore, vel pæna à Domino veniam impetrare. Cui Præsul. Ita, inquit, indubitanter, si tanti mali pœnitentiam subire volueris: at ille vehementer exclamans, volo, inquit, etiam si mille mortes me sustinere volueris. Collachrymatus ergo infelici, immò iam felicissimo peccatori: Et ego, inquit, septennem tantùm tibi pænitentiæ pænam impono. Tunc ille; quid est, ait, quòd pænitentiam mihi flagitiosissimo septennem tantùm iniungis, qui si viuerem vsque ad finem mundi, tantum facinus pænis innumerabilibus diluere non valerem? Cui Præsul: Vade, inquit, & tres dies tantùm in pane, & aqua ieiuna. Tùm ampliùs ille plorans, & contundens se, rogabat, vt pænitentiam iniungeret salutarem. Supra modum ergo admiratus, & exhilaratus Antistes, tandem definitiuè præcepit homini, vt abiret, & vnum tantùm Pater noster diceret, sciretque pro certo peccatum sibi esse remissum. Nec mora: dirum ille emittens eiulatum, in terram procidens expirauit. Nec dubia fides, sicut Deo dignus Episcopus posteà prædicauit, quin idem pænitens sine vlla alia purgatorii pæna validissima tantum contritione purgatus, ad gloriam euolauerit.

17. *Sanctus Gregorius Magnus Homil. 34. in Euangel.* Vir quidam, nomine Victorinus, in quoddam facinus lapsus, vt eiusdem pœnitentiam ageret, in monasterium est ingressus; in eoque tantæ humilitatis, tantæque districtionis sibi extitit, vt semel dùm oraret, cœlesti irradiatus luce, meruerit vocem sibi dicentem, peccatum commissum iam deletum esse, fæliciter audire.

18. *Bzouius ann. 1341. num. 19.* Circa an. 1341. Didymotichi in Oriente, ciuis quidam haud ignobilis, vxorem adulterio pollutam suspicatur, nec fallebatur. Probationem igitur ferri candentis, quæ tunc in vsu erat, ab vxore exigebat. Illa facti conscia, probationem timebat, delictum fateri formidabat; ad Episcopum igitur confugiens, peccatum aperuit, lachrymis detestata est, in posterùmque castam futuram promisit; tunc Episcopus, ferrum ignitum, id quod maritus volebat, fidenter contingere iussit, per pœnitentiam enim peccatum dimissum, minimè manifestatum iri promisit; quod & accidit; candens enim ferrum à marito forcipe porrectum, diù illæsa manu tenuit, idque postea reposuit in quodam suggestu, qui ab eodem ferro vstulatus est.

19. *Cæsarius hom. in Dom. 1. post Pasch.* Erat ante paucos annos quidam miles in Saxonia, Ludolphus nomine, sed tyrannus actione. Hic cùm die quadam vestibus nouis, atq. pretiosis indutus per viam equitaret, rusticum cùm curru obuium habuit. Cuius cùm vestimenta ex rotarum impulsu luto aspergerētur, vt potè miles superbus, cōmotus est valdè, & gladio mox extracto, pedem homini præcidit, vndè posteà valdè compunctus in domo, quæ Porta dicitur, Ordinis Cistercienfis, factus est Monachus. Non multò post in grauem morbum incidens, cùm quotidiè peccata sua deplangeret, & maximè præcisionem iam dicti pedis, infirmario se consolanti respondit: Non potero consolari, nisi videro signa Iob in corpore meo. Et ecce post dies paucos cicatricem adinstar fili coccinei contemplatur circa talum suum in eodem pede, & in eodem loco, vbi rustico pedem truncauerat; qui paulatim cæpit putrescere, ita vt vermes de eo scaturirent. Tunc repletus gaudio, ait. Modò de venia spero; modò Iesum in me resurrexisse credo; quia signa Iob in meo corpore video; Sicque in multa cordis contritione, atq. gratiarum actione, inualescente morbo, spiritum reddidit.

20. *Chrysostomus Henriquez in fasc. Sanctorum Ordinis Cisterc. lib. 2. distin. 26. cap. 18. de B. Abrahamo Abb. Pratea.* Hic cùm adhùc esset ætate pariter, & religione nouellus, modicam panni noui scissuram ad resarciendam vestem in lectulo suo sine licentia recondidit, sed dùm eam paululùm requisisset, & reuersato vndique stramine, minimè reperisset, miratus abscessit, & remordente conscientia, furtiuam rapinulam priuata confessione quantociùs delere curauit. Et, ò magna virtus confessionis, cùm post modicum temporis interuallum, solus in coquina scutellas ablueret, ecce subitò panniculus per aerem lapsus, & velut aliquo portante, manibus eius nexus est; quatenùs cùm ipso sordes materiales detergeret, propter quem sordibus proprietatis animam eius Sathanas fædare tentauerat. Talem pro leui defectu pænam luit, vt indè cautior effectus, perfectionem, ad quam peruenit, obtineret.

21. *In vitis Patrum.* Quidam Monachus per pænitentiam propria peccata delere curabat, cupidusque habendi fiduciam diuinæ misericordiæ, & indulgentiæ sibi concessæ, Dominum rogabat, vt in huius rei signum, lucerna eius diuinitùs accenderetur. Postquam igitur nocte Resurrectionis Dominicæ tribus vicibus hæc eadem orasset, exauditus est, & exurgens, inuenit lucernam arden-

tem clarè, cognouitque Deum sibi peccata indulsisse.

22. *S. Antoninus 1. par. Chron. tit. 6. cap. 6. §. de Sancto Ioanne Euangelista.* Sanct. Euangelista, videns duos, qui relicto sæculo, & auro, ad ipsum confugerant vt meliorem vitam ducerent, iterùm seculum, diuitiasque relictas appetere, lapides in gemmas, virgasque in aurum conuersas, illis tradidit, & ad sæculum redeundi liberam dedit facultatem; at miraculo cuiusdam pueri à S. Euangelista suscitati, qui illis eorum stultitiam exprobrauit, vt qui æterna pro temporalibus parupenderent, compuncti illi duo iuuenes, ad pedes Ioannis prostrati misericordiam postulabant. Quibus Ioannes mandauit, vt triginta diebus pænitentiam agerent, & hoc pro signo caperent susceptæ à Deo misericordiæ, quandò virgas aureas, & lapides illos pretiosos ad naturam pristinam redacti essent. Quod & fecerunt. Postmodùm in sancto proposito permanentes miraculis effulserunt.

23. *Petrus de Natalibus libr. 4. capit. 147. de Sancto Metrone.* Metron confessor Veronæ colitur, in Ecclesia S. Vitalis sepultus, de quo fertur, quòd illùc peregrinus aduenerit; sed vndè venerit, aut quo loco exortus fuerit, ignoratur; ibique existens, nouum pęnitentiæ modum adinuenit; nàm lapidi, magno compede in cruce posito mediante, se affixit, clauemque compedis in flumen Athesim proiecit, hoc sibi signum proponens, quòd quandòcumque clauem reperiri contingeret, ab omnibus peccatis se absolutum cognosceret. Post plures itaque annos, appropinquante die vocationis eius, piscis capitur, in cuius ventre clauis illa reperitur, animam iam sanctificatam designans, & corporis dissolutionem instantem prænuncians, quæ post dies modicos facta est.

24. *Idem lib. 8. cap. 75. de S. Maurilio Episcopo.* Dùm cuidam Matronæ sterili filium à Domino precibus impetrasset S. Maurilius, illaque parùm febricitantem ad Maurilium celebrantem in Ecclesia Sancti Petri baptizandum adduxisset; dùm missa protraheretur, puer sine baptismo expirauit. Ille verò quasi negligentiæ conscius, acturus pœnitentiam ab Ecclesia sua aufugit; claues reliquiarum secùm tulit, quæ dùm per mare nauigaret, casu in aquam ceciderunt. Episcopus autem, quasi hoc Diuinæ vltioni adscribens, vouit se nunquam ad sedem suam reuersurum, nisi claues ipsas diuinitùs rehaberet. Sicque in habitu peregrino, transmisso mare, domini cuiusdam hortum colere cœpit. Requisitus est vbique per septennium à ciuibus, sed minimè inuentus. Dùm autem quidam ex eius Clericis ad eum quærendum mare transire vellent, scripturam ab Angelo inueniunt lapidi insculptam, continentem, Maurilium illàc transfretasse. Læti ergo, dùm portum in nauicula transeunt, piscis ingens in nauem prosiliuit; quem exenterantes, claues in ventre reperiunt, quas benè recognoscunt, Mauriliumque cùm clauibus in mari demersum putauerunt. Et dùm tristes redire disponeret, hospitati serò apud dominum, cùm quo Episcopus eorum morabatur, Maurilium vocari audierunt, eumque recognoscentes, vt repatriaret exhortantur. Recusanti quoque, & votum suum alleganti, claues ostendunt; sicque sanctum cùm gloria ad sedem suam reducunt, qui statim iuxta sepulturam pueri se prostrauit, nec ab oratione destitit, quousque puer reuixit, quem ipse baptizatum, Renatum vocauit, & in lege Domini eruditum, successorem Episcopatus habuit.

25. *Chrysostomus Henriquez in fasciculo, de Sancto Bernardo Caluonio Abb.* Vt ampliùs Diuinæ Maiestati placeret, magis quàm more solito consueuerat, ieiuniis, abstinentiis, & pœnitentiis se dedit, arctiùs quoque cingulum ferreum corpori strinxit: quod vt clausit, clauem in mare proiecit, ea intentione; vt nunquam illud deinceps deponere posset. Nocte ergo appropinquante, nautæ omnes cæperunt corpora sua laboribus perturbata tradere somno: Solus Diuus Bernardus pro custode vigilantissimo remansit, & in puppi humillimè omnipotentem Deum fusis lachrymis exorauit, & delictorum suorum veniam petiit. Cùm ecce mari pacifico subitò ventus rapidus flauit, qui celerrimo cursu nauem ferebat, ita vt illucescente die, Barchinonem aduenirent, vndè ante aliquod tempus nauigium conscenderant, & nautæ cæperunt instrumenta nauis studiosissimè reparare. Beatus Episcopus ad Monasterium quoddam Beato Hieronymo dicatum profectus est, vbi Domino Deo gratias egit, propter pericula illa, quæ auxilio diuino euaserat, orans, vt vellet intentionem eius, sanctissimæ suæ voluntati conformare. Sequenti die postquam sacrum celebrasset, culinam intrauit, vbi monasterii cocus pisces ad edendum accommodabat, qui dùm attentè à Sancto Præsule respiceretur, inuenit in quodam pisce paruam clauem, quam miratus, Diuo Bernardo videndam tradidit, qui non sine stupore cognouit esse eam, quam manibus suis in mare proiecerat. Tunc gratias Deo agens, clarè agnouit, se peccati sui veniam impetrasse, & hanc esse voluntatem Diuinam, vt ad Episcopatum suum rediret.

26. *Petra Sancta de Ritibus cap. 41.* S. Malchaldus, vt iugem pœnitentiam efficeret, compedibus, & catenis vinctus, in mare abiecerat clauem, ac se nauigio sine velo, ac remis commiserat. Sed enim cùm nauigasset peregrè, à piscatoribus piscis prægrandis captus est, in cuius ilijs clauis, quam vorauerat, reperta est. Quocirca S. Malchaldus interpretans acceptam à Deo pęnitentiam, claustra catenarum & compedum reclusit.

27. *Mosandus in vita Sancti Attilani Episcopi 5. Octobris.* Cùm Sanctus Attilanus Episcopus Zamorensis quadam die, annulum quem digito gestabat in flumen deiecisset, dicens. Quandò annulum hunc reuisero, tunc ab Omnipotenti Deo omnium delictorum meorum veniam promerebor, paulò post, cùm ad Domum cuiusdam, peregrinus, & incognitus diuertisset, in magno pisce, quem ille ad comedendum parabat, annulus inuentus est; Sanctusque gratias agens Deo, cognouit sibi remissa omnia peccata.

28. In

28. *In Vita S.Arnulphi Metensis Episcopi.* Hic anno Christi 485. peccatorum veniam à Deo poscens,annulum proiecit in Mosellam,dicens. Tunc me putabo culparum nexibus absolutum, quandò istum, quem proiicio, recepero annulum, ac post aliquod tempus annulum hunc in pisce sibi à piscatore allato inueniens, peccata sibi remissa cognouit, Deoque gratias egit.

29. *In actis S.Godehardi Episcopi.* Sub eodem tempore venit in Ecclesiam nostram vir quidam magnæ pœnitentiæ, & austeritatis, qui per multa tempora carnem suam vigiliis, & ieiunijs domauerat, adeò vt & loricam indutus ad carnem portaret; hic cùm deuotè coram Patrono nostro orationibus insisteret, multis videntibus per gratiam Dei lorica quasi tela araneæ dirupta est, & vsque ad terram delapsa. O virum omni laude dignissimum, cuius meritis & vincula peccatorum dirumpuntur, & ligaturæ ferreæ dissoluuntur.

30. Alia his similia videantur in Tom. 1. lib. 5. cap. 2. §. 3. cùm de Ferreis vinculis diuinitùs confractis.

Confessio, & lachrymæ, ad delendas culpas, diuinitùs impetratæ.

§. 3.

ADmirandis quibusdam modis lachrymæ ad delenda peccata, eorundemque repentinæ humilesque confessiones, quandòque precibus sanctorum mirabiliter impetratæ fuere. De his.

1. *Guilielmus Abb. in vita S.Bernardi Abb. lib. 1. cap. 13.* Noui ego Clericum quemdam, Nicolaum nomine, sęculo penè desperabiliter deditum, sed per S.Bernardum sæculo liberatum. Qui cùm in Claraualle Monasticæ conuersationis habitum, & ordinem suscepisset, videns eos qui de sæculi naufragio illùc confugerant, naufragii sui damna continuis redimere lachrymis, idem ipse facere volens, nec valens præ duritia cordis sui, rogabat eum cùm magno cordis dolore, vt impetraret sibi à Deo gratiam lachrymarum. Orauit, tàmque ei, & tàm continuam impetrauit compunctionem cordis cùm gratia lachrymarum, vt vix aliquandò vltrà inuenirentur vultus eius in diuersa commutati, vel oculi eius sine lachrymis, etiam cùm comederet, cùm iret per viam, vel dùm cùm quolibet loqueretur.

2. *Chrys. Henriquez in fasc. de B.Vualtero de Traiecto.* Habitabat tunc in eodem cœnobio Monachus quidam religiosus valdè,ac redolētis famę, qui solicitè studebat ambulare coram Deo suo, & quidquid ab eo petebat, impetrabat. Ad quem B. Iuuenis VValterus accessit, humiliter deprecans, vt pro eo Dominum rogare vellet. Cui respondit Monachus. Quid vis vt impetrem tibi?elige liberè quidquid tibi placuerit. VValterus autem veritatem verborum illius volens probare, dixit ei. Volo vt obtineas mihi post missam gratiam lachrymarum, quibus peccata mea deplangam. Quod ille confidenter promisit. Sequenti verò die, cùm B.VValterus coram altare post sacrificium Missæ moram faceret, & esset in oratione solus, tanta illi fuit abundantia lachrymarum, vt ipsemet miraretur. Postea verò cùm vidisset eum supradictus Monachus, cæpit signis dicere illi, & interrogare, si benè se haberet, Gratiam quam petierat, sibi notans fuisse collatam.

3. *Idem in vita S. Malachiæ.* Vir secundùm sæculum honorabilis, secundùm Deum timoratus, veniens ad Malachiam, questus est super sterilitate animæ suæ, supplicans, vt sibi obtineret ab omnipotente Deo gratiam lachrymarum. Et subridens Malachias, quod gratum haberet in homine sæculari desiderium spirituale, suam maxillam maxillę illius quasi blandiendo coniungens; fiat inquit tibi sicut petisti. Tantos exindè, & penè continuos exitus aquarum deduxerunt oculi eius, vt illud scripturæ ei posse aptari videatur:Fons hortorum,puteus aquarum viuentium.

4. *In Menologio Cisterciensi 11. Augusti de B. Daniele Monacho.* Cùm illi apparuisset Saluator, Daniel, inquit, pete à me quod vis, & fiet tibi. Cui ille; sufficit mihi gratia tua, nihil aliud à te peto, nisi tantùm, vt lachrymas habere possim, quoties passionis tuæ fuero recordatus. Et Dominus. Hanc tibi gratiam concedo. Et ab illa hora, quandò de Passione Christi vel loqui, vel cogitare incipiebat, imbres lachrymarum in magna abundantia fluebant.

5. *In vita S. Catharinæ Senensis.* Raymundus à Capua S.Catharinæ Confessarius,aliquandò ab ea petiit, vt precibus suis à communi Domino impetraret bullam (sic enim loqui illi placuit) plenariæ indulgentiæ, per quam ipse Raymundus certior redderetur sibi peccata omnia fuisse dimissa.S. VirgoCatharina pollicita est se bullam eiusmodi à Domino postulaturam. Sequenti die præmissa oratione ad Deum pro bulla impetranda, Raymundum adiuit D. Catharina, & dùm loqueretur de ingratitudine hominum erga Deum, tactus Raymundus spiritu sancto,intueri sibi visus est peccatorum suorum multitudinem, & magnitudinem tàm perspicuè, vt continuò ex amarissima contritione tantam vim lachrymarum effuderit,& in singultus, & rugitus tales proruperit,vt periculum fuerit,ne pectus, & cor eius disrumperetur. Tùm virgo: Hæc inquit est bulla indulgentiæ, quam tibi Dominus misit; esto igitur gratus gratiæ Dei. Sic illa recessit, & ille mirum in modum lætus cùm Propheta Regio dicere potuit. Auditui meo dabis gaudium, & lætitiam, & exultabunt ossa humiliata.

6. *In actis Ven.Vrsulæ Benincasæ, c.42.* Cùm an. Domini 1578. in festo Purificationis B. Virginis, Abbas Gregorius Nauarro, à Virgine Vrsula petiisset, vt precibus, & orationibus à Deo sibi humilitatem, suorumque peccatorum dolorem impetraret; quadam die, dùm ad eam inuisendam progrederetur, tanto dolore, tantaque lachrymarum copia propria cæpit detestari peccata, vt optimè cognouerit, pētitam gratiam, à Virgine sibi impetratam fuisset.

7. *Marchantius lib. 2. Hor. Past. Tr. 3. lec. 10.* Nobilis quidam adolescens (vt refert Baldesanus) ex potenti ciuitate Italiæ, cùm esset immersus volupta-

lupta-

luptatibus, accessit quodam die ad confessariũ, qui ei multa proposuit de pœnitentia agenda. Sed huic adeò noua, & terribilia videbantur, quæ à Confessario dicebantur, vt è multis pœnitentiæ modis propositis, negaret se vllum ex iis posse pati. Quid faceret confessarius? Hoc solùm monet, vt saltem quartã horæ partem impendat in hac cogitatione: Iacere se in lecto, brachiis in formam Crucis compositis, ad caput cereo, ad pectus Crucifixi imagine, cogitans quid vellet tunc fecisse. Paruit adolescens, ita vt repentè illustratus, conspecta peccati grauitate, totus in lachrymas solueretur. Postridiè ad Confessarium accedens, miro cùm dolore peccata sua deflet, etiam longè maiores paratus assumere pœnas, initium fecit melioris, ac sanctioris vitæ.

8. *Spondanus in annal. Eccles. ann.* 1448. *num.* 14. Legitur apud Surium ex relatione Theodorici Pauli Gorcomensis Presbyteri, qui interfuit. Henricum quendam Koek Traiectensem lanium, virum pium apud Gorcum existentem, fermè septuagenarium, cùm in Domus conflagratione nocturna nudus flammis correptus fuisset, tametsi illis grauiter torqueretur, maiori tamen dolore affectum, quòd sacramentis Ecclesiasticis non esset premunitus, ad B. Barbaram, qua potuit deuotione preces emisisse, vt fieret sibi eius intercessione, quod olim ipsi pro Christo morienti cœlitùs fuisset promissum (nimirùm, vt quicumque piè, ac deuotè eius implorarent opem, à morte subitanea liberarentur, & sacramenta Ecclesiæ participarent, vt in eius vita narratur) vixque oratione finita, adstantem Sanctam, pallio flammarum globos restinguẽtem, miserum eduxisse in locum tutum, monitum ad auroram vsque sibi diuinitùs vitam prorogari ad Confessionem, & Viaticum, cùm alioqui lacerum, & deforme corpus ab imo pedum vsque ad capitis verticem adustum, nec minùs intrà, quàm extra corpus, torridum esset, vt assati cadaueris speciem magis, quàm hominis præseferret, & pendentibus à capite, aliisque vniuersis membris, vndique frustis, ac segmentis, hiantibusque vulneribus, etiam exta nudarentur cremata, vix ossibus modica adhærente carne nigra, & ferri instar rigida, denique præter oculos, linguam, & cor, nihil reliqui existente, non solùm integri, sed nec alicuius formæ; his solis Sanctæ interuentu à Deo sanis, ad effectum supradictum seruatis, nulloque in reliquis vt potè præmortuis doloris sensu. Iuisse nihilominùs tale monstrum magis quàm hominem per se ipsum in domum filiæ indè longè distantem, rem cunctis ad miraculum concurrentibus annunciasse, laudes diuinas, ac Beatissimæ Virginis Matris, Sanctæque Barbaræ magnificasse, peccata eidẽ ipsi Theodorico Sacerdoti confessum esse, atque ab eodem cætera Sacramenta suscepisse, ac piè in Domino obdormisse ad auroram, ad quam, inducias à Barbara acceperat.

9. *D. Bonauentura in vita S. Francisci cap.* 10. Cùm S. Franciscus quodam tempore Celanum prædicaturus accederet, miles quidam inuitauit eum ad prandium; antequam verò cibum sumeret, de more vir mente deuotus, offerens Deo preces, oculis stabat eleuatus in cœlum. Oratione completa, benignum hospitem familiariter aduocatum in partem, vt propria peccata confiteretur admonuit, futurum enim erat, vt citò moreretur: paruit miles, statimque cùm lachrymis sua omnia confessus est peccata. Intrauerunt tandem ad mensam, & incipientibus aliis manducare, hospes subitò spiritum exhalauit.

10. *Guill. in vita S. Bernardi libr.* 1. *capit.* 9. Cùm S. Bernardus aliquantos in Claraualle explesset annos, contigit virum nobilem, & ipsius quoque secundùm carnem propinquum, Iosbertum de Firmitate, quod est oppidum propè Monasterium, grauiter infirmari, qui subitò præoccupatus, amisit intellectum pariter, & loquelam, vndè & filius eius Iosbertus iunior, & omnes amici, eò magis affligebantur dolore, quòd sine confessione, & viatico vir Magnificus, & magnificè honoratus obiret. Cucurrit Nuncius ad Abbatem, neque *enim tunc* in Monasterio erat, venit ille, & *inuenit eum iam* triduò sic iacentem; tuncque dixit omnibus circumstantibus, quòd si promitterent restituturos Ecclesiis, & pauperibus, quæ infirmus abstulerat, vsurpaueratque, ipse adhùc loqueretur, suaque confiteretur peccata. Promiserunt illi, fusisque à sancto Deo precibus, qui loquelam amiserat, locutus est, propriorumque delictorum integram cùm lachrymis fecit confessionem.

11. *In Ann. Soc. Iesu an.* 1552. Ferdinandus quidam Hispanus, cùm sua peccata confessus fuisset P. Cornelio è Societate Iesu, & vnum peccatum in illa reticuisset, à Dæmonibus comprehensus, & ferè exanimatus est; at precibus eiusdem P. Cornelii ad vitam vocatus, integram cùm maximo dolore perrexit confessionem.

12. *Ioannes Bonifacius lib.* 4. *c.* 3. *Sodalis* quidam cùm in se inquirendi quid *cogitasset, dixisset*, egisset, omisisset, adhibito *studio*, recognosceret, obsecraretque Reginam Angelorum, vt omnia sibi fas esset confiteri peccata, nec vno quidem prætermisso, ecce tibi sublimi ante faciem orantis pagella decidit candore eximio, quæ minutis quidem litterulis, sed elaboratis quoddam illius peccatum expresserant. Hoc addito, si illud aperiret, pièque Rosarium recitaret in honorem Deiparæ, benè secùm actum iri; auxit miraculum, quod cùm sodalis alter eius æqualis, parens, parochus, aliique conarentur, nunquam chirographum illud intelligere potuerunt.

13. *Franciscus à S. Maria in Hist. Discalceatorum Tom.* 1. *lib.* 2. *cap.* 13. In Conuentu S. Benedicti Ciuitatis Conchæ in Hispania, soror Anna Caxa, cùm ob maximam infirmitatem vsum linguæ deperdidisset, meritis Ven. Matris Annę à S. Augustino ex Discalceatis S. Teresiæ, applicatis ori eiusdem capillis, illum mirabiliter recepit; sed cùm malè abutaretur gratia, iterùm elinguis est effecta; at facti pœnitens, iterùm Deum orat, vt intercessione Ven. Matris, saltem vt propria peccata fateri posset, loqui permitteret. Concessit benignus Dominus; sicque annis ferè decem applicando ori capillos Venerabilis Matris, omnia ad sacramentum confessionis spectantia expedita proferebat lingua, ad

ad cætera tamen semper elinguis, & muta, ita vt post confessionem, nec quidem gratias reddere Confessario posset, vt potè non ad sacramentum pertinentes; viuebat huiusmodi Monialis Anno Domini 1634.

14. *Sylos in Hist. Cler. Reg. Part. 1. lib. 7.* In extremis laborabat Vicentiæ, Monialis quædam in D. Petri Asceterio; cùm licet integra Virgini mens esset, ita tamen linguæ vsum interceperat languor, vt expiare in extrema vitæ periodo noxas suas minùs posset. Itaque rogare cœpit S. Caietanum, quem potentissimum cœlo non dubitabat. Nec mora: Instauratum linguæ officium; adnumeratisque expeditè labeculis confessario, non ita post multò summa animi tranquillitate occubuit.

15. *Idem ibidem*. Syracusis quidam ex nostris adeò vehementi, & præcipiti correptus fuit febri, vt abalienatus prorsùs mente, supremo tantùmmodò sacramento initiatus, nec expiari confessione, neque muniri ad longè difficillimi certaminis præsidium, Eucharistia posset. Tùm nostrates S. Caietanum, cuius anniuersariā ea luce memoriam excerperant, vt rectam infirmo mentem impetraret, impensiùs orare. Audit ille suorum vota; ac visus illicò sui compos infirmus, qui habitis primò Caietano gratiis, sacramenta deuotè suscepit; iisque vix procuratus, prolapsus in eadem morbi deliramenta iterùm est.

Alia adnotabuntur, cùm de admirandis resurrectionibus ad propria delicta confitenda, precibus sanctorum impetratis.

APPENDIX AD CAPVT IV.

Pœnitentia salutaris perenne Miraculum.

POenitentium, quàm consentanea sit, & Deo accepta pietas, admirabile, perenneque ostendit miraculum, quod quotannis euenit in aqua fontis sub ara Virginis Deiparæ Sauonensis emanātis. De quo.

1. *Petra Sancta in mirac. perp. cap.* 18. Anno 1536. die Sabbati VI. Kal. Aprilis in Valle S. Bernardi tertio fermè lapide ab vrbe Sauonensi, apparuit B. Virgo cuidam probo agricolæ, dùm ad riuum os prolueret, eidemque iniunxit ternas indici supplicationes curaret populo Sauonensi; fore enim, vt irati Numinis remitteret indignatio, si Ciues flagellis se corde contrito, atque humiliato diuerberarent. Post hæc, ore, & manu eum riuullum inaugurans ter, dixit: Misericordia ò fili, & non iustitia; seque rursùs cœlo restituit: Supplicatio ter die Sabbati ea habita, & ad tria milliaria ex vrbe processit, hoc est vsque ad locum apparitionis; cunctique interim flagris in semet piè sæuierunt. Tenuit deinceps ea consuetudo in annos consequentes, & dicata ad fontem eius riui fuit Basilica perinsignis. Confluunt autem quotannis populi, & Cleri agmina cùm labaris, & insignibus suis, tùm ipso apparitionis die, tùm ad potiores alias Deiparæ celebritates. Et qui eo viæ tractu sibi castigatione tàm salubri humeros consauciant, irrorantur aqua illius riui de principi ara emanātis, eaque aspersi, licet ex medicorum præscriptis aqua ex diametro sit contraria curationi vulnerum, mirabiliter, & diuinitùs sanantur.

CAPVT V.

De Admirandis circa Sacramentum Extremæ Vnctionis, Hominem contra insidias Diaboli corroborans.

§. vnicus.

ALiqua solùm admiranda circa hoc Sacram. hîc referam ad complementum operis. Sunt autem.

1. *Hieronymus Platus de bono statu Religionis lib. 1. cap. 31.* Reginaldus, vnus ex B. Dominici discipulis, cùm moneretur, vt se extrema vnctione, vt moris est, ad luctam cùm Demone præpararet: Ego inquit hanc luctam minimè reformido; quin potiùs lætus expecto: iam enim dudùm mater Misericordiæ me inunxit, in qua plurimùm confido, & ad quam cupidè proficiscar. Quòd autem se priùs ab ea inunctum dicebat, id ita habuerat. Cùm ante annos multos grauissimè ægrotaret, vigilanti de nocte apparuit Regina Cœli cùm aliis duabus Virginibus, ipsaque ad eum accedens, iacentis oculos, aures, os, & manus, vnguento, quod attulerat propriis manibus liniuit, denique & pedes in præparationem Euangelii, vt ipsamet quasi ex formula orans, adiunxit.

2. *Surius 7. Aprilis*. Moritura B. Liduuina, vidit ad se venientem Dominum Iesum cùm Sanctissima Matre sua, & duodecim Apost. multisque, & sanctis, & Angelis. Sedit autem Christus ad lectuli eius dexteram, Beatissima Maria ad sinistrā, aliis in orbem honestissimè eam cingentibus. Vidit etiam mēsulam ornatā, & in ea ceù sacri olei vasculum elegantissimum, crucem quoq. pulcherrimam, & cereum valdè luculentū, totum cubiculum mirificè illustrantem. Erat tùm corpus Virginis innumeris angoribus à vertice vsq. ad pedes oppressum, & afflictum: & ecce sentit ab ipso Saluatore sacerdotalibus induto vestibus, loca corporis sui omnia perungi, quæ in morituris sacro oleo vngi solent: sed nulla audit Saluatorem verba proferentem. Indè Christus ponit in manu eius cereum, eumque tenet cùm Matre sua, Cruce illîc inuisibiliter permanente, donec exhalaret spiritum.

3. *Idem 23. Iunij*. Cùm Maria Oegniacensis in fine vitæ, beatissima Virgine ipsam præmonente, extremam vnctionem acciperet; in ipsa sacramenti perceptione, Sancti Spiritus operationem cùm ingenti singulorum locorum, qui inungebantur illustratione, persensit.

4. *Nider in Formicario lib. 4. cap. 11.* Fuit nostro tempore Rex Romanorum, Rupertus verè clemēs, qui post multa sancta opera, in lethali quadam infirmitate propè à Dæmone victus fuit. Nam sumpta Eucharistia, differebat semper extremam Vnctionem,

ctionem, suspecti tioso illo instinctu, quo aliqui sibi persuadent, post illam oportere omninò emigrare. Hortabantur ergo continuò viri docti, & pii, ne differret tàm salubre animæ, & corporis antidotum. Obtinuerunt tandem: & ille cùm inungeretur, audiés orationes Ecclesiæ, quæ tunc recitantur pro sanitate tàm corporis, quàm animæ, mentem erigens, & vocem, dixit. Re vera, si sciuissem tantùm valere hoc sacramentum pro vtriusque hominis sanitate, vt nunc percipio, & audio, tandiù illud deuotissimè postulassem. Conualuit igitur, & multis annis Imperium sanctè gubernauit, & in operibus bonis vita functus est.

5. *Nicolaus de Nyse in Gemma Prædicatorum*. Quidam vir magni meriti in extremis laborans, cùm interrogatus fuisset, nùm sancto oleo perungi vellet? Respondit: nolite obsecro de hoc mihi mentionem facere, quia omnes, qui inunguntur, statim moriuntur. Atque his dictis, spiritum reddidit. Cùm autem linteaminibus inuoluendus esset, spiritum resumpsit, & oculos aperiens, dixit; Quia extremæ Vnctionis Sacramentum salutare abhorrui, centū annis in purgatorio iusto Dei iudicio torquebor. Si autem vnctus fuissem, de ægritudine conualuissem; sacra Vnctio non est mortis acceleratio, sed dilatio. Ita expirauit his dictis.

6. *Ex litteris ann. Soc. Iesu an.* 1599. In Collegio Lugdunēsi æger magno febris æstu conflictatus, inter confitendum, vrgente morbo, de potestate mentis exierat, Iàm de sua salute actum esse, sempiternis se suppliciis apud inferos damnatum, clamitabat. Sacerdos qui aures ei dabat, vbi furorem eius animo obstrepere animaduertit, ad Diuina præsidia, vbi deessent humana, confugiendum existimauit. Ita domesticos monet, vt sacrum oleum, quod æger priùsquàm insaniret postulauerat, celeriter adferendum curarent. Mira dictu, visuque res! Simùl atque sacro ritè inunctus est oleo, mentis sanitatem, paulòq. post etiam corporis valetudinem recuperauit.

CAPVT VI.

De Admirandis circa Sacramentum Ordinis, Hominem Ministrum Altaris constituens. Miræ electiones ad Sacerdotium.

§. I.

MYstas, seù Præsides sacrorum, ob diuini Numinis cultum à Laicis distinctos, in Catholica Ecclesia disposuit Altissimus, hosque vt potè à Deo tamquam Aaron vocatos, spirituali charactere in Sacramento Ordinis insigniri, sacroque Chismate inaugurari, sanciuit. Horum autem in selectione, Admiranda quandòque euenere, quæ hic interseram; Suntque.

1. *Baronius in Ann. Ecclesi. ann.* 590. *num.* 21. Dùm S. Gregorius Magnus in summum Pontificem electus fuisset, aufugiens, syluarum saltus expetiit, cauernarum latibula requisiuit; at indicio columnę fulgidæ desuper illum è cęlo dependentis, cognitus fuit, deprehensus, & apud Beati Petri Apostolorum Principis Templum Pontifex consecratus.

2. *Augustinus Florentinus in Hist. Camaldulens. lib.* 1. *cap.* 46. Dùm Leo IX. Pontifex Maximus in Cathedra Apostolica sublimaretur, auditi sunt Angeli canere.

3. *In vita S. Patritij cap.* 174. Nullus in diebus Sancti Patritii, aut multo post tempore successorum eius, in Pontificem, aut regimen animarum promouebatur, nisi diuina reuelatione, aut aliquo signo euidenti dignus demonstraretur.

4. *In vita Eutychij Episcopi Constantinopolitani*. Regnante Iustiniano Imperatore, cùm ex morte serui Dei Mennæ, Ecclesia Regia Præsule orbata fuisset, Clerusque de nouo eligendo contenderet, Imperator à D. Petro admonitus, *Eutychium* Præsulem dignissimum eligendum curauit; quod & factum est.

5. *Marchantius ex vita S. Remigij Episcopi Rhemensis*. In ordinatione S. Remigii descendit subitò radius noui luminis super sancti viri verticem, ac si ipse Sol de Cœlo motus super eum decidisset. Quia scilicet ipse illuminandarum lux parabatur animarum, lumine debuit declarari *visibili*. Placuit etiam Omnipotentiæ Diuinæ huic miraculo aliquid addere; nàm radio illustrante, sensit capiti suo vnguenti sacri infusum liquorem, quo totum eius delibutum est caput.

6. *Tarípha de Regibus Hispanis*. Braulius, filius Seueriani Ducis Carthaginis, & frater *Leandri*, circa annum salutis 560. in Episcopum Cæsaraugustanæ Ciuitatis diuinitùs electus est. Nàm cùm multos nominarent, subitò *flamma super* Braulii caput omnibus visa est; *quæ Braulium Episcopatus* dignitate decorandum, cæterisque præferendum, significauit.

7. *In vita S. VViperti Raseburgensis Episcopi Ordinis Præmonstrat.* Adolescens Vuipertus vocatus à Deo tamquam Aaron, Sanctorum Euermodi, Issridi, & Ludolphi legitimus successor, & hæres effectus, Innocentium huius nominis Sextum, Pontificem Maximum adiit, vt dispensationem super ætatem, & electionis suæ confirmationem impetraret. A quo quidem primùm ob ætatis defectum reiectus, ipse supplex Deum orare cæpit, vt quod vellet, iuberet, daretque, quod iuberet. Audiuit Deus deprecationem pauperis, nàm sequenti nocte immissa diuinitùs canicie, adeò barbatus, canus, & venerabilis factus est, vt postero die iterùm summo Pontifici oblatus, non agnosceretur. Certò tamen edoctus Pontifex Maximus, eum ipsum esse, quem anteà repulisset, mox iussit in Episcopum consecrari, quem tàm euidenti signo Deus à se comprobaret electum.

8. *In vita S. VVulstani*. Sanctus VVulstanus Episcopus erat sanctæ vitæ, quem cùm inuidi quidam Episcopatui cedere velut minùs eruditum coegissent, ipse pedum Episcopale depositurus, lapidi infixit, & abiit. Sed cùm plures accedere, & pedum tollere (tanquam successuri in Episcopatu) iussi,

iussi, id eximere non possent, vt potè dirissimo lapidi pertinaciter infixum; iussus tandem VVulstanus repetere pedum suum, nulla mora id extraxit, ac recepit.

9. *Ferrarius in Catal. S.S. 22. Iulij*. S. Hieronymus Episcopus Papiensis, voce diuinitùs audita, dùm de electione Episcopi ageret Clerus, Deumque oraret, mirabiliter in Episcopum electus est.

10. *Eusebius Cæsariensis lib. 6. cap. 9. Hist. Eccl.* Cùm Narcissus Hierosolymorum Episcopus iàm senio fessus, Pontificatus Ministerio sufficere non posset; Alexandrum alterius loci Episcopum Diuina dispensatio in adiutorium eius, euidentissimis demonstrationibus euocauit; cùm enim hic Hierosolymam, adorandi, & sanctorum locorum videndi gratia properaret, eo die, quo eum ingressurum vrbem Hierosolymam nunciatum est, & multitudo fratrum plurima extra portas in occursum eius egressa est: vox cœlitùs manifestissimè omnibus audientibus facta est, dicens. Suscipite Episcopum, qui vobis à Deo destinatus est.

11. *In Martyr. Gallicano 3. Nouembris, de Sancto Huberto Episcopo Tungrensi*. Sergius Papa nuncio admonitus, Hubertum cœlitùs designatum, renitentem quamuis consecrauit, mactati sancti Episcopi (Lamberti) successorem, qui stola è superno missa honoratus, ad sedem destinatam veniens, ab vniuersis multa cùm reuerentia suscipitur, & à Clero in Cathedrali Pontificali collocatur.

12. *In vita S. Nicolai Episcopi Myrensis*. Ex Dei admonitu Sanctus Nicolaus Myram ad Lyciç Metropolim concessit, quo tempore ibi de subligendo Antistite, Prouinciales Episcopi consultabant; ijque diuinitùs instructi sunt, vt illum constituerent Præsidem Sacrorum, qui Ecclesiam postridiè primus ingrederetur, & is fuit Sanctus Nicolaus.

13. *In vita S. Ambr. Epis. Mediol.* Cùm S. Ambrosius Ecclesiam ingressus esset, vt pro officij sui munere ortam seditionem pro Episc. deligendo, sedaret, Episcopus conclamatus est, de repentè puero Ambrosium Episcopum exclamante, vniuersiq. populi voce erumpente, Ambrosium Episcopum deposcentis.

14. *In vita S. Andreæ Corsini, Carmelitani Ordinis*. Andreas Fesulanus Episc. ex Carmelitana familia, ad Episcopatum assumptus est inuitissimus; cùm enim primùm hoc agi sensit, in Carthusianorum domo se se occultauit, donec infantis voce in Canonicorum, qui eum elegerant, consessu diuinitùs planè proditus est, cùm eodem temporis articulo ipsimet Andreæ puer in veste candida apparuisset iubens, ne ampliùs diuinæ voluntati resisteret, qua factum esset, vt Episcopus crearetur.

15. *Chrysostomus Henriquez in Fasciculo, de S. Malachia Archiepiscopo*. Ciuitas Hiberniæ, nomine Corcagia, vacabat Episcopo; tractatum est de electione, dissensere partes, quibusque (vt assolet) Præsulem volentibus constituere suum, non Dei. Venit illùc Malachias, audita dissensione: conuocato clero, & populo, etiam vota, & corda discordantium vnire curauit, & persuasis illis totum negotium sibi debere credi, cui potissimùm solicitudo incumberet illius, sicut & aliarum per Hiberniam Ecclesiarum, hominem quemdam pauperem, doctum tamen, & sanctum illis præfecit, qui etiam alienigena erat. Quæritur ille, nunciatur decumbere lecto, & ita debilis, vt nullo pacto exeat nisi in manibus portatus aliorum. Et Malachias, surgat, inquit, in nomine Domini, ego præcipio; obedientia sanum faciet eum. Quid faceret ille? Parere volebat, sed imparatum se sentiebat; quòd & si posset ire, Episcopari formidabat. Ita cùm voluntate obediendi, pugnante gemino hoste, pondere languoris, & metu oneris, vicit illa tamen data sibi in adiutorium spe salutis. Itaque conatur, mouet se se, tentat vires, inuenit se solito fortiorem. Crescit pariter fides cùm viribus, & rursùs facta fortior fides, dat vicissim viribus incrementum. Iàm surgere per se valet, iàm meliùsculè gradi, iàm nec sentire in ambulando lassitudinem, demùm expeditus, & alaciter peruenire ad Malachiã sine hominis adiutorio; qui assumens eum misit in Cathedram, clero & populo collaudante. Hoc ita in pace factum est, quia nec illi ausi sunt Malachiæ voluntati in aliquo obuiare videntes signum, quod fecerat, nec ille parere dubitauit, tàm euidenti argumento factus securior de Domini voluntate.

16. *Surius 23. Nouembri de Sancto Amphilochio*; Mirabile fuit cœlestes Genios ipsosmet Sanctum Amphilochium Iconii Antistitem inaugurasse sacra nimirùm vnctione, impositione manuum, & ritibus aliis perfunctos. Quocirca Episcopi septem, qui ad peragendam eius consecrationem conuenerant, à functione obeunda de integrò abstinuerunt, dixeruntque vnanimes. Quem Deus consecrauit per sanctos Angelos suos, ne audeamus nos contumelia afficere; sed sit benedictus in sæcula.

17. *Masculus de Sancto Paterno Episcopo 16. Aprilis*.

Illud vero quàm admirandum atque præclarum;
Quòd antequam Abricenses acciperes infulas,
Delapsi per speciem è cçlo Pontifices,
Suis te manibus inaugurare sunt visi.
Occuparunt videlicet te Cœlites somno languentẽ,
Ne posses, vt solebas, vigil acriùs honori resistere.

18. *In lib. 3. Ann. Hannoniæ cap. 139*. Eremita quidam, ad Diaconatus ordinem iam prouectus, cœpit postmodùm pensiculatiùs, profundiùsque discutere, nùm ad dignitatis Sacerdotalis gradum idoneus esset. Metuebat enim se imparem, proindè ad orationem confugit, imploraturus Dei opem, vt pro sua clementia, & bonitate dignaretur inspirare, quid pro maiore sui nominis gloria, & animç suæ salute sibi faciendum esset; & sic oranti apparuit venustissima facie vir candida veste amictus, baculum in forma Crucis manu gestans, quem affatur hunc in modum: Carissimè frater, cur ita dubius es? hunc tibi trado baculum in signum sacerdotii suscipiendi. Istud autem pro certo habeas, quòd quæcumque ligaueris super terram

erunt

erunt ligata & in cœlis &c. his dictis disparuit, & vir sanctus acquieuit.

19. *In vitis Patrum*. Consilium habuerunt inter se seniores Patres, & Monachi habitatores in Eremo Scythiæ, & consenserunt, vt beatus Isaac, Presbyter eis ordinaretur in Ecclesia, quæ in ipso eremo sita est, quod cùm intellexisset vir sanctus, tanta dignitate se indignum existimans, aufugit in solitudinem, & à sequentibus eum Monachis, indicante asello, qui eis sumptus portabat, adinuentus est, cognouitque hoc prodigio, Dei esse voluntatem, vt ordinem presbyterii susciperet.

20. *In actis Ecclesiæ Mediolanensis*. Cùm Mediolani de Episcopo eligendo ageretur, cęlesti lumine circumfusus S. Mona, eo signo mirabiliter in Episcopum est electus.

De aliis admirandis electionibus in Episcopatum, aut Sacerdotium, indicibus animalibus, vel florescentibus aridis lignis diuinitùs factis, consulenda sunt, quæ dicta fuere in primo tomo lib. 6. cap. 1. §. 1. & lib. 7. cap. 4. §. 2. quæ hic repetere superuacaneum est.

Admiranda electiones ad Statum Religiosum.
§. 2.

CVm, licet non tàm strictiori nexu, in statu Religioso homo rationalis Dei seruitio mancipetur, quæ aliquandò in electione ad statum Religiosum admiranda euenere, hic adnectenda iudicaui. Suntque.

1. *Cæsarius, de Clerico Lugone, hom. 5. domin. 3. post. Pentecostes*. Cùm die quadam per viam equitaret Sanctus Bernardus, eique vagi Clerici, quos Euerandinos vocant, occurrerent, ad conuersionem illos monuit, ad quem vnus: Ego ludam vobiscum tesseris; si sors pro me responderit, detis mihi equum vestrum, si pro vobis, sequar vos in Monasterium. Respondente Sancto, fiat voluntas Domini: mox ille taxillos falsatos extrahens, decem & octo puncta iactauit; Monachis turbatis, & Dei consilium ignorantibus, vir Beatus spem habens in Christo, pro hominis salute tesseras leuauit, & deposuit. Et ecce in duobus apparuerunt oculi duodecim, tertius verò in duas partes diuisus, in vno latere sex, in altero quinque puncta declarauit. Quo viso territus Clericus, sequutus est hominem Dei ad Claram vallem, factusque est Monachus probatus. Hoc factum vsque hodiè valdè celebre est in scholis Magistrorum Parisiensium.

2. *Chrysostomus Henriquez in fasciculo Sanctorum, de S. Bernardo*. Mirabilis fuit B. Alexandri conuersio, quem resistentem quasi, & contradicentem, Sanctus Abbas Bernardus ad viam reuocauit salutis. Erat hic Canonicus, Doctorque famosissimus Coloniensis, quem cùm pius Abbas de conuersione monuisset, ille sæculari scientia, vel opulentia tumens, respondit se ad præsens, nihil minùs cogitare, vel velle, quàm habitum sumere monachalem. Eadem igitur nocte cùm membra sopori dedisset, apparuit ei in visione idem homo Dei, erigens eum de grabato, in quo grauiter languens iacere videbatur, ac sanitati restituens. Deindè tulit habitum suum, quo erat ipse indutus, & ex eo contexit Alexandrum, qui cùm eumdem habitum semel, & secundò reiectum ab humeris indignanti animo repulisset, tertia tandem vice collo eius iniectum, & corpori fortiter astrictum, compulsus est retinere. Deindè Pater Sanctus, baculum, quem manu tenebat, ipsius manui tradens, futuræ prælationis gratiam prænotauit, & ita abire præcepit. Euigilans autem Alexander, nihil adhùc pro huiusmodi reuelatione mollescere poterat, sed in eadem animi duritie persistebat. Eodem verò die, cùm beatissimus Abbas ad mensam recumberet, oblatus est ei piscis, qui Pata nominatur, vt ex eo reficeretur, quo viso vir Domini, erectis in Cœlum oculis, super eumdem piscem diutiùs orauit, & benedicens illum, pręfato Alexandro transmisit, & vt ex illo comederet, præcepit. Quem dùm ille gustaret, ad primum morsum, meruit in semetipso fæliciter experiri quantæ virtutis esset oratio famuli Dei. Nàm repentè mutatus est in alterum virum, & compunctus valdè cæpit vbertim super eumdem piscem lachrymas fundere. Mirabatur verò se ipsum, nesciens quid haberet, vel cur fleret. Tandem recordatus visionis; quam nocte præterita viderat, intellexit, à Domino gratuita eius miseratione se esse præuentum. Vndè supernæ vocationis ex intimo corde gratias agens, beato Dei famulo incontinenter se reddidit. A quo benignissimè susceptus, & in Claraualle Monachus factus, deindè Grandis Siluæ pastor effectus, adeò in sanctitate vitæ profecit, vt postmodùm fieret Cisterciensis Abbas.

3. *Idem de B. Guillelmo Vllariensi*. Intrauit aliquandò Louanium Venerabilis Abbas, vt loqueretur Duci ibidem existenti in Castro suo. Cùmque ibi missam celebraret, Beata Virgo Maria apparuit ei dicens. Postquàm celebraueris, venient quidam ciues huius villæ, & rogabunt te pro receptione cuiusdam pueri, sine mora recipe illum, quia vas electionis est mihi. Et his dictis disparuit. Et ecce missa finita, & negotio peracto pro quo aduenerat, ciues quidam adducentes adolescentem, nomine Arnulphum, corpore pulchrum, moribus ornatum, rogauerunt Abbatem pro eius receptione, ipse misertus pueri recepit eum.

4. *Idem in Menolog. 13. Martij de B. Eustachio de Huyo*. Cùm vitiorum profundo quasi pelago, immersus, propriæ salutis immemor, carnis luxuriantis sectaretur voluptates Eustachius, Christum pro tribunali seuero vultu eum intuentem conspexit, à quo post dura verba inferni tortoribus traditus, tormenta, quæ omnem cogitatum superant, passus est, indè tamen extractus, & libertati restitutus, territus, & confusus, ad sacrum Cisterciensis Ordinis asylum confugit, & in Tribus fontibus Monachum induit, multaque Sanctitate claruit.

5. *Idem ibidem 26. Febr. de B. Andrea, sub Roberto, Monacho effecto*. Erat delicatus nimis, nec Ordinis austeritatem ferre valebat, vel volebat; decreueratque ad aliquem remissioris obseruantiæ Or-

Ordinem declinare: precibus autem Beat. Roberti detentus, ad tres dies se expectaturum promisit. Interim pius Pater cùm omni Congregatione instantissimè Deum orabat, vt ouem illam, quam Diabolus rapere conabatur, sua misericordia conseruare dignaretur. Cùmque eadem die Nouitius ad mensam accederet, pisorum edulium, quod præ cæteris omnibus fastidiebat, reluctante stomacho, fame verò compellente, gustare cœpit, & mirabilem quamdam in eo sensit suauitatem, ita vt carnium, vel piscium esum, saporis illius præstantia superaret. Absoluta refectione, Abbati rem indicauit, & facta diligenti inquisitione, inuentum est, nihil præter aquam, & salem in illo pulmento fuisse appositum. Cùmque magno Dei miraculo prædictam suauitatem in huiusmodi leguminibus multo posteà tempore præsentiret, Ordinem, quem incautè deserere cogitauerat, constanter tenens, cùm magna sanctitatis opinione vsque ad felicem consummationem perseuerauit.

6. *Auctor Fast. Marian. de S. Alberto.* Aquilæ specie cucullum sibi offerentis excitatus, ad Monasticam vitam se vocari intellexit, vndè in solitudinem profectus, finem arctioris vitæ initiis æquauit.

7. *In vita Sancti Norberti.* Cùm ipse ætatis suæ anno trigesimo circiter tertio, Incarnationis Dominicæ anno 1115. Paschali Papa II. in Ecclesia, Henrico V. in Germania, & Ludouico Crasso in Gallia regnantibus, mundanis agitatus stimulis, vno tantùm assumpto puero ad vicum quemdam, Freden nomine, solus properaret, ecce ex improuiso densari nubes, terrere tonitrua, micare fulgura, & tempestates, adeò, vt puer qui eum sequebatur exterritus, diuinoque afflatus numine, exclamaret: Domine quò vadis? Reuertere, reuertere, manus enim Domini valida est contra te. Et quasi Dominus Deus desuper diceret; Norberte, Norberte, quid agis? quò properas? Durum tibi est contra stimulum calcitrare. Ad hæc repentè ingens tonitrui ictus ante pedes equi illius prosiliit, herbam prati virentis, in quo erat, comburens, ascensorem deiiciens, & ferè ad mortem percutiens, atque in foueam, quam magno impetu effoderat, exturbans, inferensque, ac vestes hominis, & locum fœtore veluti sulfureo, & infernali inficiens. Ille post horæ spatium quasi de graui somno euigilans (verè tonitrui filius) sesque è fouea proripiens, misericordias Domini apud se reputare cœpit, secùmque recogitare, omnes annos suos in amaritudine animæ suæ, & tacitus suspirans dicere; Domine quid me vis facere? Et tanquam audiret vocem Dei de excelso dicentem sibi, desine à malo, & fac bonum; inquire pacem, & persequere eam; confestim ab aula Imperatoris pedem retraxit, ac domi suæ Sanctensi se continens, sæpiùsque ad Canonem Sigebergensis Benedictini Monasterii (tunc admodùm celebris, & à Colonia tribus distantis leucis) admirandæ Sanctitatis Abbatem (qui postea Ratisponensis fuit Episcopus) se conferens, tyrocinia quædam futuræ conuersionis aggressus est.

8. *In vita Beati Henrici, S. Norberti discipuli.* Rebus huius mundi contemptis, se totum Dei seruitio mancipauit, & S. Norberti Rhemis concionantis magisterio, ac disciplinæ se subdidit. Qui dùm cùm quibusdam aliis nouitiis Præmonstratum magno silentio, ac de rebus cœlestibus meditabundi incedentes deducerentur; ecce ex improuiso de nubibus ad eorum aures vox perlata est. Hæc est Fratris Norberti Societas. Lætus igitur hoc vaticinio Beatus Henricus, Præmonstratensia castra hilaris ingreditur, vbi externis spiritalis militiæ signis, tonsura scilicet, & habitu donatus, ita fortem & inuictum Christi athletam se exhibuit, vt nihil ei vel ad totius scripturæ intelligentiam, vel ad monasticæ disciplinæ perfectionem deesse uideretur.

9. *Hermannus Carthusiensis, sermone 47. ex Cæsario.* Alardus Monachus in Hasterbach, habebat materteram, nomine Iuttam, satis leuem, & lasciuam, sed tamen in corpore castam; hæc cùm quadam die cùm sororibus luderet, germanus eius magnæ grauitatis clericus affuit, dolensque de leuitate sororis, silicem solidissimum tulit, & ait, priùs scindetur lapis iste in manu mea, quòd soror mea Iutta stabilis fiat, & monialis; designans eius durum, & inconuertibile cor ad Deum. Sed Deus ostendit quòd de lapidibus potest facere filios Abrahæ, quia silex mox scissus est in manu eius. Quod Iutta videns, sæculo vale dixit, & monasterium sacrimonialium intrauit.

10. *In vita Beati Laurentij Iustiniani, ex Surio 8. Ian.* Cùm annum vndecesimum ageret B. Laurentius, apparuit ei Dominus Iesus Virginis specie, illique dixit: cur adolescens cor tuum effundis, & pacem sectando, te ipsum per multa spargis? quod quæris, penès me est, ego, si me sponsam accipere decreueris, pacem hanc certissimè polliceor. Tunc ille quæsiuit, quid ei nomen, quid genus esset? Tùm illa, ego sum Dei Sapientia, quæ ad homines reformandos, humanam formam indui; quare cùm Laurentius se eam libentissimè accipere respondisset, illa dato osculo, læta, & & gaudens, vt videbatur, abscessit. Ipse verò non multò post in monasterium ad optatas nuptias se contulit.

11. *In Ann. Seruorum Cent. 2. libr. 1. capit. 12.* Beatus Peregrinus Foroliuiensis, ordinis Seruorum B. Mariæ, antequam religionem ingrederetur, quadam die in Ecclesia Cathedrali ante imaginem Virginis diutiùs orans, & petens, vt vias suas dirigeret, eam pretiosis vestibus indutam, sibi, vt ad seruos suos se conferret præcipientem, audiuit. Hæc veneranda Imago adhùc videtur in eadem Cathedrali, & cùm magna veneratione colitur.

12. *In vita Beatæ Coletæ Virginis, capit. 42.* Comitissa Valentinensis, præpotens Domina, diù, multùmque desiderauit, monasticam Sanctæ Claræ uitam, siue regulam profiteri. Vt autem uires exploraret suas, possent ne illi instituto pares esse, non breui tempore duriter, & asperè uixit. Tandem humiliter petiit à Coleta, ut ipsam admitteret inter suas. Assentit Coleta, præfigit certum

diem, ad quem eius desiderio velit satisfacere. Sentiens interim draco pestifer, omnis boni hostis diabolus, eum appropinquare diem, euidens quoddam ei rei obiecit impedimentum. Adeò enim equi omnes subitò debilitati sunt, vt nullo pacto à terra surgere posse viderentur. Id verò dolorem non mediocrem attulit Comitissæ illi, quippè cui non occurreret remedium vllum, quod posset huic malo adhiberi; statuit autem & se, & rem totam commendare precibus Coletæ; quod vbi fecit, mox adfuit mira consolatio. Equi enim omnes ad iter valdè expediti reperti sunt. Tùm illa mirificè exhilarata, profecta est, & propositum suum perduxit ad effectum. Coleta autem recepit eam in suam sodalitatem propensissima animi deuotione; & illa sanè perseuerauit in suscepto illo vitæ instituto ad mortem vsque, Deo cùm multa perfectione seruiens.

13. *Vadingus in Ann. Minorum ann.* 1464. Beatus Amadeus Lusitanus, cùm priùs institutum Sancti Hieronymi arripuisset, à Beata Virgine sibi summè propitia, à Beato Francisco, & Antonio ter admonitus, vt ad ordinem transiret Minorum, & in Italiam transmigraret, Assisii initiandus, parere decreuit; obtenta anno 1452. die 11. Octobris facultate Gundisalui Illescensis Prioris Guadalupi.

14. *In martyrologio Franciscano* 1. *Ianuarij, de B. Ioanne Conf.* Cùm celeberrimus haberetur Iurisperitus, & in Castellana vrbe iudex esset; accidit vna dierum, vt ipse stans ad suæ domus fenestram, cerneret porcorum gregem in via, vi, nec minis à custode posse in vrbem deduci: Sed hinc indè fugiendo, haùd parui spatium temporis consumebat in vanum, donec porcarius à socio edoctus, eos cæpit incantare verbis, dicens alta voce: Porci, ac Sues, intrate in Vrbem, sicut iudices, atque Iurisconsulti intrant in infernum: quo dicto, statim porci omnes, sine aliquo alio grunnitu vrbem introierunt. Qua de re nimium stupefactus B. Ioannes, & diuino timore præuentus, illicò mundum deserens, suisque omnibus spretis, factus est Frater minor, vita & sanctitate mirabilis.

15 *In vita S. Nicolai Tolentinensis, Ordinis Sancti Augustini.* Cùm quadam die Concionatorem Ordinis Eremitarum Sancti Augustini de mundi contemptu concionantem audisset, eo sermone inflammatus, statim eundem ordinem est ingressus.

16. *Vincentius Bandellus dist.* 1. *cap.* 18. Ipsa Beata Dei Genitrix, quasi ordinis nostri (Prædicatorum) felix vestiaria, B. Reginaldum corporaliter visitans, ad ingressum Ordinis monuit, & induxit, & habitum, quem nunc deferimus, induendum ostendit, dicens. En iste est habitus Ordinis tui. Ipsumque habitum Reginaldus à Beato Dominico, primus, tàm feliciter, quàm perseueranter accepit, & ex tunc tàm Beatus Dominicus, quàm cæteri Fratres, illo habitu à B. Virgine cœlitùs ostenso, videlicet tunica, & scapulari albo, & cappa nigra, vsi sunt.

17. *Bzouius in Annal. Ecclesi. ann.* 1230. *nu.* 9. *de Beato Ægidio Roderico, Ord. Prædic.* Ægidius, dùm in mundo adolescens viueret, studio litterarum ex curiositate sese dedit, nec honestas tamen disciplinas, sed & Necromantiam doctus, in quadam spelunca non longè Toleto distante delituit; indidemque cùm Diabolo factum pactum, syngrapha proprio sanguine exarata confirmauit. Septem annos continuos in ea potestate, qua se Dæmon dederat, vixit per summa flagitia famosus. Lutetiam profectus, vt doctoris medicinæ titulo insigniretur, cùm quadam die attentiùs in studia litterarum incumberet, aliquis eques, vultu, & armis terribilis ei apparuit, lanceamque vibrans, voce tremenda illum admonuit, hæc effatus: Muta statum vitæ ò scelestè, muta mores ò flagitiose! dixit, disparuit. Neglexit ille monitorem, cùm tertio die postea idem ipse eodem terrore, vultus, & armorum sese illi obiiciens, lanceam in pectus eius leuiter inflixit, atque ad relinquenda flagitia hortatus est. Ab hoc ictu sensit sibi cor immutari, atque in melius transformari; & quamquàm tunc Quartana laboraret, in Hispanias tamen velociter reuersus, Palentiæ Prædicatorum togam induitus, maximum certamen cùm vitiis, & voluptatibus inire cæpit.

18. *Idem Anno Domini* 1246. *num.* 3. Petrus Consaluus, Episcopi Valentini nepos, dùm quadam die equo superbè vectus, per vrbem cùm coæqualibus spatiaretur, totus vanitati mundi expositus, in profundum lutum cecidit; ex quo cœnosus extractus, cùm à puerorum grege circumstante, totoque mundo sannis, & risibus exciperetur procaciter, rubore perfusus, sibi iratus, ita secum locutus est. Quandòquidem ò Munde sic à te, cui tàm grauiter seruiui, tractor, ego quoque vicissim te, vt mereris tractabo. Eodemque momento constituit se Deo famulaturum, quod paulò post cùm magna ciuium admiratione aggressus est in ordine S. Dominici.

19. *Idem ann.* 1218. *num.* 8. Bononiæ dùm Reginaldus, vnus ex præcipuis Dominicanæ familiæ, magno hominum concursu verbum Dei prædicaret; vir quidam, Monetus nomine, de industria illius congressum, & sermonem fugere consueuerat, multùm sibi ab eo metuens; tamen in Stephani martyris natali ad eius concionem, comitum importunitate tractus, primis statim verbis captus est, cùm illam vocem exponeret: *Ecce video cœlos apertos.* Ita enim differebat; nunc quidem cœli portas ad Beatitudinem patere, ita vt quiuis ingredi possit, qui autem negligentes essent, & qui Deo cor suum clauderent, iis vicissim cœlos claudi, vt deinceps intrare non possint. Nec pluribus opus fuit, statim enim corde mutato, qui ad eam horam tàm alienus fuerat à Religione, Religionis voluntatem concepit. Finita concione, Reginaldum adiit, animam suam exposuit, habitumque Dominicanum posteà suscepit.

20. *Idem an.* 1222. *n.* 14. Alium virum Nobilem, Rolandum nomine, legimus in iisdem historiis, cum festum diem totum solemnibus epulis, lusibus, & choreis consumpsisset, tandem vespere ad se reuersum, ita cogitasse: Hem vbi nunc est festum

Digitized by Google

festum ; quod egimus ; vbi tota huius diei lætitia, quæ iam abiit? itaque perpendens secùm, vt dies ille transieret, sic transituram vitam cùm sua felicitate, nihilque permansurum præter pœnitentiam, & dolorem; postero die Religionem Sancti Dominici ingressus est, in qua deinceps multis annis militauit, clarus tùm sanctitate, tùm etiam doctrina.

21. *Franciscus Costerus ex vita S. Dominici*. Contigit Salmanticæ Beati Dominici ætate circa annum Domini 1217. quòd quidam magister, Nicolaus nomine, cùm in Conuentu Prædicatorum pransus esset, iàm domum se recipiendo, ob imminentem pluuiam, Monastico operiretur cucullo, ne vestes eius madescerent. Quo cùm studiosorum ædes histrionico obiens more, omnibus se vltrò ridendum cùm hac veste obiecit. Sed haùd impunè, eadem etenim nocte in tàm acutam incidit febrem, vt de eius vita à medicis esset conclamatum; vndè feruentes ad Deum, vt hanc ei noxam condonaret preces effundes, audiuit diuinitùs vocem ita dicentem; putasne, me ipsas Fratrum Prædicatorum personas duntaxat velle honore, ac reuerentia affici. Ego vero id te scire vellem, me, & vestes eorum nolle debita fraudari reuerentia; quas cùm tu contumelia affeceris, nisi per pœnitentiam resipueris, non id impunè feres. Ea vox vbi non dormientis, sed vigilantis auribus illata est, omnia eius viscera concussa sunt; vocatis autem Fratribus, habitum, quem cùm cachinno gesserat, multa cùm reuerentia solemniter induit, vt hac ratione seriò expiaret quod scenicè perperàm admiserat.

22. *Seraphinus Bertolinus in vita Sanctæ Rosæ Peruana capit.* 4. Vt complaceret consaguineis, aliisque Religiosis Sancta Rosa de Sancta Maria ex tertio Ordine Sancti Dominici, statuerat induere habitum Sancti Augustini in Monasterio Sanctissimæ Incarnationis Ciuitatis Limensis; at Deus, qui Dominicano ordini illam elegerat, mirabili euentu ingressum impediuit. Dùm enim ad supradictum monasterium vnà cùm fratre progrederetur, vt voti sui fieret compos, & per viam ingressa esset Templum Patrum Prædicatorum, vt in sacello Sanctissimi Rosarii, Beatissimam Virginem, deuotè veneraretur, ita immobilis, & consistens permansit, vt ne dùm propriis, sed nec alterius viribus vnquam dimoueri potuerit; quod factum mente reuoluens pia Virgo, credensque à Sanctissima Deipara statutum ingressum non approbari, ad ipsam deuotissimè conuersa, reuerenti promisit animo, se domum statim reuersuram, ibique beneplacitum diuinum libenter expectaturam. Et ecce statim leuis, & flexibilis euenit, domumque reuersa, ibidem religiosissimè viuens permansit, quoad vsque qui immobilem illam fixerat in sacello S. Rosarii, ibidem habitum tertii Ordinis S. Dominici, cui mirabiliter eam prælegerat, reuerenter, & deuotè suscipere ordinauit.

23. *Ignatius de Nente in vita Vener. Dominica de Paradiso, libr. secundo capit.* 44. Habitum Dominicanum Vener. Dominicæ Confessarius aliquandò dederat, vt eo indueretur; illa tamen cùm nundùm de voluntate diuina certa esset, illum domi retinebat. At semel in extasim rapta, vidit Sanctum Dominicum ritu ordinario habitum benedicentem, sanctæque Catharinæ Senensi tradentem, iubentemque, vt eo Dominicam indueret, quod fecit: Vndè Dominica ad sensus reuersa, indutam se habitu Dominicano mirabiliter uidit, gratiasque Deo egit.

24. *In vita Sancti Ignatij Loyolæ*. Cùm Ciuitas Pompelonensis ab exercito Gallorum obsideretur, Sancto Ignatio inter alios ibidem dimicanti, lapis ex muro, bombarbæ ui excussus, læuam læsit tibiam, dexteram verò ita confregit, vt semiuiuus corruerit; quorum vulnerum, acerbam, grauem, atque diutinam curationem ita patienter tulit, vt omnibus esset domesticis admirationi. Cùmque eidem in lecto affixo, libros profanos, Deo tunc sic volente, non repertos petenti, nonnulli pii libri legendi causa porrecti fuissent, ex eorum lectione tàm ardenter fuit incensus, vt ingenti sui odio concepto, decreuerit Christi, & Sanctorum vestigia sequi.

25. *Ribaden. in vita Sancti Francisci Borgiæ, è Societ. Iesu cap.* 7. Cùm esset Gandiæ Dux, contigit vt Isabellæ, quæ Caroli V. Imperatoris vxor fuerat, nuper mortuæ, corpus Granatæ sepeliendum, honoris causa comitaretur; cùm autem necessitas incidisset, vt aperta capsa, cadauer inspiceretur; idque scaturientibus vermibus, putridum, & corrosum aspexisset, illicò hæc eius animum subiit cogitatio; quò tandem venisset illa tantæ fœminæ potentia, & gloria, cuius paulò ante viuentis, uel ipsi nutus terrori fuerant, quàmque nulla sit in morte, & post mortem differentia inter Principem, & pauperem. Quæ humanæ fragilitatis cogitatio tantùm in ipso ualuit, ut ad Principatum deponendum, & religiosam humilitatem amplectendam, eum adegerit.

26. *In Hist. Soc. Iesu*. Ioannes Nunnius Hispanus nobilis, ex Gusmanorum familia, dùm esset iuuenis, & anxius de uitæ genere deliberando, integro anno à Beata Virgine postulasset sibi à Deo certam uiuendi uitam, ac rationem indicari, quam securè tenere, sequique posset; apparuit dormienti Dei Mater augusta specie, comitata duobus Societatis Iesu Patribus, nempè Petro Fabro, uno ex primis decem, & Francisco Strada. Insistenti ergo Nunnio ardentiùs pro certo uitæ cursu cœlitùs designando, intulit Cœli Regina; Vis seruire filio meo usque ad defatigationem? cui Nunnius, omninò Domina. Sequere ergo, ait illa, hos uiros. Ostendit uerò illi comites suos, Patres Fabrum, & Stradam, ac disparuit. Nunnius uerò suspicatus est ex habitu, uiros illos esse Societatis Iesu, sed sibi prorsùs ignotos, nec Domina indicauit quo eos loco inueniret. Quare partìm anxius, partìm lætus cœlesti uisitatione, reliquum suæ patronæ Virgini Matri commendauit. Contigit uerò ut iter facienti duo Societatis Patres temerè occur-

currerent, visoque habitu eos aggressus est; cùmque de admissione mentionem intulisset, tùm Pater Faber, Vis, inquit, seruire Christo vsque ad defatigationem? Qua interrogatione perculsus, venit in mentem verborum Virginis Matris, quæ eisdem verbis vsa fuerat, vis seruire filio meo vsque ad defatigationem? ille velut certam vocationis suæ tesseram reputans, oculos in vultum vtriusque defixit, & eos agnoscens, procidit eis ad pedes, obtestans, vt se ad societatem admitterent; narrataque totius vocationis serie, admissus est summa sua, & Patrum consolatione.

27. *Ioannes Bonifacius lib.4.cap.14.* Adolescens pertæsus vitæ prioris, cùm meliorem instituisset, nocte quadam, quæ sequuta erat diem Dominicum, audiuit vocem hortantis ad perseuerantiam. Octiduò post admonito similiter, & quærenti quis esset qui loqueretur, responsum est, cognominem esse ipsius Ioannem Euangelistam; additum, vtrùm vellet Carthusianus esse, an Capuccinus (de religione fortasse deliberabat adolescens) qui & dixit, faciam quod Deus imperabit, tertio die Dominico, nocturno item tempore quasi ex compacto redit eadem vox, stimulos addens iuueni, atque exhortans, vt religiosam vitam magno animo capessat, intereà in manum dat illi schedulam: Sunt istic nomina trium religionum, opta quam voles, ego ampliùs non reuertar, ita relictus iuuenis plenus admirationis, & metus. In schedula erant trium ordinum nomina, & duos quidem argenteæ litteræ, tertium verò (is erat Societatis Iesu) aureæ exprimebant; quem & sequi constituit. Anceps alius, atque incertus quam institueret rationem vitæ; in illo fluctuantis animi æstu ex sacerdotis sententia confugit ad Deiparæ Templum, vbi tùm Sanctorum Dionysij, sociorumque reliquiæ visebantur; hic cùm oraret supplex, diuino illustrante, lumine portu consiliorum inuento, ad Societatem Iesu appellit.

28. *Sylos in Histor. Cler. Regul. Ann. Domini 1641. part.3.lib.7.& in Vita Ven. Francisci Olympij lib.1.cap.5.* Franciscus Pepolus, dùm in sæculo moraretur, non modò Bononiensis vrbis, cuius erat ciues, sed totius etiam Flaminiæ terror; semel illatam sibi à viro quodam iniuriam arbitratus, vt erat in huiusmodi animi motibus, æquè impatiens, ac vindex, eò efferbuit, vt incendere viri villam decreuerit; ergo noctu vim nitrati pulueris ad id excidij eò attulit: At domum igne absumendam, dùm quærit, & si quàm diligentissimè peruestigaret, nusquam ei occurrit domus; quoad sub primam lucem cùm abiiciendum consilium fuit, ne detegi facinoris auctorem contigisset, ob oculos fuisse ædes aduerterit, quas minimè viderat. Quo quidem moneri diuinitùs censuit præposteræ suæ mentis, morumque licentiæ, ac statuit tùm quidem suscepto religionis consilio proram obuertere, atque aliis sese ventis permittere, paulòque post inter nostrates Clericos Regulares adoptatus est.

29. *Franciscus à S.Maria in Hist.Carmelitana Tom.2.lib.2.cap.1.* B.Ioannes à Cruce ex Carmelitis discalceatis, antequam sacro indueretur habitu, vocem audiuit sibi demonstrantem statum, quem eligere debebat.

30. *Idem lib.6.cap.37.* Frater Michael ab Apostolis ex Discalceatis S.Teresiæ, dùm rusticali labore terram araret, menteque diuina contemplaretur, audiuit vocem de cœlo sibi susceptionem Carmelitani habitus præcipientem.

31. *Idem Tom.1.lib.3. cap.32.* Ven. M. Catharina Godinez à Iesu, ex Discalceatis Sanctæ Teresiæ, cùm adhùc degeret in sæculo, magnoque ambitu, & desiderio ad nobilissimas anhelaret nuptias; quadam die ann 1554. prospiciens titulum suprapositum cuidam Crucifixo, nempè Iesus Nazarenus, Rex Iudæorum, spinasque Crucifixi caput cingentes, altè considerans, sibi visa est audire hæc verba: Ita tu me facis? quo interiori radio ita illustrata est, vt præteritæ statim oblita vanitatis, magnoque timore & humilitate perterrita, interram deciderit; quidque sibi esset faciendum ignorans, ab eo, à quo fuerat vocata, hæc dulciora audiuit verba. Ego sum, noli timere; indèque cor ab eius pectore extraxit, illudque tabidum, & vndequaque uermibus scatens illi demonstrauit: Qua ex visione tantùm Catharina propriarum culparum licet leuium, concepit dolorem, tantùm anteactæ vitæ vanitatem cæpit abhorrere, vt statim se totam Deo dicauerit, votum perpetuæ castitatis, & paupertatis emiserit, paulòque post habitum Sanctæ Teresiæ summa cùm animi hilaritate sumpserit, in sanctoque proposito vsque ad extremum vitæ sanctissimè perseuerauerit.

APPENDIX AD CAPVT VI.

Perenne Admirandum circa Sacramentum Ordinis.

SAcramenti Ordinis certitudo, & veritas contra Hæreticorum perfidiam, manifestè quotidiè confirmatur Neapoli sanguine S.Ioannis *Baptistæ*, intra perspicuum vas liquescente, dùm missa *à Sa*cerdotali Ordine initiato celebratur. De quo.

1. *Petra Sancta in miraculis perpet.cap.15.* Est Neapoli huiusmodi sanguis in æde Parthenii Cœnobii Virginum sacrarum, quæ Dominæ Eremitæ (vulgò *Donaromata*) nuncupatur, & quæ olim admirando eo pignore illùc ex Asia conuenerunt. Quinimmò esse dicitur præterea in altera æde Cœnobii S.Gregorii, vulgò Ligorii. Post sacrificii exordia, oblationemque, & preces consuetas, vbi ventum est ad canonis verba sacratoria, & ad panis, ac vini immolationem, conuersionemque in Corpus, & Sanguinem Domini, plerùmque hoc illud momentum est, in quo sanguis intra phialam purpurascere, colliquefieri, defluere in imam vitri regionem, ac feruere videtur, & tandiù resolutus manet, quandiù in ara est sacrificium. Sanctum Ioannem Baptistam credas in sanguine suo rursùs viuere, loqui, & ingèminare illud: Ecce Agnus Dei,

ecce

Digitized by Google

ecce qui tollit peccata mundi. Verè etenim hic Agnus in Sacrificio Missæ immolatur pro salute Mundi.

C A P V T VII.

De Admirandis circa Sacramentum Matrimonij, Hominis coniugium Sanctificans.

Coniugia cùm admirabili continentia. §. vnicus.

COniugium Christianorum, quod Religione accedente, fit Sacramentum, & prætterquàm quòd ad propagationem humanæ speciei ordinatum est, & coniunctionem Christi cùm Ecclesia repræsentat, admirabile quandòque apparuit, cùm ad exemplum Virginis, S.Ioseph sponsæ, vel iugiter, vel ad tempus, ex mutuo consensu continuerunt coniuges, cunctis magnificè insinuantes fidelibus coniugatis, vt inquit Diuus Augustinus, etiam seruata pari consensu continentia posse permanere coniugium, non permixto corporis sexu, sed custodito mentis affectu. De his igitur.

1. *Surius 9.Ianuarij*. Iulianus Antiochenus Martyr, & Basilissa, nuptiis inter se celebratis, cùm Iulianus continentiæ votum suscepisset, brumæ tempore, rosarum, & liliorum fragrantiam in cubili senserunt, stupentique puellæ sponsus dixit, odorem hunc mundiciæ virginalis esse. Cuius quidem suauitate illa capta, vnà cùm ipso in Virginitate perseuerare decreuit. Propositum amborum confirmauit visio: Christus enim cùm Matre Virgine illi apparuit, pudiciciæq. corollis donatos dimisit. Cùmq. diù simùl castè, sanctèque vixissent, religioni se se tradidere. Alter Abbas, Monachis, Altera Abbatissa præfuit Virginibus.

2. *S. Augustinus in Epist. 32. ad Paulinum*. Laudat S. Doctor Paulinum quòd cùm Therasia coniuge sua continentiæ votum susceperit.

3. *S. Paulinus Epist. 3. ad Aprum*. Mirificè eum laudat, quòd cùm vxore perpetuam continentiam Deo vouerat.

4. *Hilarius Arelatensis in Epist. ad Augustinum; quæ proponitur libris de Prædestinatione*. Sciat, inquit, sanctitas tua, fratrem meum cùm matrona sua ex consensu, perfectam Deo continentiam deuouisse.

5. *Theodoretus lib. 4. Hist. Eccles. cap. 12*. Pelagius Laodicensis Episcopus, dùm esset adolescens, vxorem duxit. At primo Nuptiarum die in ipso nuptiali thalamo sponsæ persuasit, vt castitatem pluris quàm concubitum æstimaret, & vt amorem fraternum pro coniunctione iugali teneret, edocuit.

6. *Petrus de Natalibus in Catal. S.S. l. 4. c. 113*. Amator, Episcopus Antisiodorensis, in annis iuuenilibus à parentibus coactus, virginem desponsauit, quam tamen vt virginitatem profiteretur suadendo induxit. Cùm autem vterque votum emisisset, Angelus Domini eis astitit, duas coronas afferens, & singulas singulis imponens, eos in sancto proposito confortauit. Puella igitur Monasterium virginum ingressa est. Amator verò clericus factus, post mortem Eladii Antisiodorensis Episcopi, eidem in Pontificatu subrogatus est.

7. *Palladius cap. 8*. Amon Monachus cùm à parentibus coactus vxorem duxisset, statutaque die nuptiarum in thalamum eius illa deducta fuisset, persuadere ei conatus est, vt solitariam pro se vterque sectaret vitam; cuius verba puella læta accepit, segregari tamen ab eo prorsùs noluit. Itaque Amon decem, & octo annos cùm ea vixit, seorsim cubans, & Deo in castitate deseruiens; post quos ad inuicem separati, ille relicta mulieri domo, meridiem versùs ad lacum Maream in solitudine circùm Scetin, & Metriæ montem, duos, & viginti annos monasticam vitam duxit.

8. *Surius 13. Nouembris*. S.Homobonus Cremonensis, parentum iussu, Virginem duxit vxorem, cùm qua tamen castissimè semper vixit.

9. *Baronius an. 1024. num. 5*. S. Henricus Rex Germaniæ, Romanorumque Imperator, Virginitatem raro exemplo matrimonio iunxit, sanctamq. Cunegundam coniugem suam propinquis eius morti proximus illibatam restituit.

10. *Petrus Canisius lib. 2. de Deipara Virgine cap. 11*. Sanctus Elzearius illustris Galliæ Comes, eiusque Coniux S. Delphina, Virginitatem suam Deo consecrarunt, sanctaque perpetua virginitate efflorescere conubia effecere.

11. *Herculanus de S.S. Viduis*. S. Catharina Princeps Suetiæ nobilissimo Principi in coniugem à Parentibus tradita, vnà cùm eo pari consensu in Matrimonio Virginitatem vsq. ad mortem conseruauit.

12. *Marulus lib. 4. cap. 8*. Beata Cęcilia Virgo, Valerianũ, cui desponsata fuerat, ipso nuptiarum die ad colendam Virginitatem persuasit, amboque Virgines perseuerantes, martyrii palma digni facti sunt.

13. *Idem libr. 4. capit. 7*. Sanctus Eduardus III. Britannorum Rex, cùm Egitha vxore virginitatem custodiuit.

14. *Victor li. 1. de persecutione Vuandalica* S.S. Maturianus, & Maxima Vxor ex consensu simùl continuerunt.

15. *Idem lib. 4. cap. 7*. Arnulphus natione Gallus, genere clarus, Stambergam Clodouei regis neptem duxerat vxorem, sed vt spiritu non carne iungerentur, Sancto suadente Remigio inter se conuenerunt. Clarus posteà virtutibus, Turonensem Episcopatum, Domino iubente, suscepit.

16. *Idem*. Vando Abbas, Pipini Gallorum Regis nepos, à Dagoberto Regni successore compulsus ducere vxorem, ad Virginitatem seruandam eamdem induxit.

17. *Idem*. Maria Oegnesia puella XII. annorum

nata, parentum, non sua voluntate cuidam Ioanni nuptui tradita, vitæ sanctitate commouit virum, vt intactam dimitteret; in virginitate ergo perseuerauit.

18. *Crantzius lib.5.Saxoniæ cap.15.* Conradus Rex, Henrici IV. Imperatoris filius, vxorem penè inuitus ducens, Ducis Siciliæ filiam, cùm ea continentissimè vixit.

19. *Ioannes Cassianus lib. 14. coll.P. P. cap.7.* Oblatus fuerat Abbati Ioanni vir quidam, ferocissimo obsessus Dæmonio, qui adiurationes, & iussiones Abbatis despiciens, protestabatur, se nequaquam exiturum à corpore quod possidebat ad imperium Ioannis, benè quidem aduentu cuiusdam viri sæcularis. Quod admirans Abbas, diligenter inuestigare cæpit, cuius causa tanti esset meriti vir ille sæcularis, vt ad eius aduentum fugeret Dæmon; intellexitque, illum ante duodecim annos ex compulsione parentum vxorem duxisse, nec illam tamen vnquam cognouisse, sed loco sororis habuisse, ac Virginem custodisse, nemine sciente, ob idque tanti meriti apud Deum, & terroris apud Dæmonem existere.

20. *In vitis P.P.* Eucharistus, Pastor ouium, & Maria eius coniux, singulis noctibus in saccis dormientes, sua vita paupercula, & virginali, sanctorum duorum Abbatum vitam, Angelo teste superarunt.

21. *Nicephorus liber. 14. capit. 2.* Pulcheria, Theodosii iunioris soror, post mortem fratris, Marcianum virum prudentia, & grauitate morum præclarum, vt Imperatori succederet sibi elegit in coniugem, ita tamen fuit Matrimonii legibus ei coniuncta, vt nunquam desierit esse Virgo.

22. *Bozius de signis Eccl.lib. 11.c.7.* Emericus, Stephani Hungarorum regis filius, Sclauoniæ Dux, vnà cùm sua Coniunge illibatam vitam duxit.

23. *Clemens Ianitius Polonus, de Boleslao pudico Polonorum Rege.* Hic cùm virgine coniuge, virgo singulari exemplo permansit.

24. *Volateranus lib.2.* Alphonsus II. Rex Castellæ, ab vxore continuò se continuit.

25. *Iacobus Meyer.* Pharaildis, Vigeri, & Amelbergæ neptis, Pipini ex sorore F. Germana, in coniugio multos annos illibatam virginitatem custodiuit.

26. *Æmilius lib.3. ex Sigeberto.* Richardis, vxor Caroli Crassi, Virginitate cùm marito seruata, posteà sacrarum Virginum cætui se dicauit.

27. *Beda lib.4.Hist.Eccles.cap.20.* Etheldreda Annæ Orientalium Anglorum Regis filia, bis nupsit, corpus tamen virilis complexus omninò expers seruauit.

28. *Raderus in Virid.de S.Conone Isaurico.* Hic Annam coniugem suam induxit, vt secùm iuxta illibatum Virginitatis florem custodiret.

29. *Idem ibidem, de Vener. Zacharia Calceario.* Hic venerabilis vir, cùm vxorem Mariam duxisset, Virginitatem cùm ea inuiolatam seruauit, & ambo pari castimonia vitam innocentem traduxerunt.

30. *Nider in Form.lib.1.cap.5.* Anastasius cùm Theogenia vxore, & Virgine, peplo illæso ardentes prunas eam portasse didicit.

31. *S.Gregorius Turonensis de gloria Confessorum cap.32.* Cùm apud Aruernum duo sanctissimi coniuges in matrimonio virginitatem Deo dante seruassent, indèque ex hac vita decessissent, sepulti sunt ambo in eadem Ecclesia, sed in diuersis sepulchris, vnus quidem ad Meridiem, alter ad Aquilonem. Mane autem facto, inuenta sunt pariter esse sepulchra in eodem loco, quæ deinceps sic perdurarunt.

32. *Thomas Cantipratanus lib.2. Apum, cap.50.* Monialis, genere, & vita nobilis, Elisabeth dicta de Vuans, in monasterio Brabantiæ, quod Aquiria dicitur, à cunabulis ferè Christo deuotissima fuit; cuius sanctitati parentes eius simpliciter inuidentes, eam militi probatissimo, licet inuitam, in coniugium tradiderunt, cùm quo in vno lecto annum integrum agens, virgo tamen permansit impolluta.

33. *Io.Rhò in Hist. var. virtut. de Virginitate num. 11.* Duos coniuges Rusticos tantus Virginitatis amor inuaserat, vt adolescentes cùm in manus conuenissent, pluresque iàm annos per angusto paternæ casæ cubiculo vterentur, se tamen coniuges esse præclarè nescirent. Sponsus enim preualidæ ætatis frangendæ causa, vtque à periculo, quàtùm in illis angustiis fas erat, subduceret se se, relicto spontè Virginis lectulo, ipse in aduerso angulo nuda semper humo cubare consueuerat.

34. *Idem num.12.* Alter admirabilis adolescens apud Paraquarianos, cùm Virginem solemni cognatorum plausu in Coniugem duxisset, prima nocte cùm soli secessissent, ei Virginitatem persuasit, cui adhærens casta puella, ambo simul Virginitatis florem, rarò apud eas gentes exemplo, illibatum conseruarunt.

35. *Idem num. 11.* Gulielmus Bruntesbæius, cùm nobilissimam Virginem vigesimum quintum annum agens duxisset, eam ad Virginitatis decus restituendum induxit, abdicataque ditione paterna, ætate, nobilitate, ac forma, Societati Iesu adscribi voluit, vndè nondùm absoluto tyrocinii biennio, ad cœlos euolauit.

36. *Surius in vita S.Amelbergæ 10. Iulij.* Postquam sancta Mulier filios ex Vuitgero coniuge procurasset, ab Angelo monita, castitatem vnanimi consensu cùm viro seruauit, virque Monasticæ vitæ institutum amplexus est, ipsa verò sacrum velamen accepit à Sancto Autberto Cameracensi Episcopo.

37. *Idem 27. Febr.* S.S. Andronicus, & Athanasia coniuges, cùm geminos liberos suscepissent, marem, & feminam, à tori vsu de cætero consensu abstinuerunt.

38. *Idem 13. Martij de S. Euphrasia Virgin.* Antigonus, & Euphrasia, parentes S. Euphrasiæ Virginis, postquam eam susceperunt, continenter vixerunt inuicem, matrimonii consuetudinem vltrò sibi ipsis interdicentes.

39. *In speculo Exempl.dist.2. ex.4.* Quidam inhabitans vicum, cui proximè viuebat Abb. Pafnutius, eidem S.Abbati in virtutum, ac præmiorum cæle-

cœlestium statu comparatus est, eo quòd triginta annos, post tergeminos ex vxore procreatos filios, continentiam ita coluit, vt coniugem non attingeret, aliaque æterna commendatione dignissima gesserit.

40. *Cromerus lib.*8. Heduuigis Poloniæ Ducissa, postquàm ex coniuge Rege sex filios procreasset, vnà cùm viro votum castitatis emisit, adhùcque viuens, & nupta, viduitatem per 30. annos singulari exemplo amplexa est.

41. *Surius* 31. *Ianuarij, de S. Melana Romana*. Apeniano à parentibus in Coniugem tradita, ei vt Virginitatem custodiret suadere curauit, quod cùm vir respuisset, tandem post genitam filiam, vt deinceps ambo continerent suasit; quod & sanctè fecere: quandò autem hanc cæperunt Angelicam vitæ formam, ætas erat Apeniano viginti quatuor annorum, Melanæ autem viginti.

42. *In vita S. Birgittæ*. S. Birgitta in Suetia illustribus, & pijs parentibus orta, Vlfoni Nericiæ Principi in matrimonium tradita est, antequam autem simùl conuenirent, per annum, castam, illibatamque vitam simùl duxerunt.

43. *Gregor. Turonens. in vitis S. S. Patrum cap.*11. B. Monegundis, patria Carnotensis, marito, cui binam prolem pepererat, relicto, de illius consensu solitariam agere cæpit vitam, satis pauperem.

44. *Malmesburiensis lib.* 5. *de gestis Anglorum cap.*29. Henrici Anglorum Regis coniux, duobus partubus contenta, ad monasterium, quod à teneris annis incoluerat, rediјt, & sub regio vestitu, cilicio induta, vitam castam duxit.

45. *Marulus lib.*1. *cap.*2. Euphemianus Romanus, & Aglaen vxor, post susceptum Alexium filium, continentiam posteà seruarunt.

46. *Bonfinius lib.*4. *Decad.*1. Lupus Trecacensium Episcopus, Pigniolam, Hilarii Arelatensis Episcopi sororem coniugem duxerat. Septimo autem coniugii anno, vtriusque consensu, sanctum diuortium decreuerunt, vt arctiùs Deo deseruirent.

47. *Marulus libr.*4. *cap.*8. Radegundis, Clotharii Regis Galliæ coniux, cùm annos aliquot cùm Marito sine querela vixisset, tandem seruandæ castitatis cupiditate accensa, diuortium impetrat, & monasterio se includit.

48. *Raphael Volaterranus libr.* 4. *Com. in Geograph. de rebus Venetis ann.* 973. Petrus Vrseolus Venetorum XXIII. Dux, vir optimus, & religiosissimus, magistratu se abdicans, vxorem post susceptum filium ex voto vtriusque nunquam attigit.

49. *Egnatius lib.*6. *cap.*1. Nicolaus Iustinianus, iàm Monachus, à Pontifice Alexandro Religionis initæ voto solutus, vt familiam extinctam repararet, Annam Vitalis Michaelis Ducis Venetiarum filiam in vxorem duxit; susceptis autem maribus liberis sex, tribusque fęminis, mutuò consensu vterque Religionem suscepit.

50. *Sylos in Hist. Cler. Regular. tom.*2. *lib.*4. *an. Domini* 1606. Ven. Ioseph Caracciolus ex nostris, dùm adhùc in sæculo degeret, & Isabellæ Caracciolæ formosissimę coniugi matrimonio per aliquot annos iunctus fuisset, mutuo consensu, torum coniugale castimonia conseruarunt, litaruntque, & per quinquennium, antequam in nostros adoptaretur, indiuiso inter se toro vnà cùm corpore puram animam diuino sponso litarunt.

APPENDIX AD CAPVT VII.

Admiranda quædam perennia in coppulatis Matrimonio.

Et in Coniugatis admiranda quædam perennant. De quibus.

1. *Petra Sancta in miraculis perpetuis cap.*12. Vestis S. Elisabethæ Marburgi, mulieres coniugatas, & steriles, si eam induant, efficit fœcundas.

2. *In m. s. s.* Vestis nostri B. Andreæ Auellini, quæ Mutinæ summo honore, & religione asseruatur, mulieres in puerperio summè laborantes, si eis deuotè admoueatur, partus ad faciliter edendos perenni prodigio iuuare adsolet.

3. *Io. Eusebius Nierembergus, de miraculis nat. terræ Prom. cap.*38. In antro Bethlemio, vbi latuisse dicitur cùm Iesu infantulo Virgo Deipara (quo tempore iussu Herodis Regis patrabatur infanticidium Sanctorum Innocentium, & lacte suo etiam locum irrorasse, ex qua re nomen, & color lactis saxo inhæserunt) saxum eiusdem antri molle admodùm est, & instar cretæ, ex eoque peregrini partem aliquam semper adimunt, vt puerperis lactis vbertatem impertiat, si eius inopia premuntur; Nempè infusus aqua, vel vino puluis hauritur, & vbera redundant, quod experiuntur passim, non Christiani modò, sed Mahometani, & Mauri etiam, atque adeò mutis animalibus interdùm perindè prodest.

4. *Gonzaga in Prouincia Valentiæ, de Conu. S. Catharinæ Hondæ*. Asseruatur in huius sacræ ædis Sacrario quidam gloriosæ Virg. Matris Mariæ calceus, quem ex Vrbe Roma allatum sibi nobilis Heros Rodericus Munozius dono dedit. Mulieribus in puerperio periclitantibus opportunè præfatus calceus applicatur.

5. *Idem in Prouincia Castellæ, de Conuentu S. S. Elisabethæ Reginæ, Toleti*. Feliciter diem suum obiit hoc in monasterio an. 1507. Ven. Virgo Maria à Toleto; cuius pietatem multis prodigiis voluit Deus illustrare. Adest præcipue inter alia, hæc Christi sponsa sterilibus mulieribus, si eius cingulo ventrem deuotè circùmcinxerint; pro vt rei euentus, & longa experientia satis comprobarunt.

6. *Chrysostomus Henriquez in Menol.* 7. *Octobris, de monasterio Clari-Fontis*. Extat in hoc monasterio cingulum integrum S. Margaritæ Virginis, & Martyris, tantæ virtutis, vt si quæ prægnantes mulieres, pressuras, difficultates, impossibilitates, vel etiam pericula mortis patientes, eo cingantur, vel tangantur, illicò tàm citissimè, quàm facillimè, absque omni labore, & dolore liberentur.

7. *Bozius de signis lib.*15. *cap.*11. Romæ adhùc adseruatur tenuis quædam tunica Brigidæ Sueticæ, cuius contactu in primis illud diuinitùs contigit, vt mu-

mulieres grauidæ, quæ pariendi difficultatem patiuntur, à mortis periculo eximantur.

8. *In Hist. Franc.* In Ecclesia S. Mariæ Carnuti in Gallia, piè asseruatur indusium eiusdem Beatæ Virginis, perennibusque miraculis est celebre; si quidem puerperæ, si difficili laborant partu, statim ac ventri admouent aliquod indusium simile prædicto B. Mariæ Virginis efformatum, sanctificatumque à contactu eiusdem, magna facilitate, fœtus enituntur. Milites etiam similibus sanctificatis indusiis per contactum illius Beatæ Virginis, felici euentu vtuntur contra inimicorum arma.

9. *Ferr. in Cat. S. S. 24. Octobris de B. Angelo ordinis Seruorum.* Apud Cauacurtam Laudensis diœcesis pagum, eius interula parturientibus opem ferens, asseruatur.

10. *Petra Sancta in mir. perp. cap.* 3. Apud Sabinos in Cœnobio Benedictinorum, cui est à *Fara* cognomentum, asseruatur clauis ostioli sacræ ædis Lauretanæ. Hæc fermè miraculo perenni patefacit, vndè nam sit ei origo, & quorum teri manibus aliquandò meruerit. Nam puerperas iuuat, vt eniti prolem valeant fælici puerperio, doloribus, aut prohibitis, aut certè migatis. Quod causa est, cur frequenter ex Sabina, in Vrbem ad fœminas Principes perferatur, quandò eis imminet partus.

11. *In m. s. s.* Multum percipere solamen puerperas, fertur in Burgo S. Sepulchri, si tempore puerperii, quadam campana, quæ olìm in morte *Beati* Raineri per se ipsam sonauit, pro ipsis detur signum salutationis Angelicæ.

12. *Io. Baptista Laurus, de Annulo B. Mariæ.* Solent Matronæ conflatos ex ebore annulos, Perusiam mittere (vbi conseruatur annulus pronubus B. M. Virg.) attactu illius consecrandos, in partu profuturos. Asserunt enim, partui propinquas mulieres difficili nixu se excruciantes, si hos annulos digito gestant, subleuari.

Finis Libri Tertij.



LIBER QVARTVS

De Admirandis quibusdam Prærogatiuis, Dotibusue, quibus Orthodoxorum quorundam animæ mirabiliter decorantur.



On vbique aurum generari, gemmasque produci, continua compertam est experientia, quinimmò loca ea solùm talibus decorari prærogatiuis, quibus benignioribus cælestium syderum influxibus datum est, gaudere, vno ore fatentur philosophi. Non absimiles & in nostro Microcosmo obseruantur euentus, specialibus nàmque prærogatiuis, dotibusque eæ decorantur animæ, ad quas cælestis gratiæ peregrini, inusitatique influxus, à Patre luminum mirabili quodam modo descendunt. De his autem aliqua sunt delibanda. Et quia huiusmodi ad quatuor reducuntur capita ab Apostolo Ephes. 4. cùm dicit: & ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios verò Euangelistas, alios autem Pastores & Doctores &c. sub nomine Apostolorum, donum manifestans, cuicumque Nationi, cunctisque linguis prædicandi, vt explicant Doctores; Dotem vaticinandi, occultaque pandendi, in Prophetia exprimens; Prærogatiuam Euangelizandi quod est cælitùs acceptum, per Euangelistas denotans: & Scientiam diuinitùs acquisitam, in Doctoribus, & Pastoribus demonstrans; De his singularibus Prærogatiuis, Dotibusue, Admiranda quædam seligam.

CAPVT PRIMVM.

De Apostolica Prærogatiua, varijs linguis loquendi, quibusdam diuinitùs data. §. vnicus.

Ræter Apostolos, eosq. omnes, qui in cœnaculo montis Sionis, adueniente Spiritu Sancto, hoc mirabile receperunt donum, & alios eodem munere diuinitùs dotatos fuisse legitur in Historijs. De quibus.

1. *Suarez, & alij asserunt*. Gratia variis linguis loquendi vsam fuisse B. Virginem, etiam antequam Spiritus Sanctus visibili specie descenderet, tùm in aduentu Magorum; tùm peregrinando in Ægypto. Eratque velut magistra, ad quam, ceù ad oraculum, ex toto orbe, venerationis, & doctrinę causa omnes accurrebant.

2. De B. Maria Magdalena cùm sodalibus idem sentiendum: dummodò historiæ fidem habeamus, quæ dicit, eas in Massiliense littus eiectas, Euangelium ibidem prædicasse.

3. *In actibus Apostolorum*. Cùm Cornelius Centurio, à D. Petro de catholicæ fidei dogmatibus instrueretur. Adhùc eo loquente, cecidit Spiritus Sanctus super omnes, qui audiebant verbum, & obstupuerunt ex circuncisione fideles, qui venerant cùm Petro: quia & in nationes gratia Spiritus Sancti effusa est. Audiebant enim illos loquentes linguis, & magnificantes Deum.

4. *In vita S. Pachomij*. Pachomius, consulturus monacho ab vrbe consilii causa venienti, impetrauit à Deo donum linguarum, missa ad eum Epistola.

5. *In actis S. Ephren Syri*. E deserto, Cappadociam profectus fuerat S. Ephrem, vt S. Basilium Magnum eiusdem ciuitatis Episcopum inuiseret, cùm quo mediante interprete (Grecum quippè idioma ignorabat) multa locutus est; post quæ Sanctum deprecatus est, vt ab omnipotenti Deo idiomatis Græci peritiam sibi impetraret: Tunc Basilius vnà cùm S. Eremita Deo preces effudit, posteà eum sacerdotio initiauit, & statim ille liberè, & distinctè Gręca loquela, Dei magnalia patefacere cæpit, Græcique idiomatis donum mirabiliter accepit.

6. *Anonymus in Chronico Belgico*. S. Seruatius Traiectensis Episcopus, dùm lingua materna loqueretur populis in diuinis officijs, distinctè ab omnibus intelligebatur, cuiuscumque essent nationis; si verò de negotiis sæcularibus tractaret, interprete vtebatur, nec aliter intelligebat eum populus, nec ipse populum.

7. *In actis S.S. Febr. tom. 2. in Contin. Bollandi*. Cùm S. Teliaus Episcopus Landanensis in Vuallia, Hierosolymam profectus esset, ibi rogatus fuit à populis, vt concionaretur, salutisque monita daret. Erat autem vir sanctus expers linguæ illiùs regionis, in Domino tamen confisus cæpit prædicare, sacrasque scripturas exponere: & ecce mirum. Vnusquisque adstantium illum sua lingua loquentem audiuit.

8. *In vita S. Cadoci Episcopi*. Cadocus tandem Hieru-

Hierusalem perueniens, loca sancta visitauit: cui & Dominus, gentium idioma, per quas transiuit contulit, variisque linguis loqui cœpit.

9. *In vita S. Patientis Episcopi Metensis*. Ignotum iter cùm suis per Illyrici, & Adriatici sinus maria arripiens S. Patiens, tandem Christo duce, difficultatem itineris multimodam euadit, Gallorumque fines intrauit. Mira res! Linguam Barbarorum, quam pridem ignorabat, intelligebat, & respondebat, necessariaque requirebat.

10. *In vita S. Dominici lib. 2. cap. 11.* A Tolosa proficiscens Lutetiam vir sanctus, cùm ad Rupem Amatoriam venisset, ibidem in Ecclesiam beatissimæ Matris Dei vigilans pernoctauit, & itineris, & pietatis comitem habens Fr. Bertrandum, virum sanctum, qui fuit Prouinciæ primus Prouincialis. Altera luce iter agens, obuios habuit quosdam peregrinos Teutones, qui audientes eum cùm socio psalmos, & lectiones crebrò recitare, piè admodùm se illis adiunxere; & cùm ad pagum quemdam venissent, inuitarunt sanctos, & more suo lautè eos acceperunt, eodem modo diebus quatuor eos tractantes. Quarto autem die ingemiscens beatus vir dixit ad socium. Re uera frater, sentio me læsum in conscientia, quòd horum peregrinorum carnalia metimus, cùm eis spiritualia non seminemus. Si placet ergo flexis genibus rogemus Dominum, vt det nobis cognitionem sermonis eorum, & vt possimus Germanicè loqui, & Dominum Iesum eis annunciare. Orant igitur, & stupentibus peregrinis, loquuntur Teutonicè: idque aliis diebus quatuor, quibus cùm eis gradiebantur, & de Domino Saluatore sermones miscebant. Tandem vbi Aureliam ventum est, Teutones ab eis recesserunt, illorum precibus se humiliter commendantes.

11. *Ibidem de eodem*. Alio tempore iter faciebat vir Dei, cui socium se obtulit aliquis insigni quidem morum honestate, vt externè iudicare poterat, sed diuersæ nationis, & linguæ. Hi pariter ibant, sed dolebat B. Dominicus, nullos posse misceri pios sermones, vndè vera animi consolatio existeret. Hinc flagrans desiderio, enixè Deum obtestatur, vt faciat copiam de rebus diuinis disserendi, quo vterque alteri sit exemplum virtutis, ac probitatis. Rem miram! Incipiunt inuicem intelligere se, ac tres ipsos dies cælestibus recreati colloquiis, posteà disiunguntur.

12. *Petrus Ranzanus in vita S. Vincentij Ferrerij lib. 3. cap. 9.* Cùm per varias regiones suas prędicationes diffunderet S. Vincentius, & sua Valentiana, ac materna lingua fuerit semper locutus, tamen singuli tàm pueri, quàm ætate prouecti vtriusque sexus, eius sermonem per singula verba percipiebant, perindè ac si in singulorum patria fuisset natus, & illorum; idiomate fuisset locutus: multi quoque Greci, Teutonici, Sardi, Hungari, & alii in aliis locis nati, qui cùm nisi materna lingua loqui scirent, nec aliam intelligerent, ad loca in quibus prædicabat Vincentius, cùm aliis ad audiendum concurrentes, tandem concione peracta fassi sunt, se singula viri Dei verba percepisse, non minùs quàm si eorum lingua eum loquentem audissent.

13. *Fornerus in Palma Triumph. de S. Aloysio Bertrando*. Mirabile inter cætera eius admiranda opera haùd incongruè videri potest, quòd cùm loqueretur Hispanicè, ab Indis etiam, qui linguam Hispanicam minimè callebant, fuerit intellectus.

14. *In ann. Minorum ann. 1227. numer. 16. de S. Antonio Patauino*. Cùm ex Pontificis præcepto sermonem haberet ad innumeram multitudinem diuersarum gentium, quæ tunc Romam ad Indulgentias Paschales conuenerat, renouatum est illud præclarum miraculum, quo olim in Pentecoste Apostolos illustrauit Christus. Nàm B. viri linguam ita instruxit gratia Spiritus Sancti, vt singuli & apertè audirent, & planè intelligerent idioma regionis suæ, in qua & nati, & educati fuerant; quemadmodùm multi ex eis postea pro certo affirmarunt.

15. *In vita Sancti Bernardini Senensis cap. 38.* Cùm S. Bernardinus Senensis, Florentino Concilio interesset, licet linguam Græcam ignoraret, Grecè apud Grecos eleganter concionatus est.

16. *In vita B. Coletæ cap. 35.* Non defuit B. Coletæ gratia variis linguis loquendi, diuersaque idiomata intelligendi, pro vt opportunitas exigebat.

17. *In articulis Canonizationis S. Francisci Xauerij*. Diuersarum gentium linguis, quas non didicerat, cùm eas Euangelii causa adiret, ita eleganter, & expeditè loquebatur, ac si ibi natus, & educatus esset; & contigit non raro, vt eum concionantem, diuersarum nationum homines, sua quisque lingua planè, & politè loquentem audiuerit; id quod pro maximo miraculo ab ea gente habitum, non solùm auxit venerationem Xauerii, sed multos etiam ad fidem conuertit.

18. *Ioan. Trithem. lib. 3. de viris illust. ord. S. Benedicti cap. 335. de B. Elisabetha Abb.* Teutonico sermone, aliquandò verò latino loquebatur, cùm tamen latini sermonis penè nullam haberet peritiam; Spiritus enim, qui loquebatur in ea, vt voluit verba formabat.

19. *Bozius de signis Ecclesiæ lib. 6. cap. 5.* Martino Valentino ordinis S. Francisci in Indiis occidentalibus Euangelium prædicanti, à Deo donum linguarum concessum fuisse tradunt, quo innumeros ad verum pietatis cultum perduxit.

20. *In vita B. Claræ de Monte Falco cap. 8.* Cùm ad eam semel ex Gallia, Margarita peregrina adiisset, statim ac eam vidit, proprio salutauit nomine, longos deindè cùm eadem, Gallica lingua, quam nunquam didicerat, protraxit sermones.

21. *Antonius Dazza in vita B. Ioannæ à Cruce cap. 15.* In profundissima contemplatione, sæpè in extasim eleuabatur B. Ioanna, tuncque subtilissimas doctrinas, quas ex fonte diuinitatis hauriebat, mirabiliter eructabat, variisque linguis, pro vt adstantium exigebat oportunitas, loquebatur. Semel dùm illi oblatę fuissēt duæ Mahometanæ ancillæ, quæ ad patriam impietatem detestandam, catholicamque fidem amplectendam, nullis modis adduci

adduci potuerant, sic extatica tàm efficaciter arabico sermone illis est locuta, vt illæ multa eadem lingua extaticæ Virgini respondentes, tandem sacro fonte inaugurari, ardentissimè expetiere; quo facto, & aliis vicibus extatica cùm illis arabicè est locuta, monita salutis tradens.

22. *Fulgosius lib. 1. cap. 6.* Pastoritius quidam iuuenis, natione Liburnus, cùm ex peste, quæ Romæ grassabatur, putaretur mortuus, statim ad se reuersus, nunciauit Domino suo, se in cœlo fuisse, & intellexisse, quos, & quos ex illa domo pestis esset deletura. Vtque fides haberetur dicenti, ostendit se omnes linguas didicisse. Dictoque euentus respondit. Ipse siquidem exacto biduo mortuus est, & secuti sunt eum, quos morituros significauerat.

23. *Baronius ann. 401.* Cùm S. Porphirius Gazę Episcopus, in ea ciuitate Idolorum templa destrueret, consultareturque de Iouis Fano; suffodiendum, & diruendum esset, an expiandum, & repurgandum, vt Christiano cultu ritè inauguraretur: puer septem non ampliùs annorum, primùm Syriacè, dein etiam Grecè (& si ne rudimenta quidem Graii sermonis didicerat) quid facto opus, diuinitùs enunciauit, atque intùs ignibus edixit expiatoriis tradendum, foris seruandum esse pro vsibus Ecclesiæ Orthodoxæ.

24. *In vita B. Toribij Alphonsi Mogrouej Archiepiscopi Limensis cap. 16.* Vt faciliùs verbum Dei Indis regionibus disseminaret B. Archiepiscopus, natione Hispanus, singulari prærogatiua eum Dominus decorauit, qua sæpè sæpiùs & patria lingua loquens, ab Indis, Barbarisque intelligebatur; ipseque pariter barbara eorum idiomata percipiebat.

CAPVT II.

Donum, futura, seù absentia prænoscendi, quibusdam datum.

§. I.

SEcundò inter singulares dotes, quibusdam à Deo concessas, Prophetiæ donum enumeratur. De eo aliqua, si enim plura, nunquam finis; quis enim Sanctus, seù altissimi seruus, cui, ceù amico, aliqua non manifestauerit Deus? De his.

1. *S. Hieronymus lib. 1. contra Iouinianum, de S. Ioanne Apostolo.* Fuit Ioannes Propheta, vidit enim in Patmos insula, in qua fuerat à Domitiano Principe ob Domini martyrium relegatus, Apocalypsim, infinita futurorum mysteria continentem.

2. *In vitis P. P. lib. 2. cap. 7. de S. Apollonio.* Lis quodam tempore dicebatur exorta inter duos vicos, quorum vnus Christianorum, alter Gentilium fuit. Procedunt ex vtraque parte armatorum turbę plurimæ. Accidit autem, vt S. Apollonius superueniret. Cùmque eos hortaretur ad pacem, quidam eorùm, qui inter Gentiles quasi caput erat, & causa belli illius, homo truculentus & ferus, obsistebat ei vehementer, dicens, non se permittere fieri pacem, vsque ad mortem suam. Tunc ille: Fiat (inquit) vt optas; nullus enim alius præter te perimetur, sed & congruum honori tuo tibi sepulchrum fiet, non terra, sed bestiarum, ac vulturum ventres. Et continuò sermo eius efficitur verus; nullus enim alius ex vtraque parte, nisi solus ipse cecidit. Quem cùm sub arena obruissent, manè regressi, inuenerunt à bestiis effossum, laniatumque, atque à vulturibus deuoratum. Cùmque omnes admirationem habuissent, quòd sermo hominis Dei ita fuisset impletus, conuersi sunt omnes ad fidem Saluatoris Domini, & Apollonium prophetam Dei prædicabant.

3. *In actis S. Columbæ Scoti Confess. lib. 1. cap. 18.* Quodam tempore dùm S. Columba cùm Congello Abbate simùl residerent, aqua de quodam proximo ad manus lauandas fonticulo, ad Sanctos in æreo defertur vasculo, quam cùm S. Columba accepisset, ad Abbatem Congellum à latere sedentem sic præfatur: ille fonticulus ò Congelle, de quo hæc effusa nobis allata est aqua, veniet dies quandò nullis vsibus humanis aptus erit; qua causa, ait Congellus, eius fontana corrumpetur vnda? tùm S. Columba, quia humano, inquit, cruore replebitur; nam mei cognationales amici, & tui secundùm carnem cognati, in hac vicina munitione belligerantes, committent bellum, vndè in supra memorato fonte aliquis de mea cognatione trucidabitur homuncio, cuius cùm cæteris interfectis sanguine, eiusdem fonticuli locus replebitur, quę eius veridica suo tempore, post multos vaticinatio expleta est annos: in quo bello, vt multi norunt populi, Domnalus Aidi filius victor sublimatus est & in eodem, secundùm sancti vaticinium viri, fonticulo quidam de parentela eius interfectus homo.

4. *Flor. apud Baronium ann. 947.* De Beato Aelfego Vuintoniensi in Anglia Episcopo legitur, quòd in die cinerum, cùm de more pænitentes de Ecclesiæ liminibus remoueret, hortatus est eos, vt tempore quadragesimali, ieiunio, & castitati vacantes, diebus illis vxorum etiam deliciis abstinerent. Quorum vnus, cæteris Episcopi iussionibus reuerenter obtemperantibus, ioculari cæpit, dicens, se abstinere non posse à venere, à cibo pariter, & coniugio. Cui Episcopus: Contristas me miser oppidò, nesciens quod tibi pariat dies ventura. Et sic homo ille recedens, duram B. Aelfegi prophetiam nebulo experitur, dùm postera luce in cubiculo fuit repertus exanimis, incertum, vtrùm à Diabolo suffocatus. Altero quoque tempore, dùm sacros ordines celebrasset, tres monachos ad ordinem promouit presbyteratus. Completis itaque ordinibus; Præsul sanctæ recordationis astantibus dixit; Hodiè tribus monachis manus imposui, quorum duo, Pontificalis ordinis gratiam obtinebunt, vnus in ciuitate Vuigorniæ, ac deindè in Cantia, alter meam sedem quandòque implebit. Tertius voluptatum petulantia accensus, exitum miserabilem sortietur. Quam vtique Sancti Præsulis prophetiam, vt prædixerat, rerum exitus comprobauit.

5. *Surius*

5. *Surius 15. Augusti in vita S. Arnulphi Suessionensis Episcopi ca. 31.* Quodam tempore Euerolphus monachus, & presbyter, sancto Episcopo valdè deuotus, & impensè charus, in morbum incidit grauissimum: cùmque se moriturum crederet, rogauit Episcopum, vt sacri olei vnctionem ipsi impertiret. Episcopus verò ait ad eum: intempestiua sunt quæ postulas: quibus ego ea causa non annuo, quòd sciam contraria dispositioni diuinæ. Non enim ego te aut vngam, aut sepeliam: sed tu me alio, & loco, & tẽpore vnctionis, & sepulturæ sacris officiis prosequeris. Illo dicente, fieri id non posse, cùm Episcopi, vel Abbates Episcopum debeant sepelire, vir Dei respondit: Scias certissimè ad me vngendum, & tumulandum nullum adfuturum Antistitem, vel Abbatem; sed tuæ charitatis ministerio quicquid eius est, circa me completum iri. Sic locutus, manum ægroto imponit, & pulso morbo, reddit incolumem.

6. *In vita S. Patritij ca. 74.* Cùm S. Patritius Momoniæ Regem Oengum sacro baptismate regenerasset. Posteà cùm eum benediceret, eius tangendo caput, pes Regis eiusdem vulneratur cuspide baculi Pontificis. Rex autem auiditate ardentissima benedictionem accipiens à Domino Episcopo, nullum vulneris dolorem, licet sauciatus, sensit in corpore, cuius mens vulnerata charitate, recuperata suæ animæ gaudebat sospitate. Data verò benedictione animaduertens Sanctus, pedem Regis cruentatum, crucis signaculum imprimendo benedixit illum, & reddidit sanissimum, Rege verò de signo insigni in se patrato exultante, & gratias agente, Præsul spiritu prophetico plenus prędixit illi, dicens veridica voce: Non effundetur sanguis alicuius Regis, qui de stirpe tua in loco isto sedebit super thronum tuum, nisi vnius tantùm. Hanc prophetiam asserunt illius regionis indigenæ, irrefragabili veritate suffultam esse, quoniam Regem nullum ex posteris eius vsque ad decimam generationem, prẹter vnum, narrant historiæ occisum fuisse.

7. *Ibidem ca. 138.* S. Patritius, Principem Conallum conuenit charissimum suum. Sciscitatus ab eo si vellet induere habitum monachi: Respondit Regulus, se cor suum paratum habere ad faciendum quod sibi Sanctus vellet iniungere. Gauisus Præsul de cordis illius deuotione, ad ipsum fertur dixisse. Portabis scutum & baculum ob principalis potestatis, ac protectionis signum, & meriti monachalis indicium. Nomen, & habitum præsentabis laici: sed animum, & meritum possidebis monachi. Multi namque sancti, ex te procreabuntur, & multę nationes terrę in semine tuo benedicentur. Cùm baculo etiam Iesu signum crucis impressit ipsius scuto, asserens quemlibet de stirpe ipsius illud baiulantem in bello, nunquam vincendum ab aliquo. Hoc enim promissum, immò prophetiam S. Patritii Conallo, & successiuo semini eius euenisse astruunt historiæ Hibernicæ, & clamant cantilenæ.

8. *In vita S. Heduuigis Ducissæ.* Cùm adhùc iuuenis esset, quodam Saluatoris natalitio die, venit quidam ad eam mensæ assidentem, qui diceret, cerasum in horto florere; mittit illa hominem, qui videat, qua parte arbor flores ferat; Renunciat is, in ramis inferioribus flores conspici. Tùm illa: Signum est inquit, multos pauperes hoc anno morituros. Quod res ipsa confirmauit.

9. *In vita S. Benedicti.* Semel Totila Gothorum Rex, exploraturus, an S. Benedictus occultã cognosceret, vti fama erat, spatharium suum Regio ornatu, & comitatu præmisit, qui se simularet Regem. Quem vt ille vidit. Depone, inquit, fili, depone quod geris, nàm tuum non est. Totilę verò prædixit aduentum eius in Vrbem, maris transmissionem, & post nouem annos mortem.

10. *In vita S. Bernardi Abb.* Dùm ingressus fuisset aliquandò Germaniam S. Abbas, pacem reformaturus illis in regionibus tùnc bello grassãte; Mogontinorum Episcopus, clericum suum Masselinum, sic ei nomen erat, obuiam ei misit, qui, cùm se missum diceret à Domino suo ad seruiendum ei, paulisper eum intuitus vir Dei, dixit: Alius te *Dominus* misit ad seruiendum sibi. Et cùm ille *ad verbã* sancti expauesceret, se asserens ab *Episcopo missum*, respondit Bernardus; Falleris, maior Dominus misit te Christus. Tunc primùm intelligens quorsùm sermonem vibraret, ait. Putas me monachum velle fieri? Absit à me, nec cogitaui, nec ascendit in cor meum. Nihilominùs tamen illo renuente, famulus Dei affirmabat, omninò fieri debere; *non* quod ipse de se cogitauerit, sed quod Deus *de illo* disposuit. Qui in eodem conuersus itinere, vale dicens sæculo, factus est Monachus in Claraualle. Multa similia de eodem possent enumerari.

11. *In vita S. Brunonis.* Cùm S. Bruno præuidisset proditionem, quam Sergius, natione *Grecus*, Calabriæ Duci Capuam obsidenti, excogitabat, parabatque, illi apparens, de eademque admonens, ab illo periculo liberauit; *ex quo euentu*, aliisq. pluribus, quàm maximè *futura, & remota*, eius mentis perspicua *essent oculis*, apparet.

12. *Henriquez de B. Vualtero.* Cùm quadam die sederet B. Vualterus in mensa S. Guillelmi Bituricensis Archiepiscopi, qui antea fuerat Abbas Caroli, loci ordinis nostri, de sibi opposito modicum quid, & timidè gustabat, eo quòd ita *delicata* cibaria edere non consueuerat. Cùmque *hoc* consideraret Archiepiscopus, alloquitur eùm dicens! Abba, tu cibis istis vesci non vis, ego verò ex eis reficior. Ego tamen canonizabor, & celebrabitur festiuitas mea. Et secundùm quod prędixit factum est. Nàm Honorius tertius post debitam vitæ, ac miraculorum eius inquisitionem, eum sanctorum catalogo adscripsit, & canonizauit.

13. *Petrus Rodulphus lib. 1.* S. Angelus Carmelita, post multa verba dicta coràm S. S. Patribus Dominico, & Francisco, dixit dicto Patri Francisco: Salue humilitatis exemplum. Tu corporaliter portabis stigmata Christi; cui respondit Beatus Franciscus animi magnitudine accensus. Et tu in Sicilia martyrio coronaberis. Beatus verò Dominicus, qui cùm B. Francisco aderat, respondit: Amen.

14. *Possewinus in Appar. Sac.* Abbatem Ioachim Prophetiæ dono donatum fuisse, ex multis apparet, ex eo præsertim, quòd D. Dominici, & D. Francisci

Francisci ordines ita prænunciauerit, vt etiam opere musiuo eos exprimi in templo Diui Marci, quod est primarium Venetiis, curauerit; qui Sancti tunc viuentes, paucos post annos ordines suos instituerunt.

15. *In vita Sancti Dominici libr. 2. capit. 11.* In futuris prænunciandis sagax fuit, inter paucos Sanctus Dominicus. Dùm Albigense flagraret bellum, quidam ei: Numquamne, ait, ad finem ducentur hæc mala? cui ille: Finem certè habebit isthæc Tolosanorum malitia: sed expectandum porrò: multus adhùc sanguis fundetur, & Rex aliquis in hoc bello occumbet. Formidantibus ne esset Galliæ Rex, qui pessimis hæreticis suum videbatur patrocinium addixisse; Alius planè, inquit, quàm existimatis. Vaticinio respondit euentus: quippè anno proximo cęsus est Rex Aragoniæ Petrus, qui ingenti exercitu in subsidium venerat Comiti Tolosano. Pleraque his similia etiam prædixit.

16. *In vita B. Pij V. Pontificis.* Anno 1571. quo tempore ad Echinades insulas à communi classe Christianorum, prælio post hominum memoriam maximo, perspicua diuini spiritus ope profligata fuit classis Turcica, sanctissimus Pontifex, rem totam, vt euenerat, prædixit. Colloquebatur enim ille in Vaticana Regia cùm Bartholomæo Bussato, ęrarii Pontificii generali Præside, aliisque ministris: & tùm repentè sermonem abrupit, atque ad speculam conclauis, oculis in cœlum sublat is aliquandiù hæsit, posteàque ad illos reuersus, vultu exhilarato dixit: Gratiæ Numini sunt referendæ, quia nostra classis hoc ipso temporis vestigio pugnauit cùm hostili classe, eamque deleuit penitùs: & statim se in genua prouoluens, perfusus vberrimis præ gaudio lachrymis, Deo supplex fuit. Omnia verò cùm euentu congruerunt.

17. *Vading. in annal. Minorum ann. 1215. num. 19. de Sancto Francisco.* Post sermonem Fabriani habitum, receptus est hospitio à nobili quadam vidua, nomine Maria, relicta nobilis Domini Alberti Gentilis de Fabriano, à qua dùm interrogaretur, quomodò adiacens vallis appellabatur? accepit, nominatam in populo, Vallis paupercula. Tunc propheticè vir sanctus: In valle hac paupercula, pauperculi mei Fratres aliquandò habitabunt. Neque irritum fuit vaticinium. Nàm cùm Fratres anno Domini 1234. oblatum sibi locum extra oppidi portam, vbi modò est Ecclesia Sancti Angeli, inhabitassent vsque ad annum millesimum ducentesimum septimum, quò propter ingruentia bella dirutus est, constituissentque alium reædificare iuxta portam Cauaram; nescio quis insinuauit, non ibi, sed inferiùs in valle paupercula, vti prædixerat Franciscus, esse construendam. Accessit statim vnanimis plebis sententia, quæ sumptibus lentè collectis, fratribusque ad prænominatam habitantibus portam, vti in suis chronicis M. s. s. scribit Beatus Franciscus Fabrianen. in loco à Sancto Patriarcha præsignato, compleuerat ædificium anno millesimo ducentesimo nonagesimo secundo, & in festo translationis eiusdem S. Patriarchæ ad illud transtulit eius sectatores.

18. *Ibidem ann. 1215. num. 18. de eodem Sancto Francisco.* A Monte Casali transiuit ad Marchiam Anconitanam, aliàs Picenum, prædicans semper per obuia castra, & ciuitates, pertransiens benefaciendo, & sanando oppressos, multa domicilia suis adquirens, & plures adolescentes suo adscribens sodalitio. Statim in ingressu sub primis Apennini collibus occurrit ei Fabrianum, nobile, & magnificam illius regionis oppidum. Hic dùm pro suo more sermonem haberet ad populum, & clamoribus, strepituque cæmentariorum è regione palatium quoddam extruentium impediretur, ne liberè verbum Dei ab audientibus exciperetur, in vanumque rogaret, vt pro concionis spatio ab opere cessarent, prædixit, quòd quia Dominus illam non ædificauerat domum, in vanum laborauerint, qui ædificabant eam, quia erat breui ruitura, sed in ruina nullum hominum, animaliumue lęsurum. Ita euenit, nàm paucis diebus post completum ædificium, taliter corruit, vt animalium nullum offenderit.

19. *Ibidem ann. 1222. numer. 3. de eodem S. Francisco.* Fuit Matthæo de Rubeis, antiquæ, & potentis familiæ Vrsinorum heroi, filius paruulus, nomine Ioannes, quem Francisco tulit, vt benediceretur. Accepto in vlnas Vir Sanctus benedixit, & patri prædixit, suæ familiæ summam gloriam infantulum aducturum, summumque Ecclesiæ Pontificem futurum. Deindè vultum ad puerum conuertens, tanquam multæ rationis capacem, seriò & blandè alloquutus est, rogauitque, vt suæ Religioni vellet esse propitius. Deindè reddens patri filiolum, inquit. Non erit nostri sodalitii Frater, sed protector, non erit filius, sed pater, sub cuius vmbra nostri uiuent, & lætabuntur. Multa contemplor bona nostra in infantulo, & in paruulis manibus magna nobis recondita beneficia. Ad hæc vaticinia pater obstupuit, & gauisus est, sed tunc magis, quandò completa perspexit, & filium in Petri Cathedra constitutum, Nicolaum Tertium renunciatum; Qui qualia, & quanta in Minores effuderit beneficia, sub eius Pontificatu constabit. Vsque ad illud tempus pater conseruauit verba Francisci in corde suo, nec vllis detexit, donec ea vidit opere completa.

20. *Ibidem ann. 1227. n. 17. de S. Antonio Patauino.* Hic vir Dei, quendam notarium omninò lubricum, carni, & mundo totum addictum quotiès præteriret, nudato capite coràm illo genu flectebat. Ille verò existimans id in sui irrisionem, & contumeliam fieri, animo perturbabatur, dabatque modis omnibus operam, ne illum vnquam obuiam haberet: sed cùm die quodam ab insperato eum transiret vir Sanctus, & ita, vt diximus, erga illum se gereret, exacerbatus homo, dixit, nisi timerem Dei iram, gladio te percuterem, quòd ita me ridiculum facis: Quid sibi vult istud quòd coràm me poplitem flectis? Respondit vir Beatus; Ego me libens Deo martyrem obtulissem, sed illi non placuit: de te autem mihi

O reuela-

reuelauit, præclarum te martyrem fore. Oro itaque, vt vbi ad martyrii agonem perueneris, mei memor esse velis. Hoc ille audiens, risit. At non multo post tempore Episcopus Podiensis cùm multis aliis profectus est Hierosolymam, vt Saracenis Christum prædicaret. Et ecce diuinitùs permotus notarius ille, venditis suis rebus omnibus, cùm illo iter aggressus est. Cùm autem peruenissent ad Saracenos, & Episcopus sic satis frigidè haberet conciones, semel quidem, & iterùm, & tertiò notarius dissimulauit. At tandem instar Beati Vincentii increpat Antistitem, quòd ita frigidè fidem Christi & prædicet, & propugnet; diuinoque afflatus spiritu cùm multo feruore cæpit docere Saracenos, Christum esse verum Deum, & Dei filium; Mahometem autem esse filium Sathanæ, & perditionis. Quod illi non ferentes, rapiunt hominem, & per triduum diris eum suppliciis excruciant. Cùmque iàm ad mortem duceretur, exposuit fratribus, Antonium id prædixisse, quod ipse martyr futurus esset. Fuit ea res populo occasio, multa deinceps reuerentia Beatum Antonium prosequendi.

21. *Ibidem de eodem ann.* 1231. *num.* 18. Visitauit semel in oppido Ausio Dominam quandam fœtu grauidam, quæ partus periculum timens, petiit, vt pro ea vir Sanctus oraret. Ille oratione præmissa, dùm secundò eum circa id ipsum rogaret, dixit iàm se preces effudisse, & bonam accepisse spem, immò & certam fiduciam, incolumen parituram filium, qui religiosè transactam vitam in ordine Minorum præclaro clauderet martyrio. Nihil inaniter prædictum; peperit salua infantulum, in aquis lustralibus Philippum dictum, qui inter Minores initiatus, in Orientales partes nutu Dei profectus, in exercitu Christianorum deseruit. Captus tandem à Saracenis cùm plurimis ex fidelibus, omnes ad martyrium subeundum egregiè docebat, quos tandem sequutus, gloriosum posuit sui terminum magisterii.

22. *In vita Sancti Bernardini Senensis cap.* 49. Concionabatur aliquandò vir sanctus apud Senenses, sedebantque hunc in modum, seiuncti viri, ac mulieres, eum auscultantes: at tamen quidam lasciuus adolescens, illo inuito stabat tali loco, qui esset fœminis oppositus: vt animo suas expleret libidines. Sensit id vir Dei, hortatusque est eum, vt assideret inter mares: at ille contempsit hoc, mansitque confidenter in loco suo. Eum contemptum optimæ institutionis suæ non ferens vir sanctus, ait palàm ad eum: Ecce ego dico tibi, adolescens, qui isthic stas impudenter, & audacter auratis indutus vestibus; non parùm vereri me, mala morte te periturum. Idque sic decidit, quandò posteà ob sua flagitia, & maleficia, tanquam latro, apud Anconam capite plexus est.

23. *In vita Beati Laurentij Iustiniani*. Fantinus Dandulus, genere, dignitate, vita, & doctrina præstantissimus, qui fuit Episcopus Patauinus, dùm sæcularis esset adhùc, & primarium in Repub. locum teneret, primo die quadragesimæ ad suscipiendum de more cinerem, accedit. Suscepto cinere, & benedictione, Laurentius ait. Memento frater, quia futuro anno, tu aliis horum cinerum officium impendes. Quod vt audiuit homo sæcularis, & plusquàm quinquagenarius, surrexit admirans, neque aliud tamen ibi percontatus est propter loci maiestatem, sed in claustro prætereuntem expectat. Factus autem ad illum propior, rogat, quid illis verbis significare voluerit. Laurentius substitit aliquantulùm cogitabundo similis, deindè subiecit: Dico tibi frater, quòd cinerem quidem non impones, sed certè populo distribues ramos oliuarum. Fantinus quàmuis maiori adhùc admiratione teneretur, quonam modo hoc posset accidere, tamen aliud sub his verbis latere dubitans, discessit. Ecce autem haùd multo post Martino V. defuncto, Eugenius Venetus Pontifex eligitur. Ad eum Fantinus legatus, à Senatu destinatur. *Suscepit eum* Eugenius maximo cùm honore, & inter sacros ordines initiat. Denique ante vertentem annum, Legatum Apostolicum, Bononiam mittit, quò cùm venisset, & primo die Quadragesimæ imponere cinerem populo necesse esset, inuitatur Legatus ad id muneris. Ille recusat, quòd ab alio, quàm sacerdote, fieri non liceret. Instant enixiùs illi dicentes, id muneris à Legatis semper exerceri consueuisse. Fantinus in proposito permanet, atque id officii non paruo tandem labore deprecatur, nihil adhùc de Laurentii verbis aduertens. Die verò Palmarum, cùm similis contentio oriretur, & Canonici peterent, vt oliuæ ramos populo distribueret, ille autem ex humilitate eadem sacerdotii excusatione vteretur: tandem Canonici summis precibus postulant, vt si in cineribus se se Legatum gerere noluit, saltem non recuset oliuarum officium. Quid multa? Victus Fantinus, illud officium, vt prædixerat Laurentius, propriis manibus absoluit.

24. *In actis B. Oringæ, seù Christianæ ap. Boll.* 10. *Iann.* Audiebat semel vagentem in cunis infantulum; Ploret, inquit, pessimam vitam *acturus puer,* mortemque infamem obiturus: nam *vbi adoleuerit*, scelera addet sceleribus, tandemque patibulo appendetur. Huic quoque vaticinio exitus respondit.

25. *In vita Sancti Philippi Benitij*. Cùm duos milites acriter reprehendisset, quòd sæuas in Deum, sanctosque blasphemias euomerent; nec tamen illi resipiscerent, prædixit illis, citò fulminibus è cęlo delapsis morituros; subitus euentus eius vaticinium confirmauit. Similiter alijs alia prophetico spiritu prædixit, quæ omnia, vt prænunciauerat, euenere.

26. *In vita S. Francisci de Paula libr.* 3. *cap.* 7. Venerandus Dominus Iacob Quirerius, maioris Ecclesię Neocastrensis beneficiarius, aliquandò Paternum inuisendi causa S. Fràcisci profectus est; qui ab illo humanissimè acceptus, cùm discederet, rogatus est à S. Viro, vt Reuerendissimum Episc. eius nomine moneret, & cohortaretur ad faciendam singulis diebus collectā contra Turcas, seù Paganos, eo

quòd

quòd propiùs, inquiebat, quàm vnquam Christianis imminerent. Atque quàmvis nulla adhùc Turcicæ obsidionis suspicio inualuisset: attamen ipsi, Mahometis II. iussu, octo post dies Hidruntum inuaserunt. Id ipsum tres menses ante hac signatis, loco, & tempore, suis ipse prædixerat fratribus, iisque preces indixerat solemnes, & priuatas, vt Deus, tantum à Republica Christiana malum auertere, aut saltem minuere dignaretur. Alia huiusmodi innumera leguntur in eius vita.

27. *In vita S. Teresiæ à Iesu*. Spiritu diuino illuminata, per annum antequam ad cælos euolaret Sanctus Petrus de Alcantara, eius prædixit mortem, cognouitque eodem tempore quo mortuus est. Item prædixit subitaneam mortem Mariæ de Cepeda eius sororis, sicut & aliorum, aliaq. permulta præuidit.

28. *In vita Sancti Philippi Nerij*. Anno post Christum natum 1558. duo ex eius filiis spiritualibus, Franciscus, & Io. Baptista Saracenus, Religioni Sancti Dominici se addicere decreuerant: id vbi Philippus resciuit; Io. Baptista dixit, sacro indutus habitu, eos in virtute processus efficiet, vt ad vltimum vsque diem in suscepto genere vitæ cùm laude persistet. Franciscus, quæ humana fragilitas est, labore victus, dæmone solicitante, exuta Religiosorum veste, Ægyptum repetet: nec euentus defuit. Alia huius generis plura enunciabat quotidiè.

29. *Bidermanus in vita Sancti Ignatij libr. secundo, capit.* 8. Doctor Arrouira, Romæ Catholici Regis Legatus, obuium semel habuit Ignatium ab Aracœli, manu litteras gestantem, quas Franciscus ei Borgia dederat, Gandiæ tùm Dux, & Pro-Rege Catalauniæ, perque id tempus matrimonio adhùc vinctus. Ibi illum intuens, quis crederet, inquit, virum hunc Principem, qui has ad me scripsit, Romam olim venturum, nostramque familiam hìc ducturum? id quod deindè functa coniuge factum. Quippè Societatem ingressus, longè post, tertius ab Ignatio Generalis renunciatur. Alia huiusmodi de eodem narrantur.

30. *Orlandinus in Histor. Societ. Iesu libr. 12. numer.* 100. Puellæ egentis, vt pudori, pudiciciæque consuleret Franciscus Xauerius, corrogare ei vndique dotem cæpit: & à Vellio homine pecuniosissimo vetere familiari, mutuum petit argentùm, cùm triplicato fœnore in cœlo reddendum. Is cùm alienæ domi se se latrunculis oblectaret, clauem arcæ nummariæ Xauerio tradidit, vt indè auri promeret, quantùm vellet. Erant in ea arca aureorum condita facilè triginta millia, sed Pater, trecentos tantùm abstulit, clauique reddita, Petro renunciat, quantùm indè deprompserit. Tùm Petrus, facis, inquit, iniuriam amiciciæ nostræ Xaueri, qui tàm exiguam particulam abstulisti; multò minùs sumpsisti, quàm volui. At ego vbi tibi clauem tradidi, ita destinaui animo, vt illam auri summam partiremur ex æquo. Cuius pia liberalitate Xauerius magnopere delectatus. Et ego, inquit, Dei nomine tibi polliceor, atque confirmo, nullo loco eius tibi misericordiam, qui in alios fuisti misericors, defuturam; futurumque insuper, vt extremum tuæ vitæ diem, quo paratior ad Deum abeas, eo præmonente, cognoscas. Ex eo die Petrus vir alius euasit, præcipuèque beneficentiæ, pietatisque studiis ita se dedit, vt interiecto annorum aliquot spatio, dignus denique, idoneusque sit habitus, cui Deus diem sui obitus indicaret. Composita quippè re domestica, magnaque ex parte suis fortunis in egentes, ac miseros erogatis, ad ædem pergit, Parochumque hortatur, vt pro Petro Vellio funere sacrificium ritu solemni faciat, cui interfuit ipse, se iam numerans inter mortuos. Indè amicis singillatim valere iussis, tanquam peregrè discessurus, cùm rogaretur, quò tandem discederet, respondit, in cœlum. Iocari hominem lepidum, & cæteroqui facetum rebantur amici; verùm vbi in eo perseuerare Vellium, remotoque ioco, seriò loqui senserunt, audierantque iàm illum sacris funeribus ritè animo procurato, præstolari domi abditum mortis aduentum, insaniam illam interpretati, vel ægritudinem animi, domum eius coiere frequentes, vt eum pro se quisque ab ea tristitia, ægritudineque deducerent. At ille gaudium animi, oris hilaritate contestans, Xauerii prænunciationem amicis exponit, rogatque suo vt funeri eo ipso die mox obituri, dent operam. Nec ita multò post affecta iàm ætate hominem repentina mors abstulit; eodemque die ad ædem elato, amici tàm inusitato mortis genere obstupefacti, funus, & iusta curarunt.

31. *Ex Bulla Canonizationis Sanctæ Brigittæ viduæ*. Meruit sanctissima virgo Brigitta per gratiam Sancti Spiritus multa prophetico spiritu prædicere; quorum nonnulla effectu iàm completa fuere, pro vt innumera in eius Reuelationum volumine plenissimè continentur.

32. *Sylos in Histor. Cler. Regul. part. 1. lib. 7. de Sancto Patre Nostro Caietano*. Affusa illi è cœlo lux vsque adeò interdùm inclarescebat, vt supra nostræ vim mentis, arcana, ac longinqua peruaderet, ac futuris interesset, prædiceretque. Vt cùm viro nobili, nihil hac de re prorsùs cogitanti, publicum votorum Sacramentum prædixit, & cui se potissimum Religiosorum familiæ olim adiungeret, indigitauit. Et cùm incolumem iàm esse quendam ex nostris Clericis indubitanter pronunciauit, pro cuius salute rogauerat; nec dùm scire ipse, aut alii poterant, an impetrasset. Et id genus pleraque.

33. *Boluitus in vita Beati Andreæ Auellini Cleric. Regular. libr. secundo capit.* 12. Dùm Mediolani degeret Beatus Andreas, introspecto Sancto Carolo Borromæo eius ciuitatis Archiepiscopo, palàm edixit, eum in Sanctorum album sacrosancto canonismo esse conscribendum. Aliàs Neapolitanam lustrans prouinciam, semel Neapoli, iterùm Licii, disparem tyronum quorùdam nostrorum

O 2 pro-

profectum, reclamante præsentium statu, contraque receptam omnium sententiam, certissimo tamen euentu prædixit. Plura alia huiusmodi de eo narrantur.

34. *Sylos in Hist. Cler. Reg. par. 1. libr. 11.* Puteolos ex nostris plerique concesserant per quàm placido mari, serenoque cælo. Soluerant vix, cùm circumire domum Venerab. noster Ioannes Marinonius, fratresque compellare, ac monere anxius, vt pro iis orarent, quos oborta repentè tempestate, luctari furenti cùm pelago, non sine vitæ discrimine oportebat. Nec multò, improuiso quodam turbine efferbuit mare, atque ingens quidem lembo, ac Patribus periculum mouit. Alia vice inter concionandum, tumultus Neapolitanæ ciuitatis imminentes prædixit, adhortatusque auditores est, vt conciliando ciuitati irato Numini vacarent. Pacificatos item Paulum IV. & Philippum II. è suggestu publicè prænunciauit, cùm maximè ardere arma viderentur.

35. *Idem in vita Venerab. Francisci Olympij Cleric. Regul. libr. 3. capit. 9.* Ita superiori luce illustrabatur mens Vener. Francisci Olympii, vt eò sæpiùs pertingeret, quò non oculorum acies, non peracri iudicio, aut coniecturis suis perspicacissimus quisque mortalium vnquam peruenisset. Semel Antii Marchionissam inuisit, quæ septem omninò filios, quos susceperat, dare se in serui Dei conspectum iussit, vt is benè precaretur. Tùm decreuisse se, inquit, ex iis, duos, nempè Tiberium, & Antonium, Theatinis addicere: quos ille intuitus, apprehenso coma Antonio; Hic ait, inter nostros cooptandus: alterum aliò vocat indoles. Quod accidit. Nàm ex duobus alter, nempè Antonius, mentem, habitumque nostri ordinis induit. Fuit is Petrus Aloysius Carafa Episcopus Tricaricensis. His non absimilia in eius vita notantur.

36. *In actis Ven. Vrsula Benincasæ.* Prophetiæ spiritu valdè claruit Dei serua. Patri Marco de Martenisio ordin. Prædicatorum eius confessario, mortem prædixit. Item Basilio Cacatio, Archiepisc. Rauennæ, Cardinali Tabernæ, Filio Principissæ Bissiniani, Vincentio Palmerio eius nepoti, Augustino Belmusto, aliisque plurimis; sicut & alia mirificè prædixit.

37. *In vita Ven. Camilli de Lellis, Cler. ministr. Infirmis Institutoris.* Quàm cælesti luce mens eius esset illustrata, cunctis innotuit ex varijs prædictionibus, quibus futura prænunciabat. Multis præcipuè, qui postquàm eius ordini se mancipauerant, iterùm sæculum repetiere, infortunia, & calamitates prædixit, quæ subsecutæ, vaticinia Camilli comprobarunt.

38. *In vita B. Ioannis Sahaguntini ordinis Eremitarum.* Cùm die Dominica passionis Salmanticæ concionaretur, à Deo edocetur, tumultum in concione futurum. Igitur ante exordium, ad Auditores versus, cupio, ait, vos Auditores, quietem, & pacem conseruare; mihi enim constat, seditionem, ac cædem hoc in loco futuram. Verùm qui primus eam auctor mouerit, hic occidet. Neque tamen effecit, vt enses vaginis reconderent: etenim paulò post gladios stringere, cultrosque cæperunt: ac profectò inuicem concidere perrexissent, nisi adstantium clamore accepissent, ipsum seditionis auctorem occubuisse.

39. *In ann. Capuccinorum, ann. 1552. num. 43. de Fr. Matthæo à Bascio.* Futurorum vaticinia, & diuinæ rerum occultissimarum reuelationes adeò viro Dei familiares erant, vt ferè innumeræ recenseantur. Vrbini dùm blasphematores è suggestu argueret, dexteram versùs ligneam Crucifixi Statuam, quæ in omnium prospectu in choro eminebat, extendens, An non, inquit illam Christi Crucifixi imaginem cernitis? Cùm ea vobis terga verterit, tunc quàm plurima in Vrbem mala inundabunt. Hoc viri Dei vaticinium, Vrbi tandiù obscurum fuit, quoad illa Christi Crucifixi statua ob vetustatem in terram colapsa, indè extra Ecclesiam translata fuit, atque in *ipso Ecclesiæ* frontispicio altiùs collocata, terga iis, qui in Ecclesia aderant vertere cæpit. Quo tempore dissensionibus in vrbe inter Ducem, & optimates ebullientibus, vrbs plurimis cladibus, grauissimisq. calamitatibus affecta fuit.

40. *Ioan. Trithem. in Chron. de S. Macario Abbate.* Ecclesia monasterii iàm penè consummata, beatus Macarius Abbas pro acquirendis *indulgentijs*, & reliquiis Sanctorum, in propria persona sanctam Romanam visitauit Ecclesiam, litteris commendatitiis Episcopi Herbipolensis comitatus: Eo tempore præfuit Ecclesiæ Romanæ Eugenius Papa III. Sancti Bernardi Abbatis Claræ-vallis Cisterciensis ordinis quondam monachus, *atque* discipulus, pater pauperum, & hospes peregrinorum, qui venientem ad limina Apostolorum Diuum Abbatem Macarium, vt *verum Dei seruum*, cùm ingenti lætitia suscepit, & *omni humanitate* liberali prouisione tractauit. Factum est autem in quadam feria sexta, sedente ad mensam summi Pontificis paupere Macario, turris Ecclesiæ S. Iacobi Herbipolensis, Aquilonaris impulsu turbinis mota, corruit, & quasi funditùs collapsa fuit. Quod cernens vir Dei in spiritu, non considerans *ad cuius* mensâ sederet cùm gemitu exclamauit: O Deus parce misellis, ne deuotio fidelium pereat. Quem manu contingens Pontifex, dixit. Quid habes frater, & quare ingemiscis? qui verecundia tactus, nihil respondit. Iterùm posteà interrogatus ad partem, turris ruinam monasterii sui tàm longè distantis aperuit, & quomodò hoc viderit in spiritu Pontifici reuelauit. Notauerunt horam, qui fuerunt præsentes, & reuersi Herbipolim, omnia sicut dixerat contigisse inuenerunt, ita ut visio Patris, & ruina turris vno momento concordarent.

41. *Surius in vita S. Lupi Episcopi Senonensis 1. Septembris.* Sedente Sancto Lupo aliquandò in vrbe Senonica ad prandium, per spiritum Sanctum cognouit virum Dei Vuinebaudum in Ecclesiam Sancti Stephani ingressum. Surgit ergò à mensa, relicto prandio, alacer ei pergit obuiam, quem nemo ei aduenientem nunciauerat, eum inter Ecclesiam beatissimæ Mariæ, & S. Stephani euntem,

tem, absoluta oratione pacis osculo excipit, & ad suum prandium secùm abducit.

42. *Krantzius lib. 4. metrop. cap. 7.* Intellexit Godhardus, insinuante spiritu Domini, quendam ex Saxonia Episcopum diem suum clausisse. Et iam solito seriùs differebat sacrum ad altare ministerium. Erat propè prandendi hora; & admonitus à quodam, quòd hora appropinquaret edendi, respondit, euestigiò nuncium expecto, qui mortem mihi nunciet vnius ex carissimis, cui missarum debeo suffragia. Aderat non indè diù qui Menuuercum Paderburnensem nunciaret Episcopum excessisse rebus,. Mox accingitur Godhardus, & pro sua consuetudine humillimè, ac deuotissimè peregit ministerium.

43. *In actis Sanctæ Brigidæ Kildariensis Abbatissæ.* Cùm Sancta Brigida diuertisset ad peregrinandum in regiones Momoniensium simùl cùm Episcopo Erco, discipulo Sancti Patritii, dixit Virgo ad Episcopum; demonstra mihi venerabilis Pater, sub qua parte cœli gens tua consistat; & cùm illi demonstrasset, dixit ei Brigida: Nunc ibi bellum geritur inter vnam gentem, & aliam gentem. Dixitque Ercus. Credo quod dicis verum esse, nàm quandò ab eis hùc veni, dimisi eos discordes; Dixitque Brigida: Gens tua nunc in fugam vertitur; quod cùm admirarentur duo serui Episcopi, signauit Brigida oculos eorum & statim & ipsi viderunt bellum, quod in altera regione fiebat, oculis propriis, & vnusquisque exclamauit. Heù Heù, ecce modò videntibus oculis meis duo fratres mei decollantur.

44. *In vita Beatæ Liduuinæ Virginis cap. 70.* Neque hoc silentio premendum est, nouisse eam etiam quæ nunquam viderat personas. Monasteria, cellas, officinas, & exercitia in eis degentium. Mirantibus religiosis viris, vndè tàm exactè nouisset eos, qui nunquam ei visi essent, illa dixit: Dominus id mihi præstitit. Prior quidam monasterii Canonicorum Regularium Brielensium, cùm pro more sermonem cùm illa conferret, cœnobii sui constitutionem tàm distinctè ex ea audiuit, ac si tota vita sua per omnes eius angulos peruagata esset: Illo stupente, addidit Virgo: Noueris Pater, fratribus in dormitorio quiescentibus, me adfuisse, & singulorum fratrum Angelos custodes in cellulis conspexisse.

45. *Baronius ann. 613. numer. 8.* Quo tempore inter Theodobertum Francorum Regem, eiusque fratrem Theodoricum in Tulbiacensi castro sanguineum initum est certamen; Sanctus Columbanus in Eremo degens, & supra quercus putrefactum truncum librum legens, subitò sopore oppressus est, & quid inter duos Reges ageretur vidit; moxque excitatus, cruentam Regum pugnam indicauit, & multum humanum sanguinem fusum suspirauit.

46. *In vita Sancti Vincentij Ferrerij libr. 3.* In quadam concione, quam vir Sanctus Murciæ habuit in Hispaniis, ipsa Dominica Palmarum, conuersus ad populum, ait. Est inter vos fœmina quædam, quæ filiam suam virginem, non ausa hùc secùm adducere, domi reliquit, sed ea si nùnc domum rediret, cerneret rem nefariam. His dictis, sermonem prosequutus est. Porrò mulier, auditis eius verbis, domum se contulit, & cùm filia in lecto adolescentem cubantem offendit; rei autem indignitate commota, festina abiit ad virum Dei, & coràm omni multitudine, quid ipsi accidisset, mæsta enarrauit. Id genus flagitia non semel ille sanctus vir per spiritum cognouit.

Secreta cordis diuina luce cognita.

§. 2.

LIcet solius sit Dei, hominum scrutari corda, intimasque eius cogitationes penetrare, hoc tamen priuilegium quibusdam sui seruis benignè largitus est. De quibus.

1. *In actis Sancti Columbæ Scoti confess. cap. 16.* Quodam tempore, quidam de Numinensium Prouincia, proselytus, ad Sanctum venit, qui se in quantùm potuit celabat humiliter, quod nullus sciret, quòd Episcopus esset; sed tamen hoc Sanctum non poterat latere; nàm alia die Dominica à Sancto iussus, Christi corpus ex more conficere, Sanctum aduocat, vt simùl quasi duo presbyteri dominicum panem frangerent. Sanctus proindè ad altare accedens, repentè intuitus faciem eius, sic eum compellat: benedicat te Christus, frater, hunc solus Episcopus, Episcopali ritu frange panem, nunc scimus quòd sis Episcopus, quare hucùsque te occultare conatus es, vt tibi à nobis debita non redderetur veneratio: Quo audito Sancti verbo, humilis peregrinus valdè stupefactus, Christum in Sancto veneratus est, & qui inerant præsentes nimis admirati glorificauerunt Deum.

2. *In vitis P.P. libr. secund. capit. 30. de Ammone Nitriæ Monacho.* Cùm iam secretus sederet in eremo, adolescens quidam, qui morsu canis rabidi in rabiem versus est, multis vinctus catenis ad eum deducitur, prosequentibus eum parentibus suis, & rogantibus pro eo. At ille dixit eis: Quid mihi molesti estis, ò homines? supra merita mea est quod petitis; sed tamen hoc vobis indicare possum, quòd in manibus vestris est eius sanitas. Reddite viduæ bouem suum, quem furati estis, & sanus reddetur vobis filius vester. At illi extimuerunt quidem valdè, quòd ea, quæ secretè gesta sunt, non latuerunt hominem Dei. Gauisi sunt tamen, quòd hanc eis viam salutis ostendit, & sine mora, vt reddiderunt direpta, orante homine Dei, etiam iuueni sanitas redditur.

3. *Philippus Ferr. 2. Maij; de S. Syluestro Monacho.* Panormi cùm Regis filius grauissimè ægrotaret, ad Regem accedens Syluester, bono animo illum esse iubet, & ad filium iàm morti proximum deductus, fore vt breui incolumis euaderet, ait; quem medici delirare existimantes, & illudere volentes, porcæ vrinam efferri curant, ex qua ille ægroti morbum agnosceret, quam illicò Syluester esse porcæ 10. in vtero suillos habentis vrinam dixit; sicque illa Regis mandato

mactata, & aperta, deprehensum est, & Syluestro habita fides; qui omnibus è cubiculo eiectis, cùm preces Deo effudisset, filium Regis reddidit incolumen.

4. *In vita B. Ioannis Sabaguntini ordinis Eremitar.* Cùm in vrbe Salmanticæ graderetur, mulier, qui mos est Hispanis, manum eius osculatura accessit. Sed cùm manum retraheret, mulier ægrè tulit, rogauitque, cur id faceret. Ad quam Beatus Ioannes, qui Deo reuelante mentem eius perspexerat: quia, inquit, Sathan animam tuam possidet: filiam tuam ex fornicatione grauidam constituisti occidere. Illa supra quàm dici potest, conturbata, obmutuit; ac paulò post venit ad monasterium, quæque sibi dicta fuerant à Ioanne vera esse confirmauit.

5. *In vita B. Iulianæ Virginis.* Euenit frequenter, vt eorum, quibuscum colloquebatur, animos clarissimè perspiceret, agnosceretue, quibus inficerentur peccatis; quòd si mortiferum crimen in aliquo deprehenderet, eius collocutionem, aut etiam conspectum æquo animo ferre non poterat: & quemadmodùm, quò maiore quis studio modestiam complectitur, eò vehementiùs elatos spiritus persequitur: ita quacumque demùm occasione superbo cuipiam homini occurreret, tantam animi reluctantis contentionem experiebatur, vt nec adstare, nec assidere facilè posset, sed vel se verteret aliò, vel indè quàm citissimè proriperet; nisi fortasse iustam alicuius offensionem hoc suo facto vereretur; tùm enim subsistere coacta, vim sibi faciebat, & omnem à vitijs illum abducendi respectabat occasionem, sedulòque inuadebat oblatam.

6. *S. Greg. Papa, Dia. lib. 2. cap. 20. de S. Benedicto.* Quadam die dùm Vener. Pater vespertina iàm hora corporis alimenta perciperet, eius monachus, cuiusdam Defensoris filius fuerat, qui ei ante mensam lucernam tenebat. Cùmque vir Dei ederet, ipse autem cùm lucerna ministerio adstaret, cæpit per superbiæ spiritum in mente sua tacitus voluere, & per cogitationem dicere: quis sum ego, vt isti seruiam? ad quem vir Dei statim conuersus, vehementer cæpit increpare dicens: Signa cor tuum frater, quid est quod loqueris? signa cor tuum. Vocatisque statim fratribus præcepit, ei lucernam de manu tolli: ipsum verò iussit à ministerio recedere, & sibi hora eadem quietum sedere; quo ex casu multisque aliis dignoscitur, quàm in animos, & corda hominum penetraret Sanctus Pater.

7. *In Chronicis Minorum par. 1. libr. 1. cap. 63.* Cùm quidam Frater grauibus tentationibus, animique vexationibus, ita angeretur, vt propè de salute desperaret, confessioneque sacramentali conscientiam expiare ob scrupulos detrectaret. Adiit eum S. Franciscus, curque tàm intimè affligaretur quæsiuit, subiungens, de talibus, & talibus rebus, ne sis solicitus, neque enim eæ sunt in confessione aperiendæ. Quibus auditis à religioso viro, intelligensque Sancto Patri omnia sua interna secreta, nuda, atque aperta esse, eius orationibus se commendauit, illoque orante, & intercedente, ab occultis animi morbis liberatus est. Alia simi-lia, & innumera leguntur in eius vita.

8. *In vita B. Coletæ cap. 50.* Non rarò sub Eucharistiæ eleuatione perspicuè cernebat, eius, qui faciebat sacrificium, conscientiam, & quo in statu ille esset. Attamen ne proderentur aliis dona Dei, ipsi specialiter collata, clàm, & prudenter indicabat sacrificanti vitia eius, vt ea corrigeret, prorsùs reticens modum, quo ea ipsi innotuerat.

9. *In vita S. Bernardi Abb.* Cùm semel cellam Nouitiorum intrasset, & in lingua sua illa placabili, & ædificatoria cunctos hilares, & ad obseruantiam sacri propositi feruentiores reddidisset, vnum ex eis seorsim conuocans, dixit ad illum: Fili carissime, vndè tibi hæc tristitia, quæ intimos recessus cordis tui tàm perniciosè depascitur? Deindè causam talis tristitiæ illi manifestè, & dilucidè aperuit, eique remedia salutaria ad eam depellendam tradidit.

10. *In vita S. Teresiæ à Iesu.* Secreta cordium ita quandoq. penetrabat sancta Virgo, vt scriptor eius vitæ, cum quandoque ei dixisset, se cùm illa collocuturum, timere interna eius secreta penetrari, ea propter conscientiam expiare cupere, antequam ad eam accederet, subiungit, Sanctam Matrem subrisisse, quasi silentio confirmando quidquid ille dixisset. Multique euentus, vt in eius vita, hoc comprobauere.

11. *In vita S. Dominici lib. 2. cap. 11.* Duo studentes alicubi exomologesi facta, rogauere S. Patrem, vti Deum pro vtriusque salute deprecaretur. Ille id se facturum pollicitus, continuò ad orationem ingeniculatur. Vix inchoatis precibus surgit, pergitque ad Ecclesiam. Cùm istic etiamnùm esse conspiceret, ad se vocatis, alteri illorum affirmat, peccata eius esse remissa, *benè deinceps* in Deo speraret, & ab omni se *contagione* seruaret illæsum. Alteri verò, conscientiam iteratò excuteret: voluisse eum fallere diuinos oculos, cùm falli non possint: tacuisse studio tale peccatum (& nominabat) adhùc tamen superesse tempus pœnitentiæ: vteretur illo ad salutem. Ita factum; & vterque didicit, quanti referat orationibus se commendare sanctorum, quod & alii fælici euentu eodem ferè modo experti sunt.

12. *Ferdin. Castilius in Chron. ordinis Prædicatorum, de S. Thoma Aquinate.* Cùm aliquandò in choro existens Neapoli, diuino lumine collustratus penetrasset cor alterius Religiosi psallentis, qui dæmonis astu solicitus de cibo mox sumendo, mentem ad illum conuerterat, varias super eo cogitationes trahens. Accessit ad huius aurem B. Thomas secretò illi dicens. Ne turberis solicitudine illius cibi, quia solus eum comedere non debes, ego expleto officio diuino me offero sodalem: Rubore suffusus ille Religiosus, errorem euagationis cognouit, ac resipuit ab illo.

13. *In vita S. Francisci de Paula libr. 2. cap. 27.* Cordis occultiora cognoscens Sanct. Pater, internis morbis sæpè opportunam medicinam offerebat. Quidam, filium infirmum ad Sanctum Franciscum duxit, vt eius precibus à Deo sos-

pita-

Digitized by Google

pitatem illi impetraret, recentesque ficus, quos tamen furatus fuerat, eidem detulit, quò faciliùs sanctum virum ad sui miserendum moueret. Quod cognoscens Franciscus, eum acriter reprehendit, iussitque, vt quamprimùm fructus, quos furatus fuerat, restitueret, ne dùm corpori filii, sanitatem quæreret, animam propriam inficeret. Quo facto, etiam puer sanitati est restitutus.

14. *In vita S. Philippi Nerij*. Enituit, præter cęteras, in B. Patre insthæc virtus, vt occultissimas hominum cogitationes prænosceret quàm optimè. Intimos mentium recessus videbat, tentationes suorum in Christo filiorum, ipsismet admirantibus, reticentibusque detegebat: certis nonnunquam hominibus, qui eum conueniebant, colaphum infligere sueuerat, dicens: non te, cędo, sed diabolum. Hocque sæpissimè illi accidebat.

15. *Bzouius in ann. Ecclesi. an. 1252. num. 13*. Cùm Ven. Conradus Lantgrauius Turingiæ, ordinem Teutonicorum ingressus est, in eius benedictione, Spiritus Sanctus in igne super caput eius apparuit, ex quo tantam consecutus est gratiam, vt peccata hominum mortalia occulta cognosceret.

16. *Bartolus in vita S. Ignatij*. Tàm cælesti lumine mens Ignatii erat illustrata, vt proximorum saluti sedulò operam daturus, qui, qualesque essent animorum interni motus, optimè cognosceret, donoque discretionis spirituum, quod diuinitùs acceperat, optimè videret.

17. *Tursellinus in vita S. Francisci Xauerij lib. 6. cap. 2*. Quemdam amicum, Cocini, cùm rogasset S. Franciscus, vti valeret, illeque, rectè, respondisset; corpore tu quidem rectè vales, inquit Xauerius, sed animo non ita. Tùm enim verò ille, vt qui nescio quid fraudis, ac sceleris illo ipso agitaret tempore, conscientia ictus, fatetur ingenuè Franciscum veriùs, quàm se de sua valetudine iudicare. Itaque peccata apud eum ritè expiat, scelestoque illo consilio abiecto, mentis recuperat sanitatem, quam illi deesse Xauerius persenserat. Aliorum item internas cogitationes, & peccata cognoscebat, quibus remedium opportunum suadebat, præbebatque.

18. *Ex Bulla Canonizationis S. Brigittæ Viduæ*. Hæc generosa Vidua per gratiam Sancti Spiritus promeruit multis cogitationes & affectiones intimas, & gesta secretissima propalare. Visiones, ac reuelationes varias videre, & audire.

19. *In vita S. Rosæ Peruanæ cap. 27*. Ancilla quædam Saracena, ne ab aliis malè tractaretur, finxerat se Christianam, licetque interno corde mahometana infecta labe, Christianos ritus, vt aliæ, profitebatur, exercebatque; interim extrema ægrotauit infirmitate, cui, vt solebat, inseruiendæ, se totam dedit Rosa; quod dùm faceret, semel supernè illuminata, quod in corde Saracenæ latebat, apertè cognouit, aperuitque. Illa è contra negabat, seque Christianam adhùc fingebat. Instat sancta Virgo, quonamue in loco sacro fuerit inaugurata Baptismo, inquirit; postque multa, matura fictionem detexit, veritatem aperuit, sacroque fonte lustrari enixè quæsiuit; quo facto, postridie decessit. Ex quo casu, aliisque innumeris, qui in eius vita notantur, apparet, quàm intimè & occulta secreta cordium penetrasset Rosa.

20 *Hilarius Cauus in vita S. Caietani cap. 17*. Dùm concionaretur S. P. Caietanus, siue priuatim de rebus spiritualibus loqueretur, ita cuiuscumque internis morbis, peccatisque opportunam medelam præstabat, vt omnibus illucesceret, sanctissimam eius mentem luce diuina irradiatam, quæque intima cujusque cordis penetrare, nullamque, vel occultam labem, aut secretiores animi motus, eum latere.

21. *Sylos in Hist. Cl. Reg. Par. 2. lib. 5. de B. Andrea Auellino*. Mortalium pectora, cogitationesque eorum intimas penetrabat Andreas. Litteris præsertim, quas excitandę virtuti, pietatique passim dabat, ea vis inerat, vt occultos, præsentesque animorum motus plerùmque componeret. Sępissimè, aut prætermissas per imprudentiam noxas, aut consilio omissas, in memoriam reuocauit, obiecitque vltrò, vt pœnitentia delerent: planè vt eorum conscientias penitùs inspicere, ac veluti è comentario recitare crimina videretur.

22. *Idem par. 1. lib. 11*. Quendam nobilem virum in extremis penè laborantem, peccati, quod nunquam confessione diluerat, monuit Ven. noster Ioannes Marinonius: valuitque adeò apud virum, salutis alioqui indiligentem, ea occultę rei conscientia, vt animum quàm accuratissimè procurauerit.

23. *Idem in vita Ven. Francisci Olympij Cl. Reg. lib. 2. cap. 10*. Accesserat ad nostram domum S. S. Apostolorum Neapoli quædam militum manus, leuandæ siti; qui vt Ven. Franciscum Olympium, egressurum tùm fortè domo, vident, ruere certatim in eius manus osculum: Et is quidem recepit perhumaniter omnes, præter vnum, quo ad osculum accedentę, retracta manu, renuit: tùm ad eius tacitè aures insusurrauit: Scio te sacerdotio initiatum; eoque par esset, me tuas potiùs exosculari manus. Da operam, vt Numen tibi pænitentia propities, ac menti redeas. Et verò non modò sacerdos, sed è præcipuo quodam ordine Apostata is erat, qui ea voce perculsus, desertam Christi militiam, ac pristinas vitæ rationes repetiit, ac deprædicare viri sanctimoniam cæpit, qui rem adeò occultam diuinitùs nouerat.

24. *In actis Ven. Vrsulæ Benincasæ*. Occulta cordium penetrabat Ven. Vrsula. Sororis Iuliæ, quæ publica voce, & plausu publico, & vniuersali cuiusuis hominum generis concursu, veluti sancta colebatur, hypocrisim cælesti lumine cognouit, & pro ipsius conuersione assiduè orabat. Olympia Palmeria eius nepos, vt è congregatione, domum redeundi licentiam obtineret, finxit spirituale quoddam prætextum, quod cælesti lumine cognoscens serua Dei; dictę Olympiæ dixit, ne discederet, quia alioquin in graue malum incideret, pro vt euenit. Alia huiusmodi interno spiritu cognouit.

25. *Ignatius de Nente in vita Ven. Sor. Dominica de Paradiso lib. 3. cap.* 10. Secreta cordium, Deo reuelante, ita sæpè penetrabat, vt admirationi cuicumque esset. Futura etiam tamquam præsentia ita manifestabat, vt illi nihil occultum videretur, manifestareturque eius continua cùm Deo conuersatio, à qua occultorum, & futurorum arcana intelligebat.

26. *In vita Ven. Ioannis Dei*. Hominum cogitationes solitus erat Ioannes quandòque perspicacissima mentis acie peruadere, & ad emendationem vitæ edicere ijs quibus opus erat.

27. *In Hist. Cl. Reg. ministrant. infirmis, an.* 1613. *de Ven. Camillo de Lellis*. Dùm V. Camillus Bucchlanici moraretur, Hieronymum Roncium adiit, quem reperit comedentem, & statim illum redarguit, inquiens, quare inaudito sacro, escam sumere audes? ille verò ita institit, nequaquam, sed hoc mane interfui (dies reccurrebat Dominicus) sacris missę mysteriis; verum est, inculcauit Camillus, sed non integrè; ille vehementer admirans, suffusus est rubore, & inquit, lecta epistola ad Ecclesiam peruenisse, vndè dimidiatam auscultasse missam fassus est; hinc ipsum coegit Camillus è mensa surgere, vt integro sacrificio interesset; ita obsequenter exegit, affirmans nequaquam esse possibile, Camillum, absque Dei lumine, illud sibi solummodò notum secretum potuisse dignoscere. Alia similia enarrantur.

De his alia similia videantur li. 1. cap. 1. §. 1. cùm de præsagiis fætus adhùc occulti in vtero matris; & lib. 2. cap. 3. §. 4. cùm de bono odore, aut graueolentia animæ in corporibus adhùc viuentibus apparente.

Futurorum euentuum quædam Admiranda Præsagia.

§. 3.

Hic adnectere non erit incongruum quædam Admiranda Futurorum præsagia, quibus diuina Bonitas futuros euentus quandòque dignata est præmonstrare. De quibus.

1. *Iosephus de bello Iudaico lib. 7. cap.* 12. Ante defectionem, primique belli motus, ad diem festum Azimorum populo conueniente, octauus erat dies Aprilis mensis, hora nona nocturna, circùm Aram itemque templum tantum lumen effulsit, vt clarissimus dies putaretur, & hoc vsque ad mediam permansit horam. Eodem quoque festo die etiam bos, cùm ad hostiam duceretur, agnum in medio templi peperit. Orientalis autem porta interioris templi, cùm esset ænea, atque grauissima, & sub vesperam vix à viginti viris clauderetur, serisque ferro vinctis obseraretur, pessulosq. altos haberet in saxeum limen demissos, vno perpetuo lapide fabricatum, visa est noctis hora sexta spontè patescere. His autem curriculo per custodes templi magistratui nunciatis, ascendit ille, vixque eam potuit claudere. Post dies autem festos, diebus paucis, vigesimo primo mensis Maii, visio quędam apparuit fidem excedens. Nàmque ante solis occasum visi sunt per inane ferri currus totis regionibus, & armatæ acies tranantes nubila, & ciuitati circumfusæ. Festo autem die, quam Pentecostem vocant, nocte sacerdotes intimum templum more suo ad diuinas res celebrandas ingressi, primùm quidem, motum, quendamque strepitum senserunt, posteà verò subitam vocem audierunt quæ diceret: Migremus hinc.

2. *Vincentius in Spec. Hist. li.* 25. *cap.* 133. Quadraginta annis antequam à Tito Hierusalem destrueretur, candelabra templi, quæ ad Occidentem respiciebant, ante consuetum tempus spontè restinguebantur. Item lana, quæ Hædi cornibus annectebatur, nequaquam more solito albescebat.

3. *Baronius an.* 135. *num.* 2. Ingentem cladem, quam sub Adriano passi sunt Iudæi, etiam ante bellum multa ipsis denunciauerant; nàm Salomonis sepulchrum, quod illi in supremo cultu, & reuerentia habebant, spontè, & nullo impellente discussum corruit: lupi, & hyenæ passim per vrbem incedentes vlulabant.

4. *Genebrardus in Chronico, in Clemente V.* Fuit Bisantii in Palatii pariete ante Victricis Deiparę sacellum, D. Georgii equo insidentis imago picta. Is equus paucis ante diebus quam Balduinus à Palæologo imperio pulsus est, hinnitum edidit horrendum, eique mutationem Imperii portendit. Iterùm sub Andronico seniore Palæologi filio, quem nepos Andronicus miserè exagitabat, intempesta nocte bis horrendum in modum hinniit, Imperatore, & aulicis omnibus supra modum perterritis.

5. *Gregor. lib.* 8 Bisantii, antequam caperetur (Andronico Seniore, & Andronico Iuniore imperantibus) cùm sacri hymni canerentur, porcus alicundè elapsus, subitò in medium psallentium cætum insiliit, multò cęno inquinatus: & variè hùc, atque illùc vagatus, vix tandem excessit. Id prudentioribus confusionem quondam Christi Ecclesiæ, & fractionem significare visum.

6. *Eusebius apud Baronium an.* 317. Ante insignem victoriam, quam contra Licinium obtinuit Constantinus Magnus, visæ sunt variæ turmæ militum armatorum, qui sub Constantino duce dimicarent, in ipso meridie per vrbes eius ditioni subiectas, tanquam victoria potitæ transire. Atque ita cernebantur, nemine vspiam re vera apparente, sed visione diuiniore quadam, & excelsiore virtute, quod futurum erat, portendente.

7. *Raynald. an.* 1265. *n.* 38. Quo tempore à Saracenis Arsuf in Cæsarea post longam obsidionem debellatú fuit, vltima die Aprilis ex parte orientali Ptolemaidis, signum in cęlo visum est, tanquam gladius oblongus, qui turrim Ecclesię S. Crucis percutere videbatur.

8. *Idem an.* 1269. *num.* 8. *ex Longino*. Hoc anno in Polonia visæ sunt in aere acies bellatorum, quæ inuicem magno intuentium timore, dimicare videbantur; fueruntque futurarum cladium ominosum præsagium.

9. *Paris de Grassis apud Raynaldum*. Anno 1510. n. 17. in agro Romandiolæ, & circa Ferrariam acies

acies armatorum exercituum visæ sunt, ac bombardarum strepitus innumerabiles auditi, clamoresq. tubarum, & gentium concursus auditi; & visum meridiana luce à longè quidem, quod cùm magistratus Bononiensis plures nuncios ad id factum conspiciendum misisset, intellexit, neminem ibi prorsùs, nisi mandras porcorum in syluis, visum aut repertum fuisse: verùmtamen vestigia manifesta reperta equorum, & curuum, ac virorum in pulueribus per omnem illum campum, at etiam in pluribus locis syluarum, cineres ac ligna semiusta præ focis ibidem factis, vt in exercitu solet. Quod præsagium futuri belli fuit.

10. *Gomesius apud Raynaldum*, Mutinæ ann. 1511. ad D. Francisci cænobium faces noctu in aere ardere sunt visæ, interdiùque in eodem loco effigies humanæ strictis ensibus cominùs astare, ac se se inuicem confodere. Quod infaustum præludium futurorum euentuum iudicatum fuit.

11. *Raynaldus, An.* 1518. In agro Brixiano medio aere visæ sunt militum copiæ confligere; ac tubarum clangores, sonitusque tympanorum auditi sunt. In Saxonia verò Crux puniceì coloris circa Vinariense monasterium media nocte sereno cælo fulsit, tanquam moneret mortales, vt in ea confiderent contra persecutiones Ecclesiæ, quæ à Luthero passura erat.

12. *Sigebertus*. Anno 979. flagrantes in cœlo visæ sunt acies, mutuis se vulneribus conficientes. Quæ res, infelix illud Ottonis II. Imperatoris cùm Græcorum exercitu significauit bellum, vbi ipse cæsis copijs, fuga, suæ saluti consulere coactus est.

13. *H. Boetius lib. 6.* Paulò antequam Scoti à Pictis, & Romanis regno exuerentur, in extrema Britannia noctu in cœlo visi ardentes enses, & arma omnis generis in ingentem facem coeuntia.

14. *Abb. Vspergensis*. Mediolani euersionem à Friderico Barbarossa Imperat. factam, aratro superinducto, lapis antiquus in demolitione murorum inuentus, concinnit in hæc verba.

Rex est venturus Mediolanum tibi durus,
Rex tibi crudelis: per quadrum diminueris

15. *Sabel. l. 1. c. 4.* An. salutis 1393. Maio mense iuxta Nouiomum in Gallia, paulò ante quàm Philippus Deodatus, Britannos Normaniæ finibus pelleret, in cœlo conspectæ sunt armatorum turmæ in prælii speciem concurrentes.

16. *Arlunus sec. 2. Hist. Mediol.* Paulò antè Ludouici Sfortiæ Insubriæ Ducis cladem, quandò à Ludouico XII. in Gallias abductus est, nocte intempesta circa arcem, armorum fragor, tubarum, tympanorumq. strepitus exauditi sunt.

17 *Aimoinus lib. 3. de Gestis Francorum cap. 42.* Ludouico IV. Francorum Rege anno Christi 930. decimo sexto Kal. Martii circa Gallicinium vsque ad diem illucescentem, in æthere, hominum flagrantium, ac in se mutuis cædibus sęuientium acies sunt conspectæ. Tertio anno post, Franciæ proceres à Ludouico defecerunt.

18. *Raynald. an. 1272. n. 56. ex Chr. Colm.* Oppidum, cui Seconis nomen erat, cùm ciues interregni occasione, innocentium direptis fortunis, gulæ, vetitisque, deliciis indulgerent, deletum est improuiso, ac repentino incendio. Cuius cladis præsagia non obscura extiterant: in feretro enim, quo Sancti Fridolini ossa, cuius clientelæ is locus commendatus erat, continebantur, magni, & crebri ictus duobus ante annis astantium stupore exauditi sunt.

19. *Niceph. Callistus libr. 10. Hist. Eccles. cap. 33. de reædificatione templi Hierosolymitani, quam Iudæi moliebantur*. Cùm fundamenta structuræ iacerentur, & inter lapides, vnus, cui extrema basis coaptata fuerat, loco moueretur, speluncæ cuiusdam os, petre incisum, se se exhibuit; atque vbi propter profunditatem, antrum id perspici prorsùs non posset, qui opus id curabant, rem certam explorare volentes, ex operariis quendam ad funem longiorem vinctum, demisere; & ille in antrum cùm peruenisset, aquam ad mediam vsq. suram in eo reperit, & spelunca omni ex parte explorata, quadrangulam eam esse, quantùm manuum contrectatione colligere potuit, deprehendit. Deinde ad os eius reuertens, in columnam quandam in media spelunca non admodùm supra aquam extantem incidit. Quam manu tentans, libellum in ea positum, qui tenuissimo, purissimoq. linteolo inuolutus esset, reperit: quo accepto, fune ipso signum, vt ab eis, qui illum demiserant, retraheretur, dedit. Receptus igitur, quamprimùm libello ostenso, stuporem omnibus incussit; & maximè quòd recens admodùm & intactus is esse videretur, at quòd tam abstruso, & caliginoso loco repertus esset. Porrò libellus explicatus, non solùm Iudæos, verùm etiam Græcos consternauit; statim enim ab initio litteris grandioribus pronulgauit. In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum. Et vt simpliciter dicam, scriptura ea integrum Euangelium complectebatur, quod Theologica planè virginis discipuli lingua auspicatò annunciauit.

20. *Fulgosus lib. 1. cap. 6.* Sub Irene matre, & Cõstantino VI. eius filio, in Thracia ad Macrontæchon, cùm quidam fossam excauaret, reperta lapidea arca in sepulchro cuiusdam defuncti, inuenta est quędam lamina ærea supra mortuum hominem cùm huiuscemodi litteris: Christus nascetur de Virgine, & credo in eum; Sub Constantino, & Irene Imperatoribus, ò Sol rursùs me videbis.

21. *Petra Sancta in Allocutione x. ad miracula comparata*. Cùm Simeon Iustus, expositurus in Synagoga Hierosolymæ oraculum illud Isaiæ: Ecce Virgo concipiet, & pariet filium: expuncto Virginis vocabulo, adscripsisset: ecce Adolescentula concipiet, & pariet filium: ratus non posse Virgini congruere puerperium; Sydereus genius restituit quidem oraculum, semel, & iterùm pristinis, hoc est atris characteribus: sed quia toties à Simeone emendatio ea fuerat deleta, demùm tertiò aureis notis illud rescripsit, ac mysterium Simeoni reuelauit; & tunc etiam ille responsum accepit à

Spiritu

Spiritu Sancto, non visurum se mortem, nisi priùs videret Christum Domini.

22. *Krantzius lib.8.metrop.c.34.* Circa an. salutis 1251. quidam Iudęus in Hispania cùm scinderet rupem vineę suæ imminentem, vt amplificaret vineam, & solem admitteret, fertur in concauitate rupis reperisse librum: cùm tamen nullum ante scissionis in rupe signum inuenisset, sed solidam scidisset. Erat liber non ex membranis, aut linteo, vt olim, sed velut ligneis tabulis compaginatus, qui tribus linguis, græca, hebræa, & latina, scripturam haberet, qui magnitudinem æquaret psalterij, & loquebatur de triplici mundo, ab Adam ad Antichristum. Propietates verò, & conditiones hominum de vno quoque mundo discreuit. Principium tertii mundi sic orsus est: Filius Dei nascetur ex Maria Virgine, pro salute hominum patietur. Quod cùm legisset Iudæus, cùm omni domo sua baptizatus est: Erat quoque scriptum in eodem libro, quòd tempore Ferdinandi Regis, liber ille inueniendus, prodiret in publicum.

23. *Vincentius in spec. Hist. lib. 30. cap. 92.* Ante captionem Damiatæ, liber inuentus est arabicè scriptus: cuius auctor se Iudæum, vel Christianum vel Saracenum esse negat. In eo autem, quisquis ille fuerit, prædixit mala quæ Saladinus populo Christiano crudeliter intulit in destructione Tyberiadis, & in victoria, quam de Christianis habuit, quandò Regem Hierusalem, & Principes captiuos duxit, & quomodò conabatur Tyrum apprehendere, sed non perfecit, & alia multa, quæ peccata illius temporis meruerint: prędixit etiam destructionem hortorum, & Palmeti Damiatenæ Ciuitatis. Addidit etiam, Damiatam à Christianis fore capiendam: Saladini nomen non posuit, sed per nigros oculos, & crocea vexilla illum designauit. Insuper prædixit quendam Regem Christianum Nubianorum Mecham Ciuitatem debere destruere, & ossa Mahometi pseudoprophetæ dispersa proiecere, &c.

24. *Io. Nyder in Form. lib. 4. cap. 6.* Quodam tẽpore in terra Saracenorum circa Septam ciuitatem in fonte quodam reperti sunt lapides uarii, quibus vt videbatur, naturaliter incisa erant nomina nostræ fidei, & Incarnationis Christi, licet sparsim, nàm in quibusdam litteris *Aue Maria*, in aliis, *gratia plena*, in quibusdam, *Dominus tecum*: & ita de Christi, & Dei Incarnatione similia plura claro legebantur intuitu.

25. *Cedrenus.* Tempore Ioannis Zimiscæ Imperatoris in Pomario Senatorii cuiusdam viri, inuenta est tabella ex Proconnesio lapide, in superficie expressas habens duas humanas figuras; vnam maris, alteram fœminæ: in altera superficie scriptũ erat: Diù viuant Ioann. & Theodora Christo dediti.

26. *Paschalinus Regiselmus in annotationibus super Prophetias Abbatis Ioachim.* Ab illuminato Abbate Ioachimo liber propheticus futurorum Romanorum Pontificum descriptus est, in quo licet non ordinatè, apparent tamen quicumque ex tunc, & successiuè Pontifices Romani descripti. Prognostica item de successoribus Petri à Martino vsque ad Antichristum habentur ex libro Ioannis Abbatis. Item ex antiquissimo libro Viterbii reperto, Vincentii; nec non ex libro *Frat.* Ægidii Poloni, & ex Rota B. Iudochi Palmerii, & ex Prophetiis S. Malachiæ Episcopi Armacani in Hibernia: quorum tamen oraculorum comprobatio à Deo prophetiæ auctore dependet.

27. *Sigebertus ann. 964.* Metensium Episcoporum successionis liber propheticus, Clementi. I. Episcopo ab Angelo traditus, Episcoporum nomina initialibus tantùm litteris, auro, argento, ære, plumbo notata habuit. In eum cùm Theodoricus Episcopus incidisset, & nomen suum argenteo notatum charactere conspexisset, dixisse fertur, effecturum se, vt littera aurea dignus haberetur.

28. *Surius in vita S. Austrebertha Virg. & primæ Abbatissæ Pauliacensis.* Quodam tempore mediæ noctis hora facta est vox ad quandam sororem dormientem, dicens: Surge, curre velociter, dic Abbatissæ, vt surgat, & ad opus Dei sorores excitet. Quod cùm illa negligeret, iterùm atq. iterùm voce eadẽ excitata est. Tandem Abbatissam adiit, eiusq. iussu omnes sorores ad Ecclesiam aduocatæ sunt; moxque media pars dormitorii concussa, protinùs corruit.

29. *In vita S. Francisci Borgia Soc. Iesu.* Occurrit ei olim in itinere Suerus Vega, Ioannis Vegæ, Hispaniæ Præsidis, filius, in idemque hospitium diuerterunt, cùmque frigus igne depulissent, secessit, vt solebat, Deum oraturus Franciscus, Vega focum retinuit. Post non diù cubiculo raptim Franciscus egressus, fugiamus, inquit, periculum præsto est. Dictum, ac factum. Vix domo digressis, tectum decidit, omnes oppressurum, ni cauisset Franciscus. Pii nimirùm in tutela Dei sunt.

30. *Ex litteris Collegij Vlyssipponensis Soc. Iesu an. 1596.* Vlyssipponæ cùm vir grauis (quippè sacerdos, & multa dignitate venerandus, & cuius in Sodalitium Deiparæ Virginis non pauca extabant merita) ipso noctis silentio, cùm maximè consopitus iaceret, vocem hanc audiuit (ipsiusne Matris Deiparæ, an Custodis Angeli, incertum habet) Proripe te è lecto fili, & isto cubiculo excede. Qui somno pressus, primò quidem segnis, posteà autem auditæ vocis cura extimulante animum, excusso somno surrexit, circumiectoque raptim amiculo, è cubiculo prosiliuit, & ecce subitò domus contignatio ingenti cùm fragore corruit, hominem certissimè oppressura, ni cælesti parens monito effugisset. Ille cùm suo illo amictu tumultuario, sodalitatis adiit Directorem, & sanctissimæ Matris bonitati suam adscripsit incolumitatem.

Alia his similia adnotata fuere cùm de Sole, Luna, & Stellis; cùm de splendoribus emissis è cælo, & ignitis impressionibus; cùm de Animalibus, cùm de mutatione aquæ in sanguinem, & alibi. Alia etiam describentur cùm de apparitionibus Crucis, & cùm de prænunciis futuræ mortis.



AP-

APPENDIX AD CAPVT II.

Futurorum, quadam perennia Admiranda Præsagia.

FVturorum, præcipuè malorum, quibusdam Admirandis præsagiis, perenni prodigio voluit Deus rebelles mortales admoneri, vt à ventura ira, præuia saltem conscientiæ expiatione, declinent, & diuinæ Iustitiæ fulmina iam præsentientes, fugiant à facie arcus. De his.

1. *Ioan. Molan. in Natal. S.S. Belgij de S. Bertulpho* 5. *Feb.* Solet, vt constanti fama Gandaui traditur, pulsum velut manibus edere circa feretrum suum, S. Bertulphus, graui aliqua imminente diuina vltione, & sic tanquam admonere fideles, vt precibus, & fructibus pænitentiæ iram Dei auersam placarent.

2. *Thom. Boz. lib.* 15. *cap.* 10. *de Iannuaria Virg. Eugubij.* Habetur eius cadauer in arca lignea sub altari decentissimè ornato: atque vbi imminet aliquod funestum, & lugubre, vel Monasterio, vel Vrbi, auditur è capsa strepitus quasi pulsantis; nuperq. monasterium propè totum miserrimo incendio conflagrauit, & paulò ante magnus strepitus fuerat auditus; inuentumque cadauer, quòd priùs supinum iacebat, in faciem deorsùm se conuoluisse.

3. *Ioannes Eusebius de mirac. nat. lib.* 1. *cap.* 9. In sepulchro S. Iacobi Hispaniæ Patroni, audita instrumenta bellica, & strepitus interni, significant pericula nostra. Memini antequam detegeretur coniuratio Neophytorum Maurorum, quos Moriscos dicimus, auditos similes sonitus.

4. *Idem ibidem cap.* 10. Memoria dignum est, ossa Comitis Castellæ fortissimi Fernandi Gonzalis, quæ iacent in S. Petro Arlaneæ, strepitu, & concussione sua significare victorias Catholicorum contra infideles. Obseruatum insonuisse vehementer in oppugnatione Granatensis Regni, cùm tandem omnis Hispania Mauricum iugum excussit. Nec tantùm nostratum victorias sonitus hic prædicit; sed cæterorum. Nàm anno 1456. pridiè ante victoriam Ioannis Huniadis, cùm profligauit Turcas, insonuere pariter. Aliquandò aliis prodigiis nostrorum felicitatem promittit idem Comes; quippè ante illam victoriam miraculosam quidem, quam vocamus de las Nauas, cùm Rex Alphonsus VIII. innumeras Maurorum cateruas prostrauit, auditus est in tota ciuitate Legionensi bellicus strepitus vsque ad templum S. Isidori, cuius foribus pulsatis, vigilanti sacerdoti nunciatum fuit, Comitem Fernandum Gonzalum adesse cùm Cide Rey Diaz, atque aduentasse illùc vt euocaret Regem Ferdinandum Primum, qui eo in templo iacebat. Postero die, victoria illa accidit.

5. *Petra Sancta de mirac. perp. cap.* 13. Quotiescumque Mauri, Regni Granatensis oppidum, arcemque Carabacensem inuadere deliberant, semper arcula pulsum, & tinnitum edidit, intra quam est Crux Carabacensis.

6. *In Marty. Gallicano* 16. *Iulij de S. S. Ferreolo, & Ferrentio, m. m. Vesontione in Gallijs quiescentibus.* S. S. Martyres, quò insignori fuere triumpho coronati, eò post gloriosum agonem amplioribus meritorum splendoribus refulserunt, perpetuam vrbi, quam Christo suso cruore pepererunt, prætendere soliti, suæ opitulationis clientelam. In quam illud hactenùs obseruatum est, perpetuæ eorum prouidentiæ argumentum, quòd impendente ipsi ciuitati, publico quopiam malo, visuntur duæ splendidissimæ faces, quæ ciuitatis mænia, ac propugnacula obambulant, suoque quasi præsidio communiunt, ingenti circumuallantes lumine, & ardore. Quod ante non multos annos, cùm hæreticorum exitiosæ acies, Catholicæ omninò vrbi imminerent, experimento deprehensum est. Tunc enim impiæ phalanges iàm in vrbem irruentes, auspicato fulgentibus diuinis his luminaribus, detectæ, deterritæ, mœniisque deiectæ, ac prorsùs profligatæ sunt: sicque sanctorum virtutem suo damno expertę, quorum fidem oppugnant, memorias delent, & honorem, cultumq. perfidè insectantur.

7. *In vita Ven. Sor. Eustochij Virg. Clarissæ Messanensis.* In Monasterio montis Virginis Messanæ, in quo requiescit corpus Ven. Eustochii, quotiescumque eidem aliquod graue imminet infortunium, obseruatum est, prædictam Virginem manibus extensis apparere.

8. *In Martyr. Bened.* 6. *Id. Maij, de B. Beatrice Athestina.* Longo post eius mortem tempore obseruatum est, quòd quotiès familiæ Estensi, ex qua orta, noui aliquid immineret, totiès multis ante diebus in sacello eius (quod Ferrariæ in Ecclesia Sancti Antonii est) exaudiebatur strepitus pręgrandis, & corpus eius, quod de more supinum in sepulchro iacebat, in alterum reuolutum latus reperiebatur.

9. *In actis S. S. Feb. tom.* 1. *in Contin. Bollandi.* Vbique decantatum est illud, è magni illius Cid Ruitz tumulo auditum fragorem armorum, Hispaniæ, & Ecclesiæ calamitatem protendere.

10. *Thom. Boz. lib.* 15. *cap.* 10. *de signis.* Vidi ego in Monte Falco, & quiuis hoc videre potest, ampullam sanguinis plenam, qui è corpore B. Claræ effluxit. Is est concretus, non in puluerem redactus post tot annorum curricula; & quoties aliquid calamitatis imminet Reipub. Christ. continuò is incipit colliquesieri, subsilire, & efferuescere; & quò maior futurus est casus, eò concitatior, ac diuturnior est agitatio. Antequam Cyprus à Turcis occuparetur, nec dùm rumor vllus extitisset eius oppugnandæ, eodem tamen anno ineunte, Romæ occurrit mihi Alexander Tempestiuus optimus vir, ac prudens, narrat magni aliquid mali impendere, sibique per litteras significatum, sanguinem Claræ Virginis sic ebullisse, vt nonnullę ex eo guttæ effunderentur. Nec multis post hæc mensibus, cæpit increbescere, à Turca classem parari aduersùs Venetos, Cyprum peti: quæ denique ab eius Ducibus est expugnata. Magnum sanè hoc miraculum in sanguine isto, qui pręsentiat impendentes Reipublicę ærumnas, neque continere se possit, quin ali-

aliqua futuri mali signa det. Tanta scilicet infixa erat intimis visceribus Virginis charitas in Rempublicam Christianam, vt vel eius defunctæ sanguis præsagiat, quid sit futurum.

11. *Leander*. Corpus S. Agnetis Politianæ, quod in eadem ciuitate integrum conseruatur, videtur semper sudare sanguinem, instante aliqua eius ciuitatis flagellatione.

12. *Ambrosius Frigerius in vita S. Nicolai Tolentinatis, par. 2. c. 2.* Brachia S. Nicolai Tolentini, sanguinem, vel per thecam argenteam emittunt, cùm aliquid portentosum imminet Cristianitati. Hæc prodigia vltimis his annis sæpè accidere de hisque diffusè idem auctor in quodam libello.

13. *Antonius Caracciolus de sanguine S. Iannuarij, qui Neapoli conseruatur, & ad præsentiam capitis ordinariò liquescit c. 20.* Illud consideratione dignū est. In imminentis mali omen accipiēdū esse, quoties pretiosus hic cruor ad capitis præsentiam minimè liquescit. Sic obseruatum fuit anno 1527. & sequenti, cùm Roma à Borbonio capta, & Pontifex in castrum Sancti Angeli obsessus fuit. Et anno 1550. & 1558. cùm Turca depredatus fuit multas Regni Ciuitates. Et anno 1569. in magna caritate, ob quam innumeri fame perierunt. Et aliàs in cladibus aliis. Vt simili quoque euentu Mauricianis temporibus sanctæ Euphemiæ, & sanctæ Gliceriæ cruor obduruit: vt habet Simocacta in Histor. Mauriciana.

14. *Recupitus, & in m. scriptis*. Tempore quo contra Pontificem Paulum IV. Hispanica arma pugnauerunt, Neapoli, sanguis S. Iannuarii liquidum se præbuit; eoque die, atque hora concreuit, quo pax firmata est, ac obedientia Pontifici reddita.

15. *Petra Sancta in mirac. perp. cap. 13.* Vetus Pictura Virginis Deiparæ in parua tabula est Neapoli in domo professa Soc. Iesu, ligneos obiices habens, quibus possit subindè obserari; & hi obiices inuicem quati iusto temporis spatio cùm strepitu consueuerant; quotiès alicui ex stirpe Sanseuerina (cuius erat hæc imago) immineret infortunium, aut calamitas.

Alia perennia præsagia denotata fuere tom. 1. lib. 5. in Append. ad cap. 4. cùm de campanis perenni prodigio sonantibus in futura alicuius morte, ceù imminente aliqua calamitate. Alia etiam notabuntur, cùm de perennibus presagiis futuræ mortis.

CAPVT III.

Scientia quibusdam Dei Seruis diuinitùs infusa, ad eruditionem cæterorum.

§. I.

SCientiam, quam de thesauris diuinę sapientię hauserunt Adam, Salomon, aliique in veteri testamento, obtinuerunt diuinitùs, admirandisq. modis quamplurimi & in noua lege, qua eorum mentes imbutę, vel ad diuina faciliùs contemplanda eueherentur, vel ad aliorum fugandas caligines, euangelizando, docendoque inseruirent. De his ergo vltimis duabus prærogatiuis, hoc vno capite erit sermo. Suntque.

1. *In Euangelica Hist.* Adueniente Spiritu Sancto in die sancto Pentecostes, cælesti doctrina repleti sunt Discipuli omnes, sicut prædixerat illis Christus Dominus, dùm dixit: Paraclitus autem Spiritus Sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, & suggeret vobis omnia quæcùmque dixero vobis; & alibi: ego dabo vobis os, & sapientiam, cui non poterunt resistere, & contradicere omnes aduersarii vestri.

2. *S. Gregorius lib. 1. Dial. cap. 4.* Cùm Equitius Abb. Prouinciæ Valeriæ, interrogatus fuisset à quodam sibi familiari, quomodò prædicare præsumeret, qui sacrum ordinem non habebat, nec à Romano Pontifice, prædicandi licentiam receperat. Vir sanctus indicauit prædicationis licentiam qualiter acceperat, dicens: Ea quę mihi loqueris, ego quoque mecùm ipse pertracto. Sed quadam nocte speciosus mihi per visionem iuuenis astitit, atque in lingua mea medicinale ferramentum, idest phlebotomum posuit, dicens: Ecce posui verba mea in ore tuo, egredere ad prædicandum. Atq. ex illo die etiam cùm voluero, de Deo tacere non possum.

3. *Marulus l. 2. c. 4.* S. Romualdus Abbas ord. Camaldulensis auctor, cùm ad Sutrii montis monasterium venisset, & ibidem sacra celebraret, aliquandò in extasi raptus stetit: & Psalmorum interpres factus est, quorum paulò ante ne lector quidem satis idoneus fuerat.

4. *Idem li. 2. cap. 2.* Hor Ægyptius Abbas litteras non didicerat: & oblato sibi libello, cùm orasset, legere cępit, neq. minùs doctrinæ illi vnius, aut alterius horæ oratio contulit, quàm aliis multorum annorum studium.

5. *Idem lib. 3. cap. 4.* Stephanus Anachoreta, cùm aliquandò illiteratus, ac rudis haberetur, tantùm in Mareotidis eremo manens profecit, vt neminem ad eum discendi aliquid gratia accessisse dicatur, quin idem discedens se satis edoctum diceret.

6. *D. August. lib. 1. de Doctrina Christi*. S. Antonius Ægyptius monachus, sine vlla litterarum scientia, scripturas diuinas, & memoriter audiendo tenuit, & prudenter agitando intellexit.

7. *Idem ibidem*. Seruus quidam Barbarus, litteras ipsas, nullo homine docente, triduanis precibus, vt sibi reuelarentur orando perfectè didicit, sic vt etiam codicem oblatum, stupentibus qui aderant, legendo percurreret.

8. *In vita S. Theodori apud Surium*. Sanctus Theodorus Archimandrita, volens Psalterium ediscere, magno cùm labore vsque ad sextum decimum psalmum edidicit, sed decimum septimum nullo modo percipere poterat. Quamobrem cùm in oratorio propinquo Sancti Christophori meditando commoraretur, & non posset discere, humi prostratus, Dominum obsecrabat, vt se ad

Psalmos

Psalmos facilè memoriæ commendandos idoneum redderet. Clemens autem Deus id illi præstitit; deinceps enim facilè, & commodè paucis diebus totum Psalterium memoriæ commendauit.

9. *Henriquez in fasciculo de S. Bernardo Abb. libr.1.capit.6.* Sacras litteras in syluis, & in agris meditando, & orando, didicit Sanctus Bernardus, nullos habens magistros, præter quercus, & fagios. Vndè apparet, eum doctrina potiùs diuinitùs tradita, quàm labore comparata instructum fuisse.

10. *Ferrarius in Catalog.S.S.1.Februarij, de S.Seuero Rauennæ Archiepiscopo.* Seuerus Rauennas, pauper, & lanificio victum quærens, cùm in Ecclesiam esset ingressus, in quam Prouinciales Episcopi ad eligendum Archiepiscopum conuenerant, indicio columbæ diuinitùs electus est Archiepiscopus. Illud autem admirandum ferunt, Seuerum, qui litterarum ignarus erat, vt primùm sacris indutus vestibus, Vmbonem ascendit, concionem ad populum adeò doctam habuisse, qualis à perfecto, doctissimoque Theologo haberi poterat.

11. *In Eccl. Hist.* Ioannes Traiectensis Episcopus, ab aratro ad Episcopatum vocatus sub Clothario Rege, diuinitùs litterarum, & virtutum Ecclesiasticarum cognitionem hausit.

12. *Tritheмius in Chron. an.1124.* Circa hæc tempora, claruit Rupertus monasterii Tuiciensis nostri ordinis iu opposito Coloniæ Agrippinæ, Abbas, scientia, & sanctitate clarissimus. Qui cùm adhùc monachus esset in cœnobio S.Laurentij in Oesbrog propè Traiectum, ætate iuuenis, maximum scripturis diuinis studium impendens, propter ingenii tarditatem parùm discendo profecit. Vndè per orationes instantissimas à matre gratiæ Virgine Maria, scientiam scripturarum, quam ingenium negauerat, postulauit; qua manifestata sibi, in quadam nocte in visione Dei apparente, ac gratiam promittente, tantam in omni scriptura scientiam consequutus est, vt similem suo tempore non habuerit. Nam propter incomparabilem scientiæ maiestatem, & vitæ sanctitatem, Fridericus Archiepiscopus Coloniensis eum de præfato monasterio extractum, in Abbatem Tuiciensis cœnobii, licet renitentem, ordinauit.

13. *Ven.Beda in Hist. Anglic. libr. 4. capit.24. de Hilda Abbatissa.* Cedmon Anglus, Monasterio Hildæ Abbatissæ inseruiens, licet laicus, simplex, & absque litteris esset, diuina tamen gratia specialiter insignis, carmina religioni, ac pietati apta, facere solebat; itaut quidquid ex diuinis litteris per interpretes disceret, hoc ipsum posteà verbis poeticis maxima suauitate, & compunctione compositum, in sua (Anglorum scilicet lingua) proferret: cuius carminibus, multorum sæpè animi ad contemptum sæculi, & ad appetitum sunt vitæ cælestis accensi. Non etenim ab hominibus institutus canendi artem didicit; sed diuinitùs donum huiusmodi gratis accepit. Si quidem cùm aliquandò in quodam conuiuio, in quo ipse aderat, decretum esset, vt omnes per ordinem cantare deberent; ille vbi appropinquare sibi citharam vidit, surrexit à media cœna, sicut sæpiùs antea fecerat, & egressus in domum suam, resedit in stabulo iumentorum, quorum custodia erat ei delegata; cùm ibi hora competenti dedisset membra sopori, astitit ei quidam per somnum, eumque salutans, ac suo appellas nomine: Cedmon, inquit, canta mihi; at ille respondit: nescio cantare; nàm ideò de conuiuio egressus hùc secessi, quia cantare non poteram. Rursùs ille: Attamen, ait, cantare mihi habes. Quid, inquit, habeo cantare? At ille, canta, inquit, principium creaturarum. Quo accepto responso, statim cæpit ipse cantare in laudem conditoris versus, quos nunquam audierat, nec nouerat; Exurgens autem à somno, cuncta, quę dormiens cantauerat, memoriter tenuit, & his mox plura in eundem modum, verba Dei, digni carminis adiunxit. Veniensque manè ad Villicum, qui sibi præerat, quid sibi accidisset indicauit; atque ad Abbatissam Hildam perductus, iussus est, multis doctis viris præsentibus, indicare somnum, & carmina dicere. Visumque est omnibus cælestem ei à Domino concessam esse gratiam; exponebantque illi aliquem sacræ Historiæ, siue Doctrinæ sermonem, & ille (suscepto negotio) manè rediens, optimo carmine compositum reddebat. Vndè mox Abbatissa, Dei gratiam in viro amplexa, sęcularem illum habitum relinquere, susceptumque in fratrum suorum monasterio, Cohorti eorum associauit, iussitque illum seriem sacræ Historiæ doceri. At ipse, cuncta, quæ audiendo discere poterat, in carmen dulcissimum conuertebat, quo cunctos ab amore sceleris abstrahere, & ad solertiam bonæ actionis excitare curabat.

14. *S. Antoninus 2. par. Chron. tit. 17. cap. 1. §.12.* De Abbate Ioachim fertur, quòd cùm priùs non multùm ab homine doctore didicisset, donum intelligentię diuinitùs accepit, adeò sic facundè, & discretè, vt quaslibet scripturarum difficultates, vel obscuritates enodaret.

15. *In Ann.Prædicat.* Cùm Albertus Magnus sextodecimo ætatis anno in ordinem Prædicatorum ingressus, in litteris penè nihil proficeret, eo quòd ingenio, ac memoria esset tardiore, tanto affici cæpit tædio, vt etiam de religiosa vita deserenda tentaretur. In qua fluctuatione dùm hæreret, quadam nocte apparuit ei Beata Virgo, eumque interrogauit, vtra scientia mallet donari, diuina, an naturali; cui cùm adolescens, qui pro ætate nihil adhùc altiùs gustabat, Philosophiam dixisset; Fiat, inquit illa, quod petiisti; sed tamen quia scientiam hanc, scientiæ filii mei prætulisti, extrema vita omnem perdes doctrinam, & in hanc ipsam, quam nunc es, hebetudinem recides. Quæ omnia euenere; ad tantam enim subitò doctrinam peruenit, quantam & illius continua magisteria, & libri conscripti demonstrant: & trienniò antequam è vita migraret, dùm publicè è cathedra nescio quid interpretaretur, repentè omnem sibi memoriam rerum omnium, quas tenebat, funditùs excidisse sensit.

16. *Platus de bono statu Relig. libr. 2. capit. 52.* Hermannus cognomento Contractus in Sueuia ex nobili Comite ortus, ab ineunte ætate omnibus membris captus fuit, atque ob eam causam Contractus appellatus. Hic monachus factus, multis precibus Beatam Virginem rogare instituit, vt ipsum eo morbo liberaret. Illa verò clara luce se ei visendam præbens, optionem obtulit, vtrùm è duobus mallet, sanus ne fieri, sed vt erat rudis, & indoctus permanere, an perseuerare in morbo, & omnibus scientijs insignis euadere. Cùm autem Hermannus, vt debebat, hoc posterius prætulisset, ab eo tempore mirabiles progressus in omni genere litterarum facere cæpit, adeò vt neminem in his superiorem, vix etiam æqualem habere crederetur.

17. *Petrus Canisius libr. 5. de Maria Virgine capit. 20.* Vdo Magdeburgensis Episcopus, cùm esset puer, admodùm rudis, & indocilis, precibus ad B. Virginem anxiè fusis, magnam ingenij lucem, ac doctrinæ laudem est consecutus. Quo beneficio tamen abutens, in Episcopatuque, ad quem ascenderat, turpissimè viuens, tandem horrenda morte vitam conclusit.

18. *Vadingus in annal. Minorum ann. 1217. num. 3. de Sancto Francisco.* Romam pergens illic inuenit Cardinalem Hugolinum, ex Hetruria regressum, cui dùm rem detexit, desideriumque aperuit de Pontifice alloquendo, suum vicissim manifestauit Cardinalis, vt vir Dei publicum haberet ad eundem Pontificem, & Purpuratos Patres sermonem; excusauit se quantùm licuit, suam prætexens ignorantiam, simplicioremque se, & rudiorem esse contestans, quàm vt in supremo mundi consessu possit, aut debeat prædicare. Superauit omnia hæc Cardinalis desiderium de audiendo hominis in Consistorio concionem, proindèque rogauit obnixiùs, amicèque præcepit, vt obtemperaret. Ad importunas tanti sui benefactoris, mox futuri Protectoris preces, non obsequi non potuit, fecitque quod ille iusserat, politamque elaborauit concionem, cùm eo vsque non humanæ inuentionis ornatum prætenderet, sed diuinæ reuelationis afflatum redoleret. Cùm ergo statuto die stetisset in medio, vt ædificationis verba proponeret, sic obliuioni tradidit omnia, vt effari aliquid omninò nesciret. Verùm cùm hoc veridica humilitate narrasset, conferens se ad Spiritus Sancti gratiam inuocandam; tàm efficacibus subitò verbis cæpit effluere, tamque potenti virtute illorum mentes virorum sublimium ad compunctionem inflectere, vt aptè clareret, quòd non ipse, sed in ipso Spiritus Domini loquebatur.

19. *In vita Sancti Thomæ Aquinatis.* Sanctus Doctor, Reginaldo sodali suo dicere solitus erat; quidquid sciret, non tàm studio, aut labore suo peperisse, quàm diuinitùs traditum accepisse.

20. *In actis S. S. Februarij in continuatione Bollandi tom. 2.* Cùm B. Martinus Canonicus Regularis Legionensis in Hispania, natu iàm grandis, litterarum peritia, sacrarum præcipuè, careret, summoque arderet desiderio eas ediscendi, continua oratione id à Deo suppliciter exorabat. Quadam igitur nocte, dùm de more orationi vacaret, apparuit ei Sanctus Isidorus, librumque comedendum tradidit; quod cùm ille fecisset, cœlestibus illustrationibus, sacraque doctrina ita imbutus fuit, vt deinceps contra hæreticos disputare, pluresque saluberrimos libros conscribere, potuerit.

21. *In vita Beati Laurentij Iustiniani cap. 6.* Scientia illi potiùs diuinitùs infusa, quàm humanitùs acquisita, videri potuit. Vix enim elementa prima didicit à præceptore, & tamen nihil est in sac. scriptura disputatum, de quo non posset grauissimè respondere. Semel venit ad eum Theologus, qui audierat de illius doctrina, & præsertim, quòd didicisset sine doctore. Audire voluit, & periculum facere. Mouet illi quæstionem de diuinis relationibus; Respondet Laurentius; ille responsum laudans, repetit adhùc, velut cùm circulatore sophista sibi res esset. Tùm Laurentius: Scriptum est, Frater, contentiones, & pugnas legis deuita, sunt enim inutiles, & vanæ. Dixi quid sentirem, si satisfeci, placet, sin minùs, quære qui tibi respondeat sapientiùs. Compunctus ille, & gratias agens, petita benedictione, discessit.

22. *In vita Sancti Petri Thomasij Patriarchæ Constantinopolitani.* Dùm in sua Carmelitana Religione moraretur, sacrasque litteras legeret, confessus est, quòd celebrando missam suam, quasi in aurora diei, & post missam ascendendo cathedram ad legendum, Deus in missis suis magis infundebat in cor eius scientiam, intelligentiam, & veram expositionem sacræ Scripturæ, quàm ante habuerat in studendo *lectionem*, & quòd ipso legente in cathedra, *post missam suam*, talia sibi occurrebant, quæ nunquam studuerat, & de quibus ipsemet mirabatur; Deo semper gratias referendo, & B. Mariæ.

23. *In vita Sancti Ignatij Loyolæ.* Quo tempore in solitudine Mantresæ, veteri abdicata, nouæ militiæ operam daturus secessit Sanctus *Ignatius*, licet litterarum planè rudis, tanta rerum cælestium scientia pollere cæpit, quantam, nisi de cœlo haustam, nemo habuit: quare dicere solitus erat: si sacræ litteræ non extarent, se tamen pro fide mori paratum, ex his solùm, quæ sibi Mantresæ patefecerat Dominus.

24. *In vita Sancti Gregorij Papæ.* Multos libros confecit Sanctus Pontifex, quos cùm dictaret, testatus est Petrus Diaconus, se Spiritum Sanctum columbæ specie in eius capite sæpè vidisse.

25. *Michael Pius lib. 1. de viris illustribus ordinis Prædicatorum, de B. Ambrosio Sansedonio.* Inter concionandum Sanctus Ambrosius aliquandò visus est ei ad aurem quiddam loqui. Semel beata Virgo specie venustissima, librum apertum ante eius oculos detinuit.

26. *In vita B. Iosephi Præmostratensis.* Cæperat exponere, & exposita in scriptum redigere Cantica Canticorum, mirantibus eius confratribus mona-

monachis, & intra se ipsos, aut præsumptionem, aut simplicitatem eius accusantibus vehementer. Dùm igitur aliquandò super hoc facto eum interrogassent, competentem excusationem non habens, coactus est dicere veritatem: Ait enim: Non temeritate aliqua, nec virium suarum præsumptione, nec simplicitate deceptum (tanquam ignarus quantùm ingenij tractatus iste requirat) opus illud aggressum esse; sed matre Domini commonente, & vt creditur, cęlitùs adiuuante.

27. *Vading. an.* 1415. *de B. Ioan. Capistrano*. Ex eius ore verba sapientiæ, & scientiæ Diuinæ, veluti nimbi defluebant; neque id mirum, quippe eructabat calicem cælestis liquoris, quem copiosissimè biberat, sacratissima Virgine propinante.

28. *Arturus in annot. ad marty. Franc.* 14. *Martij de B. Philippo Longo Confess.* Vir tantæ perfectionis fuit, quòd velut alter Isaias calculo ignito per Angeli ministerium, labiorum acceperit mundiciem; licet illitteratus, per donum intellectus, profundos scripturę sensus rimabatur, & altiora penetrabat mysteria, mira de rebus spiritualibus voluptate loquebatur.

29. *In vita S. Francisci de Paula lib.* 4. *cap.* 13. Cùm Doctores quidam Sorbonici, S. Franscum semel adijssent, vt periculum facerent, an quæ de Sancto Eremita circumferebantur, vera essent; cùm iis, Diuino plenus spiritu, diuinitùsque infusa scientia de abstrusioribus sacrę Theologię controuersiis planè disseruit, difficilioresque vtriusque testamenti locos mira facilitate, atque perspicuitate aperuit, & explicauit; vndè vehementer attoniti abierunt, & confessi sunt, tàm altam doctrinam, ni è cœlo, in homine, aliàs rudi, deriuasse.

30. *In vita SS. Frat. Polonorum eremit. Camald. de S. Iusto*. Cùm mysteria scripturę sanctę intelligere desiderasset S. Iustus, orationibus semper fuit, & meditationibus intentus; Beatissimam Dei Genitricem Mariam Matrem Domini nostri Iesu Christi sedulis precibus precabatur, vt ipsi à filio, qui fons est sapientię, intelligentiam, & scientiam diuinarum scripturarum impetraret, cui in visu apparens Beatissima Virgo decorata splendore maximo, cantu, & choro Angelorum comitata, hęc ait: Iuste, fili mi: Ego orationes tuas audiui, postulata impetraui. Ecce omnium scripturarum diuinarum tibi arcana patescunt, aperta, & clara sunt ad erudiendum alios deuotos meos; tu ergo firmus animo, & robustus esto, in consolationem, & multorum vtilitatem, labor tuus deriuabitur; tantùm, ne torpescas otio, nec gratiam tibi collatam in vanum accipias. Ex eo igitur tempore vsque ad diem suæ mortis, tanto amore, desiderio, & studio semper in lectione, oratione, & scriptione erat assiduus.

31. *Fridericus Fornerus in Palma Triumphali*. Ioannes à Sancto Francisco, solis precibus, ac nullo prosùs studio assecutus est Mexicanæ linguę cognitionem, ita vt maximę cunctis fuerit admirationi, cùm repentè auditus est ea lingua, innumeris præsentibus, concionari.

32. *Sylos in Hist. Cler. Reg. Par.* 2. *lib.* 13. *an.* 1626. *de Ven. Iacobo Stephanio*, C. R. Dùm Ven. Pater in Georgiano itinere proficisceretur, Melitę, linguarum adiumenta, quibus illis in regionibus vteretur, enixè à B. Virgine postulauit, & pollicita magna mater est, id illi à filio impetraturam; liberauitque mox fidem, elargita incredibilem eam docilitatem, capacitatemque memoriæ, qua breui, Græcam, Turcicam, Armeniam, Ibericam linguam arripuit; quibus ea quidem verborum proprietate, ac copia vtebatur, vt iisdem ipsis, quorum dialectos vsurparet, admirationi esset.

33. *Idem in vita Ven. Francisci Olympij C. R. lib.* 1. *cap.* 4. Licet Olympius cætera rudis, sapientissimus à Christi academia videri potuit; ineratque lumen, ac vis mentis supra voluminum eruditionem: adeò vt plerique viri Principes, & illum in rerum grauissimarum momentis consulerent, & euentu deindè consilium, ac sapientiam probarent. Auditus item aliquandò de quibusdam diuinorum arcanis eo quidem acumine, atque vbertate ingenij loqui, vt non facundiùs, aut doctiùs à superiore loco vir quispiam eruditissimus disseruisset.

34. *Gasp. Thaus.* Quòd Franciscus Suarez, Soc. Iesu scientiis Philosophicis, ac Theologicis abūdarit, quas in eo sæculum nostrum admiratur, ac stupet, Doctorisque sui, ac magistri titulo compellat; id vni, secundùm Deum, B. Virgini acceptum referre debemus. Neque enim initio statim studiorum mentis acumine pollebat. Habebat ille hoc in more etiam tunc, cùm ingentes illos suos, omni eruditione, & subtilitate refertos tomos conscriberet, vt difficiliores quosque Theologiæ nodos, quos haùd facilè exsoluere posset, B. Matri velut consultandos, & explicandos, facta prece, proponere. Quæ in prælectionibus, aut elucubrationibus incidissent dubia, ea omnia cùm optima Parente, & magistra conferebat; & non semel in ipso palàm ambulacro coràm B. Virginis effigie visus est exemplò genua flectere, & gratias agere de ea, quam diuinitùs acceperat, illustratione, dubitationisque, quam mente tractabat, solutione. Quamquam & à Christo Crucifixo mentis lumen hauriebat, adeòque matrem cùm filio patiente iungebat. Accidit enim aliquandò, vt Ianitor eum ad colloquium viri grauis vocaret, cùmque tertiò iam pulsasset fores, nec vllus responderet, intrauit, aperta ianua, & ecce Patrem eleuatum à terra conspicit duobus ferè cubitis, totumque cubiculum diuino lumine collustratum. Sed eximius quidam radius in faciem Patris è Crucifixi vulneribus sacris eibratus conspiciebatur.

35. *Idem ex Bourgherio cap.* 24. Henricus Delfon, Audomari temporalis Adiutor, cùm primùm Societatem iniit, adeò rudis erat, & hebes, nullaque memoria, vt magnopere lugeret, se nihil rerum spiritualium ediscere, ac memoria complecti posse. Quare vehementer afflictus, die quadam coràm Imagine sanctissimæ Virginis prostratus,

tus, animum, corpus, sensus, animi vires, ac facultates, sacratissimę Virgini ad perpetuum eius offert obsequium. Ex eo tempore ita rerum spiritualium euasit intelligens, vt conciones integras memoria retinere, easdemque multis post annis reddere, ac recensere posset, tantoque animi sensu de Beata Matre, diuinisque rebus loquebatur, vt graues ex ordine nostro Theologi dicerent, eum velut è puteo profundissimo iugiter haurire sensus rerum cælestium admirandos.

36. *Henriquez in Fascic. de Venerab. Frat. Candido à Sancto Bernardo Cisterciensi.* Præterquam quòd infirmitates nosceret, & remedia necessaria applicare calleret, aliam ei Deus indulsit scientiam, qua lapidum, & herbarum proprietates, & vires indagaret. Quæ in eo tàm rara, & miraculosa fuit, vt omnibus admirationem pareret, cuius rei certissima sunt testimonia, & scripta: Et inter alios, Reuerendus Pater Thomas Madan in litteris, quas ad superiores Hispaniarum scribit, sic ait: Hoc affirmo, homines graues suspicari, illum, herbarum, & plantarum scientiam, & cognitionem habere, ideòque cuique morbo insolita quædam applicabat, quæ nunquam medicis audita fuere, nec ipse huiusmodi studebat, nisi in oratione. Hoc enim ipse notaui, quòd nunquam nisi dicta missa, alicui alicuius rei auctor esse, vel suadere vellet; post sacrum verò facilè omnibus consilia dabat, vel etiam mille hominibus vno die. Estque benè notandum, quòd nunquam secùm aliud præter Breuiarium ferebat, ex quo horas legebat, & discebat quid ei concionandum ad Catholicorum ædificationem esset, quid ad hæreticorum confusionem faceret, quidquid medicinæ ægrotis ad eum confluentibus impendendum.

37. *In vita Fr. Innocentij à Clusa ordinis Minorum.* Quamuis Fr. Innocentius, scientias nunquam didicerit, & in humili professione laicali viueret, adeò intellectus eius cælestibus doctrinis, profundissimisque diuinæ sapientiæ arcanis prælucebat, vt sæpè sæpiùs sapientissimis Theologis, in sacraque doctrina optimè eruditis, difficillimas difficultates, ipsisque post longum studium adhùc obscuras, facillimè explicaret, enodaretque.

38 *Simeon Metaphrastes in vita Sancti Pachomij.* Quadam die Sanctus Pachomius ex cellula digressus, in vicum venerat, cui nomen Tabennite; ibi dùm incumberet orationi, mandatum à Deo accepit de construendo monasterio. Protinùs verò apparuit ei sydereus genius, & tabulam præbuit, in qua erat vitæ ratio descripta; quæ mox tradita fuit eius religiosæ familiæ.

39. *In Biblioth. Præmonstr. libr. secund. capit. 16.* Precibus orabat Dominum Sanctus Norbertus, vt ei dignaretur ostendere Regulam, sub qua cùm suis viuendum sibi esset: Quandò semel apparens ei Beatus Augustinus, auream è latere dextro regulam suam ei protulit, seque ipsum luculento sermone declarauit, dicens: Augustinus ego sum, Hipponensis quondam Episcopus; ecce habes Regulam, quam conscripsi, sub qua, si benè militauerint Fratres tui, filii mei, securi Christo astabunt in extremo terrore iudicii.

Idem donum Fæmineo sexui diuinitùs concessum.

§. 2.

QVàmuis secundùm Apostolum, mulieres in Ecclesia debeant tacere, eisque euangelizare haùd liceat. Hoc tamen quibusdam speciali quadam prærogatiua concessit Deus, eas diuinitùs erudiens, vt cæteris cælestis doctrinæ pabula subministrarent; vel vt scientia diuinitus hausta, suauiori gustu contemplarentur diuina. De his.

1. *S. S. Patres asserunt.* Dominum nostrum ad cælum ascendentem, Matrem suam vt Magistram, ipso discedente, reliquisse Apostolis, & Ecclesiæ, cuius dulcis præsentia, omnibus in mærore solatium, & Doctrinæ lumen, & in illis primordiis præsidium singulare præstaret.

2. *Marulus libr. 3. cap. 4.* Mariæ Magdalenæ prædicatione, Massilia euangelium recepit Christi: & Marthæ sororis eius Rhodani accolæ. Decuit solas Apostolatus fungi officio, vt quæ cùm Christo & viuente & resurgente conuersatæ fuerant, quidquid de illo, vel oculis conspexissent, vel ab illo auribus excepissent, fide certiore testarentur.

3. *Surius in vita S. Catharinæ Alexandrinæ Virginis, & martyr.* Beata Catharina Virgo, Costi Alexandri Principis filia, sacris litteris partìm studio, partìm diuini spiritus afflatu adeò fuit imbuta, vt accersitos à *Patre vndèquaque* doctissimos viros, & philosophos *ad ei persuadendam* idololatriam, refellendamque vnius Dei religionem, viuacissimis terruerit argumentis, & in suam opinionem pertraxerit.

4. *In vita Sanctæ Mariæ Ægyptiacæ.* Maria Ægyptiaca ad summum omnis sapientiæ, orandi assiduitate peruenit.

5. *Rayssius.* Alpaides Virgo, cùm Religionem magno cultu amplecteretur, cælitùs meruit scripturæ sacræ, Bibliorumque sensum percipere.

6. *In vita B. Hildegardis libr. 1. capit. 1.* Hildegardis Spanheimensis Abbatissa, quæ octogenaria circa annum Christi 1118. obiit, multa scripsit, latini licet sermonis ignara, eruditione diuinitùs hausta, quod ipsamet testatur in suo libro his verbis: Cùm quadraginta duorum annorum, septemque mensium essem, maximæ coruscationis igneum lumen aperto cælo veniens, totum cerebrum meum transfudit, & totum cor, totumque pectus meum velut flamma, non tamen ardens, sed calens, ita inflammauit, vt sol rem aliquam calefacit, super quam radios suos ponit. Et repentè intellectum expositionis librorum, videlicet Psalterii, Euangelii, & aliorum Catholicorum, tàm veteris, quàm noui testamenti voluminum sapiebam.

non

non autem integritatem verborum textus eorum, nec diuisionem syllabarum, nec cognitionem casuum, aut temporum habebam. Sic illa. Cæterùm vsa est quodam Grammatico, qui casus, tempora, & genera disponeret, sed ad sensum, vel intellectum scripturæ nihil omninò adderet, vel demeret.

7. *In vita Sanctæ Catharinæ Senensis*. Cùm litteras nunquam didicisset S. Virgo, tamen mirabili scientia fuit diuinitùs illustrata. Nàm quodam mane coram Domino se in oratione prosternens ait: Domine, si placitum est tibi, vt sciam legere psalmodiam, & tuas laudes valeam decantare per horas canonicas, tu me docere digneris, quod per me ipsam apprehendere nequeo: Sin aliàs, fiat voluntas tua. Mirares, & diuinæ virtutis manifestum indicium; antequàm de oratione surgeret, ita diuinitùs est edocta, quòd omnem scripturam sciuit legere tàm velociter, & tàm expeditè, sicut quicumque doctissimus; vbi hoc fuit mirabile, quòd quandò expeditè legebat; si iubebatur dictionem syllabicare, non poterat, immò vix litteras agnoscebat.

8. *Isidorus de Isol. in vita Beatæ Veronicæ libr. secund. capit.* 22. Repetendum hoc loco est, Veronicam, religionis Sancti Augustini habitum subeuntem, litteras ignorauisse, horis supremæ Virginis exceptis, quas lectitare consueuerat; quapropter multos per annos imperio matris monasterij panem ostiatim perquisiuit. Huius ancillæ suæ humilitatem respiciens summus opifex, totum psalterium illam edocuit: tantoque munere diuinarum litterarum sapientiam infudit, vt psalmos quosque Dauid & legeret, & intelligeret. Latebat verò hocce munus cæleste mortales quosque studio Virginis: summaque enitebatur ope, quò homines de huiusmodi sententia deiiceret.

9. *In vita Beatæ Liduuinæ capit.* 77. Theologus quidam ord. Sancti Dominici, cùm multa de ea audiuisset, quiescere non potuit, donec coràm cùm illa loqueretur. Igitur è Traiectensi diœcesi veniens, domum eius intrat, & de variis confert cùm illa: Tandem scire ex ea voluit sub quadam similitudine, quemadmodùm, agente tota sacrosancta Trinitate, solus filius in vtero Virginis incarnatus sit. Illa more se suo humiliter excusauit. Nolens de re tàm sublimi loqui coràm illo; sed vir doctus id molestè ferens, terribiliter adiurauit eam, vt diceret, si nosset. Tùm pia Virgo magno animi correpta dolore, fleuit vehementissimè, ita vt Theologum quoque illum suis lachrymis ad compunctionem permouerit. Indè resumptis vtcumque viribus, tali ei similitudine explicuit, quod voluit, vt vir doctissimus stupens, & admirans, palàm testaretur, se nunquam à Doctoribus tàm aptam similitudinem accepisse; eamque longè, latèque diuulgauit, tametsi sacra Virgo rogasset eum, ne cuiquam diceret: factusque est aduersùs obtrectatores Virginis acerrimus defensor, qui ad eam venerat curiosus explorator.

10. *In vita Beatæ Lutgardis Virginis*. Semel rogauit Sancta Virgo cælestem sponsum, vt ei gratiam conferret intelligendi Psalterium pro maiore deuotione. Præstitit ei Deus; sed vidit illa, ex hac gratia, se non adeò proficere, vt sperarat, reuerentia enim velati mysterii, mater est deuotionis, & res celata auidiùs quæritur, & maiori veneratione concupiscitur. Iterùm ergo dixit Domino; Quid attinet ad me simplicem, & idiotam monialem, scripturæ arcana nosce? Potiùs ergo Domine cor tuum mihi tribue, & cordis tui amorem cordi meo sic attempera, vt in te cor meum possideam omni tempore, tua protectione securum. Dedit ergo Dominus ei, quod petierat.

11. *In vita Beatæ Idæ Louaniensis*. Hoc quoque mirabile inter cætera eidem Virgini collatum à Domino, quòd cùm in omni vita sua litteras minimè didicisset, eas legere, proferre, vel exprimere potuisset; sæpissimè etiam ea, quæ cantabantur, aut legebantur à monialibus, inspirante gratia Sancti Spiritus intellexit. In Quadragesima præcipuè cùm sancta recitarentur Euangelia, quæ licet inexperto sibi legerentur eloquio, vulgari tamen lingua, quotiès opportunum id esse credebat, earum seriem, & ordinem, & sensum in auribus hæc audire volentium aperiebat. Vndè Quadragesimali quodam tempore, cùm illam in choro psallentium altisona voce decantatam audisset antiphonam: Potestatem habeo ponendi animam meam &c. à choris angelicis hanc eàdem audire promeruit altiori multùm, & elegantiori modo repetitam; quam plenissimè reuelante sibi gratia Sancti Spiritus intellexit, & suo confessario vulgari idiomate post modùm recitauit.

12. *In vita Sanctæ Teresiæ*. Clasissimo, diuinitùs accepto, adeò mens S. Virginis Teresię illustrata fuit lumine, vt multa cælestis sapientiæ disertissimè conscripserit suis in libris documenta, quibus fidelium mentes claritate cælesti illuminarentur, & ad cœlestis patriæ desiderium maximè excitarentur.

13. *Ferrarius in Catal. S.S. 18. Iunij*. Beata Osanna Virgo Mantuana, Christum, & Deiparam aliquandò se alloquentes cernere meruit; ac litteras cùm nesciret legere, ab ea traditur didicisse.

14. *In vita Beatæ Angelæ à Desentiano, Brixiensis Diœcesis*. Beata Angela legere à nullo docta, diuinitùs id didicit, quin & latinam linguam intelligere, & diuinæ scripturę profundos eruebat sensus, difficiliaque loca enodabat, cùm à viris doctis interrogaretur.

15. *In vita Beatæ Stephanæ Quintianæ*. Cùm ad septimum ætatis suæ annum peruenisset Beata Stephana, diuino excitante sponso, se totam illi dicauit, tribusque votis, paupertatis, castitatis, & obedientiæ se obstrinxit. Tuncque apparuit ei Christus Dominus vnà cùm aliis cælestis curiæ ciuibus, gratamque sibi fuisse oblatio-

nem factam demonstrans, eam sibi sponsam delegit, annulumque dedit. Dein, Doctorem gentium Paulum eius constituit magistrum; quo præceptore, quàm alta didicerit, nemo est qui dubitet; Multis, qui ad eam, ob difficillimas quæstiones accurrebant, ita illas enodabat, vt cœlesti doctrina illuminati recederent.

16. *In vita Beatæ Margaritæ Castellanæ.* Psalmos, cum esset idiota, doctissimè explicabat, ac si vnquam Theologiæ operam dedisset.

17. *Hermannus Carthus. sermon. 6.* In Campania Galliæ in quodam monasterio ordinis Cisterciensis fuit quædam Abbatissa, quæ sine vlla litterarum notitia artis grammaticæ, non solùm libros theologiæ, verùm etiam libros Augustini de Trinitate plenissimè intelligebat, & difficillimas quæstiones eorum lucidissimè exponebat, & hanc gratiam à Domino suis precibus impetrauerat.

18. *In vita Sanctæ Rosæ Peruanæ tertij Ordinis Sancti Dominici capit. 27.* Quanti cælestis sponsus castissimam Virginem Rosam diligeret, manifestè apparuit, cùm negligente ipsa, vt orationi impensius vacaret, litterarum studium, quibus à matre instruebatur, eaque propter ab eadem obiurgata, de repentè diuina edocente sapientia, legere, scribereque perfectissimè didicit.

19. *Antonius Dazza in vita Beatæ Ioannæ à Cruce cap. 15.* In extasim vi diuini amoris rapta Beata Ioanna, tàm profundè loquebatur de diuinis mysteriis, subtilissimasque quæstiones sacræ scripturæ, & Theologiæ explicabat, vt è quo fonte eas hauriret apprimè manifestaretur. Semel Inquisitor quidam zelo fidei diuinæ, audiens quæ de ipsa dicebantur, periculumque facere volens, an diuino loqueretur spiritu, ad eam extaticam accessit, eamque, vt solebat, diuina loquentem audiens, tanto affectus est stupore, vt genibus flexis, multasque profundens lachrymas, eam sic loquentem audire voluerit, & deindè nisi à Deo seruam suam illustrante, talem esse doctrinam confessus sit; consolatusque recesserit. Ne autem hoc, Futurorum notitiam fugeret, fecit diuinitùs Deus, vt monialis quædam, Maria Euangelista, quæ nec legere sciebat, nec scribere, in vnum librum, molis non exiguæ, omnia bellè describeret; hic liber compendium dicitur, continetque sermones septuaginta vnum, tandemque alia capita, summaque religione, vt par est, tamquam aliquid sacrum seruatur.

20. *In vita Beatæ Claræ de Monte Falco capit. 8.* Humilissima Virgo Clara, tanta gratia, sapientiaque à Deo ornata fuit, vt sæpè ad eam conuenirent Doctores, Prælati, & Episcopi, ad ediscendas difficillimarum quæstionum solutiones, quas illa dono haustæ è cœlo scientiæ facillimè elucidabat.

21. *Bozius de signis Eccles. libr. 9. capit. 13.* Rosuida in Saxonia nata in Gandesheimensi cænobio latinè scripsit, hortando Virgines sacras ad continentiam, & castitatem, in laudem Beatæ Mariæ Virginis elegiarum librum vnum, similiter in mortem Sancti Dionysij elegias aliquot, de Sancto Gandulpho, & aliis sanctis, aliaque plurima etiam Græcè. Elizabeth Abbatissa cœnobii Sconaugiensis multos edidit libros de vijs Dei, de vndecim millibus Virginibus, & alia. Gertrudis item opus plenissimum cœlestis doctrinæ, & suauitatis conscripsit. Mectildis insuper reliquit libros & ipsa diuinarum rerum mirabilissimos. Quæ omnes Virgines ex ordine Sancti Benedicti consecutæ sunt cælestem doctrinam, quam tradiderunt, precibus, & purissima Dei contemplatione, non humana industria, & ab vllo præceptore in terris edoctæ.

22. *In vita Ven. Vrsolinæ Parmensis.* In diuinis litteris, sacræque scripturæ, & Theologiæ arcanis, adeò mens Vrsolinæ illustrata fuit diuinitùs, vt quaslibet difficultates à Theologis, doctisque viris eidem propositas, faciliter enodaret, & de quouis, licet altissimo mysterio, apertissimè loqueretur.

23. *In vita Sanctæ Magdalenæ de Pazzis.* Quàm cælesti sapientia, sacra, mysticaque Theologia, mens, intellectusque perspicacissimus Sanctę Magdalenæ abundaret, eius indigitant opera, quę scripsit, dictauitque, cùm præcipuè in extasim rapta, de cælestibus diuinæ sapientiæ thesauris haurire quę loquebatur clarè, manifestèque apparebat.

24. *In vita Beatæ Catharinæ Bononiensis, ex ordine Sanctæ Claræ.* Cælestis lux, qua diuinitùs illuminabatur mens Beatæ Catharinæ, euidenter apparet in operibus spiritualibus, quas, dirigente Spiritu Sancto, doctissimè scripsit; in iis etenim summæ sapientiæ, diuinæque doctrinæ omnibus vitam spiritualem agentibus vtilissimæ, maxima elucent arcana, quæ ab hominibus haùd edoceri valent, sed ex solis diuinæ sapientiæ thesauris exhauriuntur.

25. *In vita Beatæ Angelæ Fulginatis.* Quas nunquam subtilissimis speculationibus penetrarunt Theologi de mysteriis Sanctissimæ Trinitatis, Incarnationis, & huiusmodi, quæ in sacra Theologia pertractantur, quæstiones: has B. Angela, à Deo edocta, acutissima mentis acie penetrabat, explicabatque summa cùm facilitate, adeò vt ea de his loquens, ceù Doctor è cathedra docens videretur.

26. *Ignatius de Nente in vita Venerab. Dominicæ de Paradiso.* Quàm sæpissimè apparens Vener. Dominicæ Christus Dominus, nec non Beata Virgo, cælestia mysteria eam docebant, arcanaque subtilissima sacræ Theologiæ, & Scripturæ illi aperiebant; adeò vt profundiùs quidam penetraret Dominica diuinitùs edocta, quàm studiosissimus Theologus longo studio, & labore.

27. *In actis Venerab. Vrsulæ Benincasæ.* Latinam linguam, licet nunquam didicerit, intelligebat, vndè libros spirituales latino idiomate conscriptos, legere consueuerat; multaque

que aliquandò de altissimis mysteriis profundè loquebatur.

28. *Franciscus à Sancta Maria in Historia Carmelit. tom. 1. lib. 4. cap. secund. de Venerab. Catharina de Cardona ex Discalceatis*. Dum adhùc esset puella, litterasque haud didicisset, officium tamen Beatæ Mariæ in Ecclesia, veluti ipsum recitatura vt cæteræ, deferebat; & quia legendi erat ignara, accidit quadam die, vt inuersum librum teneret; quod cùm animaduertisset illius amita, acerbè illam reprehendit, tantique hoc fecit puella, vt rubore perfusa, in Deumque fisa, Spiritum Sanctum, (cuius aduentus ea die celebrabatur solemnitas) rogauerit, vt qui donum linguarum Apostolis eadem die concesserat, & sibi legendi officium illud gratiam conferret: exaudiuit benignus Spiritus, statimque magna adstantium admiratione perfectissimè legendi obtinuit facultatem.

29. *Dominicus Maria Marchesius in vita Venerab. Sor. Mariæ Villanæ Ordinis Prædicatorum*. Tàm cælesti diuinæ sapientiæ lumine intellectus Venerab. Soror. Mariæ Villanæ illustratus fuit, vt subtiliora sacræ Theologiæ, rudis alioqui fœmina, intellexerit, quæque longo studio ex sacris codicibus non hausere acutissimi Theologi, ea, humilis Virgo diuinitùs edocta penetrauerit.

30. *In actis Sanctæ Birgittæ Viduæ*. A morte coniugis, nouas religiosè viuendi leges, viris, virginibusque scripsit, quas ipse Legislator Christus illi dictauit.

Finis Libri Quarti.

LIBER QVINTVS

De Admirandis circa Spectantia ad Religionem Orthodoxam, quam Catholicus sectatur Homo.

Ranarratis, quæ ad Hominem, & in ordine naturali consideratum, & ad supernaturalem eleuatum, spectant, Admirandis; modò stylo sese offerunt exaranda, quæ circa virtutes, illius animum, ceù stellas cælum, exornantes, singularia, & Admiranda, vel apparuere, vel adhùc extant; Quorum, cùm genuina, veraque Religio, quam catholici, veri Dei, veri adoratores profitentur, fundamentum sit, ideò de his, prout eamdem Orthodoxam Religionem, ad eàque spectantia respiciunt, erit sermo, ijsque veluti lapide Lydio probabitur, vera, genuinaque nostra Fides, & Religio, quæ tot virtutibus, & prodigijs, Deo propitio, consignatur.

CAPVT PRIMVM.

De Admirandis circa venerationem Sanctissimæ Crucis.

Cruces mirabiliter apparentes in aere.
§. 1.

T quæ priùs cunctis gentibus opprobrio erat Crux, Aris, & Templis, omniumque veneratione digna appareret, postquàm in ea, ceù in ara, consummatum fuit sacrificium, quo Deus humano generi est reconciliatus, Cælum ipsum, luce, syderibusque eam delineatam persæpè mortalibus adorandam repræsentauit; sic etenim coruscantibus caracteribus, igneisq. linguis didicere & infideles, eam venerandam, summaque prosequendam reuerentia. De his.

1. *Socrates in Hist. Ecclesiastica lib. 1. cap. 1. de Imper. Constantino.* Pius Imperator circiter meridiem, die aliquantulùm in pomeridianum tempus inclinante, columnam lucis in cælo, effigiem Crucis radiis mirè exprimentem vidit, in qua litteræ inerant, ista verba complectentes. *In hoc Vince.* Quod quidem signum iam visum, sic Imper. obstupefecit; vt sui ipsius oculis propèmodùm diffidens, ab illis, qui vnà aderant sciscitatus sit, nùm ipsi etiam fuissent eiusdem visionis facti participes. Quod cùm vno ore omnes ad vnum affirmassent, fluctuans Imperatoris mens, diuino illo, & admirabili viso fuit admodùm confirmata. Nocte verò sequenti, secundùm quietem vidit Christum, qui sic illum affatur: Crucis effigiem ad exemplar illius signi, quod tibi apparuerit, fabricare: eaque, tanquam Insigni quodam ad victoriam valdè accommodato, contra hostes vtere. Hic ergo Christi oraculo obsequens, Insigne Crucis, quod adhùc custoditur in palatio, construendum curat; quo fretus, maiore cùm animi alacritate ad res gerendas se confert. Hac admirabili Crucis apparitione iterùm, atque iterùm confirmatus est Constantinus, adque hostes debellandos roboratus, vt referunt Glycas 4. par. annal. & Niceph. libr. 7. cap. 49.

2. *Surius 7. Maij.* Temporibus S. Cyrilli Episcopi Hierosolymorum, & Constantii Imper. sanctis diebus Pentecostes, nonis Maii, circa tertiam diei horam, ingentis magnitudinis Crux, quæ tota ex luce constabat, supra sanctissimum *Golgotha* locum vsque ad sanctum montem Oliuarum *extensa in cælo* apparuit, non vni, aut duobus *hominibus*, sed ab vniuersa vrbis illius multitudine manifestissimè visa, pluribusq. horis supra terram spectantibus oculis obseruata est.

3. *Cedrenus.* Tertio Iuliani Imperatoris anno, Hierosolymis lucida Crux apparuit, cincta lucida corona, à Golgotha vsque ad montem Oliueti pertingens, splendidior quàm sub Constantio.

4. *S. Greg. Nazianz. orat. 2. contra Iulian.* Apparuit Crux in Cœlo quando Iulianus Apostata Iudæis, Hierosolymitani templi exædificandi potestatem fecit, odio in Christianos impulsus.

5. *Cedrenus in Comp. Hist.* Secundo anno Imperii Constantini Copronimi, Crux apparuit admirabilis.

6. *Alphonsus Ciaconius de signo Crucis cap. 4.* Anno Christi 778. Pontificatus Leonis IV. Papæ, primo, signum rubeum dominicæ Crucis, & multæ in cœlo hastæ apparuerunt. Secuta Caroli Magni in Agarenos Hispaniam occupantes expeditio.

7. *Idem cap. 5.* Anno Christi 819. Hungus Pictorum Rex anno sui principatus VI. aduersùs Athelstanum Anglorum Regem prælium periculosum, & valdè dubium initurus, Sanctum Apostolum Christi Andream, in cuius Pictica, Scoticaque gens tutela erat, frequentibus suspiriis & lachrymis, vt propitius, & auxiliaris sibi esset, precabatur.

batur. Extemplò astans Apostolus Regi in soporem soluto, plurimam, ait, spem in diuina locaret ope; fore, vt gloriosam de Anglis postera die assequeretur victoriam. Accidit mox mirum; super Pictorum castra lucida cælo apparuit crux, illius instar, qua Apostolus Andreas pro Christi nomine, supplicio olim fuerat affectus. Hanc Apostolus ipsi Hungo ostendit, addiditque, id ostentum ante pactam victoriam haùd cælo defuturum. Re exercitui ostensa, alacris pugnam inijt, & subsidium ferente Deo ad preces Apostoli, Athelstanus Saxonum Occidentalium in Anglia Rex in eo prælio occubuit, copiæ eius profligatæ, & ad internecionem vsque cæsæ sunt. Nudatis mox pedibus Rex cùm suis militibus in proximam sacram ædem concedunt, gratias de parta victoria, Deo, & eius Apostolo Andreæ acturi. Pollicentur, Hungo auctore, se suamque posteritatem signo crucis S. Andreæ, quoties bellum gererent, & cùm hoste congrederentur, pro insigni deinceps vsuros, vt tam insignis victoriæ partæ diuinitùs, gratam semper recordationem haberetur. Mansit Pictis, & post eos deletos, Scotis hoc institutum perpetuum.

8. *Idem cap.* 15. Anno Domini 1157. Pontificatus Adriani IV. Papæ tertio, Friderici I. Imperatoris, cognomento Ænobarbi, vulgò Barbarossę, quinto crucis figura in Luna publicè visa est; quę non obscurè significauit, Imperatoriam potentiam aduersùs Catholicam Ecclesiam, & eos, qui illi vniuersaliter præsunt, Romanos Pontifices dimicaturam.

9. *Idem cap.* 4. Ricardus primus, Henrici filius, Anglorum Rex, anno 1189. & Regni sui primo, iter aliquandò agens, sereno cœlo ad Dumstablum Vicum, medio die, vidit, quæ ei apparuerat, crucem, & in ea imaginem hominis pendentis. Quo ostenso, Rex rei benè gerendæ spem concipiens animo, confestim florentissimum exercitum conscribens, in Normanniam profectus est, & indè per Siciliam ad Palestinam in subsidium terræ Sanctæ traiecit, admonitus crucis signo ad eam expeditionem suscipiendam, in qua gloriæ suæ immortali consuluit, & Deum eo obsequio deuinxit.

10. *Idem cap.* 19. Anno salutis 1217. Crux prædicabatur in diœcesis Coloniensis pago, quem vulgò *Bedonfrifion* vocant: ibi mense Maio feria sexta ante Pentecostem, tres cruces visebantur in aere; vna candida versùs Aquilonem, altera eiusdem coloris ad Austrum, tertia colore medio, in qua cernebatur suspensi hominis effigies, extensis brachiis, & capite inclinato, atque in manus & pedes eius adacti claui: eaque medium tenebat inter alias locum, in qua illa cernebatur hominis figura. Alio tempore in Enchusen Frisiæ oppido, cùm illic prædicaretur crux, alia crucis figura iuxta Solē apparuit, colore cæruleo, quam multi viderunt. In Traiectensi quoq. diœcesi in Doccum, vbi S. Bonifacius martyr trucidatus fuit, crux visa est in eiusdem martyris festo die, ingens sanè, & albi coloris; perindè ac si trabi, altera trabs transuersim artificiosè impacta esset. Creduntur autem bis apparuisse cruces, ne quis ambigeret de prima apparitione.

11. *Idem cap.* 6. Garciæ Ximenio primo Nauarrorum Regi, Crucem de cęlo super virentem quercum ostensam fuisse, quam postea in suo clypeo, vexillis militaribus, & supellectili domestica adhibuisse, annales Hispanici produnt; idemque accidisse, referunt Ignigo Aristæ primo Aragonensium Regi, quam etiam pro insigni vsurpauit; qui huius virtute, & potentia multas barbarorum acies fuderunt.

12. *Idem cap.* 6. An. Dom. 1335. ad Lucentum oppidum Regni Valentini, vbi quondam miraculum accidit de formis Eucharisticis sanguinem stillantibus, quæ Darocæ hodiè asseruantur; feria sexta, & Iulii die itidem sexto, meridie, sereno cœlo, Crux splendidissima ostensa in cacumine montis, longitudine quinquaginta vlnarum, latitudine vigintiquinque, crassitudine quatuor palmorum, pro vt aspicientes poterant iudicare, conspecta fuit sole fulgentior, non solùm à proximè astantibus, sed & à finitimis populis. Ex quo ille locus non solùm antiquo mysterio, sed crucis etiam apparitione deinceps cæpit esse illustris; ibique Cœnobium ord. Prædicatorum constructum est.

13. *Idem cap.* 25. Anno Christi 1558. in insula Iaponensi, Bonzius quidam idolorum sacerdos, tanto odio in Christianos exarserat, vt eius hortatu multi Gentilium ad seditionem aduersùs eosdem excitandam adeò fuerint inducti, vt crucem Christi in cæmiterio positam, audacter effregerint. Deus autem nihil illorum sceleribus commotus, sed antiquarum miserationum recordatus, pro flammis, atque fulminibus, quæ sacrilegos exurerent, signa misit è cœlo ad eorum tenebras effugandas perquàm clara, & illustria. Etenim in media aeris regione species crucis, aliaque prodigia valdè conspicua apparuerunt.

14. *Idem cap.* 43. An. 1567. die 16. Iannuarii in Scythia, Tartaria popolariter appellata, Theodosia vrbe ad Bosphorum, ceù manis Euxinum mare sita, Caffa nunc dicta, die 28. Iannuarii hora 4. noctis, Crux splendens supra Lunam cauam, qualis esse solet, quæ à Turcis pro insigni vsurpatur, apparuit: supra crucem Stella emicuit, & ad auroram vsque spledidissima perdurauit.

15. *Idem c.* 26. An. Domini 1591. 9. Kal. Maii, hoc est die 23. Aprilis, natali S. Georgii m. inter horam vigesimam primam, & vigesimam secundam, in Anglia, comitatu Nortfolciæ, circulus magnus in cęlo apparuit cùm aliis duobus minoribus, & tres soles, quorum medius lucidior, & splendidior erat, alii duo obtusioris lucis, sed talis, quę posset mediæ noctis tenebras illuminare. Solem medium, circulus minor versùs Occidentem ambiebat, maiorem secans. Maior alium circulum continebat, in cuius medio crux similis illi apparebat, in qua S. Andreas Apostolus suffixus, mortem pro Christo subiit; hinc Septentrionem, illinc Meridiem prospectans. Ex aduerso Solis medii, opposita circuli maioris portione Orientem versus, crux alia S. Andreæ ingentior priori se ostendebat, brachia duodecim, vt videbatur, longa, medium circulum veluti diuidens. Circulus maior hemisphærium cingebat latitudine, qua solet apparere

arcus

arcus cælestis. Duo alii circuli, & duæ cruces Sanctandreanæ albæ erant in pallorem quemdam desinentes. Hæc signa diuinitùs in cælo ostensa, clarè visa ab iis, qui Nordouici, vrbe Comitatus Nortfolciæ, vel finitimis locis adfuerunt. Quidam tamen intentiùs contemplantes tres Soles, & circulum maiorem, crucem mediam non animaduerterunt, nec circulum minorem: sed à plurimis tamen conspecta, & considerata fuere, qui multis ad Londinenses litteris scriptis, hæc eadem testati sunt.

16. *Idem c.16.* Dùm Albuquercius in explorandis Indicis regionibus nauigaret; ad Solē occidentem, qua Regis Abyssinorum imperium est, purpureæ crucis in cœlo signum præfulgens aliquandò apparuit; quo viso, Lusitani omnes venerabundi procubuere, sanctamque Crucem summa animi deuotione adorauere; dein candida nubes, conditam crucem, sine fine defixis in cęlum oculis Lusitanorum eripuit.

17. *Rogerius apud Baron. an. 1188. de congressu Regum Franciæ, & Anglorum.* Accepto colloquio inter Reges Anglię, & Franciæ, inter Gisortium, & Trie, duodecimo Kalen. Februarii, die S. Agnetis Virg. & mart. conuenerunt illùc cùm Archiepiscopis, & Episcopis, & Comitibus, & Baronibus Regnorum suorum. Cui colloquio interfuit Archiepiscopus Tyri, qui repletus spiritu sapientiæ, & intellectus, miro modo prædicauit verbum Domini coràm Regibus, & Principibus, & conuertit corda eorum ad crucem capiendam, & qui priùs hostes erant, illo prædicante, & Deo cooperante, facti sunt amici in illa die, & de manu eius crucem receperunt; & in eadem hora apparuit supra eos signum crucis in cœlo. Quo viso miraculo, plures cateruatim ruebant ad susceptionem crucis. Prædicti verò Reges in susceptione crucis ad cognoscendam gentem suam, signum euidens sibi, & suis prouiderunt. Rex namque Franciæ, & gens sua susceperunt cruces rubeas, & Rex Angliæ cùm gente sua suscepit cruces albas, & Philippus Comes Flandriæ cùm gente sua suscepit cruces virides; & sic vnusquisque ad prouidendum sibi, & itineri suo necessaria reuersus est in regionem suam.

18. *Spondanus an. 1517. num. 5.* Hoc eodem anno in festo Natiuitatis Domini, in Saxonia circa cænobium Viuariense, media nocte cęlo sereno Crux punicei coloris in cœlo visa est. Tanquam voluisset Dominus mortales ea regione vbi Lutherana hęresis exoriebatur admonere, constantes perseuerare in fide crucis, quam hic impostor deprimere aggrediebatur, & in eius auxilio fiduciam collocare.

19. *Idem an 1545. num. 19.* Ingens prodigium refert hoc anno Historia Polonica Neugebaueri. Videlicet, in fine Aprilis manè circa horam octauā, primò horrendum tonitru auditum esse, quo Incolę in stuporem dati: post, tres rubeas Cruces Orientem versùs apparuisse, duas iuxtim se positas, tertiam subtùs, in medio virum armatum cùm gladio ignito, contra quem exercitus instructus peditatu, equitatuque progressus, cùm eo ad meridiem vsque dimicauit. Eo vincente, omnes disparuisse copias, solùmque armatum inter cruces substitisse, tamquam victorem, & triumphatorem. A tergo immanem draconem adortum esse, victorem & ipsum atque arma absorpsisse, simulque Cruces euanuisse: indè totum cęlum duabus ampliùs horis ignitum visum esse; demùmque tenebras densissimas incubuisse vsque ad sequentis diei nonam antemeridianam: tandem cælo sereno facto, tres Irides amænissimas supra se positas conspectas, quibus Angeli species insedit aspectu iucundissimo, & ampliùs horam videndum se præbuisse: ad extremum omnia discessisse, tempestatemque serenam subsequutam esse.

20. *Crantzius lib. 8. Vuandaliæ cap. 27. an. 1335* Prodigium tùm visum ferunt supra oppidum Prinslauiæ. Nocte intempesta S. Thomæ Apostoli visa est Crux sublimi cælo, ad caput oppidi memorati, longitudine pedum quadraginta, colore cælesti ad lasurium. Visum est portendere Marchioni illum maximum, qui per eam tùm prouinciam excitabatur, tumultum.

21. *Bzouius an. 1212. num. 23.* Quadam die dominica prędicante Abbate Bonæ uallis Cistercienſis ordinis in Ecclesia Castri S. Marcelli, magna pars populi extra Ecclesiam consistebat, eo quòd locus minor esset, quàm vt omnes reciperet. Ad finem concionis cùm Abbas vehementer auditores ad suscipiendum contra Albigenses crucem hortaretur, subitò in aere ingens Crux apparuit, quæ incedere versùs Tolosam videbatur.

22. *Illescas in Hist. Pontif. part. 2. lib. 6. cap. 18.* Cùm anno 1479. à Mahomete ingenti classe Rhodium obsideretur, iamque ad extrema deuenisset, apparuit in aere crux colorata, *simulque B. Virgo*, Sanctusque Ioannes Baptista, *qui lanceas in inimicos vibrantes*, aufugere, *obsidionemque relinquere* conati sunt, post mortem nouem millia militum & plùs quàm quinque millia vulneratorum.

23. *Odoricus in an. Eccles. an. 1414.* Castellę hoc anno dùm à quodā concionatore ordinis Minorum sermo haberetur de Sac. Eucharistia *in oppido* nuncupato Godoloiara, Crux candida vt nix in aere apparuit, quo prodigio centum, & viginti hebræi sanctam fidem susceperunt.

24. *Idem an. 1227.* Quo tempore gerebantur arma pro recuperatione terrę sanctę, nocte S. Ioannis Baptistæ in cœlo apparuit crux, in eaque Crucifixus Dominus sanguinem è vulneribus emittens.

25. *B. Prosper lib. de promission. diuinis part. 3. cap. 34.* Tempore Arcadii Imperatoris, cùm is bellum contra Persas pro fide suscepisset, Crux in aere apparuit; atque in eo bello cæleste auxilium sensit.

26. *In m. s. s.* Dùm an. Domini 1441. die 19. Aprilis in Ecclesia S. Anastasiæ Veronæ, solemnis celebraretur missa, in qua benedicta fuerunt vexilla Co. Francisci Sfortiæ Generalis Ducis in fædere Summi Pontificis, Venetorum, & Florentinorum, contra Philippum Mariam Vicecomitem, Mediolanensem Ducem; omnibus cernentibus apparuit in

in summitate Ecclesiæ magna crux longitudinis quinque pedum, quæ toto tempore missæ ab omni populo visa fuit, posteaque disparuit.

27. *Nicephorus lib. 8. sub finem.* Paulò antequam Andronicus iunior, Constantinopolim ingrederetur, dùm Sol in ipso meridie versaretur; in occidente per longum cæli spatium nubes crucis imagine apparuit, ex albo, & nigro colore velut contemperata.

28. *Abb. Vrspergensis in Chron. vbi agit de morte Balduini Hierosolymorum Regis.* Valdè manè Dominicæ Resurrectionis die, cælum à parte meridiana apertum, tantam lucis effudit abundantiam, vt Lunæ, quæ tunc clarissima nimirùm videbatur, lumen inæstimabili fulgore detegeret; & per vnam, vel ampliùs horam, omni Solis luce clarior permaneret. Ipso tamen spatio crux non modica per idem foramen dependens apparuit, cuius tàm auri, quàm gemmarum varietas euidenter discerni potuit.

29. *Crantzius lib. 8. Saxon. capit.* 30. Cùm Rudulphus primus, Habspurgius, coronaretur Aquisgrani, visa est aurea crux super Ecclesiam S.S. Virginis, in qua ministerium coronationis implebatur.

30. *Godefridus Monachus ann.* 1188. Quidam dicebant in plenilunio tres Lunas se simul vidisse vna nocte cùm alba macula, & signo crucis transeunte per medium.

31. *In Chronico Eluuacensi an. Domini* 1221. Crux præclari coloris, & proceræ magnitudinis in cælo ab hora tertia, vsque post horam nonam, Kal. Maii apparuit.

32. *Siffridus Misnensis.* Anno 1154. Tres Lunæ in cęlo visæ sunt, & in media, signum Crucis.

33. *Cantipratanus lib. 2. Apum cap.* 3. Ego fidelium nouissimus, antequam piissimus Ludouicus Francorum Rex, anno ab Incarnatione 1246. Crucem transmarinam susciperet, Crucem in cælo ex clarissimo, & sydereo lumine vidi: nec recolo me decentiùs, & operosiùs formatam crucem vnquam sub aliqua materia, vel figura vidisse.

34. *In vita S. Annonis Archiepiscopi.* Antequam S. Annon templum ad honorem S. Michaelis Archangeli in monte Sigebergensi ædificaret, signum Crucis cęlo contiguum, quasi dependens vertici eiusdem montis imminere, à populo confluente obseruatum est.

35. *Surius to. 3. in actis S.S. Ioannis, & Pauli.* Gallicanus sub Constantino magno, cùm à Scythis circumuentus esset, nec quò se verteret, satis perspectum haberet; hoc consilii accepit, vt se Christianam Religionem amplexurum voueret: Hoc voto nuncupato, apparuit illi iuuenis statura excelsus, ferens in humero crucem, & dicens: sume gladium, & sequere me, &c.

36. *Idem tom. 4.* Neanias Martyr sub Diocletiano, cùm ethnica superstitione ebrius, Christianos euersum iret, non procùl Apamea, apparuit ei Crux crystallo similis, voxque de Cruce exiit dicens: Ego sum Iesus Crucifixus, Dei filius, &c. Hęc cùm dixisset Dominus, & diuino gaudio implesset animum Neaniæ, ascendit in cælos: in hoc, dicens signo, quod tibi apparuit, vince hostes, & pax mea erit tecùm.

37. *Bozius de Signis Eccles. libr. 8. cap. 7.* Anno 1112. in prælio, cui Rodericus Toletanus interfuit, & in quo cæsa Mahometarum ducenta millia fuere, è nostris verò desiderati solùm viginti quinque, Crux Christi dicitur apparuisse in aere.

38. *Sab. lib. 1. cap.* 4. An. 1300. 14. Kal. Martii, in Italia, Crux in luna apparuit. Hugutio Fagiolanus, Pisanarum copiarum ductor, Maio proximo, Pisarum, Lucæq. imperium inuasit.

39. *Idem ibidem.* Priusquàm Fridericus primus Imperator, cùm Alexandro III. Pontifice ad bellum descendit, clarè effigiata in ipsa Luna Crux in eius medio apparuit.

40. *Vrspergensis in Chronico, vbi agit de disperso, & caso Godescalchi exercitu Hierosolymam tendente.* Paucissimi qui remanserat adhùc testari solent, quòd Crucis signum super se cælitùs apparens, ab imminente eos nece liberauit.

41. *Cæsarius lib. 10. cap. 40.* Retulit mihi quædam fęmina religiosa hoc anno, quòd modico tempore ante Crucis prædicationem in villa quæ Hellendorp dicitur, non multùm distans à Colonia, post Solis occasum, duas Cruces viderit in aere, vnam maiorem, alteram minorem, quæ paulatim ab occidente mouebantur ad orientem. Volens tanti miraculi habere testes, quosdam aduocauit, qui, & ipsi viderunt.

42. *Idem li. 8. cap. 17.* Duo monachi, simùl vice quadam, & hora completorii Deo suæ seruitutis pensum persoluebant: dicto completorio, respiciens vnus ad cęlum, vidit in sublimi Crucem splendidam, & in ea Dominum Crucifixum. Erat autem crux illa adeò splendida, vt ab ipso splendore se se inuicem contuerentur clarissimè; nàm aliàs tenebræ erant super faciem terræ, erat enim hyemis tempus.

43. *Linturnius in appendice ad Fasciculum Temporum.* Anno 1501. circa principium Quadragesimæ apparuit crux rubra magna cùm corona regali, manè circa Solem.

44. *Spondanus in ann. Eccles. an. 1544. num. 23.* Quidam Rex Insulę Ceilani, audita multorum è suis subditis conuersione ad fidem Christi opera cuiusdam mercatoris Lusitani; cùm esset idolis ad insaniam deditus, insitam ingenio feritatem nouellos in Christianos exercuit, immisseque satellite, circa septingentos occidit. Inter quos fuit etiam proprius ipsius filius natu maior. Ad cuius sepulchrum apparens crux eius longitudinis fabrefacta, quam nunquam Gentiles, & Saraceni, id maxime conantes sæpè ingesta humo, opprimere, aut delere potuerunt; aliaque desuper in cœlo ignea, quamplurimos iis prodigiis commotos, ad parem Christianismi susceptionem induxerunt. In quibus Regis filius minor, qui patris furorem deuitans, Goam clàm se recepit cùm multis aliis.

45. *In Hist. Antiquitat. Lusitaniæ lib.* 4. Cùm esset Alphonsus Portugalliæ Rex cùm exercitu in terris vltra Tagum, in Agro Auriquio, vt pugnaret

ret cùm Ismaele, & aliis quatuor Regibus Maurorum habentibus secùm infinita millia; gensque Regis esset fatigata, & multùm tristis, in tantùm vt multi dicerent, temerarium esse inire bellum; apparuit illi in splendidissima luce versùs orientem Christus Iesus in miræ magnitudinis Cruce extensus, qui suaui vocis sono dixit: Confide Alphonse, non solùm enim hoc certamen vinces, sed omnia alia, in quibus contra inimicos crucis pugnaueris: volo enim in te, & semine tuo imperium mihi stabilire, vt deferatur nomen meum in exteras gentes: & vt agnoscant successores tui datorem Regni, Insigne tuum, ex pretio, quo ego humanum genus emi, & ex eo quo à Iudæis emptus sum, compones; & erit mihi Regnum sanctificatum, fide purum, & pietate dilectum. Quibus dictis, disparuit, posteraque die insignem victoriam de Mauris deportauit. Iussitque, & præcepit successoribus suis in perpetuum futuris, vt scuta quinque, in cruce partita propter crucem, & quinque vulnera Christi in Insigne ferrent, & in vnoquoque, triginta argenteos, & super, Serpentem Moysis ob Christi figuram.

46. *Ex litteris Iaponicis anno* 1599. Dùm insanirent Iaponii in noui sui Cami cultu; Christo Domino placuit, ipsorum stultitiæ nouum opponere signum, quo magis suæ fœditatis idololatras puderet. Giateusciri (locus est in ea Regni Tingi ora, quam habet Augustinus Tzunocamindonus, in quo supra diximus, multos Baptismo initiatos) crux in cæmeterio à Christianis fixa, ad quam ipsi orandi causa conuenire solent, puerulo inter orandum est splendere visa: à quo cùm alii, qui vnà orabant, hac de re monerentur, & ipsis variæ res circa crucem apparebant, cuius rei famam postquàm Giateuscirum, & vicina loca peragrasset, mirum est quanta mortalium vis eò confluxerit, vt rem tàm insolitam oculis viderent suis. Ex vrbe Arima non pauci, cùm nobiles, tùm plebei, ad idem spectaculum accurrerunt. Multi cùm primùm ad locum accederent, vnicam cernebant crucem, postquàm verò paululùm temporis orationi tribuissent, multæ antè, & ponè, à dextris, & sinistris ipsius crucis, quæ stabilis, & fixa permanet, videndæ offerebantur, idque non modò interdiù, sed & nocturno tempore, ita tamen vt nonnunquam cruces omnes viderentur magnitudine inter se pares, & aliquandò aliæ aliis longiores. Ostenti huius causam nouit Deus, effecta verò Iaponis perspecta sunt satis: quorum plurimi, rei nouitate moti, de ante actæ vitæ peccatis vehementer dolent, doloremque suum vberrimis testantur lachrymis, ac pro erratorum suorum emendanda serie laborant. Ex Gentilibus item non pauci, qui rei huius admirandę spectatores fuerunt, ad Christianam Religionem animum apulerunt.

47. *Macarius hom.* 8. Quibusdam orantibus hæc gratia obtigit, vt appareret illis signum crucis, quo ad amorem Dei, suaui sensu excitarentur.

48. *Cyrillus in vita S. Ioannis Silentiarij*. Cùm vna nocte S. Pater in fundendis ad Deum precibus versaretur, impluuium cœlum aspiciens, vidit repentè Stellam lucis, quæ habebat figuram crucis, & ad ipsum veniebat, & audiuit vocem ex illa dicentem; si vis esse saluus, sequere lucem. Is autem cùm credidisset, protinùs est egressus, & illam lucem secutus, venit in maximam *Lauram* S. Patris Sabæ.

49. *In actis S. Gregorij Episcopi in Armenia ap. Baron. ann.* 311. Cùm S. Gregorius plurimos baptizaret in Euphrate: eius retinebatur fluentum, & videbatur columna lucis tanquam super basim posita super aquas, simùl autem cùm ea crux oriebatur in capite, &c.

50. *In actis S. Euphemiæ marty.* Oranti illi, apparet super eius caput signum illud, quod Christiani adorare, ac appingere solemne habent: pctoque appetentis passionis symbolum.

51. *Surius in vita S. Humberti Confess. in Hannonia 6. Sept.* Beatus Humbertus Romam peregrinationem semel arripuerat, vbi cùm in oratorio beati Petri orationi diù incumberet; *ecce Angelus* ei de cœlo adstitit, & super *verticem illius* signum Dominicæ crucis expressit, multis fidelibus hoc cernentibus. Cùm verò visendi desiderio beatum Amandum ad Gallias properaret, Angelus Domini eidem sancto Amando assistens, dixit: Dilectum Domini Humbertum noueris te visitatum aduenire, cui tu occurrens, contemplare cuius signum gestat in capite, & illius hostiam *fore scias*. Nec mora, beatus Dei sacerdos procedens in occursum beati Humberti, vidit super caput illius radiantem Dominicæ crucis speciem incredibili fulgore coruscare, & præmissa oratione, corruit ad genua eius, eum colligens hospitio cùm gaudio spirituali.

52. *Th. à Kempis in vita Florentij c.* 21. Quidam ex nouellis plantationibus domini *Florentii* discipulus deuotus, quodam nocte *insolita visione* perterritus, expauit totus in *principio, sed in fine* lætificatus est mira Dei pietate. Cùmque in stratu suo quiesceret, ecce ventus ab aquilone validus nimis, & tempestas sæuissima veniebat, totam concutere terram, quasi iàm instaret dies extremi iudicii omni carni metuenda. Pauefactus ergo horrenda tempestate, cępit iuuenis ille cogitare quònam fugeret, & quò diuerteret à facie formidinis Domini. Deprehensus itaque inter angustias, aspexit sursùm in cælum, & ecce signum crucis euidens in aere apparuit, salutis humanæ auctorem repræsentans. Videns ergo hanc sanctam imaginem crucifixi expansis manibus, & confixis clauis in aere pendentem, cuius radiis illuminabatur orbis, iam tempestas illa cessabat. Et crux vltra procedebat vsque dùm staret supra domum domini Florentii, in qua habitabant sanctæ crucis serui, & veri contemptores mundi.

53. *Surius in vita S. Lamberti* 17. *Septembris*. Cùm S. Lambertus Episcopus Tungrensis iam martyrio propinquus esset, apparuit crux super ædes eius, quam & ipsi hostes viderunt.

54. *In Martyrologio Romano* 14. *Iulij*. Romæ Sancti Iusti militis sub Claudio Tribuno, qui apparente sibi diuinitùs Cruce, credidit in Christum, & mox baptizatus, & martyrio coronatus est.

55. *In*

55. *In vita S. Eligij Episcopi Nouiomensis, cap.* 33. Postquam S. Episcopus reddidit spiritum, confestim visa est ex illis ædibus lux ingens, & valdè corusca sursùm ascendere, atque inter mirantium obtutus sphæra ignea, crucis in se effigiem præferens, perniciter admodùm per densas nubes in cælum penetrare.

56. *Gretserus de Cruce tom. 1. libr. 3. capit. 7.* Super loculum magni Danielis Stylitæ tres stellatæ cruces splendore coruscantes admirabili apparuerunt.

57. *Surius 17. Septembris, in vita Sanctæ Hildegardis Abbatissæ.* Deus, cuius meriti apud se esset Hildegardis, in transitu suo euidenter declarauit. Nàm supra habitaculum, in quo S. Virgo primo crepusculo noctis Dominicæ diei, felicem animam Deo reddidit, duo lucidissimi, & diuersi coloris arcus in firmamento apparuerunt, qui ad magnitudinem magnæ plateæ se dilatauerunt, in quatuor partes terræ se extendentes, quorum alter ab aquilone ad austrum, alter ab oriente ad occidentem procedebant. At in summitate, vbi hi duo arcus iungebantur, clara lux ad quantitatem lunaris circuli emergebat, quæ latè se protendens, tenebras noctis ab habitaculo depellere videbatur. In hac luce, crux rutilans visa est, primùm parua, sed crescendo posteà immensa, circa quam innumerabiles varii coloris circuli, in quibus singulis, singulæ rutilantes Cruciculæ oriebantur cùm circulis suis, priore tamen minores conspiciebantur. Et cùm hæ in firmamento se dilatassent, latitudine sua ad orientem magis pertingebant, & ad terram versùs domum, in qua S. Virgo transierat, declinare visæ, totum montem clarificabant. Et credendum quòd hoc signo Deus ostendit, quanta claritate dilectam suam in cælestibus illustrauerit.

58. *In actis S. Eusebia, siue Xena Virgin. apud Boll. 24. Ian.* Cùm Sancta Virgo spiritum reddidisset, ipsa meridie, sudo aere, apparuit in cœlo corona ex Stellis contexta, in cuius medio crux erat, omnesque id portentum viderunt. Cùm igitur Ciues vnà cùm Sancto Episcopo Paulo adhùc in Leuce vico essent, & hoc in cœlo prodigium cerneretur, omnesque mirarentur, & quærerent, quid sibi id vellet; cognoscens in spiritu S. Episcopus Paulus, dixit ad vniuersam multitudinem. Domina Xene obdormiuit; & post pauca accedens S. Episcopus, feretro humeros subiecit, vnàque presbyteri; ac feretrum portantes, multis accensis luminibus, Deo laudem accinentes, produxere reliquias, & cùm feretro in media vrbis platea collocarunt: viditque vniuersa multitudo, vt proferebatur feretrum, supernè coronam consequi, crucemque in cælo apparentem: vt verò depositum feretrum, constitit suprà illud, crux, ac corona.

59. *Cardinalis Aliacensis apud Odericum ann. 1295. num. 15. de Sancto Petro Cælestino.* Quidam milites, qui eum custodiebant in carcere, tàm Papæ, quam aliis retulerunt, quòd à feria sexta, vsque ad horam mortis eius, viderunt ante ianuam camerulæ eius crucem coloris aurei, non affixam alicubi, sed mirabiliter pendentem in aere; quo miraculoso crucis signo patenter ostensum est, pœnitentiam, quam ille per carnis mortificationem iugiter portauerat, Domino placuisse.

60. *Patrus Malpaus in Palma fidei, de Reginaldo de Piperno. m.* Captus à Mauris, eorundem Coryphæo præsentatur. Coronatur spinis. Ad Crucem orat, affigitur cruci capite in terram verso, quinque dies in cruce prædicat, acutisque arundinibus percutitur, morienti aurea in nube crux apparet; post mortem eius permoti miraculo, quadringenti Agareni in ciuitate Massea Baptismatis Sacramento initiantur.

61. *Idem ibidem de martyribus pluribus, Tolosæ Martyrium passis.* Horum martyrium nocte signis de cœlo clarificare non destitit Deus, luminaribus, crucibusque ostensis super eos in æthere.

62. *Alphonsus Ciaconus de signo Crucis cap. 20.* Anno Dominij 1236. Pontificatus Gregorij Papæ IX. & XXV. Friderici II. Imperatoris, B. Iordanus Saxo, successor S. Dominici in magisterio, & præfectura ord. Prædicatorum, vir sicut & impensè doctus, ita sanctitate, & miraculis clarissimus, summo desiderio tentus inuisendi, & adorandi loca sancta, & visitandi monasteria, quæ in Palæstina sub sua cura habebat; è Germania profectus, nauem in Italia conscendit, quæ antequam ad portum appelleret propè Acconem vi tempestatis scopulis allidens, confracta est; & ipse cùm duobus sociis pelago submersus, & nonaginta pariter hominibus aliis, qui eadem naui vehebantur. Plerique, qui ex illo naufragio incolumes euaserunt, & propriis manibus B. Iordanũ, & duos eius socios sepulturę tradiderunt, testati sunt, quandiù corpora fuerunt eorum inhumata, luminaria de cœlo super eadem visa fuisse noctibus illucescere; sed & cruces multæ à plerisq. conspectæ supra eorundem cadauera.

63. *Surius tom. 6.* Cùm milites Ardaburii Ariani potentissimi, S. Marcelli monasterium obsiderent, & expugnare summa ope contenderent, apparuit illis aduersaria non phalanx quidem, sed diuina quædam, & cælestis potentia in orbem ab igne circumscripta, & arma inexpugnabilia, nempè crucis Christi imaginem in medio ferens, longè magis refulgentem, quàm ignis, qui erat circùm circa. Hæc ergo terribilis potentia, quę apparuerat, ex ipso fastigio monasterii emittebat grauia tela aduersùs milites, quæ quidem erant fulgura intolerabilia, quibus cùm non solùm resistere, sed nec ea quidem contra intueri possent, gladios in terram proiecerunt, & ipsi ceciderunt, & voces ad Deum placandum accomodatas, pro vt quisque poterat, emittebat.

64. *Maffeus libr. 4. Hist. Indic.* In difficillima Goæ expugnatione, periculosissimaque, notum est, hostes victos requisiuisse, quisnam esset egregius ille Dux, punicea cruce, & fulgentibus armis insignis, qui tantam edidisset stragem, ac Mahometanas phalanges, Christianorum paucitati cedere coegisset.

65. *Glaber. libr. 2. Hist. cap. 9.* Vulferio oblata est apparitio quædam, qua vidit agmen virorum in vestibus niueis, & purpureis stolis, quos præcedebat

Q

debat quidam crucem manu gestans.

66. *In vita Beati Turibij Alphonsi Mogrouej Archiepiscopi Limensis capit.* 18. Cùm defunctus esset Beatus Archiepiscopus extrà propriam ciuitatem, Diæcesim dùm visitaret ann. 1606. eodem tempore, & eo loco, quo obiit, & super ciuitatem Limensem, crux rubea, & resplendens apparuit, quæ ab omnibus fuit visa; multique ex eius apparitione, mortem Archiepiscopi designari credidere; quorum opinionem confirmauit paulò post nuncium de illius morte.

Aliqua huiusmodi notata fuere in 1.tom. Alia etiam notabuntur cùm de Apparitionibus Sanctorum lib. 8. cap. 1. §. 3.

Cruces in Vestibus cælitùs impressæ.
§. 2.

ETiam hoc nostræ Redemptionis signum, aut ex cœli rore deciduo in vestibus hominum diuinitùs exaratum, aut inuisibili manu in eisdem impressum aliquandò mirabiliter apparuit, ceù futurorum quandòque faustum, infaustum aliquandò omen cælitùs nobis datum, vt vel sectatores crucis, ad eam adorandam cęlestibus prodigijs prouocarentur, qui verò ab Apostolo inimici Crucis Christi appellantur, vel inuiti ad eius venerationem, timore saltem perculsi, compellerentur. De his.

1. *Eusebius Cæsariensis in Histor. Eccles. libr.* 10. *cap.* 39. Quo tempore à Iuliano concessum fuit Iudæis, vt reædificarent templum Hierosolymis, nullo modò fieri potuit, vt ibi ab ipsis lapis super lapidem poneretur; & ne hæc casu fieri viderentur, in sequenti nocte in vestimentis omnium, signaculum crucis ita euidens apparuit, vt etiam qui diluere pro sui infidelitate voluisset, nullo modo valuerit abolere.

2. *Niceph. lib.* 10. *cap.* 2. Cùm Iulianus Imperator versùs Franciam procederet; vbi in eius regionis montes peruenit, cùm post vindemiam, Virgiliæ occiderent, vites gemmis, & vuis recentibus germinarunt, & ros ex aere in ipsum, comitesque eius ita difusus est, vt gutta quælibet in sagis illorum crucis formam repræsentaret.

3. *Cedrenus in comp. Hist.* Anno sexto Constantini Copronymi, Constantinopoli, subitò, & visu non obseruante, extitere in hominum vestibus, & in Ecclesiæ supellectile plurimæ cruces, quasi ex oleo factæ.

4. *S. Prosper de prædict. libr.* 3. *cap.* 34. Sanè nostris temporibus ann. 406. apud Persas persecutionem factam nouimus imperante Arcadio religioso, & Christiano Principe. Qui ne traderet ad se confugientes Armenos, bellum cùm Persis confecit: eo signo, antequam potitus victoria, iàm coeuntibus prælium militibus, aeriæ cruces in vebus paruere. Vndè etiam victor auream monetam cùm eodem signo crucis fieri præcepit, quæ in visu totius orbis, & maximè Asiæ, hodièque persistit.

5. *In ann. Hungaricis.* Ann. Domini 746. cruces, tàm in Vestimentis, quàm in sacris Ecclesiarum indumentis, & velis frequentissimè hoc tempore apparuere.

6. *Sigerbertus in Chron.* An. Dom. 786. signum crucis in Vestibus hominum apparuit.

7. *Marianus Scotus.* Cùm Carolus magnus tertiò Romam proficisceretur, signa crucis in vestibus hominum visa sunt.

8. *Amianus Marcellinus ann.* 419. Sub Theodosio iuniore post VI. Nonas Iulii, Dominus noster Iesus Christus ostendit se super montem Oliueti Hierosolymæ vicinum, & multæ hinc proximæ gentes Baptismum suscepere, omniumque Baptizatorum in tunicis, crux Christi Saluatoris diuinitùs expressa refulxit.

9. *Alphonsus Ciaconius de signo Crucis capit.* 11. Anno Christianæ salutis 541. Pontificatus Vigilii Papæ, secundo, quo tempore Narses eunuchus, copiarum Iustiniani Imperatoris Dux, acri ingenio vir, & singulari pietate præditus, & *rebus* gerendis aptior, quàm eunuchi *natura ferret*, bellum in Italia aduersùs Idualdum, siue Sindualdum, vt Agathias appellat, susceperat, miraculosa, & subitanea crucis signacula in Longobardiæ, & Liguriæ præcipuis locis, comparuerunt, domibus, ostiis, vasis, & vestimentis hominum adhærentia. Quæ si quispiam extergere, & eluere conaretur, tenaciùs insidebant, & splendidiora fiebant. His continuò subsequuta horrenda pestis, quæ immaniter hinc indè grassabatur. Anno mox succedente, inguinaria lues exarsit, glandulis instar crucis enascentibus: qua multò plures, atque anteà interierunt.

10. *Idem Ciaconus capit.* 13. Anno Christi 785. cruces in vestibus Francorum apparuerunt. Pontificatus Hadriani I. Papæ ann. XIII. Tassilo Dux Baioariorum, vectigalis antea *Carolo Magno* Imperatori, rebellis ipsi factus, *irritare eius animum*, & ad bellum prouocare, in fauorem suum ascitis Hunnis, tentabat. Cuius rei indignitate, & Ducis perfidia commotus Augustus, collecto numeroso exercitu, ad ripas Lechi amnis, qui Baioarios ab Alemannis diuidit, castrametatus, per legatos tandem, antequam cùm hostilibus copiis congrederetur, pacem conciliat, obsidibus à Tassilone, filio, & duodecim primoribus aliis ipsi datis. Subacta igitur, & in potestatem redacta Baioaria, ad Francos victor incruento bello reuersus. Et hunc quidem felicem expeditionis exitum cruces anteà visæ significarunt.

11. *Idem cap.* 17. Circa tempora septimæ vniuersalis Synodi, quæ fuit Nicęna secunda, 350. Episcoporum, Tarasio Patriarcha Constantinop. anno Christi 778. vel vt Panuinius supputat 789. qui fuit 19. Hadriani primi Papæ, sub Imperium Constantini Septimi Porphyrogeniti, & Irenes matris, Catholicorum principum: Solis splendor diebus compluribus obscuratus est insigniter, & crucis figuræ in vestibus visæ, ceciditque imber cruentus. Variæ hinc, & atroces calamitates longo tempore afflixerunt genus humanum toto terrarum orbe, bello, fame, & pestilentia, subsequutis. Imber autem cruentus, & Sol caligine tot dies abductus, indicium fuerunt manifestum mali ominis,

nis,& infaustæ cladis subsequentis.

12. *Locrius*. Anno 901. signum Sanctæ Crucis valdè cruentum in hominum vestibus apparuit, qua re permulti mirum in modum sunt consternati. Vndè Vuicfridus Morinorum Episcopus celeberrimam instituit supplicationem, in oppido B. Audomari, ad Dei iram compescendam, concionemque habuit, quo hodiè crucifixi visitur imago, cui Crux pulchra ab incolis datum nomen.

13. *Baronius an.* 954. *ex Dithmaro libr.* 2. *Chr.* Eodem anno (Dithmarus ait) cruces in vestibus apparuerunt, quod signum dignè accipientibus profuit, irridentibus autem obfuit.

14. *Idem ann.* 956. Hoc anno grauissima pestilentia vexauit Boreales prouincias, prodigiosis antea in vestibus crucibus apparentibus.

15. *Consaluus de Illescas in Hist. Pontif. part.* 1. *libr.* 4. *cap.* 63. Circa annum 957. Romæ in vestibus hominum apparuerunt prodigiosæ cruces, & sanguineæ, quæ omnibus maximum incusserunt timorem.

16. *Alphonsus Ciaconus capit.* 18. Anno salutis humanæ 963. sub finem Pontificatus Ioannis XII. à Platina appellati XIII. Imperii Othonis primi anno XXV. lapis è cœlo miræ magnitudinis cecidit, sæuiente ventorum, atque imbrium procella; & in vestibus multorum, signum crucis, ac quidem cruentæ, diuinitùs apparuit. Quæ quidem portenta indicare magnas clades, & calamitates Ecclesiæ, multi interpretabantur.

17. *Conrad. Abb. Vrspergensis in Chronico ad ann.* 1099. Nonnulli, crucis signaculum sibimet in frontibus, vel vestibus, siue in quolibet loco corporis diuinitùs impressum ostendebant, ipsoque se stigmate ad eandem Domini militiam præscriptos credebant.

18. *Alphonsus Ciac. de signis Crucis capit.* 21. Anno Christi 1295. Ferdinando III. Alphonsi IX. filio, Principatum in Hispania tùm primùm ineunte, & Pontificatus Bonifacii VIII. Papæ anno primo, Astulphi Imper. III. Toleti Regia vrbe, Hebræi, qui vicos aliquot eius ciuitatis incolebant, sicut contingit nunc Romæ, Venetiis, Ferrariæ, & aliis etiam Italiæ locis, die 10. mensis septimi festum expiationis de more iuxta constitutam olìm legem celebrabant: cùm inexpectatò repentinæ cruces cœlitùs immissæ, in ipsorum ædibus, vestibus, & lineis telis, quæ seruabantur in eorundem apothecis, comparuere.

19. *Spondanus in ann. Eccl. ann.* 1412. *num.* 8. Sanctus Vincentius Ferrerius Salmanticæ in Synagogam Iudæorum Sabbato ex improuiso cùm Christi crucifixi imagine ingressus, cùm ab iis ad rem nouam attonitis audiri obtinuisset; loquente illo verba ignita ad illuminationem eorum, subitò cruces albę super pallia virorum, & linteamina fœminarum apparuere. Quo miraculo obstupefacti, sacrum baptismum petierunt omnes, ac susceperunt, & synagogam in Ecclesiam S. Crucis commutarunt.

20. *Idem ann.* 1500. *num.* x. Præsenti, & insequenti anno (vt Trithemius scribit) apparuerunt in multis Germaniæ locis cruces in lineis vestimentis hominum, in camisiis, & peplis mulierum, in mensalibus, & linteaminibus, nec solùm in iis, quæ habebantur in vsu, sed etiam in his, quæ in cistis inclusa erant. Itemque in corporalibus, & palliis altarium, & albis. Erant autem paruulæ, varii, ac confusi coloris, nec poterant vlla lotione deleri; sed post diem nonum, aut decimum per se deficientes euanescebant. At mirabiliora fuere quæ Nauclerus anno proximo contigisse in diœcesi Leodiensi refert, litteris ea de re ad Maximilianum Imperator. ab Episcopo scriptis, decimo octauo die Maii. Nempè à festis Paschalibus illius anni singulis diebus diuersis locis apparuisse publicè, & inopinatè, seù in Ecclesiis, seù in plateis, aut domibus, vel etiam cubiculis, signum Dominicæ crucis perfectum, simplex, vel etiam duplex, aut cùm minoribus ad ad latera crucibus in formam scutarii typi regni Ierosolymitani: nigrum autem, vel rubicundum, ita vt in aliquibus videretur esse verus sanguis effusus. Apparuisse autem vt plurimùm super capita mulierum, & maximè puellarum, in summitate pepli. Mulierem quandam viginti duorum annorum, cùm eiusmodi crucem Ierosolymitanam in peplo animaduertisset sanguinolentam, territam, cùm reuerentia peplum illud loco mundo reposuisse, & aliud capiti imposuisse, in quo mox similis crux apparuerit: adeò vt mutatis spatio nouem dierum tredecim peplis, in singulis id ipsum contigerit. Dùm aliquandò nonnulli ea de re cùm illa loquerentur, de repentè in eius mento visam esse crucem latitudinis vnius digiti, coloris, & saporis mellis: cùm ad adstantium monitionem manum admouere voluisset, apparuisse etiam in ea similem crucem; atque vtramque post duas horas euanuisse. Apparuisse deindè super eandem varia alia signa, ac nonnullos characteres, & in mariti indusiis cruces sanguinolentas. Monitam mulierem à Parocho, vt quò d tunc Iubileum esset Traiecti, eò se conferret, paruisse, & docto Theologo peccata sua confessam esse: ac nihilominùs ad peplum capitis erupisse sanguinis tantam copiam, vt in extremam vsque fimbriam defflueret, in figuram crucis se se amplificans, ita vt attrectatus digito adhæreret, in præsentia Episcopi, qui ibi erat.

21. *Linturius in Appendice ad fasciculum temporum*. Anno 1501. cecidit de cœlo crux sanguinolenta in Aquisgrano, quę ad imaginem B. Virginis ibidem collocatur. Eodem anno Crux sanguine aspersa ceciditad castrum quoddam circa Nurnberck.

22. *Idem ibidem*. Anno 1503. ceciderunt cruces in superiore Alemannia, in Norimberga, Ratisbona, Landshuto, & alibi, ad vestes virorum, & mulierum; plùs tamen mulierum, vt opinor, propter horribilem superbiam, luxuriam, auaritiam, homicidia, intrinseca bella, inobedientiam Ecclesiæ Catholicæ, & erga eius præcepta, & tribulationem cleri in eorum libertate, propter vim laicorum tunc regentium, & ordinem versum, quasi in omni statu: fuerunt autem coloris fusci ad

rubedinem declinantes, & secundùm superbiam diuersos colores, in togis, & camisijs: Qui etiam cruces extinguere conati sunt, serpentes ad collum, vsque ad interitum habuerunt, aut qui maledixerunt ipsis saltem. Sic Bambergæ, Egræ, in Hof, Culmbach, Misnia, Bohemia, totoque penè Romano Imperio, eædem cruces visæ sunt in vestibus hominum variis formis, secundùm omnia arma passionis Christi.

23. *Raynaldus in ann. Eccl. an.* 1502. *num.* 22. Hoc anno maxima pestilentia tota Germania est infecta, maximèque ab ea interempti sunt ij, quorum in vestibus cruces prodigiosæ apparuerunt.

24. *Idem anno* 1505. Pragæ, Piscatores in Elba viderunt cadere super aquam in magno spatio è cęlo quatuor magnas fuligines, & desuper signa rubea S. Crucis.

25. *Io. Agricola in prouerb. Germaniæ*. Io. Trithemius Abbas Spanheimensis, eas cruces, quæ cœlitùs ann. 1515. in vestibus hominum impressæ apparuere, decennio post, energiam suam habituras prædixit.

26. *Surius in comment. rerum in orbe gestarum ann.* 1559. Hoc anno circiter Pentecostem, in Cantia, quæ est Angliæ pars, mulier quædam in subucula sua, Crucis vidit expressam effigiem. Erat ea fœmina non ignobilis, neque crux illa, aut colore aliquo ab homine effecta, neque acu, vel filo intexta, sed è cælesti quodam influxu nata cernebatur.

27. *Ciaconus de signo Crucis capit.* 27. Anno 1591. die 25. & 28. Maij in diuersis Galliæ locis multæ paruæ cruces cælitùs illapsæ apparuerunt, quæ non solùm in templis conspectæ, in ornamentis altarium, & sacerdotum vestibus, sed in priuatorum etiam consuetis, quibus amiciebantur, indumentis: priores visæ sunt Corbie, vrbe Gallicè ita appellata, posteriores in multis Picardiæ vrbibus, veluti Ambianis, & Montdidier. Simile spectaculum oblatum in sacris corporalibus, & mappis altarium, superpelliceis sacerdotum, & multorum ciuium vestibus. Eadem crucis simulacra post vigiliam Paschæ die 14. Aprilis ostensa fuisse Parisiis in plerisque templis, & aliis multis locis super corporalia, & multas alias mappas Ecclesiasticorũ, & laicorũ vestes. Vt autẽ nemo hæsitare de hoc miraculo posset, & naturæ vires excedere hoc ostentum omnes clarè cognoscerent, denuò Burges nouæ cruces exortæ, quæ priorum fidem confirmarent, sicut ex litteris Doctorum illius accademiæ constitit. Coloris fuerunt ligni alicuius vulgaris. Est verò Burges, quæ latinè appellatur Bituris, Gallicæ Aquitanicæ antiqua vrbs, Biturigum metropolis.

28. *Idem ibidem*. Die 23. Maii eiusdem Anni, in templo Sancti Ambrosii Parisiis, vbi quadraginta horarum continuæ preces à populo Parisiensi tunc effundebantur ad altissimum, pro illius Regni calamitatibus reuocandis, & seditionibus, ac dissidiis religionis, diuina ope componendis; apparuit crux super podere Sacerdotali, camisum Itali, aluam Hispani vocant. Alias insuper cruces eo tempore, fertur, apparuisse in mappis altaris apud Sanctum Dionysium de Carcere, tres in vno corporali apud Sanctum Germanum Antisiodorensem, alias quidem simplices, alias verò duplices, ligni, siue ferri rubigine confecti, colorem referentes: quæ adeò quandòque firmiter, & tenaciter inhærebant; vt nulla arte, & diligentia elui, aut extergi possent.

29. *Cerda de Angelis cap.* 24. Miraculum accidit Parisiis in Ecclesia Societatis nostrę An. 1591. 24. Maij in hunc modum. In Ecclesia S. Mariæ, quæ est collegii Iesuitarum, magno numero cruces comparuerunt super linteamenta altarium, & mantilia, quæ supponuntur sacræ communioni percipiendæ, & super pellicium concionatoris. Quæ res cùm diuulgaretur, totus populus conferto agmine vndique confluxit, vt cruces spectaret. Cum autem turba per duas horas magna contentione concurreret, ecce nouus rumor ad eorum aures peruenit, similes alias cruces in aliis *templis* denuò comparuisse. In ædibus scilicet Deiparæ Virginis à Furscio, S. Vrsini, S. Petri, Sancti Hippolyti, Sancti Ostrilli, & sacratis pluribus aliis locis. Deserta igitur Ecclesia Iesuitarum, ad alias festini conuolant ciues, se se præ multitudine conculcantes, & prementes, maiori contentione quàm priùs: præsertim ad illam Deiparæ Virginis à Furscio.

30. *In vita Beatæ Agnetis Politianæ*. Quo die sacro velamine inaugurata fuit *Beata Agnes* Politiana, mirabilis imber assistente populo visus est de cœlo super ipsam descendere, à quo in eius corpore, & vestibus cruces candidissimi coloris fuerunt efformatæ.

31. *Sylos Hist. Cler. Reg. tom.* 1. *lib.* 2. Paulò antequam nostra Religio fundaretur, admirando quidem prodigio, sydereæ, lucentesque *è cœlo cruces* visæ compluere, quæ vestibus, *thalamisque, ac membris* etiam mortalium adhærentes, obliterari nulla ratione poterant.

Cruces, aliaque Dominicæ Passionis Insignia, in membris humanis diuinitùs insculpta. §. 3.

QVandòque & in carneis membris, crucem, cæteraque Passionis Dominicæ Insignia, sanguineis notis, stigmatibusq. ipsemet Dominus exarauit, vel Angelorũ impressit ministerio; vt qui tali diuini amoris pignore digni sunt effecti, cùm Apostolo gloriarentur, secùm ferendi Crucifixi effigiem, non in tabulis lapideis, vel ligneis, manu figuratam artificis, sed in carneis membris descriptam digito Dei viui. De his.

1. *Pet. de Natal. lib. 6. cap.* 160. *de Sancto Fantino confess.* Nato puero, crux niue candidior, & in medio rubicunda, carni eius super cor impressa conspicitur.

2. *Raderus de S. Constantino, ex Iudæo, Christiano facto*. Hic cùm præfecto monasterii statum vitę exponeret, iubet ille proferri crucem, & ab eo salutari: cuius cùm beatus iste pedẽ osculo libaret, tota fronte, & brachiis veneranda crux se se in sanctum pueri verticem submittens, characterem Crucis capiti

piti

piti indelebilem impressit, quem per omnem postea vitam seruauit.

3. *In actis S. Rochi Confess.* Mater, miræ pulchritudinis puerum, & rubra cruce in pectore signatum conspicata, obstupuit, summaque voluptate affecta est, existimans eum Deo fore gratissimum.

4. *In martyr. Gallic. 17. Kal. Septembris, de Sancto Rocho.* Eius assiduis precibus Aquapendens, Cæsena, Ariminum, aliæque Italiæ vrbes à lethifera lue liberatæ sunt. Romæ autem cùm vota exsolueret, Cardinalem quemdam peste infectum sic curauit, vt crux, quam Rochus ipse illius fronti impresserat, perpetuò conspicua remaneret.

5. *Gretserus de Cruc. tot. 3. l. 5. Paral. ad l. 1. c. 13.* Aliquandò nonnullis crux diuinitùs impressa est, & quidem constanter. In ædificatione templi Gazensis, quod in crucis figuram quadrifidum extruebatur, tres pueri in puteum, qui in sacro ambitu erat, deciderunt: quanto autem miraculo seruati sint, narrat Marcus Gazensis diaconus, & subdit. Inuenti sunt enim tres pueri habentes signa Crucis, tanquam infixa: Vnus quidem in media fronte, alius autem in summa dextera manu circa digitos: Alius verò in humero dextro. Erant autem pulchrè expressæ cruces, neque obliquæ, neque incuruæ, sed vnius mensuræ, vt apertum esset, eas diuina esse signa. Neque enim eis afferebant dolorem, neque eduxerunt sanguinem, sed erant impressę tanquam ex Cinabri: Manserunt autem in eis longo tempore, ad hoc, vt viderent omnes, & admirarentur: nam multi etiam ex alienigenis crediderunt.

6. *Thom. Cantip. lib. 1. Apum cap. 25.* De quodam propè nostra tempora martyre, veridica relatione suscepi, quòd cùm captus cuidam gentili tyranno seruiret, & ille eum honestissimè tractaret; martyr autem semper gemebundus incederet, miratus Tyrannus, causam quærit tristitiæ, & quare cùm seruis aliis non gauderet: Cui martyr: Cùm aliis inquit non gaudeo, sed semper tristis incedo, quia memor mortis Dei mei, continuè in corde meo eius passionis stigmata porto. Hoc mox vt tyrannus audiuit, grauiter indignatus: & ego, inquit, experiar quæ dixisti. Nec mora, exemptore vocato, iubet aperto pectore martyris, cor eius euelli, & per medium cultro secari. Vbi statim, mirante tyranno cùm suis, res miranda conspicitur, quia pro sigillo pars vna cordis, & pro impressione pars cordis altera, crucifixi Christi imaginem continens reperitur. Quo viso, tyrannus mox credidit, & cùm suis omnibus sacrum baptisma suscepit.

7. *Raynaldus ann. 1250.* In dextro humero nati pueri Dominici, qui Cæsaraugustæ à Iudæis in odium fidei martyrio occisus fuit, crux impressa apparuit, coronæ verò figura in capite; quo prodigio portenderat Deus martyrii illud gloriosum mortis genus.

8. *Thiepolus de Passione Domini Tract. 12. cap. 35.* Tàm deuoto affectu feruebat erga crucem Dominicam V. Catharina de Raconisio ordinis Sancti Dominici, vt meruerit, ab Archangelo Michaele in suo pectore visibilem crucem inscribi, sacrisque stigmatibus fuerit decorata.

9. *Bzouius ann. 1237. num. 10. de B. Volando ordin. Prædicatorum.* Tanta illi passionis Dominicæ cupido, vt ore nihil aliud efferre, & pollice nihil aliud signare posset, præter crucem, & passionem Iesu, quam pectori suo impressam esse perpetuò testabatur. Non fefellit eos, quibus dixit. Post obitum enim, cùm pectoris eius ossa excesa considerarent, viderunt qui uiderunt, eadem in modum crucis mirum in modum compaginata. Nàm tota latitudo ossis clypeata erat: superiores crucis extremitates in lilia desinebant: inferior autem cuspidato mucrone figebatur: color crucis cæruleus videbatur.

10. *Frid. Fornerus.* Anno 1619. 16. Iulij, obiit Dom. Thomas Vuordimtornus nobilis Anglus, pro fide iàm olim exul, magnæ vir constantiæ, patientiæ, & sanctimoniæ. Vna ante mortem hora, cùm elanguida, & moribunda manu signum crucis, fronti imprimere frustrà tentasset, æneam crucifixi imaginem, astantes fronti applicuere, è qua splendidus, igneusque radius emissus, morientis frontem sanguinea, sed fulgentissima cruce decorauit, quæ splendorem suum etiam post mortem obtinuit. Vidit illam magna admiratione P. Dadelerus, viderunt alii; Res est constantissima. Sub Vesperam euanuit, sui tamen relicto vestigio.

11. *Surius 9. Feb. in vita S. Ansberti Episcopi Rotbomagensis.* Post eius mortem, inuenerunt in brachiis eius, signum Dominicæ crucis, rosei coloris similitudinem gerens, vt patenter cunctis daretur intelligi, quòd cuius arma viuens portauerat in corde, eius stigmata defuncti monstrarentur in corpore.

12. *Abb. Vrspergensis an. 1101. de Conrado Italiæ Rege.* Testari solent qui aderant, in brachio corporis exanimi Conradi, crucis signaculum subitò exortum se vidisse: ipsasque eius exequias quibusdam miraculis honorificatas fuisse.

13. *In martyrologio ord. Præmonstratensis, VIII. Id. Iunij.* In nemore dicto de Curua Fossa in Normannia B. Taukeredi primi Prioris Ecclesiæ S. S. Trinitatis de Lucerna ordin. Præmonstratensis. Qui Christo crucifixus, ita crucis mortificationem pro Dei gloria in suo corpore portauit, vt in ipsius morientis pectore crux lactea in hora mortis apparuerit.

14. *In vita B. Claræ de Montefalco.* Stupenda sunt, quæ in B. Claræ de Montefalco exsecto pectore asseruata patuere. In cordis dextera, Christi in cruce pêduli imago magnitudine pollicis extenta, brachiis paululùm sublatis, colloque decliui cernebatur, latus liuidum, ac saucium, multò cruore manabat; parte læua, Sindon sanguineis guttulis videbatur aspersa; corona autem spinea ex neruis spinosis texebatur. Porrò ex tribus neruiculis, tres claui, ex alio, lancea tendebatur, flagella verò ex quinque flexis neruis erant reuincta, & nodulis pluribus aspera; quin & columna erecta, funiculisque circumdata; & in felle tres pilulæ æqualis ponderis, & magnitudinis adinuentæ sunt: quæ siuè diuisim, siuè simul sum-

 sum-

sumptæ fideli trutina librarentur, non magis, non minus grauitabant, vna æquabatur tribus, æquabatur duabus, & duo, vel tres, vnam excedere non poterant.

15. *Augustinus Vuichmans in Diario sacro 28. Augusti, de corde D. Augustini*. Cor D. Augustini, quod incorruptum conseruatur, nonnulli volunt arcanis sacrorum vulnerum Christi stigmatibus sauciatum fuisse.

16. *In vita S. Francisci Assisinatis*. Cùm in solitudine montis Aluerniæ, quadraginta dierum, propter honorem S. Michaelis Archangeli, ieiunium inchoasset, circa festum exaltationis S Crucis, ei Seraphim, Crucifixi effigiem inter alas continens apparuit, qui eius manibus, & pedibus, & lateri vestigia clauorum impressit.

17. *Thiepolus de Pass. Domini Tract. 12. cap. 31. ex Vincentio Iustiniano*. S. Dominicus fundator ordinis Prædicatorum, sacris stigmatibus fuit à Domino insignitus.

18. *In vita S. Catharinæ Senensis*. Cùm Pisis immoraretur, die Dominico, refecta cibo cælesti, & in extasim rapta, vidit Dominum crucifixum magno cùm lumine aduenientem, & ex eius vulnerum cicatricibus quinque radios ad quinque loca sui corporis descendentes; ideòque mysterium aduertens, Dominum precata, ne cicatrices apparerent, subitò radii, colorem sanguineum mutauerunt in splendidum, & in forma puræ lucis peruenerunt ad manus, & cor eius; ac tantus erat dolor, quem sensibiliter patiebatur, vt nisi Deus minuisset, breui se crederet morituram. Hanc igitur gratiam amantissimus Dominus, noua gratia cumulauit, vt sentiret dolorem illapsa vi vulnerum, & cruenta signa non apparerent.

19. *Haraus in vita S. Liduuinæ Virg. 14. Aprilis*. Christus Dominus, S. Liduuinæ corpusculo, anno dolorum suorum decimo septimo, in medio immensi luminis, quinque vulnerum suorum signa luculenter impressit.

20. *Franc. Quaresmius tom. 1. de vulneribus capit. 4. sec. 4*. Ven. Angelus del Pas Parpinianensis, ex ordine Minorum, dùm viueret acerbissimos passus fuit passionis Christi dolores, vndè & illorum vehementia fuit cor illius prodigioso vulnere sauciatum, & post mortem fuit plaga in illius corde, aperto corpore, deprehensa, vt patet in illius processu, qui pro illius canonizatione, Apostolica authoritate formatur.

21. *Spondan. in ann. Eccles. ann. 1340. num. 13*. Apud Batauos oppido Delffensi, Virgo Gertrudis de Oesten, inter sanctimoniales vitam sanctissimam agens, hoc anno digna facta est præ amore in crucem Domini, vt quinque stigmata Christi in corpore suo reciperet; ex quibus fluxit pluribus diebus sanguis septies in die, per singulas septem horas Canonicas, sed ob frequentiam visitantium, ac ne fortè in vanam sui complacentiam indè incideret, orans vt tollerentur, cessauit quidem sanguis, non tamen vulnera, quæ toto vitæ suæ tempore tulit.

22. *Thiepolus de Pass. Domini Tract. 12. cap. 31*. Altera S. Gertruda, propter opera conscripta maiori fama digna, etiam sacris stigmatibus fuit decorata.

23. *Henriquez, de B. Lutgarde 16. Iunij*. Sæpiùs in spiritu rapta, dùm Dominicæ passionis recordabatur, toto corpore sanguine perfundebatur, faciesque ipsius, & manus, quæ solæ videri ab aliis poterant, tamquam recenti sanguine tinctæ apparebant.

24. *Surius in vita B. Coletæ monialis ordinis S. Claræ*. Tàm erat feruenter, & efficaciter Dominicæ commemorandæ passioni intenta, vt sæpè numero præ doloris vehementia, in manibus, & pedibus, & latere suo sibi reuera videretur, clauis, & lancea confixa.

25. *Ferrarius, in Catal. S.S. 18. Iunij*. Fertur de B. Osanna Virgine Mantuana, ei semel ante crucifixum Bicarelli Vico vehementiùs oranti, stigmata, ex quibus dolorem non mediocrem Feria sexta perciperet, impressa fuisse.

26. *Ignatius de Nente in vita Vener. Sor. Dominica de Paradiso libr. 2. capit. 15*. In Dominicæ passionis contemplatione tàm feruens erat Vener. Virgo Dominica, vt à Christo Domino sacris stigmatibus, in manibus, pedibus, & latere meruerit honorari, quæ visibiliter, præcipuè feriis sextis, apparebant, & intumescebant. Post aliquot annos tamen à cælesti sponso, ne ampliùs apparerent, precibus obtinuit, licet tamen iisdem in locis, dolor acutissimus perseuerauerit.

27. *Thiepolus de Pass. Domini Tract. 12. cap. 33*. B. Stephana Quintiana de Soncino, sacræ Dominicæ coronæ in capite deferebat insignia; quin & stigmatibus à Deo fuisse insignitam tradunt; quæ cùm passim ab omnibus inspicerentur, summo dolore serua Dei afficiebatur.

28. *Idem Tract. 12. cap. 31*. Sacra Virgo Stiua in oppido Hamo Vuestphaliæ, sacris stigmatibus fuit insignita. Item V. Apollonia ciuitatis Volaterræ sacra recepit stigmata, quæ licet dùm vixit, malè olerent, post eius obitum suauissimo fragrarunt odore. Item B. Catharinam Ianuensem, licet in ea sacra vulnera exteriùs non apparuerint, eis tamen intrinsecè affectam fuisse, ob maximos dolores, quibus in his partibus affligebatur, iudicatum fuit. Item in corpore V. Catharinę Ricci Florentinę impressa fuere sacra vulnera; V. etiam Maria monialis Vlyssipponensis à Christo Domino crucifixo sibi apparente, & ex quinque vulneribus, radios, ad manus, pedes, & latus eiusdem Virginis emittente, sacra stigmata recepit. B. Fratri Philippo Aquerio itidem apparens Christus Dominus è quinque vulneribus, sanguinem copiosum emittens, in illius manibus, pedibus, & latere tantùm dolorem inflixit, ac si sacris vulneribus affectus esset, illumque toto vitæ tempore habuit. Vener. Gualterius ordinis Sancti Dominici, dùm in feruentissima oratione accerbissimos Domini cruciatus meditaretur, eorundem particeps affectus est, maximum exinde dolorem percipiendo in manibus, pedibusq; & latere.

29. *Aloysius Torellus in Hist. ord. S. Augustini an. Chr. 430*. Dùm B. Ritta à Cassia ord. S. Augustini ante crucifixi pedes genuflexa acerbissimam

mam illius meditaretur passionem, alicuiusque doloris particeps fieri percuperet. E spinea corona, ceù ex Amoris arcu, acutissimam spinam in illius frontem eiecit armiger diuinus, vulnusq. profundum in medio frontis inflixit: Hoc vsque ad mortem summo dolore, animique tranquillitate portauit; in illiusque cadauere, quod incorruptum mirabiliter perseuerat, vsque adeò videtur.

30. *In vita S. Magdalenæ de Pazzis part. 2. cap. 4.* Cùm semel in extasim rapta, passionis Christi acerbissimos contemplaretur dolores Magdalena, meruit vt Christus Dominus eam sacris stigmatibus insigniret, ad manus, pedes, latusque ignitos, ardentissimosq. radios immittens. Quæ licet extrinsecùs non apparerent, acutissimis iisdem in partibus eam afficiebant doloribus, quibus licet corpus grauissimè torqueretur, anima eius summopere delectabatur, conformis apparens imagini dilecti filii Dei, suiq. amatissimi sponsi.

31. *Arnol. Rayss. in auct. ad nat. S.S. Belg. 23. Iulij de B. Brigida Virg.* Huic non minùs, ac sanctissimo Francisco Assisinati, sacrorum vulnerum stigmata, raro magnoq. beneficio concessit Christus. Is enim è cruce pendens (qualem scilicet illa perpetuò contemplabatur) Brigidæ conspiciendum se dedit, & quinque præcipua, pedum scilicet, manuum, & lateris vulnera, illi impressit.

32. *Idem ibidem 13. Apr. de Ven. Ida Louaniensi ord. Cisterciensis.* In die Dominicæ passionis, ei quinque vulnerum suorum sacra signacula in amoris symbolum, Christus impressit. Verùm ne sanctitatis laude ab hominibus celebraretur, quę omnium oculis abiectissima comparere modis omnibus satagebat, externa sibi symbola expungi à Deo enixissimè efflagitauit; eiusque votis annuit Deus. In ambitu etiam capitis ipsius signa quædam patebant externa; quare eam spineo serto per Christum capite redimitam quis ambigit.

33. *Idem ibidem 16. Martij de Ven. Pierona Inclusâ, Franciscani ordinis Tertiaria.* Illud admiranda omnia de illa dicta excedit, quòd per aliquantulùm tempus ante mortem, sacra Christi vulnerum stigmata in corpore suo portauerit: quæ Pater ipsius à confessionibus, corporeis oculis sæpiùs conspexit. Erant autem stigmata illa grisea, & seminigra; & in medio manuum eius exteriùs figurata: nec tamen penetrabant ad modum vulnerum Christi, aut sanguinem emanabant: Nihilominùs grandem satis in eis pœnam, quamdiù vixit Pierona sustinuit.

34. *Idem ibidem 5. Iulij, de Ioanne Graio Franciscano Marty.* Quantæ in vita sanctitatis fuerit, illud abundè commonstrat, quòd stigmatum S. Francisci habuerit pedibus impressa signa maxima, ad latitudinem semipollicis, & eiusdem dimidiati.

35. *In Menol. Cister. 15. Nouembris, de Beata Catharina moniali monast. Castrensis.* Summo desiderio contemplandæ Dominicæ passionis tenebatur, vt nihil aliud in corde, aut in ore, præter Crucem Domini efferret; nec Christum crucifixum nisi lachrymis copiosis perfusa, aspicere posset. Tandem eiusdem Saluatoris imagini aduoluta, sæpè, & instantissimè postulauit, vt passionum ipsius particeps effici mereretur. Cùmque orando, & clamando perseuuararet, exaudiri meruit, & vulnere miraculosè in pede percussa, acerbissimis doloribus toto vitæ suæ cursu laborauit, quos mira cordis iucunditate sustinuit.

36. *Ibidem 19. Octobris.* In territorio Leodiensi B. Elisabeth de Spalbeck Virgo Hemmenrodensis ord. Cisterciensis, quæ sacris Christi Saluatoris nostri stigmatibus, in manibus, latere, & pedibus insignita fuit; & in qua singulis diebus eiusdem Christi passio admirabili prorsùs modo repræsentabatur.

37. *Franciscus Quaresmius t. 1. de quinque vulneribus cap. 4. sec. 4.* B. Clara de Bugnis monialis Clarissa in conuentu S. Sepulchri Venetiis, non solùm interiùs passa fuit in corpore toto, Christi crucifixi dolores, sed ampliùs in illius sinistro cordis latere vulnus inflictum fuit, ex quo guttæ sanguinis continuò defluebant, vt oculati testes retulerunt.

38. *Idem.* B. Margarita Columna Virgo Clarissa, dedita erat meditationi Christi Iesu crucifixi, in eiusque aspectu valdè detinebatur; vndè non solùm maximos animæ, & corporis internos perpessa fuit dolores; verùm etiam fuit exteriùs in dextera pectoris parte vulnerata, ex quo vulnere magnus continuò fluebat sanguis.

39. *Thiepolus de Pass. Christi Domini Trac. 12. cap. 31.* B. Margarita Hungariæ Regina, sacra stigmata in corpore recepit, ex quibus sanguis fluebat. De qua re cùm dubitatum fuisset, post aliquod tempus ab eius morte, iussu Innocentii IV. exhumatum fuit eius sacrum corpus, in ipsoque adhùc visebantur sacra stigmata viuida, & rubicunda, ac si adhùc uiueret.

40. *Bozius de Signis Eccles. libr. 12. capit. 23.* Lucia Narniēsis virgo diuinissima, sacris Iesu Christi stigmatibus fuit insignita. Quod cùm reuocaretur in dubium, & quidam male suspicarentur, de iussu Alexandri VI. Bernardus Recinensis philosophus, ac medicus excellentissimus, præsentibus aliis peritissimis viris, inspexit vulnera, manumque chirotheca ad hanc rem facta inuoluit, & ita conclusit, ac signauit, vt aperiri nullo modo posset, & ita nouem dies permanere mandauit occlusam: nàm si plaga esset humano modo infucta, necesse erat computrescere; post nonum diem, detracta chirotheca, inuentum vulnus, vt priùs erat, rubicundum, & ab omni macie purum.

41. *Bzou. an. 1270. num. 16. de B. Helena.* B. Helena à vehementissima Dominicæ passionis contemplatione, stigmata in manibus, & latere dextro, quæ poterant videri, Christo imprimente, recepit. Quo tempore, die festo D. Francisci, vulnus dexterę eius manus, paulò antequam moreretur, cicatrice obduceretur, aureus circulus in vola, lilium candidum inclusum continens apparuit. Quod cùm illa aspexisset, vociferata est: Ne fiat, quæso, istud mi Iesu: ne appareat, oro, istud mi Redemptor.

42. *De los rios lib. 2. de Hierarchia Mariana cap. 28.* B. Vgolini de Mantua, cùm septuaginta à prima sepelitione annis, corpus translaturi exhumarent, inuenerunt vestibus, & corpore incorruptis: in pectoris latere vulnus apertum, recentem stillans sanguinem, & lilium ex carne in testimonium admirabilis eius puritatis. Rursùs in alterius sanctissimæ Augustinianæ familiæ alumno, cui Cherubinus de Auiliana nomen, inuentum est vulnus apertũ in latere, quod omni vita occultauerat. Et nuper Valentiæ eiusdem ordinis nostri Religiosi Melchioris de Arazil latus, apertum est visum ingenti plaga, quod ei cælestis Cherubim diuino amoris telo in vita aperuerat; celauerat tamen id toto vitæ decursu ipse, rudi illud cooperiens cilicio.

43. *In actis B. Ioannæ à Cruce cap. 16.* B. Ioanna de Cruce maximo cùm dolore à Christo Domino sua accepit vulnera, in manibus, & pedibus, ann. Domini 1524. cùm ipsa esset annorum 43. manè veneris sancti, quæ sensibiliter detulit vsque ad Domini Ascensionem, singulis tamen diebus non apparebant; sed tantùm die Veneris, & Sabbati; in Dominico verò die, quo tempore resurrexit Dominus, dolores cessabant, & vulnerum signa non apparebant, ac si nunquam tale passa fuisset. Verùm humilis Virgo se tanto thesauro indignam existimans, enixè orauit Christum, vt plagas illas auferret. Annuit humilis sponsæ suę petitioni cælestis sponsus, in ipso Ascensionis Domini die plagas abstulit, sed dolores auxit.

44. *Thiepolus de Pass. Domini Trac. 12. cap. 31. num. 12.* B. Ioanna Vercellensis sacris stigmatibus in proprio corpore fuit decorata.

45. *Vading. an. 1472. de Ven. Gabriela de Piezolo.* Gabrielæ de Piezolo in oratione apparuit Christus crucifixus, cui ex latere sanguis profluebat. Illam amplexus, & ad pectus comprimens, dextro latere vulnus inflixit, ex quo per triennium dùm vixit, sanguis emanauit.

46. *Arnoldus Rayssius in Hierogaz. Belg.* In valle Liliorum in Belgio, ordinis Præmostratensis cœnobio, virgo quædam, Elizabetha nomine, celebratur, quæ cùm ad versiculum, Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto, qui Psalmorum est ordinaria periodus, ex antiqua ordinis consuetudine digitis dextrę manus terram semper contingeret, & illicò eosdem in memoriam quinque vulnerum Saluatoris pectori maxima deuotione applicaret: statim ab eius obitu, quinque aurei nodi in eius pectore comparuerunt. Hocque euidente prodigio ostendere voluit Dominus, quàm sibi gratus fuisset famulæ suæ pius ille in sua vulnera affectus.

47. *In Chro. Ord. Præmostratensis.* Venerabilis Dodo, ord. Præmostratensis Laicus, quinque stigmata crucifixi accepisse fertur.

48. *In Chro. Ioannis de Beka ann. 1340.* Eisdem temporibus contigit in oppido de Delft condignum relatione miraculum; nàm matrona quædam adeò feruenter æstuabat ad Dominicæ passionis intuitum, vt stigmatales cicatrices in latere, in manibus, & pedibus suis visibiliter apparerent, & vniuersi fideles in hoc prodigio, crucifixum Dominum non immeritò collaudarent.

49. *Raynaldus in compend. Ann. ad an. 1399. num. 22.* Hoc anno ad cœlos euolauit B. Dorothea Pruthena; in cuius corpore signa partæ æternæ felicitatis effulsere.

50. *Andreas Sauss. ad Martyr. Gallican. 18. Aprilis:* Hac die apud Pontesium beato fine quieuit sanctæ memoriæ soror Maria de Incarnatione, ex vidua nobili, monialis conuersa ord. S. Mariæ de monte Carmelo, eiusdemque in Francia fundatrix, quæ Christi Stigmatibus intimè impressis cœlitùs decorata, cùm odore suauissimo animam sanctissimam efflauit.

51. *Thom. Cantip. li. 1. apum cap. 25.* Noui secretiùs, in Brabantiæ partibus prærogatiuæ sanctitatis puellam, de qua per veridicos fratres ord. Prædicatorum manifestè probatum est; quòd per assiduam meditationem passionis, & vulnerum Christi, in latere eius, vulnus ingens per plures annos apparuerit, & de ipso vulnere sanguis ferè continuè in magna quantitate profluxerit: Cuius quoque sanguinis particulam ad euidentiam tanti miraculi vidimus diù in vitreo vase reseruatam, nec coloris mutasse speciem, vel odoris.

52. *Delrius lib. 2. disq. magic. fol. 224.* Lintzii dùm ibi à Carolo Austrio conuentus celebrabatur, cuidam rustico natus est infans, in quo nihil sanè desiderabatur: vixit dies quatuordecim, & triduò ante obitum sudauit, atque ita sudans extinctus est. In mortuo infante statim cæperunt apparere stigmata, in manibus, pedibus, & latere, sicut Christi vulnera pinguntur: in capite etiam ex ipso cranio nata est corona, vt corona spinea. Cæsar cùm hoc audiret, misit quosdam ex suis, qui hoc prodigium contemplati, cum de tota re pleniùs edocerent, remq. ita se prorsùs habere intellexit.

53. *In actis Ven. Vrsulæ Benincasæ.* Eius cadaues inuentum fuit cùm quibusdam liuoris signis, ac si fuisset flagellatum, & manibus, ac pedibus attractis, & altero alteri superposito, Christi crucifixi formam repræsentans.

54. *Sylos in Hist. Cler. Reg. Part. 2. lib. 13. de Ven. Iacobo Stephanio.* Ad Euch. sacramẽtũ in Odeo orabat Iacobus; cùm ab Eucharistico ipso tabernaculo emicare radius visus est, qui telo persimilis, rectà Iacobi cor petiit, sauciauitq; eo quidem sensu, vt inter voluptatis, ac doloris vices exanimis penè conciderit; inscripto etiam arcanis quibusdam notis pectore. Profectò non nisi amantissimis hæc vulnera.

55. *Idem ibidem par. 2. lib. 10.* Postquam ad superos euolauerat anima feruentissimæ Virginis Isabellæ Barilis, quæ in sæculo Theatinam vitam, sanctumque institutum Neapoli tenuerat, aperto eius cadauere, extractum à pectore cor fuit; quod vbi chirurgus pręcipui nominis disecat, inquirendi ergo causam continui doloris, quem viuens in ipso sentire dicebat, reperta in eo planè, non sine admiratione, Dominicæ passionis instrumenta, graphicè expressa. Admirandum profectò diuini amoris opus, quem scimus & aliarum illustrium Virginum corda dedisse aliàs in similitudinem picturæ.

56. *Sten-*

56. *Stengelius de faustis matrimon. capit.* 24. §. 7. *de Philippa Lotharinga*. Hec, serenissimo Duce marito per mortem amisso, honores, ornatus, pompasque omnes fugit, totamque se Dominicæ passionis considerationibus dedit, vt de ea sine suspiriis non cogitaret, sine lachrymis non loqueretur, & si ad mensam aliquid legi audiret, ita in amorem pro se passi Domini rapiebatur, vt cibi, suique obliuisceretur. Multa sacrorum millia Deo offerri curauit, vt aliquid doloris persentisceret, in honorem Christi crucifixi. Impetrauit. Itaque feria quinta, singulis hebdomadis, cœpit incredibilem quendam pati cruciatum, quasi sub costis lancea acutissima esset traiecta, à latere per ipsa præcordia ascendente. Atque hunc cruciatum à die Iouis, vsque ad Sabbati diem, tanta patientia, quanta molestia sustinebat. Inquisitum est in huius tormenti causam post mortem illius, balsamoque imbuenda intestina, sunt euiscerata. Ibi eximii candoris inuentus est lapis, cordis humani speciem præseferens. In hoc alabastrino corde quinque lapilli, velut præcipuorum Christi vulnerum imagines infixi erant, gemmarum instar, ac sanguinearum guttarum lucidissimè punicantes. Basis illius alabastri, non tantùm more cordis vsitato, leniter acuminata erat, verùm etiam ita tenui mucrone cuspidata, vt quoties se verteret, intestina punctim excruciaret. Cor hoc alabastrinum, atque lapilli inter varios Principes, & monachos distributi, etiamnùm cùm honore asseruantur.

57. *Hieronymus Faber in monum. Eccles. Rauennæ, de Ecclesia S. Dominici*. In corpore B. Nicolai Rauennatensis ord. Sancti Dominici, post illius mortem apparuerunt stigmata Christi Domini.

58. *Sylos in Hist. Cler. Reg. Par. 1. lib. 10.* Dicere solebat dùm viueret Sor. Paula à S. Thoma, è D. Dominici sororibus, vt vocant, à pænitentia, gestare se corde crucifixum Dominum. Quod mox oculorum fide comprobatum Elata si quidem Virgine, repertum eiusmodi morientis Christi scena inscultum cor: quod hodieque in D. Mariæ à Sanitate Dominicani ordinis templo, Neapoli seruatur.

59. *In m. s.* In eodem monasterio S. Mariæ à Sanitate conspicitur cor incorruptum Ven. P. Io. Leonardi Litterensis ordinis Prædicatorum, in quo adhùc apparet vulnus illi dùm viueret, à Christo Domino inflictum.

60. *Dominicus Maria Marchesius in vita Ven. Mariæ Villanæ ord. Prædicatorum*. Assidua in Christi passione contemplanda meditatione, tàm efferuescebat spiritus Sor. Mariæ Villanæ, (quæ Neapoli obiit die 26. Martii an. 1670.) vt eiusdem passionis acerbissimos cruciatus quandòque pati, seu meliùs, degustare, fuerit à cælesti eius sponso dignata; præcipuè tamen sexta quauis feria, & in solemnioribus festiuitatibus, in manibus, & pedibus, sacrorum stigmatum, quibus, licet non apparentibus circatricibus, fuerat dulciter transuerberata, sensibiles experiebatur dolores; spineæ etiam coronæ, qua semel in extasim rapta coronata fuit, ne dùm cruciatus, sed & externa rubrique coloris apparentia signa, in fronte & capite præseferebat. Admirabilius tamen fuit vulnus, quo bis, semel ab Angelo ferreo cuspide, iterùm à Christo Domino ignea sagitta latus eius dexterum profundè vsque ad cor, amoris suauissimi insignum, dulciter percussum fuit: Quod admirabile vulnus aliquo tempore apertum, sanguineq. scatens, tandem, ipsa sponsum eius humiliter deprecante, extrinsecè sanatum fuit; corde tamen sensibiliter vulnus conseruante vsque ad mortem illius, annis scilicet quinquaginta, quod post eius obitum exsecto cadauere, in eius corde quotquot aderant obseruarunt; adhùcque est videre; cuius vulneris ora callum induxisse videntur.

Hìc non incongruum erit addere quasdam mirificas inscriptiones, seu imagines in quorundam cordibus diuinitùs insculptas; eiusmodi enim feruentissimi amoris, qui sacræ passionis insignia meruit, sunt & ipsæ manifestissimæ tesseræ.

61. *Ioannes Molanus lib. 3. cap. 7. imaginum*. Cùm tortores inquirerent à S. Ignatio martyre, cur nomen Iesu toties replicaret, ait, Hoc nomen cordi meo inscriptum habeo, & ideò ab eius inuocatione cessare non valeo. Post mortem igitur eius, illi, qui audierunt, volentes curiosiùs experiri, cor eius ab eius corpore auellunt, & illud scindentes per medium, totum cor eius inscriptum hoc nomine *Iesus Christus* litteris aureis inueniunt.

62 *Marraccius in Episcopis Marianis cap.* 14. §. 18. Fertur, in corde S. Petri Thomæ Patriarchæ Constantinopolitani, inscriptum fuisse augustum Virginis Mariæ nomen.

63. *Scardeon. l. 2. class. 6. de B. Eustachio Pat.* Obita morte, ad cælum feliciter euolauit: eo sane aspectu manente, vt non quidem mortua, sed ab omni prorsùs infirmitate erepta potiùs videretur. Erat enim mirabili odore fragrans, læta facie, & quasi subridenti similis, ex quo tantò venerabilior cunctis in morte visa est, quantò priùs in vita maiori contemptui à cunctis habita, præsentim quòd cùm sorores aliquot, quæ de more exuta tunica, lanea, defunctæ corpus lauarent, super mamillam eius sinistram, qua parte propior cordis est, nomen *Iesus* ita carni impressum esse conspexerunt, vt nullo pacto deleri, aut omninò tolli posset. Quod quidem miraculum idcircò ei euenisse creditur, quia tàm frequenter dicere solebat: Iesu fili Dei miserere mei: vt id verbum dormiens, & vigilans sępè nescia quid loqueretur, ex nimia consuetudine lingua proferret.

64. *Razzius in Virid. Exempl. de Venerat. Festorum, exemp. 3.* Erat quædam Virgo nobilis 14. annorum, quæ B. Virgini valdè erat deuota. Hęc gloriosam Virginem rogabat continuè septem annis, vt sibi dignaretur ostendere filium suum. Quæ cùm in vigilia Natiuitatis Domini orationis causa sola capellam intrasset, apparuit ei virgo pulcherrima tenens filium in manibus, & allocuta est Virginem Dei. Accipe filium meum, & lude cùm eo. Quæ gaudens fecit. Cui puer: Diligis ne me? Et

Et illa: Omninò. Et ille. Quantùm? Tunc illa: Plusquàm corpus meum. Cui puer: dic si diligis me? Et illa: Nescio dicere, sed ipsum cor loquatur: quo dicto, statim cor eius præ amore scissum est. Tunc B. Virgo accepta anima eius in concentu Angelorum deduxit in cælum. Ad cantum verò Angelorum familia cucurrit, & virginem mortuam inuenientes, odore innenarrabili sunt repleti. Et fratres Prædicatores, qui aderant, cor eius aperientes, scissum inuenerunt, & in eo scriptum aureis litteris. *Diligo te plùsquàm me, quia tu creasti, redemisti, dotasti me.*

65. *Berchorius in Red. moral. lib. 14. cap. 12.* Quidam, cùm omnia loca, in quibus Christus personaliter fuerat, visitasset, & vltimò esset in monte Oliueti, vndè Dominus ascendit in cœlum, nec ampliùs sequi eum valeret, nisi post ipsum in cęlum ascenderet; summo succensus gaudio, & summi amoris desiderio, expirauit ibidem. Apertum est autem eius cor, & in medio scriptum erat, *Amor meus Iesus.*

66. *Andreas Saussaius 27. Martij, ad Marty. Gallic.* Obiit hoc ipso die Cistercii piæ memoriæ Eustachius Monachus, vir insigni deuotione, & animi puritate: cui cùm mos fuisset, quotiès ante altare Virginis transibat, eius imaginem verbis Angelicis salutare: postquàm defunctus in area domus iaceret, in lingua, quam diuino nutu emittebat, salutatio Angelica aureis litteris inscripta apparuit. Quæ innuebat, ob præstitum sanctissimæ Deiparæ obsequium, amplam hanc apud Christum mercedem consecutum pium hunc cultorem, vt nomen suum libro vitæ in cœlo inscribi indelebili caractere promeruerit.

67. *Bzouius in annal. Eccles. an. 1270. num. 16. de B. Helena Virg.* Celestes litteræ auro diuinitùs in manibus eius inscriptæ, nonnunquam legebantur.

68. *In ann. Seruorum Cen. 2. lib. 1. cap. 8. de B. Ioanna Flor.* Dùm Virgines eius consortes, post mortem, eius corpus curarent, & de more abluerent; vna ei carissima discipula, & morum immitatrix, Ioanna Florentina, cùm extrema erga hanc piam Matrem super pectus procumbens summis lachrymis officia persolueret, doleretque vehementer, se talem magistram amisisse, super ipsius carnem circa cor, Iesu Christi imaginem infra rotundum circulum, veluti sigillo impressam, & obsignatam conspexit, vt indè agnoscerent posteri, quàm Beatæ Iulianæ semper cordi extitisset Iesu Christi passio, quemadmodùm antiquæ huius Virginis imagines Florentiæ, & alibi adhùc indicare possunt.

69. *In Paradiso Carmelitano an. 1591. de B. Ioanne à Yepe.* Inter hæc, miraculum illud miraculorum (sic illud Roma appellauit) non prætereundum duximus, videlicet in qualibet diuisionis particula corporis eius, mirabiles quasdam appariționes, & imagines Christi, & Spiritus Sancti sub specie Columbæ, & Virginis Mariæ, atque Sanctorum, & Angelorum multiformiter diuinitùs apparere, non tamen vniuersis easdem, nec singulis omnes: sicut eisdem aliquandò diuersas, & aliquibus penitùs nullas. Res sanè ex omni memoria ętatum ante hàc non audita.

70. *In vita B. Henrici Susonis, apud Bollandum 25. Ianuarij.* Nomen Iesu carni supra cor inscripsit stylo ferreo Henricus Suson, sanguine ex vulneribus manante, Iesumque orauit, vt rem perficeret. Multo tempore his amoris affectus vulneribus, tandem curatus est, mansitque nomen Iesus sic, vt optarat, in corde expressum. Litteræ autem ipsæ culmum planum latæ, & auricularis digiti articulum vnum longæ erant. Ad mortem vsque tulit hoc nomen in suo pectore. Quotiès cor motum fuisset, vnà etiam nomen ipsum commouebatur: fuitque maximè circa initia cumprimis luculentum. Erat autem ipse huius rei celantissimus, nec cuiquam vnquam, nisi vni duntaxat è sociis suis ex quadam intima, & spirituali familiaritate secretò visendum ipsum præbuit. Si quid postmodùm aduersi illi accidisset, hoc amoris signum contuebatur, & leuiùs ferebat.

His adnumerari possunt quæ dicta fuere in 1. Tom. cùm de admirandis lapillis inuentis in corporibus seruorum Dei, sacris imaginibus insignatis l. 5. in append. 1. ad cap. 1.

Cruces cęteris in rebus inuisibili manu depictæ, & exculptæ.

§. 4.

ALijs itidem in rebus hoc mirabile nostræ salutis signum diuinitùs insculptum aliquandò apparuit. De his.

1. *Io. Ludouicus de la cerda cap. 24. de excellentia Angelorum, ex Abdia.* Cum semel Apostolus Bartholomeus Astarothis simulachrũ confringeret, & templum ipsius vero Deo dedicare cuperet, Angelus Domini visibiliter apparuit, qui per templum illud circumuolans, in quatuor angulis eius, digito suo crucis signum lapidibus eius inculpsit; populumque allocutus, Dei nomine præcepit, vt idem signum frontibus imprimerent, quod ipse lapidibus insculpserat.

2. *S. Greg. Naz. in Orat. 1. in Iulianum.* Ferunt, cùm Iulianus Imperator sacris operam daret, exta animalium coronatam crucem edidisse. Quæ res cæteros quidem horrore, summaque solicitudine, & anxietate affecit, eòque adduxit, vt potentiam nostram persentiscerent.

3. *Raynald. an. 1210.* Miraculum contigit apud Tolosam in obsidione Minerbæ. In ciuitate illa propè palatiũ comitis Tolosæ est quædam Ecclesia fundata in honore B.M. Virginis; parietes autem illius Ecclesiæ de nouo erant forinsecùs dealbati, quadam autem die ad vesperum cęperunt videri infinitæ cruces in parietibus ipsius Ecclesię circumquaque, quæ videbantur quasi argenteæ, ipsis parietibus albiores, erant enim cruces semper in motu, apparentesque subitò, statim non videbantur, si quidem multi eas videbant, sed ostendere non valebant, ante enim quàm posset digitum leuare quis, disparuerat crux, cui volebat ostendere, nàm in modum coruscationis apparebant, nunc maiores, nunc mediæ, nunc minores: durauit visio ista ferè

per

per quindecim dies; singulis diebus ad vesperam.

4. *In actis S. Claræ*. Coram Pontifice Innocentio IV. iussa B. Clara panem benedicere, manum extulit, signumque crucis super illum formauit, & super panes crucis signum impressum, visum est; de quo pane seruata fuit pars, tanquam reliquiæ, reliquam comederunt.

5. *S. Gregorius in Dialog. lib. 1. cap. 11.* Quidam in prouincia Valeriæ, Martyrius nomine, deuotus valdè omnipotentis Dei famulus extitit, qui hoc de virtutibus suis testimonii signum dedit. Dùm quadam die fratres illius panem subcinericium fecissent, eique obliti essent crucis signum imprimere, sicut in hac prouincia crudi panes signo crucis signari solent, vt per quadras quatuor partiti videantur, idem Dei famulus affuit, eisque referentibus signatum non fuisse cognouit. Cùmque iàm panis ille prunis esset, & cineribus coopertus, dixit. Quare hunc minimè signastis? Qui hoc dicens, signum crucis digito contra prunas fecit. Quo signante, protinùs immensum crepitum panis dedit, ac si ingens in ignibus olla crepuisset. Qui dùm coctus postmodùm fuisset, ab igne subtractus, ea cruce signatus inuentus est, quam non contactus, sed fides fecit.

6. *Surius in Chron. an. 1559.* Decimo tertio Calendas Aprilis, annosa quædam fraxinus in ea regione Angliæ, quam veteres Cambriam, nos hodie Vualliam appellamus, violento ventorum impetu ita deiecta est, vt truncus arboris, licet media parte sui totus vi tempestatis diffisus, & dissectus, radicibus tamen suis adhùc inhærescens ad septem vsque pedes è terra extaret; ecce verò cùm ita arbor vasta hiatu distenderetur, in parte arboris interiore, crux humano pede longior apparuit, & quod magis mirere, eius pars, quæ humi strata est, eandem per omnia crucis figuram referebat: vt autem hæc res omnibus penè nostratibus innotesceret, indè factum est, quòd cùm crux illa non subitò euanuerit, sed per aliquod annos in eodem arboris trunco, non sine ingenti omnium stupore permanserit, magnus foret, ac frequens populi, tàm raræ, & celebris rei visendæ gratia, ad eum locum concursus.

7. *Arnoldus Rayssius in auct. ad natal. S.S. Belgij 3. Maij.* In pago Ascæ, mulier erat onusta debitis, cui, cùm pignoris loco vestem apud Iudæos vsuras exercentes deponere voluisset, iidem promiserunt grandem pecuniæ summam, quæ soluendis omnibus debitis, ac necessariis comparandis sufficeret, si sacrum Christi corpus ore sumptum, indèque clàm extractum, ad eos deferre vellet. Mulier auri cupiditate diuicta, facturam se pollicetur: ad sacram synaxim accedit, & Dominicum corpus in Paschate ore sacrilego sumptum, ex eoque sacrilega manu detractum, furtim templo adsportat, Iudæis id ipsum traditura. Verùm tanti sceleris in itinere conscientia illam stimulante, mutato animo, sacrum Christi corpus in aridam Alnum, fortè ibi in via repertam, deposuit. Mirum dictu! Alnus illa sumpto veluti à Dominico corpore vigore, refloruit; ac quàmuis prorsùs arida, frondibus, & ramis iucundissimè exornata est. Quo miraculo attoniti omnes, vndèquaque ad prædictam arborem confluxere, plurimisque ibi cæcis, claudis, ac aliis languentibus diuino munere sanitas restituta. Hinc factum, vt cùm assiduo peregrinorum concursu segetes circùmquaque arborem illam latè conculcarentur, fundi possessor arrepta securi arborem abscindere sit aggressus: verùm inter ipsum opus, singula ligni segmenta bina inter se inuicem crucis in morem, sanguineque respersa, decidere vidit. Quod etiam cùm mulier illa vnà cùm aliis, quos rei nouitas eò pertraxerat, stupens animaduertisset, totam tandem rei seriem tremens aperuit. Hoc verò audito incolæ, vnanimi consensu è prædictæ arboris ligno crucem efformari curauerunt, ac in Ascæ pagi Ecclesia ad honorem, & memoriam venerabilis Sacramenti adseruari: vbi in dies magna, & stupenda patrata fuere miracula. Exindè cùm vice quadam peregrini aliqui, crucis illius videndæ cupidi Ascam contenderent, & in via, nùm adhùc ab eo loco longè remoti essent, à rusticis quibusdam expetijssent. Eorum vnus: O stulti, inquit, tantosne crucis huius ergo labores adsumitis? cui non plùs ego fidei, quàm crucis illi super nucem istam positæ (arborem quandam nucem iuxta demonstrando) adhibeo. Mox verò, tùm ipse, tùm peregrini in designatam arborem oculos attollentes, spectabilem Crucem in illius medio conspexerunt; quam humiliter genibus flexis sunt venerati. Euulgato miraculo, clerus ac populus supplicatione solemni, crucem illam mox detulerunt in templum, & iuxta maiorem alteram crucem posuerunt. Res tota cùm Pontifici Benedicto XII. innotuisset, plurimas indulgentias, cruces easdem in Asca piè, & religiosè visitantibus, liberaliter concessit.

8. *Io. Baptista Signius de ordine & statu Canonic. lib. 3. cap. 8. an. 1422.* Circa hoc tempus, in Florentino conuentu Canonicorum Scop. cùm quidam nouitius iussu Generalis aridum vitis sarmentum irrigasset, non post multos menses viriditati restitutum fuit; & quod est magis mirabile, sequenti anno vuas ad maturitatem copiosè protulit, quæ ad euidentiorem prodigii demonstrationem, per singula grana, signum crucis insculptum habebant, & sic perseuerauit ad eius monasterij direptionem vsque, anno 1529. mense Nouembri factam.

9. *Trigautius de Christianis triumphis apud Iaponios lib. 1. cap. 3.* Anno Domini 1611. & 1612. dum in duobus oppidis Omuræ Iaponensis insulæ, Cori scilicet, & Nangasaqui, duæ dolarentur arbores, ficus Iaponenses nuncupatæ, mirabiliter in medio earum, nigræ cruces diligentissimo artificio à natura elaboratæ fuerunt repertæ, quas vt miraculosas cognouerunt omnes, prodigiaque, & miracula, quæ ob ipsas euenere, tales demostrarunt.

10. *Daniel Bartolus in prima part. Asiæ lib. 1.* Cùm ob susceptam fidem catholicam, in Manaria à Rege Giafanapatam in India, ipse primogenitus filius crudeli morte necatus fuisset, eo in loco, in quo humatus fuerat, sequenti die apparuit crux in terra efformata, illius longitudinis, ac fuerat sepultum

pultum cadauer, quam cùm gentiles puluere tollere tentassent, altera die iterum apparuit, quod & tertiò accidit, eadem semper à Barbaris affecta iniuria; ac tandem alia terribilis apparuit in aere, tota ignita, radiisque circumdata, quo prodigio,& meritum sanguinis effusi fuit demonstratum,& multi ad fidem sunt conuersi.

11. *Idem in 2.parte Iaponis lib. 2.* Anno Domini 1589.cùm in peruigilio Natiuitatis Domini quidam Iaponensis in oppido vulgò *Obama* propè Arimam, ligna excideret, in medio cuiusdam arboris, admirabilem Crucem à natura, seù ab auctore naturæ, mirabiliter efformatam comperit. Hanc ceù cæleste donum in argentea theca reponendam Episcopus curauit, prodigiaque admiranda, quæ in illius contactu euenere, è cœlo delapsam demonstrarunt. Simile eadem in insula accidit prodigium paulò post, VI Id.Feb.an.1592.quandò in oppido vulgò *Facunda* alius Indus arborem scindens, in eius medio quatuor mirabiles exculptas cruces adinuenit.

12. *Thiepolus de Pass.Dom.Trac.12.c.33.* Dùm B.Adimarus ord. S. Francisci,ad aram faceret,tanto spiritus ardore mysteria passionis Christi meditabatur,vt profusas ex oculis emitteret lachrymas, quæ lachrymæ in superposita corporalia cadentes, in ipsis, cruces cærulei coloris mirabiliter efformabant; vt adhuc est videre in illis, quæ in aliquibus Ecclesiis conseruantur.

13. *Aldrouandus in musæo metallico lib.4.* In Heluetia anno quinquagesimo sexto post sesquimillesimum,die lunę,post festum diui Galli non procùl ab oppido Vuinterhut, in Theso flumine, tres lapides naturæ siliceæ inuenti fuerunt, in quorum primo crux Heluetica, gladius, & virga conspiciebantur; in reliquis duobus, Crux & insignia Burgundiaca, à natura perfectè formata visebantur.

14. *Baronius an.389.num.* 100. Destructo Alexandriæ templo Serapidis, in imo diruti delubri, lapides signo crucis incisi adinuenti fuere.

15. *Ioannes Eusebius de mirac. naturæ lib. 1. cap.7.* Apud Piedras Buenas lapides inuenti sunt, crucis figuram exhibentes.

Alia admiranda circa cruces, sequentibus in §. notabuntur, cùm de spectantibus ad Imagines sacras; iis enim locis magis conuenire videntur.

Cruces, Angelorum ministerio nobis donatæ.

§. 5.

PRetiosas è cælo Cruces aliquandò efficaces impetrarunt preces, Angelorumque ministerio mirabiliter hæ nobis donatæ fuere. De his.

1. *Baronius in an. Ecclesi. an.* 791. Decoratur Onetensis Ecclesia Angelici miraculi nouitate; dùm enim quadam die Rex Hispaniæ Alphonsus II.haberet casu coram se pondus auri splendidissimi, & quosdam lapides pretiosos, cogitare cæpit intra se, quomodò ad opus diuini altaris indè crux fieri posset, ita sancta Regis deuotione existente: Cùm post auditam missam, à templo nostri Saluatoris Regale palatium peteret, obuiàm habuit duos Angelos in figura peregrinorum, qui se aurifices esse dixerunt. Rex autem illicò tradidit eis aurum, & lapides, & iussit illis dari domum, in qua possent sine impedimento hominum operari: sed Rex dùm pranderet ad se reuersus, quibus personis dederit aurum, inquirit, & statim vnum legatum post alium misit, vt viderent quid ignoti aurifices facerent, Iàm ministri domui fabricæ accedebant, cùm subitò tanta lux intrà domum resplenduit, vt non possent eam oculi humani aspicere præ nimia claritate. Et cùm nunciatum Regi fuisset, citò accurrit ad domum, & Crucem solam sine aurificibus reperit, atque totam domum sicut Sole irradiatam. Rex autem accipiens benedictam crucem, conuocato omni clero, cùm laudibus,& hymnis Deo gratias agens, eandem supra altare S.Saluatoris reuerenter posuit.

2. *Baronius in ann. Eccl.ann.* 1169. Cùm Agareni diuina virtute impediti, haùd valuissent deponere crucem, quàm supra sepulchrum Matris Soldani de Iconio Christianæ, eius filius, licet Paganus, iubente matre adhùc viua, insserat apponi. Apparuit Angelus Domini, & clarissimum signum crucis posuit super pyramidem illam, ex quo multi crediderunt in Christum, & adhùc crucem illam venerantur, & adorant.

3. *Alphonsus Ciaconus de Signo Crucis cap. 35.* An.Domini 1230. Ginesius Perez Cirinus sacerdos, à Mauro Rege carceri mancipatus, eo quod Mauros superstitionis,& impietatis redargueret; semel sacrificium more Christiano in arce oppidi Carabacensis iussus est celebrare. Igitur Ginesius sacerdotalibus indumentis inornatus, araque instructa, sacrificium iàm erat auspicaturus, cùm aduertens crucem abesse, constitit; causàm moræ Rex sciscitatus, Crucem deesse dixit, *quæ huiusmodi* ministerio consueseit adhiberi. *Vix hæc fuerat effatus*, cùm fornice, qui altari imminebat, deiscente, magnus splendor effulsit, & per illum hiatum duo Angeli è cęlo illapsi, crucē ligneam bipalmarem deferentes, super altare paratum deposuerunt; sanctoq. sacerdoti aperuere, se Hierosolyma isthùc aduolasse, atque à Roberto Patriarcha, *ex vero* Crucis ligno signum illud salutis tulisse, vt sacris eo die operari ei liceret. Huiusmodi Crux adhùc in oppido Carauacæ magno cùm honore habetur.

4. *In Ecclesi., Historia*. In superiori Bauaria Augustanę diæcesis, in monasterio Andecensi montis Sancti asseruatur Crux aurea, quam Carolo Magno ab Angelo allatam, multisque victoriis nobilitatam, ac ab eo Pipino filio donatam, referunt annales.

5. *Signius capit.2.* Crux è cœlo demissa est populo Brixiano, quam Auream flammam ipsi vocant.

6. *Surius de S.Landrada Virg.8.Iulij.* In medio quietæ noctis silentio, Landradæ vigilanti, actes meditanti diuinas, cælitùs magno cùm lumine demissa crux est operis quidem admirandi, quæ in lapidem appositum delapsa, petram, quasi mollissimam ceram impressit, ac sui imaginem inibi conformauit. Quin & audita vox est: accipe hoc ab im-

ab immortali sponso pignus amoris. Dei Virgo tali dono lætissima, oblita ætatis, & sexus, suis ipsa manibus arduum opus aggreditur, & vt nihil est amanti difficile, vepres, & spinas euellere incipit, humum purgare pergit, & memoriam Dei genitricis,& Virginis Mariæ locare, ac ponere perseuerat.

7. *Idem in vita Sancti Bernuardi Episcopi Hildesiensis 20. Nouemb.* Cùm Vener. Pontifex Bernuardus, thecam auro, gemmisque lautissimam, in qua viuificum lignum crucis includeret, pararet, ac cùm tribus particulis Sancti Ligni, quartam, si fieri posset, excidere tentaret, vt per singulas apsides portiones conderet, nec gracilitas, nec paruitas quacunque ex causa sectionem admitteret, ecce subitò inter manus eius quarta particula eiusdem sacratissimi ligni, Angelico, vt creditur, ministerio delata apparuit. Mox igitur lætus Præsul, lignum sanctum per quatuor apsides parauit.

8. *In actis S.Thiadildis Virg.30.Ianuarij apud Boll.* Die quadam, cùm deuotiùs orationi insisteret, repentè per testudinem templi, Sancta crux cęlitùs missa cecidit ante pedes eius super pauimentum, quasi ceræ esset impressa, ita quòd omnes lapides, qui positi erant in S.Cruce, apparerent in pauimento. Cùmque venerabilis Abbatissa hæc cerneret, gauisa est gaudio magno, & confestim vocari fecit presbyterum, qui eandem crucem super altare cùm summa veneratione collocaret: quam etiam ipsa cùm vniuersa congregatione sua in maximo honore habuit quamdiù vixit.

9. *In martyr.Gallicano 12. Kal. Ian. de Vener. Ioanne de Mata.* Huic Vener., cùm primùm sacrum Parisijs celebraret, præsente Mauricio de Soliaco vrbico Pontifice, cùm Archimandritis Sanctæ Genouefæ, & Sancti Victoris, Rectoreque vniuersitatis, & multa Clericorum, & ciuium turba; in ipsa viuificæ hostiæ adoratione, Angelum (tradunt scriptores) candida veste apparuisse, Crucem coccineo, & cęruleo colore mediatim expressam, ipsi afferentem, decussatisque manibus, & transuersis super duorum captiuorum prostratorum capita, illum de eorum curanda redemptione, & ordinis institutione, diuino ex nutu admonentem. Quæ visio, vt illum ad tàm magnum opus incitauit, sic & deinceps in stemma cessit perpetuum fundati ab eo ordinis, etiamnùm vigentis magno orbis Christiani solatio, & ornamento.

10. *In vita S. Ephisij m.Calaris in Sardinia.* Semel ecce præfulsit S. Ephisio crystallina crux, è cœlo Dei munere labens, cùm voce præmonente: ego sum Christus filius Dei viui à Iudæis crucifixus, quo prodigio totus ad Christum conuersus est.

11. *Chrysostomus Herinquez in notis ad menolog. 22.Iannuarij, de B.Vualtero.* Cùm aliquandò sacrificio missæ interesset, & sacerdos post consecrationem, calicem more solito eleuasset, vidit iuxta ipsum calicem, crucem auream miri decoris, & chartulam, hæc verba continentem: Crucem hanc defer ex parte mea (Mariæ scilicet matris Christi) amico meo Vualtero militi propè Bierbact: Qui stupefactus, absoluto sacro, eidem Vualtero crucem, & chartam tradidit: Porrò crux illa tanti fulgoris erat, vt omne aurum in eius pallesceret comparatione: quam diù Hemmenrodenses summo honore seruarunt, & postmodùm in Hollandiam transtulerunt, petente eiusdem Prouinciæ Comitissa.

12. *Vading.an.1406.de B. Coleta.* Inter alias reliquias, quas S. Ecclesia, ita, vt par est, veneratur, singulari reuerentia prosequebatur Coleta Lignum S.Crucis, ad quam Christus affigi voluit, cupiebatque vehementissimè particulam aliquam eius crucis sibi præberi. Itaque, ne suo frau-daretur desiderio, cœlitùs ei missa fuit crux aurea, sed parua, cui inclusa fuit portio quædam veræ crucis Christi, quam illa deuotè, & reuerenter seruauit, multique eam viderunt, & manibus tenuerunt. Asserebat autem Coleta pro certo, crucem illam auream humano opere minimè confectam.

13. *Felix Astulphus in Histor. Imag. Beatæ Mariæ libr.9.* Cùm semel Beata Virgo Maria, Agneti Politianæ apparuisset, illique puerulum Iesum in vlnas tradidisset, post multos, suauesque amplexus, eundem illa matri restituit; at priùs ex ipsius collo pendentem crucem ab eo abstulit, vtq. pretiosissimum donum toto tempore vitę habuit: Hæc crux vsque modò conseruatur & colitur summa veneratione in eius monasterio.

14. *Franciscus de Sancta Maria in Chronicis Discalceat.tom.1.lib.1. cap.26.* Iesus Christus apparens S.Teresiæ, crucem ligneam, quam coronæ precarię appositam tenebat, ab illa desumens, eandem Virgini reddidit, non vt priùs formam ligneam præseferentem, sed veluti ex quatuor pretiosissimis lapillis compactam, in quibus quinque cicatrices vulnerum Christi apparebant, sicque deinceps cùm tali specie illam obseruauit, licet vt lignea ab aliis conspiceretur.

15. *Gaspar Sanctius in capit. 9. Ezechielis.* An.1514. cùm quidam pastores propè oppidum Albalatæ, quod est in extremis propè finibus Caracinorum in Toletana diœcesi, in agro ad Tagi ripam nocte quadam gregem ponere statuissent: Canis gregis custos sub mediæ noctis silentium exsoluit se, erupitque ad eam partem, quam alluit proximè fluuius; & quasi odoratus illic aliquid, fodit terram vnguibus, latratuque significat, latere ibi pretiosam aliquam, & opportunam prædam. Accurrunt pastores, cùmq. se deceptos esse putarent, reducunt canem, illumq. multò quàm antea accuratiùs adstringunt: erumpit tamen rursùs, & eòdem se, vndè adductus fuerat, quàm ocyssimè refert, quod cùm semel reddùctus, & tertiò ruptis vinculis fecisset; tandem ibidem crucem ex aurichalco inaurato inueniunt, donum planè cæleste, quo nulla, aut gratior, aut optata venatio poterat accidere.

16 *In m.s.f.* In montibus vulgò *del Monseni* diœcesis Vici Aquarii in Catalaunia, venerabilis extructa est Ecclesia, in qua piè coluntur duę cruces ob insigne prodigium admirabiles. Has eodem in loco, quadam in spelunca reposuerat olìm S. Sigismundus Rex Burgundię, & marty. dùm ibidem vitam degeret solitariam; occiso autem S. Martyre, diruta-

R

rutaque spelunca, & cruces pariter sepultæ fuerunt: mirabiliter autem inuentæ sunt, dùm quidam taurus, quotidiè ad prædictum locum fugiens, ibique genuflexus, mugitus, ceù reliquias occultas venerando, emitteret; prodigium enim admirantes incolæ, iubente Episcopo, terram in eodem loco fodientes, sacras cruces adinuenerunt: quæ tamen dùm ter varias in Ecclesias translatæ fuissent, vt decenter collocarentur, iterùm ad speluncam sunt reuersæ. Quare ibidem Ecclesiam ædificandam, in eaque sacras reponendas cruces, statutum est, quæ vsque modò videtur.

17. *Franciscus Sansouinus de vrbis Venetæ rebus lib.2.* In S. Petri Cathedrali Ecclesia Venetijs asseruatur crux ærea, quæ in aquarum superficie stans est reperta, solemnique processione in hunc locum delata fuit.

APPENDIX AD CAPVT I.

Circa Crucem, Admiranda quædam perennia.

QVædam admiranda, quæ in sacro signo crucis, aut adhùc perennant, aut eorum adhùc apparent indicia, maximè erga tàm venerabile, adorandumue signum, promouent Christianorum pietatem. De his.

1. *Ioannes Eusebius Nieremberg. lib. 1. de mirac. nat. capit.* 34. Admiratione dignissimum est, in omnibus ædificiis, quæ iussu, & sumptibus celeberrimi, & magni viri D. Petri Gonzaliz de Mendoza, Cardinalis tituli S. Crucis, constructa in Hispania sunt, spontè enasci herbulam, quæ crucem perfectè formet in medio atriorum. Res digna visu, & miraculo habita. Erat hic Cardinalis, sanctissimæ crucis præcipuus cultor: vbicumque salutiferum hoc signum offendebat, supplex adorabat.

2. *Idem ibidem lib. 1. cap.* 22. Nisi oculati testes plenam fidem fecissent, scriptisque (præcipuè Gallæciæ descriptor Molina) quæ de portu Mongiæ narrantur, vix credi possent. Excrescentes marini fluctus, dùm saxa offendunt, Cruces, & ballistas perfectissimè sculptas in ipsis saxis formant, quæ detumente pelago, effigiatæ apparent. At rursùs æstus Oceani sequenti die omnes delet, & in aliis rupium partibus alias sculpit, delendas quoque succedenti æstu, & alibi imprimendas.

3. *Idem lib. 3. cap. 7. de curiosa Philosophia.* In Hispania propè Soriam ciuitatem, nobili vetustate insignem, inueniuntur lapides, vndèquaque scissi, crucem figurantes.

4. *Petra Sancta in mirac. perpet. capit.* 13. In Lusitaniæ oppido perantiquo, & nobili, cui nomen Bauellos, Diœcesis Bracharensis, sacellum est Boni Iesu quod appellant, & circa illud extra oppidi muros situm, cruces magnæ in sabulo apparent, tàm graphicè conformatæ, quasi ex magisterio artis fierent: manent verò horas aliquot, & vanescunt, & aliæ rursùs prodeunt. Cùm id autem variis anni diebus eueniat, stati aliquot sunt dies tamen, in quibus esse nunquam desiderantur, nempè in vtraque annua celebritate Inuentionis, & Exaltationis S. Crucis; Et sexta feria hebdomadæ maioris, confluunt ad spectaculum innumeri, & cùm religionis causa, terram eruant, secùmque indidem exportent, æquale solum semper, sabulo succrescente in ea planicie, conseruatur.

5. *Idem ibidem.* Bisulduni crux in sacrario habetur, quæ agitatur spontè, ac strepitum edit, quotiescunque imminent nimbi, aut graues tempestates.

6. *Idem ibidem.* Crucis Carabacensis peculiaris, & profectò mira virtus est, conuellere, & dissipare aeris tempestates, quas excitant frequentissimè in ea regione mundi rectores, & tenebrarum aereæ potestates.

7. *Idem ibidem.* Quotiès Mauri Regni Granatensis oppidum, arcemque Carabacæ (vbi supradicta miraculosa crux asseruatur) inuadere deliberarunt, semper arcula pulsum, & tinnitum edidit, intra quam est crux Carabacensis, & moniti excubitores, ad arma præsidiaros milites, ciuesque appellarunt, barbaris hostibus admirantibus, arcana sua prodi consilia, & propugnatores acie disposita egredi ad ipsos pellendos, quandò nec scire quidem debuissent, se vtique aduentare. Quinimmò aliquandò indicium dedit proditionis iàm dispositæ à nefarijs quibusdam, quibus auri cupiditas, quàm salus publica potior fuerat.

8. *Idem ibidem.* Quotannis in supradicto oppido instituitur supplicatio solemnis tertio die Maii, in qua supradicta crux Carabacensis circumfertur, & tunc ima eius crucis parte riuus oppidi attingitur, atque aquæ medicatæ, non modò ægros sanant, sed agros aspersione liberant ab omni frugum contagio, locustas abigunt, incommodaque alia propulsant.

9. *Idem ibidem.* In Vuestphaliæ oppido Aromberg propè Monasteriensem ciuitatem, crux frequentatur summa veneratione, cultuque, de qua quotannis mira denarrantur.

10. *In actis Sancti Kentigerni Episcopi, apud Bollandum 13. Ian.* Cùm crucem quandam miræ magnitudinis lapideam in cæmeterio Glascuensi multi viri erigere non valerent: fusa ad Deum Sancti prece, Angelus in nocte de cœlo descendens, crucem illam erexit, benedixit, sanctificauit, & recessit. Ibi autem virtute diuina sanitatem perfectam multi posteà meritis Kentigerni consequi meruerunt. Aliam crucem in locis illis de sola arena maris erexit, quam nulla aeris inclementia vsquam dissoluere valet: vbi variis languoribus grauati, furiosi, & dæmoniis vexati, sanantur.

11. *In m. s. s.* In pago Bressiæ diœcesis Cabilonensis propè Sanctum Gandulphum, vitis quædam extare dicitur, quæ singulis in acinis, singulas naturaliter profert cruces, ac de illius vuis, multi vidisse, & manducasse se sæpiùs asserunt, & ne rei nouitatem naturæ prorsùs, aut loci temperiei tribuatur, hæc vna vitis huiusmodi vuas prefert; porrò cæteræ vuæ ab aliis non discernuntur.

12. *In m. s. s.* In oppido Sonciani Diœcesis Cremonensis, quidam annulus reperitur, quo à Christo Domino desponsata fuit Beata Stephana de

de Soncino ord. S. Dominici: Huic rubeus affixus est lapis, in quem quilibet aspiciens, vel imaginem Christi, vel instrumenta passionis, crucem scilicet, lanceam, spineam coronam, mirabiliter apparere, admiratur.

13. *In m. s. s.* De cruce Carauacæ hoc produnt artifices, qui similes cruces efformant, licet diligentissimè mensuram sumant, vt prototypæ efficiant per omnia pares, tùm quòad crassitiem, tùm quòad longitudinem, & latitudinem, dùm cùm ea eas conferunt, semper in aliquo discrepare deprehendunt, adeò vt nunquam ex æquo respondere illi primæ reperiantur.

14. *Nider in Formicario libr. 4. cap. 6.* Habet hodiè Marchio Badensis in Theuthonia, lapidem pretiosum, & visu pulchrum, qui in quacunque parte inspicitur, cuique Christi crucifixi imaginem distinctè in se ostendit. Qui immunditiam menstruatæ adeò fugit, vt à tali visus, statim caligine tetra in parte obducitur, quæ tamen successiuè, & succedentibus annis paulatim de se abscedit.

CAPVT II.

De Admirandis circa cultum Imaginum, Saluatoris, Deiparæ, & Sanctorum. Imagines cælitùs efformatæ.

§. I.

VT hominum veneratio, ac pietas erga Deum, & cælites prouocaretur, inuisibiliaque Dei per ea, quæ facta sunt, intellecta ab ipsis conspicerentur; ipse Deus, cælestes Genii, cæterique, quos in cælo perennare credimus, quandòque diuinitùs, cælestique penicillo admirandis imaginibus expressi fuere; sicque, qui visibiles non sunt, aut corporei, animosque ad venerationem haùd facilè mouere valent, humanis oculis hoc pacto repræsentati, eorum deuotionem, ergaque ipsos cultum irritant, promouentque. De his.

1. *Baronius anno Christi 31. & 610.* Abagaro Edessæ Regi, imaginem Christi Saluatoris efflagitanti, eam in mantili, quo faciem exterserat, sudore eius diuinitùs impressam, ipsum Dominum misisse, sacræ historiæ tradunt. Hæc ibi diù latuit, sed Cosroe Persarum tyranno Edessam vrbem obsidente, diuinitùs patefacta est Eulalio Episcopo, atque eius fidem confirmarunt admiranda prodigia; nam lychnus ante ipsam accensus ita semper arsit, vt extingui non potuerit. Tentata eius translatio est, sed fulgetris, ac tonitruis impedita. Quotiès ingruerunt bella, propugnaculum, & præsidium Christianis fuit. Quo circa Heraclius Imperator eam secùm efferre solitus erat ad bellicas expeditiones. Hæc tandem Romam perlata, ibi hactenùs colitur in titulo S. Siluestri.

2. *Ioannes Euseb. libr. xi. de origine sac. scrip. cap. 3.* A nonnullis quoque proditum memoriæ extat, ex quibus Carduchus septimo id collegit Dialogo, eam imaginem à Christo Domino ad Abagarum missam per Ananiam, in itinere iuxta tabulam locatam, ex contactu alteram ipsi tabulæ miraculosè communicasse, prævio id significante splendore cùm totius cubiculi illustratione. Deindè ipsissimam Christi imaginem iussu Abagari in aditu Edessæ constitutam, vsq. ad nepotem ipsius Regis idololatriæ tabe infectum: is iussit Christi effigiem indè tolli, cuius præcepti conscius Edessenus Episc. opposito illam occlusit latere, postq. quingentos annos reperta, alteram quoq. sui similem effigiem in ipsum transfudisse laterem visa est.

3. *Christianus Adrichomius in descript. Hierusalem n. 44.* Dùm Christus Dominus Crucem ad Caluariæ montem, vt ibi crucifigeretur, ferret, Veronica pia fœmina lineum capitis sui peplum illi dedit, quo faciem suam tergeret, cui Dominus faciei suæ imaginem perfectè impressit, eique in amoris sui pignus reddidit. Quod in hodiernum vsque diem Christi facie insignitum, Romæ in S. Petri basilica in Vaticano monte grandi honore asseruatur, & statis diebus populo ostenditur.

4. *Paleotus, de Christi stigmatibus.* Christus, non tantùm viuus, sed & mortuus viuam sui ipsius effigiem, sindoni, cui inuolutus fuit, inscripsit: vbi mirabili prorsùs modo cùm maioribus vulnerum cicatricibus, totiusq. laceri corporis exacta expressione, minutiores etiam plagę cruentis characteribus exaratæ ad oculum patent. Hæc olim Camberii, apud Serenissi. Allobrogum Duces summo loco habita, nunc Augustæ Taurinorum in eorundem ditione religiosissimè seruatur, ac colitur: quam Paulus II. Sixtus IV. Iulius II. Clemens VII. publico nomine approbatam, vario honore cumularunt.

5. *Baronius t. 10. an. 944.* Cùm aliquandò Photius, qui Patritiatus honore clarus, moribus etiam clarior fuit, afferret litteras B. viro Paulo primo Eremitæ, easq. illi dedisset, & postmodùm ad reditũ Constantinopolim accingeretur, vnum ab eo Sanctus petiit, vt non manufactæ Christi imagini, quam mantile sanctum appellare mos erat (illud scil. quod Abagaro miserat Christus Dominus, quod tunc ibi conseruabatur) lineum ęquale velũ applicaret, idq. sibi mittere ne grauaretur. Factum est quod postulabat S. Senex, missumq. velum ex animi sententia, quod cùm expandisset vir sanctus, Christi effigiem in eo adamussim expressam, & figuræ figuram exactissimam vidit, aliis autem nihil tale apparebat.

6. *Ferrandus de Reliquijs.* Temporibus Tiberij Imper. occasione magni incendii, apertã capsulam, in qua in hierotheca asseruabatur sac. Domini effigies Edessena non manu facta, à flammis mirabiliter circumambientibus illæsam, intactamque repererere sacerdotes, quin & telam sericam (quam illi imposuerat religiosissima, quædam matrona, dùm semel ad faciendam sibi malè affectæ medicinam à sacrarij custodibus obtinuerat, ipsam in lararium domesticum transferendi) imagini tollentes, eandem prorsùs, & geminam illi archetypæ, Domini formam sine vllius ope insignem inuenerunt, laudatoque super hoc beneficio numine, exosculantes imaginem, fœminæ laboranti imposuerunt, quæ subitò sibi penitùs restituta consurrexit,

rexit, Deoque debitas laudes cùm toto sacerdotum, & populi cœtu persoluit.

7. *Ex Eccl. Histor.* Quo primùm tempore Romæ publicè consecrata fuit Basilica Lateranensis à S. Siluestro Papa, Ecclesiæ pace concessa à Constantino Magno, Imago Saluatoris in pariete mirabiliter depicta apparuit populo Romano.

8. *Cæsar Franciottus de viris illust. Luca.* Antiqua circa Sanctum Vultum, qui Lucæ colitur, traditio est, Nicodemum, cùm huius sanctæ imaginis faciem esset formaturus, animo excidisse, nec se parem tantæ rei perficiendæ putasse; interimque somno correptum fuisse, à quo excitatum diuinitùs formatum vultum inuenisse.

9. *Ex libello de sacello Sancta Sanctorum Romæ.* In Sacello, Sancta Sanctorum appellato, conseruatur imago Saluatoris incepta à S. Luca ad petitionem Beatæ Virginis Mariæ, & completa per manus Angelicas.

10. *Gonzaga in Prouincia Valentia, de conuentu Dominæ nostræ de Angelis Pomerij.* Est in præsentis monasterii Ecclesia, tabella Saluatoris Christi vultu exornata, quam Pomerianus idem populus singulari veneratione prosequitur. Hanc cùm deuota quædam fœmina apud se depictam affectaret, nec pictoris copia sibi adesset, dùm quodam mane è lecto surgeret, huiusmodi imaginem præter spem tabulæ impressam conspexit. Quam tamen summè venerata, quòd se eius retinendæ indignam iudicaret, ad hunc conuentum à 20. fratribus frequentiùs incultum, maxima cùm solemnitate deducendam curauit.

11. *Franc. Quaresmius in Elucid. terræ Sanctæ t. 2. li. 4. peregr. 1. c. 12.* In pago dicto Reymst, inter Traiectos, & Tungros sito, erat quondam quidam miles, qui ad sepulchrum Domini ierat; regressus dixit filiæ: Filia ecce hanc nucem, quam iuxta sepulchrum Domini Ierosolymis reperi, tibi pro specialissimo dono dando reseruaui. Qua nuce ab ipsa deuotè accepta, eam in horto Patris sui plantauit, ex qua imago Crucifixi excreuit. Ferunt tentatum non semel fuisse illam ad viuum pingere, sed semper omnes respuisse colores. Denique cùm esset in quodam altare in aquilonari Ecclesiæ parte, & vellent illam in magis honesto collocare loco, postridie semper in eodem loco inuenta est.

12. *Idem ibidem to. 2. lib. 4. cap. 10.* Iuxta vrbem Hierosolymitanam, olim lilium elegans stetit, quod Religiosi è familia S. Francisci, dùm fortè decerpunt: ecce adnatum radici, & superexpansum diuinitùs crucifixum bipalmarem, eumque ceù manu statuarii fabre factum attoniti reperere. Inde in Belgium, cænobiumq. Donsanum tertio lapide ab vrbe Gandensi dissitum, ante annos circiter centum à peregrinis translatus est, pluribusq. miraculis claruit. Deindè verò ob temporis, tumultuumque iniuriam ducta Gandauum colonia, eadem prodigiosa radix apud eiusdem familiæ Donsanas Virgines, eburneæ capsulæ, atque argenteæ Cruci inclusa hùc vsq. celebratur. Porrò etiānùm liquidò deprehendes dexteræ genæ, ex alapa sanguineum vulnus: totius oris, omniumq. membrorum accuratum discrimen, quinimmò cæsariem, barbamq. promissam, sensim crescere, multosque potantes aquam, cui hæc radix immersa, ab æstu febrium liberari.

13. *Berchorius in Reduc. moral. li. 14. cap. 12.* In Cypro fertur quondam fuisse arborē, cuius fructus, seu poma in quotcunq. partes inciderentur, semper in qualibet particula crucifixi imago videbatur.

14. *Spondanus tom. 1. an. 1284. num. 6.* Cùm in insula Vratislauiensi, Ecclesia S. Crucis conderetur, & fundamenta pararentur, reperta est ex radice arboris in terra enata imago Christi crucifixi, tanta proportione singulorum membrorum, vt à perfectissima sculptoris arte facta videretur, quæ hodièque in eadem Ecclesia seruatur.

15. *Ioannes Nider in Formicario l. 4. c. 6.* In Regno Granatæ inter Saracenos quodam tempore fuit arbor pomifera, cuius fructus qualitercumque inciderentur, semper in parte incisa, imago Crucifixi claro apparebat aspectu.

16. *Alonsus de Oualle in Hist. Reg. Cilensis l. 1. c. 23.* An. Dom. 1536. in valle Limaci Regni Cilensis; dùm quidam Indus scinderet ligna, arborem inuenit mirabiliter in formam crucis efformatam, super ipsamque aduertit imaginem Saluatoris crucifixi, ita mirabiliter apparentem, ac si opera artificis insculpta fuisset. Qui euentus magnam admirationem omnibus causauit, illamque in nobiliorem locum transferendo, magna cùm veneratione habuerunt.

17. *Iacobus Bosius in libr. de triumphanti Cruce.* In Hispania, in monasterio S. Benedicti Regii Vallisoletanæ ciuitatis, magna pietate, & veneratione asseruatur admirabilis crucifixi imago, quæ vulgò *el Crocefisso della Cepa* appellatur; qui crucifixus peruetusta & communiter recepta traditione constanter creditur, ex vitis cuiusdam radicis stipite admirabiliter natus esse.

18. *Ægydius Gelenius in Col. Agrip. de monasterio B. Mariæ Magdalenæ.* In sacello B. Mariæ Magdalenæ, vulgò apud Albas dominas, sub cænobii surgētis incunabula, Monialis fuit, quæ sodales suas pio erga Dominicam passionem affectu, longè antecellebat; hæc cùm dies noctesq. hæreret coràm quadam in ambitu crucifixi imagine, reliquas offendit sorores, quasi communis vitæ limitem excedendo, singularitate aliqua, præ reliquis, sanctitatis prærogatiuam affectaret: itaque ei dictam Crucem, quam apprimè venerabatur, sustulerunt. Pia Virgo, cùm imaginis dilecti sui absentiam grauiùs, vt par erat, ferret, & multo lachrymarum imbre, furtum hoc incusaret, suumque desiderium pasceret, ecce tibi, ex arenti materia lachrymis copiosis rigata, arboris, & crucifixi figura excrescit, quam illa vt feliciter adolesceret, eodem, quo excitauerat imbre, indefessè rigauit; eandem curiosè explorans, non lignum, sed esse radicem repræsentantem accuratè per omnia crucem, crucifixum Dominum, clauos, sanguinem, barbam, & capillos, deprehendit: hæc porrò crucis eius est inscriptio. An. reparatæ salutis 1230. cùm B. M. Magdalenæ, vulgò Albarum dominarum cænobium, auctoritate Archipræsulis Agrippinensis reformaretur, miraculosa hæc Christi imago, arida ex Maceria in cęnobii ambitu religiosę pissimæq. Virg. deuotioni, Deo permittente, excreuit.

19 Ne-

19. *Nuremberginus libr.3.cap.7.de curiosa Philosophia.* Non longè ab vrbe Matriti frequenti populorum concursu colitur Crucifixi imago, quæ in saxo naturaliter est expressa.

20. *Vlysses Aldrouandus lib. 4. musæi metallici.* Intelleximus, quòd in cœnobio Carthusianorum Papiæ ad quintum lapidem extra ciuitatem sito, Natura in marmore imaginem Christi Seruatoris nostri spinea corona redimitam elegantissimè delineauit. Venetiis quoque figura Christi crucifixi apparet in marmore templi S. Georgii Maioris eodem modo designata.

21. *Gumppenberg, in Atlanti mar.* An. 1657. Augustæ Vindelicorum hæreticus homo, cùm ligna finderet, vtrique ramento nomen Iesu, vt communiter tribus litteris, & cruce media imposita formari solet, quasi inustum inuenit. Res prudentum examini secretè subiecta, iudicata est carere fraude.

22. *In actis Ven. Vrsulæ Benincasæ.* Eximiam seruæ Dei deuotionem erga Christum crucifixum Deo pergratam fuisse, prodigio comprobatum est; ipsa enim, licet artis pingendi omninò ignara, tamen Christi crucifixi imaginem naturalem, & ad viuum depinxit, in aspectu cùm compassiono alacritatem (vt ipsa optabat) præseferentem, quod egregius quidam pictor assequi non potuerat, licet pluriès, id tentasset omni adhibita diligentia.

23. *Thiepolus de Pass. Domini Tract. 12. cap. 32 n. 27.* Dùm semel Ven. Sor. Maria Reggiensis ex ordine S. Dominici ante Crucem Domini oraret, idē cruentatus, plagisque affectus, oculis mentis sese illi obtulit: tantoque in eum amore & affectu exarsit, vt consurgens post orationem, assumptoque penicillo, Christum cruentatum, quomodò eum in oratione viderat, mirabiliter depinxerit.

Aliqua de Crucibus notata fuere supra cap. 1. §. 4. cùm de crucibus cæteris in rebus inuisibili manu depictis, & exculptis.

24. *Baling. in Kal. Virg. 27. Maij, de Ioanne I. Pontif.* Romæ in porticu propè Theatrum Marcelli extat Deiparæ, filium in vlnis ferentis, imago, aureis lineis in lapide pretioso Saphirino Angelorū manibus (vt piè creditur) efformata, & S. Gallæ viduæ Romanæ nobilissimę, & sanctissimæ in domum delata. Cùm enim illa diuinis rebus esset intenta, duodecimq. pauperes quotidiè prandio exciperet, hanc imaginem multa luce circùmfusam ab Angelis dono accepit. Qua de re cùm Ioannem Pontificem, martyrio posteà inclytum, commonefecisset, & ille in eius domum venisset, fusis ad Deum precibus, campanis nullo impulsu, sed sua sponte tota vrbe concrepantibus, imaginem in aere suspensam admirabundus conspexit, quæ ab Angelis in eius manibus deposita est; atq. eo ipso die beatissimæ Virginis beneficio, quæ tota vrbe grassabatur pestis ablata est. Quare S. Galla in suis ipsis ædibus templum Christo, eiusq. Genitrici posuit, quod vulgò, Sancta Maria à porticu dicitur.

25. *Florauantius Martinellus, in quodam libello de imagine B. Virg. in Ecclesia S. Sixti.* Romæ in Ecclesia monialium S. Sixti est imago B. Virginis, quæ olim dùm per manum S. Lucæ Euang. nundùm adhibitis coloribus, designata sulùmmodo esset, subitò reperta est, omnipotentis Dei virtute, perfecta, & absoluta.

26. *In annal. Seru. Cent. 1. lib. 2. cap. 15.* Imago S.S. Annuntiatæ, quæ Florentiæ colitur, mirabiliter ab Angelis est efformata; nam cùm pictor cætera omnia, præter vultum, & caput B. Virg. expleuisset, opusq. perficere vellet, cæpit hæsitare, quasi propriæ artis, & industriæ oblitus, sed diuino, sanctæq. Virginis implorato auxilio, opus aggredi tentat, dùm aliquātisper, aut somno correptus, aut fortè extasim patiens, mox expergefactus, Beatiss. Virg. caput, & vultum absque alia humani artificii ope, neq. penicillo, aut terrenis coloribus, sed manu Angelorum diuinitùs completū, qui effigiē B. V. referret, aspexit.

27. *Rhò in Sabb. B. Virg. exempl. 6.* Hispali in Hispania adhùc piè colitur in Ecclesia S. Mariæ Regum, statua B. Virg. quam Ferdinando, Sancto appellato, Angeli mirabiliter efformarunt, cuius auxilio præter multas insignes victorias, vrbes, prouinciasq. ab inimicis captas, ipsius etiā Hispalis mirabili, inopinatoq. euentu ex miraculoso vento in Christianorū auxiliū mirabiliter flante, potitus est.

28. *Idem ibid. exempl. 7.* In arce Sokalii in Polonia piè colitur Ven. imago B. Virg. ab Angelis efformata; cùm enim quidam famosissimus pictor, nomine Serpentelus, B. Virgini Czestokouiæ ob impetratā oculorum sanitatem vouisset, exemplar illi simile efformaturū, nullaq. industria, & artificio adhibito votum adimplere potuisset, tandem illud ab Angelis miro, prodigiosoque modo effectum inuenit; à Deoque iussus est in supradictam arcem, omnibus miraculum manifestando, miraculosam imaginem transferre.

29. *Ægyd. Gelenius in Colonia Agrip. de Ecclesia B. Mariæ Virg. ad Indulgentias.* Adhæret Ecclesiæ sanctum sacellum, quod ob frequentem concursum populi, fas est, B. M. V. Lauretum Coloniense appellare: Originem pietatis tribuunt valido, & nobili viro Brunoni de Mauuenheim. Traditur, hunc ante annos quadringentos in Hierosolymitana peregrinatione propè Syracusas captum, voto Deiparæ honorandæ emisso, ab ea apparente, vinculis ereptum, hic compedes appendisse, vbi B. Maria Virgo, suam, in qua visa erat, imaginem, parieti miraculosè impressit.

30. *Felix Astulphus in Hist imag. B. Virg. libr. 15.* Venetiis in Ecclesia S. Marceliani, Virginis imago maxima pietate colitur, quam à duobus Angelis perfectam dicunt, cùm priùs quidam eam pastor, nomine Rusticus, in territorio Ariminensi inchoasset; Venetias naui nullo ductore delata diuinitùs fuit, & in templo prædicto collocata.

31. *Gumppenberg, de imag. B. Virg. de Nuce Castilionis.* Anno 1539. Castilione Faber lignarius, nucem findere cæpit, facturus nescio quod è ligno conditorium, sed recusauit securis peccare in S. Iconem, (quæ intùs latebat) fugitq; quantùmuis altè sublata ferretur in ligneam verrucam, & vulnus minaretur grande. Intereà ligna vtrimq. panduntur, & sponte diuelluntur, atq. imaginem B. Virginis cùm filiolo distinctè, & benè expressam exhibent. Hæc modò in sacello R.R.P.P. Capuccinorum colitur, multaque miracula patrat.

32. *Idem de imag. B. Virg. Arborea Pezzura in Moscouia*. Hæc imago, quæ colitur in monasterio Pezzurensi, enata ex arbore est, & proportione sua Deiparam quàm optimè refert, nec casu hoc factum est, quandò & miracula memorantur ad hanc sacram Iconem facta.

33. *In m. s. s.* In sancta æde Lauretana vnio reperitur absque vlla artis ope, Virginem referens in sinu filium habentem.

34. *Gonzaga de Prouincia Marchiæ, con. 40. S. Sancti Francisci Forani*. Hic adest ædicula, de qua id certissimè fertur. Cùm pater Guardianus depictam ibi cuperet gloriosissimæ Virginis imaginem, eaque de causa pictorem conduxisset, illeque plurimis eius faciebus depictis, atque ijsdem quòd nec sibi, nec patri Guardiano, satisfacerent, oblitteratis, anxius obdormiuisset, apparuit sequenti die manè eius imago graphicè, ac omnium oculis pulcherrimè absoluta. Qua de re mirum in modum à populis frequentatur, plurimisque summorum Pontificum gratiis fruitur.

35. *Idem in Prouincia Bononiæ, con. 5. de conuentu Sanctæ Mariæ Gratiarum Arimini*. Frequentatur hæc sacra domus, summaque veneratione à Christi fidelibus, ob imaginem quandam Annuntiationis Beatæ Mariæ Virginis ibi depictam, colitur: quòd Deus Opt. Max. meritis eiusdem sacratissimæ Virginis, plurima beneficia, eaque omninò mirabilia in dies ibidem ipsis præstare dignetur. Hanc imaginem intrepidè asserunt Ariminenses à pictore quodam sibi astante Angelo, atque se docente, quibus coloribus lineanda, quibusque lineis describenda foret, depictam.

36. *Eusebius libr. 3. de curiosa Philosophia cap. 10.* In oppido Trempes Comitatus Catalauniæ, in quodam e gallina enato ouo, obseruatus fuit ductus perfectè circulus cùm duodecim radijs à peripheria excurrentibus, media quasi sculptura eleuatis; in medio circuli videbatur Solis effigies, quæ in centro habebat exaratum nomen MARIÆ. Fracto ouo obseruati sunt caracteres in oui luteo, albi tamen & adeò perfecta sculptura emergentes, vt à peritissimo artifice admirari possent, non deuinci.

37. *Gumppenberg. de Imag. B. Virg. de Victoria, Pollingæ in Germ. Sup.* Eo die quo primus lapis est in fundamenta huius Mariani templi abiectus anno 1631. paucis diebus post festum S. Martini, gallinæ Gebhardi (is templi fundator) oua posuere grandia, figura Deiparæ insignia, quæ sine miraculo imprimi ouis non potuit.

38. *Idem de Imag. B. Virg. Mexicanæ, Mexici in Regno Mexicano*. Apparens semel B. Virgo cuidam Indo Christiano, qui in suburbanam villam, via aspera, & saxosa abierat, præcepit ei, vt Archiepiscopo Mexicano nunciaret, Reginam cœli velle sibi ædificari eo in loco templum, quod cùm is fecisset iterùm atque iterùm, nullamque ab Archiepiscopo fidem obtinuisset, tandem tertiò illi Virgo apparens, signum, quo vera nunciare crederetur, eidem dedit; abducens enim eum paucis passibus in hortum floribus obsitum, floresque totis manibus decerpens, in expansum ab Indo pallium abiecit. Detulit ille ad Episcopum flores, illudque signum à Virgine sibi datum retulit. Tempus erat hibernum, floresque à peritis inter exoticos sunt habiti, vt quos tota Regni gleba, producere non soleret, & siccissima loci arena non posset; vndè dictis habita fides, eoque magis est, cùm excussa pauperis Indi lacerna, in qua flores, visa insuper est Deipara imago venustissima, intextæ propior, quàm depictæ. Erectum igitur templum, in eoque Indi pallium venerationi ipsa in Ara expositum fuit, quia id B. Virgo impressione imaginis suæ dignum fecit hoc honore.

39. *Idem de Imag. B. Virg. ab Angelo, Fauentiæ*. Hæc sacra Imago, quæ Fauentiæ colitur, ab Angelo nomen accepit, quia cùm eam pictor peritissimus delinearet. Angelus (sic Deipara volente) eam absoluit.

40. *Idem de imag. B. Virginis in S. Cosmato, Romæ*. Hæc deuota imago cælesti manu facta ab antiquo creditur.

41. *Idem de imag. B Virg. de Lecto, Pistorij in Italia*. Decubuit in hospitali D. Ioannis Apost. an. 1226. puella morbo oppidò tædioso, quia incurabili; iàmque septennium lecto affixa, vitæ pertæsa, cœlum suspirabat: cùm ecce B. Virgo inter cælestes splendores decumbenti se videndam præbet cùm filio, & momento citiùs sanam, valentemque reddit, grandi profectò, & raro miraculo, quod ipsum maiore aliquo confirmauit, Imagine sua in muro relicta gestu abeuntis, puerumque Iesum ferentis. Hæc imago, in hæc vsque tempora summo honore colitur, eo loco in Templi formam composito, in quo & videtur lectus, in quo decumbebat infirma, eademque, quæ olim ex lana, lino, plumisque substrata sunt ægræ, in hodiernum vsque diem durant.

42. *Idem de imag. B. Virg. de Miraculis Messanæ in Sicilia*. Pictor quidam Deiparæ deuotissimus, imaginem B. Virg. quam domi coleret, omni studio pingere decreuit: nec malè successit opus, si faciem excipias, cuius decorem nullo vnquam labore assequi potuit; sed in somnum lapsus, cælesti cuipiam genio tempus dedit finiendi opus, cùm etenim euigilauit, vidit opus non suum tantùm, sed omnis humanæ artis conatum superare. Miraculum pictæ angelica manu faciei manifestans, vt ea maiori veneratione haberetur, Ecclesiæ Monialium Cisterciensium, quæ tunc, ann. scilicet 1452. fuerat extructa, donauit, statimque miraculis coruscare cæpit, vndè ei nomen de Miraculis.

43. *Martinus Ximenius de recuper. Hispaniæ*. Valentiæ in Hispania colitur Vener. Imago Beatæ Virginis, de Puche vocata. Traditio autem antiquissima est, de lapide sepulchri, in quo Deipara ante resurrectionem suam iacuit, effomatam ab Angelis, & ab iisdem delatam in hanc Hispaniæ prouinciam, non multò post Virginis in cœlos Assumptionem.

44. *Octauius Caietanus in vitis S.S. Siculorum*. In Vrbe Tauromenio reperitur antiqua imago B. Virginis non manu facta.

45. *Vghellus in Ital. Sac. tom. 9. Rossanenses Archi-*

chiepiscopi. In Ecclesia Cathedrali Rossani, Ven. Deiparæ Virginis Imago colitur, Acheropita dicta, hoc est non manu facta, sed vt cuncti ex traditione testantur, diuinitùs in pilam Basilicæ è cœlo delapsa ante annos septingentos.

46. *Alonsus de Ouaglie in Hist. Regni Cilensis l.7.c.20.* In cauitate cuiusdam rupis in modum capellæ concameratæ in regno Cilēsi, conspicitur miraculosa imago B. Virg. non ab opifice aliquo delineata, sed ab auctore naturę constructa ex Iaspide variis coloribus, candido vultu, subnigro capillo, pallio interiùs cæruleo, exteriùs rubro, & veste rosis contexta.

47. *Baronius anno 308. Ex concilio Nicæno 2. ar. 4.* Neanias (qui postea Procopius, & martyr sub Diocletiano) crucem sibi ex auro argentoque efformandam cuidam artifici, Marcus nomine, dedit. Hic in abscondito ex auro & argento noctu crucem fabricauit. Cùm autem opus consummatum erigeretur, tres in eo imagines apparuerunt. Scriptum autem erat Hebraico dialecto in superiore parte, Emanuel, & vtrimque in summitate alarum, Michael, & Gabriel. Voluit autem Marcus, sibi timens, expungere, verùm non potuit: confestim enim manus illius sicca permansit. Sub gallicinium autem Neanias ad ędes Marci, quo crucem referret, properat. Videns autem illam protinùs adorauit. Ait autem ad Marcum, quæ sunt hæ personæ? quæque hæc inscriptio? Domine, inquit ille, in qua hora crux à me erigebatur, imagines istæ per se enatæ sunt, neque ego cognosco, quęnam, aut cuius sit inscriptio. Neanias verò cognoscens virtutem quandam in his esse, adorata cruce, Marco artifici copiosam mercedem soluit, profectusque est in ciuitatem suam.

48. *In actis S. Niconis Armeni monachi.* Cùm Malacenus, à S. Nicone in fide confirmatus, eius effigiem desideraret, eo mortuo, pictorem aduocat, arte, manuque insignem, & qualis, habitu, veste, capillis sanctus fuisset, verbis designat, tùm aptis coloribus in tabula totam eius imaginem exprimi iubet. Reuersus Domum pictor, post varios conatus, frustrà se tandem laborare aduertit. In hac igitur cura versanti, & vehementer dolenti, quòd oris lineamenta effingere non posset; ante oculos repentè extitit monachus quidam, qui in ædes clàm penetrarat, statura procerus, habitu eremitico, obsoleta veste amictus, coma squalens, capillitio, barbaque niger, in omnibus denique beato viro simillimus, nàm & virgam manu gerebat, cuius apex in crucem desinebat. Qui pictore comiter salutato, mæroris, solicitudinisque causam sciscitatus est. Ille verò & causam mox aperuit, & operis difficultatem demonstrauit. Tùm leni ad eum voce monachus; me, inquit, aspice, frater, mihi per omnia similis est quem depingis. Vt ergo acriùs in illum oculos intendit pictor, penitùsque circumspexit; illum ipsum esse agnouit, quem Malacenus verbis designarat. Quare ad tabulam reflexus, vt conspectam formam imitaretur: ò rem admirandam! sacram ter beati effigiem in tabula suis lineamentis, suaptè expressam spontè videt. Cùmque miraculo obstupefactus, ad Sanctum subitò, Kyrie eleison cùm honore inclamans, se vertisset, illum ampliùs non vidit. Iàm enim euolauerat. Itaque ad delineatam diuinitùs formam, reliqua colorum pigmenta adiiciens, perfectam imaginem, qualis hodièque in sacro Beati templo suspensa visitur, omnibus numeris absoluit, statimque ad spectabilem Malacenum cùm illa properans, omnia illi, vt acciderant, ordine percensuit.

49. *Ioan. Eus. lib. de mirac. nat. terræ promissæ cap. 32.* In loco, vbi sanctus Stephanus lapidibus obrutus est, imago eius saxo impressa manet.

50. *Idem ibidem cap. 41.* In Dominici præsepii, aquilonari latere interiori, res admiranda conspicitur, hominis nempè effigies, cucullatum, & venerandum senem, barba oblonga repręsentans, quam natura ludibunda, lineis nigricantibus tanto artificio expressit, vt omnibus industriè depicta videatur. Sunt qui miraculo rem ascribant, ac D. Hieronymi figuram exprimere putent.

51. *In vita S. Francisci de Paula libr. 5. cap. 12.* Cùm quidam pictor, imaginem S. Francisci de Paula delineare, & ad viuum exprimere vellet, nec pro virium tenuitate eam suis omnibus numeris absoluere posset; Angelus è cælo delapsus, penicillo accepto, postremam manum adhibuit, quod quidem omnibus stuporis, & admirationis fuit.

52. *Aloysius Lipom in vita S. Francisci Assis.* Romæ matrona quædam pia, & deuota, S. Franciscum in suum elegerat aduocatum, ipsius habens depictam imaginem in secreto cubiculo; Die autem quodam, dùm orationi vacaret, aduertit sacræ imagini non delineata esse sacra stigmata: Cùmque per plures dies quid causæ foret defectus eiusmodi mente solicita pertractaret; ecce subitò die quadam apparuerunt signa illa mirifica in pictura, sicuti in aliis ipsius Sancti imaginibus pingi solent.

53. *Philippus Ferrarius mens. Nouembris, die 22. de S.S. Demetrio, & Iuliano martyribus.* Horum sanctorum martyrum corpora cùm diù Parentij vrbe Istriæ antiqua latuissent, nec illis detectis, ipsorum nomina scirentur, vbi Fulcherio Episcopo auctore, populus, & clerus ieiunantes preces Deo fudissent, Thomasino (id erat viro nomen) cuidam Ecclesiæ Cathedralis Parentij custodi, qui ter ipsos, vt se reuelarent, anxiè orauerat, apparentes, qui vocarentur, & quò transferri vellent aperiunt, præcipientes, vt ad sacellum, in quo corpora iacebant, se conferret, ibi enim se illorum imagines recens depictas, & nomina inscripta reperturum in pariete. Quibus ad Episcopum delatis, cùm ille vnà cùm clero, populo subsequente, ad Ecclesiam perexisset, ita reperit, vt vir ille prædixerat, omnibus imagines nuper diuinitùs effectas intuentibus, & martyrum nomina non sine maxima admiratione legentibus.

54. *Vghellus in Ital. Sac. tom. 5. Episcopi Veronenses.* Cùm anno Domini 1391. inuentum fuisset Veronæ in Ecclesia S. Proculi, corpus S. Agabii eiusdem ciuitatis Episcopi, aliorumque Episcoporum sacræ exuuiæ; super ipsas adinuentus fuit lapis ophites, super quo lapide erat effigies S. Proculi

in

in alio lapide marmoreo (mirabile visu) nulla arte incisa, seu depicta.

55. *Idem, Narnienses Episcopi tom.1.de S.Iuuenale Episcopo Narniensi*. Anno 1642. Ioannes Paulus Bucciarellus Narniensis Episcopus, diuino instinctu afflatus, multis adhibitis testibus, die 16. Aprilis in subterranea crypta in honorem S. Iuuenalis erecti sacelli, subiecta, terram refodi iussit sub ipsa ara à Petro Gusmano Epis. anno 1508. excitata, vbi sancti corpus iacere traditio superiùs allato cœnotaphio conformis celebrabat. Cùmque palmis aliquot terra refossa esset, ingens marmoreum sepulchrum apparuit, in quo loculus ligneus, tinctus sanguine, integrum Sancti corpus continens, includebatur, testibus Episcopo, aliisque, qui postea rem sunt intuiti ingenti stupore defixi videre fundo loculi venerandam sancti effigiem modo admirabili impressam.

56. *Marraccius, de B. Ioanne à Cruce Hispano ord. S. Teresiæ*. Post eius mortem, hoc verè admirabile in eo apparuit, vt in reliquiis carnis eius, effigies Deiparæ Virginis, necnon ipsius, & Ioannis, ipsi prostrati, visa fuerit.

57. *Iacobus Marchantius ex Cornelio à Lapide in cap.7. Apocalyp.* Non prætereundum hic, quod de Henrico Garnetto Soc. Iesu inclyto presbytero publicatum est, qui in die Inuentionis sanctæ Crucis in Anglia martyrium subiit gloriosè. Cùm enim ipse sociis in Anglia per viginti annos magna cùm laude in quotidianæ mortis periculis præfuisset, tandem anno 1606. die tertia Maii, martyrio fuit consummatus. Catholicus autem qui spectator aderat, purpuratam sanguine spicam ex substrato corpori martyris stramine religiosè sustulit: quam domi dùm conspicatur attentiùs, viuidam Patris imaginem in ea expressam conspexit. Verticem capitis ingens cingebat corona. Crux in fronte rutilabat stellæ inclusa, signaculum vtique cordis ipsius, in quo fasciculus myrrhæ commorabatur, vt ideò etiam optata Inuentioni crucis dicata die martyrii palmam sit consecutus. Sub mento cherubinus visebatur alatus, vel Angelicam eius puritatem, vel sapientiam, & doctrinam, vel vtrumque indicans. Quia enim ad iustitiam erudiit multos, doctrinæ laurea decoratus, quasi stella inter Cherubinos fulget in perpetuas æternitates Imago vultus eius in spica sæpiùs excusa, per omnes Christiani orbis prouincias sparsa est. Asserunt oculati testes, adhùc modò in prototypo perdurare.

Imagines diuinitùs ad adorandum datæ, seù inuentæ.

§. 2.

VT sanctarum Imaginum augeretur cultus, hæ, præter in superiori paragrapho enumeratas, quandòque de cælo deportatæ, quandòque indice eodem cęlo mirabiliter adinuentæ fuere, fidelibusque ad adorandum datæ. De his.

1. *Euodius de mir. S. Step. l.2. c.4.* Quadam die procurāte diuina dispēsatione, quidam negotiator nūquam nostræ cognitus regioni, subdiaconum nostrum, nomine Sennodum, in loco Memblotutano vltrò conuenit, & ad se vocauit, & quisnam, vel vndè esset, ab eodem flagitauit. Qui vbi se subdiaconum Vzalensis Ecclesiæ memoratus est, continuò idem ille ignotus homo (si tamen solùm homo, credendum est enim, quia Angelus, & homo) dedit eidem Subdiacono memorato velum variis pictum coloribus, in quo inerat pictura hæc: In dextera veli parte ipse S. Stephanus videbatur astare, & gloriosam crucem propriis repositam humeris baiulare, cuius crucis cuspide portā ciuitatis videbatur pulsare, ex qua profugiens Draco teterrimus (qui antecedenti die in igneo globo apparens totam perterrefecerat ciuitatem) cernebatur exire, amico Dei videlicet aduētante. Verùm ille serpens noxius nec in ipsa fuga tutissimus, sub triumphali pede martyris Christi contritus aspiciebatur, & pressus.

2. *Ioannes Rhò in Sabb. B.V. exemp.5.* In Bauaria, in loco Amphrang appellato, colitur Ven. statua B. Virginis, quam Ludouicus Bauarus Imperator anno Domini 1314. graui in necessitate positus, à B. Virgine mirabiliter Angelico ministerio recepit: quo tempore, & liberatus fuit à periculis, & Ecclesiam, in qua eadem venerabilis imago, sicut Dei genitrix eidem iusserat, coleretur, ædificare promisit.

3. *Guilielmus Gumppenberg, in Atlanti Mariano de Imagine B. Virginis Vuartensi in Boemia*. Circa annum 1200. B. Virgo iuueni cuipiam apparens oranti, hanc statuam tradidit, miracula patraturam si à populis coleretur. Nobilis Boemus cùm facto voto, fractum sibi pedem B. Virginis auxilio vidisset nulla chirurgi manu integratum, capellam primùm statuæ ligneam struxit, & paulò post è saxo templum, quod hodièque templum Boemicum vocatur.

4. *Sigebertus in Chronico*. Heraclius contra Persas bella mouens, maximè fidebat imagini, ceù tabulæ, in qua Iesus erat pictus, ceù Maria, de qua sermo erat, quòd de cęlo decidisset.

5. *Ludouicus de Angelis*. Gnazani in Campania in Ecclesia P.P. Eremitarum S. August. adest imago B. Virginis, quæ die S. Marci in aere visa est vniuerso populo spectante, & parieti Ecclesiæ iam inchoatæ se se applicuit.

6. *In Annal. Seruorum B. V. Cent. 3. lib.6. cap.13.* B. Victoriæ à S. Angelo in Vado ordinis Seruorum B. V. aliquandò cælitùs imago sanctissimæ Dei matris cùm filio delata fuit, quàm posteà P.P. Seruitę ob tantæ dignitatis memoriam, in propriam Ecclesiam, vbi nunc summa veneratione colitur, transtulerunt.

7. *Vincentius in Spec. Hist. lib.29. cap.27.* Circa annum Domini 1183. cùm Rex Arragoniæ, & Comes S. Ægidii Remundus, discordes, à nemine reconciliari possent, accidit, vt in vrbe Anitio cuidam carpentario se Deus ostenderit, cui & chartulam dedit, in qua erat effigies Virginis Mariæ filium tenentis, & imaginis illius rotunditas erat circumscripta his verbis. *Agnus Dei qui tollis peccata mundi, dona nobis pacem*. Postquam se tàm admirandæ visionis fama vulgauit, viri Principes ex varijs mundi plagis, & ingens plebeorum nume-

numerus in ferijs Assumptionis, Anitium conuenere. Porrò vrbis antistes carpentarium illum in medium venire iussit, & quæ audisset, aut vidisset effari iubet. Ille de pace inter Regem, & Comitem ineunda diuinum exponit mandatum, & producit, vt testem, imaginem illam cùm inscriptione supradicta. Auscultant illi Principes diuino auxilio in Galliam peregrinati, & pacem cælitùs imperatam non sine lachrymis iurant se seruaturos. Pacis obsidem, virgineam illam imaginem adhibent, quam plumbeis sigillis imitando expressam, fineisque assutam cuniculis albis, quales monachorum alborum scapulares esse solent, & pectori applicant, & pro symbolo pacis circumgestant.

8. *Iacobus Bosius in Hist. Religionis S. Ioannis Hierosoly. l. 1.* Tres huius ordinis equites, natione Galli, à Saracenis in prælio capti, in Ægyptumq. deducti, à Sultano in carcerem detrusi fuere; qui cùm variis modis, vt fidem negarent frustrà tentati à Sultano fuissent, tandem propriam filiam Ismeriam ad eorum labefactandum candorem immisit; at hæc, ne dùm religiosis equitibus à fide vt aberrarent persuadere potuit, verùm eorum rationibus, sanctisque persuasionibus captiuam se dedit, Christianæ fidei exarsit desiderio, maximèque imaginem Virginis, quam incarnati Dei matrem fuisse narrauerant equites, videndi, habendique flagrauit ardore. Tunc maior ex illis natu se illi efformaturum Virginis imaginem promisit, si ferrea instrumenta, lignumque aptum afferret. Die subsequenti ad equites rediit illa, secùm ligna, & instrumenta deferrens, fabricandæ imagini necessaria, rogans eos vt in ea formanda adeò diligentem nauarent operam, vt in die sequenti comperiret imaginem omni ex parte completam, & absolutam. Interim discessit. Equites verò nulla arte prædeti, qua sacram imaginem sculpere valerent, ad Deiparæ auxilium confugere; quæ piorum vota exaudiuit; sub mediæ enim noctis silentium maximo splendore circumfuso carcere, quem odor suauissimus comitabatur, Angelorumque melodia iucundissima, iuxta maiorem natu, imago quedam B. Virginis Mariæ è cælo Angelorum ministerio est deportata, quam in genua corruentes equites, statim maximo honore sunt venerati, posteraque die Ismeriæ ad carcerem redeunti obtulerunt, eamque è cęlo habuisse testati sunt, quod vt ipsa vidit, & intellexit, maiori affectu in Virginem matrem exarsit, imaginemque prona adorauit, secùmque in proprium cubiculum deportauit. Interim de Baptismo suscipiendo, deque liberandis è carcere equitibus cogitat; quod & factum. Cùmque ab Ægypto fugerent, sacram imaginem secùm deferentes, semel ob lassitudinem somno correpti, dùm expergiscuntur, in Gallia Belgica propè oppidum, cuius vnus ex his Dominus erat, adesse compererunt, eò scilicet ministerio Angelico translati; quo in loco, templum ab illis ædificatum est; licet enim aliò imaginem transferre decreuissent; vt Ecclesiam eidem construerent, immobilis facta imago nulla vi de loco moueri potuit; quo prodigio intellexere, ibidem B. Virginem, suæ imagini cultum desiderare. Quare in eo loco templum ædificarunt sub titulo Sanctæ Mariæ Exhilatricis, in eoq. imaginem collocarunt, quæ in hæc vsque tempora magna populorum deuotione colitur, oppidoque nomen etiam dat, vocaturque *le Bourg de Liesse*, hoc est Lætitiæ.

9. *Sylos in Hist. Cler. Reg. tom. 2. lib. 6.* Maximo ardebat desiderio Vincentius Scarpatus ex nostris frater laicus, effigiem B. Virginis maxima venustate, & gratia delineatam habendi. Hanc illi non mediocri planè studio plerique delinearunt, sed nulla Vincentii votis respondit. Dùm igitur hæc cogitaret, dat se se illi in conspectum honestissimo vultu, ac præclara quadam specie senex; explicatoque pallio, hilari quadam fronte, Deiparæ imaginem, cuius in complexu diuinus puer, depromit, quam dùm attentiùs contemplatur, sibique intimè gratulatur Vincentius, euanuit qui deprompserat senex; quo monitus est, non quempiam ex mortalibus, sed è diuorum numero aliquem, senem illum fuisse; ac persuasum habuit ab oris specie, à peculiari sui patrocinio, ab aliis etiam ab ea manu beneficiis, B. Iosephum Augustæ Virginis sponsum id muneris attulisse. Quo quidem indignum se putans, illud statim dono dedit Sodalitio Seruorum Deiparæ, quod tunc temporis à nostratibus Panormi instituebatur.

10. *Georgius Brunus lib. 4. Teat. Ciuitat. Tit. Amosfortia.* Anno salutis 1444. Amosfortiæ, quæ Diæcesis Vltraiectensis ciuitas est, inuenta est mirabiliter imago Deiparæ sub aquis, & magno affectu excepta, quæ honorifico loco constituta, frequentissimis miraculis illustrari cæpit.

11. *Andreas Vigna in Hist. B. Mariæ Virginis de Corona.* Cùm anno Domini 1522. à Solimano Turcarum Imperatore, Rhodiana capta ciuitate, equitibusque S. Ioannis Hierosolymitani depulsis, omnia sacra templa, venerandæque imagines à Barbaris profanarentur; quædam inter alias venerabilis B. Virginis lapidea imago ex improuiso disparuit, ab Angelisque mirabiliter ad radices montis Baldi, celeberrimi in territorio Veronensi, translata est; quæ vsque hodiè summa omnium veneratione ibidem colitur; Beataque Virgo de Corona vocatur, quòd tali nomine ea pars montis vocaretur.

12. *Chry. Henriq. 20. Sept. de Cœnobio Iardineti apud Vualcuriam.* Magnum miraculum huic cœnobio initium dedit. Arserat Deiparæ Vualcuriensis ædes. Virginis imago Angelorum in sublimi transportata ministerio, procùl in suburbano prato ab iisdem sistitur. Indè cùm nulla hominum industria posset auferri, Theodoricus loci dominus voto concepto, monasterium se in hortuli loco ędificaturum, iconem diuinitùs Vualcuriam, nulla difficultate retulit. Quod inchoactum fuit anno 1317., & Virginibus Cisterciensibus concessum.

13 *Florauantius Martinellus in Antiquitatibus Romæ.* Romæ in sacello, quod Sancta Sanctorum appellatur, reperitur Ven. imago Saluatoris, quæ in mare proiecta à S. Germano Constantinopolitano Patriarcha, vt eã liberaret ab impietate Leonis Imperatoris, mirabiliter per aquas Romam appullit.

14. Cen-

14. *Cencius Camerarius apud Baron.an.1191. nu.4.* Quædam Iconæ Apostolorum per mare Romam venerunt nullo ductore.

15. *In m. s. s.* Venetiis, in Ecclesia monialium vulgò *della Celestia*, venerabilis imago colitur B. Virginis, quam cùm duo nobiles ciues ex quodam monte, Angelorum patrocinio, Venetias transtulissent, diuersisque in Ecclesiis reponere vellent, haùd vnquam potuerunt, ab improuisis horribilibusque procellis impediti. Quare B. Virginem humiliter supplicantes, vt dignaretur ostendere, quò illius imago transferenda esset, ipsam imaginem in nauicula absque remis, nemineque ducente reposuerunt: & ecce mirum: nauicula propè ecclesiam prædictam super aquas per longum spatium manu inuisibili ducta, mirabiliter stetit: ex quo diuina voluntate perpecta, imago ex naui ab Episcopo solemni ritu in Ecclesiam fuit delata, ibique vsque modò magna populorum frequentia colitur, multisque miraculis coruscat.

16. *In m. s. s.* Ballegarii in Catalaunia à monialibus ordinis S. Francisci Conuentus vulgò *del Mata*, deuotè asseruatur Ven. imago crucifixi, quæ in proximo flumine contra aquas supernatans, ex multitudine luminum, Angelorumque suauissimo cantu adinuenta est: Ad hanc suscipiendam tota ciuitas accesserat, sed frustrà, imago enim semper recedebat, quoadusque accedentibus monialibus prædicti monasterii, ab eorum Abbatissa deuotè suscepta fuit, in propriaque Ecclesia collocata, vbiusque adeò colitur, multisque coruscat miraculis.

17. *Gonzaga in Prouincia Tuscia, de conuentu S. Francisci extra pontem Asseua.* Cùm exæstuantes aquæ, mirumque in modum inundantes, quibus hæc patria ob montium vicinitatem, maximè patet, nihil intactum in Ecclesia reliquissent, sed omnia inuoluētes, rapido cursu secùm asportassent; ligneus quidam Crucifixus cæteris admixtus ad secundum milliare, versa ad hunc locum facie substitit. Cùmque iteratò hoc ibi eadem prorsùs de causa contigisset, istius patriæ inquilini factum miraculo ascribentes, imaginemque maxima religione, solemnique pompa ad propria reducentes, ipsam peculiari quodam cultu ab eo tempore venerari, pauperculisque fratribus, qui vt plurimùm sunt 10. numero, necessaria diligentiùs ministrare, ac locum frequentare cæperunt.

18. *In m. s. s.* Cùm circa an. Domini 1073. Romualdus Episcopus ciuitatis Monopolis, cathedralem Ecclesiam penè dirutam instaurare cępisset, deficientibus lignis necessariis, opus incæptum perficere non potens, ad sanctissimam Virginem quotidie precator accedebat; tandem B. Virgo albis vestibus induta in somnis quendam Ciuem admonuit, vt Romualdum Episcopum peteret, certum reddens votorum compotem factum, ligna pro tegumento templi, iàm in portum maritimum ciuitatis, cęlitùs ad se missa. At cùm ciuis deuotus raptim ad Episcopum accurrisset, nulla fuit illi ab Episcopo fides adhibita, putans potiùs illum à somno illusum; quod cùm iterùm atque iterùm deupto ciui accidisset, demùm Episcopus experrectus, eodem ciue afferente se portum maritimum petiisse, & ita vt somniauit, inuenisse; conuocatis ciuitatis magistratibus nocte surgens, toto populo sequente, cùm clero ad portum processionaliter accessit, & reperit ligna, & trabes numero 31. quę nunc templum contegunt, textas, & replicatas forma nanigabili, quæ trabum textura vulgò dicitur *Madia*, super quas neminem inuenit, nisi solùm Iconem ligneam, qua B. Virginis imago coloribus exprimebatur, palmorum quatuor altitudinis, trium longitudinis; est autem pictura B. Virginis non integra, sinistra amplectens infantem græco vsu indutum, sicut & mater; in sinistra infantis papyrus apparet, duoque picti viri in pede Iconii nigris vestibus, & monachali caputio ad modum Eremitarum S. Augustini induti, & sub dextro brachio B. Virginis Imaginis, mulier etiam græcis indumētis statura palmi dimidiati perspicitur. Quod Iconium ab Episcopo manibus propriis fuit ad prędictam Ecclesiam delatum, ibique in altari maiori multis mensibus collocatum, magnaque populi veneratione habitum, posteà ex lignis prædictis templum tectum, perfectumque fuit, in eoque collocata miraculosa imago.

19. *Lireus in Trissagio Mariano.* Anno Domini 635. Statua B. Virginis Mariæ naui vecta per Gallicum pelagus absque carbaso, absque remige, aliisue vllis nauticis armamentis, in Bononicorum moenium proxima statione, littoreque constitit, angelo vno ad proram, altero ad puppim adstante

20. *Gononus in Chr. B. Virg.* An. Dom. 574. B. Munio Oniez in Hisp. ex insigni latrone insignis Anachoreta euasit. Hic igitur pænitentiam agens in montibus Disterciis, diuinitùs iussus est inquirere imaginem Beatissimè Virginis in Valuanera, seù valle Veneris, signaque data ad pretiosum illum thesaurum inueniendum, fuerunt, fons de pede, vel radice quercus scaturiens, examen apum, & fulgor mirabilis procedens de imagine, quæ latebat in quercu. Cùm antem reuelationem cuidam Dominico socio suo sacerdoti reuelasset; ambo per concaua vallium, per montium, & scopulorum altitudines, inquirere cæperunt. Cùmque venissēt ad quemdam locum innaccessibilem, ferro, aliisque instrumentis fecerunt sibi viam, ingredientesq. imag. B. Virg. in concauo quercus, & signa, sicut Munioni Eremitæ fuerat reuelatum inuenerunt. Manserunt ergo ibi, Angelicam potiùs, quàm humanam ducentes vitam.

21. *In m. s. s.* Anno Domini 1255. inuenta est in syluestri pecorum monte Strassengl in Germania, Christi crucifixi imago, per frequentem, & diù perseuerantem mugitum, & genuflexionem pecorum, iacens super quandam abietem; vndè honorificè eleuata, vsque adeò ibidem deuotè colitur.

22. *F. Iustinus, ex Choquetio.* Medinæ magno populorum concursu colitur Deiparentis imago, à nostro fratre Thoma Barlanga miraculosè mediis fluctibus maris inuenta. Nauigabat is de Indiis in Hispanias, cùm coorta sæua, & diuturna tempestate, quæ supremum exitium certo certiùs minabatur,

bitur, omnes quicquot in naui erant, cohortante Episcopo, ad miserorum, & naufragantium Portum B. Mariam Virginem supplices manus cùm lachrymis tendebant. Et ecce inter furentes vndas, ingens quidpiam, nauigij instar, quod in eos inuolare videbatur à longè conspiciunt. Propiùs accedentes sedato iam mari, arculam inueniunt, thesaurum subesse rati, certatim quisq. prædam sibi vendicare satagit. Tùm Episcopus: Si, inquit, quædam religiosa imago adsit, aut sacrum aliquid, mihi iure merito obueniat. Omnibus annuẽtibus, arcam effringunt, ac primo ipso cõspectu maxima lux oculos ipsorum perstrinxit; vt inuolucra dimouerunt, Iconem Deiparæ Virginis inuenerunt: mox in genua procidentes, Sospitatricem suam, quæ eos ab illo præsenti naufragio liberauerat, adorauerunt. Vbi prospero cursu Gaditana Hispaniorum littora attigerunt, Episcopus, Iconem B. Virginis omnium consensu sibi adiudicatam, repetit; reclamantibus, & ad sortes vocantibus, sors tertiò iacta, haud dubiè diuino fauore, Episcopo cessit. Imaginem igitur sic acquisitam, Barlangam defert; quæ in altari posita tantis radijs statim emicuit, quantis iàm in mare antea splenduerat.

23. *Idem ex eodem*. Apud Nieuem, Oppidum Hispaniæ, diœcesis Segouiensis, magnis cęli muneribus dotata clarescit D. Deiparentis imago, quam pastor quidam ouium, Petrus nomine, indicante ipsa B. Virgine, inuenit; Pascebat oues præfatus Petrus, cùm nihil minùs cogitanti, D. Virgo immenso lumine circũdata apparet, illumq. monet, vt Episc. Segouiensem adeat, qui latentem ac sepultã suam Iconem effodiat, in apertam lucem proferat, templumq. sui nomine extrui curet: locum rustico indicat, & quo ei fides adhibeatur, crucẽ ex lapideis tegulis confectam in eius dextera inter pollicem, & indicem ponit, additque, à nemine, quàm ab Episcopo illam Crucem sibi adimi posse. Vadit ille, iussa Virginis exequitur, & cuncta per ordinem Episcopo narrat. Is Petrum audit, stupet, cęlestis argumenti crucis, nimirùm rustici hominis digitis impactę, veritatem explorat, deprehendit, fidemque tribuit. Continuò itineri se accingit, tandem locum quem Petrus demonstrabat adspicit, terramque effodi iubet, & vix vllo labore, statuam B. Virginis sepultam reperit, quam venerabundus suspicit, colit, amplectitur, & in Oratorio ibidem tumultuariè confecto reponit. Extemplò imago illa ingentibus miraculis clarescere cœpit. Hinc Henricus III. Castellæ Rex, amplum, & augustum templum eo in loco extruxit, illudque vnà cùm imagine fratribus Prædicatoribus adiudicauit, vt nimirùm Augustissimę cœli Reginæ filii sui, & Clientes pro eximio amore quo in tantam matrem feruntur, ei perpetuum cultum, & obsequium impendant.

24. *Idem ex eod.* In vrbe Xerez de la frontera, ad fretum Gaditanum, prostat in æde sacra F.F. Prædicatorum imago Deiparæ Virginis ab ipsa Virgine nostris pro insigni munere donata. Anno Domini 1285. Dominicus quidam Genuensis, è patria sex nauium classe mercibus onusta, in Hispanias tendebat, iàmque propè sinum, cui à Rosis nomen est, erat, cùm subitò coorta sæuissima tempestas, omnes illos in supremum exitium trahebat; Dominicus iam antea B. Virgini deuotus, vnà cùm sociis eius opem deuotissimè implorat; vnus ex nautis nauticam speculam attendens, duo lumina in mediis fluctibus irati maris natantia, illisque magis, ac magis se approximantia conspicit: lumina, lumina, clamat, quo clamore exciti omnes conspiciunt, luminaque ad se aduenire cernunt: & quò magis eis appropinquabant, eò magis mare, ac venti quiescebant. Dominicus ergo cùm aliis quatuor Cymbam ascendens, exploraturi quid ibi esset, deprehendunt lintrem, in quo erat vnica Deiparæ Virginis statua, eam venerati, in onerariam nauem imponunt. Nocte sequenti Dominicus vocem audit. Ad Prædicatorum ordinis viros cupio deferri; Dominicus mox vt portum fæliciter attigit, Iconem illam in Xeram vrbem sesquimilliari fortè à portu dissitam secùm detulit, vociq. cælitùs ad eum delapsæ parere volens, vbinam F.F. Prædicatores in ea vrbe agant, sciscitatur: Plebs, cœnobium Franciscanorum ei demonstrat, eo quòd iam Fratres minores in ea vrbe cùm laude prædicabant, & nostri plurimis è plebe nundùm cogniti fuerant. Dominicus ergo statuam illam B. Virginis ad Franciscanos defert, remque eis omnem ex ordine defert. Illi exultabundi, cùm humeros sacro illi ponderi supponere parant, statuam cœteroqui exiguam, minimèque grauem, loco dimouere non potuerunt. Tanto prodigio perculsi, omnes hærere primùm, deindè à Dominico monitum cæleste diligentiùs percunctati, eis in mentem venit, illo oraculo ordinis Prædicatorum viros designari, eos itaque vocant, qui cito gradu accurrerunt, statuam illam B. Virginis cùm ingenti lętitia acceperunt, lachrymis perfusi, Deo, ac eius sanctissimæ Genitrici summas, quas potuerunt, gratias egerunt, salutarunt, humeris suis impositam in ædes suas, oratoriumque intulerunt, vbi hodiè religiosè colitur, & mortalibus in quibusuis necessitatibus eorum benignissimè opitulatur.

25. *Idem ex Antonio Balinghem*. Smelcemmis propè Insulas perstat imago Deiparæ Virginis miraculosa, ad quam Balduinus cognominatus Pulchrobarbus, cùm votum fecisset, ab incurabili sanguinis profluuio, quo decem septem annis laborabat, perfectè curatus est. Hæc sacra Icona primò in arbore quadam fuit collocata, ante quam oues in pascua euntes, & indè domum redeuntes, venerabundæ genua flectebant, tacitè quodammodò sectarios huius sæculi carpentes, qui imagines Deiparæ, non modò non venerantur, at etiam destruunt, & comminuunt.

26. *Idem ex Francisco Dra. lib. 2.* In Catalaunia in editissimo, ac propemodùm inaccesso Pyrensis montis loco, ob Maurorum Hispaniam occupantium impietatem, à catholicis illius calamitosi temporis, recondita diùque sepulta fuit B. Virginis Mariæ imago, donec raro prodigio se tandem prodidit. Bubulcus circa locum illum oues pascebat, cùm repentè taurus iuxta fontem adgeniculatus, altissimè mugiens, caudaque blandiens, Bubulcum, & posteà vicini pagi homines aduo-

aduocauit. Terram parùm effodiunt, & mox statuam B. Virginis Mariæ elegantem inueniunt, cui tumultuariè sacellum parant. Verùm inclarescentibus quotidiè, semperque succedentibus in horas ad eam Iconem miraculis ingentibus, Christianorum pietate in eo loco splendidum templum extructum est, & fratribus ordinis Prædicatorum donatum, Anno Domini 1587. Vbi hodiè Gloriosa Dei mater magno mortalium concursu religiosissimè colitur.

27. *Cæsar Franciottus in Hist. Lucana, apud Antonium Balinghem in Kalendario Virginis Mariæ 14. Ianuarij.* Apud Lucenses in Etruria visitur imago Deiparæ, cui à Rosa nomen est, de qua ista feruntur. Circa annum 1269. aut illo ipso anno, Ecclesiæ eius, in qua nunc extat imago, locus extra mœnia ciuitatis fuerat. Imago autem ea Deiparæ, puerum Iesum in vlnis gestantis, tres rosas vernantes in manu habens in pariete vrbico depicta visebatur. Mirum id accidit; puer 16. annos natus, pecora paterna circùm muros ciuitatis, & frequenter circa eum locum per herbusta pascebat. E regione autem imaginis, cespes vnus multa herba virebat, quam oues contingere negligebant. Aduertit hoc puer, & semel, ac sæpiùs ad locum illum ita virentem pecora minatus est, cui tamen oues non appropinquabant, immò ab eo loco, licet copioso gramine virente, refugiebant; Ipse tamen curiosus accessit, & inter tesqua, rosam vnicam purpuream inuenit, collegit, patri pro re insolita detulit (nam mensis erat Iannuarii, & omnia ferè à pruina rigebant): dùmque porrigeret (illud mirandum) ex muto hùc vsque, vocalis factus, linguę vsu accepto, hanc rosam pulcherrimam se eò loci dixit inuenisse. Rem pater stupore plenus ad Episcopum detulit, qui in causas huius prodigii inquirens; reperit cespitem in conspectu imaginis natum, rosam non nisi miraculo ab aspectu D. Virg. Mariæ produxisse, ad aperiendam linguam infantis.

28. *Gononus in Chronico Deiparæ.* Ann. 1531. cæpit deuotio, & peregrinatio populi ad Diuam Virginem Stagnensem, distantem ab vrbe Diuionensi, quatuor, aut quinque millibus. Bubulcus quidam pascebat boues in iugo montis, vbi nunc constructum est sacellum; vnus autem longiùs se se elongans, ibat ad pascendum in quodam loco, vndè non poterat auelli. Nàm quantò magis à pastore pellebatur, tantò magis pertinaciter remanebat; & quod etiam mirum est, herba à boue omninò comesta, sequenti die ibidem spisior, & densior creuisse videbatur. Quæ res bubulci animum valdè permouit: Vndè suspicari cæpit, nouum quid, & inconsuetum ibi latere. Quare effossa humo, reperit paruam imaginem fictilem B. Virginis, quam læto animo tollens, affixit eam arbori, vbi primò ab incolis loci, deindè ab aliis vndique confluentibus venerata fuit.

29. *Rochus Pirrus in notitia Eccl. Siciliæ.* Die 21. Iunii inuentio miraculosę imag. S.S. Dei Genitricis. Hæc S. Icon inuenta est propè Alcamū in Vepreto diuinitùs illustrato an. 1557. Porrò ibi multa tunc, & ante videbantur prodigia; De his Præsul certior factus, simùl & Senatus Alcamensis, vnà cùm toto clero illùc se contulere, & actis Deo, Beatæque eius Matri precibus, multis & densis obruptum vepribus reperiunt quoddam subterraneum sacellum, & in eo hanc sacratissimam Iconem, vbi templum magnificum extruxerunt ære publico, indè multis est nobilitatum ornamentis, quod à miraculis continuis, à Beata Maria de miraculis nomen suscepit.

30. *Nicephorus lib. 14. cap. 46.* Cyrus Episcopus Smirnensis, templum Deiparæ in eadem Ciuitate Smirnensi dedicauit hac occasione. Cupressus in eo loco ingens, & procera fuit, in qua superioribus temporibus nescio quomodò imaginem Dei Genitricis quidam occultauit. Cùm autem multum præteriisset temporis, & imago lateret, ipsa se ipsam indicauit. Cupressus enim immenso coruscans lumine, perindè atque fax vna ardere visa est, & ingens etiam miraculorum vis ab obscura, & latenti efficacia manauit. Vbi autem quidam curiositate laudata arborem conscendit, imago ea, vndè miraculorum vis profluxit, apparuit. Quapropter Cyrus loco ei honorem habens, pulcherrimum, & maximum Dei Genitricis construxit delubrum.

31. *Petra Sancta de Ritibus Ecclesiæ capite 15.* In agro Dionantensi apud Belgas, intra fines Leodiensis Principatus, posita est sacra ædes, & in ea Icuncula palmaris Virginis Deiparæ, inuenta in trunco quercus, dùm securi scinderetur; cùm non appareret, quo hiatu intromitti potuisset. Ea verò statim opitulari multis cæpit; & loci nomenclatura Virginis Foyensis eidem vocabulum fecit.

32. *In Hist. Gallic.* Septem Lugduno distat leuchis vallis florida; in ea venerabilis Deiparæ imago colitur, quæ olìm hyberno tempore in vertice Genistæ floridæ ex fonte exurgentis, à pastoribus adinuenta est. Quo in loco cùm eò multi deuotionis causa accederent, posteà templum ędificatum est, vocatumque Ecclesia B. Virginis Vallis floridæ, ob miraculum floridę, licet hyemali tempore, Genistę, super quam imago fuit adinuenta.

33. *Iacobus Thomasinus in Hist. B. Virginis de monte Ortone.* Patauio, vbi infestissima grassabatur lues anno 1427. ad montis Ortoni thermas se contulerat Petrus Falcus, homo militaris, incurabilique pedum dolore afflictus, quòd indè aeris beneficio in patriam sanus rediret; quia autem erga Virg. magnę erat deuotionis, nullam abire diem patiebatur, quo Virginem ipsam consuetis precibus non veneraretur. Placuit igitur Deiparę serui sui affectus, ipsique soli in sylua & oranti, die quadam se visendam præbuit, dixitque: vade, & in hac, quam monstro, scaturigines pedes laua, & salutem cape. Qua recuperata, in fundo, si laborem non recusas, & sub saxis, imaginem meam reperies. Scito insuper, locum hunc meum esse, hìc me coli velle. Atque vt hęc omnes ex te audient, non omnes tamen credent. Itaque vt ex his quoque fidem facias, duos ex his arboribus surculos decerpe, Quernum vnum, Oliuæ alterum; sicque vrbem ingredere, & eos accede, qui vrbi cùm potestate præsunt, quibus vbi receptam sanitatem, inuentamque

tamque imaginem denarraueris, ea quoque subiunge, quæ de struendo hìc loci templo tibi dixi. Inuenient dicta fidem, sed lentam, nec integram: tùm enim verò tu ramo oliuæ viridi cinge lumbos, & mox arescet; reuirescet autem, quamprimùm caput tibi eodem coronaueris. Hinc reconciliatum sibi filium meum intelligent Paduani, & pestiferæ luis tandiù optatum finem. At verò vt sciant quoque hunc à me locum impertiendis cælestibus fauoribus, gratiisque electum, Qernum ramum cape, quem, simulac capiti circumligaueris, videbis exaruisse, quapropter eodem ramo arido lumbos cinge, & iterùm reuirescet. Hæc fata Virgo, videri desiit. Petrus cælesti gaudio delibutus, seruis qui superuenerant, visa refert, eorum ope fontem aquæ calidæ inter carecta quæsitum, inuenit, & in fonte sub saxis imaginem in lignea tabula quadrata, cubiti magnitudine; tùm nudatos à seruis pedes immergit fontis scaturigini, & mox redire in pedes vigorem sensit. Itaque iàm de futuris quoque miraculis securus, ad Vrbem montis Ortoni redit, & conuocatis magistratibus, ex ordine cuncta, & graphicè narrat, eaqua in dictorum confirmationem, quæ iussus est, ramis virentibus patrat miracula. Nemo erat qui auderet tantis fidem negare factis: Vndè sumptuosissimæ fabricæ, prægrande templum constructum est, quod hodiè Patres Eremitæ S. Augustini vnà cùm imagine B. Virginis habent in eodem monte Ortone.

34. *Guilielmus Gumppenberg, in Atlanti Mariano, de imagine Beatæ Virginis Drepanitana.* Hanc venerabilem imaginem in Italiam è Cypro deferebant quidam Religiosi Equites Templarij; cùm Drepanitanum portum ingressi, vt nauim tempestate iactatam reficerent, indè nulla vi discedere potuere, & licet sereno, & tranquillo se comittere mari tentassent, iterùm, ac tertiùm, non sine periculo in eundem reiecti sunt portum; quo prodigio intellectum, velle Virginem Drepani sedem figere. Quia tamen id non prorsùs Equitibus persuasum erat, eam depositi iure, Consuli consignarunt. Is aliquandiù in prophana domo, quam munitionis domum appellabant, seruatam, in Italiam iussus est transmittere: vbi Pisana in vrbe sedes eam ab equitibus parata expectabat. Tentatum id quidem est summa fide, sed inuito semper cœlo; currui impositam boues ad littus vehere cùm deberent, præcipiti cursu, velut mare auersati, ad templum Sancti Leonardi, vbi hodièque huius facti memoria conseruatur, deuenere. Quia tamen plùs vltrà Virgini sedes à cœlo destinabatur, plùs vltrà boues cucurrere, dùm eo in loco, vbi hodiè est, spontè sua consisterent; vndè nullis stimulis dimouere se passi, testatum reliquere, eum à Virgine locum habitationi designatum. Persuasum hoc eò faciliùs populo, quòd in R. R. P. P. Carmelitanorum templum, iàm ante Annunciatæ Virgini dicatum, ad quod boues substitere, statuæ facilè se importari sit passa.

35. *Idem, de imag. B. Virg. de VeZano in Italia.* In sæua illa pestilentia, quæ ann. 1523. plurima Genuensis Reipublicæ terras afflixit, Vezanenses plerique relicto pago suo, in campos migrarunt; inter quos Catharina ex 3. ordine Sancti Francisci fœmina pientissima. Hæc tertia die Iunii anni prædicti, cùm feruentiùs precibus incumberet, radium ex ipso cœlo lucidissimum ad se vsque descendere vidit. Res insolita fœminæ terrorem incussit tantum, vt animo linquente, in terram prona ceciderit; sed & adfuit huic deliquio suum remedium, fragrantia cælestis omni Balsamo nostro potentior, quæ vires quàm primùm restituit, fecitque vt attollere caput auderet, quin & circumspicere: & ecce Virginis Deiparæ Iconem breuem, quam radius hic è cœlo detulerat, adhùc radiis illis lucidissimis cinctam. Non ausam præ timore loqui Catharinam, Deipara clara voce alloquitur: & ne timeas, inquit, Catharina, quia Deus propter meam intercessionem, & orationes tuas parcit populo, pro quo rogasti. Vade Molinellum (hoc loco nomen est) dic vt incolæ se emendent, & cùm filio meo per pœnitentiam se reconcilient, nec pestem ampliùs timeant. Hæc omnia incolis retulit Catharina, fidemq. apud omnes habuit. Igitur Archipresbyter ad locum à Catharina monstratum accedens, sacram Iconem inuenit, detulit, collocauitque quàm decentissimè in Oratorio S. Sebastiani. Nec diù sine miraculo hìc Statua fuit, stante enim ipsa in sua sede, pestis ampliùs nō potuit, nemo ampliùs mori, nemo egrotare visus. Hæc imago vsque in hæc tempora miraculis coruscat.

36. *Idem, de imag. B. Virginis Stregensi, in Boemia.* Traditio est, aliquandiù propter bellorum consuetos metus muro inclusam delituisse hanc Sacram imaginem, & ann. 1303. repertam esse Stellæ indicio, quæ intrà, & extrà templum indicauerat per annum integrum talem thesaurum absconditum.

37. *Idem, de imag. B. Virg. de Romania, Tropeæ in Italia.* Diù Neapoli Peloponensi vrbe, hodièque Romania vocata, sedem habuit hæc B. Virg. imago. Hinc naui per nostra maria est aduecta. Ad conspectum vrbis Tropeæ vbi peruenit, remoræ officium fecit imago, & nauim stitit, flantibus licet ventis, & flentibus nautis. Turgebant sanè plena ventis vela, gemebat antenna. At vbi Nautę Tropeam vrbem videbant non recedere, in portenti suspicionem venerunt, quo Virgo significare videbatur, hìc se hospitium elegisse. Itaque scapham expediunt, quæ Præsulem Tropeanum cùm suis admonitum acciret. Venit ille sanè, & cùm illo tota penè vrbs. Exposito sacro Thesauro, nauis cursum suum tenuit, & imago miraculosa templo illata est.

38. *Idem, de imag. B. Vig. Genuensi, Madriti in Hispania.* Ex vrbe Genuensi allata Madritum vsque creditur hæc imago, & Atochano Monasterio P. P. Dominicanorum destinata, mutauit tamen sententiam, qui eam huic loco destinauerat, & aliò eam portaturus erat: cùm plaustrum, quo vehebatur, immobile ante Cœnobium constitit, nullis iumentis, aut

machinis mouendum; itaque dicto monasterio Atochano cessit.

39. *Id. de imag. B.Virg. Tindaritana in Sicilia.* Siciliæ oram legebat nauis, hanc deferens sac. imag. cùm ad portum Tindaritanum substitit, nullis remis, nullis ventis, quantùmuis turgerent vela, mobilis. Itaq. ipsa gens nautica rem diuinam verita, atq. reuerita est. Etenim sac. Statuam deuota supplicatione in proximum templum deportarunt, nec sine miraculo; nam vbi statua in terram deposita est, vestigium in eadem marmorea tabula signauit, & reliquit signatum, vt hodièq. videre est.

40. *Idem, de imag. B.Virg. de Lilijs, Naxera in Hispania.* Cùm Garzias Nauarræ Rex quodam in nemore propè Naxeram perdicem vidisset, Falconem brachio insidentem soluit, auesq. hinc indè volantes est secutus, donec ambo in foramen admirabilis saxi concederunt. Rex spretis periculis equo descendit, et antrum cùm paucis ingressus est, non obscurum, sed luce illuminatum insolita, adeò vt quò profundiùs antro se committeret, eò plùs lucis aduerterit, deniq. ad lucis fontem deuenit, Statuam B. Virginis, & vas lilijs plenum, quod Virgini odores præbebat inuenit. Rex in genua prostratus, sacr. Statuam veneratus, in aulam deportauit, & eius honori primò templum ædificauit; deindè templi curatores admouit nobiles equites, quorum ordinem in honorem Deiparæ instituit, qui in festis Deiparæ lilium gestarent in pectore.

41. *Idem, de imagine B. Virginis de Regula, Legione in Hispania.* Hæc imago olim in Vrbe Tagastensi D. Augustini iussu sculpta, ante 1194. annos, & sex dies, & ab ipsomet culta dùm viueret, demùm in Hispaniam translata, obque Maurorum furorem terræ demandata, tandem apparente ipsa Virgine cuidam canonico, & locum vbi sepulta iacebat demonstrante, amoto cespite inuenta fuit; decentique honore in honorificentiorem locum collocata.

42. *Idem, de imag. B. Virginis, in Brugerijs, Tolosæ in Gallia.* Collem semel arabat rusticus, & in loco procidere in genua boues videbat. Stimulis erecti, perexere non inuiti. Et verò vbi altero sulco in reditu ad eumdem locum iterùm ventum est, iterùm procubuere boues. Colonus altiora suspicatus, fossionem instituit, & sac. hanc Virginis statuam reperit. Cui deinceps in eo colle templum erectum.

43. *Idem, de imag. B. Virg. de Agathyrso, Nasi in Sicilia.* Hæc Deiparæ Virgo à S.Conone ex ipso cœlo allata creditur, ad Agathyrsi turrim, quæ speculatoribus seruit, die 26. Octob. A. 1598. Videre hoc plures fide digni, qui S. imaginem in oppidum, quod Nasum vocatur, detulere.

44. *Idem ibidem.* Imago B. V. de Remediis Cordubæ in Hispania, ipsa Virg. apparente, & reuelante inuenta fuit subtùs frondosas arbores in terra sepulta. Imago B. Virg. Eisymontensis, in Lithuania, indice splendore è ligneo pauimento emicante, subtùs quod sepulta cùm aurea theca iacebat sacra Icon, adinuenta fuit. Imago marmorea B. Virginis Græca, Rauennæ in Italia, illùc per mare diuinitùs aduecta est, cùmq. plurimi suam facere vellent, mira lubricitate ab omnium manibus elabebatur. Accedens autem Cononicus quidam Regularis S. Augustini, Petrus nomine, vir probe vitæ, Virginique flexis genibus rogans, ne peccatoris manus auersaretur, auditæ preces fuere; decumanus fluctus iàm oculis ereptam statuam, ad littus, & ad ipsius pedes, inspectante populo, deuoluit. Imago B. V. de Caboza, Andusaræ in Hispania, à pastore inuenta est, qui tintinnabuli sono insolito ad arborem ductus, in ea vnà cùm ipso tintinnabulo hanc Deiparæ Statuam inuenit. Imago B. Virg. *Zyrouuicensis*, in Lithuania, sub an. 1576. à pastoribus inuenta fuit Piro insistens, absq. fulcro, & fulgentissima luce radians. Imago B. Virg. de Solibus, Auilæ in Hispania, indicio duorum luminum ad instar solis fulgentium à pastoribus defossa fuit eo in loco, vbi nunc templum elegans illi dedicatum videtur. Imago B. V. Lucæ, Hallu in Maiorica Insula, inuenta est indicibus luminibus, quæ diebus sabbatinis circa Vesperum visa fuere à quodam Pastore, *Luca* nomine, à quo & imago denominationem sumpsit. Imago B. Virg. de noua Luce, Catanæ in Sicilia, inuenta est, indice splendidissima luce, omnium aspicientium oculos trahente ad locum, in quo erat. Imago B. Virg. de Arca Bartenæ in Hispania, à Pastorculo inuenta est, insolitæ lucis indicio è fruticeto roris marini. Imago B. Virginis de Stella, *Grati in* Hispania, inuenta fuit à Pastore in quadam cauerna indice splendidissima Stella, quæ locum cælestibus fulgoribus in quo erat Icon sacra irradiabat. Imago B. Virg. de Constantinopoli, Madriti di Hispania, quæ ob bella imminentia deffossa fuerat sub terra, indice prodigioso lumine, cælestiq. *melodia* adinuenta fuit. Imago B. Vig. de Cupressu, Constantinopoli, indicibus luminibus inuenta est in ingenti & annosa cupressu, ramis implicata. *Imago B. Virginis* de Valle viridi, in monte *Ætna Siciliæ*, inuenta est, ipsa Virgine indicante quadam in pila occlusa. Imago B. Virg. de Virtutibus Azambuziæ in Lusitania, adinuenta fuit in pratis Azambuzianis à Bubulco arbori affixa, indicio tauri, qui quotidiè ab armento discedens, ad eum locum properabat, in genuaque prouolutus, veluti quid *adoraturus* videbatur. Imago Virg. de Stella, *Maruani* in Lusitania, inuenta fuit à Pastore in vertice asperi & prærupti montis, indice Stella insoliti splendoris, quæ immota non errando supra eum locum semper ab ipso conspiciebatur. Imago B. Virg. de Pueyo, Parbastræ in Hispania, inuenta est à Pastore in Amygdalo, indice suauissimo concentu, & Angelorum, vt creditur melodia. Imago B. Virg. de Dumo, Eboræ in Lusitania, à pastore indice cælesti lumine inuenta est in Dumeto. Imago B. Virginis Dinnamare, Messanam in Sicilia delata est à duobus marinis monstris, quæ pinnis decorè eam per vndas deferentia, postquam deposuerunt in littore, videntibus quibusdam piscatoribus retia reficientibus, immersa fluctibus, videri desiere. Messanensibus data fuit imago B. V. de Grotta, cùm nauis mercibus pressa ad id littus ventibus adducta, indè nullo modo, nullis velis promoueri potuerit, nisi relicta in Crypta, seu Grotta, quæ in littore erat hac sacra imagine, quam vehebat, vnde illi

captus

captus ab incolis cultus. Cercinam in Italia prodigiosè sac. Virginis statua delata est, cùm enim in Galliam missus ab vrbe legatus Cardinalis Gallus, secùm thesauri loco hanc sac. imaginem ferret, mulus sac. statuæ baiulus, cùm Florentia discederet Bononiam, tribus ab vrbe Florentina milliaribus Italicis immotus constitit, nullaq. agasonum industria moueri potuit. Rem admiratus Card. iussit laxatis habenis, permitterent liberum bestiæ cursum. Tùm ille à via, quæ Bononiam ducebat, se auertit, & Cercinam, quæ semihora distabat, nemine vrgente, properauit, atq. ad ipsum templum immotus cōstitit; quim etiam in genua prouolutus ita est, vt nemo non videret, hìc Deiparæ Statuam esse relinquendam; quod fecit Card. Imago B. Virg. in Brugeriis Tolosæ in Gallia adinuenta est ab agricola indicibus Bobus arantibus, qui ad locum vbi erat sepulta peruenientes, in genua procidebant. Imago B. V. de Virtutibus Vlyssippone in Lusitania, inuenta est ab opilione in arbore ex ramo pendens, indice boue, quem discedentē ab armento, vidit flexis poplitibus orantis in speciem ante arborem procumbere. Imago Beatæ Virginis Nuceriensis in Italia, ipsa reuelante Beata Virgine, inuenta est ad radices proceræ, & annosæ quercus sepulta, indèq. effossa summa veneratione coli cæpit. Imago B. V. de Luce Vlyssippone in Lusitania, adinuenta fuit sub prægrandi saxo à Petro Martinez diuinitùs à Maurorum captiuitate liberato à B. V. illi apparente, & iubente, vt templum sibi ædificaret, quo in loco ingentem lucem vidisset; quod & fecit dùm euanescente visione, se non in Africa captiuum, sed in Lusitania liberum vidit, locumq. splendescentem, in eoque imaginem supradictam inuenit. Imago B. V. de Pietate Verraci in Hispania, in Pineto cælestibus flammis apparentibus, & indicātibus adinuenta fuit. Imago B. V. de Rubo Ognatæ in Hispania, in Rubo adinuenta est. Imago B. V. de Columba Planchæ in Regno Nauarræ, indicio columbæ, quæ non sine admiratione pastoris cuiusdam frequentissimo volatu in excsæ rupis specum se recipiebat, egressaque sæpiùs eundem in locum reuolabat; quò ipse accedens, imaginem inuenit. Imaginem B. Virg. de Ascensu, Stellæ in Hispania, fama tradit, inuentam esse indicio circùmuolantium per plures noctes stellarum, & angelici concentus auditi eo in loco, in quo spinis & sentibus abdita occultabatur.

45. *Idem de Imag. B. Virginis Damascena, Vallettæ in Insula Melita.* Postquàm Damascena vrbs, vbi primùm hæc imago culta, à Saracena rabie subuersa est, imagoque sine cultore relicta, annus abiit, cùm fastidita cùm incolis vrbe sacra Imago discedere parauit, nullo iumento, nullo baiulo, ipsa per sola vt erat, vnà cùm ardente lampade iter ingressa oppidò longum, & maritimum: quin etiam ita auctus splendor ardentis lychni, vt nauis vna forte per illa maria errans, nocte integra, tantum fulgorem plenissimis velis insecuta, denique viderit ingredi, insulæ cuiuspiam, quam nec ipsi in tenebris nouerant, portū. Rhodus fuit. Quæsitus tàm à nautis, quàm ab incolis (quia & ipsi nocturnos ignes viderant) locus, vbi præterita nocte diuinus splēdor consedisset, & ecce in littore reperta, cùm accensa lampade sacra imago, statim ad omnem venerationem incolas inuitauit, quapropter Templo Sancti Ioannis solemni pompa illata est: At verò sac. Imago aliam elegerat sedem, quam Simonitriam appellant, in eamque nullo comite, nullo teste, diuina virtute se transtulit; ibique cultum habuit, quousq. Rhodo à Turcis capta, Melitam translata est.

46. *Idem, de Imag. B. Virg. de Oleastro, Cæsaraugustæ in Hispania.* Mulier quædam Cæsaraugustana Deiparæ addictissima, statuam B. Virg. artifici locauit ex Alabastro formandam, quam domi coleret. Efformata Statua, ab Artifice quibusdam ciuibus Sorianis, à quibus visa, vendita fuit, aliam parem pro fœmina confecturo; Interim dùm mulier artificem conuenisset, deque vendita Statua quereretur, domum rediens, Statuam iurgiorum materiam in Oleastro conspicit decorè consistentem; miraculo attonita, conuocat vicinas, ostendit statuam, omnemq. rei seriem enarrat: intereà ciues Soriani statuæ emptores quæsituri statuam suam, quæ è sarcinis aduolasse aduerterant, iunxerunt se multitudini, & statuam suam agnoscentes, de arbore deposuerunt, & meliùs quàm antè custoditam Soriam versùs reportaruut; sed iterùm consedit in Oleastro. Ausi sunt Soriani iterùm redire statuam accepturi: Quod tamen vetuere Cæsaraugustani Ciues, suam esse iactantes. paulòque post templum illi ædificarunt.

47. *Idem, de Imag. B. Virginis de Pineta, Bielsæ in Hispan.* Hæc Vener. Deiparæ imago, quæ in villa de Barecha colebatur, incolarum mores abhorrens, Bielsam spontè abiit, atque in cespite consedit. Vbi Bielsani cùm gaudio eam excipientes, eidem quamprimùm struxerunt sacellum.

48. *Idem, de Imag. B. Virg. de Auiliano, Campaniæ in Italia.* Hæc Vener. imago priùs stetit Auiliani, oppido Lucaniæ, sed cùm ibi nulla pietate coleretur, ad Campaniam vrbem spontè migrauit, vbi summa deuotione est culta.

49. *Idem, de imag. B. Virgin. de Visito, Messanæ in Sicilia.* Erat in monte, qui de Scirpo nomen habet, per antiquum oratorium ab ijs maximè visitatum, qui locum illum deliciarum pro suburbana recreatione elegerant; hoc casu dirutum fuit, vnico illo muro superstite, in quo Deiparæ vetustissima imago colebatur. Apparens igitur Deipara cuidam nobili viro ægro, nec nomen Stephanus, iussit illi, vt si sanitatem consequi vellet, imagini suæ sacellum ædificaret. Euigilans Stephanus, imaginem transtulit in suum, quod è ligno in ea villa habebat sacellum; at altero die reperta est in agro alteriùs nobilis viri, & amici, à quo non eo inuito, iterùm reportauit in suum; At Deipara iterùm ei apparens, iussit vt eo in loco, ad quem spontè progressam viderat imaginem, templum sibi ædificaret, quod fecit, fundo ab amico petito, & obtento.

50. *Gonzaga in Prou. Arrabidorum, de Conu. S. Mariæ de Rabida.* Cùm mercator quidam natione Anglus, in mari ob exortam tempestatē periclitaretur, nullaq. sibi, naui, qua vehebatur inter scopulos

versante, maritimisque fluctibus magis, magisque intumescentibus, atque atra nocte imminente, salutis spes residua esset, quocumque humano auxilio, atque remedio longè posthabitis, ad deuotissimam quandam gloriosæ Virginis imaginem, quam secum deferebat, cùm cæteris nautis supplex oraturus confugere decreuit. Quam cùm nullo pacto inuenire potuisset, sua spe fraudatus, nihil aliud præter naufragium, & amaram mortem expectabat. Et ecce dùm nihilminùs cogitat, lumen quoddam ex Arabici montis latere sibi alluxit. Ad quod cùm nauis proram direxisset, post breuissimi temporis spatium, in placidum quendam, quietum, & omninò securum portum incidit, vbi & anchoras præter omnium spem fixit, atque tantum imminens periculum euasit. Dùm igitur sequenti luce gratias D.O.M. pro tanto accepto beneficio redditurus, locum, ex quo lumen se conspiciendum prodiderat, religiosè peteret, illa gloriosissimæ Virg. Mariæ imago, quam in naui diligentiùs conquisitam inuenire minimè potuerat, scopulo cuidam innixa, tùm sibi, tùm quoque congredientibus nautis ex insperato apparuit. Quod diuinæ bonitati, atque misericordiæ tribuens ipse mercator, mercibus primò diuenditis, ipso eodem loco, in quo præfata imago consederat, Eremitorium, turrimque sibi contiguam, in qua quod sibi reliquum fuit, sub anachoretico habitu sanctissimè vixit construenda curauit. In quo loco posteà Conuentus Minorum, sub gloriosæ Virginis Mariæ de Rabida titulo fundatus est.

51. *Coluenerius*. Cùm Parisiis in Gallia, Simon Robanus, vulgò dictus Simon Vela, parentibus iàm vita defunctis, ac patrimonio in pauperes, & in Ecclesias distributo, annum agens 41 in monasterio tertii Ordinis Sancti Francisci nullo Religionis habitu suscepto, aliquandiù vixisset, semel atque iterùm per quietem diuinitùs est admonitus, vt in Gallica rupe versùs Occidentem Deiparæ imaginem studiosè perquireret. Qua in Galliis toto nequidquam quæsita quinquennio. In Hispaniam ad S. Iacobi in Compostella profectus, & Salmanticæ aliquamdiù commoratus, Deiparam Virginem impensiùs orabat, atque obtestabatur, vt sibi Rupem Gallicam vbi tandem locorum esset, certo aliquo indicio declararet. Haùd ita multò post carbonarij cuiusdam indicio, atque aliorum responsa secutus, cùm ad eam Rupem, syluamque peruenisset, lætabundus post preces illic enixè effusas, per somnium oblata est ei Deiparæ species, filium gestantis in vlnis, ac multo lumine circumfusæ, quæ iussit suam ex eo loco effossam imaginem in summo montis apice collocari, ac ibidem templum erigi.

52. *Bzouius in ann. Ecclef. an. 1513. de Ecclesia Romæ S. Mariæ in Via nuncupata*. Constructum fuit id templum ex stabulo Petri Capocii Patricii Romani S.R.E. Card. anno Domini 1243. Innocentio IV. Pontifice sedente, atque iubente. Narrant, nocte quadam, putei eodem loco existentis aquam ad os vsque perlatam se se toto stabulo effudisse. Viderunt etiam qui accurrerãt, ad marginem silicem, præter naturam adnatantem, cui B. M. V. imago impressa esset. Eò inter alios accurrit Petrus ipse Cardinalis, atque aquas ipsas circumfusas ingressus, qua decebat pietate, silicem, qui nullius vi dimoueri potuerat, in Ædes suas honorificè transtulit. Id ipsum vbi resciuit Pont. Max. erecta ara, ac Dei parenti dicata ante puteum, occidentem versùs, imaginem reposuit, quæ vsque ad nostram ætatem per omnia tempora fuit miraculis illustrissima. Putei verò sacello conclusi, religio indè orta est. Et quia in imum putei idem ille Cardinalis ex Palæstina eius lapidis partem delati coniecit, supra quem sedisse legimus Christum Dominum, quandò Samaritanam alloqueretur, indè cæpit Romani populi concursus, ac votorum, donorumque ad aram celebritas. Indè etiam puteo inscriptum carmen.

Ante aras qui stat puteus, de gurgite cuius
Turba salutarem de febribus haurit aquam.
Ne credas opus esse recens. Hunc sancta parentum
Religio ætheræ virginis æde sacrat.
Ebibe quisquis ades, gratam exorare salutem
Hic iuuat, & morbum lympha, leuatque sitim.

53. *Antonius Caracciolus in monum. Eccles. Neap. cap. 1. sec. 1.* Multotiès ipsamet Virgo, se se Neapolitanis ciuibus fecit manifestam, vt faceret adiuuam. Vetus est illud exemplum an. 1353. Nàm, in Crypta illa Puteolana imaguncula Virginis latebat, obscura in obscuro loco. Sed in somnis ipsa visa Eremitæ cuidam, ac Mariæ Dyrrachiensi nobilissimæ matronæ, quo esset loco effodiendum, docuit. Effoso loco, imago reperta est, atque in templo collocata, quod in maris littore extructum, Canonici posteà Regulares Lateranenses incoluere. Vides, ipsam, littoralem plagam elegisse, quasi futuram deuiorum Pharum, nauigantium cynosuram. Vnde factum, vt nauigantes, religionis perduelles se existiment, nisi salutatum illam veniant, tormentorum explosionibus.

54. *Idem ibidem*. An. 28. elapsi sæculi dira lues Neapolim afflixit, breui tempore, plùsquàm sexaginta millia hominum depopulata; Et serpente morbo arbitrabatur quisque, cuncta esse peritura. Virgo, quæ ciuitatem amabat, piæ cuidam vetulæ dormienti apparuit, locumq. indigitauit, qui propè erat ciuitatis mœnia ad Septentrionem: iussitque quam inuenirent sui imaginem, honesto collocari loco. Subdiditque, cessaturam luem, nec vlteriùs Ciuitatem depopulaturam. Factum illicò. Et fidem seruauit Deipara. Non enim ab illa tantùm lue, sed ab ea quæ anno septuagesimo quinto eius sæculi per totam Italiam grassata fuit, Neapolis facta est immunis.

55. *Ioannes Eusebius lib. 1. de mirac. nat. capit. 39. de Imagine Virginis, quam Sanctus Gregorius Papa miserat D. Leandro Hispalensi Præsuli, & Guadalupæ colitur*. In Cathedrali templo summo cùm honore seruata fuit, donec luxu, libidineque eneruatam Hispaniam, Pœni impunè vastarent, Christianis vndiq. fugientibus. Tunc Hispalenses aliquot sacerdotes infidelium è manibus elapsi, Toletum fugerunt, ablatis aliquot Sanctorum reliquiis vnà cùm sacra hac effigie; qui cuncta hæc propè amnem Guadalupę, barbarorum metu,

metu, in marmoreo sepulchro, adiunctis litteris in rei gestę memoriam, ingesta tellure condidere. Multis demùm sæculis elapsis, tempore Alphonsi XI. accidit, vt bubulcus amissum bouem aduerso amne Guadalupe inuestigaret, quem mortuum reperiens, dùm parat corio nudare, reuixisse videt attonitus, cùm se illi Diua Virgo augusta specie derepentè obtulit, imperans vt Clero significaret, vt eo loci occultam sacram effigiem effoderent, ibique dedicata æde collocarent. Pastor hic domum rediens, inusitata in Deum flamma, & D. Virginis religione accensus, vt cœlestibus mandatis obtemperaret, ecce tibi familiam omnem luctu, & mærore obsitam ob filii mortem, sed ipse insolita quadam in Beatam Virginem spe preces tanto animi feruore fudit, vt iterùm cunctis stupentibus vitalis cerneretur. Statimque vniuerso Clero rei gestę seriem omnem retulit, recenti miraculo confirmatam. Omnes illicò ad indicatum locum conuolant, repertamque imaginem, tumultuaria excitata ædicula, reponunt. Miraculi huius fama vniuersam momentò Hispaniam peruasit, magnus eò statim concursus fieri, frequentes se D. Virgini commendare, vniuersi opem, auxiliumque ærumnis suis experiri cæperunt.

56. *Alphonsus Villegas*. Circa annum Domini 890. cùm in Hispania in monte Serrato (sic dicto quòd vertices habeat multiplices, & diuersas in partes quasi serra dissectos) septem pastores pueri sua pecora simùl pascerent, singulis diebus sabbati sub noctem, intendentibus se tenebris, obseruarunt, cœlo delabi lumina, & certæ montis speluncæ incumbere; ac deindè ex eadem spelunca audierunt quasi choros modulatè, ac suauiter concinentes. Id cùm pueri suis quisque parentibus retulissent, resque deinceps ad Episcopum Barcinonensem permanasset, is proximo post sabbato, magno cùm comitatu locum adiit, suisque ipse, & oculis lumina, & concentum Angelicum auribus hausit; atque altera die propiùs ad antrum accedens, odore quoque suauissimo indè afflatus, inuenit Deiparæ effigiem piissimam, quam indicta supplicatione, cùm ad vicinum pagum, deferri curaret, qui statuam portabant ad certum locum progressi, eam id nulla vi dimouere potuerunt; vbi, quod hodiè visitur, præclarissimum extructum est templum, concursu peręgrinantium frequentissimum, & Lauretanæ ædi celebritate proximum. Pendent in eo ante dictam Deiparæ statuam quinquaginta ex argento lampades, & vsque collucent, Regum, Imperatorum, Pontificum munus. Miracula edita ingentia idoneis testibus probata, 382. conscripta recensentur. Sed illud eximium, quòd qui Sacrosanctum huius templi limen intrant, illicò mollescant animo, ac tenerescant, & quasi adiectis pectori facibus, ad studium pietatis accendantur.

57. *Marraccius in Purpura Mariana capit.* 2. §. 6. In Claromonte Poloniæ, colitur imago Beatæ Virginis quæ cùm in quodam loco à prædicto Claromonte tribus stadiis dissito deiecta fuisset, fons nouus erupisse fertur, cuius aqua, partes imaginis deturpatæ, lotæ fuisse perhibentur. In tantæ autem rei memoriam, capellam ibidem ædificare curauit Bernardus Macieiouuski Poloniæ Episcopus Cracouiensis.

58. *Ex m. s. s.* Regnante in Sicilia Friderico II. Imperatore Sueuo, dùm is Messanæ moraretur, fortè Nauis appulit pretiosis, opulentisque onusta mercibus, sed Deiparæ Virginis imagine, cui ad latus appictæ erant Scalæ, longè opulentior. Hanc vectores ex Ciuitate quadam Syriæ furto sublatam, Messanam aduexerunt. Distractis mercibus, dùm è portu soluunt, & vela dare ventis tentant, nauis tamquam echeneide detenta, firma, immotaque in portu subsistit, & nautarum, aliorumque qui aderant, eamque propellere nitebantur, conatus omnes elusit. Nautæ pii furti conscii, Imperatori, atque Archiepiscopo totius rei seriem recensent, ac detegunt. Illicò re intellecta, inducitur solemnis omnium ordinum supplicatio ad littus maris, stratoque ad Nauim ponte sublicio effertur honorificè sacra Deiparæ Imago, in littore locatur, eodemque momento liberata nauis, iter suum prosecuta est. At verò imago Sacrosancta nouo prodigio rursùs suo defixa pondere, immota perstitit. Inito tandem consilio, decernitur, vt honorificè apparatis quadrigis imposita, vti olìm Arca, quæ Virginis vmbra extitit, finerentur abire, quò liberent. Itaque spontè, absque ductore vllo, nullis lacessitæ stimulis, perexere, tandem ad radicem collis Ricciani nulla præeunte voce humana, occultiore dumtaxat vi quadam retentæ gradum sistunt iuxta sacrarum Diui Benedicti Virginum Monasterium. Exindè locus ille ante S. Mariæ de Valle dictus, tunc è Scalis nomen accepit, plurimisque Regum, Principumque donariis auctus, eximiis miraculis, ac prodigiis coruscauit.

59. *Gonzaga in Prouincia Brixiæ, de conuentu Sanctæ Mariæ à Fraxino Pisceriæ*. Cùm anno 1511. deuotissima Dei genitricis Mariæ imago, ad mille passùs ab hoc oppido, inter cuiusdam fraxini arboris ramos, exinsperatò apparuisset, statimque miraculis coruscare cœpisset, Pisceriensi communitati ab Illustrissimo Marco Cornelio S. R. E. ac tituli Sanctæ Mariæ in Porticu Cardinali, idque anno Domini 1514. concessum est, vt eodem in loco, tum ex propriis, tùm quoque ex oblatis ab aliis Christi fidelibus eleemosynis, ædiculam eidem gloriosæ Virgini sacrandam, iuxta votum, dummodò sacerdoti, qui eius curam gereret certam mercedem constitueret, erigere posset.

60. *Idem in Prouincia S. Antonij, de Conuentu Sancti Francisci Fossæ Clodiæ*. Præcepit quidam huius loci Guardianus, omnem horti herbam, quòd minùs valeret, nec fratribus vsui esse posset, immisso igne semel aduri: cùmque reliqua exusta, quædam eius pars intacta remansisset; immò voraci flammæ viriliter restitisset, prędictus Guardianus mirabilis huiusmodi rei causam inuestigaturus, submissam terram fodi iussit, dùmque fossor iniuncto sibi operi diligentius intendit,

pulcherrima quædam gloriosissimæ Virginis Mariæ imago ex insperatò apparuit. Quam indè educentes, honestiori in huius monasterii loco collocari curarunt. A quo etiam tempore miraculis, hisq. non vulgaribus, in Clodianorum fauorem coruscat.

61. *Gomesius lib.10. apud Bzouium an. 1223. num.12.* Iuxta aciem oppidi Puchensis, ab iis qui noctu excubias agebant conspecta multa lumina fuere, accensorum instar cereorum, quæ cœlitùs in eam partem, quæ fuerat ad templum erigendum designata, descendebant; ac se se in terram magno cùm splendore immittebant. Quibus, Duci, & aliis custodibus patefactis, dùm operæ excauandis fundamentis nauaretur, sonitus valdè tinniens auditus est, atque eòusque defossum, quòad contactis parietibus, templum, vt apparebat, magnum, sed terra obrutum, fuit inuentum. In quo dùm profundiùs excauaretur, ligone æs ictum personuit. Vndè rastris purgato loco, magnum quoddam tintinnabulum retectum est: quo elato, reperta quoque subtùs marmorea quædam tabula altitudine duorum cubitorum, latitudine verò sesquialtero, in qua insculpta erat imago sacræ Virginis Dei Matris, vlnis filiolum gestantis. Qua tabula, & tintinnabulo, aliisque annotatis vestigijs, pro comperto habitum est, fuisse olim Gotthorum tempore constructum ibi templum, in honorem S.S. Virginis, eiusque diuinum cultum frequentatum à Religiosis Benedictinis, qui eo tempore floruerunt, posteà verò Saracenorum in vniuersam Hispaniam irruptione, templum dirutum, atque à religiosis imaginem cùm tintinnabulo in profundo templi relictam, delituisse quingentis, & decem annis, vsque ad Iacobi Regis tempora, qui imaginem dono dedit Fratribus Sanctæ Mariæ de Mercede, & in nouo supra vetus erecto templo, ad altare maius reponi curauit: vbi, & miraculis claret, & magna vrbis, totiusque Valentini Regni ab omnibus reuerentia veneratur.

62. *Ioa.Bonifacius li.2.c.14.* Mercator quidam, Schiedamũ Deiparæ imaginem in nundinis Antuerpiensibus venditurus attulerat, naui imponit, nautæ ad soluendum se comparant, sed nihil mouendo, impellendoque, proficiunt. Aduolant quamplurimi ad nouæ rei spectaculum, vti fama percrebuit, stupent immoto nauigio tàm multas ardere manus, tantasque machinas nequicquam adhiberi. Id propter Dei matris illam effigiem fieri tandem suspicati, mercatorem rogant, vti iusto accepto pretio illic relinquat imaginem. Illo assentiente, imago tollitur, & in æde Beatissimi Præcursoris religiosissimè collocatur. Crescit indè amor, & pietas popularis, sodalitas demùm instituitur, & in eodem loco quotidianæ laudes cùm ingenti pietate Deiparæ Virgini celebrantur. Hanc igitur Liduuina nondùm annum egressa septimum frequenter inuisebat, quòd si mater puellæ moram longiorem arguisset, ita respondebat, ne moleste feras paulò me tardiùs accessisse, salutaui enim speciosissimam Dominam nostram, & illa mihi blandissimè arrisit.

63. *In Hist. S.Dominici.* Accidit ann. 1530. nocte, quæ natæ Virginis Deiparæ octauum diem proximè antecedit, in monasterio P.P. Prædicatorum Soriani, cùm custos, qui sacristiæ munere fungebatur, in Ecclesia reperiretur, apparuerunt ei tres speciosissimæ puellæ, quæ post multa, imaginem Sancti Dominici telæ depictam dedere, illam vt monasterii Superiori deferret præcipientes. Accepit ille sacrum pignus, detulitque superiori, qui vnà cùm ceteris fratribus prodigium admiratus est, ignorabât tamen vndè nàm tàm pretiosum donum illis aduenisset. At proxima nocte apertam huius rei veritatem facta reuelatione didicere. Nàm post multas preces, quas eum in finem ardentissimas ad Deum, Beatam Virginem, & Sanctum Dominicum effuderant, variaque ea de re inter se tota die habita colloquia, Virgo Alexandrina martyr inuictissima vni sacerdoti (cuius in illam erat singularis amor, & pietas) post matutinas preces, & orationes conspicua fuit, & sic benè locuta est. Absistite tandem scrupulosa indagine huius mysterii arcana scrutari, vndè, & à quibus istud muneris delatum sit, anxiè disquirere desinite, sed enim noueritis, illam Dominici effigiem, non hic in Terris, hominis cuiusquam manu, & arte pictam esse, sed ab ipsa genitrice Maria Domina Angelorum, cælitùmque Regina, è cœlis ad vos delatam, & ordinis tui patronas tutelares, Mariam Magdalenam, meque socias adfuisse, quibus ex officii munere incumbit, munerum, donorumque transmissionibus, quibus eundem ordinem, cœlum ditat, comites interesse. Hisce dictis, euolauit in cœlum.

Reliqua ad hæc spectantia in sequenti §.

Imagines, ad locum, à quo deportatæ fuere, diuinitus reuertentes. §. 3.

INuiolabilem cultum, quem statis in locis quibusdam imaginibus à fidelibus exigit Deus, earundem ad pristinum locum, vndè vel ab impia, vel à nimiùm religiosa manu deportatæ fuere, admirandæ reuersiones demonstrant. De his.

1. *Antonius Vasconcellus.* Familicanum, pagus est Igæditani Episcopi non exiguum ornamentum, in hoc D. Francisci Cœnobium est, ad quod numerosa populi frequentia concurrit ad colendũ Christum ad nodosum robur actum, quem vulgus, Bonum Iesum compellat. Hunc pastor quidam ruris cœlo duce in lucem protulit. Res ita habet. Cùm per Vallem nemorosam pecudes baculo ageret, deprehendit ad excauatum in rupe fornicem gregem pertinaciter adhærere; rem miratus, gregem quà sibilis, quà clamoribus, quà baculo conatur impellere: operam tamen ludebat. Rei nouitate perculsus, antrum subit, tophis, & pumice viuo concameratum: vix medium ingressus, audit se se noto nomine citari. Non metu exhorruit cordatus pastor, immò deposita formidine, inceptum iter persequitur: quoad accessit, vbi Christi effigiem in morem crucis efformatam, honesta forma, & liberali super saxosam rupem intuitus est: quo obtutu, illum, & vox, & animus defecit. Postquam Cœlum hausit, & animum collegit,

legit, has preces effundit: Domine, si Deus meus es, iube me ad te venire. Ita habuit, accedit, ruit in amplexus, sacramque effigiem apprehendens, ad Oppidum se recepit. Duos tamen è Franciscana familia obuios habuit, qui certiores de re facti, hominem cohortantur, vt Curioni rem aperiat, sacrumque illi offerat simulacrum, quorum dictis cùm acquiesceret, sacram effigiem ad Curionem detulit, quam ipse non sine pia animi submissione in maiori templo, decreta ad id pompa, collocauit. Attamen sacra effigies ad locum, vndè est auulsa, semel atque iterùm remeauit. Quoad Rotericus à Castro primæ nobilitatis vir, ad quem illud antrum pertinebat, templum egregio opere contruxit, sacramque effigiem in cruce argentea affixit, quam ibidem posuit. In quo si quis fusis precibus Deum fatiget, illum salutarem, & propitium experitur.

2. *Siluester Frangipanus in sua Hist.* In Soriano Pago superioris Calabriæ, extat imago Sancti Dominici, de qua hæc referuntur. Signum construendi templi crucem posuere, quæ nocte transacta, in alio loco oliuis consito est reperta; at custodibus adhibitis, putantes id ab habitatoribus factum, denuò diuinitùs eò translata est, vbi primùm nullo hominum ea mouente fuerat inuenta; diuinæ id esse voluntatis indicium interpretantes, templum ibi erexere, in quo locata Beati Dominici imago miraculis illustris.

3. *Tursellinus in Lauret. Hist. lib. 1. cap. 16.* Extat in ęde sacra Lauretana crucifixi imago, quam cùm eam efferri, & in sacello ad id exornato, vt maiori honore coleretur, reponi, Recinetensibus, & Episcopo placuisset, fama est, translatam subindè in sacram remigrasse domum, & in suam sedem recepisse se.

4. *Secundus Lancellotus lib. 2. Hist. Oliuetanæ, de Monasterio Veronensi.* Notabile illud quidem hoc loco cernitur, Asella miro artificio confecta, & ex solido ficus trunco insculpta, cui Christus, insidet benè precanti consimilis. Artificem non inuenio, hæc tamen traditione accipio. Ex illis, qui olim S. Mariæ in Organo Cœnobium posidebant, quidam Cœnobita, solitudinis, maiorisque asperitatis incredibili cupiditate inflãmatus, Abbatem conuenit, petitque, vt in locum voto defungendo aptissimum in Tridentino, haùd longo tamen à Verona interuallo disiunctum, secedere liceat. Morigeratur Abbas, aitque: Quid sciam in solitudine quantùm perfeceris? vobis inquit, ac multis non obscurè significabo, se seque ad eremum confert. Cùm temporis nescio quid præteriisset, Asella secundo Athesi aduecta, quæ omnibus coniectura est, præter fores templi in fluuio tamen reperta est. Quo cognito, totaque vrbe diuulgato, in S. Nazarii à Clericis reuerenter deportatur: Cæterùm posteræ lucis ortu, vndè primùm sublata est, conspicitur. Eòdem rursùs defertur. Porrò cùm tertiò illud contigerit, velle Deum ad S. Mariæ in Organo collocetur, omnes intelligunt. Collocatur. Ea igitur omnium sententia, religiosum illum Eremicolam suis manibus elaborasse, Athesi commisisse, ibique pro miraculo constitisse. Quapropter anniuersaria olearum celebritate, palmis distributis, confluentis nobilitatis, ac multitudinis illustrissima pompa Asella cùm Christo imposito, palmis, oleisque perornata circumdata tota Vrbe, quàm religiosissimè circumfertur, Campanis publicè personantibus, artificiosis ignibus vndique coruscantibus, cæterisque adhibitis singularis lætitiæ argumentis. Festus autem hic dies de Mulula nominatur.

5. *Arnoldus Raysfius in auct. ad nat. S. Belgium, 2. Feb.* Apud Tungros propè Ath, in Hannonia, uenerabilis extructa est Ecclesia, B. Virgini dicata, in qua deuota imago eiusdem Virginis colitur, que cùm anno Domini 1081. circa mediam noctem in Vigilia Purificationis ab Angelis illùc mirabiliter delata fuisset, indèque varia in loca, Ecclesiasque, vt decentiùs honoraretur (ibi enim tunc erat viridarium) translata fuisset, Angelorum ministerio ad pristinum reportabatur locum, in quo postea Ecclesia ædificata fuit.

6. *F. Iustinus ex Ioanne Lopez.* In agro Tuencara Religiosè colitur imago B. Virginis Mariæ, quæ inter Sparta, & Vepres ab opilionibus reperta, & in Ecclesiam loci illius cùm honore delata, semel & iterùm ad eundem locum putà spartarium, per aerem, in nube candida cæruleo arcui iridis instar, miraculosè delata fuit. Donec in eodem loco primùm sacellum, posteà augustum templum extructum fuit, & Ordini Prædicatorum commendatum, Anno Domini 1598. In quo templo imago illa in magna populi veneratione habetur, Beata Maria *de Valle Verde*, dicta, id est, è Valle viridi.

7. *Antonius Balinghem in Kalen. Virg. 25. Iulij, de Paulo II. Pontifice.* Cùm hic, imaginem miraculosam S. Mariæ in Porticu (ea est, quę S. Gallæ apparuit) in Pontificium Sacellum deferri iussisset, altera die in propria æde collocata diuinitùs inuenitur.

8. *Iacobus Iordanus in Chron. Montis Virginis lib. 2. cap. 24.* Propè Neapolim in Oppido vulgò *la Baronia*, colitur Ven. imago B. Virginis, quæ illùc ab Angelis mirabiliter delata; cùm etenim priùs ibidem inter nemora, sepesque ex mirabili cuiusdam fugitiui tauri adoratione inuentam, in Ecclesiam proximæ Villæ, *Aquara* nomine, solemni ritu transtulissent incolę, sequenti die ad pristinum locum reuersam inuenerunt; quare mysterium intelligentes, ibidem Ecclesiam ædificauerunt, in qua vsque adeò piè colitur; quæ vocatur Beata Virgo Sepis, vulgò *della Frata*.

9. *Carolus Morascus in Rel. B. Virginis Montis nigri.* Transtulerunt Eremitæ degentes in Oratorio B. Virginis Montis nigri propè Liburnum, venerandam imaginem, quæ ibi colitur, ad sacellum, in quo primò apparuit, quandò ab Angelis illùc à Negroponte translata fuit: sed ecce mirum, nocte sequenti, ad pristinum locum inuisibiliter Beata imago ministerio Angelorum reuersa est. Illum quippè, quem sibi ab initio elegerat mirabiliter locum, haùd humana industria mutare potuit.

10. *Andreas Vigna, in Hist. B. Virg. de Corona.* Cùm anno Domini 1522. ex nocturnis luminibus, cælestiq. melodia in loco innacessibili Montis Baldi, in

di, in Territorio Veronensi, Venerabilis Beatæ Virginis imago lapidea(quę ab Angelis illùc Rhodo translata erat) adinuenta fuisset; incolæ, vt frequentiori populorum deuotione coleretur, decenter in sacellum proximum cōmodiori in loco extructum transtulere; at sequēti die, ad pristinum, quem sibi elegerat, mirabiliter reuersa est, quod & secūdò facientes, iterùmq. imaginem ad pristinū locum reuersā adinuenientes, mysterium intellexerunt, Beatam Virginem scilicet, in eo ad quem ab Angelis deportata fuerat loco, venerari velle, ibidem piorum eleemosynis Ecclesiam construxerunt, summaq. omnium veneratione, populorumque concursu ibidem vsque adeò colitur.

11. *Thomas Bindonus in 1. & 2. cap. suæ Historia*. Propè Viterbium nobilis constructa est Ecclesia B. Virgini, vulgò *della Quercia* dicta: Huiusmodi imago in tegula depicta, in vertice quercus iuxta cōmunem viam reposita fuerat, quercusque ramos supra ipsam adinstar coronæ ita intexuerat, vt à ventis, pluuiisque defensaretur. Cùm autem semel pius Eremita, iterùm, atque iterùm religiosa fæmina à quercu sustulissent, in propriasque domos reposuissent, mirabiliter semper imago in verticem Quercus reuertebatur; vndè ibidem eam relinquendo, nobilem Ecclesiam eodem in loco construxerunt Viterbienses.

12. *Archangelus Gianius, lib. 5. Vita S. Philippi Benicij*. Dùm quidam Dux, munire vellet arcem Montis Politiani in Tuscia, Ecclesiam D. Virgini dicatam demolitus est; cùm autem ea in Ecclesia quædam Ven. imago B. Virginis in pariete depicta reperiretur, eam deuota fæmina nomine Margarita secto pariete in propriam Domum deportari curauit, cui maxima cùm veneratione deuotissimas continuò preces effundebat; At post biennium quadam nocte 21. Maii, circumfuso cubiculo maximis splendoribus, canentibus suauissimis vocibus Angelis, ab eisdem, ne dùm ipsa Margarita, sed & innumero populo cernente, ad locum vndè asportata fuerat, mirabiliter delata est, quo miraculo excitati Oppidani, Ecclesiam ibi ædificandam curarunt, Fratribusque Seruis Beatæ Mariæ, à quibus primò ne dùm Ecclesia, sed & monasterium ablatum fuerat, iterùm Ecclesiam, tùm Monasterium de nouo extructum donarunt. In memoriam autem tanti miraculi, quotannis eadem dies solemnitas tàm mirabilis translationis, celebratur.

13. *Florauantius Martinellus in libello de Imagine Beatæ Virginis in Ecclesia S. Sixti, ex antiquis m. s. s.* Romæ in Ecclesia Monialium S. Sixti est imago Beatæ Virginis, quæ olim dùm per manus S. Lucæ Euangelistæ nondùm adhibitis coloribus disignata tantummodò esset, subitò reperta est Omnipotentis Dei virtute depicta: Hanc quidam Papa ex illa Ecclesia abstulit, & in Sancta Sanctorum deportauit, dicens, matrem debere esse cùm filio, cuius imago est ibidem; sed ad orationem Sororum, in mane circa Auroram cùm lumine magno reuersa est.

14. *In ann. Seruorum Cent. 3. lib. 3. cap. 13.* In Oppido Marradii in Etruria, in Ecclesia Frat: Seruorum colitur Veneranda imago Beatæ Virginis lignea, quæ cùm priùs ex altera parte fluminis Lamonii collocata esset, Angelorum manibus ad alteram fluminis partem mirabiliter delata est inter vepres, & super struem saxorum abscondita, vbi postea Ecclesia ædificata est.

15. *Ibidem Cen. 3. lib. 1. cap. 10.* Fratres ordinis Seruorum B. Mariæ, ædificata noua Ecclesia Tipherni in Vmbria, vt deuotam imaginem Beatæ Mariæ in ea collocarent, ab excellenti pictore in lignea tabula eam delineare fecerunt: At opere perfecto, cùm Patres, quam pacti fuerant pecuniam soluere ob inopiam non possent, Fratres S. Dominici Iconam istam statim soluto pretio in suam Ecclesiam asportarunt. Verùm Matutini officii accedente hora, Prædicatores imaginem furto sublatam dolent; Seruitæ verò in proprio sacello, in quo prius reponere statuerant, locatam admirantur. Interim fama per vrbem vagante, furti quodammodò incusantur qui erant innoxii, & vtcumque possent Fratres Seruitæ de tali se crimine purgare, Iconam vltrò restituunt Dominicanis, qui illam rursùs in suam Ecclesiam maiori cùm diligentia reponunt. Postero iterùm elucescente die Prædicatores Iconā non adesse deprehendunt, Seruitæ vicissim eodem in loco positam conspiciunt. Admirantur, venerantur, adorant domesticam Patronam, quæ proprios vltrò repetiisset lares. Obstupuerunt ex altera parte Dominicani, quare omnibus stupentibus decernitur Dominicanis pecuniam restitui debere, Iconam verò Seruitis adiudicandam esse, vt ea in Ecclesia, quam sibi ministerio angelico diuinitùs selegisset, perpetuis illius Vrbis suffragiis assisteret, vt vsque adhùc existit.

16. *Ibid. an.* 1502. His ipsis temporibus in Oppido Castalonensi, quod est in *Diæcesi Serezanensi*, Imago quædam Beatæ *Virginis in ædibus* eorum qui de Bertozzis dicebantur, lugere visa fuit, eo quòd à puerulis nescientibus quid agerent, ludibrio percussa fuit, quo quidem miraculo deprehenso, translata fuit in Ecclesiam primariam S. Leonardi, donec in alio præcipuo Sacello propè fontem locaretur, cùmque pluriès indè clàm recederet, & in pristinum locum Bertozzis vltrò reuerteretur, D. Peregrinus de Porcellottis vir pius, qui Ecclesiam illam regebat, oratione præmissa, oraculoque accepto, Imaginem illam in quodam tabernaculo, vbi nunc est, collocari, & Patribus nostris commendari curauit, vbi deinceps multas gratias, & miracula edidisse, municipes illi iure iurando testati fuerunt.

17. *Sylos in Hist. Cleric. Reg. par. 2. lib. 8.* Fama est, imaginem Beatæ Virginis ab arce Guastallæ, quæ in nostra Ecclesia modò deuotè colitur, quamque à D. Luca depictam constans est antiquorum traditio, aliquandò motam sua sede, in qua priùs venerabatur, ad eamdem nulla mortalium opera mox rediisse.

18. *Antonius Persius in Hist. B. Virginis S. Lucæ, Bononiæ*. Quidam scelesti homines, spe lucri, Imaginem Beatæ Virginis, quæ à D. Luca efformata propè Bononiam in Monte *della Guardia* vocato, piè colitur, nocte in eiusdem Ecclesia, deuotionem

nem simulantes furto surripientes, Venetias transferre tentauerant: sed ecce mirum: Dùm sacram imaginem ex arcula, in qua deposuerant, eruere volunt, suauissimus odor vndique efflanit, Dimeae tamen imaginem minimè inuenerunt, quippè quae virtute diuina, seù Angelorum ministerio, eò mirè regressa erat, vndè sublata fuerat, ibique vsque adhùc perenni populorum deuotione colitur.

19. *Athanasius Castellus in Hist. Eccles. S. Michaelis Genuae*. Circa an. Domini 1400. è Graecia Genuam versùs nauigantes quidam mercatores, statuam Beatae Virginis secùm deuotionis causa deportabant: nec frustrà, ab imminenti enim naufragio, eius patrocinio, quae dicitur stella maris, liberati sunt, adque Liguriae littora delati, Ibidem terram attingentes in Vico S. Petri de Arena vocato, statuam venerabilem in Ecclesia principali collocant; sed ecce mirum! sequenti die, Ecclesiam adeuntes, imaginem minimè inuenerunt, quam dùm dolentes inquirunt, in Ecclesia Sancti Michaelis in proximo monte Coronatae inueniunt, laetique indè iterùm in primam Ecclesiam Vici Sancti Petri transferunt, sed frustrà; Angelico enim ministerio iterùm in Ecclesiam S. Michaelis translata est; quod cùm tertiò fecissent, semperque imaginem miraculosè ad Ecclesiam S. Michaelis mirabiliter translatam reperissent, ibidem relinquendam, colendamque statuerunt, vt vsque hodiè apparet, mirisque miraculis coruscat: inter quae perenne illud videtur, quòd licet è lignò fabrefacta, post tot saecula, nulla tabe, carioque apparet affecta.

20. *Ioannes Bonifacius in Hist. Virginis lib. 5.* Brunsuuichium profectus est Sacerdos, Erici Ducis coniuge postulante, vt praeclaram Dei Matris imaginem, infantem Iesum fouentis in gremio, vetustis nobilitatam prodigiis, ad Foroliuiense Collegium, cuius partem templi matrona illa construxerat, transferendam curaret. Hanc imaginem annis ante sexcentis (nàm digna res est, quae à capite repetatur) eques nobilis dùm syluestres agitat feras, inuenit. Ea imposita erat trunco arboris peruetusto eleganti specie, & ad incitandam pietatem spectantis idonea. Non tulit pius eques in occultis eam syluis fine honore latere: Ablatam ex ignobili ligno deportari iussit in aedes, sed non diù illa à suis sedibus abesse voluit. Postridiè ad eumdem truncum arboris reperitur; cùmque semel, atque iterùm vndè ablata fuerat, reuertisset, rei miraculo vir nobilis excitatus, Virginum Coenobium in iis locis partim suis sumptibus, partim alienis instruxit. Fuerat adhaec vsque tempora Coenobium illud Sacrarum Virginum frequentia, coetuque nobile, sed annum ante tricesimum ad Lutheranum quendam eius administratione translata, magnas scilicet accepit clades. Homo improbus omnium religionum contemptor, sub eo, quem dixi, trunco, vbi Dei Matris imago tot iàm saecula habuerat domicilium, cellam vinariam effodi iussit, sed non impunè haec impietas abiit. Tertio die horrea omnia, & pecus vniuersum, & aedificia nonnulla ignis incendio conflagrarunt, ipse verò sceleris author, cùm magnos ad honores iàm peruenisset, multorum facinorum reus, in atrum coniectus est carcerem, vbi scelestam vitam inhonorato fine conclusit.

21. *In m.s.s.* Cremonae, Imago B. Virginis vulgò *del Popolo*, quae in maiori sacello Cathedralis Ecclesiae veneratur, & colitur, ad alium locum translata, ad pristinam iterùm inuisibili motu est regressa sedem.

22. *Felix Astulphus, in Hist. Imag. Virg. lib. 10.* Cùm in Territorio Romano propè Oppidum vulgò *Formello*, quidam Pastor imaginem B. Virginis in summitate Sorbi indice Scrofa, quae quotidiè ab aliis animalibus secedens, illùc accedebat, genibusque flexis veluti adorabat, inuenisset, eam ad Oppidum praedictum deportare, vt decentiùs honoraretur, vnà cùm Oppidanis tentauit; verùm frustrà, sequenti etenim die iterùm ad Sorbum est reuersa; Quare Ecclesiam ibidem construxerunt, Fratribusque Carmelitis dono dedere, Vocatur autem Beata Virgo *del Sorbo*.

23. *Idem lib. 12.* Fama est, Imaginem Beatae Virginis, quae Placentiae in Ecclesia S. Mariae de Campania colitur, saepè aliò delatam, ad pristinam suam sedem, in qua & adhùc permanet, mirabiliter reuersam esse.

24. *Gulielmus Gumppenberg, in Atlanti Mariano*. Villa Vitiosa, quae Ducum Brigantinorum (hodiè Regum Lusitaniae) sedes est, thesaurum habet in agro reconditum, Statuam scilicet miraculosam B. Virginis; haec mirabiliter indice splendore, suauissimoque odore, è terra, in qua sepulta erat, eruta est, deceniorique in sacello reposita, summaque populorum deuotione habita; caeterùm non multò post cùm fragrantia, fulgoreque caelesti euanuit quoq. hominum pietas erga Virginis imaginem, solùmque à pastoribus greges pascentibus honorabatur. Inter hos quidam, Ferdinandus nomine, gente Castellanus, imaginem summa deuotione longo tempore est veneratus, ipsamque, vt commodiùs colere, venerarique posset, indè auferre decreuit. Itaque reuerenter acceptam, decenterque perae inclusam, Cordubam versùs deportat, eique in tractu Gamunerano, vbi nescio cuius diuitis armentum pascebat, in cauo arboris trunco collocauit, ibique magna deuotione musicis pastoralibus instrumentis Virginem vnà cùm socijs quotidiè venerabatur. Interim Lusitani ablatam imaginem animaduertentes, ipsam, furemque inquirunt, deprehenduntque, deindè furem cùm S. Imagine iumentorum sarcinis iniiciunt, sedique suae eam restituunt, furemque in vincula coniiciunt, & deproperata pro tribunali sententia, furcę destinant; sed non est consilium contra Dominum: nocte supplicium iam imminens praecedente, cęlitum virtute Ferdinandus è tetro carcere, & vinculis ad locum, vndè abstractus fuerat, reductum se videt; Quin ipsa quoque statua non diù esse fine suo Ferdinando sustinuit, nàm & ipsa quoque cùm fure suo, ad suber suum, quod vtrique pro templo fuit, reuersa est. Quod vt animaduertunt Lusitani, iterùm in agrum Cordubensem armati properant, ad Villam Vitiosam accedunt, & statuam in subere positam, Ferdinandumque solitis honoribus, eam vene-

venerantem cernunt; Miraculo attoniti, pio pastori delictum ne dùm condonant, sed & pecunias in templum sufrecturas elargiuntur; quibus Ferdinandus statim sacellum ibidem extruxit, vbi Beata Virgo tàm stupendo prodigio se honorari velle ostenderat. Hæc eadem statua aliquot post annis euanuit: credebatur furto sublata, sed sua virtute delata est Antiquariam, & culta à pio sacerdote Ioanne delas Cruces, Resciuit Decanus Cordubensis, eamque repetiit, Fratres 3. ordinis Sancti Francisci Antiquarienses referunt ex suis annalibus, dictum Sacerdotem fuisse sui ordinis, & statuam spontè abiisse, & rediisse ad sacellum Ferdinandi, & pro ea fuisse eam substitutam, quæ hodiè in eodem templo colitur B. V. de los Remedios. Hæc statua cùm semel ad impetrandam pluuiam Cordubenses in Cathedrale templum deportassent, nocte sequenti ad pristinum Ferdinandi sacellum est reuersa.

25. *Idem ibidem, de Imagine B. Virginis Ardilliensi ad Salmurium*. Excolebat terram, in suburbio Salmurii iuxta fossam Argilliensem (vulgus Ardilliense appellat) colonus quidam indigena: qui effodit fortè Virginis simulachrum secùmque detulit domum: sed nouum hospitium dedignata Virgo, rediit in agrum: postridiè ibidem attonitus agricola reperit: Verùm ne qua fallaciæ suspicio posset oboriri, iterùm domum relatam loco recondito industriè occultat; sed postero die eodem iterùm in agro imago reperitur, vmbræ domesticæ impatiens. Quo prodigio cognito, diuulgatoque, populi confluentes deuotum sacellum ibidem erexerunt. Hæc statua sæpiùs, vel moueri loco non potuit, vel mota mox rediit.

26. *Idem ibidem, de Imagine Beatæ Virginis Culmensi*. Perantiqua fama narrat, Lanionem quendam Falconavviensem propè Culmense oppidum transeuntem, æstuque, ac labore fessum, sub Corylo propè ipsam viam procubuisse, bis de nomine vocatum, bisque experrectum, tertiò (quòd neminem videret) obdormisse. At verò tertiùm non perfunctoriè vocatum oscitasse, tùm etiam extritis manu oculis, surrexisse, ac demùm solicitè circumspexisse, & eadem ipsa in Corylo elegantem illam de qua loquimur, imaginem Beatæ Virginis non indecorè in illius arbusti medio consistentem, deprehendisse, & inusitata gestientem lætitia, Falconavviam detulisse, domi suæ vt daret quos illic loci non accepisset, honores. Vt verò die sequenti nusquam eam domi suæ cùm vidisset, ratus id, quod erat, ad locum milliari vno distantem ocyus redit, & imaginem quoque ante se rediisse ad eandem Coylum videt, ex quo facilè homini persuasum est, Virgini hanc præ aliis placere stationem. Itaque exili tecto contra cæli iniurias imaginem defendit; Post aliquot verò temporis, illic templum extructum est. Deprehensum tamen est, imaginem Virginis, non semel aliò asportatam, semper in locum suum rediisse, cùmque etiam hodiè non in templo, sed foris supra portam consistat, ac totiès redeat, quotiès templo infertur, fidem facit hic loci Corylum stetisse: eam ob causam additum templo vestibulum est, ne imago sine tecto sit, quæ tot miseros ab iniuriis hominum tuetur.

27. *Idem, de Imagine Beatæ Virginis in monte Virginis*: Circa an. 1230. Balduinus II. Constantinopoli in Italiam veniens, multas sacras Reliquias, Imaginemque Beatæ Virginis, olìm ad Pulcheriam Augustam, Hierosolymis Constantinopolim missam, secùm deportabat; dùm autem Auellinum in Neapolitano regno peruenisset, mula quę Virginis Deiparæ imaginem cùm cæteris reliquiis vehebat, absque ductore per collem quà itur ad montem proximum, iter arripuit. Aberrantem à via, vt credebatur, bestiam reduxere muliones; sed iterùm, ac tertiùm eundem bestia callem insistere, & collem auium petere. Oborta subindè tempestas, vim pluuię, grandinisque deiecit, monuitque Imperatorem reduci bestiam à colle inuito cœlo. Fuere quoque qui assererent, templum Deiparæ (S. Guilielmo Congregationis Fundatore, sub titulo montis Virginis) in vicino esse, hùc bestiam agi à cœlo. Itum igitur ab ipso Imperatore cùm toto comitatu est quò pręibat mula, sacri oneris baiula. Et ecce tibi, vbi in conspectum templi ventum est, nullo pulsante, æs omne campanum spontè insonuit clangore festiuo. Acciti miraculo Religiosi, obuiam procedunt pompæ, quam cominùs iàm prospiciebant, acceptamque Virg. tabulam (ita Imperatore volente) solemni pompa in Aram, quæ medium obtinebat templum deportant. At verò mane postero, eò, quo nunc stat loco, sacrum pignus virtute diuina translatum inuenere.

28. *Idem, de Imag. B. Virg. de Malfino, Messanæ in Sicilia*. Hæc Sac. imago in templo à Malfino nobili ciue ędificato diù cultum habuit; sed cùm tempore irrepsisset tepor, & pietas populi hoc in loco defecisset, Moniales eiusdem templi eam in sacello suo domestico deposuere deuotioni priuatæ aptiorem. At supplicante populo, templo imago iterùm donata est: sed media nocte iterùm in sacelo domestico inuenta est, non sine omnium admiratione.

29. *Idem, de imag. B. Virg. de Bagno, Arretini, modò Florentini in Italia*. Hæc Sac. imago cùm à sacello, in quo priùs collocata fuit iussu eiusdem Virginis apparentis duobus pastoritijs puellis, & se ibi velle cultum, vbi limpidissimus tunc eruperat fons, indicantis; cùm inquam in templum paucis passibus à sacello iustæ magnitudinis extructum, importata fuisset, altera die iterùm in sacello reperta est, quæ mutatio, cùm bis, teruè accidisset, ibi relicta, cultaque est. Porrò miracula per illam aquam fontis adeò celebrata sunt, vt non modò è vicinia, sed etiam è longè dissitis locis accurrant miseri.

30. *Idem, de imag. B. Virg. de Specu, Conimbricæ in Lusitania*. Sunt qui memorant, dùm in Specu nondùm donarijs culto consisteret sacra imago hæc, furto bis ablatam ab incolis atq. in Pagi Quintellani templum illatam, altarique impositam; tamen spontè sua bis redijsse in suum specum.

31. *Idem, de imag. B. Virg. de Xixena in Hispania*. Inuenta hæc Ven. Imago in Insula stagni non longè

longè à Xixena indice Tauro, qui ad insulam natando frequentiùs ibat, reuertebatq; Xixenam reuerenter delata est, vbi à Parocho in altari collocata est. At altera die non inuenta, ad insulam rediisse, creditum primò, deindè visum est. Iudicantes igitur tale domicilium Virgini haud placere, solemni pompa, in aliam Ecclesiam detulere; at eodem primo prodigio ad insulam rediit; tentata est translatio ad alia templa, pari semper effectu; vndè tandem templum ei in insula extructum.

32. *Idem, de imag. B. Virg. Magellona, Lecinenæ in Hispania*. In Magellona villa quondam erat hæc Sac. Statua; sed exosa Virgo tepidum incolarum cultum, spontè abijt, & in colliculo Lecinenæ Villæ, non procùl distantis, consedit die 15. Maij an. 1383. quin etiam pastori locuta, petiit hic sibi templum extrui; quod & factum. Intereà Magellonii repetiere suam statuam, quam Lecinenses non difficulter petentibus concesserunt sed nec dùm ad propriam sedem detulerant, cùm ea se priuatos animaduertentes, ad Lecinenam sedem rediisse cognouere; Iterùm igitur à Magellonis repetiere, & obtinuere, sed eodem semper euentu. Porrò quieuere Magellonii, & Lecinenses statuam tenuere.

33. *Idem de imag. B. Virginis Subterranea, Seuigliæ in Hispania*. Statua hæc Deiparæ, Subterranea vocatur; tùm quia sub terra inuenta dicitur, tùm quia, cùm altiore loco collocaretur semel, iterùmq; ad hunc locum Subterraneum spontè sua rediisse iustis testimoniis docetur: Sunt etiam qui vulgent, totum templi illius pauimentum cùm compitis circumiacentibus æqualiter subsedisse in hanc speciem, quæ hodiè videtur.

34. *Idem, de imag. B. Virginis de Remedijs, Rodæ in Hispania*. Hæc Sac. Imago inuenta fuit in deserto loco indice lumine, & nouo fonte exorto ad eius pedes, à pastore per tenebrosas noctes illàc trãseunte; Admonitus prodigii sacerdos Rodensis, coacto in supplicationem populo, sac. statuam in sacello quodam extra vrbis mænia collocauit; sed altera die statua fuit vbi pridiè inuenta est, quod prodigium, bis, terue probatum; tandem Episcopi cura sacellum in loco ad fontem extructum est, & 24. Martii anno 1482. Deiparæ dedicatum. Hæc sac. Statua semel ab impio percussa, loco vulneris, cicatricem duxit.

35. *Idem, de imag. B. Virginis de Cogullada, Cæsaraugustæ in Hispania*. A muliercula quadam iuxta oram Iberi herbas legente, inuenta hæc Deiparæ statua in gramine, indice alaudula suauissimo concentu circùm sac. Iconem cãtillante, cuidam ciui Cæsaraugustano ab eadem vendita est; Hic talem thesaurum in arca reclusit, donec locum cultui idoneum adaptaret. At dùm statuam amico demonstrare vellet, arcam vacuam inuenit; redierat quippe sac. statua ad pratum. Vbi iterùm alaudæ canentis indicio inuenta, solemniori pompa iussu Episcopi in Templum B. Virg. de Pilaro delata, collocataque in sanctuario fuit; sed altero mane cùm abesset, iterùm in prato ad ripam Iberi quæsita, & Alaudæ cantu prodita, & inuenta est. Vndè ibi statim extructum fuit sacellum, vocataq; fuit Domina nostra de Alauda, Hispanicè de Cogullada.

36. *Idem, de imag. B. Virg. de Iunipero, Fornolæ in Hispania*. Infra Iuniperum inuenit hanc sac. imaginem Pastor quidam, quam cùm indè domum deportasset, manè ad Iuniperum spontè rediisse, comperit, quod cùm indidem iterùm transtulisset semperque ad pristinam sedem illa reuerteret, re publicata, omnes accolæ illò concurrerunt, sacellumque ibidem ędificarunt.

37. *Idem, de imag. B. Virginis ad Aquas Sanctas, in Villa viridi in Hispania*. Inuenta fuit hæc B. Virg. statua tempore Ricardi Regis, à Ioanne Pastore sub vmbrosa rupe propè fontem, quem in somniis priùs viderat. Hanc cuidam fæminæ propè Villam viridem, à qua vinum acceperat, pecuniam non habens, loco pignoris reliquit: At postera die ad rupem cùm grege reuertens, & Iconem reuersam esse animaduertit, cùm autem obseruasset, statuam loco brachii dextri lignei, ex quo cætera statua erat, aliud ex puro auro suffectum habere, curiositate excitus, extracto pugione, tentat terno ictu lignum, sed tribus guttis purissimi sanguinis huic trinæ quæstioni responsum est. Attonitus pastor, relicto grege, cùm Sac. Statua, & pugione ad Dominum suum in vrbe properat, iste Hispalim ad Episc. S. Isidorum. Is re perpensa, & sac. Statuam, & pugionem sanguine inbutum in sacrario templi cathedralis recondit; omnia ad iuris rigorem examinat, & approbat: quin & sacellum designat in templo Cathedrali. Erat iàm capsa argentea præparata excipiendo tanto thesauro, sed cùm area sacrarii aperitur, præter pugionem nihil inuentum est, conpertumque iterùm ad rupem Sac. Statuam rediisse; sed cùm eam in Vrbem reportare vellent, quisque vires suas probauit, sed nemo eorum vel tollere potuit. Quare S. Isidorus sacellum struxit, quo & rupem, & fontem inclusit, texitque, vbi miraculis coruscauit.

38. *Idem, de imag. B. Virg. de Oleastro, Esterquilij in Hispania*. Hæc sac. imago indice cælesti lumine, & armonia, à Pastore in Oleastro reperta, ordinata supplicatione in templũ Esterquilii translata est, sed spontè ad Oleastrum rediit; & sepiùs ad templum deportata, sæpiùs iterùm ad Oleastrum reuersa; quare in loco Oleastri ei sacra ædes est extructa.

39. *Idem, de ima. B. Virginis Taurensi, in monte Tauro in Minorica insula*. In monte Tauro indicibus cælestibus luminibus, quibus specus quædam singulis diebus Sabbatinis illustrabatur, dulcique symphonia resonabat, duce etiam Tauro, qui inquirentibus prodigii causam præeundo specum monstrauit, inuenta fuit hæc sacra imago; quæ cùm deposita fuisset in castello S. Agathæ, altera die in sua specu reperta est; vbi collata stipe, templum illi erectum. Cùm autem semel Galli quidam hæretici, candelas in honorem Virg. accendendas altari obtulissent, quæ intùs puluere tormentario pyrobolaria arte repletæ erant; candelæ istę, vbi accensæ sunt, & altare, & templum Virginis valdè violarunt; statua interim, munera, & sedem perosa aufugit. Post aliquod tempus appulerunt

pulerunt ad portum Fornelli, Tauro mõti vicinum, aliquot naues, quibus nonnulli Episcopi Hispani vehebantur, finito Concilio Tridentino ad suas Diœceses redituri; ex iis nauibus vna, ostia portus, quamuis secundo vento flante superare tamen non potuit, vt cæteræ. Rem dùm admirantur, in sarcina cuiusdam Episcopi inuenta est sac. Statua, quæ consultis tribus insularibus, cùm eadem, quæ priùs abscesserat, deprehensa fuisset, in suam sedem reportata est.

40. *Idem, de imag. B. Virginis S. Mariæ Nouæ Romæ*. Dùm iàm dirutum templum, in quo reperiebatur hæc S. Statua, reædificaretur, interim Ven. Imago in templum S. Adriani delata est; hoc verò in augustiorem formam redacto, sacrum depositum restituere Præfecti recusabant, volentes ibi perpetuò sedem habere sacram Iconem; quare inter vtramq. partem ad arma deuentum est; at sanguine litem huiusmodi dirimi haud passa est Pacis Regina: visa est igitur ad propriam sedem per aerem spontè redire, se seque in principe altari collocari. Vbi & hodiè deuotè colitur.

41. *Idem, de imag. B. Virg. de Monte Sancto, Villalonga, in Hispan.* In monte Sancto propè Villamlongam pastor quidam cùm inuenisset Sac. Deiparę imaginem indicibus ouibus illùc accedentibus, & in genua procumbentibus, domum detulit, ibique priuato honore colebat; At re ad Parochum delata, illam maiori cultu dignam reputans, in templum Parochiale deportauit. Sed statua, quæ immota steterat in mapali pastoris, ea nocte Templum deseruit non sine omnium horrore. Post aliquot autem dies, iterùm à Pastore primo in loco insolita circumfusa luce inuenta est; iterùmque à Parocho quæsita, & maiori honore excepta, & collocata in eadem Ecclesia; ac ne de nouo fugeret, statim decretum est illi nouum templum ædificandum, cuius altare sculperetur ex eo saxo, in quo sac. statua bis fuerat reperta.

42. *Idem, de imag. B. Virginis Kozingensi, in Ger. Sup.* E Ciuitate Nappurgensi hæretica, Kozingam in Bauaria delata hæc Sac. Statua in quadam quercu recondita fuit; A quo loco cùm in plura templa ad maiores honores translata fuisset, iterùm ad quercum suam rediit; cùm etiam hæreticus quidam illàc transiens, eam arripiens, in flumen abiecisset, iterùm ad quercum est reuersa; Quo viso miraculo Hereticus, non compunctus, sed audacior factus, assulatim eam diffregit; & cùm vicini de hoc valdè contristati, quàm primùm coagmentatis frustulis, Statuam quantùm licebat restituissent, ea ita iterùm coaluit, vt nemo eam vnquam ruptam, aut diffractam crederet: ex hocque maior ad sacram statuam catholicorum accursus.

43. *Idem, de imag. B. Virg. de Rupe, Secura in Hispania*. Hanc Deiparæ imaginem à Rustico dùm terram aratro scinderet, inuentam, Securani ciues in oppidum intulerunt, & pompa, qua potuerunt, in altari principe templi sui collocarunt; sed sacra statua altero die locum primum repetiit; non obscuro indicio ibi se cultum optare. Hoc videntes Securani, eo in loco sacræ statuæ sacellum ædificarunt.

44. *Idem, de imag. B. Virginis Omtlensi, in German. Super.* Inuenta hæc sac. imag. in stipite sepis alicuius, auerruncandis animalibus contextæ, illùcque forsitam ministerio Angelorum delata, ab inuentoribus deportata fuit ad parochialem Ecclesiam de Asten; at mane sequenti non in Ecclesia, sed pristino suo loco ad stipitem inuenta est. Iterùm translata est, sed iterùm reuersa. Quare sua in sede relinquendam, eique sacellum ædificandum iudicarunt.

45. *Idem, de imag. B. Vrg. de Vrsuleo, Carboniani in Italia*. Cùm in oppido Carbonio, Fraticellorum hæresis dominari cæpisset, ipsum quoque oppidum Virgini Deiparæ exosum esse cæpit, qua propter imaginem suam, quæ in Parochia plurimis annis in honoribus fuerat, Carbonio Oppido in pœnam hæreseos relicto, per duodecim millia passuum ad confinia oppidorum S. Archangeli, atque Arcisnouæ, Angelorum opera transtulit. Carboniani tanto territi miraculo, amissum thesaurum inquisiuerunt, & monstrante viam fama, inuenerunt, & inter preces, Virgini tamen propter hæresim non acceptas, Carbonianum tulerunt, ac in antiqua sede reposuerunt. Imago tamen altera die iterùm inuenta est in eo loco, quo eam Angeli pridiè collocauerant. Non ausi sunt Carboniani iterùm auferre sac. Iconem, sed ibi illi sacellum construxere.

46. *Idem, de imag B Virg. Agennensi, in Gallia.* Bubulcus quidam indice Boue, qui in vepreto semper herbam quærere solebat, ibidem hanc B. Virg. imaginem reperit, quam matri domum detulit, quę illam inter thesauros suos in arca reclusit, dùm loci Parocho ostenderet; sed requisitam altero die statuam, cùm non inuenisset, ad locum vndè eam pridiè filius acceperat, properauit, & inuenit. Rem vt erat euulgauit; factus ad locum concursus, ibique paulò post sacellum ædificatum.

47. *Idem, de imag. B. Virg. de Spineto, Numantia in Hispania*. Iconem hanc in Spineto collocatam conspexit Pastor quidam, & in pera pastoritia breue signum domum portauit; sed domi vbi peram suo thesauro vacuam vidit, ad Spinetum ab omnibus properatum est, non ignaris, consuetum esse Marianis signis ad primam redire sedem; itum quoq. est ad eos, qui pompam ordinarent, qua statua mutatione loci iàm miraculosa, ad templum deportaretur. Itaque ea ferculo decentissimo imposita, omnium ordinum viri, fœminæque supplicationem à Spineto exorsi sunt: eam per dimidium viæ inter vota delegerant; cùm ecce, ex ipso ferculo omnium repentè oculis est subtracta S. Statua, nemine dubitante, quin ad Spinetum redux, eo in loco coli præoptaret. Hæsit paulisper pompa, dùm ad Spinetum missi vera narrarent; rediere sanè, & statuam loco suo stare renunciarunt. Vndè ibi sacellum sac. Statuæ ædificatum est.

48. *Idem, de imagine Beatæ Virginis Niderburgensi Passauij in Ger. Sup.* Canonicus quidam Cathedralis Passauiensis, statuam ligneam Beatæ Virg. cùm puero Iesu desiderans, Augustano cupiam statuario faciendam locauit ann. 1567. is opere finito, con-

consecensa rate, cùm statua sua Passauium properat. Ratisponam vbi venit, relicta in naui statua, vrbem ingreditur, vbi nescio ex quo intelligit, operis locatorem Canonicum vita functum. Itaq. vel Ratisponæ relicturus statuam suam, vel eam reuecturus Augustam, postridiè ad flumen se cōfert, nauemq. in qua statuam reliquerat ingreditur; vtcumque magna diligentia nauem lustraret, statuam tamen non inuenit; furto ablatam esse creditum est. Illa tamen felici lapsu secundo Danubio defluxit per noctem, & illo ipso mane antè cænobium Virginum Passauii constitit. Vicini nautæ eam Cunegundæ Puechbergiæ Cænobii Niderburgensis Præsidi indicarunt. Hæc sibi Superos fauentes gratulata, inter pios cantus exceptam suo templo intulit. At verò Virginis statua publicum ambiens, mane postero in altero adiuncto templo reperta est; reportata bis in suum locum, tertiùm ad illum rediit. Itaque hoc in loco debitus statuæ cultus datus est.

49. *Idem, de imag. B. Virg. de Zarga, Aliagæ in Hispania.* Ex pago Aliagæ summo mane rusticus in agrum profectus ad culturam, nondùm quingentos passus extra pagum progressus, in vepribus Deiparæ imaginem conspicit, quin etiam loquentem audit. Iusserat illa, Aliagensibus suaderet, templum hic ædificarent. Fecit ille imperata, suasitque templum; sed plùs non persuasit, quàm vt eam decorè deportarent in Pagi templum Parochiale. Virgo non contenta, more suo ad vepres reuersa est, spreto templo pagi, vt quæ nouum sibi vellet à fundamentis extrui; quod Aliagenses secundò miraculo permoti fecerunt.

50. *Idem, de imagine B. Virg. Rechbergiana, Hochenrechbergÿ, in Germania Super.* Ann. 1488. Vdalricus de Rechberg, Imper. Romani eques, Toparchiæ totius Dominus, benè magnum è cocto latere, & venustum templum struxit, ad ligneum sacellum, in quo hæc Sacr. Imago colebatur destruendum, in nouoque eam collocandam. Iàmque facta ritè dedicatione, honor quoque miraculosæ statuæ habitus est, & in templum, uelut habitationem nouam cùm plausu importata, atque in altare summum loco suo deposita; sed altera die reperta iterùm in suo ligneo sacello est; Nec hoc semel, sed ter in templum deportata, ter ad suum ligneum sacellum rediit.

51. *Idem, de imagine Beatæ Virginis de Crypta, Pragæ in Boemia.* Hæc Vener. Statua ab Hæreticorum manibus erepta, & P. P. Capuccinis data, ab iis collocata fuit in Crypta subterranea, vbi cùm miraculis coruscare cœpisset, Rodulphus II. Imperator è propinquo veneraturus, eam in aulam deportari iussit, & in sacello aulico decorè collocari; sed proxima nocte, dùm matutinas in choro canerent Capuccini, ad templi portam insoliti pulsus auditi intrare volentiū, sed apertis portis, præter sacr. Statuam nemo inuentus, qui vellet ingredi: hanc cùm gaudio, in altari suo posuerunt. Non defuit suspicio, aulicum quendam Patribus beneuolum surripuisse statuam, & ficto miraculo hùc deportasse, vt Angelorum officio hùc deuenisse crederetur; Statua certò secundò in aulam deportata, & accuratiùs custodita, tamen iterùm sub matutinis precibus, & eodem modo rediit; Tertiùm reportata, tertiùm rediit. Quare loco suo locata, firma hodieq. stat, & miraculis claret.

52. *Idem, de imag. Beatæ Virginis de Bonastra, in Hispania.* Hanc imaginem cùm inuenisset Pastor, Pinam tulit, ibique in Parochiali Ecclesia collocata est; sed Angelorum manibus proxima nocte reportata fuit ad locum, vbi adinuenta fuit, quapropter sacellum eo in loco illi extruxerunt.

53. *Idem, de imag. B. Virg. de Vaccis, Auilæ in Hispania.* Hanc sac. imaginem Carbonarius cùm in publico bouum, & vaccarum stabulo inuenisset, domum tulit vxori, quæ adaptato altari, liberis colendam proposuit: sed altera die amissam calentissimis lachrymis defleuit; dùm maritus sequenti hebdomada ad vrbem regressus, eodemq. in stabulo diuertens, eam eodem in loco iterùm repertam, iterùm domum affert ingentis vxoris gaudio; sed iterùm ad stabulum est reuersa; quod cùm renunciasset Ciuitatis primoribus, illi quàm primùm destructo stabulo, extruxerunt sacellum, vbi deuotè coli cœpit.

54. *Idem, de imag. B. Virg. Tremedalana, in Hispania.* Inuenta hæc fuit Ven. Imago in Rupe Tremedalana Aragonici Regni, Orignellamq. deportata, ac in templi cathedralis altari maximo deposita. Postero autem die, vbi itum ad templum; Statua suo loco visa non est; Ablatam doluere omnes quotquot ignorabant morem huiusmodi sacrarum Iconum. Cæteri certatim cucurrere ad rupem Tremedalensem, & suo loco, quo reperta erat pridiè, stantem inuenere. Hic hæsere animi etiam prudentissimi; rupes penè inaccessa, niuibus per hyemem tecta, posterorum pietati non parùm obfutura credebatur; media via situs amænus promittebat maiora; & amplissimo templo iàm sumptus promittebantur. Itaque exploraturi, nùm hic etiam locus Virgini arrideret, non iàm Orignellam, sed in arcem quæ medio itinere erat deportant. Sed altera die iterùm in rupe sua reperta est Statua; noluere tertiū tentare Virginem prudentes; Ita decretum, & ædificatum templum in inaccessa Rupe.

55. *Idem, de imag.* B. *Virg. Derbeensi, siue Aspricollensi, in Gallia.* Constans traditio est, effigiem hanc à pastoribus inuentam in vertice collis, & ex eo in subiectam planiciem delatam ad Ecclesiam Parochialem. Zelo tamen fidelium cùm in colle fuisset ædicula constructa, in eam sine hominum manibus fuit delata.

56. *Idem, de imag. B. V. Naymensi, in Gallia.* Hęc Vener. Imago indicibus cælestibus luminibus inter spinas, & vepres à pastoribus inuenta, deuotè trāslata est ad ripam fluminis Gauii in exiguo, quod ibi erat, sacello; sed altera die ad dumetum est reuersa; hoc intelligentes Stellates (incolæ proximi) loco honorificentiore se collocari velle credentes, illā in pago suo deferunt, & in templi sui summo altari collocant: sed iterùm altera die reperta est, vbi inuenta. Ædes igitur loco quamquam incommodo strui cœpta est.

57. *Idem, de imag. B. Virg. Dolorosa, Rechcoglij in Germ. Sup.* Templum est in alti montis vertice, iuxta vallem Martiam magnæ Matri dicatum; cuius constructionis hæc causa. Inuentam eo loco à pastoribus D. Virginis statuam indicio hinnuli ceruini, ante eam quiescentis. Parochus in Pagum Grasnicensem vicinum transtulit. At cùm altera die ad montis verticem rediisset statua, indeq. ad pagum nouies deportata, nouies & ad montem reuersa esset, semperq. indice hinnulo sine labore inuenta; statutum est, eo in loco templum Virg. erigere, vbi percrebra miracula operatur.

58. *Idem, de imag. B. Virg. de Pietate, Iaroslauiæ in Polonia.* Ann. 1368. in colle, quo nunc sita est hæc sac. imago, tunc arboribus obsito, luce circumfusa accinentibus Angelis in Piro siluestri à pastoribus inuenta est, tùm solemni ritu à Clero, & populo Ciuitati illata; sed quia bis ad Pirum rediit, bis ciuitati illata, demùm in colle, ligneo primùm sacello, honorata est, mox templo lapideo.

59. *Idem, de imag. B. Virg. Spora in Germ. Sup.* Primus huius Statuæ honor, vel certè præcipuus tunc cæpit, cùm ab vno altari translata in aliud commodius, manè in suo pristino loco reperta est. Vndè ampliùs nemo præsumpsit eam dimouere.

60. *Idem, de imag. B. Virginis de Via, Pampesone in Hispania.* Olim huiusmodi imago in oppido Alfaro colebatur. Hinc ob insignem miraculorum famam pio furto à quibusdam sublata, ac Pampesonam allata est; sed repetentibus eam Alfarensibus, iniuriam conquestis, regij Nauarræ Senatus sententia Alfarum reducta est. At verò post paucos, quàm restituta est, dies, Angelico, vt creditur, ministerio, ad pristinam sedem stupente populo Pampesonensi rediit, Alfarensi populo vltrà repetere non auso.

61. *Idem, de imag. B. Vig. Sarracina, Sarracina in Gallia.* In ripa fluminis Gauij indice Tauro, qui quotidiè se gregi cætero subducens, & flumen transiens, in ipsa ripa procumbebat in genua, hæc adinuenta imago, ab Episcopo portenti admonito, in cathedralem Sarracinam Ecclesiam delata est. At cùm sac. Statua eum locum respueret, iàm suum primum repetiit. Vndè ibidem sacellum ædificatum est, pièq. ab omnibus deinceps culta.

62. *Idem, de imag. B. Virg. de Gratia, Fresnedæ in Hispania.* Pastorcula in montibus Fresnedæ vicinis hanc imaginem inuenit, & quia placuit, domum ad parentes detulit: qui & ipsi singulari fauore exhilarati, locum imagini dedere tota in domo decentissimum. Sed imago desiderans proprium, & meliorem, rediit eò, vndè erat asportata, quam altero die puella ibidem reperit; Vbi sacellum constructum fuit.

63. *Idem, de imag. B. Virg. Fernizensi, in Germ. Sup.* Fuit hæc Deiparæ statua ante quingentos annos in templo Parochiali Fernizensium, nunc quadrante milliaris à templo Parochiali colitur, templo proprio insignis, cuius extruendi necessitatem ipsa Virgo accolis imposuit; ter è templo in vepretum fugitiua, terq. reportata, iterùm ad vepretum; quare eo in loco templum ei extructum fuit.

64. *Idem, de imag. B. Virg. de Spina, Alcalæ in Hispania.* Inuenta hæc Deiparæ imago Spino Arbori insidens, summa reuerentia Alcalam translata est; sed cùm ad spinum rediisset spontè, ibi honorificum sacellum illi ædificatum est.

65. *Idem, de imag. B. Virg. Borstellensi, in Germ. Infer.* In Silua Borstellensi inuenta hæc sacr. imago est, & licet aliò trãslata, semper ad propriam sedem est reuersa; vndè ibi ædificatum monasterium Virginum est. At cùm processu temporis loco catholicarum Virg. Canonissæ hæreticæ successerint, facilè se permisit auferri à Sacerdote catholico.

66. *Idem, de imag. B. V. Tindaritana, in Sicilia.* Tindaritana ciuitas miraculose hac sacr. imagine donata est; cùm igitur sacellum illi populi ædificassent, in illudq. sac. effigiem transtulissent, mane altero eo in loco templi inuenta est, in quo priùs erat. Iterùm tamen in nouum sacellum, & maiore pompa, quam antè relata permansit.

67. *Idem, de imag. B. Virg. de Iesu, Bocabolerij in Italia.* Prope Bocaloherium Calabriæ oppidũ, Consentia triginta millibus distans, adinuenta fuit in specu Ven. Imago B. Virg. marmorea. Reperta bis, terue ad oppidum reportata, quin etiam diuersis temporibus importata, semper ad specum rediit. Hinc illi allata donaria, templumque ædificatum.

68. *Idem, de imag. B. Virg. Turzanensi, Turzani in Germania.* Ann. 1150. cùm rusticus quidam Turzanensis (locus est propè Brunam in Morauia) statuam hanc in rubo conspexisset, reuerenter acceptam, domum portauit, sed Statua postridiè sine comite, sine baiulo ad rubum rediit, vbi inuentam iterùm domum tulit, sed & iterùm ad rubum, tertiò tandem de rubo retulit, domique collocauit. Cuius simplicitatis, & deuotionis mota statua sententiam mutauit, eaq. in domo immota mansit, quæ paulò post in Ecclesiam mutata est; eòq. populorum concursus à multis miraculis euocatus est.

69. *Idem, de imag. B. Vrg. Rosentalensi, in Boemia.* Fama est, hanc S. Imaginem olim in tilia inuentam esse, & ad templum vbi Rosentalii nunc est in Boemia, portatam mansisse. Hinc verò ad vicinum monialium monasterium delatam, rediisse in locum vbi nunc est.

70. *Idem, de imagine Beatæ Virginis Krupnensi, in Boemia.* Hæc imago indice serpente à rustica puella in arbore inuenta est, quod cùm retulisset Parocho, is imaginem conuenienti populo comitatu Krupnam in templum deportauit; sed altero die statua ad siluam rediisse visa est, quod etiam sæpiùs factum. Vnde ibi, vbi arbor steterat, sacellum illi est erectum.

71. *Idem, de imag. B. Virg. Eisymontensi, in Lithuania.* Hanc imaginem, quam Anna nobilis femina gemmæ insculptam inuenerat, collo appensam gestare solebat, magnoque in pretio habere. Quodam igitur tempore nescio quis commilitonum, Basilium Annæ generum occisurus, domum Annæ cum suis ingreditur, hostis more & spoliat; quin etiam gẽmam de collo Annæ rapit. Illa gemmam cùm lachrymis repetit, omnia domus cimelia offerens;

& sanè

& sanè extorquet: sed aperta theca aurea, videt abesse sacr. Iconem. Tristitiam nullo solatio domandam solata est vox ad aures eius allapsa: Sum eo in loco, vbi me soles reponere, & verò magno solatio suo eam ibidem inuenit.

72. *Idem, de imag. B. Virginis Boleslauiensi, in Bohemia.* Rusticus homo cùm terram aratro proscinderet in agro propè Boleslauiam ann. 1160. in gleba conspexit imaginem B. Virginis vtique transiturus, si boues velut venerabundi in terram non procubuissent. Sustulit sanè, & lætus domum tulit; & ne quis domesticorum, vel frangeret, vel auferret, in arca reclusit. Postridiè cùm ad opus rediisset, reperta iterùm in agro Statua, iterùm à rustico domum delata est; Crediderat bonus, habere se tunc duas inter se ad amussim similes, dùm domum redux, & vacuam reperit arcam, & eamdem esse, non aliam totis manibus palpauit. Hæc relata à rustico canonico Boleslauiensi, statuam accepit, locumque dedit, è quo cultum maiorem habere posset.

73. *Idem, de imag. B. Virg. VVechentballensi, Rottemburgi in Germania.* Forte Hæreticorum quispiam transiens per locum, in quo huiusmodi erat imago, cùm nihil à se coemptum recordaretur, quo gentis more è mercatu redux, familiam exhilararet, hanc statuam conspicatus fortuitò, abstulit, & paruulo, quem domi mater lactabat, puppæ in uicem dono dedit; sed postero die Rottemburgum cùm rediisset, iterùm statuam suo in loco in columna consistere videt. Miratur primùm, sed quia non ignorabat, neminem seruorum (cùm nullum homo rusticus haberet) loco suo restituisse, sed nec vxorem domo pedem extulisse, aliam à priore ratus, hanc quoque domum detulit: quia verò domi eandem esse, non aliam deprehendit, ne iterùm vel auferretur, vel spontè sua abiret, statuam arcæ inclusit, retenta secùm claue securior; sed subsequente mox die, cùm & clausam arcam sciret, & iàm iteratò statuam loco suo stare videret, in stuporem homo rusticus abire cæpit, & diuinum quid subuereri in hoc iterrato statuæ reditur, nec tertium tentare scelus. Quod cùm manifestasset catholicis, statim celebrari accursibus vicinorum cæpta sacratissima Icon.

74. *Idem, de imag. B. Virg. Antiqua, Madriti in Hispania.* Hanc imaginem, quæ in cœnobio Atochano P.P. Dominicanorum colebatur, ad Indos deferre quis cogitauit, vt eas regiones tanto ditaret thesauro; Itaque in nauim deportata fuit, vt illò deportaretur; sed aliter Virgini visum est, altera quippè die Madriti in sua sede reperta est; Ter in nauim reportata, ter rediit, magno Madritensis populi gaudio.

75. *Felix Astulphus, in Histor. vniuers. imag. libr. 11.* In agro Vinouiensi in Sabaudia, aliquis bubulcus arabat. Hic cuidam loco propinquus, cùm boues arantes, stiua ante se ageret, mouere eos loco non potuit. Percussit, & ictus valdè geminauit: cæterùm frustrà omnes conatus adhibuit, bobus ad locum immobiliter consistentibus. Accurrit fortè aliquis eques, vir nobilis, & agricolam pertinaciter boues quatientem, illosque pertinaciùs resistentes conspicatus, hominem, vt desisteret, & si quid fortè eo loci secretò lateret, vt inquireret, admonuit: simulque ex equo descendit. Stiua, qua boues frustrà percusserat, ille terram vix fodere cæpit, quandò pauimentum lateribus perpolitis, quasi recens stratum reperit, quo diruto, imaginem Diuæ Virginis filiolo onustam ibidem reconditam aspexit. Fama eius rei vulgata, Ruuerii, in quorum ditione ager erat, Clero proximioris Parochialis templi euocato, imaginem ingenti cùm deuotione, in dicta supplicatione publica transtulerunt. Mirum mirandum. Die altero eodem loci, quo primò reperta fuerat imago, ab agricola reperta est denuò. Accidit secundò, & tertiò. Quod pro indicio certissimo decreti diuini accipientes Ruuerii, templum in agro extruxerunt, Carmelitanisque vnà cùm imagine descripserunt.

76 *Angelus Manrique in Ann. Cister. an. 1195. cap. 5.* In Oratorio Cistercìensium Ceizæ in Lusitaniæ Regno, manet vsque ad hanc diem Icon B. Virginis, quæ cùm in ampliorem Ecclesiam propè extructam delata fuisset, in eoque decentiùs locata, totiès miraculosè reuersa est ad vetus Oratorium, quotiès indè adducta; quousque tandem in eo relicta fuit.

77. *In Chronicis P. P. Ordinis Beatæ Mariæ de Mercede ann. 1336.* Ex portu quodam Hispaniæ, qui penitùs ignoratur, vna ingens nauis Italiam versùs prospero vento discessit. Sed non post multos dies cùm esset in medio mari, contrariis ventis hinc indè agitata, periclitari, & ferè mergi cæpit, ita vt Nautæ, & Nauigantes in tàm euidenti mortis discrimine constituti, pro vltimo, & vnico saluationis remedio, (ne omninò perirent) merces ipsas, & pretiosa quæque, ac omnia bona, quibus lucri facere, & lucrari sperabant, quæ naui poterant esse oneri, deijcerent. Inter hæc bona, arcam permagnam rectè obseratam, & clausam, magni ponderis, cuius Dominus, & quis eam in naui reposuerat, post exactam diligentiam omninò nesciebatur, ad aquas maris similiter deiecerunt. Arca deiecta, tria signa memoratu digna omnes qui aderant notarunt, & animaduerterunt; videlicet, quòd arca illa tota plena, crassa, & magna, ac ponderosa, quæ suaptè natura deorsùm ferri, & aquis maris cooperiri debebat, ad instar suberis leuis, cui pueri natare discentes, inniti solent, sic illa ambulans super aquas, tranquillum mare (quod fuit secundum signum) continuò reddidit. Et denique tertium signum, seù miraculum, quòd sicut magnes, lapis notissimus, post se ferrum, sic illa nauem post se trahebat, & per vim contra Nautarum voluntatem sua virtute Sardiniam versùs eam ducebat. Vndè breui tempore tàm arca, quàm Nauis ad nobilem, & principaliorem eius Insulæ Ciuitatem, quæ dicitur Callaris peruenerunt. Sed Arca proximiùs ad eam stationem, quæ Conuentum nostri ordinis respicit accessit, & ita arte littori insedit, & hesit, vt nulla vi loco dimoueri posset,

cùm ingens ad rei nouitatem multitudo adueniret; sed dùm multi eam dimouere,& ad terram deferre conantur,vox inter eos cuiusdam pueri intonuit,sic dicentis; quid facitis, oleum,& operam frustrà perditis, & in cassum laborem inanem suscipitis. Non vos omnes, sed Fratres nostri Dominæ nostræ eam dimouebunt, & ad terram trahent. Accedunt igitur cùm essent vocati Fratres,& diuina gratia, qua omnia mouentur, eam loco mouerunt, & ad suum Monasterium traxerunt. Et cùm ibi (plurimis astantibus, qui intrare potuerunt)Fratres arcam aperuissent, inuenerunt in ea permagnam Virginis Mariæ imaginem cùm puero Iesu in brachiis suis ex ligni materia fabricatum, valdè venustam, & multùm decoram, candelam accensam in manu tenentem, quæ ad motionem cadens de manu matris, pedem pueri adussit, vt hodierna die manifestè apparet.Post gratiarum actiones, & Te Deum laudamus,solemniter decantatum,dùm specialis locus & capella extruebatur,eam in quodam Ecclesiæ sacello ea nocte collocarunt.Sed, ò res mirabilis omni admiratione, & stupore digna. Alia imago miraculosa eiusdem Virginis, quæ in altari maiori sita erat,aduentanti de nouo imagini honorem præstare volens, descendit, & locum suum eminentem, & præcipuum nouæ hospiti cessit, & consignauit. Ita quòd die sequenti illa imago, quæ fuerat extracta de arca,in Altari maiori collocata apparuit, imago verò antiqua, in sacello, quod imagini de nouo repertæ fuerat paratum clàm visa est.Sed cùm fratres eam locorum mutationem non admirando modo, sed ab aliquo ipsorum fuisse factam pro comperto haberent,nocte sequenti,& similiter tertia,sicut eas imagines nocte prima reposuerunt, videlicet antiquam in altari maiori, & recentem in sacello minori, collocarunt. Sed semper eductam de arca in altari maiori, & antiquam in sacello inferiori,sicut eas modò videmus, collocatas reperiebant. Cæpit ex ea hora imago illa in altari maiori sita, quam vulgari vocabulo nostram Dominam de bono aere appellant, multa edere miracula.

78. *F.Iustinus*, In Villa Gidle Archidiæcesis Gnesnensis, erat imago D. Deiparentis lapidica, quantitate parua, vtpotè digiti medii longitudine, sed virtute vsque ad cœlum elata. Originem huius imaginem accipe. Anno Domini 1516. Ioannes Cirhek Colonus in Villa Gidle, agrum suum colens, cuidam loco propinquus, cùm boues ararent, derepentè genibus prouolutos videt: loco haud mouere potest, percutit sæpiùs, at frustrà. Scire volens nùm quod impedimentum ibi esset, aspicit, & in lapide grandi, imaginem paruam Beatæ Virginis affabrè exculptam, iacentem reperit, quam boues quasi reueriti, locum illum præterire nolebant. Homo simplex miraculo minùs considerato, imaginem accipit, & in arca, in qua interulas, & alios panniculos asseruabat, sub eis recondit. Mira res: Quotiès arcam aperit, totiès imaginem illam non sub vestibus, sed super eas iacentem conspicit, quam in imo fundo à se conseruatam fuisse sciebat.Nec tamen miraculum aduertit,donec manum Dei percutientis, ipse cùm domesticis suis graui morbo oppressus,& cæcitate percussus,sentit. Hunc fœmina quædam honesta sæpiùs inuisebat, & lumine quodam mirabili in arcula, in qua imago Deiparæ erat recondita, aliquotiès deprehenso, Ioanuem monuit, ac cæcitatem illam, se, ac domesticos eius ideò forsàm incurrisse, quòd rem quandam sacram domi suæ retinere auderet, nunciauit. Rusticus aduertit, dictum fœminæ probauit. Parochum loci illius, nomine Petrum Vuotka vocauit, seriem rei narrauit, imaginem Deiparæ apud se reconditam ei tradidit,& protinùs ipse, ac domestici eius sanitati restituti, visum receperunt. Parochus imaginem sibi traditam in Ecclesiam Parochialem D.Mariæ Magdalenæ dicatam, detulit, eamque in ciborio vnà cùm Venerabili Sacramento reposuit; nec ibi imago substitit, sed in eum agrum, vbi primò à Colono inuenta erat, miraculosè delata est,& in eo inuenta. Parochus quid faceret? in eo loco Columnam ligneam prægrãdem erexit, in qua imaginem crucifixi posuit,decenter (vt moris est in Polonia) tecto operuit, & imaginem Deiparæ inColumna illa excauata recondidit. Ab eo tempore imago illa miraculis clarescere cæpit, confluentibus ad eam populis, & vota sua offerentibus.Breui in eo loco sacellum est constitutum, & P.P.Dominicanis dono datum.

79. *Bz.in ann,Eccl.an.*1485.*n.*20. Non procùl à Geneua ager est Rocchietæ, ad Sabaudiæ Ducis possessionem, seu dominium spectans; in eo pastor quidam oues suas cùm pasceret,è propinquo spineto aliquoties audiuit planctum,siue eiulatum. Primùm accurrere,& explorare non ausus,tandem post aliquot dies, vbi ploratum geminari audiret, accessit, & imaginem Sacrosanctæ Virginis, velut lilium in medio spinarum, iacentem conspexit, tangere religiosum ducens, vt erat pietate inflammatus, ad vicinos Patres Carmelitanos properauit, rem, vt audierat, inueneratque, enarrauit, sed ægrè fidem apud auditores inuenit. Iuerunt tandem, & hi; ac spineto appropinquantes, planctum primò eiulantis audiuerunt; deindè imaginem, quam diximus, repererunt; mouere, & ad Ecclesiam suam transferre conati, nihil omninò promouere potuerunt. Vndè voluntatis diuinæ,quæ eodem in loco cultum suæ matris introducere se velle significabat, certiores facti, ibidem Oratorium extemporaneum extruxerunt. Quo loci crebrescentibus miraculis, & deuotione populorum aucta,Marchio Camberinensis magnificum Templum Diuæ Virgini superædificauit, & Patrum Carmelitarum Ordini adscripsit. Quamquam autem nihil prætermissum fuerit diligentiæ, vt inueniri posset, qui eam imaginem inter spinas reliquerit, tamen nunquam potuit sciri, aut reperiri depositor lilii tàm venusti, tàmque miraculosè medicati. Aliquis ex vicino Delfinatu eam imaginem ex Oratorio clàm subtraxerat, & in templo quodam eius Prouinciæ reposuerat, cæterùm illa die consequenti, eodem in loco, quo subtracta fuerat, per miraculum reperta est, diuina vt piè creditur virtute relata. Hinc maior deuotio, hinc frequentiora, maioraque micula.

80. *Idem ibidem ann.* 1383. *de imagine Sancti Ioan-*

Ioannis Baptistæ. Burburgi in Flandria. Tres nefarii homines ruptis cancellis, irruunt in chorum, ac ibidem visa statua, seù imagine Sancti Ioannis Baptistæ in summo altari posita, quæ ex auro facta videbatur, ad illam diripiendam proruperunt. Et vnus eorum ausu temerario, nec iudicium Dei habens præ oculis, super altare ascēdit, & impurissimos pedes ponens in loco sanctificationis, statuam illam de suo Tabernaculo in terram deiecit. Inibi orta est contentio inter eos, cuius futura esset statua: vnusquisque enim habere volebat, & quisque sibi deberi asserebat, cùm reuera nullius propria esset. Dùm autem lis in longum protraheretur, & illi inter se tumultuarentur, ecce repentè permissu diuino factum est, vt statua visa sit pristinum suum locum occupare. Mox vnus illorum, cæteris audacior, nihilo terrefactus tanto miraculo, mirabilium Dei operum immemor, conscenso altari, venerabilem statuam volens in terram deturbare, factus in agonia toto corpore tremuit, & tamquam glacies obriguit: denique ante ipsum altare deciduus infelicem animam efflauit.

81. *In m.s.s.* Cùm imago Beatæ Virginis de Madia, quæ Monopoli colitur, à proprio, ad alium locum translata fuisset, postera luce, ad priorem locum redijt, bis, terue repetito portento: quo non obscurè ab incolis intellectum est, velle ibi Virginem sedem figere.

82. *Siluester Frangipanus in sua Hist. cap.6.* Mirum quod de imagine Sancti Dominici ad Pagum Sorianum in æde Fratrum Prædicatorum traditur; nimirùm in alium locum cùm translata esset, humiditatis vitandæ causa, diuinitùs ad pristinum locum rediisse, quod non semel accidit. Cùm enim prima vice crederent Fratres, eam Sacristam transtulisse, sed clauibus loco ad quem delata erat obserato, viderent nihilominùs abiisse, diuinæ id virtuti, voluntatique tribuerunt.

83. *Sylos in Hist. Cler. Regul. tom. 3. libr. 7. Ann. 1643. de Iosepho Caracciolo ex nostris.* Is cùm effigiem Beatæ Virginis summè deuotam haberet, maximaque deuotione eam prosequeretur, addubitans, nè saltem affectu vota paupertas læderetur, effigiem Præposito detulit; statuisse nempè se nihil in cellula retinere, quod afflare paupertatem posset: At mira res: in cellam dùm redit Iosephus, eandem ipsam Diuæ Virginis imaginem eodem in loco, situque reperit, ac si nusquam mouisset, siuè remunerari Deus præclarum viri propositum voluerit eo prodigii authoramento; siuè Virgo ipsa Deipara abesse à religiosissimo Cliente suo ægrè pateretur, ac repetita confestim sede, mutare contubernium noluerit.

Imagines vltroneo motu se mouentes.

§. 4.

Conticeant Iconoclastæ, sacrasq. imagines cùm vident vltroneo motu, vel supplicātium votis veluti arridere, vel impiorum detestari audaciam, eisdem quem catholici exhibent cultum, & ipsi debitum confiteantur. De his.

1. *Thomas Cantipratanus lib.2. ap.c.50. de Elizabetha de Vuans moniali.* Hanc pedetentim ferè tribus annis imago crucifixi vndique sequebatur, & si quandò immundum quid, aut noxium cogitasset, manum de cruce porrectam eius pectori superponebat, & in commodum protinùs effugabat.

2. *Cæsarius libr.8. oap.21.* Temporibus nostris in Prouincia nostra, sicut audiui, miles quidam alterius cuiusdam militis patrem occiderat: casu accidit vt occisi filius, occisorem caperet, quem cùm in vltionem Patris extracto gladio trucidare vellet, ille pedibus eius prostratus ait. Rogo vos Domine per honorem sanctissimæ crucis, in qua Deus pendens misertus est mundo, vt mei misereamini. Quibus verbis ille compunctus, cùm staret, & quid facere vellet deliberaret, inualescente misericordia, hominem leuauit, & ait: ecce per honorem Sanctæ crucis, vt mihi, qui in ea passus est, peccata mea indulgeat, non solùm tibi culpam remitto, sed & amicus ero, deditq. ei osculum pacis. Non multò post, idem miles cruce signatus mare transiens, cùm Ecclesiam Dominici sepulchri, aliis peregrinis viris honestis de sua prouincia commixus, intraret, & ante altare proximum transiret, imago Dominici corporis illi satis profundè inclinauit de cruce. Hoc cùm aliqui ex eis considerassent, nec tamen scirent, cui tantum honorem exhibuisset, ex consilio singillatim reuersi sunt, nec tamen alicui eorum inclinatum est, nisi cui priùs; tunc causam sciscitantes, cùm ille diceret, se indignum esse tanto honore, quæ supra dicta sunt memoriæ occurrerunt; quæ cùm fratribus retulisset, mirati sunt de tanta Dei humilitate, scientes imaginis eius inclinationem factam fuisse pro gratiarum actione.

3. *Raynaldus an.1232.* Cùm exæstuans quidam eques ira in parentis interfectorem, ad eum trucidandum inuolaret, alterque per crucifixum obsecrasset, vt vitæ parceret, motusq. ijs, atq. emollitus, districtum ensem in vaginam innoxium cōdidisset, ac postea ob venationem contra regias leges quæsitam, in exilium pulsus, bonisq. exutus, post multos annos in Normannia Ecclesiā ingressus ad Richardi Regis misericordiam implorandam, vt sibi patria eiecto, amissa bona restitueret, intereaq. temporis cùm sæpiùs prouolueretur in genua, peteretq. à Deo, regium pectus emolliret, contigit, vt quotiès procumberet in genua, totiès Christi ē cruce pendentis imago in ara exposita, caput inflecteret, quo conspecto ingenti miraculo Richardus Rex euocauit equitē squallore obsitū, percontatur quod Deo gratissimū opus aliquādò edidisse putaret, eoq. subijciēte, parentis interfectori veniā per crucifixi vulnera exorāti ignouisse, audita rei serie, & causa exilii, in patriā, pristinos honores, fortunasq. restituit.

4. *In actis S.Ioannis Gualberti*. Is propè Vrbis muros, cùm in odiosum, & inuisum sibi inimicum incidisset, ac propè esset, vt impetum in eum faceret, oratus, obsecratusque est per Christi passionem, & mortem, ne quid grauius in ipsum admitteret, sed illæsum abire sineret; ac Gualbertus mentione de Christi passione iniecta, constitit, atque, Eamus inquit ad Christum ipsum, eiusque sententiam exquiramus; nam quod mihi dederit de hac re consilium, id certum est exequi. Erat non procùl ab eo loco, vbi hæc gesta narrantur, Christi cruci affixi imago vetus, è ligno; quò cùm copulati venissent, petiit Io: Gualbertus à Christo, nùm, si inimicum suum inuiolatum dimisisset, id sibi foret acceptum, rem miram! ea Christi Saluatoris imago, caput, quod antea cruci hærebat, abduxit, & in signum, quòd illud approbaret, confirmaretque, demisit; atque etiam nunc in cœnobio Sancti Miniati, vbi religiosissimè asseruatur, capite ita demisso conspicitur, quamobrem Gualbertus cognita Christi voluntate, rediit cùm inimico in gratiam, cùm eoque coniunctissimè vixit.

5. *Antonius Vasconcellius*. Visitur etiam nostra tempestate, apud Scalabitanos in Lusitano Regno, in ædicula parua, cognomento Apostolorum, Christus in crucem actus, ad quem fœmina pro auxilio confugerat. Huic adolescens vitæ non admodùm castigatæ per speciem coniugii, pudiciciam eripuerat; posteà cùm fidem falleret interpositam, fœminæ illudebat. Quid faceret lachrymosa fœmina, expugnata pudicicia? quos testes tanto dedecori laudaret? diem adolescenti dicit, Curionem adiit, ædem petit, Christum, præsentibus omnibus alloquitur, illumque in suam litem testem citat. Vix dicendi finem fecerat, cùm subitò Christus refixis è Cruce manibus, corpus, & caput inclinans, publico testimonio litem attestatus est: qua ratione, non sine miraculo perseuerat, & intra præscriptos dies confluenti ex omnibus locis multitudini obseruandus proponitur.

6. *Felix Astulphus in Hist. imag. libr. 2. cap. 24.* Parua Insula parùm à Venetiarum vrbe distat, quæ *Pouegia* dicitur, hic vsquè adhæc tempora Crucifixi imago colitur, hoc miraculo nobilis. Quidam suo compatri coràm hac imagine absque vllis litteris, aut testibus mutuam pecuniam dederat; cùm restituendi tempus aduenisset, negauit qui acceperat, se accepisse aliquid, qui dederat, probationis suffragio viduus, cùm iudice aduersarium ad imaginem prouocat, Deum enixè orans, vt veritatem aperiret; mirum dictu! imago caput demisit in testimonii signum; stupor omnes corripuit, & maximè illum, qui acceptam pecuniam denegauerat, debitum ipse restituit, & debitus honor imagini datus, quæ ad hæc vsque tempora multos in sui venerationem habuit. Visitur adhùc Christus collo demisso.

7. *Bzou. ann. 1300. num. 21.* Aliquis Ciuium Neapolitanorum, compatri suo pecuniam nonnullam mutuò dederat, & hic perfidus, cùm solutio posceretur, nihil se ab illo accepisse asserebat. Re inter duos acta, cùm non probari posset, creditor debitorem, ante eam imaginem Christi crucifixi, coràm qua pecuniam illi numerauerat, nactus, Christiana simplicitate: Is inquit, qui pro nostra redemptione semetipsum lytron dedit, mihi testis est, me tibi mutuò eam pecuniam dedisse; neque exegisse. Mirum visu! Imago Christi crucifixi, caput, quasi veritati creditoris annueret, inclinauit. Visitur etiam nunc Neapoli huiusmodi imago.

8. *Idem Ann. 1438. num. 71.* Die decimo septimo Octobris, hora tertiarum, Petrus Aragonius quatiebat tormentis muros Neapolitanos, ea parte, quæ erat ad templum Beatæ Virginis de Carmelo, ad portam Vrbis, vulgò à Mercato; Prostat supra trabem transuersalem medio in templo imago Christi cruci affixi, satis prægrandis. Eò cùm Petrus tormentum quoddam omnium maximum explodi iussisset, & pila testudinem è diametro capitis supernè decidens perforasset, dubioque procùl cadens comminuere illud posset: ea inquam imago lignea, caput inclinauit, & ictui pilæ summo impetu ruentis subtraxit; capillis impostitiis, & diademate spineo reiectis. Visitur adhùc ea ipsa imago capiti inflexo, & à Neapolitanis, qui miraculum fuisse affirmant, summa veneratione colitur.

9. *In actis S.Theodori ap. Surium 22. Aprilis*. Cùm in oppidis finitimis supplicationes fierent, & cruces, quæ gestari solent, horribili miserandoq. spectaculo per se concuterentur, & commouerentur: interrogatus vir diuinus Theodorus, quid sibi id vellet; respondit; Deum, ò filii, precibus placate: quoniam magnæ mundo imminent calamitates.

10. *In vit. S.Erhardi Ep. Ratisp.* Cùm pannum lineum, qui Erhardi sepulchrum tegebat, exexerat que se super pauimentum Ecclesiæ, purgatores illius, putantes vetus linimentum, & pedibus calcantium pauimento impressum, decerpere tentassent, ecce crucifixus de ligno dolatus, qui iuxta sepulchrum Beati Patris locatus fuit, caput de dextera in sinistram declinans, flere cæpit, & Kunegundi Virgini, quæ eidem præerat monasterio dixit: Prohibe custodes, vt linteamen, quod ex sepulchro extare videtur, vlteriùs abrumpere non præsumant; nàm in hoc iacet tumulo vir magnæ æstimationis coram Domino, Linteum enim est, quo illud beatum corpus Erhardi est inuolutum. Illa interim stupefacta, & ad se tandem reuersa, cunctis, quæ audierat, & viderat enarrauit; multique fidelium ad sepulchrum concurrentes, à diuersis infirmitatibus sunt sanati.

11. *Raynaldus in ann. Eccl. ann. 1216. num. 7.* Dùm fortunalis alea statum regni Angliæ diris turbinibus exagitaret, dominus Papa Innocentius, quem vacillantis Ecclesiæ cura solicitabat, effigiem vultus Domini, quæ Veronica dicitur, vt moris est, de Ecclesia Sancti Petri versùs hospitale Sancti Spiritus reuerenter cùm processione baiulabat: Qua peracta, ipsa effigies, dùm in locum suum asportaretur, se per se gyrabat, vt verso staret ordine, ita scilicet, vt frons inferiùs, barba superiùs locaretur. Quod nimis abhorrens dominus Papa,

pa, credidit illud in triste sibi præsagium euenisse. Vt pleniùs Deo reconciliaretur, consilio fratrum in honorem ipsius effigiei, quæ Veronica dicitur, quandam orationem composuit elegantem, cui adiecit quendam psalmum, cùm quibusdam versiculis, & eandem dicentibus, decem dierum concessit indulgentiam, ita scilicet, vt quotiès repetatur, totiès dicenti tantùndem indulgentiæ concedatur.

12. *Inm. s. s.* Salerni an. 1149. Quidam insignis Magus, nomine Petrus Abailardus, cùm vsq. ad 93. ætatis suæ annos peruenisset, Dæmonibus magicis artibus inseruiens, ex improuisa morte ab eisdem, duobus Nepotibus illata, dùm casu magicos libros percurrentes, Diabolicos caracteres inscienter deleuissent, ita repentè, Dei gratia operante, mutatus est, vt ad Ecclesiam S. Benedicti statim confugerit, ibi genibus ante imaginem crucifixi in pariete depictam flexis, lachrymis, suspiriis, feruentiq. contritione, præteritorum dolens peccatorum, eorundem veniam à Deo tribus diebus, & tribus noctibus est deprecatus; quod cùm faceret vltima die, quæ 25. Martii, & feria sexta tunc temporis fuit, imago Crucifixi, ipso vidente, caput ad illum inclinauit, ipseque illicò animam exhalauit: Videtur vsque adeò miraculosa dicti crucifixi imago ibidem, multisque coruscat miraculis.

13. *In vita Beati Pij V.* Hic in illa negotiorum mole, quæ Cathedram illam propè obruit, Christum de rebus agendis consulere solitus erat, & horam vnam ante crucifixi simulachrum argẽteum exigere, tùm absoluta oratione summo animi affectu, corporisque submissione, pedes exosculari: osculoque haurire cœlestem sapientiam, à qua orbi vniuerso redderet oracula. Die verò quadam, dùm idem agere aggreditur; crucifixus pedes retraxit. Hic attonitus, hærere, stupere, dolere, gemere pius Pontifex, & quasi de negata gratia queri; desiit tamen queri, ac dolere, vbi resciuit in suam perniciem statuæ pedes veneno infectos. Noluit nimirùm Christus, vt vndè primos vitæ spiritus hauserat, vndè diuinioris sapientiæ fluenta in animum deriuarant, indè fœdam in corpus luem, & lethale toxicum, traheret.

14. *Seueranus in monumentis septem Eccles. Romæ*, In Ecclesia S. Pauli conseruatur Ven. imago crucifixi, quæ S. Birgittæ humillimas orationes ante ipsum fundenti, vultum, faciemque reuoluisse traditur.

15. *Sanctus Bernardus apud Thiepolum de Pass. Domini Tract. 12. cap. 13.* Dùm quædam Monialis, quæ dùm viueret, Dominicæ passionis fuerat deuotissima, post mortem ad sepulturã deferretur. Imago crucifixi, quæ ibi erat, propriam faciem versùs ipsam, omnibus cernentibus, reuoluit, in talique statu semper stetit.

16. *Capreolus, in Hist. Brixiæ lib. vlt.* Brixiæ in Ecclesia Cathedrali colitur imago Christi Domini columnæ alligati, quæ olim multis cernentibus, manus, quibus à tergo columnæ vinciebatur, reuoluens, iisdem à parte anteriori, vt vsque modò videtur, eidem columnæ deuincta remansit. Anno etiam 1500. oculos mouere obseruata est: multisq. quotidiè coruscat miraculis.

17. *Candidus Brugnolus tom. 2. Alexicacon, disp. 4. par. 3. cap. 2. art. 1. §. 4.* Bergomi in Sacello existente in extremitate muri Clausuræ Conuentus Sanctæ Mariæ Gratiarum P.P. Reformatorum Sancti Francisci, deuota colitur imago Christi Domini crucem ferentis, depicta in pariete. Anno autem Domini 1608. hora sexta diei 15. Septembris, præsentibus aliquibus, Iesus Christus, qui ibidem crucem baiulans representabatur, se exexit, ac crucem, quam prius super humeros inclinatus deferebat, erectus, illam amplexus est. Et ita à prædicta hora, vsque in præsentem diem mansit.

18. *In ann. Seruorum Cent. 2. lib. 1. cap. 12.* Cùm B. Peregrino Foroliuiensi, ex ordine Seruorum Beatæ Mariæ, ob putridum vlcus ex consilio medicorum crus amputandum esset: consurgens nocte ex loco, in quo iacebat, & reptans vt poterat, in capitulum venit, ibique antè crucifixi imaginem (quæ adhùc manet, & magnam habet apud Foroliuienses venerationem) vehementiùs orans, & obdormiscens, Christum de cruce descendentem, & crus tangentem vidit. Expergefactus, ita crus sanatum sentit, ac si nunquam tumidum, vlceratum, putridumque fuisset.

19. *In vita Sanctæ Lutgardæ.* Christus crucifixus à Cruce brachium amouit, & sanctam Lutgardam complectens, eius os suo lateri admouit, quæ indè magnam dulcedinem hausit, adeò vt qui eius saliuam gustarent, dulciorem eam super mel sentirent.

20. *In vita Sanctæ Heduuigis Ducissæ Poloniæ cap. 2.* Quadam die sanctimonialis quædam in Monasterio Trebniciensi, scire cupiens quemadmodum Christi ancilla sola remanens in Ecclesia, se in diuino exerceret famulatu, cęteris sororibus ad mensam discunbentibus, clàm intrauit in Chorum, ibique delitescens vidit illam, post singula loca, in quibus monachæ stare solebant exosculata, coram altari Sanctissimæ matris Dei humi prostratam, gratias agere more suo omnium Creatori; In eo verò altari imminebat crux non exigua, expressam habens Crucifixi imaginem. Ibi ergo sic prostrata cùm prolixiùs oraret, vti consueuerat; Imago illa crucifixi, à cruce retracta manu, & brachio dextero, illi benedixit, dicens clara voce, exaudita est oratio tua, impetrabis ea quæ petiisti.

21. *In annal. Min. An. 1220. num. 64.* In Domo Oxoniensi mira accidit res, qua significatum voluit Dominus, quàm seriò, & reuerenter solui vult pensum Ecclesiasticum, & in suo conspectu digna reuerentia horas recitari Canonicas. Euenit vt quidpiam fratres inter Completorii preces mouerit ad risum, illiq. minùs religiosè loci sanctitudinem respicerent, quin dissolutè riderent; at repentino, & magno fragore Christi crucifixi effigies quæ super Chori ostium pendebat, verso ad fratres vultu, indignationem, & subsannationem erga ridentes indicauit. Quam & illi senserunt: nam ex tremendo fragore, & commoto Christi vultu, statim tabescentes, qui præcipuè erant in culpa, paucis post diebus vitam cùm morte commutarunt.

22. In

22. *In vita Beatæ Stephaniæ Quintianæ*. Quadam vice, cùm deuotissimè ante Crucifixi imaginem oraret Beata Stephana Quintiana, imago Christi non solùm caput inclinauit, sed manus, quæ clauis erant ligno affixæ, abiunxit à ligno, & seruam suam amplexa est in signum maximi amoris.

23. *In vita S. Hugonis Monachi Eduensis, ord. S. Benedicti*. Contigit vna dierum, vt more solito veniens ante signum salutaris crucis, ipsiusque Saluatoris imaginis, quod constat decenter erectũ in Monasterii medio, dùm expansis manibus in mentis iubilo ad cœlum oculos dirigeret, visus est à quibusdam spectantibus in sublime aeris eleuatus spatio ferè altitudinis trium vlnarum, alacriter vnius horæ spatio immobilis persistere. Eademque hora ipsa Iesu Christi Domini Icona cruci affixa, visa est ab ipsis speculantibus contra eumdem virum Dei se se humiliter inclinare.

24. *Franciscus à S. Maria, in Hist. Discal. Tom. 1. lib. 2. cap. 13.* In conuentu Malagonensi Discalceatarum Sanctæ Teresiæ, cùm Soror Francisca à Matre Dei officio fungeretur coquinariæ, ægrè ferebat manus semper impuras, tinctasque habere, cuius rei cùm doleret ad pedes Crucifixi: res mira; ille refixit manus à cruce, supplicantiq. illas ostendit, dicens: Et ego Francisca, quales pro te habeo manus: quo euentu perterrita soror, deinceps non pulchritudini externæ, sed internæ summopere studuit.

25. *Idem ibidem tom. 2. lib. 6. cap. 42.* Anno Domini 1581. die septima Aprilis in Pago, vulgò *Gudalcazar* propè Cordubam, in sacello maioris hospitalis, quædam imago crucifixi, quæ ibidem erat propè aliam imaginem Beatæ Virginis, coràm multis spectantibus, inclinauit profundè caput versùs imaginem Virginis, obsequium, quo à populis esset veneranda, demonstrans. Hocque non semel, sed per octo vices ab omnibus obseruatum est.

26. *Zachar. Bouer. in Annal. Capuc. an. 1573. de F. Vincentio a Flauiano*. Decimum quartum, iàm Vincentius annum attigerat; cùm Diuino eum spiritu ad præstantiora vocante, apud se de sæculo fugiendo, Minorumque Obseruantium Religione amplectenda consilium init: vbi verò deliberationem consilium peperit, Religionis habitum à Patribus postulat: qui cùm Adolescentem tenella adhùc ætate præditum cernerent, diem protelant, lunasque causantur laconicas. Intereà pius Adolescens sedula se oratione exercens, frequenter ad Fratrum Ecclesiam pergebat: in qua, cùm post hęc aliquandò ante consuetam crucifixi Imaginem attentiùs oraret, illa, brachia è cruce soluens, quasi illum amplexari vellet, ad ipsum extendit, quo in aspectu tanta Vincentii mens amoris teneritudine affecta fuit, vt in altiorem oris gemitum erumperet: quo à Fratribus percepto, cùm ij sinistrum aliquid illi accidisse suspicarentur; statim accurrunt; at gemitus causa perspecta, cùm tàm preclara diuinę vocationis in Adolescente testimonia agnoscerent, haùd vltrà Religionis illi diem producendum, aut moras texendas censuerunt. Quamobrem rem ad Patrem deferunt; diuinamque Adolescentis vocationem haùd aspernandam illi fore persuadent. Qui tandem filium sua benedictione firmatum, alterius Abrahæ instar, Deo in Venerabili Minorum obseruantium Religione sacrificium offert.

27. *Idem an. 1562.* Fauëtiæ in Ecclesia P.P. Minorũ Capuccinorum, deuota imago crucifixi colitur, quæ cùm ante ipsam oraret Frat. Baptista à Fauentia eiusdem ordinis, doleretque cuiusdam inflictæ pænæ, dextero brachio à cruce refixo, vulnus lateris indigitans, in hęc prorupit verba: Vide quanta, & qualia pro te sustinui; quibus verbis compunctus seruus Dei, omnia libenter sustulit.

28. *Antonius Valtrinus ex litteris annuis Soc. Iesu*. Res accidit litteris dignissima. Cuzchum ciuitas quondam Ingarum fuit, quæ nunc Hispanorum Imperio subiecta est, in qua etiam vrbe Societatis est collegium; ab ea procùl quindecim dierum itinere prouincia quædam visitur amplissima, armis, diuitiisque præpotens, cuius amplitudo leucas dicitur colligere quingentas. Ad hanc prouinciam cùm quidam Christiani fugerent, vnus ex iis inter sarcinulas, crucifixi imaginem fortè coniecit, qui cùm posteà ad illius prouinciæ Metropolim peruenisset, multique admirabundi quærerent curiosiùs, quid illud esset, respondit: illum esse Christianorum Deum, quæ res hominum sermonibus celebrata, ad Principis aures peruenit; is eandem videndi cupiditate inductus, in aream palatii cùm tercentis circiter viris processit, hominemque sibi cùm imagine sisti iussit, quam cùm in manus sumisset, diligenter contemplatus: *Hiccine*, inquit, Deus est Christianorum? ille ipse, Indus inquit. Tùm Princeps ait: hiccine Deus est, quo adiutore Christiani Ingas, totumque regnum Peruanum subegerunt? Cùm Indus affirmaret: at hic, Princeps, homo est, ait, omnibus cruciatibus necatus; simulque imaginem expuens, homini reddidit. Mirum dictu! statim ac Indus in manum accepit imaginem, cæpit illa caput, quod in dextram partem inclinatum habebat, ad sinistram conuertere, & oculos in Principem, cæterosq; qui aderant, defigere, qui omnes continuò, præter eum, qui crucifixi tenebat imaginem, conciderunt, ac tres horas sine sensu, & spiritu mortuis similes iacuerunt. Quos cùm populus mortuos existimaret, ingens tota vrbe luctus excitatus est; Intereà Princeps, ac deinceps cæteri, ad se rediens, surgensque exclamauit. Verè magnus est Christianorum Deus, reliquisque omnibus stupore quodam defixis, pæna capitis proposita, edixit, ne quis in posterùm Christianorum Deum blasphemaret: atque extructo, exornatoque iuxtà palatium sacello, ibi crucifixi imaginem collocari, atque ab omnibus adorari iussit.

29. *Philippus Alegambe in Bibliot. Soc. Iesu, de P. Alphonso de Balzano*, Infantis Iesuli memoriam grata veneratione recolebat, habebatque semper signum ipsius arte sculptoria formatum, quod per noctem sibi ad lecti caput admouebat. Id cùm extrema ægrotatione fuisset nocte quadam oblitus, & infirmorum curatorem inclamaret, vt suum sibi dilc-

dilectum porrigeret, ipse se stitit coràm seruo Dei infans, dicens, Ne fatigere, en hic ego tecùm sum.

30. *Antonius de Sousa*. Die Veneris, 8. Februarii anni 1636. in Ciuitate Goa, Lusitanorum Metropoli Indiæ Orientalis, imago magna crucifixi, quæ erat in Choro Monasterii S. Monicæ monialium ord. S. Augustini cùm vultu ad moniales, & dorso ad Ecclesiam, multis aspicientibus monialibus, quæ orabant, circà horam post meridiem octauam cæpit mouere oculos; ad voces istarum cucurrerunt reliquæ, & viderunt Dominum clementissimè intuentem; venit Confessarius, & prudenter examinans veritatem, idem inuenit, ac vlteriùs cernétibus ipsis manauit sanguis ex sacris vulneribus: aperuit crucifixus os submissa voce loquens, & crux quasi vi commota est. Hoc, maximo gentium concursu, continuauit diebus sequentibus; & die Martis hora vndecima, cùm Ecclesia vix caperet multitudinem, Dominus (ò rem mirandam) conuersus ad populum, respexit oculis viuis, & apertis. Clamor implorantium misericordiam, vocauit è monasterio parùm distanti, eiusdem ordinis Religiosos, qui in eodem statu eum inuenerunt. Tunc venit Reuerendissimus Episcopus Cochinii, D.Fr. Michael Rangel, Gubernator Archiepiscopatus, ac cùm eo Apostolici Inquisitores, & idem viderunt: durauit spectaculum ad aliam Veneris diem eadem hora, qua ante dies octo inceperat; idem Reuerend. Episcopus, comitatus Parocho illius loci, vno Canonico sedis, Vicario Generali Archiepiscopatus, Notario publico, & aliquibus Religiosis, iuit iterùm ad authenticandum miraculum; cùmque accederent, & fidem facerent, iussu eius cantarunt moniales hymnum passionis *Tenebræ factæ sunt &c.* & cùm peruenissent ad verba: *Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquisti me?* Dominus ita oculos aperuit, & ita efficaciter aspexit, vt omnes reliquerit quasi attonitos præ timore: Tandem cessauit motus, & crucifixus, cuius vultus non apparebat ex Ecclesia, remansit inclinatus ad partem dextram, sic conuersus, vt ex choro, & Ecclesia æqualiter videatur; quod vt fieret; cruce sic vt antea manente, separauit ab ea corpus, & genua extendit plicando mirabiliter pedum clauum Cùmque antea vix haberet oculorum signum (in quo sculptor defecerat) mansit cùm oculis perfectissimis, qui videntur naturales.

31. *In m. s. s.* Goæ, orante venerab. Patre Marcello Francisco Mastrilio ex Soc. Iesu ante imaginem crucifixi, duabus vicibus, duobus in templis, crucifixi imagines oculos aperuerunt; obseruauit autem Religiosus Pater imagines crucifixi lumina flexisse Iaponem versùs, quasi illùc eum Christus vocaret.

32. *Franciscus à S. Maria in Hist. Carmelit. tom. 1. libr. 5. capit. 5.* Sancta mater Teresia monialibus suis in Ciuitate Liuiæ dono dedit ligneam statuam pueri Iesu, ad quam in omnibus necessitatibus confugerent; nec frustrà sancto puero fundebant preces; semel soror M.Anna à S. Augustino, cùm ab ipso suppliciter petijsset pecuniam debitam cuidam fabro cæmentario, descendit ille de loco, in quo inerat, versùsque viridarium progrediens, dixit Annæ, vt illum sequeretur; cùmque in viridarium introissent, innuit digito quendam locum, in quo ne dùm pecuniam debitam, sed & abundantiorem inuenit soror Anna, statimque statua Pueri Iesu ad propriam ædiculam est reuersa. Iterùm etiam, atque iterùm cùm aliis necessitatibus afficeretur monasterium, sanctissimo puero preces fundentes moniales, numos aureos, argenteosue ante pedes liberalissimi Pueri inuenere.

33. *Idem tom. 1. lib. 2. cap. 17.* Cùm in conuentu Vallisoleti Discalceatarum S. Teresiæ in Hispania, in solemnitatibus Paschalibus maiori cordis hilaritate animum simùl recrearent moniales; dubitauit quædam soror, nomine Stephana ab Apostolis, cui pręcipuè iussum fuerat, internum gaudium, opere externo comprobare, vtrùm talia cęlesti spōso essent grata, vndè ad imaginem crucifixi conuersa, vt illius voluntatem dignaretur manifestare deprecata est; & ecce illicò imago, caput inclinando, annuit sibi placita esse quæcùmque ex obedientia peraguntur.

34. *Hieronymus Faber, in monum. Ecclesiæ Rauen. de Ecclesia corporis Christi.* In hac Ecclesia piè colitur venerabilis crucifixi imago, quæ anno Domini 1511, cùm reperiretur tunc in hospitali S. Ioseph, in illudque essent ingressi quidam latrones, vt sua occultarent delicta, oculos mirabiliter aperiens, & è cruce manus, pedesque euellens, miseros timore, & tremore repleuit.

35. *In libro Hebdomada sanctificata.* Quondam concionem habebat ad populum Religiosus ex ordine Sancti Francisci, & attolens oculos ad crucifixi imaginem, quæ supra trabem transuersalem Ecclesiæ sita erat, inclamauit; agite pænitentiam, aliter huius crucifixi imago manus à cruce amouebit, clauibusque, ceù acuto ense, peccatores transuerberabit; & ecce illicò eadem crucifixi imago, dexteram manum è cruce refixit, brachiumque extulit, quasi populo perniciem minitaretur; quo prodigio compuncti, pænitentiam egere.

36. *Ibidem.* Sor. Innocentia Cati, ex ordine S. Dominici, cùm quadam nocte ante crucifixi imaginem à vehementi turbinum, ventorumque tempestate perterrefacta oraret, crucifixi effigies manus à cruce amouit, timidamque Virginem est amplexata.

37. *Ibidem.* Soror Maria Maldonato, ex eodem ordine S. Dominici, morti proxima crudelissima afficiebatur siti, apprehensa igitur Christi crucifixi imagine, suppliciter sponsum eius est deprecata, vt gutta illius sanguinis ardentem extingueret sitim: & ecce mirum! Crucifixi imago dexteram à cruce amouit, eaque Mariam amplectens, vulnus suum moribundæ ori approximauit; interimque feliciter animam exhalauit.

38. *Ignatius de Nente, in vita Ven. Soror. Dominicæ de Paradiso lib. 1. cap. 11.* Dùm adhùc in puerili versaretur ætate, cuiusdam leuis culpæ ream se credens, copiamque confessarii non habens, ante imaginem Beatæ Virginis puerulum Iesum ge-

stan-

stantis genuflexa, propriam cùm lachrymis confessa est culpâ, nec à terra surrexit, quoad imago & pueri Iesu, & Virginis manus visibiliter eleuans, ceû eam à culpa absoluens, signum dederit.

39. *Michael Cicogna, in libello de meditationibus Passionis Christi*. Drepani quædam mulier vidua, cùm paruulo filio ad extremam deuenerat paupertatem; dùm autem semel ambo in Ecclesia essent, panem lachrymis, & flectibus quærebat puer à matre; tunc illa, panem quem daret non habens, dixit filio: pete ab illo panem, manuque crucifixi imaginem demonstrauit: accessit puer ad imaginem, sanctaque simplicitate panem petiit: tunc ecce mirum; imago crucifixi, manum à cruce retraxit, pulcherrimumque panem petenti dedit, quem ille statim ad matrem detulit. Hoc prodigio diuulgato, vniuersus populus ad Ecclesiam, cucurrit, manumque crucifixi à cruce refixam vidit, tàmque immensam Dei liberalitatem in illos pauperes, admirantes, publicis impensis eos alere vsq. ad mortem illorum, statuerunt.

40. *Ægidius Gelenius, de Ecclesia Capuccinarum Coloniæ Agrippinæ*. In sacello Capuccinarum S. Annæ, mirabilis crux est, in qua Crucifixi imago caput sensim inclinat, nullo rupturæ, aut rimæ facto indicio, non secùs ac si caput ita incuruatum manus sculptoris ita incidisset. Hæc crucifixo adscripta sunt.

Heùs deuote viator, in hac pretiosis reliquijs circumdata Christi Crucifixi imagine, admirare prodigiosam capitis inclinationem, quæ ab annis aliquot, paulatim magis, magisque profecit, atque ea piè obseruata, redemptorem precare nostrum, vt gratiæ suæ ad nos demittat charismata, qui propter nos in Cruce inclinato capite expirauit.

41. *In m. s. s.* Cùm anno Domini 1200. propè Pagum Bisulduni Diæcesis Gerundæ in Catalaunia, maligni spiritus incolas infestantes, quandam profundam cauernam, seu puteum inhabitarent; ad eos depellendos, Venerabilem crucem, ex ligno Dominicæ crucis efformatam, quę in Ecclesia Sanctæ Mariæ Bisulduni conseruatur, illùc solemni ritu portantes incolę, aquas benedixerunt: quo tempore Crux, è manibus eam ferentis exiliens, in aquas decidit, tribusque diebus, & noctibus, ibidem commorata, Dæmones omnes, qui in Coruorum figura illùc volare conspiciebantur, expulit. Post triduum autem, omnibus orantibus, vt crux sibi denuò redderetur, è puteo ascẽdere mirabiliter visa est. At dùm illam apprehendere tentant, per aera volitans vsque ad summitatem proximi montis peruenit, quam cùm illùc totus populus deuotè sequutus fuisset, tandem innocens puer manu eam apprehendit, in propriamque Ecclesiam, vbi vsque modò piè colitur, deuotè per eundem translata fuit.

42. *Ioannes Thiepolus de Pass. Domini Trac. 12. cap. 2.* Dùm quondam oraret Beata Helena Hungara, in extasimque rapta esset, crux ænea, quæ in proximo altari reperiebatur, in eius manibus se collocauit, postque raptum, ad pristinum regressa est locum; alia vice crux lignea ex alio altari, ante ipsam stetit, reuersaque est post orationem ad altare.

43. *Theoph. Rainaudus, in mantissa ad indiculum S. S. Lugd. de Ioanne Burgensi ord. Min.* Quid illustrius, quàm quod sancti viri obitum nobilitauit prodigium? Crux lignea erat, quam ad cœnobium Sanctæ Mariæ Ægyptiacæ apud Allobroges statui in præalta rupe curarat. Ea cùm ad Boream spectaret, quo momento, optimus pater Lugduni in Cænobio suo animam posuit, mutato sito, vi diuina ad occasum obuersa est, Lugdunum versùs: vndè illi à F. Ioanne Burgensi indita appellatio, quæ nunc quoque perseuerat.

44. *Franciscus à S. M. in Hist. Carmelitana tom 1. lib. 4. cap. 10.* Cùm Catharina de Cordona ex Carmelitis Sanctæ Teresiæ, semel iter ageret, quodam in loco oblita est crucis cùm crucifixo, quam semper deportabat, cuius rei cùm magna afficeretur tristitia, illius socii itineris ad eam suscipiendam regredi volebant; prohibuit tamen Veneranda mater, spiritu cognoscens mirabilia Dei futura, & ecce statim aduolans per aerem crux in illius manibus se posuit.

45. *Ioan. Bonif. de Hist. Virginis lib. 5. cap. 1.* In Oppido Gandaui vicino, impius quidam excursor diuæ Matris imaginem ex alto deiicere, ac deturbare nitebatur, cui imago ipsa præcipitans, gratiam retulit meritorum. Nàm pueri Iesu, cuius erat effigies, imagini matris, vt solet, adiuncta, manus ingenio artificis altè protenta, in sacrilegi, & caput, & maxillam vehementer impegit, & eam velut acutissimo gladio perforauit, ita filius, & generosus, & fortis, matris iniuriam colapho, & sanguine vindicauit.

46. *Hermannus Carthusiensis ser. 33.* Erat quidam rusticus, qui nunquam volebat audire verbum Dei; hic cùm esset mortuus, & ad Ecclesiam delatus, Sacerdosque, & alii clerici officium funerale legendo, & cantando facerent; imago crucifixi cæpit obturare aures suas, manibus à cruce separatis, quod cùm omnes circumstantes aspicerent, & mirarentur, dixit sacerdos ad populum, vos scitis, quòd ille nunquam voluit audire verbum Dei & ideò est modò in manu diaboli, propter quod Deus obturat aures suas, ne audiat preces, quas pro eo fundimus.

47. *Mathias Faber.* Exemplum mirum fertur de opulente cæteroqui bono, sed adeò tenace, & illiberali, vt ne mendicantium quidem voces audire vellet, vndè remotiùs ab ædium ianua struxit sibi domicilium, vbi nullos pauperum clamores audire posset. Qui cùm esset mortuus, & exequiis in templo solitis cohonestatus, quotiès sacerdos ad populum se vertens dicebat: Dominus vobiscum, toties imago crucifixi visa est manus suas clauis eximere, & immissis in aures digitis, eas obturare. Quo portento obstupefacti omnes inquisitione facta, deprehenderunt, defunctum illum pauperibus modo prædicto aures quoque suas olim obturare solitum, atque ita meritò à Deo non auditas esse preces, quæ pro eo fundebatur.

48. *Ioannes Iunior Dominicanus in Scala Cæli.* Quidam Burgensis tantum fuit rancore infectus,

vt

vt iniurias sibi factas nullo modo indulgere voluerit. Hic cùm esset mortuus, & portatus ad Ecclesiam,& psalmi,& orationes dicerentur pro eo; crucifixus retraxit manus clauatas de ligno, & apposuit auribus suis, & vox audita est. Nec pepercit, neque parcam.

49. *Gretserus lib.2.de Cruce cap.64.* Ratisbonæ in temploAugustinianorum,crucifixi imago visitur, quæ intuenti ipso aspectu, ob antiquitatem, religiosum quendam horrorem incutit. Eam sacerdoti sacrificanti, & de præsentia corporis, & sanguinis Dominici, in Eucharistia dubitanti, soluta altera de cruce manu, Calicem ex manibus eripuisse, communis fert fama; idemque testatur inscriptio basi crucis adiuncta.

50. *Vinc.Belu.l.7.spec.Hist. c.83.* Est quoddam municipium Aurelianensi ciuitati proximum,quod Auenon nuncupatur, vbi Ecclesiam in honore Beatæ Mariæ Virginis ciues ædificauerant. Qui cùm aliquandò obsessi ab hostibus intra Oppidum gemerent, magis in Dei genitricis Mariæ, quàm in viribus propriis confidentes, cùm paruulis, & mulieribus Ecclesiam petierunt, & imagini Sanctæ Virginis deuotè assistentes, cordis, & oris clamore, eius auxilium deposcunt. Completisque precibus lachrymosis, redeuntes, imaginem secùm deferunt, & ad tutelam sui, ac terrorem hostium in porta statuerunt. Quidam autem ex ciuibus stans in portæ custodia post imaginem, mittens in aduersarios iacula, magnam stragem de hostibus faciebat. Hunc latentem quidam hostium aspiciens, nequissime, inquit, mortem non effugies. Nec iàm tibi subuenire poterit effigies, nisi portam deferens, vrbem aperire festines. Cùmq. vibrasset hostis iaculum in ciuem illum sagittarium, mirabile dictu! imago genu erexit, & iaculo se obiiciens, illud excepit, sicque hominem sibi deuotum ab imminenti periculo defendit. Qui gaudens per Virginem se mirabiliter liberatum, statim sagittam in aduersarium dirigit, & blasphemū deiicit; dispersus per ora populi rumor facti miraculi, ad hostes quoque peruenit. Tùm clamatur ab omnibus: quod sancta Dei genitrix pugnet pro ciuibus loci illius. Audientes hoc hostes, stupore simùl, & tremore permoti, arma proiiciunt, paci annuunt, Ecclesiam Dominæ nostræ adeunt, & magna donaria offerrentes, de cætero se nihil loco illi nocituros sub testificatione promittunt. Vsque in hodiernum diem imago illa permanet in eodem loco, iaculum adhùc gerens in poplite erecto.

51. *Idem lib.7.cap.87.* Quidam pueri clerici ante quandam Ecclesiam ludum pilæ exercebant. Quorum vnus, qui habebat in manu annulum, quem ei puella quædam donauerat, carnali amore ducta, timens ne fortè assidua pilæ percussione frangeretur, diuertit ad Ecclesiam,vt alicubi eum reponeret, donec post ludum eum reciperet. Ingressus itaque ante imaginem Virginis Mariæ, intuitus eam, & admirans eius pulchritudinem, genuflexo deuotè salutauit Virginem, & addidit. Verè in omnibus formosior, & illa etiam, quæ mihi hunc annulum amoris munere cōdonauit, ideòq. ei renuncio, teque deinceps amare, & tibi seruire decerno, ita duntaxat, vt ego vice reddita amore tuo dignus inueniar. Sic igitur præfatus puer, annulum suum digito imaginis, quem habebat sursùm erectum indidit. Quo accepto, quasi condictum comprobans, & fidem adhibens, mirabile dictu! digitum suum imago constrinxit. Quo viso puer stupore permotus, circumstantes aduocat, & rei nouitatem mirantibus, salutationis ordinem & voti conditionem enarrat. Quod illi audientes, eum sæculo renuntiare, & votum persoluere hortabantur, quatenùs Dei genitricis seruus & amicus, sicut dixerat, haberetur. At ille spinis diuitiarum obstantibus, ægrè quod monebatur audiens, ingratus extitit, & post votum, imagini mentitus, vxorem ducere non expauit. Sed prima nocte nuptiarum Beata Virgo Maria, quasi inter ipsum, & vxorem eius media recumbens apparuit, annulum digito prętendens, & infidelitatis eum arguens. Excitatus ille de somno circa se palpitabat, quærens imaginem, & non inueniens, eam credidit esse Fantasma. Iterùm à somno detentus vidit eam sibi assistere, non sicut priùs blandè alloquentem, sed cum indignatione vultum auertentem, & tormenta durissima pro contemptu sui, & voto irrito comminantem. Euigilans igitur, & iterata amonitione perterritus, relictis omnibus, quæ habebat, eadem nocte in eremum clàm secessit, vbi habitum Monachi, vitamque professus, dominæ, & amicæ suæ cunctis diebus vitæ suæ deuoto animo deseruiuit.

52. *Idem ibidem lib.7. cap. 104.* Pictor quidam pro vitæ suæ merito Dominę nostræ familiaris, in partibus Flandriæ fecerat sibi nomen doctæ manus artificio. Hic quoque quotiescumque pingere diabolum necesse habebat, turpem turpiter, sicut ars ei suggerere poterat, expressiùs figurabat, cui ille in visione noctis apparuit, & cur eum sic irritaret cùm furore, & ira quæsiuit. Pictor respondit. Benè hoc ago, quia semper te passus sum omnium, quæ feci malorum intentorem, & adhùc turpium cogitationum moliris insidias, quibus emollitam animę meæ demoliaris constantiam. Et Satam graues minas intentans, monebat vt à sua læsione cessaret. Sed ille ex hoc ipso animatus est, & magis, quàm ante paratus suscitare Leuiatham. Postmodùm verò vna dierum, ipse in porticu cuiusdam Ecclesiæ, B.Mariæ Virginis imaginem pinxit, & iuxta possibilitatem artificii, sicut decebat, opere vario picturæ eidem gloriam, & honorem dedit. Sed & iuxta illud, quod serpenti dictum est: Ipsa conteret caput tuum, subtùs pedes imaginis diabolum figurauit, nigris coloribus turpem, & tenebrosum, sicut decebat amatorem turpitudinis, & principem tenebrarum. Quod ille non æquis oculis aspiciens, malignandi potestatem a Deo expetiit, & accepit, sed sibi ad contumeliam, Christo, & Matri eius ad gloriam; adhùc enim suspensis trocleis, & supposito firmiter tabulatu, monstrum illud pingebatur; & ecce turbo vehemens omnes illas artis pictoriæ machinas concussit, & in terram excussit. Quod vt persensit homo stupidus ad imaginem Domini lauauit cor pariter, & manum, quæ, mirum dictu!

dictu, donec venirent, qui ei subuenirent, manu iniecta ipsum retinuit, & seruauit illæsum. Tunc omnes, qui aderant, Christum in matre sua glorificabant, diabolum in fraudis suæ frustratione cùm risu, & cachinno blasphemabant.

53. *Chrysostomus Henriquez in menolog. Cisterc. 13. Maij*. In Ecclesia Sancti Beroli Castri Castellionis superSequanam, Lingonensis diæcesis, quædam imago in veneratione, & honore beatæ Virginis Mariæ antiquitùs extitit constructa: quæ quidem imago S.Bernardo filium suum obtulit miraculosè in Ecclesia, dicens: Bernarde suscipe puerum meum totius mundi redemptorem. Deindè quoque vltra omnem humanæ naturæ virtutem, ac si Christi frater naturalis fuisset, manu dictæ imaginis suscepta mamilla, illicò beato Bernardo sibi deuoto, ore aperto, tres guttas lactis ab eiusdem imaginis mamillis profluentes miraculosè distillabat.

54. *Idem 27. Sept. de B. Ioanna Abbatissa ex hist. fundationis Domus Clari-fontis*. Cernitur adhùc hodiè in porticu Ecclesiæ Monasterii eiusdem lapidea Virginis Mariæ imago, quæ eiusdem Abbatissæ Ioannæ, dùm ad eamdem ipsam transiens oraret, & adoraret, est traditio certissima, quòd hæc ipsa imago ei etiam per capitis inclinationem annueret, siuè etiam salutationem redderet, & hoc frequentissimè.

55. *Ferrarius in Catalog. S. S. 19. Ianuarij*. Cùm S. Abundantia Virgo Spoletana octennis esset, Ecclesiam ingressa, ante imaginem Beatæ Virginis puerum Iesum gestantis, ab eo pomum aureum, quod in eius manibus pictum erat, petiit (mirabile dictu) puer manu extensa, pomum illi porrigit, quæ domum profecta, flores tempore hyemali ex horto excerptos, redonauit.

56. *In vita B. Iosephi, ord. Præmonstrat. cap. 3.* Stetit aliquandò ante IconamBeatæ Virginis puer sanctus, & pomum quod tulit, illi iàm magna instantia, & deuotione præbebat. Et ecce benigna mater, vt deuotionem pueri commendaret, & ne sibi deuotum contristaret infantem, imaginis manum extendit, & porrectum sibi munusculum de manu pueri gratanter accepit.

57. *Angelus Manrique in Ann. Cisterc. an. 1184. cap. 4.* De Ven. Ioanne de Monte mirabili fertur, quòd dùm aliquandò in territorio Cameracensi transisset per quendam locum, vbi imago Beatæ Virginis reperiebatur; vir Dei alibi intentus, Beatam imaginem venerari haùd animaduertit, cuius rei postea conscius factus, regressus ad latus imaginis corruit in terram flectens genua, ibi cùm magna compunctione & anxio cordis affectu veniam deprecatus est, & ecce nutu diuino, facies imaginis ad ipsum conuersa est, ac si Virgo gloriosa euidenti signo vellet ostendere, precibus se obsecrantis annuisse. Hoc quoque multi, qui præsentes erant, manifestè cernere meruerunt.

58. *In Chron. B. Mariæ de mercede, de imag. B. Mariæ de Remedijs*. Orabat quædam Mulier ante imaginem Beatæ Virginis, eamque humiliter deprecabatur, vt dignaretur ostendere, quomodò in vxorem ducta fuerat à quodam id pertinaciter negante. Tunc coràm omnibus imago ipsa marmorea in veritatis signum, & testimonium, inclinauit caput. Quo manifesto miraculo omnes gloriosissimam Virginem Dominam nostram de Remediis plurimis præconiis commendare non cessabant; & deuotio in eam Imaginem mirificè adoleuit, non solum in ea Ciuitate, sed in vniuerso Murciæ Regno, & aliis Hispaniarum partibus.

59. *Vadingus in Ann. Min. an. 1476.* Romam profectus Beatus Iacobus Picenus, à Paulo II. peramanter acceptus, & à plerisq. Cardinalibus honorificè habitus, cùm de verbi Dei incarnatione in cubiculo Frãcisci Cardinalis Sauonensis discurreret, imago Deiparæ caput inclinauit, quasi, ea quæ ille dicebat, approbans. Habetur hæc imago in magna veneratione in altari maiori cęnobii Montis Prandoni.

60. *Ibidem an. 1304. num. 35. de Ioanne Scoto dùm ad disputandum pro Virginis Conceptione procederet*. Illud singulare & mirandum commemorant, quòd dùm ad disputationis locum procederet, coràm obuia Beatæ Virginis statua marmorea breuiter orauerit, eiusque opem expostularit; simulachrum verò inclinato capite, significauit supernum ei non defuturum auxilium. Communis ita fert populi Parisiensis traditio, ipsaque imago rem confirmat patenti, & vsque in hodiernum diem perseueranti capitis inclinatione.

61. *Gumppenberg, de imag. B. Virg. Sarensi, in Boemia*. Anno 1421. cœnobium sanctimonalium, cui Sares nomen, ingressi prophani Milites, septem sacras Virgines impie trucidarunt. Statua autem Deiparæ Iesulum brachio tenentis, quæ ibi erat, plùs satis ostendit sibi displicere, quod milites patrabant: si quidem & caput mouit, & in hæc verba linguam soluit: Amice mi, quid facis? quin immò Iesulus ipse manum sustulit, & digitum ori imposuit, malum minatus facinorosis, vt solemus infantibus. Sancta statua hodiè hoc gestu videtur, & in honoribus est.

62. *Idem, de imag. B. Virg. Imperatricis, Viennæ in Germ. Sup.* Hanc Ven. Imaginem in cella sua deuotè colebat Imperatrix Eleonora, Maximiliani Archiducis pientissima Soror, quæ diù in Monasterio, quod titulum à Regina habet, vixit, & obiit. Cùm igitur semel ante ipsam orans, fratrem suum Maximilianum in Poloniam profectum commendaret; contigit, vt imago portenderet dexteram, & in hæc verba linguam solueret. Confide filia, frater tuus liberabitur à malis, in quibus est, & saluum domum redibit.

63. *Idem, de imag. B. Virginis Gibellina, in Italia*. In Pago Gibello, à Gibellinis gloriosum, Sac. imago B. Virg. colitur. Fama est, cùm semel Icon Virginis ab impio lusore pugione peteretur, filiolum Iesum è brachio desilientem, in pedes se erexisse, & ictus auertisse, matremque tueri visum esse.

64. *Idem, de imagine B. Virg. Capocanana, in Regno Peru*. Quidam miles aleę ludo vsque ad annulum digito suo insertum, omninò omnia perdidit; hunc ad templum Deiparæ Capocananæ portauit,

rauit, eius digito inserẽdum; vetuit hoc statuæ sculptor, qui digitos omnes eodem è ligno, nõ diuisos, figurauerat; digiti tamen propter pænitentis lachrymas, miraculosè fissi, & seiuncti, locum annulo dederunt.

65. *Idem, de imag. B. Virg. Dolorosa, Pragæ in Boemia.* Anno 1400. fur gemmis inhians, quibus sacra hæc statua lucebat, æditúos fefellit, & in templo pernoctauit. Itaque iam sui securus, Sac. Statuam aggreditur, & manum admouet; sed sac. statua se defendit, & manu furis prehensa, hominem stitit, vsque ad lucem. Re ad magistratum delata, impunis non abiit, dextraque per carnificem truncatus fuit. Manus ad aliorum terrorem è ferrea catena hodièque ad murum iuxtà altare pendet.

66. *Idem, de imag. B. Virg. de Baluanera, in Hisp.* Iesulus, quem hæc Virg. statua brachio gestat, facie erat ad populum conuersa: sed faciem auertit extinctis repentè lampadibus; causa fuit par coniugum, quibus abuti iure coniugalis tori suasit impia pietas; quorum vterque frigidissima morte, & statim obriguit.

67. *Idem, de imag. B. Virg. Brouchburgana, in Germ. Infer.* An. 1583. capta vrbe, milites ingressi templum, in quo hæc colebatur sacra imago, cùm circumspicerent, quid quis tolleret; vni eorum gemma placuit, ex collo S. Statuæ dependens; hanc vbi tetigit, sac. statua surgens se auertit, & tergum militi præbuit, mox in terram cadenti, & in conspectu cæterorum repentè mortuo; quod & alii contigit id tentanti.

68. *Idem, de imag. B. Virg. Tullensi, in Lotharingia.* Tullensem vrbem ferro, flammaq. deuastare quis iàm decreuerat; Cùm B. Virgo, custodi præcipuæ portæ apparens, imminentes insidias aperuit, & ne de visione dubitaret; obseruabis, inquit, in signum veritatis, Statuam meam, quæ in altari est, pedem vltrà vestes produxisse. Properauit ipse cùm aliis ad templum, & pedem statuæ sensim oculis suis videre protrudi vltrà sex vncias; Actis Deiparę gratiis, omnis Ciuitas ad arma capessenda excitatur; & felici euentu. In beneficii memoriam pes miraculosè protensus, argentea lamina obductus est, & nomen statuæ datum, de Pede Argenteo.

69. *Idem, de imag. B. V. de Salas, Oscæ, in Hisp.* Steterat longo tẽpore in Pago, Salas dicto, hæc Deiparæ sacr. imago, cùm Virgo incolarum mores præter modum exosa, antiquam sedem relinquens, Angelorum ministerio ad templum quod de Horto nomen habet, in Oscensi vrbe translata est. Vbi aliud mirum accidit, si quidem alia Deiparæ statua, quæ illo in templo erat, altera illa ex Salas pago adueniente, ad sinistrum se latus in altari transtulit, & hospiti locum fecit in dextera.

70. *Idem, de imag. B. V. de Miraculo, Madriti, in Hisp.* Extat in Conuentu Regio Carmelitarum monialium hæc miraculosa Deiparæ imago. Insignis Pictor, qui eam formauit, fortè quòd oculorum vigorem illi debitum efformare diffideret, palpebras ita depressit, vt nihil de oculo ferè appareret. Cùm autem semel ante ipsam missam celebraret R. P. Petrus Faber, primus omnium S. Ignatii discipulus, Virginiq. impensissimè negotium graue commendaret; imago signum dedit exauditæ orationis, apertisq. palpebris, orantem intuita est, magno celebrantis gaudio. Nec fuit mentis solius, aut imaginationis hic aspectus, vt fortè etiam ipse Pater credebat. Nam ipsius picturæ hæc mutatio fuit, manetque apertis oculis, quos olim à pictore acceperat clausos.

71. *Idem, de imag. B. V. de Misericordia, Madriti in Hisp.* In monasterio monialium, quod Concept. Bernardæ vocant, vulgò tamen, de Pinto; monialis quædam innocenter accusata criminis, quod non cõmiserat, suppliciter orans ante imag. B. Virg. quã brachio S. Anna tenebat, deprecata est, vt aliquo signo propriam innocentiam manifestaret: & ecce subitò omnibus inspectantibus, Maria ex vlnis Annæ matris in altare descendit, & progressa ad cornu altaris, supplicanti vicinam se stitit, quo prodigio illius innocentia omnibus manifesta fuit.

72. *Idem, de imag. B. Virg. de Begonna, Bilbai, in Hisp.* Ann. 1523. Quidam fur aram Deiparæ conscendit, & argentea, aurea, & gẽmea cimelia sac. statuæ arripuit. Tulit hactenùs proteruiam impudentissimi prædonis Virgo. At verò vbi manum extendit ad coronam capiti impositam, extendit quoque manum S. Statua, & prehensam furis manum fortiter amouit.

73. *Nic. Iansenius in vita S. Dominici lib. 3. c. 4.* Bononiæ in Ecclesia S. Dominici in sacello iuxta aditum templi (quod Sacristiam vocamus) visitur imago quædam vetustissima B. Virg. de Pietate, habentis in gremio occisum Filij sui corpus, quæ solita accipere à nobili quodam Nouitio panem duriorem, hunc admotum lateri Saluatoris, dulcissimum mannæ instar reddebat, qua consuetudine inconstantia tyronis repressa est.

74. *Ignatius de Nente, in vita Ven. Sor. Dominicæ de Paradiso lib. 1. cap. 21.* Semel rosarum sertum intexuerat Sor. Dominica, vt imaginẽ B. Virg. puerulique Iesu coronaret: cùm ecce ante eandem imaginem orans, eam suppliciter est deprecata, vt eas rosas odoraretur: nec mora; rosæ pectori Virgineæ imagini subitò adhæsere; paulòq; post eadem imago manibus eas apprehendens, naribus applicuit; posteàque suauiori redolentes odore deuotæ puerulæ restituit.

75. *Idem de eadem libr. 3. capit. 11.* Semel in nocte Natiuitatis Domini, cùm ante imaginem B. Mariæ puerum Iesum gestantis oraret Dominica, internoque gaudio superabundaret, imago sensibiliter frontem, oculosque mouens, maximam in serua Dei excitauit deuotionem.

76. *Herrera.* Prati, in Ecclesia Sanctæ Annæ ann. 1348. in altari Assumptionis Beatæ Virginis, celebrante Patre Elia de Milioratis tempore pestis, pictura Beatæ Virginis cùm iunctas manus haberet, brachia aperuit, & plures morbo correptos sanitati restituit.

77. *Aug. Mannus in selectis hist. c. 79.* In Cantabriæ regno, in cuiusdã Ciu. Ecclesia, est imago Virg. anaglypthico opere formata, habens in pedibus argenteas crepidas. Ante hanc imaginem cùm quidam probus, sed pauper staret, porrexit virgo pedem,

 & cre-

& crepidam argenteam proiecit, accepit ille magnificum munus, quo suæ familiæ necessitati consuluit, cùmque ob id eam venderet, artifex tamquam furti reum hominem accusauit, rem ad iudicem detulit, pauper in carcerem coniicitur, tandem condemnatus fuit ad mortem. Cùm duceretur ad carnificinam per viam vbi Beatæ Virg. imago colebatur, milites rogauit, vt liceret Ecclesiam illam adire, & tantisper orare ante Virginis imaginem. Obtinuit, fudit orationem, & ecce iterùm imago illa pedem ad tradendam alteram argenteam crepidam porrexit, quæ cecidit ante virum pauperem, vt oblato secundo munere, primum confirmaretur, populus inclamare cœpit, vt liberaretur, quod à iudice factum.

78. *Cominus Presegnus in Hist.B.Virg. Gratiarum Brixiæ*. Ann. Domini 1526. Brixiæ Vener. imago Beatissimæ Virginis, & Pueri Iesu in præsepio, quæ in Ecclesia S.Mariæ Gratiarum in pariete depicta reperitur, omnibus, ipsoque Episcopo spectantibus, à die Pentecostes, per totam octauam oculos, manusque mouere mirabiliter visa est; huiuscemodi motus, & obseruatus fuit in Angelis, & imagine S.Ioseph, præsepio assistentibus, ceù tantum prodigium admirantibus.

79. *In m.s.s.* Anno Domini 1547. Brixiæ in Ecclesia monialium Sanctæ Mariæ Angelorum, in die Resurrectionis Dominicę, & per totam octauam mirabiliter obseruatum fuit, deuotum simulacrum Beatæ Virginis, quod ibidem colitur, oculos, manusque mouere, lachrymas emittere, simulque pallescere. Quo tempore eius intercessione crebra operatus est Deus miracula.

80. *Alphonsus de Andrada*. Anno post Christum natum millesimo, quadringentesimo, quo tempore Teneriffa vna ex Canariis Insulis sub Barbarorum adhùc, infideliumque potestate fuit, reperta est à pastoribus in exesa rupe, statua fœminæ similis, longitudine vnius vlnæ cùm spitama. Tenebat effigia in imagine mulier, altera manu cereum, altera nudum infantulum, inter cuius digitos auicula, passis alis videbatur, quasi puero colludere. Eius matri vestis erat aurea, chlamys cerulea, & floribus eleganter insertis distincta, capillus in humeros defluebat, sed intra sex spiras collectus. Vbi verò proximis fama Hispanis vulgauerat, prodigiosam D. Virginis Iconem à Teneriffanis infidelibus possideri, nescientibus tàm sacras opes dignè æstimare, eius seù vendicandæ, seù asserendæ in maiorem apud christianos venerationem, vi arreptam, in Fortem venturam Insulam transtulerunt. Sed euenerunt duo stupenda, & præter communem rerum ordinem, quæ satis ostenderunt, nec Christi, nec suæ Matri collibitum esse alibi consistere, quàm vbi primùm reperta est statua. Alterum erat morbi contagio non tantùm in eos grassata, qui rapinæ dederunt operam, sed in Insulam quoque omnem; nec poterat vllis sacrificiis, supplicationibus, aut votorum nuncupationibus detergi. Alterum fuit, quòd sacra imago faciem parieti, tergum obuertere soleret populo; etiam sæpiùs correcta in situ, & collocata ante oculos sibi supplicantium, semper tamen stationem mutauit. His signis edocti voluntatem diuinam Hispani, retulerunt statuam Barbaris, quæ apud eosdem in Teneriffa Insula permansit, donec anno millesimo, quadrigentesimo, nonagesimo quinto, Ferdinandus Hispaniarum Rex Insula in suam potestatem redacta, Patribus Dominicanis eam tradidit, etiam hodiè miraculis claram.

81. *Michael Cigogna, in Libello de meditationibus Passionis Christi*. Margarita Austriaca, quæ Philippi II. Hispaniarum Regis recusans nuptias, habitum Sanctæ Claræ deuotissimè induit, dùm simùl cùm Imperatrice Maria eius matre è Germania ad Castellæ regnum proficisceretur, & in quadam Ecclesia Montisferrati oraret ante imaginem Beatissimæ Virginis, eadem sancta imago caput ad Margaritam inclinauit, ceù eius sancto proposito subscribens.

82. *Luitprandus lib.1. cap.8. apud Baron. ann.* 897. Quantæ auctoritatis, quantæque fuerit religionis Papa Formosus, hinc colligere possumus: Quoniam dùm jà piscatoribus post mortem eius corpus esset inuentum, atque ad B. Petri Apostolorum Principis Ecclesiam deportatum: Sanctorum quoq. imagines, hunc in loculo positum, venerabiliter salutarunt: hoc namque à religiosissimis Romanæ Vrbis viris persæpè audiui.

83. *Franciscus à Sancta Maria in Chronica Carmelitana, tom.1.lib.1.cap.9.* Soror Marina Maldonato Abulensis ex Carmelitis Discalceatis, cùm deuotionis causa ornamentum fecisset cuidam imagini Beatæ Virginis, meruit vt eadem imago sensibiliter eam amplexaretur.

84. *Idem tom.1.lib.4.cap.2.* Cùm Ven. Catharina de Cardona ex Carmelitis discalceatis, ad pedes B. V. dilectum filium manibus gestantis, deuotas funderet preces, eadem Virginis Ven. statua filium in altari collocauit, indèque iunctis manibus, quem genuit adorauit, cuius admirandi cùm stuperet Catharina, magna voce exclamauit, cæterasq. moniales tanti portenti participes effecit.

85. *Cæsar Franciottus, de Ecclesia S. Mariæ de Rosa.* Imago Virginis, quam *la Madonna della Rosa* nuncupant, cùm à loco, in quo diù fuerat, ad decentiorem transferretur, cùm aptè muro inseri non posset, ab opere operarii cessauerant, inque alium distulerant diem: mira res! manè inuenta est Virg. imago spontè se loco aptasse, quod nec ars, nec vis operariorum efficere potuerat.

86. *Hor.Tursellinus lib.5.cap.25. Hist. Lauretanæ.* Ann. 1593. cùm Beatrix Gazea matrona honestissima Ciui Romano nupta, Lauretum deuotionis causa profecta esset; post effusas preces in sacra ædicula, cæteraque iuxta deuotionem peracta, armillas antiquo opere ex gemmis, auroque factas sibi detrahit, & custodi tradit offerendas Iesu, matrique. Protinùs custos furcillam arripit tales ad vsus paratam; ambasque ei armillas inserit: mox sacrosanctæ statuæ admouet, ea mente, vt de pueri Iesu erectis dexteræ digitis (neq. enim occurrebat in presentia locus commodior) eas suspenderet. Cęterùm, hastā reducens, animaduertit armillarum vnam hæsisse furcillæ, alteram digitis

Iesu

Iesu pueri prætcritis, manum occupasse, idque ita aptè, vt aptiùs non posset: mira res, vt erat custodi visa, tamen poterat esse fortuita. Subindè igitur hastam nihil prorsùs loco motam, eòdem refert, armillam alteram indidem suspensurus. Ecce aliud haùd dubium miraculum. Dùm sensim furcillam ad se reuocat, ratus in eadem Christi manu hæsisse donum, repentè videt armillam è dextera lapsam in læuam manum, deiectoque in gremium Virginis aureo globo, quem puer Iesus illa manu sustinet, sinistræ manui insertam aptè atque eleganter adeò, vt scalis admotis, per otium, de industria aptiùs, elegantiùsque inseri haùd quaquam posset. Tùm verò custos repentè, ex rei admiratione, sacro quodam perfusus horrore, mulierem compellat. En Christus donum tuum sibi cordi esse satis ostendit, qui me alia omnia agente, sibi ipsimet armillas induit tuas. At illa extemplò cælesti tacta numine ingemuit: & siue ex veteri superioris vitæ luxu, siue ab recenti diuinæ beneuolentiæ indicio, ingentem inter singultus, lachrymarum vim profudit, sic prorsùs vt ab iis, qui in altera sacri cubiculi parte supplicabant, lachrymantis gemitus, & singultus exaudirentur. Itaq. nonnulli rei nouitate exciti, properè ad sanctioris Cubiculi ianuam accurrunt: mulierem cernunt lachrymis, ac religione perfusam, custodem ipsum tantæ rei admiratione defixum. Is, deinde cùm aliis multis, tùm mihi ipsi rem, vti erat gesta narrauit. Omnibus facti, euentique seriem reputantibus, mira res visa: multorumq. sermonibus, ac litteris celebrata. Hodiè puer Iesus eas armillas manibus gestat huiusce rei monumentum.

87. *Pelbartus in Stellario libr. 4. part. 2. art. 3.* Quidam Frater ex nostro ordine Minorum, cùm postquam concionem habuerat ad Populum Tholosæ contra immaculatam Virginis conceptionem, accederet ad celebrandam missam in altari Sancti Michaelis, vbi pulchra erat imago Beatæ Virginis, in lapide sculpta marmoreo, illa velut ira percita, vultum suum conuertit, in cuius rei memoriam, vsque in hodiernam diem in nostro conuentu Tholosano facie retrò cōuersa perseuerat illa imago; quo miraculo stupefactus Frater ille, & cæcus factus, continuò votum emisit reuocandi quæ dixerat, & ex Virginis clementia sanatus est.

88. *Vghellus in Ital. Sac. to. 5. Aquileienses Ep.* Cùm impijssimus quidam, Aquileiæ sub statua sacræ Virginis, Virgunculam, quæ cum cæteris Deiparæ opem implorauerat, comprimere conaretur, aliiq. pari modo nefandissima quæque patrarent; simulacrum illud quasi populo subiratum, vltrò humeros, & pium pectus, vnde Christus Redemptor lac suxerat, ceruicemque, auuerso ore, toruoque, quo adhùc perstat, supercilio detorsit, statimque flagitiosissimus ille, qui stuprum, & vim inferre tentabat, cæcitate percussus, corpore aruit, exauditaq. puella, alienam libidinem impolluta euasit.

89. *Hermannus Carthusiensis ser. 25.* Scribitur in nostris Chronicis, quòd quidam nouitius in Domo propè Moguntiam, tentatus redire ad sæculum, cùm imaginem B. Mariæ osseam, vel eburneam haberet in cella, & eā quasi valefacturus, salutaret, eadem imago in quodam tabernaculo posita se visibiliter regyrans, dorsum ad eum vertit. Quo viso territus, sed non correctus, hoc quod viderat, Priori, & Magistro suo manifestauit; postea verò cùm Prioris, & Magistri sui exhortationibus non acquiesceret, quadam nocte post matutinum euasit, & cùm multi post eum missi essent, nunquam reperiri potuit. Dicta imago ad Domum Carthusiæ pro testimonio, & cavtela perlata fuit, & adhùc ibidem permanet.

90. *In m. s. s.* In Ecclesia Fratrum Sancti Augustini Lucæ in Tuscia, deuota colitur imago Beatæ Virginis, quæ cùm in eam sacrilegus vir lapidem iniecisset, nè ab illo offenderetur puer Iesus, mirabiliter eum ab vno ad aliud transtulit latus, ipsaq. in brachio vulnus recepit, sanguinemque emisit, sacrilegusq; illicò à terra deglutitus fuit: Vulneris autem in eadem imagine adhùc apparet vestigium, sanguis verò in ampulla ibidem deuotè conseruatur, hiatusque terræ adhùc conspicitur.

91. *Euagrius libr. 5. cap. 18.* Anatolius Christianismi simulator, Antiochiæ accusatus ob magiam, Tiberii II. Imper. iussu Constantinopolim accersitus, ad imaginem Deiparæ in Custodia suspensam accurrit, manibus post tergum complicatis supplicem se fingens. Illa verò, spectantibus custodibus, supplicem auersata dicitur miraculosè.

92. *Secundus Lancellotus in hist. Oliuetana lib. 2. de Monasterio Leoniceno.* Quidam scelestus, Leonico Veronam proficiscens, socium gladio percussit, pecuniasque abstulit, ingrediensque proximam Ecclesiam Sancti Petri, super aram argentum enumerabat, vt alteri socio portionem distribueret. Vnus ex illis scelere tàm lethifero tristis, socium ita alloquitur, Hei mihi, Frater mi, grauissimè peccauimus, subiunxit alter, quisnam sciet. Respondit ille; Deus, Virgoque Deipara. Tùnc perfidus: si mihi persuasum sit (destestabile maledictum) meretricem hanc facinus animaduertisse, eam gladio percuterem: Hæc præfatus, sicam statim arreptam, contra imaginem Virginis in pariete depictam contorsit, faciem, frontem, pectusque percutiens. Oculo autem sinistro in primis vulnerato, ecce tibi (res quidem miraculo plenissima) imago depicta, leuans manum, ab altera segiungit (vnitas quippè habebat) extollitque, & sauciato lumini, indolentis more, imponit, ex pectore verò pari admiratione sanguis emanat, cuius ad hanc vsque memoriam guttulæ inspiciuntur. Imagoque eodem modo perseuerauit, modòque cùm læua oculo applicata videtur.

93. *Antonius Caracciolus, in Monum. Ecclesiæ Neapolitanæ capit. 1. sec. 1.* Admirabile est illud quod Neapoli ineunte Iunio anni vigesimi, labentis sæculi contigit, ideòque cunctis notissimum. Eo enim tempore, concordi fama, multa circumferebantur, ad ciuitatis exitium, & excidium tentata. Non discutiam ego quænam, & quo auctore, effrænis plebs, infimæq. sortis homines machinarentur. Id certum est, tunc afflictim omnes, bonos præcipuè, mœrore fuisse confectos, terrore perculsos. Vidit hoc Virgo Parens, & quæ in angulo

parietis antiqui, ad gradus Ecclesiæ Sancti Ioannis ad Carbonariam latebat, caput erexit, & nota insurrexit. Iure proindè Consolatricis afflictorum, nomen adepta: quòd ipsa precibus suis Deum interpellante, spes eorum, qui talibus incumbebant, redditæ fuerint euanidæ, irritique conatus.

94. *Ioannes Buzelinus libr.* 10. *annal. Gallo-Fland. ad annum Christi* 1532. Iulio mense in Duacensi oppido, Deipara Virgo rebus admirandis populum ad maiorem sui cultum exciuit. Huius statua exteriori templi Apostolorum Principis Petri parieti adhærebat, iàm tùm aliquam sibi venerationem intrà cancellos ferreos, quibus includebatur, concilians; & Cancellatæ cognomen obtinuerat. Euenit octaua luce Iulii sub vesperum, vt aliqui ciuium pro more ad eam supplicaturi de via paululùm diuerterent. ac circum pueri secundùm ætatis consuetudinem petulantiùs coràm eadem inter ludendum se gererent. Hæc cùm puerilis immodestia non parùm sanctissimæ Virgini displiceret, & è contrà supplicantium preces ciuium eidem arriderent; ibi quibusdam puerorum eius imago visa est commoueri, iisque percutiendis manum extendere. Ad hoc miraculum ipsi mox pueri consternati, socios admonent, ac repentè omnes se se fuga domum ingenti cùm tremore ad parentes corripiunt, illic, quæ viderint, vel à socus audiuerint, patribus, matribusque trepidi narrant. Ad eam relationem ex ædibus patres omnes, matresque familias erumpunt, & coràm sacra Virginis Icone supplices accidunt, eamque venerantur. Ibi deindè ingenti gaudio delibuti, rem istam aliis exultim communicant, adeòque intrà sesqui horæ spatium ea fama per vrbem spargitur, vt maximus ad eam imaginem hominum fiat concursus, primique succedentibus accedendi locum magna platearum intercapedine præripiant. At tantus Sanctissimæ Dei Matris statuam venerandi etiam post ardor tàm exteros, quàm incolas incessit, vt solidum octidnum is locus interdiù, noctuque ab frequentissima multitudine celebraretur. Et cùm nunc Solis ardentis, nunc humidæ noctis iniuria noceret, in sacelli modum obtenta sunt vela, & lanionum militare tentorium.

95. *Cæsarius libr.* 8. *capit.* 76. In Porceto Monasterio, quod iuxtà Aquisgranum situm est, tabula cubitalis est, imaginem Beati Pontificis Nicolai ab vmbilico, & sursùm in se repræsentans, quam Beatus Gregorius Regis Græciæ filius, & cænobij eiusdem primus Abbas, atque fundator, illùc aduexit. Dicitur eadem fuisse icona, quam barbarus, sicut in miraculis Sancti Nicolai legitur, tulit, & ad custodiam sui telonei posuit, cuius occasione ad fidem conuersus est, cùm sua perdidisset, & cæsa imagine, eadem recepisset. Plurimæ per eam virtutes factæ sunt, maximè in prægnantibus. Tempore quodam, cùm ad domum cuiusdam honestæ matronæ in partu laborantis fuisset deportata, & contrà eam ad parietem suspensa, ea hora, qua partum edidit, ne parientem quasi attenderet, cunctis qui aderant intuentibus, tabula se vertit.

96. *Baccius, in vita Sancti Philippi Nerij, libr.* 5. *par.* 2. Post S. Philippi mortem, cùm eius imagines essent emissæ, quidam impietate affectus, in amici manu vnam ex his imaginibus vidit, cæpitque caput in contemptum mouere; quin imaginem ipsam ex amici manu eripuit, quam in globum formauit, & in terram eiecit. Sed imago antequam terram contingeret se se diuinitùs explicauit, & interim tamquam alicuius manu sustentaretur, in aere stabat. Nondùm vir improbus se victum dabat, sed pedem supra imaginem posuit, & charta se iterùm extulit, & in aere pendebat, quod videns, imaginis, & Beati viri contemptor, genua in terram flexit, imaginem humiliter adorauit, & suorum peccatorum pœnitentiam egit: prauamque vitam conuertit in bonam.

97. *In m. s. s.* Dùm antiquiores Moniales Sanctæ Marthæ Bergomi, supplicibus precibus, antè imaginem D. Marthæ genuflexæ, eamdem deprecarentur, vt illarum protectionem haùd dedignaretur accipere; Vener. imago caput inclinauit, ceù humilibus supplicationibus assentiendo: Huiusmodi autem imago vsquè modò capite inclinato, in memoriam tanti prodigii, videtur.

98. *In m. s. s.* Dùm Beatus Iacobus Picenus, ex ord. S. Francisci, Epidauri populis verbum diuinum disseminaret, ad confirmandam contra Hæreticos quosdam Eucharistici Sacramenti veritatem, mirabile operatus est prodigium; aderant in Altari, in quo sacrum erat faciendum, duo Angeli, vt solet, lignei, in horum manibus iussit duo thuribula reponi, & ecce dùm sacra eleuaretur hostia, inanimatæ statuæ thuribula eleuantes, thus adolere sanctissimo Sacramento, ab omnibus conspectæ sunt. Hoc idem miraculum multotiès in hæc vsque tempora ab eisdem Angelis fieri in S. Hostiæ eleuatione obseruatum est.

99. *In actis Vener. Vrsulæ Benincasæ.* De Vincentia Benincasa, Matre venerabilis Vrsulæ Neapolitanæ proditur, imaginem quandam habuisse, ante quam fundere orationem solebat; hancque gratiam fœminæ Deus fecit, vt quotiès aliquid noui, siue mali ferendi, siue boni excipiendi euenturum esset, imago se se ipsa moueretur, aut foràs radios emitteret.

100. *Cornelius à Lapide, in Actis Apost. cap.* 28. §. 1. Cùm An. Dom. 1470. Mauri ingenti classe Melitam Insulam obsiderent; apparuerunt S. S. Paulus, Georgius, & Agatha Insulam contrà Mauros defendentes. Quo circà Sanctæ Agathæ marmoream statuam tunc in muro collocarunt Melitenses, sed facie à Turcis auersa, & ad vrbem conuersa: verùm illa suaptè vi faciem ad Turcas conuertit, tanto fragore quantum est bombardarum maiorum; adeò vt eodem perculsi Turcæ soluerint obsidionem, seque in fugam dederint.

101. *In annalibus Minorum par.* 2. *lib.* 9. *c.* 76. Quidam Prælatus sacro ordini Franciscano parùm addictus, ad quoddam proficiscebatur Concilium, contrà prædictum ordinem in eius destructionem plura moliturus. Nocte autem æditus Ecclesiæ Collegialis, in qua celebrandum erat concilium, stare sibi visus est ante imaginem S. Frãcisci Crucem mani-

manibus gestantis, & Sancti Pauli gladium portantis, quæ in ea Ecclesia reperiebatur, audiuitque Sanctum Paulum Diuo Francisco loquentem. Ecquid non defendis ordinem tuum; cui S. Franciscus, Crucem defero, atque adeò patienter omnia ferre debeo; Tunc D. Paulus: ecce gladium meum accipe: Mane facto, æditus ad Ecclesiam venit, gladiumque Sancti Pauli sanguine madefactum, in manibus Sancti Francisci vidit; paulòque post intellexit, Prælatum capite truncatum suo in lecto adinuentum fuisse.

102. *Franciscus à S. Maria, in Chron. Carmelit. tom. 1. libr. 5. cap. 5.* Cùm Veneranda Mater Anna à Sancto Augustino ex Discalceatis Sanctæ Teresiæ, quadam nocte ante imaginem Sanctæ Annæ, illam humiliter deprecaretur, vt aurum necessarium ad perficiendam Ecclesiam eius nomini dicatam in Ciuitate Liuiæ subministraret; descendit ab altari imago, ad ipsámque accessit, dùmque dubitaret, an huiusmodi visio esset illusio, vt veritatem dignosceret, in nomine Domini confisa imperauit imagini, vt crucem, quam coronæ precariæ affixam tenebat, deoscularetur; & ecce illicò ante crucem genuflexa imago, illam osculata est, indèque supra altare regrediens, quo in loco pedes collocauerat, numos argenteos reliquit ferè tria millia, ex quibus fabrica in meliorem statum fuit perducta.

103. *Sylos in Hist. Cl. Reg. par. 1. l. 7.* Consueuerat quidam ad vesperam ante S. Caietani imaginem explorare animum, exatique diei horas ad examen, libramque reuocare. Dùm ergo noxas attentiùs recognosceret; qua die errasse grauiusculè contigisset, auersam mirè imaginem aduertebat, quo & auersari eam noxam, & vindicandam acriùs docere videbatur Caietanus.

104. *Idem ibidem.* Quidam, Venetiis, è læthali morbo morti proximus, accersiri, qui supremo Sacramento animum procuraret, iussit. Adfuit illicò qui administraret, & vt chartaceam S. Caietani imaginem super decumbentis lecto inspexit, deosculandam illi tradidit, monuitque vt eaær verba pronunciaret: Ora pro me B. Caietane. His peractis, effigiem ad lectuli angulum, vt decidere minimè posset, affixit. Efflabat iàm iàm ille animam, cùm visa, quam diximus, imago locum deseruisse, ac in morientis se se facie collocare. Summæ admirationi res fuit, quòd nullo ministerio, manuque id factum; acceptamq. effigiem presbyter, expirantis ori admouit exosculandam; qui libato statim osculo, ad Numinis amplexus præuolauit.

105. *Idem ibidem par. 3. libr. 10.* Peracuta febri Neapoli quis conflictabatur, quam ea capitis intemperies, ac dolor asperabat, vt abierit in phrenesim, deliraretque; inter quæ deliramenta, semel quidem sibi restitutus, ad quamdam, quæ in conclaui erat, D. Caietani imaginem oculos conuertit, rogatque vt salutem si è re animæ foret, impetraret: secùs, vt quàm citò defungi vita contigisset; mira sanè, vt visu, ita dictu res. Affixa parieti vti moris est clauis effigies ea erat; visa nihilominùs spontè diuelli, ac rectà in decumbentis caput tendere: insedisse, abijsse peracrem dolorem fuit, neque post multò & febris ipsa deferbuit, euanuitque.

106. *Idem ibidem par. 3. lib. 10.* Cùm anno 1656. recurrente anniuersaria solemnitate S. P. Caietani, Tarenti in Principe Ecclesia inter cæteras solemnis ornatus pompas exposuissent Tarentini communi deuotioni simulachrũ D. Caietani solido ex ligno, ab arte, inductoque auro elegantissimum; Animaduertunt, alteram in eo vultus partem mirandum in modum intumuisse; quod cùm multi conspexissent, tetigissent, remque taliter esse comprobassent. Planè solidum lignum intumescere ex se tàm enormiter potuisse, persuadere sibi nemo vnus potuit, vndè vnanimi sensu consecere, id nisi prodigiosè atque extrà naturæ ordinem non accidisse, præsertim, quòd reposita posteà cautè in sacrario statua, perindè quasi viuo in vultu id abscessus euanuerit. Fuitq. multorum constans opinio, eo prodigio monuisse seruum Dei, in tanta Neapolitani Regni, ac vicinarum præsertim vrbium strage, quam à peste patiebantur, ideò incolumes intactosque Tarentinos, quòd ipse luem in se quodam modò recepisset, atque adeò securos etiam fore eius præsidio, quod & accidit.

107. *Naxera in Iosue cap. 5. ver. 12. nu. 72. de S. Ignatio.* Eminentiss. Do. Card. Pachechus effigiem S. Ignatii habere discupiens, pictorem secretò vocat, qui eius formam colorum adminiculo exprimat, sed, ò mirum! tot in Ignatio formas pictor intuetur, vt confusus vacillet. Idm profusus apparet lachrymis, iàm clarissima luce refulgens, iàm pallore suffusus, iàm grato colore micanis. Non potuit certam effigiem efformare manus, quia incertam semper adspiciebat visus: sic delusa solicitudo pingentis est. Hoc idem eius imagini, quæ in Muniebrega Aragoniæ oppido magna veneratione colitur, sæpiùs accidit; nam similiter cunctis non apparet; sed vnicuique secundùm quòd dignus est. Vt quisque opportunam sibi formam inspicere queat, vnica effigies multiformes aspectus induit.

108. *Coquetius.* In Insula Teneriffa apud P. P. Prædicatores asseruatur miraculosa Deiparentis Icona, & in magna Veneratione habetur. Huius imaginis similitudinem nullus pictor, aut sculptor vnquam delineare potuit, sæpè variis modis id tentatum est, sed nunquam permisit Deipara Maria; nam imago eius in varias formas versa, omnem artis operam semper elusit.

109. *Gumppenberg, in Atlanti Mariano, de imag. B. Virginis, in Arena, Herendalij in Ger. Inf.* Dicunt, hanc sac. Statuam, quæ omninò pusilla est, colores respuere: si quidem sæpiùs tentatum fuit à pluribus, qui vetustatem minùs formosam obducere nouis coloribus voluere.

110. *Idem, de imag. B. Virg. delle Laste, Tridenti.* Hanc sac. imaginem Iudæus quidam inflicto vulnere sauciauit. Porrò vulnerum omninò quatuor sunt Virgini inflicta, supra frontem, in velo, quod collum tegit, sub oculo sinistro, & in mento; Iesulus vno solo vulnere apparet deformatus super oculum sinistrum. Ferunt, pictorẽ, qui nouis coloribus Iconẽ

renouauit, haùd vulnera celare potuisse; quin & secunda vice vulnera coloribus tecta, & secunda quoque vice vulnera comparuisse. Seniores memorant, faciem Virginis mutasse vultum non semel; & nunc amœnam, nunc tristem comparuisse.

111. *Ibidem, de imag. B.Virg. Schofaugiana, in Germ. Super.* Afferunt, hanc sac. Deiparæ statuam colores nouos sæpiùs respuisse, vt venustate sua magis placeat.

112. *Idem, de imag. B.Virg. de Arsenali, Venetijs.* Erat in Arsenali Veneto columna latericia non magna, imagine Deiparæ decora; cùm semel igitur ad vsus arsenalis cellæ struerentur, & vt solet, S.Marci imago, Reipublicæ Venetæ insigne, nouæ fabricæ esset apponenda, visa ad rem aptissima est columna illa, quapropter deleta Deiparæ imagine, pictor S.Marci depinxit Iconem; sed die altera visus est D. Euangelista cessisse Deiparæ; si quidem omnis noua pictura euanuit, stetitque vt antè vetusta Deiparæ Icon; quare sacello ædificato, in eo miraculosa imago est collocata.

113. *Idem, de imag. B. Virg. Bonæ Voluntatis, Hauræ in Germania.* Quidam Faber lignarius hæresi Caluiniana à puero imbutus, non ferens populi pietatem concurentis ad venerationem prædictæ imaginis, in vertice Tiliæ collocatæ, ignem tiliæ subiecit, cùm arbore, & statuam comburere statuens; sed vt conatus maximè fuerit, mouere tamen loco sacram statuam non potuit. Ne itaq. non relicto impiæ mentis vestigio abscederet, decempedam, quam ex more artis secùm ferebat, in Virginis faciem validissimo ictu impegit, & genam tetigit. Hæc, vt Virginem sensisse non ignoraret, liuorem duxit, & altè intumuit. Re comperta, reus captus fuit, & in vrbe Montensi iusto mortis supplicio pœnas dedit. Obseruatum est autem, capto percussore, detumuisse genam, quin dato ritè supplicio, neminem fuisse ampliùs qui vel tumoris, vel liuoris vestigia in vultu Virg. notaret.

114. *Idem, de imagine B.Virg. in Arenis, Cracouiæ in Polonia.* Fuit cùm sacrilegus quidam thesauros auferret, qui S.hanc Iconem ornabant, cadens è manu malleus, vultum Virginis abstracto colore reddidit nonnihil inuenustum, refici tamen à pictoribus renuit imago, testem maculam illatæ iniuriæ in hodiernum vsque diem non erubescens. Auditus nonnunquam fertur Angelorum cantus, sæpiùsque visa illic micare septem cælestia lumina. Anno 1634. S.S. Apostolorum Simeonis, & Iudæ festo die, facies matris, filiique in pallorem primùm abiere; deindè in fuscum colorem sensim mutatæ, dùm ex fusco, nigerrima vtriusque facies appareret; hæc ante meridiem eo tempore, dùm diuinum sacrificium offerretur, contigere, vidit hoc penè tota Cracouia; sub meridiem abiit sensim nigredo, & demùm natiuus faciebus color rediit.

115. *Idem, de imag. B.Virginis Pulchri Amoris, Libaduni in Lotharingia.* Anno 1643. cùm Claudia quædam ægra è plebe fœmina, corolla florea sac. statuæ imposita, coràm ipsa impensiùs oraret, faciem Virginis cœli iniurijs denigratam vidit in singula momenta sensim mutari, & mira albedine coruscare; quin etiam albedinem in totam vestem diffluere. Portento hoc attonita, vicinos clamoribus aduocat, qui omnes portenti testes, rem pro miraculo habuere. Claudia verò sanata est.

116. *Idem, de imag. B.Virg. à Villa, Panormi in Sicilia.* Blasphemus quidam lusor pugione armatus vulnerauit tàm filii, quàm matris Vener. Effigiem; quorum vultus antea læti, & rosei expalluere ad tantum nefas. Pugio nunc ad altare pendet; facies vtraque pallida est, vulnera etiam nùm apparent, licet hæc an. 1481. contigerint.

117. *Idem, de imag. B.Virg. ad Sacrum cruorem Neukirchÿ in Germ. Super.* Duo omninò sæcula sunt, cùm Hæreticus Boemus templum ingressus, in quo hæc sac. imago colebatur, post multas in Virginem blasphemias, ipsam ab altari raptam in proximum puteum deiecit; at illa locum auersata, virtute diuina ad altare rediit, à quo iterùm, atque iterùm à sacrilego rapta, & in puteum proiecta, è puteo ad stationem suam regressa est; ira igitur cōmotus hæreticus, ferro immaniter stricto, verendo capiti immane, & cruentum vulnus inflixit; ac statim visa est Virgo dolere in Statua; etenim vultum ita mutauit, vt scires grauiter esse commotam.

118. *Idem, de imag. B.Virg. Zielenisccnsi Societ. Iesu, in Polonia.* Semel in festo Assumptionis, cùm vnus ex Patribus completorium recitaret, sanguinea cicatrix in facie imaginis huius apparuit rorida, protensa ab oculo dextro per maxillam; propiùsque accedenti, ne fortè oculi remotiores mentirentur rei nouitatem, aliquot accurrere adstantes, qui noui nihil esse aiebant, cùm frequentiùs hæc à se visa sit macula, cùm mutatione vultus.

119. *Idem, de imag. B.Virg. de Rosario, Rotuuilla in Germ. Super.* Hæc imago, cùm ann. 1643. Rotuuila, Gallorum, Suecorumque obsidione affligeretur, die Nouembris 10. hora post meridiem secunda, vultum in varios affectus mutauit, dolentis & gementis speciem induta; quod prodigium plùs duabus horis durauit, omnibus conspicientibus. Decimoquinto dein post die placuit Deiparæ repetere portentum, sed quia feliciora nunciabat, vultum monstrauit longè quàm nuper diuersum, identidem in lætantis, & gratulantis speciem exporrecta, nàm eo ipso die hostes fugati sunt.

120. *Idem, de imag. B. Virg. Soliensi, in Ger. Super.* Hanc sacram imaginem variasse vultum, & doloris quandòque, ac lætitiæ signa dedisse pro personarum, aut temporum conditione fama est.

121. *Idem, de imagine B. Virg. Vnderkochensi, in Germania Super.* Fama fidelium est, hanc S.Imaginem belli temporibus, vultum mutasse, & tristitia sua calamitatem venturam portendisse: sed ad venustatem, & amænitatem suam rediisse post abitum hostium.

122. *Idem, de imagine B.Virginis Vigana, in Germ. Super.* Hæc deuota B.Virg. imago sæpè visa est

est mutare vultum, præsentibus pluribus, idque testantibus.

123. *Idem, de imag.* B. *Virginis in Colle, Senis*. Imago S.Francisci Xauerij antequam vltima veniret pestis, quæ Neapolim tantùm non depopulata est, variis modis frequentissimè, etiam quamplurib us inspicientibus, coloribus mutata est.

124. *Idem, de imag. B.Virg. Niderburgensi, Passauij in Ger. Sup.* Hæc sac. statua, quæ in Cœnobio Niderburgensi Passauij colitur, nouo portento deprehensa est in maiorem molem excreuisse; etenim piè Virgines Iesulo interulam lineam, vt solent, cùm fecissent, quæ vltrà pedes desflueret, paulò post visi pedes sunt breuitatem indusii arguere. Hac itaque retenta, alia longior facta est; sed & infrà hanc demùm pedes puellus extendit. Aiunt interulas, quæ puello pedes nunc tegunt, plùs media vlna longiores illis esse, quæ primæ velauerunt statuam.

125. *Ioa. Euseb. lib. 1. de Mirac. nat. capit.* 13. Nuper Scabalisci, vulgò Santarem, nouum miraculum accidit in monasterio Patrum Prædicatorum, Icon pueri Iesu, aliquot ab hinc annis inuenta est creuisse, & adolescere. Constat hoc plurium testium fide, qui paruulam ipsam eandem affirmant pridem vidisse, neque tamen oculorum dumtaxat fidem allego, nouas thecas, silicet grandiores, fuit opus fabricari, vbi seruaretur; nàm antiquæ illam iàm non capiunt.

Aliqua notabuntur his similia in sequenti §.

Imagines voce sensibili diuinitùs loquentes.
§. 5.

EXprobrant incredulitatem perfidis, sanctorum imagines quandòque mirabiliter locutæ, earumque admirandis vocibus, in ipsis, artificis licet manibus sculptis, depictisue, aliquid colendum venerandumque inesse demonstrant. De his.

1. *In vita S. Dunstani Archiepiscopi Cantuariensis in Anglia.* Cùm ex VVintoniensi, & Vigorniensi collegio, Sacerdotes qui suas vxores retinuerant, auctoritate Ep. Antheluoldi, à Monachis eiecti essent, illi verò de repetundis agerent: causa Iudicibus delata est. Igitur congregato super hoc negotio celebri concilio apud VVintoniam, imago crucifixi humana voce in veteri monasterio VVintoniæ, coràm omnibus sententiam Dunstani asseruit esse veram, sic dicens: Absit hoc vt fiat, absit hoc vt fiat, Iudicastis benè. Mutaretur non benè. In cuius rei memoriam in capite Refectorij eiusdem Monasterij supra caput crucifixi metricè sic scribitur.

Humano more crux præsens edidit ore
Cœlitùs effata, quæ perspicis hic subarata.

2. *Vincentius in Spec. Hist. lib. 7. cap.* 93. Spiris locus est supra Rhenum famosus, vbi adoratur imago gloriosæ Virginis Mariæ cùm infante suo. Hùc quidam paruulus, matre eminùs orante inscissuram panis manu tenens accessit, frangensque micam, vagientis Christi imagini porrexit, hisq. verbis, qualia Theotonici pueri balbutire solent, implorare cæpit: Pupe, Papa, Pupe, Papa. Tandem imago cunctipotens paruuli instantem sibi reamplecti, & his verbis perhibetur affari. Pupe noli flere, post triduum mecùm papabis. Audiuit mater, & intremuit, superuenientique seniori Canonico miraculum retulit, qui omnia obseruans, infantulum post triduum moriturum prædixit, quod & accidit.

3. *In libro de miraculis Hiberniæ capit.* 17. Dubliniæ in Ecclesia Sanctæ Trinitatis, est crux quædam virtuosissima, vultum præferens crucifixi: Hæc non multis annis ante aduentum Anglorum, (Ostmannorum silicet tempore) pluribus audientibus, sacrum os in verba resoluit. Contigerat enim quendam ciuium, super contractu quodam eam solam testem, & quasi sponsorem inuocasse. Processu verò temporis, eo, cùm quo contraxerat, pactum penitùs inficiente, & pecuniam, quam eius fidei crediderat constanter abnegante: de censura ciuium, ironica magis tamen, quàm seria, astantibus ad hoc in Ecclesia prædicta, multis, & audientibus, crux adiurata, & obtestata, testimonium perhibuit veritati.

4. *Zeebentnerus in Promontorio malæ spei lib.* 4. §. 2. *num.* 25. Toleti in Hispania, nobilis adolescens, cùm per multos annos licet sacris initiatus ordinibus, Canonicusq; in plura vitia turpiter vixisset, tandem ad extremum vitæ deuenit. Vix rumor Vrbem peruasit de morbo Canonici; cùm Toletanus Ecclesiastes ægrum adit, monetque vt conscientiam excutiat, erratorum semper periculoso onere se se leuet: Negare ille eius rei necessitatem tunc esse, si ægritudo accreuerit, memorem fore animum datæ admonitionis. Quare consternatus Ecclesiastes, magis cæpit instare, etiam diuini iudicii, interposito rigore. Ergo desperatis iàm propè rebus, opem à Numine implorandam censuit, simùlque apprehensa Christi è cruce pendentis effigie, Psalmum Deprofundis exorsus est. Iàmque ad illa venerat Dauidis verba: Fiant aures tuæ intendentes in vocem deprecationis meæ; cùm ecce tibi, lignea imago tota præsentium corona inspectante, brachia ad crucem fixa resoluit, & vtraque manu aures obserans, formidabilem hanc vocem emisit. Quia vocaui te, & renuisti, ego quoque in interitu tuo ridebo. Fulmen hoc fuit, quod vbi ab imagine iactum est, infelicem animam ex corpore scelerati iuuenis in Tartarum deturbauit.

5. *In vita S. Henrici Eremitæ 16. Ianuarij apud Bollandum.* Ante crucis imaginem orante S. Henrico, eadem crucis imago in voces resoluta humanas respondit, dicens; Dilectæ mi, iàm pridem in terra natiuitatis tuæ, cùm decor mulieris, & nobilitas tuam mentem alliceret, misericorditer à nuptiis reuocans cæleste desiderium cordi, suo inserui. Ab illa enim die ad beatitudinem vitæ prædestinatus es æternæ, & in libro vitæ nomen tuum scriptum non delebitur in sæculum; viriliter age, & confortetur cor tuum; in his quæ cæpisti perseuera; & loci huius solitudinem vsque ad finem vitæ tuæ nullatenùs derelinquas. Cùm autem hæc proferret imago, tam quam loquentis hominis labia moueri videbantur.

6. *In actis S. Heduuigæ Ducissæ Poloniæ.* Osten-

Ostenditur Cracouiæ imago Christi crucifixi, coràm qua orare fuit solita piissima Heduuigis Poloniæ Ducissa. Hæc, cùm semel coràm ipsa oraret, à cruce retracta manu, & brachio dextro illam benedicens, sic locuta fuisse dicitur. Exaudita est oratio tua, impetrabis ea, quæ petiisti: Verisimile est eam tunc orasse, vt & Monachæ, quarum vestigia crebrò exosculabatur, in bonis perseuerarent, & meritorum illorum ipsa esset particeps.

7. *Gabriel Pennotus in Hist. Canonic. Regul. lib. 2. cap. 32. de Monasterio S. Crucis Conimbriæ.* Erat in sacello Iesu intra claustrum eiusdem monasterii, Saluatoris crucifixi imago vetustissima, quam vna dictarum Canonissarum alloquutam fuisse, & super petitione iniusta respondisse: nescitis quid petatis, vetus est loci traditio.

8. *Seueranus in Monumentis septem Ecclesiarum Romæ.* Romæ in Ecclesia Sanctæ Mariæ Transportinæ, reperitur venerabilis imago crucifixi, quæ S. S. Apostolis Petro, & Paulo dicitur locuta fuisse.

9. *In Chronicis Minorum par. 1. lib. 8. c. 39.* In Monasterio S. Claræ Assisii, colitur pia imago crucifixi Domini, quæ olim S. Franciscum dicitur allocuta.

10. *Gonzaga in Prouincia Bononiæ, de conuentu S. Angeli.* In hac Ecclesia S. Angeli, reperitur venerabilis imago crucifixi, quæ cuidam Pictori, vt traditio est, locuta est.

11. *F. Iustinus ex Ioanne Lopez.* Zamoræ in Castilia post Completorium nostris pro more meditationi vacantibus, tota structura templi, quam fornicem vocant, tremere, concutique cæpit. Pauci id aduertere contemplationi defixi. Tùm ex crucifixi imagine ad maius altare posita, clara vox insonuit: fugite Fratres. Periculi ignaros, Dæmonisque versutias, & dolos metuentes, non admodùm vox illa solicitauit, donec iterùm eadem altiùs insonuit; fugite Fratres, tota hæc moles ruit: Illicò se corripiunt, vixque postremus pedem extulerat, cùm tota fornix penitùs corruit. Pièque à miseranda illa clade, quæ haùd dubio omnes oppressisset, diuinitùs non sine speciali B. Virginis patrocinio erepti sunt. Huiusmodi imago hùcusque ibi videtur.

12. *Baptista Fulgosus lib. 1. de miraculis cap. 6.* Neapoli in Fratrum Prædicatorum templo videtur cruci affixa Christi effigies, quæ S. Thomæ Aquinati respondit: rectè eum de se scripsisse: cùm Thomas librum tenens, quem aduersus Græcorum errores scripserat, Christum oraret, vt se moneret, si qua in parte illius libri errasset, quòd eum ad Lugdunense Concilium, Vrbani IV. iussu, delaturus erat.

13. *Idem.* In Vrbe Castrensi opinio est, S. Dominico crucifixum locutum, qui hoc quoque tempore veneranter colitur, atque ostenditur.

14. *In actis S. Petri M. ord. Prædic.* S. Petrus, criminis non commissi falsò accusatus, & ob hoc ad monasterium Æsinum relegatus, dùm quadam nocte in Ecclesia ante Christi in cruce pendentis effigiem de hac re quereretur, imago crucifixi facta vocalis respondit voce clarissima; & ego quid feci, vt tot, ac tantis onerarer opprobriis, & morte turpissima condemnarer? Ex me, si nescis, disce opprobia & ignominiam patienter ferre.

15. *Ferrarius in Catalog. S.S. 22. Februarij.* B. Margarita à Cortona, cùm in Ecclesia Fratrum S. Francisci, quorum erat soror tertii ordinis, ante Crucifixi imaginem feruentiùs oraret, Dominum Iesum Christum, illam: Quid vis misera? allocutam, eamque: nil aliud præter te Domine, respondisse, ferunt.

16. *Ant. Balinghem in Kalen. Virginis 8. Septem. de S. Thoma à Villanoua.* Hic cùm valdè affligeretur ob munus Episcopale, timeretque, vt aiebat, ne excluderetur à numero Beatorum, quia fuisset de numero Prælatorum, coràm effigie Christi prostratus, cæpit lugere sortem suam. Cùm autem preces suas continuaret (erat is dies sacer B.V.M. Purificatæ) audiuit hanc vocem ab ipsa statua profectã: Æquo animo esto in die natiuitatis Matris meæ venies ad me; cæterùm os crucifixi loquentis, quod ante clausum fuerat, deinceps apertum mansit; & ita visitur hodiè dentibus tàm perfectè apparentibus, vt optimi sculptores negent vllo artificio simile quid fieri posse.

17. *In Chronicis Carthusiæ.* Extat insigne monumentum in celebri, ac religiosissimo Carthusianorum cœnobio, Scalæ Christi dicto, in Cathaloniæ Principatu sito. Quòd cùm plùs nimio vir Dei sanctissimus Fort, cuiusdam causam iuuaret precibus & verbo, quòd pauper esset, contra diuitem, more solito cùm crucifixi imaginem deuotissimam, quæ adhùc extat, salutaret, audiuit ab imagine sibi dici: Fort, non placet mihi hæc charitas.

18. *Bzouius in an. Eccl. an. 1319. n. 13.* Imago crucifixi, ante quam frequentiùs orabat B. *Zacharias* Romanus ordinis S. Francisci, illi locuta est.

19. *In lib. Hebdomada Sanctificata.* Cùm antè imaginem crucifixi in pariete depictam oraret F. Valentinus ex ordine S. Francisci: ab eadem imagine audiuit sensibilem vocem, dicentem sibi: Valentine esto bono animo, intrà paucos dies ad te veniam, vt ad gloriam meam te perducam: Interim morti se ille disposuit, & post paucos dies, vt imago locuta fuerat, ad cælestem patriam, vt creditur, migrauit.

20. *In m. s. s.* Maria Bona, conuersa ordinis S. Dominici pridiè antequàm obiret, ante crucifixi imaginem orans, in has erupit voces: Domine tua gratia me satia: eleuans autem oculos, vidit crucifixum manum super pectus ponentem, ac si firmaret quod dicturus erat. Tùm ad ipsam; Tace inquit, manè te gratia mea satiabo, & ita fuit, mortua est enim, Dei gratia, & gloria in æternum fruitura.

21. *Franciscus à S. Maria in Hist. Carmel. tom. 2. libr. 8. cap. 12.* In Conuentu Segobrigæ Carmelitarum Discalceatorum, asseruatur Venerabilis imago Christi deferentis crucem, quæ B. Ioanni à Cruce quondam allocuta esse dicitur.

22. *In vita Ven. Catharinæ de Sandoual.* Catharina de Sandoual, cùm adhùc in florescente iuuentute, vanitatibus secularibus omninò incumberet,

beret, semel orans ante imaginem crucifixi ab eodem sensibili voce, asperè se redargui audiuit, adque meliorem vitam instituendam admoneri. Cui diuino oraculo adhærens, vanitatibus contemptis, mundoque renunciato, Religiosum habitum Carmelitarum, in quo sanctissimè vixit, induit.

23. *In m. s. s.* Madriti in Hisp. ann. 1632. die 4. Iulii fuit facta executio in Tribunali inquisitionis ob flagellatum quendam crucifixum in domo cuiusdam Lusitani, qui sanguine maduerat, & ter, quaterue interrogauerat percussorem voce sensibili. Cur me cædis? siuè Hispanicè, Porque me mal tratay?

24. *In Chron. Minor. Par. 2. lib. 4. cap. 14.* In Conuentu Lanelli in Prouincia, cùm quidam Guardianus asperè, nimisque rigidè reprehendisset quendam Fratrem, obque leues culpas durissimam iniunxisset penitentiam; is Ecclesiam ingressus, anteque imaginem crucifixi orans, maximè dolebat de Guardiani summa austeritate. Tunc crucifixus voce humana, & sensibili eum alloquens dixit: & quot probra, quot calumnias, quotque tormenta ego innocentissimus pro te peccatore libenter passus sum? Quibus verbis attonitus Frater, omnes correctiones deinceps patienter, sustulit.

25. *In vita Fr. Innocentij à Clusa ord. minorum.* Semel grauibus afflictus doloribus deuotus Dei seruus Innocentius, ante imaginem Christi Domini orans, vt ab his eum liberaret, suppliciter exorauit. Tunc imago Christi sensibili voce eum est allocuta, quantaque pro eius amore in sacratissima passione sustulerit, explicauit; quibus verbis, ad perferenda illa, maioraque tormenta, accensus est.

26. *Flaminius, in vita S. Vincentij Ferrerij.* Quidam scelestus, sanctitati Vincentii inuidens, ei falsum crimen imponere statuerat, perpetuaque infamia lædere; Cùm ingressus templum, in quo ante altare Beatæ Virginis is orabat, vidit Vincentium genibus flexum, sed eam in altitudinem erectum, vt par esset pictæ imagini; quin etiam audiuit picturam cùm ipso familiariter loquentem; quo prodigio attonitus mutauit sententiam.

27. *Coquetius de visceribus B. Virg. erga ordinem Dominicanorum, de imag. B. Virginis Colmariensi in Germania.* Gertrudis insignis sanctitatis Virgo ord. Prædicatorum, quæ vixit circà an. 1247. coràm sacra statua Deiparæ lignea, quæ Iesulum gremio tenebat, instantiùs solito semel precabatur beneficium, quod orando promerita est, sanè insuetum. Rogabat illa remissionem peccatorum; Iesulus petenti non modò annuit, sed etiam clara voce respondit: Soror Gertrudis, promitto tibi, & fidem meam obstringo, te nunquam à me, & à Matre mea derelinquendam; ego verò iàm propitius sum tibi, & peccatis tuis, quæ etiam, è memoria tua excident. Gertrudis accepta hac à Iesulo consolatione, manui suæ inseruit Iesuli manum dexteram ligneam, quæ subitò à brachio suo ligneo auulsa est, & in manu Gertrudis hæsit; quæ deinceps nullo vnquam glutine brachio suo coalescere potuit. Hinc sanctæ Statuæ honor publicus cæpit.

28. *S. Petrus Damianus lib. 3. cap. 10.* Monachus fuit, qui in templo sui cœnobij statuam Deiparæ impensè coluit. Cultus verò totius hæc ratio fuit, vt nunquam præteriret, quàm Deiparam in hac statua salutaret, breuiq. oratione gaudia illius annumeraret; Audiit hæc Virgo, & audisse se demonstrauit semel, dùm aliquandò is eam præteriens salutando audiuit hanc à Statua vocem: gaudium mihi annunciasti, gaudium sibi eueniet.

29. *In libell. de mirab. Romæ de imag. B. Virg. ad S. S. Cosmam, & Damianum, Romæ.* Hanc, fama est S. Gregorium Papam allocutam fuisse, benignèq. questam, quòd ante eam transiens aliis intentus cogitationibus non salutauit. Aliæ quoque duæ Romæ coluntur, quæ cùm eodem Gregorio sermonem instituerunt; Harum vna in monte Cælio est, altera in templo Sanctæ Mariæ Imperatricis.

30. *Gonzaga in Prouincia Tusciæ, de Conuentu S. Mariæ à S. Romano, iuxta Montopolim.* Ferunt huius patriæ seniores, Virginis gloriosæ imaginem, quæ hic colitur, cuidam puellæ pascendis ouibus intentæ, atque antiquiorem Ecclesiam fundendarum precum causa ingredi solitæ, loquutam fuisse, eaque de causa populi deuotionem excitatam fuisse.

31. *Dionysius Carthusianus Ser. 4. in assumptione B. Mariæ Virginis.* Constantinopoli quidam Mercator diues, & iustus ad tantam deuenit inopiam, vt à quodam Iudæo sibi postulauerit mutuari pecuniam, dicens: Dabo tibi fideiussorem sanctam Mariam, & eius imaginem, quòd die statuto tibi persoluam. Acquieuit Iudæus, sciens sanctam Mariam esse post Deum, primam spem Christianorum. Perrexit ergo mercator cùm pecunia in Alexandriam, & infrà annum multas valdè ibi acquisiuit pecunias: cùmque die statuto non posset reuerti, posuit pecuniam persoluendam in repositorio ad hoc apto, scriptum quoque annulo suo signatum tale apposuit: suscipe Abraham pecuniam, quam mihi accommodasti; & nocte diei, quo fuerat pecunia persoluenda, posuit repositorium illud suprà Mare, rogans Virginem piam, vt repositorium illud, Constantinopolim, atque ad manus præfati Iudæi dirigeret. O magna fides uiri, sed maior gratia Virginis sacræ: nàm ipsa dirigente, repositorium illud per tanta maris spatia vna nocte peruenit vsque ad littus Constantinopolitanum. Porrò Iudæus pro pecunia sua solicitus manè exiuit ad littus, si fortè aliquam videre posset nauim de Alexandria venientem, & ecce vidit repositorium applicari ad littus: quod sumens, ac titulum legens, accepit repentè pecuniam. Et quoniam nullus adfuit, eam abscondit; redeunteque mercatore, nomine Theodorico, Iudæus petiit debitum sibi solui. Respondit Mercator, se illud ei misisse; sed Iudæus negauit se accepisse. Causa autem ad Iudicem deducta, Iudex dictauit, vt Iudæus coràm fideiussore, videlicet Sanctæ Virginis imagine iuraret, se non accepisse illam pecuniam

niam, quod cùm Iudæus coràm cunctis iuraret, sermo ab imagine prodiit, dicens: mentiris, quoniam repositorium cùm pecunia accepisti, & abscondisti. Tunc confusus Iudæus, totam rei veritatem aperuit, seque Christianum fieri postulauit; quibus cognitis, plures Iudæi facti sunt Christiani.

32. *In libello mirabilium Romæ*. Romæ in Ecclesia S. Alexii, adest miraculosa imago Beatæ Virginis, quæ cùm priùs quodam in templo Edessę, dùm ibi S. Alexius moraretur, esset; cùm quodam die idem sanctus templum oraturus adiisset, illudq. clausum inuenisset, miraculosè, bis loquuta est ianitori, imperauitque, vt ianuas seruo Dei aperiret.

33. *Chrysostomus Henriquez in Fasciculo*. Contigit Sanctum Abbatem Bernardum, dùm in Flandriæ partibus negotiorum causa existeret, Affligemiense Monasterium intrare. In quo dùm gloriosæ Dei Genitricis statuam haùd exiguæ magnitudinis conspexisset, eam solito suo pietatis affectu prioribus angelicæ salutationis verbis, Aue Maria, salutauit. Cùm ecce (mirabile dictu) eadem Dei parentis statua, eum quoque protinùs resalutauit, dicendo: Salue Bernarde: Stupentibus omnibus, qui aderant. Ex quo tempore non solùm à religiosis istius cænobii, sed ab aliis omnibus, ad quos fama tanti miraculi peruenit, singulari deuotione coli, visitarique cæpit: donec infelicissimis hisce temporibus, Monasterio ab hæreticis occupato, ac magna ex parte destructo, ea quoque nefario ausu ab iis confracta est. Cùm aliàs idem Pius Pater Ciuitatem Spirensem intrasset, & antè eiusdem Diuæ Virginis statuam pertransisset, eamque more solito salutasset, ab ea vicissim in conspectu totius populi, qui eum cateruatim sequebatur, resalutatus est.

34. *Cæsarius lib. 2. mirac. cap. 12.* Quidam iuuenis in Diæcesi Leodiensi, cùm ad summam paupertatem deuenisset, ob idq. à quodam suo villico ad Diabolum ductus, vt ab eodem ditaretur, iussus est primò renunciare Altissimo, quod cùm fecisset, iterùm vt & illius Matri abrenunciaret, iubetur, quod renuit facere, abiitque, magnoperè & dolens peccati commissi; veniamque impetraturus, quandam ingressus Ecclesiam, prostrauit se ante imaginem B. Virginis puerulum gestantis, ex intimo corde ipsam matrem misericordiæ inuocans. Cùmque terribilem illam maiestatem, quam negauerat nominare, vel inuocare non auderet, sed tantùm pijssimam eius genitricem lacrymosis vocibus pulsaret, eo, alioque in Ecclesia existentibus, & audientibus, per os imaginis suæ B. Maria filio suo loquebatur in hæc verba: Dulcissime fili, miserere huic homini. Puer verò matri nihil respondit, faciem ab ea auertens: cùmque iterùm rogaret, hominem seductum asserens, matri dorsum vertit, dicens: Homo iste negauit me, quid ei faciam? Post hæc verba imago surrexit, puerum suum super altare posuit, eiusque pedibus se prona prostrauit, & ait: Rogo fili, vt propter me dimittas ei peccatum hoc. Mox infans matrem eleuans respondit illi: Mater, nunquam tibi negare aliquid potui, ecce propter te totum dimitto.

35. *Idem lib. 7. capit. 21.* Virgini cuidam, Christiana nomine, deuotissimæ B. Mariæ (quæ postea facta est Monialis Cisterciensis) hoc visum est obiectum, cùm missam audiret in Ecclesia. Post Euangelium exierat Campanarius, sperans se rediturum ante trisagium, sed non rediit. At sacerdote dicente: per omnia sæcula, & quę sequuntur, imago B. Mariæ desuper altare ad singula respondere est audita, supplens vicem Campanarii, qui ministrabat.

36. *Bzouius an. 1345. num. 22. de Beato Gerbino Conuerso ordinis Cisterciensis*. Pręceperat ei aliquandò Abbas, vt eos qui in pistrino laborabant, adiuuaret. Ipse artis pistoriæ ignarus, imaginem quamdam B. Virginis Mariæ in pariete depictam, more solito, venerando sic affatus est: Domina mea charissima, D. Abbas præcepit, vt vnà cùm pistoribus laborem, tu autem scis me prorsùs in ea arte rudem esse: verùm tamen iuxtà voluntatem tuam facere sum paratus, quod *mihi suggesseris*. Cui imago: fac quod hùcusque feceras, & ego pro te seruiam in pistrino. Abiit ille ad locum consuetum, orareque perrexit: cùm interim visa sit alia persona Gerchini speciem præ se ferens ministrare: ipse verò sub idem tempus fixus in oratione deprehensus in Ecclesia.

37. *Felix Astulphus, in Hist. Virg. lib. 10.* Imago B. Virginis, quam quidam Pastor in summitate Sorbi in Territorio Romano propè Oppidum vulgò *Formello* inuenerat, eidem sensibili voce locuta est, iussitque, Oppidanos ad eius venerationem hortaretur; & in signum veritatis, trunco brachio manum mirabiliter restituit.

38. *In Chronicis Minorum*. Cùm Ven. Petrus Nicolaus Fattorus, è Ciuitate Madriti discedens, ante imaginem Beatæ Virginis, quæ extrà Ciuitatem deuota in Ecclesia colitur, oraret, fertur, eamdem imaginem illi allocutam fuisse.

39. *In annal. Min. an. 1222. n. 41. de Conuentu Alanquerij*. In altari capituli summo in honore habetur imago B. Virg. quæ oranti tyronii ad indiscretum sui Guardiani præceptum, vt dignaretur reuelare, quænam sibi esset inter omnes orationes, aut metricas preces Ecclesiasticas gratissima, respondit: Illam quæ incipit, *O gloriosa Domina*; & obiicienti iuuenculo, responsum referenti non sibi facilè crediturum guardianum, prodigiosum signum adiunxit: etenim quem eòusque infantulum Iesum leua gestabat, in dextram transmutauit, subiungens: Abi fili confidenter, & inuita rigorosum tuum illum guardianum cùm cæteris, vt videant. Viderunt, & crediderunt ad maiorem Virginis reuerentiam, & nouitii opinionem. In huius rei memoriam quoquo totius anni Sabbato pulsata maiori campana, vt deuotus populus accedat, à cęna fratres omnes luminaribus accensis, prædictum hymnum solemniter cantant, aliasque preces adiiciunt.

40. *In vita S. Hyacinthi Poloni Ordinis Prædicatorum*. Hyacinthus vti ex diuina permissione Kijouiam diripiendam sciuit, Tartarosque aduentantes audiuit, in Ecclesiam sui Ordinis, quam ante aliquot annos condiderat, ingressus, & oraculo Diuæ Virginis Mariæ, cuius imago ex alabastro

stro candido effictą in altari prostrabat, vocalis ad sanctum Hyacinthum, tertio admonitus: ecquid aiebat imago. Hyacinthe me hìc solam relinquis? Cur ludibrio barbarorum exponis? Ecquid tecùm me, & mei filij sacramenta non effers. His inquam vocibus admonitus, pompamque sacerdotalem indutus, prehensauit manu dextera sacram hostiam, sinistra autem prægrandem Deiparentis ex alabastro sculptam imaginem, & Septemtriones versùs aduersam Borysthenis ripam obambulans, versùsque Seueriensem tractum traijcere disponens, neque nauigium inueniens, Borysthenì se commisit, siccoque vestigio, ingentis ponderis Icona onustus, flumen profundissimum traiecit.

41. *In vita B.Rocchi*. Placentiæ in Ecclesia S. Annæ, venerabilis colitur imago Beatæ Virginis in pariete depicta, quam B. Roccho ante ipsam oranti, traditio est, loquutam fuisse, in hæcque verba erupisse; serue Dei, exaudita est oratio tua.

42. *Ignatius de Nente, in vita Ven. Sor. Dominica de Paradiso libr. 2. capit. 57.* Cùm semel incendium maximum excitatum fuisset in Monasterio Ven. Dominicæ, ex quo totum conflagrandum videbatur; conuersa Ven. mater ad imaginem ligneam B. Virg. suppliciter matrem misericordiæ exorauit, vt ab imminenti periculo monasterium dignaretur eripere. Tunc imago voce sensibili locuta est, dicens. Filia, iube, vt contra ignem signum crucis apponatur, & ignis extinguetur. Quod factum est, ignisque statim est extinctus. Huiusmodi imago adhùc in eo Monasterio summa veneratione colitur, in memoriam tanti prodigii.

43. *Ioan. Trithem. lib. 1. de miraculis B. Virginis in Vrticeto factis cap. 3.* Contigit ante paucos annos priùs quàm populi concursus initium sumeret ad Vrticetum, hominem quendam Villanum de Eisingem, nomine Albertum, cùm vxore sua Kunegunde, deuotionis instinctu, Ecclesiam peregrinando visitare S. Genouefæ Virg. in Vico Einhoffem propè VVinsberg, cùmq. in reditu ad eum locum peruenissent, in quo Beatissimæ Virginis Mariæ stabat imago inter vrticas, conspicata mulier Iconem, dixit ad maritum. Cerne vir bone quàm pulchra isthìc imago stat Dominæ nostræ inter urticas sine honore; sistentes paululùm gressus, secùm taciti orauerunt, oratione completa, Vir ait mulieri: Eamus quia tempus est breue, & longum iter, quod nobis restat ad propria. Cui mulier, procede paulisper obsecro, donec adhùc vnum Aue Maria orauero, & mox prosequar sine mora tua vestigia. Abeunte marito, stabat Vxor deuota intuens quodam compassionis dolore sculptam tanta pulchritudine imaginem inter lutum, & urticas sine veneratione contemptam. Pietatis tandem in ea vincente affectu, deliberauit, & mente conclusit, fore bonum si imaginem ipsam secùm ferret, & in sua Villa Eisingem, vbi à populo haberetur in reuerentia, collocaret. Hæc animo reuoluens, manus extendit, & de muro imaginem extrahere voluit, & ecce vox de imagine facta est dicens: Desiste mulier cæptis, & in meo me loculo stare permitte, quoniam hinc me auferre non poteris, multa enim in hoc signa virtutum, & miracula sanitatum per me diuina potestas breui exhibebit mortalibus. Hanc audiens mulier vocem, nimio pauore correpta, in terram cecidit, & amisso rationis officio, mortem quadam similitudine potiùs, quàm vitam repræsentare videbatur. Hinc ibi cæptus cultus.

44. *Gumppenberg, de imag. B. Virg. de Taxo Moye in Hispania.* Hæc sacra Imago inuenta est à Pastore in arbore, octo noctium splendore cælesti inuitatus; Deipara, venerabundum & in genua abiectum allocuta est; quin & lapidem ei dedit signo crucis decorum, iussitque Episcopo Conchensi dicere, velle se vt Religiosi qui hoc signum crucis tali modo figuratum in pectore portant, hic sibi templum extruant. Quod factum est, Patribusque de Mercede, qui hoc signum gestant, data.

45. *Idem, de imag. B. V. S. Claræ, Vilnæ, in Lituania.* Cùm hæc sac. Imago in ambulacro ad parietem exteriorem templi Vilnensis P.P. Franciscanorum affixa penderet; Fuit qui peculiari præ cæteris affectu eam prosequeretur; & identidem coràm ea preces effunderet; hic audiuit aliquandò prodire ex imagine vocem, & postulari cultum maiorem, quàm hactenùs ei esset exhibitus, adeòque aliò transferri, & publico dari. Is, audita ad Guardianum retulit, qui sac. imaginem in templum detulit; quæ posteà in Ecclesiam de nouo ædificatam an. 1596. pro sanctimonialibus S. Claræ translata est; quæ cùm nouis coloribus à pictore, vt venustior appareret, imbueretur, prodigiosè omnes respuit colores; vndè maiorem venerationem hoc prodigium auxit eidem sac. imagini.

46. *Idem, de imag. B. Virginis de Lapidibus, Madriti, in Hispania.* Cùm ante hanc venerab. imaginem semel pia fæmina flexis genibus, nihil aliud ingeminaret, quàm verba illa Deiparæ gratissima: Mater Dei, Mater Dei, Mater Dei; Deipara è Statua illi clara voce subiunxit hæc verba: & Hominis; quià nimirùm homo, quem peperit Virgo, Deus est. Hinc sac. Statuæ cultus maior.

47. *Idem, de imag. B. Virg. S. Mariæ Maioris, Venetijs.* Anno 1443. Pauper quidam, Augustinus nomine, paupertati solandæ, Iconem Deiparæ parieti ligneo affixit; hæc illi pro templo erat, & pro altari. Semel autem sic alloquentem se audiuit Deiparę imaginem: Nolo ampliùs hìc esse. Hæc effusa siluit, silere tamen non potuit Augustinus, in lachrymas solutus, & suam miseriam plangens, quandò solatium eius vnicum Virgo, dedignabatur locum, & loci Dominum. Cùm interim Moniales, quas S. Francisci Eremitas vocant, templum sibi nouum ædificassent, solicitæque essent, quem Præsidem è Diuis templo darent, Augustinus ijsdem suam dedit imaginem, ratus eum in finem illam allocutam esse. Quare in eo templo collocata adhùc ibidem corusca miraculis colitur.

48. *Idem, de imag. B. Virginis VVerchteranæ, in German. Infer.* Cùm semel Parochus Ecclesiæ, in qua hæc sac. colitur statua, existimans adesse paratos, inchoaret officium matutinum consuetis verbis Domine labia mea aperies; tacerentque, vel non præ-

præsentes, vel imparati, ad cantum cæteri; respondit voce cantillante sac. Statua: & os meum annunciabit laudem tuam.

49. *Idem de imag. B. Virg. Confortatrici, Veronæ*. Ante hanc sacram imaginem semel prostratus S. Petrus Martyr Veronensis, disputationem quam cùm hæretico erat facturus, ei commendauit. Tunc vocem ab imagine prodeuntem audiuit: Petre, rogaui pro te, vt non deficiat fides tua, cùm igitur cùm hæretico conuenisset, ille omninò abmutuit.

50. *Idem de imag. B. Virginis de BuZZano, in Italia*. Buzzani propè Nolam Campaniæ, in puteo, qui vsque hodiè videtur, à Nautis quibusdam inuenta est hæc B. Virg. Statua, quæ illos allocuta esse dicitur.

51. *Felix Astulphus in Hist. imag. B. Virginis lib. 11*. Circa an. 1506. propè Bæticam in Hispania, dùm quidam sacrista Ecclesiæ Parochialis S. Romani cariosa ligna noctu scinderet, ignem, vt hostias efformaret, accensurus, è quadam lignea tabula vocem sibi loquentem, arguentemque sacrilegij audiuit. Exterritus ille, obseruat in tabula depictam esse imaginem Virginis: eamque sibi locutam animaduertit, tunc rem Episcopo Hispalensi denuntiat, qui vnà cùm clero imaginem prædictam solemniùs transtulit in Ecclesiam Sanctæ Mariæ de Valle, vbi vsque adeò summa deuotione colitur.

52. *Carolus Morascus in Relatione Beatæ Virginis de Monte nigro*. An. Dom. 1345. in littore Maris propè Liburnum, inuenta fuit à pastoribus ibidem greges pascentibus, Ven. Icona B. Virg. cùm puero Iesu, quæ vt posteà compertum fuit, à Negroponte illùc ab Angelis mirabiliter delata fuit: Hæc cuidam ex illis pastoribus voce sensibili locuta est, præcepitque, vt se proximum in montem propriis humeris deferret. Obediuit Pastor, & licet viribus impar, ingentem, & magnum lapidem, cui imago innitebatur, veluti paleā humeris imposuit, montemq. vsq. adeò ascendit, quousque saxo grauitare incipiente, sibique vires auferente, intellexit, ibidem Beatam imaginem collocari velle. Hæc imago vsque adeò in Ecclesia Montis Nigri, in qua Clerici Regulares Theatini habitant, piè colitur, magnaque deuotione ob continua miracula, populi, & præcipuè Nauigantium frequentia continuè honoratur.

53. *In m. s. f.* An. 1517. cùm in Ciu. Laudis Pompeiæ in Insubria, quidam armata manu proprium insequeretur inimicum, vt gladio feriret; hic ante imaginem quamdam B. Virginis, quæ in Pariete depicta colebatur, cecidit, ab inimicoq. deprehensus crudeliter extinctus fuisset; sed ecce, ter ex imagine hęc vox audita est: Pax, Pax, Pax, à qua perterrefactus hostis, pacem, quam ab imagine sibi pręceptam credidit, benignè alteri dando, eundem amabiliter amplexus est. Huiusmodi autem imago è publica via, in Ecclesiam tunc ibi ædificatam solemniter translata fuit, quæ vsque adhùc videtur.

54. *Sylos in Hist. Cler. Reg. par. 2. libr. 10*. Fama est, dùm semel ad Deiparam in præcipua eius solemnitate orando excubaret Isabella *Barilis* insignis pietatis fœmina, quæ in sæculo Theatinam vitam, professionemque duxit, locutam illi eam imaginem, quæ extat hodièque in nostra S.S. Apostolorum Neapoli domo, habeturque hoc protissimùm nomine in pretio.

55. *Baldasar AluareZ in vita Ioannis Ximenes*. Oranti ante imaginem Conceptæ Virginis Ioanni Ximene, Societatis Iesu eximiæ probitatis Coadiutori temporali, clara vox ad aures accidit. Ximene, memor esto fidelium defunctorū. Qua ille voce permotus, omnia totius reliquæ vitæ suæ (vixit autem deinceps octo annis) pia opera externa, & interna, & quidquid ex eis satisfactionis esset, defunctis ex asse legauit, atque attribuit.

56. *In vita Fr. Innocentij à Clusa ord. minorum*. Virtutem Fr. Innocentij haùd cognoscentes Fratres, illum à Religione dimittere cogitabant. Tùnc Innocentius ante imaginem B. Virg. orans, eam suppliciter exorauit, vt mentem Fratrum dignaretur mutare, seque dignum sancta Professione faceret. Annuit B. Virgo, vocibusque sensibilibus ex imagine loquens, illum de futura professione, votorumque solemni emissione certum fecit. Vt & posteà accidit.

Aliqua similia notata fuere in antecedenti §. & describentur in sequenti.

Ex Crucibus, & Imaginibus Crucifixi sanguis prodigiosus. §. 6.

ADmirabiliori modo quàm olim Sanguis Abel clamauit ad Dominum de terra, nunc sanguis ex crucibus, sacrisque imaginibus mirabiliter effluxus, ad Dominum, vel contrà impios sacrilegos, & abominabili ausu contemnentes, vel contrà infideles iconomacos de his malè sentientes, quotidiè conclamat. De his.

1. *In Martyr. Gallic. 6. idus Aprilis, in suppl.* Ipso die in Monasterio Fontis-Ebraldi, Pictauiensis Diœcesis, miraculum mystici cruoris, è vitali ligno crucis Dominicæ fluentis ipso die sacratissimo Parasceues. Cùm scilicet immissæ per Margaritam de Chanbley illius Parthenone Monialem, in cuppam argenteam lustrali aqua plenam, duæ particulæ, quæ de ipsa cruce Domini Seruatoris excerptæ ferebantur, in imum pyxidis, superfluente aqua descenderunt; moxque dùm tres Virgines sacrę rem attentè explorantes, diuinum signum intuerentur, aqua albescente, fragmenta illa duo adorandi stipitis, proximè inuicem coherentia, liquorem emiserunt planè Sanguineum, eique prorsus similem, qui de incisa corporis humani vena, recens effluit, vtriusque fragmenti oras circumliniens: aqua interim in vasis fundo, & superficie, natiuum suum nitorem retinente, donec moto vasculo, mystico permixta cruori, rubicunda apparuit. At super tabulam ornatam in medio chori reposita pyxide, interim repentino clamore trium monialium, tantū portentum inspicientium, cæteræ Sorores excitæ, cùm magna clericorum, Religiosorum, aliorumq. fidelium subinde confluentium multitudine aduo-

aduolarunt, stupendęque rei nouitate ab ijs audita, & spectata, dùm passio domini ex more diei solemniter legeretur, rursùs aqua cæpit albescere; qua ebulliente vsque ad orificium vasis, tres ex ipso ligno salutari exilierunt guttæ, seù globuli, vnionis seù margaritæ non exilis, singillatim formam præferentes, sanguinisque humani colorem; qui orbiculi paulatim liquescentes, ac aquæ sacratæ sensim immixti, vnda coccinea pyxidem, cunctis cernentibus, repleuerunt. Quo prodigio micante diuina virtute, omnes, qui aderant religioso horrore, & stupore concussi, lachrymas pietatis profuderunt, Christoque Seruatori crucifixo, inque ligno triumphanti, deuotas grates rependerunt, qui quam morte sua fidem in se nostram consecrauit, spem erexit, amoremque accendit; tàm mirifico opere obfirmare, ac magnificare dignatus est.

2. *Consaluus de Illescas in Hist. Pontif. par. 2. lib.6.cap.30.* Particula crucis Domini nostri piè, deuotèque penès se habebat Don. Ioanna Vlyssipponensis Princeps, Matritiq. degens, qua mediante in aquam immersa, plurimis infirmis eius haustu, sanitatem causabat; cùm ergo ann. 1559. in Octobri mense, à quadam infirma rogata esset, vt aquam, in qua Sacrosanctum lignum immersum fuerat, ad sanitatem elargiretur, pia Princeps illicò in paruum aquæ vas sacrum lignum iussit imponi; & ecce subitò ex illo sanguis exiuit, quo tota aqua in sanguineum colorem est versa; asseruitque esse hoc præsagium futuræ mortis infirmæ, vt in similibus casibus aliàs experta fuerat, quod & accidit, eadem enim nocte mortua est.

3. *Arnoldus Rayssius in Hierogazophylacio Belgico.* Floreffiensis cænobii cimeliarchium (quod cœnobium secundo à Namurco milliario ad Sabim situm est, sub instituto, & Regula S. Norberti) hisce Sanctorum reliquiis nobilitatur. Rara in primis vitalis ligni parte, à Philippo Comite Namurcensi hùc delata, sub Vuerrico Abbate VI. circa annum CC.IV. decoratur, quæ multas cruoris guttas in præsentia, tùm religiosorum, quàm Parochorum, Sanctæ Inuentionis Crucis luce sacra stillauit; ac liquidò constat ex his subsequentibus exaratis versibus in theca argentea, in qua hoc ipsum Christi cruce frustum honorificè custoditur.

Hæc Crux, quo luxit, nobis bis sanguine fluxit.
Quam scio, quòd tinxit Christi cruor, ac benedixit.

4. *In m.f.s.* Cùm Ann. Dom. 1540. Quidam Sacerdos, ex particula Dominicæ crucis, quæ in Pago Seruariæ diæcesis Celsonæ in Catalaunia piè colitur, frustulum cultro præscindere tentasset, vt vicini Pagi incolis, id expostulantibus, ad effugandos Dęmones donaret, nunquam potuit; ex scissione tamen, quam cultro incæperat, manibusque perfecit, ingentem guttam sanguinis, emanare conspexit, quæ in subtùs positam chartam decidit; eoque tempore, licet aere sereno, horribile reboauit tonitruũ, quod omnes perterrefecit; In memoriam autem tãti miraculi, instituta fuit quotannis solemnitas festiua die sexta Februarii, in quã tale euenit prodigium.

5. *Ibidem in m.f.s.* Extra ciuitatem Barcinonæ in Regio monasterio Fratrum ordinis S. Hieronymi, asseruatur in peruetusta argentea theca particula Dominicæ Crucis. Hanc cùm quidam aurifex, vt in preciosiorem thecam reponeret, cultro tetigisset, illicò obtusus est culter, quod id iterùm, cùm bis tentasset, aliis duobus euenit cultris, in particulaque crucis tres ictus sanguinei apparuerunt: Prodigium omnes admirantes, in veteri, & humili theca eam relinquendam putarunt, sicut & hodiè ibidem conseruatur.

6. *Franciscus à S.M. in Hist. Carmel. to. 2. lib. 7. c. 45.* Cùm in Conuentu S. Mariæ à Remediis in ciuitate Pueblæ Angelorum, P. Fr. Ioannes à Iesu ex Carmelitis S. Teresiæ, ex variis frustulis S. Crucis, integram crucem efformare vellet, ad opus perficiendum, frusta in vas aqua plenum priùs proiecta, illicò sanguinem emiserunt, ex quo tota aqua sanguinea apparuit.

7. *Philippus Alegambe in vitis illustribus P.P. Societatis Iesu.* Quædam crux inuenta in sepulchro S. Thomæ Apostoli, in templum quoddam ad honorem eiusdem Sancti à Lusitanis Christianis in Maliapur extructum, illata est, & super Altare ipsius collocata, simùlque institutum, vt quotannis octo diebus ante Natalem Christi res illic diuina fieret, & Christiani eò conuenirent. Hoc autem dùm fieri cæpisset ann. 1561. & iàm octauo ante Domini Natalem die euangelium de misso ad Virg. Angelo in Missa legeretur, ecce tibi repentè crux tota in nigrum colorem vertebatur, ita tamen, ut splenderet, ac si oleo fuisset delibuta, simùlque instar roris guttæ liquidæ deffluere cæperunt, quæ paulatim grandiores factæ, totam crucem humore largissimo compleuerunt. Cùm autem Sacerdos re diuina peracta linteis sacris crucem exterxisset, lintea maculis sanguineis tincta reperta sunt. Hoc quotannis illìc fiebat, nec alio die, quàm iàm dicto, nec alio tempore, quàm cùm Euangelium prædictum recitabatur per Episcopum Cochinensem. Id prodigium si quandò aberat, dirum aliquid portendi populus putabat. Postquam autem infestis classibus Battaui cæpere latrocinari per Indiam, desierat fieri. Decima verò ab aduentu V. P. Marcelli Mastrilli Neapolitani Goam die, hoc est die 18. Dec. Anni 1635. tãtùm sanguinei sudoris totas quatuor, & viginti horas, spectante frequenti populo, stillauit, vt multa lintea eo imbuta sint. Auxit miraculum sudãdi modus, non à summo deorsùm, quod ominosum est, sed ab imo sursùm, quod putatur in lætis.

8. *Ioannes Eusebius lib. 2. de mirac. Nat. c. 56.* Priùsquàm ingens procella contra Christianos Neophitos Trauancorios concitaretur, aliquibus eam signis, & præsagiis præsignasse visus est Deus. Cotatæ enim, vbi templum, ac crucem erexerat Andreas Bucerius ex nostra Societ. die Veneris vespera, 1604. liquor quidam sanguineus ex vno crucis latere promanare visus est. Hoc liquore in crucis modum diffuso, omne lignum circumsecùs maduit, & ad septimanas aliquot mansit humectatum; è medio verò crucis fulgor quidam, qualis è gemmis emicare solet, prodijt. Adeò mirum hoc visum cun-

ctis, vt plurimi ad spectaculum, pars Christiani, pars Ethnici confluxerint, variasque de eadem re composuerint (quod indigenis, si quandò nouum, & insitatum contingit, perfrequens) cantilenas, quas magna gratulatione Christiani decantabant. Notatum post, latus Crucis, è quo liquor ille stillabat, illum terræ tractum respicere, in quo Neophyti vexati fuere, quasi instantis eos aduersitatis, quæ trimestri post illos oppressit; simul, & splendoris, & gloriæ crucis Christi hinc promanaturæ, commoneret.

9. *Kar.t.1.Con.* Iulius quidā Patricius Rom. captus amore Hortensiæ Meretricis, nullatenùs potuit auelli monitis Stanislai Nobilis Poloni secùm habitantis Romæ. Hinc cùm illa fugit, & æger post septennium rediit, Gratulatur illi Stanislaus, & obsequium offert. Ingrauescente verò morbo, vt resipiscat, vt confiteatur hortatus est. Non potuit ille induci, asserens, se perditum esse, atque ita agonizare cæpit. Tunc Stanislaus solus ante crucifixum orauit cùm lachrymis pro Iulii salute; sed Christus, sanguinem de ligneo latere manu educens, dixit, se iustum esse, cuius misericordiam Iulius spreuit; Hic cruor illum accusabit in iudicio; mox inuenta Iulii facies cruore conspersa. Hortensia his auditis, conuersa est.

10. *Rubeus libr.*18. *Hist.Rauen. ad ann.*1512. Hoc anno Christi Dei crucifixi ligneum simulacrum, quod in æde D.Dominici in sacello iuxta aram maximam est, sanguinem affluenter sudasse pro comperto habetur.

11. *In Chronicis Minorum par.*2.*lib.*4.*cap.*13. Cùm Parisijs sacrum ordinem Minorum quidam Theologiæ magister ingressus fuisset; post paucos dies, à matre, quæ summa afficiebatur paupertate, vt habitum exueret precibus impellebatur; maternis lachrymis commotus Nouitius, ad sæculum redire statuerat, priùs tamen ante imaginem crucifixi orans, diuina oracula expectabat. Tuncque (mirum dictu) oculos attolens, è vulnere lateris crucifixi copiosum sanguinem emanare conspexit, vocemque audiuit dicentem sibi: ego maiori amore quàm mater tua te creaui; hocque pretioso sanguine redemi. Quibus verbis in se reuersus Nouitius, in sancto proposito Religionis perseuerauit.

12. *Ibidem*. Alius Nouitius, cùm habitum religiosum exuere meditaretur, vidit ex vulneribus cuiusdam crucifixi, ante quem orabat, copiosum manare sanguinem; quo miraculo compunctus, propositum mutauit.

13. *Bzouius in ann.Eccl.an.*1301.*num.*11. Optabat aliquandò B. Iacobus Meuaniensis ordinis Prædicatorum, an ipse prædestinatus esset, à Deo intelligere; qua de re cùm enixiùs ad Deum preces fudisset, Saluatoris cruci affixi imago, coràm qua procumbens orabat, edita voce: sanguis, ait, sit tibi in signum. Moxque, mira res, continuò prosiliit de loquentis imaginis latere copiosus sanguis, & tùm faciem illius, tùm vestes ad eum modum resperxit, vt rubentes guttæ non nisi post multum temporis elui potuerint. Eius insuper sanguinis guttulæ aliquot in eius labia defluxere, à quibus ita edulcatus est eius animus, vt ex ea die semper optarit dissolui, & esse cùm Christo. In sacro eius corpore, licet idm multis abhinc annis decesserit, adhùc conseruantur vestigia prodigiosi sanguinis.

14. *Ioseph.Ripamontius libr.*15.*Histor.Eccles. Mediol.* Canobii, qui locus est in Verbani lacus litore, frequenti mercatu, & vetere Borromææ Domus Comarchia insignis, ibi in publico hospitio imaginem Christi Saluatoris, quæ ex pariete suspensa pendebat, ferunt, anno à partu Virginis 1526. vi. kal. Ianuarii, magno repentè tremore, fremituque horribili vltrò esse concussam; deim sacro sancti lateris hiatu vim sanguinis effusam, qui toto conclaui manaret, respergeretque adstantes; postremò ab hiatu eodem paruam costam excidisse; Antistitem, Canonicosque loci, & populum eum omnem, re nunciata aduolasse illùc, ac postquam suxerint spongijs omnem diligentissimè cruorem, solemni pompa spongias ipsas, tabulamque pictam, vnà cùm costa, quæ indè prosilierat, templo intulisse. Addunt indè miraculum aliud; cùm spongiarum earum, sanguinisque contactu diuinitùs quotidiè multa patrarentur, & petendæ opis causa templum illud vndique adiretur, mercatorem vnum, die quodam, sacerdoti, qui rem diuinam in ea ara faciebat, argenteum numum didisse, spongiis, costæque admouendum, cùmque ille admouisset, protinùs esse occæcatum, haùd dubiè quia mysteria illa tremenda circumforaneo ære profanarat. Hæc licet propè excedant fidem, firmantur tamen eorum testimonio, qui proximi temporibus illis fuerunt, & narrantes audiuere eos, qui ipsi spectaculo affuerunt, inhorruerantque. Et nostra memoria D. Carolus, cùm diœcesim suo more lustraret, interrogatis eius oræ senioribus, & re comperta, quæ acciderat, cohortatus loci incolas, vt domum eam publicè coemerent, aream templo designauit ibidem, vbi sanguis manarat.

15. *Rocchus Pirrus in Notitijs Ecclesiarum Siciliæ, de Conuentu Dominicanorum Drepani*. Hoc cœnobium illustratur reliquiis S. S. Vincentii Ferrerii, Vrsulæ V. & M. & maximè celebri S. Crucifixi simulachro miraculis clarissimo, quod tempore pestis Anno 1565. sanguinem emisisse testantur.

16. *Gonzaga in Prouincia Brixiæ, de Conuentu S. Mariæ de Gratijs Bergomi*. A parte huius sacri templi posteriore inuisere licet Christi Domini Seruatoris nostri crucem baiulantis imaginem, quæ superioribus annis sanguinem ex sacro eius capite emittere visa est.

17. *Angelus Portenarius de Fælicitate Paduæ, l.* 9.*c.*30. An. 1512. Paduæ in Ecclesia S. Mariæ P.P. Seruorum mense Februarii, ex crucifixi imagine copiosus emanauit sanguis, sudorq. à facie, & à latere quindecim dierum spatio; & feria sexta in Parasceue, quæ incidit tunc in diem nonam Aprilis, & per duos subsequentes dies iterùm ex eadem imagine tàm copiosus exiuit sudor, vt ampulla, quæ ibidem adhùc videtur, miraculoso eodem liquore impleta fuerit.

18. *Ia-*

18. *Iacobus Pintus, de Christo Crucifixo l.3.tit.4.loc.12.* In oppido Galtellinensi in Prouincia Gallurensi Turritanæ contigua in Regno Sardiniæ, quędam imago crucifixi antiquitate, & populi deuotione insignis, sanguinem sudauit.

19. *In vita B. Henrici Susonis cap.25.* Accidit quadam in Vrbe, vt ingēs de illo rumor percrebresceret, & ne dùm illud oppidum, sed etiam totam regionem peruagaretur. Erat namq. in illa ciuitate Cœnobium, vbi imago crucifixi saxea habebatur, eiusdem, vt ferebatur staturæ, cuius fuerat Dominus Iesus. Quodam autem ieiunii Quadragesimalis tempore sanguis recens circà latus vulneris eiusdem imaginis visus est. Accurrit eò Henricus vnà cùm cæteris, vt miri illud conspiceret; Viso sanguine, accessit propiùs, & excepit illum in digitum suum adspectantibus cunctis qui illic aderant.

20. *Daniel Bartolus in prima parte Asiæ libr.4.* Eo tempore, quo S. Franciscus Xauerius Indorum conuersioni incumbens, ingenti aliqua afficiebatur tribulatione, crucifixus ligneus, qui in illius domo paterna reperiebatur, mirum in modum, guttas sanguineas emittere conspiciebatur. Immò eo anno, quo ad cælestem patriam est euocatus, quacunque sexta feria, in eundem sanguineum sudorem profluebat, ab eoque cessauit, statim ac è viuis translatus est.

21. *Idem in vita S. Ignatij l.1.* In spelunca Manresæ, in qua S. Ignatius Loyola sui spiritus exercuit primordia, reperitur imago crucifixi in lapide incisa, ex qua anno Domini 1627. in peruigilio Festiuitatis S. Ignatii, dùm in propinquo sacello completorium recitaretur, sanguis viuidus, primò ex latere, demùm ex manibus, & capite, maxima copia, omnibus præsentibus admirantibus, mirum in modum fluere visus est. Vsque modò in eadem imagine apparent vestigia, quæ sanguis effluendo efformauit.

22. *Ioannes Eusebius libr.16. Hist. Nat. cap.67.* Quo tempore è Vesuuio monte conflagrans ignis exiliens, multas absorbuit Villas, crucifixi imago sanguine sudauit; aliaque Deiparæ Icon cruentis lachrymis defleuit.

23. *In m. s. s.* Cùm orta esset seditio, 130. ab hinc annis in Ciuitate Phariæ, vulgò *Lesina*, Illyrici plebsque populusq. vnanimi consensu contra primarios, nobilesque viros arma ad eorum internecionem sumere statuissent, antequam horrendum facinus exequerentur, se se omnes iureiurando ante imaginem crucifixi, & ad fidem, & ad exequendum propositum deuinxerunt. Interim dùm armata manu vndique per Ciuitatem crudeliter trucidarentur nobiles, ex vulneribus crucifixi, ante quem sacrilegum iuramentum emiserant, sanguis copiosus effluere à quadam puella conspectus est, quæ prodigio peterrita, illud manifestauit. Accurrunt multi, copiosumq. sanguinem fluentem mirabiliter conspiciunt. Quod cùm delatum esset ad Episcopum, iussit is, vt instituta processione, solemni pompa sacra imago ad Ecclesiam Cathedralem deportaretur; Quod & factum; assistentibus semper hinc & indè duobus sacerdotibus, qui calicibus suppositis, sanguinem manantem reciperent. Hoc prodigio perterriti omnes, diuinam implorabant misericordiam, odiaque concepta, & facinus inchoatum derelinquere pœnitentes promittebant. Post quæ, sanguinis miraculosum profluuium cessauit. Hic sanguis multis Ecclesiis fuit distributus, proque venerabili reliquia conseruatus. Crucifixus verò vsq. adeò in eadem Ecclesia Cathedrali summa veneratione colitur.

24. *In m. s. s.* In Ecclesia S. Marci in Burgo Maris, ciuitatis Sebenici in Dalmatia, deuota imago crucifixi reperitur, quæ olim sanguinem sudasse dicitur.

25. *In ann. Capucc. ann. 1589. de Fr. Raynero à Burgo S. Sepulchri.* Tàm ardenti Dominicæ passionis memoriam mentis pietate contemplabatur, vt cùm ligneam Christi crucifixi statuam, in noua, quam parauerat, Cruce, aliquandò in Eugubino Conuentu, clauis configeret, tàm fixa meditatione veram Christi crucifixionem, quæ olim Iudæorum scelere patrata fuit animo hausit, ac dolore prosequutus est, quasi præsentem illam cerneret; quare diuina mox virtute factum est, vt repentè ex statuæ manibus, ac pedibus tàm abundè sanguis exiuerit, vt per crucem decurrens, in ipsius manicam defluxerit.

26. *In ijsdem ann. Capuccinorum.* Fr. Io. Baptista à Fauentia, semel tanta vi, & efficacia motus iræ repressit, vt abrupta vena in pectore, sanguinem viuum euomuerit, cuius rei valdè dolens, Ecclesiam ingressus, ante imaginem crucifixi orans, quæ pro eius amore patiebatur ostendebat: tunc crucifixus, refixa è cruce dextera manu, sumens sanguinem, qui ex lateris vulnere profluebat, ait illi: vide Baptista, quid pro te passus sum: Quo prodigio ad maiora toleranda pro Christo Domino confirmatum fuit cor eius.

27. *In vita Fr. Innocentij à Clusa, ordin. Minor.* Postquam seruus Dei Innocentius, habitum seraphicę Religionis induit, sæuissimè tentatus fuit à Dæmone, vt sanctam vocationem paruipendens, ad sæculum reuerteretur. At semel orans ante imag. crucifixi, ex illius vulneribus viuidum sanguinem profluere mirabiliter oculis corporeis conspexit; quo prodigio territus, mentem mutauit, Diaboliq. versucias fugauit.

28. *Andreas Rota, in vita Ven. Sor. Pudentianæ Zagnoniæ Virginis Bononiensis cap.17.* Quadam die post diutinum ieiunium, cùm frustulum panis ad inediam euertendam desumere tentasset Ven. Sor. Pudentiana Zagnonia, haùd illud deglutire potuit, at panem sacro vulneri pectoris pendentis crucifixi admouens, illicò sanguine madefactum mirabiliter retraxit, vllaque absque difficultate comedit.

29. *Petra Sancta de mirac. perpetuis capit.13.* In Ciuitate Bilomensi Aruerniæ Prouinciæ Gallicæ, ex imagine Crucifixi manauit sanguis, qui toto anno semper feria sexta cuiusuis hebdomadæ liquescit, aliis verò diebus concrescere, & stringi solet.

30. *Cæsarius l.10.c.20.* Otto contra Philippum ascendēs cùm exercitu vsq. ad Vurzimbarch peruenit, vbi satellitibus eius Ecclesiam quandā intrantibus, vnus ex illis, crucifixum in eminenti loco positū

tunica linea, & cùm multo studio consuta tectum, vidit, & concupiuit. Quam cùm manu non potuisset attingere, lancea nisus est extrahere, & quia firmiter imagini connexa fuit, in diuersis locis illam pupugit; Dominus verò vt sibi factum ostenderet, quidquid eius imagini iniuriæ, vel contemptus irrogatur, egit sua potentia, vt de singulis punctionibus sanguis vbertim emanaret.

31. *Idem libr. 10. cap. 19.* Tempore discordiæ inter Ottonem, & Philippum, in Oratorium Sancti Goari confessoris, quod situm est in Territorio Treuerensi, & est firmissimum, tùm propter situm loci, tùm propter structuram, prouinciales se se, suaque transtulerunt. Quo cognito Vuernerus de Boulant vir potens, & diues, cùm ad expugnandum illud, arietes, machinasque applicuisset, nec tamen profecisset, imaginem crucifixi ligneam, hi qui deintùs erant contrà hostes, in quandam fenestram posuerant, sperantes, quòd ob illius venerationem loco parcerent. Quidam verò ex balistariis de cruce non curans, immò locanti illam indignans, telum misit, & sacram iconam in brachio profundè fatis vulnerauit. Mox mirum in modum, antiqua renouantur miracula, & adinstar venæ humanæ, sanguis de loco vulneris cæpit stillare. Timore tanti miraculi postea prædictus Vuernerus cruce signatus est. Audiens tanta miracula Dominus Philippus Abbas Ottirburgensis, locum adiit, de rei veritate inquisiuit; Cui cùm ab omnibus hoc, quod prædictum est, diceretur, Iudæus qui tunc casu adfuit, Abbatem in partem traxit, dicens, verè Domine, verissimum est, quod audistis; &, sicut ipse mihi retulit, multò ampliùs delectabatur in testimonio inimici. Adhùc telum ibi reseruatur, adhùc vulnus, & sanguinis stigmata illic ostenduntur. Vtraque Abbas noster se vidisse testatur.

32. *Vinc. Belu. lib. 23. Spec. Hist. cap. 160.* Tempore Constantini Imperatoris, & Irenæ vxoris eius, in Syria ciuitate Berico, quæ subiacet Anthiochiæ, Iudæi imaginem Saluatoris nostri Iesu Christi inuenientes in domo cuiusdam Iudæi, relictam à quodam Christiano, qui ibi manserat, eam iniuriosè deposuerunt, & omnia opprobria, quæ Iudæi Iesu Christo intulerunt, eius imagini inferebant, illudentes ei, in faciem conspuentes, criminosè conuiciantes, eamque percutientes, manus, & pedes eius clauis configentes, acetum, & fel ei porrigentes. Tandem latere eius aperto, exiuit de eo sanguis, & aqua. Quod illi supposita ampulla suscipientes, ad experimentum vtrùm fuerint vera miracula, quæ Iesum fecisse audierant, omnes infirmos in Synagoga sua collectos hoc sanguine aspergebant, & à quocunq. languore detinebantur, omnes sanabantur. Indè tandem Iudęi compuncti, ad Deodatum ciuitatis Episcopum omnes concurrerunt, eique re enarrata, imaginem cùm sanguine ei dederunt. Quibus baptizatis Episcopus sanguinem per ampullas diuisim longè, lateq. dirigens, prædicabat magnalia Dei, obtestatus omnes, vt singulis annis quinto idus Nouembris celebretur Passio Dominicæ imaginis.

33. *Sigibertus in Chr. ad ann. Christi 560.* Hoc tempore Iudæus quidam, imaginem Saluatoris de Ecclesia furtim deponens, eam telo transfixit, & eam clàm ad domum suam deferens, cùm eam vellet flammis exurere, se sanguine imaginis cruentatum videns, prę stupore eam abscondit, quam Christiani requirentes, & per vestigia sanguinis inuenientes, eam sanguinolentam receperunt, Iudæum verò lapidauerunt.

34. *Cencius Camerarius apud Bar. an. 1191. n. 4.* Super arcum Basilicæ Lateranensis, qui sustentabatur de duabus columnis porphyreticis, erat imago quædam Saluatoris, quæ à quodam Iudæo percussa olìm in fronte, sanguinem emisit.

35. *Baron. an. 446.* In Ecclesia S. Sophiæ Constantinopoli extat puteus, qui Sanctus dicitur, tectus coopertorio deaurato, argentoq. exornato, de quo ista scribuntur. Christianus homo in ianua domus suæ erexerat imaginem Saluatoris, quam Iudæus odio Christianæ Religionis nocte furto abstulit, cultroque eius vultum punxit; ex quo inflicto vulnere, magna copia sanguinis effluxit, Iudæiq. vestes aspersit: qui magno timore affectus, eamdem acceptam imaginem, in propinquum puteum coniecit, & reuersus est in domum suam, quem cùm sanguine aspersum eius vxor viderit, in suspicionem adducta, patratum ab eo fuisse homicidium, quod ille negauit: Sed maiorem augebat suspicionem, dùm eum timere, & tremere cerneret. Mane autem facto venerunt ex more, qui ex publico puteo haurirent aquam; Sed cùm pro aqua, sanguinem se hausisse conspicerent, magno sunt horrore exterrefacti, req. statim per Vrbem vulgata, aduenit illùc tandē Pręfectus Vrbis, quòd existimaret, illùc cadauera occisorum esse proiecta. Qua de causa totum puteū iussit exhauriri aquis, in cuius fundo, non hominis alicuius corpus occisum inuenerunt, sed sacrosanctam imaginem Saluatoris, vulnere perforatam, & è vulnere recentem adhùc sanguinis guttam fluere, vt vndè sanguis emanasset, certo indicio doceret; eam Præfectus acceptam ad Imper. attulit. Cuius iussu, voce pręconis inquiri iubetur, qui adeò sacrilegum facinus perpetrasset, promittens indulgentiam criminis ei, qui spontè se se reum proderet, pęnam capitis secùs facienti comminatus. Quæ cùm Iudęi vxor audisset, de viro suo suspicionem concepit, secretòq. eum detulit magistratui; à quo missis apparitoribus capi iussus est, & ad Imperatorem perductus, rem ipsam absq. tormētis, vt se habebat, palàm fecit, contestatus se fore Christianum. Qui vnà cùm Vxore baptizatus est. Ipsa verò Saluatoris veneranda imago super puteum collocata est, puteus autem ambitu murorum intrà S. Ecclesiam comprehensus. Cuius rei gratia, Kalendis Nouembris in facti memoriam ea historia recitari consueuit.

36. *Alanus Copus dial. 4. c. 17.* Imperante Carolo, proditur, Iudęum quendam imaginem quandam Christi telo contumeliosè vulnerasse, ex qua mox sanguis emanauit, quasi iteratam Christi passionem admirabiliter repręsentaret. Quem in Italia se cùm Duce suo Ioannes Auentinus vidisse fatetur, & huiusmodi sanguis cùm alibi, tùm, & Venetiis hodiè visitur, & religiosè colitur.

37. *Vghellus in Ital. Sac. to. 6. Teatini Episcopi.* Ann.

An.1062. In Aterni, seù Piscaria Theatinæ diœcesis oppido, insigne miraculum accidit in sęculo memorandum; nam de cerea imagine Saluatoris nostri Iesu Christi à Iudæis in eodem oppido commorantibus supra quadam antiqua tabula lignea in crucifixi similitudinem expressa, acubus, & lancea perforata, sanguis emanauit; qui adhùc in ampulla vitrea asseruatur, & religiosè colitur apud Ecclesiã Theatinã, ac frequenter populo ostenditur exosculandus.

38. *Cesar Franciottus in vitis S.S. Lucencium.* Quidam ludo addictus, ira correptus, saxum in crucifixum proiecit, qui Lucæ in Ecclesia S. Iuliæ colitur, dominiq. faciem percutiens, sanguis statim fluxit, qui in vas, in quo aqua benedicta seruabatur, decidit: territus percussor, cùm exire vellet, non potuit; nàm ianuæ limen apertum diuinitùs fuit, ibique petra diducta, eum recepit, quæ denuò reclusa est, signum apertionis relinquens, nec vllus hùcusq. ausus fuit petram illam auferre, visurus quid subtùs eam lateat.

39. *Spondanus in ann. Eccl. ann.* 1383. *n.* 7. Hoc eodem anno apud Moguntiam in Germania, homo quidam sceleratus, cùm ludendo pecuniam perdidisset, furorem vertens in res sacras, ingressus in quandam Ecclesiam, imaginis crucifixi caput gladio à ceruice resecuit, & Sacratissimæ Virg. Ioannisque Apostoli signis cruci adstantibus cesim punctimque ictus inflixit; moxque ex vulneribus copiosus sanguis effluere cæpit. Ad quod miraculum sceleratus attonitus, pedem indè efferre non valens, à superuenientibus captus, igne combustus est viuus. Imagines vulneribus, & cruore insignes ad posteritatem seruatæ vnà cùm effuso sanguine, ad quem ingentia postindè edita sunt miracula.

40. *Ægyd. Gelenius de mirac. imag. in Ecclesia Montis Carmeli, Colon. Agripp.* Picta Christi in cruce pendentis imago translata hùc est ex arce Saffembergica; hæc olìm ter pugione puncta, sanguinem stillauit, cuius clara indicia in valuis tabulæ extant: quidam enim helluo cùm infæliciter aleæ lusum exercuisset, impatiens detrimenti, educto pugione, imaginem inuadens, desperata, & blasphema voce: si Deus ipse esses, tibi genas discinderem, inquit, & vultum imaginis punctim ferit vndè prodigiosus cruor prosilijt. Imagines facies annorum plurimorum ætatem sapit.

41. *Tilmanus Brendebach. libr.* 3. *collat. sacrarum cap.* 13. Duo Aleatores, Budæ Pannoniæ Vrbe conuenerunt, vt alter in Dei, alter in Diaboli nomine luderet. Qui in Dei nomine lusit, pecuniam omnem vnà cùm vestibus amisit; Noctu igitur domum rediens per cæmeterium, saxum arreptum in imaginem crucifixi proiecit, & frontem illisit, vndè & sanguis mox profluxit; eo facto, vicinus quidam Lanio podagricus monitus ter in somno, vt surgeret, & obuium proximè confoderet; Paruit tandem, & surgens sanatum se deprehendit, cultro igitur laniario armatus, foràs prodit, & aleatorem sibi obuium factum cultro confixit. Mox rem magistratui indicat, quo adueniente, Dæmones cadauer aleatoris in præsentia astantium cùm vlulatu in sublime raptum abstulerunt. Quæ res, propter vulnus crucifixo inflictum, lanium à periculo liberauit.

42. *In m. s. s.* Tranii in Ecclesia P. P. Minorum Obseruantiæ Sancti Francisci, piè colitur imago crucifixi, quæ à Turcis olìm gladiis percussa, sanguinem emisisse traditur; in ea etiam nunc apparent signa vulnerum, quibus à sacrilegis fuit affecta.

43. *In m. s. s.* Bononiæ in Ecclesia quondam P.P. Cruciferorũ extra portam viæ maioris, colitur veneranda imago crucifixi, quæ olìm à sacrilegis Hæreticis exercitus Borboni vulneribus affecta, viuidum sanguinem emisit.

44. *Bzouius ann.* 1300. *num.* 21. Cùm hoc anno Neapoli quidam creditor suum debitorem mutuatam pecuniam illi denegantem, ante imaginem crucifixi conuenisset, crucifixusque motu capitis veritatem aperuisset, Perditus debitor furore percitus, saxo quodam arrepto, in faciem Imaginis iecit, ea verò sanguinem copiosum ex vulnere stillauit, scilicet in detestationem perfidiæ, & asebiæ, Eius rei memoria in eadem Ecclesia legitur, his ipsis verbis. Anno Domini M. CCC. Regnante Carolo II. Sacra hæc imago crucifixi, dùm pro mutuata pecunia compatres inuicem altercarentur, diuino splendore fulgente verbo facti veritatem aperuit; Quod alter indignè ferens, debitorem se esse negauit, durissimaque petra imaginis faciem continuò percussit. Qua statim liquore conspersa, miraculum omnibus enituit; atque sacrilegus ipse tanto crimine immobilis factus, creditoris precibus Deo fusis, iterùm incolumis redactus, quamdiù vixit pœnitentiam egit.

45. *In m. s. s.* An. 1628. in Polonia, in Dominica Palmarum, è Ciuitate Bransbergensi tres milites Sueci egressi, armatis sclopis venerunt ad Villam quandam Iesuitarum, vbi imaginem crucifixi ante portam repertam, iniuria affecerunt; vnus in manum dexteram eiaculatus est globum, alter in sinistram, & statim sanguis effluxit, tertius in latus. Illi pauefacti prodigio, conati sunt cruorem abstergere, sed in vanum; tota Ciuitas affluxit ad stupendum miraculum, sacrilegi verò paulò post miserabiliter interierunt.

46. *Mathias Faber ex litteris scriptis è castris Tillanis, an.* 1627. Filius cuiusdam Prædicantis, cùm in nocte Natiuitatis Dom. An. 1626. Catholicis in templo agentibus, foris imaginem crucifixi vulnerasset, sanguis indè ad terram vsq. profluxit, quem nec ipse pater eius cohibere potuit, visusque est à Catholicis templo egredientibus.

47. *Sylos in Hist. Cler Reg. part.* 3. *lib.* 8. *Anno Christi* 1646. *ex epist. quorumdam Lusitanorum è Canarà scripta die* 20. *Nouemb. an.* 1645. *de Francisco Manco Cler. Reg. in Golgunda Regno Euangelium euulgante.* Rogatus fuit (Mancus) à Præside Prouincię Biblipatàm, vt duos hortos dono acciperet, vbi Ecclesiam sibi cùm domo ędificaret, quibus Pater acceptis, templum nunc extruit titulo S. Crucis Theatinorum, eam ibi Crucem deposuit, quę hoc eodem anno coràm paganis gentibus, ac fidelibus Lusitanis in Chouchìm habitantibus, magnam sanguinis copiam effundere visa est.

Non incongruum hìc erit aliqua adnotare Admiranda, quæ miraculoso Sanguinis effluuio ex aliis do-

dominicæ passionis Instrumentis euenere.

48. *In actis S.Agricij Ep. Treuirensis 13. Ianuarij apud Bollandum*. Dùm Bruno Coloniensis Episcopus, corrupto custode Ecclesiæ, in qua asseruabatur Treuiri Sacer Clauus, quo Dominicum Corpus in passione fuit crucifixum, ipsum auferre tentarent, alio adulterino supposito (mira res) Sanguis non modicus de clauo ipso in Syndonem profusus, item indè in sinum camisiæ miserrimi portitoris tàm multas manauit, vt omnia illius viscera pauore frigescerent. Qua de re confusus, & reatum suum, & Episcopi publicè confiteri coactus, facto mox omnium conuentu, quos diuturnus campanarum sonitus, tantique miraculi rumor insolitus, nec auditus à sæculo poterat euocare, statuto in medio eodem fure nefando, extenso coràm omnibus sanguinolento panno, ipsoque fusore huius sanguinis Sacratissimo clauo; vna vox omnium Deum laudantium eleuatur.

49. *Ioannes Faber, apud Raynaldum*. In oppido Vuerd, sex milliaribus germanicis ab Augusta distante, spina coronæ Domini, quæ per Cæsarem magna deuotione illìc in cœnobium S.Crucis ordinis D.Benedicti fuit deportata, in die feriæ sextæ maioris hebdomadæ an. 1518. in præsentia plurium fide dignorum sanguinem sudauit.

50. *Ægydius Gelenius in Colonia Agripp. de reliq. Eccles. S.M.Virg. ad Grad. Colleg.* Hierotheca continet duas insignes spinas de asperrima Christi corona; hæ ante complures annos impositæ in altari sacræ mappæ, quam corporale dicimus, prodigiosè sanguinem stillarunt, qui conseruatur vnà cùm parte mappulæ in vertice hierothecæ.

Alia exarabuntur cùm de sanguine perenniter rubescente in Dominicæ Passionis instrumentis.

Idem Cruor ex alijs Imaginibus. §. 7.

1. *Io. Antonius Castilionaus, libr. antiquitatum Basilicæ Vincentianæ Mediol. fasciculo 10. par 1. de templo S.Caloceri*. In hac exteriori æde, sacra visebatur antiqua imago B. Virginis Mariæ astantis Christo Domino crucifixo, vnà cùm aliis sacris imaginibus Sanctorum Ioannis Euangelistæ, & Mariæ Magdalenæ, ac Beatorum Caloceri, & Bernardini Senensis, in veteri pariete pictura expressis, An. 1474. die decima Nouembris, non quidem in eo, quo nunc est loco, sed paulò propinquiori Sacrario. Hæc B.V. Mariæ imago anno à Christo nato 1519. die 11. mensis Iulii, lachrymas sanguinis prodigiosè cæpit effundere, eodemque modo toto triduo flere perseuerauit.

2. *Augustinus Florent. p.2. hist. Camald. libr. 3. cap. 24.* Anno 1498. cùm municipes Balnenses multas discordias, & inimicicias inter se se gererent, & cædibus essent intenti, Bocius Dieciaiuti preces Deo ante imaginem Reginæ Cælorum, & Matris gratiæ in domo sua fundebat, accensa facula de tertia vigilia noctis, rogans ipsam Beatam Virginem, vt tantis discordiis finis imponeretur. Fuit is dies 19. Iann. Ecce autem, quòd de sinistro imaginis brachio sanguinem profluere videt, clamoreque elato, confluunt principiò vicini, omnesque sanguinem leniter profluere attoniti vident: & quasi in momento, ea latè per totum oppidum vulgata fama, concurrunt omnis vtriusque sexus multitudo, tundunt pectora pugnis singuli, iteratis vocibus misericordiam, misericordiam clamantes. Cùm verò post duas horas se contraxisset sanguis, aduenientibus inter extremos, Sancta, & Lucretia fœminis, quæ diras inter se se inimicicias exercebant, rursùs duæ guttæ sanguinis illicò suprà priorem cadunt. Quo viso prodigio, altera alteri se inclinat, veniam postulat, pacem mutuò ineunt.

3. *Spinellus, de Beata Virgine, apud Gononum in Chron. ann. 1611.* Imago Deiparæ depicta rudi penicillo in pariete cuiusdam Domunculæ, in qua retia aliaque huiusmodi nautica instrumenta seruabantur, Salerni in Regno Neapolitano an. 1611. hora ante Solis Occasum prodigiosum cæpit sudorem emittere, aqueo liquori persimilem; guttula etiam rubra, velut sanguinei coloris ex eius fronte fluxit, quod à viris quatuor obseruatum est. Fuisse videtur hic sudor prænuncius ingentis cladis, quæ die sequenti (qui erat dies Pentecostes) contigit, quandò Monasterium nobilissimum Montis Virginis, non procùl Neapoli, conflagrauit, plurimis absumptis. Euulgato autem hoc imaginis sudore, ingens ad imaginem concursus factus, ibique nobile Templum Piorum eleemosynis ædificatum est, hoc Distico ad imaginem supposito.

Virgineus cùm Mons multorum cæde flagrauit
Sudorem hæc visa est mittere sanguineum.

4. *Hieronymus Faber, in Monumentis Ecclesiæ Rauennatis, de Metropolitana Ecclesia*. In sacello huius Ecclesiæ, Beatæ Virgini dicato, colitur imago deuota eiusdem Virg. quæ anno 1512. ante direptionem vrbis mirabiliter sanguineas guttas emisit; In cuius memoriam adhùc in ea perseuerant maculæ sanguinei coloris.

5. *Lipsius in D.Virgine Aspricollis cap. 5.* Anno Domini 1603. imaginem B. Virg. Aspricollis, seù Sichemiensis in Flandria, sanguinem stillasse, plurium oculis est vsurpatum. Venerant Sichemium è Magistratibus Pagorum adiacentium negotii publici causa: eoque peracto, Domum quique redituri ad sacrum tamen locum religionis, & Orationis ergo, diuertunt. Quinque erant, atque ii dùm corpore flexo orant, vnus intentior in Diuam, guttam sanguinis floridè purpurantem in labro eius videt. Hæret, ambigit, & audet manu tangere, & digitis primoribus abstergere. Attonitus ostendit proximis pariter mirantibus. Atque ecce alia eodem loci gutta se ostendit, & ab alio detergitur. Fit tertiùm, fit quartùm: quam primus ille (Valterus Vuckelenus nomen) candido linteo exceptam omnibus exhibuit, veri sanguinis colore, & facie, mansitque & in posterum diem denarii nummi modulo diffusa, sed dilutiùs rubens. Circumspicere iis cura fuit sacelli tectum, & nùm perplueret: ne quis humor fortè delapsus fefellisset. Nihil fuit, ne ipsa quidem statua colore vllo nouo tincta iàm pridem, sed quidquid, & quaqua causa hoc fuit, vi cælesti ex arido ligno stillauit.

6. In

6. *Iam. s. s.* Anno 1646. Parmæ Imaguncula quædam Beatæ Virginis Puerum Iesum in sinu suo habentis, quæ apud Parochianum quendam Parochiæ Sanctæ Christinæ, quam Patres nostri inhabitant, ad lecti spondam erat, de repentè visa est aqueum è fronte humorem mittere, mox humor in sanguinem verti: nouitate perciti familiares, id Domino suo referunt, qui, & ipse prodigium stupens, Patres nostros conuenit, eosque vt rem attentè considerent, precatur: Illi primò reiecerunt, id arbitrantes friuolum fœminarum timorem, sed iterùm precibus coacti, conueniunt hominis Domum adire, proprijsque luminibus prodigium spectari; Quare Præpositus, adiunctis aliis Patribus locum adijt, imaginem veneratus, iuge humoris profluuium videt, indè sudariolo, quod ad manus habebat, pueri vultũ abstergit, quod mox sanguine conspersum apparet, genua mittunt, Dei opem implorant, preces, quas Litanias vocant, recitãt. Postmodũ surgentes, decernunt Vicarium Generalem adeundum esse, qui adhibitis debitis cautionibus, rem publicis tabulis mandari curet; indè Domum redire parant. At verò Homo ille timore perculsus, noluit prodigium illud Domi habere, sed supplex Patres precatur, vt in Ecclesiam suam imaginem transferant, eamque debito cultu, & veneratione custodiant. Itaque ad Cænobium nostrum Imago illa translata est. Postera die aduentat Vicarius, Imaginem denudatam visit, eamque in cubiculo custodiri adhibitis sigillis mandat, quę tamen iàm per duorum, aut trium dierum spatium desudans, ac tantam humoris copiam mittens visa est, vt plures lagenæ commodè impleri potuerint, iàmque re per totam Ciuitatem diuulgata: tandem desudare destitit. Non multò post Serenissimus Odoardus Farnesius Dux cessit è vita, quin & intrà vnius anni curriculum Soror eius, Ducis Mutinensis vxor, Franciscus Maria Frater Cardinalis, ac Margarita Mater sebsecuti sunt.

7. *Iansonius Doccomensis, To. 2. Mercurij Gallo Belgici lib.* 7. Anno 1593. Die 24 Decembris, Romę cùm Monachi imagines Sanctorum pro veteri, & recepta in Ecclesia consuetudine in Altaribus, eminentibusque locis Templi, *del Popolo* exponerent, inter alias quoque, Antiquissima prolata est Tabula, effigiem habens S. Nicolai Tolentini. Hæc dùm in summa Ara Chori à Populo visitur, & curiosiùs spectatur, facies Sancti visa est guttas sudare sanguinis. Miraculum hoc per totam mox increbuit Vrbem, magnusque factus est Populi concursus, in quorum omnium presentiam scribunt guttas vberrimas è Tabula erupisse; adeò vt mirum hoc ad aures Pontificis peruenerit, qui mox viros graues in Templum prædictum misit, testimoniumque prodigii sumi præcepit.

8. *In Annalibus Seruorum Cent. 3. libr. 6. cap. 5.* Circa An. Domini 1522. Mirandum Mediolani contigit. Aderat in quodam domestico Oratorio Antiquarum ædium Triultiæ Familiæ, in via, quæ dicitur *Ruga Bella*, Icona quædam depicta cùm imagine Beatæ Mariæ Virginis, quam duo pręcipuè Sancti, Sebastianus, & Hieronymus mediantes venerari videbantur. Illùc autem Domicella quędã Dominæ Hippolytæ Comitissæ de Triultiis consueuerat statutis horis ad orationem descendere; quandò die quadam videre visa fuit ex oculis sancti Hieronymi sanguineas effundi lachrymas, cùmque sibi non crederet simplex Puella, accepto bombyce cæpit eius oculos, & lachrymas illas abstergere, quibus bombex ipse sanguineis maculis madefactus euasit. Fama tanti prodigij vndique diuulgata, omnes ad Triultiorum ædes concurrere ceperunt, mirabiliaque Dei mirabantur. Huiusmodi Icona gens Triultia, vt maiori veneratione coleretur, Fratribus Seruitis donarunt, eamque in præcipuo suæ Familiæ sacello, in Ecclesia Sanctæ Mariæ Fontis, de Terra Locato (quod est Oppidum propè Mediolanum) collocauerunt; quæ vsque adeò ibidem videtur, in qua Sancti Hieronymi sinister oculus adhùc rubricoso sanguine madidus apparet, & cùm residua quadam illius bombycis particula, qua fuerat aspersus, conspicitur quodammodò maculatus.

9. *Cæsarius lib. 7. cap. 2.* Ann. 1222. in templo quodam inferioris Germaniæ præsente populo, sudare cæpit statua quædam Deiparæ sanguinem copiosum.

10. *Gumppenberg, in Atlanti Mariano, de imagine B. Virginis Bochnensi, in Polonia.* Hæc imago ann. 1637. die 28. Iulii, præter lachrymas, etiam sanguinem sudauit. Item an. 1638. 15. Maii lachrymis hominum more salsis non contenta, sanguineas dedit. Admoti tantæ nouitati iudices, dùm examini testium vacant, dùm audiunt: ecce iterùm in lachrymas sanguineas soluitur imago.

11. *Idem, de imag. B. Virg. Acrensi, in Germ. Inf.* Hæc ven. statua quondam miraculosum sanguinem è naribus emisit, qui in lipsanarium collectus, multis etiam remedio fuit.

12. *Idem, de imag. B. Virginis de Itineribus. Messanæ in Sicilia.* Hæc miraculosa Virg. imago nõ semel lachrymas sanguineas, futurorum malorum prænuncias, sudare visa est, horumque vestigia sanguinea in eadem imagine videntur.

13. *Ioannes Baptista Gorus, Serm. in Dom. Passionis.* Florentiæ Lusor fuit, qui certis amissis denariis, singulare numisma Beatæ Mariæ Virginis imagine insculptum, quod superfuerat, post longam iniuriarum seriem, stricto pugione crudeliter perforauit, continuòque (ò mirum dictu, ò stupendum auditu) ex argento illo sanguis emanauit.

14. *Vincentius Beluacensis lib. 7. spec. Hist. cap.* 110. Iuxtà Castrum Radulphi est quædam Abbatia, quæ Dolis vocatur. Super quadam Columna Ecclesiæ ipsius, est imago lapidea ad honorem Beatę Mariæ Virginis sculpta, ad quam cùm quædam paupercula Mulier veniret orandi gratia, aderant ibi in atrio duo Brebantonnes, qui improperantes mulieri, imaginem blasphemabant, vnus etiam lapides in imaginem proiiciens, vno lapide percusit, & confregit brachium Pueri Iesu. At cùm manus illa lapidea cecidisset, exierunt guttæ sanguinis à brachio, ac si esset Hominis viuentis, statimque in eodem loco ille, qui lapidem proiecerat, expirauit,

uit, alter verò cùm vellet morientem inter brachia sua colligere, vt ei aliquod præberet adiutorium; statim arreptus est à Dæmonio, & in sequenti die defunctus est. Eadem etiam sequenti die cùm turba multa conueniret, vt imaginem, & sanguinem de lapide fluxum uideret, ipsis videntibus ipsa Imago scidit vestimenta sua, scilicet ornatum, qui erat circa eam lapideum, & collum suum, quod confirmatum erat monili lapideo, & pectus denudauit vsque ad mamillas propter ignominiam, & iniuriam, quæ illata fuerat sibi, & paruulo suo. Hoc contigit anno Domini 1287. tempore, quo guerra erat inter Philippum Regem Francorum, & Henricum Regem Angliæ, altero constituto apud Castrum Dolis cùm exercitibus suis. Et ego qui scripsi, sanguinem illum vidi oculis meis, & imaginem nudatam, ac vestimentum reuulsum. Qui autem viderunt eam ante perpetratum miraculum, testantur, quòd erat priùs rubicunda, & benè colorata, modò stat tamquam exanguis, & pallida.

15. *Cæsar Franciottus de Sanctis Lucensibus*. Lucæ asseruatur ampulla sanguinis, qui ex imagine Virginis Mariæ diuinitùs fluxit, ad ictum, quo quidam in iram actus dùm luderet, imaginem Deiparæ percussit. Quin in imagine ipsa adhùc percussionis apparet signum, sanguineusque color, non secùs ac si recens effluxisset sanguis.

16. *In m. s. s.* In Vrbe Sancti Miniatis in Etruria, in Ecclesia Sanctissimæ Annunciatæ, cùm Imago picta Beatæ Virginis pila à latrone in vultu icta esset, statim liuor, & contusio defluentis ad cutem sanguinis apparuit.

17. *Franciscus Maria Torrigius in Cryptis Vaticanis, part. 1.* In Cryptis Vaticanis adest venerabilis imago Beatæ Virginis, quæ olim ab impiis sacrilegis in facie affecta ictibus, sanguinem emisit, cuius variæ guttæ in proximos lapides incidentes, qui itidem ibi videntur, illos excauarunt, vt in illis vsque modò apparet.

18. *Pellegrinus Merula in Sanctuario Cremonæ*. Cremonæ piè colitur venerab. imago Beatæ Virginis, vulgò *del Coppo*: In huiusmodi sacram imaginem, cùm quidam Alcator ira concitus, tegulam (quæ vsque modò videtur) sacrilegè iniecisset, continuò ex eadem sanguis viuidus exire visus est. Obque miraculi memoriam à Fidelibus deuota Ecclesia eidem constructa est, quę ex tegula proiecta nomen recepit.

19. *In m. s. s.* In Ecclesia Sanctæ Mariæ de Monte propè Bononiam, reperitur venerabilis imago Beatæ Virginis, quæ olim à sacrilegis vulnerata, sanguinem, & lac emisit, præcipuè ex collo; & vsque modò videntur cicatrices vulnerum in eadem imagine.

20. *In m. s. s.* Bononiæ quidam Aleator, dùm ludendo, semper aduersam experiretur fortunam, semel vehementi obcæcatus ira, in imaginem Beatæ Virginis, quæ in Męniis Ciuitatis depicta erat, sęuiens, eamdem pugione pluribus affecit ictibus: & ecce mirum: continuò sanguis viuidus ex imagine profluxit. Ob autem miraculi singularitatem, ibidem Ecclesia, quæ vsque adeò extat, ędificata est, Beataque Maria, vulgò del Barracano appellatur.

21. *Bzouius in Ann. anno 1269. num. 4.* Neapoli in Ecclesia Sancti Eligii, & Martini prostat imago in pariete depicta antiquitate iuxta, & grauitate, ac modestia insignis, Beatæ Deiparentis Marię speciem præseferens, Sanctam Mariam à Misericordia vulgus eam Iconam appellat. Hoc vnico deformata est Pictura, quòd vulnus sanguineum in facie habet, inflictum ex hac causa; sed non impunè. Aliquis Aleator totā pecuniam lusu chartarum amiserat, & omnes cælites blasphemiis, & contumeliis incessebat. Monuerant Ciues, vt linguam cohiberet, Sanctis honorem debitum impenderet: verùmtamen ille furiis inuectus, inque Ecclesiam ingressus, pugione districto, imaginem innocuam Virginis Sanctissimæ, homo audacissimus in faciem percussit, vulnusque inflixit. *Mirandum accidit.* Ex uulnere sanguis fluxit, homines ad vltionem sacrilegii monuit; Homo verò perditus fuga se subduxit, Florentiam venit, & paulò post in manus Satellitum incidit, capitalique supplicio luit. Interim enim aliquis in Platea occisus iacuerat, dùm hic latrocinii insons prætcriret. Visus, comprehensus, in vincula coniectus, in equuleo tortus, innocentem se homicidii, nocentem verò sacrilegii, quod narrauit, confessus, dignas flagitio pęnas dedit.

22. *Idem an. 1302. nu. 11.* Hoc anno, tempore, quo obsidebatur Binga in Germania, cùm duo, sacrilegi milites ingressi essent Templum Sancti Ruperti, ipsumque spoliatum reperissent, vnus eorum ne vacuus abiret, altare Beatæ *Virginis* ascendit, & effodere de corona Virginis lapides crystallos in ipsa insertos cepit, *quos cùm effodisset*, dùm alium de pectore *Virginis surripere* præsumit, imago sudare *per totum* cepit, quo viso, sacrilegus aliquantùm horruit, sed obduratus in malitia, à cępto crimine non cessauit, euulsit ergo de sacro pectore imaginis lapidem, quo auulso, mox sanguis lacte mixtus de ipso vulnere in magna copia secutus erupit, quo viso, *infelix ille* totus inhorruit, prosiliensque de Altari, *puluerem* in Ecclesia collegit, & vulnus imaginis, ne flueret sanguis cùm lacte, obstruere cæpit. Quantò autem obstruere sacræ Virginis pectus vulneratum ampliùs conabatur, tantò maiori exuberatione lac cùm sanguine emanauit. Superueniens autem sacerdos quidam, qui eodem die ibidem celebrauerat & videns miraculum tantæ nouitatis, corporale antè imaginem explicuit, & lac cùm sanguine profluente collegit; qui in vase vitreo paruo conseruatus fuit.

23. *Idem anno 1326. num. 20.* Hoc anno quidam Iudeus baptizatus, & susceptus à Comite Hannonię de fonte sacro, Guilielmus nomine, paulò post Curię Montensis Satelles effectus, opera su sceptoris sui Comitis (qui latentem perfidiam, & proditionem filiastri sui scrutari non poterat) sæpiùs ex officio Cambreronam versùs ibat, executurus sibi commissa. Vndè, & interdùm, ad locum illum, familiariter diuertebat, ibique hospitabatur. Erat autem ibi, in ordinarii hospitii porticu effigies

gies Gloriosissimæ Mariæ Virginis gestantis Iesum Infantulum, à Magis adoratum, impressa parieti, argilacea è creta rubra. Quam quidem effigiem hic nebulo, qui tantùm nomine tenùs erat Christianus, malè habebat: ita vt etiam de nocte, violenta odij impressione, ceù somnians deliraret, cresceretque illius furor in Matrem Dei Sanctissimam, tamquam quæ ad momenta penè singula somnum eius interrumperet. Quam ob causam, contigit die quadam, vt non contentus iniurijs, contumelijs, & execrationibus, quas sæpiùs, ore infecto dirè euomuerat (vt aliquid ad tātæ impietatis, & blasphemiæ cumulum adijceret) eò deuenerit dementiæ, vt hastam suam, in imaginem veneratione dignam quinquies vibraret: è qua statim cruor emanauit. Quod cernens infelix de Ecclesia latenter aufugit. Sanguis autem à fidelibus reseruatus multis ægritudinibus medela fuit: Verùm posteaquàm tanti sceleris auctor aliquandiù latuisset, nec sciri à quoquam potuisset, Beatissima Dei Genitrix, semperque intacta Virgo Maria cuidam Fabro ferrario in somnis apparens, quasi vulneribus confossa, auctorem ei sceleris ostendit, & eum ad duellum pro veritatis declaratione contra perfidum animauit. Venit ad Iudicem Faber, sceleris accusat Iudæum, cùm ibi testimonia probationis obiecti criminis sufficientia non adessent, duelli conditio à Christiano petitur, & conceditur. Inito certamine duelli, à S.S. Dei Genitrice adiutus vicit perfidum fidelis, impium iustus, Iudæum Christianus. Superatum se cernens blasphemus, veritatem aperuit, sceleris sui immanitatem, & quod ex animo nunquam fuerit Christianus, publicè confessus est. Quibus auditis, Præfectus Comitis, laqueo illum suspendi fecit. Locus certaminis, fuit iuxtà Portam Parcensem Vrbis Montensis, sicuti etiamnùm hodiè visitur ædicula ibi erecta in honorem Beatæ Virginis Camberonensis.

24. *Idem, anno 1383. num. 11. ex Archiuijs Ecclesiæ Burburgensis*. Est ibi in maiore Ecclesia imago quædam ex ligno fabrefacta ad honorem, & venerationem Beatæ Mariæ virginis in puerperio decumbentis, ipso aspectu venerabilis, & nescio quid gratiæ præseferens. Ad eam ex Regis Galliarum Caroli Militibus vnus, Brito natione, spe prædæ accedit, ratus auream esse imaginem, quam bracteis quibusdam incrustatam videbat: pugionem exemit, & illam magno impetu velut carneam transuerberauit. Mirabile visu, Illa accepto vulnere, roseo cruore perfusa est, totaque commaduit, nec aliter sanguinis guttæ ex ligno dimanare visæ sunt, quàm ex corpore humano plagis affecto. Dùm hoc crudele facinus in Templo peragitur, Muliercula quędam pia, ac Deo deuota, Mariæque cultui multùm addicta, quæ exemplo Annæ Filiæ Phanuel nocte sæpè, & die in templo versabatur, fortè superuenit ad sacellum Beatæ Mariæ, vt pro more orationem faceret: vbi imaginem Virginis puerperæ sanguine perfusam conspiciens, obstupuit. Accessit propiùs, & peplum, seù linteum capitis sui detrahens, eo vulnus extersit; nec illud ita extergere potuit, quin cruoris vestigia vsque in hodiernum diem vulneri adhærere videantur. Muliercula verò linteum lauatura domum rediit: at quantùmcumque lauit, cruorem è linteo eluere non potuit, citiùs, ac faciliùs Aethiopem, quàm linteum dealbasset. Illud etiamnùm in thesauro Ecclesiæ inter sacras reliquias conseruatur, & honoratur.

25. *Coluenerius ex Hist. Gallica*. Anno Domini 1418. Parisiis, Miles quidam tabernam egrediēs, in Platea Vrsorum, indignatus, quòd ludo pecuniam perdidisset, cultro percussit imaginem Beatæ Mariæ, quę adhùc extat in eadem platea post Sanctum Maglorium, quæ miraculosè sanguinem emisit, & eodem loco sceleratus ille pœnas dedit. In cuius miraculi memoriam hoc die quotannis in eadem Platea ignis festiuus extruitur.

26. *In m. s. s.* In Ecclesia Cathedrali Laudis Pompeię piè colitur imago Beatę Virginis, quæ anno 1448. à quodam sacrilego percussa, sanguinem emisit, sensibilique voce, eidem extremum supplicium Brundusii minitata est; quod & accidit, dùm illùc fortuitò à procella maris translatus fuit, ob crimenque à se non commissum, morti damnatus fuit.

27. *Pancirolus.* Prodigium admirandum Romæ contigit, & occasionem dedit Sixto Quarto Pontifici Maximo anno 1483. erigendi Templum, dictum Sanctę Marię Pacis, seù de Pace, quod Templum, vbi nunc visitur, erat antea Ecclesia Parochialis Sancti Andreæ de Aquarenariis nuncupata, & in illius porticu effigies Beatissimę Virginis Deiparę puerulum Iesum inter brachia tenentis in pariete depicta extra Ecclesiam. Antè quam, dùm die quadam nequissimi Aleatores ludunt, vnus illorum cęteris nequior ob pecunias amissas in horrendas blasphemias contra Deum, & Sacram Virginem prorumpit, moxque Diabolo instigante ad tantam impietatem deuenit, vt primò taxillos in imaginem proiecerit, mox pugione arrepto, dictam imaginem semel, iterùm, ter, quaterque, scilicet in pectore, in collo, in gena dextera, & in mento vulneraret: Vndè statim diuino miraculo sanguis recens, & viuus effluxit: cuius rei, & miraculi fama per Vrbem diuulgata, magnus ad dictam Ecclesiam vtriusque sexus fidelium concursus, & exindè preces ante imaginem fundi, beneficia implorari, luminaria accendi, vota suspendi, & multæ oblationes fieri cęperunt.

28. *Gumppenberg, in Atlanti Mariano, de imagine Beatæ Virginis de Spe, Auenione in Gallia*. Anno 1407. ab impio lusore, proiecto silice, vulnerata fuit hęc sac. imago sub mamilla, vndè quàm primùm sanguis effluxit.

29. *Idem, de imag. B. Virginis ad Fagum, Herbipoli, in Germ. Sup.* Ante ducentos annos, loco, quo nunc sacellum stat, stetit Fagus procera iuxta viam nemini clausam, omnibus apertam, & peruiam; si Iudęos excipias, qui vbi ad hanc arborem venere, vel stare, vel regredi coacti sunt. Rex vulgo nota, hebræos non parùm afflixit, nemine tamen vno huius rei causam penetrante. Audacissimorum vnus vim facturus, viam aggreditur, vbi tamen ad arborem venit, viribus destitutus stetit:

inde

indè arborem curiosè intuitus, statuam Deiparę non magnam inter ramos conspicit, & euaginato gladio: Ergo ne, inquit, tu mihi, meisque viam obstruis? simul vulnus, quod hodièque videtur, punctim imagini inflixit. Auditi sunt eiulatus imaginis, visus quoque sanguis est in apice gladij.

30. *Idem, de imag. B. Virg. de Bona Spe, Lugduni, in Gallia.* Rabiosus lusor, post blasphemias in hanc sacram imaginem, quę post amissam pecuniam se se illi primò obuiam fecit, manu prehenso saxo, magnitudine lusoriæ pilæ, proiecit in sac. Iconem; ad cuius impactionem, plurimus sanguis erupit. Sanguinationi imaginis adiuncta est impiæ faciei præpostera collocatio; ita vt sinciput in humeros retortum sit, occiput verò in anticam partem. Correptus infelix, statim capitis damnatus est; At antequam ad furcam duceretur, ante sac. imaginem sistitur, vt patrati sceleris veniam à Deipara impetraret apud filium; fecit ille, & tanta cordis compunctione, lachrymarumque effusione, vt argumentum statim apparuerit conciliati numinis, testimonium, restitutio scilicet faciei in locum suum momentò facta. Quo prodigio moti Iudices, cui Cœlum remissionem delicti fecisse videbatur, & ipsi fecere.

31. *Idem, de imag. B. V. vulgò Madonnina, Messanæ in Sicilia.* An. 1535. quidam sacrilegus miles, aut lusor, aut hæreticus, explosa glande, hanc imaginem B. Virginis in muro cænobii Franciscanorum depictam, tetigit in facie, & fædum in modum vulnerauit in gena, non sine euidente miraculo: nàm effluxisse sanguinem testati sunt præsentes, & guttarum vestigia etiam nunc adsunt. Fuere qui hanc sac. imaginem coloribus renouare vellent; sed semper respuit colores.

32. *Idem, de imag. B. Virg. Amerunngana, in Germ. Sup.* Amerungę in Diœcesi Coloniensi, colitur statua Deiparæ, Iesum de cruce depositum genibus sustinens. Hanc, perdictus, & desperatus lusor, hęreticus, & miles post infortunatos tesserarum iactus, sclopo traiecit, ex quo vulnere sanguis profluxit; miles quàm primum in rabiem actus, in illa insania paulò post animam infelicem euomit.

33. *Idem, de imag. B. Virginis de Libercourt, in Germ. Inf.* Simulacrum hoc Deiparæ insolitus casus reddidit illustre. Steterat statua decorè quercui inserta ad transeuntium pietatem. Transijt hàc sagittator petiturus aues, non statuas; is sagittam per inane cæli direxit in volucrem: sed sagitta nullo sagittatoris vitio incidit in frontem S. Statuæ, & sanguinem è vulnere elicuit; quod adhùc, cùm sanguinis notis in fronte videtur.

34. *Idem, de imag. B. Virginis de Monte Politiano.* Hac in vrbe ven. colitur B. Virginis imago, quæ semel ab impio lusore, quia prima post amissam pecuniam, occurrit, quinquiès vulnerata, quinquiès sanguinem dedit, in ipsam vsque terram copiosè profluentem.

35. *Idem, de imag. B. Virg. de Alapa, Vercellis in Italia.* Præterito sæculo aulicus quidam lusor de Caluini hara, infausto lusu concitatus, statuæ huic marmoreæ alapam manu inflixit in gena sinistra, non sine miraculo. Manent hodièque præter liuorem sanguinis aliqua vestigia.

36. *Idem de imag. B. Virg. Vulnerata, Montani in Germ. Infer.* In oppido Montani impius quidam & sacrilegus ausus est hanc sac. Statuam stricto gladio ferire; statimque è vulnere sanguis erupit; quo sacro, & miraculoso cruore quàm plurimi cęci, surdi, & alii infirmi sanati sunt.

37. *Idem, de imag. B. Virg. in Vallicella, Romæ.* Hac in Ecclesia imago Deiparæ reperitur, quæ an. 1537. cùm vulnus accepisset à blasphemo (crediderim lusore) vt sensisse vulnus crederetur, sanguinem dedit.

38. *Idem, de imag. B. Virg. Rogeriana, Platiæ in Sicilia.* Hæc miraculosa imago nostris temporibus, percussa bis à Iudæo sanguinem dedit.

39. *In Chron. Min.* Ann. 1541. in Bosnię Ciuitate Suonicha, Turca quidam lancea sua transfixit imaginem Deiparę Virginis, vndè mox vberrimus fluxit sanguis.

40. *Iansonius Doccomensis tom. 3. Mercurij Gallo-Belgici lib. 14.* Anno 1595. in Ducatu Sabaudiæ apud Vrbem dictam Montaruy, imago B. Virginis gladio percussa ab Hæretico Caluinista, sanguinem profudit, quo plurimi cæci, surdi, claudi & alii infirmi curati sunt.

41. *Felix Astulphus in Hist. vniuer. imag. B. Virg. li. 8.* Circa an. Domini 1241. Aleator quidam Mediolani, post deperditas substantias, ira accensus, in imaginem B. Virginis puerum Iesum gestantis, quam in cæmeterio Ecclesiæ S. Satyri parieti depictam vidit, horrendas protulit blasphemias, moxque arreptum gladium, in guttur puerului Iesu sacrilegè immisit, & ecce statim ex vulnere sanguis vberrimus, qui totam imaginem, ipsumq. aspersit, prodigiosè exiuit; quo prodigio vulgato, vniuersus populus ad tàm grande spectaculum admirandum illùc conuenit. Sacrilegus pœnitentia peracta, Religioso habitu indutus, reliquum vitæ sanctissimè duxit. Hodiè adhùc cōseruatur in sacrario eiusdem Ecclesiæ, in testimonium miraculi, gladius ille crudelis.

42. *Petrus Antonius Spinellus cap. 20.* In Nolana Diæcesi, sex ab Vrbe Neapoli milliaribus, in templo, quod dicitur S. Maria ab Arcu, in magna veneratione habetur imago Deiparę, Puerum Iesum inter brachia gestantis, quæ olim sub fornice posita erat, & indè S. Maria ab Arcu nomen accepit; hęc centesimo, & vigesimo quarto ab hinc anno nobilissimo diuinitùs illustrata est miraculo. Impius quidam, & proiectę audaciæ homo, quòd in ludo pecuniæ iacturam faceret, die sequenti Paschæ Resurrectionis Domini, acceptam qua ludebat pilam, irato, intensoque animo in Deiparæ depictæ faciem sacrilega manu contorsit, eiusque sinistram genam validè percussit; Vndè repentè miraculosè sanguis emanauit, cuius represso fluxu, Sanguinei coloris impressa cicatrix diuinitùs remansit. Impius percussor extemplò immobilis factus, sui sceleris pænas dedit, à Iudice damnatus, ex arbore cùm lusoriis instrumentis suspensus interiit. Tanti miraculi nouitate vicinia commota, locum illum fre-

frequentare cœpit. Eo die, quo hoc miraculum factum est, nimirùm feria secunda Paschatis, eo in loco solemnitas est decreta; ad posteritatis monumentum, sacrilegus ille nebulo ex arbore suspensus cùm lusorijs instrumentis in veteris ædiculæ pariete depictus cernitur.

43. *Saluator Vitalis, in Propugnaculo Triumph. in Tabula Vrbis Calaris, de locis extra Vrbem.* In templo P.P. ordinis B. Mariæ de Mercede, adest Ven. Imago B. Mariæ Virginis, quam *del Milagro* vocant, quæ olim à blasphemo lusore sica in collo icta, cruore manauit, prout hùcusque vulnus, & sanguis inspicitur.

44. *Secundus Lancellotus in Hist. Oliuetana, lib. 2. de Monasterio Leonicano.* Venerabilis in hoc templo colitur B. Virginis imago, quæ quondam à scelesti viro sacrilegè percussa, sanguinem è pectore emisit, cuius ad hanc vsque memoriam guttulæ inspiciuntur.

45. *S. Ioan. Damascenus, de imag. lib. 3. ex Anastasio Synaita.* Quatuor passuum Damasco distat locus, qui Carsatas dicitur, quo in loco templum Sancti Theodori est. In hoc templum ingressi Saraceni, omnibus illud sordibus, & immunditiis ex fæminarum, & puerorum, atque animalium rationis expertium comixtione, fædauerunt. Quadam igitur die dùm plures illorum considerent & colloquerentur, vnus illorum sagittam in Sancti Theodori contorsit imaginem, & dexterum illius humerum vulnerauit, statimque sanguis effluxit, & ad extremam vsque imaginis partem descendit, omnibus id, quod factum fuerat, sagittamque in humero Sancti deffixam, & sanguinem emanantem contuentibus. Quo tamen tàm admirabili signo perspecto, non resipuerunt, nec eum qui sagittam eiecerat pænituit, nec quisquam eorum commotus est, non recesserunt è templo, nec illud commaculare destiterunt; Attamen extremo sunt affecti supplicio; cùm enim viginti essent eorum familiæ, qui in templo commorabantur, inter paucos dies omnes acerbo morbo deleti sunt, cùm in eo loco nemo ipsorum diebus illis interierit, exceptis ijs qui in templo fuerant commorati.

46. *Tilm. Brendebachius lib. 3. collat. Sacrarum cap.* 17. In Castro Drepanensi an. 1319. quidam taxillorum lusu omnem rem suam perdidit, tanto animi dolore, vt pariter à fide ob desperationem deficeret. Et ecce venit ad locum, vbi erant imagines B. Virginis, & S. Alberti. Eas intuens, dicit ad imaginem Sancti Alberti. Totiès inuocaui, & non me audisti in necessitatibus meis. Quid igitur causa est, vt te Sanctum prędicem, cùm nulla ratione me potueris iuuare; Absit, vt post hàc te pro Sancto habeam. Tu quoque Maria, quę Mater gratiæ diceris, pias aures tuas occlusisti ad preces meas. Indè arrepto gladio, vtramque imaginem secat, & confestim ex ambabus distillat sanguis benè multus in terram. Vidit id quidam puer, sublataque voce clamat in sacrilegum. Ille audito clamore, exit è templo, sed repentè horrendo existente tonitru, fulminis ictu totus in pulueres ad fores Ecclesiæ redigitur.

47. *In m. s. s.* In territorio Bergomensi, in quodam pago vulgò *Serinalta*, colitur in Ecclesia Parochiali S. Iacobi deuota imago eiusdem S. Apostoli, quæ anno 1292. à sacrilego percussa sanguinem emisit.

48. *In Chron. Minorum.* Circa annum Domini 1597. cùm in Iaponico Regno multi S. S. martyres ex Franciscano ordine ob fidem catholicam interfecti fuissent, imago S. Francisci, quæ in conuentu Meaci reperiebatur, sanguinem emisit.

49. *Raynald. in ann. Eccles. ann.* 1291. Quo tempore Antiochia, Tripolis, Ptolemais, tota deniq. Syria à Babylonio Sultano euersa est, è B. Georgii M. imagine sanguis ebulijt.

50. *Ioan. Buzelinus lib. 4. ann. Gallo Fland. de S. Piatone.* Præclarum fuit omninò, illud prodigium, quo Deus vehemens scelerum vltror, & mitissimus pœnitentium Pater, in S. Piatonis hierotheca patefecit. Placuerat scilicet prælatis & custodibus eius templi, & Collegij Canonicorum, Sancti Martyris feretrum, & arcam ab edito in aram loco demittere, vt præsentiorem propiori accessu, & contuitu opem ægri perciperent. Erat ea theca insigni artificio elaborata. Multæ effigies, partim aureæ, partim argenteæ condecorabant. His, decem illæ Virgines Euangelicæ, quarum quinque sapiunt, aliæ sunt fatuæ, repręsentabantur. Igitur haud semel eæ statuæ visæ sunt mirum in modum collachrymari. E sapientium auribus, ore, naribus, oculis guttæ sanguinis manabant; è fatuis eadem sensuum organa stillas aqueas mittebant. Et, quò plùs admirationis ostentum faceret, multis id diebus paruit: quoue plùs acresceret auctoritatis, & veritatis, Prælati, Canonici, Custodes, quamplurimi alij omnis ætatis, & conditionis eas oculis lachrymas hausere, & manibus tetigere, quidam etiam domum asportarunt, vt ad fidem faciendam aliis ostenderent.

Imagines prodigiosè lachrymantes.
§. 8.

EX Sacrarum imaginum oculis lachrymæ prodigiosæ quandòque erumpentes, oculos intuentium ad admirationem prouocant; ea propter hæ inter Admiranda sunt enumerandæ. De his.

1. *Baronius an.* 888. Anno Christi 888. in Monasterio Principis Apostolorum, Aurelianis in Gallia, ex oculis imaginis crucifixi, quæ ibidem reperiebatur, per aliquod dierum spatium continuè multis cernentibus riuus emanauit lachrymarum, ad quod nimirùm terribile spectaculum inspiciendum multitudo maxima conuenit hominum; plerique tamen cùm illud cernerent, animaduerterunt quoddam esse diuinitatis præsagium, videlicet illius Vrbis superuenturæ calamitatis, vt pariter accidit.

2. *In actis S. Erhardi Episcopi, apud Bollandum.* 8. *Ianuarij.* Crucifixus de ligno dolatus, qui iuxta Sepulchrum Sancti Erhardi Episcopi collocatus erat, semel flere, lachrymasq. emittere visus est.

3. *Niceph. in sua Hist.* Barbari sexcentarum nauium classe, Vrbi Constantinopolitanæ graue minabantur excidium. At Sanctissimi Patriarchæ consi-

consilio, imagine Beatissimæ Virginis Mariæ (Constantinopolitana dicta, quę nunc in Claro-Monte Poloniæ colitur) per Vrbem solemni pompa, & per plateas circumducta (quę tunc temporis flere visa est) igne cælesti omnes absumptę Naues fuere, barbarique inimici.

4. *Odericus in ann. Ecclesiast. ann.1291.* Quo tempore Tripolis Ptolemais, tota denique Syria à Babylonio Sultano euersa est, Deiparę imago per dies plures lachrymauit.

5. *Matthæus Magnanus, de tribus Deiparæ miraculis.* Pinnæ Billorum in Ecclesia S.Christophori, piè, & deuotè venerantur Ciues, imaginem B. Virginis, quæ olim anno Domini 1489. die Veneris, 20. Martii, ex oculo dextro antam copiam lachrymarum emisit, vt macula earundem in vultu eiusdem Virg. imaginis mirabiliter remanserit.

6. *Odericus Reyn. ann.* 1521. Hoc anno in sacello ædium Roderici Comitis Concentugnæ in Hispania, operante sacris Onuphrio Satorrio, ex B. Virginis imagine manarunt lachrymæ in magna copia, quod ab aliis præsentibus fuit obseruatum.

7. *Idem, an.* 1526. Hoc anno Toueti in Hispania Deiparæ Virginis, nec non duorum Angelorum illius lateribus adstantium effigies, lachrymas fudere horarum triginta sex fluxu, quæ in crystallino vase conditæ fuere; adeò vt Virginis lachrymæ velut in gemmas concretæ, ab Angelorum lachrymis discretæ viserentur, donec eę anno 1610. quo Mauri perfidi Hispania pulsi sunt, in tenuem vaporem solutæ euanuerunt. Visum est etiam Cæsaraugustę in Carmelitanorum æde vnius è tribus Mariis, sepulchro dominico adstantibus, simulacrum, atque insculptam sudario Christi effigiem saxeam flere.

8. *Brendebachbius lib.3. coll. cap.19.* In Ciuitate Embricensi in Belgio, cùm Lutherana hæresis eas prouincias inficeret anno 1527. imago Virginis lachrymas fundere mirabiliter visa est.

9. *Felix Astulphus in Hist. imagin. B. Virginis lib.12.* Circa ann.1530. in oppido vulgò *Orci noui* territorii Brixiensis, imago Deiparæ in Ecclesia eidem dicata, à die trigesima Decembris, & per totum festum Circuncisionis, lachrymas abundantes ab oculis effudit.

10. *In m.s.s.* In Pago, vulgò *Hono*, Territorii Brixiensis, extructa est Ecclesia Ven. imagini B. Virginis dicata, quæ olim ab oculis copiosas lachrymas emisisse dicitur; multaque eius intercessione operatur Deus miracula.

11. *Gabriel Pennotus li.3. Hist. ord. Canon. Reg. cap. 34.* In Episcopatu Spoletano propè oppidum Triuii, magnum prodigium, & malorum Italiæ imminentium prognosticon apparuit. Erat propè Oppidum, sacellum quodam in Triuio, siue in compitis, vt multis in locis fieri consueuit, vbi Beatissimæ Virginis imago in pariete depicta lachrymas fundere visa est; quod miraculum multi conspexerunt. Spargitur exindè rumor apud oppidanos, posteà ad propinquas ciuitates, tandemque Romam vsque attigit. Fit propterea populorum magnus concursus, conferuntur eleemosynæ, templumque notabilis magnitudinis, & miræ pulchritudinis ad Dei, & B. Virginis honorem erigitur; S. Mariæ de lachrymis tunc vocatum, & Canonicis Regularibus attributum.

12. *In Menol. Cisterc. 28. Aprilis.* In Fuliensi cenobio, adhùc hodiè cernitur pulchra imago Deiparæ Virg. ad quam multa patrata sunt miracula, quorum vnum celeberrimum describere libet. Cùm Incolæ Fuliensis oppidi ad arma processissent, cōtra habitatores Baratenses, propter ortam discordiam, de finium suorum terminis, Cistercienses Monachi processionaliter detulerunt imaginem ad locum certaminis. Priùsquàm verò deferretur imago prædicta, cæpit lachrymari, magnasque guttas profundere, quod magnam admirationem cunctis videntibus mouit. Statuta ergo in medio vtriusque partis, cùm Monachi canerent hymnos, laudesq. ad honorem B. Virginis, respondebant eis, & simùl canebant ambæ partes. Tantopere autem commoti sunt omnes ex aspectu imaginis, vt inimicicias deponentes, ad amplexus, & oscula corruerint, fædusque perpetuum inierint. Quibus peractis, Sacratissima illa imago, seueriorem, tristemque vultum, in lætum, serenum, subridentemque commutauit.

13. *Ex lib.2. Epistolar. m.S.S. Petri Delphini Veneti, Epist. 81. ad Petrum Delphinum.* Apud Planctulum Oppidum, quod ab Eremo nostra Camaldulensi circiter viginti distat millibus passuum, in Vico, qui Galcata vocatur, celebri satis, ac populoso, miraculum decima septima die antequam indè transiremus, apparuit. In domo vetustissima eiusdem vici, Imago quędam B. V. Mariæ, in tabella depicta (& hæc quidem præ antiquitate, nisi propiùs cùm lumine accessisses, discerni vix poterat) visa est illachrymasse, & guttas densiores, candidasque lacti similes è mamma, qua lactabat infantulum, emisisse: Eadem itaque transeuntes re intellecta, è iumentis descendimus, ingressique domum veneraturi imaginem Genitricis Dei, vidimus stillam candidam adhùc hærentem pectori crassioris materię, & mirati sumus factum.

14. *In annal. Societatis Iesu anno 1583.* Benedictus Goez è Societate Iesu, antequam Religionem ingrederetur, cùm in sæculo miles esset, miraculo ad Societatem vocatus est. Accidit enim, vt cùm oram Trauancoris in India Orientali attigisset, in templum ingressus, coram Icone B. Virginis oraret, se seque, vitamque suam perditam, planèque licentia militari hactenùs exactam, sibi ob oculos statueret; Vndè tantùm dolebat, vt ferè de Dei bonitate desperaret. Nihilominùs Dei Matris clementiæ memor, eius opem vehementiùs implorat. Quod dùm facit, Iesu Christi pueri imago, quam in gremio fouebat Deipara, cæpit flere, atque ex oculis emittere quasi quosdam lactis, aut alterius liquoris non absimiles fonticulos. Quo viso expauit vehementer, ac socios vt id etiam contemplarentur, aduocauit; qui simùl omnes viderunt, & sacrum liquorem, ceù reliquias, sudariis suis exceperunt. Indè in Societatem Iesu amissus est. Id contigit anno 1583. & hoc ann.1609. facta diligen-

ti in-

ti inquisitione à Patribus nostris, veritas comprobata est, cuius etiam vestigia imago ipsa retinet.

15. *Octauius Pancirola in sua Roma.* Romæ in Ecclesia S.Saluatoris olim nuncupata, nunc S. Maria de Planctu, pia reperitur imago Beatæ Virginis, quæ cùm olim coràm ipsa flagitium crudele perpetratum fuisset, lachrymas mirabiliter emisit.

16. *Gumppenberg, in Atlanti Mariano, de imagine Beatæ Virginis Consolatricis Afflictorum, Bambergæ, in Germania.* Ex hac imagine semel altero ab oculo liquor quidam, oleo, quàm aquæ similior mirabiliter profluere visus est.

17. *Idem, de imag. B.Virg. de Lachrymis, Messanæ, in Sicilia.* Hæc sac.imago an.1588.decima quinta die Septembris sudare cæpit, & lachrymari, vndè accursus populorum ad eam factus; cùmque in domo priuata esset, publicæ ob eam causam venerationi exponenda, in peculiari sacello domus professæ Soc. Iesu collocata est.

18. *Idem, de imagine B.Virg. de Carcere, Prati, in Hetruria.* Non semel huiusmodi imago visa est mutare vultum, quin & flere, claudere quandòque, & iterùm aperire oculos.

19. *Idem, de imag. B.Virg. de Misericordia, Messanæ, in Sicilia.* Cùm ante hanc imaginem semel miles quidam oraret, vidit lachrymantem in tabula Deiparã; quo prodigio ita peccatorum suorum terrore concussus est, vt plenam, & seriam vitæ mutationem instituerit. Vna gutta lachrymarum ad magnitudinem margaritæ, & splendorem, etiam nùm in gena videtur imaginis.

20. *Idem, de imagine B. Virg. de Insula, Vicentiæ.* Non procùl à Vicentia villa est, quæ Insulæ nomen habet; in ea est templum B. Virgini dicatum, quod cùm ann.1513. à militibus spoliatum, & incensum fuisset, ipsa statua lapidea B. Virg. in ipso culta, vidente populo, accerbissimè fleuit, & oculos clausit, ne domus suæ, totiusque pietatis vastatores aspiceret.

21. *Idem, de imagine B.Virg. de Condino, in in Germania Super.* Hoc in pago Diæcesis Tridentinæ, hæc imago B. Virginis, an. 1620. uisa est lachrymas fundere; & lachrymæ à Magistratu Ecclesiastico ritè examinatæ, se probarunt esse miraculosas; quapropter templo Parochiali illata est (erat enim in priuata domo) & nouo altari decorata.

22. *Idem, de imag.B.Virg. de Lachrymis, Arezzi, in Italia.* Lachrymas quandòque visa est spargere hæc sac.imago, magnorum malorum prænuncias. Hinc in honoribus esse cæpit.

23. *Idem, de imagine Beatæ Virginis de Rosario, Kenzingæ, in Germania Super.* Antequam Succicum bellum erumperet, hæc sacr.statua flere cæpit, & lachrymas fundere, futurorum malorum indices; nec fictio hìc locum habuit: nàm & lachrymatio plures horas durauit, & altera quoque vice repetita est.

24. *Idem, de imagine Beatæ Virg. de Planctu, Salerni, in Italia.* Anno 1611. hæc imago quadam in domo deserta, quæ nauticis seruandis instrumentis seruiebat, parieti appicta, flere vbertim cæpit, & fletus testes habuit plures, qui etiam testati sunt, è fronte sacra sanguineam quoque guttam se vidisse delabi. Nemini dubium fuit, quin malum portenderet; quod secutum est; altera enim die monasterium celebre montis Virg. totum conflagratum est.

25. *Idem, de imag.B.V. Culmensi, in Boemia.* In Ecclesia B. Virgini dicata in oppido Culmensi, septemdecim Praga milliaribus distante, duæ B.V. imagines reperiuntur, quas testes idonei fleuisse non semel testantur.

26. *Franciscus à S.Maria in Hist.Carmelit.to. 2.lib.6.cap.42.* Anno Domini 1581. die septima Aprilis, in quam eo anno inciderat secundum festum Paschæ, in Pago, vulgò *Guadalcazar* propè Cordubam, cùm omnes conuenissent in Ecclesia, solemnem missam audituri, derepentè proximi hospitalis campana nulla impulsa naturali vi insonuit, eòque rei nouitate omnes confugientes, inuenerunt in sacello, imaginem Virg. (quæ ibi simùl cùm alia imagine crucifixi asseruabatur) vultu lucido, rubicundoque sudore conspersos; lachrymas etiam ab oculis emanantes obseruarunt, cuius admirandi causa infinita hominum multitudo ad sacellum confugit.

27. *In m.s.f.* In Ecclesia Cathedrali Sebenici in Dalmatia, miraculosa reperitur imago B. Virginis, quæ antequam eadem ciuitas à peste, belloque crudeliter affligeretur, lachrymas copiosas ex oculis emittere visa est, ceù tantas calamitates præsagiendo.

28. *In vita B.Turibij Alphonsi Mogrouej, Archiepisc.Limensis cap. 7.* Cùm Beatus Archiepiscopus in ciuitatem Limensem transferre decreuisset quandam imaginem B.Mariæ Virginis, puerulum Iesum gestantis, quæ extra Ciuitatem erat, vocabaturque Beata Virgo *di Capocauana*, vt potè exemplar alterius imaginis eo in loco existentis; dùm solemnia ad translationem pararentur, derepentè tanta copia sudoris de eadem imagine emanauit, vt breui quatuor horarum spatio, duo magni calices eo fuerint repleti; Quo prodigioso liquore multæ sanitates infirmis redditæ sunt, maioremque deuotionem deinceps eadem imago à populis habuit.

29. *Baronius ann.* 1185. D. Pauli Statua auro exornata in S.S.Quadraginta æde reposita, lachrymas profundens, Andronico Comneno exitium denotauit. Neque multò post pedibus suspensus inter horribiles cruciatus expirauit.

30. *In m.s.f.* Imago B.Simeonis Tridentini, quæ Brixiæ in Ecclesia Fratrum Carmelitarum colitur, ann.1475. lachrymas copiosissimas ab oculis, omnibus cernentibus, emittere visa est.

31. *In vita S. Nicolai Tolentinatis.* Antequàm è vita discederet Eugenius IV. qui Sanctum Nicolaum, Sanctorum Catalogo adscripsit: Imago eiusdem Sancti visa est sudare, lachrymasque emittere.

Ex imaginibus alij prodigiosi humores.

§. 9.

ALij etiam prodigiosi humores ex Crucibus, imaginibusue diuinitùs effluxere. De quibus.

1. *Gretserus de Cruce Tom. 1. lib. 1. cap. 91.* Crux Domini non modò mirificum odorem halabat, sed & nodi eius liquorem, omni morborum generi, admodùm salutarem fundebant, teste Beda, qui de Cruce, quæ Constantinopoli in templo Sophiæ asseruabatur, & tribus diebus ante Pascha in altari colenda exponebatur, ita scribit: Quamdiù super altare manet aperta capsa, totam Ecclesiam mirus odor perfundit: de nodis etiam ligni sancti liquor odorifer, oleo similis, profluit, cuius si etiam modica particula contingat, omnem ægritudinem sanat.

2. *Eustathius in vita Eutychij Patriarchæ.* Sozopopoli ex imagine Virg. licet picta, oleum manare solebat, præsens remedium omni ægrotationi.

3. *Surius in vita S. Theodori Archimandritæ 22. Aprilis.* Cùm S. Theodorus Archimandrita adhùc puer esset, graui morbo est mortaliter affectus; Tulerunt igitur eum in templum S. Ioannis Baptistæ, quod longè aberat, & ad altaris introitum collocarunt. Supra autem in ipso crucis receptaculo erat imago Domini nostri Iesu Christi, ex qua duæ super ipsum morbo laborantem roris stillæ deciderunt, statimque Dei gratia subleuatus conualuit.

4. *Vinc. Belu. libr. 7. spec. Hist. capit. 119.* In Vrbe Constantinopolitana, Iudæus quidam imaginem Beatæ Mariæ Virginis in tabula breui figuratam, & parieti domus cuiusdam affixam conspiciens, interrogauit, cuius esset figura? audiensque quòd esset Beatæ Mariæ Virginis, iratus valdè, tulit eam de pariete, & ad vicinam currens domum, vbi humana stercora egeri solent, illùc eam eiecit, statimque digna, & ignominiosa morte consumptus, posteà nusquam comparuit, sed mancipatus, vt creditur, iuri maligni spiritus, hominum subtractus est aspectibus. Quidam autem christianorum, imaginem Sanctam requirens, inter sordes absconditam reperit, subleuansque eam, & diligenter abstergens, ac lauans, secùm honorificè in domo collocatam habuit, & ad honorem Dei genitricis ex eadem tabula, in qua imago sancta depicta erat, oleum ebulliens distillare cæpit; vsque hodiè verò miraculum perseuerat.

5. *Ioannes Eusebius li. 1. de mirac. nat. cap. 78. ex Matthæo VVestmonasteriensi.* Anno 1203. oleum cæpit emanare miraculosè à quadam imagine Beatæ Mariæ de Sardinai, non longè à Ciuitate Damasci, quod miraculum etiam multos Saracenos ad fidem Catholicam vocauit, & multis languidis contulit sospitatem. Soldanus etiam quidam, scilicet Damascenorum, penitùs cæcus effectus, inuocato Beatæ Virginis Mariæ auxilio, infusione olei illius, sui claritatem suscepit, qui sexaginta metretas olei annui reditus dedit ad lumen incendendum ante altare Beatæ Virginis, vt lumen redderet pro lumine, & quia primùm ex quo lumen recepit, lampadem vidit lumine coruscantem; Et ex illo tempore, vsque ad Natale sequens, cæpit vberiùs oleum à prædicta imagine stillatim eliquare, & oleum illud in anno consequẽti in carnem solidari. Procedente tempore res dictu mirabilis contigit, & hactenùs inaudita; nàm imago præfata, admirantibus cunctis, cæpit mamillas carnis emittere, & mirabiliter carne vestiri. Vndè hùc vsque à mamillis deorsùm carne videtur induta, à qua liquor ille incessanter distillat. Quem liquorem fratres templi ad domos suas deferunt, cùm inducias habent à Paganis, vt peregrinis orationis gratia aduenantibus, indè distribuant, qui honorem Dei in diuersis mundi partibus attollant.

6. *Gretserus de Cruce tom. 1. lib. 2. cap. 64.* In oppido Bemburgensi, anno Domini 1551. decimo quarto die Martij, imago crucifixi quatuor circiter horas sudauit.

7. *In Chronicis S. Francisci, part. 4. lib. 1. capit. 59.* An. 1532. die 14. Augusti, Almariæ in Granatensi Prouincia, in domo cuiusdam piæ fœminæ, imago quædam papyracea Saluatoris per duos dies maximum emisit sudorem; quo prodigio impulsi Fratres Sancti Francisci, solemni pompa eam ad propriam Ecclesiam transtulere, vbi vsque modò colitur.

8. *Pantaleon Diaconus, & Chartophylax magnæ Ecclesiæ Constantinop. de mirac. S. Michaelis Archan. apud Surium 29. Septembris.* In diuino, venerando, & pulcherrimo templo Archangelico, omnes qui malè agitantur omni genere morborum, & accedunt in fide, & ex intemerata illa eius imagine bibunt vnguentum emanans, statim assequuntur, quæ speratur, curationem.

9. *Gonzaga, in Prouincia Canariæ, de conu. Sancti Bonauenturæ Fortis venturæ.* Adauget huius Conuentus deuotionem, *Dominici vultus* imago (hanc Veronicam vulgò vocant) summo altari maxima cùm veneratione affixa, quæ 13. Februarii, anno verò Domini 1571. dùm venerabilis Pater Frater Ludouicus à Lugo sacrum coràm *illa* faceret, abundantissimum sudorem *miraculosè* emisit: quapropter ex altari S. Bonauenturæ, *ad summum*, honoris causa translata extitit.

10. *Seraphinus Bertolinus, in vita S. Rosæ c. 19.* Cùm An. Dom. 1617. XVII. kal. Maii, S. Rosa de S. Maria ex 3. ord. S. Dominici coràm deuotissima imagine Saluatoris flagrantissimo Dei amore incensa, humiles funderet preces, mirabilem sudorem tota illa imago, omnibus adstantibus cernentibus, emittere cæpit, quod prodigium quatuor horis durauit, illiusq. multos post annos prodigiosa vestigia in eadem imagine remansere.

11. *Franciscus à S. M. in Hist. Carmel. to. 2. li. 7. c. 20.* Dùm Catharina de Sandoual graui oppressa morbo, impediretur, ne ad fundationem Conuentus Carmelitarum progrederetur, derepentè imago crucifixi in illius cubiculo maximũ sudorẽ emittere visa est; prodigium admirans Catharina, imaginem apprehendit, veneratur, deosculatur, illoque sudore vultus eius madefit, omniq. statim liberata morbo, surrexit è lecto, fundationemq. est prosequuta.

12. *Gump.*

12. *Gumppenberg, in Atlanti Mariano, de imag. B.Virg. de Gratia, Archidona, in Hisp.* An.1572.eadem die,& hora,qua pugna ad Naupactum, & victoria pro Christianis contra Turcas stetit, Duce Ioanne Austriaco,sudare hæc sancta imago visa est.

13. *Idem, de imag. B.Virg. Annunciata, Racuia, in Sicilia.* Cùm hæc Ven.Statua an.1573.mense Aprili,sudore maximo perfusa fuisset; Confraternitates omnes processionaliter, ad diuinum numen placandum illùc aduenere. Cùm autem ea quæ S. Sebastiani est aduenisset ,& crucifixus ligneus ante altare, vt moris est,consisteret,ipse crucifixus etiam sudare cępit,inspectante clero,& populo,qui sudor est collectus in calicem.

14. *Idem, de imag. B.Virg. Mislenicensi, in Polonia.* Anno 1633. 1.Maii, Dominica ante Vesperas vtraque facies huius imaginis iutuentibus visa est, tanquam tela teneri obducta, deindè post mediam circiter horam guttæ magnitudine seminis cannabini ad instar olei pingues, & frequentes in capillis Deiparæ comparuerunt, durauerùntque per semihoram, sequenti die, tàm antè, quàm post meridiem in fronte, & genis Deiparæ iterùm guttæ prioribus maiores visę sunt, etiam defluentes ad mediam vsque imaginem. Hic prodigiosus sudor eodem mense pluriès iteratus fuit in eadem imagine, omnibus intuentibus, summo timore affectis.

15. *Idem, de imag. B.Virg. Immaculatæ Conceptionis, Xuxuia, in America.* Apud Xuxuios Americæ meridionalis incolas, cùm fide Christiana propagatus est D.Virginis cultus, & imago sub titulo immaculatæ Conceptionis spargere in vulgus gratias,& curationes miraculosas cępit. Semel autem hęc sacr.imago adeò sudauit, vt in linteum, scamnumq; subiectum copiosus sudor defluxerit; qui deindè sudor à multis exceptus, & vulneribus admotus, pestem fugauit, quæ tunc grassabatur; & quod maius est, spirituales quoq. animorum ægritudines, veras pestes abegit.

16. *Idem, de imag. B.Virg. de Crypta, Cupersa, in Italia.* In Crypta non longè ab vrbe Cupersa in Apulia, Virgine ipsa indicante adinuenta fuit hæc Ven.imago; ex qua sudores mirabiles faciem eius irrorare visi sunt; qui ægris admoti, illis salubres fuere.

17. *Idem, de imag. B. Virg. de Crypta, Panormi.* Ad sinistram Panormitani sinus ripam,in antro effigies depicta erat B.Virg. nulla veneratione culta. Cùm ann.1564.die Iouis sancti ludentibus ante sacram Iconem pueris,visa est sac. Statua sudare, quin & lachrymari. Pueris incussus tremor in alios abiit, quibus hæc pueri narrabant. Eo sudore se vngens mulier infirma, sanitatem est consecuta. Indè sac.imag.cultus.

18. *Idem, de imag. B.Virg. Tobetana, in Hispan.* Hæc sac.imago Ann.1526. cùm quidam mauri ad Baptismum admitterentur, sudauit: sudauerunt quoque Angeli duo vtrumq.Deiparę latus claudentes: & ne quid fraudi, vel naturæ tribueretur, durauit hìc sudor sex supra triginta horas; Sudauit etiam iterùm hęc sac.imago an.1610. quo Maurorum illorum posteri, ex Regno Aragoniæ sunt eiecti: guttæ porrò huius sudoris eius coloris fuere, cuius vniones esse solent.

19. *Idem, de imag. B.Virg. de Viridario, in S. Angelo, in Sicilia.* An.1544. Barbari,oppidum S.Angeli deuastaturi,cùm peruenissent ad templum Virg. cui nomen erat S.Maria à Viridario, tanto fulgore ab imagine Virg. emicante territi sunt, vt referre gradum coacti sint.Fugatis ea luce Barbaris,confluxere oppidani omnes ad liberatricem Virginem, eiusq. imaginem sudore manantem, siuè vt alii auctores sunt, sanguineo sudore respersam inuenere; tantaque fuit diuini liquoris copia, vt in calice reposuerint.

20. *Idem, de imag. B. Virg. Tallensi, Possonij, in Vngaria.* Ferunt, imminente grauiore malo, sudare huius Virgineæ imaginis faciem: ante mortem Cæsaris Ferdinardi II.sudare est obseruata à pluribus omni exceptione maioribus testibus.

21. *Idem, de imag. B. Virg. VVilibrordiana, Antuerpiæ, in Germ. Infer.* Hæc Ven. imago an.1590. dùm adhùc loco suo staret,sudare visa est,vtique calamitatis prænuncia.

22. *Idem, de imag. B.Virg. de Indirizzo, Messana, in Sicilia.* Hæc miraculosa imago semel sudare visa est in vultu per tres continuos dies.

23. *Philip. Ferr. mense Sept. die 16. de S.S. Mart. Abundio & Abundatio;* Apud Ecclesiam Sācti Eutychii martyris in ciuitate Castellana, ex B. Theodoræ, quæ hos martyres sepeliit, imagine, aqua mirabiliter profluxit.

24. *Augustinus VVichmans, in Apotheca Spir. Pha. ca.77.* Anno à Christo nato 1599. ardebat pestilentia Vlyssippo, quę viciniaō etagione Sala ciam peruasit. Accidit, vt D.Bartholomæi peruigilio (libitina vix sufficiente morientibus)cùm sacerdos in ędicula D.Rocho sacra, vbi B.Sebastiani simulacrū positum erat, rem diuinā faceret,oculos in effigiem coniiceret,guttisq. vbertìm manātibus vndiq.sudātem intuitus sit. Rei nouitate attonitus,effigiem in propatulum adducit,vt omnium oculis exhibita,res foret illustrior. Res mira;pręsentibus omnibus, magis, atque magis in sudorem resoluta est, adeò vt Curioni negotium in abstergendo sudore, quà sudariolis, quà mappis exhibuerit. De improuiso cymbala festiuo plausu feriuntur,rumor magis,atq. magis increbescit; confluunt plenis viis pestilentia laborantes,& fide obfirmata, sacro inunguntur sudore; quæ pietas votis ex ęquo respondit.Nāmex quo tēpore hęc ceciderunt, nec pestis ampliùs grassata est,nec vllus, licet spe deplorata, in posterùm morbo cessit; duos si excipias, qui per id tempus, animam iàm iam efflabant;Et cùm ęgrotātes simùl, & sani vltrò,citròq.sine religione miscerentur, nulli hoc commercium nocuit.His actis, decreta solemni pompa,confertim ędiculam petunt, vbi grates Sebastiano habuere immortales.Hoc miraculū multorūtestimonio stabilitum,litteris consignauit Don. Ioannes à Mello Eborensis Antistes: Vlyssipponēses tāto beneficio nō ingrati, ædē ędificarūt eo in loco, in quo sac.effigies sudorem vbertìm distillauit; effigieq.cautè occluserunt;nec vlli vnquā conspicitur, preterquàm die Sebastiano sacra, in qua solemnis pompa à curiæ senatoribus non sine sumptibus insti-

instituitur; Iterum mense Augusto, cùm B.Bartholomæo dies sacra obseruatur, cùm Sodalitium quoddam supplicatione instituta, tanti beneficii magnitudinem in memoriam adducit.

25. *Bzou.an.1487.num.13.* Pistorii, Diuæ Mariæ imago, candidissimum liquorem tàm copiosè eliquare mense Augusto cæpit, vt à fronte vsque ad pedes aliquot diebus emanarit.

26. *Daniel Bartolus, in vita S.Ignatij.* In oppido, vulgò Guardiana, Messicani Regni, imago Sancti Ignatii maximum emisit sudorem, cuius gutta cuidam infirmæ subitam impetrauit sanitatem.

27. *Ioan.Euseb.lib.1.de mirac. nat.c.76.* Nouis nuper prodigiis gloria S. Ignatii parentis nostræ Societatis cælitùs significata est in Hispania. Antiqueræ miraculosus imaginis huius Sancti sudor multos è morbis recreauit, plura alia patrauit admiranda. Celebrior tamen, pluribusque, scilicet penè innumeris miraculis commendata est imago Muniebregæ in Aragoniæ Regno, quo loco nullus his annis præteritis peregrinantium multitudine, votis, miraculisque frequentior: Erecta Ignatii species in altari omnibus colenda anno 1623. (diù enim contèpta in vestiario fuerat inter alias etiam virorum sæcularium imagines) eo ipso die plures ęgrotos impedimento aliquorum membrornm, repentè sanitati integræ restituit, magno omnium stupore, & reuerentia tanti patroni. Prima sexta feria postquam publico cultui in altare producta fuit hæc imago, mirum sudauit quatuor horas liquorem, qui nec aqua, nec oleum videbatur. Mirabilior tamen virtute, cùm multi ægrotantes, madefactis eodem sudore linteis, valetudinem obtinuerint. Sequenti deindè sexta feria similis sudor per duas horas repetitus fuit. Augustum, & mirum quid dicunt præseferre hanc imaginem, & reuerentiam obtuentibus ingerere; Sunt etiam qui dicunt, diuino aliquo artifice, & angelica manu factam.

28. *In vita Sanctæ Agnetis Politianæ.* Cùm semel Sancta Agnes cùm suis sororibus ante imaginem Beatæ Virginis oraret; Subitò facies dictæ imaginis cæpit pallere, crispantes rugas multiplicare, guttas sudoris emittere, quasique in supportatione grauis oneris laborans, anhelitum frequenter educere; ex quo prædixit multas tribulationes in terra futuras.

29. *Ioseph Sylos in Hist.Cler. Reg.par.2.libr.5.* Innico Aualos Pischaræ Marchioni, B. nostri Andræ imago domi erat, quam intimè colebat. Ad hanc dùm orat è domesticis quidam, stillare ab ea guttas quasdam aduertit. Defixus rei nouitate, alios atque alios vocat; tùm Marchionem ipsum, quibus sedulò inspicientibus, compertus sudor; cùmque nullibi in eo conclaui humor, supra naturam esse persuasum habuere, ac portendi quid grauius, quod guttis iis, veluti manantibus lachrymis, Andreas complorabat. Contigit porrò quòd timeri tunc cæptum; enim verò sextum post diem filius Marchionis decennis improuiso casu decessit.

Videantur quæ dicta fuere tom. 1. libr. 4. cap. 1. §. 6. vbi de lacte mirabiliter cælitùs hausto.

Ex Crucibus, & Imaginibus Lux admiranda. §. 10.

NOn hìc referam admiranda luminaria, quibus ducibus quandòque imagines obscuris abditæ in locis, fuere manifestatæ; de his enim cùm de Admirandis earum inuentionibus, sed solùm de quibusdam prodigiosis splendoribus, quibus aliquandò mirum in modum irradiatæ apparuere, iisque, ceù cælestibus caracteribus, quo honore essent colendæ, etiam cæcutientibus est demonstratum. De his.

1. *Thom.Boz.l.15.c.14.de signis.* Procopius narrat, Apameæ fuisse particulam S.Crucis, quam sibi ostendi populus voluit, cùm ciuitas diù à Persis obsessa iàm iàm capienda videretur, vt nimirùm cruce visa, lætiùs obirent, cùmq. ter Episcopus illam sustulisset in altum, conspiciendamq. proposuisset, ter ex ea maximus ignis latissimè effulgens in omnes partes, haùd tamen comburens, eluxit; quo viso hostes perterriti, obsidionem soluerunt.

2. *Idem ibidem*, Stagni Episcopus Bonifacius Stephanus superioribus annis Christi sepulchrum vetustate deformatum restaurauit, inuenitque in eo restaurando partem quamdam Crucis, cui Christus fuit affixus; eam sibi reseruauit, secùmq. iter aliò facturus detulit, cùmque per ignota loca noctu fortè aberrasset à via, & quònam tenderet, ignoraret, inops consilii, protulit illud crucis lignum eo animo, vt indè opem speraret, & ita sanè contigit, nàm maximus ex eo splendor elucescens, omnes procùl tenebras fugauit, totumque iter erranti indicauit.

3. *Idem ibidem.* Cùm percepissent Armeni, Antiochiam à Chosroe dirutam fuisse; Episcopum Thomam rogarunt, vt in publicum crucem proferret, quam cuncti adorarent in aperto, opemque in afflictis rebus implorarent. Ille die dicta solemni ritu prodiens, crucemque manibus in sublime prolatam gestiens, circuit ædem sacram, populo sequente, ac vidente ignis vim magnam subsequi è cruce, Episcopum antecedentem.

4. *Daniel Bartolus, in secund.par.Iaponis lib.2.* Dum in Ciuitate Giatzusciro Insulæ Iaponensis, fidem Christianam deuotè suscepissent Incolæ, variasque hinc indè in venerationem erexisent cruces; quadam vespere, ex ingenti cruce mirabiles prodire splendores obseruauerunt, qui ad eam venerandam adiuerant; quod miraculum cæteris denunciantes; ne dùm ipsos, sed etiam longinquæ regionis peregrinos ad tantum admirandum prodigium, quod diù perseuerauit, traxere, omnesq. ex eadem cruce assulas, ceù pretiosas reliquias, desumere curauere.

5. *Gumppenberg.de imag.B.Virg.de Luminibus, Sanseuerini, in Italia.* Ann. 1586. die 15. Ianuarii, visa lumina sunt circa hanc imaginem è cœlo delapsa, nunc radii, nunc facis figuram referentia. Quæ res vulgata, in causa fuit, vt concursus populorum ad eam venerandam conflueret.

6. Idem,

6. *Idem, de imagine B.Virg. de Angelis, Tibure, in Italia*. Cùm semel Tiburtina vrbs insolita grandine, ne dùm frugibus, sed & hominibus nocua quateretur, omnes in templum Beatæ Virginis, eam oraturi confugerunt: tunc hæc imago, fulgore diuino splendescere cæpit: quin & auditæ Virginis voces, filium inclamantis, & misericordiam exigentis; paulòque post remotæ cœlo cùm grandine nubes sunt.

7. *Idem, de imag. B. Virg. Casimiriensi, in Cracouia*. Hanc pingi imaginem in pariete Templi exteriore curauit B. Isaias Bonar, ordin. S. Augustini, ante quam dùm ipse oraret, visa non rarò fulgore supra humanum pulchro. Auditi quoque cantus Angelici distinctissima pronunciatione modulantes: *Aue Regina cœlorum*.

8. *Idem, de imagine Beatæ Virginis à Stella, Cassiani in Italia*. Hic sæculo proximo paupere in domo, fœmina, fulgorem vidit lucidissimæ stellæ æmulum; obstupefacta, acciuit vicinos; accedunt omnes, hancque imaginem tàm portentosæ lucis radios emittentem inueniunt. Episcopus aduocatus, eam in templum Cassiani solemniter deportauit, vbi & nunc lucet miraculis.

9. *Pantirola in sua Roma*. Romæ in Ecclesia Beatæ Virginis de Sole, pia colitur imago B. Virginis, quam religiosus vir in charta depictam super vndas Tiberis ferri conspiciens, sustulit, domumque tulit, Sororique piæ Virgini donauit. Ab hac splendidissimi radii oculos intuentium paucos post dies ita mirabiliter emissi sunt, vt omnes in admirationem, & stuporem induxerint.

10. *Baronius an.* 823. In territorio Comensi in vico Grabadona in Ecclesia Sancti Ioannis Baptistæ, imago S. Mariæ puerum Iesum suo gremio continentis, ac Magorum munera offerētium, in abside eiusdem Ecclesiæ depicta, atque ob nimiam vetustatem iàm penè abolita, tāta claritate per duorum dierum spatia effulsit, vt omnem splendorem nouæ picturæ suæ venustatis pulcritudinem cernentibus penitùs vincere videretur. Magorum tamen imagines præter munera, quæ offerebant, minimè claritas illa irradiauit.

11. *Arnoldus Rayss. in auct. ad nat. S. S. Belgij*. In Scheut-geld in agro Bruxelensi, inter Lacken, & Anderleckt pagos, frequens peregrinorum concursus ad sacellum Beatæ Virgini Matri ibidem dedicatum, in quo præclara, eaque sanè haùd pauca ante hàc patrata fuere miracula. Aliquandò enim effigiem Beatæ Virginis ibidem repositam cælestis claritas media nocte circumfulsit, aliquandò is, qui rosas eidem detrahere ausus fuerat, occulta vi numinis in terram prostratus est: Alius item, qui poma tholo forsitan appensa rapere apud se constituerat, sensit se priùs humi fusum, quàm ad ea manum extendere potuisset, atque ita crebrescentibus signis, tanta hominum frequentia locus ille coli cæpit, vt interdùm ad decem millia hominum eò confluerent.

12. *In vita Sancti Francisci de Paula*. Ex imagine S. Francisci, quæ erat in Oratorio Don. Ioannis Francisci de Arenis, semel emanarunt splendores coruscantes, qui videbantur illuminare domum in nocte.

13. *In vita S. Antonini Abb.* In latere muri, vbi Sanctæ eius Reliquię continentur, in imagine ipsius designata, cùm Pictor coronā inauratā capiti circumponere pararet, parietē, prout necesse fuit, cauabat; Et ecce per rimas factas lux inæstimabilis, & innenarrabilis emicans, vultū dolātis feriebat. Quā ille, per intolerabiles radios oculorum acie reuerberata non sustinens, ruinam dare in terram minabatur: sed tamen pro deuotionis intentione confirmatus, opus festinanter consumauit.

14 *Sylos in Hist. Cler. Reg. Part.* 2. *lib.* 5. Ex imagine nostri Beati Andreæ sępè sępiùs lux clarissima rutilare Neapoli, & Panormi, magnam adspicientium admiratione, compertum est.

15. *Cæsar Franciottus*. In Vrbe Lucæ, cùm Oratorium S. Mariæ ad portam S. Petri esset solo æquatum, Cęmentarius murum percutiens, in quo erat Virginis imago, ex ictu, ignem splendentem exire vidit, quare territus, ab opere abstinuit, atque adeò Episcopi iussu eam partem integram reliquit, vbi erectum Altare fuit, & vsque in hodiernum diem illa imago maxima populi frequentatione colitur.

Imagines ab igne illæsæ.

§. II.

IAm in primo Tomo, cùm de Igne, multa notata sunt circa hanc materiam; modò solùm aliqua. Suntque.

1. *Gumppenberg, in Atlanti mar. de imag. B. V. Libessicensi in Boemia*. Hæc imago in vitro picta est, pars antiquę fenestræ. An. 1638. exortum incendium ex horro Parochi proximo Ecclesiæ, totum omninò templum absumpsit: ipsæ fenestræ omnes dissiliere, liquefacto plumbo. Hæc sola Deiparæ imago integerrima permansit.

2. *Idem*. Cum Hæretici ignem admonissent Cęnobio Aulæ Regiæ Pragæ in Boemia, totum cùm templo in cineres redactum est, vt nihil ampliùs integrum, inuiolatumque reperiretur, præter vnam Crucem, & imaginem B. V. quam nec fumus quidem libauit inter medios ignes,

3. *Idem*. Ignis reueritus est imaginem S. Mariæ de Mosteiro in Lusitania; si quidem cùm omni ex parte silua proxima ingenti incendio conflagraret, vbi flamma fores templi attigit, nullo illato detrimento extincta est.

4. *Idem*. Cùm igne concepto, quidquid supellectilis fuit, in domo, in qua, hæc reperiebatur Messanæ imago B. V. Rhodiensis vel diffractum ruina, vel consumptum igne fuisset. Hæc sola Deiparæ tabula integerrima, & illęsa inter omnes vna, & sola superstes incendio, & ruinis mansit.

5. *Idem*. Inualescente hæresi, sacrilegi fidei hostes in ignem, inter cætera, coniecere Sacr. Deiparæ imaginem, quæ Bononiā in Gallia ab Angelis in naui allata, summa ibi colebatur veneratione; comburi tamen nunquam potuit, elemento reuerentiam compensante quam homines negabant

6. *Idem, de imag. B.V. ad tres Spicas, Morsvvira, in Ger. Sup.* An. 1636. tres hæretici milites ignem subiecere templo, in quo Morsvviræ in Germania Super. colebatur Ven. imago B. Virg. ad tres Spicas, quo igne quidquid ligneum erat, absumptum est, si sac. imaginem excipias, quæ omninò illæsa, & sola stetit.

7. *Idem, de imag. B. Virg. de Crypta, Praga in Boemia.* Roteburgensi Ciuitate ad Neccarum abhæreticis occupata; hi omnia mala quæ potuerunt, intulere, rebus præcipuè sacris; inter has, vnam sac. statuam B. Virginis in rogum eam ob rem excitatum abiecere. Quæ tamen, licet lignea, ignis, quantùmuis per interualla aucti, qualemcumque vim sustinuit per duodecim omninò horas, nulla vel fumi macula. Hanc nobilis quidam catholicus ab hæreticis obtinuit, Pragamque in Boemiam, vbi colitur, detulit.

8. *Idem, de imag. B. Virg. Casimirensi, in Cracouia.* Cùm an. 1550. Ecclesia, vnà cùm cœnobio, in quo hæc sacra colebatur imago conflagrassent, inter incendium illæsa stetit.

9. *Idem, de imag. B. Virginis VVilibrordiana, Antuerpiæ, in Germ. Infer.* Sub cineribus consumpto ab igne loco, in quo hæc Venerab. imago erat, illæsa, & integerrima adinuenta fuit.

Cerei, & lampades ante sac. Imagines, vel sine pabulo, vel indeficienter ardentes.

§. 12.

ETiam ipsa elementa, quasi sint colendæ veneratione Sanctorum Imagines, demonstrant: Ignisque in cereis, lampadibusque ante sac. imagines aliquandò ardens, minimèque consumens, igneis linguis earumdem cultum contra Iconomacos declarat. De his.

1. *Petra Sancta, de Ritibus cap.* 8. Regina Radegundis, reliquias insignes, & partem notabilem Sanctæ Crucis collocauerat in Templo Cœnobij Pictauiensis, quod ipsa ædificauerat à fundamentis. Lychni verò ante illas accensi ita exundabant, vt veluti ebulliens oleum efflueret, & vascula ideò supposita impleret. Id conspicatus aliquandò Sanctus Gregorius Turonensis, atque initio vitrum esse fractum interpretans, tandem agnouit (quod & Antistita loci affirmauit) oleum succrescere, augerique ita, vt horario spatio ad sextarium colligeretur: cuius mensuræ tamen, vel tetrantem continere lampas non videbatur.

2. *Rocheta in sua peregrinatione Terra Sancta, tract. 4. capit.* 8. Sanctus Ludouicus Franciæ Rex reliquit in pignus Soldano Hostiam à Presbytero consecratam, donec quadraginta aureorum millia, quæ fuerat pollicitus, in Regnum suum reuertens exhiberet; posita autem hostia in Capella, in qua celebrari consueuerat missa, cùm duabus candelis cereis, & clausa duabus clauibus, vna apud Soldanum remansit, alteram secùm Rex detulit; deindè post aliquot menses, cùm numos collegisset, misit eos per eundē Capellanum mirumque dictu. Intortitia accensa inuenta facere absque vllo ceræ absumptæ detrimento.

3. *Gonzaga de origine Seraph. Relig. part. 3.* In Castellonii oppido Prouinciæ Valentiæ in Anniuersaria supplicatione corporis Christi, dùm sacra pompa deportaretur à Religiosis Ordinis S. Francisci, faces omnes circumferri solitæ, absque detrimento ceræ arsere.

4. *Petrus Cluniacensis de miraculis lib. 2. c. 30.* Cùm olìm à Romanis in Festo Assumptionis Beatæ Virginis cerei offerrentur eidem in Templo Sanctæ Mariæ Maioris, per plures annos obseruatum est, eosdem cereos, licet à vespertinis horis vsque ad sequentis diei sextam, vel nonam horam in Ecclesia Matris Domini ad honorem vtriusque accensi fuisset, idem pondus habere, ac si nihil consumpti fuissent, atque adeò seruabantur domi religiosissimè aduersùs spectra, & quascumque calamitates. Porrò miraculum hoc cessauit in schismate Petri Leonis.

5. *Ioannes Moschus in Prato Spirituali, c. 180.* Quidam Abbas Anachoreta, Ioannes nomine, habebat in Spelunca sua imaginem B. Virginis, in vlnis ferentis Christum. Quotiès ergo abire volebat ad loca venerabilia, vel Ierosolymam adadorandam crucem, vel ad Montem Sinai orationis gratia, vel ad loca Martyrum (erat enim reuerentiæ Martyrum mirabiliter deditus, & modò ad S. Ioannem Ephesi, modò ad Sanctam Theclam in Seleuciam pergebat, & modò ad istum, modò ad illum Sanctum) tunc reficiebat candelam, quam accendere solitus erat coràm imagine B. Virginis. Atque in oratione stans, & Deo, vt suum iter dirigeret supplicans, intendensque in imaginem Deiparæ dicebat: Sancta Domina nostra Dei Genitrix, quia longum iter operaturus sum, candelæ tuæ curam habe, ne extinguatur iuxtà propositum meum. Ego enim adiutorio tuo comitatus iter arripio. Reuertebatur autem post tres, vel quatuor, vel sex Menses, & ita reperiebat candelam ardentem, sicut eam dimiserat, nunquam enim eam à se ipsa extingui vidit, neque de somno surgens, neque de peregrinatione rediens.

6. *Bzouius ann.* 1513. Apud Vrbem Victoriam in Festiuitate Purificationis B. Mariæ, candelæ in supplicatione deferri solitæ ad honorem, & cultum imaginis eiusdem B. Virginis, arserunt die festo, & aliis duobus consequentibus in processione, ita vt communiter omnes æstimarent tertiam partem ceræ fuisse absumptam: Tamen lanci impositæ, non tantùm non assumptam, immò potiùs auctam fuisse ceram indicarunt, vtpotè quæ ad nouem libras, & tres vncias ascenderet. Accessit & istud aliud. Cùm quinquaginta octo candelas solas in partem seposuissent, & Inquisitor ad recognoscendum prodigium venisset, vnam, & sexaginta candelas repererunt, aucta nimirùm diuinitùs cera, & numero candelarum.

7. *Felix Astulphus in Hist. imaginum, libr.* x1. Cùm Rosarii societas in cultus signum, & grati animi, ob adeptam victoriam in Vrbe Lucronii, quæ

ab

ab hostibus Virg. ope liberata est, processionem instituisset, & certum candelarum numerum, & pondus decreuisset, quas omnibus distribueret; quid accidit? Emunt ceræ libras octo, nàm plures reperire non potuerunt, tradunt ceram artifici, in candelas formandam; opus dùm perficit, tacitis incrementis aucta cera est, vt sexaginta Candelas uiderit, quarum singulæ quartam libræ partem continerent. Non stetit hìc miraculum. Quælibet candela quartam libre partem ponderabat, sed omnes sexaginta simul, octo libras non excedebant, cùmque in processione diù mansisset accensę, adeò non fuere absumptę, vt cerę pondus creuerit.

8. *Lipsius de Virgine Hallensi cap.* 21. Quędam pia fęmina dùm puerum defunctum absque Baptismo ad Templum D. Virginis Hallensis deportari curasset, vt eius intercessione ad vitam reuocatus, sacro fonte mundaretur, mirum accidit, cùm enim lento passu irent, pars illa cerei, cuius modulus, sesquipalmaris erat, non defecit, sed perseuerauit ardere, ac lucere à sexta vespertina, ad lucem sequentis diei sine vlla diminutione.

9. *In Chron. Ordinis B. Mariæ de Mercede.* In Aragonię Regno, & Oscensi Episcopatu, celebrem reddit domum nostram de Monte florido (seù vt vulgariter dici solet) de *Montflorite*, imago quędam deuotissima, cui nomen est, Domina nostra de Doloribus. De qua multi multa admiranda, & diuina referunt, quæ breuitatis causa missa facimus. Solùm enarrare liceat, coràm hac sanctissima imagine quãdam lampadem per plures annos sine noui olei additione ignitam, & ardentem permansisse; Hæc igitur lampas perdurauit admirando modo accensa vsque quò quædam eius Oppidi fæmina non timens Deum (erat enim professione malefica) ad sua veneficia, & incantationes fabricandas, & componendas, eo admirando oleo diuinitùs manante cùm lucro abusa est.

10. *Fernandez ann. Domini* 1612. In die Visitationis B. Virginis, in loco, qui Stanga dicitur, cùm celebrandum esset Festum, & Fratres Societatis Rosarij cereos non haberent in processionem ituri, & sacram imaginem Virginis Rosarij delaturi, duos magnos cereos à Fratribus Soc. Sacram. postularunt, pretium daturi pro cera consumpta. Toto tempore, quo cantata Missa est, & peracta processio arsere cerei, cùmque appensi essent, inuenti sunt eiusdem omninò ponderis, ac priùs essent. Aderat quidam ex ordine Prædicatorum, qui tunc concionabatur, qui cùm rem intellexisset, post vesperas nouam processionem indixit in tanti miraculi gratiarum actionem, cùmque diù ante Virginis imaginem arsissent iterùm cerei, & in processione delati secundò, eiusdem ponderis reperti sunt, quæ res admirationem in stuporem vertit, omnesque in Matris Rosarii deuotionem traxit.

11. *Franciscus à S.M. in Hist. Carmel. tom.* 1. *li.* 1. *cap.* 9. Soror Catharina à Iesu Conuersa ex Carmelitis, cùm quadam vice in die Purificationis B. Virginis, vt festum maiori solemnitate perageretur, curasset, vt multæ Candelę, ante aram eiusdem Virginis accenderetur, in fine solemnitatis obseruatum est, nihil ceræ in omnibus candelis consumptum fuisse.

12. *Gumppenberg, de imag. B. Virginis Martyrum Tarenti in Italia.* Ante hanc S. imaginem semel lampas solo latice plena, tota nocte ardere obseruata est.

13. *Idem, de imag. B. Virginis VVerebterana, in German. Infer.* Extinctus cereus, qui ante hanc sac. imaginem ardebat, bis terue manè inuentus est accensus, & ardens, non obscuro indicio, Virginis in votis esse lampadem continuò ardentem.

14. *Idem, de imag. B. Virginis de Henar, in Hispania.* Fertur, lampades, deficiente oleo extinctas ante hanc sacr. imaginem, Sabbato sancto per se accensas fuisse: quin & vas olei, vndè lampades nutriebantur, nouo miraculo plùs quàm mille lychnis suffecit, nàm non vulgari miraculo, & iam sæpiùs patrato repletum est.

15. *Idem, de imag. B. Virginis de Miraculis, Messane, in Sicilia.* Semel cùm Sacristanus oblitus esset lampadi ardenti ante hanc sac. imaginem in eius festiuitate affundere oleum, summo mane templum adiit accensurus lampadem, quam extinctam credebat; sed euidenti prodigio ardentem inuenit; quod prodigium alio probatum est, quandò inspicientibus liquor lacti non absimilis alere lampadem deprehensus est, nullo inuento, qui eius coloris oleum vidisset. Durauit insuper hic miraculosus liquor per integram Festi octauam.

16. *Surius de S.S.M.M. Diodoro, Mariano, & alijs* 17. *Iannuarij.* Lampas aqua plena desuper oleo modico, vix ad crassitudinem vnius digiti, accensa fuit in eorum crypta, quatenùs lumine locus non indigeret, qui tanto odore fragrabat. Accensa igitur lampas continnis septem diebus, ac noctibus semper arsit, vt nec oleum deficeret, nec eius flamma vllo ventorum flamine extingueretur, quibus indicijs manifestè datur intelligi, quanta gloria digni habeantur in cœlis, quorum fragmina artuum inter ruderum cœnum talibus virtutibus coruscant.

17. *Idem* 20. *Februarij. De S. Eucherio Episcopo Aurelianensi.* Mulier quædam, quam ipse vir Sanctus de Gentilitatis errore sua admonitione reuocauerat, cuiusque filium de sacro fonte susceperat, ad tumulum eius ceream candelam pondere libræ vnius ex deuotione collocauit, & incendit, & ea per tres dies, noctesque perpetuò arsit, nec extincta est. Die verò tertio Custos Templi ceram eius candelę liquefactam redegit in massam, atque ecce in eius manibus in tantam molem excreuit, vt idem omninò pondus pristini cerei inueniretur.

18. *Idem ibidem, de eodem.* Cùm vas vitrum oleo plenum ad caput S. Eucherii Episcopi Aurelianensis suspensum fuiset, cæpit paulatim liquor augeri, & in pauimentum instar riuulorum dilabi. Porrò fratres concito gradu Basilicam ingressi, ad tanti miraculi conspectum gaudio perfusi, certique de meritis Sancti, vase supposito Dei donum suscepere. Tandem paucis euolutis ita copiosè emanauit, vt lampades septem indè impletę, licet pariter ardesent, nihil tamen imminuerentur. Ex ipso autem san-

sanctitatis liquore quicumque ægrotus ex deuotione manibus sacerdotum vngebatur, statim recipiebat sanitatem, quacumque etiam detineretur infirmitate.

19. *In vita S.Galli Abb.cap.33.* Dùm B.corporis Thesaurum fœlix locus in pace suscepisset, volens Dominus de morte famuli sui merentibus consolationis præbere medelam, nouitate miraculi patefecit, qua apud se claritate spiritus fulgeret amici. Nàm duo cerei in castro, dùm corpus eius eleuaretur, accensi, ita ardentes delati sunt vsque ad locum sepulturæ. Positi autem vnus ad caput, alter ad pedes, per triginta deinceps dies, mirabile dictu, non deficiendo ardebant, & ardendo non deficiebant. Et vt monstraretur, has durandi vires ceræ liquenti cælitùs attributas, de huius miraculi materia plurimæ in posterùm virtutes emanarunt. Nàm quicumque dentium fatigati doloribus, vel oculorum lippitudine, vel aurium præclusione laborantes, de eisdem cereis quidpiam ceræ tulerunt, & locis, quæ huiusmodi tenebantur incommodis, aptauerunt, optatæ celeriter dona percepere salutis.

20. *Idem, in vita S.Spirid. Archiepisc.12.Dec.* Cùm vespertinum Cãticum aliquandò esset perductum ad medium, iàm quidem lucernæ deficiebat oleum: aliud autem non esse tunc contigerat: parùm vero aberat, quin lucerna extingueretur. Sanctus autem angebatur animo, vt qui nollet imperfectum relinquere ministerium. Protinùs autem virtute quadam, quæ non cadebat sub oculos, lucerna quidem scatet oleo: superfunditur verò oleum instar fontis, & cùm vasa subiecissent æditui, excipiebant id, quod defluebat. Tàm copiosam habebat ille magnus vim scatentis gratiæ in sua anima, non minùs quàm illud sensibile oleum in lucerna.

21. *In actis S.Genouefæ Virginis 3. Ianuarij apud Bollandum.* Post transitum Beatissimæ Virginis Genouefæ, sepulchro eius lampas assignata seruiebat, quæ instar scatentis fontis olei, riuos deriuabat: accedente quoque miraculo, deriuatum mirabiliter oleum multitudinem languentium triũphauit, & in melius mutata natura: arsit enim ignis in lampade post olei consumptionem, lampade mutata in fontem, oleo in medicinam.

22. *In actis S.S.Feb.tom.1.in Contin.Bollandi.* Ardebat ante reliquias S.Aprippani Aniciensis Episcopi in ædicula S.Stephano Protomartyri dicata Anicii, cerea candela ferro infixa; igneo lumine absumpta candelæ cera, quod substabat ferrum, perindè, ac ipsa candela ardere visum est. In eodem loco, quod lucentibus lampadibus oleum infundebatur, lampadum flammis non absumebatur.

23. *Ibidem in Feb.to.1.An.1633.* Nonis Februarii, hoc est pridiè Natalis S. Alderici, Fusniaci in Diœcesi Coloniensi, Sanctimoniales pietatis motu, cereum libræ dimidiæ supra tumbam Sancti locauerunt, qui duobus diebus, & noctibus continuis arsit; quod, omnibus Virginibus contestantibus, naturali cursu fuisset impossibile.

24. *Ibidem in Feb.tom.2.* Cùm lampas liquore olei plena ante Sepulchrum S. Ansberti Archiepiscopi Rotomagensis, à fidelibus accensa fuisset, & die, noctuque indesinenter non solùm arderet, sed etiam redundaret, & hoc Fratres admirarentur, ac diuinæ deputarent gloriæ, posuerant aliud vas, in quo distillantia eiusdem olei diuinitùs dati refunderentur.

25. *In vita S.Eligij Episcopi Noniomensis, cap. 57.* Multa alia Domino iubente, miracula sunt, in quibus est etiam illud, quòd lampas oleo abundè cælitùs impletur, quo sancto liquore multi illìc peruncti, variis liberantur incommodis, & morbis.

26. *In Marty.Gallic.3 Nonas Iulij, de S.Vedasto Episcopo Atrebatensi.* Lampas ante ipsius hierothecam posita, & hausto oleo, sine vllo pabulo ardere, & rutilare conspecta est.

27. *Flodoardus Hist. Ecclesiæ Remensis lib. 4. cap.53. de S. S. Rufino, & Valerio Mar.* Illud notissimum, & omnibus habetur peruulgatum, ad Sanctorum Martyrum sepulchra, oleum aliquandò creuisse. Siquidem Presbyter, vas quoddam fictile iuxta altare posuerat, ad seruandum oleum, quod ibidem ad fontem luminis ardere debebat. In quo vase parum quidem olei remanserat, maiore eius parte in lychnorum lumine consumpta, cùm repentè cepit crescere, & nullo inspiciente in maius augeri, donec os vasis crescens oleum exæquaret.

28. *Paulus Regius in vita S. Athanasij Episcopi Neapolitani cap. 7.* Cùm semel ante sepulchrum S.Athanasii Episcopi Neapolitani lampades accensę fuissent, spatio quinque dierum, noctiumque, nemine oleum, aliumue liquorem suppeditante, mirabiliter accensæ permansere.

29. *In actis S.S.Aprilis tom.1. in Cont.Bollandi.* Lucerna, quæ ante sepulchrum S.Nicetii Episcopi Lugdunensis semel accensa fuit, per quadraginta dies, totidemque noctes absque vllius fomenti adiutorio perdurauit splendens, in qua nec papyrus addita, nec gutta olei est stillantis adiecta, sed ipsa, qua primùm statuta est compositione permansit cùm luce præclara.

30. *In Chro. Beneuentano.* Quidam vir, sanitate vxoris, quæ erat paralitica, recepta, decreuit, vt ante altare vbi extabant Beatissimi Iannuarii, & Sociorum corpora, ex eius oleo lampas foueretur, quod cùm negligeretur ab illo, cui cura commissa erat, cæpit lampas sine commixtione olei redundare, vt in terram oleum deflueret, de cuius liquore innumerabiles redditi sunt sanitati.

31. *Ludouicus de Angelis.* In Oppidulo Valentiolæ Archiepiscopatus Toletani, vbi reperitur sacellum peruetustum S. Augustino dicatum, mulier quædam celebrans diem festum, obtulit cereos, qui in primis, & secundis Vesperis, & in Missa exarserunt, postque nihil cerę ex illis imminutum esse repertum fuit.

32. *Crysostomus Henriquez in notis ad Menolog. 23.Feb. de B.Leonora Moniali Monasterij S.Benedicti de Castris* Inter alia miracula, hoc etiam notatur, quòd cerei qui dùm eius funus celebrabantur, ferè per integrum diem in Templo arserant, absolutis

solutis exequiis, inuenti fuerunt non modò integri, sed quinta ex parte cera eorum multiplicata, vt postea diligenti inquisitione facta, euidenter ostensum est.

33. *In vita B. Antonij, Ordinis S. Augustini*. Cùm accensi fuissent quatuor cerei, vt mos est, ante corpus B. Antonii defuncti, & sepultura per duos dies retardaretur, prædicti cerei, die, noctéque lucebant, nec comburebantur. Post sepulturam verò ponderantur cerei, & licet per duos dies, & noctes accensi fuerint, non tamen vnciam vnam combusserant.

34. *Franciscus à S. Maria in Hist. Carmel. tom. 1. lib. 5. ca. 21.* Vt ostenderet Deus, quàm sibi grata esset paupertas Discalceatorum Carmelitarum, cùm semel in celebrandis exequiis P. Fr. Nicolai à Iesu Maria, mutuati essent quatuor cereas faces, dùm easdem mercatori restituunt, pretiumque consumptæ ceræ soluere volunt, nec vnciam ceræ consumptam esse animaduertunt, licet toto tempore solemnis missæ, & Responsorii coràm defuncti corpore arsissent.

35. *Vadingus an. 1429. de Maria de Cespedes.* Faces, & Candelæ in eius Exequiis accensæ, non sunt imminutæ, quantùmuis arserint horis successiuis.

36. *Augustinus VViebmans in Apotheca Spirit. Pharm. cap. 44.* Legitur de B. Iosepho Præmonstratensi in Steinfeldia propè Coloniam Canonico, quòd sæpè diligenti animaduersione deprehensum est, inter Missarum solemnia, quæ vir deuotissimus in Deum abreptus vltrà horam, & mediam, quandòque vltrà duas protrahebat, ardentes in Altari cereos, ne vel ad nihilum quidem imminutos fuisse.

37. *Sylos in Hist. Cler. Reg. part. 3. lib. 10.* Quidam honestissimi nominis Mercator Neapoli in nocturnis solemnis, quæ ibidem ornandæ anniuersariæ S. Caietani memoriæ celebrari solent, in vestiaria sua officina aram sumptuosissimam excitauerat, cui illuminandæ lychni planè multi adaptati. Arsere horum magna pars, horas circiter tres, quoad oleum superiit: prouecta deindè nocte, extincti reliqui, quos oleum adhùc aleret: idque perdiligenter vsque ad vnum omnes. Quibus accuratè peractis, clausis de more Officinæ foribus, abiit cubitum. Manè autem dùm redit, incurrit confestim in oculos lychnus, qui ad S. Caietani imaginem inextinto ardebat lumine. Ac primò quidem non adeò miratus; fieri siquidem potuisse existimauit, vt vnus ille curam, aliorumque diligentiam luserit. At enim dùm constanter, ac persanctè domestici affirmant, nihil prorsùs relictum inibi luminis, tunc enim verò accensum superiore quadam luce ad Caietani imaginem lychnum persuasum habuit vir pius, adauctumq. insuper oleum, quandò ad duodecim omninò horas, quod fieri minimè poterat, lumen aluisset.

38. *Idem part. 2. lib. 11.* Peracto Patauii sacro solemni die de Apotheosi nostri B. Andreæ, Cerei, qui Templum omne lucenti quodam serto obibant, extincti, relictusque casu vnus, qui ante B. Petris vultum collucebat. Is verò ita totum diem arsit, vt ad vesperam vsque perdurauerit: quod fieri minimè posse videbatur, cæteris, qui matutino duntaxat tempore arserant, consumptis. Accidit & id Badulati, quod est in Calabria Oppidum: cùm enim populares illi, Andreæ patrocinium, quod communi suffragatione sanciuerant, solemni ritu celebrarent, instituta supplicatione, ita arsere Cerei, vt minimè absumerentur, defixis admiratione, qui gestarent.

39. *In m. s. s.* Anno 1394. cùm ob inundantes aquas in Ciuitate Leodiensi in Belgio, haùd potuisset custos Ecclesiæ S. Iacobi lampadem ante imaginem S. Andreæ solitò ardentem, oleo adimplere, nihilominùs admirabiliter quinque dierum spatio exarsit.

Cereis, Oleoque Lampadarum ante Sacras Imagines ardentium, admiranda perpetrata.

§. 13.

NOnnulla in præterito paragrapho enarrata fuere admiranda, oleo, cereisque ante sacras aras ardentibus perpetrata; modò de aliis. De quibus.

1. *Gregorius Turonensis de Miraculis S. Martini Epist. Tur.* Inualescente febre cùm doloribus membrorum omnium quidam ad extremum vitæ venerat, cùm ad eum transmissus est vnus ex cereolis aræ Sancti Martini. Quo accenso ante lectum ægroti, fauillam scirpi, quem iàm ignis consumpserat, cultro eradunt, dilutumque aqua ægro porrigunt ad bibendum. At ille, vt hausit, sanitatem protinùs recepit, incolumisque est redditus.

2. *Idem ibidem.* Factum est, vt inuidia tentatoris immissum incendium, Domum voraci flamma combureret, & sparsum per aridas tabulas cuncta vastaret. Clamor ad Cœlum tollitur, & B. Martini auxilium imploratur. Meminit quidam ceræ particulæ à S. Templo delatæ, quæ reperta, & igni iniecta, protinùs cunctum extinsit incendium.

3. *Idem ibidem.* Agrum quendam grando annis singulis vastare consueuerat, & tàm grauiter sæuiebat, vt nihil ibidem relinqueret. Super excelsam autem arborem illius possessionis cera de Altari Sancti Martini posita fuit: & ecce post illam diem, nunquam ibidem tempestas cecidit, sed veniens, locum illum, tanquam timens, prætéribat.

4. *Idem ibidem.* Aridius Presbyter Lemouicensis, cùm ed eum surda, & muta accessisset, in eius aure de Cera, quam de sepulchro Sancti Martini tulerat, posuit, alia verò die veniens, gratiam pro accepta sanitate retulit.

5. *Idem ibidem.* Idem Aridius Presbyter Lemouicensis, cùm maxima laboraret infirmitate, de oleo sepulchri Sancti Martini locum infirmitatis inunxit, sedatoque dolore conualuit. Eodem oleo quidam manum inflatam à spina percussam, protinùs vt delibutam sensit, & sanam cognouit Mulier quoque, quæ sensum perdiderat, & quibusdam

busdam horis Dæmonium putabatur habere, de hoc oleo tacta, sanata est; cæci, & Energumeni etiam eodem oleo peruncti, sanitati sunt restituti.

6. *Idem de Miraculis Sancti Martini*. In Rauenna, Fortunatus, Felix, & Rhetoricus cùm ex oleo, quod sub imagine B. Martini in cicindela ardebat, tetigissent oculos, lumen accepisse confessi sunt.

7. S. *Augustinus lib. 22. de Ciuitate Dei ca.* 8. Apud nos, Hirenęi cuiusdam Collectarii Filius, ęgritudine extinctus est. Cùmque corpus iaceret exanime, atque aliis gementibus, & plangentibus, exequiæ pararentur, amicorum eius quidam inter aliorum consolantium verba sugessit, vt oleo lampadis ante S. Stephanum ardentis, corpus perungeret, factum est, & reuixit.

8. *In actis S.S. Febr. tom. 1. in contin. Bollandi.* Toleti, cuidam superfluæ carnis tumor in capite excrescens, ingentem cùm deformitate cruciatum afferebat: vnxit cùm oleo, ex lampade, quæ ante sepulchrum S. Raimundi Abbatis Fiterii pendebat sumpto, atque illicò sensit, resedisse, doloremque depulsum.

9. *Ibidem tom.* 3. Oleo lampadis, quę antè reliquias S. Tarasii Patriarchæ Constantinopolitani lucebat, à diuersis infirmitatibus malè affecti, illo se firma fide vngentes, mirabiliter sanati sunt.

10. *Ibidem in actis S.S. Aprilis tom.* 1. Oleo lampadis ardentis ante Sepulchrum S. Nicetii Episcopi Lugdunensis deuotè perunctus quidam, qui ad extremum vitæ deuenerat, iàmque mortuus videbatur, sanatus est.

11. *Ferrarius in Catalogo S.S. 30. Martij.* Mulier quædam Alexandrina, oculorum salute desperata, oleo lampadis ante Sancti Zosimi Episcopi Syracusani sepulchrum lucentis vncta, visum recepit.

12. *Petrus de Natal. lib. 8. cap. 58. de S. Audomaro Episcopo.* Lampades ad eius Sepulchrum dependentes, oleum distillabant, quo ægri peruncti, à languoribus sanabantur.

13. *In actis S. Iannuarij Martyris.* Oleo lampadis ante eius aram ardentis mirabiliter multi redditi sunt sanitati. De iis vnum ad memoriam recurrit. Nàm, sole quodam die ad occasum vergente, quædam mulier cùm parua filia orauit summoperè, poscens, & dicens. Peto Domine, vt hanc filiam meam oleo Beatissimi Iannuarii perfundas, quia obriguit, nec flecti potest. Mox vt popošcerat accepit: Et vt oleo sacro peruncta est, sine mora reddita est sanitati; Alacrisque Mater cùm filia incolumi recessit. Eodem quoque tempore mulier amisso lumine, sacro eiusdem Martyris oleo, sibi oculos liniri poposcit, quod petenti negatum non est: cùmque illius oculis infusum esset, ita celeriter restituta est sanitati, ac si pro oleo, lumen illi iniectum fuisset.

14. *In actis S. Sulpitij Episcopi Bituricensis.* Oleo lampadis ante sepulchrum S. suspensæ, multi peruncti, variis, plerisque curabantur infirmitatibus.

15. *Felix Astulphus in Hist. vniuer. imag. B. Virg. lib.* 8. Oleo lampadis ante imaginem B. Virginis Depranitanæ in Sicilia ardentis, ne dùm Christiani, sed & infideles maxima beneficia continuò obtinent, quapropter Mauri sæpè sæpiùs sac. imag. magni pretii donaria offerrentes, oleum lampadis suppliciter sibi concedi expostulant, ceù pharmacum contra omnes infirmitates, & remedium contra omnia pericula.

16. *Idem ibidem lib.* 8. Assisii dùm graui morbo affligeretur Mauricius Crucifer, orauit S. Franciscum, vt pro illius salute preces ad Dominum funderet, at Sanctus misit ad illum oleum lampadis ante aram B. Virginis ardentis, quo perunctus, sanitatem consecutus est.

17. *Idem ibidem lib.* 10. S. Didacus Complutensis ex Ordine S. Francisci, oleo lampadis ante imaginem Beatæ Virginis ardentis, variis infirmitatibus afflictos perungens, mirabiliter sanitatem eis à Deipara impetrare consueuerat.

18. *In Decreto Canonizationis S. Caietani*. Licii Francisca de Core malè affecta à cancro exorto in vola manus sinistræ, mox exulcerato gangræna inuaso, & in sphacælum conuerso, cùm brachii, & partium cordi adiacentium infestatione, nihil prorsùs iuuantibus humanis remediis, frustulorumque putridæ carnis indè facta erosione, ponderis vnciarum quinque absque vllo dolore percepto ab ipsa, ita vt Chirurgus sequenti mane vellet ei manū abscindere, & brachium vstione curare. Præcedenti nocte vncta manu oleo lampadis antè aram S. Caietani ardentis, ipsi se se toto corde commendans, posteà se sanam, & incolumem, manumque iàm mortuam, & fætentem, viuificatam absque vllo cicatricis signo comperiit, non absque omnium admiratione.

19. *Ibid.* Licii cùm Ioseph de Aiello spatio quatuordecim annorum laborasset cancro exulcerato, Lupa nuncupato, in sinistræ coxendicis parte posteriori, qui tribus digitis distans à genu incipiebat, & ad inguinem extendebatur, quatuor digitis in latitudinem progrediens, & tribus in profunditatem carnem ipsam erodens, & depascens, putridum insuper, ac fætens; inuocata ope S. Caietani, vncta coxendice oleo lampadis ante ipsius aram ardentis, sanus, & incolumis visus est absque vllo cicatricis vestigio, pelle siquidem extensa, & æquata, naturali insuper colore prædita, ac si tali morbo nunquam inuasus fuisset.

20. *Pepe in Mirab. S. Caietani* 116. Martia Romana, vinum putridum, & corruptum, inuocato D. Caietano, in idque tribus guttulis olei lampadis eiusdem immissis, in pristinum statum restituit, vinumq. reddidit optimum.

21. *Idem ibidem, m.* 64. Gregem ouium Francisci Fordellensis inuaserat pestilētialis morbus, iàmque septuaginta interfectæ interierant; cùm Pastor firma fide, cæterarum ora oleo Lampadis Sancti Caietani perunxit, & ecce illicò cessauit mortalitas, nullaque oleo perlinita interiit.

22. *Idem ibidem m.* 101. Seruus quidam Mahometanus Ioannis Baptistę Cuoce Neapolitani, perungens propria crura grauibus doloribus oppressa oleo

oleo lampadis D. Caietani, integram sanitatem mirabiliter est assecutus, duasq. candelas in signum obtentæ gratiæ ad D. Caietani aram appendit; quo prodigio satis testatum apparuit, quàm pius sit S. Pater, qui ne dùm fidelibus, sed & infidelibus clementer miseretur.

23. *Idem ibidem m. 166.* Fetidæ Strummæ totum deturpauerant guttur Colonnæ Vassallucię, cùmque humanum remedium haùd profuturum cognosceret, oleo lampadis B. Caietani insanabiles plagas, singillatim perungere cæpit: Quarum quælibet, vt diuini Balsami præsentiebat contactum, illicò euanescebat, totumque mundatum est deuotæ Fęminę guttur.

24. *Idem ibidem m. 169.* Visum ita deperdiderat Claudia Cola, vt & in meridie obscuris in tenebris miseram transigeret vitam. At inuocato D. Caietano, oculisque oleo eius lampadis perunctis, statim visum recuperauit, omnemque depulit cęcitatem, sicut felle piscis Tobia, sic illa oleo D. Caietani.

25. *Idem ibidem m. 234.* Iumentum vectarium, quo miseram substētabat vitam, ex improuisa morte deperdiderat Gregorius de Petro; iamque ferè putrido pellis detrahebatur: Cùm inuocato D. Caietano, perunctoque deuotè oleo eius lampadis extincto cadauere, mirabiliter vnà cùm iumento reuixit animus infelicis Gregorij.

26. *Idem ibid. m. 138.* Quidam Olitor, nomine Dominicus Castellus, proprio iumēto, cui à famulo oculus effossus fuerat, inuocato D. Caietano obcæcatumq. iumenti oculum, oleo lāpadis D. Caietani firma fide perungens, pristinam sanitatem, perditumque visum recuperauit. Alia innumera prodigia quotidiè oleo eiusdem lampadis perpetrantur.

27. *In Decreto Canonizationis S. Rosæ Peruanæ.* Panormi Angela la Cibasa, binis febribus tertianis continuis, ac malignis cùm dolore capitis, ac stomachi, flatuumque copia per dies viginti septem acriter cruciata, oppressa, ac à Medico proclamata, morti proxima, iàmque sex horarum spatio in agonia constituta, Matris hortatu, inuocata ope S. Rosæ Peruanæ, dein oleo ex lampade antè eiusdem Aram pendula desumpto, vncta in collo, pectore, ac stomacho, statim, atq. incontinenti pristinæ sanitati cùm omnimoda recuperatione virium fuit restituta.

28. *In vita S. Aloysii Bertrandi.* Oleo lampadis ante aram D. Aloysii ardentis, decaluatum caput perungens pia Fæmina, vt in eo mirabiliter enascerentur capilli, impetrauit.

29. *Bidermanus in vita S. Ignatij lib. 3. cap. 9. num. 72.* Ægrorum plurimi, cùm specum, in quo Manresæ S. Ignatius coluerat, religiosè inuisissent, vncti oleo (quod ex eius lampade ibi suspensa fumebatur) indidem sani, valentesque recesserunt.

30. *Eusebius lib. 1. de Mirac. Nat. cap. 76.* Muniebregæ in Aragonico Regno, duo mortui, Sancti Ignatii meritis ibidem vitam receperunt: Vnus erat filius Medici illius Oppidi, quem Patre iubente humari, Mater priùs vnxit oleo lampadis ardentis ante Altare Sancti Ignatii. Mirabile dictu, statim reuixit Puer, vitæ, sanitàtique simùl restitutus.

31. *In Vita B. Columbæ Reatinæ lib. 5. cap. 9.* Oleo lampadis ardentis in cubiculo, in quo dùm viueret, morabatur B. Columba, multæ graues, incurabilesque infirmitates, mirabiliter curatæ sunt.

In Profanatores Sanctarum Imaginum, admiranda de Cælo vindicta.

§. 14.

INtegrum volumen in enarrandis ad prẹfatum titulum spectantibus haùd sufficeret; quædam igitur solùm delibabo, quę admirabiliora videntur ad complementum huiusmodi materiæ. Aliqua etiam videri poterunt supra cùm de Motu imaginum, aut cùm de sanguine ex imaginibus sacrilegè percussis, emanante. De his.

1. *Gretserus de Cruce tom. 3. li. 2. cap. 11.* Operæ pretium erit annotare hìc id, quod in obsidione Sidonis euenisse scribit Anonymus. Habebant Christiani secùm more consueto, & solemni crucem Dominicam, quam Rex à Hierusalem detulerat ad protegendum populum Dei. Hanc Apostatæ quidam, & Præuaricatores fidei, cuiusdam Turris propugnatores, conspicati, deridentes illudebant, & sibi contrariò crucem facientes, & in culmine Turris figentes, sputo, & vrina ipsi insipientes, & maligni inhonorare præsumebant. Quod pius Rex, & omnis populus deplorantes, Deum cœli flebili voce inuocant, vt fontem misericordiæ, aperiens, Apostaticis viris, & stultis Saracenis demonstrare velit, quòd non rectè agentes, Diuinæ Maiestati blasphemiam irrogare præsumpsissent. Mox eorum precibus exauditis, absque hominum labore sic Tunis illa concussa, & diruta est, iàm vespere mundo imminente, vt lapis super lapidem non remaneret, & increduli homines ruina illius suffocati obruerentur.

2. *Odoricus in Ann. Ecclesiast.* Anno Domini 1247. Mense Iunio, accidit miraculum quoddam apud Iconium Turquiæ Ciuitatem in loco communi, vbi Crux erat sculpta in quodam Palatio. Quidam enim Ioculator ibi stabat, & in facie omnium astantium cùm vrso ludebat. Vrsus autem leuato crure super crucem propè ipsum existētem minxit, statimque omnibus videntibus ibidem expirauit. Cùmq. Christiani astantes super id, quod acciderat, Dominum benedicerent, atq. laudarent, quidam Saracenus indignatus est valdè, quòd ibi super miraculo facto Christum attollebant. Ideòque accedens cùm impetu, tamquam in contemptu ipsius crucis, & Christianorum, cùm manu crucem percussit, statimque brachium eius cùm tota manu, quę illam percusserat, totaliter exaruit. Iterùmque Saracenus quidam alius ebrietate vacans, illamque Christianorum admirationem, & laudem vilipendens, continuò quasi amens à potatione surrexit, & in contemptum Christianitatis super crucem mingere volens, morte subitanea percussus interiit.

3. *Baronius an. 1017.* Illuserunt quondam Iudæi

dæi Romæ simulacro Christi Domini in Synagoga die Parasceue:& concussa vrbs est turbine vehementi : quo Iudæi pariter, & Christiani fuerunt oppressi. Nec ruina cessauit, nisi postquàm Benedictus Pontifex, re comperta, supplicio affecit Iconis venerandæ sacrilegos contemptores.

4. *Bzouius an. 1493.* Romæ istud hoc anno accidisse memoratur. Ex aduerso Ecclesiæ S. Blasij in regione S. Eustachii, prostabat imago Christi cruci affixi. Eam aliquis Aleator furore ob pecuniam in ludo amissam percitus, cùm, machera, quam gestabat, percussisset, amentia, & cęcitate diuinitùs percussus, viam, qua euaderet, inuenire non potuit, sed circùm circa imaginem tandiù oberrauit, donec Præfectus excubitorum, seù apparitorum illàc pertransiret; quem vt quædam mulier, quæ sacrilegium patrati viderat, conspexit, facinus, & hominem indicauit. Ille verò nefarium vinciri, & in carcerem duci imperauit, ac Pontifici Alexandro scelus aperuit, qui iudicio mox instituto, manus prophano, eo loci, quo flagitium perpetrauerat, precidi, & parieti clauis configi, deinde per varia tormenta excruciatum patibulo affigi iussit.

5. *In m. s. s.* In Germania ad locum Acronianum propè Constantiam vrbem, res olim contigit admiratione dignissima. Nàm in vicini ibidem Templi cuiusdam cæmiterio, ludrica sua exercebant ludibundi pueri: Cùm ecce tibi audaculus aliquis ad proximam Christi è cruce penduli imaginem accelerat, & apprehenso per geminos digitos naso, inquit, necesse est hunc aliquandò emungere. Hęc vt subridens, illusor dixit, sociisq. placuisse visus est, iàm iàm reuersurus ad interruptos lusus, manum ab Icone auellere non valuit. Adhærebat ei mordicùs velut agglutinata, monstrabatque leuiculum Adolescentem temeritatis reum, & numinis sui captiuum esse. Intereà, vt solet, fama in omni vicinatu percrebuit, & indicauit sacer Constantiæ clerus, iratum Deum communi prece mitigandum esse. Itaque longus supplicantium ordo exijt, nec fuit inexorabilis diuina bonitas, exaudiuit calidè flagitantium postulata, atque in signum condonatę puerilis insolentiæ, affixos imagini suæ digitos soluit, ipsumque puerum manu misit. Cuius rei veritatem hodieq. loquitur constans prioris sæculi memoria fidelibus tabulis signata, & certis historiæ vestigiis munita.

6. *Odoricus Raynaldus in ann. Eccl.* Cùm anno 1528. Vltraiectinam Eccles. spoliassent Lutherani, inter alia diripuerunt sacram effigiem Christi è cruce pendentis argenteam, pondo quinquaginta, & eo ampliùs : at dùm eam liquandam in focum immittere pertentant, vtramque manum non modò ambustam, sed quasi amputatam vnà cùm ipsa mole in terram decidisse fertur. Quo horrendo exemplo perculsi sacrilegij socij, Sacram Christi imaginem in pristinum suum locum restituere.

7. *Gaspar. Iongelinus, in purpura S. Bernardi, de notabilibus Monasterij Arnsburgensis an. 1635.* Circà idem tempus dùm Monasterio Arnsburgense penè subuersum, & per malitiosam vicinorum rusticorum irruptionem datum esset direptioni, impia quædam crudelitas visa est exerceri ab Eberstatensi Rustico erga sacr. *Crucifixi imaginem* in medio sacræ ædis pendulam. Hanc *ex instigatione* Diaboli solutam, pedibus, & *brachiis*, impio, ac nefario ausu detruncauit. Et cùm à *vicinis* suis, etiam Hæreticis, ecquid in humeris *portaret*, interrogaretur, miserum, inquit, Monachorum Arnsburgensium Saluatorem tandem à cruce liberaui, & catenas, quibus ligatus suspendebatur, mecùm porto. Pęnam impietatis suæ is sanè non absque miraculo intra breue tempus ita luit, amputatis à Milite manibus, & pedibus, *in* frusta concisus expirauit.

8. *Cornelius à Lapide, in cap. 24. Leui.* Hęretici, Hallas (oppidum id est propè Bruxellas, statua B. Virginis miraculosa celebre) capere cogitabant. Ex illis vnus accedens ad vrbem : Ego, ait, meis manibus Hallensi mulierculæ, (ita vocabat Statuam B. Virginis) nasum abscindam. *Audit Virgo*, & procurat, vt eidem plumbea *glande ex Vrbe* missa, nasus auferatur. Vixit ille miser, nomine Ioannes Zuuickius, fuitque ipsemet Hollandis assiduo ludibrio multos annos.

9. *Alanus Copus Dial. 4. ca. 15.* Fuit vir Cyprius in Vrbe Constantia, armentarius, qui stimulo, quo pecus agebat, imaginem quandam B. Virginis, quæ erat in templo conspicatus, ei indignabundus alterum oculum eruit. Egreditur deindè, ac continuato paululùm itinere, dùm fortè pecus ad maturandum iter pungit, ecce stimulus confringitur, & ea pars, cui erat ferrum infixum, in dextrum hominis oculum, rectè inuolat. Nec defuit nuper similis diuina animaduersio Dabalæ in Saracenum, qui imaginem contumelia affecerat. Dexter enim oculus statim è capite exiliit, eumque ardentissima febris corripuit. Quod *triginta duo* Cyprii, qui fuere præsentes, *domum reuersi* narrauerunt.

10. *Odoricus Raynaldus an. 1199.* Prophanabant Ecclesias Oppidi S. Germani, Marcualdi milites, atque in ijs nulla loci habita ratione, veluti in prophanis domibus suas obibant stationes, ludoque indulgebant, percitique interdùm furore, *sacra* Altaria, & imagines grauioribus ludibrijs afficiebant, è quibus perditissimus Miles, tùm sacras reliquias ab alijs ex Altaribus raptas videret, in B. Deiparæ aram manum sacrilegam iniecit, quam Deo vindice debilitatam, arefactamque mox sensit. Alter hoc scelaratior, Dęmone afflatus, cùm in pendentis Christi è cruce effigiem in S. Germani Templo propositam, lapidem vibrasset, deindè immani sacrilegio, Iudæis nequior, qui olim in Christum expuere, effusa impura vrina illam proflueret, subitò in furorem versus, linguam, dentibus laniauit, corporeq. exarescente, infælicem animam euomit.

11. *Tilmanus Brendebachius, lib. 3. Coll. S. cap. 23.* Antuerpiæ, celeberrimo totius Belgij Oppido, cùm Iconomachi an. 1566. ac deinceps, Ecclesias, passim vastarent, in Monasterio Franciscanorum eodem furore debacchati sunt, cùmque Altaria, imagines, & Statuas vniuersas essent demoliti, progressi sunt ad imaginem B. Virginis Deiparæ

ani-

emictam Sole, & Lunam sub pedibus habentem, ex laqueari Ecclesiæ dependentem. Hanc verò nullæ vi, nec arte quantùmcumque fatigarentur, luxare, nedùm deturbare potuerunt, inuicta illa, & immota inuitis omnibus istis perdurante, & de furore hostium suorum triumphante.

12. *Ascanius Persius in Hist. imaginis Deiparæ M. Guardiæ Bon.* Duæ mulieres hùc conscenderunt totamque ferè cùm sacris Virginibus colloquentes traduxere diem, ab iis acceptæ perhumaniter, cùm se patricias facerent, & quidem tales eas esse, rerum ignaris, liberalis earum forma, & magnifica vestis, auro distincta, gemmisque, facilè persuaderet. Cùmque præcipitans ad occasum iàm dies maturandum discessum moneret, rogant illę Virgines, vt vnum, alterumque elargiantur sibi ex iis, qui sacram imaginem exornabant, flosculis. Se enim religionis ergo eos domum ferre, & habere velle dicunt. Non est negatum. At dùm vna è Virginibus flosculum à sacra reuellit tabula, mutato confestim Cœli statu, clarissimum diem; repentinus nubium concursus tenebricosissimarum, in noctem vertit caliginosissimam; additoque crebro, & perpetuo ferè tonitru, ac fulgure, postremum ferè mortalibus rebus impendere exitium; templum quoque ipsum validò non semel succussu agitatum, præsentem comminari ruinam videbatur. Ex quo Virg. ratæ, quòd res erat, impudicas eas, & quæstuarias esse fœminas, quas tantopere imago ipsa auersatur: veritæ etiam, ne flosculis illis ad profana, quin & ad veneficia vti vellent, quod facere improbis quibusdam mulierculis nulla est religio, nimirùm vt sacris, ac Deo dicatis rebus eo modò abutantur, subiratæ eas indè emiserunt. Emissis, pristinam in faciem omnia redierunt. Porrò quò magis mira hæc censeas, tantùm procellæ non nisi iis, quæ intrà fanum erant, coortum traditur. Non solùm enim rustici accolæ negarunt eo die, se vel nebulam in cęlo vidisse, sed & contubernales Virgines, quæ à Templo aberant, liquidò serenum sibi eodem die illuxisse perpetuò cœlum asseuerabant.

13. *Idem de eadem.* Ann. 1535. Vir quidam ingressus Templum id, sibi clauim orat armarii huiusce imaginis, vt eam, quam se religiosissimè venerari profitebatur, inspicere posset. Cui responsum, neque fas, neque morem esse à profanis hominibus sacrum eius imaginis Tabernaculum adaperiri. At ille continuò se esse Sacerdotem assimulat, neque verò eum falsi, aut vultus, aut ornatus corporis coarguebat. Igitur instando euicit, vt sibi afferretur clauis. Quam dùm seræ admouet, subita perculsus vi, atque obstupefactus, humi pronus concidit. Vndè ægrè eleuatus, vbi dolum euentus prodidit, grauiter eius temeritate, atque audacia offensis iis, qui fortè aderant, vehementer confusus animo, cùm comite, qui cùm eo venerat, re infecta protinùs abscessit.

14. *Brendebachius lib. 3. Coll. cap. 20.* Ann. 1536. Augustæ Vindelicorum, quidam Hæreticus in Cathedrale Templum ingressus, quandam Beatæ Mariæ Virg. statuam pallio cęruleo coopertam inuadere, & confrigere conatus est. Quod cùm casu vidisset Decanus Ecclesiæ in Templum tunc ingressus, eumque increpasset: Ille mox furiis, & œstro corripitur, interrogatusque, quid sibi accidisset, hoc solùm respondit: Mulier cęruleo pallio vestita me insecuta, manu me pupugit, ac tandem durante insanæ mentis impotentia, & furore extinctus est.

15. *Carolus Augustus Salesius, in vita S. Francisci Salesij c. 9.* Gloriosa Dei Mater Vorionensis inuocata, multa deinceps edidit miracula, & creuit religio quousq. hæresum peste infecti Bernates Caballium occuparunt, per ea enim tempora destructum est penitùs sacellū, & deturbati lapides, ita vt modicæ tantùm restarent maceriæ, dissipati hùc, & illùc Eremitæ, sacra omnia in prophanos vsus versa, & perditæ fundationum, & possessionum chartæ. Sed miraculo sacra Deiparæ Statua lignea conseruata est. Ioannes Burgnardus Brentinus Hæreticorum Bernatum, qui Vorionis sacellum destruxerunt, Ductor impius, Statuam primus abstulerat, ligatāq. hùc, & illùc ignominiosè pertrahebat descendens, addebatque hæc verba sacrilega: O fusca, si tantùm potestatis habes, quantùm fertur, cur te finis sic trahi? Ostende nunc potestatem tuam, & ecce stetit Statua, quam ponè raptabat. Vertit ille caput, vt videret quidnam impediret, & statim sic inflexo remāsit capite, nec non armo, & brachio mutilus prorsùs, adeò vt statuam liquerit, verùmtamen cùm non pæniteret miserum, sic captus non multò post ad multorum conspectum, in primis autem Michaelis Nouelli, & Claudii Hippoliti Cortageni Brentinorum, qui miraculi conscii erant, in hæresi miserrimè clausit diem.

16. *Raynaldus an.* 1525. Cùm quidam auri faber, ab Hæreticis argenteam statuam Sanctæ Mariæ Virg. accepisset, vt eam liquefaceret, & monetas ex ea cuderet; hic (quia pessimus erat hostis Ecclesiæ Catholicæ) ferreo malleo magna vi incæpit contundere faciem Statuæ, & blasphemo ore dicere. Sic coercenda sunt Idola Papistarum, & subitò obcæcatus est, & mendicus mansit vsque ad mortem.

17. *Idem ibidem an.* 1525. Cùm Lutherani, Cathedram Cathedralis Ecclesiæ D. Virginis Erphordiæ vi inuasissent, & iàm ad tempus occupassent, Concionator quidam nomine Ioannes Culsamerus, consistens in Cathedra, ac digito monstrans statuam Beatę Virg. sub maximo Organo consistentem, in has blasphemas erupit voces: Non quiescam, nec dormitum ibo, antequam Idolum illud (statuam, Virginis intelligebat) ex hac æde Basilica eiecero. Sed ecce subitò ignis sacer digitum ipsius inuasit, & eadem nocte subita morte extinctus est.

18. *Spinellus, de imagine B. Virg. in Porticu, Romæ.* Sedente Adriano VI. hęc sac. imago rursùs exponitur, & indicta supplicatione ob metum sæuientis pestilentiæ quacumque gestaretur, noxius aer concedebat, & pestis discutiebatur. At Iudæus dùm conuerso ad tergus vultu, imagini illudit, facies auersa perpetuò sic hæsit: Iudæa quoque ne imaginem aspiceret, retrò conuersa, oculis capitur.

19. *Rhò in Sabbatis Beatæ Mariæ, exemp.* 58.

Czestokouiæ in Polonia, in Ecclesia Fratrum S. Pauli primi Anachoretæ, piè colitur venerabilis imago B. Virginis, vti fama est à D. Luca depicta. Hanc quondam Hussitæ Hæretici, & ob contemptum Virg. & ob furandas gemmas, aureasque bracteas, quibus fulgebat, ab Ecclesia transferre tentarunt, eaq. currum proiecta, proficiscebantur. At ecce manus Domini: non multùm ab Ecclesia discesserant, cùm Equi currum trahentes, immobiles effecti, nullo impulsu, nulla vi indè passum mouere potuerunt, quo prodigio immaniores effecti Hæretici, sacram imaginem in terram proiicientes fregerunt, ictibus percusserunt, omnique iniuria, & contemptu affecerunt, sed non impunè, quippe qui Omnipotentis manus Dei iustissimas punitiones statim sunt experti; in eo autem loco, in quo ab impijssimis tot iniurias venerabilis imago passa est, statim saluberrimus fons erupit, ibique sacellum ædificatum est, quò concurrentes vsque adeò peregrini mirificas consequuntur gratias.

20. *Vincemala lib. 3. Mirac. 7.* Impii Saraceni sacratam Virginis ædem ingressi, in multa cælestium simulacra cuspides telorum coniiciebant, quibus oculis effossis, omnia deformarant. Tandem in Virginis ipsius picturam idem admittere ausi sunt, sed ad sempiterni Regis nutum, eorum impii furores repressi fuerunt. Ita enim scelestorum vires prostratæ sunt, vt minimè ad scelus perpetrandum manus possent erigere, aut subleuare, sed penitùs labascerent, & tremerent. Quin etiam, vbi aliquam in partem tela dirigebant, in aliam prorsùs manus auertebantur. Sancta igitur Dei parentis effigies intacta, impuras scelestorum manus effugit.

21. *Franciscus Bencius in Ann. ann. 1580. & 7. Hist. Prouinciæ Poloniæ.* Cùm Vxor cuiusdam hæretici (Adriani) Beatissimæ imaginem Virg. ad quam orare solebant Rutheni rectè sentientes, coniecisset in ignem, eam comburere non potuit, & duo eius liberi miserrimè deflagrarunt.

22. *Iacobus Bosius in Hist. sua, p. 3. lib. 18.* Melitæ mirum illud accidit; cùm quidam pietatis expers, auaritiæ mancipium, pretiosam gemmam à S. Virginis imagine Filermensi abstulisset, statim post furtum aruit illi brachium, totaque vita ita permansit.

23. *Franciscus à Sancta Maria, in Hist. Carmel. tom. 2. lib. 8. cap. 43.* In ciuitate Dertosæ in Hispania citeriori, dum quidam pila ludens contrà votum, iacturam faceret, ira accensus, lusoriam pilam in imaginem Virg. puerum Iesum gestantis proiecit, ictuque, sancto puerulo brachium contriuit: & ecce paulò post vxor illius filium illi peperit absque brachio, factique pænitens, prodigium manifestauit, magnaq. veneratione S. Imago deinceps fuit habita.

24. *Franciscus Gonzaga, in Prouincia S. Ludouici, de Conuentu S. Claræ.* In ruinis, vbi fuit aliquandò Conuentus S. Francisci Carcassonæ, ex præcipuis Prouinciæ Narbonensis, erectum videtur sacellum, & crux lapidea, auro, & vario colore insignis, cùm imagine Mariæ Magdalenæ ad pedes crucifixi, tamquam typus pænitentiæ: Ad hanc crucem accessit in secundis tumultibus hæreticus quidam volens illam ad terram deiicere (quia scandalum illi erat) iniectoq. laqueo ad collum imaginis B. Mariæ Magdalenæ, multùm laborauit, vt desideria pro tui cacodæmonis voto perficeret, ratum habens illam imaginem non esse tantæ fortitudinis, vt posset vi à te intentatæ resistere. Sed Dominus Deus non permisit inultam manere hominis flagitiosi temeritatem; scilicet immisit subitò spiritum vertiginis, & relicto laqueo appenso in collo dictæ imaginis, aufugit. Quod vbi relatum fuit Episcopo, & Christiano populo, solemni supplicatione indicta, ne dùm ciuitati, verùm & locis vicinis, ad præfatam crucem cùm maxima pompa itur. Antistes scalam iubet erigi, per quam ascendit, & laqueum collo imaginis amouit non sine fletu, & eiulatu omnium, & postulatione veniæ pro tanto reatu commisso.

25. *Gennadius apud Baronium ann. 842.* Theophilus Imp. sacratum imaginum oppugnator acerrimus, cùm annos 12. & menses sex rerum summam tenuisset in dysenteriam incidés, in hunc modum ex hac vita migrauit. Nimirùm morienti, immani os hiatu ad vsque fauces patuit. Agente autem illo animam, Augusta Theodora dolens lamẽtabatur. Deindè cùm ex immodico dolore, ac mœstitia animi, qua tenebatur, paululùm obdormisset, videt in somnis sanctissimam Deiparam, in vlnis gestantem Iesum puerum, ac terribili Angelorum lucidissimorum satellitio circumseptam, grauiter exprobantium Theophilo Imperatori propter sacras, ac venerandas imagines, ac continuè cùm ira verberantium. His verò ad longum satis tempus ita habentibus, excitatur à somno. Et verò Theophilus Imperator, hùc illùc caput nulla requie mouens, exclamabat dicens: Hei mihi misero! vapulo propter imagines; propter imagines cædor. Sanè terribile ac nouum erat, quod ita circumstantes, ac lugentes, coràm audiebant. Ac Theophilo quidem tota nocte ad eum modum clamante, ac vociferante, non cessabat Imperatrix, pro eo, sanctissimę Deiparę cùm lachrymis supplicans, vigili cum animo ac solicitè eidem commendare. Theoctistus autem Caniclio præfectus tunc occurrens, secùm gestabat, quam propter Imperatoris metum, occultam habebat, è collo pensilem imaginẽ. Cùm verò Imperator ita diù angustia tentus, ob inuisibiles, quas sustinebat, plagas, hùc illùc in lecto circumfusos flẽtes cõuerteret oculos; videt in eius collo Tabellæ, quã sinu gestabat suspensum torquem, sacram, ac inuariabilem Altissimi exhibẽtis imaginem. Tùm Imperator crebriùs digito indicans, motu, gestuq. ad se inuitabat. At ille, propter metum sac. imag. magis declinabat; vixq. tandem aliorũ tentus manibus, tremens accessit ad Imperatorem, non volens celare sacrum pignus. Cùmq. illi iubere putarent, vt ei vellerentur crines, eosdem in manus eius mittebant: dùm verò putat ipse caput sibi tollendum, Imperator digito apprehensum torquem trahens, labijs admouit. Ac verò, eius labijs & ori imposito torq; sacram, ac Venerab. Saluatoris nostri ac Dei, vti dictum est, referente imaginem, statim, ò nouum miraculum! coierũt, ac vnita sunt eius labia, sic vtrinq; fœdè diducta; labia, inquam, quę doctrinã Ecclesiæ adulterauerãt,

multaq.

multaq. aduersùs Sanctas, & venerabiles imagines, nugata erant. Grandi autem hoc, ac stupendo facto miraculo, statim cessarunt, exasperatæ gutturis eius fauces; formaque Imperatoris, ac vultus pristinus nouus rediit, paulòque post mortuus est.

26. *Rocchus Pirrhus in notitia Ecclesiæ Panormitanæ, de Cœnobio S. Mariæ de Cancellario*. Moniales hìc degentes, Iconem habent Deiparæ, quam vocant, *Imperlata*, nomen indè deductum, quòd ann. 1540. quidam, margaritam, quam *Perlam* Itali dicunt, ad Virginis ornatum iconi affixam, furto surripuit, sed is manum explicare nunquam potuit, nisi postquam furti pœnituit, atque ornamentum Deiparæ restituit.

27. *Henricus Sedulius, de imagine Virginis, quæ Traiecti colitur*. Ann. 1579. Dùm ad hanc Vrbem hæreticorum furor conuolauit, eamque occupauit, & imaginem hanc in Tabulato Monasterii Virginum, quod Noui Horti vocant, repositam, Miles, & mox illius Ductor gladio peteret euaginato, repentè brachium, quo ictum minabatur, obriguit.

28. *Ioannes Molanus libr. 3. capit. 5. Historia Sanctorum Imaginum*. Cùm dira grassaretur Ceusiorum, imagines oppugnantium, tempestas, non solùm in ignem deiecta fuit aurata D. Antonii Magni apud Syluam ducis statua; sed tàm abominandis blasphemiis impetita, quòd Dei optimi manus vindex ea de causa duos ex illis blasphemis Ceusiis è vestigio percusserit peste subitanea, quam D. Antonii iàm olìm appellant Christiani, quod illi depellendæ sint eius apud Deum persæpè patrocinium experti.

29. *Ianus Nicius*. Cùm Sixtus V. ad exornandum Exquilinum collem multa ædificia solo æquari imperasset; in his, ædicula fuit ad radices eius Collis sita, vbi depicta erat imago D. Antonii Abbatis, cui faber murarius, qui ædiculam demoliendam conduxerat, quo fortasse facetus videretur, Pace tua, inquit, Antoni, non potes effugere, quin tibi hoc malleo, quem gero, crus adimam; vix ea dixerat, cùm pede lapsus, è ponte, quem in alto suspenderat, decidit, & crus alterum miserè fregit, atque suo illo grauissimo, miseroque casu, viro sanctissimo, omnique honore dignissimo, quem petulanter læserat, insulsi illius ioci pœnas dependit.

30. *Alanus Copus, Dialog. contra oppugnatores imaginum*. Quidam in ciuitate Cithi, cùm, vt templum velis ornaret, clauum in pariete malleo adigendo, frontem imaginis S. Petri in pariete depictæ transfodisset, statim illius caput, frontemq. intolerabilis doloris cruciatus inuexit. Episcopus, re cognita, illum increpauit, iussitque, vt clauum eximeret ex imagine; quo facto, continuò dolor mitigatus est.

31. *In vita S. Antonij de Padua*. Memorabile est quod de S. Antonii imagine musiuo opere in absida Lateranensi expressa sub hoc tempore referunt Chronica nostra antiqua, & alii vetusti Scriptores. Musiui operis Artifices, Nicolao IV. Pontifice Minorita iubente, ex affectu erga S.S. Franciscum, & Antonium, vtriusq. Sancti effigiem inter Apostolorum imagines reposuerunt. Bonifacius Papa ad Pôtificatum euectus, indignum iudicauit, vt commu nem haberent hi duo recentiores Monachi cùm Apostolis Ecclesiæ Principibus locum, attamen tolerandam iudicauit S. Francisci Iconem, vir quippè fuit, inquit, verè Apostolicus, & magni Sodalitii Institutor, at verò vt eius etiã Discipulus inter Apostolos videatur, non omnibus apparebit rationabile; iussit itaque omninò expungi, & eius loco B. Gregorium reponi; executuri operarii Pontificis mandatum, dùm tabulatum ascendunt, & tollere conantur Antonii memoriam, ad primum ictum, magno impetu repelluntur, & ex alto deiiciuntur, prorumpente ex ipsa imagine virtute, & violentia, qua deturbati sunt, vti ipsi Pontifici retulerunt, quo audito, iudicauit satiùs esse non offendere Sanctos, & periculosum nimis esse delere velle illorum memorias.

32. *Vadingus in Chron. S. Francisci ann.* 1423. Viruni, cùm effigiem S. Bernardini scelestissimus quidam calce tegere, atque abolere contenderet, infæstissima, quoad vixit, lepra diuinitùs horruit, ac miserè squallens laborauit.

Alia his similia sparsim, ne dùm hoc in capite, sed & in toto opere notata fuere.

Admiranda varia circà Crucem, & Sacras Imagines. §. 15.

QVæ sub assignatis iàm titulis circa Cruces, & sacras imagines admiranda adnotari haùd potuerunt, hìc in vnum colligam. Sunt autem.

1. *Vener. Beda lib. 3. Histor. Gentis Anglorum cap. 2.* Ostenditur hodiè, & in magna veneratione habetur locus ille, vbi venturus ad pugnam Osualdus, signum S. Crucis erexit, ac flexis genibus Deum deprecatus est, vt in tanta rerum necessitate suis Cultoribus cælesti succurreret auxilio. Deniq. fertur, quia facta citato opere cruce, ac fouea præparata, in qua statui deberet, ipse fide feruens hanc arripuerit, ac foueæ imposuerit, atque vtraque manu erectam tenuerit, donec aggesto à Militibus puluere terræ figeretur. Et hoc facto, elata in altum voce cuncto exercitui proclamauerit: Flectamus omnes genua, & Deum Omnipotentem viuum, ac verum in communi deprecemur, vti nos ab hoste superbo, ac feroce sua miseratione defendat. Scit enim ipse, quia iusta pro salute gentis nostræ bella suscepimus. Fecerunt omnes, vt iusserat, & sic incipiente diluculo in hostem progressi, iuxtà meritum suæ fidei victoria potiti sunt. In cuius loco orationis innumeræ virtutes sanitatum noscuntur esse patratæ, ad indicium videlicet, ac memoriam fidei Regis. Nàm & vsque hodiè multi de ipso ligno sacro S. Crucis assulas excidere solent, quas cùm in aquas miserint, eisque languentes homines, ac pecudes potauerint, siuè asperserint, mox sanitati restituuntur. Vocatur locus ille lingua Anglorum, Heofonfeld, quod dici potest latinè Cælestis Campus, quod certo vtique præsagio futurorum antiquitùs nomen accepit, significans nimirùm quòd cæleste ibidem erigendum trophæum, cælestis inco-

henda victoria, cælestia vsque hodiè forent miracula celebranda.

2. *Petrus de Natal.lib.8.cap.58.de S.Audomaro Episcopo.* Dùm apud Villam Forniacum sub Arbore quieuisset, crucem Domini de lignis factam arbori affixit, & sequenti nocte lux desuper cælica radiauit, multorumque ex ipsa cruce ægritudines curabantur.

3. *Alanus Copus Dial.4.cap.7.* Est in India Occidentali Crucis ciuitas, sic appellata à Cortesio, vel vt alii dicunt à Christophoro Columbo, qui isthic crucem posuerit, cuius crucis signo multi posteà à mortis periculo liberati sunt, certumque est, cùm crucem hanc Milites quidam prosternere conati fuissent, nihil penitùs potuisse efficere.

4. *Baron.an.401. ex Marco Gazensi.* Cùm nos nauigasſemus in ciuitatem Maiumam, & venissemus ad locum, in quo erat simulacrum Veneris, portarent autem Christiani venerandum lignum Christi, hoc est figuram crucis, videns Dæmon, qui habitabat in statua, nec videre sustinens signum, quod ferebatur; turpiter egressus ex marmore, deiecit ipsam statuam, & confregit eam in multa fragmenta. Accidit verò, vt duo idololatræ starēt propè Aram, in qua stabat statua, & corruens, vnius quidem caput fregit in duas partes, alterius autem humerum, & brachiale; Stabant enim ambo sanctum populum subsannantes. Multi autem ex Gentilibus cùm vidissent signum, quod factum fuerat, crediderunt, & commixti cùm Laicis vnà cùm eis sunt ingressi in S.Ecclesiam, nomine Irenem.

5. *Adricomius in desc.Ierus.nu.156.* An. à Christi natiuitate 622. Heraclius Imperator parta diuinitùs de Cosroa Persarum Rege victoria, cùm partem ligni crucis Dominicæ (quam olìm ab Helena Imperatrice in Montis Caluariæ templo collocatam, Persæ, capta Hierosolyma, multisque ibi cæsis christianorum millibus asportarant, ac quatuordecim annis detinuerant) superbo equo vectitās, Hierosolymam reducens, portam, per quam itur ad Caluariæ Montem, triumphali pompa, & Cæsareo apparatu, auro, gemmisq. ornatus ingredi vellet, illustri miraculo omnibus quidem perfidis admirando, nulli autem fideli dubio, cælitùs impeditus fuit, quò enim magis progredi conabatur, eò magis videbatur retineri, cùmq. ea re & ipse Heraclius, & reliqui omnes obstupescerēt, Zacharias Hierosolymorum Antistes; Vide, inquit, Imperator, ne isto triumphali ornatu in cruce ferenda parùm Iesu Christi paupertatem, & humilitatem imitere. Tùm pius Princeps mox equo descēdit, imperialem coronam deposuit, auream Clamydem, & Regiū cultū exuit, calceos detraxit, ac plebeio indutus amictu, plantis, & capite nudis, Sacrosāctum crucis lignum suis ipse humeris per eandem, qua id Saluator tulerat, portans viam, ad Caluariæ Montem retulit; atq. in eodem loco, vndè fuerat à Persis asportatū, reposuit.

6. *Euseb.li.2.de vita Constantini c.9.* Cùm in media Belli dimicatione, ingens fortè fremitus, & turbatio repētina exercitum occuparet, ille qui vexillum Crucis portabat humeris, inter prēliandū primùm præ formidine exhorrescere cæpit: deindè alteri illud tradere, vt belli impetum effugeret. Postquam alter accepit, isteque fuit ex acie egressus, & extrà vexilli præsidium locatus, telo coniecto in ventre confossus est, morteq. sopitus concidit. Atq. vt iste timiditatis, & diffidētiæ pęnas luens *ibi mortuus* iacuit: sic ille, qui salutare trophæum, *sublime*, & erectum portabat, omninò eius subsidio euasit *incolumis*: adeò vt sæpè, cùm tela frequentia ab Hostibus in eum iacerentur, qui ipsum ferebat, saluus extiterit, & vexilli hastile tela missa exceperit. Atq. istud omnem planè superat admirationem, tùm quòd tela ab Hostibus iacta sic intrà exiguum illū, & angustum hastilis ambitum prouolabant, vt in eodem fixa hærescerent: tùm quòd ille, qui illud ipsum gestabat, mortem effugeret: immò verò, *vt qui* hoc ministerium obibant, nihil damni, incommodiuè aliquandò acciperent.

7. *Marcell.Tract.p. de Cruce ingestis Const. II. Imp.* Sensit Dęmon hanc vim crucis, quandò *Saracenorum* Princeps nomine Haumar erexit *Templū* deuotum obsequio Mahometis celebris *impostoris*. Infidelis hic Dynasta ad emulationem fidelium, qui Ierosolymis sacras Ædes insignes habebāt, voluit & Mesquitā erigere suo Mahometi, Mesquitas enim nuncupant sua Templa legis illius impiæ Sectatores. Lineauit itaq. speciem fabricæ in substrato solo vir ille sui ritus æmulator acerrimus; conducti operarii accinxerunt se ad hoc opus, quàm citò consummandum, sed vbi fundamenta assurgebant, tota ruebat moles ædificii. Prodigium demiratus Haumar, adhibet Iudæos consultores; illi re diligenter inspecta, aduertunt è regione loci illius prophani stare proceram crucem: quamobrem spreta omni alia indagine, conuenere Principem infidelem, eum sic *affati*. Ne diutiùs hære ò Princeps in remora tui Templi, scrutinio nostro sese aperuit obex, quo pessum it illa prædiues fabrica, quam *moliris: crux præalta* eminet ex aduerso Mesquitæ, *quam solemnem tuo* animo concepisti: Integra illa cruce, ruet sēper opus illud, quod labore improbo eniteris frustrà ducere ad extremum. Igitur hoc tuæ insideat menti, vel supersedere intēto tuo de fabrica templi tui, aut euertere crucem. Etenim ea est virtus insita cruci, vt sectas omnes alienas à ritu sectatorū Christi *crucifixi* duriùs insequatur, Saraceno arrisit impium consilium, crucem stantem euertit, & in frusta cōminuit. Ea ruina demùm stetit opus, quod anteà corruerat.

8. *Niceph.Call.l.8.Hist.Eccl.c.32.de tertia Cruce, quam Constantinop.erexit Constantinus.* Tertiā, quam Constantinus quidem νίκος idest Victoriā vocauit, Heraclius autem ἀνίκητον hoc est inuictam nominauit, in alta marmorea columna posuit, in loco, cui nomen est ἀρτοπώλιον idest forum Panarium, ad quam multæ etiam suprà opinionem hominum virtutes sunt editæ: atq. in primis, si qui rigore inflammationis vexarentur, & oculorum doloribus, & suffusionibus premerentur, sanati sunt. De qua factum quoddā, quod admodū in admiratione fuit, exponā. Ne verò quisquā narranti mihi fidē no habeat. Nihil enim tàm præter opinionem, & prēter fidem est, quod Deus nō perficiat: Neq. etiā quidquam, quod Deus velit, impossibile est. Dicitur namque, & verè dicitur, cùm ad eam Angelus Domini ter quotannis per altissimum intempestæ noctis silentium perin-

perindè atque emicans quoddam cælitùs fulgur cùm splendore insustentabili venit, Crucem eum circùmire, suffitum facientem, suauique voce quasi cuiusdam tenuis indicis, præsentiam suam illis, qui puritate vitæ à vitijs abhorrentes, talia, & videre, & audire idonei sunt, insinuare: atque vbi cantu ineffabili diuinum carmen ter-Sancti Hymni psallens concinuerit, rursùm illum veluti Stellam magnificè emicantem ad munia redire sua. Hanc sanè venerandam Domini Crucem longo post tempore, decimum octauum annum, Mauricio Imperante, quòd immenso terræmotu corruerat, ferreis quibusdam operibus Heraclius firmauit, & in basi eius huiusmodi incidit inscriptionem: Opus Deo acceptum Imperatoris magni, Heraclius firmauit. Quæ inscriptio ad mea vsque tempora durauit.

9. *Franciscus à Sancta Maria in Hist. Carmel. Tom.2.lib.7.cap.45.* Crucem ligneam terræ defixerat in portu, vulgò Guatulco, S.Matthæus, prædicens tunc temporis Euangelium illis regionibus fore prædicandum, quandò à mari tunc procùl existente, Crux illa fuisset madefacta, quod & accidit: Illùc autem paulò post nauigantes Batavi, in odium Sanctæ Crucis, lignis circumcircà appositis, igneque imposito, eam cremare tentarunt, sed frustrà; securibus, aliisque ferreis instrumentis in frusta eam reducere sunt conati, sed incassum, integra enim, & immobilis semper extitit.

10. *Bzouius an.1215. n.11.* Aiunt extare adhùc Tolosæ in ædibus S. Inquisitionis, sacram Christi crucifixi imaginem, quam in Bellis, quæ Simon Montfortius aduersùs impios Albigenses, gerebat, quáq. S.Dominicus pro militari vexillo, & præferri iussit, & ipse sæpiùs ferebat tamquā certissimæ mortis hostilis argumentum, nobili miraculo illustratum. Nam cùm hastile ipsum, lignumque crucis multis in locis, sagittarum, telorumque hostilium perfossionibus terebratum ostentetur: Imago tamen Christi crucifixi integra, & illibata sine vlla læsione adhùc visitur, summaque omnium veneratione adoratur. Vt hinc duplex patratum tunc miraculum admirari libeat: & illæsæ Christi imaginis, & S.Dominici: quia eam inermis inter densissimos sagittarum, telorumque imbres præferens, nullum acciperet aut vulnus, aut damnum.

11. *Anton.Vascon.* Quædam est effigies crucifixi in oppido vulgò *Matosinhos*, quod Mare petētibus ab vrbe Portuensi vnius leucæ spatio distat. Et si populi traditionibus fides est adstruēda, hanc à Nicodemo Christi alumno fuisse absolutam, vt de Burgensi habetur, liquidò constat. Illam non duce natura, sed cœlo auspice, naufragio eiectam, & altero brachio mutilatam, non sine animi dolore collegerunt Portuenses, cùm certò scirent, nullum esse ea industria artificem, qui illatum damnum posset resarcire: suas partes tamen egit Deus, nàm cùm fœmina vmbilicos vestigans, nullum non lapidem moueret, non longè à crucifixo brachium inuenit, quod thoraci ita adhæsit, quasi ab illo nunquam esset auulsum: ea est oris Maiestas, quæ omnes ad reuerentiam impellat, singulis clauis affiguntur pedes, cui fauet Gregorius Turonensis, & alii complures, quibus placet, Christum quatuor clauis fuisse confixum. Ad hanc sacr. Effigiem confugit Portuensis pietas an.1526. cùm cœlum importunè pluuium, segetes in herba prorsùs suffocaret. Decreta solemni supplicatione, sacram effigiem ferculo impositam, ex oppido ad Vrbem comportarunt: quā vt pio colligerent hospitio, quà viri, quà fœminæ, quà pueri tanta animi contentione aduolabant, ac si Christo ipsi, non verò eius simulacro obuiam procederent; Non in irritum preces abierunt. Superi enim tàm pijs orationibus successus dederunt secundissimos: Nam tàm effusos imbres iucundissima aeris serenitas, & anni prouentus, & mendicorum remedium secutum est.

12. *Inm.s.s.* Venetiis particula ex ligno Crucis, Cruci inserta colitur in schola, vt vocatur, S.Ioānis Euangelistæ. De ista hoc mirum narratur. In illorum fratrum numero quidam improbis moribus fœdus erat, qui semper aberat, cùm crux ad mortuos deferendos deferebatur ab aliis fratribus; cùmque illum vnus ex illis ad hoc officium inuitaret, alioquin caueret, ne iusto Dei iudicio hoc ipse obsequio, & auxilio priuaretur vita viduus; Respondit: hæc lex seruetur; nec ipse crucem comitabor, nec ipsa quandò obiero, comitetur me. Non multùm temporis præteriit, cùm diem suum hic improbus obiit; cùmque dictam Crucem fratres ad eum mortuum deferrent, domui eius appropinquantes, mirum accidit, vt nunquam qui crucem ferebat incedere vlteriùs posset, nàm diuina quadam vi retrò habebatur, & licet plures tentauerint, cassus tamen omnium fuit labor. Stupor omnes corripuit. Deniq. Amicus aderat, qui verborum memor, quæ impius ille impiè priùs fuderat, rem omnibus palàm fecit, statimque innotuit, vndè immobilitas illa crucem deferentium orta esset. Crucem deindè aliam curarunt afferri, nec vllum motus adfuit impedimentum, vt etiam ab hac parte appareret iustum diuinæ animaduersionis iudicium. Miraculi huius mentio fit in decreto Excelsi Consilij X. sub die secunda Maii 1474. in hæc verba. Quod signum miraculi demonstrati in vico S.Leonis per sanctissimum lignum crucis Do. Iesu Christi in tempore, quo verberatus illius scholæ mortuus ducebatur ad sepulchrū, propter verba, quę viuēs dixerat: hoc est, quādo mortuus ero, ne veniat hæc crux ad leuādū me, &c.

13. *Chrysost. Henriquez in Menolog. de Monast. Clari Fontis 7. Octob.* Nec prætereundum memorabile illud de Pictura antiqua existente in hoc Monasterio, quę temporum, & bellorum iniuria ante paucos annos deleta est, eratque in pariete dextro Chori Sacerdotum pulchrè expressa. In ea enim imago Dei Parentis conspiciebatur cùm ouiculis suis tanta gratia, & prærogatiua prædita, quòd si quæ personæ sortilegæ, & à Dæmonibus, siuè obsessæ, siuè possessæ, eidem Picturę appropinquarent, subitò cessabat ab eis molestia, siuè vexatio cacodæmonum, nullo modo præsentiam, siuè virtutem Virginis Matris sustinere valentium.

14. *Spond. in Ann. an.1567. num.19.* In obsidione Carnuti in Belsia, illud mirabile accidit, quòd cùm Milites Hæretici in imaginem Beatissimæ Virginis vrbis Patronæ, quæ extat supra portam Drocensem, sclopetas suas tanquam in scopum frequentissimè cominùs diploderent, nunquam tamen

eam tangere potuerunt, licet proximè accederent. Quæ adhùc imago ibidem visitur integra, cùm signis circùmquaque ictuum impressorum.

15. *Idem an.* 1570. *num.* 25. Hoc eodem anno Vlissippone profectis ad sexaginta nouem è Societate Iesu, in Brasiliam nauigaturis cùm Aloysio eius Prouinciæ Præfecto, contigit, vt vna ex classis nauibus, quæ cæteras præcesserat, in qua erant triginta nouem ex dicta Societate, ad Insulas Fortunatas inciderit in classem prædatoriam insignis Piratæ Caluiniani Galli, Iacobi Soræ. A quo capta illa naui, Ignatius Azeuedius Brasiliæ Prouincialis manu tenens sacram imaginem Beatissimæ Virginis, dùm socios, ac Nautas ad officium, & pietatem hortaretur, crudeliter cùm triginta octo sociis trucidatus est. In quo prodigium factum est, vt nullo vnquam conatu imago ei è manibus eripi potuerit: cùm qua in mare proiectus fuit vnà cùm cæteris sociis, sacrisque aliis imaginibus, & Sanctorum Reliquiis, globulis benedictis, aliaq. huiusmodi religiosa supellectili.

16. *Gulielmus Durandus in Rationali Diuin. Offic. lib.* 4. *cap.* 1. *num.* 31. In septima Feria statutum est, vt Missa diceretur de B. Virgine, quod initium habuit, quoniam olim in quadam Ecclesia ciuitatis Constantinopolis erat imago B. Virginis, coràm qua dependebat velum, quod totam velabat imaginem, sed hoc velum in sexta feria post Vesperas recedebat ab imagine nullo mouente, solo Dei miraculo, quasi deferretur in cœlum, vt ad plenum posset imago à populo prospici; celebratis verò vesperis in Sabbato, descendebat ipsum velum ante eandem Iconem, siuè imaginem, & ibi manebat, vsque ad sextam feriam. Hoc viso miraculo, sancitum est, vt semper illa feria de B. Virg. cantaretur Missa.

17. *Bzouius ann.* 1485. *num.* 19. Hoc anno Mediolani apud Insubres placuit Deo cultum B. Mariæ Virg. amplificare. Ad portam vrbis, cognomento Lodouicam, prostabat exiguum Oratorium, ibidemque eminebat Columella cùm loculamento cancellis ferreis clauso, in quo imago Deiparentis seruabatur. Deuotionis causa accesserat ad Oratorium sacris operaturus Ioannes Petrus Porrus, vir illustris, & Ecclesiastica dignitate ornatus. Dùm sacrificium Altaris offerret, duo Angeli præstantiori, quàm humana specie ante cancellos loculamenti Columellæ, visibiliter cunctis genu ibi flexi apparuerunt, atque velum, quo imago tegebatur manibus propriis retexerunt, quo repanso, visendam quoque se ad cancellos præbuit Angelorum Regina, cunctorumque oculos supercælesti pulchritudine, qua venustior excogitari non poterat, perstrinxit, & odore fragrantissimo, quem diffuderat, recreauit.

18. *Hilarius Perdicanus, in vita B. Ioannis Dei lib.* 2. *cap.* 7. Ante aram D. Virginis, quæ in Castris Cæciliis, vulgò Guadalupæ, maxima deuotione colitur, orabat B. Ioannes Dei, orationemque *Salue Regina* deuotissimè celebrabat: & ecce dùm humiliter profert illa verba *Illos tuos misericordes oculos ad nos conuerte*, illicò velum, quo tegebatur venerab. imago, ab eadem recedens, detectam reliquit, seruoque Dei virgineum vultum contemplandi aditum reserauit.

19. *Gumppenberg, in Atlanti Mariano, de imagine Beatæ Virginis Claromontana, Czestokouiæ, in Polonia.* Ab hac imagine feria quauis sexta post Vesperas, velum, quo tegebatur, olim diuinis manibus subductum, detectamque imaginem, atque sub Vesperam Sabbati, iterùm demissum, narrat Andreas Goldokovvscki ordinis Fratrum Eremitarum Sancti Pauli.

20. *In m.s.s. de Ecclesia B. Virginis oppidi, vulgò* di Foce *propè Ameriam in Vmbria.* Ornabatur solemni apparatu nuper extructa Ecclesia, vt in ea decenter collocaretur venerabilis imago B. Mariæ Virginis; cùm ob venerationem imaginis, Velum, quo eius operiretur veneranda facies, desiderabatur, nec ob loci angustias inuentum; Clauso igitur Templo, Ameriam illud deportaturi se conferunt. Reuertentes deindè, Templumque aperientes, supra Altare, miræ pulchritudinis Velum repererunt, quod cùm humana manu illùc delatum haùd credere possent, Templum quippè obseratum nemini præbuerat ingressum, ab Angelis in eorum Reginæ obsequium deportatum piè creditum est; fidemque astruere innumera prodigia, quæ eiusdem veli religioso contactu sunt secuta. Huius prodigiosi veli particulas diuersi Principes deuotionis causa expetierunt, ipsum verò in Ecclesia, ceù cæleste donum, summa deuotione seruatur.

21. *Pancirola in sua Roma, de imagine Beatæ Virginis de Puritate, Romæ.* Inter cætera vrbis damna sub Clemente VII. etiam domus quæpiam habitatore vacua sic concidit, vt totius viciniæ retrimenta illùc abiicerentur. Auxit Tiberina inundatio colluuiem istam sic, vt nec ingressus quidem ampliùs pateret. Visus est tamen Tiberis reuerentior Virginis; si quidem in muro pictam eius imaginem, licet vndis altior, nullo tamen picturæ damno eam tetigisse obseruatus est fluuius.

22. *Gumppemberg, de imagine Beatæ Virginis in S. Cosmato, Romæ.* Cùm hæc sacra imago ob gemmas, quibus ornabatur, olim à furibus sublata fuisset, auulsisque gemmis, in Tiberim saxo alligata mersa fuisset; Natauit hæc super aquas, & finem natandi fecit, cùm ad Palatinum pontem deuenit. Vbi reperta, ab aquisque eleuata, ibidem in honorifico sacello ædificato condita fuit, hodièque colitur.

23. *Idem, de imagine Beatæ Virginis de Consolatione, Himeræ, in Sicilia.* Cùm ann. 1591. paries, in quo picta erat hæc imago, aliò transferendus esset, iàmque machinis in altum sublatis, decidisset in terram frustillatim; ea tamen pars, quæ imaginem habebat, iterùm coniunctis partibus spontè sic coiuit, ac coagmentata est, vt rupta vnquam fuisse credi non posset, nisi in plurimorum testium conspectu contigisset.

24. *Idem, de imag. B. Virginis Focensi, in Italia.* Cùm hanc imaginem, quæ nonaginta omninò annis ad pedem montis steterat in muro picta, Focenses in vrbem maioris venerationis causa transferre decreuissent; appliciti muro funes sunt, & machinæ,

sed

sed nullis viribus, machinisque moueri potuit. At euocatæ Virgines, hæ funes apprehendentes, facili negotio muri molem mouere, quocùmque voluere.

25. *Ascanius Persius, in Histor. de imag. Deip. Montis Guardiæ Bononiæ*. Anno Christi millesimo quingentesimo septimo, cùm Bononiensis Reip. moderatores huiusce possessionem, ac procurationem imaginis ad se vnos pertinere censuissent, ea fortasse de causa, quòd ab initio Pacispouerus eam non nisi ciuitatis Rectoribus scriptis litteris commendasset, atque vnam armarij, in qua illa asseruatur, clauem, ipsi, alteram custodes eius in monte Virgines, tertiam Deuoti Hospitalis Sanctæ Mariæ Mortis, haberent, primùm omnium obserandi, ac reserandi eius potestatem ad se omnem traducere decreuerunt: Missis eò igitur qui nouas ob id seras armario imaginis insigerent, cùm Virgines ipsæ queritantes eaque se indignas esse, iniuria clamitantes, nihil quidquam proficerent, ad inuocandam sibi nunquam frustrà vocatam Sanctæ imaginis opem sine mora conuertuntur; eamque obsecrant, vt sua ipsarum, atque adeò sua ipsius tueri iura velit; miraque confestim eorum, qui missi illùc à magistratibus fuerant, perterrefactio consecuta. Qui cùm etiam, neque illi manus admouere, neque propiùs ad locum accedere vnquam potuissent; sed vt prorsùm ire connitebantur, ita pedem referre, tamquam ab aliquo imaginem ipsam, ac Virgines propugnante, repulsi cogerentur, irrito incæpto in vrbem remeandum cogitarunt. A quibus de represso prodigiosè ipsorum conatu edocti proceres, consilium nouandi quidquam protinùs abiecerunt, cùm iàm periculo satis didicissent, ei tabulæ vt nullus carior in terris est locus, sic Virginum custodia, ac ministerio decentiùs esse nihil.

26. *Balinghem in Calendario B. Mariæ 6. Febr.* Coloniæ anno 1606. cæpit magna hominum frequentia celebrari beata Virgo in templo Carmelitarum, huiusmodi ex causa. Cùm media huius templi pars in seipsam collabescens, columnas euertisset, ac contriuisset, columna tamen illa, cui appensa erat statua beatæ Mariæ Virginis, licet, cùm aliis euersis esset eiusdem rationis, ac non minùs quàm cæteræ ruinæ exposita; integra nihilominùs, illæsaque remansit. Videlicet ab integra, atque illibrata Virgine (vt piè ab omnibus creditur) sustentata.

27. *Thilmanus Brend. lib. 3. coll. Sac. c. 25. de quadam Virginis Imagine*. Quamdam imaginem, quæ Delphis colebatur, iconomachi anno 1566. toto Belgio tumultuantes, inuaserunt, iniectis funibus è loco sacro trahentes per ciuitatem, per aspera, & confragosa loca raptauerunt, nec tamen ex tanta concussione vllam accepit læsionem, quæ ex carie, & nimia vetustate iàm ante erat fragilis, alteroque brachio prorsùs luxato.

28. *Gonzaga, de Monasterio Monialium Sanctæ Mariæ de Ripa, Foroliuij in Prouincia Bonon.* Conspicitur super huius Ecclesiæ maius altare deuota B. V. Mariæ imago, quæ inundante semel fluuio (cui Italicè, Schietta, siue Schiauonia nomen est) omniaque sua rapiditate vastante, ac euertente, sola, non absque maximo miraculo, immobilis remansit, sibique restitit. Quamobrem 26. Martii anno 1495. à Foroliuiensibus ex antiquiori, minùs tamen honesto loco, ad eum, quem modo obtinet, maxima cùm religione translata fuit, & ab eo tempore tùm ab ipsis, tùm quoque à sororibus, quæ numero sunt 70. peculiari veneratione colitur.

29. *Alonsus de Ouaglie in Hist. Regni Cilensis lib. 5. cap. 13.* Cùm in Regno Cilensi obsideretur ciuitas Imperalis ab Indis, ad extremumque deuenissent obsessi ob inopiam aquæ, ciborumque; summa fide detulerunt imaginem miraculosam Virginis à Niue, ad quendam puteum, cæno, lapidibusque plenum, supraque illius os collocatam, humiliter sunt deprecati, vt aquam daret: res mira! statim è puteo maxima copia dulcissimæ aquę cæpit manare, perseuerauitq. quandòcumq. necessitas vrgebat.

30. *Gumpemberg, in Atlanti Mariano*. Cùm ædificaretur templum B. Virginis de Valle Viridi in monte Ætna in Sicilia, & aqua necessaria deesset; statim fons saluberrimus, & sabulo emanauit.

31. *Vuillielmus Malmesburiensis, lib. 1. de gestis Reg. Anglorum, de Anthuro*. Anthurus in obsidione Badonici Montis, fretus imagine Dominicæ matris, quam armis suis insuerat, nongentos hostes solus adorsus, incredibili cæde profligauit.

32. *Franciscus Rus. in Hist. Su. sac. 11. cap. 12.* Villanouæ in Hispania adest imago B. Virginis, è Fonte sancto dicta: tali autem nomine fuit appellata, eo quòd cùm olim vxor cuiusdam Principis mauri, ob Christianam religionem, quam pia fæmina profitebatur, ab immanissimo viro oculis erutis, manibusque præcisis propè eamdem ciuitatem, quodam in nemore feris proiecta fuisset, ipsa, inuocato B. Virginis auxilio, ab eaque iussa, vt in proximo fonte se lauaret, statim oculos, manusque præcisas recepit; ab eoq. miraculoso fonte, nomen imago Virginis Villanouæ desumpsit.

33. *Ludouicus Clauitellus, in annal. Cremonæ an 1509.* Demolitis Domibus Diui Ambrosii, & omnium Sanctorum, ibi imago Beatæ Virginis super muro picta, nunquam aliqua arte humana demoliri potuit, sed seruata fuit virtute omnipotentis Dei.

34. *Lipsius de Virgine Hallensi*. Illud primùm obseruo, in ipsa statua Beatæ Virginis, miri aliquid videri, quæ haùd magna (bipedalis circiter) & è puro, nec medicato ligno, tot sæcula perseuerat immunis adhùc ab exitiali peste. Immunis etiam ab incendiis, quæ vrbecula illa aliquotiès, vel nostra memoria sensit: cùm illa Diua, & se, & templum suum, omni vicino foro, & iuxta ipsam ædem, ædibus ardentibus, defendit: quin, & ab hoste, & à vi bellica defendit. Incolę præferunt, & Annales referunt, aliquotiès Oppidum illud, nec situ, nec opere munitum, tentatum ab hoste, vel clàm, & fraudibus, vel palàm, & machinis,

nis, sed tutela præsidioque diuæ Dei parentis stetisse inuictum.

35. *Ioan. Euseb. lib. 1. de mirac. nat. cap.39. de effigie Virg. Guadalupæ*. Effigies hæc D. Virginis ex ligno est, quod quàmuis cariei obnoxium admodùm sit, mira tamen Dei prouidentia per sexcentos annos sub terra incorrupta durauit: fusci verò coloris est, & vultui maiestas inest tanta, vt referant æditui, se fixis oculis non posse illam intueri, reuerentia enim sentiunt sibi oculorum aciem præstringi.

36. *Ciaconius de Cruce Carauacensi*. Mirandum profectò est, CCCC. & eo ampliùs annos viguisse illud lignum, citrà cariem, & teredinem, aut vllum vitium, illæsum perdurasse.

37. *In vita B. Stephana Quintiana*. Quadam vice cùm ante crucifixi imaginem oraret Beata Stephana Quintiana, sensit ab ea suauissimum odorem exire.

38. *Menard, lib. 2. Obseruat. in vita B. Sebastiani de Villoslada*. Suauem odorem reddebat eius imago, quam Frater Enecus de Arredondo Monachus ordinis Sancti Benedicti in cella habebat.

39. *Boluitus, in vita B. Andreæ Auell. lib. 3. cap. 31.* Cœnobii Diui Andreæ Moniales, in Beati obsequium sacram quotannis circuitionem instituerant, cuius imaginem ante Deiparam supplicis circumducentes, eximio cultu illius venerationem excitabant. Hanc instaurantes idibus Octobris anno huius seculi sexto decimo, Maria Magdalena Columna, & Anna Maria Caracciola, collocutorio Præfectæ, & instantes, profundi se insolita suauitate persenserunt: Ratæ extra religiosa septa fragrantiam inhalari, facti certitudinem ab externo viro, & probo, qui cœnobio erat à sacris, expectant. Illo negante: perseuerantis suauitatis admiratæ præstantiam; à circuitione, cætero sodalium cætui rem aperiunt, & causam curiosè sciscitantur: illæ se quoque affluenter ea delibatas dulcedine fassæ sunt. Peruestigatur si quid odoris incensum, aut sparsum, vndè spiritus potuisset afflari, & nullum eius rei indicium; luculento itaque omnes iudicio, Andreæ vberrimam illam, & incognitam suauitatem ascribunt. Eædem item Virgines, & aliæ quoque eiusdem imaginis pedem, quæ publicè colebatur, post sacras preces exosculatæ, & pia deuoti animi exercitia, halantem ex eo odorem perceperunt Rei frequentia, & exclusum odoris artificium, indubiam cœlestis virtutis opinationem firmiter illarum animo impressit.

40. *Bzouius ann. 1230. num. 18.* Per id temporis in Castro Felsino, agri Senensis, Diœcesis Vollaterranæ in Etruria, miraculum ingens patratum est cruce Dominica. Gibellinorum infestæ acies circùmquaque volitantes, ad Felsinum quoque depopulandum feralibus odiis irruere. Populus eius Castri, aduentus hostilis præmonitus, vnà cùm supellectili pretiosiore in Ecclesiam Castro vicinam se se recepit: Sacerdotemq. vt sacris operaretur, admonuit: fore existimans, vt loci maiestate, & sacrificii cæremonia, hostiles animi percellerentur, indidemque supplices velut apud sanctissimum asylum seruarentur: Sacerdos solemnem pompam indutus, diuinam hostiam litabat, cùm Gibellini, cędes, & rapinas spirantes, Felsinum aduenerant, atque in templum iàm iàm penetrabant. Ibi populus promiscuus aris aduolutus, non nisi à Pastore rei diuinæ intento, opem, & tutelam sperabat, atque poscebat. Sacerdos ab altari ad eos supplicantes conuersus, cùm vniuersis auxilia à Deo statim affore prædixisset, cruce argentea, cui simulacrum Christi patientis affixum ex eodem metallo fuerat, accepta, aduersùm armatos processit, vt preces apud illos pro populo interponeret, ne in innocentium fortunas, & capita sæuirent. Limen templi pede premebat sacerdos cruce onustus, cùm aliquis Gibellinorum lanceam ferro cuspidatam pectore eius adeò altè infixit, vt vnà cùm sanguinis profluuio, animam quoque pia charitate pro populo flagrantem eduxerit. Cæsus sacerdos, cùm in terram prorueret, fortè furtuna in ostium templi, ligneam crucem quam gestabat impegit. Secutum est miraculum: Cruci affixi imago in ligno durissimo adeò examussim vestigia sua impressit, vt velut à manu accurata artificis alicuius, vel depicta, vel insculpta, vel impressa esset: Ea crux ligneo ostio diuinitùs impressa, adhæc vsque nostra tempora propter miraculorum frequentiam seruatur, & colitur in Ecclesia Sanctæ Crucis, eius miraculi nomine à fidelibus ædificata.

41. *Ioannes Bonifacius*. Fuit miles, qui cùm prædę primitias, Dominæ Angelorum orans ante eius imaginem, vouisset, irruptione facta in hostes, petitus ferrea glande, adusta dumtaxat veste, cęterà impenetrabilis fuit. Sed & eiusdem Dei Matris imago in templo, quod quatiebatur vndiq. vi tormentorum, medias inter ruinas stetit, non loco, sed Numine defensa.

42. *Hadrianus Lyraus*. Quidam scelestus, hominem pium, religiosumque inuadens, æneam fistulam explodens, fatalem globum rectà in pectus eius excussit, & carnem, atque intestina dubio procùl penetrasset, nisi stanneum numisma, quod ei suspensum è collo pendebat, cui sacrum Mariæ nomen inscriptum erat, sui interpositu, oppposituque, certissimum ictus impetum prohibuisset. Porrò numisma in pectus facta impressione, guttas sanguinis omninò duas expressit, sua insuper in extima cute imagine relicta, opinor ad Mariæ seruatricis nomen, ac beneficium pectori altiùs imprimendum.

43. *In m.s.s.* Christianus quidam pius, qui bonum vitæ exemplum semper aliis præbuerat, imag. Beatiss. Virg. in charta depictam, quam magni faciebat, à Patre quodam postulauit, & impetrauit: Eam quia secùm ferre cōsueuerat, quotiès itineris faciendi causa nauem conscendebat, accidit, vt naufragium tandem passus sit, quo omnibus mercibus amissis, nonnulli etiam mortales demersi sunt: Hic verò beneficio imaginis emersit. Nàm quo tempore maior ingruebat tempestas, eam suspendit è collo, & quod ille miraculi loco habuit, ab omni aspersione aquæ immunem retinuit: quam periculo exemptus posteà aliis ostendit, & magnos pro-

progressus in fide, & feruore deuotionis deinceps fecit.

44. *Lipponanus tom.2.in vita S. Nicolai Myr.* Cùm quidam Barbarus, Iconem S.Nicolai in bello furto sumpsisset, intellexissetque à Christianis, esse eam imaginem magni Sancti, miraculorumque patratoris insignis, in patriam reuersus tulit ipsam Iconem, & posuit ante telonium suum, vbi erant omnia, quæ habebat, aurum, argentum, & cætera omnia; & locutus est ei dicens: Nicolae habeto custodiam super telonium hoc, nàm ego aliò necesse habeo proficisci. Hæc locutus imagini, discessit, apertum omnino relinquens telonium, securiùs proficiscens, quàm si ibi plurimos custodes relinqueret; Factum est autem, vt eo absente fures ingressi telonium, omnia furati sint, sola relicta Icone. Reuersus igitur Barbarus, omniaque surrepta inueniens, ad Iconem conuersus, amarè conqueri cæpit, tùm flagellis eam dirissimè cessit, in flammasque conіicere minitatus est, nisi ablatum thesaurum restitueretur. Apparuit tunc S. Nicolaus latronibus, illosque grauiter reprehendens, vt statim furata restituerent iubet, aliter se eos manifestaturum dicit. Latrones igitur timore perculsi, omnia restituerunt. Tunc Barbarus manè omnia in telonio reperiens, maximo affectus est gaudio, sanctam imaginem veneratus, osculatusq. est, tàmque grandi miraculo commotus, fidem catholicam amplexus est.

45. *Molanus lib.2.Hist.S.S. imag. cap.33.* Magna pietate Patres monasterii, in scopulo cum puteum in magnam altitudinem effodissent, nec aquam inuenirent, imaginem Abbatis Theodosii in puteum demiserunt, vt per ipsum, Deus aquam daret: & mox aqua dimidium putei impleuit.

46. *Frid.Fornerus, de S.Teresia.* Cæterùm non linteola, vestiumque segmenta tantùm, sed beatæ Virginis Teresiæ imago, mira multa operata est. Ferdinandus Tregius Hispalensis piis operibus deditus, à dęmonibus vsque ad tetras apparitiones torquebatur. Quadam ergo die, cùm acerrimè vexaretur, B. Virginis Teresiæ imaginem, inopinus arripuit, existimans Reginæ Virginum imaginem esse, quam hostibus incursantibus opponere statuerat. Vix eam obfirmarat, cùm agmen infestum multis vlulatibus euanuit: quamobrem beatam virginem Teresiam, ab ea victoria impensè colere cæpit.

47. *Pepe in mirab.D.Caietani m.230.* Exploserat ex ænea fistulla binos plumbos globos in pectus Andreæ de Rege, eius inimicus: qui consumptis vestibus, vt ad imaginem D.Caietani, qua armatum pectus Andreæ erat, accessere, ceù in æneum thoracem impingentes, magno impetu resiliere, illęsumque Andream mirabiliter reliquerunt.

His similia de imaginibus aliorum Sanctorum legantur in eorum historiis.



De Admirandis circa Cereas imagines, quæ Agnus Dei nuncupantur.

§. 16.

Cera expressi Agni, Saluatorem nostrum, qui fuit Agnus occisus ab origine mundi, repręsentantes, innumera quotidiè eos fide deferentibus causant admiranda. De quibus.

1. *Martinus Delrius lib.6. Disquisitionum magic.ca.2. sec.3. quæst.3.* Sub annum Domini 1585. in Treuirensi ditione, vt sunt plurimæ illic sagæ, quædam, puerum octo circiter annos natum, suis præstigiis, ac carminibus circùmuentum, in eas sedes solita erat abducere, vbi per licentiam noctis ac tenebrarum nefariis lusibus indulgerent: hic suę quoque partes puero dabantur, vt dùm illæ choreas consertis manibus inter se ducerent, is earum saltationem tympano prosequeretur; nec modò ludorum erat, chorique spectator, sed sæpè etiam pręstigiorum, quibus illæ humanis corporibus, vitisque nocent. Hunc Archiepiscopus deductum in Aulam custodiri iussit, vt Catechismo, cuius erat planè rudis, imbueretur: cui cùm Sacerdos noster effigiem cælestis Agni, de ceruicibus suspendisset, noctu adfuit Dæmon, grauiterque puerum increpans, quòd tàm facilè se decipi passus esset, iussit ceram illam, ni vapulare vellet, abiicere: territus puer, imperata fecit, continuòque Dæmon, eo quod iàm metuebat amoto, ad muros vrbis eum abripit, nigroque impositum hirco, ad impurissimas sagarum regiones momentò transfert. Qui cùm aliquamdiù inter veneficas latitasset, restituitur iterùm in Palatium, fracta, implicitaque nodis resticula, vndè cera illa pendebat.

2. *Idem ibidem.* Drepani fuit anno 1585. Pater familias quidam, cuius in ædibus, variæ dicebâtur aliquot iàm menses ex occulto voces existere. Familiaris is erat Dæmon, qui variis modis conabatur hominibus illudere: iaciebat saxa prægrandia, nullius tamen capitis detrimento, vasa quoque domestica altè iaculans, non frangebat. Cùmque in his tectis fidibus caneret adolescens, Dæmon cunctis audientibus, lasciuis cantibus prosequebatur testudinis sonum, apertèq. Dæmonem se esse iactabat. Cùmq. ædiũ Dominus vnà cùm coniuge quoddam in oppidum ad sua negotia discederet, comitem se se Dæmon adiunxit: cùm autem ille madefactus aqua rediret, nequam spiritus anteuertit, sublatisque de via clamoribus, præmonere domesticos cæpit, ignem vt extruerent, herum iàm esse in ianuis, totum imbribus madefactum. Verùm cùm ita se illudi Dominus ædium intelligeret, minitatus est Dęmoni, adducturum se Patrem de Societate, qui è suis eum sedibus exturbaret. Ille verò, ne id faceret, clamitare, minitarique inimicitias, & odium, & quamdiù Pater in iisdem ædibus versaretur, fore vt se se conderet, & occultaret. Venit tamen herus ad Patrem, & rem illi narrat ex ordine, domum etiam mutat, & vt se illis molestiis liberet obtestatur. Pater ne imperita multitudo elata cupiditate videndi, id quod fore videbatur, accurreret, ad eum sibi proficiscendum non censuit,

fuit, tantùm monuit, vt ipse, & tota eius familia ablutis generali confessione peccatis, cælesti pane se confirmarent, cauerentque ne quis, aut ex domesticis, aut externis, sermonem cùm hoste miscerent, neuè ex eo, vt anteà fecerant, occulta perquirerent, riderent potiùs, quæ ab eo dicerentur, & vt orta ex mendacii patre planè contemnerent. Illi cùm se facturos recepissent omnia, dedit eis pater ex consecrata cera Agni cœlestis simulacrum, quod filiæ ceruicibus, vt quæ omnium maximè à Dæmone vexabatur, insererent. Hic terrere Dæmon cępit clamoribus filiam, minitarique, ni ceram illam abiiceret, fore, vt ei obtorto collo, animam eriperet. Sed illi Patris monita, & consilia secuti, cùm loquenti responsa non redderent, se seque inuicem contra hostem sacramentorum telis armarent, facilè se ab eius insidijs, molestiisque tutati sunt.

3. *Idem ibid.* Anno 1589. Mulier quædam, quę chirographo, quod proprio sanguine conscripserat, se Dæmoni deuouerat, cùm resipiscenti illud Demon sępiùs ostentaret, freta diuini Agni, pręsidio, cuius imagine pectus munierat, cùm reddi chirographum sibi iussisset, tandem vidit illud in cinerem, & fauillam conuersum, ad pedes sibi abiici.

4. *Idem ibidem*. Quidam à dæmone obsessus, canem magis ringendo, & latrando, quàm ratiocinando, & loquendo hominem se esse ostendebat: hic à Burgundia vsque ad nos adductus, vique summa compulsus in templum, non priùs desiit canem agere, quàm Agnus Dei, in collum insertus est: tùm demùm obmutuit, & humanitati redditus, salutari animam confessione purgauit; idem amuletum alteri fuit eodem morbo laboranti.

5. *Idem Auctor*. Narrauit mihi P. Bernardus Oliuerius, tùm societatis nostre per Belgium Prouincialis, propè Samarobrinam anno 1599. captam puellulam strigatricem, quę nec pedum vstulationem seuissimam, nec flagra validissima sentiebat; donec Sacerdotis cuiusdam monitu illi Agni benedicti ceream imaginem in collum iniecere: tùm enim vi sacri amuleti, Dęmonis pręstigiosa ludibria depulsa, & illa vim doloris cępit persentescere.

6. *Idem ibidem*. An. 1590. Treuiris cuidam adolescenti sæpè Demon diuersis formis laruatus apparebat, quibus aspectibus, eò vsque terrebatur, vt exanimaretur. At nostrorum manu sacris mysterijs consecrata cera, cæterisque armis formidatis diabolo instructus, ita deinceps perterrefecit aduersarium, vt apparere desierit.

7. *Idem ibidem*. In Turonensi Diœcesi, Puella recens nuptui collocata, post horarum trium irritam luctam cùm horrendo spectro, sono, voce, motuque corporis energumenam referebat: mox breui gestatione sacratæ Agni imaginis, quam à nobis acceperat, est in pristinum restituta.

8. *Idem Auctor*. Mussiponti an. 1593. Mulier quædam vexata à maligno spiritu, appensa ad collum sacra cera cęlestis Agni, liberata fuit.

9. *Idem ibidem*. Anno Domini 1586. in Treuirensi ditione fuit adolescens rusticus, sed peratri ingenio intra quintum decimum annum. Hic non semel accesserat ad feralem locum, vbi permixti fœminis mares, & ætatis tenerę maioribus, Dæmone magistro epulabantur, noctis licentia, discrimine pudoris extincto. Ipse tamen nondùm Deo, Deiparæque renunciarat, execrandas nondum preces fecerat Dæmone præeunte, felis tantùm cerebrum cùm sumpsisset in cibum, decrescente luna sentiebat sibi mentem imminui. Vbi Treuirensem ingressus est vrbem, quā nunquam antea viderat, eo nimirùm ducere ad supplicium, qui duxerat ad maleficium vti fanaticus deductus est in ædes Principis, vt seorsim ab alijs certa in domus parte curatus à nostris, Dęmonem excuteret. Sed cùm ei nulla à Dæmone nocte daretur quies, coniuratisque à quibus diuerberabatur, cerea effigie sacri Agni, quam ad collum habebat, auulsa, Archiepiscopo placuit mitti in *Collegium* societatis: nec hic quidem fuit misero pax, nisi solemni ritu cubiculo expiato. Pretium erit quædam ex eis memorare, quæ ab ipso narrabantur: Ita enim ipsemet Antistiti: Cùm exerceretur nostra comessatio, fuit vnus ex tua cohorte, qui gloriatus est quadam nocte (indicabat enim eam, quę fuisset) dormienti ubi potionem pestiferam ingessisse, reperto ad te aditu ex occasione Agni Dei, quem iturus cubitum relinqueras imprudenter in mensa. Quod si paulò capacior fuisset calix, mortem non effugisses. Certè ipse Archiepisc. dixit, se post illam noctem ita infirma fuisse valetudine, vt per aliquot dies decumbere cogeretur. Cùm hęc dicens in magna corona nobilium non faceret fidem; ad Pręfectum Vrbis, quin & te, inquit, nostræ Lamiæ bis inuaserunt, sed ab ea pixidula, quam fers continenter, vbi sunt imagines binæ, & nescio quid consecratum (Agnum Dei, intelligebat) sunt à conatu repulsæ. De harum gestatione rerum confessus est Præfectus.

10. *Ludouicus Froes, in Relat. Hist. de rebus Soc. Iesu.* An. 1595. In quodam loco, dicto Iamada, cùm adolescens Christianus quindecim, aut sexdecim annos natus, frequentiùs à Dęmone torqueretur: Bonzius eius patruus primùm conatus est Dæmonem suis gentilitijs ritibus, & variis deprecationibus ad Chami, & Forrochi depellere; sed cùm irritum videret conatum, piæ cuidam Christianæ ad se ex vicinia accersitæ totius rei successum percensuit. Illa bona sua fide freta, Agnus Dei in obsessi collum iniicit, & manus, pedesque fune sacris verbis benedicto illigauit. Tùm dæmon mox exclamare: Soluite me, & mox excessero: Respondit fęmina: Priùs te torquebo, & si non promiseris discessurum, non te soluam: sic fecit, & iuuenis liber à Dęmone, corporeq. integer euasit.

11. *Ex litteris annuis Societ. Iesu, anno 1592. in Prouincia Mediolanensi, miss. ad Lucernam Vallem*. In Patria Lucernensi, dùm quidam P. Societ. Iesu in reuocandam Catholicæ fidei sinceritatem, totus incumberet, prodigijs interdùm Deus eius visus est studia, conatusque iuuisse. Narrat enim ipsemet Pater quodam in Oppido, se è suis sedibus euocatum ad ferendam misero opem, qui raptaba-

raptabatur è Dæmone, vt præceps ageretur in profluentem: cùmque ad fluuium iam immitis carnifex aduentaret, exaudito strepitu accurrisse qui miserum illum incredibili conatu retraherent, sed eos tamen ęgrè sua tueri capita ab eius laniatibus potuisse: cum enim tamquam in rabiem efferatum in obuium quemque subitò irruisse vt peteret morsibus, quem cepisset: addebatque Pater, cùm salutari illum crucis signo muniisset, iussissetque secùm Dominicam, Angelicamque precationem effari, imposito cereo Agno ceruicibus, quieuisse: mox cùm lachrymis se amplexatum confirmasse, subitò suo aduentu fugatum esse tetrum quendam, horribilemque gigantem, qui se ex hominum conspectibus abripuisset, vt præcipiti ruina ceruices frangeret; tùm ius suum à se hominem ritè expiare peccata, pauidumq. pectus aduersùs hostium impotentiam, Eucharistiæ præsidio firmare: quod cùm fecisset, ita demùm ex auidissimis lupi faucibus euasisse.

12. *Martinus Delrio, vbi supra.* Sub anno Domini 1590. Auenioni mulier maligno vexata spiritu, cui suaserat vnus ex nostris, vt conueniret sacerdotem (dato intereà parentibus cælesti Agno, quem ignaræ insuerunt in vestem) cùm consilium obliuiscitur, aut differt, à quatuor quasi felibus per fenestram rapta est supra domesticum tectum; mox audiuit humana voce minantem præcipitium, nisi certam imaginem abijceret, quam in veste habebat. Intellexit illa quid esset, & agnouit suasores mali: ergo magno animo negauit, se facturam, statimque conuersa est ad preces, & relicta est, (vt eam inuenit maritus eius excitatus clamoribus) de tecto suspensa.

13. *Augustinus Castanus in Dissertatione de virtute Agnus Dei, n.5.* In quadam Ciuitate Italiæ aderat perditissimus iuuenis, qui egregiæ formæ, puellam ad insaniam vsque deperibat. Hic frustrà tentatis omnibus mediis, quæ Virginis constantiam labefactarent, tandem ad mali Dæmonis artes conuersus, maleficam peritissimam adijt, eique in præmium deposito facto, ex condicto 25. aureorum, enixè eam obtestatus est, puellam sibi nigris artibus comparari; omnibus tamen impiissimæ fæminę præstigiis adhibitis, & sæpiùs, stimulante pecunia, iteratis, nunquam potuit allici Virgo ad amorem, omnique prorsùs effectu caruit incantamentum, & curiosè inuestigante malefica, vndè fieret, quòd præstantiores Dæmonis artes eluderentur, eamdem explorauit puellam semper, & deuotè secùm gestare frustulum Agnus Dei benedicti, in eoque summam fiduciam habere.

14. *Idem ibidem n. 6.* Adolescentula nobili genere procreata, & naturæ dotibus cultissima, matrimonium summis votis, & precibus expetitum, ne dùm obtinere nequiuerat à parentibus, sed, ijs per vim & metum compellentibus, Monialium cętui vincta est, & omninò nolens Religiosã professionem emisit; vt se vidit perpetuo ligamine vinctam, desperato omninò connubio, furens, ac maledicens diei suo, inferni potestatibus se vouit, eisque in remedium effertatæ libidinis, euocatis, Dæmoni, sub specie exoptati Iuuenis apparenti per duodecim integros annos succubuit, ea sacramentorum iniuria, & sacrorum abusu, quo videre est in fæmina, quæ Deo, animæq. saluti vale dixerat. Duodecimo tandem anno elapso ægrotauit ad mortem, & contremiscens, quòd crederet se iàm soluturam pretium æternæ captiuitatis, cui se obstrinxerat; hortante confessario, vt quæ causa esset tantæ turbationis aperiret; ingemiscere, flere, lamentari, tandem asserere se maximè habere quod aperiret, sed occulta quadam vi coactam enunciare non posse. Ad hæc sacerdos exerit calamitatis humanæ certissimum præsidium, Agnum benedictum, oratione, & instructione ægrotanti fidem excitat, & protinùs infirma nequiores cõscientiæ labes confitetur, perennique lachryma abstergit. Vt animæ, ita corporis sanitatem consecuta, adhibito in fidei firmamentum, ac fragilitatis remedium Agno benedicto perpetuò è collo pendulo, Dæmonis illusionibus, & obscenis irritamentis diù restitit, donec ad vomitum reuersa, infami comercio assensum præbuit; sed mirum! non est ausus Dæmon illam attingere, nisi iussam deponere, quas gerebat in sacro Agno, Pietatis exuuias, quod numquam pretermissum, quotiès nefandis voluptatibus litabat, tandem ex altitudine cælestium diuitiarum, & immensa diuinæ clementiæ largitate factum est, vt dùm scelesto parata facinori, iubente Dæmone, Agnum benedictum è collo extrahere contendit, ac omni industria conatur, vi superum impediente, nũquã valuerit Agnum deponere, nec funiculum rumpere, ceù forcipe scindere, nec nodos soluere; quo miraculo confusus Dæmon aufugit, & horrore percussa monialis, iugi ac perseueranti pænitentia tàm malè actæ vitę maculas abstersit, religiosèque diù vixit.

15. *Ex litteris Societatis Iesu.* Mulier quædam Ratisbonæ multis nocturnis illusionibus, & Laruarum visu mirè vexabatur. Rem aperit Catechistæ cuidam Societatis Iesu, ille Agnum benedictum ei dat, monens, vt magnam fiduciam concipiat. Excitata mulieris magna fide, liberata est illa ab his formis noctu occurrentibus. Vulgata verò rei fama, magna passim omnium animos subiit reuerentia erga hos Agnos cereos; ita vt accurrerent viri, & fęminę, iuuenes, & puellæ ad Catechismum, parati respondere in rudimentis fidei, vt Agnum benedictum obtinerẽt. Cùm verò sacro quodam die Pentecostes idem Catechista de virtute Agnorum consecratorum dissereret, & assereret, puerperam fuisse à diuturnis, & grauissimis doloribus huius Agni applicatione liberatam, facilemque partus fæliciter edidisse, duo Caluinistæ rustici in pagum suum redeuntes, casu illac iter facientes, templum ingressi sunt, & risu rem exceperunt. Sed vnus illorum domum suam ingressus, reperit vxorem puerperii doloribus oppressam, in periculo mortis versari, tota sequenti nocte durat cruciatus, tentantur remedia, sed frustrà. Rusticus ergo ad mentem rediens, cæpit cogitare de dictis à Catechista, & necessitate adductus, dolet se subsannatione rem excepisse, & statuit experiri. Mittit ergo ad Collegium Societatis, & à Catechista curat postulari Agnum

Agnum consecratum vxori periclitanti. Datur sine mora, parturienti admouetur, confestim diuina sentitur virtus. Cessat cruciatus, & filium edit, magna omnium lætitia, & admiratione. Rusticus gratias agit, & hæresim, in qua natus, abiurauit.

16. *Ex litteris Soc. Iesu an.* 1525. *in Miss. Sedunensi*. In missione Sedunensi, quæ in Alobrogum finibus sita est, Religiosa quædam mulier, particulam Agni Dei in ora vestis cuiusdam delirantis fæminæ consuit, & talis fuit sacræ illius ceræ vis, & incensæ mulieris fides, vt continuò facta sit sana. Aliæ, cùm viros haberent immites, & feros, eosdemque hæreticos, clàm in eorum thoracibus, caligisue hac eadem cera consuta, lenissimos sibi, & mitissimos reddiderunt.

17. *Beatillus in Hist. Ciuitatis Barij lib.* 4. Dùm anno 1579. voracissimo igne ferè totum deuastatum fuisset Monasterium Monialium S. Scolasticæ Barii in Apulia, nullaq. arte ignis extingui posset, immisso in flammas, ab Archiepiscopo sacro Agno Dei, illicò cessauit combustio.

18. *Gretserus de Benedictionibus lib.* 2. *cap.* 51. Annis superioribus, Monachij, Boiorum Metropoli, cùm ingenti, & sæuissimo incendio totum armamentarium conflagrasset, omniaque, vel flammis absumpta, vel liquefacta fuissent; lignea cistula, quæ consacratas Agni Dei imagines continebat, non nihil ab igne ambusta quidem est, sed saluis penitùs, ac illęsis Agni Dei Icunculis; ita vt flamma illa voracissima, quæ nihil intactum reliquerat, sacras effigies ne attigerit quidem, nec vel paululùm liquefecerit. Cui rei adhùc locupletes testes supersunt, & imprimis P. P. Mathias Mairhofer, Societatis nostræ Theologus, qui affirmat se multis annis vnam de numero harum imaginum tàm contra naturæ leges seruatarum, ex collo pensilem gestasse.

19. *Ex litteris Soc. Iesu. anno* 1585. In Prouincia Siciliæ pridie Kal. Iunii, tantum est incendium nescio qua incuria, in proximis ædibus Collegii Messanensis excitatum, vt quauis humana industria extingui nequiuerit; tunc Rector Collegii ad remedia diuina confugiens, Agnos è cera factos ritè consecrata, iaculatur in ignem, statimque, quasi quibusdam imbribus debilitata primùm flamma, & compressa mox est. Aliud simile incendium in Collegio ipso Messanensi, anno subsequenti decimo Kal: Aprilis fortuitò excitatum, Agnis è cera consecrata iactis in ignem, mirabiliter extinctum fuit.

20. *Ex litteris annuis Soc. Iesu anno* 1583. In Prouincia Mediolanensi, in vicinis ædibus Collegii Taurinensis erat multum straminis, cui cùm intempesta nocte tenuis principiò ignis hæsisset, nactus opportunitatem pabuli, quo se aleret, crescere in momenta cæpit, & longè, latèque diffundi. Præsentissimo remedio fuit sacer Agnus è cera, quem cùm coniici Sacerdos noster iussisset in ignem, continuò constitit ignis ipse, vt eius videretur effigiem pertimuisse, cuius nutui, atque imperio mare quondam, ventique paruerunt. Auxit rei miraculum effigies ipsa cælestis agni in mediis conspecta flammis, quæ diù suspensa, & immobilis permansit.

21. *Ex ijsdem litteris an.* 1591. In Iapone cùm ignis quandam corripuisset domum, vicinus Christianus veritus, ne flamma in ædes quoque suas, & Ecclesiam insiliret, profugium habuit ad agnum Dei è collo suo suspensum. Illum enim arundini benè longę impositum, magna fiducia, & vento, & flammæ serpenti opposuit, ac mox à Domo, & Ecclesia incendium auertit.

22. *Io. Antonius Gabutius in vita B. Pij V. lib.* 2. *cap.* 11. Hispanum militem catholicum, inter alios in Belgico Bello contra Hæreticos an. 1568. captum, arborique alligatum, impij milites hæretici eneorum tormentorum ictibus occidere conati, tantùm abfuit, vt illum confoderent, vt ne creberrimis quidem, ac vehementissimis ignitis globis in eum emissis, vel minimùm lædere potuerint. *Quo viso* obstupefacti, eum vestibus exuere cæperunt; *rati* hominem occultis quibusdam armis communitum, quæ tormentorum vis penetrare non posset; Sed cùm nihil in eo pręsidij reperissent, præter sacrum agnum à collo pendentem, ex iis, vt coniectura est, quos Pius V. primo sui Pontificatus anno de more consecrauerat, hoc illi detracto, primo ictu transuerberatus occubuit.

23. *Augustinus Castanus in dissertatione de virtute Agnus Dei num.* 22. Quidam à multis noctu aggressus, & confossus in terram cadens, & tamquam mortuus derelictus, vt hostes discessisse vidit, ad Religiosum Conuentum peruenit, conscientię labes, pænitentiæ sacramento abluturus, putans, dùm vestimenta exueret, se vitam cùm sanguine profusurum; confessione peracta, decumbens vestibus denudatur, inueniturque, *illis quidem* vndequaque perforatis, *signa tantùmodò in pelle* extrinsecùs gestare, *statimque in laudem* prorupit, & benedictionem agnus Dei, ad cuius delationem, & fidem paulò ante fuerat à Religioso ibi pręsente exhortatus.

24. *Idem ibidem n.* 23. Alius petitus inimicorum insidiis, dùm syluam pertransiret, quamplurimis igneis globis eodem tempore *percussus*, omninò illæsus seruatus est, dilaceratis adinstar cribri vestimentis, & in carnis superficie ictibus vix designatis, hocque virtute Agnus Dei, quem secùm habebat: Hic idem aliquibus elapsis annis, in puteum profundissimum cadens, in aquis vsque ad pectus immergitur, vbi agnus Dei gerebat, & in eodem situ integram per horam subtentatur in aquis, donec indè eripitur. Quod simile Religioso contigit in fluuium præcipitem elapso, stans enim submersus quidem vsque ad agnus Dei, quem habebat, sed ab aquis pariter sustentatus, nec impetu decurrentium protractus, ad alteram ripam stupore perfusus euehitur.

25. *Idem ibidem n.* 32. Missis à B. Pio V. Militibus ad audaciam reprimendam Prædonum, Ansia in sylua (vulgò Baccano) grassantium, ipsos agnis benedictis præmuniuit. Dùmque cùm illis nobilis quidam Florentinus associatus fuisset, vt Patriam petendo, locum illum extremis periculis obnoxium securus pertransiret, prius contigit cùm Prædonibus

stibus dimicare maximo cùm eorum excidio, illæsis omninò remanentibus Pontificiis militibus, & solo vulnere accepto à dicto Florentino, qui sacri Agni præsidio non erat munitus.

26. *In ann. Capuccinorum ann.* 1590. Hoc tempore, si alio vnquam, Agni ex sacra cera virtus enituit: cùm enim Iacobus Trauersarius, vir nobilis, Agnum huiusmodi macrocollone contectum de Fratrum manu accepisset, sibique collo appensum gereret; casu accidit, vt catapulta in eum explosa, plumbeus globulus in Agnum rectà ferretur: cuius virtute factum est, vt globulus, macrocollone, in diuinæ virtutis testimonium, dumtaxat paululùm adusto, ab eo resiliret, nullumque Iacobo vulnus inferret.

27. *Augustinus Castanus vbi sup. n.* 24. Quædam Mulier fœtum ad maturitatem perducere nequibat, creatura enim in vtero tranuersa, egredi nō poterat, matre interim ad mortem properante, 24. horarum spatio, partus doloribus oppressa; quandò ad fidem à confessario in Agnus Dei, excitata, eoque munita, statim, variato situ, partus in lucem prodiit, matrisque pressuram in gaudium commutauit. Aliæ innumeræ mulieres Agnus Dei virtutem, & efficaciā, partus tempore sunt expertę, & quę vsq. ad portas mortis pulsandas deuenire solebant, fiducia in Agnus Dei concepta, absque prorsùs periculo postmodùm pariebant.

28. *Nicolaus Trigautius, de Christianis triumphis ap. Iaponios.* Quidam Christianus iàm factus, ethnicam mulierem abortum eiicere cùm summo vitæ discrimine laborantem, iniecta in collum sacra cerei Agni effigie, ipso momento, eiecto infelice partu, feliciter liberauit.

29. *Stephanus Pepe, in vita S. Caietani libr.* 3. *cap.* 2. Neapolim per Adriaticum Mare iter faciens S. P. Caietanus, fæuam tempestatem exortam, Agnum benedictum in mare proiiciens, admirabiliter sedauit.

30. *Augustinus Castanus, vbi supra num.* 40. Oppidum erat in Comitatu Bononiensi, propè confinia Ducatus Ferrariensis (vulgò dictum Barisella) in cuius Territorio voluebatur iàm septimus annus, quo præ multitudine, & vehementia grandinum, & tempestatum, omnes terræ fructus intempestiuè dissipabantur maximo cùm incolarum detrimento. Incertum an talis euentus ab aeris naturali intemperie, an verò à maleficorum præstigiis proueniret; quandò, Quadragesimali tempore ibi Concionator aduenit, cuius excellentia singularis erat in Dæmones fugandos, cuique insignis fides erat in virtutem Agnus Dei, misericordiaque motus erga Populum tàm diuturna clade perterritum, indicta vniuersali processione, eum excitauit ad fidem præstandam Agnus Dei, quo deuotè exposito, & Crucibus in confiniis erectis, appenso, asseueranter promisit in posterùm fore præseruandos ab omni grandinum, & tempestatum inundatione, quod mirabiliter hùcusque contigisse elapsis iàm circiter viginti tribus annis vno ore testantur Terrigenæ. Immò maximo cùm stupore obseruatum est, exundantibus ex omni parte in gyrum tempestatum procellis, omninò semper intactum, & illæsum conseruari dicti oppidi Territorium; idemque pariter experiuntur multi, qui eidem virtuti Agnorum, Vinearum indemnitatem, fidentes consignarunt.

31. *Antonius Gabutius in vita Beati Pij V. lib.* 6. *capit. prim.* Cùm tumescentem in Tyberim, ex alueoque, summo Populi Romani cùm terrore, parique periculo, defluentem, vnus ex cereis orbiculis, iubente B. Pio, proiectus fuisset, confestim impetus aquæ resedit.

32. *Simeon Maiolus, Colloq.* 10. Anno Domini 1561. Petrus Arboleda è Societate Iesu, imminente naufragio iuxta Tristani insulas, iniecta mari sacra cera (Agnus Dei vulgò dicta) vim fluctuum, procellæque cohibuit; seque cùm comitibus incolumen reddidit.

APPENDIX I. AD CAP. II.

Perennia admiranda circa sacras Imagines.

Licet interiàm enarrata Admiranda, nonnulla perennitatem quodammodò, vel in vestigiis, vel in cicatricibus imaginibus impressis adhùc sanguine rubentibus, præseferant, aliqua tamen perenni, perpetuoque prodigio admirabiliora hic adnotanda selegi. Sunt autem.

1. *In Eccles. Historia.* In Tremitana Ionici Maris insula, vetustissima Virginis imago est in honore, ad quam, sicubi maris in tempestatibus, naufragii periculum metuentes Epibatæ, votiuas peregrinationes promittunt, furibundi fluctuum motus, & procellarum impetus, atq. fragores compescunt, vitæ discrimina mitigantur, terriculamenta omnia illicò propulsantur.

2. *In Hist. Rerum Galliæ.* Propè Aurelianensem Ciuitatem, celebris est Ecclesia Beatæ Virgini dicata, à Ludouico XI. ædificata, vocaturque Beata Virgo *de Clery*. In hac, ante imaginem virginis ingens ponderosusque circulus catenæ ferreæ annexus, pendet, quem vix decem homines mouere possent. Cùm autem aliquis peregrinus aliquo imminenti periculo mortis, aut naufragiis pressus, ad Beatam Virginem confugiens, voto se adstringit, visitaturum eius imaginem in supradicta Ecclesia; illicò ingenti strepitu circulus prædictus spontaneo motu circumfertur; quod audientes, videntesque incolæ, horam, tempusque signant admirabilis motus circuli, postque aliquot dies aduentantem peregrinum ad soluendum votum, interrogant de hora, qua votum emisit, obseruantque, eam esse, qua circulus spontaneum motum effecit: Hocque continuò, & multotiès singulis in annis euenit.

3. *Bened. Gononus, in Chronic. Deip. ann.* 1604. *ex Chronicis Minimorum, de B. Gaspardo de Bono.* Nullam Deiparę imaginem insalutatam præteribat B. Gaspar, supra omnes autem venerabatur eam, quæ Valentiæ in Hispania est, & vocatur Domina nostra Derelictorum. De qua illud mirabile fertur, quòd occasione sancti istius viri, hic

comprehensum paucis non arbitror fore lectori iniucundum. Cùm aliquis submergitur, vel cùm aliquis circa ciuitatem trucidatur, audiuntur in armario, quo clauditur illa imago, certi ictus. Eadem miraculosè prodit locum homicidii, & quo loco sit cadauer.

4. *Petra Sancta in mirac. perpet. cap. 13.* In Canariis, colitur imago Matris Dei, quæ incolis loci dumtaxat succollantibus in annua celebratione patitur se baiulari. Alii si tentent, immobilis perstat, vel si supponerent humeros Atlantes.

5. *Idem ibidem.* In Oettal Germaniæ pago, argenteum simulacrum est Beatæ Virginis, eo metalli pondere, vt à nemine quamuis robustissimo, eleuari, aut substolli possit, si eius expendatur grauitas. A puero tamen, vel leui vel nullo conatu in sublime agitur; tantùm inest roboris innocentiæ, cui Genitrix Dei omnis expers labis, semper fauere, ac patrocinari consueuit.

6. *Idem ibidem cap. 21.* Est Bosnæ imago Virginis Deiparæ, cui à plumbo est nomen, quia hoc est loci vocabulum. Confluunt ad eam Christiani, & Turcæ numero magno in anniuersaria celebritate eius Assumptionis ad gaudia fælicium. Quicumque sunt Energumeni, ij non ire spontè, sed quasi violenter trahi videntur. Porrò adspiciunt iubar lucis in Virgine, & sibi audiunt præscribi ab ea, quid agere singulos oportet, vt liberentur; Christianis, aut ieiunia in Sabbato, aut preces, aut piæ exercitationes aliæ iniungi solent: Turcis verò, vt Mahomethi eiurata impietate, nostris initientur sacris; cùm hæc expleuerint, reuertuntur, & indubiè curantur. Sed notabile illud est, cadere illos retrorsùm è ferreis Cancellis, intra quos Icon Deiparæ continetur, velut inter mortuos, in complexum populi qui subest loco humiliore; numquam tamen vestes mulierum sui diffusione explicari, aut vllatenùs eas denudare, sed pedibus imis inhærescere indumenta, quasi illæ adhùc starent erectæ. Tantus est amor honestatis, & pudicitiæ vel soli Virginis Deiparæ simulacro, in cuius conspectu ea mira patrari consueuerunt.

7. *In m. s. s. & Sansouinus.* Venetiis ad latus vnum templi Sancti Marci visitur Beatæ Virginis imago, quæ multa edidit miracula; illud singulare, & frequenti obseruatione firmatum. Solent à variis partibus hùc accedere quibus non constat, an aliquis illorum Frater, aut filius, aut maritus, aliusue obierit mortem, nec ne, in longè dissita loca qui se contulit, deferuntque Candelam, eique igni admouent, sistuntque ante huius Virginis imaginem; In vitæ signum, Candela aperto cælo exposita non extinguitur, etiam si vehemens afflaret ventus, aut etiam plueret, ningeretque; mortis indicium est, si accensa candela, moriatur statim, etiam si sudum sit cœlum, & quietus aer.

8. *Florauantius Martinellus in quodam libello de imagine Beatæ Virginis in Ecclesia Sancti Sixti, Romæ.* In hac Ecclesia reperitur venerabilis imago Beatæ Virginis, quæ à Diuo Luca incepta, diuinitùs perfecta est. Hæc imago in hebdomada sancta mutatur colore, sic quòd in die Parasceue pallescit.

9. *Stephanus Pepe, in vita Beatæ Claræ de Agolantibus, lib. 2. cap. 7.* Arimini, in Monasterio Angelorum, pia colitur imago Saluatoris in pariete depicta, cuius vultus, & manus, quacumque sexta feria, & præcipuè Quadragesimali tempore, & etiam quo tempore vanitatibus sæcularibus tota deseruit ciuitas, madido sudore, mirabiliter in hæc vsque tempora humectari conspicitur.

10. *Gumppenberg, de imagine Beatæ Virginis de Brazza, in Dalmatia.* In Insula Maris Dalmatici, cui nomen Brazza, quodam in sacello, S.S. Fabiano, & Sebastiano dicato, in muro extat pictura antiqua indistincta, & velut nube obducta, vt mens pictoris nec diuinari quidem possit. At verò vt dies S.S. Fabiani, & Sebastiani festus illuxit (addunt id etiam fieri festo S. Eliæ) & diuinum officium cantu solemni peragitur, dùm Angelorum canticum: Gloria in excelsis, canitur, vel certè, si tunc non contingat ob causas occultas, sub sacratissimæ hostiæ eleuatione, videri solet prodigium prorsùs inauditum; paulatim enim velut nubecula abeunte, serenatur pictura ita clarè, vt & Saluator sedens, benedicensque populo, vti etiam Beatissima Virgo ad dexteram Saluatoris, & S. Io. Baptista ad sinistram clarè appareant; quin & eorum nomina adscripta, vti & numerus (anni credo) 400. quàm distinctissimè videri queat. Sudant insuper muri templi vetustissimi; sudor ille aqueus gossipio exceptus, medetur morbis, præsertim iis, quibus oculi torquentur. Et quod mirum est, post vnum, alterumue diem, & sudor hic murorum cessat, & vmbra illa iterùm imaginem, velut obductum siparium abscondit. Olim etiam campanæ nulla manu admota pulsabantur. Cæterùm si aliis diebus per annum hæc pictura, recedente vmbra, apparet, nullo ciuium gaudio id contigit, si quidem semper aut insolitam maris, terræque tempestatem, aut terræ sterilitatem, & secuturam famen, vel malignam quandam ægritudinem, si non ipsam pestem, vel incursionem à Turcis, ceù bellum portendit.

11. *Idem, de imag. B. Virg. de Sierra, Roiæ, in Hispania.* Hæc imago, quæ in cacumine montis de Sierra propè Roiam colitur, quandòque palpebras mouet, & interdùm oculum dextrum omninò claudit, & vultum denique totum mutat, vt solent qui graui quapiam molestia afficiuntur. Huiusmodi autem vultus mutatio, semper triste aliquid portendit.

12. *Idem, de imag. B. Virg. de Solibus, Auilæ, in Hispania.* Aiunt, imminentibus Hispaniæ periculis, stationem suam deserere hanc sac. Statuam, & aliò migrare, velut negotio magis necessario alibi detenta, res Hispaniæ curaret. Bis hoc contigisse legitimis testibus probatum est; primùm in receptione Ciuitatis Barcinonæ; deindè cùm liberata est ab obsidione Fonterabia. Primus labor trium dierum fuit; hic posterior vno die confectus est.

13. Idem

13. *Idem, de imag. B.Virg. de Ponte, Porreta, in Italia*. Aiunt, neminem hic ab armatis etiam hominibus periculum subire, vbi in sacelli (in quo hæc colitur imago) conspectum venerit; mirisque modis subduci hostibus, cæterà certò periturum.

14. *Idem, de imag. B.Virg. Steinensi, in Boemia*. Fertur, hanc sanctam statuam venustum faciei ruborem perdere, & omninò pallescere ad ingressum magni alicuius peccatoris: qui si post exomologesim iterùm ingrediatur, iterùm restitui sanctæ statuæ ruborem tantisper ablatum: an verò hoc semper, & omnibus contingat, non habeo dicere.

15. *Idem, de imagine B.Virginis de Camera, Messana, in Sicilia*. De hac imagine hoc peculiare videri potest; eos qui pro ægris S.Imaginem accedunt, & lampadem accendunt, obseruasse ægrum moriturum, si nondum consumpto oleo extinguatur; victurum porrò sanum, si ad vltimam vsque guttam lychnus ignem non dimittat.

16. *Idem, de imagine Beatæ Virginis de Vita, Carbonarij, in Italia*. Illud in hac sacra imagine notatu dignum cernitur, quòd cùm ex parte superiore dextri supercilii iniuria temporum aliquantùm cariosa sit, nulla tamen pictorum arte restitui hactenùs vnquam potuerit.

17. *Idem, de imag. Beatæ Virginis VVechenthallensi, Rottemburgi, in Germania*. Cùm vt decentiùs hæc sacra imago conspiceretur, iussi essent pictores, faciem Virginis ornare coloribus, postera die euanuere colores, & vultum Virgo suum reassumpsit; quod aliàs tentatum, similiter frustrà accidit.

18. *Idem, de imagine B.Virg. de Valle viridi, in Monte Ætna Siciliæ*. Cùm Virginis imago muro diruendo appicta, ne periret, à tribus pictoribus quàm potuit accuratissimè depicta fuisset, altera tamen die in nulla tabularum apparuit. Tentatum id sæpiùs, sed semper eodem, non alio effectu. Itaque decretum fuit, vt integra pictura, totus murus commoueretur.

19. *Idem, de imagine Beatæ Virginis Claromontana, Czestochouiæ*. Cùm anno 1430. Hussita rabies hanc imaginem furto ablatam post multa ludibria, in partes fregisset, ira Dei percussi sacrilegi, illam fugientes reliquerunt. Frusta autem Sac. imaginis iussu Regis, meliori, quo possibile fuit modo disposita, in eandem Ecclesiam delata fuerunt; talique pacto vsque adeò conspiciuntur; nàm licet Rex, excellentiorum Pictorum arte, fracturas, ictusque ab hæreticis in imagine inflictos, emendare tentasset, nunquam permisit Virgo, quoscumque colores semper ab imagine deijciens.

20. *Idem, de imag. B.Virg. Gratiarum, Cassiani, in Apulia*. Cùm Episcopus restaurare templum vbi hæc erat imago vellet, omnes Ecclesiæ parietes calce noua obduci iussit. Hæc autem Virg. imago calcem nouam respuit, & nullo modo deleri se passa est. Nemo fuit qui dubitaret velle hìc Virg. esse propitiam, & in imagine coli, quam ipsa tàm insigni miraculo honorasset; Itaque qui operi præerat, illam muri partem quàm latè patebat S.Imago, tomento inuolutam, idoneis fulcris loco mouerunt, & in altare intulerunt, vbi & hodiè miraculis coruscat.

21. *Petra Sancta de mirac. perpetuis capit.* 13. Iuxta Ingolstadium imago est S. Castulli, quæ nec expingi potest, nec indè auferri; & si fores templi patent assiduè, vbi incustodita fermè habetur, pictoribusque, & furibus semper obnoxia.

22. *Gumppenberg, de imag. B. Virg. Linsellensi, in Germ. Infer*. Quandò pluuias cœlum negat frugibus necessarias, hùc currunt tàm ex vrbe Linselensi, quàm ex pagis vicinis supplicabundi; & plerùmq. priùsquàm domum redeant, obtinent quam petiere pluuiam.

23. *Idem, de imag. B.V. de Legarda, Legarda, in Nauarra*. Templum, in quo hæc venerabilis imago colitur, quotiès annus siccitate, aut nimiis laborat pluuiis, Nauarri, & Castellani, qui trans flumen Iberum illas terras incolunt, magno numero frequentant, nec in cassum. Nàm opem miraculosam Deiparæ experiuntur.

24. *Idem, de imag. B.Virg. de Aurata, Tolosa, in Gallia*. Solent Tolosani ciues, quoties siccitate nimia fruges arescunt, vel immodicis imbribus flauescunt, mali remedium à B. Virg. de Aurata petere: neque vnquam, vt aiunt, frustrà hoc fecere.

25. *Idem, de imag. B.Virg. VVissegradensi, Pragæ, in Boemia*. Fama publica est, certam semper pluuiam obtineri, si hæc imago in processione circumferatur.

26. *Idem, de imag. B.V. Baselgana, Baselgæ, in Ger. Sup*. Fama est, cælo irato, placari huius templi campanarum sono, turbines, pluuias, grandines; cessareque ædituos pulsare campanas non autè, quàm videant duo, vel tria lumina supra templi tectum, sub quo S.imago stat, securos, tempestatis aut finem adesse, aut vires nocendi frugibus abesse.

27. *Idem, de imag. B.Virg. de Sacrario, Pampelonæ, in Hispania*. Hæc imago salutaris in primis habetur contra imminentis grandinis tempestates, dùm in publica supplicatione proferatur; quod frequentissimis experimentis compertum est.

28. *Pius II. Pontifex in suis Comentarijs*. In agro Florentino imago Virg. est, quam mira religione populi venerantur, tanquam pluuiæ, serenitatisque donatricem, cùm necessitas ingruit.

29. *Gumppenberg, de imag. B. Virginis Puerpera, Osnabrugi, in Germ. Super*. Hæc sacr. statua ab aliis, quàm ab incontaminatis Virginibus se se deferri non patitur. Factumque memorant, vt si Ferculum subest corrupta, onus Ætna grauius humeris suis sentiat impositum, cùm tamen lignea sit, nec cubiti altitudinem excedat.

Alia sparsim notata fuere, ne dùm in hoc, sed ex in 1. Tom. præsertim cùm de pluuiis perenniter impetratis, aut fugatis; cùm de campanis perenniter sonantibus; cùm de perennibus curationibus, & alibi.

APPENDIX II. AD CAPVT II.

Cerei ante sacras Imagines ardentes, & perpetuò prodigio indeficientes.

DE cereis ante sacras imagines ardentibus nonnulla prodigia superiùs fuerunt adnotata; modò quæ circa ipsos diù perennarunt, aut adhùc perennant, remanent scribenda. Suntque.

1. *Carolus Moraschus, in Relat. Imaginis Beatæ Virginis Montis Nigri.* Traditur, propè ciuitatem, vulgò *Saitone*, in Negroponte, adhùc extare paruulam Ecclesiam, vbi apparet locus vacuus, in quo aliquandò ista erat venerabilis Icon Beatæ Virginis, quæ ab Angelis, vt fama est, anno 1345. in Tusciam ad radices Montis Nigri translata est: Ante huiusmodi locum continuò ardet lampas, quę, licet oleum ei, nullusque alius liquor subministretur, semper indeficienter ardet; immò fama est, aliquandò ab aliquibus extinctam, mirabiliter nullo subministrante ignem, denuò accensam esse.

2. *Arnoldus Rayssius in Hierogazop. Belgic. loquens de reliquijs, quæ existunt in Cathedrali Ecclesia Sanctæ Mariæ Atrebatensi, & in Auct. ad S.S. Belgij.* Hac in Basilica, Beata Virgo Dei Mater, cereum duobus citharœdis Itherio Brabantino, & Petro Normanno Paulinate coràm Episcopo Atrebatensi Lamberto Anno MXCV. (quibusdam M.C.V.) tradidit, qui, & plures sanare morbos, sed præcipuè contra ignem sacrum præstantissima præstare dicitur remedia. Ac in primis illud sanè mirum est, quòd tanto tempore, id est supra quingentos annos, totiès accensus, totiès indè eliquata cera, & in aquam missa ad ægrotantium sanitatem, eamdem hactenùs magnitudinem cernentibus, & contrectantibus exhibet. Quin etiam è guttis deciduis, plures alii cerei confecti, variis locis reuerenter adseruantur, eadem pollentia prædicti, vti est Brugensis, Insulensis, Duacensis, Paullinopolitanus, Niuigellanus, Falcobergensis, Curtracenus apud Virgines Groningenses, Blandecanus Arkensis, &c. Etiam nùnc in sacello videre licet grandem discum, ex eius cera stillatim delapsa, compositum, cuius pondo trium librarum arbitror, vt quàm modestissimè dicam. Huius rei historia spectatur hodièque in vetusto marmore expressa, Atrebati in Cathedrali Ecclesia ad tumulum præfati Episcopi Lamberti; in quo, præter alia, etiam hæc verba leguntur: Huic Episcopo, & duobus ioculatoribus Itherio, & Normanno, Beata Maria in Ecclesia hac apparuit, dans eis candelam, per quam sanantur ardentes igne malo. Cæterùm Sixtus IV. Pontifex Maximus rei vniuersæ historiam seriò discuti, & per Notarios in acta publica referri mandauit. Clemens verò VIII. indulgentias, dictum locum visitantibus impertiuit, diplomate, anno millesimo quingentesimo nonagesimo septimo, Idibus Septembris, dato.

3. *Addit Marchantius in Candel. Mystico, de eodem cereo Atrebatensi.* Memoria dignum est miraculum quod Ann. 1233. contigit ibidem in Parochia D. Gaugerici. Cùm inuolans repentè de cælo fulgur, templum istud inuasisset, insolescens continuò ardor, flammaque adeò inualuit, vt petita affluentissimè è vicinis puteis aqua, nullatenùs extingueretur; piis aliquot ciuibus venit in mentem, operæ pretium fore, si sacræ aquæ guttæ aliquot alteri cōmixtę in ignem inii cerentur: nec frustrà: præsentissimum enim fuit ad compescendam flammam remedium.

4. *Idem Marchantius ibidem.* Insigne est annuum miraculum Valentiolæ propè Almagrum in Hispania, quo cerei plures D. Augustini festo die accensi, ponderis diminuti iacturam non sentiunt; vt indeficiens doctrinę sibi à Patre luminum communicatę, lumen, in ipso, & per ipsum in Ecclesia affulgere intelligere possimus. Huius rei testes loci Annales, & multi scriptores, inter quos Hieronymus Petri Priori Augustinianorum Melchiniæ in vita Sancti Augustini iconibus expressa.

5. *Gumppenberg, de imag. B. Virg. Riuouillana, in Germania Infer.* Cereus est ante hanc imaginem ardens ex stillata cera cerei Atrebatensis confectus, atque eodem quo ille, prodigio semper ardens, & nunquam deficiens.

APPENDIX III. AD CAP. II.

Sanguis perenniter rubescens in Dominicæ Passionis Instrumentis.

SVperiùs occasione miraculosi sanguinis ab imaginibus aliquandò emissi, fuerunt adnotata quædam admiranda circa sanguinem ab Instrumentis Dominicæ passionis quandòque effluxum; non incongruum igitur erit hic quæ de eodem sanguine, in instrumentis Dominicæ passionis perenniter eueniunt enarrare. Suntque.

1. *In m. s. s.* Neapoli in monasterio Sanctæ Patritiæ conseruatur vnus ex clauis, quo crucifixus fuit Dominus; in hoc vena rubra apparet, ex illaque feria sexta in Parasceue, hora nona, multotiès sanguinem emisit.

2. *Ioannes Maria Zilottus, in libro Montis Caluarij.* Venetiis in Ecclesia Monialium Sanctæ Claræ, reperitur vnus ex clauis, quo Christi Domini pedes transfixi fuerunt; in ipso apparent diuersæ sanguineæ maculæ, quæ quotannis in die Parasceue rubescunt, viuidioresque apparent.

3. *Thiepolus de Passione Domini Tract. 13. capit. 2.* In agro Typhernate, in Ecclesia Cathedrali

drali asseruatur vna è spinis Coronæ Christi Domini, in cuius cuspide, subtilis quidam Christi capillus eiusdem sanguine spinæ agglutinatus adhæret, qui quidem sanguis quolibet anno in die Parasceues, qua hora Christi capiti corona fuit imposita, rursùm colliquefieri, rubescere, & quodãmodò ebullire, purpureumq. colorem recipere cernitur. Illud tamen maximè mirum, quòd pretiosissimũ Christi sanguinem reflorescentem, nullus absque internis cordis lachrymis cernere potest. Cui verò cor durius fuerit, atque peccati sordibus obductum, neque aptum vt feriatur, is spinam quidem videbit, capillum tamen, sanguinemq. reflorescentem videre non poterit.

4. *In m.s.s.* Firmi, in Ecclesia S. Augustini, seruatur spina coronæ Saluatoris perfusa sanguine, qui die Parasceues liquefieri cernitur, ac per eamdem ferri sursdeque sensibiliter.

5. *Augustinus Manus selecta Hist. cap.* 166. Vna ex sac. spinis ad monasterium Benedictinorum, situm intra muros ciuitatis Donauerdæ peruenit, quę quotannis ferè sexta feria Parasceues sanguineis rubescere quasi guttulis apparet, vt à fide dignis accepimus.

6. *Arnoldus Rayssius, in auct. ad nat. S.S. Belgij.* 22. *Iulij.* In Conuentu oppidi Valentianensis adseruant Patres Franciscani spinam vnam ex corona Domini, auro, gemmisq. ornatam, quæ singulis noctibus feriæ sextæ Parasceues per integram horam rubea, & sanguinolenta, stupendo miraculo, apparet, cùm aliàs sit aridior.

7. *In m.s.s.* Brixiæ, in Monasterio Monialium S. Iuliæ, reperitur vna ex spinis Coronę Dominicæ, quę Dominico sanguine consperfa conspicitur: quotannis feria sexta in parasceue, hora coronationis Dominicæ, tumefieri, ceù cælesti humore repleri, cernitur, sanguisq. viuidior apparet.

8. *Petra Sancta in mirac. perp. c.* 16. Spina alia, quæ est Barii, rubescit quotannis sexta feria maioris hebdomadæ. Id verò in spina, quæ est tùm Canosæ, tùm Aneriæ oppidis Regni Neapolitani, contigit solùm, si ea sexta feria incidat in Martii diem vigesimum quintum, quo die multi putant, Filium Dei, & genitum, & peremptum esse.

9. *Idem ibidem.* In vrbe Orientalis Calabriæ Policastro, habetur alia item spina, eiusdem Coronæ, attineturq. intra Reliquiarum thecam cuspide deorsùm inuersa; ex qua pendet guttula cruoris teres, & mouetur atque agitur, quasi recens flueret ex capite iàm consauciato. A cunctis verò spectari potest, nàm ipso die Virg. Deiparæ in cælum Assumptæ palàm ostendi consueuit.

10. *In m.s.s.* Pisis in Tuscia, quadam in Ecclesia propè Cathedralem, alia Dominicæ Coronæ asseruatur spina, quæ quotannis in die Parasceues magnum concipit calorem, adeò vt & illum communicet crystallo, in quo est inclusa.

11. *In m.s.s.* Vesontione ciuitate Imperiali, vtriusque Burgundiæ Metropolitana, asseruatur pannus lineus octo palmis longus, latus quatuor, in quo inuolutum fuit Corpus Christi dùm in sepulchro iacuit; in eo videtur anterior pars corporis graphicè descripta, vnà cùm stigmatibus vulnerum proprio Christi sanguine purpurascentibus; de quibus percrebuit fama, ipsa pallidiora apparere, imminente grauiori annona, rubicundiora verò, abundantiori. De eo, seù sancta Sindone, in Breuiario Bisuntinæ Diæcesis fit officium duplex, cùm octaua, in cuius lectionibus fit mentio Claudii Imperatoris, qui huic ciuitati, vt potè ipsi pergratæ, hoc munus pretiosum elagitus est.

12. *Antonius Sanderus, de rebus Brugensibus c.* 4. Brugis in Flandria asseruatur sacr. cruor Domini nostri à Nicodemo collectus, illùcque deportatus an. 1148. qui Cruor fluxit, & ebulliuit ab eodem anno, quo Brugos delatus fuit, vsque ad an. 1308. idest per 160. annos singulis diebus Veneris, à crepusculo matutino ad tertiam horam à meridie; cessauit verò tunc 14. Kal. Maii, tristi augurio.

13. *Thiepolus de Pass. Domini Tract.* 13. *cap.* 2. In oppido S. Maximi propè Massiliam, asseruantur quædam glebæ terræ aspersæ sanguine Redemptoris nostri, illùc delatæ à Sancta Maria Magdalena, quæ quotannis magna deuotione in pretioso vitreo vase feria sexta Parasceues populis demonstrantur, quo tempore dùm in Ecclesia leguntur in Passione Christi illa verba: & vnus militum lancea latus eius aperuit, & continuò exiuit sanguis, & aqua; sanguis ille, licet mixtus terra, mirabiliter moueri, & ebullire incipit, sicque perdurat vsque ad finem passionis, quandò iterùm obdurescit, sicque perseuerat vsque ad proximum annum. *Addit Petra Sancta de mirac. perp. cap.* 12. Huiusmodi admirabilem ebullitionem euenire & Kalendis Ianuarii, hoc est in ipso die Circumcisionis, & in festo Inuentionis S. Crucis in Maio.

14. *In Hist. Bauarica par.* 3. *lib.* 35. *num.* 13. Extat Monachii in sacello Electorali, collectus in linteo (ita fert antiquissima vetustatis memoria) à D. Magdalena stillans Christi è cruce pendentis in terram sanguis, concretusque in rubentem massam vnius vt minimùm palmi, ad modum cylindri, quæ in grandi argentea magnifici operis theca religiosissimè asseruatur. Eam sexta sanctioris hebdomadæ feria liquescere iudicium fuit ann. 1635. Fuerat ob belli pericula, clausa loculo siccissimo in sacello collegii Societatis Iesu Burgusii diutulè habita inter tenuissimas exasciatæ abietis fasciolas sub byssi candidissimæ multiplicibus inuolucris. Cùm ad Maximilianum Electorem, referretur vnà cùm aliis Lipsanis; resignata cista, quam Elisabethæ Electricis sigillum adhùc tùm integrum claudebat; apparuerunt in Sindone sanguineæ notæ ęque plures, latæ, manifestissimæ, & constantes, quæ aliundè, quàm ex liquata massa censæ sunt non posuisse prouenire.




CAPVT III.

De Admirandis circa Ecclesias ad publicum Catholicorum cultum extructas. Ecclesiæ Diuinitùs designatæ, seù admirandis modis ædificatæ. §. 1.

VT fidem, qua summum Deum intimo cordis affectu credunt, venerenturque Christicolæ, & publicè quandòque profiteantur; Ecclesias, sacraque loca, in quibus publicus à catholicis Deo exhiberetur cultus, à primordiis orientis Ecclesiæ instituere Apostoli, adprobauitque cælum admirandis modis; de quibus in præsenti capite;in quo adnotabuntur, non omnes Ecclesiæ, Dei iussu, & mandato, apparitionibus, seù reuelationibus cælestibus constructæ; hæ etenim sine numero; sed solùm Admirandæ Ecclesiarum, seù sacrorum locorum designationes admirandis signis cælitùs factæ, seù earumdem mirabiles constructiones. Aliqua iàm notata fuere to.1.l.7.cap.4.§.4.cùm de locis sacris à Brutis diuinitùs præsignatis, & delineatis, Reliqua hic commemorabo. Sunt autem.

1. *Sigonius lib. 7. de Occidentali Imperio.* Sedente Romæ Liberio, ingens prodigium, quod pios persùdere religione animos posset,est factum. Ioannes Patritius liberorum orbitatem iniquo animo patiens, summis precibus à Maria Virgine Dei genitrice contendit, vt se, aut prolis compotem faceret, aut de idoneo instituendo hærede doceret; nocte verò sequenti, ipsam se videre virginem in quiete visus est admonentem, vt sua impensa templum sibi in Exquiliis concederet in eo loco, quem postridiè, qui erat Nonis Augusti futurus, niue conspersum vidisset: itaque somno solutus, rem properè ad Liberium detulit: qui cùm idem se quoque vidisse assereret, religione tactus, in Exquilias cùm magno populi comitatu processit, ac niue contra anni rationem inuenta, locum Basilicæ designauit, ac Ioannis pecunia constructam D.Mariæ Virgini primam in vrbe dedicauit; ac Solemne tanto miraculo, quod nunc quoque obseruatur, instituit.

2. *Odo de Gissen, in Hist. Virginis Aniciensis.* In Gallia mulier quædam lecto affixa, vitam in ægroto corpore miserrimè trahebat, cùm ei Virgo in externa quadam visione apparens, iubet, vt se in vicinum montem deferri curet, vbi perditas de Cœlo vires, & amissam recuperet sanitatem: Locum, inquiens, istum elegi, ibique nomen meum coli desidero. Angeli, qui Beatissimam Virginem comitabantur, à fœmina interrogati, Matrem Dei esse aiebant, iubentes illam adire Episcopum Georgium, eique rem totam aperire. Probat is visum, atque vnà cùm muliere, & sociis in montem properat. Mons niue tectus erat, quamuis dies Iulii vndecimus esset, & mox ceruus exiliit, qui cursu suo templi topographiam expressit quam statim Episcopus voluit sepimento notari, donec operis conductis, fabricam inchoarent. Et hæc Aniciensis illa beatissimæ Virginis Mariæ Basilica est in Aruernis, tanta miraculorum gloria, ac luce coruscans.

3. *Gumppenberg, de imag. Beatæ Virginis Reibebergensi, in Germania Super.* Origo templi Reibebergensis omninò singularis; nam vt senes è maiorum traditione habent, ante ducentos annos ipso festo S.Mariæ Magdalenæ nix cecidit per omnem latè viciniam copiosissima. Quo tempore id animaduersum est, quòd spatium aliquod terræ, illæsum & nulla niue tectum permansit; ea prorsùs magnitudine, & spatii amplitudine, quam mediocre templum requireret. Intellexere vicini, Deiparæ, cui erant addictissimi, voluntatem, & voluntati Virg.extructo templo, satisfecere.

4. *Idem, de imag. B.Virginis Boskouiensi, in Boemia.* In Rostok loco vicino olìm propter situm, aliaque commoda, decretum templum est publico sumptu ædificandum; Intereà hoc in loco Boskonii adulta iàm æstate nix cecidit, quæ quia formã habuit, figuramque templi, creditum est, superos non illo, sed hoc loco templum petere, maximè postquam cùm lapidibus calcem viderunt nocturno tempore hùc translatam. Id vnum supererat scire, quis superum hoc templum habere tot portentis gestiret, sed & hoc dubium soluit inuenta eodem in loco Deiparæ statua: quæ & operarum manus, fecit properare, & feruere corda.

5. *Ioannes Chapeauille in Hist. Leod.* Leodii, ciuitate in Belgio Catholicæ fidei retenentissima, locus niuibus designatus est pro area Basilicæ Sancti Pauli.

6. *Torellus in Hist. Augusti. Ann. Christi 559.* Cùm ad sepulchrum S. Leonardi positum in Ecclesia Matris Dei, quam ipse propè ciuitatem Lemouicensem ædificauerat, continuus conflueret populus, ita vt angustior pro tanta multitudine esset Ecclesia, diuinitùs iussum fuit Religiosis ibidem commorantibus, vt ampliorem Ecclesiam ædificarent, illòque sacras exuuias transferrent; precibus ergo, orationibus, & triduano ieiunio, suppliciter Deum exorarunt, vt locum, vbi Ecclesiam construerent, demonstraret: quod & fecit, post triduum enim, manè tota terra candida niue cooperta apparuit, præter locum, in quo magnifica Ecclesia commodè ædificari poterat, quo prodigio intellexerunt, ibidem Templum ædificandum, illòque S. Leonardi reliquias transferendas.

7. *Lyræus lib. 2. Trisagij Mariani mod. 32.* Habitabat Villæ in Hãnonia, Iudocus quidam, Le barretier nuncupatus, vir diues in paucis, sed septimũ iàm annum præ corporis ægritudine lecto affixus hærebat; Huic Virgo Deipara secundùm quietem apparuit, ac partem ab eo terræ flagitauit, in qua templum Nomini suo dulcissimo construeretur. Somnium credidit, ac proindè neglectui rem habuit Iudocus: redit virgo, & hominem pristinæ sanitati restituit: Attonitus ille primo manè è lecto consurgens, Curionem adit, ab eo consilium quæsiturus. Interim nocte tertia iterùm adest Virgo, & Nomini suo colendo, illi ædem postulat. Cui ille perlubenter offerre

se

se honori nominis eius vniuersa dixit: sed cùm ab vxore omnis propemodùm possessio esset profecta, dotales quę agri absque eius consensu distrahi, alienarique non possent, reditum eius (peregrinationem enim ad Deiparæ templum Aquisgranense pro mariti salute obibat) expectandum iudicare. Cùm ecce subitò Angelorum ope istinc vxor translata coràm marito redux sistitur. Dici nequit quantis vterque gaudiis incesserit; illa de mariti salute facta idem certior, hic verò de incolumi reditu vxoris hilarior: cui cùm is rem omnem exposuisset, nihil ea velle se posse, aut agere libentiùs respondit, quàm in sacro Mariæ nomine venerando, coniugis suæ votis respondere. Primo itaque diluculo insequentis diei cùm Prætore Villano, Curione, aliisque amicis non paucis in agrum Pomerolium proficiscuntur, ex quo tanta portio terræ segregatur, quanta capiendo templo sufficere videatur. Et en nouum, planèque stupendum! aream vident percommodam filo serico ad virgulas candidas terrę infixas extenso, circumdatam, quam Beatissima Virgo, secundùm omnem dimensionem Nomini suo deputarat; hanc igitur omnibus in genua prouolutis, maritus, & coniux pari studio, eademque voluntate Virgini Matri offerunt, dedicantque: quod & altero miraculo statim comprobatum fuit. Linum à triduo istic satum in sinu terræ dormiebat, quod die altera velut subitò euigilans, ac maturum vellentium manus prouocauit; quo collecto, mox operi incumbi cæptum, vsque dùm partibus omnibus affabrè expolitis, visenda imprimis mole templum stetit, in quo sanctissimum Mariæ nomen inuocatum plurimis miraculis exinde coruscauit.

8. *Idem ibidem*. Lakenum municipium vrbi Bruxelensi vicinum, olim circiter annum salutis nongentessimū benigniore oculo optima Maria intuita, istic nomini suo templum voluit ędificari, filo prætenso ad cuius normam vniuersa moles exurgeret, quam demùm ipse Virginis filius, & nemo alius dedicauit. Filum autem illud (vt ait Rayssius in auct. ad nat. S. S. Belgij 13. Aprilis) hodierna die omnibus ad dictum locum confluentibus, integrum, sicut sāċta virgo tradidit, demonstratur: & ad vidēdū, & osculandum Dominica in Albis, exponitur, & per octauam, atque in Assumptionis virginis luce.

9. *Idem ibidem*. Parochia est Hombecana, quæ media circiter leuca distans Mechlinia asceterium olim habuit Virginum Præmonstratensium! Harum Templum simili filamento designatum à Virgine, tale anno 1233. initium habuisse inuenitur; cùm enim de loco incerti disceptarent, sequenti die area filo serico rubei coloris circùmdata apparuit, quam Virgo sibi segregauit.

10. *Idem ibid*. Pagus est Alsembergensis, Siluæ Soniæ, Hannoniam versùs conteminus, vbi sancta Elisabetha Turingica adnitente, templum Mariano nomini parabatur; cuius Virgo sanctissima sibi formam seruarat, quam precedente nocte ad virgulas cœlesti filo extenso palàm omnibus designauit.

11. *Idem ibidem*. Dadesella est vicus Contracum inter & Ipras non ignobilis, vbi cùm de templi loco non minima quæstio mota esset, virgo omnem controuersiam diremit, eam terræ partem honori Nominis sui exædificato templo sacrandam innuens, quam circumducto filo inclusisset.

12. *Franciscus Barbaranus, in Hist. Ecclesiæ Vicentinæ lib. 1. cap. 89.* Anno 1426. Apparuit Beata Virgo in Monte Berico propè Vicentiam, cuidam vetulę, quæ Vincentia vocabatur, iussitque, vt afflictæ vrbi Vicentinæ nunciaret, si pestiferam luem abire velint, in eo loco templum sibi ædificarent, tandiùque duraturam luem, donec ipsi monitis cælestibus parerent; quod cùm illa facere recusaret, vt potè quæ apud ciues fidem non esset inuentura: ad hæc Virgo; vade, inquit, & quæ iussi Vicentinis indica. Fidem nō habituris, fontem limpidissimum, & mirum intra hos duos, quos tibi monstro lapides, promitte, si fodiant. Quin, vt ea, qua volo forma, templum figurent, ecce fundamentorum ambitum designo: quo dicto; Crucem ex oliua, olim nescio à quo ibi plantatam, extrahit, manuque prehensam circunducit, terra quantùmuis dura, facilè subacta, & in fossam, qualem vix sarculo fecisses, ne dùm surculo, dehiscente. Deindè cùm ad locum vndè cæperat rediisset, oliueam, de qua dixi, crucem eo loco terræ infigit, quo principem erigi aram volebat. Iret itaque, visa, auditaque quàm primùm referret, id ipsum adiungeret, omnes festos Virgini Deiparæ dies, immò omnes totius anni Dominicas, templum hoc visitaturis, & quidpiam precaturis, præ aliis diebus bona sua prece fore felices, & albo calculo notandos. Quibus dictis, Virgo benè precata euanuit. Interim Vincentia quæuiderat omnia retulit, quibus tamen vt anilibus fabulis nemo fidem dedit. Transactis igitur duobus omninò annis cùm dimidio an. scilicet 1428. die octaua Augusti iterùm Virgo apparuit Vincentiæ, & ea quæ olim ingeminat; illaque iterùm nunciat ciuibus, qui tunc fidem præstantes, instituta processione, ad locum designatum à Virgine processere; visisque perindè, ac si tunc erutæ essent, fossis, templi spatium ambientibus, excitus quoque breui labore limpidissimus fons in fluminis modum exurgens, iàm quisq. fidem habitam fuisse oraculo ante biennium voluisset. Tunc igitur Ecclesiam, quę etiam nunc ibi est, construxerunt, & à peste liberati sunt, præcipuę bibentes de saluberrimo latice fontis excitati.

13. *In vita B. Petri Eremitæ Ord. Vallumbr.* Vitæ secretioris studio ductus B. Petrus, cùm bona suorum superiorum venia in Verniensis territorii syluas secedens, tuguriolum sibi ædificauerat; quò cùm aliquandò Domini eius loci aduenissent, fameque laborarent, panes, ac fructus siluestres obtulit, aquam autem puram de fonte sumens, Deoque fidens, eamdem signauit Cruce, atque in vinum exquisitum conuertit. Quo prodigio moti, & ingenti erga sanctum illum virum deuotione accensi, optionem ei dedere fundi, quemcumque voluisset, pro extruendo in honorem Sanctæ Mariæ Virginis Monasterio: quod adducti ad opus fabri moliri cæperunt istic vbi Beatus designarat; sed quantùm illi die faciebant operis, tantùm noctu dissolutum esse, postridiè admirantes, ac Dei viro referentes, cæpere

tempere cùm eo circùmire syluam, Deum, ac Beatam Virginem orantes, vt quem alium ipsi elegissent locum, dignarentur ostendere: id dùm faciunt, incidere in assulas lignorum, lapidumue, quibus inscriptum litteris aureis erat *Aue Maria* (scribunt alii visum esse Beato Viro nomen Mariæ non aureis litteris inscriptum assulis, lapidumque fragmentis, sed super ipsis componi per columbas frumenti grana rostris congerentes, & in sacri nominis formam disponentes). Quo prodigio intellexit vir bonus voluntatem Dei esse, vt ibi extrueretur Ecclesia Deiparę consecranda; quod & factum est.

14. *Vghellus in Ital. Sac. Parentini Episcopi.* Cùm Otho Imperator, circa annum 958. per Adriaticum Mare in Italiã cursum instituisset, obortaq. sęuissima tẽpestate, spem omnem salutis abiecisset, ferunt trepidanti Deiparam Virginem se obtulisse, præcepisseque, vt vbi primùm incolumis deueheretur ad littus, ibi in sui nominis honorem templum censu dotatum ædificaret, vbi rubentia lilia animaduertisset erumpere. Cùm dicto, minaciq. tumore fluctuum, visum euanuit, secundisque velis Parentinum tenuit Portum, indicauere rubei coloris lilia locum: templum Virgini excitauit, donauitque maximis priuilegijs, iuribusque firmauit.

15. *Idem ibidem, Rossanenses Archiepiscopi.* Circa octuagesimum vndecimi sæculi annum, cùm in territorio Rossanensi sanctissimus quidam eremita, nomine Nilus, cùm alijs monachis vitam solitariam duceret; quadam die illum vocat Domina Maria, & ipsum supra vltimum ad maris aspectum montem ducit, ad quandam non valdè duram planiciem, & sumpto de manu Nili iàm senis, baculo, dicit: Aspice Nile, hoc baculo designo tibi Basilicam construendam, & Monachis tuis; & per gyrum baculum ducens, signauit locum, & formam Ecclesiæ. Cùmque peruenisset, finito circuitu, vndè signare iàm cæperat, inuenta est Maria extra gyrum; vndè & dixit: Nile, non casu sum extra gyrum, volo enim, ne vnquam fæmina aliqua Ecclesiam hanc ingredi audeat, sed ab atrio sacra audiat, & laudes Dei. Cùm autem se excusasset Nilus, quòd, vt pauperrimus, & senes, Ecclesiam illam exstruere haùd posset: Tunc prædixit illi Virgo, aduenturum Principem ad illud littus, maris tempestate valida circùmactum, qui, vt ab illa liberaretur, votum fecisset, ædificandi templum Filio Dei, & sibi; cui occurreret ipse, & diceret vbi templum construendum esset, deditque ei in signum veridicæ visionis, annulum ex singulari materia. Quæ omnia ad annum quasi nonagesimum, vt prædixerat, euenere, ad eum locum è tempestate appulso Comite Rugerio. Hic à sancto sene instructus, in loco à B. Virg. designato Ecclesiam ędificauit, Deo, Beatęque Virgini dicatam: quę sancta Maria de Patirio nuncupatur.

16. *S. Petrus Calestinus opusc. 6. cap. 9.* Episcopus quidam in Virginis honorem Ecclesiam fundare decreuit, quę in infirmitate ei affuit, dixitque ei: Noli timere, quia conualesces, & Basilicam meam constitues, sed volo, vt in cæmeterio Iudęorum ędificetur; & his dictis disparuit. Tunc Episcopus sanatus, cæpit inquirere de loco, & nullo modo à Iudæis potuit obtinere, nisi tali conditione, vt Maria, ossa, quæ ibi erant, extraheret super terram. Indixit Episcopus ieiunium, & orationem omni populo, & statim omnia ossa manè inuenta sunt extracta.

17. *Cusp. in Austria.* Agnes Leopoldi Marchionis Coniux, marito suadebat, vt locum aliquem designaret, in quo laudes Christo dicerentur, & Diuæ eius genitrici Mariæ, pro monasterio condendo. Ex arce in monte Cecio sita, Danubium prospectantibus, leni zephyro flãmeum è capite Agnetis abreptum, in proximum nemus delatum fuit. Quod vbi post nouem annos ibi Leopoldus inter venandum reperijsset illęsum, eo loco Monasterium extruxit.

18. *In m. s. s.* Cùm quidam Eques Bauaricus longam peregrinationem initurus, voto Beatæ Virgini promisisset, si fæliciter in Patriam regrederetur, Ecclesiam ad honorem eiusdem ędificaturum. Reuersus, voti immemor, haùd Ecclesiam construxit. Post aliquod tempus, semel, & iterùm in somniis à B. Virgine voti facti admonitus fuit, sed frustrà. Tertiò tandem dormienti apparuit B. Virgo, iussitque, vt Ecclesiam promissam ædificaret eo in loco, in quo ouum Stella signatum, & in medio stellę imag. B. Virg. præseferens reperiisset. Mane à somno excitato detulit famulus ouum, quod gallina quædam nigra, cæteris suæ areæ adiuncta, enixa fuerat super petram, quodque stellam, in eaque imaginem B. Virginis in ea repræsentabat. Quo prodigio attonitus eques, statim in eo loco, qui Tera dicitur, Ecclesiam ædificauit, & vbi ouum gallina est enixa, constructum est altare, vocataque fuit Ecclesia Sãctę Marię ad Stellam ob miraculi memoriam, Fratribusq. Eremitanis discalceatis S. Augustini excolenda tradita: Ouum illud prodigiosum ad altare suspensum perdurauit quòad illùc hęretici aduentates, illud confregerunt. Quo tempore, & aliud prodigium cessauit, nàm ex quo supradictum ouum ita præsignatum apparuit, sæpè sępiùs gallinæ circa vicina loca oua enitebantur cùm eadem stella, & imagine B. Virginis; post irruptionem autem hæreticorum, cùm stella sola vsque adhùc, absque tamen imagine, producunt.

19. *In m. s. s.* Propè Pagum S. Vigilij in agro Brixiano, celebris conspicitur Ecclesia B. Virgini dicata, quæ olim iussu eiusdem Virginis ædificata fuit; cùm enim eo in loco Stella lucidissima candido insidens lilio, multis obseruata fuisset diebus, prodigium admirantes incolæ, illi, quæ Stella maris appellatur, sacrum construere statuerunt, quod approbans B. Virgo visibiliter apparens, locum Ecclesiæ virgula designare mirabiliter dignata est.

20. *Balinghem in Kal. Virg. 10. Feb.* S. Soter V. & M. Dordraci ab Angelo monita, templum ædificauit imagini B. Virg. quæ pendebat ex arbore super riuum Dortdrecht in Hollandia; ab eodemque Angelo edocta, qua figura, formaque fieri deberet, ipsa longitudinem, latitudinemque Architectis de Angeli mandato præscribebat.

21. *Va-*

21. *Vasconcellus*. Apparens B. Virgo ad montem Corui in Lusitania cuidam pastoriciæ, & mutæ fœminæ, iussit, vt Parochum ocyùs aduocaret, qui se dictante spatia designaret templi, quod eo in loco ædificari volebat. Paruit puella, paruit Parochus, vera edici à muta loquente non dubitans. Instructus igitur sacerdos metis, & terminis ex gracili sarmento, adest vnà cùm fœmina; Deipara præcedens, gressu suo omnem murorum ambitum, omnesque angulos designat: hanc fœmina solicito gressu ponè secuta est, & istam Parochus, figens ad angulos murorum, quas dixi metas, & terminos ligneos, iuxta quos sacellum est ibi ædificatum.

22. *Gumppenberg, de imagin. B. Virginis Frauhofensi, in Germania Superiori*. Apparens B. Virgo cuidam nobili VVilhelmo, anno 1240. qui cæcus erat, præcepit ei, vt si sanus esse vellet, sibi, filioque in Vrana villa templum ædificaret; promisit ille, statimque ad opus necessaria congregari iussit. Sed vbi prima manus operi data, iactusque est in fundamenta sacer lapis, altera die omnis congesta operarum materia, Angelorum manibus est translata in collem Frauhofiensem, non sine ingenti gaudio Vrilhelmi, quòd ipsa Virgo sibi locum elegerit, quem propter difficiliorem ascensum Vranani rustici spreuerant. Ibique est ædificatum B. Virginis sacellum.

23. *Idem, de imag. B. Virg. de Agathyrso, Nasi, in Sicilia*. Cùm S. Conon, imaginem B. Virginis ad oppidum Nasi detulisset anno 1598. iterùm apparens S. Conon, tres lapillos in loco reliquit, quò eidem imag. postea Nasi templum ædificatum est.

24. *Idem, de imagine B. Virgin. de Vdibalgoga Regoitiæ, in Hispania*. Angustum templum, in quo B. Virgo colebatur pro populi concursu existimantes Regoitiæ oppidi incolæ, nouum, amplum, & magnificum decreuerunt, & aptiore in loco. Iàmq. nis magna trabium, cæmenti, & lapidum in aream nouam conuecta, operarios expectabat: cùm ecce quod vno die multorum manus hùc tulerat, die altera propè muros templi veteris iacuit, nemo prætereuntium non stupente; Quo prodigio intelligentes, Deiparæ haud mutare sedem placere; vetus templum in ampliorem, & augustiorem formam redactum est.

25. *Idem, de imag. B. Virg. de Loco, Ratisponæ, in Germ. Superiori*. Fida est traditio, hanc imaginem per flumen Naabum euectam, in hunc vsque locum defluxisse, & ad iuniperum constitisse. Confluxere è vicinia colonorum pientissimi, & agnito miraculo, sac. statuam collocarunt in littore, eique templum decreuerunt, non tantùm Virginis, sed & suæ commoditati consulturi, ex altera fluminis parte, quæ habitationibus abundat; comportatam tamen materiam, semel, iterùmque in eum locum deuenisse, vbi sac. statua se primùm stiterat ex altera fluminis parte, fert communis, & perantiqua traditio. Itaque cognita Virg. voluntate, hoc in loco templum extructum est ad littus fluminis Naabi vna circiter hora ab vrbe Ratisponensi, quod hodieque videtur.

26. *Idem, de imag. B. Virg. Feichtensi, in Germania Sup*. Concors, & antiqua maiorum traditio est, cùm templum, in quo hæc Deiparæ imago per omnem Bauariam olim in summo cultu fuit, ædificatum est, conuectam materiam, cùm iàm iàm fabricæ dandum esset initium, nocte vna in hunc locùm virtute diuina translatam, non sine omine, fore hic Deiparam supplicibus benignam, & gratiosam.

27. *Idem, de imag. B. Virg. montis Mariæ, Rancouillæ, in Germ. Sup*. Propè Velkirchium; conterminam Sueuiæ vrbem, in medio oppidi Rancouillani, exurgit collis, cui mons Mariæ nomen, propter templum in eius vertice ædificatum prodigiosè: Si quidem cùm maiores ad radicem collis, templum B. Virg. ædificare decreuissent, antequam fundamenta foderentur, pridiè omnis comportata materia in colle reperta est; Addunt alii, iàm fundamentis in valle perfectis, altera die inuentos fuisse fundamentorum muros in ipsum collem, & in fossas fundamentorum, qua Angeli ea nocte foderant, depositos, ritè, ac secundùm designationem, quam architectus in valle fecerat translatos.

28. *Idem, de imag. B. Virg. de Begonna, Bilbæi, in Hispania*. Hæc Ven. imago inuenta fuit in quercu, cuius in loco nunc summum altare stat templi, quod maiores ad pedem amœnissimi collis contra quàm vellent, ædificare coacti sunt: cùm enim templum in collis vertice designassent, nocte non ampliùs vna, ingens lapidum vis magno labore in collem conuecta; in subiectam vallem Angelicis manibus deportata est. Vndè non grauatè mutarunt incolæ sententiam, intellecta Virginis voluntate, & breui tempore ibi sacellum erexere.

29. *Idem, de imag. B. Virg. Schardensi, in Germ. Sup*. Cùm casuro templo, in quo hæc sac. colebatur imago, nouum erigendum esset, deque loco, & situ esset inter accolas controuersia, litem diremit ipsa Deipara, quę supra collem apparere fecit lumina quatuor, arboribus innixa velut candelabris, ceù spatium futuræ fabricæ designantia. Itaque datum nouo templo initium eo loco, quem lumina designarunt.

30. *Idem, de imagin. B. Virgin. de Campiglio, in Germania Super*. Huic Virgineæ imagini templum cùm ædificaretur in campo, trabes, ex cùm calce lapides nocturno Angelorum labore in hunc locum, vbi nunc stat, deuenere.

31. *Idem, de imag B. Virginis Turzanensi, in Germ. Sup*. Rusticus quidam Turzanensis, statuam B. Virginis, quam in rubro inuenerat, domum deportauerat; cùmque accolæ deuotione erga B. Virginem excitati, de maiorum licentia non procùl à rustici domo templum illi construendum designassent, & fabricæ necessaria fide bona, idest rustica, non tardè comportassent. Non placuit Virg. locus: ne itaque piorum manus in fundamentis frustrà laborarent, nocte non ampliùs vnà omnem vim lapidum, arenę, & lignorum ad ipsius coloni domum, Angelorum manus deportarunt. Quo prodigio intellexerunt, eo in loco Virginem cultum sibi velle;

ea

ea propter ibi templum ædificarunt, summo omnium consensu celebre.

32. *Idem, de imag. B.V. Darschusana Darschusij, in G. Sup.* Propè vrbē Mindelhemiensem pagus Darschusianus situs est, vbi in tēplo Parochiali Deiparę statua lignea est summis honoribus. Traditione habetur, hoc templum cæptum ędificari Altensteigij, qui pagus est non adeò multùm dissitus: sed quidquid operis à cæmentariis factum est, hùc fuisse translatum, vbi hodiè templum Darschusanum videtur. Statuam insuper, cùm renouanda locaretur, pictori, nulla ui, nullis viribus moueri loco potuisse, vt in domum pictoris transferretur, eam ob causam coactum pictorem in ipso templo laborem suum exequi.

33. *Idem, de imag.* B.V. *Vnderkochensi, Hochen-Rechberga, in Ger. Sup.* Traditio est, templum infra montem ab incolis designatum fuisse huic S. imagini; sed omnem murorum materiam opera Angelorum sub montem in hunc collem, vbi nunc colitur, fuisse translatam.

34. *Idem, de imag.* B.*Virg. Consolatricis Afflictorum*, Bambergæ, *in Germania*. Cùm propè Viddernam in vertice montis adinuēta fuisset inter vepres, & spinas imago B.V. templum ei Viddernenses ad radices montis, quò commodiùs adiri posset, ędificare cæperunt. Verùm non hunc, sed priorem (in quo inuisa fuit) struendæ ædi locum Virg. designasse nouo prodigio commostratum est; cùm enim noctu quiete necessaria reficerentur operæ: trans fluuium in iugum montis vi humana maiore, omnis ferè quæ ad manum erat materia transferebatur. Stupefacti rei insolentia fabri, simùlque experimentum prodigii sumpturi, lignis, quæ restabant, per noctem incumbunt; At ipsi fabri cùm lignis in verticem montis, in quem reliqua iàm materia euolarat, per quietem rapti sunt: quo factum est, vt persuasi rerum tàm mirabilium euentu magistratus, templum sine mora iugo montis imponerent, in eoque piè imaginem collocarent.

35. *Hieronymus Faber in monumentis Eccles. Rauennæ, de Ecclesia S. Victoris.* Cùm in monte Piscariano à Taurinensi ciuitate duodecim mille passibus distante, monitu S. Michaelis Archangeli, Ioannes Episcopus Rauennæ Ecclesiam ædificare vellet; iàmque eiusdem cæptum esset ędificium alio in loco montis, ab illo, in quo nunc est; omnia instrumenta, lapides, & ligna ad eam ædificandam ibidem collocata, ad locum, vbi nunc est Ecclesia, manu inuisibili noctu deportabantur, quo prodigio, Angelicoque monitu intellexit, ibidem ædificandam esse Ecclesiam, vt factum est.

36. *Albertus Krantius libr. 2. Saxoniæ cap. 26.* Per hæc tempora Ludouicus Imperator inter alia pietatis opera, Ecclesiam Aulicensem (nunc Eltzæ) in Saxonia orientali à parte inchoatam, ad riuum Salam, qui Leynę insluit, perficere constituit: sed commonitus miraculo rei, quæ acciderat, in locum vbi nunc est Hildesemensis, transtulit: cùm enim pridem rem sacram in venatione fieri iussisset, & capellanus, sacras reliquias de lacte, vt ferunt, Sanctæ Mariæ, aut capillis eius, cùm nonnullis aliis in arborem appensas reliquisset per incuriam, reuersus cùm Imperatore ad Ecclesiam Aulicensem, vbi altare iàm in conspectu Imperatoris erat struendum, cæpit reminisci relictarum nuper reliquiarum, concitò in eum rediit locum, reperitque relictas: sed nulla potuit auellere vi de trunco. Miratus, refert quid acciderit Imperatori: ille comperto miraculo, interpretatur, diuinæ esse voluntatis ibi instrui sacellum. Mox erigitur in honorem Mariæ. Erat pridem dumis, & inuiis paludibus horrens locus, sed quid non mutat instantia peruigilis curæ, & laboris? cæpit proindè Apostolorum Princeps cedere Virgini Matri, translataque est Ecclesia Aulicensis in Hildesemensem, vbi perdurat vsque hodie.

37. *In m. s. s.* Cùm olim Bononia ab exercitu Vicecomitum obsideretur, quoddam antemurale, cuniculo subtùs ignito, euertere tentarunt milites: & ecce mirum, illa pars męniùm in aerem subleuata, iterùm absque vlla factura in proprium locum delapsa est; obseruatumque fuit, in pariete depictam esse vener. imaginem B. Virginis, ob idque miraculum, ibidem Ecclesia ædificata est, quæ quia imago in antemurali depicta erat, ideò Ecclesia B. Virginis vulgò *del Baracano*, crederem meliùs, *del Barbacane* appellatur.

38. *In ann. Seruorum an. 1490. de ædificatione Ecclesiæ* B. *Virginis de Saxo.* Cùm de situ, in quo fundanda esset Ecclesia, agitatum esset, Fratres nostri; ex altera parte, ibi delubrum fundari ad Saxum volebant super quod apparitio B. Virg. facta fuerat; ex altera verò Architecti, & Populus locum arduum, & asperum, quòd non posset absque magnis laboribus, & impendiis complanari, attendentes, aliò procùl tendebant. Euicisset igitur opinio populi Religiosorum sententiam, nisi prodigium secutum lites diremisset. *Cùm enim Cæmentarii* apertam *quamdam non procùl à Saxo* planitiem comperiissent, *vbi dicitur le Castelline*, quo etiam in loco Ludi, Tripudia, Choreę, contubernia, & nundinæ festis diebus exerceri consueuerunt, ibiq. Templum erigere cæpissent, quicquid pridiè construebatur, postridiè diuinitùs destructum apparebat, ita vt cogerentur Artifices *locum* dimittere, & prioribus Patrum nostrorum consiliis adhærere. Quare super pręcipitem rupem illam, vbi super saxum consederat B. Virg. quamuis difficillimum foret, Area excisa, & in planitiem ducta, templum circa Saxum ita ad meridiem deposuerunt, vt sub Ara maiore, Lapis, qui scabellum pedum gloriosæ Dei Matris fuerat, perpetuæ fidelium venerationi haberetur.

39. *Surius in vita S. Cornelij Cent. cap. 9.* Syluanus Episcopus Troadis cùm venisset aliquandò in ciuitatem Scepsæorum, apparuit ei in somnis S. Centurio, & ait illi: Ego sum Cornelius Centurio: est autem mihi Domus propè templum Iouis in rubo. Sed tu ædifica alterum Oratorium propè locum Demetrii serui Dei. Vocatur autem locus Pandochium; quo in loco sita sunt multa corpora Sanctorum Fratrum iàm consummatorum.

40. *Petrus de Natalibus lib. 7. cap. 60.* Tribunus quidam nomine Domebenus, gutturis præfocationem patiens, die quo S. Radegundis migrauit ad cœlum,

oculum, in extasi eius animam vidit ad se venientem, & eadem hora se de corpore exiisse nunciantem, eumque admonentem, vt Ecclesiam Sancti Martini in loco sibi ostenso ædificaret, & sic sanitatem reciperet. Qui postquam hęc promisit, ad se rediit seque sanatum reperiens, diem, horamque notauit, & inuenit Sanctam à sęculo tunc migrasse; vndè mox dimissis septuaginta tribus detentis in vinculis, Ecclesiam S. Martini in loco, vbi nunc est, de propriis ædificauit.

41. *In annalibus Galliæ.* Illud memorabile est, quòd cùm Sanctus Martialis primus Episcopus Pictauiensis, publicè in loco vbi nunc est Ecclesia Cathedralis prædicaret, audita est vox cælitùs: Martialis, Ego sum Christus Magister tuus, & tibi significo hodie Romæ Cruci affixum dilectum Apostolum meum Petrum, voloque, vt in eius honorem, & Martyrij memoriam ędifices Ecclesiam hoc in loco. Ædificauit igitur cælestibus obtemperans mandatis Ecclesiam, quæ Cathedralis facta est.

42. *Vinc. Bel. lib. 23. Spec. Hist. cap. 102. de S. Agilo Abb.* Beatus Andoenus adhùc in palatio degens, & beati Eligij consilio vtens, cùm ardentissimo studio monasterium proprijs sumptibus, in remotis locis constuere satageret, factum est, vt quadam die peragrans eremi confinia, super torrentem, quem veteres incolæ Resbacem dixerunt, deueniret, ibique paululùm subter pomorum arborem subsisteret. Facto igitur in ea velociùs vmbraculo, silentium imperat, significans, fessa membra quieti velle concedere, quò secretiùs posset orationi incumbere; diutiùs ergo dùm prostratus orasset, vidit in aere nubem splendidam, radijs coruscis figuram Crucis pretendentem. Ex cuius claritate per tres noctes tantùm lumen continuatim emicuit, vt illic videres omnia clarè, sicut in meridie; per tres etiam dies, ros ibidem in modum Crucis à mane vsque ad vesperam visus est, donec triduano expleto ieiunio, vnà cùm beato Pharaone Episcopo, Ecclesiæ fundamenta iecit. Factum est ergo vt vbi orans subter arborem pomiferam iacuerat, ibi in schemate Crucis templum Domino ædificaret. Compertaque beati Agili fama impetrauit à Rege vt eum Abbatem monasterio nouo à se ædificato præficeret!

43. *Pet. de Natal. lib. 11. cap. 61. de S. Germano Abb.* In Capitulo coràm fratribus, Abbatiæ renunciauit, & ad sanctum Andoenum pergens, locum solitarium sibi ab eo consignandum poposcit, quibus ambobus per visum nocte Angelus locum ostendit. Qui manè ad locum pergentes, dùm nebula totum circuitum, vbi erat construendum cœnobium, operuisset, vox de cęlo sonuit, quòd ante annos quadraginta Deus locum illum fideli suo Germano prouidit; nebulaque sublata, locus totus rore perfusus, quasi si virga per circuitum fuisset dissignatus, apparuit: vbi ædificato monasterio, Sanctus Germanus cùm quibusdam electis discipulis vsq. ad obitum suum Deo fęliciter deseruiit: ibique sepultus in pace quiescit.

44. *In actis Beatæ Oringæ, seù Christianæ, 10. Ian.* Dum quadam die pergit ad locum, in quo deindè Monasterium ædificauit, radios intuetur è cælo vibratos, omne illud suauissima luce solum perfundere. Et breui isthic vt cænobium construeretur, ab accolis, Vicoque Sanctæ Crucis, obtinuit. In illud verò sese inclusit cùm aliquot Sororibus, quibus tamen præesse aliqua officii, gradusque pręrogatiua noluit.

45. *In Bib. Præ. libr. 1. cap. 2.* Accesserunt ad locum valdè incultum, locum horroris, & vastæ solitudinis, Premonstratum nomine, in altiori Couciacensis Oppidi sylua, Vosagum, vulgò *Vois*, nuncupata, in quo erat parua Ecclesia in honorem Dei, & memoriam Sancti Ioannis Baptistæ constructa, quæ propter loci asperitatem paucissimos incolas habebat. Hunc locum vbi conspexisset Sanctus Norbertus, exclamare cæpit, Hic locus est, quem elegit nobis Dominus, & fusis in eadem parua Ecclesia ad Deum orationibus, supplex ab Episcopo obtinuit, vt sibi illic cùm Hugone socio pernoctare liceret. Annuit Episcopus, qui illicò, quia iam serò erat Anisiacum pagum suum, leuca à Præmonstrato distantem, petijt. Itaque cùm Sanctus Norbertus cùm Hugone comite suo in eadem perparua Ecclesia orationi instaret solito feruentiùs, vt Deus animi sui propositum regere dignaretur, non defuit optatum in tempore auxilium. Ecce enim repentè ei apparet Deipara Virgo gloriosissima, Angelorum Choris vndequaque stipata, lumineque coruscans, quæ exauditas eius orationes denunciat, & locum vbi caput sui Ordinis fundare deberet, ei demonstrat. Vndè meritò Premonstratensis Ordo cognomentum induit, Habitum quoque, quo se, suosque induere deberet, ostendens, sic affatur: Fili Norberte, accipe candidam vestem. Quibus dictis vnà cùm Angelorum comitatu, & luce disparuit.

46. *In vita Sancti Norberti cap. 18.* Cùm de ædificanda Præmonstratensis Monasterij maiore ecclesia in altera Montis parte per reuelationem præmonstrata meditaretur vir sanctus, locus ille adeò paludosus, cæterisque incommodis plenus inuentus est, vt multis terrorem incuteret, suaque asperitate Dei famulos à proposito deterreret. Quare dùm pro hac re Norbertus ieiuniis, orationibusque, ac intenta supplicatione Deum consulere cæpisset, mox visibiliter eodem in loco, vbi Præmonstratensis Ecclesia hodie sita est, Christus in Cruce pendens Beato Hugoni apparuit, septenis miræ claritatis radiis desuper tamquam à sole promicantibus, ad quem magna candidatorum peręgrinorum multitudo cùm peris, & loculis è quatuor Mundi plagis properabunda confluebat (in cuius rei memoriam quatuor atriis ad Præmonstratense Monasterium seruatur aditus) qui flexis genibus, supplicique gestu adorato suo Redemptore, & pedibus eius osculo dato, & abeundi quasi accepta licentia, ad diuersas regiones dimicaturi reuertebantur. Ex qua apparitione lætior factus vir Dei Norbertus, resumptaque fiducia, gratias egit Domino Deo, qui seruis suis se in veritate quærentibus, & in fide, & iustitia obsequentibus, de præteritis dat fiduciam, & de futuris secreta relatione notitiam. Et conuersus ad seruos Dei, aiebat. Eia (fratres charissimi) accingimini, &

estote

estote viri fortes, vobis plurima bellorum genera ab hostibus, tā visibilibus, quàm inuisibilibus præparantur, sed noui illi tyrones, qui per visionem venerunt, visibiliter venturi sunt, & recepto præcepto, & obedientia ab eo, qui fuit Patri obediens vobiscum sunt vsq. ad consummationem sæculi, hic, & in omnibus nationum regionibus bellaturi. Loco igitur cælitùs ad ædificandum rursùs præmonstrato, vir Dei iam securus, ad materiale Templum omnem suum laborem contulit, inuitato priùs venerabili Bartholomæo Laudunensi Antistite, ac humiliter rogato, vt Episcopalem benedictionem in effosso fundamento impertiret, quod ille libentissimè fecit. Sicque de consecratis ab eodem Episcopo solemni ritu lapidibus, fundata est Præmonstratensis Ecclesia in palude copiosa, stupentibus omnibus, & operis successum desperantibus.

47. *Petrus Sutor, lib. 2. de vita Carthus. cap. 2.* Est domus Sanctæ Barbaræ in Coloniæ Ciuitate, quæ & ipsa miraculosè fundata est. Etenim cùm loci Archiepiscopus sanctæ memoriæ Valerannus, domum Carthusiensis ordinis fundare instituisset, post multa loca diligenter quæsita, tandem per cælestem reuelationem ostensus est locus, in quo ædificare deberet, eique dictum ita: Sanctus Martinus vult hic ædificari, vbi scilicet S. Seuerinus audierat concentum Angelorum, beatissimi Martini spiritum in cælum deducentium.

48. *Idem.* Cùm item locus propè Tornacum ad Carthusianam domum extruendam aptus vestigaretur, tandem aliis multis neglectis, idoneus (volente numine) repertus est, vbi cùm cæpissent pro fundamentis iacendis terram egerere, inopinatam lapidicinam repererunt, quæ toti operi consumando satis esse posset. Tradunt, & quendam Sanctum Præsulem Tornacensis Ecclesiæ ibi deambulantem, suis hoc modo sæpè dixisse. Sciatis filii diuinum thesaurum hic esse absconditum: itaque non iniuria creditum est aliquid ibi supernæ virtutis latitasse, quæ & pauperibus colonis in eum sæpè decidentibus, tanto erat adiumento, vt nullam indè abeuntes læsionem sentirent.

49. *Manrique in ann. Cisterciens. anno 1147. cap. 7. n. 5. de ædificatione Cænobij Alcobaciensis.* Lego Monasterii situm, & circumstancias per spiritum præostensas Bernardo Patri, innotuisse discipulis, antequam Claraualle egrederentur. Porrò cùm locum ex signis, cùm Rege quærerent, ac se ex confinio duorum fluuiorum inuenisse putarent nondùm inuentum, (quippè aliis circunstantiis discordantibus) iactatos funes, in mensuram surgentis frabricæ disparuisse repentè, atque alio in loco non multò post inuentos, cui omnia penitus signa concordarent. Tùm tali omine cæpta noua ædificia, in quibus Deum ducem, ministros Angelos, ipso euentu experti, securi pergerent, nec se timere frustrà laboraturos, quibus ea fax de cælo prælucerет.

50. *Chrysostomus Henriquez, in fasc. S. S. ord. Cisterciensis.* Anno Domini 1119. apparens B. Io: Baptista, S. Abbati Bernardo, iussit illi, vt aliquot è suis monachis ad remotiores Hispaniæ partes mitteret, vt ibi in animarum salutem construerent cænobium, Ecclesiamq. eidem B. Ioanni dicatam ædificarent, illi promittens, se ostensurum locum, quem ad hoc opus diuina bonitas elegerat. Quibus mandatis obtemperans S. Bernardus illùc misit probatæ vitę aliquos monachos, quibus Boemundum Abbatem præfecit. Illò igitur cùm essent profecti viri Dei; factum est, tertia decima die Aprilis anno Domini 1120. cùm B. Boemundus è tugurio suo egressus, circa dimidiam noctis horam, Deum oraret, vt acceptum haberet obsequium eorum, & in vallem proximiorem aciem oculorum dirigeret, vidit, & ecce splendor miræ claritatis, quasi fulgur è cælo descendens, in aere propè terram immobilis mansit, opaca syluarum, vicinorumque hinc indè circumiacentium montium meridiana veluti luce claras reddens angustias. Stupefactus Christi famulus, diuini luminis mysterium non ignorans, fratres suos vocat, eisque signum à sancto Ioanne Baptista promissum ostendit. Qui statim omni difficultate semota, illud esse diuinæ bonitatis signum credentes, locum hunc ad construendum cænobium decreuerunt eligere, exultantes animo, & spirituali iucunditate gaudentes, ac si dicerent. Hæc requies nostra in sæculum sæculi: hic habitabimus quoniam Deus elegit eam. Hunc autem cælestem splendorem, in eodem loco, eademq. hora alijs octo noctibus proximè sequentibus viderunt.

51. *In ann. minor. an. 1217. n. 14.* Ex quodam sermone, quem habuit S. Franciscus, præ cæteris, vitam commutauit in meliorem, & intimo amoris vinculo hæsit viro sancto, generosus quidam ex Grætio eques, Ioan. Velita dictus, iàm grandęuus, & obesus, cui proindè nimis molestus, & onerosus ascẽsus asperi montis, in quo vir Dei latebat, quem sæpiùs, & familiariter inuisebat. Fatigatus ergo aliquandò ex itinere, suum explicuit tædium, & circumuicinorum populorum dolorem, quòd tàm longè abesset vir Dei, rogauitque, vt ad commune omnium solamen propiùs ad castrum accederet, moraturus in habitaculo sibi ad votum construendo. Viri votis se assensurum, subridens, promisit, nec longiùs à castro recessurum, quàm puerulus quisquam torrem posset proiicere. Conducto itaque secùm Francisco, descendit gaudens eques de monte, & ad castri ianuam vocato obuio puero, torrem commisit proiiciendum. Lacertoso tamen & plùsquàm virili brachio diuina virtute vltrà milliarium eiaculatus est puerulus facem in oppositum monticulum siluestrem, cuius Ioannes dominus erat, quæ incerto nemore cecidit in locum petrosum in decliuitate collis, ad quem obstupescentes cùm Francisco accesserunt oppidani, & tamquam diuinitùs ostensum elegerunt in situm noui domicilii. Domunculam totam, statim vt poterant, exciderunt in petra, ita vt etiam monumenta fratrum ibidem postea morientium, excidenda fuerint in duro lapide. Quo humiliter completo, primum taguriolum dimisit Franciscus, cuius adhuc cernitur vestigium, & testes sunt reuirescentes adhùc carpini, quantùmuis excorticatæ, & in orbem, ac in pulpam à pastoribus cæsæ ad conficiendas cruces

ces, & orbiculos precarios pro hominũ deuotione.

Videantur alia tom. 1. lib. 6. cap. 4. §. 4. cùm de locis sanctis diuinitùs à Brutis designatis.

Ecclesiæ cælitùs inaugurata.
§. 2.

SOlemnes Consecrationes, quibus à Catholicis Ecclesiæ, locaque sacra ritè, vt ad inaugurantur probaret Deus, ea quandòque cęlitùs inaugurari voluit. De quibus.

1. *Gononus, in Chron. Deiparæ ex Gisiao, de Ecclesia Virg. Aniciensis.* Absoluto hoc ædificio, cùm nihil præter quàm Dedicatio desideraretur, Euodius Episcopus, eiusque socius, statuerunt Romam adire, quatenùs Dedicationis licentiam obtinerent. Vix quartam leucæ partem confecerant; cùm duo venerabiles Senes albis induti, inusitata modestia spectabiles, ipsis ex improuiso occurrere. Quos cùm D. Euodius, quò se conferrent, percontari cæpisset: subiecere, se Roma venire, delegatos esse à Summo Pontifice ad Episcopum, sociumque Scrutarium, ne scilicet soliciti essent super consecratione Basilicæ ab eis erectæ: fuisseque ab Angelis eam indubitanter consecratam asseruerunt; dederuntque eis duo Scriniola Reliquiarum, quas nudis pedibus ad prædictam Basilicam deferri iusserunt, atque subiunxerunt: Ne putetis in his illusionem latere, reuersi, portas Templi eo modo, quo eas occluseratis, inuenietis, statimque se vobis patebunt: Campanæ etiam nemine impellente personabunt: totumque Templum accensis cereis, & lampadibus fulgidum reperietis; necnon & Altare nouissimè Chrismate cælesti perunctum. Sic locuti Senes illi, continuò disparuerunt. Redeuntes ergo Viri Sancti, inuenerunt omnia, sicut eis fuerant prędicta, atque cùm vniuerso populo cantica lætitiæ modulantes, magnificas diuinæ Maiestati grates habuere.

2. *In Sanctuario Capuæ, de S. Symaco Epis.* In Pago S. Mariæ, & extra, immò & in oppidis extra territorium Capuę, antiqua traditione narratur, Pōtificem Romanum conuocatum fuisse ad consecrandam Ecclesiam S. Mariæ Maioris eiusdem Pagi in Diæcesi Capuana, illùcque cùm venisset, atque Kalendis Augusti consecrare vellet, Kalendarum mane inuenisse super altare tabellam aureis litteris attestantem, superiori nocte ab Angelis dedicatam Ecclesiam, & Indulgentiæ à Galli cantu obtinendæ concessione ditatam.

3. *Arnoldus Rayssius, in auct. ad nat. S. S. Belgij, 13. Aprilis.* Iuxta Bruxellam est Ecclesia B. M. V. Lakensis, quæ à Christo Domino miraculosè dedicata fuit, & consecrata.

4. *Carolus Saussi. in an. Ecclesiæ Aurelianensis, lib. 1. n. 11.* Credunt Auenionenses, & hoc habet Bulla Sixti IV. Papæ, Ecclesiam Cathedralem suam, quæ S. Mariæ de Bonis nuncupatur, à B. Martha Domini nostri hospita fundatam, manu Dei consecratam extitisse.

5. *Gumppenberg, de imag. B. V. Buxeriana, Nancei, in Lotharingia.* Cùm Gaucellinus Tullensis Ep. templum Buxeriense B. Virg. ædificasset, ad templi dedicationem, Antistites Tricinensis, Metensis, & Virdunensis, ipsius Gaucelini rogatu concurrerunt, resq. erat postera die peragēda, cùm mirabile quiddam accidit; nocte concubia sensit Gaucelinus interiore quodam motu, se vehemēter ad surgendum impelli, vt videret, an omnia sequentis diei solemnitati necessaria ritè essent ab æditius cōportata. Corpus è strato corripuit, vix ad sacrarium accessit, cùm animaduertit in templo facibus omnia collucere. Introspexit, viditq. Christum Dominum, Augusta Genitrice, magnaq. Sanctorum caterua stipatum, sacras cæremonias obeuntem, & sacro quodam horrore perfusus, trepidè Episcopos ad spectaculum euocauit; qui tempestiuè ante finem cæremoniarum cælestium adfuere animis religiosè suspensis, vt post templi dedicationem, ab ipso Domino in honorem paręntis suæ peractam, benedictionem acciperent.

6. *Baronius an. 610.* Templum in memoriam S. Petri Lōdini in Anglia ædificatum à Seberto nepote Regis Ethelberti per S. Augustinum conuersi, ab ipso B. Petro consecratum fuit, nocte eius consecrationem præcedente, vt viro cuidam pio indicatum. Vnde & Episcopus manè ingrediens, inuenit pauimentum alphabeti vtriusq. scriptione signatum, & parietem oleo sanctificationis bis senis in locis linitum, cùm totidem cereis, & crucibus.

7. *In m. s. s.* Cùm Sanctus Germanus per Vercellensem ciuitatem transiret, rogatus fuit à Sancto Eusebio eiusdem Vrbis Episcopo, vt Cathedralem Ecclesiam consecraret, quod se promisit facturum in reditu; at antequam regrederetur, quadam die omnes Cathedralis Ecclesiæ campanæ nemine impellente festiuum sonitum emittere auditę sunt, eodemque tempore omnes Ecclesiæ candelæ inuisibiliter accensæ fuere; prodigium admirans S. Eusebius, paulò infrà intellexit eadem hora S. Germanum ad superos euolasse, crediditque iuxtà promissa animam ipsius sanè inuisibiliter, solemni, cælestique ritu Ecclesiam consecrasse, quod & euentus probauit; cùm enim & ipse visibiliter, quod inuisibiliter factum credebat, præstare vellet, vllo vnquam modo Candelæ in Ecclesia accendi potuere.

8. *Thomas Ioannes Pessina, de Gloria Pragensis Ecclesiæ, Rad. 1.* Ecclesia Sancti Viti Metropolitana Pragæ, inuisibiliter, & mirabiliter consecrata fuit à Christo Domino. Cùm enim D. VVenceslaus ann. 936. ipsam construxisset, & ad Tutonem Episcopum Ratisponensem virum sanctimonia vitæ conspicuũ, cui sanè Clerus Bohemiæ subiectus erat, misisset, eumque vt Templum illud solito in Ecclesia ritu consecraret, petijsset. Hic quidem pijssimo Duci referri iussit, precibus ipsis minimè opus esse, eo quòd ex reuelatione diuina sibi certò constaret, ædem illam iàm à Christo Domino ipso esse consecratam, venturum tamen, vt solitas pro Ecclesiæ Catholicæ vsu cæremonias persolueret.

9. *Hieronymus Faber, in Monumentis Ecclesiæ Rauennæ, de Ecclesia Sancti Victoris.* In Monte Piscariano, à Taurinensi Ciuitate duodecim millia passibus distante, Ecclesia reperitur S. Michaeli Ar-

Archangelo dicata, quæ monitu eiusdem Sancti Archangeli à Ioanne Episcopo Rauennate constructa fuit. De qua scribunt, quòd cùm Episcopus Taurinensis aduocatus esset, vt eam consecraret; dùm ad Montem ascendit, totum Montem vnà cùm Ecclesia flammis fulgentem aspexit, cuius rei nouitate perculsus, vlteriùs non est progressus, quoùsque cessato incendio, Ecclesiam ingrediens, in illaque accensa lumina conspiciens, Crucesque sacro oleo vnctas obseruans, manu cælesti dictam Ecclesiam consecratam fuisse intellexit. Cuius consecrationis hùcusque anniuersaria solemnitas ibidem celebratur.

10. *Hieronymus Rubeus in Hist. Rauennæ li. 2.* Cùm Galla Placidia Augusta, circa an. 434. Rauennæ Templum D. Ioanni Euangelistæ magnificentissimum erexisset, & quadam nocte in eo humiles cùm D. Barbatiano funderet preces, Videt Barbatianus, cùm nec penitùs dormiret, nec integrè vigilaret, veneranda canicie virum, Pontificiis vestibus candidissimis indutum, ac mitratum, deambulantem, & thure Templum suffientem, cuius facies diuino splendore fulgens, cæleste lumen inferebat. Quod cùm ille Placidiæ retulisset, en, inquiens, hic ille est, cui Templum dicasti: Illa Religionis feruore incensa, se ad Euangelistam, qui iàm ad aram maximam peruenerat, celeriter accurrens, recipit, ad pedesq. eius prouoluitur. Tùm ille ex oculis labens, sandalium dextri pedis in Augustæ manibus reliquit.

11. *Vinc. in Spec. Hist. li. 23. c. 36.* Tempore Dagoberti Regis Francorum, Episcopis apud S. Dionysium, dedicandæ Ecclesiæ gratia à Dagoberto conuocatis, dùm sexto Kal. Martii id peragere statuissent; pridie homo lepra totus deformis, ab æditius impetrat in æde pernoctare. Vbi dùm vigil in oratione perseuerat, videt perspicuè Christum, comitantibus Petro, & Paulo, nec non Dionysio, Rustico, & Eleutherio, per fenestram in Basilicam aduentare; qui candida veste amictus, sacrum dedicationis munus cùm cæremoniis absoluit. Indè ad leprosum progressus: Tu, inquit, dicito Pontificibus, cùm cras ad hanc ædem se conferent, eam à me consecratam esse. Vt autem fidem faceret, contacta hominis facie, lepram fœdissimam auferens, eam proximo lapidi glutinauit. Qui lapis adhùc visitur summa cùm admiratione, inter Reliquias illius Ecclesiæ asseruatus. Vndè miraculo attoniti Præsules à dedicationis munere abstinuere; cùm etiam parietes diuinis insigniti manibus rei gestæ testimonium perhiberent.

12. *Bernardus Odonius in Gestis Hormisdæ Pontificis.* Per idem tempus floruit Chendechildis filia Clodouei, virginitate pariter, & pietate famosa. Hæc in prospectu Ciuitatis Senonis cœnobium sub honore Apostolorum construxit, multis ædificijs illud amplians, & prædiis locupletans. Quò profecti ad dedicandam Basilicam cum Sancto Eradio tunc Senonis Præsule, vicinarum Vrbium Præsules adfuere; Vbi dùm in Ecclesia pernoctarent, Angelicas audierunt voces dulcissimè concrepantes; facto autem mane respicientes altare, viderunt in quatuor angulis, & in medio marmoris, signacula Crucis decenter impressa, stupentesque proindè non sunt ausi vlteriùs consecrare locum, quem cernebant diuinitùs consecratum.

13. *Surius in vita Sancti Petri Cœlestini, libr. 1. cap. 14. de Oratorio Sancti Spiritus Magellæ.* Cùm vir Dei quandoq. in aurora diei solitarius sederet in cella, & aperta fenestra in libro suo legeret, ecce subitò apparuerunt extra cellam complures spiritus gloriosi, qui euntes per circuitum loci, Dedicationis officium decātabant. Quo finito, eorum visio statim euanuit. Posteà tamen cuidam Fratrum vir quidam splendidus apparuit, dicens; Scias, quia hoc Oratorium à Deo ædificatum, & dedicatum est. Et hoc tibi dabo signum in testimonium veritatis. Hoc enim mane, cùm sacratum locum intraueris, lampas, quæ ante Altare accenditur, nullo apparente, qui eam deferat, hùc, atque illùc oleo plena mouebitur. Quod & factum est, videntibus, & admirantibus fratribus vniuersis.

14. *Raderus in Bauaria Sac. de S. Leone IX. Pont. Max.* Ratisbona Norimbergam proficiscenti S. Leoni, occurrere duo quidā viri illustres ex Schuarzeburgiorum Dynastarum gente, supplicesque rogauere, vti paululùm flecteret iter in latus, vbi in conspectu ædiculam Sanctæ Cruci constituerant, & sacellum sacra cæremonia dedicaret. Leo non digressus loco, sed protensa manu, signum S. Crucis expressit, absensque locum consecrauit. Qua re conditores haùd contenti, instabant, ne grauaretur ipse accedere, & aras initiare. Tùm deinde Pontifex; ite, inquit, & nisi ritè lustratæ ædis signa expressa deprehenderitis, reuersi me reuocate. Abiere, domum sacro oleo delibutam offendere, Cruces, litteras in puluere scriptas, & alia lustrationis peractæ certissima argumenta, nec dubitauere, quin Pontifici cælites subministrarint.

15. *Idem ibidem de S. Conrado.* Eberhardus summo loco inter Francones, & Cattos, & Veterinos Dynastas natus, ad S. Meginardi cellā, vbi Deipara apud Helueticam Eremum colitur, Cœnobiarchā egit, & magnæ Dei Matris ædiculam instauratam ingenti mole circumdederat, sacellumque Virginis, religione maius, corpore minus, maiori templo inclusit, quod D. Mauritii nomini, & memoriæ inscripsit. Cùm vtrumque ad fastigium peruenisset, tantùmque Sacra Pontificis dextra desideraretur, quæ sacram substructionem cœlo initiaret, Eberhardus Præses cœnobii, ineunte Septembri, anno post receptam per Christum saluté, nongentesimo duo de quinquagesimo, paratis omnibus ad consecrationé necessariis, ad Conradum Constantiam misit, quādo eius Episcopatus terminis Monasteriū, & Templū, Sacellumque consisterent, eorum ad consecrationem venire ne grauaretur. Igitur adpulit ad Eremum Conradus idibus eiusdem Mensis, nouoque in Monasterio diuertit. Nocte, quæ secuta est, cùm solito more circa eius medium orationis causa surrexisset, melodiam longè suauissimam auribus excepit, cùmque magis, magisque animum, mentemque intenderet, certissimò aduertit Angelos, cantum eundem, & ordinem, cæremoniasque in Sacelli Deiparæ, cuius causa aderat, consecratione habere, quæ in Dedicationibus Ecclesiarum

rum Episcopi vsurpantur. Audiere eadem, & percognouere haud pauci Monachi, alijque nonnulli, quos precum, & meditationum studium idem tempus intentos, & vigiles attinuerat. Verùm cæpta luce, quam Exaltationis Sanctæ Crucis memoria, & honore illustrauit Ecclesia, (ea in feriam V. inciderat, anno bissexstili,) paratis ad manum necessariis, magna attentione omnibus Conradum præstolantibus, ipse solus cunctari, morasque nectere, neque interea sacello pedem efferre, ibidem fixus, immobilis, attonitus inhærere, & obstupescere, donec ad meridiem iàm tempus vergeret; tùm verò omnes vrgere, solicitareque, qui aderant Antistites, solemnitatem tandem, & officia inchoaret, promoueretque, & cessandi finem faceret, neque vltra tantum mortalium conuentum distineret. Ille adhùc causas obtendere, an aliud signum expectare? Denique quid audisset, quid perspectum habuerat, paucis ostendit; ibi verò tùm omnes veluti vana, & tamquam cælestium ex meditatione nata somnia memorantem reprehendere, obiurgare, postremò ad sacrorum ministerium, & consecrationis opus illis post habitis impellere, cogere, donec cunctis re inopinata perculsis, & exhorrescentibus, cælestem delapsam vocem, cessa, cessa frater, diuinitùs capella consecrata est, ter omnes audierunt. Ex eo certa fides, & Conradum vera cognouisse, & sacellum Deiparæ cælitùs dicatum, & consecratum esse nemo postea dubitauit. Quæ tùm tantorum præsentia, & testimonio comperta, & meritò credita; crebriora indè, & hùc vsque confirmata miracula.

16. *Ferrarius in Catal. S. S. 1. Iunij.* Cùm S. Vigilius Episcopus Tridentinus, ædiculam S. Romedii Tridentini iàm defuncti consecrare vellet, Angelum illam consecrantem per quietem vidit.

17. *Ignatius de Nente, in vita Vener. Sor. Dominicæ de Paradiso, Ordinis S. Dominici lib. 3. cap. 2.* Semel in festo Exaltationis S. Crucis dùm in Refectorio cùm cæteris Monialibus mensę discumberet Soror Dominica, suauissimos cantus, dulcissimosque concentus audiuit in Ecclesia, ad quam statim accurrens, inuenit Angelos circumstantes altare, armonicèque decantantes, à quibus intellexit, Christum Dominum consecrasse altare illud ad Indulgentias, quas eadem à cælesti Sponso impetrauerat pro visitantibus eam Ecclesiam in die Exaltationis Sanctæ Crucis, & Feriæ sextæ Parasceues.

Ecclesiarum ingressus inuisibiliter impeditus. §. 3.

QVondam Moysi ad prodigiosum rubum prohibitus est cùm calceamentis accessus, ne vel leuiter sanctitatis locus contaminaretur. Hoc igitur & quandòque factum est in Catholicorum Ecclesiis, summo, veroque Deo sacratis, à quibus indigni diuinitùs inuisibiliter exclusi fuere. De quibus.

1. *Sophron. in Prato Spir.* Cosmiana vxor Germani Patricij, voluit nocte quadam sanctę Dominicæ sola adorare Sanctum Domini Nostri Iesu Christi, viuificumq. monumentum, & cùm appropinquaret ianuæ Sacrarij, apparuit illi visibiliter Domina nostra S. Dei Genitrix cùm aliis quoq. Mulieribus, dicens; Quomodò cùm nostra non sis, hùc audes ingredi? & prohibebat eam: Neq. enim inquiebat nostra est; Erat enim de heresi Seueri Acephali. Illa verò multùm rogabat, vt mereretur ingredi. Ad quam S. Dei Genitrix respondens, ait: Crede mihi mulier, hùc non ingredieris, nisi nobiscùm communicaueris. Agnito autem, quòd cùm esset hæretica, ingredi prohiberetur. Tandem Catholicæ Ecclesiæ reddita, ingredi est permissa.

2. *In vitis P. P. de S. Maria Ægyptiaca.* Cùm adhùc S. Maria Ægyptiaca in sæculo viueret, vanitatibus inseruiens, iuuenum illaqueans, & capiens animos, semel in die festo Exaltationis S. Crucis ad Ecclesiam cùm cæteris concurrentibus adiit, & cùm Templum ingredi vellet, illam prohibebat aliqua diuina virtus, non indulgens introitum. Considerãs autem hoc, non diuinitùs, sed per muliebrem infirmitatem illi accidere, iterùm se aliis immiscendo, vim sibi quodammodò faciebat introeundi, sed frustrà, vix enim limina vestigio contingebat, cùm nullum habens intrinsecum impedimentum, à repentina quadam virtute reiiciebatur; hocq. ter, & quater est passa. Donec diuina gratia illustrata, cognouit propria scelera sibi aditum tẽpli præcludere. Quare proponit vitam corrigere, Deique Genitricis auxilium implorat, & liberè Templum ingressa est.

3. *Metellus Tegersensis, de B. Quirino Martyre.*

Compta magnificentiùs,
 Septa militibus suis,
 Optima facie quoque
 Præminens hera venerat.
Martyris celebri die
 Ingredi cupiens sacras
 Illa cùm populo fores,
 Impedita repellitur.
Vis superna tenens eam
 Introire vetat ream,
 Quæ putans quod in hoc sibi
 Præter obuia crimina,
Sexus obfuerit minor,
 Inter agmina plebium
 Fortiùs reprimentium
 Se gerens sine viribus,
Tentat addita pluribus;
 Ianuas patulas adit:
 Obstat alma potentia,
 Denegans aditum sibi.
Quam leuant humeris viri,
 Ac ferunt aditum propè,
 Nec valent sub eo leui
 Fasce limina transgredi.
Clara lumina cerei
 In manu capit vtraque,
 Sed nec his meruit tamen
 Compos esse sacri loci.
Quæ pudore magis dolens,
 Optat hospitio foras
 Anxiata recedere;
 Fixa perstitit vt petra,

Nec mouere valens gradum
Ante, siue retrò suum,
Mœsta Presbyterum vocat,
Confitens sua crimina.
Rursùs appetit ingredi
Lumen in manibus ferens,
Nec sinit Deitas eam
Sacra limina transgredi.
Confitens iterùm probat,
Cereos pariter gerens,
An sibi pateant fores,
Arcet hanc aditus patens,
Tertiò studiosiùs
Confitetur, & accipit
Per flagella salubria
Pænitens humilem modum,
Vouit omnia denique
Spontè crimina tergere:
Vix abhinc meruit sacri
Particeps fieri loci.
Indè gloria Martyri
Singularis & ardua,
Ac sacro timor in loco
Creuit & reuerentia:
Disciplina potentior
Nobili data fœminæ,
Clara forma modestiæ
Fit scienda fidelibus.

4. *Gregorius Turon. de Glor. Confessor. cap. 26.* Simeon Confessor, qui in columna pagi Antiochensis dicitur stetisse, frequenter Incolis tribuit sanitates. Et quia, vt legitur in eius vitæ libro, nullam vnquam mulierem post conuersionem oculis attentis inspexit: postquam verò columnæ editiori se sanctitate feruens inuexit, non modò extraneæ mulieri, verùm etiam nec propriæ Matri se videndum permisit. Et nunc ergo locum ipsum ab huius sexus defensat accessu. Nàm ferunt, quandam mulierem indutam fuisse veste virili, & in Basilicam ingredi voluisse Columnæ. Tractauit secùm misera agere posse per indumentum, quod latere posset altissimum, ignorans illud Apostoli, quia Deus non irridetur, & licet ibi veniens ad Templum erexit pedem, vt sanctum ingrederetur limen, tamen protinùs retrosùm ruens cecidit, & mortua est: satisq. fuit populis, ne vltrà mulier vlla præsumeret, cùm in illam cerneret vltionem pessimè irrogatam.

5. *Gononus in Chr. Deip. an. 1131. ex Breu. Eccl. Suenionensis.* An. ab Incarnatione Dom. 1131. circa festum B. Lucæ Euangelistæ, cùm Innocentius Papa, Monasterium S. Medardi dedicasset, mulier quædam Laudunensis non immemor suorum peccatorum, virtute inuisibili ab Ecclesia B. M. V. arcetur; bis, terq. conata est ingredi, sed frustrà. Postquam autem Sacerdoti peccata sua confessa est cùm gemitu, & dolore, absolutione accepta, Abbatissa eiusdem loci data manu eam in Ecclesiam introduxit.

6. *Io. Colg. in vita S. Cuthberti 20. Martij.* Vxor Comitis Tostij, S. Cuthbertum diligens, diuersa eius ornamenta contulit, & adhùc plura cùm multis terrarum possessionibus se daturam promisit, si eius Ecclesiam intrare ad ipsius sepulchrum sibi liceret adorare. Sed rem tantam tentare non audens, vnam de Ancillis suis hora secretiori præmisit; Cùmque pedem in cæmiterio poneret, subitò velut ventorum violentia cæpit repelli, & viribus deficere, sicque grauiter infirmata cùm graui cruciatu, & dolore breui vitam finiuit.

7. *Iacobus Gualla li. 4. cap. 2. Sanctuarij Papiæ, de Templo S. Ioannis Baptistæ, in quo sepultus fuit Lotharius Rex.* Fertur, quendam Sacerdotem, nocte regium sepulchrum aperuisse, Regemq. pretiosis spoliasse, cui B. Ioannes Baptista, cui Rex ipse mira deuotione, dùm viueret, deditus erat, per quietis visum apparens, vehementer eum exterruit, & interminando, inquit, cur ausus es corpus huius hominis contingere, qui se mihi commendauit? & quia hæc facere præsumpsisti, nunquam in meam Basilicam deinceps ingressum habebis. Et sic euenit, nàm quotiès ille sacrilegus eam basilicam ingredi volebat, totiès illicò vehementi impetu nemine viso illius guttur veluti à pugillo vulnerabatur retrò prostratus.

Contemptus Ecclesiarum diuinitùs punitus. §. 4.

QVanti faciat Deus sacrorum locorum contemptum, crebræ in violatores Ecclesiarum demonstrant diuinæ vindictæ. Nunc solùm quasdam paucas admirandas notabo, innumeræ etenim qualibet in sacra historia leguntur. Sunt autem.

1. *Greg. Turon. lib. 7. Hist. Francorum c. 42.* Biturigum Comes misit pueros suos, vt in domo B. Martini, quæ in hoc termino sita est, huiusmodi homines spoliare deberet. Sed Agens domus illius resistere fortiter cæpit, dicens, S. Martini homines ij sunt, nihil eis quicquam inferatis iniuriæ, quia non habuerunt consuetudinem in talibus causis abire; at illi dixerunt; nihil nobis, & Martino tuo, quem semper in causis inaniter profers: sed & tu, & ipsi pretia dissoluetis pro eo quòd Regis imperium neglexistis, & hæc dicens ingressus est atriū domus. Protinùs dolore percussus cecidit, & grauiter agere cæpit. Conuersusq. ad agentē voce flebili ait: Rogo, vt facias super me crucem Domini, & inuoces nomen B. Martini. Nūc autem cognoui, quòd magna est virtus eius, nàm ingrediente me atrium domus, vidi virum senem exhibentem arborem in manu sua, quæ mox extensis ramis omne atrium texit, ex ea enim vnus me attigit ramus, de cuius ictu turbatus corrui, & innuens suis rogabat, vt eijceretur de atrio. Egressus autem, inuocare nomen B. Martini attentiùs cæpit. Ex hoc enim commodiùs agens sanatus est.

2. *In vita S. Vualpurgis Virg.* Quidam à partibus Franciæ veniens, extensa ceruice, chirotechas in manibus habens, irreuerenter, & absq. debita humiliatione Monasterium S. Virg. ingressus est, & vtrùm hanc negligentiam incurrerit obliuionis incuria, vel rusticitatis stoliditate, præsumentes iudicare non possumus; sed quid eidem acciderit aduertamus. Igitur chirothecas, quas intrās Monast. in manibus habuit, ad mentē rediens, detrahere volens nō inuenit, sed de manibus euanuerunt. Ita quòd nulla circūspectionis diligētia inueniri poterāt, quantùmcūque exquisitæ. Stabat ergo attonitus, & plùsquā credi potest

potest, de re gesta admirabatur. Facta tandem oratione, acceptaque, pro qua venerat, benedictione, ad propria repedauit. Expleti autem quatuordecim diebus, dùm sederet, cibum gustaturus ad mensam, familiari cùm suis vtens colloquio cæpit, quod ei contigerat, euidenti relatione pandere, vbi dùm plura de eadem materia fabularetur ad domicilii sui domesticos, easdem, & non alias iuxtà se iacentes inuenit Chirothecas, quas cùm vidisset, hæsit animo, & vehementer admirans, tandem resumpto spiritu, easdem suis ostendit sociis, ac fideliter eos consulens tractare cæpit, quid de ipsis consultiùs agendum videretur. At omnes prouida mente censuerunt, easdem Chirothecas ad Monasterium VValpurgæ Virginis esse transmittendas, tàm in signum patrati miraculi, quàm simul in euidentiam exhortationis, quòd nullus Ecclesiam Vualpurgę Virginis, vel quorumcumque Sanctorum irreuerenter intrare, vel inibi stare quoquo modo præsumeret. Transmissæ ergo Chirothecæ ad Monasterium, multis ostensæ sunt ad emendationem, & boni moris pariter commendationem.

3. *Sanctus Petrus Damianus in opusculis.* Vnum planè contigit in nostris partibus de quodam carnaliter sapiente, quod dignum non est silentio præterire. Fanensis quidam Primarius ciuitatis, Hugo nomine, ipsa nocte, quæ peracta Parasceue Sacrosanctum Sabbatum Dominicæ Sepulturę precedit, cùm armis, & armatis ingressus Ecclesiam, in qua diuinis vacabatur officiis, perosum sibi violenter hominem cædit, ac vinculis crudeliter mancipauit. Quem quia noua præsumpsit, nouo Deus omnipotens supplicio condemnauit. Nàm cùm sensum mentis, in quantùm mihi videtur, integrum teneat, omnes eum tanquam væsanum, exinanitum, atque dementem conspuunt, & exprobrant. Halitum quippe eius, iuxta querelam B. Iob, vxor exhorret, eumque velut arreptitium nurus explodit, ad mensam, siue colloquium filius non admittit, auertunt oculos famuli, dedignãtur amici, Clientes, Milites, Affines, atque Propinqui: Episcopus etiam Ciuitatis, & vt compendiosè omnia complectar, omnis clerus, & populus iàm ferè per duodennium arbitrantur eum mentis impotem, & væsanum, nullumque cùm eo, tanquam Energumeno, dignantur habere consortium, Porrò cùm diues sit, & exuberans domus eius, fluunt pannosæ, & illotæ vestes, horret inculta cęsaries, caput eius diuturni sudoris fętet iniuria, corpus totum per longam sordet incuriam. Hic planè, cùm me adesse cognosceret, me cõcitus adiit, mala, quæ patiebatur, exposuit, querelam de suis sobrio sermone digessit, & (quantùm ex tenore verborum eius colligere potui) rationabiliter declamauit. Itaque conueni filium, Episcopum quoque, ac de Ciuitate quamplurimos, & subtiliter inquisiui, quid inordinatum, quid delirum, quid ineptum in illo conspicerent, pro quo illi væsaniam imputarent. Aquibus vtiq. nihil aliud, & ne vnum quidem certi signi verbum addiscere potui, nisi hoc tantùm, quia demens est: quod omnes ore consono vnanimiter asserebant. Cùmque ego dicerem: quomodò id scitis, quibusue indiciis eum insanire coniicitis. Nihil aliud inuenientes, idipsum denuò replicabant: Demens est. Quod mihi videtur profundum, atque admirabile Dei Omnipotentis esse iudicium, vt qui prudens, & sciens spontè desipuisse cognoscitur, prudens, & sciens opinione væsaniæ puniatur, & qui spontè factus est furiosus, demens ab omni populo iudicetur inuitus.

4. *Adam antiquus Cronographus apud Baronium an. 916.* In diebus illis grande miraculum fertur à posteris Bremę contigisse, Vngaros scilicet incensis Ecclesiis, Sacerdotes ante Altaria trucidasse, Clerum vulgo mixtum, aut impunè occisos, aut ductos in captiuitatem. Tunc etiam Cruces à Paganis truncatæ ludibrio habitæ, cuius signa furoris vsque ad nostram ætatem durauerunt. Sed Deus Zelotes, cuius passio ibi derisa est, incredulos abire non passus est inultos. Nàm subitò & mirabilis orta tempestas à semicremis Ecclesiarum tectis scindulas eleuauit, quas in facies, & ora paganorum rotans, dùm fugæ præsidium quærunt, aut in fluuium præcipitari compulit, aut in manus Ciuium concludi.

5. *Flodoardus Remensis, in vita S. Basoli Confess.* Quandò nuper hæ Galliarũ patriæ peccatis nostris impellentibus, Hungarorũ gladiis dilacerandæ sunt traditæ, quidam Barbarorum, S. Basoli Monasterium ingressi, habitacula cęnobij hominibus penè vacua repererunt, quorum quidam in Ecclesię signorũ turricula deaurata conspiciens relucere metalla, cupidus auri, tectum conscendit, sed subitò delapsus ad terram corruit, & interiit. Alius horum, super aram Ecclesiæ in honore B. Martini dedicatam conatus ascendere, ipsa manus hæsit marmori, vt nullo modo ab ea posset diuelli, & quia hic eum sui nollebãt relinquere, partem lapidis circa manum abscindentes, eum deduxerunt cùm marmore in manu; qui etiam, vt captiui qui reuersi sunt, referũt, vsq. ad terram suam arente iàm brachio hunc lapidem ferens, & D. Basoli virtute factũ clamans, reuersus est.

6. *Vghellus in Italia Sacra to. 7. Sipontini Epis.* Dùm Henricus Imperator ad Montem Garganum deuotionis causa profectus esset, & pernoctare in sacra illa D. Michaelis spelunca voluisset, quod eo tempore semper omnibus vetitum erat, cùm ibidem fama sit cælestium choros vnà cùm Angelorũ Rege, & Domino ibi tunc conuenire, diuinasq. laudes totam noctem ad auroram vsq. concinere; dùm oraret, ex quodam Angeli attactu, femur emarcuisse scribunt, vt veluti alter Iacob perpetuò claudicauerit, & Claudus dictus sit.

7. *Thomas Ioannes Pessina, in Glor. Eccl. Prag. Rad. 6.* Cùm an. 1619. Ecclesia Metropolitana Pragensis, eiectis Canonicis, & aliis omnibus inferioris ordinis ministris, à perfidis Caluinistis profanata fuisset. Nocturno tempore non semel Ecclesia prodigiosis luminibus tota inclarere visa fuit, fenestris omnibus tàm ingenti splendore refulgentibus, vt à vicinis hæc non sine admiratione spectantibus, omnia intùs ardere putarentur: auditæ etiam Psallentium voces, & cantica; ceù ipsimet Fidelium in ea Defunctorum pii Manes abominationem hanc in loco tàm sancto detestari, & diuini Numinis vindictam implorare viderentur.

8. *In vita S. Norberti*. Nefarius ille Fridericus Arnesbergensis Comes, ægrè admodùm ferens, quòd Cappenbergense castrum diuino sic esset mancipatum obsequio, illud copioso Militum equitatu obsidet, pioque Comiti, & fratribus, qui illic à Norberto fuerant collocati, multas contumelias, multaque intulit damna. Quæ vbi viro Sancto, prædicationi verbi Dei vltrà Renum intento, renuntiata fuere; Ille contempta sua, vt suorum saluti consuleret, confestim ad eos reuertitur. Qui vt erat animo inuictus, ita eos ad constantiam & perseuerantiam hortatus est. Glorificate, inquit, fratres charissimi, Dominum Deum nostrum, quia hic locus mons Sanctificationis est, Mons sublimis, quem acquisiuit dextera eius; Cùm enim aliquandò hinc non longè positus essem, vidi magnæ claritatis lumen in circuitu eiusdem loci exortum, atque diffusum, & cùm lumine Spiritum Sanctum descendentem, propterea in eum, & per eum, qui dixit, ego vici mundum, confidite. Tùm vir Sanctus, fidei, & spei galea munitus, profanum adit Fridericum, eumque impietatis suæ acriter arguit, & constanter; quem cùm ab incepto, & impietate sacrilega abducere non potuisset, proximum illius exitum prophetico spiritu prædixit, qui & paulò post secutus est. Dùm enim iniquus ille Comes pranderet, diuinæ vltionis mucrone perfossus, disrupto ventris thorace, crepuit medius, sicque nefarius hostis finem habuit vitæ, qui fuit, & persecutionis.

9. *Ianus Nicius*. An. Domini 1630. cùm in æde D. Petri in Vaticano, egregii cuiusdam operis forma ædificaretur, & magnus fabrorum numerus ex machina lignea, Apostolorum Principis aræ imposita (ea enim illo erat opere exornanda) elaboraret, eorum vnus, fortassè molestiæ, quam labor habet adiunctam, minuendæ, vel fallendi temporis gratia, amatoriam quandam cantiunculam exorsus est canere, ita clarè, vt à Sacerdote, qui propè ab eo loco confessiones audiebat, exaudiretur, à quo admonitus, ne templum omnium religiosissimum, ipsis Sacratissimis Apostolorum corporibus imminens, impuris illis cantiunculis contaminaret; contempsit ille, neque minùs lasciuum illud prosecutus est carmen; sed breui spretæ religionis, & admonitionis pœnas exoluit. Nam pede lapsus ex altissima illa machina, grauissimo casu corruit, atque ad ipsam Apostolorum aram miserabiliter elisus, & comminutus occubuit.

10. *Horatius Tursel. lib. 3. c. 30. Hist. Lauretanæ*. In Sacrosancti Sacelli violatoribus euidens Dei numen apparuit. Anno huius sæculi circiter 58. Vir quidam ex præcipua Italiæ ciuitate nobilis in primis, & copiosus (nomen, & hominis, & Patriæ silentio supprimitur, quia ipse suppressum voluit) Lauretum venit, documentum haud inultam temeritatem talia audentium esse. Hic multis ante annis exiguum lapidem ex Sanctissimę Virginis Cella subtractum domi suæ asseruabat omni honore, cultuque; haud tamen ille cultus cælestem leniuit iram. Sed Deo, Matris suæ iniuriam vindicante, miser ille sacrilegam religionem, orbitate filiorum, & amissione fortunarum omnium luit. Ad hæc pertinaci magis, quàm pernicioso morbo vrgeri, vexarique cæpit. Itaque vt erat vir cæteroqui prudens, ac sapiens, aperuit aliquandò oculos: & Deum profectò alicuius sui sceleris vltorem adesse sensit. Cæterùm etsi omnia sibi accidere videbat aptè ad repræsentandam iram diuini numinis, tamen quo tandem suo merito illa acciderent, non videbat. Ergo ab ægritudine simùl corporis, animique anxius, omni ope placare nitebatur Deum iratum. Sed iræ materia apud eum, quamuis ignarum, residens, irrita omnia faciebat. Alia deindè spes, postquam hæc vana euaserat, ei affulsit. Lauretanæ Virginis, cui mirè addictus erat, memor, eius auxilium pariter, & consilium implorat. Nec mora, B. Mariæ monitu discit, lapidem ex Lauretana Domo sublatum, causam esse cælestis iræ, eamque, non nisi sacro lapide restituto, posse placari. Tùm ille obortis lachrymis, religiosæ, vt crediderat, audaciæ veniam à Deo, Deiparaque exposcens, desiderauit ipsemet referre Lauretum, quod abstulerat. Nec in irritum preces cecidere: hoc quoque culpam agnoscenti suam Deipara indulsit. Extemplò igitur depulso morbo, alacer pergit Lauretum, saxum restituit, vota persoluit. Aliud quoque per id tempus huic haud absimile accidit. Fæmina ex agro Piceno, post diuturnum Matrimonium, nullos genuerat liberos. Hęc eius animum cura angebat maximè, vt vndique sterilitatis remedia quæreret. Ergo ait illi nescio quis, mulieris gratiam initurus, nullum remedium præsentius ad abolendam sterilitatem, quàm Lauretanæ Domus reliquias, piè, religiosèque custoditas: siquid indè abstulerit, breui eam Matrem fore pollicetur. Id non promissum magis stolidè, quam creditum. Illa igitur manifesta Dei vltoris ira, ablatum indè lapidem cùm febri Domum retulit; & ægritudo corporis animum vrgebat; adeò non vehementiùs febris æstu, quàm conscientiæ iactabatur. Nec priùs ex iactatione illa conquieuit, quàm Laureto Sacerdotem acciuit, & lachrymas pęnitentiæ indices profundens ablatum reddidit lapidem. Pænitentiam valetudo, non tantùm venia est consecuta. Magno etiam Illyricis Mercatoribus *similis* audacia stetit. Hi coempto ex Picentibus frumento, saxum ex Deiparæ Cella surreptum, clàm in onerariam abdiderant. Cæterùm vt fallerent homines, sacrilegii vindicem Deum non fefellerunt. Profectos ex portu atrox vis tempestatis subitò adorta, in ingentem adduxit metum, & trepidos vasorum, merciumque iacturam facere subegit. Haud procùl exitio res erat, cùm Deum Parentis suę vltorem adesse senserunt, & flentes, tendentesque in cælum manus, veniam pariter orare cæperunt. Placato lachrymis, ac precibus Deo, Mare quoque placatur. Illi periculo erepti, retrò iter flectunt; ad Lauretum appellunt; lapidem Virgini restituunt; prospero indè cursu in Dalmatiam prouehuntur. Peregrinorum quoque nonnullos, qui aliquid indidem seu lapidis, seu calcis abraserant, abeuntes, morbus, velut diuinæ prouidentiæ lictor corripuit, nec ante eos dimisit, quàm regressi cum lachrymis, & confessione temeritatis suæ, ablata Deiparæ reddiderunt.

11. *Idem*

11. *Idem ibidem lib.5. cap.16.* An.1586. Sacerdotes duo Placentini, ex composito, calcis aliquid è sacro pariete sustulerant, eo consilio, vt id secùm circùmgestarent, Lauretanæ Virg. monumentum, vitæque præsidium. Sed quæsitum inuito Deo præsidium, in periculum vertit. In Patriam regressos, atrox pariter, minaxque occupat febris, qua pertinaciter tertium iàm mensem vrgente, tandem resipiscunt. Subit animum memoria Lusitani Episcopi, qui quamquàm permissu Pontificis, lapidem ex Lauretana æde sumpsisset; tamen infenso Deo penè exitiali oppressus sit morbo, ex quo non antè conualuerit, quàm sacrum Virgini restitueret lapidem. Ergo ambo communi consilio decernunt, B. Mariæ reddere, quod abstulissent, eamque enixè orant, ipsorum inscitiæ ignoscat, suaque recepta re, pristinam eis restituat sanitatem. Nec mora, calcem illam serico sacculo includunt: litteras addunt miraculi testes; peregrinis Lauretum petentibus tradunt, ipsi valetudinem recuperant. Calx vt erat in sacculo serico à Placentinis aduenis Lauretum ad Rutilium Benzonium Episcopum perlata. Recitatis Placentinorum Sacerdotum litteris, fides miraculi facta: vulgata indè res: & duorum exemplo repressa audacia multorum.

12. *In Annalibus Societatis Iesu an.* 1582. *in Hist. Prouinciæ Romanæ.* Homo Transalpinus ex sacra Lauretana Domo, calcis aliquantulùm sustulerat, hunc vbi Romam venit, morbus debilitate subita adorsus est, cùm autem de consilio quorundam, Lauretum rediisset, calcemque restituisset, illicò sanitatem recuperauit.

13. *Tilm. Brendebachius lib.1. collat. sacr. capit.* 60. Quidam ex Optimatibus Geneuæ, Perrinus nomine, consilio, & auctoritate sua obtinuit, vt in Basilica primaria, D. Petro consecrata, summi Altaris lapis (quem Innocentius III. & alii Canonum Authores Mensam Altaris vocant) loco moueretur, & in locum supplicii transferretur, vt damnati in eodem decollarentur, idque in contumeliam, & contemptum tremendorum mysteriorum. Contigit verò deindè, vt idem ille, quantùmuis primarius Senator Geneuensis, primus in eodem lapide capitali censura plecteretur, instar Aman, qui suspensus est in patibulo, quod Mardocheo parauerat.

14. *Aimoinus Floriacensis libr.5. de miraculis S. Benedicti c.1.* Erat quidam Viuianus, cultor fertilis agri, abundans opibus, diues pecoris. Et quoniam erat assiduus venator, alebat Canum gregem ad capiendas modicas, seù magnas diuersarum specierum feras sagacem. Accidit itaque die quadam, vnum de Canibus, quia patebat ingressus, nemine obsistente, intrasse S. Saluatoris Oratorium: quem consecuti sunt ex alijs aliqui. Porrò qui primus ingressus fuerat, quoniam lampas, in qua olei liquor ad effugandas nocturnas illius sacri loci tenebras, infusus habebatur, propior pauimento dependebat; saltu adnisus, eam deiecit, & olei liquamen, quod de ipsa effracta lampade, effusum erat, lingua lambit. Erat verò hic Domino suo carus valdè, quoniam ex illo erat Canum genere, qui lepores assequuntur velocitate pedum. Accurrunt & alii, cupientes huius edulij participes fieri. Nec mora, qui oleum lambuerant, in rabiem vertuntur. Egressique ab Oratorio, mirabile dictu, aliis commixti canibus, qui fortè in domo, vel platea substiterant, omnes rabidos efficiunt. Et gregatim quaqua versùm discurrentes, cuicumque obuiabant animali, illud ore dilaniare, vnguibus discerpere attentabant. Nec est data requies ab eorum infestatione, per circuitum vici illius habitantibus, donec omnes suffocarentur, vario genere mortium.

15. *Idem ibidem.* Corripitur Viuianus ab Amicis, seù à quibuscumque sanum sapientibus viris vicinis, ne sacrum locum vilipendat; vt ambitum eius claudat, vt animalia sua ab ingressu illius arceat. Sed nullatenùs aurem se se monentium dictis accommodans, incurrit maius aliud detrimentum. Denique cùm haberet multitudinem Porcorum, erant enim ferè quater viceni; nequaquam eis adhibere custodiam voluit, ne superiùs memoratum intrarent sacrum. Igitur vna dierum, illapsi aliqui ex eis ipsius penetralia sacri, vertuntur in furiam; egredientesque ab illo, toti suo obuiant gregi. Protinùs ergo omnes sues, sicut Canes superiùs, in insaniam vertuntur: ita vt nullus eorum vlteriùs ad consuetam domus Viuiani redierit aram. Videres eos passim vagantes hianti ore ea feritate, qua illud animal furia inuectum fertur, bacchando discurrere, & quodcumque obuium immundo ore polluere, pedibus conculcare. Nec ab illa rabie cessarunt, donec cuncti variis mortibus necati sunt.

16. *Hugo Menard, l.1. ob. in Feb. de Oratorio S. Adelini.* S. Adelini virtus iàm multis nota, prodigiisq; & miraculis clarior fuit. Duo Equites cùm duobus assuetis venatibus vmbris, loci dignitatem forsàn ignorantes, in hanc vallem venientes, sunt experti quantæ hic locus esset dignitatis. Nàm postridiè manè eorum Equi, & Canes reperti sunt mortui. Quo audito, Episcopus edixit, ne quis posthàc Eques Oratorii illius fines attingeret.

17. *Metellus Tegerseensis in suis Quirinalibus, de B. Quirino marty. De Equo ad murum Ecclesiæ religato in rabiem verso.*

Annua dùm coluntur
Festa pij Patroni,
E Latio paterno
Baiariam petentis,
Ad Boreale muri
Quod latus in forum fert,
Ecclesiæ Quirini
Exterius Cymitron
Miles Equum ligarat
Tyro, volens eadem
Arma die subire
Huic sonipes furebat,
Fræna ferox reuulsit,
Indomitosque passim
Asper agit rotatus,
Nec requieuit ante
Quàm sibi vita morte
Perdita cùm furore,
Sacra timenda suasit,

Ac

Ac reuerenda tanti
Martyris esse templa.
Immaculata sedes
Sacra decent per æuum.

18. *Sanct. Petrus Damianus in Opusculis.* In Monasterio, quod Cliuus Scauri dicitur, crypta est, quæ B. Gregorii dicitur, vbi videlicet & fons eius perspicuis, ac frigidis redundat aquis, vndè bibebat, & lapideum cubile adhùc cernitur, vbi æstiuo tempore quiescebat. Quam aliquandò cryptam prægnans canicula casu ingressa est, siuè vt æstuans biberet, siuè potiùs, vt eo loci parturiret. Sed necdùm ad aquas vsque pertingens, mox vt præfato Lectulo propinquauit, moriens corruit.

19. *In actis Caroli Magni Imperatoris.* Accidit in Regia ciuitate Aquisgrani, Clericum quendam Sanctam Aquensem, non orationis causa, sed ex consuetudine sola, intrare Ecclesiam: qui etiam ausu temerario nocturni admissi excessu neglecto, Sacrarium contrà reuerendam loci eius, & Clericorum consuetudinem irrumpere præsumpsit, & ante venerandam effigiem venerabilis Caroli reclinato capite propter noctis præcedentis vigilias, somno dormitionis irreuerenter, & infrunitè, idest imprudenter, oppressus, somnum mortis adinuenit. Repentè enim manus quædam, vt viderunt, qui hoc nobis retulerunt, præfatum iuuenem, super quoddam scrinium in præfato venerabili oratorio reclinatum, tanta virtute repulit, & longè à loco in circumscriptæ reclinationis reiecit in opposito aduersæ partis. Subitò igitur ibidem graui ægritudine oppressus, sui excessus humiliter errorem confessus, paruo dierum numero interposito diuinæ vltionis iudicio condemnatus, viam vniuersæ carnis est ingressus: cæteris exemplum debitæ relinquens reuerentiæ.

20. *Bar. an. 951.* Hoc anno Amalaphus tyrannus in Anglia, cùm adeò inualuisset, vt eius Regni partem dimidiam possideret, alteram Eadmundus legitimus Rex teneret; vbi aggressus est incendio tradere Ecclesiam S. Balteri, mox numine uindice repentina morte percutitur. Sicque absque armis factum, vt vniuersa Angliæ Monarchia idem pius Rex potiretur Eadmundus.

21. *Osorius li. 7. cap. 36.* Masceriles ebrius fortuna rerum secundarum, cùm ex Ecclesia impius violator reos quosdam extraxisset, aliquantò post ex ponte præceps datus est insultantibus iis, quos eruerat è loco sacro.

22. *In vita S. Alberti Carmelitæ.* Cùm semel Milites Templum eius, quod est in Sicilia ingressi, profanum fecissent; statim audito strepitu in arca, qua Beati Viri sacra ossa claudebantur, multi è militibus, qui Templum violauerant, interierunt.

23. *Gretserus, ex Giraldo.* Est in Mona insula Ecclesia S. Tefredauci Cõfessoris, in qua Hugo Comes Slopesburiensis, cùm semel vnà cùm Comite Cestrensi hanc Insulam vi ingressus, canes nocte quadam posuisset, insanos omnes manè recepit, & ipsemet infrà mensem miserabiliter extinctus occubuit.

24. *Thomas Ioannes Pessina, in Glor. Eccl. Prag. Rad. 6.* Dùm anno 1619. à Caluinistis deuastata fuisset Ecclesia S. Viti, Metropolitana Pragæ, die 23. Decembris, Fer. 2. post Dominicam quartam Aduentus, quidam, qui contemptim, & ignominiosè B. Ioannis Nepomucensis, olim Pragensis Canonici sepulchro insultabat, illicò corruens, & manibus alienis à Templo protractus, post horæ vnius inducias, fuit extinctus horrendis pedum, ex vltrice caloris intemperie correptorum, doloribus.

25. *Matthæus Tympius.* Anno Christi 1167. cùm Fridericus Imperator vrbem Romam obsideret, & ignem iuberet immitti in Ecclesiam S. Petri, immisit in eius exercitum Dominus Deus tantam subitaneæ mortis pestilentiam, vt infrà septem dierum spatium ferè vniuersi Maiores ipsius Principes, qui secùm Ecclesiæ aduersabantur, subitanea morte corruerint, & miserabiliter morerentur, Reliqui quoque Barones, & Milites, ac cæterorum Pugnatorum maxima multitudo cùm languerent, & nullum sanitatis remedium possent inuenire, spiritum miserabiliter exhalabant, quorum cadauera vsquequaque inhumata iacebant.

26. *In Historia Mediolanensi.* Cùm Comes Stilico, Eusebii Prefecti hortatu, Mediolani quosdam misisset, vt ex Ecclesia Cresconium quendam vi educerent, violatæ Ecclesiæ hi pœnam tulerunt, à Leopardis enim illò diuinitùs immissis, laniati fuere.

27. *Nicolaus Trigautius de Christianorum apud Iaponios triumphis.* Facatæ, in Regno Chicungum hoc accidit. Cum Dynasta indè nostros eiecisset, & ex alio suo oppido Alnangui, fatis illibens, & Imperatoris metu adactus, templumq. amplum illud, & percommodum solo æquari iussisset; insolito splendore, cælestique calculo res est improbata: nàm continuas septemdecim noctes fulgor admirabilis illustrauit, primùm qua in parte principum valuarum peristylium sacrum Iesu nomen affabrè sculptum exhibebat. Aduersa ex parte planè ex æquo appositi tres ignes alii cernebãtur, quorum qui medius erat, reliquos duos claritate superabat, latitudo ignium pedalis erat, sex cubitis in sublime consurgens: ad quod spectaculum toto illo tempore multi cõuenerunt, & è nostris Frater vnus, aliique domestici plures oculati testes prodigium spectauerũt, quod æquata solo per eos dies æde sacra, nunquam aliàs deindè comparuit; sed & aliud in eadem æde diruenda portentum fuit. Fabri petulantiùs inter diruendum, Christi sacra, & Ecclesiæ administros prosequentes, subita trium columnarum ruina, qua parte minùs illam minabantur, oppressi, tres ipso momento perierunt, è cæteris saucios triginta sex & illo numero breui morituros cæteri extulerunt: territique omnes à blasphemiis deindè scommatis, dicterisq. sibi temperarunt. Dynasta ipse ausus non est è lignaria ædis strue in vsus suos quicquam conuertere, sed vniuersam scaphis impositam Nangasaquium ad nostros voluit deportari.

28. *Ex annuis litteris Iaponensibus Societatis Iesu.* Quidam Æthnicus, cui Rex Bungensis assignarat aream, in qua Ecclesia nostra fuerat, cùm vellet

velle ſibi ædificare, monitus eſt à quibuſdam, videret quid ageret, ſtetiſſe eo loci Eccleſiam, non immunem fore ab vltione diuina. Ille nihilominùs contempto conſilio, domum excitauit. Sed vbi eam incolere cæpit, breuiſſimo tempore quinque homines in ea deceſſerunt. Quo euentu perterrefactus, aliò commigrauit. Sed paulò poſt veritus ne ob animi abiectionem à Gentilibus haberetur ludibrio, in eam repedauit, & paucis poſt diebus certa quadam orta contentione, primogenitus eius filius iugulatus eſt. Sic malo ſuo ſapientior redditus, tandem prorsùs domum deſeruit. Cui alius Gentilis volens experiri fortunam, non multò poſt ſucceſſit, ſed intrà paucos dies lepra percuſſus eſt. Quare deinceps vacua omninò remanſit, nullum inueniens habitatorem; hocque exemplo didicere Chriſtiani in quanto honore deinceps Templa habenda ſint.

29. *Luc.Vad.in Annal.minorum,an.1211.n.19.* Id obiter hoc loco dixerim, quod Marianus poſt 1400. annum accidiſſe notauit; temporis decurſu Eccleſiunculam à D. Franciſco extructam, alia noua ædificata, adeò neglectam, vt vario vſui ſucceſſiuè inſeruiret, donec demùm deleto ab hominum memoria, ibidem aliquandò ſacram extitiſſe ædem, mutaretur in ſtabulum. Oſtendit autem Deus, quantùm ſibi hæc hominum diſplicebat incuria morte quorumcumque, quę illùc introducebantur, animalium. Quidpiam illic latuiſſe Sacri exiſtimauit quidam ex Patribus, & abſterſo, purgatoque loco, inuenit in quodam parietis angulo defoſſam capſulam, continentem quaſdam reliquias Sanctorum, Scutellam ligneam, in qua ſæpiùs S. Pater comederat, ſicut appoſitum ſcriptum teſtabatur membraneum, atque eius genuinam imaginem à quodam Aretino non longè ab eius morte depictam. Mouit hæc ratio Patres, vt locum in veneratione haberent, & erecto in eo altari, inuentam ſuperponerent effigiem, quæ in hunc vſq. diem magna colitur religione ſub cura Patrum Conuentualium Cuſtodiæ Aretinæ.

Alia huiuſmodi, aliis in locis ſunt notata, præcipuè cùm de Animalibus vltricibus, cùm de pœnis contra Contemptores ſepulchrorum, & ſacrarum exuuiarum, cùm de ſacrilegè Eccleſias ſacris ornatibus ſpoliantibus, & alibi.

Admiranda Dei vindicta contra ſpoliantes ſacris ornatibus Eccleſias.

§. 5.

VNum Balthaſſarem Babyloniorum Regem, ob ſacrilegè à Hieroſolymitano templo direpta vaſa, mortis ſententia, in cænaculi pariete digito Dei ſcripta, punitum, in ſacris deſcribitur paginis; At innumeros ſacrorum vaſorum, catholicarumque Eccleſiarum ſacræ ſupellectilis direptores, diuinitùs, admirandiſque modis punitos enarrant Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ; de his aliqua. Suntque.

1. *S. Io: Chryſoſtomus tom. 5. orat. contra gentil.* Auunculus Imperatoris Iuliani, cùm Felice Præfecto ærarii, Templi vaſa ſacra eo contemptu habuit, vt inuerſa in pauimentum, ea pro ſedili vſurpauerit, ſed ambo ſacrilegę ſeſſionis dedere illicò pœnas, nàm Iuliano vermibus verenda computruerunt; & Felix in ipſo aulæ limine diſruptus eſt medius, atque effuſa ſunt viſcera eius.

2. *Greg. Tur.lib. 1. de gl.mart. c. 59.* Eccleſia eſt vici Iciodonenſis, ſub termino Turonicæ vrbis, quæ plerùmque ſacris miraculis illuſtratur, feneſtras ex more habens, quæ vitro lignis incluſo clauduntur, quo præclariùs ædi ſacratæ lumen, quod mundus meruerit, ſubminiſtrent. Quam Eccleſiam fur importunus adgreditur, ingreſſuſque nocte, cùm omnia cerneret cuſtodum cura tueri, & nihil de ſacris miniſteriis, quod auferret aduerteret, ait intra ſe, ſi aliud, inquit, inuenire non poſſum, vel has ipſas, quas cerno vitreas auferam: fuſoque metallo, aliquid auri conquiri ſibi. Ablatis igitur, diſſipatiſque vitreis, metallum abſtulit, & in pagum Biturigi territorii contulit. Miſſumque vitrum in fornace per triduum decoquens, nullum exindè opus potuit expedire; victuſque crimine, diuinum ſuper ſe iudicium intuens, nequaquam motus, perdurat in malis. Ablatum autem à cacabo vitrum, quod in pillulis neſcio quibus conuerſum fuerat, aduenientibus negotiatoribus, venum dedit, vt ſcilic. accepta pecunia nouus Giezi, lepram perpetuam compararet. Nàm adueniente die poſt anni curriculum, quo hoc furtum fecerat, caput eius tumori datur. Oculi quoque inflantur, vt erui à ſuis locis autumentur. Hæc autem ei ſingulis annis eueniunt in die illa, qua furtum admiſit: plangitque miſer vitrum, quod ex itinere quò tranſmiſit, non potuit reuocare.

3. *Idem ibidem cap.61.* In teritorio vrbis Namneticæ, in vico quodam ſupra alueum Ligeris, Beati Nazarii reliquiæ continentur. Igitur quodam tempore homo deuotus balteum ex auro puriſſimo cùm omni apparatu ſtudioſſimè fabricatum ſuper altare Baſilicæ illius poſuit, orans vt in cauſis ſuis martyris virtus dignaretur adeſſe. Quo recedente, Britto quidam ex ſatellitibus Vuarochi Britannorum Comitis, & primus cùm eo adſuit, ablatoque violenter apparatu baltei, ipſum quoque balteum repetit. Renitente presbytero, ac dicente, Dei res hæ ſunt, & ad reficiendos pauperes ſancto martyri ſunt collatæ, ne famem peſſimam patiantur, qui huic templo fideli deuotione deſeruiunt; vndè tu potiùs hùc inferre, non auferre debebas. Non molliuit hominis auari animum, Abbatis illius prædicatio: ſed potiùs ſuccenſus, minari ei cæpit, ac dicere; Niſi ſine mora refuderis balteum, manu mea interimeris. Tunc victus Abbas, ſpeciem ſuper altare quo ſancta teguntur pignora, collocauit, dicens: En ipſam quam petis reculam: ſi metus de virtute martyris nullus eſt, aufer. Erit enim vt confidimus de veſtigio iudex, ſi ea auferre præſumpſerit. At ille nihil metuēs, abſtulit, iubens ſibi equum ante ipſam baſilicæ porticum præparari. Cui ait ſacerdos: Nullus vnquam in hoc loco equum præſumpſit aſcendere; Da queſo gloriam Deo, & honora martyrem, ne mali aliquid patiaris. Ille verò mandata negligens ſacerdotis, aſcenſo in atrio ſancto equo, vbi egredi venit, percuſſo ad portę

limen

limen superius capite, ad humum testa disrupta corruit, manibusque suorum deportatus, vt tugurium cuiusdam pauperculi, quod erat proximum, est ingressus, protinus spiritum exhalauit. Quod Vuarochus audiens, & res, quas hic abstulit, restituit, & de suo proprio multa contulit, pauore perterritus.

4. *Idem ibidem cap.72.* Tempore quo Sigibertus Rex cùm exercitu ad vrbem Parisiorum venit, & maximam vicorum eius partem incendio concremauit, quidam de primoribus eius ad Basilicam S. Dionysii m. properat, non orationis deuotione, sed tantùm, vt aliquid fraudaret ab æde: illicet vbi reserata ostia, & vacuum templum à custodibus reperisset, pallam holosericam, auroque exornatam & gemmis, quæ sanctum tegebat sepulchrum, temerario ausu diripuit, secùmque sustulit. Veniens autem ad castra fuit ei necessitas nauigandi. Cùmque puer eius, quem tunc creditum habebat, suspensis ad collum ducentis aureis, nauem cùm eodem ascendisset, subitò à nullo tactus, de naui cecidit, oppressusque aquis, nunquam potuit inueniri. Ille quoque iudicium Dei in se cernens per pueri amissionem, & auri, velociter littori, de quo digressus fuerat, remeauit, pallamque sepulchri summa velocitate restituit; & licet hoc fecerit, tamen diem, in quo hæc admiserat recurrente anni circulo, non attigit.

5. *Idem ibidem lib. 2. cap. 20. de S. Iuliano m.* Aduenerat festiuitas Sancti, & ecce quidam è populo conspicatur ornamentis immensis beatam Basilicam effulgere: concupiscit iniqua mente, quod adipiscens non poterat occultare. Igitur discedente populo à basilica post gratiam vespertinam, hic se in angulo basilicæ reprimens, latitauit, ac dato cunctis nocturna quiete silentio, vel operiente vmbrosa caligine mundi, consurgit ab angulo, & nihil dubitans, vtique qui à satellite satana impellebatur, super cancellum beati sepulchri cursu prosiliit rabido, detractamque à summo vnam gemmis coruscantibus crucem, ad terram deiecit, collectisque velulis, ac palliolis de circuitu parietum pendentibus, vnum voluculum facit, imposuitque humeris, ac eleuata cruce manu, ad locum, vndè discesserat, repetit, ac posita capiti sarcina, peccati sopore compressus, obdormiuit. Media verò nocte circùmeuntes custodes sanctam basilicam, aspiciunt in angulo vnam gemmam crucis, tamquam iubar cæleste refulgere: obstupefacti, accedunt cominùs cùm timore, admotoque cereo, inueniunt personam cùm rebus furatis, quas auferre non potuerat, inibi decubare. Denique sub custodia eum illa nocte detentum, mane facto cuncta quæ fecerat patefacit, asserens se lassum obdormisse, eo quòd diutissimè circùmiens eùm fasce basilicam, ostium vndè egrederetur, reperire non poterat.

6. *Idem de gl.Conf.cap.63.* Leo Imperator, capsam ad sancta Euangelia recludenda, patenamq; & calicem ex auro puro, pretiosisq. lapidibus præcepit fabricari. Quod miro perfectum opere, per hominem creditum dirigit ecclesiæ Lugdunensi: sed nuncius ille inter Alpes positus, qui hęc exhibebat, ad aurificis cuiusdam domum diuertit. Cùmque ab eo artifex sciscitaretur quid negotii gereret, rē secretiùs, ac simpliciter pandit, & ille, si, inquit meo consilio conniuentiam præbueris, multa nobis hæc ratio poterit lucra deferre. Ad hæc ille, diabolo instigante, seductus, & vt fertur inter rusticos sermo vulgatus, quòd inhianti auro, ac circumuentionis fallacias inferenti, sæpiùs animi coniunguntur; statim huius consilii effectus est consentaneus. Tunc ille deceptor fecit similes de argento species; vt nihil aliud, quàm aurum purissimum putaretur: & sic opera, quæ cùm gemmis foliisque aureis fuerant superposita, studiosissimè cùm clauis adfixit. Verùmtamen calicem non comminuit, quia cataclyza in ipso fuerant solidata. Denique portitor cùm hac fraude Lugdunum aduenit: oblatisque muneribus, ab ipso muneratur: regressusque ad socium, aurum de speciebus figuratum recipere flagitat: aurifex verò adhùc non esse totum paratum pronunciat; sed sub ipsa expliciturum se nocte pollicetur: Exacta igitur cæna, cùm in cellula, qua hæc operabantur, pariter resederent, concussa subitò à terremotu, super eos diruit, disruptaque terra sub pedibus eorum, ipsos pariter cùm pecunia deglutiuit, descenderuntque viuentes, & vociferantes in tartarum. Vltusque est Deus velociter de fraude Ecclesiæ suæ. Ego verò has species in ecclesia Lugdunensi sæpissimè vidi. Sit hoc populis documentum, vt nullus, res ecclesiæ, aut adpetere, aut fraudare nitatur. Nàm aliter videbit Dei iudicium super se velociter imminere.

7. *Idem lib.7.Hist.Francorum cap. 35.* Prædodes quidam milites, venerunt ad Basilicam Sancti Vincentii, quæ est iuxta terminum Agennensis vrbis, vbi ipse martyr pro Christi nomine agonem dicitur consummasse; inueneruntque eam refertam diuersis thesauris incolarum. Erat enim spes incolis non esse à Christianis tanti martyris basilicam violandam, cuius ostia summo studio obserata erant. Nec mora, adpropinquans, exercitus cùm reserare templi valuas non valeret, ignem accendit: consumptisque ostiis, omnem substantiam, cunctamque supellectilem, quam in ea inuenire potuerunt cùm sacris ministeriis abstulerunt. Sed multos ibi vltio diuina contertuit. Nàm plerisque manus diuinitùs vrebantur, emittentes fumum magnum sicut ex incendio surgere solet. Nonnulli arrepti à Dæmone per energiam debacchantes, martyrem declamabant, plurimi verò promoti à seditione propriis se iaculis sauciabant.

8. *H. Boethius l. 15.* Eduardus III. Anglorum Rex, Scotiam classe inuadens, nō procùl ab Handintoum, sacellum diuæ Virginis, quod Album vocant, spoliauit. In nauem cùm spoliis reuersis Anglis, tanta repentè, Aquilone vehementiùs solito flante, tempestas exorta est, vt illisa ad scopulos classe, exceptis paucis, qui nudi enatarunt, omnes fluctibus obruti, submersique perierint: his perculsus malis Anglus, veluti cùm superis illi bellum esset, in templa, monasteria, Abbatias sæuire cæpit, quæ in Handintoum erant, ac per Laudoniam quicquid furori superfuerat, magna indignatione corrupit. Ferunt, Anglum quempiam dùm Album sacellum diriperetur, ornamenta statuæ diuæ Virginis

ginis appēsa vbi detraxisset, ouantem per templum, ac spolia ostentantem, comminuto per crucem quæ è sublimiori in caput eius loco concidit, cerebro, pœnas sacrilegii pependisse Anno sal. M.CCC.LV.

9. *Idem*. Angli sub Eduardo III. contra Scotos suscepta expeditione, Emoniam Insulam deprædati, nec à sacris rebus abstinuere. Abbatiam diui Columbę sacrā pretioso ornatu spoliantes, calices argenteos, thuribula, candelabraque argentea, ac omnem pretiosam supellectilem sacram, simulacra quoque nonnulla cùm libris aliquot rapuere. Cùm reditum in Angliam pararent, orta repentè procella, prædonum nauigia disiecta, iactataque, partim submersa sunt, partim scopulis illisa. Cæterùm religione tacti, vouerunt se quicquid S. Columbæ abstulissent, cùm amplis remunerationibus reddituros. Itaque sedata tempestate, vniuersa retulere, votaque sua abundè soluere.

10. *Ribadener. de Principe, li.*1. Rerum Hispanicarum historiæ narrant, Vrracam Alphonsi VI. Regis filiam, cùm templum S. Isidori Legionensis ingressa expilasset, & gemmas, sacramque, ac pretiosam supellectilem in sumptus belli rapuisset, & ob spolia domum lætissima repeteret, in ipso templi limine ruptis visceribus miserè diem suū obiisse: eam item ob causam Alphōsum Regem virum eius in Frangensi bello ab hostibus appressum interiisse.

11. *Halloix, de S. Dionys. Areop. cap.* 28. Quidam, instigante auri cupidine, ipsum ascendere, & pedibus conculcare sacrum tumulum, in quo B. Dionysius, haud veritus; dùm ei impendentem columbam auream lancea tentat elidere, ipse pedibus, quibus turritum insistebat tumulum, vtrimque dilapsis, compressisque in ipso lapsu testiculis, & suo infixa lateri lancea, mortem pro auro inuenit.

12. *Vdescalcus, ap. Canis. tom.* 2. Duos calices argenteos cùm patenis, quædam furatur paupercula, sed fores Ecclesiæ non valens egredi, nota proditur sacrilegii; capitur miserrima, reddito furto trahitur ad supplicia. Sed quæ onerata crimine, & si occulto, non potuit effugere: exonerata, manus euasit tortorum Deo parcente. Omnibus quippe ad hoc crudele currentibus spectaculum, quæ puniatur quæritur, sed diù quæsita non inuenitur.

13. *In vita Sancti Seuerini Noricorum Apostoli, cap.* 40. S. Seuerinus, Friderico Rugorum Regis fratri, moriens fuerat interminatus, fore vt lueret grauiter, si postquā ipse è viuis decessisset, bona cœnobii expilaret. Nihilominùs ille ausus vestiarium, & supellectilem eius sacram deprędari, sacrilegii pœnas dedit, nàm paulò post à fratris filio fuit trucidatus.

14. *In vita S. Remacli, 3. Septembris*. In villa pagi Fulminensis, quam Marram vocant, quæque in Ecclesiæ monasterii nostri dotem cessit, nuper indigenæ, oratorium condere instituerunt. Habuit ea structura celerem progressum, erat enim lignea. Deinde rogant antistitem, vt consecret ædem, cùm priùs è monasterio reliquias S. Remacli, vt eius nomini templum dicaretur, petiissent, & accepissent, quas etiam Episcopus reuerenter opportuno loco reposuit. Expletis autem vigiliis, & cæteris dedicationi congruentibus, vbi ventum est ad altare tegendum, Grimuara matrona venerabilis, linteum offert antistiti, quo altare operiretur, idque sub testificatione, ne vnquam, nisi lotionis causa, indè amoueretur: cuius lotionis ministerium sibi relictum voluit, credens sibi profuturum, si quod officii præstitisset Sancto confessori. Non diù post sanctimonialis, quæ illìc se seruituram deuouerat, oblita propositi sui, ea palla, vel linteo ab altari sublato, caput tegit, & abiit diabolico instinctui satisfactura. Sed confestim adest vltio, nàmque domum reuersa, dæmone eam exagitante, aquam calidam parat, eaque caput abluens, prædicto linteo se tergit. Eodem momento adeò capilli omnes à capite defluunt, vt nec vestigium eorum vllum appareret. Ita, quæ alienum sibi præter fas velamen vsurparat, naturale capitis tegumentum perdidit. Hùc accessit totius capitis pruritus, & magna pediculorum vis. Tandem à fratribus monasterii oratum est pro illa, facinus suum agnoscente, & accusante, & capilli renati sunt. Potest hoc disci exemplo, res sacras minimè temerandas.

15. *Baronius an.* 1001. Otto III. Romanorum Imperator, largitus fuerat ecclesiæ S.S. Bonifacii, & Alexii Romæ mantum, quo tegebatur coronatus, in quo omnis Apocalypsis opere Phrygio erat auro insignita, & altari S. Alexii decentissimè coaptauit, perpetuò ibi mansurum optans. Cuius votum flocci pēdens Adelbertus Abbas, vestem ipsam, non causa vtilitatis monasterii, sed nequitia sua cogente, aliquibus dedit in pignus, apud quos māsit quousque, scelere suo petente, vita priuari meruit. Quæ denique vestis deindè venit ad manus cuiusdam Primicerii Iudicum nobilissimi, qui sæculari prudentia potiùs feruens, eam agnitam, non reddidit Sanctis, sed quasi proprium thesaurum seruandum in capsam retrusit. At paulò post & ipse Dei vindictam expertus est, nàm de equo præcipitatus, & elisus, paralytica infirmitate correptus est. In qua apparentes ei S.S. Bonifacius, & Alexius, causam infirmitatis aperientes, præceperunt, vt mantum restitueret, si ab illa liberari vellet. Promisit ille, promissaque adimpleuit, & sanatus est.

16. *Philip. Ferrar. mense Feb. die* 14. *de S. Antonino Abb.* Quidam, cupiditate obcæcatus, nocte templum D. Antonini effractis valuis ingressus, vt pretiosa quædam indè auferret: tota nocte pererrans, nunquam locum, quà ingressus fuerat valuit reperire. Manèque à sacerdotibus in facinore deprehensus, illud palàm confessus, veniā impetrauit.

17. *Idem ibidem* 2. *Iunij, de S. Guidone Episc. Aquensi*. Viget adhùc memoria illius, qui linteum, quo S. Guidonis tumulus tegebatur, furatus, portis licet apertis, nunquam potuit egredi, nisi post crimen detectum, & linteum restitutum.

18. *Idem ibidem* 16. *Iulij de S. Felicissimo Confess.* Cùm quidam fur ecclesiam S. Felicissimi apud Nuceriam ingressus, & pretiosioribus sublatis, multam per noctem viam se confecisse putaret, manè iuxtà eamdem ecclesiam deprehensus, voto S. Felicissimo, se illius ecclesiæ perpetuò inseruiturum facto, mortem euasit.

19. *Idem*

19. *Idem ibidem 1. Maij, de S. Aldrebando Forosemproniensi Epis.* Quidam de Eugubio, de nocte iuit ad lampadem altaris S. Episcopi & accepit oleum de ipsa, & amittens lumen, & sensum, non poterat de dicta ecclesia exire. De mane canonici posuerunt ipsum ante altare, & statim lumen oculorum recepit.

20. *Io. Baptis. Signius de imagine B. Mariæ, quæ Fornouij colitur.* Corona argentea desuper capite sanctæ imaginis fuerat surrepta, & cùm fur longiùs abijsse per totum diem sibi videretur, circa sacellum tamen voluebatur, egredi non valens, & sic inuentus est, furtum in manu habens.

21. *Vghellus in Ital. Sac. tom. 1. Epis. Arretini de Arnoldo Aretino Epis.* Cùm Arnoldus, vt suis priuatis necessitatibus consuleret, cuidam monasterio alioquin sibi subiecto, aureum calicem ademisset, habuissetque venalem, admonitusque per quemdam Eremitam, non restituisset ablatum, ita meruit iram Numinis, vt repentino, vehementique capitis dolore, dùm animi gratia falleret tempus, exanimaretur, vixque salutari hostia sumpta, spiritum exhalauerit, exactiùs, strictiùsque etiam apud inferos temerarij ausus pœnas daturus.

22. *Vuadingus in ann. Minorum an.* 1512. Cùm quidam Germanus circa an. Domini 1512. in suburbano agro Pampilonensi tempore Nauarræi belli, Sacrarij fores effregisset, hostiamque sanctam quasi profanum cibum deuorasset, conditorium ipsum, auro, argentoue adfabrè cælatum in priuatos vsus conuertisset, non multò post distento paulatim ventre medius crepuit, communicata scilicet cùm illo proditoris Iudæ pœna, quandòquidem in mundi saluatorem par fuit vtriusque sacrilegium.

23. *Horat. Tursell. lib. 3. Lauret. hist. c. 31.* Nonnulli Lauretanæ domus ministri, ex composito, sacros thesauros compilarunt, quos à compilatoribus tutari debuerant. Sed celeriter Deus infandum sacrilegium debita pœna est persecutus. Iàm res omnes in nauim conditas, occulta asportabant fuga, cùm agri Piceni oram præteruectos, aduersa tempestas reiecit eò, vndè conscenderant. Itaque in Recinetensium potestatem delati, in manifesto scelere deprehenduntur. Nec mora, prodendi exempli gratia, ne quisquam in posterùm talia auderet, pro æde Lauretata suspensi, nefarium sacrilegium fœdo supplicio luunt.

24. *In actis S. Viuentij presbyt. ap. Boll. 13. Ian.* Accidit, latrunculos aduenisse, & ecclesiam S. Viuentii infregisse, perque fenestram noctu intrasse. Captis igitur sacerdotalibus indumentis cùm vasis, quibus Eucharistia Christi solet contineri, pallium quoque simùl altaris, quæ nimirùm vel pro bono opere nunquam debuissent esse ausi contingere, prohibente eos diuina lege, impudenter cuncta, quę inuenta inibi fuerant, præripientes, congesserunt. Quo facto vt verè amentes, ecclesiam adintùs gyrauerunt, dùm exire furtim vellent, nequaquàm per quod intrauerant, foramine vllatenùs inuento, Deo prouidente; primus ex eis dùm quasi per industriam alta conscenderet, vno pede lapso, altero in foramine retento, maceriæ sic miser pendebat miserrimè, quasi versa uice pedibus cælum pergeret, capite & manibus terram vellet tangere, cùm non taliter cælestia adquiruntur beneficia, sed potiùs infernalia promerentur æternaliter tormenta. Alius dùm simili modo per gyrum euadendi sibi locum quæreret, infelix plenus impia austeritate, quò non debuisset, volens, nolensque ad sancti sæpulchrum corporis peruenit. Quò (mirabile dictu) inhærentes circuli cùm vncinis appensi, ita se alterutrùm catenatim conglobarunt, capto tàm per indumenta, quàm etiam per membra iniquo fure, quatenùs nequaquam se in alteram posset partem diuellere. Tertius nihilominùs & ipse furiosus perueniens ad locum, quo monachorum Sancti dependebat in basilica cymbalum; qui arrepto quasi hilaris malleolo dulcem cupiens audire tinniendo sonũ, percussoq. eo subindè sępiùs, sæpiùsq; tota repletur aula sonitu. Vndè custodes sine mora expergefacti, directis pauentes oculorum aciebus in gyro, deprehendunt se à latronibus circumuentos, qui ocyùs prosilientes, captisque furibus cuncta quæ ipsi surripuerant receperunt, furesque institis seruauerunt vsque ad diem nexos. Mane autem iàm facto, cæperunt tractantes inter se de nece eorum perquirere; sed omnipotentis Dei misericordia (quę semper in Beato replenduit Viuentio) singulorum citatim perlustrans corda, datur protinùs illis euadendi facultas, refectis priùs corporeis sufficienter alimentis.

25. *Robertus de Monte, in supplem. ad Chron. Sigeberti an.* 1181. Erat quidam prædiues Burgensis in loco qui dicitur Roca Amatoris, à quo monachi ecclesiæ S. Mariæ, & S. Amatoris mutuò acceperant pecuniam, tradentes illi in loco pignoris cortinas ecclesiæ illius; imminente autẽ festo Genitricis Dei, & Virginis Mariæ, rogauerunt prædicti monachi Burghensem, vt quas habebat apud se cortinas ad adornandam ecclesiam, tantæ solemnitatis, completo tripudio ei restituendas, ei accommodaret. Ille verò aurem cordis habens obturatam, nulla quidem prece flexus est: sed respondit eis cùm timore animi, dicens, quòd essent cortinæ illæ circa lectum coniugis suæ, quæ nuper ei puerum pepererat, nec aliquatenùs indè possent amoueri. Quid multa? transiit festiuus dies, & ecclesia præfata ornatum suum festiualem non habuit, sequenti verò nocte Beata Maria mater Domini nostri apparuit in somnis vxori prædicti Burgensis, & dixit ei: Vir tuus peccatum grande commisit, nec poterit impietatis excessus derelinqui impunitus. Tertia enim die infans tuus spiritum exhalabit, & vir tuus debitum morti soluens, in die octaua mutabit hanc temporalem felicitatem suppliciis æternis; tu autem proficisceris ad ecclesiam meam, quæ est in Bethleem, & circumspectis ibi tribus sepulchris, quorum quidem duo extrema vacua non sunt, medium tibi eliges in sepulchrum: interim omni feria quarta circa horam nonam deficiet in te spiritus tuus, & decurret ab ore tuo, & naribus sanguis multus, & vsque ad horam nonam sabbati veluti mortua permanebis. Sabbato, hora nona spiritu redeunte, duces vtrasque manus tuas per faciem tuam, & continuò pristinus color, & forti-

tudo

tudo in te remeabunt. Hæc locuta est Beata Maria, & abscessit; mulier verò præ timore turbata euigilauit, & ruminans somnium suum cùm magna solicitudine illud memoriæ commendauit. Crastina autem illucescente die, cæpit somnium suum coniugi suo per ordinem narrare. Miser, sermonibus eius non adhibuit fidem; nec etiam cùm videret spiritum deficere in puero, de agenda pœnitentia cogitatum habuit, sed morte præuentus in die octaua iuxta præostensam visionem, in supplicium lapsus est gehennale. Perturbabatur mulier in alterutrius nece: & omnia sicut per somnium monstrata fuerant in se nihilominùs intelligens accidisse, Romam sub festinatione proficiscitur, & rem summo reuelat Pontifici. Præterea constanter asseruit, quòd in quinto anno ab illo, maxima fames ingrueret, quòd ex corruptione aeris innumerabilis hominum multitudo moritura esset; & quòd clerum Romanum grauis animaduersio ferret, nisi ab exercitio doli resipiscerent, sub quo à multis retrò temporibus vsque in hodiernam diem laborauerunt. At Dominus Papa, volens manifestiùs scire, si sermones mulieris veritati inniterentur, cōmendat eam duodecim nobilibus matronis, dans illis præceptum, vt cùm illa in mortem obdormiret, plantis eius calentes subulas infigerent, & de sanguine ab illius ore manante vestes suas inficerēt. O rem mirabilē. Quarta feria, sicut prędixerat, hora nona, mulier expalluit & mortua est, ita vt nullus in ea vitalis remaneret spiritus, & ab eius naribus cæpit defluere sanguis copiosus. Sed matronæ præceptorū domini Papæ nō immemores, pedibus mulieris calentes subulas infigunt; nec ob id illa mouetur. Insuper de sanguine eius vestimenta sua tingunt: sed omnis infectio facta per sanguinem, in Sabbato nunquam comparuit, cùm spiritus vitæ in mulierem remearet.

26. *S. Petrus Damianus ser. de S. Ruffino m.* Viri quidam, trabem de silua operosis exercitiis leuigatam, ad B. Ruffini vectare Ecclesiam conabantur; quibus nimirùm quidam Perusinorum violentiam ingerentes, lignum hostiliter extorserunt; sed cùm raptores arborem instantissimi conatus anxietate protraherent, & iàm iàmque Perusinis mœnibus vno vix interiacente milliario propinquarent, repentè vehiculum hæsit, nullisque virium nisibus vlteriùs impelli potuit: mutato itaque repentè consilio, Assisium versùs illicò vehiculum dirigunt, & accelerandi facultate percepta, beatissimo martyri, quod superbè rapuerant, humiliter reddunt.

27. *Aimoinus de translat. & miraculis S. Germani.* Cùm trabes Ecclesiæ (quæ erant abiegnæ, & idcircò habiles nauigio) quidam incidere tentassent; tres ex maligno eorum numero ante altaris crepidinem B. Stephani, inualidi totius virtutis robore ruentes ceciderunt, atque confracti, incredulas, Deoque odibiles animas, aliis timore perculsis, exhalantes, perpetuas descenderunt ad vmbras, vbi edax vermis eorum non morietur, & nimius eorum ignis non extinguetur.

28. *In m. s. s.* Tempore quo in Neapolitano Regno à Caroli V. exercitu multæ oppugnatæ fuerunt ciuitates; pro exercitus obuentione inter alia iussum fuit etiam, à piis locis argentum, & aurum distrahi; cùm autem Monopoli, aurum, argentum, turribula, aliaque vasa ad vsum sacelli B. Virginis, vulgò *de Madia* inseruientia, ablata fuissent, iussuque ministri Imperialis in capsa reposita, & ad domum ipsius traducta; de mane in sacello B. Virg. fuerunt inuenta; quod cùm presbyterorum surreptioni adscriberetur, iterùm domum adducta, per tres vices de mane in eodem sacello fuerunt inuenta, mirantibus cunctis Imperialibus ministris, eidem sacello relicta sunt.

29. *Ibidem.* Cùm quidam sacerdos, furto surripuisset in sacello B. Mariæ, vulgò *de Madia* Monopoli, armillas aureas Iconio B. Virg. appensas, exitum illius sacelli reperire nequiuit, & cùm sacrista, cogitans eum vertigine correptum, ad manum vellet adducere, ipse etiam ianuam adinuenire non potens, sacerdotem furem admonuit, qui pœnitentia ductus, relictis armillis in altari, ostium, egressumque inuenerunt.

30. *Manrique in ann. Cisterciensibus, an.* 1147. *cap.* 18. *n.* 6. *de cœnobio S. Petri de la Spina.* Traditio est, cùm Sanctia Infantissa, sacram indè Spinam auferre vellet, atq. arca inclusam imposuisset iumento, cùm multis aliis rebus asportandam; animal intra portam domus hæsisse, neque vlla vi, vllisue minis, aut verberibus dimoueri potuisse. Quoadusque Spina educta, relictaque, nullo instigante, vltrò iter arripuit.

31. *Idem ibidem.* Referam maius adhùc, & venerabilius, quod parentum memoria, contigisse, seniores nostri, qui ab eisdem audierunt, testificantur. Cùm furto, pio dicam, an sacrilego, certè subtili, à proprio loco abstracta hæc Sac. Spina, atque ad illustrem æquè, & religiosum Ioannem Ferdinandum Velasquium, Comitem Regni Stabilem perlata, inter alias reliquias (quarum ingentem conflabat thesaurum) sub duplici custodia inter ferreas crates, & capsam argenteam, in crystallino vase detineretur. Quæsitam postmodùm ab illustri Principe adorandam, siue hospiti ostendendam, nullatenùs inuentam; sed vas vacuum, quod intra clausas crates, capsamque, atque integra custodia continebatur. Tùm, capellano, cui furtum displicuerat, proponente, & rogante, ad monasterium missum, petendæ aquæ, cui sacræ coronæ spina esset immersa. Nec mora; reseratis sacrarii foribus, apparuisse reliquiam in proprio loco, ac si non vnquam indè extracta fuisset. Doluit Comes iacturam pignoris tanti: sed miraculi gloria compensatam deuotiùs tulit: nec tàm se deseri, reprobariue putauit; quàm monachos eligi, veluti capellanos religiosiores, qui cæleste pignus, non sumptuosiùs, sed puriùs, & reuerentiùs venerarentur. Sed nihilominùs visitauit cœnobium, pandit miraculum, & vas crystallinum, quod inuenerat vacuum in propria domo, deuotè obtulit, in quo vsque ad hunc diem perseuerat.

32. *In m. s. s.* Cùm an. Domini 1589. à Golfredo sacrilego Germano milite, furtim sublata fuisset particula crucis Dominicæ, quæ Brixiæ summa colitur veneratione, licet tota nocte equitasset, mane subsequenti, ante Ecclesiam, à qua pretio-

sum iuratus fuerat pignus, inuentus est, particulamque crucis restituit: Grauiori supplicio præteritis annis, anno scilicet 1512. diuinitùs affecti fuerant duo sacrilegi Iudæi, qui idem facinus tentantes, repentina morte tanti sacrilegii pœnas miserabiliter luerunt.

33. *Spondanus ann. 1371. num. 4.* In Polonia, cùm audita morte Casimiri Regis, Lithuani Gentiles, perpetui Polonorum, & efferatissimi hostes, excursione in Poloniam facta, inter alia, monasterium Caluimontanum diripuissent, indèq. inter aliã prædam, portionem Crucis Christi auro inclusam abducerent; vbi ad fines Poloniæ patriam repetendo peruenerunt, mirabiliter accidit, vt plaustrum, quo Crux cùm cætera pretiosiori præda vehebatur, repentè substiterit, & nulla vi moueri potuerit. Qua re obstupefacti Lithuanorum duces, remissa in locum suum Cruce, liberè ad sua se receperunt.

Alia huiusmodi videantur infra lib. 7. cap. 1. §. 6. cùm de violantibus sepulchra Sanctorum.

Vsurpantes Bona, Iuraque Ecclesiarum, Admirandis modis puniti.

§. 6.

OMnes creaturas contra sacrilegas manus, Ecclesiarum Bona, & Iura vsurpantes, semper armatas, adque vindictam paratas, quotidianæ, admirandæque demonstrant sacrilegis huiusmodi diuinitùs inflictæ pœnæ; sacrilegumque Heliodorum, ærarii Hierosolymitani direptorem imitantes, simillimis mulctari pœnis, continua experientia compertum est. De quibus.

1. *Baronius an. 969.* Antiochus quidam, fundum Ecclesiæ vsurpauerat, cruore persuderat, & inquinauerat etiam libidinibus nefandis; at pœnas sacrilegii citò expertus est; Sanctus enim Nico eidem noctu inflixit lethale vulnus, hasta Crucis lateri eius impacta; ex cuius vulneris dolore nequicquam fugam arripiens, in itinere obiit.

2. *Rodolphus Floriacensis, lib. 5. de mirac. Sancti Benedicti c. 3. n. 17.* Contigit die quadam, venatores Adelardi cuiusdam nobilis viri, Aduocati videlicet cuiusdã prædij S. Ben. venatu redeuntes, fessos ibidẽ cùm suis resedisse canibus. Cùmq. non haberent vndè suis pastum canibus exhiberent: querimoniam suam ad Isaac quemdam prudentem referunt virum: quem fratres Floriacenses ipsi præfecerant possessioni. Qui dùm se ignorare quid agere valerent respondisset: inquiunt illi: de annona Patris Benedicti, quæ in eodem reseruabatur loco, vnum sextarium se præsumpturos, vt indè cibus præpararetur canibus. At ille infert, nequaquam impunè id eos posse perficere: suum verò nullatenùs super hac temeritate habere consensum. Timere, ne pœna huic præsumptioni mox affutura, in se, si accideret, relaberetur. Illi quæ dicebantur pro nihilo ducentes: vti animo conceperant, annonæ quantùm sibi videbatur, auferunt: attritu molarum in farinam redigunt: suis exindè pastum beluis conficiunt. Quos talibus saturos alimentis, imminente nocte, vna includunt domuncula. Diluculò autem de suis cubilibus exurgunt, solitam venationi operam dare cupientes. Adeuntesq. cubiculum, in quo suos recluserant canes, ianuam eius patefaciunt. Et introspicientes, vident eos vita defecisse; alios pauimẽto toto prostratos corpore, quosdam resupinato ore mortuos iacere, alios parieti domus anterioribus vestigiis inhærere, reductis capitibus in terga. Quod cernentes, clamore sublato, femora sua palmis alii quatiunt: alii complexis manibus, sonitum grãdẽ cùm voce querula emittunt. Timebant enim pœnas à Domino suo pro amissione canum iustè sibi irrogandas. Diù ergo stupidæ admirationi, vocibus questuosis immorati; tandem recedunt. Domino suo infortunium, quod sibi acciderat, & quàm seuerus vltor Pater Benedictus in eos extiterat, relaturi.

3. *Idem ibidem n. 18.* Vnus militum, suo inquit armigero; cur hominum inertissime tanta te oppressit ignauia, vt aliqua non subministres tuis equis pabula, quandiù procurantur nobis epulaturis necessaria? At ille se nescire dicit, à quo quidquam fœni, vel palearum, deposcere possit. Vade, ait, in pratum S. Benedicti, quod huic adiacet villę, & collecto herbæ fasce, quẽ solus valeas collo equi imponere, defer, & tuis appone animalibus. Ille præceptis Domini sui parens, mutuata falce à quodam, in pratum euolat; herbam totis viribus resecat, vt quantocyùs repedare valeat, ne sociorum defraudetur epulis. Intereà dùm illicito instaret operi, vidit eum quidam de pagensibus, & accurrens ocyùs, nunciauit Isaac villæ Præposito. Erat enim pratum illud contiguum domui eius. Intuitus autem Isaac armigerum, falce gramen prati præcidentem, à longè excelsiori inclamat voce, Quis nam es ò homo nefarie, qui contra fas, temerator ingressus est, Sancti pratum Benedicti? Egredere pestifer velociùs, ne diuina vltio celeriùs te disperdat. Ille autem voces contemnens monentis, in hæc lubrica prorupit verba. Sanctus, ait, Benedictus, hac vice, hoc modicum mihi indulgebit facinus. Et facto herbæ fasciculo, suum repetit hospitiũ, suis animalibus exhibens pabulum; deindè festinus properans ad domũ, vbi sui conuiuabantur comites, & ipse conuiuatus est cùm eis. Cõsumptis itaq. dapibus, finitoq. ientaculo, proprium vnusquisq. conscendens equum, tendere festinant, quò disposuerant. Contemptor autem Benedicti Patris, postremus omnium de villa egreditur. Credo aliquãtulùm herbæ superfuisse, quam vt suus cõsumeret equus expectabat; & ipse demùm, vt suis coniungeretur sociis, qui longiusculè iàm aberant, equo calcaribus admisso, eos insequi conatur; sed antequàm de villa exiret, equus præceps in terram cadens, collisa ceruice, mortuus ruit. Eques, qui ei insidebat, & ipse labitur: contractoque femore, ab humo nisi aliorum vlnis subleuatus, surgere nequiuit. Concurrente turba ad tàm subitam diuini examinis vindictam, & ipse Isaac adfuit, increpans miserum his verbis, Nonne tibi dixeram miserabilis, B. Benedictum suas iniurias nequaquam diù dimittere inultas? Sed quia mihi credere renuisti, ecce contritis membris iaces inutilis.

4. *S. Petrus Damianus lib. 1. epist. 20.* Quod mihi à senioribus intimatum est, refero: In Baby-

Babyloniæ partibus, possessionem Apostolica Sedes habebat, vndè tantum balsami redditum per annos singulos capiebat, quòd indeficienti fomite sufficeret lampadi, quæ videlicet ante altare Beati Apostolorum Principis rutilabat appensa. Quam possessionem accepta pecunia Papa distraxit, canonemque aromatis, quem recipere solebat, amisit. Aliquantò post, cùm benedicto sacrosancto altari idem Papa assisteret, & oraret, ecce quidam terribilis, & grandæuus senex, in cuius etiam facie barbirasium videbatur, elato brachio colaphum sibi vehementer incussit, & ait: Tu extinxisti lucernam meam ante me, & ego extinguam lucernam tuam ante Deum. Moxque disparuit; ille verò protinùs corruit, & paulò post diem extremum clausit. Sic nimirùm meretur corripi, qui illi se præbet aduersum, qui cœli, terræque primus pastor obtinet principatum.

5. *Greg. Tur. li. 2. de gl. mart. cap. 15. de S. Iuliano Martyre.* Pastor quidam non strenuitate, sed nomine Ingenuus, dùm in multis rebus contra Basilicam S. Martyris Iuliani iniustè ageret, ad hoc leuitas inimico ingrassante conualuit, vt colonias basilicæ concupiscens, quæ agro eius erant proximæ, peruadere nō timeret. Ad quem sacerdos loci, cùm aliquos de clericis quasi legatos mitteret, vt accepta ratione, quod malè peruaserat, relaxaret; ille quasi contra iniquum hostem telis correptis prosiluit, fugatisque sagittis clericis, res Sancti in sua dominatione retinuit. Factum est autem, vt in proximo adueniret dies passionis martyris gloriosi; ad quam ille immemor peruasionis suæ, atque iniuriæ, quam intulerat clericis, ante quinque dies solemnitatis ad vicum Briuatensem aduenit; qui cùm in domo hospitalitatis suæ conuiuio cùm lætitia, & exultatione fungeretur, subitò coruscatione facta tonitruum sonuit. Rursùmque iterato, iaculo igneo de velis elapso percussus est, nullo tamen de reliquis pereunte. Deindè ad exemplum omnium tamquàm rogus flammeus ardens paulatim consumebatur. Ad quod miraculum populus, qui ad Beati festa conuenerat, hæc cernens cùm admiratione metuebat, satisque illi fuit ne de rebus sancti aliquid vltra contingeret. Quod ne fortuitò actum quis putet, cernat inter multos innoxios vnum interiisse sacrilegum.

6. *Idem, libro primo miraculorum Sancti Martini capit. 29.* Vsurpauerat Charibertus Rex locum quemdam, cui nomen Nauicellis, iurisdictionis basilicæ S. Martini, iusseratque ibi equos ali. Cùm autem iniunctum studiosè agerent seruitium stabularii, atque equi appositum fænum cæpissent expendere, corripiuntur rabie, & frementes adinuicem, diruptis loris, per plana prosiliunt, & in fugam vertuntur; & sic malè dispersi, alii excæcantur, alii rupibus præcipitantur, alii se sepibus ingerentes, palorum acuminibus transfodiuntur.

7. *Idem li. 4. cap. 7.* Florentianus, tempore quodam causa legationis Galliciam adiit, atque ad Mironis Regis præsentiam accedens, negotia patefecit iniuncta. Erat enim eo tempore Miro Rex in ciuitate illa, qua decessor eius Basilicam Sancti Martini ædificauerat; Ante huius ædis porticum, vitium camera extensa per traduces dependentibus vuis, quasi picta vernabat. Sub hac enim erat semita, quæ ad sacræ ædis valuas peditem deducebat; Cùmque Rex sub hac præteriens hoc templum adiret, dixit suis. Cauete ne contingatis vnum ex his botrionibus, ne forsitàn offensam sanctitatis eius incurratis, omnia enim quæ in hoc habentur atrio, ipsi sacrata sunt. Hoc audiens vnus puerorum ait intra se, vtrùm sint hæc huic Sancto sacrata, an non, ignoro, Vnum scio quia deliberatio animi mei est de his vesci. Et statim iniecta manu, caudam botrionis cæpit incidere, protinùsque dextera eius adhærens cameræ, arente lacerto diriguit. Erat enim mimus Regis, qui ei per verba iocularia, lætitiam erat solitus excitare. Sed non eum adiuuit cachinnus aliquis, neque præstigium artis suæ, sed cogente dolore, voces dare cæpit, ac dicere: Succurrite viri misero, subuenite oppresso, releuate appensum, & S. Antistitis Martini virtutem deprecamini, quia tali exitu crucior, tali plaga affligor, tali incisione disiungor: Egressus quoque Rex cùm quæ acta fuerant didicisset, tanto furore contra puerum est accensus, vt eius manus vellet incidere, si à suis prohibitus non fuisset. Dicentibus tamen præterea famulis: Noli ò Rex iudicio Dei tuam adiungere vltionem, ne fortè iniuriam, quam minaris puero, in te retorqueas. Tunc ille compunctus corde, ingressus Basilicam, prostratus coràm Sancto Altari, cùm lachrymis preces fudit ad Dominum; nec ante à pauimento surrexit, quàm flumen oculorum huius pueri delictum deleret. Quo à vinculo, quo nexus fuerat, absoluto, ac in Basilicam ingresso, Rex eleuatur à solo, & sic recipiens incolumen famulum palatium repetiuit.

8. *In vita Sancti Audomari.* Cùm iàm vineæ maturos, eosque copiosos ferrent botros: Hekkinus quidam in Beati Audomari vineam ingressus, abstulit indè vuas non paucas; furtiuoque lætus onere, ad socios rediit pascendis pecoribus occupatos. Rogant illi, vt è spoliis nonnihil ipsis impertiatur: Mox annuit infelix; sed dùm immissa in sinum dextera, quem sinistra pandebat, vult proferre botros, subitò eius brachia obrigescunt, vt moueri non possent, & os retrò contortum, omnem amittit loquendi facultatem. Id socii eius conspicati, miseratione quadam affecti, hominem diuinitùs percussum, mox ad herum eius adducunt; causamque omnem eius mali exponunt. Ille verò famuli vicem miseratus, toto animo cælestem ei studet conciliare medicinam: Itaque ferens secùm vini optimi certam mensuram, & munuscula, quæ tùm ad manum erant, puerum percussum secùm ducit ad Basilicam Pagi, quem Gebualdesdorp vocant, & illic munera sacræ aræ imponens, vnà cùm puero totus humi prosternitur, tacitisque lachrymis, & precibus Dominum, & S. Audomarum interpellans, orat vt ægri membra sanentur. Ibi pius sacerdos adeò eius precibus annuit, vt mox incolumis surgeret tàm malè mulctatus seruus. Cui herus congratulans, deuota mente nomen Christi benedicit, & annua ei vouet munera, quæ etiam quoad super-

uixit, religiosè persoluit. Omnes verò eo miraculo adeò sunt perterrefacti, vt nullus deinceps ausus fuerit lædere Patrem venerandum, & nonmodò non ingredi quisquam conatus sit in vineas eius septis munitas, sed ne gramina quidem agrorum eius contingere voluerit, nisi id Fratres permisissent.

9. *In Ecclesiastica Histor.* Legitur in vita S. Anselmi Cantuariensis Archiepiscopi, quòd quidam Balliuus fecit colligi fructus autumnales cuiusdam manerij, seù prædii sui, non reddendo decimas. Cùm igitur Sanctus venisset, horrea sua inuenit vix semiplena, & diabolum sedentem supra vnum bladi cumulum; quæsiuit ergo Balliuo, quare cumuli illo anno non erant pleni, respondit ille, quòd de hoc miraretur, asserens omnia blada manerii ibi fuisse reposita, etiam sine præstatione decimarum; quod audiens Sanctus, statim fecit omnia extrahi, & decimari, & iterùm reponi; cùm reponerentur post decimationem, ita multiplicata erant, quòd ea horrea vix capere poterant.

10. *In Chronicis Cassinensibus, libr. 2. capit. 83.* Capuani quidam milites, postquam Concham castrum, quod Cassinensium erat, iudicio non obtinuissent, fines cænobii ferro, flammaque perdere constituerunt. Cùmque dicto die, locoque conuenissent, & nocte intempesta ascensis equis vsque ad crepusculum matutinum se pergere arbitrati essent: orta luce, in eodem adhùc loco, quo conuenerant, se hærere animaduertunt. Itaq. propositum suum S. Benedicti meritis impeditum existimantes, Capuam redierunt.

11. *Ditmarus apud Baronium, ann. 999.* Temporibus Ottonis III. Cæsaris, Romæ, cùm Ducis Hermanni milites monachorum S. Pauli prata vi sua comprehenderent, suppliciter ab eis sæpè rogati, discedere noluerunt. Et continuò nubes variæ ascēdunt, fulmina micant, terrorem Dominicum monstrantes. Tonitru terribile protinùs subsequitur, & ex eorum numero optimos quatuor occidens, cæterosque fugans, pauperes Christi in hoc mundo non esse contemptibiles ostendit.

12. *In vita S. Hermelandi Abb.* Eufredus quidam, impia incensus cupiditate, in pago Oximensi, villam, quam Crannam vocant, Sancti viri monasterio abstulit; & ecce in somnis paulò post videt S. Albinum confessorem omni edendi, & bibendi facultate ipsum priuantē, donec ad S. Hermelandi sepulchrum accederet, & cùm digna satisfactione res ei ablatas restitueret. Expergefactus ille, cùm multo timore pensitabat quid vidisset, ac illucescente die, equo conscenso, properè abiit ad aliam eius monasterii villam Cludionem, vbi inuento monacho Edramno, quod sibi accidisset exposuit, rogauitq. vt cùm ipso ad S. Confessoris sepulchrum proficisceretur. Ille quidem petenti annuit, hortabatur autem, vt aliquid cibi, & potionis acciperet, quod cùm ille temerè attentaret, panem sumptum nulla potuit ratione deglutire, immò verò eū vnà cùm sāguine coràm omnibus euomuit: Itaq. maturauit susceptum iter, & ad S. Viri sepulchrum accedens, in preces incubuit, ablatam villam se redditurum promisit, atq. insuper de suis prædiis, & facultatibus monasterio quædam elargitus est. Ita publicè suum facinus confessus, multaq. ductus pœnitenia, B. Confessoris meritis sanus effectus est, atq. illìc cibo, potuque recreatus ad sua recessit.

13. *Surius in vita S. Goaris 6. Iulij.* Accidit quodam tempore, Rheni fluminis aquam nimio frigore congelascere, ita vt incessus quorumlibet animalium, & vehiculorum ferre valeret, eratque quidam Regiæ villæ Vuasaliæ colonus, cuius vinea haùd procùl à monasterio, vineis B. Goaris cohærebat. Hac ille occasione solebat interdùm particulas aliquas earumdem præripere vinearum, & suæ, fraude humani ingenii, sociare. Is cùm die quadam super glaciem fluminis ambularet, & ad medium propè venisset, repentè in multiplices partes per latissimum fluminis spatium glacies est resoluta, atq. illi glaciei fractæ superincumbens secundùm flumen ferri tremens, & anxius cæpit. Tùm ille, cui euadendi periculum, nec spes vlla, nec aliquod consilium superesset, diuinæ solùmmodò clementiæ supplicare, & B. cæpit Goaris merita in sui liberationem exposcere, magnisque vocibus, veniam, & auxilium flagitare. Ad vltimum cùm salutem penitùs desperasset, eductam manicam de manu proiecit, respiciensq. Basilicam, vineam suam S. Viri dominio tradidit. Nec mora, acta virtute diuina glacies, instar nauiculæ ad litus euexit hominem, & incolumem exposuit. Alius etiam nomine Vuilligeldus cùm vineam à matre datam de iure & possessione Ecclesiæ S. Goaris subtraxisset, sæuo Dęmoni est mancipatus, diuq. vexatus ab eo, vineam reddidit, & curari continuò meruit.

14. *Faber ex Saxone Grammatico.* Canutus Rex, cùm summo, ac pio studio cōtenderet, vt Christi ministris liberaliùs, & commodiùs de decimis, & primitiis prouideretur, insigni cuiusdam Blacconis perfidia traditus, ab insana plebe trucidatur. Quo facto, tanta frumentorum penuria vniuersam Daniam inuasit, vt maxima populi pars alimentorum inops, inedia consumeretur. Enim verò abundè seges finitimis erat, vt priuata gentis, non publica terrarum vltio videretur. Nec priùs Danicis agris fœcunditas restituta est, quàm populus ad cor conuersus, penitentiam ageret, se tàm Sanctum Regem occidisse, qui tàm iusta, & honesta pro Christi ministris postulasset. Iàmque experimento didicerant, se iustè nouem frumentorum partes amisisse, qui decimam ex eis, Deo, & Dei ministris reddere noluissent.

15. *In actis S. S. Mart. tom. 1. in Contin. Boll.* Quidam surrepserat bona Ecclesiastica, Ecclesiæ de Aberkerdour in Scotia, anexa; cui iniuriæ cùm moniti ab Episcopo satisfacere conantur, illùc venientes pedibus discalceati, & cereos in manibus gestantes, Ecclesiam ingressi sunt. At cerei huiusmodi in illorum manibus quacumque arte igni sæpiùs appositi, lumen admittere minimè valuerunt: depositi verò de illorum manibus, illicò accensi sunt.

16. *Ibidem tom. 3.* In quodam castro, vulgò Podius-Altus nuncupato, insigne reperitur stagnum, vbi quouis tempore copia piscium accipitur; cuius

cuius loci habitatores, cùm decimam partem piscium iure monasterio debitam, suadente Diabolo, dare negassent; promulgata maledictione per S. Pontium (Abbatem S. Andreæ propè Auenionem) statim quidquid viuum in illo stagno erat, mortuum, littus petiit. Quod intelligentes præfati coloni, rursùm viuos aliundè portarunt, qui bis, atque iterùm missi viui, die sequenti mortui in littore sunt inuenti; cuius rei causam intelligentes coloni, ad S. Patrem accesserunt, decimas deindè fideliter allaturos iureiurando promittendo; dantes insuper facultatē monasterio habendi in dicto stagno nauiculam vnam ad vsum monachorum, modò S. Pontius suam benedictionem stagno iàm maledicto, non dedignaretur; qui deuinctus precibus rogantium, satisfactione tamen damni priùs suscepta, monachis, & habitatoribus Podij-Alti cōgregatis, ad præfatum stagnum solemniter se recepit, vbi gratiarum actione, & oratione præmissis, pisces in littore mortuos, intrò remisit, qui statim hùc atque illùc currentes, profunda, & altiora stagni viui petierunt.

17. *Ibidem*. Præfectus quidam Ratisponensis, Romam deuotionis gratia iturus, vt suis parceret sumptibus, equis vna nocte pabulum ex decimis D. Quirini martyris fieri iussit: at die illucescente, omnes quot quot de rebus monasterij vorauerant, mortui reperti sunt.

18. *Ibidem*. Cùm quidam Comes, Syboto nomine, damnum inferret monasterio S. Quirini martyris in Tegernsee, prouentusq. eiusdem vsurparet, variis suppliciis mirabiliter affectus fuit.

19. *Petrus Venerabilis*. In vrbe Matisconæ, quæ Lugduno non multùm distat, Comes quidam extitit, qui tyrannicè in facultates Ecclesiarum inuolabat, & qui de iniuriis querebantur, Clericos, & Præfectos pessimè accipiebat. Cùm ergo solemni, & festo die in proprio palatio resedisset, circumstante eum diuersi ordinis multitudine, ecce tibi eques ignotus, tantæ maiestatis, & tàm terribilis aspectus, vt intuentes attonitos prorsùs perterreret, qui voce graui, & seuera ad Comitem conuersus, vt se sequeretur, non tàm monuit, quàm imperauit. At ille inuisibili potentia constrictus, nec iàm resistere valens, imperantem ad ostium vsque domus secutus est, vbi erat præstans quidam equus, quem conscendere iussus, adscendit, statimque velocissimè per aera ferri visus est, excitaque ad immensos clamores, & miserabiles eiulatus ciuitate, tandem euanuit. Tantus verò fuit, tàm tremendum spectaculum intuentium pauor, & horror, vt in memoriam facti, & ne quis ostium palatii, per quod infelicissimus Comes eductus fuerat, pertransiret, lapidibus obstruxerint.

20. *Ribadeneira de Principe, libr.* 1. Petrus IV. Aragonorum Rex, cùm vellet se Dominum, ad quem Dominium vtile, vt vocant, pertineret, ab omnibus oppidis, ac locis ciuitati, & Episcopatui Tarraconensi subiectis, agnosci, graui bello eamdem Ecclesiam afflixit: sed apparens S. Tecla, in cuius tutela, ac præsidio ea ciuitas est, nimis imperiosum porrecta palma in faciem percussit: qua ex percussione, languidior, & imbecilior factus, cùm summa agniti criminis detestat one, mortuus est, factoque priùs testamento, mandauit, vt Tarraconæ Pontifex in pristinas possessiones restitueretur.

21. *In martyrologio Gallicano 26. Iulij de Sancto Maxentio incluso*. Cùm vnus quispiam barbarus ex Clodouei Regis exercitu, impetu facto cùm aliis ad cœnobium S. Maxentii expoliandum, vibrato ense, Virum ipsum Sanctum ferire voluisset, impii manus statim obriguit: ipse verò insania correptus, se ipsum dentibus discerpsit. Quod audiens Clodoueus Rex, ad virum Dei ocyùs accurrens, supplex pro nefarii militis asseclis, quos tetra cæcitas inuaserat, veniam petiit. Super quos expresso crucis signo Maxentius iis lumen restituit, & incolumes ad castra redire permisit.

22. *In vita S. Sabæ Abb.* Quidam insolentes pastores, greges suos ad pastum agebant in agros Lauræ S. Sabæ, ipsiq. Lauræ admodùm insolenter molesti erant; qui cùm sæpiùs moniti, & increpiti non desisterent, reipsa docentur non contemnere mansuetudinem, quæ in Deo multa potest. Protinùs enim, admirabiliter quidem, & præter opinionem arcetur lac ab vberibus gregum; intereunt autem nuper geniti fætus pecorum, cùm eis esset miserè exclusum nutrimentum. Cùm ergo sensissent pastores, se soluere pœnas suæ in Sabam inobedientiæ, ad ipsum veniunt, casum miserabiliter deflentes, peccatum suum acriter confitentes, neque se deinceps ingressuros esse viam, quæ ducit ad Lauram constanter affirmantes. Ille autem tàm celeri pœnitentiæ, veniam concedit celeriorem, & protinùs benedictione soluit calamitatem, & eos liberat à supplicio: nàm simùl atque ille benedixit, mox solutę sunt vberum pedicæ, & lac profusè manabat, & agni alebantur, & crescebant, & pastoribus in gaudium mutata est tristitia.

23. *In ann. Seruorum, Cent. 3. libr. 4. cap. 13. De Ecclesia apud Laudem Pompriam, vulgò dicta S. Maria della Fontana del Moggio, sub cura Patrum Seruitarum*. Aliquis ex gratia ibidem recepta, pro voto soluendo, modium frumenti in sacco post altare clàm Patribus reliquerat. Fur interim quidam obseruata clàm veri deuoti oblatione, cùm nullus adesset, saccum rapuerat, humeroq. iniectum, auferre tentauerat: Cùm verò pondere depressus, in terram corruisset, & altera manu assurgere tentasset, Dei vindicta manus pauimento lapideo firmiter adhærens, latronem adeò implicatum, & confusum retinuit, vt indè neque surgere, neque sarcinam deponere, neque manum auellere potuerit. Luget infelix, confunditur verecundia, iustitiam consternatus timet, pudet, pænitet, exclamat veniam, & misericordiam implorat: accurrunt Patres, Beatissimam Virginem pro eo interpellant, liberatum tamen diuina ope, ac exsolutum aspiciunt: quinque tamen digitorum extensæ manus vestigiis, quæ adhùc supersunt, concauatis eo in lapide in perpetuum rei monumentum relictis.

24. *Hugo Menard, in vita S. Conuoionis Abb. lib. 2. obser. Decemb.* Quidam Vurbius, cùm aluearia quatuor in monachorum horto conspexisset, vnum

humeris impositum, domum detulit: sed Dei nutu hæc sarcina ita eius scapulis adhæsit, vt nulla vi, nulloque conatu excuti potuerit, donec furti pœnitens, eluere ad locum pristinum referret.

25. *Io. Colganus in vita Sancti Senani, 8. Martij.* Filius Domnaldi filii Marcherthacis, violenta manu accessit ad abducenda quædam armenta sacro Sancti Senani refugio commendata: & cùm Vicarium Sancti Senani, & istius loci incolas ad resistendum violentiæ obuios haberet, duabus ipse sagittis ipsum petendo conatus est Vicarium extinguere, quæ tamen vestes eius leuiter tactas non penetrarunt. His visis, furibundus in boues insilit, bouem mactat, quam antequam ipse, vel socii ex integro absumeret, lethali morbo correptus, mox interiit.

26. *Ioann. Buzelinus lib. 5. annal. Gallo-Fland.* Mirum aliquid iuxtà Basseam contigit. Illic Ferragus, Rogerii Insulensis Castellani segetem colligebat. Iuxtim erant cumuli aliquot religiosis Martianensibus obnoxii: indè cùm plerosque manipulos Ferragus cepisset, eosque suis permixtos in currum iecisset, equos ad iter, scutica exciuit. Verùm ij neque clamoribus, neque verberibus vllis, eo de loco abigi potuere, quandiù Martianensium segetem alteri commixtam sensere. Igitur Ferragus, scelere suo equos ligari persentiens, quæ furto abstulerat, restituit, & mox equi velut soluti, viam alacres capessiuere.

27. *Thomas Cantipratanus libr. 1. capite 19. num. 10.* Ego in quadam Ciuitate Episcopali annis vndecim adoleui, vbi sexaginta duo Canonici sub præbendis pinguissimis ducentarum ferè librarum Parisiensium in matrici Ecclesia seruiebant, quorum plures erant beneficiorum plurium detentores. Vide ergo qualem vindictam Dei in ipsos vidi turpissimos detentores. Mihi testis, & iudex sit S. Trinitas, vnus Deus, quòd paucos eorum vidi communi morte defungi, sed subitò omnes, & reprobè mori; ita quòd quidam eorum audito quòd vnus sociorum in nocte sanus, manè mortuus inuentus esset, complosis manibus dixit. Et quid vultis? secundùm vsum, & consuetudinem Ecclesiæ mortuus est, vt videtis. Vidi ego ipse in Ecclesia eadem infra paucos annos quatuor Archidiaconos sic defungi. Vide lector, & mirare miraculum. Primus eorum de equo phalerato, & grandi cecidit, fractisque ceruicibus expirauit. Secundus manè in cathedra sedens, mortuus est repertus. Tertius in choro stans cùm ad missam eleuatio corporis fieret Christi, cecidit resupinus, & subtracta loquela cùm sensu, quasi brutum animal die tertia sine sacramentis Ecclesiasticis est defunctus. Quartus confessionem peccatorum, & sacramenta recusans, mortuus est, & extra cæmeterium sepultus.

28. *In actis S.S. 31. Ian. ap. Boll. de S. Maedhog.* Consueuerant mulieres venire ad fontem, quem miraculosè è terra eduxerat prædictus Sanctus, vt ibidem vestimenta lauarent. Quidam autem vir plebeus, nomine Beccus, habebat villam propè monasterium S. Maedhog, cuius ager veniebat ad riuum fontis sancti; & ideò veniebant mulieres ibi lauare quasi ad suam aquam: & hoc valdè displicuit viro Dei, & ait illis: Exite hinc, & ne veniatis ad nos tàm propè: Mulieres dixerunt ei: Non exibimus, noster enim locus est, & nostra aqua. Post hoc verbum filia prædicti viri lauans vestimenta, pedibusque conculcans ea, pedes illius adhæserunt vestimentis, & vestimenta lapidibus, & lapides terræ; & erat mulier quasi simulacrum siccans, & penè occubuit. Hæc audiens Beccus pater illius, venit ad Sanctum Maedhog, rogans eum humiliter, vt solueret filiam suam. Orante iàm Sancto pro ea, soluta est illicò fœmina illa, qua soluta, vir ille Beccus, se, & semen suum cùm villa, Domino, & Sancto Maedhog in æternum obtulit.

29. *Vad. in ann. Minor. an. 1381. num. 4. de conuentu Casselensi.* In hac ciuitate, cùm mulier quædam vinum igni eliquare, vel vini laticem, vulgò *Aqua vita* educere vellet, & lignum subiiceret ex trabibus monasterii, per fistulas, non vinum, sed lac emanauit. Conuocatis vicinis, & obstupescentibus singulis ad tantæ nouitatis prodigium, modis omnibus rimari cæperunt mysterii originem, feruentem cacabum, dolium aduersum, interiacentes fistulas, temperantem aquam lustrarunt, subiecti ignis mensuram examinarunt, ligni qualitatem interrogarunt, donec tandem mulier confessa est, titiones ardentes ex trabibus exsectos esse Monasterii. Hinc oriri prodigium piæ quædam suspicatæ fœminæ, curarunt lignum amoueri, & aliud supponi, statimque mutatus est liquor, & solito more vini latices prodierunt.

30. *Vghellus in Ital. Sac. Spoletani Episcopi.* Sigualdus floruit anno 814. Hic in primis Lothario Imperatori carus fuit ob medicinæ peritiam; quamobrem ab eo quàm plura priuilegia impetrauit, imprimisque Abbatiam S. Petri de Florintillo in Vmbria per summam habendi cupiditatem extorsit, qua Episcopalis mensa ditaretur. Igitur cùm ex illa immeritos monachos eiecisset, ita Numen sensit iratum, vt horribili lepra percussus, in ea plaga miserabiliter vitam finierit, nec tamen vita functus, in sequentem vltionem potuerit euitare. Si quidem cùm per tres continentes dies tamquam è subiecto incendio densissima fumi nubes exurrexisset è tumulo, reperere, miraculo admoniti clerici, Episcopi deflagrasse cadauer, inque fætentissimos cineres diffiluisse. Poterat hæc diuina spectata vltio, nostri temporis commendatarios satis admonere periculi, qui ita Deo votas fortunas, opesque, in prophanos vsus conuertunt, ac si vndique imminentem Numinis vindictam possent eluere.

31. *In vita Beati Raynerij Præmonstratensis Ecclesiæ Canonici.* Cùm ob sæcularium strepitum, de officinis in sinistram Ecclesiæ partem transferendis cogitaret, à Canonico quodam, qui ibi tunc habitabat, petiit, vt domum suam venderet, aut commutaret: Qui cùm diù, multùmque renixus postulatum hoc arroganter refelleret, iusto Dei indicio mox grauiter afflictus, quinta die sequentis hebdomadæ animam exhalauit; sicque vir Sanctus obtinuit à mortuo, quod à viuente non poterat.

32. *Fran-*

32. *Francis. à S. Maria in Hist. Car. t. 1. l. 3. c. 34.* Cùm in conuentu S. Teresiæ *de Veas* præesset soror Anna à Iesu ex discalceatis S. Teresiæ, quidam malè ferens moniales illius monasterii frui beneficio cuiusdam fenestræ, qua mediante, diuinis officiis, & concionibus ecclesię parochialis assistebant, impetrauit à magistratibus, vt præciperent eam occludi: cùmque ne tali incommodo afficeret illas pias Religiosas ab amicis admoneretur, excandescens ira ait: Post tres dies, aut huiusmodi fenestra occludetur, aut oculi mei: res mira, illicò cæpit malè habere, & antequàm tertius compleretur dies, vitam finiuit, morsque inopinata illius clausit oculos, qui deuotis monialibus fenestram occludere voluerat; ita Deus pias exaudiuit moniales.

33. *Nyder in Formic. lib. 4. cap. 8.* In oppido Columbarum in Basiliensi Diæcesi, cùm à ciuibus & Consulatu statutum fuisset, vt murus ciuitatem ambiens, per nouum antemurale muniretur per circuitum totius Ciuitatis, coarctauerunt monasteria, & conuentus omnes, tàm mendicantium ordinum, quàm possessionatorum, vt pro sua rata partem murorum persoluere deberent, Et exindè, vt quisque sciret per quantum tractum spatii murus per eum erigi deberet, depingebantur in muro maiori ex opposito antemuralis erigendi certa signa pro singulis. Postquàm autem opus ferè in circuitu perfectè erectum est, (vt creditur) diuino, & iusto Dei iudicio antemurale vsque ad fundum cecidit vna hora solùm pro illa præcisè parte, quæ nomine mendicantium religiosorum erecta fuit, omnia verò, quæ in antemurali prædicto per ciues possessionatos antea soluta fuerant, steterunt illibatè. Oportuitque, vt nollent, vellent ciues, lapsa de suo ærario reerigerent confusione ducti.

34. *Idem ibidem.* In eadem Ciuitate eodem tempore plures diuinitùs puniti sunt morte temporali. Nàm vinitores omnes, seù cultores vinearum dictæ Ciuitatis tabernam habuerunt in latere muri Conuentus Fratrum nostrorum, (Prædicatorum) in cuius tabernæ area puteum fodere vinitores pro suo solatio affectabant, sed locum pro puteo habere nequiuerunt congruum, nisi angulum quendam dicti muri sibi vsurparent, quem angulum Conuentus noster tanto tempore possederat, quod de eius contrario non erat memoria. Renuentibus igitur fratribus dare locum anguli, Consules dictæ Ciuitatis se judices constituerunt, in propria causa suspecti contra Conuentum pro vinitoribus dictum angulum sententiauerunt. Quo gauisi vinitores puteum fodiebant in eodem loco cùm lætitia magna, & marginibus lapideis ab imo in summum perfecerunt. Cùmque læti in taberna vinitores iàm die altera biberent, mancipium quoddam aquam haurire volens, negligentia sua de manu hydriam perdidit, quæ deorsùm in puteum ceciderat. Inuocatis igitur vinitoribus, per funem vnus eorum in puteum submittebatur, vt hydriam reportaret, sed diuina permissione ibidem statim subitaneè suffocatus expirauit. Quo extracto, secundus vice prioris pro vrna capienda promittitur, & sicut primus, suffocatus est statim. Cùm verò tertiùs per funem moderatè vsque ad medium putei submissus esset, tanto horrore concussus est, vt clamans in fune retrahi se desideraret, & vitam is vix retinuit. Ex his autem ciues territi cladibus, quid mali egissent tardè satis in suis funeribus didicerunt.

Admirandæ Dei vindictæ in vendentes pretio res Ecclesiasticas, & sacras. §. 7.

Simonem magum, Simoniacę labis auctorem, plurimi imitati sunt sacrilegi; ast & cùm eodem iustas diuini iudicii experti sunt pænas. De quibus.

1. *Baronius, anno* 1055. *numer.* 16. Hildebrandus Cardinalis, qui factus deindè Pontifex, Gregorius septimus est appellatus, legatus Apostolicus in Gallias missus, vt Simonias, si quas reperisset, aboleret, ac iudicio prosequeretur, in Episcopum Simoniacum incidit, quem de hoc crimine conuictum, in judicium vocauit, eique litem intendit. Verùm cùm Episcopus falsos testes produxisset, & ipse Cardinalis vlteriùs eum conuincere non posset, hac eum tandem oratione aggressus est: Eia relinquamus iàm humanum iudicium, rem Deo potiùs committamus: ad Spiritum Sanctum hæc pertinet disceptatio, eius hic honos agitur, ad eum beneficia potissimùm Ecclesiastica spectant. Quare; age si legitimè ad Episcopatum te putas peruenisse, si à Spiritu sancto electus es, canta nobis clara voce (Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto), Quod cùm nefarius ille Episcopus præ metu pænæ exanimatus facere præsumpsisset; versiculum quidem inchoauit, dicens: Gloria Patri, & Filio, at diuino conuictus iudicio, nunquam ad exitum potuit deducere; adeò vt eum ipsum Spiritum Sanctum, in quem nefariè peccauerat, & in quem impudenter mentiebatur, nominare haùd quaquam potuerit.

2. *Desiderius Abb. Cassin. apud Baronium, anno* 1049. *n.* 27. Quidam Galliarum Episcopus, à Leone IX. Episcopi honore suspensus fuit, cuius quidam presbyter, Gibertus nomine, facundus sermone, & litteris haùd mediocriter eruditus, eidem promiserat Episcopo se Romam venire, atque calidis suis assertionibus eumdem beatum Pontificium decipere, eique sublatum officium restitui impetrare; sicque ab eo accepta pecunia Romam venit, cùmque à Romano Pontifice minimè impetrare potuisset, quod volebat, nec auderet ad Episcopum suum reuerti absque effectu, adiit Apostolicæ sedis Cancellarium, eique oblato pretio persuasit, vt sibi furtiuas litteras, & Apostolico sigillo signatas ad suum Episcopum deferendas tribueret, quæ & Episcopale officium, & gratiam Apostolicæ sedis redditam significarent. Quæ res B. Leonem minimè latuit; moxq. prædictum presbyterum aduocans, acceptam quam obtulerat pecuniam, eiq. in sinum mittens, dixit. Pecunia sua tecùm sit in perditionem, quia donum Dei furtim tentasti pecuniis possidere. Cuius sermonem diuina vltio mox secuta est, ita vt amissa mente, ab illa die vagabundus incesserit, nec vlla domus, vel claustra vltra duos, vel tres dies eam valuerit retinere.

3. Tri-

3. *Tritbemius in Chron. monasterij Hirsaugiensis*. Henricus Imperator, à S. Vuillelmo Abb. Hirsaugiensi reprehensus, quòd dignitates spirituales venderet, in publico suorum Principum consessu præcepit Hirsaugiam funditùs destrui, & fugatis monachis, bona monasterii in stipendium militibus erogari. Ad hoc facinus perpetrandum Vuernerus, Episcopus constitutus per simoniam ad Ecclesiam Argentinensem, cæpit hortari milites suos, loricaque indutus, equum plenus minarum in monachos ascendit, subitòque clamans, & vlulans horribiliter cecidit, & morte subitanea præoccupatus, cunctis videntibus, expirauit.

4. *Vuillelmus Malmesburiensis lib. 2. de gestis Regum Angliæ cap.* 12. Henricus II. Imperator, antequam ad Imperium eueheretur, tempore Conradi Patris, à quodam clerico fistulam tulerat argenteam, qua pueri ludo aquam iaculantur, pactus Episcopatum, cùm foret Imperator. Adultus repetenti pollicitum, impigrè dedit. Nec multò post aspera valetudine correptus decubuit, morbo crescente, triduò exsensus & mutus iacuit, cùm in solo pectore vitalis halitus palpitaret; nec aliud vitæ indicium erat, quàm quòd manu ad nares apposita, quantuluscumque sentiebatur anhelitus. Episcopi præsentes triduano indito ieiunio, lachrymis, & votis pro vita Regis superos pulsabant. Quibus vt credi fas est remediis conualescens, accitum Episc. quem iniustè fecerat, sententia concilii deposuit, professus, se toto triduo dæmones infestos vidisse, flammam in se per fistulam iaculantes, adeò pertinacem, vt noster ignis in comparatione illius iocus putetur. Iuuenem inter hæc semiustulatum lætum aduentasse, ferentem immensæ magnitudinis calicem aureum, aqua plenum, cuius visione, & laticis aspergine delinitum, extinctis ardoribus, in sanitatem euasisse. Ephebum illum, B. fuisse Laurentium creditum est, cuius ecclesiæ tectum, longa carie dissolutum, compaginauit, & præter alia xenia, calice aureo honorificauit.

5. *In Epistola 206. Cyrilli ad August. cap.* 8. Traditur fuisse monasterium quoddam in Thebaidis partibus, ducentarum ferè fæminarum, sanctarum vtique, si non auaritiæ fæditate, sanctitatis decorem polluissent. Consuetudo pessima apud illas inoleuerat, nullam in collegium admittendi, quæ certum pecuniæ numerum non afferret. Cuidã ex iis, cuius Deo deuotus animus à tàm profana negotiatione abhorrebat, apparuit in somnis Hieronymus, iubens vti cæteris pergeret nunciare, nisi pænitentes ab ea exactione destiterint, vltionem à Deo paratam iàm ipsarum capitibus imminere. Cùmque hęc in conuentu omnium narrata fuissent, risu excepta sunt, existimantibus deliramentum esse mulierculæ aniliter desipientis, nec vera, vt erant, referentis. Altera deinceps, & tertia nocte eadem visa rursùs coràm replicantem, iàm odio habitam, probro agitantes eiecere: Deo pro illa disponente, ne scilicet Loth cùm Sodomis disperiret, iustus cùm impiis. Vix etenim mulier septa monasterii egressa fuerat, cùm monasterium ipsum terribili fragore funditùs concussum, reliquas oppressit ruina, vt ex tanto numero, ne vna quidem saltem extremum in morte anhelitum ducens, post casum sit inuenta.

6. *Petrus Blesensis, epist.* 46. In omnem terram, & in fines orbis terrę iàm exiit plaga illa, qua nuper in Sicilia percussi sunt Catanenses in vigilia B. Agathæ; cùm Episcopus ille damnatissimus, frater Matthæi Notarii, qui sibi sumpsit honorem, non vocatus à Domino tãquam Aaron, qui ad sedem illam non electione canonica, sed Giezitica venalitate intrauit; cùm, inquam, abominationis offerret incensum, intonuit de cælo Dominus, & ecce terræmotus magnus factus est. Angelus enim Domini percutiens Episcopum in furore Domini, cùm populo, & vniuersa ciuitate subuertit. Hoc autem accidit an. 1169.

7. *Spondanus an.* 1523. *n.* 27. In Patriarchatu Constantinopolitano fuit hoc tempore dirum schisma. Dùm enim Ieremias, Ierosolymam ad sepulchrum Dominicum visitandum peregrinaretur, nonnulli ex Clericis, qui eum comitabantur, dissensione exorta, è Cypro Constantinopolim regressi, alium in eius locum intrudi curarunt, facto Charatzii, siue tributi annui Sultano pendendi augmento quingentorum aureorum; vt iàm esset quatuor millium. Electusq. est Ioannicius Metropolita Sozopolitanus. Verùm cùm nobilitati, & populo, nec non plurimis è clero execrationi esset; etiã à Ieremia, vbi rem audiuit Ierol olymis, iunctis cùm ipso ceteris tribus Patriarchis Orientis, qui ad eum conuenerant, excommunicatus, dirisq. deuotus est vnà cùm illis quorum suffragiis thronum inuaserat. Deindè reuersus Ieremias Cõstantinopolim, fauore Ibraimi Bassę amici sui restitutus est, eiecto Ioannicio: ea tamen conditione, vt quingentos illos aureos, quos Ioannicius addiderat, penderet. Quod cùm Ieremias recusaret, & potiùs Patriarchatu abire contestaretur; populus tamen id approbauit, & Ieremiam ingenti gaudio in throno collocauit. Ioannicium autem vrbe expulit: qui paulò post in excommunicatione mortuus, ceù tympanum inflatus repertus est.

8. *Signius in Reliq. cap.* 36. Adelfredus quidam, partem sanctorum Diodori, Mariani, & sociorum est furatus, non ob sanctitatis venerationem, sed pro amore lucri venalis, vt res gesta demostrauit. Nocte autem eadem graui languore percussus, cæpit tremare, & toto corpore emortuo acerrimè vexari, & quantùm poterat balbutire, reum se in sanctos clamabat, nullum cibum, nullumque potum appetens, somni nunquam, vel ad momentum quiescens. Cùmque per aliquot dies semiuiuus commissum lueret, & omnibus horis mortuus crederetur, tandem clamare cæpit seniorem ex nomine. Ad quem ingressus Franco, mox vt eum eger conspexit, qui ab omnibus exanimis putabatur, sub celeritate surgens prostrauit se ad pedes eius, & furtum, quod de sanctorum artubus fecerat, anxiùs prodidit. Interrogatus, an se conualescere posse speraret, ait. Ad hoc mihi aliquantæ induciæ concessę sunt, & spatiolum vitæ præstitum, vt tuis reddam manibus, quod furari reus ausus sum.

9. *In vita S. Eligij Episcopi Nouiomensis cap.* 55. Vir quidam, non longè à Rhemis habitans, religiosæ

giosæ mensis stadio voluit in prædio suo, in B. Eligij honorem basilicam construere. Ea autem iàm absoluta, reliquijs eiusdem sancti viri ornari eam cupiens, ad Nouiomenses profectus est, & ab illis optatum munus impetrauit. Sed cùm indè recedere vellet, clericus quidam cupiditatis œstro percitus, vi eum detinuit, dicens, se non passurum, vt cùm reliquijs abeat, nisi priùs aliquo dato munere. Ille, vt posset ex eius manibus euadere, munusculum quoddam tristis ei largitus est. Quod clericus auidissimè complectens, mox in sinu abscondit. Et eccè repentè immisso diuinitùs igne, pectus cùm vestimentis ardere cæpit, ita vt alta voce exclamans diceret. Parce Sancte Eligi: miser ego nihil tale deinceps faciam. Mox illi qui aderant properè ei vestimenta fumantia detrahunt, munusque acceptum reddunt ei, qui dederat, illum iàm dolentem & multùm lachrymãtem ad B. Eligij monumentum adducunt; vbi oleo vnctus, vix tandem ab incendio illo liberatus est.

10. *Gonzaga de origine Seraph. Religionis, in Prouin. Bonon. de couen. S. Mariæ de Campo Placentiæ.* Fuit in hac Ecclesia puteus quidam, in quem olim multa sanctorum Martyrum corpora à tyrannis occisoribus proiecta fuerant: ex hoc oleum ex diuino beneficio indè olim emanauit, tàm fouendis lampadibus commodum, quàm diuersis fidelium infirmitatibus persanandis mirificum; sed humanæ auaritiæ noxis id exigentibus, quæ eò vesaniæ processerat, vt sumpto pretio curandis etiam brutis animalibus eo abuterentur, desiit tandem emanare, pænitùsque is liquor interiit.

11. *Cæsar Franciottus.* Refert Leboinus Diaconus, in illa sylua, vbi lignum fuit excisum formandæ sanctæ imagini Saluatoris à Nicodemo, quæ Lucæ colitur, fontem erupisse, cuius aqua omnes sanabat infirmitates, eamdemque virtutem tributam fuisse dicunt ligni fragmentis, quæ remanserant; sed hoc mirum circa aquam accidit; scilicet, cùm syluæ Dominus auaritia correptus, aquam venderet, factum est, vt fons ille salutaris exsiccaretur.

12. *Sylos in Hist. Cler. Reg. Par. 2. lib. 2.* Cùm an. 1625. illato Reipublicæ Genuensi à Sabaudo bello, inter tumultus ablata fuissent insignia Lipsana S. Georgii, quæ in eiusdem Ecclesia asseruabantur; diù latuit furti auctor; at tandem studio & diligentia innotuit, in oppidum Genuẽsis Ditionis, cui nomen Spetie, sacras eas reliquias asportatas: dùm igitur depositum furtum à viro religioso apud quẽ erat redimere student Genuenses, non illud redditurũ, nisi data pecunia asserit ille: Redimendũ igitur auro pretiosum pignus fuit. At mirum dictu: prætium vix accepit homo religiosus, cùm solui repentina paralysi brachium sensit, ea quidem consternatione, ac metu, vt reddi statim pecuniam oportuerit; restituto mox suo incolumitati brachio.

Alia huiusmodi videantur in primo tomo, cùm de fontibus perennibus olim, & medicis.



Circa Ecclesias Admiranda varia.
§. I.

MOdò de aliis Admirandis circa Ecclesias, quæ sub notatis titulis non sunt descripta: Suntque.

1. *Ruffinus Aquiliensis l. 1. Hist. Eccles. cap. 38. & 39.* Cùm impetrassent Iudæi à Iuliano, vt templum Hirosolymis reædificarent: ecce nocte, quæ ad incipiendum opus sola restabat, terręmotus ingens oboritur, & non solùm fundamentorum saxa longè, latèque iactantur; verùm etiam totius loci penè ędificia complanantur. Porticus quoque publicæ, in quibus Iudæorum multitudo, quæ operi videbatur insistere, commanebat, ad solum deductæ, omnes Iudæos, qui reperti sunt, oppressere. Luce vero orta, cùm se mala crederent effugisse, ad requirendos eos, qui oppressi fuerant, reliqua multitudo concurrit. Erat ædes quædam in inferioribus templi demersa habens aditum inter duas porticus, quæ fuerant complanatæ, in qua ferramenta, aliaque operi necessaria seruabantur, ex ipsa globus quidam ignis emicuit, & per medium plateæ percurrens, adustis, & exanimatis qui aderant Iudæis, vltrò citròque ferebatur. Hoc iterùm, sæpiùsque, & frequentissimè per totam illam diem repetens, pertinacis populi temeritatem flammis vltricibus coercebat.

2. *Baronius an. 345.* Gallus, & Iulianus, Cæsares, & germani, ille vera, hic simulata pietate inuicem contendebant. Non ii oblationem, aut victimam, nec aram etiam, sed templum structura sumptuosiore Deo erigere pro se quisque statuerat. Certatim itaq. opus moliuntur, area designatur, eruuntur fundamenta, extare, eminere parietes incipiunt, cùm ecce tibi prodigium illustre, ac memorandum, progreditur Basilica Galli, perstat, vsque ad fastigium consummatur, denique dedicatur, supremo imposito lapide; At Iuliani delubrum, veluti prophanum, promoueri nullatenùs potest; quidquid interdiù paratur, id noctu respuere humus videtur occulta vi, & quasi terręmotu, solo vtique non acceptante molem, quam vera pietas non fundaret.

3. *In m. s. s.* In loco, vbi Maria suo Iesu crucem ferenti occurrit, vbique ingenti dolore correpta perhibetur, templum fideles ædificarunt, cui nomen Mariæ à Spasimo imposuerunt. Hoc cùm tempore diuturnitate cecidisset, cùm vellent in illo loco infideles communem domum ædificare, nunquam potuere, cùm statim caderet fabrica, quæ erigebatur.

4. *Horat. Tursellinus lib. 1. de Lauret. Hist. c. 16.* Recinetenses tantis populorum concursibus accensi, sacrosanctum sacellum, impensiùs colere, tutarique instituerunt. Videbant parietes, & tenues, & perantiquos tot iàm sæcula stare sine vllo penitùs fundamento. Ingens ergo eos incessit cura, veritos, ne paulatim temporum iniuria procumbentibus parietibus, augustissima orbis terræ sedes Virginis pessum iret, rueretque. Itaque optimum factu rati, ædem specie ruinosam (quoad humana

arte

arte, atque industria valerent) vndique communire, iactis, quantùm res ferebat, fundamentis lateritio eam pariete circumdant. Fama est haùd dubiis vulgata authoribus, nullo modo potuisse nouam substrationem sacris parietibus adhærere: diceres sacram Domum diuina vi subnixam, aspernari humanam opem.

5. *Aloysius Torellus, in Hist. August. an. Christi* 505. Cùm subtùs sacellum ædificatum à S. Augustino, dùm viuens per Sardiniæ Insulam transiret, aliud subterraneũ ædificari accidisset ann. 1635. obseruatum fuit, prædictum sacellum absq. fundamentis vsque ad id tempus extitisse, atq. adeò quod iuxta artificium sententiam nec per annum stare naturaliter potuisset, supernaturaliter 1247. annis super mobilem terram immotus permansit.

6. *In vita S. Patritij.* Circuibat S. Patritius Hib. Apost. fines Connaciæ disseminans verbum Dei, Ecclesiasque construens. Cùm venit in quandam planiciem situ, et amænitate aptam Ecclesiæ ædificandæ, sed lignorum, & lapidum expertem, sylua nàmque longo interstitio à loco distabat, & lapidicina non inueniebatur in partibus illis, vel si reperiretur vspiam, operandi de ea vsus defuit indigenis. Tunc Sacerdos Christi præmissa oratione, vt creditur celitùs adiutus, ædificauit Ecclesiam ibidem tantùmodo de limo terræ tùm temporis perpulchro factam schemate, atque diuina præditam virtute. Nullo nàmque vento, gelu, grandine, pluuia, aut aeris aliqua inclementia deteriorari dignoscitur, sed ab illo tempore vsque in præsens in eodem statu permanere perspicitur.

7. *Ramusius tom. 2. Nauig. lib. 1. cap.* 30. Cùm Maracandæ in Asia, Christi fidem suscepisset Zagathai, frater Principis eiusdem regionis, magnificam extruxit Ecclesiam, D. Io: Baptistæ dicatam, huius tectum mirabili artificio sola columna sustinebat; quæ in medio templi, ingenti quadrato lapidi, ex Saracenorum quodam ædificio desumpto, innixa reperiebatur. At cùm defunctus esset Zagathai, basim columnæ in pristinum locum restituere volentes Saraceni, templum diruere tentauerunt, Christiani verò ad patrocinium S. Ioannis confugientes, mirabiliter à ruina templi fuerunt liberati: Statuta enim enim die, qua basis lapidea auferenda erat, mirabiliter columna ipsi innixa, tribus palmis in aerem subleuata est, sicque àbsque euersione templi, amota basis fuit; talique pacto vsq. adeò absque vlla basi, & fundamento huiusmodi perseuerat columna.

8. *Mathias Faber. ex officio S. Virgilij Ep. Salisb.* S. Virgilius in Metropoli sua, ædem sacram ingenti molitus opere, primo illius cathedræ Positori, & Boiarię Apostolo S. Ruperto, nuncupauit. Qua in fabrica id stupendum accidisse tradunt, vt dùm operarii è disco pecuniis referto suam quisquam diurnæ operæ tollerent mercedem, nemo supra, nemo infra laboris meritum, diuina planè moderatione, tollere potuerit; quod meo quidem iudicio testimonium fuit operis Deo placiti, æquè ac structoris.

9. *In actis S. Maedhoc Episcopi ap. Boll.* 31. *Ian.* Quodam tempore, cùm B. Maedhoc, Basilicam sibi ædificare voluisset, non potuit artificem tùm inuenire. Confidens in Deo, benedixit manus cuiusdam inerudíti, nomine Gobbani, & statim subtilissimus artifex est factus. Postea insumma arte illam basilicam ædificauit.

Ecclesia diuinitùs ab igne illæsa. §. 9.

Hviusmodi notata fuere to. 1. lib. 2. cap. 1. §. 6.

Fores Ecclesiarum calitùs aperta. §. 10.

Videantur hæc Admiranda tom. 1. libr. 5. capit. 5. §. 4.

APPENDIX AD CAPVT III.

Ecclesia, & quadam Loca sacra perennibus prodigijs Admiranda.

VT quæ in Ecclesiis, locisque sanctis quotidiè inuisibiliter operantur prodigia, & admiranda, fidem apud Catholicos astruerent, quasdam Ecclesias, Locaque sacra, visibilibus, perennibusque condecorari voluit Deus Admirandis. De quibus.

1. *Seuerus Episcopus apud Baronium an.* 418. In Minorica, vna ex Balearibus insulis, oppidum Iammonæ antiquum à Deo munus etiam nunc retinet, vt Iudæi habitare in ea nequaquam possint. Multos siquidem id temerè audentes, aut ægritudine præuentos, aut repulsos, aut morte subitanea extinctos, aut etiam fulmine trucidatos, tradit vetustas: adeò vt celebris huius rei fama ipsis quoque Iudæis, ne id vltrà temerè audeant, metum fecerit.

2. *Vincentius, spec. Hist. libr.* 11. *cap.* 21. In ciuitate Edissa, ad quam translatum fuit corpus S. Thomæ Apostoli ab India, (vt apud Euseb. scriptum est) nullus Hæreticus potest viuere, nullus Iudæus, nullus idolorum cultor. Sed nec Barbari eam aliquandò inuadere potuerunt, ex quo Abagarus Rex eiusdem ciuitatis meruit epistolam manu Saluatoris scriptam accipere. Hanc enim epistolam legebat infans baptizatus stans super portam ciuitatis, si quandò gens aliqua ibat contra ciuitatem; eadem die, qua lecta fuerat, aut pacabantur Barbari, aut fugiebant.

3. *Ferrandus, de corde S. Augustini.* Notandum est ex historijs illustrioribus, ac veris, nunquam in Ecclesiam, vbi cor S. Augustini erat, ingressum fuisse hominem hæreticum; vel enim intùs moriebatur, vel in limine cadebat. Hac de causa pingi solet Augustini cor in vase pulchro super altare, ante quod multi iacent hæretici consternati, & emortui.

4. *Petra Sancta de mirac. perp. cap.* 1. Qui de Admirandis Palestinæ scribunt, affirmant, ædes S. Thomæ Apostoli perstare adhùc, & hoc ingenio esse, vt habitatores, nisi fideles non ferant, si qui degere audeant alieni ritus, ij statim experiuntur atroci obitu facinus puniri.

5. *Idem*

5. *Idem ibidem*. Vicus magnus est haud ita procul Abana fluuio ad Orientem Damasci, cui vico Sardinella vocabulum est. Hic incolas alios, nisi Christianos, perindè non admittit. Cæteris enim est inhospitalis, ac fine infortunio, aut noce neminem patitur.

6. *Idem ibidem*. Hamburgi ædicula S. Anscharii est, in qua ipse primam concionem habuit, ac deinceps Ecclesiastem egit, diuinitùs defensa, per custodes, atque vt ita dicam præsidiarios cælestes genios, immunis à prophanatione omni semper fuit. Quocirca incolitur ab orphanis, vti domicilium aliquod pium, ne ab aduenis violetur imbutis sectarum prauitate.

7. *Borcardus in descriptione terra sancta, par. 1. cap. 7. §. 46.* In latere Ecclesiæ Montis Oliueti, ex quo Christus ad cælos ascendit, adhæret capella versùs austrum, in qua S. Pelagia pænitens sepulta iacet. Dicitur, nullum, qui detinetur peccato mortali, posse transire inter parietem, & eius sepulchrum eleuatum: Huius veritatem nescio, plures tamen transierunt, & ego vidi.

8. *Io. Colg. in vita S. Farannani 15. Febr.* Speluncam, in qua extat eius miraculosum cubile, sylua circumdat, quæ ob S. Farannani olim incolatum tanto habetur in pretio, & populi veneratione, vt ex quo ipse in alteram translatus sit vitam, nulli, nisi temerarii (cuiusmodi non leuem aliquotiès senserunt Dei vindictam) vel virgultum ex illa decerpere ausi sint.

9. *Beda de locis Sanctis cap. 7.* Templum, quod ædificatum fuit in vertice montis Oliueti, eo in loco, ex quo Christus Dominus ad cælos ascendit, nunquam concamerari, & claudi in summo culmine potuit, sed patuit semper votis piorum illa triumphalis via.

10. *Ioan. Eus. l. de mirac. nat. terra promissa cap. 25.* Cubiculum, vbi D. Virgo concepta fuit, in domo S. Annæ, magno apud ipsos etiam Turcas honore habetur. Ipsi affirmant (testatur hoc Blasius Buiza Franciscanus) nullum vxoratum in ea domo habitare posse: statim enim coniuges violento, & misero exitu interibant: ea propter custos eius loci, castitatem colere debet, quod inter Turcas mirum dictu.

11. *Idem lib. 2. de mirac. nat. Europa, capit. 2.* Est in Boreali Britanniæ parte, Insula quædam, quę & Sancta vocatur, vbi mulieres non pariunt, concipiunt tamen, & prægnantes effectæ, vsque ad pariendi articulum naturaliter intumescunt: quo imminente, ad alteram Insulam aduectæ, naturali libertati naturæ indulgent. Quæ si fortè detentæ fuerint (sicut aliquoties probandi causa compertum est) intolerabili statim vexatione torquentur, & vsque ad ipsas fere mortis angustias, donec emittantur, dolore premuntur.

12. *Idem ibidem cap. 8.* Est in Vltonia cæmeterium quoddam, locusque sacer, Sanctorum virorum diutina frequentia consecratus. Fæmineus hic sexus quoque non admittitur: hùc sponsum sponsa non sequitur; celebratoque locali diuortio, consortes orationum non effecti, in hac parte iàm ad imparia iudicantur.

13. *Idem.* Alia Insula in Hibernia, Insula Viuentium appellata, reperitur, peregrinationibus frequens, adeò tamen à fæminarum ingressu abhorrens, vt in saxum conuersa mulier sit quę temerè illùc intrauit.

14. *In vita S. Fechini, apud Bollandum 30. Ian.* In Media apud Fouerium est molendinum, quod S. Fechinus in latere cuiusdam saxi miraculosè nimis manibus suis exculpsit. Hoc, sicut & Ecclesiam Sancti istius, mulieres non intrant. Nec in minori reuerentia molendinum illud ab indigenis, quàm vna Ecclesiarum Sancti eiusdem haberi solet. Contigit autem Hugone de Lacij exercitum per locum illum ducente, sagittarium quemdam muliérculam violenter attractam, in ipso molendino libidinosè violasse. Qui repentina vltione igne infernali in membro percussus, vsque in ipsum corpus statim exarsit, & nocte eadem expirauit.

15. *Surius in vita S. Carilephi 1. Iulij.* Mulier quædam, Gunda nomine, quam clandestinus supplantator illexerat, Spiritui Sancto volens illudere, virili præsumpta veste, in beatissimi Carilephi monasterium ingredi conata est, vt probaret; verum ne esset illius vaticinium, quo prædixerat, sexui fæmineo nunquam datum iri copiam in illud intrandi; sed iusto Dei iudicio priùsquàm, vel aspiceret cænobij clausos aditus, arrepta à Diabolo, retrorsùm ruit, adeòque fœdè ab illo vexata est, vt dicere me pudeat. Caput enim illi adegit inter femora, sicque factum est, vt quæ sacratis liminibus falsa oscula imprimere tentauerat, immundas sui corporis partes osculari cogeretur, sexumque ipsa suum, quem virili habitu tegere voluerat; cunctis cernere volentibus palàm proderet. Ea res effecit, vt deinceps eò se conferre mulieres ausæ non sint.

16. *Augustinus Vuichmans, in Apot. spirit. phar. cap. 43.* Cùm B. Fiacrius Hibernus, illustri perpetrato miraculo, à fæmina monasterium eius visitante magiæ accusatus fuisset, precibus ipse solutis orauit Dominum, ne deinceps loci limina immunis intraret fæmina. Quare illo ex tempore muliebre genus, monasterii aditu, quod B. Virg. dicatum erat, vis quædam diuina prohibuit, nullaq. fæmina intulit pedem immunè.

17. *In actis S. Lupi Ep. Cabilon. ap. Boll. 27. Ian.* Monstratur adhùc illius adhærens villæ Baugiaco oratorio cella, in qua post laborem consueuerat cubitare: ad quam donec aduixit, nullus fæminis patuit aditus. Vndè, & propter priorem reuerentiam nulla modò fæmina, illùc ingredi præsumit.

18. *Guala, libr. 4. capit. 2. Sanctuarij Papia.* Quoddā hìc fertur mirādum; quòd in diui Archangeli Raphaelis capellam, in qua veneranda sanctorum martyr. corpora Felicitatis, & filiorum in eminenti arca suum habent domicilium, mulieres ingredi terrentur, ne eodem ingressus anno, furenti morte rapiantur, interminatione Angeli Raphaelis ad quamdam zelotypam Reginam, Regem maritum coùsque clàm secutam.

19. *In m. s. s.* Ecclesiam S. Mariæ Rossani in Calabria, mulieres nequeunt ingredi; quòd si impru-

prudenter ingrediantur, illicò conturbatur aer, pluuia, fulguraque de cælo cadunt; cessant verò in exitu illius ab Ecclesia. Est autem traditio hoc euenire, quia cùm B. Virgo locum construendæ Ecclesiæ cuidam sancto Abbati designasset, intra ambitum Ecclesię ipsa non intrauit, quam reuerentiam & deinceps mulieres obseruare vult.

20. *Petra sancta in mirac. perp. cap. 16.* Romæ adhùc supersunt ędes S. Franciscę Romanæ, in quibus, sicut castissimo ipsa coniugio vixit, ita fæminæ deinceps nullæ, nisi castæ, atque honestæ vixerunt. Si eas conducant mulierculę minùs pudicæ, constans persuasio est, aut propediem ex languore, ac morbo interituras, aut vitæ intaminatæ consilia certò inituras.

21. *Idem ibidem.* Vir nullus intrare potest septa, intra quæ S. Brigittæ ignis apud Kildariam Lagenæ in Hibernia iugi alitur flamma, quotquot verò mares intrare ausi, grauissimæ luerunt.

22. *Antonius Spinellus in Maria Deipara, Trac. de Festis, & Templis, in Appendice numer. 56.* Lopadusa Insula vulgò *Lampadosa* inter Siciliam, & Lybiam nunc omninò deserta, Deiparæ tamen templum habet, ipsis etiam Barbaris, ne dùm fidelibus venerabile. Si quis enim è prætemauigantibus pecuniam in templum nullo custodiente oblatam, furto surripere audeat, ferunt illicò procellam in mari excitari, ac proindè ex insula exitum intercludi, quoad eam suo loco reposuerit.

23. *Idem, de sacro monte Virginis.* Eo in loco non aliis cibis, quàm ijs, quibus in quadragesima vescimur, vti licet, quod miraculis sæpè comprobatum est. Quare si quis illùc deferat carnes, oua, caseum, & similia, siue id casu, siue ignoratione, pluuiæ, ac procellæ excitantur. Extat ea de re libellus scriptus à quodam eius familiæ alumno.

24. *Augustinus Florentinus lib. 2. cap. 74. Hist. Camaldul.* Cùm Petrus Quirinus Eremita dispensationem super esu carnium pro ægrotantibus Eremitis hortaretur, exhorrescens Petrus Generalis eius consilium, vt potè contra antiquissimam loci institutionem, testatum illi per litteras fecit, quòd carnes, si quandò in sacro loco appositæ sunt, aut delatæ, vermibus semper visę sunt magno miraculo scaturire.

25. *Marius Vipera, de S. Cassiano Episcopo Beneuentano.* Illud planè mirandum litteris consignatum legitur, quòd nemo equitando propè sac. Ædem, in qua sacrum Cassiani corpus asseruabatur, transire poterat, nisi priùs equo descendisset, idque euenisse quoad indè in templum Dei Genitricis vnà cùm plurium sanctorum reliquiis translatum fuit.

26. *Ioannes Daubr. Hist. Bohem. lib. 23. an. 1361* S. Ioannis Nepomucensis presbyteri cancelli, quibus sacra eius lipsana custodiuntur Pragę in Ecclesia S. Adelberti, sunt eius virtutis, vt eos quisquis intrauerit, ab insigni aliqua semper infamia liberetur.

Alia huiusmodi admiranda videantur t. 1. l. 7. in appendice ad cap. 3. cùm de perenni Animalium cultu, rebus quibusdam sacris.

CAPVT IV.

De Admirandis circa Ritus Ecclesiasticos.

Ritus Ecclesiastici, miraculis comprobati. §. 1.

Ritibus quibusdam, statisque cæremoniis Deum publicè colere, ne dùm prisca Hebræorum Religio, sed & Gentilium superstitiosus cultus semper consueuit; iis etenim maximè oblectari Deum, ceù euidentibus affectuosi cordis testibus, creditum est. Non igitur mirum, si & Catholica nostra, orthodoxaque Religio, sacris, religiosissimis, Ecclesiastica maiestate, cælestiq. significatione plenis quibusdam Ritibus, & cæremoniis Deum summum colere, venerarique doceat. Hi igitur quàm sancti, quàm *consentanei*, quàmque Deo grati, contra sectarios, *illos* euanidos, superstitiosos, histrionicos, & sacrilegos appellantes, miracula, admirandaque prodigia, quibus quandòque confirmati fuere, demonstrant: De his licet multa sint aliis in locis notata, aliqua tamen in præsenti capite, genericè siquidem in primo paragrapho, specificè, & singulatim, *postea* in reliquis.

1. *Baronius, an 31.* Plerisque in locis, Paschali tempore (licet Pascha pro Lunæ varietate quotannis seriùs, aut citiùs celebretur) quo Baptisma in Ecclesia peragi consueuit, è sicco, aridoque fonte lapideo, copiosè ad Baptismi vsum aquæ exundare consueuerunt.

2. *Sigebertus, ann. 573.* Hoc anno Hispani, & Franci de Pascha celebrando dissentiunt, *Hispanis duodecimo Kalendas Aprilis, Francis verò* decimo quarto Kal. *Maii Pascha celebrantibus:* sed Francos rectè celebrasse per hoc diuinitùs claruit, quòd fontes in Hispania, qui in Sabbato sancto Paschæ ad baptizandum spontè diuinitùs repleri solent, non in Hispanorum, sed in Francorum Pascha repleti sunt; ex quibus omnis de *impostura* interdùm oborta suspicio, abolita est. *Si enim humana arte ea de fontibus contigissent, vtique eadem* ad Hispanorum sententiam comprobandam accommodata fuissent. Qui error apud Hispanos & Gallos eodem prodigio ablatus fuit anno 580. vt ex Gregorio refert idē Baronius, anno prędicto.

3. *Ioannes Diaconus in vita S. Gregorij Papæ.* In vrbe Romæ, cùm deliberasset S. Gregorius Magnus initiare rursùs sacram ædem Diuæ Agathæ, quam violauerant Ghoti, tunc etiam admiranda contigerunt. Nempè lampades extinctæ arserunt spontè, immissa cælitùs luce, & cælo sereno illapsa nubes lucida obuoluit aram, non sine mira odoris fragrantia; tantus autem horror inuasit omnes, vt extra vestibulum hærerent cuncti, nec ingredi auderent, perculsi religione.

4. *Surius in vita S. Alberti Carmelitæ, 7. Aug.* Defuncto S. Alberto, lis orta est cleri, & populi de missa celebranda, Clero dicente, defunctorum missam dicendam esse: Populo contra affirmante de sancto celebrandum esse sacrificium. Consulebant.

bant autem, qui de Clero erant, ius Pontificium: Populus verò ad preces se conferebat. Tandem Archiepiscopus mandauit, vt diuinum expectaretur consilium, omnesque Deum obsecrarent, vt indicaret ipsis, quomodò vellet honorari, & ornari Sanctum suum. Cunctis igitur in preces incumbentibus, subitò apparuere in aere duo pueri, albis amicti stolis, iisque auro intextis, dicebantq. excelsa voce cantandum esse: Os iusti meditabitur sapientiam,&c. Et his dictis, mox ab omnium oculis ablati sunt. Tùm verò tàm insigni conspecto miraculo, Archiepiscopus, & Rex, cæteriq.omnes statuere, officium confessoris anteponendum esse officio defunctorum.

5. *Idem in vita S.Antonij de Padua, 13.Iunij.* Ea die, qua in Sanctos relatus est vir Dei, res stupenda accidit Vlysbonæ. Nàm & viri, & fœminæ extra domos in plateis cantabãt, & tripudiabant, & campanæ omnes totius ciuitatis, nullo eas mouente, concrepabant egregiè, nec poterant se se homines cohibere, quin se lætitiæ, & tripudiis darent. Ea autem re in multam illis admirationem adductis, non diù post superuenere ex Italia fratres, quorum relatu didicerunt, ipso die inusitatæ lætitiæ suæ, Virum Beatum in sanctorum albo inscriptum fuisse.

6. *S.Antoninus par. 2. tit. 17. cap. 3. §. 2. de S. Thoma Cantuariensi.* Cùm post eius obitum missam clerici cantare inciperent defunctorum, scilicet, Requiem æternam,&c.subitò auditæ sunt voces Angelorum concinentes. Lætabitur iustus in Domino,&c. Et clerici illud prosequuti sunt.

7. *In vita B.Claræ Gambacurtæ,ord.S.Dominici.* Post illius obitum, stantibus circa eius venerandum corpus sororibus, & secundùm ordinis vsum psallentibus, canebãt semper sub finem cuiusque psalmi, Gloria Patri, &c. pro Requiem æternam: & quamtùmuis ipsæ se mutuò admonerent,& memores redderent clausulæ mortualis, quotiès tamen ad finem psalmi veniebant, priùs quàm illius recordarentur, inchoatum erat, Gloria Patri.

8. *In m. s. s.* Tempore quo ob persecutionem Henrici III.Imperatoris, multi Christi fideles Brixiæ crudelissimo sunt affecti martyrio an.1091. eorum nomina catalogo sanctorum adscribere volens Vrbanus II. iussit Præposito Ecclesiæ S. S. Faustini, & Iouitæ ad sanguinem, in qua eorum condita fuerant corpora, vt nomina eorundem sanctorum ad sedem Apostolicam descripta transmitteret. Tunc Præpositus, cùm martyrum ignoraret nomina, fusis Deo precibus, puluerem ex cæmeterio eorumdem martyrum extractum, linteoque benè inclusum, Pontifici transmisit: & ecce mirum; Pontifex, soluto linteo, plenum schedulis,quibus sanguineo colore omnium martyrum inscripta erant nomina, reperit, sicque eos Sanctorum catalogo adscripsit.

9. *Gabriel Biel, in Canon. Missæ lect. 32.* Cùm nonnulli temerario ausu tentassent, abrasis in Canone Missæ Sanctorum consuetis nominibus, de quibus in eodem religiosa fit memoria, alia quædam ex impia, & falsa pietate substituere, nouis semper abrogatis, antiqua è contra nomina ab Ecclesia statuta aureis obsignata litteris, iteratis sæpè vicibus conspexere: quo facto edocti, in antiqua Ecclesiæ Romanæ consuetudine, quam Deus tanto miraculo obfirmare voluit, perpetuò post hac perstiterunt.

10. *Vghellus in Italia Sacra tom. 4. Mediolanenses Archiepiscopi.* Cùm Adrianus primus tollere vellet in Mediolanensi Ecclesia ritum Ambrosianum, Romanumque constituere contenderet; Sanctus quidam Præsul Gallus, nomine Eugenius, Ambrosiani ritus patrocinium suscepisse fertur, ac diuino monitu talem proposuisse diuinæ voluntatis explorandæ rationem: cùm enim ipso annuente Pontifice, missales libri,Romanus pariter, & Ambrosianus supra aram maximam B.Petri positi fuissent, & occlusis templi foribus fusæ interea preces ad Deum, vt quod optimum esset, indicaret, manè,foribus reclusis, deprehenderunt Romani libri folia per templum disiecta, sparsaque; Ambrosiani verò libri per mensam altaris dumtaxat dispersa. Ex eo itaque Patres significari dixerunt, Romanum quidem ritum in orbem disseminandum, Ambrosianum verò sua dumtaxat in Mediolanensi Ecclesia, & Diæcesi retinendum, pro vt est factum.

11. *Thomas Ioannes Pessina, de Glor. Eccles. Prag.Rad.3.* Ferunt, dùm Cyrillus Romæ ageret an.867.Romano Pontifici supplicaturus, vt Slauorum lingua, eius gentis hominibus, quam baptizauerat, rem diuinam faciens vti posset, de hacque re in sacro Senatu disceptaretur, essentque non pauci contradictores, auditam vocem tamquàm de cœlo in hæc verba missam: Omnis Spiritus laudet Dominum;& omnis lingua confiteatur ei, indeque datum Cyrillo indultum.

12. *Bz.an.1330.num.63.* Cùm nostra hac ætate à Gregorio XIII. Summo Pont. Calend. Rom. examussim reformatũ fuit,prodigium accidit.Inter cymelia summorum Pont. in Palatina Vaticana, tres nuces iuglandes ostenduntur natæ, quemadmodùm custodes Cymeliarchæ referunt, per miraculum ipsa bruma, in arbore non solùm exfrondi, sed etiam rigente; cùm duo inter se de reformato eo Calendario Gregoriano contenderent, alterque affirmaret, ritè, & ad præscriptas à concilio Nicæno regulas conformatum esse,alter negando prouocaret, tàm illud verum esse, quàm possibile foret, nucem, sub qua fortè iurgabantur,per brumam duratam, iuglandes hoc ipso momento producere. Vix verba protulerat, cùm repentè tres nuces in arbore enatæ, hominem pertinaciæ coarguerunt; docueruntq;non temerè eam à Gregorio Pontifice,dierum decem interstitio detracto, calendarii emendationem factam fuisse.

13. *Bozius de Sign. Eccles. libr.15. capit.10. de sanguinibus, qui solent Neapoli quotannis liquefieri.* Anno Christi millesimo quingentesimo octuagesimo tertio,cùm iàm Gregorius decimus tertius, annum,decem diebus adiectis,reformasset, dubitarentque omnes ob id, ne diebus solitis hæc miracula se proderent, sed post decem dies acciderent: nihilominùs quandò adiectio diuini erat consilii, diebus illa festis euenerunt.

14. *Petra Sancta de mir. perp. c.12. de sanguine Christi, quotannis ter liquescente in oppido S. Maximini propè Massiliam.* Notabile illud videtur, quòd mutato, & correcto Calendario ex Gregorii XIII. Pontificia sanctione, tres dies, in quibus hoc accidit, sint insigniti tali miraculo iuxta mutationem, & correctionem eiusdem Calendarii.

15. *Vading. in annal. an.1406. n.41. de B. Coleta.* Dominica Palmarum aliquandò cùm multa humilitate, & deuotione in processione, quæ tùm fit cùm ramis, incedens B. Coleta, ac studiosissimè cogitans Christi illum in Ierusalem aduentum, quem illa processio repræsentat, adeò sibi videbatur Christo etiam corpore propinqua, vt tangeret illum, itemque asinum, cui insidebat; qui ramum illum ex eius manibus morsu abstulit, nec vnquam postea ramus ille visus, aut repertus est.

Videantur aliqua his similia tom.1. lib.6. in Append.2. ad cap.1. Cùm de Admirandis perennibus in arboribus.

Benedictionis Ecclesiasticæ Admiranda Prodigia.

§. 2.

ADmirandorum omnium, quæ hùcusque, & inferiùs enarrabuntur, Benedictionem Ecclesiasticam, sanctoque signo Crucis inaugurationem, seù vltimam ad formam dispositionem, quis non dixerit? Aliqua igitur solùm hic addam, quæ peculiari nota digna, ritum, vsumque in Ecclesia res quasdam benedicendi, admirandis prodigiis confirmant. Sunt autem.

1. *Vincentius in Spec. Hist. lib.17. cap.56.* Marcellus Apamiæ Episcopatum agebat, cùm Iouis templum iussit igne succenso destrui, ad nihilumque redigi; at immissis circùmquaque lignis, illisque applicato igne, nullo pacto potuerunt ligna accendi; Dæmon enim quidam teterrimus apparuit, qui flammam vires suas prohibebat operari. At ille repentè ad Ecclesiam concurrens, iussit aquam afferri, collocarique sub altare. Postque longam orationem, facto signo Crucis in aqua, iussit aquam supponi igni. Quod dùm fuisset factum, fugit dæmon, non ferens aquæ virtutem, ignis autem velut oleum habuit illius aquæ naturam, comprehensaque ligna sunt repentè consumpta.

2. *Surius in Septembri.* S. Lioba Virgo, Antistita Fuldensis Parthenij cænobii, iniecta modica lustrali aqua, cui salem immiscuerat, à S. Bonifacio Archiepisc. Moguntino inauguratum, compescuit ignem loca propinqua omnia depopulantem, ne vtique septis cænobii noceret.

3. *Idem in Feb.* Sancta Brigida Virgo in Scotia, leprosis duobus luem detersit, eos aqua benedicta aspergens.

4. *Idem in Aprili.* S. Theodorus Archimandrita eadem aqua lustrali, tùm filium Imperatoris Mauricii, tum alium quemdam à lepra persanauit. Alium, cui facies post tergum detorta erat, curauit Sanctus Theodorus aquæ benedicens, & accipe, inquiens, & hac te aqua consperge, in Christi nomine.

5. *S. Gregor. lib.1. Dialog. cap.10.* S. Fortunatus Episcopus Tudertinus, militi Gotho ex Vitigis Regis castris, cui prolapso ex equo, crus fuerat perfractum, sanitatem illicò restituit, infusa aqua lustrali.

6. *Beda de Gestis Anglo. lib.1. cap.17.* S. Germanus Episcopus Antisiodorensis, cùm inter tumentes maris fluctus periclitaretur, aquæ benedictæ aspersione, fædam eam tempestatem sedauit.

7. *In vita S. Hugonis Abb. Cluniacensis.* Mulier, in cuius ventrem per os immerserat se virosus serpens, ter cocleari iussa est à S. Hugone sorbere aquam lustralem, & momentò anguis exiliit.

8. *Theodoretus in Hist. Religiosa, de Aphraate Eremita.* Cùm equus quidam Imperatori charus morbo afficeretur, is, cui equorum cura fuerat credita, firmus fide vnà cùm equo ad magni Aphraatis habitaculum venit, & cùm morbum dixisset, & fidem suam significasset, orauit eum vt solueret morbum suis precibus. At ille nihil cunctatus, sed statim Deum precatus, iussit aquam hauriri ex puteo, & cùm ei salutaris Crucis signum imposuisset, iussit eam ad equum adferre; is verò bibit plùsquàm consueuerat; deindè cùm oleum diuina inuocatione implesset benedictione, equi ventrem inungit, & manus contrectatione morbus est sublatus.

9. *Idem ibidem.* Vxor cuiusdam locupletis nobilis inciderat in morbum ingluuiei, & alii quidem eum morbum appellabant operationem, seù vexationem Dæmonis, alii autem eum existimabant imbecillitatem corporis; at siuè hoc, siue illud esset, erat huiusmodi: dicebant eam comedentem in die triginta gallinas, non posse appetitionem extinguere satietate, sed & adhùc alias appetere: cùm sic ergo in ea consumerentur facultates eius, miserti qui ad eam attinebant, diuinum Macedonium obsecrant, ille autem venit quidem, & precatus est, & cùm aquæ dexteram imposuisset, & salutare efformasset signaculum, & iussisset bibere, curauit morbum, & adeò retudit immoderatam illam appetitionem, vt deinceps parua aliqua gallinæ particula quotidiè eius alendæ vsum impleret. Aliam etiam mulierem aquæ à se benedictæ potu idem Macedonius à crudeli mentis delirio liberauit. Insuper & mater eiusdem Teodoreti, quandò ipsum Theodoretum in vtero ferebat, potione aquæ ritè ab eodem Macedonio consecratæ, à periculo abortus liberata est.

10. *In actis S. Partheny Lampsacensis Episcopi.* Aqua benedicta S. Parthenius, paralyticos, ænergumenosque abstergens, mirificè curabat.

11. *Martinus Delrius, Disq. Mag. lib.6. capit.2. sec.3.* Viro cuidam Treuiris an.1588. mulier rustica nescio quid ouorum offerebat, excipit pileo pedissequus, mox pileum ouis expositis imponit capiti, & statim vsque adeò vexari cæpit dolore, vt penè desiperet: confugit nescius quid ageret in ædem sacram, incensum caput immergit in vas promptum aquæ lustralis, conualescit, maga comprehensa, in quæstione dixit; oua sic fuisse venenata, vt gustantibus, interitum, extuberationem tangentibus essent paritura.

12. *Fran-*

12. *Franciscus Surianus, libr. de terra Sancta descriptione, apud Vadingum in ann. Minorum ann.* 1455. Apud Ciuitatem Baruthi celeberrimum Syriæ emporium, Saracenus quidam cùm vxore Adriane, occulto loco in propriis ædibus terram vlnis sexdecim effoderunt, sperantes se ibi ingentem thesaurum, à Nigromantico Africano promissum, reperturos; sed dùm thesaurum conspiciunt, erumpentibus indè caliginosis flammis, vterque intra foueam extinctus est. Igne deindè in multorum perniciem perseuerante, & pestifero fumo latissimè se diffundente, cùm nullum, neque iniectæ aquæ, neque Turcicorum sacerdotum longius protractæ orationis remedium sufficeret, aduocati sunt Minores, vt tanto malo mederentur. Antequàm illi aduenirent, voluit quidam consanguineus, cadauera extracturus, per scalas descendere; sed non priùs pedem vnum intulit, quàm flamma corriperetur, tibiæque amisso vsu, deinceps non potuit ambulare. Præmissa in templo oratione Fratres per modum supplicationis præeunte Cruce ad foueam accesserunt, aspersamque aqua benedicta cruce signarunt, & statim tetrum incendium cessauit, magnaq. fiducia descendentes in profundum Leonardus Fauentinus, & Marcus Laudensis, reliquias omnes diabolici spectri effugarunt, & misellorum corpora, integris, & illæsis vestibus extraxerunt. Ex Saracenis multi effusis vocibus Fratres laudarunt, fidem Christianam magnificarunt, abiectaq. perfidia Mahometana, baptismi gratiam susceperunt.

13. *Ioan. Buzelinus, lib. 3. annal. Gallo-Fland. de Cameracensi vrbe.* Per oppugnationem vrbe Cameraci potiundi spe sublata, de sanctissimæ Christi parentis templo flammis absumendo mentem Hungari capiunt: ac statim tectum eius ignitis petunt iaculis. Et iàm ardere hoc cæperat, prorsùsque in cineres abiisset, nisi Clericus quidam conscensa celeriter turri, lustratum sacris verbis laticem, in flammas sparsisset, eoque vim ignis obruisset protinùs diuina fretus potentia.

14. *Thom. Bozius lib. 5. de Signis, cap. 2. de Moluchis.* Commune est hoc omnibus insularum illarum indigenis, vt cùm febri vexantur, vel aliter aduersa valetudine, statim confugiant ad templum, aquam piacularem bibant, & protinùs conualescant. Cuiusdam filii duo cùm baptismo lustrati essent, confestim grauissima febri conflictari cæperunt; eorum pater, quasi id accidisset ob baptismum, querelarum plenus accedit ad sacerdotem, qui vt ostenderet, non à baptismo morbum profectum, iussit ægrotis aquam piacularem, siue vt vocant benedictam, bibendam dari; qua epota, eodem momento sanitati sunt illi restituti.

15. *Surius in vita S. Theodori Archimandritæ.* Si lues inuadebat boues, aut oues, aut alia genera quadrupedũ, aut volucrum, aut etiam homines, similiter assumebant ipsum Theo. aut eius benedictionem, aut aquam, cui benedixisset; vel etiam capistra, aut tintinnabula ad eum afferebant, vt illis benediceret, & optatam curationem consequebantur.

16. *In ann. Societatis Iesu, ann.* 1596. Virgo quædam in ciuitate Burdegalensi anno Domini 1596. ad mendacium suum confirmandum, ignem S. Antonii sibi imprecata peierauerat; statim dirò incendio omnia illius vri membra cæpta sunt, facies sacro illo igne incensa fædabatur. Hæc properè ad templum adducta, confessione expiata, aquæ benedictæ haustu, restricto incendio, pristinæ incolumitati restituta est. Leui quippè animaduersione, & periculum fædissimum redemit, & diuinam didicit imposterùm vitare indignationem.

17. *Raynaldus, an.* 1528. Dùm in Mexicano Regno, ad quemdam, saxeum vas, in quo Idola, & cineres, aliæque magicæ res recondi consueuerant, delatum esset, iussit is, felem, vt in eo vase mundissimo aquam biberet, admoueri; at illud animal nunquam in eo vase, donec aqua lustrali aspersum fuit, bibere voluit.

18. *Ex Eccles. Hist.* S. Io: Chrysostomus per aquam benedictam filium ægrum matri sanum reddidit. S. Anselmus aspersione aquæ benedictæ cæco visum restituit. S. Malachias Hiberniæ Episc. filium Regis Scotiæ, & mulierem cancro laborantem sanauit. S. Bernardus mulieri periclitanti in partu misit aquam benedictam, qua gustata, confestim natus puer est, quem baptizans Episc. Carnotensis Gaufridus, Bernardi ei nomen imposuit. S. Eligius cùm tollere vellet quasdam superstitiones in vico quodam Nouiomensi, nec concionibus proficeret, sed auditores rebelles haberet, sequutus exemplum Apostoli, tradidit illos sathanæ in interitum carnis, vt spiritus saluus fieret, nec nisi post annum aspersione aquæ benedictæ à spiritu maligno liberauit.

19. *Eustathius apud Baronium, an.* 564. Iuuenis quidam arte pingendi peritus, eam in domo Chrysaphii piæ memoriæ in ciuitate Amasenorum exercebat. Hic aliquandò veterem in pariete Veneris picturam delebat, vt historias pias reponeret. Volebat enim vir ille ex domo sua superiore Archangeli oratorium facere, ex inferiore autem oratorium sanctæ, immaculatæq. Dominæ nostræ Dei Genitricis, & semper Virg. Mariæ. Cùm igitur pictor, fedam impudicæ Veneris historiam euertisset, Dæmon, qui illi inhærebat, artificis manum ita inuasit, vt inflammata tumesceret, & graui vulnere affecta, necessariò amputanda videretur. Quare cùm periculum aspiceret, vtile capit consilium, & ad virum sanctum Eutychium Constantinopolitanum Episc. confugit, vt per ipsum à Deo auxilium impetret. At ille cùm pro ipso Deum orasset, vnxit oleo sancto dexteram ipsius manum, quę inflammatione, & vlcere laborabat: idq. fecit tribus diebus, & manus eius diuino auxilio conualuit, atq. alteri similis reddita est. Et quo in loco pictor vulnus acceperat, in eo, memoriæ, & grati animi declarandi causa, sancti viri depinxit imaginem; vt manus, quæ curationis beneficium acceperat, medicum suum secundùm Deum testaretur.

20. *S. Hier. in vita S. Hilarionis.* Aliquãdò terra sitiens, arenosaq. regio, postquàm pluuiis irrorata est, tantam serpentum, & venenatorum animalium ex improuiso ebulliuit multitudinem, vt percussi innumerabiles, nisi ad Hilarionẽ cõcurrissent, statim in-

interirent. Benedicto itaque oleo, vniuersi agricolæ, atque pastores tangentes vulnera certam salutem resumebant.

21. *Theodoretus in Hist. Religiosa, de Aphraate Eremita*. Mulier quædam genere nobilis, simùl cùm viro intemperante trahens iugum matrimonij, venit ad B. Aphraatem deflens seriò propriam calamitatem: Dicebat enim, maritum, concubinæ captum consuetudine, magicis quibusdam præstigiis fuisse incantatum, & odio habere ipsam legitimo matrimonio coniunctam. Tunc ille mulieris misertus eiulantis, oratione, incantationis abolet operationem, & cùm olei vas, ab ipsa allatum inuocatione diuina sanctificasset, iussit vt eo vngeretur. Hæc præcepta cùm impleret mulier, coniugis amorem in se transtulit, & persuasit, vt pro illegitimo, legitimum cubile eligeret.

22. *Sulpitius in vita S. Martini, Dial. 3. cap. 2.* Cùm puella muta adducta fuisset ad S. Martinum, pusillum olei cùm exorcismi præfatione benedixit, atque ita in os puellæ sanctificatum liquorem, cùm & linguam illius digitis teneret, infudit: nec fefellit sanctum virtutis euentus. Patris nomen interrogat, mox illa respondet, proclamat pater cùm gaudio pariter, & lachrymis, Martini genua complexus, & hanc primam se filiæ audisse vocem cunctis stupentibus fatebatur.

23. *Adamannus Scotus in vita S. Columbæ Abbatis*. Quidam à Sancto, Petram salis benedictam accepit, sorori, & suæ nutrici profuturam oculorum dolori, quæ Ophthalmia laborabat valdè graui languore, id est oculorum dolore. Talem Eulogiam eadem soror, & nutricia de manu fratris accipiens, in pariete super lectum suspendit, casuq. post aliquantos contigit dies, vt idem viculus cùm supradicta domuncula fœminæ flamma vastante, totus concremaretur. Mirum dictu! illius parietis particula, ne beati viri in ea deperiret suspensa benedictio, post totam ambustam domum, stans illæsa permansit, nec ignis ausus est attingere binales, in quibus talis pendebat salis petra, sudes.

24. *In vita S. Partheny Episcopi*. S. Parthenius Episcopus sale benedicto, insperatum vini prouentum effecit; quem Archidiaconus dominus prædii in vineam recens plantatam introduxit; cùm enim omninò exsiccata, & exesa à vermibus propter pluuiæ egestatem esset; Beatus sale iniecto, totam vineam conspersit, & dixit Archidiacono: Esto bono animo; nàm Deus dabit tibi ex hoc loco satis magnam benedictionem sicut ei placet. Quod & tempore vindemiæ expertus est.

25. *Surius in vita S. Bonifacy*. Sale à D. Bonifacio Moguntino consecrato, cùm monasterium Bischscheim fortuitò conflagraret incendio, in globos flammarum proiecto, statim diuina virtute, incendium monasterii repressum est.

26. *In vita S. Bernardi Abb.* Solebat Diuus Bernardus salem consecrare, quo animalia variis morbis affecta, sed potissimùm peste infecta, supra vim naturæ sanabat.

27. *In actis S. Columbæ Abb. Scoti*. Benedixit Sanctus Columba in gratiam egeni cuiusdam veru, quod si in sylua posuisset, semper aut ceruum, aut aliud syluaticum animal capiebat: si in mari, aut flumine, piscium prehendendorum certus erat, donec tandem persuasus à stulta muliere veru confregit; metuente insipienter, ne in illud aliquis suorum filiorum incideret. Alia vice quidam, qui maleficus erat, à sancto iussus, de boue masculo, qui propè erat, lac arte diabolica expressit. Quod sanctus, non vt illa confirmaret maleficia fieri iussit, quod absit; sed vt ea coràm multitudine destrueret. Vir itaque beatus, vas, vt videbatur tali plenum lacte, sibi ocyùs dari poposcit, & hac cùm sententia benedixit dicens: Modò probabitur non esse verum, quod putabatis lac, sed dæmonum fraude ad decipiendos homines decoloratus sanguis; & continuò lacteus ille color, in naturam propriam, hoc est, in sanguinem versus est. Bos quoque, qui per vnius horæ momentum turpi macie tabidus, & maceratus erat, morti proximus, benedicta à sancto aqua superfusus, mira sub celeritate sanatus est.

28. *In actis S.S. Quatuor Coronatorum*. Cùm in monte Porphyretico, qui dicitur Igneus, cùm multitudine artificum missi hi Sancti martyres, lapidem benè inciderent, Claudium, vnum ex his, benè sequebatur ars, quia in nomine Iesu Christi omnia faciebat. Simplicius autem, qui gentilis erat, conuenientia omnia quæcumq. faciebat non erant; cui dixit Nicostratus alter ex supradictis martyribus. Frater quomodò ferramentum tuum confringitur? At ille, rogo, inquit, te, tempera mihi vt non confringatur. Claudius autem accepto ferro sculpturæ, benedixit ferrum in nomine Domini Iesu Christi, vt esset forte, & sanum ad facienda opera; & tunc cœpit Simplicius benè, & rectè cùm ferramentis benedictis operari.

29. *Io. Colg. in vita S. Abbani, 16. Marty*. Quodam die, pastor armenti S. Abbani, loquens cum eo dixit ei. Domine, vacca pulchra nimis in armento tuo est, & ipsa per multos annos à natiuitate sua vsque hodiè sterilis est. Vir autem sanctus benedixit illam, sedens in cella sua, & dixit pastori: Hoc anno duos vitulos pariet, qui mites, & domiti hìc manebunt vsque ad mortem meam; sed post obitum meum, non longè apud vos manebunt; & ita factum est secundùm vaticinium viri Dei.

30. *Probus in vita S. Patrity*. Semel vocatus est S. Patritius à gentibus Ethnicis ad vescendum cùm eis, vt probarent eum in futuris rebus. At ille per spiritum intelligens, quæ ventura essent, non renuit ire cùm illis. Cænantibus ergo omnibus quidam Magus Lugaich-Mael solicitus erat confligere aduersùs Sanctum Patritium. Qui tamen, vt initium causæ haberet, intuentibus aliis, immiscuit aliquid de vase suo in poculum viri Dei, vt probaret, quid faceret. Videns verò S. Patritius hoc genus probationis, orauit ad Dominum, & videntibus cunctis, benedixit poculum suum, versusque est liquor in gelu, &, conuerso vase, cecidit guttula illa, quam immiserat Magus. Tunc iterùm benedixit poculum suum, conuersusque est liquor in naturam suam.

31. *Guiliel-*

31. *Gulielmus in vita S. Bernardi Abb. libr. 1. cap. 11.* Diuertit aliquandò nobilium cohors militum ad Claramuallem, vt videret locum ipsum, ac Reuerendissimum eius Abbatem. Propè autem erat sacrum quadragesimæ tempus, & illi omnes ferè iuuenes dediti militiæ sæculari, circùmibant quærentes execrabiles nundinas, quas vulgò Torneas vocant. Cępit itaque Bern. ab eis petere, paucos illos qui ante quadragesimam supererant dies, ne armis interim vterentur. Quibus obstinato animo renuentibus, nec concedere acquiescentibus; Confido, ait, in Domino, quòd ipse mihi dabit inducias, quas negastis. Et accersito fratre, iubet eis ceruisiam propinari, benedicens eam, & dicens, vt potionem biberent animarum. Biberunt ergo pariter, quidam tamen inuiti præ amore sæculi, metuentes eum, quem postea sunt experti, diuinæ virtutis effectum. Vt enim egressi sunt monasterii fores, mutuis se se cæperunt inflammare sermonibus, quia cor eorum ardens erat in eis. Inspirante igitur Deo, & currente velociter verbo eius, eadem hora reuersi, & conuersi à vijs suis, spirituali militiæ dexteras dederunt.

32. *Surius in vita S. Sabæ Abb. 5. Decembris.* Lauræ coquus aliquandò quidem coquebat cucurbitas, & eas parabat obsonium operarijs ædificatorum. Cùm autem iàm tempore prandii gustasset obsonium, inuenit id felle amarius. Cùm ergo ægrè ferret id quod acciderat (neque enim erat aliud, quod illius vsum impleret) diuino Sabæ annunciat id quod factum fuerat. Is autem statim veniens in culinam, cùm in ollam iniecisset signum crucis, iussit coquo eam accipere, ac securè apponere. Is verò sic fecit, & lubenter comederunt artifices, sic admirabiliter mutata qualitate.

33. *S. Gregorius Nyssanus in vita S. Gregorij Thaumaturgi.* S. Gregorius in itinere quodam constitutus, præueniente nocte, in fano Idolorum è via occurrente diuertit, ibique Crucis signo efformato, omne Dæmonum phantasma coercuit: Cùm autem subiisset templum, Dæmones quidem confestim exterruit, Christi nomine inuocato; figura autem crucis aere expiato, ibi mansit nocte, in orationibus, & hymnis decantandis, vigilans, & manè rursùs cæpit vltra progredi. Cùm verò æditus, manè consuetum Dæmonibus cultum adhibuisset, apparentes ei Dæmones, dicunt clamantes, non licere eis templum ingredi propter eum, qui illìc manserat: tàm est admiranda virtus signi sanctæ Crucis contra omne infernalium geniorum Phantasma.

34. *Ioan. Molan. in Nat. S. S. Belgij, de S. Vedasto Episcopo Atrebatensi, 6. Feb.* Rogatus est ad conuiuium Vedastus, qui domum intrans, more sibi solito, dextera extensa, omnia S. Crucis signo signauit. Quædam verò vascula ceruisia plena, gentili errore, dæmoniacis incantationibus infecta, mox ob potentiam S. Crucis crepuerunt.

35. *Thomas de Kempis, 3. part. serm. ad noui. ser. 20.* Mulier quædam Campensis ibat ad forum ciuitatis, vt sibi, & domesticis suis modicum lactis emeret. Emptione autem facta, ad domum redire festinabat, tenens in manu amphoram lactis, quam secùm tulerat. In via ergo posita, cupiebat de lacte bibere, & inclinans se, resedit super terram. Accepta itaque in manu amphora, fecit desuper signum S. Crucis, antequam biberet, statimque amphora inferiùs crepuit; & lac in terram ruens, vbertim effluxit. Quo viso, nimis exterrita, surrexit; & perpendens, quid miri sibi accidisset, præsenti signo virtutem S. Crucis patenter agnouit. Quidam autem rem gestam audientes, dixerunt: fortè nisi hæc mulier, signo S. Crucis se signasset, diabolum cùm lacte imbibisset.

36. *Lippelous in vita S. Simeonis Salo, 1. Iulij.* Cùm aliquandò S. Simeon, cognomento Salus, cùm multis pauperibus iuxta ignem, Hebræo vasorum vitreorum artifici assideret: vultis, inquit ad pauperes, rem risu dignam videre? Illis annuentibus, Salus ad singula pocula, quæ fingebat, crucem formabat, moxque crepuere. Cùmque septem hoc modo confracta fuissent, pauperes sublato cachinno rem hebræo indicarunt, qui protinùs arrepto fuste, Salum contudit, domoque expulit. Cui Salus; Re vera, Manzer, nisi frontem tuam Crucis signo armaueris, conterentur omnia. Cùm verò ad opus pergeret, alia rursùs tredecim confracta sunt. Tùm Hebræus, Crucem in fronte formauit, neque vllum deinceps detrimentum in arte passus est. Quo miraculo permotus, abiurata Iudaica perfidia, Christo nomen dedit.

37. *In actis S. Godefridi Comitis.* Cùm quidam Iudæus ad Christi fidem fuisset conuersus, satagebat aliquos etiam suorum de Iudaica liberare perfidia, & veniens Moguntiam in domum cognatorum, germanum suum, admodùm paruulum, manu apprehensum de medio Iudæorum callidè foràs ciuitatem tentabat educere, sed operante maligno, per plateas girando vnà cùm puero cæpit errare, ita vt portam, quam egrederetur, inuenire non posset. Cùmque nimis in ambulando girouagus vexaretur, intelligens demùm ex maligno hunc fieri errorem, Crucis vexillo frontem armauit, & mox apertis oculis, portam inueniens, lætabundus aufugit: sicque secùm erepto puero in breui dehinc baptismi gratiam percepit, cùm illo.

38. *Carolus à Basil. Petri, in vita S. Caroli Borromæi, lib. vlt.* Eo cōcionāte, cùm mulieres duæ, seù dæmones in eis, adeò magnos ederent clamores, vt verba minimè possent exaudiri, nemoque efficere potuisset, vt tacerent, tandem ad eas Carolus conuersus cùm manu tantùm benedixisset, tacito iussu ita paruerunt, vt nihil ampliùs auderent mutire, cùm ibi tamen vsque ad finem permansissent, quòd cùm attenderent astantes, se se mutuò præ admiratione intuebantur.

39. *Bzouius an. 1552. num. 34.* Bello inter Piratininge incolas, & finitimas gentes exorto, cùm in aciem exissent Piratiningani, inopinata multitudine hostilium copiarum exterriti fluctuabant. Erat in exercitu virilis animi fœmina, paulò ante sacro lustrata baptismate; hæc perculsos metu conspicata viros, magno animo hortabatur, vti signo Crucis, Christiano more se munirent, ac præ-

lium sine dubio committerent: Factum vti monuerat, ac dempto pauore, tantus repentè ardor, atque fiducia cunctis iniecta, vti alacres, ac celsi pugnam inierint, magnaque edita strage, hostem in fugam auerterint intacti omnes, duobus tantùm exceptis, qui salutaria piæ mulieris monita contempserant. Sagittis ambo confixi, alter postmodùm occubuit.

Huiusmodi in toto opere innumera inueniuntur, præsertim cùm de animalibus nociuis, aqua benedicta fugatis; cùm de carceribus vltrò apertis; cùm de diuersis infirmitatibus mirabiliter curatis, & alibi; quare sufficiant notata. Plurima etiam recensent, Gretserus de Benedictionibus lib. 2. ca. 23. & alibi, & Antonius Marsilius de Aqua benedicta.

Maledictionis, seù Censuræ Ecclesiasticæ, Vis Admiranda. §. 3.

SPiritualium vulnerum, quibus catholicorum animæ à maledictione, seù Ecclesiastica censura sauciantur, etiam in corpore aliquandò apparent indicia, cicatricesque; quinimmò, & quandòque res insensatæ, omnique ratione expertes, eadem percussæ, admirandis prodigijs demonstrant, quanti pertimescendus sit Ecclesiasticæ censuræ fulmineus gladius. De his aliqua cùm de arboribus subitò arescentibus, cùm de animalibus obedientibus, cùm de cadaueribus è sepultura eiectis, & alibi: Reliqua hìc notabo. Suntque.

1. *In actis* S *Eligij Episcopi Nouiomensis*. Quidam presbyter Diœcesis eius, pessimè apud vicinos audiebatur. Eum Eligius crebrò verbis castigans, ad sanitatem reuocare non potuit. Cùmque mala eius fama latiùs serperet, Beatus vir tàm nefanda audire ampliùs non sustinens, accersit eum ad se, percontatur de crimine, quod fama vulgasset, comiter hortatur ad emendationem, & confessionem. Ille prorsùs negat, se illud admisisse flagitium, audacterque pergit excusare se se, videlicet plùs hominem, quàm diuinam vltionem reformidans. Eligius sentiens nulla via adduci eum posse ad confessionem, ferit eum anathemate, vt sic publicè agat pœnitentiam, nec ausus sit ad altare sacrificaturus accedere. Addit minas, si id faciat, se seueriùs in eum animaduersurum. At ille abscedens, eiusque minas flocci pendens, pergit more suo viuere dissolutè, atque post paucos dies, neglecta B. Episcopi excommunicatione, ad altare, sacrificium oblaturus, non veretur accedere. Cùmque primas altaris partes intrepidus attingeret, mox diuinitùs percussus, & magno impetu humi prostratus, expirauit. Ea re factum est, vt B. Viri indignatio magno omnibus terrori esset, dictaque eius, oraculi instar, haberentur.

2. *In vita S. Albini Episcopi Andegauensis*. Cùm rogaretur vt Eulogias, quas reliqui Antistites ad personam communione suspensam diregentes benedixerant, & ipse signaret; ait ad sacerdotale concilium: Et si ad imperium vestrum ego signare compellor, dùm vos causam Dei recusatis defendere, ipse potens est vindicare. Quo facto, antequam Eulogias excommunicata persona susciperet, expirauit; & priùsquàm portitor perueniret, sermo sacerdotis obtinuit.

3. *Andreas Sauss. in add. ad Marty. Gallicanum 17. Iulij, de B. Fulcone Archiepiscopo Rhemensi occiso*. Eius interemptor impius Vuinemarus, ab Episcopis Regni percussus anathemate, cùm perpetratæ iniquitatis noxam condigna pænitentia non alueret, insanabili à Deo percussus est vulnere, ita vt computrescentibus carnibus, viuus à vermibus denoraretur, & dùm propter immanitatem fætoris nullus ad eum accedere posset, miserrimam vitam miserabili clausit decessu.

4. *Gononus in vitis P.P. Occident. libr. 1.* Cùm Sanct. Machutes Episcopus, in quosdam, qui iura Ecclesiastica vsurpare tentabant, excommunicationis, & maledictionis notam infixisset; eius maledictions, & anathematis inualescente causa, ipsa terra cùm hominibus cæpit confundi, ac retrolabi; siquidem & hominum alii effecti sunt contracti, alii leprosi, alii excæcati, nonnulli languoribus grauibus, & diutinis exesi, & luridi facti diù admodùm excruciati, & penè exanimati sunt; terra verò infæcunda subitò effecta est.

5. *Baronius an. 359.* Cùm Maximus Episcopus Neapolitanus, ab Arianis, quòd eis nollet consentire, eiectus esset, inque eius locum suffectus Zosimus, dirum in hunc anathema contorsit, quod diuino Dei iudicio in vacuum non iuit, ne sine pæna abiret alienæ dignitatis inuasor; nàm cùm peragere vellet Zosimus Ecclesiasticas functiones, atque obire sacra, coacto populo, inter ipsa verba sacerdotalia, eius lingua protrahitur, nec potuit eam ampliùs intra oris meatum reuocare, ita vt contra modum naturæ extra os penderet, vt boui anhelo; qui videns se linguæ officium perdidisse, egreditur Ecclesiam, & foris, lingua in verum, ac pristinum officium reuocata est; sic itaque intellexit in se compleri martyris, & confessoris iustam sententiam, sed id ipsum totiès passus est, quotiès basilicam diuersis diebus intrare tentauit, ob eam tandem causam cessit Episcopatui, vt pristinum sibi linguæ officium integrè redderetur.

6. *S. Gregorius Magnus lib. 2. cap. 23. Dialogor.* Duæ quædam Virgines sacræ, nobili genere ortæ, intemperantis linguæ, à S. Benedicto admonitæ fuerunt, vt linguam à verborum contumeliis temperarent; adiecta hac comminatione. Corrigite linguam vestram; quia si non emendaueritis, excommunico vos. Illæ autem à pristinis moribus nihil mutatæ, intra paucos dies defunctæ sunt, atq. in Ecclesia sepultæ: sed cùm in eadem Ecclesia missarum solemnia celebrarentur, atque ex more Diaconus clamaret, si quis non communicat, det locum; nutrix earum, quæ pro eis oblationes offerre consueuerat, eas de sepulchris progredi, & exire videbat; quod dùm sæpiùs cerneret, quia ad vocem Diaconi clamantis exibant foràs, atque intra Ecclesiam permanere non poterant: ad memoriam reduxit, quæ vir Dei illis adhùc viuentibus dixerat, tunc seruo Deo cùm graui mærore indicatum est: qui manu sua protinùs oblationem dedit, dicens: Ite, & hanc oblationem pro eis facite, & vlteriùs excommunicatæ non erunt; quę

oblatio

blatio dùm pro eis fuisset immolata, illæ extra Ecclesia vlteriùs visæ non sunt.

7. *Tilmanus Brendeb. lib. 5. collat. sac. capit. 29.* Imperante Henrico, accidit mirum in Saxonia in Diœcesi Magdeburgensi, vbi erat Ecclesia S. Magni; Quidam sacerdos dùm missam celebraret in vigilia Natiuitatis Domini, 18. simul viri, cùm 15. mulieribus in cæmeterio Ecclesiæ choreas ducebant, & sacerdotem impediebant. Iussit sacerdos, vt abirent, sed illæ deriserunt, ille amaricatus, dixit: Placeat Deo, & S. Magno, vt ita cantantes permaneant vsque ad annum, & factum est, vt toto anno sine intermissione cantantes chorizarent: toto illo anno nec ros, nec pluuia cecidit super eos, nec lassitudo, nec fames affecit, nec calceamenta sunt attrita: anno reuoluto, Herebertus Episcopus Coloniensis ad locum veniens, à nodo, quo sacerdos eos ligauerat, absoluit, atque ante altare Ecclesiæ reconciliauit.

8. *In viti Aquilonia, de Adaluardo Episcopo.* A Rege Noruegiæ dominante inuitatus Adaluardus, in Noruegiam nauigauit, & inter alia religionis officia, cùm ad tumulum hominis ante 60. annos defuncti ab incolis perduceretur, cadauerque adhùc integrum, quasi ea die sepultum, stupente populo, spectãdum exhiberetur, Epis. in spiritu cognouit eum excõmunicationis maledicto illaqueatum teneri. Erat autem is Sigifridus piratarum Dux, vt liquidò compertum habebant indigenæ, qui senioris Libentij tempore in ditionem Bremensis Ecclesiæ populabundi incesserant, quos idem Pontifex anathematis gladio à communione sanctorum præciderat: Cùmque interposita prece Pontificis Adaluardi absolueretur, mox solutus in cinerem est.

9. *In actis S. Laurentij Archiepiscopi Dublinensis.* Excommunicationem in prædones, & latrones quosdam vibrauerat S. Laurentius Archiepiscopus Dublinensis in Hibernia. Quod cùm illi cognouissent, & quemadmodùm fieret excommunicatio inquisissent, dixerunt: Excommunicemus & nos Archiepiscopum, & accipientes exta bouis furto ablati, loco stolarum, & accensis lignorum faculis loco candelarum, instar luporum vlulabant, clericos irridentes, anathema legentes, & in derisum Ecclesiæ etiam in aquas ipsas faculas extinguentes. Ex iis vnus postero die, licet quadruplici tectus veste, frigore satis temperato, & tolerabili extinctus est. Tertio indè die malitiæ eorum Dux itidem peremptus est, atque ita alij post alios intra annum vnum perierunt.

10. *Surius in vita S. Radbodi Episcopi Traiectensis.* S. Radbodus Episcopus Traiectensis, visitans aliquandò creditum sibi gregem, in Frisiam profectus est, vt si qui illic pristini erroris emergerent frutices, eos spirituali vomere extirparet, doctrinaque fidei credentium animos irrigaret. Occurrunt autem Dani, eiusque conatus impediunt, sed ille tamen nihil mortis periculo absterritus, salutares eis adhortationes adhibet, vt repudiatis erroribus, complectatur veritatis viam. At illis obduratis animis, in malitia persistentibus, mortemque ipsi minitantibus, anathematis in eos sententiam vibrauit: Tùm verò diuina vltio confestim eos persecuta est. Nàm peste horrenda, tamquàm fulminis ictu, percussi, omnes ferè extincti sunt; neque vnquam impunè tulerunt, quotiès molestia eum Traiecti affecere. E vestigiò enim, Dei iudicio, plectebantur, vt persæpè testati sunt ex illis paucissimi, qui se viuos euasisse, lætabantur.

11. *Baronius an.* 413. Iulia Antiochena, Matrona nobilissima, si spectes anos, & genus, sed quæ erat ex secta Manichæorum, ac ciues Gazæ seducebat vaniloquentia sua; tandem congredi ausa, & de religione disserere cùm S. Porphyrio Episcopo, meritò aduersùm se iustam eius indignationem prouocauit. Nempè is fœminæ audaciam non ferens; Deus inquit, qui fecit omnia, qui est solus æternus, nec habens principium, neque finem, qui glorificatur in Trinitate, tuam percutiat linguam, & obstruat os tuum; ne loquatur Blasphemiam. Vix autem ea pronunciauerat: cùm Iulia toto corpore contremiscere, pallere vultu, intumescere, ac linqui animo cæpit: & reipsa illicò inter ancillarum vlnas defecit, atq. indidem elata fuit ad tumulum.

12. *Thom. Cantip. lib. 2. apum cap. 1. in notis.* Quidam Frater ordinis Prædicatorum de Dacia, Nicolaus nomine, mihi retulit, quæ narrabo. Erat idem frater auditor legum in Bononia adhùc in sæculo constitutus, cùm hæc vidit, quæ retulit. Stetit F. Ioannes, Vicentinus ex eodem ordine Prædicatorum, & concurrenti ciuitatis populo prædicabat. Vidit autem, & doluit, & vidit quòd sertis ex rosis totus ferè circumsidebat populus coronatus: finito ergo sermone dixit omnibus: Pudeat membra fidelis populi, rosis, aut floribus sub spinato Christi capite coronari. Et addidit: Excommunico serta rosarum, non populum, sed serta, quibus ille vtitur in peccatum. Destitit ergo populus à maiore vsque ad minimum portare serta; nec fuit aliquis, qui ausus fuit transgredi verba sancti: post nonnullos verò dies nuptiæ celebrabantur in vrbe, aderat & puer iunior, qui sertum ex rosis tantùm portabat in manu. Quod vt vidit adolescens quidam superbus, & accuratus, rapuit sertum ex manibus pueri, & contumax posuit super caput. Nec mora. Flamma edax sertum inuasit, & antequàm illud adolescens deponere posset, omnes eius capitis crines exussit. Conuersus ergo populus in stuporem, sancti viri verba timere didicit, & in factis eius Dominum per omnia benedixit.

13. *Henriq. in Fascic. S. S. ord. Cister. de S. Petro Archiepisc. Tarantasiæ.* Cùm S. Episc. in cœnobio Longiuadi nouum dedicaret, & benediceret cæmeterium in honorem S. Bernardi; quidam, argenteam furatus est crucem, modici quidem ponderis, sed particulam ligni Domini continentem. Aduertitur à fratribus sacrilegium, & sacro Præsuli sine mora suggeritur: nec cunctatur anathematizare sacrilegum, in virtute Christi præcipiens, ne priùs liceat homini monasterii egredi fines, quàm restituerit signum crucis, firmiter contestatus, quòd nullatenùs posset auferri; perstitit tamen improbus vsque ad diem alteram, donec Episcopus

pus recessisset, sed nec tunc egredi potuit; nisi priùs reddita cruce, & altari sacro, vbi fuerat, imposita.

14. *In speculo exemplorum, dict.9. exemplo 62.* Cùm Papa Gregorius IX. ante Papatum esset legatus sedis apostolicæ in Lombardia, & inueniret in quadam ciuitate quosdam maiores inuicem pugnantes, qui processum eius impediebant, cùm altera pars staret ad arbitrium eius de pace reformanda, & altera nollet contumax consentire, excommunicauit Capitaneum illius discensionis, qui solus pacem impediebat. Qui dùm excommunicationem contemneret, ciconiæ multæ, quæ nidificauerant super turres,& domos eius, à domo eius recesserunt, & nidos suos trãstulerũt super domos alterius Capitanei dictę guerrę, parati obedire. Quod videns contumax, humiliauit se ad absolutionem petendam, & ad obediendum, quo absoluto, ciconiæ, nidos suos ad locum pristinum, reportauerunt.

15. *Mathias Faber, ex ann. Cisterciensibus.* Memorabile est, quod in annalibus Cisterciensium de viris illustribus eius ord. narratur; fuisse scilicet anno 1440. Abbatem in monasterio Corbeiensi, qui cùm aureum, quem amiserat annulum recuperare non posset, furem excommunicauit. Habebat autem coruum in conclaui cicurem, qui ab eo tempore, viribus destitui, & tabescere cæpit, plumasque amittere. Cùmque causa ignoraretur. Fortè, ait quidam, annulum furatus est, & excommunicationem sensit. Itum est igitur ad nidum eius, & repertus annulus. Mirum dictu, coruus sibi restitutus, vbi fur anathemate solutus fuit, reualuit. Factum hoc à Deo, non quòd excommunicatio vim in bruta habeat, sed vt indè discerent homines timere excommunicationem animæ.

16. *In Chronicis Magdeburgensibus.* Anathemate ob demerita percussus à Ludolpho Antistite, Otho Brandeburgensis, per ludibrium mensæ assidens, canibus frusta carnium obiecit: Videamus, inquiens, an ab excomunicatis (quod vulgò dicitur) canes accipere recusent carnes? Certè recusarunt. Ille saturitatem causatur, canemque tridui inedia maceratum adduci iubet; at nec ille carnes obiectas attigit: eoq. miraculo territus, Ecclesiæ paruit.

17. *S. Pet. Damian. in opusculis.* Quidam degener quidem moribus, sed maiorum titulis insignitus, sui generis consanguineam nuptiali sibi fœdere copulauit. Quid plura? Prohibitus perstitit, excommunicatus adhæsit, totumque Ecclesiasticæ censuræ vigorem, nugarum puerilium fabulas deputauit. Cui certæ hoc ad diuinæ indignationis indicium contigit, vt panes de nuptialibus mensis in plateas ante canum ora proiecti, minimè tangerentur. Insuper, ò diuinæ animaduersionis pauenda seueritas! dùm rigidus stat, dùm præceptis se sacerdotalibus non humiliat, qui vigilare sibimet ad salutem noluit, in cubiculo dormientem repentè de cælestibus irruens fulgur extinxit. Sic diuini furoris expertus est moriendo sententiam, qui vulneri suo, dùm viueret, adhibere contempserat medicinam.

18. *Baronius, ann. 1172. de interfectoribus S. Thomæ Archiepiscopi Cantuariensis.* Sacrilegi, S. Martyris percussores, cùm viderent se ab omnibus hominibus vitari, quin etiam ab animalibus, vt execrabiles haberi (canes enim quantùmlibet famelici, panem ab eis porrectum, vt intinctum veneno anathematis, horrebant, longiùs autem à se ipsis eos sua ipsorum conscientia mali conscia propulsante) inuocantes eum, quem percusserant Sanctum, ab eo quærunt misericordiam, in quem extitissent ipsi immisericordes, & crudelissimi.

19. *Bzouius anno 1459. numer. 29.* Vt declararet S. Antoninus Archiepiscopus Florẽtinus, vim, & efficaciam excommunicationis, candidum panem in medium afferri iussit; cùmque anathematis verba in eum maiestate sua protulisset, statim spectantibus illis qui aderant, in carbonis atredinem est conuersus. Post aliquod tempus, conuersus ad eumdem panem: Heus, ait, isto nexu anathematis te libero, ac statim quasi excussisset atredinem, candore viderunt pristino renitere.

20. *Ribad. lib. 1. de Principe Christiano cap. 34.* Gundisaluus Amarantinus, religiosus vir ex familia S. Dominici, vt pro concione rudi populo exponeret, quanta sit vis excommunicationis, in re materiata periculum fecit; & ea perstrinxit similagineum panem, quem fortè mulier in cistula offerebat, atque is ater illicò euasit. Sed mox aquæ lustralis aspergillo irroratus, reuocatoque anathemate, panis deintegro albus fuit.

21. *Idem ibidem.* Lotharius, Lotharij Imp. filius, ob iniustè repudiatam Teobergam eius vxorem, à Nicolao I. excommunicatus, cùm Romam ad absolutionem obtinendam adijsset, iussus est ab Adriano Nicolai successore, vt in testimonium innocentiæ, quam insimulabat, vnà cùm sibi adhærentibus sacram Eucharistiam sumerent, quod & fecere; at in itinere omnes infelici obitu periere.

22. *Idem ibidem.* Philippus Pulcher, Galliarum Rex, paruipendens censuras Ecclesiasticas, ac Bonifacium VIII. persequens, infeliciter ab Apro interfectus fuit; tresque illius filii, qui post ipsum Regnum obtinuerunt, absque successore mortui sunt, illorumque vxores, vt adulteræ accusatæ, Regium sanguinem fœdè contaminauerunt.

23. *Idem ibidem.* Corradinus Siciliæ Rex, vltimusque Sueuiæ Dux, à Clemente IV. excommunicatus, victus à Carolo Prouinciæ Duce, ab eodem iussus est infeliciter publicè capite truncari.

24. *Baronius, ann. 1194.* Hoc anno, cùm Leopoldus Dux Austriæ adhùc permaneret in sententia excommunicationis, quam Pontifex in eum tulerat propter captionem Richardi Regis Angliæ, nec pæniteret; flagellauit Dominus terram suam in hunc modum. In primis quidem incensæ sunt omnes ciuitates terræ suę, nec alicui nota fuit causa incendii. Secundò, ex inundatione Danubii fluuii submersa est quædam terra adiacens, in qua decem millia hominum, vel eo ampliùs perierunt. Tertiò, cùm in media æstate soleat, & debeat omnis

omnis terra vitare, tota terra eius tunc temporis contra solitum, & debitum cursum exaruit. Quartò, cùm semina frugum deberent in herbam procreuisse, in vermes conuersa sunt. Quintò, nobiliores terræ suæ mortalitate percusi sunt.

24. *Ludouicus Bertrandus in historia Tolosana libr. 2. tit. 5. §. 1. numer. 8. de Sancto Bernardo.* Dùm S. Abbas pro concione verba faceret in oppido, cui nomen Viride-folium, & multi hæretici nobiles, & diuitijs affluentes ad eum audiendum confluxissent; cùm primùm cæpit errores hæreticorum refellere, continuò viri primarii ægrè ferentes, & tragedias excitantes discesserunt, quos ferè omnes auditores comitati sunt. Vndè D. Bernardo necesse fuit in forum exire, & ex loco edito concionari. Verùm hæretici adeò ira inflammati, & vehementer commoti fuerunt, vt clamoribus, & vociferationibus quominùs audiretur, obstreperent. Quorum insolentia D. Bernardus impulsus, & S. Euangelii consilium memoria repetens, puluerem excussit è calceis, & ex oppido discedens, his verbis, Deus te Viride-folium arefaciat, populo malè precatus est. Tantumque efficacitatis prædicta execratio habuit, vt continuò oppidum in magnas miserias, & ærumnas inciderit, segetes singulis annis grandine verberabantur, nulli percipiebantur fructus, atque ita perpetuis bellis exarxit, vt tenentibus principatum expulsis, ferè funditùs deletum fuerit; nec tot incommodis vllum remedium fuit, donec abiectis erroribus, se Ecclesiæ Catholicæ subiecerunt.

25. *Ianus Nicius.* In quodam Italiæ oppido insignis fons est, & celebris ibi fullonia, quò magnus fit mulierum, in ea se exercentium arte, concursus; quarum vna cùm pretiosum ibi toral amisisset, existimauit, id sibi, cuiuspiam ex socijs dolo, fuisse sublatum; cùmque exploratum non esset, quam eius facinoris insimularet, ad hoc extremum præsidium confugit, vt, quæcumque apud se furtum celaret, anathemate feriretur: quo facto, fons ille, qui ad eam diem purissimus, limpidissimusque emanauerat, præter modum lutulentus cæpit effluere, adeò vt iàm nulli esse vsu posset: sed cùm diligentiùs earum sordium origo exploraretur, inuentum est illud toral in ima aqua latere; quo indè extracto, ac mulieri cuius illud erat, reddito, continuò pristinus fonti nitor accessit.

26. *Idem.* Erat, vrbis cuiusdam in templo, columna, è marmore facta, vndè oleum ad alendos lychnos, qui ibi ardebant, largè, copiosèque manabat; accidit, vt non procùl ab eadem afficeretur sepultura vir quidam excommunicationis pœna ab Ecclesia damnatus; sed, tamquàm si præcisis fistulis, aliò eius olei cursus deriuatus esset, aut pænitùs, deficiente humore, exaruisset, continuò illa vis olei constitit; neque ampliùs aliqua eius gutta defluxit; ac nemo dubitat, quin eò defecerit, quòd execrandum illud cadauer propinquum habuerit, atque ex eiusdem vicinitate, admirabilis illa columna eam quasi contagionem attraxerit.

Alia similia sunt notata lib. 3. cap. 3. §. 7. in tit. In sac. Eucharistiam irreuerentia diuinitùs punita; alia videantur l. 7. cap. 1. §. 9. cùm de diuinitùs à sepulchris eiectis.

Portentosi, & Admirandi effectus Imprecationum, aut Maledictionum.

§. 4.

PRæteritis haùd incongruum erit adnectere, portentosos, admirandosque effectus, ex imprecationibus, maledictionibusque etiam priuatarum personarum, vel sibi, vel alijs secutos; quanti enim huiusmodi noceant imprecationum, maledictionumque iacula, ex iis patebit. Sunt autem.

1. S. *Augustinus, li. 22. de Ciuitate Dei, capit. 8.* Decem fratres (quorum septem mares, tres fæminæ) de Cæsarea Cappadociæ, suorum ciuium non ignobiles, maledicto matris, recenti patris eorum obitu destitutæ, quæ iniuriam sibi ab eis factam acerbissimè tulit, tali pæna sunt diuinitùs coerciti, vt horribiliter quaterentur omnes tremore membrorum: in qua fœdissima specie, oculos suorum ciuium non ferentes, quaquauersum cuique ire visum est, toto penè vagabantur orbe Romano. Ex his etiam ad nos venerunt duo, frater, & soror, Paulus, & Palladia, multis aliis locis, miseria diffamante, iàm cogniti. Venerunt autem ante Pascha fermè dies quindecim, Ecclesiam quotidiè, & in ea memoriam gloriosissimi Stephani frequentabant, orantes, vt sibi iàm placaretur Deus, & salutem pristinam redderet. Et illic, & quàcumque ibant, conuertebant in se ciuitatis aspectum. Et nonnulli, qui eos alibi viderant, causamque tremoris eorum nouerant, aliis, vt cuique poterant, indicabant. Venit & Pascha, atque ipso die Dominico mane, cùm iàm frequens populus præsens esset, & loci sancti cancellos, vbi martyrium erat, idem iuuenis orans teneret, repentè prostratus est, & dormiēti simillimus iacuit: non tamen tremens, sicut etiam per somnium solebat. Stupentibus qui aderant, atque aliis pauentibus, aliis dolentibus, cùm eum quidam vellet erigere, nonnulli prohibuerunt, sed potiùs exitum expectandum esse dixerunt. Et ecce surrexit, & non tremebat, quoniam sanatus erat, stabat incolumis, intuens intuentes.

2. *Philipp. Camer. Cent. 3. Hor. subcessiuarum.* Friburgi, oppido Misniæ, adnùc conspiciuntur vestigia in pauimento ligneo, in quibus stetit superioribus annis filius cōtumax per aliquot annos, neque viuus loco moueri potuit, donec post moreretur, cui pater prouocatus ab eo ad iram, imprecatus fuerat, vt quamdiù viueret, loco in illo immobilis staret.

3. *Cæsar Franciottus, in vita S. Agnelli, obseruat. 1.* In Insula status Ragugiæ, rusticus quidam fuit, qui vnicum filium habebat; hic eò temeritatis euasit, vt matrem percuteret, & multis oneraret iniuriis: mater ira correpta, maledictionem istam euomuit: Vade adeò, vt nec terra, nec aer, nec mare continere ossa tua possint. Hoc quod re ipsa euenit, nàm paulò post cùm mortuus esset, & sepultus,

sepultus, terra eum semper foras eiiciebat, & arcæ inclusus, inque sublime positus, in terram decidebat, proiectus in mare, statim ad littus reijciebatur; tandem dùm iterùm in mare proiiceretur, mare æstuans cauti alisit, quæ in tres partes diducebatur, quibus tres partes cadaueris adhæserunt, quæ petram ipsam referentes videbātur.

4. *Idem ibidem*. In villa quadam, quæ Compignanum dicitur, erat quædam cuiusdam rustici vxor, quæ hac maledictione infantulam, quam habebat, ferire solebat: Vtinam lupi te comedant. Quid accidit? id quod maledictio sonabat, licet hoc non intenderet maledicens mater. Nàm in festo corporis Domini anno 1592. cùm omnes è familia ad Ecclesiam se contulissent, sacri audiendi causa, & infantula domi remansisset, erupit è proxima sylua lupus, ad rusticæ domum accessit, infantulam, quę domus ianuam exierat, vidit, quam abstulit, partim deuorauit statim, quod erat reliquum secùm detulit.

5. *Camerarius*. Mulier quædam furti accusata, cùm videret, se alio modo crimen purgare non posse, confugit ad imprecationes, cùmque esset eo tempore grauida, vt maius pondus verbis suis adderet, inter alias imprecationes dixit: Si vera essent, quæ illi obijcerentur, se optare, & à Deo petere, vt fætus ille, quem gestaret vtero, in lucem editus, ne verbulum proferre posset, sed dùm viueret, mutus maneret. Quod postea factum est, & ipsamet se se suis imprecationibus prodidit. Hunc puerum mutum, & surdum, se vidisse idem auctor testatur, apud Guilielmum Hassiæ Landgrauium.

6. *Lazius*. Puella quedam, anno 1348. in Austria tempore magnæ charistiæ, cùm à matre panem postulasset, & illa fortè impatiens doloris, famem ei decennem imprecata fuisset, decennio omni cibo abstinuit, rarò admodùm aquæ potu se reficiens.

7. *Thomas Porchacchius lib. 2. Nobilitatis Comensis*. Ludouicus Sauellus Leucensis (est autem Leucum, Lacus Larii portus nobilis) kal. Maii cùm ęqualibus suis in summos montes lacui imminentes profectus, vt festa fronde penates pro more ciuitatis ornarentur: patris diras, & imprecationes, si eò abiret, negligens, dùm in prærupto ramum frondosum amputat, innitentis nixu cauernosa terra sublabente per decliue lapsus, lenti virgulti apprehensione se quidem à præcipitio seruauit, sed dùm per horas quinque ramo adhærens dilassatur (pendulum autem ex clamore animaduerterant quidam in alto nauigantes) neque popularium cura demissos funes præ imbecillitate apprehendere, & retinere posset, frustrà in subiectam ripam culcitris plumeis instratam decidens, in medio aere propter loci altitudinem suffocatus periit, parentibus mæstissimis, cognatis item, & affinibus contumacis adolescentis casum non fictis lachrymis deplorantibus.

8. *Rodericus Sanctius lib. 1. de Reb. Hispan. cap. 14.* Teresia Alphonsi VI. Regis Castellæ filia, à filio suo in carcerem coniecta, cùm nullis, nec suis, nec alienis precibus, nec Summi Pontificis iussu, liberationem, & libertatem obtinere posset, indignatione permota, maledixit filio, dicens: Quia crura mea vinculis alligasti, & mihi abstulisti honorem à Patre relictum, Deum precor, vt ab hostibus sis captiuus, vt ego sum, demùm crura tua fracta conspicias, sicut mea ferro vinxisti. Quod paulò post expletum est; nàm cùm bellum apud ciuitatem Pacensem cùm Ferdinando Rege Legionis Alphōsus confereret, exiens per portam ciuitatis ad prælium iàm cęptum, tibia vectis ferro inuoluta est, pariter & rupta: ille verò in bello victus, & captus est. Itaque eadem inobedientia, mandata Apostolica simùl, & maledictio materna eum comprehenderunt.

9. *Ioan. Euseb. lib. 1. de mirac. nat. cap. 21. ex Petro Bercorio*. Mirabile quoddam accidit in Armenia. Quidam filius dùm se induere nollet, matri sua imprecata est ei maledicendo, quòd nunquam aliàs se induere valeret, quod & factum est; quia statim verba pondus habuerunt. Vestes enim deposuit, & ex tunc continuè tàm æstate, quàm hyeme nudus fuit, asserens æstate neque maiora caumata, neque maiora se hyeme frigora sustinere, quàm antea. Hoc mihi narrauit quidam Abbas, qui per Clarum-montem transiens, dictum hominem post animalia nudum vidit, ipsumque ad se conuocans, rei seriem intellexit.

10. *Gumppemberg, de imag. B. Virginis Agrorum, Refadali, in Sicilia*. Quidam pictor, dùm hanc ligneam B. Virginis imaginem auro bracteato obduceret, interrogauit eum quis; & quandò hæc Statua patratura esset miracula! Tùm pictor, ioco non opportuno; Tùm, inquit, quandò capiti meo cornua sucrescent; vix dixerat, eoque temporis momento creuerunt illi cornua semidigitum lunga ad calcaris gallinacei formam.

11. *Gretserus, de maledictionibus*. Inter cæteros qui sanitatis adipiscendæ gratia, ad reliquias S. Zenobii Episcopi Florentini confluxerant, aderat etiam à cuncto populo spectatus puer quidam à dæmone miserabiliter obsessus, qui cùm ad liberandum duceretur, nullatenùs Ecclesiam intrare permittebatur: nàm hic, cùm olìm febribus laboraret, & ob contractam sitim, matre afferrente poculum, quadragies in nocte vnà bibisset, fessa iàm illa, & somno oppressa, cùm iterùm à puero excitaretur, indignanti animo, & irato, poculum cùm illi porrigeret, inquit: Vnà cùm hoc diabolum bibe: quo nec minùs secutum est. Præsto affuit diabolus, illius corpus obsedit, & miserabiliter contorquebat. Et cùm plura in vanum adhibita fuissent remedia, tandem à religiosa quadam fæmina edocta mater, vnà cùm patre puerum Florentiam ad sepulchrum B. Zenobii deferunt, & cùm religiosorum quorundam clericorum orationibus adiuti, illum tandem in Ecclesiam intulissent, perduxissentque ad altare S. Zenobii, tumefacto primùm mirum in modum vtero, post temporis modicum cùm fætore horribili euanuit dæmon, nec vnquam, quoad vixit, ad illum reuerti ausus fuit.

12. *Idem ibidem*. Cùm mulier quædam pagana, illustris, & diues valdè in Florentina ciuitate, mortuo viro, duos superstites haberet filios, quos deli-

delicatissimè enutrierat, & ad perfectam illi iàm peruenissent ætatem; quadam die in iram versi, matrem propriam pluribus verberibus enormiter flagellarunt. Quod scelus ipsa impatienter abhorrens, corpora illorum horrendis imprecationibus detestata fuit, genibusque procumbens, & terram manibus pulsans, Erynnem, cæterasq. infernas pestes in rabiem filiorum magno cùm gemitu inuocat. Exaudiunt dæmones ab imis tenebris: iuuenes congrediuntur, illos in furias exagitant. Qui statim, vt rabidi canes, mordaciter ad inuicem sua membra corrodunt. Concurrunt famuli, fit clamor ingens. Alij funes, alij catenas ferunt. Ligantur iuuenes, nec rabie contineri valent. Iàm mater pietate commouetur in filios, iàm facti pęnitet, & tantę calamitatis euentum deflet; plangit, nec quid indè agat cogitare valebat. Interim occurrunt memoriæ, quæ de Zenobio audierat, & accepto consilio, speque, pro filiis recuperandæ salutis, licet pagana esset, tamen credula, ad Zenobium filios adduci procurat. Cuius ipsa pedibus prouoluta, fatetur rem gestam, Deum suum exorare dignetur, precibus & lachrymis fideliter orat. Ille infelicem iuuenum captiuitatem miseratus, pièque commotus, ait ad mulierem: Constanter age mulier, & crede, quòd Dominus noster Iesus, qui illos modò post orationem meam sanitati restituet, verus est Dei fillius, & omnium Creator, & Dominus. Et statim in Basilica Saluatoris, vbi aderant, coràm vexillo crucis se prosternens, componit: vbi cùm duabus horis in oratione iacuisset, hoc est, à prima diei hora, qua illi aduenerant, vsque in horam tertiam, surrexit ab oratione, & iuuenes signo Crucis benedicens, dæmones ab illis prorsùs effugauit.

13. *Sigebertus, de S. Maclouio.* Homines illi, qui in Britannia virum Dei Maclouium exacerbauerunt, & improbitate obstinationis suæ, se, terramque suam ab eo maledici pertulerunt, maledictionis vindictam effugere non potuerunt. Terra enim in opere impiorum maledicta tàm in frugibus, quàm in pomis omnium generum, sterilis, & infructuosa est reddita. Habitatores verò eius mille modis morborum deuotati; alii membrorum debilitate cæperunt contrahi, alii lepra squalebant, alii visu se priuari dolebant: isti oris officio se destitui, alii se auditu plangebant diminui; nec aliquis erat omnium, qui cælestis vindictæ effugeret iudicium; Tandem per culpæ vindictam cognoscentes serò culpam suam; nec volentes, nec valentes vltrà sufferre maledictionis, & vltionis molestiam, communicato consilio, delibrauerũt à sancto viro humiliter implorare veniam. Missa itaque ad eum legatione poscunt eum cordis contritione, vt absoluantur ab illata maledictione, spondentes, si eos dignaretur sua reuersione, deinceps se ei obtemperaturos sine aliqua contradictione. Amator pietatis, & misericordiæ Maclouius, vbi pęnitentiam patriotarum accepit, summam consilii ad Leontium venerabilem detulit. Leontius hanc ad ipsum Deum referendam censuit. Vterque indicto sibi triduano ieiunio, exorant sibi reuelari à Domino, quid super hoc sibi esset opus facto. Inter orandum, Angelus Domini Maclouio adstitit, eique ex ore Dei hæc suggessit: Oportet te, ò amice Dei, Britanniam reuisere, omnem maledictionem auferre, homines salutifera benedictione sanare, terræ vbertatem restituere. Deinceps debes Santonas repetere, quia illic habes propediem obire. Sanctus itaque vir secundùm Angelicam reuelationem repatriauit, terram, hominesque sua benedictione sanctificauit, Deoque largitori omnium bonorum, eos, orando, commendauit, sicque omnis terra repleta est dapsili vbertate per eius benedictionem, quæ antea damnata fuerat per eius maledictionem. Ita factum est omnibus palàm, quòd Pontifex pius hanc maledictionem non intulit per aliquam maleuolentiam, & intemperantiam, immò per vtilem seueritatis beneuolentiam, vt per hanc necessitatem saltem inuiti traherentur ad pænitentiam.

14. *Cæsarius lib. 5. mirac. cap.* 27. Theodoricus Susariensis, Lubecum contendit ad Virginem, quam deperibat, sed alius iàm præuenerat, atque suis alios amores excluserat. Theodoricus indignari, ac fremere, & quod proximum irę tàm insanæ, cacodæmonis opem inclamare his ipsis vocibus: Diabolus, qui me hùc adduxit, hinc etiam poterit reducere; Inuitatus ductor quàm primùm adfuit, iuuenem in aera euexit, & vltra ciuitatem adsportans, ad aquas non placida manu deposuit, dixitque trepidanti: Periisses, nisi te signasses. Siquidem in ipso raptu, signum Crucis imperfectum expresserat.

15. *Leo IX. Pontifex ex S. Petro Damiano lib. 6. ep.* 21. Àmita mea, (ait Leo), sanctimonialis effecta, in quodam erat Virorum Monasterio constituta, ibiq. in propria degens cellula, cùm quadam pigmea, quotidiana laudis officia patienter, & humiliter persoluebat. Quadam verò nocte cùm ante nocturnam synaxim maturiùs surrexisset, comitemque suam more solito inclamasset sæpiùs, illaque graui sopore depressa nullatenùs responderet, tandem in ira commota, quid diceret, non attendit. Diabole, inquit, surge; ad quam vocem pręsto Diabolus, eius, quæ dormiebat, effigiem repræsentans accessit, & mutuos reddendo versiculos psallere simùl cæpit. Cùmque ad illum psalterii locum modulatione continua peruenissent, vbi dicitur; Exurgat Deus, & dissipentur inimici eius, & fugiant à facie eius, qui oderunt eum: sicut deficit fumus, deficiant &c. hic illicò malus Spiritus substitit, & hos exprimere versiculos non pręsumsit. Hoc Sancta Mulier cùm apud se miraretur, expauit, & quod erat, non inaniter suspicans, signum sibi Sanctæ crucis imposuit. Statimque malignus hostis euanuit, & quis esset, qui Sanctæ Mulieri comes constiterat, se fraudulenter occultando, monstrauit.

16. *Drexelius de Imprecante lingua cap.* 26. Non ita pridiem fæmina viro nupsit Anabaptistæ, cuius tamen religionem ipsa oderat. Ideò ægrè tulit, ædes suas à pluribus eiusdem sectæ hominibus frequentari. Itaque grauiùs excandescens: Si quidem inquit, hæc domus diabolis habitanda est, habeant illam. Dixit, & ab eo temporis momento lemu-

lemures sic infestarunt domum, ac si solis illis incolenda esset tradita. Dixisses vmbras, & infestos spiritus ædium illarum iàm dominos esse; velut si proclamatum esset; Veteres migrate coloni.

17. *Idem ibidem*. In prouincia Polonica anno à pariente Virgine 1585. iuuenis quidam in oppido Podlachiæ, cùm die Veneris carnibus licenter vesceretur, nec ab hospitibus monitus resipisceret, hospita, vt est fœminarum ad imprecationes promptum ingenium, ad helluonem versa: Vtinam, inquit, & diabolum vores: Habuit subitò euentum maledica lingua. Nàm carnium vorator, protinùs à malo genio cæptus est insideri, & torqueri. Cùmque ad sacerdotem delata res esset, adhibitæque de more solemnes Ecclesiæ preces, sæuire pessimus hospes in sacerdotem, furere in circumstantes, iuuenem ipsum immaniter excruciare cæpit, donec interclusis faucibus, hominem penitùs enecauit.

18. *Idem ibidem*. Puella quinquennis, sed palati non nihil iàm eruditi, lac furtiuum, more catillonum, sorbere cæpit. Pater iracundus, filiolam furti manifestam tenens: Eia bibe, inquit, vt vnà combibas Diabolum. Vix verbum euolarat ore, & diabolus misellam iàm occupauit, nec deseruit hanc domum, donec infelix virgo adulta iàm ætate Brisaco Romam ducta, ad D. Petri aram, ab inquilino pessimo liberata est.

19. *Idem ibidem cap.* 27. In ditione Moguntina Ecclesiastes pro suggestu in calceos rostratos (qui illius æui luxum accendebant) acerrimè inuectus est, diaboli commentum esse asserens, tàm prodigiosam calceandi rationem. Concioni sutor intererat, qui contractius lucrum præmetuens, obiurgationē hanc ægerrimè tulit, &, quid calcei ad hūc sacrificum? Vt illius verticem morbus sonticus inuadat. Sic indignabundus excessit templo. O miser, misisti lapidem in altum, sed in caput recidet. Dùm ergo hic sutor domum properauit, in via obuius ei factus est vir procerus, & terribilis, veste prasina amictus, qui capite prehensum affixit humi, sed priùs vertici cruentam notam impressit, tamquàm si orbem rasisset. Impos sui, horam sic iacuit, tandem à cæteris illius concionis auditoribus, domum suam delatus, sibique restitutus, omnia ordine aperuit, suoque damno docuit nemini maledicere.

20. *Idem*. Anno 1628. Augustæ Vindelicorum duæ mulieres, mater, & filia, in grauem furti suspicionem haùd temerè venerunt. At illæ, quòd increbescentem eius facinoris famam à se propulsarent, ita Deum obtestatæ sunt, vt, si sontes essent, horribili pestilentia vtramque paterentur afflari, idque ad designatum diem, & quod ampliùs, certo pestiferarum plagarum numero expresso. Audiit hæc vota Deus, & annuit. Venit itaque iurata dies, & simul peierata pestis, quæ seruato ritè plagarum numero (quaternas vna; nouenas altera fuerat sibi imprecata) vtramque fœminam inuasit, & simùl documento manifesto fuit, peieranti, & malè precanti linguæ iudicem, vindicemque instare Deum.

21. *Martinus Delrius lib. 3. disq. part. 1. q. 7. sec. 1.* In Saxonia, Virgo opulenta, formoso iuueni, at tenuioris fortunæ, matrimonium promisit. Hic quid futurum præuidens, illam prædiuitem, & sexus ratione mutabilem, fidem vix seruaturam esse, puellæ respondit. Illa contra diris se execrari his verbis cæpit, si alteri, quàm tibi nupsero, tunc me Diabolus in nuptiis illis abripiat. Quid fit? post interuallum aliquod, mutat animum, nubit alteri, priore sponso spreto, qui eam semel, atque iterùm promissi, diræque imprecationis admonuit; Sed illa posthabitis his omnibus, nuptias cùm altero sponso, relicto priore, celebrat. Ipso die nuptiali, cognatis, amicis, & conuiuis hilaribus, sponsa, vigilante conscientia, redditur tristior solito. tandem diaboli duo sub specie duorum equitum, in ædes nuptiales adueniunt, excipiuntur, adducuntur mensæ; hisque remotis, choreæ, vnique ex his sponsa honoris causa, tamquàm peregrino, adiungitur, cùm qua bis saltauit, & tandem eam è conspectu parentum, & amicorum summo cùm gemitu, & lamentatione, per ostium in altum sustulit. Altero die parentes, & amici mæsti sponsam quærunt, vt delapsam fortè sepelirent: sed ecce iidemque socii occurrunt, vestes, & aurum referentes, additis his verbis: Non in has res, sed in sponsam à Deo nobis fuit potestas concessa.

22. *Idem ibidem*. Miles quidam per Marchiam iter faciens, cùm morbo impeditus detineretur, decumbens tradidit crumenam pecunia refertam hospitæ asseruandam. Post aliquot dies, cùm conualescit, repetit saccum, mulier auara cùm ægrè tantam pecuniam amitteret, de consilio mariti negat depositum, confidenterque negat, se aliquid accepisse. Post multa, hospes, & miles adducuntur in iudicium, ibique negat hospes, se, aut eius vxorem aliquid à milite accepisse; addens etiam diras imprecationes, vt ipsum abreptum diabolus perderet, si fecisset. Hanc imprecationem cùm inuocationi diaboli cùm aliquoties repetiuisset, ibi causidicus, qui pro milite aderat, eratq. ea specie diabolus, omissa iàm disputatione forensi, adoritur hospitem, & comprehensum, per fenestras, & medium forum omnibus perhorrescentibus, cùm fragore abducit, nec postea vnquam corpus hospitis inuentum est.

23. *Idem ibidem*. In Belgio miles quidam Hispanus, qui Capitaneus Brauo vocabatur, sæpè à me visus, deditus supra modum aleæ, & in ludo diras iacere in se iuxta, atque alios pronus: Quadam die, cùm damnosi semper numeri, lucrum iactu quærenti subsilirent, ira efferuescens, in caput suum dirissima precabatur, & subitò coràm multis, qui aderant, ab inuisa manu, ad tabulatum vsque sublatus, post aliquot tempus mortuus quàm viuo similior, in solum deponitur. Fœlix si vt furorem cadauerosum toto post vitæ tempore retinuit, sic resipiscens lusus auiditatem deposuisset.

24. *Drexelius de imprecante lingua, capit.* 27. Anno Domini 1619. in Salisburgensi agro Maurerendorfii, caupo vt fama est, famulum domo exclusit,

clusit, pensiuncula, quam pactus fuerat, negata. Atque vt iniuriæ fucum faceret, seruo in os obiiciens: Hæc, aiebat, & hæc mihi furatus es, pactam ergo mercedem nego. Seruus meliore conscientia erectus: Nihil, here, furatus sum, identidem respondebat. Diù tenuit hæc verborum velitatio. Lite demùm ad Iudicem delata, caupo proiectæ vir audaciæ: Nisi verum, inquit, dixero, in meis me peccatis Deus puniat. Hem dirissimam imprecationem! & voto Deus annuit. Nàm caupo, eo quo steterat loco, repentina morte corruit.

25. *Ianus Nicius*. In oppido Subalpinæ regionis, Monte-Regali nomine, Deiparæ Virginis imago religiosissimè colitur, quæ anno MDXCIV. adeò florere miraculis cæpit, vt non oppidanos modò, sed propinquarum etiam vrbium, ac regionum incolas, ac ciues ad se se attraheret; qui incredibili penè concursu, partim voti soluendi causa, partim ad petendum auxilium, conueniebant, qua in primis fama compulsus Heluetiorum quidam pagus, hæretica labe infectus, certum illùc hominem, cùm mandatis allegauit; primùm vt mira illa, si vera essent, oculis ipse suis acciperet, tùm penitùs perspecta, ac cognita, ad ipsos pagi eiusdem moderatores, ducesque referret: qui cùm Montem-Regalem, vt erat præceptum, venisset, comperit, rem ipsam multò esse fama maiorem; nàm quotquot ad Beatæ Virginis opem, auxiliumque confugiebant, omnes ferè voti compotes abire cernebat; quam Beatæ Virginis benignitatem, in omnes largè effusèque diffusam, sensit etiam in se se maxima ex parte fluxisse; nàm singulari Beatæ Virginis munere, & celeritate illa, & religione hominum permotus, amplexus est catholicam fidem, à qua antea abhorrebat, itaque reuersus in patriam, & quæ oculis ipse acceperat, quæque in se expertus fuerat popularibus suis exposuit; qui cùm fidem faceret, vehementerque omnium animos ad Beatæ Virginis studium, & catholicæ religionis amorem impelleret, id hæreticæ impietatis minister quidam animaduertens, suggestum conscendit, ac vehementissima contentione animi conatus est, iis, quæ ab eo dicebantur, detrahere cùm diceret; hæc esse nota, atque vulgata sacerdotum nostrorum commenta, ad emungendas simplicium virorum crumenas; neque tamen multùm proficiebat; nàm propensior erat populus in ea, quæ audierat. Tùm ille commotior factus, cæpit multa capiti suo mala imprecari, nisi falsa ea essent, quæ ipsis deferebantur; atque in primis precatus est Deum, vt, si mentiretur, ipsis inspectantibus, à Dæmone areptus, in æternos cruciatus abstraheretur; neque diutiùs suo à capite pestis, quam sibi imprecatus fuerat, abfuit; nàm continuò cunctis cernentibus, abreptus est, &, quò erat dignus, asportatus. Quamobrem suo infortunio fidem iis, quæ nunciabantur, obtinuit, sicut optauerat; nunc verò apud inferos positus vnà cùm dæmonibus, quibus se addixerat, credit, & contremiscit.

26. *Idem*. Quo anno Frater Hyacinthus Casalensis Capuccinus, Romæ, in Æde D. Laurentii in Damaso, sacras ad populum conciones habebat, dabat operam sedulò, vt intimum animi dolorem, ex peccatis in Deum commissis in auditoribus suis excitaret, itaque sæpè eos iubebat, positis humi genibus, magnaque voce, Dei misericordiam implorare. Sed quia adsunt interdùm, qui ea, quæ salubriter ad hominum vtilitatem instituta sunt, cùm risu excipiant (quod est commune vitium adolescentiæ) vt omnis scurrilitas remoueretur, narrabat; dùm Mediolani, nisi memoria me fugit, concionaretur, & hac eadem ratione populo fletum mouere studeret, inter eos qui diuinam misericordiam implorabant, fuisse derisorem vnum, qui loco misericordiæ, vocum similitudine, peteret semilibram cordæ, (ita enim Itali funem appellant) sed paucis interiectis mensibus, se venisse euocatum ad quendam, aiebat, qui esset vltimo supplicio afficiendus, quò eum, vt fit, in extremo illo casu consolaretur, sed aduenientem se, arctissimis fuisse ab illo amplexibus circumplicatum, multisque cùm lachrymis exoratum, vt sibi ignosceret, Deumque pro ipso deprecaretur; se enim eum esse, qui cùm voce, ac lachrymis, Dei in se misericordiam implorare iuberetur, ioci causa, cordę semissem exclamasset; itaque præsto esse illum funem, quem expetiisset; etenim ob sua sibi scelera vitam esse suspendio terminandam; quòd si tunc ex animo diuinam misericordiam, ab ipso admonitus, implorasset, eam in se facilè expertus esset, tantamque vim malorum à sui capitis peste depulisset.

27. *Marchantius ex Bencio*. Refert Franciscus Bencius anno 1586. fuisse Vercellis in Italia quemdam iuuenem mirè deditum ludo, & excæcatum amore aleæ. Quodam verò die vesperi inter collusores orta est contentio: hic, vt eam finiret: Inuadat, inquit, me malus Dæmon, nisi ita sit. Statimque tremuit cubiculum, & terra, vmbra oberrans circa parietes apparuit ante oculos ludentium. Ille exanimis in terram cadit. Vbi verò ad se rediit, totus pauidus conscientia vrgente, veniam à Deo, & eius matre postulat. Voto se obstringit de itinere suscipiendo ad Varallum montem, & sacrum ibi curando celebrari. Nihilominùs oberrans effigies illa atra circa cubiculum, lucernam conatur extinguere; sed socii toti territi, crucem ligneam apponentes, quòcumque ferebatur illi obsistunt; Interim hora erat solùm vna in nocte, aut altera, & durauit hæc pugna vsque ad diluculum; erantque renouantes ipsi semper oleum, ne deficeret lumen, obsistentes semper per crucem huic terribili spectro; statimque audito matutino signo Angelicæ salutationis, diffugit hoc monstrum, quasi ad inimicum hunc sonum coactum in suas tenebras recedere, consternatos interim relinquens hos lusores. Vndè illicò iuuenis totus attonitus, nullam habens securitatem, ad collegium Soc. Iesu aduolat, vt confessione expiet peccata, & votum suum executioni mandet.

28. *Nider in Formic. lib. 5. cap. 11.* Quædam Virgo in diœcesi Coloniensi semel ira comota, cùm ad mensam inuita cogeretur, submurmurando intra se dixit, si me oportet edere, in nomine Diaboli fiat, sicque post pauca mensæ accessit, benedictionemque solitam reliquit, & in primo morsello, vt putabat muscam ori illatam sensit, quam cùm nulla arte eiicere valeret, deglutiuit, & immediatè à diabolo obsessa fuit.

29. *Idem ibidem libr. 5. cap. 7.* Ciuis quidam Bernensis, Petrus nomine, maleficarum Iudex, aliquot diebus extra vrbem in castro Blanckenburg apud cognatum egit negotii causa. Eo ita vrgebatur, vt somnum nocte abrumpens, lecto surrexerit, scripturus litteras ad maturandum iter. Sed videbatur Petro Sol iàm vicinus esse; defugientibus stellis. Quare vestes raptim induit, precibus, quas ex more præmittere solebat, omissis. Sic ad locum scriptionis properat. Vbi quia clausum reperit; priùs sibi, quòd plùs æquo dormiisset, dein & loco grauiter indignatus; ergo ad te lectum, inquit, in nomine diaboli redibo. Vix abiit ab ore vox incautior, & Petrus per scalarum gradus, quos ascenderat, præceps reiectus est, ea vi, vt semianimis, & rationis expers iacuerit multo fluens sanguine; atque sic à famulo repertus est. Vbi ad se rediit, linguam aberrasse cognouit. Vires autem eo lapsu miserè afflictas, vix tribus hebdomadibus reparauit.

30. *Sanctus Gregorius, libr. 3. Dialog. capit. 20.* Sacerdos quidam, cui nomen Stephanus, emendatæ vir vitæ, ab itinere fessus domum rediit, & sui non obseruans, famulo suo dixit: Veni diabole, excalcea me. Vix hoc verbum excidit incauto, & mox corrigiæ calceorum solui, & calcei destringi cæperunt, idque tanta celeritate, vt dubium non esset, quin is obedisset qui ad hoc officii vocatus esset. Cohorruit Sacerdos, & vociferari cæpit: Recede miser, recede; cùm seruo meo, non tecùm locutus sum. Cessit ad has voces veterator ex Orco.

31. *In ann. Societatis Iesu, ann. 1599.* Auenione nobilis, adolescens sanguine potiùs, quàm virtute, cùm aduersùs fœdam aeris tempestatem calceos indueret, & alterum, quòd angustior esset, cacodæmoni deuouisset; mox vocati ars non defuit: fulmen enim maxima vi in pedem incidit, calceumque pedi excussit, & qua vi deciderat, eumdem dimidiatum calceum fulmine conspersum Carpentoratum, ad energumenum detulit; quem vt vidit obsessus: Benè habet, inquit, alter calceus meus erit. Qua supplicii leuitate didicit adolescens, non euocandum facilè, tàm facilem ad inferenda supplicia humani generis hostem.

32. *Sedulius in vita Sanctæ Elisabeth Viduæ capit. 31.* Puellæ cuidam è Moguntino territorio poculum petenti, cùm à porrigente diceretur, accipe vt diabolum imbibas, protinùs immissus est cacodæmon, illaque intumescente vtero exclamauit, flammigerantem sibi per fauces transmissum titionem; atque ita per biennium vexatione durante, sarcophago Diuæ Elisabethæ præsentata, cùm paululùm ibidem panis, ac sanctæ vndæ sumpsisset, recepta mente, exacto nequam spiritu, ad sanitatem rediit.

33. *Idem ibidem capit. 32.* Fama vulgatum est, Fridericum, è Moguntino territorio, natandi peritissimum, cùm in amnem lauandi gratia iuisset, & pauperi cuidam, olim cæco, & meritis Beatæ Elisabethæ videnti, vndas per contemptum inspergeret, hic precatus est, ne viuus flumen egrederetur vindice Elisabetha, à qua lumen ipse accepisset, & obstupescentibus neruis ad ima, lapidis instar, ruisse, extractum pro mortuo, post votum D. Elisabethæ per propinquos nuncupatum, ad vitam rediisset.

34. *Ioann. Colganus in vita Sancti Moedoci 31. Ianuarij.* Cùm Sanct. Moedoc, Ducem ei resistentem maledicere cæpisset, puer quidam, qui propè stabat, dixit; aue Senior Sancte, maledictio sit super hanc petram: & cùm dixisset, super hanc petram fit maledictio, statim petra illa in duas partes diuisa est. Hoc iàm videns ille Dux, pænitentiam egit, & suos cognatos liberos dimisit.

35. *Sanct. Bonauentura in vita Sancti Francisci.* Hospitato quadam vice seruo Dei apud monasterium Sancti Verecundi de Episcopatu Eugubij, ouicula quædam, agniculum peperit illa nocte: aderat sus ferocissima, quæ vitæ innocentis non parcens, rapaci eum morsu necauit; hoc audito pius Pater, mira compassione commotus, & Agni sine macula recordatus, lamentabatur pro morte agniculi coràm omnibus, dicens: heù me frater agnicule, animal innocens, Christum hominibus repræsentans, maledicta sit impia, quæ te interfecit; nullusque de ea comedat homo, vel bestia; statim infirmari cæpit porca malefica, & tribus diebus corpoream pœnam exoluens, vltricem tandem pertulit necem: Proiecta autem in vallem monasterii, ibique longo tempore iacens in modum tabulę desiccata, nulli fuit esca famelico.

Alia huiusmodi videantur tom. 1. lib. 6. cap. 1. §. 2. in tit. Arbores subitò diuinitùs infrugiferæ redditæ, & arescentes; & tom. 2. lib. 1. cap. 2. §. 2. in tit. Partus diuinitùs prodigiosi; & alibi.

Cultus diei Festi ab Ecclesia statuti, Admirandis prodigijs confirmatus.

§. 5.

QVàm sanctè, quàm ritè, quosdam catholica Ecclesia præfinierit dies, quibus à consuetis operibus feriantes fideles, soli Deo vacarent, solemniorique cultu, quam Deo exhibere debent, profiterentur reuerentiam, & obsequium, admiranda prodigia, sæuæq. in violatores, Festiuorumq. dierum contemptores, demonstrant diuinæ vindictæ. De quibus.

1. *Greg. Tur. lib. 2. de gl. mart. c. x1. de S. Iuliano M.* Quidam ausu temerario die dominica iungens boues, agrum sulcare cæpit. Adprehensaque securi, vt aliquid emendaret in vomere, protinùs contractis

tractis digitis, manubrium in dextera eius adhæsit. Cùmque præ dolore nimio cruciaretur, post duos annos veniens ad B. Martyris basilicam, vigilias fideliter celebrauit: statimq. in ipsa die Dominica, reserata manus, lignum quod inuitus tenebat, amisit, magnam inferens populo disciplinam, vt quod die dominica fuerat perpetratum, ipsa quoque die dominica purgaretur. At ille magnificans gloriam martyris, recessit incolumis, nec vltrà die resurrectionis dominicæ quicquam ausus est operari.

2. *Idem de Glor. Confess. cap. 99.* Sanctus Auitus Abb. Carnoteni pagi, quem Pertensem vocant, sæpiùs imminere dissolutionem sui corporis Spiritu Sancto reuelante prædixit, qui recedens à corpore, honorificè apud Aurelianensem vrbem humatus est; super quem fideles Christiani Ecclesiam construxerunt. Post cuius obitum cùm anniuersarius adsumptionis eius dies cùm summo coleretur honore, vnus è ciuibus, aliis ad missarum spectanda solemnia euntibus, accepto rastro, vineam pastinare direxit. Increpitusq. à multis, cur huic festiuitati deesset, redire noluit, dicens; Et hic, quē colitis, operarius fuit: verùm vbi ingressus vineam primo ictu terram aperuit, protinùs retorta ceruice facies eius ad tergum conuersa est. Tunc tremens spectantibus populis cùm fletu magno Basilicam sancti ingreditur. Post paucos verò dies orans, in eodem loco assiduè, directa ceruice, conualuit.

3. *Idem libr. 3. mirac. S. Mart. cap. 3.* Ante duos annos, quàm hæc agerentur, quidam non metuens, neque honorans diem Sanctum Dominicæ resurrectionis, accepta annona, ad molam vadit, impositoque tritico, molam manu vertere cœpit. Expleto autem opere, non poterat manum aperire, sed cùm graui dolore fustem, quem apprehenderat, tenebat inuitus. Post hæc videns se non laxari, inciso ab vtraque parte fuste, ad S. Mart. Basilicam venit, sanctaque oratione, & vigiliis celebratis, laxatis digitis, manus eius ad opus pristinum restituta est. Alio verò anno in hac die sancta, operam, propter quam priùs increpatus fuerat, apprehendit, rursùmque in manu eius adhæsit. Ille autem cùm dolore plorans ad basilicam Sancti reuertitur, sed non protinùs meruit exaudiri. Post duos verò annos in eadem festiuitate sanatus est, & liberatus est ab onere ligni.

4. *Idem ibidem cap. 7.* Quidam, Senator nomine, de Cracotonno Andegauensi vico, dùm die Dominico clauem facit, digiti ambarum manuum eius contrahuntur, vnguibus in palmam defixis. Sic qui ostium pandere voluit, manus reserare non poterat. Dehinc per quatuor menses iàm vnguibus in carne defixis, computrescente palma, auxilia expetiit S. Martini, & per quatuor dies orationi, ac ieiunio vacans, manus sanas eleuans, incolumis est regressus, collaudans virtutem Antistitis, & vt nullus aggrederetur quod ipse præsumpserat, prædicabat.

5. *Idem ibidem cap. 29.* Ex Turonico territorio seruus cuiusdam, dùm die Dominico sepem componeret, manus eius ad lignum ipsum hærere cœperunt. At ille velociter extracta dextera, dùm factum admiratur attonitus, manus ipsa cùm dolore magnò contrahitur, defixæque sunt vngulæ in palmam: contractisque totis digitis dexteræ, ad diuersorium regreditur cùm mærore. Post quatuor verò annos ad basilicam Sancti aduenit, orationeque facta, sanatus est, prædicans populis ne factum eius quis imitaretur, ne tanti diei solemnia auarus agricola macularet, ne resurrectionis sacræ redemptionis nostræ cæleste mysterium humanitas infirma terrena exercens opera dissolueret.

6. *Vincentius Belu. libr. 7. spec. hist. capit. 89.* In suburbio Nouiomensi quædam puella pauper, manu, & arte victum quærens, dùm in die festo Annunciationis Dominicæ, pro vt nendo moris est mulieribus, filum saliua madefaceret, idem filum linguæ eius adhæsit, & labia vtraq. quasi conuinculata distorsit, labioque intumescente, penè lingua obmutuit præ nimio dolore, os eius deturpauerat saliua coagulata in spumam, & labia linguę connexa vim naturaliter expuendi amiserant. Puella flebat, & quid ageret ignorabat; vicini eam ad impetrandam cælitùs indulgentiam Sancto præsentauerunt Eligio, sed redierunt infecto negotio. Itur postmodùm ad S. Mariæ monasterium principale, idest ad Pontificalem sedem Nouiomensis Ecclesiæ. Ibiq. in conspectu adstantium, & pro ea rogantium, gratia diuina labellulo vinculum excussit, & populum ad gratiarum actionem prouocauit.

7. *Idem ibidem, lib. 17. cap. 27. de S. Maurilio Andegauensi.* Vir quidam auarus, omnium malorum radice instigatus cupiditate, temerario ordine arrepta securi, die Dominico auidus operator extiterat. Quem, securis manubrio manibus adhæso, vltio diuina statim damnauit. Iisdem tamen cogentibus doloribus, post menses quinq. S. Maurilium expetens, suæ ordinem culpæ flebiliter confitebatur. Cuius Vir Beatus cùm pænitudinem vidisset, commotus spiritu cœpit dolere, sed cùm manibus sanctis manubrium tetigisset securis, illicò laxatis neruis, & directis digitis, omni fugato dolore manus integrè reformantur.

8. *Idem ibidem libr. 23. capit. 78. de translatione B. Arnulphi Episcopi.* Mulier quædam ausa fuit Dominica die operari, sed mox diuinitùs verberata, vtraq. manu contracta est. Illicò ante valuas Sanctæ Basilicæ semetipsam prosternens, se in orationem dedit cùm lachrymis, statimq. digiti illius, qui tàm dudùm fortiter palmis inhæserant, resoluto rigore, pristinam receperunt medelam.

9. *Idem ibidem libr. 23. cap. 92. de S. Andoeno.* In Andegauensi regione quendam pauperculum obuium habuit S. Andoenus, qui cùm Dominica die contra vsum Ecclesiasticum opus seruile exerceret, & in mola farinam conficeret, manum qua molam rotabat, aridam subitò, & sibi inutilem offendit, nàm & pollex ad superiora manus ita astrictus est, vt sanguis in ipsa figura pollicis exiret, ipsum lignum quo mola rotabatur inter pollicem, & palmam tàm strictè tenebatur, vt auelli nullatenùs posset, procidens ergo pauper ad genua sancti, miseriam suam deplorat, & reatum suum confitetur. At ille signum crucis

manu eius impressit, & consuetudini pristinæ deseruire præcepit, pauperculum admonens, dominicis diebus, & festiuis magis ad Ecclesiam venire, & verbum Dei audire, quàm molam rotare, aut vllum opus seruile exercere sine summa necessitate.

10. *Idem ibidem, lib. 26. cap. 46.* Anno Domini 1126. in Geblacensi Parochia dùm pater familias dominica die mixturam segetum præ penuria famis moleret in vsus familiæ, subitò iusta Dei indignatione arsit farina cùm putoris nigredine, ad exemplum posteris, ne quis præsumat simile.

11. *Surius in vita Sancti Hermelandi Abb. 25. Martij.* Rusticus quidam, Sicbaldus nomine, sanctæ Resurrectionis dominico die flagellum arripuit, & ad excutienda frumenta accessit, sanè quàm temerè: non dormitauit autem diuina vindicta. Subitò flagellum adhæret manui, & dissolutis membrorum iuncturis, caput, & brachia cæterosque artus horrendum in modum agitabat. Non potuit vlla vi, vel ad momentum se comprimere, quò minùs horribili membrorum tremore quateretur. Proficiscitur igitur Turones ad S. Martinum, cuius quidem intercessione id obtinuit à Domino, vt flagellum ex eius manu exiliret; verum tremor ille corporis nihilo fuit remissior. Nocte proxima in somnis videt S. Martinum, auditque admonentem, vt si vellit ab illa membrorum agitatione absolui, Antrensem Insulam, S. Hermelandi confessoris suffragia petiturus, accedat. Credit ille verbis beatissimi Martini, celeriterque se confert ad Antrum insulam, prostratusque coràm tumulo S. Hermelandi, salutem, quam expetiit, non difficulter impetrauit. Cum enim fratres vespertinas Domino laudes persoluerent, apparuit illi senex quidam stola candida indutus, decora canicie venerabilis; isque dextra illi annuit, vt ad ipsum accederet. Vult ille properè ire ad vocantem se, sed mox in medio fratrum psallentium choro corruit, ibique diù iacens, & orans, tandem manum ad fratres extendit, quorum opera è terra subleuatus, pristinæ se sensit incolumitati restitutum.

12. *Idem in vita S. Austregisili Archiep. Bituricensis, 20. Maij, c. 9.* Molitor quidam, nomine Monulphus, Dominico die magna temeritate ductus voluit molam corrigere, acceptoq. instrumento ferreo, cæpit terere molam. Et ecce diuina in eum seueritate animaduertente, manubrium instrumenti adeò manui eius adhæsit, vt nullus id indè posset amouere: prorupit verò etiam sanguis inter digitos eius, qui computrescens, fætore suo nauseam mouebat aspectantibus. Accessit autem ad B. Austregesilum, & ab eo remedium petiit, neq. id frustrà: nàm viro sancto manum illius contrectante, & ferrum auferente, dolor omnis abscessit, & manus sanata est.

13. *Idem in vita S. Godeleuæ, 6. Iulij.* Dies quidam solemnis imminebat, qui populo celebris haberetur. Presbyter parato sacrificio, præcepit ne quis operis quippiam exerceret illo die. Fœmina quædam pagi illius præceptum illud paruipendens, tincturam in vase apparabat, arreptaque virga, eam mouere volebat. Mox vtrique manui virga inhæret: luctatur mulier nunc extendendo, nunc contrahendo brachia: sed frustrà laborat. Res ad aliorum notitiam perducitur, familia aduolat, nec vicini abesse volunt, miraculi fama permoti. Et alij quidam dant operam, vt virgam ex eius manibus extorqueant, alii verò vel contingere eam verentur. Tandem pæna illam compellente, supplex adit Beatæ Godeleuæ monumentum, precibus eius ambit suffragia, inter lachrymas, & preces, digiti, & manus virga liberantur, mulier sana se recipit ad suos.

14. *Idem in eadem vita.* Quidam die Sabbati, hora qua minimè liceret, in agro colligebat spicas: inhæserunt verò spicæ manui eius tàm tenaciter, vt nulla ratione eas posset auellere. Laborabat quidem altera manu, & summopere conabatur eas abstrahere, sed labor omnis frustrà erat: immò quantò plùs in iis amouendis ponebat operæ, tantò firmiùs manui adhærescebant. Intelligens ergo culpam suam, ad sepulchrum B. Godeleuæ venit, humi se prosternit. Necdùm absoluerat preces, & digitis se se intendentibus, è manu spicæ deciderunt.

15. *Idem in vita S. Heduuigis Ducissæ Poloniæ, 15. Octobris.* Mulier quædam die Dominico molens, diuina vltione percussa est, ligno, quo molam agebat, adeò manui eius adhærente, vt nec mariti auxilio amouere illud posset. Amputato igitur suprà, & infrà manum eius ligno, ducta est à marito ad Beatam Heduuigem. Orat S. Heduuigis Dominum pro ea; aperit manum eius, extrahit lignum; mandat vt rem apud se tacitam habeat: sed latere non potuit, quod Dominus ad suam gloriam voluit innotescere.

16. *Idem in vita S. Othmari Abb. libr. 2. cap. 9. 16. Nouemb.* Deuota Fratrum congregatio, iussionibus Episcopi obtemperans, cùm Dei laudibus insistendo, nocturnalis officii solemnia decenter perageret, diemque ipsum omnes infra monasterium constitutos in honore S. Othmari feriari decerneret; ex ministerio cellerarij tres lignorum opifices, qui in artis huius peritia cęteris etiam credebantur esse præstantiores, ex præceptoris sui iussu in cellam, quæ est supra monasterium constructa, laboraturi succedunt, ibique dolium quoddam, vetustate, & iniuria dissolutum, coniungere incipiunt. Collectis verò in vnum tabulis, cùm primò fundum illius satis difficilè coadunarent, easdem tabulas diligenter assignatas in circuitu erigere cæperunt, nec vllo penitùs ingenio per totam ferè diem laborantes, eas constabilire præualuerunt. Mirumque in modum semper à stationis suæ loco resilire, omnemque artificiosæ manus copulationem videbantur respuere. Tùm ipsi opifices inclinata iàm die, videntes laborem suum in nullo proficere, iniustè se egisse cognoscunt, & post vesperam ad monasterium redeuntes, prostrati in Ecclesia, suam sibi stultitiam non imputari, veniam precando, deposcunt.

17. *In vita S. Remacli.* Villa Vuademias nobis subiecta est, nec à monasterio nostro longè abest.

abest. In ea rusticus quidam adhùc superstes degit, qui primo Rogationum die, cùm deberet diuino cultui vacare, contra fas abiit ad syluam, & ligna cęcidit in vsus domus suæ. Galliarum Ecclesiæ ex præscripto Beati Mamerti Episcopi Viennensis, triduo illo litanias concelebrant, ieiuniis se macerant, pio affectu à mundi illecebris abstinent, animarum potiùs, quàm corporum alimoniæ student. Ea consuetudo hodièque perseuerans ob multas auertendas clades, non debet ob friuolas quasdam occasiones violari. Sed id rusticus negligens; dieique sanctificationis reuerentiam non exhibens, diuinam sensit vltionem. Fascem enim lignorum humeris impositum domum absportat baculo se sustentans: dùmque onus deponit, manus, curuatis digitis, adhæret baculo, nec ab illo potuit amoueri. Aduocantur vicini, mirantur omnes, rogant, vt quid egerit, exponat. Ille non dissimulat, fatetur peccatum suum: orat, vt baculum oblongum ex vtraque parte amputent, nè eius onere prægrauetur. Deindè admonitus ab illis, sedulò inuisit diuersa Sanctorum templa, diù, noctuque eorum suffragia implorans. Ita accidit, vt veniret etiam ad nos, qui tàm insolita perspecta vltione putabamus hominem, aut periurii, aut sacrilegii dare pœnas. Cùm autem secretò eum examinaremus, negauit se vnquam vel sacrilegum, vel periurum fuisse. Et nobis sanè visus est vera dicere. Iussimus autem, vt apud aram Sancti Remacli se prosterneret. Postea verò nobis missam solemniter celebrantibus, cùm Euangelium legeretur, ille vociferatur, & surgit à pauimento. Tùm verò nobis, & permultis aliis adspectantibus, lignum è manu eius elabitur: rursùsque ille tamquàm mentis stuporem patiens, quod nobis maximæ admirationi fuit, humi collabitur, suisque clamoribus efficit, vt Euangelium audire non possemus. Nec diù post sanatus est. Nos verò lignum illud iussimus suspendi ad fores monasterii nostri.

18. *Lippellous in vita S.Domnoli Episcopi, 16. Maij*. Quadam die in Villa Ecclesiæ, quam Baladonem vocant, S. Domnolo Episcopo Cenomanensi Pontificale exequenti ministerium, Magnarius quidam oblatus est, qui die Dominico magna temeritate, audaciaque ab opere non cessans, Deo vlciscente, luminibus orbatus fuerat. Tunc vir Sanctus expresso Crucis signo cæcitatem depulit, visum reformauit, monuitque hominem, ne deinceps diem vni Deo consecratum violare præsumeret.

19. *In vita Sancti Bertini*. Piscatores tres retia in Rhodanum iecerant, nocte ipsa Resurrectionis, & concluserant quidem vini ingentem piscium: Sed dùm ad ripam lætabundi nauigium appellunt, prodire nemini eorum licuit: Si quidem omnes, manuum, ac pedum vsu capti, vlciscente numine, illicò fuerunt. Quamquam ex eis vnus deindè, ad S.Bertini Reliquias, iumento, aut carpento adductus, sanitatem pristinam recuperauit.

20. *In vita S. Eligij Episcopi Nouiomensis*. In vico iuxta Nouiomense oppidum, S. Eligius Episcopus haùd ferens plebem ex abusu peruetteri ludis, & choreis perindè insanire, ipso die anniuersario Principis Apostolorum, adhortatus est, à praua ea consuetudine cessaret: Sed Pagani homines, monitis reluctari, atq; adeò sancto Antistiti mortem cominari: & statim ex eis perplurimi arrepti à Dæmone sunt, nec nisi anno euoluto, hoc est ipso die, in quo peccauerant, supplice pro eis S.Eligio, liberati fuerunt.

21. *Sanctus Petrus Damianus serm. de Sancto Ruffino martyre*. Quidam ruri circa segetem adlaborabant in festo S. Ruffini; at subitò ignis messem ita inuasit, vt extinguere ignem nullatenùs potuerint.

22. S.*Gaudentius, in vita S. Philastrij*. In festo S. Philastrii Episcopi Brixiensis, quidam, triticum à paleis repurgans in area, exagitari statim à Dæmone cæpit, & per aream miserè raptari. Alteri autem eo die, fænum, quod colligere in agro meditabatur, turbo exortus latè per aerem dispersit penitùs: ita vt nec manipulus eius ibidem superfuerit.

23. *In vita S.Vulmari Abb.* Violatores festi S. Vulmari Abb. compescuit, ac mulctauit coorta repentè cùm tonitruis, ac fulgetris tempestas; quam est consecuta ętiam fluminis alluuio, vt liberaliùs noceret.

24. *Fortunatus Episcopus Pictauiensis, in vita* S. *Germani cap.* 17. & 36. Nere quædam mulier die Dominico incæperat, & confestìm contracta manus eius est; nec priùs restituta, quàm oleo à S.Germano perungeretur. Clerico etiam vsus manuum, ac pedum ademptus est, tantùm ideò, quia Dominico die reconcinnare detritas caligas, religioni non duxerat.

25. *Idem ibidem*. Andulphus Clericus Ecclesiæ Parisiensis, dùm die Resurrectionis in vineola sua nuces ab arbore excuteret, pro eo quòd operatus est, in die illuminationis, cæcitate percussus est, & anni spatio cæcus fuit.

26. *Surius in Septembri*. Dùm Basilica extrueretur S.S. Martyribus Agaunensibus, de quorum reliquiis admonitus cælitus fuerat Sanctus Theodorus eius vrbis Antistes, Ethnico aurifici legio ipsa eorundem sanctorum Martyrum visa est adesse, atque eum increpare, flagrisque afficere, quòd minimè reueritus Dominicum diem, in quo vtique ab opere omni cessarent alij, Basilicam exornare auro, & se interim ea impietate polluere voluisset. Atque hæc illi obiurgatio consilium iniecit profitendi Christianam Religionem.

27. *In vita Sancti Maurilij Andegauensis Episcopi*. Quidam, cui nomen erat Belgicus, die Paschæ mandauerat seruis, vt segetes mundarent; replicant illi, esse diem Paschæ; ipse vrget, & inuitos cogit: sed cùm illi segetes sarrire tentarent, mox Belgicus oculorum cæcitate percussus, clamauit, vt cessarent. Cùm autem tres annos in ea cæcitate permansisset, tandem tangens S.Maurilij pertranseuntis vestes sanatus est.

28. *In actis S.Ottonis Episcopi Bambergensis*. Matrona quædam non longè à ciuitate Caminensi, die Dominica ad metendas segetes suos misit operarios, vtque promptiùs operarentur ipsa etiam descendit in campum, dixitque illis, quod me facere videtis, omnes similiter & facite, moxque rebrachiatis manicis, succinctaque veste, falcem dextra corripuit, stantes verò calamos sinistra tenens, metere visa est. Sed mirum dictu; in actu ipso subitò vt erat inclinis, misera diriguit, & quasi marmoris effigies, nec semetipsam erigere, nec falcem è manu dimittere potuit, nec segetem, sed muta, & nil loquens similis simulacro stabat, tuntùm intuens intuentes se, & post breue tempus animam Diabolo emisit.

29. *In vita Sancti Ædi Episcopi*. Volentes quædam mulieres capita sua lauare in Dominica nocte, dixit eis Sanctus Ædus: quid vultis facere? Dicunt ei: nostra lauare capita volumus. Quibus Sanctus ait: nolite facere; quia Dominica nox est. Illæ iàm non obedientes Sancto Episcopo, lauerunt capita sua. Manè autem surgentes, tota coma de capitibus earum cecidit. Hoc videntes fleuerunt, & venerunt tristes ad Sanctum Ædum, & pænitentiam coràm eo egerunt. Benedixit eas Sanctus Pontifex: dicens: vestram portate ignominiam hodiè; & crastina die, nouis, & mirabilibus comis tecta erunt capita vestra; & sic factum est.

30. *S. Pet. Damianus, de vita Sancti Mauri Episcopi Cesenatis*. Quædam mulier, necessitati rei familiaris, plusquàm deberet, intenta, in festiuitate Sancti Rophilli, triticum purgare non timuit; sed dùm Beato confessori digni honoris reuerentiam non exhibuit, dignæ animaduersionis sententiam non euasit. Nàm illicò diuino percussa iudicio, brachiis attractis, obriguit, & eodem modo, ac si capisterium adhùc ventilare videretur, tremere infeliciter cæpit. Hæc itaque ante Beati Mauri altare deducitur, & in prædicta solemnitate, nunquam se vlteriùs quippiam tale facturam instantissimè pollicetur; mox largissima omnipotentis Dei misericordia clementer adfuit, & stupida mulieris brachia ad libertatem proprii vigoris pleniter reformauit.

31. *S.Anton.2.par.Chron.tit.*x1.*cap.*19.§.5.*de Sancto Maxentio Abb.* Quidam segetis cultor, dum ad euellendum siliginem, die Dominico properasset in messem, manus eius circumstricta est per biennium, ita vt nullus posset medicorum remedium sanitatis adhibere, sed ad S.Virum pergens, oratione fusa, sanitatem integram recuperauit. Et similem reddidit sospitatem cuidam mulieri, cuius manus inutiles factæ erant, quia die Dominica filauerat.

32. *Idem ibidem tit.* 13.*cap.* 6.§.31.*de Sancto Vuandregisilo*. Cùm quædam mulier in festiuitate eius in pago Caletensi, vicinis prohibentibus, textrinum opus ageret, & corde tumido increpationes eorum pro nihilo duceret, illicò manus eius, qua trama ausu temerario per telam ducebat, obriguit, tramaq. medio palmæ inhæsit, & auelli nullatenùs poterat. Cùmq. hac virtute correcta, & corde compuncta ad Ecclesiam Sancti, quæ à populo frequentabatur, accessit, se sancto commendans, trama à manu cadente, sanata est.

33. *Tilman.Bredembachius, lib.*2.*collat. sacrarum ca.*26. An.1556. ipso Assumptæ Virginis Matris Mariæ die, Terpati sacerdotes ex recepto Ecclesiæ more diem illum solemnem habebant, vt solet, cùm apparatu, & crebro campanarum pulsu diuinum cultum peragebant, eam celebritatem, & reuerentiam Virgini Matri ad summi Numinis honorem exhibitam, cùm matrona quædam impendi inuideret; mandat pedissequę, vti balneum adparet, caminum instruat, se cùm marito lauari decreuisse. Illa solemnis festi dominam submonere, atq. alium in diem transferat, rogare. Matrona repentè excandescens. Quid inquit, de Maria narras? fuit illa mulier similis mihi; nec vllius potentiæ, aut gratiæ prærogatiuam habet; tu iussa mea exequere. Famula, ne dominam grauiùs exacerbaret, imperata perficit. Vbi ad caminum ventum est, arida ligna, quę alioqui haùd difficulter flammam excipiunt, nulla ope, nullis nutrimentis accendi potuerunt. Illa vbi se vndique vertit, laboris frustranei pertæsa, tectum omne ardere conspicit, nec vlla vi flammam extinguere valet. Ignis primùm ipsum balneum vastat, mox duas contiguas ædes ingenti ciuium omnium terrore populatur. Confluit extemplò vniuersum vulgus, & vix tandem latiùs serpere incendium prohibent. Postero die lignorum fasciculus, camino ingestus, omninò incombustus comperitur.

34. *In vita S.Ottonis Episcopi Bambergensis*. Presbyter quidam, Roccus nomine, per viam pergens, in die Festo Assumptionis Beatæ Virginis, videns rusticum quendam, & eius vxorem in agro metentes, zelo religionis eos prohibuit dicens; huic diei propter Assumptionem Dei genitricis Mariæ honorem deberi. Erat autem secunda feria; dicebat ergo rusticus, heri propter Dominicam operari non licuit, & iterùm hodiè vacare iubemus; quę est hæc doctrina, qua homines à rebus necessariis, & bonis iubet cessare? quandò ergo collectas videbimus fruges nostras? puto vos inuidere vtilitatibus nostris, cùmque iàm ad blasphemandum os aperire vellet, & falcem crebris tractibus messor vehemens in calamos vibraret; mirum dictu! subitò extinctus in sulcos decidit, falcemque in dextera, segetem autem in sinistra, vt absecta erat, tàm fortiter tenebat, vt à nullo auferri posset; mulier autem infelix socia operis, morte quidem mulctata non est, puto quia sub viri obedientia posita fuit, sed tamen sine pæna, & confusione non euasit; nàm corpus exanime viri ad Ecclesiam secuta, falcem, & segetem de manibus suis, & ipsa excutere non potuit, quòusque coràm populo, & clero argumentum hoc illicitæ operationis probaretur; sepulto verò viro, & abeunte cùm timore populo, mulier soluta est.

35. *In actis S.Vdalrici Episc.Augustani*. Ancilla cuiusdam matronæ, Gerbiræ nuncupatæ, telam suam, dùm in texendo laboraret die Festo, subitus dolor

dolor cæpit contrahere manus eius, quod cùm lamentando alijs diceret, responderunt ei, depone textile ferrum, quia pro reatu hodierni operis hic labor tibi accidit, quæ vix manibus de ferro absolutis, lectum intrauit, cùmque ibi requiem non haberet præ contractione manuum, conseruæ eius nunciauerunt Dominæ suæ, illa verò præcepit, vt manè diluculò duceretur pro liberatione sua ad sepulchrum S. Vdalrici: cùmque in itinere lassæ circa horam nonam in planicie Lechfeldici campi ad reficienda corpora consedissent, dolor cæpit minui in manibus laborantis, itaut antequam de ipso loco surgerent, vsui prioris rectitudinis redderentur; quæ tunc lætæ peruenerunt ad prædestinatum locum, & indè in Ecclesiam Sanctæ Mariæ Genitricis Dei post vesperas venientes, hæc sicuti gesta sunt, annunciauerunt, & lætę ad propria redierunt.

36. *In lib. Miracul. S. Maioli num.* 18. Quędam mulier de Mugnaco Villa, vespertinali hora, vigiliam S. Maioli aliis celebrantibus, hæc à textrino suo opere nolebat recedere; cuius præsumptionem digna subsequuta est castigatio; nàm instrumentum quoddam ferreum operi illius aptum, sic manui illius adhæsit, incuruatis, & infixis digitis in palma, vt crederetur inibi esse quasi natum. Quod voluntariè acceptum, præsumptuosæ retentum, voluntariè reliquisset, si illi post pænam licuisset, & cùm vicinis festiuitatem S. Maioli custodisset. Vndè ipsa mulier recognita suæ nequitiæ culpa, in crastino, S. Maioli venit adiutorium requisitura: quam innumerabilis multitudo populi, sicut ad festiuitatem eiusdem sancti conuenerat, illud correptionis signum manuferentem admirando conspexit; hæc in Ecclesia, & ante S. Maioli sepulchrum, & inter multam populorum turbam negligentiæ suæ narrat euentum, pro quo tale in præsenti pænam sustinebat; sed quidam malæ curiositatis infecti vitio, hoc eam fingere pensantes, manum arripiunt, digitos ipsius omni conamine, omnique artificioso studio aperire volunt, sed humanum ingenium aperire non potuit, quod clausit illud Dauidicum sceptrum, de quo dicitur; qui aperis, & nemo claudit, claudis, & nemo aperit. His itaq. circùmuallata aduersitatibus, hinc verecundia, hinc diuina vltione, & populorum derisa exprobatione, salutare illud consilii capit, vt inuocet Deum, sanctumque Maiolum deprecetur esse sui adiutorem. Dum itaq. in hoc sedula permanet, diuina ei pietas adest, quę illicò manum illius aperuit, sic quoq. illud demonstratiuum negligentiæ ferrum ad terram cecidit; & ad comprobandum veræ virtutis indicium, penè tota videbatur manus eo loco esse rimata, & arsa, vbi illud ferrū iacuerat, & singulorum digitorum numerus in ipsa palma videbatur profundiùs impressus, & ea loca repleta erant sanguine, vbi infixus fuerat vnusquisque. Hoc admirabili sanata signo, hilaris redit ad propria, non incredula ampliùs miraculorum, & virtutum Sancti Maioli.

37. *Rodolphus Floriacensis lib. 5. de mirac. S. Bened. cap.* 2. Festùm Purgationis semper Virginis Mariæ Dei Genitricis, quæ purissima, & castissima super omnem humanam puritatem, & castimoniam semper extitit, celebrabatur; eratque dies Dominicus. Quædam ergo mulier Tescelina vocabulo, incola vici Floriacensis, operam impendebat lanificio. Hæc aduesperascente iàm die, reputans tàm celebritatem ipsam, quàm diem Dominicum præteriisse, & aliquas ipsius Dei lucrari cupiens morulas: accepit colum, lanamque super sua subtiliter extendens genua, cùm rorifluo sputamine, eamdem colum, tenuiter ipsa lana cæpit inuoluere. Cauebat tamen, ne suæ cernerent quid ageret vicinæ; sed Redemptor mundi, cuius oculis nuda, & aperta sunt omnia, & Matris iniuriam, & suam diem seuerè vindicauit Dominicam. Nempè cùm diem tantum, gemina religione sacrum, irreligiosa mulier temeraret: manibus retrosùm actis, omninòque debilitatis, experta est in se ipsa, qua sunt digni pæna, sacrorum violatores dierum. Cùm torsione quoque manuum, aliud grande patiebatur tormentum; sentiebat quippè intolerabilem à digitorum intercapedine suorum exire ardorem. Cùmque immensis cruciaretur suppliciis: vicinarum hortatu mulierum, monasterium ingressa post diem alterum, coràm altare Dei Genetricis adstitit; ipsam pietatis Matrem continuis flebiliter obsecrans singultibus, vt sui misereretur, frequenter vtique & Patrem inuocans Benedictum, vt pro se intercederet. Transitis ergo aliquot diurnis horis, manibus ad pristinum reductis statum, & sopito incendio, gratias agit omnium conditori Deo, gloriosæque semper Virgini Mariæ; nullatenùs oblita monachorum Legislatoris Benedicti.

38. *Idem ibidem cap.* 2. Quidam rusticus habitans in agello quodam S. Benedicti, Vinoilo dicto, in festo translationis S. Benedicti, cunctis ab opere manuum vacantibus, ipse iunctis bobus, in agrum quem exercere cupiebat tendit; cùm ecce astitit ei quidam in schemate monachali, qui vtrasque illius manus tenens, bifurco, quo aratrum regitur, tàm fortiter adstringit ligno, vt sanguinem per eius omnes vngues eliceret, & rusticus idē aliquo prorsùs pacto eas diuellere ab eodem nequiret ligno. Quo facto, ipse qui apparuerat monachus, nequaquam vlteriùs sibi visus est. Concurrente ergo populo, illoque narrante quæ acciderant; eorum consilio, votum fecit, quoad vixerit, eius festum nunquam temeraturum, quo facto, orantibus cunctis, relaxatæ sunt manus eius, & cæpit adstare solutus, qui ante inuisibilibus loris tenebatur adstrictus.

39. *Idem ibidem cap.* 7. Quædam muliercula mercede conducta à quodam viro, nomine Rodulfo, gente Britanno, habebat cooperatricem, quæ eiusdem erat ministerii: sed hæc ex familia P. Benedicti progenita fuerat, altera verò minimè. Britannus autem ipse liberam traxerat genituram: qui de sua adueniens regione, ipsius Patris rus incolebat habens habitationem in eodem rure, eratque durus agricola, cui etiam vires labori tolerando sufficiebant. In Patris igitur tumulatione, quę in diebus Dominici Aduentus, per omnes Gallias annuatim cùm reuerentia excolitur, mulier, quę carnalis libertatis supercilio tumebat, inquit ei, quæ

ex famulabus Patris se quoque esse plaudebat. Veni mi cara, properemus perficere quod pariter cępimus opus. Susceperant enim texere lineam, quæ ipsius Britonis erat, telam. Cui illa respondit. Absit à me mi soror, vt ego hodiè aliquem præsumam exercere laborem, & Domini mei, cuius sum ancilla, tàm solemnem temerare celebritatem. At illa è contra. Tu si tibi vacat, feriata esto. Ego enim quò fruar cibo, hodiè laboratura sum. Tu verò Domini tui excole festum. Huic altercationi Britannus ipse interuenit. Qui sciscitatus cuiusmodi inter se sermones fererent, vbi edidicit causam, suis compulit exortationibus vtramque aggredi, quod assumpserat opus. Cæpit itaq. famula Patris, anxiè valde post telam residens expectare, quid eius actura foret socia. Quæ tramam apprehendens, vbi primùm per stamen duxit filum, assumpto pectine ligneo, inculcabat idem filum reliquo subtegmini, percutiendo. Extemplò, consequente iusti examinis vltione, pecten manui eius adhæsit. Quod ipsa dùm persensit, exterrita, vociferari exorsa est, attemptans crebrò, si à manu propria pectinem aliquo pacto excutere quiret: sed videns in cassum se id facere, ab incæpto destitit. Accurrerunt autem plurimi ipsius vici habitatores, exciti clamoribus illius, inter quos & Brito adfuit. Qui nequaquàm reueritus rectissima omnipotentis iudicia, quæ & si sunt occulta aliquandò, semper tamen sunt iusta; comprehensa dextera mulieris, cui pectem inhæserat, violenter extrahendo discussit.

40. *Idem ibidem cap.* 7. Morabatur in Bosonis villa iuxta castrum Petueris, quædam puella, quæ quoniam de P. Benedicti familia originem non trahebat, impunè putans eius solemnitatem temerare posse, sumpsit colum cùm fuso, cæpitque per eamdem quasi deambulando villam nens discurrere; cernentes id mulieres aliæ, quę Patris erant famulæ, arguebant ipsam, quoniam cùm in rure ipsius commoraretur, festum eius tàm præcipuum violare præsumeret: Illa stomachando intulit eis: Vos quæ illius estis ancillæ, estote feriatæ, & celebritatem hanc studiosè excolite: me verò quoniam ipsi in nullo sum obnoxia, opere manuum mearum finite lucrari cibum, quem hodiè sum comestura. Hoc dato responso, cùm maiori peruicacia opus ceptum agebat. Repentè itaque, inuisibiliter diuina eam prosequente vltione, percussa in maxillam, cruentum accepit ictum, & profluente de dentibus largo cruore, tàm dolore percussionis, quàm formidine percussoris exterrita, ad Ecclesiam illius villæ profugit; consilioque concurrentis populi, se ancillam S. Patris tradidit, spopõditque de cætero omnes celebritates illius, se venerabiliter obseruaturam; & confestim tàm à dolore dentium, quàm à formidine liberata est.

41. *In actis S. Gregorij Episcopi Lingoniensis*. Quædam puella die Dominico pectens caput suum, sensit dentes pectinis ita affigi digitis eius, & palmis, vt valdè cruciaretur. Hæc ad sepulchrum S. Gregorij curata est pectine decidente, quem diù adhærentem portauerat.

42. *Ferrarius in Cat. S. S. 2. Ian.* Cùm quidam in Pago Odolenei Diæcesis Casalensis, in die S. Desendentis martyris, qui ibidem festiuè colitur, aucupatum potiùs, quàm missam audire voluisset, ac Perdices captas coquere; illæ statim rediuiuæ, eo obcæcato, euolarunt; qui tamen facti pænitens, ad aram S. Martyris orans, & veniam impetrauit, & visum recuperauit.

43. *Idem ibidem* 28. *Augusti, de S. Vicinio Episcopo Sarsinate*. Cùm quædam mulier in die festo S. Vicinii frumenta terreret, ac reprehensa, S. Viro illuderet, illicò Diuinam vltionem sensit, manibus, & brachiis ita pectori hærentibus, vt nulla ratione ea mouere posset, nisi pænitens ad tumulum S. Episcopi veniam impetrasset.

44. *Philippus Episcopus Eystet. in vita S. Vualpurgæ Virg.* Erat quædam mulier de villa, quæ dicitur Stophenhaym, nomine Geilla, in qua bis terna Dominus per beatam Virginem Vualpurgam operari dignatus est signa: Nàm cùm dies *festus* Vualpurgæ Virg. adueniret, & omnes de prouincia, qui Deum per fidem nouerant, & gratiam Vualpurgæ Virg. diem feriando celebriter percolerent, illa contumaci, & irreuerenti fronte diem festum despiciens, exteriori operationi manuum, spreta solemnitate diei, se ingessit, ac filare, & texere cæpit secundùm formam artis, quam in retroactis tẽporibus in vsu habuit. Quid plura? glomex, & quędam alia instrumenta huic arti competentia, tali glutino manui eius adhæserunt, quòd ab eius manu euelli facilè non poterant; sed etiam inflaturam brachii, atque manus, incidit in tantùm horribilem, vt manica inflaturam non caperet: sed à circumstantibus cùm difficultate abstrahebatur. Hoc videntes vicini, miseram exhortabantur, quatenùs ad suffragia Vualpurgæ Virg. confugeret, vt gratiam consequeretur in auxilio oportuno; quod & ita factum est: Nàm veniens ad *limina Virginis*, omnimodè, & subitò sanitati restituta est. Quæ cùm ad propria remeasset, ingrata percepti beneficii, opus priùs depositum iteratò assumpsit, & statim detestabilem curuaturam manus, & brachii in signum diuinæ vltionis accepit. Quæ iterùm ad mentem conuersa, de transgressione pænituit, & ad patrocinia dictæ Virg. recurrens, gratiam *perfectę* sanitatis obtinuit. Nunc quod *mirabilius est* audiamus. Item quodam die festiuo Vualpurgæ Virgin. iàm dicta insensata mulier etiam immemor tãtorum beneficiorum, manualiter operari cùm inciperet, lumine oculorum subitò est priuata, quæ videns diuinæ vltionis effectum condignè locum obtinuisse, ad remedia pænitentiæ currens, votum vouit Vualpurgæ Virgini, quòd si ei gratiam illuminationis obtineret, perpetuò in posterùm obsequiis suis libenti animo, corde, ore, & opere tamquàm stodiosa famula vellet obtemperare. Quid plura? pietas gratiosa in B. Vulpurga Virg. & virtus pænitentiæ in hac miserabili muliere cæca vltione diuina, claro lumine ipsius oculos vestiuit, quo & in posterùm gaudere permisit.

45. *In vita S. Thuriani Episcopi Dolensis*. Erat consuetudo ab antiquis instituta, vt die præcedenti solemnitatem Beati Thuriani Confessoris, denunciaretur per vrbem, & per vicos ei adiacentes celebritas solemnitatis Beatiss. Confessoris, quatenùs

nùs populus omnis relicto rurali opere, confluerent ad poscenda suffragia diuinæ pietatis, per meritum Confessoris sui Thuriani : & quod singuli, suis non merebantur impetrare meritis, obtinerent pijs precibus suffragatoris. Contigit ergo, vt ministri, qui præcones erant tantæ solemnitatis, transitum haberent iuxta Ecclesiam, quę ædificabatur in eadem vrbe, in honore B. Stephani protomartyris: ii autem, qui præerant operi, audientes pulsationem signi, quo eadem futura denunciabatur solemnitas, interrogauerunt, cuius esset hæc quæ prænunciabatur futura festiuitas. Responsum est verò; quia S. Thuriani Confess. prænunciabatur solemnitas. At ille, qui præerat operi, inusitatum habens audire huiusmodi nomen, quia quasi quoddã barbarũ resonaret, despectui habens, quod audierat, dixit, non se opera sua interrumpere, vt ad sancti celebritatem accederet. Operariis autem, quibusdã succlamãtibus, bonum esse eos celebratoribus tantæ solemnitati interesse, cõminatus est illis, nunquã ex opere illo aliquid quæstus vlteriùs acquisituros, si recederent ab opere, & sancti solemnitatem curarent celebrare, huic præsumptioni, & temerariæ comminationi vltio diuina non defuit. Nàm sequenti die, cùm ad opus præfatæ Ecclesiæ temerariè redirent, dispositis operariis infra, & supra maceriam, quæ construebatur, corruit diuina virtute quicquid ante operatum fuerat, ita vt nemo inultus abiret. Nàm confractis aliorum brachiis, aliorum cruribus, aliorum pedibus oppressis, omnes compulsi sunt fateri Dei, & S. Thuriani meritum. Cuius, quia solemnitatem celebrare despexerant, suam singuli coacti sunt deplorare miseriam. Magister verò, qui ad hanc eos compulit præsumptionem, fractis ceruicibus spiritum reddens, diuinam in se iustè exhibitam excepit vltionem.

46. *Franciscus Bencius an.* 1580. *ex Hist. Prouinciæ Poloniæ.* Cùm Russus quidam schismaticus, eo die, qui Assumptæ Virgini sacer est, ad eruendam argillam exisset, maxime ob Kalendarii Gregoriani contemptum multum, licet dissuadente virgine quadam catholica, & vaticinante vltimum illum ei diem, at supremum opus fore, ruentis subito casu mole telluris, ita oppressus est, vt suo inclusus funere, idem reliquerit aliis neglectæ religionis monumentum, & inuenerit ipse dementis propositi sepulchrum.

47. *In actis S.S. in vita S. Genouefæ Virg. ap. Boll.* 3. *Ian.* Contigit die Natiu. B. V. vt mulier quædam in suburbio Parisiorum lanam carperet, sacra solemnitate contempta. Quæ cùm à vicina contemptus tantæ solemnitatis argueretur, iniquitatem adiecit super iniquitatem, & ait: Nonnè Maria mulier fuit, & seruile opus peregit? Vt autem nefandi operis malitiam, nefario sermone compleuit, indignis eius manibus pectines tàm indissolubiliter conglutinati sunt, vt vsque ad transitum beatæ Virginis Genouefæ molestiis huius sarcinæ damnaretur, digna retributione instrumento transeunte in pęnam, vndè post perpetrauerat culpam. Nocte autem præfatæ solemnitatis ad Ecclesiam Beatæ Genouefæ Vir. venit, & ad primas voces matutinorum officii, sarcina de manibus eius cecidit.

48. *Ibidem.* Quidam Rebarensis, dùm nocte Dominica molere præsumpsisset, granum annonæ in oculum eius de mola resiliit, & luce priuauit. Orbitatem oculi grauior passio secuta est. Mox etenim cæpit pectus, & ventrem manibus tundere & assiduis tunsionibus sanguinem vomere. Huius itaque passionis remedium anno integro per multa sanctorum loca quęsiuit; sed per B. Virginis Genouefæ clementiam tandem inuenit. Veniens enim ad locum, quem S. Virgo miraculis illustrabat, orationi incubuit, & simul orantibus pro eo fratribus, reductas à pectore manus leuauit ad cœlum voce exultationis, & salutis. Mirati quoque qui aderant vniuersi glorificauerunt Deum, & resonabant per Ecclesiam voces eorum.

49. *Ibidem in actis S. Hilarij Episcopi Pictauiensis* 13. *Ian.* Vasatis (vrbs est Vasconiæ) celebritas agi S. Hilarii consueuerat, omneque seruile opus à primis vesperis religiosè intermitti. Mulier tamen quędam solita Ecclesiæ lineam lauare supellectilem, publica populi contempta pietate, nescio quid sarcire vestimenti ausa, ingenti primùm dexteræ manus dolore correpta est, quæ dein ita contracta est neruis conuulsis, vt subitò iungeretur. Intellexit eam sibi diuinitùs neglectæ religionis pænam infligi. Multis ergo cùm lachrymis S. Hilarium vt sibi ignoscat obtestatur. Nec tamen ante insequentes ferias sacræ Pentecostes, vt pristinus dexteræ vigor restitueretur obtinuit. At cùm tunc serò in Cathedrali, quam verri curarat, Ecclesia esset, in somnum incidit, ac videre sibi magnificum sepulchrum visa est, ex eoque prodeuntem Antistitem, ac se se his compellantem verbis: Deum offendisti, neglecto Ecclesiæ de mea celebranda festiuitate præcepto; ideòque penas dedisti: at tuę nunc exauditæ sunt preces, pristinamque recuperabis sanitatem. Simùl eius dexteram prehendit, inque priorem situm restituit. Experrecta, validam sibi, vt priùs, manum sensit; profecta ergo Pictauos gratias S. Hilario coràm egit; eiusque omninò quale dormienti obiectum erat, sepulchrum est venerata.

50. *Ibidem in actis S.S. quinque martyrum minorum,* 16. *Ian.* Iacobus Perez de la Çurta Conimbricensis, natali sanctorum martyrum die ad potandam vitem, quæ post minorum cænobium sita erat, primo mane profectus est. Præteriit isthàc quispiam, & an ignoras, inquit, Iacobe Perez, hodiè sanctos martyres coli, quorum in sanctę Crucis corpora sunt? quid deindè? ait ille: Non est eiusmodi id festum, vt publica feriatione agi debeat. moxque respectans, nusquam eum, qui se monuerat, videt. Opus ergo prosequitur; sed è vestigio ingenti totius corporis, manuum præsertim, tremore perculsus, omittere id coactus est. Sensit ergo diuinitùs id sibi euenisse, templumque sanctæ Crucis petiit, ac votum fecit, se quoad viueret, eum diem religiosè obseruaturum, sacris, concioni, vesperis, interfuturum: simùl votum suscepit, simùl sanitatem recuperauit. Testatus deindè est quot quot eo die palmites incidisset (inciderat circiter octoginta) nihil eo anno vuarum tulisse, cùm cæteri per quàm fęcundi fuerint.

51. Ibi-

51. *Ibidem in actis S. Sulpitii Pÿ Episcopi Bituricensis 17. Ian.* Vnus ex rusticis, arrepta manu securi, nefario polluit opere Resurrectionis Dominicæ diem. Illicò manus arescit sacrilega, cute siccata cùm neruis, securis adhærens recluditur. Repentè ad Dei properat sanctum, vestigiis obuoluitur Christi athletæ, sacrilegii auctorem manus arida prodit. Lugentem ad Ecclesiam monet potiùs reum peruenire sacerdos, orationes continuat sub altare, tandem vt possit à Christo, facinoris, quod commiserat, veniam impetrare. Interea Dei sanctus ad consuetum decurrit præsidium, ingreditur cellulam, consperso cinere, in oratione fusis lachrymis pernoctat; & dùm ad Ecclesiam facto mane debitis laudibus exsoluendis Dei sacer venisset, vulgi diuersitate cùm securi hominem intuente, in oratione pronus vir Dei incumbit: & ita repentè reus non sustinens cruciatus, magnis clamoribus perstrepebat, vt putaretur locus ipse esse commotus subitò: nàm & pauor immensus arripuit vniuersos. Interea sacrilega manus officio subitò restituitur proprio, ossa, cutis, & nerui suis replentur humoribus, securis ex eadem in partes resilit mirabiliter; fundit criminosus vberes fletus, peccatum fatetur, & absoluitur, domum remeat absolutus.

52. *Ibidem in actis S. Genulphi 17. Ianuarÿ.* Quædam mulier, Techberga nomine, dùm messis tempore die sabbati, iàm illucescente ipsius diei vespera, in Resurrectionis Dominicæ prima sabbati, ex multiplicatis manipulis, mergetem colligare nititur, subitò digitis in volam deflexis, ac erumpente sanguine, audax manus, & misera diriguit. Hinc illa se cernens diuina percussam vltione, tandem mæsta properat ad Ecclesiam S. Dei Genitricis Mariæ, Strata nuncupatam, ibique decubans, ac fide monente, sospitatem implorans, interuentu ipsius Dei genitricis Mariæ, duobus directis digitis læta surrexit. Deindè verò monasterium petens, & coràm sancti confessoris Genulphi venerando decubans sepulchro, æditùum rogat sibi subueniri. Qui supplicanti candelam ad eius staturæ mensuram, benigno miserationis respectu largitur, missarum autem celebratione completa, idem æditùus ad eam accedens, ac super manum debilem signum S. Crucis faciens, & de puluere sancti sepulchri super aspergens, manum, quam detulerat inualidam, duabus alijs digitis directis, validam recepit. Gratias autem Deo, sanctoque referens Confessori, gaudens ad propria remeauit.

53. *Idem in actis S. Sebastiani m. 20. Ian.* Cùm quidam Colonus à suo vicino admonitus fuisset indictæ ab Episcopo solemnitatis S. Sebastiani. Ille nihil pendens à sodali salubria sibi data monita, renuit, taliaque hebes, ac stolidus responsa reddit. Hactenùs talia exercendo, stipem, qua vtcùmque sustentarer, penaliter adquisiui; istum pro cuius obsequijs me solicitè commones, nec audiui commemorari sanctum, nec eius quicquam debitor sum referre beneficiis, qui ab eo bona, malaue minimè recepi. Ideo te mihi super hoc suadentē non audiam, nec ab opere cæpto desistam. Recedente die, noctis quies oboritur: cùm ecce miser ille miserabiliter arentibus neruorum compaginibus, meritò suæ procacitatis totus in modum sphera contrahitur, ita vt crura femoribus adhærerent. Nocte quoque insequenti os, quo contumaciter locutus fuerat in effigiem X. litteræ, maxillis hinc indè altrinsecùs auersis distortum efficitur: Hoc miserabile monstrum die secunda illucescente plurimis spectaculum fuit.

54. *Idem in actis S. Agnetis Virg. & m. 21. Ian.* Quædam mulier, cui nomen Leuduza, in die festo S. Benigni Episcopi Carnotensis, & M. vbi assedit telæ, tramam in transuersum staminis more texentium traiectura per licia, manum, partemq. brachii cubitum vsque ossetenùs reuersa, tàm carne, quàm cute non sine magno dolore vix ad se retraxit debilem, & prorsùs inutilem. Quædam etiam eiusdem diei solemnitate neglecta, cùm instrumento muliebri, quod colum nominant, more rusticarum per atrium Ecclesiæ vagabunda tornans fusum in nendo filum inutile dùm spatiatur, subitò coràm omnibus humi prostrata decidit, contractis, debilitatisque membris omnibus diri doloris magnitudine diù cruciata, demùm inopinatè domum reportatur à suis: fit in tectis parentum vlulatus, foris vicinorum pauor lachrymosus. Vndique irruentes attoniti stupore circumstant semiuiuam, ac satis dignè audacis facti scelus incusant: Deum tamen super his propitium fieri supplicant, cui facilè est præstare gaudia, quæ votum transcendunt humanum. Quid plura? Post defleti reatus confessionem iàm salus desperata non differtur à Deo, cui muneris vsus hic potior, quàm nemo putet. Parentes eam, vt ipsa flendo rogauit, Ecclesiæ parietibus intulerunt, sanctorum patrociniis in famulam ipsius affectu subiicientes. Nec in longum differtur. Fit palam cuius meriti sunt apud Deum Sancti; mēbra iàm præmortua, priorem reformātur in statum; Sana surgit, & exilit adstante populo, quæ penè exanimis ac iàm à suis desperata, vix solo viua anhelitu repræsentatur Ecclesię.

55. *Ibidem in actis Sancti Adelelmi, 30. Ian.* Agebantur Burgis S. Gregorii Papæ feriæ: ferrarius quidam faber tantùm non eas celebrauit, vt etiam religiosiores alios rideret. Nec diù dilata Dei vltio est; Intremuere illi manus, vt non modò opificium exercere suum non posset, se ne cibum quidem ad os admouere. Sensit sacrilegio suo inflictam à Deo pænam, crimen confitetur, ad S. Adelelmi sepulchrum confugit, extensisque supra illud manibus, cùm lachrymis, & peccati veniam, & salutem corporis orat. Non auersatur Sanctus missas ex animo preces: ergo exauditi sunt viri gemitus, tremore absolutus est, piè deinceps veneratus Sanctum Gregorium, ac S. Adelelmum, qui cùm cęteris Dei electis, æterna requie perfruuntur.

56. *In actis S.S. Feb. tom. 3. in Contin. Bollan.* Parua est Insula Them, habens Villam nomine Lechne, in qua habitabat mulier quędam, vocata Bereheta: hęc in festiuitate S. Bartholomęi Apostoli, dùm sui segetem in horreum recondendam, domum carro deduceret, obuiàm procedebat, & se

se manipulos in quoddam tectorium, quod barbara lingua Barg vocatur, iactandos properabat. Cùmque iàm manipulum manibus comprehendisset, vtræque manus manipulo mox adhæserunt; & articuli in eo quod comprehenderant, ita sunt innodati, vt sine sectione nullo modo diuelli possent: Sicque permansit quoadusque facti pænitens, & ad patrocinium S. Vualburgis Virg. confugiens, eius preci bus liberata fuit.

57. *Ibidem in Martio tom.* 3. Cùm quidam in anniuersaria die S. Lugderi Episcopi Mimigardefordensis in VVestphalia, Saxonum Apostoli, consuetis operibus attendentes, ceruisiam coquere curassent, ea diuinitùs coctura impedita est. Aliis terram arantibus, ferrum aratri confractum est. Aliis verò temerè, & obstinata mente boues stimulis ad arandum compellentibus, ipsi boues insania efferati, disruptis loris, & iugis cùm aratro abiectis, siluas petierunt, nec omninò ante capi potuere, quàm ipsi cùm reliquis ad S.Lugderi memoriam venientes, suæ temeritatis culpam confessi essent.

58. *Ibidem in actis S. Veroni*. Die quadam ferianda, quædam mulier sibi collegerat olera, quæ dùm collectim stringens decerpit, manui suæ mox inhæsisse stupet, & ingemit. Tali ergo peruasa peste, coràm S.Verono astans, populo spectante, & confitetur offensam, & precatur veniam. Nec frustatur à Deo voti sui adoptione: Nàm ei dùm manum prætendit, sperans, & petens ab eo curari, subitò quasi Sancto manu manui medente, strictura digitorum dissiliente, diù in peccati loculo moratæ ceciderunt herbulæ, & sanata est.

59. *Ibidem*. Nauem recens fabrefactam aliqui in festo S. Quirini Marty. non nisi expletis sacris, aquæ committere habuere in animo. Commutata deindè sententia, sacra cupientes præuertere, ratim flumini dare summis viribus conituntur adhibitis trecentis viris. Verùm labore incassum omni cadente, promissi memores desistunt ab improbo conatu: recto ordine auspicantur opus, ducendo à Deo principium: redeunt ad cęptum negotium, & nulla difficultate grandis machina aquis à quinquaginta iniicitur, quæ antea à trecentis viris moueri non potuerat.

60. *Ibidem*. Rusticus quidam cùm in festo Paschatis sepem hiantem refecisset; mediis in laboribus, corporis debilitate percussus, in terram semimortuus concidit, vibicibus, ac lineis rubicundis præ sanguine in dorso apparentibus. Qui Sancto Quirino m. supplex factus, humi baculo repens ad sancti sepulchrum, sanitate pristina donatur.

61. *Vincentius in Speculo Hist. lib. 26. cap.* 41. Inter Hispanos apud Tudelionum, die festo S.Iacobi triticum rusticus tota die in area excussit, qui aduesperascente die, balneum, quod iuxta idem castrum miro opere à Saraceno antiquo factum est, intrauit; cùmque in eo sederet, statim pellis dorsi eius ab humeris vsque ad crura, balnei parietibus adhæsit, cunctisque videntibus ob transgressionem tanti festi spiritum exhalauit. Inter Vascones quoque apud Albinetum, S.Iacobi diem plebs colere renuens, tota die operabatur, sed diuina vltione totum castrum eius nocte sequenti consumptum est igne: nec fuit, qui sciret, ex qua parte progrederetur ignis: sed è cælo dicitur euenisse. In Episcopatu etiam Bisuntiensi Bernardus de Maiora eadem die tritici manipulos cùm carro tota die, vicinis contradicentibus, duxit, & ad vesperam vsq. eo sic operante, tempestuosus ignis, ac validus è cœlo veniens, carrum, manipulos, & boues in cinerem redegit: sed, & mulieres quædam, quæ cùm illo erant, ab aliis superuenientibus in fontem proximum deportatę sunt, vt ignis calorem euaderent & vix euaserunt.

62. *Idem ibidem lib.* 27. *cap.* 9. Tempore Hugonis Episcopi Gratianopolitani, vir quidam, festum sanctæ Mariæ Magdalenæ paruipendens, boues aratro subiungens, terram colere ea die statuerat. At subitò boues, & vtensilia, motis subitaneo tonitru elementis, fulmine abrepta fuere. Ipse quoque atrociori supplicio addictus est. Eadem enim cælestis flamma, quæ bruta, lignaue vorauerat, eius pedi extemplò subripuit, quem in breui cùm reddidisset exesum, tibiam quoque peruadens, cruris pariter suprema corripuit: carnes quoque vorans, neruorum duritia tabidis fluxibus latescente, ossa retexerat, eodemque casu quotidiano vsque ad geniculum hàc illàc dispersérat. At tandem ad quandam Ecclesiam B.Margdalenæ ductus, veniam sceleris perpetrati cùm lachrymis exposcens, ignis ille extinctus est.

63. *Brendebachius lib.* 4. *Coll. cap.* 40. Dùm quidam scelestus, festum S.Mariani Eremitæ Biturigensis colere negligeret, immò in eum blasphemias ore sacrilego euomeret: Ecce subitò flante vento apprehenditur domus illius incendio, exuritur omnis, nec quicquam de substantia restat hominis.

64. *Ianus Nicius*. Circa annum Domini 1634. quodam in agro Casertæ Neapolitani Regni mirabilis accidit euentus; dùm quidam rusticus in die festo S.Andreæ terram araret, seminaque spargeret, admonitus ne sacrum violaret, ira accensus hæc protulit verba; S.Andreas pischetur, ego operi meo incumbere volo; mirabile dictu! tempore messis, omnes aristæ, non farina, sed arena adimpletæ mirabiliter inuentæ sunt, odoremq. piscis præseferebant.

65. *In annal. Min. an.* 1228. *num.* 64. In Pictauiæ partibus, in villa quæ Simo dicitur, sacerdos quidam, Reginaldus nomine, Beato Francisco deuotus, festum ipsius parochianis suis indixerat solemniter celebrandum. Vnus autem de populo ignorans Sancti virtutem, sui paruipendit sacerdotis mandatum. Egressus autem foràs in agrum, vt ligna succideret, cùm se præparasset ad opus, vocem audiuit huiusmodi ter dicentem; festum est, operari nō licet. Verùm cùm nec imperio sacerdotis, nec supernæ vocis oraculo, seruilis temeritas frænaretur, addidit diuina virtus ad gloriam Sancti sui, sine mora miraculum, & flagellum. Mox enim vt furcam vna manu iàm tenens, alteram cùm ferreo instrumento leuauit ad opus, sic diuina virtute, vtra-

que

que manus, vtrique instrumento cohæsit, vt ad neutrius dimissionem, digitos aliquatenùs relaxare valeret. Stupefactus nimis, & quid ageret nesciens, ad Ecclesiam multis vndique ad videndum prodigium concurrentibus, properauit; vbi mente compunctus, ante altare, quodam ex assistentibus sacerdote monente (plures quippè ad festum vocati conuenerant sacerdotes) Beato Francisco se humiliter deuouit; tria, sicut ter vocem audierat, vota vouens: quòd scilicet festum ipsius coleret; quòd ad illam, in qua tunc erat, Ecclesiam in festo veniret; & quòd Sancti corpus personaliter visitaret. Mirum certè relatu: vno amisso voto, vnus digitus factus est liber: ad secundi emissionem, solutus est alius; sed tertio facto voto, laxatus est tertius; & postmodùm tota manus, nec non, & altera subsequenter, populo, qui iàm multus aduenerat, sancti clementiam deuotissimè implorante. Sic homo pristinæ redditus libertati per se ipsum instrumenta deposuit; cunctis laudantibus Deum, virtutemque Sancti mirificam, qui tàm mirabiliter percutere poterat, & sanare. Ipsa verò instrumenta vsque hodiè (inquit Bonauentura) coràm altari ad honorem Beati Francisci fabricato, ibidem in memoriam facti dependent.

66. *Idem*, *n. 65*. In ciuitate quoque Cenomanensi, dùm in solemnitate S. Francisci, mulier quædam manum ad colum extenderet, & digitis apprehenderet fusum; obrigentibus manibus cæperunt digiti magnis ardoribus cruciari. Igitur pæna docente, Sancti recognoscens virtutem, corde compuncta, cucurrit ad Fratres. Cùmque pro salute ipsius deuoti filij Sancti Patris clementiam precarentur, incolumis effecta est statim; nec aliquid læsionis remansit in manibus, nisi ad facti memoriam, solum vestigium combusturę.

67. *In vita S. Antonij de Padua*. Non longè à celebri oppido, quod Turres nouæ nuncupatur, dùm mulier quædam ex contemptu nollet festum diem S. Antonij cùm cæteris obseruare, portaretque in vertice tritici pondus ad molam; subitò exorto turbine, deiecta in terram, sacco desuper irruente, repentino casu, & graui pondere animam exhalauit.

68. *In annal. Prædicatorum, an. 1221. cap. 59.* Celebrabat Rhegensis ciuitas magno cùm honore diem festum B. Dominici, & ad eius ædem conueniebat vtriusque sexus multitudo. Vicinam mulier matronam adiit, & quæsiuit, an & ipsa ire vellet. Quæ cùm pararet sibi caput lauare, indignabunda respondit: I tu, si placet, interim ego mihi caput lauabo: nimiùm profectò hi Fratres cùm suis tot festis molesti sunt populis. Vix hæc dixerat, quandò subitus illam cutis dolor inuasit, vt euelli per vim omnes capitis capilli viderentur, nec satis id fuit; ita crines tamquàm viscati, aut pice illiti sibi inhęserunt, & in vnum condensati sunt, & conglobati, vt nulla ratione alter ab altero disiungi posset, & necesse fuerit tondere caput, & abradere. Quare diuinam intelligens vltionem, & suæ pænitens impietatis, dolore illo cutis perdurante, opem Sancti, quem neglexerat, cùm gemitu, & lachrymis implorauit, suam *fassa* impietatem, ac pollicita, se quotannis festos *illius* dies celebraturam. Quo voto statim dolor *omnis* sedatus est, & illa continuò comam suam ad *eius ædem* pertulit, & ante illius aram suspendit, tunc *testem* miraculi diù futuram.

69. *Ibidem*. In agro Tolosano, rusticus, qui ad opus in prædium suum cùm bobus egrediebatur, cernens & ipse multitudinem die translationis B. Dominici gradientium in vrbem, & audiens, illos ob id tendere, vt debito magni apud Deum meriti, & familiarem Tolosanis Sanctum, honore tali die prosequerentur: derisit eos, & multò acriùs boues ad opus stimulauit. Cùmque in contemptum Sancti sic properaret, diuinam in se continuò iram sensit. Nàm sic illi statim distorti, atque reflexi sunt pedes, vt in locum calcium digiti, & calces in digitorum verterentur. Quod vbi *miser* animaduertit, subito tactus dolore, ac *suæ impietatis* pænitentia, omnibus suis promptam, & liberalem supplicibus clarissimi Sancti, *restitutis in* pristinum pedibus, opem, ac benignitatem expertus est.

70. *Raderus in Bauaria Sac. de S. Notburga*. Cùm suo patrefamilias initio pepigerat S. Notburga, vt feriatis diebus, & omnibus *vesperis sabbatinis*, vbi signum feriandi sonuisset, sibi *liceret pro* Ecclesiæ ritu ab opere cessare, Deoque per preces vacare; liberaliter promisit agricola, sed non perindè vt promiserat, fidem ancillæ præstitit. Seges demetenda erat ipso Sabbato, vt tota messis colligeretur, nec multùm supereret operæ; interim vesper incumbebat, & ante demessum agrum, feriæ per signum publicum indicebantur. Notburga in tempore falcem retrahit, & ex agro *recedit*. Sed ab hero præsente iubetur *cæptum opus exequi*, & finire messem; tùm *Notburga se non posse violare* Ecclesiæ decreta, *nec debere* illum se à rebus diuinis contra pacta, & conuenta impedire. Hìc excusante rustico, magis pro ingenio hominum ad rem suam, quàm communem attento, necessitatem, parùm, aut nihil superesse laboris, Deum tantilla opella non offensum iri, nec cælum *ruiturum*, pergeret in opere, & supremam *manum* segeti admoueret. Sed religiosa ancilla; age inquit, faciamus; ego falcem hìc in aperto aere *suspendam*, si absque paxillo ita libera pependerit, cælum videbis causę meæ suffragari; sin remota manu, deciderit, secundùm te pronunciatam à Deo sententiam iudicabis; sublataque in altum falce, manum retraxit; falx velut à clauo in agro, & aere cùm ingenti omnium præsentium stupore, suspensa pependit. Nec quisquam illo vespere ausus est ferro culmum vllum secare. Tùm demùm Notburga læta, victrixque rursùm protensa dextera falcem ex aere promptè sequentem subduxit, feriataque templum rectà adiit, gratias pro tàm illustri simùl prodigio, & ostento actura, votaque Deo persolutura.

Alia similia videri possunt in primo tom. cùm de igne vindice diuinæ iustitiæ, lib. 2. cap. 1. §. 12. cùm de sanguine ex exanguibus emanante, lib. 4. cap. 2. §. 7. & alibi.

Cultus

Cultus publicus Catholicorum per diuinam Psalmodiam miraculis comprobatus.
§. 6.

PVblicum, quem summo Deo exhibent catholici cultum, cantu, & melodia, per horas canonicas in Templorum Odeis, diuina sæpè sæpiùs comprobarunt prodigia; hisque Ecclesiasticorum Psalmistarum ad cælestes hymnos alacriùs conciendos exciti sunt animi. De quibus.

1. *Ruffinus in vitis Patr. libr. 3. numer. 194.* Religiosus quidam cum psalleret, ex eius ore per singulos versus fax ignis egressa ascendebat ad cælum.

2. *In actis, Beati Hermanni Iosephi, ord. Pranonstratens.* Cùm in ordine nostro tantùm in quatuor solemnitatibus præcipuis, Natiuitatis scilicet, Resurrectionis Dominicæ, & Sanctæ Pentecostes, & Dedicationis Ecclesiæ, ad matutinas deferratur incensum; Beatus iste, qui in corde quotidianam, immò continuam solemnitatem agebat, quotidianis quoque diebus in Hymno Benedictionis Dominicæ, solemnem sentiebat suauitatem odoris incensi.. Hoc autem valdè notandum est, quòd ipse (haùd dubium quin de se ipso) tanquam de alio referre solebat, quòd eodem tempore, quo ipse mirificum odorem in laudibus matutinis persensit, quidam de fratribus, duos Angelos, dextra, læuaque fratribus præbentes incensum, conspexerit: & quibusdam quidem præbebant hilariter, & deuotissimè inclinabant; alios verò sub quadam negligentia præteribant; à quibusdam verò tanquam in quodam horrore resiliebant omninò; facilè autem dabatur intelligi, quid Angeli in fratribus, vel venerarentur, vel fugerent.

3. *In vita S. Lutgardis Virg.* Cùm die quadam vespertinum officium cùm aliis Virginibus in choro decantaret Lutg. sanctimonialis quædam è regione astans, clare vidit flammam ex eius ore erumpentem sursùm ferri, & aerem penetrare; quo spectaculo ita obstupuit, vt penè exanimaretur. Finitis verò Vesperis, Lutgardis verbis blandis eam demulcens, trepidanti declarauit, hoc visum diuinitùs ei contigisse.

4. *In eadem vita.* Cùm nec psalmos, nec aliquid scripturarum intelligeret S. Virg. quandò tamen versum, *Deus in adiutorium, &c.* & alios quosdam ruminaret, videbat Dæmones territos difugere, & à malis fugerendis abstentos cessare.

5. *Ibidem.* Sancta Lutgardis sæpè verbis castigabat sanctimoniales, & ascetrias suas in valetudinario parùm attentè pensum canonicum persoluentes. Cùm autem semestri ante obitum suum animaduerteret illas nondùm negligentiam exuisse; sed in pristinæ adhùc socordiæ luto hærere; noui, ait, Deum post mortem meam, culpam hanc grauiter vindicaturum, & tunc memores verborum meorum Virgines castigatę, errorem suum corrigent, propitiatumque numen pœnam subtrahet. Diuino autem afflatu editum hoc à Beata Lutgarde fuisse oraculum, res ipsa mox declarauit. Nàm vbi illa è viuis excesserat, confestim dira pestis monasterium peruasit, & breui temporis interuallo proserpens quatuordecim notæ probitatis moniales extinxit. Cùm verò in valetudinario degentes Virgines, socordiam in precibus canonicis dicendis emendassent, protinùs lues remisit, resedit pestis.

6. *Iacobus à Vitriaco in Histor. Occid. cap. 34.* Semel Dæmon in choro monachorum psallentium, cuidam viro religioso apparuit per visum sacco humeris imposito, perquàm onustus, qui quærenti fratri illi, quid sacco portaret, respondit, se ferre omnes syllabas, quas monachi in psalmodia detruncauerant; verba etiam, & versus psalmorum, quos tanquàm fures, Dei seruitio subtraxerant.

7. *Claudius Rangolius tom. 1. com. in 1. Reg. capit. 10. vers. 10.* In quadam Ecclesia conuentali Canonicorum sæcularium, præcipua cuiusdam Sancti festiuitas agebatur. In completorio autem clericis cantantibus, & mox symbolum fidei sub silentio dicentibus, vox cælestis omnibus audientibus insonuit. Non est auditus, nisi raucus: stupefacti ergo omnes, aduerterunt despectum quendam cùm voce lugubri, & discordante in angulo constitisse. Nec aliquis ambigebat eum fuisse, de quo cælestis vox personuerat: ille quippè solus, qua par erat, attentione, & religione cecinerat: eo miraculo factum est, vt ibidem posterùm modi omnes, numerique musici conticescerent.

8. *In vita Sancti Hugonis Episcopi Lincolniensis*. Contigit S. Hugonem aliquandò in comitatu multorum Ecclesiæ antistitum, & sacerdotum per loca à latronibus obsessa, & infesta equitare. Consultantibus itaque illis, quo pacto imminens periculum euaderent, omnium vna fuit sententia, vt tēpore antelucano surgerent, & iter plenum periculis in tenebris conficerent. Surgunt ante lucem, vrgent Episcopum, non cunctandum aiunt, ne in prædonum manus incidant. Quibus ille, & quò ibimus, inquit, matutinis precibus nondùm exsolutis? differendas, inquiunt, iàm verò properandum, ne mora in discrimen omnium capita adducat. Tùm Episcopus; qui capit, ait, capiat, & qui timet, timeat: Ego hinc non exibo, donec solito more preces matutinas persoluero. Res dictu mira! solus S. Episcopus postquàm sacerdotale officium tractim, & moderatè peregisset, licet eadem cùm suis via equitaret, incolumis euasit, alii autem qui prudentissimè se agere arbitrabantur, nec viro sancto audientes esse volebant, in periculum, quod metuebant, & omni ratione effugere moliebantur, inciderunt.

9. *In m. s. s. Corbeia.* In Corbeiensi Saxoniæ monasterio, dùm ibi vitæ asceticæ laus floreret, cælites insidere visi sunt Odei subsellia, cùm Religiosis canere, ac vices obire monachorum, qui aberant ex obedientiæ præscripto.

10. *In vita S. Annonis Episcopi.* Solebat Sanctus Anno pensum orationis publicæ, alternis cùm

Diacono suo psallere, qui defectu humanæ infirmitatis, & tedio victus, in eum morem deciderat, vt in doxologia Sanctissimæ Trinitatis in extremo psalmorum decantari solita, personam filii vitiosa syncopa & absorptione transiliret. Cùm autem negligentiam illam fidei contrariam nemo aduerteret, & ideò non corrigeret, huiusmodi visum per quietem Annoni oblatum est. Cùm in lecto semisopitus iaceret, audit semel, & iterùm vocem corruptè, & mutilatè versum doxologiæ efferentis, Gloria Patri, & Spiritui Sancto, persona filii vitiosè elisa, & intermissa, raptusque repentè in extasim vidit quendam, cuius habitus, & claritas humanam speciem excedebat, ea maiestate, qua filium Dei decebat, qui scintillantibus oculis eum intuitus, protensis coràm eo tribus sinistræ manus digitis, primum eorum dextro tetigit indice, addens; ecce Pater, moxque secundum, ecce filius, post hæc tertium, ecce Spiritus Sanctus: & vocem inter hæc paululùm cohibens; ecce tres, ait, in vna Deitate similiter adorandæ personæ, quibus gloria par dicitur ab vniuersa semper Ecclesia. Medium inter Patris, & Spiritus Sancti personam, Filius habet, nec vllam recipit diuisionem à duobus in vlla diminutione maiestatis eiusdem, & gloriæ. His ita Catholica veritate se habentibus, vt quid clerici tui blasphemias sine correptione præteris? qui communem, quam cùm Patre, & Spiritu Sancto possideo gloriam, mihi subtrahit in duarum vocabulis personarum, me, qui media Trinitatis persona sum, ad omnem gloriæ decantationem transiliens. His dictis imago euanuit, & Episcopus excitatus, admirans quod audierat, menteque perceperat, auens huius rei in psalmodia auribus etiam corporis experimentum capere. Obseruat itaque quàm diligentissimè Diaconi psallentis labia, & ob id solitò festinantibus ipse vltimum Psalmi versum nominat; mox doxologiam Diaconus addens, mediam solita acceleratione intercipit personam, subitò progredi vetat Episcopus, sed ordine nocturnum visum referens, errorem reprehendit; resipuit Diaconus, prauamque consuetudinem salubriter correxit.

11. *Vadingus in annal. Minorum an. 1464. n. 32. de B. Amadeo Lusitano.* Graui correptus infirmitate Amadeus, membrorum vsu destitutus, nullam sentiebat requiem; idque erat dumtaxat solatii, officium audire diuinum. Eam impetrauit à superioribus gratiam, vt psallentibus fratribus vectabulo ferretur in templum, vt ex abdito sacello, laudes exciperet diuinas. Versus ad imaginem B. Virginis, cuius erat altare, lachrymosis gemitibus orauit, vt tot, tantosque dolores deliniret. Res mira! repentè sanus è vehiculo prodiuit, redditisque Benefactrici gratiis, curriculum quo vehebatur euexit.

12. *Gualterius, sæ. 17. p. 821.* Villanouæ in Prouincia Vinariensi moritur an. 1613. Notarius quidam publicus Caluinianus, qui sacerdotes pro defunctis, dùm ad sepulchrum deferrentur, psallentes, blasphemè irridere, ac rudentibus asinis æquiparare consueuerat. Hic cùm effertur, ecce apparet magnus asinus coloris fusci, qui nulla ratione abigi potest, quantùmcumque id iuberet minister; vndè venerit, aut cuius fuerit, nemo scit; is quidem circa mortui cadauer horrendum in modum rudens, ac sepulchrum eius aliquotiès circumiens: qui demùm eos, qui funus erant comitati, ad defuncti domum redeuntes sequutus euanescit.

Alia ad hanc materiam spectantia videantur to. 1. cap. 2. §. 5. cùm de Angelis seruis Dei inseruientibus.

Cultus priuatus, Deo, Sanctisque, per eorum inuocationem Admirandis signis cælitùs adprobatus.

§. 7.

INnumera enumerari possent Admiranda, multaque per totum opus sunt notata, quibus cælum diuinitùs adprobauit priuatum cultum, quo Deus, Sanctique eius, à Catholicis coluntur, inuocantur, inque suis necessitatibus, vt præsto sint, supplicibus exorantur precibus, solùm igitur quædam. Suntque.

1. *Ambrosius Righettus, de mirac. Nominis Iesu.* S. Petrus Apostolus inuocato nomine Iesu, Hierosolymis claudum fecit ambulare; Lidæ, paralytico sanitatem restituit; in Ioppe, Tabitham viduam suscitauit; Romæ, mortuo vitam restituit; Simonem Magum à crudelissimo cane liberauit, eundem in pertinacia persistentem, magicisq. artibus populum decipientem, in aerem diabolica virtute subleuatum, mirè præcipitauit.

2. *Idem ibidem.* Sanctus Paulus Apostolus, inuocato Iesu, Lystris claudum sanauit; in Macedonia, adolescentulam à Dæmone liberauit, Troadæ, & Romæ, mortuos suscitauit, aliaque mirabilia perpetrauit.

3. *Idem ibidem.* S. Ioannes Apostolus, inuocato Iesu nomine, in feruentis olei dolium iniectus, nil læditur; mortuam Drusianam resuscitat, venenum absque detrimento ebibit, multaque alia miraculosè operatus est.

4. *Idem ibidem.* S. Iacobus Maior Apostolus, in virtute nominis Iesu paralyticum sanauit.

5. *Sylos in Hist. Cler. Reg. par. 3. lib. 9.* Tanta erat Ven. nostri Alberti Mariæ Ambiueri fides in Deum, vt inuocato B. P. N. Caietano eius intercessione innumeras cuiuscumque generis infirmitates, facto in nomine Iesu præcepto, vt cessarent, illicò omnibus qui aderant obstupescentibus mirificè depulerit.

6. *In vita S. Bernardini Senensis.* Dùm Sanctus Bernardinus in ampla quadam ciuitate de rebus diuinis concionem ad populum haberet, homines adeò illius sermonibus permoti sunt, vt tesseras, tabulasque lusorias, quarum magnus erat ibidem abusus, flammis absumerent. Qua re indignatus faber, qui ex iis haùd mediocre sibi lucrum acquirebat, ad Beatum Virum accessit, eique

que

que conquestus est, se iam ad inopiam esse redactum. Sciscitante Bernardino, num aliud calleret artificium, illoque negate, Bernardinus circino circulum expressit, in eoque Solem depinxit, & in medio Solis, sacrosanctum nomen Iesu (cuius, vt par erat, præcipuus fuit venerator, & cultor; immò, vt quidam affirmant, Romæ tam luculenter, sublimiterque de illo dulcissimo nomine concionatus est, vt quidam eius verba non capientes, hæresim ei impingere voluerint. At postera die, illo concionante, vt superioris concionis veritas miraculo indicaretur, nomen Iesu, in eiusmodi forma, qualem eum pinxisse diximus, miro splendore coruscans supra illum apparuit:) hanc igitur effigiem iussit illum fabrum deinceps sua arte imitari, ex qua pauper ad diuitias haud mediocres peruenit; & hæc est causa, cur Sanctus Bernardinus, Solem in manu gestans depingi soleat.

7. *Vadingus in annal. Min. an.* 1456. B. Ioannes Capistranus, Aquilæ in Vestinis, dignis efferebat laudibus Iesu sanctissimum nomen, Angelis celebrandum, hominibus venerandum, & dæmonibus tremendum. Vtque centum viginti millium hominum cætus videret, quàm potens, & efficax esset contra malignos spiritus, in prędicti nominis virtute præcepit, vt adessent, & coràm omnibus diuinum verbum in tabella depictum adorarent. Ecce in ictu oculi variis formis belluarum apparuerunt frementes, & vlulantes dæmones innumeri, inclinataq. ceruice, facta reuerentia euanuerunt.

8. *Paulus Grilenzonius in til. de sortil. quæst.* 7. Quædam puella delata à dæmone, cùm ad signum salutationis Angelicæ, nomen B.M. inuocasset, in terram statim fuit demissa, liberaq. relicta.

9. *Delrius in Disq. mag. lib.* 2. *quæst.* 16. Quidam, eo quòd viderat vxorem quodam vnguento se linientem, idem & ipse præstitit, statimq. inuisibiliter adductus est ad locum, vbi ludi habebantur, choreæ, & conuiuia cùm dæmonibus, ibi omnia contemplatus est, & tandem ad mensam cùm reliquis, vt vesceretur, sedens, cùm cibos insipidos iudicaret, petiit sibi dari sal, quod in mensa deerat, & quamuis iterùm, atq. iterùm petiisset, nunquàm illi dabatur. Tandem cùm post importunam petitionem, prolixamque expectationem, sal illi daretur, dixit: Nunc laudetur Deus, quoniam iàm venit sal. Quibus verbis prolatis, dæmones, quia laudes Dei audire refugiunt, statim recesserunt, & reliqui omnes disparuerunt, luminaribusq. extinctis, mansit ille solus nudus, quousque mane facto, vidit quosdam pastores, quos interrogauit, quænam esset illa patria, in qua erat, illi verò responderunt esse agrum Beneuentanum in regno Neapolitano, qui locus distabat à patria viri per centum milliaria, ob quam causam licet diues esset, coactus fuit per viam mendicare, vt ad domum suam redire posset.

10. *Idem ibid.* Quædam puella, quæ cùm matre Bergomi morabatur, inuenta fuit nocte Venetiis in thalamo sui affinis. Quam manè repertam nudam, recognitamque, quia consobrina erat, cùm interrogassent quomodò illùc venisset, aut ibi esset, & quare? plorans illa postquàm vestita ab eis fuit, hæc enarrauit dicens: hac nocte, cùm in lecto vigilarem, vidi matrem meam, quæ me dormire putabat, surgentem de lecto, & exutam camisia se quodam vnguento, quod ex vasculo assumpsit de sublateribus extracto, perungentem corpus: & statim in assumpto baculo quodam ibi præparato in modum equitantis ascendens, extra fenestram deportata est, & à me nequaquam ex tunc ibi visa; cùmque ipsa quoque de lecto surgens, meum, vt mater fecerat, perunxissem corpus, extra fenestram educta, statim in hunc locum deportata sum, vbi matrem puero huic lecto decumbenti insidiantem vidi. Ex quo ego territa, cùm matrem quoque ob meum aduentum conturbatam vidissem, & comminantem, nomen Domini Iesu, & B. Virg. inuocaui; & ex tunc matrem non vidi, & ego hìc nuda, solaque remansi.

11. *Idem ibidem ex Nicolao Remigio.* Rediens Nicolaa Langbernhard è moletrina Guermingensi Assenuncuriam ante 8. Kal. Aug. an. 1590. ac iter secundùm sepem siluestrem aperto meridiè faciens, aduertit in aruo finitimo chorum in orbem saltantium tùm virorum, tùm mulierum: verùm quòd præter solitum aliorum hominum morem auersi, tergaque ostendentes id faciebant, attentiùs eos aspiciens, vidit præterea, qui caprinis, bubulisque pedibus deformes vnà intermixti saltatorium illum orbem versarent. Tùm penè metu emortua, Iesu, salutare nomen (vti quibus sinistri, inauspicatique aliquid imminet) inclamare cæpit, & rogare suppliciter, vt ad suos modò salua, incolumisque redire posset. Illicò euanescere omnes, qui tripudiabant, præter vnum Petter Gros-petter nomine, cui ocyùs in aerem sublato, elabi interea, atq. excidere visus est pinicillum, quali furnarij consueuerunt furni sui aream, priùsquàm panem in eum condant, extergere. Inter hæc vehementiori quoq. illa correpta vento, vix anhelitum ducere, ac spiritum trahere: tùm etiam domum reuersa triduum integrum ex valetudine decumbere.

12. *Had. Lyræus in Trisagio Mariano.* Exemplum accipe à recenti auctore scriptum. Anno CIↃ.IↃ.LXXXIV. Inda Virgo castitatem Deo vouerat, incitata amore Virg. Matris. Hæc cùm aliquandò contra impudentium vim, neq. clamore, neque manibus sat robustis se se posset defendere, neque aliud præsidium haberet: illud vltimum habuit auxilium, vt Iesus, Maria, clamitaret. Res mira dictu! vix vocem emiserat, cùm iàm ille, impurus solicitator, quasi fulmine humi afflictus iacuit, retrorsùm actus: frontem enim, in quam caderet, non habebat. At illo sic iacente, Virgo domum aduolauit verè victrix, cùm de prostrato hoste triumpharet.

13. *Idem ibidem.* Regni Bungensis in Imperio Iaponico incolæ, superstitionibus supra quàm credi potest addicti sunt. Accidit autem semel præsente iuuene Ethnico, vt quodam in loco, à quo sacerdos noster non procùl aberat, per tres integras noctes adiuratus Dæmon, ne quidquam compareret; indignati sacrificuli, Christiano malè precari, qui in vicinia illa lateret: admirari adolescens,

quòd tantæ Christiano homini vires: dubio procùl veram eam religionem videri, quam Iaponicorum sacrorum magistri perhorrescerent. Rem tantam experimento probare suo vlteriùs statuit; semel ad execrandas cantiones cùm adesset: submissa voce ipse, Iesu, & Mariæ sacrosancta nomina subindè inuocat: cùm tota abiit nox, sathanæ ministris frustrà sudantibus: cessat diuina vsurpare nomina adolescens, simùlque domo excedit. Vix ille domo pedem extulerat, cùm adest, repentè Dæmon. Ea res, vt Baptismum peteret, & voti compos fieret, causa fuit. Ita Pater Hieronymus Mayorica in annalibus Iapon. ad annum CIↃ.IↃC.XXI. Subnecto, quod Chinensis Regni historiæ ad annum CIↃ.IↃC.VII. è vicinia recensent. Christiani cuiusdam domum spectris dæmon grauiter diuexabat, cùm herus consilii inops, ad diuinum consilium confugit. Omnibus itaque ianuis sanctissima nomina, Iesu, & Mariæ inscribit, qua inscriptione domus illa ab omnibus molestiis liberata fuit.

14. *Franciscus Georgius Venetus in Harmonia mundi. Can.2.ton.2.cap.16.* Non tacebo quod experimento didici, nullum dæmonem ex his, qui vexant corpora humana, posse resistere, quin, velint, nolint, genua flectant, quandò nomen Iesu debitè pronuntiatum, ipsis proponitur venerandum, vt fidelis inueniatur qui dixit: in nomine Iesu omne genu flectatur, cælestium, terrestium, & infernorum. Immò à Iudæis ipsis audiui, nihil eos aliis Dei nominibus inuocatis efficere posse, quòd eorum vis omnis ad vnum Iesu nomen translata sit.

15. *B. Alanus de Rupe, in Rosario.* Conuerterat Sanctus Dominicus peccatricem fœminam, Benedictam nomine, cùm Diabolus ex anima pulsus, corpus inuolat, & possidere illud incipit, mox iterùm relabente Benedicta, in animam redit. Accedit Dominicus, & pænitentem absoluit, dans pro scuto sanctissima nomina, Iesus, & Maria, quæ quotiès illa pronunciabat, notabiliter Dæmon infirmabatur, ac minùs fæminam tentabat.

16. *Marchantius.* Quadam die Circumcisionis sacra, Beata Gertrudis Virgo ordinis D. Benedicti offerebat Domino salutationes pias, dulcissimi nominis Iesu, continentes perfectiones eius. Aue Iesu benignissime, Aue Iesu amantissime, &c. Has cùm delectatione cordis pronuncians, cupiebat reperire omnia adiectiua, perfectionem aliquam significantia, quibus cor medullitùs afficeret. Cùmque in horum scrutinio affectuosiùs laboraret, eius affectu victus Dominus, in impetu amoris blandè se ad eam inclinans, infixit ori eius melleum osculum, dicens: Ecce impressi ori tuo nomen meum dulcissimum, & dignissimum, quod palàm portabis coràm omnibus, & quotiès ad illud proferendum labia mouebis, melos suauissimum mihi resonabis. His dictis comperit in superiori labio animæ suæ, aureis, & viuis litteris scriptum, Iesus, in inferiori labio scriptum, Iustus. Vndè per inscriptionem, Iesus, intellexit, quòd omnibus à se audire cupientibus, salutem, & misericordiam diuinæ pietatis pronunciare deberet. Per inscriptum; Iustus, cognouit quod his, qui durioris essent mentis, & blandis monitis non consentirent, diuinæ Iustitiæ vltionem deberet proponere; vt vel sic minis terrendo corrigeret, quos suauibus monitis ad Deum trahere non valeret.

17. *Benedictus Fernandius in capit. 32. Genes.* Fugiebat nuper è media barbarie Maurus, ad Lusitanam arcem, Deo monente, vt Christianus fieret; ardebat cælum, solumque in vastis illis, & arenosis solitudinibus, aquæ summa penuria. Ergo Cathecumenus æstuare cæpit, sitique penè enectus procumbit in arenam, nihil propiùs quàm mortem ipsam operiens. At (quæ Dei clementia præsto est iis, qui Diuinæ gratiæ non desunt) venit in mentem homini, audiuisse non semel à captiuis Christianis, in Iesu nomine implorato, magnum ad omnia quantùmuis ardua constitutum, esse præsidium. Quare vocibus penè *interruptis* moribundus pronunciat, Iesus, Iesus. *O benedictum*, ò salutare, ò vitæ, virtutisque *plenum* Iesu nomen! Subitò fauces aqueo liquore humectari sentit, ac recreari, deindè redintegratis viribus alacriter progreditur. Verùm paulò post eadem sitis, eadem lassitudo, idem vitæ periculum; sed iàm in promptu remedium: profert *iterùm* dulcissimum nomen Iesu, iterùm & gutturi aqua, & corpori redeunt vires; denique in longo illo, ac periculoso itinere ad sitim leuandam, & corpus roborandum, inclamans Iesum, incolumis, promptusque ad arcem peruenit. Indè missus Vlissipponem, in domo Sancti Rochi, sacro est initiatus baptismate.

18. *Cæsarius in Hom. part. 1.* Retulit mihi quidam sacerdos eremita, habitum habens Cisterciensem, sibi dictum fuisse à quibusdam *matronis* religiosis, quòd ex Angelica *salutatione, idest, Aue* Maria gratia plena, *tantam dulcedinem* concepissent, ac si fauum mellis in ore tenerent. Habebant enim in consuetudinem quinquaginta vicibus singulis diebus flexis genibus eandem dicere salutationem. Ipse verò prouocatus exemplo illarum, cùm penè per sex hebdomadas eandem *salutationem* simili modo, & numero frequentasset: tantam ex ea sensit dulcedinem, vt totam *saliuam* putaret in mel conuersam. Eandem gratiam intellexi, & nonnullis aliis concessam.

19. *S. Petrus Damianus libr. 2. epist. 14.* Clericus quidam fatuus erat, nauci, friuolus, & ineptus. Hùc accedit, quia nullam religionis dotem, nullam canonicæ disciplinæ, grauitatis, siue modestiæ videbatur habere virtutem; inter hos tamen emortuos inutilis vitæ cineres, hic perexigui fomitis tenuis viuebat igniculus, vt ante sacrosanctum altare quotidiè Beatæ Dei Genitricis accederet, & reuerenter verticem curuans, Angelicum hunc, atque Euangelicum versiculum decantaret: Aue Maria gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus. Cùm itaque tantæ fatuitatis ineptiam nouus deprehendisset Episcopus, ab inutili persona vtilitatem Ecclesiæ detineri indignum duxit, eique præbendam, quam à nu-

à nuper elato suo decessore perceperat, abstulit; Sed cùm hunc rei familiaris egestas opprimeret, & propter hoc, aliud quid, vndè posset viuere, non haberet, nocturno silentio pia Dei Genitrix Episcopo dùm dormiret, apparuit, quam scilicet præcedebat vir, in vna manu ardentem faculam, in altera ferulam portans. Cui mox Beata Virgo præcepit, vt Episcopum delinquentem aliquantis ferulæ, quam gerebat, verberibus castigaret: cur inquiens, Capellano meo, qui mihi quotidianas impendebat excubias, stipem Ecclesiæ, quam non ipse contuleras, abstulisti? Moxque sacerdos tremefactus euigilans, Clerico beneficium reddidit, & quem ignotum Deo fortè crediderat, iàm quasi charum propensiùs honorauit. Si igitur ille, vnum dumtaxat laudis canendo versiculum, corporei victus alimenta promeruit, quàm fideliter æterna sperabunt, qui Beatæ Reginæ mundi quotidiana horarum omnium vota persoluunt?

20. *Vadingus in annal. Minorum, anno* 1422. *numer.* 6. Sub hoc tempus associatus est Minoribus adolescens quidam Beatæ Virgini Mariæ reuerenter addictus, qui contexta ex floribus corolla, simulacrum eiusdem decorabat. Dùm verò legẽdis floribus, & huic prosequendæ pietati non adeò liberet in tyrocinio intendere, iuuenili leuitate constituit ad sæculum redire. Discessurus, Virginem salutauit, & patrocinium poposcit. Cui illa apparens dixit. Noli contristari ob dimissum, vel impeditum, quod mihi præstabas, florum obsequium, docebo quomodò in aliud præclarius conuertas, & coronam mihi compingas, serto illo rosarum valde pulchriorem. Singulis diebus coronam mihi contexe, non ex floribus, qui citò marcescunt, neque semper haberi possunt, sed ex pijs precibus, quas tu potes, & Angelus docuit recitare. Profer decies salutationem Angelicam, & semel orationem Dominicam, in memoriam gaudij, quo ego exultaui de concepto verbo æterno. Secundò eadem repete propter illud, quo perrexi cùm festinatione in montana Iudeæ, cognatam Elisabetham inuisura. Tertiò, propter summam lætitiam, qua Christum Dominum absque dolore, integro pudore, sum enixa. Quartò, propter eam, qua Magos infantulum adoraturos excepi. Quintò, ob repertum in templo filium, quem priùs deflebam amissum. Sextò, ob gloriosam eius resurrectionem. Septimò, ob meam in cœlo Assumptionem. Hæc si singulis diebus dixeris, certò scias, sertum mihi gratum, & tibi meritorium te compacturum. Obsecutus adolescens, qua potuit deuotione, recitare cæpit præscriptam precum formulam, & accedens cautè tyronum magister, vt exploraret quid in cubiculo ageret, vidit Angelum, rosas filo paulatim inserentem, & singulis denis, aureum lilium connectentem, mox coronam ex omnibus composuisse, & tyronis genuflexi capiti imposuisse. Pauld post præceptor imperauit, vt quæ tunc faciebat enarraret; dixitq. eo se modo preces illas obtulisse, quo à B. Virgine instructus fuerat, vndè visionis arcanum magister percepit.

21. *Idem ibidem*. Consodalis alter firmiter constituit quotidiè coronam hanc recitare ante prandium, sed semel oblitus, dùm manducare incæpit, recordatus est omissionis. Petiit licentiam abeundi, recessitque in templum, vbi coràm Beatæ Virginis altare, quod solebat, pensum soluebat. Dùm his immoraretur, misit Guardianus exploratum quid ageret, aut quò abierit. Visus est genuflexus orans, & Angelos duos per breuia interualla excipere ex ore eius rosas, & post decimam quamque, lapidem pretiosum, & ex his contextam coronam imposuisse capiti Beatæ Virginis adstantis. Retulit omnia explorator præfecto: hic verò obedientiæ præcepto ab orante confessionem omnium extorsit.

22. *Idem ibidem*. Simile quid accidit Anconæ in Marchia. Beatus Gabriel, Anconitanus Guardianus, admirandæ pietatis vir, præcepit Ludouico Albanensi tyroni, vt singulis diebus antequàm manducaret obsequium illud Beatæ Virgini præstaret. Quodam die toto tempore antemeridiano domesticis ministeriis implicitus, non potuit. Dùm mensę assideret, interrogatus à superiore, an pensum hoc Beatæ Virgini illo die persoluerit; & fassus non fecisse, iussus est in Ecclesiam abire, atque omissionem compensare. Abiit, fecit, orauit coràm altari præcipuo hanc noxam sibi dimitti. Submisit postea superior, qui instigaret, an verè obedierit; visus est fermè eodem modo, quo alter orare, atque ex eius precibus aptatam corollam Beatæ Virginis capiti, circumduci. Retulit hic quæ vidit; missi deindè alii, qui etiam idipsum perspexerunt: accessit demùm ipse Guardianus, & quæ reliqui, conspexit. Hinc ampliùs deuotionem nouitio commendauit, & cæteris fratribus imitandum proposuit; & diuturno tempore, illo in loco, quo nouitius orabat, perseuerauit suauissimus odor rosarum, & liliorum.

23. *Idem ibidem*. Volaterris, anno 1464. deuota fœmina, antequàm iret cubitum, cùm suis filiis, hac formula orauit. Accidit vt illa nocte tectum oppressum nimio pondere niuis corrueret, sed nihil nocuit, paucis arundinibus circa lectum compositis, totam molem cùm omnium admiratione sustinentibus.

24. *Idem ibidem*. Bernardinus Feltrensis Veronæ, in Eremitorio Porcariæ, Prouinciæ Sancti Antonii, narrabat ea in vrbe accidisse, vt Frater quidam pius in quodam Ecclesiæ angulo formula hac orandi deuotè vteretur, & ab alio viderentur eidem astitisse Angeli, qui ad singulas salutationes Angelicas, corona aurea Virginem redimerent, & rosam, aut lilium porrigerent. Referebat etiam, in eadem prouincia, Antonium Rubeum Foro Iuliensem, huic pietatis generi addictissimum, dùm comitaretur senem quendam prouinciæ Vicarium in ciuitatem Vicentiæ, sub continuo aquarum diluuio, inuocata Beata Virgine, & positis precariis orbiculis in capite, neque vna guttula madefactum, sed sicca veste in vrbem omnibus admirantibus peruenisse.

25. *Martinus Delrius ex litter. Iap. Lud. Frois. ann. 1596.* Nobilis quidam homo, olim magna auctoritate in Regno Tungano pollens, habebat filiam matrimonio cùm gentili copulatam, cuius Mater cùm tota familia quoque erat Gentilis, nullus verò Christianus, nisi dictus Nobilis, vir bonus, & religiosus. Accidit, filiam ex improuiso infirmari, & quidem intra sex dies vsque ad mortem: quidam aiebant à Dæmone obsessam, propterea quòd tàm furiosos & insolitos gestus ederet, vt ægrè à duobus, vel tribus hominibus teneri posset. Maritus, & socer implorarunt opem Bonziorum, sed suis illi ritibus, & nugis superstitiosis nè hilum quidem eam iuuare potuere. Verùm quia fœminæ impendebat mors, certiorem reddidere eius parentem octodecim milliaribus indè disiunctum. Is celerrimè aduolat, inuenit filiam quidem spirantem, sed mentis impotem, vt patrem suum non agnosceret. Pater illicò mandat submoueri omnes Bonzios, aliosque Ethnicos lectum stipantes: ipse verò accepto rosario, ter Dominicam orationem, & salutationem Angelicam aggreditur pronunciare: fœmina interim nihil mutatur, sed horribiliores potiùs gestus, quàm priùs edidit, vt à multis teneri vix posset. Pater redit ad præsidium Rosarii: eo verberat tergum filiæ, dicens: tu videris mihi Dæmon aliquis, excede ex hoc corpore, & respondit Dæmon: Non excedam. Pater vt erat homo virtute præstans, Rosarium iniicit in eius collum dicens: Velis, nolis excedes. Tùm Dæmon: tollite, inquit, rosarium, quia abscindit mihi collum, & tunc excessero. Respondit pater: minimè tollam: immò funes quosdam arripiens minatus est se eum diuerberaturum, & sic excessit.

26. *In ann. Societ. Iesu, ann. 1593. de Prouincia Mexicana.* Adolescenti cuipiam, quem Diabolus omni ope irretire conabatur, confessio saluti fuit. Hunc Dæmon primò oblata eximia mulieris specie illexit, blanditusque, captum extra vrbem, in remotissimum ab arbitris locum multa iàm nocte seduxit, ibi hominem magnoperè monere, orare, postremò imperare, vt Beatæ Mariæ coronam, quam circumferebat, statim abijceret, si sua forma frui vellet; mirari adolescens, quòd corona in veste abdita, illi suboluisset; cur tantopere Beatæ Virginis cultus inuisus esset. Ad extremum suspicatus id quod erat, illum Diabolum esse; omninò negat se id esse facturum. Hic Satan vbi nihil impetrat, ira furens, abiecta mulieris forma, se se in horribilem belluam conuertit, & vnguibus, cornibusque attonito rei nouitate adolescenti exitium minatur; sed furor vltrà minas progressus non est, Beata Maria belluæ impetum prohibente; ille autem metu quidem exanguis, sed tamen incolumis se se indè proripuit; nihilò secùs illi Dæmon aliàs aliis spectris insidias struere instituit, ac modò aurum, modò voluptatum illecebras obiiciens, incautum subindè captabat. At ille vt se aliquandò his molestiis, ac periculis liberaret, nostrum sacerdotem adire constituit; huius suasu sacramentis armatus, omnes importunissimi aduersarii conatus elusit. Ita adolescens B. Virgini deditus, eius secundùm Deum ope præsens periculum vitauit.

27. *In annal. Capuccinorum, tom. 2. ann. 1585.* In Mediolanensi Prouincia, Adolescens quidam, ad pietatem procliuis, voti religione se se Deo obstrinxerat, se Beatæ Virg. Rosarium per singulas hebdomadas persoluturum: verùmtamen, quod adolescentum vitium sæpè esse solet; cùm diem in nugis, & vanis rerum studiis contereret, minùs illi temporis ad Rosarias preces exoluendas supererat; quo fiebat, vt ad diei Sabbati vesperam huiusmodi precationem reiiceret; quo tempore tædio, ac somno affectus, miserè Rosarium dilapidabat; id cùm iàm ex consuetudine præstaret, Rosarium aliquandò recitaturus, Corollæ precarios globulos ita præter ordinem permixtos offendit, vt denarius in senarium, quaternarium, vel etiam duodenarium, ac quindenarium commutatus, globulorum numerum omnem in ea constitutum confunderet; id quidem nonnullam principiò in adolescentis animo admirationem peperit. *Verùm leuiter,* duntaxat ea re commotus, denarios globulos iterùm suo ordine in corolla componit, precationémque consueta negligentia in Sabbatum Beatæ Virg. exoluendam refert. Integra erat Corollæ resticula, neque vlla fracturæ, aut dissolutionis suspicio esse poterat; cùm ea iterùm conspecta, adolescens omnem globulorum, quos priùs suis locis distrinxerat, ordinem magis perturbatum cernit; quæ res adolescentis animum paulò vehementiùs permouit; vt diuinum aliquid rei inesse suspicaretur; at nec animum propterea à priori socordia reuocat; donec tertiò confusa, ac permutata omnia in Corolla conspiciens, culpam agnoscit; diuinoq. lumine illustratus, quàm confusa, ac diuinæ maiestatis oculis ingrata ipsius oratio esset, ex perturbato globulorum precariorum ordine addiscés, multis lachrymis à Deo delicti veniam poposcit; at tunc primùm salutis spiritum (*Deo, ac B. Virg. obstetricante*) *in animo concipit*; quo se post exigui temporis interiecti moram, Deo in Capuccinorum religione consecrat.

28. *Paulus de Barry.* Cultui B. Virginis singulari religione addicta erat Beatrix de Ornacieu, neque aliam penè, quàm de illa cogitationem admittebat, cùm illa tamquam præsente agens per quàm familiariter. Cùm igitur die Veneris sancto, graui afflicta valetudine decumberet, soror, quæ illius obsequiis aderat, aduertens illam indormiisse, sub tempus precum matutinarum, cubili excedit, illud obserat, secùmq. clauem asportat, vt cùm cæteris officio interesset; paulò post euigilans ægra, audiensq. psallentes in choro Religiosas, credidit satis esse sibi virium, vt eòdem se conferret; quare sororem inclamat, cùmque abesse illam animaduertisset, è lectulo se proripuit, sed inclusam se sentiens, confugit ad opem eius Virginis, cuius numquàm non meminerat, eamque rogauit, vt quo maximè placeret modo, se ad templum deduceret, ne carere eius diei celebritate cogeretur: his dictis, imaginem Deiparæ; quam penès se habebat, per ostii crates exposuit, optimam matrem suam affata: Nûc demùm experiar ò Domina dulcissima, vtrùm passura sis, me solam hic detineri, priuarique eo solatio, quod vnà cùm reliquis sororibus possem hau-

haurire. Vix hęc protulerat, cùm se se præ foribus, ijsque vt ante obseratis, esse aduertit; itaque reposita per idem foramen imagine suæ liberatricis, chorum adit, locumque suum occupat. Obstupuere omnes, & præsertim illa, quæ fores occluserat soror: peracto officio mandat superior, vt rei gestæ seriem edisserat, quod fecit, eo penitùs modo, quo ego illam mox retuli.

29. *Io.Bonifacius, Hist.Virg.lib.2.cap.15.* Mulier quædam inops, atque egens, cùm aduersario potentissimo litigabat, cui pro opibus,& gratia, & litem prorogare, & leuissimi Iudicis animum donis corrumpere licuit. Cùm verò egentissima fœmina communi tenuiorum sorte, deprecatore, ac Patrono careret, ad eam Reginam confugere statuit, cui orborum, ac viduarum solitudo curæ est. Orataque Virgine, & recitato Rosario, breui causam obtinuit, non tamen sine diuinæ virtutis auxilio, & miraculo præclaro præpotentis Dei. Ter enim Iudex iniquus sententiam ex scripto pronunciare aggressus, ter à Virgine reuocatur, & contra atque ipse vellet conuersa lingua, secundùm inopem mulierculam coactus est proferre sententiam.

30. *Vincemala lib.2.mirac.17.* Pauperrima mulier, quæ Virginem sanctissimè colebat, & augustè venerabatur, duas filias, quas habebat, ei dicauit, ad eius cultum ipsarum animos, & mentes maxima diligentia instituens, & confirmans. Sed quia dubitabat, ne ob paupertatem, illarum puritas periclitaretur, eas ante Virginis sacellum ipsi Virgini commendauit, huncque habuit sermonem: Regina, mulierum gloria, fœminarum decus, hasce Virgines puellas tuæ permitto fidei, & tuam in clientelam dico, vt tu, quæ opus sunt, clementia tua illis suppedites, quandò mihi inopi deest, vndè illas alam. His dictis, filiarum dexteras Virginis imaginis dexteræ, vt sanctum fœdus probaretur, adiunxit. Domum verò ipsæ redeuntes, iuuenem ante ostium reperiunt, cuius splendor, quàm solis radij, clarior erat, à quo ipsarum paupertas quibusdam numis subleuata est; Quod vbi ab inuidis, & maledicis rescitum est, eas meretrices esse iactabant, quæ impudicè quęstum caperent. Mater autem filias hortata est, vt Dei matrem adirent, eamque rogarent, vti falsò impressam illam notam deleret. Eius dicto iàm ipsæ obtemperant; cùm festo quodam die Angelus è cęlo descendens, eas in via stantes in maxima populi frequentia duabus coronis floribus consertis, quæ suauissimũ odorem expirabant, donauit, hęc verba dulci sono locutus. Hæc vobis munera Virgo Dei mater mittit, vt certissima apud omnes virginitatis vestræ documenta,& manifesta signa sint. Obstupescẽtes populi, & illius prouinciæ Principes, duo Virginum cænobia ad perpetuam cęli Reginę memoriam exædificarunt, quibus ipsas sorores postea præfecere.

31. *Adrianus Lyraeus, in Tris. Mariano, ex Ioan.Eusebio.* Annus præsentis sæculi voluebatur supra millesimum, atque sexcentesimum, vigesimus octauus, cùm in celebri quadam Hispaniæ ciuitate vir erat, qui vitam omni vitiorum labe, hæresi vna excepta, coinquinatam, atque à virtute abhorrentem traducebat, atque eum viuendi modùm iàm annis tenuerat sexaginta; nunquàm ritè exomologesim obierat, nunquàm diuinæ mensæ probatus conuiua adsuerat, omnem diuini Verbi prædicationem fugiebat, sacratos viros, ac Religiosos data opera declinabat, tantò vt liberiùs helluari, ac peccare posset. Vnum erat, cuius nunquàm vel tędium, vel obliuio eum capere videbatur, videlicet Mariani nominis cultus, ac qualis veneratio, semel quippè illud inuocare quotidiè, consuetaq. formula salutare solitus erat. Interim tentari valetudine, lectoq. affigi cæpit, vbi dùm noctu quiescit, ei se Virgo ostendere, oculis, sed piis, atque benignis miserum intueri, nec aliud præterea quicquam, ac mox disparere. Vidisse vel sic satis erat, neque enim miseriam videt misericordiæ Mater,& deserit; quod clarè docuit euentus. Euigilans nàmque totum se commotum, atque in alium virum commutatum sensit, lachrymæ doloris intimi testes, vbertim per genas effluebant, peccata omnia vitæ anteactæ cùm circumstantiis omnibus, quarum iamdudùm oblitus fuerat, in sua quæque specie clarissimè occurrebant, vt maiorem prioris vitæ cognitionem habere non posset. Vix discussis iàm tenebris, dilucescere cæperat, cùm ad sacerdotem anhelat, apud quem de vitæ vniuersæ criminibus se reum postulet, diuina sententia absoluendus. Aduolat ille, & mox coràm eo vitæ totius seriem tanto ordine, atque integritè aperuit, vt nec post multorum mensium examen peritus Theologus accuratiùs pręstare id potuisset, quod ille trium horarum spatio sanctè, religiosèque perfecit, facto insuper voto vitæ perfectioris capessendæ, si Deo sanitatem reddere visum esset, quod secùs accidit; nàm quinto exin die vitam cùm morte felicissimè commutauit. Sacerdos sciendi auidus, qua demùm ratione, ac modo hanc ille gratiam obtinuisset, quàm millesimus quisque vix solet impetrare, id ab eo antequàm defungeretur solicitè indagarat; cui alter ingenuè, Mariani nominis beneuolentiam fassus est, vt pote quam semel in die salutando consueta formula promereri nunquàm procrastinauerat.

32. *Idem ibidem.* Anno 1610. Cordubæ audierat iuuenis narrantem Patrem quendam è Societate Iesu, ad compescendum libidinis impetum valere plurimùm, si quis annulum nomine Mariæ inscriptum gestaret, eoque se velut Virginis fidelem sponsum offerret. Secutus consilium adolescens, sensit sibi tàm propitiam ea in re Virginis opem, vt hominis naturam exuisse videretur, in iis, quæ ad castitatem spectabant.

33. *Michael montis Dominus, in lib. Præludiorum.* Adolescens libidinosus, inflammatus ęstro cupiditatis carnalis, quærebat domo egressus per noctẽ meretriculam, facinus patrare certus, si occurreret. Iàm veluti furiis exagitatus, citharam pulsãs, ore sibilans, pedibus saltantis instar strepitum excitans, sibi ad istiusmodi familiarem, plateas aliquot emensus, in tenebris, nisi quantùm noctiluca dispelleret, princeps tenebrarum ipse, grassabatur,& aduocabat vnam de multis, quamuis, quod saluti fuit, ne quidem sibi nomine notam, cuius vetitis amori-

amoribus frueretur. Cùm ecce prodit è latebris puella, velut nimpha, sed tartarea, ornatu meretricio, præparata ad capiendas animas, vaga, garrula, lepida, iocosa, salax, procatrix, cantatrix, Dianam dixisses, aut Venerem: nihil addo. Tunc magis æstuare iuuenis, & tantùm non furere certè, vt stipula igni admota ardere, & in flammam verti. Ne tamen nihil ad conspectum prædę dixisse videretur, blandulè, nomen sciscitatur. Dic Amica? quod tibi nomen? quid vocaris? illa haùd minùs illecebrosè arridendo, nomen edit suum. Quod nàm illud? non Columba, non Glycerium, non Galla. Quod nàm ergo? Non Helena, non Polyxena, non Penelope, non Poppæa, non Camilla, non Laura, non Lucretia. Quod igitur, ne diutiùs vos suspensos teneam? Dicam vocula, eaque breuissima: Nomen pronunciat, quod erat ipsi, dùm sacro tingeretur latice, ritu Christiano impositum. Iàm haùd dubiè linguam meam vestra cogitatione præcurritis; Dixit: vocor Maria. Ad sacrosancti nominis sonum, licet à Diabolari scorto ore illoto prolatum, sensit illicò se & trahi intellectu ad immaculatæ Virginis Mariæ formam, & trahi voluntate ad virginitatis amorem, & trahi tota mente, ac viribus ad Deiparæ contemplationem. Quare euanuit momentò ardor libidinis, & tanta repentè religione, & reuerentia erga matrem castitatis ferri se animaduertit, vt meretriculam asperrimis verbis exceptam, à se linguæ vibrantis scutica abegerit, ipse verò ratione vitæ in melius commutata, Marianus esse cæperit, ac dici, qui antea totus quantus fuerat Venereus. O magnes inuolucro nominis Mariæ tectus ad trahendum efficacissimus! Historiæ, quam enarraui, testandæ, extructum est Pictauij in Gallia, vbi habitauit ille olìm adolescens, sacrarium Mariæ Virgini dicatum, ac tandem templum illud, quod modò augustissimum spectatur, & nostram Dominam Magnam, seù Maiorem Pictauienses indigitant.

34. *Hadr. Lyræus in Trisf. Mariano l. 2. mod. 22.* Annus huius sæculi voluebatur decimus nonus, cùm nautæ aliquot à piratis in mari spoliati, ac lembo impositi, ad suos dimissi appulerant ad Insulam de Re: exscendentes itaque, iuere de porta ad portam, eleemosynam petentes: duo ex his fortè fortuna ad ædes maximi hæretici appulere, rogantes obnixè ea nocte tecto excipi posse. Cùm statim exosi latrones, ac fures appellati: eorum alter Iesus Maria, inquit, Domine non sumus tales. Vix ea sanctissima nomina pronunciarat, cùm Hæreticus ira percitus, vade ad Iesum Mariam, vt te hospitio excipiant, quia hæc nomina inuocasti, sub diò cubabis: secùs fuisset, te excepissem. Nescientes Virum hęreticum esse, abierunt, & sub diò ad templi valvas pernoctarunt. Interim ille benè cænatus cubitum vadit, commodè vti sperabat dormiturus, & en manè mortuus reperitur, non in molli decumbens lecto, sed in haram, ac lintrem porcorum suorum abreptus, niger totus, ac fœculentus. Corpus in mare proiectum fuit, multique à quinque aut sex annis diuinorum sacramentorum exortes cùm Deo in gratiam redierunt.

35. *Idem ibid. l. 3. fon. 11.* Narrat Ioannes de Torquemada Monarchiæ Indicæ lib. 18. c. 7. Tempus, fuisse quo Indi quatuor ob imminentem pluuiæ, ac fulguris tempestatem in speluncam se recipientes occultarant, quorum vnus fulminum metu sacrosanctum Mariæ nomen identidem inuocabat, quod cùm socii audientes deriderent: ecce omnes tres vno fulminis ictu prostratos infelici morte defungi, vnico illo Mariæ deuoto immuni, illæsoque persistente.

36. *Matthæus Vuestmonasteriensis.* Anno gratiæ 910. Rollo Normanorum Princeps, Carnotensem vrbem hostiliter aggressus, furtiuo eam dispo-suit impetu subiugare: quam cùm crebris insultibus subuertere niteretur, ciues ad eius defensionem, murorum propugnacula ascenderunt. Sed cùm tandem ne deficerent desperarent, saluberrimo vsi consilio, supparum, idest, *camisiam Dei Genitricis*, quam Carolus Magnus de Hierosolymis veniens, ibidem in monasterio eiusdem Virginis posuerat, in editiori murorum ciuitatis loco, pro vexillo statuẽtes, Rollonem, & eius commilitones ad cachinnum commouerunt. Sed vt virtus Dei Genit. incredulorum temeritatẽ effrenaret, subitò terror ipsum Rollonẽ cùm suis omnibus occupauit, vt omnibus, quæ in obsidione habebant, festinanter relictis, spem in sola fuga conciperent euadendi. Quos cùm ciues fugientes conspexerunt, insecuti sunt eos in ore gladii, & multa ex eis millia prosternentes, ipsum Rollonem ad Rothomagensem ciuitatem, laceratis agminibus, fugere compulerunt.

37. *In miraculis B. Virginis Vualcuriensis.* In Villa quæ Iuia dicitur, vir erat Deo, & B. Virgini singulariter deuotus, qui cùm quadam die causa extrahendi mineralia sub terram in sua concaua descendisset, obrectus desuper dissolutis terris, ad vnum annum creditus est expirasse, pro cuius anima, iuxta loci ritum, deuota eius vxor continuauit offerre altari vnum panem qualibet septimana, feria scilicet secunda, qua ex vsu canitur pro defunctis. Ipso autem pane vir ille meritis pręcelsæ Genitricis Mariæ Vualcuriensis, cuius auxilio fretus est, viuus & incolumis sub concauo ipso per annum vixit; quandò disponente diuina prouidentia, cùm denuò defossum esset in ipso loco, inuentus est à fossoribus, narrauitque quomodò per totum annum pane quotidiè à B. Virg. allato ipse refectus fuisset: addens hunc illi quadam die non allatum; obseruatum autem fuit eam diem fuisse, quandò vxor illius propter aluuionem cuiusdam fluuioli, ad altare panem oblatura haùd accedere potuit.

38. *Laurentius Maxellus, in vita B. Virginis.* Neapoli cùm cuidam infirmo peccatori graui morbo correpto diceretur, vt Iesu nomen pronunciaret, respondit, se non posse. Aderat quidam Capuccinus: qui adiecit, vt eo pacto efferret, quo dicebat, hæc verba, se dicere non posse; statim in arcum flectitur ei corpus, vt calcanea retrò caput contingerent, sicque dùm torqueretur, animam efflauit; huic in vsu erat, Iesu nomen, & Mariæ blas-

balſphemare; Id contigit anno 1601.

39. *In actis S. Theodoſij Cenobiarcha*. Viatori aliquandò aſinum deducenti ſæuus leo occurrit, qui viatorem quidem neglexit, in aſinum autem irruit, Atque viatorem quidem, vt accidit ijs malis, quæ præter ſpem eueniunt, ſtupor inuaſit, & metus; temporis autem velocitas effecit, vt vnum ſolum inueniret medicamentum ad ferendam opem, nempè nomen S. Theodoſii. Quod quidem cùm dixiſſet, ſtatim ceſsauit & ira feræ, & repreſſus eſt vehemens eius impetus.

40. *Sigonius cap. 22. Reliquiarij*. Solum nomen, ſola memoria, vel ſignum reliquiarum ſanctarum valere pluriès experimur. Ad ſolum nomen Diui Antonii dęmones aufugiſſe legimus. In nomine Sancti Antonini à morſu rabioſo liberamur. In nomine Sancti Patritii à veneno ſanamur.

41. *Pet. de Nat. lib. 6. cap. 29. de S. Martiale Epiſc.* In ciuitate Lemouicenſi, mulier quędam virum ſuum paralyticum, baculo S. Martialis tetigit, qui mox incolumis ſurrexit. Idem etiam baculus in vrbe Burdigallenſi multis domibus igne flagrantibus, incendio oppoſitus, flammas continuò, ac penitùs excuſſit.

42. *In vita S. Gildæ, cap. 25.* Feſtiuitas Beatiſſimi Gildæ, qua de mari translatum eſt corpus eius, appropinquabat: & populus vndique confluens, ad diem feſtum occurrere feſtinabat. Tunc quidam, qui diù in lecto iacuerat, graui detentus infirmitate, cùm videret vicinos, & amicos ſuos properare ad diem feſtum, clamabat vt ſe ad ſanctum locum ducerent. Dicebat enim, quòd ſi ſancti viri ſepulchrum contingere meruiſſęt, mox ſanitati redderetur: hoc ſe credere, hanc fidem ſe habere teſtabatur. Adductus itaque ab amicis eſt, & ante ſepulchrum B. Gildæ poſitus. Cùm verò vigiliæ ſolemniter celebrarentur, & ille ante ſanctum iaceret ſepulchrum; ſubitò ſe extendens, in mortui modum diriguit, plangere ceſſauit, eius oculi euerſi erant, pedes, manus, pectus frigeſcebant, & toto corpore mortuus eſſe videbatur. Populi multitudo, quæ circumdederat, conclamabat: Quoniam mortuus eſt. educite eum foràs. Igitur vociferantibus illis, & circa eum magis, magiſque ſe ſe comprimentibus, cùm nemo neque manum ponere, neque ad eum præ multitudine accedere per tres ferè horas poſſet: tandem aſcendens quidam ex monachis, Iunior nomine, & accipiens baculum Sancti in manu ſua, cum tertiò ſignauit cùm baculo ſigno ſanctæ Crucis. Illicò mirantibus cunctis, erexit ſe, atque dixit. Nunquid non vidiſtis Beatum Gildam ſtantem ſuper illum lapidem, & ſua me manu erigentem. Tunc in conſpectu omnium, ſanus atque gaudens ſurrexit; & manu ſua deferens candelam, ſuper altare poſuit. Et qui aliorum manibus ad ſanctum deductus fuerat ſepulchrum, languens, ſuis pedibus domum ſanus reuertitur gaudens.

43. *B. Alcuinus, in vita Sancti Martini.* Filia Arborii Præfecti per impoſitionem Epiſtolæ Sancti Martini, à grauiſſimis liberata eſt febribus.

44. *Gaufridus in vita Sancti Bernardi Abbat. lib. 4. cap. 7.* Contigit, vt quodam tempore quidam iuuenis febre correptus, grauiter laboraret. Suſceptam igitur debita veneratione D. Bernardi epiſtolam, collo ſuo ob remedium ſalutis appendit, & ſtatim perfectam obtinuit ſoſpitatem.

45. *Fortunatus, in vita Sancti Germani.* Flammeius Abbas, cùm manu S. Germani ſubſcriptam accepiſſet Epiſtolam, & ad ſuum quemdam monachum duobus iàm annis iacentem detuliſſet, agnoſcens ille S. Germani ſignaturam, illam lingebat ſubſcriptionem, ſicque ſimùl linxit ſalutem, & in viſcera traiecit ſanitatem. Atramenti pictura omnia ſuperauit medicamina.

46. *In actis S. Anſelmi Epiſcopi Lucenſis.* Charta, in qua S. Anſelmus Epiſcopus Lucenſis orationem quandam ſcripſerat, oculis Metildæ ſuperpoſita, recepta lucis claritate, inſiſtebat die, & nocte lectioni, quod priùs facere non poterat.

47. *Ribadeneira in vita Sancti Ignatij Loyolæ.* Olympia Norina, tanto cruciatu doloris oculorum afflicta fuit, vt trium menſium ſpatio videndi ſenſum amitteret: adiungebatur inſuper continua febris, & acerbus capitis dolor, qui nullam partem neque diurnæ, neque nocturnę quietis eam capere patiebatur; inter horum maxima cruciamenta morborum, autographum Beati Ignatii nomen allatum, quo mox ad frontem, oculoſque applicato, protinùs vidit, omnique febri, & doloris moleſtia liberata eſt.

48. *Sylos in Hiſt. Cleric. Reg. par. 3. libr. 10.* Nicolaus Cantilena ſenex propè octogenarius, ſupremo iàm ſpiritu laborabat, diùque iàm, hoc eſt, horas duas, & triginta in ea lucta dimicauerat. In promptu emortualia ipſa indumenta, ac cætera funeris pompa, pactis etiam cùm Curione exequiis. Interim Franciſca eius filia ſpe in D. Caietanum concepta, ipſum inuocans, Beati viri effigiem Parentis pectori admouet, rogatque. Nulla mora. Deſtitutus ſenſuum, ac vitæ vſu Nicolaus, viſus eſt eo imaginis attactu veluti è ſomno momētò excitari; ſtatimque abacta febris, ac cætera defecti corporis ærumna. His ſimilia innumera enumerantur.

49. *Frodoardus ap. Baron. an. 922. numer. 2.* In pago Pariſiano in villa quæ diciturGeſedis, multa miracula in Eccleſia S. Petri à quarto ſuperiore anno, ex quo ſcilicet reliquiæ de Barba ipſius Apoſtoli illùc ſunt relatæ, facta memorantur: ita vt inter cæcos, & claudos, vel contractos, ampliùs quàm centum ſeptuaginta ſanitate donati referantur; dæmoniaci verò quotquot illùc abierant, ſano ſenſu, pulſis dæmonibus redierint, præter alia innumerabilia, quæ ibi ſunt acta.

50. *In vita S. Syluestri Abb. fundatoris ord. Syluestrinorum.* Primaria quædam fęmina ciuis Fabrianenſis, acerbiſſimo capitis dolore diù laborauerat, & adhibitis fruſtrà remediis, omnem ſpem prorſùs recuperandæ valetudinis abieciſſet, niſi illi radius diuinæ gratiæ per Syluestrum affulſiſſet; illa enim cogitatio animum ſubiit, fore, vt ſi capillum capitis, vel barbæ pilos aliquos ſancti viri capiti ſuo applicare poſſet, grauiſſimo dolore liberaretur,

tur; cùmque id palàm tentare non auderet, clàm accersitum tonsorem, qui Dei virum tondere solitus esset, rogat, vt ad se nõnullos ex illius pilos barbæ nemine conscio, ne ipso quidem Syluestro, transmittat: tonsor tantam fœminæ fidem demiratus, facilè permouetur; vbi primùm fuit illi Syluestro barba tondenda, clàm pilos ad fœminam misit, illa spei iàm plena, susceptos magna cùm veneratione pilos, capiti suo admouet: res mira! vix illi caput attigerunt, cùm repentè dolor omnis abscessit, vt nescias, quid magis mireris, fidem fœminæ, an Syluestri virtutem.

51. *Petrus Rauzanus in Vita S. Vincentij Ferrerij lib.* 4. Frater quidam Dominicani instituti, Gulielmus Portas, cùm in Maiorica Insula B. Vincentius esset, pilos quosdam rasæ barbę illius ex deuotione multo tempore asseruauit. Is vt audiuit fœminam quandam à Dæmone occupatam, quæ multa etiam secreta indicaret, pilos illos panno inuolutos ad eius collum alligauit. Tùm verò malus Dæmon acriùs cæpit vexare fœminam. Interrogatus, cur solito esset attrocior, respondit; se vim magnam sentire capillorum Fratris Vincentij Ferrerii, & tandem à fœmina abscessit, ea penè exanimi relicta.

52. *In vita B. Coletæ Virg.* Frater Petrus Golerii in monasterio Visontiensi tàm grauiter ex apostemate guttur opprimente decumbebat, vt prostridiè manè omninò moriturus putaretur. Superuenit autem Frater Petrus de Osiaco Visitator, qui apud se habebat capillos Coletæ, quos vnà cùm regula sanctissimi Patris Francisci imposuit illi sic cùm morte colluctanti, signum Sanctę Crucis cùm eis exprimens, & statim apostema crepuit, & ille sanus euasit.

53. *Sylos in Hist. Cl. Reg. p. 2. l. 5.* Capillos quosdam B. Andreæ Auel. apud se habebat Panormi nobilis quædam fœmina, Hieronyma Homodea nomine, cui nulla efficacior, ac promptior medicina, quotiès affligi malo contingebat. Immergere siquidem illos in aquam consueuerat, cuius deindè haustu, inuocato B. Andrea, continuò à morbo liberabatur. Qua deindè ope adesse & aliis solita erat: vt iàm nihil Panormi frequentiùs, quàm ab iis capillis salutem ægrotantibus peti.

54. *Idem in vita Ven. Francisci Olympij, Cler. Reg. lib. 1. cap.* 24. Obsurduerat P. Michael Muscus ex nostris, quapropter ad pronas aures Ven. Francisci Olympii ex nostris, iàm defuncti pro surdis auribus vota allegauit; dein, capillos eiusdem, vitiato, affectoque sensui appullit: agnouitque extemplò excepisse illum preces, quandò & ipse amoto iàm obice admitteret quàm expeditissimè loquentium voces. Aliud mirabile iidem capilli cuidam piæ fœminæ effecere; enimuerò cùm ablegatis medicinæ artis studiis per nouem omninò menses molestissimo morbo frustrà adhibitis diuturnæ ægritudini, Francisci capillos adhibere secùm ipsa decreuisset, veluti suum malo remedium excogitasset, restituta saluti est.

55. *Vadingus in ann. minorum, anno* 1463. *de B. Didaco Complutensi.* Tàm graui, acutoque dentium dolore mulier quædam affligebatur, vt nihil posset comedere. Filius Minorita, habitus S. Didaci segmentum dedit, quod *illa ori* insertum dentibus applicauit, & statim dolorem non modò sedari, sed & sensit depelli. Asseruit etiam ex illa vestis particula tantam, ac tàm miram dulcedinem se percepisse, vt nihil aliud ore contingere vellet, aut degustare.

56. *Greg. Tur. de gloria confessorum, capit.* 85. Beatissimus Syluester Cauillonensem rexit Ecclesiam, qui quadraginta duobus annis sacerdotio ministrato, plenus dierum, atque virtutum migrauit ad Dominum. Habuit autem lectulum funibus subtilibus innexum: sub quo cùm semel, atque iterùm infirmi, siuè quartanarii, siuè variis febribus oppressi subderentur, statim virtute diuinitùs indita sanabantur: idcircò hic lectulus in Ecclesiæ sacrarium deportatus simili virtute nitescit. Multi enim sicut oculis propriis inspexi, abscisis de funibus illis particulis, in longinquum *deferebant*, ipsisque super infirmos locatis, sanitatis adesse beneficium contuebantur; Nàm mater mea ab hoc decisam particulam, vt puellæ à frigoribus febri canticollo dependi fecit, morbo extemplò depresso puellam sanam aspexit.

57. *In vita S. Radegundis Reginæ, lib.* 2. Leo vir illustris, ad synodum euocatus à *Viris* Apostolicis Leontio, & Eusebio Episcopis, *cùm* iter ageret, oculis eius magna incidit caligo, sanguinis nube eos obtegente, ita vt nisi famuli eum deducerent, viam prorsùs non videret. Ingressus ergo in B. Radegundis monasterium, vbi filias suas ei deuotè tradidit Domino seruituras, ad oratorium Beatissimæ Mariæ Virg. se contulit, & post oblatas preces, fide plenus, super sanctæ cilicium se prostrauit, eamque inuocans, tandiù illic permansit, donec dolor abscederet, dissipataq. caligine, sanguis concretus in venas, vndè manarat, se reciperet.

58. *In vita S. Vincentij Ferrerij, cap.* 4. Venetiis habetur culcitra, in qua B. Vincẽtius decubuit cùm è corpore migraret: compertumq. est supra quadrigentos homines, cùm ex deuotione in ea aliquantisper iacuissent, tùm ab ardentissimis *febribus*, tùm ab aliis diuersis languoribus illicò *fuisse liberatos*.

59. *Bzouius an.* 1260. *num.* 13. B. Dominicus Valericanus, ord. Prædicatorum, ad extremam infirmitatem deductus, nullibi voluit quiescere, quàm in xenodochio inter decumbentes: vbi cùm vita defunctus fuisset, calceamentaq. illius cuidam peregrino Præfectus hospitalis dedisset, vtrique Beatus apparuit, temeritatisque, & abusus ambos reprehendit. Restituta illa postquam Cænobio essent, inq. particulas destributa, ingentia miracula ediderunt, multisque ægrotis salutem dederunt ope B. Dominici.

60. *Sedulius in vita S. Ludouici Episcopi min. cap.* 12. F. Petrus Scarassonus instituti Fratrum Minorum, tredecim diebus acutissima febre correptus erat, medicis desperantibus: aderat Beatus Ludouicus in cœnobio Brinoniæ, vbi erat æger frater, & petiit residuum suorum ciborum; allata est scutella cùm obsonio, de quo ipse comederat, se-

febriens ille Frater simul atque viri reliquias gustauit, sanatus est.

61. *In vita B. Nicolai de Rupe, part. 3. capit. 2.* Ioannes Krummenacker, ciuis, & totius Subsiluaniæ Labarifer, inter suos thesauros numerat nummum aureum, qui quondam ad B. Nicolaum pertinuisse dicitur, quem ille ægris exposcentibus pro impetranda sanitate sæpius commodatum mittit, non sine fructu, vt multi testantur.

62. *Sigebertus Gemblacensis lib. de miraculis S. Sigeberti III. Regis Francorum.* Quidam, nomine Hugo, cùm in litaniјs, & diuinæ seruitutis officijs, memoria nominis S. Sigeberti celebraretur, Sancti huius nomen de libro litaniarum, in quo quotidiè nominabatur, delere præsumpsit: Vndè postmodùm dictus Hugo ad S. Viti tumulum incensum ablaturus, tanta inualetudine diriguit, vt pedem mouere non posset. Neque priùs restitutus est, quamuis ipse, & reliqui fratres pro reatu ante Sanctum Dei pœnitentiam agerent, nisi postquàm sanctum nomen in deleto loco propria manu rescripsit, quod pridem incautè destruxerat.

Nunquam esset finis in enumerandis Admirandis, cultum, venerationemque Dei, Sanctorumque per eorum inuocationem confirmatibus; quare sufficiant notata; cætera per totum opus disseminata sunt.

Abstinentia, & Ecclesiastici Ieiunij sanctitas, Admirandis prodigijs confirmatur.
§. 8.

Ecclesiasticum ieiunium, quod ipse Christus Dominus quadraginta dierum abstinentia sanctificauit, quis non sanctum, animabus, corporibusque curandis institutum, audebit dicere? attamen quia illud oderunt sectarij, vtque rem superstitiosam explodunt, eius sanctitatem, venerandumq. institutum admiranda prodigia sæpè comprobarunt. De quibus.

1. *Euagrius lib. 4. cap. 33.* Barsanuphius Anachoreta propè vrbem Gazam in ædicula vixit, spatio annorum ampliùs quinquaginta, nullo vsus alimenti genere, ac tantùm nutritus à Deo vbere de cœlo pleno.

2. *In vita S. Nicolai Myrensis Episcopi.* Quanta futura esset eius sanctitas, vel ab incunabulis apparuit. Cùm enim infans reliquos hebdomadę dies lac sugeret frequentiùs; quarta, & sexta feria semel duntaxat, idque vesperi sugebat: quam ieiunij consuetudinem adultus semper coluit.

3. *In vita S. Rocchi Confessoris.* Dùm genitrix S. Rochi diù sterilis, ieiunio quartæ, & sextæ feriæ, & voto insuper nuncupato ad Deiparam Virginem, impetrasset à Deo fœcunditatem, puer etiam quarta, & sexta feria perindè abstinuit, & lac semel tantùm spontè hausit.

4. *Idem in Septembri.* S. Stephanus Carthusianus, atque Episcopus Diensis, dùm infantulus à nutrice aleretur, semper feria sexta omninò à lacte abstinuit; vt meritò admirabundi propterea parentes eius dicerent: Quis putas puer iste erit.

5. *In actis S. Praiecti Episcopi apud Boll. 25. Ian.* Solemnitas sanctæ Paschæ aduenerat: Præiectus Aruernis ad Præsulem properat. Dùmque die quadam sibi in solario conuiuium præparasset, multique viri sæculares, & nobiles inuitati venissent, tres inter eos abstinentes aderant, qui carnes in esum sumere recusabant: sed quia semper grauis est prauis mentibus vita bonorum, cùm eos seculares viri irriderent, & risus atque opprobria iactitarent, à viro Domini admonentur, vt quos venerari debuissent, irridendo non increparent. Sed cùm illi se nequaquam corrigerent, subitò pauimentum solarii cùm irrisoribus cecidit, tantùmque Præiectus cùm pœnitentibus residens ad mensam remansit. Sicque incauta præsumptio, & digna confusio cùm suis auctoribus ad propria petiuit abscessum.

6. *In vita B. Odonis Cluniacensis.* Per hos dies duo fratres admodùm repentina extincti morte sunt, non tamen eodem vel loco, vel tempore. Alter eorum venit ad domum sororis suę, aitque se mirum in modum esurire. Illicò respondit soror, magnam sibi piscium copiam suppetere: comederet quos, & quandò vellet. Ille propè indignabundus ait, se fastidire pisces, quibus tot annis perpetuò vsus esset, nec iàm illis vesci se posse. Tùm soror: en inquit, in promptu nobis carnes sunt, ede quantùm libet. Iussit ergo ille assari armum: sed interim tamen moræ impatiens, particulam eius misit in prunas, & vino allato, auidè illam in os conieci. Mox adest vltio cælestis. Particula petulanter sumpta hæret in gutture, nec glutiri potest, nec reiici, strangulat hominem, & cogit infelicem expirare animam. Alter manè ad patris sui ædes veniens, rogat, nùm quid habeant quod possint ipsi edendum apponere; illis dicentibus nondùm esse edendi tempus, respondet iratus: Hem tota nocte equitaui, vt explerem quod iussus sum, & vos ieiunare me cogitis? Adferte si quid habetis. Aiunt illi, se habere pisces. At miser acrioribus etiam iracundiæ stimulis percitus, & fastu tumidus, hùc illùc circumfert oculos, videtque gallinarum gregem ad pedes suos. Mox non sine furia quadam, arrepto baculo, vnam ex eis, quæ ei arrideret, percussit, oreque rabido: hæc mihi, inquit, modò piscis erit. Qui tunc illic aderant non sine rubore aiunt ad eum: fortassis licet tibi, pater, vesci carnibus? At ille: Volatilia, inquit, non sunt caro. Vnam enim habent cùm piscibus originem, parisque cùm illis conditionis sunt, sicut habet quidam hymnus noster. Ad hæc eius verba conticuerunt omnes. Deindè apposita est illi assa gallina, ex qua, cùm morsellum accepisset, eum nec traiicere in stomachum, nec expuere potuit, repentè è medio sublatus.

7. *Colganus in vita S. Colmanni.* S. Colmannus Episcopus in tanto cultu, ac honore est per totam diœcesim Duacensem, & præcipuè apud illustrem familiam Osechnasaigh, vt non solum eius festum in choro, & foro cùm magna veneratione celebretur, sed & profestum, vigilia, ac ieiunio Ecclesiastico strictissimè obseruetur, itaut non solùm à carnibus, verùm etiam ab ouis, lacticiniis, omnibusque cibis in quadragesima prohibitis abstineant, & qui

secùs

secùs faceret, non modò mortalis maculæ reus, sed insuper præsentissima vindicta à diuina iustitia puniendus censeretur. Hoc præcipuè accidit cuidam de familia Osechnasaigh, nomine Guilielmus, qui in eadem vigilia cùm ad mensam Comitis Kildariensis in aliorum corona nobilium accumberet, & ex appositis carnibus bolum præscindisset, sanguinem elicuit, totumque quod excoctum erat cruentum apparuit, quidque aliis incruentum erat, ab eo sumptum, vt degustaretur, statim sanguinem emittebat: quo miraculo intellexit, à Sancto correctam fuisse illius diei suam debiti ieiunii transgressionem.

8. *In annal. Hiberniæ, an.* 1317. Hoc tempore mirabilis venit vindicta de Vltoniensibus, qui tempore, quo Scoti deprædauerunt in Hibernia, magna damna fecerunt, & carnes in Quadragesima sine necessitate comederunt, idcircò venit super eos tribulatio magna, quòd vnusquisque eorum alium comedit, quòd de decem millibus eorum, non remanserunt nisi circa ccc. qui ferè pro vindicta euaserunt.

9. *Delrius lib.* 3. *Disq. mag. par.* 1. *quæ.* 7. Paucis ab hinc annis, postquam Torpatenses in Lutherana doctrina concesserant, feria sexta, solemne Paschæ festum proximè præcedente, finita Lutherani Ecclesiastæ concione, ciuibus è templo D. Matri Virgini sacro reuertentibus, quidam alium conciuem, & familiarem inuitat ad prandium; rogat vnà domum comitetur, habere se egregiè paratum petasonem Vuestphalicum, alter parùm abhorrens, respondet sibi esse gallum opiparè elixum, quem cupiat in symbolum adferre. Dùm ad mensam accumbitur, alter os quoddam galli ambedere volens, imprudens penè ipsum deglutit, quod cùm neque transmittere, neque eximere valeret, eo ipso die suffocatur. Alter postridiè Paschę malo spiritu corripitur, & non multò post rabie, ac furore exagitatus, animam cùm Dæmone exhalat.

10. *In litteris ann. Soc. Iesu, ann.* 1592. *sub Prouincia Austria.* Rusticus noster die Veneris negotii causa hæreticum villæ ministrum adiit. Erat mensa opiparè sanè apparata carnibus. Iubet ille assidere hospitem, vt irridendum propinet compotatoribus, quippè Catholicum inuitat ad carnes; cùm ille constanter abnueret, & se eo die arceri ab iis religione diceret, arripiunt risus materiam, vrgent, solicitant, risu, cachinnis, atque temulentis clamoribus admouent ori, intrudunt propè in oculos: tùm egregius minister magnum bolum delicatissimæ carnis arripit, rusticum nomine appellat, & in eius ludibrium cunctis intentis ad spectaculum manum attollit, ac degluciturus pandit impurissimas fauces. Non adhùc esca erat in ore ipsius, & ira Dei descendit super eum: hæsit aperto, atque hianti ore: nullo conatu, nulla vi coniungi iterùm maxillæ potuerunt, quas Deus disiunxerat. Perducitur Vradislauiam, frustrà adhibet chirurgos, aliosue medicos: dùmque magni fiunt ad rem nouam concursus, ille, qui contra religionem Catholicam os aperuerat, & ore apertissimo verbum exprimere nullum poterat, eo miraculo prædicabat apertissimè fidei veritatem, in eiusque testimonium os habebat apertum iniicus. Non absimili modo, funestiore exitu, petulans muliercula inter catholicos immorans, die Sabbati, vt primùm carnis bolum in os ingessit, extincta repentè in terram concidit.

11. *Brendebachus lib.* 7. *Coll. sac. cap.* 55. Anno 1575. in septimana sancta, milites Comitis Ludouici à Nassau contempta religione veteri, carnibus passim vescebantur, & immodica lætitia efferebantur. At paulò post diuina vindicta secuta est, nàm catholicis, post exactos S. Quadragesimæ dies, Paschalem solemnitatem festiuis gaudiis celebrantibus: ecce subitò feria IV. Paschæ vniuersus Ludouici exercitus cùm ipso comite Ludouico, omnibusque antesignanis cæsus, & interfectus est, paucissimis fuga saluatis.

12. *Martinus Cromerus, lib.* 5. *Hist. Polon.* Naclum Pomeranorum arcem munitissimam, *Vladislaus* Polonorum Rex obsederat, *cùm nocturnis* spectris exciti Poloni, quadam nocte fremebundi agminatim è castris se se proripuere; dùmque *hostes* prosequi se credunt, nocturnas vmbras inuadunt; interimque Polonorum exaudientes tumultum obsessi, subitò erumpentes, igne, ferroque omnia deuastarunt. Hoc autem *Polonis* euenisse autumant, propterea quòd solemne *omnibus Christianis* quadraginta dierum ieiunium priore *expeditione*, promiscuo, ac temerario carnis, & lactuariorum esu, moribus, & institutis Ecclesiæ contemptis, temerauerunt.

Alia similia videantur in primo tom. in tit. Edulia diuinitùs data &c. Carnium in pisces prodigiosæ conuersiones; Animalia diuinitùs viris sanctis inseruentia; & in 2. tom. in tit. Sine cibo, sola Eucharistia viuentes, & alibi per totum opus.

Iuramenta, à Catholicis quanta fidelitate sint præstanda, Admirandis modis apparet.

§. 9.

VErus Deus, Veritatis in testem se quandòque à Catholicis adduci permittit, ritèque iurantibus adest; at fidelitate, & sinceritate Catholicorum iuramenta haùd finit carere, *quantique* ijs debeant præeminere, admiranda quædam prodigia demonstrant. Suntque.

1. *Greg. Turonensis lib.* 1. *de Glor. Marty. cap.* 53 *de Sancto Marcello Cauillonensi m.* Inter duos viros orta fuit contentio, hisque litigantibus, in hoc lis ipsa subiit, vt eam sacramento dirimerent. Ingressique Basilicam S. Marcelli Martyris, eleuatis homo manibus ad periurandum, cùm nomen Sancti voluisset ore patulo nominare, hæsit vox in faucibus, nec lingua poterat ad officium reflecti. Sed ne hoc quidem parum videretur, ad Beati athletæ gloriam, ipse cùm eleuatis manibus, quasi æneus totus irrigit. Tunc oratio facta pro eo, absolui diaboli arte vinctum obtinuit: ipse quoq. post absolutionem sermone proprio opus suum confessus, quæ negligenter egerat emendauit.

2. *Idem ibidem, de S. Eugenio m. cap.* 58. Ad Eugenii festiuitatem cùm tempore quodam innumeri populi conuenirent, negotia multa in atrio protulerunt.

lerunt. Puella verò vna ex habitatoribus loci, stationem adit, quasi aliquid coemptura, speciemque sibi aptam adspiciens, à negotiatore suscepit. Et statim dicto citiùs porrectam alteri, negat se accepisse. Negotiator verò intentè aiebat, mea eam tibi manu protuli, tuque rimandam solicitè suscepisti; illaque negante, ait negotiator, si tibi tanta est pertinacia, auaritia stimulante, negandi, iudicet illud Beatus martyr Eugenius. Ad cuius sepulchrum si cùm sacramenti interpositione edixeris, te non accepisse, damni mihi nihil æstimo quod amisi. At illa pollicita se posse ex hoc exui Sacramento, vadit ocyùs ad sepulchrum, eleuatisque manibus vt iuraret, extemplò membris dissolutis irriguit; plantæque eius adfixæ sunt pauimento, vox hæsit in gutture, tantùm os patulum à sermone nudum hiabat. Quod negotiator cùm reliquo populo cernens, ait, Prosit tibi (inquit) virgo, hæc species quam tulisti mihi: sufficit vltio data per martyrem. Et hæc dicens, à loco recessit. Illa verò in hoc tormento diutissimè detenta, tandem martyre iubente locuta, palàm confessa est quod clàm latere voluerat.

3. *Idem lib.2. de Glor. mart. cap.18. de S. Iuliano mart.* Quidam alteri trientem præstiterat, quem interpositis paucis diebus recepit. Post annum verò in atrio Sancti conuento homine, rem suam quasi non recepisset, sibi reddi deposcebat. At ille detestans, adserebat, se se reddidisse susceptum. Cùm diutissimè altercarentur, ille qui reddiderat, ait ad socium: Vsquequò vterque contendimus? sub iudicio hoc omnipotentis Dei ponamus? Eamus ad tumulum martyris, & quod sub sacramenti interpositione dixeris, discernat virtus sancta Patroni. At ille nec dubitans, ingressusq. sepulchrum, dùm audacter eleuat manus, vt periuret, infæliciter miser irriguit. Hæret vox in gutture, lingua coarctatur in fauce, vibrant labia vacua à sermone, ipsa quoque brachia, quæ ad adiutorium frustrati sacramenti erexerat, prorsùs retrahere non valebat. Ad hæc vulgo admirante, publicato scelere, multitudo cuncta populi vna voce prorumpens, Domini misericordiam, ac B. Martyris auxilium deprecatur. Post quatuor verò, aut eò ampliùs horas, ad sensum regressus, quod iniustè repetebat, publica confessione patefecit, & sic sanus abscessit.

4. *Idem de Glor. Confess. capit. 29.* In Ecclesia Lemouicina, quidam mendaciter peierauerat: subitò autem linguam sibi ligatam sentiens, mugire incæpit; ac de admisso scelere dolens, & gemens, prosternitur ante sepulchrum Sancti Martialis Episcopi, eius opem supplex implorans, sensit itaque sibi relaxari vinculum linguæ, & expeditè rursùs, vt ante, loquutus est, publicè confitens suum peccatum, quo sibi hanc pœnam sciens, & volens accersiuerat.

5. *Idem, lib.1. mirac. Sancti Martini cap.31.* Quàm præsens, & super alium vltio diuina processit, qui in sancta porticu peierauerat, ad comprimendam perfidorum audaciam non silebo. Cùm ad maculam illam, quam Sanctus suo beneficio deuotorum eleemosynis pascit, quotidiè à fidelibus necessaria tribuantur, consuetudinem benedicti pauperes habent, vt cùm multi ex his per loca discesserint, custodem inibi derelinquant, qui quod fuerit oblatum accipiat. Quidam ergo deuotus, vnum trientem mercedis intuitu detulit, quem custos loci collectum, fratribus occultare non metuit. Conuenientes autem pauperes ad sextam, sciscitati sunt antedictum custodem, quid sibi Beatus pastor solita pietate respiciens trāsmisisset, audierant enim ibidem aliquid fuisse largitum. Qui ait cùm sacramento. Per hunc sanctum locum, & virtutes Domini Martini, quia hic ampliùs non venit, quàm vnus argenteus. Nec dùm enim verba compleuerat, sed adhùc in ore sermo pendebat, cùm statim tremens corruit in terram, suoque lectulo aliorum manibus redditus cæpit grauiter singultare. Interrogatus autem à circumstantibus, quid sibi esset, respondit, trientem illum, quem pauperes requirebant, periuraui, & ideò me præsens vindicta flagellat, sed rogo, vt eum accipientes reddatis maculæ. Quo reddito, statim emisit spiritum.

6. *Idem, lib.8. Hist. Francorum cap.16.* Quidam cùm de incendijs domus vicini sui argueretur, ait: Vadam ad templum S. Martini, & fide data insons rediturus ero ab hoc crimine: manifestum erat enim, hunc domum illam incendio concremasse: abiens autem ad sacramenta danda, conuersus ad eum, dixi ei: quantùm vicinorum tuorum dictat adsertio, non eris innocens ab hoc scelere: sed tamen Deus vbique est, & virtus eius ipsa est forinsecùs. Tamen si ita te vana fiducia cepit, quòd Deus, vel Sancti eius in periuriis non vlciscantur, ecce templum sanctum, è contra iura, vt libet: nàm calcare limen sacrum non permitteris. At ille eleuatis manibus ait: Per omnipotentem Deum, & virtutem B. Martini antistitis eius, quia hoc incendium non admisi: datis itaque sacramentis, dùm recederet, visum est ei quasi ab igne circumdari; & statim ruens in terram, clamare cæpit, se à Beato Antistite vehementer exuri: aiebat enim miser. Testor Deum, quia ego vidi ignem de cælo cadere, qui me circumdans validis vaporibus conflat. Et dùm hæc diceret, spiritum exhalauit. Multis hæc causa documentum fuit, ne in hoc loco auderent vlteriùs peierare.

7. *Idem ibidem.* Quidam in furtis, diuersisque sceleribus commixtus, peierare consueuerat; & cùm aliquandò à quibusdam pro furto argueretur, ait: Ibo ad Basilicam B. Martini, & sacramentis me exuens, innocens reddar. Quo ingrediente, elapsa securi de manu eius, ad ostium ruit, graui cordis dolore perculsus, confessusque est miser verbis propriis, quæ venerat excusare periuriis.

8. *S. Petrus Damianus lib.8. epis. 10.* Vir quidam, in Perusino territorio nuper ad extrema deueniens, duobus liberis suis, totidemq. filiabus patrimonium suum proportione legauit; vt ercisundę hæreditatis maribus quidem relinqueret bissem: fęmineus verò sexus succederet in triētem. Post cuius obitum vnus quoq. filiorum eius defunctus est; superstes verò frater parùm putans, quia res defuncti

fratris cùm sororibus non diuisit, sed vt in earum quoque portiunculam controuersiæ calumniã moueret, adiecit. Quantò nimirùm est aucta possessio, tantò magis est possidentis inflammata cupido. Quid plura? Fit forense iudicium, diuersarum partium allegatores accedunt, causidici perstrepunt, mouetur quæstio, calumnia litis intenditur, ab obsistentibus intentio remouetur. Tandem inter partes alterutra deliberatione conuenit, vt presbyter quidam, qui viri contra germanos fautor erat, seq. defuncti patris interfuisse iudicio perhibebat, iusiurandum daret, sicque decisionis calculum causa susciperet, omnemque controuersiam vnius hominis testimonium consopiret. Cùmq. Presbyter pro viro contra fœminas iuraturus accederet, iàmque manum libro, qui propositus fuerat, applicaret; subitò terribilis serpens ex ea, quæ super eminebat, arbore corruit, librumque complexus, spiris squamosi corporis circumcinxit. Mirantur omnes attoniti, & quodam quasi prodigio stupefacti, præsertim presbyter ipse diriguit, & iusiurandum, quod non veritati, sed humanæ gratiæ deuouerat, abiurauit. Sic igitur antiquus hostis, qui virus suæ malitiæ cordi presbyteri, vt contra veritatem iuraret, infudit, adesse se huic iuramento per familiarem sibi bestiam visibiliter demonstrauit.

9. *Vinc. Bel. lib. 23. Spec. Hist. ca. 90. de S. Quintino mart.* Falsus testis, nomine Bernuimus, in rebus Ecclesiæ Beati Martyris falsum ferebat testimonium, volens quandam syluam de prædio Nogarido penitùs auferre, quem S. Martyr in somnis redarguit, apprehendensque nasum eius, falsatorem proclamauit, ad quod dictum ipse expergefactus, pedibus calciatus cùm faciem suam aqua linire deberet, accersita coniuge, cœpit ei explanare quid in somnis vidisset. Vt autem peruentum est ad hoc, qualiter ipse martyr nasum eius tenens, falsatorem eum vocaret, extenta manu, nasum suum cæsum recepit, statimque in vase, quo aqua de manibus eius diffluebat, cecidit, qui nimiùm territus, ad palatium, quo ipsa die pro præfata sylua deberet ire distulit, nec tamen hoc supplicio coercitus: insuper ob superbiæ fastum, aureum sibi nasum fabricare, catenulisque aureis aptare conatus est, quem iterùm idem sanctus visu admonuit dicens. Non ne tibi naturalem abstuli nasum, vt te omnibus monstrarem falsum testimonium dixisse. Et nunc ob superbiam ausus es aureum superponere. Vade nunc proijce illum abs te, & cunctis innotescere stude, te falsum testimonium protulisse. Ob iudicium ergo fidei, nasus ipse ex auro multis diebus ad memoriam futurorum ibidem seruatus mansit.

10. *Idem, lib. 24. cap. 65.* Elphredus, qui conspirationis contra Elstanum Angliæ Regem princiceps habebatur, dùm Romæ ad altare S. Petri, præsente Romano Pontifice, se purgandi gratia, iurare cogeretur, corruit, & post triduum mortuus est.

11. *Idem ibidem li. 23. cap. 109. de S. Audomaro Episcopo.* Quidam vir sceleratus, & auarus, solidum argenteum à compatre suo mutuauerat, & postea fide fraudata, quod acceperat, se nunquam ab eo accepisse iuramento negauit. Cui ille respondit, qui commodatum requirebat. Iura mihi supra corpus Beati Audomari, per merita, & virtutes ipsius Sancti, quia non acceperis à me, quod à te requiro, & ego negationis tuæ causę acquiesco. Cùmq. ille audaci corde manus ad iuramentum leuasset, protinùs vltio diuina est secuta. Nàm in loco, quo stabat, ambo oculi eius crepuerunt in momento, & post hoc die tertia miserrima morte est defunctus.

12. *Idem ibidem, lib. 24. cap. 24.* Tempore quo corpus S. Saluii apud Valentianas reuelatum est Carolo Magno, duæ sorores cuiusdam Ducis Francorum ad Regem venerunt, conquerentes de fratre suo, quòd hæreditatem suam eis auferret; cõuentus super hoc à Rege, respõdit, se nihil eis auferre. Rex autem fecit eum iurare super corpus S. Saluii, quod nihil sororibus suis deberet ex his quæ petebant. Qui cùm iurasset lætus, statim medius crepuit, & per secretum alui stercora proruperunt, & exiuit sanguis ex oculis eius, & auribus, & ore, & naribus, & post duas horas vitam finiuit.

13. *S. Anton. 1. p. Chron. tit. 8. cap. 1. §. 29. de S. Pancratio.* Cùm quidam venisset ad tumulum eius, & non timuisset reus falsum iurare, manum indè retrahere non potuit, & ibidem postmodùm expirauit.

14. *S. Augustinus Epis. 137.* Nos nouimus, Mediolani apud memoriam sanctorum, vbi mirabiliter & terribiliter dæmones confitentur, furem quendam, quia ad eius locum venerat, vt falsum iurando deciperet, compulsum fuisse confiteri furtum, & quod abstulerat reddere.

15. *Tilmanus Brendebachius l. 3. colla. san. c. 26* Romæ in templo S. Antonii conspicitur imago hominis ardentis depicta cùm hac inscriptione. *Marcus Brixianus miles, admota aræ D. Antonii manu,* periurus, vltore numinis igne correptus, moritur Idibus Augusti anno 1537.

16. *Adreualdus Floriacensis, libr. 1. de mirac. S. Benedicti cap. 5.* Tempore præfixo, hoc est septima feria per totius cursum anni, ex villis in proximo constitutis, more consueto orbis, ad distrahendas, seù coemendas merces, populus confluere solet in loco iuxta monasterium posito, qui dicitur Vetus-Floriacus. Quadam itaque die Sabbati duo compares locum adeunt, mercandi gratia: quorum alter in sacculo (vt ipse ferebat) duodecim habebat denarios, quos simul ex mercibus distractis acceperat, eosq. inibi inter se diuidere conuenerat; sed dùm ille, qui nihil ex eis habuerat, à socio sibi debitam requireret partem; ille verò se ei reddidisse fateretur, contentione oborta, Iudex fori, Engeraus vocabulo, accurrit. Cùmq. litem dirimere vellet; atq. ille, qui pretium habuerat, compari se reddidisse modis omnibus affirmaret, nec dictis eius fides adhiberetur, necessitate compulsus, dexteram contra Basilicam extendens, cùm furore iuramẽtũ protulit, ita inquiens; Per illum S. Benedictum ego illos ei reddidi denarios. Quod quia temerè, ac falsò iurauerat, nequaquàm ex impunitate gauisus est, si quidem manum, quam cùm brachio improuidè peieraturus tetenderat, ad se reuocare nequiuit, sed

ad in suo conamine obrigescens stupida remansit. Donec supplex ad Sancti Benedicti patrocinium confugiens, periuriique summoperè dolens, virtute diuina, ad pristinam sanitatem rediit.

17. *In vita S. Eligij Epis. Nouiomensis, li. 2. c. 51.* Vir quidam, agrum Ecclesiæ S. Episc. apud Caluomontem situm, sibi rapaci cupiditate vendicare voluit, sed obsistebat ei Sparnus, eius Ecclesiæ Abbas. Res ad palatium Regis relata est, pronunciatumque à Rege, vt si Abbas in sacro loco iurare vellet, agrum esse Ecclesiæ, eum ipse retineret. Sed Abbas maluit virum illum pertinacem iurare, suum esse agrum, & non Ecclesiæ. Lata igitur sententia est, vt vir ille cùm multis aliis iuraret. Sic enim apud Francos in more positum est. Verùm Abbas aliis omnibus remisit iuramentum, ne alterius flagitio implicarentur: solus ille agri vsurpator, procerum sententia iurare iussus est. Itur ergo ad Ecclesiam B. Eligii, venitur ad sepulchrum eius, expectatur ab omnibus rei euentus. Vir temerarius rem paruipendens, importuna audacia imposuit manum loco sacro, sed cùm vix medium expressisset iuramentum, toto corpore contremiscit, caput retrorsùm in ceruicem curuatur, diductoque ore, & magno indè fumo erumpente, cùm hoc solùm dixisset, Abbas Sparne, recipe terram tuam: repentè humi prosternitur, & infelicem animam exhalat. Alius quidam cùm illic peierasset, & domum, ceu victor lætus rediret, priusquàm limen domus suæ attigisset, extinctus est. Vndè tantus omnes inuasit timor, vt nullus hodiè etiam in causa iustissima ad sepulchrum eius iureiurando se obstringere ausit: sed si iuramentum faciendum sit, ad ostij circulum non sine magno timore id fiat.

18. *In vita S. Amabilis Presbyteri.* Reus quidam, cùm ob admissum facinus à quodam potente affligeretur, essetque non minima disceptatio, iureiurando ille purgare se volens, petijt sibi dari facultatem adeundi sepulchrum Beatissimi Amabilis Confessoris. Permissum est illi, vt ibi iuraret ad sepulchrum eius: sed cùm id ille miser fecisset, obriguerunt manus, & pedes eius, ita vt omnes intelligerent, Sancti Amabilis virtute eum ligatum teneri, ad cuius tumulum peierare ausus esset. Stabat igitur, & torquebatur pœna periurii, nec abire poterat, quòd nollet facinus confiteri suum. Quod vbi tandem Deo miserente agnouit, & Sancti Confessoris interuentu confessus est, illicò absolutus est non sine multorum admiratione, & gaudio, qui satis aduertebant, non posse innocentem videri, quem magnus ille Deicola Amabilis ostenderet scelere obstrictum.

19. *In vita S. Remacli Episcopi.* Homo quidam improbus ausus fuit Beati Viri terram sibi vendicare. Admonetur à nostris blandis verbis, non debere illum, vt per vim vsurpet res tanti Patris. Ille nihil cunctatus, cùm suæ partis defensoribus venit ad locum illum, adducit falsos testes, qui sanctè iurare non dubitant, eam terram eius ditionis potiùs esse, quàm Ecclesiæ nostræ. Ille verò etiam hunc in modum sibi ipsi imprecatur: Ita mihi adsit in afflictis rebus meis Sancti huius meritum, & sic à capite, & barba mea pili maneant, quemadmodùm ego rectè asseuero terram hanc me iure obtinere. Eadem nocte acerba premitur corporis valetudine, vnguesque, & pili eius à capite, & barba prorsùs auelluntur. Territus tàm dira omnipotentis Dei castigatione, non solùm quod abstulerat reddit, sed duplo plùs etiam addit de suo, at tamen quoad vixit, nec capillos, nec barbam recuperauit.

20. *In vita S. Simeonis Salo c. 40.* Cuidam exactori furto surrepti sunt nummi quingenti. Cùmque is eos quæreret, occurrit ei Abbas Simeon. Dùmque se vellet conuertere, dixit ei; Potes aliquid facere, ò fatue, vt mei nummi inueniantur? ille autem dicit ei; certè, si velis; ille verò ei dixit; Fac, & si inuenti fuerint, do tibi decem. Dicit ei Salus; si quod tibi dixero facies, hac nocte eos inuenies in tuo armario. Ei ergo dato iureiurando est pollicitus, quòd si quid diceret, eum audiret, modò ne aliquid diceret importunum: is autem rursùs ei dixit; Abi, nummos tuos seruus Epicernes abstulit. Sed agè promitte mihi fore, vt neque ipsum, neque vllum è domo tua cedas. Eos enim cædebat acerrimè. Ille autem existimabat, eum dixisse, neminem esse cædēdum pro nūmis. Abbas verò Simeon dixit ei, vt neminem vnquàm cederet. Ei ergo promisit cùm sacramento formidabili, se nullum esse cæsurum. Abiēs ergo, seruum minimè repugnantem prehendit, & pecuniæ summam ab eo accepit. Accidit autem, vt cùm ab eo tempore vellet aliquem cædere, non potuerit, sed eius manus statim emarcuerit. Quod quidem agnoscens, dicebat; Re vera hoc ego à Salo acceptum fero; iuitq. ad eum, & dixit Solue iusiurandum. Ille autē statim stultum agebat, vt nesciret quidem, quid diceret. Cùm verò pergeret ei exhibere molestiam, ei apparet in somnis, & dicit ei; Ego verò soluam tuum iusiurandum, & tuum promissum, idque dissipabo, cur te turpiter, & indecorè geris? Quid vis tuos cædere conseruos, qui futuro sæculo te præcedent? Postquàm ergo hæc vidit, quieuit in posterùm.

21. *In vita S. Galli Abb. lib. 2. cap. 21.* Frumoldus quidam nomine, de possessione eius monasterii ancillas duas vi abstulit, & suæ seruituti subiecit. Is ab aduocato pro eisdem fœminis sæpiùs interpellatus, tandem censura Iudicum coactus est, vt eas vel monasterio redderet, vel suo iuri cùm sacramento in altare S. Galli peracto firmaret. Itaq. auaritia impellente, iuramentum paruipendens, monasterium cùm suis adiit, & ut adiudicatum fuerat, audacter peregit. Sed pro contemptu Sancti, ultio Dei eum festina præuenit. Nàm iuramento expleto, ad propria iturus, Basilicam egressus est, iumentoq. adducto, cùm super illud saliendo uellet ascendere, mēte captus, faciem suam ad posteriora equi insidendo conuertit. Æstimās itaq. id per famulorū contigisse neglectum, iratus ualdè resiliit, & caballum regyrari citiùs iussit. Cùmq. secunda, ac tertia uice ascendere cupiens, pari luderetur errore, tandem clientum adminiculo equo superpositus, monasterio cùm rubore discessit; non longè autem indè positum subitò eum dirus oculorum dolor inuasit, ac deindè per momenta singula decrescente uisu, cæcitatis horrore damnatum, materiali funditùs luce priuauit.

22. *In vita B. Ioannis Calibita*. Ad mortem in domo paterna licet ignotus parentibus cùm peruenisset B. Ioannes, matrem ita allocutus est: cùm nihil habeam, benedictionem quandam tibi volo derelinquere; sed iure iurando promittas velim, te facturam quæ dixero. Iurauit illa. Tùm ipse; per eum (inquit) te obtestor, per quem iurasti, ne iubeas me alia veste tectum sepeliri, nisi hac ipsa, quam nūc habeo; & in hoc ipso loco vbi tugurium meum est, facias me humari; quoniam neque aliis vestibus, neque nobiliori aliquo loco dignus sum. Hæc cùm dixisset, tradidit illi Euangelium, dicens: Hoc tibi in hac vita propugnaculum, & illius futuri æui bonum, tàm tibi, quàm viro tuo Domino meo sit viaticum. Agnouit mater Euangelium illud esse, quod filio suo à patre datum fuerat; Agnouit & pater: Agnoscendum se, et ipse præbuit, percontatus, dicens: Ego sum Ioannes filius vester. Sed illis lugentibus præ gaudio, & eiulantibus, Ioannes emisit spiritum. Oblita autem Mater quod iurauerat, laceratis filium exuens vestibus, & pretiosis induens, continuò paralytica effecta est: nec sanata, donec eisdem laceris vestibus, filii corpus iterùm induisset.

23. *In actis S. Eguuini Episcopi ap. Boll. x 1. Ian.* Rusticus quidam, partem terræ S. Eguuini surripuit, & cùm Iudices sanxisset, vt certo die veniret, & terram illam suam esse iuraret, puluerem de domo sua sumpsit, & sotulares (idest calceos) impleuit, vt tutè iurare posset, quòd super terram suā staret; Cùmque super reliquias S. Eguuini iuraturus manum porrigeret, ferro falcastro, quod in manu gestabat, nescio quo casu in cerebro percussus, subitò ad terram mortuus ruit, & vitam cùm terra coràm omnibus amisit.

24. *Ibidem in actis S. Maedhog, c. 8. 31. Ian.* Quidam fur, coronā de pecoribus S. Maedhog furatus est, & comedit. Cùmq. fur ille coràm S. Maedog iurare cæpisset, quòd animal illud non furatus esset, nec comedisset, auris coronæ ex labiis eius visa est; & omnes circumstantes deriserunt eum, glorificantes Christum in sancto suo, & ille confusus reuersus est.

25. *Marchantius in Hor. Par. li. 3. Tract. 3. Lect. 6.* Ann. Dom. 1599. die Nouemb. 29. in iurisditione Gerardimontensi in Flandria Haex redemptor vectigalium publicorum, impiè periurauit se quādam pecuniæ summam recepisse ab aliquibus, qui eam soluisse fatebantur, addiditq. se optare ab illo igne, qui in cubiculo ardebat, absumi posse, si quidquam vnquam recepisset. Nocte igitur eadem cùm ibidem commoratus fuisset, ab illo igne miserabiliter consumptus est, nemine nisi iàm mane facto, aduertente. Quinimmò eadem noctis hora soror Antonij, quæ in pago Roullartio quarta milliarii parte Gerardimontibus distante habitabat, dùm linum suum colo ad nendum aptaret, flamma ignis in linum, & stuppam se iniecit, illamque combussit.

26. *Ianus Nicius*. Anno 1598. mulier honesto loco nata, inopia, & egestate coacta, Roma discessit, ac profecta est Taliacotium, quod est oppidum in Marsiis, ibique cæpit virgines, quæ annum duodecimum non excederent, litteras docere, præterea acu pingere, Phrygiumque aliquod opus efficere, quamobrem discendi gratia multarum ad eam concursus fiebat; quarum vna accusata est apud ipsam, quòd alteri cultellum, scitè factum, surripuisset; quam ipsa primò blandè appellauit, rogauitq. vt, quod sustulisset, referret; sed postea impudentissimè neganti à se quidquam ablatum, interminata est, si mentiri persisteret, se de ea verberibus supplicium quàm longissimum esse sumpturam; at illa, quò omnem à se furti suspicionem remoueret, si mentior, inquit, D. Luciam deprecor, vt me luminibus orbam efficiat: vix biduum ab hac imprecatione intercesserat, cùm altero capta est oculo, adeò ut pupilla emarcesceret, & saniem foràs emitteret;

27. *Petrus Ribaden. in Principe, lib. 2. capit. 17.* Aistulphus Longobardorum Rex, initio Regni sui pacem cùm Zacharia Pontifice Romano, deindè cùm eiusdem successore Stephano II. innouatam iuramento confirmarat; sed quoniam ambitio, & imperii latiùs propagandi cupiditas tantùm iuris in animis Principum habet, iureiurando per summum facinus contempto, & Exarchate Rauennate in suam potestatem redato, Romam armis lacessere cæpit, vt eam, si posset, suæ ditioni adiūgeret; cùmq. multis frustrà tentatis, ad fidem seruandam induci, placariqne non potuisset, sanctissimus Pontifex Stephanus ad Deū supplex confugit, vt orationibus, ac lachrymis obtineret, quod ab impio Rege impetrare non poterat. Mandat ergo; iurisiurandi ab illo præstiti formulam tabulis exceptam ad Crucem prælatam affigi: ipse verò cùm populi Romani, clerique instructo agmine, in solemni publicæ supplicationis pompa nudis pedibus incedens, multis Antistitum comitantibus, Seruatoris imaginem miraculis illustrē humeris gestabat. Tàm religiosas preces sic exaudiuit Deus, vt armis Pipini Galliæ Regis coactus Aistulphus reddiderit Ecclesiæ quidquid per vim abstulerat, & non multò post miserandum in modum è viuis excesserit, excussus, & ab equo preceps lapsus, vel (vt alii narrant) ab apro dilaniatus.

28. *Idem ibidem*. Ludouicus Bosonis filius, ortus ex Caroli Magni stirpe, regnabat in Prouincia. Hic à quibusdam Italiæ Principibus Berengario infensis solicitatus, & potissimùm ab Adelberto Berengarii genero, spe Italici Regni illectus, montes transcendit, initoque prælio, in eas angustias à potentissimo hoste redactus est, vt eius potestati se traderet. Eum Berengarius, ex Italia excedere cupientem, pro sua clementia, liberum, atque incolumem in patriam redire permisit, iureiurando tamen adactum, se Italicis rebus temperaturum, nec deinceps arma moturum. Sed Ludouicus iurisiurandi immemor, & clementiæ, ac benignitatis, qua in in eum vsus fuerat Berengarius oblitus, deceptus cupiditate regnandi, & vana quadam spe, quam ex primatibus Italiæ quidam ostentabant, delusus, in Italiam reuertit; & post varios incerti Martis euentus, cùm esset Veronæ, in hostis manus iterùm incidit, à quo in perfidiæ, & ingrati animi pœnam, non oculis tantùm erutis, sed vsurpato per incuriam Regno priuatus est.

29. *Idem ibidem*. Sanctius Castellæ Rex, quem ex insidiis Vellidus Dolfius occidit, fassus est, tàm fæda morte se Deo perfidiæ vindici pœnas luisse: violauerat enim iusiurandum, ad quod eius Pater Ferdinandus eum adegerat, se Regnorum diuisionem à Patre factam seruaturum. Sanctii Frater Garzias Rex captus, ferreis vinculis in pedes iniectis, post nouemdecim annos carceris defunctus est; quod contra iuratam fidem sorori suæ Vrracæ, ditionem, quam illa à Patre acceperat auferre tentasset, ut scribunt auctores qui Cidi, & res Hispanicas litteris prodiderunt.

30. *Idem ibidem*. Iurauerat Vladislaus Hungarorum Rex fædus Amurathi Turcarum Imperatori; at paulò post fide posthabita, arma in ipsum direxit. Quo in bello, cùm Hungaricus exercitus pręualeret, Amurath ad cęlum oculos eleuans, manuque tenens chirographum, in quo fæderis conuentiones iuramento obfirmatæ erant: Hæ sunt, inquit, ò Iesu, quas in nomine tuo iurarunt Christriani pactiones, quasque temerare audent; si tu es verus Deus, vindica tuas, measque iniurias; quibus dictis, illicò facies belli est mutata, Vladislaus interfectus, fugati Hungari, Amurathque victoriam est consecutus.

31. *Cusp. ex Zonara*. Michael Cubicularius, cùm Zoe Regina Romani Argyropoli vxore, stupri comercium habebat. Imperator ad se vocato Michaele, de amore Reginæ interrogauit. Qui omnia inficiatus, iuramento per sacra interposito, fidem fecit, diris se, ac execrationibus deuouens, ut Regem falleret. Qui cùm illi fidem haberet, aliorum sermones, calumnias reputabat. Ob quam deierationem tamen Michael morbo sacro correptus est, qui usque ad eius mortem durauit.

32. *Polidorus*. Goduinus Cantianorum Comes, ab Edouardo Angliæ Rege de morte Fratris Alfredi inquisitus, iram Regis ueritus, cæpit se excusare, diuinumq. numen ad innocentiam declarandam, iusiurandum adiiciendo, perindè quasi cùm ignaro ageret, appellare, dicens: Si unquam, Rex, quicquam in necem Fratris tui, aut in tę machinatus sum, precor ut Dei nutu illud panis frustum me illicò strangulet. Quæ ubi dixerat, sumpto pane, subitò præclusis faucibus, suffocatus est, ac ita homicidium morte compensauit.

Similia uideantur in primo tomo, tit. Ignis uindex iustitiæ diuinæ. Aquæ uindices delictorum; & in præsenti; titulo, Subita morte in pœnam delictorum puniti, & alibi. Reliqua in Appendice.

Vota, quæ emittunt Catholici, à Deo acceptari, Admiranda prodigia demonstrant.

§. 10.

Fidelis Deus, & fideles exigit suæ Legis cultores; quibusq. illi summo Deo quandòque se obstringunt, uota se acceptare, illorumque inuiolabilem exigere obseruantiam, Admiranda quędam testantur. De quibus.

1. *Io. Bonifacius, de Hist. Virg. lib. 5.* Ægra quædam mulier, & uehementer affecta, pro quolibet sui corporis morbo, sanctissimæ Dei Matri munusculum vouerat quotannis persoluendum, & ad virginalem quandam Basilicam religiosè deferendum: Vouerat autem pro sua facultate tantùm, quantùm semidenario posset comparari. Neq. enim paupertas liberaliorem esse permiserat. Enim verò Christi feriis à morte se reuocàtis, lætissimi occasione diei, votiua pecuniola quod comederet emit obsonium. Cùm autem noctis tenebris quiescēdi causa cubuisset, manibus quæ votum violarant, ita repentè contrahitur, nihil vt posset efficere, sic enim diuina vltio dextram, sinistramq. fęminę in voto soluendo negligentis intorserat, vt intimas palmas, extorti, producti, ac prominentes vngues non modò perpungerent, sed etiam perforarent; sed orta & terris, & animo luce, cùm ad S. Germani Parisiensis Episc. celebrem miraculis tumulum adiisset, ac delicti pænituisset, sana regreditur, Regina Cæli curante, & Germanum ad miraculi partem aduocante.

2. *Theodoretus, in Hist. Relig. cap. 26.* Quidam Ismaelita, non obscuro loco natus, ex iis, qui in nomen salutare Domini Iesu crediderant, Deo votum fecerat, diuino viro Symeone teste, quòd deinceps abstineret ab esu cuiusuis animati. Hoc promissum nescio quomodò quodam tempore transgressus, occisam auem ausus est comedere. Cùm Deus autem eum per increpationem voluisset ad conuersionem deducere, & suum famulum honorare, qui fuerat testis promissi, quod is fuerat transgressus, mutata est in lapidis naturam caro auis, adeò vt nec si vellet quidem deinceps eo vesci posset. Hoc admirando, & incredibili spectaculo stupefactus barbarus, ad Sanctum venit quā celerrimè, quod erat occultum peccatum, in lucem proferens, & suam transgressionem omnibus enuncians, & delicti à Deo petens veniam, & Sancti auxilium inuocans: multi autem id videre miraculum, qui auis partem ex osse, & lapide constantem viderunt in eius pectore.

3. *In vita S. Engelberti Ep. Coloniensis*. Anselmus Pastor Coloniæ ad S. Brigidam, vir doctus, & bonus, adeò scabiosas habuit manus, vt lepram præseferre viderentur, nec ille præ verecundia cùm quoquam cibum capere vellet. Admonuit eum sacerdos quidam, vt inuiseret sepulchrum martyris Engelberti. Venit ad sepulchrum, imponit illi manus, votum facit martyri, & eadem hora, ipso admirante, tanquàm squammæ quædam ceciderunt de manibus eius. Sed cùm meliùs habere cæpisset, non stetit promissis. Redit scabies, & præuaricator voti redit ad cor, iterat votum, & ocyùs curatur.

4. *In vita B. Vedasti Ep. Atrebatensis*. Quædam mulier vouerat B. Pontifici Vedasto linteum valdè bonum. Cùmq. sibi finem vitæ cerneret imminere, præcepit filiæ illud loco deferri destinato. At illa cupiditate ducta, vt mos est fęminis, deteriùs, immò comparatione illius pessimum altari superposuit. Cùmq. cùm sua egrederetur fraude, linteolum diuino nutu proiectum est ab altari. Videres cùm impetu volasse rem insensatam, ac propriam requirentem Dominam. Cùmq. tertiò repositum esset altari, & tertiò reiectum, conuersa est mulier, & confessa reddidit Sancto, quod abstulerat furto.

5. *Iord. Saxon. lib. 2. de com. cap. 13.* Quidam Iuuenis passus fuerat magnam infirmitatem in

parte inferiori, vt potè quia ruptus erat. In qua infirmitate cùm stetisset per magnum tempus, votum fecit Beato Augustino, & facta oratione liberatus est. Et quia votum, quod fecerat, minimè adimpleuit, infirmitas illa post modicum tempus rediit; cùmque iterùm per sex menses passus esset, iterùm votum fecit, & adimpleuit, & continuò liberatus est.

6. *Sedulius in vita S. Ludouici Episcopi Tolos. cap.* 20. Ioannes, ciuis Massiliensis, grauiter laborabat podagra ex altero pede, vt gradi non posset, perpetuùmque torquebatur summo dolore: ille gratiam implorans Sancti Viri, vouet illi tibiam ceream cùm pede pro salute; dicto citiùs curatus est, sed negligens votum soluere, eodem afficitur tormento, votum autem repetens, & reddens, liberatus fuit.

7. *In actis Sancti Virgilij, apud Canisium tom.* 2. Quidam ciuis Hallensis cambiendos ferens denarios, dùm equo vectus ad ciuitatem Salisburgi tenderet, sepulchrum Sancti Virgilij visitare, & pro facultate sua oblationem ponere secùm tacitus proposuit. Veniens autem, vel negotii occupatione, aut obliuione distractus, insalutatis reliquiis domum redire cæpit. Dùm igitur ab vrbe longiùs processisset, equus, licet calcaribus vrgeretur, non tantùm progredi recusauit, sed & restitit, quinimmò ad ciuitatem regressus, ad hospitiũ vndè exierat rediit. Hospita verò domus, qua nunc causa rediisset interrogante, cuiusdam negotii agendi gratia se reuersum confessus est. Rursùs iter arripiens, domumque tendens, non longè progressus ab vrbe, sicut antea factus retrogradus, hospitium suum iteratò petiit. Hospita iterùm sciscitante causam sui reditus, & satis mirante, finxit aliud sibi superfuisse negotium, quod cùm tertiò accidisset, indicauit denique rei veritatem, quòd à cæpta via totiès reuocatus fuisset, quoniam iuxta propositum suum Beato Virgilio votiuam hostiam offerre neglexisset; quo facto, recto calle domum perrexit.

8. *Crantzius in Suecia lib.* 3. *cap.* 18. Clodoueus Francorum Rex, cùm Alaricum VVisigotorum Regem prostrauisset, ac persoluendi voti causa, equum, cui victor insedisset, B. Martino Turonis obtulisset, actum est, ne equus Ecclesiæ relinqueretur, sed Regi, & Ecclesiæ commodiùs futurum si pecunia redimeretur. Clodoueus igitur centum aureos solidos obtulit: equus parùm se existimari animaduertens, immobilis stetit, neque reduci se passus est. Cùm autem Clodoueus duplicasset, quasi æquiore se pretio æstimatum equus nouisset in via se dedit, & passus est reduci.

9. *In vita S. Remacli Episc. l.* 1. *mir. c.* 9. Quidam, arietem vouerat Sancto Viro, iàmque eum ducebat ad eius Ecclesiam. Vbi autem in monasterii conspectum venit, tentante eum sathana, mutat sententiam, mactatoque ariete, ea nocte egregiè epulatur, totamque pecudem cùm suis deuorat. Sed non dormitat cælestis vindicta: Nàm misero illi os, & vultus ferè ad aures retorquentur, talique deformitate affectus, clamat se voti reum: sicque discedens, non priùs eo vitio caruit, quàm vita.

10. *Metellus Tegersensis, de Sancto Quirino Martyre.* Bouem quis vouerat Sancto Quirino; at alter furto ablatum, nullatenùs valens iungere, & vsui habere, pretio redemit, quod sponsor in votum obtulit. Interim bos dùm arctiùs stringitur, emptore vulnerato, se loris excussit, & ad Beatum Quirinum decurrit, quem insecutor non priùs quàm ante templum martyris assequi potuit.

11. *Petr. de Natal. li.* 5. *cap.* 136. *de Sancto Leufredo Abb.* A Desiderio Episcopo, propter inuidiam, eo quòd in eius Diæcesi se inclusisset, ipsius licentia non petita, tentus est Leufredus, & in equo contra votum suum leuatus, eo quòd nunquam equum ascendere proposuisset, ad ciuitatem adductus est, contra quem Episcopus inquirere disponebat; statimque vt ad Episcopatum peruenit, equi viscera, cui sanctus insidebat, dirupta sunt. Quod Episcopus videns, ab eo veniam petiit, ipsumque in pace dimisit.

12. *Fridericus Fornerus, de Virgine Vueyerensi.* Gasparus Francus, ciuis, & Lanio Bambergensis, amplissimum ducentorum circiter Taurorum Polonicorum gregem Brigæ coemerat, & Bambergam agere constituerat. Grassabatur tunc temporis armentaria lues per totum tractum Septentrionalem, & boues illos præpingui corpulentia spectabiles ita iàm corruperat, vt nec dimidiatus eorum numerus integer, & incolumis remaneret. Vix enim oppidulum, cui à Gallo nomen, attigerat, cùm iàm quinquaginta duo capita amisisset, subuerebatur, quod & aliis contigerat, totum gregem irreparabili iactura pessum iturum. Huic vt perniciei, quantùm in se esset, protinùs accurreret, coràm viæ, & negotii consortibus expressè, conceptisque verbis vouet; Sacra Virgo Vueyerensis, *si* tu armenta hæc quæ supersunt, *salua & illæsa domũ* perduxeris, vbi ad S. Ecclesiam tuam in Vueyer, meo in transitu deuenero, aut optimum è toto numero bouem, aut eius pretium, in ære numerato ad vsus sacræ domus tuæ, votiui muneris ergo persoluam. Dictum, factum. Eadem ipsa hora morbidi boues, quotquot veneno illo conflictabantur, *omnes* conualescunt, & quadraginta germanicarum *leu*carum spatio Bambergensis territorii *confinia* feliciter attingunt, & Vueyerensem tractum paulatim post se relinquunt. Tempus iàm imminebat, vt voti reus à reatu se expediret; At ille pænitens promissi, & subdubitans, nimium esse, quod sponderat, idque forsàm ex animi impotentia aliqua potiùs, quàm deliberata voluntate profectum, indè pro integro, & pinguissimo boue, aureum nummum, ducatonem appellari mos est, votiui anathematis loco dependit. Res mira inaudita! retractat ille promissum, reuocat Dei Mater subsidium. Ecce enim quàm primùm Vueyerensi domo vale dixerat, totius gregis facilè princeps, & nitidissimo abdomine conspicuus inter alios taurus contagione corripitur, & post in Isacensi valle cadit, expirat, carniuorisque feris, ac volucribus in prædam cedit. Sed quid de reliquo grege? & ipsum pestifera lues denuò inuadit, nec vno quidem boue saluo, aut sano. Sic ergo malè

lè affectos ex animo dolens, Bambergam ægerrimè perducit; vbi integri octidui adhibita medela, nè hilum quidem proficit. Animaduertit tunc ille in voti violati pœnam hæc illi accidisse. Depromptis itaque viginti quinque Rhenensibus florenis, sic enim prima emptione vnumquodque caput taxabatur, addito voti noui superpondio, per expeditum equitem ad Vueyerense Virginis domicilium præpeti festinatione trāsmittit. Vbi primùm lytrom illud votiuum Virg. aram attigit, eodem momēto Bambergę boues alij ad vnū omnes, pessimè iàm pridem affecti, periculoue proximi, integram sanitatem adipiscuntur, ita vt ne vngula quidem de toto numero pessum iuerit. Nouum insuper aliud compendium addidit liberalissima benefactrix: nàm resanati boues in saginam dati, carnositate pariter, luculentaque pinguedine sic accreuerunt, vt mactati partim, & partim diuenditi, pretium eorum, qui lue illa perierunt, lucroso cùm fœnore compensarint.

13. *Pepe in mirabilibus S. Caietani, m.46.* Propriæ Nauis onerariæ, dum Brundusio Neapolim nauigaret, sponsorem sibi elegerat D. Caietanum, Nauta quidam, doliumque olei eidem deuouerat; at voti immemor, dolium promissum onerare desitit; cùm ecce subitò diris agitatū mare procellis, nauem è littore soluere haùd permisit: Voti recordatus, dolium naui imposuit, factaque subitò tranquillitate, iter viginti dierum, feliciter solis quinq. diebus confecit, Neapolitanumque portum est assequutus.

14. *Idem ibidem, m.93.* Deuouerat D.Caietano quædam mulier, Lucia nomine, Neapolitana, cereum brachium, ob miraculosè acceptam sanitatem, ex improuiso casu, brachij fracti; at voti immemor, quod promiserat haùd effecit; Tunc brachium pristina affectum est fractura: facti pœnitens, cereum obtulit brachium, statimque carneum sanatum est.

15. *Idem ibidem, m.215.* Proprios deuouerat crines B.Caietano, ob gratiam ab eodem Fratri impetratam Ioanna de Roberto; at à Patre, maritoque impedita, votum exequi haùd poterat: Nocte igitur quadam apparuit ei Diuus Caietanus, partemque crinium rescidit, iussitque vt alteram partem eorum in Ecclesia rescinderet, quod & fecit.

16. *In vita B. Saluatoris ab Horta ord. Minor.* Quædam matrona ex vrbe Ilerdensi, vxor cuiusdam publici professoris Legum, cui nomen Rubios, liberorum desiderio, quibus carebat, tenebatur, à B. Saluatore ab Horta postulauit, vt eius precibus voti compos fieret; respondit Dei seruus; id quod cupis obtinebis nunquam, nisi à ludo abstineas; Sancto illa promisit, se aleas nunquàm in manus ad ludum sumpturam. Tunc Beatus; I domum, inquit, filiam habebis, sed caue ludos, & promissionem tuam ne frangas: nàm filia non plùs viuet, quàm tu à ludo abstinueris: conditione accepta, filiam peperit, & promissum firmauit. Tandem post aliquos annos cùm ad ludum inuitaretur, oblita promissi, votum violauit, filiaq. est priuata.

17. *Cæsarius lib. 9. mir. cap. 64.* Cùm semel in Monasterio, quod Fumoringens dicitur, in Pictauiensi diæcesi, quidam conuersus ad mortem infirmatus esset, ad eumque delata fuisset sacra Eucharistia, eam nullo modo, nulla vi deglutire potuit, aperto enim ore ad eam suscipiendam, illud ad masticandum nulla vi claudere valuit: impedimentum à quinque solidis, non argenteis, sed æreis contra paupertatis votum extitit, qui apud eum, cùm post obitum lauandus esset, inuenti sunt, atque ob eam causam in campum prophanum cùm suis solidis humatus.

18. *In lib. de viris illustribus ord. Cisterciensis.* Certa relatione agnouimus, quia Abbas quidam in Saxonia, quoddam cœnobium Cisterciense regens, panno terræ illius nequaquam vti dignabatur, sed pretiosos de Flandria pannos, annuatim sibi contra paupertatis votum comparari faciebat. Quo defuncto, cùm monachi vestiméta eius inter se partirentur, Prior domus, vnam de tunicis eius sibi retinuit, quam cùm quadam solemni nocte quasi pro reuerētia indueret, tamquàm si candentibus laminis cādentis ęris vteretur, terribiliter exclamauit, & detestabilē vestem longiùs à se proiecit. Quæ proiecta, velut candens ferrum, scintillas ex se emittere visa est. Attoniti autem stupore miraculi cæteri, qui de anathemate illo aliquid rapuerant, cùm omni velocitate partes singulas in medium proferunt, & in vnum locum componunt, scintillis creberrimis vndique quasi de clibano ardenti micantibus. Nec cessauit exitiale prodigium, quousque vicini Abbates in testimonium tàm tremendi iudicii Dei acciti sunt.

19. *In annal. Minor. an.* 1261. *numer.* 13. Quidam ex minoritis ad Cistercienses transiuit, sed dùm votum de perpetuo profitendo religiosissimo hoc instituto vellet emittere, densa cæcitate fuit perculsus, nec vlla arte visum potuit recuperare, donec ad suos, ipsis suadentibus monachis, regrederetur, votaque quæ in ea religione promiserat, in eadem adimpleret.

20. *Theodoricus Abb. in vita S. Trudonis lib.* 2. *cap.* 11. Hartfridus Trudonis consanguineus, continentię voto, non amore, quem gratia remunerat, sed timore potiùs, quem iustitia punire solet, se se obstrinxerat. Is postea promissionis immemor, coniugium postulat, implet, & consummat. Nocte verò sequenti, ecce vir Dei, tota sanctitatis suæ coopertus auctoritate, cùm terrore ad eum ingrediens sic increpat: Cur violata fide, vxorem ducere non timuisti? quàm frustrà hoc feceris, vel ex hoc intellige, quamuis vxoratus sis, semper tamen eris sine sobole: & virga, quam gerebat, percutiens in fœmore; signum, ait, id sit neglectæ promissionis, donec viues, curuo crure, incessu male prono damnaberis. Expergefactus homo, eruditus eo verbere, agnouit auctoritatem, & culpam fatetur; mutatus in melius, comam deponit, & monasterium ingreditur, vbi vitam castigatè satis emendat.

21. *Marchantius ex Petro Damiano.* In maris tempestate deprehensus quidam, futurum se monachum affectuosa sponsione deuouit; sed naufragio erutus, votum soluere huius vitæ amore contempsit.

tempsit. Expleto anno, ipso die, quo votum Domino suæ conuersionis obtulerat, Kalendis Ianuarii, dùm hinc indè discurrens cùm aliis iuuenibus luderet, & choros duceret, cùm scurrilibus cantilenis; subitò lapsa super eum tegula de tecto occidit, & obtriuit: sic infelix ille, qui mundum deserere noluit vltroneus, amisit inuitus, & fallacem carnis dulcedinem perdidit, quia amando carnem, mentitus est veritati.

22. *Stengelius, de faustis, & infaustis matrim. cap.* 18. In celebri quadam Germaniæ ciuitate par coniugum conuenerat, nominatis parentibus ortum. Habitabant in abundantia opum, & deliciarum. Maritus antiqui moris, neque fallaciis se ptus erat. Vxor sedula, & laboriosa. Citò post nuptias venerant in spem hæredis acquirendi. Altero enim mense vterus tumescebat; sed non durauit ea spes diù. Tertius enim mensis vix abierat medius, cùm & conceptus ex vtero fructus abiit. In luctu fuerunt parentes; sed paulò post eum luctum noua spes pepulit, vtero demùm crescente. Verùm & hæc lętitia non perseuerauit, nisi ad mensem quartum. Eo, misera mulier secundam passa est abortionem. Postea & tertiam. Deindè & quartam, semperque tardiorem, ac difficiliorem. In quinto tandem abortu, penè interiit, mortuo grandiore puero, edito per ingentes cruciatus. Euasit tamen ex hoc quoque naufragio. Vbi tabulas collegit, & ad vires rediit, apud varios medicos videns se diù frustrà remedium quæsiuisse, animę medicum adiuit, à quo ad me adducta. Ego cùm quærerem, an non meminisset, se in aliqua re, Dei iram meruisse, intellexi, illam aliquandò concionatoris oratione incensam, puellari feruore, voto se se castitatis obstrinxisse, quo nondùm soluta, nupsisset. Suasi, vt dispensationem peteret. Ea impetrata, postea feliciter enixa est, neque vnquàm ampliùs in partu periclitata.

Cælebs Catholicorum vita miraculis comprobata.
§. II.

GRunniant contra catholicorum quorundam cælibem vitam, immundissima sectariorum animalia, illiusque, quam in se ipsa consecrauit Deipara, Virginitatis sequaces diris prosequantur contumeliis: Cælum ipsum admirandis demonstrabit prodigiis, hoc fragrantissimo virtutis flore delectari. Sunt autem.

1. *S. Hieronymus in epist. 7. ad Latam*. Prætextata nobilissima fæmina, iubente viro Hymetio, patruo Eustochii Virginis, negletum eius crinem mundano more pexuit, siue texuit; & ecce tibi eadem nocte cernit in somnis Angelum terribili voce minitantem: tu ne ausa es viri imperium præferre Christo? tu caput Virginis Dei ausa es sacrilegis attrectare manibus? quæ nunc iàm arescent, & post mensem quartum ad Inferna duceris; ac si perseuerаueris in scelere, & marito orbaberis, & filiis: Quæ omnia per ordinem expleta sunt: sic vlciscitur Christus violatores templi sui; sic gemmas, & pretiosissima ornamenta defendit.

2. *In vita S. Patritij, cap.* 88. Cùm S. Patritius Treham Virginem consecrasset, ab angelo Domini velum capiti eius impositum est, vsque ad nares pertingens, & oculos contegens; Sanctissimus Antistes apposuit manum, ab oculis amouere velum volens, sed puella suppliciter prohibuit, dicens. Obsecro mi domine, dimittatur velum, sicuti est capiti ancillæ tuæ impositum, ne videant vlteriùs oculi mei huius sæculi vanitatem, sed intuitu potiùs puriori homo interior, sponsi mei contempletur claritatem. At gaudens Pontifex proposito puellę purissimo, velamentum dimisit; & sicut cælitùs erat impositum, genas eius turturinas, & oculos columbinos, omni tempore vitæ suæ cooperiens, ac si faciei eius agglutinatum esset, remansit. Sic, huius sacri velaminis obiectu, quælibet illecebrosa species ab aditu ad illam arcebatur, ne mors vllatenùs per fenestras eius ingrederetur.

3. *In eadem vita S. Patritij cap.* 112. Quadam vice cùm S. Patritius consecrasset duas Virgines in campo sito in finibus Cregri, quoddam *velum destinatum* cælitus cecidit in gremio Patritii; quod Sanctus suscipiens summa cùm deuotione, virgini cõsecratæ posteriùs illud obtulit; sed illa tali munere, tàm sancto eulogio indignā se iudicans, S. Antistiti dixit; quoniam istud datum optimum, donumq. perfectum descendens à Patre luminum, mihi peccatrici missum non est, congruum arbitror, vt ipse habeas, cui delatum est, aut conferas alteri, quæ me melior est. Applaudens sanctus Virginis humilitati, imposuit velum illud illius capiti; præcipiens vt illud gestaret iugiter, donec introduceretur in thalamum sponsi sui. Virgo præcepto Pontificis acquieuit, sanctèque viuens, sanctissimo fine in Domino requieuit.

4. *Philip. Ferr. mense Apr. die 25. de S. Franca, Virg. Placentina*. Cùm sacrum capiti eius velamen imponeret Episcopus, Angelus alio eiusdem caput tegere visus est.

5. *In vita S. Aldegundis Virginis*. Hæc vrgebatur à parentibus nobilissimis, vt nuberet Principi, Angliæ Regis filio. Dies nuptiarum iàm decreta erat, ipsa licet dissentiente. Ea nocte, qua aduentabat Princeps, è domo paterna se se surripit, in syluam, Malbodium nuncupatam, perrectura, vt *ibi* lateat. Quæritur puella à domesticis, quæritur & à sponso; præsidio noctis se tutam arbitrabatur; at illo insequente, deprehenditur in angustiis, Sambra fluuio vlteriorem gressum prohibente. Quid ageret? Tumultum ad se aduentantium equitum inaudit; nec tàm sponsum existimat, quàm virginitatis hostem aduenire. Rem igitur tacita oratione Deo commendat, & magna in eum iacta fiducia, super liquidum, & impermeabile elementum gradum figit solidum, opitulantibus duobus, dextra, leuaque, Angelis; Sic euadit incolumis, spectante, vt dicitur, sponso, qui diuinum admiratus miraculum, plenus stupore, ab incæpto desistens retrogreditur. Quid deindè illa? Cùm paucis exinde diebus audisset, sanctos Autbertum, & Amandum Episcopos, in cænobium Altimontense (Malbodio hora distans) aduenisse, nudis pedibus illùc peregit, perfusa lachrymis eis aduoluitur, obsecrat ut eorum ope cælesti sponso per votum castitatis consecretur, sicque parentum importuno desiderio

ad

ad coniugium terrenum adspiranti, terminum imponat; dùm verò annuunt illi, & per preces sacras Benedictum virginitatis velum solemni ritu imponere parant, ecce columba diuinitùs missa, velum è terra pedibus, rostroque in sublime eleuat, & Virginis vouentis capiti imponit, cùm omnium stupore. Huius rei adhùc memoria est in dicto monasterio, in sacello dicto S. Aldegundis. Et velum istud maximo cùm honore seruatur apud Malbodienses Nobiles Canonissas, quæ patrimonio, & patrocinio S. Aldegundis fruuntur.

6. *In vita S. Glodesindis Virg.* Vbi tempus aduenit vt ad nuptias traderetur, à parentibus ex more matrimonio decernitur. At pia Virgo, quæ cælesti sponso virginitatem vouerat, domum paternam deserens, Metim Mediomatricum vrbem fugit, & Ecclesiam ingressa, intra altare, & confessionem se profugam abdidit. Parentes puellam insecuti, è sacro profugii loco omni arte adhibita extrahere conabantur, sed frustrà, permansitque ibi sex dies nihil terreni cibi, aut potus gustans, sed solis diuinis alimentis recreata. Instante die septimo, qui erat Dominicus, vir quidam vultu angelico, duobus pueris formosissimis sequentibus, sub omnium conspectu aduenit, partemque altaris, qua virgo sacratissima pudoris tuendi causa celabatur, rectà ingressus, velamen, quod est sanctæ religionis specimen, cunctis cernentibus, in eius caput imposuit. Moxque cùm duobus pueris ab eorum oculis sublatus, rei magnitudine, & nouitate omnium animos obstupefecit, atque adeò propè mentis inopes effecit, vt neque proloqui quicquam, neque quinam, aut vndè illi essent, qui eò aduenerant, sciscitari possent; cùm verò ea visione ablata, ad se rediissent, & sanctam virginem ita velatam conspicerent, facilè animaduerterunt, angelos illis apparuisse, totumque quod viderant, diuinitùs fuisse. Itaque non se vltrà opposuere virgini, sed ad eius vestigia humi prostrati omni feritatis tumore in supplices gestus mutato, pro irrogatis iniurijs veniam petierunt. Nec verò apud eius animum, cui spiritus pietatis, & Rex mansuetudinis præsidebat, difficilis fuit ea veniæ impetratio, sed confestim, perindè ac si nihil esset perpessa molestiæ, in integram cùm parentibus, & cæteris gratiam rediit.

7. *In vita S. Milburgæ Virg.* Cùm vice quadam S. Milburga Virgo Vuenlochii in Anglia, extra monasterium in quadam villa nomine Stokes moraretur, filius Regis cuiusdam eam per violentiam rapere, & in coniugium sibi copulare affectabat. Et collecta militum manu cùm moliretur sibi prædam facere de Virgine, ostensa cælitùs famulæ Christi iuuenis nequitia, fuga statim cùm familia præparatur. Interea vir ille temerarius ad locum veniens, & Virg. non inueniens, lupo rapidior, agnam Christi fugientẽ insequitur. Erat ibi amnis quidam nomine Corf vado meabilis, & alueo mediocris, quẽ Virgo cùm suis fugiens leuiter transiuit, & persecutor iniquus transire non potuit. Nàm aqua subitò intumescens, omnem transeuntibus semitam denegabat. Confusus itaque iuuenis, & attonitus, ampliùs Virgini talia inferre non præsumpsit. Huic simile euenit S. Austrebertæ Virg. & Abbatissæ Pauliacensi; dùm enim à parentibus ad nuptias cogeretur, fugiens cùm paruo fratre, fluuium aquis innundantem, præmisso Crucis signo, secura pertransiuit.

8. *Surius in vita S. Anastasiæ marty. de Virginibus, Agape, Irene, & Chionia.* Parato tribunali iùbet adduci has Virgines Præfectus; Postquàm autẽ adductæ sunt, iussit eas adstare nudas. Postquã verò virgineis illis corporibus manus admouere lictores (ò Domine opifex rerum admirabilium) tunicæ tamquàm secundæ carnes, & pelles, circumcirca extensæ virginibus inhærebant, coalescentes, & coniunctæ primis carnibus, & ossibus. Cepit eos, qui videbant, admiratio propter rem admirabilem, & quæ erat præter opinionem, & stupor inuasit eos qui audiebant.

9. *Pet. de Natal. lib. 8. capit. 29. de B. Euphemia, Dorothea, Thecla, & Erasma, marty.* Mandauit Præses, virgines nudas per totam ciuitatem Aquileiæ circumduci. Orante verò Euphemia, Angelus Domini operuit eas stola candida, & corpora illarum restituit omninò illæsa, ita vt nec cicatrix in eis appareret.

10. *In actis S. Eudociæ m.* Cùm S. Eudocia, m. vt suspenderetur, à satellitibus cingulo tenùs fuisset denudata, Angelus stola candida conspicuus, nudum eius pectus atque humeros velo candidissimo texit.

11. *In actis S. Agnetis Virg.* S. Agnetem Virginem, quam iussu tyranni exutam crines mira sui diffusione contexerunt, Sydereus Genius luce primùm, ac dein stola candidissima conuestiuit.

12. *In Hist. Hungarica, de B. Margarita Hungarica.* Quadam nocte, cùm essent densissimæ tenebræ, duxit Margarita quandam sororem ad locum admodùm secretum, vt ibi manibus eius verberaretur: vbi cùm se spoliasset, & carnem nudam exposuisset, lux copiosa de cęlo super eam descendit, & totam illustrans domum, tandiù durauit, donec completa verberatione, vestes resumpsit: quibus vbi se induit, lux euanuit, & duæ sorores, quæ hęc viderant, accurrerunt, vt se precibus eius commendarent.

13. *Surius in Iannu.* Cùm S. Flauiam Virg. & m. sororem S. Placidi, quidam impudicè offendere vellent, hæsere manibus, & brachiis arefactis, quot voluerunt eam amplexari.

14. *Rodericus Sanctius.* Alfonsus V. Legionis Rex, Tęresiam sororem suam cuidam Abdalæ Saraceno Regi Toleti vxorem dedit, vt ei auxilium præstaret, contra Regem Cordubæ. Ipsa autem renuens, suasit Abdalæ, ne se tangeret, à Christo filio Dei alioqui percutiendus. At Rex impius talia deridens, eam complecti tentauit: sed illicò ab Angelo percussus est quasi ad mortem. Quare, vocatis familiaribus, sanctam Virginem, auro, argento, ac pretiosis vestibus onustam ad Legionem remisit, quæ in monasterio sancti Pelagii vitam cælibem fecit.

15. *Surius in vita S. Roberti Abb. Casæ Dei.* Statim ac prodiit in lucem S. Robertus, delatus est cùm matre ad castrum, & sicut fieri solet, cuidam mu-

mulieri traditur ad lactandum. Quem cùm illa mammæ admouisset, gustare noluit, non tàm lactis detestatus odorem, quàm peccati lactantis horrorem, Patuit continuò, cùm & matris vbera libens suxit, & ad priorem illam, tentandi causa adhibitus, rursùm despexit. Mulier enim illa meretrix erat, & ob hoc infans, cùm lac respueret, damnauit peccatum.

16. *Idem in vita S. Catharinæ Virginis Suec.* Cùm adhùc in cunis versaretur S. Catharina filia S. Brigittæ, adhibita illi nutrice, eius vbera sugere noluit, lasciuia, & vitæ eius turpitudine, vt probabilis est coniectura, absterrita. Sanctæ enim matris suæ, & aliarum pudicarum mulierum vbera citrà horrorem sugebat, ab incontinentibus fæminis cùm lachrymis, & vagitu prorsùs abhorrens.

17. *Idem in vita Sancti Lamberti Episcopi.* Cùm insidijs perfidæ Alpaidis, Pipini Regis Pellicis, impiè necatus fuisset S. Lambertus Episcopus Tungrensis; exposito illius venerando corpore, omnibusque siue vllo repulso ad osculandum admissis, si qua pellex accederet, mox quasi turbine quodam exagitata, retrocedere compellebatur.

18. *Vincentius Barralis, in Chronol. S. S. Insulæ Lerinensis.* Cùm transferretur corpus S. Arnulphi Metensis Episcopi, deuenissentque portitores feretri ad pagum Caluomontensem, in quo habitabat vir quidam ob incestum scandalosum sæpè à sancto dùm viueret correctus, sed nunquàm emendatus; ecce vbi ad fines telluris hominis istius accessit sacrum cadauer, illicò fixi remanserunt pedes feretrum portantium, ita vt nulla illis facultas suppeteret sacra membra vlteriùs transferendi; ex quo miraculo omnes crediderunt, Sãctum haud permittere velle sacrum eius corpus nec transferri per locum vbi impudicus ille viuebat; Per aliam igitur viam sacras exuuias deportare statuentes, illicò pristinum robur acquisiuere, celeriterque feretrum asportantes, portari se potiùs, quàm portare videbantur.

19. *In actis S. Didaci ord. Minorum.* Cùm ex cadauere S. Didaci ord. S. Francisci suauissimus odor efflaret, ita vt cubiculum illius fragrantia repleretur, omnesque adstantes magna afficerentur delectatione. Illud commemorabile est, atque admiratione dignissimum, eam odoris iucunditatem sensu percipi nequaquàm ab iis potuisse, qui tetris peccatorum sordibus se se inquinassent. Vbi verò de iis rectè confessi sunt, gratissimum indè odorem senserunt.

20. *In vita S. Liduuigis Virg. lib. 2. capit. 30.* Propter fortissimam passionum suarum tolerantiam, per frequentem cùm Angelis familiaritatem, atque in cœlestibus conuersationem, hæc virgo ad tantam peruenerat puritatem, vt ab indignis, & immundis hominibus per manus attacta adhùc viuens, nonnunquàm visibiliter maculas contraheret, quarum nigredines per biduum, vel triduum in manibus eius remanserunt, quæ priùs in ea visæ non fuerunt. Sic & post obitum eius simile quid accidit; nàm cùm facies eius post mortem ipsius tanto splendore radiaret, accessit quędam matrona cùm aliis visitationis gratia, & orarium suum, quod manibus tenebat, super faciem eius ex deuotione, sicut putabat, circumduxit. Statimque facies Virginalis ex illo contactu successiuè notabiliter est obscurata; quapropter cùm corpus eius in Ecclesia positum esset, & quidam ad aspectum astantium postularent illud manifestari, & feminum sibi aperiri, cæteri qui huiusmodi obscurationem nouerant, omninò hoc fieri prohibuerunt, timentes ne si ampliùs ex indignorum aspectu obscurata fuisset; alii indè scandalizarentur.

21. *Sylos in Hist. Cleric. Reg. Par. 3. lib. 2.* Sacerdos quidam ex nostris, ampullam cùm incorrupto, & recenti sanguine Ioannis Scorcouilli, integerrimæ virtutis, & castimoniæ apud nostros viri, ante aliquot annos extincti, cuiusdam piissimæ fæminæ fidei commendauit, quoadusque ad breue tempus ab eo loco discessurus, regrederetur; Præclarum pignus decenti quidem loco reposuit mulier; verùm cùm non ita post multò inspiceret, quod *viuidum* omninò, fluidumque acceperat, concretum reperit. Dolere, conqueri, addubitare ne sua culpa id accidisset. Rediit tandem sacerdos, nec sine morsu animi, ac verecundia, concreti sanguinis ampullã affert fæmina; mirũ sanè dictu; & restituit, vt rediit priscus decor, liquatusque, ac solutus veluti in lætitiam cruor. Scilicet qui puritati in primis studuit Ioannes, attineri suum sanguinem muliebri sub tectu ferre haud ęquo animo potuit; tenuitque mæror, quoad subductus fæminæ manibus fuerit.

22. *Iacobus à Vitriaco, in vita S. Mariæ Ognacensis.* Mariæ Ognacensis, dùm manum familiaris quidam amicus eius spirituali affectu, & si non absque motu aliquo carnis primo, & inculpato, artiùs stringeret, vocem ab excelso audiuit: Noli me tangere: Quam cùm amico aperuisset, cautionem eum reddidit.

23. *In vita B. Christianæ Virg. ap. Bollandum 10. Ianuarij.* Tantus à prima ætate lasciuarum, turpiumque rerum eius animum horror incesserat, vt si quod audisset verbum minùs honestum proferri, illicò ad vomitum prouocaretur; atque adeò grauem à frequenti vomitu ægritudinem incurrerit. Tandem verò eiusmodi vomitum patienti, vox diuinitùs elapsa est, monens vti aures appositis manibus obturaret, ne obscæna illa haurire verba cogerentur. Paret illa cælesti monito. Nec frustrà: valetudinem illicò recuperat.

24. *In actis S.S. Feb. tom. 3. in Cont. Boll.* Cùm S. Romana Virgo, quæ Tuderti in Vmbria veneratur, à parentibus honorato coniugio desponsari tentaretur. Ipsa, quæ Deo virginitatem vouerat, cælestis sponsi patrocinium suppliciter exorauit: & ecce ad hoc cælitùs missa candidissima columba has protulit voces. Melior est via iustorum, quàm Principum: Tunc relinquens patriam, & parentes, vitam solitariam eligens, ibidem cælesti sponso vacauit. Vbi tandem niuea è cælo aduolans columba supra ipsius caput adstitit, atque istas protulit voces: Via iustorum recta; Sanctorum semita, quæ ad cœlum peruenient, parata; Domine omnes qui ad te confugiunt, non confundentur in eternum: Quibus vocibus intellexit, se ad cælestẽ sponsũ in cęlũ euocari, cui paulò post cãdidam animã reddidit.

25. *In actis S. Brigidæ Kildariensis Abbatissæ*. Quo tempore S. Brigida Hiberniensis habitum S. Augustini induta, solemnem ante pedes Episcopi emittebat professionem, virginitatemque Deo spondebat, columna ignea supra illius caput pendere mirabiliter visa est; gradusque altaris è ligno sicco, & arido ad illius contactum statim viridis mirabiliter euenit, oculusque eius, quem precibus ad Deum fusis amiserat, vt nuptias sibi paratas deuitaret, subitò sanatus est dùm sacrum velamen reciperet.

26. *Surius in vita S. Emerici filij Vngaror. Regis 4. Nou.* Cùm aliquandò S. Rex monasterium S. Martini, quod ipse in monte Pannoniæ ingenti sumptu fundarat, & egregia monachorum sodalitate impleuerat, orandi causa vellet inuisere, Emericum filium suum, eius itineris comitem sibi adhibuit, non ignorans quanta Dei gratia puer ille polleret. Vbi autem ad monasterium propiùs accessit, monachi honoris causa instituta processione illi obuiã venere, vt ea qua par erat, reuerentia eum exciperent. Sed Rex sciens filii preclara merita, eum iussit antecedere, Fratresque illos salutare, tùm vt ea ratione illos honestaret, tùm vt filio honor ipsi paratus, impenderetur. Venit ergo Emericus ad Fratres, accipitur honorificétissimè, osculatur singulos, non tamen eodem omnes modo, sed pro ratione meritorũ, quæ reuelãte spiritu Dei cognouerat, aliis duo, aliis tria, plerisq. quatuor, uel quinq. vni Mauro septem oscula dedit. Quod cùm cerneret Pater eius, & si filiũ nihil ea in re temerè fecisse existimaret, non potuit tamen ob rei nouitatem non admirari. Itaque peracto sacrificio, familiariter, & accuratè ex eo percontatur, cur non iisdem omnes Patres osculis impertiisset. Respõdet ille, se pro ratione temporis, quo singuli continenter vixissent, aliis plura, aliis pauciora oscula distribuisse. Eum autem quem septies osculatus esset, virginem permansisse ait: atque ex eo septennario numero virginitatis præstantiam intelligi debere, quæ virtutes alias antecellat, & ad cordium vsque intimos recessus, qui soli Deo patescunt, penetret, & reconditas hominum mentes intueatur.

27. *Chrys. Henriquez in notis ad Menol. Cist. 16. Octobris, de B. Bernardo Caluonio Abb. & Episcopo Viquensi*. Id in eius vita legitur, quòd cùm in quodam castro concionaretur, & fæminæ aliquæ non ignobiles, eius pulchritudinem mirãtes, dentium ipsius albedinem, & æqualitatem laudarẽt, ipse earum cogitationes diuinitate deprehendens, & diuino spiritu ductus, accepto lapide omnes denter oris sui confregit, quos illicò in illas proiecit, earum turpia desideria acriter, & prudenter reprehendens (at mirum dictu) licet dentibus careret, nec in cibo, nec in concionibus quidquam detrimenti læsio illa attulit illi.

28. *Surius 12. Maij*. Nortmanni, vrbem Treuirorum statuerant inuadere, ac vastare, soliti nec sexui, nec ætati parcere; mox Germaniam, & Galliam populaturi. Id vbi senserunt sanctimoniales cænobii, quod fundauerat S. Modoaldus Episcopus Treuirensis, præoptantes mori, quàm fædari, supplicabundæ, aduoluerunt se ad sepulchrum S. Antistitis, & patrocinium suæ virginitati periclitanti perrogarunt. Res mira, intra dies paucissimos, ex hac luce vitæ migrarunt omnes, ac sepultæ cùm flore pudicitiæ illibato placidissimè quieuerunt, priùsquam vrbe Nortmanni potirentur.

29. *Ascanius Persius, in Hist. Imaginis B. Virginis Montis Guardiæ propè Bononiam*. Anno 1588. duæ mulieres quæstum corpore Bononiæ facientes, quarum altera inter sui ordinis primarias, collecta sibi multorum gratia, opibusque florebat, templo adito, conueniunt custodes, imaginemque, vt sibi commonstrent, exorant. Aeditua ipsa ad patefaciendam eam profecta, clauique seræ indita, diù frustrà luctata est, vt eius vertigine pessulum propelleret. Ad extremum socias aduocat, si id illæ perficere possint. Quod cùm neque iis succederet, meretrices frustrato euentu indè discedunt. His digressis, cùm virgines de re insuitata, ac noua conquiescere non possent, armarium repetunt, atq. id ipsum denuò pertentant. Statim id infixa claui resignatur. Indè exorta suspicio, mulierum illarum culpam, contumacem seram fuisse, quæ fortè impudiciciæ labe conquinatæ, huiusce intuitu imaginis indignæ forent. Paucis post hæc diebus elapsis, ad templum reuertitur nobilis illa meretrix, atq. appellatis virginibus, quæ sua illùc vsq. fuisset vitæ conditio, ingenuè fatetur; hinc ne mirentur, ait, si inanem operã, dùm sibi ostendere imaginem contenderent, diebus superioribus sũpsissent. Grauari enim purissimæ Virg. simulacrum, se se impuræ fæminæ conspiciendum offerre. Ex eo itaque conscientiæ stimulis haùd secùs atque œstro percitam, cùm tot admissa ab se flagitia, toties diuinum offensum numen, dies, noctesque versaret animo, decreuisse, ad id sibi æterna pace conciliandum, humanis se rebus abdicantem, turpissima lustra, ganeumque, cùm honestissimis Cõuersarum mulierum claustris commutare; vt paulò post factum. Maximas igitur se gratias agere Virgini Deiparæ, quod maximum ipsi, negato suæ imaginis adspectu, beneficium dedisset, ex ea re scilicet ad frugem correctæ.

30. *Arnoldus Rayssius, in auct. ad nat. S.S. Belgij 30. Septembris, de Beato Gulielmo Abbate*. Rem sanè miram dicturus sum, in qua Deus maximè Gulielmi confirmasse virginitatem mihi videtur. Nàm post eius obitum, corpus lauantibus, ac in diuersas partes voluentibus, tanta claritas circa locum genitalium apparuit, vt faciliùs Solis splendorem in rota sua radiantem intuerentur, quàm huius deifici luminis fulgorem oculos carnales reuerberantem possent sustinere: nec apparuit in præfato loco aliquod vestigium genitalium, sed locus ibidem totus planus, & equus inuentus, reuerberans oculos intuentium claritate nimia. Ingens sanè portentum, ac miraculum, sed quod aptissimè prodigiosam, & admirabilem illius castitatem animis mortalium testatam relinquebat.

31. *Thomas Cantiprat. lib. 2. apum capit. 30.* S. Ludouicus Chatalaunensium Episcopus, fuit vir corpore venustissimus, & pudicus. Quem vt vidit quędam Galliarum Regina, oculos coniecit in eum, & oportuno loco vocatum, ad concubitum inuitauit. Quam ille toruo vultu, & oculo indignanti despi-

despiciens, verbis mirificis confutauit. Cuius oculus post mortem, etiam in sicco cadauere extingui vel caligari non poterat.

32. *Rbò lib. 7. Var. virtutum cap. 1.* Maria ab Iesu è Sandoualia gente, sanctimonialis, ex illis vna quæ Gandia Mantuam Carpentanorum in coloniam ductæ, priscam illam Claræ disciplinam seueriorem renouarunt, rarum præbuit sui ipsius spectaculum cùm eius funus duceretur. Nàm procùl tuentibus manus, ac pedes, qui ex disciplina extabant nudi, admirabili quodam candore fulgere visi sunt, quasi ex indico ebore affabrè essent elaborati. Cuius rei suspicione propriùs accedere ausis plerisque, atque attentiùs inspicere, cùm non mutaret color, idemque splendor emicaret, vulgò sibi persuasere arcanum id virginibus illis esse artificii, vt eburneas manus, ac pedes ad decorem elatis, atque productis affingerent. Quid si Mariæ subfuscas, atque ab opere callosas, horridasque manus fuisse sciuissent? sed ignorabant virginitati in morte tàm benè esse, vt illius in sinu diuitias explicet suas.

33. *S. Thomas dist. 3. quæst. 1. art. 2. quæstiuncula prima.* Cùm tanta esset B. Virginis Mariæ pulchritudo, tamen tantùm abest, vti eius aspectu, quis ad libidinem incitaretur, vt potiùs quos B. Virgo conspexisset, concupiscentiæ in eis motus extingueret; ideò tantę pulchritudinis excellentiam in Virgine nullus videre poterat, qui eam mundo corde non conspexisset.

34. *In actis B. Oringæ Virginis ap. Boll. 10. Ian.* Ad eum pertigerat innocentiæ gradum Oringa, vt corpore esse incorruptibili videretur. Porrò etsi venusta facie esset, ac per quàm iuuenis, atque cùm hominibus satis familiariter conuersaretur, salutaribus eos monitis erudiens; videbatur tamen nec ipsa alteri cuipiam, nec ipsi quisquam inhonestę esse tentationis occasio.

35. *In vita B. Coletæ Virg. cap. 26.* Licet B. Coleta à permultis visitaretur bonis, & malis, essetq. formosa valdè, sicut ipsa nullum inhonestè concupiuit, ita nec sciri potest quemquam illam inhonestè concupiuisse: immò verò, si qui libidine inflammati ad eam accessissent, eos, illa conspecta, castos abijsse.

36. *Ibidem cap. 79.* In Francia, Princeps quidam præpotēs, priùsquàm vidisset Coletam, mundo huic deditus, fastuosus, delicatus, & lubricus fuit. At postea, Coleta intercedente, ex mundano factus est religiosus, ex fastuoso humilis, ex lubrico spiritualis, ex delicato erga se rigidus, & seuerus. Testabatur ille crebrò coràm multis non vulgaribus hominibus, idque sumpta sacrosancta Eucharistia, se posteaquàm vidisset Coletæ faciem, nunquam carnis tentationem sensisse.

37. *Ibidem.* In Franciæ Regno fuit quædam nobilissima matrona, vita laudabili, fama celebri, multa pietate, & misericordia, utriusque sexus liberis abundans. Vnus autem ex filiis eius, qui ferè semper hærebat domi, spurcissimo incitante Dæmone, miserè cæpit amare fæminam quandam, & tandem post multos lasciuos sermones, adspectus, & tactus, ventum est ad mutuum consensum operis nefarii perpetrandi. Soli deerat temporis, & loci opportunitas. Illis verò in hoc detestando proposito permanentibus, quidam religiosus, quem illa matrona miserat ad inuisendam Coletam, erga quam singulari erat animi deuotione, & amore, attulit ad eam ipsam matronam à Coleta missam zonam, vel funem, quo solebat illa stringere suum habitum, eumque obtulit matronæ præsente filio eius, tàm turpi tentatione vexato. Qui cùm illum funem vidisset, repentè totus mutatus est, adeò vt semper fugeret loca, in quibus erat illa puella, quam tàm perditè amauerat: quòd si non posset subterfugere, quin videret illam, propterea quòd esset cùm matre sua, non sine dolore, & abominatione id faciebat. Tandem meritis Coletæ vtroque ab ea tentatione liberato, puella iuncta matrimonio est, corpore integra, & familia nobilis fædam ignominiæ notam euasit.

38. *In vita S. Margaritæ Virg. Rauen. ap. Boll. 23. Ian.* Hæc, cùm quidam ex iis, qui piè erga ipsam afficiebantur, carnalibus desideriis grauissimè pulsaretur, eumque iàm iàm succubiturum cognosceret, egregiè eum confirmauit, & ad resistendum adhortata est, dicens minimè eos coronari qui hostibus terga præbuissent. At ille cùm diffidens, ac desperans de victoria, humili prece nihilominùs eius opem imploraret, coacta tandem in hæc verba eum affata est. Quandò quidem adeò diffidas de re, quę tibi facilis obtentu esset, si quantùm in te est, conniti velles, assero profectò in posterùm nunquam tibi ab huius vitii conflictu periculū, negotiumue fore à quo ne supereris, tantoperè times; sed carebis quoque corona, quam fortiter depugnando consequi potuisses. Ecce autem eo ipso temporis puncto sensit se vexatione illa liberatum, adeò vt absque periculo post cùm fæminis agere posset, perindè ac si ad infantium integritatem rediisset.

39. *In vita S. Thomæ Aquinatis.* Mulierem, quæ ad labefactandam eius constantiam introducta fuerat, titione fugauit D. Thomas; moxque beatus Iuuenis flexis genibus ante signum Crucis orans, ibique somno correptus per quietem sentire visus est sibi ab Angelis constringi lumbos; quo ex tempore omni postea libidinis sensu caruit.

40. *In vita B. Ioannis Boni, ord. S. Augustini.* Hunc Beatum virum in Eremo viuentem, luxuriæ inquinamento impugnare cæpit Dæmon, mulieris formam obiiciendo, quam aliquandò conspexerat. Cùm autem sic vehementer incenderetur, doloris incendio carnis extinxit incendium. Nàm accipiens arundinem, & multas acutissimas in partes diuidēs, eas sub vnguibus posuit; eleuãsq. manus, super lapidem ita percussit, vt ad extremū digitorū penetrarent. Vndè præ dolore in terram lapsus, tribus diebus, ac noctibus semiuiuus permansit. Non deserit seruum suum pius Dominus: in somnis enim apparens, dixit: Quia benè cæpisti, benè perseuerabis, & feliciter cōsummabis vitam. Quia verò ita viriliter contra tentationes dimicasti, de cætero non tentaberis. Qui statim excitatus, sanum se conspiciens, gratias retulit saluatori.

41. *Sylos in Hist. Cleric. Part. 1. lib. 7.* Venetiis, nobilis

nobilis quædam Virgo praui spiritus conatibus, integra quidem mentis puritate, libatam corporis pudiciciam, floremq. deperdiderat; cùm ad S. Caietanum confugere decreuit, neq. elusa fiducia est. Si quidem imploranti obiecit se se veneranda quadam oris specie Caietanus, factoque Crucis signo, non modò quæ fœdare animum solebant rerum turpissimarum imagines expunxit; verùm etiam visus ruinam corporis reparasse, & quem, incusso etiam verbere, decusserant mali genii florem restituisse.

42. *In vita Sanctæ Hildegardis Virg. lib. 3. cap. 9.* In Episcopatu Treuirorum, Lutgardis quædam nobilis puella, cùm adolescentuli cuiusdam ad carnem speciosi, vehementi amore deperiret, quia copiam explendæ voluptatis suæ præ sui custodia habere nequiret, parentes eius, causa rescita huiusmodi defectionis, consilium S. Virginis Hildegardis, per nuncium fideliter expetierunt: & pro desiderio cordis sui efficaciter exauri meruerunt. Ipsa enim oratione præmissa ad Deum, panem profusis lachrymis benedixit de sua mensa, quem puellæ missum, cùm dedissent ad comedendum, illicò ardoris illius penitùs in ea refriguit incendium.

43. *Vincentius libr. 24. Spec. Hist. cap. 92. de S. Mederico Abb.* Quidam monachus, cùm libidinis æstu grauiter vreretur, & hoc pio Patri Mederico indicasset, ille tunicam, qua induebatur, illi ad induendum direxit, qua induta, illicò Dæmon incensor ipsius mali, fugiendo delituit, vocibus magnis proclamans: S. Mederice cur me incendis tuis precibus, vasculum, quod diù possederam abstulisti, & me inextinguibili incendio mancipasti: Tunc Sanctus diuina voce eum increpauit, & ille abscessit, & monachus postmodùm in tanta sanctitate permansit, vt plurimæ per eum virtutes efficerentur.

44. *In vita S. Colmani.* Diuinitùs monitus est S. Colmanus de cella eo loci extruenda, quo primùm eius zona, seù cingulum in terram caderet. Cùm verò quadam vice per syluam deambularet, cingulum cecidit in loco quodam non multùm remoto à priori eius habitaculo, ibique cellam extruxit. Illud autem viri Dei cingulum, in honorem sacri, quod succinxerat, corporis, in summo postea pretio habitum, auro, gemmisque celatum, in hunc vsque diem apud illustrem, & perantiquæ nobilitatis familiam de Osechnasaigh, velut sacrũ patrimonium, & auitæ virtutis symbolum, in summa veneratione asseruatur. De quo inter multa, quæ mirifica, & verè singulari Dei clementia per illud exhibentur curationum genera, illud insigne, & continuò memorabile occurrit, quod frequens experientia comprobauit. Quilibet enim quancùmcumq. corpulentus, aut obesus, qui virginitatem seruauit illibatam, potest se illo cingulo præcingere: qui verò virginitatem in aliquo violauit, quantùmcumq. sit, vel tener ætate, vel gracilis, aut strigosus corpore, nunquam illud sibi obducere, vel in eo se concludere poterit: ita scilicet vt castissimorum lumborum Beati viri sacrum cinctorium, dedignetur alios, quàm illæsi pudoris florem redolentes, intra se admittere.

45. *Cæsarius lib. 8. cap. 67.* Quidam monachus, Bernardus nomine, quodam tempore ante conuersionem nescio quò iturus, reliquias Beatorum martyrum Ioannis, & Pauli in capsula ad latus portabat, quem cùm carnis incentiua ad delectationem mouerent, sancti martyres, quia motus illicitus restringere non conaretur, per capsulam latus eius durè satis tundere cæperunt; quod cùm ille non aduerteret, & motibus libidinosis quiescentibus, etiam tunsiones cessarent, per horas aliquas, cùm iterùm titillationes surgerent, renouatæ sunt & punctiones, ac si Sancti suum baiulum voce prophetica increparent, dicentes: mundare qui fers vasa Domini.

46. *Surius in vita S. Vualerici.* Illud hìc omittendum non duxi, quomodò Deus obscæna loquentes etiam in hac vita castiget: cùm enim Sanctus Vualericus Abbas hyberno tempore, ab eo loco, quem Caldem vocant, ad suum monasterium rediret, in ipso itinere ob nimiam frigoris acerbitatem ad presbyteri cuiusdam domicilium cùm suis se se calefacturus diuertit. At illi, qui tantum hospitem summoperè venerari, & reuerenter excipere debebant, vt eius sacris sermonibus instrui mererentur, ad turpia, & obscæna iactanda verba, vnà cùm eius loci Iudice, prorumpunt: ille contra, vti consueuerat, putridis, & corruptis hominum vulneribus salubria cælestis verbi cataplasmata adhibebat, aitque ad illos: non audiuistis, filii, illud ex Euangeliis; de omni verbo otioso reddituros nos rationem in die Iudicii? ea oratione nihil permoti, contempto viro Dei multò etiam fædiores, & impuriores vomebant sermones. Tùm ille, volui quidem in tàm acri frigore non nihil corpusculum meum ad ignem refouere, sed vestræ id non sinunt linguæ impurissimæ, quæ me etiam frigore afflictum hinc abire compellunt: his dictis, excusso in eos pedum suorum puluere, abscessit. Ecce autem in procaces, & spurcos illos mox vltio diuina grassatur: & presbyter quidem repentè vtroque orbatus est lumine, & Iudicis membra genitalia computruerunt. Tùm illi præsentem Dei vindictam malè experti, conantur verbis supplicibus ad se virum sanctum reuocare, sed frustrà; & alter quidem cæcus permansit; alter verò contracto corpore, & putrescente inguine, extinctus est.

47. *Sylos, in vita Vener. Francisci Olympij, Cler. Reg. lib. 2. cap. 12.* Impetrauerat vir quidam, cui nomen Nicolaus Antonius, ab amico epistolam exaratam manu Ven. Francisci Olympii ex nostris, eamque ceù præsens aliquod amuletum, ac religionis ergo secum ferre consueuerat. Accidit vt is iterfaciẽs, præcipiti quadam occasione, sensuq. voluptatis vehementer incitatus, dimoueri de continentiæ gradu permiserit. Post lapsum, vellicari maximè interiore quodam animi morsu sensit, quòd Olympii litteris nõ eam, quæ deceret, reuerentiam exhibuisset: ausus nempè cum iis, id piaculi admittere. Subiit interim animo illas inspicere, ac dùm explicat, aduertit, integra quidem pagina, quidquid inerat Olympii characteris, ita obliteratum, vt præter leuissima quædam vestigia, quæ ostenderent fuis-

se nonnihil inibi inscriptum, cæterùm non verba, non litteræ, non apices ibi litterarum extarent.

Videantur similia tom. 1. libr. 2. capit. 1. §. 10. in titulo, Per ignem innocentia in calumniis illucescit; & in hoc tom. lib. 2. cap. 2. §. 1. in tit. Corporis defectus à Deo impetrati, & lib. 3. cap. 7. §. 3. in tit. Coniugia cùm admirabili continentia; & libr. 5. in app. ad cap. 3. Ecclesiæ, seù loca sacra perennibus prodigiis admiranda, & lib. 6. cap. 2. §. 5. & 6. Defunctorum prodigiosi motus ad pietatem souendam, seù impietatem redarguendam; & alibi.

Eleemosynarum in pauperes pia distributio, cælitùs Admirandis firmata.

§. 12.

FÆnerari catholicos, cùm largitiones pias pauperibus, vel potiùs Deo, distribuunt, Deum siquidem centum pro vno reddere; quæ dicta fuere in tom. primo lib. 4. cùm de multiplicitate diuinitùs facta quorundam mixtorum, apertè demonstrant. Alia hic tamen adnectam admiranda, has Catholicorum pias elargitiones diuinitùs comprobantia. Sunt autem.

1. *Baronius an.* 411. Euagrius ex Philosopho Christianus, quoniam à Synesio Episcopo Cyrenensi olim sodali suo inaudierat, fœnerari Deo, ac lucrari plurimùm eos, qui pauperi benè, ac liberaliter fecerint, eidem dedit aureos trecentos; accipe, inquiens, aurum istud, & distribue illud pauperibus, & fac mihi cautionem manu tua; quòd Christus mihi ipsum reddet in futuro sæculo. Annuit Synesius, chirographum dedit, & cùm eo Euagrius postea moriendo sepeliri voluit; sed vix in tumulo triduùm iacuerat; cùm secundùm quietem visus est Episcopo adesse, atque ita eum alloqui. Veni ad sepulchrum, vbi iaceo, & accipe chirographum tuum; accepi enim debitum, & satisfactum est mihi; atque vt certior eius rei fias, propria subscripsi manu. Ergo Synesius manè cùm Clero, & liberis Euagrij sepulchrum adit; eoque patefacto, in manu eius chirographum vidit, in quo resolutis signaculis, charactere satis recenti hæc legebantur; Ego Euagrius Philosophus, tibi sanctissimo Domino Synesio Episcopo, salutem. Accepi debitum in his litteris manu tua conscriptum, satisfactumque mihi est, & nullum contra te habeo ius propter aurum quod dedi tibi, & per te Christo Deo, & Saluatori nostro. Mansit verò diù chirographum hoc in sacrario Ecclesiæ Cyrenensis, perpetuum huius admirandi fænoris monumentum.

2. *Idem ann.* 459. Marcianus Oeconomus Ecclesiæ Constantinopolitanæ, fuit tàm profusæ in pauperes liberalitatis, vt postquàm omnia alia erogauerat, demùm vni illorum stipem flagitanti dederit ipsam tunicam, qua intùs amiciebatur. Mansit verò cùm sola veste sacerdotali, eamq. contrahens vndique studiosiùs, nuditatem corporis tegere adnitebatur. Attamen Gennadius Patriarcha eum intuens, dùm aræ operabatur, & sacram Synaxim distribueret, vidit veste auro intertexta ipsum tegi; vt propterea mysterijs peractis ipsum redargueret, quòd Imperatoribus duntaxat congruere videbatur. Re ipsa tamen nudus deprehensus est, dùm res exploraretur, nisi quòd verè aurea eum charitas ornaret.

3. *S. Vincentius Ferr. serm. de Natiuitate Domini.* Pius quidam mercator Valentiæ solitus erat singulis annis in die Natalis Domini, ad honorem Iesu, Mariæ, & Ioseph inuitare ad mensã pauperculam fœminam, filium infantem in brachio gestantem, nec non & pauperem senem, qui matrem, & filium comitaretur. Quod obsequium adeò Deo gratum fuit, vt mercatori moribundo Christus, Deipara, & Ioseph apparuerint, dicentes: quia nos hùcusque per annos singulos tàm grato suscepisti animo in hospitium tuum, nos vicissim te in æterna tabernacula suscipimus regnaturum.

4. *In vita S. Catharinæ Senensis.* Orante illa quandòque in Ecclesia Dominicanorum Senensi, quidam mendicus ab ea petiit opem. Illa cùm nihil haberet apud se, rogauit vt expectaret donec esset reuersa domum. At illo dicente, se tàm diù expectare non posse, sancta Virgo eius non ferens afflictionem, anxiè cogitare cæpit, quidnam ei dare posset. Mox succurrit ei habere apud se crucem paruam argenteam. Eam igitur pauperi hilariter dedit, isque ea accepta lætus abscessit. Nocte proxima Christus Virgini oranti apparuit, eamque crucem ostendit, multis gemmis egregiè ornatam, promisitq. ei, se in die iudicii eam coràm tota Angelorum, & hominum frequentia ostensurum.

5. *In vita S. Stephani Hungariæ Regis.* Liberalissimus fuit S. Rex in pauperes, eorumq. amantissimus, quarum virtutum merito, illius dextera, resoluto cætero corpore, in tumulo incorrupta permansit.

6. *Beda lib. 3. Hist. Anglicanæ.* Osualdus Anglorum Rex magnas in pauperes elargiebatur eleemosynas; quapropter & eius dextera incorrupta post mortem ad multos annos durauit.

7. *Ferrarius in Catal. S.S. 4. Iulij, de B. Ioanne Rauello Episcopo Ferrariensi.* Cùm præfecto domus, vt cuidam pauperi mulierculæ panem, vinum, & alia necessaria deferens subueniret, præcepisset Beatus Ioannes, isque se, vbi illa habitaret, nescire diceret, tolle inquit, hoc orarium, ac ibi res deponito, vbi ante ostium illud exciderit. Eo itaque eunte, strictimque orarium manu tenente, ante ostium illius pauperculæ illud sibi excidit.

8. *Sylos in Hist. Cler. Reg. par. 1. lib. 14.* Accumbebat aliquandò mensæ Ven. noster Paulus Aretius, Cardinalis, tùncque Placentiæ Episcopus; cùm subiit animo inops quædam fœmina, quam enixam proxima nocte puerum, omnique mortalium ope destitutam, iacere fæno inaudiuerat, exiguaquadam in domo ad Deiparam à Campagna. Nec mora; ire seruum iussit, annonamque mulieri deferre; qui cùm scire se domum negaret; diuina quadam mente Cardinalis abire nihilominùs imperauit Marianum illud cænobium versùs, tantùm linteolum sumeret, brachioque imponeret, vbi illud cecidisset, sciret ibi fœminam habitare. Hoc ille

ille monito, facturus imperata abscessit. At enim alia fortè cogitatione abreptus, oblitusque linteoli, vltra per imprudentiam processerat; cùm datam tesseram recordatus, cognouit excidisse iàm brachio, nec planè aduertisse. Quocirca rediens per vestigia, lapsam illam propè ostiolum quoddam vidit; quod ingressus, puerperam haud molliore cubantem in culcitra, quàm fæno, reperit; accepitque illa missum à Cardinali prandium, veluti è cælo delapsum.

9. *Zachar.Bouer.in annal. Capuccin. an.1552. de Fr.Matthæo à Bascio.* Vir quidam nobilis, qui illum ægrotantem audierat; nonnulla ad eum edulia sacchаro condita per famulum mittit: Ea simulac Vir Dei conspexit, famulo inquit. Munera hæc nobilium, non pauperum sunt: quæ cùm minùs mihi necessaria sint, aliis magis prodesse valent. Quapropter ostendam, fili mi, quid agere debeas. Hinc non procùl abest familia quædam, rerum omnium indigua, atque ad summam rerum egestatem redacta: quæ hac Domini tui liberalitate maximè subleuari potest. Iàm ergo dictis meis acquiesce: sume canistrum, atque hos cibos ad eam festinatò defer: At verò cùm se famulus excusaret, quòd domum, ac familiam ignoraret. Nec id te angat (inquit) erit, qui te, & viam, domum, & familiam doceat; Hinc digressus, eam tibi elige viam, quam tibi spiritus dictauerit, ac per eam tandiù perge, quoad panniculus hic lineus, quo canistrum tegitur, spontè ante domus cuiusdam fores decidat: tu ibi gradum siste: moxque eam domum ingressus, in ea cibos relinque: ea enim necessitatis domus est, cui hæc à Deo fercula parantur. Pergit ille dicto parens; cùmque vnum, aut alterum viculum, quò tenderet ignorans, pertransisset. En repentè panniculum, velut vento flante, vi à canistro auelli, & ante cuiusdam domus ostium euolare cernit. Obstupescit ille, domumque ingressus, pauperculam quandam mulierem, quæ tunc fætum enixa fuerat, in lecto iacentem, ac plurima filiorum turba septam reperit; quibus nihil ad victum in domo reliquum supererat. Huic ille cibos elargitur, atque ob insolitum factum, in summam animi admirationem raptus, rem vti acciderat Domino suo refert; quæ mox per vrbem diffusa, plerosque variis morbis affectos permouit, vt ad sanctum virum vndiq. pro curatione accederent.

10. *Ioannes Moschus in Prat.Spir. capit.85.* In monasterio Abb.Theodosij in Scopulo, inter Seleuciam, & Rosum Ciliciæ, consuetudo fuit, vt in cœna Domini pauperes omnes, & pupilli regionis huius confluerent hùc, & acciperent medium tritici sextarium, benedictiones tredecim, & sextarium vini, mediumque sextarium mellis pro quolibet. Ante hoc autem triennium magna tritici sterilitas fuit, vendebaturque triticum in regione hac, sextarii duodecim vno numismate. Cùm ergo venissent ieiunii dies, dicunt Abbati nostro quidam ex Fratribus: Noli Domine Pater secundùm consuedinem dare pauperibus triticum, ne desit monasterio, triticum enim non inuenitur. Abbas autem cæpit dicere fratribus: Non infringamus, filii, benedictionem patris nostri Theodosii. Videte, mandatum senis est, non expedit nobis illud transgredi; verè ipse est, qui curam nostri gerit. Fratres autem in sua perstiterunt sententia, dicentes Abbati: Non suppetit nobis quod dare possimus. Tunc Abbas contristatus ait illis: Ite, & secundùm quod vultis facite. Non itaq; vt consuetum erat, dederunt benedictionem in die Sancto Cęnæ, & Parasceues. Profectus postmodùm qui præerat horreis, aperuit ostia, & reperit triticum totum germinasse: quare coacti postea sunt illud in mare proiicere. Tunc cæpit Abbas noster dicere fratribus. Qui Patris nostri monita irrita facit, ista patitur; labores nunc inobedientiæ metite. Quingentos modios daturi eramus, & Patri nostro Teodosio per obedientiam placuissemus; Fratresque nostros pauperes consolati fuissemus; nunc verò quinque ferè millia modiorum tritici perdidimus.

11. *Amphilochius, in vita S.Basilij.* Semel accessit ad S.Basilium muliercula orans, vt eius haberet curam, velut qui apud Prouinciæ Præsidem authoritate valeret. At ille accepta charta, hæc in ea præsidi exarauit. Adiit me mulier paupercula, dicens, posse me apud te. Si ergo possum; ostende: Et tradit chartam mulieri. Illa verò profecta reddidit epistolam Præsidi. At ille vbi legit; ista rescripsit. Volui, Pater sancte, vestri causa misereri mulierem; sed non potui, quòd ærario publico obnoxia sit. Basilius autem rescripsit secũdò; Si quidem voluisti, nec potuisti, benè fuerit; sin autem potuisti, & noluisti, te Deus in egenorum rediget chorum, vt non possis, cùm volueris; acciditque vt in scriptura minatus fuerat Sanctus. Non diù enim post, indignationem Imperatoris expertus circumagebatur vinctus, iis facturus satis, quos iniuria affecisset. Tunc miser, supplex Basilio efficitur, rogatque, vt precibus, offensum placet Imperatoris animum. Quod & fecit.

12. *In actis S.S.Feb. tom. 2. in Cont. Bollandi.* Ascendente per flumen Mosellæ in Germania, (in cuius ripa erat cella S.Castoris presbyteri) naui magna, sale, aliisque mercimoniis plena, exiuit pauper Castor, qui totum reliquerat mundum, paululùm salis rogatum, magis ad necessitatem Fratrum, quàm ad vsum proprium. Cùmque inuerecundè, & pertinaci, vt ita dicam, auaritia, institores nauis viro Dei quæsitum sal denegarent, orta repentina tempestate, nauis quidem iusto Dei iudicio patuit naufragio. Iustum quippe erat, vt quoniam minimam partem seruo Dei negarent, totum quod ex eo habebant, amitterent. Cùm verò iustum Dei sentirent in suo damno iudicium, tùm demùm, tarda quidem, sed salutari pænitentia ducti, opportunam meruere sentire misericordiam. Facto sanè à Dei Seruo signaculo Crucis, nauis, quam modò tempestas aquis obruit, illacerata, & absque omni damno, statim ab aquis emersit.

13. *Greg.Turonensis, de Glor. Confess.cap.107. de S.Paulino Nolano, & Tarasia eius vxore.* Quadam die venit ad Paulinum qui stipem peteret, & ait vxori; vade, & da ei, quod habet necessarium; quæ respondit. Non est nobis ampliùs quàm

vnus panis; cui ille, Vade, inquit, porrige eum; Dominus enim dabit nobis victum; sed illa quasi strenua reseruari cupiens, ne aliquid deesset, porrigere noluit. Interea aduenerunt quidam dicentes, missos se à Dominis suis, vt illi annonæ, ac vini deferrent speciem; sed per hoc se moratos, quòd orta tempestas vnam eis cùm tritico abstulerit nauem. Tunc vir Dei conuersus ad mulierem, ait: Intellige nunc pauperi te vnum panem fuisse furatam, & ideò hanc nauem esse mersam.

14. *Colganus in vita S. Senani*. Christi seruus Senanus in via ad suos pergens, & siti laborans, accedit ad cuiusdam viri Principis arcem, in qua conuiuium Domino tunc absenti præparabatur, & haustum diuinæ retributionis intuitu mendicat; sed mali serui renuunt. Sic famulus Christi siti, & fame laborans, cogitur discedere. Dùm Princeps venit, mensæ consternuntur, cibi apponuntur, qui omnes reperiuntur putridi, & fœtidi, & potus, vt aqua cloacæ fœtens. Princeps miraculo commotus, petit an eo die aliqui aduenæ, vel hospites accesserint, quid egerint, quomodò tractati? Serui enarrant rem, vt contingit, & quomodò haustum vni peregrino mendico negauerint. Princeps iubet hunc vndique exquiri, & inuentum ad se reduci. Qui reductus, & à bono Principe rogatus, mensam, & apposita benedidixit; & illicò cibi, & potus resumunt suum pristinum saporem, & odorem; adstantibus, miram Dei bonitatem, & erga suos seruos dignationem magnificantibus, & extollentibus.

15. *In actis S. Fursei*. Cùm Atrebati apud quandã Dominam hospitium peteret Furseus, eaq. recusaret, morbo est correpta; à quo vt liberaretur sanctum virum reuocauit. Qui renuit quidem venire; absens autem eam sanauit.

16. *Martinus Delrius lib. 3. Disq. mag. par. 1. quæst. 7. sec. 1.* In Sueuia, Bauaris, & Franconibus finitima, fuit quidam nobilis valdè diues, & opulentus, nomine Rickbergerus, cuius annui reditus supra triginta millia nummùm aureorum extendebantur. Hic, tametsi in reliquis vitæ actionibus, non vulgari laude dignus censebatur, ineffabili tamen cupiditate laborabat: eaq. factum est, vt quotidiè per fas, & nefas accumulare, omniaque ad se rapere studeret. Cùm itaque prospiceret annonæ caritatem, quæ proximo anno in ea regione subsecuta est, sua horrea tritico, & frugibus impleuit, magnoque pretio ea diuendere cæpit: adeò vt indigenæ compulsi ab eo victum emere, ob inexhaustam eius auaritiam, vel fame prorsùs perirent, vel, si ali & sustentari vellent, ad magnam egestatem, atque inopiam redigerentur: tam carè illi granum, & reliqua eius generis diuendebat. Ad hunc præter alios innumeros, venit quidam pauper, & liberis onustus, cùm sex taleris, eumque rogauit vt pecuniam acciperet, ac quandam tritici mensuram sibi daret, seque reliquam partem pecuniæ quam illi deberet breui bona fide, persoluturum; at ipse hunc superbo vultu, & iracundis oculis intuitus, à se protinùs abire iussit, & quod reliquum erat pecuniæ secùm adferre, si frumentum vellet; atque ita miser, ac mæstus, diras imprecatus, illinc recessit. Paucis post diebus, cùm is quendam ex famulis in horreum misisset, vt illud de more inspiceret, ab ipso in reditu accepit, tres nigros boues intùs esse, qui granum deuorarent. Qui autem hoc retulit, proximo die lecto decumbens, haùd multò post è vita migrauit. Idem quoque accidit cuidam generoso, quem illùc herus miserat, vt videret an ita se res haberet, Sicut prior narrauerat; is enim & boues, & equos inspexerat. Cùm igitur de hac re certior fieri vellet, ipsemet in eum locum proficisci statuit; iuitque ad portam horrei, ibique per quasdam rimas vidit totum horreum plenum variis atque innumeris armentis, quæ omnes fruges absumebant. Hoc spectaculo ita perterritus est, vt statim furiosus atque insanus euaserit, multaque dementer fecerit, donec tandem cathenis astringeretur. Hic horribilis casus magnam sanè admirationem attulit, cùm in ea prouincia, tùm præcipuè in aula Cæsariana, quæ illum antea prudentissimum cognouerat.

Aliqua notata fuere in primo Tomo lib. 7. cap. 5. cùm de Animalibus diuinitùs delictorum vltricibus, & alibi.

Rem alienam surripientes, Admirandis modis diuinitùs puniti.

§. 13.

CVm & nostra pauperibus elargiri nos doceat catholica pietas, milleque pro vno se daturam promittat Veritas ipsa; qui aliena furatur, suaque facit, catholicæ obaduersatur pietati, centenaque è cœlo prouocat in caput suum fulmina: De his aliqua admiranda in præsenti. Suntque.

1. *Palladius in vitis P. P. libr. 8. cap. 103. de Abb. Innocentio*. Quædam anus, quæ oues pascebat in locis Lazario vicinis, & ouem amiserat, accessit ad Innocentium flens; quam secutus dicit ei; Ostende mihi locum vbi amiseris. Ea verò ducit eum ad loca, quæ sunt circa Lazarium. Stans ergo orauit; qui suffurati autem erant adolescentes, ipsam priùs occiderant. Dùm ergo ipse oraret, nemine confitẽte, & carne occultata in vinea, alicundè veniẽs coruus stetit supra furtum, & frustum ex illo rapuit, ac rursùs euolauit. Cùm Beatus autem animaduertisset, vidit mactatam victimam. Et sic iuuenes ad pedes eius accedentes confessi sunt se occidisse, & iustum pretium fuit ab eis exactum; atq. ita castigati sunt, vt ne quid tale ampliùs auderent.

2. *Ruffinus in vitis P. P. libr. 2. cap. 9. de Coprete*. Fuit illi aliquandò hortulus, monasterio vicinus, in quo propter aduentantes fratres olera colere solebat. Quidam autem gentilis ingressus est nocte, & furatus est olera. Quæ cùm pertulisset ad domum suam, igni apposuit ut coqueret. Cùmque tribus horis continuis ingenti igne suggesto, neque feruere, neque molliri, aut calefieri aliquatenùs potuissent, sed permansissent eadem viriditate, qua missa sunt, & neque aqua quidem ipsa uel leuiter calefieri potuisset, in semet ipsum regressus ille qui furatus est, erepta rursùs de foco olera re-

reportabat ad fratres, & prosternens se ante pedes eorum rogare cœpit, vt peccati sui veniam mereretur, & fieret Christianus, quod & impetrauit.

3. *B. Pet. Damianus serm. 36. de S. Ruffino mar.* Duodecim fures inuicem conspirantes, in domum cuiusdam rustici hostiliter irruerunt. Qui ligantes eum primò, deindè boues, & cætera domus animalia diripientes, protinùs abierunt. Interea rusticus lachrymabiliter vociferabatur, & gemebundus aiebat: Heù S. Ruffine, aspice miserum, releua calamitate depressum, nec placeat tibi, vt prædones, & nequissimi homines meæ facultatulæ paupertate ditentur. Ad hanc igitur vocem, mira res, cùm iàm raptores animalia prosequentes, duodecim milliariis ferè transmissis, procùl abiissent; ecce omnes, qui direpti fuerant greges, balantes, & mugientes accurrunt, & intra caulas se solito more recipiunt. Sicque factum est, vt & illi, quæ præ manibus habere videbantur, repentè sublata congemerent; & iste, quæ deflebat amissa, recipiens, versis vtrobique vicibus, exultaret.

4. *Idem in vita B. Odilonis Abb.* Cùm vir Dei cùm Henrico Rege, qui postmodùm factus est Imperator, in Ticinensi simùl vrbe consisteret, & Dominicæ Natiuitatis gloriam celebraret, contigit vt velamen mensę eius, artificiosa textrini laboris operatione conspicuum, sacrilega fuisset fraude sublatum. Postquàm autem vir Dei cùm Rege discessit, fur, qui rapuerat, iàm securus proposuit velamen in foro venale: sed dùm illi dispositio cælestis obsistit, sancta distrahi præda non potuit. Ter igitur quod subduxerat inter nundinarum merces exposuit, tertiò subtiliter attentauit, sed cùm emptoribus de pretio conuenire non potuit, nec inter distrahentem, & coementem pacisci valuit venale commercium: quia diuina dispositio conatibus hominum negauit effectum. Interea sceleris huius auctorem vltio diuina corripuit, & manus, quæ sacrilegium perpetrauerant, ac pedes, quibus raptor aufugerat, arefaciens, intolerabili dolore constrinxit. Mox itaque compulsus languore, ad Ecclesiam B. Maioli manibus alienis aduehitur, mantile sublatum ad reatus indicium coràm cunctis appenditur, & diuina clementia ab omni populo, qui percitus huius famæ rumore confluxerat, imploratur. Sicque B. Maioli meritis, ac precibus fratrum sibi seruientium, sanus, & incolumis factus, velamen reddidit alienum, & recepit semetipsum. Probauit ergo, quo præmio dignus esset, qui beatum offenderet Odilonem.

5. *Idem lib. 7. epist. 17.* Frater noster Richardus aliud quoque retulit, quod silentio prætereundum esse non arbitror. Ait enim, quod Agius Frater noster, vir videlicet ætate grandæuus, & religione cõspicuus, dùm adhùc esset in sæculo constitutus, orationis studio pergebat ad B. Archangeli Michaelis Ecclesiam, quæ est iuxta Sipontum in Gargano mõte constructa. Hic cùm germano suo, sæculari videlicet viro, vnum duntaxat equum habebat, cui per alternas vterque vicissitudines insidens, vtcùmque laborem itineris temperabat; Sed cùm conuiatores suos ad portandas sarcinulas auxilio indigere conspiceret, admonuit Fratrem, vt à iumẽti vectatione vterque quiesceret, illudq. pro charitate sociorum, portandis eorum oneribus publicaret. Porrò dùm lassati longioris vię labore quiescerent, ciboque deficientem stomachum recrearent, præfatus Frater Agius, panem quidem in poculo vino commiscuit, sed iuxta se ponens refectionem interim differens conquieuit. Quibus ita quiescentibus; ecce latrunculi repentino impetu superueniunt, & eorum omnia cùm equo simùl diripientes, abscedunt. Vnus autem eorum substitit, & Fratris Agii cibum, potumq. consumpsit; quem protinùs intolerabilis dolor inuasit, & donec omnia compulsus euomeret, ab eius visceribus feralis angustia non recessit. Tunc agili pernicitate subsiliens, celeriterque percurrens, sociis persuasit, quia nisi iumentum Dei famulo quantocyùs redderent, imminens vltionis diuinæ periculum non vitarent. Qui diuinitùs tremefacti, confestim ad Dei hominem, redeunt, præsumptionis suæ gementes indulgentiam quærunt, simùlque iumentum cùm his, quæ nihilominùs fuerant ablata, restituunt.

6. *Idem lib. 7. epist.* 18. Quædam illustris fæmina, dùm in castro, quod Sciffena dicitur, habitaret, cuidam viduæ porcum tulit, eoque per coquorum industrias ad edulium præparato, pransura discubuit. Vidua verò quia victimam sibi reddi iàm sæpè rogauerat, sed nec hoc quidem, vt patienter audiretur, obtinere potuerat, mulieri solemniter conuiuanti, dolore transfixa, se mulier obtulit: & vt tenue saltem frustulum de suo sibi nutrimento porrigeret, postulauit: quia non merueram, inquit, de nutricio spei meæ consueto more gaudere, liceat saltem extremi gustum saporis attingere. Quam petitionem fluens, atq. superbiens matrona despexit, eique quia nunquam ex illo manducaret, non sine contumeliæ iurgio denunciauit. Sed ò diuina iustitia ad plectendam impietatem, atque superbiam, gladio semper vltionis accincta! eodem planè die post prandium, dùm præfata Comitissa in Castrensis Vallis sedet secura crepidine, & saginatis ex aliena calamitate visceribus, nullius ruinæ periculum formidaret, repentino mox terræmotu, munitionis ager obruitur, & super infelicem mulierem immensa ruentis promontorii congeries cumulatur: perstrepentes vndique phalanges hominum confluunt, fossores accedunt, terræ viscera perscrutantur, & dùm diuersis ferramentorum generibus collapsa terræ moles hinc indè perfoditur, vix tenue contriti cadaueris vestigium reperitur. Ossium ergo, artuumque particulas, quas non sine magni laboris instantia, vt ita loquar exculpere potuerunt, sepulturæ tradiderunt. Sic diuidi per frusta sui corporis meruit, qui frustum suinæ carnis petenti viduæ denegauit.

7. *Idem in vita S. Romualdi Abb. cap.* 10. Quodam tempore, dùm adhùc in Galliæ finibus moraretur Romualdus, familiarem sibi quendam habebat agricolam, qui sibi & vtensilia, quibus in cella opus est, aliquandò faciebat, & si quid ei opportunum esset, ditior charitate, quàm rebus, de suæ paupertatis inopia hilariter ministrabat. Huius

vaccam Comes quidam superbus, & tumidus missis parasitis, impetu barbarico rapuit, eiusque carnes præparari sibi ad prandium cùm magna gulæ auiditate præcepit. Ecce autem rusticus cellam Romualdi festinus aggreditur, iacturæ suæ casum clamosis vlulatibus vociferatur, spem suam, & suæ domus ablatam esse conqueritur. Sanctus itaque Romualdus ad eundem Comitem concito gradu nuncium dirigit, & vt pauperi animal suum reddat, humillima supplicatione deposcit. Cuius preces lubricus Comes proteruo spiritu respuit, & quem saporem crassæ vaccæ lumbi potuissent habere, quia ipso die esset gustaturus, asseruit. Adueniente autem hora prandii, apposita mensa, vaccæ carnes allatæ sunt; & diuinæ vltionis iàm imminente sententia, in ipso edendi initio Comes frustum bouini renis abscindens, sibi in os misit. Quod repentè in illius gutture tàm immobiliter hæsit, vt nec ad interiora descendere, nec foràs eiici, vllis conatibus potuisset. Sicque inter suorum manus, intercluso spiraminis aditu, terribili morte necatus est: & vndè contra Dei seruum concupiscentiam carnis explere ad saturitatem voluit, indè iusto Dei iudicio carnalem vitam adhùc ieiunus amisit.

8. *In Hist. Camaldulensi.* Castaldius quidam, vaccam paupercul æ mulieris rapuerat, nec vllis precibus ab illa exorari potuit, vt hanc restitueret. Quamobrem mulier meritis Sancti Patris Romualdi plurimùm confisa, duobus acceptis pullis gallinaceis ad templum veniens, vbi propter particulam illius Cilicii, eius memoria celeberrima colebatur; quanto mentis, ac verborum affectu potest, Sanctum Romualdum rogat, vt sua gubernatrix sibi restituatur. Ecce autem Castaldius vaccam in stabulum suum ducens, ictu sagittæ improuisus corripitur in medio itinere, domumque relatus, moriens, vaccam inopi fœminæ relinquere cogitur.

9. *Niceph. Callist. Ecclesf. hist. libr. 8. capit. 42. de S. Spiridone.* Oues à viro sancto quidam mercatus fuerat. Centum erant, quas emerat. At ille capram vnam insuper annumerauerat: quæ cùm ab illo vi traheretur, ipsa minimè sequebatur, quodammodò enim resistens, balatu hominis iniquitatem traducebat. Et ille, cùm nihil non ageret, in humeros tandem eam sustulit. Capella autem & calcibus, & cornibus ceruicem eius acriùs petens, delapsa est, & in stabulum suum recurrit. Quod vbi Spiridon cognouit, illi vt ritè metiretur, & numeraret, suasit. Atque vbi ille factum confessus est, hic noxam remisit, capramque sequi illum iussit: quod alacriter sanè illa faciens, sua spontè emptorem est sequuta, interdùm etiam eundem properans præcessit.

10. *Idem ibidem, de eodem.* Fures aliquandò noctu irruisse dicuntur in Sancti Viri ouile, insidias gregi eius tendentes, & clàm oues aliquot rapere conantes. Et cùm nemo eis compedes iniiceret, de repentè diuinitùs vincti sunt. Aurora illucescente, magnus ille vir adest, manus eorum post terga redactas inuenit, subridet, vincula illa, quæ sub oculos non caderent, soluit: docens eos admonet, licuisse illis, si quid petiissent, accipere; neque opus fuisse, cur noctu se erumnosè fatigarent: mores eorum ad meliorem vitam, vt iusto quæstu vitam tolerarent, transformat, & postremò erumnæ eorum misertus, Abite inquit, & arietem hunc accipite, ne noctem hanc frustrà peruigilasse videamini: reprehensionemque mihi propter toleratos domi meæ labores, veluti qui vacui abieritis, impingatis.

11. *Idem ibidem, de eodem.* Mos Beato illi erat, sementem, & fructus qui ei prouenissent, vendenti, partim pauperibus largiri, partim sine fænore vtendos dare. Siue igitur daret, seù acciperet quidquam, non id per manus eius gerebatur; sed quæ ei erat repositoria cella, ad se venientibus commonstrata, vel accipere eos, vel vsui acceptum reponere, iubebat. Quidam sanè qui mutuum ab eo acceperat, vt debitum redderet, ad eum venit; cùm autem is more solito, cellæ rursùs inferre quod acceperat, iussus esset reponens id, sustulit potius. Non enim tantum debitum non reddidit, sed insuper aliquid quoque harpagatum secùm ferens abiit: ita tamen, quasi mutuum dissoluisset. Sed enim celare factum non potuit. Aliquandò nàmque tempore post rursùs illum, mutuum accipere volens, conuenit. Et ille ex consuetudine sua hominem ad loculos granarios mittens, metiri quantùm vellet, iussit. Vt autem is nihil ibi frumenti inuenit, id Patri significauit. Ibi ille: Mirum profectò, inquit, si vni tibi cella vacua videtur. Quapropter considerare conuenit, an cùm priùs nihil reposueris, recipere nunc quidquam conere. Sciens enim esto, nisi fallaciæ quidquam subsit, voti te compotem fore. Vade ergo denuò, cùm certa te inuenturum esse fiducia. Atque ita ille demùm deprehensus, veniam fraudis petiuit.

12. *Greg. Tur. li. 1. de Gl. Mar. cap. 97.* Quædam anus fuit exigua, & credo Euangelicæ illius paupercul æ similis, quæ quondam duo minuta, cùm nihil aliud haberet, in gazophylacium deuotè iactauit. Hæc ergo pauculos gallinarum pullos habebat, quos ex voto basilicari ditioni Sergii subdiderat, datura domo ipsius cùm necessitas flagitasset. Igitur cùm ad festiuitatem Sancti multi populi aduenissent, duo conuentione facta, qui hos pullos olim viderant, vnum furto subtrahunt, incisoque capite, detractis plumis, truncatisque pedibus, positum in vase cùm aqua super ignem leuant, instanterque succendunt. Feruet autem latex validissimè, sed caro furtiua non coquitur. Etiam feruendo aqua consumitur, nec prorsùs pullus ille mollitur. Tentant crebrò manibus, & vnguem conantur infigere, sed duriorem sentiunt quàm misissent. Interim adsunt conuiuæ euocati ad epulum, nullatenùs sumpturi de apparatu. Extat mensa niueis velata mantilibus, opere plumario exornata. Conuersis cibis in nouam duritiem, catinus lymphis sæpè diluitur, sed nihil coctumq. in eo exhibeant, inuenitur, sicq; quod nouo miraculo epulis redactis in saxum, confusis inuitatoribus, verecundantibus inuitatis, à cœna cùm pudore discessum est.

13. *Idem ibidem, lib. 2. cap. 18. de S. Iuliano Martyre.* Quidam per vigiliam festiuitatis S. Iuliani equum alicuius, qui tunc fortè ad eandem solemnita-

mniatē venerat, furto comprehendit, ascensoq. velociter properat, scilicet, vt qui lumen perdiderat veritatis, non inueniretur à luce: & cuius pectus cupiditatis tenebræ obsederant, eius & furtiuam fraudolentiam nox celaret. De talibus enim dominus dicebat in Euangelio. omnis qui malè agit, odit lucem. Albescente igitur cælo, dicebat, iàm securus sum. Nàm triginta leucas à S.Basilica elongatus sum: iàm secùs propriam domum esse me credo. Dùm hæc tacitus reuolueret intra se, demotis ex axe tenebris, cognoscit se ipsi vico propinquum inter populos deuagari; timensque ne scelus suum patefieret publico, cùm cautela grandi caballum in loco, vndè digressus fuerat, reformauit: sic miser virtute martyris tota nocte detentus in circuitu vici, & vt ego credo, ab auctore, qui eum obsederat, est delusus, vt viam, quam adprehendere voluit, non valeret.

14. *Idem lib.1.capit.26.de Fonte Osen, qui in Lusitania prouincia quotannis ad Baptismum conficiendum diuinitùs replebatur.* Quia fons ille ad officium baptizandi repletur, & quia cùm completus fuerit, auidè ex hoc populus haurire festinat, quidam accepto vasculo, presbytero, qui hanc aquam ministrabat, porrexit ad complendum. Quod dùm complet senior, hic inter compriméntes turbas, manum alterius extendit ad balteum, cultrumq. furatus est, quo vagina recõdito, manus extédit ad accipiendam hydriam, quam tradiderat presbytero; qua accepta, amotus in partem aliam, neque vnam guttam aquæ in ea potuit reperire. Tunc confusus valdè, & sibi ob furti causam hoc euenisse cognoscens, homini cultrum, quem furatus fuerat, reddidit, & sic iterùm porrecta lagena, plenam aquæ recepit.

15. *S.Anton.2.par.Chr.tit.12.c.7.§.1.de S.Brigida Virg.Scotiæ.* Quidam nequissimi cùm ei furati fuissent boues, & fluuium cùm eis transire vellent, submersi sunt, bobus saluis, & reuertentibus per se ad domum S.Brigidæ.

16. *Idem ibidem 2.par. tit.13. cap.6.§.18. de S. Philiberto.* Aliquandò Parisios exigente causa discordiæ perrexit S.Philibertus pacem reformare, obtentoque quod voluit, latro quidam guantos eius furari præsumpsit: quos ille in crastino non inueniens, patientiam habuit. Sed infelix ille percussus à Domino, furtum, quod fecerat, patefecit; ardere se eiulans clamabat, & aliud loqui non poterat, nisi extensis brachijs sinum cùm furto abscondito demonstrabat; quod, illo morte mulctato, ciues ad sanctum cænobium deportauerunt.

17. *Colganus in vita Sancti Aedi Episcopi.* Cùm intrasset S.Ædus in domum cuiusdam militis, in qua erat furtum, vidit miles ille S.Aedum semper intendentem in angulum, vbi erat furtum, & interrogans virum Dei, cur inspiceret semper in illum locum; dixit ei: Noli inquirere fili. Sed dùm ille magna prece postulant; ait ei sanctus: furtum ibi est, & dæmones supracumbentes, & ludentes in eo. Ille ait; Ostende mihi Domine Episcope illos; Sanctus ait; Noli videre tetros dæmones; & cùm vidisset ipse species dæmonum morti appropinquauit, & vix orationibus sancti consequutus est vitam.

18. *Idem in vita S. Macthei.* Aliquandò iter agens S. Macthęus, subdiò cùm suis pernoctauit. Porrò fures superuenientes, equos eorum abstulerunt, qui nocte tota equitando longè se ire putantes, die reddito propè fuerunt; quod videntes, equos dimittere voluerunt, sed minimè discedere valuerunt. Tunc absentium conscius, fratribus ait. In illam ite partem, vestrosque inutili fatigatos labore equos reducite, & quos dorsis eorum adhærentes inuenietis, miseros soluite. Illi ergo ad virum Dei venientes pænitentiam egerunt, conuersique, sub iugo eius reliquum vitæ Deo seruierunt.

19. *Pet.de Natal.lib.x.cap.83. de S. Odone Abb.* Quadam nocte dùm pastores equorum dormirent, & fur veniens equum ascensum asportaret, frater Gotofredus in oratione peruigil hoc audiens, ne silentium frangeret iuxta regularia instituta tacuit vsque manè. Die verò clara lucescente fur idem cùm equo inuentus est in eodem loco, quo ipsum ascenderat, affixus, qui se indè amouere non poterat, nec ex equo descendere, donec ad Odonem adductus, pænitentiam egit, & furtum restituit.

20. *In actis S. Gerardi Comitis.* Cùm venisset Geraldus ad ciuitatem, nomine Astam, fur quidam duos ex eius sagmarijs subripuit, veniens autem ad quendam riuulum, cogere eos non potuit, vt transirent, donec ab hominibus domini Geraldi comprehensus est. Receptis sagmariis, nil furem læsit.

21. *In vita S.Trudonis Presb.libr. 2. capit.15.* Persona officialis, quem Mansionarium appellant. Ecclesiæ, contiguam habens habitationem, pecore abundabat. Rapta oportunitate, nocturnus prędo boues eius præsumit, & aufert. Homo penuria pecoris motus, primam in Sanctum Dei statim retorquet cùm fide querimoniam, dehinc exaudibilem illum sepulchri locum adiens, damnum cùm pietate, merorē cùm misericordia talis patroni componit. Res iucunda, nec minùs mirabilis. Fur tota nocte fugam dùm accelerat, magis moram nectit, multo fatigationis suæ itinere frustrà cõsumpto, sano quodam errore impeditur. Volebat saltem, relicta rapina latere, nec poterat, fugere, & efficacia decrat. Manè reddito, vterque prædo, & præda ad fores Ecclesiæ reperiuntur: iusto possessori pecus suum, authori miraculorum gratia redditur.

22. *In vita S.Medardi cap.10.* Autumni tempore, larga vindemiæ prouenerat vbertas, iàmque maturitate dulcorati per congruam aeris temperiem botri intumescebant. Intempesta ergo nocte vineam S.Medardi temerè latro aggressus est; cuius claustra irrumpens, ferro succisas raptim colligebat vuas. Sed quia alienam appetiit prædam, ipse magis prædæ mutato iure patuit, gustumque habere non meruit de furto, cuius conscientia sacrilegii polluebatur macula. Ad rapinam quoque morsibus inhians, irrita vota diù continuit ab appetitu, sed & quod peruaserat, nec amittere, nec auferre vllatenùs fas habebat. Attamen prædictum prædonem eòusque seruauit præda, donec Vir Sanctus præ-

præsago spiritu, primo accurrens diluculo, miserum illum miserabiliter intra patentia septa, deprehendit inclusum. Hinc vuas propria manu discerpens, latroni copiosiori benedictione obtulit, eumq. sceleris arguens, peruium redeundi aditum miseratus indulsit.

23. *In vita S. Eligij Episcopi Nouiomensis, lib. 2. cap. 44.* Cùm adhuc in terris degeret Vir Beatus, equum habuit inter cæteros mansuetissimum, quo cùm posceret necessitas, sedere plerùmque consueuerat. Post eius decessum, equus ille cessit Abbati eius Ecclesiæ. Porrò Mommolenus eius loci Episcopus, valdè illi inhians, vi eum abstulit Abbati; Abbas nihil illi reluctari ausus, mox ad B. Eligij se monumentum contulit, eique rem totam commendauit. Itaque equus mox cæpit laborare ex pedibus, immò toto corpore tabescere. Id cernens Episcopus, adhibet medicum; qui etsi sedulam illi curam impenderet, nihil tamen potuit efficere: immò si quis vellet ad equum accedere, omni posita mansuetudine, calcibus cædebat, & morsus intentabat. Tandem Episcopus veritus, ne equum penitùs perderet, cuidam matronæ eum dono dedit. Illa verò accuratè sanandum curauit, sed cùm aliquandò iter factura, eius tergo insedisset, ille frendens, & calcibus verberans, grauiter eam excussit, ita vt toto ferè anno decumberet. Tùm illa remisit equum Episcopo, probra, conuiciaque adiungens. Episcopus recepto, rursùs curam adhibet, sed semper equus deteriùs habet. Ad extremum quidam religiosus presbyter consuluit Episcopo, vt equum restitueret Abbati, cui iniustè ablatus esset. Fecit sic Episcopus, & equus ad initium possessorem postliminiò reuersus, intrà paucos dies totus reualuit, pristinaque formæ elegantia, & mansuetudo ei reddita est.

24. *S. Anselmus de Pass. S. S. Gutgneri, & soc. cap. 10.* Habebat Aedituus martyris sacri vaccam, quam cùm scelerati homines quidam furati fuissent, ducentes, super cornua eius subitò duo luminaria ardentia conspexerunt: & tanto tremefacti spectaculo, redeuntes in crastinum, vaccam sacristę propriam reddiderunt: & aliam pro satisfactione commissi simùl, & pro indulgentia supplicantes dederunt.

25. *Mombritius, in vita Sancti Dorothei.* Huius cellulam, cùm latrones eum aurum habere existimantes, quodam tempore inuaderent, ita orationibus eius foribus affixi sunt, vt penitùs moueri non possent, donec consueta hominum multitudo adueniret. Quos vt viderunt, igne comburendos trahere conabantur. Tunc vir sanctus necessitate loqui compulsus, ait: sinite eos abire, alioquin sanitatis gratia fugiet à me: Sola enim manus impositione conferebat de quacumque ægritudine sanitatem. Illi verò his auditis, & monachi facti sunt, & pœnitentes abire dimissi sunt.

26. *Hugo Menard, lib. 1. obser. Augusti, de Sancto Iuniano.* In agro, quem sacrum locum appellauit, hortum composuerat: in quo erant aluearia. Quidam fur, vnum, quod ipsi videbatur maiori mellis copia redundare, surripere voluit: sed vtraque manus vasi adhæsit, & membrorum viribus resolutis, totam noctem humi prostratus iacuit. Non sine acuto neruorum cruciatu. Olitor diluculò in hortum veniens, eiusmodi hominem iacentem reperit. Fur eum rogauit, vt citò ad virum Dei curreret, vt eius meritis solueretur. B. Vir præcepit olitori, vt solutum ad se adduceret. Eo pergente, orationi se dedit, & fur Dei virtute solutus, ad S. Iunianum introductus est; qui eum correptum, & melle satiatum dimisit. Item in monasterio nutriebantur armenta ad vsus monachorum. Quidam fur clàm obrepsit in stabulum, & vaccam opimam videns, illam cauda obuersis vestigiis summa vi trahebat, illa verò recalcitrãdo contra obnitebatur. Ille dimittere statuebat, sed manibus caudæ adherentibus, & labãte genu corruit. Vacca veluti asilo pũcta, furẽ per vepres totã noctem miserè laniatum traxit, & sub aurorã ante ostiũ domus, vndè egressa erat stetit. Bubulcus de more sub auroram ad stabulum venit, qui fores effractas videns, expauit, ratus armenta omnia esse sublata; sed re diligentiùs inspecta, vnam vaccam animaduertit tantùm ablatam: concito cursu forás pergens, conspexit eam stantem, & hominem post tergum sedentem, ignorans quidnam rerum ibi ageret: sed cùm cognosceret hominem vaccæ adhærentem, & miserè deturpatum, lachrymantem, opemque S. Iuniani implorantem, alacris, & vix risum cohibere valens, intrauit in oratorium B. Viri; qui quod agebatur diuina reuelatione cognoscens, intrantem armentarium obiurgauit, quòd de alterius calamitate gauderet, statimque orauit, & miser ille solutus, ad cellam Viri Dei introductus est; qui eum increpauit, monuitque, vt victum labore sibi quæreret, & carnibus exaturatum dimisit.

27. *Idem in vita S. Pontij Abb. li. 2. Obser. Martij.* Hic B. Abbas se ad traiiciendum Rhodanum accingebat, sacro priùs more facto; cùm amplo satis comitatu, ecce occurrunt ei bubulcus vomerem manu tenens, & agricola monasterii, qui altercabantur de vomere: agricola bubulcum furem appellare, quòd vomerem nuper à se sub terra absconsum sustulisset: Alter furtum audacter negabat. Res erat in medio. S. Pontius litis arbiter, præcepit, vt vomer in Rhodanum mitteretur, & facto super fluuium crucis signo, iussit eum, de quo maior erat furti suspicio, primùm è fluuio vomerem extrahere. Miser ille ausu temerario manum in aquam intulit; quam indè tanquam ex cacabo feruenti elixam sine vomere retulit: & sic furti veritas innotuit.

28. *Vualafridus, in vita S. Galli l. 2. cap. 30.* Quidam non simplici, vt postmodùm claruit, animo, adueniens, dùm quosdam monasterii operarios à diurno agricolandi labore disiungentes ferramenta in aratris per noctem dimisisse perspiceret, tempus tenebrosum fraudibus suis opportunum ratus, tot ferramẽta sustulit, quot oneri sufficere proprio credidit. Cùmque fugam celerans tota nocte vacuo laboraret conatu, in ipso lucis exortu ad portam monasterii ex improuiso peruenit, & quia factum latere non potuisse cognouit, confessione spontanea patefecit, quod præsumptione pestifera in rebus S. Galli, Diabolo suadẽte, cõmisit. Sicq. reddẽs quod auferre molitus est, petita venia, vacuus repedauit.

29. *Ibi-*

29. *Ibidem lib. 2. cap.* 20. In possessione quadam eius monasterii, quædam syluula ob porcorum pastum custodiebatur, ne passim à multis consumeretur incisa. Hanc pauper quidam occultè solebat adire, & furtim inibi multa præcidendo, grande damnum inferre. Itaque die quadam cùm iuxta morem suum latenter intraret, & pauca succideret arbusta, gladius, quem tenebat, tàm validè manui eius adhæsit, vt illum deponere nullatenuùs potuisset. Agnoscens igitur, cuius rei causa mulctatus sit, ad Basilicam in honore Beati Galli constructam festinauit, diùque orationibus incumbens, manu resoluta, gladium ante altare dimisit. Egressus verò cogitare cæpit nihil obesse, si ligna quæ præciderat, domum deferret: non; autem prodesse si putrefacta perirent. Subiunctis ergo bobus carpento, ad syluam remeat, & præcisa in vnum comportat. Quæ cùm vehiculo vellet imponere, dolore quodam præualido, ceù stimulis vrgeretur, in posterioribus attactus est; Quò cùm sine mora manum protenderet; gladium quem coràm altari dimiserat fortuitò recepit. Digitis autem manubriũ cõstringens, detestabile munus tàm validè retinuit, vt articulorum iuncturę inuicem laxari putarentur. Tùm miser dolore compulsus, ad Ecclesiam recurrit, ibique prostratus, veniam pro commisso, & absolutionem manus deposcit. Cùmque diù in oratione persisteret, & gladium nequaquam dimittere potuisset, iuramento tandem, ac voto promisit, nunquam deinceps damnum B. Galli rebus illaturum. Mox manus aperta, gladium deposuit. Qui ob testimonium miraculi in eodem loco suspensus, multo tempore ibi permansit, inuasoribus Ecclesiasticorum rerum grande timoris pondus incutiens.

30. *In vita S. Ioannis Reomensis*. Quodam tempore, cùm Fratres ligna cæderent in sylua, casu ad monasterium reuersi, relinquerunt secures suas in cæpti operis loco, quas quidam superueniens, inuentas furatus est. Postea Fratribus id suo Patri referentibus, ille iussit eos lectioni vacare, & exiens ad prædictum locum, ibidem intentissimè orauit. Fur igitur reuersus, ad pedes S. Viri corruit, secures restituit, & veniam commissi criminis humiliter expostulauit, asserens, se ante restitutionem de nemore exire non potuisse.

31. *In actis* S. *Domitiani Episcopi Leodiensis*. Quidam negotiator memoriam faciens B. Pontificis, & se eius precibus commendans, incidit in latrones, à quibus spoliatus est, sed Dei opitulante gratia nunquam sarcinam eius dirumpere potuerunt; sed nec panem, quem super loculum B. Domitiani tetigerat, per triduum ieiunantes, comedere potuerunt, sic se deliquisse cognoscentes, res proprias ei restituerunt.

32. *Desiderius Abbas, in Chron. Cassinensibus, de Cassinensi monasterio*. Quodam tempore latrones noctu huius nostri monasterii cellarium ingressi, carnes, caseum, lardumque exindè subripientes, suos sacculos impleuerunt, sed foràs egressi, sacculos, quos repleuerant, leuare conati, minimè potuerunt; dein relicta sarcina tentantes fugere, per totam noctem hàc illàcque per claustra monasterii deambulantes, foràs, egredi nullatenùs valuerunt.

33. *Bonfinius l. 4. Decad. 2.* Miles quidam, argenteam patinam à D. Ladislao Vngarorum Rege, suo Patri dono datam, apud virum primariũ oppignorarat. Cùm pignus repeteret, alter impudenter pignus negabat. Prętor, patinã D. Ladislai sepulchro imponi iussit, ac illi adiudicari, qui eam impunè è loco sacro accepisset. Qui pignus negarat, prior numen periclitatus, neque patinam capere, neq. loco mouere potuit. Miles verò cùm supplex orasset, vt quod Patri quodam Primipilo dono dedisset, filio ratum faceret, patinam accepit impunè.

34. *In vita S. Zenonis Episcopi Veronensis, & M.* Cùm ad Episcopum sanctum accessissent Galieni satellites, & ab eo piscante humaniter fuissent accepti, illis tres, quos ceperat, lectissimos pisces donauit: sed cùm illi numero contempto, iis quartum dolo surreptum adiecisset, ac domum reuersi omnes simùl in feruentem aquam coniecisent, tribus à Sancto Viro acceptis suo tempore coctis, quartus ille subreptitius tamdiù viuus in aqua feruenti ludibundus natauit, quoad illi miraculo attoniti, vnanimes ad Virum Sanctum redierunt.

35. *Order. Vitalis li. 6. Hist. Ecc. de S. Ebrulpho*. Quodam tempore duo sæui latrones audientes multiplicari substantiam Fratrum monasterij S. Ebrulphi, direxerunt gressum ad B. Viri cellulam, & assumpto grege porcorum, cùm egredi syluam festinarent, reciprocato itinere ipsam eremum cæperunt circùmire, & non inuenientes liberam exeundi potestatem, obstupefacti cur hoc contingeret, & iàm errando fatigati, audierunt signum, quo Fratres acciti conuenirent ad orationis studium. Ad cuius sonitum nimio terrore perculsi sunt, & relictis porcis, ad hominem Dei velociter accesserunt; & confessi crimen, quod egerant, facti sunt ei monachi.

36. *Surius in vita S. Hermelandi Abb. 25. Martij*. Rusticus quidam improba cupiditate inflammatus, de ephippio S. Viri quippiam præcidit. At mox illum diuina vltio persecuta est. Nàm repentè cæpit tanquàm ignibus inflammatus conflagrare, magnosque eiulatus edere, simul etiam compellare Virum Dei his vocibus: succurre mihi S. Hermelande; nàm pro furto exiguo, quo rem tuam mihi ausus sum vendicare, pænas luo inæstimabiles. Et hæc dicens, rem furto ablatam, è sinu protulit, & abiecit, quæ hodièque in oratorio B. Petri Apostoli, quod est in Oglenda Cella, suspensa manet. At S. Pater hominem scelere vinctum, precibus absoluit, & cibo potuque abundè refectum, admonitumque ne deinceps maligno hosti assensum præberet, incolumem à se dimisit. Alius quoque stimulante cupiditate, boues sancti viri, qui onusta lignis plaustra trahere solebant, furto abstulit. Sensit vir Dei magno se commodo destitutum, sed tamen æquo ferens animo, ad solita orationum præsidia se recepit, rogans Dominum, vt boues ablati restituerentur; tanta verò fuit earum precum vis, vt miser ille qui boues procùl abigere moliebatur, multo confectus labore, manè ad cænobii fores eos adduxerit. Gauisus vir Dei, recepit boues suos, porrò furem blandè castigatum, admonuit, ne post

hac

hác se ab inimico dæmone in flagitium impelli pateretur, ne & hic obnoxius criminis pænas daret, & postea apud inferos in æternum cruciaretur.

37. *Idem in vita S. Vulmari Abb. 20. Iulij*. Fur quidam praua ductus cupiditate, abstulit equum viri Dei; sed cùm totam noctem errabundus vagaret, non potuit attingere locum, quò tendebat. Manè alterius diei ad portam Monasterii inuentus est equo insidens, de quo nec per se descendere potuit, nec ab alio deponi. Tandem Vir Dei accessit ad eum, & deposuit, liberumque à se dimisit.

38. *Idem in vita S. Arnulphi Episcopi Suess. cap. 32. 15. Aug.* Multis ad eum turbis confluentibus, quarum ille morbis curandis sedula nauabat operam, quodam die è loco superiori per fenestram prospiciens, videt in platea hominem sub planca, quam ferebat, mirè sudantem: mox ait ad circumstantes: Plancam istam rapuit hic homo. Aiunt illi: Vndè hoc scire potuisti domine? Respondet vir Dei; pro comperto habeo raptu eam paratam esse: nám dæmon auctor rapinæ, collo eius insidens, eum miserè premit. Mox vnus ex illis, celeri cursu abit ad hominem, sciscitatur vndè habeat plancam, quam ita anhelus baiulet. Ille fatetur apud pagum Nantolium in quadam se congressione adfuisse, & eam ad se plancam rapuisse. His auditis, festinus reuertitur ad eos, qui illum miserant, nunciatque ipsis stupentibus vera dixisse Episcopum.

39. *Idem in vita S. Corbiniani Episcopi Frisingensis 8. Sept.* Quadam die fur quidam, instigante diabolo, mulam Viri Dei foris reperiens abstulit; eamque ascendens, propinqui saltus se immergebat latibulis. Ministri vero Viri Dei vespera appropinquante, mulam quærentes, inuenire non poterant, hùc illùcque quærendo discurrentes, per latera montium, & ima conuallium, syluarumque latibula, nec non & ea loca perscrutantes, vbi priùs mula solita erat pasci, vsque dùm eis nox ita tenebresceret, vt coacti, vacuique domum reuerterentur, & damnum de mula Viro Dei referrent. Ipse autem leniter consolatos dimisit, seque in oratione prostrauit; sicque orando permansit, vsque dùm matutinarum solemnijs debitas Deo laudes impleuit. At deindè cùm ad refocillationem lassi corporis paululùm quiesceret, Angelus Domini, in ipso matutinali crepusculo ei per visum apparuit, furemque cùm mula aduenturum prædixit. Ille autem à somno excitatus, gratias Deo retulit, & laudes, atque etiam Beato Germano, in cuius Ecclesiæ foribus tunc ipse manebat. Apertaque fenestra cellulæ, signo ex more tintinnabuli suos ad se conuocat ministros; quibus adstantibus præcepit, vt venientem furem cùm mula, minimè læderent: sed hoc nequaquam appetitu vanæ gloriæ ministris prædixit, sed vt eorum mentis insaniam mitigaret, ne furore coacti, Dei virtutem in suam mutarent insaniam, aut vt rei sanguinis in eius persecutione non fierent. Vix verba præcipiendo compleuerat, & ecce ostium cellulæ, vbi Vir Sanctus cùm discipulis loquebatur, mula ingressa, super se sedentem obtulit furem rigidum, & quasi exanimem, dorso illius adhærentem, perindè ac si ligatus super eam esset, ita vt si vellet descendere nequiuisset. Qui dùm viri Dei iussione depositus, & humi esset proiectus, instar ligni, vel lapidis, amens, & sine sensu iacebat. Cæpit autem eum vir Dei tàm increpatione, quàm admonitione, à sua nequitia quasi à graui somno suscitare. Qui cùm ceù dormiens expergefactus esset, timorem dimisit animi, & confitendo, atque pandendo malum, quod Viro Dei fecerat, professus est se ampliùs non peccaturum, etiamsi præ inopia periturus sit. Eo ergo sic prostrato iacente, & promittente vitę mutationem, eum vir Dei de humo iussit surgere. Mox ille tàm celeriter surrexit, quasi rigidus, atque contractus minimè fuisset; & sic suæ misericordiæ referebat historiam, quomodò in dorso mulę pernoctasset: tot mōtium summitates, atque ima conuallium, syluarum, atque veprium densitates perambulasset, & quasi à mula vinctus fuisset. Quibus dictis, fidem vulnerata facies conciliabat. Denique ab irrationali animali adductum se inscientem ad Virum Dei fuisse professus est, & quòd intempestæ noctis silentio viam euadendi, vel latendi reperire minimè potuisset.

40. *Idem in vita S. Lamberti Episcopi 17. Sept.* Leoduuinum quendam Sanctus Lambertus semel atque iterùm per visum admonuit, vt pectinem ipsius optimum, ab vxore eius sublatum, restitueret sed cùm tertiò admonuisset, nec mulier restitueret, ictu insanabili percussit éum in pectore, & sic pectinem recepit ab inuito.

41. *Idem in vita S. Amantij Episcopi Rutenensis 4. Nouemb.* Criminosus quidam, hortulum S. Viri exiguum quidem spatiis, lętis tamen conspicit nitescere oleribus. Ampliabat si quidem loci angustias amena iucunditas. Statim ergo atroci mente, furti facinus concipit: *Itaque redditur terris occasus diei, noctis silentio. Vix corda mortalium alta quies dulci sopore laxauerat*, cùm ille commodum fraudi tempus amplectens, prosilit audacia plenus, & scelere, leuique impulsu quæ obstabant cedentibus, adit hortulum, olera diripit, abire festinat, sed diuinitùs retinetur. Nullus enim remeanti patet exitus, & ita reus tenui sepe *quasi* muro vallatus tenetur. Exigua nàmque *obstacula* velut omni constructa munimine, crescere *fugienti* videntur in molem. Noctis ergo totius *spatium* iter hortuli fuit: Interea roseæ lucis *splendor* mundi faciem irradiat, qua rebus reddita, terris lux redit. Igitur B. Senex in cellam, vbi preces insomnis in æstibus noctis dulci meditatione, & sancto labore transegerat, vnum è fratribus vocat, mittensq. in hortulum, mandat vt quem illic errore lassatum suo, & velut quibusdam arctatum vinculis, ita innexum crimine reperisset, attraheret. Haùd mora, it, reperit, attrahit. Adest illicò criminosus, furtum in medio proiicit, pedes complectitur sacerdotis. Ita Vir pietate plenus indulget crimen, donatque furtum, monens sæpè, vt vsibus necessaria suis potiùs petat, quàm rapiat, & necessaria sibi tribuentis munere, non rapinæ scelere conferantur. Sic ergo indulgentiam à Sancto Viro promeruit, & discessit.

42. *Idem in vita S. Columbani Abb. cap. 24. 21.* No-

Nouembris. Peracto prandio, Vir Dei ad scapham rediit, vbi tùm reperit suos multo mærore oppressos: Causam inquirens, cognouit eos nocte præterita, quæ in scapha habuissent, furto perdidisse: simulque aureos, quos in pauperes non erogauerat, ablatos esse. Mox ergo ad sepulchrum B. Martini repedat, queritur, se non idcircò ad eius se excubasse reliquias, vt ille sua, & suorum Fratrum damna negligeret. Nec mora: is qui sacculum cùm aureis furatus erat, cæpit inter flagella corporis, pænasque clamare, locumque indicare, vbi aurei occultati essent. Socij id audientes, omnes eò corrunt, furto erepta, omnia restituunt, virum Dei precantur vt tanto sceleri ignoscat.

43. *In actis S.S. in vita S. Mochuæ cap. 5. ap. Bol. 1. Ian.* Fur, cùm sarcinam magnam ex Mochuæ tritico surreptam, in dorsum sibi imposuisset, nec incedere, nec onus vllo modo deponere quiuit, donec deprehensus ab euocato Mochua, sanctissimæ Triadis nomine fuit vinculis occultè retinentibus solutus.

44. I*bidem in vita S. Erardi Episcopi Ratisbon. 8. Ian.* Quidam, diabolica instinctus persuasione, equum furatus, cùm latere non posset quod fecerat, ad sancti Erardi sepulchrum iuit, & oblato denario celari rogauit delicti excessum: Oratione fusa, cùm ad Ecclesiæ rediret ianuam, denarium, quem obtulerat secùm portauit: rediјt, reportat, reponit: egreditur, secùm portat, miratus, & timens: statim vt Ecclesiam egreditur, occurrunt qui reum tenerent.

45. I*dem in actis S. Hilarij Episcopi Pictauiensis 13. Ian.* Gulielmus Rufus, cùm altera careret tibia, singulari tamen erga S. Hilarium pietate, eius ædem equo vectus, & si satis alioquin tenui re domestica esset, frequens adibat, equum ad templi valuas, dùm feretrum religiosè veneraretur, relinquere erat solitus. Præteriens quidam primo mane, in equum insilit, ad vrbis se portam proripit, (iàm enim vrbis muris circùmdata S. Hilarii Basilica erat) sed egredi vi quadam occulta prohibitus est: cæteras abit portas, nec vlla non arcuit transitu furem. Auertit ea res illius à cæpto iàm flagitio animum. At, si equum ad Basilicæ ostium reduceret, verebatur ne Prætor manum sibi iniiceret, repeteretque furti pænas. Committit eum tantisper familiari sibi fæminæ custodiendum: ipse ad templum abit, consilium in arena capturus. Rufum reperit grauiter equi iactura perturbatum, tantùmq. non succensentem S. Hilario, qui sibi equum siuisset eripi. Solabantur, quà fas erat, hominem eius cænobii monachi: cùm ecce fur in conspectum se dedit, & siue turbatæ mentis indice vultu, seù quoque diuino instinctu agnitus, apprehensus, fassusque crimen est: cuius ei, equo restituto, venia data.

46. I*bidem in actis S. Genulphi Episcopi cap. 10. 17. Ianuarij*. Quidam, rerum venalium negotia perferentes ex Stradensis cænobii vico, mercandi gratia, superiora pagi huius adierant loca. In itinere autem à quibusdam conuenti sunt equitibus, qui illis rerum suarum summam violenter auferre nitebantur. At verò summi Saluatoris, ac Sanctissimi Pręsulis Genulphi suffragia proclamantibus eis, illi prorsùs, vt se talium habet sæuitia, proclamationem illam flocci pendere, nec à cæptis destitere; quin potiùs conati sunt perficere. Sed quàm citissimè pręsens adfuit Sancti auxilium Confessoris. Nàm vnus ex ipsis, qui primus eorum esse videbatur, dùm suum in partem flectere nititur equũ, ita repentè, isdem illius virtute diuina riguit equus, vt omninò perstaret immobilis. Vrgeri quidem calcaribus, atque cruentari poterat, sed mouendi prorsùs nulla erat facultas. Mirari miles cùm sociis cæpit insolito sibi rei euentu. Tandem itaque virtutem sentiens adesse diuinam, continuò socios abscedere prohibet. Illisque viris satisfaciens cùm suis, ac Sancto confessori votum vouens, mox vinculo diuino solutum recepit equum.

47. *Ibidem in actis S. Sulpitij Pij Episcopi Bituricensis, 17. Ianuarij*. Tempore quodam vnus de sceleratis, & vt potè indigentibus, in promptuarium Beati Viri se noctu violentus iniecit, statim diripere nititur quod atroci mente facinus furti conceperat, & abire festinans, nullus remeanti patet exitus, & munimine omni constructo quasi carcere septus, reus vndique ligatur. Noctis ergo itinere incassum consumpto, facilis cui fuerat ingressus, nec tenuis patuit regressus.

48. *Ibidem in actis S. Launommari Abb. 19. Ian.* Erat vir nobilis Ermoaldus nomine, qui extremum vitæ tempus sortitus, angustia mortis periclitabatur. Hic misit ad Virum Dei solidos quadraginta, obnixè petens, vt sibi iàm penè morienti succurreret, & intercessionis eius meritis spes ei salutis ab omnipotente præstaretur: sed deuotus Miles Domini accipere recusabat: Tandem latore perurgente suscepit pecuniam: ingressusque oratorium, orationem fudit, vt acceptabilis fieret in conspectu Domini oblatio hominis, & super altare pecuniam deposuit, grandique studio vnumquemque nummum appendens manu reuoluebat, & genu sæpiùs flectens orabat. Post multa, vnum solidum, quem in spiritu mundum, & non ex rapina adquisitum cognouit, suis vsibus retinuit. Reliquos tradidit gerulo, & ait: Pecunia ista ò homo, iniqua est, Diuinam non potest mutare sententiam, neq. vitæ spatium ampliare, sed nec peccatorum remissionem impetrare.

49. *Ibidem in actis Translationis S. Vincentij M. 22. Ian.* Quidam ex Camerensi pago, causa orationis inclinata iàm die adueniens, lanceam suam vni arborum, quæ sunt ante Basilicæ S. Vincentii ingressum, seruato religionis honore, innixam reliquit. Cùmque Ecclesiam sic exarmatus intrasset, & orationi deuotè insisteret, fur quidam lancea eius rapta, aufugit, domum suam non longè positam petens: sed mente perturbatus, ad eiusdem viri tugurium, cuius erat hasta, infra triginta fermè leucas ieiunio, ac itinere per totam noctem fatigatus deuenit. Cùmque sitiens paululùm aquæ peteret, mulier agnitam Mariti hastam recipit, & furi reatum suum confitenti perpercit non sine admiratione virtutis Sancti Vincentii Martyris, qui peregrini sui iniuriam eo modo reparari curauit.

50. Ibi-

50. *Ibidem, in actis S. Vrbani Episcopi Lingonicensis, 23. Ian.* Quidam miles, cùm ad huius Sancti limina deuotè celebrasset cuiusdam Festiuitatis vigilias cùm reliquo qui conuenerat populo, equum eius quispiam furto abstulit. Quem cùm requirens non inuenisset, anxiusque super hoc apud Sanctum querelam deponeret; fur tota nocte frustrà fatigatus, manè ante atrium S. Confessoris cùm equo reuersus, & quod abstulerat reddidit, & præconia Sancti ampliauit.

51. *In actis S. S. Feb. tom. 1. in Cont. Bollandi.* Furatus quis fuerat alteri in Comitatu Baduano in villa S. Vedasti, quæ dicitur Vulfara, ouiculam, cùm pauper patrocinium S. Vedasti imploraturus Ecclesiam adijt. Ibi Presbyter in Ecclesia furtum manifestans, excommunicationem contra furem se laturum indixit, nisi ouiculam redderet; sed frustrà; altera die cùm de eadem re populum moneret, cùmque reus sceleris præsens inter reliquam multitudinem adstaret, subitò de sinu ipsius, chirothecæ quasi balatum dederunt. Quo signo populus viso, Dominum voce in altissimis glorificat, qui secreta reuelat, & Sanctum veneratur Vedastum, cuius meritis hoc miraculum affirmat factum.

52. *Ibidem.* Cùm transferrentur reliquiæ S. Venantii, fæmina quædam vellus lanæ ferens, cùm manus ad feretrum, munus allatura extenderet; lana, quam tenebat, velut fumus euanuit. Compertumque fuit, ouem à qua vellus illud sumptum fuerat proprio possessori fraude sublatam fuisse.

53. *In vita S. Theodori Archimandritæ.* Accessit ad eum in speluncam inuolutum, & quiescentem quodam die sanctissimę Ecclesiæ Heliopolis procurator Theodorus, cognomento Tzutheus, & per ministrum nunciauit ei cùm lachrymis: Miserere, inquiens, mei, serue Dei, qui in magna versor calamitate; Misi enim ministrum meum ad Ecclesiæ prouentus exigendos, ille verò prouentibus exactis fugam arripuit; at ego hùc illùc cursitans, & vbique conquirens, eum reperire non potuit: supplico igitur sanctitati tuæ, vt Deum obsecres pro me, quò possim illum inuenire: Orauit Sanct. Theodorus, asseruitque se illum inuenturum dummodò promitteret, omnia illi condonnaturum, quod ille statim promisit. Interim fugitiuus precibus eius propè oppidum Nicaensicum coercebatur, nec indè se poterat extricare, cùmque putaret se magnum itineris spatium confecisse, nihil omninò promouerat. Itaque cùm ibi essent homines quidam, qui & illum nouerant, & procuratorem, & quid esset ab eo factum, acceperant, viderentque eum frustra se labore itineris defatigare, & cùm ex eo quereretur, vndè, aut quò proficisceretur, ineptè respondere: comprehenderunt eum, & rem procuratori detulerunt; qui cùm ab eo sublatum aurum recepisset, rediit ad S. Theodorum, Deo gratias agens.

54. *Raynaldus in ann. Ecclesiasticis an.* 1408. *num.* 72. Cùm hoc anno prope oppidum Gheerulieт apud Batauos crudelissimi latrones innocentum cęsa corpora, iniecta magna straminum copia, incendere noctu decreuissent vnà cùm ædibus, ita criminis suspicionem flammis se abolituros rati; tamen ea cadauera diuinitùs flammarum vim non sensere, restinctoque incendio, cùm presbyter qui ex latronum erat numero ad tegendum facinus cadauer occisi domini amplexus esset, dexteram ab occisi manu nunquã diuellere potuit. Deindè cùm diuina mysteria idem latro pro celebrandis exequiis perageret, sæpiùs accensæ faces spontè extinctæ maximo omnium stupore, nec nisi cùm maxima difficultate iterùm accendi potuere. Demùm cùm latrones supellectilem raptam in alienas terras naui auexissent, delira mulier diuinitùs acta prætori indicia auctorum, qui hactenùs latuerant, & vbinam esset rapta supellex, patefecit; adeò vt comprehensi extremo supplicio affecti sunt; cuius terrore vnus desperatione efferatus sibi gulam secuit; sacerdos verò crimẽ execratus, plura pænitẽtis animi signa dedit.

55. *Attonus Pacensis in vita S. Ioan. Gualberti ca.* 51. Sanctus Pater, custodibus bonum de Razolo, die toto arare præcepit, & in nocte pabula carpere. Illi verò respondentes: Vrsos, & lupos, nocturnosque timere latrones, ait eis, B. Paulus illæsos eos custodiat. Tunc noctu venientes latrones, vnum è bobus per cornua ligauerunt, sed de loco mutare non valuerunt. Quem mane custodes adhùc ligatum repererunt, lachrymasque more hominum fundere cæperunt, & hoc prædicto Patri nunciauerunt. Ad quem Pater accedens dixit; ò bos, vade, tuumque officium imple. Non enim te seruatum à noxiis feris, latronumque rapina S. Paulus perdere voluit.

56. *In Annal. Min. an.* 1252. *num.* 6. *de Rosa Virg.* Vna ex vicinis furto tulit gallinam, quam dùm perquirente Rosa se vidisse negaret, statim in dextera maxilla excreuerunt suo ordine, & colore pennę gallinaceę.

57. *Ioan. Bonifacius, in Hist. Virg. li. 5. ex Bencio.* Adolescens quidam, in collegio Hispalensi, cui incumbebat quæ in eo decernebantur litteris mandare, duos ad hanc rem destinauerat calamos scriptorios insigni ornatu, etenim caules, detractis plumulis, aureo filo, sericoque distinguebantur inuicem permixtis. Horum alter subripuit vnus de sodalibus iuuenili furto: Cuius etsi sæpè pulsabatur cogitatione animus, vt posthabitis rebus omnibus se Deo consecraret in aliquo cænobio, præualente amore in mulierculam quandam, aliud agebat. Ad eam aliquãdò cùm instituisset scribere, ac furtiuum calamum sumpsisset manu, sensit sibi vulnerari os excussissima palma, simulque vox ad aures: etiam ne sceleste rem mihi dicatam temerare audes impuro ausu? Attonitus hac pronunciatione, ac verbere, vt se collegit iuuenis, reuertit ad calculos quos penè abierat, vt amplecteretur institutum Franciscanæ Religionis; mansit ad aliquot dies memor nota plagæ acceptæ, vt appareret ab alia vi quadam maiore, quàm ab humana impactam.

Alia huiusmodi videantur in primo tom. lib. 2. cap. 1. §. 10. & 12. & cap. 4. §. 9. & lib. 4. in app. ad ca. 6. & in hoc tom. lib. 2. cap. 2. §. 5. lib. 5. cap. 4. §. 5. & §. 6. & alibi.

 

Dis-

Dispensatio thesaurorum spiritualium Ecclesiæ per Indulgentias, à Deo confirmata.
§. 14.

Pias spiritualis thesauri Ecclesiæ elargitiones, quas per Indulgentias omnibus fidelibus distribuere consueuere Rom. Pontifices, ceù earum à Christo Dom. constituti fideles dispensatores, olim Valdenses, Hussitæ, Vuicleffi Caluinistæ, & Lutherani præterito sæculo, oppugnarunt. At quàm insipienter, testantur admirandæ tàm pretiosi thesauri, & diuinitùs factæ dispensationes, & cælitùs demonstratæ acceptationes. De quibus.

1. *Ex antiq. monum. Romæ in templo S. Praxedis*. Paschalis I. Pontifex Maximus, celebrantibus quinque missas in templo S. Praxedis Romæ in sacello, quod dicitur ad Columnam, in qua Christus fuit flagellatus, cōcessit liberationem vnius animæ è purgatorio. Ipse autem Pontifex ibidem pro anima sui Nepotis quinque missas celebrauit: quibus finitis, visibiliter vidit eam in Paradisum deferri à B. Virgine.

2. *Vadingus in ann. Minor. ann.* 1221. *num.* 22. Quadam nocte apparuit S. Francisco in Ecclesia S. Mariæ Angelorum, Christus Dominus cùm Virgine matre, ac multitudine Angelorum, ad illumque conuersus dixit, vt postularet aliquid pro communi animarum consolatione, & salute, ac sui nominis honore. Ipse autem supplex ab eo postulauit, quatenùs gratiam hanc humano generi impertiri dignaretur, vt omnes, & singuli ad illum locum venientes, atque Ecclesiam introeuntes, peccatorum omnium, quorum confessionem sacerdoti fecerint, veniam, & indulgentiam vniuersaliter obtinerent. Tunc subintulit Christus Dominus: Grande satis est Francisce quod postulasti, verùm maiora impetrabis. Ac ego petitionem tuam admitto, sed volo adeas Vicarium meum, ac ex parte mea, hanc indulgentiam ab eo postules. Mane facto profectus est S. Pater ad Honorium Papam, tunc cùm curia Perusij commorantem, illique omnia per ordinem narrauit, optatamque indulgentiæ, quam à Domino acceperat, confirmationem in perpetuum post multas contradictiones obtinuit.

3. *Idem ibidem ann.* 1223. *num.* 1. Duo elapsi erant anni post obtentam à S. Francisco magnam illam indulgentiam pro visitantibus Ecclesiam Sanctæ Mariæ Angelorum, sed non fuerat adhuc destinatus dies, in quo fideles participes esse possent tanti beneficii. Expectauit Vir Sanctus, vt qui tantarum erat auctor gratiarum, ipse esset & dispensator, & qua die eas vellet distribui palàm manifestaret; id porrò factum est hoc modo in huius anni limine mense Iannuario; Cùm vrgeret gelu, ac frigus intensissimum, quale solet mense Iannuarii, apparuerunt illìc rosæ albæ, & purpureæ in magna copia. Affuit & ingens Angelorum cætus ei dicentium: Surge citò Francisce, & ad Ecclesiam propera: ibi enim te Christus cùm matre sua expectat. Qui surgens, veste noua, & candida se miraculose indutum sensit, collectisque rosis, duodecim albis, & totidem rubris, ad Ecclesiam perrexit. Videbatur autem ei semita versùs Ecclesiam sericis, ac purpureis vestibus strata, atque ornata. Reuerenter itaque Ecclesiam ingressus, vidit Christum Dominum cùm Virgine matre, & multa Angelorum frequentia stantem, moxque eum adorans, dixit: Sanctissime Pater noster Domine cæli, & terræ, atque humani generis Saluator, digneris propter magnam misericordiam tuam decernere diem indulgentiæ huic loco per temetipsum concessæ. Accessit patrocinium gloriosæ Virginis eius patronæ. Tùm Christus respondit: Volo sit dies illa, in qua Petrus Apostolus meus fuit à vinculis solutus, incipiendo à secundis vesperis illius diei, vsque ad vesperas sequentis, includendo noctem intermediam: quo tempore quicumque hanc Ecclesiam ingressus fuerit, plenam, quam postulasti, indulgentiam obtineat. Verùm Domine, ait Franciscus, quomodò hæc hominibus innotescent? & quomodò fidem adhibebunt? Hoc fiet, inquit Dominus, meo fauore, & auxilio gratiæ meæ. Tibi interim Romam eundum erit ad Vicarium meum, cui cùm hæc exposueris, ipse curabit notificari. Et Franciscus: fortè mihi peccatori non credet tuus Vicarius. At illi Dominus: Adduc tecùm aliquot testes de sociis tuis, qui hæc audierunt; simùlque defer in testimonium de rosis albis, & rubris, quas in sylua collegisti. Moxque chorus Angelorum intonuit: Te Deum laudamus, &c. & ad finem vsque compleuit; cùmq. Beatus Franciscus de rosis, quas è sylua detulerat, tres vtriusque coloris in honorem sanctissimæ Trinitatis sustulisset, visio tota disparuit. Postera die Beatus Franciscus reassumpta tunica cùm tribus sociis, Fr. Bernardo de Quinta-Valle, Fr. Petro Cathaneo, & Fratre Angelo de Reate, Romam profectus, in Patriarchio Lateranensi accessit ad Pontificem, eique seriem eorum, quæ acciderant ex parte Christi retulit, tribus Fratribus prædictis testimonium perhibentibus. Rosas quoque obtulit in certiorem veritatis probationem. Quarum odorem, & virorem mirificum stupens Pontifex, ait: Mirum planè hoc hyemali tempore rosas reperiri tàm vernantes. Et nos quidem, Frat. Francisce, verum credimus testimonium vestrum; sed proponendum erit negotium concilio Fratrum nostrorum Cardinalium, vt decernamus quid facto opus sit. Præcepit interim suis, Fratres honestè excipi, omniaque eis necessaria suppeditari. Postridiè comparens B. P. cùm sociis coràm Domino Papa in cōsessu Cardinalium, humi procumbens, ait. Dignissime Vicarie Christi, adimple voluntatem Patris Cælestis, & Virginis matris, in materia per me vobis proposita. Cui Papa: Et si mihi declaraueris quæ sit Domini volūtas; edic tamē etiam hic coràm omnibus Frat. nostris Cardinalibus. Tùm B. Pater: Voluntas Dei est, inquit, quòd quicumque à vesperis primæ diei mensis Augusti, vsq. ad vesperas secundæ diei eiusdem mensis, intrauerit Ecclesiam B. Mariæ de Angelis, Assisiensis diæcesis, accipiat remissionem plenam omnium peccatorum à die Baptismatis, vsq. ad horam introitus in dictam Ecclesiam, cōmissorū, si corde cōtrito, & humiliato cōfessus, & à sacerdote absolutus fuerit. Protracto super hoc sermone,

mone, intelligens Pontifex ex sinceri, minimèque fallacis viri certa narratione ita placuisse Christo Domino ad preces Beatissimæ suæ Genitricis, palàm gratiam, seù indulgentiam postulatam concessit, seù potiùs confirmauit, scripsitque Episcopis Assisiensi, Perusino, Tudertino, Spoletano, Fulginatensi, Nucerino, & Eugubino, vt ad Kalendas Augusti omnes ad prænominatam ædem conuenirent, & solemniter indulgentiam hanc publicarent. Conuocauit vndique illius regionis vniuersos, & præparauit amplam, latamque pergulam, ex qua circumstanti populorum multitudini Episcopi indulgentiam denunciarent. Stato die congregatis in vnum, Franciscus ad Episcoporum hortatum suggestum ascendit, præmissoq. salutari, & feruenti sermone, rei seriem retulit, concludens, cælitùs, & per summum Pontificem in perpetuum per singulos annos pro illo stato die concessam esse plenam omnium peccatorum pænitentibus, & contritis corde sacra confessione præmissa, indulgentiã. Audientes autem Episcopi indignati sunt, dicentes: Frater Francisce, licet Dominus Papa nobis mandet satisfacere tuæ voluntati, quò ad hoc, non est tamen eius intentio, vt te sequi debeamus in eo quod congruum non est, ideò denuncietur tantùm indulgentia decem annorum. Surrexitq. Episc. Assis. volens publicare indulgẽtiã 10. annorum; tamen aliter eloqui non poterat, quàm B. Franciscus dixerat. Quod alii ægrè tulerunt, & surrexerunt vnus post alterum omnes conantes corrigere, quæ præcedentes dixerant, tamen Deo disponente non potuerunt aliud pronunciare, quàm quod à B. Francisco dictum fuerat priùs. De quo omnes mirati, voluntatem Dei de concessione prædictæ indulgentiæ vnanimiter agnouerunt, & enunciarunt.

4. *Idem ibidem ann.* 1295. *num.* 13. Cùm celebris fama eximiæ indulgentiæ Sanctę Marię de Portiuncula per totum orbem diffusa esset, ingens hominum multitudo ad eam lucrandam vndique excita illùc confluebat; in quorum numero centum viginti circiter è Sclauoniæ partibus tanti Iubilei obtinendi causa mari se se commiserant. Qui cùm ad Anconæ portum nauim appulissent, & sacras ædes in ea celebres vrbe religiosè visissent, in religiosorum quorundam cœnobium quoddam inciderunt, vbi æditus cùm ab eis causam tàm longæ peregrinationis inquisisset, illamque intellexisset; inanem esse eorum laborem, cùm nulla ibi esset indulgentia, à nulloque summo Pontifice confirmata, disertis verbis, vanisque rationibus demonstrauit, quapropter ne in cassum laborassent, plurimas, easque Pontificiis diplomatibus confirmatas, quibus ea erat ditata Ecclesia, vt acquirerent indulgentias, eos est cohortatus; cuius consilio adhærentes, vlteriùs non progredi decreuerunt homines hi deuoti peregrini, præter fœminam vnam religiosam, quæ relictis sociis, ad sanctam visitandam Beatæ Mariæ Angelorum ædem iter sola prosecuta est. Quo in itinere, dùm à recta via aberrasset, senex veneranda canicie, & religiosa veste amictus ei apparuit, dixitque. Ne timeas filia: tibi enim sanctè denuncio, tutam te pro salute animæ tuæ inuenisse viam, amissosque socios illicò adfuturos, à tuo enim ab ipsis recessu sententiam mutarunt. Ipsa ergo retrò aspiciens, eos ingenti animi gaudio perfusa, aduenientes animaduertit. Omnibus in vnum collectis, senex dixit, optimè factum esse, quòd iter inceptum prosecuti fuissent: veras enim ibi esse indulgentias, seque eas confirmanti Honorio Pontifici testem adstitisse oculatum: scire insuper eas ipsas Dei ore concessas, ea propter alacres, fidentesque pergerent. Eos demùm cohortatus nè in posterùm in hoc fidei defectu delinquerent, disparuit, & magna animi lætitia perfusos reliquit. Vt igitur Assisium peruenerunt, rem gestam cunctis exposuerunt, indulgentias verò consecuti, læti, Deoque gratias agentes domum omnes reuerterunt, præter prædictam fœminam, quæ morbo distenta, paulò post ibidem debitum naturæ exsoluit. Demortua comitibus suis *iàm* mare nauigantibus videndam se præbuit, dixitque, se à Beata Virgine ad eos missam, vt de indulgentia plenaria, qua tunc fruebatur, certiores eos faceret, statimq. disparuit. Quod prodigium ab ipsis publicatum, ingens apud omnes eam indulgentiam lucrandi excitauit desiderium.

5. *Ex Reuel. S. Brigittæ, libr. 6. cap.* 102. Domina quædam de Suetia, cùm longo tempore Romæ infirmaretur, dixit quasi subridendo, sponsa audiente; Fama, inquit, est, quòd in hoc loco est absolutio à culpa, & à pæna; sed Deo nihil est impossibile, pænam enim experior ego: Tunc subsequente mane sponsa audiuit in spiritu vocem dicentem sibi: Filia hæc mulier grata est mihi, & quia deuotè vixerat in se, & quia filias suas enutriuit mihi, sed adhùc tantam contritionem non habuit in pænis, quantam delectationem habuit, & habuisset in peccatis, *nisi charitate mea refrænata fuisset*. Ergo quia ego Deus vnicuique prouideo in sanitate, & in infirmitate, sicut vnicuique expedire video, ideò nec in minimis verbis ab aliquo irritari, vel indicari debeo, sed vbique timeri, & venerari. Dic ergo ei, quòd indulgentiæ Ecclesiarum vrbis Romanæ, maiores sunt apud Deum, quàm sonant, quia *hi qui* perfecto corde veniunt ad istas indulgentias, non solùm remissionem peccatorum *habebunt*, sed etiam gloriam æternam. Nàm homo etiam si millies se occideret pro Deo, non esset condignus ad minimam gloriam, quæ datur sanctis; & licet homo non sufficit viuere ad tot millia annorum, tamen quia pro infinitis peccatis infinita debentur supplicia, quæ homini impossibile est satisfacere, & implere in hac vita, ideò propter indulgentias relaxatur multa, & grauissima pæna, & longissima commutatur in minimam. Et hi qui habitis indulgentiis cùm charitate perfecta, & contritione vera discedunt de hoc mundo, soluuntur non solùm à peccatis, sed ettiam à pænis, quia ego Deus non solùm dabo sanctis, & electis meis quæ petunt, sed & duplicabo, & centuplicabo propter charitatem. Ideò moneas istam infirmam ad patientiam, & stabilitatem, quia ego faciam ei quod

vtilius

utilius sibi est ad salutem. Huius autem mulieris animam vidit Sancta Brigitta ascendentem sicut ignem, cui occurrerunt plures æthiopes à quorum conspectu anima quasi perterrita facta est, & quasi tremula, & statim videbatur quasi Virgo præclarissima venire ei in auxilium, quæ dixit Æthiopibus: quid vobis cùm anima ista, quæ est de familia nouæ sponsæ filij mei? & statim æthiopes fugientes sequebantur à longè; cùmque anima venisset ad iudicium, dixit Iudex: Quis respondet pro anima ista, & quis est aduocatus eius? & statim videbatur Beatus Iacobus adesse dicens: Ego, Domine, teneor respondere pro ea; nàm bis in magnis laboribus fuit ad memoriam meam: O Domine miserere ei, quia voluit, & non potuit. Cui Iudex: Quid est, quòd voluit, & non potuit? Cui Iacobus: voluit, inquit, seruire tibi toto corde, sed non valuit, quia infirmitate retenta infirmabatur. Tunc Iudex ait ad animam. Vade quia fides tua, & voluntas saluabit te. Et statim anima egressa est à conspectu Iudicis exultans, & quasi stella splendens, omnibus adstantibus dicentibus: Benedictus sis tu Deus, qui es, & eras, & eris; qui non amoues misericordiam tuam sperantibus in te.

6. *Lelius Marinus, in vita S. Petri Cælestini, li. 3. cap. 10.* Quo tempore in Pontificali cathedra sedit Sanctus Petrus Cælestinus, concessit indulgentiam plenariam visitantibus Ecclesiam S. Mariæ de Collemadio Aquilæ in Aprutio, in solemnitate Io: Baptistæ. Quò cùm quotannis ex circumuicinis regionibus summa deuotione confluerent populi, thesauro tàm spirituali vt fruerentur, quidam sacerdos, nomine Firmus, in oppido vulgò *Morice*, Theatinæ diæcesis, videns multitudinem populorum eò proficiscentem, eorum deuotionem irridere cæpit, frustràque illò properare dixit, vanam, nullamque illam esse indulgentiam dictitans; vtque hoc credatis, subiunxit: tàm verum est, ea in Ecclesia indulgentiam esse, quàm hanc sagittam, durissimum illum lapidem ferire posse, & assumpta balista, quam manibus tenebat, sagittam in lapidem remisit; quæ (mirum dictu) ita lapidi infixa est, vt nisi magna vi extrahi potuerit. Hoc viso prodigio, acclamante populo, sacerdos Firmus internè compunctus mutauit sententiam, vnàque cùm cæteris ad prædictam Ecclesiam profectus est, lapidem cùm immissa sagitta deferens, quem ibi in miraculi testimonium custodiendum reliquit.

7. *Idem ibidem.* Alio tempore, duo viri Religiosi videntes innumeros populos ad supradictam acquirendam indulgentiam properantes, eorum peregrinationem irridentes, nullam inibi esse indulgentiam peruulgabant. At iusto Dei iudicio, cùm postera die iter suum prosequi vellent, subita cæcitate perculsi fuere. Causam intelligentes, voto se adstrinxerunt, ad eandem lucrandam indulgentiam se profecturos, magnaliaque Dei manifestaturos, quod cùm manuducti fecissent, statim ac sanctam Ecclesiam sunt venerati, & lumen oculorum receperunt.

8. *Stephanus Pepe, in vita B. Claræ de Agolantibus, lib. 3. cap. 5.* Quodam in suauissimo raptu apparuit Saluator mundi B. Claræ de Agolantibus, Fundatrici monialium S.S. Angelorum Arimini, vtque quidquid vellet, peteret, optionem dedit; at illa, indulgentiam pro viuis, atque defunctis humiliter poposcit; quam misericorditer concessit cælestis sponsus, librumque, in quo aureis caracteribus concessa indulgentia, illiusque tempus describebatur, scilicet per tres dies ante festum S. S. Annunciationis B. Virginis, & tres totidem post eandem Festiuitatem, illi à S. Ioanne Euangelista tradi iussit: Hunc librum multo tempore conseruarunt moniales, ex illiusque testimonio, huiusmodi indulgentia ab Ordinariis in hæc vsque tempora comprobata fuit; contraque titubantes, & incredulos, cælestia apparuere prodigia; campanæ etenim eiusdem Ecclesię nemine pulsante aduenien te tempore solemnitatis mirabiliter pulsare sæpè sunt auditæ.

9. *Ignatius de Nente, in vita Ven. Sor. Dominicæ de Paradiso ord. Sancti Dominici, lib. 2. capit. 65.* Iàm suum construxerat monasterium Florentiæ Sor. Dominica, Ecclesiamque, seù Oratorium sub titulo S. Crucis; cùm apparens ei Christus Dominus, multis gratiis, benedictionibusque eam cumulauit, optionemque dedit, vt aliquid ab eo peteret, misericorditer enim elargiturũ se promisit. Tunc Ven. Dominica supplicibus precibus ab eo poposcit, vt dignaretur indulgentiam aliquam, peccatorumque remissionem concedere, illam visitantibus Ecclesiam. Annuit benignissimus Sponsus, concessitque visitantibus eam Ecclesiam in die illius Dedicationis, & Tituli, hoc est quartadecima Septembris in Festo Exaltationis Sanctæ Crucis, plenariam remissionem peccatorum, & tertiam partem pænarum illis in purgatorio debitarum; cuius misericordiosissimæ elargitionis, maximas, ingentesq. cælesti sponso egit gratias.

10. *In vita Sancti Bernardi cap.* 4. S. Bernardus cùm concionatus fuisset de Indulgentiis, ab Eugenio Pontifice concessis, statim post cõcionem, fidem illam de indulgentiis viginti ægrotorum curatione comprobauit.

11. *Marchantius in Cand. my. tract. 5. de Indulg.* Augustæ Vindelicorum anno 1606. quidam Lutheranus prædicans, cùm videret Augustæ processionem fieri ad lucrandas indulgentias concessas à Paulo V. furibundus ad cathedram procedebat, vt contra indulgentias declamaret. Sed cùm venisset ad portam Crucis, ibi antequam id faceret, derepentè concidit mortuus durante adhùc eadem processione. Itaque ea re in processione nunciata, Præsules publicas Deo gratias agi curarunt.

Aliud admirabile prodigium indulgentiarum valorem ostendens, videatur tomo primo lib. 4. cap. 5. §. 1. num. 22.




APPENDIX AD CAPVT IV.

Admiranda quædam perennia, Ritus Ecclesiasticos confirmantia.

PErennibus prodigiis nouimus præter iàm enarrata Ritus Ecclesiasticos confirmari. Suntque.

1. *Christianus Adrichomius in Iuda num.* 116. Fonticulus Iesu paruulus est in quodam Ægypti hortulo, inter Heliopolim, & Babylonem consito, non sufficiens irrigationi totius horti: quare Saraceni alium foderunt iuxta illum puteũ, ex quo quatuor boues aquam protrahunt per rotam, sperantes ex vicinitate fontis Iesu, aquam fore salubrem; at longè aliter res euenit, donec missis canalibus, aquã putei ducerent in fontem Iesu, quo facto, largiter, & salubriter ex aquis mixtis rigatur balsami hortus: Mirum dictu! Verùmtamen à meridie Sabbati vsque ad auroram diei lunæ, boues nullo verbere impelli possunt, vt in protrahenda aqua laborent; quod est fidei nostræ testimonium celebre.

2. *Petra Sancta in Rit. Eccl. capit.* 19. *ex ann. Cænobÿ Corbeiensis.* Olim in peruigilio Sancti Viti martyris, ac Diui tutelaris, Antistes, & monachi cùm Crucis Labaro, instituta supplicatione, quotannis procedere solebant vsque ad Visurgim, propinquum, & familiarem amnem, & in eo gurgite obuios habebant Salmones duos satis magnos; quorum vnum arripiebant, alteri benè precabantur, ac veluti veniam dabant, ibique perindè obuios ceruos duos inueniebant; ex quibus vnum eligebant, alteri permittebant, vt dudùm in saltu esset. Vsque adhùc numini curæ fuit pro ieiunii, & Festi diei refectione, Religiosis viris ex amne piscem, carnem ex sylua perindè suppeditare.

3. *Idem, in mirac. perpet. capit.* 16. Acheruntii, quæ est ciuitas Lucaniæ, seù Basilicatæ, quam appellant, in festo Patroni, seù Diui Tutelaris, sub altari strepitus inauditur instar murmuris magni, quasi clamor sit interfectorum Apocalypsis dicentium. Vindica sanguinem nostrum Deus noster.

4. *Gregor. Turonensis, de Glor. mart. lib.* 1. *cap.* 20. In vrbe Turonica est Ecclesia, S. Mariæ Virginis, ac Ioannis Baptistæ nomine consecrata, in qua periuris vltio diuina apparet. Quidam enim cùm ad periurandum in hanc Ecclesiam fuisset ingressus, vbi manus ante altare stans sursùm extulit, vt sacramentum mendax proferret, statim resupinus ruens, ita caput in pauimentum collisit, vt vix vel uiuens erigi potuisset. Ad se autem reuersus, dolum periurii, quod occultabat, publicè patefecit. Vidimus enim & nos quosdam de Turonicis in loco eodem periurasse, qui ita diuino iudicio condemnati sunt, vt in ipsius anni curriculo finirentur à sæculo.

5. *Idem ibidem cap.* 39. Ad Pancrati martyris sepulchrum, si cuiusquam mens insana iuramentum inane proferre voluerit, priùsquàm sepulchrum eius adeat, hoc est antequàm vsque ad cancellos, qui sub arcu habentur, vbi clericorum psallentium stare mos est, accedat, statim, aut arripitur à Dæmone, aut cadens in pauimento, amittit spiritum. Ex hoc enim quisque fidem cuiuscumque rei ab alio voluerit elicere, vt verum cognoscat, non aliter nisi ad huius Basilicam destinat. Nàm ferunt, plerosq. iuxta Basilicam Apostolorum, siue aliorum martyrum commanentes, non alibi pro hac necessitate, nisi templum expetere B. Pancrati, vt eius seueritatis censura publicè discernente, aut veritatem audientes credant, aut pro fallacia iudicium martyris Beati experiantur.

6. *Idem ibidem cap.* 103. Apud Constantinopolim magno cultu Polyoctus martyr colitur, pro eo præcipuè quòd cùm magnis virtutibus polleat, in periuris tamen præsens vltor existit. Nàm quicumque, vt adsolet, occultum scelus admiserit, & data suspicione ad hoc perductus fuerit templum, aut statim quod admisit virtute martyris perterritus confitetur; aut si periurauerit, protinùs vltione diuina percellitur.

7. *Idem, lib.* 2. *de Glor. marty. cap.* 39. *de Sancto Iuliano martyre.* Est in Turonico vicus, cui Gaudiacum nomen est, in quo Beati martyris Iuliani reliquiæ continentur, qui cùm magnis virtutibus crebrò illustretur, in periuris tamen plerùmque agitat vltionem. Nàm cùm ibidem quis inimico humani generis suadente periurauerit, ita vltio diuina prosequitur, vt protinùs, aut in successione damni, aut in amissione proximi, aut in consumptione morbi mani festa patescat, non tamen causam remanere inultam martyr prorsùs indulget: sed nec inibi tàm ausu temerario periurat barbarorum cruda rusticitas.

8. *In vita S. Patritÿ Episcopi.* Est lapis propè locum (iu Hibernia) positus, quem S. Patritii Petram incolæ uocant; quia super illam *quidam eum* natum fuisse, quidam missam celebrasse existimant. Quotiès aliqua controuersia inter conuicaneos, vel vicinos vertitur, quæ iuramento concludenda decernitur, ad petram prædictam acceditur, & sacramento corporaliter præstito, causa terminatur. Si verò perierans, vt falsidicus testis super eam manum extenderit, protinùs aquam effundere consueuit, & quàm sit execrabile crimen periurii, aut falsi testimonii cunctis patenter sanctitas Patricii ostendit: alioquìm nec guttulam sudare solet, sed in siccitate, duritiaque naturali permanet.

9. *S. Odo in vita Sancti Geraldi Comitis.* Constat quòd hic Sanctus Vir dùm viueret, multas S. S. reliquias ad Aureliacum aduexit: inter cætera S. S. cimelia, quæ illic habentur, est lignum Domini, cui talis virtus inesse frequenti experimento dignoscitur, vt si quis illud portet equitando, equus in breui moriatur, aut si periurium fecerit, emptilentiscus fiat · non pauci etenim iàm propter hoc peccatum caduci facti sunt. Incolę autem mores feros habere solebant, sed aliquandò exemplo vel reuerentia S. Hominis esse mitiores videntur: Cùm autem fędus, aut grande iuramentum inire decernunt, per quemlibet monachum, aut clericum, qui tamen pedester incedat, deferri sibi faciunt.

10. *Vincentius in Spec. Hist. l* 19. *cap.* 2. Si intra septa Ecclesiæ S. Desiderii Lingudnensis, inuocato

to nomine Christi, super eius sanctum altare, sub falsitatis ingenio mendax perpetrare tentauerit sacramentum, vltione diuina illicò in perditionis sententia condemnatur.

11. *In vita S.Felicis Nolani*. Inter miracula, quæ hic sanctus operabatur, erat diuinitùs veritatem detegere, quæ alia via in lucem produci non poterat; nàm vehementibus indiciis aliquis de crimine suspectus, vt se purgaret, ad Sancti sepulchrum ducebatur, iuramentum emissurus, sicque fiebat, vt si veritatem quis negasset, statim plecteretur diuinitùs. Huius rei meminit quoque S.Augustinus.

12. *Colganus in vita S.Fridiani Episcopi*. Accepta, vt moris est, à Summo Pontifice benedictione, ad terram suam remeare curauit Fridianus, portans secùm reliquias, & decreta, quæ pro munere Apostolicus ei donauit, quæ adhùc dicuntur Canones Sancti Fridiani, Euangelia quoque, quæ terra illa nondùm plenè susceperat; Quibus nimirùm Deus tantam virtutem concessit, quòd si quis per ea iurauerit, morte, vel amentia in eodem anno diuina vltione mulctetur. Campana etiam, quæ iuxta Viri imperium, cælestia tonantis, Machili facta (Machili est nomen loci) si sacramenti nomine pulsetur, eandem vim habere dicitur.

13. *Antonius Caracciolus, in vita S. Antonini Abb.* Ferunt nullum vnquam per D. Antonini reliquias impunè periurare, quin & alio seueræ animaduersionis flagello punitus, aut ad præsens, aut citò vindictæ succumbat, & mendacii procaciam Christo, & Antonino faciendo luat. Nuper duæ pauperculæ, quarum altera creditum acceptum negabat alteri, conflictu diuinæ altercationis collisæ, ad sacramenti testimonium coràm Antonino iudice prorupere: illa se credidisse, ista se non accepisse iuraturæ. Videns hanc contendentium proteruiam Petrus Archipresbyter Ecclesiæ custos, rigidam Antonini censuram cognoscens, pro humanitatis condescensione, periculo vtriuslibet perterritus; rogabat quærentem, vt ex credito aliquantulùm resecaret. Et iuxta consilium suadentis cùm tertiam partem remisisset, illa nec sic quidem à rigore noxio emollita, audaci incessu, procaci vultu ad altare accessit, & obstinato animo, linguaque perniciosa creditum abiurauit: non autem impunè. Nàm recedere parans, quasi debiti exactione iàm soluta, subitò in terram elisa corruit eiulans, spumans, palpitans, & bestiali more frendens.

14. *Aemilius lib.10. Francorum*. In Laudensi æde in Andibus, Crux summa religione à Gallis colitur. Peruetus opinio tenet, qui ad eam conceptis verbis peierarit, intra annum vertentem pessimo letho occumbere.

15. *In m.s.s.* Quodam in oppido vulgò *Rimetta* à Messanensi ciuitate in Sicilia duodecim milliaribus distante, quodam in antro, in quo vitam eremiticam sanctissimè duxit S.Leo Catanensis Episcopus, adest perennis, & medicus fons, qui in eius morte ibi diuinitùs emanauit. Hic fons, si in antrum aliquis excommunicatus ingrediatur, statim exsiccatur. Tuncq. Clerus ad antrum solemni ritu procedens, in eoque Deo fundens preces, iterùm perennitatem aquæ impetrat.

16. *Petra Sancta in mirac. Perp. cap.5.* In Escuriali monasterio, Hispaniæ totius nobilissimo, labrum aquæ lustralis aiunt nunquam gelu constringi, quandò hyemali tempore aquæ aliæ conglaciant. Et si deberet potiùs præ communi aqua in glaciem contrahi, propter salis admixtionem, quo latex faciliùs densatur in gelu.

17. *In Chron.S.Augustini.* Ob innumera beneficia, quibus per intercessionem B. Bartholomæi Vlysipponensis fruuntur populi Tagastenses in Africa, propè eius sepulchrum in pauperum subsidium salis copiam conseruant, & cuique pugillum extrahere concedunt. Si quis autem maiorem quantitatem ausu temerario surripere audeat, statim in pœnam furti, infirmitate corripitur.

Videantur aliqua ad hæc pertinentia tom.1.li.5. in app.ad cap.5.cùm de perennibus Inanimatorum motibus.

Finis Libri Quinti.



LIBER SEXTVS

De Admirandis circa mortem Hominis.

Ontinuas, easque successiuas in Macrocosmo, quis non intuetur, admiraturque mutationes, conuersiones, corruptionesque mixtorum? proceræ, annosæque quercus, diù licet contra impetum frementium turbinum, grandinum, elementorumque omnium, dimicauerint impetus, tandem communi cedunt vicissitudini, voracibusque temporis dentibus, aut flammis consumpta, in cineres abeunt, adque vastitatem reducuntur: Tauri, Elephantes, fortissimique Leones, fato concedere, vitamque cùm morte mutare coguntur: lapides & ipsi, montesque durissimi, non longa post tempora attriti, in minutissimos euanescunt pulueres; Vt etenim cecinit Ouid. 4. meta.

Tempus edax rerum, tuque inuidiosa vetustas
Omnia destruitis, vitiataque dentibus aui,
Paulatim lenta consumitis omnia morte.

Neque ab his rationalis excipitur Microcosmus, seù Homo, illum siquidem morti, à qua immunem gratia fecisset, mancipauit culpa, velitque, aut nolit, tandem & mutationem in se pati, tumentesque superbiæ fluctus in mortalitatis pulueres, cineresque infringere compellitur. Sed hoc non est admirandum, quia non rarò, & præter solitum, sed quotidiè morimur, & sicut aqua dilabimur super terram. Aliqua tamen circa naturalem, quotidianamque Hominis mortem eueniunt Admiranda, quorum hoc erit in libro enarratio.

CAPVT PRIMVM.

De Admirandis circa mortem. Mors admirandis modis prænunciata.

§. I.

ON hic referam futuræ mortis omnes præmonitiones, quibus Deus seruis suis finem ærumnarum, fortunatique triumphi diem prænunciare solet; paucorum enim vita Seruorum Dei legitur, quorum mors prænunciata non appareat: Solùm igitur quasdam futuræ mortis, aut bonæ, aut malæ, seligam prænunciationes, quæ admirandis quibusdam modis euenere. Sunt autem.

1. *Melito Episcopus Sardensis, apud Carthagenam tom. 3. lib. 13. hom. 3.* Secundo, & vigesimo anno postquam Christus deuicta morte cælum conscenderat, dùm die quadam desiderio Christi succensa B. Virgo Maria sola intrà domus suæ receptaculum lachrymaretur: ecce Angelus magni luminis habitu resplendens ante eam adstitit, & salutationis verba persoluens, ait: ecce ramum Palmæ de Paradiso Dei attuli tibi, quem portare facies ante feretrum tuum, cùm in die tertia assumpta fueris de corpore: ecce enim te expectat filius tuus, cùm Thronis, & Angelis, & vniuersis cæli virtutibus.

2. *Simeon Metaphrastes, in vita Sancti Simeonis Salo.* Cùm aliquandò pestis esset aggressura ciuitatem, veniens Simeon in omnes scholas, cœpit salutare pueros, dicés vnicuiq. illorum, quos salutabat, tamquam ridiculè: vade pulchre, ô mi pulcher. Non omnes autem salutauit, sed quos ei Dei gratia significauit. Dicebat magistro vniuscuiusque scholæ: Propter Deum stulte, ne cædas pueros, quos diligo; sunt enim magnum iter abituri. Magister autem eum ludificans, aliquandò verberabat, aliquandò verò pueris annuebat, vt ei insultarent. Et cum insectabantur. Cùm autem venisset pestis, nemo remansit ex iis, quos salutauit Abbas Simeon, sed mortui sunt omnes.

3. *Sanct. Gregor. Dialog. libr. 1. capit. 8.* Anastasius monachus, Abbas Suppentoniæ apud Nepitam, antè montem, è rupe, quæ cœnobio in monte præeminebat, vocem audiuit dicentis: Anastasi veni. Quo vocato, alii quoque septem fratres vocati sunt ex nomine: Paruo autem momento, ea quæ emissa fuerat vox siluit, & octauum fratrem vocauit; intra paucos igitur dies, primus Anastasius, cæteri autem eo ordine ex carne educti sunt, quo de rupis vertice fuerant vocati. Frater verò ille, ad quem vocandum vox parùm siluit, morientibus aliis, paucis diebus vixit, & tunc vitam finiuit.

4. *Idem ibidem li. 4. cap. 17.* Musa Virgo Romana adhùc paruula, nocte quadam dùm placidè dormiret, vidit B. Deiparam cùm pluribus virginibus candidis indutis vestibus ad se venientem, quæ sic eam est affata: si cùm his Virginibus vis adiungi, nihil leue, nil puerile agas; teque à risu, & iocis con-

contineas; sic enim post diem trigesimum, voti tui, compos fies. Paulò igitur post hæc in alteram mutata, omnem leuitatem puerilem, in admirandam conuertit grauitatem. Vigesimo quinto igitur die, febri corripitur, & die trigesima B.Dei genitricem cùm puellis, quas antea viderat, ad se rursùs venire conspexit. Cui etiam vocanti respondere cępit, & depressis reuerenter oculis, aperta voce clamare: ecce Domina venio: in qua etiam voce spiritum Deo tradidit.

5. *Idem ibidem cap.26.* Mellitus monachus monasterii Portuensis adhùc in annis iuuenilibus constitutus, clade mortalitatis (quæ tunc vrbem vastabat) percussus, ad extrema deductus est; quo tempore apparens ei iuuenis, epistolas dedit dicens: Aperi, & lege. Quibus apertis, asseruit quia se, & omnes, qui eodem tempore à Felice Episcopo eiusdem ciuitatis in Paschali festiuitate fuerant baptizati, scriptos in eisdem epistolis litteris aureis inuenisset. Primum quidem, vt dicebat, suum nomen reperit, ac indè omnium ex illo tempore baptizatorum. Qua de re certum tenuit, & se, & illos de hac vita esse sub celeritate migraturos; factumq. est, vt die eadem ipse moreretur, ac post eum omnes illi, qui baptizati fuerant ita secuti sunt, vt infra paucos dies nullus eorum in hac vita remaneret.

6. *Io.Diaconus in vita S.Gregorij Papæ, libr.1. cap.18.* Gerontius monachus in monasterio S. Gregorii, dùm graui molestia corporis esset depressus, in visione nocturna albatos viros in idipsum monasterium descendere de superioribus aspexit. Qui dùm coràm lecto iacentis assisterent, vnus eorum dixit, ad hoc venimus, vt de monasterio Gregorii quosdam fratres in militiam mittamus; atque alteri præcipiens dixit: scribe Marcellum, Valentinianum, Agnellum, & quosdam alios. Quibus expletis, addidit dicens: scribe & hunc ipsum, qui nos aspicit. Ex qua visione Gerontius certus effectus, facto mane, innotuit fratribus, quot, & qui essent ex eodem monasterio morituri; seque illos secuturum, sicut, & contigit.

7. *Surius in vita S.Euphrasiæ 13. Martij.* Euphrasia vidua in monasterio degens, vocata est aliquandò ab Abbatissa eiusdem monasterii, dictumque est ei: Domina mea Euphrasia, habeo, quod indicem tibi; sed quæso ne perturberis: cui illa respondit: loquere Domina mea; Tùm Abbatissa; vidi, inquit, in somnis Antigonum maritum tuum in magna gloria rogantem Christum, vt ab hac vita mortali transferaris ad illam sempiternam; liceatque tibi deinceps esse cùm illo, & ea frui gloria, qua ipse fruitur. Hæc vbi didicit Euphrasia, multùm exhilarata est, adque mortem, quæ paulò post secuta est, se parauit.

8. *In Hist.S.Bernardi Hispanica, libr.4. cap.51.* Reginaldus monachus Cistercienſis, B. Virginis deuotissimus, sex dies ànte eius obitum audiuit pulsari signum, quo solent conuocari monachi ad Agonizantem iuuandum, & accurrens illicò ad infirmorum locum, cùm nullum ibi infirmum reperisset in huiusmodi versantem periculo, cogitauit hoc suæ mortis præsagium; & incipiens tremere, ac horrore vicinæ mortis commoueri, eadem die infirmitate correptus est; in qua non cessauit vsque ad obitum salutationem recitare Angelicam, & in illis verbis: Sancta Maria mater Dei ora pro nobis peccatoribus, nunc, & in hora mortis; reddidit Deo animam, veste pretiosissima induendam, & ornandam, quam sibi eadem gloriosa mater ante quinquaginta dies ostenderat, & promiserat. Idem accidit & Gherardo monacho itidem Cisterciensi, decem diebus, ante eius obitum.

9. *Surius in vita S.Paulini Nolani Episcopi 22. Iunij.* Ante diem tertium, quàm de hoc mundo S. Ioannes Episcopus Neapolitanus ad Dominum commigraret, retulit se vidisse S. Paulinum, angelica dignitate vestitum, atq. ornatum, totum niueū, totum sidereum, atque odore ambrosio renidentem, fauum etiam candidissimum mellis in manu tenentem, ac dicentem sibi: Frater Ioannes, quid hìc facis? Solue vincula tædiorum tuorum, & iàm ad nos veni. Hæc enim esca, quam in manu teneo, apud nos satis abundat. Et cùm hæc dixisset, complexus est eum, & immisit in os eius partem faui illius; cuius dulcedinem, atque, odorem ita S.Ioannes concupisse se dixit, vt si in ipsa reuelatione potestas fuisset, ab eius vestigiis nullo modo recessisset. Et tamen hoc non diù dissimulauit. Nàm excitatus à somno, eadem die, idest quinta feria, iuxta consuetudinem suam remunerans omnes clericos, atque pauperibus tribuens, sanus Dominicam cœnam celebrauit; sexta verò feria orationi vacauit, Sabbato autem, secunda hora diei, lætus ad Ecclesiam processit, & ascenso tribunali, ex more populum salutauit, resalutatusque à populo, orationem dedit, & collecta oratione, spiritum exhalauit.

10. *Henriquez in Fasciculo, de B. Hostrado Abbate.* Die quadam, dùm in refectorio cùm cæteris fratribus ad mensam sederet B. Hostradus, beatissimam Dei genitricem, puerum Iesum gestantem, refectorium intrare conspexit: quæ ad ipsum accedens, lætoque vultu adspiciens, ei filium suum contemplandum exhibebat. Cuius pulchritudine delectatus vir pius, incredibilique lætitia repletus, partem cibi, quo vescebatur obtulit puero, mira simplicitate dicens: Comede, comede, pulcherrime infans; cui subridens Iesus, respondit: Non ego tuis cibis indigeo, sed potiùs ego te ad meas epulas inuito, & post tres dies sedebis super mensam meam in regno meo, vt satieris cùm apparuerit gloria mea. His dictis, visio euanuit, & ipse sacris se Sacramentis muniuit, & die tertio inter manus monachorum suorum suauissimè expirauit.

11. *In ann.Cisterciensibus an. 1160. cap.3. num. 5. de Vualleno Abbat.* Cuidam Conuerso, nomine, Simoni, apparuit quidam, statura, vultu, aspectuque terribilis, qui post multa tandem dedit & illi quoddam inuolutum, iniungens, vt illud à Deo, & S.Maria directum, Abbati suo porrigeret; porrectum accipiens, fixum teneret; & quod in eo scriptum, nihil à vero vacillaret. Hoc dicens disparuit, & frater euigilans, schedulam scriptam super pectus suum inuenit, inuentam, hora competenti enarrata visione, Abbati porrexit. Abbas cælitùs sibi miss-

missu reuerẽter explicans, illud legit genibus flexis, fusis lachrymis, Deo gratias multiplices exoluit. Conuocatis priùs senioribus domus, scriptum legendum præbuit, post modùm in audientia totius conuentus recitari fecit; Hæc autem huius scripti verba fuerunt. Iesus Christus, & Maria mater eius dilectum suum Vuallenum salutant. Scias, quòd exaudita est oratio tua, & inter duas festiuitates Ioannis Baptistæ venies ad nos perpetuò victurus. Præpara te. Vale. Ecce verba pauca, & simplicia simplicibus; sed tamen sicut rei exitus probauit, omni veritate subnixa.

12. *In vita S. Vuiberada*. Cùm omnipotens Deus Virginem suam iam diù bonum certamen certãtem, per palmã martyrii vellet cursum consummare; quadam meridie ei ex more vacanti psalmodiæ, psalterium vltrò se complicuit (Res admiratione digna,) super quod faciem aliquantisper inclinans, gelido sopore fuso per artus paululùm obdormiuit. Hac tenui pausatione diuinitùs ei reuelatum est, sequenti anno Vngaros Alamanuia vastata, in Kalendis Maii cellam S. Galli inuasuros, seque eisdem vulnerantibus vltima fata passuram.

13. *Franciscus à S. Maria, in Hist. Carmelit. tom. 1. lib. 5. cap. 27*. Antequam ad cælum euolaret S. M. Teresia à Iesu, pluriès obseruata est stella ingentis splendoris transiens ante fenestram cubiculi sanctæ Matris; aliæ moniales in eadem fenestra splendidissimum radium, aliæ verò duo lumina ibidem viderunt.

14. *Bzouius an. 1246. num. 3. De Fr. Bernardo Lusitano, ordinis Prædicat*. Erant Santareni duo pueri, qui seruiendis sacris, Ecclesiam Prędicatorum singulis diebus frequentabant. Eos frater Bernardus rudimenta fidei, & bonarum literarum sacro Missæ officio exsoluto, instruebat; & in Sacello quodam, vt discerent relinquebat. Prostabat in eo icona sculptilis Diuæ Deiparentis, puerum gestantis, aræ imposita; coràm qua cùm pueri frequentius ientarent, & puerili simplicitate, puerulum Iesum in gremio materno effigiatum inuitarent, vt id quicquid domo attulissent secùm comedere vellet: mirum dictu! imago pueri è sinu materno videbatur inter pueros descendere, assidere, comedere, & reuerti. Plurimum temporis intercesserat, quo puer Iesus consuetudine puerorum teneretur, cùm vnus interim ex illis eadem puritate infantili, apud Bernardum quiritari cępit; illos quotidie symbolum conferre, puerum verò Iesum nec quicquam à matre portare; partem tamen ientaculi semper velle habere. Intellexit senior, quid esset, & infantibus præcepit, vt ex more venienti puero Iesu dicerent: ò chare puer, eccùm nos tecùm nostram portionem tanto tempore diuisimus: ecquid etiam nos, & nostrum magistrum Bernardum in domum Patris tui ad refectionem inuitas? Respondit Iesus, se ambos, & Bernardum inuitare: atque ad diem festum Ascensionis Dominicæ omnes præstolari. Renunciarunt Bernardo pueri, quæ audierunt. Is autem sacra confessione noxis expiatis, puerisque comitibus de æterna felicitate instructis, cùm hæc secreta senior aperuisset, sacris designato die operatus, ad eam aram, cui imago Diuæ Parentis imminebat, vnà cùm pueris sine vllo doloris sensu ad cæleste epulum, statim atque missæ sacrificium obtulisset, excessit. Vigesimo, & nono post anno corpora eorundem refossa, candida admodùm atque incorrupta reperta sunt, ac si eo ipso die abiissent.

15. *In Hist. Prouinciæ Aragoniæ ordinis Prædic. lib. 2. cap. 43*. Puer paruulus inter Nouitios ordinis Prædicatorum receptus, cùm ex animi puritate, & simplicitate sæpiùs Christo paruulo matris pectori adhęrenti, cibos obtulisset, qui ab effigie Christi forma videbantur assumi, ab eodem tandem inuitatus est ad secùm die dominico in domo Patris sui comedendum: Sed cùm puer Nouitius respondisset, sibi non licere extra conuentum absque sui Præfecti licentia comedere; licentiam ab eodem iussus est petere Præfecto. Qui cùm causam cogitasset, & quid sibi hoc vellet, intellexisset, puero dixit: Vade, dic, te ex ordinis consuetudine non posse absque Præfecto venire: & quòd ego, si velit, tecùm veniam. Retulit puer quæ audierat, & hoc accepit ab imagine responsum: Abi, dic religioso Patri tuo, vtrumque ipso die Pentecostes sub initium Hymni Veni Creator Spiritus, ad nuptias meas venturum. Dictum, factum. Ipso die, hora, atque momento, vterque in ipso templo decessit, & ad Agni nuptias beatas accessit, circa ann. Domini 1345.

16. *Ibidem lib. 2. cap. 48*. Religiosus quidam Theologus ordinis Prędicatorum, qui singulis noctibus accipiens Crucifixi imaginem, de cella sua ibat in communem Bibliothecam, ibique in capite libri, super mensam ponens eamdem imaginem, perseuerabat in lectione ad noctis vsque dimidium; quadam nocte dùm de more lectioni incumberet, audiuit sonitum tubæ, procùl (vt sibi videbatur) à conuentu, cùmque intempestiuum, & non consuetum miraretur sonum, audiuit eumdem iterùm, quasi in platea ciuitatis, audiuitque pariter tertiò paulò post, quasi in porta conuentus. Tunc prostratus ante ipsam Crucifixi imaginem à Domino misericordiam postulauit. Vix hoc egerat, & audiuit quartò eumdem sonitum in claustro monasterij: Surgens igitur cùm timore, & vna manu Christi imaginem, altera candelam accipiens, ostium aperuit, vt è Bibliotheca exiret: illicò verò audiuit eamdem tubam apud se, & cognouit, tubam esse iudicij sui, ac propinquæ mortis significationem. Vndè parauit se, & sub Auroram cubiculum Prioris adiuit, ab eo expostulans pænitentię Sacramentum, & subindè sacrosanctum Viaticum, dicens ei admiranti, se mentis omninò compotem esse. Munitus autem Viatico, petiit itidem sacram extremam vnctionem; quam cùm sibi negaret Prior, eo quòd nullo detineretur morbo, precibus obtinuit, & illicò febri correptus est, qua mediante vitam cùm morte commutauit.

17. *In Chr. Ord. Prædicat*. Cùm Albertus Magnus admodùm senex de more profiteretur publicè, memoria lapsus est; cùmque aliquandiù reticuisset, & omnes obstupescerent, resumpto tandem animo fari cæpit, & huius causam exposuit: Nempè hoc sibi imminentis mortis præsagium; cùm enim dùm esset

esset adolescens à B. Virgine miraculosè scientiam obtinuisset, ab eadem signum futuræ mortis habuit; futurum scilicet, cùm instaret sibi obitus, vt dùm publicè profiteretur, subitò in memoriæ lapsum incurreret. Auditoribus igitur (his dictis) vale dicto, & ex eo loco abiens, ad mortem se parauit.

18. *Surius in vita S.Dominici lib.5.cap.4.* Quidam frater ordinis Prædicatorum, nomine Albertus, S.Dominico dùm viueret, cùm primis familiaris, & addictus, cùm eiusdem Sancti corpus post mortem in Ecclesia delatum esset, ruit cùm mærore maximo in ipsius pia oscula, charosque amplexus, nec indè recedere voluit, donec mortis suæ meruerit habere responsum. Quo accepto, surrexit, ac iucundo & hilari vultu ait: fidelis sermo, & omni acceptione dignus, magister Dominicus me complexans dixit mihi: Hoc anno me sequeris ad Christum; quod & factum est, eodem enim anno obiit sicut Sanctus prophetauerat.

19. *Petrus Malpaus in Palma Fidei ordinis Prædicatorum.* Anno Domini 1260. in Polonia, nocte præcedente infandam cladem, qua ab Hæreticis quadraginta nouem Fratres occisi sunt; Venerabilis Prior Sadochus deuotissimus, fratrum grege cinctus, matutinis, vt vocant, horis intererat in Ecclesia S.Iacobi Sandomiriensis. Quibus absolutis, tyro aliquis, de more religionis, indiculum Martyrologii ad diem sequentem recitaturus, insperatò characteres quosdam litteris aureis offendit, hunc in modum: Sandomiriæ, Passio quadraginta nouem martyrum: Legeret, an taceret animo pendebat. Timore dein posito, cygnea, sed trepidante voce aureum insonat decretum. Sandomiriæ passio quadraginta nouem Martyrum. Insolita hac lectione omnibus attonitis, Prior postulato libro, manifestè notas, litterasque aureas inspexit, quemadmodùm & alii complures: quæ denique inter manus legentium euanuere. Cùm Sadochus: diuina hæc est præmonitio Fratres, nec frustra notæ illæ innocentis Nouitii oculos illustrauere. Auctor vitæ, & mortis certò certiùs nos ad vitam feliciorem, & immortalitatem inuitat. Eia per gladios ancipites intrepido pede curramus. Vitam nobis eripiet Scytha; At eo modo ad perpetis vitæ gloriam transituris. Reuocate in mentem, charissimi, si quos animo habetis adhærentes næuos peccatorum; quibus sacra confessione deletis, confirmanda mens est cælesti viatico, vt robusti, & fortes obnixo contra aduersa omnia pectore, ipsis mucronibus iugulum offeramus. Moriendum est. Sed lubenti, & alacri animo, pro his aris, pro his imaginibus Christi, & sacrosanctæ Deiparę, pro viuo, & incruento sacrificio. His atque aliis huiuscemodi verbis, cùm omnes animati essent, diuinoque præmoniti, ac permoti oraculo, tempus reliquum impendunt præparationi necessariæ, orationibus, suspiriis. Illuxit tandem dies optatissima, quæ nobilissimos martyres abrupta corporis compage, ad æterna gaudia transmitteret. Scythæ namque velut rabie efferati, traiecto Vistula, Sandomiriam populabantur: pars templum nostrum S. Iacobi irruunt. Priorem Sadochum, & cęteros fratres, qui cygnorum instar ad mortem se excitabant, recitato cantico: Salue Regina, obtruncant. Verùm non sic abrumpere potuerunt cantum suauissimum, quin illi ipsi Martyres occisi eumdem per auras, non iàm mortali, sed cælesti harmonia prosequerentur. Hanc nimirùm audiens Frater quidam, qui se in superiori parte Ecclesiæ abdiderat, generoso impetu descendit, obiecitque se sanguinolentis impiorum gladiis trucidandum, atque ita coronæ à Fratribus partę, factus est particeps.

20. *Pelagius Ouetensis par.2.cap.153.* Ann.1109 in ciuitate Legionis Germanicæ in Hispania, tribus diebus, Iouis, Veneris, & Sabbati, antequam moreretur Rex Alphonsus Sextus, lapides Sanctuarii in Ecclesia S.Isidori maximam exsudarunt aquæ copiam.

21. *Marchantius ex Ludouico Granatensi.* Anno 1582. mense Maio in Olysippi ciuitate fuit quædam nobilis puella, sed admodùm tenuis, solitaria, humilis, & suis parentibus obediens. In morbum hæc incidit, qui ad nouem perdurauit menses, eumque pertulit maxima patientia. Et cùm sola esset, audiebatur coràm Crucifixo, quem apud se habebat, hæc verba repetere: Domine, quandò me de hoc carcere erues? quandò apparebo coràm te? quandò tua fruar pulchritudine? Quapropter Christus innocentis puellulæ amator ei apparens, fore eam voti compotem dixit ipso die gloriosæ Ascensionis suæ. Huius diei vesper aduenerat, cùm quædam ei valdè familiaris ridens, dixit: En quomodò decepisti nos, dicens, te migraturam ipso Ascensionis die. Ad id ægra nihil respondit; licet certò sciret fore, quod dictum erat. Die autem postero nescio quid suo confessario misit, ei vale faciens antequam ad suum sponsum proficisceretur. Statim etiam matrem vocauit, & nonnullas reliquias, quas habebat, ei tradidit. Nutrici quoque iussit, quę eam educauerat, vt nouum indusium sibi ferret, & duos numos aureos solui voluit. Quibus dictis, vbi meridiei hora aduenit, Crucifixum vna manu cepit, altera cereum: quibus armis instructa moriendi iter est ingressa, & deuota Crucifixo verba pronuntians, vix animam efflauerat, cùm horologium horam post meridiem significauit, qua Saluator noster Cælum ascendit.

22. *Ex m.s.s. cod. Sac. Eremi Camaldul. Hist. Eremit. lib.1. cap.5.* Petrus Vrseolus primò Venetiarum Dux, deindè monachus, die quadam cùm oraret Dominum, vt notum sibi faceret finem suum, sensit quasi iaculo se retrò percussum; & ex hoc eius extrema dignoscens, ad mortem, quæ paulò post secuta est, se disposuit.

23. *Cedrenus.* Alexandriæ Calligraphus quidam vir pius, cùm ab excubiis nocturnis domum rediret media nocte, audiuit simulacra ab altaribus dicentia, Mauricium Imperatorem cùm liberis esse trucidatum: & quæ præterea Bisantii contigerant. Id is summo mane Augustali narrauit: qui eum silentio rem tegere iussit, annotataque die exitum expectauit, estque de eius cæde die post nono certior factus.

24. *In Chron. Cassinensibus, lib.2. cap.84.* Eremita quidam in rupe iuxta publicam viam ditionis Nea-

Neapolitanæ habitans, dùm noctu post psalmorum recitationem ad explorandam horam aperiret fenestram, vidit æthiopes longo ordine incedere, & stramine onustos incendium minari. De sua conditione interrogati, se dæmones esse dixerunt, & fomites ignium comburendis hominibus conferre, idmque Pandulphum Capuanum Principem morti vicinum præstolari; eademque hora Pandulphus expirasse deprehensus est.

25. *Sabellic. lib. 9. cap. 6.* Marciano Imperatori apparens Dominus in somnis, arcum Atilæ fractum esse ostendit. Nec id vanum fuit. Eadem quippè nocte Atila in nuptijs suis in Pannonia crapulæ indulgens, erumpente per apoplexiam sanguine de naribus, in lecto suffocatus est.

26. *Zonaras.* Iudex quidam Antiochenus pridie quàm periit Iulianus Apostata in Perside, iuxta prætorium excubans, vidit congeriem stellarum sereno cælo litteras in hanc sententiam coeuntium: Hodiè Iulianus in Persia occiditur.

27. *Iulianus de Castillo, lib. 9. dis. 4.* Cùm bellum inirent contra Saracenos Hispani, quadam nocte Roderico Diaz strenuissimo Duci, apparuit in somnis Diuus Petrus Apostolus, cuius deuotissimus erat, prædixitque victoriam futuram, illiusque imminentem mortem; acciditque vtrumque.

28. *Sylos in Hist. Cler. Reg. par. 2. lib. 17.* Paulò antequam exuuias poneret Benedictus Portus insignis virtutis inter nostros, dùm ad aram faceret, intima quædam vox illum instantis fati monuit. Morienti verò adfuit Dei mater, quo ille aspectu recreatus, animam expirauit.

29. Vt autem aliquos enumerem, quibus vel à Deo interna locutione, vel per visum à Sanctis, & ab Angelis mors diuinitùs prænunciata fuit, vt in eorum vitis legitur. Prænunciata fuit imminens mors Vuillhelmo Abbati Roschildensi in Dania. *Surius tom. 2.* Arnulpho Episcopo Suessionensi, *Surius tom. 4.* Cononi monacho Naxi in Sicilia. *Ferrarius in Catalogo S. S.* Dominico ord. Prædicat. fundatori. *Surius tom. 4.* Franciscæ Romanæ, *In vita ipsius.* Gertrudi Niuellensi. *Molanus in nat. S. S. Belgij.* Amico monacho Cassinensi. *Ferrarius in cat. S. S. 2. Nouembris.* Anastasiæ Patritiæ Constantinopolitanæ. *Metaphrastes in vita S. Sabæ.* Annoni Episcopo Coloniensi. *Surius tom. 6.* Barlaam. *Io. Damascenus in eius vita.* Benedicto Abbati. *Gregorius lib. 2. Dialog. cap. 37.* Castrensi Capuæ Episcopo. *Ferrarius 1. Feb.* Cedmoni Anglo, Monasterio Hildæ Abbatissæ inseruienti. *Lippomanus tom. 2. in vita Hildæ.* Cæsario Episcopo Arelatensi. *Surius tom. 4.* Claro Abbati Viennensi in Gallia. *Surius tom. 1.* Coletæ Burgundæ, *In Chronicis minorum par. 3. lib. 3.* Dominicæ Torres Virgini Hispanæ ex ordine S. Dominici, *In Hist. ordinis Prædicatorum Prouinciæ Aragoniæ lib. 2. cap. 86.* Eligio Episcopo Nouiomensi. *Vincentius in speculo libr. 23. capit. 86.* Eugenio Episcopo Cartaginensi. *Gregor. Turon. lib. 1. mirac. cap. 58.* Gorgoniæ S. Gregorii Nazianzeni sorori. *Idem in oratione eius funebri.* Gramatio Episcopo Salernitano. *Ferrarius in Cat. S. S.* Hedunigi Poloniæ Ducissæ. *Chromerus lib. 7. de Gestis Polonorum.* Huberto Episcopo Leodiensi. *Surius tom. 6.* Ignatio Loyolæ. *Maffeus in eius vita lib. 2. ca. 23.* Ioanni de Firmo *in Chron. Minor. Par. 2. lib. 8. cap. 9.* Io. Chrysostomo. *Surius tom. 1.* Ioanni Gualberto. *Surius tom. 4.* Launomaro Abb. Corbionensi. *Surius tom. 1.* Margaritæ Septempedanæ. *Ferrarius in Catal. S. S.* Mariæ Ægyptiacæ. *Sophronius in vitis P. P. lib. 1.* Mariæ de Oegnes Niuellensi. *Iacobus de Vitriaco in eius vita.* Osuualdo Episcopo Eboracensi. *Surius tom. 5.* Paulo primo eremitæ, *In vitis P. P. lib. 1.* Paulo Episcopo Leonensi in Britannia minori. *Ex eius vita in Bibliotheca Floriacensi.* Petro de Morono, siue Cælestino V. *Surius to. 3.* Petro Chrysologo Archiepiscopo Rauennæ. *Surius tom. 6.* Petro de Fuligno. *Ferrarius in Catal. S. S.* Petro de S. Seuerino in Piceno, & Petro de Trauanda, ex ordine Sancti Francisci *In Chron. Minor. par. 3. lib. 7. cap. 19. & lib. 8. cap. 29.* Philippo Nerio. *Gallonius in eius vita.* Radbodo Episcopo Traiectensi. *Surius tom. 6.* Remberto Archiepiscopo Remensi. *Surius tom. 1.* Remigio Archiepiscopo Remensi. *Surius tom. 1.* Richardo Anglico Episcopo Andriensi. *Ferrar. in catal. S. S.* Richario presbytero in Gallia. *Surius tom. 2.* Sabbæ Abb. *Surius tom. 6* Saluio Episcopo Albigensi. *Lipom. tom. 8.* Seuerino Abb. Agaunensi. *Surius tom. 1.* Seuero Episcopo Rauennæ. *Surius tom. 1.* Simeoni monacho Treuirensi. *Surius tom. 3.* Spei Abb. *Gregorius lib. 4. Dial. cap. 10.* Spiridoni Archiepiscopo Trimmituntis. *Surius tom. 6.* Stephano ordinis Grandi montensis Institutori. *Vincentius in spec. lib. 25. cap. 46.* Taurino Episcopo Ebroicensi. *Petrus de Natal. lib. 7. cap. 50.* Thomæ Aquinati. *Surius tom. 2.* Trudoni presbytero. *Surius tom. 6.* Verano Episcopo Cauillicensi. *In m. s. Bibliotb. Vall.* Vuinuualoco Abb. in Britannia. *Surius tom. 2.* Alquirino monacho Cisterciensi. *In Hist. S. Bernardi Hispanica lib. 4. cap. 56.* Matthæo Cardinali, & Episcopo Albanensi, ex monacho Cluniacensi. *Petrus Venar. lib. 2. mirac. cap. 17.* Niconi Myrobliti monacho in Armenia *In Menol. Græcorum 26. Nouembris.* Andreæ Corsino Episcopo Fesulano. *Razzius de S. S. Hetruriæ.* Agibodo monacho. *Beda in vita S. Bertolfi, tom. 3.* Aicardo Abb. Gemmeticensi in Normandia. *Molanus in Indic. S. S. Belgij.* Aldegundi Abbatissæ monasterii Malbodiensis in Hannonia. *Surius tom. 6.* Antonio Bembo ex Iesuatorum familia. *Paulus Morigius l. 2. c. 48.* Austrebertæ Abb. Cænobii Pauliacensis in Gallia. *Surius tom. 1.* Columbæ Scoto. *Beda de Gestis Anglorum lib. 3. cap. 4.* Euchario Episcopo Treuirensi. *Surius tom. 4.* Gildæ presbytero. *Ex eius vita, in Bibliotb. Floriacensi cap. 18. & 19.* Ginguriano monacho. *Ex eadem Bibliotb. in vita S. Gildæ cap. 28.* Ioanni Priori Canonicorum Regul. Bridlingtoniensium in Anglia. *Surius tom. 5.* Lippo Pisano ordin. Iesuatorum. *Morigius.* Odoni monacho Carthusiensi. *Ex m. s. s. monasterij Sublac. S. Pauli via Ostiensi.* Sebbi Regi Saxonum. *Beda in Hist. Angl. lib. 4. cap. 11.* Seruatio Tungrensi Episcopo *Surius tom. 3.* Materno Episcopo Treuirensi. *Surius tom. 5.* Veronicæ de Binasco Virgini

Medio-

Mediolanensi. *In eius vita*. Aliisque multis, & innumeris, tàm viris, quàm fœminis, præsertim præsentis, præteritique sæculi, quorum seriem amplius protendere idem esset, ac nunquam finire, nunquam finem attingere. Sufficiant pauci, qui enumerati sunt pro complemento paragraphi.

Vide aliqua huiusmodi tom. 1. libr. 7. cap. 4. §. 3. vbi de variis diuinitùs Præsagiis ab Animalibus.

Mortis imprecatio per prouocationem ad diuinum Tribunal

§. 2.

AD æquissimum Iudicem Deum quandoque aliqui prouocati sunt, quique innocentes hic opprimere impunè tentarunt, ad Tribunal diuinum, subita morte interpellati sunt, iustam à iusto Iudice audituri sententiam. De his.

1. *In Prato Spirituali, cap. 35.* Cùm Elias Ierosolymorum Archiepiscopus, & Flauianus Antiochiæ Archiepiscopus, ab Anastasio Imperatore propter sanctam Calcedonensem synodum exilio relegati fuissent; Elias quidem in Haiala; Flauianus verò ad Petram; die quodam significauerunt sibi ambo Patriarchæ mutuò dicentes: Anastasius hodiè mortuus est, eamus igitur & nos, vt cùm illo iudicemur, & post duos dies ambo migrauerunt ad Dominum.

2. *Sanctus Gregorius Papa*. Quidam homicida, Portenius nomine, nocte quadam dormiens, subitò in somno exclamauit; Heù Heù succurrite qui adestis, & auxilium ferte pereunti. Ausuanus enim amicus meus, vnà cùm coniuge Papianilla, quos olim interfeci, ad iudicium coràm Deo me accersunt. Et verò non multò post lapidibus à populo obrutus interiit.

3. *Teophanes in vita Sancti Macedonij Episcopi Constantinopolitani*. Cum S. Macedonius ab Anastasio Imperatore vsque ad mortem sæuissimè afflictus esset. Iàm defunctus apparuit Theodoro cuidam ex Macedonii familiaribus, dixitque illi: Excipe ista, & abiens lege coràm Anastasio, & dic ei: Ego quidem, ad Patres meos, quorum seruaui fidem, vado: Dominum autem interpellare non desinam, donec tu quoque adueneris, & ad iudicium subeundum vnà sistamus. Hoc ergo anno inditione vndecima, mensis Aprilis nono, Anastasius impius Imperator occubuit.

4. *Volat. lib. 21. Anth.* B. Gualterius Burgensis, minister Turoniæ, cùm inuitus præsul Pictauiensis creatus esset, venit in litẽ pro iure Ecclesiæ suæ cùm Præsule Burdegalensi; qui paulò post Pontifex creatus, nomine Clementis V. hunc aduersarium suum, præsulatu deiecit, adque claustrum reduxit. Gualterius cùm hanc iniuriam æquo animo tulisset, tandem ad extrema deueniens, quandam schedulam fecit, in qua continebatur, quòd ipse appellabat à sententia domini Clementis Papæ, super depositione sua ab Episcopatu, ad iustum Dei iudicium, & ipsam schedulam in manu conclusit dextera sua, & cùm ea voluit sepeliri. Quod factum est. Cùm autem post duos annos, vel circa, Papa Clemens cùm curia sua venisset Pictauos, & ibi moram traheret, audito quòd frater Gualterius, cùm schedula in manu sua clausa, suam appellationem continente, sepultus fuisset, voluit hoc videre. Vndè mandauit eum exhumari, & illam schedulam illi auferri. Mira res: manus eius aperiri non potuit, & schedula haberi, nisi priùs facta promissione, quòd postea restitueretur. Quo facto, statim aperiri permisit manum, & schedulam sumi. Quam cùm Papa legisset, miratus est, & expauit, reddique eam defuncto iussit, & non multùm post hoc sæculum deseruit.

5. *In vita S. Norberti, cap. 33.* Nobili cuidam apud Boulant, nolenti Parthenopolitanæ Ecclesiæ suæ quosdam vini redditus, quos iniusta vsurpatione possidebat, restituere, spiritu prophetico prædixit, quòd infrà annum compelleretur Dei iudicio ab iniqua hac depredatione recedere. Et reuera, vt prænunciatum, ita subsequutum est. Infelix quippè sacrilegus iste, hoc eodem anno infausta nece ab inimicis suis interemptus, ferè occubuit.

6. *Auentin. lib. 4. Ann. Boiorum*. Abbas Herueldensis cùm Burchardo Episcopo Halberstadensi, diuturnam traxit litem ob decimas Saxoniæ, quas Herueldensi Monasterio ereptas, sibi vendicabat. Abbas sæpè querimonia in ius delata, surdis Tribunalibus canebat. Tandem morti vicinus, mandauit ei per Fredericum Comitem Palatinum, se paratum causam dicere apud tribunal Dei, ad hoc quoque & ipse se pararet. Post mortem Abbatis pauci intercesserant dies, & ecce cùm Episcopus prędictæ rei gratia synodum indixisset, & equum ad id conscenderet, repentè corruit, diuina ictus animaduersione. Hic autem reportatus ad cubiculum, vocatis omnibus presbyteris, per Deum obtestabatur, vt decimas monasterio redderent, & item omnem præciderent, alioqui etiam eis infeliciter cessurum. Cùmq. Magdeburgensis, & Hildeneshcimensis Epis. eum visitarent, eiulans fatebatur, se abripi ad tribunal propter appellationem dicti Abbatis, & rationem exigi de rebus alienis à se inuasis, rogabatque obnixè, vt missis Herueldiam nunciis, veniam sibi deprecarentur. Sic paulò post disruptis visceribus expirauit. Archipresbyter quoque eius, quo incentore hæc fecerat, eodem anno subitanea morte, sine confessione, & communione, interiit.

7. *Crantzius, lib. 4. metropolis, cap. 4. de Menuuerco Episcopo*. Abbatem Corbeię reformationi repugnantem Vualonem, deponi curauit Episcopus Menuuercus: pro qua re cùm in eum locum deuotionis gratia declinasset, velletque sacrum peragere missæ officium, Sacrista sacras illi vestes subduxit: iterùm, iterùmque monitus, tradere recusauit: tùm Episcopus, reddes, inquit, rationem Altissimo pro omisso hodierno officio. Monachus ille flocci pendens, etiam risit Episcopum; sed apparuit in morte eius Episcopi, quàm non frustrà esset minatus. Nàm nihil ante mali sentiens monachus, in ipsa hora mortis Episcopi expirauit anno Christi 1036.

8. *Greg Tur. de Gestis Francorum, lib. 2. ca. 23.* Sidonius Episcopus Auernensis, presbyterum qui falsis

falsis criminationibus sibi potestatem Ecclesiæ eripuerat, post mortem, pincernæ eius apparens, ante tribunal Dei comparere coegit. Si quidem presbyter ille factus Episcopus, audito pincernæ somnio, timore, & horrore correptus, paulò post mortuus est.

9. *In vita B. Eust. Abb. Luxou.* Fuit Eustachius S. Columbani discipulus, sexcentorumq. Monachorum pater. Hic Agrestinum monachum schismaticum, eiusdem S. Columbani regulam euertere conantem, ad iudicium diuinum citauit intra annum; intrà quod tempus (triginta nempè diebus antequam anni meta compleretur) à seruo suo, quem ipse redemerat, miser Agrestinus securi percussus interiit.

10. *Ioannes Mariana, lib. 15. de rebus Hispaniæ cap. 11.* Ferandus IV. Castellæ, & Legionis Rex, anno Domini 1312., duos nobiles ex Caruaialiorum familia de proditione suspectos, sed inauditos, præcipiti iudicio de altissima rupe deturbari iussit. At illi præclusam sibi defensionem, & mortem præsentem cernentes, Christo supremo Iudici causam commendarunt, & ad eius tribunal intra trigesimum diem Fernandum Regem citauerunt. Nec inanis fuit eorum appellatio; quia trigesimo post die mortem obiit, & coràm diuino iudicio comparere debuit.

11. *Marchantius in Hor. Past. lib. 3. trac. 4. lec. 14. prop. 2.* Rodulphus Austriæ Dux, equitem auratum damnauit, vt sacco inclusus mergeretur. Eques autem conspecto priùs Duce, exclamauit. Dux Rodulphe, ad tremendum Dei tribunal intra annum te voco. Ille irridens respondit: Benè præito; ego tùm adero. Exacto tempore incidens in febrim, appellationis recordatus, seruis dixit; tempus mortis meæ instat, ad iudicium eundum, & statim obiit.

12. *Fulgosus.* Eques Neapolitanus cùm aliquibus Templariis fratribus suis ad supplicium raptus, ad Clementem V. & Philippum Pulchrum Franciæ Regem, quorum auctoritate necabatur, de fenestra prospectos exclamauit. Quandò inter mortales nullus mihi iàm superest, ad quem appellem, ad iustum iudicem Christum, qui nos redemit, appello, vt ante eius tribunal ante annum, & vos sistatis, vbi causam meam exponam. Intra annum verò vterque rationem Deo redditurus, mortuus est.

13. *Nauclerus.* Henricus Mogontinus Archiepiscopus aliquot criminibus falsò delatus, & propterea duorum Cardinalium pecunia corruptorum sententia, Pontificatu suo abdicatus, mærore confectus, moriens ad iustum Iudicem Christum appellauit. Audita eius morte, alter Cardinalium in latrinis expirauit: alter manus rabie corrodens, viuere desiit; vterque, Deo facti sui rationem redditurus, tàm breui fatis concessit.

14. *Aeneas Syluius, cap. 43. Europæ.* Britanniæ Ducem, cùm diù sobole caruisset, votum vouisse ferunt, liberos si haberet, priores duos, alterum Minorum, alterum Prædicatorum religioni consecraturum. Exin voti compotem, primum, qui sibi natus est, Franciscum appellauit, secundum, Dominicum. Natus est ei & tertius filius, quem in Angliam nutriendum misit. Is cùm mortuo Patre, in Britanniam, Francisco regnante, rediisset, ab eo captus, & in carcere necatus est. Fama est, eum, cùm neci traderetur, impietatem fratris accusando, qui non contentus Regnum occupasse, animam quoque sibi eriperet, Franciscum coràm diuino iudicio de patricidio responsurum, infrà annum citasse. Intrà quod tempus Franciscus hydropisi laborans obiit. Dominicus ei successit, qui cùm sine liberis decessisset, Arturum Francorum militiæ Principem patruum suum successorem habuit.

15. *Olaus, libr. 14. cap. 20.* Apud Vestogothos, Ioannes Turson, pater Turonis Ienson, equitis aurati, & supremi Iudicis, quendam capite plecti iusserat. Is genibus innixus, en morior iniustè, inquit, teque voco hac hora ante tribunal *Dei*, vt respondeas, cur mè innocentem morti condemnes. Vix autem miser ille carnificis manu obtruncatus fuerat, cùm etiam Iudex de equo corruit exanimis.

16. *Thomas Cantiprat. in lib. Apum, lib. 2. cap. 35. numer. 2.* Monasterium D. Iacobi apud Leodium, quidam adolescens consobrinus maioris Præpositi, causa deuotionis, & religionis intrauit: quod vt audiuit Præpositus, indigne tulit; mox forti manu collecta satellitum, intrat violenter cænobium, rapit iuuenem, & nudatum sancto habitu, seculari induit. Abbas ergo monasterii, collectis primoribus ciuitatis, Episcopo conqueritur, & totum clerum pro tantis iniuriis interpellat. Hoc autem cùm indignanter audire vix vellet Episcopus, & Abbatem potiùs duris verbis impeteret, flexis Abbas genibus cùm moderamine verborum dixit: Iudicem contra te (ò *Præposite*) in terra habere non possum, & ideò contra te Deum summum iudicem interpello, vt intra quadraginta dies vterque nostrum compareat coràm illo, sententiam pro meritis accepturus. Ad hoc Præsul cachinnans cùm suis irrisit hominem, atque spreuit, & repulit exprobratum. Quid plura? quadragesimo die circa nonam mortuus est dictus Abbas, & cùm pro eo solemniter pulsaretur, sedens in balneo Præpositus, quæsiuit à circumstantibus, quid hoc esset? moxque quidam ingrediens respondit, Abbatem D. Iacobi modo esse defunctum, & pro eo pulsationem fieri tàm solemnem. Ideò ergo recordatus Præpositus quadragesimum diem esse, quo se citatum audierat ab Abbate, consternatus animo, dixit suis, citò videte quid faciam? mortuus ego sum, comparere me hodiè summi iudicis aspectibus oportebit. Nec mora, post verba hęc, cùm balneum egredi festinaret, in adstantium manibus, cùm diro eiulatu, & vocibus expirauit: ibi procul dubio respondere compulsus, vbi causarum strepitus cessant, iurisperitorum aduocatio conticescit, vbi nec preces, nec pretium liberabunt.

17. *Idem ibidem numer. 3.* Comes quidam Hanoniæ dùm vellet in Ecclesia S. Ioannis Vallencenis, Canonicos pellere Regulares, & pro eis ponere Canonicos Seculares; Abbas eiusdem loci ad summum

mum iudicem appellauit; appropinquante autem appellationis die, cùm Abbas inciperet infirmari, & se ad comparẽdum coràm summo iudice, orationis instantia præpararet, ipseque Comes sub eodẽ tempore sentiret incommodum, causæ cessit, omnimodè diem ueritus iudicii, & sententiam capectare.

18. *Fulgos. li. 1. c. 6.* Temporibus nostris cùm Genuensium triremes aduersùs Piratas instructæ, biremem Cathalaunam cepissent, huius Rectorem furcis noctu appenderunt. Is pro iniuria sibi facta, ad Deum appellauit, citato Patrono Genuensium, ut intra sextum mensem coràm Deo compareret; iuxta quod tẽpus hic Patronus morte sublatus est.

19. *Crantzius li. 11. c. 2. Vuandalia.* In Liuonia circa ann. 1407. Magister quidam Teutonicorum ordinis, per indignationem, suspendio, prętenso crimine, sciens, prudensq. iuuenem quemdam peremerat. Innocens, cùm ad supplicium duceretur, ad Christi tribunal Magistrum citat, ad tertiam decimam diem. Adueniente die, Magister prorsùs incolumis, suo ore coràm non paucis fatetur, oportere se sisti coràm Deo. Mirum: ea die occubuit.

20. *S. Petrus Damianus tract. de mir. ap. Sur. tom. 7.* Otho Rex Teutonicorum, qui postmodùm Imperator creatus est Romanorum, Adalahidem Italiæ Reginam, quæ sibi commater extiterat, suscepit in coniugem. Quem filius eius Almificus, qui Moguntinæ præsidebat Pastor Ecclesiæ cæpit constanter arguere, & scelestum, luridumq. coniugium publicè cõdemnare; licetq. ab eodem multa passus, in carceremq. coniectus, Patrem non resci piscenté excommunicationis gladio ab Ecclesia separauit. Cùmq. nec ob hoc ab inceptis recederet, eum sic affatus est: Tu arbitraris, Pater, me aduersùm te insolenter agere, te verò præiudicium sustinere; citò prænosces, quia die Sancto Pentecostes vterque simùl astabimus ante Deum, ibiq. ventilabitur inter nos librata iustitiæ lance litigium. Factumq. est ipso, qui dictus est, sacrosanctę solemnitatis die, vt dùm Augustus imperialibus infulis redimitus, multorumq. Pontificum choris, siue procerum vallatus agminibus, missarum solemniis interesset, repentino super eum veniente iudicio, repertus sit mortuus. Epis. verò in Domino iàm quieuerat.

Subita morte, in pœnam delictorum, puniti.
§. 3.

QVam mortem Adæ peccatum intulit in mundum, omnesq. illius filios statuto tẽpore eius subiugauit tyrannidi, hanc propria quandòque accelerant peccata, quique diù benè viuere detrectant, subita morte delictorum pænas luere coguntur. De his aliqua notabo, ne quotidianos enumerem euentus. Sunt autem.

1. *In vita S. Patritij cap. 151.* Quidam scelesti ad inuestigandum, immò ad illudendum Christi potentiam, Patritiique sanctitatem, vnum de sociis suis, Garbanum nomine, sanum licet corpore, mortuum se simulantem, in medio stratæ, per quam trãsire debebat S. Patritius, stratum sub sago posuerunt, virumque Dei, vt funeri exequias impenderet, aut defuncto, more solito, vitam redderet, irrisoria instantia deprecati sunt. Sãctus autem, spiritu reuelante, quod gestũ fuerat agnouit, illosq. illusores, licet fallacia, non tamen falsa sibi suggessisse super socii morte pronunciauit. Precibusq. nihil minùs eorum aurem accommodans, pro anima delusoris ad Dominum intercessit, abiensq. in viam suam indè recessit. Sancto nundùm longiùs progresso, socium socij sago detexerunt, & mortuum non imaginariè, aut illusoriè, sed veraciter inuenerunt: Viri ergo illi ex tali casu, immò occasu tremefacti, simile quid sibi imminere timentes, S. Patritium è vestigio secuti, eiusque pedibus prouoluti, errorem suum confessi sunt. Omnes enim in Dominum crediderunt, & consequenter in nomine eius baptizati sunt. Sanctus ergo Patritius, ipsis deuotè exorantibus regressus, defunctum resuscitauit, ipsumq. salutari lauacro dilutum, in Christi fide ipsis sociauit.

2. *S. Anton. 1. part. Chron. tit. 6. cap. 25. §. 4. de S. Iuliano, & Iulio fratribus.* Cùm Iulianus cùm germano suo in quodam loco, qui dicitur Gandauum, Ecclesiam ædificarent, & cuncti transeuntes propter mandatum Imperatoris eos iuuarent, contigit, vt quidam rustici cùm curru illàc transitum facere vellent. Qui dixerunt ad inuicem. Quam excusationem facere poterimus, vt liberi transeamus, & in opere isto non occupemur, dixeruntque. Venite, & proiiciamus vnum ex nobis in plaustrum supinum, & eum pannis cooperiamus, dicemusque quòd hominem mortuum in vehiculo hoc habemus, & sic liberè transire poterimus. Accipientes igitur vnum ex eis, in plaustrum posuerunt, dicentes ei: Tu oculos claude, & quòusque transierimus, quasi mortuus iace. Cùmque hominem tamquàm mortuum cooperuissent, & vsque ad famulos Dei Iulianum, & Iulium venissent, dixerunt eis serui Dei: Filioli parùmper sistite, & nos in opere hoc modicùm adiuuate. Qui responderunt: Non possumus hìc stare, quia hominem mortuum in plaustro habemus. Quibus Iulianus. Vt quid ita mentimini filii? Et illi. Non mentimur: sed ita est: vt loquimur. Quibus Iulianus, secundùm veritatem dicti vestri ita contingat vobis. Qui boues pungentes indè transierunt liberi. Cùmque procùl essent, cæperunt illum excitare vocantes eum ex nomine, & dicentes; Surge amodò, stimula boues, vt celeriùs transeamus, cùm autem nullatenùs se moueret, nec responderet, discooperientes, & tangentes eum, inuenerunt mortuum. Tantusque timor ipsos, & cæteros inuasit, vt nullus deinceps auderet eis illudere.

3. *Petrus Maturus, in annot. ad S. Antoninum part. 1. cap. 25. §. 4.* Non dissimile est admodùm, quod nostra tempestate factum est, cùm Caluinus Geneuensium impostor cuidam Augustudensi Geneuam profugienti suasit, vt se mortuum simularet, ab eodem postea ad suæ doctrinæ comprobandæ veritatem excitandus, qui cùm eidem paruisset impostori spe quæstus, diuino iudicio subita morte correptus est.

4. *Franciscus Turrianus, lib. 1. de dogmatibus, charact. Verbi Dei.* Anno 1558. inter Hungariam, & Poloniam non procùl ab Vrbe Cracouia, vnus ex fratribus Euangelicis tanto desiderio incensus erat

nouæ istius doctrinæ propagandæ, vt etiam ficto miraculo ad rem tantam in perniciem innumerabilium animarum abuti voluerit. Itaque cùm Matthæo quodam, & eius vxore conuenit, vt certa die Matthæus tamquàm mortuus ad sepulchrum efferretur: vxor verò de more afflicta, & eiulans, funus prosequeretur. Venit dies cõstituta, effertur defunctus ad Ecclesiam, ibi nouus iste Simon ascendit suggestum, & longa oratione renascentis Euangelii gloriam amplificauit; tùm affirmat, se tàm certum, ac securum esse de sua doctrina, vt nihil dubitet Deum ipsum eam miraculo confirmaturum, & quoniam tunc allati defuncti pulchra occasio se obtulerat, ad eum conuersus, magna voce exclamans; In nomine, inquit, Christi, cuius hodiè Euangelio testimonium præbui, Matthæe surge. Respiciunt omnes, Matthæus non surgit. Ille rursùs maiori voce; Tibi dico, inquit, Mathæe surge: Sed sanè clamare potuisset vsque ad mortem; Matthæus enim iàm verè extinctus, verè ad inferos descenderat.

5. *In vitis P.P. de S. Iacobo Nisibita.* Aliquandò ad eum accedunt quidam pauperes, vnum quempiam ex eis, qui cùm eis versabantur, tamquàm mortuum proponentes, & quæ ad illum sepeliendum erant necessaria supplices ab eo postulantes. Ille autem concessit quidem rogantibus, Deo autem preces obtulit tamquàm pro mortuo, rogans, vt ei remitteret quæ in vita peccauerat, & eum in chorum iustorum dignaretur admittere. Hæc autem cùm dicerentur, eius qui tunc mortem simulabat euolauit anima, suppeditata sunt autem corpori tegumenta. Postquàm autem parùm processisset homo admirabilis, iubebant eum qui iacebat surgere ii qui actum composuerant. Postquàm autem viderunt eum non exaudire, & quod simulabatur, id verum euasisse, & in veram faciem mutatam esse personam, ad magnum quidem adeunt Iacobum, suppliciter eum obsecrantes, & ad pedes eius prouoluti, actus quem temerè agendum susceperant pœnitentes, dicentes, causam fuisse paupertatem, rogabant, vt eis suum remitteret delictum, & ei qui iacebat, ablatam restitueret animam. Domini itaq. imitans clementiam, & preces exaudiuit, & ostendit miraculum, vt vitam precibus ablatam, per preces iacenti restituerit.

6. *Molanus in Indiculo S. S. Belgij de S. Oduino m.* Quidam dùm se mortuum simularet, iusto Dei iudicio mortem obiit, à qua tamen piissimus Oduinus eum resuscitauit.

7. *Surius in vita S. Epiphanij Constantiensis Ep.* Cùm per quemdam locum transiret S. Epiphanius, in quo duo erant mendiculi illusores, vnus ex duobus ei dixit: Sancte Pater, vide mortuum, & super eum iniice tegumentum. Cùm hæc ergo audisset Epiphanius, stetit ad Orientem pro mortuo offerẽs orationem. Cùmq. se suo exuisset indumento, proiecit ad induendum mortuum. Iter autem faciente Epiphanio, is qui ea verba dixerat, dixit ei, qui se mortuum simulabat; Surge, præteriit vir rudis, & indoctus. Cùm is autem non responderet, rursùs eum vocabat. Postquàm verò animaduertit eum esse mortuum, cucurrit ad Epiphanium factum narrauit, & veniam postulans, orauit vt defuncto dignaretur subuenire. Dixit autẽ tùnc ei Epiphanius, vade, & sepeli eum, Deus enim nõ mutat sententiã.

8. *Item in vita S. Greg. Thaumat. 3. Iul.* Semel duo ex Hebræis eum decipere tentauerunt. Vnus quidem ex iis, qui videbatur esse mortuus, iacebat supinus in via publica: Alter autem mirabiliter eiulans propter eum, qui iacebat, imitabatur voces lamentantium, & magnum illum prætereuntem magna voce clamando vocabat; dicens, hunc miserum subita morte correptum, nudum iacere, nec paratum esse aliquid, quo sepeliretur. Rogabat ergo magnum hunc virum, ne sancta eius anima ipsum despiceret: sed paupertatis motus misericordia, ex iis, quæ habebat, præberet vltimum amictum corpori iniiciendum. Ille quidem hæc, & alia dicens, supplicabat. Hic verò nihil cunctatus, diploide, qua erat indutus, iniecta iacenti, perrexit vltra progredi in itinere. Postquàm autem illo prætergresso soli erant, qui hæc aduersùs eum fecerant, deceptor ille in risum mutata simulata lamentatione, iussit eum, qui iacebat, surgere præ gaudio cachinnos edens ob lucrum eis ex fraude factum. Is autem in eodem erat, quo priùs habitu, nihil audiens ex iis, quæ dicebantur. Altero autem maiori voce vtente, & pede simùl eum excitante, nihilo magis is, qui iacebat, neque vocem exaudiuit, nec ictum sensit, sed in simili erat figura extensus. Simùl enim ac iniecta est vestis, fuit mortuus, re vera morte functus, quam simulabat ad magnum illum decipiendum, adeò vt non fuerit homo deceptus, sed cuius causa fuerat ab eo data vestis, ad id vtilis fuerit ei, qui acceperit.

9. *In annal. Minorum ann. 1452. num. 25. de Beato Ioanne à Capistrano.* Fuerunt, ex Hussitis, fictisque Catholicis, qui viro Dei volebant illudere, miraculorum famæ detrahere, & à Vratislauiensibus præparatam gloriam auertere. Sed cogitauerunt consilia, quæ non potuerunt stabilire, & in foueam, quam foderant, inciderunt. Magno comitatu, & funeralium pompa duxerunt in feretro adolescentem, mortuumque fingentes, magnis precibus rogauerunt, vt viuificaret. Ille cœlitùs edoctus insidias, voce magna, & terribili clamore coràm vniuerso cœtu dixit: Habeat portionem cùm mortuis in æternum, statimque recessit. Illi verò deridentes, ecce dicebant hominis sanctitatem, & pietatem; abiit, fugit, quia non valet defunctum resuscitare. Nunc ergo videbitis in hoc nostro cœtu haberi sanctiores. Abi, inquiunt ad quemdam, tu spiritum infunde. Ille ad feretrum accedens, ait: Petre, ego dico tibi, surge. Sed non erat vox, neque auditus: non respondet, neque mouetur. Accedit propiùs illusor, submissaque dicit voce: surge, quid facis? tempus est opportunum resuscitandi. Nihil tandem alta, submissaue voce proficiens, tangit, palpat, attrahit, mortuumque verè comperit, quem viuum adduxerunt. Pœnitentia ducti, veniam petunt à B. Viro, & facilè obtinuerunt, qui ad vnionem Ecclesiæ accesserunt; duos præcipuos rei authores Romam misit, Dei magnalia testificaturos, & perfidiæ indulgentiam reportaturos.

10. *Ioan-*

10. *Ioannes Aleid. in Ann. Belgicis, de S. Vuilibrordo*. Quodam tempore iter beato viro faciente ad quandam suæ Diœcesis cellulam, quæ ex nomine præterfluentis aquæ Suestra dicitur, propter compendium propioris viæ, per segetes cuiusdam diuitis, angustam subintrauit semitam. Quod earumdem custos segetum cernens, nimio inflatus furore, virum Dei verbis proteruis lacessere cœpit. Cuius cùm os loquentis iniqua responsis durioribus obstruere famuli conarentur, fregit eos vir Dei suis sermonibus, nec persequi se debere inimicos, ne quandò & ipsi meritò deciderent inanes ab inimicis suis: & dùm sæuissimè insanientis animum nullo modo sermonibus mitibus lenire potuisset, dans locum iræ, diuertit à semita, & via, qua venerat, reuersus est. Non immemor autem Dominus iniuriæ serui sui, die eum postera in eodem loco repentina morte permisit interire multis cernentibus, simulq. Dei iudicio ob tanti criminis nefas hunc sibi inopinatum contigisse interitum fatentibus.

11. *In annal. Minor. an.* 1228. *nu.* 66. Miles quidam de Burgo in prouincia Masse, B. Francisci operibus, & miraculorũ signis impudentissime detrahebat; inferebat multa opprobria peregrinis, ad ipsius memoriã venientibus, & contra fratres publica garriebat insania. Cùm autem semel Sancti gloriam impugnaret; addidit super peccata sua blasphemiam detestandam. Si verum est, inquit, quod Franciscus iste sit sanctus: gladio cadat hodiè corpus meum: Si verò sanctus non est, euadat incolumis: non distulit ira Dei condignum inferre supplicium, cùm iam facta fuisset oratio in peccatum. Mora enim modica interiecta, dùm blasphemus nepoti suo inferret iniuriam: accepit ille gladium, & patrui visceribus cruentauit. Eodem die mortuus est sceleratus, inferni mancipium, & filius tenebrarum, vt cæteri discerent, miranda Francisci opera, non blasphematoriis verbis impetere, sed deuotis laudibus honorare.

12. *Andreas Sauss. in supplemento ad marty. Gallic.* 13. *Nouemb. de S. Dalmatio Epis.* Maledicus clericus, mortui S. Præsulis pium nomen iniuriis dilacerans; medio in conuiuio diuinitùs percussus, repentina morte interiit, ablatusque ab epulo, ad sepulchrum sine vllis pietatis christianæ officiis, ac insigniis delatus est.

13. *Gulielmus Baldesanus*. In Mediolanensi Prouincia, iuuenis, genere, ac vitiis nobilis, cùm in contentionem cùm socio venisset, impium aliquid in Dei matrem effutiit; tulit iustissimus iudex Deus, vt os illud in diuinæ matris iniuriam apertum, eo ipso temporis articulo interciperetur aduersarii gladio, tùm ad punctum vibrato ictu, vt ipsius linguæ radicibus conuulsis, & transfixo palato, concideret mortuus.

14. *Drexelius*. Anno 1583. Nouesii in agro Coloniensi, fœmina hæresim clàm fouens pectore, Catholicorum templo abstinuit: cuius rei causam aliquoties interrogata, illud irrisorium solemne respondit: Altum est ædificium, inquit, nec promittit se non ruiturum. Iocus videri potuit innoxius; non fuit: nàm eo ipso tempore extra vrbem cœnobium diruebatur vnà cùm templo, alio loco condendum: hoc vbi fœmina illa inaudiit, gaudeo, inquit, me superstitem in patria videre templa etiam Papistica deiici. Itaque duabus ancillis comitata, egressa est vrbe, visura demolitionem ædis. Culmen illius iàm detectum erat, cætera maiorem in partem soluta. Dùm ergo secura abiit singula lustrans, columna inclinata in fœminam ruit, eamque mole sua obterit. Quis columnam impulerit facilè est cogitare, is vtique, qui impiè iocantem audiit.

15. *Marchantius*. Propè Traiectum ad ripam, ante annos 90. Parochus fuit non ineruditus, sed gulæ, & concubinatui addictus; hic cùm aliquandò moneretur, vt resipisceret, respondere solebat, se de salute securum esse; nec habere opus, nisi quinque verbis: Deus propitius esto mihi peccatori: sed vanam fuisse spem, exitus probauit. Cùm enim quadam die è propina tumulentus domum repeteret, hircum in itinere obuium habuit, vel certè Dæmonem, hirci imaginem præferentem. Quem cùm verbis, & attactu mulceret, irritatus hircus irruit in eum, & inguinarias partes cornibus petens, lethalem ictum inflixit, quo vulnere in terram concidit, amisso mentis vsu. Ad spectaculum multi accurrunt, inter cæteros muta quædam fœmina, quæ nunquam loquuta fuerat, non sine grandi miraculo primam vocem edens, Pastorem in mortis angustiis his compellat verbis: Eloquere nunc quinque illa verba, quibus salutem tuam securam dicebas. Ille verò statim è viuis est sublatus.

16. *Thomas Cantipratanus lib.* 2. *cap.* 49. In villa quadam Brabantiæ, vt mihi frater ordinis Prædicatorum narrauit, mulier procax, & vana erat, quæ in omni festo choreas coniungere consueuerat. Et factum est, vt iuuenibus ad saltum iuxta choream ludentibus, vni eorum pilam ferire conanti, baculus de manu sambucalis euaderet, & dictam mulierem ducentem choream percussam in capite mox necaret. Hæc vt viderunt omnes confusi sunt, & corpus ad domum propriam detulerunt, & in feretro posuerunt. Presbytero autem cùm Clericis dicturo vigilias veniente, ecce taurus nigerrimus, immò Dæmon pessimus cùm mugitu accurrens, feretrum cùm corpore deiecit, cornibusque illud dissipans, membratim confodit, ita vt visceribus hinc inde dispersis, fœtor intolerabilis spargeretur. Fugientibus ergo cunctis, cadauer laceratum vsque in in crastinum solum relinquitur, quòusque scilicet euaporato fœtore, proximi eius intrare possent ad corpus, & sublatum extra cæmeterium sepelire.

17. *Vadingus in ann. Min. an.* 1456. *de B. Ioanne à Capistrano*. Ratisponæ vehementer ex suggestu inuehentem Ioannem in ludos, & vanos mulierum ornatus, post concionem adolescens quidam totus ludis assuetus, & mulier quędam lasciua, quæ speciem adulterinis conciliabat coloribus, plurimo murmure exceperunt. Ipsa nocte sequenti vtriusque secuta mors, adeò cunctos præterruit, vt statim lusoria quæque instrumenta homines, & periculosas oculorum illecebras mulieres, ad Dei seruum turmatim conduxerint, Vulcano consecranda.

18. *Vincentius Beluacen. libr. 24. Spec. Histor. cap. 67.* Veniens vnus frater in domum cuiusdam suæ sororis, vehementissimè se esurire dixit, & refectionem petijt. Cui protinùs illa pisces abundanter se habere respondit, vt comederet quales, & qua hora vellet. Ille quasi indignatus, pisces se fastidire respondit, nec iàm eos se posse videre dixit. Tunc armum cuiusdam animalis sibi assari præcepit, sed non ferens assandi moram, portiunculam incidit, & in prunas proiecit. Deindè vinum afferri sibi iussit, & carnis morsum auidè sumpsit. At hoc quod sumpsit, gulam non transiit, nec reiicere potuit, sed vitam cùm cibo perdidit. Alius frater veniens ad domum cuiusdam parentis sui, statim ad comedendum quæsiuit. Cui cùm responderent, quia nec dùm hora edendi venit, cùm indignatione adiecit. Heù tota nocte equitando post iniunctam mihi obedientiam laboraui, & nunc me ieiunare cogitis. Afferte ergo mihi, si quid habetis. Cui cùm dicerent, pisces se habere, indignatus, cæpit hùc, & illùc oculorum intuitus circumferre. Ibat autem circa pedes eius gallinarum grex, tunc quasi furens, baculum arripuit, & eam quæ ei placuit percussit, ac furibūdo ore dixit. Hæc est hodiè mihi piscis. Qui autem circumstabant cùm quodam rubore dicebant. Licet tibi carnem comedrre pater. At ille. Volatile, inquit, non est caro. Volatilia enim, & piscis vnam habent originem. Apposita est ergo coràm eo gallina, quam occiderat, iàm assata, ex qua offam abstulit, & momordit, quem morsum nec euomere potuit, nec glutire, sed eum vita priuauit.

19. *Robertus Abbas Tuitiensis in vita Sancti Hereberti Episcopi Coloniensis.* Episcopus Argentoratensis, cum in missa ad Pax vobis, effuse risisset, in prandio mox sequente, pleuritide, idest, laterum dolore, vndè risus scilicet prodiit, correptus, & absportatus, 14. die mortuus est.

20. *Marchantius ex Balthasare Chauasio.* Quidam, secta Caluinianus, ante aliquot annos Metis in Lotharingia curiosè ingressus templum quoddam Catholicorum, hominem vidit ad altare supplicantem, factaque oratione aliquot oua offerentem. Quo recedente, dixit Caluinista socio suo. O Papistam superstitiosum. Vadam, & mihi auferam oblationem, quam stolida hæc gallina edidit. Mox à socio paulò moderatiore audit. Si mihi credis, abstinebis. Sinamus illos ritu suo viuere, sicut ipsi nostro volumus. Quid alienum seruum iudicas? Domino suo stat, aut cadit. Gratulemur nobis lumen illud singulare, quod à Spiritu Sancto accepimus, quo si hic, & alii destituuntur, nos illorum misereat, Deus erit iudex, & vindex. Non sapuit his monitis alter ad malum proiectus. Sed socio monenti respondet. Tu frustrà seminas verba; si tu vis, tibi tempera, ego enim, vt dixi, stultam hanc oblationem auferam, in ientaculum sociis meis inducturus non sine risu. Dictum, factum. Extendit ad oblationem impias manus, domum repetit, ientaculum parat, socios accersit, quid acciderit, narrat, in risum effunditur, blasphemat, oui vnius vitellum in os mittit. Adhùc erat esca in ore eius, & ira Dei ascendit super eum, impiamque mox exhalauit animam, obstupescentibus, qui aderant, & dicentibus; quòd non frustrà irrideatur Catholicorum Deus.

21. *Benedictus Fernandius in cap. 32. Genesis.* Olissippone nostris temporibus pia quædam, & sancta mulier ex templo Sancti Rocchi, in quo post sacramentalem confessionem ritè diuinam Eucharistiam sumpserat, domum, Deo æquè roborata, & saginata, se receperat. Ecce tibi adolescens effrænatæ libidinis œstro percitus subingreditur, insidiatque fœminam. Quid illa? Iesu, clamat, fer opem. Ad hanc mulieris vocem, nebulo ille ruit vociferans. Heù me miserum, à ferro mihi traiecta sunt viscera, morior infelix. Igitur obuoluto capite suum ægrè diuertit in hospitium, accersito ex nostris confessario rem totam aperit: *Sumptisque Christiano ritu Sacramentis,* bonaque veræ contritionis signa *exhibens,* mortem obiuit.

22. *In vita Sancti Patritij.* Leodegarius Rex, & quotquot cùm illo vitæ innocenti Sancti Patritii insidiabantur, subito terræ hiatu absorpti fuerunt, sicut & magi, aliique eidem Sancto insultantes.

23. *Cyrillus in vita Sancti Saba Abb.* Quo tempore Alamundarus Saracenorum Rex, omnia Palestinæ loca depopulabatur. Quaterni eius milites, in Sancti Antistitis cellam studio prædæ irruerunt: sed mitigati ex eis terni fuerunt, hospitii charitate. Cùm itaque quartus procaciùs insultaret, terram dehiscere, atque eum absorbere visa est, ita vt ne vestigium quidem superfuerit, solo rursùs coeunte. Quocirca territi vehementer, pedem indè alii confestim extulerunt.

24. *Ianus Nitius. Non alienum esse videtur,* quod Romæ, me *puero,* ad *D. Georgii* in Velabro contigisse ferebatur, exponere. Muliercula, quæ vnà cùm aliis pluribus in eo fonte lauabat, suffurata erat alteri subuculam; quod cùm vix illa posset inficiari, nàm multa concurrebant verisimilia, quibus id de ea suspicari liceret, attamen *id à se* factum esse negabat, ac, si secùs esset *quàm diceret,* multa capiti suo dira imprecabatur, & imprimis, vt terra dehisceret, seque viuam *in* ventrem abstraheret; at metuens, ne *manifesta* mendacii teneretur, accurrit illò, vbi *subuculam,* vnà cùm aliis vestibus lineis, in sole exsiccandam explicauerat, vt eam quantùm posset remoueret, atque ita reconderet, vt eius inueniendi potestas non esset; quò cùm venisset, terram dehisisse aiebant, in eumque hiatum delapsam mulierem, statim eam, qua se dignam iudicauerat, mortem obiisse.

25. *Raderus in Viridario.* Constantino Heraclii filio imperante, vir quidam pecuniosus Constantinopoli in morbum incidit, mortemque formidans, in pauperes triginta auri libras distribuit, conualescit subitò, & pecuniæ expensæ pœnitentia, haùd dubiè dæmone impulsore, ductus, rem cùm sincero quodam, & recto amico, eoque locuplete communicat: qui

ad

ad amicum: repelle, inquit, mi homo, hanc impiam cogitationem, nec te pœniteat eleemosynæ in egentes distributæ, ne Deum, qui tui misertus, te sanitati restituit tuæ, grauiter offendas, fatoque infausto, & subita morte repentè opprimaris, atque sine pœnitentia decedas; sed frustrà: Consilium enim amici fidum omninò reiicit. Tùm amicus: Quandò ea, quæ salutaria suasi, non admittis, aliud suggeram tibi. Et ille; quid suades? Et amicus verè misericors: Age, inquit, hùc mecùm ad templum adi, & ibi profitere: (Domine, non ego, sed iste dedit eleemosynam) & ego tibi statim triginta auri libras denuò annumerabo. Placet hoc consilium auaro: ad templum venitur, verba concepta pronunciantur, aurum ab amico, infelici illi in manus traditur, recepta pecunia, dùm pedem ex templo effert, subitò mortuus concidit, omnibus, qui præsentes aderant, ingenti horrore, & pauore correptis, qui iustum iudicem laudabant, & celebrabant. Cùm autem qui aderant clerici monerent amicum, vt suam ipse sibi pecuniam sumeret; Absit, inquit, hoc factum à me, immò cogitatio impia, vt ego Deo deuotum aurum, & cœlo iàm inscriptum, recipiam. Domini est, nullum mihi in id ampliùs ius, aut potestas, quod Ananias, & Saphira immemores de suo iàm Deo dedicato suffurati, pænas, subita morte, quemadmodùm & iste, persoluerunt. Deus enim non irridetur. His illius dictis ab omnibus mirificè comprobatis, aurum pauperibus est diuisum.

26. *Ioannes Bonifacius, in Histor. Virg. libr. 5. capit. 2.* In vrbe Zamossa anno 1600. quædam matrona, genere quidem nobilis, sed hæretica, cùm in die Annunciationis Beatæ Virginis extra vrbem ad suam possessionem proficisci pararet; domestici iter disuadent, proposita sanctitate diei Christianis religiosissimi. Tunc mulier offensa, Deiparam verbis lacessere cæpit, vnam ex multis dicere, eidem se sanctitate parem esse iactare. Igitur ad villam suis inuitis egressa; cùm iàm parùm viæ restaret, equi rhedam trahentes, tàm fixis hæsere vestigiis, vt ad progrediendum vis nulla coegerit: interim improba mulier dùm equi perstant immobiles, exit ex rheda, & tantisper declinat à via, vt naturæ obtemperet, & aluum exoneret; se purgantem, ingens, & validus ventus repentè deturbat, & mulieris faciem in corporis egestas sordes impingit, & cùm os sacrilegum immundis fæcibus inquinasset, post ingentes editos clamores, spurcam animam egit dolore trahente.

27. *Sanderus de Schismate Anglicano.* Inter cætera, quæ circa annum Domini 1571. dùm in Anglia Catholici innocentes passim raperentur ad supplicium, acciderunt; istud in ciuitate, ac vniuersitate Oxoniensi memorabile contigit. Cùm enim de quodã Roulando Ginseo, qui pro Catholica religione reus causam dicturus comparuit, iudicium de præcidendis ei auribus (quòd plebius esset) ferretur; vix sententiam iudex pronunciauerat, cùm morbus repentinus, & exitialis prætorium illud vniuersum inuadens, nec alia loca ciuitatis, aut homines attingens, ipsos iudices, & assessores omnes, Prouinciæ quoque Præfectum summum subitò corripuit, duodecimque præterea iuratos ad hoc viros, vt pro consuetudine reum, vel innocentem denunciarent, sic occupauit, vt isti statim; iudices verò, assessores, & Præfectus prædictus, aliqui non post horas multas, reliqui post paucos dies ad vnum omnes interierint. Et cùm illis eodem morbo, loco, & tempore correpti non minùs quasi quingenti variis extra vrbem locis paulò post extincti fuerint.

Alia his similia sunt notata in titulis de Animalibus varia diuinitùs præsagientibus; de vindicta in prophanatores S.S. imaginum; de irreuerentia in Sac. Eucharistiam punita; de pænis violantium Festa, Vota, Iuramenta, Ecclesias, Res sacras, & alibi.

Mors ex obedientia, aut secuta, aut prorogata.
§. 4.

VT obedientia, quàm præclara sit virtus, cunctis appareat, & in ipsis tenebris, vmbraque mortis quàm clarissimè quandòque illuxit; quique viuentes se se omninò alterius mancipaRunt voluntati, & in vltima vitæ periodo communi omnium necessitati obtemperaturi, ad nutum præcipientis admirabiliter paruere. De his.

1. *Surius in vita Sancti Dunstani tom. 3.* Eduardus monachus ad finem vitæ cùm deuenisset, Priorem monasterii accersiuit, illique significauit, sibi fugam è monasterio meditanti, apparuisse Sanctum Dunstanum, eumq. grauiter scipione suo cæcidisse, ex qua percussione infirmatus, iàm moriebatur. Petiit ergo ab eo veniam, & absolutionem. Tùm mente exhilaratus Deo gratias egit, petiitque à Priore, vt sibi iàm è corpore liceret abire. Prior autem dixit ei: proficiscere cùm benedictione omnipotentis Dei; comes tui itineris sit Beatus Dunstanus, & suscipiat te in regnum suum filius Dei Dominus noster Iesus Christus. In quibus verbis feliciter migrauit ad Dominum.

2. *In vita Sancti Bernardi, lib. 4. capit. secund.* Sanctus Bernardus apparuit in visu adhùc viuens Nouitio infirmanti, prædicens ei, quòd quinta die esset moriturus. Vndè exhilaratus Nouitius, retulit Abbati suo visionem dicens: ecce quinta die morior; adueniente autem expectata die, in agone positus, obducto iàm (vt assolet) oculorum lumine, ad exitum festinabat: quandò venit ad eum S. Bernardus, & velut ab alto reuocauit somno: retrahens quasi commeantem, nec insalutatum abire permittens. Quo præsente aperuit oculos, & miro modo serenata facie, in eum intendit. Tunc Pater consolans eum, nil timere iubet, sed recto protinùs cursu ad Dominum Iesum Christum pertingere, & ei humilem pauperis familiæ suæ salutationem offerre. Ad hanc vocem, qua potuit, capitis inclinatione, & motu annuens labiorum, iterùm clau-

clausit oculos, & in pace quieuit.

3. *Chrysost. Henriquez in fasciculo, de Sancto Bernardo*. Quidam de fratribus Claræuallis, cùm esset positus in extremis, ingressus est ad eum visitandum Beatus Pater Bernardus post completorium; & videns hominem morti proximum, iàm, iàmque migraturum, dixit ad eum: Nosti frater charissime, quòd conuentus noster modò fatigatus est labore, & iàm post modicum ad vigilias surgere debet. Quòd si te interim obdormiente oporteat illum suam interrumpere dormitionem, nimiùm vexabitur, & pergrandes vigilias minùs solemniter exequetur. Vt ergo bonum sit tibi, & æternaliter viuas in terra viuentium, ad quam ingrederis possidendam, in nomine Domini nostri Iesu Christi præcipio tibi, quatenùs ad horam diuini officij expectes nos. Cui infirmus respondit: faciam Pater libenter, vt imperasti, si tamen voto meo tuis precibus suffragaueris. Abiit itaque Abbas sanctus cùm silentio in dormitorium, & ille, qui extremum ferè anhelitum trahebat, non abiit antè terminum constitutum. Mox nàmque vt signum ad vigilias pulsari cæpit; pulsata est etiam tabula, & ille decessit. Quod non modò de isto fratre, verùm etiam de pluribus aliis sæpiùs accidit; vt ad nutum, & voluntatem Beatissimi Patris finis eorum protelaretur.

4. *Petrus de Natalibus, libr. 10. capit. 95.* Columbanus monachus, Sancti Columbani Abbatis Luxouiensis discipulus, cùm ad extrema venisset, diebus plurimis iàm febri correptus, vidit virum splendidum ad se venientem, qui sibi dixit, eum tunc è corpore educere non posse, eo quòd Patris sui preces, & lachrymæ ipsum impedirent. Quod audiens, & duriùs deflens, Sanctum Columbanum Abbatem, per nuncium accersitum rogauit, ne suum impediret transitum, cùm se ad vitam iturum nullatenùs dubitaret; cui S. Abbas annuens, corpus dominicum obtulit, illeque sumpto pacis osculo, de Patris licentia, è carne migrauit.

5. *In vita Dosithei monachi*. Cùm in vltimo vitæ discrimine esset Dositheus, & nimiùm laboraret, significauit Barsanuphio, dicens: Dimitte me, quoniam iàm vlteriùs nequeo: tunc ait illi senex: sustine & expecta paululùm fili; propè est enim Dei miseratio. Rursùs post aliquot dies ait seni: Domine iàm ampliùs nequeo penitùs; tùm senex: Vade, inquit, in pace fili, & te S. S. Trinitati præsenta; atque precare pro nobis. Quibus dictis, euolauit vir beatus in cœlum.

6. *In vita Beati Nili Iunioris Abbatis*. Stephanus, Beati Nili Iunioris discipulus, cùm lethali morbo laboraret, iàmque animam ageret, Beato Nilo vocante: Frater Stephane, resedit statim, manibusque leuatis, mentem adhibebat, quid Beatus Nilus dicturus esset; qui dixit ei: Benedic fratribus tuis frater Stephane, quoniam iàm deficis; ille verò cùm extendisset manus, oratione facta, eosdem circumstantes benedixit. Item, inquit illi Beatus Nilus: nunc requiesce, quoniam non potes ampliùs; & peracta obedientia reclinans requieuit.

7. *Cæsarius libr. 11. mirac. capit. 11.* Mengozus ordinis Cisterciensis conuersus, vir simplex, & religiosus, ex quadam infirmitate morti proximus inunctus est. Accidit autem, vt eodem tempore Abbas eius, Gisilbertus nomine, ad generale capitulum properare cogeretur, qui dixit ei: Frater Mengoze, non debes mori; sed expectabis me. Respondente illo: si in me fuerit, faciam. Subiunxit Abbas: Ego præcipio tibi. Iuit ergo ad capitulum, & moratus est diutiùs. Reuerso autem eo, & veniente ad portam, pulsata est tabula, & campana ad conuocandos de more fratres ad morientem. Interrogauit Abbas, cui pulsaretur, & dicente portinario, quia Fratri Mengozo, respondit Abbas: ego deberem ei adhùc loqui, festinauitque ad orationem. Sed cùm venisset in infirmatorium, ille expirauerat. Inclinauit se igitur ad mortuum, & alta voce clamauit. Frater Mengoze; sed non erat illi vox, neque spiritus; cùmque secundò idem nomen repetiisset, dixit Prior. nolite vos fatigare, iàm enim expirauit. Tunc Abbas se ad illius aures magis inclinans, clamauit dicens: ego tibi præceperam, ne moreris, donec venirem; ego tibi iterùm præcipio, vt respondeas mihi. Ad quod verbum, ille quasi de graui somno excitatus, oculos aperuit, & ingemuit dicens: ò Pater quid fecisti? Benè eram, vt quid me reuocasti? Vbi, inquit, eras? Respondit conuersus; in Paradiso posita mihi erat sedes aurea secùs pedes Dominæ nostræ; & cùm me reuocares, aduenit Dominus Isembardus sacrista noster, trahensque me de sede eadem, dicebat: non hìc sedebis; inobedienter hùc venisti: Reuertere ad Abbatem tuum, sicque reuersus sum. Attamen promissum est mihi, quòd eadem sedes foret reseruanda. Aduocati sunt igitur Nouitii, de quorum manibus cibum sumpsit, in signum veræ resurrectionis. Post hæc licentiam ab Abbate postulauit redeundi; benedixit autem ei Abbas, & dixit: modò vadas in pace. Ad quod verbum, mox oculos clausit, & expirauit.

8. *In vita Sancti Philippi Nerij.* Mulier primaria in Vrbe ad vltimum, summa vi morbi adducta, venerat. Hanc Philippus visit; fusisque pro illa precibus, mox vt alium ægrotum inuiseret, abiit. Inter eundum autem, diuinitùs ad eam euocari se sentiens, regressus est, cubiculumque ingressus, licet eam egregiè robustam, & ad alterum saltem diem spiritum omninò traductură reperiisset, astantibus nihilominùs recedere iussis, præter paucos, ad ægram propiùs accedens, in eius faciem, semel atque iterùm exsufflat; tùm preces pro ea ad Dominum fundens, ipsam sermone de rebus diuinis perbreui confirmans, oculis in eam defixis, in hæc tandam verba prorupit, dicens: Iubeo te, Dei nomine, ex hoc corpore excedere. Quibus dictis, extemplò mulier, (cunctis qui aderant stupentibus, factumque initio non credentibus) spiritum efflauit.

9. Sil-

9. *Siluanus Razzius, in vita B.Bernardi de Vbertis*. In monasterio Aquæ-nigræ nuncupato propè Brixiam, iacebat monachus quidam Vallis-vmbrosæ agens animam, cùmque illàc transiret B.Bernardus de Vbertis Florentinus, S.R.E.Cardinalis, fratres in illo degentes exceperunt eum, omni qua potuerunt humanitate, & rogauerunt, vt morientem inuiseret, ac ipsius animam suis precibus Domino commendaret; sed alijs tunc detentus, & impeditus negotijs, dixit eis, vt præciperent animæ eiusdem morientis (ex obedientia, & in Dei nomine) ne discederet, donec ipse quod à se volebant fratres, perfecisset. Paruerunt fratres. Paruit morientis anima, quę tandiù morata est in corpore, donec B. viro redeunte, commendata Domino, eius iussu feliciter migrauit.

10. *Christophorus Mansuetus, in vita B.Catharinæ Bononiensis, cap.24.* Samaritana, monialis B. Catharinæ Bononiensis alumna deuotissima, quàmquam toto tempore vitæ suæ virtutem obedientiæ coluisset, tempore exitus sui in ea magnopere excelluit. Nàm cùm ad extremum vitæ deuenisset, multaque à Dæmone passa esset, tandem ad eam accedens B.Catharina, dixit illi: filia mea quiesce, iàm vade in pace: Præcipio tibi in virtute sanctæ obedientiæ, vt statim ad vitam proficiscaris æternam. Quibus auditis, obediens infirma, læta respiciens sorores omnes astantes, migrauit ad Dominum.

11. *Ignatius de Nente, in vita Ven.Sor.Dominicæ de Paradiso, lib.3.cap.45.* Mortalibus vrgebatur doloribus monialis quędam, à quibus ad extremum vitæ deducta, haùd tamen moriebatur, dùm continuè moreretur; rogauit igitur Ven.Dominicam, vt finem doloribus à Domino illi impetraret. Tunc Dominica dixit Antistitæ monasterii, vt animę moribundæ in virtute obedientiæ imperaret, vt statim ad cælestem patriam properaret. Fecit illa, moribundaque respondens Deo gratias, statim emortua est.

12. *Leander Albertus, de Vir. Illus. ord. Prædicat. lib.5.* Petrus Montepessulanus ex ordine Sancti Dominici, ad extrema deductus, cùm sacrosanctam Eucharistiam suscepisset, atque extrema vnctione delibutus esset, ad Priorem vnà cùm fratribus adstantem conuersus: Quid sibi iuberet, quòue sibi eundum esset, iniungeret, postulauit. Cùm verò Prior imperasset, vt ad Iesum Christum præstolantem, rectà iret: Petrus vultu sereno respondit. Ita planè properauero: nec alium præter Iesum, qui me vocauit, quæsiero. Quibus dictis, expirauit.

13. *Iulius Orsinus, in vita S. Franciscæ Romanæ, lib.5.cap.16.* Catharina, virgo S.Franciscæ Romanæ alumna, morbo lethali correpta, ad finem vitæ deuenit; cùmque iàm esset discessura, nec suus adesset confessarius (qui tunc Roma aberat) dolens Francisca, orauit, precibusque à Domino impetrauit mortis dilationem, donec ille rediret, à quo sacramentis Catharina muniretur. Sex igitur diebus, totidemque noctibus in agone desudauit moriens; iisque transactis, venit confessarius, à quo sacris, atque expetitis fuit munita præsidiis. Conuocat deindè sorores Francisca, eas pro migrante iubet orare: Recitant simùl preces, quas Litanias vocamus, sanctorum implorantes auxilium; orat Dominum ipsa Francisca tacens, & cùm paululùm orasset, surgens à terra, ad Catharinam accedit, eamque ad Creatorem suum abire iubet. Quæ obedire assueta, dictis illicò paruit, & in pace quieuit.

14. *Franciscus à S.M. in Chronicis Carmel. to.1.lib.2.cap.13.* In conuentu Malagonensi Sororum Carmelitarum Discalceatarum, cùm soror Marina de S.Angelo ad extremum vitæ deuenisset, vt merito obedientiæ animam expiraret, moriendi ab Antistita petiit facultatem, negauit illa, obedientissimaque filia mori distulit; sed cùm acerbiores vrgerent dolores, iterùm pro licentia supplicauit, concessit tunc mater, illicòque obedientissima filia animam exhalauit.

15. *Idem ibidem lib.2.cap.17.* Cùm in conuentu Vallisoleti Discalceatarum S.Teresię, ad extremum vitę deuenisset M.Teresia à Iesu (non S.Fundatrix) delatum ei fuit à Superiore sanctissimum Viaticum; at antequam cælesti reficeretur pabulo, iussit ei Superior, ne moreretur: & ecce illicò ita in meliorem statum est reducta, vt sacrum Viaticum, quod ibi aderat, illi communicare dubitauerit.

16. *Idem ibidem lib. 2. cap. 38.* Anno 1599. in Conuentu Cæsaraugustæ Discalceatorum S. Teresiæ, mortuus est P.Fr. Antonius à Cruce, qui ferè per annum in vltimis mortis angustiis moratus est, dùm enim illi præcepisset Prouincialis, ne moreretur, permisit Deus eòusque in hac vita morari, quòusq. ab eodem Prouinciali concessa discedendi benedictione, merito sanctę obedientiæ, ad fæliciorem statum transiret.

17. *Idem ibidem l.5.c.14.* In conuentu Vallisoleti Discalceatorum S.Teresiæ, iàm vltimos halitus agebat Frat. Ioseph à Iesu Maria, cùm ad illum ingressus Superior, cui tunc domo egredi necesse erat, imperauit infirmo, ne quòusque regrederetur, spiritum exhalaret; obediuit ille, interrogatusq. vesperi à Superiore cur non discessisset; quia ipse prohibueras, respondit, indèq. ab eodem impetrata benedictione, expirauit.

18. *In vita Ven. Vrsula Beninc.* Cùm à quodam sacerdote audisset Vrsula, quendam Sanctum in virtute obedientiæ adeò exactum fuisse, vt morti proximus, nollet ex hoc mundo discedere, antequam id mandato obedientiæ præciperet eius magister; Dei serua illius sancti virtutem commendans, eumdē sacerdotem rogauit, vt cùm ipsa morti proxima esset, idem sibi præceptū imponeret, quod promisit sacerdos. Et non post multum temporis, appropinquante ipsius mortis die, cùm in eius cubiculo esset dictus sacerdos, illi dixit, vt recordaretur promissa seruare, vt etiam in morte ipsa obedientiæ meritum consequeretur. Id pręstitit dictus sacerdos, & serua Dei paulò post mortua est.

19. *Michael Cicogna, in libello de meditationibus Passionis Christi.* Magdalena Orsina, cùm sanctissimam vitam vsque ad extremum duxisset, tandem vltima infirmitate fuit oppressa, in qua diù perseuerans, grauibus afflicta cruciatibus, sępe mori

mori videbatur, nunquam tamen moriebatur, ita vt stupescerent medici. Tunc mysterium intelligēs monasterij Abbatissa, illam scilicet, quæ viuens semper superiorum præceptis obtemperauerat, ex obedientia velle & mori, accessit ad eam, vtque moreretur præcepit, quibus dictis, statim inclinato capite emisit spiritum.

20. *In vita M. Angelæ Mariæ Pasqualigæ, Fundatricis Monialium Virginum Regularium Venetijs*. Ad extremum vitæ deuenerat Sor. Lucia Pasqualiga, monialis supradicti Monasterij, Matrisque Angelæ Mariæ secundum carnem soror; cùmque supremis ab Ecclesia statutis munita fuisset sacramentis, precesque in eius animæ commendationem ritè persolutæ ab Aloysio nostro Nouarino, monasterij tunc temporis confessario; quia adhùc ad plures horas, eius discessus prorogatus videbatur, eratque tunc superuentura nox, ne eo tempore in Monasterio moraretur, domum redire statuit Nouarinus, dataque illi benedictione, discessit, hæc illi subiungens: præcipere se illi, ne moreretur, quoadusque manè reuerteretur. Interim circa mediam noctem in mortali agone posita, vltimos vitæ halitus iam iam emittere videbatur; Confessarium euocare volebant moniales, at vetuit obedientiæ filia; sicque vsq. ad mane perseuerauit, quandò adueniente Nouarino, ab eoque abeundi licentia impetrata, feliciter obdormiuit in Domino.

In morte quorundam Iustorum, Animæ ad Cælos euolare visæ.

§. 5.

QVorundam Iustorum animas in cælum euolantes, ab aliis mirabiliter videri permisit aliquandò Deus, vt sancta æmulatione, metam, ad quam ipsæ peruenerant, celeriori virtutum cursu attingere studerent. De his.

1. *In vitis P.P. lib. 1.* S. Antonius Abb. vidit inter Angelorum cateruas, & inter Prophetarum, & Apostolorum choros, animam Sancti Pauli primi eremitæ candore fulgentem, in cælum ascendere.

2. *Ibidem lib. 2. cap. 16.* Quo tempore S. Pafnutius anachoreta sanctam emisit animam; hanc presbyteri, qui aderant, & fratres omnes viderunt ab Angelis suscipi, hymnum canentibus, & collaudantibus Deum.

3. *Ibidem lib. 2. cap. 10.* Anuph Eremita, postquam sanctam emisit animam; hanc monachi præsentes viderunt ab Angelis suscipi, vocemque hymnorum audierunt, quibus vnà cùm angelis anima eius ascendens Dominum collaudabat.

4. *Marulus lib. 6. cap. 16.* S. Antonius Abb. non modico locorum interuallo discretus, Ammonis Abbatis obitum cognouit, cùm animam eius multo candore illustrem, & in sublimem tendentem conspexisset.

5. *Idem ibidem*. Eadem hora, qua defunctus est S. Martinus Turonensis Episcopus; Seuerinus Coloniensis Episcopus, animam eius ab Angelis ad cælum ferri vidit. Seuerus etiam monachus ipsum in quiete conspexit niueo tegumento, vultu rutilo, radiantibus oculis, librum manum gerentem, summa cæli petere.

6. *Idem ibidem*. Septem mulieres, quæ cùm B. Blasio Episcopo apud Sebastem martyrium passæ sunt, cùm capite cæderentur, earum animas virginali forma è corporibus egredi viderunt carnifices, cælumque versùs ferri, candidas admodùm, & coronis circa capita fulgentibus decoras. Item Aegidii Abb. Maximi, Marcellini, Petri, Iustini, Pastoris, Seueri, m. m. Germani Capuani Episcopi, Onuphrii Eremitæ in Ægypto, Speciosi in monte Cassino monachi, compluriumque aliorum, quos enumerare longum esset, fælices animæ, quo die corpora sua reliquerunt, eo ad cælos tolli visæ sunt.

7. *In vita S. Bathildis monialis, & primò Franciæ Reginæ*. In eius obitu visus est à circumstantibus Angelorum chorus ei obuiam venire, & in eis S. Genesius olim eius Pater spiritualis: *visique sunt* Angeli animam eius remigio alarum, & *manibus* eleuatam in cęlum portare.

8. *Surius in vita S. S. M. M. Tiburtij, & Valeriani*. Cùm Maximus Præfecti cubicularius, vidisset animas S. S. Tiburtii, & Valeriani, dùm crudeli martyrio interfecti sunt, egrediētes de eorum corporibus quasi Virgines de *thalamo ascendentes* ad cælum, Christi fidem constantissimè *professus* est; & pro ea martyrium plumbatis cæsus subiit.

9. *In Marty. Rom. 30. Octobris*. Capuæ S. Germani Episcopi, & confessoris magnæ sanctitatis viri: cuius animam in hora obitus eius ab Angelis in cælum ferri S. Benedictus aspexit.

10. *In vita S. Benedicti Abb.* Duo monachi, animam S. Benedicti viderunt in cælum euntem, pallio pretiosissimo ornatam; *circùm eam fulgentibus* lampadibus, & clarissima, *grauissimaque specie* virum super caput *ipsius dicentem audierunt*: Hęc est via, qua dilectus Deo Benedictus in cęlum ascendit.

11. *Beda in vita S. Cuthberti*. Cùm Cuthbertus Pastor ouium vidisset in cælum ferri animam Sancti Aidani, relictis ouibus factus est monachus.

12. *Chry. Henriq. 11. Iun. de B. Aleyde Virg.* Visa fuit anima ipsius astra cęlorum petere, in cuius occursum Dominus Iesus Christus, eius Genitrix, & tota curia cælestis egressi sunt. Ipse autem Rex Angelorum eam dulci amplexu recipiens, in hæc verba prorupit: Bonum certamen certasti, cursum consummasti, fidem seruasti, propter quod nunc venio, vt duplici corona, tàm martyris, quàm virgis decorata, in æternam requiem introducaris.

13. *Idem ibidem 3. Aprilis de B. Giomaria Virgine*. Quandò spiritum efflauit B. Giomaria, splendor instar Solis lucidissimus, ab ipso loco dormitionis eius ad cælum vsque rectà tendens, à multis sęcularibus visus est.

14. *Idem in Fasciculo, de S. Bernardo Caluenio*. Quadam vice Sanctus vir cùm in oratione esset, vidit animam cuiusdam monachi, qui in monasterio longè dissito abierat, magna Angelorum turba comi-

comitatam, cælestia Paradisi Regna scandere.

15. *Ioan.Trith.lib.3.de viris illust.ord.S.Benedic.cap.39.de S.Eltruta Abb.* Dum moreretur, anima eius in specie aquilæ duas pennas aureas habentis, visa est ad cælum cùm Angelis euolare.

16. *In Chron.Cassinensibus lib.3.cap.42.* Anus quædam noctu igneam ex Cassino ad cælos subuolare vidit columbam. Ea vero hora Stephanum quendam monachum Anglum ibidem expirasse, post cognouit.

17. *Surius in vita S. Hermelandi.* Nocte quadam S.Harmelandus pro sua consuetudine in Basilicam S. Petri Apostoli diuinæ contemplationi intentus, & Abbatis Mauronti viri valdè venerabilis animam è monasterio S.Florentii, quod Glannam vocant, ab Antrensi cænobio ad triginta distante milliaria, ducibus Angelis, relicto corpore migrare vidit ad cœlos.

18. *Beda, li.4.Hist.Anglicanæ, cap.3.de Ceadda Episcopo Londinensi.* Cùm Ceadda de mundo transiret, visa est à quodam viro sancto anima Ceddi fratris ipsius cùm agmine Angelorum descendentium de cælo, & assumpta secum anima eius, ad cælestia Regna redire.

19. *Franciscus à S. Maria in Hist.Carmelitana tom.1.lib.5.cap.27.* Dùm S. Mater Teresia à Iesu, sanctam exhalauit animã, à quadam sorore obseruatum est, ex eius ore tamquam candidam columbam exisse: aliæ in summitate turris, stellam splendidissimam conspexerunt.

20. *In vita S.Artemæ pueri, & soc.m.m.Puteolanorum, apud Bollandum 25.Ian.* Cùm B. Artema puer ob confessionem catholicæ fidei, iussu Præsidis, à pueris, qui eius condiscipuli fuerant, graphiis dilaceratus fuisset; videntibus cunctis, à splendidissimis sanctis Angelis anima eius suscepta, ad cælum cùm gloria magna delata est. Quam rem mirabilem dùm ethnicus populus cerneret, plurimi ex eis, diuina gratia compuncti, ad sanctam Christianam religionem deuota mente conuersi sunt, laudantes, & benedicentes gloriosum, & admirabile nomen Domini nostri Iesu Christi.

21. *In vita S.Constantij Episcopi, & m. Perusiæ in Etruria, apud Bollandum 29.Ian.* Interfecto B. Constantio, Angelus eius custos apparuit viro cuidam magnifico, nomine Leuiniano, illique indicans locum, vbi iacebat S. Martyris corpus, precepit vt ad illud honorificè sepeliendum adiret; quò cùm peruenisset Leuinianus, aspiciens, Angelicos cœtus fulminea luce præclaros, ad corpus sancti hominis euntes, & redeuntes prospexit: cuius animam, obsequia peragentes, cælestibus mysteriis gaudentes, & exultantes, ad cœlos reducere satagebant.

22. *Vincentius in spec. Hist. libr. 10. capit. 28.* Cùm S. Regulus Siluanectensis in die passionis S. S. Dionysii, & sociorum, Arelatensi populo publicam missam celebraret; dominica oratione dicta, & Apostolorum nominibus recitatis, adiunxit: & Beatis martyribus tuis Dionysio, Rustico, & Eleutherio. Quo dicto, paululùm stupefactus secùm mirari cæpit, cur præter solitum hoc dixisset; & ecce apparuerunt tres columbę, super altaris Crucem residentes, horum martyrum nomina pectoribus sanguine habentes inscripta, quas B.Præsulis diligenter intuitus, B.Dionysium, & socios eius per coronam martyrii cælos ascendisse per spiritum Sanctum cognouit.

23. *In vita S. Honorati Arelatensis Episcopi.* Honoratus, sacramentis Ecclesię fulcitus, totusq. positus in Deo, luce toto corpore circumfuso, fertur animam efflasse, quam adstantes è sæculo in specie candidissimæ columbę volantem ad supera viderunt: vti Lirinenses monachi ingenti audito tonitruo, totum Honoratum luminosis stellis decorum conscendentem ad Deum spectarunt; ad quos gementes, fertur etiam affatum esse inter sydera volantem, & hęc verba protulisse: Ero vobis Lirinensibus protector in sęcula: fidite.

24. Eodem modo ad cęlos visę sunt euolare in forma candidissimarum columbarum, animę S.Quirini martyris. *Petrus de Natalibus lib.9. cap.196.* Medardi Episcopi. *Surius 8. Iunij.* Eulalię Virg. & mart. *In eius actis.* Theodosiæ Virg. & martyr. *In eius actis.* Deuotæ Virginis & martyris. *Vincentius Barralis ex Chron. Lirinensibus.* Sulpitii Pii Episcopi Bituricensis. *Apud Bollandum 18. Ian.* Polycarpi Episcopi, & m. *In eius actis.* Potiti Martyris. *Apud Bollandum 13.Ian.* Benigni mart. *In eius actis.* Iuliæ m. *Baronius ann.440.* Amatoris Antisiodorensis Episcopi. *Marulus lib. 5. cap. 16.* Menigni Fullonis, m. *In eius actis.* Scolasticę Virg. à S.Benedicto eius fratre. *S. Gregor. Dialog. lib. 2. cap. 34.* Spei Abb. à monachis circumstantibus. *Idem Dialog.lib.4.cap.10.* Alberti Carmelitæ, à fratribus orantibus. *Surius 7. Augus.* Mariæ Magdalenæ de Pazzis, ab innumeris ciuibus. *In eius vita.* Matthęi à Bascio. *In Chronicis Capuccinorum an.1552.* B.Liduuinę Virg. *In eius vita.*

25. *In vita S. Francisci Assis.* Expirante S. Francisco, quidam fratrum, animam eius in stellæ specie de ore emicuisse, cęlumque petiisse vidit. Eadem illa hora minister Terre laboris grauiter ægrotans, cùm iam deficiete spiritu, & languescente lingua obmutuisset, repentè in vocem prorupit, dicens: expecta me Pater, expecta me; & interrogatus, quid hoc esset? animam Francisci se videre dixit, multa cùm luce cęlum versùs tendentem. Hoc dicto de corpore exiit.

26. *In vita S. Petri de Alcantara.* Eodem momento, quo ad cælum anima eius euolauit, eam sancta Teresia procùl distans vidit: Cui postea apparens dixit: ò felix pænitentia, quę tantam mihi promeruit gloriam.

27. *In Chron.Minorum, par.3.lib.8.cap.29.* Cùm ad cęlum euolasset anima Ven.Petri de S. Seuerino in Piceno ordinis minorum, visa est eius anima conscendere in cœlum à quodam religioso viro indè absente; qui propterea ad Monasterium in monte properauit, inuenitq. eum ipsa eadem hora migrasse.

28. *In vita S.Dominici.* Eadem hora, qua ad superos euolauit S. Dominicus; visus est pluribus cælum ascendere, precipuèque fratri Gualę tunc Priori Brixiensi; fratribusq. Tancredo, & Rao, eiusdem ordinis Predicatoribus.

29. *Lean.*

29. *Leander Albertus, de viris illustri. Prædicatorum, lib. 5.* Arnoldus Montepessulanus ex ordine nostro, cùm animam ageret, vnus ex fratribus assistentibus, nomine Vincentius, cæteris sanctior, multitudinem innumerabilem Angelorum, & inter eos D. Dominicum aspexit, qui Arnoldi spiritum suscepit, & in cęlum deportauit.

30. *In Chron. Prædicat. Part. 1. lib. 2. capit. 22.* Fra Iulianus Faentinus ord. Prædicatorum, post laudabilem vitam defunctus est: quo tempore Prior illius conuentus audiuit cantus, & melodias cælestes, viditque pariter albatos animam in cęlum deferentes Iuliani, qui tunc summo gaudio migrauerat.

31. *Petrus Maffeus, in vita S. Ignatij lib. 2. cap. 6.* Dùm semel S. Ignatius pro salute Baccalaurei Hozii, quem grauiter ægrotare cognouerat, Domino supplicaret, repentè vidit in spiritu animam Hozii luce clarissima radiantem, deducentibus Angelis, in sublime ferri, atque ipsa demùm cæli beatissima Regna conscendere.

32. *Ioan. à S. Bernardo, de S. Petro de Alcantara.* Qua hora Neapoli ad cęlos euolauit S. Patriarcha Caietanus, dùm estaticus esset in Hispania S. Petrus de Alcantara, eius animam ad cęlestem patriam ascendere vidit: exclamauitque: Hodiè in mundo vna ex pręcipuis Ecclesiæ columnis cecidit.

33. *Ignatius de Nente, in Vita Ven. sor. Dominicæ de Paradiso, lib. 2. cap. 27.* Dùm semel Dominica in festo Ascensionis Domini oraret, vidit animam Sororis Columbæ Reatinæ ex tertio ordine Sancti Dominici, ab Angelis circumdatam ad cælum ascendere.

34. *In actis Ven. Vrsulæ Benincasæ.* Post eius mortem, anima eius quamplurimis piis, deuotisq. personis apparuit gloriosa, cęlestique lumine circumdata.

Videantur aliqua huiusmodi Tom. 1. cap. 1. §. 3. cùm de Admirandis splendoribus in morte Iustorum; & cap. 2. §. 2. cùm de Angelorum cantibus in morte iustorum.

Odores suauissimi in morte quorundam Iustorum. §. 6.

QVàm pretiosa in conspectu Domini mors quorumdam Iustorum fuerit, suauissimus odor ab ipsis in animæ exhalatione emissus manifestè demonstrauit. De his aliqua pauca.

1. *Surius de S. Disibodo Episcopo 8. Iul.* Post multas toleratas cruces, & afflictiones, anno ætatis suæ octogesimo primo, idibus Iulii à corpore migrauit, Domino, cui fideliter seruierat, coràm fratribus spiritum reddens. Tùm verò suauissimus omnium nares perfudit odor, ceù balsami, myrrhæ, & thuris, cunctorumq. aromatum, & multa sunt illic diuinitùs edita miracula. Is autem odor vsque ad tertium diem perdurauit.

2. *Idem in vita S. Lupi Episcopi Senon. 1. Sept.* Sentiens S. Lupus adesse tempus dissolutionis suæ, in prædio Briennonensi aduersa correptus valetudine, sacerdotibus ad se accitis, sanctis eos sermonibus exhortatur, cunctisque qui aderant lachrymas fundentibus, sanctum Domino spiritum reddidit. Mox adest virtus diuina, & ad demonstrandam Pontificis gloriam, suauissimos excitat odores, qui ab illius corpore haùd secùs fundebantur, quàm si multis esset aromatibus conditum.

3. *Idem in vita S. Combiniani Episcopi 8. Septembris.* Post eius obitum, magnus ibi, & optimus secutus est odor, qui illic permansit vsque ad matutinarum solemnia.

4. *In vitis P.P. Orientalium, lib. 1. cap. 16. de S. Simeone Stylita.* Quo tempore sanctissimam Deo reddidit animam, statim quasi odor multorum aromatum, nares adstantium suauissimè recreans, ex eius corpore efflare cæpit.

5. *In vitis P.P. Occident. lib. 4. de S. Domitiano Eremita.* Diuino saginatus pabulo, coràm cunctis discipulis, manibus ad cælum erectis ait: In manus tuas Domine commendo spiritum meum. Itaque cùm hoc extremo verbo efflauit spiritum. Anima autem à corpore egrediente, tanta illic fragrantia, & odor suauissimus ortus est, quantum nullus hominum in eodem loco sentire antea meruit, ita vt quidam fratres infirmi, vnus typo quarto, alii furunculorum, & melancholica passione depressi, ex memorato odore repleti, sani facti sint.

6. *Ven. Beda in vita S. Burgundoforæ.* Hæc sancta Virgo Domini tàm fælicem exitum peregit, vt intra cellulam, qua eius corpus iacebat exanime, balsamum crederes desudare; & hoc omnibus nobis qui tunc ibidem affuimus, maximum miraculum generauit. Die autem XXX. cùm eius commemorationem ex more pristino ageremus, & missarum solemnia celebraremus, tanta fragrantia repleuit Ecclesiam, vt omnium vnguentorum, ac pigmentorum copiam putaremus adesse.

7. *In actis S. Mauræ Virg.* Ipsa hora migrationis S. Virginis, Veranus monachus olfactus sensu diù ante prorsùs amisso, eundem odorem suauitatis sensit in monasterio Leonis, quem proximi sancto corpori sentiebant.

8. *In vita S. Vualburgæ Virginis.* Cùm venerab. virgo spiritum suum in manus Domini commendasset, & ille ad Dominum, qui dedit illum, peruenisset; exanime corpus in specie glorificati hominis ab aliquibus circumstantibus, tali visione dignis demonstratum est. Odor etiam nimiæ suauitatis, & fragrantiæ inæstimabilis totam domum impleuerat ex præsentia glebæ sanctissimę, quam virtute virginalis castitatis, pariter & humilitatis, circumdederant lilia conuallium cùm dependentibus fuscis florum violis.

9. *Tritbemius, de viris illus. Ordine S. Benedicti, libr. 3. cap. 155. de Ven. Beda.* Die Ascensionis Dominicę contra oratorium, quo orare consueuerat Ven. Beda, subiecto cilicio decumbens, illibato sensu, hilarique vultu dicebat: O Rex glorię Domine virtutum &c. qua finita antiphona, spiritum afflauit. Mox tàm suauissimus odor subsecutus est, vt omnes qui aderant in Paradiso se esse putarent.

10. *Vinc. Bel. lib. 23. cap. 108. de S. Audomaro* Tar.

Taruanensi Episcopo. Testati sunt, qui tunc ibidem aderant, quòd tanta in transitu illius animæ sanctæ in domo illa fragrantiæ odoris est aspersa, ac si domus illa omnibus aromatibus fuisset repleta.

11. *Io. Colg. in vita S. Tressani, 7. Februarij*. Eadem hora, qua sancti viri beata anima carnis carcere est dissoluta; tanta odoris fragrantia ibi mox affluit, qualem nullus omnium, qui ibi aderant, vnquam in hoc sæculo sensit.

12 *In martyrol. Notkeri, VII. Kal. Feb. de S. Polycarpo m.* Smyrnæ sedente Proconsule, & vniuerso populo in amphiteatro aduersùs eum conclamante, igni traditus est. Sed flamma in modum cameræ curuata specie, quasi veli nauis vento sinuati, supra corpus martyris stetit. Quod corpus in medio positum, non erat vt caro ardens, sed tamquàm si aurum, aut argentum in fornace candesceret. Tùm præterea odorem naribus suis circumstantes hauserunt, tamquàm thuris incensi, vel pretiosissimi fragrantis vnguenti.

13. *Ioan. Gerbr. lib. 2. Chron. Belg. cap. 42. de S. Vuerenfrido*. Egrediente sancta anima, circumstantes tàm miri odoris fragrantia cunctorum perfudit nares, vt manifestè declararetur, eius spiritum per manus Angelorum ad cælestem aulam deduci.

14. *Idem lib. 5. Chron. Belg. capit. 13. de Beato Frederico Episcopo*. Persæpè hunc versum repetens B. Fridericus, in manus tuas Domine commendo spiritum meum, cælum resupinus intuens, obiit. Tunc eius sancto spiramine emisso, clericis adhùc corpus eius humantibus, miri odoris fragrantia tota adeò repleta est Ecclesia, vt omnis præsens turba angelicam sentiret adesse cateruam, quæ beati martyris animam ad regna cùm triumpho adduxit sydera.

15. *Idem ibidem capit. 18. de Beato Odulpho*. Conuersus ad Deum B. Odulphus, nil mortem trepidans (quoniam sibi mori lucrum erat) hilariter mente dixit. In manus tuas Domine commendo spiritum meum. Inter hæc verba, de corpore sanctissima egressa est anima. Qua scilicet exeunte, tanta illic miri odoris aspersa est fragrantia, vt omnes illic, qui aderant, inæstimabili suauitate replerentur, ita vt per hæc patenter agnoscerent, quòd angelici ciues animam egredientem suscepissent.

16. *Vghellus, in vita Sancti Seueri Episcopi Casanetensis*. Cùm appropinquaret hora, vt de corpore migraret spiritus Beati Seueri, deuoti cleri in medio iugiter Deum obnixiùs orabat, tantoque odore circa eum quæ aderant populorum turbæ, sacrique cleri in templo sancto Dei repleti sunt, vt omnium aromatum vinceret suauitatem.

17. *In actis Sancti Meinardi Eremitæ, à latronibus occisi, apud Bolland. 21. Ian.* Scelesti latrones in eum irruentes, guttur eius suffocant manibus, quòusque exhalasset spiritum. Egrediente autem iàm anima, in ipso tractu nouissimæ expirationis, tantæ suauitatis odor progrediens, totum cellulæ locum compleuerat, ac si omnium pigmentorum odoramenta ibi diffusa, ibi fragrarent.

18. *In actis S.S. Martij tom. 1. in contin. Bollandi*. In eo loco, in quo defunctus est S. Virgilius Episcopus Arelatensis, eadem hora tàm suauissimus odor fragrauit, veluti si vniuersi verni temporis flores in vnum diuina prouidentia congregasset.

19. *Ibidem*. Defuncto S. Leone-Luca Corilionensi, Abbate Mulensi in Calabria, tantus odor suauitatis, omnes, qui aderant repleuit, vt omnia aromata sua mira fragrantia superaret.

20. *In Menologio Cisterciensi 2. Ian.* In Saxonia B. Alardus, qui deposita sæculari militia, in Luka Cœnobiticam vitam amplexus est: vbi in sancta conuersatione perseuerans, post diuturnam, & grauem infirmitatem, hora ab ipso prædicta, in manus Saluatoris, Deiparæ, & innumerabilium cælestis patriæ ciuium, qui ei visibiliter apparuerunt, spiritum tradidit; è cuius corpore suauissimus odor emanauit.

21. *Ibidem 5. Augusti, de B. Hildegunde Virgine*. Ex eius virgineo corpore post felicem spiritus discessum, suauissimus odor emanauit.

22. *Nicolaus Iansenius lib. 2. cap. 2. in vita S. Dominici*. Pronunciato versu: Hæc requies mea in sæculum sæculi, intendens cælo digitum, ore ad lætitiam composito, facie luculenta, spiritum efflauit S. Dominicus. Eos, qui demortui corpus procurauere, tanta fragrantia imbuit, vt ex illorum manibus etiam diù post gratissimus odor perciperetur.

23. *Bzou. ann. 1393. n. 9. de F. Roberto Neap. ord. Præd.* Morientem Robertũ, nubes quædam lucidissima, alicui ex circumstantibus visa cooperuit, qua disparente, ille quoque animam efflauit; relicto in cubiculo odore admirabili, quamquàm pes eius putescens fætorem intolerandum priùs exhalaret, dùm viueret ille.

24. *In ann. Seruorum Cen. 1. lib. 4. cap. 16.* Defuncto S. Philippo Benicio, statim odoris fragrantia tota impleta est domus, & ex eius rutila facie totus splendescere cæpit locus.

25. *In annal. Min. ann. 1260. numer. 46. de B. Gandulpho*. Mortuus cæpit suauissimum ex vniuerso corpore odorem emittere, qui miro augmento crescens, vniuersam domum repleuit, durauitq. per integram quindenam.

26. *In ijsdem Chronicis*. E corpore Ven. P. Petri Nicolai Fattoris, post eius mortem suauissimus efflabat odor, qui & in eos, qui illud tangebant diffundebatur.

27. *In vita B. Ioannæ à Cruce*. Ad extremum vitæ cùm peruenisset B. Ioanna, statim suauissimum odorem emisit, cùm antea grauem, infirmitate obsita, exhalasset.

28 *Zacharias Bouer. in annal. Capucc. de F. Laurentio à Iernano*. Sarnani ad extremam vitæ lineam peruenit: quo tempore gloriosissima cœlorum Regina, illi benignè apparente, dùm eo lætus aspectu exclamat: ò Mater, ò Mater mea Maria, sic clamans expirat. Corpus verò, ac vestes post ipsius obitum, tàm suaui odoris fragrantia respersæ fuerunt: vt certatim Fratres habitus ipsius fru-

frustula sibi prescinderent, vt ea apud se deuotè retinerent.

29. *In vita Ven. Francisci à puero Iesu Carmelita.* Post eius mortem, primum miraculum fuit suauissimi odoris, quem statim ab excessu animæ suæ, mortuum illius corpus efflabat, vsque dùm in sepulturæ loculo reconderetur; nisi velimus continuatum fuisse miraculum vsque ad illud extremum sui esse in hominum aspectu, & quod priuilegium datum viuenti illi fuerat, à defuncto non abscesserit.

30. *Franciscus à S. Maria, in Hist. Carmelit. to. 1. lib. 4. cap. 17.* Frater Augustinus à Iesu ex Carmelitis discalceatis, post mortem, licet fædissima infirmitate decesserit, maximum ex toto corpore exhalabat odorem.

31. *Idem ibidem, lib. 4. cap. 46.* Hoc itidem accidit Frat. Francisco à Conceptione, qui decessit an. 1579. ex apostemate enim, cuius causa mortuus fuerat, maximus post mortem, suauissimusque exhalabat odor.

Splendores Admirandi apparentes in morte Iustorum. § 7.

HÆc notata fuerunt tom. 1. cap. 1. §. 3.

Angeli canentes in morte Iustorum. §. 8.

HViusmodi etiam tom. 1. fuerunt notata, cap. 2. §. 2.

APPENDIX I. AD CAPVT I.

Præsagia perennia de futura morte.

INcertam cuicumque, extremamque vitæ periodum, quibusdam familijs, admiranda quadam prærogatiua, voluit Deus prodigio manifestari. De his.

1. *Berchorius in Reductorio moral. lib. 14. cap. 30.* Quondam in ciuitate Tridonæ in Italia, si quis pater familias inter annum mori debebat, sulcus terræ illius, cùm aratro scinderetur, sanguinem emittebat; vndè in ipsa ciuitate dicunt ab antiquis fuisse consuetum, quòd patres familias bubulcos suos iurare faciebant, quòd si terram arando tale signum vidissent, suo domino protinùs indicarent.

2. *In actis S.S. Martyr, tom. 3. in conti. Bollandi.* Fama, seù traditio est, Fontem S. Quirini hac virtute antiquitùs celebratum esse, vt ægroti quicumque in eo se lauissent, cupientes citò persanari, aut mori; intra octiduum, aut mortem oppeterent, aut integræ valetudini restituerentur.

3. *In vita S. Victoriani Abb. in Hispania, apud Bollandum 12. Ian.* Venerandum corpus S. Victoriani translatum fuit ad monasterium Montis Aragonum prope Oscam, & ibi in argentea arca collocatum. Ea vero arca nunquàm aperitur. At quandò quispiam ex eo cætu moriturus est, præmonet eos Sanctus, triplici ictu arcam quatiens. Ea igitur admonitione excitati, ardentiùs se se virtuti dedunt, ac si singulis mors esset denunciata, ac tandem anno euoluto, vnus è toto numero moritur.

4. *Ioannes Eusebius, lib. 1. mirac. nat. Europæ cap. 11.* Vallisoleti in sepulchro cuiusdam equitis ex Castillarum familia, qui conditus est in choro monasterij S. Claræ, auditi strepitus, aliquem ex eadem familia moriturum significant.

5. *Petra Sancta de miraculis perpetuis, cap. 27.* In ea Italiæ parte, quæ Hetruria dicitur, castrum quoddam est, cui nomen Montauti, siue Montis acuti, in eoque nobilis degit familia, hoc habens priuilegij, quòd quoties aliquis ex illa descendens prosapia mori debet, flamma apparet super castrum, idq. fit, vt ad mortem se præparent, eamq. cùm securitate obeant. Hoc verò sibi euenire asserunt per merita S. Francisci, qui dùm vixit frequenter cùm deuotione ab eis est hospitio susceptus, domumque illam benedictione cumulauit. Sed præterire tacitus non debeo, quod matrona illustris, & pia, mihi aliquandò narrauit; scire nimirùm se inter faces istas discrimen esse, si obeant paruuli: nàm ignes minores tùnc supra castrum nitent, & hoc ipsa est experta, cùm nobilibus eius prosapiæ filiam nuptui dederit, ex qua impuberes liberi obiuerunt.

6. *Idem ibid. c. 25.* Familiæ tres, Torellia Pia, & Gonzaga, nobilissimæ in Insubria, & quarũ vna diù Princeps, Regum, ac Cæsarum affinitatibus etiã est inclita, hoc habent veluti hæreditarium, vt de imminente obitu premoneantur, visa muliere in cãdido amictu permeante, aut atrium, aut aulam, aut cõclauia domus, vbi funus erit. Inter alios hoc mihi affirmauit seriò Carolus Pius suæ spes prosapię, seù primogenitus, adiecitque experimentum Hieronymus Dux Matthęus, *qui se adfuisse in extrema ægritudine narrauit, Carolo Cardinali Pio* eiusdẽ iunioris Caroli Patruo, & affini suo: quandò annunciata est à famulis, candidatæ mulieris visio prætereuntis cùm strepitu, seù sonoro agmine: & Cardinalem fassum etiam de se actum omninò esse; nec aliter euenit, nàm postridiè excessit è viuis. Referunt hoc in mulierem, Torellis, Piis, Gonzagis congenerem, ac pudicam, quæ adulterii falsò insimulata, in albo lineo inuolucro fuit præceps data, & perempta: atque hæc iàm eo schemate consentaneo innocentiæ suæ obuelata solet posteris morituris, auspex, internunciaque obitus apparere.

7. *Placidus Samperius, lib. 3. cap. 20. Icon.* Messanæ, imaginem miraculorum, vocatam de Malfino, (taliter appellabatur qui cænobium, & templum ædificauit) habent eiusdem cænobii moniales. Hæc tabernaculo inclusa, claueque apud Abbatissam reposita, quandòq. spontè aperto tabernaculo se visendam præbuit, certo argumento inuitari aliquam è monialibus à Deipara ad cęlum; quod multis annis prodigiosa experientia probatum est.

8. *Gulielmus Baldessanus, in Hist. S. Mauritij.* In monasterio S. Mauritii Agauni in Sabaudia, apud Rhodanum, prodigiosa reperitur piscina, in qua tot asseruantur pisces, quot ibidẽ cõmorantur Reli-

Religiosi: cùm autem quispiam ex fratribus morbo aliquo corripitur, illicò piscis aliquis super aquas natare velut exanimis conspicitur; qui, si Religioso imminet mors, aliquot ante dies, idem moritur piscis, ceù euidens prænuncium futuræ mortis.

9. *Gonzaga, in Prouincia Sicilia, de monast. Clarissarum Messana*. Fuit in hoc monasterio Soror Eustochius, honestis orta natalibus, atque summa sanctitate, optimisque moribus prædita: quamobrem tùm viua, tùm quoque mortua plurimis miraculis claruit, modòque relucet; inter quæ non infimum locum obtinet id, quod in cuiuslibet sororis decessu contingit: Cùm enim alicui earum, ex diuina dispositione, ab hac vita emigrandum est; excitatur, audientibus monialibus, ab interiori parte eius loculi, quo Beatæ Eustochij corpus honorificè reconditur, quidam strepitus, quo, de alicuius illarum obitu, ex certissima experientia, præmonentur: omnesque tamquam morituræ, ad debitam præparationem excitantur. Quod profectò maximum diuinę bonitatis signum erga hunc locum est.

10. *In m.s.s.* Hoc idem euenit in sepulchro B.Beatricis Estensis, in Ecclesia Sancti Antonii Ferrariæ; in quo sepulchrales strepitus licet personent, quotiès Estensi familiæ quæcumque tristia sunt euentura, vt alibi notatum est, præcipuè tamen exaudiuntur, cùm aliquis ex illius familia est periturus.

11. *In vita Sancti Ioannis mar. Ducis Aquitaniæ*. Venetiis, in Ecclesia monialium S.Danielis, reperitur venerandum corpus S.Ioannis martyris, perenni prodigio admirandum. Nàm quotiès aliqua ex monialibus è vita est migratura, aliquot ante menses, vel dies, ferrea quædam craticula notiuis argenteis ornata tabellis, quæ est ante arcam sancti corporis, conquatitur, strepitum, sonitumque emittens; quo prodigio monitæ moniales, de imminenti alicuius ex ipsis morte cogitant; euentusque continuus comprobat, sanctum martyrem eo strepitu significare Virginibus illis celerem aduentum sponsi, vt vigilantes ornent lampades suas, eique obuiàm abundantes oleo sanctarum virtutum procedant.

12. *In m.s.s.* Spoleti in Vmbria, in monasterio monialium Sanctæ Matthæi ordinis Canonicorum Regul. Lateranensium, requiescit integrum corpus Vener. Matris Marinæ, cuius intercessione multa Deus operatur miracula: inter hæc, illud perenne, & insigne. Omnes ciuitatis infirmi ante illius sepulchrum, vt candela accendatur curant, prænuncium, aut vitæ, aut imminentis mortis requirentes; si enim infirmus sanitati restituendus est, candela accensa consumitur, at si illi moriendum, licet multotiès accendatur, semper extinguitur, ardereq. haùd potest.

13. *Ibidem*. In veteri Hesdinio, in monasterio Clarissarum, quod dùm viueret suaui suarum virtutum odore recreauit B.Coleta, narrant moniales, totam aliquandò domum perfundi odore suauissimo, quem vt primùm percipiunt, in choro conflunt omnes, psalmum: Eructauit, &c. decantaturæ. At tùm quidem ipso idem doctæ euentu, pro certo habent, aliquam intra dies quindecim è viuis egressuram.

14. *Ibidem*. Singulare prodigium per longa annorum curricula ad præsens vsque tempus Pisis patratum est à sacris ossibus Beatæ Claræ Gambacurtæ: Quotiès enim vnius ex monialibus eius monasterii, interitus instat, totiès eius ossa spontaneo strepitu, imminens periculum prænunciant.

15. *Surius, in vita S. Meinulphi Diaconi, 5. Octobris.* Tintinnabulum quoddam æneum benè sonorum in monasterio Budicensi S.Meinulphi reuerenter asseruabatur. Nàm quotiès aliqua ex eius monasterii sororibus breui erat abitura è vita, absque vllo humano ministerio per se fortem reddebat sonum. Asseuerant autem omnes illud inuentum inter ossa S.Meinulphi, cùm ea è sepulchro transferrentur: crediturq; illum eo vsum fuisse sub eleuatione sacram. in suo Diaconi ministerio; eaq. causa cùm illo in eius sepulchro repositum fuisse.

16. *Ioannes Lopez in 3. par. Chr. ord. S. Dominici, lib. 1. cap. 86.* In conuentu S. Saluatoris Vlissipponæ monialium ordin. S. Dominici, prodigiosa fuit campana, quæ mortem cuiuscumque monialis, prodigioso, & spontaneo sonitu manifestabat.

Alia his similia videantur libr. 4. in Append. capit. 2. cùm de Futurorum euentuum quibusdam Admirandis Præsagiis; & tom. primo lib. 5. in Appendice ad capit. 4. cùm de Campanis perenni prodigio spontè sonantibus in futura aliquorum morte, seù imminente aliqua calamitate.

APPENDIX II. AD CAP. I.

Perennis gratia non moriendi absque Sacramentis quibusdam diuinitùs concessa.

AB Admirandis circa mortem Hominis, haùd reiicienda est specialis quædam prærogatiua, & gratia, qua clementissimus Deus quosdam ex aliqua familia, aut alicui cultui addictos, ferè nunquàm permittit absque Sacramentorum munimine decedere. De his.

1. *Petra Sancta, de mirac. perpet. capit. 11.* Nobilis familia est in ciuitate Parthenopea, cognomento Galeotta, cui vniuersæ S.Franciscus de Paula dicitur impetrasse à Deo, vt ex illius stirpe nullus absque cælesti Viatico decedat, sed eo instruatur, muniaturque peregrè iturus ad sedes piorum; hoc est moriturus. Hactenùs aiunt, semper ita euenisse; nec actum aliter vel iis esse, qui ferro læsi, cæsique mortem violentam oppetiuerunt.

2. *Blosius in Conclaui Animæ, cap. 12.* Deipara Virgo Maria ait ad Virginem Mechtildem: ego omnibus, qui mihi piè, & sanctè deseruiunt, volo in morte fidelissimè tamquam mater piissima adesse, eosque consolari, ac protegere.

3. *In vita B.Simonis Stock Angli, Carmelitæ.* Apparens Beata Virgo Maria seruo suo Simeoni, scapulare Carmelitarum dedit, dicens; Accipe dilectissime hoc tui ordinis scapulare, meæ confraternitatis signum, tibi,& cunctis Carmelitis priuilegium, in quo moriens, æternum non patietur incendium.

4. *Lippelous, in vita S.Barbaræ, 4. Decembris.* Quidam, intercessione S.Barbaræ, licet ab igne consumptus, viuus conseruatus, quoadusq.reciperet Sacramenta (de quo supra ex Spondano car. 140.n.8.) interrogatus à quibusdam,quonam modo tàm specialem gratiam impetrasset, dixit eis ille:S.Barbaræ interuentu, & meritis gloriosis hoc longioris vitæ beneficium ad suscipienda sacramēta se obtinuisse; Hæc enim,inquit,vt ipsi cernitis oculis vestris, honorantibus se,sacramenta Confessionis, & Eucharistiæ ante mortem impetrat. Cuius rei addit aliud exemplum.

5. *Nider in Formicario, lib.4.cap. 2.hoc modo.* Fuit nouiter circa Ercklentz in partibus inferioris Alemaniæ quidam secularis simplicianus, qui per orationes, & ieiunia sæpè solebat B. Virg. Barbaræ præstare specialia obsequia, in quibus ipse exorabat simpliciter, humiliter, & perseueranter, vt sibi Virginis intercessione donaretur sine Sacramentis Pœnitentiæ, & Eucharistiæ ex hac vita non migrare. Interim grassante bello ea in regione, captiuus cùm alijs factus est hic, in duraque custodia conclusus, fame, aliisque tormentis maceratus; cùmque eius omnes socii interiissent, ipse solus, licet ferè exanimis, viuus perseuerabat; inquirentibus autem custodibus, quomodò ipse solus tot diebus absque cibo perseuerans, adhùc viueret, cæteris iàm defunctis, respondit: Dudùm à vobis desideraui, vt sacerdote vocato confiterer,& viaticum sumerem fidelium, sed proditionem verentes, mihi petitum denegastis,B.Barbaræ diù seruus extiti,quæ me sine dictis Sacramentis,scitote,migrare non siuit. Quo audito, capitaneum Castri accesserunt, historiam narrauerunt, & difficulter, vt confessor admitteretur, obtinuerunt. Confessione sacramentali igitur peracta, mori non poterat, quem B.Virgo sui Sponsi Viatico præmuniri volebat. Nàm exæsis fame carnibus, moribundus iacebat, sanari aliàs nequibat,& mori nemo dabat. Tunc iterùm ad custodem clamabat, Viaticum quæso per sacerdotem mihi porrigi curetis, & procùldubio vos fastidio, & ego mortis doloribus carebo. Admissus est igitur Sacerdos cùm diuinissimo Eucharistiæ Sacramento, quo munitus infirmus, statim requieuit in pace.

6. *Nider ibidem.* B.Catharina m. cùm decollanda esset, ad Dominum conuersa ait: Expecto pro te gloriam Iesu Christe Rex bone, tu meum colloca in Paradiso spi[illegible] & fac misericordiam, meam agentibus mem[illegible]. Tunc vox de cœlo insonuit. Veni electa mea, veni, intra thalamum sponsi tui, quæ postulas impetrasti, qui te laudant, salui fiant.

7. *In vitis P.P. de S.Onuph.* Dixit cuidã S.Onuphrius, se postulationem hanc à Deo impetrasse: Si quis oblationem ob amorem nominis mei ante conspectum Domini nostri Iesu Christi immolat, ab omni tempestate Diaboli, & à vinculo prauitatis humanæ liber existet, atque cùm sanctis Angelis in regno cœlorum æternæ hæreditatis capax fiet. Si quis oblationem non valet offerre, vel præ inopia redimere, ille pro amore meo, in nomine Domini eleemosynam pauperi tribuat, & ego orabo pro eo in conspectu Domini, vt dignus in cælestibus vita superna perfrui valeat. Si quis nec oblationem, nec eleemosynam potest offerre, pro charitate mea incensum Domino meo nostro in odorem suauitatis offerat, & ego orabo pro eo, vt gaudium perenne possideat. Si quis denique pauper in deserto, vel in aliquo alio loco oblationem, aut eleemosynam, seù incensum non habet ad immolandum; surgat, & manus suas ad Deum extendat, ter Dominicam orationem, idest, Pater noster, pro me cùm intenta mente, & nomine Sanctæ Trinitatis psallat, ego verò pro ipso ad Dominum intercedam, vt vitæ cælestis mereatur particeps fieri cùm omnibus sanctis Dei.

8. *Ex annalibus Cassinensibus.* Referunt Cassinensis monasterii Cœnobitæ (vt eorum relatu cùm illic esset, didicit R.D.Hieronymus Coquelin, nunc Luxouiensis Abbas) pia, vetustaque traditione quasi certum istic haberi, nullum ibidem mori in statu peccati mortalis, idque variis experientiis fuisse comprobatum;nonnullos enim seculares grauibus sceleribus irretitos, insigni, dùm illic essent, pœnitentia ad Deum se se conuertisse, priusquàm è viuis excederent. Id ipsum sacratissimi huius cœnobii priuilegium, saltē pro degentibus in eo Religiosis, agnouisse videtur B.Petrus Damianus opus. 36. cap. 16. Desiderio Abbati, totique Conuentui ita scribens: *Beati qui vobiscùm viuunt, beati qui inter vos,& in sanctis operibus vestris moriuntur.* Pia nimirùm fide credendum est, quia scala illa,quæ de Cassino monte olìm in Cœlum videbatur erecta, adhùc palliis strata, lampadibusque coruscat. Sicut tunc excepit Ducem,ita nunc exercitum transmittit ad cælestia subsequentem.

9. *Colganus, in vita S. Mochoemoci Abbatis.* Quandam Cellam Sanctus Pulcherius suo commendauit discipulo, qui vocabatur Mochumbe, & ipse ædificauit ibi primitùs Ecclesiam, & refectorium. Intereà Sanctus Pulcherius, & Sanctus Kainichus, & Sanct. Molua filius Coche, & S. Mosecta conuenerunt vna nocte ad eandem Cellam, nullaque domus ibi tunc erat tecta, nisi Ecclesia sola. Et ille discipulus præpositus loci ait illis: Ite vos in Ecclesiam, quia aliam domum paratam non habemus. Sanct. Mosecta, qui dicitur & Fecheanus, ait ei: non, sed ibimus ad refectorium, quamuis sit nudum, & Deus noster non sinet ventum, vel pluuiam super nos descendere hac nocte. Comedentes ibi sancti, idest, in refectorio nudo, & manentes illic, posteà S.Molua dixit: in hoc loco, in quo facta est nobis charitas, tanta abundantia diuitiarum semper erit: Sanctus Pulcherius dixit: hoc nudum culmen meum, sub quo Dominus nos hac nocte tem-

tempestiua defendit à vento,& pluuia, benedictum erit,& clarum ædificium, hic non deficiet in æternum: Sanctus Kainichus dixit: filius mortis in hoc loco non morietur. Ita Sancti benedixerunt illum locum, & benedictio illorum semper non fallitur ibi.

CAPVT II.

De Admirandis post mortem Hominis. Defuncti Superiorum mandatis obtemperantes. §. I.

MOrtem vltimam rerum lineam esse definiuit Horatius *epis.* 17. At non vltimus Admirandorum Dei censendus est terminus, Hominis miserabilis interitus: & quemadmodùm Elisæus in vita sua fecit monstra, & in morte mirabilia operatus est, *Ecclesi.*48. Ita Admirandorum Author, quæ in Homine viuo obstupescente natura admirabiliter perpetrauit, in eodem, licet defuncto, morte ipsa admirante, operatus est. De his igitur in præsenti; & primò de Admiranda Obedientia à Defunctis, viuis mirabiliter præstita. De quibus.

1. *In Menais Græcis, de S. Innocentio, siue Achatio Monacho.* Post mortem Innocentii, cùm illius cœnobii Monachi, tempore messis ad segetes colligendas exiissent, duobus tantùm in monasterio relictis; altero eorum ægroto, altero verò, qui domus tutelam haberet, defunctus est æger, quem custos ædium, cùm solus tumulum fodere non posset, & cadauer curare, aperto Innocentii monumento, ibi cùm eodem collocauit. Postera autem die, cùm sepulchrum reuiseret, fratris pridiè sepulti cadauer extra tumulum reperit; rursùmque in eodem monumento reposuit: sed cùm prostridiè eodem modo cadauer extra sepulchrum offenderet, cæpit idem custos cùm Sancto Innocentio expostulari, dicens. Audiui (Sancte Innocenti) te olìm in vita præter omnes alios, obsequentissimum fuisse: at nunc (vt video) refractarius factus es, & superbus, vt qui fratrem non admittas in societatem sepulchri, sed eiicias illum. Aut ergo permitte, vt tecùm requiescat; aut si illum iterùm eieceris, ego te quoq. non feram; sed ex tuo te sepulchro eiiciam. Altera igitur luce reuersus, illius quidem fratris, quod imposuerat corpus in tumulo cernit, sed illud S. Innocentii non vidit ampliùs.

2. *Ioann. Climacus grad. 4. de eodem.* Fuit Achatius obedientiæ nomine maximè illustris; hic post obitum de more est humatus; sed vt palàm fieret cunctis, quanti esset ille apud Deum propter insignem obedientiam suo Præposito præstitam contigit vt ex composito quidam sepulchrum illius petierint, & nomine appellantes, defunctum percunctati fuerint, an viueret; at ille protinùs clarissima voce respondit. Quomodò fieri potest, vt qui sic obtemperauerit iussis maiorum suorum, non viuat?

3. *In vitis P.P. lib.* 10. *cap.* 11. Frater quidam defunctus est in monasterio Beati Gerasimi, cùmque ad Ecclesiam efferretur, & elationis signum audiret monasterij Præfectus, nomine Agiodulus, qui eum mortuum ignorauerat, accurrit citiùs, & videns cadauer in medio Ecclesiæ iacere, constritatus est valdè, quòd non illum salutasset, priusquàm migraret è sæculo: accedensque ad lectulum vbi iacebat, ait defuncto: Surge frater, & da mihi osculum, qui protinùs surgens, osculatus est senem: Tunc dixit senex. Dormi iàm quoùsque veniat Christus filius Dei, & resuscitet te; & iterùm inclinauit se, & obdormiuit in pace.

4. *Gonzaga in Prou. Portu. de con. S. Claræ Villæ comitis.* Fuit hoc in monasterio Sor. quædam nomine Berengaria, quæ diuino prodigio semel in Abbatissam electa, & à Prælatis confirmata, obedientiam tamen à monialibus haùd exigere poterat. Semel igitur spiritus feruore acta, ad defunctas moniales conuersa, ait; quandòquidem meæ sorores mihi obtemperare renuunt, surgite vos, quæ hoc in loco dormitis, mihiq. paretote. Et ecce extempore septem moniales, quę ibidem sepultę erant, ex suis locellis egredientes præsto illi fuere, nec priùs recesserunt, quàm illis ab ea imperatum fuit. Quo prodigio viuentes territæ, eidem obedire haùd ampliùs detrectarunt.

5. *Chrysostomus Henriq. in fasciculo S. S. ord. Cister. libr.* 1. *dist.* 4. *capit.* 45. *de Sancto Bernardo.* Abbas Cisterciensis, qui cùm aliis pluribus Abbatibus sui ordinis ad exequias Sancti Viri Dei Bernardi venerat, considerans tantam importunitatem tumultuantis populi, & ex præsentibus futura coniiciens, vehementer timere cæpit, ne si crebrescentibus signis, tàm intolerabilis illùc populorum turba concurreret, eorum improbitate disciplina periret ordinis, & sanctæ religionis feruor in eodem loco tepesceret. Quapropter habita super hoc deliberatione, reuerenter accedens, per virtutem obedientiæ, ne signa vlteriùs faceret, inhibuit; sed cùm dicat Apostolus de Domino nostro Iesu Christo, quòd factus est obediens Patri vsque ad mortem, & ipsius exemplo legislator noster S. Benedictus, obedientiam nobis vsq. ad mortem in regula proponat: Sancta, & verè humilis anima Patris nostri, mortali homini etiam post mortem carnis obediens fuit; nàm signa, quæ iàm tunc radiare cæperant, ita cessauere, vt ex illa die, & deinceps nunquam publica miracula facere visus sit, licet quibusque fidelibus, præcipuè sui ordinis fratribus, pro variis incommoditatibus ad se clamantibus, vsq. hodiè non desit. Nàmque sola illa signa, quę disciplinam ordinis per turbas concurrentium populorum minuerent, Abbatem Cisterciensem fieri noluisse manifestum est.

6. *In actis Sancti Stephani, fundatoris ordinis Grandimontensis.* Postquam mortuus fuit Sanctus Stephanus, fundator ordinis Grandimontensis apud Lemouices in Gallia, translatum est eius venerandum corpus ad Grandem-montem, quinto ab eius obitu mense, reconditumque est subtùs presbyterium ante altare paucis scientibus, ne ad eum venerandum multitudo conflueret, & quies sancta domus sæculari strepitu turbaretur. At mox innotuit miraculis locus, populosque ad venerationem

euocauit. Quod videns Prior monasterii, sancto plenus zelo, rogauit sanctum virum defunctum, vt eam, quam ipse viuus præceperat quietem, non impediret defunctus, atque adeò à miraculis patrandis, vt potè concursum attrahentibus, abstineret; mirabilis res. Paruit sanctus successoris imperio, neq. quoad ille vixit miraculum vllum amplius fecit.

7. *In vita Sancti Vuolbodonis Episcopi Leodiensis*, Cum ex frequentatione populi ad sepulchrum Sancti Vuolbodonis propter miracula, quæ ibi fiebant, monachorum quies deturbaretur, Abbas Stephanus, Sanctum per diuinum nomen contestatus est, quò temperaret à miraculis, & statim miracula cessarunt, quiesque monachis reddita.

8. *Arturus, in marty. Franciscano, 10. Martij, de Beato Petro à Catbanio*. Cùm post transitum, Beatus Petrus, multa, eaque præclara ederet miracula, nec possent Fratres, ob populi ad eius sepulchrum aduentantis frequentiam, spiritui liberiùs vacare, ea de re apud Beatissimum Franciscum tunc longiùs in quodam antro agentem, conquesti sunt: quamobrem sanctissimus Pater, discipuli defuncti mausoleum petens, ei in virtute sanctæ obedientiæ præcepit, vt ab operandis miraculis cessaret. Mira res! non secùs ac si adhùc viueret, ei obtemperauit obedientissimus discipulus.

9. *Idem ibidem, 21. Martij. de Beato Petro Mechliniensi*. Post mortem Beati Petri, super sepulchrum ipsius, coràm Sacramento tàm crebra fiebant miracula, vt dùm propter populi concursum nimiùm interturbaretur diuinum officium, necessum fuit, vt pater Guardianus (sicut fertur) super eius sepulchrum accedens, præciperet per obedientiam, vt cessaret à miraculis, quod & fecit.

10. *Idem, 15. Maij, de Beato Antonio Tegrino Pisano confess. qui Spoleti obijt* 1313. Cùm ob ingentia miracula, ille locus, à sæcularibus ita frequentaretur, vt quies, ac deuotio Fratrum haùd paruum pateretur detrimentum; Pater Guardianus, ad tumulum defuncti B. Antonii accedens, in virtute sanctæ obedientiæ illi præcepit, vt à miraculis cessaret, & statim, ac si viuens esset, iussis Superioris obtemperauit.

11. *In Chronicis Minorum*, Quidam Frater Gulielmus Anglicus, in religione perfectus, & in Ecclesia Beati Francisci Assisij tumulatus iuxta corpus Patris Seraphici, miraculis multis coruscauit. At Frater Elias Minister tunc generalis, zelo Beati Francisci motus, ne videretur rarior à miraculis, accessit ad sepulchrum eius, & cùm magna confidentia præcepit ei, ne cùm suis miraculis gloriam Beati Francisci obfuscaret. Qui ex tunc ampliùs miracula minimè operatus est.

12. *Ibidem*, Quo tempore procurabatur apotheosis Sancti Bernardini Senensis, defunctus est Reate, Thomas Florentinus, laicus eiusdem ordinis Minorum, multaque ad eius tumulum fiebant prodigia, indèque magnus populi concursus illùc ferebatur. Ne autem Sancti Bernardini canonizatio ex hoc aliquo modo impediretur, fertur, Beatum Ioannem à Capistrano ante Thomæ sepulchrum prostratum non sine lachrymis illum exorasse, vt tamdiù à miraculis edendis abstineret, quoad Beatus Bernardinus in Sanctorum catalogum referretur, quo, magna etiam post mortem obedientia, facto, rursùs post canonizationem Sancti, cæpit miraculis refulgere.

13. *Spondanus in annal. Eccles. ann. 1333. numer. 13. de Vener. Iancellino X. Carthusiani ordinis Generali*. Cùm Monachus quidam sanctissimæ vitæ, ac perfectissimæ obedientiæ post obitum, tàm insignibus, & frequentibus cæpisset clarere miraculis, vt ex circumpositis regionibus populi Carthusiam ad eius tumulum quotidiè confluerent, sanitatem ex quibuslibet morbis recipiendi causa; eorumque tandem strepitu, & malis multorum moribus valdè inquietarentur monachi, officiumque diuinum nimiùm quàm perturbaretur; ingenti fiducia Iancellinus ad tumulum sancti viri accedens, in virtute sanctæ obedientiæ, quam viuus seruauerat, præcepit, vt nullum ampliùs operaretur miraculum. Tantaque vis verborum eius fuit, vt ille quasi iussa pauescens, ab vlteriori miraculorum ostensione cessauerit.

14. *Surius in vita Sancta Athanasia Abbatissa, 14. Augusti*. Cùm post aliquot dies à morte B. Athanasiæ Abb. in aliam arcam moniales corpus eius transferre vellent, veste priore illam exuentes, alia quadam sericis filis contexta, & colore ceruleo, induere cupiebant; sed minimè Athanasia sancta eis obtemperabat, manus ipsas tenens pectori adhærentes, & vestem illam renuens. *Vna igitur ex choro* illo, quæ omnibus virtutibus effulgebat, flexis genibus sic eam precata est. Quemadmodùm quo tempore nobiscùm versabaris, obedientiam sine aliquo discrimine præstitisti, ita & nunc libenter nobis obedire velis, & humilem tunicam tibi oblatam te indui patiaris. Hæc illa cùm perindè ac si *viueret*, audiuisset, manus statim relaxauit, & *tunicam*, quam diximus, accepit, ac deindè ad sacram illam arcam se reclinauit.

15. *Iacobus Grassettus, in vita B. Catharina Bononiensis, lib. 4. cap. 4.* Ob multitudinem populorum, qui ad venerandum sacrum incorruptum corpus B. Catharinæ de Bononia, quotidiè confugiebant, ædificauerunt moniales nobile quoddam, & pretiosum tabernaculum, vt in eodem super auream sedem decenter repositum sacrum corpus, ab omnibus facilè conspiceretur, adoraretur; at dùm illud super sedem collocare student moniales, licet antea flexibile, ita rigidum, & immobile deuenit, vt nulla vi ibidem collocare potuerint; quod inter alias admirans Abbatissa, à Spiritu Sancto impulsa, antèque venerandum corpus B. Matris humiliter genuflexa, alta voce præcepit illi in virtute sanctæ obedientiæ, vt statim se flexibile redderet; & ecce mirum! statim ad pristinum statum rediit; quare commodè, & perbenè in parata sede collocatum fuit.

16. Her-

16. *Herrera in Alphab. Aug. de Beato Hieronymo de Recanate*. Iacebat in feretro sacrum Viri Dei cadauer; & Cœnobii Præsul pio quodam deuotionis spiritu impulsus, defuncto fratri in virtute sanctæ obedientiæ iniunxit, vt aliquod suæ sanctitatis signum ostenderet. Illicò corpus exanime, manum vitæ nesciam, vitali quodam modo intra manicam mittit, & virentem florum fasciculum immaturo tempore iubenti Præsuli offert.

17. *In Appendice ad Chron. Minimorum, de Vener. Patre Ludouico de Espinosa*. Obedientiæ vltrà mortem mirabile exemplum dedit: Cùm enim apertis oculis, & in cælum intentis à morte mansisset, nec vlla vi, aut arte claudi potuissent, mandatum est illi ex obedientia, vt oculos clauderet, nec mora, palpebræ sponte sua remissæ sunt raro exemplo.

18. *In vita Sancti Alexij Confessoris*. Cùm è viuis decessisset in domo paterna Sanctus Alexius, paginam, in qua manu propria nomen, patriam, parentes, sponsamque descripserat, inuenit in eius manibus Eufemianus illius Pater, quam cùm arripere vellet, nulla vi potuit: Aduenienti postea summo Pontifici, paginamq. poscenti, statim liberè concessit.

19. *Chrysostom. Henriquez, in fasciculo S. S. de Sancto Edmundo Archiepiscopo Cantuariensi*. Custos sacrarii Petrus, videns multos confluere, dareque operam, vt pro animi sui deuotione possent aliquid ex Sancti Edmundi reliquiis adipisci, apud se statuit in eamdem curam, & cogitationem incumbere. Itaque tamquam operis quippiam facturus, accedit ad feretrum, tentat auellere annulum à digito Beati viri, & alium in eius locum reponere. Cùm autem leniter contrectando, nihil proficeret, quanto maximo potuit conatu institit, vt annulum è digito extraheret. Sed videns frustrà se niti, veritus ne in facto deprehenderetur, procùl abscessit, nec tamen destitit cogitare, qua via posset peruenire ad id quod optabat; Deindè rursùs eò se confert, licet pudefactus applicat os suum ad defuncti aures, & demissa voce tamquàm viuenti sic loquitur. Peccaui Sancte Pater, quòd non priùs petita venia, quod tuum est, mihi temere vsurpare institui, sed quia id facere volui honoris tui causa, ignosce (obsecro) confitenti, & optatum munus largire petenti. His dictis, apprehendit Beati manum, summaque facilitate annulum non tàm detractum, quàm elapsum à digito mirè gratulabundus adsportat. Eum autem Abbas inter alias res sacras iussit reponi, atque ex eius contactu vsque ad præsens, Domino largiente, multa ægris beneficia præstantur.

20. *Philippus Ferrar. Mense Maio, die 8. de S. Prisco Episcopo Nucerino*. Illud stupendum narratur, quòd cùm eius vitæ terminus aduenisset, ad sepulchrum, in quo duæ ipsius germanæ sepultæ fuerant, accessit, illisque vt sibi locum concederent, præcepit. Quare illi vita functo, cùm corpus in sepulchrum inferretur, locus medius ab eis se se ad partes contrahentibus concessus est.

21. *In actis Sancti Godehardi Episcopi*. Accidit vt Sanctus Præsul Godehardus quosdam de suis subditis ob eorum rebellionem, post monitiones consuetas, excommunicaret, quorum aliqui malitiæ suæ veneno excitati, ipso celebrante Ecclesiam intrauerunt arroganter, & proteruè; quo cognito se diuertit ab altare dicens; præcipio vobis omnibus, qui estis excommunicati, in virtute Spiritus Sancti, & sanctæ obedientiæ, vt exeatis Ecclesia: rebelles autem, & excommunicati hoc præceptum non curantes, perstiterunt, remanentes in Ecclesia; sed quidam de mortuis, qui multis annis quieuerant in monumentis, qui & forsàm ignorantibus eis, qui eos sepelierunt, in excommunicatione sepulti fuerant, surrexerunt, & de Ecclesia exierunt; quod videntes illi rebelles, erubuerunt, & post mortuos exierunt. Sanctus autem Præsul finita missa ad eos exiens, adhortatione ad contumaces, quibus ipsos mortuos obsequentiores haberet, adhibita, ad mortuos conuersus dixit; Ego vos fratres auctoritate Domini nostri Iesu Christi absoluo à sententia excommunicationis, qua hucusque fueratis innodati, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen: Ite reuertimini ad loca vestra, & in pace requiescite, aduentum iudicis præstolantes: mortui autem inclinatis capitibus, & iunctis manibus, quasi gratias agentes, ad loca sua remeauerunt, & quieuerunt.

22. *Seraphinus Bertolinus in vita Sanctæ Rosæ Peruanæ*. In Monasterio Sanctæ Catharinæ ciuitatis Limensis in Peruano Regno, ex incuria cuiusdam ancillæ amissus fuerat quoddam argenteum cochleare: Hoc omni industria, & diligentia in omnibus monasterii latebris inquirentes moniales, haùd inuenire potuere. Tunc Antistita timens ne in alicuius animum vana caderet suspicio, furto cochleare sublatum fuisse, ad imaginem sanctæ Rosæ de Sancta Maria conuersa, fidenti animo sic est eam allocuta: Sancta Mater, ea auctoritate, quæ in hoc mihi est monasterio, tibi præcipio, ut quàm citò à Deo amissi cochlearis inuentionem impetres; quibus dictis, ad recitandas uespertinas horas progressa est, post quas in cubiculum regrediens, cochleare supra tabulam reperit: sic miro modo, quæ usque ad mortem semper obediens fuerat, & defuncta obedire non cessauit.

23. *In vita Ven. Vrsulæ Benincasæ, Theatinarum monialium Fundatricis*. Cùm secundo die post mortem Ven. Vrsulæ Benincasæ aliquæ guttæ sanguinis ex eius naribus emanassent, quæ à sororibus collectæ, & asseruatæ fuerunt; id audiens eius medicus, qui paulò post superuenit, tristabatur valdè, eo quòd cùm aliis non adfuisset, ut posset ipse de eodem sanguine sumere; quapropter dictæ seruæ Dei confessarius in uirtute sanctæ obedientiæ ei imperauit, ut dictum medicum consolaretur, à quo tanta diligentia per

tot annos curata fuerat. Vix hæc dixerat confessarius, & statim dicta serua Dei Vrsula iterùm cæpit sanguinem emittere.

24. *Ibidem de eadem*. Tempore, quo eius corpus triduo insepultum remansit, eius membra flexibilia, facies decora, & totum corpus absque vllo fœtore, vel horrore visum fuit, immò suauissimum spirans odorem. Verùm cùm Reuerendissimus Dominus Vicarius Neapolitanus ad rumores euitandos sepulturæ tradi mandasset; continuò dictus odor cessauit, & totum cadauer mutatum est, ita vt penè inciperet corrumpi, quasi petens accelerari sepulturam, vt etiam mortua obedientiæ præberet exemplum.

25. *Zachar.Bouer.Demonstrat.4. de vera habitus forma*. Genuæ apud Ligures ann. 1570. vir quidam opibus potens, quales illius vrbis nobiles esse solent, multas sibi ex fœnore diuitias coaceruauerat: quas ne restituere cogeretur, ita à sacramentorum vsu, præsertim pænitentiæ, abstinebat, vt tamen quotannis à Curato, suscepti sacramenti fidem, multo ære sibi compararet. Hic tandem cùm in supremum morbum incidisset; nulla vera delictorum pœnitentia ductus, ab humanis excessit. Vxor verò, quæ Capuccinis deuotissima erat, vt defuncti coniugis animæ suffragaretur, habitum à Guardiano Capuccinorum, summis precibus obtinuit, quo defuncti corpus induendum curauit. Cadauere interea in quoddam claustri sacellum, apud Fratres Minores de Obseruantia delato, dùm in posterum diem funera (vti decebat) solemnia parantur; ab ijs noctu circa illud excubiæ obseruabantur. Dùm igitur duo iuxta cadauer Fratres noctu vigilant, in ipso noctis profundo, defunctus, qui in feretro iacebat, membra mouere, ingentemque strepitum, quasi in Fratres insilire vellet, edere cæpit: quare exterriti illi, celeriùs indè aufugientes, rem Guardiano narrant; qui eò binos alios destinat, vt rem certiùs agnoscant; quibus cùm idem, quod prioribus, accidisset. Re certò perspecta, Guardianus totam conuentus familiam in refectorium conuenire iubet. Is verò, vno, aut altero fratre secùm assumpto; stola armatus, mortuum in Dei nomine coniurat, vt se ad refectorium præcedentem sequatur. Tùm Prior refectorium versùs gressum dirigit. Horribile dictu. Defunctus è feretro exiliens, Guardianum sequitur; simùlque post eum ad refectorium peruenit, vbi coràm fratrum multitudine iterùm coniuratur: vt cur strepitum edat, quiduè ab eis exquirat, palàm aperiat. Mortuus mox horrenda voce inclamat: Quid me de strepitu interrogas? Interroga cur maiori strepitu non personem? En hic me habitus, acriori, quàm Auernus, flamma adurit. Iàm me Dei iudicio damnatum, Dæmones ad tartara rapuissent; nisi cùm iis hic habitus pugnaret. Hoc me vos quàm primùm habitu exuite, tùm vestra pace fruimini. Tunc Guardiano imperante, cùm defuncti corpus habitu expoliatum esset, mox Dæmones, omnibus spectantibus, arreptum corpus asportant, & in Infernum sepeliendum ferunt, intolerabili ibi prorsùs fœtore relicto. Rem alta mente perpendens senex quidam venerabilis, qui facto præsens fuerat, paulò post ad Capuccinorum habitum euolauit, à quo hæc certa fide tradita didicimus.

Alia similia notabuntur, cùm de Admirandis quorundam Resurrectionibus ad imperium Sanctorum, & in SS. sequentibus, cùm de locutionibus admirandis, & motu Defunctorum.

Defuncti mirabiliter diuina virtute loquentes. §. 2.

MVtos, elinguesque loquentes admirantur mortales; quibus igitur admirationem non causabunt, defuncti ipsi exanimes admirandis vocibus magnalia Dei declamantes? De his igitur.

1. *In Prato Spirituali, cap.93.* Cùm defunctus esset Ven. Anachoreta Sisinius, ad venerandum, amplexandumque eius sacrum corpus accessit Archimandrita Gregorius; cùmque illud amplexaretur, dixit ei defunctus leni voce: Benè veniat Abbas meus, rursùsq. obdormiuit.

2. *Seuerus Sulpitius de S.Martino c.8.* Erat haùd longè ab oppido proximus monasterii locus, quem falsa hominum opinio, velut consepultis ibi martyribus sacrauerat: Nàm & altare ibi à superioribus Episcopis habebatur: sed Martinus non temerè adhibens incertis fidem, ab his, qui maiores erant natu, presbyteris, vel Clericis flagitabat, sibi nomen martyris, vel tempora passionis ostendi, grandi se scrupulo permoueri, quòd nihil certi constans sibi maiorum memoria tradidisset. Cùm ergo aliquandiù à loco illo se abstinuisset, nec derogans religioni; quia incertus erat; nec auctoritatem suam vulgo accommodans, ne superstitio conualesceret: quodam die paucis secum adhibitis fratribus, ad locum pergit. Deindè super sepulchrum adstans, orauit ad Dominum, vt qui esset, vel cuius meriti sepultus ostenderet. Tum conuersus ad læuam, vidit propè assistere vmbram sordidam, trucem: imperat, nomen, meritumque, vt loqueretur: nomen edicit, de crimine confitetur: latronem se fuisse ob scelera percussum, vulgi errore celebratum, sibi nihil cùm Martyribus esse commune: cùm illos gloria, se pœna retineret. Mirum in modum vocem loquentis, qui aderant audiebant; personam tamen non videbant. Tùm Martinus, quod vidisset, exposuit; iussitque ex eo loco altare, quod ibi fuerat, submoueri; atque ita populum superstitionis illius absoluit errore.

3. *In vitis P.P.lib.2. cap.9. de Patermutio Abbate*. Patermutius Abb. inter alias pietatis exercitia, multa solicitudine curabat Christianorum defunctorum corpora sepelire. Quem cùm vidisset adolescens discipulus suus summa cùm diligentia mortuis indumenta aptantem, dixit ad eum: Vellem vt & me mortuum ita indueres, ac sepelires magister. At ille ait: Ita faciam, fili mi, & tàm copiosè te induam donec dicas: Sufficit; Post non multum verò temporis defunctus est adolescens, & prædictus sermo completur. Cùm enim plurima ei circumdedisset indumenta, ait ad eum

co-

corām omnibus: Sufficiunt tibi hæc ad sepulturam, filiole, an adhùc vis, vt aliquid addamus? Tunc defunctus vocem cunctis audientibus emisit, obuelata iam facie, vultuq. constricto, & dixit; Sufficit Pater; implesti, quod promiseras. Obstupuerunt autem qui præsentes aderant, & admirati sunt valdè super tàm mirabili facto eius.

4. *De eodem Patermutio.* Patermutius Abb. cùm ibi reuelatum esset, quemdam ex suis discipulis in extremis agere, festinauit de eremo venire, vt eum videre posset; inuento tamen eo defuncto, oratione facta, accedens ad lectulum, osculatus est eum, & ait: Quid magis desideras frater? abire, & esse cùm Christo, an permanere in carne? Tunc ille (resumpto spiritu) paululùm resedit, & ait ad eum: Quid me reuocas Pater? meliùs est mihi abire, & esse cùm Christo. Permanere autem in carne mihi necessarium non est. Cui dixit. Dormi ergo in pace fili, & ora pro me. At ille continuò reclinans se in lectulo obdormiuit in Domino.

5. *In Prato Spirituali cap.* 40 *de Abbate Cosma.* Post illius mortem, venerandum eius cadauer in sepulchrum Episcopi Heretici sepultum fuit: porrò singulis noctibus audiebatur in hæc verba prorumpere: Noli me tangere hæretice; ne appropinques mihi inimice S. Dei Catholicæ Ecclesiæ.

6. *Gregor. Turonensis de Glor. Confessor. cap.* 32. Cùm duo pussimi coniuges apud Aruernum virginitatem in matrimonio conseruassent; factum est vt impletis diebus puella migraret è sæculo, virq. eius præparata sepultura, exhibuit corpusculum ad sepeliendum: Cùmque eam sepulchro reconderet, arcanum, quod inter eos conuenerat, eleuatis manibus ad cælum pandit, dicens: Gratias tibi rerum omnium artifex ago, quòd sicuti mihi eam cōmendare dignatus es, ita tibi reddidi ab omnis voluptatis contagio impolutam; at illa subridens ait: sile sile, vir Dei, quia non est necesse fatearis nostrum, nemine interrogante, secretum; Post hæc obtecta opertorio recessit.

7. *Vincentius in Spec. Hist. libr.* 10. *capit.* 79. Cùm S. Taurinus Ebroicensis Ep. è vita decessisset, facta est quæstio in populo, quo in loco sepeliretur, ne ab hostibus potuisset inueniri, factaque oratione mox apparuit eis vir honorabilis (Angelus creditus Domini) vultu candidus velut nix, dicens ad illos, vt secùm deportarent corpus sancti viri; quod facientes duxit eos per portam occidentalem vsq. ad tertiam partem milliarii, & ibidem iussit eum sepeliri; factusque est luctus, & fletus pertingens vsque ad cælum. Tunc erexit se defunctus, quasi viuus de fossa, & ait ad eos. Filioli mi, quid hic facitis? Nolite timere, istum virum audite; & inclinato capite siluit. Quod facientes, ab eo monita salutaria audientes, recessere.

8. *Idem ibidem lib.* 20. *cap.* 12. Cùm de Britannia remearet S. Germanus, per Augustudunum transiens, ad tumulum S. Pontificis Cassiani peruenit; quem, cùm quomodò se haberet inquireret, ille statim è tumulo audientibus cunctis, dixit. Dulci quiete perfruor, & aduentum redemptoris expecto. Cui Germanus respondit: quiesce per longum in Christo tempus, & pro nobis attentiùs intercede, vt obtinere sacræ resurrectionis gaudia mereamur.

9. *In actis Sancti Maurilij.* Maurilius Episcopus Rothomagensis post mortem templo inferendus, ressumpta anima, circumstantibus de statu mortuorum quædam locutus, iterùm expirauit.

10. *Marulus lib. 6. cap.* 16. Edeltrudis Virginis corpus, vt post 16. obitus sui annum ad aliud sepulchrum transportaretur, integrum est inuentum, ineffabilique odore fragrans: quin etiam in vocem prorupit dicens; Sit gloria nomini Domini.

11. *Surius in vita S. Meinulphi cap. sep.* 5. *Octob.* Post mortem S. Meinulphi Diaconi, fundatoris Monasterii Budicensis, cùm eius corpus exanime in feretro iaceret; reuiuixit, seque erigens, apertis oculis ad circumstantes ait: Ite quæso ad Episcopum, & quot sudoribus mihi constiterit huius cænobii structura ei indicantes, petite ab illo, vt quæcumque huius loci fuerit electa Abbatissa, etiam si ancilla sit, non id interdicat: simùlque dicite ei, me corpore exutum didicisse, quid de illis fieri oporteat, qui pastores Ecclesiarum esse videntur. His dictis, clausit oculos, seque reclinans in feretrum, eo in loco componit, vndè priùs se erexerat.

12. *Ioan. Mariana, lib. 6. de reb. Hispaniæ capit.* 10. *ann.* 657. *de S. Idelfonso.* Accidit præterea, aut eodem anno vt Cixila sentire visus est, aut vt alii malunt, proximo, nono Decembris die, qui dies virginis Leocadiæ memoria sacer est, vt ad ipsum Leocadiæ tumulum, Rege præsente, atque Præsule sanctissimo sacris operante, sepulchri lapide quo tegebatur, & quem vix triginta valentissimi homines loco mouere potuissent, spontè sublato, tumulo egressa Leocadia, manum Idelfonsi tangeret, atque in hæc verba prorumperet: Idelfonse per te viuit Domina mea. Tùm vniuerso populo metu exanimato, Idelfonsus in Leocadiæ virginis laudes effusus, Vrbis ei, atque Regis patrocinium commendauit: cupidusque rei tantæ ad posteritatem certo testimonio propagandæ, gladiolo, quem ex vagina detractum Rex ea de causa obtulit, veli partem, quo virginis caput tegebatur, priusquàm se reciperet in sepulchrum, abscidit. Ea veli pars cùm gladio ad hanc diem in sacro Toletani templi ærario conseruatur, & visitur.

13. *S. Greg. Pap. Dial. li.* 4. *c.* 21. Cùm in monasterio Valeriæ Prouinciæ quodam tempore Longobardi duos monachos in ramis vnius arboris suspendissent; suspensi eodem die defuncti sunt. Facto autem vespere, vtrorumque eorum spiritus claris, apertisq. vocibus psallere cæperunt; ita vt ipsi quoque, qui eos occiderat, nimiùm mirati tenerentur; quas videlicet voces captiui omnes, qui illic aderant, audierunt, atque eorum psalmodiæ postmodùm testes extiterunt.

14. *In vita Sancti Io. Chrysostomi.* Post eius mortem, cùm illius sacrum corpus solemni pompa, curruque triumphali vectum, deportatum fuisset Constantinopolim; vrbem ingrediens, plebem circum-

eum fusam clara voce his verbis salutauit: Pax vobis.

15. *Sigonius lib.10.de Occiden.Imperio.* Nicasius Episcopus Rhemensis, cùm ad martyrium ductus, caneret psalmum 118. ad ea verba, *Adhæsit pauimento anima mea*, fuit capite plexus, nihilominus non destitit abscissum caput à prosecutione incæpti iàm versus, & distinctè auditum est pronunciare verba sequentia; *Viuifica me secundùm verbum tuum.*

16. *Surius, de S. Eadmundo Rege & m.c.12. 20. Nouembris.* Res dictu mirabilis, & sæculis inaudita contigit. Quippe caput sancti Regis longiùs remotum à suo corpore, prorupit in vocem absque fibrarum opitulatione, aut arteriarum præcordiali munere. Vespillonum sanè more pluribus pedetentim inuia perlustrantibus, cùm iàm posset audiri loquens, ad voces se inuicem cohortantium, & vt potè socii ad socium, alternatim clamantium, Vbi es? illud respondebat, designando locum, patria lingua dicens: Her, her, her: quod interpretatum latinus sermo exprimit: Hic,hic,hic. Nec vnquam eadem repetendo, clamare destitit, quoad omnes ad se perduxit. Palpitabat mortuæ linguæ plectrum intra meatus faucium, manifestans in se Verbigenæ magnalia, qui rudenti asellæ humana compegit verba, vt increparet prophetæ, insipientiam.

17. *Ferrarius in catal.*S.S.15.*Feb.* Postquàm S. Anthiliæ Vir.& M., ob fidei castitatis propositum seruandum post dira torméta, caput abscissum fuit, illud sic aptatum corpori ferunt, vt multa de fide, præsertim de S. S. Trinitate, præsentes affata fuerit.

18. *In vita S.Seuerini Noricorum Episcopi,cap.* 5. Cùm Presbyter quidam venerabilis, Siluinus nomine, mortuus esset, & in feretro positus iaceret in Ecclesia, accessit ad eum S.Seuerinus, & ita cadauer allocutus est: In nomine Domini nostri Iesu Christi sancte presbyter Siluine loquere cùm fratribus tuis; & subitò oculos defunctus aperuit: Tunc ille: vis, inquit, rogemus Dominum vt te adhùc seruis tuis in hac vita condonare dignetur? At defunctus respondit: Per Dominum te coniuro, ne diutiùs hic tenear, & frauder quiete perpetua, in qua me esse iàm cernebam. Statimque reddita oratione, quieuit exanimis.

19. *Surius, in vita S. Editha Virg.*16.*Septem.* Vsurpauerat quidam terram S.Edithæ, & morte obrutus sine pęnitentia decesserat è vita. Paulò post autem surgens, dixit: Succurrite amici, subuenite omnes fideles Dei. Ecce S.Edithæ indignatio intolerabilis, ab omni plaga cæli, & terræ hanc infelicem animam excludit, suique iuris inuasorem nusquam consistere permittit, neque in hoc corpore durare, neque mori me sinit. Reddita autem terra, quam abstulerat, confestim animam expirauit.

20. *In vita* S. *Euticij Abb. Balma in Burgundia.* Contigit dùm post obitum S. Abbatis, à discipulis pii Patris pararentur obsequia, ecce rediit viuus, qui fuerat mortuus; illis verò attonitis, & mirantibus, dixit pater Euticius: Deo gratias. Scitis quia ex quadraginta annis, vnum tantum diem non memini, me cibum sumpsisse nisi priùs *fleuissem*: hodiè námque sublato mœrore consolatus *est me* Dominus, & inter choros Angelorum tribuit *mihi* requietionis locum. Dicens hæc, quieuit perpetuò.

21. *Baronius an.*1070.*num.* 5. Quidam vir, nomine Andreas, Romę perditam vitam ducebat, ita vt præter nomen Christiani, & emortuam fidem, nihil in eo videretur inesse, excepto quòd B. Cæsario Martyri deuotus, Ecclesiam eius cùm cereis frequentare solebat. Hic tandem mortuus est, de moreque corpus eius in feretro positum, in Ecclesia collocatum est; cùm ecce circa mediam noctem, excubiis, aliisque pręsentibus, repentè feretrum moueri cæpit, eleuansque caput, qui iacebat exanimis, cùm vndique circumspiciens ampliorem videntibus terrorem incussisset, omnes *fugierunt*; indè maiori fiducia armati accedentes, *à defuncto*, qui iàm in feretro animatus *resederat*, *intellexerunt*, se iusto Dei iudicio damnandum esset; verùm precibus S.Cæsarii misericorditer à Deo liberatum, quibus dictis, collegit se super feretrum, & obiit.

22. *In vita S. Brunonis Carthusianorum fundatoris.* Cum Parisiis, Doctoris cuiusdam litteratura, & moribus eximii defuncti, exequiæ in Ecclesia celebrarentur, illaque verba: Responde mihi quantas habeo iniquitates, decantarentur; mortuus, omnibus, qui aderant audientibus, & stupentibus, capite eleuato, alta, & horrenda voce dixit: Iusto Dei iudicio accusatus sum, caputque reposuit. Dilata in crastinum sepultura, totaque penè ciuitate confluente, vbi ad eadem verba ventum est, iterum rursùm capite erecto, ait; iusto Dei iudicio iudicatus sum. Omnibus spectaculum admirantibus, placuit diem tertium expectare, *quo adueniente*, repetitis exequiarum *precibus*, *ad eadem verba* defunctus attollens caput dixit. Iusto Dei iudicio condemnatus sum. Quæ res inter cæteros, S. Brunonem, qui præsens tanto spectaculo interfuerat, ita exterruit, vt accersitis sodalibus mundum relinquens, in solitudinem se abdiderit, Carthusianorumque ordinem condiderit.

23. *Delrius in Disquisit. mag.* Fertur, mense Aprili, anni 1601. in Diœcesis Ticinensis oppidulo, quod Coretto vocatur, cùm iusta in templo cuidam notario persoluerentur, repentè è sandapila se cadauer surrexisse, & conuersum ad quemdam cognatum suum, qui funeri intererat, ei dixisse; properaret domum suam, & ibi scripta quædam instrumenta caperet, eaque loco cuidam pio confestim restitueret, propter quæ suppressa, ipse defunctus iusta Dei sententia foret inferni suppliciis adiudicatus. Quo dicto, iterùm caput vti priùs reclinauit.

24. *In vita S.Patritij, cap.* 147. Habebat Sanctus Patritius in consuetudine, vbicunque sanctæ crucis triumphale signum exhiberetur, sui itinerantis pręsentię, etiamsi in curru sederet, protinùs de vehiculo descendere, illudque corde, ac capite supplici adorare, manibus tangere, brachiis amplecti, & in indicium deuotę dilectionis crebra oscula ei infigere. Vna verò die cùm iter carperet, in

curru

curru sedens, Crucem secùs viam positam, contra morem suum pertransiuit insalutatam, quia oculi eius tenebantur, ne viderent illam. Ipsam autem auriga intuens admirabatur, quòd S. Patritius contra morem suum, quasi inuisa Cruce progrediebatur. Rem tamen suppressit silentio, donec recepti essent hospitio. Cùm autem consueto more orare cæpissent ante prandium, indicauit se vidisse Crucem in via, designans etiam locum. Intermittens illicò Patritius prædicator Crucis Christi prandium paratum, hospitium egressus est, eademque via, qua venerat ad locum præfatum reuersus est; diligenti itaque indagine quæsiuit vitæ signum, & inuenit iuxta illud quoddam sepulchrum: accedens autem propiùs, in conspectu Domini orationem fudit; & quis in eo sepultus esset inquisiuit. Vox de intrò emissa respondit, se gentilem fuisse, ac Christianum secùs se funeratum, cuius mater extra prouinciam constituta, non affuit filio morienti, aut reuertenti in ventrem matris omnium. Emersis verò aliquantis diebus venit hùc ad lugendum eum; ignorans locum, locauit iuxta me Dominicæ Crucis vexillum. Dicebat enim vir Dei idcircò se illam Crucem non conspexisse, quia posita fuit iuxta inimicum crucis Christi paganum hominem. Tollens ergo illam crucem indè ad caput baptizati locauit, commendataque eius anima Deo, ad hospitium repedauit.

25. *Greg. Tur. de glor. Confess. cap.* 47. Sunt sub Burdegalensis territorii vico sepulti duo presbyteri, vt res ipsa declarat, egregię sanctitatis viri. Nàm eos post sepulchra viuere, ipsius rei miraculum quæ geritur manifestissimè docet. In vna quidem sunt sepulti basilica, sed è diuersis parietibus. Nàm vnius eorum sepulchrum à parte austri, alterius habetur ad aquilonem. Igitur cùm ad implendum officium clerici psallentium cæperunt exercere, & choris à se factis Domino turba canora concinere, miscetur publica vox vtriusque psallentio: & vnus quidem chorus vnius vocis adiutorio adiuuatur, alius verò alterius vocis modulamine conualescit. Tantæque est suauitatis huius concentus, vt audientium sæpè mulceat adtentos auditus; probantur & cùm his pleraque indulgeri beneficia, si fidelis oratio præmittatur. Agitur autem in vico Vodollacensi.

26. *Henriq. in Fasc. S.S. Cisterc. l.* 2. *c.* 2. Cùm regnante Elisabetha in Hibernia, Monachi monasterii Magiensis in Diæcesi Limiricēsi, ab hæreticis omnes preter Cellerarium, qui foràs morabatur, impiè decollati fuissent, domum reuersus Cellerarius, crudele spectaculum cernens, valdè contristatus est; cùmque esset vigilia Assumptionis Virginis, & illa solemnitas, vt decens erat, celebrari haùd posset, conuersus ad Virginem, maximè dolere cæpit, quòd ea solemnitas ex tàm crudeli casu negligeretur. Dùm autem sic oraret, audit pulsari monasterii campanas, licet nemo illas tangeret, videt sanctorum Martyrum corpora surgere, & quodque suum caput humo tollere, & corporibus imponere. Quo facto, ad sedilia sua vadunt, & Abbas, vesperas, cæteris prosequentibus, incipit, tanta cantus dulcedine, & suauitate, vt potius Angeli, quàm homines viderentur. De tanto successu, & tàm grandi miraculo valdè miratus est cellerarius, & tãta cantus dulcedine captus, vt apud se non esset. Magna cùm grauitate, & mora absoluerunt sancti Vesperas, quibus absolutis, rursùs mortui sunt, & in eumdem statum redierunt.

27. *In actis S. S. Martij, tom. 3. in Contin. Bollandi*. Cùm B. Petrus ex ord. S. Augustini, in conuentu Eugubino in Vmbria ad cælestem patriam euolasset, quadam nocte dùm fratres ad matutinas preces surrexissent, canticumque, Te Deum laudamus, concinnerent; Petrus de sepulchro alternis vocibus psallebat: Te Dominum confitemur; suaui alternantis concentu commoti fratres, templum lustrant, si quem vocis auctorem inueniant; cùm autem neminem inuenissent, Petri sepulchrum inuisunt, sanctumque virum in genua flexum, & ore aperto reperiunt, quasi consodales moneret: in noctibus extollite manus vestras ad sancta, & benedicite Dominum.

28. *Torellus in Hist. Augustiniana, an. Domini* 953. Cùm S. Victor Zerenzēsis in Hispania, à Mauris ob Christi fidem crucifixus fuisset, cuidam amico, qui ab ipso salutem filii sperabat, deplorabatque ob illius cædem, subridens dixit: Lætare amice, filius enim tuus cùm domum reuerteris, sanus fiet; quod vtique euenit.

29. *Paulus Morigia*. Ferunt, S. Dionysii Mediolanensis Episcopi, (cuius corpus Constantius Imperator Arianus in Cappadociam deportari curauerat) sacras reliquias Mediolanum reportatas, D. Ambrosium obuiam ipsis prodeuntem, atque adeò reserata capsula eas humiliter complecti molientem, peramanter consalutasse, dixisseque; Aue frater Ambrosi: & quod mirere magis, à ripa fluminis Adę, vsq. ad Basilicam, in qua erant sacra lipsana religiosè componenda, obstupefactis præ insolentia rei populis, multa secùm de fide catholica, & Christi diuinitate inuicem fuisse colloquutos.

30. *Dorlandus, in Hist. Carthusiana*. Fuit ante nos nouitius quidam, qui suadente Diabolo, ac iàm etiam possidente, sub nocturno silentio fugere ad sæculum moliebatur, cùmque per cæmeterium claustri transitum haberet, audiuit de sepulchro cuiusdam nuper defuncti Patris vocem manifestam dicentem sibi: Quò fugis ò miser? quo fugis? Prædico tibi, si hinc abieris, filius gehennæ, & perditionis alumnus eris. In hac voce correptus, ac stupefactus diriguit, & ad se reuersus, cellam repetiit, & in ea vsque in finem laudabiliter perseuerauit.

31. *Iacobus Grassettus, in vita B. Catharinæ Bononiensis, lib. 4. cap. 3*. Ad venerandum sacrum corpus B. Catharinæ de Bononia, quod ibidem incorruptum asseruatur in Ecclesia Corporis Christi, accesserat quædam puella, nomine Leonora Poggia: Hæc vt appropinquauit, obseruauit exanime corpus B. Matris sibi oculis, manibusque annuere, vt magis accederet, & post pusilum, voce sensibili, idem audiuit sibi dicere: Accede Leonora Poggia: quod cùm fecisset deuota puella, genibusque flexis illas sacras veneraretur exuuias, iterùm multis audientibus exanime cadauer in hæc mirabiliter prorupit verba: Dispone te ò filia, quia citò eris monia-

monialis in hoc monasterio, meique cadaueris, vt potè mihi cara, curam habebis: Hoc audiens puella, indè discessit, postque breue tempus omnia, vt B. Mater prædixerat, euenere.

32. *Iacobus Lobbetius, de P. Rocho Gonzales, Soc. Iesu.* Excoluerat ille summa cùm opinione sanctitatis, & labore sanè magno barbaras nationes, à quibus tandem totis ceruicibus ferrum hausit, & vitam amisit; sed quod in eo mireris, resecto iàm capite, per ipsum cor eloqui auditus est, & clara, expeditaque voce abire in Dei sui laudes; truncum erat corpus, ab eoque reuulsum caput illud, quod fuerat officina altissimarum de Deo cogitationum, muta, atque emortua conticescebat lingua; at cor ipsum minimè mutum, & silens; sed sonorum, & facundum excessit in Creatoris sui laudes, & ignes amoris, quos olim conceperat, etiam post fata emisit. Adeò liberalis, & effusa Martyrum lætitia, vt etiam post fata spiret in exanimi corpore.

33. *Idem, de duobus martyribus in Iaponia.* Martyrio affecti diuersis in locis, discreti quidem corpore, non tamen animo: longè enim antè prædixerant tortoribus, se eadem pariter hora, è vita Dei causa migraturos; prædictioni respondit euentus, non sine alio, & quidem mirabili prodigio, cùm enim corpora ad sepulturam eundem in locum comportarentur, ad mutuam præsentiam se se salutarunt, & collocuta sunt, perindè ac si viua fuissent, non sine stupore astantium, & admirabili cœli prodigio.

34. *Franciscus à Sancta Maria, in Histor. Carmel. tom. 1. libr. 5. capit. 28.* Dùm in quodam conuentu Discalceatarum S. Teresiæ, quædam monialis, licet non grauiori afflicta morbo, carne contra regulam vesceretur, audiuit vocem S. Matris Teresiæ iam defunctæ, quæ illam grauiter reprehendit; nec frustrà, statim enim cibum vetitum proiecit, regulamque obseruando, meliùs deindè se habuit.

Alia his similia notabuntur in subsequenti paragrapho; & cùm de Admirandis quorundam resurrectionibus.

Defuncti, capita abscissa, proprijs manibus deferentes. §. 3.

NOn minorem Admirationem defuncti propria abscissa capita aliò deferentes, cunctis videntibus causarunt; quapropter hæc inter admiranda sunt collocanda. De his.

1. *Halloix, in vita B. Dionysij Areopagitæ, capit. 20.* Res sanè noua, & vt olim visu, sic & nunc dictu admiranda, Dionysij martyris truncus, licet exanguis, & vitæ expers, tamen se erexit, & recisum ab humeris caput, in manus suas, perindè ac si viueret, trophæi instar accepit, atq. ad duo circiter Gallica milliaria, duce Angelo, & choris cœlestibus cùm admirabili concentu comitantibus, & hymnum modò, Gloria Tibi Domine, modò Alleluia resonantibus, deportauit.

2. *Rupertus Tuitiensis, in vita S. Eliphij cap. 12.* Postquã S. Eliphio iussu Iuliani Apostatæ caput amputatum fuisset; corpus erexit se per virtutem Christi, & ambabus amplexum manibus caput suum, per vnum milliare, comitantibus Angelis, & Christum collaudantibus, deportauit.

3. *S. Anselmus, in Passione S. S. Fingaris, & Sociorum.* Cùm S. Fingar à Theodorico Rege Cornubiæ pro Christi nomine crudeli martyrio capite truncatus fuisset, confestim sacri corporis truncus, caput machæra lictoris propria de ceruice truncatum, de terra collegit, & in montem, qui non longè distat à loco, propriis manibus, poplite firmo incedens portauit; quo in loco cùm tumulatus esset, nolens S. Martyr repausare, ressumpto iterùm capite, alium vectitauit ad locum, vbi ipsum deponens caput, cruentatum diligenter lauit, lauatumque diligenter ressumens, portauit iterùm illud in alium locum, qui locus ab eo, in quo S. martyr passus erat, interiecto paruo spatio cuiusdam saltus distabat.

4. *Pet. de Natal. lib. 9. cap. 80. de S. Iusto puero.* Cùm S. Iustus cùm suis iuxta fontem pranderet, & milites à longè conspexisset; puer quidem patrem, & patruum inter frondes abscondit, ipse verò in arborem speculator ascendit; Ad quẽ peruenientes satellites, dùm parentes non inuenerunt, puerum se professum Christianum, decollauerunt, & continuò abierunt. Corpus autem truncum per se ipsum leuauit, & caput manibus sustulit, atque ad parentes accessit: quibus prodeuntibus, caput lingua clarè loqui cæpit, Deum collaudans, & patrem, ac patruum admonens, vt corpus suum ad ciuitatem Beluacum delatum sepeliant, caput verò ad matrem pro eius consolatione deferant. Quibus dictis, corpus mortuum cecidit, & spiritus cælos petiit, lux quoque cælica desuper immensa coruscauit.

5. *Idem ibidem lib. 10. cap. 97 de S. S. Theonisto, Tabra, & Tabrata.* Altinum deuenerunt, ibique iterùm ab infidelibus comprehensi, capitalem sententiam exceperunt. Corpora verò truncata surgentia, capita sua manibus propriis sumentia, portauerunt, & inter Eridanum, & Silerem ea deposuerunt: vbi & à fidelibus tumulata sunt.

6. *In actis S. Mauricij Theb. Ducis, & Socit.* S. Vrsus, & Victor cùm socius LXVI. è legione Thebæa, Diocletiano, & Maximiano, Imperatoribus decollati, è ponte vnà cùm capitibus in præceps dati cùm fuissent in flumen, illi mirabiliter sumptis in manus capitibus, ex alueo emergentes, processerunt ad locum quemdam; in quo genua flectentes, quasi horæ spatium precati sunt Deum, mox ad terram se submittentes requieuerunt.

7. *In actis S. Albani Presbyteri.* Sic placens Deo hostia effectus S. Albanus, postquàm ad locum supplicij peruenit, genibus flexis, mente in Deum porrectissima, nudam spiculatori præbet ceruicem, æternam pro caduca hac vitam recepturus. Quo loco prætereundum nõ est, quòd fidelis traditio habet, dùm caput eius à ceruice reuulsum esset, adhùc lingua in laudem Christi palpitante, martyrem illud suis ipsius manibus sustulisse, ac firmo genu aliquot passus ad locum vsque detulisse, vbi postea honorificè fuit sepultus.

8. *In actis S. Reguli, ap. Franciottum.* Cùm caput abscissum S. Regulo esset, tulit ipse suum caput, & ambabus illud excipiens manibus, secùm per aliquod

quod spatium detulit, & cùm ad quemdam locum peruenisset, resedit, stetitque ibi, donec ab Angelo eius discipuli admoniti, illùc accurrerunt, qui non diù postea Sancti Martyris corpus sepelierunt.

9. *Vincentius Beluacensis lib.12.cap.141.de S.S. Fusciano, & Victorico.* Eis impius Præses capita amputari præcepit. Eadem verò die, qua decollati sunt, ingens fulgor super eorum corpora apparuit: Extincta quoque cùm iacerent truncata capitibus, ipsi super pedes erecti sunt, & manibus propria recipientes capita, firmo, rectoque gradu ad hospitium Beati Gentiani, de quo educti fuerant, redierunt, vt quæ eum exhortando comitem habuerant, cùm eodem simùl in requie dormirent.

10. *Philippus Ferrar.mense Febr.die 4.de S.Gemulo mart.* Gemulus, natione Germanus, cùm Episcopo, cuius nepos erat, ex Germania Romam ad S. S. Apostolorum limina proficiscens, apud Ganuam (pagus est agri Mediolanensis Varisio oppido proximus) à latronibus, qui Episcopi equum rapuerunt, quosque ad restitutionem blandè hortabatur, impiè truncatus est; cùm ab eis interrogatus, an libenter martyrium pro Christo subiret, nihil sibi antiquiùs accidere posse respondisset. Qui (mirandum) caput sustulit, eoque ceruici aptato, ad Episcopum vsque peruenit, ab eoque sepultus est.

11. *Petrus de Natal.libr.10.capit. 60. de Sancto Venerando mart.* Sanctus martyr, suum Domino spiritum commendauit, & pro se in quacunque necessitate inuocantibus exorauit. Factaque voce ad eum de cælo, quòd ipsum Dominus exaudisset, decollatus est, cuius corpus truncatum se leuauit, & caput tollens manibus, per passus XLIX. portauit; ibique cecidit, vbi à Christianis sepultum est XIIX.Kal.Decembris.

12. *Mosandus, in vita S. Vrsicini m. 19. Iulij.* Statim ac Rauennæ ob Christi confessionem caput obtruncatum fuit S. Vrsicino, cadauer sanctum, proindè ac si viueret, se se ex humo erexit, caputque ambabus manibus apprehensum, ad locum, vbi ad sepulturam dandum erat, detulit.

13. *In offic.S.Domnionis,Eccl.Bergom.16.Iulij.* De S.Domneone illud memoria dignum refertur; caput suum, postquam fuit abscissum, propriis manibus sustulisse, & ad locum extra Sanctæ Andreæ Ecclesiam gestasse, qua in Ecclesia postea collocatum est.

14. *In vita S.Decumani,mar.* S. Decumanus, natione Anglus, dùm relicto sæculo, vastæ solitudinis eremum incoleret, hominibusq; esset incognitus; à furentibus Gentilibus inter vepres inuentus est: qui ab eis interrogatus quis esset? respondit, se esse peccatorem Christianum. Illi autem audito Christi nomine eis exoso, cùm ei persuaderent, vt illud negaret, & ille facere renueret, quinimmò Iesum Christum verum esse Deum, & hominem prædicaret; sanctum eius absciderunt caput. Postquam autem recessserunt Gentiles, accipiens vir sanctus caput suum, ad fontem vsque, vbi id lauare consueuerat, deportauit.

15. *In vitis P.P. Occidentalium lib.4.de S. Libaria Virg.& M.* Impius Iulianus, S. Libariæ sibi obtemperare nolenti, iracundia commotus iussit amputari caput; ipsa verò accepit caput suum, & introiuit in ciuitatem Grandis, & lauit illud in fonte, qui erat in medio ciuitatis, & obdormiuit in Domino.

16. *In actis S.Proculi M.* Postquam amputatum fuit caput S.Proculo mart.& Protectori Bononiæ, sanctus Martyr manibus apprehendens proprium caput, à loco vbi decollatus fuerat, qui à ciuitate distabat, & in quo vsque adeò erecta est crux in memoriam talis martyrii, idem transtulit intra ciuitatem ad locum, in quo eidem S.Mart. veneranda ędificata postea fuit Ecclesia.

17. *Lippellous, in vita S.Ositha Virg.& M 7. Octobris.* Cùm anno 653. apud orientales Saxones ad villam Chichensem inter alios martyres truncato capite martyrium subiisset S.Ositha Virgo; post mortem, corpus eius se se subrigens, apprehenso humi capite, recto tramite, & firmis vestigiis progrediens, ad Ecclesiam Apostolorum Petri, & Pauli per tria ferè stadia illud detulit; ad ostium autem Ecclesiæ obseratum subsistens, manibus cruentatis fores pulsare cæpit, relictisque ibidem vestigiis sanguinis, in terram corruit.

18. *In actis S.S.Mart.Frontasii, Seuerini, Seueriani, & Siluani, ap.Bol.2. Ian.* Cùm Martyrsi corpora abscissis capitibus impii satellites in opprobrium deiecissent super nudum cespitem, cælica virtus adfuit: nam truncatis capitibus, corpora eorum repentè diuino in eis irruente spiritu, acceptis propriis capitibus in manibus suis, sine humano iuuamine, in suis pedibus eriguntur: sicque sancti ad alueum fluminis, quod Yla dicitur accesserunt; & siccis vestigiis super vndas iter suum direxerunt. Transmeato ergo flumine, per cliuum collis incessu pedum, cunctis cernentibus, & stupentibus mirabiliter subierunt; & in Ecclesiam Beatæ Mariæ Virginis in Podio, vbi S.Fronto orabat, peruenerunt, & capita sua, flexis genibus ante pedes eius deponentes, corpora sua in modum crucis extenderunt.

19. *Ibidem in actis S. Cadoci Episcopi Beneuentani, 24. Ian.* Superuenit quidam Hiberniensis ad locum, in quo S.Cadocus oratorium fabricauit, qui operarios omnes Sancti subtili artificio superabat. Inuidentes ob hoc cæteri, nequirer ipsum peremerunt, & amputato capite eius, & magno saxo circa truncum corpus alligato, in altum stagnum præcipitarunt. Cùmque planctum filiorum occisi sanctus audisset Cadocus, cùm suis clericis peruigil in orationibus pernoctauit, vt rem gestam Dominus ei reuelare dignaretur. Facto autem mane, decollatus artifex, caput in sinu suo gestans, & magnum lapidem supra tergum ferens, cruentus horrida specie viro sancto se exhibuit; præcisumque caput in hæc verba prorupit: Serue Dei, fige me supra collum in pristino statu, & quæ tibi incognita hactenùs de hac re extiterunt, denudabo. Quòd cùm fecisset, indicauit ei nefas artificum, & quomodò inuidia ducti illum flagitiosè trucidarunt. Et ait sanctus: Elige quod vis, aut in hac vita nobiscùm denuò viuere, aut

aut in æternum cùm Deo perenniter regnaturus vitam remeare. Et ille: Domine vt in æternam requiem regrediatur anima mea. Et hoc dicto expirauit.

20. *In actis S.S. Febr. tom. 1. in Cont. Bollandi, de S. Adalbaldo Duacensi Duce.* Cùm ab impiis ei ferro abscissum fuisset caput, & cædis auctores aliò diffluerent; Angeli duo Adalbaldum ab vtroque latere sepserunt; his ipse adiuuantibus, caput in manus recepit: iisdem comitantibus, ad Episcopale templum Petragorici viam fecit: illic coràm ara cùm capite sistit se se, ac flexis genibus in victimam numini obtulit; ibique tandem concidit. Mouit tantæ rei miraculum plerosque vrbis illius incolas, vti cùm honore sepulchro imponerent, & veluti Martyrem venerarentur.

21. *Ibidem tom 2.* Cùm S. Adalbertus Pragensis Episcopus, à Praga expulsus esset, ad Pruthenos paganos in Prusiam profectus est, vt illis catholicam fidem prædicaret. At illi hoc malè habentes, sancto Episcopo post multa sacrum caput amputauerunt. Sed mox virtute diuina anceps martyris corpus erigitur, & accepto proprio capite in manibus, eadem via, qua venerat, in Poloniam reuertitur, ac in ciuitate, quæ Gnezna appellatur, à fidelibus honorificè tumulatur; sed postea coruscantibus ad tumbam Martyris maximis, ac crebris miraculis, Pragam metropolim Bohemiæ magno cùm honore deducitur.

22. *Ibidem tom. 2.* Cùm S Chrysolio, Verlengehemi ob Christi fidem corona cùm pretioso celebro ab hostili gladio amputata fuisset, & sparsa super terram cecidisset, ipsam cùm cerebro martyr Domini propriis manibus collegit; denique à loco, in quo martyrium sustinuit recedens, & coronam suam cùm cerebro, vnà cùm canola (hoc est theca) cùm reliquiis S. Petri, quæ illi à Pontifice donata fuerat, ante pectus suum in manibus deferens, vsque ad locum, qui nunc Comines nuncupatur, detulit. Ad quem locum cùm venisset, & ibidem super altare canolam Sancti Petri, coronamque propriam, & cerebrum obtulisset, vt locum Cominensem suo insigniret martyrio, extemplò Beatus Martyr dormiens, viuens in Christo beatam animam exhalauit.

23. *Ibidem in Martio tom. 1.* Caput abscissum fuerat S. Martyri Leoni Archiepiscopo Rotomagensi. Cùm autem lictor corpus non statim cadere cerneret, ipsum cùm pede percussit; caputque suum inter vlnas complectens Martyr, sine casu corporis ad terram, erigitur, & Angelo duce per vnum stadium, vbi hodierna die sua electione, & Dei prouidentia requiescit, caput suum deportauit.

24. *In Martyr. Gallicano, VI. Id. Ian. de S. Luciano M.* S. Luciano in salutifera confessione constantissimè perseueranti, vnus ex satellitibus euaginato gladio caput abscidit. Cadauer autem sanctum mox lux supernè delapsa circumfulsit; abeuntibusque satellitibus, se diuina ope erexit corpus martyris exanime, ac caput sanctum manibus suis colligens, stabili gressu, Tharæ vado transmisso, ad locum perrexit, vbi elegerat se funeri commendandum, vno circiter ab vrbe milliari.

25. *Ibid. 24. Ian. de S. Sauiniano m.* Inclytus Martyr, postquàm ei caput ab impiis amputatū fuit, decisum caput mox manibus, vitæ adhùc particeps, collegit, atque vsque ad locum suæ sepulturæ diuino nutu designatum, deportauit, inspectantibus suis persecutoribus: Mox verò vbi attigit præfixam stadii metam, corpus quidem exanime quieuit.

26. *Ibidem 4. idus Iulij, in suppl.* In vico Vastino agri Bituricensis, passio S. Lauriani Episcopi Hispalensis, illic à sicariis Totilæ Regis impiè obtruncati. Vbi & sepultus magnis coruscauit diuinæ virtutis prodigiis. Caput autem eius gloriosum, ab ipso post feralem ictum triumphaliter ad locum vsque sepulturæ euectum, iisdem emissariis tantum portentum mirantibus, & de perpetrato scelere dolentibus, Hispalim honorificè deportatum fuit, vbi etiamnùm seruatur, & colitur, cum toto corpore quod subindè ad sedem ipsam tandem reuectum, perpetua populi deuotione frequentatur.

27. *Ibidem, 4. Septembris, in supplem. de S. Frodoaldo.* Sanctis semper occupationibus intentus Frodoaldus, dùm orationi vacaret, à proprio nepote, proditorio subosculo salutatus, inuasus, ac capite truncatus est. Porrò sacer Præsul decisum caput propriis manibus resumens, eòusque mirabiliter gradiendo detulit, vbi à gemente fideli populo honorificè sepultus est, nō longè ab oppido, & castro de Canonica: vbi in asceteriolo sui nominis, ordinis Sancti Benedicti, nunc vsque asseruatur, & colitur.

28. *Ibidem, 11. Septembris, in supplem. de S. Marcello Episcopo & m.* In Aruenia ad Bornam fluuiū apud Anicium, cùm caput truncatum fuisset sancto Episcopo Marcello: Truncatum caput, martyr ipse manibus gestasse memoratur ad fontem stadio ferè ab vlmo exitiali distantem; cuius laticibus infusam reliquit suæ opitulationis virtutem. Et indè progressus, ad B. Mariæ non procul dissitam ædiculam, quæ iàm ab eius triumpho titulum mutuatur, ibidem prouolutus in genua, strato cùm corpore capite, religiosa donatus est sepultura.

29. *Ibidem, 11. Octobris, de S. Germano ab Hæreticis occiso.* Obseruarunt impii aliqua die transeuntem S. Germanum: tùmque de occultis insidiarum speculis prosilientes, saxis, & sagittis obuium aggressi sunt; orantem demùm capite detruncarunt. Surrexit stupentibus ipsis mox corpus exanime, caputque colligens decisum, cui columba niuea insidere visa est, manibus, ac vlnis amplexus Christi Martyr, Angelo duce, & lumine præcedente, progressus est, (multis radians prodigiis, quibus infideles plerique conuersi sunt,) vsque ad Palmæ oppidum, vbi declinans ad virginum sacrarum, quod propè maiorem Basilicam construxerat oratorium, ibidem electę quietis domicilium assecutus, resedit, quieuit, atque in Christi pace consummatus, sepulturæ condigno honore funeratus, magnis exindè refulsit clarificationibus sanctitatis.

30. *Ibidem, 3. Kal. Nouemb. de Sancto Lucano.* Gladio Christi Martyr Lucianus obtruncatur. At decisū caput, protinùs manibus suis collegit. Incedit

dit victor, nobili tropheo onustus, proprio sanguine purpuratus, pretiosamque sarcinam ad illum vsque locum vectitat, quò agonis finem, & quietis inuenit ianuam. Positis igitur super obuium saxum ceruicibus, illic gradum sistit: ac efflato in cælum spiritu, sacros artus eodem loco deponit, qui deindè in eius memoriam testimonii, & trophęum victoriæ, à piis, Lucani lapis appellatus est. Illius sacratissimum cadauer fideles clanculùm curauerunt.

31. *Ibidem*, 7. *Kal. Decembris, in supplem.* In agro Agennensi passio sancti Maurini martyris, qui cùm esset beati Eutitii filius, & à S. Germano celebris sanctimoniæ Episcopo Capuano in fide instructus, baptizatus, ac Leuita fuisset ordinatus; tandem patriam repetens, cùm hominem apud Agennum à dæmonibus liberasset, & Christi puram fidem prædicare non desisteret, à Vualduando Lectoranorum Præfecto comprehensus; ac ad pallum hærens iaculari iussus, deinde coniectus in ignem, quòd flammæ fidelem Christi præconem attingere refugerent, ex ijs illæsus egressus, truncato capite, eoque propriis manibus ad fontem vsque Militanum sublato, glorioso fine martyrium compleuit.

32. *Vincentius*, *lib.* 12. *Spec. Histor. capit.* 52. Domninus martyr, cùm esset cubicularius primus Maximiani Imperatoris, pro confessione Christi iuxta fluuium Sisterii in via, quæ dicitur Claudia, decollatus est; & apprehendens manibus caput suum de terra, præfatum fluuium transiuit, & quantùm iactus est lapidis caput suum tulit, ibique illud pausauit, vbi nunc corpus eius integrum permanet, & inuiolatum, vbi multi ægroti sanitatem recipiunt.

33. *Vghellus, de Sancto Emygdio Episcopo Asculano.* Sanctus Episcopus, Præfecti filiam ad Christum, prædicatione, miraculisque pertraxit. Ad quod nuncium Præfectus ita furore incanduit, vt super Troenti fluminis ripam pæna capitis mulctauerit sanctum. Mirabile dictu! vt statim à cætero corpore caput decisum est, protensis ille manibus suum sustulit caput, gestansque manibus per trecentos ipsos passus versùs montem iter aggressus, ibique subsistens, discipulis suis planè ostendit, vbi sepulchri sedem vellet accipere.

34. *Torellus, in Hist. Augustiniana, ann.* 953. Cùm Sanctus Victor Zerenzensis in Hispania à Mauris ob Christi fidei prædicationem crucifixus fuisset, triduò in ipsa pendens docebat populum; at ira accensi Mauri, eidem de cruce deposito, caput amputauerunt: Tunc ille manibus sumens præcisum caput, ad locum sepulturæ detulit, ibique designato loco suę sepulturæ, feliciter quieuit in Domino.

35. *Ioannes Molanus, in Natal. S.S. Belgÿ, de Sancto Oelberto mart.* Latrones quidam, latrocinio suo deprehenso, illàc per agrum fugiebant, vbi Sanctus Oelbertus ex oratione fatigatus in somnum inciderat, dormientique mucronem suum apponunt sanguine maculatum. Qui eos insequebantur, in Beatum Oelbertum inciderunt, eumque vt latronem iugulauerunt. Corpus autem truncum ad sacellum haud longè dissitum, caput abscissum insigni miraculo detulit: ipsaque iumenta, quibus in aratro vsus erat, pro nouæ, ac maioris Ecclesiæ constructione, materialia sine auriga ferunt aduexisse.

36. *Idem*, *in indiculo Sanctorum Belgÿ*. Saturnina Virgo Germana, à proteruo proco decollata, mox manibus deportauit caput, vt antiquitas refert, ad Ecclesiam Sancti Remigii.

37. *In vita S. Clari Eremitæ, & mart.* Cùm decollatus fuisset S. Clarus, propriis manibus caput suum accepit, & à loco illo, in quo decollatus est, vsque ad cænobium suum detulit.

38. *In appendice ad marty. Bened.* S. Iustinianus Anglus, caput sibi amputatum per aliquot milliaria tulit.

39. *Lucius Marinæus, de rebus Hispaniæ.* Anno Domini 306. tempore persecutionis Daciani Hispaniæ Præsidis, cùm Lambertus nollet abnegare fidem Christi ab hero suo, cui in agriculturæ seruiebat officio, capite truncatus, mox capite in manus assumpto (mira res, sed vera) vltra quatuor passuum millia profectus est ad locum, vbi multi iacebant martyres occisi. Quò cùm peruenisset, elata voce dixit: Exultabunt sancti in gloria. Responderunt sancti Martyres: & lætabuntur in cubilibus suis, atque acclinauit se illis.

40. *Flodoardus libr.* 1. *Hist. Remensis, capit.* 8. De Sancto Oriculo in pago Dulcumensi Rhemensis Diæcesis à Vuandalis Arianis martyrio affecto, traditur, caput suum, postquàm decollatus est, in quodam fonte lauisse: De sanguine quoque suo signum crucis (quod adhùc manifestè parere dicitur, in quadam petra digito figurasse suo) & proprium manibus caput ferens, sepulchrum, quod sibi construxerat expetisse; ad quod multa miracula referuntur ostensa.

41. *In Menolog. Cisterciensi*, 14. *Augusti.* Apud Hibernos quadraginta monachi cænobii Magiensis, ord. Cisterc. qui, abscissis capitibus, eisque readsumptis, vesperas B. Virg. Mariæ in choro cecinerunt.

42. *Buzelinus, in Ann. Gallo-Fland. libr.* 1. *de S. Piatone.* Postquam S. Piatoni caput amputatum fuit, B. martyris corpus in pedes surrigitur, sublatumque humo verticem manibus gestans, cunctis aspectantibus, & ad rei nouitatem stupentibus, & comitantibus, viam init nullo fulciente: ac primùm Egremontium, Enneuelini pagi villam, progreditur. Illìc summa correpti admiratione Enneuelinenses incolæ, cæteris viri sancti comitibus se se socios in equis adiungunt, longoque itinere Siclinium vsque martyrem venerabundi prosequuntur.

43. *Ferrarius, in Catal. S. S. die* 23. *Octobris de Seuerino Boetio, iussu Theodorici Regis Ariani capite truncato.* Ticini incolæ semper à maioribus traditum constanter asseuerant, Seuerinum, cùm regius spiculator lethale vulnus in-

Mm tu-

tulisset, vtraque manu diuulsum caput sustinuisse: interrogatumque à quonam se percussum existimaret? ab impiis respondisse: atque ita cùm in vicinum templum venisset, & flexis genibus ante altare sacra percepisset, post paululùm expirasse.

44. *Antonius Vascone. in descriptione Lusitani Regni*. S. Quiteria Virgo, caput abscissum manibus gestauit ad locum vsque, vbi sepulchro asseruandum fuerat.

45. *Christ. Massæus, in Chronicis Mundi ann. IↃCXXXIII. de S. Liuino Gandauensium Patrono*. Decollatus erexit se S. Liuinus, & tulit caput suum, portauitque in Houttem in sepulchrum Angelicis manibus præparatum.

46. *Notkerus in martyrol. III. Id. Septembris, de S. S. Felice, & Regula eius vxore, m. m.* Cùm nullis suppliciorum acerbitatibus à Christo diuelli possent S. S. m. m. iussa sunt eis capita amputari. Quo facto, truncati martyres, abscissa capita suis manibus baiulantes, à loco vbi decollati sunt, cubitis quinquaginta deportarunt.

47. *Arnoldus Rayssius, in Hierogazoph. Belgic.* Sanct. Caraunus, cùm Lutetiam Parisiorum S. Dionysium Areopagitam inuisendi gratia proficisceretur, à prædonibus in via capite truncatus fuit, ille autem dextera, caput suum ad passus aliquot deportauit.

48. *Bzou. an. 1242. num. 7.* Per idem temporis iugulati sunt iussu Comitis Tolosani sex Fratres præd. Fr. Nicolaus, Fr. Petrus, F. Ioannes, F. Robertus, Fr. Edmundus, & alter F. Ioannes; de quibus hoc admirandum memoriæ traditum est, quòd capita sua resecta post mortem singuli tulerint, & vsque ad conuentum detulerint, præcedente singulos lumine cælitùs demisso. Contigit illis quod Dionysio Areopagitæ Parisiis & D. Proculo Bononiæ, qui pari miraculo capita sua longiùs à loco supplicii detulere, eaque ratione tùm veritatem fidei, pro qua occubuerant, tùm innocentiam vitæ, quam Christo per martyrium probauerant, testatam orbi reddidere.

49. *In Marty. Gall. 21. Nouemb. de Sancto Namphasio Confess.* Senio grauis, à tauro cornupeta obuio, quem bubulci per incuriam laxauerant, impetitus, insultibus in solum proiectus, ac cornu in ventrem vibrato, dirè læsus, ac transuerberatus, fusis visceribus cùm sanguine, in magna patientia, & deuota oratione sanctam animam exhalauit. Ferunt, effusa viscera manibus suscepisse, atque in oratorium S. Martini detulisse, vbi demùm diuina maiestate adorata, sanctique tutelaris imploratis suffragiis, deficiens, æterna in pace quieuit.

50. *Tursellinus, in Hist. Lauretana, libr. 1. cap. 18.* Sacerdos Dalmata, Lauretanæ Virgini vnicè deditus, à Turcis captus, cùm ad deserendam religionem adigeretur, Christum, & Mariam identidem inuocabat. Stomachantibus illis, & sciscitantibus, cur illa nomina vsurparet; quia hærent mihi, inquit, in precordiis. Ibi Turcæ minitari, se præcordia ipsa extracturos, nisi extemplò Christum, Mariamque execretur. Erratis, inquit, præcordia mihi auferre potestis, Christum, & Mariam non potestis. Tùm illi ferro eximunt præcordia, ipse Virginem implorans, vouet, si vita, & vires suppetant, Lauretum se iturum. Illi præcordia præcisa dant in manus, & abi iàm, propera, inquiunt, & præcordia, in quibus hærere ais Mariam Lauretanam, ad eam perfer, vt vouisti. Ire pergit, & multorum dierum emenso itinere, aperto pectore, Laureti viscera ostentat, gratiisque Virgini actis, & Sacramentis munitus, ibi viuere desiit. Extra diù è regione sacrosanctæ cellæ suspensa spectaculo aduenis fuerunt.

Defuncti, alteri sepeliendo locum cedentes.

§. 4.

QVem honorem, & reuerentiam viris *Dei defunctis* denegant eterodoxi, hanc eis admirandis modis exhibent cadauera ipsa defunctorum, illis digniorem, honoratioremq. locum spontaneo motu cedentes. De his.

1. *In vita S. Ioannis Eleemosynarij*. Post eius obitum, cùm illius corpus esset deponendum in æde oratoria admirabilium operum *effectoris* Tychonis, in quadam capsa, in qua erant condita duo corpora Episcoporum, videre licuit hæc mortua corpora veluti animata tribuere cultum beato corpori; nàm à se inuicem seiuncta, id medium accepere. Et hoc quidem, quod euenit in eius sepultura, visum est multorum oculis.

2. *Hieronymus Rubeus, lib. 2. Hist. Rauennæ*. Cùm Sancti Seueri Archiepiscopi, Innocentia filia mortua esset (quam scilicet genuerat antequam Archiepiscopali dignitate augeretur) & in matris monumento sepulturæ tradere virginem Seuerus constituisset, patefacto sepulchro, cùm Vincentiæ vxoris cadauer, per illud sparsum, non relinqueret filiæ locum, Seuerus ad vxorem versus: Quid, inquit, molesta esse pergis? onus tuum suscipe, neque vellis esse pertinax. Ad cuius vocem, omnibus qui aderant stupentibus, *ingenti* prodigio, cadauer vxoris se se colligens, *filiæ* locum fecit.

3. *In Sac. Hist. de translatione S. Stephani Protomartyris*. Cum eius corpus sacratissimum Constantinopoli Romam, ab Eudoxia Augusta aduectum, in tumulum S. Laurentii, ad religiosiorem obseruantiorem, & situm magis conspicuum, illatum fuisset: Beatus Laurentius, quò primam martyrum coronam venerari se proderet: tantoq. hospiti rependeret officiosæ salutationis indicia; spontaneo motu à sepulchri dextera ad finistram se conuertit, Martyrumque Coryphæo locum honorabiliorem detulit, vndè celebri adagio, comis, & vrbanus Laurentius iàmpridem dictus est.

4. *Carolus à Basilica Petri, de successoribus S. Barnabæ, num. 12. de Sancto Ambrosio*. Cùm morti esset propinquus S. Ambrosius, interrogatus est, vbi vellet sepeliri? prophetico sermone respondit. In medio Beatorũ Martyrũ Geruasii, & Protasii, si inuicem

vicem se diuidentes mihi locum medium fecerint. Adueniente funere Beati Ambrosij, isti duo martyres locum in medio fecerunt B. Ambrosio.

5. *In Chron. Gall.* Sancti Germani corpus in Galliis, locum honoris cessit corpori Sancti Martini, atque adeò à miraculis deinceps cessauit.

6. *Sanct. Gregor. libr. 3. Dialog. capit. 23.* Prænestinæ vrbi mons præminet, in quo B. Petri Apostoli monasterium situm est virorum Dei: quorum relatione adhùc in monasterio positus audisse me contigit magnum hoc quod narro miraculum, quod eiusdem monasterii monachi nosse se sese testabantur. In eo nàmque monasterio fuit Pater vitæ venerabilis, qui quemdam monachum nutriens vsque ad reuerendos prouexit mores. Cùmque eum in timore Domini videret excreuisse, in eodem sibi monasterio tunc presbyterum fecit ordinari. Cui post ordinationem suam, quia non longè abesset, eius exitus per reuelationem indicatus est. A prædicto autem Patre monasterii petiit, quatenùs ei concederet, vt sibi sepulchrum pararet: Cui ille respondit: Ante quidem ego moriturus sum, sed tamen vade, & sicut vis, præpara sepulchrum tuum. Recessit igitur, & præparauit. Cùm nō post multos dies senex Pater febre præuentus ad extrema peruenit, atque assistenti presbytero iussit, dicens: In tuo sepulchro pone me. Cumque ille diceret: Scis, quia ego modò te secuturus sum, vtrosque capere non potest: Abbas protinùs respondit dicens: Ita fac vt dixi: quia sepulchrum tuum ambos nos capit. Defunctus itaque est, atque in sepulchro eodem, quod sibi presbyter parauerat positus. Mox quoque & presbyterum corporis languor secutus est, quo languore crescente, citiùs presbyter vitam finiuit. Cùmque ad sepulchrum, quod sibi ipsi parauerat, corpus illius suisset à fratribus deportatum, aperto eodem sepulchro, viderunt omnes qui aderant, locum non esse vbi poni potuisset, quia corpus Patris monasterii, quod illic antè positum fuerat, omne illud sepulchum tenebat. Cumque fratres, qui presbyteri corpus detulerant, factam sibi sepeliendi difficultatem viderent, vnus eorum exclamauit dicens: O pater, vbi est quod dixisti, quia sepulchrum illud ambos vos caperet. Ad cuius vocem, subitò, cunctis videntibus, Abbatis corpus, quod illic antè positum fuerat, & supinum iacebat, se se vertit in latere, & vacantem sepulchri locum ad sepeliendum presbyteri corpus præbuit: & quia vtrosque ille locus caperet, sicut viuus promiserat, mortuus impleuit.

7. *Gregorius Turonensis, de Glor. Confess. capit. 42.* Apud Castrum Diuionense, Hilarius quidam ex Senatoribus habitauit, habens coniugem, ex qua & filios dicitur suscepisse; sed omnem domum suam ita in castitate, atque omni puritate tàm animi, quàm corporis excolebat, vt nullus ibi adulterium exercere præsumeret, essetque impletum in hac domo, quod dudùm sancto repletus spiritu Apostolus prædicauit: Honorabile connubium, & thorus immaculatus. Hic itaque tàm inter dominos, quàm inter famulos castitate pollente, obiit vir ille, qui qualis, quantusque fuerit iuxta sæculi dignitatem, sepulchrum eius hodiè patefacit, quod marmore Pario sculptum renitet. Quo defuncto, & iuxta humanam consuetudinem sepulturæ mancipato, mulier deducto anni circulo ægrotauit, obiitq. atque ablata est. Et quoniam sepulchrum illud tàm immensum erat, vt ipsam iuxta imperium viri susciperet, amoto opertorio, dùm locaretur in tumulo, subitò eleuata vir dextera, coniugis ceruicem amplectitur: quod admirans populus, deposito secessit opertorio, cognouitque, quæ eis castitas, qui timor in Deum, quæ etiam inter ipsos dilectio fuisset in sæculo, qui se ita amplexi sunt in sepulchro.

8. *Ferrarius die 8. Maij, de S. Petro Episcopo Nucerino.* Cùm defunctus esset Sanctus Episcopus, sepelirentque eius venerandum cadauer in sepulchro, in quo duæ ipsius germanæ sepultæ fuerant; locus medius ab eis se se ad partes contrahentibus concessus est illi.

9. *Idem 4. Iulij.* Cùm corpus Sancti Antonini mart. & Placentini Patroni, à Sancto Sauino, in idem Sancti Victoris sepulchrum inferretur, corpus Sancti Victoris se colligere, & martyri locum concedere visum fuit.

10. *Calestinus à Bergamo, in vita S. S. M. M. Firmi, & Rustici.* Cùm ad superos euolasset Sanctus Proculus Episcopus Veronensis, illiusque cadauer sepelire vellent Clerici penès corpora Sanctorum martyrum Firmi, & Rustici, quos viuentes summa in Christo charitate prosecutus fuerat, cùm quibusque & sepeliri optauerat. Ecce mirum: Hi duo S.S. martyres hìnc, & indè ad latera vrnæ residentes, medium locum, ceù nobiliorem, Sancto antistiti reliquerunt, in eoque sepultus est.

11. *Petrus de Palude, in concionibus Epiphaniæ Domini.* Melchiorem, Gasparem, & Balthassarem, tres Magos, qui ab Oriente Christum Dominum in Bethleem Iuda adorauerunt, post Christi ascensionem, Thomas Apostolus in Indiam veniens, sacro baptismatis fonte abluit, & quemlibet in Archiepiscopum in suo Regno ordinauit; demùm iniunxit, vt quot annis ad sacellum in monte Faus (quo in loco, cùm per aliam viam reuersi sunt in patriam suam, vt testatur Euangelista, arma sua depingere fecerunt, cùm puero, matre, & stella) conuenirent. Cùm ergo grandeuæ essent ætatis, & circa Natalem Domini, pro more conuenissent, tùnc Melchior senior in octaua Christi natiuitatis ibidem obdormiuit. Deindè sacra Die Epiphaniæ, post missarum solemnia Balthasar obiit, & in eodem loco quo prior, telluri mandatus est. Demùm in octaua Epiphaniæ Gaspar: Et dùm ad sepulchrum priorum duorum fuisset allatus; ipsi tamquam viui secesserunt in partes, & eorum fratrem in medio locari permiserunt.

12. *Hildephonsus Vraijet, de miraculis S. S. Gregorij, & Sebastiani, Suessione in monasterio S. Medardi*. Cùm perfecta esset structura Ecclesiæ Sancti Medardi, in eam translatæ sunt reliquiæ eiusdem Sancti Medardi, & Gildardi, amborum monachorum, & vnusquisque in suis sedibus collocatus, cùm verò indè eodem in loco & reponendæ essent reliquiæ Sancti Gregorii, & Sebastiani, cunctis videntibus, S.S. Medardus, & Gildardus, qui, vt dictum est, prælati erant, se se in partem miserunt, & aduenientibus illis, tanquam honorabilibus amicis ascendendi superiùs dederunt locum.

13. *In Menais Græcis, 5. Aprilis*. Sancta Theodora Thessalonicensis matrona, religiosæ antistitæ suæ, mortua mortuæ locum dedit in sepulchro.

14. *Rayn. an. 1240. n. 23. de Oddone monacho Carthusiano*. Cùm sacrum Oddonis corpus sepulchro conderetur, cuiusdam ossa (quæ ibi priùs humata fuerant) nullo mouente, in angulo sepulchri, viro sancto locum dando, recesserunt; & iure quidem optimo; Ei etenim qui viuens (humilitatis ergo) locum se persequentibus cesserat, locum mortuo, mortuos ipsos præbere par erat.

15. *In Chronicis Minorum*. Dùm Consentiæ in conuentu Sancti Francisci defunctus esset Ven. Fr. Zaccheus, illiusque corpus sepulturæ traderetur in eodem loco, in quo sepultum erat corpus Vener. Fr. Angeli; corpus eiusdem Fr. Angeli adhùc integrum, se mouens, locum dedit, vt commodè ibidem sepeliretur corpus Vener. Fr. Zacchei, quem dùm viueret sanctissimè dilexerat.

16. *Ibidem*. Cùm defunctus esset quidam Frater sanctissimæ vitæ, & eumdem sepulchro Vener. Fratris Raynaldi inferre vellent, inuento eo incorrupto, cum amouere vellent, vt simùl alteri fieret locus idoneus, non potuerunt; hoc cùm admiratione animaduertentes, decreuerunt defunctum superponere; at cùm ad sepulchrum cùm funere redirent, corpus Vener. Raynaldi ad orientalem sepulchri partem descendens, in pedes erectum est, sic manens immobile, quandiù oratio Dominica recitari potuit, & sancto hospiti suo locū idoneum intra eiusdem sepulchri angustias concessit, viso miraculo, conuenientes cùm fratribus populi, lachrymas cùm canticis miscuerunt, laudantes omnipotentiam conditoris in sanctis suis.

17. *Sylos in Histor. Cler. Regul. Part. 1. libr. 5.* Cùm Neapoli decessisset è viuis insignis fœmina Maria Ayerba, monasterii mulierum pœnitentium Fundatrix, elatum est eius cadauer in monasterium Sanctæ Mariæ in Hierusalem, vt vnà simùl cùm exuuiis sororis Mariæ Laurentiæ Longæ, vt iàm præceperat, humaretur; & ecce mirum! enim verò statim ac in eo tumulo conditum fuit cadauer, visa confestim palàm omnibus Maria Longa (quæ licet ante fermè biennium decessisset, adhùc incorrupta perseuerabat) dexterum brachium extendere, illamque complecti, ceù carissimam hospitem exciperet, diuideretque per quàm libenter cùm illa vrnam, cùm qua communem habebat modò gloriam.

18. *Bzou. ann. 1491. num. 12. de monast. Sanctæ Marthæ, Mediol.* De hoc monasterio fama est publicis actis testata, olim quandò aliqua sanctimonialis in sepulchrum inferretur, reliquas ibidem conditas, quasi viuerent, & spirarent, locum dare solitas recens sepeliendis.

Videantur aliqua his similia tomo primo lib. 5. cap. 5. §. 6. cùm de sepulchris Defunctorum vltrò se mouentibus.

Motus aliqui Admirandi Defunctorum, ad pietatem fouendam. §. 5.

VT pietatem, religionemque, quam viuentes coluerunt quidam admirandæ sanctitatis, etiam post mortem exhiberent, aliisque sectandam demonstrarent, admirandis motibus, licet defuncti, & exanimes, ad impiorum confusionem, hoc mirabiliter Deo operante, præstitere. De his.

1. *Augustinus Vuichmanus in Diario Ecclesiastico, V. Kal. Septembris*. Cùm circa ann. 951. Sigiberto Episcopo Lugdunensi diuinitùs ab Angelo delatum fuisset in crystallino vasculo cor Sancti Augustini; Episcopus per totam Diœcesim congregato populo, hymnum, Te Deum, cantari iussit, cùmque peruentum esset ad versiculum, Sanctus, Sanctus, Sanctus, visum est cor nouo miraculo commoueri, palpitare, & exultare, ac si recens fuisset sauciatum illa ter admimirabili sagitta Sanctæ Trinitatis. *Similes motus habuisse fertur in anniuersaria die*, cùm eo in altari deposito, Sacrum fieret, quotiès Sanctissima Trinitas à sacerdote exprimeretur, vel liber eius de Sancta Trinitate conscriptus coràm eo expanderetur. Idem facere solitum in missa quotiès hæc verba recitabantur, Sanctus, Sanctus, &c. refertur. Addunt insuper, quo tempore publicè solebat exhiberi, neminem hæreticorum ausum fuisse eam Ecclesiam intrare; quod si quis attentasset, in limine diuinitùs, vel enecabatur, vel supinus prosternebatur.

2. *Ioannes Eusebius, libr. 3. de adoration. capit. 10.* Deuotus seruus Dei Pater Petrus de Saabedza videbat corpus exanime Sancti Didaci assurgere, & adorare Christum in manibus sacerdotis, dùm missam celebraret.

3. *In actis S. Macedonij Episcopi Constantinop.* Macedonius, Gangræ mortuus, in templo S. Marty. Callinici depositus est. Cùm autem in sepulchro poneretur, eleuata manu dextera, signo Crucis sepulchrum obsignauit.

4. *In append. ad vitam Sancti Marci Euang.* Cùm anno 1094. inuentum fuisset in Ecclesia Sancti Marci Venetiis corpus eiusdem Sancti Euangelistæ, brachium eius extra arcam protensum apparuit; quod inspicientes curiosiùs qui

qui propè aderant, notauerunt digitum manus vnum annulo ornatum, quem ab eodem nulla vi, nulla industria extrahere potuerunt, nisi post fusas deuotè preces.

5. *Gregorius Turonensis, de vitis P.P. capit. 6.* Sanctus Gallus Episcopus Aruernorum, delatus ad templum, coràm Episcopis prouinciæ, qui ad funus eius conuenerant, & coràm populo vniuerso, in feretro dexterum pedem attrahens, in aliud latus se ad altare conuertit.

6. *Bzouius, ann. 1336. numer. 28. de Beato Mauritio ordinis Prædicatorum.* Tandem cursu vitæ consummato, ex hac vita Taurini decessit Mauritius paucis ante solemnitatem Paschalem diebus, mensis Martii. Cùm ei Nicolaus Taurinensis Pontifex, iusta in Ecclesia persolueret, & sacratissimum Christi corpus accensis de more funalibus, sublatum manibus, inter sacrificandum populo ostenderet, omnibus cernentibus, sanctum illud cadauer oculos inspectandæ sacræ hostiæ gratia traditur aperuisse; idemque fecisse, cùm Pontifex calicem consecratum sustulisset, ac tùm demùm oculos clausisse. Memorant & tantam odoris fragrantiam ex eius membris emanasse, vt mirifica suauitate omnium nares repleuerit.

7. *Vad. an. 1451. de B. Matthæo Agrigentino Ep. ord. Minorum.* In templum Sanctæ Mariæ de Iesu ab illo constructum, cùm delatum fuisset post mortem, eius corpus in feretro, medio erecto corpore, iunctis manibus elatum caput sanctissimo altaris Sacramento profundè inclinauit, dein quietim reclinauit.

8. *Thomas Boz. libr. 15. cap. 7. de Signis.* Cùm sepulchrum Magni illius Alberti Episcopi Ratisponensis fuisset apertum post multum temporis ab obitu ipsius, repertum est cadauer eius non supinum, sic enim fuerat collocatum, sed genibus innixum in modum supplicis, & preces ad Deum facientis.

9. *In actis Ven. Vrsulæ Benincasæ.* Cùm post mortem Ven. Vrsulæ Benincasæ, ipsius cadauer supinum in arca repositum fuisset, post quatuor annos, aperta dicta arca, inuentum fuit dictum cadauer integrum, mutato tamen situ, scilicet super sinistrum latus incumbens, facie conuersa ad Christi crucifixi imaginem, quæ erat in vicino pariete, ceù etiam post mortem venerabunda, quam viuens toto corde coluerat.

10. *In vita B. Helenæ Vid. 3. ord. S. Aug.* Egressa ex eius corpore anima, cùm corpus eius in feretrum de more collocatum fuisset, & crucifixus super pectus collocatus fuisset: subitò Helena illi caput extulit, adeò vt deinceps vnquam demitti non potuerit.

11. *In vita Ven. Francisci Gonzagæ Episcopi Mant. ord. Minor.* Legitur, cadauer Francisci Gonzagæ ad nomen Iesu, & Mariæ caput mouisse in reuerentiæ signum, dùm iusta ei soluerentur.

12. *Chrys. Henriq. lib. 1. fasc. S. S. ord. Cist. c. 10. de S. Thoma Cantuariensi Episcopo, & m.* Monachi detulerunt martyrem suum, & posuerunt nocte prima in choro, agentes circa illum exequias defunctorum, quibus expletis, corpus defuncti leuata manu dextera, dedit benedictionem.

13. *In An. Min. an. 1261. n. 9. de B. Clara Vbaldina.* Duodecim ab obitu annis, mortuam ex neptibus vnam, dùm vellent eadem in arca, in qua erat B. Clara recondere, inuenerunt amitæ corpus omninò integrum, adeò molle, & tractabile, ac si ipso illo die moreretur. Sed quod ad miraculi commendationem accedit est, quòd in arca erecta veluti sedens, dexteram eleuauerit in modum benedicentis populo numeroso valdè, qui ad videndum prodigiosum corpus confluxerat.

14. *Ibidem ann. 1270. num. 32. de Fr. Stephano Coruo.* Sepultum Stephanum in cæmeterio Fratrum, post aliquot annos miraculis celebrem exhumari fecerunt, inuentumque est brachium dextrum eleuatum, dispositique digiti, index, & medius ad modum populo benedicentis.

15. *In vita Vener. Sor. Eustochij, Virg. Messanensis Clarissæ.* Post triduum ab eius obitu, quædam monialis, quæ ob infirmitatem eius morti non adfuerat, ante eius venerandum cadauer genuflexa, ab ea benedictionem petiit, statimque demortua Virgo extollens manum, benedictionem illi dedit; hùcusque autem in eodem statu benedicendi perseuerat.

16. *Surius in vita S. Catharinæ Suecicæ, 22. Martij.* Dùm ad venerandum sacrum corpus S. Catharinæ Virginis, S. Birgittæ filiæ, inter cõcurentium turbas aduenisset Tordo Episcopus Strengenensis, manum eius comprehendens, & eius se precibus commendans, sensit ille manum sibi suam fortiter comprimi, vt fieri solet inter illos, qui fœdere iunguntur.

17. *In actis S. Agnetis Politianæ.* Cùm anno 1354. transisset per montem Politianum Carolus IV. Imperator, eaque die anniuersaria dies Sanctæ Agnetis celebraretur, ex consuetudineque sacrum corpus populis venerantibus ostenderetur. Adfuit & pius Imperator: Moxque vt aperta fuit arca, ipsa etiam Beata aperuit oculos, eosque intendit in Imperatorem. Obierat autem an. 1317.

18. *In vita Sanctæ Catharinæ Senensis, cap. 86.* Cùm ad inuisendum sacrum corpus Beatæ Agnetis Politianæ se contulisset S. Catharina Senensis, cunctis ferè eius cænobii sororibus sociabus suis præsentibus, ad pedes suos flexit genua, illos exosculari volens: & ecce sacrum illud corpusculum, alterum pedem, cunctis videntibus, eleuauit, eiq. osculandum obtulit. Id verò cernens Catharina, cæpit caput inclinare profundiùs, & pes Agnetis sensim se retraxit in locum suum.

19. *In actis B. Finæ Virg. in Hetruria.* Cùm biduò post obitum B. Finæ Virginis in Hetruria, custos, & nutrix eius Beldia, velut comes indiuidua Virginis, non tantùm viuæ, sed & mortuæ iuxta illius feretrum consedisset, & pro sanatione suæ manus, B. Finam fiducialiter exoraret; illa licet mortua iacens, suum brachium leuauit à feretro, manuque propria, coràm oculis omnium, manum nutricis tumidam apprehendit, eamque tribus vi-

cibus strinxit, singulis eius digitis studiosa perscrutatione palpatis; factumque est post trinum contactum, vt reducta sua manu ad feretrum, stupentibus qui aderant omnibus, ab omni dolore pristino, & tumore, quam strinxerat manum, dimitteret penitùs liberatam.

20. *In ann. Minorum, ann. 1300. num. 10. de B. Bartholo presbytero.* Eo defuncto, conuenerunt protinus homines innumeri ad sanctum cadauer deosculãdum, & tanta deuotione feretrum circumdederunt, vt per tres integros dies non potuerit sepeliri. Adueniente demũ vniuerso clero, & ex regularibus plerisq; cùm hymnis, & canticis deductũ fuit corpus ad castrum S. Geminiani, & sepultum in Ecclesia S. Augustini. Sed antequã exportaretur, dùm pia illa fæmina, quæ ei inseruiebat, Stella nomine, adstaret feretro, & deuotè fleret, conquerens se ab eo derelictam, eleuato brachio manum eius validè tenuit per horas quinque, neque potuit toto hoc tempore illam retrahere, admirantibus cunctis, qui adstabant, mortui erga suam benefactricem admirandam gratitudinem.

21. *Ibidem, anno 1322. num. 13. de B. Francisco Fabrianensi.* Dùm iaceret post mortem triduò in feretro, accessit pia fœmina sanctum corpus veneratura, & rosario, vt solet, tactura. Hærentis cingulo extremam rosarii partem eleuauit, & super sancti viri manum collocauit. Cepit ille, & manu strinxit, dùm mulier in vultum eius intendens, orabat. Vt recedere voluit, sensit se detineri, rosario à sancto viro apprehenso, & repentè clamauit, muliebri timore expauescens ad motum, aut sensum viri defuncti. Accurrit frequens populi multitudo, viditque palmam contractam, & fortiter adstrictum rosarium; quod dùm illa post aliquot preces deuotè petiit dimitti, aperta manu restituit, obstupescentibus omnibus ad mortui cadaueris motum mirandum. Quo significatum voluit, Deo gratum esse cultum, & venerationem suorum seruorum.

22. *Bzouius, ann. 1314. num. 27. de Beato Iacobo Veneto, ord. Prædicatorum.* Cùm in feretro decumberet B. Iacobus, & quædam matrona brachio infirma, ad cadauer defuncti accessisset, manumque illius prehendisset, Iacobus mortuus brachium illius apprehendit, multoque temporis spatio tenuit.

23. *Iacobus Grassetus, in vita B. Catharinæ Bononiensis, libr. 4. cap. 1.* Cùm suauissimus odor exhalaret è loco, in quo sepulta fuerat B. Catharina à Bononia; illud sacrum corpus exhumare, in honoratiorique loco reponere statuerunt moniales: & ecce integrum, & illibatum, ac si tunc sepultum fuisset totum inuenerunt, præter faciem, quæ à compressione tabulæ suprapositæ contusa fuerat: sed ecce mirum; post breue spatium, ad pristinum statum & facies reuersa est, nasumque, qui maximè contusus fuerat, propriis manibus eadem Beata, licet exanimis, direxit, composuitque plerisque obseruantibus, & obstupentibus; Sed & aliud accidit prodigium; nàm cùm idem venerandum corpus in arca repositum, in chorum delatum esset, vt peruenit ante altare S.S. Sacramenti, illicò erectum in eadem arca resedit, manibusque in Crucem compositis, ter capite venerandam Eucharistiam profundè adorauit, coloremque vultus omnibus cernentibus mutauit.

24. *Isidorus de Isolanis, libr. 8. cap. 3. Vita B. Veronicæ.* Dùm post eius mortem moniales assisterent vbi erat eius venerandum cadauer: illud manum sinistram eleuat altiùs; primùmque pectori superponit: deindè in modum crucis dexteræ sinistram iungit.

25. *Odo Cluniacensis, in vita S. Geraldi, lib. 2. n. 5.* Cùm post mortem Geraldi Comitis Aureliacensis, de more lauandum esset nudatum eius cadauer, ministri, qui id agebant, manus vtrasque pectori eius applicuerunt; cùm subitò dextrum brachium ipsius extensum est, & ita verenda contexit; quòd cùm tertiò accidisset, admiratione, ac pauore perculsi, corpusculum *festinanter operuerunt.* Postquam verò indumentum accepit, nullatenùs vspiam se se manus illa extendit.

26. *In actis S.S. Aprilis, tom. 2. in Contin. Bollandi.* Defuncto B. Andrea eremita S. Augustini; cùm eius corpus suo in feretro spectandum prostaret, mulier quædam deuota, cùm aliis multis viris, mulieribusque assistens sancto corpori, multùm doluit, quòd ei nunquàm esset de suis peccatis confessa, quamuis interiori impulsu sæpiùs ad id se agi sensisset. Itaque lachrymantibus oculis negligentiæ huius veniam à defuncto postulans, oransque vt sibi suorum peccatorum remissionem impetraret à Domino, ad eius pedes osculandos accessit. Cùm ecce, spectantibus omnibus, visus est mortuus eleuare brachium, & supplici suæ consueto more benedicere.

27. *Arnoldus Rayssius, in Hieregaz. Belgic. de S. Lietberto Cameracensi Episcopo.* Ingens sanè portentum, ac miraculum in exanime ipsius corpore euenit. Cùm enim pro more ablueretur, supra naturæ vires moueri, easque corporis partes, quas indecorum fuisset viuo ostendi, occultare cæpit; quod sanè miraculum euenisse, certò certiùs credendum est, ob eius tùm mentis, tùm corporis eximiam castitatem.

28. *Ioann. Gerbrandus, lib. 2. Chron. Belg. c. 40. de S. Vualburga Virg.* Corpus eius ob tactum viri post mortem legitur tremuisse, in signum virginalis pudicitiæ.

29. *Gallonius, in vita S. Philippi Nerij.* Cùm defuncti Philippi corpus de more lauaretur, eiusdem manus (supra naturæ vires) moueri, easque corporis partes, quas indecorum ostendi viuo fuisset, occultare cæperunt; idque non semel tantùm, sed quotiès corpus moueri opus esset. Ac idipsum accidit prorsùs dùm à medicis dissecaretur: Vndè exclamare præ rei nouitate auditi sunt astantes: O egregiam hominis puritatem! ò castitatem eximiam.

30. *In vita B. Margar. Castellanæ.* Cùm medici balsamo inungere eam defunctam vellent, illa per miraculum extensis, & in modum crucis protensis manibus, pudorem occuluit.

31. *In*

31. *In actis S. 5. Aprilis, tom. 1. in Continuat. Bollandi*. Cùm defuncta esset Ven. Catharina de Palantia, eius exanime corpus, brachium mouere, oculosque aperire à pluribus circumstantibus obseruatum est.

32. *In Chron. Minor. par. 2. lib. 4. ca. 30. de B. Stephano Coruino*. Cùm semel seruus Dei Stephanus per cœmeterium transiens, pro animabus ibi quiescentium oraret; multi ex iis, qui ibidem sepulti erant, se leuantes, ei veluti gratias agendo se se inclinauerunt.

33. *In vita B. Ritæ de Cassia*. Penè fidem excedit, quod addam. Sacrum eius corpus, cùm hactenùs iacuisset, vt solent alia reliqua, clausis oculis; in die festo anniuersario, anno CIↃIↃC.XXIIX. spectantibus omnibus latè aperti sunt, adeòque radiosè scintillarunt, vt verè vitam viuere viderentur, & speculari curiosè factam sibi celebritatem.

34. *Vading. ann. 1456. de Ven. Petro Regalato*. Senem quemdam pauperculum solebat quotidiano cibo reficere Ven. Petrus. Paulò post eius mortem accessit mendicus ad ostiarium, solitam accepturus eleemosynam: Sed responso accepto, tardè aduenisse, nihilque superesse erogandum, impatienter tulit, abiitque in templum ad sepulchrum Regalati, vbi conquestus de ianitoris erga se incuria, dixit: Piissime Pater, si tu vixisses, non ita malè mecùm ageretur, nec absque refectione reiiceret ostiarius. Mihi tecùm benè semper erat, nunc fame pereo, nec est qui respiciat. Res mira: Audita miselli querela vir sanctus, brachium exeruit, panemque porrexit. Magna debuit esse erga proximos charitas viuentis, cui tanta inerat defuncto erga pauperes miseratio.

35. *In vita S. Teresiæ à Iesu Carmelit. Fundat.* Ad eius sepulchrum tenero quodam affectu Virgines frequenter accedebant, vbi si fortè somnus obrepsisset, strepitu excitabantur ad orandum.

36. *In ann. minist. Infirmis, ann. 1588. de Fr. Ludouico Franco, & Iacobo Martinelli*. Triduò post obitum Fratris Ludouici, Fr. Iacobus secutus est eum, sicuti ei is prædixerat. Fuerunt ergo ambo eadem in nostrorum sepultura conditi, distantia loci non parùm eodem in tumulo distincti, cùmq. aliquot post dies contigisset, alium ex nostris fratribus è vita migratū, ibi solito in sepulchro tumulandum, tunc descendit in foueam vnus ex nostris, vt videret si suis locis aptè, ac decenter Patrum cadauera sita essent, & sic decenter emortuo corpori sepulturæ gratia daretur; ille verò Ludouici reperit cadauer, & Iacobi, non segregata, vt reposita, & constituta fuerant, sed copulata, & se se penè amplectentia; & quia horum fratrum anima erat indiuisa diuino in obsequio, & vnus alterum ad Dei famulatum, & ad illam dùm obiret æternitatis requiem vocauerat, ideò & corpora approximata sunt.

37. *Paulus Morigia*. Cùm Mediolani, ob grauem, Orthodoxos inter, & Heterodoxos cōflictum, corpora occisorum (quorum vis non exigua fuit) adeò inter se permixta, mutuoque in sanguine natantia ita indiscriminatim iacerent, vt ab hæreticis, Catholici haud quaquàm secerni possent, D. Ambrosius nihil antiquiùs habuit, quàm vt supplex à Deo efflagitaret, sibi affundi lumen, quo prænio, ac prælucente valeret internoscere fidelium corpora ab infidelium cadaueribus, & secernere Agnos ab hædis. Dictum, factum. Orationem vix fuderat Præsul sanctissimus, cùm derepentè Catholicorum corpora vi diuina moueri, obuertere se se supina, in Cælum ora torquere, & quò animus iàm victor euolarat, intentis oculis suspectare: Arianorum è contrario cadauera obuersis in terram vultibus prona iacere, mordere quodammodò humum, & despicere inferos, quò damnati in æternum animi præcipites anteiuerant. Ad hæc Catholicorum sanguis miraculo coagulatus, & in rotam, globumque, diuina, Angelicaue manu erotundatus circumuolui cæpit, atque per totam vrbem mirabiliter actus ad protomartyris Stephani Basilicam vsque perrexit, vbi à tellure altissima absorptus est.

38. *Sylos, in vita Ven. Francisci Olympij Cl. Reg. lib. 1. cap. 22.* Post eius mortem, cùm in Ecclesia prostare eius cadauer contigit, verso sinistram in partem vultu, vbi Marianæ Conceptionis sacellum, spectare Tutelarem, patronamque suam videbatur; & Dominicus quidem Dicastiglius ratus non id temerè, casuque euenire, capere eius rei experimentum voluit. Quocirca quod sinistrorsùm, ad Deiparæ nempè ædiculam, vergebat caput, suismet ipse manibus dextrorsùm flexit; nec post multò animaduertit, conuersa iterùm occulta quadam vi facie respectare eòdem, eamdemqne magnam Dei matrem, vndè paulò ante amouerat.

39. *Franciscus à S. Maria in Hist. Carmelit. tom. 1. lib. 2. cap. 17.* Cùm defuncta esset in conuentu Vallisoleti Discalceatarum S. Teresiæ in Hispania, soror Anna à Iesu; cæteræ sorores corpus illius lauantes, & induentes, inuicem, licet summissa voce, loquebantur, minimè obseruantes tale tempus silētio esse dicatum: & ecce defuncta illicò digitum ori applicuit, vt cùm indicitur silentium, quod cùm semel, & iterùm fecisset, quanti esset habenda virtus silentii sororibus demonstrauit, deincepsque obseruantiores effecit.

Alij Defunctorun prodigiosi motus, ad impietatem redarguendam.

§. 6.

Frigida etiam cadauera sanctissimo Domus Domini zelo exarsisse, hisq. quem mortalis rigor abstulerat motum corporeis artubus, ad impietatem redarguendam quandòque diuinitus concessum fuisse, obseruatum est. De his.

1. *S. Vincentius Ferrerius, ser. in decol. S. Io. Baptistæ*. Post impiam decollationem S. Præcursoris, præsentato Herodiadi capite ab eius filia, timens ne Propheta resurgeret, si cùm corpore caput sepultum fuisset, ideò cautè in pariete palatii fodit, & ibi caput posuit, & sæpè caput volebat videre, timens ne resurgeret. Cùm ergo semel caput Ioannis

nis in manibus teneret, & eidem gaudens plurimùm insultaret dicens. Hem Ioannes, vos voluistis me separare ab Herode; sed ego abstuli vobis vitam, & caput à corpore; At diuino nutu caput ipsum in eius faciem insufflauit, & illa misera protinùs expirauit, & dęmones eius animam ad infernum duxerunt.

2. *Surius in vita S. Editha Virg. 16. Septembris.* Canutus Rex in sacra Petecoste apud Vuilthoniam inter edendum crebrò cachinnum sustollens, numquam se crediturum aiebat, Editham filiam Regis Edgari, sanctam esse, cuius Pater libidini semper, ac tyrannidi addictus fuisset. Contradixit autem illi Ednotus Archiepiscopus, qui tùm aderat, statimq. virginis tumulum aperuit. Illa verò cingulo tenùs se erigens, in contumeliosum Regem impetum facere visa est. Tùm ille præ metu consternatus animo, humi ceù exanimis corruit. Tandem autem respirans, lætus erubuit, suæque temeritatis veniam poscens, sanctam Virginem deinceps in multo honore habuit; ortaque quandòque in mari tempestate, eam inuocauit, & serenitate reddita, ad portum optatum appulit. Alia vice soror quædam vt conata est de vitta sacri capitis partem abscindere, miro modo impedita est, vitali capite se attollente, & temerariam illam minaci indignatione deterrente.

3. *Idem 12. Maij.* S. Epiphanius, nautæ cuidam improbo detrahere vestem, & detegere nuditatem eius venerandi cadaueris præsumenti, pede sublato ictum impegit, atque exanimem prostrauit. Is tamen post triduum à socijs delatus ad vrnam ipsius, resurrexit.

4. *Ioannes Moschus, in Prato Spirituali, cap. 77.* Quidam fur, cùm mala multa perpetrasset, semel stabat in quodam loco, vidensque mortuum efferri optimè indutum, secutus est funus, vt videret vbi poneretur. Venerunt autem retrò quãdam Ecclesiam, & ibi posuerunt illum in monumento, peractisque officiis recesserunt. Ille mox vt illos recessisse vidit, ingressus monumentum, exuit ipsum, nihil ei relinquens præter vnum linteamen. Cùm ergo progredi inciperet de monumento, multis onustus pannis, dicit illi improba eius cogitatio: Accipe & linteum, quod bonum est. Rediit autem infelix, vt sumpto etiam linteo, nudum illum relinqueret. Tùm resedit coràm illo mortuus, extendensque super eum manus suas, digitis suis eruit oculos eius. Igitur miserabilis ille dimissis omnibus, cùm magna tribulatione, & periculo exiuit de monumento, cæcusque factus, sic perseuerauit.

5. *Idem ibidem, cap. 79.* Alius quidam fur plenus omni scelere, & nec cælo dignus, nec terra, cùm semel audisset; diuitis cuiusdam ex primariis ciuitatis filiam virginem esse defunctam, & cùm multis, ac pretiosis vestibus sepultam in vno extra ciuitatem monumento, ex consuetudine pessimi istius operis, abiit noctu ad tumulum, ingressusque cæpit expoliare illam: Et cùm omnibus iàm ipsam exuisset, quibus erat induta, nec interulæ quidem ipsius parcens, sed eam quoque illi auferens, nudamque ipsam, vt nata fuerat, relinquens, è sepulchro egredi volebat. Tunc illa resedit coràm illo, sinistramque manum suam extendens, apprehendit dexteram illius, multisque minacibus verbis eius improbrauit impietatem, & in defunctorum cadauera sæuitiam. Ille autem vt ista conspexit, & audiuit, pauore, & formidine totus comprehensus, tremens, ac metuens, vix ait ad illam: Dimitte me, & istud vltrà non faciam. Quæ ait; Profectò non ita erit; tu enim vt voluisti, hùc intrasti; sed non ita vt volueris hinc egredieris: nàm sepulchrum istud commune erit ambobus, neque putes te confestim moriturũ, sed cùm hic plures dies cruciatus fueris, malam malè animam perditus reddes. Ille autem orabat illam cùm lachrymis, vt se dimitteret, multùm illam per omnipotentem Dominum adiurans, spondensque, & iuramento confirmans, se iniquum istud, ac nefarium opus vltrà non facturum. Tandem post multas preces, & lachrymas, crebrosque singultus, respondens illa, dixit ei: Si vis viuere, & ab hac necessitate liberari, promitte mihi, quia si te dimisero, non solùm ab his nefariis, & profanis actibus tuis recedes, sed statim perges, & sæculo renuncians, efficieris monachus, agesque pænitentiam pro his quæ malè gessisti, seruiens Christo. Ille autem iurauit ei, dicens; Per Deum, qui suscepturus est animam meam, non solùm quæ dixisti, faciam, sed ab hodierna die non ingrediar in domum meam; sed hinc abiens, in monasterium proficiscar. Tunc ait puella ad illum Indue me, sicut inuenisti priùs indutam. Cùm verò illam induisset, rursùm se collocans, mortua est; illeque statim ad monasterium pergens, omniaque Abbati, vt euenerant, enarrans, sacrum monachalem habitum petiit, illoque indutus est.

6. *Surius in vita S. Vualburga, 1. Maij.* Accidit nuper res stupenda, & propè incredibilis, nisi multis cùm testimoniis fulciretur; Anno superiori, quo dira fames multos peremit, duo inopes eius vitandæ causa peregrè profecti sunt; illis autem quidam ex longinqua regione comitem se adiunxit: interrogatus ab illis, quò iter intenderet? respondit ad sanctam Vualburgam religionis gratia se proficisci. Dicunt & illi, se illùc pergere. Cùm ergo in itinere paululùm quieuissent, illi hominem innoxium crudelissimè iugulant. Sed cùm anxii essent, quid de cadauere facerent, tãdem alter in suos illud sustulit humeros, in aliquem locum inuium proiecturus. Ecce autem, dùm conatur à suis deponere humeris, tàm tenaciter sibi adhæsit, vt nulla vi potuerit auellere. Mirè ergo cruciatur infelix, videns, se facinus suum celare non posse. Interim fit amicus ei quidam obuius, qui viso cadauere, admirans, sciscitatur, quid hoc esset? rem aperit, & orat, vt suæ calamitatis velit misereri: Non cunctatur ipse, districtoque ense, brachia cadaueris hominem arctiùs complectentia nititur diuellere. Sed nouo miraculo dùm cadauer attingit, etiam ipse tenacissimè adiunctus est cadaueri, & homini illud ferenti: ita vt se ab illis abtrahere non posset. ductus ergo pęnitentia, cùm lachrymis, Deo, & S. Vualburgæ vota nuncupat. Vndè absolutus est

ab

illo horribili nexu. Non tamen deseruit miserum illum,sed ad Rheni littus vsque comitatus est.Quò cùm ventum esset, non ferens alter tùm cadaueris pondus, tùm intolerabile dedecus, in Rhenum se præcipitem dedit.Sed tàm immanem homicidam Rhenus non sustinens, illum cùm cadauere in littus euomit. Terrefactus alter, ad S.Vualburgæ Monasterium celeriter aduenit, gesta narrat, paratus iureiurando confirmare.

7. *S.Gregorius Turonensis,de Glor. Confess.c.62.* Cùm defunctus fuisset S.Helius Episcopus Lugdunensis, religiosè sepultus est à fidelibus: nocte autem sequenti veniens quidam paganus, lapidem, qui sarcophagum tegebat, reuoluit, erectumque contra se corpus sancti conatur spoliare. At ille extensis lacertis, constrictum ad se hominem fortiter amplexatur, & vsque mane populis aspectantibus tamquam constipatum loris ita miserum brachiis detinebat. Igitur iudex loci, violatorem sepulchri iubet abstrahi, ac legali pænæ sententia condemnari; sed non laxabatur à sancto. Tunc intelligens voluntatem defuncti, facta iudex de vita promissione, laxatur, & sic incolumis redditur.

8. *In vita B.Angelæ à Desentiano,l.2.*B.Angelæ sepulchro inscriptio exarata erat, quæ diuæ virtutes continebat, quam cùm quidam adolescens legisset, in dubium statim vocauit, an verè res ita se haberet, & talis qualis referebatur, Angela esset; vix sermonem absoluit, cùm sensit bis intùs sepulchrum percuti; ad sonitum quidam Pater accurrit, vt sciscitaretur, quis illum strepitum edidisset, iuuenis pænitentia actus, veniam petiit, & se argui coniiciens, Dei seruam humiliter veneratus, meliorem de illa opinionem, falsa reiecta, habere cœpit.

9. *In vita S.Alberti Carmelitæ.* Ingressi hostes semel in eius templum, quod est in Sicilia, prophanum fecerunt. Statimque audito strepitu in arca, qua B. Viri sacra ossa claudebantur, multi è militibus, qui templum violarant, interierunt, alii variis morbis affecti, ac debilitati fuere: & postmodùm reserata arca, quam fractam inuenerunt, viri sancti corpus genibus nixum, quasi à Domino vindictam peteret, inuentum est.

10. *Raynaldus, in Ann.Eccl.*Circa annum Domini 1271.in villa quadamGermaniæ Pfortztheim, vetula quædam, Puellam septennem plagio abductam, Iudæis vendidit. Illi obstructo ore aciculis confixere, sanguinem linteis excepere, cadauer in profluentem proiecere, molari appenso. Quarto die manum extra aquas protentam conspicati piscatores, extrahunt cadauer. Marchio de Baden spectatum aduolat. Cadauer residens manum Principi porrigit, quasi vltionem contra impios flagitans; Iudæis accedentibus, cruento sudore perfundebatur, detecto per uetulæ alumnam scelere, Iudæi suspensi sunt; duo verò mutuis concidere vulneribus.

11. *In m.s.*Quædam mulier Caluinista Genebrensis, dùm iuisset ad inuisendum corpus S.Claudii ex Principibus Palatinis, & Archiepiscopi Bisontini (quod in vrbe S.Claudii, in montibus Iurassensibus sita, incorruptum, & illæsum asseruatur) animo experiendi, an verum esset, quod de ipso dicebatur, & simulata deuotione adiuisset ipsum corpus, & momordisset magnum pedis digitum (ipsos si quidem omnes deosculabantur) ad talem morsum,ipse Sanctus quasi sentimento valens, & plenus, retraxit pedem: Quo miraculo mota ipsa, illicò ad fidem catholicam est conuersa.

12. *Ibidem.* Anno 1562.Caluinistis, in busta, cineresque sanctorum passim per Galliam sæuientibus, & ciuitate Bituricensi ab eisdem intercepta, tres milites ingressi monumentum Ven.Ioannæ Valesiæ Reginæ, vt arcam plumbeam, cui sacrum illud pignus inclusum erat, tollerent: vbi ipsum corpus attigerunt (quod incorruptum erat, licet vltrà quinquaginta annos sepulturę demandatum fuisset) ter suspirantis gemitum ex eo emitti perceperunt, vndè præ nimio timore ad fugam compulsi, aliis stupendum hunc euentum narrauerunt.

13. *Cæsarius lib.8.cap.68.*Quidam monachi,per sacerdotes dentem B.Pontificis Nicolai, ad diuersas transmiserunt prouincias: erat autem crystallo inclusus. Die quadam cùm Prædicatores conducticii inhonestè se gerendo, vas tantarum reliquiarum circumferrent, crystallus crepuit, ac si illorum blasphemias Pontifex reuerentissimus sustinere non posset. Quo miraculo viso,monachi dentem retulerunt,neq. ad tale opus vltrà eum de monasterio efferri passi sunt.

14. *In actis S.Francisci de Paula.* Neapoli in ęde S.Francisci de Paula, dens eiusdem crystallo indutus asseruatur, ac summa populi totius religione colitur; & die eiusdem Sancti festo, omnibus spectandus, exosculandusque proponitur;ad quem osculandum mulier meretrix cùm accessisset, vix crystallo illi labia admouit, cùm dēs tenuem quemdam sonitum edidit, ac statim inuentus est disruptus,ac duas in partes ex æquo diuisus. Quod fuit indicio,quantùm vir ille sanctitatis cultor eximius, impudici illius oris osculationem,vel potius accessum formidaret, atque refugeret.

15. *In actis quinque Marty. minorum.* Quidam scutifer, qui aliquandò horum S.S. reliquias, quæ super scutum desiccabantur, deuotè contrectabat,semel actui fornicationis se ingessit: Et cùm rediens vellet, vt priùs, sacras reliquias adaptare, scutum in quo erant,subitò se leuauit in altum, vt ipsum tangere non valeret. Pęnitentia verò ductus, mox vt fuit confessus, & contritus, ad locum solitum reliquiæ descenderunt, & se contrectari manibus eiusdem scutiferi permiserunt.

16. *In vita S.Magdalenæ de Pazzis, capit.143.* Cùm inter innumeras, quæ ad visendum, & venerandum sacrum eius corpus in die sepulturæ gentes accurrerant, mirabilem à facie prodeuntem pulchritudinem, & splendorem admiratę, adolescens quidam spectare virginem è proximo, impudico aliàs labefactatus accessisset amore, quasi viueret virgo, quasi corporeis oculis eum esset intuita, tumulo iàm accubans in publica Ecclesia, aduersæ parti data facie, adolescenti terga visenda remisit, quo ipse prę pudore correptus, anteactę vitæ pænitens, ad Christi in puritate verũ famulatũ accessit.

17. *In*

17. *In Chron. S. Augustini*. Defuncta B. Christiana, de oppido S. Crucis in valle ad flumen Arnum, cùm corpus eius publicæ venerationi ferè tribus hebdomadis expositum fuisset, suauissimo semper fragrauit odore. Ad quod cùm mulier impudica accessisset, Christiana etiam defuncta impuritatem abhorrens, manu eleuata, habitu faciem sibi cooperuit, ne puritatis speculum ab aspectu scelestæ fœminæ contaminaretur.

18. *Sylos in Hist. Cler. Reg. Par. 3. lib. 2.* Iacebat in Ecclesia, iusta post mortem recepturus Andreas Piscara Castaldus ex nostris, perfectissimę virtutis vir; cùm ad eius manum exosculandam ob famam sanctitatis accedens perditissimæ vitæ iuuenis, eam arripuit: & ecce mirum dictu, teneri ab ea dextera suam, atque adstringi validè, sensit; tùm pulsari arcano quodam ictu pectus, ac memoria criminum vellicari: Nec mora, erupere doloris indices lachrymæ, atque eierata superioris vitæ consuetudine, conscientiam illicò, ac mores expiauit.

19. *Amphilochius, in vita Sancti Basilij*. Quo tempore Iulianus Apostata contra Persas profectus est, fertur, S. Mercurii M. corpus, quod Cæsareæ in Palæstina sepultum erat, resumpto spiritu, arma sua induisse, quæ eodem in loco erant, templo digressum, ad exercitum properasse, & nullo impediente per ipsas legiones ad ipsum vsque Iulianum Imperatorem accessisse, eumque transfixa per apertum pectus hasta, interfecisse; iterùmque reuersum se reposuisse in sepulchro. Eo triduo, quo abfuit, nec in sepulchro corpus, nec in tholo Ecclesiæ arma visa sunt.

Defuncti, suas reliquias spontaneo motu exhibentes; aut eas, ipsis inuitis, ablatas, mirabiliter ad se retrahentes.

§. 7.

DE his aliqua dicta fuerunt supra §. 3. cùm de defunctis capita abscissa propriis manibus deferentibus ad loca, in quibus sepeliri elegerant; modò reliqua in hac materia. Sunt autem.

1. *Metaphrastes, in vita S.S. Martyrum Cyri, & Ioannis*. Sanctus Apollinaris Episcopus Alexandrinus, quia Basilicam exædificauerat trium Puerorum; sacras eorum reliquias petiit, epistola ipsis transmissa, per eximiæ probitatis virum. Is ergo Babylonem proficiscitur: eorum corpora adit venerabundus, litterasque tradit: is autem qui medio iacebat loco, velut excitatus è somno; (ò diuinam prouidentiam! ò narrationem non sine terrore audiendam!) paulatim attollit manum, epistolam accipit, ac rursùm, nihil adiiciens pristino situ recumbit. At qui litteras tulerat, eo spectaculo attonitus, nihilque eorum, propter quæ aduenerat, adeptus, vehementer indoluit; & cùm per septem dies in templo constanter precatus esset, nullo operæ prætio facto plenus mœrore reuertitur, atque Apollinari pro reliquiis lachrymas refert. Tunc Apollinaris spe non deperdita hortatur hominem, iter illud relegeret, sisteretque se denuò Beatis iuuenibus: Quod si sacras eorum reliquias consequi non posset, saltem epistolam referret, futuram vtique loco pignoris, ex quo in dextera vnius manserat. Abit ille, precibusque, & lachrymis pro dono instat impensiùs: & quia spes demùm Reliquiarum non videbatur superesse, epistolam repetit. Epistolam (dùm ab eo arripitur, trahiturque) secuta est manus martyris, vtique apprehensam tenens; & cùm huiusmodi thesauro ille Alexandriam lætissimus remigrauit ad Sanct. Apollinarem.

2. *Paulus Regius, in vita S. Donati monachi montis Virginis*. Cùm anno Domini 1198. ad cælum euolasset B. Donatus monachus Petinensis, ordinis Montis Virginis, cùmque eius corpus Ripam candidam eius patriam (ita ciuibus illis suppliciter petentibus) deferretur, conquerentibus monachis, quòd se desereret, nihil sui apud eos relinquens, ferunt, illum in feretrum resedisse, sibique brachium detractum, monachis porrexisse.

3. *Raynaldus, in Hist. Eccles. an. 1391.* Cùm S. Brigida Sueua de longa peregrinatione ad Ortonam Theatinæ diœcesis terram, in qua B. Thomæ Apostoli reliquiarum pars magna seruatur, vice secunda superuenisset, & stans reliquias deuotione solita visitaret, idem Apostolus deuotæ viduæ apparens dixit. Dabitur tibi diù desideratum, & mox nemine tangente, vel aliàs impellente, de capsa reliquiarum, quoddam frustulum vnius Ossis dicti Apostoli suaptè spontè viduæ expectantis prosiliit ad manus; quod illa cùm gaudio, & deuotione recipiens, summa veneratione seruauit.

4. *Thomas Ioannes Pessina, de Glor. Eccl. Pragensis, Rad. 3.* Cùm accessisset ad venerandum corpus S. Vuenceslai Bohemiæ Ducis, & Martyris, sacerdos quidam, nomine Hostiuod, *sancto martyri*, dùm vita manebat, *gratissimus, particulā aliquam* de eius corpore, pro memoria sibi concedi petiit: & ecce mirum, videntibus cunctis, Sanctus ei omninò satisfecit. Nàm extemplò digitus manus dexterę sponte sua moueri, tàmque diù agitari cæpit, donec articulus vnus decidisset, quem ille reuerenter excepit, & gratiis sancto actis lætus discessit.

5. *Philipp. Fer. mense Octobris, die 22. de S. Moderamno Episcopo, ex monum. Eccles. Parmensis*. Moderamnus Episcopus Rhedonensis in Gallia sub Chilperico Rege magna resplenduit sanctitate. Hic Romā proficiscens, Rhemos diuertens, aliquot S. Remigii Ep. reliquias impetratas secùm detulit, ac alpibus superatis, apud Montem Bardonem (qui Apennini pars est) nocte præuentus, sub dio pernoctare coactus est. Altera die iter prosequens, se reliquias in arbore suspensas reliquisse animaduertit, cùmque comitem ad eas accipiendas remisisset, illæq. in altum sublevatæ quasi aues fuissent, ipse reuersus noctem ibidem in oratione consumpsit, & cùm manè in Ecclesia S. Abundii apud Berceturn, agri Parmensis oppidum, sacrum missæ celebrasset, sacræ reliquiæ mirabiliter ad eum quasi vocatæ descenderunt.

6. *Idem, 28. Augusti, de B. Margarita Septempedana*. Imminente morte B. Margaritæ, filia ad eius pedes

pedes accedens, amoris aliquod monumentum à matre postulauit; quæ dixit ei: En tibi pedum calceamenta relinquo. Sed filia, quomodò, inquit, id fieri potest, cùm nudo semper ambulaueris pede? At illa; curæ omninò id tibi sit, filia, vt mortuæ mihi calceos è pedibus detrahas. Ea itaque defuncta, cæpit filia nescio quos calceos in tenues membranas deductos, è pedibus educere, distincta apparente in eis digitorum omnium cùm suis vnguibus imagine: qui postea seruati ab eadem filia, & demùm ad Ecclesiam delati, videntur adhùc in Ecclesia S. Dominici eiusdem ciuitatis S.Seuerini.

7. *Georg. Polacus, de translatione S.Luciæ Virg. & m.* Cùm translatum fuisset Venetias corpus S. Luciæ Virg. & m. primùm in templo S. Georgii Maioris locatum fuit, deindè cùm ad templum Annunciatæ esset transferendum, monachus ordinis S.Benedicti peculiari deuotione actus, manum Virginis tenuit, exclamans cùm lachrymis, se nolle tanto thesauro priuari: & diuinitùs factum, vt manus spontè à toto brachio separaretur, vt innueret se toto corpore velle eò ferri, quò decreuerat Respublica Veneta, sic tamen, vt aliqua ex parte deuotioni se colentium satisfaceret.

8. *In actis S.S. Martij, tom. 2. in Cont. Bollandi.* Cùm B. Methudius à summo Pontifice petiisset vt sibi concederet corpus S.Cyrilli Episcopi, & Sclauorum Apostoli, qui Romæ decesserat, vt secùm in Morauiam deferret, non annuit Apostolicus; ille verò clàm sustulit, secùmque deportabat. At dùm quadam die in loco quodam amæno quiesceret, & postea cùm sancto corpore procedere vellet, nulla ratione ab illo potuit abire loco. Beatus itaque Methudius orationibus insistens, petiit sibi diuinitùs reuelari, quònam corpus id sacrum deberet deferri. Tunc S.Cyrillus manu dextera eleuata, ostendit fratri suo Methudio multis videntibus, quòd Romam iterùm deportari deberet. Quo deportato, Papa cùm populo Romano, sancto occurens corpori, & reuerenter id recipiens, in Ecclesia S. Clementis, vbi antea iacuerat, iterùm sepeliuit.

9. *Baronius, an.* 1184. *ex Longino, Chron. Pol.* Rege Poloniæ Casimiro hoc anno petente à summo Pontifice Lucio III. Sancti alicuius reliquias; Lucius idem loca martyrum ingressus, quis sanctorum illic quiescentium migrare vellet, inquisiuit. Ad quam vocem, serio ne, an ioco à summo Pontifice prolatam, ex tumba, in qua corpus sacrum B.Floriani conditum erat, manus protensa, & eidem Pontifici appellanti, designantis, & indicantis se apparuit. Quo miraculo Pontifex admonitus, eiusdem sanctum corpus per Ægidium Mutinensem Episcopum, Regi Casimiro, & Cracouiensi Ecclesiæ transmisit, à quibus honorificentissimè susceptum est, insigni in eius honorem Ecclesia condita.

10. *Vincentius in Spec. Hist. lib. 20. cap. 44.* Quidam Abbas impetrauit ab Abbatissa Coloniæ corpus vnius sanctarum Virginum sociarum S. Vrsulę, promittens quòd ad Ecclesiam suam ferret, & in capsa argentea collocaret; sed cùm per annum integrum illud super altare in capsa lignea tenuisset, quadam nocte cùm idem Abbas cùm conuentu matutinum cantaret, videntibus cunctis, Virgo sancta corporaliter desuper altari descendit, & inclinans maiestati, per medium chorum omnibus monachis videntibus de Ecclesia exiuit. Stupefactus Abbas, ad capsulam cucurrit, & corpore non inuento, Coloniam properans, cùm rei ordinem Abbatissę dixisset, corpus virginis in tumba, vndè illud sumpserat, inuenit.

11. *In actis S.S. Februarij tom. 2. in contin. Bollandi.* Ex apparitione trium liliorum supra domum S.Eusei Eremitæ Sarraualle in Pedemontio, dignoscentes Sarraualenses sancti viri obitum; Parochus atque oppidani eò iuerunt, vt sacrum corpus sepulturæ mandarent. Deportatum igitur fuit ad S.Martini parochialem ædem tumulandum. Sed stupendo prodigio in priorem locum vltrò vi diuina relatum, idque tribus vicibus; nemini dubium fuit, quin illic sepeliri se vellet vir sanctus, vbi vitam egerat. Subitò ergo est extructa ad eius sepulchrum ædicula; quæ postea populi crescente concursu, & deuotione ampliata est in ea forma, quę nunc conspicitur.

12. *Ibidem in Martio tom.* 3. Miles quidam nobilitate equestri ex vrbe Astensi illustris, cùm agnouisset S. Secundi Martyris corpus, Venetias clàm delatum fuisse, eam vrbem petens, tumulum sciscitatus, digitum de pede martyris abstulit, & secùm ad patriam reuersus detulit; sed cùm statuisset ob eius acquisitionem solemnia facere, digito non inuento, Venetias iterùm remeans, ad pedem martyris ligatum inuenit, & pænituit.

13. *In actis S. Aldrebrandi Episcopi Forosemproniensis.* Transtulerunt ipsum corpus S.Aldrebrandi in altare capellæ, quæ erat propè capellam magnam, & tunc Paganuccius Masculi recepit vnam reliquiam digiti eius, & morando in sua domo statim præsensit infirmitatem in corpore magnam, cogitando de facto, reportauit digitum, & astando ante altare ipsius genuflexo visibiliter recessit de sua manu dicta reliquia ad suum corporis locum.

14. *In vita S.Georgij m.* Cùm Alfonsus Aragonorum Rex, maximo flagraret desiderio habendi caput S.Georgii, quod in insula Ægina non longè à Peloponneso conseruabatur, illòque misisset qui sacram reliquiam deportaret; metu Imperatoris, licet inuiti ciues, caput sanctum nuncio dederunt. At Nuncius nauim ascensus, dùm oborta maxima tempestate, sacras reliquias exponi iubet, nullibi sunt inuentæ, quippè quæ diuinitùs ad locum, à quo deportatæ fuerunt, translatæ erant.

15. *Ioan. Ant. Castilionæus, par. 1. fasc. 6. antiquit. Basilicæ Vicentianæ; de Angilberto Episcopo Mediolan.* Angilbirtus Archiepiscopus, ex deuotione dentem de ore B. Ambrosii extraxit, & in annulo suo posuit. Quadam vice dens de annulo decidit, quem cùm Archiepiscopus vbique perquiri faceret, quædam vetula apparuit dicens: Dentem inuenies vbi abstulisti: Quo audito, Archiepiscopus ad corpus B.Ambrosii accessit, & ipsum in ore B.Ambrosii reperit. Tunc ne de cætero aliquid

quid de corpore ipsius auferri posset, ipsum sub terra occultauit.

16. *In m. s. s.* Cùm quædam Comitissa, filia Barnabouis de Vicecomitibus, postquam visitauit Corpus S. Iacobi Apostoli, cuius pars in monte Grigiano diœcesis Veronensis colitur, 'dono accepisset digitum S. Corporis, indèque Germaniam versùs progressa fuisset, tertia die à dono accepto, idem digitus repertus est super altare Ecclesiæ S. Iacobi, non permittente sancto Apostolo, partem aliquam à reliquo corpore separari. In eo autem loco vsque adeò deuotè colitur venerabilis reliquia.

17. *Secundus Lancellotus, in Hist. Oliuetana lib. secund. cap. 40. de Monasterio Saxonivio.* Cùm anno Domini 1558. in hac Ecclesia transferrentur in decentiorem locum corpora S.S. Martyrum Carpophori presbyteri, & Abundii Diaconi, Thomas Vrsinus Fulginatum Pro-Episcopus, qui aderat, cùm religione ductus martyribus dentem subduxisset, & è manibus in sacrorum ossium arcam prolapsus esset, inueniri nunquam potuit, relicturum vouente, illicò apparuit.

18. *Vuadingus, in Addit. ad tom. 6. Chron. Minorum.* Mattheus, tertii ordinis S. Francisci professor, ingenti miraculo sepultus est in cœnobio ab oppido Gulionisio in Apulia ad M.P. in decliuio cuiusdam nemorosi collis extructo. Cùm enim in templo isto sub mortem sibi sepulturam elegisset, sed in Ecclesiam suam clerus secularis cadauer per vim intulisset; post tertium à funere diem summo mane inuentus est genuflexus iuxta crucem, quæ præ foribus cœnobii erecta est. Interrogatus quid vellet? respondit, velle quidem se in illa cœnobii Ecclesia, quod adhùc viuens declarauit, sepeliri. Quo portento, non immeritò commoti fratres, cum honorifico funere cohonestarunt.

19. *In actis S. S. Martyr. tom. 2. in Contin. Bollandi.* Multis annis elapsis post mortem S. Narcissi Episcopi Gerundensis, & Augustani Apostoli, cùm quidam religiosus Abbas digitum pedis eius furtim vellet diripere venerationis intuitu, cunctis videntibus, & de miraculo stupentibus, pedem retraxit.

Defunctorum Admirandi alij motus ob varias causas.

§. 8.

Remanent alii prodigiosi enumerandi defunctorum motus, ob varias causas mirabiliter à diuina ordinati prouidentia. Sunt autem.

1. *In actis S. Bonifacij M.* S. Bonifacii martyris sodales, qui nihil de glorioso eius agone inaudierant, immò eum abesse interpretabantur, pro ante actæ vitæ consuetudine irretitum aliqua illecebra voluptatis; vbi truncum eius cadauer, & abscissum caput causa fidei aspexerunt, & hoc cognouerunt etiam corpori ex miraculo adhæsisse, territi religione, ac metu, veriti sunt ne sanctus Martyr foret offensus eo iud cio tàm alieno. At Sanctus Bonifacius, adhùc nouo miraculo aperuit lumina oculorum, atque intuitus est eos beneuolè, cælestem quamdam præseferens in vultu lenitatem; atque ostendens, iram in animis cælestibus non superesse.

2. *S. Antoninus 2. par. Chro. tit. 13. cap. 6. §. 21. de Auiberto Rothomagensi Episcopo.* Post eius mortem, cùm sudarium cera litum capiti eius imponere vellent, visus est aperuisse oculos, effigiem præferens viuentis, ita vt aliqui dicerent, eum esse rediuiuum. Nàm adspectus faciei multùm erat roseo perfusus colore. Quidam verò dicebant, pro sudario cera imbuto quasi indignatum esse.

3. *In vita S. Simeonis Stylitæ, cap. 3.* Cùm mortua esset mater S. Simeonis: posuerunt eam ante columnam, supra quam vitam agebat S. Stylita: Ille autem eam intuitus, pro eius æterna quiete rogauit Dominum. Et statim matris corpus commotum est, ac vultu subrisit; omnesque adstantes id videntes laudauerunt Deum.

4. *Petra sancta, in mirac. comparatis, capit. 42.* Romæ S. Cæcilia Virgo & m. cùm nostro æuo patefacta est eius vrna sepulchralis, vertit se, composuitque in latus aliud.

5. *Tho. Boz. li. 15. cap. 7.* Euagrius, qui sub ea tempora fuit, ac post eum Nicephorus, tradunt, Thomam quemdam monachum fuisse in Cælesyria sanctissimæ vitæ. Eius cadauer incolæ loci, in quo decessit, in communi monumento reposuerunt, alijs atque aliis plurimis super illud congestis: sed corpus Sancti semper supra alia se se ferens, obiecta cadauera infra se ponens longè amouebat.

6. *In vita B. Vuborada Virg. & m.* Postquam lotum corpus linteaminibus reuolutum in sarcophagum leuare voluerunt, cognouerunt, eis impedimento esse, B. Virginem in finali angore vnum crus atque brachium ad se trahendo curuasse, spirituque recedente ante eorum extensionem in curuitate diriguisse. Procùl dubio fidelium est credere, Deum hoc ad declaranda Martyris suæ merita fieri voluisse. Volant in turba diuersæ cogitationes, nec sectionem artuum æstimabant Virgini esse iniuriam, libitinam autem secundùm membrorum curuitatem formare laboriosum duxerunt. Cùmque ita penduli stetissent, viderunt eadem membra veluti viuentia in directum se extendere.

7. *Arnoldus Rayssius, in Hierogazophilatio Belgico.* Grimbergense monasterium ordinis Præmonstratensis in Brabantia apud Viluordem possidet corpora quatuor Virginum ex sacro collegio vndecim millium virginum, quæ Colonia per Comitissam de Medem hùc fuere translata anno CCXLVII. qua in translatione hoc miraculum contigisse fertur: si quidem sacra illa ossa, cùm lacte lota, solique exsiccanda fuissent exposita, deberentque in alteram partem conuerti, omnia se se spontè, nullo mouente, in aliud latus conuerterunt.

8. *Bzou. an. 1485. numer. 23. de Beata Eustochio Catanensi ord. min.* Quinto à morte B. Eustochii die æditua cùm aliis quatuor monialibus in oratione matutina perseuerantes, tres ictus validos dari in loculum, cui Eustochius mortua indita erat, audientes, reliquis sodalibus accitis, cùm laculum aperuisset, aspexerunt vultum illius rubi-

rubicundum, odorem suauem redolentem; cætera verò membra tàm viuida, quàm si spiritum non exhalasset: ac præterea sanguinis riuulum è naribus stillantem, neque per totos viginti duos dies stagnantem: quo perunctâ quædam cæca, & leprosa, visum, & sanitatem recuperauit, nec non alii permulti infirmi curati sunt.

9. *Ioannes à Iesu Maria, de Sancta Teresia*. Anno 1585. 18. Octobris, Patres Carmelitæ discalceati comitia Pastranæ cogunt, & S. Teresiæ corpus, Alba Abulam, in monasterium scilicet, cui Beata Virgo Teresia supremo tempore vitæ præfuerat, & vbi fundamenta reformationis iecerat, deferendum decernunt; Patri Fr. Gregorio Nazianzeno Vicario prouinciali Castellæ res demandatur; & ad monialium Albæ solatium, brachium alterum præcidere, ibique deponere iubetur; expediuntur litteræ ad tres noctis horas: quo tempore (mirùm dictu est) Albæ, cùm moniales simùl essent, ac de comitiis verba facerent, ternos ictus semel, & iterùm iuxta se illatos audiunt, vt timerent, ne quis intra templum, sacrariumue externus lateret, ac eum strepitum ederet. Quò cùm ea quæ ianuis præerat exploratura descendisset, ictus alios eiusmodi audiuit: sed re noua deprehensa, quæ monasterio præsidebat ait: ne ista curemus; dæmon fortasse nos perturbare conatur; at monialis alia subiunxit, strepitum è conditiorio Beatæ Virginis Teresiæ proculdubio sonuisse: verùm quid portenderet præsagiri non potuit, donec Pater Fr. Gregorius decreti horam asseruit.

10. *Henriquez, ex Ambrosio Morali, de Reliquijs ad monasterium Hortense delatis*. Dùm impositæ maiori altari sacræ reliquiæ fuissent; adstabant capsæ, cui erant inclusæ, duo Nouitii Acolytorum habitu induti; quorum alter in altari maiori strepitum audit; tunc ad altare accedens, vt exploraret, quid esset; retulit strepitum in capsa factum fuisse: & quamuis de eo certus fuisset; tamen attentissimè auscultauit, & iterùm eumdem strepitum audit; tuncque inter omnes constitit, in capsa strepitum excitatum; fueruntque exauditi septem, vel octo pulsus, quibus sanctorum reliquiæ capsæ lignum feriebant, quasi se in eadem vertissent: & quamuis duæ essent capsæ, vnaque alteri imposita; tamen strepitus impulsus foris exauditus fuit, affirmabantque post religiosi, eumdem quinque, vel sex passibus, à loco, in quo capsa posita erat, potuisse exaudiri. Aliquibus piè hæc considerantibus videbatur, Sanctos hoc motu indicare voluisse lætitiam, quam de reditu in patriam habebant.

11. *Sigonius, libr. 3. de Occidentali Imperio*. Completo Concilio Nicæno, decreta omnium subscriptione firmata sunt. Cæterùm in subscribendo accidit exemplum memorabile. Episcopis duobus, antequàm subscriptio celebraretur, ex rebus humanis ereptis, reliqui ad sepulchrum eorum venerunt, & tabulis symboli à se conscripti allatis, mortuos illos perindè ac si spiritum duxissent, auribusque captassent, orarunt, vt fidem, quam vnà secùm constituissent, si acta esse rata censerent, subscriptione sua sancirent: quandò nullo iàm humanitatis velo interiecto, splendore Trinitatis illustrati, veritatem ad liquidum exploratam haberent. Hæc cùm illi dixissent, & obsignatas tabulas ad tumulum reliquissent, abiere, ac postridiè reuersi, inuiolato signo, illorum manu subscriptas repetere.

12. *Idem ibidem, lib. 13*. Cùm Aduersarii, decreta in Calcedonensi synodo contra Eutychetis, & Dioscori sectarios statuta, tamquam potentia Imperatoris extorta reprehenderent, & suam sententiam adhùc corroborare contenderent; Anatolius Patriarcha Constantinopolitanus ad eos conuersus ait: Quoniam opinionem vestram adhùc mordicùs tenetis; nosque tamquam Nestorianos accusatis, qui duas naturas prædicamus, vtraque citra confusionem proprietates suas retinente, huius quæstionis diiudicatio diuino numini permittatur. Scribatur sententia vestra in vno libello, & nostra in altero; atque ambæ in sepulchro Sanctæ Martyris Euphemiæ collocentur, eique veritatis iudicium permittatur. Hæc cùm hæretici probassent, scripti ab vtraque parte libelli, elato lapide sepulchri, super pectus sanctæ martyris deponuntur; ac lapis demissus, ab vtraque parte diligentiùs obsignatur, deindè precationes ad Deum suppliciter effunduntur, vt signa edat, vtra ei sententia cordi sit. Indè post triduum, præsente Marciano, conueniunt, atque, aperto sepulchro, libellum Hæreticorum ad martyris pedes inueniunt, alterum verò in manu eius dextera, quem S. Virgo, Marciano, Anatolioque porrexit, omnibus, qui aderant facti nouitate stupentibus, ac planè attonitis. Ex quo ingens plausus, & gratulatio à catholicis facta est, hæreticis præ pudore, mæstitiaque mussantibus.

13. *Baronius, an.* 449. Sanct. Leo Romanus Pontifex, Synodo Ephesinæ, ac præsertim Flauiano Episcopo Constantinopolitano, per legatos suos tesseram fidei Orthodoxæ missurus, contra emergentes hæreses Eutychetis, atque Nestorii, eam priùs collocauit in tumulo Principis Apostolorum, ita deprecans: si quid vt homo, minùs cautè posui; tu, cui à Domino Saluatore nostro Iesu Christo, & hæc sedes, & Ecclesia commissa est, emenda. Apparuit ei verò S. Petrus dicens: Legi, & emendaui: sicut re ipsa de sepulchro est recepta, cùm emendationum notis.

14. *In actis S. S. Martij, tom. 2. in Continuatione Bollandi*. Quidam nobilis in territorio Brabantino, nomine Odelardus, cùm S. Gertrudi Abbatissæ Niuellensi in Brabantia, iàm defunctæ, miraculisque coruscanti omnia sua donare vellet, Niuellam petiit, sanctissimæ Gertrudi quidquid habebat in prædiis, cùm cespite, & ramo, cultelloque cùm manubrio albo tradidit. In eadem verò traditione res stupenda contigit; nàm nutu summi Dei scrinium, in quo Sancta Virgo iacebat, se se aperuit, corpusque exanime manum porrexit: cunctisque cernentibus, ramum cùm cespite, & cultello de manu viri, intra scrinium recepit, & sicut priùs fuerat

clausum, ac sigillatum permansit. Præfatus cespes vsque hodiè cernitur in Ecclesia Niuellensi.

15. *In actis S.S.Martyij, tom.3. in continuatione Bollandi*. Occiderunt Iudæi in Diæcesi Coloniensi propè Sigebergam, in odium religionis nostræ puerum, nomine Ioannettum, scelus verò suum occultum credidere, dùm corpus innoxium cespitibus obruere propè arcem Zur-Muhllen, quam modò gens à Gebertshagen possidet. Sed rostris fodicando eruere porci, quod subulcus matri indicauit: Quæ currui impositum transferre parabat ad cæmeterium in Troistesdorff de more sepeliendum; fecissetque, nisi equus propior Sigebergæ factus, ad eam viam, quæ etiam nunc à puerulo nomen retinet, vt in die Kindtsgaff vocitetur, recalcitrans restitisset, nulla vi cogendus eum montem vt transiret. Quæ res cùm attonitam matrem, comitesque haberet, obsecrare Deum pariter cæpere, vt sibi vellet significatum, quid insolens illa equi restitantis immobilitas portenderet, & mox viderunt ex hiante loculo porrectam sinistrorsum pueri manum Sigebergam versus: Quare ad Clerum istic existentem accurrunt, instrutamque extemplò supplicationem, eò ducunt, vbi corpus reliquerant. Quod vehens equus non ita trahi, ducique debuit, sed vltrò pompam prægressus alacriter ducere cæpit psallentes, donec triumphali more illatæ in Ecclesiam reliquiæ sunt, & in tumba iuxta vetus Sancti Annonis sepulchrum positæ; vbi magnis prodigiis Sanctus Ioannettus claruit, & manus extra loculum protensa, atque argento inclusa, ad Suecicam vsque vastitatem, incorrupta remansit, præsertim digitus, quem cupida reliquiarum tot miraculis clarescentium mater, absciderat, sed restituere coacta fuit, quia pedem ex D.Michaelis æde nequiuit efferre, priusquàm furto reuelato, filium suum placasset.

16. *Surius, in actis S. Arnulphi, 16. Augusti*. Defuncto S.Arnulpho Episcopo Suessionensi, abstractus fuit à presbytero aureus annulus, ne aliquis inter tàm promiscuas turbas eum surriperet. Cùmque sepulturæ corpus demandandum esset, volens idem presbyter annulum in digito reponere, vt cùm eo sepeliretur, contracti digiti adeò riguerant, vt id efficere non posset. Dolens ergo orauit cùm gemitu, ne Dominus fineret sacrum illud corpus suo carere cultu, & ecce (illo, & astantibus piè conquerentibus) manus dextera à pectore se erigit, digitos displicat, ac deducit, & annulum digito inserendi præbet opportunitatem, indè inserto annulo, ad pristinum se se locum retrahit, & digitos vt antea intra volam contrahit.

17. *Hugo Menard, in vita B.Adelini, libr.1. obseruat. in Febr.* Quædam mulier, nomine Guiza, in Belgio, quoddam prædium, quod postea mons Sancti Adelini dictum est, beato viro tradere cupiebat. Interim in grauem morbum incidit, & præ desiderio sancti viri tùm absentis lugebat: cumque circumstantes eam interrogarent, cuinam prædium legare vellet, illa manu tenens chirographum, se illud velle dare Adelino sæpiùs dixit, & ante aduentum sancti Adelini expirauit. Nuncius ad sanctum virum velociùs cucurrit: qui statim venit, & manus pulsum rimatus, an adhùc viueret explorauit; illa rigentes articulos aperiens, chirographum, ac si viueret, sancto Adelino dedit, cunctis, qui aderant, videntibus, reiq. nouitate non mediocriter attonitis.

18. *Vuillelmus Malmesburiensis, libr.4. de Gestis Pontificum Anglorum, de B. Etheldrida Virg.* Positi ad tempus Clerici, qui sacra diuina frequentarent; eorum aliquis procacior cæteris, aut puto, syncera mente, ad virginis incorruptionem certiùs explorandam, socios exacuere tentauit. (Audierat enim corpus Beatæ adhùc incorruptum permanere) Illis igitur periculum rei præseferentibus, ipse accemt, primòque per foramen, quod Dani effecerant, appositam virgæ candelam immittens, curiositate oculorum quantùm poterat secutus, omnia rimari: mox summitate virgæ fissa, pannos, quibus sacrum corpus inuoluebatur, ad se trahere conari. Iàmque partem attraxerat, cùm virgo indignata, nudum corpus à nebulone videri, pannum introrsùm violenter retraxit, adeò vt illum contranitentem terra supinum elideret: quo casu perpetuò debilis, & posteriùs amentia non caruit.

19. *In Chronicis Minimorum, in append. de Sorore Bernarda à Monte-forti Messanensi*. Post mortem Sororis Bernardæ, puella, quę cum aliis in monasterio educabatur, mortua; cùm proximè ad Bernardam daretur ei sepultura; illa veluti auersata, pedem longiùs tulit, & digressa est.

20. *De eadem*. Cùm supina in hypogæo à sodalibus composita esset, in pedes postmodùm erecta, stansque inuenta est, mutato etiam vestis colore, fuligineo in candidum, & splendentem.

21. *Cæsarius, lib.11.cap.56*. In Episcopatu Coloniensi duę generationes rusticorum inimicicias mortales exercebant. Habebant autem duo capita, qui semper noua bella suscitabant, suscitata fouebant, nullam fieri pacem permittentes. Diuino igitur nutu factum est, vt ambo vno die morerentur, & quia de vna erant paræcia, nomine Nuenkirchen, in vna fossa corpora eorum sunt posita. Mira res, & inaudita, cunctis qui aderant videntibus, corpora eadem dorsa verterunt ad inuicem, capitibus, calcibus, ipsisque dorsis tàm impetuosè collidentibus, vt caballos indomitos putares. Mox vnum extrahentes, remotiùs in alio sepulchro tumulauerunt, & facta est rixa eorumdem mortuorum, causa pacis, & concordia viuorum.

22. *In actis S. Gerlaci Eremitæ, apud Bollandum, 5. Ianuarij*. Tempore modico ab obito S. Gerlaci euoluto, terra quæ in superficie eius sepulchri erat, miro modo cæpit hiare; & quasi votiua quadam (si dici fas est) lætitia, egressuris margaritis viam videbatur præparare. Quid plura? contra sepultorum cadauerum conditionem, contra mortuorum cinerum, & ossium aridorum consuetudinem, contra ipsius denique leges, & decreta naturæ, Beati Gerlaci ossa super aurum, & argentum pretiosa, nullo mortalium subleuante,

de

de tumba, in qua sepulta fuerunt, emanauerunt, & hominum conspectibus se paulatim repræsentauerunt.

23. *Tertulianus, lib. de anima.* Scio fœminam quamdam vernaculam Ecclesiæ, forma, & ætate integra functam, post vnicum, & breue matrimonium cùm in pace dormisset, & morante adhùc sepultura, interim oratione presbyteri componeretur: ad primum habitum orationis, manus à lateribus dimotas, in habitum simplicem conformasse, rursùmque condita pace, situi suo reddidisse.

24. *Iulianus de Castillo, libr. 9. dis. 4.* Cùm anno 1098. defunctus esset in Hispania strenuissimus Dux Rodericus Diaz, corpus eius non humatum fuit, sed balsamo illitum, nobilibusque indutum vestibus, decem annis in Ecclesia Sancti Petri Cardeniæ in Hispania vlteriori, quadam in ædicula, in conspectu omnium asseruatum fuit: septimo autem anno post illius mortem res accidit admirabilis. Dùm enim in Ecclesia magna esset frequentia populi, aderat & iudæus; is dùm à nullo obseruaretur, accessit ad cadauer, magnaque audacia defuncto cadaueri insultans; hanc barbam, dixit, quam nec Christianus, nec maurus ausus est attingere, tangam ego, euum robur spernam: & ecce dùm manum ad barbam admouet, mortuum cadauer dextera manu arrepto gladio, eum à vagina per palmum eduxit; quo mirabili euentu perterritus Iudæus, exclamauit, omnibus prodigium patefecit, animoque reuoluens quanti Deus faciat Christianos, quorum & cadaueribus insultantes, ita punit, baptizari voluit, & quoadusque vixit, famulatui eiusdem Ecclesiæ voto se obligauit. Perseuerauit autem manus cadaueris ita affixa ensi, vt minimè amoueri potuerit, tribus annis, postque tumulatum fuit corpus.

Similia sunt notata in §. 1. de obedientibus Defunctis post mortem.

APPENDIX Ad CAP. II.

De motibus perennibus Defunctorum.

HVjusmodi Admiranda perennia fuerunt notata libr. 4. in appendice ad cap. 2. cùm de futurorum euentuum quibusdam admirandis præsagiis; & libr. 6. in appendice ad cap. 1. cùm de præsagiis perennibus futuræ mortis, & tom. 1. in appendice ad cap. 2. lib. 6. cùm de perennibus admirandis circa segetes, flores, &c.



CAPVT III.

De Admirandis Affectionibus Cadauerum quorumdam Seruorum Dei. De admirabili habitu quorumdam corporum Defunctorum.

§. 1.

OSsa S. Patriarchæ Ioseph post mortem prophetasse, & vaticinata esse, scribit Ecclesiasticus: Neque etenim in morte Hominis, moriuntur in eo admirabilia Dei, in corpore nàmque, licet exanimi, apparent eius Admiranda; & quod viuens, verbis enarrauit mirabilia Dei, & post mortem, factis eadem deprædicat, admirandisque vaticinatur modis. De quibus multa in præsenti capite; & primò de Admirabili Habitu, quem quorumdam adhùc post mortem conseruarunt, prætuleruntq. corpora. De quibus.

1. *In vitis P. P. libr. 1. de S. Paulo primo Eremita.* Introgressus Sanctus Antonius Abb. speluncam, vbi habitabat, mortuusque erat Sanctus Paulus primus Eremita, vidit genibus complicatis, erecta ceruice, extensisque manibus in altum, corpus exanime, ac primùm & ipse, viuere eum credens, pariter orabat. Postquàm verò nulla vt solebat suspiria precantis audiuit, in flebile osculum ruens, intellexit quòd etiam cadauer Sancti Viri, Deum, cui omnia viuunt, officioso gestu precaretur.

2. *Moschus, in Prat. Spirituali, capit. 89.* Narrauit nobis quidam Patrum, quòd ascenderit quadam die in montem Amanum cuiusdam necessitatis causa, inueneritque speluncam. Ingressus autem in illam, reperit Anachoretam genibus flexis, manibusque in cœlum extensis, cuius crines capitis vsque in pauimentum extendebantur. Cùm autem putaret eum viuere, prostratus ante illum ait: Ora pro me Pater. Ipso verò nihil respondente, surgens propè illum accessit, vt salutaret eum, & amplexaretur; sed tenens ipsum, inuenit mortuum. Itaque illo dimisso, exiuit. Et cùm paululùm processisset, vidit aliam speluncam; ingressusque inuenit senem, qui ait ad illum: Benè venisti frater; ingressus ne es aliam speluncam? Et respondens ait illi: Vtique Pater. Rursùs dixit ei: Nùm aliquid indè accepisti? Respondit non. Et ille: Verè, Frater, quindecim anni iàm elapsi sunt, ex quo consummatus est. Ita verò erat, ac si ante vnam horam obdormisset.

3. *Palladius, in Histor. Lausiaca, capit. 46.* Ioannes Abb. flexis genibus dùm oraret, volauit ad cælum, talique habitu corporis, & post mortem permansit.

4. *Surius, tom. 4. de Arsacio milite Persa.* Cùm vrbe Nicomediæ terræmotu concussa, & incendio penè cõflagrata, complures tunc periissent,

& reliqui omnes in agros, & solitudinem profugissent: Arsacius repertus est in turri (quæ remanserat inconcussa) pronus in terra, mortuus, eodem modo quo se ad adorandum posuerat.

5. *Ferrarius, in Catal. S.S. 28. Martij, de Sancto Conone monacho.* Vix ea verba, in manus tuas Domine commendo spiritum meum, protulit Sanctus Conon, cùm illum Deo reddidit. Sonantibus autem sponte castri Campanis, ciues rei nouitate permoti, ad cellam B. Cononis accurrunt, causam miraculi huius ab eo sciscitaturi, ac illum defunctum genuflexum, quasi orantem, & suauissimum ex se odorem mittentem reperientes, honorificè sepeliunt, multis infirmis in eius funere mirabiliter sanatis.

6. *Idem ibidem 4. Aprilis.* Gulielmus eremita apud Seculum in Sicilia, cùm defunctus esset, campanis nullo pulsante sonantibus commotus populus Seculensis, ad cellam Beati Viri pergens, illius cadauer genuflexum, manusque adhùc in cælum tendens, & locum cælesti splendore illustratum inuenit.

7. *Idem ibidem, 16. Augusti.* Limbania monialis Cypria, cùm ad extremum suæ vocationis diem peruenisset, visa est ab Abbatissa, quæ diuino monitu, locum, in quo stabat (in specu scilicet sub Ecclesiæ pauimento) ingressa erat, cælesti lumine circumfusa. Moniales igitur ad rei nouitatem vocauit Abbatissa, & cùm aliis ingressa, Limbaniam flexis genibus, erecta ceruice, extensis in altum manibus, in morem orantis, defunctam inuenit, & corpus eius odore fragrans suauissimo.

8. *Petrus Damianus, in vita S. Romualdi, c. 24.* Venerius monachus solitarius apud Tibur, ex monitu S. Romualdi, sub Abbatis cuiusdam obedientia degens, cùm per plurimos se exercuisset annos, inuentus est accliuis ante altare, in cubitis, & genibus, quasi orans, mortuus iacens.

9. *Siluanus Bazzius de S.S. Hetruriæ.* Verdiana Virgo ordinis Vallis-vmbrosæ, apud castrum Florentinum, cùm in eremo triginta annos inclusa vixisset, diem extremam sibi instare cognoscens, dùm psalmos pænitentiales genuflexa recitaret, animam Deo reddidit: Sicque post mortem, genibus flexis, & manibus ad cælum eleuatis remansit.

10. *In actis S.S. Martij, tom. 1. in Cont. Bollandi.* Genibus flexis ante Crucifixi imaginem animam emiserat B. Ioannes de Deo, Fundator Ordinis de Hospitalitate, Granatæ in Hispania; cùm demortui corpus per quartam horæ partem ita vt erat super genua erectum permansit, permaneretque in hunc diem, si eorum, qui præsentes aderant morienti, simplex pietas permisisset.

11. *In vita S. Mauri, siue mortui nati, Eremitæ Hui in Belgio.* In Siluis circa Andanam, eremiticam vitam elegit S. Maurus, in qua sanctè ad extremum diem peruenit. Cùm autem vlteriùs à nemine videretur, vicini diligenter eum quæsierunt, & mortuum iunctis manibus, scipioni incumbentem, inuenerunt.

12. *Surius, 12. April.* Alferius Abbas Cauensis, præcognita suæ mortis hora, cellulam speluncæ, in qua manere consueuerat, intrauit; se in orationem dedit; atque inter orationis verba spiritum Deo tradidit, corpore genuflexo remanente.

13. *In menol. Cisterc. 30. Septemb. de B. Benedicto monacho Morerola.* Cùm ex nimio labore, & rigidis pœnitentiis, sic esset viribus destitutus, vt sacrum celebrare non posset, petiit sibi à Priore, cuius missæ inseruiebat, sacram sinaxim dari; qua percepta, oculos, ac manus ad cælum eleuans, animam reddidit Creatori; cuius corpus mira pulchritudine, & fragrantia donatum, & flexis genibus, dùm conuentus officium pro præsenti defuncto more solito persolueret, magno omnium stupore fixum mansit.

14. *Hugo Menard, in auctario.* Ven. Benedictus Abb. S. Mariæ de Melone in Gallætia ad finem vitæ sumpto Sacramento Eucharistiæ *mortuus est*, corpore manente genuflexo, *oculis, & manibus in* cælum sublatis.

15. *Morigius, lib. 2. cap.* 33. Petrus Burghesius, ordinis Iesuatorum, humilitate conspicuus, cùm ad extrema peruenisset, genuflexus sacrosancto Viatico se communiri voluit; & eo sumpto, abiit spiritus, corpore adhùc genuflexo remanente.

16. *Idem, lib. 2. cap. 20.* Petrus Belfredellus Florentinus, ex eodem ordine, cùm in infirmitate sua vltima, validam cùm Dæmone pugnam sustinuisset, & vicisset; in extremo positus, surrexit, & genuflexus, manibusque iunctis, in cœlum aspiciens, ait: En Dominus meus Iesus Christus venit ad me. Quibus verbis reddidit spiritum, corpore adhùc genuflexo, post abscessum, remanente.

17. *Idem, cap. 5.* Gaspar de Serra, ex eodem ordine, morte imminente è lectulo surrexit, & *flexis in* terram genibus, *iunctis manibus, voce clara*, & expedita ait: *Domine scis quia meus es tu*, & ego tuus; quibus verbis emisit animam, & dimisit corpus, vt erat, genuflexum.

10. *In Chronicis Seruorum* B. *Mariæ.* B. Andreas, ordinis Seruorum B. M. stans super genua manibus decussatim se se tangentibus, serena *facie*, oculis in cælum eleuatis, totoque composito *corpore*, nullo mortis pallore apparente, licet *defunctus*, quasi orans compertus fuit.

19. *In vita Sancti Petri de Alcantara.* Petrus de Alcantara, ord. Minorum, cùm ad vltimum vitæ suæ finem se peruenisse cognosceret, post monita fratribus data, incepit psalmum, Lætatus sum in his, quæ dicta sunt mihi, in domum Domini ibimus. Quo absoluto, genibus positis, orando occubuit.

20. *In vita S. Petri Chrysologi Archiep. Rauen.* Diem obitus sui prænoscens Sanctus Præsul, omnibus benè dispositis, conuersus ad S. Cassianum, ait: Pater Cassiane, quemadmodùm viuentem in sinu tuo me educasti, ita morientem accipere digneris; Deumque pro me exora. Quibus dictis, statim sanctissimus vir genuflexus, spiritum Deo reddidit, anno Domini 449.

21. *Vuading. an. 1351. n. 28, de Conrado Placentino.* Mortuo B. Conrado, concurrerunt omnes ad antrum

antrum corpus veneraturi: & eum genuflexum, & recto corpore conspiciunt.

22. *Gonzaga, in Prouincia S. Angeli, de conuentu S. Mariæ de valle-aspera ad Tessam.* Iacet hoc ipso in loco quidam Frater, professione laicus, ac patria Tornaretensis, cuius tamen proprium nomen ignoratur: Hic cùm tempore maximæ cuiusdam pestis ad conuentus, sarcinarumque custodiam à cæteris fratribus solus relictus esset, ab ipsis post modùm, ea lue cessante, redeuntibus, genibus complicatis, erecta ceruice, extensisque in altum manibus, non secùs ac si oraret, atque exanimis in medio dormitorio inuentus est.

23. *Idem, in Prouincia Principatus, de conuentu Sancti Francisci Pesciotta.* Ex hoc oppido oriundus fuit Pater Franciscus à Pesciotta Franciscanus, qui dùm ex Hierosolymis rediret, nautis eius nauis, qua vehebatur, naufragium, antequam tempestas exoriretur, cælo adhùc sereno, prædixit, eosque bono animo esse iussit, quandò quidem solus ipse periclitaturus esset: quod & rei euentus comprobauit. Nàm non ita post multum temporis, postquam diligentissime fratri sibi socio omnes excessus in confessione detexisset, superueniente maxima tempestate, nauique ad littus allisa, atque cæteris omnibus periculum euadentibus, solus ipse periit. Quem tamen mortuum, sed flexis genibus, manibusq. complicatis ad orantis modum iuxta littus reliqui naufragantes inuenerunt, optimoq. loco recondi curarunt.

24. *Vading. ann. 1422. num. 3. de Petro Laico Fabrianensi.* Tempore epidimiæ inseruiebat pestilentibus F. Petrus, & tandem correptus ipse contagione, coràm B. Virginis imagine, iunctis manibus, & genibus flexis obdormiuit in Domino eodem corporis situ post mortem omnibus venerabilis, similis Paulo primo Eremitæ.

25. *Sedulius, in Comentarijs.* Vener. Martinus à Valentia ordinis Minorum, genuflexus, sicut orans decesserat, etiam post mortem permansit.

26. *Arnoldus Rayssius, in Hierogazoph. Belgic.* In valle Regali iuxta Gandauum sepulturæ locum accepit anonymus quidam, ad cuius animæ migrantis exitum, flamma lucida visa est: insuper, quod mirandum etiam est, flexis humi genibus, iunctis, eleuatisq. in cælum manibus exanime corpus inuentum fuit.

27. *Henriquez, de B. Teresa Regina, 17. Iunij.* Post felicem transitum, statim templum, in quo flexis genibus corpus exanime hærebat, suauissimo, & iucundissimo odore repletum fuit.

28. *In Histor. Generali Minimorum, libr. 3.* Vener. Bernardus Magaigne Minimus, cùm in extremo suæ vitæ cursu, orans genuflexus decessisset, tali habitu, flexis genibus, etiam post mortem permansit.

29. *Thomas Bozius, libr. 15. cap. 9. de Signis Ecclesiæ.* Mirandum mihi prorsus illud videtur, quòd de corpore S. Francisci memoriæ est proditum, stare illud nullis humanæ industriæ fulcris subnixum, sola diuini spiritus vi sustentatum, facie tota, oculis, & manibus iunctis, in cælum semper intentus, supplicantis in modum, nulla vetustatis vi debilitatum, nulla temporis iniuria parte aliqua incuruum. Id profectò tanti est, vt cùm sit viuentium stare, defunctorum subitò humi procumbere, nemo tamen vel viuens inueniri adhùc potuerit, qui per annum persliterit in precibus immobilis.

30. *Philippus Alegambe, de mortibus illus. P.P. Societat. Iesu.* Postquam ab infidelibus occisus est in Moluccis ann. 1558. Pater Alphonsus de Castro Vlyssipponensis è Societate Iesu, eius corpus proiectum in mare, tertio die eodem repertum est loco, vndè proiecerant, diuino quodam fulgore splendens, ac vulneribus ita recenti aspersis sanguine, vt in eodem momento inflicta fuissent. Quæ res eò admirabilior visa est, quòd eo loco maris æstus rapidissimi instar torrentis cuncta euertit. Cumulatum hoc prodigium alio, & longè etiam admirabiliori; nàm corpus, ac si viuum foret, alto scopulo insedit, qui pleno æstu aquis in fornicis speciem sinuatis ambiebatur, & sic in multos dies perstitit, quin dissolueretur. Exactis octo mensibus in eodem miri cadaueris situ reperta sunt ossa niueo candore nitentia, quæ aliundè postea delata sunt.

31. *Gonzaga, in Prouincia Siciliæ, de conuentu S. Mariæ de Iesu Corleonis.* Deuotissimus quidam Frater Laicus in hoc conuentu fuit, maximumque suæ sanctitatis specimen dedit; Cùm multos post dies ab eius funere elapsos, illius corpus genuflexum, incorruptum, atque complicatis manibus, facie interim ad summum altare versa, inuentum fit. Quamobrem tamquam beatus, Deoque charus ab omnibus colitur.

Decor Admirabilis in Corporibus Defunctis.

§. 2.

Mortem, sæua falce, rosas, liliaque genarum secare, totoque in corpore pallida suæ tyrannidis explicare insignia, quis ignorat? At admirandis modis, quibusdam licet exanguibus corporibus, eximium decorem, admirabilemq. pulcritudinem præstat Gratia. De his.

1. *Surius de S. Ansberto Episcopo, 9. Febr.* Post eius obitum, accessit venerandus Abbas Hilbertus ad venerabile corpus, assumptis secùm probatæ vitæ fratribus, & merito sanctitatis ornatis, æstimans illud ob tàm prolixi interuallum temporis (nam dies tricesimus instabat) subitò fœtere. Cùmque sanctum illius caput velamine opertum denudasset, tantæ suauitatis fragrantia indè manauit, velut si diuersorum aromatum, ac thymiamatum odoribus vniuersa compleretur Ecclesia: nàm & facies illius ita in ruborem erat versa, quasi in sopore esset, viuentis effigiem gerens. Multi quidem Sancti Præsules, & Patres, venerandi, reliquumque vulgus contemplati sunt, quia vniuersis, qui affuerant, fuit permissum hoc cernere stupendi miraculi signum.

2. *In actis S. Greg. Epis. Lingon. ap. Boll. 4. Ian.* Huius S. Viri beata facies ita erat glorificata post transitum, vt rosis similis cerneretur, hæc enim

apparebat rubea, reliquum verò corpus tamquam candens lilium refulgebat: vt æstimares eum iàm tunc ad futuræ resurrectionis gloriam præparatum.

3. *In vita S. Simeonis Stylitæ, cap.* 8. Cùm iàm esset dies ab eius excessu quartus, ita tamen corpus eius compositum erat ad decorem, velut fuerat cùm obdormiret, & videbatur facies eius quasi rosa floridissima, capillus, barbaque instar niuis purissimæ.

4. *Sulpitius, de obitu Sancti Martini*. Post mortem eius, in ipsius corpore, glorificati apparuit figura. Fuit etenim caro eius vitro purior, lacte candididior, vt septennis pueri decorem ostenderet.

5. *In vita S. Vuolphelmi Abb. Brauuillerensis*. Cùm esset iàm triduanus mortuus, apparuit non defuncti more pallidus, sed roseo colore perfusus, gratia plenus, & veluti roscidulis guttis, sudore respersus.

6. *Odoricus Raynaldus, an.* 1200. *de S. Hugone Episcopo Lincolniensi*. Cùm lauaretur corpus eius exanime, lacte candidius foris apparuit: intùs verò vitro purius cernebatur.

7. *In vita S. Paulini Nolani Episcopi*. Cùm S. Paulinus debitum Deo spiritum reddidisset, ita niueo candore vultus eius, & omne corpus affectum est, vt omnes inter singultus, & lachrymas benedicerent Dominum Deum nostrum, qui educit sanctos suos in magnificentia, vt ostendat seruis suis, quia hæc est gloria omnibus sanctis suis.

8. *In vita S. Mercurij mart.* Post eius consummationem, factum est corpus martyris album sicut nix, emittens suauem odorem vnguentorum & suffituum; & propter hoc signum multi facti sunt Christiani.

9. *In vita S. Margaritæ Scotorum Reginæ*. Quo temporis momento ad cælos euolauit anima Sanctæ Margaritæ, facies eius diuturni morbi macie, ac pallore fœdata, insolita quadam venustate refloruit.

10. *Surius, in vita S. Corbiniani Episcopi*, 8. *Septemb.* Pulchritudo faciei illius, cùm ad sepulchrum deferretur, tali inueniebatur colore, vt priùs fuerat illo viuente.

11. *Thomas à Kempis, in vita Sanctæ Liduuinæ Virg. par.* 2. *cap.* 28. Postquàm ad cælum euolauit anima S. Liduuinæ, cuius corpus triginta octo annis variis, acerbissimisque infirmitatibus continuò fuerat diuexatum, virginea facies eius, quæ virorum declinauit aspectus, vt cælestem sponsum videret limpidiùs, nullum mortis prætendebat pallorem, nec horrorem: sed quasi oleo, vel aliquo aromatico liquore linita fuisset, tanto splendore, & decenti albedine radiabat, vt non facies communis hominis mortalis, aut cadaueris defuncti videretur; sed quasi similitudo hominis glorificati aspicientibus appareret. Dicebant nàmque qui aderant, nunquàm tàm speciosam imaginem se vidisse. Vndè, licet multi ad videndam eam pluries accesserint, non tamen poterant aspectu eius satiari. Similiter & totum corpus eadem albedine, & simili splendore nitebat: tantaque gratia sanitatis, & decenti carnositate omnia membra eius refulgebant, quasi numquàm aliquid infirmitatis passa fuisset. Fractura etiam frontis eius, olim in vita apparens, totaliter euanuit. Pedes quoque, & crura, manus, & brachia, collumque corpulentum, ac totum corpus ita integrum visum est, quasi nunquam aliquid læsionis, aut vulneris in eis priùs contigisset: Excepto tamen, quòd in vulnere dextri brachii eius, & in vno vulnere à Picardis sibi illato, paruæ cicatrices, ad modum fili, in signum percussionis apparebant.

12. *In vita B. Vuilhelmi Rothensis, ordinis Præmonstrat. cap.* 36. Defuncti Vuilhelmi corpus, non vt aliorum assolent, fedæ formæ, horribilisue aspectus fuit: sed facies antea ob summam mortificationis vim, ac grauitatem assiduè sub pallida, hìc velut virginea non ad horam vnam, alteramue dumtaxat, sed in sepulchrum vsque visa fuit pulchrè rubescere: Os non diductum, sed elegantiùs viuo dispositum: oculi non horridi, sed viuidi, & perlucidi, & iucundi: tota corporis, ac in primis faciei compositio, tàm venusta, tàmque decora, ac grata, vt quot quot ad eum ingressi essent, viuere illum, ac meliùs quàm vmquam affectum esse certò æstimarent, nisi defunctum alii assererent. Nullum porrò vel minimum fœtorem corpus tàm diuturno, & lento morbo malè conflictatum profundebat, sed miram fragrantiam, ac supra quàm dici possit suauem ex se efflabat odorem: quem multi cùm magna animi admiratione, ac dulcedine se percepisse testati sunt.

13. *Surius, in vita S. Heduuigis Ducissæ Poloniæ*, 15. *Octobris*. Corpus exanime cùm abluere vellet Vuenceslana Priorissa cùm aliquot sororibus, inuenit asperrimo indutum cilicio, & zona ex equorum setis confecta cinctum. Quibus cùm illud exuissent, quædam futuræ gloriæ signa in eo extitere. Nàm color eius, qui ex crebris ieiuniis, & perpetuis castigationibus pallidus, siue croceus fuerat, cutis quoque corrugata, sub omnium aspectu instar niuis splendescere cæpit, lucisque repræsentare candorem. Facies ex morbo crocea, in defuncta visa est candida, genæ rubore perfusæ, labia rutilantia; ita vt quædam pulcherrima conspiceretur effigies, signa mortui hominis nulla præferens. Pedes eius sæpiùs squalidi, instar lactis nitidi visebantur.

14. *Ioan. Buzelinus, libr.* 5. *annal. Gallo-Fland. de B. Ioanne Morinensi Episcopo*. Quo die mortem ipsum obire contigit, primo mane e lectulo in cilicinium deponi stratum voluit; vt ea inuolutus asperitate, vitam tutiùs, & generosiùs inter pugnandum poneret. Postquam autem relicto corpore, animus in cælum liber euolauit, tàm hilarem, formosumque facies vultum induit, vt summa omnes, qui spectare cupientes ingentibus domum fluctibus penetrabant, admiratione defixi obstupescerent.

15. *Raynaldus, in Annal. Eccl. ann.* 1262. *de Beato Richardo Episcopo Cicestrensi*. Post transitum Viri Dei, corpus ipsius antea grauatum vigiliis, terræ duritia, in qua frequenter solebat decubare, confractum, ieiuniis maceratum, macerationibus mul-

tis

tis afflictum, præter humanum morem nitidissimum apparuit, vt probaretur pressuris talibus non oppressum, sed potiùs expolitum.

16. *In vita B. Margaritæ Virg. Regis Vngarorum filiæ.* Post transitum, eius facies nimio decore resplenduit, sub oculis colore existente aureo, itaut nunquam pulchrior visa fuerit dùm vixit. Simùl etiam ex eius corpore manauit odor suauissimus, aromata superans vniuersa, qui sensibiliter à cunctis eò aduenientibus percipiebatur non paucis diebus.

17. *Surius 3. Nouembris, de S. Huberto Episcopo Leodiensi.* Tanta vultui eius post mortem inerat pulchritudinis gratia, vt potior videretur, atque venustior mortuus, quàm olim fuerat viuus.

18. *In vita S. Vuiboradæ Virg. & M.* Post eius obitum, facies eius visa est Angelico quodam rubore perfusa, quasi in risum hilarescere.

19. *In vita S. Rosæ Peruanæ, cap. 29.* Tanta post eius mortem venustate, decore, & pulchritune vultus eius resplenduit, vt multi de illius decessu dubitauerint, multisque experientiis, vtrùm verè obierit, fuerit necesse obseruare.

20. *In vita S. Catharinæ Senensis.* Non defunctæ facies eius post mortem apparebat, sed niueo, lacteoque candicans colore, omnes in eam intuentes summopere recreabat.

21. *In vita S. Lutgardis.* Oculos, quos vndecim annis vis lachrymarum sanctæ Virgini clauserat, in morte mirabiliter cælum versùs aperuit, postque mortem nulla arte claudi potuerunt, quinimmò ex ipsis, totaque ex facie splendor, decorq. suauis emicabat.

22. *In vita B. Catharinæ Bononiensis, lib. 2. cap. 14.* Facies decora, vultusque hilaris, in B. Virgine Catharina post eius mortem apparuit, coloremque, & venustatem, quam assiduæ infirmitates, continuaque ieiunia, & carnis macerationes abstulerant, mors, licet inuida, mirabiliter reddidit.

23. *In vita S. Magdalenæ de Pazzis.* Corpus eius tàm assiduis afflictum languoribus, innumerisque ieiuniis, voluntariisque cruciatibus, dùm viueret extenuatum, statim post eius mortem, in alteram mutatum est speciem, viuidoque, & rubicundo colore, tàm pulchrum, decorumque apparuit, vt non horrore, vt cæterorum cadauera, sed innenarabili omnes adstantes afficeret delectatione.

24. *In vita B. Columbæ Reatinæ, lib. 5. capit. 2.* Nullus mortis pallor faciem Beatæ Columbæ inuasit; immò postquam animam efflauit, talis color, & decor in ea remansit, ac si suauiter dormiret.

25. *Ignatius de Nente, in vita Ven. Dominicæ de Paradiso, lib. 2. cap. 50.* Rubicunda eius facies, cælestique irradiata venustate, statim post mortem apparuit, quæque ieiuniis, & macerationibus, dùm viueret, exanimis videbatur, emortua adhùc inter viuos degere credebatur.

26. *S. Bonauentura, in vita S. Francisci.* Defuncto S. Francisco, apparuit eius cadauer pulchrum, & lucidum, elegantemque figuram præseferebat.

27. *Vuadingus, an. 1463. de S. Didaro Complutense.* Eius corpus præ ieiunio, abstinentia, & inedia, nigroris speciem præseferens, candore post obitum reluxit: vultus illius, non mortui, sed viuentis: artus, & articulorum, manuumque commissuræ flexibiles, vt sequerentur, quòcumque verterentur. Neque vlla corporis pars, cùm mortua caloris est expers, obriguit, vt hominis cadauer obrigescere solet.

28. *In vita S. Antonij de Padua, capit. 24.* Post eius obitum, planè corpus dormire videbatur, manibus in candorem, & colorem pristinum mutatis, & membris omnibus ad nutum contrectantium flexibilibus.

29. *In vita B. Coletæ Virg. cap. 82.* Color, qui fuit in ea decedente, perdurauit horis duodecim: indè subitò corpus eius mutatum est in pulchritudinem admirandam. Erat enim instar niuis candidissimum, venis colore cæruleo elegantissimo passim apparentibus: membra omnia formosissima visebantur, & quæ possent facilè inflecti, odorem mirificum ex se difundentia, ita vt planè in eis innocentiæ status, & omnimoda puritas reluceret. Iis ideò permoti fuere plurimi, vt supra triginta hominum millia ad eam visendam confluxerint.

30. *Arturus in mart. Franc. 18. Maij, de B. Philippo de Aquerio conf.* Cùm iuxta eius prædictioné ex hac vita migrasset B. Philippus, & ipsius vlcera, quæ priùs tetro quodam fætore circumstantes offendere assueuerant, suauissimam emisere fragrantiam: & eius caro, licet primitùs suffusca, contractaque esset, mollem omninò, albam, tractabilemque se omnibus prębuit.

31. *In ann. Minorum, an. 1476.* Die ab obitu quartodecimo sepultus est nobilissimo funere B. Iacobus de Piceno, facie adeò pulchra, & rubicunda, vt effigiem senis non præferret.

32. *Ibidem, ann. 1472. de B. Antonia Florentina Instit. S. Claræ.* Reuerenter post mortem B. Antoniæ eius cadauer in ligneo loculo collocatum est; cùm post dies quindecim quãdam sororem ingens subiit desiderium corpus eius videndi, capsam reclusit, viditque integrum, & rubicundum; sæpè deinceps thecam aperientes reliquæ Virgines, pulchro lætabantur aspectu, modò candidam, modò rubicundam aspicientes. Missus ab Episcopo Cardinale Magister Stephanus insignis medicus, testimonium perhibuit, rarum illud censendum esse miraculum.

33. *In vita B. Laurentij Iustiniani, cap. 12.* Post biduum à morte B. Laurentii, rubescere genæ, & viuus per membra sanguis conspici cæpit. Quinimmò cùm corpus eius sexaginta septem dies insepultum iacuisset, nullum fætorem, sed suauissimum odorem emisit, incorruptumque permansit.

34. *Boluitus, in vita B. Andreæ Auellini Cler. Re. l. 1. c. 27.* Post eius mortem, vnus ex nostris inter cęteros, vbi sancti viri corpus iacebat venerationis illectu pernox perseuerauit, quòd internitentem, & ra-

& radiantem vidisset eius faciem, & idcircò illum crederet inter cæli accolas ascriptum, beata iam frui Dei præsentia.

35. *Bozius de signis lib.12.c.21.* Ven. Andreas ex Olmo, ord. Prædicatorum, sub annum 1528. in Indias Occidentales venit, & quadraginta tres totos annos in iis perlustrandis, populisq. ad Christi cultum perducendis insumpsit. Tandemq. decessit. Post mortem, eius corpus, antea subfuscum, statim candidissimum, fulgens, & suauissimè olens mirabiliter apparuit.

36. *Menard. de B. Margarita à S. Geltrude, Abb. Vallis Gratiæ.* Post eius mortem, cùm è lecto, vt lauaretur, educta est, facies eius rubicunda apparuit, & quasi minio perlita, longè quàm cùm vita suppeditabat pulchrior, corpusculumque eius suauissimum odorem spirabat.

37. *In vita Vener. Francisci à puero Iesu, Carmelitæ.* Cùm post eius mortem cuidam fratri, Ioanni nomine, demandatum fuisset, vt imaginem eius exprimeret; attentis in eum intuens oculis ad delineationem ordiendam, vidit faciem eius, vt defunctorum esse solet, pallidam. Alii aliquot vt viderent venerunt ex fratribus, qui dixerunt: F. Ioannes, ecce modò quàm formosus color Franciscum decore nouo venustat; vndè attentiore oculo illum examinans, vidit, vt dicebant, ita habere se rem, & festinantes ad Superiorem, noui eum prodigii commonuerunt. Venit ergo & superior, vidit, & admiratus est. Neque verò quisquam id admirandum fuisse dubitare habet, quandòquidem sãguis ipse, qui viui illius coloris causa esse poterat, iàm refriguisset, ac coagulasset, efformis, & ineptus foret ad humanis carnibus speciem suam restituendam.

38. *In actis B. Oringæ, apud Bollandum 10. Ian.* Permansit corpus eius, à morte multò quàm antè speciosius, & clarius; oportuitque, vt populi vndique magno numero concurrentis pietati fieret satis, decem, ac septem dies insepultum illud asseruare.

39. *Isidorus, de Isolanis lib.8. cap.3. in vita B. Veronicæ.* Nocte, quæ diem sepulchri virginei præcessit, affuere Mater cænobii, eiusq. Vicaria, ac sorores nõnullæ vnà cùm nobili Matrona Mediolanensi, Antonia de Stampis, admirantes in Virginis cadauere nouam pulchritudinem, veluti per singulos dies auctam, obstupescebant roseam faciem rubore perfusam, manuum venustatem, vnguium rubedinem, & totius corporis decorem cælestem.

40. *Bzouius, an.1485. num.23. de B. Eustochio Catanensi, ordinis minorum.* Quinto à morte die, reperta est B. Eustochius in tumulo habens vultum rubicundum, odorem suauem redolentem; cætera verò membra, tàm viuida, quàm si spiritum non exhalasset.

41. *Zachar. Bouerius in ann. Capuccinorum 1537. de Ludouico Rhegino Calabro.* Post mortem F. Ludouici, corpus eius in Ecclesiam delatum fuit. Cum obitus fama per vrbem, ac circumiacentem regionem diffusa, tàm ingens vtriusque sexus multitudo ad illud venerandum confluit; vt cùm ob populorum frequentiam tumulo recondi non posset, diutiùs insepultum iaceret. Eo tempore caro illius nullatenùs à pristino colore immutata, nihil triste, aut squallidum, aut funestum, sed iucundam potiùs, ac gratam viuentis speciem præseferebat; atque adeò tenera, mollis, & tractabilis erat, vt ad leuissimum cuiusque contactum cederet. Tantum verò abest, vt ex ea quicquam vel exigui fætoris sub tanti temporis spatio quisquam perciperet, quòd indè potiùs omnium aromatum thesaurus efflari, ac suaueolentiæ myrothecia, velut ex cornucopia effundi viderentur; quæ vniuersos cælesti planè odore recreabant.

42. *Idem ibidem an. 1552. De Fra. Matthæo à Bascio.* Locus, in quo post mortem iacebat Fr. Matthæus, tanta odoris suauitate, quæ ex defuncti corporis ore emanabat, fragrare cæpit; vt omnes illud cælestis potiùs, quàm terrenę habitationis domicilium crederent. Ven. quoque viri vultus, qui antea asper, ac seuerus videbatur, tàm pulcher, ac venustus apparere cæpit; vt Angelicam potiùs, quàm horridam mortui hominis speciem præseferre videretur.

43. *In vita B. Turibij Alphonsi Mogrouej, Archiep. Limensis, cap.17.* Post mortem; vultus, faciesque eius, tàm mirabili pulchritudine & decore rutilabant, vt animæ iàm glorificatæ cælestes dotes corpus participare videretur.

44. *In actis Ven. Vrsulæ Benincasæ.* Post mortem Ven. Vrsulæ Benincasæ, membra eius flexibilia, facies decora, & totum corpus absque vllo fętore, vel horrore visum fuit, immò suauissimum spirabat odorem.

45. *In actis Ven. Francisci Olympij Cler. Reg.* Post obitum Ven. Francisci, præcipuè dùm à pictore exprimeretur eius imago, corpus eius adeò rigidum remansit, vt credi potuisset à multo iàm tempore illum esse defunctum. At cùm sacerdotalibus vestibus fuit indutum, adeò flexibile factum est, vt multi brachia sua mouerint ad ipsum cruce signandum.

46. *Michael Loth, in vita Ven. Sor. Mariæ Raggiæ, ex Tertio ordine Sancti Dominici.* Cùm mortua esset Romæ an. Domini 1600. Ven. Maria Raggia, postque quindecim dies ab eius obitu in decentiorem locum translatum fuisset eius venerandum corpus, inuentum est molle, & flexibile, ac si adhuc viueret; quinimmò suauissimus ex eodem exhalabat odor. Insuper in eodem manifestè apparuere signa sacrorum stigmatum, quibus dùm viueret à Christo Domino fuerat decorata.

Aliqua his similia notabuntur infrà, cùm de admirandis incorruptionibus cadauerum, & sacrarum exuuiarum aliquorum seruorum Dei, in appendice.

Crines, & vngues mirabiliter crescunt quibusdam Cadaueribus.

§. 3.

AVgumentatiuam potentiam, quæ recedente anima, in corpore perit, admirandis modis quandòque in cadaueribus conseruatam esse, crinesque, & vngues, ac si viuerent, in eis crescere, non

non sine stupore obseruatum est. De his.

1. *In vita S.Gaudentij Episcopi Nouariensis,22. Ian.* Sacratum S. Gaudentii corpus roseo fulgore micans, odorisque fragrantia redolens, ab vndecimo Kal. Feb. vsque ad tertium Nonas Augustas inhumatum fuit. Quod tamen corpus non parum miraculum in semetipso ostendendo quotidie à pluribus videbatur, enim verò capitis, genæq. cæsaries, vnguesq.manuum,ac pedum, vt olim viuenti, ita multis videntibus iugiter crescendo germinabant.

2. *Ioan.Buzelinus, in ann.Gallo-Fland.lib.3.de corpore S.Amandi*. Admirabiliter visi sunt in defuncto corpore S. Amandi capilli, & vngues penetrato etiam inuolucro admodùm creuisse, ideòque ad memoriam, & cultum recisi.

3. *Vincentius, in spec.Hist.lib.25.cap.32.* De S. Eadmundo Anglorum Rege scribit Abbo Floriacensis Abbas in eius vita, quòd ex eo post multa tempora incolumi, & viuido reperto, vngues succreuerint, & capilli, quos quotannis præcidere solebat matrona quædam pia, ad eius tumulum multos annos commorata.

4. *Abbas Florentius, de S.Iudoco filio Regis Britonum*. Post eius mortem, perinde ac si viueret, cadaueri Sancti Iudoci vngues præfecti diù fuerunt; crines verò peculiariter die Sabbati quauis hebdomada ei aliquandò minui consueuerunt.

5. *Auctor Fast.Marian.de Sancto Colmanno m.* Capilli, & vngues post eius mortem crescentes,admirabiliter in eius corpore sunt obseruati.

6. *Surius 3.Nouembris de S. Huberto Episcopo Leodiensi*. Anno decimo sexto ab eius decessu, inuenta est cùm corpore corona capillorum eius aliena prorsùs ab omni læsione, cæsaries verò aucta; & prolixitate, & pulchritudine.

7. *Pet. de Natal.lib.1.c.17. de S.Eligio Episcopo*. Defunctus est vitæ suæ 80.anno, miraculis clarus: sed dùm anno reuoluto corpus eius transferri deberet, incorruptum inuentum est, & barba sibi renata, quę die sepulturæ suæ ei fuerat abrasa.

8. *Ioan.Molan.in Natal. S. S. Belgij, de B. Lietberto Episcopo Cameracensi*. Testati sunt qui morienti adfuerunt, albedinem capillorum ipsius Sancti Lietberti in pristinum iuuentutis rediisse colorem.

9. *In vita S. Anthimi Episcopi,& m.* Caput S. Anthimi postquam abscissum fuit, comam, & capillos genuisse dicitur.

10. *In m.s.s.* Senis in monasterio Sanctæ Mariæ Angelorum seruatur caput S. Galgani ordinis S.Augustini, cuius capilli crescunt singulis mensibus. Ita Eugubii barba Beati Petri aucta est.

11. *In Chronic.minorum, part.1.lib.8.cap.43. de B.Helena Paduana*. Paduæ in monasterio exteriori de Arcella maximè florens virtutibus vixit B. Helena. Huius corpus ostendunt sorores integrum venientibus illùc,cùm tamen sit longum tempus,quod mortua est;& quod maius est,ita sibi crescunt capilli, & vngues,ac si viueret; vndè tondent sorores prædictæ,& præ deuotione largiuntur petentibus.

12. *In annal.min.an.1252.num.11.de B.Rosa Virg.Viterbiensi*. Sanctimonialis quædam, cuius custodiæ commissa erat capsella, in qua reconditum est virginis corpusculum, Christi famulæ euulsit vnum ex vnguibus. Postera die corpus deuotè conspiciens, vidit eidem digito vnguis euulsi, alium excreuisse tersum, & nitidum, cęteris, qui iàm nigrescebant, longè candidiorem. Expauescens monialis, timensque sanctæ virginis offensam, temeritatem confessa, errati veniam à Primiceria expostulauit.

13. *In vita Beatæ Catharinæ Bononiensis*. Ex integro, & tractabili eius cadauere admirabiliter obseruatum est, capillos, & vngues crescere, quas præcidentes moniales, venerationis causa conseruabant, distribuebantque.

14. *In actis S.S. Aprilis, tom.1. in contin. Bollandi*. Cùm defuncta esset Ven. Catharina de Palantia, ex eiusque manibus vngues exisi fuissent, iterùm creuerunt in eius digitis.

15. *Zachar. Bouerius, in Annal.Capuc.1542.de Maria Longa insignis probitatis fœmina*. Corpus Mariæ Longæ, cùm annus ab obitu effluxisset, atque in humido terræ sinu conditum communibus cùm cæteris putrefactionis legibus subiectum esse oporteret, integrum tamen, ac nulla ex parte corruptum à maxima populi freqnentia, quæ eò confluxerat, maxima cùm admiratione cernitur. At illud mirabilius,quòd illi capitis capilli, & vngues manuum, ac pedum,perindè ac si viuum esset, excreuerant: ex quo ingens populi clamor mira inclamantis, ac Deum laudantis, exoriri cępit.

Sanguis ex cadaueribus, aut sacris Lipsanis, mirabiliter effluxus. §. 4.

TAceant nunc Philosophi, & qui vitam ex sanguine constanter arguere conantur; ex extinctis cadaueribus, frigidisque lipsanis, sanguinem viuidum profluentem quandòque videntes, vel mutent sententiam,vel Admirabilia Dei, in suorum etiam corruptibilibus exuuiis admirentur. De his.

1. *In Euang. Hist.* Defuncto Christo Domino, vnus militum lancea latus eius aperuit, & continuò exiuit sanguis,& aqua.

2. *Baronius, anno 451.num. 56.* In sepulchrum S. Euphemiæ Virg.& marty.in ciuitate Calcedonensi, quodam tempore Episcopus Constantinopolitanus, præsentibus Sacerdotibus, & populo, ferrum oblongum spongia circumligatum ad ipsius reliquias vsque immittebat, quod retrahens, spongiam plenam cruentis guttulis sanguinis, concretis plurimis retrahebat, deuotisque distribuebat. Tantaque fuit guttarum concretarum indè extractarum copia, vt piis Imperatoribus, sacerdotibus omnibus ibi congregatis, & vniuersæ populi frequentiæ abundè satis superfuerit, tùm ad participandum, tùm ad mittendum cæteris fidelibus per orbem vniuersum. Quę res accidebat non aliquo certo, & definito tempore;sed pro vt Episcopi vita,& morum grauitas ferebat.

3. *Bozius, de signis Ecclesiæ lib.15. cap. 10.* Ex corpore Sancti Sampsonis hospitis olim cruor exibat,

bat, quo plurimi morbi curabantur.

4. *Surius, in vita S. Corbiniani Episcopi 8. Septembris*. Pergentibus, atque deportantibus corpus Episcopi Corbiniani, cœpit de naribus eius emanare sanguis tàm calidus, vt de corpore viuo solet effluere. Quem colligentes in vasculum fictile, deportauerunt vsque ad castra: vbi cùm sancto corpore vigilando illa nocte manserunt, & vas plenum ipsius sanguinis in eodem loco infoderunt in terram,& cooperuerunt. Cùmque pallium super corpus eius expansum, & sudarium, quod fuerat super caput eius, abstulissent, iterùm sanguis ex naribus viri Dei egrediebatur calidus, qui inter tot montium spatia fuerat adportatus. Tunc omnes vna voce magnificabant Deum in sanctis eius,& sanctum corpus eius in Ecclesia Sancti Valentini confessoris Christi,vt ipse disposuerat,sepulturæ tradiderunt.

5. *Einchardus, de translat. S.S.M-M. Petri, & Marcellini, apud Baronium, ann. 826*. Antequam è veteri sepulchro eleuarentur sacra corpora martyrium Petri,& Marcellini,is,cui onus demandatum fuerat, cùm hoc facturus cereum accenderet, & circùmtendentia pallia, quibus ille loculus tegebatur, subleuaret; animaduertit loculum mirum in modum humore sanguineo vndique distillantem, & rei nouitate perterritus, hoc quod viderat, properè nunciare curauit. Tùm omnibus,qui aderant, sacerdotibus accedentibus, illud stupendum, atque omni admiratione dignum miraculum aspexere, nàm vt columnæ, atque abaci, vel signa marmorea pluuia instante, sudare, ac circumflere solent, sic loculus ille, qui sacratissima corpora continebat, vero cruore madens, & ex omni parte perfusus inuentus est.

6. *Surius, 1. Decembris, de S. Eligio Episcopo Nouiomensi*. Cùm S. Episcopus ex maxilla corporis S. Quintini M. dentes pro languentium medela abstulisset, ex radice dentis gutta sanguinis exiuit.

7. *Buzelinus, in ann. Gallo-Fland. lib. 2. de S. Eligio Episcopo Nouiomensi*. Mortuo S. Episcopo, Bathildis Francorum Regina acerbissimè eius tulit mortem,cuius lachrymis, & pietati indulsit Eligius, profluente confestim è naribus ad Reginæ contactum multo sanguine, quamuis hiberno tempore iàm frigidum, & diù exanime corpus iacuisset.

8. *Nicephorus, Hist. Eccl. lib. 13. c. 24. de S. Olympiade Diaconissa*. Cùm presbyter aliquibus post Olympiadis mortem annis, eius reliquias,vt transferret, colligeret, magnam vim sanguinis super eas scaturientem vidit,adeò vt vestem quoque eius contigerit, atque indè defluxerit.

9. *Surius, in vita S. Modoaldi, 12. Maij lib. 3. cap. 5*. Quidam viri remotis arbitris, noctis ingressi tempore, pia, sed audaci violentia, mausoleum effringunt sanctissimo fœcundum Modoaldi corpore: dehinc vnus cæteris paratior, manum temerè iniiciens, & quicquid tenaci digitorum pectine concludere potuit, sibi recondens, fugam cùm sociis maturat inuadere. Quod facinùs licet amore Sancti licenter perpetratum sit, non tamen Sancto placuisse, rerum sequentium documento comprobari potuit. Simùl enim cùm illius extractis artubus, mirum dictu, sanguis copiosus erupit. Qui dùm abundè tamquam de patenti vulnere profluoret, tenebris tamen visum arcentibus, raptores ipsos nihil huiusmodi aut videntes, aut sentientes, ante prodidit, quàm à cœpto deterruit. Interea die terris reddito, cùm matutina plebs ad orandum cœpisset ex more concurrere, animaduertunt Ecclesiæ pauimentum largo perfusum sanguine,nec statim recognita, diù,multùmque incerta suspicione agitabantur, quænam illa essent cædis indicia vbi nulla vnquam mactari consueuisset victima. Sed exploratis diligenter omnibus, primò recentis fracturæ indicia, tùm nocturnæ temeritatis damna, luce clarius patuere quærentibus. Nec visus est labor difficilis fugitiuos insequi, cùm sanguis à direptis emanans ossibus, nusquam locorum reos suos desereret,donec illos conscientia trepidos,nec satis periculi securos, suis vestigijs, & quidem haùd obscuris manifestos efficeret. Mittuntur ergo expediti equites iniuriam persequi, temeritatem corrigere: qui celerrimè fugientium terga prementes, eosque facili negotio à fuga retrahentes, delicti quidem gratiam faciunt omnibus, tamen bonis adnitentibus, receptas integrè summi Pontificis reliquias ad vrbem referunt.

10. *Paulinus, in vita S. Ambrosij Epise*. Quo tempore S.Nazarii martyris corpus, quod erat in horto positum extra Ciuitatem Mediolanensem,leuatum fuit à S. Ambrosio, & ad Basilicam Apostolorum translatum, visus est in sepulchro, quo iacebat corpus martyris (qui in Neroniana persecutione passus fuerat) sanguis martyris ita recens, quasi eadem die fuisset fusus.

11. *In vita S. Genulphi Cadurcensis Episcopi, lib. 2. cap. 20*. Cùm ad cœnobium Stradense transferretur eius venerandum corpus, venientes Niuernii, à ciuibus vrbis illius, ac sibi notis fidelibus reuerenter excepti sunt. Ibi etiam à clericis Episcopii ciuitatis ipsius, nec non à sanctimonialibus ibidem degentibus expetiti, vt eis vel aliquantulam portionem de sacro B. Præsulis corpore darent, vnam è costis eius illis concesserunt. Quam cùm inter se clerici, siue Deo sacratæ virgines sibimet exequando secuissent, mox ab vtrisque partibus cruor stillauit. Admirantesque qui aderant, stupuerunt valdè: & verè viuentia coràm Deo Sancti confessoris merita, dignis laudibus attollebant.

12. *In actis S. Balderici Abb*. Post mortem S. Abbatis,ad Ecclesiam S. Laurentii, vbi viuens ipse sibi sepulchrum parauerat, celebrato per triduum ieiunio, Venerabile corpus eius perlatum est, & in suo reuerenter est depositum sarcophago; ibique seruatum fuit vsque ad tempora Regis Caroli, & Hincmari Archiepiscopi, quandò Normanni hoc cœperunt regnum depopulari; quorum terrore compulsi Canonici, corpus huius patroni sui de sepulchro leuatum, super altare S. Laurentii posuerunt,tunc tres guttæ sanguinis de capite ipsius defluxeunt,ita recentes,& calidæ,ac si de viuente profluerent corpore.

13. Su-

13. *Surius, 2. Octobris in vita S. Thomæ Herefordensis Episcopi*. Dùm in patriam redire contendit, morbo oppressus, apud Florentinos iuxta Flasconis montem decessit à vita sexto nonas Octobris, anno salutis 1287. Interea sex diebus corpus eius exanime asseruabatur, odorem spirans suauissimum. Deindè caro ab ossibus separata, in Ecclesia S. Seueri honorificè sepulta est: ossa verò per tàm longinqua terrarum, ac maris spatia in Angliam ad sedem eius apportata sunt. Cùmque obuiam illis venisset Gilbertus de Clara, Comes Glouerniæ, qui ob iura Ecclesiæ beatum virum fatigauerat, mox ab eis sanguis copiosissimus manauit, ita vt vasa, in quibus ferebantur, sanguine tincta viderentur. Id Comes ille cernens, timore, & horrore concussus, iura omnia Ecclesiæ restituit, & ob ea, quæ temerè admiserat, egit pænitentiam.

14. *Idem in vita S. Edithæ Virg.* Monachus quidam Glasconiæ, Edulphus nomine, collectam temerè in rugam à corpore S. Edithæ tunicam, presciditi, simùlque sanctum corpus ferro percussit. Et confestim sanguis inde copiosus, perindè vt solet ex vena incisa, prorupit, atque in vestes, & pauimentum manauit.

15. *In actis S.S. Mauritij, & Soc. M.M. Thebæorum*. Quædam mulier, cùm os sanctorum Martyrum seruandum accepisset, nulla fide, ac reuerentia in capsulam illud coniecit, cùmque postea eam aperuisset ad suscipiendum remedium medicinale contra cordis affectum, qui illam corripuerat, statim ecce os in mulieris faciem sanguinem iaculatus est, qua re compuncta mulier, statim suæ difidentiæ veniam postulauit, nec tamen sanguis cessauit, quin totam arcam irrigauit, nec adhuc sanguis stetit, donec consultum, vt in sacrum locum deferretur.

16. *Gregorius Turonensis, de Glor. mar. lib. 1. c. 47.* E capitibus S.S.M.M. Geruasii, & Protasii contusis illisione decidentis nescio quo casu tabulæ, tantum sanguinis effluxit, vt ex hoc reliquiæ affatim collectæ per vniuersam Italiam, vel Galliam delatæ sint.

17. *In vita S. Syluestri Abb. ordinis Syluestrinorum Fundatoris*. Cum Romæ esset, & summo studio tum sacras ædes frequentaret, ad visendum S. Cyriaci caput à Iordano S. Petri Canonico ducitur, qui Syluestrum plurimum obseruabat; quare ad sacrarum Virginum oratorium, vbi B. Martyris caput asseruabatur, cùm Iordano, duobusque sui ordinis, quorum alter fuit Iosephus, alter verò Salembinus, quem Siluester comitem adhibebat semper; rogat sacras Virgines, vt sibi liceat B. Martyris caput aspicere, & venerari; illæ arcam, in qua caput erat, aperiunt, & accede, inquiunt, cùm Iordano iàm propiùs ad arcam Pater, atque arculam qua caput clauditur tuis manibus cape; at Syluester cùm se indignum duceret, positis genibus ante Dominum tacitus obsecrauit, ac venerabundus arculam sumpsit, & remoto velo (res mira) ex cranio inuicti Martyris, Syluestro tangente, sanguis repentè cæpit diffluere; ergo stupore simùl, lætitiaq. correpti, Syluestri virtutem presẽtes extollere, & ne ipse quidem potuit continere lachrymas.

18. *Ibidem de eodem*. Quo die corpus S. Syluestri humatum fuit, monialis quędam exequiis intererat, & per summam industriam occasione arrepta, particulam pellicei sinistri pedis abscidit, abscissionem illicò mira uis sanguinis secuta est; corpus adhuc viuere diceres, illa metu perterrita aufugit, mox rem totam patefacit, excepta narratio summa omnium acclamatione, Syluestri laudes extollentium, atque ita demùm S. Viri corpusculum honorificè sepultum est.

19. *In vita S. Ottonis Episcopi Bambergensis*. Cùm quadam vice degens S. Otto in vico qui dicitur Buchebach in quadam Ecclesiola, visitaret reliquias ibidem collocatas, eas in decentiorem locum transferre destinauit; præmisso igitur ieiunio, & oratione, sigillum altaris, in quo condebantur solui præcepit, sed hæsitantibus cunctis, ac trepidantibus, ipse ferramentum corripiens, absit, inquit, vt tantum decus sub tàm vili tegmine remaneat: cùmque bis, aut ter sigillum malleo percuteret, sanguis de scistula plumbea cucurrit, ac si è corpore animalis flueret: Quo viso perterritus Episcopus, cessauit ab opere.

20. *In vita S. Pamphili Episcopi Sulmonensis*. Cùm post centum annos à morte S. Pamphili, eius inuentum fuisset corpus incorruptum, & ad publicam venerationem Episcopali sellæ fuisset impositum, tres è naribus guttas sanguinis misit, quæ in hunc vsque diem cùm casula, & sandaliis, quibus in vita vtebatur, seruatæ in mira veneratione, & & à corrupela integræ sunt.

21. *Cæsarius, li. 8. cap. 60.* In monte S. Saluatoris iuxta Aquasgrani, nuper inclusa quædam defuncta est, quæ inter suas reliquias etiam dentem habuit S. Bartholomæi Apostoli. Hoc cùm sui sciuisset sacerdos, qui ei missas celebrabat, eumque postulasset, & illa non annuisset, recessum minabatur, nisi saltem mediam ei partem donaret, illa verò dentem illum diligens, & sacerdote carere nolens, vt diuideretur consensit; licet inuitissimè. Mira res; mox enim vt sacerdos cultellum denti supposuit, ac si denuò sanctus pateretur, guttatim de illo sanguis erupit: quo viso sacerdos territus est, dentem inclusæ dimisit integrum. Ego verò eundem dentem anno præterito vidi apud sanctimoniales in Porceto.

22. *Vincentius, lib. 23. Spec. Hist. cap. 1.* Cùm ex digito S. Ioannis Baptistæ diuinitùs dono dato cuidam mulieri apud vrbem Galliæ Mauriennam, an. 613. quidam Episcopi partem elicere vellent, tres sanguinis guttæ ex eo stillarunt in lineum suppositum.

23. *Idem ibidem, li. 25. cap. 31.* Corpus S. Edgari Regis Anglorum, Glasconiæ integrum, & incorruptum inuenit Adelardus Abb. qui cùm id angusto loculo haud includere posset, ferro læsit, vndè extemplò sanguis promanauit largus.

24. *Buzelinus, lib. 3. ann. Gallo-Fland. de corpore S. Amandi*. Aliquibus post obitum annis, cùm ab eius venerando capite forcipe dentes aliquot è mandibulis à Lothario uellerentur, permultũ indè sanguinis, quasi recentis manauit, qui posteros miraculo ad sancti uenerationem seruatus exciret.

25. *In*

25. *In actis S.S. Feb. tom. 1. in Contin. Boll.* Cùm anno 1562. irruentes Caluinistæ in Galliam, ciuitatem Bituricensem cepissent, omnes reliquias, corporaque Sanctorum igne concremabant; dùm igitur aperto sepulchro Ven. Ioannæ Valesiæ Franciæ Reginæ, corpus illius integrum, & incorruptum repertum, ad locum combustioni destinatum, raperent, scelestus quidam illud pugione transfixit, quod deindè, non sine maximo miraculo, copiosissimum sanguinem effudit; cùm tamen vltra quinquaginta octo annos iàm sepulturæ datum fuisset.

26. *Ibidem, to. 2.* Cùm propè locum, vbi sepultus fuerat Hui in Belgio, S. Mĕgoldus martyr, ciuis quidā Hoyensis filium suum sepelire vellet; contigit, vt fodientibus terram (ignorabant quippe ibi sepultū esse Martyrem) mox vnda sanguinis ab intùs cùm impetu veniens emanare cæperit. Illi tenentes fossoria sanguine illita nimio stupore attoniti, vicinos conuocauerunt, à quibus edocti, ibi S. Martyrem tumulatum esse; facta diuo oratione, fossoriis intùs proiectis, eadem terra locum repleuerunt, & ad certificandum posteris loci venerationem, duos lapides cùm columnis ibi composuerunt.

27. *Ibidem in Martio, tom. 1.* Cùm quidam circunstantium sancto corpori S. Drausii Episcopi Suessionensis in Gallia, aliquid reliquiarum ex eius busto auidè implorarent sibi impertiri, vnus ipsorum obtinuit precibus, pretio quod non quiuit vllus: qui suppliciter flexis poplitibus, gratia sumendi reliquias, ad Sancti accedens corpus, vnum illi euulsit è dentibus. Res adeò mira: Dempto namque ex eius ore dentulo, illicò subsecuta est sanguinis inundatio.

28. *Ibidem.* Decesserat ad superos B. Agnes de Bohemia, cùm quędam ex sororibus, vnguem ex dextro pedis pollice, manu temera distrahit, rata se monumentum aliquod habituram amatę à se Virginis, quo absentiam solaretur; sed ingens copia sanguinis ex plaga illa errumpens attentatam perperàm pietatem extemplò damnauit: cùm tamen dies aliquot cadauer sacrum sine anima iaceret, & cæteroqui exsucca ieiunio, aliisque corporis afflictionibus Agnes, tantùmdem vix sanguinis tota haberet, quantùm ex eo vulnere post mortem effluxisset.

29. *Ibidem tom. 3.* Clodoueus Francorum Rex iàm sacris initiatus mysteriis, percupidè optauit sibi dari partem reliquiæ S. Reguli Episcopi Siluanectensis, cui sancto Regis desiderio, cùm Præsul eiusdem temporis satisfacere vellet; dentem à maxilla sancti corporis sumptis forcipibus, cùm magno tremore, abstraxit: mox miro modo, & priùs inaudito miraculo, dentem exanimi corporis, viuentis more, vnda recentis prosecuta est sanguinis. Quod videns præfatus vir, tanti stupore miraculi attonitus inconsultè, & non cùm debito honore dentem suscipiens, Ecclesiam egressus est; at numquam, secreta vi retrahente, ad Regiam peruenire potuit, quoàdusque facti pænitens, sacro cadaueri auulsum dentem restituit.

30. *Ibid. in Ap. to. 1.* Cùm defuncta esset Ven. Catharina de Palantia, & ex eius manibus vngues inciderentur, sanguis viuidus mirabiliter emanare visus est.

31. *Nicolaus Crusenius, in Monachismo S. Augustini, par. 3. cap. 10.* Ex B. Vgolini Mantuani dextri lateris aperti pectore, per septuaginta ab eius obitu dies, effluxit continuò sanguis recentissimus, quasi ex viuo corpore, suauitate innenarabili, ac virtute mirifica, claudis restituens gressum, vti & cæcis visum.

32. *Vghellus in Ital. sac. tom. 4. Episcopi Augustani.* Cum Camitissa Sabaudiæ Bona, dentem Sancti Grati Episcopi Augustæ Prætoriæ annis circiter septingentis ab eius obitu obtinere tentasset; dùm is à maxillis diuelleretur, sanguinis recentis guttæ ex loco auulsi dentis stillare visæ sunt, tantusque fragor in æthere, tot tonitrua, fulminaque recedente Comitissa excitata, vt vrbem mox ruituram ciues metuerint: à Comitissa dono haud rato precibus recuperato, cęlum statim serenum redijt.

33. *Idem ibidem, tom. 7. Minorenses Episcopi.* Cùm transferetur è littore Rheginnæ (Minorem vrbem nunc vocant) Amalphim, inuentum corpus Sanctæ Trophimenis martyris, cùmque præ nimio tumultu, ex membris eius fælici rapina furtim quæque poterat, diriperet quis: mira res, & agnita cunctis fidelibus, ita guttatim sanguis eius fluebat terra tenùs post tot annorum curricula iterùm, ceù proprio carnificis, & lanistæ iugulo feriretur.

34. *In vita B. Iosephi Præmonstratensis.* Nec hoc prætereundum reor, quòd quidam ex nostris magno feruore deuotionis accensi, in nocturnæ quietis silentio ad thecam sacri corpusculi accedentes, aperuerunt eamdem; sed nec tunc quidem aliquo sunt fætore coerciti: sed quascumque poterant vestium particulas sibi pro benedictione sumpserunt: sanguinem recentem, de innocentis ore stillantem diligentiùs absterserunt; mirantitibus cunctis, quòd in corpore sepulti, post septem septimanas (tantùm enim temporis à die defunctionis suæ, vsque ad diem secundæ sepulturæ suæ effluxerat) tàm recens sanguis potuerit inueniri; lauerunt etiam corpusculum sacrum aqua, per quam plurimi postea sanitatis beneficia sunt consecuti.

35. *Herrera in Alphabeto Augustiniano, de B. Iustina Mediolanensi.* Cùm post Iustinæ fata multos per annos, cadauer cuiuspiam sororis eo sepulchro tradendum foret, separatum fuit caput Iustinæ à reliquo corpore, illicòque sanguis ex eo profluxit. Locatum est caput in loco quodam, donec expleto funere nuper defunctæ sororis, statuerent quid agendum. Interea soror quædam simplicitate ducta caput accepit, & aquis pluuialibus sanguinem abstergebat. Cùmque multa aqua eodem sanguine rubesceret, superuenere sorores: aduenit quoque sacerdos, Monasterij Pater, largoque sanguine Virginis inaniter fuso vehementiùs indoluerunt. Cogitauerant enim venerabiliùs ipsum caput recondere. Idem quoque caput in loco quopiam minùs reuerenter locatum, sæpiùs nullo pellente decidit. Quocirca

circa

circa iussu Patris cœnobii inter sanctorum reliquias custoditur.

36. *In Hist. Vngarica Fræt. Prædicat. de Beata Helena Virg.* Cùm post annos septemdecim corpus eius in alium locum transferretur, in primis sepulchro effosso, terra aliquot palmos in aere suspensa supra eius cadauer, ne ab ea obrueretur, reperta est; Deindè ex illius corpore cùm quidam nonnihil recidere tentasset, viuus sanguis effluxit.

37. *Signius, cap.* 21. Apud montem Politianum, Tusciæ ciuitatem, integrum videtur corpus S. Agnetis Virginis. Hoc Anno 1510.bis, idest vltima Iannuarii, & 27. Februarij, præsentibus cunctis monasterii patribus, & magnificæ communitatis Prioribus, sanguinem sudauit: quo vtique miraculo, Tusciæ instantem calamitatem prædixit.

38. *In actis S. Bernardi Episcopi Celenensis, apud Sanctuarium Capuæ.* Diaconus quidam, quem sæpè numero Sanctus pro sua corripuerat lenitate, cùm Sancti Bernardi corpus in loculum poneretur, vt sepeliretur, adfuit, & sancti viri caput arripiens, tàm durè intra sepulchrum ire dimisit, vt marmori illud allideret, & de ipso capite cruor profluus emanaret.

39. *In m. s. s.* Cùm anno Domini 843. solemniter transferrentur Brixiæ corpora S. S. M. M. Faustini, & Iouitæ, Namus Comes Bentinus, qui tunc Brixiam peruenerat, dubitauit, an vera sanctorum illa essent corpora: & ecce subito tremore, & horrore perterritus est; indè ad reliquias accessit; aridas, & siccas, licet integras, post 710. annos ab eorum obitu, conspexit, & quod mirum, sanguinem copiosum ex aridis membris, vsque in terram desluere mirabiliter admiratus est; quo prodigio fidem roborauit, deuotionisque causa, & in memoriam miraculi, pretiosissimas Cruces, quæ vsque adeò ibidem coluntur, dono dedit.

40. *Surius, 26. Martij, de S. Ludgero Episcopo.* Cadauere S. Ludgeri multo post mortem tempore exhumato; inuentus est, sanguis aliquantulùm ex naribus eius profluxisse.

41. *Ferrarius in Catal. S.S. 4. Iulij.* Quo tempore diuinitùs repertum fuit corpus Sancti Antonini Martyris, & Ecclesiæ Placentinæ Patroni, in ædemque Sancti Victoris martyris solemniter translatum, illud mirandum contigit, vt dùm corpus transferretur, gutta sanguinis ex eo, perindè ac si recens effusus esset, effluxerit.

42. *In libello de mirabilibus vrbis Romæ.* Cùm anno Domini 1308. tempore Clementis V. Basilica Lateranensis igne concremata fuisset, tribus diebus è capite Sancti Pancratii marty. quod in eadem Ecclesia conseruabatur, sicut & nunc asseruatur, sanguis purissimus manauit.

43. *In m. s. s.* Cùm anno Domini 970. Goffredus Malaspina Episcopus Brixiensis donare vellet Athoni eius Patri partem corporis Sancti Apollonii eiusdem ciuitatis Epi. dùm illi caput, dextrumque brachium amputat, viuidus, rubicundusque sanguis, ac si tunc viueret, qui iàm centenis, & plùs annis obierat, exilire mirabiliter conspectus est.

44. *In articulis canoniz. Sancti Francisci Xauerij Societ. Iesu.* Cùm Goam Xauerii corpus Malaca aduenisset, & in Ecclesia fuisset expositum, magnaque populi multitudo deuotione commota ad deosculandum illius pedes accessisset: deuota quædam mulier feruore deuotionis adducta, digitum pedis morsu apprehendit, & dentibus nixa est euellere frustulum, quod pro reliquia sibi conseruaret, ex quo morsu, recens effluxit sanguis, ac si manaret de corpore viuo. Quo viso miraculo, omnes, qui præsentes aderant, valdè sunt admirati, & maximam indè deuotionem erga Xauerium conceperunt.

45. *Petrus Maffeus, in Indice Hist. de Sancto Francisco Xauerio.* Iàm tertius à morte D. Francisci Xauerii agebatur mensis; arcam sacerdotes, & amici rursùs aperiunt, nihilominùs incorruptum corpus eiusdem extrahunt mirabundi, ac Lusitano more terræ ipsi mandant, nullo capsæ, tabulæue munimine, puluino dumtaxat ceruici subiecto, & obtecta sudario facie. Quinque ipsos menses cùm in eo tumulo iacuisset, è sociis quidam missus ad Xauerium inuestigandum ab Goa superuenit, is auiditate, ac studio explorandi, cernendique oculis quæ ferebat fama, sarcophagum detegit, mirum dictu: puluinum, ac sudarium purpureo cruore tinctum offendit, dùm funeris administri, terram superingerunt, inculcantque inter sepeliendum expresso; cæterùm corpus totum planè illæsum, & eadem, quæ ferebatur odoris suauitate; clara profectò, ac testata S. Patris virginitate, ac sanctimonia, quandò nec calcis viuæ (qua priùs opertum fuerat) caustica vis, nec telluris humor, ac situs defuncti carnes vlla ex parte labefactare valuerunt.

46. *Iacobus Grassettus, in vita Beatæ Catharinæ Bononiensis, lib. 4. cap. 2.* Aliquibus annis post mortem Beatæ Catharinæ à Bononia, cùm exhumatum fuisset illius cadauer, integrumque, & suauissimum exhalans odorem repertum esset, è quodam vulnere in illo impresso, sanguis viuidus, ac si tunc expirasset, mirabiliter exire visus fuit.

47. *Vadingus, in ann. Minorum, an.* 1268. *n.* 6. *de B. Salomea.* Dùm per septem integros dies in feretro iaceret in choro monialium incorrupta, odorem spirans gratissimum, decidit ex ore, & naribus sanguis super ceruical subiectum, & linteolum, quo caput eius obtegebatur. Die octauo post traditum corpus sepulturæ apud D. Francisci Cracouiensis ædem, quò funus translatum, Abbatissa alio obducto linteamine, sanguinolenta tradidit lauanda cuidam, Salomeæ olìm pedissequę. Huius filia, Stroncha nuncupata, supposuerat capiti nocte sequenti ceruical: cui apparens defuncta, iracundæ speciem præferens, dixit. Qeomodò ausa es meum tuo capiti ceruical supponere, aut abstergere velle meum sanguinem plurimis habendum in pretio? Et subtraxit veluti indignabuoda ceruical. Quæ dùm iuuencula recitat genitrici, summo mane cruentum ceruical, & lin-

& linteamen referunt ad monasterium, vbi religiosè seruata plurima patrarunt miracula.

48. *Ibidem, ann. 1444. num. 15. de S. Bernardino Senensi*. Dùm in lignea arca iaceret corpus eius insepultum, orta est dissensio magna inter plebem, & vrbis Senatores. Vulgus in Magistratum seditione exitata, alios post alios ad quæstionem vi abripuit, eaque furebat insania, vt rationem nullam admitteret, sed lata sententia viros nobiles, ac Rectores suos, perinde ac tetros nebulones iusserit occidi: veri innoxii, veluti fures, producuntur è carcere ad supplicii locum, obligantur oculi, in genua demittuntur, & flexis ceruicibus carnificis ictum expectant; quandò cunctis audientibus personat pueri vox in aere terribiliter clamantis. Cessate ab offendendo innoxio sanguine: Sed ocyùs ite ad Franciscanorum templum, affatim illìc reperturi, quod tàm perniciosè expetitis. Territus populus ob flagitiosum animi sui propositum, rapido cursu contendit ad ædem S. Francisci, & ecce vident omnes è naribus exanimati corporis S. Bernardini tanta copia manare sanguinem, ac si è duobus fontibus largissima aqua profflueret. Arca corpus continens tàm erat plena sanguine, vt corpus ipsum in illo nataret, sanguisque redundans operimentum arcæ eleuaret: vestes, quibus corpus indutum erat, cruentæ essent, sanguisque magis, ac magis circumcirca difflueret, donec populus cùm ingenti humilitate, & deuotione veniam, & misericordiam tanti peteret facinoris. Ex eo sanguine collegerunt multi in ampullas, & vitra, eoque mirabiliter curati sunt morbi diuersi. B. Ioannes Capistranensis annis multis secùm deferebat huius cruoris vasculum, omnesque sanabat languores.

49. *In Chronicis Minorum, part. 2. libr 4. cap. 31. de Beato Stephano Cornino*. Cùm post eius mortem in decentiorem locum transferentur eius venerandæ exuuiæ, quidam os eius apprehendens, deridendo dicebat: ecce os Sancti; at ecce mirum, sanguis subitò ex arido osse distillans, manum eius cruentauit; quo prodigio stupefactus, & ipse viri Dei sanctitatem confessus est.

50. *Ibidem, part. 2. libr. 9 capit. 28.* Cùm post mortem Vener. Fra. Philippi Aquerii, deuotionis causa eius inciderentur vngues, vt reliquiæ conseruandi, ex ipsis sanguis viuidus, ceù ex viuente, exiuit.

51. *Ibidem, libr. 2. capit. 22.* Quidam terram fodientes, vt sepulchrum cuidam defuncto aptarent, casu percusserunt ferro pedem Ven. Fra. Marci, discipuli S. Francisci, aliquot ante annos ibi sepulti: ex quo vulnere statim viuidus sanguis emanauit; vndè corpus illius, integrum, & incorruptum repertum, magna exindè veneratione habitum fuit.

52. *Ibidem, part. 3. libr. 2. capit. 31. de Venerab. Ioannucij, ordinis Minorum*. Cùm in monasterio Nursiæ Venerab. hic Frater ad cælum euolasset; postera die quidam deuotionis causa, dùm parum carnis simùl cùm vngue excidit ex illius pede, subitò sanguis viuidus, & rubens ex vulnere mirabiliter emanauit.

53. *Ibidem, part. 3. libr. tertio, capit. 61.* Cùm à corpore Beati Petri de Regalada, quod adhùc integrum conseruatur iussu Elisabethæ Catholicæ Reginæ quatuor digiti recisi fuissent, sanguis viuidus, & rubicundus, quasi si viueret, mirabiliter exiuit.

54. *Ibidem, part. 3. libr. 7. capit. 7.* Sor. Eustochij Virg. Messanensis Clarissæ, post triduum ab eius obitu, venerandum corpus magnam copiam sanguinis è naribus emisit, quo multi infirmi pristinæ sunt sanitati restituti.

55. *In actis B. Luchesij, tertij ordinis S. Francisci*. Cùm quidam biduò post eius mortem extremitatem pollicis deuotionis causa amputasset; illicò sanguis sicut de viuentis hominis pollice emanauit.

56. *In vita Venerab. Hippolyti Galantini*. Exsecto eius corpore post mortem, inuenti sunt pulmones ex infirmitate ferè corrupti; mirum tamen in modum statim naturalem ruborem, & integritatem sunt adepti, ex hisque, sicuti ex cæteris visceribus, admirabili, & supra naturam modo, vt testati fuere medici, triduò sanguis viuidus emanauit, quo sudariola intincta, multa admirabilia in expellendis morbis operata fuere.

57. *Fridericus Fornerus, de Sancta Teresia à Iesu*. Albæ, Pater quidam Carmelita Discalceatus, acceptum Beatæ Virginis Teresiæ brachium, osculatus, particulam ferè loco excidentem, quæ aridè à brachio pendebat, dentibus excerpsit, & papyro condidit. Post dies octo explicatam inspexit, & sanguinis recentis guttam, quæ triplam chartam peruaserat, vidit: miratus admodùm, chartam aliam aduoluit, & alia gutta recens erupit, quod multi testes oculati obstupuerunt.

58. *Franciscus à Sancta Maria, in Histor. Carmelitana, tom. 2. lib. 8. cap. 50.* Post nouem menses à sepultura Venerab. Ioannis à Cruce, cùm quidam ab eius incorrupto corpore, digitum deuotionis causa abscidisset, sanguis viuidus illicò ex incisione exiuit.

59. *Ioan. Euseb. lib. 1. de mirac. nat. capit. 72. de de Sanctis Vrganouensibus: de eorum lipsanis.* Quædam pia fœmina, Anna nomine, à suo affine, inter familiares, reliquias, quas Vrganouæ de Sanctis Vrganouensibus obtinuerat, diuidente, particulam reuerenter accepit, & in folliculo ad collum appendit, & in sinu condidit. Sequentis mensis Octobris quintadecima die in annua Sanctæ Virginis Teresiæ celebritate, ad Carmelitarum cœnobium frequentes oppidani: Adest cùm amitina etiam Anna, & eius familia. In ipsa verò concione, dùm insignia Sanctæ Virginis referuntur miracula; incipit puella angustiari, eiusque pectus magno exæstuare ardore. Vultu, quanto prematur angore, perspicue demonstrat, innuitque, vestem remouens, pectus conflagrari; summissè rogat, vt indè educatur. Ne concio turbaretur, obtinere nequit: præcipitur seriò vt quiescat, & patienter toleret dolorem. Ipsa exi-

existimans igneum illum ardorem ex folliculo prouenire, in sinum manum mittit, quæ sanguine imbuta recenti, cùm folliculo eodem etiam madido educitur; eoque reserato, sanguinem ab ossiculo fluxisse, euidentibus cognoscunt adstantes signis. Vident & subuculam cruore infectam. Mirantur, & silentio occultant prodigium. Mysteriis sacrosanctis peractis peruulgatum innotuit. Magnalia Domini magnificant omnes, & ossiculum maxima cùm reuerentia seruatur. Aliud simile prodigium euenit in alio ossiculo eorumdem Sanctorum.

60. *Herrera, in Alph. Aug. de Venerab. Francisco de Briones August.* Cùm post decem annos ab obitu Venerabilis Francisci, transferendum esset eius corpus, quædam de populo, vt aliquas tanti Patris exuuias haberet, dentibus ei digitum abscidit; & continuò quasi de viuo corpore, copiosus de vulnere sanguis emanauit.

61. *Idem ibidem.* Cùm anno 1605. in cœnobio Salmanticensi, inuentum fuisset integrum, & incorruptum cadauer cuiusdam Fratris eiusdem ordinis, qui multis retrò annis sanctissimè obierat; quidam experiri volentes, an terebrato aliquo illius membro sanguis efflueret, cultriculum bis, terue in femur adegerunt, & statim erupit ex illato vulnere sanguineus humor, quem peritissimi quinque medici Salmanticenses miraculosum indicarunt.

62. *In vita B. Andreæ Auellini, Cler. Regul.* Cùm multi ad eius Ven. corpus post obitum accurrissent deuotionis causa, plurimos illi capillos euulserunt, multùmq. cruoris propter hoc ex capite effluxit, quod admirantes tùm nostri, tùm cæteri, ex corpore scilicet senis ferè nonagenarii, & externo die demortuo, tàm copiosum sanguinem dimanasse, exploraturi tanti prodigii originem, tria illi vulnera, in medio fronte, scilicet in pericranio suturæ coronalis, & in pellicula dexteræ auriculæ, inflixerunt, ex quibus viuidus, & rubicundus sanguis mirabiliter effluxit, quem vitreis vasculis collegerunt.

63. *In m. s. s.* Cùm paucis abhinc annis digitus corporis Beati Angeli Scarpetti ordinis Sancti Augustini, quod integrum Biturgiæ in Tuscia conseruatur, gladio leuiter ictus fuisset, sanguinem emisit.

64. *Dominicus Maria Marchesius, in vita Ven. Sor. Mariæ Villanæ, ex ord. Præd.* Post eius obitum, cùm exsectum fuisset eius cadauer, vt cor mirabiliter à Deo vulneratum extraheretur, sanguis viuidus, & rubicundus tùm ex corpore, tùm ex corde manauit; quodque admirabilius fuit, tàm densus, spissusque ex eo pectore exhalauit fumus, tàmque ardenter cor illud, præcordiaque æstuabant, licet iàm ab obitu nouem essent horæ elapsæ, vt manum admouere haùd potuerit tàm subitò chirurgus, omnesque admirati sint diuini Amoris ardentem fornacem.

Hic non incongruum erit addere quasdam admirabiles sanguinis emissiones ex locis ipsis, in quibus sanctorum corpora fuere, ex ipsis etenim prodigiosè erupisse, aut ex eorum contactu admirando modo productum esse, credendum est.

65. *Surius, in vita S.S. Mauricij, & Socior. 22. Septembris.* Sanctus Martinus Ecclesiam consecraturus Turonensem, cùm vehementer reliquias Sanctorum Mauricii, & sociorum martyrum expeteret, nec habere posset; cultro exempto, apud Agaunenses gramen apprehendit, & cespitem excidit, indéque non exiguam vim sanguinis (vtique martyrum illorum, quem fuderant) in vasculum expressit, quo & templum consecrauit.

66. *In vita Sancti Gerlaci Eremitæ, apud Bollandum, 5. Ianuarij.* Quadam die solemni, mulier quædam de castro quodam vicino, quod Herle dicitur, de sepulchro Sancti Gerlaci puluerem furtiuè sustulit, & in pepli sui extremitate ligauit, & vt opinabile est, in vsus non bonos conuertere, vel fortè minùs reuerenter habere cogitauit. Et ecce virtus Domini terram hanc multis videntibus in speciem sanguinis commutauit, ita quod per pepli fimbrias cruor sanguinis distillauit. Quidam autem in vicino manens, Ecclesiæ B. Gerlaci admodùm deuotus, Hermannus nomine, dentium dolore nimiùm fatigatus, terra in sanguinem commutata sibi mentum, & genas deliniuit, & confestim sacrati liquoris vnctio dolorem penitùs exinaniuit.

67. *In actis S. S. Februarij, tom. 1. in Continuatione Bollandi.* Erat quidam quotidianis multatus febribus, qui salutem expetens, quandam deprecatus est monialem, vt de sepulchro Sanctæ Berlendis Virginis pauxillum quid sibi daret. Illa nihil suspicans offensionis, temerè accurrit, ac rasuræ parum infra rasit; quòd cùm porrigere deberet ægrotanti, aperta manu, nil præter sanguinis coagulum inuenit, nec tamen dedit: nàm potenti Dei virtute ad mira eius pandenda, lapis cruor effectus est.

68. *Ægydius Gelenius, in admir. Coloniæ Agrippinæ.* Beata Irmgarde, Zutphaniæ Comitis filia, cùm Romam sæpiùs adiret peregrina, delatis eò pulueribus è monumentis sanctarum virginum collectis, cùm Romanus summus Antistes virgineos pulueres accepit, illicò stupuit, eosdem in sanguinem esse commutatos obseruans.

69. *Augustinus Monachus, part. 2. libr. 1. hist. Camald. cap. 4.* Est celebris ad templum Sancti Apollinaris Rauennæ puteus, sanguine sanctorum martyrum plenus; de quo ferunt, quòd cùm S. Gregorius legauisset aliquandò nuncium ad Abbatem, vt mitteret indè Romam aliquas templi reliquias: ille verò ad id faciendum ægrè induceretur; factum est diuino numine, vt Abbas pauimentum scopis mundari fecerit, collectasque cùm puluere quisquilias in capsula clausas ad Pontificem miserit; quæ Romæ aperta, illicò plena rutilante sanguine, magno miraculo apparuit, quæ res indi-

cium fecit, totum templum sanguine sanctorum Christi esse refertum. Qua fama Iulius II. Pontifex Maximus adductus, sicut seniores adhùc referre solent, post cladem Rauennæ, ad S. Apollinaris templum accedens, cùm annulum filo appensum intromisisset in puteum, ac retractum sanguine madentem conspexisset, statim illum in puteum reiecit.

70. *Antonius Paulus Masinus in Bononia illustrata, die 9. Iannuarij*. Cùm Legatus Poloniæ Regis apud B. Pium V. semel ab eodem sanctissimo Pontifice, summis precibus aliquas insignes reliquias proprio Regi deferendas poposcisset: pugillum terræ ex platea Vaticana desumpsit, Legatoque dedit. Obstupuit tunc ille, tantoque Pontifici eum puluerem pro reliquiis offerenti, haud contradicere est ausus, domum reuertens, eumdem puluerem sanguine subactum conspexit; quo prodigio intellexit, sanctum Pontificem terram Romani soli, ex martyrum sanguine sanctificatam, pro insigni reliquia haberi posse significasse.

71. *Sigebertus in Chronico, de Leone Papa, ad ann. Christi* 441. Vir Dei Leo quibusdam occidentalibus, per Legatos reliquias sanctorum petentibus, in singulis pixidibus sub nominibus petitorum martyrum, more Romanorum, Brandeum claudens, cùm desuper sigillasset, legatis largitus est. At illi verò venerabiliter suspicientes, ac scrutantes, quid à Romano suscepissent Pontifice, particulas Brandei repererunt, quod videntes Legati, vehementer irati sunt, dicentes, dominos suos pulcherrimis palliis abundare, ac per hoc Romanorum vilibus Brandeis non egere. Quod audiens Leo, ab eisdem legatis pannos suscepit, ac super altare composuit, & facta oratione coràm legatis, & populo, cultello pannos pupugit, & protinùs sanguis emanauit; deindè iterum orauit, & orando cuncta foramina Brandeorum diuinitùs conclusit.

Cætera circa hanc materiam notabuntur in append. cùm de Admirandis perennibus circa sanguinem. De lacte etiam simùl cùm sanguine ex defunctis cadaueribus emanante, videatur tom. 1. libr. 4. cap. 2. §. 9. Cùm de lacte diuinitùs ex non lactiticis.

Liquores admirabiles, & saluberrimi ex cadaueribus, aut sacris reliquijs, effluentes.

§. 5.

ETtiam ossa arida seruorum Dei, quasi herbam germinatura, quondam vaticinatus est Euangelicus Propheta, cap. 66. Quis igitur vberrimos, illosque saluberrimos liquores, ex aridis, siccisque cadaueribus exundare quandòque videns, hos pretiosiores quibuscumque herbarum succis, ad omnes propellendas infirmitates ex aridis ossibus progerminasse non dixerit? Deique admirandam virtutem non confitebitur? De his aliqua in præsenti; Reliqua, & admirabiliora in Append. Sunt autem.

1. *Gregorius Turonensis, de Glor. marty. lib. 1. cap. 28. de Sepulchro S. Petri Apostoli Romæ, in Vaticano*. Hoc sepulchrum sub altari collocatum, valdè ratum habetur. Sed qui orare desiderat, reseratis cancellis, quibus locus ille ambitur, accedit super sepulchrum: & sic fenestella paruula patefacta, immisso introrsùm capite, quæ necessitas promit, efflagitat. Nec moratur effectus, si petitionis tantùm iusta proferatur oratio. Quòd si beata auferre desiderat pignora, palliolum aliquod momentana pensatum, iacit intrinsecùs, deindè vigilans, ac ieiunans, deuotissimè deprecatur, vt deuotioni suæ virtus apostolica suffragetur. Mirum dictu! si fides hominis præualuerit, à tumulo palliolum eleuatum, ita imbuitur diuina virtute, vt multò ampliùs quàm priùs pensauerat, ponderaret; & tunc scit qui leuauerit cùm eius gratia sumpsisse quod petiit.

2. *Constantinus Ghinius, in Natal. S. S. Canonic. die 1. Decembris, de Sancto Eligio Episcopo*. Habebat in cubiculo multorum pignora sanctorum Eligius; sub quorum velamine orare consueuerat. Eo in loco quadam nocte Oranti, astitit quidam ex sanctis dicens. Eligi, exauditæ sunt preces tuæ, & tunc is odorem suauissimum hausit; & ex gerulo reliquiarum guttas super caput suum defluere sensit.

3. *Audoenus, in vita Sancti Eligij Episcopi Nouiomensis, libr. secund. capit. quadragesimo*. Theca, in qua eius vererandæ reliquiæ conseruabantur, propter auri, gemmarumque splendorem, Quadragesimæ diebus tegi solebat lineo panno, itemque holoserico sanè eleganti, & pretioso. Quòd cùm aliquandò initio Quadragesimæ factum esset, post aliquot dies multis adstantibus, contigit inauditum miraculum. Cœpit enim sudare linteum illud, sensimque magis atque vapores exhalans, copiosiùs humectari. Quod vt viderunt qui tùm aderant, rei nouitate obstupefacti, Christi eximiam illic aiebant declarari potentiam, Cùm autem etiam distillare cernerent linteum, senioribus id consultissimum visum est, vt ablato linteo à theca, exprimerent humorem in vasculum, isque pro medicina seruaretur. Sicque factum est, & ille liquor in vase æneo seruatus, multis postea attulit sanitatem. Tanta autem fuit eius sudoris admirandi copia, vt pannus holosericus, cui erat linteum illud adiunctum, optimo colore tinctus, colorem illum amitteret, eoque linteum inficeretur. Duos ferè sextarios sudor ille compleuit.

4. *In vita S. Antipæ m. Episc. Pergami in Asia*. Ex eius sepulchro olim vnguentum indesinenter fluebat.

5. *In vita S. Paphnutij Episc. & M. ap. Græcos*. Aduersùs Dæmoniaca maleficia, inungebant se fideles oleo, quod ex lipsanis S. Paphnutii scaturiebat.

6. *Surius, 17. Iulij, de Sancto Alexio Confessore*. Ex arca, in qua sanctissimum Alexii corpus fuit conditum, oleum suauissimum emanauit, ex

ex quo si quis accipiebat, quidquid postulabat obtinebat à Deo.

7. *Idem, in vita Sanctæ Heduuigis Ducissæ Poloniæ*, 15. *Octobris*. Cerebrum capitis eius, quod fere vigintiquinque annis humatum fuerat, inuentum est recentissimum, & diuina virtute mirabiliter conseruatum. Liquor etiam purus, & clarus, instar olei oliuarum, suauissimi, mirandique odoris, è capite erumpebat, sindones, & pannos, quibus illud inuoluebatur, madefaciens, perindè ac si è flumine extracti essent.

8. *Idem, de S. Huberto Episcopo Leodiensi*, 3. *Nouemb.* Cum exhumatum fuisset eius venerandum corpus, caput illius perlustrantes oculis, vident vultum eius (quod dictu quoque mirabile est) sudore perfusum, & velut noctis opacæ roscidulis perfusum guttulis.

9. *Idem, in vita Beati Hugonis Episcopi Lincol.* 17. *Nouembris*. Anno Christi 1280. qui fuit à Beati Viri obitu fere octogesimus sextus, Octobris sexto die, sacrum corpus eius eleuatum, atque translatum est, cùm iam antè ab Honorio III. Pontifice maximo in Sanctos relatus esset. In hac autem eleuatione quasi integrum repertum est corpus eius: loculus verò, in quo illud repositum fuerat, magnam purissimi olei copiam exhibuit: habitus quoque monasticus, quo vir sanctissimus, dum viueret, vsus erat, & in quo post obitum sepulturæ mandatus fuerat, integer inuentus est. Cùmque sanctissimum eius caput, (quod à corpore separatum, postea auro, argento, & gemmis inclusum est) Oliuerus Lincolniensis Episcopus in manibus reuerenter teneret, ex eius maxilla non parum olei distillauit.

10. *Procopius*. Iustinianus Imperator, morbo quodam incurabiliter tentatus, cùm desperaret omne medicorum consilium, petiit ad se afferri, quasdam reliquias tunc fortè inuentas, genuque, vbi maximus dolor, imponi; quod vbi factum, non non modò dolor abscessit, sed ex ijs oleum subitò manauit, quo arcula reliquiarum, pedesq; & vestis Imperatoris purpurea, tota sunt perfusa oleo scaturiente.

11. *In actis Beati Lamberti Episcopi Vinciensis*. Redeunte tempore, cùm ad celebrandum annuale obsequium Clerici, ac plebis multitudo maxima conueniret: quoddam insigne omnibus admirandum, cunctis qui aderant cernentibus, apparuit; nàm vas, in quo corpus Sancti Lamberti quiescebat, manantibus limpidissimis aquis cæpit superfundi, quasi imbribus validis desuper irrigaretur, miles quidam famosissimus intererat, qui lumen dudùm vnius oculi penitùs amiserat, & aqua illa oculum tetigit, & continuò lumen, quo caruerat, recepit.

12. *In actis Translationis S.S. Iannuarij, & Sociorum, apud Caracciolum in Histor. S. Iann. capit.* 20. *sec.* 13. *de translatione S.S. Festi, & Desiderij Diaconi, & Lectoris S. Iannuarij*. Venerabilis Gutti Præsul, cùm omni plebe, ac multitudine populi, ad locum, in quo Senator Cyphius, beatissimum Festum, & Desiderium locauerat, pergens, eosdem in vrbem, ad suum Pontificem transuexit, vt eorum corpora vno sub tegmine locarentur, quorum spiritus vna Domini gratia vniuit. Quorum tumulus cùm à præfato Præsule aperiretur, quasi cæleste manna illic repertum est: Nàm niuis in modum, Beati Martyris Festi corpus, totum tumulum occupauerat. Odor quasi tot floribus nares omnium perlustrabat.

13. *Mosandus, in vita Beatæ Margaritæ Virginis*, 23. *Iannuarij*. Post obitum Beatæ Margaritæ Virginis, apud Rauennates, per duos dies cadauer insepultum seruatum est, quo tempore cùm sudore facies tamquam rore madesceret, Gentilisque assidua magistræ comes, linteolo, quo ad emungendos nares vtimur, detersisset, linteolum ad ignem exsiccatum, violarum suauissimum odorem afflauit, qui multis etiam deindè annis in eodem linteolo mansit.

14. *In vita Beatæ Margaritæ Castellanæ*. In exeterratione sacri corporis Beatæ Margaritæ Castellanæ, totus conuentus tremuit; & multum oleum ex eius membris effluxit, quod hactenùs conseruatur.

15. *Aegydius Gelenius, in Colonia Agrippinensi, de Ecclesia S Cuniberti*. In hac Ecclesia reperitur Articulus Sanctæ Catharinæ Virginis, & martyris, ex quo mel, & oleum emanarunt notabiliter.

16. *Vghellus in Ital. Sac. Andrienses Episcopi*. Quandò adinuentum fuit corpus Sancti Riccardi Angli Episcopi Andriensis, ex eius corde, in vase vitreo incluso, videbatur scaturire parum liquoris maximè redolentis, sed de eo colligi non dabatur facultas.

17. *Bozius de Signis Eccl. lib.* 15. *capit.* 10. Ex corpore Euthymii Abb. oleum fluere olim solebat, quo multi ægroti sanati fuerunt.

18. *Idem ibidem*. Ex reliquiis Modoaldi Episcopi Treuirensis furtim sublatis, copiosus humor olim fluxit.

19. *Raderus in Bauaria Sacra, de Beato Gundekaro Episcopo*. Exhumata sunt ossa Gundekari Pontificis, & ex loco, vbi minùs decenter tumulata fuerant, ad aliud honorificentius sepulchrum translata, priùs vino reuerenter lota. Cæterùm antequam ossa secundo sepulchro inferentur, oleum tàm de ossibus, quàm de superiore marmoreo lapide sepulchri visibiliter emanauit, quod Philippus Eystetensis Præsul duobus calicibus aliquandò excepit, & ad multorum medelam conseruauit. Idem olei fluxus repetitus est feria IV. post festum Diui Michaelis ab hora precum matutinarum, vsque ad tempus pomeridianum; idque in locis distinctis ex marmore saxi quo tumulus tegebatur.

20. *In vita Beatæ Dorotheæ Pruthenæ, apud Raynaldum, ann.* 1399. *num.* 24. Post mortem B. Dorotheæ, labia eius liquore mirabili, & odorifero sudare visa sunt.

21 *Gaspar Bombax, in vita Beatæ Dianæ*. Cùm Beata Diana Bononiensis sepulturæ esset tradita, postque multos annos cuperent moniales, eius

caput à capitibus B. Ceciliæ, & Amatæ secernere, nàm non ampliùs apparebat, cuius esset caput; oratione fusa, cùm discrimen sibi aliquod dari postularent, statim B. Dianæ caput sudorem, illumque suauissimum, emisit; quo indicio illud illius esse caput agnouere.

22. *Rayssius, in Hierogazoph. Belgico*. Ex B. Diometrislæ corpore olim sudor, siue liquor fluxit; qui asseruatur in nobilissimo Virginum Vorstensi cænobio, dimidio à Bruxella milliari sito.

23. *In Chronic. Minor. par. 2. libr. 1. cap. 9. de B. Benuenuto, ord. Minorum*. Cùm quidam presbyter sustulisset brachium de corpore B. Benuenuti, illudque in vase mundo recondidisset; paulò post suauissimo liquore, qui ex venerabili brachio emanarat, plenum magna cùm admiratione inuentum est.

24. *Ibidem, part. 3. lib. 4. cap. 31*. Suauissimus liquor, instar mannæ saluberrimæ, inuentus est in sepulchro Beati Philippi Tudertini ordinis Minorum, qui in conuentu Milii in Picæno sepultus fuerat, eoque multi ægri sanitatem sunt consecuti.

25. *Vadingus, ibidem, an. 1268. num. 6. de B. Salomea*. Per septem integros dies iacuit corpus B. Salomeæ in feretro in choro monialium, oleum sudans saluberrimum.

26. *Arturus, de B. Angelo Confessore, in martyrologio Franciscano*. Sepultum Oxonii corpus B. Angeli in capsa lignea, dùm post plures annos Fratres voluerunt transferre ad honorificentius, & sublimius sepulchrum, carnem inuenerunt omnem in pretiosum liquorem, balsamo similem, resolutam, & ossa terso oleo supernatantia. Cùmque minùs cautè capsulam vetustate corruptam eleuarent, fundum adhæsit pauimento, oleumque effusum est cùm ingenti fragrantia: ossa verò ad paratum mausoleum magna cùm reuerentia, & solemnitate fuerunt transportata.

27. *Idem ibidem, 25. Nouembris, de B. Alfonso Confess.* Christi bonus odor extiterat in omni loco Beatus Alphonsus: ideòque, vt sanctè emisit spiritum, mox è corpore liquor fragrantissimus manare cæpit, atque totam domum suauissimo odore suo replere: qui quidem à circumstanti populo accuratè collectus est.

28. *In Chron. Minorum, part. 4. libr. 9. capit. 65. de Vener. Paschasio Baylono*. Cùm octo post mortem mensibus sepulchrum eius fuisset apertum, ex corpore licet calce cooperto, tamen incorrupto, suauissimus liquor emanare compertus est.

29. *In actis S. Petri Thomasij Patriarchæ Constantinopolit. ord. Carmel.* Post eius obitum, circa quartam vigiliam noctis, lux magna de cœlo super corpus eius visa est descendisse, qua excitatæ mulieres adstantes, propiùs accesserunt, videruntque pulcherrima specie faciem, sudore madentem, & seriò indagantes, compererunt, totum corpus vndique flexibile, ignoti generis humore adeò copiosè circumfusum, tanquàm si è pretioso balneo recens prosiliret. Linteis multis corpus abstergentes, liquorem exceperunt, quæ malis multis medendis, & morbis expellendis mirabiliter profuerunt.

30. *In annal. ord. Prædicatorum, ann. 1246. de B. Petro Gonzalez*. Statim post mortem, vir Dei innumeris cæpit coruscare miraculis, nàm ex sepulchro oleum manauit miræ fragrantiæ, quo variæ infirmitates sunt curatæ; Canonici eius Ecclesiæ vas plenum ex eo oleo collegere, & vsque ad nostra tempora reliquiæ quædam ex ipso perdurarunt.

31. *Bzouius, an. 1270. n. 16. de B. Helena Virg.* Anno decimo septimo post eius mortem, cùm transferretur eius corpus, ex vulnere lateris tunc sua sponte aperto, odorati liquoris vena, instar balsami purissimi scaturiuit, totamque viciniam fragrantia sua recreauit.

32. *Cæsar Franciottus, in vita B. Zitæ*. Ex beatæ Zitæ corpore, post eius obitum, mirus quidam liquor fluxit, quo si quis infirmus perungebatur, statim ab infirmitate liber suæ sanitati diuinitùs restituebatur.

33. *Sylos, in vita Venerab. Francisci Olympij Cler. Regul. libr. 1. capit. 23.* Cùm anno 1649. transfendum fuisset corpus Ven. Francisci Olympii ex nostris (qui decem iàm retrò annis decesserat) ex Mariana ædicula, in sacellum, quod nunc quidem à B. Andrea Auellino nuncupatur. Statuta die ventum ad locum: foditur; mirum sanè dictu; ad singulos ictus, non puluis, sed tenuis quidam vapor erumpere, qui vbi adstantes mira quadam suauitate odoris in orbem afflauisset, euanescebat; compertumque est, non nisi ex Francisci ossibus fragrantiam illam exisse; & quidem comperta mox luculentiùs res, atque oblata noua admirationi seges. Enim verò, effossa humo, apertaque vrna, reperta innatantia cuidam veluti balsamo ossa: tùm perindè quasi fuissent mixta rosis consepulta inibi lilia, eximius indè odor expirabat, planè vt nemo eliquatum pretiosè corpus, atque ab eo fragrantiam effusè non miraretur.

34. *In vita B. Antonij Monticiani, ord. S. Augustini*. Accessit quædam fœmina, ex his, quæ ad videndum Beati Antonii iàm defuncti corpus velut incredula non commouebatur; & statim corpus mortuum cæpit sudare, ac si in eius incredulitate laboraret, quo viso miraculo, ipsa mulier perfectè credidit.

35. *In actis Ven. Vrsulæ Benincasæ*. Post mortem Venerabilis Vrsulæ Benincasæ, corpus eius sudorem cæpit emittere omnibus obstupescentibus.

36. *Sylos, in Hist. C. R. Par. 1. l. 4.* Dùm corpus Ven. M. Mariæ Carafæ sanctimonialium Sapientiæ Fundatricis, in decentiorem locum esset transferendum, visus est è pede manare pretiosus quidam liquor, manna non absimilis.

37. *In Paradiso Carmelitano, de Vener. Paula Villafranca*. Sepulta in Carmelo Valentiæ Vener. Paula, ab humatione tribus annis cùm dimidio inuentum est (corpore & si in cineres redacto) sepulchrum olei liquore perfusum, & suauem odorem halans mirificum.

38. *Fran-*

38. *Franciscus à S. Maria in Hist. Carmel. tom. 2. lib. 8. cap. 75.* Pompeiopoli in monasterio monialium Carmelitarum post septem menses à morte Ven. sor. Catharinæ à Christo, inuentum est in eius sepulchro oleum admirabile ab eius corpore incorrupto emanans.

39. *In vita m. s. s. Ven. Soror. Elisabeth Mariæ de Passione.* Cùm an. Dom. 1639. Panormi in monasterio monialium sanctæ Mariæ omnium gratiarum ord. Minorum, post integerrimam, sanctamque vitam, die 5. Iunii piè obdormisset in Domino Ven. Sor. Elisabeth Maria de Passione, tam candida, mollis, ac tenera omnibus apparere cæpit, perindè ac si viua esset, suauissimum quoque odorem spirans, locum vbi cadauer erat magna fragrantia repleuit, copiosumque sudorem per triduum ex toto corpore emanans, non solùm velamina, sed & manicas tunicæ madefecit.

40. *In actis S. S. Febr. in Contin. Bollandi, tom. 3.* Cùm anno 1127 in ciuitate Treuirica inuentum esset corpus S. Mathiæ Apostoli, presbyter qui sacra ossa in eleuatione eorum in sepulchro, tetigerat, meruit hoc omni tempore vitæ suę donum habere singulare, vt vbicumque de B. Mathia eo præsente sermo fieret, vtriusq. eius manus digiti, quos medios vocamus, oleo plurimis infirmitatibus proficuo stillarent.

41. *Franciscus à S. Maria in Hist. Carmel. tom. 2. lib. 8. cap. 16.* In conuentu Cæsaraugustæ Monialium Carmelitarum S. Teresiæ, asseruatur quædam zona eiusdem Sanctæ, quæ multoties sanguinem exsudasse obseruata est.

42. *In actis S. Didaci Complutensis, ord. minor.* Maria Barahona, Garsiæ ciuis Complutensis filia, aliquot post obitum Beati viri diebus, in sermonem vnà cùm aliis mulieribus de eius miraculis incidit; fortè præsens aderat Alphonsus quidam Gonzales, sacerdos, qui illa cùm audiret, se non credere dixit, etiam si eadem valdè confirmaret Apostolorum princeps Petrus. Dùm hæc temerè dictitabat, quoddam B. Didaci tunicæ fragmentum exiguum in manu habebat, quod multo sudore manans, manum aqua madefecit. Res admirabilis cùm cerneretur, continuò in fragmento simul, & in manu aqua sudoris aruit; eius rei admirabilitate tùm Maria, & cęteræ mulieres obstupefactæ sunt: tùm verò sacerdos commotus, apertè, asseueranterque dixit, se planè credere, quæ de B. Didaco miranda narrantur.

Reliqua in Appendice, cùm de liquoribus admirandis ex sacris Reliquiis perenniter manantibus.

Cadauera discerpta, pristinæ diuinitùs integritati restituta.

§. 6.

CVstodire Dominum omnia ossa seruorum suorum, cecinit Regius Psaltes: hoc autem manifestè apparet, cùm corpora discerpta, eorumq. ossa dispersa, admirando prodigio in vnum componi, totique corpori adhærere visum est. De quibus.

1. *Sanctus Gregorius Papa lib. 3. Dialog. cap. 13.* Abscissum fuerat caput, iubente Totila Ostrogottorum Rege, S. Herculano Episcopo Perusino, & Mart. illudq. cum corpore simul iuxta ciuitatis murum sepulturæ tradiderunt piissimi. Cùm postea post quadraginta dies in Ecclesiam transferre vellent, inuenerunt corpus S. Episcop ac si eadem die esset sepultum, & quod adhùc est magna admiratione venerandum, ita caput eius adinuentum fuit vnitum corpori, ac si nequaquam fuisset abscisum; sic videlicet, vt nulla sectionis vestigia apparerent: Cùmque hoc in tergo verterent, exquirentes si quod signum, vel de alia incisione monstrari potuisset; ita sanum, atque intemeratum omne corpus inuentum est, ac si nulla ferri incisio tetigisset.

2. *Surius, 20. Nouembris, de S. Eadmundo Rege, & Martyre, cui abscissum fuerat caput.* Corpus eius ita sanum, & incolume est repertum, vt non dicam caput redintegratum, & compaginatum corpori, sed omninò in eo nihil vulneris, nihil cicatricis apparuerit. Sicque cùm reuerentia nominandus sanctus Rex, & martyr Eadmundus, integer, & viuenti simillimus ad Eccl. Bedrici curtis est translatus, vbi adhùc in eadem forma expectat beatæ resurrectionis gaudia repromissa. Tantùm in eius collo, ob signum martyrii, rubet vna tenuissima riga in modum fili coccinei.

3. *In actis. S. Bonifacij m.* Cùm S. Bonifacio ob defensionem fidei caput amputatum fuisset; postea abscisum caput trunco cadaueri ex miraculo adhæsit.

4. *Lippellous, in vita S. Basilei Amasea Episcopi 26. Aprilis.* Decolato ob Christi fidem S. Basileo Amaseæ Episcopo; corpus in mare piscibus deuorandum vnà cùm capite abiectum fuit; sed ò immensa Dei bonitatem: ecce Parthenius, & Theotimus nocturna visione à Deo admoniti, vt pretiosas illas reliquias ad dextrum vrbis sinum piscarentur, misso in mare reti, corpus ita capiti coniunctum extraxerunt, vt solo sectionis vibex in sacro illo collo inueniretur: nec tantùm ab omni corruptione liberum, sed tanta insuper odoris suauitate refertum, vt incredibilem omnium naribus voluptatem, iucundissimumq. oculis, spectaculum præberet.

5. *In actis S. S. Martij, tom. 2. in Cont. Bollandi.* Dùm venerandum caput S. Longini Centurionis, quod à corpore separatim humatum fuerat, iussu eiusdem sancti à pia fæmina cùm filio in sepulchrum vbi erat corpus deportaretur, apparuerunt tres Angeli, qui manibus cereos gestantes albos, & gradientes ante eos, tota nocte, Deum, hymnos concinnendo, laudabant, cùmque peruenissent ad locum, in quo humatum erat corpus, ingressus adolescens in monumentum, cùm vnguentis, & aromatibus caput corpori apposuit: quod ita coniunctum ei est, vt fuerat ante abscissionem: eoque egrediente, extra monumentum, rursùm conclusus est per se locus, & ipsi reuersi sunt in domum suam gaudentes, & glorificantes Deum.

6. *Malmesburiensis, li. 3. Pontificum Anglorum, de Vualdeso filio comitis Northonbranorum.* Hic à Vuillielmo Rege seniore pro cuiusdam coniurationis in se factæ suspicione comprehensus, diu

diù in vinculis tentus, vltimo capite spoliatus est, & apud Croland sepultus: eius innocentiam miracula multa, ad eius tumbam testata sunt. Mihi Prior loci narrauit, se miraculis commotum, corpus nobile ab omni labe immune contrectasse, caput reliquo corpori compaginatum, rubra tantum quasi linea signum cędis ostentante vidisse. Quapropter non se dubitare, illum in omni sermone sanctum appellare, in illius nomine orationes, & beneficia loci petentibus dare dicebat.

7. *In actis S. Luciani Presbyteri, & martyris.* Post eius mortem, magnum lapidem appendentes brachio eius dextero, in mare præcipitauerunt, ne corpus eius vllam assequeretur sepulturam; sed à Delphinis in terram fuit mirabiliter deportatum, ex omni parte integrum, nisi quòd manus dextera, cui lapis fuerat appensus, non fuit corpus reliquum secuta. Nonnulli autem dicunt eam quoque in terram delatam, cùm sustulissent ij qui aderant, restituta fuisse rursùs in eamdem compagem corporis.

8. *Pet. de Natal. lib. 8. cap. 127. de S. Venceslao Bohemiæ Rege, & M.* Post aliquod tempus ab eius occisione, dum fideles corpus ipsius transferre vellent, inuenerunt eius vulnera plenè sanata, excepta auricula, quæ ei fuerat totaliter abscissa; quæ tamen loco suo applicata, continuò consolidata est.

9. *In vita S. Stanislai Episcopi.* Cùm S. Episcopus hostiam immaculatam ad altare offerens, ab impio Boleslao obtruncatus fuisset, eiusque corpus membratim concisum per agros proiectum, cælitùs aduolantes Aquilæ, S. corporis custodes, & tutores fuerunt. Post biduum, clerus animos resumens, Episcopi sui membra requisiuit, & composuit. Res mira. Dei virtute factum est, vt illicò, ita simùl coalescerent, ac si nunquam diuulsa fuissent. Digitus vnus deerat; sed ne istum quidem diù latere passus est Deus. Lucerna cælestis enim in vicinam piscinam coniectum, & à pisce deuoratum demonstrauit, quem exenterantes, digitum exemerunt, suoq. loco restituerunt.

10. *In actis S. Honorati Arelatensis Archiepiscopi; de eius translatione.* Aperientes loculum, in quo beata ossa includebantur, Albaranum verbis sequentibus inscriptum inueniunt, scilicet: Reliquiæ, & corpus Beatissimi Honorati Arelatensis Archiepiscopi; tùm pro maiori veritatis certitudine, partem ossis cruris, quam antea in præfato monasterio habebant, reliquæ parti, à qua absumpta fuerat, aptãtes, ita statim perfectè coniuncta est, vt nulla prorsùs appareret fractura, ac si nunquam diuulsa fuisset, ex quo verè reliquias, & ossa gloriosi confessoris Honorati esse manifestum fuit, quæ quidem, cùm quanta potuerunt maiori reuerentia in cænobium, & intra arcem turris, in capella Sanctę Crucis honorificè collocarunt.

11. *In actis Sancti Desiderij Episcopi, & m.* Cùm iàm odoramentis, & pretiosis linteaminibus inuolutum S. Martyris corpus, Episcoporum manibus tractaretur, quod in laude omnipotentis Dei reticendum non est, ita S. Capitis vulnera integra apparuerunt, vt penitùs, vbi cutis rupta fuerit, non appareret, nàm, & reliquum corpus suis iuncturis, & neruis constrictum, sana pelle sua vestitum manebat.

12. *In vita S. Vuiboradæ.* Sæuis vulneribus affecta, vitam finiuit Vuiborada. Post hæc frater eius collectis secùm quibusdam de fratribus, ac laicis cæpit studiosiùs satagere, vt corpus eodem die sepulturæ traderetur. Cùmque illud nudaret lauandum, vt moris est, nulla in eo patuerunt vulnerum indicia, nisi qua catena sulcabat, sed ita sanum, atq. inuiolatum viderunt, vt etiam à plerisque de martyrio posset dubitari, si effusus cruor testis non esset.

13. *In vita S. Liduuinæ Virg. lib. 2. num. 28.* Post eius obitum, fractura frontis eius, olim in vita apparens, taliter euanuit, & totum corpus eius integrum visum est, quasi nunquam aliquid læsuræ, aut vulneris in eo contigisset.

14. *Nicolaus Trigautius, de Christianis triumphis ap. Iaponios, de Dominico Yenami martyre.* Cùm rosarii precatorii mysteria decurrisset, Sanctissimæ Virginis auxilio fretus, descendit in arenam, in qua simili fortitudine paria perferens supplicia demùm obtruncatur. De quo peculiare illud retulit ethnicus belli Dux, quòd caput sua sponte ad truncum redierit, corporique coniunctum oculos in cęlos sustulerit, ac si abeuntem animam exanime spectaret. Eam rem stupuisse scribitur Ethnicus, nec minùs tantam in ea ætate fortitudine admiratus.

De integritate, & admiranda incorruptione diuinitùs conseruata quibusdam sanctorum corporibus dicetur in appendicibus.

Odor suauis ex corporibus, siue ex sacris exuuijs admirabiliter emissus.

§. 7.

QVi Christi, dùm viuerent, bonus odor fuerunt, iidem & defuncti suauissimam in corporibus, seù excesis reliquiis conseruarunt fragrantiam, optimèque post mortem redolentes, ne dùm nares, sed & animos recrearunt adstantium. De his aliqua pauca pro complemento. Sunt autem.

1. *Iuuenalis Hierosolym. Patriarcha, in Epis. ad Pucheriam Aug.* Cùm Dei Genitrix obiisset, & ipsius corpus inclusum sepulchro fuisset, aduenit post tertium diem S. Thomas Apost. qui cæteris ad funus, eo longinquo, vi diuina delatis, solus abfuisse creditur: quocirca magnopere efflagitauit sepulchrum resignari, ostendique sibi sanctissimæ Virginis corpus. Annuerunt omnes eius postulatis; sed ablato sigillo, monumentoque aperto, corpus nullo modo inuentum, tantùm fasciæ, quibus illud inuolutum fuerat, repertæ; à quibus ignota maximi odoris suauitas prodiit, & cunctos adstantes mirificè perduxit.

2. *Adricomius in descript. Ierusalem, num. 23.* Sepulchrum S. Stephani protomartyris, Nicodemi Gamalielis præceptoris Pauli Apostoli, & Abibonis filii eius, quorum corpora, cùm plùs minùs trecentis

centis sexaginta annis propè Hierosolymam, in valle, vt videtur, Iosaphat, in obscuro, ac sordido loco iacuissent, sub Honorio Imperatore cælesti reuelatione monstrata, inuenta, effossa, & suaui odore fragrantia, non sine miraculis summa celebritate hic propè cænaculum, & vrbis mœnia honestiùs tumulata sunt.

3. *In actis trans. S. Marci Euangelistæ.* Tanta, sublato corpore, odoris fragrantia emanauit, vt non solùm Ecclesia, vel circuitus eius, sed etiam tota ciuitas Alexandriæ repleretur.

4. *Baronius, Anno* 827. *numer.* 18. Ex Reliquiis S. Marcellini Aquisgranum delatis, suauissimus efflabat odor, omnes adstantes cælesti suauitate recreans.

5. *Idem, an.* 886. *nu.* 32. Anno Domini 886. Stephanus Papa sextus, qui tùm Romanorum gubernabat Ecclesiam, quosdam constituit, qui sanctorum triumphos scribendo patefacerent posteris: alios verò qui quæsitos, & inuentos fidelium venerationi proderent. Inuento igitur sacratissimo thesauro nullis copiis coequando, ipse prior accinctus cryptam ingreditur, & stipatus diuersis venerabilis sacerdotii gradibus, ac cætu populi Orthodoxæ fidei, Deo dignas laudes cùm exultatione referens, inter ruinas, & lapidum congeries propriis cæpit manibus omni mundo venerabiles Margaritas legere de sanctorum corporibus, nec cessauit suo sancto studio, donec omnia fragmenta artuum à ruinæ segregaret congerie. Collectis itaq. artubus, per dies aliquot, propter maximam ruinæ montium congeriem, tanti odoris nectar inerat in loco, vt omnes reficeret, qui aderant. Quamobrem fossores magis, ac magis labori operam dare exardescebant, lassitudinis, & corporei alimenti immemores.

6. *Lippellous, 9. Feb.* Decimo septimo die à sepultura S. Ansberti Rothomagensis Episcopi, cùm vellent eius reliquias ad Fontanelense cænobium transferre, sepulchrum apertum fuit, ex quo tanta odoris fragrantia manauit, vt omnis Ecclesia diuersis aromatum floribus mirificè, repleretur.

7. *In actis S.S. Aprilis, tom.* 1. *in Contin. Bollandi.* Post duodecim annos à morte B. Notkeri Balbuli, aperto eius sepulchro, suauissimus odor exhalare mirificè à circumstantibus obseruatus est.

8. *Ibidem.* Defuncto S. Philareto monacho, ex sanctissimo eius corpore odor quidam suauissimus, qui omnium odoramentorum genus superaret, exhalare visus est.

9. *In vita S. Christinæ Virg.* Humata est S. Virgo extra S. Trudonis oppidum, in monasterio S. Catharinæ, illicq. septem annis corpus eius quieuit ad illud vsque tempus, quo omnem monasterii structuram in locum propinquum, magisque opportunum transtulere. Tùm enim vniuersis ciuibus congregatis, ad tumulum reuerendæ Christinæ clerus cùm sanctimonialibus accessit: cùmque amouisset indè operculum, tanta suauitas, & omnes, & singulos peruasit, vt cuncti pariter vna mente, vnoque ore conclamarent, Christinam & in vita fuisse mirabilem, & post obitum nihilo minùs gloriosam.

10. *In vita S. Siluestri Abb.* Tanta odoris fragrantia vniuersa domus conspersa est, cùm S. viri corpus exenteraretur, quantam nemo vnquam mortalium facilè suspicetur.

11. *In actis S. Seuerini Noricorum Apostoli.* Sepulchro eius patefacto, tantæ suauitatis fragrantia omnes circumstantes accepit, vt præ nimia admiratione prosternerentur in terram.

12. *In vita S. Landoaldi Archipresbyteri, & sociorum.* Apertis Sanctorum loculis, cuncti primates cùm Pontifice cernunt desiderabilem thesaurum Domini, cælesti nimirùm dulcedine delectati, quasi in paradiso deliciarum Dei essent conseruati. Nàm exhalans subitò de retectis sanctorum corporibus odor perfudit ora, & mentes omnium suauissimus: Vndè maxima salus tàm corporis, quàm animæ emanauit adstantibus.

13. *In vita S. Haymonis, & Vermundi, mirac.* 1. Omnibus in religiosum obsequium compositis, vètum ad tumulum Sanctorum; quo fracto, visa corpora, quæ reuerentiam, timoremq. supra humanum spirabāt. Hęc dùm auidis subiiciuntur spectantium obtutibus, en adeò suaues afflantur odores è sepulchro, vt omnis, quæ confluxerat multitudo, veluti florum verno tempore reuiuiscentium, nouo, ac insolito odore perfusa, latissimis fuerit iucundata spatiis, iàmque in Elisiis spatiari videretur.

14. *In vita S. Vunebaldi Abb.* Postquam sanctum corpus eius septem diebus in terra tumulatum habebatur, quotidiè discipulus eius presbyter, quem ipse docebat, & alius Presbyter totam illam septimanam missarum solemnia celebrando cantare non desinebant; cùmque vno die mane vnus intrasset Ecclesiam missam facere, tàm magna Ecclesia, mirando suauissimi odoris nectare est repleta, vt eius nares summopere demulceret.

15. *Tho. Boz. lib.* 15. *de sig. cap.* 6. Cùm reliquiæ S. Euphemiæ Martyris translatæ Constantinopolim fuissent, & innumera ederent miracula; Leo Isauricus, clàm sublatis illis, earum loco ossa arida imposuit, ipsas cùm loculo in vndas maris proiecit, palàmque prædicare cæpit, detectas ab se fraudes à Catholicis in earum cultu factas, inspexisse ossa arida, & fætentia in arca contineri. Accedunt homines, ac rem vident. Accidit interim, vt nautæ quidam factum ignorantes, in nauim suam loculum susceperint, putantes aliquid opulenti in illo haberi; aperiunt, ac mirifico odore, qui indè exhalauit, perfusi, cognouerunt esse sacras reliquias; ignari quænam forent, eadem nocte viderunt lumina, & cæreos, virosque candidissimos Deum laudantes. Cùmque appulissent Lemnum, & somno se dedissent, viderunt in quiete Glyceriam martyrem occurrere Euphemię Virg. amplecti illam, exosculari, aduentumque gratulari: ex eo cognouerunt, cuius essent illæ reliquiæ: ter indè soluentes, ter ventis reflantibus, eòdem reiecti sunt. Denique Euphemia adstitit illis in somno; & quæ foret, edocuit; ac se ibi velle subsistere edixit, ex quo fuerat ab impio Leone in mare proiecta; latenter itaque repo-

repositæ fuerunt ob Imperatoris metum reliquiæ in insula Lemno, donec mirabili quodam modo Constantinopolim reductæ fuerunt, imperantibus Irene, & Constantino. Hæc illius temporis æqualis Episcopus Constantinus, qui se adfuisse his rebus testatur, remque, vti narrauimus, scriptis mandauit.

16. *In translatione S. Berruuardi Episcopi.* Ianuis Ecclesiæ firmissimè seratis, & lapide sublato, sarcophagum satis admodùm idoneè sculptum viderunt, quo præmissis orationibus patefacto, spiritalem, & antea incognitum exhalans odorem cælestis ille thesaurus, corpus scilicet S. Berruuardi, regalibus vtique diuitiis incomparabiliter præferendus apparuit.

17. *In vita S. Othmari Abb.* Venerandis S. Patris exuuiis ad Basilicam S. Galli deportatis, continuò in ipsa nocte, Episcopo adhùc infra monasterium posito, magna odoris suauitas in Basilica S. Galli circumquaque diffusa, maximè iuxta B. Othmari corpus quasi in modum nebulæ volitando redundari comperta est; cuius odoris fragrantia, cùm continuatis tribus diebus, ac noctibus ibidem duraret, non tamen ab omnibus potuit sentiri, sed quidam nostræ Congregationis fratres, qui etiam religiosiores esse videbantur, suauitatem illius degustabant, & religionis suæ auctoritate huius rei veritatem apud cæteros commendabant. Quibus etiam odor ipse quamuis incognitus, vtque eatenùs inexpertus extiterit, dulcedinem tamen balsami partim, vt asserunt, poterat imitari.

18. *De S. Erminoldo Abb. lib. 2. num. 2. apud Canisium tom. 2.* Honesta quædam mater familias, Christina vocabulo, cùm matre sua, Bertha nomine, Deo valdè deuota, de ciuitate Ratispona Pruseningen fratrem suum visitatura accessit. Cùmque die iam inclinato vehiculo domum reuerti pararet, mater quasi vale factura sanctis, præ foribus monasterii, quia clausum erat, orare cœpit attentiùs, & subitò miri odoris perfusa est suauitate, quem cùm tacitè miraretur, Ecclesiam aperiri petiit, & obtinuit, sensitque fragrantiam illam de sancti viri Erminoldi spirare sepulchro.

19. *Vincentius Salernus, de corpore S. Aygulphi & soc. M.M.* Colligentes corpora sanctorum martyrum, in sportellis honorificè vt poterant condiderunt: vndè tanta odoramentorum fragrantia secuta est, quòd nauis aromatibus onusta, vel rosis crederetur, & floribus.

20. *Iacobus Pintus, de Christo crucifixo, digress. de inuentis martyribus in Sardinia, & præcipuè Turritanis.* Ex apertis sepulchris, suauissimus, ac fragrantissimus odor vnà cùm sacris erumpens ossibus extemplò templum omne permeat, non sine maxima clarissimi Præsulis, & omnium qui aderant admiratione, vehementique animi sensu, & lachrymis præ gaudio ingenti profusis. Sed ipsa quoque linteola, & precarii globuli, eiusque generis alia, quæ ad sepulchra fideles applicuissent, suauissimum eum odorem ad multos etiam dies retinerent.

21. *Trithem. in Chron. an. 1121. de B. Brunone.* In loco, vbi corpus B. Brunonis Abb. cùm inscriptione nominis (vt consuetudo habebat) in lapide superposito iacebat humatum, & monumentum eius propter loci angustiam casu tangentes, à latere pro parte aperiri cœpisset, tanta mox suauissimi odoris fragrantia erupit, vt omnes, qui circumstabant pauore simùl, & admiratione perculsi, penè extra se rapti putarentur. Vix autem sibi persuadentes audendum; vt tamen causam huius miraculi perciperent, tumulum ipsum B. Brunonis altiùs fodientes aperiunt, & vndè processerat tàm suauissimus odor iàm cernentes, virum sanctum, quasi integrum iacentem in sarcophago cognoscunt. Quidam verò de circumstantibus monachis experiri volens incorruptionem, quæ apparebat, sacrum corpus leniter cùm baculo tetigit, & mox aere sub intrante vsque ad ossa resolutum in cineres fuit.

22. *Cesarius, lib. 8. mirac. cap. 89.* Tempore quodam, cùm plurima illic, (idest in Veteri monte) allata fuissent corpora (ex Vrsulæ socialibus vndecim millibus) monachi lauerunt illa, cùmque eadem posuissent super sedes capituli, pannis mundis substratis, vt siccarentur, fætor intolerabilis, quasi ex eis exhalans, omnium nares infecit, timens Dominus Gosuuinus Abbas fætorem eũdem ex aliquo Diaboli ludibrio fuisse creatum, vt per eum deuotionẽ fratrum erga reliquias Martyrum extingueret, assumptis secùm sacerdotibus, vestes sacras induit, cùm quibus circa ostium capituli stans, sic ait: adiuro te immunde spiritus per eum, qui venturus est iudicare viuos, & mortuos, & seculum per ignem, vt si aliquid tui operis est in hoc fætore, manifestetur, & anihiletur, desque honorem Deo & sanctis his. Mira res! vix verba compleuerat, & ecce os grande equinum, cunctis videntibus, de medio reliquiarum exiliens, extra capitulum, quasi turbine impulsum proiectum est, cùm quo & omnis fætor extractus est, aduenitque odor suauissimus. Tunc omnes Deo gratias egerunt, qui & Diabolum in suo opere confudit, & sanctos suos glorificauit.

23. *Idem, lib. 12. cap. 48.* Magister Petrus cantor Parisiensis, verbo, voto, & exemplo plures ædificauerat. Hic in Pontenella domo ordinis nostri factus est nouitius, & infra annum probationis defunctus est, & in capitulo sepultus; cùmque postea necessitate ædificiorum, corpus eius esset transferendum, aperto sepulchro, tàm magnus, & tàm suauissimus ex illo odor efferbuit, vt nares omnium illius fragrantia reficerentur. Odor ille, signum erat eximiæ eius doctrinæ, cuius mercedem receperat in cęlo.

24. *Bernardus Guido, apud Raynaldum, anno 1279. numer. 12.* In villa, denominata S. Maximinus, cùm corpus S. Mariæ Magdalenæ requireretur in sacello, in quo illud condiderat S. Maximinus Episcopus Aquensis, apertis omnibus tumulis, qui erant in vtroque latere, hinc, & inde: nec non effossa humo, quæ erat in medio solo in oratorio memorato, inuentum est corpus sanctum sanctissimæ Magdalenæ; non quidem in tumulo de alabastro, in quo primùm conditum fuerat, qui adhùc ibi cernitur,

nitur, cùm historiis, & sculpturis; sed in alio tumulo marmoreo, ibidem è regione ad dexteram introeuntibus collocato, cùm ingenti odoris fragrantia, tamquam si aperta fuisset suauium aromatum apotheca: consequentibus signis, & multis miraculis gloriosis.

25. *Surius, in vita S.Poponis 25.Ian.* Iam sextus circa sepulti corporis funus dies abscesserat, nec tamen pristina in illo fragrantia defecit: vt certè testantur illi, qui adfuere, quòd velut pulueris pigmentarii suauitatem in ipso persenserint.

26. *Idem, de translatione S.Hermolandi Abb. 25. Martij.* Die tertio ab eius obitu tanta suauissimi odoris fragrantia ex eo monumento erupit, vt primùm Basilica omnis, deindè vniuersum cœnobium illo compleretur, atque in octauum vsque diem perpetuò perduraret.

27. *Idem, in vita S.Alberti Carmelitæ, 7. Augusti.* Cùm corpus B. Viri summa populi deuotione in mediam maiorem ædem deportaretur, & exequiarum missę celebrandæ essent, odor longè suauissimus è corpore diffundebatur, cunctis non mediocriter id admirantibus.

28. *Idem de cadauere S.Hunegundæ 25. Augusti.* Tanta ex illo sentiebatur fragrantia, vt omnium nares ineffabili satietate complerentur.

29. *Idem, in vita S.Remacli Episcopi, 3. Septembris.* Visum est aliquandò fratribus, quædam circa venerabile beati viri sepulchrum emendari oportere. Aduocantur artifices, indicant illi, quid fieri debeat: deindè ad certum diem adsunt cùm rastris, & malleis, humum sepulchri effodiunt, foribus obseratis: in fodiendo magnam sentiunt difficultatem ob soli tenacitatem. Vbi autem superior terra nonnihil amota fuit, tanta ex sepulchro manauit odoris suauitas, ac si aromata omnia illic cremarentur.

30. *Idem, de S.Elisabetha Regis Vngar. filia cap. 30. 19. Nouemb.* Effosso tumulo, sanctissima eius leuantur ossa. Neque verò continuò, cæterorum cadauerum more, horrendi fœtoris exhalatio, sed tamquam reclusa pretiosissimorum aromatum theca, gratissimus odor egressus, omnium, qui aderant, & nares imbuit, & animos ingenti gaudio perfudit.

31 *Idem, de S.Simeone Metaphraste, 27. Nouembris.* Post eius mortem fuerunt statim omnia, & non tunc solùm suaui odore plena, nec in diem tertium, sed etiam in multos dies postea, donec fuit solus conditus in sepulchro, & loculus perpetuò talem emisisset odorem, nisi se aliqui tàm iniquè gessissent, vt aliud corpusculum propè eum deponerent. Simùl atq. enim hoc magno illi viro accidit, desiit fons ille suauis odoris.

32. *In actis S.Lamberti M.* Aperto feretro Martyris S.Lamberti, euaporauit cælestis, & super omnem humanam dulcedinem dulcissimus odor, continuè durans.

33. *In actis S.Godehardi.* Dùm S.Godehardi sepulchrum aperiretur, diuinus quidam, & incognitus odor fragrabat, qui quosdam astantes quasi quadam spirituali dulcedine refocillabat, & in perfecta fide sanctitatis ipsius corroborabat.

34. *Ioan. Gerbrandus, lib. 7. Belg. Chron. capi. 22. de inuentione corporis Sancti Ieronis Martyris.* Cùm in designato loco fodere cæpisset, mox suauissimi odoris fragrantia de gloriosissimi Martyris Ieronis membris manauit.

35. *Raysfius in auct. ad nat. S. S. Belgij, 16. Ian. de translatione S. S. M. M. Candidi, & Victoris.* Feretro eorum aperto, magna suauissimi odoris fragrantia longè, latèque diffusa fuit.

36. *Greg. Turon. de Glor. Confes. cap. 41. de B. Germano.* Quodam tempore ad Basilicam, in qua reliquiæ B.Germani conditæ sunt, cùm Auito Episcopo accessimus. Quò cùm S.Pontifex ieiunus ingressus fuisset hora quasi decima, omnes, qui cùm eo eramus, odorem liliorum, & rosarum naribus hausimus, quod nobis Beati Pontificis præstitum merito non ambigimus, erat enim mensis nonus.

37. *Idem, ibidem, cap. 104.* Pelagia genitrix Beati Aredii Abb. valdè religiosa, cùm vrgeretur febribus, & esset in transitu, petiit filium, dicens. Quæso fili dulcissime, ne me ante diem quartum sepeliatis, vt venientes famuli, famulæque omnes videant corpusculum meum, nec vllus frustretur ab exequiis meis de his quos studiosissimè enutriui. Et hæc dicens emisit spiritum: abluta iuxta morem collocatur in feretro, atque in Ecclesiam deportatur. Quarto verò die priusquàm sepeliretur, tantus odor suauitatis effragrauit à corpore, vt omnes admirarentur.

38. *In vitis P. P. cap. 38. de S. Hilarione.* Post decem ferè menses ab eius obitu, tanto eius corpus fragrabat odore, vt delibutum vnguentis putaretur.

39. *In vita S. Friderici abb. ord. Præmonstrat.* Corpusculum eius cùm ablueretur, miri odoris fragrantiam perfudit.

40. *In vita S. Vuilielmi Rothensis, ex eodem ordine.* Certò asseritur, ossa Beati Vuilielmi suauissimum spirare odorem, qui & animum penetret.

41. *Ioan. Buzelinus, in annal. Gallo Fland. li. 1. de S. Piatone.* Cùm S. Piatonis corpus sepulchro ab viris tùm moribus integris, tùm pietatis officio præstantibus infertur: exquisitissimus, & insolitus planè odor nares omnium ita perfudit, vt introrsùm se se visceribus insinuans, miram pectoribus vim, & fragrantiam afferret.

42. *Idem lib. 2. annal. Gallo-Fland. de S. Amato.* Post eius obitum, repentè totum, vbi iacebat, locum tanta suauissimi odoris fragrantia perfudit diuinitùs, ac si omnium aromatum genere imbuta domus esset.

43. *Antonius Caracciolus, in actis translationis 5. Ianuarij M.* Etiam illud dicendum, quòd nullo in tempore fragrantiæ odor recessit; ita vt ab itinere, per quod ducebatur, ante duarum, vel trium horarum spatium non euanesceret.

44. *In m. s. s.* Dùm inuentum fuisset Romæ corpus S.Cæciliæ Virg. & M. nec thimiamata, aut thura adoleri necesse fuit, cùm ex ipsius virginis sanctissimo corpore admirabilis, ac diuinus, qualis rosarum est, & liliorum, odor suauissimus expiraret.

45. Ven.

45. *Ven. Beda lib. 3. Hist. Anglorum, cap. 8. de Virgine Eartongatha.* Sepultum est autem corpus venerabile virginis, & sponsæ Christi in Ecclesia Beati Protomartyris Stephani; placuitq. post diem tertium, vt lapis, quo monumentum tegebatur, amoueretur, & altiùs in ipso loco reponeretur; quod dùm fieret, tantæ fragrantiæ suauitas ab imis ebulliuit, vt cunctis qui adstabant fratribus, & sororibus, quasi opobalsami cellaria esse viderentur aperta.

46. *Chry. Heriq. in fas. de B. Torphimo Episcopo Hamariæ.* Cùm magna virtutis opinione ex hac vita discessit B. Torphimus anno Domini 1284. Discursu verò temporis quidam eiusdem loci Abbas, tanti viri sanctitate commotus, eius venerandas reliquias aperire decreuit. Cùm autem sarcophagum dimouere inciperent, diuinitùs fuit ipsis prohibitum. Ex tumulo autem sanctissimi Præsulis diuinæ suauitatis odor manauit, qui se per totum templum spargens, omnes in admirationem conuertit: ibi iàm à centum annis corpus venerandi patris requieuerat.

47. *Idem ibidem, de B. Raymundo Abb. Fiterij.* Sanctissimum eius corpus, aliqua magna vrgente necessitate, vel aduentantibus Principibus, qui vt eius reliquias venerarentur veniebant, ostendere consueuerunt. Spirabat autem diuinæ suauitatis odorem.

48. *Idem ibidem, de Ven. F. Candido à S. Bernardo.* Magno honore, & comitatu filij sepulchro illatum est corpus Patris. Dùmque iàm lapidem leuarent, & mouere inciperent; tàm diuina fragrantia, & suaueolentia egressa est è tumulo, vt omnia aromata, etiam suauissima superaret, totumque templum repleret, omnesque præsentes magna afficeret consolatione. Nec hic stetit fragrantia, nàm & ad eos, qui foris erant, peruenit.

49. *Idem in menologio, 23. Feb. de B. Leonora moniali.* Post aliquot annos, cùm eius tumulum aperirent, suauissimus; & verè cælestis odor ex sacris suis ossibus emanans, per totum templum se diffudit.

50. *Idem ibidem, 16 Augusti, de Ven. P. Athanasio de villa Gomez.* Postquam in assidua contemplatione, spiritus puritate, & carnis maceratione, vitam sanctissimè traduxisset, exultans, & laudans animam reddidit: ex cuius ossibus odor suauissimus, & verè cælestis, etiam post multos annos, cunctis admirantibus, & venerantibus merita pii Patris, emanauit.

51. *In martyr. Gallicano, 13. Ianuarij, de S. Hilario Episcopo Pictauiensi.* Ex defuncti corpore suauissimus emanauit odor: quibus mysticis indiciis, & bonorum operum fragrantia, & doctrinæ cęlestis candor, quo orbem vniuersum impleuit, illustrauitque, diuinitùs propalatus est.

52. *Ibidem, 24. Martij.* Cùm S.S. Abdon, & Sennen Reliquiæ ab Hæreticis Suessione in ignem proiectæ fuissent, non secus ac thus in igne suauissimum odorem emiserunt; cuius fragrantiâ orthodoxi eximio solatio persensere: hæretici verò è contra tanto fœtore indè affecti sunt, vt nonnulli excedere properè coacti sint.

53. *Ibidem, 9. Iunij, de S. Dionysio Areopagita.* In eius Hierothecæ superficie hæc ephigraphe reperta est, antiquissimis caracteribus exarata: Hic situm est corpus Beatissimi Dionysii Archiepiscopi: è qua statim ac reserata est, tàm suauis odoris fragrantia emanauit, vt tota basilica exquisitissimo balsamo, omnisque pigmenti gratissimo suffitu imbuta videretur.

54. *Ibidem, 16. Iulij, de S.S. Ferreolo, & Ferrutio M.M.* Tanta ex eorum corporibus odoris fragrantia emanauit, ac si cuncta eo loci thymiamata efferbuissent, omneque balsamum redoleret: Deo sanctorum suorum corporibus hunc suffitum prouidente, vt constaret, bonum eos Christi odorem, & hausisse, & exhalasse.

55. *Ibidem, 6. Kal. Decembris, de S. Maximo Episcopo, & Confess.* Demùm in lectulo suo repositus tamquam somnum placidè capturus, inter psallendum feliciter in Christo obdormiuit. Cuius corpus cælesti fragrans odore, in sepulchrum sua in Ecclesia illatum est, quæ pignora eius sacratissima etiam nùm religiosè obseruat.

56. *In vita S. Luciani Bellouac. Mart. 8. Ian.* Cùm sanctû eius corpus viri misericordiæ reconderent, apertæ sunt nares eorum, senseruntque aromata Angelorum, qui à Domino ad sancti viri exequias fuerant destinati. Dixeruntque viri ad inuicem: Quidnam sibi vult hoc? Odorem talem nostræ nunquam nares senserunt.

57. *In actis S.S. de translatione S. Patrocli mar. 21. Ian. apud Bollandum.* Cùm effodiendum esset corpus venerabile S. Patrocli, confestim vt aperuerunt sarculis terram (mirabile dictu) repleti sunt omnes odore vehementissimo, quo nihil vnquam suauius sentiebant: & quò quis magis proximus fuit sepulchro, eò magis se odoris dulcedine affectum esse testatus est.

58. *Ibidem, in vita S. Iuliani Episcopi Conchensis, 28. Ian.* Suauissimus quidam per totam basilicam odor diffusus est, cùm apertum esset S. Iuliani venerandum sepulchrum.

59. *Ibid. in actis B. Margaritæ Hung. Virg. 28. Ian.* Ex eius corpore processit odor suauissimus, aromata superans vniuersa, & sensibiliter à cunctis aduenientibus percipiebatur, & durauit multis diebus.

60. *Ibidem, in actis S. Baculi Episcopi Surrentini 29. Ian.* Multis post annis Sergius quidam sacerdos huius templi custos, ædem reficiens, ac reconcinnans, quatuor columnas marmoreas, circa altare, vbi D. Baculus humatus est, collocabat, quæ sustinerent cameram, testudinemque statueretur super aram. Persosso pauimento, summæ, & acerrimæ odorum suauitates ex foraminibus efflabantur, & ad superiora ferebantur, vt non modò qui in templo, verùm etiam qui circùm templum erant, illius odorationis voluptate caperentur, veluti thure, & odoribus incensis.

61. *In actis S.S. Feb. tom. 1. in Contin. Bollandi.* Sub eadem hora, qua de terra sunt leuatæ exuuiæ corporis S. Angilberti Abbatis Centulensis, tantus odor suauitatis ipsam Basilicam, omnesque loci officinas respersit, ac si balsamo cunctisque aromatibus omnia replerentur.

62. Ibi-

62. *Ibidem, tom. 2.* Cùm sepultum fuisset corpus Sancti Licinii Episcipi Andegauensis, fertur, tantum odorem ibidem fragrasse, quantum nemo medicorum componere potest: vt omnes odore suauitatis repleti, Dominum ingenti lætitia conlaudarent.

63. *Ibidem*. Cùm post octo dies, ac sepultus fuerat Sanctus Antonius Patriarcha Constantinopolitanus, translatus fuisset in meliorem locum; nouus quidam, & insignis odor vnguenti suauissimi impleuit sensum eorum, qui aderant, tacitè honorans eum, qui iacebat, & describens eam, quæ ei intercedebat cùm Deo coniunctionem, & familiaritatem.

64. *Ibidem*. Cùm transferretur corpus Beati Gulielmi Zucchij, quod in Ecclesia Sancti Marci Fratrum Prædicatorum Alexandriæ in Italia asseruatur, suauissimus odor ex eo exhalauit, ita vt omnes recrearentur.

65. *Ibidem*. Ex reliquiis Ven. Hieronymi Æmiliani suauissimum odorem exhalare mirabiliter percepit S. Carolus Borromæus.

66. *Ibidem, tom. 3.* Quo tempore adinuentæ fuere reliquiæ S. Milburgæ Virg. tanta odoris suauitas vndique exhalare cæpit, vt omnes cùm magna admiratione gratias agerent Deo, Sanctam suam glorificanti.

67. *Ioan. Trith. libr. 3. de viris illust. ord. S. Benedicti, cap. 25. de Merolo Monacho*. Merolus Monachus, & discipulus B. Gregorii Papæ, vir lachrymis, & compunctioni vehementer intentus, tantæ sanctitatis fuit, vt diuina promissione ab hoc exilio, ad felicitatem cælestis patriæ sit vocatus. De cuius tumulo, post annos quatuordecim, fragrantia miræ suauitatis emanauit. Claruit ann. Domini 570.

68. *In Martyr. Bened. 13. Kal. Septemb.* In monasterio Vallis-Vmbrosæ, Beati Michaelis Abb. & Generalis Præpositi vigesimi quarti ordinis Vallis-Vmbrosæ; ex cuius corpore odor suauissimus spirabat.

69. *Menard, in Auctario ad marty. Benedictinum, de sorore Margarita à Sancta Gertruda*. Corpus eius post mortem, suauissimum spirauit odorem.

70. *In diplomate Canonizat. S. Thomæ Aquin.* §. 9. Post septimum mensem, vel circa à die obitus ipsius Sancti Thomæ de Aquino, cùm corpus eius, quod in capella S. Stephani monasterii Fossæ nouæ per idem tempus sepultum extiterat, & ad sepulchrum eiusdem primum, scilicet iuxta altare maius Ecclesiæ monasterii antedicti, vndè ad tempus per monachos eiusdem monasterii, timoris causa sublatum fuerat, ne corpus ipsum omninò de dicto monasterio tolleretur, per translationem denuò exhumatum deferri exindè decreuissent; in apertura ipsius sepulchri eiusdem capellæ S. Stephani, tanta fragrantis odoris suauitas emanauit, quòd totam ipsam capellam, claustrúque ipsius monasterii, quod diffusum est, mira eadem suauitate repleuit, quæ de ipsius corpore (pro vt ex solicita, curiosaque monachorum indagine est repertum) mirificè fundebatur.

74. *In vita S. Aloysij Bertrandi.* Aderat fragrantissimus odor, qui è toto cadauere exhalans gratissimo adstantium oblectamento per vicina quæque loca diffundebatur, cognoscique minimè poterat, cuius rei fragrantiam imitaretur, prorsùs vt cælesti potentia productus videretur.

72. *Odoricus, an. 1236. de Beato Iordane, ord. Prædic.* Sepulturæ mandato corpore B. Iordani, per multos dies sepelientium manus suauissimum odorem spirarunt.

73. *Spondanus, ann. 1460.* Hoc anno Tuneti in Africa nobile martyrium passus est Beatus Antoninus de Ripolis, ordinis Prædicatorum, cuius corpus exanime igni iniectum, illæsum adeò permansit, vt nec capilli violati fuerint. Tractum demùm per vicos, in cloacam coniectum est; & à Christianis redemptum suauissimum odorem spirans, multis miraculis claruit.

74. *In vita Vener. Cæciliæ Virg. Ferrariensis, ord. S. Dominici*. Dùm viueret summa deuotione rosarium Beatæ Virginis recitabat; post autem eius mortem, manus eius suauissimo rosarum odore fragrabant.

75. *Petrus Malpaus, in Palma Fidei, de Fr. Andrea Cattrano*: Exuuiæ eius mirificè fragrantes apparuerunt.

76. *Cæsar Franciottus, in vita Beatæ Zitæ*. Post Beatæ mortem, corpus eius mirum exhalabat odorem, qui in dies semper augebatur.

77. *In Annalibus seruorum, Cent. 1. libr. 7. capit. 4. de Sancto Philippo Benicio*. Translato corpore eius è fouea anno 32. ab eius obitu, subitò immensus odor Ecclesiam, & ciuitatem implet.

78. *In vita Beati Ioannis Sahaguntini, ordinis Erem.* Cùm in nobilius sepulchrum esset condendum corpus eius, ad illud cùm ventum esset, terræque nonnihil egestum, inuenerunt feretrum, quod illicò per omnes templi partes suauissimos odores exhalauit omnium admiratione.

79. *Constantinus Ghinius, in S. S Canon. natal. 5. Aug. de Venerab. Bernardo Veneto*. Lætus Bernadus, in manus Domini efflauit animam nonis Augusti, anno salutis 1604. ætatis suæ 63. funus ob populorum frequentiam diebus tribus dilatum, corpus non fætorem, sed suauem odorem efflabat: quod, & post dies tres alios, quibusdam Dominis de longè deuotionis ergò venientibus, cùm capsula aperiretur, id accidit, suauitate omnibus fruentibus, & mirantibus.

80. *Herrera in Alphabeto Augustiniano, de B. Cherubino Testa, de Auiliana*. Post aliquos annos à morte Beati Cherubini (quo tempore campanæ nullo humano impulsu per se ipsas sonare auditæ sunt) multum odorem, & fragantiam ex eius sepulchro sentientes Fratres, exhumare sacrum cadauer, & in decentiori loco collocare statuerunt, & ecce dùm reseratur sarcophagus, apparuit odoriferum lilium, quod ex Cherubini corpore pullulabat.

81. *In Chron. Minorum, de Sancto Bernardino Senensi*. Mansit sacrum corpus Diui Bernardini Senensis inhumatum ad dies sex & viginti; non solùm nihil malè olens, sed suauissimos etiam spirans odores coràm omni populo.

82. *Gonzaga, de Prouincia Sancti Euangelij, de conuentu Sancti Ludouici Episcopi Talmanalci, de fatre Martino de Valentia*. Cùm eius aliquandò corpus recluso tumulo ostenderetur, frater Ioannes de Ouiedo, qui in Angelorum ciuitate Tecamachalci Guardianus obiit, cùm odoratus sensu priuatus omninò esset, eximiam odoris suauitatem sensit, sanitatique restitutus est, inque ea ad obitum vsque permansit.

83. *In vita Sancti Didaci, ord. Minorum*. Mortuo Beato Didaco, mira odoris suauitas ex eius sacro corpore procedebat, totumque cubiculum repleuit, & omnes qui præsentes aderant delectamine perfudit: sed illud commemorabile est, atque admiratione dignissimum, eam odoris iucunditatem sensu percipi nequaquam ab iis potuisse, qui tetris peccatorum sordibus se se inquinassent. Vbi verò de iis confessi sunt, gratissimum indè odorem senserunt.

84. *Arturus, in ann. mart. Franc. 24. Maij, de B. Apollonia Pighinesia Virg*. Cùm viuens an. 1560. scaturientibus ex eius vlceribus vermiculis, tetro odore approximantes inficeret, mortua tamen suauissimè fragrauit.

85. *Rocbus Pirrus, in not. Eccles. Panormitanæ, de Beato Gerardo à Valentia, ordinis Sancti Francisci*. Gerardi corpus odore quodam diuinitùs perfusum in sacello reconditum est honestissimè.

86. *Vading. in ann. Minorum, ann. 1451. nu. 41. de B. Matthæo Agrigentinate Episcopo*. Sepultus in capsa lignea, multis annis suauissimum spirabat odorem, & per craticulam ferream immissis rosariis, & sudariolis communicabat eumdem. Horum contactu, & odoris fragrantia multi à variis curabantur languoribus.

87. *Idem, ann. 1331. num. 17. de Beato Oderico*. Quarta die translatum est corpus eius ad aliam arcam nobiliorem tribus seris munitam, præsente Domino Pagano Patriarcha Aquileiæ, & Decano Canonicorum Vtinensium, talemque emisit mirificum odorem, vt suspicionem ingesserit aromaticæ conditionis. Vnus ex eis volens probare an ita esset, ad omnes fermè corporis partes manus applicuit, & nares, iurauitque non humanum, aut terrenum, sed cælestem se sensisse odorem eodemque fragrasse manus, quibus sanctum corpus tractauit, per dies septem.

88. *Odoricus, an. 1268. n. 55. de B. Salomea Virg*. Hæc licet diebus septem iacuisset insepulta, pro fætore, qui cadaueribus inesse consueuit, suauis odor sanctimoniales, corpus suum frequentantes, afflabat.

89. *Zachar. Bouerius in Ann. Capucc. an. 1539. de F. Donato Aletino*. Tàm omnibus perspicua erat huius viri fama: vt turbæ vndique in eius obitu, ad illius corpus venerandum confluerent, Deo præsertim serui sui gloriam signis attestante: Nàm corpus in Ecclesiam delatum, tanto protinùs cæpit, non humanorum, sed cælestium planè aromatum odore fragrare; vt eum cuncti in cælo potiùs regnantem, quàm in feretro iacentem, sibi certo argumento persuaderent.

90. *Idem ibidem, an. 1540. de F. Petro Tudertino*. Cùm quarto post eius obitum anno, quo tempore nemo, illo excepto, in eo sepulchro eatenùs conditus fuerat, F. Iacobus Hispallensis, in eo conuentu extremum diem clausisset, aperto ore sepulchri, vt eò defuncti Iacobi corpus inferretur, tanta odoris fragrantia ex Petri corpore statim effundi cæpit; vt cuncti in mentis stuporem conuerterentur, tuncque primùm insignem Petri sanctimoniam, & certam illius apud Deum gloriam diuinitùs testatam haberent.

91. *Idem ibidem, anno 1555. de Fr. Matthæo Rhegino*. Ex ipsius corpore, post mortem, tàm suauis odor diffundi cæpit; vt F. Antonius Rheginus, qui illud in sepulchro condidit, eo perfusus, post hæc per octo integros dies suaue oleret.

92. *Idem ibidem, anno 1569. de Fr. Honorio à Monte Granario*. F. Benedictus Rhegensis Capuccinus sacerdos, cùm alterum huius viri pedem, è tumulo erutum, sibi ob tanti viri memoriam in cella reconditum reposuisset: tanta repentè odoris fragrantia per totum monasterium effusa est; vt cum ea vniuersi obstupescerent, causamque diligentiùs exquirerent, metuens Benedictus, ne factum aliis innotesceret, iterùm pedem ad sepulchrum refert: factumque deindè superiori declarat.

His plurima similia admiranda de suauissimo odore ex defunctis corporibus emanante leguntur in prædictis annalibus.

93. *In menologio Carmelitano, de S. Andrea Corsino*. Post eius obitum, sacrum eius corpus suauissimum efflauit odorem, quo multi recreabantur, ac sanabantur infirmi.

94. *Antonius Gallonius, in vita S. Philippi Nerij, an. 1595*. Mulier quædam clarissimis natalibus, abundans pietate magis, quàm diuitiis, vna ex iis quæ templum nostrum frequentat, vbi inter initia obitus Philippi propè eius sepulchrum oraret, odorem inde confestim suauiter, iucundèque spirantem sensit, quo mirificè recreata, cùm secùm ipsa cogitaret, vndè is manare posset, comperit tandem stupore attonita (quòd nullus ibi flos erat, nullaque res, quæ tanto halaret odore) è Philippi corpore nullis vnguentis delibuto, aut balsamo condito effluere. Erat suauitas odorum, qui afflantur è floribus, rosis, violis, & id genus aliis.

95. *In vita S. Francisci de Paula, libr. 5. cap. 3*. Post eius obitum, cùm corpus eius per plurimos dies insepultum, expositumque publicæ venerationi fuisset, suauissimum efflabat odorem, non putrescebat, sed in dies pulchrius euadebat.

69. *In vita S. Francisci Xauerij*. Dùm corpus Xauerii, in insula Sanciano, vel Malacca loculo inclu-

includitur, vel ab eo extrahitur, similiter dùm Malaccam, & exindè in Indiam naui aduehitur, vel Goæ visendum exponitur, aut ibidem in capsa visitatur, licet nullo odoramentorum genere curatum esset, suauissimum tamē odorem ex se emittebat, ita vt omnium spiritus suscitaret, & confortaret, nec poterant discernere, cuiusnam rei tàm suauis ille odor esset.

97. *Seraphinus Bertolinus, in vita S. Rosæ Peruanæ, cap.* 31. Ex cadauere Sanctæ Rosæ, de Sancta Maria, Peruanæ, multo tempore post eius obitum suauissimus efflauit odor, ceù purissimę virginitatis, quam semper coluerat, indicium.

98. *In actis S. Franciscæ Romanæ*. Postquàm ab hac seruitute in libertatem gloriæ liberata est, ipso die dormitionis eius, quæ vrbem vniuersam commouit, & duobus sequentibus, quibus diebus eius corpus inhumatum fuit in Ecclesia, Sanctę Mariæ Nouæ nuncupatæ, simili miraculo, quo sanctorum suorum corpora Deus non semel honorauit, Franciscæ etiam corpus honorare dignatus est Dominus: Tantis enim odoribus fragrauit, vt omnia odoratis floribus referta visa fuisse acta testentur.

99. *Fornerus in Palma triumph.* Olìm Sancti Ioannis Baptistæ caput, Emesiæ in Syria iucundissimo omnes odore perfundebat accedentes, & ægrotis sanitates varias impertiebatur. Sic Leontii Episcopi, qui Nicæno primo concilio interfuerat, post multa decursa sæcula, corpus integrum suauissimè olens est repertum, aromate insuper omni exotico gratior alitus; è Sanctæ Heduuigis integro corpore, cùm eius tumba aperiebatur emanabat etiam suauissimus odor.

100. *In actis B. Nicolai Rusca, capit.* 16. Quidam, eo in carceris loco, squallenti admodùm, & fætenti, vbi exanimati Nicolai cadauer proiectum iacuerat, vsque ad sepulturam, diebus aliquot suauissimum, & planè diuini aliquid spirantem remansisse odorem, & à se perceptum, asseuerabat.

101. *Rhò, lib.* 1. *cap.* 5. *num.* 3. *de Emmanuele Ferrandio.* Huius reliquiæ post plures annos effossæ, suauissimum spirasse odorem dicuntur.

102. *In annal. Minorum ann.* 1215. *numer.* 17. De monte recedens Sanctus Franciscus, venit ad montem Casalem supra Burgum Sancti Sepulchri, vbi cùm in deserta oraret Ecclesia, intellexit per spiritum, sacras ibidem remansisse reliquias; quas cùm longo iàm tempore defraudatas honorificentia debita, non sine mœrore conspiceret; præcepit fratribus, vt eas cùm reuerentia deferrent ad locum. Sed cùm poscente causa discessisset ab eis, mandati Patris immemores filii, obedientiæ meritum neglexerunt. Die verò quadam cùm sacra celebrare vellent mysteria, superiori altaris operimento submoto, ossa pulcherrima, & redolentia nimis non sine admiratione reperiunt, intuentes reliquias, quas non hominis manus, sed Dei virtus attulerat. Reuersus paulò post vir Deo deuotus diligenter cæpit inquirere, si quod de reliquiis mandauerat, esset impletum. Verùm neglectæ obedientiæ culpam fratres confitentes humiliter, cùm pæna veniam meruerunt; & ait vir sanctus: Benedictus Dominus Deus meus, qui per se ipsum impleuit quod vos facere debuistis.

103. *In vita Vener. Turibij Alphonsi Mogrouejj, Archiep. Limensis, cap.* 17. Ex eius cadauere post mortem suauissimus efflabat odor, ceù testis angelicæ eius puritatis, qua florem virgineum illibatum seruauit.

104. *In vita B. Dorotheæ Pruthenæ, apud Raynaldum, ann.* 1399. *num.* 24. Post eius mortem corpus eius licet maciluntum, squalidum, & liuidum, suauissimum ex se diffundebat odorem, cuius attactu, & odore plurimi debiles, & claudi fuere sanati, atque cæci visum receperunt.

105. *Dominicus Marchesius, in vita Ven. Sor. Mariæ Villanæ, ord. Prædicat.* Ex cadauere Ven. Sor. Mariæ, licet quinquaginta sex annis variis diuexata fuerit infirmitatibus, cruciatibus, plagisq; suauissimus odor adstantes summoperè recreans exhalabat.

106. *Franciscus Maria Maggius, in vita Ven. Mariæ Carafæ, cap.* 15. Dùm in meliorem locum translatum fuisset corpus Ven. M. Mariæ Carafæ, sanctimonialium Sapientiæ Neapolis Fundatricis, maximum exhalasse odorem, omnes adstantes agnouere.

107. *Sylos, in Hist. Cler. Regul. part.* 2. *libr.* 5. Ex imagine, breuiario, aliisque rebus, quos vsu triuerat, dùm viueret noster Beatus Andreas, suauissimus odor, suauitatem supra omnem Arabiæ vnguentariam præseferens, multotiès emanare compertus est.

108. *Idem, par.* 3. *lib.* 2. Post mortem Andreæ Piscaræ Castaldi, ex nostris perfectissimæ sanctimoniæ viri, promanans suauissima quædam ex eius ore liliorum fragrantia exhalauit, vt ex ea non vnus, aut alter, sed innumeri admirati sint, quorum plerique dùm propiùs rem explorant, aduertunt ab ipsis præcordiis ver illud odoratissimum inhalari.

109. *Idem, in vita Ven. Francisci Olympij Cl. Reg. lib.* 1. *cap.* 23. Comperta res est multorum fide, qui à sepulchro Ven. Francisci Olympii ex nostris, nescio quid peregrini odoris supra balsamum, atque Arabum messem hausisse affirmarunt, quinimmò & vestes illius mirè aliquandò redoluisse compertum est.

110. *In vita Fr. Innocentij à Clusa, ord. Minor.* Eius corpus post obitum solitò pulchrius, ac mirificè fragrans, obseruatum est; quem suauem odorem, & liliorum fragrantiam ann. 1643. vndecimo post eius obitum, quandò scilicet permissu summi Pontificis Vrbani VIII. translatum est, adhùc emittere, omnes adstantes admirati sunt.

Multa alia his similia notabuntur in Appendicibus, cùm de incorruptione, & integritate corporum quorundam Seruorum Dei; & cùm de odore perenniter à sacris exuuiis emanante.



APPENDIX I. AD CAP. III.

Sanguineæ maculæ perenniter conseruatæ, & indelebiles.

SAnguineis notis, velut indelebilibus caracteribus, vel impiorum anteactam crudelitatem, vel Admiranda, quæ aliquandò operatus est Deus, voluit perenniter manifestari. De his,

1. *Franciscus Collius, de sanguine Christi, libr. 5. capit. 2.* In sacra Syndone, in qua obuolutum fuit Saluatoris nostri corpus, dùm tridui tempore iacuit in sepulchro, quæque apud Sabaudiæ Duces summa religione asseruatur, maculæ Dominici sanguinis adhùc tàm manifestè patent, vt eisdem effigies eiusdem Saluatoris expressa conspiciatur, vulnera, & cicatrices eiusdem dilucidè in ea manifestentur. Hoc idem cernitur in alia Syndone apud Treuirenses existente, non secùs ac priori, sacro cruore tincta, atque pluribus designata sanguinis Christi notis. Duo etiam sudaria, quondam sanguine Christi imbuta, sanguineis notis etiam nunc eandem Christi effigiem repræsentant; alterum Saluatoris faciei, sanguine, & sudore aspersæ à Veronica admotum, quod Romæ in Ecclesia S. Petri colitur; alterum quo caput Domini in sepulchro iacuit inuolutum, quodque apud Gallos in Ecclesia Minorum reperitur.

2. *Idem ibidem*, Columna, cui vinculis adstrictus Saluator adhæsit, cùm flagellis plecteretur, diuini cruoris maculas præsefert; quemadmodùm Sanctus Hieronymus testatur in Epitaphio Paulæ num. 20. cùm dicit: *ostendebatur illi columna, Ecclesiæ porticum sustinens, infecta cruore Domini, ad quam vinctus dicitur, & flagellatus.* Hoc similiter apparet in diræ lanceæ ferro; quo latus Domini apertum fuit; nec non in Scala sanguine Christi non semel madefacta, quæ Romæ ostenditur. Relicti sanguinis etiam certa indicia deprehenduntur in Dominica veste consutili, quæ olim in Ciuitate quadam Galatheæ, vt ex Gregorio Turonensi, libr. 1. cap. 8. de mirac. modò verò in Treuirensi habetur ciuitate. Apparent insuper maculæ sanguineæ in cæteris Dominicæ Passionis instrumentis, præcipuè in Clauis, sacrisque spinis, quibus manus, pedes, venerandumque caput Redemptoris nostri transfixa fuere; quæque diuersis in locis summa veneratione conseruantur.

3. *Gonzaga in Prouincia Sancti Francisci; de conuentu Sancti Francisci de Monte iuxta Perusium.* In hoc conuentu, Ædes, quadam sacrosancti sanguinis gutta ex Seruatoris nostri Christi preputio defluxa, atque cuidam tabellæ impressa, elegantissimè honestatur. Hanc nobilis quidam Venetus penès se habebat, cùmque plurimis incommodis affligeretur, existimans ea sibi tamquam indigno ob tantæ reliquiæ detentionem obuenire, eam cuidam Patri, ac Fratri Perusino Venetiis tunc prædicanti, honestiori, atque decentiori loco collocandam liberalissimè contulit. Cumque in monasterio montis Lucis custodiretur, soror quædam de tantæ reliquiæ veritate subdubitans, eam digito tangere ausa est, cuius vestigium adeò mansit impressum, vt vsque in præsentiarum perseueret.

4. *Ex litteris Capituli Antuerpiensis, de Preputio Domini, apud Bollandum, 1. Ianuarij.* Contigit dudùm Ven. Patrem, & Dominum nostrum Cameracensem, Pastoralis solicitudinis more, Ecclesiam nostram visitare. Hic celebraturus, inter Missarum suarum solemnia, sacrosanctum Domini Præputium, seù particulam eiusdem præsentialiter sibi afferri, & corporali, quo vtebatur, superponi præstolabatur, vt id ipsum cùm metu, & reuerentia valeret aspicere. Cuius deuotæ petitioni dùm prædecessores nostri, qui pro tempore astabant, iustè annuerent; indictis tamen priùs populo per eumdem orationibus communibus; dùm & ipse intra missæ suæ secreta orat, si fortè Dominus eidem signum aliquod mittere dignaretur; (mira res) ecce ex præfato Domini Præputio in corporale, cui impositum fuerat, tres sanguinis guttulas, quæ in hoc vsque æuo apud nos notabiliter apparent, & permanent.

5. *In actis S. Mauritij, de S. Solutore m. Thebæo.* Sanguis huius martyris, cùm saxum durissimum conspersisset, tàm firmiter ei adhæsit, vt indè nunquam ablui potuerit, sicut vsq. hodiè visitur Taurini in quodam fragmento, quod maxima veneratione colitur.

6. *Philippus Ferrar. mense Febr. die 4. de Sancto Gemulo mart.* Illud admiratione dignum, quòd lapides eius fontis, in quem sanguis martyris profluxit, siue nati, siue immissi ad hæc vsque tempora rubescunt, quasi sanguine tincti, ex quibus plures Sanctum Borromæum, dùm Diæcesim visitaret, abstulisse deuotionis ergo fama est.

7. *Idem ibidem*, 23. *Maij*. Cùm S. Desiderius Episcopus Lingonensis à Vuandalis occisus esset; liber in quo sanctus Episcopus preces recitare solebat, suo sanguine ita aspersus fuit, vt cùm eo plura folia tincta fuissent, characteres tamen illæsi remanserint; qui liber ad hæc vsque tempora demonstratur.

8. *In vita S. Vuiboradæ Virg. & mart.* Tria vulnera in caput eius vibrata fuerunt; at virginalis cruor vndatim profluens, in prima eruptione, vicinum conspersit murum, atque exindè currens riuis cilicium totum perfudit. Quæ conspersio quàmuis sæpè calce dealbaretur, nullatenùs per multos annos potuit aboleri.

9. *In actis S. S. Vincentij, Orontij, & Victoris m. m. apud Bollandum, 22. Ian.* Cùm sacra eorum ossa vino lauarentur, & perfunderentur, visum est vinum superfusum in sanguinem versum, ac si ex recenti carne fuisset exortum. Cùmque dehinc sericis pannis inuoluerentur, ita liquor prædictus eosdem pannos perfudit, vt vsque in vas, quod ad suscipiendum fuerat paratum, influeret. Ne quis verò hoc incredibile ducat, in ipsis pannis factum miraculum, vsque hodie ad laudem sanctorum demonstratur.

10. Ray-

10. *Raynaldus, an. 1522.n.7.* In oppido Yebra sito in Valle Vasensi, dùm Ioannes, Regia Aragonia, & Nauarrica de stirpe creatus Episc.Oscensis, partem reliquiarum ex sacro S. Eurosiæ Virg. & mart.capite amputaret, sanguis emanauit, & sacri etiamnùm qui indè manauit cruoris impressa signa conspiciuntur.

11. *Saluator Vitalis, in Propug. Triumph. de Sancto Saturnino mart.Calaritano.* Iuxta locum, qui appellatur Apollinis, ob confessionem fidei catholicæ gladio grauiter vulneratus S.Saturninus, Christum Dom. confitendo, sanguinem effundens, spiritum tradidit: quo facto, corpus eius tollentes, in loco vbi iugulatus est, proximo, cùm honorificentia sepulturæ debita posuerunt. Sanguis autem eius lapidi inhærens, vsq.in diem hunc permanet, vbi & oratorium à Christianis constructum est.

12. *In annal.Pisanorum, apud Vghellum in Ital.sac.* Beatus Petrus Apostolus primum altare lapideum in Italia erexit, statim cùm transfretauit circa littora Pisanorum, vbi hodiè dicitur Ecclesia Sancti Petri ad gradus, quam Ecclesiam postea consecrauit Papa Clemens primus; qui dùm altare marmoreum ibi chrismate illiniret, tunc de ipsius Papæ naribus aliquæ guttæ sanguinis distillauerunt super ipsam altaris mensam marmoream. Ille sanguis in eodem marmore vsque hodiè ita recens apparet, sicut hodiè nobis videntibus ibi cecidisset: & habetur in magna veneratione.

13. *In Addit.ad marty.Gallicanum, 11.Septembris, de S.Marcello Episcopo, & mart.* In Aruernia ad Bornam fluuium apud Anitium, passio Sancti Marcelli Episcopi,& mart. qui à rusticis gentilibus, & barbaris tentus,ad vlmum quamdam Anitio vicinam (post de Sancto eius nomine celebratam) deductus, ibidem capite cæsus est super saxum, quod in hunc vsque diem manet gloriosi martyris sanguine cruentatum.

14. *Cælestinus à Bergamo, in vita S.S.m.m.Firmi, & Rustici.* In Ecclesia S.S. Firmi, & Rustici Veronæ, conspicitur lapis, sanguineas guttas adhùc demonstrans, quæ tempore, quo prædicti S. S. martyrio coronati sunt, in ipsum cecidere.

15. *Arnoldus Rayssius, in auct.ad nat. S.S. Belgij, 29.Decembris, de S.Thoma Cantuariensi.* In Sancti Iudoci in nemore monasterio, quod hodiè Domp-Martinense nuncupant, haùd procùl Hesdino, Sancti Thomæ integrum superpelliceum (vulgò Rochettum) quo indutus erat cùm ab Henrici Anglorum Regis satellitibus in templo suo miserè fuit interemptus, adhùc sanguine martyris sic adspersum, vt nulla lotione sanguis elui potuerit, magna cùm veneratione custoditur.

16. *In m. s. s.* In Ecclesia Sancti Gaudentii Episcopi Ariminensis, mar.& Protectoris eiusdem Ciuitatis, extat magna ex parte caput eiusdem Sancti, qui passus est anno 370. & in quadam ossea parte dicti capitis, in qua ipse sanctus crucem proprio sanguine digito impressit, adhùc clarissimè signum illud sanctæ Crucis rubeo colore tinctum à cunctis dignoscitur.

17. *Henriquez, in martyrologio Cisterciensi, 7. Octobris. De Reliquijs monasterij Clari-Fontis.* Hoc monasterium inter præclaras, & raras reliquias, conseruat lapidem vnum insignem, quo lapidatus fuit Sanctus Stephanus Protomartyr, totum adhùc sanguine ipsius, quasi recenti maculatum.

18. *Aringhius in Roma Subterr.libr.1.capit.8. ex Breuiario Cæsaraugustano.* Cineres eorum martyrum, qui in fornaci calcaria adusti, massam candidam nobili martyrio effecerunt, diuino nutu veluti frumenti candida massa in portiunculas conglobati, ab aliis pulueribus seiuncti sunt, & adhùc videntur hi massarum candidi globuli, nitorem sanguineum demonstantes.

19. *Florentinius, in Martyrologio Vetustiori, 4.Idus Iulij.* Rudura Pontis, & Portæ veteris Laudepompeiæ adhùc guttulis sanguinis Sanctorum martyrum Naboris, & Felicis respersa videntur, sicuti antiqua traditio cùm noua epigraphe renouata testantur; sicuti eosdem martyres extra vrbem Laudensem propè fluuium Celeram, seù potiùs Silarum post multa tormenta capite truncatos fuisse.

20. *In vita Sancti Venceslai Bohemiæ Ducis, & mart.* Boleslai eius fratris, odio Christianæ religionis, & regni cupiditate iussus est Venceslaus occidi: cuius sanguine paries, qui fuit aspersus, nunquam potuit abstergi, adhùcque conspicitur.

21. *Gonzaga, in Prouincia Portugalliæ, de Conuentu Sanctæ Eiriæ.* Surrigit intra sacræ huius ædis septa syluula quædam amæna, è cuius meditullio saxum eminet, in quo Beata Eiria virgo Benedictina monialis seorsim orare solita erat, & ab impiis Saracenis ob Christi fidem iugulata est. Eius sanguis, quo præfatus lapis aspersus fuit, adeò rubicundus apparet, vt ab externa die effusus videatur. Huius B.Virginis dies festiuè omninò, atque maxima cùm veneratione ab oppidanis celebratur.

22. *Ioannes à Iesu Maria, de Sancta Teresia.* Cùm morienti Teresiæ sanguis erupisset, impositum fuit operimentum laneum candidum, quod sanguine maduit, & per annos tres sanguinem ipsum velut recentem,ac mirificè odoratum seruauit: ita vt segmenta operimenti linteolis inuoluta sanguinis colore illa tingerent.

23. *Bozius de signis, libro quinto, capit.primo.* Cùm Sancta Ludmilla vxor Boriuorii Ducis, qui primus è Bohemis nomen Christo dedit, à duobus impiis occisa fuisset, nunquam potuit locus ille, in quo cædes est patrata, à sanguinis maculis abstergi.

24. *Idem, libr. 15. capit. 10.* Eugubii seruatur corpus integrum, atque incorruptum Ianuariæ Virginis, quæ ante annos trecentos euolauit in Cælum: est illud in monasterio Sancti Spiritus, indutumquè est ad carnem linea veste, quæ passim sanguineis quibusdam maculis est adspersa.

25. *In actis S.Eliphij Martyr.* Guttæ sanguinis huius sacrati martyris, Solorsi in Diæcesi Tullensi perennant adhùc, & tamen peregrini, qui adeunt, hauriunt semper de industria ex propinquo fonte aquam,& conantur eas eluere, nec succedit, quinimmò fiunt potiùs nitidiores.

26. *Horat. Tursellinus, libr. secund. vitæ Sancti Francisci Xauerij, cap.14. loquens de Meliapora oppido.* Inueteratam indigenarum, aduenarumq; de Thomæ Apostoli corpore, ac martyrio opinionem, Deus anniuersario, ac perpetuo confirmat miraculo. Quippè saxum est apud eos, Apostoli sanguine respersum, quod adhùc conseruat quasi recentis cruoris vestigia, triduòque ante diem Sancti Thomæ sacrum (quo illum die pro religione interemptum esse tradunt) interea dùm Missæ sacrificium ibidem peragitur, saxum quod dixi natura candidum, sensim rubescit, sudatque quasi sanguinis guttis vndèquaque manantibus. Absoluto demùm sacro, ad pristinum colorem reuertitur. Quocirca Apostoli sepulchrum ab Ethnicis iuxta, Christianisque eximia veneratione colitur.

27. *Vghellus, in Ital.Sac. tom.4. Mediolanenses Archiepiscopi.* Cùm per vrbem solemni pompa ducerentur corpora S.S.Geruasii,&Protasii, à Diuo Ambrosio inuenta, terræ gleba ex alto in eorum capita delapsa, sanguis effluxit, quo tincta linteamina in multis adhùc Galliæ, & Italiæ Ecclesiis religiosè asseruantur.

28. *Ambrosius Frigerius, in vita Sancti Nicolai Tolentinatis, par.2.cap.2.* Circa annum Domini 1445. dùm quidam Alemanus, pius latro, vt patriam illustraret, brachia scidisset à corpore S.Nicolai de Tolentino, quadragesimo sui obitus anno, cruor, viuidusque sanguis exiuit; dùm eà mundo linteamine inuoluit, cuor vbique spargitur; magno, ac nocturno itinere defatigatus, dùm procùl Tolentino se esse credit, arte diuina deluditur, intra septa monasterii clara luce se cernit, deprehensus, audax facinus accusans, ac deplorans, veniam sibi poposcit benignam. Argenteis, deauratis, gemmatisq. hic vasibus pretiosum redditum furtum colitur: vbi etiam conspicitur linteamen sanguineis conspersum maculis.

29. *Philippus Alegambe, in indic. Marty. Soc. Jesu, de P.Melchiore Grodeccio.* Memorabile est, sanguinem illius in parietes, ac pauimentum dispersum, nulla diù potuisse extersione ablui, nulla industria aboleri.

30. *Ranulphus, libr.5.cap.29.in Polychronico.* Soror Kenelmi Regis Merciorum, quæ fuerat auctrix illius cædis, cùm funus deduceretur, Psalmum centesimum nonum, Deus laudem meam,&c. nescio quo prestigio nequitiæ, retrogradè recitans, oculos amisit, cùm sanguinis profluuio. Extant adhùc signa cruoris, Dei vltionem spirantia, in eius Psalterio, quem sua manu tenuit.

31. *Sanctus Petrus Damianus, libr.2. epist.17.* Quidam apud Parmensem vrbem simulans se coniugem cuiusdam mulieris, nocturno tempore nefando adulterio torum maritalem fædauit. Quo comperto à muliere, cùm lachrymis, & suspiriis Ecclesiam S.S. Geruasii, & Protasii ingressa, sanctos martyres, vt tanti sceleris vltionem à Deo impetrarent, est deprecata: & ecce subitò vir ille scelestus, qui aderat à Dæmone arreptus, tanto cùm impetu agitatur, in terram prosternitur, lapidibusque caput cùm cæteris membris alliditur, vt animam exhalauerit: diù autem permanserunt saxa, quibus impegerat, eius sanie, & cruore rubentia in testimonium iusti Dei iudicii.

APPENDIX II. AD CAP. III.

E viuis, aut defunctis corporibus sanguis effluxus, perenniter liquidus, aut incorruptus: Vel statis temporibus mirabiliter liquescens, & ebulliens.

INcorruptum, Viuidum, aut liquatum adhùc sanguinem, tot post annorum curricula mirabiliter conseruatum; quinimmò ebullientem quandòque, admirandoque modo, licet exanimem, efferuescentem, quis non dicet, altiori contra eterodoxos ad cælum clamitare voce, quàm illum Abel? quis tot declamantibus prodigiis, manus non dabit, Admirandamque Dei virtutem supplici corde venerabundus non adorabit? De his aliqua supra notata fuere, lib.5. in app.3. ad cap.2. cùm de sanguine perenniter rubescente in Dominicæ Passionis instrumentis; modò reliqua. Sunt autem.

1. *Collius de sanguine Christi, libr.5. capit.2.* Mantuæ, in Ecclesia Sancti Andreæ summa veneratione asseruatur, & colitur pars quædam sanguinis, qui ex percusso Saluatoris nostri latere defluxit, eumque Longinus Centurio collectum spongia, quæ ad os sitientis Domini admota fuerat, in vitreum vasculum intulit, sibi clàm omni religione colendum asseruans.

2. *Idem ibidem.* Certa veri Cruoris Christi portio asseruatur in Vveingartensi Cænobio apud Germanos, quam multis miraculis à Deo fuisse illustratam, testes sunt ij omnes, qui eas regiones colunt.

3. *In Reuelationibus Sanctæ Brigittæ, libr.6.* Apparens Maria Virgo Brigittæ, sic eam allocuta est: Cùm tempus vocationis meæ instaret de hoc mundo, ego, ipsam (hoc est Præputii membranam) commendaui Sancto Ioanni custodi meo, cùm sanguine illo benedicto, qui remansit in vulneribus eius, quandò deposuimus de Cruce. Post, Sancto Ioanne, & successoribus eius sublatis de mundo, crescente malitia, & perfidia, fideles, qui tunc erant, absconderunt illa in loco mundissimo sub terra, & diù fuerunt incognita, donec Angelus Dei reuelauit amicis Dei. O Roma, ò Roma, si scires, gauderes vtique, immò si scires flore, flere incessanter, quia habes thesaurum mihi carissimum, & non honoras illum.

4. *Sansouinus, de Ciuitate Venetiarum, lib.4. de Ecclesia B. Mariæ Frat. Minorum, vulgò, de Frari.* Hac in Ecclesia summa religione asseruatur, & colitur pretiosa gutta Sanguinis Christi Do-

Domini, Mariæ Magdalenæ vnguento infusa, quam Melchior Tr..isanus, Patritius Venetus, ex Constantinopoli ad patriam rediens, asportauit, & in Vrbe iam ductus, eandem huic Ecclesiæ piè, ac benignè donauit. Quotannis in Dominica Passionis ostenditur populo summa deuotione concurrenti, qui in eodem fluido, sacroq. cruore, Christi Domini in Venetam Rempublicam efferuescentem admiratur affectum.

5. *Thiepolus, de Passione Domini, lib. 13. cap. 1.* Venetiis in Ecclesia S. Petri Cathedrali, gutta eiusdem sanguinis Christi Domini cùm aliis insignibus Reliquiis religiosè colitur, & asseruatur.

6. *Idem ibidem.* Itidem Venetiis in Ducali Ecclesia S. Marci, inter cæteras pretiosas Reliquias, pannus asseruatur, in quo apparet gutta sanguinis Christi Domini, in eundem, tempore passionis, defluxi.

7. *In Eccles. Historia, de Zacharia Pontifice filio Ioiadæ, à Ioa Rege occiso.* In eius nece illud planè mirum, ac prodigiosum accidisse ferunt, quòd eius sanguis effusus ad Babylonii vsque Regis aduentum, cùm captiua facta est Hebræorum natio, non modò liquidus permansit, sed tanquam in olla subiecto igne ebulijt, atque efferbuit.

8. *Chifflетius 2. part. Veson. cap. 15.* Calidonio Episcopo Vesontionẽsi stringente os brachii S. Stephani Protomartyris, à Theodosio secundo Vesontionem transmissi ad eũdem Episcopum, defluxit ex eo sanguis recentissimus, tàm largè, vt diceres ibi adesse B. Stephanum viuentem in carne; sicque non solùm Episcopus, verùm etiam fideles quamplurimi sunt participati; ex eoque sanguine plenæ hodieque phialæ plures in Ecclesia Bisuntina supersunt.

9. *De translat. Reliquiarum S. Mamantis m. in Bibliotheca Floriacensi.* Cùm capta esset à Gentilibus Edessa ciuitas, Godefredus Episcopus Lingoniensis, cùm Ludouico Rege Franciæ transmarinandi assumpsit propositum. Ad quod perficiendum, vt sufficientes haberet expensas, multa vasa aurea, & argentea de Ecclesia Lingoniensi tulit sub certa promissione restitutionis. Inter cætera, dùm aurum, & lapides pretiosos, quibus brachium B. Mamantis decoratum erat, tolli faceret, contigit, procurante Domino, quòd instrumentum aurifabri, os nudum brachii aliquantulùm vulnerauit; statimque sanguis largissimus cępit effluere; omnesque qui aderant de tanto miraculo stupefacti, receptum sanguinem in uase Alabastrino, quod adhùc penes nos est, deuotissimè posuerunt. Huius facti testis est ipse sanguis, qui apud nos quasi ferè recens monstratur vsque in hodiernum diem.

10. *Vincentius Blascus, apud Raynaldum.* Cùm an. 1522. Hadrianus Pontifex ad Cæsaream Augustam se contulisset, sanctissimorum martyrum reliquias ibi existentes veneratus est. Cùmque S. Lamberti sepulchrum aperuisset, atque aliquas reliquias abscinderet, recens, & purpureus ex iis cruor fluxit, qui vase crystallino inclusus adhùc in eo templo seruatur.

11. *In actis S. Liberatæ Virg. & M.* Post Martyrium S. Liberatæ, successu temporis à Simone tunc Seguntino Episcopo in alma Ecclesia conditum est, cuius tempore, à Regulari in sæcularem, auctoritate Apostolica translata est anno Domini 120. Deindè Illustris Federicus à Postugal. tunc Seguntiensis, ac demùm Cæsaraugustanus, sub huius B. Virginis nomine, regale sacellum construxit, vbi sanctum corpus mira fragrantia, arca argentea, lapidea intrò inclusa, XV. Iulii, anno 1537. editis miraculis honorificè translatum est. Inuentaque fuit eiusdem Virginis camisia adeò recenti sanguine perfusa, ac si hesterno die diffusus fuisset.

12. *Ferrarius, in nouo Catalgo S.S. 16 Iunij.* E corpore S. Cechardi Episcopi & M. circa an. 600. Carariæ in Ecclesia S. Andreæ post mille annos euulsus dens, sanguine manauit, & adhùc videtur recens.

13. *In actis S.S. Martÿ, to. 1. in contin. Bollandi.* Post Martyrium S. Marciani Episcopi Dertonensis in Liguria centum plùsque annis, inuentus est eius sanguis adhùc recens, ac si eodem tempore caput abscissum fuisset.

14. *Ioseph Brixianus, in Hist. Cremonæ.* Cremonæ, in Ecclesia S. Mariæ, vulgò, *del Popolo*, reperitur in ampulla vitrea sanguis S. Firmi martyris, qui quotannis in solemnitate eiusdem Sancti venerationi exponitur. Perseueratque adeò liquidus, ac si modò ex venis extractus fuisset. Item in Ecclesia Monialium Corporis Christi videntur sanguinei liquores adhùc fluentes, & liquidi Sancti Bernardini Senensis, & B. Ioannis de Capistrano.

15. *In m. s. s.* Ibidem in Ecclesia S.S.M.M. Petri, & Marcellini, Ciuitatis Protectorum, præter alias insignes reliquias, reperiuntur, ampulla sanguinis S. Venantii Mart. Ampullæ cùm sanguine S. Firmi M. aliæ ampullæ cùm sanguine aliorum Sanctorum martyrum, quorum nomina ignorantur: hi autem liquores liquidi, & rubicundi, ac si recenter è venis erupissent, mirabiliter conseruantur.

16. *Florentinius, in Martyrol. vetustiori, V. Kal. Augusti.* Lucæ in Tuscia asseruatur in Ecclesia S. Mariæ Curtis Orlandigorum, ab eiusdem Ecclesię religiosis Patribus, ampulla sanguinis S. Pantaleonis Mart.

17. *Thomas Bozius, de signis Ecclesiæ, li. 15. cap. 10.* Neapoli in ęde S. Gregorii custoditur ampulla, in qua est sanguis Sancti Ioannis Baptistæ, qui lapidis instar durissimi est concretus; sed in die, quo festum Pręcursoris celebratur, poni solet huiusmodi ampulla super altare, & dùm sacra officia celebrantur, illa ipsa hora, qua caput est amputatum Ioanni Baptistæ, sanguis ille colliquescit antea durissimus, agitatur, efferuescit, cunctis, qui eò confluunt, inspicientibus, & rem tantam demirantibus.

18. *Franciscus Boluitus, in m. s. s.* De eodem sanguine Præcursoris Domini conseruatur ampulla ibidem Neapoli, in Ecclesia Fratrum Sancti Augustini Congregationis Carbonariæ, qui eodem prodigio, eadem solemnitate S. Io. Baptistæ admirabilis apparet.

19. *Petra Sancta, in mirac. perp. cap. 15.* In Ecclesia monialium S. Mariæ Domnæ Aromatæ ibidem

dem Neapoli aliqua pars in ampulla crystallina eiusdem sanguinis Præcursoris Domini conspicitur, qui licet concretus,& consistens,sacerdote aris operante,intra phialam purpurescere, colliquefieri,defluere in imam vitri regionem, ac feruere videtur; & tandiù resolutus manet,quamdiù in ara est sacrificium.

20. *Idem ibidem, cap.*12.Genuæ similis cruor S. Ioan. Baptistæ asseruatur in priuato sacello Dominorum ab Auria,qui quotannis liquescit ipso decollationis eius die. Immò sunt qui scribunt, toto id octiduo contingere eius anniuersariæ celebrationis.

21. *Tom.Boz.lib* 15. *cap.* 10. *de signis*. Dùm Vuandali in Africa aduersus Catholicos sæuirent, Gaudiosus Episcopus illinc profugiens, Neapolim peruenit, & ampullam sanguinis S. Stephani Protomartyris secùm detulit;eò fuerat asportata ab Orosio Hispano; quod etiam colligitur è litteris Luciani presbyteri Hierosolymitani: adseruatur adhùc illa in æde S.Gaudiosi, & quotiès super altare ponitur, dùm missa dicitur, sanguis ille concretus nullo modo in puluerem redactus post tanta temporis spatia, liquescit cunctis aspicientibus, atque agitatur, mox considet peracta missa, & concrescit quasi in lapidem quemdam: huius rei nulla potest alia causa afferri, nisi quòd is, dùm sacra mysteria illius, quem tantopere amauit Christi peraguntur, & memoria renouatur actionis illius, qua vitam posuit pro Christo, quodammodò reuiuiscit, & ad illius præsentiam commouetur.

22. *Baronius, ann.*305. *de S. Ianuario M. qui Neapoli colitur*. Viget Neapoli insigne illud,& perenne miraculum sanguinis eiusdem martyris, qui in vitrea ampulla asseruatur. Nàm cùm aliàs idem sanguis concretus, atque durus semper maneat;tamen cùm primùm ad Caput martyris admouetur, quasi vicino illius corona martyris decori lætetur aspectu, & fontem vndè manauit intelligens, eò recurrere, vndè fluxit, exoptet, illudque iterùm animare festinet,veluti moræ resurrectionis impatiens, protinùs liquefieri, mox fluere, & ebullire,maxima omnium admiratione conspicitur. Cuius tantæ rei non vnum, aut alterum testem producam, cùm tota Italia, & totus (vt ita dicam) Christianus orbis testis sit locupletissimus; cùm hæc in Regina, & amplissima assiduè fiant Ciuitate, ad quam ex totius orbis partibus confluere hominum multitudo soleat.

23. *Cæsar de Engenio, in Neapoli sac.* Neapoli in Ecclesia S.Patritiæ reperitur pars pellis,S.Bartholomæo Apostolo detractæ, & ampulla sanguinis eiusdem, qui quotiescumque pelli opponitur,mirabiliter liquefieri conspicitur.

24. *Idem ibidem*. Neapoli in Ecclesia S. Patritiæ reperitur dens eiusdem Sanctæ, & duæ ampullæ illius sanguinis, qui centum annis post mortem ex illius corpore mirabiliter exiuit,dùm ab equite Romano deuotionis causa, dens auulsus esset: Huiusmodi sanguis liquefieri mirabiliter conspicitur, dũ opponitur denti; sed & sexta feria quauis hebdomada, aut quandò S. Patritiæ missa, voti ergo celebratur, semper in guttulas liquescit, & sit purpureus, quasi ex vena recens mitteretur.

25. *Petra sancta, de mirac. Perp. cap.* 12. In Latio est oppidum Principum Columnensium, quod S. Laurentii nomine simùl, & sanguine gloriatur. Hic verò sanguis ab eius die festo deinceps octiduum efferuescit;mox autem sensim indurescere de integro videtur.

26. *Vghellus in Ital. sac. tom.* 9. *Tarentini Archiepiscopi*. In Ecclesia S. Saluatoris Tarenti asseruatur in ampulla vitrea pars sanguinis S. Viti Mart. Hic durus toto anno conspicitur; at in festo eiusdem Sancti,quod 17. Kal. Iulii celebratur, liquescit, vt si recens de corpore manaret.

27. *Idem ibidem, tom.* 1. *Rauellenses Episcopi, de Ecclesia Cathed. Rauellensi*. In hac Ecclesia, sanguis D.Pantaleonis Mart. cùm pluribus aliis insignibus reliquiis in Lipsanotheca purissimis marmorum crustis exornata asseruatur. Illustre, ac singulare miraculum singulis annis in eo sanctissimo sanguine ad illustrandam eiusdem Martyris gloriam, Deus explicat, cùmque in toto anno in summam duritiem concreuerit, die eius festum solemne præcedente, ac consequente, in fluxilem liquorem abiit, ac postmodùm summo intuentium stupore, vt priùs coagulatur,& obrigescit.

28. *Petra Sancta, cap.* 12. *vt supra*. S.Pantaleonis M. sanguis non vna tantùm in vrbe ad martyris sui festum diem solet colliquefieri. Nàm id Barii contigit, Neapoli, in Ecclesia S.Seueri, & Romæ; vbi ampulla sanguinis eius hoc miraculo tàm insigni celebris, in æde sacra est religiosissimæ Congregationis S.Philippi Nerii.

29. *Caracciolus, in monum. Ecclesiæ Neapolitanæ, cap.* 20. *sec.* 16. Scalis, Picentinorum ciuitatulæ S.Eustachii cruorem in ampulla seruatum, in eius natali die liquefieri testatur Ferrarius lib. de S.S. Italiæ.

30. *Bozius de signis, lib.* 15. *ca.* 10. In monte Falco asseruatur ampulla sanguinis, qui è corpore B. Claræ de monte Falco fluxit. Is est concretus, non in puluerem redactus, & quotiès aliquid calamitatis imminet Reipublicæ Christianę, continuò is incipit colliquefieri, subsilire, & efferuescere: & quò maior futurus est casus, eò concitatior, ac diuturnior est agitatio.

31. *Idem ibidem*. Neapoli habetur in vase vitreo è sanguine S. Nicolai Tolentinatis, cui dicunt idem contigere, quod sanguini S.Claræ.

32. *Ambrosius Frigerius, in vita S. Nicolai Tolentinatis, part.* 2. *cap.* 2. Ex brachiis S. Nicolai Tolentinatis, quæ in eadem Tolentini ciuitate summa coluntur deuotione, intumescentibus,& veluti ebullientibus venis, emanare solet sanguis, & per thecas argenteas diffundi; & hoc præcipuè, quotiès aliquod infortunium imminet Ecclesiæ. Hæc prodigia vltimis his annis sæpè accidere.

33. *In ann. minor. an.* 1399. *num.* 57. In conuentu Castri veteris Prouinciæ Pennensis, conseruatur ampulla sanguinis S.Francisci, qui in die sacrorum stigmatum efferuet.

34. *Petra Sancta, vbi supra*. Sanguis S.Francisci, qui in ampulla deuotè asseruatur Romæ in Ecclesia Societatis Stigmatum, multotiès in vigilia sole-

solemnitatis eiusdem sancti mirabiliter liquefieri à multis obseruatus est.

35. *Idem ibidem*. Quædam alia sunt priuata id genus prodigia, sanguinis nimirùm liquentis, atque ebullientis in die festo; tùm S. Cornelii Papæ, & M. in phiala, quam penès se habebat Neapoli P. Aloysius Iacconius, ex Soc. nostra; tùm S. Cæciliæ Virg. & Marty. intra annuli palam, quo gloriabatur meritò prę quouis indico pyropo P. Nicolaus Riccardus, magister S. Palatii Apostolici: tùm S. Hiacynthi in reliquiaria thæca Comitis Mirandæ haùd procùl Neapoli in vrbe Rauello.

36. *Hugo Menard, in auctar. de B. Margarita Abbatissa Vallis-Gratiæ*. Sanguis eius cancretus à quadam sanctimoniali seruabatur; & quandò corpus B. Abbatissæ ad cœnobium Vallis-gratiæ delatùm est, ad illius præsentiam solutus est.

37. *Henricus Sedulius, de quinque Marty. ord. Minorum, cap. 7.* Ex reliquiis horum S.S. Martyrum vsque hodie liquor sanguineus, & odoriferus manans, multis confert integram sanitatem.

38. *Raynaldus, in Hist. Ecclesiastica*. Cùm anno 1485. Petrus Arbuesius censor fidei Cæsaraugustæ ab Hæreticis interfectus fuisset, cùmque eius corpus sepulchro ritu Ecclesiastico reduceretur, eius cruor ab impiis solo sparsus feruere visus est. Iterùmque ebuliit sacer ille cruor, quem innumera Cæsaraugustanorum multitudo variis pannis exterserat, decimo quinto ex quo effusus fuerat die.

39. *Arnoldus Rays. in auct. ad nat. S. S. Belgÿ fer. 3. post Pentecost.* Habent Elnonenses ex traditione, Religiosos quosdam Monasterii Pabulæ persecutione Normanica passos fuisse martyrium, quod attestatum fuisse videtur reiterata sanguinis illorum ebullitione. Prima ebullitio, contigisse putatur tempore Malbodi Abbatis circa annũ Saluatoris 1040. Secunda autem tempore Absalonis Abbatis circa annum Domini 1133. quo tempore ab eodem Abbate instituta fuit in honorem Martyrum victoriæ, annua, & solemnis supplicatio, quæ quotannis recurrit feria tertia post Pẽtecostem. In venerationem quoque dictorum Martyrum istud institutum fuisse videtur, quòd duo Acolythi ad Agnus Dei, concurrentes ad lapidem presbyterii, vbi dicti martyres putantur sepulti, eumdem lapidem deosculantur.

40. *Boluitus, in vita B. Andreæ Auellini, Cl. Reg. li. 3. c. 36.* Contigit octaua post eius obitum die, Petrum Vecchionum primarium Ciuitatis medicum nostros inuisentem, dispiciendoque sanguini ex cadauere B. Andreę effluxo, quem idcircò in manibus habebat, insistentem, colliquefactum aspexisse, nulloque graueolentiæ sensu. Quin cùm interea circumstantes ex Patribus, nullum Beato Seni narrarent à Numinis cultu tempus fuisse vacuum: peroptanti quoque facillimè egestatis securitatem, eorum abdicatione, quæ sunt mortalibus dulcissima: & quietis tempora interstincta vigiliis, efferrent, cæterasque rigidas illius virtutes; sensim spumescere visus est sanguis, & motu, qui sanguinis est proprius inter venas oclusi, manum attrectantis pulsitare. Exindè autem quotannis penè obseruatum fuit, & in Ecclesiasticis tabulis consignatum, illum, qui in templo nostro diui Pauli argentea theca inclusus asseruatur, anniuersario eius die ebullire, vel saltim colliquefieri, innumero spectante populo, in ipso sacro Vestiario; & hoc etiam anno, quo primùm Beati honores publicè Andreæ fuere delati, in ipsa eius templi ara maxima.

41. *Sylos, in vita Ven. Francisci Olympÿ, Cl. Reg. lib. 1. cap. 16.* Gabriel Maria Honrat Lotharingus laici ordinis frater ex nostris, interiore quodam instinctu actus, conseruare sanguinem a Ven. Francisco Olympio quadam in infirmitate detractum statuit, miraque in illo obseruauit. Semel cùm Barium esset profecturus, antequam Neapoli discederet Olympiũ inuisere, vt benè precaretur, voluit: & ille faustum iter precatus, id magnopere ab eo petiit, se diuo Nicolao, quem vnicè colebat, commendaret. Ergo Barium vbi peruenit, & Francisci mandata exequutus est, & simùl instinctu quodam ad sãctissimi Episcopi tumulum deponere tantisper quem secùm ferebat sanguinem voluit. Mira res dictu: ebullire extemplò, ac veluti admoto igne incaluisset, efferuescere in spumas cæpit, planè vt metueret ille, ne diffundi contigisset. Ebullientem verò eiusmodi ampullam multi tùm nostri ingenti cùm admiratione inspexere. Durauitque is ardor, ac spuma, quoad Neapolim postliminiò peruenit. Idem verò sanguis, qua die defungi vita Franciscum contigit, visus mirè ebullire est. Efferbuisse itidem, atque in spumas abiisse, quotiès de præclaris viri laudibus, atque eximia virtute, sermo esset, testantur multi, qui rem oculorum fide comprobarunt. Aliam ampullam eiusdem sanguinis Donatus Gasparus frater noster laicus deuotionis causa penès se habebat, paulò autem post deprehendit, eum sanguinem lapidis in morem induruisse, in subfuscumque colorem immutatum. Verùm decem omninò post annos rediit sanguini suus color, & flos: etenim eodem ipso Februario mense, quo excessit è viuis Olympius, anno videlicet à Virginis partu 1629. dùm sanguinem inuisit Donatus, defigi stupore quodam contigit. Nàm veluti adstrictam diù glaciem verni subindè soles soluissent, fluidum illum, viuidumque, ac cinnabri etiam con colorem reperit.

42. *Idem Sylos, in Hist. Cler. Reg. par. 3. libr. 2.* Quidam ex nostris sacerdos, qui à vitæ integritate summa in veneratione habebat Ioannem Scorcouillum, insignis virtutis ex nostris virum, secta illi semel vena, seruandum sanguinem duxit. Sepositum verò cùm postmodùm inspiceret, perindè viuidum, atque à recenti quodam purpura florentem reperit, ac si fusus tùm quidem esset: perduratque in hanc vsq. diem, post tot annos incorruptus omninò cruor, ac purpereus in eo color, veluti suo in conceptaculo, ac vena.

43. *Montanarus, de Ven. Vrsula Benincasa*. Post eius mortem 24. decursis horis, eius pectus intumuit, & mirabiliter efferuere, atq. ebullire cæpit, venæ etiam faciei intumuerunt, & facies ipsa, pallore mortis deposito, apparuit rubicunda. Deindè sanguis ex eius naribus emanare cæpit, qui ad præsentem diem mirabiliter seruatur incorruptus.

44. *In*

44. *In vita Ven. Bernardini Reslini, à Soc. Iesu, cap.* 20. Cùm semel Ven. senex ex prealto loco præceps lapsus esset, magna copia sanguinis ex naribus, & duplici vulnere fluxit: ex quo sanguine à quodam in ægrorum beneficium tantùm fuit collectum, vt exiguam phialam eo implere potuerit, quæ in hodiernum vsque diem in collegio Lupiensi liquida asseruatur: durante infirmitate hac, ex medicorum iussu ad diuertendum à partibus affectis humorem, humeris illius adhibitæ sunt cucurbitæ, atque hic sanguis variis in ampullis collectus in pium deindè munus, multis religiosè hunc asseruantibus cessit; vnam ex fauore singulari acceptam D. Laura Petrarola, insignis collegii Lupiensis benefactrix, in scriniolo quodam asseruatam, dùm curiosiùs subindè contemplatur, quinque ferè annis continuis sanguinem in ea congelatum absque vlla immutatione comperit; cùm ecce tibi sub finem anni 1615. die martis viuente adhùc P. Bernardino, magno suo cũ stupore sanguinem hunc plane immutatum videt, priore enim duritiæ deposita, fluidus ad instar liquidi Pyropi, cùm cælesti quadam odoris suauissimi fragrantia lucebat: huiusce rei nouitati spectandæ, cùm vix illa suis sensibus, ac oculis crederet, alios complures aduocauit, qui omnes Deo laude reddita, concipere vix poterant, quomodò adeò subitò tanto post tempore viuus, ac liquidus hic sanguis, ac si iàm tùm è vena exiliret, suauissimum prætereà odorem spiraret, atque hoc modo in hodiernum vsque diem perstat, & ab omnibus aspectantibus religiosè colitur.

45. *In m. s. s.* Neapoli in monasterio S. Mariæ de Sanitate P.P. Prædicatorum, reperitur ampulla sanguinis liquefacti, viuidi, & incorrupti Ven. Sor. Paulæ Mareschæ Lycterensis ex tertio ordine S. Dominici. Ibidem alia conseruatur ampulla sanguinis item incorrupti, & liquefacti Ven P. Io. Leonardi Lycterensis eiusdem ordinis summæ sanctitatis viri; qui sanguis tempore belli ebullire, & feruescere visus est.

46. *Dominicus Maria Marchesius, in vita Ven. Mariæ Villanæ, ex ordine Prædicatorum.* Sanguis qui ex exsecto cadauere Ven. Sor. Mariæ Villanæ mirabiliter manauit, adhùc rubicundus, viuidus, & incorruptus conseruatur.

Hic non erit incongruum addere alios mirificos liquores à sanguine originem ducentes, qui perenni prodigio liquefieri conspiciuntur. Sunt autem.

47. *Antonius Caracciolus, de monumentis Ecclesiæ Neapolitanæ, cap. 1. sec. 1.* Neapoli in Cænobio S. Aloysii Patrum Minorum, Lac deiparæ Virginis est intra cryſtallum, vbi peculiariùs Virgo se matrem nostram ostendit: In suæ nàmque Assumptionis solemnitate, inq. nostris publicis calamitatibus, colliquefieri conspicitur.

48. *Ant. Balingen, in Kalend. Virg. 20. Augusti, ex litteris Neapoli datis ann.* 1627. In Apulia, oppidi cuiusdam incolæ, nomine Mirabelli viceni iis, quæ terræ motu absorpta sunt (qui in tota Apulia ad ducenta millia capita peremit) ad numen placandum solemnem instituere processionem, in qua ampullam de Lacte S.S. V. M. cõtinentem detulere. In templum regressi omnes elata voce matrem misericordiæ inuocauerunt: Atque illicò visa sunt eius patrocinantis signa, lac quippe & spumare, & augeri, & ampullam implere cæpit.

49. *In actis S. S. Februarÿ, tom. 1. in Continuatione Bollandi.* Ebolum Principatus citerioris oppidum, cis Silarum amnem, in parochiali S. Eustachii Ecclesia, in vase cryſtallino digitum S. Basilii Episcopi, & mart. seruat, eiusdemque in quadam ampulla adipem: vtrumque perenni miraculo illustratum. Nàm si coràm digito ampulla illa collocetur, adeps continuò liquescit, coagulatur, simùl atque seiuncta sunt. Multis, iisque recentibus, & certis experimentis testatum prodigium.

50. *Petra Sancta, de Mirac. perp. cap.* 12. Adipem S. Laurentii M. in eius festo aiunt liquefieri Neapoli in templo S. Laurentii Religiosorum ordinis S. Francisci; & in templo etiam S. Mariæ de Aluina sanctimonialium ordinis S. Benedicti; atque adeò Romæ continuato festi eiusdem octiduo in ædibus Principum Columnensium, ex dono Philippi Hispaniarum Regis.

51. *Idem ibidem.* Soluitur perindè, ac liquefit festo pariter eius die, adeps S. Vrsulæ Virg. & M. apud religiosos Capuccinos in ciuitate Amalphitana.

APPENDIX III. AD CAPVT III.

Mirificæ ex mausoleis, aut sacris lipsanis salutarium liquorum scaturigines, quæ aut diu, aut atiam nunc perennant.

PErennes diuinæ misericordiæ fontes dixerim admirandas quasdam è sanctorum virorum exuuiis salutarium *liquorum scaturigines*, quas Deus tanta omnipotentis suæ virtutis cumulauit copia, vt cæteris eiusdem vberrimos effectus communicent, tàm salutarium rerum scatebris. De quibus.

1. *Vincentius Belu. lib. 13. Spec. Hist. cap. 8. de S. Catharina Virg. & M.* Decollata S. Catharina Martyrium consummauit, ipsiusque corpus ab Angelis mox assumptum est, & ab illo loco in montem Synai 20. diebus itineris transportatum, atq. ibidem in magna miraculorum gloria requiescit. Nàm & ex tumba eius oleum manat, & cuncta debilium membra sanat.

2. *Arnoldus Rayssius, in Hierogazoph. Belgico.* In Hamettensi parochiali Ecclesia honorificè asseruatur oleum, à corpore S. Catharinæ Virg. & M. emanans, ex monte Synai illatum, non sine prodigio; etenim vt accrescit Luna, & decrescit; sic & oleum in phiala reclusum; quod nec tamen arescit vnquam; & sæpè aurium dolore laborantibus impertit sanitatem.

3. *Idem ibidem, de Capella B. Mariæ in Carthusianorum Monasterio iuxta Angiam.* Hoc in conuentu vidimus ampullam oleo semiplenam, quod è corpore gloriosæ Virginis & Mart. Catharinæ Alexandrinæ emanauit.

4. *In libello mirabilium Romæ.* Romæ in Ecclesia

clesia S.Catharinæ Virg.& M.reperituroleum, quod ex illius sepulchro mirabiliter emanauit.

5. *Baronius, an.* 593. *num.* 101. Quo die natalis aniuersaria celebritate festiuus S.Euphemiæ marty. populo Clacedonensi recurrebat, quotannis liquor mirificus admixtus cùm sanguine recenti, ex illius reliquiis emanabat.

6. *Nicephorus, lib.* 18. *cap.* 32. Ex corpore S. Glyceriæ martyris, Heracleæ, liquor manasse dicitur, qui pelui subiecta recipiebatur, cùmque Episcopus inscienter argenteum vas, quod ad magicas artes fuerat adhibitum, supposuisset, stetit liquor. Re noua motus Antistes, preces fudit, diuinoque impulsu vas illud remouit; aliud substituit, & protinùs liquor sicut ante velut ex fonte charismatum fluere cæpit.

7. *Idem, lib.* 7. *Hist. Eccl. c.* 15. *de Demetrio M.* Demetrius hastis per latera pluribus confossus, è vita excessit Tessalonicæ, & in proximum coniectus puteum, ad hunc vsque diem iugem vnguentorum profert fontem.

8. *Pet. de Natal. lib.* 6. *cap.* 160. *de S.Fantino confess.* Ex eius tumulo oleum desudat, quod cunctorum debilia membra sanat, & carnalia desideria fugat.

9. *Idem, l.* 8. *cap.* 65. *de S.Venerio Abb.* In loco, in quo sepultum fuerat corpus Ven. Abb. oleum emanans ægritudines omnes sanabat. Post hæc Lucius Ep. Lunensis, à Deo admonitus, ad insulam cùm populo veniens, oleum manans reperit, corpusque effodiens, illud quoque integrum inueniens, miro fragrans odore, honorabiliter tumulauit; Ecclesiamque desuper ædificauit, vbi ad refectionem custodum sacri corporis, de terra fons scaturit vsq. in præsens ibidem.

10. *Michael Glyscas, lib.* 3. *annal.* Ex corpore S. Lucę Euangelistæ quondam vnguentum variis infirmitatibus salubre scaturiebat.

11. *In vitis Patrum, de S.Ioanne Eleem. l.* 1. *c.* 54 Is qui est miraculorum Dominus, volens ostendere omnibus, quali honore seruum suum S. Ioannem dignum fecerit, placuit de honorabilibus eius lipsanis vnguenti saniferam suauitatem emanare, qua vniuersi in lætitia freti, gloriam tulerunt Patri, & Filio, & Spiritui Sancto; vero scilicet Deo nostro, qui proprios sanctos gloria glorificat infinita.

12. *Ioan. Molan. in Natal. S.S.Belgÿ, de S. Perpetuo Episcopo Leodiensi, 4. Nouemb.* Sepultus est S.Perpetuus Dionanti in Ecclesia Sancti Vincentii; de cuius tumba oleum per longa tempora dicitur emanasse.

13. *S.Anton.* 2. *par. chr. tit.* 13. *cap.* 6. §. 25. *de S. Berchario Abb.* Ex eius sepulchro longo tempore post oleum pullulans visum est deffluxisse, cunctis morbo obsessis salubre.

14. *Surius, in vita S.Sampsonis hospitum exceptoris, 27. Iunÿ.* Diuinitùs fluens fluentum ex sepulchro S.Sampsonis procedit, & ex eo oritur, & scaturit. Procedit autem non semper, sed paucis quidem diebus ante festum miraculi, veluti quidam humor apparet, deindè paulatim augetur, & remanet post festum sic scaturiens, donec aliquot dies præterierint, deindè cessat. Sicque vt opinor, est in maiori honore, & admiratione, quàm si perpetuò flueret. Nàm sic conseruare certum, & nunquam aberrans tempus fluxus, & defectus, præter id, quod est gratius, & admirabilius, est etiam magis venerabile. Quod enim est perpetuum, affert fortasse etiam satietatem. Satietas autem inducit contemptionem.

15. *In Menologio Græco.* Vnguentum mirificum ex sepulchro S. Theodori Trichinas olìm scaturiebat.

16. *Bartholomæus Chioccarella.* Ex corpore S.Pomponii Episcopi Neapolitani, quod in eadem ciuitate in Ecclesia Sanctæ Marię Maioris reperitur, multo tempore saluberrimus emanauit liquor.

17. *Cælestinus à Bergamo, in vita S.S.Firmi, & Rustici M. M.* Dùm sacrum corpus S. Narni discipuli S.Barnabæ Apostoli quiesceret Bergomi in antiqua Ecclesia Cathedrali S. Alexandri; marmorea in arca, in qua conseruabatur, limpidissima aqua ex illius capite manãte semper erat plena, nec vnquam deficiebat, licet à fidelibus ad varias depellendas infirmitates continuò hauriretur: Cessauit autem prodigium an. 1561. quandò eius corpus in cathedralem S.Vincentii translatum fuit.

18. *S.Petrus Damianus, serm.* 2. *de Sancto Seuero.* Illud vnum quanti est præconii dignum, quantaque lætitia ad diuinæ omnipotentiæ gloriam referendum, quòd sub ipso altaris sacratissimi corporis S.Seueri clarissima sensim emanat aqua, diuersis languentium valetudinibus profutura. Nàm si fides bibentium exigat, mox vt eam pectora ęgrota percipiunt, protinùs de infirmitate ad salutem pristinam conualescunt. Et vt mirabilem rem fieri mirabiliter audias, non in vernalis clementia temporis, non in autumnalis inundantiæ pluuiis, non in imbriferę algoribus hyemis, quandò ex diuersis saxorum molibus solet aqua tenuiter exsudare, sed in ipso feruidæ ęstatis ardore eam noueris, ex arida calce, & duris lapidibus ebullire, vt videlicet quandò maior incumbit necessitas ægritudinum, tunc potissimum conferat miseratio diuina remedium: & humanæ infirmitati, quæ tunc ex ignei caloris gignitur vitio, medicorum more, vim curationis ex contrario obiiciat elemento.

19. *Ferrarius, in Catal.* S. S. 30. *April. de S.Laurentio presbytero, ab Arianis occiso, & socÿs.* Ex horum lipsanis medicus liquor stillare consueuit. Placuit hic describere antiquum Epigramma exculptum in marmoreo sepulchro, quod Nouariæ dictorum sanctorum Martyrum sacris ossibus est refertum, ex quibus, vt dixi, medicus liquor manare consueuit: id est huiusmodi.

Aspicis hoc marmor tumuli de more cauatum?
Id solidum est intùs, rima nec vlla patet,
Vndè queat tellus occultas mittere lymphas:
Manat ab ingestis ossibus iste liquor.
Si dubitas, medio sudantes tolle sepulchro
Reliquias. Dices: Vnda salubris vbi est?

20. *Mombritius, in actis S. Geminiani.* Ab eius mausoleo liquor exsudabat olei saluberrimi.

21. *In actis S.S.Feb. to.* 2. *in contin. Bollandi.* Ante S.Lucæ Iunioris sepulchrum, quod Soterii in Græcia reperiebatur, instar fontis, miræ fragrantiæ vnguen-

vnguentum scaturiebat, quod æditiuus diligenter reponens, acceptumque, in vas quoddam lucernarium mittens, sacro sepulchro appendebat; illoque vncti, intercessione eiusdem sancti à variis liberabantur infirmitatibus obsessi.

22. *Ibidem*. Ex sepulchris S.S. Sabini, & Romuli existentibus in principali Ecclesia Atripaldensi diæcesis Auellinæ, fluit certis anni temporibus manna saluberrimum, & postulantibus magna pietate populis dispensatur, præsertim die Feb. 9. qui S. Sabino sacer est.

23. *Ibidem*. Ad sepulchrum S. Pauli Episcopi Virdunensis, salutaris quidam liquor, olei instar manauit, quo complures ægri sanati sunt.

24. *Ibidem in Martio, tom. 2.* Ex corpore S. Matronæ Virg. Regiæ Lusitanæ, quod in diæcesi Capuana asseruatur, manna saluberrimum emanabat; cessauit autem fluere circa anno 1540. cùm flagitiosæ vitæ mulier, in foramen, vnde manabat, digitum immisisset. Erat autem liquor ille, vt ipsi senes narrarunt, aduersùs omne genus ægritudinum salutaris, & præsentis sæpiùs efficaciæ.

25. *Ibidem*. Ex toto quidem corpore, sed præcipuè de facie B. Catharinæ Bononiensis, post illius mortem diuini odoris sudor emanabat, qui quandoque in sanguinem colorari videbatur; fælicem se putabat illa, quæ colligere illum sibi poterat. Huius autem mirabilis liquoris adhùc conseruatur ampulla Bononiæ à Monialibus Corporis Christi, vt refert in eius vita lib. 4. capit. 2. Iacobus Grassetus.

26. *Baronius an. 981. num. 3.* Ex corpore B. Niconis oleum saluberrimum ad omnes depellendos morbos, olim diuinitùs scaturiebat.

27. *Gonzaga, in Prouin. Bonon. conu. 25.* Extat in Ecclesia S. Mariæ de Campo Placentiæ, puteus quidam, in quo plura sanctorum martyrum corpora ab impiis Christianæ religionis persecutoribus occisa proiecta fuere: vndè & ad tempus quoddam oleum confouendis lampadibus commodissimum, atque diuersis fidelium infirmitatibus sanandis omninò mirificum, scaturiit; quod tamen humanæ auaritiæ demeritis id exigentibus, quæ in tantam dementiam proruperat, vt id, sumpto pretio, etiam curandis brutis animalibus applicaret, à pluribus diebus emanare cessauit omninò.

28. *Iacob. Pintus, de Christo crucifixo, digress. de martyribus Sardiniæ, & præcipuè Turritanis.* Illud in B. Fortunati sepulchro mirabile, ac inter alia singulare: quòd sacra ossa inuenta vndique circumdata calce; exteriùs quidam adeo dura, vt ægre satis, ac difficulter ferri pala frangi potuerint, interiùs verò mollia, & madida erat, liquore suaui è sacris ossibus effluente, & mirificam varios sanandi morbos virtutem ostentante.

29. *Odoricus, an. 1238. n. 65.* Fuisse in Anglia Robertum eremitam apud Knareburgum magna miraculorum gloria scribit Parisius, atq. ex eius sepulchro oleum ad sanandos morbos diuinitùs emanasse.

30. *Bzouius in annal. Eccles. an. 1306. num. 18. de B. Ioanna Vrbeuetana.* Quadragesimum secundum annum nata, migrauit ad cælum B. Ioanna, suauissima fragrantia ex corpore defunctę diffusa. Apud Vrbem veterem sepulta, multis gloriosa apparuit. Post aliquantum temporis sepultura effossa, integerrimo corpore, odorem insolitum spirante, reperta est. Caput eius, manna cælesti respersum fuit; ex quo, & ex pedibus oleum ad instar balsami pretiosi scaturiebat.

31. *In annal. min. an. 1252. num. 9. de B. Rosa Virg. Viterbiensi.* Primus tumulus in testimonium communicatæ sibi de cælo virtutis, & sanctitatis, longo tempore oleum, & manna profudit, quibus multi variis infirmitatibus detenti, sanitatem assequebantur concupitam.

32. *In vita S. Magdalenæ de Pazzis, capit. 144.* Cùm Post annum ab eius obitu, ad decentiorem locum translatum fuisset eius sacrum corpus, quod integrum, incorruptumque inuentum fuit, ex eo suauissimus liquor, ceù oleum mirificè manare cæpit, quod moniales excipientes, deuotionis causa distribuebant, eoque multa mirabilia *operatus est* Deus. Perdurauit autem tàm *pretiosi balsami* stillicidium duodecim subsequentibus annis, post quę, licet incorruptum perseuerauerit corpus, liquor ab eo manare cessauit.

33. *Bzouius, an. 1485. num. 23. de B. Eustochio Virg. Catanensi, ordin. Minorum.* Post vigesimum quintum diem ab eius obitu, totum corpus sudorem odoratissimum, maximè diebus festis, & Veneris, multo tempore sudauit, sanandis ægritudinibus salutarem.

34. *In annal. Capuccinorum, an. 1587. de B. Felice Cantalitio.* Aliquo post eius mortem tempore, sacrum illius corpus inuisere cupientes, marmorea primùm capsa patefacta, cùm plũbea aperta fuisset, in ea magna clari, ac odoriferi cuiusdam liquoris copia conspicitur, de quo medici differentes, pleraque in eo, quæ naturalem ordinem excederent, vno consensu deprehendunt. *Quare Cardinales, cùm maiorem illius liquoris sibi partem hausissent,* Guardiano præcepto cauent, ne deinceps, nisi facultate ab ipsis obtenta, liquorem huiusmodi hauriri permittat, quod duorum, vel trium annorum spatio, quo liquor ex B. Viri corpore emanauit, adamussim à Romani conuentus superioribus cb seruatum fuit.

35. *Gregorius Turonensis, de Gl. mar. li. 1. ca. 31.* Andreas Apostolus magnum miraculum *in* die solemnitatis suæ profert, hoc est manna *in* modum farinæ, vel oleum cùm odore nectareo, quod de tumulo eius exundat; per id enim quæ sit fertilitas anni sequentis ostenditur. Si exiguum profluxerit, exiguum terra profert fructum: si verò fuerit copiosum, magnum arua prouentum fructuum habere significat. Nàm ferunt in aliquibus annis in tantum è tumulo oleum exundare, vt vsque ad medium Basilicæ profluat riuus ille: hæc autem aguntur apud prouinciam Achaiam in ciuitate Patras, in qua B. Apostolus, siue Martyr, pro Redemptoris nomine crucifixus, præsentem vitam gloriosa morte finiuit. Tamen cùm oleum defluxerit, tantum odorem naribus præstat, vt putes ibi multorum aromatum sparsam esse congeriem. Quod non sine miraculo, ac beneficio habetur in populis: nàm ex hoc, seù inunctiones factæ, siue potiones datæ, ple-

plerùmque languentibus commodum præstant.

36. *Vghellus, in Ital. sac. tom. 7. Amalphitani Archiepiscopi*. Ex ossibus S. Andreæ Apostoli, quæ nunc Amalphi summa populi deuotione coluntur, perennis liquor, quem manna vocant, adhùc miraculosè emanat, celebrisque in toto Christiano orbe ad morbos sanandos habetur.

37. *Philipp. Ferrar. Mense Septem. die 21. de S. Matthæo Apostolo*. Salerni, ex corpore S. Matthæi manna ad hæc vsque tempora manat, diuersis morborum, iis, qui cùm fide, & pietate accedunt, generibus salutare.

38. *S. Anton. 2. par. Chr. cap. 3. tit. 9. §. 5. de S. Nicolao Episcopo Myrensi*. Ex sepulchro eius honorifico duo fontes emanabant, vnus oleum fluens, scilicet ex parte capitis, alius aquam ex parte pedum, ad sanitatem proficui. Cùm autem quodam tempore Episcopus Myræ exilio à Præfecto traditus fuisset, statim oleum, & aqua fluere cessarunt, donec de exilio reuocatus fuit.

39. *Ioseph Bonafida, de Manna Sancti Nicolai*. E corpore S. Nicolai Myrensis, Barium translato an. 1087. scatet liquor vsque adhùc, quia duersùs omnes morbos prodest; de illoque per omnes mundi partes continuò maxima pars ad eundem effectum defertur. Quamquam autem hic liquor colorem, & nitorem aquæ habeat, attamen sapor quidam suauis illum à vulgari aqua discriminat. Diù etiam seruatur; neque vnquam putrescit, in frigore minimè conglaciat: conclusus longo temporis interuallo non olet grauiter: si verò vrceolis ceræ minimè obsignatis attineatur, in auras exhalat, & euanescit.

40. *Ferrarius, in Catal. S.S. 1. Ian. de S. Concordio Presbytero, & m. Spoletano*. Eius corpus sepultum est non longè ab vrbe Spoletana, vbi multæ aquæ emanant salutares.

41. *In vita S. Stephani Regis Hungariæ*. Sacrum eius corpus suauissimo fragrans odore, liquore etiam cælesti scatens, admirabiliter vsque adeò conspicitur.

42. *Io. Iacobus Iordanus in Chron. montis Virginis, libr. 1. capit. 12. de S. Felice Nolano*. Ex eius ossibus, quæ in arca sub Cathedrali Ecclesia asseruantur, pretiosum manna exit, quod per argenteos tubos sursùm mirabiliter exurgit, inque calicem argenteum pariter exit, quo in die festiuitatis eius, per Episcopi, aut alterius sacerdotis ministerium fidelium oculi inunguntur: Sed illud mirabile circumfertur, atque à populo Nolano longo temporis spatio obseruatum, quòd quo anno abundè satis hoc manna emanat, & abundantia segetum sequitur; at cùm eius fuit penuries, maximam rerum penuriam portendit.

43. *Camillus Tutinus*. Ex reliquijs S. Blasij Episcopi Sebasteni, & martyris, quæ Marateæ, oppido Neapolitani regni coluntur, liquor vberrimus manat, qui cratere argenteo exceptus, piis hominibus impertitur multarum indè ægritudinum medelam.

44. *Philippus Episcopus Eystettensis, in Hist. S. Vualburgæ*. Eystadii in Germania, de corpore S. Vualburgæ Virg. sacrum emanat oleum, præcipuè de membris eius pectoralibus, quod gratia Dei, & intercessione Beatæ omnibus infirmitatibus mirificè prodest: emanat autem ordinariè hyberno tempore, à die XII. Octobris, hoc est à festo translationis S. Vualburgæ, vsque ad XXV. Feb., quo die B. Virgo ad immortalem vitam migrauit, quamuis boni ominis loco habeatur, si stillatio vltra hunc terminum proferatur: Oleum hoc prædicto tempore maximè fluit, quandò à sacerdote Eucharistia in altare conficitur, & populo adoranda proponitur; euanescit autem huiusmodi oleum, nisi reuerenter habeatur, & præcipuè penes blasphemãtes nullo pacto moratur, sed clauso etiã vase euanescit, nec defluit nisi vasculo mundo, & decenti excipiatur; & si phialæ, in quibus sacrum oleum recipiendum est, non directè, vel perpendiculariter distillationi supponantur, guttæ eiusdem olei sibi cohærent dependentes ad modum botri, vel faui mellis, nequaquam in alium locum decidentes, sed posteaquam negligentia corrigitur, & vasa in quibus mundè sacrum oleum recipi debet, distillationi aptantur, eisdem sine omni cooperatione illabitur. Obseruatum est etiam huiusmodi oleum per 200. annos conseruatum, nullam fæculentiam, aut corruptionem cõtrahere, sed eiusdem puritatis, & nitoris inueniri, ac quod de recenti stillat. Si qua de causa autem sorores conuentus Eystettẽsis aliquam inter se habeant discordiam, cessat stillicidium olei, sicut & cessauit per integrum annum, dùm interdicta fuit cùm tota Diæcesi eadem Ecclesia, & aliàs polluta sanguine humano, qua reconciliata, de nouo fluxit.

45. *In m. s. s. monasterij Rebdorffensis, apud Raderum, in Bauaria sacra*. Anno 1358. Dominica in medio quadragesimæ, quæ fuit 11. Kal. Aprilis, fures de nocte intrauerunt monasterium S. Vualburgis Eystettensis, & cùm campanarius eiusdem tardè intraret ad deponendum se in loco, irruunt fures in ipsum velata facie, volentes eum occidere, qui se defendit, fuit tamen in monasterio grauiter vulneratus; propter quod stillicidium de reliquiis B. Vualburgis consuetum manare, cessauit per quatuor septimanas, vel circa, & post octauas Paschæ appropinquante festo eiusdem virginis manauit vt ante.

46. *Marsilius Columna Archiepiscopus Salernitanus, de Adolescente quodam Ægyptio*. Hic abnegato Christo, ad Saracenos transierat: sed seria pænitentia ductus, detestabile suum facinus palàm execratus est: & ideò, abscisso capite, nobili martyrio coronatus. Ex cuius sacro capite odoriferum semper vnguentum scaturit, multis ægritudinibus admodùm salutare.

47. *Barbaranus, in Vicentia sacra, cap. 39*. In Ecclesia Concordiensi in Italia, magna veneratione coluntur ossa S.S. martyrum Donati, & sociorum; ex quibus medicus quidam liquor manat, qui circa annum CIↃ IↃ CXLIII. omninò exaruit ob dissidium inter clerum, & Episcopum exortum. Qua dein controuersia sopita, pristino humore iterùm sudarunt ossa, & guttis manantibus stillarunt.

48. *Philippus Ferrar. mense Februarij, die xi. de Sancto Hippolyto presbytero.* Corpus eius Attripaldæ apud Abellinum in marmoreo sepulchro conditum est; ex quo aquam infirmis valdè salutarem per tres dies circa eius festum diem defluere ferunt.

49. *Idem ibidem, die 15. Maij, de S. Eutitio presb. & M.* Eius Corpus à B. Dionysio Episcopo à clericis adiuto noctu sepelitur in crypta: ex qua aqua infirmis sanitatem impertiens vsque in præsens scatere dicitur, & manna pluriès colligi; præsertim in festo Paschatis, Pentecostes, Assumptionis, & hac die, quibus anni temporibus ad Eutitii Ecclesiam (quæ in Hortana diæcesi constructa haùd mediocrem apud finitimos populos venerationem habet) processio fieri consueuit.

50. *Daniel Peruginus, in vita Sanctæ Elisabeth Regis Vngariæ filiæ, & Landgrauij Turingiæ vxoris.* In die translationis sancti corporis eius, postquam in capsa plumbea fuit repositum, de terra sublatum, proximo die priùs aperto loculo pro reliquiarum ostensione, repertum est oleum mirifici odoris de corpore eius manasse, quod hodie etiam inspicientibus patet. Nàm guttæ tanquam roris super gramen stant, & distillant, eisque decidentibus, vel abstersis, aliæ paulatim renascuntur.

51. *Io. Baptista Zannettus, in vita Sancti Titiani M.* Anno Domini 1500. ex arca marmorea Sancti Titiani Brixiæ Episcopi, quę in eadem ciuitate apud moniales S.S. Cosmæ, & Damiani conseruatur, saluberrimus manauit liquor, qui omnibus profuit infirmitatibus. Huiusmodi liquor eodem anno scatere mirabiliter cępit ex quadam trabe longitudinis duorum palmorum, supra quam reposita fuerat eadem arca, dùm illius altare restauraretur; & licet aliò translata, eumdem mirabilem humorem stillare haùd cessauit; quinimmò in cauitatem ad modum putei efformatam, à tergo arcæ eiusdem sancti repositam, vsque adeò prodigiosam emittit aquam, quæ nunquam deficit, licet abundanter extrahatur, immò tempore siccitatis augetur; prodest autem mirabilis hic liquor deuotè ebibitus variis infirmitatibus; nec cùm aliis liquoribus, aut alia re materiali vllo pacto commisceri permittit, subitò enim conturbatur.

52. *Baronius, in annotat. ad Marty. 20. Aprilis.* Venerandum corpus Beatæ Agnetis de monte Politiano asseruatur in eadem ciuitate in Hetruria, illudque iugi illustratur miraculo, dùm rore quodam mirifico assiduè perfusum, conspicitur.

53. *In m. s. s.* Postquam Nicander, & Marcianus, milites Africani, ob fidem catholicam inter Atinam, & Venafrum gladio percussi, Martyrii palma vitam terminassent: Zoticus, & Papianus eorum socii, apud Venafrum Martyrum corpora, vbi postea Basilica extructa est, marmoreo condidere monumento; vndè saluberrimum scatet manna vsque in præsentem diem.

54. *Ibidem.* Brixiæ in monasterio S. Iuliæ, ex arca, in qua requiescit corpus Sancti Obitii Brixiani, mirabilis scatet liquor, qui multis prodest infirmitatibus deuotè ebibitus.

55. *Ibidem.* Vigiliis in Apulia coluntur corpora Sanctorum Mauri Episcopi, & Mar. Pantaleonis, & Sergii sociorum M. M. ex quibus salutaris liquor in medicinam morborum mirabiliter emanat.

56. *Ibidem.* Arelatæ, in diæcesi Helenæ in Catalaunia piè coluntur corpora S. S. Tiburtii M. & Hilarii Epis. ex quibus vsque hodiè indeficiens emanat liquor, qui deuotè ebibitus, omnibus prodest infirmitatibus.

57. *Ægidius Gelenius, in Col. Agrippina, de Ecclesia S. Cuniberti.* Inter sanctorum reliquias, barba S. Antonii, crystallo pretioso inclusa, in hac conseruatur Ecclesia. In annua solemnitate Ecclesiæ Sancti Cuniberti cùm cæteris sanctorum lipsanis Christo triumphatori præfertur, & quàm primùm Vrsulani agri limites exeunt, spectante populo, copiosum sudorem, & aquam emittit. *Quo prodigio quid numen velit, compertum non habeo. Suspicari variè, & piè licebit, veluti Deum testatam facere, Sancti huius virtutem, sanctimoniam agri Vrsulani, aut etiam omnia in honore habenda, quæ in sanctis fuere, licet alioquin vilia.*

58. *Petra Sancta, de mirac. Perpet. capit. 12.* In Apuliæ vrbe Poliniana, ex brachio S. Viti M. extillant guttulæ quasi olei, eoque inuncti quotquot à canibus rabidis læduntur, dubio procùl liberantur.

59. *Idem ibidem.* Ex saxo, super quod S.S. Pueri Iustus, & Pastor securi cæsi fuere, manat oleum, quod medetur pluribus ægrotis.

60. *Idem ibidem.* In Bauariæ monasterio Tegherenstein, ex loco, vbi aliquandò exuiæ sacræ fuerunt Sancti Quirini Episcopi Illyrici, statutis anni diebus oleum, *seù manna solet scaturire*, cui mira inest virtus ad morbos *ex corporibus pellendos*.

61. *Idem ibidem.* In oppido Ebbestorp ditionis Luneburgensis prodest languoribus quibuscunque oleum admirabile, quo iugiter madet sanctus Erlulfus Episcopus Verdensis, & Martyr, à Normannis peremptus.

62. *Idem ibidem, cap. 20.* Sanctæ Victoriæ sepulchrum in Piceni agri oppido, ei cognomine, statis diebus perfunditur sudore; sed & ibi cælestes concentus modulatissimè subindè audiuntur.

63. *Idem ibidem.* In Burdigalensi vrbe intra S. Seuerini Basilicam est arca sepulchalis semper aquis plena, etiam si operculo supernè occludatur. Nunc verò augescere aquæ, nunc minui videntur; & hoc sepulchrum vacuum est. Creditúrque fuisse olim vrna vnius è sanctis illis Heroibus, qui in prælio aduersùs mauros occubuerunt.

64. *Calestinus à Bergamo in vita Sanctorum Firmi, & Rustici M. M.* Cùm anno Domini 1151. in diæcesi Bergomensi mirabiliter inuenta fuissent corpora Sanctorum Martyrum Firmi, & Rustici, & Proculi Episcopi; in eadem lapidea arca, in qua pretiosus thesaurus reconditus erat, propè illorum veneranda capita alia arcula

arcula reperta fuit limpidissima plena aqua, superque aquam pulcherrimus innatans flos: Huiusmodi aqua ab infirmis deuotè hausta, illis mirabiliter sanitatem impertita est; & licet ex tali arca sacrosanctæ reliquiæ aliò postea translatæ fuit, idem saluberrimus liquor ex eodem sicco lapide emanare haud cessauit; in peruigilio enim solemnitatis prædictorum S. S. aperta solemniter arca, toto anno clauibus pluribus obsignata, saluberrima aqua redundans multos post annos inuenta est, & deuotis populis distributa, omnes languores fugabat, incorruptibilisq. mirabiliter perseuerabat.

65. *In vita Sanctæ Teresiæ fundatricis Excalceatorum*. A vener. corpore S. Teresiæ egreditur assiduè liquor quidam ad modum olei, vel balsami tanta abundantia, vt priusquàm illud ex sepulchro extraxissent, terram, capsæ, in qua positum fuerat, proximam, penetraret; qui etiam egreditur à quouis carnis frustulo, quamuis à prædicto corpore disiuncto: quod oleum collectum fuit in multis pannis, quibus mediantibus Deus multa miracula operatus est in confirmationem, quòd sit oleum præter, vel supra rerum naturalem ordinem fluens, & hoc in vniuersa Hispania fuit, & est publicum, & notorium.

66. *In vita B. Francæ Abb. ord. Cister.* Vertente aliquo tempore ab obitu B. Francæ, apertum est eius sepulchrum, vt aliò venerandum corpus transferretur, & inuentum fuit, aqua, quasi oleo colorata plenum, & ossa B. Virginis supernatantia. Nec illo solùm tempore, sed deinceps quotiescumque visum est Abbatibus eius sepulchrum aperire, illasque sanctas reliquias inuisere; semper præterquam semel de ossibus illius aqua exire reperta est, & collecta, atque pro reliquiis conseruata, licet aliquandò plùs, aliquandò minùs. Eaque mirabiliter multæ sunt redditæ infirmis, sanitates.

67. *In m. s. s.* Arelati, in conuentu Minimorum sub altari maiori sunt varia sanctorum sepulchra, quorum vnum aqua semper est plenum, & febricitantibus salutare potantibus.

68. *In vita B. Ioannis, de Monte mirabili*. B. Ioannes, sanctitate, & miraculis conspicuus, circiter decimum quartū ab obitu D. Bernardi annum, senio grauis, apud Longipontis cœnobium ex hac vita migrauit: cuius è tumulo liquor instar lactis candidi, diù postea ad ægrotorum medelam manauit. Et nunc etiam die festo eius abundanter emanat, vndè multi ægroti, & obsessi sanantur.

69. *Hugo Menard, in auctario, de Beata Margarita Abb. Vallis gratiæ*. Ex eius corpore, & vestimentorum particulis, oleum mirificum manat.

70. *Ex Breuiario Ordinis S. Ioannis Ierosolymitani, de Beato Angelo ord. S. Mariæ de Monte Carmelo*. In honorem Sancti Martyris constructa fuit Ecclesia, & eius corpus ibidem in tumba requiescit honesta. Fons in eodem loco scaturiens, in quo iste martyr gloriosus sanguinem pro Christo impendit, singulis annis à primis vesperis, vsque ad secundas inclusiuè, oleum ministrat, quo cùm ipso die vncti fuerint, meritis sancti martyris multis grauati languoribus, sanantur ad laudem omnipotentis Dei.

71. *Gumppemberg, in Atlant. Marian. de Imag. B. Virg. Ernesti Episcopi, Glacÿ, in Bohemia*. Ernestum primum Archiepiscopum Pragensem virtutis eximiæ fuisse ex sepulchro eius habemus; eo quòd sæpiùs liquorem oleo simillimum sudauerit, qui, sic iubente Nuncio Apostolico, inter sanctorum reliquias asseruatur.

72. *Thom. Boz. libr. 12. capit. 21. de signis*. B. Ludouicus Lerma Franciscanus vixit in insula Taneriffa, sanctitate, & miraculis clarus, obitusque sui tempus prænunciauit; ex eius corpore manat oleum, quod mirificè valet aduersùs omne morborum genus; ita vt quidam nomine Lossanus, ex oppido Guaracico, illius vnctione, lepram, qua fœdabatur, expulerit, alius verò morti propinquus, protinùs conualuerit.

73. *Scardao. lib. 2. Class. 6. de B. Eustochio Virg.* Quotannis, tribus, aut quatuor vicibus ex sepulchro, in quo humatum fuit corpus B. Eustochii Virg. in monasterio monialium Sancti Prosdocimi Patauii, emanat mirabiliter aqua saluberrima, quæ in vase supposito recepta, nunquam vltra illius capacitatem excrescit, nec minuitur, licet abundanter extrahatur: Huiusmodi autem aqua nunquam putrefit, & ab infirmis deuotè ebibita, eosdem à languoribus liberat. Antequam autem scateat, suauissimus per totam domum diffunditur odor, ceù tanti prodigii prænuntium.

74. *In Chron. S. Augustini*. Ex capite V. Bartholomæi Vlysipponensis ord. S. Augustini, qui defunctus est in ciuitate Tagastensi in Africa, oleum mirabile emanat, cuicumque infirmitati diuinitùs proficuum.

75. *In annal. Minorum*. Ex sepulchro Venerabilis Hieronymi, quod reperitur in Ecclesia S. Feliciani Fullinii, continuo exsudant aquæ guttæ copiosissimæ, absque eo quòd vllum in lapide appareat foramen, aut scissura, è qua emanent.

76. *Franciscus à S. M. in Hist. Carmelitana, tom. 1. lib. 2. cap. 13.* Corpus Ven. Sor. Annæ à S. Augustino, quod incorruptum conseruatur in conuentu Villanouæ in Hispania, pretiosissimo oleo scatet.

77. *In m. s. s.* In Prioratu Semuriensi, B. V. Mariæ dicato, diœcesis Æduensis, visitur in capitulo sepulchrum cuiusdam religiosi, quod in omni tempore est partim siccum, partim humidum, præsertim effigies religiosi semper humida est, non sine omnium adspectantium admiratione.




APPENDIX IV. AD CAPVT III.

Corpora Seruorum Dei admirabili modo, vel diù conseruata incorrupta; vel vsque adhùc integritate, & incorruptione dotata

INcorruptibilitatē, qua corpora quædam mirabiliter præstare videntur, licet vires naturæ excedere semper credendum non sit, cùm ex ordinato primarum qualitatum temperamēto euenire possit; in Seruorum tamen Dei cadaueribus, tot ieiuniis, vigiliis, asperisq. cruciamentis consumptis, & penè dùm viuerent ad nihilum redactis, admirabilis incorruptio, qua gaudent, diuinitùs præstita, censenda est; sanctiq. qui ea sunt dotati, ii credendi sunt, de quibus locutus est regius Propheta: nec dabis sanctum tuum videre corruptionem. De his igitur in præsenti, licet aliqua sparsim sint notata in antecedētibus & paragraphis, & Appēdicibus. Sūt autē.

1. *Sozomenus, lib. 9. cap. 16. de corpore Zachariæ Prophetæ, ann. 415. sub Theodosio Iuniore inuento.* Eius corpus, tametsi iàm seculis pluribus sub terra jacuisset, viuum tamen adhùc apparebat, capite raso, naso oblongo, barba modicè prominenti, capite breuiusculo, oculos habens aliquantulùm profundos, ac superciliis contectos.

2. *Gregorius Turonensis, de glor. Confess. cap. 84.* Cùm Theodorus Episcopus Consoranensis cupiens videre corpus S. Valerii confess. & eiusdem vrbis primi Episcopi, detexisset eius monumentum, reperit venerabile corpus valde integrum, de quo non cæsaries deciderat diminuta, neque aliquid in cute corruptum inspiciebatur, aut tetrum; sed erant omnia illæsa, ac si nuper fuissent recondita; tantusque odor suauitatis fragrabat è tumulo, vt non dubitarent, ibi quiescere Dei amicum.

3. *Surius, 3. Ian.* Corpus B. Gregorii Episcopi Lingoniensis, post multos annos, integrum, & incorruptum inuentum fuit.

4. *Idem, 5. Ian.* Anno tricesimo sexto post Sancti Eduardi obitum, cùm corpus eius de terra eleuaretur, integrum, incorruptum, & flexibile repertum est. Quod videns Episcopus Roffensis, pilum vnum, deuotionis desiderio accensus, extrahere, sibique seruare conatur: sed ille firmiùs hærens, effectum mentis Episcopi, & voluntatem defraudauit.

5. *Idem, 26. Martij, de S. Ludgero Episcopo, lib. 1. cap. 35.* Eius cadauer tanto post mortem tempore, nec dùm aliqua corruptione dissolutum fuit, sed integrum prorsùs mira fragrantia, cunctos qui aderant, repleuit.

6. *Idem, 11. Aprilis.* Elapso post obitum S. Guthlaci eremitæ anni circulo, corpus eius integrum, & incorruptum, dormienti, quàm mortuo similius inuentum fuit.

7. *Idem, de eleuatione corporis S. Eligij Episcopi Nouiomensis, cap. 45.* Post aliquod à morte tempus, sublato tumuli opertorio, suauissimus è corpore S. Viri manauit odor, quod quidem tàm adhùc integrum, planèque incorruptum cernebatur, vt viuere putaretur.

8. *In vita S. Solæ eremitæ.* Successu temporis cùm ex licentia Altini Episcopi, B. Viri sepulchrum fuisset effossum, leuato sarcophagi operculo, corpus inuentum est incorruptum, & integrum, & tantus, tàmque mirifici odoris fumus indè egressus est, vt tota Basilica suauissimè ex eo redoleret impleta.

9. *Petrus de Natalibus, lib. 6. cap. 160. de S. Fantino confessore.* Eius corpus integrum, & incorruptum miro fragrans odore diebus triginta permansit.

10. *S. Hieronymus, in vita S. Hilarionis monachi, cap. 38.* Post decem menses ab eius obitu, Hesychius Maiumam volens eum transferre, reperit illæsa tunica, cuculla, & pallio, & toto corpore, quasi adhùc viueret, integro, tantisque fragrante odoribus, vt delibutum vnguentis putaretur.

11. *Ioan. Moscus, in Prato Spirituali, cap. 121.* Cùm Abbas Gregorius Bizantinus, & discipulus eius Abbas Gregorius Pharonites in insula quadam maris rubri, vitam solitariam agentes, tandem mortui fuisset; post aliquod tempus reperta sunt à monachis illùc profectis eorum corpora integra, & illæsa, sepultaque sunt in Raythu.

12. *In Hist. Bauarica, par. 1. lib. 5. nu. 41.* Sexto postquam S. Seuerinus Noricorum Apostolus obierat anno, aperto monumento, repertum fuit illius corpus integrum, & citra tabis omne vestigium: ne pili quidem è mento, & capite defluxerant; simul spirabat suauissimas odorum delitias, cùm tamen absque pigmentis fuisset depositum.

13. *In actis S. S. de S. Oringa Virg. in Etruria, apud Bollandum, X. Ian.* Eius corpus diutissimè integrum, formosumque permansit, quasi recentissimè vita esset destitutum: sed Deo id permittente anno 1514. cùm candela accensa esset relicta ad sacras reliquias, ingens exortum est incendium, die 14. Augusti, quo & illud sacrum pignus omninò consumptum est.

14. *Ibidem, 13. Ian. de B. Veronica de Bisnaco Virg.* Trigesimo die ab obitu virginis, apertum fuit mausoleum in quo conditum fuerat eius corpus, quod ex omni parte incorruptum sorores cunctæ viderunt.

15. *Ibidem, 13. Ian. de S. Leontio Episcopo Cæsarea, in Cappadocia.* Corpus eius ad trecentos annos mansit incorruptum, quod nec pilos abiecerat, neque vngues amiserat; eratque plenum omni vnguentorum fragrantia.

16. *Ibidem, 14. Ian. de S. Sabba Archiepiscopo Seruiæ.* Corpusculi eius integritas per trecentos quinquaginta annos magno peregrinorum concursu celebrata fuit, tanta omnium membrorum consistentia, vt recenter extincti hominis cadauer appareret.

17. *Ibidem, 16. Iannuarij, de Sancto Treuerio monacho.* Serui Dei amouentes ligneam cellulam, quæ ibi pro deuotionis sanctitate facta fuerat; inuenerunt corpus Beatissimi Treuerii confess. 70. annis

annis post eius mortem illæsum, integrum, & cùm omni indumento suo, fragrans multis odoribus suauitatis.

18. *Ibidem, 16.Ian. de S.Fursto confess. Perona, in Gallia.* Cum secundò transferretur eius corpus, totum inuentum est illæsum, quasi eadem hora migrasset è vita.

19. *Ibidem, 19.Ian. de S.Vulstano.* Elapsis post obitum eius annis centum, dùm transferretur corpus eius, & in scrinio pretioso collocaretur, repertum est vnà cùm vestimentis Pontificalibus integrum, & incorruptum.

20. *Ibidem, 22.Iann. de S. Gaudentio Episcopo Nouariensi.* Sacratum eius corpus roseo fulgore micans, odorisque fragrantia redolens, ab 11. Kal. Feb. vsque ad 111. Nonas Augustas inhumatum, & incorruptum conseruatum fuit.

21. *Ibidem, 26.Ian. de S.Bathilde Regina.* Sarcophagum eius aperientes anno post eius obitum 140. ipsum sanctum corpus sanum, & incolume repererunt, quasi ipsa die sepulturæ traditum fuisset.

22. *Ibidem, 28. Iannu. de S. Iuliano Episcopo Conchensi.* Sepultum annis trecentis, & vltra sacrum Iuliani corpus delituerat: cùm anno 1518. repertum est omninò incorruptum, iuxtaque palmæ ramus recens, ac viridis, veluti primùm ab arbore recisus.

23. In *actis S.S. Febr. tom. 1. in Continuatione Bollandi.* Cùm anno 1170. transferri decretum fuisset corpus S. Sigeberti Regis Francorum Austrasiorum, quod ferè per 572. annis in sepulchro iacuerat, incorruptum, & miraculosè à Deo conseruatum inuentum est.

24. *Ibidem.* Post nouem annos sepulturæ S. Vuereburgæ Virginis, & Regis Merciorum filiæ, suggerentibus Heamburgensibus placuit Regi Ceolredo, qui tunc regnabat Merciis, vt illius sacrosancta gleba de tumulo eleuaretur, clamantibus cunctis, vt tanta lux multorum sub modio terræ absconderetur. Ablato igitur operculo speluncæ, cùm putaretur ab omnibus more humanæ conditionis tota caro defluxisse, & tantùm nuda ossa superesse; inuenta est potiùs virgo integerrima, quasi in dulci stratu obdormiret, facies candida, & genæ roseæ tanquam in primæuo flore, amoto reuerenter velamine, sunt visæ.

25. *Ibidem, tom. 2.* Repertum fuit corpus S. Romualdi Abbatis, Camald. Fund. post 440. annos integrum, & incorruptum, ac si eadem die mortuus esset; quod posteà, cùm illud sacrilegi homines furati esset, ad tactum profanarum manuum, subitò in puluerem est redactum.

26. *Ibidem, tom. 3.* Corpus S. Conradi eremitæ post 134. annos ab eius obitu, integrum, incorruptumque mirabiliter repertum est.

27. *Ibidem, in Martio tom. 1.* Corpus S. Draufii Episcopi Suessionensis post aliquot annos ab eius morte, integrum, inuiolatumque mirabiliter adinuentum fuit.

28. *Ibidem.* Post martyrium S. Marciani Episcopi Dertonensis, in Liguria, centum plùsque annis, inuentum fuit eius corpus, carnem, cuncta ossa, neruosque, & compagem membrorum tenens, suauissimum etiam emittens odorem.

29. *Ibidem.* Cùm venerabile corpus Beati Caroli Boni Comitis Flandriæ, & martyris, eo, in quo illud ante quinquaginta tres dies repositum fuerat, monumento dirupto, detexissent, ad gloriam Dei, & martyris sancti ostendendam, in tantùm à corruptione alienum inuentum est, vt nec tenuissima quidem modici fœtoris nebula exindè ascenderet. Verùmtamen sic erat vulneribus crudis, & omninò recentibus tractabile, ac si eadem die interfectus fuisset. Tanta quoque suauissimi odoris fragrantia totum illum locum diuinitùs infudit, & impleuit, vt nulli ferè dubium videretur, quòd Deus fidelem suum glorificare voluerit.

30. *Ibidem, tom. 3.* Cùm transferendum esset corpus Sancti Humberti Maricolensis, in Cameracensi Diœcesi, licet centesimus quinquagesimus tertius annus depositionis eius esset, illæsum, & incorruptum inuentum est, ac si eadem die spiritum emisisset.

31. *Ibidem.* Anno 1666. in Eugubino conuentu Fr. S. Augustini in Vmbria, translatum fuit corpus B. Petri eremitæ eiusdem ordinis, quod integrum inuiolatumq. fuit inuentum.

32. *Ibidem, in Aprili, tom. 1.* Cùm Veronæ defuncta fuisset B. Vrsolina Virgo Parmensis, sepultumque fuisset eius corpus in Ecclesia S. Ioannis; postmodùm anno vno cùm dimidio intermisso, mater eius indè Parmam honorabiliter deportari fecit, integrum totaliter, & illæsum, aut nulla penitùs putredine, aut corrositate vitiatum; quinimmò mira odoris suauitate fragrabat.

33. *Ibidem.* Cùm post mortem Beati Hermanni Iosephi ordinis Præmonstratensis, corpus eius terræ palustri naturaliter humente sepultum fuisset, post septem hebdomadas inuentum fuit incorruptum, ita vt non solùm in illo nullus vermiculus appareret, verùm ipsa cutis superficies tota inueniretur illæsa.

34. *Baronius, ann. 475. num. 19.* Corpus S. Ferreoli m. in Ecclesia super littus Rhodani extructa, multis post annis ab eius martyrio, integrum, illæsumq. repertum fuit.

35. *Aimoinus, li. 1. cap. 4. de translatione S. Vincentij m.* Corpus S. Vincentii M. qui passus fuerat ann. 307. repertum fuit ann. 855. integrum, & sine corruptione.

36. *Sigebertus, in Chronico.* In Francia apud cænobium Elnonense, Sanctus Amandus Traiectensis Episcopus à Lothario Ecclesiæ S. Mariæ Aquisgrani Archicustode eleuatus fuit, à depositione eius ann. circiter centesimo quinquagesimo: cuius corpus adhùc integrum cùm eius capillis, & vnguibus videbatur.

37. *In m. s. s.* Corpus Petri Venerabilis post 127. annos ab eius obitu, inuentum est ann. Domini 1242. non redactum in cineres, immò capilli, & barba, quam de Eremitarum more prolixam portauerat, integra inuenta sunt.

38. *Beda, in Hist. Anglicana, de S. Colmanno*

mart. Integritatem eius animi demonstrauit sesquiannum sub dio pendens integrum eius corpusculum.

39. *Lippellous, 9. Februarij, de S. Ansberto.* Corpus S. Ansberti Rothomagensis Episcopi decima septima die ab eius sepultura integrum, & incorruptum visum fuit.

40. *Idem, 19. Aprilis.* Corpus S. Elphegi Cantuariensis Archiepiscopi, & martyr. post decem annos integrum, & incorruptum repertum fuit an. 1152.

41. *In m. s. s.* Corpus S. Gandulphi post sexaginta annos repertum est integrum, & illæsum, ac si eadem die defunctus fuisset.

42. *Sanctus Gregorius, libr. 3. Dialog. cap. 13.* Corpus S. Herculani Perusini Episcopi, postquam humatum fuerat, recens inuentum est, ac si eodem die fuisset sepultum.

43. *Metaphrastes, in vita S. Antonomi Episcopi, & m.* S. Antonomi corpus in sepulchro à mortis viribus mansit inuictum post ducentos annos, adeò vt etiam coma capitis esset illæsa, & formæ character consisteret integer, pelle firma, & intensa, ne amissis quidem pilis labri superioris. Figura quoque corporis suam conseruabat compagem, sine vlla partium à se inuicem disiunctione.

44. *Metraphrastes, in vita S. Athanasiæ Abbatissæ.* Cùm anniuersario post Sanctæ Abbatissæ die aperuissent eius sepulchrum, Athanasiam inuenerunt ita decorè positam, vt recens mortua fuisse videretur; nàm & eius oculi luminis speciem præseferebant, & labra, & totum illud beatum corpus sanum, integrum, & intactum videbatur, teneris adhuc carnibus, & manibus in rectum protensis.

45. *In actis S. Vuilhelmi Episcopi Briocensis.* Cùm post biennium ad effodiendum thesaurum corporis S. Episcopi, Clerici cùm populo conuenissent; ipsum corpus cùm omnium membrorum integritate mirabiliter est repertum, & quasi pretiosissimis fuisset aromatibus conditum, optimo odore eos qui aderant adimpleuit.

46. *In actis S. Quintini mart.* Corpus S. Quintini, ciuis Romani, ordinis Senatorij, qui sub Maximiano Imper. martyrium passus est in Gallia apud Augustam Veromanduorum, post annos quinquaginta quinque, reuelante Angelo, inuentum est incorruptum.

47. *In actis S. Remigij Episcopi Rhemensis.* Post annos plurimos à morte S. Remigii, cùm translatum fuisset eius venerandum corpus, inuentum est integrum, & incorruptum, sed exsiccatum, & brandeo rubro inuolutum.

48. *In actis S. Nicephori Patriarchæ Constantinopolitani.* Methodius Constantin. Patriarcha, in decentiorem arcam reponere volens corpus S. Nicephori, iàm ante annos vndeuiginti defuncti, illud reperit integrum omninò, purumque.

49. *Thomas Ioannes Pessina, de Gloria Eccl. Pragen. Rad. 3.* Cùm Pragam tranlatum fuisset an. 942. corpus S. Vuenceslai Bohemiæ Ducis, qui an. 939. crudelissimo martyrio necatus fuerat, integrum, incorruptumque repertum est; vulnera etiam omnia sanata, præter illud vnum, quod frater eius crudelissimus capiti eius inflixerat.

50. *In vita S. Macarij Patriarchæ Antioch.* Elapso post obitum eius anni circulo, cùm soror eius vnà cùm religiosis presbyteris corpus sacrum decentiùs collocare vellet, idem corpus omninò integrum, & incorruptum, dormienti, quàm mortuo similius inuentum est. Brachia enim, & digiti ita flecti, & duci poterant, quasi humores agente spiritu per venas excurrerent, neruique eius ex morte nihil pristini vigoris, & viuacitatis amisissent.

51. *In m. s. s.* S. Cæciliæ Virg. Rom. & mar. martyrio affectæ sub Alexandro Imper. an. CCXXXII. corpus cùm aliis aliquot corporibus sanctorum, inuentum fuit integrum, & resupinum, linteis suauem odorem spirantibus inuolutum, arcæque ligneæ inclusum sub ara maxima ædis illi sacræ in vrbe Romana, 20. Octob. an. CIↃIↃXCIX.

52. *Raderus, de S. Innocentio monacho in Asia.* Venerandum porrò eius corpusculum cælesti virtute ab omni labe intactum, & incorruptum multis annorum spatiis est seruatum.

53. *Ioan. Trithem. libr. 3. de viris illust. ord. S. Bened. cap. 122. de S. Edeldrude Virg.* Eius corpus post decem annos in monumento tàm sanum, integrum, & incorruptum repertum est, ac si eadem die fuisset defuncta.

54. *Constantinus Ghinius, in natal. S. S. Canon. 4. Octob. de S. Magdaluco Episcopo.* Cùm ad sepulchrum eius magis, & magis miracula coruscarent, post quadragesimum annum illud reserantes, vt corpus eleuarent, inuenerunt illud omninò incorruptum, veluti soporatum, & viuens, candore liliorum, & roseo colore respersum, odorem suauissimum spirans.

55. *Hieronymus Faber, in monumentis Ecclesiæ Rauennæ, de Ecclesia Metropolitana.* Corpus B. Rainaldi Episcopi Rauennæ per tria sæcula incorruptum remansit, quoadusque ann. 1636. inundantibus aquis, in eiusque sepulchrum ingressis, sacra membra discumpaginata fuere.

56. *Idem ibidem, de Ecclesia S. S. Nazarij, & Celsi.* In hac Ecclesia conditum reperitur corpus S. Gallæ Placidiæ Augustæ, quod mille ferè annis incorruptum permansit, essetque & nunc, ni casuali incendio an. 1577. consumptum, & in nuda ossa redactum fuisset.

57. *Greg. Turon. de Glor. Confess. cap. 80.* Corpus S. Vrsini primi Biturigensis Episcopi, quod in campo inter reliqua populorum sepulchra humatum fuerat, post annos plurimos, ipso reuelante, adinuentum fuit, integrum, & incorruptum, & tanquam dormientis hominis nulla putredine resolutum.

58. *Idem ibidem, cap. 102.* Post annum ferè duodecimum à morte S. Felicis Biturigensis Episcopi inuentum est eius venerandum corpus ita illæsum, vt nulla dissolutio in corpore, nulla putredo reperiretur in veste.

59. *Halloix, in vita S. Dionysij Areopagitæ, cap. 21. de S. Eugenio.* Cadauer S. Eugenii in lacum Marcosium proiectum fuit. Ibi diutissimè, immò, vt

vt auctores non pauci tradiderunt, annos circiter ducentos, immersum delituit. Neque tamen vel Dei prouidentia in custodiendo, vel Dionysii cura in reuelando desiderata est, & tanti temporis latebrae, corporis probauere dignitatem. Nàm saluum, & incolme duobus post saeculis non vsitato repertum est miraculo.

60. *Gregorius Turonensis, lib. 1. de Glor. Martyr. cap. 63.* Corpus S. Mallosi M. ipso reuelante, adinuentum fuit in oppido Bertunensi integrum, & incorruptum, suauemq. emittens odores.

61. *Thomas Cantipratanus, lib. 2. Apum, cap. 53. n. 2.* In vrbe Germaniae Treuirensi vidimus corpus S. Theodulphi, quod annis fermè sexcentis integraliter manserat incorruptum. Similiter plurima sanctorum Innocentium corpora sub Herode passorum vidimus incorrupta.

62. *Nicephorus, in vita S. Simeonis Stylitae.* Eius venerandum corpus diutissimè incorruptum mansit.

63. *Kornmannus de miraculis mortuorum, parte tertia.* Integra, & incorrupta reperta fuere corpora Sancti Lamberti, Sanctae Euphemiae, Beati Antonii, Beati Gaudentii, & Beat. Sorotii.

64. *In actis S. Sauinae Trissinae.* S. Carolus Borromaeus sacellum à Morrigia gente, post tot vrbis Mediolanensis excidia restitutum, adiit, ibique repetitis de more precibus, marmoreum mausoleum, in quo S. Sauinae corpus contegebatur, aperiri iussit: Ecce verò venerationi par admiratio, sancto est iniecta Pontifici, cùm matronae praeclarissimae verendum cadauer, tot annis sepulchro repositum, tot ruinis, & direptionibus, incolumne non solum, sed integrum planè, ac incorruptum, & gratissimum afflans odorem habuit in conspectum.

65. *Signius, cap. 2. Reliquiarij.* Corpus S. Eudocimi cùm vestibus integrum post diutinam sepulturam est inuentum. Post annos quadraginta Sanctus Vuandregisilus cùm vestimentis integer est repertus.

66. *Arnoldus Vuion, in vita S. Gerardi Sagredi, cap. 21.* Cùm septem annis corpus S. Gerardi tumulatum fuisset sub terra in Ecclesia B. V. Mariae in Pesth; Maurus Episcopus Canadiensis, & Philippus Abb. Monasterii B. Mariae Virg. de Canadino, adierunt Regem Andream cùm multitudine nobilium de Episcopatu Canadiensi, petens vt illud liceret eis ad sedem Morossenam transferre, quod cùm impetrassent, ac deindè ad tumulum S. Martyris peruenissent, miram fragrantiam ex sepulchro eius exire senserunt, & corpus eius tàm nitidum, lucidumque repererunt, ac si eo die martyrizatus fuisset.

67. *Angelus Manrique, in ann. Cisterciensibus, ann. 1167. cap. 7.* Corpus S. Idesbaldi quinti Abb. Monasterii S. Mariȩ de Dunis in Frandria, qui obiit an. 1167. dùm transferendum esset in nouum monasterium an. 1624. integrum, & incorruptum mirabiliter inuentum est, suauissimum etiam exhalans odorem.

68. *Idem ibidem, an. 1207. cap. 3.* Corpus B. Vualleni post multos annos integrum, incorruptumque, suauissimumque exhalans odorem repertum est.

69. *Henriquez, in Fasc. ordin. Cisterciensis, de B. Petro de Castro nouo, M.* Mirum tunc accidit quandò corpus dicti Martyris, quod erat in claustro monachorum S. Ægidii, vbi primùm sepultum fuerat, translatum fuit in Ecclesiam; integrum siquidem, & incorruptum sine vlla laesione inuentum est, ac si eo die sepulturae traditum fuisset, & ex corpore S. Martyris, atque sacris indumentis, suauissimi odoris fragrantia expirauit.

70. *Idem ibidem, de S. Martino Abb. Hortensi, & Episcopo Saguntino.* Anno 1535. Reuerendus Pater Ludouicus de Estrada, monachus, & Abb. Hortensis, corpora sanctorum, quae in presbyterio humata erant, eleuare decreuit, sicut diuersi eiusdem domus monachi diuinitùs fuerant praemoniti; & inuentum est S. Patris nostri Martini corpus postquam 325. annis fuisset sepultum, incorruptum, atque suauissimum spirans odorem. Solùm deerat caput, quod aliquot annis ante Angelus in forma formosissimi iuuenis Saguntum detulerat, & Episcopo, & Canonicis dederat. Mitra loco capitis posita erat, & totum corpus valdè recens, & benè olens, quod decentiori loco repositum fuit. Inuenerunt etiam ibi corpus planè integrum, & vestitum S. Roderici, vt eodem die sepultum videretur, quod aliquot diebus in presbyterio positum fuit.

71. *Idem ibidem, de venerabili Marco de Villa-alba.* Volens Deus magno, & euidenti miraculo serui sui Marci sanctitatem declarare; monachis aliquot suggessit, vt tumulum eius aperirent, quod septimo post mortem eius anno contigit; inuentumque est corpus tàm integrum, & incorruptum, quasi eodem die tumulatum fuisset. Iterùm idem sepeliernnt, & sepulchrum calce repleru nt, vt vel sic corpus consummaretur: Sed quia haec dextera Dei excelsi, nihil hoc modo effectum, sed postea corpore discooperto, idem tàm integrum, vt ante repererunt.

72. *Vuichmans, lib. 2. cap. 11.* Aberdoniae in Scotia ante ducentos annos mortuus est S. Gauinus Episcop. quem nostro saeculo pollinctones haeretici inuenere omninò integrum, & incoruptũ, nec tangere ausi sunt quotquot etiam ex scelestioribus intuiti sunt.

73. *In m. s. s.* Frater Ioannes Rusbrochius Religiosus monasterii Viridis-vallis in Brabantia, quinque annis à morte repertus est corpore integro, & illaeso, ac odorem suauem afflante, sacerdotalibusque ornamentis indutus.

74. *Pachymerius, lib. 12. Hist.* Cuboclasio Monacho, cadauer post aliquot à morte annos integrum, sanctitatis opinionem peperit.

75. *Vincentius in speculo, lib. 25. cap. 31.* Edgari Regis Glasconiȩ corpus post annos plurimos à morte inuentum fuit ab Adilardo Abb. incorruptum. Item diù incorruptum fuit corpus Edmundi Regis.

76. *Idem ibidem.* Corpus S. Echelredae Virg. post multum ab eius obitu tempus, inuentum est incorruptum, & illaesum.

77. *In vita S. Gildae cognomine Sapientis, cap. 19. in Bibliotheca Pramonstr.* Post aliquod tempus ab eius

eius mente, inuentum est corpus eius integrum, & incorruptum, eodem modo ac collocatum fuerat.

78. *In Marty. S.S. ordinis Premonstratensis, 15. Maij.* Corpusculum virginale B. Iacobi Nouitii ord. Premonstratensis, qui obiit in monasterio Viconiæ, tribus ab obitu annis exhumatum, in virginitatis integerrimæ testimonium, incorruptissimum repertum est.

79. *Surius, 3. Nouemb. de S. Humberto Episcopo Leodiensi.* Anno decimo sexto felicissimi eius excessus; aperiẽtes sepulchrum, gloriosum eius corpus nulla detrimenta passum, illæsum à dissolutione, atq. putredine repererunt, & pro tabe, atq. putredine, quæ mos est mortalium corpora defuncta contrahere, aromatum more illud senserunt odorifico odore feruere.

80. *Vualafridus Abb. Augensis, in vita S. Othmari Abb. cap. 7.* Euolutis post transitum eius decem annis, aperientes sepulchrum, corpus eius ab omni corruptione illæsum reperiunt, excepto quòd pars extrema pedis vnius, quem aqua alluebat, tantùm colore mutato, quasi tabida videbatur.

81. *Ioa. Diaconus, in vita S. Sosij Diaconi, & m.* Cùm post multos annos ab eius martyrio translatum fuisset eius venerandum corpus, inuenta sunt eius membra omni compage solida, & suauissimum odorem exhalantia.

82. *Hilarius Episcopus Arelatensis, in vita S. Honorati Episcopi Arelatensis.* Eius sacræ exuuiæ post aliquod à morte tempus, nulla labe, aut corruptione læsæ inuentæ fuerunt.

83. *Florentius Abb. in vita S. Iudoci.* Quanta animi fuerit integritate, eius corpus post multos à morte annos incorruptum manifestauit.

84. *Michael Studita, in vita S. Theodori Studita.* Quia dùm viueret, corpus ab omni carnis labe alienum seruauit, illæsum & post mortem à corruptione permansit.

85. *Beda, lib. 3. Hist. Anglicanæ, cap. VIII. de S. Edelburga Abbatissa.* Virgineum eius corpus nedùm viueret, sed & post mortem ab omni tabe illæsum permansit.

86. *Nicolaus Salius, in vita S. Ludmillæ Ducissa Bohemia, & M.* Cùm ferè biennio post eius martyrium Pragam deferendum esset eius sacrum corpus, egesta terra, qua thesaurus tantus tegebatur, capsaque cariosa, & putrefacta inuenta, saluum, integrumque eius corpus, facie paululùm à natiuo splendore degenere apparuit.

87. *In actis B. Ida Viduæ comitissæ Boloniæ, in Gallo-Belgica.* Post aliquos à B. Idæ morte dies, apertum est sepulchrum eius, & corpus eius integrum, & indumentum mundissimum adinuentum est. Nulla verò macula, nullaq. contaminatio illam, quæ iàm per multos dies ibi iacuerat mortua, labefactare nunc vsque conualuerant.

88. *Thom. Bozius, libr. 15. capit. 7. de signis.* Rodulphus Abbas Sanct. Trudonis scriptum reliquit, se anno M. C. XXII. ad fuisse cùm corpus S. Gereonis vnà cùm multis aliis, post annos octingentos, integrum, incorruptumq. est repertum. Testatur Alanus Copus ætate sua perstitisse cadauer Cutberti Lindisfarnensis, nihil omninò mutilatum, vel labefactum post annos octingentos ab obitu illius: quid quòd Albani martyris Britanni cadauer post annos mille permansit integrum prorsùs, & ab omni temporis iniuria intactum? (Coloniæque visitur). Quadringentesimus, ac trigesimus annus agitur, ex quo vita migrauit Famianus Coloniensis, eius cadauer ego vidi nullis mancum membris, nulla parte truncum, plurimis illustre miraculis in oppido Gallesii prope Romam. Sumus supra annum trecentesimum, & quinquagesimum secundum, ex quo Vbaldus Episcopus Eugubinus vita migrauit; & tamen ego bis aspexi viuida, immaculataq. eius membra, ac propiùs intuitus sum sacerdotum manibus attrectari, & in omnes partes versari, perindè ac si caro nunc viua esset, non morti obnoxia; nasi modò extrema sunt illi ambesa.

89. *Herrera, in Alph. August.* Corpus Didaci de Annunciatione, ordinis S. Augustini peculiari sarcophago tectum, post 20. ferè annos repertum est incorruptum.

90. *Idem ibidem.* Corpus Ven. Francisci de Briones ex ord. S. Augus. nundùm finito templi monasterio, in Ecclesia Parochiali Nauæ Metinensis, in Prouincia Castellæ depositum fuit; sed post decem annos integrum, & illæsum repertum, extrema narium parte contusa tantùm potiùs, quàm corrupta, ad Ecclesiam Augustinianorum translatum est; vbi nunc videtur.

91. *Idem ibidem, de Ioanne de Riberos, eiusdem ord.* Corpus eius integrum, & incorruptum inuentum fuit in Potosi, vbi defunctus fuerat viginti sex post obitum, an. scilicet 1629.

92. *Idem ibidem, de Ven. Alexio de Iesu August.* Ex Cœnobio S. Philippi, vbi Matriti iacebat eius venerandum corpus, ann. 1621. in quo, die 10. Martii inuentæ fuerunt eius exuuiæ incorruptæ, translatum est, & in Collegio Braccarensi, & ad latus epistolæ repositum.

93. *Idem ibidem, de B. B. Clarella, & Illuminata, sor. ord. S. Aug.* Ann. 1631. Inspecta vtriusq. Virginis corpora, quæ in Montefalchiano Fratrum conuentu asseruantur, ferè integra, & incorrupta inuenta sunt, velut in pignus Virgineæ incorruptionis; sed erat aliquantò integrius Illuminatæ corpus, quàm Clarellæ, quamuis desit illi manus, quæ ann. 1491. in Conuentu Neapolitano S. Io. ad Carbonariam religiosè custodiebatur.

94. *Idem ibidem.* An. 1612. inuentum fuit in cœnobio Toletano ord. S. Aug. corpus integrum, & illæsum F. Petri de la Torre, qui ibidem sanctissimè mortuus erat ann. 1597.

95. *Idem ibidem.* An. 1609. in Conuentu ordinis Sancti Augustini, de Zugbu, integrum, illibatumque inuentum fuit corpus F. Venerabilis Petri de Agurto eiusdem ordinis, qui decesserat anno 1608. facies erat illibata, capilli, & dentes immoti, & ex toto corpore suauis odor reddebatur.

96. *Idem ibidem.* Ann. 1610. à tribus Religiosis prætextu deuotionis reserato sarcophago, in quo in Conuentu Vallisoletano, ord. S. Aug. iacebat corpus Venerab. Io. Baptistæ de Moia eiusdem

ord.

ord. inuentum est incorruptum, & suauem spirans odorem, & habitus sine vllo vestigio corruptionis. Decesserat autem an. 1567.

97. *Idem ibidem, de Maria à Iesu de Couarrubias, eiusd. ord.* Post eius mortem, corpus sanctissimæ animæ habitaculum, per spatium sexaginta dierum, ac si viuum esset, tractabile remansit. Item corpus alterius Mariæ à Iesu, Matritēsis, post plures annos.

98. *Idem ibidem.* An. 1605. in Cœnobio Salmanticensi, ord. S. Augustini, inuentum fuit corpus cuiusdam Fratris eiusd. ordinis, qui multis retrò annis sanctissimè obierat; cuius caro integra, nullo liuore denigrata, nullo fœtore grauis, aures integræ, humor in oculis, capilli veluti viuenti homini naturaliter inhærentes, licet multo tempore in terra iacuisset; vndè indè eductum, in decentiori loco est collocatum.

99. *In vita S. Pamphili Episcopi Sulmonensis.* Sacrum S. Pamphili corpus anno ab eius obitu circiter centesimo, honestiore collocandum loco, cùm exhumaretur, integrum prorsùs, ac velut adhùc spirans, repertum fuit, odorisque fragrantiam spirans.

100. *Vincentius, in spec. Hist. lib. 12. cap. 52.* Doninus, Maximini Imp. cubicularius, propè fluuium Sisterii in via Claudia ob fidei confessionem capite truncatus fuit; ibiq. sepultus. Cuius corpus ibidem vsque nunc integrum manet, & inuiolatum; vbi multi ægri sanitatem recipiunt.

101. *Antonius Vuasconcelius, de B. Mafalda Regina, & moniali.* Multis, qui aderant, testibus reseratum est sepulchrum, inuentumque Mafaldæ corpus nudum supra tabulam, cinerem, & cilicium, illo eodem pacto compositum, vti Regina testamento mandauerat; velum quoque bombicinum, quod superadditum fuerat à ministris. Visebatur ergo integrum corpus, cùm tamen nullo fuisset vnguentariæ artis subsidio delibutum, facie, carne, coloreque sic viuido, ac florido, ac si eadem hora viuere desiisset.

102. *Crantzius, li. 8. Metropol. c. 51.* Ve. Alberti Magni cadauer, cùm è sepulchro extractum post ducentos annos in medio choro Coloniensis cœnobii Prædicatorum, extructo tumulo supra pauimentum collocaretur, integrum repertum est, nulla deformitate, nisi quòd mandibula parùm videretur collapsa, non sine Dei miraculo.

103. *Raynaldus, an. 1274. num. 31. de S. Thoma Aquinate.* Ingentibus post mortem fulsit miraculis, quæ illius sanctitatem in lucem collocarunt; inter quæ non prætereundum, ex eius corpore omnis experte corruptionis, suauissimum odorem efflasse.

104. *In decreto canonizationis S. Ludouici Bertrandi.* Corpus S. Ludouici Bertrandi ord. Prædicatorum, præseruatum fuit à corruptione sexaginta annorum circulo, integrum, articulatum, & tractabile, quamuis in loco illuuionibus obnoxio, non exenteratum, aromatibus, & balsamo inconditum, cùm intestinis ipsis adeò ad corruptionem procliuibus humo traditum sit.

105. *Fridericus Fornerus, in Palma Triump. de Ven. Martino de Valentia.* Corpus eius triginta tres annos integrum, incorruptumque permansit.

106. *Bzouius, an. 1393. num. 9. de B. Roberto Neapolitano, ord. Præd.* Triennio post mortem exhumatus B. Robertus, tàm integer, quàm si eadem die fuisset sepultus, inuentus est: plaga quadam, quam in humero ingentem viuus habuerat, omninò ad hunc modum obducta, ac si nunquam hiatus patuisset.

107. *In m. s. s.* Corpus Ven. Thomæ Carnicieri ord. Prædicatorum, quadraginta annis post eius obitum incorruptum repertum fuit.

108. *Ibidem.* Corpus Ven. Augustini à Biella ord. Prædicatorum, post multos annos incorruptum repertum fuit.

109. *Bzouius an. 1306. num. 18.* Post aliquantum tempus ac sepulta fuit B. Ioanna Vrbeuetana ord. S. Dominici, effossa, integerrimo corpore odorem insolitum spirante, reperta est.

110. *Ioannes Lopez, in 3. par. Chr. ord. S. Dominice, de conuentu regali S. Dominici Matriti, lib. 1. cap. 34.* Cùm post aliquot annos à morte Annæ à S. Paulo, religiosissimæ monialis huius monasterii, sepulchrum, in quo iacebat, apertum fuisset, eius corpus integrum, & incorruptum inuentum fuit; & quod admirationem auget, eleuatum à terra, velutique in aere libratum cernebatur.

111. *Surius, de B. Benedicto, Fratre eremita Camaldulensi occiso à latronibus, & in flumen præcipitato.* Post integrum annum, indice Aquila inuentum eius corpus, & ex aquis extractum, integrum, ac recens repertum est, ac si paulò antea extinctum fuisset.

112. *In vita B. Laurentij Iustiniani, Patriarchæ Veneti.* Dùm eius corpus, antequam sepeliretur, in Ecclesiæ sacrario repositum fuisset, altero, ac tertio die, nec corruptionis aliquid, neque fœtoris apparuit; immò suauem odorem membra eius spirare videbantur. Et ita & quinto, & sexto nihilominùs integrum perseuerauit.

113. *In vita S. Franciscæ Romanæ.* Cùm corpus S. Franciscæ post quatuor menses ab eius obitu in decentiorem locum transferendum esset, sublato operculo sarcophagi, apparuit integerrimum, quasi recens sepultum, & nihil grauis odoris exhalans.

114. *In vita B. Turibij Alphōsi Magroueij, Archiep. Limensis, cap. 17.* Post aliquot annos à morte Beati Archiepiscopi, inuentum fuit venerandum eius corpus ita integrum, & incorruptum, ac si eodem die fuisset è vita defunctus. Quod omnibus summam attulit admirationem, cùm iis in regionibus, ob summum calorem, & humiditatem, faciliter cadauera computrescant.

115. *In actis S. S. Martij, to. 3. in contin. Bollandi.* Cortonæ in Hetruria an. 1508. adinuentum fuit corpus B. Vgolini, ex ordine S. Augustini, cuius facies, quamquàm humi triginta annis latuerit, ita tamen seruata est integra, vt ne barbæ quidem rufus pilus læsus sit.

116. *Raimundus Capisuccus, in vita B. Ioannis Chisij, cap. 20.* Corpus B. Ioan. Chisii ex ordine S. Augustini, qui in conuentu S. Augustini Senarum obiit an. 1363. post sex menses humo eductum, ita solidum, vegetum, & intactum repertum fuit, ac si pla-

si planè eo die fuisset sepulturæ traditum.

117. *In m.s.s.* Cùm an. Dom. 1552. iussu S. Caroli Borromæi Brixiæ translatum fuisset corpus Ven. Sor. Elisabeth Ardisi, monialis ord. S. Augustini, & fundatricis monasterii S. Vrbani, licet viginti tribus annis in clauso sepulchro humatum iacuisset, ne dùm integrum, & incorruptum adinuentum fuit, sed & suauissimum efflare odorem compertum est.

118. *Andreas Gelsominus, in Thesauro cælesti cap.* 14. In Ecclesia Eremitarum S. Augustini Aquilæ in Aprutio, adhùc conseruatur integrum, & incorruptum corpus Ven. Antonii ab Aquila, eiusdem ordinis, qui in mundo Angelicam vitam duxit, mortuusque est ann. 1482.

119. *In s. s.* Corpusculum S. Sperandiæ Virg. in oppido Cingulano, integrum, & corruptionis, ac tabis expers conseruatur vsque hodie, ab an. 1276. quandò ad cælos immigrauit sexagenaria; est verò ea oris dignitas, viuidusque color, & tàm recens caro, ac si adhùc spiraret vitæ compos.

120. *Petrus Galesinus, in vita S. Didaci.* Nec prætereà silentio prætereundum est, quòd etiam ad B. Didaci sanctitatem spectat, quòd eius corpus quamquàm centum antè annis, & ampliùs sepulturæ traditum erat, tamen cùm exhumatum fuisset, totum, excepta naris particula quadam, incorruptum, atq. integrum vsquequaq. conseruabatur, eamque ipsam quam antea odoris suauitatem iucundissimam retinebat.

121. *Gonzaga, in Prouincia S. Francisci, de conuentu Annunciationis B. Virginis, de Ven. Francisco Ouario.* Eius sepultura, dùm fortè fortuna reseraretur, tantam, talemque violarum fragrantiam exhalauit, vt omnes circumstantes mirum in modum recrearit: Cuius rei causam inquisituri fratres, eam ingressi sunt, præfatique Patris Francisci corpus integrum omninò, atque incorruptum inuenerunt.

122. *Idem, in Prouincia S. S. Petri, & Pauli, de Martyrio Patris Ioannis Calui.* Corpus tanti Patris in campo, vbi martyrium sustinuerat, ab interfectoribus nudatum, septem diebus insepultum remansit, atque, ab Hispanis vt sepulturæ traderetur, postmodùm perquisitum, integrum omninò, incorruptum, suauissimè fragrans, atque adeò recens, ac si tunc temporis fuisset extinctum, inuentum est.

123. *Idem, in Prouincia S. Angeli, de conuentu S. Mariæ de Valle aspera ad Tessam. de Ven. Epiphanio Theutonico, fratre laico.* Eius Ven. corpus in sanctitatis signum, trigesimo ab eius felici transitu anno, incorruptum, suauissimèque redolens apparuit.

124. *Arnol. Rayssi. in auct. ad natal. S. S. Belgij, 11. Aprilis, de Bartholomao à Midelburgo, minorita.* Trimestri spatio in ambitus parte boreali sepultus est: studio, & amore Henrici Bōmes, consilii Prouinciæ Vltraiectensis Graphiarii, Bartholomæi nostri intimi amici, refossum est eius corpus, & quidem integrum, & incorruptum, & cùm admiratione omnium adstantium adflauit, velut ex omnibus vnguentis, & aromatibus, suauissimum odorem.

Et ne diutiùs immorer in recēsēdis diffusè omnes, Frat. Min. quorum corpora diù post mortem incorrupta adinuenta sunt, ea omnia in vnū sic colligam.

125. *In Chronicis minorum.* Corpus Ven. Delphinæ sororis ord. S. Francisci, post quatuor annos integrum, & incorruptum inuentum fuit. Item corpus Ven. Agnetis Viotti ex tertio ordine S. Francisci, post 12. annos. Item Ven. Sor. Gabrielis à Norai, post 20. annos. Item Ven. Sororis Mariæ Clementis, post 17. annos. Item corpus Ven. Sor. Mariæ Manuellis in conuentu Iesu Hispalensi, post 40. annos. Item corpus Ve. F. Antonii de Alcantara in conuentu B. V. Frateriæ, post an. 4. Itē corpus Ven. Fr. Francisci à Magdalena in conuentu S. Mariæ Angelorum Cadafalsi in Prouincia S. Ioseph, post 13. annos. Item corpus Ven. Fr. Ioan. à Capraria, post 5. annos. Item corpus Ven. Fr. Antonii à Segorbia, post aliquot annos. Item in Monasterio S. Cerbonii propè Vrbem Lucensem per annos plurimos incorruptum seruatum fuit corpus Ven. Christophori Criuelli. Item Aquilæ in Vestinis corpus S. Bernardini Senensis incorruptum, & illæsum post aliquot à morte annos inuentum fuit. Item corpus Ven. Fr. Reginaldi Reatensis, post 3. annos. Item post aliquot an. corpus Ven. Gasparis Florentini. Item corpus V. Petri Mogliani in Piceno, post 12. annos. Item post octo annos corpus Ven. F. Francisci à Croponio in Calabriæ prouincia. Item post 3. annos corpus V. Fr. Estunigæ Hispani. Item post aliquot annos corpus V. Fr. Ioannis à Fabriano in Piceno. Item multos post dies corpus quoddam Fr. Laici in conuentu S. Mariæ de Iesu Corleonis in Sicilia. Item post aliquot dies corpus V. Odorici de Portu Naonis Vtini in Foro Iulii. Item corpus Ven. Antonii Lopez, post annos multos apparuit integrum, & incorruptum. Item post elapsum sexennium integrum omninò, & incorruptum *inuentum est corpus V.* Aldonzæ Virginis. Item Corpus Ven. Ioannæ Valesiæ fundatricis monasterii Annunciatarum Biturigi defunctæ an. 1504. per an. 58. incorruptum, inuiolatumque permansit, multisque claruit miraculis; quod postea an. 1562. ab impiis Caluinianis duce Montgomerio, capta vrbe Bituricensi, combustum fuit. Item Corpora fratrum Franciscanorum qui Marochii martyrium pro Christi nomine subierunt ferè quatuordecim diebus iacuerunt recentia, & integra, sic vt eadem die qua martyrium sunt passi. Nonnulla alia notabuntur *interiùs* numer. 220.

126. *Sylos in Hist. Cler. Reg. par.* 1. *lib.* 5. Cùm Post mortem Sor. Mariæ Laurentię Longæ tertii ord. S. Francisci, vt penès ipsam alia illustris fœmina humaretur, effossa humo, loculus apertus fuisset, in quo conditæ eius exuuiæ iām fuerant, statim suauissimus quidam odor, violarum instar, efflari cæpit. Corpus, humidissimo licet loco, ac biennium fermè iacuerat, nulla tamen ex parte labefactatum, suusque erat vultui habitus, ac decentia.

127. *Zach. Bouerius, in ann. Cap. an.* 1537. *de F. Francisco Titelmano.* Corpus Francisci, licet diù humatum in humidissimo loco propter adhærentis aquæ copiam, consumpto habitu, integrum, inuiolatumque inuentum fuit, caro eius alba,

ba, mollis, ac tractabilis, qualis viuentium esse solet, suauissimumque exhalans odorem.

128. *Idem ibidem, ann.* 1567. Quanta vitæ apud Deum sanctimonia effloruerit Fr. Seraphinus Panormitanus ex ordine Minorum Capuccinorum, diuino testimonio declaratum fuit; cùm enim multos post annos, illius corpus à tumulo, in quo extra Ecclesiam iacuerat, in nouum sepulchrum, quod in Ecclesiæ sacello eo tempore extructum fuit, translatum fuisset; illud non modò integrum, ac nulla ex parte corruptum, verùm & facie, ac carne rubicunda, hærentibusq. tenaciter capillis, qualia viuentium corpora esse solent, summa omnium admiratione repertum fuit.

129. *Idem ibidem, ann.* 1582. Corpus Fr. Basilij Syracusani, defuncti in prouincia S. Angeli in Sicilia, cùm humi conditum fuisset, post tertium annum indè effossum, tàm integrum, atque incorruptum, barba, capillisque tenaciter cuti adhærentibus, repertum fuit, vt ea die tumulo conditum esse videretur, ac propterea tàm suauiter olere cæpit, vt vniuersi, illa odoris fragrantia recreati, facilè agnoscerent, cæleste illud testimonium esse, quo mortalibus Deus testatum esse vellet, pretiosam in conspectu Domini illius mortem fuisse.

130. *Surius, in Ianuario, de S. Ioanne Eleemosynario.* Corpus S. Ioannis Eleemosynarii post tot sæcula corruptionis prorsùs expers, Turcarum Imperator ad Matthiam Vngariæ Regem dono misisse dicitur; asseruaturque hodie honorificè in sacello Regio castri Budensis.

131. *Arnold. Rayss. in auct. ad nat. S.S. Belgij 12. Martij, de Ven. Dionysio Rickelio Carthusiano.* Post annos quibus vir Vener. Dionysius Rickelius obdormiuit in Domino, centum & triginta septem, anno scilicet Redemptionis sexcentesimo octauo supra millesimum, vndecimo Kal. April. inuentum fuit corpus sacrum Dionysii, integrum suis adhùc pro maiori parte membris cohærens, & præsertim pollex, & index, duo nimirùm scribendorum librorum instrumenta, quibus vsus est ad Ecclesiæ vtilitatem, & multorum salutem, integriores sunt reperti: Caput verò eius, quod in Cathedrali Ecclesia Ruremundensi canonici adseruant perpulchrè exornatum, insignem odoris fragrantiam redolere ennarauit Carthusianis Ruremundensibus Petrus Pollino, eiusdem Ecclesiæ Decanus.

132. I*n vita B. Odonis Carth. Taliacotij, in Italia.* Dùm post quadraginta annos ab eius morte, ipso reuelante, corpus eius in honestiorem locum transferre vellent Fratres; aperto sepulchro, statim odor suauissimus mentes hominum ad deuotionem excitans ex corpore beato spirare cæpit, corpusq. illud integrum, nec colore quidem deperdito inuentum est.

133. *In Paradiso Carmelitano, de V. Ioanne ab Yepe.* Post anni integri circulum, sine corruptione, & vitio repertum est cadauer eius, mirè suauissimum spirans odorem, & in Segouiense cænobium translatum: animi sui gloriam, qua spiritus perfruitur, æternam quotidie miracula crebra testantur.

134. *In vita B. Angeli Carmelitæ.* B. Angeli Carmelitæ corpus ante quatuor sæcula tumulatum, speciali Dei reuelatione inuentum fuit anno 1623. integrum, & sine vlla corruptionis labe.

135. *Isidorus à S. Ioseph, de Ven. Fr. Ioa. à Iesu Maria Carm.* Biennio postquam purissimum animę sacrarium, sub terra delituerat loco humido, & ex vicino monte stillantibus guttis obnoxio, quadam vrgente causa sepulchrum apertum est, & corpusculum Ven. Patris apparuit oblitum muco, putredine obductum. Attamen detractis vestibus, quas marcor exederat, eductum, emundatumque, repertum est incorruptum, integrum, viuidum, adstantibus omnibus in lacrymas præ deuotione colliquentibus: adhùcq. tale videtur in conuentu S. Siluestri in Turculo.

136. *Franciscus à Sancta Maria, in Hist. Carmelit. tom. 1. lib. 5. cap. 29.* De corpore S. Teresiæ, quę Carmelum pristino rigori restituit, id etiam compertum, quòd post nouem exactos menses, quamuis calce coopertum fuisset, quo faciliùs absumeretur, integrum, & flexibile è terra erutum fuerit, & florum omnium suauissimum odorem emiserit, sic vt illius frequenti, & efficaci indicio, ad tumulum aperiendum processerint. Estque toti Hispaniæ notissimum illud ipsum, non modò incorruptum superesse etiam hodie, sed insuper liquorem instar balsami supra rerum ordinem stillare.

137. *Idem ibidem, lib. 4. cap.* 22. Cùm decessisset è vita in conuentu Pegnuelæ ex discalceatis S. Teresiæ, Fr. Petrus à S. Ioseph, humatusque fuisset more maiorum in claustro; post duos annos inuentus fuit incorruptus, ac si tunc sepultus fuisset; admirationemque adauxit eò quia breuissimo tempore eo in loco quodcùmq. corpus corruptione afficiebatur.

138. *Idem ibidem, lib. 2. cap.* 13. In conuentu discalceatarum S. Teresiæ in ciuitate Villanouæ, mortua est Ven. M. Anna à S. Augustino an. Dom. 1624. cuius corpus incorruptum est.

139. I*dem ibidem, tom. 2. lib.* 8. *cap.* 50. Post nouem menses à sepultura Beati Ioan. à Cruce Carmelitæ discalceati, inuentum fuit illius cadauer ita integrum, & incorruptum, ac si tunc expirasset, maximèq. tres digiti dexteræ manus, quibus scribere solebat; integra etiam, & incorrupta, maximumque exhalantia odorem, secto corpore, inuenerunt illius viscera.

140. I*dem ibidem, lib. 8. cap.* 75. Pompeiopoli in in monasterio Monialium Carmelitarum S. Teresiæ, asseruatur corpus V. M. Catharinæ à Christo eiusdem religionis, quod post septem menses ab illius obitu, an. scilicet 1594. illæsum, incorruptum, suauissimumq. odorem emittens, inuentum est; licet ex humiditate loci, in quo fuerat humatum, arca lignea, quæ illud conseruauerat, omniaq. illius vestimenta corrupta, marcidaque essent.

141. I*dem ibidem lib. 7. cap.* 57. In collegio Hispalensi eiusdem ordinis, reperitur in sacello Ecclesiæ corpus Ven. Catharinæ à Iesu ex eadem religione, anno 1586. defunctæ, quod post 28. annos inte-

Integrum, inuiolatumque repertum fuit.

142. *In m. s. s.* Mediolani in Ecclesia S. Caroli Fratrum Discalceatorum Carmelitarum, adhùc conseruantur incorrupta corpora Vener. F. F. Hilarionis à S. Io. Baptista, Ianuensis, & Alphonsi, de S. Maria, Hispani, qui ibidem obierunt anno 1616. & licet per sex annos in humidissimo, aquisq. exundante sepulchro fuissent, omniaque vestimenta consumpta inuenta essent, ea incorruptione, qua & nunc gaudent, mirabiliter appauerunt decorata

143. *Ferrarius, in Catal. S. S. 30. Iulij, de Sancto Ruffino M. Assisij, in puteum præcipitato.* Post multum temporis spatium ab haurientibus aquam, detectus est, ac ita integer, & incorruptus inuentus ac si recens suffocatus fuisset.

144. *In ann. Seru. Cent. 3. lib. 8. c. 2.* Post annum à morte B. Franciscæ de Cumis, ord. Seruorum, inuentum fuit eius corpus recens, & olens, ac si eodem die sepultum fuisset.

145. *Franciscus Lonouius, in Chronico Minimorum, in appendice.* Anno 1615. corpus Benedictæ à Catana Tertiariæ, odore fragrantissimum, & nulla tabe dissolutum in communi Tertiariorum sepulchro inuentum est.

146. *Malmesburiensis libr. 3. de Gestis Pontificum Anglorum, de Vualdeso filio Comitis Northumbranorum.* Eius corpus aliquo à morte post tempore, inuentum fuit omni labe immune, illæsum, & incorruptum.

147. *In vita S. Francisci de Paula, lib. 5. c. 3.* Cùm eius venerandum cadauer lignea capsa inclusum, in terram excauatam, immissum fuisset, ita vt Sancti Viri corpus terra supposita premeret, post vndecim dies precibus Principissæ de Sabaudia exhumatum, vt decentiori in sarcophago collocaretur, incorruptum, & sine fœtore ab inspectantibus deprehensum est.

148. *Turselinus, in vita S. Francisci Xauerij, lib. 5. cap. 13.* Lusitani tanti Patris obitu maximo dolore confecti sunt; quos illud etiam magnoperè angebat, quòd tanto maris tractu à Goa, vbi Patris corpus fuerat condendum, abessent, vt eò non nisi post multos menses essent redituri. Quare ne, si diutiùs reseruaretur, putrefacti corporis fætore læderentur, illud in arcam quamdam calce repletam coniiciunt, vt eius vi, ac acrimonia, carnibus exesis, saltem ossa pii Patris secùm referrent. At, ò mirabilem Dei prouidentiam, post multos menses, cùm iam carnes prorsùs absumptas crederent, reperiunt corpus tàm solidum, integrum, succique plenum, ac si eadem hora defunctus fuisset.

149. *Hilarius Perdicanus, in vita B. Ioannis de Deo, lib. 4. cap. 1.* Corpus B. Ioannis Dei, Fundatoris Curantium infirmos, post ann. 20. inuentum fuit illæsum, & incorruptum, ac si eadem die decessisset è vita, suauissimumque odorem omnibus admirantibus efflabat.

150. *Dionysius Balduccius, in vita B. Hippolyti Galantini, libr. 2. capit. 16.* Corpus B. Hippolyti Galantini per aliquot dies, licet grauissima seruus Dei decessisset infirmitate, incorruptum permansit.

151. *In m. s. s.* Coloniæ, ad S. S. Machabæos monumentum lapideum in medio chori eleuatum cernitur, quod corpus integrum S. Pastelasii Archiepiscopi, ex Societate S. Vrsulæ, cuius fronti adhùc telum infixum cernitur, conspiciendum præbet.

152. *In actis Venerab. Vrsulæ Benincasæ.* Anno quarto ab eius felicissimo obitu, arca in qua eius corpus iacebat aperta fuit, & inuentum fuit eius corpus incorruptum, cùm quibusdam liuoris signis, manibus & pedibus attractis, & altero alteri superposito, Christi crucifixi formam repræsentans. Vestes item incorruptæ, immò nouæ, licet sepulturæ locus valdè humidus esset.

153. *Raynaldus, in Ann. Ecclesiasticis.* Cùm anno 1396. ad Nicopolim, in Bulgaria, à Turcis contra Christianos funesta victoria habita fuisset, trecenti equites coràm Baiazete trucidati, cædem magna animi constantia Christum negare abnuentes, pertulerunt. Verùm prodigium accidit, vt cùm Turcæ sæuire vltra mortem meditati, insepulta manere corpora iussissent, vt à feris, auibusque laniarentur, tredecim mensium fluxu, pura, & integra remanserint, nec feræ illa attingere sint ausæ.

154. *Ægidius Aureæ Vallis, cap. 45.* Cùm translata fuissent corpora sanctorum trium Magorum, qui Stella duce Christum natum adorauerunt, tanta fuit fragrantia, vt omnes qui aderant, eius suauitate reficerentur. Singula corpora, singulos dederunt odores, differebatque odor ab odore. Eorum, vt fertur, integra diù perdurarunt corpora, pellibus suis, & neruis cohærentia, eisdemque vestibus inuoluta, in quibus cùm myrrha, & aromatibus fuerunt sepulta.

155. *In m. s. s.* In vrbe S. Claudii, in montibus Iurassensibus sita, deuotè asseruatur illæsum, & intactum, carne etiam palpabili corpus S. Claudii ex Principibus Palatinis, *quondam illius monasterii* Abbatis, & postea *Archiepiscopi Bisuntini*, qui mortuus est an. 460.

156. *In m. s. s.* Iaderæ, vrbe Illyricorum, corpus S. Simeonis Prophetæ integrum, & incorruptum conseruatur, in Ecclesia eidem Sancto dicata; manusque, quibus viuens infantulum Iesum, dùm præsentaretur in templo, recepit, viuidiores, & attrectabiliores apparent, quàm cæterum corpus exsuccum, & aridum.

157. *In m. s. s.* Corcyræ in Ecclesia S. Spiridonis adhùc conseruatur integrum, & incorruptum corpus S. Spiridonis Archiepiscopi Trimmithuntis, magnoq. populorum concursu tanti catholicæ fidei acerrimi propugnatoris integerrimæ coluntur exuuiæ.

158. *In actis S. S. Febr. tom. 2. in Continuatione Bollandi.* Corpus S. Fulcrani Episcopi Lodeuensis in Gallia, post sextum ann. ab eius obitu, cùm aliò transferendum esset, repertum fuit integrum, & incorruptum, in omnibus, & singulis partibus, & artubus suis, in pelle, carne, ossibus, & vnguibus manuum, ac pedum diuino munere conseruatum; & ita vsque in hodiernum diem conseruatur integrum, & conspicitur in Ecclesia Lodeuensi, vndè ipse S. Pontifex, & confessor expectat resurrectionem.

159. In

159. *In vita B. Attonis Episcopi Pistoriensis.* Beatissimi Attonis corpus, quòd ignotum aliquantulùm ob euanescentem simul cùm annis hominum memoriam, diù humatum iacuerat, die vigesima secunda Iunii, sedente Benedicto, huius nominis XII. Romanæ sedis Pont. Max. anno 1337. ab eius verò obitu 184. sic mirabiliter est inuentum. Cùm Sancti Ioannis Ecclesia reædificaretur, terramque ad fundamenta erigenda, altè, altiùsque operarii suffoderent, capsa plumbea non omninò rudi opere facta apparuit, in qua & plumbeam laminam his incisam litteris ATTO EPISCOPVS PISTORIEN. & eiusdem integrum, illæsumque corpus, episcopali mitra, ac planeta, cæterisque sacerdotalibus indutum vestibus, quæ spatio 184. annorum non dederat Deus videre corruptionem, præter spem intùs integra reperere: siquidem nulla tabe corrupta, nulla peste videres infecta: Quid plura? Vsque in hodiernum diem ita eius corpus integrum permanet, & illæsum, vt exuant, lauent, induant, eisdemque Pontificiis vestibus ornent, quibus & olim reconditum, & vsque in hanc diem circumuolutum conspicitur. Immò quod admiratione dignius est, omnique naturali Philosophiæ repugnat, totius vtique naturæ uires superat (nullo præuio humano adminiculo) suauissimus, ac fragrantissimus odor, instar suffituum cælestium emanauit, & emanat ab illo.

160. *Ferrarius in Catal. S.S. 8. Maij.* In oppido Saludecii Diæcesis Ariminensis in Ecclesia S. Biasii, venerabile colitur corpus S. Amati confessoris, adhùc integrum, & incorruptum.

161. *In actis S. Elisabeth Reginæ Portugalliæ.* Corpus S. Elisabeth iàm per annos ferè trecentos incorruptum suauissimo fragrat odore.

162. *In vita S. Rosæ Viterbiensis.* Eius corpus vsque modò integrum, & flexibile summa omnium admiratione asseruatur Viterbii.

163. *In m. s. s.* V. Ioannes de Guerulis de Verruculo Canonici Ariminensis, Corpus, quod conseruatur in Ecclesia cathedrali Arimini, adeò integerrimum, & connexum seruatur, quòd si eleuaretur staret: habet præcordia, quæ adhùc retinent colorem rubeum, & ipsa tactu mollia sentiuntur, & tamen obiit anno 1320. Corpus humi primò demandatum fuit, vbi per spatium annorum 68. iacuit, & postquam translatio facta est, demonstratum omnium oculis sine crystallo, neque vllo velamine coopertum, persæpissimè variis luminariis, & aperto cælo expositum, tamen vsque adhùc eadem integritate cernitur, anno trecentesimo vigesimo, & ampliùs ab eius excessu.

164. *Ferrarius, 24. Octobris.* Corpus B. Io. Angeli ex ordine Seruorum, qui obiit Mediolani anno 1506. adhùc integrum in æde prædictorum Patrum seruatur, ad quod venerandum in eius festo die, tota penè ciuitas Mediolanensis confluere, & vota nuncupare solet.

165. *In annal. Seruorum Cen. 1. libr. 7. capit.* x. Corpus B. Francisci Senensis ex ordine Seruorum Beatæ Mariæ, qui obiit anno 1326. in lignea arca honorificè conditum super altare Beatæ Virginis in sacello quod apud sacrarium à læua maioris altaris situm est, adhùc post trecentos annos tanta integritate incorruptibiliter seruatum visitur, vt omnibus semper admirationi, venerationique sit.

166. *In actis Beati Peregrini Latiozi ordinis Seruorum Beatæ Mariæ.* Sacrum eius pignus Foroliuii in templo Patrum Seruitarum, exsuccum quidem, sed adhùc integrum, magna populi deuotione conseruatur.

167. *In actis S.S. Martij, tom. 1. in Continuatione Bollandi.* Corpus Beati Benedicti presbyteri, vsque in hæc tempora Lucæ in Hetruria incorruptum, & flexibile, etiam quoad intestita mirabiliter asseruatur.

168. *Alfonsus Ciaconius in Hist. Pontif. de Gregorio X.* In æde cathedrali S. Donati m. Aretii in Tuscia conseruatur incorruptum, & integrum corpus B. Gregorii X. Papæ.

169. *In m. s. s.* Integrum conseruatum fuit Salerni corpus S. Gregorii Papæ VII.

270. *Ibidem.* Mediolani in Ecclesia S. Laurentii honorificè conditum est corpus integrum, & incorruptum S. Aquilini presbyteri, ab Arianis ob defensionem catholicæ fidei interfecti.

171. *Ibidem.* In conuentu Burgi S. Sepulchri in Ecclesia P. P. ordinis S. Augustini piè asseruatur corpus Beati Angeli eiusdem ordinis, quod licet ab an. Dom. 1230. ibidem sepultum, adhùc ferè totum incorruptum, & illæsum conseruatur.

172. *Vadingus, ann. 1297. num. 28.* Corpus B. Margaritæ de Cortona, 3. ordinis S. Francisci, integrum, inuiolatumq. asseruatur Cortonæ.

173. *In m. s. s.* Patauii in Ecclesia monialium Sancti Benedicti colitur venerandum corpus adhùc incorruptum Sancti Maximi eiusdem ciuitatis Episcopi, licet plùs centenis abhinc annis obierit.

174. *Ibidem.* Corpora B. B. Pellegrini, & Compagni adhùc integra, & incorrupta piè coluntur Patauii in Ecclesia monialium Sancti Pellegrini.

175. *Scardeonius.* Patauii trecentis, & ampliùs abhinc annis, B. Iordani Abbatis, & B. B. Helenæ, atque Beatricis corpora incorrupta, integra, & illæsa admirabili quodam spectaculo conseruantur.

176. *In vita Beatæ Eustochij Virg. Patauinæ.* In Ecclesia S. Prosdocimi Patauii colitur venerandum corpus B. Eustochii Virg. quæ obiit an. 1469. conseruaturque illæsum, & incorruptum, suauemq. emittens odorem.

177. *Cæsar Franciottus de B. Zita.* Eius corpus, quod colitur Lucæ in Ecclesia S. Fridiani, putrefactioni obnoxium minimè fuit, quin licet 326. anni sint ab eius morte elapsi, adhùc tamen mollem carnem habet, adeò vt si comprimatur, statim efferat se se.

178. *In Chron. S. Augustini.* B. Elenæ Vtinensis ord. S. Augustini corpus adhùc integrum, & incorruptum conseruatur: defuncta est autem ann. 1458. in eadem Ciuitate.

179. *In actis S.S. Feb. tom. 2. in Cont. Bollandi.* Corpus S. Christinæ ex tertio ordine S. Augustin,

quod Spoleti in Vmbria asseruatur, manet adhùc integrum, & tractabile, ac si modò viueret cùm anima, quæ regnat, viuitque in cælo.

180. *Ibidem, in Aprili, tom. 2. de S. Benedicto undatore Pontis Auenionensis*. Cùm anno 1670. apertum fuisset sepulchrum Sancti Benedicti Auenionensis, qui obiit Auenione ann. 1184. visum est corpus eius omnis expers corruptionis, & suauè redolens, apparebatque expressa forma totius vultus perfectissima, adeò vt ipse quoque pupillarum castaneus color discerneretur. Cranium, & corpus neq. euacuata fuerant, neq. condita balsamo, ideòq. venter æquè ac viui hominis plenus cedebat ad tactum, seque rursùm ad primum reducebat statum, quæ omnia tanto admirabiliora visa sunt, quantò diutiùs jacuerat in loco semper ab assurgentibus è Rhodano vaporibus humido.

181. *Ibidem*. Ann. 1568. translatum est corpus B. Andreæ ord. S. August. in Monte-Regali, in confiniis Vmbriæ, & Aprutii, & in capsa depositum sub altari maiori; vbi conspici etiam nunc potest tàm integrum, quàm primo à morte die: quamuis annis plusquàm centum iàm elapsi sint.

182. *Ibidem, to. 3. de B. Antonio ord. S. Augustini, Monticiani, in Hetruria*. Postquam eius S. corpus traditum est sepulturæ, ferè duobus annis sepultum jacuit. Cùmque eius aperiretur sepultura, inuenitur indissolutum, incorruptum, & incontaminatum, suauique odore repletum; & vsque in præsentem diem corpus eius integrum perseuerat.

183. *Herrera in Alphabeto Augustiniano*. Amandulæ corpus B. Antonii de Amandula eiusdem ordinis, incorruptum, & illibatum perseuerat.

184. *In m. s. s.* Spoleti in Vmbria in monasterio monialium S. Matthæi ord. Canonicorum Regularium Lateranensium, requiescit integrum corpus Ve. Matris Marinæ, cuius intercessione multa Deus operatur miracula.

185. *Bozius de signis Eccles. lib. 15. cap. 10.* Eugubii videtur corpus integrum, atque incorruptum Ianuariæ Virg. quæ ante annos trecentos euolauit in cælum. Est illud in monasterio S. Spiritus, indutumque est ad carnem lanea veste.

186. *Signius, cap. 21. Reliquiarij*. Apud Eugubium in nostro monasterio Sancti Ambrosii in Monte Caluo, videtur corpus Beati Archangeli Bononiensis, Canonici nostri, de Canedulorum, antiquissima, & per illustri familia, quod integerrimum, pilosum, odorosum, & palpabile miraculosum, cùm mortuus fuerit beatus ipse ab anno . . . . supra centesimum.

187. *Idem ibidem*. Videtur apud montem Falcum in Vmbria corpus B. Claræ ordinis Sancti Augustini, æquè integrum, atque incorruptum, cùm ante annos 300. Virgo illa fælicissima obierit.

188. *In vita B. Ritæ de Cassia, ord. S. Augustini*. Corpus B. Ritæ, quæ ad cælos euolauit anno 1457. adhùc integrum incorruptumque, & viuacibus lineamentis, quasi vegetum perdurat, suauemq. odorem indesinenter emittit.

189. *Vghellus in Italia Sacra, Anconitani Episcopi*. In Ecclesia cathedrali Anconæ, adhùc integrum, & incorruptum conseruatur corpus B. Antonii Fatati Ep. qui ferè ducentis abhinc annis decessit è vita.

190. *Idem ibidem, Feltrenses Episcopi*. Corpus Ve. Henrici Scarampi, Feltrensis Epis. omninò hùcusque incorruptum perseuerat, in cathedrali Feltrensi, atri quidem coloris, sed palpabile, & frequenti piorum hominum lustratione, & cultu venerabile; vbi eius meritis frequentia visuntur miracula, eius sanctimoniam testantia.

191. *Idem ibidem. Veneti Patriarcha*. B. Antonius Pizzamanus Episcopus Feltrensis, vir sanctissimus, & doctissimus migrauit Venetiis ann. Dom. 1512. sepultusque est in æde Patriarchali S. Petri, cuius corpus octauo anno post integrum repertum fuit, quasi pridiè tumulatum esset.

192. *In actis S. S. Martij, tom. 3. in Continuatione Bollandi*. Corpus Beatæ Sibyllinæ Papiensis ex tertio ordine Sancti *Dominici*, *in* Ecclesia D. Thomæ Ticini, incorruptum, illæsumq. seruatur.

193. *Ibidem*. Corpus Beati Danielis Venetiis apud Camaldulenses integrum, & incorruptum asseruâtur.

164. *Arnoldus Vuion, in ligno vitæ, 1. Septemb. de B. Iuliana*. Venetiis in monasterio sanctimonialium S. Blasii, de Catoldo nuncupati, in Iudaica, corpus Sanctę Iulianæ primę eius loci Abbatissæ adhùc ibidem visitur, ita integrum, vt nihil desit, non secùs quàm si his proximis diebus è vita migrasset; dictu certè mirabile, visu tamen mirabilius; defuncta est ann. 1226.

195. *In vita S. Ioannis m. & Aquitaniæ Ducis*. Corpus S. Ioannis, qui martyrio affectus fuit sub Maximino Imperatore an. 282. translatum fuit Venetias ann. 1215. & in Ecclesia S. Danielis honorificè conditum. In eaque adhùc conseruatur integrum, & incorruptũ, suauemq; emittens odorem; in eoq. apertè conspiciuntur duo vulnera, vnum in pectore, quo lancea, aliud in gutture, quo gladio martyrium consummasse apparet.

196. *In m. s. s.* Venetiis in insula S. Secundi adhùc conspicitur venerandum corpus integrum, & incorruptum S. Secundi M.

197. *Ibidem*. Ex corpore Ven. Angelæ Virginum Vrsolinarum fundatricis, quod Brixiæ integrum conseruatur in Ecclesia S. Afræ Canonicorum Regul. Lateranensium, suauissimus continuò emanat odor.

198. *Ibidem*. Brixiæ in monasterio Sanctæ Crucis monialium Sancti Augustini, integrum, & incorruptum conseruatur corpus Ven. Matris sororis Lauræ Mignanę, ad quam multas adhùc viuens scripsit epistolas noster Sanctus Pater Caietanus, quæque cùm sanctitatis odore eodem in monasterio plùsquàm centum ab hinc annis gloriosè obiit.

199. *In vita B. Catharinæ Bononiensis*. Eius corpus, quod decimo nono die post eius exequias à sepulchro, in quo positum fuerat, exhumatum est, vsque adeò integrum, & incorruptum ab omnibus Bononiæ videtur.

200. *Octauius Caietanus de Sanctis Siculis*. In

In cœnobio monialium S.Claræ Naeti in Sicilia, integrum adhùc manet corpus Vener. Thomasiæ Cappellæ Naetinæ olim Abbatissæ eiusdem cœnobii.

201. *In m. s. s.* Mantuæ in templo Patrum Carmelitarum seruatur incorruptum corpus B.Bartholomæi Fanti, monasterii huius quondam alumni, qui obiit anno 1490.& ad hæc vsque tempora integer perseuerat.

202. *Ibidem*. In eadem Ecclesia, eodem gaudet incorruptionis priuilegio Vener. Ioannes Baptista Mantuanus, tot insignium librorum editione nobilis; sed sanctitate nobilior; obiit an. 1516. & nunc incorruptus videtur.

203. *Ibidem*. In eadem ciuitate, in Ecclesia S. Matthæi, custoditur & colitur corpus B.Marci Marconii-Cerutæ ordinis B.Petri de Pisa, qui centum, & quinquaginta ab hinc annis decessit è viuis.

204. *Ibidem*. Item Mantuæ in Ecclesia S. Agnetis custoditur, & colitur corpus B. Ioannis Boni, ord.S.Augustini, adhùc integrum, & incorruptum, in quo & apparent vestigia vulneris gangrenæ, ex qua infirmitate decessit; mortuus est autem ibidem anno Dom.1249. & licet quadraginta annis sepultum fuerit in loco humido, & aquoso, corrupta capsa, in qua erat, ipsum incorruptum permansit.

205. *Ibidem*. Item Mantuæ asseruatur in Ecclesia cathedrali corpus integrum, & incorruptum S.Anselmi Ep.Lucensis. Item in cathedrali corpus B.Catharinæ Carreri. Item in Ecclesia S.Dominici, corpus B.Osannæ Andreasiæ. Item in Ecclesia S.Luciæ, corpus B.Paulæ Montaldæ. Item in monasterio dicto del Carminino, corpus B.Archangelæ de Hieronymis.

206. *In vita S. Magdalenæ de Pazzis*. Eius corpus Florentiæ adhùc integrum, & incorruptum seruatur, & colitur.

207. *Ignatius de Nente, in vita Ven. Sor. Dominicæ de Paradiso, lib.3.cap.51.* Florentiæ in monasterio S.Crucis, asseruatur corpus Vener. Dominicæ integrum, & incorruptum, maximam in videntibus excitans venerationem.

208. *In m. s. s.* Beuagni apud P. P. Dominicanos, integrum videtur corpus Ven. Iacobi de Beuagno eiusdem ordinis.

209. *Ibidem*. Auenione reperitur integrum, & incorruptum corpus Ven. Cæsaris de Bus, eximiæ sanctitatis viri.

210. *Sylos in Hist. Cler. Reg. par.1. lib.4.* Corpus Ven. Sor. Mariæ Carafæ, monialium Sapientiæ Fundatricis, quæ obiit anno secundo, & quinquagesimo supra sesquimillesimum, repertum est diu post eius obitum integrum, nec tempore, nec humidissimo, in quo diutiùs iacuerat loco, aliqua ex parte labefactatum, hodièque nullo item libatum æuo, incorruptum veluti adhùc viueret cernitur.

211. *Idem ibidem, par.2. lib.5.* Cùm post biennium ac mortuus fuerat Vener. noster Iacobus Tornus, an. scilicet 1611. exhumatam fuisset illius venerandum cadauer, repertum est, ac si contumulatum tunc quidem fuisset. Nulla in eo corrupta à situ, humidoque loco pars, nulla odoris grauitas. Oloserico postea conuestitum, translatum in sacrarium est, vbi non sine omnium admiratione, hodièque post tot annos conspicitur, integro nempè contextu corporis, vt videatur adhùc inter nostrates degere Tornus, citra spiritum superstes.

212. *In actis S. S. Martyr, tom.1. in Continuatione Bollandi.* Barcinonæ piè colitur in Ecclesia cathedrali corpus B. Oldegarii eiusdem vrbis Episcopi, quod licet humiliter terræ mandatum, ibidem 497. annis humatum stetisset, incorruptum, & flexibile, sicuti & vsquemodò videtur, mirabiliter adinuentum fuit an.1137. cùm in decentius sepulchrum translatum fuit.

213. *Bozius de signis, lib.12. cap.23.* Mariæ Toletanæ ex ordine S.Francisci, quæ virtutibus cunctis ornatissima septuagenaria decessit an.1507. corpus visitur Toleti integrum, & tractabile in monasterio S. Elisabettæ ab ipsa ædificato.

214. *In m. s. s.* Gerundæ in Catalaunia, adhùc integrum, & incorruptum conseruatur in Ecclesia S.Felicis, corpus S.Narcisi Episcopi Augustæ, qui an.Domini 297. sub Diocletiano Imperatore martyrio coronatus fuit. In dicto corpore adhùc apparet cicatrix, qua in sinistro pede à carnificibus lancea affectus fuit, caroque ita viuida, & flexibilis est, ac si modò decessisset è vita. Conseruantur item incorrupti habitus Pontificales, quibus sepultus fuit.

215. *In vita B. Agnetis Politianæ*. Floruit hæc sancta Virgo ante annos trecentos, & eius corpus adhùc incorruptum, & pulcherrimum in ciuitate Montis Politani videtur, & colitur.

216. *In Chr. ord. B. M. de Mercede, an.1280. de B. Maria de Subsidio Virgine huius ordinis.* Corpus huius venerandæ Virginis ad hæc vsq. tempora integrum, & incorruptum reperitur.

217. *In vita B. Catharinæ Ianuensis*. In Xenodochio maiori Ianuæ piè colitur corpus B.Catharinæ Adornæ, quod adhùc incorruptum inuiolabiter conseruatur.

218. *In m. s. s.* In Ecclesia Parochiali Tridenti magnificè custoditur, & colitur integrum, & incorruptum B. Simeonis Tridentini corpusculum, ab Hebræis in contemptum Dominicæ passionis crudeliter dilaniati an.1475.

219. *In Chron. Minor.* Assisii S.Franciscus Seraphicus ita perhibetur stare integer, & incorruptus, quasi viueret, & spiraret.

220. *Ibidem*. In conuentu Sanctæ Mariæ Catalagironis, in Sicilia asseruantur incorrupta corpora V. V. Antonii sacerdotis, & Iacobi laici. Item in conuentu S.Mariæ de Gratia in oppido Mesuracæ in prouincia Calabriæ, corpus Ven. F. Petri de Belcastro. Item in conuentu Sancti Francisci oppidi Nunciæ in prouincia Corsicę, corpus Ven. Fr. Mariani Brandii. Item in eadem prouincia in conuentu S.Francisci oppidi Tallę, corpus Ven. Fr. Iuliani à Bonifacio. Item in prouincia S.Nicolai in conuentu S.Francisci oppidi Bitecti, corpus V. Iacobi Illyrici. Item in eadem prouincia in conuentu S. Mariæ Gratiarum Ortonę, corpus Ven. Fr. Laurentii de Villagrandi. Item in conuentu S.Franc. apud S.Vrbanum oppidũ diæc. Narniensis, corpus V.F.Petri Reatensis. Item in cõuentu S.Marię de Consol. pro-

pè Fanum Romuli, corpus Ven. Fr. Balthasaris à Vageno. Item in Ecclesia Archiepiscopali Mexicana, corpus Ven. Fr. Ioannis Zumarragæ Archiepiscopi Mexicani. Item in monasterio S. Annæ Fulginii, corpus B. Margharitæ eiusdem monasterij fundatricis. Item in conuentu Rocomacori, corpus Ven. Fr. Francisci Manci. Item in conuentu montis Baroci in Pisaurana Diæcesi, corpus V. Sanctii, in quo & apparet vulnus ita viuidum, ac si hodiè factum fuisset. Item in côuentu S. Claræ Guadalfagiaræ in Hispania, corpora Ven. sororum Mariæ Fernandez, & eius filiæ. Item in Ecclesia min. apud Septempedanos in Piceno, corpus Fr. Benriuolæ. Item Florentiæ in monasterio Monticelli, corpus Ve. Claræ Vbaldinæ. Itē in côuentu S. Aug. Fullinii, corpus Thomæ à Fullinio. Itē in Monasterio corporis Christi Pisauri, corpus sororis Felicis Mediolanensis ex ordine S. Claræ. Item in conuentu Iuliobrigæ in Hispania, corpus V. Petri de Regalada. Item in conuentu nominis Iesu in Balearibus Insulis, corpus Ven. F. Bartholomæi Catanii. Item in conuentu Corporis Christi Aquilę, corpus Ven. Sor. Antoniæ ab Aquila ex ord. S. Claræ. Item Fulginii in Ecclesia Xenodochii S. Spiritus, corpus integrum Antonii Hungari. Item Fulginii in Ecclesia Min. corpora B.B. Philippi, & Iacobi M.M. Minoritarum. Item in eadem Ecclesia minorum integra, & incorrupta asseruantur corpora B. Angelæ viduæ tertiariæ, & B. Angelinæ Corbaræ, itidem tertiariæ. Item Reate in monasterio S. Francisci Conuentualium, corpus Ven. Thomæ Florentini, illæsum, & incorruptum. Item Placentię in conuentu S. Mariæ Magdalenæ, corpus Ven. Sor. Baptistæ incorruptum, & suauissimè redolens. Item in conuentu S. Francisci altioris Anconæ, corpus integrum suauissimam emittens fragrantiam Ve. Gabrielis Anconitani. Item in conuentu S. Mariæ ad Niues Laurenzani in Lucania, corpus V. Ægidii Laurenzani centenis, plùsque adhinc annis defuncti. Item Foinizæ in Bosna conseruatur corpus Ven. Angeli à Verbosa illæsum, & incorruptum. Item Gādaui in conuentu Clarissarum Bethleem, corpus B. Coletæ magna veneratione incorruptum seruatur. Item Messanæ in monasterio Clarissarum, corpus B. Eustochii Virg. Messanensis, quæ plusquam centum abhinc annis è vita decessit, illæsum & incorruptum videtur. Item in conuentu S. Mariæ de Rosario Villæ Regalis, Dertusensis Diæc. corpus Ven. Paschalis Baylon, pariter incorruptū colitur. Item in côuentu S. Francisci Cęsaraugustę in Prouincia Aragoniæ, corpora Ven. Fr. Nicolai, & Fr. Vitalis sunt incorrupta. Item in conuentu S. Francisci Burgi, corpus integrum Ven. Fr. Marci, seù Martini. Item in conuentu conuentualium Biturgiæ corpus integrum B. Rainerii Franciscani, qui obiit an. 1304. Item Neapoli in conuentu Minorum, corpus tractabile, & molle B. Iacobi Piceni. Item Assisii in conuentu S. Damiani, corpus Ven. Antonii Stronconii. Item in Conuentu *de Villafilos* in Hispania integrum, & incorruptum conseruatur corpus Ven. Claræ Martinez Francisc. quæ obiit an. 1594.

221. *In actis B. Iacobi de Oldo tertij ord. S. Francisci, Laudæ in Insubria*. Post septem annos ab eius morte, cùm in alium decentiorem locum transferretur eius corpus; inuentum est tractabile, mobile, licet consumpta carne, sola pellis obducta esset offibus firmiter inter se se cohærentibus, suauemque emittebat odorem.

222. *In m. s. s.* Torcelli, in Ecclesia S. Antonii monialium ord. S. Benedicti, colitur integrum, & venerandum corpus S. Christinæ Virg. & m.

Aliqua his similia notata fuerę in primo Tom. cùm de floribus, & Arbusculis è defunctorum sepulchris mirabiliter enatis; & hoc tomo, cùm de capillis, & vnguibus ex cadaueribus excrescentibus; & alibi.

APPENDIX V. AD CAPVT IV.

Partes quædam Corporum Seruorum Dei corruptionis expertes.

TOto corpore in cineres redacto, quædam illius partes admirabiliori prodigio integritatem, incorruptionemq. conseruarunt ea membra, quibus Dei serui speciali modo Dei cultui se mancipârunt, illa speciali prærogatiua volens Deus decorare. De his.

1. *In libello de mirabilibus Romæ*. Romæ in Ecclesia S. Siluestri de Campo martio, integrum seruatur, & colitur caput S. Io: Baptistæ Præcursoris Domini.

2. *In m. s. s.* Parpiniani, in Comitatu Ruscini, in monasterio Fratrum S. Dominici, piè colitur pars Brachii S. Io. Baptistæ adhùc incorrupta, carne, neruisque circumdata, in qua & apparent signa funium, quibus in carcere ab iniquo detinebatur Herode; suauissimusque continuò sentitur odor; Annuli autem illius digitis impositi, maximè ad depellendos capitis dolores, febresque prosunt.

3. *Ibidem*. In Ecclesia Cathedrali Anconæ, reperitur dexter pes S. Annę Matris B. Virginis, qui adhùc carne, & neruis circumdatus, incorruptus perseuerat. Item eodem modo incorruptum brachium & manus dextera S. Antonii Abbatis.

4. *Salmeronus, to. XI. tract. XII.* Caput B. Mariæ Magdalenę in Ciuitate S. Maximini asseruatur, *in* cuius fronte parum eminet carnis; quam *dicunt Dominum* digito tetigisse, cùm eam à se *repulerit*, tangere pedes, & eos adorare volentem.

5. *Franciscus Balarinus par. 3. Compend. Chronolog. Nouocomi*. Propè Nouocomum in Ecclesia S. Ioannis, vulgò *di Torno* piè colitur crus ex S.S. Innocentibus, quod adhùc carne circumdatum conspicitur, suauissimumq. odorem, ac fragrantiam mirabiliter emittit.

6. *Augustinus Vuichmans in Apotheca Spirit. Phar. cap. 38.* Laudum in Cenobio Pręmonstratensi reperitur sacrum brachium S. M. Laurentij, vstulationis notas hodièque repræsentans.

7. *In m. s. s.* Bergomi in Ecclesia S. Leonardi, reperitur pes S. Hieronymi, adhùc integer, & incorruptus.

8. *In libello de Sacello Sancta Sanctorum Romæ*. Romę in capella Sancta Sanctorum dicta, inter cęteras reliquias, asseruatur caput integrum S. Praxedis cùm cute, oculis, lingua labiis, & palpebris.

9. *Flo-*

9. *Florent. in Marty. vetustiori, XVI. Kal. Aug.* Lucæ apud S. Iustinæ Virgines asseruatur in argêtea theca caput integrum S. Mamæ, cui caro adhùc super ossa exiccata conspicitur, capilli, barbæq. cirri, rufi adhùc cuti hærent.

10. *Vghellus in Ital. sac. Tarentini Archiepiscopi.* Cùm Archiepiscopus Tarentinus ann. 1346. veneranda lipsana Sancti Cataldi, quondam eiusdem ciuitatis Archiepiscopi, recognosceret, mellifluam inuenit eiusdem linguam, quæ ad hæc vsque tempora cernitur integra, & subrubens, quasi recens ab eius ore esset auulsa: mortuus est autem prædictus Sanctus circa ann. 170. à partu Virg.

11. *Valerius Polidorus.* Patauii apud Minoritas, religiosissimè seruatur lingua S. Antonii Vlyssipponensis, quæ adhùc rubescit, & circa cacumen versùs cęlum flectit.

12. *In vita B. Claræ Gambacurtæ.* Cùm post 13. annos à morte B. Claræ sepulchrum eius apertum fuisset, reliquo corpore consumpto, lingua eius tàm integra, & sana reperta est, quàm ipso quo mortem oppetierat die.

13. *In Ann. Minorum anno 1274. numer. 22. de Sancto Bonauentura Cardinali, & Episcopo Albanensi.* Centesimo post obitum anno, cùm eius corpus aliò transferendum esset, nec labris, nec dentibus, nec lingua, nec capillis quidem exesis, integrum caput, ac penè spirantis habitu repertum est. Cor item eius, incinerato corpore, incorruptum remansisse scribunt Hermanus Scheydel, Vincentii continuator, & Petrus Rodulphus, atq. in pyxide eburnea repositum.

14. *Paulinus, in vita S. Ambrosij.* Cùm à S. Ambrosio translatum fuit corpus S. Nazarii, qui sub Neroniana persecutione passus fuerat: caput eius ita integrum, atq. incorruptum cùm capillis capitis, atq. barba inuentum est, vt videretur eodem tempore lotum, atque collocatum in sepulchro.

15. *Chysost. Henriquez in Menologio, 4. Augusti de Ven. Thoma Lombardo.* Obiit Venerabilis Vir an. 1606. die 5. Augusti; corpusque eius honorificè conditum fuit in Ecclesia S. Ioannis Vuaterfordiensi; & post aliquot annos venerandum viri caput omninò integrum, carne, & pelle integrè cooper tum, & suauissimum odorem exhalans repertum est.

16. *Henricus Sedulius, in vita S. Ludouici Episcopi Tolosani, cap. 22.* Post decem, & octo annos, cerebrum capitis eius tàm recens, & integrum inuentum est, quasi viueret, quod Robertus Siciliæ Rex frater eius accipiens, Neapolim deportauit, vbi argento inclusum, auro, gemmisque ornatum in veneratione est.

17. *In m. s. s.* Coloniæ Agrippinæ ad S. Cordulam, colitur brachium dextrum S. Margaritæ Virg. & M. cùm carne, neruis, digitis, & vnguibus. Ibidem ad Dominicanos reperitur digitus Sanctæ Annæ Matris B. Virginis, adhùc carne, & cute amictus.

18. *Torellus, in Hist. Augustiniana, anno Christi 430.* Defuncto B. Augustino, antequam venerandum eius corpus terræ traderetur, descendens è cælo Angelus, integrum illius cor à pectore auulsit, quod postea multis adhinc annis integrum, & incorruptum, ac si tunc viuere cessasset, mirabiliter deportauit, donoque dedit S. Sigiberto Episcopo Lugdunensi.

19. *Cæsar Franciottus, de S.S. Lucensibus, de S. Dauino Confessore, & eremita.* Anno 1547. cùm apertum fuisset sepulchrum S. Dauini, qui an. 1050. obierat, adinuenta sunt plura eius membra integra, & incorrupta, pelle, & neruis compaginata.

20. *In vita S. Messalinæ Virg. & m. Fulginij apud Bollandum, 23. Ian.* Dignum illud æterna memoria, & admiratione, comam Virginis, & si post mille trecentos septuaginta tres annos, quot iàm ab illius martyrio fluxerunt, recisam asseruari, ostendique quotannis populo, vnà cùm aliis Diuorum pignoribus, flauam adhùc, venustam, viuidamque, ac si spirantis adhùc Messalinæ ornaret caput.

21. *Ibidem, 30. Ian. de Translatione S. Aldegundis Virginis.* Cùm tertiò transferrentur eius venerandæ reliquiæ, viderunt in illius capite cutem, & capillos satis multos adesse, & aliquot dentes, cùm migrauerit ad Christum euolutis circiter octingentis nouem annis.

22. *In m. s. s.* In oppido, vulgò Stalasti, propè Squilacium in Calabria vltra, in Ecclesia S. Gregorio Thaumaturgo dicata, piè coluntur eiusdem Sancti reliquiæ, quæ adhùc integræ, & incorruptę perseuerant, duritiemque æneam præseferunt.

23. *Ibidem.* Bergomi, in Ecclesia S. Andreæ Apostoli, asseruatur brachium, carne, neruisque circumdatum, integrum, & incorruptum S. Marinæ Virg. cuius corporis reliqua pars Venetiis piè colitur.

24. *Ibid.* Mediolani incorruptum videtur caput Sancti Petri Martyris ordinis Prædicatorum.

25. *Ibidem.* Neapoli, in Ecclesia S. Bartholomæi Armenorum, adest pes eiusdem S. incorruptus, in quo apparent signa decorticationis, & duo calli, qui à gladio haud incidi potuerunt.

26. *Ibidem.* Salerni, in Ecclesia S. Mariæ de Porta Fratrum ord. S. Dominici, adhùc integra, & incorrupta conseruatur dextera manus Angelici doctoris S. Thomæ Aquinatis.

27. *Choquetius, de S.S. Belgij, cap. 19. de Ven. Fr. Antonino Timmormanno ord. Prædicatorum.* Videtur, & ab omnibus conspici potest in claustro cœnobii Antuerpiensis, sacrum venerabilis Antonini caput, diù quidem alto stipiti ad infamiam ab hæreticis infixum; sed cui nec circumuolitantes corui oculos eruerint, nec Solis ardor, pluuiæ, venti grandines, vllaue cæli clementia pellem detraxerint, nec vermes cerebrum exederint, sed quod carne, pelle, cerebro, oculisque exsiccatis duntaxat, sæpiùs circundederit nocturna lux, insederintque innocentiæ testes columbæ.

28. *In m. s. s.* In Ecclesia Cathedrali Poliniani, in Apulia integrum, & incorruptum conseruatur brachium S. Viti, m.

29. *Ibidem.* In oppido Vangaditiæ in finibus Venetorum manus integra, & incorrupta reperitur, & colitur S. Theobaldi Monachi Camaldulensis.

30. *Ibidem.* Dertusæ in Catalaunia, piè colitur caput Sanctæ Candidæ, ex vndecim mille virginibus sociis S. Vrsulæ; in cuius summitate adhùc pars cutis

integra, flauique capilli incorrupti mirabiliter conspiciuntur.

31. *In actis S.S. Februarij, tom. 2. in Continuatione Bollandi*. Anno CIↃ IↃXIII. die XII. Martij in editiorem, ac honorificentiorem locum à Roderico Fortio Episcopo Matronensi repositæ sunt sacræ exuuiæ B. Martini Canonici Reg. Legionensis: is, corpus omne resolutum inuenit, præter dexteram manum, quæ ita integra erat, ac recens, velut si eo anno illic deposita esset, & ita in hunc vsque diem perseuerat.

32. *Pet. de Natal. li. 7. cap. 23. de S. Osuualdo Rege & mart.* Quadam die Paschæ posita mensa, & disco argenteo cùm regalibus vasis, nunciatum est ei, infinitam pauperum multitudinem præ foribus assistere eleemosynas postulantem: qui nedùm omnes escas ad prandium paratas eis largiri fecit, verùm etiam discum argenteum cùm vasis omnibus per frusta concisis, eisdem impartiri mandauit. Quo pietatis opere viso, Episcopus, manum vtramque tangens, dixit: Nunquam putrescant hæ manus: quod & euenit; nàm Rege interfecto, manus cùm brachiis à cætero corpore præcisæ vsq. in præsens incorruptæ permanent.

33. *Idem, lib. 11. cap. 70.* Egytha filia Regis Edgari Anglorum, virgo sancta, in Viltinensi cœnobio iacet, & miracula ostendit. Dùm Sanctus Dunstanus consecraret Ecclesiam Dionysii, quam ædificauerat Rex, vidit hanc puellam pollice dextro frequenter signum Crucis fronti imprimere, & ait: Nunquam putrescat ille digitus. Quod & accidit post eius mortem aliquo tempore. Nàm corpus virgineum in terra sepultum, dùm post aliquot menses altiùs leuaretur, totum in cinerem solutum inuentum est, præter dexterum illum pollicem, de quo Dunstanus prædixerat, quòd nunquam marceret.

34. *In vita S. Heduuigis Ducissæ Poloniæ.* Translatum est sacrum eius corpus anno 25. post eius obitum; quo die aperto sepulchro eius, odor mirificus omnium nares compleuit, animosque stupore, & gaudio affecit. Ossa autem sacri corporis cùm eleuarentur, consumptis carnibus, & membrorum compage soluta, tres digiti sinistræ manus eius inuenti sunt prorsùs integri, & incorrupti, & intra illos exigua imago Beatissimæ Matris Dei, quam illa viuens crebrò apud se ferre solebat, & cùm ea tumulata fuerat, quòd moriens adeò eam digitis istis strinxerat, vt commodè indè auelli non posset. Cerebrum quoque capitis eius, quod ferè viginti quinque annis humatum fuerat, inuentum est recentissimum, & diuina virtute mirabiliter conseruatum.

35. *Cæsarius, lib. 12. mirac. cap. 47.* In Arnisberg monasterio ordinis Præmonstratensis scriptor quidam, nomine Richardus, plurimos libros manu propria conscripserat, mercedem sui laboris præstolans in cælis. Hic cùm fuisset defunctus, & in loco notabili sepultus, post viginti annos, tumba eius aperta, manus eius dextera tàm integra, & tàm viuida est reperta, ac si recenter de corpore animato fuisset præcisa; reliqua verò caro in puluerem redacta erat. In testimonium tanti miraculi, manus eadem in eodem monasterio conseruata fuit.

36. *Ioannes Thiepolus, Tract. 12. de Pass. Christ. cap. 7.* Quædam monialis, quæ fuit contemporanea S. Bernardi, frequentissimè dùm viueret pollice dexteræ manus signum Crucis super cor efformabat, post mortem autem eius, cætero corpore in cinerem redacto, prædictus digitus incorruptus inuentus est.

37. *Surius, in vita S. Stephani Regis Vngariæ, 20. Augusti.* Manum eius dexteram, cæteris membris resolutis, & carne in puluerem redacta, multo tempore Deus conseruauit cùm cute ossibus, & neruis.

38. *Vuillielmus Malmesburiensis, libr. 2. de gestis Pontificum Anglorum, de S. Eduuardo.* Miraculo sanè ostenditur eius pulmo, toto dudùm consumpto corpore, adhùc integra viriditate palpitans.

39. *Euagrius, libr. 1. Histor. Eccles. cap. 13. de S. Simeone Stylita.* Corporis eius aliquæ partes ad nostram vsque ætatem conseruatæ fuere; atq. quod valdè mirandum videtur, capilli in capite inhærentes minimè consumpti sunt; sed perindè ac si viueret, & cùm hominibus versaretur, integri manserunt. Frontis item cuticula, quamquàm contracta fuit in rugas, exaruitque, tamen mansit incorrupta.

40. *Gabriel Pennotus, libr. 2. Hist. Canon. Reg. cap. 61. de B. Menendo.* In eius sepulchro ob eius sanctitatem, post illius obitum statim inscriptum fuit: Hic iacet Dom. Menendus huius monasterii Prior, qui nunquam dùm vixit pedem mouit nisi ad obsequium Dei: Quod epitaphium à veridicis inscriptum compertum est anno 1565. annis circiter quadragintis ab illius depositione transactis, cùm Rodericus de Mello eius monasterii Commendatarius, ob famam illius sanctitatis, sepulchrum aperiri præcepit, nàm repertum est cùm eodem epitaphio, corpus reliquum in cineres solutum, præter pedes, & crura integra, & cùm carne quasi animata, cùm caligis, & calceis, quæ crura, & pedes tegebant, quæ illæsa, & integra sunt reperta ad viri Dei sanctitatem, & epitaphii veritatem probandam.

41. *In vita S. Nicolai Tolentinatis.* Brachia S. Nicolai adhùc incorrupta, & integra conseruantur. Corpus etiam eiusdem incorruptum, & integrum 40. annis post illius mortem, quo tempore illi brachia præcisa fuere, vt aliò transferentur, conseruabatur; an autem modò tale sit ignoratur, cùm & ignoretur quo certo loco repositum sit.

42. *In ann. Minorum.* Cùm Miramolinus Saracenorum Rex ann. 1220. quatuor Franciscanos fratres iussisset decollari, eorumque corpora in ignem cremari; vnum de capitibus pluriès in ignem proiectum, diuina operante virtute, de igne semper exiliit, nec in capillis est læsum: & nunc cùm pelle, & capillis integrum demonstratur.

43. *Arturus, 26. Aprilis, in Martyrol. Franc. de B. Mathia Bellintano.* B. Mathia mortuo ann. 1611. ac iàm 15. annis humato, pollex, quo ita deuotè, doctèque scripsit, lingua, qua sic fructuosè

est

est exhortatus, & cerebrum, quod tàm fæliciter continuæ contemplationi dicauit diuinæ, reperta sunt ita recentia, & integra, ac si adhùc viueret.

44. *Vadin.ann.1418.de F.Ioan.Stronconio.* Post annos centum choro exornando, effosso illo loco, in quo iacebat F.Ioannes, inuenta sunt viri sancti ossa candida, & mundissima, cor integrum, & illæsum, admirantibus, qui aderant.

45. *Gonzaga, in Prou.S.Euangelij de Conuentu Sancti Francisci de Mexico, de Francisco Ximenio.* Reddidit ille sanctè animam Deo in Mexicano S. Francisci conuentu, vbi & sepultus est. Post eius obitum frater Lucas de Almodouar probus, & sanctus vir, qui in eo conuentu ægrotantibus ministrabat, cùm eius sanctitatem perspectam haberet, digitum mortuo abscidit, quem post annum inscius vbi, aut quomodò amisit; cùm in cucullа semper habitus deferret. Confessus postea est (cùm religiosus & veridicus esset) per integrum illum annum digitum eum non exaruisse, sed ita, vt in viuente fuerat, permansisse, solitumque mirificum ex se odorem emittere.

46. *S.Bernardinus Senensis.* B.Petrus Pectinarius de tertio ordin.S.Francisci, arte faciendi pectines vitæ necessaria quæsiuit, & dicebat vnico verbo postulanti, quantum volebat de suis pectinibus; & dicto verbo, ponebat digitum ad os, & hodie ille digitus est integer in carne, & in osse.

47. *Boluitus, in vita B.Andreæ Auellini C.R.lib. 1.cap.28.* Cùm post mortem B. Andreæ, medicus quidam pelliculam pericranii, cui aliquid carnis coniunctum erat, ab eius beato capite incidisset, eamque aurea theca inclusam conseruasset, viuidum colorem hæc nunquam amisit, perseuerauitque incorrupta, eoque anno, quo Beatus Andreas Beatorum fastis adscriptus fuit, plùs solito purpurescens apparuit.

48. *Ioan.Euseb.lib.1.Doctrin. ascet. doctrina VIII.cap.81.* Prolixis horarum moris trahebat orationem Ludouicus à Ponte, vt ex curiosis, seù deuotis insidiis obseruatus est in qualibet noctis hora orare, in Ecclesia semper comprehensus, semperq. cogitationibus sanctis mentem reficiebat, vt meritò medulla sui cerebri incorrupta videatur diuinitùs seruata.

49. *Rhò, lib.4.cap.9.num.2.de Ludouico Medina Soc.Iesu.* Mixtam miraculo virtutem offert nobis Ludouicus Medina, linguæ vel inter cineres potens; cuius enim lingua longissimis in peregrinationibus, quas in Italiam, Belgium, nouique orbis ignotas regiones, interque milites, mendacio nunquam fuerat polluta, eamdem duodecim ipsos annos in reliqua sepulchri tabe par fuit intaminatam, immò purpureo vitæ flore imbutam durare magna eorum, qui viderunt, admiratione, & ambiguo apud sapientes, maius ne miraculum viuentis fuerit, an demortui.

50. *Petra sancta, de Mirac.Perpet.capit.12.* In ædis primariæ sacrario Coloniæ Agrippinæ, vbi videntur corpora trium sanctorum Regum Magorum, superesse conspiciuntur supra vnius frontem modici capilli, & in nudo quidem capitis cranio hærent, quoniam cutis omninò abest. Existimant verò ex pia non persuasione, magis quàm reuelatione, puerulum Iesum manu blandiente, in ea parte Regem illum tetigisse, ac decuisse omninò, vt inaugurati diuino eo contactu capilli de capite illius non perirent.

51. *In m. s. s.* Neapoli in conuentu S. Mariæ de Sanitate P.P. Prædicatorum, videntur corda incorrupta Ven.P.Io. Leonard Lyctrensis eiusdem ordinis, & Ven. Sor. Paulæ Mareschæ tertij ordinis: in primo verò adhùc apparet vulnus à Christo Domino, dùm viueret, impressum; in secundo verò Christi morientis apparet imago.

52. *Thom.Boz.lib.12.de signis cap.22.* Ob veritatem cæsus cùm fuisset sanctissimus, ac doctissimus Cardinalis Ioannes Fischerus Episcopus Roffensis; Caput eius hastili affixum, & in ponte Londinensi collocatum, cùm multos dies permansisset, nunquam contabuit, sed incredibilem maiestatem, diuinitatemque quamdam spirans, cunctos in sui admirationem, venerationemque simul trahebat. Id cùm Rex impius resciisset, sic amoueri iussit, vt ampliùs eius videndi nemini potestas esset.

53. *Herrera, in Alph. Aug. de Ven. Ioanne Inanez Valentino eiusd.ord.* Post 24.annos repertus est hic Ven. Vir integro capite, facie, & barba.

APPENDIX VI. AD CAPVT IV.

Odores perenniter ex sacris Lipsanis emanantes.

PErennes, quos sacræ exuuiæ emittunt odores, perpetuas earum animarum fælicitates manifestare credendum est; ni enim ex fonte omnium bonorum, qualis est Beatitudo, tàm suauis, perennisque emanare potest odorum fragrantia. De his.

1. *Euagrius, lib.2.hist.Eccles.cap.3.de S.Euphemia Mart.* Cùm aliquis eò loci accedit, vbi sacra capsa, in qua sunt conditæ sanctissimæ Euphemiæ reliquiæ, reponitur, tàm fragrante completur odore, vt alii omnes odores, quibus homines vti solent, ab eo longè superentur. Nàm neque odori florum, qui ex pratis colliguntur, similis est, neque illi, qui ex rebus suauissimè olentibus capitur, neque talis, qualis conficitur ab vnguentario: sed peregrinus est, & præ cæteris eximius.

2. *In vita S.Petri Cælestini, libr.4.cap.14.* Corpus S.Petri Cælestini, suauem emittere odorem ad hæc vsque tempora solet.

3. *In actis S.S. Martij, tom.1. in Continuatione Bollandi.* Ex sacro capite S. Veremundi Abb. Hyrachensis in Nauarra, mirum, & suauissimum odorem deriuare compertum est, præsertim diebus Veneris, quibus passio Christi recolitur, & adhùc specialiùs feria quinta, & sexta maioris hebdomadæ.

4. *Vghellus in Ital.sac.Nebienses Episcopi.* In cathedrali Nebiensi Insulæ Corsicæ, stupedùm quotannis spectatur miraculum; cùm ex ea soli parte, quæ aram sanctissimi Crucifixi respicit, iugiter suauissimus odor è duobus foraminibus, in peruigilio S.S.Philippi, & Iacobi Apostolorum, ad occasum

solis

solis alterius diei, omnium naribus incredibili voluptate afflari soleat: vbi verò festum effluxit, nullus odor spirat, nullaque fragrantia aerem perfundit: qua verò de causa is odor efferetur, omnes latet; suspicantur tamen alicuius sancti lipsana ibi delitescere, cuius gloriæ Deus partem tanto miraculo ostendit mortalibus.

5. *Constantius Pulcharellus.* Ex Sanctæ Irenæ reliquiis, quæ Lupiis in Collegio Societatis Iesu asseruantur, mirus odor effluit; & vir quidam cùm odoratione careret, earum reliquiarum odorem diuinitùs percepit.

6. *In actis S. Elisabeth Portugalliæ Reginæ.* Corpus Elisabeth iam per annos tercentos mirum spirat odorem.

7. *Lippellous, in vita S. Vuernheri, 20. Aprilis.* Ex corpore S. Pueri Vuernheri à perfidis Iudæis propè Treuericam Vesaliam crudeliter occisi, odor suauissimus emanat.

8. *Antonius Paulus, in vita B. Nicolai Peregrini, cap. 18.* Tranii, in Ecclesia Archiepiscopali, inter alias reliquias, reperiuntur pars iecoris, ossaque S. Nicolai Peregrini, Metropolitanæ Ecclesiæ Patroni; ex quibus suauissimus semper emanat odor.

9. *Idem ibidem.* In Ecclesia Archiepiscopali Tarenti conseruatur os humeri S. Blasii Episcopi, & martyris, ex quo suauissimus semper emanat odor, omnium cùm admiratione.

10. *Franciottus de S. S. Lucensibus.* Ex corpore B. Pellegrini, quod in hospitali S. Pellegrini vocato, propè Lucam in alpibus Tusciæ custoditur, suauissimus emittitur odor, sicuti etiam ex corpore B. Blanchi ibidem quiescente, qui prædicti B. Pellegrini imitator, & socius fuit.

11. *Petra Sancta, in mirac. Perpet. cap. 12.* Barii olet suauissimè brachium S. Gregorii Nazianzeni; & Neapoli in Deiparæ Virginis Annunciatæ maiore Basilica, afflat Paradisi suauitates caput S. Barbaræ Virg. & M. Mamilla verò S. Agathæ Virg. & M. quæ intra sacrarium est Basilicæ S. Petri in Galatino, miscelaneam fragrantiam rosarum, liliorum, violarumque, & nunc horum, nunc dissimilium florum egerere solet, quasi odorem agri pleni.

12. *In m. s. s.* Brixiæ, in Ecclesia S. Affræ Canon. Regular. Lateranensium profundus puteus reperitur, in quo proiecta fuerunt multorum martyrum ossa sanctissima, quæ vsque adhùc, licet locus maxima afficiatur humiditate, candida, & integra perseuerant, & vsque ad summitatem putei suauissimum exhalant odorem.

13. *Ibidem.* Ex capite S. Seueri Episcopi, & ex Patronis Neapoli, in argenteo capite incluso, suauissimus emanat odor vsque adhùc.

14. *Sylos in Hist. Cler. Reg. par. 2. lib. 11.* In nostra Ecclesia S. Georgii Genuæ, deuotè asseruatur, & colitur S. Georgii inclyti martyris cruris os, pretiosum, ac peruetustum pignus, quod quanti faciendum sit, docet assidua, ac cælestis quædam afflata indè fragrantia.

15. *In Menol. Cisterc. 20. Decemb. de B. Maria Bernardez conuersa in Lusitania in monasterio Eboracensi.* Post aliquot annos aperto eius sepulchro, sacra ossa miro odore, quo totum cænobium fuit repletum, perfusa reperta sunt; quæ quidem suauitas in ipsius reliquiis magno miraculo vsque in hodiernum diem perseuerat.

16. *Aegyd. Gelenius, de B. Antonina Mart. socia S. Vrsulæ.* Coloniæ in parochiali S. Ioan. Baptistæ, est B. Antoninæ, & sociarum præclarus manipulus virginum veneratione dignissimus, propter suauissimum quem exhalat odorem.

17. *Menard. lib. 2. Obser. Decemb. de B. Sebastiano.* In Villoslada, inter sanctorum reliquias extat os ex corpore B. huius Sebastiani, ex quo suauis odoris fragrantia manat.

18. *Nic. Iansenius, lib. 3. cap. 2. in vita S. Dominici, de eius translatione.* Cùm transferendum esset corpus S. Dominici, reuulso saxo imposito monumento, repentè odor suauissimus, atque iucundissimus, quosuis naturæ odores superans, spirare cæpit: qui & nares, animosque omnium, qui aderant, tanta compleuit voluptate, vt non defuncti corporis bustum, sed præstantissimorum vnguentorum apotheca patuisse videretur. Tunc B. Iordanus, & aliqui fratres, mixtis incredibili gaudio lachrymis, sacras reliquias summa cùm veneratione, è priori area in aliam nouam translatas marmoreo tumulo condidere. Elapsis dein octo diebus, iterùm venerabilis Iordanus sacras reliquias inspexit, & acceptum suis manibus caput S. Dominici, spectandum, osculandumque præbuit cunctis fratribus (quos adfuisse trecentos numero tradidit S. Antoninus) vt hoc amātissimi Patris complexu virtutum eius strenui imitatores existerent. Illa verò odoris fragrantia in veteri sepulchro, manibusque, & vestibus eorum, qui extulerant, diù hæsit, hodieque in arentibus S. Viri ossibus manifestè sentitur.

19. *Ex Bulla Clementis VIII. in canoniz. S. Raimundi de Pennafort.* Anno M. DXCVI. cùm Iudices instituti ad explorandas B. huius viri reliquias, arcam, vbi erant reconditæ, aperuissent, tantus illicò odor ex eius corpore exhalauit, vt multi, qui eò confluxerant, nihil eo percipi posse iucundius affirmarent. Neque verò hæc odoris fragrantia eo solùm tempore emanauit, sed aperto quodam eius sepulchri meatu, idem suauis odor quandòque afflatur, qui ab iis sentitur, quos diuina bonitas eo munere dignatur.

20. *Cornelius Curtius, in vita B. Ritæ de Cassia.* Ven. exuuiæ B. Ritæ, odoris perpetuam fragrantiam exhalarunt semper: & etiamnùm exhalant sacra eius lipsana: Ne omittam, quod sedulò monachæ omnes obseruarunt: putà, quòd vbi mirando aliquo opere Ritam suam Deus honorare dignatur, ista simul omnia nimiùm quantùm crescant: vt caro quasi in nouum vitæ colorem redeat, totaque Ecclesia latiùs multò, lætiusque redoleat, quasi sparsim diffusis vndique odoramentis. Quod ipsum miraculi recens patrati signum certissimum semper fuit.

21. *In m. s. s.* Ex arca, in qua Patauii requiescit corpus S. Antonii Patauini, adeò mirificus continuò sentitur odor, vt ne dùm nares, sed & intima præcordia, totusque spiritus recreentur cælesti illa suauitate.

22. *Iacobus Bosius, in vita B. Gherardi Mecatti Fr.*

Fr.Conuen.ord.S. Io. Hierosoly. Beatus Gerardus, Mecattus in Ecclesia Villæmagnæ, quæ ad tria milliaria à Florentia distat, veneratur. Cùm eius corpus detegitur, mirum odorem afflat, qui per totam sacram ædem effunditur.

23. *In vita S. Magdalenæ de Pazzis.* Etiam nostra ætate B.Maria Magdalena de Pazzis suauem odorem è virgineo suo corpore exhalat; qui quia castitatis amorem iis quibus afflatur, ingenerat, dictus est odor castitatis.

24. *Herrera in Alphabeto Augustiniano.* B. Ghesius de S.Miniato sacris suis ossibus Lucensium Augustinianorum domum illustrem reddit, & diuitem. Pretiosus corporis eius thesaurus latet in arca, siue vrna, quæ stat ad parietem lateris principalis Ecclesiæ, & à terræ eleuata inter organum, & altare D.Hieronymo sacrum interiacet. Si quandò reseratur, suauissimus odor ex Ghesiano cadauere spirat. Durat post mortem fragrantia in aridis illius ossibus, qui cùm viueret, bonus Christi odor fuit.

25. *In martyrol.Gallicano, 3. Non. Iulij.* Auenione, Tumulatio, & festiuitas B. Petri de Luxemburgo, cognomento Thaumaturgi, castitatis, & charitatis portenti, atque egregii in ipso iuuentutis flore totius sanctimoniæ exemplaris; ob cuius merita, velut alter Enoch, quòd Deo placuisset, raptus prematuro, at fælici excessu præmia consummatæ virtutis percepit: Cuius gloriæ, odor suauissimus instar balsami perenniter ex ipsius corpore manans, indicio est, innumeraque, quæ ad eius tumulum in dies eduntur diuinæ virtutis, & potentis eius opitulationis, testimonia.

26. *Gonzaga in Prouincia Siciliæ, de conuentu S.Mariæ de Iesu Ferulæ.* Ergastulo carnis solutus ad astra migrauit hoc in loco Ven.P. Antonius Ferulanus, sepelirique voluit in communi fratrum sepulchro: Cui adiunctum est Ven.corpus V.quoque P.Matthæi à Ferula: quorum vtriusque vita, sicut ex eadem prorsùs patria originem duxit, ita quoque in omnibus simillima fuit, atque omninò Angelica; Quamobrem & miraculis clarere, & vno eodemque lapide tegi meruerunt. Vndè & fragrantissimus odor exhalat, quotiès aliquis frater ibidem sepeliendus venit.

27. *Idem ibidem, in Prouincia S.Andreæ, de conuentu Lensensi.* Claruit in hoc conuentu V.Fr.Pacificus, & adhùc claret; nàm ex eius tumulo suauissimus odor procedens, fratres hic commorantes non rarò recreat.

28. *Vading.an.1450.num.42.* Mariæ à Montaluo ossa post plurimos annos suauissimum spirant odorem, & pulueres ex eius sepulchro collecti, multos febricitantes pristinæ restituunt sanitati.

29. *Mazzara, in Legendario Franciscano, de B. Eustochio Virg. Messanensi.* Ex eius sepulchro suauissimus persæpè emanare sentitur odor, à quo nedùm corpus, sed & anima recreatur.

30. *Arnoldus Rayssius in Hierogazoph. Belg.* Sancti Spiritus Cathedralis Ecclesia Ruremundæ, habet caput doctoris extatici Dionysii Rickelii Carthusiani, cui peculiaris reseruatur honos, perpulchrè exornatum, quod insignem odoris fragrantiam redolere scribit Hauersius lib. 3. de erectione nouorum in Belgico Episcoporum cap.xi.

31. *In descriptione sacræ Erem. Camaldulensis.* Id quod ex quorumdam Eremitarum ossibus ibi quiescentibus apertè conspicitur, haùd silendum censeo; quòd scilicet nullo vnquam tempore, ossa ibidem inclusa, nudo, simplicique tecta tabulatu, fętorem nullum, quo cætera, vt plurimùm infici solent, à se emittant; quinimmò si tabulam ipsam remoueas, suauem indè naribus senties prouenire odorem; quod quidem argumentum est potissimum eorum socias, nempè animas, gloriæ perpetua fragrantia recreari, & minimè pati, vt corpora, quæ eas dùm in hac vita mortali simul coniuncti fuerunt, & ad innumera lucranda merita adiuuarunt, fętori, putredinique subiaceant.

32. *Gaspar Villaroel. in cap. 8. lib. Iudicum ver. 12. num. 6.* In oppido Vilcabamba apud Cusquensem ciuitatem in Peruuii ditissima Regione, martyrium subiit pro catholica fide Ven. P. Didacus Ortiz ord.S.Augustini. Huius veneranda pignora, quę in conuentu Cusquensi iacent, coluntur q. suauissime redolent, omnisq. fragrantiæ emittunt odorem.

33. *In vita B.Eustochij Virg.Patauinæ.* Ex eius sepulchro suauissimus exhalat quandòque odor, præcipueq. certis anni temporibus, antequam scilicet liquor saluberrimus ex eodem exudet; odor etenim suauissimus per totam Ecclesiam, & monasterium diffusus, imminentis liquoris emanationis certissimum perhibet præsagium.

Finis Libri Sexti.



LI-

LIBER SEPTIMVS

De Admirandis circa Sepulturam Hominis.

Sileant qui Mausoleum Cariæ, Ægyptiacasque vltra omnem celsitudinem fastigiatas pyramides, Principum, Regumque sublimium sumptuosissima cinerum sepulchra, inter Orbis miracula enumerant, & Christiani Hominis monumenta, tot admirandis quandòque condecorata, intuentes, obstupescant, eòque maiori admiratione digna, quò admirabiliora in eis apparent, dijudicent. De his igitur in præsenti libro, in quo quæcumque ad Sepulchra hominis Christiani, nec non ad Thecas, sacrarumque Reliquiarum veneranda sacraria, loculosque, ceù earum sepulchralia monumenta, Admiranda euenere, stylo exarabuntur.

CAPVT PRIMVM.

Locus sepulturæ, seù depositionis Cadauerum, & Exuuiarum quorundam Seruorum Dei, diuinitùs ab Animalibus designatus. §. I.

LOcum sepulturæ, seù in quo deposita quorundam Seruorum Dei veneranda pignora, cultum, & venerationem haberent, visus est quandòque designare ipsemet Deus admirandis quibusdam modis: & primò per animalia, illum manifestis indiciis diuina virtute demonstrantia. De his:

1. *Ferrarius in Catal. S. S. 27. Ianuarij, de B. Manfredo.* Cùm defunctus esset apud Lacum Lucanum B. Manfredus eremita, incolis de sepulturæ loco contendentibus, plaustrum cui corpus impositum erat, iuuencis indomitis vinctum, ab eis per crepidines montis ad Ripæ Ecclesiam delatum est in ora Lacus prædicti; ibique honorificè conditum.

2. *In vita S. Galli Abb. cap. 29.* Cùm arcam, qua claudebatur cadauer S. Galli, feretro impositam, ad fossam sepulturæ conarentur deferre, nullis viribus vsquam potuit commoueri. Quod noui genus miraculi dùm mutuis mirando colloquiis retractarent, Ioannes Episcopus dixit: In veritate cognosco, hanc sepulchri sedem Patri meo Gallo non placere. Et iussit presbytero, vt duos equos inueniret indomitos, & faceret introduci. Quod cùm factum esset, strauerunt eos cùm magno labore, & ad locum, vbi corpus iacebat, duxerunt: & Episcopus cùm Clero huiusmodi orationem dedit: Deus, qui per potentiam maiestatis tuæ vbique totus es, pro cuius amore vir iste reliquit patriam suam, vt præcepta tua conseruaret: fac corpus eius ab his equis indomitis ferri in locum, quem tua voluntas meritis ipsius præuidit. Cùmque finita esset oratio, cuncti qui aderant, Amen, responderunt. Episcopus ad feretrum accessit, & ex vna parte illud subleuans, presbytero altrinsecùs sustollente, equis superposuit, & adstantibus dixit: Auferte frenos de capitibus eorum, vt libertate concessa, quò dominus voluerit pergant. Accepta ergo cruce, & candelis, psalmos, & melodias concinentes iter agere cæperunt. Equi autem in neutram partem declinantes, recto itinere perrexerunt ad cellam viri Dei. Quò cùm peruenissent, depositum est feretrum ante oratorium. Discipuli autem eius, eleuantes pii doctoris reliquias, intulerunt, & ante altare posuerunt. Deindè pariter cùm Episcopo orationem pro illo facientes, fecerunt fossam sepulchri inter parietem, & altare, ibique precibus huic rei congruentibus præmissis sepelierunt eum.

3. *S. Petr. Damianus, de Translatione S. S. Virg. & m. m. Floræ, & Lucillæ.* Ab oppido S. Floræ abeuntes, iter prosequebantur inceptum, iamque ad Aretinam planitiem propinquabant, cùm ecce consilio Dei, iumentum, quod sacra corpora deferebat, vlteriùs se deduci nullis adhortationibus, vel verberibus admittebat. Attoniti ministri, & semet inuicem expectantes, & quid sibi vellent martyres ignorantes, Episcopo, qui iàm Aretium peruenerat, quid sibi contigisset, intimare non negligunt. Tunc deuotus Antistes accepto nuncio, & maxima deductus multitudine clericorum, & populi, perrexit obuiàm Sanctis, & præmisis precibus sacris, & lachrymis aspersus, per se ipsum iumentum illud mouere conatus est; quod cùm & ipse non posset, inito cùm suis consilio, iumentum abire sinunt, pro certo sciens, eum locum à sanctis electum, ad quem sua sponte veterinum animal aduolasset: Quo facto, brutum animal ab Angelis Dei, sanctisq. Martyribus ductum, quasi de carceribus erumperet, cursu velocissimo montem, qui tunc Titanus dicebatur, ascendit, & in eo loco certè sanctis cælitùs constituto, constitit, qui ab vrbe Aretina per duo millia ferè passuum distat. Vbi breui deuotione fidelium Basilica facta est, & monachorum cænobium, quod sanctitate commorantium in eo, & interuentu virginum, crebris, magnisque miraculis in multos annos mirabiliter adoleuit. Pro cuius celebritate cænobii, & deuotione sanctarum, castrum ibi conditum est, & à S. Flora, sicut & mons ipse totus, accepit nomen, quod annis plurimis floruit.

4. *Vghel-*

4. *Vghellus in Ital.sac.tom.1.Marsorum Episcopi de S.Rufino Mart.Marsorum Episcopo.* Aiunt Assisinates, corpus Sancti Rufini aliquandiù latuisse sub aquis, sed prodente splendore, qui indè viterius emicabat, in suique admirationem traxerat hominẽ propè castellũ Costanũ, Assisinatis iurisditionis, rusticantẽ, ex eius relatu cũ canonicis, cleroque suppliciter ad locũ fluuii Episcopũ adiisse, inq. oculis omnium Molam, quasi suberiam factam, cùm corpore martyris supernatasse vndis, receptumque imposuisse plaustro, in sanctam Mariam Maiorem deportandum, sed pertinaciùs stetisse boues, nec progredi voluisse, sed ex diuino, vt credidere admonitu, substitutis iuuencis, ad locum cognomine Bonam-Matrem deportasse, ibique templum excitasse, ibidemq. honorificè conditum sanctum perspicuis claruisse miraculis.

5. *Carolus à Basilica Petri, de successoribus Barnaba, num.10.de S. Eustorgio.* Ad Imperatorem cùm oratoribus Mediolanensibus missus S. Eustorgius benignè exceptus est, & expeditus: & in eorum discessu arcam, vbi corpora trium Regum Magorum, qui Christum Dominum in præsepio adorauerunt, à Persia, Constantinopolim in Basilica S. Sophię allata, augustissimo apparatu asseruabantur, eidem, & oratoribus donauit, in monimentum, & pignus amoris ipsius Imperatoris erga populum Mediolanensem. Quam arcam summa perfusi lætitia, ingenti gaudio, & exultatione Mediolanum detulerunt, & in Basilica, quæ postea S. Eustorgij appellata est, non sine prodigio diuino reposuerunt; vaccæ enim, quæ arcam deferebant, substiterunt in loco illo pallustri, & siluestri, nec vnquam indè amoueri vlla ope humana potuerunt. Placuit enim Deo locum illum, in quo multa sanctorum corpora ab initio nascentis Ecclesiæ Mediolanensis iacebant sine vllo honore, illo miraculo illustrare. Cùm arca eo loco constitisset, in ea sexcentis septuaginta annis mira religione, & deuotione totius populi sacra corpora asseruata fuerunt; sed demùm Federico Ænobarbo Imperatore, Coloniam ab Reinaldo asportata fuerunt.

6. *Rader.in virid.de translatione corporis S.Stephani.* Trahebant currum mulæ, in quo thesaurus ille erat repositus, dùm venirent ad locum, Constantianas appellatum, in quo & depositus est; cùm verberibus, iumenta vt porrò procederent vrgerentur, altera mularum humana voce, quid inquit nos cęditis; hic sanctus est collocandus: has voces & Pontifex, & cætus vniuersus cùm audisset: magnis vocibus in laudes Dei effusus est. Imperator ipse Christianissimus cognito miraculo attonitus, extemplò eodem in loco augustum Principi martyrum templum ad laudem, & gloriam Domini nostri Iesu Christi, & sancti famuli sui excitauit.

7. *In actis S. S. Feb.in Contin. Bollandi, tom.2.* Cùm ad cælos euolasset in diœcesi Argentinensi propè villam Northus, S.Ludanus Peregrinus, duæ Ecclesiæ parochiales contendebant, cuiusnam deberent esse sacræ reliquiæ; ad certamen autem euertendum, sacras exuuias imposuerunt indomito equo, quòque ille progressus fuisset, illic sepeliendum esse sacrum cadauer, statutum. Equus igitur liberè, & spontè vertens se ad viam quæ tendit ad Ecclesiam Scherkirche, in qua S. Georgius est patronus, ad illam veniens, vltrà progredi noluit, cùm anterioribusque pedibus recalcitrans, dedit signum mansionis. Cùmque nec tunc eum exonerare sacra sarcina vellent, ipse ad genua cùm anterioribus pedibus cecidit, quasi diceret. Non vultis me deonerare, & ipsum sepelire, ego personaliter adimplebo. Igitur ibi sepultum est.

8. *Io.Colg. in vita S. Ioaue, 2.Martij.* Huius lotum corpus, & Pontificalibus ornamentis indutum, nouæ lecticæ, vt præceperat, impositum fuit, & belluarum licentiæ, quà deuehere vellent, permissum. Igitur hæ magnum iter Brazparzanum tenuerunt, vsque dùm in Porz arr-chraz subsistentes, tanto cùm fragore lectica agitata est, vt rupta putaretur. Sed belluæ ad quingentos passus progredientes amplo in loco conuulsam tumbam reddiderunt, vbi nomini ipsius erectum fuit templum augustissimum, in quo conditus est.

9. *Idem in vita S. Tressani Confess.* Postquam Beatus Christi sacerdos Tressanus corpore exutus, mundum dimisit, & ad cælestia transiuit, sacerdotes, & hi, qui eius funeri affuerunt, de exanimati corporis sepultura certare cæperunt. Propositum est, vt sepeliretur in Eccl.S.Hilarii Marogyli, in qua domino militauerat diebus multis. Volẽtes ergo leuare feretrũ, nihil proficere potuerunt. Propositũ est vt ferretur ad Aleuillarense cænobium: sed hoc tentantes, suum laborem prioris similem compererunt. Sapientiori autem consilio, Deo inspirante, concepto, propositum, vt plaustro corpus imponeretur, duæque buculæ iungerentur, & vbi à Domino dispositum erat, à bestiis ad locum sepulturæ duceretur. Erat enim in proximo locus, qui dicitur Auenniacus, vbi, vt aduenerunt buculæ plaustro iunctæ cùm sancto corpore, steterunt immobiles, nullo modo procedere volentes. Quod videntes sacerdotes, cognouerunt esse Domini voluntatem vt ibi sepeliretur sacerdos, cuius sancta anima iàm penetrauerat cælos.

10. *Thom.Boz.lib.15.cap.8.* Vuenceslaus Bohemiæ Rex, ab iniquissimo fratre est interfectus: sed cum cadauer eius plurimis miraculis diuinitùs illustraretur, Boleslaus, cognomento Sæuus, frater, aliò noctu transferri iussit, vt illius nomen obscuraret. Verùm nullus fuit conatus; equi nàmque substiterunt, vbi ventum ad locum quemdam, neque vltra progredi potuerunt.

11. *Vincentius in spec.Hist.lib.10.cap.35.de S. Eugenio Toletano.* Postquam prædictus sanctus propè Parisiensem ciuitatem in loco, nomine Diolio, ab impiis occisus fuisset; cùm plaustro impositum ducere vellent eius sacrum corpus ad S. Dionysii monasterium, vt ibi sepeliretur, bobus subitò gressum figentibus, nec vltra pergere valentibus, Deo fusæ sunt preces, vt ostenderet, quò martyr sepeliri deberet, solutisque cunctis bobus præter duos, erant enim quinq. iuga, illi duo concitè cucurrerunt donec ad Ercoldi prędium peruenerunt, & tunc gradum fixerunt. Vbi sepultum est, & etiam modò requiescit.

12. *Idem lib.24.cap.24.* Reuelatum est Regi Carolo

rolo

rolo per Angelum vt mitteret Valentianas, & diligenter requireret vbi Sanctus Saluius cùm discipulo suo requiesceret. Quod ei dictum est per tres noctes continuas. Inuentique sunt prodente eos Genardo, & adductus est Genardus & Vuinegardus filius, & Vuinegarius seruus, qui illos interfecerant, & iussit Rex Vuinegardo, & Genardo amputari virilia, & oculos erui. Vuinegario autem seruo oculos tantum erui. Et imposita sunt corpora sanctorum super plaustra, vt adducerentur ad Ecclesiam sancti Vedasti, & non potuerunt moueri adducta multitudine bouum, & relinquentes in plaustro duos boues tantùm permiserunt illos ire quò vellent, & cùm summa festinatione perduxerunt illa duo boues ad Ecclesiam Sancti Martini, idest qua S. Saluius orare consueuerat iuxta Valentianas, & ibi posita sunt. Et dedit Carolus S. Saluio tertiam partem illius fisci.

13. *Pet. de Natal. libr. 10. capit. 66. de S. Fidentio Episcopo, & Marty.* Volentes arcam, in qua S. Fidentii corpus ferebatur, de naui educere, nequibant. Tunc apparuit pauper cùm curru hortans illos, vt arcam securè plaustro imponerent, & vaccis dimitterent portandam, vbi Deo placitum esset. Quod illi facientes, & currum sequentes, circa Paduę confinium iuxta Ecclesiam S. Thomæ, positam in villa campaniæ Meladini, vaccæ substiterunt, ibique arcam deposuerunt; & statim pauper cùm curru & vaccis disparuerunt. Ibi ergo sepulto corpore, Ecclesia desuper ædificata est.

14. *In actis Inuentionis, & Translationis S.S. Firminæ, & Olympiadis.* Episcopus honoris sui insignibus sumptis, vtrumque corpus adiuuantibus sacerdotibus in apertum extulit, & curru, quàm pulcherrimè strato, imposuit. Hunc indè currum ipse per vices cùm aliis subire, ac trahere cùm vellet, sæpè conatu repetito, mouere tamen loco vehiculum nequiuit, adhibito iuuenum robore primùm, deindè adiunctis pluribus simul bouum iugis, nulla tamen ope, nulla vi currus impelli potuit. Ea re territis omnibus, Episcopus vim lachrymarum profundens, ipsos deprecabatur martyres, ne votum suum frustraretur. His fusis precibus, repentè veluti diuino instinctus consilio, geminas adduci iuuencas nullum ante iugum passas iubet, quod absque vlla inquietatione præstiterunt; cùmque eas deducere de via, ad cathedralem Ecclesiam S. Laurentii, vt ibi potissimùm sacratæ reliquiæ conderentur, conati essent; detrectantes vaccæ, abnuentesque, nulla vi eò adigi, aut omninò ab instituto itinere auerti potuerunt. Demùm Episcopi iussu dimissæ in summum collis cacumen euasere, indèque abduci stimulis non potuerunt, sicque ibi in specu, Dei voluntate reliquiæ fuere depositæ.

15. *In actis S. S. Vincentij, Orontij, & Victoris.* Cùm prædicti martyres in Hispania ob fidei christianæ confessionem morti traditi fuissent: S. Pontius Episcopus, Deo reuelante, plaustrum præparari fecit, vt corpora eorum ad Italiam deferrentur, superque illud posita per loca ductori hactenùs ignota perducuntur, donec iuxta ciuitatem Ebrodunensem peruenirent, ibique propè muros ciuitatis placuit requiescere; nàm boues cæperunt mugire, plaustra cùm corporibus non volentes vlteriùs ferre.

16. *Ioannes Mariana, lib. 9. cap. 3. de rebus Hispaniæ.* Quo tempore Legionem translata fuere corpora Aluiti Episcopi Legionensis, & Isidori Hispalensis; Aluitiq. corpus in templo maximo tumulatum est, Isidori verò in Ioannis Baptistæ loco sublimi atque præclaro: miraculum accidit, cùm iumenta, quæ vtrumque corpus portabant, sponte sua nullo ducente ad vtrumque locum constitissent.

17. *In Antiq. monum. Episc. Veron. de S. Metrone presbytero.* Sancti viri corpus, de illo disceptantibus inter se Veronensi, & Mantuano Episcopo, plaustro impositum, bobus indomitis nemine regente, Veronam in templum S. Vitalis M. delatum est.

18. *Vghellus in Ital. sac. Comenses Episcopi.* Cùm defunctus esset propè Vicum diæcesis Comensis, S. Eutichius Comensis Episcopus, populorũ Comensis diæcesis quisq. pro se studebat vt eiusdem Sancti sarcina, tamquam perampla hæreditate ditaretur, propèque iàm erat vt res plusquam ad ciuilem deduceretur contentionem; quam vt derimerent, ex communi consensu, S. Eutichii corpus nouo plaustro ab indomitis iuuencis trahendo imposuerunt, eo consilio, vt rationis expertia bruta, diuini arbitrii quocumque corpus deposuissent, indices haberentur. Qui plaustro adiuncti, velociter decurrerunt de monte, atque ad S. Gregorii Ecclesiam propè Vicum pretiosam sarcinam aduxerunt, stabili gradu coercita fuga. Incolæ loci libenter excepere depositum, & sub maiori altari honorificè condidere, marmori incissa memoria facti.

19. *Idem ibidem, Narnienses Episcopi, de S. Iuuenale II. Narniensi Episcopo.* S. Iuuenalis secundi corpus, à Ioanne Canonico *Toletano*, cùm Narniæ iter haberet, occultè subreptum est, vt eo pretiosissimo thesauro patriam ornaret, atque in loculo collocatum, mulo imposuit; cùmque in Pedemontis oppidum nobillissimum, Romanitium dictum peruenisset, hæsit mulus, adhibitaque omni *diligentia*, commoueri, impellique, vt progrederetur vlteriùs, non potuit, quo viso miraculo, pium *furtum*, sacrumque pignus iis populis detegere coactus est, qui ingenti pompa in Ecclesiam *principem* transtulere, eumq. Sanctum in Protectorem electum summa veneratione coluere.

20. *Ægydius Gelenius, in thesauro sacro. Ecclesia S. Agatha Coloniæ.* Hic iacent corpora sanctorum Roperti, & Mobiliæ Martyrum ex Ducali progenie, quæ cùm olim ad diuæ Cæciliæ deuehenda essent, equis aute hanc Ecclesiam prodigiosè subsistentibus, & defixis, cùm nullo stimulo propelli possent, hùc illata magna veneratione coluntur annuè Dominica Iubilate, quæ tertia est à festo Paschali.

21. *In vita S. Deuotæ Virg. & M. in Corsica.* Eius venerandum corpus dùm è Corsica pij quidam viri transferre vellent; vni eorum in somnis Sancta virgo sic allocuta est. Tu verò cùm sanctissimo presbytero diligentiùs intuemini, vt cùm videritis columbam egredientem de ore meo, sequimini

eam

eam vsque dùm venietis ad locum qui dicitur Monachon, latinè autem, Singulare, & ibidem sepelite corpus meum. At illi diligenter intuentes, viderunt columbam egredientem de ore eius, quæ præcedebat eos, & secuti sunt eam vsque ad prædictum locum, & ipsa columba veniens ad locum Monachon, in Vallem, quæ vulgò dicitur Gaumates, resedit ante ipsam Ecclesiam, quæ est sita in valle supradicta in honorem S.Georgii, ibique eam deposuerunt.

22. *Surius, in vita Sanctæ Dympnæ Virg. cap.* 8. Ruricolæ Ghelenses, accedentes ad locum, vbi iacebant reliquiæ pretiosæ, tracta tumba Beati Gereberni, Sanctæ Dympnæ tumbam lapideam absque vllo læsionis signo repererunt. Quam cùm vellent ad propriam Ecclesiam reportare, corpus Dympnæ stetit immobile quasi lapis, nec vllo conamine potuit moueri, ac si fixum radicitùs teneretur in terra. Et cùm illi ignorarent, quid facto opus esset, nocte quadam vox facta est ad quamdam anum de illa villa, præcipiens, vt vitulum, quem habebat in stabulo, nouellum iungeret bigæ, & reduceret Virginis corpus, quod multi, culpis eorum exigentibus, laborantes in vanum, mouere non poterant. Cùmque expergefacta esset mulier, & de his, quæ audierat, miraretur, mane facto surrexit, & vocato filio, visionis seriem, quam in somnis didicerat enarrauit, iubens ei, vt citiùs à Domino iussa compleret. Quod cùm puer audisset, matrem suam delirare credens, vt sileret ea de re, illam deprecabatur, asserens, si hoc attentare velit, ipsos ambos in ridiculo fore apud omnes. Ei verò nolens obtemperare mater eius, statim iussit vitulum nouellum, nondùm cornua producentem applicari. Sicque viam aggredientes, quæ ducebat ad locum, in quo Ghelenses ad corpus afflicti adstabant, peruenit. Sequebantur autem eam & magni, & parui, delirare, & desipere eam existimantes. Interim deridendo eam tacitè, rei exitum sustinebant. Quid plura? perueniens tandem ad locum, vbi tàm suis, quàm equorum viribus diffisi, solam Dei clementiam inuocabant: salutatis illis, cùm gaudio, quam in visu noctis audierat, retulit iussionem, orans, vt bigæ suæ impositum venerabile corpus, debitæ venerationis ad locum celeriter reportarent. Ridebant nonnulli, atque eam despectui habentes, desipere credebant: sed tandem victi precibus, sine vllo grauamine corpus beatissimum sustulerunt, & per vitulum, nulli aptum operi, cùm magna leuitate pondus ingens, cùm summa lætitia ad propriam Ecclesiam reduxerunt. In qua per venerandæ virginis, & martyris Dympnæ merita quotidiè innumerabilia coruscant miracula.

23. *Spinellus, de templo Sanctæ Mariæ ad Campum Martium Romæ*. Huic templo cænobium est adiunctum monialium ordinis Sancti Benedicti, quæ ante 600. annos ex Græcia cùm multis Sanctorum reliquiis venientes, quòd earum cameli reliquias deferentes, ad hoc Deiparæ templum constitissent, nec progredi possent, hoc in loco sedem posuerunt.

24. *In vita Sancti Mauri Eremitæ, Hui in Belgio*. In Syluis circa Andanam eremiticam vitam elegit S. Maurus, in qua extremum diem conclusit. Cùm autem à nullo vlteriùs videretur, vicini diligenter quæsierunt, & mortuum inuenerunt. Cuius corpus cùm Andanam vehere vellent, equi diuino nutu refragabantur, cùm autem Huium dirigerentur, sine difficultate progressi sunt vsque ad parochialem Ecclesiam Sancti Ioannis Euangelistæ, in qua corpus eius honorificè sepultum est in naui Ecclesiæ inter duas columnas.

25. *In actis Sancti Benedicti Albingaunensis Episcopi*. Defunctus fuerat extra propriam diœcesim Sanct. Benedictus Albingaunensis Episcopus in Liguria, cùm naui imposito eius venerando corpore, illud Albingaunum deportare volebant; at statim nauiculam insecuta fuit pergrandis triremis, sacri pignoris translationem impedire pertentans: verùm Deus, qui Sanctum Benedictum Albingaunensibus viuentem in pastorem, & defunctum in præsidium destinauerat, vno eodemque momento persequentem triremem, aduerso immisso vento reflectere iter coegit, & nauiculam prospero ad Albingaunensem oram fæliciter perduxit. Quò cùm appulsa fuisset, sacrum corpus extrahentes Albingaunenses, impositumque solemni curru, supplicatione instituta, illud ad Ecclesiam cathedralem transferre volebant; at vbi ante Ecclesiam, vbi priùs habitabant Monachi Benedictini, peruenerunt, duo iuuenci currum trahentes, ad eam conuersi in genua prociderunt, submissisque capitibus, venerabundi substiterunt; cùmque omnes, iuuencos quantùmuis aculeis percitos assurgere non posse, vidissent, in eadem Ecclesia eum collocare statuerunt, vt potè quam sibi elegerat Sanctus, prodigioque demonstrauerat.

26. *In vita Sancti Raymundi Nonnati*. Cùm Cardonæ in Catalaunia ad cælum migrasset Sancti Raymundus Nonnatus ex ordine Fr. Mercedis B. Virginis, quælibet ex finitimis vrbibus, vt sacras eius exuuias apud se haberet altercabatur: consilio igitur inito, sacrum cadauer in arca repositum, cææ mulæ imposuerunt, statuentes, vt quò cæcum animal sacras reliquias duxisset, ibidem reponerentur. Quo facto, per plurima oppida, pagos, ciuitatesque transiens animal, tandem gressum sistit ante sacellum Sancti Nicolai in Portelli finibus, quo in loco prædicto Sancto, Beatissima Virgo olim apparens, vt habitum Religionis Mercedis susciperet, imperauit. Quo prodigio cognouerunt, ibidem sacra pignora esse locanda.

27. *Ferrarius, 11. Decemb. de S. Viuentio Episcopo Blerano*. Cùm Sanctus Viuentius vrbe cedens, diù in loco, qui Septem Cryptæ dicitur, solitariè vixisset, adueniente hora mortis, iussit iuuencos quatuor nondùm domitos currui adiungi, quem ipse vtcumq. potuit ascendit. Tunc iuuenci citato curru sine ductore sanctum senem Bleram vsque detu-

lerunt, & in foro vbi nunc Parochialis est Ecclesia substiterunt; vbi Sanct. Episc. animam Deo redens expirauit. Ibique corpus eius sepultum est.

28. *In annal. Seruorum B. Mariæ Cen. 2. libr. 5. cap. 11.* Cùm ann. Domini 1436. die 9. Maii, B. Benincasa ex ordine Seruorum B. Mariæ è vita decessisset quodam in antro propè Montichiellum in Etruria, in quo vitam solitariam, summa oratione, & ieiuniis duxerat, omnes circumuicini populi, eò concurrentes, Ven. seruum Dei deplorantes, certatim venerandum illius corpus in suum oppidum adducere contendebant. Qua in re diuino monitu factum, vt ad sedandas lites duo de communi omnium consensu adducerentur indomiti Tauri, qui corpus illud super nouum plaustrum traherent quò diuina tantùm prouidentia maluisset. Cùmque Vituli illi nullo vnquam iugo assueti fuissent, tamen mansueti sanctum illud vehiculum, recto itinere super Montichiellum adduxerunt, & genuflexi ante maiorem oppidi ædem, D. Martino sacram, steterunt. Ibi igitur Vener. illud corpus honorificè conditum crebra miraculorum claritate vsque adeò refulget.

29. *Ibidem, Cen. 3. libr. 2. cap. 17.* Cùm ann. Domini 1468. inuentum fuisset fortuitò in sylua cadauer B. Iacobi à Castro Plebis ordinis Seruorum, qui in Xenodochio eiusdem Castri summa diligentia viuens inseruierat; omnes finitimi populi, Clusini nempè, Perusini, & Castrenses, illud prætendebant. At vt liti finis daretur, statutum est, sententiam è cœlo expectare. Imposito ergo sacro pignore in nouo plaustro, illi duos indomitos tauros iunxerunt, sacrumque cadauer quò illud animalia duxissent, collocare statuerunt: & ecce tauri iuncti, Castrum Plebis, ac si duo agni mansueti essent, adire cæperunt. Tandem cùm curru in hospitali, in quo ipse pauperibus inseruierat, constiterunt. Quo miraculo viso gauisi sunt omnes, quare propè portam, quæ dicitur *del Vecciano* Ecclesiam suo nomini nuncupatam extruxerunt, sub cuius maiori ara viri sancti corpus maximo honore conditum fuit.

30. *In actis Sancti Sixti I. Papæ, & m.* Cùm ab Innocentio II. donatum fuisset Comiti Alifsæ, vrbis Episcopalis Samnii, corpus Sancti Sixti, illudque decenter mulæ impositum Aliffam deportaretur. Pars viæ plùsquàm tertia confecta erat, quandò mula sacri depositi baiula, cohiberi non potuit, quò minùs à via plana, largaque deflectens, per asperam semitam eniteretur in montem, iterque caperet Aletrium versùs; & neque verberibus, neque blanditiis moueri iumentum valuit, vt rediret in viam, quamtùmcumque muliones aliique præsentes allaborabant. Frustra ergo se esse videntes, duxere mulam ad proximum Sancti Matthæi templum, quod adiacet Volubro (Lacus is est iuxta maiorem vrbis Aletrinæ portum) & re mox per ciuitatem vulgata, Petrus Episcopus cùm suo clero, & magna ciuium multitudine egressus est ad sacrum corpus suscipiendum. Deindè Episcopo visum est diuino iudicio committere, quænam potissimùm Ecclesia esset tanto thesauro ditanda; quò scilicet mula se vltrò inferret, istic deponere sacrum corpus. Ita dimissa mula, collem quemdam ascendit, seque ad cathetralem Sancti Pauli Ecclesiam contulit; ante cuius ianuam super gradus humiliter inclinata in genua, visa est admonere sequentes, illic se exonerari debere, quod & factum est. Aliffanis autem iacturam suam dolentibus, datus est digitus eiusdem sacri corporis.

31. *Ioan. Gerbrardus, libr. 2. Chron. Belg. cap. 42. de Sancto Vuerenfrido.* Mox vt eius mortis fama diuulgata est, plebs illic vniuersa, totaque Batua per Rhenum gemens affluxit, fit ratio de sepultura corporis, quod populo contulit causam magnæ dissensionis. Batuenses enim clamabant, sanctum corpus ad Elste deferri debere, ibique loco proprio sepeliri. Pars verò altera dicebat: Rectè hic requiescet corpore, vbi spiritum voluit relaxare; his, & aliis verbis populo diù inter se altercante, quidam presbyterorum in hanc vocem cæperunt prorumpere: sanctum corpus deferatur ad nauem illicò, & si nauis ipsa per amnem vltrò transierit, manifestum erit vobis, omnibusque, quid ipse voluerit. Deindè sicut de arca testamenti quondam in captiuitatem Philistinorum ducta legitur, plaustrum nouum cùm duabus vaccis, vitulis earum domi relictis, & reclusis, præparetur, vt in eo gleba sancta collocata, membra quocumque ducenda sunt, per se deducantur. Ad hæc omnes protinùs asseueranter consenserunt. Nec mora, sanctum corpus in naui deposuerunt, neminemque hominum instare permittunt. Res admodùm admiranda; nauis tàm recto itinere amnem transmeans, se ad littus alterum applicuit, vt ipsam Angelico remige ductam esse cunctis patenter innotuerit, & omnis populus vna voce Dominum collaudabat. Post hoc, plaustrum nouum cùm vaccis duabus, vt supra dictum est, citiùs acquiritur, & sanctum corpus in eo reuerenter imponitur. Quid multa? Vaccæ quidem, quæ nunquam iuga sustinuerant, vitulorum suorum prorsùs immemores, per deuia nequaquam errantes, per rectam semitam iter extenderunt, sanctumque corpus vsque ad Elste perduxerunt cùm Angelorum, vt credendum est, comitatu, ac populorum collaudantium concursu; illic quoque vt dignum fuit cùm omni reuerentia corpus eius sepulturæ commendatur, ibi enim per tanti viri intercessionem, multę miraculorum declarantur virtutes à Domino.

32. *In actis Sanctæ Patritiæ, cuius corpus Neapoli colitur.* Neapolim tendens Sancta Patritia, in itinere incidit in ægritudinem, ac peruenit in Insulam Saluatoris ad mare propè Neapolim, quæ Neapoli duobus distat stadiis, in qua monasterium erat monachorum, eòque Patritia descendens, Fratribus se commendauit, ibique confessa, & accepto sanctissimo Christi cor-

corpore obiit, Aglay verò eius nutrix amarissimè flens, ac de loco sepulturæ eius corporis anxia, præ nimia angustia obdormire cæpit, tunc apparuit ei Angelus in somnis, eique dixit, vt ad Ducem ciuitatis illicò properaret, rogans eum, vt daret duos tauros indomitos, & carrucam, in qua pium, ac sanctum corpus imponeret, & vbi tauri illi quiescerent, ibi sanctum illud corpus sepeliret, Aglay autem Ducem adiens, ei omnia narrauit, Dux verò, tauris, & carruca paratis, vniuersusq. Neapolitanus populus congregatus, cùm cereis, & aromatibus tollentes sacrum corpus, & benedicentes Deum, sequebantur tauros illos carrucam vehentes, qui abierunt per mediam Ciuitatem, & perrexerunt ad locum Sanctorum Nicandri & Marciani, & steterunt in loco, vbi Sancta Patritia, dùm alia vice Neapoli moraretur, virginali digito marmor incidens, signum Sanctæ Crucis fecerat, quod videns omnis populus, laudes Deo dedit, glorificans Dominum nostrum Iesum Christum, ac sanctum illud corpus magno honore sepulturæ conditum fuit ab Episcopo Neapolitano, adstante Duce, & clero; Aglay verò tumulum, in quo S. Patritia reposita fuerat, diù noctuque custodiebat in vigiliis, & orationibus inseruiens Deo, & B. Patritiæ.

33. *Raderus in Bauaria sacra, de Beata Stilla.* Cùm funus B. Stillæ ducere tentarent Heilsbrunnum, vbi fratres requiescebant, nulla ratione id loco moueri potuit. Iunctis ergo currui equis, liberos abire siuerunt, sine vllo auriga, aut rectore. At illi sacrum onus vltrò deportarunt ad templum, quod ipsa extruxerat, & in quo tumbam sibi elegerat, nec sine cælesti approbatione; nàm cùm quadam die B. Stilla ex arce paterna chirothecam suam deiecisset, hoc adiuncto: Ibi sepeliar, vbi hæc chirotheca inuenta fuerit; non alibi, quàm in templo abs se condito, reperta est; & eo quidem loco, quem pro sepulchro occupat.

34. *Franciscus Ballarinus, par. 3. Compendij Chronologici Nouocomensis Ciuitatis, de B. Mirro Eremita.* Anno Domini 1436. cùm defunctus esset B. Mirrus, sepultus est in oratorio quodam D. Michaeli Archangelo dicato; talem sepulturæ locum indicantibus quibusdam auiculis, quæ illùc diuino, vt creditur, instinctu, assulas, & frusta, quæ in efformanda pro ipsius corpore recondendo lignea arca resecabantur, auolantes deferebant.

35. *In vita S. Gutuuali.* Vituli duo adhibiti sunt, & loculum eius trahere ad sepulchri destinatam sedem, soli potuerunt: quandòquidem obriguerant equi, hæserantque fixis humi vngulis insuper bisseni boues plaustrum trahere molientes.

36. *Baron. an. 1505. num. 11. de Beata Margarita Virg. Rauennæ.* Sepulta erat Rauennæ Beata Margarita in Diui Apollinaris noui, sepulchro satis ignobili; quòd cùm posterioribus annis dirutum esset, Laurentius Oriolus, qui illius consuetudine, ac monitis plurimùm profecerat, maximèque eam venerabatur, id putans propterea contigisse, quòd alibi sepulchrum sibi virgo delegisset, venia ab eius loci æadituis impetrata, ossa, summa veneratione in sacco collocata asello imposuit, Deum precatus, eamque virginem, vt quò sepeliri vellet, ire asellum iuberet. Asellus, nullo strepitu, signoue impulsus, rectà per eum vicum, cui Plateæ maiori nomen est, ad vrbis muros progressus, dextrorsùm flectens, per Vrsicinam portam, occidente iàm sole egressus est; indè per suburbium secundùm Visim amnem cùm aliquantulùm processisset, secundo ab vrbe lapide amnem traiecit, semperque obstrepente nihil Laurentio, sed ingenti religione, ac veneratione mysterium considerante: progrediens, ad Montonem amnem cùm peruenisset, illum etiam haùd procùl à Diui Marci transmittens, viam secundùm flumen arripuit: cuius cæpti itineris non mediocris ad virum pium, qui rem tacitus considerabat peruenit lætitia, quòd putabat fore, vt ad suæ gentis ædiculam, quorsùm ibat, indè haùd procùl deferendum cadauer esset: Sed ibi cùm peruenisset, non perstitit asellus, at progressus, ad D. Pancratij se contulit. Iàmque multum noctis transierat, & sub arbore satis ingenti, quæ non procùl aberat ab eius templi valuis, magnus nitedularum numerus conuolarat, quæ tantum afferebant lucis vt miraculum iudicari facilè potuisset. Ad hunc se locum asellus contulit, ibique cùm perstitisset, pedem ampliùs non extulit. Vir pius ob id intelligens, virginem sanctam decreuisse eum ibi sepulturæ locum, fossa facta, tumulo ossa composuit, humoque obruit; & confestim nitedulis euanescentibus, nox intempesta tenebras suas effudit.

37. *In ann. Minorum, an. 1242. num. 20. de B. Petro de Podio.* Milliario secundo à castro Podii Bonantis post vitam solitariam actam obiit B. Petrus ex tertio ordine Sancti Francisci. Post cuius mortem populus ad montem præfatum accurrit: De sepultura agitur; sed pro suo quisq. studio locum eligit, in Plebe castri sepeliendum alii dixerunt, alii in Abbatia, alii in Parochia de Plano; alii verò in conuentu Fratrum minorum. Verùm miraculo lis dirimitur; examen porrò papilionum, corpus viri beati ad omnium admirationem circumuolitans, binis deindè, ac binis ad plebem castri pergentibus, iter monstrauit, quod vnanimi consensu totus clerus, ac populus elato funere prosequitur: ad eandem Ecclesiam, plebs, in qua sepulchrum viro sancto fabricatum est, festum eius in die Trinitatis ibidem antiquitùs colebat.

38. *In vita Sancti Titiani Episcopi Opitergini.* Dùm semel de ipsius corpore habendo, locorum incolæ contenderent, consilio cuiusdam senioris, qui illis apparuit, diuinum oraculum implorarunt; & post ieiunium triduanum, diuina reuelatione vitulus cùm matre vehiculo iungitur, & corpus superponitur, & quò vellent abire, dimittuntur. Quà ipsum ad ciuitatem Cenetensem deduxerunt, ibique substiterunt: quo in loco digno honore tumulatur.

39. *In actis S. S. 3. Ianuarij, apud Bollandum, de Sancto Meloro marty.* Plaustro impositum fuit eius cadauer, duosque indomitos tauros subegerunt; & ecce tauri mansueti subitò effecti, vsque ad quemdam locum corpus trahentes substiterunt, & cùm turbæ displiceret, vt ibi quiesceret, manus, brachia, & humeros rotis, vt eas voluerent supponentes, ita fixum diuinitùs, & immobile plaustrum viderunt, vt nulla arte, nullo ingenio, nulla prorsùs hominum vi moueri posset. Cùmque sæpiùs attentantes, nihil proficerent, gratias agentes Deo, corpus cùm honore in eodem loco sepelierunt; vbi opem eius implorantes, optatum remedium gaudentes consequi solebant.

40. *In actis Sanctæ Erendrudis Virg. & Abbatissæ.* Mazalinus Abbas S. Petri, resignata Abbatia, in monte Caprarum vsque ad obitum vitam solitariam duxit, & in monasterio circa cryptam Sanctæ Erendrudis ad ianuam Aquilonarem est honorificè tumulatus, qui etiam sanctus reputatur, quia multa beneficia ad sepulchrum eius languidis, & tribulatis misericordia diuina patrare dignatur; Legitur etiam de ipso Mazalino, quòd cùm iàm obiisset, rustici ipsum currui imposuerunt, & ad Ecclesiam Sancti Petri volentes eum vehere, quantùmque boues stimularentur ad viam directam, tamen concitato gradu ad monasterium Sanctæ Erendrudis properabant, quia viuens ibidem sibi elegerat sepulturam.

Idem sepulturæ locus, per immobilitatem, aut leuitatem adauctum, seù Reliquiarum demonstratus.

§. 2.

ALio admirando modo demonstratum quandòque fuit, quem Depositionis, seù venerationis locum destinauerit Deus quorundam Seruorum suorum venerandis exuuiis, admirabili scilicet earum, vel immobilitate, vel leuitate. De quibus.

1. *Greg. Tur. lib. 1. de Glor. mart. cap. 101.* Georgii martyris reliquiæ cùm aliorum Sanctorum à quibusdam ferebantur: Sed cùm portitores ad locum quendam Lemouicini termini aduenissent, vbi iàm pauci clerici conserto ligneis tabulis oratorio, Dominum assiduè precabantur, mansionem postulant. Susceptique benignè, noctem cùm cæteris fratribus psallendo deducunt. Manc autem facto, adprehensam capsulam leuare penitùs non valebant. Denique cùm iter agere sine pignore sancto nequirent, & eis maximus dolor animi insedisset, intelligunt inspirante Deo, sibi aliquid ex his in loco relinquere oportere. Tunc inquisitis ligaturis, diuisisque particulis, seniori qui præerat largiuntur, relinquentes partem patrocinii, sumentes facultatem quò voluerant abeundi.

2. *Idem, de Glor. Conf. cap. 80. de S. Vrsini inuento corpore.* Conuocatis Abbatibus cùm clero, cùm honore, atque psallentio leuauerunt beatum sepulchrum: & quia vectes illi, quibus ferebatur, valdè longi erant, cùm venissent ad porticum, non poterant deflecti in ingressu eius, vt ad ostium ædis sine labore accederent, tunc B. Germanus eleuata voce, ait; Sancte Dei sacerdos, si voluntas tua est in hanc Basilicam ingredi, sentiamus leuamen adiutorii tui; & statim amisso pondere ita in summa leuitate factus est sarcophagus, vt relictis vectibus, pauci manibus ferrent, quem vsq. ad locum illum multi detulerant: & sic celebratis Missis gaudente populo, iuxta altare sepelitur, multis se deinceps virtutibus manifestans.

3. *In actis B. Conradi Placent.* Inter Netinos & Hyblenses certamine de sacro cadauere exorto, cùm libera potestas facta esset, vt illi ad sepeliendum acciperent, quibus loculus succederet: Hyblensibus adeò graue fuit, vt ne loco quidē potuerint dimouere, omnemque operam perdiderint, quòd loco moueri nequiuit: è cōtra euenit Netinis, in D. enim Nicolai templum, à duobus leuissimè delatum est.

4. *Surius, 8. Iann. in vita S. Gudilæ.* Cùm ex signis ad tumbam eius quotidiè crebrescentibus, odorem virtutum eius fama adspiraret omnibus, ex consilio, & dispositione Altissimi, placuit fidelibus de loco sepulchri eam leuare, & in locum honori ipsius magis congruum transferre. Factumq. est, vt ex consensu pariter, & cōuentu probabilium vtriusque sexus personarum, certus præfiniretur dies transferendarum B. Gudilæ reliquiarum, quas ad Niuellense transferre cœnobium ex consilio eorum, qui conuenerant, est propositum: quandòquidem non esset competens thesaurum tantæ margaritæ occuli angulo humillimi viculi, sed loco celebri reponi: sed consilium humanum, diuino non roboratum, in ipso suo conatu est frustratum; nàm dùm feretrum receptui membrorum paratum, moueri tentaretur, tanto fit pondere ibidem fixum, ac si catenis insolubilibus teneretur adstrictum. *Quid* verò agere debeant, stupore, & *solicitudine* vtrobique hæsitant, quia ibi quid agerent nesciebant, vbi de occulto Dei iudicio quidquam præsumere non habebant. Venit proindè in mente quibusdam religiosis consanguinitas Beatæ Gudulæ, Aldegundis, atque Vualdedrudis Virginum Christi; si fortè hæc virgo illùc membra sua transferri vellet, *quò* quælibet virginum præscriptam sedem suæ *quietis* haberet: erant nàmque loca tunc reliquiarum earumdem virginum Christi seruatoria, beatæ videlicet Aldegundis Malbodium, sanctæque Vualdedrudis Castrilocus. Destinabant *ergo* animo nunc hùc, nunc illùc transferre, at similiter in mouendo vires perdidere: nàm huius rei *adinuētio* per omnia redigitur in nihilum. Fatigari poterant, sed sanctam glebam mouere non poterant. Singulis verò huic ponderi frustra succedentibus, & in ipso conatu deficientibus, pietas diuina diutiùs suspensos tenere noluit, quos ad id operis inspiratione sua excitare voluit: nàm reuerendæ huic eleuationi, quidam prouectæ, immò decrepitæ ætatis intererat, qui vsque ad id temporis longum senium duxerat, solusque à diebus Sanctæ Gudilæ superstes, cæterisque natu, & industria prouectior fuerat. Huius spiritum diuina inspiratio mox excitauit, & quò virgo Dei transferri debuit, inspirauit.

uit. Nàmque in hæc verba prorumpens; Videtur, inquit, mihi eam quietis suæ sedem in oratorio Sancti Saluatoris iàm elegisse, in quo eam quoad vixit assiduis suspiriis spiritum suum claruit Deo vouisse. Tunc ad nutum senis intuitus omnium pendebat, eiusque sententiæ omnium qui aderant, consensus respondebat; & accedentes feretro, tanta mox facilitate vsi sunt in ferendo, quanta priùs difficultate frustra laborauerunt in mouendo.

5. *Idem, in vita S. Editbæ Virg. 16. Septembris.* Clerici Pictorum in capsa circumferebant Sanctum confessorem Iuuium, atque in Sanctæ Virginis cænobio honorificè suscepti, in altari Beatæ Edithæ sacras reliquias deposuerunt. Cùmque indè recedere vellent, tanto pondere reliquiæ illæ altari inhæsere, vt nulla ratione possent amoueri. Plorant igitur aduenæ, eiulant, vestes scindunt, capillos vellicant. Tandem re disperata receptis duobus millibus solidorum à Vulftrude Abbatissa, in sua tristes abiere.

6. *Ferrarius in Catal. S. S. 27. Maij.* Cùm corpus S. Theobaldi confess. in Ecclesia S. Laurentii Albæ Pompeiæ, vt ibi decenter conderetur, delatum esset, Epis; Clero, & populo præsentibus ita immobile factum est, vt non nisi in locum à se designatum, ex quo nouum ex marmore sepulchrum cùm luminibus apparuit, inferri potuerit.

7. *Idem ibidem, 24. Octob.* Cùm post mortem B. Io. Angeli, ord. Seruorum, corpus illius communi sepulturæ demandare vellent Fratres, immobile, & graue ita euenit, vt propterea in priuato tumulo supra terram illud condere coacti sint.

8. *Pet. de Natal li. 9. c. 9. de S. Remigio Ep.* Cùm corpus eius ad Ecclesiam S. S. Timothei, & Apollinaris in feretro deferretur, secùs Ecclesiam S. Christophori, cæpit adeò ponderare, quòd nullatenùs moueri poterat: vndè coacti, illi Dominum rogauerunt, vt eis ostenderet, si fortè corpus illud in ipsa Ecclesia, vbi nullæ sanctorum erant reliquiæ, sepeliri vellet: statimq. corpus leuissimè intra ecclesiam tulerunt: vbi cùm multa miracula fierent, Ecclesiam ampliarunt, & facta crypta retrò altare, dum corpus ibi ponere vellent, mouere iterùm nullatenùs potuerunt. Cùm autem in orationibus pernoctarent, & media nocte omnes pariter obdormissent, in crastinum inuenerunt corpus Sancti in ipsam cryptam ab Angelis deportatum.

9. *In vita S. Eligij Ep. Nouiomensis, l. 2. c. 35.* Cùm moueri nō posset eius corpus, ieiunium indixerunt; expleto ieiunio, modis omnibus satagebat Regina, vt corpus B. Viri in Calam monasterium eius transferretur. Sed è diuersò alii Parisios illud transferre volebant. Quibus vtriusq. se opponebant Ciues Nouiomenses, iustissimam hæreditatem corpus Antistitis sui sibi vendicantes. Sub ea pia contentione, cùm Ep. & præstantiores quique fauerent Reginæ partibus, decernerentque ad monasterium B. Viri corpus eius transferrendum, magnus clamor & tumultus ortus est in vniuerso populo Nouiomensi. Tùm Regina prudenti vsa consilio, omnipotentis Dei iudicio rem totam committens. Facessant, inquit, verborum cōtentiones. Si placet Deo, & Sancto eius, vt perducatur corpus, quò ego volo, illicò se leuari sinat: Sin aliter, iàm experiamur. Mox accedunt ad corpus, vt illud tollant, sed nulla vi moueri potest. Tentatur id subindè ab aliis, atque aliis, & tandem ab ipsa Regina, totis viribus in id incumbente, sed nihil efficiunt. Tùm Regina ad proceres se vertens. Iàm perspicuè, ait, animaduertimus, nolle eum aliò absportari. Permittamus igitur huic populo, vel inuiti, quòd hactenùs spontè noluimus. Assenserunt omnes, & simùl atq. feretrum leuare cæperunt, tanta facilitate motum est, vt commodè iàm à duobus portaretur, quod paulò ante plurimi nec mouere leuiter poterant.

10. *Bzou. an. 1250. n. 9.* Cùm an. Dom. 1250. terra effossa solemniter trāsferrentur in argentea capsa ossa S. Margaritæ Scotiæ Reginæ, statim ac peruentum fuit ad Malcolmi mariti sui sepulchrum, repentè omnes immobiles constitere; capsulaq. cui reliquiæ inerāt, sepulchro Malcolmi impressa adhæsit, nec vlla vi moueri potuit. Quo miraculo stupefacti omnes, cùm haùd inuenirent tàm nouæ rei causam, Ven. quidam senex, Spiritu Sancto afflatus, sublata voce, vt cuncti eum facilè exaudirent: Margaritam, inquit, marito quam viuo semper exhibuit reuerentiam, etiam mortuo denegare nolle. Quamobrē non priùs eam se se vestris manibus in adytum deportari permissuram, quàm Malcolmus maritus humo quoq. effossus, lateri adiungatur. Quod vbi Regis imperio factum est, tùm deniq. sublata cùm marito in adytum delata est, atque in hodiernum vsq. diem multa populi veneratione vnà cū Malcolmo culta.

11. *Scardæo. l. 2. antiq. Pat. class. 6. de S. Daniele M.* Ep. Bernardus cupiens his sanctis reliquiis exornare ædem suam cathedralem; egit cùm monachis, vt corpus illud eò trans ferrendum concederent, & ne ingratus cuiquam videri posset, in præmium tàm pretiosi muneris, amplissima ruris Liguarii propè vrbem prædia Abbatissæ remisit, quæ pridiè ei ex paterna (vt dicitur) hæreditate contigerant. Interim verò non minùs mirabile dictu accidit. Cùm enim iàm sacratissimi corporis translatio fieret, non sine densa concurrentis vndiq. populi multitudine, illicò vbi intra mœnia primùm receptum est, sistūt ex onere supra modum pressi, & defatigati portātes. Hinc nec vis vlla, nec artes quātùmuis ingeniosissimę reliquum itineris perficere valent. Quò circa Ep. cùm vniuerso populo tali facto perterritus, nuncupatis suppliciter votis, de cōstruendo ibidem templo sub titulo S. Danielis, statim progressus, antea nescio quomodò inhibitus, facilis datur; nec vllum ampliùs obstitit impedimentum, quominùs in templum cathedrale corpus illud tāto miraculo repertū deportaretur, vbi ad hoc vsq. tempus feliciter quiescit.

12. *Petr. Rouer. de transl. S. Ioannis Abb. Reomensis, lib. 4. c. 1.* Post primariam Ioannis beatissimi sepulturam, sacrum corpus eius à Leopardino, qui quartus post ipsum Abbas loci eius suffectus est, venerabiliter noscitur transmutatum. Vbi quid diuinæ euidentiæ fuerit demonstratum, ad auctoris laudem fideli putatur relatione condignum. Nàm cùm sepulchrum illud à loco, in quo positum erat, auellere, ac commutare voluissent, & sublata humo vndique, nequaquam tamen sarcophagum mouere

possent, triduani ieiunii subire laborem consilium fuit. Cùmque iam tertius dies ieiunii illuxisset (erat enim decimus Kalendas Octobris, quo die veneranda festiuitas B. Mauritii martyris cùm sociis suis mundo clara nitescit) & fessa iàm ieiunio membra post matutinorum cantus rursùm in sopore quiescerent, quidam senex Ecclesiam introiens, cernit beatos senes, vt sibi videbatur, Ioannem, & Siluestrum, qui ei in regimine loci successerant, ante sepulchrum stare, atque his, qui cùm eis erant albis vestiti stolis, imperare, vt sepulchrum mouentes, in locum perducerent destinatum. Cùmque ille audaci animo cerneret quid ageretur, à Ioanne, vt ipse arbitrabatur, increpatus est. Cur, inquit, ausus es Ecclesiam introire? sed quia simplici corde tuum cognoui introitum, vade inquit, & concito gradu tàm Leopardinum, quàm sodales excitato, vt cæptum opus peragant. Festinus ille frater ad Leopardinum Abbatem cucurrit, ac rei gestæ causam deprompsit. Ille cùm suis orans surrexit, & agnita voluntate viri Sancti, atque permissu propriæ deuotionis, surgentes, & sepulchrum amouentes, in locum destinatum illud commutarunt, quo Christi hostiæ litantur, atque orationum officia persoluuntur, vbi & remedia ægris, & quorumcumque votis solamina beneficiorum attribuuntur.

13. *Petrus de Natal. lib. 2. cap. 101. de S. Bassiano Episcopo Laudensi.* Temporis processu dessolata ciuitate Laudensi per ciues Mediolanenses, & totaliter igne consumpta, corpus S. Episcopi nunquam potuit amoueri ab Ecclesia Apostolorum, in qua erat sepultum; quinimmò omnes accedentes ad locum, vt mortui sternebantur, sicque ibidem dimissum est. Qua ciuitate postmodum in loco, vbi nunc est constructa per Imperatorem Federicum, corpus S. Confessoris eòdem delatum est, vbi & quiescit miraculis splendens.

14. *In vita S. Gebbardi, l. 1. c. 23.* Accedentes hi, qui ad portandum feretrum deputati fuerant, loculum leuare, atque ad præparatum sepulchrum deferre conabantur; cùmque brachia tenderent ad feretrum, cæperunt toto corpore tremere, ac immenso pauore concuti, ita vt etiam penè humano amisso sensu, amentes efficerentur, tantoque pondere ipsum depressum est feretrum, vt humanis viribus moueri nequiuisset; tunc omnes, qui aderant, hoc miraculo perterriti, cæperunt dicere, illum sepulchri locum à Deo sibi prædestinatum non fuisse, tandemque diuino correcti iudicio decreuerunt, eum, vbi ipse rogauerat, sepeliendum fore. Portitores autem iterùm accedentes cùm omni velocitate loculum leuauerunt, atque omnis illi pristina grauitudo ita ex toto immutata est, vt penè nil ponderis se portare præsensissent.

15. *Arnoldus Vuion, in vita S. Gerardi Sagredi, cap. 21.* Post mortem S. Gerardi facta est altercatio magna inter Philippum Abb. & Canonicos, asserentibus Canonicis, quòd in Ecclesia Cathedrali deberet sepeliri, contradicente verò Philippo Abb. ex auctoritate Apostolica, quia vir Dei viuens eam procurauerat pro sepultura sua, quam elegerat in monasterio Beatæ Mariæ Virginis: sed cùm Canonici sanctum corpus ad Ecclesiam Sancti Georgii mart. deportarent, illud nullatenùs deponere potuerunt, Sancto Viro deponi se non permittente, nisi in loco memorato, vbi elegerat sepulturam. Hi vero, qui feretrum portabant, illùc miraculosè gaudenter properabãt, quò ducebãtur inuiti. Cùm autem peruenissent ad prædictũ locum sepulturæ, tanto pondere portantes sacrũ corpus oppressi sunt, vt nullatenùs moueri possent, & è contra sacro corpore deposito, adeò alleuiati, quasi, sicut vnusquisque eorum postea referebat, si ab onere magno longioris viæ fuissent liberati.

16. *Vinc. Belu. li. 12. spec. hist. cap. 139. de translatione corporis S. Quintini mart.* Matrona Eusebia, corpus Sanctum ad Vermandensem castrum, quod ab eo loco quinque fermè milliaribus distat, reuerenter tumulandum aduehere disposuit. Sed Deus locum martyris suo sanguine consecratum, tanto thesauro priuare noluit, vndè mox vt ab aqua summum montis, qui eum deuectabant conscendere cæperunt, nimii ponderis grauedine prægrauati, longiùs ire nullatenùs vallentes, substiterunt. Sicque Eusebia voluntatem Dei intelligens, illic eum fecit deponi, ac reuerenter sepeliri, cellamq. quibus potuit tunc nixibus ædificauit.

17. *Ribadneira, in vita S. Eugenij m. & primi Archiepiscopi Toleti.* Ferunt, cùm vellent Sanctum corpus ferre ad locum, Ecclesiæque restituere, in qua priùs iacebat, factum diuinitùs, vt sacrum pignus moueri nulla vi posset; nàm arca, in qua erat, adeò grauis est effecta, vt nullo conatu moueretur, sicque cognitum, diuinæ voluntatis esse, sanctum corpus ibi manere.

18. *Ioan. Gerbrandus, lib. 3. Chron. Belg. cap. 25. de S. Rathfrido mart.* Cùm seruus Rathfridum vbique diu quæreret, tandem inuenit eum iuxta domum suam à Normannis interfectum. Tunc seruus ille sanctum corpus deferre volebat, sed nullo conamine de terra illud leuare poterat. Aduocata igitur matre sua cùm pluribus, corpus sanctum iterùm tentabant portare, sed sicut priùs de terra illud leuare non valebant. Placuit ergo eis in eodem loco sepulchrum fieri, & sanctũ corpus ibidem sepeliri. Corpus ergo eius quandò in sepulchro posuerũt, ita leue eis videbatur, ac si nullius fuisset ponderis. Sepelierunt itaq. S. Rathfridum in eodem loco, gratias agentes Deo viuenti.

19. *S. Pet. Dam. ser. 37. de reliquijs S. Ruffini m.* Cùm contenderet Episcopus Vgo, & populus, ad quam Ecclesiam deferenda esset arca, in qua erant reliquiæ S. Ruffini, orta magna seditio est, ita vt ad arma quoq. accurrerent; sed ob diuinam clementiam nullus illic vulneratur, nulla nec tenuis quidem gutta sanguinis funditur: atque vt mirabilibus adhùc mirabiliora succedant, sexaginta ferè viri ex parte Episcopi prædictum vasculum ad Ecclesiam Beatæ Mariæ conabantur attrahere, sed nullis illud nixibus de loci sui fixa potuerunt statione mouere. Illi igitur cùm iàm præ lassitudine fracti omninò deficerent, tunc ex altera parte vix septem homines vrnam corripientes, ad S. Ruffini Basilicã tãta illã permissi sunt celeritate peruehere, ac si non lapidem, sed palearum potiùs videretur fasciculum detulisse. Illicò populi clamor exultantis.

20. In

20. *In actis S. Melori Marty.* Sepulto ab Episcopis, & Clericis capite cùm sacro corpore S. Melori, post multorum ānorum curricula prædicatores alienigenæ scrinium cùm reliquiis S. Melori circumquaque deferentes, peragratis terrarum tractibus, iniūctum sibi officium exercentes, Ambrisburiam tandem deuenerunt, & super altare reliquias sācas posuerunt. Expleto prædicationis officio, cùm reliquias secùm auferre vellent, & nullo modo ab altari moueri possent, ac velut adamas altari adhærerent, dolore, & angustia afflicti, accepta ab Abbatissa multa pecunia recesserunt.

21. *In vita S. Pamphili Episcopi Sulmonensis.* Cùm eius venerandum corpus Sulmonam deportaretur, in progressu itineris, cùm ad locum quemdam, qui Busci nominatur, propinquum portę ciuitatis Sulmonensis peruenirent, tanti ponderis effectum est corpus sanctum, vt portantes illud, de loco nequaquam efferre potuerint. Deo igitur ita inspirante, in eodem loco illud sepelierunt, & templum eidem Sancto struxerunt.

22. *In actis SS. Aprilis, tom. 1. in Continuatione Bollandi.* Defuncto Beato Guillelmo Cuffitella, eremita Sicli in Sicilia; cùm eius corpus vellent sepeliendum deferre ad aliquam Ecclesiam inferiorem, peruenientes in locum, qui dicitur Tocco, non potuerunt vltra commouere corpus, aut à terra attolere. Consilio autem accepto de ipso ferendo ad Ecclesiam maiorem S. Matthæi, facillimè ipsum sustulere, ibique sepeliere in monumento lapideo.

23. *In vita S.S. Benigni, & Cari.* Cùm an. Domini 807. Rotaldus Episcopus Veronensis à vetustiori Ecclesia transferre vellet corpus S. Zenonis Ep. & M. Veronæq. Patroni, nulla vi, nullaque arte sacrum cadauer à primo loco amoueri potuit, quoadusque Deo cuidam inspirante, euocatis à solitudine in qua morabantur, S.S. Benigno, & Caro, eorum manibus sacræ exuuiæ omni facilitate transportatæ fuere ad Ecclesiam maiorem S. Zenonis, in qua hùcusque summa veneratione coluntur.

24. *In an. Minorum an. 1282. num. 6. de B. Torello de castro Puppij.* Mortuo sancto Eremita, accurrerunt omnes vicini populi, & Deum in seruo suo glorificantes, cæperunt de eius corpore inter se dissidere, contendentibus variis Ecclesiarum Prefectis illud sibi deberi. Accessit cùm vniuersis suis monachis Dominicus Abbas, & cælitùs monitus dixit, vt vnusquisque experiretur an ipse solus sufficeret ad eleuandum, & feretro imponendum cadauer; illud etenim euidens fore signum voluntatis defuncti asserebat, atque ita constiturum, ea se Ecclesia velle sepeliri, cuius Præfecti manibus se permitteret, vel potiùs adiuuaret, eleuari. Exerit quisque vires suas, nec loco mouere potest corpus, solus Dominicus Abbas absque vlla difficultate, aut molis pondere sibi sacrum pignus assumit. Sequuntur omnes funus Puppium versùs, vt monachorum deponeretur templo, quorum feretro se voluit imponi.

25. *Gonzaga in Prouincia Bononiæ, de conuen. S. Francisci Cotiniolæ, de V. Antonio Bonfadino Ferrariensi.* Cùm quidam sæcularis sacerdos, alterius quoque sacerdotis defuncti, sibique amicissimi, corpus in huius B. Patris sepulchro commodiùs cuperet humatum, B. Antonii corpus indè extrahi, atque in profluentem contiguam aquam proiici imperat: quod tamen adeò immobiliter terræ adhæsit, vt nec ab ipso, nec à solicito pollinctore dimoueri potuerit. Quod ille miraculo, (vti par erat) tribuens, ipsum intactum, atque loco immotum reliquit.

Idem Sepulturæ locus, aliјs admirandis modis manifestatus.

§. 3.

HViusmodi prodigia aliis admirandis modis euenere. De quibus.

1. *Surius, in vita S. Gummari Confess. 11. Octob.* Conuenerunt ad exequias S. Gummari frequentes amici, & cognati eius, visumq. est illis, sanctas reliquias in sua villa, nomine Ledone, condendas, vt in natiuo solo etiam monumentum haberent. Sed alia fuit Dei voluntas. Dormienti enim quadam nocte Vurachildi sanctimoniali in oratorio S. Petri, quod S. Gummarus ædificarat, ita dictum est: Transferantur reliquiæ Beati viri in eius Ecclesiam. Tu verò hanc diuinam iussionem omnibus reueles, vt cùm omni deuotione eam exequi maturent. Quod semel illa, iterùmque neglexit, verita neminem ipsi fidem commodaturum. Tertia nocte visus est ei S. Gummarus adesse, atque ita compellare dormientem; Cur ita negligenter agis? Tandem indica omnibus quod audisti? ut verò non dubitent, te à nobis missam, signum hoc, quod tibi imprimo, contemplentur in facie tua. Et hæc dicens, posuit dexteram manum suam super faciem eius: Cuius attactu, caro in candorem mutata est, & digitorum impressa vestigia retinuit: Manè indicat illam rem totam presbytero, & aliis, qui aderant, nec quisquam ausus fuit in dubium reuocare, quod signi euidentia comprobauit. Venerunt itaque ad monumentum, sed eo aperto, nulla vi, aut arte sacras reliquias mouere potuerunt, stupentibus cunctis, superuenit custos pecorum Sancti Gummari, qui suam quoque operam eius extruendæ Ecclesiæ nauarat. Is facilè è sepulchro sanctissimum corpus eleuans, vsque ad amnen, vbi parata erat nauicula, illud deportauit. Quod vbi impositum fuit, nauicula sine vllo remige, vel nauclero cursu velocissimo, non sine ingenti miraculo ad villā contendit, ibiq. substitit. Tùm verò indè ablatum Beati viri corpus, cùm multa reuerentia in eius Ecclesia humatum est, atque illic annis quadraginta quieuit.

2. *Barthol. Vitalis, in vita S. Herculiani Episcopi Brixiæ.* Huius sanctissimi Antistitis cadauer, cùm inuicem vicini populi enixè sibi vendicare contenderent, omnium consensu in nauicula positum, gubernatore nullo existente, sponte sua Maternum diuinitùs aduenit; ita enim constantium Materniensium, tùm aliorum ab eorum maioribus gradatim memoria recepta, perpetuò seruata est. Indèque locum illum, vbi ipsa sistit nauicula, Scalam S. Herculiani in hunc vsque diem Materniences appellant.

3. *Vghellus in Ital.sac. Astenses Episcopi*. Ann. 1392.expugnata à Turcis Smyrna,ab eisdem capsa, in qua corpus B.Martyris Henrici Comentinæ Patriarchæ Constantinopolitani conditum fuerat, in mare proiicitur. At ipsa diuina virtute supernatans per Arcipelagi,Mediterranei,Adriaticique maris vortices, in Padum primò, tùm ex eo in Tanarum inuecta, in ripam ipsius è regione ciuitatis Astensis consedit. Ad quod miraculum, effusi ciues, cùm ex adscripto nomine cuiusnam esset sacrum cadauer comperiissent, solemni processione illud in Ecclesiam S. Francisci recens constructam detulerunt.

4. *Idem, Aquileienses Episcopi*. Cùm S.Marcus, iàm Aquileia ad fidem conuersa, Romam redire disposuisset. Hermagoram ciuem Aquileiensem, quem ad regendum populum acquisitum aptiorem cognouerat, in nauicula secùm assumpsit, & directò nauigans, in paludes (vbi nunc Riualtaria ciuitas constructa dignoscitur) tandem peruenit, cui tunc Riualtus nomen erat, & vrgente vento nauiculam ad tumbam ligauit: apparuitque ei in extasi posito Angelus Dei dicens: Pax tibi Marce,hic requiescet corpus tuum.

5. *In actis S.S.Martÿ,to.1. in Contin. Bollandi*. Ciues Papienses adeuntes Comachium causa emendi salis, nocturnis horis, furtim, & latenter intrauerunt in capellam, vbi asseruabatur corpus Sancti Apiani monachi, in nauimque repositum, securè,& gratanter ad propria ducebant. Cùmque iàm vehementer insistendo nauigiis ad Lacum peruenissent; tanto pondere fixa est nauis, vt nulla vi, aut artificio dimoueri potuerit; quare immobilitatis causam intelligentes, remos amouentes, Deum, sanctumque confessorem rogauerunt, vt nauis illùc duceretur, quò S. innueret Confessor; & ecce illicò nauis ad ripam, quæ sita est contra S. Mauri Basilicam,ducta est, in prædictaque Ecclesia corpus sepultum est.

6. *In Histor.B.Theoctistis apud Baronium,ann. 902*. Cùm quidam, manum à corpore Theoctistis Lesbiæ surripuisset, & clàm in nauem adsportasset, admirandum quod secutum est sic idem narrat. Cùm profundo vespere à terra soluissemus, & vela expandissemus,secundis ventis spirantibus ferebamur tamquam volantes, & sperabamus nos manè venturos in in Eubœam. Cùm autem dies illuxisset, inuenti sumus rursùs stantes in eodem portu, perindè ac si ab anchora, aut aliqua remora teneretur nauis. Metus ergo omnes inuasit, & nos inuicem circumspicientes, tremebundi quærebamus causam rei, sciscitantes, & inquirentes, nùm nefarium quidpiam à nobis factum sit, cur arceremur. Cùm verò alius aliud dixisset, intelligens ego audax meum facinus, inscientibus omnibus, in templum sum reuersus, & cùm posuissem manum in corpore Sanctæ, descendi in nauem. Hortatus autem socios cœpi iter ingredi. Cùm autem multum prouecti essemus, erat deinceps cymba volucris,velum replente vento, fuitque rectus cursùs absq.impedimento.

7. *Pet.de Natal.lib.9.cap.106.de S.S.Crispino, & Crispiniano*. Horum corpora,bestiis, & auibus deuoranda relicta, diuina prouidentia permanserunt intacta. Senex autem quidam cùm germana sua vetula ab Angelo monitus, corpora indè tulerunt: Venientesque ad fluuium Axonam, in nauicula diuinitùs ibidem præparata, ea posuerunt, & contra ictum fluminis sine remo, vel remige, Deo duce, ad locum sibi ostensum peruenerunt, & sanctorum corpora sine vllo pondere portantes, ita vt magis ipsi à corporibus portari videntur, in quodam eorum tugurio secretò sepelierunt: vbi persecutione cessante, honor eis à Christianis condebitus impensus est, & Basilicaeorum nominibus fabricata.

8. *In vita S.Materni Episcopi Coloniensis*. Coloniæ vitæ finem fecit S.Maternus circa annum Domini 134.& dùm de sacro eius corpore à suis incolis parochianis, quibus præfuit, disceptaretur, vbi recondi deberet, ex cuiusdam peregrini consilio, nauigio est impositum, & statim vltrò contra fluuium diuino nutu Treuirim rectà ascendit, *vt suis charissimis collegis corpore in terris, vt spiritu in cælis, coniugeretur*.

9. *In vita S.Tatiani Episcopi Opitergini*. Cùm mortuus S. Tatianus, sepultus esset in ciuitate Opitergiensi, eius parentes illùc venientes, corpus noctu furati sunt, vt in Patriam deferrent. Quos manè populus armatus insequutus est pro corpore redimendo, & dùm propter hoc ad inuicem bellum vellent assumere, apparuit senior, qui eis concordiam suadens, consuluit, vt corpus solum in nauicula dimitterent, & diuinæ voluntati exponerent, quò Deus vellet deferrendum. Quod cùm fecissent, disparuit senior, & nauicula per flumen Liuentiæ iter sursùm contrariis vndis tenens, deuenit ad locum, qui dicitur Septimus, & ibi quieuit; corpus verò depositum terræ fuit.

10. *Gregor.Turonensis de Glor. Confess. cap.97*. Quidam, reliquias S.Hospitii in regione Nicensi defuncti, sumpserat, eas ad Lirinense monasterium deferre desiderans. Nauem itaque, quæ Massiliam ire parabat, ascendit, noluit tamen indicare naucleris quæ ferebat, & quò ire cupiebat. Igitur postquam progressi contra Lirinense monasterium deuenerunt, nauis in medio pelagi restitit. *Flantibusque* ventis, nulla mouetur in parte, stupentibus *verò* qui aderant, omnia eis manifestauit: *quod* audientes viri, stupore permoti, mutatis *velis*,flante vento secundo, iàm viro in insula Lirinensi deposito, quò voluerunt liberè abierunt.

11. *Ferr. mense Nouemb. die 15. de S.Verano Ep. Gaualitano*. Cum ciues,an in Cathedrali Ecclesia, vel in ea, quam ipse ædificauerat sepeliendus esset, disceptarent; pallium, quo corpus tegebatur, eleuatum in aere funus præcedebat, donec ad Druentiam flumen deuentum est, quod diuinitùs siccatum omnes traiecisse ferunt; pallium autem populum cùm funere præcedens, ad S. Mariæ Ecclesiam substitit, ibique corpus honorificè fuit tumulatum.

12. *In vita S.Patritÿ, cap.188*. Sedebat sanctissimus senex Patritius, in loco non longè distante à Dunensis ciuitatis matrice Ecclesia, & cùm illo erat Brigida Hiberniæ margarita, & religiosorum, ac Eccle-

Ecclesiasticorum turba non minima; cùmque Sanctus concionaretur ad eos de gloria sanctorum, & mansionibus luciflua patriæ, lux copiosa cælitùs emissa, perfundit quendam locum in cæmeterii orientali parte. Quam intuentes qui aderant admirabantur, & ipsa lux quid prętenderet à Sancto sciscitabantur. Sanctus autem Pater iussit B. Brigidæ assidenti, denudare poscentibus mysterium apparentis luminis deifici. Virgo verò palàm in auribus omnium asseruit, illam claritatem designasse, atque sanctificasse locum sepulturæ cuiusdam clarissimi, Deoque carissimi Sancti ibidem in proximo funerandi.

13. *Vinc. Belu. lib. 23. spec. Hist. cap. 122. de transl. S. Benedicti*. Venerabilis Pater Mimmolus animo voluebat, quonam in loco corpus Sanctissimi dignè reconderet Benedicti. Et cùm quadam nocte sub nudo cœlo Dominum precaretur, vt hoc sibi cęlitùs monstraretur, ecce subitò lux emissa de cęlo sicut fulgor ei apparuit, & locum vbi poni deberet manifestissimè denotauit.

14. *In vita S. Hymelini*. De sepulturæ eius loco agi cœptum: sed non diù dubitatum: Etenim in templum properantibus, nouum se miraculum exhibet electum diuinitùs; & egesta terra, paratus iàm tùm sepulturæ locus. Quare eodem sanctum Hymelini corpus magna cùm pietate recondunt, vbi deindè pluribus miraculis claruit.

15. *Ex quadam tabella, quæ Romæ in Ecclesia S. Michaelis Archangeli reperitur, de S. Magno*. Tres milites, B. Magni corpus in loco qui dicitur Fundi inuenerunt, quo inuento, in illorum Prouinciam portare, & condere decreuerunt; sed diuina gratia cooperante postquam ad Sutrinas partes ventum est, ampliùs deferre non inualuere, qui bis, & ter territi, & per somnium moniti, Romam reuertentes Sancti corpus secùm tulerunt, ibique sepelierunt.

16. *Henriquez in Menol. Cist. 2. Feb. de B. Ignatio Monacho*. Fuit ipsi in templo præparatum sepulchrum, in quo dùm illum sepelire vellent, tantum terræ à pariete, cunctis cernentibus, & stupentibus, apertum est, vt fossam omninò repleret, & locum vacuum in ipso muro, instar sepulchri, relinqueret. Quo viso Prior ait: Certum est, Deum hic operari, nàm & in terris seruum suum honorare voluit, qui à natiuitate insigni puritatis, & castitatis fulgore resplenduit, ideòque nouum illi sepulchrum, & terram virginem virgini præparauit.

17. *Colganus de S. Furseo Confessore*. Cùm post eius obitum, orta esset controuersia, quo in loco eius sacrum corpus sepeliendum esset: ex mutuo dissidentium consensu Tauros iungerunt ad feretrum, qui tenentes rectam viam itineris progrediebantur versùs villam vocabulo Peronam (in Gallia) Sed interim Bercharius Dux Lugdunēsis instructus, equitum turma improuisus accurrit, & vel precibus, vel armis sanctum Corpus secùm auferre omninò decreuerat. Vrgebat enim se Furseo ex Anglia in Gallias comitem fuisse: magnam prætereà bonorum suorum partem, Religiosorum, quibus præerat vsibus consecrasse. Quæ lis occasionem dedit, vt alia rursùs via Dei super hac re voluntas expeteretur. Itaque ex mutuo contendentium assensu pueri duo, quorum neuter ętatem septem annorum excesserat, feretro supponuntur, qui si accepta cœlitùs fortitudine illud alacres, & nullo duce Peronam attraherent, contentionis finis iudicaretur impositus. Pueri feretrum rheda Peronam trahūt, & cùm ad montem de Cygnes, vbi iuxta Hercenaldi castrum, vrbs hodie Peronensis est extructa, ventum esset, Haymon, & Bercharius sanctum cadauer in tentorium vnum, quod eum in finem in forma Capellæ iuxta Ecclesiam fuerat præparatum, baiularunt; illudq. Hercenaldo, qui cùm suis ad loci aditum eos opperiebatur, in manus tradiderunt.

18. *Baronius an. 456. num. 25*. Antequam è vita egrederetur S. Armogastes, ab Arianis ob fidem catholicam acerbissimis afflictus cruciatibus, præcępit cuidam deuoto Christiano, vt post mortem illum sepeliret sub quadam Siliquæ arbore, quod cùm primò recusaret Christianus, illum in quadam Basilica honorificè humare volens, tandem ne sanctum senem contristaret, hoc illi promisit; fecitque vt promiserat; at ad radices arboris multò altiùs terram fodiens, sarcophagum splendidissimi marmoris à Deo præparatum inuenit, qualem fortè nullus omninò habuit Regum.

19. *In actis S. S. Augustæ, de S. Gualfardo Episcopo*. Moriens, se præ foribus Ecclesiæ in via publica cùm humare mandasset, auditus non est, sed arca diuinitùs oblata intra ædem conditus est.

20. *Baronius an. 992. num. 56*. Ignea sphera cælitùs lapsa super feretrum, in quo deferebatur S. Osuualdus Episcopus Vuigorniensis apparuit, depositoque ante altare sacro corpore, visio illa, tanquam locum sepulturæ eius designatura, ad australem Ecclesiæ plagam iuxta altare diuertit, sicque ab oculis intuentium subducta est.

21. *S. Antoninus 2. par. Chron. tit. xi. cap. 19. §. 1* Defuncto S. Leonardo Aquitano, cùm illi Ecclesiam & sepulchrum honorificum condere vellent populi, facta oratione, & triduano ieiunio, vt Deus illi manifestaret, quo loco Sanctus, Ecclesia, & sepulchro honorari vellet; cùm respicerent, viderunt totam prouinciam niue coopertam, locum autem illum, vbi corpus suum B. Leonaldus quiescere volebat, omninò vacuum à niue viderunt.

22. *Vghellus in actis S. Geminiani Episcopi Mutinensis*. In castro S. Geminiani dicunt asseruari digitum eiusdem Sancti, illùc delatum à quodam clerico Coloniensi, qui per aliquot annos inseruierat Sacristiæ Ecclesiæ Cathedralis Mutinæ, & cùm aliquandò ei se obtulisset occasio, illum furto subtraxit, vt ad Patriam suam deferret, & cùm ad dictum Castrum peruenisset cùm sacro illo pignore, nūquam portam dicti Castri exire potuit; quo agnito ciues dicti loci, ipsum vocauerunt, & interrogauerunt, quis esset, vndè veniret, & quid secùm deferret; qui factum detexit, & relicto ibi digito, facilè posteà iter suum perfecit. Miserunt Ciues postmodùm oratores suos Mutinam, qui rem totam Mutinensibus significarent, sacramque reliquiam ab eis dono peterent, quod eis à populo Mutinensi liberaliter concessum fuit.

23. *In m. s. s.* Cùm an. 1190. Cremonæ obiisset B. Albertus propè Ecclesiam S. Mathiæ; in proximo cæmeterio, vt illus corpus sepelirent terram effodere tentantes vespillones, in vanum laborauerunt, minimèque potuerunt; in Ecclesiam igitur ingressi, foueam excauatam inuenientes, ibidem, annuente Episcopo, honorificè illud sepelierunt: in cuius admirandi testimonium altare ibidem ad honorem dicti B. Alberti extructum fuit, quod vsque adeò videtur.

24. *Rhò in Sabbatis B. M. V. exemp. 9.* Cùm Vladislaus Vngar. Rex erga B. Virg. deuotissimus, cui etiam nobilissimam Ecclesiam in oppido Varadini regiis sumptibus ędificauit, iàm decessisset è vita extra proprium Regnum, illius cadauer funebri in curru deportabant primates Regni, vt in eadem Ecclesia solemni ritu sepelirent: & ecce dùm propè oppidum tùm equi currum trahētes, tùm cæteri transferentes cadauer, requiem, cibumque sumunt, nullo visibili impellente, sola inuisibili vi, mouetur currus, nec motum terminat, nisi ante Ecclesiam B. Virginis Varadini, quo in loco honorificè sepultum fuit Regium cadauer; disponente Deo, vt cuius anima S. Virgini addictissima fuerat, etiam exuuiæ in Ecclesia eiusdem Virginis requiem reciperent.

25. *Malmesburiensis, l. 2. de gestis Pontif. Anglorum, de S. Eduuardo.* Scephtoniæ iacet, vel potiùs iacuit S. Eduuardus, S. Elgifæ ex filio Edgaro nepos, quem nouercali fraude innocenter cæsum cælum excepit, & prima quidem sepultura illi apud Vuarham fuit, quod non longè à loco, in quo occisus fuit, qui Corf vocatur, imminet mari. Iacuit trienniò inuidentibus inimicis mortuo cespitem Ecclesiasticum, cui viuo inuiderant decus Regium: sed affuit diuina potentia, qui insontem signorum leuaret gloria. Ibi ostensa de cælo lumina, ibi claudus gressum composuit, ibi mutus organum resumpsit, ibi prorsùs omnis inualetudo sanitati locū fecit. Sparsus rumor per Angliam, Martyris prædicabat merita, quo excita interfectrix illùc iter adoriebatur. Sed animal familiare, quo sedere consueuerat, ante ventis pernicius, quod auras ipsas (vt dici solet) præcurreret, tunc nutu Dei stabat immobile; flagris ministrorum instantibus, cassus labor consumitur; mutatoq. iumēto, casus idem sequitur. Intellexit tardè licet brutum pectus, quò portentum illud respiceret; ideò quod per se nō potuit, per alium fieri consensit, vt sacræ reliquiæ de ignobili tumulo leuatæ, Scephtoniam cùm magna deferrentur gloria.

26. *Ioan. Gerbrandus, lib. 7. Chron. Belg. c. 22. de translatione corporis S. Ieronis M.* Pretiosa pignora S. Ieronis mundissima obuoluentes sindone, humeris imposuerunt, & cùm psalmorū iubilo canoro, hymnorumq. dulci melodia, secùs mare, iter ingrediuntur; cùmq. saltum qui Rynmeera dicitur, transirent, ecce hinc indè popularis ala diuersi sexus, & ætatis circumfluit, pia deuotione certans, qui eorum tàm salubris baiulus mereretur fieri oneris. Interea his eis ad vota ita succedentibus, dùm approximarent loco, quò ibant, cæperunt secùm quasi irascēdo stomachari, quòd cùm in sylua essent, dùm possibile erat, lecticam in modum humanæ consuetudinis non fecerint, quàm nunc in exustis sole ardore aruis constitutis, nulla suppeteret facultas perficiendi; & dùm hùc, illùcque, vt est humanæ solertiæ, sedulò oculorum voluerent orbes, si fortè ad huiusmodi fabricam diuina adminicularetur prouidentia, vident subitò in primis tumescentis maris fluctibus feretrum ferri, quod in aridam mox eiectum arripiunt; atque cuncto sæculo veneranda in eo collocant membra.

27. *In an. Min. an. 1287. n. 7. de B. Ioan. Ministro Hungariæ.* B. Ioannes, in quodam Prouinciæ Hungariæ conuentu prædixit fratribus se illo ipso die ex hac vita migraturum, rogauitque vt cadauer ferri curarent Villam-Francam, indè octo milliaria Italica distantem, nouerat enim locum illum, vbi tunc habitabant, à Fratribus derelinquendum. Obiit, vt prædixit, & cadauer super plaustrum imposuerunt fratres, sed antequam equos admouerent, dùm parùmper volebant refici, nullo trahente, currus abiit in destinatum locum, flumenque transiuit: cuius vestigia sequentes non sine stupore Fratres, inuenerunt positum ad claustri ingressum, vbi vir sibi sepulturæ locum elegit.

28. *Vincentius in Spec. Hist. libr. 26. capit. 32.* An. Domini 1080. triginta viri de Lotharingia Sanctum Iacobum adeuntibus, vnus ex illis infirmatus est, cæterisque abeuntibus, cùm solo socio remansit propè portus Cisereos in monte S. Michaelis, ibique quadam vesperi defunctus. Quod videns viuus, valdè timuit propter imminentem noctis caliginem, & defuncti præsentiam, & gentis barbaræ sæuitiam. Sic ergo omninò destitutus, S. Iacobum inuocauit, & statim ei ille apparuit in specie equitis, dixitque. Trade mihi hunc mortuum, & tu ascende post me super equum, quo facto, nocte illa ante solis ortum duodecim dietas peragentes, ad montem Gaudii, *qui est dimidia leuca circa* sanctum Iacobum peruenerunt; ibique Sanctus, viuum, & mortuum deposuit de equo, iubens viuo, vt canonicos S. Iacobi ad sepeliendum peregrinum mortuum inuitaret.

Videantur aliqua his similia tom. 1. lib. 5. cap. 5. §. 6. cùm de Sarcophagis defunctorum vltrò se mouentibus.

Sepultura quibusdam ob varias causas diuinitùs prorogata.

§. 4.

QVàm solicita charitate Defunctorum cadauera communi sint commendanda matri, senex Sanctus Tobias demonstrauit, de quo ait sacer Chronista, quòd mortuis, atque occisis solicitus sepulturam exhibebat, ita vt, & quandòque prandium relinqueret, vt pietatis hoc officium extinctis præstaret. At voluit aliquandò Deus ad magnalia diuina demonstranda, & prorogari quorumdam Defunctorum sepulturam. De quibus.

1. *Pet. de Natal. libr. 8. capi. 94. de S. Arnulpho.* Cùm corpus S. Arnulphi defuncti ad Ecclesiam suam à ciuibus deferretur, deuenit ad villam hominis impii, vt illàc transitum haberet, quem videlicet S. Arnul-

nulphus sæpiùs in vita sua monitum, non potuerat à sceleribus reuocare. Dùmque Villæ appropinquarent, omnes immobiles facti, vltra procedere non valebant; eò quòd sanctum corpus illàc transire nolebat: sed dùm omnes propter hoc hæsitarent, & sol iàm occasui festinaret, occurrit eis vir fidelis, qui eos ad villam suam aliam inuitauit; ad quam cuncti cùm tanta celeritate venerunt, vt volasse potiùs, quàm measse putarentur.

2. *In vita S. Medardi, cap. 20. in Bibliotb. Floriacensi.* Constructo sepulchro, cælestem margaritam deuoti viri ad tumulum deuehere, Regio admisi sunt præcepto, sed suo frustrati conamine, casso in suis viribus defecerunt labore. Itemque exertis brachiorũ lacertis, hæc eadem attemptare promptis præsumpserunt animis; verùm operum victi magnitudine, protinùs ab incæpto destiterunt voluntatis propriæ. Neque enim humani corporis species etiam grauissima, cuiuscumque ponderis esse videbatur materies, quæ ita solida subsisteret in se, ne ab omnibus hominibus, aliqua posset moueri impulsione. Accito autem Commentariensi, factaque solemni in conspectu omnium per chyrographum traditione cuiusdam Fisci, partem mediam ipsi Regis beneuolentia perpetualiter Sancto delegauit possidendam. Certus ergo quòd nulla subuehendi feretrum foret difficultas, cùm summa fiducia, iussit exanimatum corpus ad locum sepulturæ deduci. Mira res, illis nàmque constanter ad hoc insistentibus, vna quidem parte facile moueri poterat loculus, altera verò tanta firmitate constabat immobilis, ac si ingens saxum rigesceret, pondere suæ quantitatis. Etenim beneuolentia ex dimidio leuitatem, tenacitas autem ex reliquo pariebat grauitatem. Dùm ille quæreret reliquum, qui priùs iàm consecutus fuisset dimidium: Sed eiusdem rigorem tenacitatis, immensa piissimi Regis benignitas compescuit, qui ad id appulit animum, ad quod sanctum Dei sensit mentis inflectere oculum. Priuilegium ergo ex integro Fisco præcipiens fieri, annullo suæ auctoritatis insignitum roborauit, & super corpus positum, eumdem beato Medardo, cùm integritate tradidit Fiscum. Postmodùm verò nulla votis supplicum obfuit interpolatio, sed manus applicantes ad feretrum, sine mora cùm omni facilitate illud sustulerunt. Ita enim eis ponderosa illa cessit substantia, veluti leuissima esse putaretur stipula, & nihil vltra pertulerunt oneris, quibus affluit supernæ gratia propitiationis.

3. *In vita S. Zenobij Episcopi Florentini; de eius translatione.* Zenobii corpus sanctissimum ad Ecclesiam deferre contendebant; sed cùm ipsius Ecclesiæ ianuam introire procurant, nescio qua diuina impediti virtute, illud omninò in Ecclesiam inferre nequeunt, nec qualibet via connixi, valuas Ecclesiæ ingredi possunt. Extolluntur clamores in populo, quidam hoc causam putant, quidam illud. Alii reportandum ad Ambrosianam Ecclesiam proclamabant. Sed Andreas Episcopus, vir sanctus, magna animi fluctuatione perculsus, ad optimum confugit orationis remedium, & coràm omni populo procumbens genibus, & tensis supplicibus palmis, oculisque in cælum suspiciens, piè orauit ad Dominum, ne contristaretur populus ille: sed liceret cùm Beatissimo corpore Ecclesiam ingredi, & illud statuto loco componere. Atque pro tanto beneficio duodecim ibidem constituere Clericos vouit, qui in honorem sanctissimi Pontificis, diuinis obsequiis perpetuò vacarent. Et oratione completa consurgens, submittit & ipse ceruicem feretro, hortaturque alios Pontifices vnà secùm ingredi Ecclesiam. Qui Deum laudantes, omni cessante impedimento, cùm iubilo totius populi Christiani, Ecclesiam Saluatoris intrarunt: & celebratis missarum solemniis, Beatissimum Zenobii corpus iuxta corpora Eugenii, & Crescentii ministrorum eius, in quadam eiusdem Ecclesiæ catatumba honorificentissimè locauerunt. Vbi & idem Pontifex Andreas altariolum sub ipsius nomine mira deuotione consecrauit. Ad quod plures diuersis oppressi languoribus, quotidiè concurrentes, continuò sanabantur.

4. *Ioan. Molan. in Nat. S. S. Belgij de S. Eloquio Abb. 3. Decemb.* Dùm per Famennam deferretur eius corpus, depositum in Morthusin, resumi non potuit, nisi fusis precibus, & Vuiderico duos mansus terræ Sancto Eloquio legante. Et sic Vualciodorum est peruentum tertio Nonarum Decembris.

5. *Ripamontius lib. 9. Hist. Ecclesiæ Mediol. de translatione Corporis S. Augustini Episcopi.* In finibus agri Derthonensis, locus est, quem Sauinarianum dicunt. Eò cùm delatum esset Augustini corpus diei vnius itinere non sine magnifica pompa; Rex Luitprandus ipse cùm proceribus, nocte, quæ insecuta est, ad custodiam excubauit. Postero die cùm tollere vellent arcam, accederentq. succollaturi, non poterant vllo modo eam dimouere; tentant, moliuntur, vi maiore machinis etiam admotis; arca tamen immota perstabat. Non dubitauere, quin miraculum, & diuina vis, & iræ aliquæ cælestes essent. Trepidant, hærent, lachrymantur; atque Rex in primis ipse Luitprandus inuisum se superis, auersari suam pietatem Augustinum arbitrabatur, vimque lachrymarum profundebat. Gratianus Episcopus Nouariensis erat in eo comitatu, vir inclytæ sanctitatis, & doctrinæ. Is hortatur Regem, vt exposcat precibus opem diuinam, addat vota; non dubitare se, quin vis diuina, vel vlciscatur sic aliquid piaculi, quod repentè fuerit contractum, vel certè aliquid velit. Nuncupat Rex votum, si moueri loco possint reliquiæ, se prædium illud Sauinariense facturum Ecclesiastici iuris, statimque leuem tollentes arcam adsportauere.

6. *In actis translationis S. Germani Episcopi Parisiensis.* Cùm nulla arte, nulla vi, nec orationibus fusis, S. Germani corpus tãto pondere grauatum leuari posset, vt ad nobiliorem locum transferretur; quidam diuino instinctu edoctus, ad Regem accedens, dixit illi. Si dignetur Rex ex ore serui tui verbulum audire, huius impossibilitatis causas veraciter enarrabo. Est in hoc pago Parisiaco villa vestra nomine Palaciolum, in cuius circuitu villæ, monasterii sunt: Fisci autem vestri ob fortitudinem sublimitatis vestræ valdè sunt insolentes contra

hunc

hunc locum, homines, & pecora cædẽdo, messes, prata, syluas vastando, familiamq. huius Ecclesiæ variè affligendo, Existimo virum beatum hanc à munificẽtia vestra exposcere. Attonitus Rex piùs ait: Iusta est hæc tribulatio nostra, & B. Germani pia admonitio. Ponens igitur vadium suum super tumulum: Accipe inquit, beatissime Germane, villam nostram cùm omnibus appendiciis, familiæ tuæ hactenùs inimicam, sed deinceps perpetuò profuturam, tantùm vt sacri corporis tui dignus portitor existam. His dictis, ipse, & electi ab ipso Optimates, manus ad feretrum mittunt, tantaque facilitate leuarunt, ac si nihil haberet ponderis. Quare Clerus, & Episcopi miraculo exhilarati in iubilosam vocem, Te Deum laudamus, eruperunt. Secutaque est alacritas populi, certatim vel feretrum, vel extremam partem vestium; vel vectes portantium, attingere exoptantis.

7. *Pet. de Natal. in Catal. S. S. lib. 4. cap. 13.* Cùm ad sepeliendum deportandus esset S. Mamertinus, corpus illius nullo modo loco dimoueri potuit, donec quidam carcere detentus, solutis, ac fractis vinculis ad illud deportandum cùm aliis venisset.

8. *Surius in vita S. Stephani Hungarorum Regis 20. Aug.* Vt ostenderet Dominus quanta misericordia Stephanus adhùc manens in corpore, præditus fuerit, eam etiam post mortem iàm cùm Christo regnans præ cæteris operibus se approbare declarauit; cùm enim triduò totis viribus in id incumberent, vt eius sacrum corpus eleuarent, nulla id arte loco mouere potuerunt. Eo nàmque tempore ob hominum culpas, inter Ladislaum Regem, & fratrem eius Salomonem, grauis fuit orta simultas, & seditio, cuius nomine captus Salomon, custodia tenebatur. Cùm ergo in corpore eleuando frustra sudarent, quædam inclusa apud Ecclesiam S. Saluatoris (Charitas ea dicebatur) cuius vitæ tùm erat celebris opinio, ex diuina reuelatione mandauit Regi, conatus eorum omnes irritos, & inanes forẽ, nec posse transferri sancti Regis corpus, donec Salomon venia impetrata, liber è custodia dimitteretur. Illo igitur è carcere educto, & rursùs triduano exacto ieiunio, cùm ad sacras transferendas reliquias tertio die ventum est, grande saxum sarcophago impositum tanta facilitate sublatum est, ac si nihil ponderis haberet.

9. *Surius in vita S. Venceslai Ducis Bohemiæ, & M.* Cùm post illius necem Pragam venerandũ corpus transferretur, deuenissentque vectores ad carcerem Arci Pragensi subiectum, immobiliter substitere, nec indè gressum dare potuere, priùs quàm vincti ad vnum omnes è carcere illo dimissi fuissent.

10. *Ferrar. Mense Feb. die 26. de S. Auertano confess. ord. Carmelit.* Cùm in Italiam vir Dei venisset, apud Lucam in Hetruria obitus sui diuinitùs præscius, à portarum custodibus, quòd pestis in loca finitima grassaretur, in vrbem minimè admissus fuit: quibus ille prædixit fore, vt quando sẽ vellent introducere, non possent. Is paulò post graui oppressus morbo, animam Deo reddidit 5. Kal. Martij, circa ann. salut. 1366. Cùmque ex eius corpore ingens splendor, & fragrans odor egrederetur, ac diuersis laborantes languoribus accedẽtes sanarentur, Lucenses illud in vrbem trahere conati, nunquam loco potuerunt dimouere, donec mutato consilio, & extructo ei templo, ponte super vrbis mænia erecto, sacrum illius corpus, non per portas, à quibus viuum excluserunt, introduxerunt, & sepulchro honorifico tumularunt.

11. *Idem ibidem, 8. Martij.* Cùm S. Lithifredus Episcopus Papiensis, corpus S. Honoratæ Virg. ex monasterio S. Vincentii in monasterium vetus, quod Historiarum dicebatur, transferret: ipsum corpus, cùm ad ædem S. Nicolai ventum fuisset, adeò graue effectum est, vt qui portabant illud deponere cogerentur. Cùm autem S. Episcopus Pallium suũ illi superposuisset, facilè ad monasterium memoratum delatum est.

12. *Idem ibidem mens. Maio die 20. de S. Petro Parentino; ex antiq. cod. Eccles. Vrbeuetana.* Cùm interfectores S. Petri, corpus martyris in puteum proiiecere vellent, nunquam illud è terra leuare, neque putei os aperire potuere.

13. *Idem ibidem mense Decemb. die 1. de S. Besso mart. ex m. s. s. Ecclesiæ Eporediensis.* Cùm sacrum B. Bessi corpus deferentes, ad pontem vrbis deuenissent, ita illud immobile effectum est, vt nulla vi vlteriùs moueri potuerit, nisi voto à Clero, & populo, quòd eius diem festum anniuersaria solemnitatẽ celebrarent, emisso.

14. *In actis S. Gratæ Virg.* Post multos à mortis tempore annos, cùm de sanctæ Gratæ corpore in aliũ locum transferendo cogitaretur; & indictã dies esset, hoc mirum accidit, vt nulla vi, nulla arte humana à loco, in quo erat, amoueri corpus illud posset; nisi priùs apparatus, & pompa augeretur, & pietas adstantium cresceret, & preces ad sanctam funderentur, vt fineret se aliò ferri; quod vbi factum, eorum voto sancta satisfecit.

15. *Baronius an. 438.* Cùm *Theodorus* Iunior, corpus S. Io. Chrysostomi Constantipolim transferri iussisset, ipso sacro corpore instar silicis loco inhærescente, & immobile permanente, qui illud ex theca argentea auferre, & deferre debebant, haùd potuere. Initum igitur consilium, vt Imperator ad Ioannem ipsum tanquam viuentem litteras daret, supplicis instar libelli, quibus eum de admissis in ipsum peccatis à parentibus, veniam petens, rogaret humillimis precibus, vt Constantinopolim redire, suamque sedem pristinam capessere dignaretur. Quod factum. Cùm igitur has ab Imperatore legati Senatores litteras accepissent, magnã veneratione super pectus Ioannis corporis collocauere; indictoque peruigilio, assiduis Deum rogauere precibus, vt hoc ipsum præstaret, quod humillimis votis religiosissimus exponeret Imperator. Peractis precibus res tentantur, reperiturque ex voto Ioannis corpus mobile.

16. *Surius in vita S. Albini Andegauensis Episcopi 1. Martij.* Cùm ad ciuitatem Venetensem ipse vir apostolicus accessisset, vno de obsequentibus iàm conuerso adolescentulo, quem pro morum qualitate peculiariùs diligebat, in loco defuncto atque sepulto, post annum eius corpusculum psallendo ad pro pria reuocabat. Tunc remorante eo pro

causa

causa, voluerunt feruientes priùs corpus mouere, quàm sacerdos occurreret, sed tanto pondere fit grauatum, vt antea potuissent gigantea membra prensare, quàm puerile corpus sufferre, dùm adhùc cadauer insepultum, crederetur iàm marmore premi, nec equi gressum poterant promouere, ac si puluis eius de se vincula eis generasset, donec Antistes rediens oratione solueret, quos tacente voce confixit.

17. *Idem in vita S. Hermelandi Abb. 25. Martij.* Cùm post aliquot annos ab eius obitu, ipso reuelante, transferretur eius venerandum corpus ad Ecclesiam S. Petri Apostoli, & ad refectorii ostium peruenissent, feretrum tanto cæpit pondere deorsùm premi, vt nulla posset ratione è terra leuari. Stupebant omnes rei repentina nouitate, simùlq. orabant Dominum, ne fineret distineri sacri corporis ad locum destinatum translationem: Ea prece absoluta, venerabilis Abbas Dauid ait. Cùm sit iàm missæ expletum ministerium, puto equidem beatissimum Patrem Hermelandum pro solita humanitate sua velle nos post tantos labores in refectorio sumere vini calicem. Obtemperatum est illi, sumpserunt singuli singulos calices, & ecce mira facilitate, & celeritate leuant corpus, & ad S. Petri ædem deferunt, ibique reuerenter condunt in monumento accuratè fabrefacto.

18. *In marty. Gallicano, 14. Iulij, de S.S. Ruffino, & Valerio.* Loco diuinitùs ingrauata eorum sacratissima cadauera, quoadusque tropheа altiùs infixissent, permanserunt: nec enim indè submoueri à fidelibus potuerunt; donec pace parata Ecclesiæ, fideque publicè recepta, inde Suessionem delata fuerunt, non sine diuinæ gloriæ magnificentia, & Ecclesiastici comitatus celebritate.

19. *Surius in vita S. Goaris Presb. 6. Iul.* Corpus Viri Sancti intra sarcophagum in locello plumbeo repertum est: quod illicò leuatum, atque in feretro compositum, ex eo loco ad oratorium B. Mariæ, quod ex antiquo in vicino situm erat, sublatum est, referendum paulò post, spectante populo, in ædis nouæ locum, ei recipiendo paratum. Visum deindè Episcopis est, vt quoniam propter angustias loci (nàm ex altera parte Rheno flumine, ex altera monte altissimo cingitur) vulgus omne in vnum coire non poterat, in longum circa radices montis diffunderetur, & ita reliquiæ venerandæ, propter frequentiam, & desiderium multitudinis paulò longiùs exportatæ, per superiorem viam, quę circa radices montis deducitur, in Ecclesiam nouę reuocarētur. Hoc probato cōsilio, cùm leuare feretrum Ep. voluissent, ita est pergrauatum, vt moueri omninò non posset. Hinc omnibus suspensis diutissimè, & hærentibus, Archiepiscopus, à Deo, vt post claruit, inspiratus, alloquitur plebem: B. Goarem quoad vixerit, inanem gloriam mundi, plaususque hominum, & fauores, vt rem fragilem, & caducam, amore bonorum perennium contempsisse, eaque nihilominùs eum post obitum quoque contemnere. Proindè oportere corpus simpliciter, & cùm humili deuotione leuatum, ab ipsa Ecclesia, in nouam domum per illud, quod intererat, spatii reportari, neque ad vulgi fauorem longiùs, vt statuerant, circumduci. Vix Pontifex verba finierat, & motum continuò feretrum, tanta facilitate leuatum est, ac si oneris aliquid habuisset nunquam, relataque in ædem nouam per Episcopos, & Abbatem reliquiæ venerabiles, in eo, quo nunc coluntur loco, cùm summo honore, & reuerentia sunt conditæ.

20. *Idem in vita S. Opportunæ Abbatissæ, 22. Aprilis.* Quidam religiosi viri, & vicini, cùm psalmis, & cereis conati sunt corpus Sancti Godegrandi proprii Epis. de terra erigere, vt iuxta consuetudinem Ecclesiasticam illud mandarent sepulturæ. Sed tanto pondere hæsit in terra, vt à nemine illorum posset moueri. Quo comperto S. Lanthildis cùm sanctimonialium agmine acriter lugendo, & flendo cæpit illùc pergere. Cui similiter contigit. Nàm nulla ratione corpus sanctum potuerunt de terra leuare. Relatio igitur tanti doloris ad B. Opportunam peruenit, quòd scilicet frater eius, iniusta factione Grodoberti iugulatus, iaceret in terra, & à nullo posset indè leuari. Quæ in Ecclesia existens, cùm omnibus sanctimonialibus sibi subditis Domino commendabat animam fratris: & à sacerdotibus missarum officiis celebratis, Deo obtulit sacrificia sincerissimæ orationis. Didicerat enim, Spiritu Sācto sibi reuelante, iàm fratrem suum ad cælos migrasse cùm palma martyrii. In ipsa quoq. diuina reuelatione Dominum deprecata fuerat, vt corpus fratris sui tàm diù immobile in terra iaceret, donec pro eius anima congruas Domino preces funderet, & dehinc propriis vlnis in Ecclesiam ad locum sepulchri deportaret. Adueniens igitur S. Opportuna, corpus fratris inter vlnas suscepit, & quem multi, & fortissimi viri nequiuerunt à terra leuare, ipsa cæpit sola sine labore portare.

21. *Pet. de Nat. l. 8. c. 67. de Translatione corporum S.S. Hermagoræ, & Fortunati.* Dùm S.S. M.M. Hermagoræ, & Fortunati inuenta corpora in nauem reposuissent, nulla vi, aut arte indè asportare potuerunt, inquirentes ne fortè quidquam de reliquiis eorum deficeret, reuersi ad arcam, reperiunt vnum ex calceis S. Hermagoræ, ex errore dimissum: quo suscepto, corpora cùm omni facilitate mouentes naui imposita, Gradum tulerunt, eaque ibidem honorificè deposuerunt.

22. *In an. Min. an. 1289. n. 44. de B. Petro Molianico.* Cùm Clerus, & deindè ciuitatis Senatus ad feretrum, quo sacrum pignus B. Petri deferendum erat, manus honoris causa admouisset, neuter ipsorū illud mouere potuit: Quapropter conuersi omnes ad Guardianum, & Fratres, stupefacti inquiunt. Vos Patres manus admouete, cōsodalemq. vestrū efferte, nos etenim, vt indignos, qui humeros eius sancto corpori supponamus, aspernatur. Illi vt primùm accesserunt, facilè sacrum pignus eleuauerunt, & ad præparatum vsque locum detulerunt.

23. *In actis Ven. Vrsulæ Benincasæ.* Postquam decessit è viuis Ven. Vrsula Benincasa, collocatumque fuit eius venerandum corpus in quadam decenti arca: dicta arca non potuit in foueam paratam reponi, nisi priùs ferretur ante aram Sanctissimi Sacramenti, licet capta mensura, dicta fouea longè maior facta fuisset, quàm arca.

Corporum, seù Sacrarum Reliquiarum à loco Depositionis, & sepulturæ, Furtum, seù translatio cælitùs impeditur.

§. 5.

QVanti ament cælicolæ requiem, qua eorum fruuntur animæ in cælo, & corpora in terra habere, diuinitùs impedita furta, eorumq. sacrarum exuuiarum Translationes demonstrant, De quibus.

1. ***Ferrarius in Catal.S.S.13.Feb.*** Cùm quidam furaturus caput S.Benigni mar. quod in argentea theca Tuderti asseruabatur, in Ecclesia se abdidisset, ac theca lapide confracta, abstulisset, nunquam loco egredi potuit, circuiens enim, nunquam Ecclesiæ ostium (diuina operante virtute) reperire potuit. Quare caput referro, in eademque theca recludere coactus est.

2. ***Idem ibidem, 1.Maij, de S.Aldrebando Episc.*** In eius translatione mira contigere; nàm cùm quidam digitum clàm sublatum, domum suam exportasset, in magnam incidit ægritudinem; à qua non priùs sanatus est, quàm digitum restitueret.

3. ***Pet. de Natal.libr.1.cap.12.de S. S. Diodoro, Mariano, & alijs m. m.*** Quidam, cùm de reliquiis prædictorum S.S. aliquas, quæstus gratia, subtraxisset, continuò in lectum decidit graui languore detentus; & commissum furtum confessus, reliquias restituit, & sic sanitatem recepit.

4. ***Idem, lib.5.cap.40. de S.Niceto mart.*** Processu temporis à fidelibus Ecclesia in ciuitate construitur, & corpus S.Niceti martyris illùc transfertur, solo manus pollice, ad eius solatium, Mariano dimisso. De corpore verò sacro nihil ampliùs vllo tempore potuit amoueri. Nàm, dùm Auxentius Ep.Maseupstiæ Ecclesiam fabricasset, & de reliquiis S.S.Tharaci, Probi, & Andronici, de Auarzana vrbe vicina partem pro consecratione Ecclesiæ obtinuisset, promissione facta quòd de reliquiis Niceti martyris partem in recompensationem referret; aperto sepulchro, manum ad auferendum ex membris aliquod posuit: sed confestim manus eius arida, & contracta facta est; nec priùs restituta, donec Episcopus, de temeritate pænitens, manum vt posuit pro consequenda sanitate ad corpus, reduxit.

5. ***Valafridus, in vita S.Galli, lib. 2. capit.11.*** Cùm innumerabiles apud tumulum S.Galli per merita ipsius virtutes ostendi creberrimè didicisset Victor Curiensis Rhetiæ Comes, inuidia perurgente, tanta nouarum generositate virtutum nostram gentem insigniri perdoluit: &, vt tunc fama vulgauerat, latenter voluit per abdita eremi superuenire, & pretiosi thesaurum corporis, si quo pacto potuisset auferre. Verùm Dei nutu citò regressus cognoscitur: nàm eo momento, quo iter illud aggressus est, de equo, cui insidebat, corruit, coxaque illius eo casu confracta est, Domino B.Viri merita in hoc quoq. remunerante, ne à loco, quem ipse elegerat, auferretur, quem de vltimis Hiberniæ finibus ad salutem multorum Rhetiæ, & Germaniæ destinauit: & vicini quidem exhibuerunt excubando, suæ deuotionis obsequia.

6. ***De mirac.S.Vinc.mart.Vlyssippone editis, c.2. apud Bolland. 22. Ian.*** Illud silentio tandum non est, quòd de sociis vnus, qui aderat, sibi ipsi, quòd accidit, euenisse confessus est: sibi videlicet de sacris ossibus quiddam, dùm multo metu hostium carptim colligerentur, se furto tulisse. Quo facto, tamdiù permansit visu priuatus, quòad reliquis partibus partem quam tulerat trepidus admodùm, & mæstus adiungeret, statimque suum oculis officium, impetrata venia, redditum est.

7. ***In actis S.Simeonis Stylitæ, apud Boll. 5.Ian.*** Cùm iaceret S. Simeon in feretro, volens Ep. Antiochiæ de barba illius pro benedictione aliquid cõtingere, vt extendit manum suam, statim arefacta est. Et multæ Orationes, & obsecrationes fiebant ad Deum pro eo: & sic restituta est manus eius.

8. ***Ibidem, 23.Iann.de S.Ioanne Eleemosynario.*** Indulserat annos ante viginti Archiepiscopus Strigoniensis, ex S.Ioannis sacro corpore articulum digiti pedis vnum, Regis Mathiæ II. postulationi: nemo tamen è numero Canonicorum particulam illam auellere ausus est, quòd dicerent, à maioribus traditum, eum mente captum iri, qui corpus venerabile truncarit. Itaque Religiosus Sacerdos, facto priùs ad tumbam sacri pignoris sacrificio, articulum à partium reliquarum societate diuellit, & (mirum dictu) è mentis statu tandem ante finem vitæ suæ deiectus est.

9. ***In actis S.Irmundi, apud Bollandum, 28. Iann.*** Fertur, puellam quamdam (Catharinæ ei nomen erat) ancillari labore tunc quidem Coloniæ occupatam, nunc verò ibidem Ioanni Schurman eiusdem oppidi Senatori matrimonio elocatam, cùm reliquiarum S.Irmundi particulam imprudendenti pietate sublatam, & Agno Dei impositam collo gestaret, continua inquietudine interdiu, & in somnis agitatam fuisse, donec sublectam à se particulam, ad eas, quæ è flammis supererant, reliquias reponeret.

* 10. ***In actis S. S. Februarij, tom. 3. in Continuatione Bollandi.*** Cùm anno 1127. in ciuitate Treuirica repertum esset corpus S. Mathiæ Apostoli, Theodoricus Virdunensis Episc. cognomento Sanctus, cùm se inclinaret, vt quippiam Regi Henrico, ac sibi de sancto corpore tolleret, diuinitùs coercitus, deorsùm ruens, partem cappæ purpureæ, eo quòd ossa sacra tetigerit, abscissam in ipso perdidit sarcophago.

11. ***In menol. Carmelit. de S. Alberto.*** Viterbii duo fratres vltra montes insignem S. Alberti Reliquiam noctu deuotionis ergo surripiunt è nostra sacristia Viterbii, clàm abscedunt, & furtum asportant, cùm die integra itinerati essent, in sero iterùm circa mænia ciuitatis Viterbiensis iter confecisse dignoscunt. Sequenti die impænitentes itineri se tradunt, aduesperascente cùm via fatigati essent, adhùc se sub mænia vident ciuitatis Viterbii, horrent, & silent, nec pænitet eos sacri furti; se tertiò itineri accingunt, & idē eis contigit. Quare Dei iudiciũ agnoscunt, & pauent trepidi, ad R. Archip. montis Falisci se conferunt, rē ordinatè ei dolentes aperiunt, & rogant, sacram D. Alberti reliquam Carmelitis Fratribus Ciuitatis Viterbii consignare fideli-

deſiter non dedignetur - Annuit iſte, & fæliciùs diſcedunt ſirunculi.

12. *Vinc. Bel. l. 29. c. 32. de B. Petro Claraualenſi.* Eo mortuo, quidam frater, vnum de dentibus eius pro reliquiis extrahere cogitauit, putans ſe hoc facilè facturum, quia mortuus os apertum habebat, cùmque ſe ad hoc faciendum prępararet, os ita clauſum, & obſtructum reperit, vt propoſitum impleri non poſſet.

13. *S. Gregorius Magnus, libr. 3. epiſ. 30.* Eo tempore, quo paſſi ſunt S. S. Apoſtoli Petrus, & Paulus, ex oriente fideles venerunt, qui eorum corpora ſicut ciuium ſuorum repeterent. Quę ducta vſque ad ſecundum vrbis milliarium, in loco qui dicitur ad Catacumbas, collocata ſunt: ſed dùm ea exindè leuare omnis eorum multitudo conueniens niteretur, ita eos vis tonitrui, atque fulguris nimio metu terruit, atque diſperſit, vt talia denuò nullatenùs attentare præſumerent.

14. *Raynaldus, an. 1212.* Cùm reliquiæ S. Ruffini mart. de nouo tranſlatæ fuiſſent, populo tunc ad Eccleſiam ipſius de diuerſis partibus veniente, quàm plures ad ſepulchrum, de quo S. Martyr tranſlatus fuerat, accedentes, de puluere qui poſt reliquias extractas remanſerat, aſſumebant, vt illum in honorem eiuſdem S. Martyris ad propria deportarent, ſed cùm ab Aſſiſio per milliare, vel non multò ampliùs reuertentes diſtarent, tunc quidam morbo angariati, ita quòd vlteriùs progredi non valentes, quidã verò notitia viarum amiſſa per vias erroneas gyro vagantes, tamdiù ſic impediti detinebantur, quoad pænitentia ducti, ad Eccleſiam S. Ruffini M. redirent, & ipſum puluerem in loco, de quo aſſumpſerant, poſtulantes ex eo veniam, reſignarent: quod cùm vidiſſent Canonici, ſicut bonæ prouidentiæ viri, habita tunc inter ſe ſuper hoc competente deliberatione, ipſum etiam puluerem pro vt expediebat, ne quis vltra manum illic apponeret, incluſerunt.

15. *Secundus Lancellottus in Hiſt. Oliuetan. l. 2. de monaſterio Saxouinio; de tranſlatione reliquiarum S. S. Carpophori presbyteri, & Abundij Diaconi.* Thomas Vrſinus Fulginatum Proepiſcopus, qui aderat, cùm religione ductus, martyribus dentem ſubduxiſſet, & è manibus in ſacrorum oſſium arcam prolapſus eſſet, inueniri nunquam potuit, relictu rum vouente, illicò apparuit.

16. *Bartholomaeus Piſanus, de Lingua S. Antonij Vlyſſippon.* Linguam S. Antonii cùm quidam Generalis vellet à loco Paduæ deportare, nunquam vidit portam aliquam, vndè exiret. Vndè ipſam repoſuit in quodam altari, cuidam fratri hoc patefacto ab eodem Generali miniſtro. Qui frater poſt 34. annos veniens ad mortem, fratribus indicauit. Quam reuerenter de altari prædicto tollentes, in quodam tabernaculo cryſtallino poſuerunt, & hodię ipſam inſpicientibus integra eſt, & ſana.

17. *In actis S. Erendrudis Virg. & Abbatiſſæ.* Eius tranſlationi vltimæ interfuit Mazalinus Abbas S. Petri, frater Vuiradis Abbatiſſæ, qui præſumptuosè rapuit os pectoris S. Erẽdrudis, quapropter cæcitate ſtatim percuſſus, omneſq. qui aderant perterriti, & obumbrati quibuſdam tenebris quaſi eclipſi ſtabant compuncti: ipſe verò Mazalinus reatum ſuum agnoſcens, cùm lachrymis, & ſuſpiriis B. Erendrudi ſupplicauit, vt ſibi ignoſceret, quòd venerandas reliquias ipſius auſu temerario præſumpſiſſet attrectare; promittens Deo, ſanctæq. Erendrudi, ſi viſum priſtinum eius meritis, atque ſuffragiis impetraret, Abbatiam velle reſignare, & vitam eremiticam eligere: qui ſtatim illuminatus, Abbatiam reſignauit, & in monte Caprarum vſq. ad obitum ſuum vitam ſolitariam duxit.

18. *Cæſar Franciottus, in vita S. Dauini Confeſſ.* Canonicus quidam, cùm videret miracula, quæ ad Sancti corpus fiebant, ſtatim eum cupido inuaſit aliquam eius reliquiam apud ſe habere, videnſque id difficile ſe poſſe conſequi, cùm magna hoc pignus cuſtodia ſeruaretur, apud ſe ſtatuit noctu digitum manus à Sancti corpore auferre; vix ſuam admouit manum, vt illius auferret digitum, cùm diuina potentia immobilis redditus, diſcedere non poterat, donec Clerus, populuſq. manè aduenit; cùmq. omnes orationem pro eo funderent, factum eſt, vt liber indè diſcedere potuerit.

19. *Bz. in an. Eccl. an. 1246. n. 3. de B. Petro Conſaluo, ord. Præd.* Tudenſis quidam Canonicus, ſtatim ac Petrus mortuus eſt, cupidus reliquiarum ipſius, cultro educto, nitebatur cingulum præcidere. At ſpina ſuſſlaminans, tanto impetu erupit, vt illum vulnerarit.

20. *Philipp Ferrar. menſe Ian. die 16. de S. Ioanna Virg. Moniali Camaldulenſi; ex monumentis Eccleſiæ Balnenſis.* Cùm quidam clàm eius reliquiarum partem noctu abſtuliſſent, in ſuam ipſorum Patriam deferendam, cùm per totam noctem incedentes longè à Balneo diſtare ſe arbitrarentur, manè ſe ad Balneenſis Eccleſiæ ianuam inuenere. Quare ea re perterriti, crimen confeſſi, brachium, quod abſtulerant, reſtituerunt.

21. *In actis S. Treuerij monachi, c. 3. ap. Boll. 16. Ian.* Nocte furtim venientes tres Clerici ab Anſilla monaſterio, egerentes humum, cùm violenter vellet S. Treuerii corpus aſportare, & profundè foderent, exiſtimantes aut lapidem, aut lignum inuenire, vnus de ipſis Clericis caput S. Treuerii percuſſit, mox excæcati, & rigore percuſſi, quaſi clauis confixi, vſq. dùm ſacerdotes, quorum vni de illius eleuatione facta fuerat reuelatio, & cùm multitudine populi venerunt, mouere ſe ipſi clerici non potuerunt: oratione verò facta pro ipſis, ſani reuerſi ſunt ad locum ſuum.

22. *Franciſcus Ballarinus, in compend. Chronol. Nouocomenſis ciuitatis, par. 3.* Cùm Pratenſes incolę armata manu noctu acceſſiſſent ad Eccleſiam, ſeu oratorium S. Michaelis, in quo recondita ſunt ſacra pignora S. Mirri eremitæ, vt indè ea auferrentes, in proprium oppidum deferrent, adeò eorum manus arefactæ, & ad opus inhabiles euenere, vt nihil tentare potuerint; quo prodigio perterrefacti abierunt, votoq. promiſerunt, quotannis ad eius ſepulchrum venerationis cauſa ituros, quam conſuetudinem vſque adeò conſeruant.

23. *In actis S. S. Februarij, tom. 3. in Continuatione Bollandi.* Cùm quidam hypocrita, brachium S. Vualpurgæ, & calicem aureũ furtim ſurripuiſſet, & in monte, in quodam lapide concauo abſcondiſſet,

set, nullo modo indè auferre, neque ipse quaquam potuit abire.

24. *Metellus Tegernsensis in Quirinalibus.* Cùm Aran Ep. cùm Abbate Megilone, reliquias B. Quirini apud Ilminam tollere nixus esset, sensum, visumq. perdidit; quem acquisiuit reliquiis restitutis, precibusque placato martyre.

25. *In actis S. Quintini M. ap. Boll. 3. Ian.* Priùsquàm Eligius eiusdem loci datus esset Episc. extitit quidam vir improbus, nomine Maurinus, vt videbatur populis, habitu religiosus, cantor etiam in Regis palatio laudatus, atque ex hoc vt rei docuit exitus, mente tumidus, corde proteruus, atq. actione dissipatus: qui audacia suæ præsumptionis deceptus, cæpit verbis extollere, à se martyris Quintini corpus, & inquiri posse, & inueniri: sed vt eius proteruiam illicò, & Eligii merita demùm Dominus declararet, mox vt terram sarculo scalpere cæpit, manubrium fossorii manibus eius inhæsit: sicque miser opus præsumptum relinquens, sequenti quoque die in manibus suis vermibus ebullientibus, miserabiliter expirauit. Ex quo facto, tantus timor adoleuit in populo, vt nullus deinceps, quamuis probabilis vitæ, præter Eligium, huiusmodi negotium auderet appetere.

26. *Vinc. Bel. l. 23. c. 155.* Monachi cenobii Cassinensis, auctore Carolomanno, Romam venerunt rogantes Zachariam Papam, vt litteras Pipino Regi Francorum dirigeret, quatenùs corpus B. Benedicti, quod Floriacenses monachi furtim sibi vendicauerant, suo restituat loco. Quibus Papa annuens, per eumdem Carolomannum, Episc. Franciæ scripsit, vt corpus ad tumulum suum referretur. Quod vt Fratribus innotuit Floriacẽsibus; triduum ieiunium celebrantes, his verbis B. Benedictũ orabant ante eius sepulchrum. O vnica spes nostra post Deum, ne derelinquas nos orphanos, qui hùc non nostris meritis, sed pro multarum animarum salute venisti: crederes super pauimentum pluere præ nimia lachrymarum inundatione, & cùm iàm in his singultibus, & lachrymis totũ expendissent triduum: ecce memorati Ep. adsũt, mãdata Regis implere cupiẽtes, moxq. reserari sibi fores Ecclesiæ iubent. Tunc templum S. Mariæ ingressi, antequam ad S. Benedicti appropinquassent tumulum, in dessolationem, & formidinem sunt conuersi, & tanta cæcitate perculsi, vt nec inuicem se recognoscere quirent. Cùm autem se diuina vltione cæcatos esse sensissent, cæperunt errabundi per Ecclesiam pergere, quoad restes campanarum impegissent, quas vi magna cæperunt trahere. Non enim aliter poterant his, qui foris remanserant infortunium suum notificare. Quo exciti sono fratres, de iàm dicta Apostoli Petri processerunt Ecclesia existimantes triste spectaculum se visuros. Explorãdi gratia quidam ex eis iuerunt, & mox per Ecclesiam illos errare deprehendentes, egressi sunt dicentes. Quia pius Pater Benedictus exaudiuit nos, & suscepit lachrymas nostras; venite, & videte magnalia Dei. Cùmque pariter introissent, inuenerunt eos cæcos clamantes, & dicentes. Væ nobis, qui S. Patris Benedicti requiem temerare venimus, & ideò cæcitatem incurrimus. Vos autem serui Dei mitiùs agite nobiscum, & nolite nobis secundùm præsumptionem nostram reddere talionem, sed orate pro nobis Deum, vt aperiat oculos nostros, nosq. vobis promittimus, nunquam talia præsumpturos. Ad hæc verba Fratres solotenùs fusi orabant attentiùs, vt diuina pietas eis lumen reddere dignaretur, & cùm orarent, aperti sunt oculi eorum. Reuersique ad Regem, narrauerunt quæ fuerant passi, addentes quòd non deberet Gallia tàm sanctis ossibus viduari.

27. *In Hist. Camaldul.* Ann. 1578. Gregor. XIII. Pont. Opt. Max. compertum habens, Corpus S. Gregorii Naziãzeni requiescere Romæ apud monasterium sanctimonialium S. Mariæ Campi Martii, fecerat illud requiri; idq. inuentum in arca plumbea triũ palmorum longitudine, duorum verò latitudine, cõgregari fecerat Clerũ die 16. Martii Dominica Passionis quinta sacræ quadragesimæ, vt processioni solemni ad Basilicam S. Petri in Vaticano deferretur, vbi habentur tres alii Doctores Græci; *sed vix* cæpta rogatione, tanta repentina *pluuia* erupit, tanta atri nimbi inuoluere diem tempestate, vt nullatenùs loco leuari potuerit. Quod cernens summus Pastor, iussit sacrum corpus adhùc ibi relinqui, & statim non sine magno miraculo serenum rediit cælum, obscuris discissis nubibus. Facta postea fuit eiusdem sacri corporis translatio die 11. Iunii.

28. *Surius in vita S. Audoeni Ep. Rhotomagensis, c. 20. 24. Aug.* Cùm suas Paræcias, verbum Dei seminando circumiret S. Audoenus, venit in pagum Constantinum. Vbi autem ad monasterium Beati Marculphi accessit, rogatus est à Bernoino, eius monasterii Abbate, vt corpus S. Marculphi in alium locum transferret: Eius precibus vir Dei satisfaciens, transtulit sacrum corpus in apsidem cùm hymnis, & congruo honore. Postea verò petiit ab eodẽ Abbate, vt permitteret ipsi sumere quippiam de *illo* corpore. Abbate benignè assentiente, *B. Audoenus* caput S. Marculphi *pro reliquiis secùm* absportare statuebat; sed eo illhùc meditante, ab improuiso reperta est in eius palma chartula cælitus missa, quæ illum admonuit, ne caput S. Marculphi à corpore separare ausus esset: sed aliis locis ex corpore eius reliquias pro voto acciperet. O virum Deo vsque adeò dilectum, vt adhùc in terris degenti, è *cælis* epistolam scribere dignatus sit.

29. *In ann. Seruorum Cen. 1. lib. 7. cap. 3.* Non defuit aliquandò Florentinorum audax, & importunum desiderium adsportandi ad patriam Sanct. Philippum conciuem suum: Ij enim facultate priùs ab Honorio quarto sacrum illud *pignus* recipiendi accepta, cùm à Tudert. id prorsùs negantibus impetrare nõ possent, intẽpestiua nocte corpus illud furtim efferre statuerunt, & iàm super mulũ eduxerãt; quandò diuino obsistente numine factum est, vt Agaso ipse post descensum montis, in planitie per totam noctem deuians, in circuitu quodam, cuius adhùc vestigia in agro, quem possidet Canonicorum collegium, apparent, frustrà ambularet: Cùmque se longè ad vrbe sperarret abesse, diluculò tandem agnouit se mirabili modo elusum; quòd vix dimidium milliare ab ea ciuitate distaret. Quò sanè miraculo exterrefactus, errorem agnoscens, & in eo à Tudertinis deprehensus, sacrum

crum

ertum illud furtum, vndè abstulerat, continuò retulit: nàm eadem nocte Tudertinorum infantium, & puerorum insultantes clamores indicarunt, corpus serui B. Virg. Fr. Philippi foràs asportari. Qua denique comperta Florentinorum fraude, Tudertini mirum in modum postea inuigilarunt, ne tàm pretioso thesauro priuarentur.

30. *Signius, c. 14. Reliq. ex Greg. Turon. de Glor. Confess. de S. Germano.* Tempore Reudechildæ Reginæ, Nunnius quidem Tribunus ex Aruerno, de Francia, post reddita Reginę tributa, reuertens, Antisiodorensem vrbem adiuit, causa tãtùm religionis, prouolutusq. ad B. Germani sepulchrum, cùm diutissimè orasset, extracto de vagina tigre, lapidem, qui super venerabile sepulchrum habebatur, nemine vidente, percussit, de quo excussa particula modica, tãquam æneus diriguit, ita vt nullum membrum posset vllatenùs mouere, aut vocem emittere. Videntes autem pueri eum sic iacere, nesciebant, quid ei euenisset: accedens verò vnus eorum, cùm eum interpellasset, & nullum ab eodem responsum accepisset; tunc ille, vt terra frigidus, in corde suo intelligens se damnatum, vouit dicens. Scio me præsumptuosum extitisse, confessor beatissime, sed deuotio exegit, vt præsumerem: ideò si me dignaris absoluere, & ad propria cùm tua gratia reddere permiseris, in basilica has reliquias condens, festiuitatẽ tuã deuotissimè quotannis celebrare curabo. Cuius clausum murmur vir sanctus intelligens, tùm absoluit; & abire tùm permisit incolumen. Qui veniens, reliquias illas in Ecclesia posuit, & Sancti festa per singulos annos fideliter celebrauit.

31. *Metaph. in vita S. Martiani presbyteri, apud Surium, 10. Ian.* Cùm diuinorum Oratoriorum ędificationis quodã vehementissimo teneretur amore bonus re vera Martianus, nec magnũ quoq. neglexit Isidorum: sed vt eius sacras afferret reliquias, & magnificentissimam ei ædem extrueret, magno sibi duxit studio contendendum: nec cessabat omnem locũ considerare, ac contemplari. Et ideò adhùc quidem differebatur ædificatio; cùm autem eius collegisset reliquias, & in loculo deposuisset, eas statuit in pręsentia seruare in templo M. Irenes. Vbi autem breui aliquo post tempore aggressus est eas transferre, accidit ibi aliquid admirabile, & arcanum. Neque enim ipse, nec alia multa manus hominũ potuit thecam ampliùs mouere; diuinam ergo aliquam rem esse arbitratus, & cùm alioqui ei in somnis ipse significasset martyr, se loco delectari, neq. velle hinc suas transferri reliquias, deinceps parens visioni, construxit hanc ædem, quæ sita est propè templum martyris Irenes. Quòd hæc ædes autem sit grata martyri, per multa hoc signa significat, euidenter apparens, & magna miracula assiduè efficiens.

32. *Ferr. in Cat. S. S. 24. Octob. de S. Martino Ab. monasterij Vertani.* Mortuus est in monte Marsico, ibiq. in Vertano monasterio sepultus; quod monasterium cùm corruisset, Dux Beneuẽtanus cùm Archiep. & Clero ad S. Viri sepulchrũ, vt corpus illius Beneuentum transferrent, venit: sed cælo repentè turbato, monteq. tremore concusso, aere fulgoribus coruscante, fragoribusq. at tonitruis personante, Beneuentum re infecta redire coacti sunt.

33. *In Sanctuario Capuæ, de eodem S. Martino.* Alio tempore cùm Pandulfus Princeps, Landulfi filius, & Lãdulfi, cui Normãdi Principes successerunt, auus, Capuæ dominaretur; Abbas quidam religiosus, Hilarius nomine, S. Vicẽtii monasterio præerat; is Cellæ, in qua S. Martini monasterium erat, monachum quemdam præposuerat; qui furtim venerabile corpus abducere, & aliquid pretii se posse pro hoc acquirere cogitauit. Cùmq. noctu ad tumulum tangendum temerarius accessisset, subitò tantus factus est terræmotus, vt montis ruinam instare crederet. S. autem Martinus Abbati prædicto, qui apud monasterium S. Vincentii Capuæ dormiebat, in somnis apparuit, dicens. Quid talem corpori meo custodem adhibuisti?

Sepulchra Sacrarum Exuuiarum contemnentes, diuinitùs puniti. §. 6.

MOrtuorum sepulchra haùd esse contemnenda, admonuit Ecclesiast. c. 38. cùm ait. Fili in mortuum produc lachrymas; & non despicias sepulturam eius. Grauiter igitur à Deo puniuntur, qui mortuorum temerè spernunt sepulchra. De quibus.

1. *Nicetas de rebus S. Ignatij.* Lydus Sacellarius suggestione Photii impudentis, monasteriũ ingressus est, vt omnes qui in S. Ignatii sepulchro preces effundebant, vt suis ægestatibus opem ferret, verberibus, & iurgiis pelleret: at hoc cùm fecisset, addidit malum malo, & præcepit, vt propè sacrum sepulchrũ effodiatur, & profundè terra euertatur, ea videlicet occasione, eò quòd eo in loco à Patriarcha multum aurum aliàs fuerat occultatum, reuera autem vt hoc dedecus impingeret venerandis illis reliquiis: ita inuidia illum omninò occupauerat, insanam videlicet eius animam, vt ne post mortem quidem illum quiescere sineret: sed vnà cùm impio illo mandato, impium etiam ira à Deo immissa adorta est, non ferente in hoc loco Dei longanimitate, sed velociter merito inferente vindictam. Quamprimùm igitur vehementer clamans superbus ille, ac si interficeretur, sursùm, ac deorsùm proprio sanguine instar fluuii ex ore manante cruentatus, & elatus alienis humeris, quasi voce carens, quatuor diebus ita tormentatus, efflauit animam.

2. *S. Greg. l. 1. Dial. c. 4. de Equitij Abb. sepulchro.* Silere non debeo, quod de hoc viro, Abbate quondã meo reuerentissimo Valentino narrante agnoui. Aiebat namq. quia corpus eius dùm in B. Laurentii martyris oratorio esset humatum, super sepulchrũ illius rusticus quidam arcam cùm frumento posuit, nec quantus, qualisq. vir illìc iaceret, perpendere, ac vereri curauit. Tunc repentè turbo cælitùs factus, rebus illìc omnibus in sua stabilitate manẽtibus, arcam, quæ superposita sepulchro eius fuerat, extulit; longèq. proiecit, ità vt palàm cuncti cognoscerent, quanti esset meriti is, cuius illìc corpus iaceret.

3. *S. Greg. Tur. de Glor. Confess. c. 33.* Ad tumulum S. Amabilis in Aruerna ciuitate, cùm Dux Victorius despexisset orare, adfixo è regione equo, nequaquam poterat amouere. Quem cùm flagris, stimulisq. vrgeret, & ille quasi æneus staret immobilis, tandẽ aliquandò Dux cõmonitus à suis, ad orationẽ descendit. Cùmq. fideliter orasset, quò voluit iuit.

4. *Idem ibidem, cap.17.* In quodam pago Turonico erat inter vepres, & rubros sepulchrum positum, in quo ferebatur, Episcopum quendam fuisse sepultum, nomen ignorabant. Contigit verò, vt cuiusdam pauperis filius moreretur: quo sepulto, cùm opertorium sarcophagi non inueniret, ad hunc locum accessit, ablatoque de hoc sepulchro cooperculo, quod tam immane erat, vt tribus duceretur paribus bouum, texit corpusculum filij fulto alterius sepulchri. Quod cùm fecisset, surdus, mutus, cæcus, ac debilis est effectus; mansitque in hoc supplicio integrum ferè annum. Dehinc adparuit ei quidam sacerdos per visum dicens: Quid, inquit, tibi, tuisque vim intuli, ò vir, quia detexisti me auferendo opertorium tumuli mei? vade nunc, si vis sanus fieri, iube ipsum velociter reuocari: quòd si nolueris, protinùs morieris. Ego enim sum Benignus Episcopus, qui in hanc vrbem peregrinus adueni. At ille suis innuens, accessit ad monumentum filii sui. Eleuatumque lapidem, plaustro imposuit, reportatumq. vt sarcophago reddidit, illicò sanus effectus est.

5. *Idem ibidem, cap.36.* In Basilica S. Venerandi ciuitatis Aruernæ, dextera de parte sepulchrum videtur super terram situm, rusticiori formatum lapide: sed ignotum est omnibus quis quiescat in eo: nàm haberi in eo diuinum aliquid, res ipsa, quam dicturus sum, pandit. Mendicus quidam, vt ipsis oculis nostris inspeximus, super ipsum erat solitus considere: sed credo, eum, vt fragilitas humana præbet, in aliquod indignum facinus obuolutum; quia virtute quiescentis cùm sonitu magno excussus longè proiectus est, sepulchrumque medium crepuit, quod vsque nunc ita cernitur: indignum quippè se hominem humatus existimauit, qui super hos artus deberet facere sessionem.

6. *Idem ibidem, cap.92.* In Dolensi Biturigi termini vico, Beatus Lusor, Leucadi quondam senatoris filius, requiescit, qui fertur in albis migrasse à sæculo: in crypta verò positus, super pauimentum sepulchrum habet ex marmore Pario mirabiliter exculptum. Factum est autem vt quadam vice S. Germanus Parisiacæ vrbis Episcopus ad hunc tumulum vigilias celebraret, haùd procùl formulam habens, in qua genua, cùm necessitas cogeret, deflectebat. Factum est autem in vna vigiliarum nocte, dùm psalmos lectionis Dauidicæ decantarent, stationis labore lassi clerici quasi pro aliquo releuamine se super sepulchrum Sancti defixis vlnarum compagibus sustentarent. Contremuit illicò Beati tumulus confessoris, & sibi iniuriam inrogari præsenti vibratione fatetur. At Germanus Pontifex terrore perterritus, amoueri desuper præcepit somnolentos, dicens, Absistite ò segnes procùl à tumulo, ne Sancto Dei molestia inferatur: quibus amotis, tremorem illum deinceps non senserunt.

7. *Idem, de Glor. marty. libr.1. cap.44.* Cùm Sanctorum Agricolæ, ac Vitalis sepulchra Bononiæ humo defossa, & eruta fuissent, & à multis (vt fit) vel manu tangerentur, vel ore oscularentur, admonuit æditüus templi, vt immundi ab his arcerentur; quidam autem audax, atque facinorosus, operculum vnius tumuli remouet, vt scilicet aliquid de sacris auferret cineribus; missoque introrsùm capite, oppressus ab eo, vix ab aliis liberatus, confusus abscessit; sed cùm maiori reuerentia sanctorum adiuit sepulchra. Sic nimirùm prædo, præda factus est, & fur à suo furto, Dæmoni ablatus, Deoq; ac sibi restitutus.

8. *Vuillelmus Malmesburiensis libr. 4. de Gestis Pontif. Anglorum, de B. Etbedrida Virg.* Cùm multo tempore ab eius morte Dani in monasterium irruissent, & effugatis habitatricibus, habitacula subruissent, eorum vnus, cui cordis immanitas rabiem aspirabat, pretiosum pallium, quo tumba B. huius Virginis operiabatur, surripuit, & marmor mausolei bipenni percussit, quo ictu cùm crusta dissiluisset marmoris, fragmentum illud, repercusso à terra impetu, in oculum percussoris volauit: Sed & ipse in terram sine mente ruit. Cæteri certatim, illo erecto, aliarum sanctarum sepulchra, quæ temerare meditabantur, inuiolata relinquentes in fugam proruunt.

9. *In actis S. Leodegarij, apud Mombritium.* Biennio expleto audiens Ebronius, corpus S. Viri Leodegarii multis miraculis illustrari: miserabili cruciatus inuidia, militem illùc misit: vt an sic se haberet veritas, intimaret: Miles autem superbus, & arrogans cùm illùc venisset, calce tumbam Sancti percutiens exclamauit. Moriatur qui mortuum miracula facere posse credit. Mox ille arreptus à dæmonio, & subitò moriens, morte sua sanctum longè ampliùs commendauit.

10. *S. Anselmus in Passione S. S. Guigneri, & soc. c.10.* Super sarcophagum venerabilis cuiusdam Ep. qui de contubernalibus fuerat Regis Clitonis, corruptor quidam, gremia cuiusdam mulieris incestare præsumpsit, qui more canum in ipso opere turpitudinis inseparabiliter copulati, nulla poterant ratione ab inuicem separari. Adducuntur tandem ad memoriam Martyris gloriosi Guigneri, vbi merito testis Christi, & intercessione fidelium liberantur.

11. *Cranzius in Sax. li.4. cap.33. an. Dom.1012.* Apud Saxoniam in Colbecke villa Halberstadensi, Othbertus quidam cùm decem, & octo sodalibus, viris 15, & fæminis tribus, choreas ducens nocte Natalitiorum in Cæmeterio S. Magni, cùm non desisterent admoniti à sacerdote, eius dira imprecatione, sine quiete per annum integrum in eodem statu manserunt, inuicem manibus hærentes, & non multò post interierunt.

12. *Flodoardus Rhemensis, lib.2. c.14. Hist. Rh.* Puer quidam, scholaribus apud loci presbyterum studiis deditus, laxiuè quondam ludendo supra tumulum S. Rigoberti subsilire cæpit, non dans honorem Deo, neq. Sancto ipsius ibidem sepulto; sed vt sepulti meritum panderetur, & huiusmodi præsumptio cohiberetur, cōtinuò pes illius indoluit, moxq. claudus effectus, officium pedis vnius amisit.

13. *Idem ibidem, lib.3. c.8. de Ecclesia Rhemensi.* Quidam ex clericis nostræ Congregationis, Bernardus nomine, custos huius erat Ecclesiæ: Hic, dū quadam die cùm quodam puero solus esset in templo, correpta quadam pyxide, in qua Sanctorum continebantur reliquiæ, ausu temerario præsumpsit aperire. Quo facto, nimio pauore concutitur, & nebula locu-

locus totus magna repletur: talique vallatur horrore, vt non putaret se ampliùs viuere. Sicque perdita voce, tàm ipse, quàm puer, qui secùm erat, vltra loqui, nec ea, quæ viderunt fari potuerunt.

14. *In actis S. Offæ Abbatissæ*. Cùm aliquandò rusticus quidam in loco sepulti corporis S. Offæ ignoranter frumenti saccum apposuisset, illum inuisibili manu, indè remotum longè reiectum inuenit.

15. *In actis S. Marij Abb. Bodanensis, apud Bolland. 27. Ian.* Quadam die quædam puella innupta, mentis leuitate ducta, lapidem dirigens, aram S. Confessoris percussit: nec dùm directus lapis in pauimento ceciderat, cùm neruorum viribus exhaustis, & membrorum virtute debilitata, puella cecidit.

16. *Ibidem in actis S. Ioannis Abb. Reomaensis de transalat. 28. Ian.* Quidam Archidiaconus, nomine Gerardus, cùm iuxta illius sepulchrum videndi caussa incautiùs fortè accederet, genuque flexo manum super ora sarcophagi irreuerenter teneret, cooperculum sarcophagi se paullulùm erigẽs, quia pronum in terra iacebat, validissimè corruit, digitosque ipsius maxima confractione contriuit, ita vt omnia ossa digitorum eius minutatim confringeret. Qui grauissima fracturæ ipsius cæpit molestia fatigari, ita vt ne ad os quidem adducere, non solùm digitos, verùm etiam brachium, dolore arcente, valeret. Qui cùm tota die ad sepulchrum S. Ioannis mæstus, & anxius resideret, subitò virtute omnipotentis Dei sanus effectus est.

17. *In actis S.S. Feb. tom. 1. in Contin. Bollandi*. Quidam iter agens, cùm transisset secùs Ecclesiam, in qua S. Martyris Alexandri positæ sunt reliquiæ, & vellet præterire, admonitus à puero, qui eum comitabatur, ut ad sacras reliquias causa orationis paullulùm declinaret: Respondit, sibi tunc esse festinandum, tempore verò opportuno ad orationem esse veniendum. Inter hæc verba subitò equus, cui sedebat, inuisibili potentia fixus stetit immobilis, & licet nimiùm calcaribus fatigatus, nullo modo ad ambulandum potuit impelli. Vndè factum est, vt confusus, ac pauore perterritus, descenderet de equo, & quod priùs equitando facere contempsit, impleuit ambulando.

18. *Philip. Ferr. Mense Aug. die 12. de S. Cassiano Episcopo Beneuentano*. Illud planè mirandum litteris consignandum legitur: quòd nemo equitando propè Ecclesiam, in qua sacrum Cassiani corpus asseruabatur, transire poterat, nisi priùs equo descendisset, idque euenisse quoad indè in Ecclesiam S. Dei Genitricis vnà cùm plurium S.S. reliquiis translatum fuit.

19. *Surius, 17. Februarij*. Non tulit B. Constabilis Abbas Cauensis, vt Dauferius Diaconus in ipsius sepulchrum, dùm in templo commoraretur inter sacra, brachio innixus dormiret, sed dormienti apparens dixit. Quare de sepulchro meo facis grabatum? Qui timore quidem correptus, paulò post tamen sui oblitus, iterùm ibi obdormiuit, iterùmque à beato audiuit; Nonnè tibi prohibui, vt de sepulchro meo non faceres tibi grabatum? Qui timore perterritùs, à somno surgens, brachium suum adeò contractum sensit, vt nullo modo ipsum, seù plicare, seù extendere posset, precibus tamen Beati rursùm sanatus est.

20. *Matthaus Tympius*. Anno Christi 600. pestis depascebat Auares ob violatum sepulchrum (vel S. reliquias) Alexandri Marty. teste Theophane in Miscella: Ecclesiam, ait, Alexandri incenderunt, sepulchrumque ipsius argenteo tecto coopertum spoliant, sed & iniuriis corpus martyris afficiunt; Deus autem vindictam Martyris faciens Alexandri, pestilentiam languoris barbaris intulit, & in vno die septem filios Chaiani (Regis Auarum) per febrem, & inguinariam passionem occidit cùm aliis turbis multis.

21. *Gabriel Pennotus, in Hist. Generali Canonicorum Regularium, li. 2. cap. 61. de B. Sesnando Portugallensis ciuitatis Episcopo*. Cùm post aliquot annos à die translationis corporis B. Sesnandi ad monasterium, quidam agricola illius lapideum sepulchrum è sacello iàm diruto, plaustro impositum efferret, à quodam interrogatus, quò sepulchrum illud deduceret, respondit vt suibus pastum præberet: & ecce nec dùm verba compleuerat, cùm plaustrum in frusta totum illicò est confractum; cùmque in proposito sistens, plaustrum aliud adduxisset, sepulchro imposito, bobus adhibitis, numquam loco potuit moueri, & cùm secundùm, & tertiùm iuga bouum, & quotquot habebat adhibuisset, re inconfecta, & funes, & plaustra disrupta sunt, atq. concisa. Quare agricola tædio affectus, sepulchrum in medio itinere dereliquit, vbi plus quadraginta annis stetit, vsque ad annum 1596. quo anno monasterii tunc Vicarius, facultate illud in monasterium transferendi sibi facta, ad Dei & Sancti sui gloriam sine labore, sine bobus, duabus solis vaccis plaustro suppositis, illud ad monasterium detulit; vbi nunc in veneratione habetur.

22. *In Breuiario Augustano*. Cùm ann. Domini 1286. Gerunda, in Catalaunia, à Gallorum exercitu hostiliter capta fuisset, sacrilegi milites, post alia sacrilegia, reliquiarum, & imaginum contemptum, brachium sacrilegè amputarunt corpori S. Narcissi Episcopi Augustæ, & marty. quod ibidem incorruptum conseruatur: & ecce illicò ex illius sepulchro ingens muscarum copia exiliens, in naresque equorum, & hominum insiliens, morsibus venenatis ita affecit; vt statim ex tribus, duæ exercitus partes in pænam sacrilegii occisæ sint, tertia verò magno cùm dolore, deperdito etiam in horribili occisione Rege, in proprias regiones reuersa.

23. *Surius in vita S. Lupi Episcopi Senonensis 1. Sep.* Improbus quidam, B. viri sepulchrum proteruè conculcans, mox contractis neruis caduco morbo se sensit grauissimè torqueri. Petit igitur humiliter à sancto remedium, & impetrat; ostenditque in eo virtus diuina geminam potentiam, tùm vindictæ, tùm veniæ.

24. *S. Gregorius, libr. 3. Epist. 30. ad Constanti. Augustam*. Dùm Beatæ recordationis decessor meus, quia argentum, quod supra sacratissimum corpus B. Petri Apostoli erat, longè tamen ab eodem corpore ferè quindecim pedum spatio, mutare voluit: signum ei non pauci terroris apparuit.

Sed

Sed & ego aliquid similiter ad sacratissimum corpus S. Pauli Apostoli meliorare volui, & quia necesse erat, vt iuxta sepulchrum huiusmodi effodi altiùs debuisset. Præpositus loci, ipsius ossa aliqua non quidem eidem sepulchro coniuncta reperit. Quæ quoniam leuare præsumpsit, atque in alium locum trasponere, apparentibus quibusdam tristibus si-gnis, subita morte defunctus est. Præter hæc sanctæ memoriæ decessor meus itidem ad corpus S. Laurentii Mar. quædam meliorare desiderans, dùm nescitur vbi venerabile corpus ipsius esset collocatum, & effoditur exquirendo, subitò sepulchrum ipsius ignoranter apertum est; & ii qui præsentes erant, atque laborabant monachi, & mansionarii, quia corpus eiusdem martyris viderunt, quod quidem minimè tangere præsumpserunt, omnes intra decem dies defuncti sunt; ita vt nullus vitæ superesse potuisset, qui sanctum iusti corpus illius viderat.

25. *In Menolog. Carmelitano, in vita Sancti Alberti.* Anno suæ transmigrationis, cùm bellum gereretur inter Dominos Siciliæ, quàm Ciues, & nobiles ac stipendiarii, posthabito Dei timore, & Ecclesiæ honore, templum ingrediuntur superbo gressu, & eo loci, equorum stabulum constituunt. O mirum Dei iudicium, sepulchrum viri Dei ad instar tormenti bellici, lapides, quibus construebatur, terribili impetu iaculatur, & horrido sono fremit. Equi omnes subita morte intereunt, milites quoque feriuntur plagis, infirmantur, cadunt, nemo illæsus abit.

26. *In actis S. Erminoldi Ab.* Quidam scelestus, inueteratusq. dierum malorum, temerario ausu debacchans, facto flagello de virgis, tribus ictibus tumbam Patris Sancti proteruè percutiens, ore sacrilego: Quiescas, inquit, tu Erminolde, & nos inquietare desistas. Vix ista finierat, ecce Deus vltionum Dominus, vltione condigna coercuit blasphemantem; nàm facies eius tamquam aqua feruenti perfusa, cæpit incredibiliter æstuare: Qui festinus egrediens de Ecclesia ad suum cubiculum properabat, vt lecto decumbens alleuiationem aliquam expectaret. Erat autem magister opilonum; quem vnus de famulis suis è vestigio sequebatur, qui quidem blasphemias suas audierat, diuinæ tamen nescius vltionis, blanda ipsum pro verbis suis admonitione corripuit, illo, secundùm similitudinem serpentis, & surdæ aspidis, nil pænitùs respondente, donec venerunt ad fontem iuxta, vbi iumenta monasterii adaquari solebant: de quo haustā sibi aqua per famulum, æstuantem faciem spe refrigerii manibus infundebat, sed vim virtutis suæ oblitus est aquæ liquor, vicemque contrarii peragens elementi, vrebat acriùs patientem, itaque lecto decubuit, ac inter flagella Pharaonizans tandem impænitens mortuus est.

27. *In actis S. Adalberti Confess.* Tres fratres cùm duobus consobrinis, in S. Adalberti Confess. & Leuitæ, cuius sacras reliquias Adalardus Abbas secùm ferebat in iniuriam procaciores, scrinium illud armis suis pulsarunt, sed non impunè, Deo Sancti sui iniuriam egregiè vindicante: Nàm Arnoldus cæteris crudelior eodem in loco non multò post à fratre iuniore in capite, & pectore cæsus gladio; tremens toto corpore, & in furiam versus, animam exhalauit. Qui autem eum percussit, nomine Eilgerus, amentia affectus, ex diuite, nobili, & potente, ad tantam miseriam deuolutus est, vt aliquot annis publicè ostiatim mendicarit, & tandem à vermibus consumptus, florente ætate decesserit. Vulbradus frater secundus se proprio ense peremit. Sicuuistra sex menses miserabili morte periit, & Garbratdus; quo nemo erat in pago illo robustior, & agilior, adeò membris omnibus contractus est, vt nunquam sine duobus scipionibus ad axillas applicatis, progredi posset.

28. *Bzou. an. 1272. num. 21. de tribus Ven. Fratribus ord. Prædicat. Craconiæ in templo S. S. Trinitat. sepultis.* Memorabant seniores, Bonam Sfortiadem, Sigismundi I. Regis Poloniæ coniugem, sacellum quoddam pro deuotione magna fæminarum caterua comitatam inuisentem, vnam inter eas cæteris petulantiorem secùm duxisse, quæ cùm lapidi, quo beatorum corpora ad gradus altaris teguntur, parùm reuerenter institisset, nescitur à quo spiritu vestibus pompaticis, in oculis omnium spoliatam fuisse, neque eo in loco operiri potuisse: exemplo aliis, vt discerent, domum Dei, & sanctos eius decere sanctitatem. Criminis occulti rea, istud postea Reginæ requirenti reuelauit, docuitque terram sanctam, corporibus beatorum illustratam, non temerario pede calcandam.

29. *Thomas Ioannes Pessina, in Glor. Eccles. Pragens. Rad. 6.* Dùm an. 1619. ab impiis Caluinistis sepulchrum diui Viti in Metropolitana Ecclesia Pragensi, iubente quodam sacrilego Duce, dirueretur; ecce subitò veluti fulmine ictus corruit, horridum aliquid eiulans, ac dentibes stridens, paulòque post sacrilegam emisit animam; aliis verò duobus, qui impio facinori operam dabant, statim obriguere manus.

30. *In annalibus minor. an. 1250. num. 9. de B. Guidone Cortonensi.* Prætor quidam Cortonensis, nobilis miles, suoque officio ad totius ciuitatis studium vsus, diem obiit; indictum consilium de sepulchro decentiùs erigendo in grati animi, beneq. administratæ reipublicæ monumentum, non defuit, qui in S. Guidonis sepulchro inferendum statueret, ipsius verò Sancti caput in sacrario asseruandum, donec nouum erigeretur. Venere in sententiam reliqui, mox qui primò id statuit obmutuit, & suborta protinùs tempestate, tantus incessit horror ciuitati, vt nemini liberum foret pedem extra limen efferre. Agnoscentes ergo qui consilio adfuerunt Dei manum, temeratæ religionis vindictas, & iratum numen sanctorum causas agere, facto voto vt communibus expensis instituta supplicatione, sepulchrum Sancti visitaretur, euanuit tempestas: indè confestim religioni satisfactum est: loquela autem captus, postquam tribus diebus ad sepulchrum euigilauit, continua oratione, & lachrymis culpam deprecans, non fuit exauditus, donec parentes, & amici sua etiam vota coniunxere. Promisit ergo singulis annis visitare eius sepulchrum, oblata statua cerea ad formam, & magnitudinem capitis sancti Guidonis, & sic tandem lingua eius soluta est.

Se-

Sepultura Sanctorum diù occulta, diuinitùs manifestata.

§. 7.

VT eorum, qui dùm viuerent Deum summoperè glorificauerunt verbis, & factis, venerandæ exuuiæ, & à populis glorificarentur, cultum, honoremque reciperent, admirandis modis quandòque Deus manifestauit earum occulta sepulchra, eaque admodùm reddidit gloriosa. De quibus.

1. *Stephanus Mantegazza in itineribus terræ sanctæ, lib. 1. cap. 12.* Cùm ob mortem custodum corporis S. Marci Euangelistæ, quod Venetiis in Ecclesia eidem dicata conseruatur, deperdita fuisset memoria loci determinati, in quo tàm sancta Reliquia occulta ob metum latronum asseruabatur. Cupiens Senatus, populusq. Venetus, vt sibi manifestaretur, indicto trium dierum ieiunio, fusisque Deo precibus, vltima die solemni ritu processionaliter ad eam Ecclesiam progressi sunt, sanctum corpus sibi reuelandum sperantes: & ecce mirum; statim duo lapides, pretiosam arculam claudentes, vltrò scissi sunt in duas partes, arculaque nullo impellente prosiliit, quæ & ipsa vltrò aperta, sanctas reliquias inclusas omnibus manifestauit. Hoc autem accidit die 25. Iunii anni 1094.

2. *Petr. de Natal. libr. 9. capit. 63. de S. Gaudentio Episcopo, & M.* Post annos LXX. eius obitus, cùm locus sepulturæ eius cunctis esset ignotus, mulier quædam erat cæca in ciuitate Cæsarea, siue Ceruia, nomine Abortiua: cui per visum Angelus Raphael cùm Papa Damaso apparuit, & quis vter eorum esset nominauit: ac eidem imposuit, vt si lumen oculorum recipere vellet, ad ciuitatem Ariminensem veniret, & ciuibus nunciaret, vt corpus S. Gaudentii in tali loco diù occultatum requirerent, & honorabiliùs tumularent. Signum quoque ei dederunt: quia mox inuento corpore, ipsa lumen recuperaret; sicque illi, eam vera dixisse comprobarent. Cùm autem mulier iàm de tali visione confidens, sed de ductore cogitans, iter sola arripuisset, leuem arundinem in manu sua præsensit, & ex altera parte ductorem præuium intellexit summitatem arundinis petentem: quo duce ad ciuitatem Ariminum peruenit, & visa ciuibus patefecit: qui vnamines ad locum ostensum accesserunt, & terram effodientes, odorem mirificum senserunt, corpusque Sancti repertum, de fouea eduxerunt; statimque mulier, vt prædixerat, lumen oculorum recepit.

3. *Idem lib. 9. cap. 196. de S. Quintino Mar.* Corpus eius in fluuio Sequannæ demersum, à Præside adiectione terræ, plumbi, & limi cæno sepultum est, ne à Christianis inueniretur. Sed post annos LV. à quadam matrona Romana, Eusebia nomine, taliter repertum est. Cùm enim ipsa mulier cæca esset, Angelus ei tertiò apparuit, eamque admonuit, vt in Galliam ad corpus sancti Quintini Marty. accederet, sicq. visum recuperaret: quæ dùm locum ignoraret, angelico ductu, illùc tandem deuenit, & de corpore à multis requirens, nihil omninò inuenire valuit. Dùm autem orasset ad Dominum, corpus ex vna parte de flumine, & caput ex alia enatauit, & vsque ad manus mulieris accessit. Quod illa accipiens omninò incorruptum, nimioque odore fragrans, ad Vriniandum Castrum portare disposuit: sed dùm ad radices montis peruenit, corpus omninò immobile factum est: vbi, diuina cognita voluntate, Eusebia corpus tumulauit, & continuò eius tactu lumen recuperauit. Plurimi quoq. infirmi à diuersis languoribus in eius inuentione sunt curati.

4. *In actis S. Virgilÿ Ep. Salisburgensis.* Quadam die factum est, vt lapides è muro Ecclesiæ elapsi, aliquantulùm intrò spectandi aditum transeuntibus præbuissent, diligentiùs aliquibus hoc ipsum considerantibus, concauitatis patuerunt indicia, & picturæ vetustioris deaurata illic visa sunt schemata. Porrò Canonicis huius rei nouitatem perquirentibus, & latiùs eiusdem muri aperturas patefacientibus, inuenta est B. Virgilii, octaui post S. Rudbertum Salisburgensem Episcopum, tumba, & depicta imago.

5. *Vuillielmus Malmesburiensis, lib. 2. de gestis Pontificum Anglorum, de Suuithuno.* Suuithunus antiquæ vitæ humilitatem tenens, non alicui inflatiori personæ, sed homuncioni pauperculo, qui manuum artificio vitam toleraret, per visionem talia proferre visus est. Vade Vuintoniam ad vetus monasterium, requisitoque loci æditu, præcipe vt dicatur Episcopo Etheluuoldo quatenùs Suuithuni olim Episcopi mausoleum aperiens, efferat reliquias, inuenturus ibi omni thesauro pretiosiores margaritas. Respexit tempora eius clemens diuinitas, vt per me cælestibus illustrentur prodigiis: & ne cuncteris, hoc habe signum. Annulos ferreos violenter cùm plumbo lapidi sepulchri affixos, leui annisu cùm voles extrahes, cùm voles appones: cæteri si idem tentauerint, frustra erit: iuit ille, & promissionis coràm ædituò campos effectus, ad præsentiam Pontificis admissus est; ibi rem intrepidè prosequutus, fidem dictorum habuit.

6. *Flodoardus l. 4. Hist. Rhemensis Eccl. c. 51. de S. Macra.* Multa post annorum curricula cuidam bubulco per visionem locus, quo Beatissima Virgo Macra condita fuerat, iuxta quamdam in honore beati Martini constructam Ecclesiam, reuelatus est: in quo visu admonetur, vt corpus sacratissimæ virginis iuxta præfatam Ecclesiam recòderetur honorificentiùs, quatenùs incolis eiusdem loci, pro vt decebat, innotesceret manifestiùs; quod & mox à viris Deo amabilibus magno constat peractum decore; in qua, donec venerabile corpus eius requieuit, insignia per ipsius intercessionem sunt patrata miracula, ibi cæci visum, claudi gressum, surdi auditum, domino eius obtentu largiente, promeruerunt.

7. *Gregorius Turonensis de Glor. Confess. cap. 84.* Theodorus Episcopus requirens corpus S. Valerii Confess. & Consoranensis primi Præsulis, reperit duo sepulchra, sed nesciebat vtrùm esset sacerdotis illius è duobus. Tunc conuocato Clero, vigilias tota celebrat nocte: deprecans, vt sibi B. Confessor, quo in loco iaceret, exponeret, impleuitque duas

duas ampullas vino, & posuit super vtrunque tumulum dicens; in quo falerna fuerint ampliata, ipsam manifestum sit esse Valerii Antistitis sepulturam. Data verò luce egressus de basilica, & ostiis sigillis munitis, dedit membra sopori. Surgens autem ad horam tertiam, venit ad sanctam basilicam, reseratis ostiis cùm clero, & populo reperit ampullam vnam parùmper vini habentem: alteram verò in tantùm ore patulo exundare, vt totum B.Pontificis ablueret monumentum. Per hoc itaque cognouit sacerdos, quis esset Valerii Episcopi tumulus.

8. *Ferrarius in Catal.S.S.3.Maij de S.Iuuenale Episcopo Narniensi.* Cùm eius venerandæ reliquiæ diu latuisset, diuinitùs reuelatæ sunt: Nàm cùm Angliæ Regis filia ab immundo spiritu sic exagitaretur, vt is se exiturum non esse nisi ob Iuuenalis reliquias diceret, dùm Romam perduceretur, apud Fossanum Iuuenalem appellare cæpit, sicque effossa in eo loco terra, sacrum caput inuentum est, quo Regis filia tacta illicò liberata est.

9. *In vita S.Norb.c.15.* S.Norbertus, Coloniam Agrippinam ad quærendas, & petendas pro exornanda futura, quam Præmonstrati ædificare statuerat, Ecclesia, sanctorum reliquias, se contulit. Vbi humanissimè admissus, & accepta à Friderico Archiepiscopo, Clero, & populo potestate auferendi quas vellet, indictoque fratribus suis Præmonstranti, & iis qui ad eius conciones quotidiè confluebant, ieiunio, multa prece, diuinam opem instanter implorauit, vt pretiosa martyrum, ac virginum corpora, quæ variis in locis illic abdita non dubitabat, ostendere dignaretur. Nocte igitur quadam vna ex vndecim millibus S.S. virginum B.Vrsulæ sodalium ei apparens, nomen, & locum vbi corpus suum iacebat indicauit, designauitque: Quod postridiè quæsitum pro indicio, & ordine visionis, integrum repertum, cùm hymnis, & laudibus, gratiarumque actione eleuatum, & ei concessum est. Sequenti item nocte, quæ erat decima tertia Octobris, anni 1121. cùm in monasterio Sancto Gereoni Martyri sacro pernoctaret, orationique ardentiùs insisteret, diuinitùs ei reuelatum fuit S.Gereonis sepulchrum priùs ignotum. Itaque exorta aurora in illius Ecclesiæ medio versùs meridiem, vbi nullum sepulchri apparebat vestigium, fodi iussit, quo in loco corpus S. Gereonis Marty. (Maximiani Imp. iussu olim cùm aliis trecentis decem, & octo Thebææ legionis militibus ann.Dom. circiter ducentesimo nonagesimo octauo occisi) quod eò vsque latuerat, integrum, intactumque (præter partem capitis, quæ in eadem Ecclesia à multis retrò sæculis sensim honorificè asseruabatur) adhùc veste contectum militari repertum est, cespitibus etiamnùm sanguine martyris imbutis, atque madentibus. Ingens illicò per vniuersam ciuitatem gaudium: Vnus omnium clamor, Deo gratias: Magnus Norbertus: Vir Dei Norbertus.

10. *In Sanctuario Capuano, de S.Matrona Virg.* Matrona Portugalliæ Regis filia duodennis, graui sanguinis fluxu laborabat; pater vndique remedia sed frustra conquirebat: puella cæleste implorabat auxilium, & tandem sui morbi curandi rationem cælitùs edocta fuit: Angelus enim illi in somnis apparuit, dixitque: Matrona, in Italiam perge, in Campaniam penetra, in via Aquaria propè Capuam siste, ibi duos necdùm domitos iuuencos inuenies, qui quotidiè ab armento segregati, certo quodam in loco procumbunt, cura tu locum effodi, B.Prisci Episcopi, & Mart. ex antiquis Christi discipulis, corpus inuenies, extractis, tactisque reliquiis, consistet sanguis, & sana fies. Ne verò de voluntate diuina sis hæsitans, accipe funiculum, quem capitibus iuuencorum impones. Matrona surgens manè, parentibus noctu visa narrat, lætantur illi, eligunt duodecim virgines, & probatissimos viros, qui committentur. Matrona ergo cùm nobilissimo comitatu dimissa, Capuam vsque peruenit, & iuuencorum signo comperto, locum effodi curauit, inuenit S.Prisci reliquias, & morbus abscessit.

11. *In eodem Sanctuario Capuæ, de S.Vitaliano Episcopo Capuæ.* Vitalianus vitâ functus, in dies maiora miracula operabatur, ideòque sepulchrum eius summa veneratione frequentabatur; at cùm impii Saraceni, Campaniam, & reliquas prouincias occupassent, vastatis oppidis, dispersisque populis, non solùm sepulchri veneratio, sed & sepulchri notitia penitùs excidit. Post multos annos pastores quidam disco ludentes, pro disco magno lapide vtebantur, quem recedentes, abiectum relinquebant. Paucis deinde post diebus sæpè sæpiùs obseruarunt lapidem illum amotum è loco, in quem vesperè discedentes, reiecerant, abiectumque reliquerant. Admirantur, de causa inter se perquirunt, & ecce singuli in somnis admonentur à S.Vitaliano, illum esse sui sepulchri locum, in quo totiès discum inuenerant. Re ad Episcopum loci delata, refoditur terra, sepulchrum inuenitur, corpus cùm ingenti lętitia excipitur, & in monasterium montis *Virginis* tandem transfertur. Calistus Papa II. cùm hàc iter faceret, S. Vitaliani corpus venerari voluit, & cùm Catanzari in Calabria degeret, illud illùc asportari mandauit, & condidit in Ecclesia, quam illa in ciuitate consecrauit, ibique hac etiam ætate summa celebritate, ac veneratione colitur.

12. *Iacobus Cauaccius, in Hist.cænobij S.Iustinæ Pataui.* Cùm cuidā deuotæ fæminæ Veronensi, nomine Iacobæ, à B.Virgine reuelatum fuisset, in Ecclesia S.Iustinæ Patauii adesse puteum occlusum, occultumque, ossibus sanctorum martyrum repletum; hoc, ipsa Venetias transmigratura, Patauium veniens, cæpit obuiis quibusque patefacere, cùmque ab aliis irrideretur, ab aliis vt fatua despiceretur; aliqui tamen rem admirandam considerantes, illam in templum sunt secuti; Post multam autem orationem, totiusque templi lustrationem, indicia putei reuelati reperit, circa quem duodecim candelas ab æditüo acceptas disposuit, moxque cùm lachrymis in orationem procubuit; & ecce vt deprecari cæperat, cùm diuinus ignis repentè duodecim candelas accendit, & de sacra turri campanæ nullo trahente sonuerunt, sonusque è turri secutus est quoad vniuersa candelarum frusta consumpta sunt: Vndè concurrentibus monachis, & populo, mul-

multisque ibidem perpetratis miraculis, insignarum reliquiarum puteus mirabiliter manifestatus, fuit.

13. *In actis S. Danielis M. apud Bollandum, 3. Ian.* Accidit anno salutis MLXIV. vt cæco cuidã in Hetruria per quietem iuuenis quidam Leuitico habitu indutus appareret, visum sibi pro mercede promittens, si Patauium pergat; & in basilicam D. Iustinæ corpus B. Danielis marty. inuestiget, humi haud procul ab ara diui Prosdocimi conditum. Is ergo tanta mercede allectus, & de pollicitis nihil diffidens, Patauium statim contendit, & monasterium D. Iustinæ ingreditur, remque omnem monachis exponit, rogatque vt per eos sibi liceat ea nocte in templo in orationibus pernoctare. Annuentibus illis, noctu inter orandum per visum ostensus est ei locus, vbi quæsitus thesaurus defossus latebat. Quare mox vbi illuxit, Episcopus accersitur, & populus conuocatur, cæcus locum assignat, & fossoribus præest. Quid multis? humo nondum penitùs effossa, paruo labore repertum, ac cognitum est, quod homines diu ante latuerat. Ibi námque Martyris corpus constitutum inter duas tabulas, ligneam, & marmoream suauissimè, & vltra quàm cogitari possit, mirificè redolens inuenitur. Quo facto, extemplò cæco visus redditur: & omnium ordinum homines, qui tunc fortè aderant, miro stupore replentur, laudantes, & benedicentes Deum.

14. *In vita S. Adalberti Episcopi Pragensis, & M.* Corpus eius indicio fulgidæ columnæ super illud in cælum vsque porrectæ manifestatum est eius discipulis, qui venientes abstulerunt, & honorificè sepelierunt.

15. *Malmesburiensis de Gestis Regum Anglorum.* Sanctum Kenelmum tenellæ ætatulæ puerum, vt potè septennem, Kenulphus Rex Merciorum, Quendridæ Sororis fidei educandum reliquerat. Sed illa falsò sibi Regnum præsagiens, Fraterculum tollendum de medio, satelliti, qui alumnus erat, commendauit. Is insontem, causa remittendi animum, vel recreandi, quasi venatum ducens, inter fruteta obtruncatum occuluit. At mirum dictu, quòd fraus tàm celatè in Angliã commissa, Romæ diuinitùs innotuit; siquidem membrana super altare Sancti Petri supernè columba ferente delapsa, necis, & sepulchratus loci per ordinem index fuit: quæ quia elementis Anglicis erat conscripta, à Romanis, & aliarum gentium hominibus, qui aderant, frustra legi tentata. Sed salubriter, & in tempore Anglus linguæ inuolucrum latialiter Quiritibus euoluens, effecit, vt Apostolici Epistola, Regibus Anglis compatriotam Martyrem indicaret. Quapropter frequenti cætu innocentis corpus leuatum VVinchelcumbam, aliàs VVincelcumbam delatum est.

16. *In actis S.S. Feb. tom. 3.* Eo tempore, quo Thebæa legio apud Agaunum pro fidei constanti assertione agonem gloriosum expleuerat, S. Mauricii, gloriosi huius agminis Principis, pretiosas exuuias Rhodani immersas fluctibus, reuelante Angelo indicatas, & inuentas colligere promeruit S. Paschasius Ep. Viennensis in Gallia, quas magna veneratione in cryptæ S. Petri sacrario condidit.

17. *Ibidem in Martio tom. 2.* Cùm S. Cyrillus Episcopus, Sclauorum Apostolus, Cersonam, seu Chersonam iuisset, vt fidelibus illis sanctum prædicaret euangelium, quæsiuit de corpore S. Clementis Papæ, & M. at nullus incolarum locum aperire nesciuit, quo sanctæ illius exuuiæ humarentur, mare quippe sepulchrum obruerat. Facto igitur ieiunio, & oratione, Deum precatus est, vt sacras reliquias sibi pandere dignaretur. Tunc mari siccato diuinitùs, Ecclesiam illi dudùm consecratam ingreditur, & corpus S. Clementis vnà cùm anchora inuenit.

18. *Ferrar. in Catal. S.S. Italiæ, 2. Ian.* Aluerius, & Sebastianus milites Thebæi, cum ex finibus Sedunorum Maximiani Imper. persecutionem, & crudelitatem in eos, qui Christianam religionem colebant fugientes, in Taurinorũ fines, circa ea loca, vbi Fossanum ciuitas nunc est, se recepissent, ab Imperatoris satellitibus deprehensi, martyrio affecti sunt: quorum corpora in Ecclesia campestri olim parochiali apud Fossanum cùm diu latuissent, anno salutis 1427. IV. Nonas Iannuarii in arcis lapideis, cùm inscriptione, quæ eos ex Thebæa legione fuisse, & sub memorato Imperatore passos esse, ostendit, vocum cælestium indicio reperta, & in Basilicam dictæ ciuitatis maiorem translata, non mediocrem habent venerationem.

19. *Idem, 21. Nouemb. de S. Mauro Episcopo Cesenate.* Defuncto S. Episcopo in monte ab vrbe ad quatuor stadia distante, ibidem propè Ecclesiam, quam ipse construxerat, in saxea arca conditus est. Cùm verò terra vndique crescente, arca tegeretur, vt vix saxi summitas appareret, accidit, vt quidam, pedem, ligulam soluti calceamenti ligaturus, in eo saxo poneret, qui sic illi hæsit, vt nulla vi referri posset, donec ad rei nouitatem populo accurrente, parte ea saxi è reliquo ferris abscissa, tumulus S. Episcopi detectus est, ac magnæ cæpit esse venerationi, extructo ibi insigni monasterio.

20. *Sozomenus, lib. 9. cap. 2.* Constantinopoli extra muros in quodam occulto subterraneo oratorio quadraginta martyres ad Sebastem Armeniæ sub Licinio passi, Thyrsi martyris apparitione reperti sunt, & in thecam inclusi, iuxta Thyrsum collocati sunt.

21. *Tritbemius in Hirsaugiensi Chron.* Felicis Papæ caput, quod multos iàm annos latuerat, ex nocturna eiusdem reuelatione Henricus Breitenaugensis Abbas è terra eruit anno 1144., eiusque particulam cænobio Hirsaugiensi communicauit.

22. *Fulgosus, lib. 1. cap. 1.* Nocturna visio S. Ambrosio Mediolanensi Archiepiscopo, corpora S. S. M.M. Geruasii, & Prothasii, quæ ad eam diem vbi essent ignorabantur, detexit: cùm se ipsos ei in somnis, quales inuenti sunt, ostendissent. Sic Hierosolymis Honorii Imperatoris anno septimo, in somnis Gamaliel Luciano sacerdoti locutus est, & apparuit, atque vbi esset corpus suum detexit, filiique Abibæ, ac simùl protomartyris Stephani.

23. *Sozomenus libr. 9. cap. 8.* Apparuit agricolæ cuidam, Calemoro nomine, præsidi vici Chopharis

ris circa Eleutheropolin Palæstinæ, Zacharias Propheta; eique in hortulum quemdam ducto, loculos suos deffossos demonstrauit.

24. *Iaem, lib. 5. cap. 9.* Mulierculæ cuidam Gazæ habitanti reuelauit Deus, Eusebii, & Nestabi martyrum ossa inter camelorum, & asinorum iacere cadauera, & iussit eas reliquias colligere, & asseruare.

25. *Beda de sex ætatibus in Zenone.* Corpus Sancti Barnabæ Apostoli cùm Euangelio Matthæi super eius pectore inuentum est, ipso Barnaba reuelante.

26. *Sozomenus, lib. 7. Hist. Ecclesiasticæ, cap. 28.* S.S. Abacuc, & Micheæ Prophetarum corpora hoc tempore (sub Theodosio seniore) per diuinam insomnis visionem indicata sunt Sebenno tunc temporis Eleutheropolis Episcopo. Erat autem nomen eius ciuitatis Cela, quæ antea Cila vocabatur, in qua repertus fuit Abacuc. At Barathsacia locus est circiter decem stadiis ab ea ciuitate distans, in quo Micheæ sepulchrum erat, quod monumentum Fidele vocabant indigenæ, ignari quid dicerent, Nephasa meemana lingua patria appellantes.

27. *Auctor incertus, apud S. Cyprianum, de inuentione capitis S. Ioannis Baptistæ.* Tempore Marciani Imperatoris, quibusdam monachis in visione dictum est: Ite ad palatium Herodis, qui quondam hìc fuit perfidus Princeps, introeuntes inspicite diligenter, & vbi fumum è terra ascendentem videritis, fodientes, ibi caput Ioannis Baptistæ incunctanter inuenietis; & ita fecerunt, & cùm magno honore clanculùm secùm Hierosolymam deportauerunt. Hoc idem venerandum caput altiùs occultatum, aliàs & diuinitùs manifestatum fuit, vt apud Baronium in Adnotationibus ad marty. Romanum 24. Feb. & 29. Aug.

28. *Aegidius Gelenius, de B. Ioannetto, 8. Kal. Octob.* Occisus est à Iudæis in Diœcesi Coloniensi propè Sigebergam in odium religionis nostræ puerulus, nomine Ioannettus; dùm autem scelus suum occultare credentes, corpus eius obnoxium cespitibus obruissent, porci rostris fodiendo illud eruerunt, quod subulcus videns, matri, hæcque cætero populo indicauit, quare solemni pompa indè translatum fuit.

29. *In actis S. Henrici Episcopi, & Mar. Apostoli Finlandiæ.* Post necem S. Episcopi, dùm colligerentur eius sacræ exuuiæ, compertum est deesse digitum annularem, per sicarium dùm promiscua vulnera infligeret, amputatum, nec propter magnam diligentiam inueniri potuit. Verùm ineunte vere niue circùmquaque, & glacie resoluta, indicio corui crocitantis, est proditus, & inuentus.

30 *Ferrandus de Reliquijs.* Anno 1623. 13. Kal. Iannuarias, sanctique Apostoli Thomæ peruigilio, in Calaritano Societatis Iesu collegio, maxima cùm sanctitatis fama fato concessit rerum domesticarum administer (coadiutorem vocamus) Franciscus Hortolanus, quem Deus opt. max. (inter cætera Spiritus Sancti charismata, quibus, dùm vitam viueret, cumulatissimè ornatus extitit) inusitata, planèque mirabili luce perfudit, ad sanctorum exuuias, quæ obscurę simùl, & sine honore passim toto Regno compositæ iacebant, acutissima mentis acie peruidendas, detegendas, educendasque in lucem, notitiamque mortalium. Et verò ante quàm cùm morte vitam commutaret, iàm super ducenta Beatorum Indigetum corpora, ipso cælestibus monitis edocto, ac docente, monstranteque, refossa numerabantur: & (quod fortè mirere magis) inter chartulas eiusdem exaratas manu; inuentus est commentariolus, in quo digestus erat indiculus vetustissimarũ complurium Basilicarum, quæ vbinam locorum extarent, ipse inaudiuerat nunquam, atque adeò cęlituum descripta nomina, quotque singulis in templis eorundem exuuiæ sitæ conderentur, distinctè recensitæ legebantur. Ab eius è solo in cælum fælici demigratione, variis in Sardiniæ locis inuenta sunt diuorum lipsana, quæ Beati Viri intimam cùm Deo familiaritatem, eximiamq. aduersùs S.S. reliquias pietatem posteritati testatissimam reliquerunt.

31. *Idem ex Metaphraste.* Permixtum infamibus cadaueribus S. Andreæ Martyris corpus de Copronymi iussu iacebat, tàm ignotum Christianis, quàm inhonoratum: cùm ecce tibi duodecim viri, infesto Dæmonum hospitio irretiti, variis è locis in vnum, eundemque locum, vbi capitalis in sceleratos animaduersio exerceri consueuerat, quasi conspiratione facta conuenerunt. Inibi confusis vocibus, & incondito vlulatu, sanctum martyrem inuocare, manibus terram certatim defodere; atque in obiectorum cadauerum congeriem incidere. Verùm rem miram, aliis super alia reuolutis, neglectisque, beatas Christiani Athletæ exuuias extemplò, forsitàm suaui, quem spirabant odore, agnouerunt, & vi diuina, vti reor, subacti, eas in apertũ protulere. Constitit operæ fructus; domum enim abacto Dæmone, in mercedem indicati, effossi, inuenti, elatique corporis sacri, perfectè persanati redierunt.

Alia his similia sunt notata Tom. 1. lib. 1. cap. 1. §. 5. cùm de Splendoribus, Reliquias, seù honorantibus, seù manifestantibus.

E sacris Loculis diuinitùs sublatæ Reliquiæ, quibusdam dono concessæ.

§. 8.

CEù pretiosa dona, inæstimabilesque margaritas cælicolæ quandòque piis, religiosissimisque viris, ac fæminis cõcessere sanctorum Reliquias, quas ipsi super aurum, & lapidem pretiosum multum diù desiderauerant. De his.

1. *Vincentius in Spec. Hist. lib. 23. cap. 1.* Anno Domini 613. apud vrbem Galliæ Maurienam, mulier quædam, S. Io. Baptistæ multùm deuota, optauit particulam eius reliquiarum habere; per triennium autem orauit, nec exaudita est; tunc firma fide in Deum posita, iurauit se non manducaturam, nisi reliquias obtineret, & sic septem diebus ieiunans, septima tandem die desuper altare pollicem miri candoris apparere videns, læta donum Dei accepit.

2. *Bonfinius lib. 1. Dec. 2. de inuento S. Stephani Regis Hungariæ corpore.* Mercurius, Hungarico genere

genere natus, & Cathipani Alberti Præpositi Pater, ac Basilicæ Albensis ædituus, qui vitæ quondam politicæ renunciarat, vt religioni expeditiùs inseruiret; quum Ladislaus Rex imperasset, tumulum S. Stephani operiri, ne quid è Sancti Regis reliquijs subtraheretur, cùm plerisque aliis, qui sepulchro inhæserant, regio iussu procùl amotus est. Is tristi vultu repulsus abiit, & quum monachus esset, in sacrum chorum se recepit, vbi quum pudore suffusus grauiter angeretur, quòd sanctissimum corpus, neq. videre, neq. osculis attingere potuisset, ecce iuuenis quidam intempesta nocte corám astitit, forma incredibili, liberali facie, candidissimoq. habitu, nescio quid bysso inuolutum deferens. Accipe, inquit, Mercuri, quod optasti, & hoc donum pretiosissimũ, quod tuæ fidei committitur, commendatissimum habeto, asseruatoq. diligentissimè, & cùm tẽpus dabitur, ipse depromito. Nocturnis sacris ritè peractis, Mercurius, petita latebra, rem traditam explicat, S. Regis dexteram, & annulum inuenit, iuxtaq. admiratur, ac Numini gratias agit.

3. *Surius in vita S. Amabilis presbyteri, 1. Nouemb.* Solaturus Deus pro sua bonitate labores itineris S. Amabilis, misit ad eum Angelum suum, in pyxide sacras reliquias afferentem, iucundoque vultu in eum, ceù notum, intuentem, illique dicentem: Accipe dilecte Deo munus, quod tibi per me mittit Christus, Rex, & Dominus noster, qui te scit harum rerum cupidum. His dictis, disparuit Angelus, & seruus Dei Aruernos repetens, dona illa secùm adsportauit, & in Ecclesia B. Benigni marty. quam ipse condiderat, reponenda curauit, vbi hodièque asseruantur.

4. *Colganus in vita S. Senani.* Dùm sacrum eius pignus ad suum monasterium deferendum feretro apponunt, conspiciunt dexteræ manus pollicem humi iacentem, & dùm miraculum hoc voce exultanti exaltant, reperiunt portentum portento adiunctum: nempè vtramque Sancti Viri manum planè integram, nec pollice, nec alio carere digito. Miraculi tanti nouitatem cordis iubilo, & voce laudis celebrantes, recolunt, & aduertunt prophetiam, seù promissionem, qua vir sanctus paulò antè dùm virgines illius loci reliquias alicuius sancti de monasterio Iniscathensi sibi in patrocinii pignus donari postulassent, prædixerat, earum preces Dei prouidentia breui sortituras effectum. Vndè pollicem istum tamquam tutelares reliquias in cænobio Virginum honorificè recondunt.

5. *In vita S. Lenogisili Confess. apud Cenomanos in Gallia.* Romam profectus Lenogisilus, sedis illius diutiùs flagitabat Antistitem, vt mereretur exoptatum munus pignorum ab eo accipere; multo certè labore pro huiuscemodi negotio fatigatus, cùm iam penè desperaret, ecce pridiè quàm reuerti decerneret, ipsius noctis medio astitit ei Angelus Domini, cui & dixit: Lenogisile, quid inter curas æstuas, quidue deiiceris? Accingere igitur, & clàm accedens ad aram B. Petri, quod inueneris, tecùm defer. Continuò à visione surgens, exequitur quod sibi fuerat iussum, inuenitque dentem Apostolorum Principis altari suo superpositum: quem assumens, comitem reuersionis suæ habuit, & lætitia multa refectus, ad propria remeauit.

6. *In Chron. ordinis Eremit. Sancti Augusti ni* Vir quidam nobilis genere, Senensis, cùm aliquam particulam corporis D. Augustini, quam coleret, habere apud se vehementer exoptaret, Ticinum profectus, à sancti corporis custode eam efflagitauit, magna vi pecuniæ illi proposita. Custos id se facturum promisit: sed non ausus quicquam de sanctissimo corpore detrahere, viro illi operam dare assimulans, ad sepulchrum cuiusdam, qui paucis ante diebus humatus erat, accessit, illiusque cadaueris dexterę abscissum pollicem serico inuolutum, viro illi nobili porrexit, asserens eum esse D. Augustini digitum. Quem Patricius ille reuerenter accipiens, religiosissimè colebat, modò ori, modo oculis admouens, sæpè eumdem sinu resouens. Nocte quadam in ædibus suis non plenè dormienti, Diuus Augustinus viro apparuit in luce multa, dixitque illi. Fili, quidquam apud te reliquiarum mei corporis habere credis, sed falleris, quem enim digitum veneraris, non est meus, sed alterius vita functi, vtque re ipsa verba comprobem, manus meæ integræ sunt (vide) sed ne fides tua vana sit, accipe digitum hunc meum. Statimque ademptum dexteræ suæ pollicem, ei dono dedit, euanuitque ab oculis illius. Multa autem, vbicumque aderat vir ille, signa, & prodigia sacro digito faciebat. Quod audiens Longobardorum Rex, sancti corporis custodem in carcerem coniici iussit: voluitque rem penitùs cognoscere. Custode verò affirmante, se alterius cadaueris pollicem abscissum Patricio illi tradidisse, Rex, vbi D. Augustini corpus asseruabatur, locum patefieri iussit, sanctoque corpori dexteræ pollicem, præterea nihil deesse, comperit. Conseruatur, & colitur adhùc idem digitus in Ecclesia montis Ilcinii.

7. *Augustinus Vuichmans in Diario Ecclesiastico, 5. Kal. Septembris.* Circa anno 951. Sigiberto Episco. Lugdunensi diuinitùs ab Angelo delatum fuit in crystallino vase cor S. Augustini, quod cùm moreretur, vel ab Angelo, vel à quibusdam ipsius Augustini piis cultoribus, visceribus reliquis exceptum creditur; eratque tàm vegetum, tàmque recens, ac si tùm primò fuisset de corpore eius ereptum.

8. *In actis Sancti Seuerini Noricorum Apostoli.* Sanctissimus Seuerinus, dùm in monasterio Fauianis euangelium legeret, oratione completa consurgens, scapham sibi illicò iubet præparari, & mirantibus his, qui aderant, ait: Sit nomen Domini benedictum, reliquiis Beatorum martyrum oportet nos occurrere: nec mora transmeant Danubium, inueniunt hominem confidentem in ripa vlteriore fluminis, ac multis eos precibus postulantem, vt ad seruum Dei, ad quem fama vulgante olim venire cuperet, duceretur: mox itaque ei Christi seruo demonstrato, suppliciter S. Ioan. Baptistæ reliquias obtulit, multis apud se seruatas temporibus; quas Dei seruus debita veneratione suscipiens, Basilicam S. Ioannis, sicut prædixerat vltronea benedictione collata, sacrauit officio sacerdotum.

9. *In vita Sancti Bernardi Abb.* Diuus Bernardus cùm Romæ esset, Cęsarii martyris ei exhibitum

est caput, vt indè tolleret quod vellet. Tulit igitur dentem vnicum, non exiguum suorum laborum fructum se assecutum existimans. Quem cùm ex mandibula quidam fratrum cultellis effringere non possent, dixit Bernardus: orandum nobis; nec enim habere possumus, nisi martyr ipse concedat.

10. *In vita S. Syluestri Ab.* Diuerterat aliquandò Syluester ad cænobium quoddam Cisterciensis familiæ in agro Piceno, sanctissimi viri Athanasii Ep. maxilla ditatum, & frustulū ex ea sibi ab Abbate poposcit. Cui Abbas, cupere se illi morem gerere, sed de maxilla nihil vnquam demi potuisse, tentatum sæpiùs ab Episcopis nonnullis, vt vel tenaci forpice dentem vnum euellerent, nunquam tamen eos, licet omni conatu luctatos, valuisse. Experiar, inquit ipse Syluester, si libet, quis scit, an & diuinum numen sit, & Athanasii voluntas affutura! Quare vbi aliquantisper orasset Syluester, ad sacram maxillam duos digitos leniter admouet, ac tàm facilè dentem euellit, vt spontè sua in manus exilire videretur. Tàm secundo rei euentu Syluester agit Deo, & cænobii Abbati gratias, potitusq. vt ipse aiebat, cælesti thesauro, in suum cænobium lætus redit.

11. *Henriquez in fasciculo. lib. 2. dist. 27. cap. 9. de inuentione corporis S. P. Martini primi Abb. monasterij Hortensis.* Caput huius venerandi Patris, Angelus in forma formosissimi iuuenis Saguntum detulit, & Episcopo, & Canonicis dedit, qui de eo officium sub nomine Sancti Sacerdotis celebrant; quare inuentum fuit eius sacrum corpus absque capite.

12 *In Annalibus Prædic. ann. 1246. de B. Petro Gonzalez.* Matrona quædam nobilis, cui sancta cùm viro Dei familiaritas intercesserat, in cuiusque domo, hospitio frequenter excipiebatur, & humanissimè tractabatur: aliquandò post varia spiritualia verba, à viro sancto enixè postulauit, vt aliquid ex rebus suis sibi donaret, quod, si ipsum se absente ex hac vita migrare alio loco contingeret, tamquam monumentum, & pignus amoris, & deuotionis erga eumdem perpetuò cōseruaret: B. Petrus, qui de se modestissimè sentiebat, subrisit ad postulata fœminæ: Sed eius precibus, & deuotione victus, promisit se, vel ante, vel post mortem quidpiam ipsi daturum, & promissi indubiam fidem futuram. Post hæc aliquo interiecto tempore, vir Dei in vrbe Tudensi cùm discessisset è vita, ad primum nuncium mortis eius deuota illa matrona vehementer indoluit, quæ nihil rerum viri Dei, vti magnoperè peroptabat, accepisset: cùmque eiusce rei & mæror, & tristitia creuisset, nocte sequenti in cubiculo vigilanti, visibili, & aspectabili specie B. Petrus apparuit, dicens: Non sum promissi immemor, vade ad sepulchrum meum, ibique pignus, quod cupis à me, recipies. Quamprimùm diluxit, mulier ad ciuitatem Tudensem properauit, aditoque sepulchro viri Dei, cùm oraret, & diligenter circumspiceret sicubi diuinum donum videret, animaduertit in tumba paruum foramen, ex quo dens vnus sanctissimi Patris egrediebatur, quem incredibili cùm gaudio suscipiens, lachrymis perfusa, cunctis ostentabat magnalia Dei in sancto suo, & omnia, quæ ipsi acciderant, publicè annuncians.

Videantur quæ supra notata fuerunt *libr. 6. cap. 2. §. 7.* cùm de defunctis suas reliquias spontaneo motu exhibentibus, &c.

E sepulchris, ob varias causas, corpora, vel Sanctorum, vel reproborum diuinitùs iecta. §. 9.

AVt vt digniori tumularentur loco, aut vt sepultura asini, de qua Hieremias, tamquam brutorum cadauera sepelirentur, quædam quandòque defunctorum corpora mirabiliter exhumata fuere. De quibus.

1. *In actis S. Melori mart. apud Boll. 3. Ianuarij.* Sepulto corpore Sancti Melori in loco martyrii sui, die sequenti supra terræ faciem inuentum est, cùmque sepulto in tribus variis locis corpore, idem casus accidisset; inito consilio, super plaustrum, sub quo duo tauri indomiti positi sunt, corpus sanctum imponunt, & quòcumque virtus eum diuina dirigere vellet, absq. ductore dimiserunt.

2. *In actis S. S. Feb. tom. 1. in Continu. Bollandi.* Corpus B. Hildegundis Comitissæ, ordinis Præmonstratensis, cùm in conuersorum choro bis terræ mandatum esset, vtraq. vice sequenti die repertum fuit exhumatum, & versùs ianuam ad presbyterium ducentem vtcumq. deiectum, ideòque filii Hermanni Præpositi Kappenbergensis, aliorumq. consilio ante summum altare tertiò sepelitur.

3. *In martyrolog. Premonstratensi, V. Id. Feb.* In cænobio Vussenich Virginum ordinis Præmonstratensis, cùm sepultus fuisset communi loco B. Aldericus Confessor, ordinis Præmonstratensis (qui conculcata mundi gloria ex nobilissimo Principe Franciæ, post visitata sancta sanctorum limina, in hoc cænobio humilis factus conuersus & subulcus, velut alter Alexius mundo incognitus latuit) tertiò exhumatus inuentus est, quod demùm in Ecclesia, loco illo, quem cælesti luce Deus aliquotiès designauerat, conditus fuit: vbi nunc in tumba eleuata honorificè requiescit.

4. *In annal. Minor. ann. 1276. num. 3. de B. Benuenuto de Scotiuolis.* Infirmitate grauatus, vt S. Franciscum, quem in vita sibi imitandum elegerat, æmularetur & in morte, se deferri fecit in Ecclesiam, vbi in nuda humo inter orationes, & psalmodiam sacerdotum sanctam efflauit animam 11. Kal. Aprilis. Tanto Pastori, Auximenses, ipso, quo obiit, loco honorificum extruxere mausoleum, duobus ordinibus columnarum innixum, & sublimi loco in arca marmorea sanctum corpus condiderunt. Sed dùm ob crebra miracula sanctum virum cælitum numero adscripsit Martinus IV. & Auximates inferiori loco sub arca altare construxerunt, sanctum cadauer ob humilitatem, & reuerentiam erga corpus Christi in altari immolandum, relicta excelsa arca inuentum est in marmoreo pauimento inter columnas: suo tamen loco repositum, dùm secundò, & tertiò inueniretur in terra, intellexerunt Auximates noluisse humilem Dei seruum, corruptibile suum cadauer viuifico Christi corpori præeminere, sed subesse. Quare condito alio sepulchro, sub ipsa ara sanctū pignus cōmendarunt, relicto in rei memoriam, & splendorē, priori mausoleo.

5. Su-

5. *S.Greg.lib.4.dia.c.54.* Tinctor quidam scelestus in Vrbe Genuensi, cùm defunctus esset, & in Ecclesia B.Ianuarii iuxta portã S.Laurentii à coniuge sepultus fuisset, sequenti nocte ex eodem sepulchro auditæ sunt voces eiulãtis; quod cùm nunciatũ fuisset vxori, hæc misit qui diligenter inspicerent; qui aperientes sepulchrum, vestimenta intacta repererunt, corpus verò illius, vt potè à sepulchro eiectum, minimè inuenerunt.

6. *Surius in vita B.Idæ Vid.4.Sept.l.1.c.9.* Cùm ipse in quo sepulta fuit B. Ida locus ab aliis hæreditaria successione possideretur, & ob præsidentium incuriam vilitatibus obsolescere cæpisset, continuò benignus Dominus famulæ suæ merita Idæ ad castigationem improborum, terribili patefacit euentu. Nàm præclari Comitis Ludolphi amabilis soboles, dùm adhùc in albis ab hac luce raperetur, ad eamdem Ecclesiam defertur. Et quia Sanctæ Dei opinio necdum in aperto emicuit, penes eam pusionem sepelierunt, qui die sequenti de tumulo extractus, ante ianuam vestibuli inuenitur, in quo erat inclusus. Stupefacti, quibus res erat cõmissa, corpusculum denuò pristino loco abdiderunt, quod nihilominùs inu sibili iterùm violentia eminùs proiectum repererunt. Obstinatis ergo animis incassum laborem præstigiis imputantes, tertiam vicem audenter auxerunt: sed in vanum vires expenderunt: quia quod externo labore fuerat oppilatum, tunc in extremo atrii angulo viderunt euulsum. Quo demùm pudore mulctati, ibidem terræ commiserunt. Hoc prorsùs formidabili portento claruit, quanta prouectione Beata Ida in cælis vtatur, cuius sepulchrum Deus nullo carnalis corruptelæ fætore in terris zelatus est maculari.

7. *Ægydius Gelenius in Admirand. Coloniæ Agrippinæ, an.541.* Volunt nonnulli eodem ferè tẽpore Viuentiam, S.Gertrudis sororem, & B. Pipini de Landis filiam, teneris annis mortuam, & in S. Vrsulæ templo funeratam, ter inuentam diuinitùs eiectam è sepulchro, mausoleum illud, quod hodiè propè vestiarium templi quatuor nixum columellis visitur, accepisse, ne huius ossa cùm martyrum reliquiis permiscerentur.

8. *In actis Concilij Lemouicensis, apud Baronium an.1034.nu.18.* Quidam miles in Diæcesi Caturcensi excommunicationis vinculo ligatus decessit è vita, cùmque sine sacerdotis obsequio, & nescio Episcopo à militibus apud quamdam Ecclesiam S. Petri sepultus esset; mane facto, corpus eius longè extra cæmeterium proiectum, & nudum super faciem terræ inuentum est; tumulus autem, vbi sepulturam habuerat, intactus, & ita vt dimissus fuerat, repertus est. Quem iterùm milites aperuere, & nihil in eo ampliùs, nisi vestes, quibus inuolutum corpus fuerat inuenerunt. Rursùs ibidem cadauer sepelierunt, & diligenter tumulum, sub enormi pondere terræ, & lapidum clausere; sed die altero proiectum cadauer, & tumulum intactum vt supra viderunt. Quinquies sepelierunt, totiès eodem eiectum tenore inuenerunt. Tanto demùm victi stupore, corpus longè à cæmeterio Ecclesiæ terra obruerunt.

9. *Baronius an.530.* In Aruernorum direptione, regnante Theodorico, dux illorum, qui innaserant prædabundi Basilicam Pagi Briuatensis, igne de cœlo tactus interierat, & ex commiseratione aliqui bustum eius contexerant lapidum aceruo. Sed mox ij lapides disiecti tonitruis, ac fulgetris fuerunt, mansitq. cadauer omninò insepultum, iuxta Ecclesiæ præscript, ũcùm qua quis neget cõspirare nubiũ fulmina, ac cælum ipsum, fædus, & societatem habere?

10. *Io.Petrus Maffæus, lib.5.Hist. Indicarum.* Quo tempore Albuquercius in explorandis Indicis regionibus nauigabat, vel ex intemperie cæli, vel ex insalubrium ciborum succo, atrox morbus naualem turbam inuasit; vulgo inter lusum, aut quotidiana ministeria repentè expirabant: in iis miles vnus in mare proiectus, ingentem terrorem omnibus attulit; noctu quippe infra sentinam pulsus frequentes exaudiri cæpti: quem ad strepitum cùm arrepta scapha vigiles descendissent, implexum carinæ sub ipso gubernaculo defuncti militis corpus offendunt; scilicet pilus cunctis inhorruit, vbi ex pauore collegere se se, res ad nauarcum delata: nec dubium fuit, quin cadauer translatum in littus humo contegerent; quo facto, postridiè super ipsum sepulchrum rursùs inhumatum apparuit: Ea re attoniti cuncti, cùm apud se causam exquirerent, Franciscus denique, incertum ex qua familia, monachus, qui concionatoris munere fungebatur, sagaci coniectura suspicatus est, hominem aliquo interdicti, vel anathematis vinculo constrictum è vita excessisse; itaque in terram egressus, sanctissimi viri Benedicti Abbatis exemplo, è Pontificia formula conceptis verbis, animum demortui ritè expiauit; eique veniam à Deo precatus est. Mirum dictu, ab eo mysterio reddita mortuo pax, & vaga ossa tandem in suo tumulo quieuere.

11. *Ioan.Moschus in Prato Spirituali capit.88.* Cùm Ven. Abbas Thomas, quòd Apocrisiarius fuerit cænobii, quod est in partibus Apamiæ, profectus esset Theopolim pro vtilitate monasterii, dùm hic remoraretur, defunctus est in Daphne in templo S. Euphemiæ. Clerici autem ipsius loci sepelierunt eum quasi peregrinum inter peregrinorum sepulchra; sequenti verò die humauerunt & mulierem, & imposuerunt illam super eum. Erat autem hora secunda; circa horam verò sextam euomuit illam terra. Loci verò illius accolæ videntes quod factum fuerat, mirati sunt. Deindè rursùm vesperè sepelierunt ipsam in eodem tumulo, & sequenti die inuenerunt corpus supra sepulchrum. Accipientes ergo corpus, in alio monumento ipsum posuerunt. Post paucos autem dies iterùm sepelierunt aliam mulierem supra Abbatem Thomam, non cogitantes loci ipsius clerici, quia non permittit quempiam super se sepeliri. Et illam ergo rursùs euomuit terra. Tunc agnouerunt, quia non permittit senex mulierem super se humari, abeuntesque nunciauerunt Patriarchæ Domnino. Qui omnem simùl Ciuitatem cùm cereis abscendere fecit in Daphnem, & cùm psalmodia sancti viri reliquias in vrbem ferre. Deposuerunt autem Sancti corpus in cæmeterio, vbi multa martyrum corpora condita sunt, feceruntque supra ipsum breue oratorium.

12. *In actis S. S. Febr. tom. 1. in Continuatione Bollandi*. Euoluto aliquo tempore á morte, & sepultura B. Domitiani Carinthiæ Ducis, quidam Comes, nomine Herduuicus, interfectus est, & in tumulum, in quo priùs iacuerat B. Domitianus, corpus eius ponitur; at nocte proxima eiicitur, & longè extra tumulum reperitur; & meritò, quæ enim participatio lucis ad tenebras?

13. *Greg. Tur. lib. 1. de Glor. mart. cap. 89.* Apud vrbem Tolosatium ferunt fuisse quemdam, Antoninum nomine, iniquum, Deo, & omnibus hominibus odibilem, eò quòd multa perpetraret scelera. Factum est autem, vt impletis diebus migrans à seculo, in Basilica B. Vincentii sepeliretur, in qua ipse sibi viuens vas deposuerat. Verùm vbi cunctos sub alta noctis silentia sapor adripuit, & omnes blandiente somno dedissent membra quieti, sarcophagus ille á sancta Basilica per fenestram proiicitur, & in medio deponitur atrii. Manè autem facto, ibi repertus est, effractum super se opertorium habens. Denique propinqui illi non intelligentes virtutem Dei, neque sentientes Sancti iniuriam, in cuius templo indignum temerè sepelierant, iterùm deposito sarcophago in loco, in quo priùs fuerat, altiùs suffoderunt. Altera verò illucescente die inuenerunt eum iterùm foris eiectum in medio esse atrii, & sic intellexerunt magnalia Dei. Ex hoc autem á nullo tactus vsque hodiè in loco quo eiectus est, in testimonium reseruatur.

14. *S. Greg. Papa 2. Dial. cap. 24.* Quadam die, dùm quidam puerulus monachus parentes suos vltra quàm deberet diligens, atq. ad eorum habitaculum tendens sine benedictione de monasterio exiisset, eodem die mox vt ad eos peruenit, defunctus est. Cùmq. esset sepultus, die altero proiectum foràs corpus eius inuentum est, quod rursùs tradere sepulturæ curauerunt: sed sequenti die iterùm proiectum exteriùs, atq. inhumatum sicut priùs inuenerunt. Tunc concitè ad S. Benedicti vestigia currentes cùm magno fletu petierunt, vt ei suam gratiam largiri dignaretur. Quibus vir Dei manu sua protinùs communionem Dominici corporis dedit, dicés. Ite, atq. hoc Dominicum corpus super pectus eius cùm magna reuerentia ponite, & sic sepulturæ eum tradite. Quod cùm factum fuisset, susceptum corpus eius terra tenuit, nec vltrà proiecit.

15. *Idem, lib. 4. Dialog. cap. 53.* In Genuensi vrbe, quidam, Valentinus nomine, Ecclesiæ Mediolanensis defensor, defunctus est, vir valdè lubricus, & cunctis voluptatibus occupatus, cuius corpus in Ecclesia B. Martyris Syri sepultum est. Nocte autem media in eadem Ecclesia factæ sunt voces, ac si quis violenter ex ea expelleretur, atque traheretur foràs. Ad quas nimirùm voces cucurrerunt custodes, & viderunt duos quosdam teterrimos spiritus, qui eiusdem Valentini pedes quadam ligatura strinxerant, & eum ab Ecclesia clamantem, ac nimiùm vociferantem foràs trahebant, qui videlicet perterriti, ad sua strata reuersi sunt. Manè autem facto aperientes sepulchrum, in quo idem Valentinus positus fuerat, eius corpus non inuenerunt. Cùmque extra Ecclesiam quærerent, vbi proiectum esset, inuenerunt hoc in sepulchro alio positum, ligatis adhùc pedibus, sicut ab Ecclesia fuerat abstractum.

16. *Ianus Nicius.* Mulier erat quædam, quæ proprium, & naturalem oris sui nitorem contemneret, eidemque aduentitium, fucoque quæsitum induceret, ac totos dies purpurisso, cerussa, aliisque id genus pigmentis, sibi malas inficeret: itaque cùm esset honestis orta parentibus, in morem meretricis, fictam, pictamque, in hominum conspectum prodire non erubescebat; quæ res magnum propinquis, ac parentibus ipsius in primis dolorè inurebat; qui non cessabant eam hortari, atq. admonere, vt nimiam illam cultus sui curam, diligentiamque remitteret: sed nihil proficiebant; nulla enim cuiusquam, neque auctoritate, neque oratione adduci potuit, vt quidquam de inani illo studio deponeret; verùm cùm illi parens, deterrendæ eius gratia, atque ab inani illa solicitudine abripiédę, Deo esse inuisas diceret, quæ sibi formam fingerent, & nouam quasi faciem imponerent, easque procùl á diuino ipsius conspectu repelli; contempsit illa, atque arrogantibus sanè verbis: Si me, inquit, nolit Deus ad se recipere, abigat quò velit, nihil eius conspectum moror; nàm certum est mihi, suum corpori cultum non eripere: mortua est mulier, & Christianæ sepulturæ mandata; sed tellus, tamquam dedignaretur eam amplecti, quæ Deum á se repudiasset, suo è gremio foràs exclusit; quod cùm Patri renunciatum esset, elatam è templo, ad littus maris deportari iussit, atq. in arena sepeliri; quæ item retinere apud se eam noluit; cui propè fuerat Dei conspectus inuisus; itaque paulò post foràs euomuit; tùm Pater commotus, euocasse dicitur dæmonem, & clarè omnibus audientibus dixisse, vt eius quoque sibi corpus haberet, secùmque ad inferos traheret, cuius iàm animam esset potitus, atque eius imperiis præsto fuisse diabolus creditur, nàm infelix illud cadauer, ab oculis sublatum, nunquam postea est visum.

17. *Cantipratanus, libr. 2. Apum, cap. 57.* In villa Marchiæ, quæ in districtu Flandriæ, atque Brabantiæ sita est, quidá erat tibicen, qui chorizantes iuuenes, & puellas saltationibus, & gesticulationibus suis ad carmina obscena, & turpia tempore solemnitatis concitabat. Hic ex improuiso fulmine, quod eius brachium amputauit, occisus est. Nec mora, viderunt duo pueri, qui in agro degebant; quòd duo nigerrimi canes ex insperato venerunt, & inter se pendulum extincti brachium deportarunt. Manè autem dicente presbytero: quia in atrio fidelium sepeliendus non esset, responderunt amici: Etsi extinctus sit tonitruo, tamen ad Dedicationem Ecclesię peregrinus cùm aliis occurrit. Permisit ergo presbyter, etsi dolens, vt in atrio sepultus sit. At vide rectitudinem diuini iudicii. Manè facto sepulchrum patens inuentum est, & loculus, in quo iacuerat, vacuus, & eiectus. Cadauer verò, vt optimè credi potest, sicut & brachium, á dæmonibus asportatum est.

18. *In Chronic. Clericor. ministr. infirmis, anno 1599.* Operę pretium est quemdam euentum recensere his initiis contingentem in Nosocomio Ferrariæ. Cùm eger eodemmet in Xenodochio è vita migrasset, in cæmeterio, vbi reliqui demortui, tumu-

tumulatus est; mane indè prætereuntes Patres, pedem, ac totam tibiam supra tellurem eleuatam reperere, vndè admirantes super hoc, cadauerum portitores monitos fecere, qui iterùm defossa humo, obtexerunt detectam Tibiam accuratè, id ipsũ mane postero, atq. tertio die spectaculum contuiti sunt, & quamuis magna cautela tertio die superimpositus fuerit ingens telluris cumulus, attamen semel, bis, & tertia vice prorsùs eleuatus iacuit totus pes, & crus: vndè Patres pia quadam curiositate matrem defuncti accersiuerunt, à qua intellexere, adolescentem sibi fuisse admodùm rebellem, quam interdùm opprobriis lacessiuerat, & verberibus, paucisque abhinc diebus eo pede illam impetiuerat, ac proindè causam percipientes, cur à tellure repulsus prorsùs delinquentis sit pes, quę quasi vniuersalis parens ab se nihil excludit, sed confouet cuncta, rogarũt parentem, vt illum benedicendo, noxam condonaret; quæ genibus procumbens, de cælo à Domino implorauit pro nato benedictionem, suamque impertiuit, & omnem contra se commissum facinus relaxauit, deprecataque est Dominum, & miserationum Patrem, vt ei parceret, indèque abscessit, iterùmque sub tellure conditus est pes, totaque tibia, & posthac minimè nec aliqua etiam in parte detecta apparuit, reseditque suo in loco.

19. *Ludgerus, de S. Suuiberto, apud Baronium an. 778.* Cum quidam sacrilegus, nomine Ogellus, qui Ecclesiam S. Suuiberti incenderat, mortuus esset, & coopertus velamine, sic per tres ferè horas iacuisset, & signo dato iuberentur, vbique per totum exercitum castramentari in alio loco: statim conuenerunt cõsanguinei, & socii malitiæ nefandi Ogelli, cumque sepelire in cæmeterio Ecclesiæ S. Suuiberti decreuerunt, sed nullo modo valebant. Nàmque cùm indigestam terram effoderent, conantes facere sepulturam in præfato sancto cæmeterio, in quo ipsum condendo sepelirent, statim digesta terra per se defluxit in eamdem foueam, ac si non fuisset sulcata, de quo omnes valdè mirabantur. Cùmque iterùm atq. iterùm fodiendo tentassent, & multùm laboris insumpsissent, vt facerẽt sepulchrũ, licet in aliis locis eiusdem cæmeterii, & semper terra per se, omnibus stupẽtibus, subitò decidisset in eãdẽ foueam, permanens, & apparẽs plana terra vt antea, desistebãt à fodiẽdo sepulchro in eodẽ cęmeterio: & exterriti dicebãt alterutrùm, ipsũ indignũ Ecclesiastica sepultura, & præsertim sepultura illius cæmeterii, eo quòd Ecclesiã illam, & cęmeterium cremando prophanasset. Et sic multùm attoniti recedentes, cùm venissent ad cadauer mortui, & abiecto velamine, denudasśet faciem eius, ecce tàm horribilis, & miserabilis apparuit facies eius, quòd omnes in terrorem, & formidinem vertit, ita vt omnes trementes, stupidi, & pauidi citò recederent ab eo, ignorantes quid de corpore facerent, sed instante recessus tempore, quidam alii satellites ex alia prouincia Saxonum prædicta audientes, & ipsum mortuum inuenientes, proiecerunt indignanter cadauer in Rhenum, vt esset pabulum piscium, & sic malus malè periit.

20. *Ex Archiuijs Burburgensis Ecclesiæ in Flandria, de quodam, qui Iconem B. Mariæ Virginis percusserat.* Impius parricida, vt primum statuæ vulnus pugione incussit, in humum furibũdus deorsùm cecidit, & crepuit, hoc est, factis suis dignam mercedem accepit. Cadauer eius mox templo extractum est, & in medio foro, vt à canibus discerperetur, positum est. At illi præter naturæ suæ instinctum, intactum reliquerunt, tamquam indignum quod ipsorum dentibus dilaceraretur. Prædictum cadauer, manum, qua tantum facinus perperatum fuerat, semper porrectam habebat, & quomodocumque illa vespere, vel fimo, vel humo tegeretur, mane discooperta videbatur. Non poterat frangi, nec à canibus vorari, & hoc in testimonium sceleris perpetrati. Vbi duos, tresue dies omnium oculis expositum in foro iacuisset, tandem equinæ caudæ alligatum, extra vrbis mænia extractum est, & in veterem cisternam, horto qui tunc ad sodalitatem Sancti Georgii pertinebat adiacentem, proiectum est. Ferunt, illud aquis obrutum, manum, qua scelus perpetrauerat, semper exeruisse, & omnibus spectandam præbuisse: & tempore hyberno in glaciem minimè coaluisse, sed vaporis cuiusdam fumũ continuò exhalasse, donec cisterna ita sẽsim ruderibus oppleretur, vt nulla eius in pręsens cernantur vestigia.

Admiranda varia de sepulchris, & in eis conditis Reliquijs. §. 10.

QVæ in præteritis paragraphis, admirãda circa Sepulchra, aut in eis conditas Reliquias, haùd reponi potuere, hìc referam. Sunt autem.

1. *S. Clemens lib. 1. Recognit. in fine.* Erant in Hierico sepulchra duorum fratrum (scilicet Christianorum) quorumdam, quę spontè sua per annos singulos dealbabantur; quo miraculo, multorum aduersùm nos repressus est furor, videntium haberi nostros in memoria apud Deum.

2. *Surius in vita S. Vuillebrordi, 7. Nouembris.* Sepulchrum marmoreum S. Vuillebrordi, fuit eo prodigio, atque euentu nobile, quòd cùm deprehensum fuisset dimidio palmo contractius, momento auctius vno palmo euasit, ita vt etiam eius mensuram excesserit.

3. *Buzelinus lib. 5. ann. Gallo-Fland. de B. Ioanne Morinensi Episcopo.* Mirum profectò illud habitum, ac singularis numinis prouidentiæ, & in sanctum suum beneficio tributum, quòd sarcophagus è candido, insignique lapide ad summum pueri capax, in eam repente longitudinem, & latitudinem excreuerit, vt longo admodùm eius corpori sepeliendo quadraret.

4. *In vita B. Andreæ Auellini Cl. Reg.* Post eius obitum, cùm illius venerandum corpus sepelire vellent, allatus est loculus, qui tùm quidem portenti, fuit materia. Nàm dùm non modò parem, sed maiorem putant, vt qui scirent capaciorem, ac longiorem iusto ab artifice efformatum, aduertunt longè imparem, vt ne inflexis quidem vi brachiis, ac pedibus caperet. Dùm autem magnoperè nostrates admirantur, inclamare omnes, Numinis consilio id euenisse, ne tàm citò suis ipsorum obtutibus subduci contingeret, quod tàm auidè intuebantur.

5. *Beda in Hist. Anglic. libr. 4. cap. 11.* Sebbi Dux Saxonum postquam sanctissimè vixit, defunctus est. Sepulchrum autem lapideum, quod ad ipsum tumulandum breuius, & incapax aptari contigerat, excreuit mirabiliter ad sui corporis mensuram, adeò vt ceruical etiam à parte capitis potuerit imponi.

6. *In Chron. ord. B. Mariæ de Mercede, an. 1280. de B. Maria de Subsidio, Virgine huius ordinis.* Subsecuto hoc anno eius felicissimo de hoc mundo ad ad cælestem patriam transitu, continuò Fratres nostri, in humeris suis illud sanctum corpus de domo sua ad nostram Ecclesiam detulerunt. Sed tempore Domini Petri Aragonum Regis, eius nominis quarti, & Reginæ Mariæ coniugis eius, admirando modo repertum est (nonnullis ea die interuenientibus signis. Cuius rei causa hi domini Reges, magna deuotione, & reuerentia illud venerari cœperunt) Quorum iussu quædam pulcherrima arca magnis expensis, vt potentes Reges decebat, fabricata est, vt in ea decentiùs, & in magnificentiori reponeretur loco. Quæ licet longior, latior, & maior esset, quàm antiqua arca, numquam potuit illud sanctum capere corpus: Vndè fuit necesse, quòd ad propriam arcam à Fratribus factam deferretur, & restitueretur.

7. *Io. Colg. in vita S. Fechini, 20. Ian.* In monasterio viri sancti fuit Ecclesia, in cuius cæmeterio fuerat magna lapidicina, quæ in tantùm terram cemeterii occupauerat, vt pro sepeliendis corporibus locus deficeret. Cunctis verò qui aderant, super hoc conquerentibus, ad Sanctum Virum accedunt, incommodum tàm molestum exponunt, remediumque deuotè exposcunt. Compatiens piùs Pater ergo querimoniis suorum fratrum, conuertit se ad consuetum orationis patrocinium, & exauditus est vir Dei pro sua reuerentia, & ingens petra à terra mox absorbetur, & locus aptus pro sepultura à Deo ibi disponitur.

8. *Petrus de Natal. libr. 5. cap. 55. de V. Beda.* Dùm quidam discipulus eius, ipso defuncto, titulum sepulchro facere disposuisset vnico carmine leonino, sic incipiens: Hac sunt in fossa; & vellet finire, Bedæ Sancti, vel presbyteri ossa, nec metrum stare posset, & nullum aliud vocabulum eidem occurreret; attediatus tandem iuit dormitum: Et ecce manè in tumulo manibus Angelicis reperit sculptũ,

Hac sunt in fossa, Bedæ Venerabilis ossa.

9. *Martinus Cromerus, libr. 3. de rebus Polonorum.* Apud Prussos ob prædicationem Euangelii crudeliter interfectus fuit Adalbertus Gnesnensis Archiescopus ann. Christi 997. die 23. mensis Aprilis. Cuius corpus postea Boleslaus Dux dilata in aliud tempus vltione à Prussis redemit: & minimo quidem, propterea quòd appensum in statera corpus, perexiguum ponderaret, diuina (vt creditum est) virtute efficiente. Tantum enim argenti, siue auri, vt alii volunt, barbari pacti erant, quantum corporis pondus adæquaret. Deductum solemni pompa, primùm in Tremesnensi monasterio collocauit; nec multò post ad Gnesnensem Basilicam transtulit: nec mora, cœpit locus, & monumentum inclyti martyris Christi plurimis, & salutaribus humano generi clarere miraculis.

10. *In actis S.S. Feb. tom. 2. in Cont. Boll.* Defuncto S. Teliao Episcopo Landauensi in Vuallia, orta est controuersia inter tres Cleros trium Ecclesiarum de habendo corpore eius; ad orationem tamen, vt litis euerteretur, confugientes, mirabile dictu accidit; mane facto vident in eodem loco corpora tria, quibus par erat quantitas in corpore, idem color in facie, & in nullo discrepantia totius compaginis, aut vestium lineamenta possidebat. Sicque sedata lite singuli cùm suo corpore cùm gaudio reuersi, & diuersis in locis cùm summa reuerentia sepelierunt. Vnum autem corpus in Andauensi Ecclesia, aliud non longè ab vrbe Caermerchin, tertium in Vuestuuallia in magno honore habetur.

11. *Ibidem in Martio tom. 1.* Cùm S. Baltherus presbyter, dùm adhùc viueret, tribus Ecclesijs, Alhmanen scilicet, Tynigamen, & Præston ad inuicem plùsquàm mille passibus distantibus præfuisset, ipso ad cælum euocato, auditoque per prædictarum trium Ecclesiarum parochianos, Pastorem suum mitissimum, & mansuetissimum de hac vita ad cælos ascendisse, in tribus turmis ad locum corporis accesserunt, illudque ad propriam Ecclesiam deportare petierunt. Quod cùm inuicem concordari nequirent, cuiusdam senis inito consilio, per noctem corpus inhumatum reliquerunt, & orationibus se se omnes separatim contulerunt, vt ipse ex sua gratia gloriosus Deus signum aliquod emitteret, cui Ecclesiæ corpus sancti viri esset conferendũ: mane autem facto, res neq. frequenter audita comparatur: conuenientes, sicuti priùs, cùm suis turmis dispersi, tria corpora æqualia simili exequiarum pompa præparata inuenerunt. De quo miraculo gratias omnipotenti Deo, & B. Balthero cùm summo gaudio retulerunt, cantantesq. & psallentes, quælibet parochia vnum corpusculum cùm tumulo leuantes, ad suas Ecclesias cùm omni reuerentia asportarunt, & honorificè collocauerunt; quæ vsq. in hodiernum diem in maximo honore, & reuerentia habentur, & venerantur.

12. *Franciscus à S. M. in Hist. Carmel. t. 2. lib. 8. cap. 50.* Mirabile dictu est quod accidit post mortem in particulis corporis B. Ioannis à Cruce ex Discalceatis Carmelitis; in his enim aliquandò imago Fr. Carmelitæ, aliquandò eiusdem Fratris Christũ adorãtis figura, modò eadem effigies venerans S.S. Virginẽ, modò omnes istę figuræ integræ, modò secũdũ medietatem, mirabiliter à multis obseruatę fuerunt.

Alia admiranda circa sepulchra notata fuere tom. 1. lib. 1. cap. 2. §. 4. cùm de Angelis exuuias seruorum Dei sepulturę dantes; item lib. 5. cap. 5. §. 6. cùm de sarcophagis Defunctorum vltrò se mouentibus; item lib. 6. cap. 1. §. 4. cùm de Arboribus enatis è sepulchris seruorum Dei. Item eodem libr. cap. 2. §. 3. cùm de Floribus ex sepulchris enatis. Item circa Reliquias tom. 1. libr. 1. cap. 1. §. 5. cùm de splendoribus, Reliquias seù honorantibus, seù manifestantibus; & lib. 2. cap. 1. §. 4. cùm de igne parcente sacris exuuiis; item cap. 4. §. 10. cum de aquis reuerentibus S.S. Reliquias. Item lib. 7. cap. 2. §. 1. cùm de animalibus, Reliquias venerantibus, & custodientibus.

A P-

APPENDIX AD CAPVT I.

Quædam Admiranda perennia circa Sepulchra.

ET in sepulchris Admiranda quædam perennant, vt & in tenebris mirabilia Domini cognoscantur. De his.

1. *Dubrauius in Hist. Bohemica, libr. 23. apud Raynaldum.* Cùm Vuenceslaus Romanorum Rex, de Ponte Pragiensi in flumen deiici, submergique præcepissent pijssimum sacerdotem, nomine Ioannem; eò quòd peccata Reginæ, cuius exomologeses excipiebat, patefacere detrectasset, ipse fluuius de repentè arefactus est, vt corpus nudaret submersi; in statuque illo triduum permansit, vsquequò submersus ad S. Vitum sepeliretur; vbi in hunc diem quicumque sepulchro eius temerè insultauerit, immunis ab infamia non euadit.

2. *Berchorius in Red. moral. libr. 14. cap. 43.* In Santonia propè Subisiam est cæmeterium S. Amani, cuius satis est mirabilis conditio; quia scilicet, si quis de illa parochia moritur, cùm sepulchrum eius effoditur, nunquam mausoleum reperitur, verumtamen si aliquis extraneus sit sepeliendus, statim quòd in cæmeterio cauare inceperis, mausoleum præparatum inueneris; atque adeò cæmeterium illud extraneis sepulturam præparat, quod tamen à ciuibus suis abscondit.

3. *Idem ibidem lib. 14. cap. 3.* In monasterio Cluniacensi dicitur esse vnus locus ad lauanda monachorum mortuorum cadauera præparatus; sed hoc mirum, quòd secundùm quantitatem lauandi mortui disponitur locus ille; ita quòd siue magnus fuerit, siue paruus, corpori lauando prædictum lauatorium coæquatur.

4. *Colganus in vita S. Fridiani Episcopi; de Sorore eiusdem Sancti.* Dicta Virgo, ab eo, cui integra mente seruiuit, & qui sanctos suos nouis, & inauditis miraculis semper illustrat, vt ostenderet, quòd nulla in ea macula remansisset, tali post mortem illustratur miraculo: sanè nulla mulierum sepulchrum eius audet tangere, sed etiam auis si super sepulchrum eius volauerit, continuò moritur.

5. *Petra sancta in mirac. perp. cap. 25.* In Ecclesia Hiberniæ, quæ kilekolana nominatur, sunt quædam sanctæ Reliquiæ, vulgò Bernaucolau, quæ à fæminis tangi se haud patiuntur, quin manus statim obrigescant.

Alia perennia circa sepulchra videantur tom. 1. lib. 2. in App. 4. ad c. 5. de Terra subitò consumente cadauera, vel reiiciente sepulta. Item hoc Tomo l. 4. in Append. ad c. 2. de Futurorum quibusdam admirandis præsagiis, & lib. 6. in appendice ad cap. 1. de Præsagiis perennibus circa futuram mortem.

Finis Libri Septimi.



LIBER OCTAVVS

De Admirandis circa Immortalitatem Animæ Rationalis.

E Sepulchrales lapides vltimi Admirandorum censeantur termini, Plus vltra, adque interminata æternitatis spatia hæc suos extendere fines, suas ampliare metas, ex dicendis apparebit. Etiam post mortem, post cineres, postque totius visibilis corporis corruptionem, Hominem in Inuisibili Anima adhùc perennare, in æternumque perennaturum, Admiranda hæc super omnia Admirationem promerentia, demonstrant. Hæc siquidem, ne dùm pumiliones, exiguosque homunculos, verùm & gigantes, summèque doctos, & eruditos, sui in admirationem trahunt, eosque si non talpæ, sed homines sunt, ad animam Hominis immortalem confitendam, in æternumque duraturam, admirabundos vociferandum, velint, nolint, impellunt. Huiusmodi autem sunt Admirandæ quædam, eorum, qui iàm cùm nobis degerunt, adque pauciores abiere, Apparitiones, nec non Admirandæ quorumdam Defunctorum Resurrectiones. De quibus in præsenti libro.

CAPVT PRIMVM.

De Admirandis Apparitionibus Humanitatis Christi Domini.

§. I.

OSt Ascensionem Domini ad cœlum, ne de illo dubitarent Apostoli, Apostolorumq. sequaces, eos non relicturum orphanos, sed ad eos quandòque venturum promisit Christus Dominus. Hoc igitur admirandis quibusdam modis quandòque præstitit fidelissimus Iesus, visibiliterq. quibusdam apparens, se semper inuisibiliter diligentibus eum præsto esse, eosque in æterna fœlicitate, perennibus cumulaturum gaudiis expectare, demonstrauit. De his.

1. *In actis Apostolorum, cap. 7.* Cùm D. Stephanus esset plenus Spiritu Sancto, intendens in cælum, vidit gloriam Dei, & Iesum stantem à dextris virtutis Dei; & ait: Ecce video cælos apertos, & filium hominis stantem à dextris Dei.

2. *S. Ambrosius in Auxenti. apud Baronium ann. 69. num. 6.* Cùm D. Petrus ad necem quæreretur, Christianæ animæ eum deprecatæ sunt, vt paulisper cederet, & quamuis esset cupidus passionis, tamen contemplatione populi precantis inflexus est; nocte igitur muro egredi cæpit: & videns sibi in porta Christum occurrere, vrbemque ingredi, ait: Domine quò vadis? Respondit Christus: Venio iterùm crucifigi. Intellexit Petrus ad suam Crucem diuinum pertinere responsum. Itaque spontè remeauit. Extat nunc eo loco sacellum, vbi verba ista habentur descripta.

3. *Surius in vita S. Pantaleonis mart. 27. Iulij.* Cùm S. Martyr Pantaleon grauiter excruciaretur, adfuit liberator Christus apparens in habitu Hermolai Christiani senis, eum verè, ac germanè consolans, & recreans.

4. *Idem in vita S. Menæ M. 10. Decembris.* Crudelissimè excarnificatus est S. Menas ab Hermogene Præfecto: si quidem oculi eius effosi, euulsa lingua, caro miserè dilacerata; sed diuina non caruit consolatione. Apparuit misero Christus, atque omnia illi membra restituit, & sanauit.

5. *Idem, 4. Decembris.* Apparuit Christus Dominus B. Barbaræ existenti in carcere, & præsentia sua carcerem mirificè illustrauit. Eodem tẽpore plagæ eius curatæ sunt magna omnium admiratione. Hoc autem sæpe sæpiùs sanctis martyribus euenit, vt in eorum vitis.

6. *In actis S. Eustachij M.* Cùm se se aliquandò in venatione exerceret Eustachius, ac fugientem miræ magnitudinis ceruum insequeretur, vidit repentè inter consistentis feræ cornua excelsam, atq. fulgentem Christi Domini è Cruce pendentis imaginem, cuius voce ad immortalis vitæ prædam inuitatus fuit.

7. *Collius, lib. 2. de Illum. cap. 3.* S. Huberto adhùc gentilitatis erroribus addicto, dùm semel venaretur, inter cerui cornua apparuit Christus, iussitque Hubertum insolita specie commotum timore, ac tremore correptum adire Lambertum Antistitem, à quo salutis suæ rudimenta perciperet: statim obtemperat Christo, sacroque baptismatis fonte lustratus, non solùm gratiæ cælestis rore perfunditur, sed etiam Episcopali dignitate, & tandem sempiterno gaudio donatur.

8. *Idem ibidem, de Herbano Rabbino Hebræo in Æthiopica Homeritarum regione degente, ad fidem Christi conuerso.* Cùm iussu Regis Homeritarum aduersùs Iudæos de veritate fidei disceptatio haberetur, peteretque Herbanus, vt certam de Christi diuinitate, & indubitatam fidem faceret Gregentius

gentius Tephrensis Archiepiscopus, acceptaque conditione, sciscitaretur Archiepiscopus ab eo, quibus experimentis id sibi planum fieri vellet. Supplex Dominum tuum ora, si in cælo est, ait Herbanus, ad me descendere, vt videam ipsum, & conueniam, & viuit Dominus, quem dicis Patrem esse Christi tui, illicò baptizor, & credo. Annuit votis Herbani Archiepiscopus, qui feruentissimas Deo preces effundens, ab eo meruit exaudiri. Vix enim orare desierat, cùm ecce Dominus Iesus à porta exitus illius venit, & ad ipsos supra nubē deambulans accedebat coràm oculis ipsorum, erat autem speciosa forma valdè. Venit igitur, & in extremis partibus nubis stetit propè Archiepiscopum, & consessum supra ipsos ferè ducentos cubitus, ita vt ipse videretur ab omnibus purpurea nube circumamictus pulcherrima, ex qua diuinitatis radii emicabant. In capite splendor fulguris, & diadema pulchritudinis inæstimabilis, & radii velut spinea corona, gladiumq; manu sinistra, & dextera sceptrum. Venit igitur vox à Domino ad Iudæos; propter magnam Archiepisc. inuocationem appareo vobis in oculis vestris ego crucifixus à patribus vestris. Territi hac voce cadentes in terram omnes, excæcati sunt; ac mox cùm vnus ex tota multitudine cælesti lauacro tinctus continuò apertis oculis visum recepisset, protinùs clamauit, Iesus Christus Deus est verus, & credo in ipsum. Hoc audientes cæteri magna cùm alacritate ad sacrosanctum lauacrum accesserunt, & Christi signaculo accepto cùm Christianis annumerati sunt.

9. *Gonzaga in Prou. S. Euan. de Conu. S. Bernardini Xuchmilci*. In hoc conuentu semel adductus est ad fratrem Iacobum de Sande, æger, vt eius audiret peccata, qui cùm adducentes reprehenderet, quòd non priùs adduxissent hominem penè mortuum, subiunxit Indus; nè turbare Pater, quia ipse nolebam, tametsi propinqui ad confitendum me frequenter hortarentur. Sed hac nocte, qua hora ad Matutinas preces signum edebatur, cùm ob ægritudinem vigilarem, magnus domum meam splendor de cœlo ingressus est, Christumque vidi cruci affixum, quemadmodùm pingi solet, magna ad me iracundia inquientem: quid peccator moraris, nec ad confitendum pergis? Scito inquit, te hodiè esse moriturum; & quamquam condemnari ob crimina tua debebas, misericordia tamen mea seruabere, dummodò statim confitearis: audiuit igitur eum Religiosus, eademq; illa hora defunctus est.

10. *Franciscus à S.M. in Hist. Carmelit. tom. 1. lib. 5. cap. 14.* Fr. Didacus à Iesu, ex discalceatis S. Teresiæ, maxima afficiebatur tristitia, eò quia continuò coquinariam exercendo, aliis spiritualibus exercitiis vacare haùd poterat. Dùm ergo his angeretur solicitudinibus, apparuit ei in die Paschatis Christus Dominus, Crucem grauissimam ferens, qui interrogatus à Didaco, cur ea die tantæ lætitiæ, tàm mæsto vultu, tàm graui pondere oppressus incederet, respondit ei Dominus: hoc facio Didace, quia tu renuis Crucem meam ferre, cùm tui causa eam tulerim ego triginta tribus annis: quibus verbis voluntatem Domini intellexit, votumque emisit, nunquam coquinariam relinquendi quoad viueret; quod & obseruauit.

11. *Cæsarius, lib. 4. mirac. cap. 52.* Nouitius quidam tempore probationis, maximè tentatus fuit de incarnatione Verbi. Die autem quadam cùm staret ad Primam in choro Nouitiorum contra altare, contemplatus est oculis corporeis imaginem Crucifixi in aere venire ad se, ac si diceret. Quare dubitas, Respice in me, ego sum ille, qui natus, & passus sum pro te. Per aliquam horam ante faciem eius pendens erat ipsa imago, & ab eadem hora omnis illa cessauit tentatio.

12. *Idem, lib 7. cap. 16.* In Hemmenrode fuit quidam monachus, nomine, & opere Christianus. Hic cùm grauiter quodam tempore infirmaretur, & à ministro, vt aliquantisper gustaret rogaretur, dixit, quòd septem dies transissent, in quibus singulis visitationem Domini nostri Iesu Christi, & Sanctissimæ matris eius Mariæ accepisset, de quorum visitatione tàm dulciter esset refectus, quòd nullum cibi, vel potus haberet appetitum.

13. *Idem, lib. 8. cap. x.* Virgo quædam religiosa, licet adhùc in habitu seculari posita, Superiori nostro Gerlaco cùm multis lachrymis retulit, quòd Saluatorem in Crucem pendentem cruentis vulneribus videre solebat: nec minùs, aiebat, illum videre, si passione, & dolore vrgente oculos clausisset.

14. *Henriquez in fasciculo S.S. Cister. de S. Bernardo Abb.* Cùm semel prostratus esset S. Bernardus ante altare, apparuit ibi ei quædam Crux cùm suo Crucifixo super pauimentum posita coràm illo, quam idem vir beatissimus deuotissimè adorabat, & deosculabatur. Porrò ipsa maiestas separatis brachiis à cornibus crucis, videbatur eumdem Dei famulum amplecti, atque adstringere.

15. *Cæsarius, lib. 8. cap. 13. de Ven. Petro de Confluentia*. Apparens ei Christus Dominus Crucifixus, piissima brachia sua abstraens à Cruce, seruum suum amplexatus est, & tamquam præcordialem sibi, in signum mutuæ familiaritatis, eum ad pectus suum contrahendo strinxit.

16. *S. Gregorius Papa, hom. 9. in fine*. Martyrius monachus, leprosum de sua macie, ac sanie tabescentem, inuolutum palliolo, & humeris elatum, ad cænobii fores deportauit. Dùmque ibi clamaret: accurrite, citò ianuam aperite, Martyrius baiulat vobis Dominum Iesum Christum; alter exiliit ex collo eius, ac stetit eo vultu, habituque, quo exprimi solet Sator humani generis Deus, & homo Christus Iesus, atque ita Martyrium est allocutus: Tu me non erubuisti super terram, & ego te non erubescam in cælis.

17. *In vita S. Gerardi Episcopi Tullensis*. Cùm pauperes, & peregrinos sæpè in domum suam conuocaret, eisque post pedum ablutionem, cibos ministrare soleret S. Episcopus Gerardus, semel Christum Dominum inter ipsos meruit suscipere.

18. *Surius, 19. Octobris de S. Ethbino Scoto.* Vitæ melioris magistro Vuinualoco, in agrum fortè egressus Ethbinus, in hominem offendit lepra horridum, qui auertere oculos potuisset delicatos Ethbini, sociique. Cùmque ab eodem ambo inuitati fuissent,

sent, oritur pulchrum magistrum inter, & tyronem certamen. Hic brachiis stringere, & sinu miserum souere, ille sordes, & saniem velle à vultu abstergere, quin (quòd æger aliter nollet fieri) generosa siti purulentam scabiem ebibere. Scio, horres hæc legere: sed tunc facere hæc virtus non horruit. Et ecce, (ò superi! ò amor, qui colludere homini Deum facis) dùm saniem sperat Vuinualocus, gemmam vnicè pretiosam ore excipit, & mutata repentè rerum facie, videt Ethbinus in miseri fronte crucem rutilare, videt ab alto famulos cælites aduenire, & è manibus non iàm leprosum, sed Christum abire, amicissimis verbis sua vtrique præmia pollicentem.

19. *In Martyrolog. Gall. 19. Aprilis, de S. Leone 9. Papa*. Fœdæ lepræ scabie horrentem olim in suum ipse lectum deduxit, & postea requisitum, nullum inuenit, sed ex odoris relicti fragrantia Christum fuisse ipsum, quem in ærumnosi hominis effigie exceperat, facilè coniectatus est.

20. *Ferrarius, 31. Iulij*. Cùm S. Ioannes Columbinus leprosum vlceribus plenum sublatum, domum suam curandum propriis humeris detulisset; illum in balneo ablutum, in coniugis lecto reposuit, ad missamque audiendam profectus est; interim cubiculum illud suauissimum exhalare odorem cæpit, quod cùm admiraretur coniux, maritoque aduenienti ennarrasset; dùm leprosum inuisere volunt, euanuisse cognoscunt; Christumque Dominum sub illa forma charitatis opus recepisse postea intellexit.

21. *In vita S. Gregorij Magni*. Peregrinos quotidiè ad mensam adhibebat, in quibus & Angelum, & Dominum Angelorum peregrini facie accepit.

22. *In Menologio Cisterciensi, 7. Iunij*. In Anglia S. Robertus Abbas, & fundator cænobii, quod Nouum monasterium nominatur, incredibilis abstinentiæ, & Angelicæ puritatis fuit, qui ipsum Regem Christum sub specie pauperis in monasterio suscipere meruit.

23. *In vita S. Martini Episcopi Turonensis*. Ambiani pauperi, ac nudo ab eo petenti vt Christi nomine sibi eleemosynam tribueret, partem clamydis dedit. Cui sequenti nocte Christus dimidiata illa veste indutus apparuit, hanc mittens vocem: Martinus cathecumenus hac me veste contexit.

24. *In actis S. Iuliani Ep. Conchensis*. Plures quotidiè pauperes alebat, mensamq. ipse suis manibus sternebat, ac cibos inferebat. Conspicatus autē quadam die in turba egenorum quemdam laceris quidem vestibus, ceterùm vultu perquàm liberali, & hominem ratus nobili loco natum, opibus quapiam aduersa fortuna exutum, seorsim illum euocat, & quis sit iterùm, iterùmque sciscitatur. Cùm ecce è toto mendici illius vultu emicare ingens splendor cæpit; ipseque ita Antistitem compellauit: *Amice mi Iuliane, gratias tibi ago, qui tanto studio, & charitate pauperes meos sustentas: præmium tibi huius charitatis vitam æternam promitto*. Quę effatus, videri desiit. Intellexit Iulianus, Christum fuisse sub mendici persona, ac plurimas ei gratias egit, qui eo se solatio esset dignatus.

25. *Surius in vita S. Catharinæ Senensis, 29. Aprilis*. Huic Virgini in Ecclesia Dominicanorum domum redire volenti, Christus occurrit *in forma* iuuenis pauperis, ac peregrini triginta plùs minùs annorum, petiuitque ab ea vestem: *Illa rediens ad* sacellum, vnde descenderat, tunicam non manicatam, quam sub extima veste propter frigus habebat, sibi cautè detraxit, pauperique tribuit, nesciens esse Christum. At ille etiam lineum vestimentum petiit. Tùm illa iubet eum se sequi ad edes suas, vbi ei subuculam, & subligaculum dedit: alia deindè expostulāti benignè elargita est. Nocte autem sequenti Dominus ei oranti manifestè se *visendum* præbuit in illius pauperis effigie, in manu ferens tunicam, quam ipsi virgo dederat, margaritis iàm, & corruscantibus gemmis conspicuam, aitque se illi daturum vestem inuisibilem, quæ ab ea arceret omne noxium vtriusque hominis frigus.

26. *In actis S. S. Martij, tom. 3. in Contin. Boll.* Cùm B. Andreas de Galleranis Senis in Hetruria, maxima in Deum, & proximum charitate ferueret, semel ad eum Christus venit in specie peregrini, instanter petentis in hospitium introduci: quem, fratre renitente, & ex hoc plurimùm indignato, in propriam cameram, firmato bene ostio collocauit; in mane autem cùm vellet eum educere, aperiens cameram, neminem adinuenit, ex quo intellexit, *illum fuisse*, qui dixit: Si quis diligit me, sermonem meum seruabit, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus.

27. *Ignatius de Nente in vita Ven. Sor. Dominicæ de Paradiso*. Cùm sæpè pauperum necessitatibus occurrens pia Dominica, vestes, aut vela iisdem elargiretur, aliquandò Christo Domino in forma pauperis idem pietatis officium est impertita, qui nocte ei apparendo, munus acceptum iterùm Virgini restituebat.

28. *Franciscus à S. Maria in Hist. Carmelit. tom. 1. lib. 4. cap. 18*. Ven. M. Catharina de Cardona ex Carmelitis discalceatis, quadam nocte dùm in propria degeret specu, expostulata à quodam paupere, maximo ob rigidissimam hyemem frigore laborante, vt aliquem, quo operiretur, pannum *tribueret*, propriam scidit vestem, partemque *illius*, nihil aliud habens, pauperi est elargita: & eccè statim euanuit pauper, illiusque anima *spiritualibus* est repleta consolationibus, in illoque mendico, cælesti sponso eleemosynam dedisse *credidit*.

29. *Idem ibidem, to. 2. lib. 7. cap. 17*. Catharina de Sandoual antequam Carmelitanum susciperet habitum, dùm pauperibus aliquandò solemne celebraret conuiuium, suisque manibus eisdem inseruiret, inter ipsos, & Christum Dominum meruit habere conuiuam.

30. *In vita B. Idæ*. Quadam die Pentecostes sumpta Eucharistia, absolutisque de more consuetis precibus, triclinium ingressa, mensæ iàm accubuerat, & ecce tantus inusitatæ lucis fulgor in Virginem iaci cæptus, vt oppositu manicæ vultum obtegere cogeretur: quamquam frustra; radiique vestem quoque peruadebant. Hic tùm speciosus ille forma præ filiis hominum, mira totius oris, corporisque dignitate conspicuus, visendum Virgini se

se

se præbet. Hinc per cænaculum ambulans, ante diuersas subindè moniales consistit, vt plurimùm tamen feruidis Idæ desideriis prouocatus, in amantissimam sponsam oculis ferebatur, à qua neque priùs recessit, quàm lectione ad mensam absoluta in auras se se extulit, caputque inter nubila condidit.

31. *Vincentius in Spec. Hist. lib. 31. cap. 68.* Cùm S. Edmundus Cantuariensis Episcopus adhùc puer Parisiis moraretur, in sanctaque simplicitate, & deuotione viueret, apparuit ei puer immensæ pulchritudinis, qui eum salutans dixit: Salue dilecte mi: obstupuit Edmundus, & eum nescire, respondit, tunc puer, lege inquit in fronte mea quid scriptum apparet, tunc Edmundus scriptum in ea litteris cœlestibus legit: Iesus Nazarenus; qui statim quod viderat ei retulit, & ab ipso protinùs audiuit, hoc est nomen meum, quod tibi memoriale fit in desiderio animæ tuæ, & hoc diligenter, & articulatim notibus imprime singulis fronti tuæ, per hoc enim potes contra mortem muniri subitam, & quisquis eadem scriptura munierit modo consimili frontem suam. His dictis, disparuit puer Iesus.

32. *Pennotus in Hist. Tripartita Can. lib. 3. cap. 51.* B. Franciscinus de Casali, ord. Canonicorum Lateran. ob singularem eius puritatem in nocte Natiuitatis Domini nostri, puerulum Iesum sibi à matre Maria oblatum dulciter amplexatus est.

33. *In Menol. Cister. 11. Kal. Martij de B. Bonifacio Episcopo Lausanensi in Gallia.* Ægrotabat aliquandò vir sanctus in Natali Domini, ideòque ad vigilias matutinas surgere cùm cęteris non valuit, sed supra lectum suum mæstus iacebat, & quòd ibi solus esset, Beatissimæ Virgini conquerebatur; cui statim apparuit piissima mater, portans in brachiis suis desideratum gentibus, panniculis inuolutum, & posuit illum super lectum suum, & infans extraxit manum de panniculis, & eleuauit pannum de facie sua, quasi ostendens ei pulchritudinem faciei suæ. Tunc B. Bonifacius summopere delectatus in pulchritudine eius, dixit, si nihil aliud esset in Paradiso, nisi facies ista benedicta, dignum esset pati omnes tribulationes, vt possemus videre faciem tuam gloriosam.

34. *Iacobus Grassetus in vita B. Catharinæ Bononiensis, lib. 1. c. 16.* Cùm in sacratissima nocte Natiuitatis Domini, B. Catharina à Bononia suauissima contemplatione tãtum meditaretur mysterium, à Beatissima Virgine, quæ circumdata splendoribus illi apparuit, sanctum puerum in vlnas recepit, quem amantissimè amplexata, suauiterque deosculata est. In signum autem tantæ misericordiæ, labia, parsque vultus, quibus candidissimum puerum deosculando tetigit, albicantia exindè apparuere, taliterque vsque adeò in eius corpore incorrupto conseruato, mirabiliter conspiciuntur.

35. *In actis S.S. Martij, tom. 3.* B. Sybillinæ Papiensi ex tertio ordine S. Dominici, Christus Iesus in figura pueri admodùm parui, supra modum tamen pulcherrimi, apparuit, qui inexplicabili candore nitens, vndique candidissimæ lucis radios emittebat.

36. *In vita B. Oringæ Virg. in Hetruria.* Cùm finis vitæ eius instaret, vetuit monasterii Præfecta ne se ampliùs sub tempus eleuationis viuificæ hostiæ deportari ad oratorium curaret, quòd & sororibus cæteris molestia, & grauior ipsi dolor causaretur. Deinceps igitur quotidiè cùm in sacra æde sacrificii tempore sancta hostia eleuaretur, Christus se corporea specie in loco, in quo decumbebat, spectandum se illi offerebat.

37. *Cantipratanus, lib. 2. de Apibus, cap. 1.* Algore niuium terra Brabantiæ respersa per totum, monachus quidam Cisterciensis in itinere existens, premisso in Villam famulo, solus in campis per deuia veniebat: Et ecce inuenit puerum elegantissimæ formæ quasi triennem, magno fletu, & eiulatu solum in niuis frigore residentem. Compassus igitur tali puero, equo descendit, & complexus flentem, flere cæpit cùm eo, & quærere quid haberet. Tacente autem puero, iterùm ingeminat, ingemiscit quærens, vbi est mater tua? nunquid perdidisti matrem? Ad interrogationes igitur illius puer fortiùs eiulans, tandem dixit: Heù me, heù me, quare nõ flerẽ? quare non eiularem? ecce vides quòd egens, solus, & in frigore sedeo, & non est qui colligat me, & hospitium mihi præstet: mox monachus surgens, & puerum in brachiis eleuans, osculatus est eum dicens: Cesses flere dilectissime, quia ad hospitium portabo te, & faciam enutriri. Hoc dicens, cùm puero equum ascendere voluit, sed puer de brachio tenentis exiliens, repentè disparuit, quia Christus filius Virginis fuit.

38. *Humbertus de vitis Fratrum Prædicatorum.* Fuit quidam monachus Cisterciensis ordinis in Tuscia, in monasterio S. Galgani propè Senas, magnæ simplicitatis, & gratiæ, & famæ, propter quam ad curiam Romanam frequenter vocabatur. Cui Dominus frequenter apparuit, atque multa reuelauit. Contigit autem duos Fratres venire ad locum prædictum, qui eum rogauerunt, vt pro se, & toto ordine Fratrum Prædicatorum Dominum exoraret. Cùm igitur nocte post matutinas Dominum oraret, & vt simplex, ac deuotus, quid potissimùm pro Fratribus oraret, nesciret, apparuit ei Dominus (vt sibi videbatur) dicens Frater Iacobe accipe istas orationes, & sic pro Prædicatoribus ora in missæ sacrificio.

39. *Surius in vita S. Catharinæ Senensis, 29. Aprilis.* Christus Dominus ita amicè, & familiariter cùm hac Virgine conuersabatur, vt non rarò cùm illa pariter psalmos diceret in cellula.

40. *Idem, 19. Maij de S. Petro Cælestino.* Cùm S. Petro Morono Anachoreta, postea Cælestino V. Pontifici, Christus visus est psalmos dulcissimè decantare.

41. *In vita S. Agnetis Politianæ.* Cùm à B. Virgine Maria sæpè expostulasset Agnes, vt puerum Iesum sibi demonstraret; Semel apparuit ei, infantulumque Iesum inter illius brachia reposuit; tunc innocentissima Virgo castis osculis illũ est deosculata, & suauiter amplexata, illumq. postea sanctiss. Virg. restituit; retinẽs tamen paruam Crucem, quæ ex collo infantis pendebat. Quam Crucem magna conseruauit deuotione, adhucq. conseruatur in monasterio, in quo sanctissimè vita defuncta est.

42. *Io-*

42. *Ioseph Sylos, in Hist. Cl. Reg. par. 1. libr. 1.* Cùm S. P. noster Caietanus in festiua nocte solemnitatis Virginei partus Romæ ad D. Mariæ Maioris templū, Domini Præsepe adiisset, sacris fortasse operaturus, ad veros recentis pueri amplexus raro quodam fauore Numinis, admissum ea nocte fuisse ex illius ad Mignanam litteris comprobatur. Quod & sanctissimo Francisco Assisinati, hæc ipsa æterni infantis incunabula celebranti contigisse memoriæ proditum est. Huius rei memoria extat in eodem sacello his verbis. *Hic S. Caietanus, auspice D. Hieronymo, cuius ossa non procul iacent, in ipsa natalitia Christi nocte, accepit à Deipara in vlnas suas puerum Iesum.*

43. *Maffeus in vita Sancti Ignatij, libr. 2. cap. 5.* Quo die Romam S. Ignatius accessit, res ei contigit, vel ad memoriam posteritatis insignis, vel ad confirmandum in proposito Ignatium, cæterosque haùd mediocriter efficax; etenim orandi causa non longè ab vrbe templum ingresso, qualia passim imposita militari viæ cernuntur, statimque, vt sæpè solebat, abstracto à sensibus, atque alta quadam animi contemplatione defixo, clarissima in luce per speciem illi se se Deus Pater ostendit, Iesu filio baiulanti crucem, & crudelissimis affecto suppliciis, præsentem Ignatium, sociosque commendans, quos ille cùm in fidem, ac patrocinium libentissimè recepisset, ad Ignatium, placido, & sereno vultu conuersus, hæc ipsa affari verba dignatus est. Ego vobis Romæ propitius ero. Quo tanto, tàmque diuino solatio mirum in modum erectus, & confirmatus Ignatius fuit.

44. *In annal. Minor. an. 1223. n. 20. de S. Francisco.* Vt venit S. Franciscus ad Græcii castrum sub Natiuitatis vigilia, inuenit omnia ad votum præparata à pio quodam milite, & amico; aduocari fecit plures ex fratribus ex locis vicinis, inuitauit populum frequentem ad solemnia Infantuli Regij natalia, & tantam posuit in eis celebrandis operam, & opem, vt ex melodia, & efformatis cantibus, syluæ in voces resonarent sonoras, atque ex copiosis faculis, & cereis luminibus nox illa sicut dies illuminaretur. Stabat vir Dei coràm præsepio pietate repletus, respersus lachrymis, & gaudio superfusus. Celebrantur missarum solemnia super præsepe, leuita Christi Francisco sacrum Euangelium decantante. Prædicat deindè populo circumstanti de natiuitate Regis pauperis; quem cùm nominare vellet, puerum de Bethleem, præ amoris teneritudine nuncupabat. Præfatus autem miles Dominus Ioãnes de Græcio se vidisse asseruit puerulum quemdam valdè formosum in illo præsepio dormientem; quem B. Franciscus strictè brachiis amplexans, excitare videbatur à somno.

45. *Ibidem an. 1251. num. 19. de Sancta Clara.* Soror Francisca de Colle-Medio, in processu canonizationis deponit, se in festo Sanctorum Philippi, & Iacobi in gremio S. Virginis Claræ vidisse indicibilis pulchritudinis infantem, erectasque super Claræ caput duas alas fulgentissimas, quæ aliquandò extendebantur in altum, aliquandò deprimebantur, virginis caput, & humeros mirabiter contegentes.

46. *Ibid. an. 1454. n. 40. de B. Francisco Ticinensi.* Occurrit ei semel pulcherrimus adolescentulus scissis vestibus, cruentatis cruribus, pedibus nudis, petiit aliquid conferret, quo nuditatem obtegeret, addens fortè se aliquandò beneficio satisfacturum. Protinùs Franciscus caligas largitus, dùm alia parat tribuenda, cui tribuat non intuetur. Longè, latèque circumspicit, diligenter perquirit, nec potest inuenire. Postquam verò mundo valedixit, & in religione profecit, Christum sub adolescentis forma latuisse, monstratis sibi caligis, cælitùs intellexit.

47. *Ibidem, de Ven. Fr. Petro Nicolao Fattoro.* Multotiès Christus Dominus in forma pueri apparebat Venerab. Petro Nicolao, eumque consolabatur.

48. *Ibidem in addit. ad tom. 2. num. 15.* B. Ioanni Prutano ord. S. Francisci, persæpè puer Iesus ab vberibus dilectę matris pendens apparuit.

49. *Ibidem in add. ad tom. 2. num. 11.* Cùm B. Andreæ Hispellati ord. S. Francisci, aliquandò puer Iesus apparuisset, secùmque loqueretur, ad pulsum campanæ illum reliquit, & absolutis vesperis, illum expectantem inuenit, qui & subiunxit, me propter me reliquisti.

50. *In eisdem Chr. minor. par. 1 lib. 5. c. 12.* Dùm semel S. Antonius Patauinus à quodam nobili viro hospitio receptus, in proprio cubiculo moraretur, obseruauit hic immensum splēdorē in eodem cubiculo accedensq. per foramen ostii vidit infantulum pulcherrimum, qui castis amplexibus S. Antonium deosculabatur, ipse verò ad inuicem suauiter puerulo Iesu castissima oscula infigebat; qua admirabili visione animus eius summopere recreatus est.

51. *Hilarius Perdicanus, in vita B. Ioannis de Deo li. 2. c. 5.* Dùm B. Ioannes de Deo, Fundator Curantium infirmos, iter ageret per regionem Gibraltariæ, apparuit ei puerili in specie Redemptor mundi, quem propriis humeris imponens seruus Dei, per aliquot spatium portauit: disparuitque puer Iesus, dono tribuens illi malum punicum, Cruce signatum, illique dicens; Ioannes Dei, Bætica, tua erit Crux.

52. *Isidorus de Isolanis in vita B. Veronicæ, li. 2. cap. 7.* Singulis diebus octauarum Corporis Christi anni ab Saluatore nato 1489. diuinis præsens officiis B. Veronica ex ordine S. Augustini, eo loco vbi sanctum Domini corpus seruabatur, Iesum albis indutum, infantis formam gerentem, Angelico comitatum obsequio, oculis inspexit corporeis. Iesus autem nonnunquam in altari deambulans, aliquandò armariolum ingrediens, sæpiùsque egrediens videbatur.

53. *Seraphinus Bertolinus, in vita S. Rosæ Peruanæ cap. 15.* Sæpissimè puer Iesus visibili forma apparens seruæ Dei S. Rosæ de Sancta Maria, cælesti gaudio, ingentique lętitia dilectam consolabatur sponsam.

54. *In m. s. s.* Brixiæ in monasterio S. Crucis monialium ord. S. Augustini, ædicula lignea reperitur, ex qua, cùm in ea olim tribus diebus Dominus Iesus Pueri formam præseferens, visibiliter stetisset, Ven. Sor. Luciam Paratici eiusdem conuentus monialem interna consolatione afficiens, vsque adeo suauissimus

mus emanat odor, ceù tanti prodigij perenne testimonium.

55. *Ignatius de Nente, in vita Ven. Sor. Dominica de Paradiso, lib. 1. cap. 30.* Felicissima nocte Natiuitatis Dominicæ dùm summo desiderio flagraret Dominica, natum puerum videndi, apparuit ei B. Virgo, infantem deferens, quæ Dominicæ illum tradidit, concessitque vt amplexaretur, & deoscularetur; quam gratiam aliàs à Beatissima Virgine obtinuit.

56. *Ægydius Gelenius de Col. Agrippina, in Fastis prid. Non. Febr.* In valle S. Petri sub iugo Reticonis, siue Heisterbaci, diæcesis Coloniensis monasterio, Ven. Christianus monachus tantæ fuit puritatis, vt cùm eo Christus, & eius Genitrix visi sint horas canonicas recitare, & ipse in eorum manus animam tradens ad cælestem patriam migrauit.

57. *Blosius in monili Spirituali, cap. 7.* Cùm dulcis Iesus sanctæ cuidam Virgini in monasterio degenti, atque in cellula sua oranti, apparuisset in forma pueruli, & illa ad commune aliquod opus ex obedientia faciendum accersiretur, statim reliquit puerulum Iesum, & quod facere iussa erat, animo voluntario, hilarique vultu peregit. Deindè celeriter ad cellam reuersa, vidit dilectum Dominum suum, quem puerulum paulò ante reliquerat, iàm in ætate perfecta tamquam elegantissimum iuuenem viginti & quatnor annorum adstantem; A quo cùm Virgo percunctaretur, quomodò in tantillo tempore tàm grandis factus esset, respondit ille. Profunda velocis, & impigræ obedientiæ tuæ humilitas mo tàm breui tempore tàm magnum effecit.

58. *In vita B. Claræ de Monte Falco.* Beatæ castæque Virgini Claræ Dominus Iesus, mansuetissimi agni formam induens, sæpè apparebat, cùm eaque iocabatur; quadam verò vice in forma elegantissimi pueri se illi visibilem præbens, castissimum osculum in eius faciæ impressit.

59. *In vita Venerab. Cæciliæ Virg. Ferrariensis, ordinis Sancti Dominici.* Cùm millies salutationem Angelicam quadam vice recitasset, apparuit ei in forma elegantissimi pueri Christus Dominus, eamque castissimis amplexibus blanditus est.

60. *In vita Ven. Eustochÿ Virg. Fdrrariensis è Dominicana familia.* Semel apparuit ei B. V. Maria, puerum Iesum in fæno iacentem adorans, sumensque sanctum infantulum, in manibus castissimæ Virginis reposuit, quem millies suauissima animæ voluptate est deosculata piissima Virgo.

61. *In actis Ven. Vrsulæ Benincasæ.* Aliquandò ei visibiliter Christus apparuit, in cuius gremio requiescere visa est.

62. *Barry, in lib. sanct. intent.* Agebat aliquandò in templo Benuenuta, sanctissima è Dominicano ordine Virgo, cùm puerum procùl intuetur, supra quàm dici potest, elegantissimum, adeò vt imperare sibi minimè potuerit, quòminùs nutu accerseret. Accurrit confestim ille, ac Benuenuta mirata vehementiùs venustatem, ac formam, vt aspectum diutiùs, ac per otium satiaret, morari illum verbis instituit. Interrogat, an matrem haberet? Ita inquit puer; Tùm scis ne, subdit illa, salutationem Angelicam? Scio, inquit, rogauitque vicissim, an ipsa sciret? Dùm affirmat Benuenuta, rogat ille vt recitet. Paruit Virgo; atque ad ea verba: Benedictus fructus ventris tui, Iesus, dicentem interpellat puer; & ego sum, ait, statimque euanuit.

63. *Sylos, in vita Vener. Francisci Olympÿ Cler. Reg. lib. 2. cap. 8.* Annis ferè quatuor, & triginta, antequam mortalitatem exueret V. Franciscus Olympius ex nostris, orabat de more in choro ad augustissimum Eucharistiæ Sacramentum, cùm in eius se se conspectum dedit puer, vulgari quidem cultu, sed quem scitissimi oris gratia, externæque indolis elegantia nimiùm quantùm commendaret. Qui mirè ad hæc, veluti puritatis lilia, affici sentiebat Olympius, vt vidit, adblandiri illi intimo quodam affectu cæpit; ac monito, vt signaret se cruce, salutationem Angelicam recitare cùm eo voluit: igitur ventum ad ea verba: & benedictus fructus ventris tui, Iesus: quæ vbi puer pronunciasset; ego sum inquit, euanuitque: Suntque qui referant, interrogatum priùs ab Olympio Puerum, an mater sibi esset, & quod ei nomen? Respondisse: & esse, & vocari Mariam: cuius quidem nominis appellatio abundè ex se erat conciliandæ serui Dei in illum beneuolentiæ.

64. *Idem in Hist. Cl. Reg. par. 1. libr. 4.* Nocte Christi incunabulis sacra, post preces matutinas, solemni sacro intererat Vener. Sor. Maria Carafa Fundatrix monialium Sapientiæ Neapoli. Suauissima rerum facies, ac Dei vagientis historia toto animo inerrabat, & quà mysterii veneratione, quà ponderi deliciarum minus sufficiens, prostrauerat se se humi: Cùm cælitum Regina, spectandam se Mariæ dedit, ea vultus diuinitate, ac luce, vt intuendo impar esset: mox suaui quodam inuitamento; An, inquit, hunc, quem modò infantem peperi, amplexari cupis? Annuit illa, ac protensis confestim manibus excepit sinu Numen, tenuitque inter innatantes mero melle, ac nectare affectus, quoad libuit; peractisque Deiparæ gratiis, Natum restituit, cuius impressa menti pulcherrima imago, ac species, pectus assiduo, fibrasque omnes dulcedine inundabat.

65. *Coquetius de viscerib. B. Virg. erga ordinem Prædicatorum.* Cùm semel Lucia Narniensis oraret ante imaginem Beatæ Virginis; sacra imago eam interrogauit: nùm filium suum amaret, & an eum habere, & domum ferre vellet. Lucia annuente, En, inquit Deipara; simùlque non iàm marmoreum, sed carneum, & viuum filium in Luciæ brachia deponit, iubetque portare molliter. Lucia, Iesulum acceptum, domum deportauit, id omnibus videntibus, & admirantibus, triduoque integro (quo non sine admiratione populus vidit deesse Deiparæ imagini Iesulum in altari,) cùm eo conclaui inclusa, cæli gaudiis est delibuta. Triduo autem inter cælestes delicias finito, filium matri suæ reddidit Lucia, postquam ab ipsa Virgine hac super re monita est.

66. *Cæsarius, libr. 8. mirac. cap. 8.* In Francia

Virgini cuidam, Iesus pulcherrima pueri specie spectandum sese obiecit: quem dùm illa ad se vocat, iubetque vt vnà secùm salutationem Angelicam recitet, recitare nulla mora puer cæpit; sed dùm verba pronunciat; Benedictus fructus ventris tui, Iesus, obrupta oratione, Ego sum, ille ait; ac puellam admirationi, venerationique immixtam reliquit.

67. *Io. Andreas Rota in vita Vener. Pudentianæ Zagnoniæ, cap.* 14. Tanta fuit charitas in Deum Sororis Pudentianæ Zagnoniæ Virg. Bononiensis, vt bis in solemnitatibus Natalis Domini, puerum Iesum à Virgine matre meruerit recipere, castisque vlnis amplecti.

68. *Dominicus Maria Marchesius, in vita Ven. Sor. Mariæ Villanæ ordinis Prædicatorum*. Cælestis sponsi suauissima præsentia, ne dùm mente, sed & corpore quandoq. fruebatur Ven. Soror Maria Villana, quippe qui aliquandò eidem sensibiliter apparens, solabatur in afflictionibus, horas canonicas alternatim cùm illa recitabat, aliquandò acu pingenti suam operam præstabat, quandòque etiam vnà cùm Virgine matre, eamdem sacra amuleta efformantem adiuuabant; vndè non mirum, si aliquo quandòque die debilis, manibusque attracta Virgo, quadraginta, plùsue ex sacris his amuletis efformaret, cuilibet incluso, præter cætera sacra, euangelio Ioannis, *In Principio, &c.* propria manu exarato, cùm, qui solo verbo creauit mundum, operi benignissimè assisteret. Huiusmodi amuleta, cùm priùs sericeis ornamentis tegeret, deinceps iubente cælesti sponso, eamque quonam modo efformanda essent edocente, solis membranis velabat, in quibus mysteria passionis mirabili artificio, calamo inscribebat, eaque priùs à cælesti sponso benedicta, tùm sororibus, tùm cæteris elargiebatur.

69. *In annal. Societatis Iesu*. Alphonsus Rodriquez, vir religiosissimus, Maioricensis collegii nostri Ianitor, quia quotiès fores aperiebat, id facere solebat tamquam si ipsimet illas Christo Domino panderet, bonum Iesum per eas ingredi sæpiùs conspexit.

70. *Episcopus Gouea, in Libello, quem de gestis B. Ioannis de Deo scripsit, in tractatu, vbi agit de virtutibus egregij viri Antonij Martini Xenodochij Matritensis fundatoris, ait*: Huic aliquandò puerulus Iesus ipso habitu diuini cuiusdam cupidinis formam exprimens, cor sagitauit, miraque dulcedine viscera transfixit.

Recenseantur quæ dicta fuerunt lib. 3. cap. 3. §. 1. cùm de Christo in Eucharistia vibiliter apparente.

B. Virgo Maria quandòque visibiliter apparens.

§. 2.

NOnnullas & hic referam Sanctissimæ Virginis Mariæ Apparitiones, quibus quandòq. visibilem se ipsam demonstrans, post mortem in cælis viuere, & regnare, eamque inuocantibus adesse, manifestauit. De his.

1. *Petrus Antonius Beuterus in Chron. Hisp. cap.* 23. In ripa fluminis Ebri propè Cæsaraugustam Aragonum vrbem, D. Iacobo Virgo Maria apparuit, eumq. vt sacellum sibi, quod postea multis claruit miraculis construeret, admonuit.

2. *In vita S. Io. Damasceni*. Sanctissima Virgo apparuit Sancto Ioanni Damasceno, & manum, quam Leo Isauricus impie præcindi iusserat, rogata restituit, & in brachio relicta fuit ex vulnere liniola.

3. *Cantipratanus, lib.* 2. *Apum, cap.* 29. *in Notis*. Scriptum diligentiùs est qualiter B. Thomas Cantuariensis Præsul, & martyr, exilio trusus sit, & fugatus in Galliam, & in Pontiniaco monasterio ord. Cisterciensis plurimo tempore demoratus. B. autem Præsul, cum multis annis, femoralibus, atque camisia ciliciniis vsus fuisset ad carnem, & subitò de Anglia exire compulsus, sibi pro mutatione harum vestium minimè prouidisset; & antiquitate nimia dicta femoralia soluerentur, & nullum vellet de familia, huius conscium habere secreti (nec præter quamdam Reclusam sanctissimam apud Cantuariam vnquam ante voluerat) die quadam solus in capite chori foràs Ecclesiam, quasi reparaturus femoralia residebat. Operis ergo huius ignarus, & expers, anxius quid faceret, qualiter inciperet nesciebat: cùm ecce Regina mundi, operis non ignara, quia teste Hieronymo, *filius Virginis* quæstuariæ iudicaturus est orbem terræ, Salutat Præsulem, confortat ne timeat, de manibus eius accipit vestem, residet iuxta illum, & conuenientissimè reparat laceratam. Nec mora, opere completo, disparet. Præsul autem effusus in lachrymas, laudes pro pretio, cùm multa admiratione rependit.

4. *Ignatius de Nente, in vita Vener. Sor. Dominicæ de Paradiso, libr.* 1. *cap.* 25. Semel iussa à matre Ven. Dominica, dùm adhuc esset puerula, vt inciso panno, vestem sibi adaptaret, sarciretque, obedire matri cupiens, omnisque sarciendi artis expers, Beatæ Virginis auxilium implorauit, quæ illi apparens, forficibus assumptis, pannum pro veste adaptauit, ad sarciendamque vestem, illam edocuit.

5. *Blosius in monil. spirit. cap.* 3. Sancta Gertrudis aliquandò ægrotans, & lecto decumbens, cùm horas suas legere non posset, neque etiam iuxta desiderium suum ad honorem Beatissimæ Virginis Mariæ valeret dicere ex integro salutationem Angelicam, conata est tamen sæpius iterare saltem hæc verba: Aue Maria gratia plena, Dominus tecum; huic Virgo Deipara apparuit induta pallio aureis floribus mirè exornato, quibus designabantur salutationes ab ista cùm labore lectæ, & in his excellentissimè relucebat pius affectus, quo ipsam gloriosam Virginem salutare desiderauerat.

6. *Crantzius in Metrop. lib.* 6. *cap.* 41. *de Brunone Episc. Hildesiano*. Primus hic natiuitatem Virginis gloriosæ cæpit cùm octaua celebrem habere, cùm sit eius Ecclesiæ patrona. Aderat autem semel matutinali officio nocte media: & ecce splendor fulsit insolitus, & omni meridiana luce fulgentior. Stupuere qui aderant, & penè ex cantu obmutuerunt. Pontifex quid esset curiosiùs contemplatus, vidit ocula-

oculatè sanctissimam Virginem sibi intendentem. Procidens in ora supinus, ò inquit sacratissima Regina, quid te ab alto traxit inuisere mansionem humilium tuorum? Tùm illa, placuit altissimo vnico meo tua deuotio, placet cùm cælitibus, & mihi, perseuera in eo quod cæpisti, & cùm dicto disparuit.

7. *Rosunuydus, de B. Abundo monacho*. Fuit B.Abundus Beatissimæ Matri Christi adeò familiaris, quòd non solùm ipse manum eius osculari meruit, sed & ipsa oris osculum præbuit. Quandò, vel qualiter id acciderit, liber de gestis virorum illustrium Villariensis cænobii in hunc modum narrat: Quodam tempore desiderauit hic Abundus deosculari ipsam Virginem osculo oris sui, quod illi concessit, sed & ipsa quoque dignata est eum iterùm deosculari.

8. *Chrys. Henriq. in fasc. de B. Maria, sor. B.Caroli Abb. monasterij Villariensis*. Hæc pia fæmina, B.Caroli soror, cùm esset nubilis, & à pluribus in coniugium desideraretur, beatissimam Virginem Mariam sibi assistentem conspexit, quæ capiti eius coronam pulcherrimam, & florigeram imposuit, & disparuit. Pia fæmina hoc videns obstupuit, vocauitque Abbatem Veteris Montis, ordinis Cister. quid sibi acciderit exposuit, cùm quo de nocte egrediens, ne à suis comprehenderetur, & ad monasterium de Duneuuarch veniens, inter sacras Cistercienses Virgines habitum regularem suscepit, vbi sanctissimè vsque ad terminum vitæ conuersata est.

9. *Seraphinus Bertolinus, in vita S. Rosa Peruana, cap.15.* Orationi, & contemplationi ita se dederat S.Rosa de S.Maria Peruana, vt ad vitam vnitiuam, summa cùm omnium admiratione, citò peruenerit, ad cuius orationis exercitium, eam per multum temporis Sacra Deipara Virgo singulis noctibus excitauit.

10. *Henriqu. in Fasc. ord. Cisterc. libr.1. dis.2. cap.2.* Beato Patri Alberico eiusque monachis, laudes, & matutinas horas deuotè canentibus, adfuit Deipara Virgo, cælestium spirituum circumstipata phalange, præferens manibus candidam, & nitidissimam cucullam, quam stupentis Alberici capiti imponit. Sed ecce miraculum miraculo excipitur. Simulatque enim habitus ille albus Alberico impositus est, Monachorum in choro psallentium cucullę colorem mutarunt, & quæ antea nigri erant coloris, repentè candidissimo, instar niuis, colore sunt infectæ, & statim ex oculis seruorum suorum Virgo Beatissima euanuit.

11. *Ferdinandus Castillius in ann. Prædicatorum*. Anno 1247. in Conuentu Montispessulani in Gallia, dùm ad generalia comitia ex omnibus orbis partibus frequentiores conuenissent Religiosi ordinis Prædicatorum, & in choro die Sanctissimæ Pentecostes essent vnanimiter expleturi horam tertiam, ad Hymnum, *Veni Creator Spiritus*, ecce visus est Spiritus Sanctus descendere in ignea claritate super psallentium chorum, implens eorum corda diuino ardore. Et vt maioribus cumularentur donis veri illi pij Religiosi, visa deindè etiam est B. Virgo Deipara benignè respiciens eos. Dùm enim congregati in Ecclesia cantarent deuotissimum Hymnum, seu canticum, *Salue Regina*, adfuit sanctissima Deipara, filium Dei gestans inter brachia, positaq. ante Fratres, ad illa verba, *Et Iesum benedictum fructum ventris tui*, ostendebat singulis Fratribus eumdem filiolum: cùm ad ea verba peruentum fuit, *ò dulcis Virgo Maria*, quandò isti caput profundè inclinabant, ipsa resalutans Fratres, se inclinabat. Quod illis tunc contigit visibiliter, contingere sæpè inuisibiliter credendum est animis rectè dispositis, ac præparatis inter orandum, & psallendum.

12. *Henriquez in menol. Cister. 16. Maij.* Cùm B.Eustachius, & monachi Heisterbacenses, quorum Visitator erat, vigiliis matutinis interessent, & Hymnum, *Te Deum laudamus*, deuotissimè canerent, visa est in magna gloria Beatissima Virgo, quę miræ pulchritudinis coronam per catenam auream super conuentum demisit, in cuius summitate pretiosissima, ac lucida gemma apparebat, in qua scriptum erat, *ò clemens, ò pia, ò dulcis Maria.* Ex nomine *Mariæ* radii splendidissimi se circùmquaque diffundebant, & nominatùm Eustachii, tùm cæterorum monachorum in choro existentium, quæ per circuitum coronæ sculpta erant, illuminabant: & postmodùm ipsa Angelorum Regina clara voce dixit: Sicut ego hodiè sum in gloria mea, ita isti omnes mecùm erunt in æternum.

13. *Idem ibidem, 16. Iunij, de B. Lutgarde*. Quandòque visa est Dei Genitrix, & S.Ioan.Baptista eam comitari. Per quinque continuos annos quotidiè ab ipsa Dei gloriosissima Matre, vel ab Angelis, vel ab aliis cæli ciuibus visitari meruit.

14. *Antonius Dazza, in vita B.Ioannæ à Cruce, cap.1.* Propè ciuitatem Cubas, propè Matritum in Hispania, anno 1549. nouiès apparuit Beata Virgo cuidam puellæ, nomine Innes, quæ gregem porcorum pascebat, imperauitque, vt per totum anni circulum ea die ieiunaret, in quo festiuitas Annunciationis eius eo anno celebraretur, omnibus hoc ieiunium seruantibus promittens octoginta mille annos indulgentiæ; præcepit insuper, vt omnibus pænitentiam prædicaret, ne à diuina perderentur iustitia; signum etiam, vt omnes illi crederent, in illius manibus impressit, digitos illius in formam Crucis componens, asserens tunc solùm disiunctos iri, cùm in Ecclesia eius nomine Guadalupæ dicata quatuor ceræ libras obtulisset, quod totum factum est. Rem autem admirantes ciues, Beatæ Virgini gratias agentes, ieiuniis, & lachrymis propria expiarunt peccata, in signumque gratitudinis, dùm Crucem in loco, in quo Beata Virgo apparuerat, collocare statuunt, Beata Virgo, Innes puellæ, quæ crucem solemni ritu ad locum ferebat, apparens, Crucem accepit, propriisque manibus terrę defixit, imperauitque puellæ, vt eam adoraret, omnibusque ciuibus, vt Ecclesiam B. Virgini dicatam ædificarent, notum faceret; quod adimpletum fuit, vocataque fuit Ecclesia S. Mariæ de Cruce.

15. *Anonymus de B.Eulalia Virgine.* Apparuit Beatæ Eulaliæ vigilanti Beata Dei genitrix Virgo

ſemper Maria, dicens: Dormis Eulalia? dormis filia? Cui illa, non dormio, inquit, Domina mea charissima, ſed à te quæro, cur ad me peccatricem, & indignam venire dignata es Mundi Regina? & Domina; ne timeas matrem piam, filia charissima, cui quotidiè quàm plurima exhibes ſeruitia. Quandò me ſalutas Angelica ſalutatione, noli, ſi vis mihi placere, & magis tibi proficere, amodò illam ſalutationem tàm citò proferre, Scias me tunc gaudium magnum percipere, maximè cùm dicis, *Dominus tecum* prolixè, huius modus gaudii innenarrabilis eſt, quo tunc afficior: nàm ea videtur mihi intra me præſentem habere filium meum, ſicut cùm de me dignatus eſt naſci Deus, & homo pro peccatoribus, & ſicut tunc fuit mihi gaudium ineffabile, ita & tunc cùm dicitur mihi, *Dominus tecum*, Angelica ſalutatione. Hæc audiens illa Dei famula, repleta nimiùm eſt ingenti lætitia. Agente illa gratias pro tàm pia conſolatione, & admonitione, Virgo pia cùm claritate magna rediit ad cæleſtia regna.

16. *Bonfinius, libr.5. Dec.5.* Anno 1495. Nicolaus, Sigiſmundi Quinqueeccleſienſis Epiſcopi quæſtoris familiaris, Buda ad Regem Vladiſlaum properans, in villa, cui Solita nomen eſt, magna in aere luce cùm ingenti fragrore, oculis, auribuſque ſuis obiecta, repentè rei nouitate exterritus, in terram procubuit, ſuſpicienſque indè in cœlum, Beatæ Virginis ſpeciem cùm filio, nimbo fulgidiſſimo circumfuſam per aerem deſcendentem, & Budam versùs curſum intendentem vidit, idque ſtatim Bormo cuidam, & vxori eius hoſpiti, & aurigæ ſuo venerabundus oſtendit. Is dies erat, quo Deiparæ Virginis Conceptioni dicatus eſt, quem poſteà ſemper Vngari religioſiùs coluerunt.

17. *Sophronius in Prato Spirit. cap.66.* Circa annum 429. Abbati Cyriaco, B. Virgo cùm duobus SS.Io.Baptiſta, & Euangeliſta apparuit, & negauit in cellam eius ingredi, manebat enim ante ianuam, eò quòd ignaro Abbate, duo Neſtorij libri in eius cella forent.

18. *In vita Beati Ioſephi Premonſtratenſis.* Cùm aliquandò minùs cautè procedens, pedibus offendiſſet, cadens in faciem, duobus dentibus orbatus eſt. Quos cùm euulſos manu portaret, ſine omni ſpe recuperationis (neque enim edentulus ſi quis factus, rursùm ei dentes orti ſunt, multò minùs aliquandò repoſiti; cùm ſecundùm naturam, non ſit à priuatione regreſſus ad habitum) ibat euomens ſanguinem, fortaſſis ad lauatorium, vt illum ablueret profluentem. At mater miſericordiæ, dolorem, pudorem, & tantum detrimentum ſui fideliſſimi miſerata, beatiſſimam, & cõſuetam illi ſuam præſentiam, occurrens exhibere curauit; & verbis compaſſionem ſignantibus, familiariſſimè ſciſcitata eſt: Quid, inquit, habes? Cui ille, quantum potuit loquens; Dentes meos, ait, perdidi, cruciorque dolore. At illa ſubiecit: Da mihi, inquit, ipſos dentes euulſos; quos cùm de manu dilecti acceppiſſet, in gingiuas ſanguinolentas illos repoſuit locis ſuis; & omni dolore remoto, vulnereque ſanato, dentes ſolidauit eoſdem, vt nullum omninò doloris, aut vulneris veſtigium remaneret.

19. *In actis Ven. Vrſulæ Benincaſæ.* Cùm quadam die Ven. Vrſula adhùc infans in cuna iaceret, mulier quædam in eius cubiculum ingreſſa (quæ fuiſſe B. Virginem piè creditur) cæleſti lumine circumdata, illam, & totum cubiculum eodem lumine circumfulſit, ita vt etiam ipſius puellæ facies luminoſa videretur.

20. *Ignatius de Nente, in vita Ven. Sor. Dominicæ de Paradiſo libr.7. cap. 18.* Sæpè Beata Virgo Maria eam a ſomno excitabat, vt conſuetis orationibus vacaret.

21. *In m. ſ. ſ.* In Pago Ghiſalbæ territorij Bergomenſis, deuota extructa eſt Eccleſia Beatæ Virgini, quæ de Miraculo nuncupatur: Hanc incolæ ædificarunt iuſſu eiuſdem Virginis, quæ cuidam deuotæ fæminæ viſibilem ſe præbens, in illius guttur gladium abſque læſione in ſignum veritatis immittens, eidem præcepit, vt Eccleſiam prædictam ædificandam curaret, quod & præſtitit, nec niſi poſt extructum ſacellum, gladius ex illius gutture extrahi vnquam potuit.

22. *Ioannes Euſebius.* Cùm aliquandò in quadam probationis domo Societatis noſtræ, tyrones, & nouitii, quorum nemo non ſingulari affectu Deiparam colebat, orationi vacarent, inſignis aliquis Dei famulus, Beatiſſimam matrem ſe in medios ipſos vidit immittere, ſinguliſque diuinum nectar è poculo, quod ſecùm attulerat, propinare, ſymbolum ſcilicet, clarumque argumentum dulcedinis illius, ac deuotionis, quam ipſis vnà infundebat.

23. *Franciſcus à Sancta Maria, in Hiſtor. Carmelit. tom. 1. libr. 2. capit. 13.* Cùm in conuentu Malagonenſi Diſcalceatarum Sanctæ Tereſiæ, quædam ſoror infirmis miniſtrans, quadam veſpere maxima laboraret laſſitudine ob diurnos labores; ſedens, imaginem Virginis proſpiciens, & quæ mihi auxilium præſtabit, dixit, ò Beata Virgo? Ego filia, reſpondit tunc Imago, ſtatimque viſibiliter apparuit Beata Virgo, quæ laſſam ſororem à labore ſubleuauit.

24. *Surius in vita S. Bernardi Abb. libr. 1. cap. 12.* Cùm ſemel grauiter ægrotaret S. Abbas, apparuit ei B. Virgo Maria, cùm B. Laurentio, & Benedicto, ad quorum altare, fratrem, vt pro ſe oraret miſerat, & ſanauit eum.

25. *In ſpeculo exempl. tit. Maria, exempl. 113.* Petrus Fauerius Carthuſianus, cùm in grauiſſima infirmitate à Dæmone maximè tentatus eſſet; affuit illi Beata Virgo Maria in brachiis puerum deferens; eique cominus aſtans: Frater mi, inquit, cur times? cur diffidis? per iſtum enim puerum ſpecioſum, omnia peccata tua ſunt dimiſſa. Ad hæc verba Satan confuſus, de loco illo turpiter eſt egreſſus, ſtatimque ab oculis infirmi Virgo gratioſa diſparuit; & ipſe inexplicabili lætitia, & exultatione cordis perfuſus remanſit.

26. *Surius de Sancto Radbodo Epiſcopo Traiectenſi, 29. Nouembris.* Cùm aliquandò grauiter decumberet Radbodus, apparuit ei B. Virgo cum S. Agnete,

Agnete, & Tecla, totum habitaculum splendore perfundens, illumque consolata, dixit, nihil ex illo morbo periculi imminere, quamuis postea non diù in carne victurum fore.

27. *In actis S.Verenæ Virg.* Cùm iàm finis vitæ Beatæ Verenæ appropinquaret, infirmata corpore, non autem propositi sui rigorem deponens, lectulo decubuit: Et dùm obitus sui terminum præstolatur, adest Dei genitrix Virgo Maria, innumerabiles virginum choros præcedens. Quam Verena tota deuotione intendens, & vndè hoc mereretur, interrogans, ab eadem Dei genitrice audiuit: Veni, inquit, vt ab eo, cui fideliter seruisti, remunereris: Quo dicto, beata illa anima corpus reliquit.

28. *Surius, de Sancto Arnulpho Episcopo Suessionensi, 15. Augusti.* In extrema eius infirmitate, adfuit ei Beatissima Virgo Maria cùm sanctis Virginibus, benignissima voce eum certiorem efficiens de anima sua inter Assumptionis eius gaudia, in cælos transferenda.

29. *In Chron. Minorum, par.3.libr.7.capit.32.* Dominico de S.Seuerino in Piceno ordinis Minorum moriente, visi sunt à Fratre quodam Dæmones multi circa cellam eius stare, expectantes vt indè exiret Beatissima Virgo, quæ ad eum visitandum venerat.

30. *Paulus Diaconus.* Cùm Gebizo monachus Cassinensis vltima depressus esset infirmitate; Apparuit ei Beata Virgo, & eum confortans ait: Sustine viriliter, quia per ardorem hunc momentaneum, euasurus es illum intollerabilem, & perpetuum.

31. *In Chronicis ordinis Prædicatorum.* Quidam ex S.Dominici familia religiosissimus concionator, conciones suas omnes narratione aliqua de Beata Virgine claudere solebat. Hic morte imminente, amaris lachrymis mersus, nullum admittere posse solatium videbatur. Sed non deseruit suum Encomiastem Virgo. Itaque ei se visendum præbens, omnem mærorem momentò abstersit, & in torrentem suauissimæ voluptatis commutauit, dulcissima cùm illo miscens colloquia, vt, qui ante angore penitùs obrutus erat, modò exundantem pectore lætitiam capere non valens, in voces erumperet, quibus nunc Dominam salutabat, nunc ad considerandum inuitabat, nunc spiritu, ac voce psallebat, ac iubilabat; hac denique cantui adiecta coronide: Congaudent Angelorum chori gloriosæ Virgini: & cùm diceret: omnis spiritus laudet Dominum; suum quoq. spiritum, cælestium spirituum, Deum laudantium choro moriens addidit.

32. *In Chron.ord.S.Augustini.* Ex S. Augustini Religiosis Canonicis quidam, cùm propè vltimam illam lineam rerum, Iudicem, cui mox sistendus erat, vehementer formidaret; Virginem Mariam vultu serenissimo sibi habuit conspicuam, quæ sic eum est allocuta: Confide fili, tu mihi totiès, & tanto affectu, Salue Regina decantasti, faciam, quod illic petebas quotidianis, & assiduis precibus, & vbi te ex hac lachrymarum Valle eduxero, aduocata tua ero, & Iesum benedictum fructum ventris mei, tibi (nullas purgatorii flammas passo) post hoc exilium ostendam.

33. *Platus de bono statu Relig. libr.1. capit.31.* Adulpho, qui Principatum Alsatiæ in D. Francisci paupertatem, atque ordinem commutauerat, in hora mortis trepidanti, Angelis stipata Virgo apparens: Quid times, inquit, fili? aut cur ob imminentem mortem angeris? Veni securus, quoniam filius meus, cui fideliter seruiuisti, dabit tibi coronam gloriæ.

34. *Bzouius ann.1238.n.12.* B. Virgo Maria Leodato, ord. Prædicatorum, in extremis constituto apparuit, eumq. iubilantem in Paradisum introduxit.

35. *Idem an.1298.n.13.* Ven. Petrus Podiensis, ord. Prædic. in extremo vitæ, B. Virginis eum consolantis apparitione dignatus est.

36. *Vghellus in Ital. Sac. Episcopi Venusini.* Cùm Attila ad subuertendam Venusinam ciuitatem exercitum admouisset; Episcopus pontificalibus indutus, cùm Clero, & Cruce occurrit, qui visa Deiparæ Imagine Virginis, quæ eidem, totique exercitui apparuit, re infecta recessit: quamobrem in eius honorem extra vrbem à Venusinis in memoriam facti Ecclesia fuit excitata, quæ hactenùs extat.

37. *In m. s. s.* Anno 1528. Cùm obsideret ciuitatem Monopolis Caroli V. Imperatoris exercitus, Duce Marchione Vasthense, & à pinaculo Ecclesiæ cathedralis, in qua piè colitur Vener. imago B. Virginis, vulgò *de Madia*, nimis hostes globis igneis vexarentur; à quodam supremo ministro exercitus, iaculatoribus, vt accensis Bombardis pinaculum diruerent, fuit mandatum: erant tres turres, & cùm duæ ictibus corruissent, tertia, quæ nunc extat, integra remansit, & super illam visa est mulier albis induta, in medio duorum accensos cereos tenentium; cuius apparitionis antiqua seruatur memoria in quodam lapide quadrato in arce, quæ dicitur vulgò *il Torrione della Madonna*, & cùm adhùc globos iacerent hostes, turrim, seù campanile percutiens globus, retrocedens ministrum qui bombardam inflammari iusserat, interfecit, quo miraculo perterriti hostes recesserunt, obsidionemque dimiserunt.

38. *Ioan.Petrus Maffæus, libr.13. Hist.Indica.* Clara admodùm, & gloriosa Lusitanis fuit victoria, quam de Cambaianis habuere, vel magnitudine periculi, vel prædicatione omnium, ac fama: Celebritatem auxere diuina miracula, quod hostes ipsimet affirmarent, conserta iàm pugna, maiores aliquot ballistas, applicitum quater ignem cœlo minimè pluuio, respuisse, & super ædiculam arcis apparuisse mulierem cælesti lumine radiantem, cuius fulgor ita adspicientium oculos, mentesque perstringeret, vt cæci propèmodùm, neque in ordines ire, neque in vnum conglobare se possent; ac tanto superiores numero, tamen immutata repentè rerum omnium specie, in denos Lusitanos pugnaturi singuli viderentur; indè consternationem, & fugam ortam.

39. *In Hist.Siciliæ.* Dùm quondam obsideretur à Saracenis Messanensis ciuitas, B. Virgo visibiliter

in vertice cuiusdam propugnaculi pulcherrimum vexilium gerens apparuit; in qua cùm miles sacrilegè sagittam iniecisset, in eumdem mirabiliter retorta est; quo miraculo, confusus exercitus discessit. Hoc propugnaculum etiam hodiè propugnaculum Victoriæ, ob tanti miraculi memoriam nuncupatur.

40. *Alonsus de Ouaglie in Histor. Regni Cilensis, libr. 5. capit.* 1. In quadam ciuitate Regni Cilensis cùm pauci Iberi contra multos Indos pugnarent, isti inopinanter fugam arripientes, Iberis gloriosam reliquerunt victoriam: interrogati autem, quare tàm velociter fugissent? Responderunt, in mediis castris pulcherrimam mulierem se vidisse, quæ puluerem in eorum oculos iniiciens, eos obcæcabat, fugamque exindè illorum causabat. Hanc fuisse Beatam Virginem vnanimi consensu credentes Iberi, maximas illi gratias dederunt.

41. *In annal. Aragoniæ*, Mauris quondam, Cæsaraugustam vrbem, quam nostri iàm obtinuerant, noctu clàm inuadere contendentibus, ac quadam muri parte ab eis conquassata & diruta, Sanctissima Dei Genitrix Maria cælesti Angelorum agmine coarceuato, ipsis infidelibus restitit, ac ne vrbis sibi carissimæ potirentur, illius se præbuit propugnatricem in diruta parte muri contra hostiles impetus, & incursus: quo loco magnificum templum extructum est.

42. *Seraphinus Bertolinus in vita Sanctæ Rosæ Peruanæ, cap.* 20. Anno Domini 1535. cùm in India Christi fideles exercitu comparato sexcentorum militum, ciuitatem, vulgò Caxaguana obsidere tentassent, vt idololatras ciues ad veram fidem reducerent, repentinè à ducentis mille barbaris ita oppressi fuere, vt vix eorum manus, nisi miraculose effugere potuissent: auxilium itaque Beatæ Virginis deuotè implorarunt: & ecce initio pugnæ eadem Virgo, nubiū lucidissimo throno insidens omnibus cernentibus apparuit, virgaque, quam manibus tenebat, ad infideles conuersa, vltimam perniciem toruis oculis minabatur, nisi arma deposuissent: quo prodigio perterrefacti Barbari, arma, cordisque duritiem proiicientes, fidem catholicam sunt amplexati.

43. *Dominicus Maria Marchesius, in vita Sor. Mariæ Villanæ, ordinis Prædicatorum*. Sæpissimè B. Virg. Maria humillimæ Sor. Mariæ Villanæ apparens, eam solabatur, ab infirmitatibus subleuabat, subtilissima diuinæ sapientiæ edocebat arcana; quandòque manualibus exercitiis incumbenti, suam operam præstabat. Semel in nocte Natiuitatis Dominicæ oranti se se visibilem reddidit, puerumque Iesum in eius reposuit vlnas, cuius amplexibus, ardentissimum Sor. Mariæ cor flagrantissimo charitatis excessu exarsit.

44. *Cæsarius, libr. 7. cap.* 35. In quodam monasterio sanctimonialium, quædam degebat Virgo, nomine Beatrix. Hanc Clericus semel videns, & concupiscens, procari cæpit. Illa verba luxuriæ spernente, isto importuniùs instante, serpens antiquus tàm vehementer pectus eius succendit, vt flammam amoris ferre non posset. Accedens verò ad altare Beatæ Virginis, sic illi ait: Domina, quantò deuotiùs potui seruiui tibi, ecce claues tuas sibi resigno (erat enim custos monasterii) tentationes carnis diutiùs sustinere non valeo; positisque super altare clauibus, clàm secuta est clericum: quam cùm miser ille corripuisset, post dies paucos abiecit. Illa cùm non haberet vndè viueret, & ad claustrum redire erubesceret, facta est meretrix. In quo vitio cùm publicè quindecim annos transegisset, die quadam in habitu seculari ad portam venit monasterij; quæ cùm dixisset portario, nosti Beatricem, quandoq. huius loci custodem? respondit: optimè noui, est enim proba, ac Sancta Domina, & sine querela ab infantia vsque ad hanc diem in hoc monasterio conuersata. Illa verba hominis notans, sed non intelligens, dùm abire vellet, mater misericordiæ in effigie nota, ei apparens, ait. Ego per quindecim annos absentiæ tuæ, officium tuum suppleui, reuertere nunc in locum tuum, pænitentiam age, quia nullus hominum nouit excessum tuum. In forma si quidem, & habitu illius, Dei genitris vices egerat custodiæ. Quæ mox ingressa, quandiù vixit gratias egit, per confessionem circa se gesta manifestans.

45. *Lyræus in Trisf. Mar. libr. 7. mod.* 27. Cùm semel duo Fratres Minores Capuccini de Prouincia Veneta, Lauretum proficiscerentur, Marianæ ædis venerandæ causa, nocte quadam obscura à via aberrantes sub arbore pernoctare statuerunt, ac repentina ingruente pluuia, domum aliquam illis in filuis quærere cæperunt: cùm ecce domum magnam offendunt, ostium pulsant, benignè à Domina Domus excipiuntur, foco, mensa recreantur, & suauiter eam noctem traducunt: manè facto, cùm discedere vellent, à Domina, cui iàm causam itineris narrauerant, litteræ maiori chartæ inuolutæ traditæ fuerunt, Lauretum deferendæ; quibus acceptis, atque omni quod poterant beneuolentiæ signo exhibito, læti discessere; Vix passus quinquaginta fecerant, cùm nescio quo desiderio cognoscendi hominis, cui traditæ litteræ inscriberentur, exterius inuolucrum euoluunt, & non modò inscriptionem nullam reperiunt, sed nec obsignatas esse deprehendunt: quapropter è vestigiò iter relegere, ac de commodo defectu Dominam statuunt admouere: sed ò rem admirandam, eadem, qua venerant via, siluam quaque versùs perlustrantes, nec domum, in qua suauiter pernoctarant reperiunt, neque ab omni hominum memoria istic vllam extitisse intelligunt: (beata enim Virgo Maria ea Domina fuerat, quæ Angelorum ministerio seruis suis ea omnia subministrauerat) quare tutò litteras perlegere se posse arbitrati, quas apertas acceperant, explicant, & iniectis oculis perlegere incipiunt: quare hoc erat argumentum. Venerande Pater, agnita tua in me voluntate, ac pietate, qua ferri te in ædem meam Lauretanam liquidò perspexi, cùm tibi deficerent omnia, sine quibus hæc via non ducitur, ego deesse nolui, sicut nec vnquam, vbi tempus, aut ratio postularit, defutura sum: Maria Virgo. Quibus lectis, quanta ambo incesserint

rint lætitia nemo facilè exponet: Gratias igitur Deo, Beatæque Virgini dedere, quæ illis apparens tanta in necessitate subuenerat, statueruntque inter se rem omnem fido silentio quoad viuerent celare; quod & factum, donec sacerdote ex illis animam agente, post aliquot annos, res tota, per eumdem Guardiano innotuit, traditaque epistola fuit; quam is ad totius Prouinciæ Præsidem detulit; à quo, Duci de Camerino eiusdem ordinis maximæ benefactrici data fuit, apud quam summo in honore habita, plurimis miraculis effulsit.

46. *Ioannes Aleyd. in Chron. Belgicis, lib. 24. cap. 15.* Anno Domini 1288. erat quædam mulier, nomine Elizabeth, quæ quamuis libidinosa, & vaga fuit, in Sabbatis diebus ob honorem, & reuerentiam Virginis gloriosę S. Mariæ ieiunabat, & corporis turpitudinem non exercebat, sed orationibus, bonisq. vacabat exercitiis. Huic quadã die B. Virgo apparuit præcipiens, quatenùs continenter de cætero viueret, vitamque in melius mutaret, & vt iret ad vicum dictum Huckelum, eidem mandauit; Quòd ibidem miraculum in ea Dominus dignaretur operari. Quæ vale dicto suis, & dispositis domi negotiis, obediens voci Domini Dei matris venit ad occiduam partem eiusdem vici, ad eamdem domum petens hospitium, quæ cùm ibidem esset hospitio excepta ex amore Dei, ducta zelo deuotionis erga sanctam Dei matrem in eadem domo mansit, & ancillæ officio fungendo, domesticis est annumerata aliquo tempore: tandem exponens eiusdem domus patri familias, & curialibus, quibus seruiebat, alto silentio, seriem, & suæ vitæ prætentos actus narrauit. Insuper apparitionem, & iussionem B. Virginis, propter quam illùc aduenerat expectans promissam consolationem desuper ipsi affuturam. Quamobrem deinceps non vt famula, sed pro filia domus reputabatur; præcipuè cùm non ignota signa humilitatis, & austeritatis in ipsa collucerent, quæ gemitibus, & in cælum erectis palmis, & oculorum acie in admirationem, & in sui amorem homines pertrahebat. Igitur cùm sic aliquanto tẽpore in anteactæ vitæ emendatione progressus fecisset, accidit semel vt in crepusculo diei domum exiret, & in publica platea, vel via staret, sitiensq. vidit in recenti lacu aquam recentem copiosam satis limpidam ad potandum; quæ cùm se inclinaret ad bibendum, & se non muniuisset signo sanctæ Crucis antequam biberet, cecidit ante eam in eadem aqua quædam massa luti ad quantitatem, & formam nigræ fabæ. Sed ipsa hoc parui pendens, nihilominùs bibit, & veniens domum, cæpit insanire, & furere instar dæmoniacæ. Compatiens autem ei domina, cui seruiebat, mente reuoluens ea, quæ sibi dudùm prædixerat, suadebat, vt more Christianorum secùm iret ad Ecclesiam Huckelum & confiteretur peccata sua, erat enim tempus quadragesimale. Vadens igitur cùm domina ad Ecclesiam, fictè faciebat suam confessionem, rediensque domum permansit per quadragesimam, quasi semiliberam, ita vt die Paschæ instinctu Dominæ suæ iret cùm ea ad Ecclesiam, vt communicaret: quæ tùm in Ecclesia sicut priùs se gerebat, nec poterat intueri corpus Domini tempore eleuationis. Tãdem Missa finita, cùm cæteri irent ad communionem, perstitit ipsa fixa in quodam loco Ecclesię, non volens communicare. Dùm ergo sic staret, venit vox ad eam, quasi ab inuisibili spiritu prolata: quid hìc stas? vade, & communica, vt cæteri faciunt. Admirans ergo, & videns stupefacta retrorsùm, neminem conspexit. Demùm à maligno spiritu compellata, cur retrospiceret monita est, dicente: Vade, ego propè te sum, noli timere, fac vt reliqui faciunt. Accedens ergo ad Altare, suscepit corpus Domini Saluatoris, sed nequaquam consumere valuit: videbatur nãmq. hostia dura instar petræ: verùmtamen Domina sua gauisa est eius ancillæ de sumpta sacra Synaxi: cùmque pariter Ecclesiam exirent, venit columba niuea, & recepit ex ore ancillæ Corpus Christi, euanuitque ex oculis eorum. Dùm ergo venissent domum, stupente Domina, magis solito cæpit insanire, vt necessariò loris, & compedibus stringeretur: tertia verò dehinc die creator compatiens suæ creaturæ, illuminauit eam intùs meritis Sanctæ suæ Matris: vocans igitur Dominã suam petiit benignè, vt sibi daret mũdissimam mappam domus suę. Cùmq. Domina quæreret, quid cùm ea facere vellet, respondit: Domina nostra mater misericordiæ veniet hic statim cùm Sancto Ioanne Euangelista, & sancta Elizabeth ad liberandum me: currens ergo Domina valdè attonita, & quamuis multas bonas habuit mappas in scrinio suo, nullam tamen illarum citò potuit habere: moram autem faciente Domina, clamabat ancilla dicens. O Domina charissima festina, quia propè est Virgo Maria cùm alijs sanctis ad visitandum: nolens ergo diutiùs tardare, accepit mappam de cannabe factã, & posuit deuotè super lectum ancillæ: descendit ergo gloria Domini super mappam cùm V. M. cæterisque præfatis Sanctis, & statim ab omni pythonico spiritu, seù dæmoniaco insultante est liberata. Quæ post gratiarum actionem petijt mundam aquam, cùm qua purgaret os suum, quod cùm factum fuisset, redijt, & reuolauit istùc prædicta columba, & reportauit sibi sacrosanctum corpus Christi, quod ipsa humillimè, reuerenter, & cùm magna deuotione suscepit: circumstantes eminùs visibiliter viderunt tremendum istud mysterium ipsi porrigi visibilis Christi corpus, columbam autem nequaquam; quo facto reuerenter replicata mappa, ad pristinum redijt locum. Rediit & spiritus tartareus, eam valdè terrendo, & de illicitis tentando: sed ipsa per inuocationem sanctissimi nominis Mariæ Virginis eum fugauit, recedens ergo dæmon, succendit stramen lecti super quem cubabat noctu, vt eam cùm lecto combureret. Sed ipsa Dei adiutorio ignem ferè inextinguibilem ambabus manibus extinxit: sed in extinguendo propemodùm cutem, carnem, neruosque manuum suarum combussit. Quæ dùm grauiter cruciaretur, multis astantibus petiit sibi dari eamdem mappam, quam cùm super combustas manus applicaret, sospitatem earum consequuta est, & deinceps omnibus diebus perseuerauit in Monasterio B. V. Mariæ. Hæc autem mappa hodierno tempore non immeritò conseruatur pro reliquiis in eadem Ecclesia de Huckelum, & basiatim, siue osculo,

osculo, & omni zelo religionis excipitur.

47. *Cerda, de Angelis, cap. 45.* Fuit quidam adolescens, cui sic aliquandò B. Virgo apparuit, vt potionem illi suauissimam calice immundo bibere dare videretur. Admiratus Adolescens, quid hoc rei sit. At Virgo cui gratior, & purior salus animæ esset, quàm quod ab illo quotidiè percurrebatur Rosarium; vide, inquit, fili, preces Rosarii tui sunt mihi gratissimæ; sed calix, quo porrigis, eò quòd tu minùs puriter viuas, auersioni mihi, atque horrori est. Quibus verbis permotus ita adolescens est, vt continuò nouam, & meliorem viuendi rationem inierit.

Videantur quæ notata fuerunt lib. 5. cap. 2. de Imaginibus B. Virginis; & etiam tom. 1. li. 1. cap. 1. §. 6. cùm de admirandis donis cælitùs missis; & in app. 3. eiusdem capitis, cùm de donis diuinitùs datis, & adhùc conseruatis.

Alij Cælicolæ visibiliter apparentes.
§. 3.

ADmirandis etiam modis cæteri Cælicolæ, qui quondam inter nos degere, modòq. immortalibus fruuntur gaudiis, apparuerunt, nosq. mortales de perenni, & immortali vita, quam credimus, admirabiliter certos effecere. De his.

1. *In septima synodo, act. 2.* S.S. Petrus, & Paulus apparuerunt Constantino, vt morbi incurabili remedium præberent.

2. *Greg. Nissenus, in orat. S. Gregor. Thaumaturgi.* S. Ioannes Apostolus apparuit S. Gregorio Thaumaturgo, eique vigilanti mysterium Trinitatis aperuit, & declarauit.

3. *Sanctus Ambrosius ser. 90. de Passione Sanctæ Agnetis.* S. Agnes apparuit Constantiæ, Constantini Imperatoris filiæ; atque item parentibus, ad ipsius monumentum pernoctantibus.

4. *Eusebius, lib. 6. Hist. Eccles. cap. 4.* Potamiena Virgo, Origenis discipula, Basilidi tortori non solùm apparuit, sed & coronam capiti imposuit, & futuram martyrii gloriam prædixit.

5. *Nicephorus, lib. 10. cap. 12.* Theodorus martyr apparuit, & Euzoium Episcopum admonuit, ne populus exculentis, Deorum sacrificio polutis, vteretur.

6. *Platina in vita Leonis I.* Cùm Attila Hunnorum Rex Italiam ingredi, & vastare pararet, obuiam ei factus Pontifex, calamitatem Reipublicę misertus, eumdem oratione exterruit. Confessus autem fuit, non Pontificis se solùm vultu, & oratione permotum, sed vidisse quoque duos senes (S.S. scilicet Petrum, & Paulum) dimissa barba, & venerando, ac horribili vultu supra caput adstitisse, & districtis gladiis pacem extorsisse.

7. *Nicephorus, lib. 15. cap. 23.* Iudæorum quidam Archisynagogus tamquam auctor seditionis cuiusdam, excruciatus aliis tormentis, demùm cùm paruulis duobus filiis in rogum iniectus est à viro Consulari. Erat ibi peregrinatio admodùm frequens ad S. Sergii M. tumulum, & constans fama erat, etiam impetrari quæcumque ibi peterentur. Ex pyra ideò ille: O Deus, inquit, S. Sergii, adiuua me; & statim equites duo visi sunt adesse, sagulis albis conspicui, prohibueruntque, ne flammæ eis nocerent. Postquam igitur iàm horas aliquot ille in rogo fuerat sine damno, lustrali fonte ablui cùm liberis voluit, & ipse quidem Sergius, liberi Sergius, & Bacchus sunt appellati, nàm hi fuerant equites duo, qui adhærescere lateri eius visi fuerant, atque incendia mitigare.

8. *In vita S. Agathæ Virg. & M.* Postquam S. Virgini iussu tyranni mamilla abscissa fuisset, & in carcerem coniecta, apparuit ei S. Petrus Apostolus, seque à Deo missum esse ad eam sanandam dixit, statimque vulnera eius curauit: eadem postea Sancta Agatha apparens Sanctæ Luciæ, matrem eius Euticiam sanguinis fluxu liberauit. Similes autem apparitiones, Sanctorum innumeris martyribus euenerunt, vt in eorum actis.

9. *In actis Sanctorum, 28. Ian. apud Bollandum, de Carolo magno Imperatore.* Cælites illi non semel apparuerunt, maximè S. Saluius Martyr, cuius sacros artus condigno cultu conuestiuerat, & S. Suibertus, quem in Beatorum album à Leone Pontifice referri curauerat.

10. *Ex inscriptione in Ecclesia S. Petri Romæ.* B. Petrus, sacerdotem admonet vt altaria in Vaticana Basilica magis frequentata (S.S. scilicet Simonis, & Iudæ, S.S. Philippi, & Iacobi, S. Andreæ, & S. Gregorii magni) consecranda curet. Sacerdos mandatum negligens, surdus efficitur; mox ad ipsius Apostoli confessionem plorans, auditum recipit. Miraculo Innocentio III. relato, altaria consecrantur; illiusque vsque adhùc in Ecclesia eadem, præsenti inscriptione asseruatur memoria.

11. *In Paradiso Carmelitano, de S. Magdalena de Pazzis.* Die quadam cùm diuinæ incarnationis mysteria ardenti meditaretur affectu S. Magdalena, amoris saucia manens viuida mysterii tāti meditatione, singulari quodam beneficio honorari se à Deo prægustauit; nàm apparente ad illam diuino Ecclesiæ lumine Augustino, cui maximo erat venerationis, & amoris affectu ex corde dicata, post alia reciprocæ voluntatis à diuino doctore exhibita signa, super Virginis cor, eumdem sensit scribentem aureis, & sanguineis litteris illa Ioannis verba: *Verbum caro factum est*; quo facto, è corde, & spiritu dilectæ Virginis suæ, ineffabile illud verbum Dei, litterarum intelligibili signo iterùm concipi, sicut antea in Virgine matre fecerat, agnouit, gratissimam sibi in hoc singularem Magdalenæ Virgini puritatem ostendens.

12. *In vita S. Petri M. ordinis Prædic.* Aliquandò Petro in cubiculo oranti, tres virgines cælitùs delapsæ apparuere, & sermonem tàm sonorè cùm eo habuere, vt aliqui transeuntium audierint, & subintroductas impudentes esse Archicœnobitæ detulerint. Deceptus is cùm fuisset grauiter punitus est Petrus, & ad monasterium Esinum relegatus. Vbi dùm suum dedecus animo, agitaret, & nocte quadam in Ecclesia ante Christi in Cruce pendentis effigiem de hac re quereretur, imago Crucifixi facta vocalis respondit voce clarissima: & ego

quid

quid feci, vt tot, ac tantis onerarer opprobrijs, & morte turpissima condemnarer? Ex me Petre (si nescis) disce opprobria, & ignominias patienter ferre.

13. *Surius, 15. Iunij*. B. Febronia M. & Virgo natalis sui die quotannis mediæ noctis tempore in nocturnis precibus apparere solebat cunctis in choro versantibus, eo ipso in loco procumbens, vbi psallere solebat.

14. *In vita B. Bennonis Misnensis Episcopi*. D. Benno iam defunctus, Marchioni Misnensi apparuit, & oculum eruit, ob damna Ecclesiæ illata.

15. *Bzouius in ann. Eccles. ann. 1241. num. 15.* B. Iulianus ord. Prædicatorum à D. Marco Euangelista in agone visitatus fuit; cælestique consolatione recreatus.

16. *Chry. Henriq. 8. Aprilis de B. Guillelmo.* Cuidam sanctæ fœminæ apparuit B. Guillelmus, & quidem veste pretiosissima indutus, diuersis, & pretiosis ex omni parte ornata lapidibus, eique inter cætera dixit: filia, omnes isti lapides pretiosi, quos in vestimenti mei ornamento conspicis, persecutiones fuerunt validissimæ, tribulationes, & angustiæ, quas innocens ab oblocutoribus meis sustinui, & patientissimè ob Dei amorem toleraui, ipsas offerens, & quotidiè deferens diuinæ maiestati: sunt etiam labores, & dolores, in quibus nocte, & die desudari pro libertate Ecclesiæ defendenda. Corona aurea, quam vides in capite meo, ipsa est Martyrum corona, qua miseratio superna mihi misericorditer voluit pro duris obseruantiis ordinis recompensare.

17. *In actis S. Iuliani Marty. & soc. ap. Bollandum, 9. Iann.* Ea nocte, qua pro Christi nomine hi S. S. Martyres occubuerunt, venerunt populi Christiani, & sacerdotes, & præ multitudine cadauerum, reliquias sanctorum non agnoscentes, positis genibus orauerunt, & oratione completa, apparuerunt eis in specie virginum animæ Sanctorum, vnaquæque super corpoream thecam suam residens. Sic Sanctæ reliquiæ collectæ sunt. Domini gratia ita ordinauit, vt sanctorum sanguis, sicut panis lacteus circa vnumquemque eorum congelaretur, vt nec terra auderet os suum aperire ad sanctum cruorem recipiendum, quæ scelleratorum sanguine fuerat satiata.

18. *In ann. min. an. 1282. num. 8. de B. Torello de Castro Puppij*. Ciuis quidam Senensis, Astasius nomine, propter crimen exulare iussus à natiuo solo, Puppium venit commoraturus, vbi dùm Torelli sanctitatem magnificari audiret, rogauit, vt eius meritis sibi in patriam redire liceret, iureiurando promittens, voti compotem se quotannis in eius natali ferias acturum, atque intimo cubiculo effigiem coràm appensurum. Paulò post obtinuit, quod concupiuit, voluitque reddere quod promisit. Sed dùm Puppium mittit pro eius effigie, vndè peritus pictor exemplar possit exprimere, apparuit ei sanctus vir in huiusmodi figura, & proportione. Tunica aspera super nudam indutus, chlamydatus, caliendrum in capite, funem pro cingulo portans, excalceatus, inter brachia lupum portabat. Capilli cani, haùd crispi, frons lata, parùmper rugosa, oculi mediocres, & glauci, nasus haùd nimiùm exilis, supercilia rara, dentes albi, minuti, & densi, aures paruæ, exiles, aliquantò pilosæ, mentum paruum, & recuruum, facies aliquantò rubicunda, sed extenuata, manus longę, digiti exiles, humeri lati, brachia adeò extensa, vt in pedes erectus digitis genua præteriret. Ita distinctè vir Senensis omnia in visione notauit, vt sequenti die perfectè explicarit pictori, & ille ita adæquatè figuram expresserit, vt figurato per omnia assimilari dixerint, qui viuum cognouerunt.

19. *In vita S. Norberti Fund. ord. Præmonstratensis*. Semel oranti S. Norberto, B. Augustinus apparere dignatus, auream è latere dextro regulam suam ei protulit, ac porrexit, seque ipsum luculento sermone declarauit, dicens; Augustinus ego sum, Hipponensis quondam Episcopus, Ecce habes regulam, quam conscripsi, sub qua si benè militauerint Fratres tui filii mei, securi Christo astabunt in extremi terrore iudicii.

20. *In vita B. Coletæ Virg. cap. 41.* Mercator quidam celebris, iter suscepturus valdè periculosum, obnixè commendauit se Coletæ precibus. Deindè dans se itineri, per densissimas niues, aquasq. agros operientes ingrediebatur, penitùs ignorans vbi nàm esset. Nocte autem incidit in locum, vbi si paulùlùm processisset, haùd dubiè in præsentissimum mortis discrimen se coniecisset. Ibi recordatus piissimæ matris Coletæ, iterùm se commendauit precibus eius. Erat enim illic abyssus profundissima. Et ecce statim videt Coletam adesse, manuque indicare, vt retrocedat. Quod cùm fecisset, cognouit se Coletæ meritis, & precibus mortem euasisse.

21. *In vita S. S. Fratrum Polonorum Camaldulensium*. Anno Domini 1560. die 16. Iulii, Martinus Vuroblouius, siue Passer, Casimiriensis, Archidiaconus Sandomiriensis, & Decanus Cunouiensis, anno ætatis adolescentiæ suæ decimo sexto, cùm quodam die deuotionis causa, erga hos sanctos gloriosos Patronos nostros Casimiritanos Camaldulenses martyres, vigesima quarta hora serò, solus intrauisset in Ecclesiam Casimiriensem S. Matthæi Parochialem, vbi quiescit venerabile corpus eiusdem S. Matthæi eremitæ Camaldulensis martyris; dùm parùm interim genibus flexis oraret, statim vidit cereos illuminatos in octo altaribus separatis, in honorem octo fratrum eremitarum dicatis, videlicet Ioannis, Benedicti, Isaaci, Christini, Barnabæ, Athanasii, Laurentii, & in medio Ecclesiæ, S. Matthæi, vbi quiescit corpus S. Matthæi, in candelabris aureis appositos: postea apparuit illi magna, & pulcherrima processio vtriusq. sexus sanctarum personarum, Regniq. Poloniæ Patronorum, coronis aureis capitibus ipsorum tectis, in manibus portantium, alii quasdam palmas, alii flores odoriferos: posteriores verò ordine vidit octo viros venerabiles, senes, canos, religiosos, albis vestibus indutos cùm palmis præterire cantantes canticum: Hæc est dies quam fecit Dominus, exultemus, & lætemur in ea. Postea, Leuauit:

tiaui &c. ille tamen lætus ex ipsa processione remansit solus in Ecclesia.

22. *In ann. Coloniensibus*. Temporibus Clementis IV. circa an. 1266. cùm ciuitas Colonia obsideretur, Comes Cliuensis, & Stephanus de Vuylem vno in territorio noctu quiescentes, viderunt D. Vrsulam radianti corona profulgidam, & cereum lucidissimum manu gestantem, quam sequebantur vndena Virginum millia; S. S. quoque Maurorum, ac Thebæorum agmina, vt sculptæ in mœniis Colon. imagines circa monasterium D. Pantaleonis, & D. Gereonis testantur, qui videbantur ciuitatem roseis crucibus consignare, & contra hostium vim præmunire portas. Quo miraculo territi hostes, obsidionem soluerunt, temerarium existimantes cùm gigantibus pugnare, ac ipsos munitos diuorum patrociniis præliis lacessere. In huius protectionis memoriam, Ampliss. Senatus quotannis ipso S. S. Maurorum festo, quod 15. Octobris celebratur, tredecim cereos donat Basilicæ D. Gereonis, qui ibi in crypta, vbi S. S. Maurorum, & Thebæorum corpora requiescunt, tunc per dies aliquos lucere videntur.

23. *S. Augustinus, lib. de cura pro mortuis, cap. 16.* S. Felix, cùm à Barbaris Nola expugnaretur, cunctis videntibus apparuit, ciuitatemque defendit ab hostibus.

24. *Antonius Caracciolus in monum. Ecclesiæ Neapolitanæ, lib. 2c. sec. 20.* Dùm Neapoli funus S. Agnelli, ciuis, & Patroni Neapolitani ageretur in Ecclesia, super eam septem cælestes Irides apparuerunt, super quas B. Virg. eminebat, & ponè illam B. Agnellus, manu super ciuitatem extensa, velut patrocinium promittens, qui & obsessam vrbem sæpè visus est Crucis vexillo ab hostibus liberare, præsertim in insigni illa Saracenorum victoria, an. 788.

25. *In m. s. s.* Cùm anno Domini 1438. Nicolaus Picininus, Dux exercitus Philippi Mariæ Vicecomitis Mediolanensis Ducis, contra Brixianos armis pugnaret, in mœniis Ciuitatis visibiliter apparuerunt S. S. Faustinus, & Iouita, Ciuitatis protectores, ignitæque glandes, ab exercitu in ciuitatem immissæ, à Sanctis protectoribus, contra ipsum infelicissimo euentu reijciebantur. In memoriam autem tanti miraculi, adhùc in loco apparitionis videntur imagines lapideæ eorumdem Sanctorum.

26. *Cornelius à lapide in actis Apostolorum, c. 28. §. 1.* Cùm anno 1470. Mauri classe octodecim millium militum inuasissent Melitam insulam, iàmque tormenta disposuissent ad quatiendam vrbem veterem, tertio die apparuit S. Paulus veste stellata, ac vibrans gladium equo insidens, stipatus innumera multitudine, visus est inuadere Turcarum agmina: Cùmque in eum Turcæ multas conijcerent sagittas, omnes in ipsosmet retortæ, & repercussæ resilierunt, eosque vulnerarunt, & perdiderunt. Visi pariter fuere duo alij Insulæ tutelares S. Georgius, & S. Agatha.

27. *Vghellus in Ital. Sac. Astenses Episcopi.* Cùm anno 1526. Franciscus Maramaldus, vnus ex Cæsareis Ducibus, Astẽsem ciuitatem exercitu vallatam expugnare tentasset, cùmque incessanter ex bellicis tormentis emissæ pilæ, octauo die à cæpta obsidione, disiecta muri parte, viam in vrbem aperuissent oppugnatoribus, ijque ingressum molirentur, cælitùs demissa, ac inter bombardarum strepitum, clamoremque militarem clarè audita hæc vox, *in dietro, in dietro*, illos de repentè in fugam conuertit, & nemine persequente obsidionem soluere, ac præcipitanter abscedere coegit. Quo momento temporis, pueris, puellisque, ac nonnullis etiam adultis sese spectandum præbuit vir armis niuei candoris indutus, equo albo insidens, stans è regione dirupti muri, quem S. Secundum fuisse eiusdem vrbis tutelarem ciues rati, illius intercessioni prodigiosam ciuitatis liberationem acceptam ferentes, Ecclesiæ B. Virgini, ac S. Secundo eodem loco ædificandæ vota nuncuparunt, quæ S. Maria de Victoria fuit appellata.

28. *Bozius de Signis Eccles. lib. 15. cap. 13.* Cùm superioribus annis, Solimanus exercitu innumerabili obsideret in Hungaria Sabariam, iàmque Turcæ ingressi essent oppidum mænibus disruptis, visus est S. Martinus in aere, hostibus minitans gladio nudato, & à patriis eos sedibus fugans.

29. *Idem ibidem.* Cùm Cosroe, exercitum magnum è castris educens pergeret ad excindendam Sergiopolim, defensoribus omninò vacuam; viderunt cuncti innumerabiles propugnatores in mænibus consistere, & ad eam defendendam se accingere; quamobrem perterritus Cosroe, viso diuino miraculo, abscessit. Sergiopolis nàmque patria est Sergij martyris.

30. *Idem ibidem.* S. Cyprianus martyr multis, apparuit prædicens fore, vt ipse de Vuandalis, qui vastarant eius templum, caperet vltionem, eosq. ex Africa exterminaret.

31. *Bzouius an. 1212. num. 22.* Hoc anno, Cremonenses insignem Victoriam de Mediolanensibus obtinuerunt; eam inopinato partam cùm ciuitas admirabunda spectaret, statim religiosa, ac pia illa incessit opinio, eam non humano auxilio, sed præsenti S. S. Martyrum Petri, & Marcellini subsidio esse obtentam: etenim cùm imminente pugna imbellis multitudo supplex in vrbe, ad eorum sepulchrum vota in æde D. Thomæ pro victoria faceret, duas exindè exire, atque eòdem subindè se referre columbas aspexit; qui verò in castris erant, duos iuuenes equis albis insidentes, ac vestibus albis indutos, acri se se impetu in aciem Mediolanensium incitantes, ac vi, & virtute sua cuneos eorum, tamquam cælesti quodam fulmine perrumpentes, ac demùm terga dare cogentes, viderunt.

32. *Idem an. 1229. num. 3.* Hoc anno, S. Georgius in prælio à Iacobo Aragoniæ Rege contra Saracenos apparuit, insignemque victoriam causauit.

33. *Idem an. 1342. num. 22.* Ope, & auxilio S. Barnabæ hoc anno Genuenses insignem victoriam contra Mauros obtinuere.

34. *Raynaldus in ann. Ecclesiast.* Cùm anno 1511. Carolus Ambasianus, apud quem Gallici exercitus in Italia erat imperium, Mutinensi vr-

bi

hi immineret, circumdatamque copioso exercitu in suam redigere potestatem putaret, Sanctus Geminianus, Mutinensis olim Episcopus, de cœlo lapsus, senis specie, Carolum ipsum ab eo consilio abduxit, & erumpentes Mutina armatas phalanges (licet omni præsidio penitùs expoliata esset) ostendit; vndè spectris territus exercitus Gallicus, Mutinensis prædæ auidus, in fugam se coniecit.

35. *Idem ibidem*. Cùm Barbarus Solimanus instar tumidi maris ad Germaniam mergendam quingentis Turcarum millibus se efferret, anno 1532. ad Guntium oppidulum, veluti ad arenam fractus est, non sine præsentis diuini numinis auxilio. Referebant enim Turcæ, se integri erumpentis ab arce præsidij strepitum, clamoremque putasse voces, quas fœminæ, puerique territi mittebant ad cælum, equitemque districto gladio ipsis subeuntibus comminantem in aere conspexisse, quem Diuum Martinum tutelare numen existimarunt oppidani.

36. *In Hist. Hispanica*. Anno octigentesimo sæculum cœpit nouum, & Raymirus Rex Hispaniæ fortissimè totum diem cùm Saracenorum maxima multitudine pugnauit: Sub noctem cùm exigua suorum manu in collem quemdam se recepit. Regi vigilanti, & Deum precanti, D. Iacobus adstitit, iussitque omnes confessione lustrari, & sumpta Eucharistia prælium conserere. Manè cùm omnes ad vnum obtemperassent monitis Diui, signa contulere, & hostium sexaginta millia concidere; visus in eo prælio Apostolus albo vectus equo, vexillum gestans niueum, quod rubea crux transuersa distinguebat.

37. *Ibidem*. D. Iacobus Apostolus in auxilium Christianorum contra Saracenos sæpè arma sumpsisse, strenuèque inimicos fugasse, deiecisse, vicisse, visibiliter in exercitu conspectus est.

38. *Bartholomaus de Rogatis in Hist. Granat. Part. 3. lib. 5. num.* 80. Quodam in bello contra Mauros à Petro Tarragonensi Rege innito, in quo quatuor Regibus infidelibus superatis, totoque deuicto exercitu, insignem consequtus est victoriam, visus est Sanctus Georgius martyr in medio exercitu Christiano strenuè contra inimicos pugnare.

39. *In annalibus Nursiæ*. Referunt Annales Nursini, Sanctum Benedictum, in præliis, & obsidionibus pluribus, quas ciuitas ea sustinuit, sublimem in aere apparuisse, atro indutum cucullo conciuibus suis auxilia ferentem, patriamque suam defendentem, cuius præsentia, & ope crebras retulerunt ab hoste victorias.

40. *In actis S.S. 28. Iannuarij, apud Bollandum, de Carolo Magno Imperatore*. Cùm Carolo absente, Saxo occasionem aucupatus ad oppidum Fristoriam castra posuisset, & B. Bonifacii ædem summam conaretur flammis diruere; nulla id ope exequi potuit, cùm duo cælites fulguranti vultu parentes, terrorem hostibus ita incussissent, vt omnes fugam certatim capesserent.

41. *Tyrius, lib. 6. sac. Hist. cap. 4. & 9.* Cùm in expeditione Antiochena, nostri & fame fermè consumpti, & equis ferè destituti forent, visione, & monitis D. Andreæ confirmati; qui etiam lanceam Dominicam illis indicauit, non vnam obtinuere victoriam. In prælio quoque cùm Corbona apparuere agmina equitum albatorum, quæ Persas in fugam egere.

42. *Idem, libr. 8. cap. 16.* Quo tempore Hierosolyma expugnabatur, vt à barbarorum superstitionibus expurgaretur, memorabile illud perhibetur; Ademarum Podiensem Episcopum, virum commendatione maximarum virtutum sanè inclytum, & qui cùm sanctimoniæ fama pridem è viuis decesserat Antiochiæ, visum à multis eo die fuisse murum inscendere, ac milites hortari ad ingressum vrbis, atque ad eius expugnationem; quin etiam alii plurimi visi sunt, qui iàm obierant.

43. *Luitprandus, lib. 2. cap. 14.* Anno 915. Cùm Ioannes X. exercitum misisset in Apuliam aduersùs Saracenos; S.S. Apostoli Petrus, & Paulus in iis præliis conspecti, victoriam nostris maximam pepererunt.

44. *Bozius de Sign. Eccl. libr. 17. cap. 7.* Alphonsus Hispaniarum Rex, cùm Baetiam obsidione cinxisset, admonitus, & confirmatus à S. Isidoro, qui apparuit, prælio commisso, innumeras copias Saracenorum profligauit.

45. *Idem ibidem*. Anno 1507. cùm Rex Canoris obsideret arcem Lusitanorum, ac sæpiùs ab eis in quotidianis conflictibus essent ipsius maximæ copiæ à Lusitanis paucissimis fusæ; quæsitum fuit, pace conciliata, ab eius militibus, quinam foret ille è nostris, qui cunctis congressibus magnas ipsorum strages semper ediderat, & illæsus tamen è prælio exibat, quamuis plurimi ex hostibus in vnum conspirassent, atque innumeris eum sagittis vulnerare conati fuissent. Compertumque necessariò fuisse aliquem cælitùs demissum, nemo nàmque fuit huiusmodi è Lusitanis.

46. *Idem ibidem*. In Africa, Alphonsus Rex Manincongi memorabili prælio ad fugam adegit copias ingentes rebellium suorum cùm fratre natu minore, qui à Christiana religione alienus eum vita, & Regno exuere meditabatur. Affirmarunt autem hostes, territos se aspectu equestrium turmarum, quæ crucibus insignes visæ sunt in prima acie consulgere. Hæ tamen in exercitu Alphonsi Regis aduentitiæ prorsùs, nec aliundè quàm de cœlo fuerunt.

47. *Idem ibidem*. Cùm Mahometes obsideret Rhodum, & Solimanus per suos duces Melitam, Rhodiorum nunc sedem, visus est in aere, qui Turcas stricto gladio minitabundus ab ingressu Rhodi, & oppidi S. Michaelis in Melita repulerit; & Ioannes Baptista eorum Patronus creditus is fuit.

48. *Ex monumentis Ecclesiæ Sancti Martini in suburbio Veronensi*. Anno Domini 1514. die 24. Iulij, cùm in agro Veronensi innumera Germanorum militum copia omnia deuastaret, iàmque ad monasterium monialium Sancti Martini in suburbio Veronæ accessissent, apparuit visibiliter Sanctus Martinus equo insidens, omnesque milites perterrefecit, eosque, hùc, illùcque discurrens

rens

rens, à monasterio admirabili prodigio abegit.

49. *Isidorus in Chron. Gothorum.* Anno 456. Theodoricus Rex victis in Gallæcia Sueuis, in Lusitaniam contendit; vbi ne vrbem Emeritam diriperet, B. Eulaliæ m. apparitione coercitus fuit.

50. *In Hist. Scotorum lib. 5. Rege 65.* Hungo Pictauorum Regi apparuit D. Andreas Apostolus, victoriam promittens, quam præstitit; apparente in cælo cruce decussata rubea, cùm pugnaretur.

51. *Zonaras tom. 3.* Ioanni Zimiscæ Imperatori contra Russos pugnanti iussu B. Virginis, auxilium tulisse visus est à multis B. Theodorus martyr.

52. *Ex lib. 3. Epist. m. s. s. Petri Delphini Veneti, epist. 18. ad Petrum Barotium Epist. Pad.* Cùm semel à militibus circùmquaque omnia vastantibus, Camaldulense cœnobium vndique vt diriperetur circundatum fuisset; fertur, visum pluribus ex his, qui Camaldulum oppugnabant, Monachum quendam veneranda facie, augustoque aspectu, & Maiestatis pleno, promissaque barba, dùm dimicaretur, in fastigio Turris Templi sub dio firmiter constitisse, ac præcinctum, ac suffarcinatum, tegulas inde lapideas, iactu infatigabili deuoluisse. Cæterùm conatos primùm sagittarios multos, balistis Monachum deiicere, non modo non potuisse in eum sagittas dirigere, qui facilè omnium vndique ictibus videbatur expositus, sed ne emittere illas quidem, & contorquere, donec clariùs animaduerterunt, alium illum esse, quàm domesticum Monachum, & mortali carne indutum, Angelum videlicet quempiam, aut (quod magis creditur) Patrem, & Ducem Camaldulensis Ordinis Romualdum.

53. *Ioannes à Iesu Maria, de Sancta Teresia Virgine.* M. Catharina à Iesu, quæ monasterio oppidi *Veas* præerat, absens, B. Virginis Teresiæ obitum cognouit; quam cùm postmodùm sibi apparentem intueretur, & illusionem verita non omninò sibi visum persuaderet, Virgo respondit: Benè est, vt non leuiter credas: ego enim malo in his monasteriis pluris veras virtutes, quàm reuelationes fieri; sed vt verum hoc visum pernoscas, accede hùc: & cùm accederet, vulnus sub altero vbere, & nigram notam in altera manu, quibus mederi nullo modo potuerat, attingens, euanuit. Remansit illa prorsùs sana, stupentibus iis, qui affectiones illas minimè sanabiles agnouerant.

54. *Franciscus à S. Maria in Hist. Carmel. tom. 1. lib. 2. cap. 13.* S. Mater Teresia, licet ad cælos euolata, pluries in cõuentu Malagonensi visibiliter apparuit, vel vt sorores alicuius culpę reprehenderet, vel vt consilium in rebus grauibus præberet, vel vt alicui sorori imminentem mortem manifestaret. Hoc itidem accidit pluribus vicibus in aliis monasteriis; vt idem auctor diuersis in locis.

55. *Idem ibidem cap. 36.* In conuentu Toletano Carmelit. Discalceat. multis annis in festiuitatibus S.S. Teresiæ, & Ioseph, obserua i sunt visibiliter à quibusdam monialibus iidem Sancti assistere horis matutinis, & vespertinis, totique domui benedicere, illam suauissimo odore replentes. Hoc itidem obseruatum est, dum aliquæ sorores solemnem emitterent professionem: multisque in aliis occasionibus, S. Mater Teresia, suis apparens monialibus, à multis cùm animæ, tùm corporis liberauit ærumnis.

56. *In vita S. Petri de Alcantara.* Post eius mortem apparuit Sanctæ Teresiæ S. Petrus, dixitq. illi; ò felix pænitentia, quæ tantam mihi promeruit gloriam.

57. *Sylos in Hist. Cl. Reg. par. 2 lib. 2.* Morienti Io. Andreæ Afflicto ex nostris Fratre laico, D. Andreas Apostolus, quem ipse præcipua colebat pietate, Pontificio amictu conspicuus se se obiecit, dolores, quibus acerrimè discruciabatur, blandè consolatus: Testatam autem hanc cæli illecebram voluit Diuus Apostolus attactu humeri, à quo efflari suauissimus quidam odor cœpit.

58. *Idem ibidem, par. 2. lib. 7.* Morienti Saluatori Ferrario, viro ex nostris probatissimæ sanctitatis, post duram luctam cùm tenebroso hoste, cælestes ciues, interque ipsos B. Andreas Auellinus apparuere, fortiterque pugnantem consolati sunt.

59. *Idem ibidem, par. 3. lib. 5.* Dùm quidam noster sacerdos, qui cæteris pestilentia emortuis, solus Goride agebat, nocte quadam intempesta quiesceret, excitare se sensit, ac videre sibi visus est Ven. nostrum Iacobum de Stephano (qui in ea prouincia post multos labores sanctissimè diem suum obierat) qui solicitè moneret, adesse furem, ac domum diripi: surgeret proindè confestim, ac rei domesticæ consuleret. Nec mora: surgit, egressusque vix cellula, furem offendit, qui voce, metuque perculsus, in fugam se se dicto citiùs dedit.

60. *Idem in vita Ven. Francisci Olympij Cl. Regularis, lib. 1. cap. 21. Die tertia ab obitu* Vener. Francisci, apparuit Neapoli cuidam moniali, sicuti viuens illi promiserat; dixitque: Scieris ipso morbi initio Dominum me totum emundasse; succedentibus verò diebus, thesaurum quemdam gratiarum donasse. Atque his dictis, magna vultus hilaritate abiit.

61. *Montanarus de Vener. Vrsula Benincasa.* Cùm Vrsulam adhùc in vtero mater gestaret, à S.S. Francisco, & Aloysio admonita fuit, vt puellæ nasciturae, Vrsulæ nomen imponeret, illamque omni diligentia custodiret, quia in Dei seruitio futura erat admirabilis.

62. *In vita B. Andreæ Auellini, lib. 1. cap. 25.* Cùm semel B. Senex iter faciens, dorso ferocis iumenti excussus fuisset, atque ad durum silicem, quo strata erat via, fortiter impactus, nulloque artificio pedem è subsellari stapede eximere valeret, inuocauit ille Sanctos à se cultos, Dominicum, & Thomam Aquinatem, qui statim illi apparentes, auxilium præstitere, indeque abierunt.

63. *In eadem vita, lib. 3. cap. 37.* Post felicem Beati Andreæ ad cælum transitum, visus multotiès est à quibusdam imploratus, opem mirabiliter ferre, expostulataque admiranda charitate concedere.

Alia

Alia similia possunt videri cùm de Apparitionibus Crucis in aere lib.5.cap.1.§.1.

Aliarum Animarum Admiranda quædam Apparitiones. §. 4.

ANimarum quarundam referam, pro complemento capitis, admirandas apparitiones; ex his etenim paucis, roborabitur de earum immortalitate catholica fides. Sunt autem.

1. *S. Gregor. Papa, lib.4. Dial. cap.* 30. Theodorici Regis Italiæ animam solitarius Liparitanus vidit inter Ioannem Papam, & Symmachum Patritium, vinctis deduci manibus, & in ollam Vulcani proiici.

2. *Sophronius in Prato spirituali, cap.* 26. Cùm B. Cyprianus Deo commendaret animam cuiusdam monachi Nestoriani, circa horam nonam diei aspexit frater, qui erat in spelunca, quemdam adstantem sibi aspectu terribilem, ac dicentem: Veni, & vide veritatem. Assumensque eum duxit in locum tenebrosum, ac fætidum, ignem euaporantem, atque in ipsis ignibus vidit Nestorium, Eutychem, Apollinarem, Dioscorum, Seuerum, & Origenem, & alios quosdam, dixitque illi is qui apparuerat: locus iste præparatus est hæreticis.

3. *Ado Vienen. in Chron.* Anno 696. Ebroinum cæcus quidam audiuit in ollam Vulcani à Dæmonibus portari.

4. *In Chron. Cassinensibus, lib.2. cap.* 62. Conspectus fuit à quodam Pandulphus Princeps Capuanus ferreis nexibus vinctus, & in cænoso, ac fætido lacu vsque ad guttur demissus, & restibus à duobus nigerrimis spiritibus in profundum subindè dimitti, & iterùm extrahi; causam rogatus, respondit; quoniam aureum calicem à cænobio S. Benedicti eripuit, & in agone mortis restituere neglexit.

5. *Chris. Masseus, lib.* 10. *Chron.* Anno Domini 1528. die 20. Iulii, Henricus quidam Lutheranus Tornaci combustus est, sequenti nocte sociis in carcere totus ardens apparuit, illis præ timore clamantibus, ait: Nisi ab errore cessetis, mecùm peribitis in æternum. Excitatus clamore carcerarius, consules vrbis aduocauit. Dicunt illis vincti: facite de nobis quid volueritis, modò priùs confiteamur, ne cùm Henrico pereamus.

6. *Tilmanus Brendebachius, lib.7. collat. cap.* 46. Circa an. Domini 1557. Anabatista quidam, nomine Adrianus, matrem suam adhùc catholicam conabatur in suam sectam pellicere. Accidit autem Anabatistam illum in carceres coniici, vltimoque supplicio adiudicari; ad quod cùm iam deducendus esset, accessit mater rogans, vt post obitum sibi appareret, seque de statu suo certiorem redderet, quem si felicem cognosceret, se in eamdem doctrinam concessuram. Filius supplicio affectus, pauló post matri apparuit in forma teterrimi, nigerrimique canis, aiens se esse filium suum, ac perpetuò damnatum.

7. *Thomas Cantiprat. libr. 2. Apum capit.* 54. Cùm B. Maria Oegniacensis pro defuncta matre continuò oraret, supplicesque ad Deum pro ea funderet lachrymas, accidit die quadam, vt ad missam in Ecclesia iuxta altare, quasi ad pedes Domini Maria sederet, & ipsa horrore concussa videret propè se spiritum tenebrosum adstare. Quæ mox signo crucis timore fugato, audenter, quis esset interrogat. Et Spiritus: Ego sum, inquit, mater tua. Cui illa. Quomodò, inquit, tibi est mater? Tunc illa: malè, inquit: Nihil me tuæ iuuare potuerunt preces, cùm me quidem damnatam perpetuò inferni claustra detineant. Hæc cùm aliis dicens mater, repentè disparuit.

8. *Marulus libr. 5. capit.* 11. Elias quidam in deserto Ægypti vitam agens solitariam, vidit animam cuiusdam Anconitani Episcopi diuino tribunali sisti, statimq. post ad grauissima tormenta trahi.

9. *In Chronicis ordin. Prædicatorum.* Anno Domini 1599. cùm quadam die Fr. Tiberius, vir sanctimoniæ laude præstantissimus, sub noctem fratres inuiseret, an in lecto de more occubuerint, transiuit per triclinium, vbi vidit pleraque lumina, & vocem audiuit hominis de superiore loco legentis, viditque plerosque ministrantes. Tandem qui superioris locum tenebat, facto super mensam signo, sic locutus est. Ambitio, & crapula duxerunt nos ad tartara. Et nunc etiam superest velut cicatrix in mensa, perindè ac si igne tacta esset.

10. *Ianus Nicius, exempl.* 64. Non multis abhinc annis vir quidam nobilis Romę decessit; huic famam, existimationem, ac præterea patrimonium libidines totum absumpserant: itaque vita functus, humatus est in Ecclesia S. Augustini; quò cùm paucis diebus post orandi causa venisset familiaris eius quidam, qui suas operas viuo illi locauerat, iàmque pedem è templo efferret, sensit se nomine appellari: respexit, & obscuram hominis cuiusdam imaginem vidit, quæ, nosti me? inquit; ego sum ille, cui seruus nauabas operam viuo; ne Deum pro me ores, etenim exorari non potest, quòd æternis addictus sum ignibus; abi, & cognatis, amicisque nuncia meis, vt aliam vitæ rationem ineant, neque meis me vestigiis prosequantur: quibus auditis, adeò ille totus exhorruit, vt non vltra triduum vitam produxerit, cùm antea rem ad amicos retulisset.

11. *Seraphinus Razzius.* In Italiæ quadam ciuitate, nobilis erat fæmina, quæ exterius sancta reputabatur, eleemosynis, & orationi dedita. Moriens reliquit filiam valdè piam, quæ quotidiè particularem pro matre fundebat orationem. Post aliquot hebdomadas domi sola existens, circa ostium vidit monstrum horribile, habens speciem porci excoriati, ignem, & fætorem spirantis. Territa admodùm hac visione, ad fenestram currit, vt se ex illa præcipitet, vel demittat; sed hanc vocem

audit: Siste gradum, ô filia! sum infelix mater tua, heù! non obstante vita, quæ irreprehensibilis videbatur, æternæ sum obnoxia damnationi, ob peccata enormia cùm patre tuo commissa, & quia nunquam ausa fui confiteri, frustra preces pro me fundis. Hæc audiens filia, consternata est; animum tamen tandem resumens; & sibi à Deo hanc visionem permissam considerans ad instructionem suam, interrogat cùm fletu matrem, qualia sint inferni supplicia: Cui illa respondet: priuationem visionis diuinæ inter omnia maximum esse supplicium; deindè inter maxima esse apprehensionem illam, qua considerant damnati, se nunquam liberandos: Addit denique exercitium damnatorum consistere in blasphemijs continuis, & maledictione diuinæ iustitiæ. His dictis aliquot saltus faciens per scamna, arcas, cubilia, impressit ibidem instar ferri candentis vestigia cùm fætore grandi, & illicò in infernum à Dæmonibus transferri visa est. Filia tota conterrita, tota afflicta obserat fores domus, Ecclesiamque adit, vt consulat super hac re ciuitatis concionatorem, qui tota ibi quadragesima conciones tunc habebat. Cui cùm rem totam pandisset, transfert se ipse in locum; vestigia videt; persentiscit fœtorem, noua benedictione locum sacrat: Exindè dedit ei filia licentiam publicè hæc enunciandi, quod sæpè magno fecit cùm fructu.

12. *S. Gregorius Papa, lib. 4. Dial. cap. 40.* Paschasius Diaconus visus est Romæ in Thermis, stans, & balneantibus obsequés in pœnam scismatico præbiti fauoris, vt fassus est ille, cui apparuit, Germano Capuano Episcopo, cuius & precibus mox pœnali loco fuit liberatus.

13. *Idem, lib. 4. Dial. cap. 55.* Iustus quidam, ob retentas pecunias, graue supplicium pertulit, qui tandem Copioso fratri apparens, se ab illo sanctis sacrificiis liberatum esse exposuit.

14. *Greg. Tur. de Glor. Conf. cap. 73.* Cœmeterium apud Augustudunensem vrbem Gallica lingua vocitauit, eò quòd ibi fuerint multorum hominum cadauera funerata: inter quæ quòd sint quorundam fidelium, dignarumque Deo animarum sepulchra, frequens occulti psalentii mysterium docet, cùm plerùmque multis adpareant, in ipso vocum præconio, reddentes omnipotenti Deo gratiarum debitam actionem. Nàm audiui quòd duo ex incolis loci, dùm loca sancta orandi gratia circumire disponerent, audiunt in Basilica Sancti Stephani, quæ huic coniugitur cæmeterio, psallentium sonum. Admirantesque dulcedinem moduli, adpropinquant ad ostium templi, autumantes à quibusdam religiosis vigilias celebrari: ingredientes autem, & orationi diutissimè incumbentes, consurgunt, psalentii chorum conspiciunt: nihilque lucere per templum, nisi propria claritate cuncta prospiciunt splendere: de personis verò nullam prorsùs agnoscunt. Denique cùm essent attoniti, & stupore perculsi, vnus de psallentibus accedit ad eos, dicens; execrabilem rem fecistis, vt nobis arcana orationum Deo reddentibus adesse præsumeretis, discedite ergo, & ad domos vestras abscedite, alioquin ab hoc mundo migrabitis. Ex quibus vnus discedens abiit, alter verò, qui in loco remansit, post non multos dies à sæculo commigrauit.

15. *Vuillielmus Malmesburiensis, lib. 2. de gestis Pontificium Anglorum, de Birnstano.* Birnstams quatuor tantùm annis rexit Episcopatum. Illum purissimæ sanctitatis fuisse accepimus, quotidie non intermissa sedulitate missam pro defunctorum requie cantasse, noctibus depulsa formidine, solum circuire solitum, pro animarum salute psalmos frequentasse. Hoc cùm quadam vice faceret, & expletis omnibus subiungeret, *requiescant in pace*, voces quasi exercitus infiniti à sepulchris audiuit respondentium, *Amen*. Istud mirabilius, quò infrequens est mortuos cùm viuo seruisse sermonem, nè eum officii pigeret, quod tot animabus gratum audiret.

16. *Vincentius in spec. Hist. libr. 12. capit. 4.* Quodam tempore Euergisilus, Agrippinæ Coloniæ Episcopus, nimio capitis dolore vexatus, ad memoriam S. S. Martyrum Cassii, Florentini, & sociorum accessit, & ingrediens Ecclesiam inchoauit versiculum, qui solet dici in laude sanctorum: *Exultabunt sancti in gloria*. Tunc protinùs ex abdito sanctorum responsum est: *Lætabuntur in cubilibus suis*. Qui Pontifex audiens, & laudem Domino cùm suis acclamans, de puluere loci ipsius capiti suo imposuit, & salutem recepit.

17. *In Annal. Minor. ann. 1287. numer. 7. de B. Francisco Fabrianensi.* Cùm aliquandò missam pro defunctis celebraret affectuosiùs, vehementerque compateretur animabus dura tormenta patientibus, & in fine sacrum mysterium clauderet illa deprecantiuncula, *Requiescant in pace*, multorum exaudita est vox alacriter respondentium, *Amen*: quos, vel Angelos ministrantes sacrificanti, vel animas, ad preces sancti viri à purgatorii ergastulo liberatas indicare licebit.

18. *Dominicus M. Marchesius in vita Ven. Mariæ Villanæ ordinis Prædicatorum.* Semel oranti Vener. Soror. Mariæ Villanæ apparuit anima quædam Purgatorii uoracissimis circumdata flammis, illiusque suffragia exposcens; in signum autem ardentissimi ignis, quo æstuabat, digito frontem illius tetigit, quo in loco, statim vesicula apparuit, perque duos menses acerbissimos dolores inferens, durauit; quo tempore Sor. Maria continuis pro illius liberatione se se afflictauit cruciatibus; tuncque iterùm anima illa se se offerens videndā, ad paradisi fælicitates euolare affirmauit.

19. *Seuerantus in Selectis aureis mor. Iust. in Theodosio.* Cùm defunctus fuisset Basilius, religiosissimus monachus, Theodosius Cœnobiarcha, eiusq. magister, per quadraginta dies eum vidit, audiuitq. in canticis vespertinis inter discipulorum chororum simùl cantare.

20. Ca-

20. *Cesarius in Homil.* Erat in domo nostra conuersus quidam, Lupertus nomine, homo tàm ætate, quàm moribus maturus, & valdè religiosus, conuersorum refectorarius. Hic post mortem cuidam conuerso in somnis apparens visione satis manifesta, dùm de statu suo requireretur, respondit, se esse in pœnis, duas causas assignans; vna est, ait, quòd de reliquiis aliquandò, vndè poterant pauperes sustentari, misi in vas porcorum, expensis in hoc parcere voles. Alia causa est, quòd forficem ad vsus meos sine licentia seruaui. Est hæc in foramine talis parietis, locum ei ostendens. Manè conuersus ad locum accedens, dùm forficem quæreret, & inueniret, reliqua esse vera deprehendit.

21. *Vuillelmus Malmesburiensis, lib. 3. de gestis Anglorum.* In cœnobio Fuldensi exitialis lues grassata, priùs Abbatem corripuit, mox multos Monachorum extinxit. Superstites, primò sibi quisque timere, orationes, & eleemosynas largiores facere, sed processu temporis, vt est natura omnium, pedetentim metu dempto, omittere cæperunt; præsertim Cellarius, qui palàm clamitabat, non posse penum tot expensis sufficere: sperasse se semper aliquod alleuiamentum pro tot elationibus funerum; nihil vltra spei esse, si quod viui nequissent, mortui consumerent. Itaque cùm quadam nocte propter necessaria diù soporem distulisset, tamen elaqueatis moratum nexibus in dormitorium pergebat: & ecce videt in capitulo, eos omnes, qui obierant illo anno, eo quo discesserant ordine sedere. Tremens, & effugere gestiens, retractus est increpitus, & more Monastico flagellatus, audiuit verba Abbatis in hanc sententiam; stultum est de morte alterius emolumento inhiare, cùm sors cuiusdam sub eodem pendeant fato: impium est, cùm monachus omnem vitam suam in Ecclesiæ consumpsit obsequio, vt careat saltem vnius anno post mortem stipendio. Scito ergo te citissimè obiturum, sed quid quid pro te fiet, ad aliorum, quibus abstulisti, referretur commodum. Abiit ille, & nihil se vanum vidisse tàm recentibus plagis, quàm morte proxima demonstrauit.

22. *Surius, 1. Ian.* Benedictus X. Pontifex apparuit Ioanni Portuensi, dixitque, Odilonis Abbatis precibus ab æterno mortis periculo seruatum; & deindè Edelberto, affirmauitq. se Purgatorii pœnis liberatum.

23. *In Annal. Minorum ann. 1260. numer. 55. de Ecclesia Zamorensi.* Sepultus in hac Ecclesia Anonymus ille laicus minorita, cuius mira recensetur à multis apparitio facta in eadem vrbe architriclino Dominicano. Arcta contracta amicitia, pacti erant vt qui prior discederet ex hac vita, quo statu res suæ essent in altera, reuelaret superstiti. Prior obiit Franciscanus coqui functus officio: iuxta pactum apparuit amico totus ignitus, conquerens se deuotum diris purgatorii ignibus, quòd in distribuendis fratrum portionibus, minùs æquè se haberet. Atque vt fidem faceret, vni ex mensis refectorii, in quo apparuit, iuxta suggestum manum apposuit, in qua veluti candenti impresso ferro, palmę reliquit vestigium, in hunc vsque diem, crate ænea contectum, clarè visendum.

24. *Martinus Delrius, lib. 2. disq. magic. qu. 26. cap. 5.* Cùm anno Domini 1585. Alexander Farnensius Antuerpiam obsideret, Bataui, Anglique, vt obsessis opem ferrent, & obsessi eodem tempore, vt hostem distinerent, facta eruptione acerrimè pugnabant, aggeremque iàm Regio militi ereptum possidebant, securi vt sibi videbantur: tùm à Regiis militibus primò paucioribus conspectus propè aggerem Petrus de Paz Hispanus, Tribunus vir, & militaribus, & pietatis ornamentis laudatissimus, qui iàm mensibus aliquot ante defunctus, visus hic armatus vt solebat legionem præcedere, & suis quondam militibus manu aduocatis, vt se sequerentur imperare; indicant primi secundis, hi tertiis, hi sequentibus, vident omnes idem, mirantur, animisque resumptis notum sequuntur Ducem: præit ille, & rectà in hostem ducit; fit pugna, sed Bataui in naues compulsi, aggerem Regiis reliquere; hoc momento oppidum munitissimum spe victoriæ, & se tuendi, decidit.

25. *Arlunus sec. 1. Hist. Mediol.* Cùm duo locupletes mercatores, non ignobiles, per Taurinos saltus in Galliam proficisceretur, ampliorem humana specie virum obuiam habuere, & ab illo mandatum in hæc verba suscepere Ludouicum Sfortiam fratrem meum alloquimini, hasque illi litteras nomine meo date. Obstupescentibus illis, & percunctantibus quisnam esset? se se Galeatium Sfortiam esse respondit, & mox ab oculis eorum euanuit. Illi Mediolanum properè redierunt; indè Vigleuanum, vbi Maurus degebat, Litteras Ducis offerunt, quarum hoc argumentum erat. O ò ò Ludouice, caue tibi, quoniam Veneti, Gallique tuam in perniciem coituri sunt, tuamque à stirpe rem euersuri. Verùm si mihi tria millia aureorum dederis, dabo operam, vt conciliatis spiritibus, sinistra fata auertantur, idque consecuturum spero, si mihi non aduersatus annueris. Vale. Subscriptio erat, Galeatii fratris tui Spiritus. Illud ipsum, licet alii vt commentum irriderent, non tamen multò post Princeps à Ludouico XII. Gallorum Rege Principatu deiectus, & captiuus abductus est.

26. *Sabellicus, lib. 1. Exempl. cap. 4.* Ludouici Alodisii Pater, Imolæ Dominus, haud diù postquam decesserat, homini à secretis, quem filius Ludouicus Ferrariam mittebat, in itinere venanti similis equo insidens cùm accipitre apparuit; huicq. vt filium in hunc ipsum locum postera die venire iuberet, præcepit, quoniam magni momenti res ei prædicturus erat. Ea re audita, Ludouicus, tùm quia non credebat, tùm quòd insidias verebatur, alium pro se misit. Et illa ipsa vmbra, quæ ante apparuerat, obuiam facta, vehementer indoluit,

quòd filius non venisset: longè enim plura ei dicturum se fuisse affirmabat. Sed tunc illud tantùm referri iussit, quòd transacto vigesimo secundo anno, ac propterea vno mense, die quoque specificè addito, vrbis imperium, quod obtinebat, esset amissurus. Vt tempus quod vmbra prædixit aduenit, adhibita magna cura, ea ipsa nocte, quam Patris manes suspectam fecerant, Ducis Philippi Mediolanensis confœderati milites ad muros penetrarunt, adhibitisque scalis, glacie magna constrictis fossis, vrbem cùm Principe ceperunt.

27. *Baronius*, *ann.* 411. Michael Mercatus, & Marsilius Ficinus cùm de Animæ immortalitate multa inter se disseruissent inuicem, pacti fuerunt, vter eorum ex hac vita prior decederet (si liceret) alterum de alterius vitæ statu redderet certiorem. Quibus inter se conuentis, ambo iurati ab inuicem discessere. Interlapso autem haùd breui temporis spatio, euenit, vt cùm summo mane idem Michael senior in philosophicis speculationibus vigilaret, ex inopinato strepitum velociter currentis equi, eiusdemq. ad ostium domus cursum sistentis audiret, vocemque simùl Marsilii clamantis: O Michael, ò Michael, vera, vera sunt illa. Ad vocem amici Michael admiratus, assurgens, fenestramque aperiens, quem audierat vidit post terga, ad cursum iterùm acto equo candido; candidatum prosecutus est cùm voce, Marsilium Marsilium inuocans; prosecutus & oculis, sed ab eis euanuit. Sic ipse noui casus stupore affectus, quid de Marsilio esset, solicitiùs perquirendum curauit, inuenitque eumdem illa ipsa hora defunctum, qua eo modo auditus, & visus est sibi.

28. *Franciscus Picus Mirandul. in vita Ioannis Pici Patrui*. Non longo post obitum Ioannis Pici tempore, spectrum Ioannis apparuit Hieronymo Sauonarolæ, eique dixit: torqueri se pœnis expiatoriis, eò quòd non satis diligenter, & fæcundè, talentum sibi à Deo creditum eruditionis, & ingenii, multiplicasset; & quia non quanti par erat fecisset internas Dei suggestiones, inspirationesque, quæ adhortabantur, honestos labores, quos inchoarat, non abrumpere.

29. *Ianus Nitius, exempl.* 151. Fuit Matriti vir summè nobilis, & Marchionis etiam titulo clarus; hic cùm nocte quadam animi causa, vt fit, domo egressus, eius oppidi vias obiret, in quadam domus cuiusdam versura, capite obuoluto hominem ibi stantem offendit, ac suspicione offensus, & fortasse insidias metuens, illum post multa gladio interfecit. Sed cùm aliquot dies interpositi propèmodùm eius facti memoriam subduxisset, & nocte quadam otiosus domi cœnaret, euocatur ab ostio ab homine ignoto, qui ea sibi efferre, quæ ad ipsum maximè pertinerent, dicebat. Quo audito, surrexit ille, ac prodiit, & quemdam videt, à quo interrogatur, si eum nosceт; cui ille; Non equidem, inquit, neque te ante hunc diem vidi; quod cùm is, qui rogauerat mirari videretur, non ne, ait, meministi te tali nocte quemdam obuoluto capite in via stantem transuerberasse, ac statim neci dedisse? is ego sum, qui quidem multas ex India merces aduexeram, eratque in animo ex pecunia, quam ex eis redegissem, celebre in hoc oppido noxocomium extruere, sed quoniam tua mihi sæuitia eius rei facultas adempta est, propterea, quæ meæ fuerant partes, tuas scito ad rediisse; cape has claues, & quidquid in duobus promptuariis in cellis mercium inueneris, vendito; tùm quidquid ex collybisticis istis symbolis mihi debetur, exigito, ex eaque pecunia, quæ cogitaueram, tu ipse perficito; nec plura locutus, è conspectu euanuit.

30. *Idem exemplo* 154. Ferdinandus Cæsar, qui calamitosis hisce temporibus Imperii nauim in summis tempestatibus, periculisque moderatur, ac regit, amanuensem habuit, consiliorum omnium participem: is obiit mortem, sed aliquantò post Cæsari venit in conspectum; quem ille cùm esset intuitus, alacri, atque præsenti animo, eius aduentus causam exquisiuit; sed nullum ab eo responsum accepit; sed eius loco sibi dexteram dari conspexit, quam imperterritus Cæsar accepit, verùm ita ardentem ostendit, vt ferri, tolerarique non posset; quamobrem fuit coactus protinùs eam dimittere; sed vix dimisit, cùm ille excessit ex oculis. At tùm demùm Cæsar intellexit quænam eius aduentus causa fuisset, cuiusque auxilii esset ille egens in primis; itaque postero die, aliisque deinceps, pro illius anima multa piacularia sacra facienda curauit, quorum vi, flamma illa, incendioque præreptum illum, fit verisimile in cœlum abiisse, non enim aliàs se Cæsari videndum obiecit.

31. *Franciscus à Sancta Maria in Histor. Carmelit. to.* 1. *lib.* 2. *cap.* 6. In conuentu S. Ioseph Methymnæ Campestris ex Carmelitis Discalceatis, quædam Soror, eò quòd à cæteris ad communem refectionem discumbentibus videri non poterat, in quamdam leuem trangressionem regulæ incidit: res mira: statim illùc vidit accedere M. Annam à S. S. Trinitate, quæ de recenti mortua erat, quæque ante mortem, præfuerat monasterio, & ab hac grauiter fuit reprehensa, reprehensioneque facta, iterùm ad sepulchrum rediit, euanuitque.

32. *Idem ibidem*, *lib.* 5. *cap.* 18. Cùm Vener. M. Catharina de Cardona ex Carmelitis Discalceatis, quadam vice à suo conuentu ad specum progrederetur, in obscurissima nocte, splendidissima luce tota circumdata fuit; cuius admirandi cùm obstupescerent circumstantes; admirationem talibus assueta prodigiis ademit Vener. Mater: illamque lucem dixit ab anima purgatorii oriri, quæ suis precibus à pœnis liberata, ad piæ liberatrici gratias agendas aduenerat.

33. *Idem ibidem*, *tom.* 2. *libr.* 7. *cap.* 10. Cùm in conuentu Matriti Discalceatorum S. Teresiæ ex incuria Prælati nimia celeritate à Religiosis diuina celebrarentur officia; quadam nocte dùm matutinas recitarent preces, quosdam ictus vole in proximo

ximò sacello audierunt, nullumque ibi adesse aduertentes, cælestem reprehensionem intelligentes, errorem, facti pænitentes, emendarunt.

34. *S. Augustinus de cura pro morte agenda, capit.* 11. Mediolani cùm debitum repeteretur à quodam, defuncti Patris cautione prolata, quod filio nesciente à patre iàm fuerat persolutum: contristari homo grauissimè cæpit, atque mirari, quòd ei pater moriens non dixerit quid deberet, cùm fecisset etiam testamentum. Tunc ei nimis anxio apparuit idem pater eius, & vbi esset repositum, quòd illa cautio vacuata fuerat, indicauit. Quo inuento atque monstrato, non solùm falsi debiti calumniam filius propulsauit, sed etiam paternum recepit chirographum, quod pater non receperat, quandò fuit persoluta pecunia.

Non vnus sufficeret liber, si innumeras Defunctorum apparitiones essent recensendæ; sufficiant dicta ad confirmandam de immortalitate animæ catholicam fidem. Innumera huiusmodi exempla enumerant Vincentius Belluac. in Spec. Histor. Cæsarius in libr. mirac. Helinardus Frigimont. in Chron. Cantipratanus de Apibus; Dionysius Carthusi. de quat. Nouiss. Tostatus, libr. 1. Reg. Brendebachius in coll. sac. aliique plures.

CAPVT II.

De Admirandis Quorumdam Resurrectionibus.

Resuscitati diuinitùs ad suscipienda Sacramenta. §. 1.

Claudam, obsignaboque Admirandorum narrationem, Admirabiliori prodigio, quod totam naturam in admirationem vocat, omniumque Philosophorum, perspicacissima licet, implicat ingenia. Hoc est, quod ab Apostolo viris sapientissimis Athenis in Areopago prædicatum, ita stupore, & admiratione eorum inuoluit mentes, vt quidam quidem irriderent, quidam verò dixerint: audiemus te de hoc iterùm. Est autem Resurrectio mortuorum, earum animarum, quas Athei, Sectariique plurimi iàm mortuas desiisse autumant, ad corpora remigratio. De hoc igitur admirando prodigio, cui Christus Dominus ab initio Orbis Christiani, plurimos, seque ipsum resuscitando initium dedit, aliqua seligam, quæ speciali prærogatiua sunt digna, si enim plures mortuorum resurrectiones enarrare vellem, nec integer sufficeret liber. Et primò de admirabiliter resuscitatis ad suscipienda Sacramenta, quibus non expiati, seù muniti, obierant. De his.

1 *Euodius, lib. 1. mirac. S. Stephani, serm.* 95. *&* 96. Cuiusdam mulieris paruulus filius mortuus catechumenus erat, qui matris portatus manibus cùm ingenti eiulatu, & miserabili vociferatione ante altare Diui Stephani, in Vzalensi ciuitate, fuit proiectus, rogauitq. Sanctum pro illius æterna salute: & ecce inter diù lamentantis dolorem miseræ matris, repentè paruulo spiritus redditur, vita tribuitur, vox viuenti conceditur. Continuò presbyter accersitus, baptismum paruulo tradit, subitòque defunctus est, & ad æternam gloriam euolauit.

2. *Marulus, libr. 4. cap.* 10. Maurilius Andegauensis Episcopus, puerum baptizandum, ac inter sacrificandum mortuum, post septennium à morte resuscitauit, baptizauitque.

3. *In vita Sancti Mauri, siue mortui-nati eremita, Hui, in Belgio.* S. Maurus, seù mortuus-natus, mortuus in lucem venit; verùm ad ædiculam, vt vulgò traditur, B. Virginis de Vinea delatus; isthic vitæ redditus est, & in baptismate dictus est Mortuus-natus; superuixit autem, factusq. est Eremita.

4. *Sulpitius in vita Sancti Martini, capit.* 5. Quidam Catechumenus in insula Gallinaria sub disciplina S. Martini se dederat, paulòque post languore correptus, tandem vi febrium, absente illo tempore Martino, extinctus est. Reuersus verò, cùm absque baptismate humanis rebus eum excessisse cognosceret, flens, eiulansque super defuncti membra se prosternens orationi aliquandiù incubuit; vixque duarum horarum spatium intercesserat, cùm vidit illum paulatim membris omnibus commoueri, & laxatis in vsum videndi palpitare luminibus. Ita redditus vitæ, statim baptisma est consecutus, vixitque postea plures annos.

5. *Vincentius Belluacensis in speculo Historiali.* Sanctus Maclouius Episcopus insulæ Fortunatæ, Gigantem ibi diù ante sepultum ad vitam reuocauit, qui multa de rebus alterius sæculi illum edocuit, & baptismo suscepto, diù superuixit.

6. *Iuuenal. Vrsinus in Carolo VI. apud Raynaldum.* Anno 1393. diuina clementia in Galliis insigne miraculum edidit; nàm cùm mulier impudica, puerum, quem enixa erat, peremisset, atque in fimo abdidisset, hunc canis olfactu indice detexit, quem pia mulier ducta à diuina prouidentia illàc iter habens corripuit, ne voraretur, effusaque in lachrymas ad Ecclesiam Sancti Martini è Campis extulit, inque ara collocauit, fusis ad Deum supplicibus precibus, vt puerum in vitam reuocaret, quò sacris baptismalibus initiaretur. Audiuit pias preces diuinum numen, reuixit puer, vagit, aperuit oculos, lac suxit, sacro baptismo ablutus est, ac trium horarum interuallo animam Deo reddidit.

7. *In actis S. Damasi Papæ, apud Baronium, anno* 384. Sabbato Paschalis festiuitatis, cùm compressio magna esset baptismi tempore, puerulus è manibus gestantis hominis lapsus, ad imaque fontis delatus, ab omnibus deploratus est vt mortuus: cùm autem Damasus oculos ad cælum eleuasset, ac pro ipso orasset, post horæ spatium puerulus iussu Damasi ex profundo aquarum vix eductus, inuentus est præter spem, &

expectationem omnium, viuus, sanusque vt antea erat: tuncque ab vniuerso populo immensa Dei Potentia, & Damasi sanctitas magno præconio conclamata fuit, puerulusque sacro baptismate fuit lotus.

8. *In vita S. Patritij*. S. Patritius ad vitam vocauit Regem Hiberniæ, Echu nomine, vt eum sacro lauacro ablueret, quod antequam moreretur expetierat, miseratque nuncios ad prædictum Sanctum, vt ad illud ei conferendum dignaretur venire.

9. *Lipsius de Virg. Hallensi, cap. 31*. Anno Domini 1428. in vico Sancti Hilarij, iuxta Cameracum, mulier quædam prolem mortuam pepererat, quæ in hortulo suo humata fuit. Querebatur interim mater de duplici filii morte, corporali scilicet, & spirituali, quippe quia particeps diuini baptismi non fuerat, spem tamen in D. Virginem habebat, eò magis, quòd solita esset annua peregrinatione eam colere, & Hallas venire; qua spe munita, credidit filium viuere, & licet iàm quindecim à morte elapsi essent dies, defossusque tres pedes circiter esset, terraque etiam supernè pedibus inculcata, iussit, vt refoderetur puer, qui mirabiliter viuus, pulchellus, & rosæ instar rubentis apparuit. Hic subitò ad proximum pagum Vertenguelium deportatus est, vt sacro lauacro ablueretur, quo in itinere cùm serò esset, accensa candela, licet pagus secundo lapide abesset, lentoque passu procedentes, solùm ad lucem sequentis diei ad pagum peruenissent, non defecit, neque minuit. At cùm ibi Pastorem non adesse intellexissent, properant ad arcem Vertainium, vbi Pastor cùm Præfecto conuiuabatur, quam clausam reperientes, vltrò prima, secunda, & tertia arcis porta, se se illis aperuit. Prodigium narrant, reuertuntur ad Pagum Vertenguelium, ibique infans sacro fonte lustratur, & post quinque horas circiter in ara Beatæ Virg. reclinatus, instar niuis visus palàm liquescere, & tabescere, & sic ad mortem ire.

10. *Robertus Hautport, cap. 42. de miraculis B. Virg. Ceruiensis*. Anno 1582. Elizabethæ Ioannis Ferin coniugis fœtus, quòd mortuus ex aluo materno prodiisset, in remoto horti margine defossus fuerat; itaque dies septimus supra decimum agebatur, cùm mater dolore mitigato id vnum noua spe concepta extorsit à marito, vt infantis corpusculum effoderet, hac lege, vt si computruisset, relinquerent, sin restitisset integrum, assumeretur, fortè spe haud dubia, vt Beata Virgo vitam ei restituat. Paret ille vxoris importunis precibus, incorruptum reperit, adfertque ad matrem. Hæc iter ad D. Virginem Ceruiensem ingreditur, cui à Fonte nomen est, à fonte inquam vitæ. Vix ibi dispositus infans iacuerat, cùm roseo colore in genis tingi, calere, respirare, aliaque vitæ signa præbere. Baptizatur ergo summa cùm omnium lætitia, perstititque viuido formosus colore donec Ceruiensi ex ditione efferretur, tùm enim sensim pallescere, prorsùs vt quò longiùs à vitæ fonte abiret, hoc propiùs morti esse videretur; tandem inter mortales esse desiit, cœlitibus coniuncturus.

11. *Hieronymus Plato de Bono Status Religiosi libr. 1. cap. 5*. Tempore, quo Frat. Bertoldus in Germania inter prædicandum, acriùs in vitium quoddam inueheretur, mulier quæ illo vitio tenebatur, contritionis vi in media concione mortua corruit. Verùm cùm omnibus in preces procumbentibus, paulò post reuixisset; narrauit mortis causam, iussamque se ad corpus redire vt peccatum confessione expiaret.

12. *S. Bonauentura in vita S. Francisci, cap. 15*. In castro montis Marani propè Beneuentum, mulier quædam S. Francisco peculiari deuotione cohærens, viam vniuersæ carnis intrauerat. Conuenientibus autem clericis nocte ad exequias, & vigilias cùm psalteriis cantandas, subitò cunctis cernentibus erexit se mulier super lectum, & vnum de Sacerdotibus, patrinum videlicet suum, aduocauit dicens: Volo confiteri, pater; ego enim mortua duro eram carceri mancipanda, quoniam peccatum, quod tibi pandam, nec dùm confessa fueram, sed orante pro me Sancto Francisco, cui dùm viuerem deuota mente seruiui, redire nunc ad corpus indultum est mihi, vt illo reuelato peccato, sempiternam promerear vitam. Tremens ergo trementi sacerdoti confessa, post absolutionem receptam, quietè se in lecto collegit, & in Domino fœliciter obdormiuit.

13. *Hermannus Carthusianus, serm. 14*. Legitur quòd quidam quandòcumque lectum intrabat, vel de ipso surgebat, cùm pollice ter signum Crucis faceret, scilicet ad caput, supra faciem, & super pectus, exprimendo titulum triumphalem, scilicet Iesus Nazarenus, Rex Iudæorum; cùm autem subita morte præoccupatus esset, & dæmones eum rapere vellent, splendor ad modum stellæ apparuit, in loco vbi signum Crucis cùm expressione salutiferi nominis imprimere consueuit, qui splendor in tantùm dæmones terrebat, quòd ei manus imponere non audebant: tunc quidam vir lucidus à longè comparuit, & ad eum accedens dixit ei, quòd licet damnatus esset secundùm exigentiam peccatorum suorum, tamen summus iudex propter fidem, & deuotionem, quam habuit circa eius passionem, & triumphalis tituli expressionem, parcebat ei, volens vt ad vitam rediret, & de peccatis suis satisfaceret: restitutus ergo vitæ, pænitentiam egit, & emendatus biduò postmodùm, beato fine quieuit.

14. *In vita S. Osuualdi, 15. Octobris*. Fulbertus Abb. Persorensis post obitum in feretro positus, redeunte spiritu erexit se cunctis trepidantibus; aitque se à S. Benedicto ad Dei conspectum fuisse perductum: Deum sibi peccata ob meritum dilecti sui Osuualdi (cuius fuerat discipulus) remisisse, ac eiusdem sanctitatis declarandæ causa reuixisse. Quibus dictis conticuit, & percepto sacro Dominici Corporis viatico, dimidium superuixit diem, & rursùs in Domino fœliciter obdormiuit.

15. *Vuillielmus Malmesburiensis, lib. 3. de gestis Pontificum Anglorum, de Vuilfrido*. Ingresso Episcopo Vuilfrido villam Tiddanefræ, occurrit vis feminarum ingens, paruulos ad confirmandos offerens.

rens. Immiscuit se confluenti vndæ muliercula,& callidè agens, Filium exanimem catechizandum prętendit, mortem dissimulans, lachrymas resorbens, credebatque integrè, quòd hoc commento posset vitam resumere. Sed enim antistes obuelatam faciem pusioli cùm retexisset, vt exequeretur officium, anima priuatum aduertit: tùm mulier, quę successu fraudis exciderat, ad preces conuersa, orare per Deum, per matrem, si qua fides, si qua pietas, vt excitaret exanimem: simùl vestigiis aduoluta, violentiam quamdam facere, loco penitùs non moueri; fluctuabat interim sanctissimi hominis sententia, an temerarius insuetum miraculum attentaret, an durè lachrymas orbatæ mulieris despiceret. Sed vicit pietas pectus virtutis, paucaque diuinorum psalmorum intra se immurmurans, indèque dextram cadaueri apponens, animam induxit corpusculo. Confestim enim oscitans, & alacri palpebrarum motu, totiusque corpusculi nisu se reuixisse testatus est. Exclamat mater in gaudium, sed ab Episcopo coercita siluit: vocatus est puer Ethelualdus, & in Ripis postea monachus factus, miraculorum Vuilfridi non leue augmentum videbatur.

16. *Bozius de Signis Eccles. lib. 12. cap. 21.* Allatus est aliquandò ad virum sanctum Martinum Valentinum ex ord. S. Francisci puer ægrotus, vt eum baptizaret, verùm priusquàm perfici id posset, ille vita decessit. Acceptum sanctus in altari collocauit; supplicationi se dedit, ad vitam paulò post reduxit, baptizauit, ac suis restituit.

17. *Fornerus, de Ven. Iosepho Anchieta è Soc. Iesu.* Hominem, qui sine baptismo obierat, cùm iàm sepulchro mandandus esset, precibus Deo fusis, vitæ restituit, & baptizauit Ven. Ioseph.

18. *Rubeus, lib. 2. Hist. Rauenn. an. 431.* Ioannes Episcopus Rauen. filium viduę defunctum ad vitam excitauit, vt eum sacro chrismate deliniret, cumque postea matri restituit.

19. *Marullus, lib. 4. cap. 11.* Seuerus sacerdos, vocatus ad cuiusdam ęgrotantis confessionem audiendam, cùm paululùm tardiùs venisset, vita defunctum offendit. Eaque de re vehementer anxius, & afflictus, lamentis cadaueri incumbens, cùm acerrimè fleret, reuixit qui iacebat mortuus, dixitque se dùm ab impiis spiritibus ad horrenda tenebrarum loca raptim traheretur, ab Angelo protinùs dimitti, atque corpori restitui iussum, quòd diceret, Deum id Seueri lachrymis indulsisse. Igitur vbi confessus est, peracta septem dierum pænitentia, iterùm obiit.

20. *Surius in vita S. Zenobij, 25. Maij.* Eugenius S. Ambrosii discipulus, & S. Zenobii Episcopi Florentini Diaconus, cùm graui morbo in lecto detineretur, & cuiusdam propinqui sui mortem absque pænitentia, & cæteris sacramentis audisset, grauiter commotus, cæpit illicò contristari, & valdè mæstus esse. Cuius religiosæ affectioni S. Zenobius compatiens, aquam benedixit, deditque Eugenio, dicens: Fili, confestim surge, & accelera ad domum defuncti, atque hanc aquam super illum asperge, vt in nomine Iesu reuiuiscat, & Deo gratias agat. Quo audito, ac si in nullo pateretur, statim exurgens, atq. iniuncta exequens, super defuncti cadauer aquam effudit, qui confestim à mortuis resurrexit, & cùm Eugenio ad Episcopi domum aduenicns, gratias Deo, & S. Zenobio egit.

21. *Vincentius in Spec. Hist. libr. 25. capit. 62.* Cùm ad defuncti cuiusdam monachi cadauer missa celebraretur, ad cantum Agnus Dei, ille ex feretro exiliit, Deum blasphemans, crucem ligneam osculandi causa oblatam conspuens, Mariam conuiciis incessans, & psallentes deridens, quòd horrendis inferni cruciatibus destinatus esset. Monachis verò se se flagellantibus, pectora pugnis verberantibus, precesque fundentibus, miser saniori recepta mente, Christi omnipotentiam laudare, Sathanæ renunciare, crucem adorare, & fornicationem post susceptum monachatum perpetratam confiteri cæpit: Deumque laudans, altero die placidè expirauit.

22. *Gonzaga, de Conuentu S. Francisci Barbastri.* Cùm ad Ecclesiam Sancti Francisci Barbastri Prouinciæ Aragoniæ, mulier quædam defuncta ad sepeliendum deportaretur; vt ingressa est Ecclesiam, eleuato capite postulauit à Vicario eiusdem monasterii, cui dùm viueret confitebatur, vt sacramentum pænitentiæ sibi impertiretur, illique quoddam peccatum confessa est, & absolutione obtenta, iterùm reclinato capite mortua est.

23. *Sedulius in vita S. Ludouici Episcopi Tolosani, cap. 20.* Domina Sancta à Tribula enixa est fæmellam mortuam; illa dolens potissimùm animę damnationem, votum suscepit, & S. Ludouicum orat, vt vel tantisper vitæ reddatur dùm posset baptizari: reuiuiscit puella, & baptizata, duodecim diebus nil accepit alimenti, rursùs orante matre, vt si ei viuendum esset, aliquantulùm acciperet lactis, comprehendit statim puella mamillas, & ad mensem superuixit.

24. *Iansenius, in vita S. Dominici, lib. 1. cap. 5.* Alexandrię erat virgo nobili stirpe, & in qua præter faciem, nihil laudares, quàm Rosarii cultum. Hanc duo præ cæteris adolescentes vehementer deperibant, tanta inter eos contentione, vt infami duelo se committerent. Occumbit vterque mutuis vulneribus confossus. Horum Consanguinei, & affines in puellam insurgunt, obtruncant, capite in vicinum puteum abiecto. Nouit hæc B. Virginis monitu Dominicus, diebus ergo 150. elapsis fide plenus accedit ad puteum, caput euocat. Mirabile! hoc ad putei oram adscendit, recens planè, neque vlla ex parte sanie fœdatum confitetur, atque affirmat, cùm damnanda esset, se Rosarii merito adeptam nè sine contritione decederet, atque insuper inaudito eo modo, tantum post temporis, peccata confessione deleret.

25. *Leander Albertus, in Chronicis Prædicatorum, de S. Vincentio Ferrerio.* Cùm à quodam iuuene imprudenter occisa fuisset quædam mulier vetula, eam Diabolum esse suspicatus, vbi rem B. Vincentius cognouit, afferri ad se anum iussit; cuius vbi frontem, ac pectus signo crucis tetigit, reuixit illa continuò, & quam omnes natam esse mutam nouerant, perfectè loqui illicò cæpit, & sacerdotem

tem poscere, cui delicta confiteretur: quod quidem ita fecit, ac si nunquam muta fuisset. Cumque peracta illi cætera essent, vt ipsa petierat, quæ circa morientes ex ritu Christiano fieri consueuerunt, post duas horas expirauit.

26. *In vita S. Catharinæ Senensis*. Lapa eius mater iàm senex, grauibus afflicta molestiis, tandem sine Confessionis sacramento mortua est; sed virgo sanctissima oculos ad cælum eleuans, cùm lachrymis Dominum contestata est dicens, se ab eo loco nunquam discessuram, donec matrem ei viuam restitueret. Quæ quidem verba audientes tres fæminæ, quæ eam morientem viderant, non ausæ fuere corpus exanime demandare sepulturæ, donec viderent, quem exitum sanctæ Virginis preces haberent. Orante igitur ea vberrimis lachrymis, reuixit Lapa, & vitam produxit adhùc ad aliquot annos.

27. *Bonfinius lib. 3. Dec. 3.* Christianus quidam ad Nicopolim à Turcis cæsus an. 1415. tertio demùm anno loqui cæpit, subindè Iesu Christi Saluatoris, & Mariæ Virginis nomina resonans. Caussam interrogatus, se inexpiatum, inconfessumque in bello occubuisse, respondit. Accersito igitur ex proximo pago sacerdote, confessionem ritè transegit, & impetrata errorum omnium remissione, acceptaque nouissima lustratione, repentè conticuit, perpetuòque quieuit.

28. *Surius, 5. Nouembris, in vita Sanctæ Malachiæ*. Cùm mulier quædam, ad quam vngendam sacro oleo vocatus fuerat S. Malachias, antequam ungeretur mortua esset, maximè contristatus est S. Pontifex, cùmque diù super illam orasset, reuixit mulier, & statim vnxit eam; quæ tamen illicò conualuit, & vixit incolumis aliquo tempore.

29. *Idem, 29. Decembris, de S. Ebrulpho Eremita*. Cùm audisset aliquandò S. Ebrulphus, vnum è fratribus absque sacro migrasse viatico, infremuit spiritu, & orans cùm lachrymis, defunctum interrogauit; vtrum vellet Eucharistiam accipere? ille verò quasi à somno expergefactus, aperuit oculos, annuit, suscepit, & rursùs in somno pacis obdormiuit.

Alij diuinitùs resuscitati ad manifestanda occulta.

§. 2.

Alii mirabiliter, vel ad aperiendas impiorum fraudes, vel ad occulta manifestanda, ad vitam reuocati fuere. De quibus.

1. *Marulus, lib. 1. cap. 2.* Gad frater Gondophori Indorum Regis reuixit, vt Thomæ Apostoli innocentiæ ferret testimonium, qui magnam vim pecuniæ in ædificandæ Regiæ sumptus acceptam, absente rege, pauperibus diuiserat, eoque nomine à Rege in carcerem coniectus fuerat. Quo etiam testimonio Thomas è vinculis ereptus fuit.

2. *Cromerus, lib. 4. de rebus Polonorum*. Emerat S. Stanislaus Cracouiæ Episcopus, Ecclesiæ, & pauperum vsibus prædium à iusto Domino, pretiumque numerauit, adhibitis (pro consuetudine Regni) testimoniis, & possedit. Intereà venditor rebus excessit humanis. Hæredes illius post interuallum apud Regem instituta in Pontificem querela, quòd hæreditatis suæ partem teneret occupatam, litem mouent. Põtifex iustam interuenisse emptionẽ, pretiiq. solutionẽ ostendit; illi pernegant exsolutam pecuniam, credere recusantes. Circumspexit Pontifex testimonia, quibus vteretur ad veritatis ostensionem. Nonnulli ex iis qui affuere, iàm mortem obierant: alii malignitate, aut timore se subtraxerant. Stabat solus Pontifex: iussus testes cùm documentis producere, aut prædio cædere, postulat paucorum inducias dierum, cogitabundus quid faceret: nàm Ecclesiæ, & pauperum causam omittere graue duxit: inuitos ad testimonia pertrahere non potuit, fiducia iustitiæ suæ respexit in Deum, & oratione cùm lachrymis profusa, tumulum adiit ante quadriennium defuncti venditoris, & emoueri iubens cùm terra lapidem, quasi præsentem, & viuentem alloquitur: *Quia, inquit, Petre (hoc illi nomen erat) periclitatur, te absente, Ecclesiæ, & pauperum causa, surge, & perhibe veritati testimonium*. Affuerunt multi exitum præstolantes. Nulla interposita mora surgit mortuus, & vt erat vix linteo cinctus, palatium cùm Archiepiscopo petit, & aduocato aduersario, apud Regem, ad quod venerat perhibuit testimonium, accepto se à Pontifice iusto pretio, Ecclesiæ prædium tradidisse. Stupore conterriti qui viderunt, & audierunt, inaudito antè miraculo. Pontifex peracto testimonio, testem suum reducit ad tumulum, & commendato precibus homine, redeundi vnde venerat permittit licentiam. Ille compositus tumulo iterùm obdormiuit. Aduersarius cùm Rege, maleficiis deputauit diuinam, quæ apparuit, virtutem, nihilo facti mitiores.

3. *Io. Molanus in Nat. S. S. Belgij, 18. Aprilis. B.* Aia Hidulphi comitis Hannoniæ vxor, vt refert Hannonum hist. lib. 11. cap. 4. suas hæreditates, seù dominia Montensi contulit Ecclesiæ, quę postmodùm quasi iure propinquitatis repetebantur à parentibus: sed dicta Ecclesia, cùm vexaretur lite, sanctam Aiam, etsi defunctam, multis precibus in testem euocauit; & ipsa apparens respondit, se donationem suam ratam habere, vndè pacificè quidquid datùm erat, datum remansit.

4. *In actis S. S. Martyrum, tom. 1. in Contin. Bollan.* Cùm B. Fridolinus, Abbas Seckingæ in Germania, construeret claustrum sanctimonialium in Secanis, vir quidam nobilis donauit illi possessionem suam, donationemque suam instrumentis debito modò vallatis confirmauit; indèque mortuus est: Quo defuncto, frater eius possessionem sibi retinuit, nec dari Abbati voluit, asserens vsurpatam fuisse. Circa quam rem cùm diutiùs lite certatum fuisset, facta oratione S. Fridolinus, vadens ad sepulchrum defuncti, stansque supra illud, ipsum ex nomine vocans, in Dei virtute confisus, suscitauit, & apprehendens eum per manum suam duxit eum inde ad sex milliaria ad locum, vbi Iudex erat. Ibi ergo defunctus iàm resuscitatus fassus est donationem à se factam dùm viueret; vndè frater ne dùm illam, sed & propriam possessionem S. Abbati, tantum

ad-

admirans prodigium, cessit. Hoc peracto S. Fridolinus defunctum illum ad sepulchrum, vndè cum deduxerat, reduxit. In testimonium autem rei gestę conscripti sunt ibidem versus isti.

Prædia pro Domino dant fratres hæc Fridolino:
Tempore post multo, negat alter, fratre sepulto.
Suscitat hunc dignus testem, ducitque benignus;
Turba timore tremit, Sanctus sua iura redemit.

5. *Ibidem tom. 2.* Cùm iniustè furti esset accusatus S. Patritius Hib. Apos. mortuum illicò ibi sepultum ad vitam excitauit, vt coràm cunctis verum testimonium perhiberet. Qui S. Patritii, eiusdemq. discipulorum innocentiam protestatus, fraudolenta commenta impiorum denuntiauit, & locum, rem absconditam latitantem, patefecit.

6. *Vghellus in Italia sac. Neapolitani Episcopi.* S. Seuerus Neapolitanus Episcopus mortuum de sepulchro excitauit ad tempus, vt mendacem creditorem viduæ, & pupillorum, falsitatis argueret. Visitur adhùc sepulchrum vndè ille excitatus fuit, cùm facti inscriptione ad posterorum memoriam.

7. *In vitis P.P. par. 2. cap. 37.* Macarius Ægyptius monachus, cum ad eius antrum quidam profugisset opis petendæ gratia, quia magistratus tamquam reum patratæ tunc cædis insequebatur: is autem insontem se affirmabat, nominis sui reuerentia magistratuum vim repressit, & quia suspicio tantùm, non testes hominem vrgebant, vt veritas palàm fieret, egit vt qui occisus fuerat, à tumulo, omnibus qui aderant audientibus, loqueretur: qui quoniam affirmauit, nihil cædem suam ad eum pertinere, cui tunc criminis res dabatur, magistratus hominem, quem insectabatur, Macario auctore absoluit. Cùm desideraret autem Magistratus auctorem cædis scire, petiit à D. Macario, vt interrogaret; qui respondit, sibi sufficere, innocentem liberasse.

8. *Righettus in mir. Nominis Iesu.* Dùm Aretii in Tuscia quidam ab infelici vidua certam pecuniam exigeret, quam illius defuncto marito mutuauerat; infelix mulier S. Antistitem Donatum deprecata est, vt illi præsto esset: fauit Sanctus Præsul, defunctoque marito in nomine Iesu imperauit, vt loqueretur, & veritatem diceret; quod statim resuscitatus fecit, ostenditque pecuniam iàm ab eo solutam esse; quo facto, petitaque à S. Antistite moriendi venia, iterùm obdormiuit in Domino.

9. *Surius in vita S. Antonij Vlyssipponensis, 13. Iunij.* Cùm Paduæ degeret vir Dei, Vlysbonæ duo ciues inexpiabili odio se mutuò prosequebantur; è quibus alter iuxta ædes parentum B. viri manebat, & cùm hora vespertina filium hostis sui in platea inuenisset, per summam crudelitatem iugulauit, & intempesta nocte in horto parentum viri Dei, facta fouea, eum sepeliuit. Cùm autem nobilis esset is, cuius filius cæsus erat, inquisitum est diligenter, & repertum, eius filium illàc transisse, vbi eius inimicus morabatur. Itaque eius domo, & horto lustrato, nihil compertum est. Itum est ad vicinas ædes, & in horto illarum pueri cadauer inuentum est. Itaque pater Sancti viri cùm tota familia coniectus est in vincula, tamquam reus cædis illius. Id verò vt per spiritum Paduæ cognouit vir Dei, vesperi à Guardiano petiit copiam exeundi, quæ illi negata non est. Eadem nocte magno miraculo Vlysbonam perductus est, & proxima luce ad Iudicem se contulit, rogans vt insontes è vinculis dimissos pateretur abire domum. Illo modis omnibus recusante, petiit cadauer perempti pueri ad se adferri. Quo allato, iussit surgere puerum, & dicere, nùm à parentibus ipsius occisus esset. Ille surgens, dixit, eius cædis illos prorsùs non esse auctores, atque ita discedendi est illis facta potestas. Mansit toto illo die cùm parentibus suis vir beatus, & manè Angelico ministerio Paduam reductus est.

10. *Ruffinus de Spiridone, lib. 1. cap. 5.* Tradunt de hoc illud factum mirabile: filiam habuit, Irenem nomine, quæ ei cùm benè ministrasset, virgo defuncta est. Post eius obitum, venit quidam dicens, se ei quoddam depositum commendasse. Rem gestam ignorauerat Pater. Perquisitum in tota domo, nusquam quod poscebatur inuentum est. Persistebat tamen ille qui commendauerat, & fletu, ac lachrymis perurgebat: vitæ suæ quoque illaturum se esse exitium, nisi commendata reciperet, testabatur. Permotus lachrymis eius senex, ad sepulchrum filiæ properat, atque eam ex nomine clamitat. Tùm illa de sepulchro: Quid vis (ait) pater? Commendatum, inquit, illius vbi posuisti? At illa locum designans, illic (ait) inuenies defossum. Regressus ad domum, rem, sicut filia de sepulchro responderat, repertam, tradidit reposcenti.

11. *Theodoretus de Religiosa Historia, de Palladio.* Nundinæ in vico Immæ agebantur, quę mercatores vndique acciuerant, hominumque multitudo immensa confluxerat. Ibi mercator quidam venditis mercibus quas attulerat, auroque contracto, nocte abire statuerat. Collectum aurum homicida conspicatus, œstro, ac furore percitus, somnum oculis depulit, & hominis illius discessum obseruauit. Et cùm ille post galli cantum securus abiret, hic præuertens, & locum insidiis aptum occupans, repentè insiliit, incussaque plaga, cædem perpetrauit, & execrando sceleri, aliud impium facinus addidit. Auro enim ablato, cadauer ad magni Palladii ianuam abiecit. Vbi dies illuxit, famaque sparsa res toto mercatu vulgata est, accurrunt omnes, ostioq. effracto, patratæ cædis pœnas reposcunt à diuino Palladio; aderatque inter cæteros is ipse, qui cædem commiserat. Circumfusus ergo à tanta multitudine vir sanctus, cælum suspiciens, & mente cælum transcendens, Dominum orabat, vt calumniæ falsitatem redargueret, & veritatem, quæ latebat, reuelaret. Sic precatus, mortui dextra manu apprehensa: Dic, inquit, ò adolescens, quis hoc tibi vulnus inflixit? ostende sceleris auctorem, & innocentem ab iniqua calumnia liberum declara: sermonem sermo secutus est, & dexteram homo, & sedens adstantes circumspexit, hominemque digito demonstrauit. Hinc sublatus

omnium

omnium clamor, & miraculum stupentium, & iniectam columniam detestantium. Sicarius autem illum exuentes, & gladium cruore tinctum inuenerunt, & aurum, quod ad cædem instigarat.

12. *S. Ant. 2. p. Chron. tit. 15. cap. 6. §. 10. de Sancta Aurea Virg.* Dùm in villis sororum esset aliquandò Mater Sancta, huius celleraria, atque clauigera sibi dilecta, nomine Deda, nunciatur defuncta: Vndè admodùm dolens, ad monasterium est reuersa, tertia tamen iàm luce ab obitu eius prætetita. Non autem ausæ fuerant sorores eam sepelire sine Abbatissa, nec sibi poterant iàm migranti claues officinarum extorquere, asserenti nulli sororum redditu ram se eas ante aduentum excelsæ virginis Aureę. Tunc illa in feretro iacentem intuita accessit, & eam proprio nomine vocauit, statimque viua resedit. Quidnam, inquit, de rebus monasterii tibi comissis, & clauibus egisti? Mox illa rationem reddens de vniuersis rebus, & expositis clauibus, cùm licentia S. Abbatissæ migrauit ad Dominum.

Nonnulla alia Admiranda mortuorum Resurrectiones.

§. 3.

NE tàm breuiter ab huius Admirandorum maximi narratione me expediam, aliquas hic paucas notabo admirabiles mortuorum Resurrectiones, omissis quę in sacra scriptura ab Euangelicis Chronistis enumerantur. Sunt autem.

1. *Felix Astulphus in Hist. vniuersali Imag. B. Virg.* Multi confugientes ad intercessionem B. Virginis, cuius imago, & pręcipuus cultus habetur in Monteserrato, Defunctis, iàmque corruptioni proximis cadaueribus, vitam mirabiliter impetrarunt, vt ex monumentis, & anathematibus illius sacello appensis apparet. Alij innumeri recensentur ab eodem auctore ob intercessionem B. Virginis resuscitatis.

2. *Gumppenberg, de Img. B. Vig. de Atocha, Madriti, in Hispania.* Ramirius Hispanus Rex, mauricam inundationem videns, eorumque libidini duas filias Virgines paulò post seruituras timens, eas Virgini Deiparæ sacrificio, Christianis vetito, victimas dare statuit, si non abnuerent. Illæ probato Patris consilio, coràm hac statua flexis genibus se Deiparæ commendarunt, & ceruices præbuere; quas Pater mæstus uix duobus ictibus decussit. Interim abscissa capita altari imposuit Deiparæ, omissa sepulturæ cogitatione, quia præsentiora vrgebant. Ad prælium igitur itum, & post multos labores feliciter Mauri Dei auxilio sunt effugati. Dùm igitur domum reuersurus, templum, in quo paulò ante sacras victimas posuerat, ingreditur, vt Deiparæ gratias ageret, filiam vtramque viuam, sanam, & saluam habuit; Neue spectra putaret; Pater, inquiunt, reddidit nobis vt vides, Deipara vitam, quam pudori seruando, virgini, vt scis, dedimus: & vt scias, nos esse, non alias, aspice cicatricem colla ambientem, quam Virgo reliquit, cùm capita reponeret, in beneficii æternam memoriam.

3. *Aloysius Torellus in Hist. August. anno 937.* Violauerat Garinus (postea eremita) occideratque Mariam Riquildam, filiam Barchinonensis Comitis. Post quæ ad pedes Pontificis Stephani VIII, confugiens, septennem pænitentiam deambulandi super terram manibus, pedibusque more pecudum accepit. Qua completa, insignique prodigio infantis eiusdem Comitis filij loquentis, sibi remissum esse peccatum cognoscens, omnia eidem patefecit. Cùmque ad locum, vbi virgo occisa tumulata fuerat, iussu Comitis quidam profecti fuissent, vt eiusdem ossa Barchinonam in proprium sepulchrum tumulanda deferrent; ecce prodigium, ablato enim lapide, inuenta est Maria viua, & post tot tempora absque cibo, in fœtido loco conseruata: quærunt miraculi causam; ipsaque respondet; tanti portenti B. Virginem causam extitisse, cuius intercessioni, antequam à Garino interficeretur, se commendauerat.

4. *Surius in vita S. Ludgeri Episcopi, lib. 1. cap. 24. 26. Martij.* Ferebant veracissimi viri de discipulis eius, quòd quodam tempore, dùm ad Comitatum pergens, per Prouinciales, qui Hassi dicuntur, iter ageret, per orationes eius homo mortuus reuixerit. Qui scilicet propter furtum caballorum Vuidekindi, Saxonum Ducis, *huic morti* adiudicatus sit, vt in campo ad *stipitem ligatus*, iactatis in eum sudibus acutis, & lapidibus, necaretur. Quod dùm factum esset, corpus exanime in campo relictum sit. Venit autem Ludgerus secùs locum, & comperto, quòd Christianus fuerit, mittens ad Vuidekindum, impetrauit ad humandum corpus; deindè discerpta totius corporis membra, pallio colligi iussit, & inferri in tentorium suum, donec humando corpori sepulchrum pararetur. Dùm ad hoc ventum esset, vt elatum de tentorio, in fossam poneretur, iuxta stans Episcopus: *Efferte eum*, ait, è *tumulo*, nàmque illi spiritus inest. Qui dùm eleuatus esset, respirare cæpit; iterùm illatus in tentorium oblato potu, refocillabatur, ligarique iussit Episcopus vulnera eius, & in tempore pauco conualuit: stat adhùc in eo loco lapidea Crux, in monumentum miraculi huius ab incolis erecta, & ex nomine eiusdem viri, qui Buddo vocatus est, campus ille Buddonfelt vsque hodiè vocatur.

5. *In actis S. Macarij.* Cùm S. Macarius cùm Hæretico Hieracita de catholica fide contenderet: Ratus aduersus callidas, & captiosas illius artes haùd fore satis validam, & nudam veritatem, ad miracula deueniendum esse putauit; igitur Hieracitam illum garrulum ita est allocutus. Age, inquit, ad sepulchra fratrum nostrorum progrediamur, cui concesserit Deus, vt mortuum exsuscitet, huius fides vnicè probetur. Annuit ille, amboque ad cæmeterium processerunt. Tùm orans Macarius. Tu Domine, inquit, vter nostrum veram fidem sectetur ostende hodierna die, mortuo restituto, quem ego ad vitam reuocauero. Tùm verò appellatum quempiam, qui sepultus ante non adeò multos dies fuerat, aspexere omnes viuum, ac spirantem adesse, ostio tumuli patefacto: eoque miraculo victus Hieracita, nec ausus Thaumaturgum agere, statim ex eremo à monachis exturbatus est.

6. Su-

6. *Surius 10. Sept. de S. Saluio Episcopo Albigensi*. Fuerat hic monachus inclusus, & aliquandò nimia febre exhaustus, anhelus iacens in lectulo, cellula magno clarificata lumine, extensis ad cælum manibus cùm gratiarum actione spiritum exhalauerat. Abluto autem corpore, vestimentis induto, & in feretro supposito, exacta in psalmis nocte, cùm facto mane funeris officium pr æpararetur, moueri cæpit, & quasi de graui somno excussus, apertis oculis, & eleuatis manibus queri, quòd in hunc tenebrosum habitationis mundanæ locum redire Deus permiserit. Surrexit itaque nihil incommodi de præterita sentiens valetudine, & post triduum astantibus reuelauit quæ viderat. Factus deinde Episcopus, decem egit in Episcopatu annos.

7. *In actis S. Mochuæ cap. 5.* Per id temporis venatione Rex Hellachus animum recreabat, & ceruus, quem fuerat insectatus, in summas angustias, vltimumque discrimen deductus se se in locum præcipitem dat, natandoque, rupem in medio lacu sitam tenet, & in ea consistit: eò illum sequi nemo propter horrendam belluam, quæ lacum infestans natatores occidere solebat, audet. Rex, & id damnum timens, & ceruo simùl potiendi cupidus, Mochuam, quem summo amore, & honore fuerat amplexus, alloquens, si, inquit, tibi Mochua Pater placet, auxilio tuo fretus in rupem mittam, qui ceruum interficiat. Mochua: Tametsi, inquit, eò quemquam adire periculosum videtur, natatori tamen Deus omnipotens incolumitatem dare potest. Quibus verbis motus Rex, in rupem mittit, qui ceruum interimat. Sed redeuntem hominem bellua deuorat. Dolore perculsus Rex, hominis amissi culpam in Mochuam transfert. Ea de re Mochua ad Dominum suum Christum Deum preces fundit. Dei imperio incolumem, & illæsum hominem bellua vomit, nec vlli in posterum nocuit.

8. *Surius 3. Nouembris*. S. Vuenefrida, Cadoci Regis Britanniæ filii recusauerat nuptias, obstricta pudiciciæ voto: ideò capitis damnata est, & fractæ sunt ei ceruices. At S. Beunous, ex Regia stirpe monachus, sicut in morum disciplina eam instituerat, ita etiam vitæ restituit: mansit verò circa collum eius obducta cicatrix, quasi lineola lactei coloris.

9. *Iocelinus in vita S. Patritij*. S. Patritius, mortuos tres, ac tricenos reuocauit ad vitam, & ex iis aliquos, qui iàm pridem in cineres fuerant resoluti.

10. *Rayssius*. Athena, Cataldi (qui postea fuit Episcopus) mater in portu mortua, ab ipso Cataldo primùm nato, ad vitam solo amplexu reuocata est.

11. *In actis S. Herculani Episcopi Perusini*. S. Herculani Episcopi Perusini, & Mart. meritis, iàm defuncti, puer, qui secùm humatus fuerat, post 40. à morte dies, iàm vermibus scatens ad viuos euocatus est.

12. *Adalbertus*. Cùm Aygulphus Floriacensium Abbas, aliqua lipsana S. Scholasticæ se daturum spopondisset Cenomanensibus, cùmque diù à sacris D. Benedicti eius fratris reliquiis, ea secerni non possent, multùmque de his hæsitaretur, & certum quid indicari non posset; diuinitati huic ancipiti sententiæ taliter finem imponere placuit. Nàm cùm continuis diuinitatem precibus per totum noctis spatium vtrique populi pro tanto sibi manifestando negotio pulsauissent: facto mane, conspiciũtur eminùs paruulorum cadauerum exequiæ, quorum vnum erat masculini sexus, alterum fæminei. Igitur salubri accepto consilio ad se exanimata corpora deferri iubent: Quod cùm factum esset, masculi corpus propè ossa poni fecerunt, quæ magnitudine præstare videbantur, miroque modo mox vt mortui tetigere ossa iacentis, per mortuum mortuo vita reddita est. Similiter illis placuit, vt penès minora, mortuæ puellæ corpus poni deberet. Deus autem, vt demonstraret, germanos esse qui ferebantur merito, queadmodùm vna carnis procreatione, vno eodemq. tempore pares, pares voluit esse miraculo; ita vt puella hora eadem ab officio funeris surgeret, & quæ à flentibus amicis portabatur ad tumulum, iisdem gaudentibus rediret domum. Antiquum, inusitatumq. post Elisæi actum, renouatum hic constat esse miraculum.

13. *S. Greg. Papa, lib. 2. Dia. cap. 32. de S. Benedicto*. Quodam die cùm fratribus ad opera agri fuerat egressus; quidam verò rusticus defuncti filii corpus in vlnis ferens, orbitatis luctus æstuans, ad monasterium venit. Benedictum Patrem quæsiuit; cui cùm dictum esset, quia idem Pater cùm fratribus in agro moraretur, protinùs ante monasterii ianuam corpus extincti filii proiecit, adque S. Patrem cucurrit, illum lachrymis rogans, vt filium dignaretur suscitare: Recusauit priùs humilis Dei seruus, at iterùm rogatus, cùm ad monasterium peruenisset, flexit genua, & super corpusculum infantis incubuit, se seq. erigens ad Deum fudit preces. Vixque orationem compleuerat, regrediente anima, ita corpusculum pueri omne contremuit, vt sub oculis omnium qui aderant apparuerit concussione mirifica palpitasse, cuius mox manum tenuit, & eum patri viuentem, ac incolumem restituit.

14. *Barnabas de Montaluo in Hist. Cister. lib. 3. cap. 63. de S. Bernardo Abbate*. Fæmina quædam repentina morte percussa, sanctissimi Patris oratione in conspectu diuersorum vitam miraculosè obtinuit. Item alius iuuenis inter rapidissimi fluminis aquas submersus, & iàm exanimis extractus, per eumdem Sanctum virum ad vitam reuocatus est.

15. *In vita S. Dominici, lib. 1. cap. 10.* Nunciatum fuit S. Dominico, Neapoleonem nepotem Stephani de Fossa-noua Cardinalem XII. Apostolorum, qui præseus ibi erat, ex equo prolapsum, effudisse animam. Egressi igitur cernunt triste spectaculum, membra adolescentis horribilem in modum dissipata, & comminuta. Tunc S. Pater miseratione motus, iubet altare parari, missamque feruida deuotione, nec sine lachrymis celebrat; aderant in templo Cardinales plurimi. Vident autem ipsum cùm corpus Domini visendum populo ostenderet, cubiti altitudine in aere attolli. Sacro peracto, progreditur ad examine corpus, sequuntur omnes: mani-

manibus quassata membra componit: mox in nomine Iesu iubet adolescentem surgere. Is illicò viuus, sanus, & integer resiliit. Similiter, & alios duos mortuos Romæ vitæ mirabiliter restituit, vt in eadem vita lib. 2. cap. 13.

16. *Cantip. lib. 2. apum cap. 29. in notis.* Dùm quidam puer Scholaris, sicut fratrum Prædicatorum fidelissima relatione didicimus, in odium Iudęorum per plateas de vespere sæpè cantaret: Erubescat Iudęus infelix, qui dicit Christum ex Ioseph semine esse natum; Iudæi nocte quadam comprehendentes puerum, iugularunt, & in cæmeterio sub cuiusdam sepulchri lapide absconderunt. Mane autem facto, cùm mater filium perdidisset, & cùm vicinis eum per diuersa loca quæreret, transiensq. per cæmeterium eiulando clamaret: fili carissime, vbi te perdidi, vbi quæram te; puer de sublapide, alta voce clamauit: Erubescat Iudæus infelix &c. Ad cuius vocem stupefacti quęrentes circumspexerunt, & tandem de sublapide puerum aduertentes, viuum, & incolumem sustulerunt.

17. *In ann. Minor. ann. 1222. num. 10. de Sancto Francisco, Caieta existente.* Hinc discedens Franciscus, in itinere declinauit ad cuiusdam nobilis ædes, à quibus cùm recederet in forum prædicaturus, secuti sunt eum patres familias relictis domi vna ancilla, & quadrienni infante. At famula allecta cæterorum domesticorum exemplo, cupiensque cùm cæteris Dei virum concionantem audire, post eos abiit, neglecto puero. Rediit festinanter ante alios ancilla, inuenitque dilapsum in cacabum, seu ahenum efferuenti aqua plenum infantulum, mortuum, & semicoctum. Extractum corpusculum reclusit in arcam: quod diù parentes latere non potuit, dùm redeuntes, quid ageret, vel vbi esset vnicus filiolus, interrogarent. Monuit tamen, & rogauit impensè vxorem maritus, vt propter serui Dei Francisci reuerentiam, ne illius eiulatu, aut cruciatu contristaretur, dolorem leniret, vel saltem simularet, donec ille pransus recederet. Venit vir Dei, & sancta lætitia commensales excitabat ad gaudium, non ignorans, quo indigerent solatio, finxitque sub prandio pomorum appetitum. Dolentibus maximè nulla se tunc habuisse domi, dixit; vt arcam illam (signando eam, quæ corpusculum habebat infantis) aperirent, extraherentque, quæ omnibus insciis, inerant poma. Remorantibus illis, negantibusque huiusmodi in illa arca recondi, institit Vir Sanctus, vt omninò aperiretur. Exurgens ipse pater familias, vt morem viro Dei gereret, cautiùsque negotium perageret, ne planctus renouarentur, arcam aperuit, viuum filium comperit, & vtraque manu pomum tenuisse conspexit. Quo inopinato, & miro exhilaratus spectaculo, filiolum arridentem in vlnas assumpsit, ad Dei virum detulit, & rem omnem communi gaudio narrauit.

18. *In Chron. minor.* Cùm anno Domini 1605. Panormi in Sicilia, quędam nobilis mulier à Dæmone tentata, proprium filium occidisset, diuisumque in duas partes, vnam igni assasset, vt eam comederet; vir eius, vt tantum facinus cognouit, inpugnato ense eam occidere tentauit; tunc mulier culpam cognoscens, illiusque ingemiscens, D. Franciscum inuocauit, qui subitò apparens dissectas pueri carnes in vnum composuit, vitamq. quam ob matris crudelitatem deperdiderat, eidem ob Dei misericordiam donauit.

19. *Ibidem.* In Prouincia Burgundiæ quidam iuuenis amore cuiusdam Virginis captus, eam ad turpia ausus est solicitare; at casta puella nec precibus, nec minis tanto sceleri adhærere voluit. Tunc ille mutato in iram amore, in eam crudeliter irruens, post multa, capite truncauit. At ecce mirum; aduenere statim Angeli, amputatumque caput trunco corpori coniunxerunt, subitòque vitam consecuta est, lineola rubra in collo remanente in signum miraculi. Re comperta à scelesto iuuene, pænituit erroris, habitumque religiosum se suscepturum promisit, vt & fecit, religioni S. Francisci se adiiciens.

20. *In vita S. Philippi Benicij, lib 4. cap. 6.* Quo tempore defunctus est S. Philippus, ad eumque inuisendum omnes conueniebant, accessit & mulier ex Tudertino territorio; interim paruus eius filius, qui custodiebat oues, à lupo rapaci crudeliter occisus, interfectusque fuit, iàmque illum comedere incipiebat, cùm ab incolis visus, ab eius faucibus raptus, matri deportatus fuit. Hæc lachrymans, & flens, demortuum cadauer in Ecclesiá, in qua corpus S. Philippi iacebat, detulit, supplicesque Deo, Sanctoq. preces fudit, vt vitam defuncto filio restituere dignaretur. Et ecce non multò post, puer oculos aperire, labia mouere, spiritumq. & vitam recipere visus est.

21. *In vita S. Francisci de Paula lib. 5. capi. 10.* Puerum morte peremptum Neapoli amiserant eius progenitores, cùm eius cadauer in S. Ludouici templum intulerunt; postque preces solemni ritu fusas, puellulus, qui institis, & linteis manus, & pedes habebat inuolatos, vagire cæpit, atque se per altare prouoluere, quare admirantibus cunctis qui adstabant, gratiæ Deo, & S. Francisco sunt redditæ.

22. *Bidermanus in vita S. Ignatij lib. 3. capit. 6. numer. 53.* In Insula Balearica, Hieronymam Rebezam partus difficultas per multos dies cruciarat, vt non longè mulier ab interitu iàm abesset, magna quippè corporis debilitas, animique crebra defectio, nihil ad illius exitium reliquifecerant. Aduertit inter hæc prolem in vtero extinctam, ceu funus in viuo tumulo contineri. Quamobrem censent matrem medicata buccea cogendam, vt infelix onus eiiciat; & si nec hoc quidem nullo cùm periculo videbatur futurum. Hic ipsa sibi mater fit optimi consilii auctor, & syngrapham Sancti Ignatii miræ rei effectricem iubet applicari. Paretur. Non plùs quartam horæ partem expectatum est, cùm illa periculi omnis secura, incolumem sobolem edit. Quæ autem res in maiorem admirationem vertit, infantis buccæ medicamentis fartæ reperiuntur, his ipsis, quæ triduò ante mater demiserat. Ea simul ex ore fuere exempta, infans flere, ridere gaudio cæteri inceperunt.

23. *In vita S. Francisci Xauerij Societ. Iesu.* Plures mortuos reuocauit ad vitam, inter quos; pri-

pridiè sepultum erui iussum à tumulo suscitauit; duosque alios dùm efferrentur, apprehensa eorum manu, parentibus è feretro viuos restituit.

24. *In vita S. Philippi Nerij*. Paulus Maximus ætatis annorum quatuordecim, diutino plùsquàm duorum mensium languore correptus, sacramentis ritè munitus, an. 1583. obiit; cùmque accersitus, dùm ille animam ageret, Philippus, qui eius morti velle se interesse dixerat, non ita subitò (sacro, quod interim faciebat, impeditus) ad eum venire potuisset, inuenit eum iàm vita functum, cunctaq. ad funus necessaria iàm parata. Vrget nihilominus Philippus, vt in cubiculum, in quo puer lecto iacebat compositus, inducatur. Ingressus, procumbit humi, orat breui, aqua sacra defunctum aspergit, in eius faciem exsufflat; tùm manu fronti imposita, bis nominatim eum inclamat: mira res, ad eius vocem reuocatur ad vitam Paulus, ac diutiùs inter se collato sermone, cùm is iterùm se confiteri velle diceret, confitentem Philippus audit: Quærit ab eo subindè, malit ne viuere, an mori; cùmque se libentiùs mori annuisset, benedictione impertita, Vade, inquit, felix, ora Deum pro me, & iterùm mortuus est.

25. *In vita S. Teresiæ libr. 2. cap. 5.* Dùm sancta Virgo primum reformationis monasterium S. Iosephi Abulæ ædificaret, puerulus eius nepos ex casu muri miserè vitam deperdidit; at precibus D. Teresiæ iterùm eam recuperauit, solebatq. dicere, dùm ad maiorem peruenisset ætatem, Teresiam debere continuis precibus Paradisum ei impetrare, quem ei resuscitando abstulerat.

26. *Pepe in mirabilibus S. Caietani, mir.* 125. Mortuum partum summis angustiis ediderat Angela Vitaliana; at inuocatus D. Caietanus, qui matri parienti astiterat, è mortisque periculis liberauerat, & filio defuncto vitam deperditam donauit.

27. *Idem ibid. m.* 159. Diana Bona, insulæ Ischiæ propè Neapolim quatuordecim annorum adolescentula, ex importuno morbo vitam deperdiderat: iàmque sepulturæ præparabantur necessaria; cùm mater eius Constantia, ve[illegible] constans, quatuor perseuerauit diebus, Diuum exorans Caietanum pro vita filiæ: & ecce mirùm, post quadriduum, viuam recuperauit filiam, & ferè fætidam quatriduanam, adinstar Lazari, e morte precibus eripuit.

28. *Idem ibidem m.* 187. Luci ediderat, immò potiùs tenebris, emortuum partum Antonia Pistacchia; at inuocato firma fide D. Caietano, perunctoque oleo eius lampadis cadauere, ad vitam deperditam restitutum mirabiliter vidit, glorificauitque Deum, & renato puero, Caietani nomen imposuit. Nunciam itidem vndecim mensium puerulam, dùm ad sepulchrum deferretur, D. Caietanus à genitrice inuocatus, mirabiliter suscitauit. Item è tenebris mortis eripuit Dominicum Stiuaruolum triginta quinque annorum, dùm sepulturæ demandandus, in feretro extinctus iacebat. Nec minoris fuit admirationis Petrus è Vito, territorii Auersani, cui cùm iàm defuncto in Ecclesia, eius præsente cadauere, omnia pietatis officia persoluta essent, campanæque funebri personaretur sono, vt terræ traderetur, mirabiliter inuocato ab vxore D. Caietano, vita restituta fuit, omnibus qui in Ecclesia aderant, stupentibus.

29. *In annal. Minor. ann.* 1242. *num.* 15. Recanati, vrbe prouinciæ Marchiæ Anconitanæ, ob domus Lauretanæ in territorio situm, nota satis, & ex omni orbis parte frequentata, belluina in mutuas cædes ciuium eò viguit ferocitas, vt non tàm morte, quàm insuetato mortis genere fuerit terrenda; lata ergo lex vt homicida interfecto ligatus, & viuus terræ inferretur, eademque sepulchri angustia mortuos obtegeret, quos tota ciuitas viuos non est in pace complexa; non longè postea duo fratres suborta de peculio lite, in verba, & rixas arserant, quas alterius fratricidium terminauit; alter alterum in maxilla pugno cæcidit, cæsus autem prompta in vindictam manu, adacta per ilia sica cædentem interfecit. Comprehensus, legique subiectus accepit latam de homicidio sententiam, itaq. fratri interfecto viuus pedes, manusque ligatus sepulturam cùm ipso vnam accepit in cæmeterio Fratrum Minorum dictorum: auia materna fuit de castro Podii Bonilii, seù Bonantis. Mane sequenti pueri quidam in eodem dicto cęmeterio fratrum Minorum Ecclesiæ dictę colludentes, & terram sub eorum pedibus tremescentem, nunc eleuari, nunc deprimi concernentes, clamoribus fratres qui psallebant in Ecclesia compellauerunt. Qui & ipsi illud idem quod pueri contuentes, & terram desuper amouere satagentes, confusę vocis tenorem velut ab inferis ascendentem elapsum tumulo, pariter audierunt. Cùm verò magis, ac magis leuiter fodientes, eorum corporibus propinquassent, audissentque liquidò, misericorditer nobiscùm agite, quoniam viuimus, ligatos quidem inuicem inuenerunt, sed vnum viuum, viuificatum alterum ab inuicem absoluentes, superstites ambos è fouea eduxerunt. Vagatur passim tantæ admirationis fama per vrbem. Concurrunt vndique viri, & mulieres, inter quos & mater eorum, nomine Ioanna, venit: properant magistratus, & officiales, comparet & ipse Vrbis Dominus, pręsens adest cùm clero Episcopus, qui diuersi modi factum tàm mirabile à diuersis inquirendo vestigans, hoc tandem dignum inter multa delegit. Qui enim fuerat sica percussus vnus ex duobus fratribus, reuerende, inquit, pater, & domine, cùm me sauciatum lethali vulnere sensi, fratri meo qui mihi mortem intulerat ex corde dimittens, meipsum Deo, & B. Luchesio, cuius amorem, & deuotionem ab incunabulis matre docente retinui, tota mente moriens commendaui. Qui verò eumdem vulnerauerat alter frater; ego, subiunxit, dùm fratri meo tumulandus cùm eo viuus funiculis astringebar; toto corde contritus, & de fratricidio pęnitens, beato Luchesio votum emisi: quòd si de tàm crudeli morte suis meritis me seruaret superstitem, Minorum fratrum religionem assumerem. Quę verò pręsens erat amborum genitrix, & ego subintulit, felix nimiùm parens istorum, quos ab ineunte eorum ętate sub cura, & patrocinio ex peculiari deuotione sancti mei Luchesii ad hanc vsque horam fortunata perduxi, audito amborum flebili nimiùm mihi casu, alterius animam,

alterius verò corpoream vitam multis lachrymis, Deo,& eidem B.Luchesio, tota contriti cordis intentione commisi. Stupentibus ad hæc cunctis,qui aderant, & præ deuotione illachrymantibus, qui mortuus fuerat,& reuixit,& ad propria cùm matre reuertitur. Qui verò à morte præseruatus fuerat, propria omnia respuens, pro vt Deo vouerat, & B. Luchesio, Fr. Minorum religionem ingreditur.

Videantur plura in hac materia lib.6.cap.1.§.3. cùm de subita morte in pœnam delictorum punitis,& cap.2.per totum.

APPENDIX AD CAP. II.

Admiranda Perennia circa Resurrectionem Mortuorum.

COronidem imponant huic capiti,totique operi quæ Admiranda adhùc perennant circa resurrectionem mortuorum.

1. *Eustachius Rudius in sua arte medica lib. 2. cap.60. de Abort. apud Petram Sanctam de miraculis perpetuis, cap.2.* Est sacra ædes Virginis Deiparæ in ditione Comitum Ortemburgensium, inter fines Principatus Tirolensis,quam incolæ,ac finitimi populi appellant, S. Mariam de Luggau. Ad eam sacram ædem,si emortui fœtus statim à puerperio perferantur,super aram Virginis reuiuiscūt, donec lustrali fonte abluantur, & mox rursùs moriuntur donati æternitate. Huius autem rei,inquit Eustachius,ne dùm nos, verùm etiam innumeri alii clarum & indubitatum testimonium reddere possunt; & Pater Fulgentius Maria Kuen ordinis Seruorum B.Virg.olim Præses antedictæ Ecclesiæ, testatus est,ita omninò esse, atq.ibi librum extare, in quem cùm idoneis testibus nomina omnium referuntur quotquot ad vitam infantes excitantur.

2. *Gumppenberg,de imag. B. Virg. VVeissensteinensi, in Germ.Sup.* Infantes sine baptismo mortui, antè hanc imaginem deferuntur, & in præsentia idoneorum testium,indubia dant signa vitæ,& ritè sacris aquis abluuntur.

3. *Idem,de imag.B.Virg.Spora,in Germ. Super.* Porrò huic loco proprium est, iàm ab antiquo in hodiernum vsque diem; infantes sine Baptismo defuncti,nonnulli etiam è sepulchro eruti,atq.ab ipsa vsque valle Telina hùc portati,frequentissimè vitæ signa dant,ad baptismum recipiendum sufficientia. Authenticum instrumentum testatur, ann. 1652. 1653.1654.viginti quinq.eo modo reuixisse,& baptizatos esse.

4. *Idem,de imag.B.V.de Libercourt, in Ger.Inf.* Miraculosa est in hodiernum diem hæc sac.Imago: Gratiam præcipuam experiuntur infantes sine baptismo defuncti, qui aliquandiù per idoneos testes super altari positi, signa dant vitæ, & confestim baptizantur.

5. *Idem,de imag.B.V.Buriensi Buseij, in Lotharingia.* Multi pueri in matrum vtero demortui, ad Imag. hanc Buriensem propè Buscium vitæ restituti, ac piacularibus vndis abluti, iterùm decessere.

6. *Idem,de imag.B.Virg.Ecclesiæ Geldoniæ,in Germ.Infer.* Accursus ad hanc sac. Imag. prodest omnibus, præcipuè tamen opem inueniunt sine Baptismo extincti infantes.

7. *Idem,de imag.B.V.Bethuniensi, in Ger.Infer.* Duabus,quæ ex vrbe Insulensi Bethuniā itur,leucis, celebritatem obtinuit non vulgaribus miraculis hæc B.Virg.imago; Quorum celebrius erat infantum mortuorum ad vitam reuocatio, vt sacro abluerentur Baptismo. Hoc beneficium inuiderunt nobis milites, qui subiecto igne templum cùm *Sac.* Statua exusserunt.

8. *Ioannes Buzelinus in Ann.Gallo-Fland.libr. 2.de Statua Virginis, quæ Fournis colitur.* Obseruatum est, homines singulare beneficium ibi antiquitùs percepisse, & modò etiam impetrare; vt si qnis priùs extincti fuerint, vel quàm ab vtero fundantur, vel quàm sacro latice tingantur, *horum* multi tantisper vitam recipiant, si deferantur ante prædictam imaginem, donec eos quis vnda Baptismatis abluat;& interdùm quidem ad multos vitam annos producant.

Hactenùs de Admirandis vires effectrices cuiuscumque causæ procreatæ in Macrocosmo,& Microcosmo excedentibus. Omnia haùd certè complexus sum,multa sine dubio supersunt; neq. enim intellectus limitatus, memoria labilis, cunctorum ignorantia scriptorum, librorumque defectus, omnia perlegere, excurrere,colligere, permisere. *Ad* ea quæ selegi,*procùl dubio frangere, allidereque* tumentes fluctus suos incredulorum pertinacissima velit, nolit, cogetur superbia;his quippe Matris viduam,destitutamque eorum prægnoscentes superstitionem, Orthodoxæ Religioni, tot, tantisq.præteritis, præsentibus, perennibusque decoratæ prodigiis, dummodò ratione potiantur, dare manus haùd detrectabunt.Faxit igitur Deus. Votiq.mei compos ero, si vni tantùm ex tot Admirandorum rutillantibus splendoribus lumen veritatis illucescat,fideique dogmatibus ab ipsis pertinaciter impugnatis, vt potè tot diuinitatis obsignatis caracteribus,tandem subscribant. Omnia autem sint ad maiorem Dei gloriam,ad laudem Sanctiss. Virginis Mariæ,S. P. N. Caietani, & omnium Sanctorum. Amen.

Finis Tomi Secundi.

INDEX ADMIRABILIVM

Quæ in hoc 2. Tomo continentur.

Angeli

B

Ba-

D

Eu-

G

 Gra-

H

eius

I

K

L

Lu-

Marcus

Pilis

Si-

T

V

VV

FINIS.



Pag.	col.	lin.	ERRATA	CORRIGE
In Ded.		37	illi infigere	lædere, illiq. infigere
3	2	34	Silij	Filij
4	1	25	Aquiam	Aquilam
5	1	43	consulens	consultus
ibi.	-	58	Cisteriensi	Cistereiensi
12	2	33	excepti	exceptis
24	2	34	venirent	& venerunt
34	1	7	instituata	instituta
ibi.	1	12	vix	vis
ibi.	2	41	Vuillermus	Vuillelmus
37	2	18	infasciebat	infarciebat
39	2	62	sua, ingratitud.	suæ ingratit.
41	1	24	Columnam	Columna
41	2	58	Asiæ	Hasliæ
44	1	48	Donini	Domnionis
45	1	43	*Epis. Trenir.*	*Presby. Treui.*
45	2	14	Andragasina	Andragisina
47	2	18	admitterentur	admitterentur
53	1	17	pendenti	pendent
56	1	10	impetrata	imperata
57	1	24	manus	manu
57	2	62	agebant	agebantur
58	1	56	motu	metu
ibi.	2	59	fiebantur	fiebant
61	1	28	Monasterium	ad Monasterium
63	1	33	proclamarent	proclamaret
72	2	18	*Archieta*	*Anchieta*
75	2	2	*Archieta*	*Anchieta*
76	1	39	præcordiarum	præcordiorum
90	2	25	in carcere in	in carcerem
91	2	50	Amsteradami	Amsterodami
98	1	61	quam	quæ
95	1	59	ereptà	ereptã
103	2	40	tulpa	culpa
104	1	3	diffluerent	difflueret
ibi.	1	61	at absq.	vt absq.
105	2	4	ora	ore
121	1	24	tant	tanta
123	2	30	poterunt	poterant
129	2	59	quæ cùm à mul.	quæ à multi.
131	2	25	comperit	compererit
ibi.	-	35	sic	sit
145	1	1	dirissimo	durissimo
149	2	39	montem	mortem
150	2	33	plausus	plausu
157	2	11	magnificam	magnificum
ibi.	-	21	læsurum	læsura
159	2	14	funere	funebre
163	2	45	pænitentiæ	pænitentia
165	1	18	quæ	quas
165	2	33	at quod	atq. quod
170	2	58	quiddam	quidam
181	1	40	ipsa meridie	ipso meridie
184	1	44	fuisse	fuere
186	2	58	affectus	effectus
194	1	57	nouitatem	nouitas
203	2	54	Catalauniæ	Catalaunia
204	2	54	scaturigines	scaturigine
ibi.	-	59	vt ex his	vt & his
211	2	10	Belgium	Belgij
ibi.	-	11	Ath	Athum
ibi.	2	42	delata	delata est
212	1	47	dies	die
213	2	33	micanis	micans
217	2	21	ingentis	ingenti
218	2	21	Bocaloherum	Bocaholerum
219	1	44	reditur	reditu
220	1	14	fabricatum	fabricatam
ibi.	-	46	imaginem	imaginis
223	1	52	virerет	viueret
324	2	41	inuocationi	inuocatione
228	2	52	saluum	saluus
235	2	51	dilectæ	dilectè
241	1	46	Cruce	Crucis
244	2	26	adducta	adducta est
246	1	10	multas	multus
252	1	15	antam	tantam
255	2	33	viciniaó ctagione	vicina contagione

Pag.	col.	lin.	ERRATA	CORRIGE
259	2	54	vitrum	vitreum
260	2	5	posuerant	posuerunt
ibi.	2	62	celebrabantur	celebrabatur
262	2	44	putridum	putridus
263	2	35	Tunis	Turris
264	1	17	patrati	patrari
ibi.	2	33	Dabalæ	Gabalæ
266	1	7	eaq. currum	eaque in currum
ibi.	-	33	scelestarum	scelestorum
ibi.	2	4	tui cacod.	sui cacod.
ibi.	-	6	vi à te	vi à se
ibi.	-	54	volens celare	valens celare
ibi.	-	59	torq.	torque
267	1	24	Sanctorum	Sanctarum
269	2	62	sclopetas suas	sclopeta sua
272	1	28	supplicis	supplices
ibi.	2	20	templi, ligneam Crucem	templi ligneum Crucem
275	1	16	ius suum	iussum
280	2	24	Priori	Prior
283	1	3	dotales quæ	dotalesque
285	1	25	Vrilhelmi	Vuilhelmi
ibi.	2	48	ex cùm calce	& cùm calce
289	1	7	vt ad inaug. prob.	inaugur. vt adprob.
295	2	38	quartæ	quantæ
309	1	1	mensis	mentis
ibi.	2	47	spasimo	spasmo
310	1	14	artificium	artificum
317	2	51	iussu	iusso
318	1	5	auerterint	verterint
325	1	35	celeritate	celebritate
326	2	15	rediisset	rediisse
331	1	27	præsumptuosæ	præsumptuosè
ibi.	2	7	Dei	diei
334	1	48	duabus digitis	duobus digitis
ibi.	2	3	meritò	merito
337	2	19	conuentali	conuentuali
338	1	39	nominat	terminat
341	2	28	instigaret	inuestigaret
342	2	26	distrinxerat	distinxerat
348	2	57	irrigit	iriguit
358	2	24	& restituit	vt restituit
363	1	20	indigua	indiga
366	2	57	nihil coctúq. in eo exhibeant, *inuenitur*, sicq. quod nouo	nihil coctum, *quod* in eo *exhibeant*, *inuenitur*, sicq. nouo
367	1	58	postulant	postulat
372	1	14	sunt	sint
373	1	8	Vuicleffi	Vuicleffi
378	2	16	montem	mortem
395	2	5	vniuersi	vniuersos
ibi.	-	36	putelcens	putrescens
397	1	47	Sanctæ Matthæi	Sancti Matthæi
405	2	22	Zerenzesis	Zerenzensis
407	1	14	vt quæ	vtque
ibi.	-	48	Sanctæ Andreæ	Sancti Andreæ
ibi.	2	48	nequiret	nequiter
408	2	62	Lucianus	Lucanus
412	2	17	ventes	vinentes
422	2	17	accemt	acreffit
429	2	15	quas	quos
430	1	22	martyrium	martyrum
431	2	21	scistula	cistula
433	1	21	lenitate	leuitate
ibi.	2	16	Indice	Indica
447	1	32	exosico	exotico
450	1	47	*Melchione*	*Melchiore*
ibi.	2	57	flore	flere
451	2	2	conditum est	condita est
457	1	23	quia duersùs	qui aduersùs
460	2	44	*Bisnaco*	*Binasco*
464	1	1	mente	morte
476	1	29	Lacensibus	Lucensibus
485	1	54	vtriusq.	vtriq.
486	2	37	martyris	martyrii
488	2	23	*Tatiani*	*Titiani*
497	1	10	quidem	quidam
506	2	25	Kappenbergentis	Kappenbergensis

Pap.	col.	lin.	ERRATA	CORRIGE
511	1	10	præcepissent	præcepisset
513	2	25	in Crucem	in Cruce
517	1	34	casteque	castæque
ibi.	-	45	Fdrrariensis	Ferrariensis
519	2	22	nominatùm	nomina tùm
520	1	35	quo	qui
523	1	60	semiliberam	semilibera
526	2	24	patris	patriis
530	2	62	chrorum	chorum
531	2	9	Farnensius	Ferrensius
532	2	8	ad rediisse	ad te rediisse
538	1	37	resuscitatis	resuscitati
541	2	57	assurem	assumerem



V E N E T I I S , M.DC.LXXX.

Apud Io: Franciscum Valuasensem.

SVPERIORVM PERMISSV, ET PRIVILEGIO.

G. ah